15.2.154

15.R.2

Digitized by Google

Donato alla Libreria di S. Michele di Prato
dal D. D. Dier Francesco Schiantesche- A.

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIUS PARATITLARIS.

CAJETANI FELICIS

VERANI

TOMUS TERTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIVS PARATITLARIS.

SEU

Dilucida explicatio, nova methodo exhibita, omnium Pontificiarum Decretalium, quæ continentur in quinque libris GREGORII IX. & aliarum BONIFACII VIII. in Sexto; ac Constitutionum Recentiorum Pontificum in Septimo. Clementinarum CLEMENTIS V. Extravagantium JOANNIS XXII. & Communium. Explicatúrque quid jure novo per decreta Conciliorum, prælertim Tridentini ſtatuitur.

CUILIBET TITULO

Prætexitur Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in eodem continentur cum præcipuis Gloſſæ Doctrinis: & in calce adjiciuntur plures ſelectæ quæſtiones pertinentes ad materiam ejusdem Tituli.

OPUS

Digeſtum quinque Tomis reſpondentibus quinque libris Decretalium.

TOMUS TERTIUS

AUTHORE

R. P. D. CAJETANO FELICE. VERANI

Nicienſi Clerico Regulari Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore.

Nunc primùm in lucem prodit. Permiſſu Superiorum, & Privilegio.



BIBLIOTECA S. MICHAELIS C.R. FLOREN.

MONACHII, Sumptibus, ac Typis JOANNIS JÆCKLINI, Typographi Electoralis, & Bibliopolæ.

ANNO M. DCCV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DN. N.

ECCLESIÆ CATHOLICÆ SUPREMO PASTORI CLEMENTI UNDECIMO, PONTIFICUM OPTIMO MAXIMO.

VEnturus in Eccleſiæ ſinum liber iſte, nullo comptus excultæ eloquentiæ calamiſtro, nullóque Attico concinnatus lepore; par erat BEATISSIME PATER, ut, cum prælum recèns eluctatus, plures contraxerit fuligines, has excuſſurus, Gentilitii Veſtri Syderis perfunderetur nitore; depulsísque umbris, ſi non proprio, ſaltem Veſtro ſplenderet fulgore,

Digitized by Google

quô caliginoſo ſerenitas, obſcuro claritas, & abjecto conciliaretur majeſtas. Neque redarguendus, ſi imbecillus, omníque deſtitutus robore auſus ſit ad ſuum accedere Principem; eò enim ſtabit firmior, quò Veſtri Stemmatis innixus montibus nulli erit lapſui obnoxius. Eam ſiquidem Veſtri montes Petram exhibent, ſupra quam nunc ædificata Eccleſiæ orthodoxæ ſtructura, ſtat inconcuſſa; quamvis bellorum motibus tota propemodum quaſſata Europa ſus deque vertatur; & diſſidentia Principum capita (quæ SANCTITAS VESTRA componere, & reconciliare ſatagit) exitialem excitaverint procellam, ſanguineis undis plures terrarum tractus obruentem. Quis non miretur in hisce bellicæ tempeſtatis Scyllæis voraginibus, Charybdísque vorticibus, nullum Eccleſiæ navim ſubire diſcrimen, imò neque fluctuare, & ſupra hominum procellas aliena mala compatiendo videre, & ſublevando minuere? In Veſtros ſiquidem Montes, ſi non Maris, Martis procelloſiores fluctus impingentes detumeſcunt, & veluti colliſi miteſcunt; ſpumæ candore malaciam ſpondentes, qui naufragium videbantur minitari; quaſi CLEMENTIÆ VESTRÆ pedes exoſculati, ac reveriti depoſito tumore retrocedant obſequentes. Quod neceſſe eſt, Numinis demus Providentiæ, cui, cum rerum humanarum eventus in circulo innoteſcant æternitatis; ne Eccleſiæ ſuæ militantis Cymba ab hisce bellorum motibus, ac procellis quidquam pateretur detrimenti, Veſtram placuit peritiam ſeligere, quæ admotâ manu ad Navis clavum eam regeret, tempeſtates eluderet, & ad optatæ pacis portum dirigeret: ad quod Gentilitii Veſtri Syderis deſiderabatur Cynoſura, quæ per fluxa rubri, ſanguineique hujus freti itinera, quà ſit eundum præſignaret, & pericula præcavenda oſtenderet, ne Petri Navis toto fluctuante Chriſtiano Orbe in ſcopulos, ſyrtésque illiſa periclitaretur.

Is propterea Nauclerus erat accerſendus, in cujus peritiam, ac Virtutem Cœlum, & terra mutuis conſpirarent officiis: quicquid enim Roma ſæculis omnibus tulit, vel majeſtate ſublime, vel pietate illuſtre, vel ſanctitate

tate divinum; aut eruditionum varietate celebre, aut eloquentiæ culturâ dedolatum, aut ſcientiarum encyclopediâ inſigne, id omne Veſtrum in ſinum Deus munifica profudit largitate: ut unus eſſet, qui membris ſingulis per orbem laborantibus Capitis providentiâ, ſapientiâ, & conſilio ſubveniret. Talis requirebatur ſupremus Eccleſiæ Paſtor, qui bellorum graſſante nequitia, temporúmque urgente iniquitate dono quodam Divinæ Providentiæ genitus mœſtos demulceret, languentes roboraret, lapſos erigeret, lugentium lacrymas exiccaret, cunctísque eſſet ſolatio. Qui incorrupto animi candore inſignitus præcelleret; accerrima vi judicij dotatus diſſidentes animos reconciliaret; excitatiſſimæ mentis vigore prædítus pericula declinanda prævideret, & ſummarum virtutum ſtudio illuſtris omnes impertitis beneficijs proſequeretur. Qui oris ſuavitate, vultúsque benignitate vi quadam magnetica, vel ipſos reluctantes in propria traheret obſequia; & excelſæ mentis candore translucidos ſinceritatis ſinus, perinde ac nitidiſſima gemma foris explicaret. Cujus clara nobilitas, capitis excelſa Majeſtas, corporis grata proceritas; & majores corporis dotibus animæ exultæ virtutes parem Pontificiæ dignitati, ac univerſalis Eccleſiæ Principatui efficerent. Cujus propterea ingenio concredita diſciplinarum ſemina in uberrimam illicò excreſcerent fructuum ſegetem.

Hinc prodiit referta illa omni eruditione ſupellex opulentiſſima, quæ cum ipſa SANCTITATIS VESTRÆ adoleſcentia non ſolùm adolevit, ſed & crevit adulta; nobilis illa eloquentiæ ratio, quà nil facundius, ornatius nihil; illa Latij ſtyli maſcula elegantia; in qua quot verba, tot flores; quot dicta, tot lumina; quot periodi, tot gemmæ: illa perorandi gravis æquè, & ſuavis Majeſtas, quâ omnes ad ſe trahit, flectítque in cultum, & venerationem. Teſtis eſt Roma, quæ ſuum ex Ara inter miſſarum ſolemnia Paſtorem auditura (quod à pluribus retroactis ſæculis ei conceſſum minimè legimus) adeò affluenter, acervatímque properat, ut laxiores Baſilicæ populorum frequentiæ impa-

d by Goo

impares eſſe videantur; nec capiant, quos ſitis tenet nectareos hauriendi latices ex pellucido eloquentiæ Veſtræ flumine; quod ſedatè fluit absque ſalebris, incorruptam deferens latini ſermonis integritatem, parémque animo Veſtro gravitatem, quam moribus, & verbis, ut Principem decet, impreſſit: videantúrque in hac una Veſtrarum Homiliarum eloquentia reliqua SS. Patrum triumphare decora; ſeu Majeſtas Leonis in tornanda periodo verbis numeroſæ ſuavitatis; affluentia Chryſoſtomi in argumentis ampliandis; perſpicuitas Auguſtini in doctrinis ediſſerendis; Gregorij Magni vis in moribus corrigendis, & componendis ad normam virtutis; Ambroſij elegantia in verborum delectu; & Baſilij venuſtas in narrationibus concinnandis.

Quid? quod auſus ſim has meas lucubrationes ſine eloquentiæ venuſtatibus incomptas, ſine elegantiarum delicijs ſqualidas, ſine facundiæ ornamentis neglectas, ſine Rhetorum viretis languidas VESTRÆ ſiſtere SANCTITATI, Veſtrúmque ijsdem prætexere nomen? An redarguar temeritatis? ſed Veſtræ leges ab hac me nota vindicant: has ex Tertio Decretalium deprompſi, congeſſíque in hoc libro: cúmque dimanârint à Pontifice, æquum erat ad Pontificem reverterentur; unde exeunt flumina innato pondere refluunt, undarúmque reciproco flexu ad ſuum caput pleno alveo, cursúque rapidiſſimo feruntur, & primæ ſuæ origini quicquid acceptum habent ipſo naturæ inſtinctu, ductúque referunt. Cùm totum quod liber iſte continet ſuum à Pontifice in militante Eccleſia Legislatore ortum trahat; ne ſibi, & gratitudinis ſymbolo deeſſet, ad ſuam debuit originem tributario curſu refluere: præſertim quia facturus viderer minùs gratè, ſi hoc meæ tenuitatis opus, meæque fidei pignus non ſiſterem SANCTITATI VESTRÆ, quæ benefica propenſione in noſtram Congregationem, favet cælicolæ Andreæ Avellino ſummarum virtutum cultori eximio, ut ſolemni apotheoſi in album relatus Sanctorum, ubique terrarum publica veneratione à fidelibus colatur, totúsque Chriſtianus orbis in ejus ſe laudes effundat; & noſtri Inſtituti homines, ad eminentiam purpuræ, & ad Infularum decora promoveat.

Si-

Sinat igitur, huic operi aditum ad Veſtros Pedes patêre : tametſi quod ex meo penu ſecum advehit ſit algâ humilius, umbrâ obſcurius, cœnóque abjectius, à Veſtro tamen Gentilitio Sydere claritatem, à montibus celſitudinem, & ſuam à Veſtris manibus mutuabit nobilitatem. Placeat ergò CLEMENTIÆ VESTRÆ librum, quem in maximæ obſervantiæ ſymbolum, & amoris teſſeram flexo genu, & totus in venerationem procumbens nuncupo, ſereno oculo aſpicere, manúque non reluctante accipere ; proba erunt, quæ in ipſo continentur, ſi à VESTRA probentur SANCTITATE, quam Deus diutiſſimè ſoſpitem velit, faxitque: Ita ſpero, ita Deum enixè rogo, ut meis annuat votis ; & CLEMENTIAM VESTRAM precor, ut huic dono, & donatori ſuam impertiat benedictionem. Scribebam Monachij pridie nonas Julij Epochæ Chriſtianæ Anno 1705.

Sanctitatis Veſtræ.

Humillimus, Devinctiſſimus, Obſequentiſſimus Servus.

D. CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

)( )(APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO ORDINARII.

QUia quinque Tomi Juris Canonici reſpondentes quinque libris Decretalium ab Admodum Reverendo Patre D. Cajetano Felice Verani Clerico Regulari compoſiti, & à Theologis recogniti nihil orthodoxæ fidei, & bonis moribus diſſonum continent: ſed doctrinam omninò ſanam, claram, & nervosè probatam exhibent; datur facultas, ut typis imprimi, ac evulgari poſſint. Actum Friſingæ die 22. Octobris 1702.

FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS, SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus Capitularis, Scholaſticus, Vicarius in ſpiritualibus Generalis, & Officialis, Librorum Cenſor.

Facultas Reverendiſſimi Patris Generalis.

HOc opus, *cui Titulus. Iuris Canonici Univerſi Commentarius Paratitlaris quinque tomis reſpondentibus quinque libris Decretalium Pontificiarum digeſtum* à R. P. D. Cajetano Felice Verani noſtræ Congregationis Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore, cum juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus fuerit approbatum, ut typis mandetur, quod ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus. Romæ in Ædibus noſtris S. Silveſtri Montis Quirinalis pridie Calendas Julij Anno 1700.

D. GREGORIUS DE BAUCIO Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.
D. JOSEPH MARIA TRINCHERIUS à Secretis.

Approbatio Theologorum.

JUſſu Reverendiſſimi Patris D. Gregorij de Baucio noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis accuratè perlegimus quinque tomos Juris Canonici reſpondentes quinque libris Decretalium à R. P. D. Cajetano Felice Verani noſtri Ordinis ſacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore compoſitos: cumque inoffenſo pede eos percurrerimus, nec quidquam offenderimus orthodoxæ fidei, vel bonis moribus adverſum; immo plurimam in ijsdem deprehenderimus eruditionem, miram claritatem, ac ſolidam doctrinam; ſintque omnia ſummâ ingenij ſolertiâ, ac Doctorum tum Juris Pontificij, tum Cæſarei, ac ſacræ Theologiæ inconcuſſis ſtabilita fundamentis, typis dignos arbitramur, rati omnibus profuturos. Monachij in noſtris Ædibus SS. Adelaidis, & Cajetani 4. idus Maij Anno Reparatæ Salutis 1700.

D. LUDOVICUS VOLTOLINI C. R. Theol.
D. ANTONIUS REINDORFF, C. R. Theol.

ELEN.

Digitized by G

ELENCHVS TITULORUM.

Summariorum Exegeticorum, Paragraphorum, ac Quæstionum, quæ in hoc tertio Tomo in tertium librum Decretalium continentur.

TITULUS I. De vita, & honestate Clericorum. 2
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 2
§. I. De Nomine clericorum, & qui hoc nomine comprehendantur? 6
§. II. De Institutione, probitate, & conversatione clericorum. 9
§. III. De moribus, & qualitatibus clericorū. 12
§. IV De Privilegiis clericorum. 17
§. V. Proponuntur, & diluuntur decem selectæ quæstiones. 21
TITULUS II. De cohabitatione clericorum, & mulierum. 25
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 26
§. I. An, & quomodo liceat clericis cohabitare cum mulieribus. 27
§. II. Proponuntur, & diluuntur undecim selectæ quæstiones. 32
TITULUS III. De clericis conjugatis. 36
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 36
§. I. An clerici conjugati possint simul promoveri ad ordines, & beneficia ecclesiastica. 37
§. II. Proponuntur, & diluuntur duodecim selectæ quæstiones. 42
TITULUS IV. De clericis non residentibus. 46
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 46
§ I. Quid sit residentia Prælatorum, & an de Jure divino? 49
§. II. Quinam Prælati teneantur in suis beneficiis residere. 53
§. III. De Residentia Archidiaconi, Canonicorum, & aliorum obtinentium beneficia, quibus non est annexa cura animarum. 58
§. IV. Ad quem pertineat, facultatem dare, quâ beneficiarij à suis ecclesiis absint, & quæ causæ à residentia excusent. 61
§. V. De pœnis, quæ Beneficiariis in suis Ecclesiis non residentibus ipso jure irrogantur. 64
§. VI. De distributionibus quotidianis, & quomodo debeantur residentibus. 66
§. VII. Proponuntur, & diluuntur tredecim selectæ quæstiones. 69
TITULUS V. De Præbendis, & Dignitatibus. 75
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 75
§. I. Quid, & quotuplex sit beneficium ecclesiasticum. 90
§. II. De impedimentis ad beneficia ecclesiastica. 93
§. III. De conditionibus requisitis, ut possit quis promoveri ad beneficia ecclesiastica. 95
§. IV. Quibus beneficia ecclesiastica conferenda sint. 98
§. V. Quomodo beneficia debeantur Clericis pro congrua eorum sustentatione. 102
§. VI. De modis, quibus beneficia acquiruntur. 105
§. VII. De ijs, quibus competit jus conferendi beneficia ecclesiastica. 109
§. VIII. De collatione beneficiorum, quæ fit per Legatos sedis Apostolicæ, & inferiores Ordinarios. 113
§. IX. De Pluralitate beneficiorum compatibilium, & incompatibilium. 116
§. X. An post Concilium Tridentinum consuetudine obtineri possit, ut plura beneficia simplicia validè eidem conferantur. 119
§. XI. Proponuntur, & diluuntur undecim selectæ quæstiones. 124
§. XII. De Permutatione, & vacatione beneficiorum. 131
§. XIII. De Erectione, & Unione beneficiorum Ecclesiasticorum. 136
§. XIV. De Alteratione, transformatione, diminutione, divisione, ac suppressione beneficiorum. 141
§. XV. De litteris beneficialibus emanantibus à sede Apostolica. 145
§. XVI. Quomodo litteræ beneficiales, seu mandata Apostolica debeant interpretari. 150
§. XVII. De Usu, & effectu litterarum beneficialium. 155
§. XVIII. De Executione, & Expiratione litterarum beneficialium. 161
§. XIX. De Reservatione beneficiorum, & quæ summo Pontifici spectato jure communi sunt reservata? 166
§. XX. De beneficiis reservatis per Extravagantes, & Bullas. 170
§. XXI. De beneficiis reservatis Papæ per regulas Cancellariæ Apostolicæ. 174

Digitized by Google

ELENCHUS

§. XXII. De beneficiis reſervatis Papæ per alias regulas Cancellariæ Apoſtolicæ. 180
§. XXIII. De concordatis Germaniæ. 184
§. XXIV. De beneficiis reſervatis Imperatori Romanorum recèns electo ex indulto Pontificio per primas preces. 188
§. XXV. Proponuntur, & diluuntur ſeptemdecim ſelectæ quæſtiones. 191
TITULUS VI. De Clerico ægrotante, & debilitato. 199
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 199
§. I. An Clericus beneficiatus ægrotus integrè percipiat fructus ſui beneficij. 201
§. II. An Epiſcopo, vel aliis Eccleſiarum Prælatis dandus ſit Coadjutor, & à quo; & quale ſit officium Coadjutoris. 203
§. III. Proponuntur, & diluuntur ſexdecim ſelectæ quæſtiones. 206
TITULUS VII. De Inſtitutionibus. 212
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 212
§. I. Quid ſit Inſtitutio, & ad quos ſpectet Jus inſtituendi. 213
§. II. Qui, & quales inſtituendi ſint in beneficiis eccleſiaſticis. 216
§. III. Proponuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 219
TITULUS VIII. De conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis. 224
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 224
§. I. Quomodo beneficia conferenda ſint. 227
§. II. Quónam tempore beneficia vacantia ſint conferenda, & fiat juris devolutio. 230
§. III. De modis generalibus, quibus beneficia vacant. 235
§. IV. De modis ſpecialibus, quibus beneficia vacant. 238
§. V. De gratiis expectativis, ſeu mandatis de providendo beneficia vacatura. 241
§. VI. Producuntur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 245
TITULUS IX. Ne Sede vacante aliquid innovetur. 249
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 249
§. I. Quomodo intelligatur, quòd ſede vacante nihil ſit innovandum. 250
§. II. Quænam poteſtas ſede vacante competat Capitulo quoad promotionem Clericorum ad ordines eccleſiaſticos. 253
§. III. De poteſtate Capituli ſede vacante quoad diſpenſationes. 256
§. IV. Quænam Jurisdictio ſede vacante competat Capitulo quoad ferendas cenſuras, & quoad approbandos Confeſſarios. 259
§. V. De poteſtate Capituli ſede vacante in ordine ad viſitationem Diœceſis, & monaſteriorum. 263
§. VI. De poteſtate Capituli ſede vacante in ordine ad beneficia eccleſiaſtica. 266
§. VII. Producuntur, & diluuntur quindecim ſelectæ quæſtiones. 270
TITULUS X. De his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli. 277
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 277
§. I. De ijs, ad quæ determinanda, vel agenda ab Epiſcopo, requiritur conſenſus capituli. 278
§. II. An poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli præſentare ad beneficia communia, & unire Eccleſias. 281
§. III. De his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli. 285
§. IV. Proponuntur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 288
TITULUS XI. De his, quæ fiunt à majori parte Capituli. 292
Summarium Exegeticum omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur. 292
§. I. Quomodo, quæ à majori parte Capituli fiunt, valida eſſe dicantur. 29
§. II. Quomodo pars minor Capituli valeat majorem impedire. 29
§. III. An Canonici poſſint interdictum appellare. 29
§. IV. Producuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 29
TITULUS XII. Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. 30
Summarium Exegeticum unici capitis in hoc titulo contenti. 30
§. I. Quomodo intelligendum ſit, quòd beneficia eccleſiaſtica debeant ſine diminutione conferri. 303
§. II. De penſionibus, quibus reditus beneficiorum diminuuntur. 30
§. III. Quinam penſiones imponere poſſint, & pro quibus perſonis, & in quibus beneficiis. 311
§. IV. Proponuntur, & diluuntur quatuor ſupra viginti quæſtiones ſelectæ. 317
TITULUS XIII. De Rebus eccleſiaſticis alienandis, vel non. 330
Summarium Exegeticum omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur. 330
§. I. Quænam rerum eccleſiaſticarum alienatio à ſacris canonibus vetita ſit Clericis. 333
§. II. Quænam bona eccleſiæ alienari poſſint, & quæ non. 337
§. III. De cauſis juſtis alienandi res eccleſiaſticas. 340
§. IV. De forma ſervanda in alienationibus rerum eccleſiaſticarum. 342
§. V. An ſpectato jure novo in alienandis rebus eccleſiaſticis requiratur authoritas Romani Pontificis. 349
§. VI. Exhibentur, & diluuntur ſeptemdecim ſelectæ quæſtiones. 353
TITULUS XIV. De Precariis. 361
Summarium Exegeticum omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur. 361
§. I. Quid, & quotuplex ſit contractus. 363
§. II. De quaſi contractibus. 366
§. III. De Tranſactionibus induentibus naturam contractûs. 369
§. IV. De contractu precarij. 372
§. V. Proponuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 374

TITU-

Digitized by Google

TITVLORVM.

TITULUS XV. De commodato. 379
Summarium Exegeticum unici capitis in hoc titulo contenti. 379
§. I. Quid sit commodatum, & quotuplex. 380
§. II. De obligationibus commodantis, & commodatarij. 382
§. III. Exhibentur, & diluuntur duodecim selectæ quæstiones. 384
TITULUS XVI. De depositio. 388
Summarium Exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur. 388
§. I. Quid, & quotuplex sit depositum; & à quo committi, & suscipi possit. 389
§. II. Proponuntur, & diluuntur quatuordecim selectæ quæstiones. 392
TITULUS XVII. De emptione, & venditione. 399
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 399
§. I. De quidditate, & requisitis ad substantiam emptionis, & venditionis. 400
§. II. Quinam in jure prohibeantur vendere, & emere: & quæ res vendi possint, vel non. 402
§. III. De obligationibus venditoris, & emptoris. 406
§. IV. De evictionibus, & monopoliis, quæ contingunt in contractibus venditionis, & emptionis. 409
§. V Quomodo, & in quibus casibus contractus emptionis, & venditionis rescindi possint. 411
§. VI. Producuntur, & diluuntur duæ supra viginti selectæ quæstiones. 415
TITULUS XVIII. De locato, & conducto. 424
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 424
§. I. Quænam sit natura locationis, & conductionis, & quæ requirantur ad ejus substantialia. 425
§. II. De obligationibus mutuis locatoris, & conductoris. 427
§. III. An, & quando locator rei fructiferæ teneatur remittere de pensione conventa conductori ob sterilitatem, & casum fortuitum. 429
§. IV. Ad quos transeat locatio, & quibus pereat, & ex qua culpa locator, & conductor teneantur. 432
§. V. De Emphyteusi quid sit, & quæ ad ipsam requirantur. 435
§. VI. An res Emphyteutica possit alienari? & quid de laudemio, & rebus ecclesiasticis. 437
§. VII. Producuntur, & diluuntur quindecim selectæ quæstiones. 440
TITULUS XIX. De rerum permutatione. 448
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 440
§. I. Quid sit permutatio, & quæ ad eam requisita. 450
§. II. De permutatione pecuniæ pro pecunia, seu cambio. 454
§. III. Producuntur, & diluuntur decem selectæ quæstiones. 460
TITULUS XX. De Feudis, 464
Summarium exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur. 464
§. I. De nomenclatione, origine, quidditate, & speciebus feudorum. 465
§. II. Quibus modis feudum acquiri possit. 468
§. III. De variis modis, quibus feudum amittitur. 473
§. IV. Exhibentur, & diluuntur decem selectæ quæstiones. 477
TITULUS XXI. De pignoribus, & aliis cautionibus. 482
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 483
§. I. Quid sit pignus, & quotuplex, & quomodo ab hypotheca differat. 484
§. II. Quinam possint pignori dare, & quas res oppignorare. 485
§. III. De obligationibus, & fructibus ex pignore ortis. 488
§. IV. De pactis pignorum, & actionibus pignoratitiis. 490
§. V. Producuntur, & diluuntur octo selectæ quæstiones. 493
TITULUS XXII. De fidejussionibus. 497
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 497
§. I. Quid sit fidejussio, & quales conditiones ad ipsam requirantur. 498
§. II. De ijs, qui validè possunt, vel non possunt fidejubere. 499
§. III. De causis recipientibus fidejussores, & de effectibus fidejussionis. 503
§. IV. Proponuntur, & diluuntur decem selectæ quæstiones. 505
TITULUS XXIII. De solutionibus. 509
Summarium Exegeticum quatuor capitum in hoc titulo contentorum. 509
§. I. Quid sit solutio, & quotuplex, & quomodo privilegium competentiæ conveniat Clericis. 509
§. II. An Ecclesia, vel Prælatus ejus nomine possit mutuũ dare, vel accipere, & an successor in beneficio teneatur solvere debita sui prædecessoris. 513
§. III. Producuntur, & diluuntur duodecim selectæ quæstiones. 518
TITULUS XXIV. De donationibus. 524
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 524
§. I. Quid sit donatio, & quotuplex. 525
§. II. Quinam possint donare tam inter vivos, quàm mortis causâ, & quæ res donari possint. 529
§. III. Quibus ex causis donatio rescindi possit. 533
§. IV. Exhibentur, & diluuntur duodecim selectæ quæstiones. 536
TITULUS XXV. De peculio clericorum. 541
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 541
§. I. Quid, & quotuplex sit peculium, & an Clerici sint Domini redituum ecclesiasticorũ. 542
§. II. Producuntur, & diluuntur duodecim selectæ quæstiones. 536

ELENCHVS

TITULUS XXVI. De Teſtamentis,& ultimis voluntatibus. 551
Summarium Exegeticum omnium capitum,quæ in hoc titulo continentur. 551
§. I. Quid, & quotuplex ſit Teſtamentum, & quæ ſolemnitates requirantur ad illud. 555
§. II. An non obſervatis ſolemnitatibus juris civilis teſtamentum in foro conſcientiæ,& jure canonico ſit validum. 548
§. III. Qui poſſint teſtari, & qui à teſtamento condendo arceantur. 563
§. IV. Quinam poſſint teſtamento hæredes, vel legatarij inſtitui. 567
§. V. De modis, quibus poſſit aliquis hæredi ſubſtitui. 570
§. VI. De legatis,& fideicommiſſis particularibus. 573
§. VII. De falcidia,& trebellianica à legatis, & fideicommiſſis detrahenda. 580
§. VIII. De Exactoribus teſtamentariis, & alterius ultimæ voluntatis. 583
§. IX. Producuntur,& diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 589
TITULUS XXVII. De ſucceſſione ab inteſtato. 595
Summarium Exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 595
§. I. De ſucceſſione ab inteſtato in bonis laicorum,& clericorum. 596
§. II. De perſonis eccleſiaſticis ab inteſtato ſuccedentibus. 599
§. III. Proponuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 601
TITULUS XXVIII. De ſepulturis. 606
Summarium Exegeticum omnium capitum,quæ in hoc titulo continentur. 606
§. I. Quid ſit ſepulchrum,& in quo loco poſſit quis ſepeliri. 610
§. II. An electio ſepulturæ ſit unicuique libera. 613
§. III. Jus ſepulturæ,ad quam Eccleſiam ſpectet, & an poſſit quid exigi pro ſepultura. 617
§. IV. De canonica portione parochiali, & Epiſcopali. 620
§. V. Quibus ſepultura eccleſiaſtica concedenda ſit, & quibus deneganda. 623
§. VI. Producuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 628
TITULUS XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis. 632
Summarium Exegeticum quinque capitum, quæ in hoc titulo continentur. 632
§. I. De Parœcia,& requiſitis ad ipſam, ac juribus ejusdem. 632
§. II. De Parochis,& eorum requiſitis, & obligationibus. 634
§. III. De parochianis propriis, & alienis. 639
§. IV. Proponuntur, & diluuntur octo ſelectæ quæſtiones. 640
TITULUS XXX. De decimis, primitiis, & oblationibus. 645
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 645
§. I. Quid, & quotuplices ſint decimæ, & quo jure introductæ. 651
§. II. Quinam teneantur decimas ſolvere. 654
§. III. Quibusnam decimæ debeantur. 658
§. IV. Ex quibus rebus,& quo tempore,& loco debeantur decimæ, & quas pœnas incurrant, qui eas detinent,vel detrectant ſolvere. 662
§. V. De decimis novalium,& de actione,& cognitione decimarum. 665
§. VI. Quibus modis eximatur quis à præſtatione decimarum. 668
§. VII. De Primitiis, & oblationibus. 671
§. VIII. Producuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 673
TITULUS XXXI. De Regularibus,& tranſeuntibus ad Religionem. 676
Summmarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 677
§. I. Qui dicantur Regulares, & Monachi, & quæ ſint eorum requiſita. 681
§. II. De ingredientibus religionem, & ijs, qui prohibentur ingredi. 684
§. III. De Novitiatu,& Novitiis. 689
§. IV. De profeſſione religioſa, & requiſitis ad illam; & quomodo invalida ratificetur. 694
§. V. De prærogativis validæ profeſſionis. 698
§. VI. De tranſitu religioſi regularis de una ad alteram religionem. 702
§. VII. De Religioſis ejectis,& fugitivis. 706
§. VIII. Producuntur, & diluuntur una, & viginti ſelectæ quæſtiones. 709
TITULUS XXXII. De converſione conjugatorum. 722
§. I. De conditionibus requiſitis,ut cónjux poſt initum matrimonium poſſit licitè religionem ingredi. 725
§. II. Producuntur, & diluuntur ſexdecim ſelectæ quæſtiones. 730
TITULUS XXXIII. De converſione Infidelium. 735
Summarium Exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur. 736
§. I. Quomodo infideles,ſi converſantur,debeant ſe gerere. 736
§. II. Producuntur,& diluuntur ſeptem ſelectæ quæſtiones. 738
TITULUS XXXIV. De voto,& voti redemptione. 741
Summarium Exegeticum omnium capitum,quæ continentur in hoc titulo. 741
§. I. Quidnam ſit votum, & quænam conditiones requirantur ad ipſum, & quæ ejus ſpecies. 743
§. II. De materia cadente ſub votum, ejúsque obligatione. 748
§. III. Quot modis voti obligatio tolli poſſit. 754
§. IV. Proponuntur,& diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 759
TITULUS XXXV. De ſtatu Monachorum, & Canonicorum Regularium. 769
Summarium Exegeticum omnium capitum,quæ in hoc titulo continentur. 767
§. I. Quid ſit ſtatus Monachorum, & Canonicorum Regularium,& quæ ad ipſum ſpectent. 771

§. II.

Digitized by Google

§. II. Producuntur, & diluuntur ſeptem ſupra viginti ſelectæ quæſtiones. 775
TITULUS XXXVI. De religioſis domibus, ut Epiſcopo ſunt ſubjectæ. 784
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 784
§. I. Cuinam religioſorum domus jure canonico ſubijciantur. 787
§. II. Producuntur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 790
TITULUS XXXVII. De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum. 796
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 796
§. I. Quinam præficiendi ſint Capellis, ſeu Parochiis, quæ Monaſteriis incorporantur. 797
§. II. Producuntur, & diluuntur quatuordecim ſelectæ quæſtiones. 800
TITULUS XXXVIII. De Jure patronatus. 806
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 806
§. I. Quid ſit Jus patronatus, & quibus modis acquiratur. 812
§. II. Quotuplex ſit Jus patronatus, & quæ ejus differentiæ. 814
§. III. Qui ſint capaces Juris patronatus, & quæ Jura ijsdem competant. 819
§. IV. De poteſtate præſentandi, & de ipſa actuali præſentatione Clerici ad beneficium vacans. 823
§. V. Quid juris, & poteſtatis habeant Pontifex, & Epiſcopi in beneficiis Patronorum laicorum, vel eccleſiaſticorum. 829
§. VI. Quot modis Jus patronatus transferatur in alios. 831
§. VII. De modis, quibus Jus patronatus amittitur, vel extinguitur. 835
§. VIII. Producuntur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 837
TITULUS XXXIX. De cenſibus, exactionibus, & procurationibus. 841
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 841
§. I. De cenſibus quid ſint, & quomodo ſolvendi. 847
§. II. De cathedratico, & charitativo ſubſidio. 850
§. III. De Exactionibus. 852
§. IV. De Procurationibus. 855
§. V. Exhibentur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 858
TITULUS XL. De Conſecratione Eccleſiæ, vel altaris. 863
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 864
§. I. Quando, quomodo, & à quo ſint Eccleſiæ conſecrandæ. 865
§. II. De conſecratione ſacrorum vaſorum, veſtium, & cœmeterij. 867
§. III. De reconciliatione Eccleſiæ pollutæ, & cœmeterij. 871
§. IV. Producuntur, & diluuntur quatuor ſupra viginti ſelectæ quæſtiones. 879
TITULUS XLI. De celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis. 888
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 888
§. I. Quid ſit Miſſa, & quomodo celebranda. 890
§. II. De Horis Canonicis. 895
§. III. Producuntur, & diluuntur quatuordecim ſelectæ quæſtiones. 900
TITULUS XLII. De Baptiſmo, ejúsque effectu. 909
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 909
§. I. Quid ſit Baptiſmus, & quotuplex. 910
§. II. De ſubjecto, & miniſtro baptiſmi. 912
§. III. De effectibus, & ritibus baptiſmi. 916
§. IV. Exhibentur, & diluuntur duodecim ſelectæ quæſtiones. 918
TITULUS XLIII. De Presbytero non baptizato. 923
Summarium Exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 923
§. I. De præcedentia baptiſmi ſupra cætera Sacramenta. 924
§. II. Exhibentur, & diluuntur quatuor ſelectæ quæſtiones. 925
TITULUS XLIV. De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum. 926
Summarium Exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur. 926
§. I. Quid ſit Euchariſtia, & quæ ejus materia, & forma. 927
§. II. De Miniſtro, & effectu Euchariſtiæ 929
§. III. Exhibentur, & diluuntur octodecim ſelectæ quæſtiones. 931
TITULUS XLV. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum. 948
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 948
§. I. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum. 948
§. II. Proponuntur, & diluuntur quatuordecim ſelectæ quæſtiones. 944
TITULUS XLVI. De obſervatione jejuniorum. 949
Summarium Exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 949
§. I. De qualitate, & quidditate jejunij. 950
§. II. Proponuntur, & diluuntur decem ſelectæ quæſtiones. 954
TITULUS XLVII. De Purificatione poſt partum. 958
Summarium Exegeticum unici capitis, quod in hoc titulo continetur. 958
§. I. Quid ſervandum ſit in Purificatione poſt partum? 959
§. II. Proponuntur, & diluuntur novem ſelectæ quæſtiones. 961
TITULUS XLVIII. De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis. 963
Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 964
§. I. Quid ſit Eccleſia, & à quibus ædificanda ſit, & ex quibus cauſis? 965
§. II. De Eccleſiis reparandis. 967
§. III. Proponuntur, & diluuntur novem ſelectæ quæſtiones. 969

TITU-

Digitized by Google

ELENCHVS TITVLORVM.

TITULUS XLIX. De immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. 971

Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 971

§. I. De Immunitate locali ecclesiastica. 975

§. II. An Immunitas competens Ecclesiis sit de Jure divino, vel humano? 979

§. III. De Immunitate ecclesiastica quoad personas. 981

§. IV. De Immunitate asyli competentis locis ecclesiasticis. 986

§. V. De Immunitate bonorum ad ecclesias, & ecclesiasticos pertinentium. 993

§. VI. De Effectibus immunitatis asyli. 998

§. VII. Proponuntur, & diluuntur undecim selectæ quæstiones. 1002

TITULUS L. Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immiscent. 1009

Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 1009

§. I. Quænam sint negotia Clericis sæcularibus prohibita. 1011

§. II. De Ministeriis sæcularibus, quæ prohibentur Clericis. 1015

§. III. Proponuntur, & diluuntur undecim selectæ quæstiones. 1018

R. P.

Digitized by Google

R.P.D. CAJETANI FELICIS VERANI

IN

TERTIUM LIBRUM

DECRETALIUM PROOEMIUM

CUm in præcedenti libro sermo fuerit de actionibus, & judiciis canonicis, nunc Compilator canonum procedendo ad res clericorum, & Ecclesiarum, meritò præmittit titulum de vita, & honestate clericorum, quorum ope, & auxilio instruuntur homines in ordine ad assecutionem æternæ felicitatis. Est finis hominis ultimus ipsa beatitudo sita in clara Dei visione, & amore beatifico, ac in consequente gaudio: hæc autem beatitudo obtinetur per justitiam Christianam, quæ finis est juris canonici, prout à potestate ecclesiastica induci potest; Ad hanc autem justitiam, ut ex potestate Ecclesiæ á Christo in eam pleniſſimè translata, inducerentur homines, necesse fuit, ut Ministri deligerentur, qui fidem annunciarent, explicarent, defenderent, rudes instruerent, & homines promoverent ad Deum publico ritu colendum; & ad id designandus erat locus, in quo convenirent fideles, ut sacræ actiones debita cum reverentia, certisque cœremoniis instituerentur: & quia conveniens erat, ut Ministri Ecclesiæ à curis sæcularibus sejungerentur; ac illis temporalia suppeditarentur ab iisdem, quibus spiritualia præbent; ideò de bonis erat providendum, quibus necessariò eorundem subveniretur sustentationi. Præterea ut certo ordine omnia constarent; ministrorum officia, & beneficia, seu jura reddituum percipiendorum debuerunt per totum orbem dividi; & certis Ecclesiis, certusque ministris, proprius itidem assignandus fuerat populus, ut quisque pastor oves suas, & oves singulæ suum cognoscerent Pastorem. Inferioribus Presbyteris, & clericis præerendi erant Episcopi, à quibus ordinarentur, regerentur, ac in offi-

cio continerentur: Episcopo etiam erant alii Prælati præponendi usque ad unum in terris visibile caput Ecclesiæ; adeò ut unitas faciliùs ibi constaret, & totius Ecclesiæ regimen ad omnem tendens justitiam ab uno Christi vicario per intermedios clericos in totum orbem, ad omnes ubique locorum fideles se extenderet. Et quia præter justitiam Christianam necessariam; datur alia, quæ voluntaria dicitur, estque perfectio, quæ in ultronea obligatione sequendi Christi consilia consistit, votisque paupertatis, castitatis & obedientiæ obstringitur; etiam conveniens fuerat, ut hujusmodi hominum Congregationes eligerentur, suisque propriis legibus regerentur; ideò in hoc tertio libro agitur de clericis, & Religiosis, eorúmque juribus, ac obligationibus.

TITULUS I.

De Vita, & honestate Clericorum.

COngruè Pontifex post librum secundum, in quo egit de Judiciis, hunc tertium adjicit, in quo tractantur materiæ, & causæ, quæ in ecclesiasticis judiciis produci, & agi solent. Sunt autem hæ causæ, vel criminales, de quibus agitur in libro quinto; vel civiles concernentes, tum personas ecclesiasticas, tum earum res, de quibus speciatim Pontifex agit in hoc tertio libro; adeout ad tractatum de personis, quem potior pars libri primi dederat; iterum pertineant, quæ initio hujus tertii libri proponuntur; & præsertim in titulo primo, qui clericos respicit, cujuslibet sint gradûs, & ordinis, ut laudabile, ac inculpatum exhibeant sui testimonium; quapropter D. Paulus *Epist. ad Timoth. c.* 3. & *ad Titum c.* 1. jubet, episcopum esse irreprehensibilem; quod de cæteris etiam in Ecclesia clericis intelligitur; eò quia in partem solicitudinis cum Episcopo sint vocati. Rectè igitur hic tertius liber suum à personis ecclesiasticis initium ducit, nimirum à clericis, quorum vita, & honestas est veluti prælucens lumen, quò fideles vident quò sit eundum: etenim ut habetur in Concilio Tridentino *sess.* 22. *de Refor. c.* 1. honestas vitæ, vel maximè clericos decet; ait Concilium: *Nihil etiam est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui in societatem domini vocati sè divinis ministeriis dedicârunt.* Honestas autem Clericorum, de qua in hoc titulo agitur consistit, primò in vitæ, morúmque probitate, & honesta conversatione: secúndò in honesto, ac decente vestitu, & habitu: tertiò in exercitio officiorum, ac negotiorum convenientium statui clericali. Extat hic Titulus etiam in sexto, septimo, in Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. UT LAICI 1. h. t. *Ex Concilio Moguntino statuitur, ut laici secus altare, quando celebrantur divina officia non præsumant stare: sed pars illa, quæ cancellis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat clericis: & ad orandum, ac communicandum laicis, & fœminis, sicuti mos est pateant sanctæ Sanctorum. Hinc notat Glossa, laicum, vel mulierem etiam sacratam non ferre incensum circa altare* can. sacratas dist. 23. *imò nec est ordinariè extra usum orandi, & communicandi, permissum laicis, ut sub divinis officiis ingrediantur chorum, quapropter S. Ambrosius, nec ipsi Theodosio Imperatori voluit permittere ingressum intrà Cancellos, ubi clerici psallunt, ut refertur in Historia tripartita* lib. 9. c. 30. *& hodie etiam servatur in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & conventualibus, ubi divina*

officia

officia integrè & solemniter peraguntur, non tamen id extenditur ad eos, qui bona fide, & ignoranter eorum ingrediuntur, quia hi propriè non dicuntur præsumere.

C. *CLERICI* 2. h. t. *statuitur ex Concilio Pictavien. ut clerici incedentes armati, & usurarii vinculo irretiantur excommunicationis. Verùm tamen est, quòd cùm excommunicatio sit pœna gravis, debet etiam supponere culpam gravem, adeò ut excommunicati supponantur mortaliter peccâsse. Ubi notat Glossa, clericos sine justa causa non debere arma deferre, si tamen per loca periculosa sit ipsis transeundum, tunc vel ad propriam defensionem, vel etiam ad terrorem latronum possunt ea deferre. Sin verò absque justa causa incedant armati: & moniti non desistant, amittunt privilegium canonis* si quis suadente. *Rursus usurarii quamvis laici, sunt etiam anathemate percutiendi: sin verò usurarii sint clerici, debent etiam suspendi ab officio, & beneficio, & spoliari suis dignitatibus* c. inter dilectos de excess. Prælat. *immò etiam deponi possunt, si de hoc convincantur* can. quoniam multi dist. 47.

C. *UT QUISQUE* 3. h. t. *statuitur ut Presbyter habens parochiam debeat etiam habere clericum, qui secum cantet epistolam, & lectionem legat, qui possit in schola docere, & monere patres, ut mittant filios ad discendam Doctrinam Christianam in Ecclesia, quos ipse cum omni castitate erudiat. Rursus si non sit Subdiaconus, Diaconus dicat epistolam, & Sacerdos Evangelium more Diaconi. Ex quo textu liquet, ex honestate, & decentia esse, ut Parochus secum habeat clericum, cùm non possit solus missarum solemnia, & alia divina officia celebrare: quòd si clericum habere non possit, debeat saltem puerum habere, qui ipsi sacrificanti ministret: alioquin faceret contra præscriptum Ecclesiæ in re gravi. Rursus debet, qui ministrat sacerdoti celebranti esse masculus, adeò ut magis indecens sit feminam adhibere, quàm sine ministro celebrare. Cæterum in quibusdam pagis non damnantur sacerdotes si Ministrum adhibeant, qui tantùm vinum, & aquam porrigat, & librum de uno latere ad aliud deferat, quamvis respondere nesciat, ut notat Layman* lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 13. *verùm in hoc casu teneretur sacerdos aliquem ex illo pago instruere, ut ritè ministraret.*

C. *SI QUIS* 4. h. t. *Gregorius IX. rescribit, Clericos relaxantes comam esse excommunicatos, seu anathema. Ubi tamen notandum est, textum procedere de clericis nutrientibus comam in contemptum Ecclesiæ, tunc enim sunt excommunicandi, non verò excommunicati ipso jure.*

C. *CLERICUS* 5. h. t. *Idem Pont. ex Concilio Carthaginensi statuit, Clericum non debere comam nutrire, neque barbam, nisi fortassis ex timore. Verùm in his consuetudo jam recessit pleriique in locis ab antiquis canonibus* c. fin. de consuetud. *quinimò etiam olim, id variè fuit observatum: siquidem allegatur Concilium Carthaginense diversum ab illo, à quo desumptus est præsens canon prohibens nutrire comam, & barbam, quod ex contrario prohibet radere barbam. Quamobrem illud potius cavendum clericis, ut comam, & barbam neque nutriant, neque radant more profano, quod in textu videtur innui per illa verba* si comam relaxaverit: *Unde coma clerici non debet imitari comam mulieris, neque vanè crispari: cæterum neque ad aures pro varietate regionum decenter à clericis potest coma demitti.*

C. *CLERICUS SI* 6. h. t. *ex Concilio Triburiensi statuitur, quòd si clericus qui est sine gradu, nec est professus in Religione, tonsurâ dimissâ uxorem ducat, permittatur eam habere, sed debeat iterum tonsuram reassumere. Nota, clericum sine gradu dici clericum in solis minoribus constitutum: quia nec subdiaconus, nec Religiosus professus potest uxorem ducere. Quòd verò clericus uxoratus jubeatur iterum tonderi, id non intelligitur absolutè, sed conditionatè, si velit gaudere privilegio clerici: quòd si nolit optio est penes ipsum.*

C. *CLERICUS* 7. h. t. *Alexander III rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, ut clerici nutrientes comam, & barbam debeant etiam inviti tonderi à suis Archidiaconis. Hic textus intelligitur, ut clerici comam, aut barbam non nutriant neglectâ, vel omissâ tonsurâ clericali, quæ solet in capite gestari: siquidem qui decenter hanc curant tonsuram, non affectant luxuriantem comam, nec prolixam barbam.*

C. *MONASTERIA* 8. h. t. *Idem Pont. in Concilio Lateranensi statuit ut clerici sine manifesta, & rationabili causa frequentantes monasteria monialium arceantur per Episcopos, quòd si moniti non desistant, priventur etiam officio: & laici excommunicentur. Quia cum clericis sit prohibita cohabitatio aliarum mulierum: à fortiori prohiberi debet iisdem ingressus in monasteria monialium: eò quia periculo sit exponantur gravioris peccati. Hinc jure novo Concilium Trident.* sess. 24. c. 5. de Regul. *hunc ingressum sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtentâ prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Notat Glossa in hoc textu ad excusandum aliquem agentem contra canonem non sufficere causam rationabilem, sed debere esse manifestam* cap. Clericus dist. 91. *Rursus eum dici frequentare, qui per duas vices facit* c. ita nos 25. quæst. 2.

C. *QUONIAM* 9. h. t. *Gregorius VII. rescribit, Episcopum, si facultates Ecclesiæ sufficiant, posse statuere certum numerum clericorum, qui vivant in communi; ac posse compellere contradictores ad hanc observantiam per suspensionem officii, & beneficii, vel gravioris pœnæ, non obstante appellatione. Rursus si quis ex hisce viventibus in communi sit excommunicatus ob percussionem socii declarat Pontifex posse Episcopum eum absolvere, ac pœnitentiam ei imponere, dummodo attrocitas facti gravioris pœnæ non exigat. Nota, hunc textum procedere de Canonicis Regularibus, viventibus secundùm regulam suam in communi. Olim tamen*

tamen id fuit obſervatum à canonicis etiam ſæcularibus cum in communi viverent. Id etiam obſervatum fuit, ne numerus Canonicorum, & Clericorum major eſſet, quàm ferrent proventus Eccleſiæ. Facultas autem abſolvendi percuſſores talium clericorum Prælatis Religioſorum conceſſa eſt, ut ſubditos ſe mutuò percutientes poſſint abſolvere c. cum Monachi de ſent. excomm. *Alii verò prælati ſæcularium eccleſiarum hoc privilegium non habent.*

C. *CUM AB OMNI* 10. *h. t. mandat Pontifex, ut Judices, vel delegati eccleſiaſtici non accipiant decimam, vel quotam litis, tametſi eſſet conſuetudo, vel ſi laici id accipiant nomine aſſeſſorum: quia gratis eſt judicandum, & venales ſententiæ etiam à jure civili reprobantur. Ex quo textu liquet, decere, Judices eccleſiaſticos gratis juſtitiam adminiſtrare. Tum quia ſi Judices ſunt Ordinarii, habent eccleſiaſticos reditus, ex quibus poſſunt honeſtè vivere. Notat tamen Gloſſa, Judices delegatos proficiſcentes extra domicilium poſſe accipere expenſas. Immo poſſe etiam accipere ſumptus ex ſententia; & xenia, ſeu eſculenta, & poculenta in parva quantitate, niſi clientes ſint pauperes; ab iis enim nec ſumptus recipi debent. Rurſus Ordinarius licèt non accipiat expenſas, eò quia habeat eccleſiaſticos reditus: id tamen fallit, quando conſecrat Eccleſiam, vel viſitat provinciam ſuam, quòd ſi Ordinarius conſtituat Delegatum, tenetur ei expenſas ſuppeditare. Rurſus Aſſeſſor poteſt mercedem accipere. Demum ſententia venalis eſt irrita, & absque appellatione rejicitur.*

C. *DEUS QUI* 11. *h. t. mandat idem Pont. ut qui in Livonia Evangelium prædicabant non obſtante, quòd inter illos eſſent diverſi Religioſi, qui varias profiterentur regulas, omnes tamen in unum regulare propoſitum, & honeſtum habitum prout ſpectat ad hoc officium, conformentur. Ex quo textu notat Gloſſa, ad evitandum ſcandalum licitum eſſe recedere à jure, & ab habitu regulari, ſed tantùm ad tempus, & ex juſta cauſa: ſatius enim eſt, ut Religioſi unum decentem habitum aſſumant, quàm ut ſcandalum patiantur infirmi, & puſilli.*

C. *CUM DECOREM* 12. *h. t. prohibet idem Pont. ne ludi theatrales, & ludibriorum, ac larvarum ſpectacula in Eccleſia fiant, nec per clericos ſacros. Quod etiam jure novo prohibuit Concilium Tridentinum* ſeſſ. 24. de refor. c. 12. *adeò ut non obſtet conſuetudo, quia eſt corruptela coinquinans Eccleſiæ honeſtatem Ubi notat Gloſſa, eſſe prohibitu cauſa ludibrii uti habitu religioso. Non tamen prohiberi repræſentare præſepe Domini, Magos, Herodem, & alia id genus, quæ pertinent ad feſtivitates, quia hæc homines potiùs inducunt ad compunctionem: ſicut in paſchate repræſentari ſolet ſepulchrum Domini ad excitandam devotionem argum.* c. ſemel. diſt. 2. de conſec. *Quamobrem in eccleſiis tantùm prohibentur repræſentationes ſcuriles, & rei profanæ.*

C. *UT CLERICORUM* 13. *h. t. Idem Pont. in Concilio Lateranenſi præcipit, ut clerici in ſacris præſertim conſtituti caſtè vivant, ſeque abſtineant à libidinis vitio, eo præſertim ob quod venit ira Dei, & ut peccantes puniantur canonicè pro qualitate delicti: quòd ſi ob hoc peccatum ſuſpenſus præſumpſerit divina celebrare, mandat Pontifex, ut ſpolietur eccleſiaſticis beneficiis, ac perpetuò deponatur: & ut Prælati, qui præſumpſerint tales peccantes ſuſtinere maximè intuitu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis puniantur pari pœnâ, & clerici conjugati etiam graviori. Idq; jure novo habetur etiam in Concilio Tridentino* ſeſſ. 25. de refor. c. 14. *Notandum eſt, ſuſpenſum in pœnam incontinentiæ ab officio, ſi celebret divina, eſſe perpetuò deponendum, & fieri irregularem. Puniuntur etiam Prælati hujusmodi vitia diſſimulantes in ſubditis, quia eorum neglectus eſt cauſa talium ſcelerum.*

C. *A CRAPULA* 14. *h. t. mandat idem Pont. ut clerici à crapula, & ebrietate omnino abſtineant, nec quisquam incitetur ad bibendum, nec teneatur obligationem exequi ad æquales calices exſiccandos ſeu ad æquales potus Quòd ſi quis fuerit culpabilis in prædictis, & à ſuperiore monitus non reſipuerit, ſtatuit Pontifex, ut ſuſpendatur ab officio, & beneficio. Idque etiam jure novo probibet Concilium Tridentinum* ſeſſ. 21. de refor. c. 1.

C. *CLERICI.* 15. *h. t. præcipit idem Pont. ut clerici non exerceant officia, vel mercimonia ſecularia maximè inhoneſta, nec intendant hiſtrionibus, mimis, joculatoribus, ut tabernas evitent, ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis interſint: coronam, & tonſuram habeant congruentem, veſtimenta decentia, non rubea, nec viridia; frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis non utantur equitando, neque annulis, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Rurſus præcipit, ut in publico, & in eccleſiis ſuperindumentis lineis omnes utantur, niſi Monachi fuerint, qui debent ferre monachalem habitum. Ex quo textu notat Gloſſa, deficientem ab officio ſuo, & exercentem officia ſecularia degradari* can. Clericus diſt. 91. *Rurſus Clericum luſorem alearum, vel ſpectatorem puniri, & quod perditur in ludo alearum poſſe repeti; per ludum tamen alearum intelligitur publica, & aſſidua ejus frequentatio, adeò ut qui publicè Aleator eſt, à promotione ſit repellendus* c. inter dilectos de exceſſ. Prælat. *Rurſus ut clericus gaudeat privilegio fori, neceſſe eſt, habeat beneficium eccleſiaſticum, aut habitum clericalem, vel geſtet tonſuram, deſerviat alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi, ut habetur in Concilio Tridentino* ſeſſ. 23. c. 1.

C. *EX LITTERIS ult. h. t. Honorius III. reſcribit Epiſcopo Ambianenſi, ut clerici exercentes ſæcularia negotia, ſi ter moniti non reſipiſcant, non gaudeant privilegio clericali, ſed ſubjaceant ſtatutis, & conſuetudini patriæ, quia ipſo facto renunciant privilegio clericali; adeò ut nonniſi usque ad tertiam monitionem gaudeant tali privilegio, & non ultra. Notandum tamen eſt, clericum non poſſe ſolis verbis*

ſuo

ſuè renunciare privilegio c. ſi diligenti de foro compet. *quia privilegium conceditur toti ſtatui clericali.*

IN SEXTO.

C. CLERICI UNIC. *h. t. ſtatuit Bonifacius VIII. ut clerici facientes ſe ioculatores ſeu Goliardos, aut buffones, & morionet, ſi per annum id exerceant, ſint ipſo iure omni privilegio clericali privati, ſi minus anno, ter admoneantur ab Ordinario, & ſi non deſiſtant, priventur per ſententiam omni privilegio clericali. Ubi notat Gloſſa, clericatum laxè ſumptum eſſe dignitatem, & qui detrahit dignitati, amittit privilegium conceſſum dignitati, non perſonæ. Cæterum ioculatores dicuntur, qui in publico faciunt ſpectaculum ſui corporis.*

IN SEPTIMO.

C. CLERICI. 1. *h. t. ſtatuit Leo X. in Concilio Lateranenſi, ut Clerici temperatè, & modeſtè omnia faciant, tam beneficiati, quàm in ſacris conſtituti, comam non nutriant, nec barbam, nec mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex ſerico factis habeant, ſed ex panno tantùm, aut corio illis ſimpliciter utantur: & ut contrafacientes excommunicationem incurrant; quòd ſi poſt legitimam admonitionem adhuc fuerint pertinaces, beneficiis etiam priventur, quæ liberè ſede Apoſtolica poſſint aliis conferri.*

C. NOS 2. *h. t. Pius IV. præcipit, ut Clerici cuiuscunque ſint gradus, & dignitatis, non ſolùm interius vitæ munditiâ, & virtutum ſplendore cæteris præfulgeant: Verùm etiam exteriùs in eorum habitu, & veſtibus gravitatem, morúmque honeſtatem, quæ ipſos decet, præſeferant, ac incedant cum debita, & congrua tonſura, cum veſte clericali ſub pœna excommunicationis, imò etiam ſub altis creſcente eorum contumaciâ.*

C. SI DILIGENTER 3. *h. t. Nicolaus V. diſtrictiùs inhibet, ne quisquam ex clericis concubinam in domo ſua, vel alibi habeat, nec illint turpi commercio utatur, & ſi quis præſumpſerit eam tenere, omnibus beneficiis ſuis eccleſiaſticis, imò etiam officiis ipſo facto privetur, & inhabilis cenſeatur ad beneficia obtinenda.*

C. UT CLERICI 4 *h. t. Leo X. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut Clerici præſertim caſtè, & continenter juxta canonum præcepta vivant, & contra facientes acriter ſecundùm canones puniantur. Si quis verò tam laicus, quàm clericus convictus fuerit de crimine, ob quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, puniatur pœnis per ſacros canones, aut jus civile reſpectivè impoſitis. Quod etiam de concubinariis decernit.*

C. HORRENDUM 5. *h. t. Pius V. decernit, ut omnes quicunque Presbyteri, vel Clerici ſæculares, aut Regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis exercentes nefandum crimen contra naturam degradentur, omnique privilegio clericali, Officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico priventur, & ſæculari iuriſdictioni, pœnas eaſdem, quæ in laicos ſtatuta ſunt, tradantur recepturi. Nota, id procedere, quando crimen eſt publicum; & pœnæ non incurruntur niſi per ſententiam Judicis.*

IN CLEMENTINIS.

C. DIOECESANIS. 1. *h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi præcipit, ut Clerici publicè officia Carnificum, ſeu Matellariorum, vel tabernariorum perſonaliter exercentes, nominatim tertiò moneantur, ut intra convenientem terminum deſiſtant, & nunquam ea reaſſumant, & ſi non deſiterint, vel ipſa reſumpſerint, tunc clerici coniugati omni careant privilegio clericali; non coniugati autem careant in rebus privilegio, & ſi omnino incedant, ut laici, in perſonis privilegium clericale, donec deſiſtant, eo ipſo amittant. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut Ordinarii contra alios Clericos facientes negotia ſæcularia, vel officia non convenientia clericatui publicè, ita ſervent canones, ut illos compeſcant, & ipſi non reprehendantur de negligentia damnabili. Hæc tamen decretalis dirigitur ad ſolos Epiſcopos, quia ipſi ſoli vocantur Diœceſani. Includit autem etiam Clericos exemptos, ſi in loco non exempto ita deliquerint. Carnifices autem in hoc textu intelliguntur laniones, ſeu Macellarii.*

C. QUONIAM 2. *h. t. prohibet idem Pont. levitatem, & vanitatem veſtium olim à clericis ſolitam uſurpari; adeò ut clericus beneficiatus, qui ſine rationabili cauſa utitur veſte virgata, ſit ipſo jure ſuſpenſus per ſex menſes à perceptione fructuum beneficiorum, ſin verò non ſit beneficiatus, ſed Diaconus, vel Subdiaconus, ſit inhabilis ſtatim ad habenda beneficia eccleſiaſtica. Hoc idem etiam ſtatuit de Clericis, qui talem veſtem ferunt, & publicè tonſuram clericalem. Prohibet etiam in hoc textu plures alias veſtium formas, quæ hodie amplius non ſunt in uſu, niſi quod dicitur de Epithogio, ſeu Superiori veſte, nimis brevi: unde obſervatio huius decretalis non videtur hodie eſſe in uſu; adeò ut levitas, & vanitas, ſeu indecentia veſtium, ſi qua apparet in clericis, ſit aliis pœnis coercenda prò arbitrio Epiſcopi. Nota, has pœnas habere locum ſolùm in veſtibus in textu expreſſis, quia odioſa non ampliantur.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. DOCTA SANCTORUM UNIC. *h. t. Ioannes XXII. præcipit, ut in officiis divinis, ut horis canonicis, & miſſis ſolemnibus non præſumant clerici cantare muſicas laſcivas ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per octo dies; poſſunt tamen canere ultrà cantum eccleſiaſticum aliquas conſonantias, quæ melodiam faciant.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De nomine Clericorum, & qui hoc nomine comprehendantur.

1 CLerici sunt illi homines, qui à negotiis, curisque sæcularibus remoti Deo speciali cultu sunt addicti, quapropter dicuntur Clerici, vel quia sint de sorte domini, vel quia dominus ipse, qui dicitur etiam sors, sit pars Clericorum; siquidem Clerici dicuntur, quia electi, seu deputati sunt ad Dei servitium, seu Ecclesiæ Christi, ut habetur *in c. Clericus 5. h. t.* Est Clericorum præstantia, & dignitas talis, ut nulla sæcularis ei possit æquari *c. sacerdotibus 11. q. 1. c. duo sunt. 12. q. 1.* est enim clericatus dignitas, & honor insignis, ut desumitur ex *c. denique 4. dist. c. admittuntur 54. dist. c. reperimur 1. q. 1. l. Officiales C. de Episcop. & cleric.* Tiraquell. *de nobilitate c. 9.* Hinc clerici sunt maiores omnibus laicis, quibus propterea præferuntur *c. 1. in fin. 17. dist. c. quis dubitet 96. dist. c. 1. §. quia verò de sacra unctione.* Bartol. *cons. 18.* Iason *in l. generaliter ff. de in ius vocand.* hinc soli Clerici potestatem habent in ea, quæ ad Dei cultum pertinent, templa claudendi, & aperiendi, res sacras custodiendi, excommunicatos, & infideles ab introitu Ecclesiæ arcendi, & iam ingressos ejiciendi, manus super energumenos, & cathecumenos imponendi, sacras lectiones pronunciandi, cereos ad altare deferendi, vasa, suggesta pro Evchariſtia præparandi, calicem, & patenam ad altare portandi, ac tradendi ministris.

2 Rursus prædicandi verbum Dei Matth. 28. Marci 16. & desumitur *ex c. perlectis c. cùm ex injuncto c. sicut 2. de hæret.* Laicis enim cuiuscunque sint qualitatis, non licet prædicare *c. adiicimus 16. q. 1. c. cum ex iniuncto, & c. sicut de hæret.* ut notat Decius *in c. 2. n. 148. de judic.* imò ex Clericis nemo potest sibi assumere onus prædicandi absque facultate sibi facta à sede Apostolica, vel Ordinario loci, sive conciones voluerit habere publicè, sive privatim, idque sub pœna excommunicationis *c. excommunicamus §. quia verò de hæret. clement. dudum de sepult.* & ita statuit Leo X. in sua constitutione quæ incipit *supernè* & Concilium Trident. *sess. 5. c. 2. de reformat.* ubi de Regularibus ait, eos cuiuscunque sint ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac nonnisi de eorũ licentia etiam in Ecclesiis suorum ordinum concionari non posse; & cum tali facultate teneri se coram Episcopo præsentare, & ab eo benedictionem petere, antequam prædicare incipiant: & in Ecclesiis, quæ non sunt sui ordinis ultra licentiam suorum superiorum etiam teneri Episcopi licentiam habere, sine qua in Ecclesiis extra suum ordinem prædicare non possunt, ut notat Riccius *in prax. p. 2. resolut. 190.*

Clerici igitur à sorte, & hæreditate dicuntur, eò quia clerus græcè sors latinè, & hæreditas dicitur, hinc Isidorus *in c. 1. dist. 21.* ait *Clericos hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est, quem etiam per Apostolos intelligimus ordinatum, clericus enim græcè sors, latinè verò hæreditas dicitur: propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte domini sunt, vel quia domini partem habent; generaliter autem Clerici nuncupantur, qui in Ecclesia Dei deserviunt:* unde clericus ex Isidoro græcè idem est ac sors, latinè hæreditas, eò quia de sorte domini sit, vel quia partem domini habeat. Generaliter tamen Clerici dicuntur, quicunque in Ecclesia Christi serviunt, ut ait S. Hieronymus in epist. ad Nepotianum, ubi ait: Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretatur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata nititur esse id, quod dicitur. Si enim Clerus græcè, latinè sors appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte domini sint, vel quia ipse dominus sors est, seu pars clericorum. Qui autem vel ipse pars domini est, vel domini partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat dominum, & possideatur à domino, ut habetur *in c. clericus 5. 12. q. 1. c. cui portio 16.* Tholosanus *l. 16. Syntag. c. 1. numero 7.* Clerici autem nomine generatim comprehenduntur omnes, qui in Ecclesia Dei deserviunt, & non solùm, qui primâ tonsurâ sunt initiati *c. clericos 21. dist. c. cùm contingat,* & ib. Hostens. *n. 6. de ætat. & qualitat.* Abbas *in c. cùm non ab homine. n. 2. de iudic.* sed etiam constituti in minoribus, & maioribus ordinibus, ut desumitur *ex c. clericum 77. dist. c. de personâ in fin. 11. q. 1.* Glossa *1. in c. 2. de præbend.* Abbas *in rubric. de vita, & honestate Clericor. n. 8.* Unde Clericorum gradus, ac nomina sunt Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, subdiaconus, Diaconus, & Presbyter *d. c. clericos, & c. de personâ c. duo sunt 12. q. 1.* Hostiens. *in D. c. cùm contingat. n. 6.* Immo nomine clericorum comprehenduntur etiam Canonici *c. cum tibi,* & ibi Abbas *n. 1. & 3.* Butrius *de verb. signif. c. per exemptionem de privil. in 6.* Item Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, & omnes, cuiuscunque ordinis, seu dignitatis ecclesiasticæ *d. c. clericos 21.* Abbas *in rubric. de vita, & honestate Clericor. n. 8. & 9.* Episcoporum appellatione veniunt etiam Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi, ut desumitur *ex d. c. clericos §. ordo verò V. omnes autem 21. dist.* Idque sive in materia odiosa, sive favorabili *c. quia periculosum* & ibi Glossa *V. superioribus.* Geminianus *in c. 1. in princ. numero 6. de privil. in 6.* ubi pari ratione idem dicit de primatibus.

4 Rursus nomine clericorum in materia favorabili comprehenduntur etiam Cardinales *c. 2. juncta Rubric.* & ibi Moder. *de cleric. non resid.* immo in materia favorabili etiam Monachi veniunt nomine clericorum, ut notant Abbas *in c. 1. n. 7 de cler. vel Monach. & in c. 1. n. 9. de jurament.* Felin. *in c. cum dubium n. 3.* Romanus *cons. 259.* Non tamen nomine Monachorum in materia, sive favorabili, sive odiosa comprehenduntur clerici sæculares. Abbas *in d. c. 1. n. 9. de juram. calum.* Felin. *num. 3. d.* 6. Immo neque appellatione Monachorum in odiosis comprehenduntur Canonici Regulares, ut notat Navarr. *in c statuimus 19. q. 3.* Abbas *in c. quod si n. 2. de statu Monachorum.* Neque in odiosis nomine populi, seu civium intelliguntur clerici, ut notat Abbas *in c. 1. n. 1. de vita, & honestate Clericor.* Felin. *in c. Rodulphus n. 18. de rescript* Secus in materia privilegiata, & favorabili Clerici veniunt appellatione civium, vel populi, aut districtualium, Glossa *in c. de sentent excommun. in 6.* Felin. *in d. c. Rodulphus n. 17. & sequent.* Oldrad. *cons. 32. per tot.* Romanus *cons. 180.* sunt enim Clerici pars reipublicæ, & de districtu sæcularium in favorabilius *c. dilecti.* & ibi Abbas *in 2. not.* 5 Felinus *in d. c Rodulphus n 18.*

Non tamen Clerici habent vocem, aut suffragium in Concilijs populi, Innocentius *in c. dilecta prope fin. de excess. Prælat. in 6. non minus num. 14. de immunit Eccles* Immo clerici beneficiati in aliqua civitate comprehenduntur etiam nomine civium eiusdem civitatis, ut notat Bartol. *in l. 1. ff. de municipal.* Felin. *in d. c. Rodulphus n. 18. c. 3. de temp. ordin. in 6.* tamen habibi habeant proprium domicilium, ut notat Bertazzol. *cons. 449. n. 7. fol. 2.* Parochus itidem in favorabilibus reputatur de universitate Oldrad. *cons. 32* Felin. *in d. c. ram te n. 16.* Immo civium appellatione comprehenditur etiam capitulum Canonicorum Bart. in *l. 1. V. quæro etiam an capitulum. ff. ad municip.* Rursus appellatione officialium populi intelligitur etiam Episcopus, & eius Vicarius Ancharan. *cons. 340.* Surdus *decis. 129. n. 7. & 11.* Decius *in c. significasti n 31. de offic. delegat.* hinc ex eo quòd Episcopus, & eius Vicarius, veniant appellatione Officialium civitatis, potest eius familia deferre arma, perinde, ac alii officiales civitatis Bald. *in l. nam salutem §. ait ff. de offic. præfect. Vigil.*

Difficultas est, an nomine Clericorũ comprehendantur etiam fratres, qui dicuntur tertii ordinis, & Eremitæ. Respondetur, conversos quosque, ac Deo devotos Monachos simplices, Eremitas, & fratres tertii ordinis comprehendi nomine Clericorum, si ex toto sint Deo dediti; cùm enim tradiderint se divino cultui, cui sunt totaliter addicti, & propriis renuntiaverint bonis, habitumque induant religiosum, vivántque sub regula, comprehendi debent clericorum appellatione. Secus si non essent ex toto dediti Deo, eiúsque cultui addicti, nec viverent sub regula, tunc enim non comprehenderentur nomine Clericorum, ut notat Abbas *in c. suarum n. 4 & ut privilegia n. 3.* Lumbert. *de jure patron. lib. 2. q. 1. §. 2. art. 4. n. 1.* Eremitæ autem, qui non vivunt sub certa regula, neque profitentur aliquem ordinem regularem, plerumque non sunt homines probæ vitæ, nec deberent tolerari, ut notat Glossa *in c. qui verè V. vero 18 q. 1.* Abbas *in c. ex parte 2. n. 10. de conversi. coning.* Immo *in c. nulla ratione 93. dist.* huiusmodi Eremitæ vocantur Acephali hoc est sine capite, eò quia nulli obediant. Immo essent tali habitu privandi, est enim interdictum, ne quis novum ordinem, aut religionem inveniat, vel habitum novæ religionis assumat *c. ut clerici de regul. & 1. de relig. domib in 6 extravag. sanctæ de relig. dom.* Abbas *in c. suarum in princ. de privil.* Cæterum Eremitæ comprehensi nomine Clericorum debent profiteri ordinem aliquem regularem, & subiici jurisdictioni Episcopi *c. qui verè 18. q. 1.* Glossa *in d. c. nulla ratione V. Acephalos 93. dist.* Mulieres itidem viventes collegiatim instar religiosarum, & quæ vulgò dicuntur tertiariæ, licèt non sint Regulares, nec professionem emittant: nihilominus si Episcopo subiiciantur, & ab eo eam vivendi normã, ac vestium formam accipiant, censentur gaudere privilegio Religiosarum *c. indemnitatibus §. supra dicta*, & ibi Geminian. *de elect. in 6.* Quòd si huiusmodi mulieres non probe vivant, debent ab Episcopo severè puniri, ut ostendit Navarr. *cons. 8. de statu Monachor. c. 1.*

Non tamen Eremitæ gaudent privilegio fori, 7
quando non sunt initiati aliquo ordine ecclesiastico, neque profitentur aliquam religionem, nec superiorem habent, ut notat Felin. *in c. 2. de for. compet.* Riccius *in prax. resol. p. 2. resol. 149. n. 3.* In odiosis tamen Monachi, & Conversi viventes sub regula non comprehenduntur appellatione Clericorum, Abbas *in c. 1. n. 7. ne cler. vel Monach.* Felin. *in c. non dubium n. 3. de sent. excommun.* Hinc interdicto clero non comprehenduntur interdicti regulares, sive mares, sive fœminæ, ut notat Sylvester *V. interdictum 2. n. 17.* Sayrus *thesaur. cons. l. 5. c 4 n. 29.* Neque in materia odiosa nomine clericorum comprehenduntur canonici Abbas, *in c. bonæ n. 2. de postul. Prælat.* Felin. *in d. c. non dubium n. 1.* Decius *in c. tuæ non litter. n. 18.* immo neque in materia odiosa nomine clericorum comprehenditur capitulum Canonicorum, ut notat Seraphin. *decis. 780. n. 1. p. 1.* quia ubicunque species habet aliquam qualitatem plusquam genus; tunc in materia odiosa appellatione generis non intelligitur species. *c. statutum* Abbas *in d. c. bona n. 2.* Felin. *in c non dubium n. 1.*

Hinc neque appellatione Ecclesiarum civi- 8
tatis, aut Diœcesis simpliciter in odiosis includitur Ecclesia cathedralis *c. cum theolet.* & ibi Glossa *1. de verb. signif. c. quamvis §. quamquam* ubi Glossa *de prabend in 6.* Felin. *in c. in nostra corollario 39 n. 40.* Oldradus *cons. 183.* Covarruvias *in c. alma Mater p. 2. §. 1. n. 4. in fin. de sent. excom. in 6.*

Secus in favorabilibus appellatione bene- 9
ficiorum quorumcunque comprehenditur etiam Ecclesia cathedralis, vt definivit Rota *diversi. p. 3. l. 3. decis. 985. n. 11* hinc habens mandatum

de

de providendo in aliqua Ecclesiarum civitatis, vel diœcesis, non potest provideri in Ecclesia cathedrali, quia cum ob eius honorem, & præeminentiam Ecclesia cathedralis sit qualificata sub generalitate beneficiorum, non includuntur beneficia consistentia in ipsa cathedrali Ecclesia, ut declaravit Rota *decis. 8. de concess. prabend. in nov. & decis. 25. in antiq.* sicut dispensatus à Papa ut possit beneficia ecclesiastica obtinere, non inde intelligitur, quòd possit habere canonicatum in cathedrali, nisi aliud exprimatur *c. quamvis de prabend. in 6.* Rebuffus *in prax. tit. de dispens. pat. stat. v. in cathedralibus.* Rursus neque appellatione Diœcesis in materia odiosa venit civitas *d. c. quamvis* §. *quamquam de prabend. in 6. c.* Rodulphus, & ibi Glossa: secus in materia favorabili nomine Diœcesis comprehenditur etiam civitas *c. sacrorum* 63. *dist. c. cùm clerici de verb. signif. c. Rodulphus*, Alexand. *cons. 248. n. 11.*

40 Neque nomine Ecclesiarum parochialium in materia odiosa comprehenduntur Parochiales collegiatæ, quia istæ habent qualitatem collegii supra curam: in favorabilibus tamen comprehenduntur nomine ecclesiarum parochialium, ut notat Ioannes Andreas *in c. statutum de elect. in 6*, Abbas *in rubric. de vita, & honestate Clericor. n. 12.* Neque nomine Monasteriorum comprehenduntur Ecclesiæ sæculares, ut neque appellatione Ecclesiarum veniunt Monasteria in stricta significatione. Secus in favorabilibus, ut notat Abbas *in c. 1. num. 9. de jurament. calum.*

41 Neque in odiosis, & stricta interpretatione nomine clericorum comprehenduntur Clerici constituti in dignitate ecclesiastica cuiusmodi sunt Abbates, Archidiacani, & alii in paribus, vel maioribus dignitatibus constituti Abbas *in rubric. de vita, & honest. clericor. n. 9.* & *in c. bonæ n. 2. de postulatione Prælatorum.* Decius *in c. cum non licet. n. 18.* ubi asserit, esse sententiam communem: hinc multò minus in odiosis nomine clericorum comprehenduntur Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ *c. sedes* & ibi Butrius *n. 3.* Imola *n. 2.* & probatur etiam *ex rubric. C. de Epis. & cleric.* ubi expressè, & particulariter fit mentio de Episcopis, qui sub generali locutione clericorum non fuerunt inclusi, & etiam desumitur *ex c. 2.* juncta Glossa *V. dignitatum*, Riccius *in prax. resol. p. 1. resolut. 487.* quia in Episcopis est qualitas supra alios, quæ non reperitur in simplicibus clericis: proinde in odiosis non comprehenduntur nomine clericorum, Abbas *in rubric. de vita, & honestat. Cleric. n. 11.*

42 Hinc in generali locutione non comprehenduntur personæ notabiles, & magnæ *leg. item apud* §. *hoc edictum ff. de iniuriis c. 2. de offic. deleg. in 6.* Glossa *in d. c. 2. V. dignitatum de prabend. in 6.* eadem ratione neque nomine beneficiorum veniun. dignitates, nisi exprimantur *element. 1. de sequest. possess. & fruct. element. 1. de causs. possess. & propriet. c. ad aures.* & ibi iuris periti: hinc dispensatus ad dignitates non intelligitur dispensatus ad maiorem dignitatem post Pontificalem, Rebuffus *in concord. in forma mandat. apostol.* in Glossa *V. aut dignit.* A fortiori nec Cardinales in materia odiosa comprehenduntur nomine clericorum Iason *cons. 117.*

Hinc regula Cancellariæ annullans gratias 43
in quibus verus beneficii valor non exprimitur, non habet locum in gratia concessa Cardinalibus Anchar. *cons. 296.* & *cons. 298.* quapropter emanavit regula 67. Cancellariæ, quæ disponit, Cardinales non comprehendi sub regulis instituendis nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, ut notat Cassador. *decis. 38. super regulis*, & communiter jurisperiti asserunt, quòd regulariter regulæ Cancellariæ, sive aliæ constitutiones generales non includant Cardinales, nisi expressè nominentur, ut notat Romanus *cons. 498. per totum.* Idque ob eorum prærogativam, & eminentiam, ut habetur *in c. 1. in fin. de offic. deleg. in 6. extravag.* execrabilis Ioan. 22. §. *itaque*, & ibi Glossa *V. sub limitatem de prabend. c. 2. de offic. delegati in 6.* qua ratione etiam dignitas episcopalis non comprehenditur sub amplissimis verbis quorumcunque beneficiorum in odiosis; licèt includatur in favorabilibus Roman. *cons. 340. n. 4.* Gonzales *super regul. 8. cancell.* Glossa 5. *in princ. n. 36.*

Excluduntur à clericatu primò fœminæ 44
Glossa fin. *ad c. Diaconissam 27.* Secundò Hermaphroditi nisi virilis sexus multùm prævaleat, Glossa *in V. testimonium c. testis*, & idem dicendum est de Eunuchis. Tertiò arcentur à clericatu illegitimi *c. Presbyterorum dist. 56. c. cùm in cunctis de el. c. per venerabilem in fin. qui Filii sint legitimi.* Quartò, qui non attigerunt ætatem septem annorum completorum *c. nullus de temp. ordin. in 6.* Barb. *de potestat. Episcopor. p. 2. allegat. 11.* Quintò excluduntur, qui sacramentum confirmationis nondum susceperunt, idque ex decreto concilii Tridenti *sess. 23. c. 4.* Sextò, qui fidei rudimenta nondum sunt edocti, quia non decet Clericos carere cognitione eorum, quæ fideles tenentur credere ex decreto eiusdem Concilij Trident. *loc. cit.* Septimò, qui legere, & scribere nesciunt saltem vernaculâ linguâ, ut ostendit Barb. *de potestat. Epis. p. 2. allegat. 11.* Octavò, excluduntur etiam ij, de quibus probabilis coniectura est, eos fugiendi sæcularis judicii fraude, hoc vitæ genus elegisse, idem concil. Trident. *loc. cit.* Nonò servi, & mancipia, quod intelligitur ex utroque parente, quia qui nati sunt ex patre servo, & matre libera ordinari possunt, ut notat Barb. *loc. cit. allegat. 10. n. 45.* Decimò infames infamia juris, vel facti *c. omnipotens Deus de accus. c. fin. de testib. c. tantis dist. 81.* Undecimò criminosi permanentes in peccato mortali etiam à clericatu arcentur *c. ad tuarum c. ad aures de temp. ordin.* Duodecimò, solemniter pœnitentes *c. ex pœnitentibus c. illud dist. 33.* Tertiodecimò bigami, qui plures habuerunt uxores, sive eodem, sive diverso tempore. Quòd si contrariùm fiat, ac initientur non possunt tonsuram, ac habitum clericalem deferre *c. acutiùs dist. 28.* Barb. *d. allegat. n. 43.* Quartodecimò coniugati tametsi initiati prima tonsura contrahere possint matrimonium *c. fi. de temp. ordin. si*

quis

quis eorum c. lectores dist. 32. c. à multis de etate, & qualitat. ordin. Quintodecimò, homicidæ, qui sive per se, sive per alium etiam solo consilio, vel auxilio, aut quovis alio modo voluntariè, & præter necessariam defensionem, fuerunt causa alienæ mortis, Glossa *in clement. de homicid.* Decimosextò, excluduntur etiam à clericatu obligati ad ratiocinia, seu reddendas rationes publicæ administrationis, nisi priùs rationes expedierint, ac Magistratui satisfecerint *c. non fidat. dist. 50. c. legem 3. dist. 53.* Barbosa *tit. alleg. n. 47.* Decimoseptimò excluduntur etiam à clericatu corpore vitiati, vel mutili, ita 11 ut eum hac deformitate putentur esse inhabiles in ordine ad publica munera obeunda *c. 1, & 2. de corp. vitiat.*

§. II.

De institutione, probitate, & conversatione Clericorum.

2 CLericus constituitur in statu clericali per primam tonsuram, quâ debet esse initiatus, detonsis ab Episcopo pauculis capillis ex capite, ut hoc ritu reiectio vitiorum, separatio, & contemptus rerum temporalium significaretur, ut ex S. Hieronymo notat Gratianus *in c. duo sunt* 12. *q.* 1. Rursus tenetur clericus tonsuram clericalem semper deferre in capillis; hæcque tonsura olim erat per totum caput, solâ coronâ in medio relictâ ut *ex c. duo sunt. & c. prohibete dist.* 23. colligit Barbosa *l.* 1. *juris eccles. univers. n.* 7. cuius coronæ meminit S. Hieronymus *in c. duo sunt* inquiens: *hanc coronã habent clerici ab institutione Romana Ecclesia in signum Regni, quod in Christo spectatur: ratio verò capitis est temporalium depositio.*

3 Processu tamen temporis consuetudo inolevit, ut clerici sæculares modicum tantùm circulum rasum in superiore capitis parte deferant. Non tamen licèt per inolitam consuetudinem totalis capillorum abrasio sublata sit, permissum est Clericis, comas nutrire, ac modo laxare lascivo, cùm dicat Apostolus 1. *ad Corinth.* 11. *vir si comam nutrit, ignominia est ei, & in c.* 4. *& 7. h. t.* omnis talis comæ, & barbæ relaxatio severè prohibetur.

4 A prima hac tonsura, quasi à prævia dispositione ad minores ordines fit transitus, quibus initiati vocantur Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, & Acolyti; & quia hi ordines minores non sunt sacri, iisdem initiati permittuntur uxorem ducere: quapropter clerici solent distingui in cœlibes, & coniugatos; qui omnes dumodo habitum, & tonsuram deferant, & ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviant, gaudent privilegio fori, & canonis, ut notat Bellar. *l.* 2. *de Monach. c.* 40. Est ordo sacramentum, quo spiritualis potestas, & officium traditur, institutum à Christo, qui eius materiam, & formam determinavit; & est unum tantùm Sacramentum ratione finis, ac tendentiæ ad sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium ritè, ac reverenter celebrandum: alioquin sacramentum Ordinis, quasi unum genericè in octo partitur species, scili-

cet in quatuor minores, Ostiariatũ, Lectoratum Exorcistatum, Acolitatum, & tres maiores, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, ut desumitur ex concilio Florentino *instit. Armenorum* §. 6. & Concilio Trid. *sess.* 23. *c.* 2. *&* 3. Ex his tamen ordinibus postremus non ita priores præsupponit, quin isti validè sine eo conferantur; Episcopatus autem Sacerdotium, non tantùm quoad usum, & exercitium validum, sed etiam quoad ipsum characterem essentialiter prærequirit, perinde ac Sacramenta omnia præsupponunt sacramentum baptismi.

5 Cæterum inter ordines, non solùm maiores, sed etiam minores in probabiliore sententia rationem participant sacramenti, quamvis minores non dicantur sacri, eò qui personam non addicant immutabiliter divino cultui, ut maiores, qui propterea sacri dicuntur. Quilibet tamen ordo ex materia, & forma sensibili constat. Materia remota generatim est res, quæ traditur; proxima eius traditio, vel acceptio; & hæc in maioribus ab ipso ordinante facienda est: in minoribus probabile censetur, ex iussu ordinantis, posse ab alio fieri.

6 Exigit tamen hæc contactum physicum, & realem, saltem alicuius ex instrumentis, quando pluta per modum unius porriguntur, ut desumitur *ex c. Acolytus* 16. *dist.* 23. Ostiariatûs materia sunt claves Ecclesiæ. Forma illa verba: *sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Lectoratûs materia est lectionarium. Forma verba illa prolata ab Ordinante: *accipite, & estote verbi Dei Relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum illis, qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.* Exorcistatûs materia est liber exorcismorum, vel missale, aut pontificale. Forma verba illa *accipite, & cõmendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos.* Acolytatus materia est candelabrum cum cereo extincto. Forma *accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine domini:* & urceolus vacuus, seu ampulla. Forma: *accipite urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* Probabilius est in traditione urceoli characterem imprimi, eò quia per illum principalis potestas denotetur, ut probat Valent. *in 3. p. disput. 9. q. 1. p. 5.*

7 Materia subdiaconatûs est traditio calicis vacui cum patena vacua superposita. Forma sunt verba hæc: *accipe librum epistolarum* in sententia aliquorum; sed probabiliùs sunt verba illa *videte cuiusmodi ministerium vobis traditur, &c.* Alia verba accipe librum epistolarum, amictum, manipulum, &c. spectant potiùs ad cœremonias. Materia Diaconatûs duplex est impositio manûs Episcopi cum forma: *accipite spiritum sanctum ad robur, & resistendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini:* & traditio libri evangeliorum cum forma: *accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini Amen.* Sunt tamen, qui censent, solam

traditionem libri evangeliorum esse materiam Diaconatûs. Sacerdotii materia est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia. Forma *accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Et Rursus impositio manuum Episcopi cum forma *accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*; hæc tamen posterior potestas ita priorem supponit, ut sine illa non conferatur. Materia Episcopatûs est manuum impositio ex potestate ordinaria à tribus Episcopis. Forma, *accipe Spiritum sanctum*, &c.

7 Potestas conferendi ordines est duplex ordinaria una, quæ provenit ex sola consecratione, & charactere episcopali; adeo ut solis competat Episcopis consecratis: alia extraordinaria, quæ oritur ex simplici charactere sacerdotali, sed non nisi per solius Papæ commissionem ad id elevato respectu primæ tonsuræ, & minorum ordinum, ut desumitur *ex c. quando de consuetud.* imò aliqui centent etiam probabiliter respectu subdiaconatûs, imò & aliqui respectu diaconatûs; nullo tamen modo respectu sacerdotii, & episcopatûs. Hæc commissio ex jure communi, quoad solos ordines minores censetur facta illis Prælatis regularibus, qui sunt infulati, seu habent jus ferendi pastorale, & mitram, cuiusmodi sunt Abbates: hi tamen debent esse benedicti; idque respectu proprio-rum subditorum regularium, quamvis probabile sit, unum Prælatum subditum alterius habentem speciales dimissorias à suo superiore, & accedente speciali consensu Episcopi posse ordinare.

8 Episcopus verò consecratus servatâ legitimâ materiâ, & formâ validè potest ordinare quemcunque capacem, cùm potestas ex vi ordinis Episcopalis sit absolutè illimitata; non ita Minister extraordinarius, quia eius commissio ex sua natura est revocabilis, & ad certum locũ, & tempus, ita coarctata, ut si commissionis sibi factæ excedat limites, validè non ordinet. Ad consecrationem Episcopi ordinariè tres requiruntur Episcopi; licèt ex delegatione Papæ unus possit sufficere in sententia probabili, cui duo Prælati inferiores assistunt.

9 Ut autem validè, & licitè minister sacramenti ordinis clericos promoveat ad ordines ecclesiasticos, debet ex sua parte ab omni irregularitate, censura, aliisque impedimentis, ut etiam à peccato mortali esse liber; rursus non debet ordines conferre, nisi suis subditis, aut alienis de proprii Prælati, vel specialis juris licentia, & capacibus, ac dignis, habentibus titulum mensæ, & ad superiores ordines ascensuris, servatis temporum interstitiis, & ordinum gradibus, ac adhibitis institutis cœremoniis.

10 Clerici ita instituti tenentur tonsuram clericalem in capite deferre, & licèt olim hæc tonsura fuerit per totum caput, adeo ut crines circulariter tonderentur sola corona in medio relicta, ut constat ex *c. duo sunt, c. prohibete dist.* 23. eò quia clerici veluti Reges habeantur, quatenus se, & alios in virtutibus regentes regnum in Deo dicuntur habere; quod designat corona in capite, de qua Hieronymus *in c. duo sunt* ait, hanc coronam habent clerici ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur. Ratio capitis est temporalium omnium depositio, & memoriam excitat spineæ coronæ Salvatoris nostri, quam ob causam fuisse à D. Petro Apostolo adhibitam, testatur Beda *lib. 5. de Gestis Anglorum.* Tum quia figura circularis, quam exhibet corona perfectionem indicat, cui omnium tenentur clerici studere, alioquin hanc coronam, qui negligunt in hac vita, illam, quæ in cælesti patria est æterna, non merentur, ut notat Tractus *lib. 2. de perfect. clericor. c. 39.*

11 Quod verò habitum clericalem attinet, is debet esse honestus, quique statui clericali congruat, non enim decet, clericum vana, & superflua deferre in vestibus; cæteroquin attendenda est honestas, & consuetudo locorum. Toga talaris magis creditur decens, quæ ad minimum infra poplites dependeat. Color debet esse niger, ut etiam pileus saltem ex inolita consuetudine. Unde illæ vestes clericos decent, quæ à communi usu proborum, & consuetudine rationabili loci, in quo commorantur, reperiuntur admissæ: plures tamen Episcopi in id incumbunt studii, ut clerici sibi subditi talarem deferant vestem, quæ ad talos protendatur, hæc enim vestis, vel maximè clericis videtur convenire. Clericorum incessus externus magis debet sapere modestiam, & spiritualem vitam, quàm sæculi pompam, ut monet Covarruvias *pract. quæst. c. 32. n. 7.*

12 Quòd si clerici beneficium ecclesiasticum obtinuerint ex decreto concilij Trident. *sess. 14. de reformat. cap. 6.* tenentur habitum clericalem, & tonsuram deferre: alioquin si postquam à suo Episcopo moniti honestum habitum clericalem non deculerint, suspenduntur non solùm ab ordinibus, sed etiam ab officio, & beneficio: & si iterum moniti parêre detrectaverint, coërceri debent etiam per privationem officiorum, & beneficiorum.

13 Quinimo Sixtus V. in Bulla, cui initium est. *Cum sacrosancta* statuit, ut omnes clerici beneficiati, & pensionarii, quamvis nondum ius in beneficio sed tantùm ad beneficium obtinuerint, habitum clericalem deferant, alioquin ipso iure censeantur privati suis beneficiis. Verùm idem Sixtus V. aliam postea edidit constitutionem, quæ incipit *Pastoralis*, in qua obligationem deferendi habitum clericalem remisit pensionariis, quorum pensiones non excedunt annuatim summam 60. ducatorum aureorum de camera. Loquitur tamen Pontifex in hac posteriori Bulla de illis, quibus pensiones, vel fructus, vel prædia ecclesiastica reservantur in usum, & qui propriè non sunt beneficiati: siquidem pensio, aut temporalis fructuum reservatio propriè potest beneficium vocari, proinde non videtur omnino abstuliisse vigorem prioris Bullæ, ex qua etiam habens solum jus ad beneficium tenetur habitum deferre clericalem.

Quòd si clerici in minoribus constituti beneficium ecclesiasticum non obtinuerint, tunc

non

non tenentur ad deferendum habitum clericalem, & tonsuram: sed si habitum, & tonsuram non deferant, non gaudent privilegio fori, quo Clerici coram Judice sæculari non possunt conveniri, ut desumitur ex Tridentino *sess. 23. de reformat. c. 6.* Immo licèt concilium loquatur tantùm de privilegio fori, plures tamen censent, id esse itidem intelligendum de privilegio canonis, inter quos Layman. *in Theolog. moral. de excommun. c. 5. numero 3.* adeo ut si quis percutiat Clericum in minoribus constitutum, eò quia ipsum deprehenderit sine habitu clericali, & tonsurâ, non incurrat excommunicationem; nisi clericus conditiones habeat, quæ à Tridentino ad privilegium canonis requiruntur; siquidem facilius amittitur privilegium canonis, quàm fori, quia hoc est juris divini; & illud tantùm juris positivi: per privilegium enim canonis id habet Clericus speciale, quòd non possit percuti, nec lædi graviter suadente diabolo, quin percutiens, vel lædens incurrat excommunicationem inflictam ab Ecclesia ijs, qui Clericos percutiunt; quapropter dicitur hoc privilegium esse iuris positivi, seu ecclesiastici. Privilegium verò fori in eo consistit, quòd clericus non possit conveniri coram Judice laico, nec ab illo iudicari, eò quia clerici non subijciantur sæcularibus ex divina institutione, qua ratione privilegium fori dicitur esse de iure divino.

15 An verò Clericus in minoribus, & beneficio constitutus, qui tonsuram, & habitum clericalem non deferat, graviter peccet. Affirmat Panormit. *in c. si quis de vita & honestat. clericor.* Navarr. *conf. 25. n. 110.* Sanchez *lib. 7. conf. c. 7.* hæc tamen sententia visa est aliis præsertim Sylvestro nimis dura, proinde illam limitant. Primò si excessus sit notabilis ultra consuetum. Secundò si clericus sit sacris ordinibus initiatus, ac beneficiatus. Sin verò Clericus vestes deferret discolores, & beneficium haberet, vix à peccato gravi excusaretur, nisi secretò, vel ob timorem, aut aliam rationabilem causam tali habitu uteretur.

16 Tenentur itidem Clerici præsertim in sacris constituti castè vivere, & statutum fuit in concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. & refertur *in c. ut Clericorum 13. h. t.* ubi habetur: clerici præsertim in sacris vivant castè abstinendo se à vitio libidinis præsertim illo, propter quod venit ira Dei, & peccantes puniantur canonicè pro qualitate delicti: & si ob hoc peccatum suspensus præsumpserit celebrare divina, spolietur ecclesiasticis beneficiis, ac perpetuò deponatur: & Prælati, qui præsumpserint tales peccantes sustinere maximè intuitu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis puniantur pari pœna. Hinc tenentur clerici non solùm in sacris ordinibus, sed etiam in minoribus constituti servare continentiam, quamvis illi, præsertim, si sacerdotes fuerint, graviùs peccent, eò quia quasi matrimonium spirituale per votum solemne castitatis ex ordinatione Ecclesiæ sacris adnexum ordinibus contraxerint.

17 Orientales tamen Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi permittuntur posse uti uxoribus, quas ante susceptum sacerdotium, vel sacrum ordinem duxerunt, id enim à Romanis Pontificibus fuit ipsis concessum. Verùm postquam Sacerdotes facti sunt, vel Diaconi non licèt amplius græcis, & orientalibus uxores ducere, neque matrimonio illicitè contracto uti, ut docet Sanchez *l. 7. de matrim. c. 28. n. 6.* Secus clerici minores etiam in occidente matrimonium licitè contrahunt, quo etiam licitè utuntur, ut liquet ex praxi Ecclesiæ, & *l. 3. decretalium* ubi Alexander III. *c. 1.* ait, *si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica, & retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis.* Unde clerici minores eo ipso, quòd matrimonium ineunt, beneficia ecclesiastica amittunt, tametsi matrimonium nondum consummatum fuerit: imò neque iterum recipiunt beneficia, quamvis sponsa religionem postea profiteatur *c. 1. de cleric. coniug.* Barb. *in c. Clerici unic. de cleric. coniug.* Rursus amittunt etiam quælibet alia iura, ut regressus, accessus, incessus ad beneficium ecclesiasticum. Neque illis prodesse censetur, si matrimonium ratione alicuius canonici impedimenti irritum sit, ut si clericus consanguineam duceret. Non tamen hæc procedunt de sponsalibus, nec de matrimonio cum impubere contracto, quia jure canonico istud sponsaliorũ vim, & naturam fortitur *c. tua nobis de desponsat. impuberum*, Navarrus *conf. 25. n. 120* Cæterum clerici minores ducere possunt etiam viduas, & corruptas absque ullo peccato, ut liquet *ex can. Apost. c. 25.*

Neque obstat, quòd *in c. feriatim. dist. 32.* 18
dicatur, quòd clerici tantùm ostiarii, lectores, exorcistæ, & acolyti, si extra votum, & habitum Monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, uxorem possint accipere cum benedictione sacerdotali, non ita viduam, aut repudiatam. Nam id non obstat, quia statim subiungitur: eos, qui duxerint viduam, aut corruptam, non posse ad ordines superiores ascendere, etiam post mortem uxoris, neque ad clericorum ministeria redire, & eorum frui privilegiis. Ex quo colligitur tantùm, quòd non possint clerici minores simul ducere viduas, aut corruptas, & privilegia sua retinere, ut docent Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 21.* & Piasecius *p. 1. c. n. 53.*

Clerici verò sacris ordinibus initiati, 19
cuiusmodi sunt Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi jure ecclesiastico omnino prohibentur uxorem ducere: siquidem Apostoli postquam fuerunt assumpti ad apostolatum, & sacros ordines perpetuam continentiam servaverunt: & hæc continentia in clericis est consilium Christi; proinde Apostoli eandem suaserunt clericis maioribus: immo constituerunt, ut imposterum ministri ecclesiæ tenerentur continentiam servare, ut docet Bellar. *l. 1. de cleric. c. 19.* ubi congerit plures Conciliorum authoritates, & SS. Patrum asserta, quibus hæc veritas confirmatur. Tum quia hæc eadem continentia, quam Apostoli præscripserunt, statim in Ecclesia servari cœpit, & postea lege ecclesiastica non semel, & iterum, sed sæpius præscripta fuit; & quidem dupliciter: primò, ut non liceat clericis maioribus uxores ducere post sacros susceptos ordines.

20 Secundò, ut si ante susceptos ordines duxerint uxores, & postea susceperint ordines non liceat uti illis, sed debeant perpetuam servare continentiam; cuiusmodi sunt statuta Concilii 1. Elibertini coacti anno Christi 315 ubi habetur: placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & quicunque secus fecerit ab honore clericatûs exterminetur. Id etiam desumitur *ex can. Apostolorum 25.* ubi habetur: *ex his, qui cælibes in clerum venerint, iubemus, ut lectores tantùm, & cantores, si velint, nuptias contrahant.* Unde Apostoli prohibuerunt clericis maioribus matrimonium inire, immo concilium Trident. *sess. 24. c. 9.* eos anathemate percutit, qui dixerint, clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere; & contractum validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto.

21 Quòd si maritus invitâ uxore initiaretur sacris ordinibus, quia uxor haberet ius eum repetendi, ideo teneretur quidem reddere debitum uxori petenti, non verò ipse posset debitum petere ab uxore, ut notat Abbas *in c. quidam de convers. coning.* ubi maritus ad uxorem redire jubetur, eò quia hac invitâ ille monasterium intraverit. Idem juris manet, si uxor vel metu gravi impulsa vel dolo capta, vel ex ignorantia consensit. Immo videtur etiam procedere, si cùm scieret, neque apertè contradixit, nec consensit, sed dissimulavit, ut notat Barb. *in c. quidam de conver. coning.* Divortio tamen per legitimam authoritatem facto ob solius uxoris adulterium, posse maritum sacros ordines suscipere etiam uxore invita docet Abbas *in c. constitutus de convers. coning.* contra Innocentium, & Hostiensem, & nititur, eo quia eidem adulteræ, quamvis non ordinaretur, posset debitum negare. Id tamen asserit, procedere ob solius uxoris adulterium, quia si maritus quoque adulter esset, tunc iniuria crederetur compensata, ut docet Sotus *in 4. dist 36. q. 1. art. 5.* Sanchez *l. 10. de matrim. disp. 11. n. 16.* ubi hanc ponit regulam: quòd quoties licitum est Viro ad Religionem transire uxore adultera renitente, licèt similiter sacris ordinibus initiari.

22 Qui verò post ratum matrimonium, sed non consummatum sacros ordines recipit, si uxor fuerit invita, tenetur maritus religionem aliquam profiteri, ut voto satisfaciat.

23 Cæterum clericus, qui votum transgreditur castitatis quocunque luxuriæ actu duplex committit peccatum, contra temperantiam, & contra Virtutem Religionis, quòd si adulterium committat, præter peccatum intemperantiæ, & contra virtutem religionis, adest etiam peccatum contra iustitiâ, quia vitia, & malitiæ multiplicantur secundùm diversitatem virtutum, & honestatum, quibus adversantur.

24 Olim clericis maioribus incontinentibus hæc erat pœna, scilicet ob simplicem fornicationem deponebantur. *c. Presbyter. dist. 82.* ut etiam propter stuprum additâ etiam pœnâ pecuniariâ, vel gravioti, ut notat Panormit. *in c. non debet de consanguinitate, & affin.* Si clericus fuerit fornicator notorius secundùm antiquos canones ipso iure suspensus est. Quòd si vis fuerit adhibita, depositus in monasterium, vel arctum carcerem detruditur, cum onere dotandi oppressam. Adulterii reus ab officio deiectus in monasterio tota vitæ suæ tempore detruditur. Concil. Trident. *sess. 25. c. 14. c. si quis clericus dist. 18.* Glossa *in c. lator. 2. q. 7.* Rursus efficitur infamis Abbas *in c. at. si clerici §. de adulter. & de concubinar.* Clericum verò sodomitam degradandum, & ludici sæculari tradendum esse constituit Pius V. anno 1568. apud Navarrum *cons. 27. n. 249.* quod tamen intelligitur de clerico, qui idem flagitium sæpissimè perpetraret, ut notant Comitolus *l. 1. q. 57.* Menochius *cas. 288.* Barb. & alii.

Rationes, cur hominibus initiatis sacris 25
ordinibus, nimirum Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis debuerit coniugiũ prohiberi, sunt primò, ne sacerdotes à laicis flocci fierent, & essent ipsis contemptui, utpote non multò illis excellentiores, & quia eodem miseræ servitutis, seu matrimonii iugo alligarentur. Secundò ut liberiùs possent hospitalitati vacare, ut innuit Apostolus 1. *ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* Tertiò, ne redditus, & bona ecclesiastica alienarentur, ac transferrentur in filios sacerdotum, & filias, quas aliter dotare non valerent. Quartò, quia valdè indecens videbatur, sacerdotes uxoriæ simul & divinæ rei vacare. Tametsi matrimonium sanctum sit, & eius usus Deo gratus, eò quia dirigatur ad propagationem, & conversationem speciei humanæ: nihilominus, quia mentem avocat aboratione, sacrificio, aliisque piis operibus, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth. 7. qui habet uxorem divisus est, & solicitus, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori;* ideo ut homines sacris ordinibus initiati non essent divisi, sed Deo totaliter addicti, consultiùs fuit, ut matrimonium, quamvis Deo gratum ipsis prohiberetur. Neque obstat, quòd Apostolus 1. *ad Timoth. 3.* velit, Episcopum esse unius uxoris virum, quasi nulli unquam Christianorum duas habere licuerit. Nam exinde sequitur, Apostolum voluisse, Episcopum unica tantùm uxore contentum esse. Sed contra est, quia mens Apostoli fuit, ut nemo sacerdos initiaretur, qui secundas nuptias expertus esset, ut habetur *extra: de bigamis non ordinand. per totum. & dist. 33.* tota & aliis locis. Bellar. *l. 1. de clericis c. 20.* Barb. *in c. Nicæna Synodus dist. 21.* ubi addit, multos eorum, qui de Græcorum sacerdotum coniugio scripserunt summorum Pontificum nimiam benignitatem notâsse, qui morem illum tamdiu toleraverint.

§. III.

De moribus, & qualitatibus Clericorum.

1 QUia, ut vulgò dicitur habitus, & tonsura non faciunt Monachum, & Clericum; sed bona, & religiosa conversatio, morésque probi, respondentes vitæ instituto; ideo, quæ ad honestatem vitæ clericalis spectant his breviter donabimus explicatu. Certum est

eſt, ad honeſtatem pertinere clericalem, ut ſacris initiati ordinibus à crapula, & ebrietate abſtineant: ſicut crapula eſt exceſſus in eſculentis; ita ebrietas in poculentis; uterque exceſſus prohibetur clericis in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *in c. de crapula* 14. *h. t.* ubi ſtatuitur, ut omnes clerici à crapula, & ebrietate diligenter abſtineant, neque ad bibendum aliquis incitetur; cùm ebrietas mentis inducat exilium, ac obſcuritatem, ac libidinis incentivum. Et nonnullis interjectis etiam transgreſſoribus injungitur poena ſuſpenſionis ab officio, vel beneficio alternativè, ſeu disjunctivè ad arbitrium Judicis, ſeu ſuperioris.

2 Hinc clerici non debent tabernas publicas niſi ex cauſa neceſſaria itineris adire *c. non oportet. c. clerici dist.* 44. Convivia itidem iisdem prohibentur, iis exceptis, quæ ſacri Canones eis permittunt, quæque magis charitatis, & amicitiæ honeſtæ gratiâ, quàm comeſſationis causâ fiunt, ut habetur *in c. convivia dist.* 44. Hinc S. Hieronymus ad Nepotianum *de vita clericor. c.* 12. monet clericos, ut ni velint contemni ſint potiùs conſolatores Chriſtianorum in mœroribus, quàm convivæ in proſperis. Hinc nec debent clerici intendere hiſtrionibus, mimis, choreis, comœdiis obſcœnis, & ſimilibus *c. penult. h. t. c. Presbyteri dist.* 19. *& c.* 2. *dist.* 37. multò minus permittendum eſt clericis, hiſtriones agere, neque ut larvati incedant, aut habitum induant perſonatum *c. cum decore* 12. *h. t.* quamobrem *in c.* 1. *eod. tit. in 6.* clerici per annum exercentes hiſtrionicam artem ipſo jure privantur omni privilegio clericali.

3 Inhibetur etiam clericis alearum, & taxillorum luſus *c. inter dilectos* 11. *de exceſſibus Prælat. c.* 1. *dist.* 35. nomen autem alearum comprehendit omnes illos luſus, qui fortunâ potiùs, quàm arte reguntur, ut notat Panormitanus in *c. clerici h. t.* Non tamen cenſentur prohibiti luſus ſchaccorum, conorum, aliorùmque ſimilium; nomine itidem alearum comprehenduntur omnes luſus chartarum, non tamen recreationis causâ, ſed lucri aviditate, & cum periculo ſcandali, vel cum amiſſione temporis impendendi utiliùs in ſtudia, pietatis, & divini officii exercitia.

4 Debent itidem clerici vel maximè alieni eſſe ab omni avaritiæ ſuſpicione, cum non modicè infamari ab avaritia ſtatum clericalem citra dubium ſit, quapropter Innocentius III. *in c. cùm ab omni* 10. *h. t.* decrevit, ut Judices à ſede apoſtolica delegati præter expenſas victualium, non exigant, nec accipiant decimam, vel aliam partem litis non obſtante contrariâ conſuetudine Judicum ſæcularium. Neque cum litigantibus paciſcantur pro ſalario receptis pignoribus: quia cum clericis eccleſiaſtici redditus ſint aſſignati, ex quibus poſſunt honeſtè vivere: ideo ab hujusmodi exactionibus debent abſtinere, ac proceſſum judiciarium litigantibus gratis impertiri. Hinc Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut Decanus, vel alius exercens eccleſiaſticam jurisdictionem nequit licitè accipere ſportulas: nomine ſportularum intelliguntur omnia munera, ſive victualia, ſive pecuniæ ſint, quæ intuitu cujuſvis muneris exequendi, aut ſponte offeruntur, vel exiguntur, deſumptâ nomenclatione ab ipſo vaſe, in quo hujusmodi munera olim deferri conſueverant: ſiquidem talia munera exigere, & accipere in utroque jure canonico, & civili prohibetur, ut conſtat *ex c. cum ab omni* 10. *h. t.*

Ratio itidem aſſignari poteſt, quia Judices præſertim eccleſiaſtici, & ordinarii propria habent beneficia, & alios redditus eccleſiaſticos, quibus cùm poſſint honeſtè ſuſtentari juxta proprium ſtatum, debent iisdem contenti eſſe, & onera beneficiis annexa ſuſtinere. Pari pacto Judices ſæculares quia ex publico, propria ſalaria, & ſtipendia accipiunt, ob quæ ex juſtitia tenentur propria exercere officia; ideo debent hæc miniſtrare implorantibus: proinde non debent opera juſtitiæ dare vènum, ac venalia exhibere. Tria ſunt genera emolumentorum, quæ Judices ratione proprii officii ſibi injuncti percipiunt. Primò, ſalarium, quod juſtè ab illis exigitur, & accipitur. Secundò præſtantur Judici quædam minuta commoda pecuniæ per ſtipem collecta jure actorum, quæ Judex quotidie facit, & quæ vulgò dicuntur ſportulæ, de cujus nominis ſignificatione paulò ante diximus. Tertium emolumentorum genus eſt pars quædam pœnarum pecuniæ, quam ob varia delicta leges Judicibus aſſignant, ut in pluribus legibus *Recepil.* ubi tertia, vel quarta pars aſſignatur Judici ut *l.* 1. 2 *& tit* 10. *lib.* 3. *Recepil.* Ubi autè hæc emolumenta permittuntur Judicibus, ſive ordinariis, ſive delegatis; non debent iſti munus aliquod accipere à litigantibus: hinc Moyſes *Exodi* 23. ait, *nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.*

5 Non enim eſt, quòd plus legiſlatores debeant in Judice metuere, quàm hujusmodi munera, quæ intellectum excæcant, & juſtitiam corrumpunt; hinc Imperatores *in l.* 3. *C. ad legem Juliam* inquiunt *omnes cognitores, & Judices à pecuniis, atquè patrimoniis manus abſtineant, neque alienum jurgium putent ſuam prædam*, & Juſtinianus Imperator dum adminiſtratores ad jurandum compellit *in auth. de mandat. Principum* alloquens jurantem ait: oportet te purè ſumentem adminiſtrationem, & ſine omni ſuffragio, præ omnibus aliis mundas ſervare Deo, nobisque, & legi manus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus.

6 Hinc liquet, jus civile hoc exectabile avaritiæ vitium omnino arcere, ac prohibere Judici: quamobrem hoc intereſt diſcriminis inter Judicem ſæcularem, & Eccleſiaſticum, quia ille ſi pro ferenda ſententia in cauſis civilibus accipiat munus, tanquam pretium, & mercedem, peccat contra juſtitiam, ac tenetur ad reſtitutionem: Judex verò eccleſiaſticus non ſolùm contrà juſtitiam peccat, verùm etiam crimen committit ſimoniæ, ſi pro ſententia ferenda in cauſa ſpirituali, pecuniam, vel aliam rem temporalem, ut pretium accipiat, ut notat Gloſſa *in c. venientes V. juſtitiam cauſa* 1. *q.* 3. quamobrem neque Judex delegatus à Papa poteſt pro labore judicandi, & exercitio ſui officii munus accipe-

re à litigantibus præter modica eſculenta, & poculenta, quæ paucis diebus abſumi poſſint, & quæ liberaliter offeruntur, ut habetur *in c. ſtatutum* 12. §. *inſuper de reſcript. in 6.*

8 Excipitur tamen niſi Judex delegatus teneretur ex neceſſitate ad cognoſcendam cauſam proficiſci, & iter aliquorum dierũ arripere, tunc enim litigantes tenentur æqualiter ad ſolvendas expenſas itineris, cum commune eorundem negotium geratur: quia beneficia, vel ſtipendia non conferuntur Judicibus delegatis cum hoc onere, ut jus dicant litigantibus: non enim habent ea beneficia jurisdictionem ordinariam annexam: proinde non tenentur Judices eccleſiaſtici proficiſci extra domicilium in locum diſſitum proprio ſumptu; immo neque tenentur deducere expenſas, quas domi feciſſent: quia leges indiſtinctè ipſis concedunt, ut poſſint expenſas itineris exigere *c. cùm ex officii 16. de præſcript. c. cùm ab omni V. præter expenſas h. t.* Abbas *ibidem num. 13.* Quinimo etiam Judices delegati, ſi congruam ſuſtentationem aliunde non habeant ex beneficio, vel redditibus eccleſiaſticis, poſſunt à litigantibus mercedem accipere pro exercitio ſui muneris: ſiquidem jura tantùm prohibent Judicibus delegatis habentibus beneficium eccleſiaſticum, quo honeſtè poſſint ſuſtentari, ſalarium accipere à litigantibus; non verò Judicibus delegatis non habentibus congruam ſuſtentationem: dignus eſt enim operarius mercede ſua, quando aliunde pro ſuo labore congruam non habet ſuſtentationem.

9 Secus Judices ordinarii eccleſiaſtici nec eſculenta, nec poculenta accipere poſſunt à litigantibus, immo neque exigere expenſas pro itinere, quia ſupponuntur habere beneficia, ac ſtipendia ſufficientia, ratione quorum teneantur ad judiciarias lites per ſe, vel per delegatos definiendas. Duo tamen excipiuntur caſus, in quibus poteſt Judex ordinarius, ſeu Epiſcopus eſculenta, & poculenta accipere, immò etiam expenſas, ut ſi proprium egrediatur domicilium ad viſitandam, vel conſecrandam Eccleſiam *c. cùm apoſtolicas 6. c. ſapite* 14. Rurſus jure novo *in auth. ſine quoquo ſuffragio §. ſcriptum exemplar* ſtatuitur quòd xenia, ſeu eſculenta, & poculenta Judicibus ordinariis, non niſi ſpontè oblata, & in modica quantitate accipi poſſint, ſi ex publico ſalarium non habeant.

10 Videtur tamen in contrarium obſtare, quia nemo tenetur propriis ſtipendiis militare, & juſtum eſt, ut laboranti ſtipendium aſſignetur juxta Apoſtolum *1. ad Corinth. 9.* & refertur *in c. cum ſecundum de prebend. in c. cum ex officii de præſcript.* ergo Judices Eccleſiaſtici præſertim delegati non tenentur gratis de cauſa ſibi commiſſa cognoſcere, eamque debito fine abſolvere. Tum quia in aliquibus locis uſus invaluit, ut decima litis pars Judicibus delegatis præſtetur: hæc autem conſuetudo ut licita debet obſervari; etenim in caſu non diſſimili in *c. ad Apoſtolicam de ſimonia*, habetur, quòd tametſi pro adminiſtratione Sacramentorum clerici aliquid recipere non debeant, tamen conſuetudo piè introducta ſervetur: ergo ubi conſuetudo invaluit accipiendi munera pro judicio ferendo poſſunt hujusmodi munera licitè accipi.

11 Sed contra, quia falſum eſt, quòd Judex delegatus adigatur militare propriis ſtipendiis, ſiquidem cuilibet Judici etiam delegato ſupponitur proprium ſtipendium jam fuiſſe aſſignatum ex redditibus eccleſiaſticis, quapropter ultra proprium ſalarium injuſtè Judex decimam litis exigeret. Ad id quod addebatur *ex c. ad Apoſtolicam de ſimonia*, reſpondetur in hujusmodi ſpecie ſummum Pontificem tantùm jubere obſervantiam piarum, & laudabilium conſuetudinum fidelium: in præſenti autem caſu de Judice delegato exigente ſtipendium à litigantibus ultra proprium ſalarium ipſi aſſignatum ab Eccleſia nil pietatis intendi poterat, proinde Judex non niſi injuſtè litis decimam extorqueret: eſt igitur diſcrimen, quia *in d. c. ad apoſtolicam* pium erat Eccleſiæ Miniſtros alere, & ſuſtentare cùm aliunde non haberent, quo ſuſtentarentur: in caſu autem noſtro Judices etiam delegati ſupponuntur ex eccleſiaſticis redditibus congruum habere ſtipendium, quo poſſint honeſtè ſuſtentari.

12 Cæterum poteſt per conſuetudinem introduci ut Judices ſæculares, & eorum aſſeſſores à litigantibus aliquid certum loco ſalarii pro impenſo labore exigant, ut docet Abbas *in d. c. cùm ab omni num. 4. h. t.* debet tamen, quod exigitur intra limites moderationis contineri: alioquin ſi immoderatum quid exigeretur, vel irrationabiliter, tunc occaſio daretur pervertendi, & corrumpendi juſtitiam, proinde talis exactio in detrimentum cederet reipublicæ; conſequenter per nullam conſuetudinem poteſt legitimè introduci: non enim Judex poteſt paciſci ut pars, quæ vicerit in judicio, notabilem partem rei in judicium deductæ illi cedat, quia hoc pactum eſſet in detrimentum reipublicæ, quia juſtitiam corrumperet. Judices verò Eccleſiaſtici cùm propria beneficia, & alia ſtipendia ſufficientia ad propriam ſuſtentationem habeant, nulla conſuetudine poſſunt inducere, ut licitè hujusmodi munera etiam intra limites moderationis exigant à partibus litigantibus *argum. d. c cùm ab omni 10. h. t.* idque ob periculum perverſionis juſtitiæ, & ſimoniæ, ſi cauſa ſit eccleſiaſtica, & ſpiritualis. Tum quia eccleſiaſtici magis, quàm alii ab omni ſuſpicione avaritiæ debent eſſe liberi, & etiam ab omni periculo mali abſtinere.

13 Si dicas, pecuniam pro labore ferendi judicium non accipi ut pretium, ſed ut ſimplex ſtipendium vitæ; proinde Judicem non incurrere crimen ſimoniæ; quamvis ſufficiens ſalarium habeat pro munere judicandi: hoc enim pacto etiam per conſuetudinem legitimè præſcriptam introduci poteſt, ut fideles aliquid ſolvant Parocho, licèt ſupponatur ſufficientes proventus habere pro honeſta ſuſtentatione, idque pro adminiſtratione baptismi, & aliorum Sacramentorum, vel pro funere, licèt ex officio teneatur ad tale miniſterium exercendum. Reſpondetur eſſe diſcrimen, quia tales oblationes cauſam continent pietatis, proinde poſſunt facilius per conſuetudinem induci, ac firmari, quam

quàm aliæ oblationes, quæ fiunt pro munere judicandi, quia tantùm abeſt, quòd hæ præſtationes pietatem redoleant, ut potiùs turpitudinem ſapiant, ac præſeferant injuſtitiam ex parte exigentium. Cæterum ſi in aliqua diœceſi aſſignati redditus eccleſiaſtici non ſufficiant pro honeſta Judicum ſuſtentatione; poſſet tunc induci talis conſuetudo: quia tunc manifeſtè conſtaret, quòd xenia moderata à partibus exigantur, non ut pretium, ſed ut ſtipendium ad vitam ſuſtentandam. Quòd ſi formo ſit de Judicibus delegatis à Papa, cùm iſti non ſupponantur ſalarium accipere ob cauſas ſpeciales, ad quas delegantur, fit, quòd faciliùs per conſuetudinem induci poſſit, ut à partibus litigantibus ſtipendium exigant, ſaltem pro xeniis.

14 Dicuntur xenia munera hoſpitalia, quibus hoſpites viciſſim ſe munerantur, quod olim maximè fieri conſueverat diebus Saturnaliorũ. Circa hæc xenia jubentur Judices veterem Græcorum ſententiam obſervare *in l. non ſol. 6. §. non verò ff. de offic. proconſul. l. plebiscito 18. ff. de offic. præſid.* ut nec omnia accipiant, nec ab omnibus; namque valdè inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, ab omnibus avariſſimum. Quamobrem poterant accipi xenia edulia, quæ intra paucos dies abſumi poterant, & hoſpitibus hoſpitalitatis causâ dabantur *l. 1. §. 1. l. 6. § ult. l. 7. §. 1. ff. ad leg. Jul. repetund.* Hinc jure etiam canonico permittitur Judicibus delegatis eſculenta accipere, & poculenta *c. ſtatutum §. inſuper de reſcript. in 6.* Immo etiam Judicibus ordinariis permittitur, ut accipiant modica eſculenta, & poculenta. Ille tamen mos laudatur, quo Judices lite pendente prohibentur à litigatoribus etiam eſculenta accipere, quia hæc nonnunquam etiam juſtitiam corrumpunt.

15 Quod externam attinet Clericorum converſationem; ea fuit ſub primo naſcentis Eccleſiæ exordio clericalis inſtitutio, ut clerici etiam ſæculares in collegiis ſimul ſub Præpoſito, & Decanis degerent, ac in communi viverent; adeout omnes in eodem dormitorio indormirent, ac in eodem reficerentur refectorio; ab eodem veſtiario communes, ac conformes ſumerent veſtes talares, quales clericos ad omnem compoſitos modeſtiam decere viderentur; & tandem quidquid ab eccleſiis illis competebat, nonniſi in communi poſſiderent, & ad communes uſus inſumerent; nec ullus eorum quidquam proprii poſſideret, ſed cuncti unanimes perſeverabant in oratione, ut legitur *in Act. Apoſtolorum c. 4.* & habetur *in c. prater hoc 6. diſt. 32. c. neceſſaria 3. cauſ. 12. q. 1. c. in omnibus 34. diſt. 5. de conſecrat.* Hinc S. Hieronymus *in cap. duo ſunt 12. q. 1.* De clericis ſui temporis fatetur, quod victu, & veſtitu contenti, nullam inter ſe proprietatem tenentes habuerint omnia communia: idem aſſerit S. Auguſtinus in ſermone de communi vita clericorum, cujus aliquot fragmenta referuntur *in c. nolo. 12. non dicatis d. cauſa 12. q. 1.* Idem fatetur S. Chryſoſtomus *in lib. 3. contra monaſtica vita vituper.* ubi ait, Eccleſiam Dei fuiſſe ab initio velut *Monachalem religionem.* Imò Tamburinus de jure Abbatum *tom. 1. diſp. 2. quæſt. 3. & 4.* aſſerit, Apoſtolos ſi non omnia, aliqua ſaltem religionis, ac Conſiliorum Evangelicorum vota emiſiſſe.

Verùm ex propagatione religionis, ac dilatatione Eccleſiæ Clerici ab hac vivendi forma paſſim deflexerunt ſciente, ac tolerante Pontifice, ut notat Gloſſa in *c. quoniam 9. V. in eadem d. t.* & conceſſum iisdem poſtea fuit ſeparatim vivere, & aliquid proprii poſſidere; dummodo ea obſervent, quæ ad clericalis vitæ honeſtatem faciunt, & à ſacris canonibus præſcribuntur; & etiam à Concilio Trident. *ſeſſ. 22. de Refor. c. 1.* innovata fuerunt: ait enim Concilium Tridentinum nil eſſe, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſterio emanciparunt: cum enim à rebus ſæculi, in altiorem ſublevati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur: quapropter decet omnino clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, morésque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus nihil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem. 16

Hinc clerici etiam minoribus initiati ordinibus tenentur veſtem deferre ordini clericali congruentem *c. clerici 15. h. t.* & deſumitur *ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 6. de reform.* ubi etiam aſſignatur ratio: ut per decentiam habitûs exterioris interiorem morum honeſtatem oſtendant: & *in Clement. quoniam 2. h. t.* ſtatuitur, ut quicunque clericus beneficiatus abſque rationabili cauſa utitur publicè veſte virgata, vel partita, id eſt habente diverſos colores intextos, vel artificiosè ſuperinductos ipſi panno, per ſex menſes inchoandos poſt talem publicam geſtationem ipſo jure ſit ſuſpenſus à perceptione fructuum beneficiorum. Quòd ſi non ſit Beneficiatus, ſed Diaconus, vel Subdiaconus, redditur eò ipſo inhabilis ad beneficium eccleſiaſticum obtinendum. Idemque eſt de aliis clericis non beneficiatis, nec in ſacris, ſi deferant talem veſtem ſimul cum tonſura; ſeu ſi abeque tonſura, ut notat Gloſſa *in d. Clem. quoniam V. & tonſuram.* Cardinalibus tamen ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi anno reparatæ ſalutis 1240. conceſſus fuit uſus purpuræ, ac rubri galeri, ac pilei, ut notat Piaſecius ex Platina *in praxi Epiſcop. p. 2. c. 3. articul. 2. num. 29.* 17

Cæterum licèt clericis interdicatur, ne utantur certis quibusdam veſtibus tanquam indecentibus; non tamen ſpeciatim præſcribitur, quibus uti debeant: unde honeſtas veſtium clericorum cenſenda eſt ex uſu, ac conſuetudine cujuscunque Regionis *c. ſi quis virorum 15. diſt. 30.* dummodo non ſint communes cum illis, quibus ſæculares in illa regione utuntur; adeout per veſtes clerici à laicis diſtinguantur. Illi ubique locorum laudantur Epiſcopi, qui clericis ſuæ diœceſis veſtes talares præcipiunt deferre; honeſtas enim, ac majeſtas, decorque clericalis relucent in talari veſte nigri coloris. 18

Non

19 Non debent clerici aureos gestare annulos, neque gemmulas iisdem insertas; nisi sint Episcopi, vel in ecclesiastici officii dignitate constituti, ut desumitur *ex c. penul. h. t.* nec ratione doctoratûs debent clerici annulos aureos deferre, quia doctoratus non est dignitas in Ecclesia, sed honor personalis; quia dignitas ecclesiastica ordinariè habet adnexam aliquam superioritatem, vel jurisdictionem, vel officium, aut aliquam administrationem rerum ecclesiasticarum, quam non habet doctor præcisè ratione doctoratus, ut notat Abbas *in d. c. penul. num. 3. h. t.*

20 Si dicas, annulum esse symbolum inaugurationis doctoralis. Respondetur, etiam cingulum aureum esse tale symbolum; quod tamen in publico gestare prohibentur clerici ex ecclesiastica consuetudine. Neque debent clerici nutrire comam, neque barbam, id enim prohibitum fuit in Concilio Carthaginensi IV. *can. 44. relato in c. si clericus 5. h. t.* Permittitur tamen hisce temporibus, ut capilli usque ad aures licitè, ac decenter deferantur. Quòd si clerici comam nutrtant, & barbam possunt etiam inviti à suis Archidiaconis tonderi *c. clericus 7. h. t.* ubi dicitur, quod clerici nutrientes barbam, & comam, etiam inviti tondendi sint à suis Archidiaconis.

21 Prohibentur etiam Clerici arma deferre, & desumitur *ex c. clerici 2. h. t.* quia cum clericis non sit permissum pugnare; ita neque arma ferre. Imò in dicto *c. clerici* portantes arma anathemate feriuntur: hæc tamen excommunicatio non est latæ sententiæ ipso facto, sed ferendæ per Judicem, si clerici admoniti non deponant arma, proinde contumaciam incurrant, ut notat Abbas *in d. c. num.* 8. Quòd si religiosi intra septa monasterii arma retineant sine prælati sui licentia ipso facto sunt excommunicati *Clement. 1. §. quia verò de statu Monachorum.* Cæterum ex iusta causa permissum est clericis portare arma, ut si per loca periculosa sint transituri ad resistendum latronibus; & in propriam defensionem. Prohibentur itidem Clerici exercere commercia, & negotia sæcularia, maximè inhonesta *c. clerici 15. h. t.* juxta illud Apostoli 2. *ad Timoth.* 2. nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.

22 Quòd si iisdem se immiscent, & post trinam admonitionem non resipiscant, ipso facto amittunt privilegium clericale, quoad facultates, seu bona, quæ sunt propria, ac patrimonialia clericorum, quia reddunt se indignos suo privilegio; frustra enim invocat auxilium Ecclesiæ, qui eam lædit, & contemnit *c. quia 14. de usuris*: debet tamen præcedere trina admonitio, adeout non sufficiat una: quia quoties agitur de pœna inurrenda, & jus exigit trinam citationem, una citatio etiam peremptoria non habet vim trinæ citationis: quia in pœnalibus verba legis strictè interpretantur. Clerici qui sæculari negotiationi se immiscent, possunt amissum privilegium clericale, quoad sua bona recuperare, si postea resipiscant; & emendentur, ut desumitur ex pluribus textibus, Molina *tract. 2. de Just. dis. 342. concl. 1.*

Decet clericos obedientia in suos superiores, & præsertim tenentur obedire suo Episcopo, & cuicunque superiori in iis, quæ pertinent ad statum clericalem: quod si iisdem parêre detrectaverint, fieri potest, ut etiam graviter peccent *c. omnes 4. de major. & obed.* Hæc enim obligatio fundata est in quarto Decalogi præcepto *Honora patrem.* speciatim tenetur clericus parêre suo Episcopo. Primò si præcipiat, ut Romam eat pro negotiis suæ Ecclesiæ: nec ei proderit excusatio, quòd dentur alii in dioecesi ad id magis idonei, quia Episcopus non tenetur magis idoneos mittere. Secundò si præcipat resignationem beneficii, quo indignus est, ut alteri conferatur. Tertiò si præcipiat denuntiare aliquem excommunicatum, quem tamen ipse noverit innocentem esse: licebit tamen allatis probationibus illius innocentiam tueri: & ubi id præstare non potest præcipienti Episcopo tenetur parêre. Quartò si justis ex causis subsidium charitativum exigat Episcopus, tenetur enim clericus pro viribus contribuere *c. conquerente 16. de offic. Jud. ord.* Quintò si Episcopus præcipiat ut clerici vestes deferant nigras in talos usque protensas; si moris sit, ut cæteri clerici ejusdem diœcesis talari incedant veste. Sextò si præcipiat, ut abstineant à negotiis sæcularibus, quæ hominem à divino avocant obsequio, & maximè, quæ irregularitatem adferunt. 23

Hinc non decet clericum viles, ac sordidas exercere artes, nec agere lanionem, nec ludionem, aut histrionem *Clem. 1. de vit. & honest. Cleric. Pius V. in constitut. anni* 1566. Secundò prohibentur clerici exercere artem medicam ubi ustio, & sectio necessaria est. Tertiò prohibetur judicium sanguinis, & omnes actiones, eò tendentes, ac pertinentes. Quartò etiam venatio, quæ fit cum clamore, & strepitu: non ita ea cujus finis est honesta recreatio, & valetudinis conservatio, hæc enim permittitur, dummodo ejus frequentia non sit cultui divino detrimento, nec aliis obsit negotiis, quæ magis sunt necessaria, ut notat Glossa *in c. Episcopum, de clerico venatore.* Quòd si homicidium sequatur ex prohibita venatione, clericus fit irregularis. Quintò prohibetur itidem omne officium, ex quo jus dicitur sæcularibus, nec potest clericus majoribus initiatus ordinibus Procuratorem, & tabellionem agere *c. sicut ne clerici, vel Monachi*, Mosconius *in p. 2. c. 2. fol. 410.* Tuschus *conclus. 381.* Sextò singulari prohibitione est clericis vetita negotiatio *c. negotiationem, & sequent. dist. 88. & c. fin. de vit. & honest. cleric. c. secundùm institutа, ne clerici, vel Monachi.* Est autem negotiatio, quando quis rem aliquam ea comparat intentione, ut integram, & prorsus eandem vendendo aliquid lucretur, ut cùm quis vili emit pretio rem aliquam, quam charo intendit vendere: verbum *vendendi* hîc sumitur generaliter, adeo ut comprehendat etiam permutationem, siquidem solent ut plurimum mercatores negotiationes suas permutationibus conficere, non enim semper, quando divendunt merces suas, numeratas accipiunt pecunias, sed plerumque alias mer- 24

merces, quæ chariori pretio in aliis Provinciis venduntur.

Immo negotiatio, ita eſt clericis prohibi-
25 ta in ſacris conſtitutis, ut à mortali culpa non excuſentur, ſi toto animo hiſce ſint addicti negotiationibus, quibus à divinis avocentur obſequiis, ut notat Leſſius *lib. 2. c. 21. n. 4.* Poſſunt nihilominus clerici rem aliquam comparare, ut ſit materia ex quâ aliam conficiant, & vendant, quod eſt vivere opere propriarum manuum: quo pacto olim Eremitæ corbes conficiebant, & ſtoreas, quas dabant venum, ut accepto pretio ad victum, & veſtitum uterentur. Poteſt etiam clericus modo aliquo honeſto negotiari ex neceſſitate ad ſuam, ſuorúmque ſuſtentationem, ut cenſet Navarrus *c. 25. num. 34.* Inopia enim, & neceſſitas excuſant, ut ait Gloſſa *in c. negotiationem diſt. 88.* Immo non cenſentur clerici peccare ſi per alios negotientur, quibus ipſi pecuniam ad negotia inſtituenda, & proſequenda ſuppeditent, quia tunc negotiatio clericum non avocat à divino cultu. Poteſt etiam dare pecuniam in ſocietatem mercatorum, ut inde ſuam quotam recipiat, ut docet Leſſius *c. 21. num. 6.*

26 Præterea licitum eſt etiam Monachis aliena conducere prædia, quando ſua ad honeſtam ſuſtentationem non ſufficiunt, & inde poſſunt fructus percipere, abſumere, vendere Layman *lib. 3. tractat. 4. num. 39.* Molina *diſp. 342. de juſtit. & jur.* Cæterum ſi clericus negotiationem, & mercaturam exerceat, tenetur vectigal ſolvere, perinde ac alii negotiatores, immo in aliquibus Provinciis, præſertim in Gallia, ſi clerici in commercio delinquant, conveniuntur coram ſæculari Judice, tametſi ſecundùm canonem nonniſi coram Judice eccleſiaſtico eſſent conveniendi.

27 Obligantur etiam clerici quoad vim directivam communibus ſæcularium Magiſtratuum legibus, quæ non repugnant ſtatui eccleſiaſtico, & pertinent ad bonum reipublicæ regimen, & communem quietem; cujusmodi ſunt leges, quæ pretia rerum vendibilium conſtituunt, modum ædificandi præſcribunt, ut deſumitur *ex c. quia nonnulli de ſtatu Regular.* ubi Barb. *in prætermiſſis c. Eccleſia de conſtitut.* ſiquidem clerici in civitate communiter viventes cum aliis civibus habentur, ut membra ejusdem reipublicæ, & cives ejusdem urbis; proinde æquum eſt, ea quæ ad commune regimen neceſſaria ſunt, etiam ipſi clerici præſtent; quia ut ſcitè ait S. Auguſtinus *lib. 3. confeſſion. c. 8. turpis eſt omnis ars ſuo toti non congruens.* Tum quia *ex regula juris 55.* qui ſentit commodum, idem & onus ſentire debet: quapropter realia onera ſunt etiam à clericis ferenda, ut ſunt ea, quibus affecta bona temporalia erant, antequam à clericis acquirerentur, ut docet Piaſecius *p. 2. c. 4. num. 56.* Juvat obſervare, quòd clerici ſolùm quoad vim directivam tenentur onera ſubire reipublicæ, quia quoad vim coactivam clerici non ſubſunt Magiſtratui ſæculari.

Tenentur tamen clerici eas ſervare leges, quæ formam præſcribunt contractibus, vel teſtamentis conficiendis, idque ex communi juris canonici approbatione, ut notat Barb. *in prætermiſſ. c. quia nonnulli de immunit. Eccl.* An verò obligatio clericorum ad parendum civilibus legibus ſtatui non repugnantibus eccleſiaſtico oriatur directè ex poteſtate legislativa civili, vel potiùs indirectè tantùm? communior, & probabilior ſententia eſt, hanc obligationem nonniſi indirectè oriri à tali poteſtate legislativa civili; & directè ex æquitate naturali, quæ ſuadet illa media, ſinè quibus quies reipublicæ conſervari non poteſt. Alioquin ſunt clerici ab omni laicâ poteſtate exempti ex concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* in conſtitutione, quæ incipit *ſuperna diſpoſitionis*, & Innocentius III. *in c. Eccleſia de conſtitut.* & ex alio capite cum clerici inter cives, & cum civibus vivant, & eorum privilegiis utantur, & ſummi Pontifices approbaverint juſtas Principum leges, quas propterea præceperint ſervari omnibus; ideo ad earundem obſervantiam æquum erat, ut & ipſi clerici tenerentur *c. 1. de novi operis nunt.* Gloſſa *ibid. V. adjuvantur.*

§. IV.

De privilegiis Clericorum.

1 CErtum eſt, plurimis clericos perfrui privilegiis: ſiquidem, ut notat Panormitanus *in c. Epiſcopus 4. de prabend.* omnibus militum privilegiis fruuntur clerici, ſi ſtatui clericali minimè ſint diſſentanea: æquum enim videbatur, ut quæ privilegia milites haberent Imperatoris, eadem clerici, qui milites ſunt DEI poſſiderent. Verùm ad duo poſſunt hujusmodi privilegia revocari capita, ſeu genera comprehendentia ſub ſe plures privilegiorum ſpecies: ſúntque hæc duo ſuprema genera privilegia ſpiritualia, & temporalia. Illa quia ad jus canonicum pertinent dicuntur privilegia canónis, & comprehendunt immunitates, exceptiones à judiciis, muneribus, & onetibus civilibus: alia quia reſpiciunt forum externum, dicuntur privilegia fori, adeo ut privilegia clericorum alia ſint canonis, alia fori: quæ ſunt canonis conſiſtunt in acquiſitione bonorum, cujusmodi ſunt beneficia, & officia eccleſiaſtica, & quædam etiam in depulſione malorum, ut quòd clerici non poſſint ſuadente diabolo percuti à quovis alio, quin percuſſor incurrat excommunicationem ut deſumitur *ex c. ſi quis ſuadente diabolo 17. quæſt. 4.* ubi excommunicantur quicunque violentas manus in clericum injecerint. Poſterioris generis cenſentur, quibus illi cenſuris, pœnisque eccleſiaſticis ſubjiciuntur, qui immunitates clericorum præſumunt violare.

Cæterum privilegium canonis notiſſi- 2
mum eſt, ut qui violentas manus in clericum ſuadente diabolo injecerit, excommunicatio-

nem incurrat, ſoli ſummo Pontifici reſervatam, ut Innocentius II. ſtatuit *in ſynodo Lateranenſi 17. quæſt. c. ſi quis*, & confirmavit Alexander III. relatus *in c. 5. de ſent. excommun.* unde quicunque violentas manus in clericos, vel Religioſos etiam converſos iniiciunt, ex conſtitutione Concilii Lateranenſis incurrunt ſententiam excommunicationis, à qua nonniſi in articulo mortis poſſunt abſolvi ſine Romano Pontifice, ut notat Piaſecius *in prax. p. 2. c. 1. pag. 85.* Gaudent hoc privilegio canonis omnes clerici, etiam prima tonſura tantùm initiati, dummodo veſtem deferant clericalem, & tonſuram, ac ſervent decretum Concilii Tridentini.

3 Rurſus eodem canonis privilegio gaudent Monachi, tum ſacerdotes, tum converſi; Moniales, & Novitii *cap. cùm contingat de ætate, & qualit. c. unic. de cleric. conjugat. in 6.* Secus privilegio canonis non gaudent degradati realiter, nec incorrigibiles *c. cùm non ab homine de judic.* idque poſt trinam monitionem Prælati, & in duobus potiſſimùm caſibus: ſi arma clam geſtent: & ſine habitu eccleſiaſtico incedant. Neque qui per annum hiſtriones, joculatores agunt. Neque qui neglectis divinis officiis ſæcularibus occupantur negotiis, ſi ter moniti ab iisdem negotiis non abſtinuerint. Neque qui publicè, & per ſe exercent officium lanionis, aut tabernarii, ſi poſt trinam monitionem non ceſſent à tali exercitio. Neque Bigami ſive habitum ferant clericalem, ſive non, ut docet Covarruvias *lib. pract. quæſt. c. 31.*

4 Quoad cauſas merè eccleſiaſticas clerici liberi omnino ſunt à poteſtate laicorum, adeo ut clerici non poſſint conveniri coram Judice ſæculari, nec teneantur præſtare munera, ſeu onera perſonalia, vel realia. Immo etiam jure divino ſunt clerici omnino immunes, & liberi à civili laicorum poteſtate in rebus ſpiritualibus divinis, & eccleſiaſticis, cujusmodi ſunt ſacramenta miniſtrare, ſacra munera, & officia obire, ſacras litteras interpretari, pœnas eccleſiaſticas ſancire, ut ſunt excommunicationes, ſuſpenſiones, & interdicta. Rurſus poſſunt idoneos Eccleſiarum Miniſtros examinare, eligere, creare, inſtituere, confirmare, & ad ordines promovere. Ratio eſt, quia talis poteſtas eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis, & fuit à Chriſto collata non Regibus, nec Principibus ſæcularibus, ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus.

5 Tum quia *in c. quamquam de cenſibus, & in c. ſi Imperator diſt. 96.* habetur: *Ad ſacerdotes DEUS voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates.* Quo verò jure ſint clerici exempti à civilibus Principum ſtatutis, eſt ſententia nonnullorum Theologorum, quæ mihi probabilior videtur eſſe ſolutos, & exemptos jure divino naturali, & humano: quia in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 2.* dicitur Eccleſiæ, & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe. Tum quia præciſâ diſpoſitione juris canonici, eccleſiaſtici ſunt patres, & paſtores ſæcularium; proinde adeſt prohibitio, quâ cavetur, ne clerici poteſtati laicali ſubjiciantur: ergo privilegium exemptionis clericorum fuit à jure divino immediatè conceſſum, & poſtea à jure canonico ſtabilitum, ut patet ex Conciliis Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* Chalcedonenſi *can. 9.* Tridentino *ſeſſ. 5. c. 20.* & tandem à jure civili acceptum, & conceſſum, ut habetur *in authent. ut clerici proprios Judices conveniant in l. placet C. de ſacroſanctæ Eccleſiæ.*

6 Non tamen deſunt ex Theologis, qui aſſerant, hanc exemptionem eſſe tantùm de jure humano, multùm tamen conſonam juri divino: ſiquidem à primo naſcentis Eccleſiæ exordio dicunt, clericos ſubditos fuiſſe Principibus laicis, idque probant ex illo Apoſtoli *ad Roman. 13. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, dicunt enim, Apoſtolum non ſolùm dixiſſe laicos, ſed etiam clericos ſubjectos eſſe laicæ poteſtati, cum particula *omnis* neminem excipiat. Tum quia nullum ſufficiens teſtimonium dicunt adduci pro clericorum exemptione de jure divino; & addunt, quòd tametſi tale jus divinum non præbuerit illis talem exemptionem, adhuc tamen eadem à Principibus eſſet concedenda; & à Romano Pontifice poſſet concedi; hanc ſententiam docent Malderus *22. tract. 5. c. dub. 7.* Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. num. 30.* Solonius, Victoria, Sotus & alii: quæ tamen ſententia mihi non placet, quia D. Paulus non fuit locutus de clericis, quaſi iſti fuerint ſubditi Principibus laicis, ſed quòd ob modeſtiam, & virtutem humilitatis illis obſequerentur, tametſi de jure illis non ſubjicerentur; aliud enim eſt mandato Principis ex quadam benevolentia, & obſervantia parêre, & ejus juſſa exequi; & aliud ex obligatione teneri clericos ſubjici Principibus laicis.

7 Quamobrem dicendum eſt, clericos jure divino, canonico, & civili liberos eſſe à tributis, cenſibus, contributionibus, aliisque omnibus oneribus, quæ ſolent civiles Principes laicis communiter imponere: quòd talis exemptio ſit de jure divino deſumitur *ex c. quamquam de cenſibus*, ubi dicitur: *cùm igitur Eccleſia, & eccleſiaſtica perſona, ac res ipſarum non ſolùm jure humano, quinimo & divino à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes.* De jure canonico hoc idem patet, *ex cap. non minus, & c. adverſus de immunit. Eccleſ.* De jure civili etiam conſtat *ex authent. nulla communitas C. de Epiſcop. & cleric.*

8 Non tamen Clerici jure divino, & humano ſunt exempti ab illis civilibus legibus, quæ non ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, neque ſacris adverſantur canonibus; neque ſtatui repugnant clericali, unde tenentur clerici has leges ſervare, non vi eas activa, ut ſuperiùs innuimus, ſed tantùm directiva, quia nemo tenetur directè obſe-

obſequi legibus illius, qui in ipſum non habet jurisdictionem. Cæterum Eccleſia non recipit, ſed potiùs reprobat eas ſæcularium Principum leges, quæ de eccleſiaſticis bonis, aut perſonis ſpeciatim decernunt præcipiendo, vetando; tametſi Eccleſiæ favorem, aut patrocinium continere videantur: ſiquidem hujusmodi legibus prætenditur directa laicorum Principum jurisdictio ſuper bona eccleſiaſtica, & hæc uſurpatio poteſtatis repugnat immunitati eccleſiaſticæ, unde majus Eccleſiæ præjudicium infertur, quàm commodum poſſit afferri: quapropter leges imperatoriæ quales extant *in tit. C. de SS. Eccleſiis, & authent. eod. tit.* niſi jure canonico receptæ, & approbatæ ſint, vim non habent clericos obligandi.

9 Rurſus lex civilis non poteſt aliquid ſtatuere, nec diſponere ſpeciatim de bonis patrimonialibus clericorum, quia bona adhærent perſonæ, proinde lex, quæ diſponit circa bona, debet à perſonis obſervari: ſed lex civilis non poteſt ſpeciatim obligare perſonas clericorum: proinde neque de clericorum bonis ſpeciatim aliquid diſponere, ſeu præcipere, idque deſumitur *ex cap. quamquam de cenſibus in 6.* ubi perſonæ eccleſiaſticæ, & res ipſarum dicuntur exemptæ, & ibi eſt ſermo de omnibus rebus pertinentibus ad clericos. Præterea colligitur ex illis verbis Bullæ cœnæ *imponentes decimas &c. ac eorum ac Eccleſiarum bona*, ubi dictio illa *eorum* diſtinguitur contra alteram lectionem ſequentem *Eccleſiarum*, proinde non niſi de bonis patrimonialibus, ac propriis clericorum intelligi poteſt.

10 Quòd ſi bona Eccleſiarum, vel Clericorum, merè reali onere proprio obligata fuerant Principi ſæculari, antequam ad eccleſiaſticos tranſirent, adeo ut fuerint aliquo cenſu, vel ſervitute Principi debita, tunc valeret ſtatutum; ut etiam, ſi fuerint gravata onere reparandi viam publicam adjacentem: quia id præſtandum eſſet etiam à perſona eccleſiaſtica: res enim cum ſuo onere dicuntur tranſire ad perſonas *c. ex litteris de pignor.* Rurſus ſi diſpoſitio civilis de bonis, vel perſonis clericorum non ſit præceptiva, ſed tantùm permiſſiva, & privilegiata, valet ſtatutum: quia privilegium dare, non indicat ſuperioritatem, & jurisdictionem; cùm poſſit etiam non ſubdito dari, ut notat Layman *lib. 4. tract. 3. c. 6. n. 3* Diana *p. 1. tract. 2. reſol. 40.* Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. 3. n. 19.*

11 Cæterum clerici delinquentes contra legem civilem non incurrunt pœnam eadem lege ſtatutam: quia ſi talis pœna decernitur ipſo jure civili, cùm ſit latæ ſententiæ eos tantùm poteſt afficere, & ligare, quorum lator eſt Judex competens: & lator legis civilis cùm ſit laicus, nequit eſſe Judex competens clerici, qui pertinet ad forum eccleſiaſticum: vel talis pœna imponitur per Judicem, & ſic Judex ſæcularis non poteſt pœnam imponere clericis, cum iſti non ſubſint laicis, nec ſint ſub eorum jurisdictione: quapropter laici ita delinquentes non poſſunt puniri à Magiſtratu civili, ſed tantùm à ſuis Prælatis debent pœnâ condignâ affici; ſive hæc eadem ſit, quæ civili lege in laicos eſt conſtituta, ſive alia arbitraria mitior. Tametſi per legem civilem ſit pœna deſignata pro tali delicto, non tamen tenetur ſuperior Eccleſiaſticus eam imponere clerico transgredienti eandem legem: ſiquidem lex civilis quoad illam partem, quâ pœnam deſignat, pertinet ad vim coactivam, proinde non ſubjicit ſibi clericum, neque vim ullam habet in illum, ut notat Covarrvias *in pract. quæſt. c. 33.*

12 Neque clerici comprehenduntur legibus civilibus, quæ infirmant contractum, teſtamentum, aut reddunt perſonas inhabiles ad contrahendum, teſtandum in pœnam commiſſi criminis ab iisdem, vel eorum majoribus: ratio eſt, quia talis lex pœnalis eſt, habetque vim coactivam; proinde non poteſt perſonas eccleſiaſticas comprehendere; cùm illæ quoad vim coactivam non ſubjiciantur jurisdictioni laicali. Quòd ſi lex infirmans contractum pœnalis non ſit; ſed certam duntaxat contrahendi formam præſcribat, irritando actus aliter factos; ex generali juris canonici conſenſu afficit etiam clericos, niſi in illa ſpeciatim ſtatutum aliquod contrarium clericali ſtatui reperiatur, ut rectè docet Suarez contra Regem Angliæ *c. 16. lib. 4. n. 21.*

13 An verò poſſint clerici renunciare privilegiis canonis, & fori, ſéque ſubjicere laicali jurisdictioni, communiter negant, eò quia ſit id ipſis interdictum tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, ut liquet *ex 2 p decret. cauſ. 11. quæſt. 3.* Ratio etiam accedit: quia hujusmodi privilegia non fuerunt indulta perſonis privatim ſumptis; ſed in communi toti clericali ordini: perſona autem privata nequit cedere privilegio conceſſo toti communitati, aut toti alicui ordini: hinc privatorum acta non dicuntur derogare juri publico, ut conſtat *ex cap. ſi diligenti de for. compet.* quapropter ſi clericus renunciaret privilegio canonis, & fori, ſeque ſubjiceret jurisdictioni Judicis ſæcularis, talis renunciatio illicita foret, nullúmque fortiretur valorem, tametſi juramento firmata eſſet, quia juramentum applicatum rei invalidè, & illicitè, eſt etiam ipſum invalidum, & nullam inducit obligationem; quia ſine peccato ſervari non poſſet; & ad peccandum nemo tenetur. Idque procedit, tametſi clericus id præſtaret ex conſenſu Epiſcopi: ſiquidem non poteſt Epiſcopus juri communi derogare; ut notat Sotus *lib. 5. de juſtit. q. 4. art. 1.* Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. numero 58.* Diana *p. 1. tract. 2. reſolut. 3.*

14 Hinc privilegia canonis, & fori nulla conſuetudine etiam immemorabili, vel præſcriptione longiſſimi temporis, immo nec ulla lege tolli poſſunt absque ſummi Pontificis authoritate: quia cùm non ſint laici capaces eccleſiaſticæ jurisdictionis, nunquam poſſunt ſe tueri conſuetudine etiam immemorabili; quia

hæc nunquam poteſt eſſe legitima ad præſcribendum contra privilegia canonis, & fori: ſiquidem omnis conſuetudo contra eccleſiaſticam libertatem reprobatur *c. in noverint, de ſentent. excommun.* ut benè advertit Suarez contra Regem Angliæ *lib 4. c.34. numero* 16. ubi probat, quòd conſuetudo turpis, & exprobata, tametſi immemorabilis ſit, non poſſit privilegium inducere. Præterea, quia talis conſuetudo non poteſt induci, cùm quot annis per Bullam cenæ expreſſè reprobetur.

15 Cæterum ſummus Pontifex ob juſtam cauſam per ſpeciale privilegium datum alicui Principi, aut Magiſtratui ſæculari, poteſt ex parte derogare eccleſiaſticæ exemptioni, adeo ut virtute talis ſpecialis privilegii poſſint laici exercere nomine Pontificis jurisdictionem in eccleſiaſticas perſonas: hinc Rex Galliæ quamvis laicus beneficia eccleſiaſtica confert in ſuo Regno ex ſpeciali privilegio apoſtolico, ut probant Filiucius *tract.* 16. *num.* 259. Malderus 1. 2. *queſt.* 96 *art.* 4. Neque obſtat, quòd in oppoſitum adſint pontificiæ conſtitutiones, quia cùm iſtæ ſint tantùm univerſales, non derogant privilegio ſpeciali: ſiquidem lex poſterior univerſalis, non derogat privilegio anteriori ſpeciali.

16 De Novitiis videtur eſſe aliqua difficultas, an iſti gaudeant privilegio fori: quia Novitius criminoſus ob delictum ab eo perpetratum ante ingreſſum religionis juxta conſtitutionem Sixti V. quæ incipit *cùm de omnibus* ſpoliandus eſt religioſo habitu, ac puniendus à Judice ſæculari, ac ſi nondum eſſet religionem ingreſſus: verùm rigorem hujus conſtitutionis poſtea lenivit Clemens VIII. quapropter probabiliùs dicendum eſt, quòd ingreſſus religionis validus ſit ad hoc, ut Novitius gaudeat privilegio fori, idque tametſi ingreſſus in religionem factus ſit cum fraude, ut Novitius ſe eximeret à jurisdictione Judicis ſæcularis inſtar clerici cum fraude aſſumentis ſtatum clericalem poſt commiſſum delictum ea intentione, ut ſe ſubtraheret à ſæculari poteſtate: ratio id ſuadens eſt, quia ſi ſæcularis poſt patratum delictum confugit ad Eccleſiam animo fraudandi Judicem ſæcularem; non obſtante tali fraude, adhuc gaudet immunitate Eccleſiæ, quamvis remaneat laicus, & ad tempus duntaxat in Eccleſia moretur: multò magis gaudere debet privilegio fori, qui perſonam ſuam per ſuſceptionem ordinis clericalis, vel ingreſſum in relgionem approbatam divino emancipat cultui, ſeque totum Deo conſecrat.

17 Quamobrem ſicut clericus puniri non poteſt à Judice ſæculari corporaliter, ſed tantùm in pecunia, & bonis; adeo ut Judex ſæcularis, ſit tantùm Judex cauſæ, non autem perſonæ: ita eodem pacto Novitius in tali caſu puniri ad ſummum tantùm poſſet à Judice ſæculari in pecunia, & bonis, non autem in corpore: immo cenſerem probabilius neque poſſe Novitium puniri à Judice ſæculari in pecunia, & bonis, eò quia cenſeatur religioſus ſaltem in via, quamvis nondum profeſſionem ſolemnem emiſerit. Immo cenſerem, neque Novitium poſt dimiſſum habitum religionis poſſe à Judice ſæculari puniri ob delictum perpetratum tempore Novitiatûs, quia ut rectè notant Layman *lib. 4. tract. 9. c. 7. num. 5.* Diana *p. 3 tract. 1. reſol. 34.* ad cognoſcendum, cuinam foro quis ſubjiciatur, attendi debet delicti tempus, & ſtatus, in quo tempore delicti reperiebatur delinquens: atqui hic tempore delicti ſupponitur Novitius, proinde immunis à poteſtate ſæculari, proinde remanet immunis etiam ob delictum perpetratum in novitiatu.

18 Tum quia clericus, ſi tempore clericatûs ſupponatur commiſiſſe delictum aliquod, non poteſt relicto poſtea clericatu ob tale delictum à laico puniri: ergo eodem pacto dicendum eſt de Novitio. Hinc ſi Novitius ſit ære alieno gravatus ab ejus creditoribus non coram Judice laico, immo neque coram eccleſiaſtico, ſed coram ſuo proprio Prælato regulari debet conveniri: ſiquidem Novitius plenè ut novitius ſubjicitur Prælato Regulari: hinc creditor apud regularem competentem Judicem Novitii debet ſuum debitum exigere; quia Novitius exemptus eſt tam à ſæculari, & laico Judice, quàm à ſæculari eccleſiaſtico, ut oſtendit Sanchez *lib. 6. moral. c. 6. numero* 10. & 11.

19 Rurſus Novitius de omnibus delictis poteſt puniri à ſuo Prælato regulari, ſi ipſe velit in religione manere: ſiquidem Novitii cum gaudeant privilegiis religionis, ſunt exempti à Judice ſæculari. Sin verò Novitius occideret, vel vulneraret aliquem alium religioſum, vel enorme aliud delictum committeret, & poſtea à religione aufugeret, tunc deberet à Judice ſæculari puniri, quia delicta non debent impunita manere; & ſemel quòd tali pacto eſt egreſſus è Monaſterio, cenſetur ſæcularis, ut notat Sanchez *loc. cit. numero* 14. Quòd ſi Novitius ob delicta leviora, quæ mortem non merentur è religione velit egredi, poteſt etiam invitus à Prælatis Regularibus puniri, antequam egrediatur: alioquin ſi ſub tali prætextu non puniretur à Prælato regulari, remanerent delicta impunita, ut oſtendit Suarez *tom. 3. de religion. lib. 5. c. 16. num.* 18.

20 Neque ex hoc cenſerentur Prælati Regulares, ſe opponere libertati Novitii volentis religionem egredi, ut deſumitur *ex c. ſtatuimus de regul, & c. non ſolùm eod. tit. in 6. de regular.* Quinimò ſi neceſſitas poſtularet, ut Novitius ratione delicti torquendus eſſet; poſſet à Prælato regulari ut profeſſus torqueri ad eruendam veritatem, quia id concernit officium Judicis. Non tamen tunc torquendus eſſet Novitius per ſæcularem perſonam, ſed per clericum, vel Religioſum, & quidem juxta formam præſcriptam *in c. univerſitatis de ſent. excommun.*

Super-

21 Supereſt difficultas, an etiam ipſa familia clerici gaudeat privilegio fori. Plures negant ea innixi ratione, quia privilegium fori ſit perſonale ratione ordinis eccleſiaſtici. Nihilominus contraria ſententia, quam plures propugnant, non caret ſua probabilitate; quia uxor ratione matrimonii ſortitur forum viri, ſeu mariti: quapropter in diſpoſitione, quamvis ſtricta privilegiũ conceſſum viro, cenſetur etiam concedi eius uxori: quinimò non deſunt, qui putent, hoc privilegio gaudere uxore etiam mortuo marito, donec alteri nubat: & ratio videtur probabilis, quia vita vidualis cenſetur in priori matrimonio perſiſtere. Filii itidem Clericorum gaudent privilegio fori, adeo ut Judex laicus non poſſit eos punire, quia pater, & filius reputantur una, ac eadem perſona, & filius dicitur pars corporis patris, quod tamen procedit de ſolis filiis legitimis, & vivente patre: quia hoc decedente, ceſſant filii gaudere privilegio fori. Servi itidem perpetui, & mancipia gaudent privilegio fori, quia huiusmodi ſervi habentur, tanquam pars patrimonii, & ſubſtantia eiuſdem. Hoc tamen Covarruvias *pract. qq. c. 32. n. 2.* negat de famulis non perpetuis, ſed temporalibus, conductitijs, mercenariis, annua, menſtrua, vel diurna mercede ſervientibus. Alii verò apud Dianam *p. 3. tract. 1. reſolut. 7. 35. & 47.* contrarium ſentiunt, & docent, huiusmodi famulos conductitios, & mercenarios annua, menſtrua, vel diurna mercede eſſe participes privilegiis dominorum, quibus inſerviunt.

22 Recenſentur etiam pleraque alia privilegia conceſſa Clericis, quæ congerit Sylveſter. Primò poteſt clericus vendicare rem conceſſam Eccleſiæ ante traditionem *l. fin. c. de SS. Eccle. fin. c. ex litteris de conſuetud.* Secundò facientes ſtatuta contra clericos anathemate percutiuntur, ut deſumitur *ex cap. eos de immunit. in 6.* Tertiò quia ſoli clerici capaces ſunt beneficii eccleſiaſtici, & illi ſoli poſſunt huiusmodi beneficia obtinere *c. ex litteris de tranſact.* Quartò per litteras contra clericũ impetratas cum clauſula generali non poteſt conveniri *c. ſedes is de reſcript.* & ibi Gloſſa. Quintò, non tenetur clericus ſportulas dare *c. cum ab omni de vit. & honeſtat. clericor.* Sextò poteſt clericus de acquiſitis etiam ſub patria poteſtate liberè diſponere, perinde ac de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus *authent. Presbyteros C. de Epiſcop.* Septimò poteſt etiam absque conſenſu patris de rebus ſuis recuperandis agere *authent. Presbyteros C. de Epiſcop. & cleric.* Octavò poſſunt clerici collegium inſtituere, quod laicis non permittitur *argu. c. fin. de relig. domib.* Tuſchus *l. C. concluſ. 456.* Nonò familia clerici ut paulò ante oſtendimus gaudet eodem fori privilegio *cap. clericum 11. q. 5.* Maranta *p. 4. diſt. 12. pag. 98.* Decimò clericus inops, & paupertate laborans non tenetur bonis cedere ob debita, proinde neque poteſt in carcerem detrudi, ut notat Odoardus 3. *de ſolutionibus* Maranta *p. 6. §. tertius actus n. 56.*

23 An verò ex ſummi Pontificis permiſſu poſſint laici, Judices eſſe clericorum, & illos punire? Affirmativè reſpondet Segura Davalos *in directorio Iudicum eccleſiaſt. p. 1. c. 11.* & eſt ſententia communior cum Gloſſa *in c. 1. diſt. 94. c. clericorum nullus 11. q. 1.* ratio eſt, quia ſummus Pontifex habet abſolutam poteſtatem in omnibus cauſis eccleſiaſticis; proinde ſi res poſtulet, & ratio exigat, poteſt laico dare facultatem judicandi Clericos, eósque puniendi. Non tamen poteſt Principibus ſæcularibus dare iurisdictionem ordinariam contra clericos ut probat Menochius *lib. 3. de teſtib. c. 22. n. 71.* quia id non cederet in ædificationem, ſed potiùs deſtructionem eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut notat Farinac. *l. 1. q. 8.* An verò poſſint laici per conſuetudinem acquirere jurisdictionem in clericos, reſpondent aliqui cum diſtinctione, eò quia ex cauſis, aliæ ſunt merè ſpirituales, & aliæ merè temporales, & aliæ mixtæ, ſeu quaſi ſpirituales, ut cum agitur de recuperanda poſſeſſione beneficii eccleſiaſtici, quâ per laicum quis iniuſtè ſpoliatus eſt, & reſpondent fieri poſſe, ut alicubi vigeat conſuetudo agendi, & finiendi à Judice ſæculari has mixtas cauſas: eò quia ad Magiſtratum, & Principes laicos cura pertineat promovendi bonum regimen, & conſervandi reipublicæ tranquillitatem: & addunt adeſſe, ſi non explicitum, ſaltem virtualem, & tacitum ſummi Pontificis conſenſum: & Covarruvias *lib. pract. qq. c. 35.* aſſerit, hunc morem in Regno vigere Neapolitano.

Verùm communior, & probabilior ſen- 24
tentia eſt, præfatam conſuetudinem omnino irritam, nullámque eſſe, & revera id deſumitur *ex c. clericali de judic.* ſiquidem poteſtas judicandi clericos eſt iuris divini; & nulla conſuetudo poteſt prævalere contra eccleſiaſticam libertatem *c. noverunt de ſentent. excommun. c. clerici* Tuſchus *lit. C. concluſ. 9.* Tum quia cùm laicus ſit incapax jurisdictionis ſpiritualis nullo tempore poteſt præſcribere contra privilegium fori. *c. cauſam de præſcription.*

§. V.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, quæ pœnæ jure canonico injunctæ ſint frequentantibus monaſteria monialium, ſi moniti non deſiſtant? Reſpondetur, frequentantes huiusmodi monaſteria, ſi clerici ſint, eſſe deponendos; ſi laici, excommunicandos, & deſumitur ex *c. Monaſteria 8. h. t.* ubi prohibetur acceſſus ad monaſterium Monialium, adeò ut ſi clericus ſine manifeſta, & rationabili cauſa Monaſteria Sanctimonialium frequentaverit, arceri, ſeu prohiberi debeat ab Epiſcopo, quòd ſi non deſiterit, ſit ab officio eccleſiaſtico ſuſpendendus; & ſi laicus fuerit, ſit excommunicandus: unde non ſufficit cauſa rationabilis, ſed ulterius requiritur, ut ſit manifeſta. Is verò dicitur frequentare Monaſteria Sanctimonialium, qui bis ea adit, quia per pluralitatem actuum conſtituitur frequentatio. Extat de hac re conſtitutio Bonifacii VIII. in *c. 1. de ſtatu regul. in 6.* quam innovavit, & auxit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 5. de Regul.*

2 Ratio verò, cur frequentantibus huiusmodi monaſteria ſint pœnæ iniunctæ, ex eo petitur, quia ex tali frequentatione facta ſine manifeſta, & rationabili cauſa oritur prava ſuſpicio contra accedentes, & Monialibus facultas tribuitur laſciviendi. Tum quia à Dei ſervitio ſæpe revocantur *c.* 1. *de ſtat. Regul.* nec poteſt Deo totaliter adhærere, qui acceſſibus copulatur fœminarum *c. Hoſpit. diſt.* 32. præſertim cum facies mulieris dicatur ventus urens *Proverb. c.* 5. & quia periculo eſt obnoxia ſexuum commixtio *c. mulieres de judic. in* 6. Rectè proviſum fuit, ut qui divino ſunt addicti miniſterio ſub pœnis incurrendis, teneantur abſtinere à Monaſteriis Sanctimonialium frequentandis ſine manifeſto, & rationabili cauſa, adeò ut Epiſcopi teneantur eos arcere. Quòd ſi ſint clerici, & non deſtiterint ſuſpendendi ſunt ab officio eccleſiaſtico: ſin verò laici excommunicatione percutiendi. Obſervandum tamen eſt, quòd debeat, quis priùs admoneri, quàm has pœnas incurrat, ut habetur in *d. c. Monaſteria 8. h. t.* admonitio enim debet ſemper vindictam præcedere, ut quis, ſi ſe corrigat, poſſit pœnam declinare *c. indignè* 12. *q.* 2. imò in ferenda excommunicatione ab homine trina debet monitio præcedere *c. ſacro de ſent. excommun.* quia excomunicatio eſt in eccleſia graviſſima pœna, quæ non eſt leviter ferenda *c. corripiantur* 34. *q.* 3.

3 Quæritur ſecundò, quibus pœnis ſubiiciantur Clerici, ſi armati incedant? Reſpondetur incurrere excommunicationem, & deſumitur ex *c. Clerici* 2. *h. t.* ubi ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut Clerici arma portantes, ut etiam uſurarii excommunicentur. Ratio eſt, quia officium clericale reddit clericos inhabiles ad pugnandum *c. Ex multa de voto.* quia ſicut non poteſt quis duobus dominis ſervire, ita neque clericus militare ſimul Deo, & ſæculo *c. quicunque* 23. *q.* 8. quapropter arma clericorum dicuntur eſſe preces ad Deum fuſæ, & lacrymæ ab oculis effuſæ *c. convenior* 23. *q.* 8. & quia Clericus qui contrahens officium arma defert, graviter peccat *d. c. quicunque* 23. *q.* 8 & pro culpa gravi pœna poſſit excommunicationis infligi *c. nullus* 11. *q.* 3. fit, quod clerici, ſi armati incedant poſſint excommunicari, ut in *d. c. Clerici* 2. *h. t.*

4 Id tamen limitatur niſi ex juſtâ cauſa, & rationabili clerici arma deferant, ut ad naturalem defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad terrorem latronibus incutiendum, ſi per loca periculoſa ſint tranſituri *c. Dilecto de ſentent. excommun. in* 6. Rurſus Clerici ſæculares deferentes arma non ſunt ipſo facto excommunicati, ſed poſſunt excommunicari, ut habetur in *d. c Clerici*; adeò ut hæc excommunicatio ſit tantùm ferendæ ſententiæ, ſi poſt admonitionem contumacia acceſſerit. Imò conſuetudo inolevit, ut Clerici iter facientes per loca præſertim periculoſa poſſint arma defenſoria deferre. Religioſi verò habentes arma inter ſepta monaſterii ſine licentia ſuperioris ſunt excommunicati ipſo facto *clement. ne in agro c. quia de ſtat. Regul.* Verùm nomine armorum non intelligitur exiguus cultellus ad præparandos calamos ad ſcribendum, vel ad panem inciſendum, ut notat Gloſſa in *authent de armis*, & docet Aretin. *conſil.* 38. Cæterum hæc pœna excommunicationis incurritur etiam à clericis uſurariis: ſiquidem crimen uſurarum eſt grave, ac deteſtatur in utroque teſtamento *c. ſuper eo de uſur.* adeò ut tam Clerici, quàm Laici uſurarii præter alias pœnas, quas incurrunt, poſſint excommunicari, niſi à tali crimine deſtiterint.

Quæritur tertiò, quamnam pœnam incur- 5
rant Clerici in ſacris conſtituti comam relaxantes, & non deferentes convenientem ſuo ſtatui tonſuram? Reſpondetur, eſſe anathemate percutiendos, ut habetur in *c. ſi quis 4 h. t.* & eſt canon deſumptus ex Concilio Romano ſub Gregorio II *c. ult.* ibi *ſi quis ex clericis comam relaxaverit anathema ſit.* Ratio deſumitur ex eo, quia ipſa natura nos docet, nutrire comam eſſe viris ignominiæ: ſecus mulieres, ſi comam nutriant, datur illis gloriæ, quia capilli pro velamine iisdem dati ſunt, ut ſcribit Apoſtolus 1. *ad Corinth. c.* 11. quia verò Miniſtri altaris debent mentem habere elevatam, non velatam, ut docet D. Thomas *p.* 3. *q.* 40. *art.* 1. *in addit.* & quia clericus, ſi contra præceptum eccleſiæ comam relaxat, & tonſuram non defert, mortaliter peccat *c. duo ſunt* 12. *q.* 1. ſequitur, quòd pro tali culpa gravi poſſit anathemate percuti, ut habetur in *d. c ſi quis 4. h t.*

Hinc clericis in ſacris conſtitutis maximè 6
verò religioſis præcipi debet, ut tonſuram eccleſiaſtico ſuo ſtatui convenientem ferant: qui, ſi admoniti non obediant, anathemate ſunt percutiendi, quod intelligendum eſt per ſententiam Judicis, ut monet Gloſſa in *d c. ſi quis* 4. *h. t.* & Innocentius in *c. ſi quis ex clericis* 23. *diſt.* 23. Quæ verò dicuntur de tonſura, ſervata proportione debent intelligi de habitu clericali. Cæterum clerici neque comam nutrire debent, nec barbam; ut habetur in *c. Clericum 5. h. t.* & ratio ex eo deſumitur, quia ijs, qui divinis ſunt addicti miniſterijs raſura competit, & tonſura in modum coronæ; idque ratione figuræ, quia corona ſignum eſt regni, & perfectionis, cùm ſit circularis. Ii verò, qui divinis inſerviunt, ac miniſtrant, regiam enanciſcuntur dignitatem; debentque propterea omnium virtutum ſplendore enitere. Competit etiam iiſdem, ut per raſuram ſubtrahantur capilli ex parte ſuperiori, ne ſcilicet mens clericorum temporalibus detineatur occupationibus, nec à divinorum contemplatione retardetur: & ex parte inferiori per tonſuram, ne ſcilicèt eorum ſenſus rebus fluxis, ac futilibus obvolvantur. *c. Duo ſunt* 21. *q.* 1. & præſertim ad indicandum, omnem temporalem ſuperfluitatem debere prorſus à clericis exulare: ſiquidem per capillos congruè ſuperflua ſignificantur, quia ex ſuperfluis generantur, ut docet D. Thomas *p.* 3. *q.* 40. *art.* 1. hæcque ratio eſt cur clericus neque comam nutrire debeat, neque barbam.

Quæritur quartò, an Epiſcopus poſſit in 7
ſua eccleſia certum numerum clericorum ſtatuere

tuere ſecundùm ipſius facultates, qui vivant ſimul in communi? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. quoniam 9. h. t.* ubi Gregorius VII. declarat, quòd Epiſcopus, ſi facultates eccleſiæ ſufficiant, poſſit ſtatuere certum numerum clericorum, qui vivant in communi, imò poſſit etiam compellere contradictores ad hanc obſervantiam per ſuſpenſionem officii, & beneficii, vel etiam graviori pœna non obſtante appellatione. Ratio ex eo deſumitur, quia per habitationem juxta eccleſiam Clerici divinis officiis, & eccleſiaſticis functionibus maiori devotione, & promptitudine incumbunt *c. neceſſe* 12. *q.* 1. Hinc olim etiam Canonici ſæculares in collegiis ſimul ſub Præpoſito, & Decanis degebant certâ ipſis vivendi regulâ conſtitutâ, quâ ratione canonici Regulares dicerentur, ut liquet ex Concilio Turonenſi III. ſub Leone III. tempore Caroli Magni celebrato *c.* 2. ubi de clericis civitatum, qui eccleſiæ Cathedrali inſerviunt, ſtatuitur, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ac in uno reficiantur refectorio. Hinc etiam in Concilio Moguntino coacto eodem fermè tempore anno ſcilicet à reparata ſalute 813. ſtatuitur in *c.* 9. ut Canonici ſæculares canonicè vivant, nihilque ſine licentia Epiſcopi, vel eorum Magiſtri præſumant in unoque Epiſcopatu agere, & ut ſimul manducent, & dormiant, ac in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur, ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant; & obedientiam ſecundùm canones ſuis Magiſtris exhibeant. Hinc Clerici ex inſtitutione Epiſcopi viventes in communi imitantur charitatem fidelium, & clericorum primitivæ eccleſiæ, de quibus legitur, quòd multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, ut dicitur in *Act. Apoſtol. c.* 4.

8 Cæterum, quia multitudo plerumque diſſidia parit *l. cum pater §. duleis. ff. de leg.* 2. & paulatim charitatis fervor intepuit *c. fraternit. diſt.* 24. fit quòd Epiſcopus hodie non ſit cogendus ad inſtituendum, ut clerici vivant in communi, imò nec ipſi clerici ad id ex jure adiguntur: ſed tantùm datur facultas Epiſcopo, ut poſſit eccleſiam erigere collegiatam, ac inſtituere, ut ibi Clerici in communi vivant, ſi id ipſi conſultius viſum fuerit, ut habetur in *d. c. quoniam 9. h. t.* non enim quidquid Judicis poteſtati permittitur, id juris ſubiicitur neceſſitati. *c. Apoſt.* 32. *q.* 7. Regulares verò ad id tenentur ex neceſſitate *c. cum ad Monaſt. 6. de ſtatu Monac.* Cæterum tot in eccleſijs ſunt admittendi, quot ex earundè fructibus poſſunt honeſtè ſuſtentari, quia periculum immineret, ne ſi pauciores inſtituerentur ob excedentem redituum abundantiam luxuriarentur: vel ſi plures eſſent pénuria, & egeſtate laborarent, & in opprobrium Ordinis Clericalis adigerentur, vel mendicare, vel ad turpem quæſtum *c.* 1. *de inſtitut. c. ex parte de conceſſ. prabend* Conſilium tamen eſt, ut potiùs aliquid ſuperſit, quàm deſit; exemplo boni tutoris, ne ex aliquo caſu adverſo, qui poteſt facilè contingere, pauperior quis fiat *l.* 3. *ff. ubi pupill. educ. deb.* Id verò limitatur, niſi pauperes indigeant, quia tunc bona illa eſſent liberè erroganda, ut eorum ſubveniretur indigentiis, quod etiam procedit de redemptione captivorum, & de eccleſiarum inſtauratione *c. aurum* 12. *q.* 2. *c. quoniam.* 16. *q.* 1.

Imò poteſt Epiſcopus etiam Clericos adi- 9
gere contradicentes, ut in communi vivant: ſiquidem Judex omnia poteſt, ſine quibus officium ſibi concreditum expediri nequit *c. Prat. de offic. deleg.* Tum quia jurisdictio deluſoria foret, ſi coercitionem aliquam non haberet *c. Ex litteris de offic. deleg.* quapropter ſi ſint, qui velint hanc inſtitutionem impedire, poteſt Epiſcopus per ſuſpenſionem beneficij, vel etiam per graviorem pœnam, ſi opus fuerit, eos ad hanc vivendi normam adigere, non obſtante quavis appellatione.

Rurſus conceditur etiam Epiſcopis, ut 10
ſi quisquam eorum, qui in communi vivunt, ob manûs iniectionem in ſocium Clericum canonis incurrerit excommunicationem, talem poſſint abſolvere, niſi facti attrocitas videatur aliud expoſcere. Ratio ex eo petitur, quia ubi maius imminet periculum, ibi uberiùs eſt providendum *c. ubi de elect. in 6.* & *l.* 1. § *ſed & ſi quis*, & quia communio materiam ſolet diſſidiorum ingenerare: ideo indulgetur Epiſcopo loci, ut ſi quisquam eorum, qui ſic ſimul in communi vivunt, per manus injectionem in ſocium incurrerit excommunicationem, habeat poteſtatem eum reconciliandi, & pœnitentiam illi injungendi.

Quòd ſi dicas, id regulariter competere 11
Epiſcopis etiam ſuper aliis *c. Pervenit de ſent. excommun.* Reſpondetur, textum in illo capite procedere de injuria levi: quia inferens Clerico iniuriam mediocrem non poteſt regulariter abſolvi, niſi à Papa *c. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. unde hoc privilegium operatur, ut poſſit Epiſcopus abſolvere, ſi iniuria fuerit mediocris: quod etiam procedit de Religioſis, qui ob ſimiles iniurias abſolvi poſſunt à ſuis Abbatibus *c. Monachi de ſent. excommun.* Cæterum ubi iniuria eſt attrox, nec Epiſcopi, neque Abbates poſſunt delinquentes abſolvere, ſed illi abſolvendi ſunt à Papa, vel ab eo, cui Papa ſpecialiter demandaverit: quia ſummus Pontifex hanc abſolvendi facultatem ſibi reſervavit, ne in tam gravi delicto veniæ facilitas, occaſio foret delinquendi *c. 3. de pœnit. & remiſſ.*

Quæritur quintò, an ludi theatrales poſ- 12
ſint in eccleſijs fieri? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Cum decore* 12. *h. t.* ubi prohibetur, ne ludi theatrales fiant in eccleſia, nec per clericos ſacros: idque etiam iure novo prohibetur à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 12. Neque obſtat conſuetudo, quia hæc eſt corruptela inquinans honeſtatem eccleſiæ. Ratio ex eo petitur, quia Domum Dei decet decor, & ſanctitudo *Pſal.* 92. & debet eſſe domus orationis, non theatrum iocorum: quia verò per ludos theatrales, qui ibi fierent, eccleſiæ proculodubio inquinaretur honeſtas *l. ſimul C. de Epiſcop. & Cler.* ſequitur, ludos theatrales

non

non esse in ecclesiis exercendos, ut etiam habetur in *c.* 1. *de immunit. eccles.* & in Concilio Tridentino *sess.* 22. *decret. de observ. & evit. in celeb. miss.* Verùm id procedit de ludis theatralibus inhonestis: quia si honesti fuerint, & ad pietatem excitantes non videntur prohibiti, cuiusmodi sunt repræsentationes alicuius sacræ actionis, vel historiæ, per quas adstantes excitantur ad compunctionem cordis, & devotionem mentis, ut notat Glossa in *d. c. cum decoré* 12. *h. t.* ubi addit, non esse prohibitum repræsentare mysteria festivitatum, ut Pastores, Herodem, Magos, sacrósque eremi Incolas, quia sunt ad compunctionem potiùs cordis, quàm ad voluptatum sensùs, qua ratione moris est, ut in parasceve repræsentetur in ecclesijs sepulchrum Christi Domini ad excitandam maiorem devotionem.

13 Cæterum neque Clerici ipsi possunt huiusmodi theatrales ludos in ecclesia instituere, quia clericos utpote in sortem Domini vocatos, ita decet, vitam, morésque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque rebus omnibus nil nisi grave moderatum, ac religione plenum præseferant; adeò ut eorum actiones sint omnibus exemplo, ac veneration, ut monet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de refor. c.* 1. Hinc quia ludi theatrales, in quibus ad ludibrium spectra, & monstra introducuntur larvarũ in ipsis exercentibus, speciem præseferunt cuiusdam insaniæ *l.* 1. *ff. de his quis not. infam.* sequitur, quòd non solùm in ecclesijs, verùm etiam in aliis locis prohibeantur Clerici huiusmodi ludos exercere, ut habetur in Concil. Trident. *sess.* 24. *de refor. c.* 12. *§. vestitu.* Imò neque decet Clericos talibus interesse ludis, unde in *c. non oportet* 2. *de consec. dist.* 5. monentur clerici, quòd si fuerint in aliquo convivio, & adveniant joculatores debeant de mensa surgere, & recedere.

14 Quæritur sextò, quænam pœnæ constitutæ sint in Clericos maiores fornicarios? Respondetur, varias pro variis temporibus fuisse pœnas injunctas Clericis maioribus fornicariis: siquidem primis ecclesiæ sæculis Clerici incontinentes deponebantur *c. Presbyter.* 12. *dist.* 81. *c. Sacerdotes* 23. *dist.* 50. *c. à multis* 9. *de etat. & qualit.* Postea in *c.* 2. *& tit. sequent.* Clerici in crimen lapsi incontinentiæ, suspensionis, vel interdicti, & postea excommunicationis, denique depositionis pœnâ à suis Episcopis coërceri jubebantur, ut notat Abbas in *c. si quisquam* 2. *de cohab. Cler. & mul.* sed jure novo per Concilium Tridentinum, quod nunc servari debet, & in praxin deduci *sess.* 25. *c.* 41. *de refor.* statuitur, quòd si Clericus fuerit concubinarius, fornicarius, vel consuetudinem habuerit cum muliere suspecta, extra, vel intra domum suam; & post primam monitionem à superiore factam non abstinuerit tertia parte fructuum ecclesiasticorum ipso facto privatus sit; & post alteram monitionem, si se non emendaverit, fructus omnes beneficiorum amittat, ac suspendatur, si Ordinario visum fuerit, ab administratione beneficiorum.

15 Quòd si post suspensionem iterum utatur consuetudine eiusdem mulieris, tunc statuit Concilium, ut beneficiis, officiis, & pensionibus ecclesiasticis in perpetuum privetur, fiátque inhabilis, & indignus, quibuscunque ecclesiasticis honoribus, dignitatibus, beneficiis, officijs, donec post veram, & manifestam vitæ emendationem possit ex iusta causa cum ipso dispensari. Alij verò clerici, qui beneficia, aut pensiones non habent; juxta delicti qualitatem, & perseverantiam in contumacia pœnâ carceris puniendi sunt, imò etiam suspensione ab ordine, & inhabilitate ad beneficia, aliisque canonicis pœnis coercendi sunt ob crimen incontinentiæ. Ratio ex eo petitur, quia tales debent esse cleticorum mores, & actus, ut in conspectu Dei puro corde, & mundo corpore possint ministrare, ut habetur in *c. ut quisquè 3. h. t.* siquidē de ministrantibus sacra *Levit. c.* 20. dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: & quia per actum libidinosum Clerici graviter peccant *c. nemo* 32. *q.* 4. ideo gravi pœna coërcendi sunt: siquidem dignum est, ut quos Dei timor à malo non revocat, ecclesiasticæ saltem coërceat severitas disciplinæ. *c. cum in cunctis de elect.* & quia pœna est commensuranda delicto *c. disciplina 9. dist.* 45. sequitur quòd Clerici incontinentes, prout magis, vel minus peccaverint secundùm canonicas sanctiones sint puniendi.

Quæritur septimò, quibus sit pœnis obnoxius Clericus crapulosus, vel ebriosus? Respondetur, quòd si monitus non desistat, jure canonico suspenditur ab officio, & beneficio, ut desumitur ex *cap. à crapula* 14. *h. t.* ubi Innocentius III. in Concilio Lateranensi statuit, ut Clerici à crapula, & ebrietate omnino abstineant, cum ebrietas mentis libidinis sit fomentum. Ratio est, quia Clerici tenentur mente devota, & corde puro spiritualibus officiis insistere, altari inservire, & munera ecclesiastica obire, morésque suos ad normam virtutis componere, ut monet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de refor. c.* 1. & quia ut loquitur S. Hieronymus in *Mich. ad c.* 2. confusio est, & ignominia, IESUM Christum crucifixum, pauperem, & esurientem fartis prædicare corporibus, & jeiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiáque ora proferre: ideo à crapula, & ebrietate tenentur clerici omnes abstinere, vinúmque sibi temperare, seque à vino immodico abstinere, ut ad bibendum quisquam non incitetur, adeò ut abolendus vel maximè sit abusus, qui in nonnullis invaluit Provinciis, ut ad potus æquales se mutuò provocent Clerici potatores, ut is plus laudis deportet, qui plures inebriat, calicésque fœcundiores exsiccat: si quis enim super his culpabilem se exhibuerit, & à suo monitus superiore se non emandaverit ab officio suspenditur, vel beneficio, ut habetur in *d. c. à crapula* 14. *h. t.* & *c. ante omnia dist.* 35. & jure novo in Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 12. 16

Quæritur octavò, quænam clericis ex officiis sæcularibus prohibeantur? Respondetur, Clericos teneri, se abstinere à negotiis, personis, locis, ludis, vestibus inhonestis, ornatúque minus honesto, ut desumitur ex *c. Clerici* 15. *h. t.* 17

unde

unde si clerici, multò magis Religiosi, officia, & commercia sæcularia non debent tractare, quia ut scribit Apostolus 2. *ad Timoth.* 2. nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: negotia autem sæcularia ea censentur, quæ mentem avocant à divinis, abstrahúntque à piis officiis. Hinc tenentur Clerici abstinere à lusu alearum, aliisque, quæ mentem distrahunt à Deo: & ratio est, quia clerici tenentur exemplo, & opere, ac verbis cæteris antecellere, & fideles exemplo fortiùs, quàm verbis ad virtutum culturam pertrahere; & nihil est, quod alios magis ad pietatem, Deíque cultum alliciat ac instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino cultui, ac ministerio consecrârunt: siquidem cum à rebus sæculi sejuncti in altiori loco positi sint, in ipsos cæterorũ oculi conijciuntur, ut ex ipsis hauriant, quæ imitentur, ut monet Concilium Tridentinum *sess. 22. de refor. c.* 1. ideo specialiter in *d. c. Clerici* præcipiuntur Clerici se abstinere ab omni eo, quod vanitatem redolet, quodque sæcularem potiùs, quàm ecclesiasticum sapit.

19 Quæritur nonò, quibus sit Clericus pœnis obnoxius, si tertiò monitus à negotiationibus sæcularibus se non abstineat? Respondetur, perdere privilegium clericale, & desumitur ex *c. Ex litteris ult. h. t.* ubi Honorius III. rescribit, quòd Clerici exercentes sæcularia negotia, si præmoniti non resipiscant, non gaudeant privilegio clericali; sed subjaceant statutis, & consuetudini patriæ, idque in facultatibus tantùm, quia in illis ipso facto renuntiant privilegio clericali. Ubi notandum est, Clericum, donec ter moneatur gaudere privilegio Clericali. Hinc Clerici gaudere possunt statutis, & consuetudinibus Regionis, in qua vivunt, quatenus eá ipsis sunt commodo: ratio etiam id suadet, quia Clerici sunt etiam cives, & membra Reipublicæ, proinde communibus eius commodis, & privilegiis fruuntur: quo fit, ut etiam communibus Reipublicæ legibus obligentur, dummodo istæ statui Clericorum non repugnent, nec libertati obsint ecclesiasticæ. Quòd si clericus divinis officiis neglectis, negotiis se immiscеat sæcularibus, si postquam ter à suo superiore monitus non resipuerit, ipso facto amittit privilegium clericale, quòd attinet ad suas facultates; adeò ut ex iis, perinde ac cives laici, compellatur magistratui sæculari tributa solvere, ac cæteris subiacere oneribus, quia tunc si post trinam monitionem, non resipiscat habetur incorrigibilis, ut saltem quoad suas facultates Magistratui sæculari subiiciatur. Verùm hic textus tantùm procedit de bonis, quæ sunt propria, seu patrimonialia clericorum, ut notat Glossa in *d. c. Ex litteris ult. v. suis facultatibus h. t.* ubi etiam notat, quòd si Prælatus sacris officiis neglectis, negotiis se immiscеat sæcularibus, & à superiore ter monitus non desistat, ecclesiæ facultatibus non infert præjudicium: quia delictum personæ non debet in ecclesiæ detrimentum redundare juxta *reg. 76. in 6.* Quòd si dicas, hanc pœnam solvendi vectigalia esse modicam. Respondetur, ob id non tolli propterea, quin superior possit procedere ad alias pœnas juris: unde in textu solùm adhibetur remedium in favorem laicorum, quibus præjudicium inferebatur per clericos negotiatores nolentes vectigalia solvere.

Quæritur decimò, an bona clericorum 20
gaudeant eodem privilegio cum rebus ecclesiæ? Respondetur affirmativè in casibus in jure expressis, adeo ut bona clericorum non possint de novo gravari durante dominio in clericis, sicut nec bona ecclesiarum *clement. præsenti de rensibus.* Non tamen universaliter in omnibus æquiparantur, ut notat Glossa in *c. quamquam v. ipse de censib. in 6* liquidem aliter præscribitur contra bona patrimonialia Clerici, ut notat Glossa in *c.* 1. 17. *q.* 4. nec Clericus petit restitutionem in integrum in rebus propriis, ut etiam notat Glossa in *clement. unic. de in integr. restit.* ratio est, quia privilegium utpote lasivum juris est strictæ interpretationis; proinde concessum uni, non debet extendi, nisi quatenus à jure reperitur extensus *c. sanè de privil.* An verò ecclesia, vel Clerici teneantur solvere præstantias, seu alia onera pro possessionibus iisdem collatis, ex quo pro illis, solvebantur, antequam ad eos pervenirent. Respondetur cum distinctione, vel enim bona illa habebant onus perpetuum annexum, & invariabile, & tunc transeunt ad clericos cum suis oneribus *clement. 1. de censib.* Vel onus non erat iisdem perpetuò annexum, ut sunt collectiones, in quibus æstimantur bona cuiusque, ut secundum impositionem collectæ solvatur plus, & minus; & ad hæc onera ecclesia, & clerici non tenentur *c. nõn minus de immunit. eccles.* quia nequit dici tale onus esse annexum possessionibus cum non sit perpetuum, sed variabile.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

POst titulum generalem de vita, & honestate Clericorum congruè Pontifex subiicit præsentem titulum: quia clericorum honestati, ac sanctimoniæ, id quoque conveniens est, ne mulierum contubernia sectentur, unde D. Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum scribit, *Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant*, quia ut ait Chrysostomus de Sacrificio *lusûs fomes assidua mulierum colloquia.* Habet enim cohabitatio mulierum gravissimam repugnantiam cum honestate Clericorum.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *INHIBENDUM* 1. *h. t. Ex Concilio Moguntino statuitur, ut nullus sacerdos fœminas retineat, de quibus possit esse suspicio; sed eas tantùm, quæ à canone permittuntur, ut sunt mater, amita, soror; & has (si ijs indigeat) habeat in domo, in cubiculis longè dissitis à sua conversatione. Rursus statuitur, ne fœmina præsumant accedere ad altare, nec Presbytero ministrare, nec intra cancellos stare, vel sedere. Ex quo textu liquet, clericos de redditibus ecclesiasticis posse sustentare consanguineos paupores, de quibus fit mentio in hoc textu: siquidem clerici bis potiùs, quàm extraneis debent subvenire* c. non satis dist. 86. *non verò si sint divites* c. quiquis 2. q. 2. *Rursus notat Glossa, textùm loqui de clericis, qui sunt juvenes, & suspecti, & non de quibus nulla est suspicio mali.*

C. *SI QUIS QUAM* 2. *h. t. Ex decreto Eugenii Papæ statuitur, quòd si Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, cum quacunque fœmina de crimine fornicationis cum ipso suspecta post primam, secundam, & tertiam monitionem inveniatur confabulari, & aliquo modo conversari, excommunicetur, & fœmina canonicè judicetur; ubi notat Glossa: nomine sacerdotis intelligi inferiores ordinatos, & nomine clerici, superiores, seu in sacris. Rursus fœminam ob crimen fieri fori ecclesiastici.*

C. *CLERICOS* 3. *h. t. Alexander III. rescribit, Ordinarios non debere cogere clericos in sacris constitutos, & publicè concubinarios, ut fœminas abiurent, ne redeuntes sint periuri, sed compellant per suspensionem, & interdictum: quòd si postea reincidant, proferatur contra eorum aliquos sententia excommunicationis, ut cæteri exterreantur. Ex quo textu liquet, quòd si præsumptio sit, ne quis sit iuramentum servaturus, non debeat ad iurandum cogi, sed tunc delinquens sit coërcendus aliis pœnis ecclesiasticis incipiendo à suspensione, & interdicto, & postea excommunicatione, quæ debet esse pœna medicinalis, quæ non inferat mortẽ perpetuam* c. cùm medicinalis de sent. excommun. in 6.

C. *SICUT* 4. *h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, quòd si clerici in sacris constituti moniti contemnant relinquere concubinas, debeant suspendi à beneficiis, donec plenè satisfecerint: quòd si suspensi adhuc præsumpserint concubinas retinere, sint perpetuò removendi à beneficiis. Ubi notat Glossa, alios clericos constitutos in minoribus ordinibus esse compellendos, ut dimittant mulieres concubinas, sed non cum tanto rigore, ut nimirum priventur beneficiis. Hodie tamen non proceditur cum tanto rigore; sed potest Judex secundùm facti circumstantias, & locorum consuetudines incipere à pœna mitiori, vel graviori, dummodo observetur dispositio concilii Tridentini* sess. 25. c. 14.

C. *SUPER EO* 5 *h. t. Idem Pont. rescribit, litteras obtentas à Papa per Presbyterum concubinarium suspensum ab officio, ut absolvatur, nisi contineant seriem facti ei non prodesse. Ex quo liquet, litteras appellationis, ut valeant debere seriem facti continere, seu explicare omnes causas: alioquin essent impetratæ tacitâ veritate, sic non valerent.* c. dilectus 26. de rescript.

C. *SI AUTEM* 6. *h. t. Idem Pont. concedit Episcopis facultatem privandi ecclesiis, & earum portionibus clericos Concubinarios in maioribus, vel minoribus constitutos, si secundò, vel tertiò moniti mulieres non dimiserint, etiã appellatione postposita. Ubi notat Glossa, id esse intelligendum, ut primò suspendantur, deinde post tertiam admonitionem priventur beneficiis.*

C. *VESTRA* 7. *h. t. declarat Lucius III. à Clericis, & Presbyteris quamvis fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina audiri, & sacramenta recipi.*

C. *TUA NOS* 8. *h. t. Innocentius III. rescribit, quòd si concubinatus clerici ita sit publicus, ut vocetur notorius, seu ut nulla possit tergiversatione celari, tunc non requiratur testis, nec accusator, sed puniatur; sin verò sit publicus non ex evidentia, sed ex fama, non sufficiant testimonia sola ad condemnandum, quia non testimoniis, sed testibus est iudicandum, scilicet iuratis. Sin verò suspicio sit talis, ut scandalum oriatur in populo, tunc sit indicenda canonica purgatio, quam si clerici noluerint, vel non valuerint præstare, sint puniendi secundùm canones. Ex quo textu liquet, in notoriis facti non requirè probationem. Illud dicitur notorium facti, quod nulla potest tergiversatione celari. Illud verò notorium juris, quod reus est confessus, & distinguitur à manifesto, quod procedit ex scientia, & certo Authore, & quod potest probari* l. hæredes ff. qui testam. *Rursus ex hoc textu liquet, non esse iudicandum per dicta testium, nisi iurent, nec per solam suspicionem, seu famam, nisi scandalum oriatur non esse indicendam purgationem.*

C. *A NOBIS* 9. *h. t. Idem Pont. rescribit, fœminas non esse permittendas habitare cum clericis, nisi sint consanguinea, vel nulla sit suspicio criminis, quia ut notat Glossa naturale fœdus excludit præsumptionem mali* c. cum in iuvent. de præsumpt.

C. *QUÆSTUM* 10. *& ult. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd licèt clericus fornicarius pro peccato mortali, quoad se ipsum sit suspensus; non tamen sit suspensus quoad alios, nec sit vitandus in divinis officiis, nisi peccatum sit notorium per sententiam, vel confessionem, aut evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari possit. Notandum est, suspensionem in hoc textu sumi pro ea, quam imponit conscientia cuivis existenti in peccato mortali, ne antequam pœnituerit, sacramenta ministret, & recipiat: quamvis enim talis non sit suspensus quoad alios, nisi in casu notorietatis, proinde alii nõ teneantur eum vitare in divinis officiis; est tamen suspensus quoad se ipsum, quia peccat mortaliter si in statu peccati mortalis ministret sacramenta. Unde notorium hic tripliciter sumitur, primò per sententiam Iudicis, quia res*

indica-

judicata habetur pro veritate l. ult. ff. de ſtat. hom. ingen.] *Secundò per confeſſionem factam in judicio, quia confeſſus in jure habetur pro convicto* l. perinde ff. ad leg. Aquil. *Tertiò per evidentiam rei, quæ nulla poſſit ter giversatione celari, ut ſi Clericus habeat concubinam, ſicut uxorem, publicè nutriendo filios ex ea genitos* c. de manifeſtis 2. q. 1. l. ſi vicinis C. de nupt. & *tunc delictum eſt ita notorium, ut non requiratur accuſator, vel teſtis* c. evidentia de accuſ. c. 3. de teſt. cog.

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

An, & quomodo liceat Clericis cohabitare cum mulieribus.

1 NOn eſſe permittendum, ut mulieres, unà cum clericis in eadem domo morentur iis exceptis fœminis, quæ vel ob ætatem, ſeniúmque, vel ob primi, aut ſecundi gradûs conſanguinitatem tolerantur, deſumitur ex c. *cum omnibus diſt.* 81. & c. *penult. de cohabitatione clericor. & mulier.* idque conſonũ omnino eſt decori, ac honeſtati ſtatus clericalis: quinimo etiam fœminæ, quæ clericis conjunctione ſanguinis ſunt addictæ, ac naturali fœdere junctæ; ſi vel propter ſe, vel propter earum pedisequas ſuſpectæ ſint, excludendæ protinus ſunt è domo Clericorum: ſiquidem etiam in illis ſcelus contigiſſe nonnunquam compertum eſt, ut deſumitur *ex c.* 1. *de cohabitatione Cleric.* ubi expreſsè habetur, quòd nullus ſacerdos retineat fœminas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, ſed eas tantùm, quas jura permittunt, ut ſunt mater, amita, ſoror; & has, ſi illis indigeat, habeat in domo longè à ſua converſatione. Notat tamen Gloſſa ibidem, poſſe clericos cohabitare cum mulieribus in linea transverſali uſque ad ſecundum gradum, & in recta deſcendente, vel aſcendente uſque ad quartum *can. cum omnibus* 81. *diſt.*

2 Cæterum ſpectato jure communi excluduntur tanquam ſuſpectæ omnes fœminæ extraneæ, de quibus ſuſpicio ſceleris eſſe poteſt. Id tamen intereſt diſcriminis inter mulieres extraneas, & conſanguineas, quia illæ eò ipſo habentur ſuſpectæ, ſi Juvenes ſint; proinde jure communi canonico prohibentur cohabitare cum clericis: ſecus mulieres conſanguineæ, & naturali fœdere iunctæ, tametſi juvenes ſint, non ſolent eſſe ſuſpectæ, & permittuntur cohabitare cum clericis ſaltem ordinariè, & per ſe loquendo: alioquin ſi per accidens tales adeſſent circumſtantiæ, ut illa cohabitatio ſuſpicione non eſſet vacua, ſive ob famulas, aut ſocias, vel etiam ipſas conſanguineas; tunc earum cohabitatio cum clericis non eſſet permittenda, quapropter S. Auguſtinus, ut teſtatur Poſſidonius in eius vita, nec cum ſorore ſua habitare voluit, aſſeritque, conſueviſſe dicere: *quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.*

3 Quando verò dicitur, quòd ſacerdos poſſit ſimul habitare cùm fœminis ſibi connexione ſanguinis, & naturali fœdere junctis, id intelligitur, quando ſacerdos ſolus habitat; alioquin ſi ſimul in eadem domo cum alijs ſacerdotibus moraretur, non eſſent tales fœminæ permittendæ, ut cum iiſdem habitarent: quia tunc poſſet mali ſuſpicio oriri, quoad alios ſacerdotes, vel clericos, quibus tales fœminæ non ſunt conſanguineæ. Generatim clerici non debent ſecum in domo retinere mulierem ſuſpectam, de incontinentia, tametſi ſoror, aut mater eſſet, ut deſumitur *ex c. clericus* 20. *c. clerici* 32. *c. ad reatum* 33. *c. legitur* 25. 81. *diſt. c.* 1. & *fere per totam* 18. *q. c.* 2. *clericus diſt.* 82. & habetur in Concilio Foroiulienſi *can.* 4. & ratio petitur ex periculo lapſûs cum familiari cohabitatione fœminarum. Hinc S. Cyprianus *epiſt.* 1. *lib.* 1. ait loquens de tali cohabitatione cum mulieribus: non dico ſimul dormire, ſed neque ſimul vivere; cum ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica, per omnia frænari, & regi debeat, ne diabolo inſidiante & ſævire cupienti, ad nocendum detur occaſio. Et S. Chriſologus *ſerm.* 174. *de decolation. D. Ioan. Baptiſt.* ait: ſi Ioannes tantus, ſi Ioannes talis, tanta eremo ſeparatus à fœminis, fœminarum pericula non evaſit, quis eſt, qui inter fœminas vivens evaſurum ſe ſine labore maximo, maxima ſine cautione ſibi confidat, niſi qui ſancto alitur ſpiritu? & S. Bernard. *ſerm.* 66. *ſuper Cantic.* ait: *Cum femina converſari, & non cognoſcere feminam, nonne plus eſt, quàm mortuum ſuſcitare? quotidie latus tuum, & latus iuvencula eſt in menſa; lectulus tuus ad lectũ eius in camera; oculi tui ad illius oculos in colloquio; manus tua, & ad manus ipſius in opere, & continuus vis putari? eſto ut ſit, ſed ego ſuſpicione non careo*: hactenus Bernardus. Cum igitur Clerici non ſolùm debeant ab omni incontinentiæ labe ſe abſtinere, verùm etiam omnem occaſionem ſcandali amputare, omnem malæ ſuſpicionis umbram fugare, ideo inhibetur in hoc titulo Clericis cohabitare cum fœminis, etiam cum conſanguineis, eò quia aliquando etiam cum illis peccatum fuiſſe legatur.

4 Obiici tamen poſſet, quia ſacerdotes ratione propriæ dignitatis, & ſtatûs debent continentes vivere, ac in omnibus ſuis actibus, modeſtiam præſeferre, ut non niſi morum honeſtatem redoleant, ut habetur *in c. cum in iuventute de præſumpt.* Imo non ſolùm internis virtutibus ornati eſſe debent *c. multi* 40. *diſt.* verùm etiam exteriori virtutum ornamento ſplendeſcere, & actiones ita componere, ut aliis non ſolùm

rectum præbeant exemplum; verùm etiam eos exemplo fortiùs, quàm verbis alliciant ad virtutum culturam & pietatis ſtudia; proinde eorum cohabitatio cum fœminis non eſt prohibenda, cùm mulieres ex ſancta ſacerdotũ converſatione invitentur ad exercitia virtutum, & vitiorum fugam; ſiquidem ut ait Regius Vates *Pſal. 17. cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris*, cui conſonat illud Iſidori *lib. 3. ſoliq. ſancta converſatio confundit inimicum, adificat proximum, glorificat Deum*, idque cùm priùs animadvertiſſet Seneca *epiſt. 6.* ait: *Nulla res magis animos honeſtos, & in probrum inclinabiles revocat ad rectum, quàm honorum converſatio; paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aſpici, frequenter audiri.*

5 Sed contra, quia tametſi clerici, & præſertim Sacerdotes, nonniſi virtutes deberent olere, & nonniſi exempla pietatis depromere, ac eſſe omnibus exemplo, ac omnes allicere ad Dei cultum, & pietatis exercitia; nihilominus quia humanum genus pluribus eſt periculis obnoxium, & natura per peccatum corrupta pronior ad vitia, quàm ad ſtudia virtutum, & domeſtica exempla citiùs corrumpunt, & obviæ occaſiones efficaciùs invitant; ideo prohibetur Clericis hæc cum mulieribus cohabitatio: quia ut monet Seneca epiſt. 91. *id agere debemus, ut irritamenta vitiorum, quàm longiſſimè profugiamus, indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus.* Facilè odores, quis contrahit, quos ſocius emittit, quapropter Senec. *epiſt. 104. Harebit tibi avaritia, quamdiu avaro, ſordidóque convixeris: harebit tumor, quamdiu cum ſuperbo converſaveris: nunquam ſævitiam in torteris contubernio depones; incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia: ſi velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt.* Igitur ob periculum lapſus prohibitum fuit clericis cum fœminis cohabitare.

6 Quòd ſi Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus de crimine fornicationis cum fœmina ſuſpectus fuerit, & poſt primam, ſecundam, & tertiam admonitionem adhuc inventus fuerit cum ipſa confabulari, & converſari anathemate percutitur, & fœmina canonicè punitur, ut ſtatuitur *in c. ſi quisquam 2. h. t.* ubi habetur: Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ſi ter monitus inveniatur loqui, vel converſari cum fœmina ſuſpecta de crimine fornicationis cum eo, eſt excommunicandus, & fœmina canonicè eſt punienda, ubi Gloſſa notat nomine ſacerdotis intelligi inferiores ordinatos, ſicut nomine clerici intelliguntur ſuperiores. ſeu in ſacris Et fœminas ob crimen cũ clerico fieri fori eccleſiaſtici: adeo ut ſi fœminæ cũ clerico delinquant contra decorẽ ordinis eccleſiaſtici ſubiiciantur jurisdictioni eccleſiaſtici judicis, ob quaſi commiſſum ſacrilegium, ut notat Abbas *in d. c. n. 4.* & Gloſſa recepta *in c. eos qui 10. diſt. 32.* Quòd ſi plures Rei ſimul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniri debent, ne continentiæ cauſæ dividatur juxta *l. nullis 10. C. de judic.* Hinc ſi clericus cum laico delinquat, uterque reus coram eodem Iudice eccleſiaſtico fortitur forum ratione delicti, ut docet Menochius *de arbit. jud. caſ. 371. numero 12.* ubi addit, id in praxi non obſervari, cum paſſim Judices ſæculares contra mulieres ſuſpectas, & concubinas delinquentes cum clericis procedere ſoleant, ut etiam notat Laymanus *libro 4. tract. 9. cap. 4. numero 10.*

Clerici ſacris initiati ordinibus, ſi concubinas habeant, & ter ab Epiſcopo moniti eas non dimiſerint à beneficiis ſuſpenduntur eccleſiaſticis, donec congruè ſatisfecerint: ſin autem ſuſpenſi adhuc illas retinere ſint auſi, ab ijſdem beneficiis ſunt removendi, ut reſcripſit Alexander III. *in c. ſicut 4. h. t.* ubi habetur, quòd ſi clerici in ſacris moniti contemnant relinquere concubinas, ſuſpenduntur à beneficiis, donec plenè ſatisfecerint: & ſi ſuſpenſi præſumpſerint concubinas retinere, removentur à beneficiis perpetuò: ubi Gloſſa notat, alios clericos in minoribus ordinibus conſtitutos eſſe compellendos, ut dimittant mulieres concubinas, licèt non cum tanto rigore; ut ſcilicet priventur beneficiis *c. ſi autem inf. eod.* Non tamen ſunt clerici cogendi, ut conſortia fœminarum abjurent, ne inſtigante diabolo in idem redeuntes peccatum, perjurii incurrant reatum, ut deſumitur ex *c. clericus 3. h. t.* Ubi Alexander III. injungit Ordinariis, ne cogant clericos in ſacris conſtitutos, & publicè concubinarios, ut concubinas abjurent, ne ſcilicet redeuntes ſint perjurii; ſed illos cogant per ſuſpenſionem, & interdictum, quòd ſi deinde reincidunt, excommunicent aliquos eorum; & licèt nonnulli apud Barboſam *in collect.* cenſeant, has pœnas tantùm habere locum in ſuſpectis de concubinatu cum fœmina domi retenta; nihilominus communior ſententia, eas etiam intelligit, de aliis delictis carnis, ſine qualitate concubinatûs., ut ſi clericus extra domum conſortia frequentaret ſuſpecta, ut notat Navarrus *conſil. 1. de cohabit.* 7

Quamvis clerici, in ſacris conſtituti, ſi olim in vitium fornicationis lapſi eſſent, deponerentur *c. Presbyter 12. diſt. 81. Cap. Sacerdotes 37. diſt. 50. c. à multis 9. de ætate, & qualitate*, & poſterioribus temporibus juberentur tales clerici per ſuſpenſionis, aut interdicti, deinde etiam excommunicationis, ac demum depoſitionis ſententias ab Epiſcopis ſuis coërceri, ut patet *ex c. 2. & aliis h. t.* hodie tamen obſervandum eſt decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. c. 14. de reformat.* ubi prohibetur in primis, quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus ſuſpicio habere poſſit, in domo, vel extra domum retinere, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Secundò ſi à ſuperioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum, quarumcunque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco pro arbi- 8

arbitrio Episcopi applicetur. Tertiò si in eodem delicto perseverantes, neque secundæ monitioni paruerint; non solùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum eo ipso amittunt, sed etiam suspenduntur ab administratione ipsorum beneficiorum, quamdiu Ordinario visum fuerit, vel ipse Delegatus sedis Apostolicæ arbitrabitur. Quartò si ita suspensi nihilominus eas non expellant, & cum eis versentur, tunc beneficiis, portionibus, officiis, ac pensionibus ecclesiasticis quibuscunque perpetuò privantur, ac inhabiles, & indigni quibuscunque honoribus, beneficiis, & officiis imposterum redduntur; donec post manifestam emendationem eorum superioribus ex justa causa cum iis visum fuerit dispensandum. Quintò si postquam eas semel dimiserint, iterum admiserint, vel alias ejusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladio plectuntur.

9 Juvat animadvertere circa hoc decretum Concilii Tridentini, quod clericus concubinarius dicitur non solùm ille, qui concubinam domi suæ instar uxoris continuò retinet, sed etiam, qui extra domum alibi habet, & assiduam cum ea consuetudinem tenet, ut notat Barbosa *in collectan. in c. si quis 4. num. 3. h. t.* Non tamen hoc decretum extenditur ad simplicem incontinentiam, absque qualitate concubinatûs, juxta declarationes Cardinalium, quia Concilium loquitur de clerico habente consuetudinem cum muliere lasciva: hanc autem consuetudinem non censetur clericus habere, si tantùm semel fuerit cum aliqua fornicatus, quia ad consuetudinem requiruntur plures actus, & proinde quòd clericus saltem bis fuerit cum muliere fornicatus, quia interpretatio pœnarum est stricti juris.

10 Cæterum sub tertia parte fructuum, quâ privantur ipso jure clerici concubinarii comprehenduntur etiam distributiones quotidianæ, ut docent plures apud Barbosam *in collectan. in d. c. si quis 4. num. 5. h. t.* Rursus monitiones debent esse speciales in personam; adeo ut non sufficiat monitio generalis in synodo facta; quamvis aliàs censeatur habere vim trinæ monitionis, & id procedit etiam de concubinario notorio, qui sine trina monitione prævia non est privandus beneficiis.

11 An verò hujusmodi pœnæ, quæ ipso facto incurruntur statim obligent in conscientia, adeo ut Parochus fructus ita deperditos absque alia condemnatione ultrò teneatur restituere. Re-
12 spondetur esse benignam, ac probabilem opinionem, quod hujusmodi pœnæ etiam ipso jure irrogatæ non obligent in conscientia, nisi post sententiam declaratoriam, per quam Judex declaret, teneri clericum delinquentem tales pœnas solvere *arg. c. cum secundum 19. de haret. in 6.* ubi videtur supponi, regulariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Tum quia hæc sententia declaratoria non obscurè ex præcensito decreto Concilii Tridentini colligitur: liquidem fructus à clerico concubinario ipso jure amissi non per ipsum clericum, sed ad arbitrium Episcopi jubentur applicari fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, unde supponitur Episcopi sententia declaratoria, Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 6. n. 13.*

An verò sacerdos concubinarius incurrat 12
ipso jure suspensionem propriè dictam juxta c. *prater diff. 32.* adeo ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, & cum quo tantùm per Papam dispensari possit *c. 1. de sent. & re jud. in 6.* Respondent jurisperiti cum distinctione; 13
si enim concubinarius sit occultus, dicunt non esse suspensum propriè, sed tantùm eo modo, quo quilibet in peccato mortali existens suspenditur à sacro faciendo, donec ipsum sui pœniteat delicti *c. fin. de cohabitatione cler. & mulier.* Sin verò clericus concubinarius sit notorius, licèt adhuc sit dissensio inter doctores apud Garziam *de beneficiis p. 7. c. 14. n. 13.*

Nihilominus ex consuetudine, quæ optima 13
est legum interpres *l. si de interpret. ff. de ll.* videtur dicendum, canones loquentes de suspensione concubinarii notorii esse intelligendos de suspensione impropria, seu de simplici prohibitione celebrandi divina, non autem de suspensione, quæ recensetur inter censuras, & cujus transgressio irregularitatem inducit, ut notat Covarruvias *in relect. clement. si furiosus p. 1. §. 1. n. 5.* quia neque antiqui canones, neque Concilium Tridentinum alicubi de tali irregularitate mentionē faciunt: tum quia canones interdicentes talibus clericis celebrationem supponunt, eos sæpius celebrare: non enim suspensio semper est censura, sed interdum tantùm simplex prohibitio sacrum faciendi, ut desumitur *ex c. dilecta de major. & obed.* ubi dicitur quòd Abbatissa possit suos clericos ab officio, & beneficio suspendere, quòd non intelligitur de censura, quia hæc pertinet ad claves Ecclesiæ, 14
quæ fœminis non traduntur.

Rursus olim secundùm canones *c. nullus 3. & c. prater. 6. dist. 32.* prohibitum fuit, ne quisquam missæ sacerdotis notoriè concubinarii interesset, & in *can. alt. caus. 15. q. ult.* habetur, quòd non possit aliquis sacerdos notoriè concubinarius, quæ sancta sunt, coinquinare, quod tamen non ita intelligitur, quòd ab eo sacramenta non rectè conficiantur; cùm quantumcunque pollutus, divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt, ut dilucidè habetur *ex c. vestra 7. h. t.* sed ut per populi contemptum hujusmodi sacerdotes notoriè concubinarii ad pœnitentiam trahantur, & aliis peccandi licentia auferatur.

Quòd si petas, quid sit notorium. Re- 15
spondetur, notorium in genere esse jus, vel factum transitus in notitiam omnium, vel majoris partis eorum, quia per majorem partem totus populus repræsentatur *l. quod major. 19. ff. ad munic.* Triplex est notorium, scilicet juris, facti, & præsumptionis. Notorium juris est, quod oritur ex iis, quæ in judicio aguntur, & oritur ex triplici capite. Primò ex spontanea confessione facta in judicio, quia confessus habetur pro judicato *l. 1. ff. de confess. & l. unic. c. eod.*

c. cod. Secundò ex probationibus, & actis in judicio, quæ vel à Notario coram Judice in protocollum relata, vel coram Judice legitimè probata sunt, *c. cum olim.* & ibi Abbas *num.* 3. Tertiò inducitur notorium juris per condemnatoriam sententiam definitivam, ut liquet *ex c. vestra 7. & c. ult. h. t.* quæ sententia nequit ampliùs retractari, eò quia res semel judicata habeatur pro veritate *l. 1. ff. de re judic.* quinimo etiam per sententiam interlocutoriam notorium inducitur, si lata sit cum cognitione causæ, & postquam transivit in rem judicatam.

16 Notorium facti dicitur, quod ita conspectui populi, vel ejus majoris partis se exhibet, ut nulla tergiversatione, aut negatione celari possit, ut illud definit Menochius *de arbit. Judic. cas.* 166. Mascardus *de probation. concius.* 1105. hinc factum quod revera est publicè notorium per ejus negationem, seu ex eo quòd reus illud neget non redditur dubium, nec negatio admittitur *argum. c. super eo 3. de testib. cogend.* ut ostendit Abbas *in c. tua nos 8. n. 4. h. t.* ut autem delictum alicujus censeatur publicè notorium non sufficit factum ipsum, secundùm se notorium esse, sed ulteriùs etiam facti circumstantiæ & qualitates necesse est sint notoriæ, adeo ut ex illis nulla defensio, aut excusatio culpæ competere possit reo, ut notat Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 9. n. 3.* Quòd enim Titius Cajum occiderit in foro publico, & coram populo est quidem notorium factum secundùm se, quia homicidium negari non potest: non tamen quoad omnes circumstantias: quia potuit contigisse, quòd Titius Cajum occiderit ob necessariam sui defensionem, vel ex subito crescentis animi calore: vel quia Cajus potuerit à Titio impunè occidi, adeo ut possit, non obstante notorietate publica facti prætendere excusationem.

17 Rursus notorium facti aliud est permanentis facti, aliud transeuntis, & aliud interpolati: notorium facti permanentis est, quod per se ipsum satis patet, nec ulla potest tergiversatione celari, neque in dubium revocari, eò quia factum semper existat, possitque semper evidenter demonstrari. Et licèt notorium facti permanentis probari non debeat, ut quod Romæ existat Templum S. Petri, nihilominus debet à parte allegari, ut notat Glossa communiter recepta *in clement. appellanti 5. V. alias causæ de appellation.* Menoch. *de arbit. Jud. cas.* 166, *num. 5.* quia Judex non supplet ea, quæ in facto quasi notorio consistunt; nisi ex actibus resultent. Notorium facti permanentis est, si clericus domi suæ detineat, alàtque concubinam publicè, & omnibus scientibus. Notorium facti transeuntis est cùm quis coram paucis occiditur, dicitur facti transeuntis, quia paucis innotescit, & tantùm audientibus, & quibus hi dixerunt. Et hoc notorium facti transeuntis probari plenè debet per testes, quia cùm homicidium fuerit commissum, non ampliùs committitur; proinde probari debet fuisse commissum, ut docet Abbas *in cit. cap. vestra 7. num. 19. h. t.* proinde ejus probatio contra rem judicatam, & præsumptionem juris, & de jure non admittitur.

Notorium demum facti interpolati, est, 18
quod licèt publicè fiat, nec ulla possit tergiversatione celari, non tamen fit continuò, sed duntaxat sæpe per intervalla iteratur, sic dicitur meretrix notoria, non quòd semper, & continuò peccet, sed quia frequenter, & quia parata semper est peccare: & hoc notorium facti interpolati est veluti medium inter notorium facti permanentis, & transeuntis: & quamvis interdum requiratur probatio, non tamen tam exacta, & plena, sicut ad notorium facti transeuntis, ut notat Glossa *in c. cùm in Diœcesi.*

Notorium præsumptionis habetur, quando ex publicis circumstantiis jus aliquid vehe- 19
menter præsumit, judicátque habendum pro veritate, adeo ut ex tali præsumptione ferri possit sententia definitiva: quia tunc præsumptio æquivalet plenæ probationi, quo pacto si quis publicè detineat fœminam suspectam in propria domo à jure præsumitur fornicarius, ut notat Fagnanus *in c. vestra 7. num. 85. h. t.* ubi asserit, quòd ad inducendum notorium præsumptionis præter violentam præsumptionem requiratur etiam, ut factum, ex quo oritur præsumptio sit notorium facti, vel juris.

Objiciunt tamen contra communem no- 20
stram assertionem hæretici nitentes probare, continentiam in clericis non esse prohibitam, eò quia non adversetur juri divino, civili, & ecclesiastico: etenim, ut ipsi ajunt, liberis procreandis operam dare, præcipitur lege divina *Deuter. c. 7. non erit apud te sterilis utriusque sexûs* juxta præceptum illud Geneseos *crescite, & multiplicamini.* Rursus concubinatum jure civili permissum esse, liquet ex *l. 1. & per totum ff. de concubinis.* Jure etiam canonico concubinatum inter solutum, & solutam permissum esse dicunt deduci *ex cap. is qui non habet 6, Christiano 34. dist.* Hinc dicunt, concubinatum non debere prohiberi clericis sub pœnis depositionis, aut excommunicationis, cùm ratione liberorum suscipiendorum permittatur à jure divino, civili, & canonico. Idque firmant exemplis Patriarcharum veteris testamenti: siquidem ipsi pro tempore illo sacerdotes erant, & nihilominus concubinas habuisse liquet ex Genes. *c. 16. 22. 25. 29. 30. 33. 35. & 36.* Rursus Davidem decem habuisse concubinas constat *ex lib. 2. Regum c. 5. 15. 16. 19. & 20.* Immo Salomonem 300. habuisse concubinas legitur *lib. 3. Regum. c. 11.* & Roboamum 60. refertur *lib. 2. paralip. c. 11.* ex quibus concludunt, concubinatum liberorum suscipiendorum causâ non esse clericis prohibitum.

Sed concubinatum esse prohibitum omni 21
jure est probatu facile: etenim esse prohibitum jure naturali ex eo liquet, quia natura per se tendit ad propagationem, & conservationem speciei humanæ: & per concubinatum, natura non consequitur hunc finem, quia semel quòd esset licitum fœminæ solutæ coire cum viro soluto, esset etiam licitum coire cum alio, & alio; proinde cum pluribus liberis cum non sit major ratio de uno ac de alio: atqui eo ipso, quòd fœmina coit cum pluribus viris successivè fit sterilis, eò quia mixtio, ac diversitas sanguinis

proli

proli generandæ sit impedimento: quo pacto meretrices, eò quia multorum libidinibus pateant, facientes corpore suo quæstum, steriles sunt, & minimè liberos progenerant: dicitur meretrix à merendo, ut notat D. Isidorus *lib.* 10. *ethymol. c. vidua. 34. dist. l. palam 42 ff. de ritu nuptiarum*, requiritur enim ut fœmina meritrix dicatur, quòd multorum libidini pateat, unde si fœmina plures recipiat viros ob quæstum, & parata sit alios quoscunque excipere meretrix est *c. meretrices 32. quæst. 4.* Cùm igitur meretrices steriles efficiantur, liquet, concubinatum soluti cum soluta adversari juri naturæ.

22 Neque obstat, quòd posset fœmina soluta cum uno duntaxat viro soluto coire, & ab eodem prolem suscipere: quia licèt id verum sit, nihilominus tantùm se habet per accidens: quia per se, eo ipso, quòd fœminæ solutæ licet coire cum uno viro soluto, licet etiam cum alio, cùm non sit major ratio de uno, quàm de altero. Præterea neque concubinatus per se sumptus, & intra terminos concubinatûs prodesse potest educationi liberorum, proinde semper adversatur legi naturali; quia homini utpote animali rationali non tantùm procreatio liberorum debet esse proposita, verùm etiam eorundem educatio, quæ non congruit concubinatui: siquidem ad educationem liberorum requiritur, quantum fieri potest perpetua conjunctio, quæ habetur per matrimonium *l. 1. de ritu nuptiarum. l. 1. ff. pro dote*: concubinatus autem per se non est perpetuus, sed tantùm durat liberè ad placitum simul coeuntium, & hac ratione D. Thomas *in supplem. 3. p. q. 65. art. 3. & 4.* probat concubinatum esse contra jus naturæ, eò quia opponatur educationi liberorum, immo & nutrimento, quorum utrumque debet homo simul intendere ut docet Aristoteles *lib. 8. ethicor. cap. 12.*

23 Cùm igitur concubinatus per se sumptus temporariam tantùm conjunctionem denotet, & in eo differat substantialiter à matrimonio; sequitur, quòd nonnisi per accidens contingat, si nonnunquam duret in perpetuum: & quia malitia concubinatûs consistit in eo, quod habet per se, sequitur quòd non possit cohonestari per id, quod tantùm per accidens potest illi contingere. Neque potest perpetuitas concubinatûs stabiliri per jusjurandum, quia tunc juramentum cadit super materiam illicitam, & indebitam, & supra id quod est intrinsecè malum, proinde nullam potest obligationem inducere.

24 Quòd si concubinatus est contra legem naturæ, adversatur etiam juri divino, quia Deus naturæ conditor prohibet, quod eidem adversatur: hinc Lactantius Firmianus *lib. 6. divinar. institut. de vero cultu c. 23.* ait: *non tantùm alienis toris, quæ attingere non licet, verùm etiam publicis, vulgatusque corporibus abstinendum Deus præcepit, docétque nos, cùm duo inter se fuerint corpora copulata, unum corpus effici.* Et Clemens Alexand. *lib. 3. strom.* ait: sunt ergo separata fornicatio, & matrimonium, quoniam ab illo longè est diabolus. Neque obstat, quod ex sacris scripturis affertur: siquidem scriptura nullibi asserit viri, & fœminæ conjunctionem extra matrimonium esse juris naturalis.

Neque obstant allegata verba: *non erit apud* 25
te sterilis utriusque sexûs; neque illud Exod *c 23. n. 26. non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*: ex quibus textibus inferebant Hebræi steriles, & infœcundos maledictos esse à Deo: quia in illis locis non præcipitur fœminis conjunctio cum viris extra matrimonium; sed tantum promittitur extrema quædam felicitas servantibus mandata Dei; adeo ut exclusio sterilitatis utriusque sexûs sit effectus divinæ benedictionis, non verò divini præcepti, idque clarè desumitur ex eodem textu, ubi dicitur: *benedictus eris inter omnes populos, non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Quod enim in præfatis verbis non contineatur præceptum ex eo liquet, quia Deus non dixit, non erunt inter vos virgines, nec cœlibes, *sed non erit apud te sterilis*: atqui sterilitas non dependet ab arbitrio hominis, neque posita est in ejus potestate, proinde non debuit à Deo præcipi, quia quod præcipitur debet esse sub potestate illius, cui præcipitur. Hebræi autem censentes indictam esse maledictionem non relinquentibus semen in Israël, quod falsum erat; dolebant si sine liberis decederent, quæ causa fuit, cur accuratiùs rei incumberent uxoriæ; quia cùm ex fide crederent de suis posteris Messiam nasciturum, omni studio curabant successores habere, ut Messias ex illis nasceretur:

Ad aliud quod addebatur ex Genes. 1. *cre-* 26
scite, & multiplicamini. Respondent communiter Interpretes, hæc verba non continere præceptum, sed tantùm indicare divinam benedictionem, quâ genus humanum propagaretur. Præterea plures explicant verba illa non de carnali corporum fœcunditate, filiorúmque naturalium copia, sed de animarum spirituali virtute propaganda, & per sequentia verba *implete terram, & dominamini eis*; intelligunt per terram corpus humanum, quod anima suâ præsentia impleat, adeo ut post peccatum fœcunditatem spiritualem in carnalem conversam esse dicant, ut refert D. Augustinus *lib. 14. de civitate Dei c. 21. & 22.* & videtur favere huic explicationi *in lib. de Genes. contra Manicheos c. 19. & lib. 13. confess. c. 4. & de bono conjugali c. 2.*

Verùm quamvis præcitata verba *crescite,* 27
multiplicamini dicamus in sensu litterali pertinere ad carnalem filiorum propagationem, non tamen sequitur, quòd contineant præceptum pro quocunque statu, & tempore; sed tantùm pro illis mundi primordiis, donec humana species propagaretur, ac homines in ea multiplicarentur, ut docet Scotus *in 4. dist. 26. q. unic. §. per hoc patet*, ubi ait: *crescite & multiplicamini est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quòd obligat non ad semper, sed tempore necessitatis.* Unde si status innocentiæ perseverâsset, ibi in Paradiso se carnali copula protoparentes nostri, & eorum filii miscuissent, ut fusè & eleganter probat D. Augustinus *lib. 14. de civitate Dei c. 22.* Ad aliud quod addebatur de exemplis Patriarcharum, quos ex scriptura constat, habuisse concubinas, respondetur, eas fœminas fuisse

Patri-

2 Ratio verò, cur frequentantibus huiusmodi monasteria sint pœnæ iunctæ, ex eo petitur, quia ex tali frequentatione facta sine manifesta, & rationabili causa oritur prava suspicio contra accedentes, & Monialibus facultas tribuitur lasciviendi. Tum quia à Dei servitio sæpe revocantur *c.* 1. *de stat. Regul.* nec potest Deo totaliter adhærere, qui accessibus copulatur fœminarum *c. Hospit. dist.* 32. præsertim cum facies mulieris dicatur ventus urens *Proverb. c.* 5. & quia periculo est obnoxia sexuum commixtio *c. mulieres de judic. in* 6. Rectè provisum fuit, ut qui divino sunt addicti ministerio sub pœnis incurrendis, teneantur abstinere à Monasteriis Sanctimonialium frequentandis sine manifesto, & rationabili causa, adeò ut Episcopi teneantur eos arcere. Quòd si sint clerici, & non destiterint suspendendi sunt ab officio ecclesiastico: sin verò laici excommunicatione percutiendi. Observandum tamen est, quòd debeat, quis priùs admoneri, quàm has pœnas incurrat, ut habetur in *d. c. Monasteria 8. h. t.* admonitio enim debet semper vindictam præcedere, ut quis, si se corrigat, possit pœnam declinare *c. indignè* 12. *q.* 2. imò in ferenda excommunicatione ab homine trina debet monitio præcedere *c. sacro de sent. excomm.* quia excomunicatio est in ecclesia gravissima pœna, quæ non est leviter ferenda *c. corripiantur* 34. *q.* 3.

3 Quæritur secundò, quibus pœnis subiiciantur Clerici, si armati incedant? Respondetur incurrere excommunicationem, & desumitur ex *c. Clerici* 2. *h. t.* ubi ex Concilio Moguntino statuitur, ut Clerici arma portantes, ut etiam usurarii excommunicentur. Ratio est, quia officium clericale reddit clericos inhabiles ad pugnandum *c. Ex multa de voto.* quia sicut non potest quis duobus dominis servire, ita neque clericus militare simul Deo, & sæculo *c. quicunque* 23. *q.* 8. quapropter arma clericorum dicuntur esse preces ad Deum fusæ, & lacrymæ ab oculis effusæ *c. convenior* 23. *q.* 8. & quia Clericus qui contrahens officium arma defert, graviter peccat *d. c. quicunque* 23. *q.* 8 & pro culpa gravi pœna possit excommunicationis infligi *c. nullus* 11. *q.* 3. fit, quod clerici, si armati incedant possint excommunicari, ut in *d. c. Clerici* 2. *h. t.*

Id tamen limitatur nisi ex justa causa, & 4 rationabili clerici arma deferant, ut ad naturalem defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad terrorem latronibus incutiendum, si per loca periculosa sint transituri *c. Dilecto de sentent. excommun. in* 6. Rursus Clerici sæculares deferentes arma non sunt ipso facto excommunicati, sed possunt excommunicari, ut habetur in *d. c Clerici*; adeò ut hæc excommunicatio sit tantùm ferendæ sententiæ, si post admonitionem contumacia accesserit. Imò consuetudo inolevit, ut Clerici iter facientes per loca præsertim periculosa possint arma defensoria deferre. Religiosi verò habentes arma inter septa monasterii sine licentia superioris sunt excommunicati ipso facto *clement. ne in agro c. quia de stat. Regul.* Verùm nomine armorum non intelligitur exiguus cultellus ad præparandos calamos ad scribendum, vel ad panem incidendum, ut notat Glossa in *authent de armis*, & docet Aretin. *consil.* 38. Cæterum hæc pœna excommunicationis incurritur etiam à clericis usurariis: siquidem crimen usurarum est grave, ac detestatur in utroque testamento *c. super eo de usur.* adeò ut tam Clerici, quàm Laici usurarii præter alias pœnas, quas incurrunt, possint excommunicari, nisi à tali crimine desistiterint.

Quæritur tertiò, quamnam pœnam incur- 5 rant Clerici in sacris constituti comam relaxantes, & non deferentes convenientem suo statui tonsuram; Respondetur, esse anathemate percutiendos, ut habetur in *c. si quis 4 h. t.* & est canon desumptus ex Concilio Romano sub Gregorio II *c. ult.* ibi *si quis ex clericis comam relaxaverit anathema sit.* Ratio desumitur ex eo, quia ipsa natura nos docet, nutrire comam esse viris ignominiæ: secus mulieres, si comam nutriant, datur illis gloriæ, quia capilli pro velamine iisdem dati sunt, ut scribit Apostolus 1. *ad Corinth. c.* 11. quia verò Ministri altaris debent mentem habere elevatam, non velatam, ut docet D. Thomas *p.* 3. *q.* 40. *art.* 1. *in addit.* & quia clericus, si contra præceptum ecclesiæ comam relaxat, & tonsuram non defert, mortaliter peccat *c. duo sunt* 12. *q.* 1. sequitur, quòd pro tali culpa gravi possit anathemate percuti, ut habetur in *d. c si quis 4. h t.*

Hinc clericis in sacris constitutis maximè 6 verò religiosis præcipi debet, ut tonsuram ecclesiastico suo statui convenientem ferant: qui, si admoniti non obediant, anathemate sunt percutiendi, quod intelligendum est per sententiam Judicis, ut monet Glossa in *d. c. si quis* 4. *h. t.* & Innocentius in *c. si quis ex clericis* 23. *dist.* 23. Quæ verò dicuntur de tonsura, servata proportione debent intelligi de habitu clericali. Cæterum clerici neque comam nutrire debent, nec barbam, ut habetur in *c. Clericum 5. h. t.* & ratio ex eo desumitur, quia ijs, qui divinis sunt addicti ministerijs rasura competit, & tonsura in modum coronæ; idque ratione figuræ, quia corona signum est regni, & perfectionis, cùm sit circularis. Ii verò, qui divinis inserviunt, ac ministrant, regiam enanciscuntur dignitatem; debéntque propterea omnium virtutum splendore enitere. Competit etiam iisdem, ut per rasuram subtrahantur capilli ex parte superiori, ne scilicet mens clericorum temporalibus detineatur occupationibus, nec à divinorum contemplatione retardetur: & ex parte inferiori per tonsuram, ne scilicèt eorum sensus rebus fluxis, ac futilibus obvolvantur. *c. Duo sunt* 21. *q.* 1. & præsertim ad indicandum, omnem temporalem superfluitatem debere prorsus à clericis exulare: siquidem per capillos congruè superflua significantur, quia ex superfluis generantur, ut docet D. Thomas *p.* 3. *q.* 40. *art.* 1. hæcque ratio est cur clericus neque comam nutrire debeat, neque barbam.

Quæritur quartò, an Episcopus possit in 7 sua ecclesia certum numerum clericorum statuere

tuere ſecundùm ipſius facultates, qui vivant ſimul in communi? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. quoniam 9. h. t.* ubi Gregorius VII. declarat, quòd Epiſcopus, ſi facultates eccleſiæ ſufficiant, poſſit ſtatuere certum numerum clericorum, qui vivant in communi, imò poſſit etiam compellere contradictores ad hanc obſervantiam per ſuſpenſionem officii, & beneficii, vel etiam graviori pœna non obſtante appellatione. Ratio ex eo deſumitur, quia per habitationem juxta eccleſiam Clerici divinis officiis, & eccleſiaſticis functionibus maiori devotione, & promptitudine incumbunt *c. neceſſe 12. q. 1.* Hinc olim etiam Canonici ſæculares in collegiis ſimul ſub Præpoſito, & Decanis degebant certâ ipſis vivendi regulâ conſtitutâ, quâ ratione canonici Regulares dicerentur, ut liquet ex Concilio Turonenſi III. ſub Leone III. tempore Caroli Magni celebrato *c. 2.* ubi de clericis civitatum, qui eccleſiæ Cathedrali inſerviunt, ſtatuitur, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ac in uno reficiantur refectorio. Hinc etiam in Concilio Moguntino coacto eodem fermè tempore anno ſcilicet à reparata ſalute 813. ſtatuitur in *c. 9.* ut Canonici ſæculares canonicè vivant, nihilque ſine licentia Epiſcopi, vel eorum Magiſtri præſumant in unoque Epiſcopatu agere, & ut ſimul manducent, & dormiant, ac in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur, ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant; & obedientiam ſecundùm canones ſuis Magiſtris exhibeant. Hinc Clerici ex inſtitutione Epiſcopi viventes in communi imitantur charitatem fidelium, & clericorum primitivæ eccleſiæ, de quibus legitur, quòd multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, ut dicitur in *Act. Apoſtol. c. 4.*

8 Cæterum, quia multitudo plerumque diſſidia parit *l. cum pater §. duleis. ff. de leg. 2.* & paulatim charitatis fervor intepuit *c. fraternit. diſt. 24.* fit quòd Epiſcopus hodie non ſit cogendus ad inſtituendum, ut clerici vivant in communi, imò nec ipſi clerici ad id ex jure adiguntur: ſed tantùm datur facultas Epiſcopo, ut poſſit eccleſiam erigere collegiatam, ac inſtituere, ut ibi Clerici in communi vivant, ſi id ipſi conſultius viſum fuerit, ut habetur in *d. c. quoniam 9. h. t.* non enim quidquid Judicis poteſtati permittitur, id juris ſubiicitur neceſſitati. *c. Apoſt. 32. q. 7.* Regulares verò ad id tenentur ex neceſſitate *c. cum ad Monaſt. 6. de ſtatu Monac.* Cæterum tot in eccleſijs ſunt admittendi, quot ex earundè fructibus poſſunt honeſtè ſuſtentari, quia periculum immineret, ne ſi pauciores inſtituerentur ob excedentem redituum abundantiam luxuriarentur: vel ſi plures eſſent penuria, & egeſtate laborarent, & in opprobrium Ordinis Clericalis adigerentur, vel mendicare, vel ad turpem quæſtum *c. 1. de inſtitut. c. ex parte de conceſſ. prabend* Conſilium tamen eſt, ut potiùs aliquid ſuperſit, quàm deſit; exemplo boni tutoris, ne ex aliquo caſu adverſo, qui poteſt facilè contingere, pauperior quis fiat *l. 3. ff. ubi pupill. educ. deb.* Id verò limitatur, niſi pauperes indigeant, quia tunc bona illa eſſent liberè erroganda, ut eorum ſubveniretur indigentiis, quod etiam procedit de redemptione captivorum, & de eccleſiarum inſtauratione *c. aurum 12. q. 2. c. quoniam. 16. q. 1.*

9 Imò poteſt Epiſcopus etiam Clericos adigere contradicentes, ut in communi vivant: ſiquidem Judex omnia poteſt, ſine quibus officium ſibi concreditum expediri nequit *c. Prat. de offic. deleg.* Tum quia jurisdictio deluſoria foret, ſi coercitionem aliquam non haberet *c. Ex litteris de offic. deleg.* quapropter ſi ſint, qui velint hanc inſtitutionem impedire, poteſt Epiſcopus per ſuſpenſionem beneficij, vel etiam per graviorem pœnam, ſi opus fuerit, eos ad hanc vivendi normam adigere, non obſtante quavis appellatione.

10 Rurſus conceditur etiam Epiſcopis, ut ſi quisquam eorum, qui in communi vivunt, ob manûs iniectionem in ſocium Clericum canonis incurrerit excommunicationem, taiem poſſint abſolvere, niſi facti attrocitas videatur aliud expoſcere. Ratio ex eo petitur, quia ubi maius imminet periculum, ibi uberiùs eſt providendum *c. ubi de elect. in 6.* & *l. 1. § ſed & ſi quis*, & quia communio materiam ſolet diſſidiorum ingenerare: ideo indulgetur Epiſcopo loci, ut ſi quisquam eorum, qui ſic ſimul in communi vivunt, per manus injectionem in ſocium incurrerit excommunicationem, habeat poteſtatem eum reconciliandi, & pœnitentiam illi injungendi.

11 Quòd ſi dicas, id regulariter competere Epiſcopis etiam ſuper aliis *c. Pervenit de ſent. excommun.* Reſpondetur, textum in illo capite procedere de injuria levi: quia inferens Clerico iniuriam mediocrem non poteſt regulariter abſolvi, niſi à Papa *c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* unde hoc privilegium operatur, ut poſſit Epiſcopus abſolvere, ſi iniuria fuerit mediocris: quod etiam procedit de Religioſis, qui ob ſimiles iniurias abſolvi poſſunt à ſuis Abbatibus *c. Monachi de ſent. excommun.* Cæterum ubi iniuria eſt attrox, nec Epiſcopi, neque Abbates poſſunt delinquentes abſolvere, ſed iſti abſolvendi ſunt à Papa, vel ab eo, cui Papa ſpecialiter demandaverit: quia ſummus Pontifex hanc abſolvendi facultatem ſibi reſervavit, ne in tam gravi delicto veniæ facilitas, occaſio foret delinquendi *c. 3. de pœnit. & remiſſ.*

12 Quæritur quintò, an ludi theatrales poſſint in eccleſijs fieri? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Cum decore 13. h. t.* ubi prohibetur, ne ludi theatrales fiant in eccleſia, nec per clericos ſacros: idque etiam iure novo prohibetur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. 12.* Neque obſtat conſuetudo, quia hæc eſt corruptela inquinans honeſtatem eccleſiæ. Ratio ex eo petitur, quia Domum Dei decet decor, & ſanctitudo *Pſal. 92.* & debet eſſe domus orationis, non theatrum iocorum: quia verò per ludos theatrales, qui ibi fierent, eccleſiæ proculodubio inquinaretur honeſtas *l. nimà C. de Epiſcop. & Cler.* ſequitur, ludos theatrales

non

inde ſi clerici, multò magis Religioſi, officia, & commercia ſæcularia non debent tractare, quia ut ſcribit Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 2. nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: negotia autem ſæcularia ea cenſentur, quæ mentem avocant à divinis, abſtrahúntque à piis officiis. Hinc tenentur Clerici abſtinere à luſu alearum, aliisque, quæ mentem diſtrahunt à Deo: & ratio eſt, quia clerici tenentur exemplo, & opere, ac verbis cæteris antecellere, & fideles exemplo fortiùs, quàm verbis ad virtutum culturam pertrahere; & nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, Deíque cultum alliciat ac inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe divino cultui, ac miniſterio conſecrârunt: ſiquidem cum à rebus ſæculi ſejuncti in altiori loco poſiti ſint, in ipſos cæterorũ oculi conjciuntur, ut ex ipſis hauriant, quæ imitentur, ut monet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de refor. c.* 1. ideo ſpecialiter in *d. c. Clerici* præcipiuntur Clerici ſe abſtinere ab omni eo, quod vanitatem redolet, quodque ſæcularem potiùs, quàm eccleſiaſticum ſapit.

19 Quæritur nonò, quibus ſit Clericus pœnis obnoxius, ſi tertiò monitus à negotiationibus ſæcularibus ſe non abſtineat? Reſpondetur, perdere privilegium clericale, & deſumitur ex *c. Ex litteris ult. h. t.* ubi Honorius III. reſcribit, quòd Clerici exercentes ſæcularia negotia, ſi præmoniti non reſipiſcant, non gaudeant privilegio clericali; ſed ſubjaceant ſtatutis, & conſuetudini patriæ, idque in facultatibus tantùm, quia in illis ipſo facto renuntiant privilegio clericali. Ubi notandum eſt, Clericum, donec ter moneatur gaudere privilegio Clericali. Hinc Clerici gaudere poſſunt ſtatutis, & conſuetudinibus Regionis, in qua vivunt, quatenus ea ipſis ſunt commodo: ratio etiam id ſuadet, quia Clerici ſunt etiam cives, & membra Reipublicæ, proinde communibus eius commodis, & privilegiis fruuntur: quo fit, ut etiam communibus Reipublicæ legibus obligentur, dummodo iſtæ ſtatui Clericorum non repugnent, nec libertati obſint eccleſiaſticæ. Quòd ſi clericus divinis officiis neglectis, negotiis ſe immiſceat ſæcularibus, ſi poſtquam ter à ſuo ſuperiore monitus non reſipuerit, ipſo facto amittit privilegium clericale, quòd attinet ad ſuas facultates; adeò ut ex iis, perinde ac cives laici, compellatur magiſtratui ſæculari tributa ſolvere, ac cæteris ſubiacere oneribus, quia tunc ſi poſt trinam monitionem, non reſipiſcat habetur incorrigibilis, ut ſaltem quoad ſuas facultates Magiſtratui ſæculari ſubliciatur. Verùm hic textus tantùm procedit de bonis, quæ ſunt propria, ſeu patrimonialia clericorum, ut notat Gloſſa in *d. c. Ex litteris ult. v. ſuis facultatibus h. t.* ubi etiam notat, quòd ſi Prælatus ſacris officiis neglectis, negotiis ſe immiſceat ſæcularibus, & à ſuperiore ter monitus non deſiſtat, eccleſiæ facultatibus non infert præjudicium: quia delictum perſonæ non debet in eccleſiæ detrimentum redundare juxta *reg. 76. in 6.* Quòd ſi dicas, hanc pœnam ſolvendi vectigalia eſſe modicam. Reſpondetur, ob id non tolli propterea, quin ſuperior poſſit procedere ad alias pœnas juris: unde in textu ſolùm adhibetur remedium in favorem laicorum, quibus præjudicium inferebatur per clericos negotiatores nolentes vectigalia ſolvere.

Quæritur decimò, an bona clericorum 20
gaudeant eodem privilegio cum rebus eccleſiæ? Reſpondetur affirmativè in caſibus in jure expreſſis; adeo ut bona clericorum non poſſint de novo gravari durante dominio in clericis, ſicut nec bona eccleſiarum *clement. præſenti de cenſibus.* Non tamen univerſaliter in omnibus æquiparantur, ut notat Gloſſa in *c. quamquam v. ipſe de cenſib. in 6* ſiquidem aliter præſcribitur contra bona patrimonialia Clerici, ut notat Gloſſa in *c.* 1. 17. *q.* 4. nec Clericus petit reſtitutionem in integrum in rebus propriis, ut etiam notat Gloſſa in *clement. unic. de in integr. reſtit.* ratio eſt, quia privilegium utpote laſivum juris eſt ſtrictæ interpretationis; proinde conceſſum uni, non debet extendi, niſi quatenus à jure reperitur extenſus *c. ſanè de privil.* An verò eccleſia, vel Clerici teneantur ſolvere præſtantias, ſeu alia onera pro poſſeſſionibus iisdem collatis, ex quo pro illis ſolvebantur, antequam ad eos pervenirent. Reſpondetur cum diſtinctione; vel enim bona illa habebant onus perpetuum annexum, & invariabile, & tunc tranſeunt ad clericos cum ſuis oneribus *clement. 1. de cenſib.* Vel onus non erat iiſdem perpetuò annexum, ut ſunt collectiones, in quibus æſtimantur bona cuiusque, ut ſecundum impoſitionem collectæ ſolvatur plus, & minus; & ad hæc onera eccleſia, & clerici non tenentur *c. nõn minus de immunit. eccleſ.* quia nequit dici tale onus eſſe annexum poſſeſſionibus cum non ſit perpetuum, ſed variabile.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

POſt titulum generalem de vita, & honeſtate Clericorum congruè Pontifex ſubiicit præſentem titulum: quia clericorum honeſtati, ac ſanctimoniæ, id quoque conveniens eſt, ne mulierum contubernia ſectentur, unde D. Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum ſcribit, *Hoſpitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant*, quia ut ait Chryſoſtomus de Sacrificio *luſûs fomes aſſidua mulierum colloquia.* Habet enim cohabitatio mulierum graviſſimam repugnantiam cum honeſtate Clericorum.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *INHIBENDUM* 1. *b. t. Ex Concilio Moguntino statuitur, ut nullus sacerdos fœminas retineat, de quibus possit esse suspicio; sed eas tantùm, quæ à canone permittuntur, ut sunt mater, amita, soror; & has (si ijs indigeat) habeat in domo, in cubiculis longè dissitis à sua conversatione. Rursus statuitur, ne fœmina præsumant accedere ad altare, nec Presbytero ministrare, nec intra cancellos stare, vel sedere. Ex quo textu liquet, clericos de redditibus ecclesiasticis posse sustentare consanguineos pauperes, de quibus sit mentio in hoc textu: siquidem clerici bis potiùs, quàm extraneis debent subvenire* c. non satis dist. 86. *non verò si sint divites* c. quiquis 2. q. 2. *Rursus notat Glossa, textùm loqui de clericis, qui sunt juvenes, & suspecti, & non de quibus nulla est suspicio mali.*

C. *SI QUIS QUAM* 2. *b. t. Ex decreto Eugenii Papæ statuitur, quòd si Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, cum quacunque fœmina de crimine fornicationis cum ipso suspecta post primam, secundam, & tertiam monitionem inveniatur confabulari, & aliquo modo conversari, excommunicetur, & fœmina canonicè indicetur; ubi notat Glossa: nomine sacerdotis intelligi inferiores ordinatos, & nomine clerici, superiores, seu in sacris. Rursus fœminam ob crimen fieri fori ecclesiastici.*

C. *CLERICOS* 3. *b. t. Alexander III. rescribit, Ordinarios non debere cogere clericos in sacris constitutos, & publicè concubinarios, ut fœminas abiurent, ne redeuntes sint periuri, sed compellant per suspensionem, & interdictum: quòd si posteà reincidant, proferatur contra eorum aliquos sententia excommunicationis, ut cæteri exterreantur. Ex quo textu liquet, quòd si præsumptio sit, ne quis sit iuramentum servaturus, non debeat ad iurandum cogi, sed tunc delinquens sit coërcendus aliis pœnis ecclesiasticis incipiendo à suspensione, & interdicto, & postea excommunicatione, quæ debet esse pœna medicinalis, quæ non inferat mortẽ perpetuam* c. cùm medicinalis de sent. excommun. in 6.

C. *SICUT* 4. *b. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, quòd si clerici in sacris constituti moniti contemnant relinquere concubinas, debeant suspendi à beneficiis, donec plenè satisfecerint: quòd si suspensi adhuc præsumpserint concubinas retinere, sint perpetuò removendi à beneficiis. Ubi notat Glossa. alios clericos constitutos in minoribus ordinibus esse compellendos, ut dimittant mulieres concubinas, sed non cum tanto rigore, ut nimirum priventur beneficiis. Hodie tamen non proceditur cùm tanto rigore; sed potest Judex secundùm facti circumstantias, & locorum consuetudines incipere à pœna mitiori, vel graviori, dummodo observetur dispositio concilii Tridentini* sess. 25. c. 14.

C. *SUPER EO* 5 *b. t. Idem Pont. rescribit, litteras obtentas à Papa per Presbyterum concubinarium suspensum ab officio, ut absolvatur, nisi contineant seriem facti ei non prodesse. Ex quo liquet, litteras appellationis, ut valeant debere seriem facti continere, seu explicare omnes causas: alioquin essent impetratæ tacitâ veritate, sic non valerent.* c. dilectus 26. de rescript.

C. *SI AUTEM* 6. *b. t. Idem Pont. concedit Episcopis facultatem privandi ecclesiis, & earum portionibus clericos Concubinarios in maioribus, vel minoribus constitutos, si secundò, vel tertiò moniti mulieres non dimiserint, etiã appellatione postposita. Ubi notat Glossa, id esse intelligendum, ut primò suspendantur, deinde post tertiam admonitionem priventur beneficiis.*

C. *VESTRA* 7. *b. t. declarat Lucius III. à Clericis, & Presbyteris quamvis fornicarijs, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina audiri, & sacramenta recipi.*

C. *TUANOS* 8. *b. t. Innocentius III. rescribit, quòd si concubinatus clerici ita sit publicus, ut vocetur notorius, seu ut nulla possit tergiversatione celari, tunc non requiratur testis, nec accusator, sed puniatur; sin verò sit publicus non ex evidentia, sed ex fama, non sufficiant testimonia sola ad condemnandum, quia non testimoniis, sed testibus est iudicandum, scilicet iuratis. Sin verò suspicio sit talis, ut scandalum oriatur in populo, tunc sit indicenda canonica purgatio, quam si clerici noluerint, vel non valuerint præstare, sint puniendi secundùm canones. Ex quo textu liquet, in notoriis facti non requiri probationem. Illud dicitur notorium facti, quod nulla potest tergiversatione celari. Illud verò notorium juris, quod rens est confessus, & distinguitur à manifesto, quod procedit ex scientia, & certo Authore, & quod potest probari* l. hæredes ff. qui testam. *Rursus ex hoc textu liquet, non esse iudicandum per dicta testium, nisi iurent, nec per solam suspicionem, seu famam, nisi scandalum oriatur non esse indicendam purgationem.*

C. *A NOBIS* 9. *b. t. Idem Pont. rescribit, fœminas non esse permittendas habitare cum clericis, nisi sint consanguineæ, vel nulla sit suspicio criminis, quia ut notat Glossa naturale fœdus excludit præsumptionem mali* c. cum in iuvent. de præsumpt.

C. *QUÆSTUM* 10. *& ult. b. t. Gregorius IX. declarat, quòd licèt clericus fornicarius pro peccato mortali, quoad se ipsum sit suspensus; non tamen sit suspensus quoad alios, nec sit vitandus in divinis officiis, nisi peccatum sit notorium per sententiam, vel confessionem, aut evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari possit. Notandum est, suspensionem in hoc textu sumi pro ea, quam imponit conscientia cuivis existenti in peccato mortali, ne antequam pœnituerit, sacramenta ministret, & recipiat: quamvis enim talis non sit suspensus quoad alios, nisi in casu notorietatis, proinde alii nõ teneantur eum vitare in divinis officiis; est tamen suspensus quoad se ipsum, quia peccat mortaliter si in statu peccati mortalis ministret sacramenta. Unde notorium hic tripliciter sumitur, primò per sententiam Iudicis, quia res indica-*

gitized by Go

judicata habetur pro veritate l. ult. ff. de stat. hom. ingen.] *Secundò per confessionem factam in judicio, quia confessus in jure habetur pro convicto* l. perinde ff. ad leg. Aquil. *Tertiò per evidentiam rei, quæ nullis possit ter giversationè celari, ut si Clericus habeat concubinam, sicut uxorem, publicè nutriendo filios ex ea genitos* c. de manifestis 2. q. 1. l. si vicinis C. de nupt. *& tunc delictum est ita notorium, ut non requiratur accusator, vel testis* c. evidentia de accus. c. 3. de test. cog.

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

An, & quomodo liceat Clericis cohabitare cum mulieribus.

1 NOn esse permittendum, ut mulieres, unà cum clericis in eadem domo morentur iis exceptis fœminis, quæ vel ob ætatem, seniúmque, vel ob primi, aut secundi gradûs consanguinitatem tolerantur, desumitur ex *c. cum omnibus dist. 81. & c. penult. de cohabitatione clericor. & mulier.* idque consonũ omnino est decori, ac honestati status clericalis: quinimo etiam fœminæ, quæ clericis conjunctione sanguinis sunt addictæ, ac naturali fœdere junctæ; si vel propter se, vel propter earum pedissequas suspectæ sint, excludendæ protinus sunt è domo Clericorum: siquidem etiam in illis scelus contigisse nonnunquam compertum est, ut desumitur *ex c. 1. de cohabitatione Cleric.* ubi expressè habetur, quòd nullus sacerdos retineat fœminas, de quibus possit esse suspicio, sed eas tantùm, quas jura permittunt, ut sunt mater, amita, soror; & has, si illis indigeat, habeat in domo longè à sua conversatione. Notat tamen Glossa ibidem, posse clericos cohabitare cum mulieribus in linea transversali usque ad secundum gradum, & in recta descendente, vel ascendente usque ad quartum *can. cum omnibus* 81. *dist.*

2 Cæterum spectato jure communi excluduntur tanquam suspectæ omnes fœminæ extraneæ, de quibus suspicio sceleris esse potest. Id tamen interest discriminis inter mulieres extraneas, & consanguineas, quia illæ eò ipso habentur suspectæ, si juvenes sint; proinde jure communi canonico prohibentur cohabitare cum clericis: secus mulieres consanguineæ, & naturali fœdere junctæ, tametsi juvenes sint, non solent esse suspectæ, & permittuntur cohabitare cum clericis saltem ordinariè, & per se loquendo: alioquin si per accidens tales adessent circumstantiæ, ut illa cohabitatio suspicione non esset vacua, sive ob famulas, aut socias, vel etiam ipsas consanguineas; tunc earum cohabitatio cum clericis non esset permittenda, quapropter S. Augustinus, ut testatur Possidonius in eius vita, nec cum sorore sua habitare voluit, asseritque, consuevisse dicere: *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.*

3 Quando verò dicitur, quòd sacerdos possit simul habitare cùm fœminis sibi connexione sanguinis, & naturali fœdere junctis, id intelligitur, quando sacerdos solus habitat; alioquin si simul in eadem domo cum alijs sacerdotibus moraretur, non essent tales fœminæ permittendæ, ut cum iisdem habitarent: quia tunc posset mali suspicio oriri, quoad alios sacerdotes, vel clericos, quibus tales fœminæ non sunt consanguineæ. Generatim clerici non debent secum in domo retinere mulierem suspectam, de incontinentia, tametsi soror, aut mater esset, ut desumitur *ex c. clericus 30. c. clerici 32. c. ad reatum 33. c. legitur 25. §1. dist. c. 1. & fere per totam 18. q. c. 2. clericus dist. 82.* & habetur in Concilio Toroiulensi *can.* 4. & ratio petitur ex periculo lapsûs cum familiari cohabitatione fœminarum. Hinc S. Cyprianus *epist. 1. lib. 1.* ait loquens de tali cohabitatione cum mulieribus: non dico simul dormire, sed neque simul vivere; cum sexus infirmus, & ætas adhuc lubrica, per omnia frænari, & regi debeat, ne diabolo insidiante & sævire cupienti, ad nocendum detur occasio. Et S. Chrisologus *serm. 174. de decolation. D. Ioan. Baptist.* ait: si Ioannes tantus, si Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non evasit, quis est, qui inter fœminas vivens evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione sibi confidat, nisi qui sancto alitur spiritu? & S. Bernard. *serm. 66. supra Cantic.* ait: *Cum femina conversari, & non cognoscere feminam, nonne plus est, quàm mortuum suscitare? quotidie latus tuum, & latus juvenculæ est in mensa; lectulus tuus ad lectulum eius in camera; oculi tui ad illius oculos in colloquio; manus tua, & ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? esto ut sis, sed ego suspicione non careo*: hactenus Bernardus. Cum igitur Clerici non solùm debeant ab omni incontinentiæ labe se abstinere, verùm etiam omnem occasionem scandali amputare, omnem malæ suspicionis umbram fugare, ideo inhibetur in hoc titulo Clericis cohabitare cum fœminis, etiam cum consanguineis, eò quia aliquando etiam cum illis peccatum fuisse legatur.

Obiici tamen posset, quia sacerdotes ratione 4
propriæ dignitatis, & statûs debent continentes vivere, ac in omnibus suis actibus, modestiam præseferre, ut non nisi morum honestatem redoleant, ut habetur *in c. cum in iuventute de præsumpt.* Imo non solùm internis virtutibus ornati esse debent *c. multi 40. dist.* verùm etiam exteriori virtutum ornamento splendescere, & actiones ita componere, ut aliis non solùm

rectum præbeant exemplum; verùm etiam eos exemplo fortiùs, quàm verbis alliciant ad virtutum culturam & pietatis ſtudia; proinde eorum cohabitatio cum fœminis non eſt prohibenda, cùm mulieres ex ſancta ſacerdotũ converſatione invitentur ad exercitia virtutum, & vitiorum fugam; ſiquidem ut ait Regius Vates *Pſal. 17. cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris*, cui conſonat illud Iſidori *lib. 3. ſoliq. ſancta converſatio confundit inimicum, edificat proximum, glorificat Deum*, idque cùm priùs animadvertiſſet Seneca *epiſt. 6.* ait: *Nulla res magis animos honeſtos, & in probrum inclinabiles revocat ad rectum, quàm honorum converſatio; paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præcepterum obtinet frequenter aſpici, frequenter audiri.*

5 Sed contra, quia tametſi clerici, & præſertim Sacerdotes, nonniſi virtutes deberent olere, & nonniſi exempla pietatis depromere, ac eſſe omnibus exemplo, ac omnes allicere ad Dei cultum, & pietatis exercitia; nihilominus quia humanum genus pluribus eſt periculis obnoxium, & natura per peccatum corrupta promior ad vitia, quàm ad ſtudia virtutum, & domeſtica exempla citiùs corrumpunt, & obviæ occaſiones efficaciùs invitant; ideo prohibetur Clericis hæc cum mulieribus cohabitatio: quia ut monet Seneca epiſt. 91. *id agere debemus, ut irritamenta vitiorum, quàm longiſſimè profugiamus, indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus.* Facilè odores, quis contrahit, quos ſocius emittit, quapropter Senec. *epiſt. 104. Harebit tibi avaritia, quamdiu avaro, ſordidóque convixeris: harebit tumor, quamdiu cum ſuperbo converſaveris: nunquam ſavitiam in tortoris contubernio depones; incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia: ſi velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt.* Igitur ob periculum lapſus prohibitum fuit clericis cum fœminis cohabitare.

6 Quòd ſi Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus de crimine fornicationis cum fœmina ſuſpectus fuerit, & poſt primam, ſecundam, & tertiam admonitionem adhuc inventus fuerit cum ipſa confabulari, & converſari anathemate percutitur, & fœmina canonicè punitur, ut ſtatuitur *in c. ſi quisquam 2. h. t.* ubi habetur: Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ſi ter monitus inveniatur loqui, vel converſari cum fœmina ſuſpecta de crimine fornicationis cum eo, eſt excommunicandus, & fœmina canonicè eſt punienda, ubi Gloſſa notat nomine ſacerdotis intelligi inferiores ordinatos, ſicut nomine clerici intelliguntur ſuperiores. ſeu in ſacris Et fœminas ob crimen cũ clerico fieri fori eccleſiaſtici: adeo ut ſi fœminæ cũ clerico delinquant contra decorẽ ordinis eccleſiaſtici ſubiiciantur jurisdictioni eccleſiaſtici ludicis, ob quaſi commiſſum ſacrilegium, ut notat Abbas *in d. c. n. 4.* & Gloſſa recepta *in c. eos, qui 10. diſt. 32.* Quòd ſi plures Rei ſimul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniri debent, ne continentia cauſæ dividatur juxta *l. nulli 10. C. de judic.* Hinc ſi clericus cum laico delinquat, uterque reus coram eodem ludice eccleſiaſtico ſortitur forum ratione delicti, ut docet Menochius *de arbit. jud. caſ. 371. numero 12.* ubi addit, id in praxi non obſervari, cum paſſim Judices ſæculares contra mulieres ſuſpectas, & concubinas delinquentes cum clericis procedere ſoleant, ut etiam notat Laymanus *libro 4. tract. 9. cap. 4. numero 10.*

7 Clerici ſacris initiati ordinibus, ſi concubinas habeant, & ter ab Epiſcopo moniti eas non dimiſerint à beneficiis ſuſpenduntur eccleſiaſticis, donec congruè ſatisfecerint: ſin autem ſuſpenſi adhuc illas retinere ſint auſi, ab ijſdem beneficiis ſunt removendi, ut reſcripſit Alexander III. *in c. ſicut 4. h. t.* ubi habetur, quòd ſi clerici in ſacris moniti contemnant relinquere concubinas, ſuſpenduntur à beneficiis, donec plenè ſatisfecerint: & ſi ſuſpenſi præſumpſerint concubinas retinere, removentur à beneficiis perpetuò: ubi Gloſſa notat, alios clericos in minoribus ordinibus conſtitutos eſſe compellendos, ut dimittant mulieres concubinas, licèt non cum tanto rigore; ut ſcilicet priventur beneficiis *c. ſi autem inf. eod.* Non tamen ſunt clerici cogendi, ut conſortia fœminarum abjurent, ne inſtigante diabolo in idem redeuntes peccatum, perjurii incurrant reatum, ut deſumitur ex *c. clericus 3. h. t.* Ubi Alexander III. injungit Ordinariis, ne cogant clericos in ſacris conſtitutos, & publicè concubinarios, ut concubinas abjurent, ne ſcilicet redeuntes ſint perjurii; ſed illos cogant per ſuſpenſionem, & interdictum, quòd ſi deinde reincidunt, excommunicent aliquos eorum; & licèt nonnulli apud Barboſam *in collect.* cenſeant, has pœnas tantùm habere locum in ſuſpectis de concubinatu cum fœmina domi retenta; nihilominus communior ſententia, eas etiam intelligit, de aliis delictis carnis, ſine qualitate concubinatûs, ut ſi clericus extra domum conſortia frequentaret ſuſpecta, ut notat Navarrus *conſil. 3. de cohabit.*

8 Quamvis clerici, in ſacris conſtituti, ſi olim in vitium fornicationis lapſi eſſent, deponerentur *c. Presbyter 12. diſt. 81. Cap. Sacerdotes 37. diſt. 50. c. à multis 9. de ætate, & qualitate*, & poſterioribus temporibus juberentur tales clerici per ſuſpenſionis, aut interdicti, deinde etiam excommunicationis, ac demum depoſitionis ſententias ab Epiſcopis ſuis coërceri, ut patet *ex c. 2. & aliis h. t.* hodie tamen obſervandum eſt decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. c. 14. de reformat.* ubi prohibetur in primis, quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus ſuſpicio habere poſſit, in domo, vel extra domum retinere, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Secundò ſi à ſuperioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum, quatumcunque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco pro arbi-

arbitrio Episcopi applicetur. Tertiò si in eodem delicto perseverantes, neque secundæ monitioni paruerint; non solùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum eo ipso amittunt, sed etiam suspenduntur ab administratione ipsorum beneficiorum, quamdiu Ordinario visum fuerit, vel ipse Delegatus sedis Apostolicæ arbitrabitur. Quartò si ita suspensi nihilominus eas non expellant, & cum eis versentur, tunc beneficiis, portionibus, officiis, ac pensionibus ecclesiasticis quibuscunque perpetuò privantur, ac inhabiles, & indigni quibuscunque honoribus, beneficiis, & officiis imposterum redduntur; donec post manifestam emendationem eorum superioribus ex justa causa cum iis visum fuerit dispensandum. Quintò si postquam eas semel dimiserint, iterum admiserint, vel alias ejusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladio plectuntur.

9 Juvat animadvertere circa hoc decretum Concilii Tridentini, quod clericus concubinarius dicitur non solùm ille, qui concubinam domi suæ instàr uxoris continuò retinet, sed etiam, qui extra domum alibi habet, & assiduam cum ea consuetudinem tenet, ut notat Barbosa *in collectan. in c. si quis 4. num. 3. b. t.* Non tamen hoc decretum extenditur ad simplicem incontinentiam, absque qualitate concubinatûs, juxta declarationes Cardinalium, quia Concilium loquitur de clerico habente consuetudinem cum muliere lasciva: hanc autem consuetudinem non censetur clericus habere, si tantùm semel fuerit cum aliqua fornicatus, quia ad consuetudinem requiruntur plures actus, & proinde quòd clericus saltem bis fuerit cum muliere fornicatus, quia interpretatio pœnarum est stricti juris.

10 Cæterum sub tertia parte fructuum, qui privantur ipso jure clerici concubinarii comprehenduntur etiam distributiones quotidianæ, ut docent plures apud Barbosam *in collectan. in d. c. si quis 4. num. 3. b. t.* Rursus monitiones debent esse speciales in personam; adeo ut non sufficiat monitio generalis in synodo facta; quamvis aliàs censeatur habere vim trinæ monitionis, & id procedit etiam de concubinario notorio, qui sine trina monitione prævia non est privandus beneficiis.

11 An verò hujusmodi pœnæ, quæ ipso facto incurruntur statim obligent in conscientia, adeo ut Parochus fructus ita deperditos absque alia condemnatione ultrò teneatur restituere. Respondetur esse benignam, ac probabilem opinionem, quod hujusmodi pœnæ etiam ipso jure irrogatæ non obligent in conscientia, nisi post sententiam declaratoriam, per quam Judex declaret, teneri clericum delinquentem tales pœnas solvere *argum. c. cum secundum 19. de haret. in 6.* ubi videtur supponi, regulariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Tum quia hæc sententia declaratoria non obscurè ex præcensito decreto Concilii Tridentini colligitur: siquidem fructus à clerico concubinario ipso jure amissi non per ipsum clericum, sed ad arbitrium Episcopi jubentur applicari fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, unde supponitur Episcopi sententia declaratoria, Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 6. n. 13.*

An verò sacerdos concubinarius incurrat ipso jure suspensionem propriè dictam juxta c. *prater diff. 32.* adeo ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, & cum quo tantùm per Papam dispensari possit *c. 1. de sent. & re jud. in 6.* Respondent jurisperiti cum distinctione; si enim concubinarius sit occultus, dicunt non esse suspensum propriè, sed tantùm eo modo, quo quilibet in peccato mortali existens suspenditur à sacro faciendo; donec ipsum sui pœniteat delicti *c. fin. de cohabitatione cler. & mulier.* Sin verò clericus concubinarius sit notorius, licèt adhuc sit dissensio inter doctores apud Garziam *de beneficiis p. 7. c. 14. n. 13.* 12

Nihilominus ex consuetudine, quæ optima est legum interpres *l. si de interpret. ff. de ll.* videtur dicendum, canones loquentes de suspensione concubinarii notorii esse intelligendos de suspensione impropria, seu de simplici prohibitione celebrandi divina, non autem de suspensione, quæ recensetur inter censuras, & cujus transgressio irregularitatem inducit, ut notat Covarruvias *in relect. clement. si furiosus p. 1. §. 1. n. 5.* quia neque antiqui canones, neque Concilium Tridentinum alicubi de tali irregularitate mentionẽ faciunt: tum quia canones interdicentes talibus clericis celebrationem supponunt, eos sæpius celebrare: non enim suspensio semper est censura, sed interdum tantùm simplex prohibitio sacrum faciendi, ut desumitur *ex c. dilecta de major. & obed.* ubi dicitur quòd Abbatissa possit suos clericos ab officio, & beneficio suspendere, quòd non intelligitur de censura, quia hæc pertinet ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis non traduntur. 13

Rursus olim secundùm canones *c. nullus 5. & c. prater. 6. dist. 32.* prohibitum fuit, ne quisquam missæ sacerdotis notoriè concubinarii interesset, & in *can. nit. caus. 15. q. ult.* habetur, quòd non possit aliquis sacerdos notoriè concubinarius, quæ sancta sunt, coinquinare, quod tamen non ita intelligitur, quòd ab eo sacramenta non rectè conficiantur; cùm quantumcunque pollutus, divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt, ut desumitur *ex c. vestra 7. h. t.* sed ut per populi contemptum hujusmodi sacerdotes notoriè concubinarii ad pœnitentiam trahantur, & aliis peccandi licentia auferatur. 14

Quòd si petas, quid sit notorium. Respondetur, notorium in genere esse jus, vel factum transiens in notitiam omnium, vel majoris partis eorum, quia per majorem partem totus populus repræsentatur *l. quod major. 19. ff. ad munic.* Triplex est notorium, scilicet juris, facti, & præsumptionis. Notorium juris est, quod oritur ex iis, quæ in judicio aguntur, & oritur ex triplici capite. Primò ex spontanea confessione facta in judicio, quia confessus habetur pro judicato *l. 1. ff. de confess. & l. unic. c. eod.* 15

c. cod. Secundò ex probationibus, & actis in judicio, quæ vel à Notario coram Judice in protocollum relata, vel coram Judice legitimè probata sunt, *c. cum olim.* & ibi Abbas *num.* 3. Tertiò inducitur notorium juris per condemnatoriam sententiam definitivam, ut liquet *ex c. vestra 7. & c. ult. h. t.* quæ sententia nequit ampliùs retractari, eò quia res semel judicata habeatur pro veritate *l. 1. ff. de re judic.* quinimo etiam per sententiam interlocutoriam notorium inducitur, si lata sit cum cognitione causæ, & postquam transivit in rem judicatam.

16 Notorium facti dicitur, quod ita conspectui populi, vel ejus majoris partis se exhibet, ut nulla tergiversatione, aut negatione celari possit, ut illud definit Menochius *de arbit. Judic. cas.* 166. Mascardus *de probation. concius.* 1105. hinc factum quod revera est publicè notorium per ejus negationem, seu ex eo quòd reus illud neget non redditur dubium, nec negatio admittitur *argum. c. super eo 3. de testib. cogend.* ut ostendit Abbas *in c. tua nos* 8. *n.* 4. *h. t.* ut autem delictum alicujus censeatur publicè notorium non sufficit factum ipsum, secundùm se notorium esse, sed ulterius etiam facti circumstantiæ & qualitates necesse est sint notoriæ, adeo ut ex illis nulla defensio, aut excusatio culpæ competere possit reo, ut notat Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 9. n.* 3. Quòd enim Titius Cajum occiderit in foro publico, & coram populo est quidem notorium factum secundùm se, quia homicidium negari non potest: non tamen quoad omnes circumstantias: quia potuit contigisse, quòd Titius Cajum occiderit ob necessariam sui defensionem, vel ex subito crescentis animi calore: vel quia Cajus potuerit à Titio impunè occidi, adeo ut possit, non obstante notorietate publica facti prætendere excusationem.

17 Rursus notorium facti aliud est permanentis facti, aliud transeuntis, & aliud interpolati: notorium facti permanentis est, quod per se ipsum satis patet, nec ulla potest tergiversatione celari, neque in dubium revocari, eò quia factum semper existat, possitque semper evidenter demonstrari. Et licèt notorium facti permanentis probari non debeat, ut quod Romæ existat Templum S. Petri, nihilominus debet à parte allegari, ut notat Glossa communiter recepta *in clement. appellanti 5. V. alias causas de appellation.* Menoch. *de arbit. Jud. cas.* 166, *num.* 5. quia Judex non supplet ea, quæ in facto quasi notorio consistunt; nisi ex actibus resultant. Notorium facti permanentis est, si clericus domi suæ detineat, alàrque concubinam publicè, & omnibus scientibus. Notorium facti transeuntis est cùm quis coram paucis occiditur, dicitur facti transeuntis, quia paucis innotescit, & tantùm audientibus, & quibus hi dixerunt. Et hoc notorium facti transeuntis probari plenè debet per testes, quia cùm homicidium fuerit commissum, non ampliùs committitur; proinde probari debet fuisse commissum, ut docet Abbas *in cit. cap. vestra 7. num. 19 h. t.* proinde ejus probatio contra rem judicatam, & præsumptionem juris, & de jure non admittitur.

Notorium demum facti interpolati, est, 18
quod licèt publicè fiat, nec ulla possit tergiversatione celari, non tamen fit continuò, sed duntaxat sæpe per intervalla iteratur, sic dicitur meretrix notoria, non quòd semper, & continuò peccet, sed quia frequenter, & quia parata semper est peccare: & hoc notorium facti interpolati est veluti medium inter notorium facti permanentis, & transeuntis: & quamvis interdum requiratur probatio, non tamen tam exacta, & plena, sicut ad notorium facti transeuntis, ut notat Glossa *in c. cùm in Diœcesi.*

Notorium præsumptionis habetur, quando ex publicis circumstantiis jus aliquid vehe- 19
menter præsumit, judicátque habendum pro veritate, adeo ut ex tali præsumptione ferri possit sententia definitiva: quia tunc præsumptio æquivalet plenæ probationi, quo pacto si quis publicè detineat fœminam suspectam in propria domo à jure præsumitur fornicarius, ut notat Fagnanus *in c. vestra 7. num. 85. h. t.* ubi asserit, quòd ad inducendum notorium præsumptionis præter violentam præsumptionem requiratur etiam, ut factum, ex quo oritur præsumptio sit notorium facti, vel juris.

Objiciunt tamen contra communem no- 20
stram assertionem hæretici nitentes probare, continentiam in clericis non esse prohibitam, eò quia non adversetur juri divino, civili, & ecclesiastico: etenim, ut ipsi ajunt, liberis procreandis operam dare, præcipitur lege divina *Deuter. c. 7. non erit apud te sterilis utriusque sexûs* juxta præceptum illud Geneseos *crescite, & multiplicamini.* Rursus concubinatum jure civili permissum esse, liquet ex *l. 1. & per totum ff. de concubinis.* Jure etiam canonico concubinatum inter solutum, & solutam permissum esse dicunt deduci *ex cap. is qui non habet 6, Christiano 34. dist.* Hinc dicunt, concubinatum non debere prohiberi clericis sub pœnis depositionis, aut excommunicationis, cùm ratione liberorum suscipiendorum permittatur à jure divino, civili, & canonico. Idque firmant exemplis Patriarcharum veteris testamenti: siquidem ipsi pro tempore illo sacerdotes erant, & nihilominus concubinas habuisse liquet ex Genes. *c. 16. 22. 25. 29. 30. 33. 35. & 36.* Rursus Davidem decem habuisse concubinas constat *ex lib. 2. Regum c. 5. 15. 16. 19. & 20.* Immo Salomonem 300. habuisse concubinas legitur *lib. 3. Regum, c. 11.* & Roboamum 60. refertur *lib. 2. paralip. c. 11.* ex quibus concludunt, concubinatum liberorum suscipiendorum causâ non esse clericis prohibitum.

Sed concubinatum esse prohibitum omni 21
jure est probatu facile: etenim esse prohibitum jure naturali ex eo liquet, quia natura per se tendit ad propagationem, & conservationem speciei humanæ: & per concubinatum, natura non consequitur hunc finem, quia semel quòd esset licitum fœminæ solutæ coire cum viro soluto, esset etiam licitum coire cum alio, & alio; proinde cum pluribus liberis cum non sit major ratio de uno ac de alio: atqui eo ipso, quòd fœmina coit cum pluribus viris successivè sit sterilis, eò quia mixtio, ac diversitas sanguinis

proli

proli generandæ sit impedimento: quo pacto meretrices, eò quia multorum libidinibus pateant, facientes corpore suo quæstum, steriles sunt, & minimè liberos progenerant: dicitur meretrix à merendo, ut notat D. Isidorus *lib.* 10. *ethymol. c. vidua. 34. dist. l. palam 42 ff. de ritu nuptiarum*, requiritur enim ut fœmina meritrix dicatur, quòd multorum libidini pateat, unde si fœmina plures recipiat viros ob quæstum, & parata sit alios quoscunque excipere meretrix est *c. meretrices 32. quæst. 4.* Cùm igitur meretrices steriles efficiantur, liquet, concubinatum soluti cum soluta adversari juri naturæ.

22 Neque obstat, quòd posset fœmina soluta cum uno duntaxat viro soluto coire, & ab eodem prolem suscipere: quia licèt id verum sit, nihilominus tantùm se habet per accidens: quia per se, eo ipso, quòd fœminæ solutæ licet coire cum uno viro soluto, licet etiam cum alio, cùm non sit major ratio de uno, quàm de altero. Præterea neque concubinatus per se sumptus, & intra terminos concubinatûs prodesse potest educationi liberorum, proinde semper adversatur legi naturali; quia homini utpote animali rationali non tantùm procreatio liberorum debet esse proposita, verùm etiam eorundem educatio, quæ non congruit concubinatui: siquidem ad educationem liberorum requiritur, quantum fieri potest perpetua conjunctio, quæ habetur per matrimonium *l. 1. de ritu nuptiarum. l. 1. ff. pro dote:* concubinatus autem per se non est perpetuus, sed tantùm durat liberè ad placitum simul coeuntium, & hac ratione D. Thomas *in supplem. 3. p. q. 65. art. 3. & 4.* probat concubinatum esse contra jus naturæ, eò quia opponatur educationi liberorum, immo & nutrimento, quorum utrumque debet homo simul intendere ut docet Aristoteles *lib. 8. ethicor. cap. 12.*

23 Cùm igitur concubinatus per se sumptus temporariam tantùm conjunctionem denotet, & in eo differat substantialiter à matrimonio; sequitur, quòd nonnisi per accidens contingat, si nonnunquam duret in perpetuum: & quia malitia concubinatûs consistit in eo, quod habet per se, sequitur quòd non possit cohonestari per id, quod tantùm per accidens potest illi contingere. Neque potest perpetuitas concubinatûs stabiliri per jusjurandum, quia tunc juramentum cadit super materiam illicitam, & indebitam, & supra id quod est intrinsecè malum, proinde nullam potest obligationem inducere.

24 Quòd si concubinatus est contra legem naturæ, adversatur etiam juri divino, quia Deus naturæ conditor prohibet, quod eidem adversatur: hinc Lactantius Firmianus *lib. 6. divinar. institut. de vero culto c. 23.* ait: *non tantùm alienis toris, quæ attingere non licet, verùm etiam publicis, vulgatisque corporibus abstinendum Deus præcepit, docetque nos, cùm duo inter se fuerint corpora copulata, unum corpus effici.* Et Clemens Alexand. *lib. 3. strom.* ait: sunt ergo separata fornicatio, & matrimonium, quoniam ab illo longè est diabolus. Neque obstat, quod ex sacris scripturis affertur: siquidem scriptura nullibi asserit viri, & fœminæ conjunctionem extra matrimonium esse juris naturalis.

Neque obstant allegata verba: *non erit apud* 25
te sterilis utriusque sexûs; neque illud Exod *c 23. n. 26. non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*: ex quibus textibus inferebant Hebræi steriles, & infœcundos maledictos esse à Deo; quia in illis locis non præcipitur fœminis conjunctio cum viris extra matrimonium; sed tantum promittitur extrema quædam felicitas servantibus mandata Dei; adeo ut exclusio sterilitatis utriusque sexûs sit effectus divinæ benedictionis, non verò divini præcepti, idque clarè desumitur ex eodem textu, ubi dicitur: *benedictus eris inter omnes populos, non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Quod enim in præfatis verbis non contineatur præceptum ex eo liquet, quia Deus non dixit, non erunt inter vos virgines, nec cœlibes, *sed non erit apud te sterilis*: atqui sterilitas non dependet ab arbitrio hominis, neque posita est in ejus potestate, proinde non debuit à Deo præcipi, quia quod præcipitur debet esse sub potestate illius, cui præcipitur. Hebræi autem censentes indictam esse maledictionem non relinquentibus semen in Israël, quod falsum erat; dolebant si sine liberis decederent, quæ causa fuit, cur accuratiùs rei incumberent uxoriæ; quia cùm ex fide crederent de suis posteris Messiam nasciturum, omni studio curabant successores habere, ut Messias ex illis nasceretur:

Ad aliud quod addebatur ex Genes. 1. *crescite,* 26
& multiplicamini. Respondent communiter Interpretes, hæc verba non continere præceptum, sed tantùm indicare divinam benedictionem, quâ genus humanum propagaretur. Præterea plures explicant verba illa non de carnali corporum fœcunditate, filiorumque naturalium copia, sed de animarum spirituali virtute propaganda, & per sequentia verba *implete terram, & dominamini eis*, intelligunt per terram corpus humanum, quod anima suâ præsentia implet, adeo ut post peccatum fœcunditatem spiritualem in carnalem conversam esse dicant, ut refert D. Augustinus *lib. 14. de civitate Dei c. 21. & 22.* & videtur favere huic explicationi *in lib. de Genes. contra Manicheos c. 19. & lib. 13. confess. c. 4. & de bono conjugali c. 2.*

Verùm quamvis præcitata verba *crescite,* 27
multiplicamini dicamus in sensu litterali pertinere ad carnalem filiorum propagationem, non tamen sequitur, quòd contineant præceptum pro quocunque statu, & tempore; sed tantùm pro illis mundi primordiis, donec humana species propagaretur, ac homines in ea multiplicarentur, ut docet Scotus *in 4. dist. 26. q. unic. §. per hoc patet*, ubi ait: *crescite & multiplicamini est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quòd obligat non ad semper, sed tempore necessitatis.* Unde si status innocentiæ perseverâsset, ibi in Paradiso se carnali copula protoparentes nostri, & eorum filii miscuissent, ut fusè & eleganter probat D. Augustinus *lib. 14. de civitate Dei c. 22.* Ad aliud quod addebatur de exemplis Patriarcharum, quos ex scriptura constat, habuisse concubinas, respondetur, eas fœminas fuisse

Patri-

Patriarchis illis matrimonio junctas, & vocatas fuiſſe concubinas, non quòd fuerint meretrices, aut concubinæ, ſed quia in ſcripturis ſacris concubinæ ſumuntur pro ſecundis uxoribus minus ſolemnibus, ut notant Expoſitores, nominatimque Rupertus *in Genes. lib. 7. c. 39.* Abulenſis *in c. 19. judic. q. 3. & lib. 1 Regum c. 3. q. 209.* Bellarminus *lib. 1. de matrim. c. 11.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an clerici poſſint domi habere mulieres, quæ iisdem inſerviant? Reſpondetur, clericis omnino prohibitum eſſe cohabitare cum mulieribus de incontinentia ſuſpectis, & deſumitur ex *c. inhibendum 1. h. t.* ubi ſtatuitur, ut nullus ſacerdotum fœminam, de qua ſuſpicio ſceleris eſſe poteſt, apud ſe retineat; & quidem nec matrem, amitam, ſororem, ſi ſuſpicio, & periculum mali ſubſit: quia ubi ſacerdotes cum hujusmodi ſuſpectis fœminis habitant, non deſunt carnis ſtimuli, qui eos ad incontinentiam provocent *c. oportet. diſt. 81. c. fin. 18. q. 2.* ſiquidem ſexuum commixtio res eſt pluribus obnoxia periculis *c. mulier de judic. in 6.* hinc D. Hieronymus ad Nepotian. ſcribit: Hoſpitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant: quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur: fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit *c. Hoſp. diſt. 32.* Tum quia præſertim clerici tenentur periculum omne incontinentiæ præcavere, non ſolùm ad declinandum, quod imminet malum proprium, verùm etiam ad tollendum ſcandalum, quod alii inde ſumere poſſent, ut habetur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ. 9. de reform. curia v. concubinarii:* cùm enim clerici teneantur cæteris eſſe exemplo, & id nonniſi per exercitia virtutum præſtent, debent ab omni periculo incontinentiæ alieni eſſe: decet enim Miniſtros eccleſiæ vitæ integritas, morum ſanctitas, bonique nominis fama laudata; ut populus inde diſcat, eos magis revereri, quò illos vitâ præ cæteris honeſtiores noverit: & hæc eſt ratio, cur prohibeantur clerici cohabitare cum mulieribus de incontinentia ſuſpectis, ut habetur in *d. c. inhibendum 1. h. t.* & jure novo in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25 de refor. c. 14.* Cùm enim in omnibus obſervare conveniat, ut poſſit clericus ſine nefanda ſuſpicione cæteris apparere *c. in omnibus diſt. 81.* ideo ſi etiam conſanguinea habitans cum clerico reddat eum de incontinentia ſuſpectum, removeri ab eo debet, quamvis mater eſſet *c. quorundam diſt. 34.*

2 Cæterum ſublatâ quavis nefandâ ſuſpicione facti canones permittunt, ut cum ſacerdote poſſint habitare mulieres conjunctæ in primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu *c. cum omnibus 27. juncta Gloſſa diſt. 81.* & deſumitur etiam ex Concilio Niceno *can. 3.* prout etiam à Syricio Papa refertur in *c. fœminas 31. eadem diſt.* Hinc ſi fœmina conſanguinea talis ſit, ut de ea, nec etiam de clerico poſſit eſſe prava ſuſpicio, non prohibetur clericus habitare cum ea *c. interdixit diſt. 32.* quia regulariter in his deeſt prava quævis ſuſpicio: ſin vero conſanguinea haberet pediſſequas, de quibus eſſet veriſimilis ſuſpicio; poſſet tunc clericus inhiberi, ne habitaret cum conſanguinea ratione ſuæ pediſſequæ *c. volumus 24. diſt. 81.*

3 Quæritur ſecundò, quale ſit diſcrimen inter fœminas conſanguineas in primo, & ſecundo gradu; & extraneas in ordine ad cohabitationem clericorum? Reſpondetur cum Gaillo in *d. c. volumus 24. diſt. 81.* id intereſſe diſcriminis, quia eo ipſo, quòd fœminæ ſunt extraneæ, ſolent regulariter eſſe ſuſpectæ, præſertim ſi juvenes ſint, vultuique ſpecioſæ, quapropter ſpectato jure communi canonico, earum cohabitatio univerſim interdicta eſt Clericis, tametſi in aliquibus diœceſibus per Germaniam tolerentur in domibus Parochorum ancillæ extraneæ, & famulantes, dummodo honeſtæ ſint, & bonæ famæ: conſultiùs tamen ſemper foret, ſi talis uſus, ne fieret abuſus, ſtatim aboleretur, & ſecundùm ſacros canones adigerentur Parochi mares in ſuis ſervitiis adhibere, non fœminas; cùm poſſint etiam mares eadem ſervitia præſtare, fercula coquere; & cætera, quæ ad famulatum pertinent exhibere. Cæterum licèt non prohibeantur mulieres in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis habitare cum ſacerdote, id intelligitur, dummodo ſacerdos ille ſolus ſit; alioquin ſi ſimul cum aliis viveret, non poſſent tales mulieres cum ipſo habitare, quia tali pacto habitarent etiam cum aliis ſacerdotibus non conſanguineis, quod jure canonico prohibitum eſt.

4 Quæritur tertiò, an ſicut jure canonico permittuntur mulieres in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis habitare cum ſacerdote: ita permiſſum etiam ſit habitare cum affinibus in primo, & ſecundo gradu? Reſpondetur negativè, eò quia non ſit utrinque par ratio: ſiquidem ſacri canones prohibentes cohabitationem mulierum cum ſacerdote, excipiunt nominatim, & expreſsè ſolas conſanguineas, non verò affines: & ratio ex eo peti etiam poteſt, quia majus eſt naturale fœdus inter conſanguineos, qui per ſe ſunt ſanguine juncti; quàm inter affines, qui nonniſi per accidens, & mediantibus aliis junguntur. Nihilominus ſi Mulier ſit in primo gradu affinitatis conjuncta, ut eſt noverca, nurus, aut fratris defuncti uxor, vel etiam in ſecundo gradu dummodo acceſſerit reverentia, quam alter alteri debet, ut ſacerdos uxori patris ſui defuncti, videtur tunc cohabitatio permittenda, dummodo aliunde omnis abſit prava ſuſpicio *c. Interdixit 16. diſt. 32.*

5 Quæritur quartò, quibus fiat clericus pœnis obnoxius ſi monitus non deſiſtat à conſortio mulierum ſuſpectarum? Reſpondetur, clericum tunc incurrere pœnam excommunicationis ferendæ, adeò ut ſit excommunicandus, ut etiam fœmina canonicè punienda, idque deſumitur ex *cap. ſi quisquam 2. h. t.* ubi dicitur, quòd Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus ſi ter monitus adhuc deprehendatur loqui, vel converſari cum fœmina ſuſpecta de crimine fornica-

Google

nicationis cum eo ſit excommunicandus, & fœmina canonicè punienda: ubi notat Gloſſa, nomine ſacerdotis laxè ſumpto comprehendi omnes clericos ſacris initiatos ordinibus: quamvis preſsè nomine ſacerdotis intelligantur, qui ſacrum Chriſti corpus conficiunt. Fœmina itidem punienda eſt canonicè, quia ratione criminis ſit fori eccleſiaſtici. Hinc non ſolùm concubinatus clericis à ſacris canonibus ſub cenſuris, & pœnis inferendis prohibetur, verùm etiam ipſa familiaritas cum muliere ſuſpecta; adeò ut ſi clericus admonitus non deſiſtat, & contumax appareat, ſit excommunicandus: ubi notandum eſt, clericum tum non puniri ob præſumptionẽ fornicationis, cùm poſſit contingere, ut de ea non fiat inquiſitio, ſed tantùm ob converſationem, & familiaritatem notoriè ſcandaloſam, quæque peccatum ſit: tunc enim ſi accedente monitione clericus adhuc perſiſtat in contumacia, peccatum fit gravius, quod propterea pœna gravi eſt puniendum: quinimò eò poteſt creſcere, ut mereatur beneficiorum privationem, depoſitionem, & excommunicationem.

Cum enim turpiſſimum ſit, cuilibet clerico in impudicitiis ſordeſcere *c. Clericos 3. h. t.* ideo prohibentur clerici, ut omnino abſtineant à conſortio Mulierum ſuſpectarum, & quia ſuſpicio præcedens, & admonitio ſubſequens, cui non paretur inducunt magnam præſumptionem contra talem inobedientiam, quòd tunc clericus in tali delicto verſetur *authent. ſi quis C. de adult.* & cum propter inobedientiam poſſit quis excommunicari *c. 2. de majorit. & obed.* ſequitur, quòd ſi clericus ſacris initiatus de quacunque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus poſt trinam monitionem adhuc deprehendatur converſari cum ipſa, ſit excommunicandus, & fœmina canonicè punienda *c. ſi quisquam 2. h. t. c. ſi qui diſt. 81.* & jure novo in Concilio Tridento *ſeſſ. 25. de refor. c. 14.* ratio eſt, quia Mulier delinquens cum clerico contra eccleſiaſticum decorem ſubjicitur jurisdictioni eccleſiaſticæ, quia delinquit contra Eccleſiam, & clericum, ut notat Jaſon in *l. nulli n. 3. c. de judiciis*, & alii apud Menochium *de arbitrar. caſ. 371.* Verùm contra fœminam non proceditur tunc ad alias pœnas, ad quas procederetur, ſi clericus verè eſſet de delicto convictus fornicationis *c. ſicut 4. h. t.* quia quando Judex procedit ex præſumptionibus, quæ non ſunt violentæ; quamvis ſint vehementes debet ſententiam temperare, ut ſcilicet modicè, vel rarò pœnam inferat, & illam non imponat, quam aliàs delictum, ſi plenè probatum eſſet, mereretur, ut notat Innocentius in *c. veriſſim. de præſumpt.*

7 Quæritur quintò, an Prælatus debeat Clericum compellere ad abjurandam concubinam? Reſpondetur negativè ex *c. Clericos 3. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi clerici ſacris initiati in publico deprehendantur concubinatu, non debeat Judex ipſos cogere ad jurandũ, quòd velint concubinam deſerere: & additur etiam ratio, ne ſcilicet diaboli inſtinctu in idem fornicationis peccatum relapſi perjurii etiam peccatum incurrant; proinde debeat Prælatus per ſententiam ſuſpenſionis, aut interdicti clericos adigere ad concubinas amovendas, ut nulla amplius mali ſuſpicio ſubeſſe poſſit: quòd ſi ad easdem concubinas redire; vel alias aſſumere præſumpſerint, debeat tum Prælatus in quosdam eorum ſententiam proferre excommunicationis, ut horum exemplo cæteri perterriti ſe à talibus exceſſibus contineant. Ex quo textu liquet, à peccatoribus, quorum recidiva ob carnis fragilitatem timetur, non eſſe exigendum juramentum de abſtinendo in poſterum, idque ob periculum perjurii, cujus materiam, & occaſionem non debet Prælatus, & Judex ſuppeditare *c. ille 5. caus. 22. q. 5.* unde juramentum nunquam deferendum eſt illi, contra quem vehementer præſumitur de transgreſſione; alioquin tum deferens non excuſaretur à culpa, cùm cauſa foret perjurii.

8 Tum quia cùm leges puniant perjuria, ſatis inhumanum eſſet, ſi per easdem via perjuriis aperiretur *l. Ambig. C. de indic. vid.* ſi tamen clericus nolit concubinam dimittere, poteſt excommunicari, quia concubinatus eſt peccatum grave *c. non ſolùm 32. q. 7.* & excommunicatio eſt pœna medicinalis *c. 1. de ſent. excommun. in 6.* proinde ferri poteſt ob peccatum lethale *c. nullus 11. q. 3.* proinde tenetur Prælatus talem clericum per ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam arctiùs compellere ad mulierem dimittendam, quòd ſi ad ipſam redierit, vel fortè aliam accipere præſumpſerit, debet tunc Prælatus contra ipſum ſententiam proferre excommunicationis, ut cæteri perterriti à ſimili arceantur delicto, ut habetur in *c. clericos 3. h. t.* & jure novo in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de refor. c. 14.*

9 Quæritur ſextò, quænam pœna jure canonico injungatur clericis majoribus, ſi moniti nolint concubinas dimittere? Reſpondetur, eſſe ſuſpendendos à beneficiis, ut habetur in *c. ſicut 4. h. t.* ubi Alexander III. declarat, Clericos in ſacris conſtitutos habentes concubinas eſſe diligenter monendos ab Epiſcopo, ut eas dimittant, quòd ſi parêre contempſerint, debeat Epiſcopus eos ſuſpendere à beneficiis eccleſiaſticis usque ad congruam ſatisfactionem: quòd ſi adhuc eas retinere præſumpſerint ab iisdem beneficiis ſint in perpetuum removendi: quia ut notat Gloſſa finalis hic, creſcente contumacia debet etiam ſuum pœna habere incrementum, & deſumitur etiam ex *l. relegati 4. ff. de pœnis* ubi dicitur, quòd contumacia pœnam cumulat. Tum quia Clericus, qui monitus ad concubinam dimittendam noluit parêre, non poteſt ſe excuſare, nec tergiverſari, quod in fornicationis peccato non exiſtat *c. veſtra 7. h. t.* proinde ex quo non vult parêre monitorio, notam incurrit inobedientiæ *c. 7. de major. & obed.* dignum autem eſt, ut quos Dei timor à malo non revocat, eos ſaltem temporalis pœna à peccato cohibeat: & quia perquàm indecens eſt, concubinarios ſacra adminiſtrare *c. nullus diſt. 32* rectè ſtatuitur in *d. c. ſicut 4. h. t.* quòd ſi clericus monitus, ut concubinam dimittat, & ulterius eam non admittat; id exequi contempſerit, ſuſpendendus ſit ab eccleſiaſticis beneficiis usque ad congru-

am ſatisfactionem, & creſcente contumacia, & culpa, debeat etiam creſcere vindicta, & pœna augeri *c. quoniam in fin. ut lite non conteſt.* proinde ſi à beneficiis ſuſpenſus adhuc concubinam retinere præſumpterit, ab iisdem beneficiis ſit perpetuò removendus, ut etiam jure novo habetur in Concilio Trident. *ſeſſ. 25. de refor. c. 14.*

10 Quæritur ſeptimò, an litteræ à clerico concubinario ſuſpenſo obtentæ ſuper abſolutione validæ ſint, ſi in iisdem reticeatur facti ſeries? Reſpondetur, hujusmodi litteras nullius eſſe valoris, & deſumitur ex *c. ſuper 5. h t.* ubi cum Presbyter à ſuo Archiepiſcopo fuiſſet ab officio ſuſpenſus, eò quia concubinam monitus noluiſſet dimittere, reſcripſit Alexander III. quòd ſi ab ipſo appellatum ſit, & ad ſedem Apoſtolicam eum venire contigerit, debeat ejus pertinaciam, & audaciam prout æquum fuerit, punire: ſin verò non acceſſerit, tunc ſuſpenſionis cenſuram tamdiu Archiepiſcopus præcipiat ab eo ſervari, quamdiu concubinam non dimiſerit, & caſtè, atque decenter vixerit. Et ſubdit Pontifex, quòd ſi contingat, ut Presbyter ille litteras Apoſtolicas præſentet, quæ facti ſeriem non contineant, ipſi non proſint: & ratio ex eo petitur, quia reſcriptum impetratum eo tacito, quod ſi expreſſum fuiſſet, Princeps gratiam non conceſſiſſet, eſt ſubreptitium, ac nullius valoris *c. ſuper litteris de reſcript.* Sin verò clericus expreſſiſſet ſe fuiſſe ſuſpenſum, eò quia fornicariam nolit dimittere, certè Pontifex hujusmodi abſolutionis litteras non conceſſiſſet *c. dilectus 29. de reſcript.* proinde talis abſolutio obtenta per ſubreptionem invalida eſt.

11 Quæritur, an clerici moniti ſi non dimittant concubinas ſuſpendendi ſint à beneficiis? Reſpondetur affirmativè ex *c. ſi autem 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd clerici concubinarii in majoribus, vel minoribus ſi ter moniti concubinas non dimittant, poſſit Epiſcopus ultra officii interdictionem eos eccleſiis ſpoliare, vel earum portionibus appellatione poſtpoſitâ, quia clerici tenentur caſtè vivere, & quia ſi clericus monitus non dimittat concubinam, apparet, eum non caſtè vivere; ideo pro tali incontinentiæ delicto meretur puniri: & quia indignus etiam eſt, ut ſacra adminiſtret, ideo debet à beneficiis ſuſpendi *c. ſi autem 6 h. t* quinimò ſi nolit ſe corrigere etiam deponitur, quia quoties contracta vulnera fomentorum non ſentiunt medicinam, ferro neceſſe eſt abſcindantur, ne reliquum corpus inficiant *c. quia diſt. 82.* & creſcente contumacia debet hæc pœna augeri *l. releg. ff. de pœn.* & cum depoſitio à beneficiis ſit major pœna, quàm ſola ab iisdem ſuſpenſio, quia per ſuſpenſionem non vacant beneficia, cum fiat ſuſpenſio tantùm ad tempus, bene tamen per depoſitionem, quia hæc perpetuò removet depoſitum à beneficio; proinde clericus, qui admonitus noluit concubinam dimittere, & proinde fuit ſuſpenſus à beneficio eo privatur ob ulteriorem contumaciam, *c ſi autem 6. h. t. c. Erubeſ. diſt. 32.* & Concil. Trident. *ſeſſ 25. de refor. c. 14.*

12 Quæritur nonò, an à clerico fornicario, quamdiu toleratur, & non habet operis evidentiam licitè audiantur divina? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. veſtra 7 h. t.* ubi conſultus Lucius III. an fideles licite poſſint intereſſe miſſis, quæ leguntur à clericis concubinariis, reſpondit Pont. cum diſtinctione, ut ſi concubinatus ſit occultus, poſſint fideles intereſſe miſſis; ſin verò fuerit notorius, abſtineant à talibus miſſis, ut hac ratione à peccandi licentia retrahantur; & ipſi clerici concubinarii ſaltem ob verecundiam reſipiſcant: notorium autem crimen concubinatûs eſt, de quo Presbyter canonicè condemnatur, unde quamdiu non eſt lata ſententia condemnationis, crimen non dicitur notorium, quamvis ſit publicum; crimen verò occultũ dicitur quod ab Eccleſia toleratur. Item definitur in *d. c. veſtra 7. h. t.* quòd à concubinariis publicis, ſeu ab Eccleſia condemnatis (quod eſt publicum juris) vel ſi habent operis evidentiam (quod eſt facti) non debeat populus divina audire myſteria, nec alia ſuſcipere Sacramenta; non quia hæc ſint invalida, ſed ad arcendam licentiam clerici: ſiquidem myſteria ſeu Sacramenta ſacerdotum fornicariorum, non ſunt immunda, nec minoris virtutis, proinde eorum miſſæ, & divina officia licitè audiuntur, quandiu ſacerdotes concubinarii ab Eccleſia tolerantur, & crimen operis evidentiam non habet. Cæterum quamvis juxta antiquos canones prohibitum fuerit fidelibus, ne concubinarii ſacerdotis, ſi ejus crimen notorium eſſet, miſſæ intereſſent, non tamen hæc prohibitio ea ratione facta fuit, quaſi Sacrificium, & Sacramenta ab indigno adminiſtrata ſacerdote ſumentibus non proſint: ſiquidem id eſt falſum, quia quantumcúnque pollutus ſit Sacerdos, non poteſt divina Sacramenta polluere, proinde à quolibet ſacerdote eſſe divina myſteria ſumenda, cùm omnia in Chriſti fide purgentur *cauſ. 15. q. ult. c. ult.* Quamobrem hæc prohibitio de vitando concubinario notorio facta fuit ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſervandam, & manifeſtandam turpitudinem concubinatûs præſertim in clerico.

13 Hodie tamen jure novo ob Concilii Conſtantienſis Extravagantem, quæ incipit *Ad evitanda*, non tenentur fideles ſe in divinis abſtinere à ſacerdote concubinario, antequam ut vitandus ſit denuntiatus. Ratio, cur Sacramenta non deperdant ſuum valorem, & proſint ſumentibus, quamvis miniſtrentur à ſacerdote indigno, ea eſt; quia Sacramenta novæ legis ſuam ſpecialiter habent virtutem ex paſſione CHRISTI, cujus virtus nobis quodammodo copulatur per Sacramentorum ſuſceptionem; ad quod indicandum de latere CHRISTI pendentis in cruce fluxerunt ſanguis, & aqua, adeò ut aqua ad baptismum, & ſanguis pertineat ad Euchariſtiam, ut docet D. Thomas *p. 3. q. 62. art. 5.* & quia ſacerdotes non mundant propria ſua virtute homines à peccatis, nec gratiam conferunt: ſed id præſtat Chriſtus ſua propria poteſtate per ſacerdotes, ut per quædam inſtrumenta ſenſibilia, ut notat D. Thomas *p. 3. quæſt. 64. articul. 5.* ſequitur quòd effectus in ſuſcipientibus Sacramenta habeatur non ſecundùm ſimilitudinem miniſtrorum, ſed juxta configurationem ad Chriſtum, qui

operatur

operatur in ſacramentis per ſacerdotes, ut ſuos Miniſtros; proinde non poteſt Miniſter quantumvis pollutus Sacramenta divina polluere, quæ ſemper ſancta ſunt, & coinquinari non poſſunt; hinc à ſacerdote pravo non prohibentur fideles Sacramenta percipere, donec Epiſcoporum judicio reprobetur: Sacerdos enim pravus, ſi Sacramenta miniſtret, ſe ipſum tantùm lædit, & aliis prodeſt; perinde ac fax accenſa, quæ aliis prodeſt lumen miniſtrando, & ſibi obeſt, eò quia ſe ipſam deſtruat, adeò ut unde aliis commodum exhibet, inde ſibi præbeat diſpendium.

14 Quæritur decimò, quid ſit notorium facti, & juris, & an à clerico fornicario notorio prohibeantur fideles Sacramenta ſumere? Reſpondetur à ſacerdote concubinario notorio non deberé fideles Sacramenta ſumere, ut habetur in *c. veſtra 7. h. t.* quia quamdiu populus ab hiſce clericis notoriè fornicariis abſtinet, non ſolùm cæteris anſa peccandi aufertur, verùm etiam ipſi ſacerdotes notorii fornicarii rubore ſuffuſi tum videant ſe à populo contemni, faciliùs reſipiſcunt *c. Ad hoc 5. probib. diſt. 32.* & quia ſi populus horum clericorum miſſis intereſſet, transgrederetur præceptum Eccleſiæ, quæ illos ſuſpendit non ſolùm quoad ſe, verùm etiam quoad alios, ac propterea per inobedientiam peccaret *c. fin. de major. & obed.* & cum ſcriptum ſit per Prophetam Malachiam *c. 3.* quòd *eorum benedictiones ipſis audientibus in maledictionem convertuntur, & oratio in peccatum*, ſequitur, quòd à clerico notoriè fornicario ſit abſtinendum, nec ſint divina miniſteria ab ipſo audienda, nec alia eccleſiaſtica Sacramenta recipienda, ut dicitur in *d. c. veſtra 7. h. t.* & *cap. ſi qui ſunt diſt. 81.* Cæterum duplex eſt notorium, facti, & juris, illud dicitur, quod ita ſe exhibet populo, ut negari non poſſit; ut notat Menochius in *arbit. caſ. 166.* & Farinacius in *prax. concluſ. 1105. num. 3.* Verùm quia plura videntur notoria, quæ talia non ſunt, & clericus, qui dicitur notorius concubinarius hoc ipſum negare poteſt, ideò Judex regulariter priusquam contra Reum notorium criminoſum procedat, ipſo citato debet declarare crimen notorium eſſe, & ea ſuper re teſtium informationes accipere, & Reum audire, ſi negare, vel oſtendere velit, notorium non eſſe crimen, ut declarat Clarus *in pract. §. fin. quæſt. 8. num. 5.* Sin verò Judici cognoſcenti judicialiter conſtet, vel ab eo juridicè declaratum ſit, crimen eſſe notorium, tunc absque alia probatione, & proceſſu poteſt Judex procedere ad executionem, & punitionem: ratio eſt, quia inquiſitio, & probationes tantùm inſtituuntur circa res dubias, non circa notorias: quæ enim nota ſunt, probatione non indigent, nec inquiſitione *argum. clement. paſtor. junctâ Gloſſa de ſent. & re judic.* Quamobrem, ut delictum aliquod dicatur notorium, non ſufficit, ſi de facto ſecundùm ſe ſit notum in publico, ſed ulteriùs requiritur, ut ſint notoriæ qualitates, & circumſtantiæ, & quidem per ſententiam Judicis.

15 Rurſus notorium facti eſt triplex, aliud enim eſt notorium facti tranſeuntis, & eſt vox præconis: & aliud notorium facti permanentis, quod continuò ſe exhibet hominum notitiæ, & hoc notorium factum permanentis admittitur etiam contra rem judicatam, & omnem præſumptionem, quæ ſit juris, & de jure; quia probatio per evidentiam facti nunquam excluditur, quod non procedit de notorio facti tranſeuntis. Tertium eſt notorium facti interpollati, quo pacto dicitur quis notorius uſurarius, non quia ſemper cum uſura mutuet: & ad hoc notorium, quod veluti medio modo ſe habet inter notorium facti permanentis, & facti tranſeuntis, aliqua requiritur probatio, licèt non tanta, quanta ad notorium facti tranſeuntis, ut notat Abbas in *d. c. veſtra 7. numero 19. h. t.* Notorium juris dicitur, quòd in judicio notorium eſt, & ſumitur ex triplici capite. Primo ex ſpontanea confeſſione facta in judicio *c. cum olim 24. de verb. ſignif.* Verùm antequam ſententia lata ſit, opponi poteſt contra confeſſionem oſtendendo errorem, metum, vel ſimilem cauſam debilitantem, & dubiam reddentem confeſſionem *l. error. 7. C. de jur. & facti ignorant.* Secundò ex probationibus, & actis in judicio: quia hujusmodi acta à Notario coram Judice referuntur in protocollum.

16 Rurſus quæ coram Judice legitimè probantur, inducunt notorium juris, ut notat Maſcardus *concluſ. 1106.* proinde etiam inſtrumentum in judicio productum, ſi authenticum ſit, notorium inducit, & probationem efficit probatam *l. ult. C. de probat.* Immò etiam teſtes legitimè examinati, ac deponentes notorium inducunt, & ſufficiunt, ſi ſint duo, vel tres, quia licèt non ſufficiant duo ad inducendum notorium; ſufficiunt tamen ad illud probandum, quia in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum. Tertiò per ſententiam definitivam, ſeu condemnationem etiam inducitur notorium *l. ult. C. de probat.* Imò etiam per interlocutoriam, ſi lata ſit cum cognitione cauſæ: verùm tunc neceſſe eſt, ut ſententia tranſierit in rem judicatam, quia tunc nulla ampliùs indiget diſcuſſione.

17 Quæritur undecimò, an ſacerdos exiſtens in peccato lethali ſit ſuſpenſus? Reſpondetur, poſſe dici quodammodo ſuſpenſum, ut habetur *in c. quæſitum ult. h. t.* ratio eſt, quia licitum ipſi non eſt in tali ſtatu miſſam celebrare, nec Sacramentum aliquod adminiſtrare, in quo ſenſu dici poteſt ſuſpenſus: quæ tamen ſuſpenſio propterea non eſt eccleſiaſtica cenſura, ob cujus violationem clericus incurrit irregularitatem, & indiget eccleſiaſtici Prælati relaxatione, & abſolutione: ſed eſt alia ſuſpenſio, quæ per Sacramentum pœnitentiæ tollitur. Cæterum juxta antiquos canones prohibitum fuit fidelibus intereſſe divinis officiis clerici notorii concubinarii, & cenſebatur tale crimen notorium ex triplici capite. Primò ſi clericus per ſententiam Judicis condemnatus fuerit. Secundò ſi in judicio proprium crimen confeſſus ſit. Tertiò ſi crimen per evidentiam rei ita ſit publicè cognitum, ut nulla tergiverſatione negari poſſit. Omittebatur

quartus modus, qui est, si crimen in judicio legitimè probatum sit; maximè postquam conclusum est in causa: quia populus scire non potest, num probationes fuerint plenè convincentes: unde ne injuriis via aperiatur, Judicis sententia expectari debet.

TITULUS III.

De clericis coniugatis.

CUm Pontifex in præcedenti titulo egisset de cohabitatione Clericorum, & Mulierum illicitâ; nunc pergit agere de cohabitatione licita Clericorum conjugatorum, quos in inferioribus, & minoribus ordinibus, ac Ministeriis Ecclesia recepit. Poterant etiam olim ad sacros ordines accedere, qui uxores habebant *l.* 19. *de Episcop. & cler.* Verùm ex his, qui nullo contracto matrimonio in clerum cooptati erant; indultum solummodo fuit inferioris gradûs clericis, ut uxorem ducere possent; non verò Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, ut constitutum est in *can.* 26. *Apostolorum.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. SI QUIS 1. *h. t. Alexander III. declarat, quòd si clericus in minoribus contrahat matrimonium, cogi debeat per censuras ecclesiasticas dimittere beneficia, & retinere uxorem: secus si erat in sacris, debeat per suspensionem, & excommunicationem compelli, ut dimittat uxorem, & agat pœnitentiam de commisso. Ubi notat Glossa, beneficia clerici uxorati vacare ipso jure, nec opus esse sententia judicis; quia facto contrario renunciârunt suo juri. Idem dicendum est de pensionibus ecclesiasticis, nisi sit pensio laicalis pro re utiliter gesta, vel gerenda in defensione Ecclesiæ. Hinc excipiuntur milites Lauretani, & ordinis militaris sanctorum Mauritij, & Lazari, nec non S. Stephani: hi enim quamvis matrimonium contrahant, possunt retinere pensiones etiam ecclesiasticas per sua privilegia. Cæterum per matrimonium clerici in minoribus constituti, non solùm inducitur vacatio beneficiorum ipso jure, sed etiam expirat regressus, & accessus ad beneficia ecclesiastica, nisi cum eo dispensetur.*

C. SANE 2. *h. t. Idem Pont. rescribit, ut attentiùs provideatur, ne clericus conjugatus ad ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines, vel administrationes ecclesiasticas admittatur, nisi castitatem voverit perpetuam, & unicam, ac virginem habuerit uxorem. Ubi notat Glossa, voventes castitatem debere separatim habitare, quamvis fœmes sint, & absque suspicione copulæ: sin verò juvenes sint, non possunt promoveri, nisi transeant ad religionem* c. conjugatus de conversi. conjugat.

C. QUOD A TE 3. *h. t. rescribit idem Pont. Clericos in minoribus constitutos esse privandos suis beneficiis, si matrimonium contrahant verbis de præsenti: sed si quid de propriis bonis Ecclesiæ titulari contulerint, eis restituitur. Ubi notandum est, quòd si Monachus sua sponte recedat à monasterio, nihil est ei dandum: bene tamen si authoritate judicis. Rursus omnis donatio facta Ecclesiæ tempore ingressus, vel monasterio, habet hanc tacitam conditionem, ut duret illo perseverantes secus si donavit Ecclesiæ non transiens ad illam: tunc enim non revocatur, quia perfecta est donatio, nisi fuisset expressa aliqua conditio in donatione. Sin verò tempore ingressus res fuerunt expressè datæ, nunquam restituuntur: bene tamen si tantùm tacitè, quia tunc sequuntur personam, perinde ac accessorium suum principale. Cæterum clericus in sacris constitutus, si ducat uxorem est suspectus de hæresi.*

C. SANE SACERDOTES 4. *h. t. Innocentius III. rescribit quòd sacerdotes, qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes possunt restitui suo officio, & ex indulgentia sui Episcopi habere etiam ejus executionem: secus tamen ex rigore, & ante pœnitentiam. Qua verò censenda sit longa, & sufficiens pœnitentia relinquitur arbitrio Episcopi. Ex quo textu liquet, Episcopum posse dispensare, si Sacerdos contraxit cum virgine: secus si cum non virgine, vel fuit bigamus, seu habuit aliam uxorem, quando fuit secularis.*

C. DIVERSIS 5. *h. t. Innocentius III. mandat, ut Episcopus remotâ appellatione privet ecclesiasticis beneficiis clericos, qui matrimonium contraxerunt, eò quia rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire. Sin verò post contractum matrimonium Episcopus scienter contulit beneficia ecclesiastica tali clerico, illis non episcopus, sed ejus superior eum privat: quia ut notat Glossa, nemo contra factum suum potest venire; secus si ignoranter contulit: & hoc est discrimen inter conferre beneficia scienter, & ignoranter: quia priori modo in pœnam privatur hac potestate, quæ devolvitur ad superiorem; siquidem indignum est, ut quis habeat potestatem puniendi eum, cujus mores, aut factum, quantum est in se, approbat* c. si quis de testibus 4. q. 1.

C. CUM OLIM 6. *h. t. Idem Pont. rescribit, filium sacerdotis Græci ex legitimo tamen matri-*

monio

monio natum posse ordinari ritu latino; quamvis eius pater sit in ritu greco, nisi consuetudo regionis repugnet. Ubi notat Glossa, sacerdotes latinos teneri ad continentiam, non solùm ex consuetudine ecclesiastica, sed etiam ex voto, quod tacitè emittunt.

C. *IOANNES* 7. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Pictavienſi, clericum in minoribus coniugatum non posse gaudere privilegio clericali, nec teneri ferre tonsuram, dummodo non percipiat beneficium; ratione cuius debeat ferre tonsuram, quia id redundaret in vituperium monasterii. Ex quo textu liquet circa ferendam tonsuram, multum consuetudinem posse; Et clericum uxoratum non amittere omne privilegium clericale* can. si quis suadente 18. q. 4. *posse tamen vexari aliqua exactione in persona, vel rebus. Praterea clericum non tonsuratum esse ter monendum, ut privilegium amittat, & non posse suo renunciare privilegio* c. contingit de foro compet. *Rursus non posse clericum coniugatum habere beneficium, nisi ex dispensatione Papæ, verùm id Hostiensis intelligit de clerico coniugato, non beneficiato, sed habente stipendium ab ecclesia, non tamen in titulum.*

C. *CUM DECORE* 8. *h. t. Idem Pont. statuit clericos uxoratos, non esse admittendos ad dignitates ecclesiasticas, & teneri eas dimittere, quas habent: immo notat Glossa, teneri etiam dimittere beneficia simplicia* c. 1. c. sane eod. *Idque ob scandalum, quod inde oriretur, si inter latinos uxoratus potiretur dignitate ecclesiastica, quia nihil cum scandalo faciendum est* c. nihil prodest de præscript. c. ad aures de temp. ord.

C. *EX PARTE* 9. *h. t. Honorius III. rescribit, clericos coniugatos amittere privilegium clericale, & posse vexari à laicis. Ubi notat Glossa, etiam clericos non coniugatos, si se immisceant negotiis secularibus, & ter admoniti non desistant, perdere hoc privilegium* c. ult. de vita, & honest. cleric.

C. *UT CONSULTATIONI* 10. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si clericus in minori ætate fuit tonsuratus; si deinde fiat miles, non sit cogendus ferre habitum, & tonsuram, quia ut notat Glossa, clericus tonsuratus tantùm potest renunciare privilegio. Tum quia constitutus in minoribus, si det nomen militiæ, censetur recedere à statu clericali, adeò ut cùm primùm relatus est in matriculam militarem, ipso facto censeatur beneficiis, si qua habet, renunciare, quæ tamen non recuperat, quamvis ipsum pœniteat facti, & resumat statum clericalem.*

IN SEXTO.

C. *CLERICI unic. h. t. statuit Bonifacius VIII. ut clericus coniugatus cum virgine, si ferat tonsuram, & vestes clericales, gaudeat duobus privilegiis. Primò* c. si quis suadente. *Secundò privilegio fori, ut pro delictis non possit trahi ad tribunal laicale, neque criminaliter, nec civiliter; nec à seculari possit condemnari in persona, nec in pecuniis; aliis privilegiis caret, imò etiam deperdit hæc duo, si tonsuram, & vestes non deferat. Ubi notandum est, clericum coniugatum, ut gaudeat privilegio, debere ferre non solùm vestem superiorem, sed etiam inferiores, si sint patentes. Rursus mulier debet esse desponsata in virginitate. utclericus coniugatus gaudeat privilegio clericali.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

An Clerici coniugati possint promoveri ad ordines, & beneficia ecclesiastica.

QUia nequit clericus simul sensuum voluptatibus, carnalibus desideriis, & divinis, ac ecclesiasticis obsequiis vacare, ut scripsit Apostolus 1. *ad Corinth. c. 7.* ubi voluit, etiam ipsos laicos coniugatos abstinere ad tempus ab usu matrimonii, ut vacent orationi; ideo non solùm inhonesta cum fœminis cohabitatio est clericis interdicta; verùm etiam ipsa copula matrimonialis, adeo ut si clerici matrimonium contrahant, ad sacros ordines, & ecclesiastica beneficia, aut administrationes non debeant admitti, nisi fortassis clericus coniugatus perpetuam voverit continentiam, & unicam uxorem, eámque virginem duxerit, ut decrevit Alexander III *in c. sanè* 2. *h. t.* ubi habetur, quòd clericus coniugatus non sit capax beneficii, nisi voveat perpetuam castitatem, & coniux eius fuerit una, & virgo, nec possit admitti ad sacros ordines, vel administrationes ecclesiasticas.

Quòd si clerici coniugati castitatem voverint, debent separatim habitare, tametsi sint jam senio confecti, & citra copulæ suspicionem: sin verò sint juvenes, non possunt promoveri, nisi transeant ad religionem *c. cùm sis præditus. c. apostolicam. c. coniugatus de conversione coniugatorum*: cùm enim clerici divinis teneantur obsequiis incumbere, & sacra obire officia, ac ministeria, quorum pleraque sacros ordines exigunt, vel saltem propositum eos suscipiendi, æquum non fuerat, ut coniugati ad sacros promoverentur ordines, quibus annexum est continentiæ votum, quod est incompatibile cum statu coniugali: neque conveniens erat, ut coniugati ad beneficia ecclesiastica promoverentur, cùm beneficium conferatur propter officium, & plura divina officia continentiam exigant.

Quòd si clericus coniugatus perpetuam

vovent continentiam ex consensu uxoris, tunc cessat ratio, ob quam status coniugalis clericali repugnat, sed in tali casu requiritur, quòd si uxor velit in sæculo manere, votum perpetuæ continentiæ edat, & eam attigerit ætatem, ut incontinentiæ periculo vacet, alioquin si in florente adhuc esset ætate, deberet religionem monialium ingredi *c. coniugatus 5. de conversione coniugatorum*, Sanchez *libro 7. de matrim. disp. 47. n. 16.* Hinc clericus coniugatus incapax est ecclesiastici beneficii obtinendi, quia laicus non est capax ecclesiastici beneficii *c. cum adeo 17. de rescript.* & clericus coniugatus habetur in omnibus perinde ac laicus, exceptis casibus expressis *in c. unic. in 6. h. t.* unde collatio beneficii facta clerico coniugato ipso jure est nulla: neque juvatur regulâ de triennali pacifica possessione beneficii, quia clerici conjugati sunt totaliter incapaces beneficii ecclesiastici, quod tamen limitatur, nisi ex consensu uxoris emisso voto castitatis initietur ordinibus minoribus animo ascendendi ad sacros, quia tunc matrimonium est solutum, non quoad vinculum, cùm sit indissolubile; sed quoad usum, & cohabitationem.

4 Hoc tamen est discrimen inter clericos in minoribus, & maioribus ordinibus constitutos, quia clerici in minoribus ordinibus possunt quidem si velint matrimonium contrahere: sed eo ipso quòd uxorẽ ducunt, statui censentur renunciâsse clericali, ac privantur omnibus beneficiis ecclesiasticis, ut desumitur *ex c. si quis 1. h. t.* ubi habetur: si clericus in minoribus contrahat matrimonium, cogatur per censuras ecclesiasticas dimittere beneficia; & retinere uxorem: si erat in sacris, cogatur per suspensionem, & excommunicationem dimittere uxorem, & pœnitentiam agere de commisso peccato. Ubi notat Glossa, beneficia clerici uxorati vacare ipso jure, & cogi illa dimittere quoad solum factum, & possessionem, quia per factum contrarium renunciavit suo juri: & licèt aliqui videantur dubitare, an beneficia talis clerici ipso jure vacent, an verò per sententiam Judicis, communior tamen, probabilior, & recepta sententia est, quòd vacent ipso jure, adeo ut clericus in minoribus constitutus si matrimonium validè contrahat, ipso jure eius beneficia amittat, quia ipso iure vacant etiam ante sententiam Judicis, ut notat Glossa *in c. si quis 1. V. relinquenda h. t.* quia eo ipso quòd matrimonium validè contrahitur est incompatibile cum beneficio ecclesiastico, proinde cum clericus teneatur scire, se non posse simul beneficium ecclesiasticum retinere, & uxorẽ ducere; ideo eo ipso quòd uxorem ducit censetur tacitè, & ipso facto renunciâsse beneficiis ecclesiasticis, quæ obtinuit etiam ante sententiam Judicis *argu. c. ex transmissa 3. de renunciatione, & c. cùm renunciatur 9. caus. 32. q. 1.* cùm enim matrimonium, & beneficium ecclesiasticum sint res incompatibiles *c. quod ad te 3. & c. diversis 5. h. t.* adeo ut altero suscepto alteri renunciare censeatur, ideo ipso iure, & ante sententiam Judicis, eo ipso quòd clericus in minoribus ordinibus constitutus matrimonium contrahit, eius beneficia ecclesiastica, quæ obtinuit vacant e-

Tum quia quælibet collatio beneficii ecclesiastici eam saltem habet subintellectam conditionem ex consuetudine Ecclesiæ, si clericus in eodem statu perseveraverit: siquidem sub ea tacita conditione conferuntur clerico initiato minoribus ordinibus beneficia, ut non assumat statum incompatibilem cum clericatu, quia eo assumpto, ipso jure, ut deficiente conditione statim amittit beneficia, quæ obtinuerat: adeo ut talis clericus contrahens matrimonium validum non amittat beneficia ecclesiastica in pœnam delicti, quia huiusmodi pœnæ non obligant ante sententiam Judicis saltem in conscientia, siquidem nullum delictum est, quod clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat; sed amittit beneficia ecclesiastica ipso jure ex eo præcisè, quia spontè assumit statum incompatibilem cum beneficiis ecclesiasticis. 5

Hinc plurimum in effectu interest, si beneficia vacent ipso iure, quia tunc clericus ab illo tempore, quo matrimonium contraxit, fructus beneficiales amplius non lucratur, & tale beneficium tanquam vacans potest ab alio impetrari; secus si beneficia vacent non ipso jure, sed per sententiam Judicis, clericus lucratur fructus, donec Judex privationis sententiam protulerit; neque ante prolationem huius sententiæ censetur beneficium vacare, nec esse ab alio impetrabile. 6

Neque ullum faceſſit negotium, quod *in 7 t. 5. & 5. h. t.* videatur Pontifex jubere, ut clerici coniugati per Episcoporum sententiam priventur suis beneficiis: quia ut rectè notat Glossa, id intelligitur de privatione facti, seu possessionis, quæ fit per actualem expulsionem beneficiati; non verò de privatione iuris, seu tituli, quem clericus habebat in beneficiis, quæ obtinuerat, quia tali jure privatus jam fuit, cùm primùm nuptias inivit *argu. c. cum nostris c. litteras de conceſſ. prebend.*

Immo si clericus in minoribus constitutus 8 matrimonium contrahat per verba de præsenti, tametsi non sit consummatum ipso iure perdit beneficia, quia etiam per sponsalia de præsenti non secutâ copulâ assumitur status incompatibilis cum beneficiis ecclesiasticis, ut docet Garzias *tract. de beneficiis p. 11. c. 8. n. 1.*

Hinc si uxor clerici ante consummationem 9 matrimonii decedat, vel religionem ingrediatur, ac proinde matrimonium ratum dissolvatur, etiam in hoc casu privatur ipso jure beneficiis ecclesiasticis, quæ ante matrimonium obtinuerat: siquidem ex intentione clerici assumptus est status incompatibilis cum beneficiis ecclesiasticis; proinde iuris interpretatione ipso facto supponitur renunciâsse ijsdem beneficiis: sæpe enim non tam attenditur quid aliquis potuerit, quàm quid per ipsum actum voluerit facere *argu. c. 4. de bigamis non ordinand.* Barb. *in collect. ad d. cap.* unde tametsi ante consummationẽ matrimonii rati uxor moriatur, non propterea clericus recuperat sua beneficia, quia hæc per matrimonium contractum per verba de præsenti ipso jure vacârunt, & eo ipso quod vacârunt, non possunt amplius recuperari sine nova collatione, quia ius si semel extin-

guatur

gûatur non amplius reviviſcit, tametſi cauſa extinguens ceſſaverit *argu. clement. gratia 4. de reſcript.* juncta Gloſſa *v. reſignaveris.*

12 Immo per tale matrimonium validè contractum à clerico amittuntur etiam acceſſus, & regreſſus, & omnia alia jura ad beneficium eccleſiaſticum ipſi contrahenti competentia: hinc ſi clericus impetraverit reſcriptum ad beneficium vacatum, & antequam vacaret, validè inivit matrimonium; ſi poſtea defuncta uxore vacavit beneficium, non poteſt illud petere ex vi talis reſcripti; quia cùm ſit matrimonium incompatibile cum beneficio, eo ipſo, quòd contrahitur validè non ſolùm beneficia ipſa, verùm etiam omnia jura ad eadem beneficia extinguntur, ceſſante enim principali ceſſant, & acceſſoria ad illud. Imò non ſolùm amittuntur jura ad beneficia, ſed etiam penſiones titulo clericali alicui collatæ, quia per aſſumptionem ſtatus coniugalis clericus cenſetur illis renunciare, perinde ac beneficiis, quibus ſubroguntur penſiones: ſubrogatum autem cùm ſapiat naturam illius, cui ſubrogatur, ideo qui per matrimonium ratum fit incapax beneficii eccleſiaſtici; fit etiam incapax penſionis clericalis. Id tamen non procedit de illis penſionibus, quæ non dantur in titulum beneficii, ſed conceduntur clerico in minoribus conſtituto pro miniſterio merè temporali, ut quia eſt advocatus, vel procurator Eccleſiæ, ſiquidem hæ penſiones non extinguuntur per aſſumptionem ſtatûs coniugalis.

13 An verò, quando contrahuntur ſponſalia per verba de futuro, clericus in minoribus conſtitutus amittat etiam ipſo jure, quæ obtinuerat beneficia eccleſiaſtica. Reſpondetur negativè, quia ſicut per adeptionem ſecundi beneficii incompatibilis non vacat primum, eò quia plena poſſeſſio ſecundi nondum ſit obtenta, ut deſumitur *ex c. commiſſa 30. de elect.* ita per ſponſalia de futuro nondum intelliguntur vacare beneficia eccleſiaſtica, quia per huiuſmodi ſponſalia nondum aſſumitur ſtatus plenè incompatibilis cum beneficiis eccleſiaſticis, ſed clericus tantùm ſe conſtituit in via ad talem ſtatum ſuſcipiendum, ut notat Barb. *in c. 1. & 2. h. t.* unde ad privationem beneficiorum non ſufficiunt ſola ſponſalia de futuro contracta, cùm per ea nondum ſtatus ordini clericali contrarius ſuſceptus ſit: imò ſi clericus matrimonium invalidè inierit ex defectu conſenſûs in ipſo clerico, nec privatur beneficiis eccleſiaſticis, quia tunc ceſſat ratio tacitæ renunciationis.

14 E contra clericus contrahens matrimonium validum non poteſt retinere priora beneficia, ſed tenetur ſtatim ea dimittere, alioquin eſſet iniuſtus detentor rei non ſuæ, quapropter tenetur ad reſtituendos omnes fructus à ſe perceptos poſt initum matrimonium; non ita hæc procedunt, ſi clericus invalidè contrahat matrimonium, quia tunc non amittit beneficium ob tacitam renunciationem: ſiquidem tacita renunciatio nequit maiorem vim habere, quàm expreſſa: ſed hæc non inducit vacationem beneficii, niſi fiat in manibus legitimi ſuperioris, ut habetur *in c. niſi 10. c. quod in dubiis 8. de renunciatione.* Tum quia quod ex ſe eſt irritum in jure perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, adeo ut nullum ponat effectum juxta *regul. iur. 52. in 6.* & quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum *l. ſi ſe. 4. §. condemnatum ff. de re iudic.* Quamobrem cùm tale matrimonium nullum ſit, nec poteſt ullum juris effectum inducere. Poteſt tamen clericus validè contrahens matrimonium beneficium reſignare in favorem alterius, antequam tale matrimonium contrahat, quia tunc nondum cenſetur vacare.

15 Epiſcopus cum clerico coniugato, & minoribus ordinibus initiato non poteſt diſpenſare in ordine ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica, ſive hæc curata ſint, ſive ſimplicia; tametſi unâ tantùm duxerit virginem, & clericalẽ habitum, ac tonſuram ferens, velit alicui Eccleſiæ inſervire: quia ſolus ſummus Pontifex poteſt diſpenſare, ut clericus coniugatus tale beneficium obtineat, ut docet Gloſſa *in c. Ioannes 7. h. t.* ubi aſſerit, clericum coniugatum ex diſpenſatione Papæ poſſe beneficium habere, unde non poteſt Epiſcopus diſpenſare.

16 Tum quia juxta ſacros canonẽs clerici conjugati in ordine ad res eccleſiaſticas, & beneficia, perinde habentur, ac laici, qui incapaces ſunt beneficiorum eccleſiaſticorum: proinde nequit Epiſcopus cum clerico coniugato contra canones diſpenſare, quia id nullibi expreſsè reperitur conceſſum Epiſcopis; quin potiùs prohibitum *c. ſi qui 1. h. t.* ubi Alexander III. ait, ſi clericus in minoribus contrahat matrimonium, cogatur per cenſuras eccleſiaſticas dimittere beneficia, & retinere uxorem, *& c. ſanè 2. h. t.* ubi dicitur, quòd clericus coniugatus non ſit capax beneficii eccleſiaſtici. Tum quia clerici coniugati non admittuntur ad eccleſiaſticas adminiſtrationes, ut liquet *ex eod. cap. 2. h. t.* proinde neque ex diſpenſatione Epiſcopi poſſunt eſſe capaces beneficii, quia hoc ſi ſimplex fuerit, datur tantùm ratione adminiſtrationis, vel officii eccleſiaſtici *c. propoſuit 6. de filiis Presbyteror.*

17 Circa tamen clericos coniugatos habetur conſtitutio Bonifacii VIII. *in c. unic. h. t. in 6.* quòd gaudeant privilegio canonis, & fori, dummodo contraxerint cum unica tantùm, & virgine, & rurſus tonſuram, & habitum clericalem continuò deferant: habetur enim *in c. clerici unic. h. t. in 6.* clericus coniugatus cum una, & hac virgine ferens tonſuram, & veſtes clericales gaudet duobus privilegiis primo *c. 1. ſi quis ſuadente.* Secundò, quòd pro delictis non poteſt trahi ad tribunal laicale, nec criminaliter, nec civiliter, nec à ſæculari poteſt condemnari in perſona, nec in pecuniis: Cætera privilegia non habet; immo ſi non defert coronam, & veſtes, amittit etiã iſta duo; unde ad hoc ut clericus coniugatus gaudeat his privilegiis, debet ferre, non ſolùm veſtem ſuperiorem, verùm etiam interiores, ſi ſint patentes, quia ſi ferat interiorem laicalem, habetur ut laicus. Concilium tamen Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 6.* huic conſtitutioni Bonifacii VIII. addidit, quòd clerici coniugati debeant inſuper deputari ab Epiſcopo, ad alicuius Eccleſiæ miniſterium

rium, ut gaudeant privilegio canonis, & fori.

17 An verò gaudeant utroque privilegio tam in civilibus, quàm criminalibus; communior ſententia eſt, quòd tantùm in criminalibus ſint clerici coniugati exempti à judicio ſæculari, & fundantur *in d. c. clerici unic. h. t.* eò quia ibi tantùm fiat mentio cauſarum criminalium, & in cæteris non vult, eos gaudere privilegio clericali. Alii verò hoc privilegium in clericis coniugatis extendunt etiam ad cauſas civiles; utriusque ſententiæ Authores, & fautores congerit Barb. *in collect. ad d. c. unic. n. 6. & 9.* Verùm putârim, ante Concilium Tridentinum clericos coniugatos veriſimiliter tantùm in criminalibus, habuiſſe fori privilegium, & in aliis cauſis civilibus, oneribus, & tributis fuiſſe ſubjectos laicali poteſtati, ut notat Gloſſa *in d. c. cleric. unic. in 6. h. t. in V. cæteris* niſi fortaſſis ex mandato Epiſcopi actualiter in Eccleſia Miniſtri eſſent.

18 Poſt concilium Tridentinum imperant, quòd clerici coniugati deputentur ſervitio Eccleſiæ, cenſerem tam in civilibus, quàm criminalibus cauſis gaudere privilegio fori: ſiquidem ſi familiæ Epiſcopi immo, & privatorum clericorum tale privilegium convenit, ut probat Marta *de jurisdictione p. 4.* & docent communiter jurisperiti, & Theologi, tantò magis id debet procedere de clericis coniugatis, quia plus eſt eſſe miniſtrum Eccleſiæ, ac clericalibus ordinibus initiatum, quàm eſſe ſimplicem famulum Epiſcopi, vel clerici. Imò probabiliùs etiam videtur, quòd uxores talium clericorum participent de eodem privilegio fori, quia ex communi regula uxor ſequitur forum mariti *l. femina §. de ſenator. l. fin. C. de incolis. l. 2. C. de Epiſcop. & cleric.* Hinc clericus coniugatus cum prædictis conditionibus gaudet privilegio fori, non ſolùm in cauſis criminalibus, ſive criminaliter ad vindictam agatur, ſive civiliter ad reſtitutionem damni illati, verùm etiam in cauſis civilibus, quæ ex contractu, & quaſi contractu deſcendunt, idque deſumitur *ex d. c. clerici unic. h. t. in 6.* ubi poſtquam dictum eſt, quòd non poſſint huiusmodi clerici trahi ad judicium ſæculare ſive criminaliter, ſive civiliter, poſtea ſubiungitur: *vel etiam pecuniariter nullatenus condemnari:* quæ verba ne fruſtranea ſint, debent aliquid operari, proinde intelligenda ſunt de cauſis merè civilibus, cùm de criminalibus jam antea dictum fuerit.

19 Quod verò ad clericos ſacris initiatos ordinibus attinet, certum eſt, eos nullo pacto poſſe matrimonium validè contrahere; idque ob votum ſolemne caſtitatis, quod ſacris eſt annexum ordinibus, eò enim ipſo quòd clericus voluntariè, & liberè ſuſcipit ſacrum ordinem, cenſetur etiam ſaltem virtualiter, & implicitè ſuſcipere omne id, quod neceſſariò connexum eſt cum tali ordine, & quia votum caſtitatis ex inſtitutione Eccleſiæ eſt annexum ſacris ordinibus; ideo ſuſcipiens ſacrum ordinem, eo ipſo cenſetur conſentire in votum caſtitatis quamvis expreſsè tale votum non exprimat *c. de voto in 6.*

Hinc ſi Clerici ſacris initiati ordinibus præſumpſerint matrimonium contrahere, quia hoc eſt nullum ob votum caſtitatis, quod eſt impedimentum dirimens, compelluntur ad dimittendas mulieres, & pœnitentiam agendam: quinimo ad id ſunt etiam compellendi per cenſuras, ſuſpenſiones, & excommunicationes, *c. ſi qui t. h. t.* ubi habetur: ſi clericus ſacris initiatus ordinibus matrimonium contrahat cogatur per ſuſpenſionem, & excommunicationem dimittere uxorem, & pœnitentiam agere de patrato delicto, immo *in clement. unic. de affinit. & conſanguinit.* ipſo facto incurrit excommunicationem, ac fit irregularis, adeo ut nec in ſuſceptis ordinibus valeat miniſtrare, neque ad altiores promoveri; verùm in hac irregularitate poſt peractam pœnitentiam poteſt Epiſcopus diſpenſare, dummodo clericus ſacris initiatus viduam non duxerit *c. 1. & 2. quod clerici, vel volentes 4. h. t.*

Unde hoc eſt diſcrimen inter clericos minoribus, & maioribus ordinibus initiati, quia illi poſſunt validè matrimonium contrahere, non verò iſti: & ratio eſt, quia votum caſtitatis non eſt annexum minoribus ordinibus, ſed tantùm maioribus; proinde impedimentum dirimens matrimonium tantùm afficit clericos ſacris initiatos ordinibus, idque deſumitur ex *ſexta ſynodo can. 6.* ubi habetur: *quoniam in apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum, qui non ducta uxore in clerum promoventur ſolos lectores, & cantores poſſe uxorem ducere; & nos obſervantes decernimus, & deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem contrahere liceat: ſi autem hoc fuerit auſus facere, deponatur.* 20

Rationes, ob quas oporteat, clericos cœlibes viver, eplures ſolent aſſignari. Prima ut tantò digniùs Deo puriſſimo miniſtrent, quantò longiùs diſtant à concupiſcentiis carnis: ſiquidem ſi in veteri teſtamento Sacerdotes miniſtrantes Domino in ſacrificiis judaicis, & manducantes panes propoſitionis debebant eo tempore abſtinere à mulieribus, quantò magis clerici in lege evangelica, cum miniſtrent Domino in vero ſacrificio, & manducent verum immaculatum Chriſti corpus. Secunda petitur ex eo, quòd magis integrè poſſint clerici Deo ſervire, ſi ab uxoribus liberi ſint, quia ut ait Apoſtolus 1. *ad Corinth. 7.* qui ſine uxore eſt ſolicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Tertia ut clerici beneficio continentiæ, & cœlibatûs in maiori habeantur apud populum honore, & reverentia: quò enim quis eſt vitâ ſanctior, eò magis à cæteris reveretur. Quarta, ut clerici ſine liberis, & uxoribus facilius, ac promptiùs poſſint hoſpitalitatem exercere, & pauperes, ac peregrinos libentiùs ſuſcipere, & copioſiùs alere. Quinta, ne redditus eccleſiaſtici deſtinati in uſus pios, in uxores, & liberos impendantur, & alias profanas cauſas expendantur. Sexta, ut exemplo Apoſtolorum, & eorum diſcipulorum clerici caſtitati ſtuderent. Septima deſumitur ex 21

Apoſto-

Apoſtolo *ad Timoth. c. 2. V. 3.* ubi ait: *laborá ut bonus miles Chriſti Ieſu, nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Unde Tertullianus *in exhort. ad caſtitatem* ait, quòd ducentes uxores cum iisdem iam ſuſceptis divortium bona fide ob militiam facerent, ne ob domeſtica negotia minus belli officia obire poſſent: ex quo urget Tertullianus: ſi quotidie, ſi omni momento oratio omnibus eſt neceſſaria, utique etiam continentia, quæ orationi neceſſaria eſt, hinc abſtinentia ab uſu matrimonii iniungitur uxoratis ante perceptionem Evchariſtiæ. *c. omnis 96. de conſecrat. diſt. 4. c. 1. & per tot. 33. q. 4.* hinc Auguſtinus *ſerm. 216.* ait: *ille homo Chriſtianus eſt, qui quoties ſancta ſolemnitates veniunt, ut ſecuriùs communicet, ante plures dies caſtitatem cum propria uxore cuſtodit.* Octava, quia coniugati non facilè in vitam contemplativam poſſunt animum dirigere, ſed in re uxoria, ac negotiis domeſticis iugiter occupantur, cum multa ſint connubii onera: quapropter Apoſtolus 1. *ad Corinth. 7.* vocat matrimonium gravem ſarcinam; & ſi ità eſt, ſubjungit Apoſtolus, non expedit homini uxorem habere. Quinimo uxoratus vix ſtudiis vacare poteſt, hinc Cicero poſt Terentiæ repudium ab Hiritio rogatus, ut ſuam ſororem in uxorem duceret, reſpondit, non poſſe ſimul uxori, & Philoſophiæ incumbere: unde à fortiori clerici ſacris initiati, cum debeant toti eſſe Deo addicti, ac divinis emancipati obſequiis, conveniens immo, & neceſſarium erat, ut à matrimonio contrahendo abſtinerent.

31 Obiiciunt tamen hæretici, quia ſive legem naturæ attendamus, ſive ſcriptam, aut gratiæ, nullum reperitur præceptum de cœlibatu ſacerdotum: quinimo in lege naturæ legimus, omnes ſacerdotes fuiſſe uxoratos ad Moyſis usque legem: ſiquidem erant primogeniti, & uxoribus vacabant, ut deſumitur ex *toto lib. Geneſeos*; ubi refertur, uſque ad Aaronis electionem omnes tam primogenitos, quàm cæteros ſacerdotes fuiſſe maritali vinculo uxoribus colligatos. Rurſus nec ſacerdotes legis ſcriptæ ſervâſſe cœlibatum deſumitur ex *c. 21. Levitici*, ubi Deus pro minoribus Miniſtris altaris ſanxit hanc legem: *ſcortum & vile proſtibulum non ducet uxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito, quia conſecratus eſt Deo, & panes propoſitionis offert.* Rurſus de uxore tradenda ſummo Pontifici, ſic ſtatutum invenimus: *Pontifex, ſeu ſacerdos maximus virginem ducet uxorem, viduam autem, & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiat, ſed puellam de populo ſuo*: unde tantùm abeſt, quòd cœlibatus fuerit iniunctus ſacerdotibus, ut Deus leges potiùs præſcripſerit, juxta quas deberent ſacerdotes uxores ſumere: ergo inferunt hæretici, etiã in lege gratiæ licitum erit ſacerdotibus uxores ducere, ne imponantur in lege Chriſti (cuius jugum ſuave eſt, & onus leve) graviora onera, quam fuerint in lege moſaica, & lapis offenſionis opponatur clerico, cum unuſquisque tentetur à concupiſcentia, & conſtet, plures cecidiſſe à cœlibatu, vel à ſtatu clericatus abhorruiſſe.

Sed contra, quia eſt diſcrimen inter ſa- 24
cerdotes legis veteris, & legis gratiæ. Primò, quia illi ad certam duntaxat tribum alligati debebant beneficio coniugii ſucceſſores progignere: ſecus in lege evangelica, quia ſacerdotium non carnali propagatione, ſed divina conſecratione ad poſteros tranſmittitur, non erat neceſſe, ut ſacerdotes iugali vinculo uxoribus copularentur. Secundò, ſacerdotes veteris legis immolabant carnes belluinas, & in lege evangelica offerunt divinum corpus, & ſanguinem unigeniti filii Dei. Tertiò, in lege veteri rariùs ſacerdotes accedebant ad ſacrificandum, & tunc etiam ipſi à congreſſu uxorum, & hauſtu vini abſtinebant: ſecus in lege evangelicâ ſacerdotes quotidie incumbunt ſacris Miniſteriis ſacrificiorum, orationum, ac ſacramentorum peragendis: proinde, ſi ſacerdotes veteris legis ab uſu abſtinebant matrimonii, eo tempore, quo ad ſacrificandum accedebant; æquum erat, ut in lege evangelicâ ſacerdotes quotidie abſtinerent ab uſu matrimonii; cùm quotidie vacent ſacris miniſteriis peragendis.

Demum, quia lex illa vetus rudior fuit, 25
& potiùs carnalis: lex verò evangelica eſt ſpiritualis; quapropter non debet incommodum cenſeri, ſi in lege evangelica ſint præcepta quædam carni moleſta: ſiquidem ſunt ſpiritui grata, ac levia; proinde non debent dici moleſta, nec gravia: quia dum adimplentur, animum perfundunt mira ſuavitate: & ut talia præcepta obſerventur, non deeſt divina gratia, ac Dei auxilium; id enim promiſit Oſee 11. inquiens *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & ero eis quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum*: atqui homini onuſto, ſi ipſe portetur, minus gravis eſt ſarcina: ſi verò ab alio ſuſtentetur, vel nihil, vel parum moleſtiæ affert baiulo. Neque obſtat, quod addebatur de pluribus tranſgredientibus cœlibatum, ſiquidem ſcandala clericorum non debent imputari legi de obſervando cœlibatu, ſed diſſolutioni, ac relaxationi naturæ corruptæ. Tum quia fidelis eſt Deus, qui non patitur ſupra modum ſervos ſuos tentari.

An verò cœlibatus clericorum ſit de jure 26
divino, vel tantùm humano eccleſiaſtico, videtur eſſe aliqua difficultas: certum eſt, ipſum votum caſtitatis annexum ſacris ordinibus obligare ex jure divino, idque deſumitur ex illo *Deuter. 23. cum votum voveris domino non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus*: unde difficultas non eſt, an ſervare votum caſtitatis annexum ſacris ordinibus, ſit de jure divino, id enim concedunt omnes: ſed difficultas eſt, an tale votum ſit ex præcepto divino ſacris ordinibus annexum; vel tantùm ex præcepto Eccleſiæ, adeo ut hæc juſtis de cauſis poſſit votum illud ſeparare à ſacris ordinibus: plures apud Sanchez *de matrimonio libro 7. diſput. 27. numero 4.* in ea ſunt opinione ut, cenſeant, ipſum votum caſtitatis iure divino eſſe annexum ordinibus ſacris, proinde jure divino cœlibatum eſſe iniunctum clericis, idque ex eo probant, quia à tempore

Apoſtolorum non extat exemplum, vel conſtitutio, ex qua permiſſum fuerit clericis poſt clericatum uxores ducere. Tum quia certum eſt, Apoſtolos ſeruâſſe perpetuam continentiam partim ex conſilio Chriſti, partim ſponte; & eoſdem ſuaſiſſe, ac conſtituiſſe, ut alii deinceps miniſtri Eccleſiæ continentiam ſervarent. Tum quia continentia, quam Apoſtoli præſcripſerunt ſtatim in Eccleſia ſervata fuit; & lege eccleſiaſtica, non ſemel, & iterum, ſed ſæpius præſcripta, & quidem dupliciter. Primò, ut non liceat clericis ſacris ordinibus initiatis uxorem ducere poſt ſuſceptos ordines. Secundò, ut ſi ante ſuſceptos ordines uxores duxerint, & poſtea ordines ſuſceperint, non liceat uxoribus uti, ſed debeant perpetuam ſervare continentiam, ut decretum fuit in Concilio Elibertino coacto, Anno Chriſti 313. in Concilio Agatenſi anno 506. *can.* 9. in Concilio Aurelianenſi III. Anno Chriſti 573. *can.* 7. & pluribus aliis.

27 Communior tamen ſententia eſt, votum caſtitatis jure divino non eſſe annexum ſacris ordinibus; adeo ut ſtatus matrimonialis, nec ex jure naturali, neque divino ſit incompatibilis cum ſtatu clericali excepto tempore miniſterii divini: ſiquidem per nullum textum legis divinæ reperitur, matrimonium eſſe clericis prohibitum: alioquin non potuiſſet Græcis concedi uſus matrimonii etiam contracti ante ſuſceptos ordines, neque Apoſtolus *1. ad Timoth. 3.* tolerâſſet, Epiſcopum eſſe unius uxoris Virum, neque Dionyſium Ariopagitam in Athenienſem Epiſcopum creâſſet conſtat enim ex actibus Apoſtolorum *c.* 17. Dionyſium fuiſſe coniugatum: fusè, & eruditè ſuper hoc argumento ſcribit Bellarminus *tom.* 1. *controverſiar. de cleric. libro* 1. *c.* 18. *& ſequent.* Quamobrem votum caſtitatis lege eccleſiaſtica impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit, ut docet D. Thomas *in 4. diſt. 37. queſt.* 1. *articul.* 1. S. Bonaventura *art.* 1. *queſt.* 2. & innumeri alii apud Sanchez *de matrim. lib. 7. diſt.* 28. *numero* 11.

28 Quòd ſi invita uxore maritus ſacris initietur ordinibus, uxor habet jus eum repetendi, & ipſe non poterit debitum petere, ſed tantùm tenebitur reddere, ut docet Abbas *in c. quoniam de coniug. lepres.* ubi jubetur redire ad uxorem, qui illâ invitâ monaſterium intravit.

§ II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an clerici ſacro ordine initiati, ſi matrimonium contrahant, hoc validum ſit? Reſpondetur negativè ex *c. ſi qui 1. h. t.* Ubi Pontifex reſcribit, quod ſi Clericus qui uxorem duxit, fuerat in ſacris conſtitutus, ſit compellendus per ſuſpenſionem, & excommunicationem dimittere uxorem, & agere pœnitentiam de commiſſo peccato, ex quo textu liquet, Clericos ſacro ordine initiatos, nec licitè, nec validè poſſe matrimonium contrahere. Ratio ex eo petitur, quia quilibet Ordo ſacer habet annexum ſolemne votum continentiæ *c. nunc. de voto in 6.* & docet D. Thomas *3. p. q. 53. art. 3. in addit.* at votum continentiæ, ſi ſit ſolemne, vel annexum ſacris Ordinibus dirimit matrimonium *c. Rurſus, qui clerici, vel vov.* proinde initiati ſubdiaconatu, & aliis ſuperioribus Ordinibus, ſi uxores duxerint, tenentur eas dimittere, & agere pœnitentiam, & ad id per ſententiam ſuſpenſionis, & excommunicationis ſunt etiam à ſuperiore compellendi, ut habetur in *d. c. ſi qui 1. h. t.* & in *c. à multis de ætat. & qualit. ordin.* Idque rectè fuit ab eccleſia ſtatutum, quia initiati ſacris ordinibus tractant Sacramenta *cap. cum in præterito diſt.* 48. Imò & ipſi dicuntur templum, & ſacrarium Spiritus ſancti *c. decernimus diſt.* 28. conſequenter, ut impenſiùs divinis vacent, Deóque inſerviant, alieni debent eſſe à carnali connubio: & ſiquidem indignum eſt, eos immunditiis deſervire, qui nonniſi munda, & ſancta pertractant, ut monet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 13.

2 Quæritur ſecundò, an Clerici minores nondum ſacris Ordinibus initiati poſſint validè matrimonium contrahere? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *d. c. ſi qui 1. h. t.* ubi Pontifex declarat, quòd ſi Clericus in minoribus contrahat matrimonium, ſit compellendus per cenſuras eccleſiaſticas dimittere beneficia, & uxorem retinere. Hinc ſi Clericus beneficiarius ſacro ordine non initiatus matrimonium contrahat, validè quidem ipſum contrahit, ſed ipſo jure vacant eius beneficia, ut communiter docent Canoniſtæ: imò Gloſſa in *d. c. ſi qui* aſſerit, matrimonium cenſeri tacitam beneficii eccleſiaſtici renuntiationem, adeo ut eò ipſo, quòd matrimonium contrahitur, intelligatur huiusmodi renuntiatio; cùm clericus ſciat, vel ſcire debeat, non poſſe ſimul beneficium retinere, & uxorem *c. diverſis 5. h. t.* perinde ac qui ſecundum beneficium incompatibile cum primo accipit, ipſo jure amittit primum *c. litteras 9. de conceſſ. præbend.* adeò ut primum, ut vacans poſſit ab alio clerico impetrari, quamvis nondum vacet de facto; quatenus Clericus, qui ſecundum beneficium incompatibile accepit, adhuc primum poſſideat: quapropter, ut rectè notat Imola in *d. c. ſi qui numero 4. h. t.* opus tunc eſt authoritate Judicis, qui poſt declaratam privationem, eam jubeat mandari executioni, ut à tempore ductæ uxoris, vel accepti ſecundi beneficii incompatibilis cum primo, hoc intelligatur vacare, ut fusè probat Ioannes Andreas *in d. cap. ſi qui 1. h. t.*

3 Quæritur tertiò, an etiam clericus ſacris initiatus, ſi matrimonium contrahat ipſo jure privetur beneficiis, vel tantùm ſit ab homine, ſeu Judice privandus in pœnam ſui delicti? Reſpondetur perquàm probabile eſſe, Clericum ſacris initiatum ordinibus, ſi matrimo-

trimonium contrahat non privari beneficiis antea obtentis ipso jure, sed in pœnam sui delicti posse privari ab homine, seu Judice per sententiam, & ita communiùs censent Canonistæ cum Glossa fin. in *d. c. si quis* 1. *h. t.* Ratio petitur ex eo, quia matrimonium initum à Clerico sacris initiato est invalidum, & perinde se habet, ac si non esset, adeo ut non removeat clericum à statu clericali; & de jure beneficia non sunt incompatibilia cum Clerico, qui uxorem duxit, proinde de jure non censetur talis clericus privatus suo beneficio, sed privandus est ab homine, seu per sententiam Judicis.

Neque obstat, quòd Clerici in minoribus constituti, si uxores ducant, ipso jure priventur beneficiis, quæ obtinuerunt etiam ante sententiam Judicis, ut notat Glossa in *d. c.* 1. *v. relinquenda h. t.* & Barbosa *in collect. c.* 1. *n.* 2. *h. t.* nam est discrimen, quia matrimonium initum à clerico in minoribus constituto est validum, proinde incompatibile cum beneficio ecclesiastico; & cùm clericus scire debeat, quòd non possit beneficium retinere, & uxorem, eo ipso quòd uxorem ducit, censetur tacitè, & ipso facto renuntiare beneficio *argum. c. extransmissa* 3. *de renuntiat. c. cum renuntiatur* 9. *canf.* 32. *q.* 1. siquidem contrario facto ceditur jure proprio *arg. l.* 1. *C. de furtis.* Præterea quia sub tacitâ conditione confertur Clerico beneficium, ne scilicet statum incompatibilẽ cum beneficio, & statu ecclesiastico assumat, & matrimonium est incompatibile cum statu ecclesiastico, proinde eo assumpto tanquam deficiente conditione cessat beneficium. Et hæc est ratio, cur clericus in minoribus constitutus, si matrimonium contrahat, non amittat beneficium in pœnam delicti, sed quia sponte assumit statum incompatibilem cum beneficio, quo propterea privatur ipso jure ante sententiam Iudicis. Secus Clericus sacris initiatus nec licitè, nec valide matrimonium contrahit, proinde cùm non amittat statum clericalem, non privatur ipso iure suo beneficio, sed ab homine, seu per sententiam Judicis, donec uxorem dimiserit, seque emendaverit, adeò ut donec plenè satisfecerit, suspendendus sit ab officio, & beneficio *c. sane* 4. *h. t.*

6 Tum quia vel Clericus sacris initiatus, & matrimonium contrahens privatur beneficio ipso jure ex ipsa natura facti ob initum matrimonium, & tacitam renuntiationem; vel in pœnam criminis, ob aliquam constitutionem Pontificiam: atqui neutrum dici potest, non primum, quia cùm tale matrimonium sit invalidum, perinde se habet, ac si non esset, & non entis non est qualitas, proinde non potest excludere statum clericalem etenim juxta vulgatam regulam, quod nullum est, nullum potest effectum producere, consequenter nec excludere statum clericalem: hinc in *regul.* 52. *in 6.* dicitur, quod non præstat impedimentum, quod jure non fortitur effectum: neque potest dici secundum, quia talis constitutio pœnalis non fuit lata, & nullibi reperitur.

Neque obstat, si dicas, Clericum sacris initiatum, si matrimonium contrahat, quantum est in se, censeri assumere statum coniugalem incompatibilem cum beneficio, eique propterea tacitè renuntiare. Nam contra est, quia non sufficit, si clericus velit assumere statum incompatibilem, si voluntas effectum non sortiatur: siquidem mera voluntas effectum non sortiatur: siquidem mera voluntas, vel conatus inefficax in ordine ad pœnas, aut impedimenta contrahenda, non reputatur pro facto, nisi in jure id exprimatur, unde observandum est, pro aliis argumentis à pari, quæ possent obiici, leges pœnales etiam ob paritatem rationis non esse extendendas ad casus diversos, nisi necessitas urgeat, alioquin sequeretur iniquitas, & contradictio jurium, præsertim cùm hîc omnia jura obstent, clamentque, quod nullum est, nullum producere effectum.

7 Quæritur quartò, an coniugatus sit promovendus ad administrationem, beneficium, vel ordinem ecclesiasticum? Respondetur negativè, adeò ut clericus coniugatus non sit ordinandus, nec ad beneficium ecclesiasticum admittendus, nisi unicam, eámque virginem, seu ab alio non corruptam uxorem duxerit, & continentiam perpetuam voverit, & uxor sit constituta extra periculum incontinentiæ, & desumitur *ex c. sanè* 2. *h. t.* ubi Alexander III. rescribit Episcopo Erdfordensi, ut provideat, ne imposterum Clerici coniugati ad beneficia ecclesiastica, sacros Ordines, aut ecclesiasticas administrationes admittantur præter quam si quis unicam, eámque virginem uxorem habeat, voveátque perpetuam castitatem, & tunc ut notat Glossa in *d. c. sane* debent separatim habitare, quamvis sint senes, & absque suspicione copulæ; quòd si sint juvenes, non possint promoveri, nisi tranleant ad Religionem *c. cùm sis præditus c. Apostolicam c. coniugatus de conversi. coniug.* Ratio ex eo petitur; quia clericos inservientes divinis sacramentis oportet esse continentes *c. Episcop. dist.* 21. & cùm Clerici quotidianis necessitatibus divini ministerii occupentur *c. tenere dist.* 31. & beneficium detur propter officium *c. fin. de rescript. in 6.* sequitur, quòd cùm coniugatus non possit munditiam castitatis servare, teneatúrque uxori suæ adhærere, eique debitum reddere, non conveniat, ut ad ecclesiasticos ordines, administrationes, & beneficia admittatur, nisi castitatem promiserit, quia uxore mortua, vel etiam ipsa castitatem vovente potest vir promittens continentiam promoveri, quia potest tunc ecclesiæ mundè, ac libetè deservire.

8 Hinc Clericus coniugatus est incapax beneficii obtinendi, quia laicus non est capax beneficiis ecclesiasticis *c. cùm adeò* 17. *de rescript.* & Clericus coniugatus habetur in omnibus, ut laicus exceptis casibus expressis in *c. unic. h. t. in 6.* imò cùm Clericus, si matrimonium contrahat, amittat beneficia priùs obtenta, multò magis erit incapax ad nova obtinenda; proinde collatio beneficii ipsi facta est ipso jure nulla

nulla, neque clericus coniugatus juvatur regula de triennali pacifica poſſeſſione beneficii, adeò ut poſtea non poſſit moleſtari; ſicut nec laicus, tametſi eâ regulâ iuventur alii inhabiles, ut excommunicati, & irregulares, quia hi non ſunt omnino incapaces beneficii, quamvis pro eo tempore non poſſint illud obtinere, alioquin prius obtento non privantur: ſecus laicus, & clericus conjugatus non poſſunt ullo modo beneficium acquirere, neque retinere acquiſitum ante matrimonium, niſi conditiones appoſitas in *d.c. ſane* 2. *h. t.* obſervaverint.

9 Quæritur quintò, an ſi clericus beneficiatus, & nondum in ſacris conſtitutus contrahat matrimonium invalidè, adeò ut hoc ob impedimentum aliquod ſit irritum, privetur tunc clericus ipſo jure ſuo beneficio. Reſpondetur, quòd tametſi juxta communiorem ſententiam beneficium tunc vacet ipſo jure, nihilominus perquam probabile eſt, clericum beneficiatum contrahentem invalidè matrimonium non privari ipſo jure ſuo beneficio, ſed tantùm eſſe privandum ab homine, ſeu per ſententiam Judicis, niſi cum ipſo diſpenſetur, ut notat Gloſſa in *c. ſi quis* 1. *h. t.* & docet Garicas *de benefic. p.* 11. *c.* 8. *n.* 17. Idque ex eo ſuaderi poteſt, quia contrahens invalidè matrimonium non mutat ſtatum, conſequenter non amittit beneficium ob tacitam renuntiationem, quia renunciatio tacita non poteſt eſſe efficacior expreſsâ: hæc autem non inducit vacationem beneficii, niſi facta ſit in manibus legitimi Prælati *c. niſi* 10. *c. quod in dubiis* 8. *de renunt.* Rurſus neque beneficium amittitur ratione ſtatus incompatibilis: quia cùm matrimonium ſit invalidum, Clericus qui tale matrimonium contraxit, non tranſit de ſtatu clericali ad ſtatum matrimonii, quia cùm matrimonium ſit irritum, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, & quod non eſt, non poteſt producere effectum, nec res mutare: neque voluntas aſſumendi ſtatum matrimonialē, & quantum eſt in ſe dimittendi beneficium ſufficit ad inducendam vacationem beneficii, quia talis voluntas, cùm non ſortiatur ſuum effectum, eſt inefficax, & quoad effectū perinde ac ſi non eſſet.

10 Neque clericus beneficiatus privatur ſuo beneficio ex juris diſpoſitione, quia canones privantes clericum beneficiatum ſuo beneficio, ſi uxorem ducat, loquuntur de matrimonio valido, & ſubſiſtente, & non de invalido. Tum quia quod de jure non ſortitur effectum, perinde reputatur, ac ſi non eſſet in ordine ad talem effectum juxta *regul. jur.* 52. *in* 6. quod autem nullum eſt, nullum poteſt effectum producere. Tum quia nullus textus in jure canonico poteſt aſſignari, qui diſponat in tali caſu ſolam attentationem facti ſufficere, tametſi in quibuſdam aliis caſibus id reperiatur diſpoſitum, neque id obſtat, quia cùm ſimus in pœnalibus textus non debent extendi ad caſus non expreſſos, ſed reſtringi ad ſolos expreſſos in iiſdem. Quamobrem ſi clericus beneficiatus in minoribus tantùm conſtitutus contrahat matrimonium, quod ſit invalidum ob aliquod impedimentum dirimens, ſive illud noverit, ſive ignoraverit, non vacat ipſo jure eius beneficium, & id procedit, ſive matrimonium ſit irritum ob defectum ætatis, vel conſenſus voluntarii, vel eò quia fuerit clandeſtinè initum, hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium, quia hæc præſentia juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de refor.* pertinet ad formam ſubſtantialem matrimonii, quâ intermiſſa matrimonium eſt nullum, proinde non poteſt inducere vacationem beneficii ipſo jure, quia quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum *l. ſi ſe* 4. §. *condemnatum ff. de re judic.*

Quæritur ſextò, an clericus ſacris initia- 11.
tus, ſi matrimonium invalidum contrahat, privetur ipſo jure ſuo beneficio? Reſpondetur probabiliùs eſſe, non privari ipſo jure, ſed eſſe privandum ab homine, ſeu per ſententiam Judicis in pœnam ſui delicti, ut notat Gloſſa in *c. ſi quis* 1. *h. t.* & ibi Abbas *n.* 7. ubi aſſignatur diſcrimen inter clericos ad minores tantùm promotos, & clericos ad maiores aſſumptos, ſeu in ſacris conſtitutos: ſiquidem de minoribus dicitur, eſſe cogendos, ut beneficia eccleſiaſtica dimittant, & uxores, cum quibus contraxerunt, retineant: & de conſtitutis in ſacris ſolùm dicitur, cogendos eſſe, ut uxores dimittant, quamvis per ſententiam Judicis ſint ab officio, & beneficio ſuſpendendi, donec uxores dimiſerint, ſeque emendaverint, ac plenè ſatisfecerint. Tum quia clericus ſacris ordinibus initiatus, ideo ob matrimonium initum privaretur ipſo jure ſuis beneficiis, eò quia aſſumpſit ſtatum incompatibilem cum talibus beneficiis, quibus propterea tacitè præſumeretur renuntiare, cùm primùm matrimonium contraheret: atqui hunc ſtatum incompatibilem non aſſumit clericus invalidè contrahens matrimonium, quia eo ipſo, quòd matrimonium eſt irritum, de jure nullum ſortitur effectum ex *regula juris* 52. *in* 6. Tum quia quòd nullum eſt, nullum poteſt producere effectum *l. ſi ſe* 4. §. *condemnatum ff. de re judic.* Neque in pœnam delicti privatur ipſo jure ſuo beneficio, quia hæc pœnalis conſtitutio in jure non exiſtit.

Quæritur ſeptimò, quomodo debeat ſe 12.
gerere Epiſcopus cum ſacerdote, qui de facto matrimonium contraxit? Reſpondetur, Epiſcopum debere in primis tali ſacerdoti pœnitentiam iniungere, & ea peracta, ſi verè ſe correxerit, vitam laudabilem duxerit, & ſit continens, cum illo diſpenſare, ut exerceat ordines in ſuo officio, idque ex indulgentia, non ita ex rigore, & ante pœnitentiam, & deſumitur ex *c. ſanè* 4. *h. t.* Obſervandum eſt, clericum ſacris initiatum, ſi uxorem ducat, quandam incurrere irregularitatem diſpenſabilem tamen ab Epiſcopo, quam aliqui cum Suarez *de cenſur. diſp.* 49. *ſect.* 4. putant eſſe irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ *arg. c. quotquot* 24. *cauſ.* 27. *q.* 1. Verùm quidquid ſit de hoc, certum eſt, hanc irregularitatem eſſe diſpenſabilem ab Epiſcopo poſt peractam pœnitentiam, & vitæ emendationem, & non incurri niſi nuptiæ fuerint conſummatæ. Præterea certum eſt etiam, talem clericum quamvis regularem non teneri beneficia ſua dimittere, donec illis privetur. Juvat tamen obſervare, quòd

licèt Episcopus possit dispensare, si Sacerdos contraxit cum virgine, non ita si cum corrupta, vel fuit bigamus, seu habuit aliam uxorem, quando erat sæcularis.

13 Quæritur octavò, quomodo clerici, privandi sint beneficiis, quæ habebant tempore matrimonii initi? Respondetur, esse privandos ab Episcopo, & desumitur ex *c. diversis 5. h. t.* ubi cum Innocentius III. intellexisset, quòd in Novicensis Episcopi Diœcesi clerici conjugati beneficia ecclesiastica retinerent, rescripsit Episcopo, ut dictos clericos suis privet beneficiis, nisi ipsemet iisdem scienter contulerit beneficia post contractum matrimonium: quia tunc non Episcopus, sed ejus superior debet prætatos clericos beneficiis privare. Ratio ex eo petitur, quia si clericus haberet uxorem, & ecclesiasticum beneficium in ipsius conversatione, cithara cum psalterio non benè concordaret, quia habens uxorem cogitat, quomodo placere possit uxori, proinde minus quæ Dei sunt, potest cogitare; quia quasi divisus plenam sui non habet potestatem: consequenter Ecclesiæ, à qua tale stipendium, & beneficium reciperet, non posset plenè inservire; quinimò amore filiorum, & conjugis, facilè rerum Ecclesiasticarum substantia per ipsum periret *c. De Syracusana dist.* 28. & habetur in *c. diversis 5. h. t.* & quia beneficium datur propter officium *c. fin. de rescript. in 6.* qui non est aptus ad servitium officii non debet illud habere *c. charit.* 12. *q.* 2. Verùm id debet intelligi de clericis tantùm ad minores ordines promotis, qui tametsi uxorem virginem ducant, & conjugio utentes velint Ecclesiæ inservire, adhuc non possunt beneficia ecclesiastica, nec eorum administrationes retinere, & multò minus possunt iisdem conferri beneficia ecclesiastica, aut pensiones clericales: quia clericus conjugatus exceptis casibus expressis habetur ut laicus, qui non est capax beneficiorum Ecclesiasticorum, nec proinde pensionum clericalium juxta stylum curiæ Romanæ, ut notat Navarrus *lib. 1. consil. de bis qui edit.* 2. & qui incapax est beneficii ecclesiastici, est etiam incapax pensionis clericalis, si conferatur titulo clericali. Neque est consultum, ut clericis habentibus liberos, & nepotes conferantur ecclesiasticæ administrationes ob periculum, ne quæ ad Ecclesiam pertinent, suis elargiantur consanguineis *arg. diversis 5. h. t.* & *c. De Syracusana* 13. *dist.* 28.

14 Quæritur nonò, an filius sacerdotis Græci genitus ab uxore possit inter latinos licitè promoveri? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. cum olim 6. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Archerontino, quòd filius sacerdotis Græci ex legitimo tamen matrimonio natus, potest ordinari ritu latino, tametsi ejus pater maneat in ritu græco: nisi consuetudo regionis repugnet, quia tunc esset inhabilis. Ratio ex eo petitur, quia sacerdotes Græci non emittunt votum continentiæ, quando initiantur ordinibus sacris *c. ut clericorum de vita, & honest. cler. c. Nicena dist.* 31. Hinc clerici Græci in minoribus ordinibus si contrahant matrimonium in superioribus, seu sacris utuntur eodem matrimonio jam contracto, *c. aliter dist.* 31. & quia filius natus ex vero matrimonio est legitimus *l. filium ff. de his qui sunt sui, vel alterius juris*: & filius legitimè natus non prohibeatur promoveri ad ordines sacros etiam inter latinos, tametsi ejus pater postea fiat sacerdos *c.* 1. *de fil. Presbyter.* sequitur, quòd si non obsit aliud canonicum impedimentum, possit filius sacerdotis Græci ex ejus uxore natus, etiam inter latinos promoveri legitimè ad ordines *c. Ad hæc de fil. Presbyt.* id tamen limitatur nisi scandalum obstet, cum hoc semper sit vitandum, quando potest sine peccato *c. nihil de præscript.* adeò ut si consuetudo regionis esset in contrarium, standum tunc esset tali consuetudini, & abstinendum ab ordinatione, ut habetur in *c. cum olim 6. h. t.* Tum quia providendum est, ne variis ritibus coinquinetur Ecclesiæ honestas *cap. cum secum. de temp. ordin.*

15 Observandum est, continentiam clericorum in sacris oriri ex proprio eorum voto, & obligatione voluntaria: & orientalibus sacerdotibus, tametsi permissum sit, ut sine hac voluntaria obligatione, & voto continentiæ promoveantur ad ordines ecclesiasticos, nunquam tamen iisdem permissum fuit, ut uxores ducerent: adeo ut id contra antiquos canones, & occidentalis Ecclesiæ observationem indultum sit Græcis, ut si antequam sacris initientur ordinibus matrimonium primùm cum virgine contraxerint, ad ordines sacros non exacto continentiæ voto admittantur.

16 Quæritur decimò, an clericus conjugatus non beneficiatus sit compellendus ad deferendam tonsuram? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. Joannes 7. h. t.* ubi Innocentius III. rescripsit Episcopo Pictavensi, clericum in minoribus conjugatum non esse compellendum ad deferendam tonsuram. Et ratio desumitur ex eo, quia Clericus in minoribus si matrimonium contrahat, non gaudet privilegio clericali, proinde non tenetur ferre tonsuram, dummodo non percipiat beneficium, ratione cujus debeat tonsuram ferre; eò quia redundaret in vituperium ministerii: cum enim clericus ita conjugatus debeat se negotiis immiscere sæcularibus, ejus tonsura redundaret in vituperium ministerii clericalis, ut habetur in *c. Joannes 7. h. t.* & cùm clericalis ordinis honestas non sit inquinanda *c. cum decorem de vita, & honest. cler.* & clericus in minoribus, si uxorem duceret, videretur à vita clericali recessisse *c. diversis 5. h. t.* & hac propterea ratione non gaudeat privilegio clericali, sequitur, quòd hujusmodi clericus conjugatus non sit compellendus ad deferendam tonsuram. Nisi ex dispensatione Papæ beneficium obtineret; quia tunc ratione illius teneretur tonsuram deferre, ut habetur in *d. c. Joannes 7. h. t.* & ratio est, quia per contractum matrimonii non desinit quis esse clericus, *c. quia sæpe* 12. *q.* 1. quia character clericalis semel impressus ampliùs non deletur, ut docet D. Thomas *3. p. q. 35. art.* 2. *in addit.* non enim tonsura est de substantia clericatûs, sed est quoddam signum illius *c. duo sunt.* 12. *q.* 1. & cum beneficium detur propter officium, quamvis

illud ſit ſimplex *c. conquarente 6. de cler. non reſid.* ſequitur, quòd ſi talis clericus conjugatus inſerviat Eccleſiæ, & de illius beneficio vivat, debeat tonſuram deferre, & aliquo clericali privilegio gaudere, ut etiam habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. de refor. c. 6.* Cæterum ſi clericus in minoribus matrimonium contrahat, & nullum habeat eccleſiaſticum beneficium reputatur ut laicus, quia neque onera, neque commoda, nec privilegia participat clericorum exceptis caſibus expreſſis in *c. unic. h. t. in 6.*

17 Quæritur undecimò, an uxorati admittendi ſint ad dignitates eccleſiaſticas? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. cum decorem 8. h. t.* ubi Pontifex reſcribit, clericos conjugatos non eſſe admittendos ad eccleſiaſticas dignitates, & ſi quas obtinent, eſſe cogendos ad illas deferendas, eò quia ſine pravo exemplo, & gravi ſcandalo non poſſint eas retinere. Hinc ſi clericus in minoribus uxorem ducat, & fuerit in dignitate eccleſiaſtica conſtitutus ipſo jure, eam amittit, proinde cogendus eſt eam dimittere: quia eccleſiaſticæ beneficia, & dignitates non ſunt iis conferenda, qui in iisdem non valent dignè Eccleſiæ inſervire *c. quia 3. de cleric. non reſid.* Tum quia eccleſiaſticæ dignitates ad id præſertim ſunt inſtitutæ, ut iisdem inſigniti inſerviant Eccleſiæ, promoveántque divinum cultum, & eccleſiaſticæ diſciplinæ incrementum; quapropter qui eccleſiaſticis dignitatibus ſunt inſigniti debent pietate præfulgere omniúmque virtutum ſtudio cæteros antecellere, ut monet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. c. 12.* hinc quia uxorati ob immunditiam carnis non poſſunt eccleſiaſtica Sacramenta ita purè pertractare; neque ut par eſt, Eccleſiæ inſervire, ſequitur, uxoratum non eſſe ad dignitates eccleſiaſticas admittendum.

Quæritur duodecimò, an ſi clericus conjugatus ferat habitum, & tonſuram, gaudeat privilegio clericali? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. clerici unic. in 6. h. t.* Ratio eſt, quia per matrimonium non deſinit quis eſſe clericus, *c. Joannes 7. h. t.* quia character ſemel impreſſus eſt indelebilis, & cùm habitus, & tonſura ſint exteriora ſigna clericatûs *c. duo ſunt 12. q. 1.* & mixta participent de natura ſimplicium, ex quibus componuntur *l. cum ſervus ff. de condit. & demonſt.* eſt enim mixtio ex Ariſtotele *de gener. & corrupt. c. ult.* miſſibilium alteratorum unio, proinde ſicut non convenit, ut clerici conjugati gaudeant omnibus privilegiis ſicut alii clerici non conjugati; tametſi incedant in habitu, & tonſura; adhuc juſtum, & æquum eſt, ut ſi cum una tantùm, & hac virgine contraxerunt, gaudeant duobus privilegiis, Primo *c. ſi quis ſuadente.* Secundo quod pro delictis non poſſint trahi ad tribunal laicale, nec criminaliter, nec civiliter; nec à ſæculari poſſint condemnari in perſona, nec in pecunis. Cæteris privilegiis non gaudent, imò ſi non deferant tonſuram, & veſtes, amittunt etiam iſta duo. 18

TITULUS IV.

De clericis non reſidentibus.

QUia ad honeſtatem vitæ clericalis non ſolùm pertinet ſe abſtinere à mulieribus; ſed etiam reſidere in ſuis eccleſiis, & beneficiis, congruè Pontifex hic adjicit titulum de clericis non reſidentibus, & de pœnis, quæ ipſis injunguntur, cum teneantur, clerici eſſe frequentes in officio, & miniſterio Eccleſiæ; unde rectè conſtitutionibus Eccleſiæ ſancitum eſt, ne clerici ſuas deſerant Eccleſias, & aliò ſe conferant. Agitur etiam de hac materia in ſexto, & ſeptimo.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NON LICEAT 1. h. t. Ex Concilio Sardicenſi ſtatuitur, ut nulli Epiſcopo ſine licentia Papa liceat tranſire ex ſuo Epiſcopatu ad alium, illum acceptando: quia cùm nemo ſoleat ad minorem tranſire præſumitur maiorem ambire. Hinc notat Gloſſa, Epiſcopum ſic tranſeuntem deperdere utrumque Epiſcopatum. Et dubia in peiorem partem eſſe interpretanda c. 2. de elect. Rurſus facilius diſpenſari cum Epiſcopo tranſeunte ad maiorem Epiſcopatum, quàm ad parem, vel minorem c. licèt de tranſact.*

C. *EX GESTIS 2. h. t. Leo III. declarat, Cardinalem, qui per quinquennium non reſidebat, & canonicè admonitus non ſe correxit, ſed adhuc in alienis permanſit, fuiſſe canonicè depoſitum à ſuo titulo parochiali. Notandum tamen, non deeſſe, qui cenſeant, Cardinales Epiſcopos ob prærogativam Cardinalatûs eo ipſo non teneri reſidere in ſuis eccleſiis, ea nitentes ratione, quia eorum officium ſit Romano Pontifici aſſiſtere, cujus ſunt Adjutores, conſiliarii, & ſocii. Tum quia inſervientes Romano Pontifici non cenſentur à ſuis eccleſiis abeſſe. Communior tamen ſententia eſt, ut etiam Cardinales teneantur reſidere in ſuis eccleſiis; & ſolùm ob Chriſtianam charitatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, evidentem Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitatem, ut habetur in Concilio Tridentino* ſeſſ. 24. c. 1. de refor. *poſſint abeſſe.*

C. *QUIA NONNULLI 3. h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut unus non poſſit habere plures dignitates eccleſiaſticas, nec plures eccleſias parochiales: & quando de Eccleſia, vel miniſterio eccleſiaſtico eſt providendum, eligatur*

eligatur persona, quæ possit residere in loco, & exercere curam per se ipsam; quòd si secus fiat, accipiens amittit beneficium, & qui illud contulit privatur potestate conferendi pro ea vice. Notandum est, recipere diversas dignitates, vel plures ecclesias parochiales, si earum qualibet sit per se sufficiens honesta sustentationi olere avaritiam, & ambitionem: non ita si una non sit sufficiens, tunc enim per dispensationem potest quis plures obtinere. Ratio verò, cur eadem persona non debeat plures obtinere ecclesias parochiales, est, primò quia vix sufficit ad debitum famulatum uni impendendum. Ex quo sequitur alterius neglectus. Secundò quia occupat stipendia aliorum, quia alii clerici pauperes, vel digniores ad illas dignitates promoverentur. Caterum residentia Episcopi, & parochi est de jure divino, ut notat Concilium Tridentinum sess. 23. c. 1. *cùm Christus dicat:* Pasce oves meas: *& Pastores officium pascendi non præstent, nisi sint præsentes.*

C. *RELATUM* 4. *h. t. Alexander III. rescribit Archiepiscopo Eboracensi, quòd si præsentatus ad ecclesias, vel ad beneficia possit residere, & nolit, non sit admittendus, & admissus sit removendus, non obstante appellatione, nisi absit ex licentia superioris ob studium, vel ob honestas causas. Ubi notat Glossa, hunc textum esse intelligendum, si præsentatus promittat residere, quia verba sunt cum effectu recipienda: rursus textum loqui de beneficio curato, non verò de simplici* c. cùm pervenit de appellat.

C. *FRATERNITATI TUÆ* 5. *h. t. statuit idem Pont. clericum alterius Diœcesis absque commendatitiis litteris sui Episcopi non esse recipiendum sine Apostolicæ Sedis mandato. Littera commendatitia, quæ & dimissoria dicuntur, sunt, quibus dimittitur, & absolvitur clericus à potestate sui Episcopi, & debent litteræ continere fidem de vita, moribus, & ordinibus. Notat autem Glossa, clericum sine licentia sui Episcopi non debere suam Ecclesiam dimittere* c. admonet de renunc. *Caterum si litteræ dimissoriæ omittantur, possunt probari per testes.*

C. *CONQUERENTE* 6. *h. t. Idem Pont. declarat, non residentem in beneficio etiam modicæ æstimationis illo privari. Ubi notandum, quòd si habens sufficiens beneficium agat de alio, non est audiendus, & si non servit Ecclesiæ, non potest accipere aliquid de beneficio in illa Ecclesia, immo notat Glossa, habentem duo beneficia simplicia sufficientia ad vitam, & statum beneficiati, posse altero privari, tametsi resideat, ita Glossa in* c. dudum 2. de elect.

C. *DE CÆTERO* 7. *h. t. Idem Pont. statuit, ne canonicis quamdiu sunt in servitio Prælati quidquam subtrahatur, quod de communitatis beneficio ipsis debetur, nisi fortâssis sint victualia, esculenta, & poculenta, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. Ratio est, quia qui sunt in servitio Episcopi, dicuntur servire Ecclesiæ, proinde reputantur ut præsentes, quoad perceptionem beneficii; & multo magis si inserviant Papæ. Verùm Pontifex in hoc textu loquitur tantùm de canonicis, quos Prælatus potest in suum adhibere servitium, non verò de parochis, & aliis curatis, hi enim non possunt proprias deserere Ecclesias, ut alibi inserviant, ut tradit* Quaranta v. residentia *ubi rectè addit, posse Episcopum in hoc dispensare, si id exigat utilitas Ecclesiæ, in qua beneficiatus curam animarum exercet, vel necessitas Prælati, & ipsius Ecclesiæ. Unde textus tantùm loquitur de canonicis cathedralibus, quia casus de illis propositis fuit Pontifici, non de aliis.*

C. *EX PARTE VESTRA* 8. *h. t. Cœlestinus III. rescribit, eum qui abest ab Ecclesia per longum tempus, ut per decennium esse citandum, ut veniat: quòd si vocatus nolit venire, eligitur alius pro illa dignitate. Ubi notat Glossa, pro minore tempore, clericum vel Prælatum posse privari, sed semper esse citandum: quia non citatus, non convictus, vel confessus, vel per contumaciam absens non est privandus* c. inter quatuor. 8. de major. & obed. *quamvis sit vagabundus: sed si alibi permisit intitulari recipiendo secundum beneficium, potest privari primo, quod ipso jure vacat* c. litteras, c. nostris de concess. præbend. *Decanus itidem tenetur residere; alioquin privatur decanatu, justa tamen causa excusat absentiam ad certum tempus, si in termino præfixo non venit.*

C. *QUALITER* 9. *h. t. Innocentius III. declarat, Archiepiscopum temerè non residentem, & vocatum non venientem privari archiepiscopatu, ad quem mandat Pontifex, ut alius eligatur transacto certo tempore, quia ut notat Glossa, tunc Ecclesia habetur pro derelicta, cùm monitus non venerit. De dignitatibus autem, & canonicatibus in Concilio Tridentino* sess. 24. c. 12. *habetur hæc dispositio; ut non liceat ultra tres menses à suis ecclesiis quolibet anno abesse, alioquin primo anno absentes privantur dimidia parte fructuum; secundo anno omnibus fructibus, & crescente contumacia privantur etiam ipso canonicatu, & dignitate.*

C. *INTER* 10. *h. t. Idem Pont. declarat, clericos habentes ecclesias, vel prebendas, si sine justa, & necessaria causa, præsertim sine consensu Ordinarii sint absentes, & citati intra certum tempus præfixum non veniant, posse privari beneficiis. Hic textus eundem habet scopum, quem præcedens: solùm notandum est, quòd si clerici habeant justam causam non tenentur petere licentiam ab Ordinario: & beneficiatum ob absentiam privatum, si probet impedimentum sua absentiæ, esse restituendum suo beneficio.*

C. *EX TUÆ* 11. *h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Panormitano, quòd si clericum non residens fraudulenter se absentet, ut non citetur, possit ter publicis edictis citari in sua Ecclesia: & si non obediat, nec inter sex menses revertitur debeat privari Ecclesia secundùm jus canonicum; immo mandat Pontifex, ut contra tales procedatur etiam per sententiam suspensionis, & excommunicationis. Quòd si nec sic emolliantur, jubet illos per legatum sedis Apostolicæ amoveri à spiritualium administratione, & ecclesiis provideri de personis idoneis, non tamen degradari, ut cum eis miseri-*

cordi-

cerditer, si videbitur, facilius agi possit. Ex quo textu liquet, clericum sine justa causa absentem esse citandum per edictum, si non possit personaliter citari: quòd si ignoretur, ubi sit, vel non pateat accessus ad illum, tunc citatio affigi debet valvis Ecclesiæ. Debet tamen hæc citatio fieri tribus edictis; adeò ut unum peremptorium non sufficiat, quia edictum triplicatum facilius venit ad notitiam, quàm unum licèt peremptorium. Notat tamen Panormitanus hic n. 5. quòd si nesciatur, ubi sit absens clericus, debeat post citationem expectari per tres menses: quia præsumptio juris est, infra hoc tempus citationem ad ipsum pervenire.

C. *TUÆ FRATERNITATIS* 12. *h. t.* rescribit idem Pontifex, ut qui causa studij de licentia superioris est absens, & percipit fructus sui beneficii, si se transferat ad villas, vel castella, in quibus vel non est, vel minus est competens studiorum exercitium, non possit percipere fructus: quia fraus nulli debet patrocinari. Unde debent clerici accedere universitates, vel saltem ea loca, ubi studium est publicum, & scholasticum exercitium competens. Hodiè tamen hanc fraudem non possunt canonici incurrere, quia versantes in studiis debent testimonia capitulo exhibere, quòd in Academia, & publicis scholis commorati fuerint. Tum quia licèt jure communi eis competat privilegium percipiendi fructus in absentia studiorum gratiâ; indigent nihilominus licentia Episcopi, vel capituli pro diversa Ecclesiarum consuetudine, ut ad studia se conferant.

C. *EX PARTE TUA* 13. *h. t. Honorius III.* declarat, eum, qui jurat, residere in sua Ecclesia, si postea sine fraude se absentet ad defendenda, vel prosequenda jura sua Ecclesiæ, non esse dicendum perjurum, sed censendum residentem. Ubi notandum est, quòd licèt de jure communi non præstetur à Præposito juramentum residentiæ, tamen ex consuetudine, vel aliâ causa, debet in aliqua speciali Ecclesia tale juramentum præstari. Cæterum qui pro utilitate suæ Ecclesiæ est absens, non dicitur perjurus, & habetur, ut præsens.

C. *CUM DILECTUS* 14. *h. t. Idem Pont. declarat, familiares Papæ in absentia* percipere fructus suæ prebendæ, & haberi pro præsentibus non obstante constitutione contraria. Ubi notandum, hoc privilegio non gaudere omnes officiales curiæ, sed illos tantùm, qui sunt in servitio domestico Papæ.

C. *AD AUDIENTIAM* 15. *h. t. Idem Pont.* rescribit, canonicos, qui sunt in servitio Episcopi, posse accipere fructus prebendæ non obstante constitutione, & juramento, quia cum sint pro servitio Episcopi, vel Ecclesia habentur ut præsentes. Cæterum ut notat Glossa absentes nihil possunt percipere, nisi sit de constitutione approbatum. Et Episcopum posse tantùm habere duos canonicos, ut ipsi inserviant: & licèt isti percipiant fructus prebendæ, non tamen distributiones.

C. *CUM AD HOC* 16. *h. t. Gregorius IX.* declarat, quòd si absentes privilegiati à Papa, vel Episcopo tanti sint, ut Ecclesia destituatur suis ministris; Episcopus debeat revocare canonicos, & beneficiatos non obstantibus privilegiis: & si non venerint, jubet ut de ipsorum prebendis faciat Ecclesiæ inservire: & si quid supereſt de redditibus, convertat in utilitatem Ecclesiæ. Ubi notandum est, Ordinarium non posse tales absentes privare ex privilegio, & gratia Papæ, licèt de jure possit: immo si diu durant in contumacia potest illos etiam ex toto privare.

C. *CLERICOS* 17. *h. t.* declarat idem Pont. ut clerici habentes beneficia requirentia residentiam possint iisdem ab Episcopo privari, si absque ipsius licentia transeant morandi causâ in alienam diœcesin, & moniti non redierint, neque ostendant rationabilem excusationem. Notandum est, rationabilem excusationem esse infirmitatem, capitalem inimicitiam, vel aliam justam causam: tunc enim si procederetur, ei non præjudicaret.

IN SEXTO.

C. *CONSUETUDINEM unic. h. t. Bonifacius VIII.* statuit, ut distributiones, quæ manualia beneficia, seu victualia vocantur, non dentur nisi canonicis beneficiatis, & clericis, qui divinis officiis in ipsis ecclesiis interſint secundùm distributionem rationabilem faciendam, vel faciendam pro horis canonicis. Quòd si absens distributiones accipiat, tenetur eas restituere, nisi infirmitas, vel justa, ac rationabilis corporis necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas excusset, & id etiam procedit de distributionibus, & anniversariis defunctorum. Ubi tamen notat Glossa, ex consuetudine corpus prebendæ posse dari absentibus non verò distributiones, imò si Papa dispenset, quòd absens accipiat suos proventus tanquam præsens, non accipit distributiones, quia ex dispensatione habetur tantùm pro præsente, non pro interessente divinis officiis. Quòd si in dispensatione diceretur ac si præsens esset, ac interesset divinis officiis, tunc acciperet etiam distributiones.

IN SEPTIMO.

C. *DE SALUTE* 1. *h. t. Pius IV. ex Concilio Tridentino* statuit, ut si clericus quacunque dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgeat legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus, sex menses continuos extrà suam diœcesin morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quòd si per alios sex menses perseveraverit in absentia perdat eodem modo aliam quartam partem fructuum, & crescente contumaciâ puniatur severiori pœna.

C. *EOSDEM* 2. *h. t. Idem Pont.* recenset privilegia & facultates, quæ conceduntur Episcopis in gratiam pastoralis residentiæ, & ultra privilegia, & indulta Episcopis Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis concessa à suis prædecessoribus, concedit etiam Pius IV. plura alia, quæ habentur in dicta decretali.

C. *SANCTISSIMUS* 3. *h. t. Idem Pont.* declarat, in favorem studiorum excusari absentiam

à cura pastorali residentia, dummodo Ordinariorum consensu, & authoritate firmetur.

C. INTENDENTES 4. h. t. *Idem Pont. statuit, ut clerici non priùs admittantur ad regimina ecclesiarum, & dignitatum, nec beneficiorum proventibus gaudeant, quin priùs residentia juramentum cum cautione præstiterint, & etiam præstita fidejussione, se infra certum expressum tempus conferendi ad locum beneficii, & ibi exercendi curam animarum.*

C. CUM TAM 5. h. t. *Idem Pont. declarat, ut ii qui majoribus ecclesiis præsunt pastoralis residentia sumopere commendari debeat, ac præcipi animadversione sanctionum juris, & authoritate Concilii Tridentini.*

C. CUPIENTES 6. h. t. *Pius V. statuit, ut ecclesiasticum ministerium non committatur, nisi persona, quæ residere possit in loco, & curam Ecclesiæ per se ipsam exercere; & mandat, ut per Episcopos, & aliorum locorum Ordinarios etiam tanquam Apostolicæ sedis Delegatos sub sententiis, & censuris ecclesiasticis, & etiam pœnis pecuniariis arbitrio eorum declarandis, & etiam sub pœna privationis beneficii quacunque appellatione remota compellatur residere.*

C. IN SUPREMA 7. h. t. *Idem Pont. declarat in beneficiis curatis, & parochialibus, eos teneri residere, quibus concredita est cura animarum; aut privilegia collata in gratiam pastoralis residentiæ amittant, & pœnis subjiciantur canonicis.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit residentia Prælatorum, & an de iure divino?

PErtinet ad honestatem clericalem, ut qui sacris sunt ordinibus initiati non solùm in victu, vestitu, & conversatione, moderatè, ac decenter se habeant, fœminarum consortia declinent, vitam ducant castam, verùm etiam ut in Ecclesiis, ac titulis suorum beneficiorum resideant, officiúmq; ratione beneficii debitum præstent: proinde præcedentibus titulis præsens subnectitur, ut quæ sint obligationes clericorũ plenius explicentur. Residentia igitur ex vi nominis, quasi continuam importat sessionem, adeo ut residentia dici possit, quasi iterata sessio: juxta tamen præsens institutum definitur residentia esse *assiduitas commorationis in loco beneficii, causa servitii ecclesiastici personaliter præstandi*; ex quo colligitur, quòd si clericus in loco sui beneficii commoretur, sed suum nunquam præstet officium, ut si canonicus nunquam ad chorum, aut capitulum veniat, non sit censendus residere; quia frustranea est ejus residentia, eò quia suo destituatur fine, & effectu: juvat tamen observare, quòd licèt talis, quando culpa sua à divinis abest, pœnas incurrat, seu privationes fructuum, qui præsentibus sunt deputati, non tamen amittit fructus residentiæ, ut notat Azorius 2. *p. lib. 7. c. 7. q. 5.* Covarr. 3. *variar. c. 13. n. 3.*

2 Obligatio residendi duplex est, una tantùm ad fructus lucrandos, siquidem in plerisque Ecclesiis cathedralibus præsertim Germaniæ Canonici, seu Capitulares non tenentur simpliciter residere, sed tantùm sub conditione, si velint fructus percipere: alioquin si non resideant, suffragium non amittunt, sed retinent vocem activam, & passivam tam in electionibus, quàm aliis actibus. Alia est obligatio strictior, & magis propria, residendi in ordine ad præstandum servitium Ecclesiæ; siquidem expedit, ut beneficiarii per se ipsos, & personaliter exèquantur ea officia, ad quæ ratione reddituum suorum obligantur, id enim videtur omnino æquitati consonum, ut qui beneficium accipit, officium præstet: & de hac necessitate residendi in præsenti est sermo, & bipartitur in residentiam veram, & fictam; illa habetur, quando beneficiarius verè, & realiter est præsens in loco sui beneficii, & per se ipsum, non per alium exercet suum officium, frequentat chorum, divina celebrat officia, & cætera ministeria spiritualia peragit, propter quæ datur beneficium: residentia ficta est, quæ fuit inducta ex dispositione juris, ut quando beneficiarius absens à loco sui beneficii reputatur pro præsente, eò quia abit propter negotia Ecclesiæ; tunc enim per dispositionem juris habetur pro præsente in ordine ad lucrandos fructus sui beneficii

Quòd si petas, ad quem pertineat facultatem concedere, quâ beneficiarii à suis possint ecclesiis abesse. Respondetur, hanc facultatem interdum concedi à jure, vel à Papa, & nonnunquam ab Episcopo. Jus enim commune concedit Parochis, & cæteris curam animarum habentibus, ut liceat abesse ad quinquennium, dum Theologiam in aliqua Academia publicè docente Magistro dant operam *c. ult. de Magistris & c. 2. de privil. in 6.* Idem juris, est, quando quis juri canonico studet. Conceditur etiam facultas, ut possit quis abesse tempore, quo publicè in scholis studii litterarii generalibus Theologiam, aut jus canonicum docet, & tunc debet Parochus substituere Vicarium idoneum approbandum ab Ordinario cum debita assignatione mercedis, ut statuitur in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1.* Episcopos autem, & alios Prælatos superiores solus Papa potest solvere à lege, & obligatione residendi.

Rursus potest Papa ex justa causa concede-
4 re, ut beneficiarius perpetuò absit ab Ecclesia: Episcopus verò licèt possit Parochis, & cæteris beneficiariis habentibus curam animarum concedere facultatem, ut litterarii studii ratione absint ad septennium *c. cum ex eo de elect. in 6. & c. relatum de cleric. non residentib.* non tamen Episcopus potest facultatem dare, ut beneficiarius ex justa causa perpetuò absit, sed tantùm ad tempus, ut habetur *in c. licet canon. de elect. in 6. & d. c. relatum de cleric. non residentib.* quòd verò Papa possit facultatem dare ex justa causa, ut beneficiarius perpetuò absit à suo beneficio, docent communiter cùm Glossa *in d. c. licet canon. de elect. in 6.* & colligitur *ex c. ult. de rescript. in 6.* immo potest etiam hanc facultatem dare in Provincia sibi demandata legatus Romani Pontificis. Immo eandem facultatem, quam potest dare Episcopus Parocho, ut absit, potest etiam eidem concedere Collegium canonicorum sede vacante: quia in iis, quæ sunt jurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ, potestas Episcopi transit ad collegium canonicorum *cap. 1. de institut. in 6.*

5 An verò liceat beneficiario absque licentia ab Ordinario impetrata abesse à sua Ecclesia ob aliquam justam causam: respondetur, in tuta conscientia non posse, nisi concurrant duo, quorum primum est justa causa, & legitima, sine qua etiam ipse Episcopus facultatem dare non potest etiam ad tempus, quia Ordinario non est licitum sine justa causa laxare rigorem juris communis *c. dilectus de temper. ordin.* & Glossa *c. ult. de haret. in 6.* Secundum, ut tametsi subsit justa, ac legitima causa, Ordinarius facultatem concedat, nisi ipsum jus eam omnino declarit, ut docet Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 5. quæst. 5.* etenim necesse est, ut ipsum jus commune aliqua ex parte relaxetur, & remittatur; & jus commune non potest relaxari nisi authoritate superioris habentis potestatem ad rem illam.

6 An verò, quando Papa beneficiarium solvit ab obligatione residendi sine justa, ac debita causa, talis juris relaxatio sit tuta, & rata secundùm conscientiam. Respondetur cum distinctione, si enim beneficiarius ab omni animarum cura sit liber, nec præcisè Ecclesia indigeat ejus ministerio, operâ, vel industriâ, eò quia non desunt alii, qui suppleant; tunc solutus potest licitè uti relaxatione juris à Papa sine justa causa impetrata: quia residere in beneficiis cura animarum liberis non est de jure divino, nec naturali, sed tantùm de jure canonico, & si Papa rigorem talis juris relaxet etiam ex nulla justa causa, relaxatio juris habetur rata, sive Papa peccet, sive non: sin verò beneficio sit adnexa cura animarum, tunc si sine debita, & justa causa Pontifex concedat facultatem, ut beneficiarius absit ab Ecclesia, talis juris relaxatio non censetur rata, nec tuta, secundùm conscientiam, quia beneficiarii jure divino debent esse præsentes suis beneficiis, quibus est annexa cura animarum: & Papa absque justa, & legitima causa non potest rigorem juris divini, & naturalis relaxare, ut communiter docent Canonistæ, & Theologi cum Soto *lib. 10. de justit. q. 3. art. 4.*

7 Immò spectato jure communi omnia beneficia etiam simplicia obligant ad personalem residentiam, ut defumitur *ex c. quia 3. h. t.* ubi habetur, quòd quando de Ecclesia, vel de ministerio ecclesiastico est providendum, ea sit persona eligenda, quæ possit residere in loco, & exercere curam per se ipsam: & si secus fiat, accipiens beneficium illud amittit & qui dedit, privatur potestate conferendi ea vice. Id enim videtur æquitati omnino consonum, quia beneficium ecclesiasticum datur propter officium, seu servitium spirituale præstandum Ecclesiæ *c. ult. de rescript. in 6.* & sicut pro temporali servitio constituta sunt feuda; ita etiam pro spirituali beneficium ecclesiasticum; & quando alicui injungitur servitium aliquod, id intenditur, ut per se ipsum illud præstet, seu ut præsens ipsi invigilet, curétque id fieri, propter quod præbendam accipit: tum quia nullus per substitutum servire potest, nisi hoc illi specialiter concedatur *l. nullus 60. C. de Decurion. lib. 10.* Hinc qui non servit, beneficium perdit *c. statu. de vasallo militi lib. 4. tit. 21. in usibus feudor.* idque procedit etiam de beneficiis ecclesiasticis, quæ sunt stipendia Ministrorum *c. pastoralis 9. de his quæ fiunt à Prælatis*, & fundantur etiam in honorem Dei, ut in iisdem perpetuò Deo inservient, quapropter ex se exigunt perpetuam residentiam personalem, ut docet Rebuffus in praxi beneficiorum *1. p. tit. quare instituta sint beneficia* Garzia *tract. de beneficiis p. 3. c. 2. num. 1.*

8 Immo id etiam procedit de beneficio modico, & tenui, ut colligitur *ex c. conquerente 6. h. t.* ubi habetur: qui non residet in beneficio etiam modicæ æstimationis, illo privatur, & qui non servit Ecclesiæ, non potest accipere aliquid de beneficio in illa Ecclesia. Hinc de jure communi quamvis beneficium sit simplex tenue, & modicos redditus habeat, adhuc exigit residentiam personalem, alioquin potest quis illo privari; & contra clericum petentem redditus sui beneficii potest excipi, quòd non resideat. Excipiuntur tamen ea beneficia, quæ dicuntur portiones, seu præstimonia, & quæ secundùm suam primam institutionem conferuntur quasi loco cujusdam stipendii, vel subsidii clericis absentibus: hæc enim beneficia simplicia, quamvis obligationem alia quam habeant recitandi privatim officium canonicum, vel beatæ virginis, quia tamen nullum aliud servitium spirituale exigunt, ideo qui ea obtinent, nec per se, nec per alium tenentur tali Ecclesiæ inservire, ut notat Garzia *tract. de benef. p. 3. c. 2. n. 1.*

9 Major difficultas in eo videtur sita, an jure divino, vel tantùm humano ecclesiastico Episcopi, & alii inferiores curati teneantur ad personalem residentiam. Communior sententia est, talem residentiam personalem esse de jure divino, & defumitur ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1. de reformat.* ubi dicitur: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus divina*

animarum cura commissa est, ovest suas agnoscere. Pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more illum deserunt. Hinc juvat argumentari: Episcopi & alii curati omnes, quibus cura incumbit animarum, tenentur ex præcepto divino ad exercenda munera illa pastoralia recensita à Concilio Tridentino atqui non possunt hæc munia exerceri ab iis, qui gregi suo non assistunt, sed instar mercenariorum illum desrunt: ergo Episcopi, omnésque curati ex præcepto divino obligantur gregi suo assistere, & illum non deserere; proinde tenentur ex præcepto divino residere in suis beneficiis. Tum quia verbum *assistere* gregi non solùm importat vigilantiam, & solicitudinem animi, sed etiam corporalem præsentiam, adeo ut assistere idem sit, ac adesse *c. si quem §. & c. quamvis 2. in fin. de Procurat. in 6.* Rursus verbum *deserere* propriè significat subtrahere corporalem præsentiam, & perinde sit, ac recedere ab Ecclesia, in quo sensu in jure canonico absentes dicuntur deserere ecclesias *c. 2. caus. 7. q. 1. & ex tua 11. h.t.*

10 Id tamen procedit regulariter, & per se loquendo; alioquin si spirituali saluti ovium sufficienter possit in absentia pastoris per alium æquè idoneum Vicarium provideri; tunc licitum est Pastori propter commodum ejusdem Ecclesiæ, vel etiam ad tuendam propriam vitam, & declinandum periculum propriæ personæ, corporaliter abesse à suo grege: quia ut docet D. Thomas 2. 2. si mutentur circumstantiæ personæ, loci, vel temporis cessat obligatio residendi personaliter, seu obligatio præcepti affirmativi de residendo. Tum quia potest etiam Papa tunc declarare, jus divinum non obligare ad residendum propter mutatam materiam, vel circumstantiam, perinde ac in votis, & juramentis, quæ propriè non dispensantur, ut notat Covarruvias *lib. 3. variar. resolut. c. 13. n. 9.*

11 Ex eo autem quòd jure divino Episcopi, & alii curati teneantur ad personalem residentiam, videtur sequi, quòd nec per consuetudinem immemorialem introduci possit, ut in beneficiis curatis Rector nec per se ipsum, nec per alium seu vicarium resideat, ut docet Abbas *in c. extirpanda 30. in repet. §. qui verò de prebend.* siquidem talis consuetudo foret irrationabilis, ac cederet in damnum ecclesiarum, & periculum animarum. Immo neque per consuetudinem etiam immemorialem ex justa causa videtur posse induci, ut Parochi, aliique habentes curam animarum non teneantur personaliter residere in suis ecclesiis curatis, tametsi per vicarium perpetuum, vel etiam per temporalem ad nutum amovibilem exerceant pastorale officiū: quia cum beneficiatus curatus obligationem contraxerit personaliter residendi, & ut per se ipsum curam exerceat animarum ex præcepto juris divinis, & naturalis, ideo non potest per ullam consuetudinem contrariam induci oppositum, quia consuetudo humana non potest derogare juri divino, & naturali, qua ratione Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1.* vocat talem consuetudinem etiam immemorialem corruptelam.

12 Verùm contraria sententia non caret sua probabilitate, eamque docent Abbas *in c. extirpanda 30. §. qui verò n. 7.* Navarr. *lib. 1. consil. 21. h.t.* Layman *lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 3.* quia consuetudo temporis immemorialis æquivalet privilegio, adeo ut quidquid per privilegium induci potest, possit etiam per consuetudinem *l. hoc jure 5. §. aqua ductus ff. de aqua quotidiana, & æstiva. c. super quibusdam 26. §. de V.S.* sed per privilegium Papæ potest induci, ut rector Ecclesiæ parochialis non teneatur exercere curam animarum per se ipsum, sed per alium; sicut de facto jure communi statutum est, ut id fiat per Vicarios perpetuos. Putârim tamen hanc sententiam ita intelligendam, ut salus animarum non exigat, ut Parochus per se ipsum immediatè assistat, cum id fortassis utiliùs præstetur per alium. Cæterum cùm pastores, seu curati obligentur ex præcepto divino ad exercendam curam pastoralem, per se ipsos tenentur id præstare, quoties id salus animarum exigit, adeo ut sine gravi earundem detrimento non possit ab alio præstari.

13 Cæterum in aliis dignitatibus ecclesiasticis non curatis, potest per consuetudinem introduci, ut canonicus tametsi per vicarium non resideat, possit nihilominus in absentia fructus percipere, dummodo per talem absentiam ob paucitatem Ministrorum cultus divinus non minuatur; & proinde talis consuetudo non sit ecclesiæ noxia, id desumitur *ex c. cùm omnes 6.* juxta Glossam *in fin. de constit.* quia quilibet clericus cum assumptus sit in sortem domini, inservit Ecclesiæ universali. Concilium tamen Tridentinum *sess. 24. de reform. c. 12.* abrogavit omnem consuetudinem inserviendi per substitutum, & percipiendi fructus in absentia, præsertim in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, ait enim Concilium: *Obtinentibus in cathedralibus ecclesiis, & collegiatis dignitates, canonicatus, prabendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno abesse*: quia tamen Concilium nullam facit mentionem consuetudinis immemorialis, ideo hæc non videtur excluſa.

14 Valida etiam est consuetudo, quâ personalis residentia in simplicibus beneficiis non requiritur etiam in iis, quæ propriè dantur in titulum: adeo ut clerici etiam absentes possint fructus percipere, ut docent communiter canonistæ: quia clerici obtinentes beneficia simplicia cum ipsis non sit annexa cura animarum, non jure divino, & naturali, sed tantùm ecclesiastico tenentur residere in suis ecclesiis, proinde per contrariam consuetudinem potest huic juri derogari, dummodo alii substituantur, qui loco eorundem ecclesiis inserviant, ut docet Rebuffus *in prax. tit. dispensatio de non residendo n. 8.* quinimo ea in plerisque locis inolevit consue-

Digitized

tudo, ut nec per se, nec per vicarios in quibusdam beneficiis simplicibus necesse sit residere, quod tamen intelligitur dummodo Ecclesiæ illæ aliis necessariis Ministris non careant, nec per tales consuetudines diminuatur cultus divinus, quia jus naturale tantùm exigit, ut Ecclesia necessariis Ministris non destituatur: cæterum, quòd beneficiarius per se, vel per alium inserviat Ecclesiæ, statutum fuit jure canonico, cui per consuetudinem potest derogari: debet tamen consuetudo esse legitimè præscripta, & quòd non tendat in notabile detrimentum alicujus Ecclesiæ: alioquin consuetudo censeretur irrationabilis, & Episcopus posset condere novum statutum, quo talem consuetudinem abrogaret requisito ad id priùs consensu capituli, & si hic nolit assentire, adhuc potest Episcopus procedere ad tollendam consuetudinem illam, per novum illud statutum.

15 Objiciunt tamen aliqui contra nostram assertionem, quâ dicimus, jus obligans ad residentiam pastores ecclesiasticos, quibus ratione officii, & beneficii cura ovium concredita est, esse propriè divinum: nam vel residentia in præsenti importat continuam habitationem in loco beneficii, vel ipsam administrationem Sacramentorum, & ministerium quotidianũ, cui Parochus impendit famulatum: atqui in neutro casu potest procedere præsens assertio, quia si residentia in præsenti dicit habitationem perpetuam in loco beneficii, non potest injungi Parochis; quia per illam infringitur naturalis libertas *l. Titio centum 71. §. Titio ff. de condit. & demonst. l. 2. ff. de libert. hom. exhib. l. Gaius 13. §. ult. ff. de alimentis. l. penult. C. de oper. libert. l. quod sis fugitivus 17. §. de ædilit. edict.* & docent Cujacius *lib. 17. qq. Papin. in d. §. Titio & lib. 14. obs. c. 27.* Gomez *lib. 1. variar. c. 12. n. 79.* est enim libertas, ut ait Cicero *paradox. 5.* facultas vivendi, ut velis, & ubi velis: cùm igitur homines non sint privandi libertate, ita non possunt adigi ad residendum semper in eodem loco.

16 Quòd si residentia dicat administrationem Sacramentorum, & ministerium quotidianum, neque videntur posse obligari Prælati ecclesiastici ad residentiam, quia hæc omnia munia administrandi Sacramenta, & exercendi alia ministeria possunt obiri per alios: siquidem propriè, & verè per se facere quis dicitur, qui per alium facit *l. 1. §. deiecisse ff. de vi, & vi. l. ita 5. §. quòd si quis 3. ff. de administratione tut. l. si per alium 5. ff. ne quis eum l. non ideo 5. C. de accusat. c. mulieres §. ille de sentent. excommun. regul. qui per alium de regul. jur. in 6.* & illud quod potest quis facere per se, potest facere per alium *l. 1. §. usus ff. de procurat. l. sed si annus ff. de feriis §. idem.*

17 Sed contra est, quia tametsi residentia continuam importet habitationem in loco beneficii, non tamen Prælati ecclesiastici cum dispendio libertatis coguntur residere perpetuò in loco sui tituli: siquidem cum ipsi liberè & omninò voluntariè susceperint talia officia, ideo liberè etiam exercent omnia, quæ se habent consecutivè ad tale officium; adeo ut dicantur liberè residere in loco beneficii. Tum quia si nolint residere possunt beneficio renunciare: sicut enim non fuerunt coacti ad suscipiendum beneficium: ita neque adiguntur, ut si velint, non possint eidem renunciare: unde cùm Prælati liberè elegerint talem residentiam, & possint etiam, si velint, eidem renunciare, sequitur, eos non cogi cum dispendio libertatis residere perpetuò in loco sui tituli.

Ad aliud quod addebatur posse quemq; per alium facere, quòd potest per se, respondetur, prædictam regulam limitari in his, quæ requirunt servitium personale actualiter, ut est residentia in beneficio, ubi Parochus per se, non per alium Sacramenta debet ministrare: siquidem Concilium Tridentinum *sess. 7. de reformat. c. 3.* inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsas curam ipsam exercere valeant, jubet conferri; ut enim notat Joannes Sanchez *in select. q. 47. n. 2.* ubi personæ industria electa est, non potest ipsa vices suas alteri committere *l. servus in fin. ff. de stat.* & quia tempore institutionis electa fuit industria personæ non potest hæc per alios licèt vicarios præstare, quæ ad proprium pertinent munus *argum. text. in l. inter 31. ff. de solut. c. de cui 12. de offic. delegat. in 6.* 18

Cæterum residentia pastorum est propriè 19
de jure divino, si non expressè, saltem reductivè: siquidem de jure divino est, ut pastores ecclesiastici oves suas agnoscant, pro ipsis sacrificium offerant, ipsas verbi divini prædicatione reficiant, & iisdem Sacramenta ministrent, ac tandem illas bonorum operum exemplo pascant; hæc enim omnia esse de jure divino, seu esse mandata Christi, ac propterea juris divini expressi desumitur ex Evangelio Joann. *c. 10.* & *Act. c. 20. v. 28. 1. ad Corinth. c. 7. ad Timoth. c. 2.* & iterum *1. ad Corinth. c. 9.* & ex pluribus aliis locis scripturarum, quæ expendunt Caranza *c. 3. & seq.* Sotus *q. 3. art. 1.* Hinc Concilium Tridentinum *loc. cit.* ait: *cùm præcepto divino præceptum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium exemplo pascere:* & quia hæc munia non possunt pastores ecclesiastici obire, nisi sint actualiter præsentes, ac resideant in locis suorum beneficiorum; sequitur, hanc residentiam, saltem reductivè, esse de jure divino, & conformè etiam juri naturali: si enim dux, immo miles non aliter justè percipit stipendia, quàm si militet, vel ducat, aut sequatur ordines, & si id in cæteris Magistratibus politicis, immo & quibuscunque ministris usu evenit, ut non aliter sua recipiant stipendia, nisi per se ipsos propria obierint munia; ita hoc idem à fortiori requiritur in Prælatis. Cæterum quia obligatio descendens à jure naturali suam habet epichiam, ut si dux, vel miles vocetur à Rege, si privatam causam, sed urgentissimum habeat revertendi domum, in hisce casibus datur epichiia, & interpretatur voluntas legislatoris: ita obligatio residendi suas habet epichiias, unde Pontifex etiam interpretatur jus divinum, illudque declarat in casibus particularibus.

§. II.

§. II.

Quinam Prælati teneantur in suis beneficiis residere?

1 SPectato jure communi omnia beneficia ecclesiastica obligant ad residentiam, licèt consuetudo obtinuerit, ut in simplicibus quibusdam beneficiis interdum non resideatur: cæterum omnes, & singuli beneficiarii, qui onus per se ipsos in loco beneficii exercere debent, ad residentiam obligantur: quia beneficium datur propter officium *c. quia nonnulli de cleric. non residentib.* unde si officium præstari non potest sine residentia, sequitur, beneficiarium teneri ad residentiam. In beneficiis verò habentibus curam animarum requiritur jure divino naturali, & canonico residentia, ac servitium personale *c. licèt de elect. in 6.* & ratio deducitur ex officio pastoris, quod personalē exigit præsentiam, & industriam: qui autem curam habent animarum sunt pastores, proinde tenentur per se ipsos residere. Hinc Episcopus, qui ex causa urgentis necessitatis, vel utilitatis longiori tempore cupit abesse à sua ecclesia, necesse est, causam suæ absentiæ significet summo Pontifici, vel Archiepiscopo, vel in eius absentia Seniori suffraganeo, & obtineat approbationem in scriptis, nisi fortassis periculum fuerit in mora, vel absentia inciderit ob aliquod munus, & officium reipublicæ, vel episcopatui adiunctum, & utile, cuius causæ notoriæ sint.

2 Hinc in Germania cum Episcopi sint simul Principes Imperii, si vocati ad comitia comparent, non tenentur licentiam impetrare, dummodo causa notoria subsit, vel aliàs semper consueverint personaliter comparare, sicuti comparent Archiepiscopi Mogontinus, Trevirensis, & Colonien sis, cùm enim sint Electores, solent per se ipsos comparere. Possunt tamen Episcopi sine graviori causa ex æqua tamen, & sine detrimento sui gregis, quod eorum relinquitur conscientiæ per duos, vel ad summum tres menses ex toto anno abesse: siquidem qui aliquantisper tantùm abest, iuris interpretatione non videtur abesse: dummodo in festis solemnioribus Nativitatis, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostis, & Corporis Christi, quibus reficimaximè, & in domino gaudere Pastoris præsentia oves debent, talem non instituant absentiam, ut monet Tridentinum *sess. 23. c. 1.* Quòd si Episcopus ultra tres menses sine petita licentia, & rationabili causa absuerit, præter reatum peccati mortalis amittit sui Episcopatus pro rata temporis absentiæ fructus, quos in conscientia tenetur impendere, vel pro fabrica ecclesiæ, vel erogare pauperibus, quamvis non sequatur alia sententia declaratoria, ut decrevit Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1.*

3 Quòd si absentia Episcopi sine licentia extensa fuerit ultra sex menses, tunc quartam partem reddituum unius anni, eo ipso amittit, quæ vel ad fabricam ecclesiæ debent applicari, vel erogari paupetibus illius loci per superiorem ecclesiasticum. Et si per alios sex menses in tali absentia perseveraverit, rursus aliam quartam partem reddituum ipso jure amittit, & crescente contumacia summus Pontifex hac de re intra tres menses per Archiepiscopum, vel seniorem suffraganeum absente Archiepiscopo certior fieri debet sub pœna interdicti ingressûs in Ecclesiam eo ipso incurrenda, ut statuit Tridentinum *sess. 23. c. 1.* Censent tamen nonnulli illas quartas fructuum esse intelligendas de fructibus jam perceptis; quæ sententia si vera esset, posset eam suscipere moderationem, ut quartæ illæ in conscientia ante sententiam Judicis declaratoriam non debeantur; quia in hoc loco non excluditur hæc sententia, & quoad fructus iam percepros constitutio est verè pœnalis; secus quo ad illos, qui cadunt tempore absentiæ: quia isti potiùs causa deficiente, non acquiruntur, cum ex pœna amittantur.

4 An verò Episcopus censeatur residere, si identidem à diœcesi recedat animo tamen breviter revertendi. Potest enim contingere, quòd Episcopus frequenter recedat à propria sua diœcesi ad locum aliquem vicinum ob domestica negotia, vel privatas causas cum intentione tamen, quàm primùm revertendi, an tunc censeatur residere; videtur respondendum affirmativè, eò quia non habetur pro absente, qui animum habet revertendi, & revera est brevi reversurus *l. postliminii. §. postliminio ff. de capt. & postlim. rever. l. 1. §. habitare ff. de his, qui dejec.* ratio est, quia tunc mora brevis non habetur in consideratione præsertim cum animus breviter revertendi teneat personam affixam diœcesi: id enim videtur sufficere ad salvandam præsentiam moralem, in qua fundatur residentia, adeo ut recedens animo statim revertendi, non dicatur recessisse §. *in his autem animalibus instit. de rerum divisione, & l. qui fugitivus. ff. de adib.* Tum quia quando consideratur residentia, non consideratur sola nuda præsentia corporis, & veluti materialis; sed præsentia viva, & formalis, quæ non est sita in sola corporis præsentia, sed magis in animo applicante corpus, adeo ut non dicatur esse quis, ubi est corpore, sed ubi est animo *l. postliminii §. captivus. ff. de capt. & postlim. rever.*

5 Hinc residentia non est vera residentia, si absit animus ibi permanendi, ut notat Archidiacon. *in c. licet canon. n. 5. de elect. in 6.* unde cum recedens à propria diœcesi animo brevi revertendi, retineat animum residendi, non videtur omnino interrumpere residentiam cum remaneat principalior pars sita in animo applicante personam ad residendum, idque ex eo firmari potest, quia residentia Episcoporum non debet esse otiola, sed operatoria, quæ invigilet, & incumbat curæ animarum, studeátque rebus ecclesiasticis, ut docent Cuiacius *in princ. tit. de cleric. non residentib. V. quod præterea* Cardinal. *in clement unic. initio n. 22. de for. compet.* & alii cum Glossa *in C. conquerente V. deserviat. de cler. non resid.*

6 Quamobrem residentia ex duplici videtur præsentia constare, scilicet ex præsentia corporali, & operatione in regenda ecclesia: & quando Episcopus recedit cum intentione, quam primum

primùm revertendi, & revera statim est reversurus, interrumpitur sola præsentia corporalis, quæ est veluti pars materialis ipsius residentiæ, continuatur autem ipsa operatio quæ est pars formalis, & principalis, quæ videtur sufficere, ut residentia dicatur continuari. Tum quia præsentia corporalis non est semper per se requisita in residentia, sed propter operationem, proinde quamvis deficiat per aliquod breve tempus, quia non deficit operatio, neque censetur deficere residentia, cum possit stare operatio pro aliquo brevi tempore absque corporali præsentia.

7 Maior difficultas videtur esse, an residentia identidem interrupta ad breve tempus sufficiat ad effectum gaudendi alternativâ, adeo ut absens intentionem habeat quamprimùm revertendi, & de facto revertatur. Ratio pro affirmativa sententia potest esse, quia si Episcopus ob aliquod munus regulariter resideat extra diœcesin, si revertatur intra diœcesin cum animo ibi non permanendi, sed revertendi ad locum extra diœcesim, & interim vacet aliquod beneficium in mense alternato, non gaudet alternativâ, quia est intra diœcesin tantùm corpore, & non animo, ut declaravit Rota in Eluensi beneficii 22. Martii 1599. coram Melino, quæ est decisio 171. in impressis ipsius, & coram Ludovisio *decis.* 70. *n.* 4. ita è contra tametsi, quando in mense alternato vacat beneficium, Episcopus sit absens corpore, dummodo sit præsens animo, debet alternativâ gaudere: est autem præsens animo, si habeat animũ statim revertendi, & cum ea intentione discesserit. Tum quia residentia non debet tã arctè sumi, sed modo civili, ut notat Gonzales *ad regul. 48. cancellariæ*, ubi plura congerit Archidiaconus in *c. licet canon. n. 5. V. sub residentiâ de elect. in 6.* Geminianus ibidem §. *is etiam n. 3.* & residentia tunc censetur haberi civili modo, quamvis fiat cum aliqua brevi interruptione quoad corporalem præsentiam, licèt non quoad animum: ergo videtur residentia identidem interrupta per breve tempus sufficiens ad effectum gaudendi alternativa.

8 Verùm stante alternativa declarata à Gregorio XIII. ad effectum gaudendi alternativa requiri corporalem residentiam, & non sufficere mentalem, docent communiter jurisperiti Gonzales *ad regulam 8. cancellariæ* Glossa 43. *n.* 14. Garzia *p. 5. de benefic. c. 1. n.* 465. & hoc idem declaravit pluries Rota Romana. Ratio desumitur ex ipsis verbis cancellariæ de alternativa, habentur enim hæc formalia verba. *ipsi quamdiu apud Ecclesias, seu diœceses suas, verè ac personaliter residerint duntaxat*, ex qibus apertè constat, Pontificem concedentem alternativam exigere personalem residentiam, seu corporalẽ præsentiã, adeo ut non sufficiat sola præsentia operativa: hinc licèt Episcopus vacet negotiis suæ Ecclesiæ, si tamen non sit secundùm personam, & præsentiam corporalem intra diœcesin, non dicitur personaliter verè residere. Idque ex eo firmatur, quia præfata verba fuerunt addita, ad excludendam solam residentiam formalem consistentem in directione regiminis propriæ Ecclesiæ. Præterea id etiam intelligitur ex illis adverbiis, *quamdiu*, & *duntaxat*, siquidem dictio *quamdiu*, perinde est, ac donec, adeo ut includat conditionem, quæ si non purificetur, effectus non ponatur, Bartol. *in l. Pater Sepherinum* §. *fin. ff. de condit. & demonstrat.* Socin. *consil.* 28. *n.* 8. *fol.* 3.

Quamobrem ut concessio suum sortiatur 9
effectum, impleri debet in forma specifica, & non per æquipollens *l. qui hared. l. Mevius ff. de condit. & demonstrat.* ut notant Surdus *consil.* 186. *n.* 19. Ruin. *consil.* 110. *n.* 10. *lib.* 2. Rota Romana coram Ludovisio *decis.* 492. *n.* 8. adeo ut non sufficiat, quòd Episcopus adsit animo, & vacet regimini propriæ Ecclesiæ, sed ut gaudeat alternativa, requiritur, ut sit corporaliter præsens, ac resideat præsentia personali. Præterea illa dictio *duntaxat* eùm sit restrictiva, excludit omnes alios casus residentiæ extra personalem, & corporalem *l. 3. §. cum Titio ff. de adimp. leg. & l. 2. C. de legib. c. cum Ecclesia de verb. signif. c.* 1. *de tempor. ordinat. in 6. clement.* 1. *de sequest. possess.* & docent Bartol. *in l. si quis* §. *cum Titio ff. de aliment.* Craveta *consil. 201. n.* 40. Roman. *consil.* 5. 12. *n.* 2. proinde nisi habeatur residentia personalis, & corporalis, non potest Prælatus gaudere alternativâ.

Neque fundamentum oppositæ sententiæ 10
urget, quia eo ipso quòd regula cancellariæ exigit residentiam personalem, seu corporalem, non sufficit quæcunque alia residentia, nisi sit hoc pacto qualificata. Neque ex eo, quòd non sufficiat corporalis residentia sine animo residendi deduci potest, sufficere residentiam formalem, se tenentem ex parte animi: siquidem regula cancellariæ utramque præsentiam exigit, materialem, & formalem, seu corporalem, & ipsum animum residendi, adeo ut residentia requisita juxta regulam cancellariæ componatur ex utraque præsentia materiali, & formali, seu corporali, & mentali. Tum quia residentia absque animo residendi propriè non est residentia, sed tantùm materialis præsentia. Quod autem addebatur de residentia civili modo accipienda id verum est, quoad ipsam obligationem residendi, non verò quoad gratiam alternativæ; quia hæc accipi debet, pro ut à superiore conceditur, proinde cum qualitate, quæ in specie alternativæ requiritur: alioquin concessio gratiæ suum non posset effectum sortiri ex defectu conditionis non purificatæ.

Neque obstat, quòd sacra Congregatio de- 11
claraverit, Episcopos absentes ob negotia reipublicæ gaudere alternativâ, siquidem cum illa declaratio emanaverit die 9. Julij 1573. non habet ampliùs locum, quia regula Cancellariæ, cùm sit posterior derogat tali declarationi. Tum quia illa declaratio fundata fuit in regula secundùm quam tunc temporis concedebatur alternativa: nam tunc regula non continebat clausulam *quamdiu verè, & personaliter residerint*: proinde locum tunc habebat residentia secundum fictionem juris, quæ hodie ob citatam regulam Cancellariæ non sufficit, ut Prælatus gaudeat alternativa.

An

12 An verò, si Episcopus tametsi velens non possit ingredi suam diœcesin, gaudeat alternativa, si in proximo loco resideat. Videtur esse etiam maior difficultas, etenim Gonzales *ad regul. 8. cancellariæ q. 9. n. 2.* docet, talem præsentiam sufficere, ut Episcopus gaudeat alternativâ, & fundatur *in clement. 1. de for. compet.* ubi declaratur, quòd Episcopus impeditus ingredi propriam diœcesin possit in aliena propinqua diœcesi exercere jurisdictionem contra impedientes, & eos citare; adeo ut tunc residentia in propria diœcesi commutetur in residentiam in aliena diœcesi à jure, adeóque sufficiat, ut Episcopus gaudeat beneficio alternativæ. Tum quia conditio residentiæ personalis habetur pro impleta, quando per Episcopum non stat, quin intra suam diœcesin personaliter resideat *l. iure civili ff. de condit. & demonstrat.* & *l. conditio ff. de contrahend. empt.* ut communiter docent jurisperiti.

13 Nihilominus dicendum est cum communiori, ac vetiore opinione, talem residentiam non sufficere, adeo ut si contingat, quòd impediente Principe, aut ex aliqua alia causa non possit Episcopus propriam ingredi diœcesin, & proinde cogatur residere in aliquo vicino loco, ut assistat regimini suæ ecclesiæ, eo meliori modo, quo potest, adhuc non gaudeat beneficio alternativæ, ut docet Garzias *p. 5. de beneficiis c. 1. n. 469.* Pasqualig. *q. 47. n. 2.* & desumitur ex præfata regula cancellariæ de alternativa: siquidem regula loquitur de residentia intra diœcesin, ait enim *quamdiu apud Ecclesias, aut diœceses suas verò, & personaliter residerint.* loquitur enim de præsentia personali, seu corporali, quæ sit apud propriam ecclesiam, & in diœcesi: ex eo autem quòd verba sunt præcisa, non debemus ab ipsis recedere *l. quæsitum §. illud ff. de legib. 3. l. quidquid adstringendi ff. de verb. obligat. l. ubi est verbum ff. de condit. & demonstrat.* ut notat Sarneni. *ad regul. de annal. q. 23. ibit.* Craveta *consil. 288. n. 3.* Rota coram Ludovisio *decis. 516. numero 3.*

14 Neque obstat, si dicat, residentiam in loco propinquo æquipollere, siquidem æquipollet tantùm in aliquo. Præterea quia quoad beneficium alternativæ non sufficit æquipollentia præsentiæ, quia residentia personalis, & præsentia corporalis intra diœcesin requiritur, ut conditio adimplenda sit in forma specifica: siquidè æquipollentia non ponit in residentia qualitatè requisitam à regula cancellariæ, consequenter eius dispositio non habet locum, ut docent communiter iuris periti Craveta *consil. 435. n. 3.* Beroius *consil. 24. n. 1. fol. 1.* Rota coram Puteo *decis. 22. n. 6. lib. 3.* Hinc ad primum fundamentum oppositæ sententiæ desumptum *ex clement. 1. de foro compet.* respondetur, quòd tametsi juxta textum illum fiat illa commutatio residentiæ, non propterea residentia commutata est illa qualificata, quæ requiritur ad effectum gaudendi alternativâ; unde licet talis præsentia commutata sufficiat ad exercendam jurisdictionem, non tamen ad beneficium alternativæ.

15 Ad aliud, quod addebatur, quòd conditio residentiæ personalis habeatur pro impleta, quando per Episcopum non stat, quin intra suam diœcesin personaliter resideat, respondetur, id verum esse, quando non stat per eum, qui debet implere conditionem, non verò quando, qui apposuit conditionem, exigit, ut conditio revera purificetur, & declarat se non disponere, nisi adimpleta conditione: in præsenti autem Pontifex non intendit concedere alternativam extra conditionem residentiæ personalis intra diœcesin, ut liquet ex supra citata regula cancellariæ, quæ excludit omnem causam extra residentiam personalem intra diœcesin, quapropter subintrat regula; quòd concessum sub certa specifica conditione, sub contraria habeatur pro non concesso *l. aliquando ff. condit. & demonstrat.* ut declaravit Rota coram Merlino *decis. 567. n. 64.*

16 Dubitatur tamen, an Episcopus, si existat intrà suam diœcesin, sed in loco exempto, gaudeat beneficio alternativæ. Videtur respondendum affirmativè, quia locus exemptus non obstante exemptione est locus diœcesis ex suppositione, quòd existat intra terminos diœcesis Episcopi, & hic in tali loco moretur: quia potest ibi morari ad exercendam aliquam jurisdictionem pro aliquo ex iis casibus, pro quibus ei competit eam exercere in loco exempto: quia non obstante exemptione locus ille est locus diœcesis *c. cùm Episcopus de offic. ordinarii in 6.* & docent Glossæ *in clement. V. aut tamen parte V. quòd si in aliquo de for. compet.* Abbas *in c. apostolica n. 3. de donat.* Felin. *in c. grave, n. 2. de offic. ordinar.* & alii juris periti communiter, cùm igitur locus exemptus intra terminos diœcesis revera sit locus diœcesis, ideo Episcopus, si resideat in tali loco, gaudet beneficio alternativæ, quia verificatur dispositio regulæ cancellariæ exigentis pro conditione residentiam corporalem, & personalem intra diœcesin: quia tunc Episcopus personaliter, & corporaliter residet in sua diœcesi. Tum quia Episcopus in aliis casibus habet jurisdictionem in locum, & personas exemptas, ut liquet ex concilio Tridentino *sess. 7. c. 8. de refor.* ubi statuitur, quòd Episcopus possit visitare Ecclesias exemptas, & *sess. 21. c. 8.* iniungitur Episcopis, ut visitent omnia beneficia tam curata, quam non curata, etiam exempta, & *sess. 24 c. 3.* iniungitur, ut visitent Ecclesias exemptas, licèt nullius diœcesis, quapropter, quando Episcopus moratur in locis exemptis, manet ibi tanquam habens jurisdictionem in habitu, seu ut potens proprium munus exercere: proinde, si loca exempta sint intra diœcesin, concurrunt omnia necessaria, quæ requiruntur in regula cancellariæ, ut gaudeat beneficio alternativæ.

17 Tum quia finis concessionis alternativæ is est, ut Episcopi tali beneficio alliciantur ad residentiam, ut curæ possint incumbere sui gregis: hic autem finis habetur ex eo, quòd Episcopus existat in loco exempto intra terminos suæ diœcesis, quia ibi potest exercere curam suæ ecclesiæ per se ipsum immediatè: siquidem potest in tali loco exercere, quæ sunt jurisdictionis vo-

luntà-

luntariæ, & mandare, quæ necessaria videntur pro regimine suæ Ecclesiæ: quamobrem, cùm Episcopus per residentiam in tali loco exempto consequatur alternativam, eo quia verè residet in sua diœcesi, sequitur, Episcopum residentem in tali loco gaudere alternativa, & concessionē suum sortiri effectum *l. his solis §. satis etiam cautè C. de revocand. donat. l. illud ff. ad legem aquiliam l. item veniunt §. ait senatus ff. de petit. hared.* & docent communiter jurisperiti cum Tiraquel. *in l. si unquam V. libertis, n. 45. C. de revocand. donat.*

18 Quid verò dicendum sit, si Episcopus residеat in aliena diœcesi in loco tamen sibi plenè subjecto. Respondetur, non gaudere beneficio alternativæ, quia regula cancellariæ ad beneficium alternativæ exigit residentiam apud propriam ecclesiam, aut diœcesin, ut manifestè constat ex præcitatis verbis eius regulæ, *quamdiu apud Ecclesias, aut diœceses suas verè, & personaliter residerint*, qui verò residet in aliena diœcesi, & in loco ibi sibi subiecto non dicitur residere, apud propriam diœcesin, sed apud alienam: siquidem residet intra limites alienæ diœcesis, in qua continetur locus sibi plenè subiectus, quapropter cum de hac residentia non verificetur dispositio concessionis juxta regulam cancellariæ, sequitur, quòd dispositio suum non sortiatur effectum *l. quod constitutum ff. de test. milit. l. 4. §. toties ff de dam. infect.* Bald. *cons. 486. V. 2.* Alexander *consil. 17. n. 8. l. 2.* Quòd si Episcopus non posset residere intra propriam diœcesin, & residentia translata esset ad locum propriæ jurisdictionis situm intra terminos alienæ diœcesis, tunc residentia illa sufficeret, ut posset gaudere alternativâ, quia tunc residentia in tali loco esset subrogata in locum residentiæ intra propriam diœcesin, proinde indueret qualitates, quæ requiruntur à regula Cancellariæ, ut notant Hostiens. *in c. 3. n. 4. de jur. patr.* Abbas *in c. cum olim n. 6. de consuet.* & ita declaravit Rota coram Ludovisio *decis. 463. n. 3.* siquidem talis residentia censetur eadem cum illa, in cuius locum fuit subrogata, proinde comprehenditur sub eadem dispositione §. *si igitur defunctus* §. *unde consequens* Bald. *in l. per diversas n. 21. C. mandati* Decian. *consil. 52. n. 53. in fin.*

19 Hinc qualitates, quas inducit residentia intra propriam diœcesin in ordine ad beneficium alternativæ; easdem secum trahit residentia in loco propriæ jurisdictionis intra alienam diœcesin, quando residentia est ibi translata Bartol. *l. pater filium n. 13. ff. de inoffic. test. in repert.* Surdus *decis. 35. n. 9.* An verò ut Episcopus gaudeat alternativa necessaria sit residentia pro toto integro mense. Respondetur, esse necesse, ut resideat ab initio mensis usque ad ultimum diem inclusivè, ut declaravit Rota in Faventina can. 16. decemb. 1585. coram Blanchetto, & in Segobiensi benefic. 26. Martii 1604. coram Justo, & in pluribus aliis decisionibus, adeo ut hanc sententiam semper sequatur Rota, cum similes occurrunt quæstiones: ratio est, quia alternativa cadit supra menses integros per modum unius temporis, intra quod conceditur Episcopo, ut possit conferre beneficia vacantia, quæ sunt liberæ collationis, adeo ut mensis incipiat à media nocte præcedente primum diem mensis usque ad mediam noctem ultimi diei, ut tradunt Rebuffus *in concord. de collat. §. prefatique ordinarii* Menses enim quos alternativa dividit inter Papam, & Episcopum sunt menses integri, & per modum unius integri temporis constantis ex omnibus suis partibus, seu diebus, quibus componitur, adeo ut alternativa, quæ conceditur Episcopis non sit de partibus mensis, sed de toto integro mense, eo quia loquitur de ipso, ut de quodam toto tempore, quapropter non cadit sub possessione alternativa, nisi ut quoddam totum integrum *l. quis universos §. de acquirend. possess. l. eum qui ades ff. de usucap.* Alciatus in *l. appellatione rei V. quare si quis de domo. ff. de verb. signif.* quapropter non conceditur alternativa nisi pro toto integro mense, ut notat Rota *decis. 144. n. 4. p. 2.* unde si deficiat mensis alternatus in favorem Episcopi, non habetur concessio alternativæ, & residentia defectu conditionis non habet amplius locum pro illo mense, quia non respicit totum mensem integrum per modum unius.

Tum quia semel quòd alternativa non po- 20
test habere locum defectu conditionis residentiæ, mensis sit apostolicus, & pertinet ad Pontificem providere de tali beneficio: unde si post initium mensis Episcopus incipiat residere, non potest suos facere dies, qui supersunt. Tum quia alternativa alternat menses numerabili modo, & secundùm eorundem propria nomina, adeo ut primum mensem totum, & integrum det Papæ, secundum Episcopo tertium Papæ, & sic successivè alternando. Quartum Episcopo, quintum Papæ, proinde disponit de mensibus non solùm numerabilibus, prout sunt menses; sed etiam prout sunt tales menses Januarius, Februarius, Martius, adeóque prout sunt inæquales quoad dies: ergo debent menses computari secundùm omnes illos dies, quos continent.

Tenentur etiam specialim ad residentiam 21
Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Abbates Priores, Præpositi, & alii, quibus est annexa cura animarum, hi enim omnes tenentur in suis ecclesiis commorari ibique præsentes esse, ut colligitur *ex c. ad hæc de prabend. cap. extirpande. §. qui vero eod. tit. c. quia nonnulli de cleric. non residentib. c. licet de elect. in 6.* unde Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1. de refor. & sess. 6. c. 1.* præcipit strictè Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, & Episcopis, ut in suis ecclesiis & beneficiis resideant, adeo ut etiam Abbates, & Prælati Episcopo inferiores teneantur ad residentiam in suis ecclesiis, & si absque licentia ab Episcopo, vel superiore, cui immediatè subsunt, impetrata ad longius tempus abfuerint, pœnas incurrant: neque obstat, quòd Concilium Tridentinum de illis specialem mentionem non faciat, quia Abbates, & alii Prælati Episcopo inferiores, quibus est annexa cura animarum comprehenduntur sub nomine Pastorum ecclesiasticorum, de quibus loquitur

Con-

Concilium *sess.* 22. *c.* 1. Tamburinus *de jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 14. *q.* 1. *n.* 4. & *q.* 2. *n.* 2. Verùm tamen est, quòd pœnæ circa amissionem fructuum in Abbatibus non residentibus, nequeunt locum habere: siquidem Abbates claustrales, & Monachi propter votum religiosæ paupertatis non habent proprios redditus, sed omnia Monasterio acquirunt, quod ex culpa Abbatis non debet damnificari *c. delictum 76. de R. I. in 6. c. si Episcopus 16. q. 6.* quapropter contra Abbates contumaces procedendum est per alia media ecclesiastica.

22 Notat tamen Tamburinus *d. disp. 14. q.* 3. Abbates, & Prælatos exemptos episcopali jurisdictione utentes posse per tres menses absque licentia sui superioris abesse ex rationabili causa, non ita Abbates, & inferiores Prælatos subditos Episcopis ob textum Concilii Tridentini *d. sess. 23. c. 1. Vt eadem omnino*, ubi generaliter statuitur de curatis Episcopo inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum habens curam animarum obtinent, ut quandocunque eos causa priùs per Episcopum cognita, ac probata abesse contigerit, discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Ex Prælatis inferioribus præ cæteris tenentur Parochi ad residendum, adeo ut teneatur Parochus in propria ecclesia residere; unde si intra Parochiæ ambitum commoretur, & animarum curam non exerceat, minimè præcepto residendi satisfacit, quia hoc modo residere, & non exercere curam animarum, perinde est, ac si non resideret, proinde tenetur ad restitutionem fructuum, eo tempore perceptorum: siquidem, *qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet.*

23 Rursus Parochus, tametsi commoretur intra limites suæ parochiæ, si animarum curam per alium exerceat, regulariter non satisfacit, saltem formaliter suæ obligationi; siquidem obligatio Parochi est, ut resideat, ac per se ipsum curam exerceat animarum, quantùm commodè potest, quia ipsi, seu eius personæ concredita est cura animarũ, & custodia dominici gregis: quapropter Parochus, qui omnia parochialia munera per capellanum absque legitima causa præstat, non excusatur à culpa gravi, cum negligat propriam obligationem in materia gravi, ut notat Covarruvias 3. *variar. c.* 13. *n.* 8. Diana *tract. de sacrament. p.* 3. *resolut.* 150. licitum tamen est subinde Parochis uti alterius sacerdotis operâ in animarum cura administranda, ut in confessionibus audiendis, in Eucharistia ad infirmos deferenda, dummodo subditi non contradicant, nec ullum inde patiantur damnum.

24 Immo docet Garzias 3. *p. c.* 2. *n.* 53. & cum ipso Layman. *c.* 6. *n.* 6. posse Parochum residentem in propria parochia percipere, & retinere fructus sui beneficii, tametsi munera parochialia per capellanum exerceat, dummodo subditi nullum inde patiantur detrimentum, quia tametsi formaliter suæ obligationi non satisfaciat, materialiter tamen eidem satisfacit. Opposita tamen sententia est vera, quàm docet Sancius *in select. disp.* 47. *n.* 4. ubi asserit, fructus, tunc non acquiri Paroche quantumvis materialiter residenti, sed ipsi ministranti, quia idem est quoad effectum inutiliter adesse, quod abesse, nil enim prodest præsentia materialis parochi, si omni ministerio sit destituta. Tum quia concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. pro eodem habet, non servire, ac non residere, unde pœna imposita non residenti, imponitur etiam non servienti; adeo ut uterque non residens, & non serviens teneatur ad restitutionem fructuum, quo pacto *in c. inter corporalia de translat. Epis.* habetur, quòd illa ecclesia sit censenda vidua, quæ licèt Episcopum habeat, inutilem tamen habet: hoc idem etiam dicitur de Parocho, qui non potest esse inutilior, quàm cum ecclesiæ suæ non inservit.

25 Tum quia quando eligitur Parochus, cui concreditur cura animarum, non eligitur præsentia illa corporalis, sed industria personæ, proinde tenetur Parochus personaliter, seu per se ipsum obire munera parochialia, & tenetur etiam ad residentiam ob periculum, ne in eius absentia aliqui ex parochianis sine sacramentis decedant, & in aliis spiritualibus auxiliis detrimentum patiantur; qua ratione de Parochis, & omnibus curatis inferioribus statuit Concil. Trid. ut ea, quæ circa culpam, & amissionem fructuum de Episcopis statuta sunt, ad huiusmodi curatos extendantur; ita tamen, ut cum abesse velint, causa priùs per Episcopum cognosci, & approbari debeat; & interea nõ quemlibet sui loco, sed vicarium idoneum approbandum ab ipso ordinario cum debita mercedis assignatione in parochia relinquat. Eo enim ipso, quòd Episcopi, & Parochi ecclesiarum pastores sunt creati, tenentur, imò jure divino compelluntur ad residendum: quia ut ait Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. *de reformat.* præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura est concredita, ut oves suas cognoscant, ipsas pascant, eas doceant, quæ præstari non possunt, nisi per præsentiam corporalem, & assistentiam, ac vigilantiam.

26 Dices, nullibi in scripturis legi, quòd Parochi teneantur assiduò suis adesse ecclesiis; proinde hanc Parochi residentiam non esse de jure divino. Sed contra quia licèt in sacris literis expressè non habeantur hæc verba: *Parochi suis debent ecclesiis residere*, implicitè tamen, & æquivalenter verba illa in sacris comprehenduntur paginis, ex quibus necessariò, ac evidenter deducuntur; idque sufficit, ut sint de jure divino: siquidem ut docet Sotus *lib.* 1. *de justitia p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. appellatione juris divini intelligitur id, quod tametsi in sacris scripturis expressè non reperiatur; ex iisdem tamen necessariò, & evidenter deducitur. Et cum Christus dixerit Petro *pasce oves meas*, & in Petro hoc idem dixerit omnibus ecclesiæ Pastoribus; & Parochi sint in ecclesia veri pastores; ideo necessariò infertur, eos teneri de jure divino pascere dominicas oves: & nisi sint præsentes ecclesiis nequeunt illas pascere: Hæcque ratio, cur Parochi de iure divino teneantur in propriis ecclesijs residere. In Pastore enim requitur propria cura, industria, vigilantia &, opera personæ: siquidem

dem debet paſtor proprias oves cognoſcere, ducere ad paſcua, debet eas præire, nominatim vocare, inviſere, aſpicere; & debent oves Paſtoris ſui audire vocem, eámque cognoſcere; paſtorem itidem ſuum videre, ac cognoſcere, ut dixit Chriſtus *oves meæ vocem meam audiunt. Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Non enim ſufficit, ſi Paſtor eccleſiaſticus ſacrificia pro ovibus offerat, divinum verbum annunciet, ſacramenta miniſtret; quæ ſingula per alium fortaſſis præſtare poſſet: ſed tenetur gregi ſuo invigilare, bono exemplo fortiùs, quàm verbis illum provocare ad ſtudia pietatis, & culturam virtutum; oves inviſere, præire bonis operibus, earum vultum agnoſcere, eas nominatim vocare, ac ſua præſentia conſolari, & quod infirmum eſt conſolidare, quod confractum alligare, quod abjectum reducere, quod perierat inquirere, ut dixit Deus per Ezechielem; hæc autem officia præſtari non poſſunt, niſi per corporalem præſentiam Parochi, cuius reſidentia propterea eſt de jure divino, ſaltem reductivè, ac implicitè.

27 Parochus igitur paſtor eligitur dominici gregis, ut tunc per ſe ipſum paſcat, præeat bono exemplo, illum cognoſcat, nominatim vocet, ac ſua corporali præſentia conſoletur. Hinc Salomon *proverb.* 27. alloquens paſtorem Dominici gregis ait: *diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuósque greges conſidera*: etenim *lib. 7. Eccleſ.* ait *pecora tibi ſunt? attende illis*: ſiquidem vulgari paræmia dicitur, quòd oculus domini impinguet equos: hinc prima Petri 5. dicitur Epiſcopis, & Parochis: *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei*: dicit *in vobis*, ſcilicet qui inter vos eſt; eò quia paſtores Eccleſiæ per ſe ipſos immediatè teneantur dominicum gregem paſcere: ſicut enim inſtituitur miles, ut per ſe ipſum militet; & navis gubernator, ut per ſe ipſum navim regat: ita eligitur paſtor, ut per ſe ipſum immediatè oves cognoſcat, ducat ad paſcua, præeat bono exemplo, eas aſpiciat, & nominatim vocet, ſeu per ſe ipſum eas regat.

§. III.

De Reſidentia Archidiaconi, Canonicorum, & aliorum obtinentium beneficia, quibus non eſt annexa cura animarum.

1 TAmetſi de jure communi omnia beneficia eccleſiaſtica etiam ſimplicia, quibus nulla eſt adnexa animarum cura perſonalem exigant reſidentiam, ut deſumitur *ex c. fin. de reſcript. in 6.* Nihilominus de conſuetudine univerſali introductum fuit, ut in beneficiis ſimplicibus non ſit neceſſaria perſonalis reſidentia, ſed beneficiarius poſſit etiam per ſubſtitutum deſervire, ut docet Garzia *de beneficiis p. 3. c. 2. n. 3.* Quapropter habentes capellaniam, ratione cuius tenentur in certa capella, vel altari miſſas legere, ac ſacrificium conficere, & offerre, poſſunt ad eaſdem miſſas celerandas alios ſubſtituere, dummodo in ipſa fundatione ſpecialiter cautum non ſit, & exprimatur, quòd ipſemet beneficiatus debeat per ſe, & non per alium in tali altari miſſas legere: tunc enim beneficiatus non poſſet alium ſubſtituere, niſi ex juſto, & legitimo impedimento ægritudinis, vel neceſſariæ abſentiæ.

2 Difficultas eſt, an Archidiaconus Eccleſiæ cathedralis teneatur ad continuam reſidentiam, & an canonici, etiam ad ipſam obligentur, tametſi cura non habeant animarum. De Archidiacono tamen videtur eſſe maior difficultas, quia concurrunt in ipſo ſpeciales circumſtantiæ, quæ non concurrunt in aliis; ſiquidem Archidiaconus, quà talis ſimpliciter non eſt addictus choro, ſed tantùm honorariam ibi ſedem habet, quando voluntariè accedit; licèt non percipiat aliquas diſtributiones. Non habet vocem in capitulo, eò quia non ſit canonicus; non exercet ullam juriſdictionem, tametſi ſit prima dignitas: ſiquidem totum ſervitium, quod ratione ſui muneris tenetur exhibere in eo conſiſtit; quòd aſſiſtat Epiſcopo pontificaliter celebranti, & quod in defectum Epiſcopi ipſemet celebret, tanquam prima dignitas.

3 Hinc oritur dubium, an teneatur ad continuam reſidentiam, an verò ſatis ſit, ſi reſideat, tunc temporis, cum ſuum tenetur munus obire. Archidiaconum non eſſe exemptum à reſidentia, videtur deſumi ex quadã declaratione Congregationis ſacri Cancilii Tridentini *ad c. 3. de refor. ſeſſ. 22.* ubi dicitur: *obtinens in cathedralibus, & collegiatis dignitatem licèt vocem in capitulo non habeat, nec diſtributiones quotidianas cum cæteris participet, reſidere tamen tenetur*; refert hanc declarationem Garzias *de benefic. p. 3. c. 2. n. 481.* ubi etiam addit rationem, quia officium annexum titulo non poteſt impleri ſine reſidentia; proinde requiritur à titulo, ſicut exigitur adimpleri officium.

4 Verùm probabile eſt, Archidiaconum non teneri continuò reſidere, ſed ſufficere, ſi reſideat quando munus ſuum debet obire; & officium impendere. Eſt enim reſidentia duplex materialis una: altera formalis; illa ſita eſt in ipſa corporali præſentia in loco, in quo tenetur quis reſidere. Formalis eſt ipſum ſervitium, ſeu executio muneris, vel officii, pro quo quis ratione tituli deputatus eſt. Hinc materialis, & formalis reſidentia ita comparantur ad invicem, ut materialis de ſe non conferat in ordine ad finem, ob quem reſidentia exigitur, ſed tantùm ſit ſubiectum quoddam neceſſarium, cui inniti-tur reſidenta formalis; quatenus hæc ſine illa non ſubſiſteret. Formalis reſidentia eſt, quæ de ſe influit in ipſum finem, ad quem reſidentia ordinatur; & operatur in ordine ad aſſecutionem eiuſdem finis. Docent hanc diſtinctionem Gloſſa *in c. conquerente V. deſerviat de clerico non reſidente*, Cuiacius *in print. tit. de cler. non reſid. V. quod præterea*, Cardinalis *in clement. unic. init. n. 20. de for. compet.* Cùm igitur reſidentia materialis ex ſe non requiratur ratione tituli beneficii, ſed tantum ratione officii, eiúſque exercitii requiſiti à titulo; ideo quando reſidentia propriè non importat modum præſentiæ perſonæ, ſed præſentiam ordinatam ad miniſterium, & ſervitium, ut colligitur *ex tot. tit. de cleric. non reſid.* ſequitur, neceſſitatem reſidendi fuiſſe inductam ratione officii, ut docent Alexander de Nevo *in c. pervenit. 2. n. 11. de appellat.* Lotter. *de re benefic. l. 2. q. 35. n. 10.*

Hinc

Hinc residentia materialis, seu personalis præsentia non requiritur, nisi secundùm mensuram formalis, seu muneris exigentiam, quia residentia formalis requiritur per se, & materialis, tantùm prout est necessaria, ut formalis subsistat: si enim materialis formalem excederet, secundùm mensuram excessus esset frustratoria, & otiosa: ergo Archidiaconus non tenetur residere, nisi pro tempore, quo munus suum debet impendere, suúmque obire officium: siquidem necessitas residentiæ impositæ in fundatione colligitur ex amore, & servitio injuncto, ut declaravit Rota coram Durano *decis.* 12. *n.* 6. *& decis.* 82. *n.* 6. *p.* 8. *recent.* eò quia servitium iniunctum in limine fundationis impleri nequit sinè materiali, seu personali præsentia, adeo ut necessitas materialis residentiæ non sit maior, quàm exigentia servitii injuncti; siquidem titulus non obligat ad residentiam materialem, nisi juxta mensuram eiusdem exigentiæ, unde si onus, & exercitium non est continuum, titulus non videtur obligare ad continuam materialem residentiam.

6 Tum quia quando titularis debet exercere quasdam duntaxat speciales functiones pro certis temporibus, non inducitur talis beneficii incompatibilitas cum alio, eò quia non exigat continuam, sed tantùm temporalem residentiam: adeo ut possit titularis utrique muneri satisfacere, ut docent jurisperiti Abbas *in c. fin. n.* 4. *V. in secunda qualitate*, Hostiens. *in c. fin. n.* 4. *V. unde si essent de cleric. non resid.* Gonzales *ad regul. cancell.* 8. cum Rota *decis.* 483. *n.* 3. *p.* 1. *& decis.* 179. *n.* 5. *in recent.* unde beneficium cui annexæ sunt quædã functiones pro certis tantùm temporibus, non exigit aliam residentiam, quàm necessariam pro ijsdem functionibus, alioquin tale beneficium non esset compatibile cum alio beneficio exigente continuam residentiam.

7 Hinc ad declarationem sacræ congregationis respondetur, Archidiaconum teneri ad residentiam pro toto illo tempore, quo sua debet obire munera, suásque exercere functiones, non verò alio tempore. Ad aliud, quod addebatur, quod officium annexum titulo non possit impleri sine residentia, respondetur, residentiam materialem de se non requiri ratione tituli beneficii, sed tantùm ratione officii, & servitii, quod requiritur ad titulum: & quia hoc servitium est tantùm temporaneum; ita residentia, quæ requiritur, temporanea tantùm est, non verò continua.

8 Ad Canonicos cathedralium Ecclesiarum, quod attinet, tametsi isti curam non habeant animarum; nihilominus tenentur ex sui beneficii natura ad residentiam in loco sui canonicatûs, adeo ut ultra trimestre ex toto anno non liceat ipsis à suis abesse canonicatibus, & si contrafecerint præter fructus, quos pro rata temporis absentiæ amittunt, insuper primo anno mediã partem; secundo anno omnibus fructibus, etiam quos eauã residentiæ suos fecerunt, eo ipso privantur, ut desumitur ex Tridentino *sess.* 24. *de refor. c.* 12. juvat observare, quòd redditus canonicatuum alii sint fructus annui, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatûs: & alii sint quotidianæ distributiones, quæ dantur propter singulas præsentias in choro, & divino officio: & à Concilio Tridentino *sess.* 21. *de reformat. c.* 3. *& sess.* 22. *c.* 3. statuitur, ut in ecclesiis tam cathedralibus, quàm collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita modicæ, ut negligantur; tertia pars fructuum, & quorumcunque proventuum, tam dignitatum, quàm canonicatuum separari debeat, & in distributiones quotidianas converti, & inter illos dividi, qui divino interfunt officio juxta proportionem ab Episcopo faciendam etiam ut delegato sedis apostolicæ, casu, quo capitulum, vel aliqui canonici essent exempti.

9 Nonnunquam tamen canonici ex justa causa possunt abesse, & tunc fictione juris censentur præsentes, & aliquando huiusmodi causæ exprimuntur specialiter in jure, ut ex illis absens canonicus non tantùm pro præsente in urbe, vel etiam pro assistente divinis officiis habeatur; & tunc præter fructus annuos lucratur etiam licèt absens distributiones quotidianas. Ut autem canonicus absit per solum trimestre non videtur requiri justa causa, quia tale trimestre absentiæ illi conceditur à jure, quasi pro animi relaxatione, & ne residentia semper in uno, eodémque loco nimis gravis accidat: quamobrem ob hanc trimestrem absentiam non requiritur justa causa, neque licentia Episcopi, ad quem tamen pertinet providere, ut canonici ita moderatè suam instituant absentiam, ne simul, & semel maior pars canonicorũ in festis solemnioribus absit, & Ecclesia suo destituatur servitio, privetúrque divino officio. Quòd si dicas, Episcopum neque per duos menses sine rationabili causa posse abesse ex Concilio Tridentin. *sess.* 23. *de refor. c.* 1. respondetur, esse discrimen, quia Episcopi præsentia ob pastorale officium, & universalẽ administrationem est magis necessaria, quàm illa canonicorum.

10 Si petas, quibus applicanda sit illa portio distributionum, quam absentes Canonici non percipiunt. Respondetur, talem portionem esse impendendam fabricæ Ecclesiæ, vel etiam distribuendam pauperibus, vel etiam aliis præsentibus canonicis: siquidem concilium Tridentinum *sess.* 22. *c.* 3. statuit, tales distributiones vacantes esse applicandas fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco ad arbitrium Ordinarii. Quia verò concilium ibi non loquitur de illis distributionibus, quæ deducuntur ex tertia parte fructuum; plures jurisperiti censent, aliud obtingere in distributionibus antiquis, quæ ex fundatione debentur Canonicis, adeo ut istæ, si ab aliquibus absentibus neglectæ fuerint, debeant præsentibus accrescere, ut notat Glossa *in clemen.* 2. *& in V. pars dimidia de etat. & qualit.* Sed Garzia *de benefic. c.* 2. *n.* 444. censet, attendendum esse, an certa, & determinata portio cuilibet canonico in choro præsenti assignata sit; ut pro missa legenda unus, vel alter Julius, & pro singulis horis canonicis tertia, vel media pars Julii: an verò in genere aliqua quantitas inter præsentes Canonicos distribuenda sit: in priori casu putat, portiones absentium esse applicandas Ecclesiæ,

vel alteri pio loco: in posteriori verò casu accrescere præsentibus: verùm quia in iure nihil de hoc statuitur, putârim, standum potiùs esse locorum consuetudini.

11 Habentur tamen fictione juris, ut præsentes canonici absentes, in ordine ad lucrandas quotidianas distributiones, si absentes à choro sint in urbe præsentes, & solùm ex justa causa necessitatis, vel utilitatis publicæ non possunt pro una, vel altera vice frequentare chorum, nec divinis interesse officiis: hæc tamen utilitas non debet esse privata, sed ipsius Ecclesiæ: rursus quos infirmitas, vel senium domi detinet, vel iniusta captivitas, aut etiam iniusta excommunicatio impedit, ne Ecclesiam adeant; si in urbe præsentes sint, etiam fictione juris censentur in choro præsentes *c. unic. h. t. in 6.* quod tamen ita est intelligendum, ut cæteri canonici chorũ frequentent, & divina non negligantur officia.

12 Quòd si canonici etiam à civitate absint, tametsi justam absentiæ causam possint allegare, nisi tamen causa illa specialiter de jure, vel consuetudine fuerit ad percipiendas distributiones quotidianas privilegiata, habentur quidem pro residentibus, sed non pro præsentibus in choro, ut docet Covarr. *lib. 3. var. resol. c. 13. n. 8.* & cum ipso Garzias de beneficiis *c. 2. p. 1. n. 349.* Si hæc causa specialiter prvilegiata subsit, pro præsentibus fictione juris habentur omnes canonici, qui parochias suis habent annexas canonicatibus, & ibi cura animarum per se ipsos exercent, ut desumitur ex Tidentino *sess. 22. de refor. c. 3.* debet tamen parochis Canonicatui esse incorporata, quia si canonicus ex dispensatione præter canonicatum parochiam obtinuerit, & in ea parochum egerit, lucrabitur quidem fructus annuos sui canonicatus, sed non distributiones, quia dispensatio super duobus beneficiis incompatibilibus est contra jus, proinde strictæ interpretationis, ut notat Barbosa *de offic. & potestat. Episcopi alleg. 40. n. 177.*

13 Rursus fictione juris habentur etiam pro præsentibus, qui ad generale concilium accedunt, & in ipso morantur, ut desumitur ex concilio Constantiensi *sess. 14.* & tradit Rebuffus *n. 33.* immo hoc privilegium etiam extenditur ad illos, qui intersunt synodo provinciali, vel diœcesanæ; vel etiam ad illos, qui occupantur in officiis sacræ inquisitionis contra hæreticam pravitatem; vel qui in Ecclesiis cathedralibus sunt pœnitentiarii constituti, quando publicas confessiones audiunt: extenditur etiam privilegium ad Auditores Rotæ Romanæ, ut refert Riccius *in prax aurea p. 3. resol. 390.*

14 An verò juris fictione censeatur etiam præsens in choro, qui eo tempore, quo divinũ officium peragitur, vel horæ cantantur, ipse missam legit. Respondetur, fuisse declaratum à sacra congregatione Cardinalium non censeri præsentem, ut testatur Garzias de beneficiis *c. 2. p. 1. n. 398.* nisi tamen canonicus jussu superioris, tunc missam celebret. Verùm plerisque in locis ex inolita consuetudine praxin esse contrariam refert cum eodem Garzia Zypæus *in annot. h. t. n. 31.* Tum quia declaratio Cardinalium fundatur in ipso textu Concilii Tridentini *sess. 24. de refor. c. 12.* ubi canonici jubentur per se, & non per substitutos divina peragere. Verùm cùm huiusmodi rigor per consuetudinem fuerit mitigatus, sequitur, quòd consuetudo celebrandi missam, dum in choro officium divinum peragitur, non sit intolerabilis.

Dubitari tamen potest, per quantum temporis teneatur ad residendum, qui in duabus cathedralibus canonicatum habet, respondetur ex Concilio Tridentino *sess. 7. c. 4. & sess. 24. de refor. c. 12. & 17.* ut notat Gonzales *ad regul. 8. cancell.* Glossa *15. n. 15.* duos canonicatus propter personalem residentiam novem mensium ex toto anno esse beneficia incompatibilia, proinde non posse eundẽ clericum absque dispensatione apostolica plures habere canonicatus. Quòd si clericus dispensationem ad duos canonicatus à sede apostolica impetraverit, & ea sit, ex qua dispensatus possit uno eodémque anno gaudere fructibus utriusque canonicatûs (hæc enim clausula exprimenda est in rescripto alioquin dispensatio, cum sit contra jura, illam non includeret, sed tantùm operaretur, ut dispensatus posset gaudere fructibus illius canonicatus, in quo maluerit novem menses residere, ut notat Rebuffus *in sit. dispensatio de non residend.*) si inquam cum tali clausula possit utriusque canonicatus fructibus gaudere, standum erit consuetudini locorum, ac statutis Ecclesiarum: siquidem in aliquibus cathedralibus quatuor tantùm; in aliis quinque, & in aliis sex menses assignantur pro residentia. 15

Hæc statuta, vel consuetudines, quibus minore tempore, quàm novem mensibus residetur, intelliguntur, quando quis ex apostolica dispensatione habet duos canonicatus, quia concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12.* derogavit omnibus statutis, & consuetudinibus minorem exigentibus residentiam, quàm novem mensium, unde tantùm ex dispensatione apostolica potest canonicus uti talibus statutis; Pontifex enim potest dispensare: & plures docent cũ Zypæo *in annot. juris pontif. h. t. n. 13.* residentiam canonicorum posse Concilium per contrariam consuetudinem posse mutari, eò quia non sit juris divini. 16

Neque obstat clausula illa derogatoria omnis consuetudinis, nam respondent, similes clausulas intelligi de consuetudine præterita existente ante legem in contrarium sancitam; non verò de consuetudine, quæ postea de novo introducitur, aut confirmatur, vel quæ non est generalis, sed tantùm specialis, & propria alicuius tantùm loci *arg. c. 1. de constit. in 6.* verùm quia nulla consuetudo subsistit, nisi sit rationabilis *c. fin. de consuetud.* ideo putârim necessariam ad diuturniorem canonicorum absentiam requiri aliquam rationabilem causam, ut notat Covarr. *l. 3 var. res. c. 13. n. 9.* alioquin sine rationabili causa consuetudo esset illegitima, & irrita, utpote contra piam fundatorum intentionem. Cæterum ob merita præcedentia posset quis à residentia excusari, nec hoc statutum, vel consuetudinem Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum reprobavit, quin potiùs admisit: siquidem concessit canonico, vel beneficiato, qui per 40. annos semper diligenter interfuit divinis, ut is imposterum 17

tam-

tamquam emeritus, ad nullam ampliùs obligetur reſidentiam, & nihilominus lucretur tam annuos fructus, quàm quotidianas diſtributiones, ut notat Garzia *de benefic. cap. 2. p. 1. num. 344.*

§. IV.

An quem pertineat, facultatem dare, quâ beneficiarii à ſuis eccleſiis abſint; & quæ cauſa à reſidentia excuſent.

1 CErtum eſt, non ſolùm ad Romanum Pontificem, verùm etiam ad alios inferiores locorum Ordinarios, & Epiſcopos pertinere laxato rigore juris, facultatem concedere ex juſtis cauſis, ut beneficiarius à ſua poſſit Eccleſia abeſſe. Jus etiam commune concedit Parochis, & cæteris curam animarum habentibus, ut liceat abeſſe ad quinquennium, dummodo Theologiæ in aliqua Academia ſub publico Magiſtro docente dent operam *c. ult. de Magiſtris & c. 2. de privilegiis in 6.* & idem eſt de illo, qui ſtudet juri canonico, ut notat Panormitanus. Rurſus etiam conceditur facultas, ut poſſint abeſſe toto eo tempore, quo publicè in ſcholis generalibus ſtudii litterarii Theologiam docent, aut jus canonicum; tunc enim non eſt neceſſe ut Parochus facultatem ab ordinario ſuo impetret, vel petat, quia jus ipſum commune eam illi concedit; dummodo ſubſtituat vicarium idoneum ab Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione, ut ſtatuitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 1. & c. cum ex eo de elect. in 6. §. porro*: alioquin tenetur Parochus per ſe perſonaliter reſidere in ſua parochia; adeo ut non cenſeatur reſidere, ſi maneat in urbe, & parochia diſtet per duo, vel tria milliaria italica, quia ita declaravit ſacra congregatio Concilii Tridentini interpres referente Garzia *3. p. de benefic. c. 2. n. 179.* cui adhæret Barb. *de offic. & poteſtat. Epiſcop. pag. 3. allegat. 53. num. 74.*

2 Ratio eſt, quia non dicitur reſidere, qui moratur extra locum reſidentiæ, præſertim quando non ita facilè poteſt quis vocari, nec ad ſuam accedere reſidentiam: non enim ſedere dicitur, qui extra ſedem moratur: reſidentia ad id præſertim præcipitur, ut paſtor aſſiſtat propriis ovibus, non quomodocunque; ſed aſſiſtentiâ paſtorali exigente, ut paſtor maneat in loco ſuæ jurisdictionis; quia cùm aſſiſtat per jurisdictionem, debet eam habere in actu primo, proximo, & expedito, ut valeat ſtatim eam exercere: id autem non contingit, quando non eſt in proprio loco ſuæ reſidentiæ, & jurisdictionis: neque refert, quòd identidem ad parochialem Eccleſiam accedat, quia hujusmodi acceſſus non ſufficit, ut dicatur reſidere.

3 Quòd ſi Parochus parùm ab ambitu ſuæ parochiæ diſtet, ut per medium miliare italicum putat Beia *p. 4. caſ. 21.* ſatisfacere obligationi reſidendi, quia qui parum diſtat, nil videtur diſtare. Verùm huic opinioni eſt contraria declaratio Congregationis ſuper Concilium Tridentinum *ad c. 1. de reform. ſeſſ. 23.* in qua ſtatuitur, quòd Parochus compellatur habitare in domo ſuæ Eccleſiæ, quam ſi non habeat, ſaltem in proximiori loco intra tamen limites propriæ parochiæ, idque ſub pœna amittendi fructus. Tum quia morari extra parochiam impedit, quo minus parochus poſſit expeditè ſuum obire munus, quia diſtantia impedit, ne poſſit ſtatim accurrere ad repentinos caſus, & ad ipſos vocari: quamobrem reſidentia Parochi intra propriam parochiam eſt neceſſaria, & ſub præcepto. Neque obſtat, quòd diſtantia non ſit valde notabilis, quia quando à jure decernuntur termini non datur parvitas materiæ reſpectu talium terminorum: & jura præſcribunt terminos reſidentiæ parochis intra propriam parochiam.

4 Epiſcopi tamen poſſunt Parochis, & aliis beneficiariis habentibus curam animarum concedere facultatem, ut ratione ſtudii litterarii poſſint ad ſeptennium abeſſe *c. cum ex eo de elect. in 6. & c. relatum de cleric. non reſid.* Non tamen poteſt Epiſcopus hanc facultatem in perpetuum concedere, ſed tantùm ad tempus, ut deſumitur *ex c. licet canon. de elect. in 6. & c. relatum de cleric. non reſidentib.* Solus enim Papa ex juſta, & debita cauſa poteſt facultatem concedere, ut beneficiarius perpetuò abſit à ſua Eccleſia, ut notat Gloſſa *in d. c. licet canon. de elect. in 6. V. ad tempus*, & deſumitur *ex c. ut de reſcript. in 6.* An verò capitulum canonicorum ſede vacante poſſit etiam hanc licentiam concedere, quam poteſt Epiſcopus. Reſpondent fere communiter cum Abbate *in c. relatum de cleric. non reſident. V. ſed hic quæritur*, poſſe: ratio eſt, quia in iis quæ ſunt jurisdictionis non voluntariæ, ſed neceſſariæ, poteſtas Epiſcopi tranſit ad collegium canonicorum *c. 1. de inſtitut. in 6.* & Gloſſa *clement. 1. de haret.* Immo etiam locorum Ordinarii inferiores Epiſcopo facultatem dare poſſunt parochis, & aliis beneficiariis habentibus curam animarum recedendi à ſuis eccleſiis ad tempus aliquod, ut docent Abbas *in c. relatum de cleric. non reſid. num. 4.* Innocentius, Hoſtiens *in c. relatum* de clericis *non reſidentib.* & colligitur *ex c. licet canon. de elect. in 6. in V. ordinarius*, ubi dicitur: *ſuper reſidentia verò, ut præmittitur faciendâ, poſſit ordinarius gratiam diſpenſationis id tempus facere:* nomine autem Ordinarii intelligitur ſuperior, ſive Epiſcopo major, ſive minor, ut notat Gloſſa.

5 Verùm Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1.* ſtatuit, ut ſi abeſſe debeat is, qui beneficium cum cura animarum habet, id faciat cauſâ priùs per Epiſcopum cognitâ, & approbatâ. Rurſus ſuperior Epiſcopo minor nequit facultatem concedere, ut Parochus ratione ſtudii litterarii abſit ad ſeptennium, ut notat Gloſſa *in c. licet canon. in V. Ordinarius & c. cum ex eo in V. Epiſcopi de elect. in 6.* Rurſus nec poſſunt Prælati inferiores Epiſcopo privare clericos beneficiis, eò quia ſine ipſorum facultate ex juſta cauſa impetrata abſint ab eccleſiis; quia hanc pœnam irrogare ad ſolùm pertinet Epiſcopum, ad quem etiam pertinet jure communi beneficia conferre, ut notat Abbas *in c. penult. de cleric. non reſid.*

6 An verò Papa quando beneficiarium ſolvit à canone, ſeu lege reſidendi ſine juſta, & debita cauſa illa juris relaxatio ſit tuta, & tuta ſecun-

dùm conſcientiam. Reſpondetur cum diſtinctione; ſi beneficiarius careat omni cura animarum, neque Eccleſia præcisè indigeat ejus miniſterio, operâ, vel induſtriâ, quia tunc non deſunt alii, qui ſuppleant; tunc poteſt talis beneficiarius licitè uti relaxatione juris à Papa abſque juſta cauſa impetrata: ſiquidem tunc reſidere in beneficiis curâ animarum liberis, licèt beneficiarii jure canonico compellantur, non tamen ad id adiguntur jure divino, vel naturali; quapropter poteſt Pontifex ex nulla juſta cauſa remittere, ſeu ſolvere legem reſidendi, & licentiam dare beneficiario non habenti curam animarum, ut poſſit non reſidere, & tunc juris relaxatio eſt rata, & firma: quia tantùm eſt relaxatio juris canonici dependentis à ſummo Pontifice.

7 Sin verò beneficio ſit annexa cura animarum, tunc ſi citra debitam, & juſtam cauſam Pontifex licentiam concedat recedendi ab eccleſiis, non eſt ea juris relaxatio tuta, & rata ſecundùm conſcientiam, ob eam rationem, quia tales beneficiarii habentes beneficia, quibus eſt annexa cura animarum debent jure divino reſidere in ſuis eccleſiis: & ſine juſta, ac legitima cauſa Papa non relaxat jus divinum, & naturale; ut communior, & verior docet ſententia, ut oſtendit Sotus *lib.* 10. *de juſtit. q.* 3. *art.* 4.

8 An verò qui cum legitima facultate abeſt à ſua Eccleſia licitè percipiat fructus ſui beneficii? Reſpondent jurisperiti cum diſtinctione; ſi enim facultas recedendi ab Eccleſia ad tempus detur alicui ex cauſis jure communi conceſſis; tunc certum eſt, clericum beneficiarium fructus lucrari ſui beneficii; ut cùm abeſt ratione litterarii ſtudii in Theologia, vel jure canonico; idque deſumitur *ex c.* 1. *de privilegiis in 6. & c. ult. de Magiſt.* vel abeſt quia inſervit Papæ juſſu ipſius *c. cùm dilectus c. ad audientiam c. de cætero de cleric. non reſid.* vel quia juſſus inſervit ſuo Epiſcopo *c. ad audientiam c. de cætero* vel quia inſervit legato in iis, quæ pertinent ad Provinciam eidem demandatam; vel Cardinalibus ex præcepto Pontificis; vel illius qui poteſt imperare: vel abeſt quia ægrotat, & alioquin conſueverat adeſſe ſuæ Eccleſiæ, & tunc in omnibus hiſce caſibus juriſfictione cenſetur reſidere, ac proinde licitè poteſt fructus ſui beneficii percipere.

9 Secus ſi ægrotat, & conſueverat non adeſſe ſuæ Eccleſiæ, cùm potuiſſet in eadem reſidere, non acquirit ſibi fructus, ut notat Joannes Andreas *in c. ad audientiam de cleric. non reſidentib.* vel etiam abeſt, quia juſſus eſt gerere negotia Eccleſiæ generalis, vel ſuæ etiam particularis *c. ex parte de cleric. non reſidentib. & c. cùm dilectus ad finem, & c. ad audientiam.* Vel etiam abeſt, quia dat operam alicui præcepto ſibi injuncto à ſuo Epiſcopo; & etiam in hiſce caſibus cenſetur juriſfictione præſens. E contra ſi clericus cauſâ ſui commodi, vel proprii negotii gerendi abſit, tunc juriſfictione non cenſetur præſens, nec reſidere in ſua Eccleſia, proinde neque poteſt fructus ſuos facere, tametſi abſit ex licentia Epiſcopi.

10 Cauſæ igitur juſtæ à continua reſidentia excuſantes generatim in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *c.* 1. *de reformat.* quatuor recenſentur, nimirum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas. Ad Chriſtianam charitatem pertinet ſi habens curam animarum abſit à loco beneficii causâ ſuccurrendi ſpirituali ſaluti proximorum, ut ad componendos diſſidentes animos, extinguendas graves inimicitias, impedienda imminentia mala, hæc enim, & alia ſimilia charitatem reſpiciunt proximi; non tamen abſentia debet cedere in notabile detrimentum comiſſæ ſibi plebis: quia quilibet curatus ex juſtitia tenetur propriis ſubvenire ovibus, & etiam ex præcepto charitatis; & aliis non tenetur ſubvenire ex juſtitia, ſed tantùm ex charitate. Ad cauſam urgentis neceſſitatis pertinent bellum imminens, excidii periculum, hoſtium incurſiones *arg. c. paſtoralis 42. caus.* 7. *q.* 1. 11

Rurſus aëris intemperies, & epidemica lues, ſeu ſæviens, & graſſans peſtis, corporis infirmitas, ſi in loco parochiæ curari non poſſit, *c. præſentium* 3. *caus.* 7. *q.* 1. *c. ad audientiam* 15. Non tamen poteſt Parochus tempore graſſantis peſtis plebem ſuam deſerere ad declinandum periculum, niſi idoneum ſubſtitutum relinquat, & plebis curam etiam abſens non omnino negligat, ut notant Rebuffus *in prax. benefic. tit. diſpenſatio de non reſident. n.* 30. *& ſequent.* Layman *lib.* 2. *c.* 3. *tract.* 3 *n.* 3. Alii tamen, & veriùs cenſent, Parochum graſſante peſte teneri per ſe immediatè ſuo gregi aſſiſtere, quia tunc oves magis indigent ope ſui paſtoris. 12

Sunt etiam qui cenſeant, Parochum, vel alium curatum etiam ob cauſam viæ, peregrinationis maximè ex voto poſſe abeſſe impetratâ tamen licentiâ ſui Prælati. Verùm oppoſita ſententia eſt verior, quia peregrinatio etiam ex voto ſuſcepta non eſt ex cauſis jure expreſſis excuſantibus à reſidentia juxta declarationem Congregationis Concilii Tridentini, ut monet Garzia *p.* 3. *de benefic. c.* 2. *n.* 393. Ad tertiam cauſam pertinet ſi beneficiarius ex mandato Papæ vocetur, ut ejus ſervitio aggregetur: ſiquidem beneficiarii, qui Romæ in ſervitio Papæ occupantur, habentur pro præſentibus in ſua Eccleſia, ita ut lucrentur fructus præbendæ, non obſtante conſtitutione epiſcopali contraria, ut ſtatuitur *in c. cum dilectus* 14. *h. t.* ubi habetur, quòd familiares Papæ in abſentia percipiunt fructus ſuæ præbendæ, eo quia pro præſentibus habeantur, non obſtante conſtitutione contraria: quia Eccleſia Romana cum ſit univerſalis, & omnium eccleſiarum mater, & magiſtra, ideo qui in Eccleſiæ Romanæ occupantur ſervitio, cenſentur etiam prodeſſe, ac inſervire aliis eccleſiis particularibus: quia honor, & utilitas Eccleſiæ univerſalis, ac omnium matris, redundat etiam in alias eccleſias particulares *arg. c. bona* 3. *de poſtul. Prælat.* 14

Quòd verò dicitur, canonicos occupatos in ſervitio Papæ fictione juris cenſeri reſidere in propriis eccleſiis, id non debet extendi ad omnes, quotquot in Romana curia commorantur, 15

ſed

sed de iis tantùm intelligi debet, qui ex Pontificis mandato ibi commorantur, & inserviunt Ecclesiæ universali; cujus utilitas cum redundet in particulares, ideo occupati Romæ in obsequium Pontificis, vel ecclesiasticis negotiis censentur in propriis ecclesiis residere. Non ita intelligitur de iis, qui propria tantùm voluntate, vel principaliter ob proprium commodum, aut lucrum in curia Romana morantur *argum. l. reipublicæ 36.* ubi habetur, quòd reipublicæ causa ij soli intelligantur abesse, qui non sui commodi causâ, sed coacti absunt, vel ob publicam necessitatem, vel ex Principis jussu *l. non ferè 41. ff. ex quib. caus. majores* Rebuffus *num. 32. & sequent.* Rursus cantores in Capella pontificia habentur ut familiares Papæ, proinde & ipsis debentur fructus canonicatuum, ac suarum præbendarum, tametsi absint, ut fuit decisum à sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud Barb. *in collect. 2. cùm dilectus. num. 2. h. t.* ubi addit, non obstare, quòd tales cantores, salarium recipiant, quia id non excludit, quo minus inserviant Papæ, ac præstent suum servitium Romanæ Ecclesiæ.

Quod verò diximus de canonicis, aliisque
14 beneficiariis non habentibus curam animarum, id non extenditur ad Episcopos, nec Parochos, nec alios beneficiarios curatos. Hi siquidem nequeunt per diuturnum tempus etiam in servitio Papæ detineri absentes à suis ecclesiis, nisi subsit causa gravis necessitatis, aut majoris utilitatis publicæ: ratio discriminis est, quia beneficiarii habentes curam animarum ex jure divino, & naturali tenentur residere in propriis ecclesiis: & summus Pontifex in jure divino sine justa, & gravi causa non potest dispensare, seu potiùs declarare jus divinum hic, & nunc non obligare: secus quia canonici, & alii beneficiarii non habentes curam animarum, nonnisi jure positivo, & canonico tenentur residere, & Pontifex sit legislator juris canonici; ideo eo ipso quòd Papa sciens mandat tales beneficiarios sibi inservire, tacitè cum ipsis dispensat, cùm non possint simul, & Pontifici Romæ inservire, & in propriis simul residere ecclesiis: unde quamvis Papa absque justa causa dispenset à residentia; adhuc dispensatio suum sortitur valorem; eò quia est relaxatio solius juris canonici dependentis à Pontifice.

Cæterum, familiares Papæ existentes in
15 servitio ejusdem non percipere distributiones quotidianas absque speciali privilegio Papæ asserit Garzias *de benefic. c. 2. num. 38.*

Canonici, qui sunt in servitio Episcopi
16 possunt etiam accipere fructus præbendæ, non obstante constitutione, & juramento, quia qui sunt pro servitio Episcopi, vel Ecclesiæ dicuntur esse præsentes, ut Honorius III. *in c. ad audientiam 15. h. t.* rescripsit ad capitulum Meldense. Nec huic constitutioni fuit derogatum per Concilium Trident. *sess. 24. c. 1. de refor.* ubi statuitur, quòd omnes canonici non possint abesse ultra trés menses à suis ecclesiis quolibet anno, quia sicut lex generalis prior, non tollitur, sed limitatur per legem posteriorem specialem; ita etiam lex generalis posterius limitatur, ac determinatur per legem priorem specialem *l. sed 28. ff. de legib.* Hinc quia constitutio Tridentini est generalis, per rescriptum Pontificis speciale huic derogatur, ut notat Navarrus *lib. 3. consil. 1. n. 2. h. t.* Cæterum Episcopus non potest ultra duos canonicos alios occupare in suo servitio sine consensu capituli, ut notat Abbas *in c. de cætero n. 3. h. t.*

Non tamen capitulum debet consensum
17 negare si necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id exigat, & id fiat sine gravi detrimento Ecclesiæ cathedralis, cui non desint alii canonici sufficientes pro servitio ejusdem: alioquin si divinus cultus, & necessarium Ecclesiæ ministerium impediretur, Episcopus nec duos posset habere canonicos. Rursus ut duo canonici familiares Episcopi habeantur pro residentibus, non debent versari in obsequio Episcopi ob privatum commodum, nec in solatium Episcopi, ut recreationis causâ: sed debent ita Episcopo inservire, ut eorum servitium cedat in commodum Ecclesiæ cathedralis; ut si canonici juvant Episcopum in negotiis pertinentibus ad ejus episcopale officium, vel fungantur munere sacellani, vel consiliarii; quia tunc censentur servire ipsi Ecclesiæ cathedrali, ut notat Glossa *in c. ad audientiam 15. h. t.* & ratio est quia Episcopus est caput Ecclesiæ cathedralis; proinde inserviens capiti censetur inservire Ecclesiæ ob unionem capitis cum reliquo corpore.

Ad quartam causam excusantem à conti-
18 nua residentia pertinet absentia ob evidentem Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitatem, ut si beneficiarius etiam curatus pro magno commodo diœcesis, cujus est membrum, deberet abesse; quæ ratione etiam excusantur, qui vocantur ad synodum generalem, provincialem, vel etiam diœcesanam, ut etiam si is absit ad prosequendam litem super juribus sui beneficii, vel Ecclesiæ, cui est incorporatus ad eadem jura defendenda, ut desumitur *ex c. ex parte 13. h. t.* Navarr. *lib. 3. consil. 14. n. 1. h. t.*

Dubitari solet, de Episcopo, si versetur in
19 curia Romana sine justa causa non residendi. Certum est, posse Pontificem constituere Episcopum, Camerarium, vel Vice-Cancellarium, vel summum Pœnitentiarium, aut etiam Auditorem Rotæ, quando alii idonei ad id muneris obeundum desunt: quia tunc necessitas Ecclesiæ universalis, & major utilitas cohonestat absentiam; & publicum bonum præferri debet privato, proinde etiam bonum Ecclesiæ Romanæ, quæ est univeršalis, & cæterarum Ecclesiarum Magistra præferri debet bono cujusvis Ecclesiæ particularis. Hinc ex consensu & licentia summi Pontificis potest etiam Episcopus abesse à sua Ecclesia, ut apud Imperatorem, vel Regem fungatur munere Præsidis, Consiliarii, si alii non reperiantur idonei: quia quæ pertinent ad publicam reipublicæ utilitatem, & salutem pertinent ad bonum commune præferendum particulari, & privato. Rursus quamvis officium cardinalatûs præcisè sumptum non excuset à residentia personali in propria Ecclesia, nihilominus si Romæ occupetur Cardinalis Episcopus in negotiis pertinentibus ad Romanam Ecclesiam etiam

etiam excusatur à residentia. Immo quia Cardinales debent Romæ ex officio Cardinalatûs assistere summo Pontifici, cujus Cardinales dicuntur consiliarii; jure comuni dignitates Cardinalatûs, & episcopatûs in eadem persona censentur incompatibiles, quia Cardinalis ut consiliarius tenetur residere in curia apud summum Pontificem, & Episcopus in sua diœcesi; & quia una & eadem persona nequit simul existere in pluribus locis, videtur Cardinalatus incompatibilis cum episcopatu; nisi sint sex illi episcopatus Romæ vicini, & quibus annexus est Cardinalatus, quia tametsi Cardinales Episcopi resideant in urbe, facilè tamen possunt eos administrare non solùm per suos Vicarios, sed etiam per se ipsos. Teneri Cardinales residere in Ecclesia proprii tituli desumitur *ex c. ex gestis 2. h. t.* ubi dicitur, quòd Cardinalis qui per quiquennium non residebat, & canonicè admonitus non se correxit, sed adhuc in alienis morabatur, fuerit canonicè depositus à suo titulo parochiali, & rationes ob quas teneantur Cardinales residere in Ecclesia sui tituli plures congerit Fagnanus *in d. c. ex gestis 2. num. 11. h. t.* & ea videtur esse præcipua: quia Cardinalis in Ecclesia sui tituli curam habet animarum, tam in foro pœnitentiali, quàm contentioso *c. His quæ 11. de majorit. & obed.* Cæterum commorari ob proprium commodum, & privatam utilitatem in Romana curia, non potest esse justa causa non residendi beneficiariis habentibus curam animarum.

§. V.

De pœnis, quæ beneficiariis in suis ecclesiis non residentibus ipso jure irrogantur.

1 CConcilium Tridentinum *sess. 6. c. 1.* decrevit, pœnam Episcopis, & aliis superioribus, qui sine justa, & legitima causa à suis absunt ecclesiis: ait enim Concilium: si quis à Patriarchali, à Metropolitana, seu cathedrali Ecclesia sibi quocunque titulo, causâ, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra diœcesin suam morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quòd si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandorum, eo ipso amittat; crescente verò contumacia severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur.

Rursus eadem Tridentina Synodus *sess. 23. c. 1. de refor.* statuit, ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & quicunque alii cathedralibus quibuscunque, quocunque nomine, & titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, personaliter in sua Ecclesia, vel diœcesi residcant. Et nonnullis interjectis subdit: si quis autem contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac peccati mortalis reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec ruta conscientia, aliâ etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus malè acceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur non obstantibus quibuscunque privilegiis cùlcunque collegio, aut fabricæ concessis.

Pro Parochis, & aliis curam animarum habentibus, & sine legitima licentia extra suas ecclesias commorantibus statuit Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1.* ut incurrant eandem pœnam, & amissionem fructuum, & si per edictum citati contumaces fuerint, liberum est ordinariis per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem, ac subtractionem fructuum, & alia juris remedia etiam ad privationem compellere, neque executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, & ratione cujuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacunque authoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela censenda est sine appellatione, aut inhibitione etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse.

Juvat tamen observare, per hæc decreta fuisse innovatos antiquos canones contra pastores non residentes, scilicet quoad culpam, ut Episcopi residere teneantur, & quoad pœnam privationis tituli, de qua Concilium nil statuit, quapropter in ordine ad privationem tituli, & ejus modum privationis, videtur servandum, quod statuitur *in c. ult.* & in aliis canonibus præsertim *in c. ex tua 11.* Rursus cum *sess. 6. c. 1.* dicitur quòd in pœnam non residendi sit subtrahenda quarta pars fructuum unius anni, id debet intelligi de fructibus tempore residentiæ legitimè acquisitis: & cùm *in c. 1. sess. 23.* dicitur, quòd omnes fructus tempore absentiæ pro rata correspondentes integrè, & in totum subtrahantur, id intelligitur, ut fructus omnes pro rata absentiæ amittantur.

Præterea, quamvis lex pœnalis ordinariè etiam ipso jure lata non obliget delinquentem ad executionem sine sententia judicis saltem declaratoria: excipitur tamen nisi hujusmodi lex humana consistat in privatione, adeo ut faciat aliquem inhabilem ad inquirendum; tunc enim in conscientia lex obligat ad restitutionem fructuum ante omnem judicis sententiam, vel declarationem juxta exigentiam legis pœnalis, ait tamen Layman *lib. 1. tract. 2. c. 6. n. 6.* id non esse sumendum in eo rigore, si clerici per absentiam culpabilem notabile damnum Ecclesiæ non intulerint; eo quia idoneus Vicarius fuerit constitutus, qui supplevit præsentiam principalis.

Oritur tamen dubium, an jure communi antiquo ante Concilium Tridentinum Parochus, vel alius beneficiarius, cui sit annexa cura animarum, si absque legitima causa, & licentia abfuisset à sua Ecclesia, fuisset statim privatus suo

suo beneficio, vel tantùm fuisset privandus per sententiam Judicis; & ita dicendum est de canonico, & alio habente portionem in Ecclesia cathedrali, vel collegiata. Respondet Azorius *lib. 7. c. 6. p. 2. q. 4.* in jure communi antiquo esse dubiam quæstionem, quia *in c. extirpande §. qui verò de prabend.* postquam dictum est, habentem Ecclesiam parochialem, non per Vicarium, sed per se ipsum debere ei deservire; & eum, qui dignitatem, vel præbendam obtinet, cui sit Ecclesia parochialis annexa, posse in sua parochiali per Vicarium inservire; posteà subditur: alioquin sciat, se authoritate hujus decreti privatum, adeo ut dignitas possit alteri conferri: ex quo decreto infertur, parochum absentem ipso jure esse privatum sua parochia. Verùm *in c. ex tua de cleric. non resid.* dicitur de beneficiario absente: si citatus & monitus non redierit, & ultra sex menses abfuerit, debet beneficio spoliari, & rursus *c. clericos eod. tit.* dicitur, si moniti non redierint, licet eos suis beneficiis spoliare, nisi excusationem rationabilem ostenderint, & *in c. inter 10. h. t.* dicitur, quòd si congruo tempore expectati non redierint, possint privari, dummodo non sint justo impedimento detenti: ex quibus decretis videtur inferri, beneficiarios si à suis ecclesiis absint, non esse suis beneficiis ipso jure privatos, sed per sententiam judicis esse privandos.

7 Ad hanc difficultatem solvendam nonnulli nituntur conciliare textus taliter, ut in *c. extirpande* clausula ultima, quâ dicitur, beneficiarium esse privatum suo beneficio, non referatur ad omnia præcedentia, sed tantùm ad ea, quæ proximè præcesserunt, scilicet ad eum, qui cum dignitate, vel canonicatu habet parochialem Ecclesiam conjunctam, & in ea non substituit idoneum Vicarium. Sed hæc opinio communiter rejicitur, quia omnia jura in titulo de clericis non residentibus fuerunt correcta per decretum Concilii Lateranensis, quod continetur *in §. extirpande.*

8 Verùm jurium correctiones, quia facilè non debent admitti, nisi quando illas recipere compellimur certa ratione, ideo probabile est, ac vero similius, non esse beneficiarium absentem ipso jure privatum, sed tantùm privandum per sententiam judicis declaratoriam. Si enim manifestum sit, ac notorium, quòd beneficiarius habens curam animarum sine legitima causa, & licentia à sua Ecclesia absit, tunc ob evidentiam facti potest ejus beneficium ab Ordinario, ut vacans alteri conferri juxta decretum *c. extirpande.*

9 Rursus si manifestum fuerit, talem beneficiarium suum beneficium habere pro derelicto, tunc etiam Ordinarius habet jus, illud alteri conferendi non solùm ratione absentiæ, verùm etiam quia beneficiarius habeat pro derelicto suum beneficium: ut si absens uxorem ducat, vel aliam parochiam accipiat, vel miles fiat; tametsi in hisce casibus beneficiarius non sit ipso facto privatus beneficio, nihilominus jure censetur privatus, adeo ut propter evidentiam facti possit Ordinarius beneficium alteri conferre.

Sin verò dubitetur de legitima, & justa absentia Parochi, tunc si dubitetur, an Parochus sit justè impeditus, quò minus ad suam revertatur Ecclesiam, debet priùs moneri, ut redeat, quàm privetur sua Ecclesia, & hoc modo possunt intelligi jura de clericis non residentibus.

Dubitatur tamen, an Episcopus antequam 10
privet beneficio non residentem, teneatur eum priùs privare fructibus. Oritur difficultas ex ipsa dispositione Concilii Tridentini *sess. 24. c. 12. §. praterea de reformat.* ubi videtur disponere, quòd antequam Episcopus privet beneficiarium absentem suo beneficio, debeat priùs pro prima vice eum privare dimidia parte fructuum, & pro secunda vice omnibus fructibus unius anni; deinde si contumax abfuerit, statuitur, quòd possit Episcopus eum privare suo beneficio: etenim dispositio Concilii hæc est. *Alioquin pro primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prabendæ, ac residentiæ suos fecit. Quòd si iterum eadem fuerit usus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem modo lucratus fuerit. Crescente verò contumacia contra delinquentes juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur:* ex qua dispositione infertur, quòd priusquàm deveniatur ad pœnam privationis beneficii impositam per sacros canones, præmittendæ sint mitiores pœnæ privationis fructuum, quod etiam videtur jure statutum: siquidem *in c. ex tua §. contra eos de cleric. non resid.* habetur, quòd contra recusantes post monitionem reverti ad suam residentiam procedatur per suspensionis, & excommunicationis sententiam, & si postea contumaces fuerint, deveniatur ad privationem beneficii, quapropter de jure videtur necessarium, quòd absens non statim privetur suo beneficio, sed præmittantur aliæ leviores pœnæ per modum correctionis: immo Glossa *in d. c. ex tua V. spoliari* putat, quòd priùs præcedere debeat suspensio ab administratione temporalium, priùsquam deveniatur ad spoliationem, & quòd præmittenda sit illa duplex spoliatio fructuum, de qua loquitur Concilium: alioquin censet, privationem esse nullam, & huic opinioni adhærent Piasecius *in prax. p. 2. c. 3. num. 10. V. necessario autem* Zechius *de republica eccles. tit. de benef. num. 6. v. quod attinet vero,* Zerola *in prax. p. 1. V. privatio §. 3.*

Nihilominus dicendum est, non esse ne- 11
cesse præmittere præfatas mitiores pœnas, antequam Episcopus, vel superior privet beneficiarium non residentem suo beneficio; adeo ut si visum fuerit Episcopo, possit immediatè eum privare suo beneficio, sitque in arbitrio Ordinarii præmittere prædictas mitiores pœnas, vel immediatè infligere pœnam privationis: quia ita declaravit Rota coram Mantica *decis. 67. num. 6.* & ita etiam declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut notat Pasqualigus *quæst. 103. num. 4.* etenim in jure clericis non residentibus imposita est immediatè pœna privationis beneficii, si moniti, & citati renuerint comparere, &

non eſt neceſſe, quòd præcedant aliæ pœnæ; ut deſumitur *ex c. ex parte* 1. *& c. qualiter, & c. inter quatuor de cleric. non reſidentibus*, quapropter quia per hos textus poteſt deveniri immediatè ad privationem beneficii non præmiſſis aliis mitioribus pœnis, & ex alio capite jura debeant ita interpretari quantum fieri poteſt ut ſimul concordent, & ſibi non contradicant *l. nnic. C. de in offic. dat.* non videtur aſſerendum, quòd per alia jura ſit ſublata facultas procedendi immediatè ad privationem beneficiis non præmiſſis mitioribus pœnis, adeo ut ſit in arbitrio Epiſcopi, ſi velit eas præmittere: non verò quòd ad eas præmittendas debeat adigi. Neque Concilium Tridentinum oppoſitum ſtatuit, quia tantùm declaravit, pœnas, quibus non reſidentes affici poſſint ad illum finem, ut Epiſcopi prout conſultiùs viſum fuerit, illis uti poſſint. Siquidem cùm de jure pertineat ad Epiſcopos punire non reſidentes, & de jure fuerit ſtatuta pœna privationis beneficii, impertivit Concilium facultatem Epiſcopis, ut poſſint etiam mitiori modo procedere ſpectatis circumſtantiis temporis, perſonæ, & loci, proinde decrevit duplicem pœnam privationis fructuum, quæ præmitti poſſit, antequam Epiſcopus privet beneficiarium ſuo beneficio.

18 Quòd ſi dicas, Concilium uti verbo illo imperativo *privetur:* exinde non ſequitur, induci obligationem, quia illud imperium tantùm dirigitur ad beneficiatos, quos obligat ad ſubeundam pœnam, ſi ab Epiſcopo condemnentur: adeo ut ſenſus ſit, quòd ob defectum reſidentiæ pro primo anno ſubjaceat privationi medietatis fructuum, ſi illi ab Epiſcopo talis pœna injuncta fuerit. Cæterum quòd illud verbum imperativum non afficiat Epiſcopum, ex eo liquet, quia non dirigitur ad Epiſcopum, ſed in ipſos beneficiatos, ut declaravit ſacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud Rotam coram Mantica *d. deciſ. 67. num.* 4. In eodem ſenſu etiam intelligitur textus *c. ex tua. de cleric. non reſidentibus* quia Innocentius III. in illo textu priùs decrevit, quòd poſt præmiſſam citationem, & monitionem, ſi poſt ſex menſes non reſideant, debeant meritò beneficiis ſpoliari, unde ſtatim ſubdit: *contra eos etiam procedatur, ut ipſos per ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententiam ad tuam obedientiam convenire compellat.* Tradit enim duplicem modum coërcendi non reſidentes, quapropter poſuit in electione Epiſcopi uti alterutro, prout ipſi magis libuerit, aut viſum fuerit magis expedire.

§. VI.

De diſtributionibus quotidianis, & quomodo debeantur reſidentibus?

1 Diſtributiones quotidianæ dicuntur illæ in eccleſiis portiones, quæ debentur ſingulis diebus clericis beneficiariis, ex eo quia ſtatis temporibus divinis interſint officiis. Hinc quia non ſolùm ſunt portiones, quæ ſingulis dari quotidiè ſolent, verùm etiam quia in ſingulos dividuntur, qui ſtatis horis diurnis, atque nocturnis præſentes interſunt divinis officiis, ideo diſtributiones dicuntur quotidianæ, ſeu portiones, quæ pro certarum horarum varietate in ſingulos quotidiè diſtribuuntur, adeo ut, qui præſens interfuit ſacrificio miſſæ certam ſibi fructuum portionem lucretur: qui verò matutinis, aut veſpertinis horis certam aliam ſibi portionem acquirat, & ſic de reliquis Eccleſiæ ſervitiis, ut notat Gloſſa *in c.* 1. *de cler. non reſid.*

2 De hiſce quotidianis diſtributionibus tractant juris periti *in c. licet de prabend. c. de cætero de cleric. non reſid. c.* 1. *de cleric non reſid. in 6.* & fit etiam de illis mentio *in c. licet de prabend. c. ut non deceat. c. ult. de elect. in 6. c.* 1. *de cleric. non reſid.* & fuſiùs *in extravagan. cùm nonnulla de prabend. inter communes:* & teſte Gloſſa hujusmodi quotidianæ diſtributiones in quibusdam eccleſiis dicuntur manualia beneficia, qua nomenclatione vocantur *in c. olim. de verb. ſignif.* Rurſus in aliis locis appellantur victualia, ut *in c. de cætero de cleric. non reſid.* in aliis etiam locis hujusmodi diſtributiones quotidianæ pertinent ad ſolùm cibum, & potum, ut in pane, vino, oleo, vel etiam in certis menſuris frumenti. In aliis verò accipiuntur in parata pecunia. Non tamen nomine quotidianarum diſtributionum intelliguntur fructus, qui ex beneficio percipiuntur, ut docent communiter jurisperiti, & notat Covarruvias *lib. 3. var. reſol. c.* 13. *num.* 1. adeo ut in jure communi nomine fructuum, & præbendæ non intelligantur diſtributiones quotidianæ.

3 Hinc clerici, qui ex licentia Papæ in ſuis non reſident eccleſiis, tametſi poſſint ſibi fructus beneficii lucrari, non tamen ullum acquirunt jus in diſtributiones quotidianas, ut notat Gloſſa *in c. ult. de magiſt. & c. cùm de diverſis de privileg. in 6. in V. integrè:* etenim qui ſive à jure, ſive à Papa, ſive ab Ordinario facultatem habet non reſidendi, & defacto non reſidet, tametſi beneficii fructus accipiat, non ita ipſi conceduntur diſtributiones quotidianæ *c. licet de prabend. c. de cætero. c. cùm dilectus de cleric. non reſident.*

4 Rurſus cui conceditur facultas, ut abſens ſibi acquirat ex beneficio eosdem fructus, quos lucraretur, ſi præſens adeſſet, & quos ſolent cæteri, qui reſident, lucrari, non tamen eo ipſo intelligitur conceſſum, ut etiam lucrentur quotidianas diſtributiones, ut notat Gloſſa *in c.* 1. *de cleric. non reſid. in 6.*

5 Neque obſtat, quòd ratione privilegii non reſidentes fictione juris habeantur ut reſidentes: ſiquidem diſtributiones quotidianæ non conceduntur clericis ex eo præcisè, quòd reſideant, ſed quia præſentes interſunt divinis officiis ſtatis horis diurnis, nocturnisque *c.* 1. *de cleric non reſidentibus in 6.* quando enim quis privatur ob delictum fructibus beneficii, non eo ipſo privatur diſtributionibus: ſiquidem quando compellitur clericus ex beneficio, vel præbenda ſolvere, non tenetur quidquam ex diſtributionibus ſolvere: hinc beneficiū, ſeu præbenda diſtinguitur

guitur à distributionibus quotidianis, quia beneficiũ ultra has distributiones est annuum stipendium, seu quidam redditus, qui ex certis bonis Ecclesiæ percipi solet: distributiones verò sunt portiones, quæ dantur beneficiariis, eò quia statis diei horis præsentes interfint divinis officiis. Quòd si totum beneficium in ipsis quotidianis distributionibus consisteret, adeo ut beneficiarius præter has distributiones quotidianas nullum alium perciperet annuum proventum, tunc nomine distributionum intelligeretur ipsum beneficium.

6 Harum distributionum quotidianarum tria recensentur genera; siquidem in quibusdam ecclesiis non sunt præbendæ distinctæ, sed omnia bona sunt communia, & singulis diebus dantur cuilibet canonico residenti, sive divinis officiis interfit, sive absit, certæ mensuræ panis, & vini ad victum quotidianum, & etiam certa pecunia ad vestitum, qualis clericum decet: & hæ portiones sunt potiùs beneficia, quàm distributiones, & iis debentur, qui residet in Ecclesia, non verò aliis, qui absunt, perinde ac debentur ipsis fructus; nisi inolita consuetudo, vel statutum, aut Ecclesiæ Privilegium aliter induxerit: siquidem consuetudine, vel statuto, aut privilegio fieri potest, ut etiam absentes lucrentur hujusmodi distributiones, in quo sensu plures juris periti intelligunt *c. olim de verb. fignif.*

7 Secundò in aliis ecclesiis præbendæ sunt distinctæ, proinde constituitur mensa communis, ex qua dantur distributiones quotidianæ illis etiam, qui divinis officiis non interfunt, dummodo in Ecclesia resideant: & nonnunquam ex consuetudine, vel statuto non dantur nisi iis, qui saltem matutinis horis, vel vespertinis interfunt, aut missæ sacrificio: & de istis distributionibus, idem juris est, quod de superioribus, ut docent Archidiaconus *c. 1. de cleric. non resid. in 6.* & Holtiens. *in sum. tit. de Magist. §. ult.*

8 Tertiò aliæ sunt distributiones quotidianæ, quæ singulis diebus dantur iis, qui præsentes interfunt divinis officiis, & istæ proprie dicuntur distributiones quotidianæ, de quibus loquuntur canones. An verò nomine harum distributionum comprehendantur etiam portiones funerales, quæ vocari solent anniversalia, & dividuntur in singulos beneficiarios, qui præsentes interfunt exequiis, certisque officiis defunctorum, videtur in dubium revocari à jurisperitis; siquidem Lappus *allegat. 34. & 36.* Cardinalis *in clement. Ut his de etat. & qualit.* & alii docent, non comprehendi nomine distributionum. Secus Dominicus *in c. 1. de cleric. non resid. in 6.* Joannes Andreas, & alii *in d. c. 1.* quamvis portiones funerales non comprehendant nomine distributionum quotidianarum; nihilominus dicunt eodem jure, & privilegio gaudere, adeo ut non debeantur absentibus, tametsi ratione privilegii percipiant fructus beneficii.

9 Immò dicunt nec deberi residentibus, nisi exequiis, & officiis defunctorum præsentes interfint. Verùm hac super quæstione extat constitutio Bonifacii VIII. *in c. consuetudinem de cleric. non resid. in 6.* ubi prope finem ait: *de distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum* scilicet ut notat Glossa eos, qui funeris exequiis anniversariis præsentes non interfunt, hujusmodi distributionum nihil sibi lucrari, tametsi consuetudo contrarium induceret, eò quia hæc consuetudo ut corruptela potiùs abrogatur.

Solet enim certa pecuniæ quantitas, aut 10
certa mensura panis, vel vini, aut cerei dividi in beneficiarios, qui præsentes interfunt, cùm funus effertur, & defertur, vel cùm mortuo justa solvuntur, vel cum septimo, aut 30. die ab obitu alicujus, facta instituuntur. Ratio, cur iis non dentur, qui præsentes non interfunt, licèt resideant, esse potest, quia nihil prodest præsentia clericorum in loco, in quo sita est Ecclesia, si divinis non interfint officiis: siquidem beneficia instituta fuerunt ad ecclesiastica ministeria obeunda, & ad divinum cultum peragendum: & constitutionem Bonifacii VIII. innovat Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12. de reformat.* & revocat omnes consuetudines, & statuta in contrarium: & ex eadem constitutione colligitur, aliud esse residere in loco beneficii, & aliud divinis officiis interesse, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. resol. c. 13. num. 3.* & Navarr. *lib. 3. cons. 13. b. t. num. 2.* etenim qui assiduè commoratur in loco sui beneficii, dicitur quidem residere in sua Ecclesia, non tamen lucratur distributiones quotidianas, si statis horis diurnis, & nocturnis præsens non interfit divinis officiis; unde, qui taliter residet, lucratur quidem fructus residentiæ, tametsi culpabiliter non interfit divinis officiis, ut docet Layman. *lib. 4. tract. 2. c. 7. num. 1.* non tamen percipit quotidianas distributiones.

An verò improbanda sit consuetudo, quâ be- 11
neficiarius reversus ex loco unde abierat, per triduum, vel biduum distributiones quotidianas lucratur, tametsi præsens non interfit divinis officiis ob contractam lassitudinem ex labore itineris? nonnulli censent, hanc consuetudinem damnandam esse, inter quos Archidiaconus *c. 1. de cleric. non residentib. in 6.* quæ sententia non videtur improbabilis, si rectè intelligatur; etenim vel canonicus revertitur ex loco, in quem iverat ob agenda ipsius Ecclesiæ negotia: vel ex loco, quò se contulerat ob privatas suas res, vel commoda. Si dicatur primum, consuetudo non videtur improbanda, ut notat Joannes Monachus *in c. 1. de cleric. non resid. in 6.*

Tum quia Papa solùm damnat consuetu- 12
dines, quibus canonici absentes è continuatè (ut ait Papa) distributiones quotidianas lucrantur; non verò eas damnat consuetudines, quibus ad unum vel alterum diem, ac breve tempus beneficiarii absentes lucrantur distributiones, ut fusè ostendit Lappus *allegat 36.* Sin verò beneficiarius abfuit tantùm sui commodi causâ, & non propter utilitatem Ecclesiæ, tunc consuetudo illa, ut beneficiarius rediens ex via per biduum, aut triduum distributiones lucretur, tametsi divinis non interfit officiis, damnanda est.

Cæterum consuetudo, vel statutum lanci-

num à capitulo circa quotidianas distributiones certo, & speciali modo dividendas inter canonicos suum sortitur valorem, dummodo non fit contra dispositionem canonis, ut desumitur *ex c. consuetudinem 1. h. t. in 6.* quia licèt non possit capitulum statuere quidquam circa ea, quæ ledunt jura Episcopi, vel generalem statum Ecclesiæ, seu diœcesis, possunt tamen canonici capitulares statuere ea, quæ respiciunt propria specialia negotia ejusdem capituli, etiam absque consensu Episcopi, ut circa obventiones distributionum, ut notat Glossa *c. 2. §. caterum V. statutum de V. S. in 6.*

14 Sunt tamen plures casus, qui excipiuntur. Primò enim infirmi, qui ratione ægritudinis non possunt Ecclesiæ, & divinis officiis personaliter interesse, adhuc percipiunt quotidianas, distributiones, tametsi ipsi causam dederint infirmitati; quia *in c. unic. h. t. in 6.* Bonifacius VIII. non excludit infirmos, tametsi propriâ culpâ in morbum inciderint, ut docet Covarruv. *lib. 3. resol. c. 13. num. 8. v. 7.* Neque est par ratio de famulo ægrotante, cui non debetur salarium durante infirmitate juxta probabilem receptam sententiam desumptam *ex l. ex conducto 15. §. item cùm quidam 6. ff. locati.* ubi qui suas locavit operas, mercedem non recipit pro eo tempore, quo fuit impeditus eas præstare; licèt opposita sententia præsertim si impedimentum proveniat ex infirmitate, sit probabilior ac magis charitati conformis. Nam non est eadem ratio de canonico infirmo, quia huic distributiones non dantur, ut salarium propter laborem impensum, sed in alimenta ob obligationem ad suum ministerium, quando per ipsum residentem non stat, quo minus laboret, & ministret: Ecclesia enim cùm sit pia mater, voluit cum suis filiis mitiùs agi, ut notat Covarruvias *lib. 3. resol. c. 13. V. 5.*

15 Id tamen limitatur ad eum infirmum canonicum, qui sanus consueverat semper personaliter præsens interesse divinis officiis. Secundò ex necessitate, ut si canonicus senio confectus non possit præsens divinis interesse officiis, tunc etiam percipit distributiones, quia tametsi senectus propriè non sit infirmitas, habetur tamen instar infirmitatis: ut etiam si canonicus sit valetudinarius, vel sumpserit medicinam, vel sanitatis causâ ad thermas fuerit profectus. Excipitur etiam, qui in carcerem injustè detrusus, vel in exilium pulsus non potest divinis interesse officiis, quia tunc censetur legitimè impeditus: non tamen id procederet, si dedisset ipse causam, ob quam fuerit in carcerem conjectus, vel in exilium pulsus: neque est par ratio de canonico suâ culpâ infirmo, quia infirmitas est effectus proximus culpæ, non pœnæ, secus incarceratio non est proximus effectus culpæ, cùm multi delinquant, qui non detrudantur in carcerem, & plures fugiant, unde est effectus ipsius pœnæ.

16 Tum quia culpa plerumque non est causa moralis, sed tantùm physica infirmitatis, quæ non est pœna illius culpæ, sed ex illa tantùm sequitur, tanquam naturalis effectus, unde culpa non censetur causa moralis absentiæ à choro, sed ipsa infirmitas: secus qui crimen commisit, ob quod conjicitur in carcerem, in illo crimen est moralis causa illius incarcerationis, cùm pœna inferatur propter culpam, proinde etiam delictum est causa moralis absentiæ à choro: hinc patet discrimen, cur reus ob delictum, propter quod incarceratur, privetur quotidianis distributionibus, non verò qui infirmus impeditur, ne possit præsens divinis interesse officiis, tametsi causam dederit infirmitati.

Rursus excipitur etiam iniustè excommunicatus, qui ratione excommunicationis impeditur, quò minus possit præsens divinis interesse officiis ob timorem gravioris damni, ut docet Garzia *p. 7. de benefic. c. 13. num. 120.* Non ita perciperet distributiones, si justè esset excommunicatus, quia tunc non necessitas, sed ipsa malitia esset causa moralis absentiæ à choro ut notat idem Garzia *loco cit. num. 123.* Rursus inter causas, ob quas absens à divinis officiis potest percipere quotidianas distributiones est evidens utilitas Ecclesiæ propriæ tamen, non alienæ, vel etiam probabiliter utilitas Ecclesiæ universalis, quia utilitas communis redundat in utilitatem particularium. Hinc si canonicus ob negotia suæ Ecclesiæ mittatur Romam, tametsi absens à choro, adhuc distributiones quotidianas accipit, si absit, ut defendat jura suæ Ecclesiæ, vel capituli, vel sui beneficii, ut notat Barbosa *de offic. episcopi allegat. 53. n. 171.* Si visitet Ecclesiam, & jura suæ præbendæ. Barbosa *in collect. in d. c. unic. num. 12.* vel si alicui ex dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis de jure, seu consuetudine jurisdictio, administratio, vel officium non competat, sed extra civitatem in diœcesi cura animarum immineat, cui obtinens dignitatem voluerit incumbere pro tempore, quo in Ecclesia curata residerit, tunc enim habetur tanquam præsens in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, ut decrevit Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 3. de reformat.* 17

Præterea si canonicus, vel alius beneficiatus mittatur ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum, etiam absens lucratur distributiones, quia tunc etiam agit negotium suæ Ecclesiæ: ut etiam qui à capitulo mittitur ad Concilium generale, vel Provinciale, aut Synodale tanquam Theologus, vel Canonista, ut notat Barbosa *lib. 3. de jur. eccles. c. 18. n. 45.* Ut etiam si canonicus à capitulo deputetur ad recipiendas rationes redituum. Vel si sit Pœnitentiarius Ecclesiæ cathedralis, & confessiones audiat in Ecclesia dum divina peraguntur officia ex decreto Concilii Tridentini *sess. 24. c. 8. de refor.* Ut etiam habens præbendam magistralem, vel lectoralem, quando in propria Ecclesia habet conciones, aut legit, quod procedit non solùm de illo tempore, quo talia exercet munera, sed etiam pro toto illo die. Sunt etiam, qui velint beneficiarium legentem missam in Ecclesia cathedrali, vel collegiata privatim, tametsi sinè obligatione, & tantùm ex devotione, haberi pro præsente in choro, & lucrari distributiones. Verùm in hoc standum est locorum consuetudini. 18

Caterum

19 Cæterum distributiones quotidianæ à Canonicis absentibus amissæ aliis accrescunt, ut communiter docent Jurisperiti cũ Glossa *in clemen. 2. p. parte dimidia de etat. & qualit.* & *V. suspensus de vita, & honest. Cleric.* quod tamen procedit de distributionibus ordinariis, quæ dicuntur communes, & proveniunt vel ex fidelium fundationibus, vel ex communibus beneficiorum redditibus detrahuntur, ut significat Concil. Triden. *sess. 21. c. 3. de reform.* Alioquin si oriantur ex propriis, ac distinctis à mensa capitulari fructibus, quarumdam dignitatum, vel officiorum, à quibus detrahatur tertia pars, quæ per modum distributionum detur iis, qui illas dignitates, vel officia obtinent, si præsentes sint; tunc ijs absentibus applicantur fabricæ ecclesiæ, vel alteri pio loco ex statuto Concili Triden. *sess. 22. c. 3. de Ref.* Garzia *l. c. n. 446.* Legitimè absentes juxta communiorẽ sententiam recipiunt distributiones proprias, ac si personaliter interessent; non verò distributiones, quas amittunt illegitimè absentes; siquidem istæ solis præsentibus accrescunt, qui spectato iure communi debent in choro cantare, & psallere; saltem si integras distributones velint lucrari; nec sufficit, si privatim, & submissa voce divinum recitent officium ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 12. de refor.* Azor. *p. 1. lib. 10. c. 11. quæst. 5.* quia distributiones non dantur canonicis ratione solius præsentiæ in choro: sed propter officium psallendi in ecclesia, & propria per se obeundi munera: quando aliquid datur ob aliquam causam, hac deficiente, deficit & munus, quod daretur. Licèt non lucrentur integras distributiones; lucrantur tamen partem earundem, eò quia præsentes assistant psallentibus in choro, ut docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis canonicis c. 12. n. 16.*

20 Est nihilominus in plerisque cathedralibus inolita consuetudo, ut canonici, si solùm sint præsentes in choro, quamvis per se non cantent, sed per clericos ad id sibi substitutos lucrentur integras distributiones; sed putârim id provenire non ex consuetudine, quæ potiùs esset corruptela; sed ex eo, quia in præfatis cathedralibus dantur canonicis distributiones non ob officium canendi in choro; sed propter solam præsentiam in choro, ut notat Suarez *l. c. n. 11.* Qui verò in eadem ecclesia plura habet beneficia, seu dignitates, ut si sit præpositus simul, & Canonicus, duas accipit portiones distributionum Covarru. *var. resol. c. 13. n. 6.* Abbas *in c. cùm olim 12. n. 16. de sent. & re judicata* quia sicut potest quis duplici munere fungi; ita pro utroque munere potest lucrari quotidianas distributiones; cùm utrique dignitati debeantur distributiones, & eadem persona utrique satisfaciat, debentur eidem distributiones debitæ utrique dignitati: possunt enim diversa jura eidem personæ convenire *l. Tutorem 22. ff. de his, quæ ut indignis.* Est tamen hac in re servanda locorum consuetudo.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 Quæritur primò, an per consuetudinem immemorialem possit induci, ut Prælati non teneantur personaliter residere in suis beneficiis? Respondetur negativè, si sermo sit de beneficiis curatis, adeò ut nulla consuetudine etiam immemoriali possit introduci, ut Parochus, vel alius Rector, & curatus non resideat in beneficio curato per se ipsum, nec per suum Vicarium. Ratio desumitur ex eo, quia talis consuetudo foret prorsus irrationabilis, quia cederet in grave damnum ecclesiarum, & periculum animarum, non enim potest Pastor curam sui gregis gerere, nisi sit præsens, vel aliquem habeat loco sui præsentem: qui enim curatum beneficium obtinent, strictiùs, quàm alii beneficiarii tenentur ad personalem residentiam; quapropter antiqui canones injungebant, ut sub pœna excommunicationis adigerentur ad personalem residentiam, curámque gerendam concrediti sibi gregis juxta *can. 16.* Concilii 1. Niceni. Quinimò si curatus beneficiatus non resipuerit, seu noluerit residere, privatur in perpetuum suo beneficio, ut etiam habetur in Concilio Antiocheno III. *can. 3.* cui consonat Tridentinum *sess 6. c. 1. de refor.* ubi de iis, qui ecclesiæ cathedrali præsunt, statuitur, ut si sine justis, & rationabilibus causis per sex continuos menses extra suã Diœcesim morando abfuerint quartæ partis fructuum unius anni applicandorum fabricæ ecclesiæ, vel pauperibus privationis pœnam ipso jure incurrant. Sin verò per alios sex menses abfuerint, privetur alia quarta parte fructuum eodem modo applicandorum, & crescente contumacia, sint deponendi summo Pontifici.

2 Quæritur secundò, an per consuetudinem immemorialem induci possit, ut curatus beneficiatus inserviat suo beneficio curato, non per se, sed per suum Vicarium? Respondetur, probabile esse, si justa, & legitima causa subsit, ut per consuetudinem immemorialem introducatur, ut aliquis Parochus, vel alius beneficiatus curatus, habens curam animarum non teneatur personaliter residere in suo beneficio curato, dummodo suum pastorale beneficium per Vicarium perpetuum, vel etiam temporalem, seu ad nutum amovibilem ritè exerceatur, & taliter ut populus ex absentia sui principalis Pastoris, nullum patiatur damnum spirituale, eò quia per Vicarium omnia diligenter suppleantur, docent hanc sententiam Navarrus *lib. 3. consil. 21. b. 1. n. 4.* Abbas *in c. Extirpanda 30. § qui verò n. 8. de prabend.* Nititur hæc sententia, eò quia consuetudo temporis immemorialis æquipolleat privilegio, adeò ut quod potest per privilegium induci, possit etiam per consuetudinem immemorialem inductam ex justa causa *c. super quibusdam 28. §. præterea de V. S.* sed summus Pontifex potest beneficiato curato privilegium concedere, ut non teneatur per se ipsum immediatè curam gerere sui gregis, sed per Vicarium

idoneum sive perpetuum, sive generalem: proinde potest hoc idem per inolitam, & immemorialem consuetudinem ex justa causa induci. Nihilominus contrariæ sententiæ adhærent plures alii præsertim Fagnanus in *c. Ex parte* [illegible] *n. 77. h. t.* & hæc sententia videtur æquitati magis consona, proinde probabilior, ac eidem adhærendum: quia beneficiatus curatus, cum accipiat annuos proventus, & sentiat commodum; æquum est, ut resideat, cum proventus dentur ad eum finem, ut qui eos accipit, curam gerat illius populi.

3 Hinc beneficiatus curatus tenetur ad residendum personaliter, ut per se ipsum curam exerceat ex præcepto juris divini, & naturalis; proinde nequit per ullam consuetudinem contrariam induci, ut non resideat, cùm id deroget juri divino, & naturali, quapropter in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1.* talis consuetudo etiam immemorialis dicitur corruptela. Quamobrem Parochus, aliúsque Pastor curatus obligatur ex præcepto divino ad exercendam curam pastoralem per se ipsum, si salus animarum id postulet; adeò ut non possit per vicarium etiam perpetuum talem curam gerere, consequenter neque per consuetudinem immemorialem videtur posse induci, ut Pastor proprius per alium exerceat curam sui gregis, si id contingat cum detrimento salutis animarum, quæ propterea exigant suum proprium pastorem, qui annuos proventus ob id accipit. Quòd si per Vicarium perpetuum melius, & cum maiori fructu animarum cura gereretur talis gregis absque violatione juris, & præcepti divini, posset id induci, si justa, & gravis causa subsit, ut Vicarius substituatur.

4 Quæritur tertiò, an per consuetudinem induci possit, ut beneficiati non curati, cuiusmodi sunt, qui non habent curam animarum, & Canonici ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum, nec per se, nec per Vicarium, aut alium substitutum resideant; adeò ut possit canonicus in absentia fructus sui canonicatûs percipere? Respondetur, quòd si per talem absentiam cultus divinus in tali ecclesia non minuatur, nec proinde consuetudo illa sit noxia Ecclesiæ, tunc docent plures, posse per consuetudinem saltem immemorialem ex justa causa induci, ut constitutus in dignitate non curata possit non residere per se ipsum immediatè, nec per substitutum, & desumitur ex *c. cum omnes 6. junctâ Glossa fin. de constit.* & docent plures apud Fagnanum *ibid. n. 18. & 19.* & nituntur ea ratione, quia cum quilibet clericus sit assumptus in sortem Domini semper inservit ecclesiæ universali. Nihilominus putârim probabilius non posse hanc consuetudinem induci, quia licèt beneficiatus non sit curatus, accipit tamen annuos proventus à tali Ecclesia, cui propterea tenetur inservire, cum ad id fuerit institutus, ut ubi tales proventus accipit, ibi divinas laudes persolvat. Hinc consuetudo inserviendi per substitutum, & percipiendi fructus in absentia in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis sublata est per Concilium Tridentinum *sess. 24. de refor. c. 12. §. Præterea*, ubi habetur: quòd obtinentibus in cathedralibus ecclesiis, & collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non sit licitum vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultrà tres menses quolibet anno abesse. Verùm, si beneficium sit omnino simplex, & in eius fundatione nulla injungatur obligatio residendi in loco beneficii, tunc beneficiatus potest proventus recipere, & non residere, ut praxis ipsa docet. Imò valida est consuetudo, quæ in ecclesiis obtinuit, ut in simplicibus beneficiis, etiam in iis, quæ propriè dantur in titulum, non requiratur personalis residentia, & beneficiati etiam absentes possint fructus beneficii percipere: quia tantùm jure ecclesiastico huiusmodi beneficiati tenentur residere in suis ecclesiis; & juri ecclesiastico per contrariam consuetudinem potest derogari, dummodo alii substituantur, qui loco ipsorum inserviant ecclesiis, ut notat Rebuffus *tit. dispensatio de non residend. n. 8.*

5 Quinimò plerisque in locis consuetudo invaluit, ut beneficiati neque per Vicarios substitutos teneantur residere in quibusdam beneficiis simplicibus, dummodo non desint alii, qui eidem ecclesiæ ritè inserviant, nec cultus divinus minuatur ex absentia possidentis beneficium simplex, quia jus naturale solùm exigit, ut ecclesia non careat Ministris, qui eidem inserviant. Quòd si consuetudo hæc non residendi legitimè præscripta contra jus commune tenderet in notabile ecclesiæ detrimentum, eò quia hæc careret idoneis, & necessariis Ministris; tunc Episcopus novum deberet statutum condere, quo talis consuetudo abrogaretur, requisito priùs capituli consensu, quem si negaret, adhuc posset Episcopus procedere: quia consuetudo vergens in detrimentum ecclesiæ, cui damnum infert, tolli debet: qua ratione etiam privilegium alicui concessum, eo ipso quòd incipit esse noxium ecclesiæ, vel Reipublicæ, potest revocari. Quinimò, si per diuturnam consuetudinem sublata fuit obligatio residendi potest per contrariam consuetudinem iterum introduci obligatio residendi, & hæc consuetudo decem annis introduci potest, ut notat Glossa *in c. uls. V. consuetudo. de consuet. in 6.* ubi generaliter ait, quòd si consuetudo non sit contra jus, seu non resistat juri, sufficit, ut introducatur, tempus longum, seu decem annorum. Alioquin si dubium oriatur, an beneficium exigat personalem residentiam nec ne, est tunc judicandum in favorem ecclesiæ, & residentiæ personalis *c. cum dilectus 8. de consuet. junctâ Glossa. V. jure communi*, quia in dubio debet interpretatio fieri in favorem ecclesiæ, & juris communis injungentis talem residentiam.

6 Quæritur quartò, an Episcopi possint abesse à propria Diœcesi ultra tres illos menses ijsdem concessos à Concilio Tridentino; certum enim est, Episcopos quot annis posse sive continuatè, sive interruptè abesse à sua ecclesia cathedrali ad duos, vel ad summum tres menses: quæritur, an ultra hoc tempus possit abesse per aliud modicum tempus. Respondetur, pluribus videri probabile, posse per modicum tantùm

tùm temporis abesse, dummmodo id fiat ex justa causa, & sine gravi detrimento sui gregis, quia parum pro nihilo reputatur, imò Vincentius Vynialis in *Apolog. pro necessaria parochorum residentia n.* 47. asserit, decem, vel quindecim dies absentiæ ultra tempus concessum à Tridentino non videri tempus per se sufficiens ad peccatum lethale, quia quindecim dies relatiè ad reliquos decem, vel novem menses est materia parva insufficiens ad peccatum lethale, & id ait etiam procedere de Parocho, qui tamen non excusaretur, si ultra bimestre à Concilio ei concessum protraheret absentiam ad alios viginti, & triginta dies. Verùm quamvis ratione parvitatis materiæ posset quis excusari, ut si ultra tempus à Concilio Tridentino concessum adhuc per octiduum abesset: eò quia octiduum sit parvitas materiæ respectu decem mensium: nihilominus, quia Concilium Tridentinum taxat tempus, in quo concedit Episcopis, & Parochis per modum indulgentiæ, ut possint abesse, videtur in tempore taxato à Concilio includi totum id, quod rationabiliter potest indulgeri, adeò ut extra tale tempus à Concilio taxatum locum non habeat parvitas materiæ, quia Concilium videtur jam habuisse rationem illius, & sicut Concilium indulsit Episcopis, ut per tres menses ad summum possent abesse, & Parochis per duos, sequitur, quòd parvitas materiæ non possit ultra hoc tempus locum habere; proinde ob parvitatem materiæ non videtur excusandus, qui ultra tempus à Concilio concessum sine justa, & urgente causa abesset per alios 20 vel 15. dies.

7 Cæterum tempus à Tridentino concessum non debet sumi mathematicè, sed moraliter, quia cùm simus in ordine ad effectum moralem residentiæ, debet tantùm illud computari, quod sit secundùm moralem æstimationem alicuius considerationis; quapropter excessum unius, vel alterius diei ultra tempus concessum non putârim, dicendum esse excessum, quia licèt mathematicè sit excessus, non ita moraliter computatur pro excessu, & in hoc sensu verum est, quòd secundùm canones, & leges parum pro nihilo reputatur: dummodo hæc modica absentia fiat ex justa causa, & sine gregis detrimento.

8 Quæritur quintò, an si Parochus parum distet ab ambitu suæ Parochiæ, satisfaciat obligationi residendi, si vocatus possit statim adesse, & spiritualia ministrare suo gregi? Respondet Bonacina *disput. 5. de onere, & oblig. benefic. punct. 1. n. 4.* talem Parochum satisfacere obligationi residendi, dummodo non distet ultra milliarium italicum à confinio suæ Parochiæ, & nititur, eò quia parum secundùm canones pro nihilo reputetur. Tum quia hæc distantia non videtur causare notabile damnum. Nihilominus dicendum est, talem Parochum non satisfacere obligationi residendi, & adest declaratio sacræ congregationis super Concil. Trident. & refertur ad *c. 1. de refor. sess. 23. in collect. ex bibliotech.* Gallemart. in qua declaratur, quòd Parochus teneatur habitare in domo ecclesiæ, quam si non habet, saltem in viciniori loco intra parochiam, idque sub pœna amittendi fructus. Ratio etiam videtur id omnino suadere: siquidem semper morari extra parochiam impedit, quo minùs parochus possit suũ munus obire, præsertim si distet per unum, vel alterum milliare italicum: notabiliter enim impedit, ne possit accurrere ad repentinos casus, nec ad ipsos statim vocari: non enim potest statim accurrere ei, qui morbo corripitur apopletico: etenim donec moneretur Parochus distans per milliare, & ipse accederet, suum iam obiret diem; quapropter ob talem absentiam contingeret, plures mori destitutos sacramentis ecclesiæ, quod esset gravissimum damnum illi populo. Quamobrem residentia Parochi in domo suæ ecclesiæ, vel saltem in viciniori loco intra Parochiam est omnino necessaria, & sub præcepto, & requiritur, ut Parochus possit commodè, ac diligenter suo fungi munere, ac officio.

9 Hinc ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd tametsi distantia per unum milliare videatur parvitas materiæ; non tamen locum habet in præsenti, quia quando termini statuuntur à jure, non datur parvitas materiæ respectu eorundem: hinc licèt unus, vel alter dies relatè ad totum annum sit parvitas materiæ, si tamen desit ad annum novitiatûs, vel ad 17. ætatis, non potest Novitius validam emittere professionem: pari pacto banniti non possunt ingredi loca, à quibus ejecti sunt etiam per unum milliare, tametsi hoc videatur parvitas materiæ; alioquin incurrunt pœnas à jure statutas: & quia Parochis sunt præscripti termini residentiæ intra suam propriam parochiam, non satisfacit obligationi residendi, si distet per milliare italicum extra ambitum suæ parochiæ. Tum quia hæc distantia licèt respectu loci videatur modica, respectu tamen detrimenti, quod infertur populo, cùm contingat plures posse mori sine sacramentis, non est censenda modica, sed gravis.

10 Quæritur sextò, an Canonicus excusetur à residentia ex eo præcisè, quòd doceat publicè theologiam? Respondetur excusari, adeòque posse fructus percipere, & desumitur ex *c. super specula de Magistris*, & docent Moneta *p. 2. de distribut. q. 10.* Vasquez opusc. de benefic. *c. 4. art. 2. dub. 2. n. 187.* & alii, qui tamen id limitant, ut procedat quoties inopia habetur Magistrorum, quia hæc limitatio conformis est textui in *c. super specula.* Tum quia Canonici non residentes causâ docendi publicè theologiam dicuntur abesse ex justa causa. Alii verò absolutè asserunt, excusari à residentia, quæ sententia fundatur in Tridentino *sess. 5. c. 1. de refor. in fin.* ubi absolutè statuit, ut publici doctores possint recipere fructus, neque decretum Tridentini restringitur ad eos, qui docent ex inopia aliorum Magistrorum: & licèt Concilium loquatur de Magistris legentibus sacram scripturam, nomine tamen talium Magistrorum comprehenduntur etiam Magistri docentes theologiam, ut desumitur ex Tridentino *loco cit.* ibi *Et ubi tam exigua est cleri, & populi multitudo, ut theologia lectio in eis haberi commodè non possit.* ubi loquens de Magistris, & lectione

lectione instituenda vocat lectionem theologiæ. Tùm quia infra hortatur Principes, ut hanc lectionem introducant ad catholicæ fidei defensionem, ac incrementum, & sanæ doctrinæ conservationem, & propagationem.

11 Quamobrem Canonicus publicè docens theologiam excusatur à residentia, & potest percipere fructus sui beneficii: quia semper præsumi potest, quòd quoties Canonicus eligitur ad publicam cathedram, eligatur ob raritatem habita ratione omnium circumstantiarum, seu stipendii, honoris, & aliorum, quæ secum affert cathedra. Tum quia ad has publicas electiones is semper eligitur, qui cæteris censetur melior, proinde electus semper præsumitur rarus in suo ordine, cum cæteri censeantur inferioris doctrinæ, & habilitatis. Imò id etiam procedit de canonico publicè docente jus canonicum, cum hoc sit etiam necessarium ad regimen ecclesiæ, & militet eadem ratio maioris utilitatis: & ratio etiam est, quia textus in *c. super specula* universaliter loquitur de his, qui publicè docent res pertinentes ad fidem, vel ecclesiam.

12 Quæritur septimò, an Episcopus antequam privet non residentem beneficio, debeat priùs eum privare fructibus beneficii. Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 12. §. præterea de refor.* ubi disponitur, ut Episcopus priùs privet fructibus beneficii non residentem, adeò ut pro prima vice eum privet dimidia parte fructuum, & pro secunda vice omnibus fructibus unius anni; & tertia vice eum privet beneficio, unde Concilium priusquam deveniatur ad pœnam privationis impositam per sacros canones, vult præmittendas esse mitiores pœnas privationis fructuum, imò id etiam videtur statutum fuisse in *c. Ex tua §. contra eos de cler. non resid.* ubi statuitur, quòd recusantes residere post præviam monitionem debeant puniri censuris suspensionis, & excommunicationis, quòd si postea contumaces fuerint, sint etiam privandi suis beneficiis. Nihilominus verior sententia est, non esse necesse, præmittere has mitiores pœnas, sed posse ob non residentiam statim deveniri ad privationem beneficii, si ita Episcopo visum fuerit, adeò ut sit in electione eiusdem privare immediatè non residentem beneficio, vel præmittere mitiores pœnas privationis fructuum, ut censuit Rota Romana coram Mantica *decis. 67. n. 6.* ubi etiam addit, ita esse intelligendum Concilium Tridentinum ex declaratione sacræ Congregationis super Concilio Tridentino: adeo ut non teneatur Episcopus servare præfata temporum intervalla: sed possit statim privare beneficio nolentem residere, quia in jure Clericis non residentibus iniungitur immediatè pœna privationis beneficii, si post citationem, & monitionem non compareant.

13 Neque requiritur, ut præcedant aliæ pœnæ privationis fructuum, ut desumitur ex *cap. ex parte 1. c. inter quatuor de Clericis non residentib.* & etiam ex *c. qualiter eod. tit.* quoad Episcopos, quapropter cum ex jure possint Clerici non residentes immediatè privari suis beneficiis non præmissis aliis pœnis privationis fructuum, & jura quantum fieri potest, sint concordanda, non est censenda sublata hæc facultas immediatè procedendi ad privationem beneficii, sed tantùm per Concilium Tridentinum indulgetur Episcopis, ut possint, si velint, aliis mitioribus pœnis priùs experiri, an Clerici non residentes, velint resipiscere, & suæ satisfacere obligationi, ac residere. Quamobrem Concilium tantùm indulget Episcopis, ut si velint, possint non residentes priùs mitioribus pœnis punire, quia cùm de jure pertineat ad Episcopos punire non residentes, & de jure fuerit statuta pœna privationis beneficii; voluit Concilium concedere facultatem Episcopis, ut possent, si vellent, etiam mitiori modo procedere; qua ratione decrevit duplicem pœnam privationis fructuum, quæ posset præmitti, antequam non residentes suis privarentur beneficiis: quas pœnas mitiores non poterant Episcopi ante Tridentinum præmittere.

Quòd si dicas, Concilium uti verbo illo 14
imperativo *privetur*. Respondetur, illud verbum inducere obligationem, quatenus afficit beneficiatos, quos obligat ad subeundam talem pœnam, si illis ab Episcopo injungatur: non verò quòd Episcopus necessariò, antequam privet beneficio non residentes, debeat eos mitiori pœnâ punire. Posset tamen in contrarium obiici, quia quando lex præter jus commune aliquid de novo introducit, quidquid exprimitur censetur de forma necessariò servanda, ut censuit Rota in Romana societatis 5. Decemb. 1616. coram Remboldo. Sed contra, quia id tantùm procedit, quando quod inducitur à lege præter jus commune versatur circa eundem actum, non ita, quando est dispositio circa diversum actum, & quia quod inducit Concilium *sess. 24. de refor. c.* 12. versatur circa novas pœnas, veluti præparatorias, & disponentes ad pœnam privationis beneficii: ideo Concilium non obligat Episcopum ad eas priùs imponendas; quapropter non debent poni ut forma, sed tantùm si ita visum fuerit Epscopo.

Quæritur octavò, an Clericus non resi- 15
dens, si citatus non revertatur ad residendum, privandus sit suo beneficio in termino sibi præfixo? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. Ex parte 8. h. t.* ubi Cœlestinus III. rescribit, eum qui abest ab ecclesia, & per longum tempus ultra decennium, esse citandum, ut veniat, & si vocatus noluerit venire, esse alium eligendum pro illa dignitate: ratio est, quia non est ferendum, ut ecclesia defraudetur officio, & opera illius, qui tenetur in ipsa residere, & illi præesse, vel prodesse, ut habetur in *d. c. Ex parte 8. h. t.* & quia nemo debet insuditus jure suo privari *l. 1. ff. de requir. reis.* sequitur, quòd per solam absentiam ante præviam monitionem non privetur quis suo beneficio, sed sit illi præfigendus competens terminus sub pœna privationis ad revertendum. Id tamen procedit, nisi habeat iustum impedimentum, quia iure suo nemo est privandus sine culpa *c. discretionem 6. de eo, qui cognov. conf.* justè autè impeditus non censetur esse in culpa, si non præ-

stet,

præstat, quod aliàs per ipsum præstandum esset *c. quia de conceſſ. prebend.* quapropter si beneficiatus absens à suo beneficio justam causam ostenderit, cur non resideat, & non possit intrà terminum sibi præfixum reverti ad residendum non est privandus suo beneficio, ob non residentiam.

16 Hinc si beneficiarius absit à suo beneficio exigente residentiam, dummodo non receperit aliud beneficium incompatibile, non censetur ei renuntiâsse, ut tanquam vacans alteri conferatur, ut notat Glossa in *d. c. Ex parte* §. *v. person. b. t.* Quamobrem qui recessit à suo beneficio, & diu abfuit, etiam per decennium, debet priùs revocari, ut resideat, eique præfigi certus terminus comparendi; quòd si intra tale tempus non compareat, & perseveret in sua contumacia, privari tunc potest à superiore habente potestatem eum privandi tali beneficio. Non tamen ad id requiritur trina citatio, nec privatio per sententiam præmissa judiciaria cognitione, sed potest ipso facto privari beneficio, illúdque alteri conferri, ut notat Innocentius in *d. c. Ex parte*, & docet Garzias *p. 3. c. 2. numero* 127. & ratio, quam adfert Innocentius, est, quia in notorio facto non requiritur ordo juris *c. Ad nostram* 21. *de jureiur.* & quia absentia prohibita beneficiario est notoria, ideò si post monitionem personalem, & terminum præfixum non compareat, procedi potest de facto. Verùm si beneficiarius postea revertatur, & justam suæ absentiæ causam evincat, est illi restituendum beneficium *argum. c. 3. cauſ. 7. q.* 1. Imò monet Abbas in *c. Inter* 10. *b. t.* consultiùs esse, si beneficiarius absens privetur per sententiam judicialem suo beneficio cognitâ priùs causâ, & probato, quòd culpabiliter, & contumaciter absit. Hæc autem citatio, ex qua sequitur contumacia, debet ab eo fieri, qui facultatem habet privandi beneficio contumacem; proinde debet citatio esse authoritativa, per quam citatus in contumacia constituatur. Hinc capitulum potest tantùm monitione charitativa monere Decanum absentem, ut redeat, & si non obediat, potest Prælato denuntiari, & accusari. Potest etiam Capitulum, vel Decanus citare unum ex Canonicis in ordine ad mulctã, quam singulis Canonicis absentibus, aut delinquentibus, sive de jure, sive de consuetudine potest inferre.

17 Quæritur nonò, an Capitulum possit citare suum Prælatum illegitimè absentem ad residendum? Respondetur posse quidem Capitulum Prælatum suum ab ecclesia illegitimè absentem monere, ut revertatur ad suam ecclesiam, non verò eum authoritativè citare in ordine ad privationem, & desumitur ex *c. qualiter* 9. *b. t.* & ex Tridentino *sess. 6. de reform. c.* 1. Ratio est, quia mandatum de citando est actus jurisdictionis, & superioritatis *c. fin. de dilat. & l. consent. c. quomodo, & quando Iud.* atqui inferior in superiorem non habet imperium, neque jurisdictionem, proinde non potest eum citare authoritativè: non enim, qui minoris est authoritatis, potest adigere suis judiciis alium, qui maioris est potestatis *c. inferius* 21. & *l. Nam Magist. de recept. arbit.* Capitulum autem est inferius Episcopo, siquidem Canonici sunt membra, quorum caput est Episcopus *c. novit. de his, quæ fiunt à Prælat.* proinde non potest Episcopus à Capitulo citari authoritativè in ordine ad privationem, cùm hæc citatio sit actus iurisdictionis, qui exigit superioritatem in citante.

Potest tamen Capitulum requirere, revocare, & monere Episcopum, ut revertatur ad suam residentiam, quia talis monitio, & requisitio non est actus judicialis, nec jurisdictionalis, per quem Capitulum velit supra Episcopum jurisdictionem exercere, sed est pura extrajudicialis expositio proprii interesse, imò est potiùs quædam fraterna correctio, ut Episcopus id præstet, ad quod ex officio tenetur ad euitandum peccatum: & inferior potest hunc actum exercere in superiorem *c. qualiter de cauſ.* quòd si Episcopus ita requisitus non comparuerit, adhuc non potest Capitulum sine consensu superioris alium Prælatum sibi eligere: siquidem antequam alius de ecclesia investiatur, necesse est, ut prior beneficiatus illâ privetur, quia antequam vacet ecclesia, non est alteri conferenda *c. Tuæ de prebend.* & per talem requisitionem, seu monitionem charitativam factam à capitulo suo Prælato absenti, hic non est privatus sua ecclesia *c. inferiora diſt.* 21. per solam enim absentiã non vacat beneficium, proinde canonici non possunt alium Prælatum eligere, quamvis primus absens per eos requisitus non revertatur, sed ad id requiritur authoritas superioris, qui absentem etiam invitum privet suâ ecclesiâ, factâ priùs monitione sub pœna privationis, nisi revertatur intra terminum sibi præfixum. Hodie contra non residentes proceditur juxta Concilium Tridentinum *sess. 6. de refor. c.* 1. & 2. & *sess.* 23. *c.* 3.

Quæritur decimò, quænam sint justæ causæ excusantes à continua residentia? Respondetur ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 1. quatuor assignari, nimirum christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, & evidentem ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem. Hinc ob christianam charitatem potest Parochus, vel alius beneficiarius ex consensu Papæ, vel Ordinarii abesse à suo beneficio: hæc autem christiana charitas exercetur, si Parochus, vel alius curatus absit à sua ecclesia causâ succurrendi saluti spirituali proximorum, vel ad graves inimicitias sedandas, & lites componendas. Dummodo ex tali absentia non inferatur grave damnum propriæ ecclesiæ; alioquin si absentia cederet in notabile detrimentum concrediti sibi gregis, non posset Prælatus abesse, quia ex justitia tenetur subvenire suis ovibus, quæ propterea præferendæ sunt aliis, ut notat Barbosa *de offic. Episcop. alleg.* 55. *n.* 6. Ad urgentem necessitatem pertinent hostium incursiones, eò quia Parochus periclitetur de vita *argum. c. Pastoralis* 42. *cauſa* 7. *q.* 1. ut etiam aëris intemperies, vel corporis infirmitas, si in loco parochiæ non possit curari *c. præsentium* 3. *cauſ.* 7. *q.* 1. Tempore tamen grassantis pestis non potest Parochus abesse, quia ex

19

 justitia

ecclesia esse sine suo administratore *c. Nulla de concess. prabend.* alioquin per ulteriorem moram notabile ecclesia pateretur detrimentũ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus *c. quoniam §. porro ut lit. non contest.* Tum quia intra semestre præsumitur, quòd citatio perventrit ad clericum absentem.

25 Quamobrem, si intra semestre sibi præfixum non revertatur, regulariter privandus est suâ Ecclesiâ. Id tamen limitatur, quando præsentia illius Clerici est valdè utilis eidem ecclesiæ, ut habetur in *d. c. Ex tua §. contra eos.* & jure novo in Tridentino *sess. 5. de refor. c. 1.* tunc enim contra talem clericum absentem proceditur per suspensionem, & excommunicationem, ut obediat. Non enim beneficiatus potest pro suo arbitrio dimittere beneficium ex quo semel ad illud se obligavit *c. nisi de relig.* quia verò si contra absentem non procederetur ad aliam pœnam, quàm ad privationem, is, qui beneficium nollet retinere, posset studio se absentare, ut illo privaretur: ideo quamvis pœna ordinaria non residentiæ sit privatio beneficii: nihilominus si superior sit contentus de persona beneficiati, eò quia sit utilis ecclesiæ, tunc non proceditur ad pœnam privationis, sed tantùm per suspensionem, vel excommunicationem compellitur reverti ad suam ecclesiam, ut etiam habetur in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12.*

Quæritur tertiodecimò, an qui juravit in 26
ecclesia residere, adhuc possit pro servitiis eiusdem licitè se absentare? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. Ex parte tua 13. h. t.* ubi Honorius III. rescribit, quòd jurans residere in sua ecclesia, si postea sine fraude se absentet ad defendenda iura eiusdem, non sit dicendus perjurus; ratio est, quia cum tale iuramentum præstitum sit in materia juris, debet interpretari in subiecta materia juxta communem juris intelligentiam: atqui jus interpretatur, tunc illum residere, qui pro servitiis suæ ecclesiæ abest. *c. de catero 7. h. t.* proinde si tunc clericus non se absentet in fraudem, sed ut defendat jura suæ ecclesiæ, non incurrit periurium, & censetur residere.

TITULUS V.

De præbendis, & Dignitatibus.

CUm Pontifex in præcedentibus titulis egisset de vita, & honestate clericorum, déque bonis eorundem, tam internis animi, quám externis corporis: & ad honestam vitam instituendam necessaria sit præbenda, vel beneficium, quô clericus sine quæstu, artisque exercitio decenter se sustentet: meritò titulis præcedentibus attexitur præsens de præbendis: nomine siquidem præbendarum generaliter intelliguntur omnia beneficia ecclesiastica *can. si quis dator* 1. *q.* 3. & dicuntur præbendæ, eò quia clericis assignatæ sint ad vitæ subsidium, quasi eis alimenta præbeant: quâ ratione Cassiodorus *lib.* 3. *variar. epist.* 42. viaticum, seu annonam exercitûs à principe loco muneris datam vocat præbendam. Hic verò nomine præbendæ significatur tantùm beneficium ecclesiasticum: unde canonici præbendarii dicuntur *can. sanctorum 7. dist.* Non solùm de præbendis agitur in hoc titulo, sed etiam de dignitatibus: sunt dignitates beneficia eminentioris gradus, in quibus continetur etiam personatus. Est autem personatus quædam præeminentia in choro, quæ licèt non habeat adnexam jurisdictionem, utitur tamen aliquibus prærogativis, & cæteros præcedit canonicos, qualis est primiceriatus: hoc pacto distinguuntur personæ à canonicis *c. fug. de elect.* Dignitas verò est, quæ administrationem, notionem, aut animarum curam habet: vel cui extra chorum munus aliquod, vel officium incumbit. Hinc Archidiaconatus, qui curam animarum adjunctam non habet, nec jurisdictionem dicitur habere sicut & personatus. Habetur hic titulus etiam in sexto, septimo, & Clementinis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. NULLUS 1. h. t. Ex Concilio Pictavien. statuitur, ut nullus de clero, & populo acquirat jure consanguinitatis bona ecclesiastica. Ex quo liquet, hereditariam successionem non habere locum in spiritualibus: adeò ut substitutus in beneficio, aut dignitate ecclesiastica non habeat causam successionis à defuncto, sed à superiore conferente. Neque est paritas de jure patronâtus transeunte ad heredes, quia jus patronatus non est merè spirituale, & conceditur laicis ex gratia, ut alliciantur ad fundandas ecclesias c. 3. de Jure patronatûs. Caterum licèt bona ecclesiastica intuitu ecclesiæ quæsita non transeant ad consanguineos ab intestato, nec ex testamento: bona tamen acquisita intuitu personæ transeunt ex testamento ad consanguineos, imò etiam ab intestato. c. 1. de testam.

C. NON LICEAT 3. h. t. *Ex corpore canonum statuitur, ut non liceat Episcopo ordinare clericos, nisi vel habeant titulum: vel Episcopus det illis, unde decenter vivant. Hac decretalis fuit statuta, ne clerici mendicarent. Ubi notandum est, quòd licèt nomine clerici intelligantur omnes ordinati, sive in maioribus, sive in minoribus in dispositione favorabili* c. duo sunt genera 12. q. 1. *de consuetudine tamen contrarium ab ecclesia Romana servatur: hac enim non consuevit, Episcopos cogere dare ordinatis sine titulo, unde vivant: nisi in sacris fuerint ordinati. Idque approbatur à Concil. Trid.* sess. 22. c. 2. de Ref. *ubi solum ad sacros ordines titulum exigit.*

C. RATIO 3. h. t. *declarat Gregorius, bona ecclesiastica non esse data pro communi utilitate; & neminem posse ea applicare propriis usibus. Ubi verbum* appropriare *sumitur pro acquirere jus ad ea alienanda: adeò ut nemo possit bona ecclesiastica alienare, ut propria; quia sua non sunt, sed tantùm habet eorum administrationem. Id autem non contradicit divisioni prabendarum* c. quæ ad perpetuam 25. q. 1.

C. EPISCOPUS 4. h. t. *Alexander III. in concilio Lateranensi statuit, ut Episcopus si aliquem ordinet in Diaconatu, vel presbyteratu, si non habeat ex sua, vel paterna hereditate unde vivat, subministret illi necessaria, donec eidem assignet aliquem titulum in ecclesia, unde possit congrue sustentari. Hac autem decretalis intelligitur etiam de subdiacono, quo facto etiam intelligitur* c. cùm secundùm h. t. *adeò ut Episcopus ordinans aliquem in maioribus, seu sacris ordinibus sine titulo teneatur illum alere de suo, quod onus etiam transit ad successorem, imò & ipsum capitulum sede vacante, si ordinati in sacris alibunde non habeant, unde vivant. Caterum non tenetur ordinans ad suppeditanda alimenta ordinato, nisi in subsidium, quia si habet ex patrimonio sufficientem sustentationem, Episcopus ad nihil tenetur. Ad titulum siquidem patrimonii potest quis ordinari, & sic ordinatus gaudet privilegio clericali. Verùm ex Concilio Tridentino* sess. 21. de refor. c. 2. *circa titulum patrimonii requiritur, ut Episcopo perspectum sit, patrimonium illud, vel pensionem verè ab ordinando obtineri, & sufficere ad congruam sustentationem: & sine licentia Episcopi alienari, aut extingui non posse, donec ordinatus obtineat sufficiens beneficium ecclesiasticum.*

C. QUIA 5. h. t. *Idem Pont. in eodem Concilio Lateranensi statuit, ut nemo habeat plures ecclesias, eò quia id certum periculum animarum contineat; sed per ipsas clericis indigentibus aptis ad inserviendum ecclesiæ sit subveniendum. Notandum est, canones prohibentes multitudinem beneficiorum contineri in* c. sanctorum dist. 70. & 21. q. 1. *ubi Pontifex indicat causas prohibitionis, quarum prima est ob delictum ambitionis. Secunda ob difficultatem, ut idem clericus pluribus inserviat ecclesiis. Tertia, quia indusit materiã dissolutionis, tam in moribus, quam in vestibus. Quarta quia inde oritur occasio vagandi, si ecclesiæ inter se distent. Quinta quia periculum continet animarum. Verùm si legitima subsit causa, potest Papa dispensare, ut quis plures habeat ecclesias.* c. dudum 2. de elect. *& tunc clericus habens plures ecclesias debet vocari ad Capitulum, & electiones earundem, si commodè fieri possit, nisi in contrarium sit consuetudo ecclesiæ approbata: quando enim Papa dispensat in principali, dispensat etiam in accessorio* c. in genesi de elect. *habere autem plures ecclesias est principale, & interesse Capitulis, & electionibus utrinsque est accessorium.*

C. CUM TENEAMUR 6. h. t. *Idem Pont. rescribit, quòd si Papa mandet, ut provideatur alicui de beneficio, tunc si ille habeat beneficium sufficiens, vel in litteris non fiat mentio, vel non possit ei provideri sine scandalo, non sit tale mandatum dandum executioni: Ex quo textu colligitur, teneri eum, qui beneficium quantumvis tenue possidet, exprimere in litteris, quibus supplicat Pontifici pro alio pingnori beneficio: alioquin littera censentur subreptitia* c. si motu proprio in 6. h. t. *unde si impetrans habeat aliquod beneficium, potest contra ipsum excipi de tali beneficio,* c. si proponente de rescript. *dummodo excipiens non habeat ipse plura beneficia* c. cum eccles. de except. *Quòd autem dicatur in textu, aut non possit ei sine scandalo provideri, notandum est, Pontificem nil velle fieri, ex quo offensa, vel scandalum proximi oriatur.*

C. REFERENTE 7. h. t. *Idem Pont. rescribit, habentem duas ecclesias teneri unam dimittere, & alteram quam maluerit retinere. Notat autem Glossa, hodie habentem duas ecclesias non posse alteram eligere, quia ipso jure vacat prima, sin autem utramque contenderit retinere, spoliandus est utraque. Neque præsens textus pugnat cum præcedente in* c. quia nonnulli h. t. *ubi qui duas obtinet ecclesias, privatur secundâ, quia ut notat Barbosa hic cum communiori sententia; antea in Concilio Lateranensi data fuit optio ad alterutram ecclesiam dimittendam, qua optione sublatâ Concilium statuit, ut privaretur quis secundâ ecclesiâ: superveniens autem textus* c. de multa *ipso facto inducit privationem prime ecclesiæ per receptionem secundæ, adeò ut præsens textus hodie sit correctus. Verùm Panormitanus hic n. 2. censet, etiam hodie illum præstare in ecclesiis curatis, vel uno beneficio curato, & altero simplici requirente residentiam, quia cùm non possint simul teneri, datur optio ex benignitate alterutrum retinendi beneficium; ne utrumque quis possideat.*

C. MAIORIBUS 8. h. t. *Idem Pont. in Concilio Turonensi declarat beneficiorum etiam minorum prabendas non esse dividendas. Neque permutationem dignitatum faciendam; ut notat Glossa, duos non esse eligendos ad unam eandémque prabendam taliter, ut unus habeat mediationem, & alter alteram. Verùm ex justa causa, si una vacet, potest dividi in duas prabendas, si facultates sufficiant* c. vacante eod. *Notandum est, prabendam in hoc textu sumi pro jure percipiendi reditus ecclesiasticos: & distinguitur à pensione: quia prabenda est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis ratione spiritualis alicuius officii, aut ministerii: pen-*

sio

sio autem non obligat ad spirituale ministerium.

C. *RELATUM* 9. b. t. *Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi receptum in canonicatu, & habentem potestatem in officiis, ut est canonicus, sicì promissa sit prabenda, debere ab Episcopo provideri de prabenda, quæ vacat, vel est primò vacatura, eò quia congruum non sit, eum carere prabendâ. Ex quo textu deducitur, olim fuisse usu receptum, ut quis reciperetur in canonicum sine prabenda canonicali.*

C. *AVARITIÆ* 10. b t. *declarat idem Pont. Regulares in suis ecclesiis non posse dividere Parochias, nec minuere redditus, vel portiones, quæ ex more debantur parochiis, vel clericis sæcularibus inservientibus ecclesiis, nisi adsit consensus Episcopi. Ex quo textu notat Glossa, quòd si subsit causa ex consensu Episcopi, & Clericorum possunt dividi parochiæ, & minui redditus. Et si clerici nollent, & justa subesset causa, recurrendum esset ad superiorem.*

C. *SIGNIFICATUM* 11. b. t. *Idem Pont. declarat, posse ab Episcopo, & capitulo imponi onus super beneficio vacante, honestum tamen, & moderatum, ut si beneficiatus non bene convaluerit, possit quotidie celebrare missam de Sancta MARIA salva sua honestate, & debita devotione; & non possit dimittere Ecclesiam sine consensu Episcopi, & capituli. Hinc conditio licita, & honesta pro cultu divino apponi potest. Ex hoc textu claret, quòd Sacerdos quamvis ratione fundationis teneatur quotidie celebrare, non tamen tenetur id quotidie, sed quanto frequentiùs potest salvâ sua honestate, & debita Sacramenti veneratione, quia contingere potest, ut homines licèt timorati, non tamen sint semper dispositi ad missam celebrandam.*

C. *DE MONACHIS* 12. b. t. *probibet idem Pont. ne Episcopus ad præsentationem Monachorum, ullum Vicarium Ecclesiæ parochialis recipiat, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ fuerit coram Episcopo assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere. Notandum est in ecclesiis pleno jure non pertinentibus ad Religiosos, sed ad Episcopi institutionem, ponendos esse Vicarios perpetuos: secus si Ecclesia pleno jure subjiciatur Religiosis cum omnimoda jurisdictione in Ecclesiam, & Parochianos: excluso tunc in totum Episcopo, potest Prælatus monasterii ponere Vicarium temporalem, amovibilem ad nutum, ut notat Glossa* in clement. 1. de excess. Prælat.

C. *AD HÆC* 13. b. t. *Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Salernitano, neminem posse habere plures dignitates, vel personatus, nec in diversis, nec in eadem Ecclesia, nisi ex dispensatione sedis Apostolicæ. Notandum tamen est, posse clericum in eadem Ecclesia dignitatem cum canonicatu simul habere. Nec Concilium Tridentinum id prohibet; sed tantùm, ne quis in duabus ecclesiis contra antiquos canones conscribatur. Hodie tamen nemo absque dispensatione seclusâ consuetudine potest obtinere, sive in una, sive in diversis ecclesiis plura beneficia, cujuscunque sint conditionis juxta Concilium Tridentinum* sess. 24. c. 17.

C. *PRÆTEREA* 14. b. t. *declarat idem Pont. habentem plures dignitates debere unam dimittere, & alteram retinere. Ubi notat Glossa, canonicum Regularem posse fieri Archidiaconum* can. 1. 58. dist. *& Monachum non posse esse Abbatem in duobus monasteriis. Jure tamen novo recipiens secundam dignitatem non habet hodie optionem retinendi, quam mavult; sed prima ipso jure vacat: & si contendat utramque retinere, privatur utraque* c. de multa h. t. inf.

C. *CUM NON IGNORES* 15. b. t. *Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Genuensi, quòd si beneficiatus electus ad aliam Ecclesiam contendat utramque habere: sit contentus primâ; quia non est conveniens, ut unus clericus locum habeat in duabus ecclesiis, nec est admittendus electus cum scandalo eligentium; si nolint eum in alia Ecclesia residere. Hinc notandum est, consentientes in unum posse ob scandalum in eundem dissentire; si nimirum velit utramque Ecclesiam habere. Notat tamen Glossa, quòd si electus ad secundam ecclesiam velit primam dimittere, non possint amplius dissentire, qui in eum consenserunt* c. cum inter canonicos de elect.

C. *CUM SECUNDUM* 16. b. t. *Innocentius III. rescribit, quòd si quis ordinetur Subdiaconus sine titulo, & nemine præsentante; Episcopus ordinans, vel ejus successor teneatur ei subministrare necessaria ad congruam sustentationem, donec provideatur de beneficio competente: immo mandat Pontifex, ut si Episcopus nolit id exequi, debeat compelli per censuras ecclesiasticas; quia clerici debent vivere de patrimonio JESU CHRISTI, cujus obsequio deputantur. Procedit textus, dummodo clerici ordinati non habeant patrimonium; nec aliunde, ut possint congruè vivere. Hinc successor etiam gravatur hoc onere, ne scilicet clericus cum dedecore mendicet. Verùm in hac provisione sunt attendenda etiam facultates Ecclesiarum. Rursus si ordinans existimavit clericos idoneos ad ordines; debet etiam eosdem reputare idoneos ad beneficia.*

C. *INTER CÆTERA* 17. b. t. *Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Senonensi, eum, qui scienter confert beneficium, quod non potest conferre ignoranti, teneri primam prabendam vacaturam eidem conferre; ne videatur fraudulenter primam contulisse. Immo declarat etiam, quòd si Episcopus concessit Petro beneficium, quod non poterat concedere, & id sciebat, & Petrus id nesciebat, tenetur Episcopus aliud beneficium simile dare Petro.*

C. *CUM JAM DUDUM* 18. b. t. *rescribit idem Pont. non posse eligi ad beneficium, qui plures habet dignitates absque dispensatione, quinimo si electus ante confirmationem præsumat ministrare, cassatur ejus electio: quòd si post cassatam electionem adhuc ministrat, sit ineligibilis. Ubi notat Glossa, eum, qui scienter eligit habentem plures dignitates, & prebendas, non posse eundem repellere: sed Judex debet illum excludere.*

C. *DILECTUS* 19. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si quis recipiatur in canonicum cum stallo in choro; debeat ei prabenda assignari; cùm primùm se facultas obtulerit; & interim debeat participare de distributionibus quotidianis. Ubi notandum est, ex hoc textu posse aliquem recipi in canonicum sine prabenda; quod tamen procedit, dummodo ei quid aliud assignetur tanquam canonico: & pactum, quòd nihil sit accepturus, non valere. Ubi tamen notat Glossa, tales eligendos non debere excedere numerum binarium, vel ternarium.*

C. *TUÆ FRATERNITATIS* 20. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si ad unam prabendam duo clerici ob importunitatem petentium eligantur, talis electio de rigore juris sit cassanda, quia ut ait Pontifex, si duo eandem prabendam retinerent, id esset contra Concilium Turonense; ubi prohibetur divisio prabendarum, ne una prebenda conferatur duobus. Verùm si redditus suppetant, ex una possunt dua prabenda fieri, quando vacat.*

C. *NISI ESSENT* 21. *h. t. Idem Pont. rescribit, Judicem factum arbitrum inter duos litigantes provisos posse uni dare beneficium, & alteri provisionem annualem ex eodem beneficio, dummodo id non procedat ex pacto partium: ad quam tamen provisionem præstandam non tenetur ejus successor. Ubi notandum est, aliqua tolerari pro bono pacis, que aliàs reprobarentur. Rursus pactum partium circa spiritualia esse illicitum. Notat etiam Glossa hic, in beneficialibus providendis sicut in matrimonio contrahendo non posse intervenire arbitrium, sed jus canonicum. Rursus ex qualitate persona præsumi licitum, quod aliàs esset illicitum* argum. c. Lugdun. 9. q. 2.

C. *PRO ILLORUM* 22. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd si canonici obtinuerint à Papa super certo numero Canonicorum, quem ipsi deinde non servant: si Papa velit, aliquem admitti supra numerum cum stallo, loco, & distributione non possunt uti exceptione numeri, immo tenet excommunicatio contra ipsos. Rationem etiam reddit Pontifex, eò quia par non sit, ut illi canonici suum statutum, seu privilegium obtendant; & hoc pratextu, quasi legem velint Pontifici imponere, quam ipsi negligunt observare. Tum quia Pontifex de absoluta potestate potest quibuvis particularibus Ecclesiarum statutis derogare; tametsi illud sinè gravi, aut justa causa facere non soleat. Ex hoc textu deducitur, per investituram non accipi possessionem: & qui facit contra suum privilegium propria authoritate illud perdere.*

C. *TUIS QUÆSTIONIBUS* 23. *h. t. rescribit idem Pont. clericos in minoribus constitutos de patrimonio habentes, unde possint congruè sustentari, quamvis nondum habeant beneficium ecclesiasticum; posse ad ordines superiores promoveri, dummodo aliud canonicum impedimentum non obstet, idque etiam habetur in Tridentino* sess. 21. de refor. c. 2. *Ex hoc textu liquet, prohiberi Episcopo ordinare quemquam in majoribus, nisi de sua, vel paterna hereditate subsidium habeat; quod idem est, ac dicere patrimonialibus; sub quibus intelligitur non solùm quicquid ex bonis paternis filio obvenit, sed etiam quidquid aliunde ex quavis causa ad ipsum pertinet, quia tunc satisfit intentioni canonum, & Concilio Tridentino* sess. 21. c. 1. *sufficit enim, si clericus undecunque habeat victum; dummodo non mendicet. Debent tamen redditus necessarii ad congruam sustentationem constitui super re certa, ut sciri possit, an sufficiant honesta sustentationi; hinc non potest quis promoveri ad sacros ordines titulo sustentationis, quem habet ex sola industria, & arte. Rursus hac sustentatio debet fundari super rebus immobilibus, quia res mobiles facilè extinguuntur, vel consumuntur.*

C. *ACCEDENS* 24. *h. t. declarat idem Pont. quòd clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso possit de beneficio investiri. Ex quo textu liquet, posse beneficium acquiri absenti sive investiatur absens per alium, scilicet per Procuratorem; sive investiatur alius, seu Procurator pro suo Domino, adeò ut dupliciter posse beneficium conferri absenti, ut notat Panormitanus hic* num. 1.

C. *DILECTO* 25. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si numerus prabendarum sit certus, vacante unâ prabendâ non possint duo ad illam eligi, nec per Legatum Papæ; quia jus spirituale non potest dividi: quòd si electi accipiant dimidiatos fructus, teneantur restituere; & electio nullius est valoris: quòd si agatur cum uno, & condemnetur; condemnatio hac non nocet alteri electo: & alter etiam condemnari debet. Hinc liquet, solam perceptionem beneficii spiritualis, & solam tolerantiam Prælati non facere Canonicum; sed solam canonicam electionem. Liquet etiam ex hoc textu, duos ad unam prabendam non posse regulariter eligi.*

C. *VACANTE* 26. *h. t. Idem Pont. declarat, ex rationabili causa posse Episcopum dividere unam prabendam in duas, dummodo qualibet portio sit per se sufficiens ad honestam clerici sustentationem: alioquin tenetur reintegrare prabendam divisam: si sint duo possessores, debet reintegrare de primò vacaturis. Consentit huic textui etiam Concilium Tridentinum* sess. 21. de refor. c. 5. & sess. 24. c. 13. *Ex hoc textu etiam colligitur, Pontificem ex causa rationabili posse permittere fieri, quod regulariter canones prohibent, ne scilicet prabendarum fiat divisio.*

C. *DILECTUS* 27. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Vercellensi, quòd si Papa mandet capitulo, ut conferat alicui prabendam, que vacat, & canonici alteri eam conferant, collatio teneat: sed teneantur acceptare præsentatum Papæ in canonicum, & providere de redditibus, donec aliam prabendam assequatur. Ubi Pontifex in pœnam mandati sui prætériti, jubet, canonicum ultra numerum recipi cum spe futuræ prabendæ. Verùm in rigore tunc canonicus non habet prabendam, nec jus in illa, sed tantùm ad illam: posset tamen dici habere beneficium, quia jure percipit distributiones quotidianas, & habet vocem in capitulo, & stallum in choro.*

C. DE

C. *DE MULTA* 24. *b. t. Ex Concilio Generali idem Pont. statuit, ut habens personatum, vel beneficium curatum, si aliud simile accipiat ipso jure privatus sit primo: quòd si contendat illud retinere, spolietur etiam altero. Rursus ut is, ad quem spectat conferre, conferat primum beneficium, cui convenit, quòd si diferat conferre ultra sex menses, collatio devolvatur ad alios, & de suis proventibus cogatur solvere tantùm Ecclesiæ, quantum constat fuisse receptum à tempore vacationis beneficii. Rursus prohibet Pontifex, ne quis in eadem Ecclesia præsumat habere plures dignitates, vel personatus, tametsi sint sine curâ, & demum declarat cum sublimibus, & litteratis personis posse Pontificem dispensare; si ratio postulet, eò quia sint honoranda majoribus beneficiis. Ubi notandum est, beneficium curatum dici, cui singulariter, & principaliter præficitur clericus ad curam fori pœnitentialis necessariò exercendam per se, vel per temporalem Vicarium, ut notat Flaminius* de restit. lib. 2. q. 1. num. 107. *Rursus beneficium, quod habet curam jurisdictionalem etiam fori exterioris, ut vicariatus, Officialatus, Decanatus, quamvis curam habeat, posse dici curatum, censent aliqui; sed communior sententia est, non sufficere ad inducendam incompatibilitatem beneficiorum, de qua loquitur textus. Beneficium verò non curatum esse, cui non est annexa cura animarum. Cæterum contendere dicitur, ut notat Glossa hîc, qui post litem contestatam in judicio vult retinere beneficia. Rursus notandum est, in Episcopatu non vacare priora beneficia, nisi post consecrationem* c. cum inventis de elect. *Rursus primum beneficium non deperdi per solam receptionem; sed per receptionem corporalem.*

C. *GRAVE NIMIS* 29. *b. t. statuit idem Pont. cum Concilio Generali Lateranensi, ut Ecclesiarum Prælati ad ecclesiastica beneficia prætermissis indignis assumant idoneos; & fiat de hoc annuatim in provinciali Concilio diligens inquisitio; adeò ut qui post primam, & secundam monitionem factam à Concilio provinciali, adhuc culpabiliter confert beneficia indignis, sit suspendendus per ipsum Concilium à beneficiis conferendis, & ab eodem Concilio instituenda est persona idonea; quæ interim beneficia conferat, & Pontifex mandat, hoc idem servari circa capitula, quæ delinquunt: sed circa metropolitanum delinquentem mandat Pontifex, ut Concilium denunciet superiori, & relinquat ejus arbitrio. Rursus ut hæc suspensio sit reservata Papæ, vel proprio Patriarchæ. Hæc decretalis Concilii Lateranensis fuit etiam innovata per Concilium Tridentinum* sess. 7. de refor. c. 1. *ubi statuitur, ut inferiora beneficia ecclesiastica non nisi personis dignis, & habilibus conferantur: alioquin facta collatio sit nulla, quod tamen intelligendum est, de collatione facta indignè; non verò de illa, quæ sit digno prætermisso digniorè. Rursus notat Glossa, quòd si Episcopus ob negligentiam non conferat beneficium intra tempus statutum potestas transfertur ad capitulum* c. nulla de concess. præbend.

C. *EXTIRPANDÆ* 30. *b. t. rescribit idem Pont. ut abolitâ consuetudine, quâ Patroni Ecclesiarum parochialium, & alii, proventus ipsarum sibi vendicantes, curatis illarum relinquunt tam exiguam portionem, unde congruè sustentari non possunt; portio sufficiens non obstante quacunque consuetudine eisdem detur. Rursus qui habet parochialem Ecclesiam mandat Pontifex, ut per se ipsum illi inserviat non per Vicarium. Excipitur tamen quando est annexa dignitati, vel prebendæ, ob quam debet ipse servire majori Ecclesiæ, tunc enim illi permittitur, ut habeat Vicarium idoneum, & perpetuum canonicè institutum in parochiali, cui assignanda est congrua portio fructuum, alioquin est privatus illâ, quæ alteri idoneo confertur. Demum prohibet Pontifex, ne quis præsumat conferre alteri pensionem de proventibus Ecclesiæ quasi pro beneficio. Hanc decretalem innovat etiam Tridentinum* sess. 7. de refor. c. 7. *ubi potestatem deputandi idoneos vicarios perpetuos in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur quibuscunque ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & monasteriis tribuit Ordinariis, non obstantibus privilegiis, & exemptionibus, quibuscunque. Notat Glossa, portionem sufficientem esse considerandam pro qualitate personæ, ut sibi, & suis sufficiat* c. exposuisti, h. t. *Rursus perpetuum Vicarium eum dici, qui authoritate Episcopi est institutus.* c. Ad hæc de offic. Vic. *Rursus beneficiatum non residentem in Ecclesia privari ipso jure sine ulla admonitione suæ prebendæ.*

C. *IN LATERANENSI* 31. *b. t. statuitur in hoc Concilio, ut Regulares pro ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, præsentent viros idoneos instituendos ab Episcopis. Sunt verò idonei, quos vel ipsa conversatio aptos reddit; vel probabile testimonium Prælatorum commendat, & qui Episcopis de curâ plebis respondeant; Regularibus verò de temporalibus rebus rationem reddant: & prohibet Pontifex, ne Regulares hujusmodi viros idoneos audeant amovere Episcopis inconsultis. Ex quo textu colligitur, institutionem in ecclesiis, quæ pleno jure non spectant ad Religiosos, non pertinere ad ipsos, sed ad Episcopum. A contrario verò sensu deducitur in ecclesiis, quæ pleno jure spectant ad Religiosos institutionem etiam ad ipsos pertinere.*

C. *LICET* 23. *b. t. Honorius III. mandat, ut absentibus pro studio Theologiæ ex privilegio detur fructus prebendæ, non ita distributiones, quæ nonnisi præsentibus dantur. Ubi notat Glossa; quòd si in aliqua Ecclesia non sint prebendæ, sed tantum distributiones, tunc absentes pro Theologia habent fructus habita ratione victûs quotidiani: alioquin indulgentia parum valeret.*

C. *EXPOSUISTI* 33. *b. t. Idem Pont. statuit, ut si evidens necessitas, vel utilitas postulet, (ut si canonici non possint sustentari de suis prebendis) Episcopus possit illas augere uniendo perpetuæ capellaniæ, reservatâ tamen congruâ portione pro Presbyteris Capellanis: & concordat Concilium Tridentinum* sess. 24. de refor. c. 15.

c. 15. *Hinc notat Gloſſa, duo frequenter inducere diſpenſationem, ſcilicet neceſſitatem, & utilitatem* c. talis 1. q. 7.

C. *DILECTUS FILIUS* 34. *h. t. reſcribit idem Pont. ut impetrans beneficium, & non faciens mentionem, quòd conferatur ex donatione laici; adhuc impetratio ſit valida, & littera ſint executioni mandande. Ubi notat Gloſſa, quòd tametſi patronus laicus, non poſſet de jure à Papa compelli donare* c. cum dilectus de jure patron. *nihilominus quia per donationem factam collatio poſtea pertinet ad eccleſiaſticam perſonam, cogi poteſt; quia tunc per donationem res ſortitur naturam aliorum beneficiorum. Rurſus ſi Papa precipit alicui dare prabendam, ſed canonici alteri conferant, collatio valet* c. Inter cætera c. Dilectus h.t. *Per hunc textum non cenſetur derogatum juri patronatus Regum, quale habet Rex Gallia in Eccleſia Andegavenſi præſentandi canonicos, niſi fiat expreſſa derogatio ſpecificè, & determinatè ſine ulla conditione, ut notat Rarboſa hic* n. 4.

C. *SUPER* 35. *h. t. reſcribit Gregorius IX. Argentinenſi Epiſcopo, pueros, & beneficiatos non eſſe idoneos ad duo beneficia retento primo, quia tantùm ii cenſendi ſunt idonei, qui poſſunt, & volunt ſervire Eccleſiæ, ubi notat Gloſſa, puerum vocari, qui nondum eſt ſeptennis reſpectu minorum ordinum, reſpectu verò Eccleſiæ, qui nondum eſt pubes, ſeu nondum complevit annum ætatis* 14. *(ſicut reſpectu curæ infra* 25. *annum ex Tridentino) Rurſus quia beneficium datur propter officium, & ſervitutem; beneficiatus non eſt idoneus primo retento ad ſecundum beneficium, cum utrique ſervire non poſſit. Hinc non faciens mentionem de primo beneficio, ſi litteras obtineat pro ſecundo, littera ſunt ſubreptitiæ, & nullius valoris.*

C. *CUM CAUSAM* 36. *h. t. reſcribit idem Pont. ob integrandam unam prabendam non eſſe aliam reſcindendam. Ubi notat Gloſſa prabendam debere integram conferri. Sin tamen dividatur, talis diviſio tolerari poteſt, donec integretur de aliqua vacante* c. tuæ fraternitati h. t.

C. *VENERABILIS* 37. *h. t. Idem Pont. declarat, ut vir quamvis non ſit nobilis, nec eminentis ſcientia, debeat tamen admitti ad prabendam non obſtante in contrarium conſuetudine Eccleſia, quia non nobilitas generis, ſed virtutum claritas, & vitæ honeſtas faciunt virum idoneum Dei ſervum. Tum quia Chriſtus elegit ignobiles, & pauperes ad Apoſtolatum, & apud eum non eſt acceptatio perſonarum. Hinc notat Gloſſa, non officere alicui ad obtinendum beneficium, ſi fuerit in ſervitute, quia tametſi ſervus quà talis non ſit idoneus, ſi tamen fiat liber, eſt idoneus* c. t. de ſerv. non ordin.

C. *CUM OLIM* alt. *h. t. Idem Pont. declarat, quod quando Papa ſcribit, ut provideat, vel faciat providere clerico in aliqua Eccleſia, id ſit intelligendum tantùm de beneficio ſimplici non de dignitate, vel Rectoria. Hinc notandum eſt, in litteris ad beneficia conceſſis, communi nomine beneficii non intelligi beneficia curata, nec dignitates: non quia inter beneficia ex proprietate ſermonis non connumerentur, ſed quia ſint ultra intentionem concedentis. Ratio etiam aſſignatur à Gloſſa, quia non omnis, qui cenſetur in communi dignus ad beneficium, eſt dignus ad dignitatem, vel curam animarum.*

IN SEXTO.

C. *SUSCEPTI* 1. *h. t. Clemens III. extendit capitulum de Monachis hoc titulo ad omnes Religioſos, & exemptos, ut ſcilicet Ordinarii non admittant præſentatum à Religioſis etiam exemptis, niſi priùs eidem aſſignetur, unde poſſit ſuſtentari, ſolvere Epiſcopalia jura, & alia onera portare non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium. Idque ſtatuit Pontifex, ne Eccleſiæ minus idoneis perſonis conferantur. Cæterum ſi Religioſi quamvis exempti nolint aſſignare competentes fructus poteſt illos Epiſcopus ad id adigere, quia in hoc caſu ſunt ſubditi. Hic textus eſt clarus, & Pontifex ſolùm dicit ſtatutum contentum* c. de Monachis *non ſolùm comprehendere Religioſos non exemptos, ſed etiam exemptos, & omnes alios habentes jus præſentandi, ut nimirum Epiſcopi nullum præſentatum acceptent, cui de fructibus Eccleſia non fuerit aſſignata ſufficiens, & congrua ſuſtentatio.*

C. *LICET* 2. *h. t. Idem Pont. declarat, collationem omnium beneficiorum vacantium in curia pertinere ad ſummum Pontificem; & ſi ſecus fiat factum ſit irritum. Ubi notatur quòd Papa debet conferre infra menſem, quo elapſo debet conferre Epiſcopus, ad quem ſpectat per ſe vel per vicarium generalem. Quòd ſi elapſo menſe adhuc vacet, poteſt Papa conferre ſi Epiſcopus non contulit; quia poſt menſem eſt locus præventioni; & hic menſis incipit currere à die vacationis excluſivè, ſeu non computato die vacationis, quia fit in favorem Eccleſiæ. Cæterum Papa habet pleniſſimam diſpoſitionem in toto orbe terrarum, ne Eccleſiæ diu maneant viduatæ paſtoribus. Notat Gloſſa hunc textum non ſolùm eſſe intelligendum de collatione, ſed etiam de præſentatione ſpectante tamen ad clericos, non ad laicos: quia præſentatio Patroni clerici habet vim electionis ex Innocentio in* c. cum autem 2. de jure patron. *immo comprehenduntur etiam illa, quæ poſſunt laici conferre ex privilegio Papæ.*

C. *STATUTUM* 3. *h. t. Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi moderatur ſtatutum Clementis III. ut nimirum Epiſcopi per ſe, vel ſi in remotis degunt per ſuos Vicarios Generales exiſtentes in Diœceſibus, poſſint poſt menſem conferre dignitates, & beneficia vacantia in curia, ſi non fuerint priùs per Papam collata, numerando menſem à die vacationis, dummodo per ſuos Vicarios Generales in eorum diœceſibus exiſtentes id legitimè egerint. Ubi notat Gloſſa, beneficia vacare in curia, idem eſſe, ac vacare apud ſedem Apoſtolicam. Cæterum in hac collatione facienda per Ordinarium plura requiruntur. Primò quòd menſis ſit elapſus, Secundò quòd per ſe ipſum conferat, ſi ſit præſens,*

sent. Tertiò si non sit præsens per Vicarium generalem, non specialem. Quartò ut habeat speciale mandatum conferendi beneficia. Quintò ut conferat in sua diœcesi.

C. *QUAMVIS* 4. h. t. *Bonifacius VIII. rescribit, quòd tametsi in beneficiis plenissima interpretatio facienda sit, littera tamen super beneficiis obtinendis, cùm sint ambitiosæ, debeant restringi; adeò ut si alicui super certa summa reddituum ecclesiasticorum mandetur provideri, debeat id intelligi de beneficiis, non de pensione, nisi pensio exprimatur. Quando verò Papa alicui mandat provideri in aliqua Ecclesia civitatis, vel diœcesis, declarat Pontifex, tale mandatum non se extendere ad Ecclesiam cathedralem. Sin verò mandet provideri in aliqua Ecclesia Provinciæ; tunc mandatum se extendit etiam ad Ecclesias Metropolitanas, & cathedrales. Notandum est quòd sicut impetrantes has litteras communiter sectantur honores, aut lucrum, & collatio Pontificis concedentis litteras tendit tunc in præjudicium Ordinarii collatoris, ut notat Glossa in* clement. 2. de offic. ord, *ideo rectè concludit Pontifex, litteras beneficiales à sede Apostolica emanantes esse strictè interpretandas; proinde non vult Pontifex in litteris beneficialibus nomine beneficiorum intelligi pensiones, quæ non sunt propriè beneficia, eò quia non habeant spirituale munus, aut officium annexum, sed consistant in sola perceptione ecclesiasticorum reddituum, adeo ut possint etiam laicis concedi* c. possessiones 16. q. 1. *Tum quia pensiones non obligant ad residentiam, sicut obligant beneficia, quæ dantur in titulum.*

C. *CUM DE BENEFICIO* 5. h. t. *rescribit idem Pont. quòd si Papa mandet, aliquem provideri de beneficio consueto assignari clericis sæcularibus, si legitimè, & pacificè clerici sæculares possederunt beneficium Regulare; adeò ut compleverint legitimam præscriptionem 40. annorum, possit de illo provideri. Rursus mandat, posse aliquem clericum sæcularem provideri de prioratu solito gubernari per Regulares, dummodo intervenerit legitima præscriptio 40. annorum. Ubi notandum est, consuetudinem non sufficere, sed requiri præscriptionem. Caterum habetur regula generalis quòd beneficia sæcularia non debeant conferri nisi clericis sæcularibus, & regularia nunquam nisi Regularibus, quod etiam innovat Concilium Tridentinum* sess. 14. c. 10. & sess. 25. c. 21. de Regul. *ubi tolli desiderat commendas Abbatiarum, & Prioratuum Religiosorum sæcularibus fieri solitas, tò quia plerumque dubium sit, an beneficium sit sæculare, vel regulare, tò quia nunc per sæculares, & alias per Regulares fuerit gubernatum: quapropter Pontifex jubet attendi legitimam præscriptionem, & illis adjudicari pacificè, qui legitimè annis 40. præscripserunt. Quòd si præscriptio ex neutra parte sit completa, tunc inspiciendus est tenor fundationis, vel permitti debet arbitrio Episcopi, an tale beneficium Regularibus, vel sæcularibus conferre velit.*

C. *SUPER EO* 6. h. t. *Idem Pont. rescribit, ut habens personatum possit simul habere, & præbendam, cui sit annexa Ecclesia parochialis cum cura animarum sine dispensatione. Ratio hujus decretalis est, quia in Concilio Lateranensi tantùm prohibetur, ne quis plures dignitates ecclesiasticas, vel parochiales simul obtineat; qui autem habet dignitatem, aut personatum, cui annexa est Ecclesia parochialis in nullo delinquit. Ut nec etiam si quis habeat dignitatem, aut personatum, cui per se cura immineat animarum, ut est Decanatus, vel Archidiaconatus, & simul annexa est Ecclesia parochialis censetur habere duo beneficia curata, quia, ut notat Glossa hìc, Ecclesia parochialis annexa præbendæ dicitur esse suppressa, & extincta, proinde æquiparatur quoad hoc simplici beneficio. Quia tunc cura animarum est actu penes Vicarium: habens enim hujusmodi dignitatem, personatum, vel canonicatum, debet hanc curam dare Vicario.*

C. *ELIM CUI* 7. h. t. *Idem Pont. declarat, in beneficiis assequendis esse considerandam datam, non præsentationem, vel receptionem, & eum esse aliis præferendum, qui priùs habuit datam. Ubi notandum est, quòd ex collatione canonicatus acquiritur jus etiam sine receptione in canonicum; adeò ut per illam verè acquirat quis titulum beneficii, & constituatur Præpositus, canonicus, & Parochus, ut desumitur ex* c. si tibi absenti h. t. *& docent communiter Canonistæ, adeò ut per collationem acceptum, licèt possessione nondum secuta expiret reservatio, & jus reservantis circa tale beneficium.*

C. *SI PRO CLERICIS* 8. h. t. *declarat idem Pont. quòd si Papa mandet clericis pauperibus vel aliis, provideri de beneficiis etiam curatis, non debeant ob defectum sacrorum ordinum, quamvis de tali defectu in litteris non fiat mentio, repelli: sed provisus teneatur primis temporibus à jure statutis accipere ordines, quos beneficium postulat. Huic decretali contradicit etiam Tridentinum* sess. 22. de refor. c. 4. *Notat Glossa hìc, quatuor requiri, ut quis promoveatur ad parochiam. Primò scientia: secundò ætas, tertiò mores, & quartò Ordo: quod si primum, secundum, vel tertium desit, nec in litteris non fiat mentio, littera sunt subreptitiæ, & qui illas obtinuit, non promovetur* c. cum te de ætat. & qualit. *Rursus ordines sacros conferri in quatuor temporibus, in media, & sine quadragesima; minores, verò singulis diebus festivis* c. 1. 2. & 3. de tempor. ordin.

C. *SI CUM* 9. h. t. *rescribit idem Pont. quòd si Papa mandet aliquem recipi in Canonicum in ea Ecclesia, ubi Legatus Apostolicus per litteras, quibus obtemperatum non fuit, eum priùs recipi jussit, talis authoritate Papæ, & non Legati intelligatur receptus; adeoque in assecutione præbendæ sit præferendus aliis, qui post illum eadem authoritate recipiuntur in eadem Ecclesia. Hinc si Legatus mandet, quòd Titius provideatur de beneficio, ut de canonicatu primò vacaturo, & Papa dicit, quòd secun-*

dum litteras ſui Legati ſit recipiendus, tunc recipitur authoritate Apoſtolica non Legati, & eſt præferendus in prabenda aliis receptis authoritate Legati, vel alia authoritate. Ratio eſt, quia ſuperveniens authoritas Papæ abſorbet quamcunque aliam authoritatem, proinde cenſetur gratia papalis.

C. *MANDATO* 10 *h.t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Papa mandet Epiſcopo ſub hac forma: provideas alicui de beneficio pertinente ad tuam, vel alterius juriſdictionem, id debeat intelligi de beneficio primò vacaturo. Sin verò plura ſimul vacent ſit ſpectandum in litteris, quæ collatio primò nominetur, & ejus beneficium eſt dandum. Ratio prioris partis hujus decretalis eſt, quia ſi non provideretur de proximè vacaturo, poſſet gratia extingui: neque enim apparet ratio, cur potius eſſet conferendum ſextum, vel ſeptimum, ſi ſtatim non ſit conferendum illud, quod primò vacat. Ratio poſterioris partis eſt, quia aliàs eſſet in poteſtate Epiſcopi exonerare ſe ipſum, & gravare alterum, providendo ex pluribus beneficiis ſimul vacantibus de illo, quod pertinet ad collationem alterius: viciſſim ſi alter nollet providere de ſuo beneficio, poſſet & ipſe fruſtrare mandatum Pontificis. Unde rectè Pontifex in hoc textu diſpoſuit, ut ſervetur ordo ſcripturæ.*

C. *SI CLERICUS* 11. *h.t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Papa mandet canonicis, ut provideant Joanni de prabenda primò vacatura, & poſtea eundè recipiant in canonicum, ſi Joannes ſit negligens in petenda prima prabenda, gratia expiret, & non poſſit ſecundam petere; eo quia non ſit canonicus: è contra ſi Papa conferat Joanni jus canonia, & factus ſit canonicus authoritate Apoſtolica, & mandet canonicis, ut ei conferant prabendam primò vacaturam, & Joannes eſt negligens in illa petenda; poteſt adhuc aliam petere: ratio eſt, quia gratia non eſt extincta, & præfertur aliis (non tamen authoritate Pontificia ſpectantibus) aliequin facta collatio aliis in præjudicium Joannis, eo ipſo collatio non valet. Ubi notat Gloſſa, eum non dici negligentem, qui non habet poteſtatem experiendi* c. ult. de elect. in antiq. *Rurſus ſi prabenda nondum fuit collata, adhuc qui fuit negligens poteſt eam petere* c. ſi tibi ablenti h.t. *Sin verò poſt negligentiam iſtius, quis impetret à Papa beneficium, negligens non præfertur huic, ſed aliis; ceterum qui impetrat beneficium tenetur exprimere ſe eſſe clericum.*

C. *HI QUI* 12. *h.t. reſcribit idem Pont. receptum in canonicatu authoritate Apoſtolica eſſe præferendum in prabenda alijs receptis etiam authoritate Legati. Quòd ſi Legatus habeat ſpeciale mandatum, tunc dicitur receptus authoritate Apoſtolica, & præfertur aliis receptis. Ubi notandum eſt, geſtum à Legato ſimpliciter non dici geſtum authoritate Apoſtolica, ſed quando eſt geſtum cum ſpeciali mandato Papæ. Hinc non valet regula,* quòd prior in tempore ſit potior in jure *ſi agatur de jure ad rem, & unus habeat jus à Papa, & alter ab alio inferiore; ſecus eſt de jure in re, quia privilegia non tam conſiderantur ex tempore, quam ex cauſa, ſic creditor detalis præfertur aliis creditoribus anterioribus.*

C. *SI POSTQUAM* 13. *h.t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Papa conferat canonicatum alicui, & mandet provideri de prabenda primò vacatura, & nulli alij de jure debita; ſi canonici ignorantes mandatum conferant prabendam primò vacantem alteri ignoranti etiam mandatum, collatio ſit nulla; quia canonicus authoritate Apoſtolica factus habet jus ad primam prabendam, quam juſtè poteſt petere, & non poteſt alteri conferri, quamvis ignoranti mandatum: quia ut notat Gloſſa, collatio facta à Papa ſub expectatione ligat manus Ordinarii, ne poſſit alteri eam valide conferre; tum quia collatio facta à Papa eſt primarius effectus, quem ipſe Pontifex intendit.*

C. *DUDUM* 14. *h.t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Papa concedat ſuo Legato facultatem acceptandi reſignationes beneficiorum, & illa conferendi: ſi Papa poſtea inſtituat aliquem canonicum Eccleſiæ legationis, & mandet executoribus deputatis, ut provideatur huic de prabenda primò vacatura; ſi vacet per reſignationem, & interim Legatus eam conferat alicui, collatio non tenet, quia ſtat pro canonico creato à Papa, quamvis in mandatis nulla facta fuerit mentio de poteſtate conceſſa legato; quia ſufficit decretum irritans quicquid attentatur contra decretum Papæ, cùm agatur de lucro electi ab Epiſcopo, non de præjudicio Epiſcopi. Ex quo textu colligitur, Legatum, non Cardinalem ſive miſſum, ſive natum non habere poteſtatem acceptandi reſignationes, & conferendi beneficia niſi ex ſpeciali mandato. Legatus verò Cardinalis habet hanc facultatem ex ſola generali legatione. Rurſus infertur, decretum irritans poſitum in reſervatione ligare etiam ignorantes, præſertim ſi agatur de præjudicio gratiæ conceſſæ alteri, tunc non eſt neceſſe, quòd gratia notificetur alteri.*

C. *QUIA SÆPE* 15. *h.t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Papa mandet provideri primo de prabenda, deinde mandet provideri ſecundo de prabenda, & dignitate in eadem Eccleſia, ſi prabenda, quæ vacat, eſt annexa dignitati præfertur ſecundus, cui eſt danda: ſecus ſi ſit ſola prabenda, quæ vacet, tunc enim præfertur primus. Ratio eſt, quia prabenda annexa alicui dignitati, officio, vel perſonatui, regulatur ſecundùm dignitatem, officium, vel perſonatum, cui annectitur* l. cum principalis ff. de reg. jur. & reg. acceſſorium eod. in 6. *atqui in textu primus eſt proviſus de ſola ſimplici prabenda, & ſecundus de prabenda, cui ſit annexa dignitas, proinde ſi primò vacat prabenda, cui eſt annexa dignitas, debet ſecundus præferri primo.*

C. *CUM IN ILLIS* 16 *h.t. reſcribit idem Pont. Primò quòd ſi Papa mandet aliquem provideri de perſonatu, dignitate, vel aliis beneficiis quibuscunque, non intelligatur de curatis, niſi mero-*

mentionem faciat etiam de habentibus curam animarum, neque intelligatur de beneficiis, ad que per electionē solent assumi, nisi fiat expressa mentio. Secundò cum collatio, præsentatio, institutio maximè differant; si Papa mandet, provideri de beneficio spectante ad collationem alicujus, tunc mandatum non extenditur ad beneficium spectans ad præsentationem, vel institutionem, nec è contra, quia mandatum tunc restringitur. Tertiò si mandet provideri de beneficio spectante ad collationem, vel præsentationem aliquorum, non extenditur mandatum ad beneficium spectans ad collationem, vel præsentationem alterius illorum, nisi agatur communiter, vel divisim. Quartò si mandet provideri de beneficio spectante ad collationem unius, non extenditur tunc mandatum spectans ad collationem plurium. Ubi notat Glossa, in gratiis Apostolicis, ut in spectativis beneficiorum, & dignitatum beneficia non esse intelligenda curata, quamvis ponantur verba generalia. Rursus sub nomine provisionis, & dispositionis non intelligi electionem, nisi exprimatur. Rursus præsentationem, collationem, & institutionem in materia odiosa differre, nisi aliunde constaret de mente superioris: quia tunc non videtur curandum de verbis. Cæterum præsentatio est electio persone, per quam non acquiritur jus; nisi quòd Patronus non possit variare. Institutio est confirmatio. Collatio verò quando pleno jure diœcesanus providet: hæc tamen, quæ in rigore distinguuntur, persæpe in jure confundi solent.

C. *SI TIBI* 17. b. t. *rescribit idem Pont. quòd si Episcopus conferat beneficium Petro absenti, licèt non acquirat jus in beneficio, nisi ratum habeat, Episcopus tamen non possit illud alteri conferre, nisi Petro notificet collationem, eique det terminum consentiendi; quòd si non consenserit, potest elapso termino illud beneficium alteri conferre: quòd si Episcopus non conferat, adhuc possit Petrus præstare consensum, quamvis terminus sit elapsus, & tunc beneficium non potest amplius ab Episcopo alteri conferri. Ubi notat Glossa, quòd absens, & consentiens per solum titulum acquirit dominium, & jus; secus tamen in rebus profanis. Rursus per collationem absolutè factam postquam acceptata est, in beneficio acquiritur jus in re: si tamen collatio fiat absenti ante acceptationem, dat tantùm jus ad rem. Ratio cur Episcopus beneficium semel uni collatum non possit amplius alteri conferre etiam ante acceptationem, est, quia collatio beneficii per hoc differt à donatione: quia collatio beneficii quamvis cedat in lucrum, & commodum beneficiarii, ejúsque respectu sit donatio; non est tamen ex parte conferentis propriè donatio: quia Episcopus confert beneficia vacantia ex necessitate, & officio, cùm non possit ea sibi retinere; proinde conferendo beneficia fungitur proprio officio* argum. de jur. Patron. *In donatione autem, qui donat, potest, quod donat, sibi retinere, quia donatio procedit ex libera voluntate donantis: hinc donator ante acceptationem donatarii potest rem donatam sibi retinere: non ita collator beneficii potest collatum beneficium ante acceptationem beneficiati illud sibi retinere.*

C. ELIM QUI 18. b. t. *rescribit idem Pont. quòd si habens beneficium curatum vi aliud curatum occupet, vel scienter se injustè introducat in eo, ipso jure sit privatus primo. Rursus, qui authoritate propria non verentur occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque beneficia, eo ipso jus amittant, si quod in beneficia taliter occupatis, vel ad ea iisdem fortassis competebat. Ex quo textu liquet, habentem unum beneficium curatum, si recipiat alterum simile, privari primo, præsertim si violenter se intrudat: dicitur enim intrusus, qui sine Diœcesani, & alterius superioris consensu, & authoritate possessionem apprehendit beneficii, ut notat Flaminius* de resig. benefic. lib. 7. q. 1. num. 114. *Hinc intrusus, & violentus differunt inter se, quia potest quis authoritate propria sine violentia adire possessionem beneficii pacifica dexteritate, & præventione excludente violentiam.*

C. *IS CUI* 19. b. t. *rescribit idem Pont. quòd quoties Papa dat facultatem alicui Executori conferendi beneficium persone idonea, non potest Executor illud conferre habenti aliud simplex beneficium sufficiens: quia quamdiu illud retinet non est persona idonea. Quòd si in litteris addatur clausula, ut Executor provideat de beneficio etiam habenti aliud, tunc si illud est unicum, & simplex sine cura animarum debet providere: quòd si in litteris dicatur, ut provideat de beneficio habenti plura, non extenditur nisi ad duo simplicia sine cura animarum: aliquin provisio facta est irrita: ex quo textu duplex colligitur generalis regula, quarum prima est, ut habens potestatem authoritate Papæ providendi alteri, non possit providere alind obtinenti beneficium sufficiens, nisi illud prius dimittat; vel in litteris exprimatur potestas conferendi persone etiam beneficiate. Secunda est, ut supposita tali potestate hæc pluralitas solùm comprehendat duo simplicia beneficia: quod etiam procedit de jure novo in Concilio Tridentino* sess. 24. c. 17. de refor. *Cæterum qui contra hunc titulum plura habet beneficia, non potest sine prævia cognitione causæ excludi à possessione.*

C. *SI BENEFICIA* 20. b. t. *rescribit idem Pont. quòd si Ordinarius conferat beneficium reservatum per aliquod decretum sedi Apostolicæ, & qui accipit, ignorat talem reservationem, vel collationem factam à Papa alicui, & accepto secundo renunciat primo, quod habebat incompatibile, si postquam scivit, fuisse reservatum, & collatum à Papa, statim dimisit secundum, recuperat primum sine nova collatione. Rursus hoc idem faciunt alii, qui hac occasione renunciárunt, dummodo difficultatem non adhibuerint in dimittendis secundis, quia tunc non possunt amplius reverti ad primum. Ex quo textu liquet, collationem, seu reservationem beneficii factam à Papa, licèt mens Ordinarii collatoris etiam igno-*

ventis, adeò ut collatio in contrarium facta sit irrita c. si postquam h. t. *Verùm Pontifex ex sua Clementia subvenit illis, qui per ignorantiam bona fide hujusmodi beneficia acceptârunt, ut nimirum si absque difficultate beneficia invalidè collata dimiserint, cùm primum sciverint, collationem esse invalidam, recuperent tunc prius beneficium dimissum: secus si difficultatem opposuerint: quia difficultas in dimittendo indicat pravam cupiditatem in retinendo. Textus autem procedit, quamvis Episcopus scienter contulerit secundum beneficium; quia sufficit ignorantia accipientis.*

C. *NON POTEST* 21. h. t. *rescribit idem Pont. dispensationem super pluralitate beneficiorum non prodesse illi, qui beneficium licèt modicum in ea obtinenda subticuerit, quia dispensatio tunc est nulla. Rursus indultum Apostolicum, ut possit quis duo beneficia curata recipere, si tamen retinere, esse intelligendum de duobus primis beneficiis, quæ cum cura post dictum indultum quis obtinuerit. Rursus quando obtinenti beneficium de aliquo alio beneficio contingit provideri, per hoc cum ipso, ut primum beneficium cum secundo retinere valeat, non intelligi dispensatum, sed solùm quòd facta gratia non sit subreptitia. Ex quo textu colligitur in gratiis beneficialibus taciturnitatem alicujus qualitatis vitiare litteras* c. dudum c. si motu proprio. *Rursus dispensationes esse odiosas, utpotè derogantes juri communi, proinde restringendas* c. 2. de filiis Presbyt. in 6. *Caterum simplex narratio de beneficio habito non inducit dispensationem super beneficio de novo obtento simul retinendo, sed tantùm excusare à vitio subreptionis.*

C. *SI APOSTOLICÆ* 22. h. t. *declarat idem Pont. quòd si Papa confirmet mandatum Legati super provisione faciendâ in aliquo canonicatu vacaturo, censetur illud mandatum esse Papæ, qui si mandaret alios providendos in eadem Ecclesia, primus esset præferendus. Ex quo textu colligitur, quòd confirmans actum videatur actum facere, qui propterea tribuatur confirmanti. Rursus notat Glossa, Legatum in suis actibus gestis virtute legationis non debere dicere auctoritate Apostolicâ, sed auctoritate legationis.*

C. *SI MOTU PROPRIO* 23. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si Papa habenti beneficium conferat aliud motu proprio nulla facta mentione de primo, collatio sit valida. Verùm ut cognoscatur contulisse secundum beneficium motu proprio, debet id exprimi in litteris. Secus si Papa conferat ad petitionem alicujus, & non fiat mentio primi beneficii obtenti, tametsi modicum sit collatio est subreptitia, & nulla. Notandum est, Pontificem tunc dici motu proprio aliquid facere, quando id facit ex mera liberalitate, vel sola propriâ animi inductione nullis ad illud precibus permotus: etenim qui ad alterius preces, & rationes movetur, censetur moveri ab alio, proinde non procedere motu proprio. Rursus tunc censeri gratiam motu proprio concessam, quando Pontifex in litteris expressè asserit, se motu proprio id concedere, & Barbosa notat id procedere quamvis constaret, talem gratiam fuisse ab impetrante petitam, quia adhuc potest Pontifex non habere rationem ad preces sibi oblatas, & ex propriâ animi inductione moveri ad conferendum beneficium, si enim in litteris adjiciatur,* se motu proprio illud concedere, *adhuc collatio non obstantibus oblatis precibus, dicitur facta motu proprio, quia tunc preces non sunt causa concessionis, sed tantùm occasio, ut rectè notat Decius* c. 2. de rescript. num. 23.

C. *SI PLURIBUS* 24. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si vacent simul plura beneficia nulli de jure debita; & Papa conferat uni beneficium in genere. Si illud conferat motu proprio, sit collatio intelligenda de beneficio pinguiori: sin verò sint æqualia, tunc datur optio beneficiato intra decem dies eligendi, quod maluerit: sin verò non motu proprio, sed ad petitionem, tunc collatio intelligitur de beneficio minoris valoris: quòd si sint æqualia, is ad quem de jure spectabat conferre, intra decem dies debet eligere; & si non eligit, electio devolvitur ad alium. Hinc colligitur, quòd tametsi gratiæ, & litteræ beneficiales obtentæ ex previa petitione sint restringendæ juxta* c. quamvis h. t. *si tamen motu proprio concedantur, recipiunt ampliationem, adeò ut gratia concessa motu proprio sit latè interpretanda. Caterum si Pontifex scriberet de primo vacaturo, & plura simul vacarent, procedit tunc idem jus sicut in textu de beneficiis actu vacantibus. Notat tamen Glossa, decem dies currere à die notitiæ, ut in appellatione.*

C. *CUM IN ECCLESIA* 25. h. t. *rescribit idem Pont. quòd si Papa habenti beneficium conferat aliud motu proprio, quando ex consuetudine Episcopus habet prabendam canonicalem in capitulo; si quis provideatur de prabenda primò vacaturâ, & interim moriatur Episcopus, non intelligatur providendus de illa prabendâ: quia Papa non intendit privare successorem Episcopum, nec augere numerum canonicorum, nec derogare consuetudini. Ex quo textu colligunt aliqui, Episcopum posse simul esse canonicum, sed falluntur, quia tunc jus canonicatus adnexum Episcopatui est privilegiatum, & sapit naturam dignitatis Episcopalis* c. olim de judic.

C. *SI TIBI* 26. h. t. *rescribit idem Pont. quòd si habens beneficium curatum acquirat aliud curatum: dum alius accipit fructus secundi ex causâ, ut quando Episcopus accipit ex concessione Papæ ad tempus, non teneatur tunc relinquere primum beneficium curatum, unde quamvis in* c. de multa, & in c. execrabilis Joan. XXII. extravagant. *statuatur, ut habens beneficium curatum si recipiat aliud simile eo ipso vacet primum, id in præsenti textu non vult Pontifex intelligi de beneficio curato, cujus fructus percipiat alius, ut in textu Episcopus: ratio est, quia in effectu non dicitur obtinere beneficium, qui fructus illius non percipit.*

C. *CUI DE NON* 27. h. t. *Idem Pont. declarat, mandata Papæ non esse extendenda ad alios casus, quam ad expressos, proinde*

ùnde cùm mandatur alicui provideri de præbenda non ſacerdotali, non poſſe provideri de ſacerdotali etiam volenti. Ut etiam ſi mandetur provideri de integra præbenda, non poteſt provideri de dimidia etiam volenti. Ut etiam ſi præbenda ſit certi valoris, non poteſt provideri de minori etiam volenti. Ratio eſt perſpicua, quia fines mandati debent ſtrictiſſimè ſervari, adeò ut nec plus, nec minus fiat, quàm expreſſum ſit in mandato. Id enim ut notat Decius in regul. in eo, quod plus eſt n. 14. ff. de regul. jur. *ſpeciale eſt in mandato. Notat tamen Gloſſa, quòd ſi in proviſione dicatur ſimpliciter*, provideatur de præbenda *non poſſit dari dimidia, quia præſumitur integra, quæ mandatur, niſi Papa aliud exprimat.*

C. *LICET EPISCOPUS* 28. *b. t. declarat idem Pont. quòd poſtquam curatus accepit aliud beneficium ſimile, eſtq; in eius pacifica poſſeſſione, vel ſaltem per ipſum ſtat, tunc Epiſcopus poſſit primum beneficium conferre alteri, non tamen dare corporalem poſſeſſionem non vocato primo curato, eò quia adhuc poſſet ei competere jus retinendi. Ex quo textu infertur ad inducendam vacationem primi beneficii incompatibilis per aſſecutionem ſecundi, non ſufficere ſolam eius collationem, & acceptationem; ſed ulteriùs requiri, ut quis ſit aſſecutus pacificam poſſeſſionem, non ſolùm de facto, ſed etiam de jure, ſeu non litigiosè. Ex hoc textu Gloſſa etiam limitat.* c. de multa in antiq. eod. 1. *quia licèt jus commune reſiſtat obtinenti plura beneficia incompatibilia; nihilominus Papa ex benignitate non vult inauditum ſpoliari poſſeſſione ſecundi eò quia fortaſſis habeat titulum illud retinendi, ut privilegium, vel diſpenſationem, unde debet cauſa cognoſci.*

C. *EI CUI.* 29. *b. t. declarat idem Pont. quòd ſi ſimpliciter mandetur, ut quis provideatur, non poſſit tunc provideri de præbenda ſacerdotali, ſi non habeat ætatem ad ſuſcipiendos ordines: ſed debere aliam expectare. Hinc colligitur, quòd tametſi ſimplex mandatum providendi de præbenda includat etiam ſacerdotalem, id tamen intelligitur, dummodo impetrans ſit in legitima ætate ad ſacerdotium. Notat tamen Gloſſa, quòd ſi in litteris adiiciatur clauſula:* non obſtantibus quibuscunque, quæ effectum noſtratum litterarum impedire, vel differre poſſint, *tunc proviſus accipit præbendam, & expectat ætatem.*

C. *SI PAUPER* 30. *b. t. Idem Pont. declarat, Quòd ſi pauper Clericus carens beneficio jubeatur per Epiſcopum provideri, & antequam id fiat aliud beneficium aſſequatur, non teneatur Epiſcopus ei providere, eò quia tunc ceſſet cauſa mandati, quæ fuit paupertas. Hinc notat Gloſſa, in cauſa ſpeciali, ubi non exprimitur pauper, ſi beneficium obtentum non eſt incompatibile cum illo, de quo dicitur provideri, debeat Epiſcopus eidem providere. Notandum eſt, huiusmodi reſcripta, quibus Pontifex mandat, ut clericus pauper provideatur de beneficio, dici reſcripta juſtitiæ, eò quia ſit potius juſtitia, quàm gratia, quia clerico ex iure canonico eſt debitum beneficium, quo poſſit congruè ſuſtentari. Ceterum ceſſante cauſa mandati, ceſſat, & ipſum mandatum.*

C. *SI A SEDE* 31. *b. t. Reſcribit idem Pont. ſi Papa, vel eius Legatus conferat beneficium uni, & Ordinarius alteri eodem die, adeò ut non poſſit conſtare de prioritate collationis, tunc ſit potior conditio poſſidentis, quòd ſi neuter poſſideat, præferendus ſit electus à Papa, vel Legato ob ampliorem prærogativam. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi Papa conferat uni, & Legatus alteri, collatio facta à Pontifice præferatur eodem modo. Rurſus ſolum Legatum Cardinalem à latere poſſe conferre beneficia, non verò alios Legatos, niſi de ſpeciali mandato.*

C. *CUM SINGULA* 32. *b. t. prohibet idem Pont. ne Religioſus ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ præſumat habere duos prioratus, vel eccleſias habentes curam animarum, tametſi curæ debeat exerceri per Preſbyteros à ſe præſentatos, & inſtitutos ab Epiſcopo, niſi fortaſſis unum beneficium dependeat ab alio, vel ambo ſint connexa. Quòd ſi habens unum beneficium alterum recipiat, mandat Pontifex, ut primum ſtatim dimittat, eò quia ſit ille privatus ipſo jure: & ſi illud nolit dimittere, privatur utroque, & efficitur ineligibilis. Rurſus non vult Pontifex, ut prioratus, eccleſiæ adminiſtratio, vel officium unius monaſterii conſueti gubernari per Monachos eiuſdem Monaſterii, committantur Monachis alterius monaſterii, & ſi commiſſa fuerint, mandat, ut revocentur: & ſecus facientes, & commiſſa non revocantes, privantur ea vice poteſtate ordinandi. Rurſus ſi loca non ſint exempta, ordinat Epiſcopus, ſi exempta Papa. Demum recipientes, & eligentes fiunt ineligibiles ipſo jure. Ex quo textu liquet, Papam nolle, ut Religioſi habeant plures eccleſias ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, niſi ſint unita, & connexa, quia beneficium connexum non cauſat incompatibilitatem, ut enim notat Gonzalez* in regul. 8. cancell. Gloſſa 5. §. 7. *connexa habentur pro uno. Ubi etiam notat Gloſſa, ſingula beneficia ſingulis eſſe commitenda perſonis, quòd etiam procedit de Prioratibus.*

C. *CUM IN ECCLESIIS* 33. *b. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi in eccleſia ſint recipiendi canonici, & beneficia conferenda, præſentes canonici, ſi commodè fieri poſſit, debeant vocare abſentes, niſi contraria conſuetudo obſtet: immo ubi non eſt talis conſuetudo, ſi abſentes non vocati inſtent, omnia attentata revocari debent: ubi à contrario ſenſu notat Gloſſa, quòd ſi abſentes non inſtent, valeant attentata, eò quia vocatio abſentium non ſit de ſubſtantia electionis* c. eccleſia 2. de elect. *Ceterum abſentes vocandi ſunt, quamvis ſint extra Provinciam, dummodo commodè fieri poſſit. Excipitur tamen, quando quis eſt recipiendus ex præcepto ſuperioris. Ceterum in alienatione, aliisque contractibus ſunt etiam vocandi abſentes.*

C. *PRÆSENTI* 34. *b. t. declarat Pont. ſtatutum Clementis Papæ relatum in* c. licet de beneficiis in curia vacantibus, *ſibi Papæ reſervatis, locum habere etiam in beneficiis, quæ*

Legati, vel Nuntii Apostolici, vel alii ad Romanam Curiam venientes, vel inde recedentes obtinent, dummodo in vicinia curiæ morianturs perinde ac si in loco, ubi residet curia, morerentur. Rursus declarat Pontifex, hoc idem procedere, si sede vacante aliquis curialis, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, vel alia de causa in loco vicino moriatur, dummodo ibi domicilium, seu domum propriam non habeat. Rursus, si quis habeat domum, ubi degit curia, & ibi moriatur, beneficia non conferuntur per solum Papam, quia tunc non dicuntur vacare in curia. Demum si curia recedat ab uno loco, & aliquis curialis officialis ibi remaneat, vel dum sequitur curiam, moriatur, quamvis in loco distanti, collatio spectat ad Papam, quia tum beneficium dicitur vacare in curia. Ubi notat Glossa, quòd si Papa non conferat intra mensem talia beneficia possint Ordinarii Collatores ea conferre. Rursus solam domus possessionem, & domicilium aquiparari in isto casu, quamvis domus sit sibi, & aliis communis, & qui jurat suum non esse, jurat nec sibi commune esse. Caterum ibi dicitur Curia regia esse, ubi Rex est cum suis Consiliariis, & aliis, qui eius lateri assistunt, ut ei consulant in regimine totius Regni: hinc propriissimè ibi est etiam Curia Sedis Apostolicæ, ubi est Papa cum Cancellaria, & Tribunalibus, atque Officialibus, quos ad regimen ecclesiæ adhibet, & tunc curiam propriè transferri, non quando solus Papa discedit, sed quando simul secum Cancellariam, Tribunalia, & officiales suos transfert, ut ut notat Garzias 5. p. de benefic. §. 7. in regul. 3. Cancell.

C. *SI APOSTOLICA* 35. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si Parochi moriantur Romæ Sede vacante, vel ante mortem Papæ, sed sede vacante ecclesiæ parochiales non sunt provisæ, earum provisio spectat ad Ordinarios non obstantibus* c. licet, *vel aliis dispositionibus, adeò ut caterea constitutiones, & extravagantes generatim, & indistincte loquentes debeant restringi, & determinari per præsentem textum, idq; ob specialem rationem decidendi, quia est periculum animarum; ecclesiæ enim parochiales non sunt diu privandæ suis Pastoribus. Hinc nota à contrario sensu, id non procedere de ecclesiis non parochialibus.*

C. *SI CUI* 36. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si concedatur gratia alicui, ut conferat beneficia reservata Sedi Apostolicæ personis idoneis si re integra concedens moriatur; si personæ providendæ non erant expressæ, gratia non expirat, bene tamen si erant expressæ. Videtur textus desumptus* ex regul. jur. 16. *ubi dicitur: decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, quod tamen Garzias* p. 6. c. 2. n. 301. *putat, id esse intelligendum de gratia, quæ continet quid absolutum, & perfectum, cuiusmodi est facultas generalis sine expressione certæ personæ, conferendi beneficia in hac, vel illa ecclesia. Est enim tunc magna prærogativa illius, cui talis facultas conceditur: secus est, si detur potestas providendi certæ personæ, quia tunc conceditur illi pura commissio, seu mandatum providendi, quod cedit in emolumentum personæ, cui providari mandatur. Notandum cum Glossa, huic textui non contradicere* c. 1. de renunciat. *quia ibi est sermo de gratia facta, hic verò de facienda: tum quia ibi gratia de re facienda eum respiciebat, qui providere debebat: hic verò etiam cui debet provideri.*

C. *SI EPISCOPUS* 37. h. t. *declarat idem Pont. quòd si Episcopus det facultatem alteri Episcopo ordinandi, quos vult in sua diœcesi nullis expressis, & ille ordinet, non habentem titulum, teneatur ordinans ministrare necessaria vitæ, donec obtineat beneficium, quod etiam jure novo confirmatur in Concil. Trident.* sess. 21. de refor. c. 2. *sin verò expressit personas, tunc tenetur Diœcesanus, ut etiam qui dedit licentiam suis, ut à quocunque ordinentur, teneatur etiam necessaria vitæ dare, qui dat licentiam. Ratio huius dispositionis desumitur ex antiquis canonibus* c. nón liceat, c. Episcopus, c. secundum Apostolum h. t. *ubi dicitur non esse quemquam in sacris ordinandum sine certo sustentationis titulo, & secus facientes in pœnam teneri illos alere, donec per ipsos, vel alios eis sufficienter provideatur. Hinc notat Glossa, ordinantem debere inquirere, an promovendi habeant titulum, Episcopum verò, cui facta est commissio ab Ordinario ordinandi personas, non tenere quærere, an sint idonea; sed debere præsumere missæ idoneas.*

C. *QUAMVIS* 38. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si Papa det facultatem Episcopo conferendi beneficia in genere, vel beneficia devoluta ad sedem Apostolicam, si priusquam Episcopus conferat, Papa alicui certæ personæ confert, vel mandat eidem conferri, valida sit collatio Papæ non Episcopi quia posterior specialis derogat primæ gratiæ generali, tametsi in speciali non fiat mentio de generali. Ubi notat Glossa, quòd si Papa dedisset licentiam in specie, vel si ex generali descendisset ad speciem, valeret prima, nisi in secunda fieret mentio de prima. Rursus notat Papam in conferendis beneficiis habere plenariam potestatem in toto Orbe.*

C. *SI IS CUI* 39. h. t. *Idem Pont. rescribit revocationem gratiæ non tollere jus acquisitum, sed acquirendum non connexum cum acquisito; imo neque tollere acquirendum, quod non est connexum cum digniore acquisito, ut si fuit facta gratia alicui, ut possit acquirere canonicatum, prebendam, vel dignitatem, & acquisivit canonicatum, non dignitatem, revocatur gratia quoad Dignitatem, si hæc non erat connexa canonicatui: secus si canonicatus erat coniunctus dignitati non revocatur gratia pro dignitate. Ratio dispositionis est, quia jus semel acquisitum in re, ordinariè nemini tollitur, nec revocatur: secus tamen est de iure ad rem, ut declarat textus, in quo dicitur ius in prebenda, vel canonicatu acquisitum non revocari, sed solùm jus ad dignitatem, vel officium.*

C. *QUODAM* 40. h. t. *declarat Pont. quòd si alicui detur canonia cum expectatione prebendæ vacaturæ; & alteri detur alia Gratia cum clausula, ut anteferatur: & interim vacet prebenda,*

præbenda, quæ conferatur primo ignoranter, gratia sit revocanda, & præbenda, si detur secundo, declarat Pontifex, neutrum in hoc casu habere jus in dicta præbenda, quia collatio facta priori post & contra decretum Cœlestini, licèt ignoranter, non subsistit. Neque posterior habet jus in illa, quia posterior tantùm habebat jus ad præbendam, non in præbenda; cùm ejus collatio suam non præcesserit revocationem per illam est penitus sublata. Ubi notandum est cum Glossa, decretum Papæ ligare etiam ignorantes, & annullare ipso jure contrafactum, ut docent Canonistæ in c. si eo tempore de elect.

C. *MANDATUM* 41. *& ult. declarat idem Pont. mandatum Papæ providendi alicui de beneficio pertinente ad collationem capituli non extendi ad beneficia, quæ Canonicus aliquis, ut singularis solet conferre. Rursus si beneficium spectet ad capitulum, & præbenda ad singularem Canonicum, non extenditur ad præbendam nisi mandatum dicat communiter, vel divisim de beneficio pertinente ad Capitulum, vel Canonicum. Ratio est, quia sub simplici non comprehenditur mixtum, nec è converso sub mixto comprehenditur simplex, nisi in materia favorabili, quæ latè interpretatur: unde provisio mandata de beneficio, cujus collatio pertinet ad unicum Canonicum singulariter non est facienda de beneficio pertinente ad collationem capituli in communi; neque vicissim, nisi mandatum includat clausulam, communiter, vel divisim.*

IN SEPTIMO.

C. *ROMANI* 1. *b. t. Julius II. in Concilio Lateranensi statuit, ut beneficiorum, vel dignitatum tam sæcularium, quàm regularium administratio neglectâ expeditione litterarum Apostolicarum, aut illis non expeditis, si suscipiatur, sit irrita, eò quia sit fraus restitutioni fructuum obnoxia. Volens enim Pontifex providere indemnitati beneficiorum, & dignitatum, prohibet, ne provisiones, concessiones, & gratiæ Apostolicæ sedis diu maneant in suspenso, sed perfectè ad actum juxta Apostolicas constitutiones deducantur, & Pontifex confirmat constitutiones Bonifacij, Alexandri, Pij, & Innocentij suorum prædecessorum quoad pœnas & censuras etiam privationis in eis expressas.*

C. *STATUIT* 2. *b. t. declarat Pius V. parochialium ecclesiarum collationes citra formam à Concilio Tridentino præscriptam factas, nullius esse valoris, nec ullum jus conferre præsertim si sint contra formam quoad examen per concursum faciendum præscriptam.*

C. *UT NON SOLUM* 3. *b. t. Idem Pont. jubet, ut non solùm dignis, verùm magis idoneis repertis juxta Concilii decretum parochiales Ecclesiæ conferantur, & decernit, quòd si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis elegerit, possint ij, qui rejecti fuerint, ab hujusmodi mala electione ad Metropolitanum; vel si ipse eligens Metropolitanus, vel exemptus fuerit ad Viciniorem Ordinarium ut sedis Apostolicæ Delegatum, vel ad ipsam sedem Apostolicam appellare, & præfectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare, quòd si constiterit de prioris eligentis irrationabili judicio, eo revocato, parochialis Ecclesia magis idoneo per eundem Judicem appellationis authoritate Apostolica conferatur, nec hujusmodi appellatio interposita impedit, vel suspendit, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta debitæ executioni interim demandetur.*

C. *FRAUDIBUS* 4. *b. t. Paulus IV. statuit, ut omnes, & singuli, qui occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulaverint, & ut tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro alio, cum oblatione alicujus annuæ pensionis, aut pro aliis cum spe pensionem annuam, vel aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi, vel pro se ipsis principaliter, animo & intentione ea postea in favorem aliorum, quantumvis idoneorum, & bene meritorum cum simili pensione, & commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procuraverint, excommunicationis & anathematis sententiam, à qua non possint absolvi nisi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo, nec non privationis omnium, & singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, vel sine cura incurrant, absque alia declaratione facienda.*

C. *JULIUS* 5. *b. t. declarat Julium III. ut qui retinent, vel possident beneficia ecclesiastica priùs quàm Apostolicis litterarum actus possessionis probetur, beneficiis illis priventur, & ad alia obtinenda perpetuò sint inhabiles, adeò ut ante expeditionem litterarum Apostolicarum super collatione non possit quis per se, vel alium hujusmodi beneficia possidere, nec ratam habere possessionem, eò quia talis non sit possessor, sed merus, & nudus detentor, & sine ullo titulo intrusus, quò propterea non potest suos facere fructus beneficii, teneatúrque restituere, quos percepit.*

C. *DISPENSATIONES* 6. *b. t. statuit Leo X. in Concilio Lateranensi, ut dispensationes ad plura incompatibilia ultra duo nisi qualificatè juxta formam juris communis non concedantur nisi ex magna, & urgente causa.*

C. *INTER* 7. *b. t. statuit Pius IV. ut ad beneficia, quibus est annexa cura animarum non promoveantur, nisi qui vitæ honestate, morum probitate, doctrinæ splendore sunt insignes, & mediante previo examine: ut beneficiis curatis non præficiantur nisi qui ritè, & laudabiliter possint ea exercere.*

C. *AD ROMANI* 8. *b. t. Paulus IV. prohibet omnium regressuum, & accessuum assentatoriam facultatem, & statuit, ut de cætero alicui Cardinali nonnisi unus regressus, seu accessus ad Patriarchalem, seu Metropolitanam Ecclesiam concedi possit, & revocat omnes, & singulos regressus, & accessus ipsis Cardinalibus ad quamcunque, præterquam per eos eligendam & nominandam Ecclesiam cathedralem sub quibuscunque tenoribus, & formis.*

C. *OMNES* 9. *b. t. Pius IV. declarat, beneficia in confidentiam, seu certa simoniacæ pravitatis specie collata quibusdam, aut ipso jure incapacibus, vel nondum adhuc natis, vacare, & ce-*

& eorum dispositionem reservatam esse sedi Apostolicæ.

C. *AD AURES* 10. *b. t. declarat Pius V. causas beneficiorum in confidentiam collatorum reservari discutiendas sedi Apostolicæ, etiam contra quoscunque Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & alios coram quibuscunque Judicibus etiam ad hoc specialiter delegatis.*

C. *FREQUENTIUS* 11. *b. t. Idem Pont. detegit retinentes beneficia in confidentiam, & coërcet abusum, quem metus sanctæ pœnæ extinguit. Ille enim periculosam audaciam retinentium beneficia in confidentiam novi juris subsidio cohiberet, statuit, ut si quis quacunque authoritate Ecclesiam, vel monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessatione cujuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis cum regressu, vel accessu etiam sola mittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel illorum pars alii, vel alibi concedantur, vel pensiones solvantur ex iisdem: hæc censeatur confidentia prohibita in hoc textu.*

C. *AD PROBANDUM* 12. *b. t. Idem Pont. declarat, confidentiarum casus, conjecturas, & præsumptiones legitimas: nimirum si quis post cessionem beneficii, & captam à successore possessionem, se in illo, & rebus illius per se, vel per alium, vel alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit: si sola Procuratoria depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis expeditis, quæ personam recipientis decernit, profecta sit, simúlque expensæ pro ea necessaria ab illo facta fuerint.*

C. *NE QUIS* 13. *b. t. Idem Pont. excludit ab omni dignitate, & beneficii ecclesiastici jure Reos criminis confidentiæ, quos etiam anathemate percutit.*

C. *ROMANI PONTIFICIS* 14. *b. t. Idem Pont. tollit omnes coadjutorias, & prohibet, ne illis expeditionet camera Apostolica suffragentur, ut nimirum omnem hæreditariam in beneficiis ecclesiasticis successionem removeret, & omnimoda beneficiorum libertati consuleret.*

C. *ATTENDENTES* 15. *b. t. Paulus III. declarat, beneficiorum impetrationes vacantium esse expediendas vera totius rei narratione; alioquin eas declarat irritas, & nullius valoris, & ut vacantia beneficia possint aliis conferri.*

IN CLEMENTINIS.

C. *SI DIGNITATEM* 1. *b. t. Clemens V. in Concilio Viennensi statuit, ut si habens dignitatem petat aliam, quæ habet curam animarum, & Papa dispenset, sed in litteris non fuit expressum eidem dignitati fuisse annexam curam animarum, sed in litteris fuerit apposita clausula* proviso, quòd cura animarum nullatenus negligatur, *non possit provideri de beneficio, quod habet curam animarum* c. cùm in illis eod. in 6. *Rursus si mandet provideri de dignitate pertinente ad collationem, depositionem quorumcunque, & inhibeat illis ad quos spectat collatio, provisio, vel electio; non possit provideri de beneficio electivo, quod datur per electionem, eò quia in dispositione non fuerit mentio facta de electione, quia inhibitio non est facta ad augendum, sed ad exequendum. Ex quo textu colligitur clausulas executivas non ampliare, nec immutare papalem dispositionem: cùm enim in neutro casu hujus textus, dispositio papalis mentionem faciat de cura animarum, vel beneficio electivo, quæ postea de his circa executionem inseruntur, nimirum, quòd non negligatur cura animarum; vel non procedatur ad provisionem, collationem, vel electionem non faciunt, ut de beneficio curato, vel electivo ejusmodi personæ provideri possit. Caterum ut notat Glossa impetrans beneficium debet mentionem facere de qualitate ejusdem beneficii, an sit cum curâ, & debet petere dispensationem de incompatibili: alioquin tametsi Papa faceret mentionem de incompatibili, non tamen videretur dispensare* c. non potest in 6. *secus si motu proprio illi donaret* c. si motu prop. eod. in 6. *alioquin per talem reticentiam littera gratiæ vitiantur, suntque ipso jure nulla per subreptionem.*

C. *PER LITTERAS* 2. *b. t. Idem Pont. declarat, quòd si Papa, vel Legatus scribat, ut provideat Clericum, non esse intelligendum de Xenodochiis, leprosodochiis, eleemosynariis, seu hospitalibus, si Ecclesiæ, vel capellæ, vel aliæ spiritualia jura habeant, nisi hoc expressè in litteris habeatur; ex quo textu colligitur, in materia odiosa nomine beneficii non intelligi hospitalia, & alia loca, nec per clausulam generalem, nisi exprimantur. Immo id etiam procedit quamvis agatur de reservatione fructuum, tametsi littera sint directæ motu proprio. Regulariter hospitalia etiam authoritate Episcopi erecta non veniunt nomine beneficii, nisi dentur in titulum, & conferantur in perpetuum, ut notat Barbosa hic* num. 2.

C. *SI PLURES* 3. *b. t. Idem Pont. declarat, quòd si habentes plures dignitates obtineant aliam, vel beneficium curatum absque legitima dispensatione, post pacificam possessionem ultimi beneficii, dignitates priores ipso jure vacent: sicut vacat una dignitas obtenta alia simili pacificè, quod etiam jure novo habetur in Tridentino* sess. 7. de refor. c. 4. & sess. 24. c. 17. *Ubi notandum est, ad vacationem ipso jure incurrendam non sufficere solam secundi beneficii acceptionem, receptionem, aut detentionem; sed ulterius requiri pacificam possessionem tam juris, quàm facti. Hinc si beneficium, vel possessio sit litigiosa in jure, vel turbetur ab alioquo invasore, priora beneficia non dicuntur vacare per executionem posteriorís, donec lis sit sopita, & possessionis turbatio cessaverit, ne eadem persona puniatur bis in id ipsum, scilicet amissione priorum beneficiorum, & periculo etiam amittendi posterius ob litis ambiguæ aleam ancipitem. Caterum ut notat Glossa dispensatus ad duo beneficia incompatibilia potest alterutrum relinquere, & accipere tertium* 5. Ordinarii de offic. ord. in 6.

C. *SI*

C. *SI ROMANUS* 4. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd si Papa motu proprio provideat de beneficio habenti alia beneficia, sive cum cura, sive non, sive dignitates, vel personatus, tametsi non faciat mentionem de illis beneficiis, provisio valeat. Ubi notandum est, clausulam* motu proprio *in litteris Papæ, vel Principis appositam tollere omne vitium sub- & obreptionis non tamen aliam inhabilitatem, nisi exprimatur. Rursus notandum est, motum proprium non ampliare gratiam, nec vim verborum, sed operari tantùm certum effectum, seu tollere subreptionem.*

C. *SI DE BENEFICIO* 5. *h. t. declarat idem Pont. quòd quando Papa scribit, ut quis provideatur de beneficio spectante ad collationem Episcopi, si ex negligentia Episcopi beneficium fuit devolutum ad capitulum, non possit de eo provideri; sin verò ex negligentia capituli, vel alterius fuit devolutum ad Episcopum, vel Papam, de illo possit provideri,* c. nulla de concess. præbend. *Ratio est, quia Pontifex non vult capitulum jure devoluto per negligentiam Episcopi in collatione beneficii acquisito spoliare.*

C. *SI JUXTA* 6. *& ult. h. t. Idem Pont. declarat, quòd habens canonicatum, vel præbendam in una Ecclesia, possit accipere dignitatem, cui sit annexa prabenda sed vacat prima prabenda post pacificam possessionem secundæ.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII.

C. *EXECRABILIS unic. h. t. declarat Pont. ut qui ante hanc extravagantem obtinebant ex dispensatione legitima plures dignitates, personatus, officia, Præratum, seu beneficia incompatibilia, eligant beneficium unum curatum, & alterum sine cura intra mensem à die hujus decreti, reliqua verò beneficia cum cura, vel sine cura, quæ non possunt de jure retineri sine dispensatione, & habebant cum dispensatione verbaliter, & realiter & in effectu debeant dimittere coram Ordinario cum testimonio publico, neque ad illa amplius redire, nec se immiscere eorum administrationi sine nova collatione: alioquin sunt ipso jure privati illis, & aliis, quæ per hanc extravagantem retinere poterant, fiuntque inhabiles ad similia beneficia. Excipiuntur tamen Cardinales & filii Regum. Rursus si pradicti cum duobus beneficiis ex dispensatione habent expectativam similium cum vacaverint, debeant servare hanc Bullam, seu intra mensem à notitia vacationis accipiant vacantem, & renuncient aliis beneficiis, quæ habebant, nec possint ea administrare sub iisdem pœnis. Rursus qui præsumunt retinere plura talia beneficia sine canonica dispensatione alicui retento, si in eo habent jus canonicè, reliqua intra mensem debent re ipsa resignare coram Ordinario sub testimonio publico, & si secus fecerint, privantur etiam ultimo, & censentur inhabiles ad quæcunque beneficia ecclesiastica obtinenda. Rursus si habens dignitatem, personatum, officium, vel aliud beneficium cum cura animarum obtinet aliud simile, post pacificam possessionem secundi; vel si per ipsum fiat, quin habeat possessionem, facto ipso jure est privatus primo, quod debet dimittere in manibus Ordinarii, & si secum fecerit, est ipso jure etiam privatus secundo, & sit inhabilis ad sacros ordines, & ad quæcunque beneficia ecclesiastica obtinenda. Rursus declarat Pontifex, ut omnia beneficia vacatura, vel dimissa virtute hujus Bullæ serventur dispensationi Papæ, & si quid innovetur quocunque privilegio sit irritum. Rursus Episcopi, in quorum diœcesi sunt beneficia, vel aliqua illorum; vel si aliqui debent dimittere in Diœcesi, in qua morantur, vel sedibus vacantibus eorum capitula, quamprimum commodè poterunt, certificent sedem Apostolicam de beneficiis dimissis, ut Papa disponat, quia omnia, & singula beneficia ejusmodi vacatura, vel dimissa Pontifex sibi, & sedis Apostolicæ dispositioni reservat. Demum declarat Pontifex, ea tantùm beneficia ecclesiastica qualitercunque nuncupata curam habere animarum, quæ parochias habent, in quibus animarum cura non per Vicarios perpetuos sed per beneficiorum Rectores, vel ministros ipsos exercetur; & quorum ministrii ratione beneficiorum competit visitare inquirere, censuras ferre, & ab iis absolvere. Notandum est, hanc constitutionem extravag. severiorem esse illâ, quæ habetur in* c. de multa *quia in textu* c. de multa *solum prohibetur, ne quis habeat duas dignitates, aut duo beneficia curata, adeò ut una dignitas cum beneficio curato virtute illius textus non censeatur incompatibilis, nec indigere dispensatione, dummodo beneficium illud non sit dignitas: constitutio verò in præsenti* c. execrabilis *nec hoc permittebat nisi intuitu dispensationis habitæ super pluribus beneficiis retinendis, quamvis in futurum illud non prohibeat, nec mentionem faciat dispensationis. Rursus* c. de multa *tantùm inducit privationem prioris beneficii post adeptionem secundi similis, & hujus privationem, si quis primum retinere nolit; hæc verò extravag addit inhabilitatem ad quæcunque similia habenda beneficia, vel officia. Cæterum beneficia quæ habent curam habitu, non actu, verius dicentur non habere curam. Rursus de filiis Regum, de quibus fit mentio in hac extravag. intelliguntur etiam nepotes non verò illegitimi. Cæterum in resignatione non requiritur instrumentum, sed sufficit testimonium virorum, qui sint fide digni.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *PIÆ SOLICITUDINIS* 1. *h. t. Bonifacius VIII. declarat, beneficia vacantia in curia conferri à solo Papa, & si secus fiat sive ignoranter, sive scienter sit irritum, non obstante quacunque authoritate. Notandum est, per hunc textum non revocari* c. si Apostolica *de parochiis non reservatis sede vacante.*

C. *EX SUPERNÆ* 2. *h. t. Clemens V. revocat provisiones factas sub titulo commendæ perpetuæ ex ecclesiis parochialibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, monasteriis ad petitionem Regum, vel quorumcunq; Magnatum. Exaggerat enim in hoc capite Pontifex perniciem commendarum, quæ dicantur a comedendo, vel vorando patrimonium Christi.*

C. *ETSI TEMPORALIUM* 3. *h. t. Idem Pont.*

volens, ut beneficia eccleſiaſtica conferantur perſonis dignis, reſervat ſibi omnia beneficia vacantia pro illa vice: & hæc reſervatio ſimilis eſt illi, quæ habetur in c. licet, & c. præſenti eod. in 6. *quia verò hæc reſervatio eſt ad tempus, ideo ſapit naturam regularum Cancellariæ.*

C. *EXECRABILIS* 4. *h. t. Joannes XXII. prohibet omnem pluralitatem beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, officiorum incompatibilium; quia verò hæc conſtitutio poſita fuit ſuperiùs in extravagantibus propriis ejuſdem Pontificis, nil ſupereſt addendum.*

C. *SALVATOR* 5. *h. t. Idem Pont. Epiſcopatum Toloſanum valde opulentum, ac divitiis affluentem eligit in novum Archiepiſcopatum ob cauſas in textu expreſſas, & pro ſuffraganeis aſſignat quatuor villas, quæ etiam eriguntur in novas civitates adjectâ Eccleſiâ Apamearum, & adduntur etiam cenſuræ in Rebelles. Ubi notandum eſt, quòd tametſi hæc materia ſit particularis, inſervit nihilominus juri communi, quia manifeſtat cauſas ſufficientes in ordine ad erigendas, vel dividendas Eccleſias, vel inſtituendos novos Archiepiſcopatus. Hæc enim omnia pertinent ad ſolum Papam, cui graviores caſus, & majora negotia reſervantur.*

C. *NUPER* 6. *h. t. Idem Pont. apponit pœnas contra impedientes erectionem Epiſcopatus Toloſani, ejuſque diviſionem in quinque Eccleſias: & ultra pœnas in præcedente capitulo latas privantur etiam feudis, & quibuscunque beneficiis temporalibus, & ſpiritualibus: & perſonæ eccleſiaſticæ ob hanc cauſam redduntur inhabiles ad quæcunque eccleſiaſtica beneficia obtinenda.*

C. *NUPER* 7. *h. t. Idem Pont. deputat quatuor Executores ad ſupra dictas pœnas impedientibus erectionem Epiſcopatus Toloſani in Archiepiſcopum inſtillas, ut ſolemniter publicentur.*

C. *NUPER* 8. *h. t. Idem Pont. diſpenſat in ætate, & ordine cum quodam Abbate, ut ſit Epiſcopus; & diſpenſat, ut licèt non eſſet conſecratus, nec litteras Apoſtolicas accepiſſet, Eccleſiam tamen Lumbanenſem, ejúsque bona poſſet adminiſtrare.*

C. *AD CUJUSLIBET* 9. *h. t. Idem Pont. hortatur quendam ad acceptandum Epiſcopatum, & in hac Epiſtola, quæ fermè ſpiritu Apoſtolico ſcripta eſt, indicantur virtutes, & dotes boni Epiſcopi.*

C. *POSTULASTI* 10. *h. t. declarat idem Pont. quos fructus primi anni collector non debeat exigere à beneficiis vacantibus.*

C. *CUM NONNULLÆ* 11. *h. t. reſcribit Pontifex quædam dubia orta circa ſolutionem ſupradictorum fructuum reſervatorum.*

C. *CUM NONNULLÆ* 12. *h. t. reſolvit idem, quod in præcedente capitulo.*

C. *AD REGIMEN* 13. *h. t. Benedictus XII. reſervat ſedi Apoſtolicæ omnia beneficia cum cura, & ſine cura, regularia, & ſæcularia, & Archiepiſcopatus, & alia conſueta conferrè per electionem, vel alio modo, quæ vacant in curia Romana etiam per privationem, tranſlationem, ceſſationem, renunciationem, obitum, & aliorum, qui pro negotiis veniunt, vel recedunt à curia, ſi intra duas dietas legales moriantur.*

C. *AD ROMANI* 14. *h. t. Paulus II. declarat, & ſtatuit, prædicta beneficia vacantia in præcedenti capitulo ita eſſe affecta, ut ſolus Papa poſſit illa conferre, non alij.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Beneficium Eccleſiaſticum.

BEneficium Eccleſiaſticum, ut ad præſens pertinet inſtitutum definiri ſolet: *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale authoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Hinc tria diſtinguuntur in beneficio; quorum primum eſt ipſum officium, ſeu obligatio, quâ quis tenetur aliquam ſpiritualem functionem obire. Secundum eſt ipſum jus percipiendi certos reditus ex bonis eccleſiaſticis; & hoc jus propriè dicitur præbenda, ac beneficium. Tertium ſunt ipſi fructus, qui ex tali beneficio percipiuntur, & hi fructus ſunt quid temporale. Explicatur tradita definitio. Dicitur *jus*, quod in beneficio duplex reperitur, unum ſimpliciter ſpirituale, eſtque jus officii, ſeu poteſtas exercendi, munus, ac officium ſpirituale, quatenus id miniſtro Eccleſiæ competit: alterum ſecundùm ſe præcisè ſpectatum eſt temporale; eſtque jus percipiendi redditus eccleſiaſticos, quamvis quatenus officio ſpirituali innititur quandam participet ſpiritualitatem; adeout dici abſolutè poſſit, jus beneficii eccleſiaſtici eſſe ſpirituale. Hæc tamen duo jura ita diſtinguuntur, ut ſeiungi poſſint, ac ſoleant; ut cum quis in canonicum Eccleſiæ recipitur absque aſſignatione præbendæ: quia præbenda non facit canonicum; ſed collatio juris ſpiritualis facta ab habente poteſtatem conferendi tale jus. Rurſus hoc jus debet eſſe *perpetuum*, vel reſpectu Eccleſiæ, in qua ita conſtituitur, ut perpetuò duret, ne decedente beneficiato pereat; ſed tantùm vacet: vel aptitudine, quam habent ex ſe beneficia, ut in perpetuum conferantur; tametſi contingat aliter nonnunquam fieri. Propterea dicitur *jus perpetuum*, quod eſt intelligendum per ſe, & ex natura ſua; cum aliunde poſſit contingere, ut non ſit perpetuum. Cæterum bona, & fructus

Eccleſiæ

Ecclesiæ non vocantur beneficia nisi materialiter, & objectivè; perinde ac Ecclesia interdum appellatur ædes sacra. Adduntur illa verba *ex bonis ecclesiasticis*, scilicet ex bonis, quæ Deo dicata sunt. Subjungitur *propter officium aliquod spirituale*, ut est cura animarum, chorus, recitatio horarum canonicarum, & alia id genus: hinc habetur commune effatum: Beneficium datur propter officium. Addúntur postrema verba: *Auctoritate Ecclesia constitutum*: ne quis divino jure putet constitutum esse *c.* 1. & 2. *dist.* 22. Barbosa *in c. omnes distinc.* 22. Tum quia beneficium constituitur auctoritate ecclesiastica, seu ab Episcopo, vel alio Prælato ecclesiastico; ut sit legitimè institutum, seu erectum, ac collatum secundùm formam, ac modum præscriptum à SS. Canonibus: quia beneficium ecclesiasticum non potest licitè obtineri sine canonica institutione *juxta regul. jur.* 1. *in 6.* quapropter ante Episcopi ordinationem non censetur haberi beneficium *c. nemo 9. c. nullus* 25. *dist.* 1. *de consecrat.*

2 Hinc à ratione beneficii excluduntur Capellaniæ etiam perpetuæ; sed non collativæ: adeout si aliquid relictum sit etiam in perpetuum pro missis celebrandis asbque authoritate Episcopi, id non sit beneficium ecclesiasticum; sed simpliciter pia donatio, aut pium legatum, ut notat Rebuffus *in prax. tit. quare instituta sint beneficia num.* 10. siquidem officia non aliter in Ecclesia instituuntur, quàm ab ipsis Prælatis ecclesiasticis, & ab istis annectuntur etiam proventus ecclesiastici. Hi autem redditus, seu proventus bonorum ecclesiasticorum, ex quo clerici cessárunt in communi vivere, & cohabitare, in quatuor fuerunt partes divisi, ut desumitur ex cap. de *redditibus 8. caus.* 12. *q.* 2. quarum prima assignatur pro mensa, seu sustentatione Episcopi: secunda pro fabrica Ecclesiæ: tertia ad opitulandum pauperibus, ac peregrinis: quarta pro canonicis, & aliis clericis, ut ea pro singulorum meritis distribueretur: ex illis redditibus instituta postea fuerunt auctoritate Ecclesiæ beneficia ecclesiastica; adeout tum Episcopo, tum aliis clericis assignata sit certa reddituum portio ex prædiis, seu bonis immobilibus Ecclesiæ, ac collatum jus eos percipiendi ut notat Laymn *l.* 4. *tract.* 2. *c. n.* 3.

Hinc aliud est canonia, seu canonicatus; 3 & aliud præbenda, ut notat Glossa *in c. cum M. 9. de constit. V. receperunt* Canonia est jus quoddam spirituale, quod ex electione, collatione, institutione, vel receptione alicujus in canonicum consurgit, ac tribuit stallum, seu sedem in choro, & jus suffragii ferendi in capitulo, si sit ordinibus sacris initiatus. Secus præbenda est ipsum jus percipiendi proventus ecclesiasticos, prout isti competunt uni de collegio, & sunt annexi tali canoniæ, à qua procedunt, ut filii à matre; siquidem habenti canoniam debetur etiam præbenda *c. Relatum* 9. *c. dilectus* 19. *h. t.* Potest tamen quis canonicus esse, licèt præbendam, seu redditus ecclesiasticos non habeat; quia ut diximus, præbenda non facit canonicum, sed collatio juris spiritualis facta ab habente potestatem canonicum constituit: ut notat Panormitanus *in c. cum super de concess. Præb. n.* 1. proptiè tamen canonicus sine præbenda non dicitur beneficiarius, qui habet solum officium non beneficium; & beneficiarius à solo beneficio suam sortitur nomenclationem: è contrà potest quis habere præbendam ex redditibus ecclesiasticis, sive sit laicus, sivè clericus, ut Ædituus, Magister, Advocatus, pro labore, & officio suo temporali, quamvis nullam habeat canoniam, seu jus spiritualis officii. 4

Præbenda autem spiritualis, quæ est jus percipiendi redditus ecclesiasticos ratione spiritualis officii, seu canoniæ potest sumi specificè, & strictè pro ipsa præbenda cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ annexa canonicatui, vel alteri dignitati ejusdem Ecclesiæ, & hoc pacto sumitur præbenda *in c. cum M. 9. de constit. & in t. Dilectus* 19. *h. t.* ubi Innocentius III. ait, quòd cum quis recipitur in canonicum cum stallo in choro, debet ei præbenda assignari, cum primùm sé facultas obtulerit: & interim debet participare de distributionibus quotidianis. Secundò sumitur præbenda laxè pro quovis beneficio ecclesiastico saltem inferiore: & in hac posteriori significatione sumitur in hoc titulo, ut notat Barb. *in rubric. ad h. t. n.* 6. Non tamen pensiones, quæ ex redditibus beneficiorum in favorem alicujus separantur, propriè dicuntur beneficia, ut notat Glossa *in c. Quamvis* 4. *h. t. in 6.* quia per pensionem quis non instituitur, neque investitur: quòd si quis pensionem acciperet in titulum; tunc talis pensio esset beneficium ut notat Barbosa *jur. Eccles. univer. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 8. & 15. 5

Ad partitionem quod attinet beneficiorum, possunt hæc commodè dividi ratione subjecti, qualitatis, & officii. A causa subjectiva, seu ratione illius, cui beneficium confertur, dividitur in sæculare, & regulare. Illud est, quod clericis sæcularibus, qui nullam religionis regulam profitentur, sed in sæculo Deo serviunt, conferri solet: regulare beneficium dicitur quod regularibus, seu religiosis confertur, seu quod fuit institutum pro religiosis; per quos propterea debet administrari, idque est ratio distinguendi beneficium regulare, à sæculari; & ratione hujus administrationis ordinariè non potest conferri clerico sæculari beneficium regulare *c. cum de beneficio* 5. *h. t.* nisi legitimè, ac pacificè clericus sæcularis possederit beneficium regulare, ita ut compleverit legitimam præscriptionem, id est quadraginta annorum; tantùm in hoc casu dicit Pontifex in *d. c. cum de beneficio* posse clericum sæcularem provideri de beneficio regulari; ubi Glossa notat, ad legitimam præscriptionem non sufficere consuetudinem. Si tamen dubitetur, an beneficium censeatur esse sæculare; nisi probetur esse regulare, censebitur esse sæculare. 6

Hæc beneficia tam sæcularia, quàm regularia dividuntur in simplicia, & duplicia: illa dicuntur, quæ nullam habent administrationem, neque sunt ullâ juris qualitate affecta: sed tantùm instituta ad recitandas horas canonicas, vel alia divina officia persolvenda. Duplicia quæ habent administrationem, quâ qualificantur

tur: hæc ſiquidem adminiſtratio poteſt etiam regularibus competere, quorum beneficia non dicuntur regularia ratione juris conferendi, aut præſentandi regularibus conceſſi, neque ratione unionis factæ monaſterio; ſed quia vel officium regulare habent: vel in fundatione ex Epiſcopi authoritate ita expreſſum fuit; vel legitima præſcriptione obtentum eſt.

7 A qualitate igitur dividitur beneficium in ſimplex, & duplex; & illud dicitur, quod nulla peculiari juris qualitate affectum ſimplici officio contentum eſt; proinde nec populum, nec clerum, neque adminiſtrationem habet. Duplex vocatur, quod præter ſimplex officium habet eminentiam, jurisdictionem, vel adminiſtrationem: & hoc beneficium duplex bipartitur in majus, & minus: majora beneficia duplicia ſunt Papatus, Cardinalatus, Primatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus: hæc tamen propter eorum eminentiam communi beneficiorum appellatione non comprehenduntur, præſertim in odioſis Sylu. *quæſt. 3. num. 25.* reliqua beneficia reſpectivè majora, vel minora vocari ſolent; & habent, vel perſonatum, vel officium, ſeu adminiſtrationem. Dignitas enim eccleſiaſtica eſt præeminentia ferè cum jurisdictione fori externi conjuncta, ut notant Abbas, & Innocentius *in c. de multa, & præben.* hanc jurisdictionem habent Abbates, aliique prælati tam ſæculares, quàm regulares; Vicarius generalis Epiſcopi, Archidiaconus, & alii hujusmodi. Perſonatus eſt quædam præeminentia, ſeu prærogativa in Eccleſia ſine jurisdictione, ut habere ſtallum honorificum in choro, in capitulo, in ferendis ſuffragiis; in proceſſionibus plusquam alii ſui ordinis canonici; hac ratione perſonatus plerumque ſumitur promiſcuè cum dignitate; niſi quia huic ſemper eſt annexa jurisdictio, quâ perſonatus deſtituitur. Officium adminiſtrationem habet, ſed ſine jurisdictione fori externi; tale officium competit Cuſtodi, Sacriſtæ, Theſaurario, Primicerio; in quibus tamen attendenda eſt eccleſiarum conſuetudo. Parochiale beneficium recenſetur inter minora duplicia, eò quia curam habeat animarum in foro interno. Inter ſimplicia autem accenſentur canonicatus ſive ſæculares, ſive regulares, portiones ſive integræ, ſive dimidiæ, & Præſtimonia. Sunt præſtimonia portiones ex redditibus eccleſiaſticis detractæ, quæ clericis adoleſcentibus conferuntur, ut valeant operam dare ſtudiis, & dantur in titulum perpetuum, habéntque ſpirituale officium annexum, recenſentur enim inter beneficia ſimplicia *c. ult. de conſcf. præben in 6.*

8 Ratione officii dividuntur beneficia in curata, & non curata: beneficium curatum eſt, cui annexa eſt cura animarum, eſtque duplicis generis, quædam enim curam exercent animarum, ſive jurisdictionem ſpiritualem, & eccleſiaſticam in foro externo, & contentioſo, ut eſt viſitare, inquirere, excommunicare: quædam verò tantùm in foro pœnitentiali, & in ordine ad forum internum conſcientiæ, ut notat Garcia *de benef. c. 6. num. 5.* & hæc propriè dicuntur beneficia curata, ac duplicia minora; cujusmodi eſt parochia, quæ dicitur beneficium duplex, quaſi duplici cura conſtrictum ſcilicet recitandi breviarium cum cæteris clericis, & curam gerendi animarum ſibi concreditarum ſine jurisdictione fori judicialis, ſeu contentioſi; quia Parochus in foro externo tantùm habet jurisdictionem, ſeu poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta ſuis Parochianis. An verò adjutor Parochi, vel alterius beneficiarii dicatur habere beneficium, videtur eſſe aliqua difficultas. Pro cujus ſolutione juvat animaduertere, poſſe dari alicui adjutorium in adminiſtratione, & curam rerum temporalium, de quo in *c. grandi de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.* Regibus enim, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & aliis jurisdictionem ordinariam civilem habentibus dari adjutor jure poteſt, ſi neſciant, vel nequeant, vel etiam negligant populos ſibi ſubjectos regere, ac tueri, jus reddere, pacem ſervare, hoſtes compeſcere, reprimere, ac rempublicam tueri; & hujusmodi adjutor beneficium eccleſiaſticum non habet.

9 Alter adjutor datur in cura, & adminiſtratione rerum ſpiritualium: & hic adhuc eſt duplex: unus ſine jure ſuccedendi, ut notant Cardinal. Alexand. *in c. Paſtoralis quæſt. 1. num. 2.* Alter vocatur adjutor, cum jure ſuccedendi in beneficio poſt obitum illius, cui eſt adjutor datus. De primo adjutore dicitur *in cap. de rectoribus; c. ex parte c. conſultationibus de clerico ægrotante.* Secundo adjutori datur facultas ſuccedendi in beneficio; non quidem de jure communi; ſed ex uſu, more, ac ſtylo curiæ Romanæ. Nec hujusmodi facultas dari ſolet quibuslibet beneficiariis, ſed tantùm Epiſcopis, ac aliis in Eccleſia prælatis majoribus: ut etiam Parochis, & Abbatibus, aliisque habentibus curam animarum. Interdum dantur etiam aliis habentibus tantùm perſonatum, dignitatem, officium, vel adminiſtrationem: imò nonnunquam etiam canonicis, vel ætate, ſenióque confectis, vel de Eccleſia benemeritis.

10 A modo conferendi dividuntur beneficia in manualia, & non manualia, hæc dicuntur, quæ in perpetuum titulum conferuntur, & irrevocabiliter; adeo ut ſemel collatum beneficium ſine gravi, & juſta cauſa nequeat ampliùs auferri, neque per legem, neque per ſententiam Judicis: talia ſunt beneficia ſæcularia, quæ jure ordinario perpetua ſunt, & irrevocabilia, niſi ex cauſis in jure expreſſis *c. præcepta 16. diſt. 55 c. ſatis 7. diſt. 56. & c. 2. diſt. 70.* Tametſi nil obſtet quò minus etiam ſæcularia quædam beneficia authoritate Papæ, vel per conſuetudinem immemorialem poſſint in prima fundatione ita inſtitui, ut ad nutum revocabilia ſint; & per ſpeciale ſtatutum nonniſi ad tempus concedantur, ut notat Garzia *1. p. §. 1. num. 71. & ſequent.* ubi tamen excipit beneficia curata. Secus beneficia manualia dicuntur, quæ ad nutum voluntatis Prælati conferentis, vel ad arbitrium Patroni auferri poſſunt, eò quia revocabiliter fuerint in titulum collata. Beneficia manualia ſunt ferè omnia regularia, quæ non ſunt curata, neque electiva. Sed authoritate Prælatorum regulariter conferuntur: tale beneficium regulare manuale ad nutum revocabile, eſt prioratus claufturalis

stralis, qui cùm sit sub obedientia Abbatis constitutus, potest ab eodem, pro ut ipsi magis libuerit, quis privari prioratu, ut desumitur *ex clem. unic. de supplem. negligentia Prælat.* dicuntur etiam beneficia manualia omnia illa, quæ inter regulares possunt ad nutum superioris auferri.

11 Cæterum illa beneficia regularia, quæ conferuntur à capitulo per secreta suffragia, non possunt auferri ad nutum superioris, eò quia non ab ipso sed à capitulo collata fuerint: quapropter hujusmodi beneficia dicuntur dignitates perpetuæ, quæ nisi ob grave delictum, vel alia gravi causa semel collatæ non auferuntur *c. 2. §. priores autem de stat. Monach.* Rursus beneficia regularia, quibus est annexa animarum cura non sunt revocabila ad nutum superioris, quia beneficiarii habentes curam animarum non constituuntur nisi ex consensu, & authoritate Episcopi, proinde sine ejus consensu non possunt à Prælatis regularibus removeri: & hæc beneficia, potiùs dicuntur non manualia, tametsi regularibus conferantur.

12 Rursus beneficium hoc non manuale aliud est electivum, quod per electionem eorum, qui sunt in collegio, accedente superioris confirmatione obtinetur: aliud est collativum, quod ex ejus, cui competit, voluntate, & authoritate conceditur, & est vel liberum, vel alligatum alterius nominationi, vel præsentationi, quo pacto beneficium patronatum vocari solet.

13 Præterea alia beneficia dicuntur patrimonialia, non quòd patrimonii habeant rationem; sed quia ex ecclesiarum statutis legitima authoritate fulcitis, nonnisi clericis ex patria, parochia, aut alio certo loco oriundis, aut peculiari qualitate affectis conferuntur. Alia dicuntur etiam beneficia mixta, quæ nominante, & designante patrono, cujus est offerre, & præsentare clericum promovendum, & Episcopo instituente conferuntur, ut notat Dominicus *in c. cum in illis §. 1. de prabend. in 6.*

14 In communiori sententia præstimonia etiam, quæ clerico, ut tali dantur in titulum capellæ authoritate Episcopi constitutæ, aut dotatæ, ut etiam Vicariæ perpetuæ inter vera beneficia numerantur; immo etiam ipsa hospitalia, si Episcopi authoritate erecta sint, & clericis ut talibus debeantur. Jura nomine hospitalis domûs intelligunt loca, in quibus egeni, & inopes sustentantur.

15 Cùm olim Christiani ingentis pietatis studio propensi fuerint in omnes egenos, pupillos, debiles, senes, peregrinos, mendicos passim Ecclesiæ hospitales annectebant domus, in quibus prærecensiti inopes sustentabantur, & hujusmodi domus à Græcis nosocomia, vel xenodochia vocantur, quorum fit mentio apud Justinianum *in l. sancimus 2. de sacrosanct. eccles. & 23. q. 8. c. in qualibet §. sancimus.* Sozomenus easdem hospitales domus refert *lib. 6. ecclesiast. hist. c. 29.* & latini easdem domus vocant hospitalia, vel domus pietatis, in quibus aluntur valetudinarii, pauperes, pupilli, Orphani parentibus destituti, senes, peregrini, & advenæ indigentes: hinc jure canonico appellatione domûs hospitalis intelligitur locus misericordiæ, seu causâ pietatis constructus ad excipiendos, vel etiam alendos infirmos, & egenos. Solent tamen juris periti à ratione beneficii arcere adjutorias, coadjutorias, etiam cum spe successionis, cooperaturas, Vicarias temporales, pensiones, titulum patrimonii; & alia id genus, quæ absque Episcopi authoritate constituta sunt, & laicis conferuntur.

§ II.

De impedimentis ad beneficia ecclesiastica.

1 A Beneficiis ecclesiasticis jure naturali, & divino arcentur fœminæ, homines nondum baptizati, infantes nondum septennes, amentes, qui non sunt sui compotes, surdi, muti, ac destituti aliquo principali membro, ex cujus defectu inhabilis quis fiat ad obeundum munus propter quod datur beneficium: Rursus excluduntur à beneficiis ecclesiasticis Hermaphroditi, nisi forte virilis sexus multùm prævaleat *c. sacratas dist. 25.* Non tamen debilitas, aut vitium corporis superveniens, ex quo ad officium præstandum fiat quis invalidus, privat beneficio obtento: quòd si tali beneficio annexa sit cura animarum, est tunc beneficiato substituendus Vicarius *c. 1. c. 17. sanct. 7. q. 1.* Syl. *V. Vicarius.*

2 Jure autem ecclesiastico à beneficiis excluduntur, qui nondum sunt primâ tonsurâ initiati, illegitimè nati, siquidem ut quis obtineat beneficia ecclesiastica, requiritur, ut sit ex legitimo matrimonio natus, quia illegitimi habentur inhabiles etiam ad beneficia simplicia obtinenda, nisi à summo Pontifice, vel alio superiore ecclesiastico habente ad id potestatem fuerint legitimati *c. invenit. 20. de elect. c. fin. de filiis Presbyteror. c. 1. vol. in 6.* Potest tamen Episcopus promovere spurios ad primam tonsuram, & ordines minores. An verò illegitimus dispensatus ad ordines sacros, eò ipso censeatur etiam dispensatus in ordine ad obtinendum beneficium simplex? Affirmant Butrius *in c. postulasti de rescript.* Felinus *num. 12. & in c. fin. n. 5. de simonia* Ancharanus *in c. fin. not. 1. de filiis Presbyteror. in 6.* & nititur hæc opinio textu *c. accepimus de etat. & qualit.* ubi Episcopus promoto ad sacros ordines cogitur etiam sine titulo conferre beneficium: eò quia non possit quis promoveri ad ordines sacros absque beneficio. Tum quia beneficium quasi inseparabiliter est connexum cum ordinibus sacris: siquidem nemo potest promoveri absque titulo beneficii, ut decrevit Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 2. de reformat.* quòd si promovendus habuerit patrimonium, aut pensionem, solùm quasi dispensativè promoveri potest ratione utilitatis Ecclesiæ, aut necessitatis.

3 Nihilominus quòd illegitimus tametsi dispensatus ad ordines sacros, non eò ipso censeatur dispensatus ad ullũ beneficium, est sententia probabilior, quam docent Rebuffus *in prax. benefic. tit. de dispensat. super defectu. num. 41.* Abbas *in c. litteras num. 6. de fil. Presbyter.* Dominicus *in c. 1. de fil. Presbyter. in 6.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 3. q. 5.* Garzia *de benefic. p. 1. c. 6.*

num. 70. Barb. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 6. Pasqualigus 9. 224. Conradus *in prax. benefic. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 15. Suarez *disp.* 41. *de censur. sect.* 3. *num.* 3. & alii: idque evincitur ex stylo Datariæ, juxta quem dispensatio ad ordines sacros non supponitur extendi ad beneficia, adeo ut necessaria sit alia specialis dispensatio pro obtinendis beneficiis etiam simplicibus: atqui stylus datariæ continet mentem Pontificis, quam declarat, ut notant Decius *in c. super litteris num.* 32. *V. quæ autem de rescript.* Lappus *allegat.* 86. *n.* 6. Rota coram Coccino *decis.* 150. *num.* 10. & quia extendere dispensationem ultra stylum Datariæ perinde est, ac illam extendere ultra voluntatem Pontificis; ideo talis extensio utpote destituta voluntate Papæ est nullius valoris: quia Pontifex eo ipso, quòd cùm illigitimo dispensat, ut possit promoveri ad ordines sacros, non eò ipso dispensat, ut possit obtinere beneficium ecclesiasticum etiam simplex. Et quamvis opinionem contrariam doceant plures insignes juris periti; ac propterea censeatur probabilis: non tamen putârim ex interpretativa voluntate Papæ valere extensionem ad beneficia, ex eo quia Pontifex in suis concessionibus censeatur se accommodare opinionibus probabilibus: quia id tantùm concedi potest, quando de mente Pontificis dubitatur: non verò quando est certa, & exprimitur in stylo datariæ: siquidem stylus datariæ exprimit voluntatem Pontificis: proinde cum ex tali stylo dispensatio ad ordines sacros non extendatur ad beneficia etiam simplicia, ita neque ex voluntate etiam interpretativa Papæ fit talis extensio; cum voluntas Papæ perinde contrarietur tali extensioni, ac stylus datariæ.

4 Præterea stylus datariæ habet fundamentum in jure communi: siquidem dispensatio, utpote vulneraria legis, debet strictè interpretari *c. 1. §. ille verò de fil. Presbyter. in* 6. & *c.* 1. *de prabend.* & tradunt communiter jurisperiti, Felin. *in c. postulâsti num. 8. de rescript.* & Canonistæ *in c. de multa, & prabend.* Rota *decis.* 240. *num.* 1. quo fit, ut dispensatio non sit extendenda ultra verborum significationem; proinde dispensatio ad ordines non est dispensatio ad beneficium: non enim dispensatio ad unum effectum expressum est dispensatio ad alium non expressum, ut notat Natta *consil.* 600. *n.* 33. & Rota coram Pennia *decis.* 619. *num.* 3. Præterea licèt illegitimitas sit tantum una, plures nihilominus inducit inhabilitates: siquidem reddit inhabilem ad ordinem, ad beneficia, ad dignitates, quæ sunt plures inhabilitates, quarum una esse potest sine alia, & quando inhabilitates sunt plures, & separabiles, requiruntur etiam plures dispensationes, ut docent Menochius *de arbit. lib.* 2. *centur.* 3. *cas.* 203. *num.* 13. Gonzales *ad regul.* 8. *cancell.* Glossa 14. *num.* 97. Surdus *consil.* 224. *num.* 4. Geminian. *consil.* 33. *n.* 8. Rota coram Puteo *decis.* 109. *in fin. lib.* 1.

5 Neque fundamenta, quibus nititur opposita sententia, sunt magni momenti. Ad *c. accepimus de etat. & qualitat.* Respondetur, ibi tantùm disponi de clericis ordinatis, & non citra habilitatem ad ordinationem: siquidem clerici ordinati cùm debeant habere; unde honestè, & congruè vivant, tenentur Episcopi illis providere de congrua sustentatione, quod fit per collationem beneficii, cùm fuerint beneficia instituta pro clericorum sustentatione: unde ex *prafato cap. accepimus* tantùm colligitur, quòd clerico ordinato debeatur pro congrua sustentatione beneficium, si aliunde non habeat patrimonium, nec unde decenter, ac congruè vivat: non verò exinde sequitur, quòd habilitatus ut possit suscipere sacros ordines, censeatur habilitatus ad beneficiū, sed solùm quòd possit admitti, si cætera concurrant: unde dispensatio tantùm operatur, quòd impedimentū nō obstet; non verò, quòd non obstent alia impedimenta: quo pacto illegitimus carens sufficienti litteratura non potest ordinari. Unde si dispensatio super natalibus non habilitat absolutè ad ordines, sed solùm quòd ad ipsos tollat impedimentum natalium, multò minus habilitat ad beneficium: si enim Pontifex dispenset cum illegitimo, ut non obstante defectu natalium possit ordinari, & Pontifex tantùm intendat dispensare super solo defectu natalium; si qui petiit dispensationem, sit prorsus illiteratus, non obstante tali dispensatione non potest ordinari; quia concurrit aliud impedimentum, à quo Pontifex non dispensavit.

6 Ad aliud quod addebatur beneficium esse inseparabiliter connexum cum ordine sacro proinde dispensationem ad ordines sacros se extendere ad beneficium, respondetur, dispensationem quidem extendi ad ea, quæ sunt inseparabiliter connexa, ut notat Abbas cum Glossa *in c. non potest V. retinere. de prabend. in.* 6. nihilominus id tantùm verum est, quando connexio est necessaria, ac inseparabilis, alioquin non extenditur ad ea, quæ aliquo pacto separari possunt, ut docent Felin. *in c. postulâsti num.* 10. *de rescript.* Butrius *in c. at si clerici. §. de adulter. num.* 14. *de judic.* Lappus *allegat.* 57. *n.* 7. De jure autem constat, beneficium non esse inseparabiliter connexum cum ordine sacro: siquidē potest quis ordinari titulo paupertatis, ut religiosus claustralis, vel ad titulum patrimonii, aut pensionis, ut plures clerici sæculares; ex quo claret, beneficium non esse de jure inseparabiliter connexum cum ordine sacro, proinde dispensationem ad ordinem sacrum ob inseparabilem connexionem non esse dispensationem ad beneficium, cum non habeatur hæc connexio inseparabilis.

7 Rursus jure ecclesiastico arcentur à beneficiis etiam filii hæreticorum, vel credentium hæreticis, fautorum, receptatorum, ac defensorum, ut etiam Nepotes; hi enim filiorum nomine comprehenduntur. Rursus qui matrimonium contraxerunt, tametsi nondum illud consummaverint, ut etiam bigami, qui ordinum sunt incapaces. Possunt tamen Episcopi dispensare quoad minores ordines, & beneficia simplicia. Præterea qui carent legitima ætate. Siquidem pro beneficiis omnino simplicibus, maximè si pro minoribus fundata fuerint, de jure antiquo septem sufficiebant anni; nunc verò quatuordecim sunt necessarii saltem inchoati

ex

ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 6.* & pro beneficiis requirentibus maturitatem judicii, vel quibus est annexa animarum cura, sunt necessarii anni viginti quinque saltem inchoati: & pro dignitatibus non habentibus curam animarum duo supra 20. requiruntur anni, & quidem completi. Ad Episcopatum exiguntur anni 30. completi, licèt non rarò Pontifices quoad hanc ætatem dispensent cum filiis Regum, vel Principum. Ad beneficium verò regulare requiritur ut promovendus ad beneficium sit professus ejusdem Ordinis, vel saltem promittat, se intra præfixum tempus suscepto habitu emissurum professionem, ut tradit Zerola *p. 1. V. beneficium ad* 8. Verùm plerisque in locis hæc non observantur, quia Abbatiæ, & præposituræ annexæ Monasteriis conferuntur à Principe sæcularibus ex consensu Pontificis.

8 Præterea beneficium validè nemo acquirit, si conjugatus sit, excommunicatus, vel suspensus, interdictus, aut irregularis, filius hæretici, intrusus, simoniacus, vel qui ad preces hæretici alicujus præsentatur *c. postulâsti de clerico excommunic. c. dilectus de consuetud. c. 1. de postulat. Prælat. c. quicunque 2. c. statutum 15. de hæret. in 6.* Immo non solùm ipsa collatio beneficii, verùm etiam præsentatio, postulatio, & resignatio facta in favorem excommunicati suspensi, & interdicti nullum fortitur valorem, ut notat Covarruvias *in c. alma mater 1. p. §. 7. num. 1. & 2.* Rebuffus § *formula dimissoriarum V. p. 3. tit. 16. §. 2. n. 7.*

9 Sunt tamen qui censeant, & quidem probabiliter, clericos per suspensionem, & interdictum non ita reddi indignos, ut collatio beneficii in eorum favorem facta sit ipso jure irrita, sed quòd irritanda sit; adeout antequam irritetur, possit beneficium retineri, ut tradit Suarez *disp. 26. sect. 3. & disp. 27. sect. 5. num. 25.* Tannerus 2. 2. *disp. 4. q. 6.* Immo si alicui ante excommunicationem collatum fuerit beneficium & in excommunicatione adhuc illud acceptet, validam esse collationem, & acceptationem, docet Covarruvias *lib. 3. variar. c. 16. n. 4.* idque procedit etiam si quis in excommunicatione electus, aut præsentatus sit, & beneficium accepret post absolutionem, ut docent Innocentius, Hostiens. Felin. & alii apud Sanchez *lib. 3. de dispensat. disp. 7. num. 12.* Si quis verò ignoret se excommunicatum, & beneficium acceptet, etiam talis acceptatio valida est; quod etiam procedit de electione, & præsentatione, ut tradit Zerola *p. 1. V. beneficium tertium dubium* Navarr. *in c. fratres de pœnitentia dist. 5. n. 45.*

§. III.

De conditionibus requisitis, ut possit quis promoveri ad beneficia ecclesiastica.

QUia beneficia ecclesiastica nonnisi clericis conferuntur, ideo ut possit quis hujusmodi beneficia obtinere, necesse est, sit saltem primâ tonsurâ initiatus; quia debet esse in statu clericali, qui non confertur initiativè nisi per primam tonsuram *c. cùm contingat, 11. de ætat. & qualitat.* adeo ut laicus non initiatus prima tonsura, cùm non sit in ordine clericali, nec sit capax beneficii ecclesiastici, *c. ex litteris 6. de transact. c. 2. de instit.* Garzias *p. 7. de benefic. c. 1. num. 1. & 2.* siquidem beneficium ecclesiasticum exigit fundari in officio spirituali ob quod confertur, & cujus laicus non est capax. Hinc tametsi possit laico conferri præbenda canonicalis, cùm sit quid temporale, non tamen jus canoniæ, eò quia hoc jus sit spirituale, cujus laicus non est capax.

Immo adeo est necesse ut promovendus 7 ad beneficia ecclesiastica sit in ordine clericali, & initiatus prima tonsura, ut non sufficiat, si sit quis destinatus ad clericatum, & jam habitum deferat clericalem, sitque brevi suscepturus primam tonsuram: sed necesse est, ut sit hâc jam initiatus, adeo ut omnis collatio, & impetratio beneficii ante susceptionem primæ tonsuræ sit invalida; perinde ac non valet electio, vel provisio illius, qui hodie nondum ætatem legitimam attigit, sed brevi ad illam perveniet: ratio desumitur *ex regula juris 18. in 6.* ubi dicitur, quòd non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Et quod ab initio vitiosum est, non possit tractu temporis convalescere *l. 29. §. end.* Garzia *p. 7. de benefic. c. 1. num. 9.*

Quinimo neque capax est beneficii, qui 8 primam tonsuram accepit ab alio Episcopo sine consensu proprii; adeo ut vitiosè fuerit initiatus prima tonsura: quia paria sunt nullam habere tonsuram clericalem, & vitiosam, seu invalidem habere: unde sic tonsuratus ab alio Episcopo sine consensu proprii, indigeret dispensatione summi Pontificis, ut valeat ordinatio & beneficium possit obtinere.

Quamobrem ad omne beneficium requi- 4 ritur prævius clericatus, seu prima tonsura, quæ debet conferri à proprio Episcopo, alioquin jure canonico non est quis capax beneficii ecclesiastici. Rursus ultra tonsuram requiritur etiam habitus clericalis, seu ut clericus deferat vestes talares ex constitutione Sixti V. quæ est 28. & vestes talares intelliguntur, quæ usque ad talos protenduntur; tametsi ubi est consuetudo satis sit, si extendantur ad media crura. Quòd si beneficium ex institutione exigat certum ordinem, qui illo caret, est inhabilis ad obtinendum tale beneficium; licèt ex inolita consuetudine hujusmodi rigor fuerit mitigatus.

Hinc liquet, laicum esse incapacem bene- 5 ficii ecclesiastici, ut habetur *in c. ex litteris de transact.* quapropter non valeret collatio beneficii facta illi, qui in communi hominum existimatione reputabatur clericus, cùm revera talis non fuerit: quia tametsi gesta per clericum existimatum talem habeantur valida; non tamen hic communis error constituit laicum capacem beneficii ecclesiastici: ratio est, quia cùm hæc communis existimatio nitatur præsumptione veritatis; postquam constat de contraria veritate, seu promotum ad beneficium non fuisse clericum, cessat prior præsumptio, cui subsequens veritas præfertur, ut notat Garzia *p. 7. de benefic. c. 1. num. 11.* Cæterum ut tradit

idem

idem Garzia *num.* 12. ad obtinendum beneficium sufficit, si quis communi opinione existimetur esse clericus, quamdiu de oppósito non constat. Neque obstat, si dicas, S. Nicolaum adhuc laicum fuisse promotum ad episcopatum Myræ, & S. Ambrosium ad archiepiscopatum Mediolanensem licèt uterque adhuc laicus fuerit *c. statuimus* 8. §. *his omnibus dist.* 61. siquidem ut respondet Glossa *V. eodem* id factum fuit ex Dei speciali dispensatione, & divino instinctu, ut notat Garzia *d. p.* 7. *de benefic. c.* 1. *num.* 13. *& sequent.*

6 Secundò præter statum clericalem requiritur etiam ætas jure requisita *c. cùm in cunctis de elect.* Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 12. etenim ad episcopatum requiritur ætas 30. annorum exactorum. Ad dignitatem ecclesiasticam inferiorem episcopatu habentem tamen annexam animarum curam requiritur ætas 25. annorum saltem inchoatorum. Ad aliasverò dignitates, vel personatus, quibus non subest cura animarum, requiritur; ut quis non sit minor 22. annis completis. Ad beneficium autem parochiale requiruntur 25. anni inchoati, ut habetur *in c. licet canon. de elect. in 6.* Concil. Trident. *sess.* 23. *c.* 6. Ad alia beneficia quæcunque illa sint requiritur ad minimum ætas quatuordecim annorum inchoatorum.

7 Tertiò est necessaria etiam scientia, quæ sufficiat ad munus beneficio annexum ritè obeundum: adeo ut ad simplex beneficium exigens primam tonsuram requiratur, ut quis sciat legere, scribere, & construere, & rursus sciat etiam rudimenta fidei. Ad beneficium simplex requirens minores ordines est necessaria scientia linguæ latinæ, & ut commendabile testimonium quis habeat à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educatur ex Concilio Trident. *sess.* 22. *c.* 2. ubi etiam requirit, ut qui futurus est Episcopus sit doctor, aut licentiatus in Theologia, vel jure canonico, sitque ad alios docendos idoneus. Eædem qualitates desiderantur etiam in creandis Cardinalibus, & Archidiaconis: in aliis beneficiis obtinendis nil certi præscribitur, sed satis est, si quisque sit instructus illa scientia, quæ ad munus suum ritè obeundum videtur sufficere; quæ scientia exploranda est per examinatores, cùm nemo absque prævio examine ad quodcunque beneficium regulariter admittatur: hinc collatio beneficii facta omnino illitterato est irrita, eò quia illitteratus non valeat ritè suo fungi munere. Immo prævium examen adeo requiritur, ut eidem teneatur se exponere etiam qui notoriè est idoneus ad curam animarum, adeo ut debeat, & ipse se examini subjicere in concursu, quia ita fuit definitum in sacra congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum; adeo ut saltem pro formâ fiat examen, alioquin collatio facta non valeret ex vi constitutionis Pij V. quæ incipit *in conferendis beneficiis*: unde prævium examen omitti non potest. Præterea quia potest fieri, ut in concursu alius sit æquè idoneus: idque procedit non obstantibus exemptionibus, privilegiis, & aliis quibuscunque, ut notat Quaranta *in summa Bullar. V. benefic. parochial. collat. in addit.* Quòd si petas, quænam scientia necessariò requiratur in promovendis ad regulares prælaturas. Respondetur requiri competentem scientiam, quæ sufficiat ad eorum munus ritè obeundum; alioquin ut docent Navarr. *c.* 25. *num.* 12. Miranda *tom.* 2. *q.* 4. *art.* 2. Sigismundus à Bononia *tract. de elect. dub.* 6. *p.* 2. acceptans prælaturam si careat scientiâ sufficiente ad executionem sui officii non excusatur à culpa gravi. Cæterum nonnunquam promoventur ad prioratus, & præficiuntur cæteris, qui vix callent latinam linguam, sed in istis morum probitas supplet defectum scientiæ, & si dubium aliquod oriatur consulunt viros doctos, quos habent consiliarios, vel assistentes, ut notat Panormitanus *in c. cum in cunctis de elect. num.* 4.

8 Quartò ad obtinenda beneficia ecclesiastica est etiam necessaria morum probitas, ut sit addictus studio virtutum, vel saltem non sit infamis, nec notoriè indulgens vitiis: siquidem jure naturali Minister Dei, & Ecclesiæ maximè probus debet esse, ut exemplis fortiùs, quàm verbis alios ad pietatem trahat, & omnibus sit bono exemplo; ut desumitur *ex c. cum in cunctis de elect.* & Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 12. non tamen collatio beneficii facta criminoso, & infami est ipso jure irrita, dummodo crimen non habeat adnexam excommunicationem, vel irregularitatem, quia nullo textu deducitur hæc nullitas provisionis; quæ tamen est irritanda ab habente potestatem, ut desumitur *ex c. inter dilectos de excess. Prælat.*

9 Quintò requiritur etiam cœlibatûs, quia conjugati non sunt capaces beneficiorum, perinde ac prohibentur ordines suscipere: siquidem non possunt simul vacare uxori, ac domesticis negotiis, simúlque divinis obsequiis. Nihilominus si quis duxerit virginem, & consentiente uxore perpetuam voveret castitatem, posset ad beneficium admitti. Sed tunc si uxor in florente adhuc esset ætate, deberet antea religionem ingredi, & in ea profiteri; sin autem sit ætate provectior, debet & ipsa perpetuam castitatem vovere in sæculo. Quapropter si clericus in minoribus ordinibus constitutus, & habens beneficium ecclesiasticum validé contrahat nuptias, ipso jure amittit beneficium: secus si contrahat tantùm sponsalia illud non amittit ipso jure, quamvis mereatur illo privari: quòd si clericus sit in sacris, habeátque beneficium, & contrahat matrimonium, tunc ipso jure non amittit beneficium, sed tantùm est illo privandus, eò quia matrimonium illud ob impedimentum dirimens sit irritum: & quod est invalidum perinde se habet, ac si non esset, & quod non est, non operatur; unde tantùm in pœnam attentati criminis privandus est clericus suo beneficio, ut deducitur *ex c.* 1. 2. *& §. de cleric. conjugat.* Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *n.* 115.

10 Sextò requiritur, ut nulla sit censura ecclesiastica irretitus, qui promovendus est ad beneficium ecclesiasticum; adeo ut non sit excommunicatus, seu ligatus excommunicatione majore, vel minore; nec suspensus ab officio, vel beneficio, nec personaliter interdictus; alioquin

quin collatio beneficii est ipso jure irrita, quia irretiti ecclesiasticis censuris nequeunt exercere officium spirituale, proinde non potest ipsis conferri beneficium, quod non datur nisi propter officium. Hinc requiritur etiam quod promovendus ad beneficium non sit irregularis, alioquin etiam ipsa collatio esset, vel ipso jure irrita, vel saltem irritanda, ut tradit Garzia *p. 7. de benef. c.* 11. 13. *& sequent.* est enim irregularis inhabilis ad ordines, eorúmque usum, proinde etiam ad beneficium ordini annexum, ut notat Panormitanus *in c. tanta de excess. Prælat.* Navarr. *c. 27. num.* 151. Nihilominus qui sacro ordine diaconatus, vel subdiaconatus est initiatus posset fieri irregularis ad suscipiendum sacerdotium, tametsi non sit irregularis ad functionem ordinis suscepti: sic Sacerdos etiam amissis digitis, vel manu fieri potest inhabilis ad celebrandum, & nihilominus idoneus est ad audiendas confessiones, & poterit etiam illi beneficium conferri, quod non exigat aliud ministerium, quàm quod potest ipse exercere.

11 Septimò requiritur habilitas ex parte corporis, hæc enim talis debet esse, ut clericus decenter possit exercere, quæ ad suum pertinent officium, quapropter impotentes ad exercenda munera ordinum sunt etiam jure naturali incapaces beneficiorum, cujusmodi sunt cæci, muti, perpetuò amentes, mutili, & qui manibus carent: secus si postquam quis beneficium obtinuerit, talem contrahat debilitatem, per quam reddatur ineptus ad officium suum exercendum, non inde privatur beneficio antea obtento: sed si illi annexa sit cura animarum substituendus est Vicarius idoneus cum sufficientibus proventibus, ut tale munus exerceat.

12 Octavò ad obtinenda beneficia requiritur etiam intentio status ecclesiastici, ordinisque requisiti in tali beneficio: siquidem non parum oleret absurditatis, si beneficia ecclesiastica iis darentur, qui adhuc fluctuant, neque statuerunt se dedicare ministerio Ecclesiæ. Docet tamen Navarr. *c.* 25. *n.* 118. sufficere si quis bona fide, & sincerè proponat eligere statum ecclesiasticum; adeo ut nolit ab eo proposito resilire nisi ex causa aliqua legitima, & gravi. Quòd si quis ea tantùm intentione beneficium acceptaret ecclesiasticum, ut ejus fructibus sustentaretur, donec studia absolveret, vel opulentam uxorem inveniret, & cùm animo tunc deserendi beneficium ecclesiasticum, non excusaretur à peccato lethali; non tamen teneretur ad restitutionem si suo esset munere functus: neque ipso jure esset tali beneficio privatus, nisi sit beneficium parochiale; non tamen posset illud beneficium retinere, ut notat Sotus *de justit. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 6. Navarr. *consil.* 16. *de prabend.* Quòd si defacto matrimonium contraheret ipso jure amitteret tale beneficium.

Cæterum ad beneficium parochiale requi- 13
ritur intentio suscipiendi sacerdotium intra annum; adeo ut si talem voluntatem non habeat, non faciat fructus suos. Quòd si intra annum mutavit voluntatem, & promotus est, tunc probabile est, non teneri ad eos, quos percepit ante mutationem voluntatis. Quòd etiam procedit, si cùm priùs voluntatem haberet suscipiendi intra annum sacerdotium, voluntatem postea mutavit, & Sacerdos non est factus; tunc enim nec tenetur ad restitutionem fructuum eo usque perceptorum, ut docent Lessius *dub.* 26. Filiutius *c.* 5. *q.* 10. & desumitur *ex c. committa* §. *caterum de elect. in 6.* Hinc non est necesse ut qui beneficium simplex, vel etiam curatum accipit, habeat propositum omnino absolutum, ac determinatum permanendi in statu clericali, vel suscipiendi sacros ordines statu tempore; sed sufficit, si habeat voluntatem conditionatam perseverandi in illo, & ordines recipiendi, nisi nova justa causa mutandi propositum supervenerit, ut si primogenitus, & unicus frater decedat absque liberis, si optimum matrimonium ei offeratur ad familiam conservandam, vel lites extinguendas, ut docet Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 45. num.* 12. quia tunc adhuc stante illa voluntate conditionata intentio est vera, & non ficta permanendi in statu clericali; præsertim cùm Ecclesia non intendat ita firmiter beneficiatum obligare ad statum ecclesiasticum, ut pro nullo eventu valeat statum illum deserere, id enim nimis durum foret. Ad beneficium simplex sufficit igitur intentio conditionata sacrum ordinem suo tempore assumendi, & in eo statu permanendi, donec mutatio aliqua, vel circumstantia aliter suaserit, quia in hoc modo procedendi nulla apparet fraus, vel iniquitas. Navarr. *c.* 25. *num.* 118.

Nonò requiritur etiam canonica institu- 14
tio *ex regula jur.* 1. *in 6.* ad quam tria requiruntur; primò ut conferatur ab habente potestatem tale beneficium conferendi, alioquin si clericus reciperet à laico beneficium ecclesiasticum ipso jure esset inhabilis. Secundò ut conferatur debito modo, hoc est non per Simoniam, nec per fraudem. Tertiò ut habilis sit accipiens, nec ullo detineatur impedimento *c. ex frequentibus de institut.* Canonica institutio dicitur, quæ secundùm canones, & formam ab iisdem præscriptam fit; & est triplex. Aliquando est ipsa collatio beneficii liberè facta, hæc enim vocatur institutio *in titul. 7. de institut. lib.* 3. *decretal.* Aliquando immissio, seu deductio in possessionem beneficii collati, quæ jure communi ad Archidiaconum spectat, quando institutio collativa præcessit *c. 7. de offic. Archidiac.* Vel sumitur institutio pro collatione non libera, quæ fit ad præsentationem patroni, & hæc specialiter vocatur institutio, & illi similis est illa, quæ fit ad nominationem, vel mandatum alterius, ut Pontificis, vel Principis.

Quia verò institutio beneficii à collatione, 15
& præsentatione ejusdem est distincta, ideo si contingat à Pontifice mandari, ut de beneficio pertinente ad Petri collationem, provideatur Paulo, non poterit Petrus providere Paulum de beneficio ad institutionem, vel præsentationē suam spectante, neque è converso: quia unico aliquo expresso mandatum Pontificis non debet ad alia extendi. Cæterum institutio de beneficio sit ab Episcopo, & quando est juris patro-

tronatus, præsentatio est à patrono, & collatio à quocunque habente potestatem conferendi Cuchus *lib.* 2. *instit. tit.* 6. §. *alii similes.*

16 Solet dubitari, an etiam requiratur, ut conditio necessaria, præsentia illius, cui confertur beneficium: & respondetur, hanc conditionem non esse necessariam, eò quia beneficium ecclesiasticum etiam clerico absenti per intermediam personam conferri possit, & in eo investiri, ut desumitur *ex c. accedens* 24. ubi Papa rescribit, quòd clericus absens per alium possit in beneficio ecclesiastico investiri. Hinc dupliciter potest beneficium conferri absenti. Primò nulla interveniente, seu mediante persona; & tunc collatio ex parte conferentis valida est, nec eam collator potest revocare, donec absens declaraverit, quòd nolit acceptare: non tamen per talem collationem acquiritur proviso jus in beneficio, donec is sciens illud acceptaverit *c. si tibi* 16. *h. t. in* 6. & hoc procedit etiam in aliis electionibus, & provisionibus, quibus confertur sæcularis dignitas, vel administratio non ex mera liberalitate, sed ex necessitate, seu obligatione officii, eò quia illam dignitatem vacantem debeat collator alicui conferre.

17 Cæterum collator non potest collationem semel factam absenti eam ampliùs revocare, quia censetur jam functus suo officio, ut notat Covarruvias *lib.* 3. *var. resol. c.* 16. *num.* 1. Secundò confertur beneficium absenti mediante persona aliqua, quæ præsens locò absentis beneficium acceptet, & tunc si persona intermedia nullum habeat mandatum ad acceptandum beneficium loco absentis, non acquiritur absenti jus in beneficio; nisi postquam certior factus ratam habuerit collationem factam in suum favorem: quia sine animo, & intentione non acquiritur alicui dominium, vel jus *l. si ego* 24. juncta Glossa *V. imputare de negotiis gestis.* Sin autem intermedia persona mandatum habuerit, & hoc tantùm fuerit generale, non sufficit in hisce beneficialibus, aliisque actibus spiritualibus ad acquirendum jus absenti; tum ob qualitatem rerum, tum propter præjudicium: qua propter neque consanguineus pro conjuncto absente potest acceptare beneficium cum solo mandato generali.

18 Quòd si mandatum sit speciale ad acceptandum in individuo tale beneficium, vel omne beneficium, quod sibi collatum fuerit, tunc per talem collationem acquiri jus, & quasi dominium in beneficio absenti, tradunt fere communiter, quia per procuratorem potest possessio absenti acquiri, ut constat *ex l.* 1. §. *per Procuratorem & l. possessio* 49. §. *ult. de acquirend. possess.* Modus itidem, seu forma conferendi beneficium absenti per intermediam personam est etiam duplex: primò quia superior habens potestatem conferendi beneficium potest hisce verbis illud conferre: conferimus absenti Cajo tale beneficiũ, vel investimus Cajum de tali beneficio per Sempronium suum Procuratorem: Secundò hisce aliis verbis: conferimus tibi beneficium nomine, & locò Caji absentis, & hic posterior modus magis videtur approbari à Pontifice, quia tunc Procurator est merus interuntius domini, seu principalis, propterea nudum ministerium præstat, cujus nomine beneficium, vel ejus possessionem acceptat *l. quod meo* 18. juncta Glossa *V. præstat. ff. de acquirend. possess.* & quia Procurator nudum tantùm præstat ministerium nihil juris ex tali collatione eidem acquiritur.

§. IV.

Quibus beneficia ecclesiastica conferenda sint?

CErtum est beneficium ecclesiasticum nunquam esse conferendum indigno, quando adest dignus, ut desumitur *ex c. cum in cunctis de elect. & c. gravemur de prabend.* 29. indignus autem dicitur, qui est, vel irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, vel non putatur futurus utilis, aptus officio, quapropter collator, ut in tuta conscientia procedat tenetur scire, eum, cui beneficium confert esse dignum; adeo ut non sufficiat, si nesciat ipsum esse indignum: ratio est, quia ex officio tenetur conferre positivè dignis; & talis est, qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfacturus, & Ecclesiæ futurus utilis. Immo *in c. cum in cunctis de elect.* tria desiderantur ad hoc, ut quis censeatur dignus beneficio, cui annexa sit cura animarum, nimirum ætas conveniens, probitas morum, & scientia debita: quinimo ipso jure suspenduntur ab electione pro illa vice eligentes indignum, & triennio à suis beneficiis. Immo Prælati si personis indignis conferant beneficium quodcunque, & moniti non se corrigant, suspenduntur à collatione omnium beneficiorum, & illa potestas non devolvitur ad capitulum, nec ad Archiepiscopum, sed ad Papam juxta *c. quia* 5. *de concess. prabend.* Quamobrem nunquam licitum est conferre beneficia indignis, si digni, & idonei haberi possint; cùm id sub gravissimis pœnis prohibitum sit in præcitatis textibus. Tum quia beneficium datur propter officium; unde ineptus ad exercendum officium eò ipso est inhabilis ad beneficium, & jure naturæ non potest ad illud promoveri. 1

Præterea quia si beneficia conferrentur indignis, plura inde sequerentur incommoda, quapropter non solùm qui indigno beneficium confert, mortaliter peccat, sed ulterius tenetur ad restitutionem omnium damnorum obvenientium Ecclesiæ ex mala administratione indigni, cui fuit beneficium collatum, ut notat Rebuffus *in prax. tit. de pœnis contra collat. indig.* siquidem collator tunc est causa illorum damnorum, quæ obtingunt Ecclesiæ per injustitiam, contra quam etiam peccat, quia beneficia ecclesiastica sunt instituta propter idoneos ministros, qui possint ritè inservire Ecclesiæ, adeo ut ex justitia hujusmodi beneficia debeantur dignis, qui ritè serviunt Ecclesiæ, quapropter quando conferuntur indignis, lædituri justitia, & 2

per

per talem collationem peccat collator contra justitiam commutativam, & infert damnum injustum Ecclesiæ, ad cujus compensationem propterea obligatur.

3 Tametsi in beneficiorum collatione digniores præferendi sint dignis: nihilominus licitum est nonnunquam, beneficium conferre digno prætermisso digniore. Primò si beneficium sit jus patronatus, & patronus laicus præsentet dignum; quia sicut habet jus præsentandi, & aliàs præsentatus est dignus, debet huic beneficium conferri. Quòd si beneficium adnexam haberet curam animarum, & patronus ecclesiasticus esset, tunc digniori esset conferendum, ut desumitur *ex c. Monasterium 16. q. 7* & ex Concilio Tridentino *sess 24. c. 18.*

4 Secundò si beneficium ex sua institutione conferri debeat alicui ex certa familia, vel oppido; vel si ex decreto canonum eligendus sit aliquis ex clericis ejusdem Ecclesiæ, tunc aptissimo inter eos dandum est, non verò aliis quamvis dignioribus *c. nullus c. obitum dist. 61.* Covarr. *reg. pecc. p. 2. §. 7.*

5 Tertiò si digniores, & aptiores sint reservandi beneficiis parochialibus, eò quia pauci benè idonei ibidem reperiantur, tunc beneficia sine cura tametsi optima, & pinguia conferri debent minus dignis, ut notant Filiucius *tract. 41. c. 4. n. 176.* Diana *tract. 5. p. 3. resol. 110.* Cajetanus *V. beneficium.*

6 Quartò qui resignat in favorem alterius, sufficit si quærat dignum, quia ex inolita consuetudine eò ipso, quòd est dignus acceptatur resignatio in ejus favorem; quia cum resignans non sit distributor, si jure permittatur in favorem resignare alicujus, potest resignare digno, cui magis placuerit: quia tunc non habetur concursus, ut conferri debeat digniori, nec beneficium est commune bonum aliis, & distribuendum ei, qui alios meritis antecedit: sed per hoc, quòd resignans renunciet digno suum beneficium, pars parti jus suum transfert, adeo ut collator non peccet acquiescendo resignationi.

7 Cæterum electores, præsentatores, collatores semper tenentur quantum in ipsis est procurare, ut beneficia non nisi dignissimis conferantur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 63. art. 2. ad 3. & q. 185. art. 3.* & Navarrus *in c. si quando de rescript. excep. 16. n. 10.* Ratio est, quia beneficia ecclesiastica primariò sunt instituta ad cultum Dei, & utilitatem Ecclesiæ: & secundariò ut sint præmia illorum, qui virtute, & merito cæteros antecedunt: & si omitterentur digniores collatio beneficii esset contra utrumque finem. Hinc in beneficiis habentibus curam animarum, aut aliud officium, vel functionem in Ecclesia magni momenti, eligere, postulare, vel præsentare dignum omisso digniore, qui adest, non censetur vacare culpa gravi, & idem procedit de ipso conferente, qui liberè beneficium confert: siquidem omittens digniorem agit contra fidelitatem, quam ex officio debet Ecclesiæ in re gravi servare. Per digniorem intelligitur, qui cæteris morum probitate, scientiarum excellentiâ, natalium claritate antecellit & qui melius speratur functurus suo officio.

8 Quòd si excessus non fuerit multus, culpa non erit gravis. Immò plures censent probabile, habentes jus conferendi beneficia per liberam provisionem, cujusmodi sunt summus Pontifex, Reges, & Principes non teneri eligere digniores, nisi in promptu sint; sed sufficere, si dignos eligant: alioquin tenerentur semper dignioram quærere, quod Papæ, & Regibus durum contingeret, ut notat Reginaldus *lib. 30. num. 179.*

9 An verò quando in electione debet servari justitia distributiva, possit eligi minimus dignus omisso digniore, ne indignus eligatur. Affirmat Vasquez *opusc. de benefic. c. 2. §. 3. dub. 3. V. sed quares* & dititur hac ratione; quia electior magis debet communitati, quàm privatæ personæ, proinde concurrente bono communitatis cum bono privatæ personæ, debet bonum communitatis præferri: quapropter ad vitandam electionem indigni, debet Elector minùs digno suffragari relicto digniore, si per talem electionem impediat, ne indignus eligatur in detrimentum boni communis. Verùm non videtur, quomodo bonum communitatis debeat distingui à bono privatæ personæ, cum hæc sit pars communitatis, ac debeat eligi in ordine ad utilitatem ipsius: quò fit, ut bonum privatæ personæ quoad hoc sit etiam bonum communitatis; perinde ac bonum partis, est etiam bonum totius.

10 Tum quia communitas exigit, ut servetur justitia distributiva in electione, quoties hæc servari debet; proinde exigit digniorem eligi, quia sicut est in emolumentum, & commodum communitatis, quòd digniores eligantur: ita est in detrimentum ejusdem si eligantur indigni *c. nihil. & c. fin. de elect.* ergo magis confert utilitati communitatis, quòd magis digni eligantur, proinde bonum privatæ personæ eligendæ non videtur posse separari à bono communitatis: quo fit, ut quisque semper teneatur digniorem eligere, quando in electione servari debet justitia distributiva, quia id non solùm exigit jus personæ eligendæ, sed etiam jus communitatis: siquidem est contra bonum ipsius, quòd minus digni dignioribus præferantur.

11 Verùm si per electionem digni omisso digniore impediatur electio indigni, quæ aliàs sequeretur, probabile est, posse minus dignum eligi: quia obligatio ad eligendum digniorem est respectu illius dignioris, qui hic, & nunc est eligibilis: secus qui non est eligibilis, non venit sub ratione dignioris in ordine ad electionem, quæ sicut non potest extendi ad digniorem, ita neque obligatio eligendi ad eundem extenditur: & ex hypothesi quòd absolutè dignior, hic & nunc non sit eligibilis ob malitiam electorum volentium eligere indignum, & suffragium unius non sufficiat, ut electio cadat in favorem dignioris; & ex alio capite sufficiat ad impediendam electionem indigni, per hoc quòd suffragetur minus digno, tunc cùm dignior non censeatur eligibilis ob malitiam electorum, sequitur, quòd minus dignus, sit dignior respectu indi-

indigni, cùm illi duo tantùm sint eligibiles hic, & nunc.

12 Neque obstat, quòd bonum communitatis exigat eligi digniorem: quia elector tenetur ad bonum communitatis procurandum in electione, solùm quantum ipsi est possibile: & cum in data hypothesi non sit possibile electori eligere absolutè digniorem, tantùm tenetur eligere digniorẽ ex illis, qui possunt hic, & nunc eligi: alioquin si elector suffragaretur absolutè digniori, electio totius capituli non caderet in digniorem, nec dignum, sed in indignum, quam electionem potest impedire, si eligat minus dignum: tunc enim præstaret totum illud bonum, quod posset eligendo dignum, quia cùm non possit, nisi simul cum aliis eligere, debet illud bonum respicere, quod ut majus potest sequi ex concursu omnium electorum.

13 Sed oritur dubium, an non solùm possit elector minus dignum eligere relicto digniore, ad evitandam electionem indigni, sed etiam teneatur eligere eum, quamvis in electione servari debeat justitia distributiva. Sotus *lib. 3. de justit. & jur. q. 60. art. 2. dub. 2. quod est de electionibus.* Turrianus *tom. 2. in 2. 2. disp. 22. dub. 2. num. 6.* & alii censent, adesse obligationem eligendi minus dignum relicto dignissimo, ne eligatur indignus, quia justitia commutativa strictiùs obligat, quàm distributiva: & ratione justitiæ commutativæ tenetur elector providere communitati de persona digna. Verùm hæc ratio videtur pati difficultatem, quia ut rectè docet Pasqualigus *decis. 257. n. 3.* ratione justitiæ commutativæ nemo obligatur ad solvendum, quod alter debet: & satisfacit justitiæ, si solvat tantùm, quod ipse tenetur solvere, tametsi alii non solvant; & quando concurrit cum digniore, solvit quantum debet communitati ratione justitiæ, cùm plus non debeat, quàm præstare possit per suum suffragium, neque obstat, quòd electio non cadat in favorem digniοris, quia id non stat per ipsum, sed per alios nolentes suffragari digniori. Tum quia non tenetur ad electionem digni, aut digniοris in solidum, sed tantùm pro rata, scilicet quantum electio dependet à proprio suffragio.

14 Neque obstat, si dicas, in tali hypothesi teneri eligere minus dignum, ne communitas in electione patiatur detrimentum: quia obligatio neque potest oriri ex hoc capite, quia elector non tenetur providere communitati, ne absolutè patiatur detrimentum: sed tantùm ne patiatur ex defectu sui ipsius: non patitur autem ex defectu proprio, & quantum est in se, cum ipse suffragetur digniori, non enim tunc deficit, cùm concurrat, quantum est ex se ad eligendum eum, qui revera deberet eligi ob majus emolumentum communitatis; unde quantum est ex se providet, ne communitas patiatur ullum damnum.

15 Quamobrem meliùs Pasqualigus *loc. cit.* censet ratione charitatis teneri electorem in tali hypothesi suffragari minus digno ad impediendam electionem indigni: siquidem communitas induit rationem proximi, cùm bonum communitatis sit bonum eorum, qui sunt de communitate: & sicut ratione charitatis tenemur perinde proximum amare sicut nos ipsos: ita tenemur etiam amare communitatem sicut nos ipsos; & sicut electio indigni nobis esset nocumento, ac non modicum adferret detrimentum, & si possemus impedire talem electionem indigni, teneremur eam impedire: ita cùm agitur de damno communitatis secuturo ex electione indigni, tenemur talem electionem impedire eligendo minus dignum, quando dignior non potest eligi.

Quòd si dicas, ratione justitiæ distributivæ nos teneri eligere digniorem. Contra est, quia nullo præcepto obligamur, quando, quod præcipitur, non potest adimpleri, vel etiam quando adimpletio causat majus damnum; ut in nostra hypothesi: est enim majus damnum communitatis, quòd eligatur indignus, quàm dignus relicto digniore: unde si dignior ex malitia electorum non est eligibilis, eò quia nolint eidem suffragari, charitas exigit, ut ego si possim impedire electionem indigni, qui aliàs eligeretur, id præstem per electionem digni, cui si suffrager omisso digniore, eligitur, impeditâ electione indigni. 16

Dubitari tamen potest, an quando servanda est justitia distributiva in electione, & non possit quis eligere digniorem, possit tunc eligere mediocrem ad impediendam electionem minus digni? Sotus *lib. 3. de justit. & jur. q. 6. art. 2. dubio 2.* Pasqualigus *decis. 258. num. 3.* Bannes *2. 2. q. 63. art. 2. dub. 3.* & alii asserunt, posse tunc eligi mediocrem omisso dignissimo, quando aliàs esset eligendus infimus, quæ sententia mihi videtur probabilior: quia justitia distributiva non obligat, nisi secundùm subjectam materiam, seu ad servandum jus iis, quibus debetur, & potest hic, & nunc servari: quamobrem quamvis aliqui sint dignissimi omnium, si tamen ex malitia electorum hic, & nunc excludantur ab electione, & non sint eligibiles, non teneor ego eos eligere, quia meum suffragium non esset sufficiens, ut electio caderet in favorem dignissimi; & ex alia parte, si suffrager mediocri, impedio electionem infimi, ac deterioris: & quia in hac hypothesi sunt tantùm eligibiles mediocris, & infimus, & ex istis mediocris sit dignior infimo; si eligam mediocrem, suffragor digniori, ac meo satisfacio officio. Non enim teneor suffragari simpliciter digniori, sed digniori ut hic, & nunc eligibili, qui enim non sunt de numero eligibilium, tametsi digniores sint eligibilibus, non tamen sunt digniores respectu electionis, cùm hæc se non extendat ad illos: tum quia electio est in ordine ad praxin, proinde debet procedere de electione digniοris, non utcunque, sed ut ad praxin reduci potest. 17

Quòd si dicas, primariam obligationem justitiæ distributivæ esse suffragandi digniori, & non urgere obligationem de vitanda electione minùs digni, sicut adest obligatio impediendi electionem indigni. Respondetur, id verum esse, quando dignior est eligibilis, & ego per meum suffragium possum præstare, ut electio sortiatur suum valorem; secus quando dignior ex malitia cæterorum electorum non est 18

est eligibilis, & meum suffragium nil potest ipsi prodesse, immo si ipsi suffrager, sequitur detrimentum reipublicæ, eò quia cadat electio in favorem infimi, quam possem impedire, si suffragarer mediocri: ideo in hac hypothesi obligatio justitiæ distributivæ est suffragandi mediocri, ne sequatur electio infimi, eò quia mediocris respectu infimi est dignior.

19 Cæterum quando non agitur de vitanda electione indigni, non teneor ad eligendum mediocrem, quando possum optimum eligere, quia tunc non teneor ex justitia, quia huic satisfacio suffragando dignissimo, cui teneor suffragari: siquidem justitia non me adigit, nisi ad ferendum suffragium, quòd si justè feram, non facio contra justitiam, & quando suffragor digniſſimo, fero justè suffragium tam in ordine ad communitatem, quàm in ordine ad eligendos, quia servo unicuique jus suum. Rursus, nec teneor ratione charitatis erga ipsam communitatem: quia tunc non agitur de impediendo aliquo malo illius, cujusmodi esset electio indigni, quia adhuc eligeretur dignus: unde propter vitandam malam electionem non teneor mutare suffragium. Neque agitur de malo proximi impediendo, liquidem potiùs est malum, quòd excludatur dignior, qui aliàs majus jus habet ad electionem.

20 In beneficiis simplicibus, cujusmodi sunt canonicatus, capellaniæ, non censetur peccatum grave nonnunquam prætermittere digniorem eligendo dignum, ut notat Navarrus *lib.* 2. *c.* 2. *num.* 148. Sà *v. benef. num.* 42. non ita excusaretur à gravi culpa, qui frequenter, & quasi semper prætermissis dignioribus eligeret minus dignos ad talia beneficia simplicia: etenim, quòd semel, aut iterum omisso digniore promoveantur minus digni ad talia beneficia, non censetur notabile incommodum, neque videtur inferri notabilis injuria Ecclesiæ; quia paucorum mediocritas potest compensari virtute aliorum: si autem absque ullo delectu minus digni semper assumerentur prætermissis dignioribus, damnum foret notabile, & injuria illata gravis. Cæterum non desunt, qui censeant, posse simpliciter, & absolutè omnia beneficia, quibus non est annexa cura animarum conferri dignis etiam omissis dignioribus: quæ sententia mihi videtur probabilis, alioquin essent in statu damnationis omnes illi Prælati, qui passim in beneficiis simplicibus eligunt clericos dignos omissis dignioribus.

21 Secus in beneficiis, quæ conferuntur per concursum non possunt absque gravi culpa omitti digniores, immo oriretur etiam obligatio ad restitutionem damni judicio virorum prudentum: quia tunc dignior habet jus strictum, ut desumitur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 18. unde fieret illi injuria, si ei præferretur minus dignus; debet tamen talis esse notabiliter dignior arbitrio prudentis viri. In aliis verò beneficiis collator non obligatur ad restitutionem, quia dignior non habet jus strictum ad illud beneficium, sed tantùm laxum fitum in majori aptitudine, quapropter non fit ei proprie injuria. Quòd si beneficiarius non sit idoneus, tenebitur is, qui procuravit, ad restitutionem, non quidem digno, vel digniori, sed Ecclesiæ, quia hæc patitur detrimentum, cùm careat debito ministerio; quòd si Ecclesia nullum esset damnum passa, non deberet restitutio fieri, Covatruvias *ad regul. peccatum. p.* 2. § 7. *num.* 7. Sotus *lib.* 4. *de justit. & jur. q.* 6. *art.* 3.

Cæterum promotus ad beneficium si re- 22
vera se putet idoneum, non tenetur renunciare, tametsi alterum judicet magis idoneum, quia promoto non incumbit Ministros dare Ecclesiæ, sed tunc sufficit, si quantum est ex se procuret totis viribus proprio satisfacere muneri, ut notat Covarruvias *loco cit.* Beneficia, quæ conferuntur per concursum, sunt ea omnia, quæ curam habent animarum, cujusmodi sunt parochiales Ecclesiæ vacantes per obitum, vel resignationem etiam in curia factam, vel quacunque alia ratione, ad quemcunque collatio pertineat, ut habetur in Tridentino *sess.* 24. *de refor. c.* 18. & in Bulla Pij V. cui initium est *in conferendis*. Alia beneficia, quibus non est annexa cura animarum, nec sunt parochialia, non conferuntur per concursum, quia Tridentinum tantùm loquitur de parochialibus beneficiis: quamobrem simplicia beneficia non conferuntur per concursum, nec canonicatus, immo neque ipsa Ecclesia parochialis, si in favorem alicujus resignata fuit; quia tunc tantùm requiritur, ut is, cui facta est renunciatio, sit idoneus, alioquin cùm in concursu semper plures concurrant, resignatio non fieret in favorem illius.

Rursus neque Ecclesia juris patronatûs pa- 23
rochialis confertur concursu, si jus patronatus ad patronum laicum pertineat, nisi quid aliud in ejus institutione statutum sit: siquidem præsentatus tunc tantùm examinatur, nisi præsentati plures fuerint, quia tunc inter ipsos fieret quasi concursus. Quòd si jus patronatus sit Ecclesiasticum, vel mixtum, tametsi pro duabus partibus ad laicos pertineat, poterit ultra nominatos à patrono Ecclesiæ, alios etiam clericos admittere Episcopus, nisi aliter cautum sit in ipsa institutione.

Beneficia verò regularium non conferuntur 24
concursu, quia Regularibus conferuntur immediatè sine concursu, & tantùm per præviam inquisitionem de eorundem idoneitate. Neque fit concursus de Ecclesia parochiali, si hæc annexa sit canonicatui, quia tunc parochia se habet accessoriè ad canonicatum; & accessorium sequitur naturam sui principalis, unde cum canonicatus non conferatur per concursum, neque beneficium parochiale eidem annexum: idque procedit etiam de aliis dignitatibus, quibus accessoriè est annexum beneficium parochiale. Neque fit concursus in permutationibus beneficiorum, quia beneficia permutatione renunciata conferuntur permutantibus, immo neque fit ipsorum inquisitio, si ambæ Ecclesiæ, quæ permutantur, parochiales erant, quia in primis collationibus jam fuerunt idonei judicati ad obeundam curam animarum. Sin autem simplex beneficium quis mutaret cum alio, cui esset annexa cura animarum, tunc qui susciperet beneficium curatum, teneretur se examini subji-

care, non verò qui ſimplex beneficium ſuſciperet, quia is jam fuit examinatus in prima collatione beneficii parochialis, quod renunciat alteri.

25 Juvat obſervare, plura à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 18.* præſcribi circa proviſionem eccleſiarum parochialium, quæ tamen non omnia ſunt uſu recepta, nec propterea collationes, quæ non fiunt juxta formam Tridentini, cenſentur irritæ, ut notat Leſſius *lib. 2. c. 34. dub. 16. n. 85.* immò forma conferendi parochias per concurſum in pluribus Germaniæ partibus non eſt uſitata, quamvis expediret, ut illa reciperetur, ac in uſum deduceretur, cùm plures minus digni promoveantur ad Eccleſias parochiales non ſine detrimento ſpirituali animarum.

§. V.

Quomodo beneficia debeantur clericis pro congrua eorum ſuſtentatione?

1 Cùm non deceat eos, qui divino ſunt cultui addicti, ac Eccleſiæ inſerviunt, cum dedecore ordinis clericalis ſordidum quæſtum exercere *c. Diaconi. 23. § nunc autem diſt. 93.* Abbas *hic num. 1 not. 2.* ideo ad promotionem clericorum ad ordines eccleſiaſticos requiritur titulus neceſſariæ ſuſtentationis, ſeu alicujus beneficii, vel ſaltem patrimonii, ſi ſermo ſit de clericis ſæcularibus *c. non liceat. 2. h. t.* & deſumitur *ex corp. canon.* ubi prohibetur Epiſcopis ordinare clericos, niſi iisdem alimenta aſſignentur, & congrua eorundem ſuſtentatio, adeo ut Epiſcopi, vel non faciant clericos, vel ſi fecerint, illis provideant, unde congruè vivere poſſint: ſiquidem congruum eſt, & æquitati conſonum, ut qui obligantur ad inſerviendum altari, & Eccleſiæ de proventibus ejusdem Eccleſiæ alantur, ut enim monet Apoſtolus 1. *ad Corinth. 9. qui altari deſerviunt, cum altari participant*: unde quando clerici primò promoventur ad ordines eccleſiaſticos, & obligantur ad inſervieadum Eccleſiæ, æquum eſt, ut illis aſſigpetur titulus, ex quo vitæ neceſſaria valeant percipere, & non mendicatò vivere, nec ſordidum quæſtum exercere.

2 Hujusmodi tituli non erant in primitiva Eccleſia, quia tunc temporis Chriſtiani, & alii recèns ad Chriſtum converſi bona, quæ poſſidebant immobilia, dabant venum, & eorum pretia afferebant ad Apoſtolos, aut Eccleſiæ Prælatos, & per manus Diaconorum ſingulis poſtea in communi habitantibus diſtribuebantur, prout unicuique opus erat, ut liquet ex *c. Act. Apoſtol. 6. 2. & 5.* poſtea conſultius viſum fuit, ut Eccleſiæ bona immobilia poſſiderent, ex quorum redditibus clerici, qui nihil proprii poſſidebant alerentur in communi in ſacris ædibus, ſeu collegiis, præfixo illis titulo alicuius Apoſtoli, vel Martyris, aut Salvatoris, ut patroni titularis: & tunc nullus in clericorum numerum aſſumebatur, niſi ſub titulo alicujus ſacræ domûs, & aſſumpti ad clericatum ex communibus Eccleſiæ bonis congruam accipiebant ſuſtentationem *c. 2. diſt. 70. caus. 12. q. 1.*

Poſtea permiſſum fuit, ut clerici extra communitatem viverent, & propria patrimonia, ac bona poſſiderent, ex quibus ſuſtentarentur; quia licèt Eccleſiæ miniſtrarent, nil tamen illis ab Eccleſia debatur locò præbendæ *c. certis 18. c. illi 25. cauſ. 12. q. 1.* Poſterioribus autem ſæculis clerici beneficiarii, etiam canonici non profeſſi ordinem religioſum, non ſolùm extra communitatem vivere, & propria ſua bona retinere poſſunt; ſed etiam habere præbendam, & reditus ſufficientes ex bonis beneficii, vel Eccleſiæ, in qua ſunt intitulati: adeout nec minores ordines alicui conferantur ſine titulo neceſſariæ ſuſtentationis *c. 1. Junſta Gloſ. V. Neminem.* 3

De jure tamen novo conſuetudo approbavit, ut ſolùm ad ſacros ordines requiratur titulus congruæ ſuſtentationis, ut liquet *ex c. Epiſcopus 4. h. t.* unde antiqui canones generaliter, ac indiſtinctè loquentes reſtringuntur ad ſacros ordines, & conſentit Concilium Trident. *ſeſſ. 21. c. 2. de refor.* cùm enim clerici minoribus tantùm initiati ordinibus poſſint ad ſæculum redire, & relicto ſtatu clericali matrimonium inire; ideo Eccleſia eis non ſubvenit de congrua ſuſtentatione, tametſi mendicare cogantur, eò quia nondum ſint in Eccleſia ſtabiles, & frequenter ab ea recedant. 4

Quamobrem titulus pro neceſſaria, & congrua ſuſtentatione debetur clericis, qui initiantur ordinibus ſacris, adeo ut non liceat Epiſcopo ullum ad ſacros ordines clericum promovere absque titulo; tametſi jam fuerit in ſacro ordine conſtitutus, ut deſumitur *ex c. Epiſcopus 4. h. t.* ubi Alexander III. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, quòd ſi Epiſcopus aliquem ordinat in Diaconatu, vel Presbyteratu, ſi non habeat ex ſua, vel paterna hæreditate, unde vivat, ſubminiſtret illi neceſſaria, donec aſſignet aliquem titulum in Eccleſia, unde vivat. Neque ullum faceſſit negotium, quòd nulla fiat ibi mentio de ordine ſubdiaconatûs, quia *in c. cum ſecundum 16. h. t.* Innocentius III. ſpeciatim ſubdiaconatûs meminit: ait enim quòd ſi ordinatus quis fuerit ſubdiaconus ſine titulo, & nemine præſentante, Epiſcopus ordinans, vel ejus ſucceſſor debeat ſubminiſtrare illi neceſſaria vitæ, donec eundem provideat de beneficio competente: immo ſi Epiſcopus non faciat; quòd ad id adigatur etiam cenſuris eccleſiaſticis; quia clerici debent vivere de patrimonio JESU Chriſti, cujus obſequio deputantur, qui enim Eccleſiæ inſervit, ſeu miniſtrat, non minus ex juſtitia debetur illi ſtipendium neceſſarium ad congruam ſuſtentationem, quàm militanti in militia ſæculari, ut ſignificavit Apoſtolus 1. *Corinth 9. quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* cum & ipſe Chriſtus Lucæ 10. dixerit: *dignus eſt operarius mercede ſua.*

Nomine autem ſtipendii neceſſarii ad congruam ſuſtentationem intelliguntur cibus, & potus, veſtitus, habitatio; pharmaca neceſſaria ad morbos curandos, libri etiam neceſſarii pro officio, in quibus etiam habenda eſt ratio dignitatis, nobilitatis, ſtatus perſonæ, ſcientiæ, & literaturæ, & qualitatis, ac conditionis ipſius beneficii, an ſit dignitas, vel perſonatus, beneficium 6

curatum

ratum, vel simplex; immò habenda est etiam ratio quantitatis reddituum ipsius beneficii, adeo ut non solùm se ipsum, sed etiam familiam alere possit, & nomine familiæ comprehenduntur, famuli, & ancillæ, parentes, fratres, sorores, & gentes pro suo statu; ut etiam filii suscepti ex legitimo matrimonio ante beneficium obtentum, immo & spurii, quibus ex æquitate canonica debentur etiam alimenta, ut probat Azorius *lib. 6. c. 10. q. 8. & 9.*

7 Rursus sub honesta, ac congrua clericorum sustentatione comprehenduntur etiam quæ necessaria sunt ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, & amicos, præsertim pauperes, & peregrinos, ut etiam quæ requiruntur ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum, immo etiam nonnunquam liberales, non tamen prodigas. Ut etiam quæ requiruntur ad honestas animi, & corporis relaxationes habita ratione ad personam, & dignitatem, & ad quantitatem reddituum; ut notat Layman. *lib. 4. tract. 2. c. 3. num.* 2. ex quo fit, ut plus requiratur pro congrua sustentatione Præpositi, vel Decani, quàm simplicis canonici; & plus ad sustentationem convenientem suo statui exigat Episcopus, quàm Decanus, vel Præpositus, & sic de aliis in majoribus dignitatibus constitutis.

8 Hinc clericus beneficiarius, qui Ecclesiæ inservit potest honestam vitæ sustentationem accipere ex redditibus beneficii ecclesiastici, & sibi reservare bona patrimonialia, ac ea suis hæredibus relinquere, vel in quemvis alium usum impendere, quia id ex generali consuetudine jam est receptum. Quòd si clericus possideat ex proprio, unde possit honestè vivere, vel habeat proprium patrimonium sufficiens ad congruam, & honestam sustentationem, tunc non est necesse, ut expresè ordinetur ad titulum patrimonii, sed sufficit, eum habere patrimonium, ex quo possit congruè sustentari, quia tunc censetur tacitè ordinatus ad titulum patrimonii, ad hoc ut non possit petere ab Ordinario beneficium, vel necessaria alimenta. Cæterum si Episcopus conferat alicui ordinem sacrum absque titulo sine patrimonio, & nemine præsentante; adigitur tunc ipse, immo & ejus etiam successor eidem clerico in sacris ordinato providere de necessariis, donec titulum acquisiverit, ut habetur *in d. c. cum secundum 16. h. t.* cùm dicat Apostolus 1. *ad Corinth. 9. cum debere de altari vivere, qui altari servit.*

9 Neque obstat, quòd successor non teneatur ex delicto defuncti, vel prædecessoris, eò quia delictum una cum morte delinquentis simul extinguatur *l. unic. C. ex delict. defunct. c. quorundam* 14. juncta Glossa *V. non potest dist. 23.* quia ad bonum Ecclesiæ regimen videbatur pertinere, ut etiam ipse successor Episcopi ordinantis sine titulo teneretur ad alendum ordinatum, idque specialiter statutum est, ne clericus sacris initiatus ordinibus cum dedecore, & opprobrio statûs clericalis cogatur mendicatò vivere, vel turpem quæstum exercere, ut notat Glossa *hic V. successores.* Hinc successor non contrahit obligationem ob delictum prædecessoris, sed ex eo, quia si Episcopus aliquem initiet ordine sacro, qui titulo careat, & congrua sustentatione, censeatur se obligare eum alere ex propria mensa, donec beneficium consequatur, & quia hæc obligatio est quoddam reale onus, quo gravatur mensa episcopalis; ideo transit ad successorem unà cum ipsa mensa: & quia est onus mensæ, sequitur ipsam mensam, quæ cùm transeat ad successorem, non ad hæredes defuncti, ideo onus alendi talem clericum incumbit successori, non verò hæredibus defuncti, quia isti quamvis succedant Episcopo in bonis patrimonialibus, non tamen eidem succedunt in mensa episcopali: quia cùm hoc onus sit obligatio realis, non sequitur personam ordinantis, proinde non transit ad ejus hæredes, sed sequitur redditus episcopales, qui sunt onere hoc gravati.

Quòd si mensa episcopalis non esset sufficiens ad alendum ordinatum, & Episcopus ordinans culpabiliter eum ordinavit sine titulo, & suis hæredibus reliquit bona patrimonialia, tunc tenerentur hæredes ex bonis patrimonialibus Episcopi defuncti ordinatum alere: sed tunc hæredes Episcopi, qui ordinavit talem clericum non obligarentur; nisi in subsidium Ecclesiæ non valentis alimenta subministrare. Quòd si ordinatus sine titulo fuerit præsentatus, tunc non tenetur Episcopus ei providere de congrua sustentatione, sed ille, qui eum præsentavit, ut desumitur *ex c. cum secundum 16. h. t.* & ibi Glossa *V. nullo præsentante*, immo si non Episcopus, sed alii eum examinârunt, tenentur examinatores ei necessaria suppeditare pro congrua sustentatione, ut notat Glossa *hoc cit.* ne clericus cum dedecore mendicet. 10

Quòd si Episcopus aliquem ordinaret ad titulum beneficii, quod non poterat conferre, eò quia jam esset alteri debitum; & postea demonstretur, tale beneficium revera deberi alteri, & ab eo repetatur; tunc Episcopus ordinans si bona fide ordinaverit clericum ad talem titulum non tenetur illi providere de alio beneficio; neque potest tunc Episcopus, qui ordinavit conveniri, tametsi teneatur ei providere de necessariis alimentis ex obligatione generali, & ratione charitatis, quâ tenetur subvenire omnibus clericis indigentibus suæ diœcesis. Quòd si scienter ordinaverit clericum ad titulum beneficii, quod noverat pertinere ad alium, tunc ex vi canonis tenetur illi de alio providere, & interim eidem suppeditare necessaria pro congrua sustentatione, donec beneficium acquirat, ut communiter docent juris periti *in d. c. cùm secundum 16. h. t.* interim ordinati ad sacros ordines absque titulo non censentur suspensi ab executione ordinum, nec fiunt irregulares, si in eis ministrent, idque etiam post Concilium Tridentinum *sess. 21. de reformat.* quia cùm pœna suspensionis ab executione ordinum jam fuerit sublata per hanc decretalem; Concilium, quod innovavit antiquorum canonum pœnas, non censetur innovâsse hanc pœnam, quæ per posteriores canones jam erat abrogata, ut declaravit sacra congregatio Cardinalium Concilii Tri- 11

dentini

dentini interpretum apud Fagnanum *in d.c.cum secundum 16. h. t. n 63. & sequent.*

12 Quod tamen limitatur, nisi ordinatus ordinantem deceperit, ac affirmaverit se habere titulum beneficii, vel patrimonii cùm non haberet: tunc enim ordinans non teneretur eum alere, & ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, & si in illo ministraret incurreret irregularitatem; cum pœna antiquorum canonum quoad hunc casum non sit sublata per Concilium Tridentinum, ut ex probabiliore sententia docet Navarrus *lib. 1. tit. 11. consil. ult.*

13 Sin verò prædia patrimonialia clericorum, quos ad sacros ordines Episcopus promovit alluvione pereant, vel domus igne absumatur, adeo ut clericis nil supersit, quo possint honestè sustentari, tunc tenetur Episcopus ordinans iisdem providere de beneficio ecclesiastico, ne mendicare cogantur, ut notat Glossa *in d. c. cum secundum 16. h. t. V. de patrimonialibus* quod procedit saltem ex obligatione generali, quâ tenetur Episcopus providere clericis non habentibus unde vivant.

14 Quamvis possit quis in canonium recipi tametsi non habeat præbendam, seu non percipiat fructus beneficii, debet nihilominus eidem conferri præbenda canonicalis quamprimùm poterit, ut desumitur *ex c. relatum 9. h. t.* ubi dicitur, quòd receptus in canonicatum, & habens potestatem in officiis, ut canonicus; si ei promissa sit præbenda, debeat Episcopus eidem providere de præbenda, quæ vacat, vel est primò vacatura, quia non est conveniens eum præbenda carere: ratio etiam id suadet, quia receptus in canonicum tametsi sine præbenda; cùm nihilominus suffragiũ ferat in capitulo, & in choro stallum acquirat, æquum est, ut ipsi conferatur præbenda cùm primùm occasio se dederit, ex suppositione, quòd habeat qualitates requisitas, ætatem scilicet, & ordinem sacrum requisitum ad suum obeundum munus; proinde debentur etiam illi distributiones quotidianæ si divinis interfit officiis.

15 Quòd possit quis in canonicum recipi sine beneficio, vel præbenda ex eo liquet, quia præbenda non est de substantia canonicatûs, ut liquet *ex c. relatum 9. h. t.* Tum quia nonnunquam Ecclesia nullum certum numerum habet canonicorum, & certæ ac distinctæ sunt præbendæ, ut notat Abbas *in d. c. relatum num. 2.* unde dantur canonici sine præbenda, quamvis non diu debeant illâ carere, præsertim si chorum frequentent, suffragium ferant in capitulo, & aliis canonicorum oneribus subsint: tunc enim æquitas postulat, ut & ipsi beneficium habeant, cujus redditibus congruè sustententur, præsertim cùm beneficium detur propter officium. Cæterum debet receptio in canonicum sine præbenda fieri ex causa, ut receptus instruatur in officiis ecclesiasticis, & nullum præcesserit pactum, ut receptus in canonicum nihil de præbendis, vel de communibus redditibus percipiat: siquidem tale pactum Simoniam redoleret, ut notat Fagnanus *in c. dilectus n. 9. & 10.*

16 Dupliciter potest quis assumi in canonicum. Primò ut à capitulo quis recipiatur ultra definitum numerum canonicorum, & quidem simpliciter sine præbenda; & tunc præscindendo à consuetudine, quæ servanda est, sic susceptus in canonicum debet habere stallum in choro, vocem in capitulo, & percipere distributiones quotidianas: siquidem cùm sit receptus ad ad jus canoniæ, habet etiam omnia jura canonicalia. Præterea cum per voluntariam receptionem unius ultra numerum definitum canonicorum jam fractus sit numerus, & capitulum recesserit à definito numero, non valet amplius ratio, quòd quotidianæ distributiones debeant participari à tali numero canonicorum, sicut antea, cum talis numerus jam fuerit fractus. Secundò potest capitulum aliquem recipere in canonicum non simpliciter ultra numerum; sed cum addito, quod recipiatur, tanquam supernumerarius: & tunc capitulum non censetur fregisse definitum numerum, nec eum excessisse, sed tantùm specialem gratiam sic recepto fecisse, quapropter sic receptus in canonicum non habet jus integrum canoniæ, sed tantum quoddam præparatorium ad jus integrum suo tempore obtinendum.

17 Cæterum receptus in canonicum sine præbenda, cùm primùm præbenda canonicalis vacaverit potest implorato Judicis officio eam petere, ut illa sibi conferatur, ut sumitur *ex c. dilectus 19. h. t.* ubi Innocentius III. ait quòd quando quis recipitur in canonicum cum stallo in choro, debet ei præbenda assignari, cum primùm facultas se obtulerit, & interim eum participare de distributionibus quotidianis: & licèt talis canonicus non censeatur habere determinatè jus ad præbendam primò vacaturam, nihilominus ratione canoniæ habet in genere jus ad præbendam aliquam, ut ipsi provideatur etiam ex præbenda proximè vacatura, adeo ut hæc sibi potiùs debeatur, quàm alteri non habenti jus canoniæ, ut notat Abbas *in d. c. dilectus n. 7.* In illis verò Ecclesiis, in quibus sunt distinctæ præbendæ canonicales receptus in canonicum ut supernumerarius recipit præbendam proximè vacaturam morte antiquioris canonici, qui fuit intra definitum numerum canonicorum, & tunc qui erat supernumerarius ingreditur numerum antiquorum canonicorum.

18 Parochis etiam, cæterisque Ecclesiarum rectoribus debetur ex redditibus earundem Ecclesiarum congrua, ac sufficiens sustentatio, non obstante quacunque consuetudine in contrarium inducta, idque desumitur *ex c. extirpanda 30. h. t.* ubi habetur, quòd Presbyteris parochialium sit danda portio sufficiens, ut congruè vivant, non obstante quacunque consuetudine Episcopi, vel patroni, vel alterius: item qui habet parochialem Ecclesiam, statuitur, ut per se ipsum illi inserviat, & tantùm excipitur, quando est annexa dignitati, vel præbendæ, ob quam debet ipse inservire majori Ecclesiæ, quia tunc debet habere Vicarium idoneum, & perpetuum canonicè institutum in parochiali, cui assignet congruam portionem fructuum; alioquin est illâ privatus, quæ alio idoneo confertur. Ratio cur parochis ex redditibus Ecclesiarum debita sit congrua sustentatio desumi-

tur

lur ex ipso jure naturæ, quia qui alteri inservit, debet ab eodem necessaria ad sustentationem congruam recipere: hinc consuetudo quamvis in contrarium repugnat legi divinæ, & naturali justitiæ, cùm sit operarius dignus mercede sua; alioquin si beneficia curata carerent annuis redditibus, vel hi essent valdè tenues; vix reperirentur viri idonei, qui vellent tale onus subire, quod in magnum cederet Ecclesiæ detrimentum, quapropter administratores Ecclesiarum parochialium prætextu consuetudinis non possunt redditus ipsarum ita sibi vendicare, ut diminuatur congrua parochi, vel rectoris portio, & ex decreto Concilii Tridentini *sess. 25. c. 9. de refor.* generaliter prohibetur omnibus patronis beneficiorum, ne in perceptione quorumcunque proventuum beneficiorum, se ullo modo ingerant, sed illos rectoribus, vel parochis omnino liberè distribuendos relinquant.

19 Tenetur autem parochus personaliter residere, quia ad hoc munus obeundum non eligitur utcunque persona, sed industria talis personæ, quæ præ aliis est magis idonea: præterea ut superius innuimus, quibus cura animarum concredita est, ij tenentur per se ipsos, & non per alios, gregem suum invisere, agnoscere, pascere, consolari: siquidem officium pascendi personale est, nec potest per alium exerceri, unde parochus per se ipsum tenetur munera parochialia obire, & in propria parochia etiam habitare, ibique domum conducere, si propria careat, ut declaravit sacra Congregatio referente Fagnano *hic n. 42.*

20 Quòd si Ecclesia parochialis accessoriè unita sit alicui dignitati, vel præbendæ canonicali in Ecclesia cathedrali, tunc obtinens talem dignitatem, vel canonicatum debet residere in dignitate illa, aut canonicatu, cui per se ipsum debet servire, & interim debet substituere Vicarium perpetuum, qui inserviat Ecclesiæ parochiali, ut desumitur *ex d. c. extirpanda 30. h. t.* quia quando parochia se habet accessoriè, & est perpetuò unita præbendæ canonicali, tunc sequitur naturam, & proprietates canonicatus simplicis.

21 Sin verò ex dispensatione obtineat quis duo beneficia incompatibilia, tunc si illa sint æqualia, ut duæ parochiæ, æquè principaliter unitæ, & perpetuæ, potest tunc beneficiarius residere pro arbitrio, in qua voluerit, ut notat Garzia *de benef. p. 2. c. 2. n. 45.* Quòd si beneficia non sint æqualia tenetur residere in majore, & digniore, illúdque per se administrare, ut tradit idem Garzia *loc. cit.* Sin verò quis obtinuerit dignitatem, vel canonicatum, cui parochia non perpetuò, sed tantùm ad vitam ipsius sit annexa; adeo ut non se habeat accessoriè, tunc tenetur residere in Ecclesia parochiali, quamvis non sit beneficium dignius, quia cura animarum est præferenda, idque ex declaratione Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum apud Barb. *de offic. Episc. allegat. 53. n. 83.*

22 Nec Prælati Regulares, vel Monasteria possunt redditus capellarum, quæ ipsis incorporantur dividere, nec minuere redditus assignatos capellanis, aut parochis, ad necessariam, & congruam eorum sustentationem, idque desumitur *ex c. avaritia 10. h. t.* ubi Alexander III. rescripsit, quòd regulares in suis ecclesiis nequeant dividere parochias, nec minuere redditus, vel portiones, quas consuetum erat dari parochis, vel clericis sæcularibus, qui inserviunt eorum ecclesiis; nisi adsit consensus Episcopi illorum: siquidem Monasterium non exemptum nequit absque sui Episcopi consensu, Ecclesiarum, quæ ipsi incorporatæ sunt quoad temporalia, statum mutare; ut notat Abbas *in d. c. avaritia num. 2.* & desumitur etiam *ex clement. unic. §. eadem quoque de supplen neglig. Prælat.* ubi hoc idem extenditur etiam ad Prælatos exemptos, & statuitur, ut Episcopi non permittant, ut dicti Prælati Regulares beneficia quæcunque regularia, aut sæcularia, quorum collatio ad ipsos pertinet suis propriis applicent mensis, aut novas pensiones ipsis imponant, vel veteres augeant.

Quòd si dubitetur, an portio, quam monasterium dat parocho, vel Vicario in Ecclesia incorporata sit sufficiens, & congrua, ad Episcopum pertinet id determinare, ut habetur *in clement. de jur. patronat.* & tunc habenda erit ratio ad honestatem sustentationis secundùm statum, & dignitatem personæ, ejúsque scientiam, nobilitatem, labores, qui sunt sustinendi, & etiam erit consideranda quantitas reddituum parochialium, ut notat Rebuffus *tract. de congrua portione n. 62.* 23

Redditus tamen incerti non computantur in congruam portionem debitam curatis, ut notat Barb. *de offic. Episc. allegat. 53. num. 7.* quia venter non debet pendere ab incerto cùm non patiatur dilationem, ut loquitur juris consultus; sunt enim redditus incerti oblationes, quæ ipontè fiunt, sive pro administratione Sacramentorum, sive pro funeralibus. Rursus neque per fructus præbendæ spectantis ad congruam sustentationem clerici beneficiati comprehenduntur quotidianæ distributiones, ut desumitur ex *c. licet 32. h. t.* ubi fructus præbendæ distinguuntur à quotidianis distributionibus, quia istæ solis præsentibus dantur, & illi etiam absentibus. 24

§. VI.

De modis, quibus beneficia acquiruntur.

SEx in jure reperiuntur modi, quibus beneficia ecclesiastica acquiruntur: primò mediante prævia præsentatione patroni, & institutione subsequa. Secundò electione, & confirmatione. Tertiò postulatione, & confirmatione, & hic modus tantùm habet locum in Prælaturis. Quartò collatione libera. Quintò permutatione. Sextò resignatione in favorem collatione secuta. Et per hos omnes modos possunt beneficia dupliciter acquiri justè, & injustè, seu legitimè, & illegitimè, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. quot modis beneficia acquirantur.* 1

2 Tunc acquiruntur justè, quando per canonicam institutionem obtinentur, ut desumitur *ex regula 1. jur. in 6.* ubi nomen institutionis sumitur laxè prout comprehendit quamlibet legitimam provisionem, seu modum, quo acquiritur beneficium. Et canonica institutio dicitur, quæ est facta secundùm canones, ad quam requiritur tam legitima potestas ex parte instituentis, seu conferentis, quàm ex parte illius, cui beneficium confertur, decens habilitas; & demum ut servetur solemnis forma institutionis à jure requisita, ut notat Glossa *in citat. regul. 1. jur. V. obtineri* Rebuffus *in prax. benef. loc. cit. num. 5. & 7.*

3 Injustè verò acquiruntur beneficia, quando obtineatur sine canonica institutione, vel quia non est servata debita forma institutionis; vel quia facta fuit à non habente potestatem instituendi; vel quia beneficium fuit collatum indigno. Rursus ille injustè, & non canonicè dicitur beneficium obtinere, qui jure consanguinitatis in illud successit, ut liquet *ex c. ut nullus 1. b. t.* quia bona ecclesiastica cùm sint à fidelibus Deo oblata pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, non debent clerici jus præbendæ, seu beneficii à defuncto beneficiario per successionem accipere, quali per ultimam voluntatẽ, sive ab intestato sed ab ipsa Ecclesia, quæ per canonicam institutionem conferat capaci, & digno tale beneficium, ut notat Abbas *in c. ut nullus 1. b. t. n. 3.* siquidem hæreditaria successio non habet locum in spiritualibus. Quinimmo neque potest clerico conferri beneficium ultra tempus vitæ suæ, quia cùm officium sit ministerium Ecclesiæ, cessat per mortem beneficiarii, & non potest transire ad hæredes, ut desumitur *ex c. relatum 12. de testam.*

4 Quamobrem jure canonico prohibita est omnis successio in bonis ecclesiasticis sive ab intestato jure consanguinitatis, sive ex testamento. Immo prohibitum est etiam omne, quod speciem, vel similitudinem talis successionis præsefert; adeo ut pactum de succedendo alteri in beneficio ecclesiastico post ejus mortem reprobatum sit *in c. 2. de conces. prabend.* Immo tale pactum de futura successione etiam à jure civili reprobatur *l. ult. C. de pactis* Glossa *in cit. cap. 2. V. condemnare.* Est etiam irritum pactum, ut quis in Ecclesia instituatur ea conditione, ut post ejus mortem alius certus succedat, ut consanguineus ipsius *c. accepimus 5. de pact.* quapropter filius quamvis legitimè natus nequit in eodem beneficio patri immediatè succedere *c. veniens 5. & c. de filiis Presbyteror.*

5 Quinimmo neque vivente Prælato, vel beneficiario potest tractatus institui de successore eligendo, tametsi paulo post sit moriturus *c. bene 36. de elect. c. nullus 7. dist. 79.* quapropter solus Pontifex de plenitudine potestatis, potest coadjutores dare cum potestate succedendi *c. petisti 17. caus. 7. q. 1.* & habetur in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 7. de refor.* ubi prohibetur Episcopo, vel alteri simili Prælato dare coadjutores cum potestate succedendi. Quòd si dicas, jus patronatus esse ecclesiasticum, & nihilominus in eo habere locum successionem jure consanguinitatis, eò quia jus patronatus transeat unà cum bonis hæreditariis ad hæredes, proximos agnatos. Respondetur, jus patronatus non esse merè, & intrinsecè spirituale, sed solùm spirituali annexum, & ex sola gratia concessum laicis, ut inde excitentur ad fundandas, & dotandas Ecclesias, ut habetur *in c. de jur patronat.* & notat Abbas *in c. ut nullus 1. b. t. n. 4.*

6 Cæterum ex prærecensitis sex modis, quibus beneficia acquiruntur, Præsentatio est exhibitio quædam personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta, ut notat Panormit. *in c. ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælatis.* Est autem Patronus, qui habet jus patronatus, quod nihil aliud est, quàm beneficium onerosum, & utile conveniens alicui ob meritum aliquod, vel servitium præstitum Ecclesiæ: estque hoc jus duplex, aliud enim est jus patronatus ecclesiastici, & aliud laici. Illud dicitur, non quod Ecclesiasticus possidet, sed quia competit alicui ex eo, quòd ex bonis ecclesiasticis Ecclesiam fundaverit, vel exstruxerit, aut dotaverit, vel quod habetur ratione rectoratûs Ecclesiæ, aut dignitatis ecclesiasticæ. Jus patronatus laici est, quod competit alicui ex eo, quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiam, vel fundaverit, & exstruxerit, vel dotaverit; vel beneficium aliquod erexerit, hoc enim jus patronatus ab aliquo eorum debet oriri, ut notat Azorius 2. *p. lib. 6. c. 19.*

7 Institutio est concessio beneficii facta authoritate legitima Episcopi, vel alterius, clerico à patrono præsentato, adeo ut institutio nonnisi per Ecclesiasticos fieri debeat: siquidem ad solos ecclesiasticos pertinet beneficia ecclesiastica conferre, unde institutio se habet consecutivè ad præsentationem factam à patrono. Immo si institutio fiat sinè patrono ipso jure est irrita: & si patronus sit negligens in præsentando, jus pro illa vice devolvitur ad Episcopum, vel ad eum, ad quem jurisdictio pertinet: quod si patronus episcopo cedat jus patronatus, & ad eundem spectaverat institutio, tunc hæc confunditur cum collatione: sin verò ad alium inferiorem; Episcopus tantùm habet patronatum pro illa parte, vel etiam in totum juxta facultatem, quam habuit, qui patronatum cessit Episcopo.

8 Electio est alicujus personæ canonicè facta vocatio ad Ecclesiam aliquam suo viduatam pastore, ut communiter docent cum Hostiens. *in tit. de elect.* hinc beneficia electiva ea tantùm dicuntur, quæ per dictam electionem conferuntur, & habent tantùm locum in iis, qui pastores sunt Ecclesiarum, vel Monasteriorum, & habent supremam jurisdictionem in tali loco: hinc canonicatus qui conferuntur communibus clericorum suffragiis, propriè non dicuntur conferri per electionem, eò quia dignitatibus hisce non sit annexa cura animarũ. Cæterum per electionẽ non acquiritur jus in re, sed ad rem: & differt electio à præsentatione, quia electio fit à pluribus, & solis ecclesiasticis, ac per suffragia: præsentatio verò etiam ab una persona laica; & in quovis genere beneficii præsentatio locum habet; rursus quævis electio indiget confirmatione, seu consensu superioris, ut desumitur *ex c. nihil est, c. cùm dilectus de elect.* adeò ut de jure requiratur confirmatio.

Postu-

9 Postulatio quâ beneficia ecclesiastica etiam acquiruntur est supplex quædam petitio facta apud superiorem à collegio Canonicorum enixim petentium, ut aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur non obstante aliquo defectu, quem patitur; qui tamen non debet esse defectus moralis, sed tantùm naturalis, ut quia non sit legitimè natus; quia non habeat sufficientem ætatem, vel non sit ordinatus, vel non sit de corpore capituli, & tunc ad postulationem requiruntur duæ tertiæ, adeo ut in postulatum consentiant duæ partes capituli.

10 Collatio est concessio beneficii vacantis, sive per obitum, sive per resignationem, aut devolutionem liberaliter facta ab habente potestatem, quo pacto hujusmodi collationes fiunt à summo Pontifice, vel ejus Legato, aut Ordinario loci, vel alio Prælato habente potestatem conferendi beneficia ecclesiastica. Jure communi hæc beneficia conferri debent purè, liberè, palam, sine diminutione, sine vacantia, sine restrictione temporis, sed in perpetuum, proindè non potest in collatione adjici pactum, aut conditio, seu modus: neque fieri debet per vim, aut metum: cæterum conditio non repugnat cum collatione beneficii, quando ipso jure, statuto, vel consuetudine, vel etiam fundatione, aut institutione beneficiorum illi adjicitur.

11 Permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad invicem inter permutantes fit ex legitima superioris authoritate, sine qua permutatio nulla esset *c. unic. de rerum permut. in 6.* Rebuffus *in prax. de benefic. §. de permutat.* Ad legitimam permutationem septem requiruntur conditiones. Primò ut permutantes habeant dominium in sua beneficia, quia nemo potest permutare cum alio nisi rem illam, de qua potest disponere; & non potest disponere de re nisi sit dominus illius, seu dominium habeat in illam. Secundò debet permutatio esse libera, non verò metu extorta, vel dolo facta; alioquin nullum sortiretur valorem. Tertiò ut uterque beneficiarius suum resignet beneficium in manus Ordinarii, cui beneficium subest, sive is sit unus, & idem, sive alius, & alius. Inferior tamen Episcopo nequit recipere resignationes ex causa permutationis absque consensu Episcopi, nisi consuetudo aliter postulet. Quartò ut beneficia conferantur permutantibus non aliis, alioquin irrita esset collatio *clement. unic. de rer. permutat.* Tum quia si beneficium conferatur alteri non habetur amplius permutatio, sed pura collatio. Quintò requiritur consensus illorum, ad quos electio, vel præsentatio pertinet, alioquin permutatio non valeret: quòd si patronus requisitus nolit consentire, tunc posset Episcopus sua approbatione supplere defectum consensûs ipsius patroni, si judicaret, permutationem expedire, immo esse necessariam Ecclesiæ; in quo casu valeret permutatio etiam sine consensu patroni, ut notat Glossa *in d. clement. de rer. permut.* Sextò si permutans sit infirmus debet supervivere adhuc viginti dies post resignationem, alioquin beneficium censeretur vacare per obitum *ex regul. cancell. de infirm.* Rebuffus §. *regul. de infirm.* Septimò si permutatio fiat in curia Romana, debet publicatio fieri in loco beneficii intra sex menses à die oblatæ supplicationis computandos, si sint beneficia citra montes: intra novem autem si ultra montes. Quòd si permutatio fiat extra curiam, tunc intra mensem debet Ordinarius conferre, & permutantes intra tres menses publicare in loco beneficii *ex reg. cancell. de publicand. resignat.* Azorius 2. *p. lib.* 7. *c.* 24. *quæst.* 2.

12 Demum resignatio est juris proprii spontanea, & libera dimissio, seu cessio: magis tamen præsè definitur libera beneficii dimissio facta cum legitima causa coram legitimo superiore. Rursus hæc resignatio fit dupliciter, tacitè, vel expresè: priori modo fit ex juris dispositione absque verborum expressione: expresè verò cùm quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario legitimè dimittit, Rebuffus *de resignat. p.* 3. *in prax. benefic.* Rursus resignatio expressa, alia est pura, & tunc habetur quando absque ulla conditione beneficium dimittitur coram superiore: altera est in favorem tertii, seu conditionalis: & hæc vel est simpliciter in favorem, & tunc habetur, quando fit absque ulla reservatione; vel est qualificata, ut quando fit reservato sibi jure regressus, vel etiam pensione, ut tradit Azorius 2. *p. lib.* 7. *c.* 19. Rursus ut resignatio conditionalis, ut etiam id quod ex vi illius sequitur validum sit, plures requiruntur conditiones, quas recensent Rebuffus *de resignat. condit. num.* 16. Azorius *lib.* 7. 2. *p. c.* 20. Primò requiritur ut beneficium sit resignantis. Secundò ut resignatio libera sit, hoc est non metu extorta, nec dolo procurata: alioquin est invalida, quia quoties fraus, vel metus dant causam contractui illum irritant, præsertim si nolit contractui stare is, qui injuriam est passus. Tertiò debet fieri in manibus illius, qui potest resignationem admittere, scilicet in manibus summi Pontificis, vel Ordinarii collatoris, vel institutoris. Non tamen Ordinarius potest admittere resignationem cum regressu, vel ingressu, quia hæc resignatio redolet simoniam confidentialem inductam jure humano; quam labem potest summus Pontifex tollere. Quartò debet acceptari à Prælato, in cujus manibus fit, alioquin resignans non amitteret jus suum. Quintò debet conferri illi, in cujus favorem cum clausula consueta est beneficium resignatum, alioquin provisio non valeret, tametsi facta à Papa. Sextò requiritur ut is, cui confertur ex vi resignationis acceptet beneficium sibi resignatum; alioquin resignans non amitteret suum beneficium propter adjectam clausulam *non aliter*. Septimò requiritur etiam consensus patroni, si beneficium sit juris patronatus; vel Electorum, si sit Electivum. Octavò si resignans sit infirmus debet supervivere 20. dies post resignationem. Nonò debet postea publicari resignatio in loco beneficii, ut dictum est de permutatione.

13 An verò jus per collationem alicui factam acquiratur in beneficio, sive post, sive etiam ante acceptationem illius, agitur *in c. si tibi* 17. *h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statuit, quòd si Epi-

Episcopus conferat beneficium alicui absenti, tametsi hic non acquirat jus in beneficio, nisi id ratum habeat, tamen Episcopus non potest illud alteri conferre, nisi notificet collationē illi, cui fuit collatum, & det terminum consentiendi; & si non consentit, tunc potest elapso termino alteri conferre, & si non confert, potest præstare consensum, quamvis terminus sit elapsus, & tunc non potest beneficium alteri conferre Hinc si beneficium ab Episcopo, vel alio collatore absenti, & ignoranti collatum sit, non acquiritur jus in beneficio reale, donec illud acceptet: & non potest Episcopus ante consensum, vel dissensum provisi illud alteri conferre: quia per solam collationem, quamvis absenti factam, & nondum ab illo acceptatam acquisitum est ei jus ad beneficium, non tamen jus in re, sed tantùm ad rem, sive obligatio, & actio personalis, proinde non potest amplius tale beneficium conferri alteri.

14 Et quamvis collatio beneficii *in cap. consultationibus, tit. de donationib.* dicatur esse quædam donatio, quæ facta per expressum consensum donatoris obligationem, & vim aliquam non sortitur, sed revocari potest, donec donatarius faciens eam acceptaverit *l. 2. sed si quis, l. absenti 10. ff. de donat. l. qui absenti 38. ff de acquirend. possess.* Hoc tamen de beneficiis ecclesiasticis, dispensationibus, & gratiis, quæ non ex mera liberalitate, sed ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio dantur, non procedit: hæc enim beneficia semel collata per satis declaratam, & explicatam voluntatem conferentis talia beneficia, non possunt ab illo revocari, sed necesse est expectetur consensus illius, cui facta est collatio, quæ tametsi respectu beneficiarii censeatur esse donatio, eò quia cedat in ejus commodum, & lucrum; non tamen propriè est donatio ex parte conferentis beneficium, quia collatio beneficiorum vacantium non fit ex mera liberalitate, sed ex obligatione officii, & ex quadam necessitate, qua Ecclesia indiget Ministris, qua ratione ipse collator non potest sibi talia beneficia retinere, sicut donator potest non dare donum donatario, sed illud sibi retinere: hinc ante acceptationem donatarii licèt revocari possit donatio, non tamen post collationem beneficii potest revocari collatio, & conferri beneficium alteri; immo nec sub conditione, si beneficiarius non acceptaverit *argum. c. 2. de elect in 6. & regul. jur. 50. in 6.* ubi habetur quòd actus legitimi conditionem non recipiant.

15 Rursus beneficia ecclesiastica conferri debent gratis nullo interveniente pretio prævio, aut mercede, ut desumitur *ex c. si quis 3 c. si quis objecerit, 7 & c. Salvator 8 §. igitur* quia conferre beneficia ecclesiastica mediante pretio, & mercede est simonia, quæ inficit, & irritat collationem, ut notat Garzia *de beneficiis p. 8. c. 1. num. 1. & 3.* Secundò debent beneficia omnino liberè conferri, & non per vim, aut metum *c. 3. de his, quæ vi.* siquidem collatio beneficii est veluti liberalis quædam donatio, quæ omnem excludit vim, & metum. Tertiò non debet esse subreptitia, nec obreptitia, alioquin est irrita *c. cùm adeo 17. de rescript.* quia subreptio tollit liberum consensum; proinde vitiat concessionem gratiæ. Id tamen procedit solùm quando à Papa, vel ejus legato fit collatio beneficii, vel alterius gratiæ; nam collatio Ordinarii; quia fit motu proprio, & ecclesiis censetur providere, non videtur posse de subreptione impugnari, præsertim cum Ordinarii existentes in loco, cum paucioribus sint negotiis occupati, præsumantur benè informati de qualitatibus beneficiorum, & provisorum, ut notat Abbas *in c. cum nostris 6. num. 19. de conces. prabend.* Garzia *de benefic. p. 8. c. 3. n. 4.*

Rursus collatio beneficii non debet fieri 16
clandestinè, sed palam, & coram aliis, quia actus clandestini non carent suspicione ob periculum fraudis, ut notat Glossa *in c. consuluit 24. V. edit lucem de offic. delegat.* Immo ad fidem faciendam de collatione beneficii requiruntur duo testes, vel instrumentum, ut probetur collatio juridicè facta, ut notat Garzia *de benef. loc. citat. 5.* Neque collatio beneficii debet fieri antequam vacet *c. 1. de conces. prabend.* nec cum aliqua diminutione *c. unic. ut beneficia sine diminut. trad.* nec ad tempus, sed in perpetuum, quia beneficium est jus perpetuum ad percipiendos fructus: & licèt aliqua beneficia sint manualia, quæ tantùm ad tempus videntur conferri, quatenus ad nutum conferentium auferri possunt: non tamen conferuntur ad certum tempus determinatum, quod imitatur tempus perpetuum.

Neque collatio beneficii debet fieri alter- 17
nativè, seu disjunctivè, ut si conferens beneficium dicat: confero tale beneficium Titio, vel Cajo *argum. c. 2. juncta* Glossa *V. in certa de elect. in 6.* quia quoties conferentis voluntas redditur incerta, collatio non sortitur suam vim. Neque idem beneficium vacans potest simul, & conjunctim conferri duobus, ut desumitur *ex c. jure 20. h. t.* ubi habetur, quòd quando duo eliguntur ad unam præbendam, electio non teneat, quia præbenda dividi non possit: notat tamen Glossa, quòd tametsi una remanente præbenda non possint duo eligi, nihilominus possint ex una præbenda duæ fieri; si reddit us suppetant, & etiam una præbenda ex causa necessaria potest minui.

Quòd si beneficium conferatur sine scri- 18
ptura; valida quidem est collatio, tametsi scriptura necessaria sit ad probationem, ut si de collatione dubium oriatur, possit in judicio constare, quod beneficium fuerit collatum. Immò constitutio extravagans 1. quæ incipit *injuncta de elect. inter communes* habet, quòd ad obtinendum beneficium, & ejus possessionem requirantur litteræ apostolicæ à Papa impetratæ, quæ contineant collationem beneficii, alioquin collatio censetur irrita. Verùm hæc constitutio tantùm locum habet in collatione beneficiorum facta à Romano Pontifice, vel ejus legato; non verò de collatione facta ab Ordinariis locorum inferioribus, de quorum collatione potest faciliùs constare, ut notat Azorius *p. 2. lib. 6. c. 26. q. 5.*

Præ-

19 Præterea collatio beneficii licèt non possit fieri sub conditione propriè dicta, & quæ in futurum, actum, cui adjicitur, suspendat, & conditionalem efficiat, ut si conferens diceret: confero Titio beneficium si intra annum Sacerdos factus fuerit; eò quia talis collatio ipso jure sit irrita; siquidem collationes beneficiorum, ut etiam electiones numerantur inter eos actus legitimos, qui secundùm jura debent fieri absolutè, & simpliciter, ut desumitur *ex regul. jur. 50. in 6.* nihilominus si conditio non suspendat actum, & dicatur: confero Titio sacerdoti parochiam, ita tamen ut obligatus sit intra annum sacerdotium suscipere: collatio est valida, quia tunc talis conditio jure requiritur, & tacitè semper inest; proinde semper subintelligitur, quamvis explicitè non adsit, quia exprimitur saltem modus prout inest de jure *c. licèt* 14. *de elect. in 6. c. de multa* 28. *h. t.*

20 Potest etiam beneficio vacanti Episcopus ex consensu sui capituli, & causa rationabili onus aliquod spirituale licitum, & honestum imponere, adeo ut beneficium cum tali onere transeat ad eum, cui confertur, ut si beneficiarius debeat docere sacram scripturam, vel catechesim, ut tradit Glossa *in c. significatum* 11. *in notand. h. t.* habetur enim *in d. c.* quod possit ab Episcopo, & capitulo imponi onus super beneficio vacante licitum tamen, & honestum, ut, quando beneficiatus non est infirmus, quotidiè celebret missam de S. MARIA salva honestate sua, & debita devotione, nec possit dimittere Ecclesiam sine consensu Episcopi, & capituli sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo. Non enim capellanos vi fundationis potest obligari, ut quotidiè missam celebret de beata Virgine, quin possit aliam missam præsertim festi occurrentis legere. Navarr. *lib. 3. consil. de celeb. miss. num. 8.* Rursus quamvis tale onus ex justa causa possit interdum imponi ipsi beneficio vacanti; non tamen potest imponi personæ, cui confertur beneficium per modum adiectæ conditionis, vel modi, aut facti, ut docet Navarr. *lib. 3. in consil. unic. ut benefic. sine diminut. d. c.* quia onus impositum rei minuit ejus pretium; proinde videtur beneficium conferri cum diminutione.

§. VII.

De iis, quibus competit ius conferendi beneficia ecclesiastica.

1 CErtum est, summum Pontificem esse generalem collatorem, ac supremum, beneficiorum omnium ecclesiasticorum in quavis diœcesi, & Ecclesia, quia est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, & superior omnium Episcoporum, & Prælatorum ecclesiasticorum, adeout sit Ordinarius Ordinariorum totius orbis, quapropter summus Pontifex dicitur Episcopus Ecclesiæ catholicæ, seu totius, & universalis Ecclesiæ Glossa *in c. felicis § fin. de pœn. in 6. c. licèt. 2. h. t. in 6.* ubi habetur, quod omnium beneficiorum collatio pertineat ad summum Pontificem, eò quia habeat plenam dispositionem in toto orbe terrarum; quia si beneficia vacent, nemo in eis jus habet, proinde dicuntur beneficia ecclesiastica vacare de jure, & ex eo quòd in illa nullus jus habeat, redeunt ad Ecclesiam, perinde ac omnia bona, ac jura ecclesiastica vacantia *argum l. 1. C de bonis vacant. lib.* 10. proinde eorum provisio ac dispositio non nisi ad Ecclesiæ Prælatos pertinet, & quia Romanus Pontifex est supremus omnium ecclesiasticorum bonorum dispensator, & Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, seu totius orbis, Glossa *in c. ult. de pœnis in 6.* ideo ad summum Pontificem spectat facultas conferendi omnia beneficia, adeo ut cæteri Prælati inferiores habentes potestatem conferendi beneficia, & jura vacantia, acceperint talem potestatem cum subordinatione ad sedem Apostolicam *c. qui se 11. caus. 2. q. 6.* ut tradit Garzia *p. 1. de benef. num. 1.* Quinimo sub Ecclesiæ primordiis collatio beneficiorum in toto orbe à solo Romano Pontifice fiebat, ut tradit Parisius *lib. 1. de resignat. benefic. q. 10. num. 47. & 49.* Hinc Pontifex potest pro suo arbitrio in toto orbe beneficia ecclesiastica conferre, non solùm vacantia, sed etiam non vacantia absolutè, vel sub conditione; in perpetuum, vel ad tempus; pro ut ipsi magis visum fuerit expedire, eò quia plenissimam habet dispositionem in omnia beneficia ecclesiastica.

2 Tribus præcipuè modis solet summus Pontifex beneficium conferre, scilicet jure præventionis, jure concursus, & jure devolutionis, ut notat Rebuff. *in prax. tit. de devolutionib. § 46.* Jure præventionis confertur beneficium, quando Romanus Pontifex alicui confert gratiam expectativam ad beneficium primò vacaturum, seu quando certæ personæ mandat provideri de beneficio, quod vel vacat in Ecclesia, vel proximè vacaturum est *argum. c. dudum 14. h. t. in 6. c. licet Ecclesiarum de præbend. in 6.* Dicitur, tunc beneficium conferri jure præventionis, quia Papa prævenit eum, qui ordinariam habet potestatem conferendi beneficia vacantia; quia tametsi Papa inferioribus Ecclesiæ Prælatis concedat potestatem conferendi beneficia, non propterea ipse Pontifex de privat eadem potestate; quinimo ipse semper retinet supremam potestatem, ac plenam, & liberam dispositionem ex plenitudine potestatis: hinc Papa dicitur habere concurrentem jurisdictionem cum omnibus Prælatis Ecclesiæ, & quòd ipse sit ordinarius ordinariorum: unde potestas in Pontifice semper est major, ac potior, quàm in quovis alio inferiore Prælato. Tum quia in summo Pontifice hæc potestas est ordinaria, & in inferioribus Prælatis delegata; proinde dependens à potestate delegantis, à qua derivatur.

3 Jure concursus conferuntur beneficia à summo Pontifice, quatenus Papa in conferendis beneficiis quibuscunque ecclesiasticis concurrit cum aliis inferioribus collatoribus, adeo ut si beneficium vacet in quacunque diœcesi, non solùm Episcopus, seu Ordinarius illius diœcesis possit illud conferre, sed etiam summus Pontifex, & jure communi datur etiam locus prævenioni, ut qui prior contulerit, ejus collatio

præferatur: quia ſicut ſummus Pontifex cum omnibus Epiſcopis, & Prælatis inferioribus concurrit in jurisdictione *c. qui ſe 12. cauſ. 2. q. 6.* ita habet etiam facultatem conferendi beneficia vacantia in quacunque diœceſi. Tum quia jurisdictio eccleſiaſtica, & potestas ordinandi Eccleſias reſidet in ſucceſſoribus S. Petri tanquam in capite totius Catholicæ Eccleſiæ, adeo ut in aliis Prælatis non ſit talis poteſtas, niſi per communicationem, derivationem, vel de-
4 legationem.

Unde tametſi ſummus Pontifex conceſſerit facultatem Ordinariis conferendi beneficia, ſibi tamen ſemper reſervat majorem, & ſupremam poteſtatem, quâ non poteſt ſe privare; imò collatio facta eodem tempore à Papa cùm alio Prælato inferiore eſt ſemper præferenda, ut etiam collatio facta à ſuo Legato, ex ſuppoſitione quòd neuter ex duobus proviſis poſſideat, alioquin cui priùs collatio facta eſt, is debet præferri, quia tunc melior eſt conditio poſſidentis, ut notat Barbos. *in collect. hic num. 9.* adeo ut proviſus ab ordinario debeat præferri proviſo à Papa, dummodo ſit in poſſeſſione juſta, quia injuſtus poſſeſſor non debet gaudere privilegio, vel commodo poſſeſſionis. Eodem pacto ſi Vicarius generalis ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi beneficium vacans conferat Petro; & Epiſcopus eadem die idem beneficium conferat Paulo, & ignoretur, quis ex illis alterum prævenerit in conferendo, neuterque ex proviſis beneficium poſſideat; tunc præferenda eſt collatio Epiſcopi, ut facta à digniore, ac majore, quia major eſt poteſtas Epiſcopi, quàm Vicarii, cùm hic dependeat ab Epiſcopo, à quo accipit etiam poteſtatem.

5 Hinc ut habetur *in c. hi qui in 6. h. t.* receptus in canonicatum authoritate apoſtolica eſt præferendus in præbenda aliis receptis, etiam authoritate Legati. Quòd ſi Legatus habeat ſpeciale mandatum, tunc dicitur receptus authoritate apoſtolica, & præfertur. Ubi notat Gloſſa quod quando unus habet jus à Papa, & alter ab inferiori non valet regula, *quod prior in tempore, fit potior in jure*, ſi agatur de jure ad rem: quia illa regula juris, quæ eſt *54. in 6.* locum habet in his, quorum cauſa eſt æqualis, & utriusque jus etiam æquale; non item ſi cauſa ſit diſpar, & jus inæquale, cum gratiæ, & privilegia non æſtimentur ex tempore, ſed potiùs ex cauſis, & perſonis, ut notat Ancharanus *hic not. 3.* ubi ait, quòd præfata regula fallit, quando plures non concordant ex diverſis titulis, quia tunc prærogativa tituli præferenda eſt prærogativæ temporis, adeo ut, qui à digniore promotus eſt præferri debeat ei, qui à minore, ſeu minus digno promotus eſt, tametſi ejus promotio tempore præceſſerit aliam: & quia ſummus Pontifex eſt major, ac dignior quocunque alio Prælato eccleſiaſtico; ideo promotus à ſummo Pontifice eſt ſemper præferendus promoto ab alio Prælato eccleſiaſtico. Valet tamen præfata regula *quod prior in tempore, fit potior in jure* ſi agatur de jure in re, ſeu in beneficio, quia ſi conſtet, quod alicui fuerit collatum beneficium vacans ab inferiore, & ab eodem acceptatum, tunc is præferri debet ei, cui poſterius idem beneficium fuit à Papa collatum, eò quia tunc prior tempore acquiſiverit jus in re, & non ſolùm ad rem, quia per acceptatum beneficium acquiſivit jus in illo.

Jure devolutionis confertur beneficium, 6
quando ratione criminis, ut ob ſimoniam confidentiæ, vel ratione negligentiæ collatoris jus conferendi devolvitur ad ſummum Pontificem ex diſpoſitione canonum. Hinc ſi Epiſcopus, quando ad ipſum collatio pertinet intra tempus ſex menſium præfixum beneficia vacantia conferre intermiſit, collatio ea vice ad capitulum devolvitur: quòd ſi collatio ad capitulum pertineat, & hoc intra ſemeſtre conferre negligat, tunc facultas devolvitur ad Epiſcopum, qui ex Conſilio Religioſorum virorum illud conferre debet. Quòd ſi uterque Epiſcopus, & Capitulum conferre neglexerint, tunc Metropolitanus abſque eorum contradictione conferre debet, ut ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. relato *in c. nulla 2. de conceſſ. prabend. §. ſi autem*: ſiquidem poteſtas conferendi beneficia devolvitur gradatim ab inferiore ad proximum ſuperiorem, donec deveniatur ad Papam, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de devolut. num. 24.* & id etiam procedit in collatoribus regularibus, ſiquidem eorum poteſtas ob negligentiam in conferendis beneficiis devolvitur ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium loci, in quo ſita ſunt beneficia, adeo ut poſſit illa conferre tanquam Ordinarius, ſi Prælati illi non ſint exempti, alioquin confert tanquam delegatus ſedis apoſtolicæ, ſi ſint exempti, ac Papæ immediatè ſubjecti, ut habetur *in clement. unic. de ſupplend. neglig. Prælat.* Barb. *lib. 3. jurè eccleſiaſt. c. 13 n. 109.*

A capitulo Eccleſiæ cathedralis negligen- 7
te in conferendis beneficiis devolutio fit ad Epiſcopum tanquam immediatè ſuperiorem, & vice verſa ab Epiſcopo negligente intra ſemeſtre devolutio fit ad capitulum, idque jure ita diſponente ob communionem inter Epiſcopum, & Capitulum, tanquam inter caput, & membra ejusdem corporis, ut defectus capitis ſupplea-tur à reliquo corpore, quod tamen procedit de ſolis beneficiis ſpectantibus ad collationem Epiſcopi jure proprio; quatenus eſt Epiſcopus illius Eccleſiæ, quia capitulum aliquo modo etiam cenſetur participare in tali jure, non verò in his, quæ ſpectant ad Epiſcopum jure devoluto; quia ſi Ordinarius collator inferior negligens fuerit in conferendo; tunc ſi etiam Epiſcopus fuerit negligens in conferendo tale beneficium; non devoluitur poteſtas illud conferendi ad capitulum, ſed ad proximum ſuperiorem, ſeu Metropolitanum, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de devolut. num. 22.* quia quando Epiſcopus confert jure devolutionis non eſt tanta communio inter Epiſcopum, & capitulum, ſicut in beneficiis ſpectantibus ad illum jure proprio, ſiquidem in devolutis non confert tanquam Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ, ſed merè per accidens, quatenus eſt ſuperior Ordinarii collatoris, ob cujus negligentiam devoluitur ad ipſum jus conferendi beneficium.

Hinc

Hinc quamvis Epiſcopus etiam neglexerit collationem beneficii ex jure ad ſe devolutam, capitulum non habet jus illud conferendi: quòd ſi is ad quem pertinet collatio non jure proprio, ſed devoluto, beneficium conferat ante devolutionem factam, non valet collatio ob defectum poteſtatis in conferente; ut etiam ſi ante devolutionem contulerit, & poſtea ea convaleſcat, collatio ab initio eſt nulla: unde neceſſarium eſt, ut poſtquam ad ipſum jus conferendi beneficium devolutum eſt, illud denuò conferat: quia habetur pro non dato, quod ab illo datur, qui non habet poteſtatem dandi, ut notat Garzia *de benefic. p. 10, c. 3. num. 31.* Cæterum quando jus conferendi beneficia inferiora ob negligentiam alicujus in conferendo devolvitur ad ſuperiorem, is intra ſex alios menſes computandos à die, quo ſcivit illud jus ad ſe devolutum eſſe, habet liberam poteſtatem conferendi tale beneficium; & elapſo ſemeſtri ad conferendum jure præfixo non poteſt ampliùs moram purgare, & beneficium conferre, quia poteſtas conferendi ipſo jure ad alium jam eſt translata.

Dignitates infra Epiſcopatum, & Abbatiam, ac alia beneficia regulariter conferri debent intra ſex menſes ab iis, ad quos pertinet jus talia beneficia conferendi, alioquin jus devolvitur ad proximum immediatum ſuperiorem. Similiter ſi patronus laicus non præſentet intra quatuor menſes, & eccleſiaſticus intra ſex, beneficium efficitur liberum, & ejus diſpoſitio devolvitur ad eum, cujus eſt inſtituere. Cæterum ſummus Pontifex rarò utitur jure prævention is, ut nec etiam jure concurſûs ad vitandas confuſiones, & lites; proinde in pluribus eccleſiis reſervavit ſibi certos menſes, quibus confert relictis aliis Ordinario: hinc niſi ex fundatione beneficii, aut legitima præſcriptione jus conferendi alteri competat, ut Capitulo, Decano, Abbati, vel alteri eccleſiaſtico; in quacunque Diœceſi Epiſcopus eſt proprius collator omnium beneficiorum; ſiquidem is in ſua Diœceſi eſt moderator ſacrorum, & ad ipſum pertinet omnia ſacra officia conferre. Ex conſuetudine tamen certum eſt, quòd Epiſcopi commorantes in curia Romana non poſſint ulla beneficia conferre, tametſi vacent in propria Diœceſi, ſed debeant è curia exire, ut valeant ea conferre *ex regula 1. cancell. extravag. ad regimen. de prabend.* Beneficia verò, quæ vacant in curia pertinent ad Pontificis diſpoſitionem; talia ſunt eorum, qui ſunt de curia Romana, vel Romæ moriuntur, vel propè Romam ad duas dietas, ſeu ad milliaria italica 40. ut etiam pertinet ad ſummum Pontificem conferre beneficia eorum, qui ibi reſignant.

10 Vicarius generalis Epiſcopi nequit beneficia conferre niſi ex ſpeciali mandato Epiſcopi, quia ea quæ ſunt juſtitiæ, & neceſſitatis, vel etiam voluntariæ jurisdictionis, non tamen quæ ſapiunt gratiam, poteſt expedire: collatio autem beneficiorum eſt mera gratia, cùm ſit quædam donatio; proinde ad id requiritur mandatum ſpeciale Epiſcopi *c. fin. de offic. vicar. in 6.* Mandatum autem ſpeciale dicitur habere, ſi in eo ſit adjecta clauſula generalis: *& ad omnia alia etiam ſi mandatum exigatur ſpeciale.* Cæterum licèt Vicarius non poſſit præſentare, poteſt tamen electos, & præſentatos confirmare, & inſtituere, cùm id ſit potiùs juſtitiæ, & neceſſitatis. Laici verò nullum jus habent conferendi hujusmodi beneficia, neque inſtituendi, nec confirmandi *c. cùm ex eo de elect. in 6. c. nuic. de jure patronat. in 6.*

Immo neque præſcriptione, vel conſuetudine poſſunt tale jus ſibi comparare, quamvis ſit conſuetudo temporis longiſſimi, & immemorialis, ut notat Azorius *lib. 6. c. 25. q. 19.* Poſſunt tamen ex indulto, & privilegio Papæ: hinc nonnunquam tale jus conceditur Imperatoribus, & Regibus, ut notat idem Azorius *loc. cit.* Habet tamen laicus jus præſentandi ad beneficia vacantia, & hoc jus vocatur jus patronatus, quod ut ſuperiùs diximus, eſt duplex; ſcilicet jus patronatus eccleſiaſtici competens alicui ex eo, quòd ex bonis eccleſiaſticis Eccleſiam fundaverit, exſtruxerit, vel dotaverit; & aliud eſt jus patronatûs laici, quod competit alicui ex eo, quòd ex bonis patrimonialibus, ſeu ſæcularibus Eccleſiam fundaverit, & hoc jus poteſt etiam acquirere fœmina, ſi ſit jus hæreditarium, & ad illam tranſiverit *c. fin. de conceſſ. prabend c. ex litteris de jure patronat.* 11

Quoad collationem beneficiorum, quæ fit à ſummo Pontifice multum intereſt, an ſummus Pontifex conferat alicui beneficium ad ejus ſupplicationem; an verò motu proprio ſine ulla præcedente ſupplicatione: ſiquidem quando præcedunt preces; & præmittitur ſupplicatio, tunc juris interpretatione talis ſupplicatio ſapit aliquam ambitionem; & quæ conceduntur beneficia, non ſunt favorabilia, ſed ſtrictæ interpretationis, ut habetur *in c. quamvis 4. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd litteræ ſuper obtinendis beneficiis debent ſtrictè interpretari, quia ſunt ambitioſæ, & odioſæ. Quamobrem ſi ad petitionem alicujus ſummus Pontifex ſimpliciter mandet provideri eidem de beneficio, tale reſcriptum debet intelligi ſolum de beneficio ſimplici, & non de curato, & multò minus de electivo, aut cononicatu in Eccleſia cathedrali, ut deſumitur *ex d. c. quamvis 4. h. t.* ubi dicitur, quòd quando Papa mandat, ut quis providearur de beneficio in aliqua Eccleſia civitatis, vel Diœceſis, non intelligitur in Eccleſia cathedrali, quamvis aliàs ſub nomine Eccleſiarum civitatis intelligatur cathedralis, & habetur etiam *in c. in illis 16. h. t. in 6.* 12

Quòd ſi petas, quomodo intelligatur, quòd Pontifex motu proprio, & non ad ſupplicationem alterius conferat beneficia eccleſiaſtica. Reſpondetur, tunc beneficium conferri motu proprio à ſummo Pontifice, quando in reſcripto ponitur clauſula *motu proprio*: tunc enim intelligitur, quòd ſummus Pontifex motu proprio conferat beneficium illud, tametſi beneficiatus fortaſſis pro tali reſcripto ſupplicaverit eidem Pontifici *c. ſi motu 23. h. t. in 6.* Rebuffus *in prax. benef. in tit. de ſignatura gratia. n.* 18. Rurſus clauſula illa *motu proprio* expreſſa, & adjecta reſcripto duos habet effectus, quorum 13

pri-

primus est, ut si alicui Papa mandet provideri de aliquo beneficio in Diœcesi vacante, & eo tempore plura vacent, ex vi clausulæ adjectæ debeat conferri, quod est pinguius: quòd si beneficia æqualia fuerint, optio datur eligendi illi, in cujus favorem Pontifex rescripsit *c. si pluribus 24. h. t. in 6.* secus si ad supplicationem alicujus sine clausula *motu proprio* mandat Pontifex conferri beneficium, tunc virtute talis rescripti minus beneficium confertur: quòd si beneficia vacantia sint æqualia Ordinarius eligit, quod conferat, cui Papa rescripsit, ut desumitur *ex c. si pluribus h. t.* siquidem in beneficiis, quæ conceduntur motu proprio interpretatio fit latissimè, ut habetur *in c. quamvis 4. h. t.* ubi dicitur, quòd beneficialis sit latissimè interpretanda.

Secundus effectus præfatæ clausulæ *motu* 14 *proprio* est, quòd rescriptum non reddatur invalidum, nec censeatur subreptitium, quamvis nullam faciat mentionē præhabiti beneficii *c. si motu, & clement. si Romanus h. t.* Secus in rescripto quod conceditur simpliciter ad petitionem, si aliquod beneficium præhabitum non exprimatur in supplicatione, qualecunque illud sit, censetur rescriptum subreptitium, ut desumitur *ex d. c. si motu.*

Non tamen clausula *motu proprio*, ut etiam 15 nec illa alia: *non obstante, quòd aliud beneficium obtinere noscaris*, operantur dispensationem super beneficiorum incompatibilium pluralitate, nisi Papa aliis verbis expresserit talem dispensationem: sed præfatæ clausulæ tantùm operantur, ut gratia summi Pontificis, non habeatur subreptitia, nec censeatur inutilis *c. non potest 21. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando providetur, ut quis possit habere aliquod beneficium, non obstante quod aliud obtineat, non est dispensatum, ut duo beneficia habeat, sed solùm quòd gratia facta suum sortiatur valorem, & non judicetur subreptitia, ut etiam notat Gonzales *ad regulam 8. cancel.* Glossa 15. *num.* 27. Quòd si quis dubitaret, an provisio Papæ ex aliqua causa impugnari possit, eò quia falsum fuerit ipsi narratum, vel veritas eidem occultata; tunc qui beneficium obtinuit, non potest illo frui, nisi aliud novum rescriptum impetret à summo Pontifice, & in quo Pontifex priorem gratiam confirmet, ratámque habeat, perinde, ac si impetrans beneficium ab initio nil reticuisset, & vera narrâsset.

Est etiam effectus hujus rescripti, quòd faciat 16 valere gratiam à tempore primæ impetrationis, adeo ut fructus, qui ab eo tempore percepti sunt, tuta conscientia retineri possint, dummodo de ipsa perceptione fructuum fiat mentio in impetratione posterioris rescripti, adeo ut impetrans post ejus rescriptum supplicaverit Papæ, ut tradit Rebuffus *in prax. benefic. in tit. de rescript.* Præterea aliud est, quòd Papa provideat alicui de beneficio, & aliud quòd mandet provideri de beneficio; siquidem provisio est actualis collatio determinati beneficii, vi cujus provisus statim acquirit jus: secus mandatum de providendo habetur quando Papa suas dirigit litteras ad Ordinarium, cui mandat, ut alicui clerico de beneficio plerumque indeterminato, & tunc in Ecclesia vacante, vel proximè vacaturo provideat, & tunc Mandatarius non potest plus facere, quàm sibi in rescripto demandatum fuerit.

Hinc si Pontifex mandet, ut clerico provi- 17
deatur de beneficio proximè vacaturo, & ille clericus negligenter omiserit petere beneficium, quod primò vacavit post impetratas litteras mandati, seu rescripti; non potest postea aliud proximè vacaturum eidem conferri; quia rescriptum Papæ tantùm fuit de primo beneficio vacaturo, quod tamen intelligitur nisi fuerit jam ante receptus in canonicum alicujus Ecclesiæ cathedralis, cui ipso jure debeatur præbenda, quandocunque vacatura; vel nisi ex inculpata ignorantia, vel aliquo impedimento omiserit petere beneficium, tunc vacatum post impetratum rescriptum, ut desumitur *ex c. si clericus 11. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando Papa mandat, ut provideant Petro de præbenda primò vacatura, & postea eundem recipiant in canonicum, si Petrus est negligens in petenda prima præbenda, gratia expirat, & non potest secundam petere, quia non est canonicus: secus si Papa confert Petro jus canonicæ & factus est canonicus authoritate apostolica, & mandat canonicis, ut conferant præbendam primò vacaturam, & Petrus fuit negligens in illa petenda; potest adhuc aliam petere: quia gratia non est extincta, & præfertur aliis (non tamen authoritate pontificia expectantibus) aliàs facta collatio aliis in præjudicium Petri eo ipso non valet. Ubi notat Glossa, eum non esse negligentem, qui non habet potestatem experiendi *c. ult. de elect.* & pertinere ad Judicem judicare de negligentia arbitrio boni viri *c. cupientes de elect.* rursus si fuit negligens, & præbenda nondum fuit collata, adhuc potest illam petere *c. si tibi absenti h. t. 17.*

Rursus mandatum simplex de beneficio ci- 18
vitatis non intelligitur beneficium Ecclesiæ cathedralis, nisi ejusdem fiat expressa mentio, vel mandetur de beneficio Provinciæ *c. quamvis 4. h. t. in 6.* Neque beneficium curatum, neque electivum, vel simplex; præsertim si rescriptum fuit concessum ad preces illius, in cujus favorem Papa rescripsit. Quòd si mandetur provideri de beneficio, quod ad alterius collationem pertinet; mandatum non procedit de beneficio pertinente ad alterius institutionem, vel præsentationem, aut ad plurium collationem conjunctim, ut desumitur *ex cap. cum illis 16. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando Papa mandat, aliquem provideri de personatu, dignitate, vel aliis beneficiis, quibuscunque, non intelligatur de curatis, nisi mentionem faciat de habentibus curam animarum: neque intelligatur de beneficiis, ad quæ per electionem solent assumi, nisi fiat expressa mentio.

Præterea, cùm collatio, præsentatio, & in- 19
stitutio maximè differant, si Papa mandet provideri de beneficio spectante ad collationem, alicujus, non extenditur mandatum ad beneficium spectans ad præsentationem, vel institutionem, neque è contra, quia debet ex natura

sua

ſua reſtringi. Rurſus ſi mandat provideri de beneficio ſpectante ad collationem, vel præſentationem aliquorum non extenditur ad beneficium ſpectans ad collationem, vel præſentationem alterius illorum, niſi addatur communiter, & diviſim, & è contra. Rurſus ſi mandat provideri de beneficio ſpectante, ad collationem unius non extenditur ad beneficium ſpectans ad collationem plurium.

20 Hinc quoad collationem beneficiorum curatorum, & electivorum, non ſufficit qualiscunque mentio curæ, vel electionis in mandato apoſtolico facta, ſi talis mentio poſſit habere alium ſenſum, & pati aliam interpretationem, quàm ut præcisè ad extenſionem gratiæ, & conferendum beneficium curatum, ſeu electivum intelligatur, ut deſumitur *ex c. ſi dignitatem 1. in clement. h. t.* ubi habetur: ſi habens dignitatem petit aliam, quæ habet curam animarum, & Papa diſpenſet, ſed in litteris non fuit poſitum, quòd illa dignitas habebat curam, ſed fuit appoſita clauſula, *proviſo, quòd cura animarum nullatenus negligatur*, non poteſt provideri de beneficio, quod habet curam animarum.

21 Item ſi mandat provideri de dignitate pertinente ad collationem, diſpoſitionem quorumcunque, & inhibet illis, ad quos ſpectat collatio, proviſio, vel electio, non poteſt provideri de beneficio electivo, ſeu quod per electionem datur: quia in diſpoſitione non meminit de electione: quia reſcriptum non eſt ad augendum, ſed ad exequendum: unde Gloſſa notat, quòd impetrans beneficium debeat facere mentionem de qualitate illius ſui beneficii; an ſit cum cura, & debet petere diſpenſationem de incompatibili, alioquin tametſi Papa faciat mentionem de incompatibili, non tamen videtur diſpenſare *c. non poteſt in 6. h. t.*

22 Sècus tamen contingit, ſi in reſcripto adjiciatur clauſula *motu proprio*. Pari pacto cui mandatur provideri de præbenda non ſacerdotali, ſeu quæ non habet annexum ordinem ſacerdotii, vel de præbenda integra; ubi in aliqua Eccleſia eſſent præbendæ integræ, & dimidiatæ; vel de præbenda certi valoris, ei etiam volenti non poteſt ex tali mandato conferri præbenda ſacerdotalis, aut dimidia; quæ minoris ſit valoris *c. cui de non ſacerdotali 27. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd mandata Papæ non debeant extendi ad alios caſus, quàm ad expreſſos, & ideo cùm mandatur alicui provideri de præbenda non ſacerdotali, non poteſt provideri de ſacerdotali etiam volenti. Pari pacto ſi mandatum eſt de integra præbenda, non poteſt provideri de dimidia etiam volenti. Item ſi de præbenda certi valoris mandetur, non poteſt de minori etiam volenti provideri. Excipiuntur tamen xenodochia, leproſaria, hoſpitalia, & eorum Eccleſiæ; ac jura ſpiritualia, ut hæc in generali mandato Papæ non cenſeantur comprehenſa ſub quavis verborum formâ, unde de ipſis debet fieri expreſſa mentio, ut deſumitur *ex clement. c. per litteras 2. h. t.* ubi habetur, quòd quando Papa, vel Legatus ſcribit, ut provideant clericum, non intelligitur de xenodochiis eleemoſynariis, Hoſpitalibus, etiamſi habeant capellas, decimas, aut alia jura ſpiritualia, niſi hoc in litteris exprimatur.

Quia verò perſæpe fit mentio *ſignaturæ* 23
papalis, datæ, expeditionis litterarum declarandum eſt, quid hi termini propriè ſignificent. Supponendum eſt, hunc eſſe ſtylum curiæ, & cancellatiæ Romanæ, ut cùm primùm porrigitur libellus ſupplex pro impetrando beneficio, ſuper eodem libello per officialem curiæ, qui Datarius vocatur, ſtatim dies præſentationis, ſeu porrectionis libelli notetur, & hæc notatio propriè dicitur *parva data*. Quando verò ſummo Pontifici exponitur poſtea deſiderium ſupplicantis, ſignat ipſe, ſeu ſubſcribit, *fiat, aut conceditur*, vel quid aliud ſimile, vel mandat hoc idem ſubſcribi per alium adjunctis clauſulis, quas in reſcripto ſuper hac gratia conficiendo, & expediendo vult inſeri, & extendi: & hæc ſecunda notatio, ſeu ſubſcriptio propriè dicitur *ſignatura gratiæ papalis*, cui deinde Datarius addit datam, ſeu notat diem, quo Pontifex conceſſit gratiam: & hæc data regulariter intelligitur, quando canones, & juriſperiti loquuntur de data, & quòd reſcripta dicantur habere ſuum effectum à tempore datæ juxta *cap. ſi eo tempore 9. de reſcript. in 6.*

Hinc licèt ex ſola ſignatoria etiam ante 24
expeditionem reſcripti, & litterarum Apoſtolicarum, dicatur gratia perfecta, & ſupplicanti jus in beneficio quæſitum: nihilominus id ſemper intelligitur, dummodo ſignatura jam habuerit adjunctam *datam*. Rurſus ex ſola ſignatura ante expeditionem litterarum per quandam conſtitutionem Pij V. quæ incipit *ſanctiſſimus in Chriſto Pater* ſub pœna amiſſionis gratiæ obtentæ, prohibitum eſt adire poſſeſſionem beneficii, quia ante expeditionem litterarum gratia dicitur informis; adeo ut non liceat judicare, nec diſpenſare juxta formam ſupplicationum, litteris non expeditis per regulam cancellariæ, ut notat Covarruvias *ad reg. poſſeſſ. p. 2. §. 10. n. 10.*

§. VIII.

De collatione beneficiorum, quæ fit per Legatos ſedis Apoſtolicæ, & inferiores Ordinarios.

EX ſpeciali indulto poſſunt Nuncii ſedis 1
Apoſtolicæ conferre beneficia reſervata ſimplicia, quæ non excedunt valorem 24. aureorum de camera, ut notat Garzia *de benefic. p. 5. c. 3. §. 1. num. 83.* An verò etiam ſede vacante poſſint conferri hujusmodi beneficia; videtur ab aliquibus dubitari, eò quia ſede vacante ceſſet reſervatio; proinde non videantur Nuntii poſſe id temporis conferre talia beneficia, eò quia non ampliùs pertineant quoad collationem ratione reſervationis ad ſedem Apoſtolicam.

Verùm communior opinio, & quidem 2
probabilior eſt, poſſe Nuntios etiam ſede vacante

cante conferre ea beneficia, quæ antea poterant ex ſpeciali indulto conferre. Ratio eſt, quia facultas Nuntii, eſt facultas ordinaria circa ea omnia, quæ ipſi tanquam Nuntio ſedis Apoſtolicæ conceduntur: proinde ejus facultas non cenſetur expirare per mortem Pontificis,& deſumitur *ex c. 2. de offic. delegat. in 6.* Rota *deciſ. 48. num. 7. tom. 2. p. 4. recent.* Hinc ex praxi conſtat,Nuntios apoſtolicos de facto exercere ſuam jurisdictionem etiam tempore ſedis vacantis: quia tametſi Nuntius dicatur miſſus ad nudum miniſterium; nihilominus remanet ſemper Nuntius Apoſtolicæ ſedis, ut notant Gloſſa *in c. 2. V. declaramus de obligat.* Rota *deciſ. 322. num. 14. tom. 2. p. 4. recenſ.*

3 Neque urget ſi dicas,ceſſare ſede vacante reſervationem, & proinde poſſe ordinarium beneficia illa vacantia in menſibus Apoſtolicis conferre. Nam contra eſt, quia quamvis ceſſet reſervatio, non tamen ceſſat facultas Nuntii conferendi hujusmodi beneficia: ſiquidem ejus facultas fuit abſolutè conceſſa, & non conditionatè, durante ſola reſervatione. Hinc Ordinarius poteſt tantùm concurrere ſimul cum Nuntio ad conferendum beneficium, non verò ita poteſt illud conferre,ut excludat Nuntium. Videtur tamen adhuc in oppoſitum obſtare, quia facultas conceſſa Nuntiis Apoſtolicis non aliter fuit conceſſa, quàm ex præſuppoſito, quòd collatio beneficiorum ſpectet ad Papam, ad quem cùm non ſpectet,niſi ratione reſervationis, ideo ceſſante reſervatione videtur etiam ceſſare facultas Nuntii quoad collationem eorundem beneficiorum: ſiquidem Nuntius non poteſt conferre niſi illa beneficia, quæ ſunt reſervata Papæ, & quia per mortem Papæ ceſſat reſervatio, ita videtur ceſſare facultas Nuntii, quæ præſupponit reſervationem ad Papam: ceſſante enim præſuppoſito ceſſat conceſſio *c. ſi Papa de privileg. in 6. clement. ſi ſummus de ſentent. excommun.* & tradunt Gloſſa *in l. mancipia C. de ſervo fugit.* Alexander *conſil. 126. lib. 5.* Decius *conſil. 63. num. 6.* etenim quod conceditur ex præſuppoſito, conceditur ſub conditione talis præſuppoſiti, ut tradunt Menochius *conſil. 175. num. 12.* Decius *conſil. 644. num. 15.*

4 Verùm licét conceſſio facultatis conferendi beneficia ſit ex præſuppoſito reſervationis: nihilominus ſufficit, quòd præſuppoſitum tunc extiterit, & verum fuerit, quando facta eſt conceſſio: quia cùm præſuppoſitum induat naturam conditionis, ſatis eſt, ſi ſemel verificetur *l. ſi quis heredem C. de inſtit. & ſubſtit. l. heredibus §. ad Trebell. l. Gallus §. quæramus ff. de lib. poſtlimin.* Bald. *in l. cum precibus num. 6. C. de impub. ſubſtit.* Pariſ. *conſil. 32. n. 1. lib. 2.* cum Rota coram Ludoviſio *deciſ. 5. n. 6.*

5 Præterea poſſet facilè negari, quòd facultas conferendi beneficia concedatur Nuntiis ex præſuppoſito reſervationis, quia Pontifex abſolutè concedit ſuis Nuntiis eandem facultatem, unde conceſſio eſt abſoluta, non ex præſuppoſito. Tum quia reſervatio non operatur, quòd facultas conferendi trahatur ad Papam, ſed ſolùm impedit, ne Prælati inferiores talia beneficia conferant, proinde poteſt Papa tanquam dominus omnium beneficiorum conferre quæcunque beneficia tam reſervata, quàm non reſervata *c. præpoſuit. §. licet de conceſſ. prabend. c. 2. de prabendis 6.* ut tradunt Decius *conſil. 137. n. 2.* Pariſ. *conſil. 30. n. 7. lib. 4.*

6 Hinc liquet, facultatem conceſſam Nuntiis conferendi beneficia ſimplicia non excedentia valorem viginti quatuor ducatorum de camera comprehendere etiam beneficia vacantia in menſibus Ordinarii, ut notat Garzia *de beneficiis p. 5. c. 3 num. 132.* quia Nuntii authoritate Papæ habent facultatem conferendi beneficia omnia vacantia ſede vacante.

7 An verò poſſint Nuntii ea conferre beneficia, quæ titulo gaudent Canonicatus, vel Abbatiæ, videtur poſſe dubitari, quia facultas conferendi beneficia, quam habent Nuntii cùm ſit limitata ad beneficia ſimplicia non excedentia valorem 24. ducatorum de camera, non videtur eorum facultas extendi ad beneficia non ſimplicia, cujusmodi ſunt canonicatus, & abbatiæ. Verùm ſi beneficia in ſe ſint ſimplicia, & tantùm gaudeant nomine eorum beneficiorum, quæ non ſunt ſimplicia, nil videtur obſtare, quò minus poſſint Nuntii talia beneficia conferre: quia licèt denominentur canonicatus, vel Abbatiæ; ſi tamen non habeant ſubſtantialia, quibus conſtituuntur beneficia, quæ non ſunt ſimplicia, adeo ut non obligent ad reſidentiam, nec ſint beneficia collegialia,nec ullam habeant adminiſtrationem; non obſtante, quòd nominentur Canonicatus, vel Abbatiæ, adhuc ſunt beneficia ſimplicia, ut tradunt Rebuffus *in prax. tit. ſæculare beneficium num. 1.* Marſil. *volum. de Eccleſiaſt. reddit. orig. p. 2. c. 14. num. 7.* cum Gloſſa *in c. præſenti V. reſervari de offic. Ordinarii in 6.* unde cum talia beneficia, quæ nomine tenus dicuntur canonicatus, vel Abbatiæ, revera ſint beneficia ſimplicia; facultas Nuntii apoſtolici ad eorundem collationem ſe extendit.

8 Quinimmo licèt beneficium aliquam habeat jurisdictionem, dummodo non habeat annexam obligationem reſidendi eſt beneficium ſimplex,ut notat Garzia *de benefic. p. 5. c. 3. num. 95.* ubi de quibusdam Archipresbyteratibus ruralibus habentibus pro munere viſionem computorum quoad Oeconomos Eccleſiarum, & facultatem compellendi ad ſolvendum,aſſerit, quòd ad inſtantiam Cardinalis Pacheci ſacra congregatio Concilii Tridentini declaraverit,tales Archipresbyteratus eſſe beneficia ſimplicia: & Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Gloſſa *6. n. 63.* ſimilem producit declarationem, cujus verba etiam recitat, & ſunt, *ſimplex beneficium eſt Archipresbyteratus, licèt habeat aliquam jurisdictionem, dummodo reſidentia in eo non ſit neceſſaria.*

Idque

9 Idque à fortiori procedit, quia dicta facultas continet privilegium, & beneficium Papæ, proinde latissimè debet interpretari *l. beneficium ff. de constit. Princip. alim. de verb. signif.* ut notant Canonistæ *& cap. quia circa de privileg.* ubi etiam Juristæ *in l. fin §. de constit. Princip.* ideóque debet extendi ad beneficia omnia simplicia, quamvis gaudeant titulo dignitatis, & denominentur canonicatus, & Abbatiæ; quia hujusmodi denominationes non extrahunt beneficium è numero beneficiorum simplicium, & concessio pontificia facta Nuntiis cùm sit favorabilis extenditur ad omnia beneficia simplicia, quamvis diversis titulis, & nominibus gaudeant.

10 Tum quia verba concessionis sunt generaliter de beneficiis simplicibus non excedentibus valorem 24. ducatorum de camera; proinde sunt apta comprehendere beneficia habentia denominationem dignitatis, canonicatûs, vel Abbatiæ, ut declaravit Rota *decis. 741. n. 1. p. 3. recent.* Tum quia solùm nomen non immutat naturam rei nominatæ, proinde non est curandum de nomine, ut notat Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Glossa *5. num. 17.* sed attendi debet beneficii substantia, & natura, an scilicet habeat conditionem beneficii simplicis, vel alterius rationis, nomen enim non constituit rem, sed substantia, & natura, sinè qua nulla res potest subsistere *l. 2. §. de usufruct. ear. rerum, qua usu consumuntur*, & notant Bald. *in l. etiam C. de exhibend. rei judic.* Menoch. *consil. 37. num. 6.* Decius *in l. edicta n. 30. C. de edend.*

11 Rursus Legati de latere de jure communi in Provincia suæ legationis potestatem habent conferendi beneficia, & cum quolibet Ordinario concurrunt: immo est inter ipsos etiam locus proventioni Glossa *fin. in c. 1. de offic. Legat. in 6.* Idque procedit non solùm de beneficiis vacantibus, sed etiam vacaturis ad tempus, quo durat officium legationis, dummodo tamen nulli jus ad tale beneficium ante ejus vacationem concedant. Cæterum Legatus non videtur posse, quod Pontifex facere non solet, ne ulla sequatur perturbatio, & ne impediantur ordinationes, ac præcipitentur collationes beneficiorum.

12 Post summum Pontificem, & ejus Legatos de latere, Episcopi sunt Ordinarii collatores beneficiorum: siquidem habent fundatam intentionem in jure conferendi omnia beneficia suæ diœcesis *c. cum & plantare §. in Ecclesiis de privileg. c. cum ex conjuncto*, & ibi Panormitanus *num. 2. de hæret.* Nomine tamen Episcoporum comprehenduntur etiam Patriarchæ, & Archiepiscopi respectu suarum immediatarum diœcesium. Episcopis æquiparantur reliqui Prælati exempti habentes speciale territorium, & jurisdictionem quasi episcopalem, Glossa *in c. 1. de capellis Monachor.* Panormit. *in c. in Lateranensi de prabend. num. 4.* Immo etiam inferioribus Prælatis, ut Abbatibus, & aliis similibus potest etiam jure præscriptionis, vel ex speciali privilegio, vel ratione fundationis competere jus conferendi beneficia. Non tamen capitulo Ecclesiæ cathedralis sede vacante, nec generali Vicario Episcopi absque speciali mandato conceditur facultas conferendi beneficia, quorum collatio pertinet ad Episcopum; licèt possit capitulum ea conferre, quæ proprio jure ad ipsum pertinent: ratio est, quia collatio beneficii speciem induit donationis, quam nequit administrator rei alienæ facere saltem regulariter, ut desumitur *ex c. fin. de offic. Vicarii in 6.* Glossa *in c. his quæ de majorit. & obed.* 13

Cæterum nec Capitulum, nec Vicarius generalis Episcopi prohibetur instituere præsentatum à Patrono beneficii, quia ex tali præsentatione jus acquiritur præsentato ad beneficium, proinde institutio non censetur donatio, sed accensetur actibus justitiæ *c. 1. de institut. in 6.* Barbosa *de offic. Episcop. allegat. 54. n. 7.* 14

Si petatur quisnam possit canonicatus ecclesiarum cathedralium conferre. Respondetur, juris peritos convenire, collationem canonicatuum de jure ad solum Episcopum non pertinere, eò quia omnium capitularium interest, quales acquirant collegas, proinde subintrat regula, *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ut liquet *ex c. novit de his quæ fiunt à Prælatis.* 15

Sed difficultas est, an collatio canonicatuum pertineat ad Episcopum non simpliciter, sed cum consilio, vel consensu Capituli, vel an simul ad Episcopum, & Capitulum? siquidem aliud est, quòd collatio simul pertineat ad Episcopum, & Capitulum: & aliud, an principaliter ad Episcopum ex consensu tamen, & consilio Capituli: et quia priori modo Episcopo suspenso à collatione, vel mortuo, potest conferre solum Capitulum, & è contra, cùm sit utriusque par consideratio: posteriori autem modo, Episcopo mortuo, vel supenso non potest Capitulum se ingerere, cùm principalis collatio sit penes Episcopum, ut habetur *in c. nuis. ne sede vacante in 6.*

Rursus si collatio simul ad Episcopum, & Capitulum pertinet, tunc totum Capitulum, vel major ejus pars unam duntaxat votem, seu unum suffragium censetur habere, & alterum Episcopus; adeo ut, si hæc duo suffragia non consenserint collatio beneficii nulla sit, ut notat Panormit. *in c. cùm Ecclesia 31. de elect. num. 11.* nec sufficit, si aliqui canonici consentiant cum Episcopo, quia tunc non attenduntur suffragia canonicorum, sed suffragium capituli, ad quod constituendum sufficit major pars canonicorum, adeo ut Capitulum cum omnibus suis canonicis non conficiat nisi unicum suffragium respectivè ad Episcopum. 16

Cæterum valet consuetudo, quòd collatio canonicatuum in mensibus Ordinariorum vacantium pertineat, vel ad solum Capitulum, vel ad solum Episcopum, ut desumitur *ex c. cùm Ecclesia c. ex parte de concess. prabend. c. ex frequentibus de institut.* 17

De jure tamen probabilius est, collationem canonicatuum pertinere simul ad Episcopum, & Capitulum: quia *in d. c. cum Ecclesia 31. de elect.* reprobatur petitio Episcopi vindicantis sibi soli electionem canonicorum: ex quo deducitur 18

hujusmodi electionem non pertinere ad solum Episcopum, nec ad solum Capitulum, sed ad utrumque simul, si de jure loquamur, & hanc sententiam fuisse pluries in Romana Rota approbatam refert Barbosa *in tract. de canonicis c. 14.* etiam Gonzales *ad regulam 8. cancellar.* Glossa *45. num. 36. & num. 50.* Cæterum consuetudo locorum, vel maximè attendenda est, quia in aliquibus Ecclesiis soli Episcopo competit jus eligendi canonicos, in aliis soli Præposito, vel Decano Ecclesiæ collegiatæ ex consensu capituli.

19 Beneficia parochialia ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. c. 18.* non nisi per concursum conferuntur: & forma concursûs hæc præscribitur: ut vacante Ecclesia parochiali per publicum edictum vocentur omnes cupientes promoveri ad talem parochiam; & comparentes debent examinari per Examinatores certos deputatos in Synodo diœcesana; & qui digni reperti fuerunt, sunt Episcopo denunciandi, ut ex illis eum seligat in parochum, quem reliquis digniorem esse censuerit, spectatâ non solùm doctrinâ, verùm etiam morum probitate, & personæ idoneitate.

20 Sin verò beneficium curatum fuerit reservatum, adhuc Episcopus debet concursum instituere, & dignioremsummo Pontifici pro collatione denunciare ex Bulla Pij V. juxta Tridentinum *sess. 18.* Excipiuntur tamen ab hoc concursu illæ parochiæ, quæ ad jus patronatûs laicorum pertinent, quia ad has promovendi sunt digni, quos patronus laicus præsentaverit, si ideonei deprehensi fuerint per examen. Quòd si jus patronatûs fuerit ecclesiasticum, tunc habet locum concursus, & patronus ecclesiasticus, debet illum præsentare, quem inter probatos ab examinatoribus judicavit digniorem esse ex cod. Concil. Trid.

§. IX.

De pluralitate beneficiorum compatibilium, & incompatibilium.

1 TAmetsi plura simul habere beneficia ecclesiastica non sit intrinsecè malum, ac proinde possit dispensari: neque sit aliquid omnino indifferens ad bonum, vel malum, sicut est ambulare, scribere, loqui; sed sit aliquid quod quamdam speciem mali præseferat, & aliquam involvat inordinationem: nihilominus potest concurrentibus certis circumstantiis ita honestari, ut collatio plurium beneficiorum licita sit. Hæc tamen collatio potest deformitatè continere si absquæ necessitate, & justa causa fiat: ut etiam si beneficia sint talia, quæ ex prima sua institutione non possint simul ab eodem clerico administrari: qua ratione, ex beneficiis alia dicuntur incompatibilia, quæ vel jure naturali, vel jure communi ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto, aut fundatione continuâ personalem residentiam exigunt, & cùm clericus non possit simul esse in pluribus locis; ideo hujusmodi beneficia dicuntur incompatibilia, cujusmodi sunt duo Episcopatus, duæ parochiæ. Alia compatibilia, & sunt quæ non exigunt personalem residentiam, quapropter simul possunt obtineri.

2 Rursus ex beneficiis incompatibilibus alia sunt simpliciter incompatibilia, adeo ut unum ipso jure excludat alterum, adeòque obtento uno ipso jure censeatur vacare aliud: & talia sunt beneficia, quæ curam habent animarum. Alia sunt incompatibilia secundùm quid, quæ tametsi licitè non possint simul retineri absque dispensatione, non tamen ita inter se pugnant, ut obtento uno statim intelligatur vacare aliud, tametsi possit quis illo privari per superiorem, cujusmodi sunt duo canonicatus in diversis ecclesiis, & alia beneficia non exigentia residentiam personalem, eò quia non habeant personatum, nec curam animarum annexam, nec sint uniformia sub eodem tecto, licèt simplicia sint.

3 Dicuntur beneficia uniformia, quæ in eadem Ecclesia sunt instituta ad eundem finem, & habent idem prorsus onus, & officium eodem tempore explendum, ut notat Piasecius *in praxi Episcop. p. 2. c. 5. art. 3. num. 73.* sub eodem tecto dicuntur esse beneficia, quæ fuerunt fundata non solùm in ipsa Ecclesia principali, sed etiam in eadem capella, vel Cœmeterio, aut ambitu contiguo Ecclesiæ: non item quæ sita sunt in capella, vel cœmeterio non contiguo principali Ecclesiæ, adeo ut sint extra illius sepia, ut notat Garzia *p. 11. de benefic. c. 5. n. 256.*

4 Rursus juvat observare, quòd ex beneficiis incompatibilibus, aliqua residentiam totius anni, vel majoris ejus partis exigunt; & alia quæ residentiam trimestrem, vel semestrem requirunt; hæc beneficia non dicuntur simpliciter incompatibilia, eò quia cùm possit clericus diversis temporibus pluribus esse in locis, ideo suo ritè beneficio potest satisfacere, obeundo suum munus in pluribus Ecclesiis. 5 Alia beneficia exigentia residentiam totius anni ex naturâ suâ sunt incompatibilia, & nonnisi ex speciali dispensatione summi Pontificis potest quis illa obtinere, ut habetur *in regula 3. Cancellariæ* & docet Gonzales *ad regul. 8. cancell.* Glossa 15.

5 Immo ordinariè non est licitum, quòd clericus plura obtineat, ac retineat beneficia, sive hæc simplicia, sive qualiacunque fuerint, quæ continuam residentiam personalem non postulent, si unum illorum ad honestam, & congruam sustentationem clerici sufficiat, ut docet Glossa *in c. dudum 54. V. retinere de elect.* Abbas *in c. extirpanda 30. §. qui verò num. 34. h. t.* ubi dicitur, quòd Presbyteris parochialium danda sit portio sufficiens, ut vivant, non obstante quacunque consuetudine Episcopi; vel patroni, vel alterius: hoc idem etiam habetur in decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III. & refertur *in c. quia in tantùm 5. h. t.* & consentit Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 17. de reformat.* ubi statuitur, quòd impotenti unum tantùm beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, si ad vitam illius, cui confertur honestè sustentandam sufficiat.

6 Hinc per nullam consuetudinem, vel privilegium induci potest, ut clericus si unum, vel plura beneficia ad decentem ejus sustentationem sufficiant, aliud recipiat, ac retineat; nisi justa, & rationabilis causa excuset: siquidem consuetudo, quæ repugnat juri naturali, & secum trahit

trahit peccati malitiam, nullum potest valorem sortiri, & potiùs est abusus, quàm usus, ut desumitur *ex c. penult. & ult. de consuetud.* hinc D. Bernardus dispensationem concessam contra jus naturale dicit, potius esse dissipationem, quàm dispensationem: & pluralitas beneficiorum absque rationabili causa est contra jus divinum, & naturale.

7 Hinc nec potest clericus simul habere duas dignitates, vel personatus sive in una, sive in diversis ecclesiis, ut habetur *in c. ad hoc 13. h. t.* ubi habetur; quòd nemo possit habere plures dignitates, vel personatus; nec in diversis ecclesis, nec in eadem, nisi ex dispensatione speciali summi Pontificis; eò quia plura habere beneficia simul, dissonum sit rectæ rationi, & juri naturæ, & divino exigenti, ut unus unam habeat conjugem carnalem; proinde etiam unam conjugem spiritualem *c. sicut 4. caus. 12. quæst. 2.*

8 Est etiam contra jus canonicum cum ex ejus dispositione singula officia singulos postulent Ministros *c. cum singula 32. h. t. in 6.* ubi habetur: religiosus sine authoritate sedis Apostolicæ non præsumat habere duos prioratus, vel duas Ecclesias habentes curam animarum, etiam si cura debeat exerceri per Presbyteros à se præsentatos, & ab Episcopo institutos, nisi unum beneficium ab alio dependeat, vel ab invicem sint connexa. Et si habens unum alterum recipit, primum statim dimittet, quo ipso jure est privatus: quòd si non fecerit, repellatur ab utroque, & efficiatur ineligibilis. Repugnat etiam rationi juris civilis, quâ cavetur, ne unus adscribatur in duabus militiis *l. 1. §. imposterum C. qui milit. non poss. l. 12.*

9 Hinc nemo potest duo beneficia uniformia, seu similia, quamvis simplicia, ut duos canonicatus sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia simul obtinere, & retinere, ut tradit Garzia, *p. 11. de benefic. c. 5. num. 182.* quia si aliquis duo beneficia conformia, seu similia in eadem Ecclesia habeat, ut duos canonicatus, tunc minuitur numerus canonicorum; proinde defraudatur cultui divino: hinc de jure communi difficilius conceditur, ut quis simul habeat duo beneficia uniformia, seu similia in eadem Ecclesia, quàm in diversis: quapropter, cui à Papa concessum est, ut possit simul duo obtinere beneficia, id intelligitur de beneficiis sitis in diversis Ecclesiis, & de beneficiis non requirentibus personalem residentiam incompossibilem, ut notat Rebuffus *in prax. tit. de dispensat. rat. etiam § incompatibilia num. 5.* Garzia *p. 11. de benef. c. 5. num. 261.* cujusmodi sunt duo canonicatus diversarum Ecclesiarum in locis illis, ubi servatur decretum Concilii Tridentini *sess. 25. c. 12. de reform.* juxta quod canonicis non licet ultra tres menses quolibet anno à suis Ecclesiis abesse.

10 Cæterum in cathedralibus Ecclesiis Germaniæ ex recepta immemoriali consuetudine non requiritur perpetua totius anni residentia, sed tantum medii anni, vel quatuor, aut trium mensium. Propterea earum canonicatus, ac præbendæ non solent computari inter beneficia incompatibilia, cùm non exigant incompossibilem residentiam, sed possit illis satisfieri residendo singulis annis per tot menses in singulis Ecclesiis, quot in iisdem requiruntur; quo fit, ut unus, ac idem clericus sit canonicus Salisburgi, & Passavii, & resideat in utraque Ecclesia tempore debito.

Cæterum potest quis simul obtinere, ac retinere duo beneficia curata unum per se, & alterum accessoriè, etiam sine dispensatione, ut si quis obtineat Archidiaconatum habentem curam animarum, cui accessorie annexa sit Ecclesia parochialis, ut liquet *ex c. super eo 6. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. rescribit, quòd habens Personatum possit habere simul & præbendam, cui sit annexa Ecclesia parochialis cum cura animarum absque dispensatione. 11

Neque obstat decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quod refertur *in c. de multa 28. h. t.* ubi habetur, quòd habens personatum, & beneficium curatum, si aliud simile accipiat ipso jure privatus est primo; & si contenderit retinere illud, spolietur etiam altero: quia in hoc decreto Concilii tantùm prohibetur, ne quis plures dignitates curatas, vel plures Ecclesias parochiales simul obtineat, non verò quòd qui dignitatem habet, seu personatum, cui per se annexa est animarum cura, ut est archidiaconatus, vel diaconatus, si accessoriè, & per accidens annexa ei sit Ecclesia parochialis extra cathedralem Ecclesiam censeatur habere duo beneficia curata, proinde debeat alterutro carere: siquidem Ecclesia parochialis accessoriè annexa dignitati, vel etiam præbendæ canonicali dicitur esse extincta, proinde censetur simplex beneficium non curatum, ut notat Glossa *in d. c. de multa*: & ratio est, quia tunc cura animarum actualiter, & quoad exercitium est penes Vicarium, quem is qui dignitatem, vel canonicatum habet in Ecclesia parochiali, debet sibi substituere, ut liquet *ex c. exposuisti 33. h. t.* unde penes principalem cura animarum est tantum habitu, si sermo sit de cura fori pœnitentialis; & quoad actum, seu exercitium est penes substitutum, seu Vicarium: tametsi jurisdictio fori externi, & contentiosi maneat apud principalem, seu habentem personatum, vel dignitatem, cui annexa sit parochia. 12

Tum quia Ecclesia parochialis ob unionem, seu accessionem ad alterum beneficium sortitur naturam, & conditiones ipsius beneficii principalis *argum. c. accessorium 42. de R. J. in 6.* quapropter Archidiaconus, & canonicus non tenetur per se ipsum residere in parochia annexa suæ præbendæ, quia ut notat Glossa *in d. c. exposuisti V. non obviat* cura, quæ venit accessoriè non est attendenda, sed tantùm natura, & qualitas beneficii principalis, tametsi sit simplex, cui beneficium curatum subjiciatur. 13

Non tamen potest quis simul obtinere, & tenere duos canonicatus sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia, tametsi unum per se, & alterum accessoriè, prout statuitur *in element. si insta 6. h. t.* ubi habetur, quod qui habet canonicatum, & præbendam in una Ecclesia, potest acceptare dignitatem, cui sit annexa præbenda, sed vacat prima præbenda post pacificam possessio- 14

nem secundæ, quia jura plus abhorrent ab eo, quòd unus habeat duas præbendas simplices in eadem Ecclesia, quàm ut habeat plura beneficia curata: priùs enim non permitticur etiam jure accessionis, quia beneficiũ curatum annexum est præbendæ, ut liquet *ex cit. cap. super eo*, ubi Gloss. addit, neminem posse esse triplicem in eadem Ecclesia sine dispensatione Papæ, seu præter dignitatem, & personatum habere duas præbendas: tametsi altera sit annexa tantùm accessoriè dignitati, ut tradit Garzia *de benefic. p.* 11. *c.* 5. *num.* 187.

15 Cæterum nulla consuetudine etiam immemoriali, imò & juramento firmata induci potest, ut canonicus cum præbenda canonicali duas dignitates, vel personatus, aut duo officia, aut unam dignitatem, & personatum, & officium simul obtineat, & retineat in eadem Ecclesia absque dispensatione sedis apostolicæ, quia hujusmodi consuetudo, quæ nonnisi ex ambitione, suam trahit originem, tendit in diminutionem cultûs divini, & præbet occasionem neglegendi administrationem rerum ecclesiasticarum, ac propterea cedit in grave detrimentum cultûs divini.

16 Hinc neque per consuetudinem etiam immemorialem induci potest, ut quis in eadem Ecclesia simul habeat duos simplices canonicatus, vel præbendas ob eandem rationem diminutionis cultûs divini. Cæterum valet consuetudo, ut unus in eadem Ecclesia cum præbenda canonicali obtineat dignitatem, & personatum; adeo ut sit simul Præpositus, vel Decanus, & Canonicus ut constat *ex c. cum te 7. de rescript. & ex c. 1. de consuetudine in 6.* ubi habetur: quòd non liceat ulli nisi unicum, vel officium, vel dignitatem, aut præposituram, simul cum præbenda absque sedis apostolicæ dispensatione in eadem Ecclesia obtinere, & retinere: & cum dicatur duo officia, vel dignitates in eadem Ecclesia à canonico obtineri non posse sine dispensatione Papæ, infertur per sensum contrarium, unum officium, vel dignitatem, seu personatum cum canonicali præbenda absque dispensatione Papæ obtineri posse, scilicet vel ex vi statuti, & consuetudinis Ecclesiæ, vel ex dispensatione Episcopi.

17 Neque valet consuetudo obtinendi simul plura beneficia curata in diversis ecclesiis, ut tradunt Rebuffus *in prax. tit. de dispens. de non residendo num.* 66. Abbas *in c. extirpanda* 30. §. *qui verò num.* 36. *h. t.* siquidem hæc consuetudo multum perniciosa foret ecclesiis, & animabus, proinde *in c. de multa* 28. reprobatur. Verùm censetur probabile, quòd per consuetudinem immemorialem induci possit, ut non requiratur residentia personalis etiam in beneficiis curatis, sed hæc per idoneum Vicarium possint administrari, ut docet Navarrus *lib. 3. in consil.* 21. *de cleric. non resid. num.* 4. quia consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, adeo ut quidquid per privilegium, vel dispensationem summi Pontificis obtineri possit, hoc idem etiam possit per consuetudinem immemorialem: & quia per dispensationem Papæ ex justa causa potest obtineri, ut quis non teneatur personaliter residere in beneficio curato quamvis præter illud obtineat aliud curatum, ut liquet *ex c. multa h. t.* ita per consuetudinem immemorialem potest hoc idem induci, in quo casu tamen debet aliud beneficium curatum ritè administrari per Vicarium idoneum, ne Ecclesia ullum patiatur detrimentum.

18 Tum quia consuetudo immemorialis facit præsumptionem tituli à summo Pontifice olim impetrati; tametsi modò non possit ille exhiberi: & hæc consuetudo etiam nunc viget in pluribus ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, ut personatus, vel præpositura residentiam non requirat, vel saltem non diuturnam, ut requirit Concilium Tridentinum. Mos etiam inolevit per Germaniam ut parochiæ conferantur etiam Præpositis, Decanis, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium constitutis Vicariis perpetuis idoneis, qui cum competente sustentatione illis Ecclesiis ritè inserviant. Cæterum si id absque justa causa passim fieret, minimè posset approbari, cùm juri divino repugnet, ut tradit Garzia *de benefic. p. 3. c. 2. num.* 197.

19 Quamvis Innocentius, Joannes Andreas, Cardinalis *in c. gratia de rescriptis in 6.* asserant, pluralitatem hanc beneficiorum non esse jure naturali damnatam, eâ innixi ratione, eo quia in hisce beneficiis lex residendi nonnisi jure ecclesiastico præscripta sit: nihilominus sententia communior, quam docet D. Thomas *quodlib. 9. art. 5.* asserit, hanc beneficiorum pluralitatem esse jure naturali damnatam; præsertim quando unum beneficium sufficit ad commodam sustentationem clerici: videtur enim pugnare cum rectatione, ut unus habeat alimenta, ac præmia duorum; ut numerus pluralis competat singulari, ac dicatur *ecce Petrus Canonici venit*, duo canonicatus naturaliter denominant duos canonicos, qui dicuntur in plurali canonici. Nihilominus certum est, beneficiorum pluralitatem, ut paulò ante innui, non esse intrinsecè malam, sicut mendacium, quod pro nullo eventu potest esse licitum: neque esse omnino indifferentem; sed posse bonitate circumstantiarum honestari; tametsi quandam præseferat speciem mali; eò quia si consideretur solitariè quamdam involvit inordinationem, ut probat Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 27. num.* 137. Hinc jure canonico ob plures causas conceditur pluralitas beneficiorum *c. unio. 10. q. 3. c. cum te de stat. & qualit. cleric. c. clericis 21. q. 1. in fin. c. qui plura 21. q. 1. c. licet canon. de elect. in 6. c. Sanctorum dist. 70.*

20 Prima causa dispensandi in pluralitate beneficiorum est exiguitas redditnum; si beneficii redditus sint ita tenues ut non sufficiant pro congrua sustentatione. Secunda quando unũ beneficium est alteri conjunctum, ac unitum, adeo ut unum se habeat accessoriè ad alterum. Tertia quando clericus non invenitur idoneus; & unus possit utiliùs satisfacere duplici officio. Quarta quando unum beneficium datur in titulum, & alterum in commendam. Quinta quando unum habet curam animarum actu; & aliud solùm habitu. Sexta quando ex consuetudine duo beneficia simul possidentur. Septima ratione

tione juſtæ, ac debitæ indulgentiæ, videtur tunc authoritas ſuperioris ex cauſa diſpenſare. Octava eſt Eccleſiarum neceſſitas, ſi deſunt idonei, vel ſi periculum ſit, ne hæretici talia occupent beneficia, ut non ſemel experta eſt Germania: hac ratione plures Epiſcopatus uni alicui principi etiam nullis ſacris ordinibus initiato conferri ſolent, non tam regendi cauſa, quàm protegendi tales Eccleſias. Nona eſt utilitas Eccleſiæ, ut ſi unus aliquis doctrinâ, & prudentiâ alios antecellat: ſed quis hic? Decima eſt inſignis meritorum prærogativa; ut contigit in Archiepiſcopatu Colonienſi, qui eum in manifeſto eſſet periculo, ne totus unà cum capite hæreſis labe inficeretur; ac hæretici in ipſum manus injicerent, à Bavariæ ducibus feliciter pulſis hæreticis ſervatus fuit, ac fidei Catholicæ totaliter reſtitutus anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, à quo tempore ex ſola familia Bavarica Electores, & Archiepiſcopi præfuerunt, & etiam nunc præſunt in Sereniſſimo Electore Clemente Joſepho.

Si nulla ſubſit ex hiſce cauſis, pluralitas be- 21
neficiorum præſertim incompatibilium tam primi, quàm ſecundi generis damnatur. Dicuntur beneficia incompatibilia primi generis. Primò quæ habent curam animarum, ſive in foro conſcientiæ tantùm, ut parochiæ; ſive in foro contentioſo, ut Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus *c. quia nonnulli de cleric. non reſiden.* Secundò omnia beneficia, quæ dicuntur dignitates, Perſonatus, vel officia, quæ requirunt reſidentiam, ac diſtinctionem Perſonarum. Tertiò canonicatus, & portiones in Eccleſiis cathedralibus, vel collegiatis ſæcularibus, vel regularibus *c. litteras de conceſſ. præben.* Quartò alia dicuntur incompatibilia ex conditione, & ſub eodem tecto, quæ ſimul in eadem Eccleſia haberi nequeunt. Dicuntur omnia prærecenſita beneficia incompatibilia primi generis, quia ipſo jure unum excludit aliud; ſeu poſterius prius, *c. Referente, & Clemen. ult. de præben.* Electus ad Epiſcopatum, & obtenta bonorum adminiſtratione, ac conſervatione, vel ſaltem elapſo tempore conſecrationi præfixo amittit ipſo jure omnia beneficia, quæ antea obtinebat. Beneficia incompatibilia ſecundi generis dicuntur, quæ quamvis ſimul licitè retineri non poſſint absque Pontificia diſpenſatione; non tamen ita pugnant, ut primum ſtatim vacet obtento ſecundo; talia ſunt reliqua beneficia exigentia reſidentiam, & quæ ſine gravi peccato non poſſunt ſimul retineri, ut notat Leſſius *l. c. n.* 140.

Papa diſpenſare poteſt in pluralitate bene- 22
ficiorum liberè, ubi pluralitas tantùm adverſatur juri communi *c. dudum. 2. de Elect. c. de multa de præb. Navarrus c.* 25. *n.* 125. quia Papa eſt ſupra jus commune, cum hoc à Papa, ut Legislatore dependeat: quando autem pluralitas eſt contra jus naturale, Papa non diſpenſat niſi ex juſta cauſa, quia Papa ſubjicitur juri naturæ, ac divino. Juſtæ cauſæ diſpenſandi ſunt, quas paulò ante recenſuimus, & præſertim neceſſitas Eccleſiæ, utilitas ejusdem: & evidens prærogativa meritorum Navarr. *conſ.* 25. *n.* 125. Legatus Papæ poteſt etiam diſpenſare in pluralitate beneficiorum *c. de multa de Præbend.* ſed limitatè. Primò ut beneficia non ſint Epiſcopatus, nec dignitates, vel beneficia curata. Secundò ut non excedant congruam ſuſtentationem. Tertiò ut non ſint ſub eodem tecto; nec ſint beneficia uniformia, cujusmodi ſunt duo canonicatus in una, eadémque Eccleſia. Uniformia beneficia dicuntur, quæ inſtituta ſunt ad unum, eumdémque finem, & ad eadem obeunda munera; & ad conſtituendam unam, eandémque congregationem, cujusmodi ſunt duo canonicatus in eadem Eccleſia, Zerola *part.* 2. *pag.* 48. Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare cum iisdem limitationibus ut Legatus *c. Sanctorum diſt.* 70. Joan. Andreas *c.* 1. *de Conſuet. in 6.* Quòd ſi beneficia ſub eodem tecto ſint diſſimilia; & unum non ſufficiat ad congruam ſuſtentationem poteſt diſpenſare: ſecus ſi ſint uniformia; ſicut nec Legatus, ut tradit Garzia *de Benef. part* 11. *c.* 5. *n.* 377. ſuper cap. 4. ſeſſ. 7. de reformat. Concil. Trident. ubi refert declarationem ſacræ Congregationis his verbis: *Congregatio Concilii cenſuit, Epiſcopum ex cauſa poſſe diſpenſare, ut quis poſſit obtinere duo beneficia diſformia ſub eodem tecto, dummodo quodlibet per ſe non ſit ſufficiens ad proviſi juſtentationem.*

Nec duo beneficia regularia ejusdem ordi- 23
nis, aut Monaſterii poteſt quis obtinere, & retinere *c. cum ſingula* 32. *de præb. in* 6. ubi habetur; Religioſus ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ non præſumat habere duos prioratus, vel Eccleſias habentes curam animarum; etiam ſi cura debeat exerceri per Presbyteros à ſe præſentatos, & ab Epiſcopo inſtitutos, niſi unum beneficium ab altero dependeat; vel ad invicem ſint connexa. Et ſi habens unum alterum retinuit, primum ſtatim dimittat, quo ipſo jure privatus eſt: quod ſi non fecerit, repellatur ab utroque, & efficiatur ineligibilis.

Addunt interpretes, nec capellam, penſio- 24
nem, aut portionem monachalem unà cum beneficio eidem tribui poſſe; eò quia in regulari cenſeantur incompatibilia. Nec ſummus Pontifex ſolet diſpenſare, ut habeat quis duo beneficia in titulum, ſed unum in titulum; & alterum in commendam: niſi unum beneficium ſit alteri unitum; ita ut uterque pro uno reputetur Barbos. *in d. c. cum ſingula de præbend. in 6.* Tuſchus *concl. 66.*

§. X.

An poſt Concilium Tridentinum conſuetudine obtineri poſſit, ut plura beneficia ſimplicia validè eidem conferantur.

NIl frequentiùs per Germaniam, & Hiſpa- 1
niam in praxim deducitur, quàm plura beneficia non ſolum ſimplicia, ſed etiam incompatibilia uni eidem eccleſiaſtico conferre, ex inolita conſuetudine à tempore immemoriali: & ipſemet plures novi in Germania, qui plura poſſederunt absque ullo ſcrupulo beneficia hujus generis; imò nonnunquam ſex, vel ſeptem; adeout frontiſpicium litterarum, quæ ad ipſos dirigebantur, vix tot titulos caperet, cum

moris sit omnes recensere Germanicè. Hanc consuetudinem etiam vigere in Hispania post Concilium Tridentinum; tametsi unum beneficium sufficiat ad congruam sustentationem, tradit Garzia *de benefic. p. 11. c. 5. num. 333.* Immo eadem consuetudo etiam inolevit in aliquibus diœcesibus per Italiam; & passim in Romana curia hujusmodi beneficia plura conferuntur eidem personæ ecclesiasticæ. Difficultas est, an talis consuetudo post Concilium Tridentinum valeat: siquidem Tridentinum *sess. 24. c. 17. de refor.* disponit, quòd unicum tantùm beneficium singulis conferatur. Hinc plures in ea sunt opinione, ut negent, hanc consuetudinem valere; sicut plures negârunt ante Concilium Tridentinum posse ex consuetudine obtineri, ut plura beneficia etiam simplicia eidem conferantur; idque deducunt *ex c. 1. de consuetud. in 6.* & adhærent huic sententiæ Glossa *in c. dudum 2. V. intitulatum, & V. retinere de elect.* Abbas *num. 36.* & alii plures, quos citat Garzia *d. c. 5. num. 268.* Qui scripserunt post Concilium Tridentinum hanc eandem sententiam docent Zerola *in prax. p. 2. V. incompatibilia* §. 2. Salon. 2. 2. *q. 63. art. 2. concluf. 3.* Vega *p. 1. summ. c. 36. caf. 25.* Zechius *de benefic. c. 5. num. 4.* Paris. *de resignat. lib. 3. q. 1. n. 138.* Diaz *in pract. c. 49.* Lessius *num. 2. de justit. & jur. c. 34. dub. 27. & sequent.* Ratio, quâ nititur hæc sententia est; quia in tali consuetudine minuitur cultus divinus, & numerus clericorum Ecclesiæ servientium. Hic autem defectus non est dubium, quin magnum afferat Ecclesiæ incommodum.

2 Docent nihilominus alii, talem consuetudinem etiam post Concilium Tridentinum suum sortiri valorem, imò Navarrus *in manual. c. 25. num. 125* Glossa *in cap. dudum de cleric.* asserunt, per consuetudinem immemorialem obtineri posse, ut etiam plura beneficia jure communi incompatibilia fiant compatibilia, & eidem conferantur, adeo ut obligatio residendi tollatur, aut minuatur substitutô Vicariô: sicque absque dispensatione possint plura beneficia per se incompatibilia possideri, nisi jus naturale resistat.

3 Certum est, id frequenter in pluribus locis practicari, sive ex inolitâ consuetudine, sive ex indulto, & privilegio Pontificis, qui solus jure communi dispensat in pluralitate beneficiorum, quæ per se incompatibilia sunt, ut desumitur *ex clement. 1. ut lite pendente* ubi dicitur, quòd summus Pontifex plenam, ac liberam potestatem habeat in omnia beneficia ecclesiastica. Et colligitur etiam *ex c. de multa extra de prabend.* siquidem post explicatam prohibitionem plurium beneficiorum, postea subjungitur, quòd circa sublimes, & litteratas personas, quæ majoribus beneficiis honorandæ sunt, cùm ratio postulaverit per sedem Apostolicam dispensari possit, ut tradit Franc. Leon. *p. 1. c. 12. num. 26.* ubi vocat Papam omnium beneficiorum dominum, adeo ut pro suo libitu possit de illis proprio arbitrio disponere.

4 Et quamvis ad dispensationem etiam à Pontifice impetrandam justa, ac legitima causa requiratur, nihilominus si eâ posthabitâ summus Pontifex dispenset, valida est dispensatio; sed provisus tenetur in conscientia ea, quæ statui suo necessaria non sunt, vel in quibus justa dispensationis causa defuit, resignare. Sin tamen utriusque beneficii officio per se satisfaceret, vel saltem per alium substitutum, tunc posset percipere, ac retinere utriusque beneficii fructus, ut docent Innocentius *in c. cum ad monast. de statu Monach.* Reginaldus *lib. 3. num.* Bonacina *tom. 2. pag. 58.*

Cæterum ut appareat, an post Concilium Tridentinum valeat consuetudo conferendi, & retinendi plura beneficia simplicia ab Ordinariis locorum sine dispensatione Papæ: juvat observare originem talium beneficiorum simplicium; & an sint de jure ecclesiastico, vel divino. Certum est, ut in præcedentibus innuimus sub Orientis Ecclesiæ initiis, quando ecclesiastici nondum possidebant bona immobilia, consuevisse fideles exhibere Ministris Ecclesiæ oblationes, decimas, & primitias tanquam de jure debitas, siquidem cùm laborarent in officio pastorali pro utilitate populorum, inerat ipsis jus petendi à fidelibus necessaria ad victum, & vestitum, ut desumitur *ex c. 9. epist. 1. ad Corinth.* quem textum perpendens Epiphanius *lib. 3. tom. 2. hæresi 80.* præ cæteris ait loquens de ecclesiasticis. *Nulla ad manibus laborandum necessitate damnati, coactique sunt: sed cum justissimos alios labores, & ecclesiasticas occupationes habeant propterea æquum est, ut ipsis, ab aliis necessaria ministrentur.*

5 Quia verò successu temporis cœperunt ecclesiastici bona immobilia possidere, vel ad fundationem, & dotationem Ecclesiarum, Episcopatuum, parochiarum, cœnobiorum, vel ex piis largitionibus fidelium liberaliter exhibitis intuitu laborum, quos in promovenda populorum salute subibant: ideo quæ illis necessaria erant ad congruam sustentationem, suppeditabantur ex aliquo ecclesiastico proventu. Titulus siquidem acquisitionis semper talis fuit, ut omnia acquisita cederent in plenum, ac liberum dominium Ecclesiasticorum: eò quia plenè, liberè, ac independenter à qualibet conditione, & modo, à fidelibus bona mobilia, vel immobilia Ecclesiis donarentur.

7 Prætera hujusmodi proventus acquirebantur titulo oneroso, seu ratione laboris, quem subibant Ministri Ecclesiæ in beneficium, & utilitatem populorum: & quoad dotationes clarè desumitur *ex Novell. 3.* Justiniani Prætoris, ex qua constat, necessarias id temporis fuisse dotes pro Ministris Ecclesiæ sustentandis. Rursus dominium horum bonorum sive mobilium, sive immobilium, & quod fideles à se abdicabant, transferebatur in Ecclesiam; quæ propterea jure proprio possidebat talia bona: non tamen nomine Ecclesiæ intelligebatur cœtus fidelium cum in hac significatione comprehendat etiam laicos; alioquin non magis fuissent bona ecclesiasticorum, quàm laicorum.

8 Immo neque nomine Ecclesiæ intelligebatur totus cœtus Ecclesiasticorum, eò quia inde suborta statim fuisset confusio: quamobrem nomine

homine Eccleſiæ intelligebantur illi eccleſiaſtici, qui tanquam præſides, & ſupremi præſules adminiſtrabant Eccleſias, quorum primus, & ſupremus fuit ſemper ſummus Pontifex; deinde Epiſcopi cum ſubordinatione ad ſummum Pontificem, qui propterea ſemper habuit dominium ſupremum in patrimonium Eccleſiæ, & Epiſcopi utpote paſtores ſubordinati nonniſi ſubordinatum habuerunt dominium in ordine ad adminiſtrationem ſecundùm leges ſibi præſcriptas: quapropter *in can. Apoſtolor.* 41. ponitur ſtatutum, quo dicitur. *Jubemus Epiſcopum rerum Eccleſiæ poteſtatem habere. Si enim pretioſa hominum anima eis ſunt credenda, multò magis eis ſunt committenda pecuniæ, ut in ejus ſit facultate omnia adminiſtrare.* Et in Concilio Aurelianenſi 1. *can.* 15. habetur: *quæ in parochiis, in terris, vineis, mancipiis, atque pecuniis quicunque fideles obtulerunt, antiquorum canonum ſtatuta ſervantur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant*: ſiquidem dominium horum bonorum ex natura ſua fuit inſtitutum, ut eſſet apud homines, cùm propter homines Deus bona omnia terreſtria creaverit, & iisdem ſubjecerit dicente Davide Pſalm. 8. *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves, univerſa inſuper, & pecora campi*, adeo ut dominium bonorum eccleſiaſticorum ad eum debeat pertinere, qui principatum tenet Eccleſiæ, & qui ſibi ſubjicit perſonas omnes eccleſiaſticas: quo fit, ut ſummus Pontifex habeat hoc ſupremum dominium in bona omnia eccleſiaſtica, eò quia hæc perinde ac Epiſcopi, & Prælati omnes Eccleſiæ illi ſubjiciantur.

9 Hæc tamen bona eccleſiaſtica fuerunt poſtea diviſa, adeo ut ſingulis eccleſiis proprium fuerit patrimonium aſſignatum, ex quo fuerunt etiam beneficia eccleſiaſtica inſtituta, ut deſumitur *ex can.* Sylveſtri Papæ, ubi habetur: *commoneo vobis omnibus mihi conſortibus meis mementum hoc, ut de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici ad ſui ſuſtentationem. Altera Presbyteris, & Diaconis, & omni clerico. Tertia Templorum, & Eccleſiarum reparationi. Quarta pauperibus, & peregrinis:* quo pacto facta fuit prima inſtitutio, & diviſio beneficiorum eccleſiaſticorum: tametſi progreſſu temporis fuerint poſtea alia beneficia inſtituta, & quotidie inſtituantur, non ſolùm quoad titulum, ſed etiam quoad bona temporalia connexa titulo.

10 Ex quo liquet, inſtitutionem beneficiorum eccleſiaſticorum eſſe de jure eccleſiaſtico, perinde ac eorundem diviſionem, ut etiam tradunt Abbas *in c. conſtitutus n. 14. de Relig. domib.* Burſat. *conſil.* 116. *n.* 34. Cephal. *q.* 260. *n.* 2. & hanc diviſionem beneficiorum fuiſſe introductam, ut cederet in majus commodum Miniſtrorum eccleſiarum, quibus antea nonniſi de communi maſſa ſuppeditabantur neceſſaria ad victum, & veſtitum, refert S. Cyprianus *in epiſt.* 27. ubi ait. *Quæ nunc ratio in clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ordinatione clericali promoventur in nullo ab adminiſtratione divina revocentur; ſed in honore ſportularum fratrum ſanquam decimas de fructibus accipientes ab altari*

11 *ri, & ſacrificiis non recedant.* Idque etiam colligitur *ex c. 1. diſt.* 22. ubi dicitur, quòd ſolus ſummus Pontifex poſſit majora beneficia inſtituere, cujusmodi ſunt cathedrales, & aliæ dignitates: & inferiora beneficia poſſe etiam ab Epiſcopis inſtitui, habetur *in c. Epiſcopi diſt.* 80. adeo ut deficiente authoritate Epiſcopi non poſſit inſtitui beneficium eccleſiaſticum, ut tradunt Gloſſa *in clement.* 2. *V. tu dic contra* Felin. *conſil.* 45. *n.* 3. Rebuffus *in praxi tit. quare ſint inſtituta beneficia n.* 10. Decius *conſil.* 210. *n.* 4.

Ex quibus deduci poteſt, conſuetudinẽ conferendi eidẽ clerico plura beneficia ſimplicia, & ea retinendi etiã poſt Conc. Trid. ſuũ ſortiri valorem, & eccleſiaſticos poſſidentes plura beneficia ſimplicia poſſe in tuta conſcientia percipere eorum fructus, ſiquidem nonniſi de jure eccleſiaſtico fit, quòd alicui conferantur plura beneficia ſimplicia: atqui ſi conſuetudo ſit rationabilis, & ex juſta cauſa inducta, poteſt prævalere in ipſum jus, ſaltem in pluribus caſibus, ſi non in ſingulis, proinde conſuetudo conferendi plura beneficia ſimplicia etiam poſt Concilium Tridentinum eidem eccleſiaſtico ſuum ſortitur valorem: ſiquidem conſtat *ex c. fin. de conſuetud.* admitti conſuetudinem rationabilem contra jus canonicum.

12 Quòd verò hæc pluralitas beneficiorum ſimplicium reſpectu ejusdem eccleſiaſtici ſit ex ſolo jure canonico prohibita, ex eo conſtat, quia inſtitutio, & diviſio beneficiorum, ut liquet ex antedictis, eſt de jure eccleſiaſtico, ſi loquamur de temporalitate bonorum, quæ annectuntur iisdem beneficiis; unde etiam, quòd non coadunentur plura beneficia in uno eodemque eccleſiaſtico, eſt de ſolo jure eccleſiaſtico: ſiquidem hujusmodi coadunatio ſe habet conſecutivè ad inſtitutionem, ac diviſionem beneficiorum, proinde ſicut inſtitutio, & diviſio eſt de jure eccleſiaſtico, ita etiam ipſa coadunatio plurium beneficiorum ſimplicium in eodem clerico: etenim ſi ceſſaret inſtitutio, & diviſio beneficiorum, quæ ſunt de jure eccleſiaſtico, utique ceſſaret etiam ipſa coadunatio, quia quæ non ſunt, nec dividuntur, non poſſunt coadunari: ex quo claret, hanc coadunationem ſe habere conſecutivè ad inſtitutionem, & diviſionem, & cum ſit, quaſi aliquod acceſſorium, ſequitur naturam, & conditionem ſui principalis: unde cùm inſtitutio, & diviſio ſint de jure eccleſiaſtico etiam ipſa coadunatio eſt tantùm de jure canonico, idque deſumitur *ex c. ſi Papa de privileg. in 6. & clement. ſi ſummus de ſent. excommun.* ut notant Gloſſa *in l. mancipia C. de ſervo fugit.* Menoch. *de recuperand. poſſeſſ. remedio* 9. *num.* 161. Decian. *conſil.* 161. *n.* 1.

13 Quamobrem eo ipſo, quòd inſtitutio beneficiorum eccleſiaſticorum fuit de jure eccleſiaſtico, & canonico, & diviſio eorundem beneficiorum dependet ab inſtitutione, ut etiam coadunatio à diviſione, eò quia ea tantùm coadunentur, quæ dividuntur, ſequitur, quòd ceſſante inſtitutione ceſſet diviſio; & ceſſante diviſione non poſſit haberi coadunatio, quæ propterea cùm corruat, corruente inſtitutione, & diviſione, quæ ſunt de jure eccleſiaſtico, non poteſt

coadunatio esse de jure naturali, aut divino, sed tantùm de mero jure canonico; alioquin jus naturale, aut divinum penderet à jure canonico, quo nil absurdius; illud enim dependet ab alio, sine quo esse nequit: & sine institutione, & divisione beneficiorum nequit esse eorundem coadunatio, quæ propterea dependet ab institutione, & divisione, quæ cùm sint de jure ecclesiastico, sequitur, quòd etiam ipsa coadunatio plurium beneficiorum simplicium in uno, eodémque ecclesiastico sit de jure canonico: & quia consuetudo si legitima sit, & rationabilis, potest prævalere contra jus, ut habetur in *in d. c. fin. de consuetud.* ubi admittitur consuetudo rationabilis contra jus canonicum; ni fallor videtur valere etiam post Concil. Trident. consuetudo conferendi, & retinendi plura beneficia simplicia.

14 Tum quia constat, quòd jus ecclesiasticum prohibeat pluralitatem beneficiorum simplicium in uno, eodémque clerico: sed id non constat de jure naturali, aut divino, proinde hæc coadunatio tantùm intelligitur prohibita jure canonico juxta ea, quæ tradunt Bald. *in l. 2. n. 6. C. de errore advocat.* Castrens. *n. 4.* Menoch. *consil. 322. n. 44.* Cùm igitur constet, solo jure ecclesiastico prohibitam esse hanc pluralitatem beneficiorum simplicium; & contra jus ecclesiasticum possit prævalere consuetudo ex justa, & legitima causa introducta, sequitur, quòd etiam post Concilium Tridentinum valeat consuetudo conferendi, & retinendi plura beneficia simplicia.

15 Supereſt tamen difficultas, an consuetudo hæc possit ex justa, & legitima causa rationabiliter introduci, quia consuetudo derogans juri ecclesiastico non videtur rationabilis, cùm jus ecclesiasticum ea tantùm decernat, quæ consona sunt rectæ rationi, & in commodum cedunt Ecclesiæ, in ordine ad promovendam salutem populorum. Nihilominus hanc consuetudinem esse rationabilem ex eo evinci potest, quia non omnes clerici ejusdem sunt meriti, æqualis sunt doctrinæ, cùm unus virtute alteri præcellat; unus alteri doctrinâ, morum probitate, & nobilitate antecellat: nec omnes æqualiter inserviant Ecclesiæ, sed unus majores subeat labores, quàm alter: hinc si qui minoris est meriti, qui minimi, & ferè nullius est servitii, potest habere unicum beneficium sufficiens pro congrua, & honesta sustentatione: justitia distributiva id videtur expostulare, ut qui majoris est meriti, qui uberius præstat servitium, qui diuturniores subit labores, possit plura beneficia simplicia possidere, præsertim si majores non habeant redditus, quàm beneficium collatum alteri, qui minimi est meriti, minimique servitii in Ecclesia: etenim recta ratio dictat, plus merenti plus esse tribuendum, & meliori modo inservienti meliùs esse providendum, & quòd juxta mensuram laborum præmium recipiat: qua ratione D. Cyprianus *Epist. 62.* justit, quosdam clericos ob eorundem præclara merita æquari Presbyteris in distributione sportularum, ait ipse: *cæterum presbyterii honorem designâsse nos illis jam sciatis, ut & sportulis eisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurâ æquitatis, quantitatibus partiantur.* Hoc idem etiam tradidit Clemens Romanus *lib. 2. constitut. apostol. c. 32.* ubi hæc habet: *Presbyterii verò, ut qui laborant in verbo doctrinæ duplex, seponatur pars in gratiam Apostolorum domini, cujus locum sustinent tanquam Consiliarii Episcoporum, & Ecclesiæ corona: sunt enim qui præclarè laborant in Ecclesia.*

16 Præterea quia quò aliqua persona est in communitate dignior, ac principalior, eò plus eidem tribuitur de bonis ejusdem communitatis juxta exigentiam justitiæ distributivæ, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q. 61. art. 2. in corp.* unde eo ipso quòd unicuique clerico conferri potest unicum beneficium simplex, quod sufficiat pro congrua, & honesta ejusdem sustentatione, sequitur, quòd consuetudo conferendi plura beneficia clericis, qui in Ecclesia sunt cæteris præstantiores, cæteris principaliores, cæteris digniores sit rationabilis, & ex justa, ac legitima causa introducta: illud enim est rationabile, quod consonum regulis justitiæ; atqui regulæ justitiæ distributivæ id postulant, ut qui plus impendit laboris, majorem accipiat mercedem, qui cæteris est dignior, excellentior, ac præstantior plus habeat præmii: ergo talis consuetudo conferendi eidem clerico plura beneficia simplicia etiam post Concilium Tridentinum suum sortitur valorem. Tum quia etiam *in c. de multa de prabend.* habetur, quòd personæ sublimes, & litteratæ possunt honorari pluribus beneficiis.

17 Si dicas, inde non inferri generalem consuetudinem conferendi plura beneficia eidem personæ subsistere, sed tantùm quòd nonnunquam id licitum sit concurrente rationabili causa. Contra est, quia ad salvandum, quòd subsistat semper, & universaliter satis est, si subsistat semper, & universaliter eadem rationabilis causa: siquidem tamdiu subsistit effectus, quamdiu causa habetur expedita ad talem effectum: at nos supponimus, hanc rationabilem causam inducentê talem consuetudinem semper adesse, ut plura beneficia simplicia non conferantur nisi illi clerico, qui cæteros virtutum præstantia, morum probitate, doctrinæ excellentia excellat, ac superet; alioquin ex accidente ratione subjectæ materiæ desinit esse rationabilis consuetudo, ut si absque justa causa alicui clerico nulli meriti, & exiguæ doctrinæ conferrentur plura beneficia simplicia, tunc desineret esse consuetudo, & fieret abusus, ac corruptela *c. fin. de consuetud. c. quia in omnibus de usur.* ut tradunt Glossa *ibid. V. multi*, Abbas *consil. 22. n. 2. V. non obstat generalis* Covarr. *c. 1. var. resol. n. 8. lib. 3.* Julius Clarus §. *usura n. 7.* Quamobrem non omnis consuetudo sufficit ad derogandũ juri canonico universali de non conferendis eidem clerico pluribus beneficiis; sed tantùm consuetudo rationabilis ex justa, & legitima causa introducta juxta exigentiam justitiæ distributivæ, ut paulò superiùs expendimus.

18 Si dicas, esse contra jus naturæ, quòd unus accipiat stipendia plurium: & beneficia clericorum esse stipendia eorundem, proinde esse contra jus naturæ, quòd unus accipiat simul plura beneficia ecclesiastica. Respondetur, tunc tantùm pluralitatem beneficiorum in eodé clerico adversari juri naturæ, quando clericus ita accipit stipendia plurium, ut hæc aliis sint debita; quia tunc violaretur justitia, quod enim est debitum alteri,

alteri, non debet dari extraneo: non tamen est contra jus naturæ, si unus accipiat plurium stipendia, quæ non sunt aliis debita, & ex alio capite hæc pluralitas stipendiorum sit debita eidem clerico, cui conferuntur plura beneficia ob majores, quos subit labores, propter doctrinæ excellentiam, quâ cæteros superat, propter morum probitatem, & merita majora, quibus longè cæteros excedit: tunc si tali clerico conferantur plura stipendia, seu beneficia ob majores labores, ac merita; talis collatio non est contra jus naturæ, sed juxta regulas justitiæ distributivæ. Præterea esto, qui accipit plura beneficia, non haberet plus meriti; nec plures impenderet labores; adhuc non esset contra jus naturæ, si summus Pontifex eidem conferret plura beneficia simplicia: siquidem est in potestate Principis dare uni plus, quàm alteri; dummodo nemini deneget, quod ipsi est debitum, idque evincitur exemplo patrisfamiliæ evangelici, qui cùm conduxisset operarios ad laborandum in vinea manè, meridiè, & vesperè omnibus dedit æqualem mercedem; licèt conducti manè plus laboraverint, quàm conducti meridiè, & illi plus, quàm conducti vesperè.

19 Si dicas, beneficium dari propter officium *c. fin de rescript. in 6.* proinde si dentur plura beneficia eidem, privari Ecclesiam pluribus officiis, ac minui divinum cultum, eò quia locò plurium unica tantùm habeatur recitatio horarum canonicarum. Respondetur, beneficium quidem dari propter officium ex institutione ecclesiastica, perinde ac electio beneficiorum habetur ab Ecclesia, & quia contra jus ecclesiasticum potest prævalere consuetudo rationabilis ex justa, & legitima causa introducta, ideo consuetudo hæc conferendi, & retinendi plura beneficia simplicia ex justa, & legitima causa introducta est rationabilis, & potest prævalere contra jus canonicum. Præterea beneficium licèt detur propter officium, non tamen datur solùm propter officium, sed etiam propter meritâ, propter labores, propter insignes virtutes, propter excellentiam doctrinæ, unde licèt omnes clerici sint pares in officio, seu in recitando breviario: sunt tamen inæquales ratione laborum, meritorum, ac virtutum, propterea justitia distributiva exigit, ut plura dentur uni, quàm alteri.

20 Neque diminutio hæc cultûs divini quidquam refert, cùm non sit de cultu necessario: siquidem cùm veniat in consequentiam, ad rationabilem distributionem beneficiorum non attenditur *l. 1. ff. de author. Tutor. l. verum. ff. de furt. l. si quis nec causam. ff. si cert. petit.*

21 Si dicas, plura beneficia possideri ab uno, eodemque clerico, si unum ad congruam sustentationem sufficiat, esse prohibitum jure divino, & naturali, ac esse de jure divino, quòd patrimonia Ecclesiæ justè distribuantur.

22 Respondetur, plures negare, hoc esse prohibitum jure divino, & naturali, esset enim id probandum. Præterea non est contra justitiam, quòd uni dentur plura beneficia ratione meritorum, ac laborum, immo id est omninò consonum justitiæ distributivæ. Præterea ex eo, quòd uni plura beneficia conferantur, & pluribus aliis nullum, non propterea alicui fit injuria: quia tametsi debeant beneficia distribui habita ratione utilitatis Ecclesiæ: nemo tamen in particulari habet jus ad ipsa beneficia simplicia: imò ad Ecclesiæ utilitatem pertinet, ut merita, & labores compensentur juxta mensuram eorundem; quia tunc plures impensius laborant, & majus servitium præstant Ecclesiæ. Demum quia collator ex benevola, & liberali voluntate potest beneficia conferre, cui maluerit; dummodo digni sint, & habeant requisita, quibus constituantur idonei, ac capaces talium beneficiorum, ut notant Abbas *in c. relatum n. 4.* & alii plures cum Glossa *in d. c. relatum V. liberaliter.*

Quòd si dicas, pluralitatem beneficiorum 23
nonnunquam fieri in fraudem fundationum, ac ultimarum voluntatum, eò quia fundatores voluerunt plures esse clericos in Ecclesia, quorum numerus minuitur, si uni, ac eidem plura conferantur beneficia: si enim tot essent clerici, quot beneficia, numerus clericorum procul dubio esset major. Adhuc contra, quia quando fundatores voluerunt clericos multiplicare, id expresserunt, ac disposuerunt, ne obtinentes tale beneficium possent aliud habere: & quando habetur hujusmodi dispositio fundatorum regulariter servatur; nisi contingat casus, in quo ex concursu circumstantiarum sit dispensandum; quemadmodum contingit in aliis dispositionibus ultimarum voluntatum. Quòd si fundator nihil de hoc disposuerit, censendus est noluisse ad id obligare, cùm facilè potuerit mentem suam declarare *l. si servum §. non dixit ff. de acquir. hared. l. dissentientis C. de repud.*

Cæterum quamvis pluralitas beneficiorum possit nonnunquam esse fomentum ambitionis, luxûs, incontinentiæ, & occasio dissipationis bonorum Ecclesiæ; id tantùm per accidens se habet, & non tangit pluralitatem beneficiorum, sed abusum, qui potest locum habere etiam in habente unicum tantùm beneficium pinguius, & æquivalens pluribus aliis sufficientibus: unde ob talem abusum non videtur improbanda pluralitas beneficiorum in uno, eodèmque ecclesiastico, quando est rationabilis: quòd si tunc contingant abusus, tolli possunt per superiores, & beneficiati possunt privari suis beneficiis, qua ratione coërcetur luxus incontinentiæ. 24

Hinc quando D. Thomas *quodlib. 9. art.* 25
15. docet, cum non excusari à peccato mortali, qui plura habet beneficia, non ob aliquam necessitatem Ecclesiæ, sed ut fiat ditior, & splendidius, lautiúsque vivat, vel ut faciliùs ad episcopatum promoveatur, id debet intelligi, quando retentio beneficiorum non est rationabilis, neque ex justa, & ligitima causa ex parte ipsius, cujus intuitu debet plus cæteris in beneficiis honorari. Vel etiam S. Doctor potest explicari, quando clericus possidens plura beneficia simplicia, eorum retentioni apponit pravum finem.

Cæterum si beneficiatus sit in Ecclesia cæ- 26
teris dignior, ac majora habeat merita, cùm justitia distributiva exigat, ut beneficia ecclesiastica

ſtita conferentur juxta menſuram meritorum, non videtur æquum, ac juſtum, ut qui maximi eſt meriti, non plus habeat proventuum eccleſiaſticorum, quàm qui minimi, vel etiam nullius eſt meriti; quia exinde cum non modico Eccleſiæ detrimento ſequeretur, quòd clerici non curarent eſſe cæteris doctiores, nec in cultura virtutum cæteris excellentiores; neque majores vellent in Eccleſia labores impendere, ſi majus præmium non eſſent percepturi, ac qui nullius ſunt meriti: hinc cùm videatur omnino conſonum regulis juſtitiæ diſtributivæ, ut qui in Eccleſia plura habent merita, majora etiam percipiant præmia; probabile mihi videtur, conſuetudinẽ conferendi, ac retinendi plura beneficia ſimplicia etiam poſt Concilium Tridentinum ſuum ſortiri valorem: tametſi contraria ſententia ob rationes, & authoritates, quibus nititur, probabilis etiam ſit.

§. XI.

Proponuntur, & reſolvuntur aliquot ſelecta quæſtiones ſuper pluralitate beneficiorum.

1 IN quæſtionem trahi ſolet à Canoniſtis, an jure communi damnetur pluralitas quorumlibet beneficiorum, ſive hæc ſimplicia fuerint, ſive non. Innocentius *in c. cum jam dudum de prabend.* refert, quosdam ſenſiſſe de jure communi non eſſe interdictam pluralitatem hanc beneficiorum, eò quia *in c. de multa de prabend.* tantùm ſtatuatur, ne quis habeat plures dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia, quibus cura ſit animarum annexa, & quia nulla ibi ſit mentio de beneficiis, concludebant, hanc beneficiorum pluralitatem ità uno, eodémque clerico minimè damnari. Verùm in contrarium obſtat textus *in c. ſanctorum diſt.* 80. ubi expreſsè prohibetur, ne quis in duabus eccleſiis inſtituatur: ſed hic textus tantùm urget contra beneficia curata, non verò ſimplicia. Alii in ea itidem fuerunt opinione, ut cenſuerint, non vetuiſſe jus commune, quò minus poſſit quis duo ſimul beneficia habere, & retinere, ſed tantùm jure communi prohiberi plura beneficia, quàm duo. Innocentius verò docet, jure communi pluralitatem beneficiorum ſimplicium non prohiberi, quando hæc beneficiarii aſſiduam præſentiam non exigunt, ita habet *in c. jam dudum de prabend. & in c. dudum 2. de elect.* ubi aſſerit, pluralitatem horum beneficiorum ſimplicium non damnari niſi ratione ambitioſæ cupiditatis: & canones, ac jura præcipientia, ne quis in duabus eccleſiis titulũ habeat beneficiorũ, explicat, eſſe intelligenda, ne quis duarum Eccleſiarum nominetur beneficiarius: quia quilibet ſuſcipit ordines ab Epiſcopo unius Eccleſiæ, & habetur, ac nominatur clericus ejusdem Eccleſiæ, cujus Epiſcopo ſubjicitur: & tamen poſt ordines ab uno Epiſcopo jure, & titulo unius Eccleſiæ perceptos, poteſt beneficium in alia Eccleſia, & in alterius etiam Epiſcopi ditione accipere, & retinere: huic ſententiæ videtur etiam adhærere Gloſſa *in c. dudum 2. de elect. V. intitulata de prabend. & in c. gratia de reſcript. in 6.* imò videtur hæc ſententia conformis conſuetudini, quam Papa ſcit, & tolerat, ut notat Lappus *in allegat.* 116. & 117. Geminianus *c. 1. n. 13. de conſuetud. in 6.* Franc. *in c. gratia de reſcript. in 6.* Lambertinus *in tract. de jure patronat. 1. p. lib. 2.* Cardinalis *in c. gratia de reſcript. num. 12. in 6.* ubi ait, jure communi antiquo hanc pluralitatem beneficiorum damnari quidem, & veteres canones expreſsè prohibere, quò minùs quis duo beneficia ſimplicia obtineat, quando unum ſufficiens eſt ad congruam clerici ſuſtentationem: ſed hos canones addit conſuetudine eſſe abrogatos, ac licitum eſſe clerico duo beneficia ſimplicia poſſidere, tametſi unum eorum ſufficiat ad ejus honeſtam, & congruam ſuſtentationem.

2 Alii è converſò aſſerunt, jure communi nequaquam licitum eſſe clerico, duo, aut plura beneficia ſimul obtinere, & retinere, tametſi ſimplicia ſint, & aſſiduam beneficiarii præſentiam non exigant, ſi illorum unum ſufficiat ad clericum honeſtè, & commodè ſuſtentandum: ita docet Gloſſa *in c. extirpanda 30. §. verò de prab. num. 34. & ſequent.* Adhæſerunt huic ſententiæ etiam Hoſtiens. *in c. ſuper inordinata de prabend.* Goffredus teſte Joanne Andrea *in c. quia nonnulli de clericis non reſid.* Joannes Lignanus *in tract. de pluralitate benefic. num. 7. & ſequent.* Sylveſter *V. beneficium 4. num. 2.* & hæc ſententia ſaltem eſt tutior: quia *in c. ſanctorum diſt. 80.* dicitur: in qua Eccleſia quilibet intitulatus eſt, in ea perpetuò perſeveret. Omnino autem in duabus aliquem intitulari non liceat, ſed unusquisque, in qua intitulatus eſt, in ea canonicus habetur: *& c. clericus 21. q. 1.* ubi dicitur quòd clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus eccleſiis *c. clericum eadem cauſa, & quæſtione*, clericum in duarum eccleſiis civitatum conſcribi non oportet *c. Eccleſias 14. q. 1.* ubi habetur, Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, & *c. ſingula diſt. 89.* ſingula eccleſiaſtici juris officia ſingulis quibúsque perſonis ſigillatim committi jubemus. & *c. Epiſcopi diſt. 80.* etiam habetur, quòd ſinguli Presbyteri per ſingulos titulos conſtituantur. Demum deſumitur etiam *ex c. quia in tantùm de prabend.*

3 Verùm licèt hæc ſententia tutior ſit, nihilominus oppoſita videtur eſſe communior, & interpretatur omnes præcitatos textus de beneficiis majoribus, cujusmodi ſunt plures Eccleſiæ cathedrales, Metropolitanæ, Patriarchales, parochiales, & etiam dignitates, Officia, Perſonatus, Abbatiæ, Prioratus, Præpoſituræ, Decanatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & alia beneficia, quibus annexa eſt dignitas, vel cura animarum; adeo ut Vicarius perpetuus in duabus ſimul eccleſiis eſſe non poſſit, ut habetur *in clement. 1. de offic. Vicarii*, ut nec etiam haberi poſſint duo canonicatus, vel duæ portiones in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegialibus, eò quia hæc omnia beneficia jure cenſeantur incompatibilia. Cæterum ſi ſermo ſit de beneficiis ſimplicibus, Authores primæ ſententiæ dicunt, poſſe ſimul cohærere, in uno, eodémque eccle-

ecclesiastico, quòd deducunt ex citatis juribus in favorem primæ sententiæ, cujus fautores non pauci asserunt, jura, quibus nititur secunda sententia fuisse per consuetudinem abrogata in beneficiis simplibus, & inferioribus, quæ simul haberi possunt, quando beneficiarii præsentiam non postulant.

Quæritur secundò, an possit quis obtinere plura beneficia, quorum quodlibet sufficiat ad congruam sustentationem clerici, si talia beneficia sint juris patronatus. Certum est, ex dispositione Concilii Tridentini *sess. 24. c. 17. de reformat.* non posse clericum obtinere plura beneficia, & solùm posse eidem conferri aliud simplex beneficium, si primum non sufficiat ad ejus congruam, & honestam sustentationem. Difficultas nihilominus est, an hujusmodi dispositio complectatur etiam beneficia juris patronatûs. Quòd non extendatur ad beneficia juris patronatus docent nonnulli, inter quos Lambert. *de jure patronat. p. 1. lib. 2. q. 7. art. 5. num. 15.* Messamb. *in prax. habendi concurs. requis. 7. dub. 8.* & hæc sententia videtur etiam desumi ex eodem Concilio Tridentino, cùm hoc non prohibeat institutionem, sed solam collationem, siquidem verba Concilii sunt: *ut imposterum unum tantùm beneficium ecclesiasticum singulis conferatur*: atqui beneficia juris patronatus non conferuntur, sed præsentati tantùm instituuntur, quapropter dispositio Concilii cùm sit strictæ interpretationis, non debet extendi ad beneficia juris patronatûs. Verùm communior, & verior sententia, quam docent plures Canonistæ apud Garziam *de benefic. p. 11. c. 5. num. 280.* docet dispositionem Concilii extendi etiam ad beneficia juris patronatus, quæ sententia mihi etiam videtur probabilior, quia beneficia juris patronatus regulantur secundùm regulas communes beneficiorum: siquidem cum revera sint beneficia, subsunt iisdem regulis, quibus cætera subsunt beneficia, nisi de ipsis aliquid speciale disponatur à jure, vel in fundatione.

5 Cæterum si non adsit hæc specialis dispositio, servanda est regula, quâ beneficia singula singulis distribui debeant, ut liquet *ex cit. Concil. Trident.* Tum quia Concilium Tridentinum *in c. 17. de reformat. sess. 24.* declarans extensionem suæ dispositionis ait. *Hæque non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia, quàm regularia, quæcunque etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli, ac qualitatis existant.* Quia verò hæc verba universalia sunt comprehendunt etiam beneficia juris patronatus *l. 4. §. toties. ff. de dam. invect.* Alexander *in §. Prætor. ait.* Rota *decis. 791. num. 1. p. 4. recent.* Tum quia Concilium apposuit illa verba *cujuscunque qualitatis existant.* & illa dictio *cujuscunque* extendit Concilii dispositionem ad omnem qualitatem beneficiorum, proinde comprehendit etiam qualitatem juris patronatus; siquidem est hæc dictio adeo universalis, ut includat in dispositione, quæ aliàs non includerentur, ut notat Abbas *Consil. 3. dub. 3. lib. 2.* Rota coram Seraphino *decis. 32, num 7.* & coram Durano *decis. 233. num. 12.* & in Sabinensi castri montis Rotundi 8. Februarii 1627. coram Cocino, unde ex eo quòd beneficia juris patronatûs sint in specie certæ qualitatis, & dispositio Concilii comprehendat beneficia cujuscunque qualitatis, sequitur comprehendere etiam beneficia juris patronatûs. Neque obstat, quòd Concilium non prohibeat institutionem expressè, sed collationem plurium beneficiorum, & beneficia juris patronatus non conferri, eò quia præsentati instituantur. Quia cùm Concilium dicat, quòd unum tantùm beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, non sumit illud verbum *conferatur*, prout distinguitur ab instituere, & dicit specialem modum concedendi; sed Concilium sumit verbum conferendi genericè, & ut comprehendit omnem modum concessionis, ut desumitur *ex l. sed Julianus §. interdum, & §. proinde ff. ad Macedon* ut tradunt Craveta *consil. 226. num. 6.* Surdus *consil. 266. n. 10.* & Rota *decis. 531. num. 6.* coram Ludovisio. Cùm enim verba subsequentia Concilii sint universalissima, & apta comprehendere omnem speciem beneficiorum, in eadem universali significatione accipi debet verbum conferendi.

Hinc si patronus præsentet clericum habentem aliud beneficium sufficiens, tunc obtentâ pacificâ possessione secundi, intelligitur vacare primum, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum *ad c. 17. de refor. sess. 24.* etenim declaratio explicans illa verba *singulis conferatur* hoc pacto loquitur: *Id intelligitur cum effectu, ut unum possit retinere, quia Ordinarius potest instituere præsentatum, vel conferre aliud beneficium incompatibile, vel ratione residentiæ, vel ratione sufficientiæ; dummodo habitâ possessione pacificâ secundi beneficii dimittatur primum.* Quamobrem beneficia juris patronatus possunt conferri habentibus aliud beneficium sufficiens absque illius vacatione, non tamen simpliciter, & absolutè, sed dummodo in fundatione ita disponatur, ut tradit Garzia *de benefic. p. 11. c. 5. num. 280.* Ratio est, quia fundator beneficiorum de consensu Ordinarii potest in sua fundatione apponere conditiones etiam contrarias juri communi *c. cum dilectus de consuetud.* ut tradunt Abbas *in c. significatum not. 1. de præbend.* Felinus *in c. cùm accessissent V. primò dummodo de constit.* Gratianus *discept. forens. c. 522. num. 37. tom. 3.*

6

Præterea Concilium Tridentinum non prohibet conferri eidem clerico plura beneficia absolutè, sed tantùm ad effectum retinendi: quapropter habenti sufficiens beneficium potest quidem aliud sufficiens conferri; ita tamen ut habitâ pacificâ possessione secundi dimittatur primum beneficium: ita enim declarâsse fuerant Congregationem Concilii Tridentini refert Garzia *p. 11. de benef. c. 5. num. 253.* ubi recitat declarationem congregationis, quæ ita sonat. Habenti beneficium sufficiens potest conferri aliud. Sed habitâ possessione secundi beneficii sufficientis vacat primum sufficiens.

7

Quæritur tertiò, an tutus in conscientia sit ille, cui jam habenti unum beneficium sufficiens

8

cieus Pontifex aliud motu proprio concedit. Affirmativè respondet Glossa *ex element. si Romanus de prabend.* ubi habetur: si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat; de beneficiis quæ obtinet non habitâ mentione, provisionem, seu gratiam hujusmodi fore validam declaramus qualiacunque fuerint beneficia, dignitates, aut Personatus cum cura; vel sine cura, & in numero quantumcunque habeat, cùm sibi provisio facta fuit. Ubi tamen juvat animadvertere, quòd hæc declaratio locum non habet in iis, qui priorum beneficiorum sunt incapaces, vel ob quemcunque defectum talia beneficia malè possident, quia talis defectus præcedens per gratiam subsequentem non corrigitur, ut notant Tabien. *V. beneficium num.* 28. Armilla *num.* 50. Hinc non est valida collatio secundi beneficii, si illud Titius dolo malo impetraverit, reticendo prius, quod actu habet *c. proponente. c. si motu proprio de prabend. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait, si motu proprio alicui obtinenti aliquod beneficium aliud conferamus de illo non habita mentione, non ob hoc gratia hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, invalidam volumus reputari: secus si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam hujusmodi faciamus; tunc enim quantumcunque beneficium modicum taceatur in ea, ipsam velut subreptitiam vires nolumus obtinere.

9 Quæritur quartò, an quando unum ex beneficiis simplicibus, & inferioribus non sufficit ad honestam, & congruam clerici sustentationem possit clericus aliud obtinere, & retinere absque ulla Romani Pontificis, vel Episcopi indulgentia. Siquidem videtur esse difficultas ex eo, quòd *in c. si proponente de rescript.* apertè statuatur, quòd si impetrans rescriptum pontificium, ad quod obtinendum proposuerit se nullum beneficium adeptum, cum tamen haberet unum, quamvis exiguum, creditur rescriptum per fraudem obtinuisse, ac proinde, nullius esse momenti. Et *in c. si motu proprio de prabend. in 6.* decernitur, quòd qualecunque beneficium habeat impetrans à Romano Pontifice rescriptum ad obtinendum aliud beneficium, nisi de illo, quod habet, quamvis minimo, mentionem fecerit, subreptitias litteras obtinuisse eò ipsò videtur, *& c. non potest de prabend. in 6.* habetur, quòd non possit dispensatio super pluralitate beneficiorum concessa prodesse impetranti, qui aliquod quantumcunque modicum beneficium subticuit in eadem. E converso modica dicuntur non nocere *c. & si quæstiones de simonia, & c. Judices* 1. *q.* 1. ubi dicitur quòd res modica simoniæ labe mentem non maculat: item *in c. bona rei* 12. *q.* 2. dicitur, quòd exiguum damnum facilè tolleretur, & *in c. terrulas* 12 *q.* 2. dicitur quòd Episcopus possit modica alienare, & *in l. fino ff. de restitut. in integ.* non datur pro modico talis restitutio: nec pro modico datur actio de dolo *l. si oleum ff. de dolo, & l.* 1. *ff. de ventre inspiciend.* Unde modicum si omittatur non nocet *l. si quis conduxerit & l. Habitatores ff. locati* omne modicum, sive augeat, sive diminuat pro non adjecto haberi debet.

Nihilominus respondetur, omnia præ- 10
dicta jura vera esse si ritè explicentur, tunc enim modicum habetur pro non adjecto, & si taceatur dicitur non nocere, quando canones, & jura asserunt, modicum esse habendum pro non adjecto, & rursus asserunt, quòd si taceatur nil obsit: vel etiam quando de modico nullam habent mentionem, & ex neglectu modici non sequatur grave inconveniens. Secus si canones, & jura expressè statuant, ut de modico beneficio mentio fiat, tunc necessaria erit talis mentio, in quo sensu procedunt jura allegata pro prima sententia: & quia jura, & canones expressè statuunt, ut cùm litteræ Apostolicæ à Romano Pontifice impetrantur ad beneficium aliquod obtinendum, si is, qui impetrat, modicum jam habeat beneficium ejus debeat mentionem facere; ut liquet *ex c. si proponente de rescript. c. si motu proprio* paulò ante citatis, ideò debet, qui obtinere desiderat secundum beneficium, mentionem de primo facere, tametsi modico, & valdè exiguo, quia Pontifex *in d. c. si motu proprio* ait: si motu proprio alicui beneficium aliquod obtinenti conferamus aliud, de illo non facta mentione, non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de mera liberalitate processit invalidam volumus reputari. Secus 11
si ad petitionem illius, vel alterius, pro eodem oblatam, gratiam hujusmodi faciamus: tunc quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere. Hinc ad quæsitum respondet Azorius *lib. 6. p.* 2. *c.* 10. quòd si beneficium sit simplex, & modicum, & beneficiarius in Ecclesia residere consuetudine, & statuto non debeat, si ad congruam, & honestam clerici sustentationem unum beneficium non sufficiat, & simul cum alio possit congruè, & honestè sustentari, si neutrum beneficium præsentiam exigat beneficiarii, possit utrumque beneficium simul obtineri, & retineri absque ulla alia juris relaxatione, quia tametsi jus commune horum beneficiorum pluralitatem prohibeat: ex recepta tamen consuetudine introductum est, ut duo talia beneficia simplicia non obligantia ad residentiam, & quorum neutrum seorsim sufficit ad congruam, & honestam clerici sustentationem, possint ambo simul obtineri, & retineri: Neque jus naturale prohibet, quò minus possit quis duo modica beneficia ad congruam sustentationem necessaria habere: quia ex jure naturæ habet quisque, ut valeat se congruè sustentare.

Quamobrem jus naturæ tunc tantùm ve- 12
tat plura beneficia eidem conferenda, quando unum ex iisdem sufficit ad congruam, & honestam clerici sustentationem: secus si non sufficiat, non censetur jure naturali beneficium, eò quia tunc modicum pro nihilo reputatur, tametsi jure canonico quodlibet beneficium quantumvis tenue, & exiguum habeatur pro beneficio. Quamobrem consuetudo non derogat juri naturali, sed tantùm juri canonico. Quòd si clericus petens rescriptum à Romano Pontifice in ordine ad obtinendum beneficium diceret, se pauperem esse, & non exprimeret bene-

beneficium modicum, quod jam habebat tunc reſcriptum conferetur nullius valoris, & dolosè impetratum, ut notat Gloſſa *in c. ſi propoſente*: quia Pontifex expreſsè aſſerit, quòd debeat fieri mentio de beneficio quantumvis modico, quod quis habet.

14 Quæritur quintò, an habens duo beneficia ſingula inſufficientia teneatur alterum dimittere, ſi poſtea fiat ſufficiens. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 17. de reformat.* videtur deduci, eſſe tunc beneficium inſufficiens dimittendum, & retinendum ſufficiens ad congruam clerici ſuſtentationem, quia mens Concilii eſt, quòd generatim clericus nonniſi unicum habeat beneficium, quando hoc eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem: abſolutè enim prohibet pluralitatem beneficiorum in eodem clerico, & ſolùm illam admittit ratione inſufficientiæ, eò quia decet clericum habere congruam, & honeſtam ſuſtentationem, ad quam ſi unum beneficium ob ſuam tenuitatem non eſt ſufficiens, permittitur etiam aliud inſufficiens, ut ex utroque inſufficiente accipiat clericus redditus, qui ſufficiant pro congrua ſua ſuſtentatione. Nihilominus mihi videtur procedendum cum diſtinctione. Si enim beneficium antea inſufficiens factum ſit ſufficiens ex induſtria, & meliorationibus ejusdem beneficiarii, tunc non dubitârim, poſſe retineri utrumque beneficium; quia tunc incrementum beneficii pertinet ad beneficiarium non ratione tituli ejusdem beneficii, ſed ratione induſtriæ, & expenſarum: & melioramenta ſunt ipſius meliorantis *l. 2. C. de prædiis, & om. reb. navicul. lib. 11. tit. 2.* ut notant Barb. ibid. Garzia *de expenſ. & melior. c. 18. n. 55.* Mareſcot. *variar. reſolut. c. 112. n. 57.* ubi plures recitat. Rota Romana coram Puteo *deciſ. 275. lib. 3.* & coram Merlino *deciſ. 363. n. 5.*

15 Neque obſtat, quòd hæc melioramenta non ſeparentur poſtea à beneficio, quia inde non ſequitur, quòd non ſint fructus induſtriales beneficiarii, qui propterea non illis fruitur titulo beneficii, ſed titulo propriæ induſtriæ, adeo ut beneficium quantum eſt ex ſe, perinde ſe habeat, ac ſi non fuiſſet factum ſufficiens. Quòd ſi alio modo abſque induſtria beneficiarii factum ſit beneficium ſufficiens, adhuc putârim probabile, non teneri ad alterum inſufficiens dimittendum: idque mihi videtur inferri ex Concilio Tridentino, ſiquidem concedit, quòd habenti beneficium inſufficiens poſſit aliud conferri, adeo ut concedat eidem plura beneficia inſufficientia: ſed quòd aliquod ex ipſis beneficiis poſt collationem factam ſufficiens fiat, non ampliùs pertinet ad collationem, ad quam per accidens ſe habet, & quia Concilium tantùm prohibet collationem plurium beneficiorum, ſi unum ſit ſufficiens; ideo ſi poſt collationem fiat ſufficiens, cenſerem probabile, non teneri dimittere beneficium inſufficiens: quando verba diſpoſitionis non conveniunt ſpeciali alicui caſui, neque diſpoſitio ad illum ſe extendit *l. ſi ſervus §. non dixit ff. de dam. inſect. l. conſtitutum ff. de teſtament. milit.* ut tradunt Alexander *conſil. 17. num. 8. lib. 2.* Decius *conſil. 9. num. 24. lib. 1.* Rota *deciſ. 318. num. 2. p. 3. recent.* ſed verba diſpoſitionis Concilii non aſſerunt, quòd habens duo beneficia inſufficientia, ſi alterum eorum fiat ſufficiens non poſſit, quod eſt inſufficiens retinere, ait enim Concilium: *unum tantùm beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur.* Cùm igitur loquatur de collatione, non verò de retentione beneficii inſufficientis poſtquam aliud, quod antea erat inſufficiens factum eſt ſufficiens, non debet diſpoſitio Concilii ad id extendi.

Tum quia cùm potuerint hæc duo beneficia inſufficientia ab initio validè conferri, & 16
fuerint validè collata pro congrua ſuſtentatione: ex eo, quòd poſtea fiat ſufficiens, non ſequitur, quòd utriusque collatio, & poſſeſſio in virtute collationis non maneat legitima: valet enim regula juris: quòd factum legitimè retractari non debeat, etiamſi caſus contingat, à quo non potuiſſet inchoari *c. factum de regul. jur. in 6. l. in ambiguis §. non eſt novum ff. de regul. jur.* idque liquet in matrimonio, quod ſemel contractum, ſi poſtea ſuperveniat impedimentum, quod aliàs eſſet dirimens, non diſſolvitur matrimonium.

Hinc cum Concilium ſolùm prohibeat plu- 17
ralitatem beneficiorum in ordine ad collationem, quando beneficia ſunt de ſe ſufficientia pro honeſta ſuſtentatione cleriei: & quando duo beneficia ſunt ex ſe inſufficientia ſeorſim, & ſufficientia unitim permittit, ut ſimul conferantur, cùm collatio ſit legitima, & valida; non invalidatur per aliquod conſequens juxta præcitatam regulam juris: unde licèt alterum eorum fiat ſufficiens non propterea collatio non fuit valida. Tum quia Concilium nihil diſponit de eo, quod ſubſequitur legitimam collationem plurium beneficiorum, ſed tantùm intendit reordinare collationem beneficiorum, & præſcribere collatoribus modum ſervandũ in diſtributione beneficiorum: unde ſemel quòd beneficia ſunt collata juxta regulam præſcriptam à Concilio, nil ſupereſt corrigendum.

Quòd ſi dicas, finalem rationem diſpoſitio- 18
nis etiam ſuum habere valorem in ipſa retentione plurium beneficiorum, quando alterum ex beneficiis ſit ſufficiens: proinde diſpoſitionem etiam ſe extendere ad ipſam retentionem *l. illud ff. ad leg. aquil. l. illud C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Contra eſt: quia ratio finalis non videtur locum habere in ipſa retentione; quia ratio finalis diſpoſitionis Concilii tantùm fuit ponere ordinem in collatione beneficiorum, ut liquet ex verbis Concilii, unde cùm ratio finalis ſit reordinatio collationis non videtur extendi ultra ipſam. Hinc ſi quis habeat beneficium inſufficiens ad congruam ſuſtentationem, eò quia ſit gravatum penſione, ſi poſtea obtineat aliud beneficium tanquam non ſufficienter proviſus pro honeſta ſuſtentatione, poteſt utrumque retinere ut docent Garzia *de benef. p. 11. c. 2. n. 310.* Gonzales *ad regul. 8. cancell.* Gloſſa 5. §. 5. *n. 19.* Immo ſi poſtea vacaret penſio, & beneficium quod gravatum penſione erat inſufficiens, jam liberum à penſione fiat ſufficiens, adhuc utrumque poteſt retinere, eò quia utrumque fuerit legitimè collatum juxta diſpoſitionem Concilii Tri-

Tridentini, cùm enim Concilium disponat de sola collatione beneficiorum, non debet ejus dispositio extendi ad vacationem pensionis.

18 Quæritur sextò, an si Romanus Pontifex alicui habenti jam beneficium concedat motu proprio aliud beneficium nulla facta mentione de primo beneficio possesso, rata sit, & firma collatio secundi beneficii. Nonnulli censent, talem collationem esse irritam, eò quia canones pluralitatem beneficiorum execrentur: Sed opposita sententia verior est, quam docet Glossa *in clement. si Romanus 4. de prabend.* ubi habetur, quòd quando Papa motu proprio providet de beneficio habenti alia beneficia, qualiacunque cum cura animarum, vel sine, vel dignitates, vel personatus; licèt non faciat mentionem de illis beneficiis, provisio valet. Ubi Glossa notat, tales litteras pontificias debere expressè continere verba significantia motum proprium, quibus solet Pontifex uti, cujusmodi sunt *nos motu proprio, & ex certa scientia.* Rursus notat, quòd verba illa *motu proprio* non faciunt compotem beneficiorum eum, qui alioquin beneficia unum, vel plura obtinebat contra canones.

19 Hinc si Legatus de latere motu proprio, & expresso in litteris concessionis conferat alicui habenti unum beneficium aliud, nullâ factâ mentione prioris, adhuc gratia videtur subsistere, ut docent Franc. *c. ult. de offic. Legat. in 6.* Bonif. *in clement. & si ab apostolica de offic. ordin.* Geminian. Anchar. Imola, & alii, quia Legatus de latere habet pontificiam authoritatem sibi delegatam; proinde potest ut Pontifex conferre talia beneficia. Neque obstat, quòd respondet Lappus *in c. ult. de offic. legat. in 6.* talem collationem esse irritam: eò quia jus in eodem capite generatim constituat impetrationem beneficii collati per Legatum, & concessi non valere: nam in illo capite tantùm dicitur, quòd collatio sit irrita; quando vitio, vel dolo impetrantis reticetur primum beneficium, non autem quando Legatus de latere nulla facta mentione prioris beneficii motu proprio, & de certa scientia confert secundum.

20 Quæritur septimò, an si habenti insufficiens beneficium conferatur per se sufficiens statim intelligatur vacare primum. Affirmant plures cum Garzia *p. 11. de benefic. c. 5. n. 303.* eò quia ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 17.* habeatur vacare primum beneficium habita possessione secundi: siquidem est intentio Concilii prohibere, ne quis habeat plura beneficia, quando unum eorum est sufficiens ad congruam, & honestam clerici sustentationem: unde statim ac possidetur secundum sufficiens, censetur vacare primum beneficium. Nihilominus contraria sententia probabilis est, & videtur deduci ex ipso Concilio Tridentino *sess. 24. c. 17. de reformat.* ubi habet: *quod quidem si ad vitam ejus, cui conferatur bonaflè sustentandam non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri:* hinc claret, Concilium concedere habenti insufficiens beneficium posse conferri aliud, dummodo non sit incompatibile ratione residentiæ, & cùm Concilium dicat: liceat nihilominus aliud simplex sufficiens eidem conferri, loquitur procul dubio de secundo beneficio sufficiente de se ad congruam sustentationem clerici.

Neque obstat, quod respondent nonnulli, 21
Concilium loqui de beneficio sufficiente simul cum priore, non verò de se sufficiente seorsim à priore. Nam contra est, quia cum verba Concilii possint sumi in diversum sensum, possunt explicari: & quia si explicentur de beneficio secundùm se sufficiente habetur sensus magis planus, & magis secundùm sonum verborum, quæ qualitatem sufficientiæ absolutè tribuunt beneficio, quod posteriùs confertur: ideo sunt verba Concilii explicanda in eo sensu, qui magis accommodatus est iisdem verbis: unde cùm verba Concilii simpliciter dicant, quòd liceat eidem aliud simplex beneficium sufficiens conferri intelligenda sunt verba de beneficio de se sufficiente, dummodo non sit incompatibile ratione residentiæ. Tum quia verba concessionis debent interpretari favorabiliter secundùm ea omnia, quæ apta sunt comprehendere *l. 4. §. Titius ff. de damno infect.* ut notat Rota Romana *decis. 791. num. 1. p. 3. recent.* Tum quia si Concilium intellexisset de beneficio sufficiente ex conjunctione cum altero, id explicâsset, & non fuisset usum verbis significantibus beneficium absolutè sufficiens. Quamobrem cùm Concilium potuerit facilè explicare de beneficio sufficiente simul cum alio, & id non explicaverit, videtur dicendum, quòd Concilium fuerit locutum de beneficio ex se sufficiente, non verò sufficiente ut unito cum priore.

Præterea cùm Concilium non distinxerit suffi- 22
cientiam, quâ beneficium secundùm se est sufficiens, & quâ est sufficiens ex conjunctione cum altero, nec nos debemus distinguere. Tum quia Concilium prohibet conferri eidem clerico plura beneficia: deinde per modum exceptionis concedit alterum beneficium sufficiens habenti unicum insufficiens, & exceptio debet esse de eo, quod continetur sub regula *l. nam quod liquidè ff. de pœn. leg. l. fin. C. quando ex fact. tut.* ut tradunt Castrens. *consil. 70. num. 3. lib. 1.* Geminian. *consil. 65. num. 8.* quo fit, quòd concedat conferri aliud beneficium de iis, de quibus in regula prohibuerat, consequenter de iis, quæ secundùm se sunt sufficientia.

Verùm licet hæc omnia probabilia sint, 23
nihilominus putârim, Concilium concedere quidem collationem alterius beneficii de se sufficientis ad congruam, & convenientem clerici sustentationem, sed quia Concilium prohibet etiam pluralitatem beneficiorum, ideo putârim mentem Concilii fuisse, ut post collationem, & possessionem secundi beneficii sufficientis de se, vacet primum quod de se erat insufficiens, in hoc enim sensu explicantur omnia verba Concilii. Cæterum provisus de secundo beneficio de se sufficiente, ut retineret primum tametsi insufficiens, teneretur pontificiam petere dispensationem, quia semel quòd habet beneficium sufficiens ex dispositione Concilii

sess.

seſſ. 24. c. 17. de reformat. non eſt capax alterius beneficii, & ideo ſi ſemel obtineat, & poſſideat beneficium ſufficiens, ex ſe vacat primum beneficium, quod erat inſufficiens, hæc mihi videtur opinio probabilior.

24 Quæritur octavò, quódnam beneficium cenſeatur ſufficiens ad honeſtam clerici ſuſtentationem? Proponit hanc quæſtionem Gloſſa *in c. clericum. c. clericum* 21. *q.* 1. *c. conquerente de cleric. non reſid. in V. ſufficientia* & *c. cum adeo de reſcriptis*, ubi expreſſè aſſerit, illud beneficium ſufficere ad congruam, & honeſtam ſuſtentationem clerici, quod ipſi, & ſuis ſufficit: ita tamen ut ex beneficii fructibus poſſit hoſpites, advenas, & peregrinos hoſpitio excipere, & epiſcopalia jura perſolvere *c. de Monach.* 12. *de prabend. & c. ſicut de ſuppleud. neglig. Prælator.* Rurſus debet qualitas clericorũ diſtingui, adeo ut habeatur ratio nobilitatis, quia ut dicitur *in c. non coganiur* 41. divites non ſunt cogendi pauperum cibis veſci: ſed utantur conſuetudine infirmitatis ſuæ, ſi conſuetudinem mutant, ægrotant, ſi utantur ſuperfluis, dent tamen inopibus neceſſaria, ſi utantur pretioſis, dent pauperibus vilia. Rurſus habenda eſt ratio ſcientiæ, & literaturæ, quia in *c. de multa de prabend.* dicitur, quòd ſublimes, & literati homines ſint honorandi. Demum habenda eſt etiam ratio dignitatis *l.* 1. §. *in honorariis ff. de variis, & extraordinariis cognitionibus.* Verùm quia hæc ſunt tantùm generalia, adhuc ſupereſt difficultas, quódnam beneficium ſpeciatim cenſendum ſit ſufficiens cuivis clerico pro congrua ejus ſuſtentatione. Agunt de hac quæſtione Major in quarto *diſt.* 24. *q.* 18. Navarrus *tract. de orat. miſſelan.* 16. *n.* 7. & Azorius *lib.* 6. *c.* 10. *q.* 9. aſſerit, quosdam affirmare ad ſolvendum dubium Pariſiis plures Theologos, & juris conſultos ſimul convenìſſe anno 1228. & ſtatuiſſe, quòd beneficium reddens 45. aureos annuos cenſeatur ſufficiens pro congrua clerici ſuſtentatione. Verùm ut notat Azorius, tunc fortaſſis talis proventus erat ſufficiens, eò quia res viliori pretio darentur venum, & pecunia eſſet rarior, quàm nunc. Cæterum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c.* 11. ſtatuitur, ne quis ad ſacrum ordinem promoveatur jure, & ratione beneficii, niſi eidem ad victum honeſtum ſufficiat: unde attendenda eſt locorum varietas, quippe in uno loco, cùm res ad victum, & veſtitum neceſſariæ viliori pretio emantur, quàm in alio, ideo beneficium, quod in uno loco eſt ſufficiens pro congrua clerici ſuſtentatione, non erit ſufficiens in alio, ubi res longè cariori pretio venduntur.

25 Rurſus Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 13. ſtatuit, ne Cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus ſummam mille aureorum, & parochiales, quarum proventus ſummam centum aureorum non ſuperant, penſionibus graventur. Navarrus diſtinguit beneficiarios, ſi enim ſit beneficiarius infimæ ſortis, ſufficit illi beneficium ex quo ſe, & unum famulũ, coquum & equũ ſuſtentare poſſit, ac domicilium ad habitandũ neceſſarium conducere. Quòd ſi beneficiarius ſit bonæ litteraturæ, præſertim doctor, vel Licentiatus, tunc aſſerit, ſufficere illi beneficium, ex quo poſſit ſe alere, & duos famulos, coquum, & equum pro more patriæ: quòd ſi beneficiarius ſit nobilior, ſatis eſt beneficium ex quo ſe ipſum alat, & rurſus tres, vel quatuor famulos, duos equos, & domicilium, conducat. Quoad Epiſcopum aſſerit, ſufficere illi, ſi ex ſuæ Eccleſiæ fructibus duodecim, vel quatuordecim famulos ſuſtentare poſſit.

Verùm fortaſſis minor numerus ſufficeret. 26
Quoad equos conveniens eſt, quòd poſſit duos alere pro rheda. Verùm quoad hoc attendenda eſt Eccleſia, & locus reſidentiæ; rurſus habenda eſt ratio temporis, perſonæ, & aliarum circumſtantiarum; ſiquidem perſonæ valdè nobili, vel eximiæ litteraturæ, vel quæ reipublicæ Chriſtianæ magnam attulerit utilitatem, pinguiora videntur beneficia convenire. Neque quoad hoc poteſt regula ſpecialis aſſignari, quæ omnibus poſſit accommodari, ubi enim penuria eſt annonæ, & aliorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria, pinguiores requiruntur proventus. Tum quia nomine victûs intelligitur omne id, quo beneficiarius indiget ad ſe, & familiam ſuam honeſtè ſuſtentandam, cujusmodi ſunt cibus, veſtitus, habitatio, & omnia, quæ ad morbos curandos neceſſaria ſunt. Rurſus nomine familiæ comprehenduntur famuli, parentes, fratres, & ſorores egentes, & alii conſanguinei indigentes.

Quæritur nonò, an habenti penſionem con- 27
ferri poſſit beneficium absque ulla diſpenſatione. Rationem dubitandi ſuppeditat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de reformat.* ubi ſtatuit, quòd unicum tantùm beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur, & quia penſio ſuccedit locò beneficii, cùm detur clericis propter ſuſtentationem, ut deſumitur *ex c. ad audientiam 2. de reſcript.* videtur inferendum habenti penſionem ſufficientem pro congrua ſuſtentatione non poſſe juxta diſpoſitionem Tridentini conferri beneficium. Verùm communior, & verior eſt ſententia, penſionem non reddere incapacem beneficiorum, tametſi ſit penſio pinguis, & excedat expenſas ſuſtentationis. Ita cenſent Garzia *de benefic. p.* 11. *c.* 5. *n.* 214. Gonzales *ad regul.* 8. *cancellar.* Gloſſa 5. §. 5. *n.* 14. Hoieda *de incompatibilitate beneficiar. p.* 2. *c.* 7. & ita etiam declaravit ſacra congregatio Concilii Tridentini ad inſtantiam Archiepiſcopi Hiſpalenſis, qui cùm quæſiviſſet à ſacra congregatione, an quod dicitur de beneficiis, locum habeat in penſionibus, nimirum quòd Ordinarius non poſſit conferre beneficium habenti jam in penſionibus eccleſiaſticis ſufficientem ſuſtentationẽ, reſpondit ſacra congregatio, non habere locum in penſionibus, ut refert Garzia *p.* 11. *de benefic. c* 5. *n.* 310.

Ratio etiam deſumitur ex ipſo Concilio 28
Tridentino *ſeſſ.* 24 *c.* 17. *de refor.* ubi Concilium conſiderans inconvenientia, quæ oriuntur, & incommoda, quæ patitur Eccleſia ex eo, quòd unus plura habeat beneficia nimirum, quòd perverta-tur ordo eccleſiaſticus, quando unus plurium clericorum officia occupat, vel unus locum tenet plurium, ut quando in pluribus conſcribitur ecclefiis

cleſiis,in quibus alii clerici eſſent deſtinandi; & quòd per hanc pluralitatem beneficiorum in eodē clerico eludantur,quæ b nè conſtituta ſunt, ideo ut liberaret Ecc eſiam à ſimilibus incommodis,prohibuit,ne plura beneficia eidem clerico conferrentur: atqui hæc incommoda non ſequuntur, ſi unus habeat plures penſiones, vel penſionem ſimul cum unico beneficio: ergo cùm Concilium direxerit ſuam diſpoſitionem ad tollenda inconvenientia, & removenda incomoda, quæ patitur Eccleſia, ſi eidem clerico plura conferantur beneficia,cum hæc inconvenientia non ſequantur, ſi quis habeat penſionem ſimul cùm beneficio, vel etiam plures penſiones ſimul,non eſt diſpoſitio Concilii extendenda ad ipſas penſiones: ſiquidem non debet diſpoſitio extendi plus,quàm extendatur ejus ratio finalis *l.adigere §. quamvis ff.de jure patronat.* Abbas *in c.quia in inſulis de regular. & in c. ſuggeſtum de appellat.* Decius ibid. *not.* 1. Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa p.1. n.144.* idque procedit, tametſi obtinens beneficium plures habeat penſiones, quia perinde plures penſiones ſunt compatibiles cum uno beneficio, ac una cum eodem, cùm aliunde non ſit penſio incompatibilis cum beneficio. An verò ſub eodem tecto, ſeu in eadem Eccleſia,ſeu ſacello ſit penſio incompatibilis cum beneficio, videtur eſſe major difficultas, plures enim affirmant cum Rebuffo *in prax.tit. de diſpenſat. rat. stat.* Garzia *de benefic.p.1.c.5. n.317.* Corrado *in prax.benefic. lib.2.c.6. n.55.* & aliis aſſerentibus,ex ſtylo curiæ Romanæ penſiones, & beneficium ſub eodem tecto eſſe incompatibilia, idque probant ex clauſula,quæ ſolet apponi in penſionibus pro palatinis. At ex illa clauſula tantùm inferri poteſt, quòd in impetratione beneficii, vel alterius penſionis non ſit exprimenda penſio,quæ jam obtinetur,tametſi ſub eodem tecto, eò quia talis clauſula tantùm ponatur ad evitandam ſubreptionem ex illius taciturnitate, quæ aliàs deberet explicari,eò quia reddit difficiliorem conceſſionem beneficii, vel alterius penſionis; non verò ad effectum diſpenſandi ſuper incompatibilitate,quaſi penſio ſit incompatibilis cum beneficio. Eodem pacto reſpondetur, eſſe intelligendas alias clauſulas, ut quando impetrans beneficium exprimit, ſe habere penſionem ſuper fructibus beneficii exiſtentis in eadem Eccleſia: ſiquidem conceſſio beneficii tunc eſt difficilior, ſi penſio ſit ſuper fructibus beneficii ſub eodem tecto, ſeu in eadem Eccleſia.

29 Quamobrem tunc tantùm penſio cenſetur incompatibilis cum beneficio ſub eodem tecto, quando ſubrogatur loco beneficii, ut cùm quis reſignans beneficium reſervat ſibi penſionem,in hoc enim caſu, cum penſio ſubrogetur locò beneficii, eſt idem ſervandum cum penſione,quod ſervatur in beneficio *l. ſi cum §. qui injuriarum ff. ſi quis caut.* Surdus *deciſ. 35. num. 9.* & Rota coram Merlino *deciſ.445.n.1.* quamobrem penſio ut ſubrogata loco beneficii comprehenditur ſub diſpoſitione beneficiorum, & induit incompatibilitatem ſub eodem tecto *§. ſi igitur defunctus V. unde conſequens authent. de hæred. ab inteſt. veniens.* Decianus *conſil.52. n.53.in fin.* in quo ſenſu etiam communiter intelligitur *c. ad audientiam 2. de reſcript.* ubi diſponitur de iis, qui propter annuas penſiones renunciant beneficio litterarum apoſtolicarum, quarum vigore fuiſſent providendi de iisdem beneficiis: cum hujusmodi penſiones cenſeantur ſubrogatæ loco beneficiorum,dantur enim ex eo quòd Penſionarii renuncient litteris apoſtolicis, ideo non ſunt compatibiles ſub eodem tecto cum beneficio.

Hinc quoties penſio ſubrogata beneficio eſt 30
incompatibilis cum beneficio, eſt etiam incompatibile ipſum beneficium, cui penſio ſubrogatur, quia tunc penſio induit naturam illius beneficii,in cujus locum ſubrogatur *l. in duobus §.1.ff.de jure jur. l. filiæ ſuæ §. Attia ff. de condit. & demonſtrat.* ut obſervat Rota coram Ludoviſio *deciſ. 463. n. 3.* quapropter induit incompatibilitatem beneficii, quam aliàs habet ratione pluralitatis.

Cæterum quia penſio non ſubrogatur bene- 31
ficio ſecundùm totum ſuum eſſe, ſed tantùm prout dat ſuſtentationem beneficiario,ideo non intelligitur aſſumere omnes qualitates beneficii,ſed eas tantùm,quas habet, quatenus præbet ſuſtentationem beneficiario; proinde non habet penſio aliam incompatibilitatem, niſi quæ oritur ratione ſufficientis ſuſtentationis.

Quæritur decimò, an quando jus concedit 32
ut unum beneficium habeatur jure rituli,&alterum jure commendæ,poſſit tunc quis ſimul habere beneficium, & commendam. Juvat obſervare, moris olim fuiſſe, ut quando Eccleſiæ ſuo eſſent viduatæ paſtore, & electio protraheretur,alicui viro eccleſiaſtico prudenti, ac idoneo ad ſex menſes hujusmodi Eccleſiæ viduatæ commendarentur; non tamen jus ullum ei, cui commendabatur Eccleſia, tribuebatur quaſi proprio Prælato, unde is nec ſibi fructus acquirebat ultra neceſſariam alimoniam pro cura, & labore ſuo *c. nemo deinceps de elect. in 6.* ſed ſucceſſu temporis conſuetudo poſtea invaluit, ut plures epiſcopatus,& Monaſteria cum aliis Prælaturis in commendam quis habeat, & fructus inde ampliſſimos percipiat. Hinc ad quæſitum reſpondetur, commendam hoc pacto perpetuam eſſe contra ſa- 33
cros canones,ut deſumitur *ex c. nemo deinceps de elect. in 6.* ubi prohibetur,ne quis commendam, quamvis ritè factam,ultra ſemeſtre obtineat, idque evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Quod ſaluberrimum decretum poſtea renovavit,& confirmavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.7.c.4.* ubi ait: quicunque de cætero plura curata,aut aliàs incompatibilia beneficia eccleſiaſtica ſive per viam unionis ad vitam, ſeu comendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine,& titulo contra formam ſacrorum canonum,&præſertim conſtitutionis Innocentii III.recipere,ac ſimul tenere præſumpſerit, beneficiis ipſis ipſo jure etiam præſentis canonis vigore privatus exiſtat: & *ſeſſ.24.c.17.* decrevit ut qui plures parochiales Eccleſias,vel unam cathedralem, & parochiam obtinent, cogantur omnino quibuscunque diſpenſationibus, ac unionibus ad viram non obſtantibus,unâ tantùm parochiali,vel ſola parochiali retentâ,alias parochiales intra ſpatium ſex menſium dimittere.

Hinc

Hinc errant, qui putant, posse Concilium
33 ita interpretari, ut licitum sit, duo simul beneficia obtinere, quamvis incompatibilia, dummodo unum sit titulare, & alterum commendatum, id enim adversatur rationi, quia nomen tituli, & commendæ non mutat naturam beneficii; sive enim beneficium curatum vocetur beneficium, vel commenda; semper est illi annexa cura animarum, & exigit personalem præsentiam, proinde commendæ perpetuæ perinde inducunt incompatibilitatem, ac ipsa beneficia. Hinc perpetua beneficiorum commendatio fuit præter sacros canones, & veteris juris sanctiones introducta; *in c. qui plures 21. q. 1.* quia beneficia, & Ecclesiæ tantùm commendabantur ad tempus; & humana ambitio beneficiorum commendationes perpetuas in Ecclesiam invexit: nam cùm duo beneficia jure tituli habere non possent, ideo mutârunt titulum beneficii in illum commendæ, ut duo possiderent beneficia unum titulo beneficii, & alterum jure commendationis ad vitam, vel perpetuæ administrationis; adeo ut unus, & idem duos haberet episcopatus, & unius esset Episcopus, & alterius perpetuus administrator.

34 Hinc Concilium Tridentinum prohibuit, ne quis duo simul beneficia habeat commendata, unum jure tituli, & alterum jure commendationis in perpetuum; eò quia cùm revera sint duo beneficia, nequeunt simul possideri, si præsentiam exigant beneficiarii. Tum quia commendatio sive semestris sit, sivè perpetua, non mutat statum beneficii, & conditionem; adeo ut beneficium commendatum retineat curam animarum, residentiam, incompatibilitatem, & alia onera: hinc notat Mendos. *in regul. 32. q. 7. n. 12.* hodie commendas perpetuas inducere incompatibilitatem, & in illis locum habere jura de titulariis loquentia.

Quòd si dicas, cum, cui perpetuò commen-
35 datur Ecclesia, vel perpetua conceditur administratio, non compelli jure residere, nec censeri beneficiarium, aut Prælatum, cum morte ipsius Ecclesia non vacet suo possessori, sed tantùm obitu illius, qui Ecclesiam illam jure tituli possidebat: proinde non pugnare cum sacris sanctionibus, ut quis habeat simul duas Ecclesias, unam jure tituli, & alteram jure commendationis perpetuæ. Respondetur, commendatarium perpetuum teneri residere in beneficio sibi commendato, si beneficium sit curatum, vel præsentiam exigat sui pastoris: sive hic dicatur Rector, sive Parochus, sive Prælatus, aut Commendator, quia beneficium trahit secum onera sibi annexa, proinde qui beneficium suscipit, cum beneficio etiam onera eidem annexa suscipit: Neque obstat, quòd Cardinales passim habeant plures Abbatias, vel prioratus jure commendationis perpetuæ, vel administrationis ad vitam: quia Cardinales non possident illa plura beneficia jure commendationis perpetuæ ex propria authoritate, sed ex concessa indulgentia Romani Pontificis, qui cùm habeat jus relaxandi canonicas sanctiones, eo ipso quòd hæc gratia impertitur Cardinalibus, Romanus Pontifex laxat rigorem juris canonici. Cæterum solent Cardinales se se abdicare episcopatibus, & summus Pontifex eisdem certas reservat pensiones pro congrua, & honesta eorundem sustentatione, ut decet illam eminentem dignitatem.

Quæritur undecimò, ex quibus causis jura 36
Ecclesiastica prohibuerint pluralitatem beneficiorum. Respondetur, ex pluribus causis hanc pluralitatem interdixisse, & harum plures haberi *in c. clericus 11. q. 1.* Prima enim est, ne clerici turpis lucri causâ proprio commodo studeant. Secunda ne divitiis inhiant. Tertia quia nemo potest duobus dominis servire Deo, & Mamonæ; seu divitiis, quapropter neque idem clericus potest commodè duabus ecclesiis servire. Quarta quia unusquisque juxta Apostolum, in quo vocatus est beneficio, debet in eodem manere; proinde in una eademque Ecclesia. Quinta ne ecclesiastici per hanc pluralitatem beneficiorum plus ditescentes, quàm par sit, propriis commodis indulgeant, & onera ecclesiastica subitè detrectent. Sexta ut inde radix amputaretur ambitionis, & ne qui unam tantùm obtinuit Ecclesiam, alias statim ambiret, studio proprii commodi magis, quàm causâ subeundi novos labores. Septima ut materia inde subtraheretur dissolutionis, & evagationis cum animarum discrimine, ut desumitur *ex c. quia nonnulli de cleric. non resid.* cùm clericus vix possit unum officium commodè implere; multò difficiliùs potest simul plura obire. Octava quia qui plura simul obtinet beneficia, stipendia sibi vendicat plurimorum, qui aliàs inservirent Ecclesiis.

Aliæ causæ etiam referuntur in constitu- 37
tione Joannis XXII. quæ incipit *execrabilis de præbend.* ubi inter cætera hæc habentur. Interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix officium implere posset, plurimorum sibi stipendia vendicat, quæ multis viris litteratis vitæ puritate, & testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collata. Habentibus, ipsa paratur vagandi materia: divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur; & dum non sunt sui in una quaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia exstruxerat decessorum: & quòd amariùs est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur. Hactenus dicta in præfata constitutione Joannis XXII. habentur.

§. XII.

De permutatione, & evacatione beneficiorum.

DEfinitur permutatio generatim sumpta 1
certæ rei ad alteram facta præstatio *l. 1. ff. de rer. permutat.* quapropter beneficii permutatio nihil aliud est, nisi dimissio beneficiorum facta à duobus; quorum alter beneficium alterius suscipit; quando enim duo vicissim sua beneficia dimittunt, ut alter alterius beneficium obtineat, adeo ut Titius acquirat beneficium

neficium Cai,& Cajus beneficium Titii, dicitur hæc dimiſſio permutatio, quæ in pluribus convenit cum reſignatione facta in gratiam alterius, & dicitur etiam contractus innominatus, proinde eſt locus pœnitentiæ re integra,ut tradunt Caſtrens, *conſ.* 241. *in quæſtione in princ. lib.* 1. Alexand. *conſ.* 16. *viſo dicto themate in princ. l.* 2. & quamvis jure civili permutatio ſit pactum nudum, in quo cum detur locus pœnitentiæ, non datur actio, ut notat Alexander *in d. conſ.* 16. benè tamen jure canonico ex pacto nudo, & ex permutatione datur actio ſecundùm communem opinionem. Cæterum permutatio, quæ incipit à traditione differt à conventione de permutando,quia conventio non parit actionem,ut quis compellatur permutare,niſi adſit ſtipulationis ſolemnitas; quia ſicut permutatio non impleta non obligat; ita nec conventio de permutando Caſtrens. *d.conſ.* 241. *in q. in princ. lib.* 1.

2 Cæterum permutatio operatur,ut res permutatæ ſubrogentur invicem, & una loco alterius: unde Eccleſia permutans cum ſæculari ſervata ſolemnitate transfert bona Eccleſiæ in laicum, & tunc illa bona efficiuntur laicalia; & bona per laicum cum Eccleſia permutata efficiuntur eccleſiaſtica: & ideo, quæ priùs ut laicalia poterant alienari, non poſſunt ampliùs ut eccleſiaſtica ſine ſolemnitate alienari,ut tradit Decius *conſ.* 285. Hinc jure canonico regulariter permutatio beneficiorum facta propria authoritate prohibita eſt ob quatuor præſertim cauſas. Quarum prima eſt, ut eccleſiaſticis perſonis omnis avaritiæ, & ambitionis via præcludatur. Secunda, ne de beneficiis, aliisque ſæcularibus bonis videantur diſponere. Tertia ne inde cenſeant, idem jus ſe in beneficia habere, quod in proprio patrimonio. Quarta quia permutatio ſupponit abdicationem unius beneficii, & acceptionem alterius, quod canones non permittunt fieri propria authoritate *c. ad quæſtiones de rer. permutat.* Tum quia rectoratus beneficiorum non debent eſſe temporales, ſed ad vitam,ut notat Geminian *conſ.* 50. §. *quæritur an Epiſcopus n.* 3.

3 Quamobrem permutatio facienda eſt cum authoritate ſuperiorum,cujusmodi eſt ſummus Pontifex, vel Ordinarius loci, ſeu Epiſcopus, vel omnis Prælatus, qui jus habet conferendi, inſtituendi,& à beneficio removendi;cujusmodi ſunt Abbates, & alii Prælati, qui epiſcopalem jurisdictionem conſuetudine, aut privilegio habent. De Vicario generali non videtur ita dicendum, ſed eſt ipſi neceſſarium ſpeciale mandatum. Collegium tamen canonicorum poteſt beneficiorum permutationes admittere,quando ad ſolos canonicos pertinet jus conferendi talia beneficia,vel ad canonicos ſimul,& Epiſcopum, ut tradit Innocentius *c. quæſitum.* Panormit. *c. cum ex injuncto de haret. de rer. permutat.*

4 Non tamen licet beneficium eccleſiaſticum permutare cum alio jure ſpirituali, quod non ſit beneficium, ut cum jure decimarum,nec patronatûs: & ſimiliter nec cum jure, quod quis habet ad beneficium, non in beneficio, ut ſi quis habeat litteras apoſtolicas,quarum vigore beneficium expectet. Multò minùs poteſt permutari beneficium eccleſiaſticum cum patrimonio, cujus ratione clericus fuit ad ſacros promotus ordines; imò nec cum hoſpitali domo,cùm hæc non ſit beneficium.

5 Verùm accedente conſenſu Ordinarii in talem permutationem, ut ſcilicet beneficium eccleſiaſticum cum jure nominationis, vel collationis permutetur; probabile eſt, validam fore permutationem, quia *in clement. unic. de permut. rer.* nil aliud dicitur,niſi quòd ſpiritualia non poſſint cum temporalibus permutari. Non tamen beneficia reſervata poſſunt permutari in manibus collatoris inferioris,ut notat Federicus de Sen. *conſ.* 112.ubi addit,quòd nec error communis excuſet, quia error juris non excuſat, ut etiam tradit Calder *conſ.* 295. Immo Federicus de Sen. *conſ.* 110. aſſerit,ita fuiſſe declaratum à Benedicto Papa: nihilominus quamvis permutari non poſſint, vacant tamen beneficia; adeo ut adiri debeat Papa, ut permutationem compleat: alioquin non poſſent permutantes redire ad ſua beneficia, ut tradit Federic. de Sen. *d. conſ.* 112. *n.* 2. Immò licèt permutatio fiat de beneficio reſervato cum alio non reſervato, adhuc quoad reſervatum valet reſignatio, & vacat, quamvis non valeat collatio;proinde ſecuta edictione beneficii non reſervati, qui reſignavit reſervatum non poteſt ad illud redire, quia cenſetur vacare, & debet conferri per Papam. Quòd ſi permutatio beneficii reſervati fiat in manibus Papæ, tametſi de reſervatione nulla facta ſit mentio, valet permutatio, ut tradit Calder. *conſ.* 292.

6 Hinc ad legitimam permutationem, ſuppoſito,quòd uterque habeat jus proprium,& reale, ac pacificum in beneficio permutando plura requiruntur. Primò ut non adſit dolus, quia nulla eſt permutatio ipſo jure cauſata ex dolo; quia dolus dans cauſam contractui bonæ fidei reddit ipſum nullum: Tunc permutatio beneficiorum præſumitur doloſa,& facta in fraudem expectantium, quando infirmus ex cauſa permutationis reſignat beneficium ſimplex pro curato, pingue pro tenui, & conſanguineo ſuo, vel amico, ideo non valet, ut notat Anchar. *conſ.* 293.

7 Id tamen limitatur, quando expectantis gratia extingueretur, eò quia haberet jus ad beneficium permutatum, vel ad primam vacaturam; non ita ſi non conſummitur,ut tradit Anchar. *conſ.* 388. *Titius permutavit num.* 3. *V. iis non obſtant.* Limitatur etiam ſi non eſſet plenè probatum, quòd pingue mutetur cum tenui, ut notat idem Anchar. *in d. conſ.* 388. *num.* 5. Cæterum ſola diſparitas non arguit fraudem, quia poſſet eſſe ratione affectionis particularis, vel aëris,aut amænitatis. Infirmitas etiam, ut doloſam, ac fraudulentam arguat permutationem, debet eſſe gravis, & ſimul probetur,alioquin non ſufficit, ut tradit Anchar. *d. conſ.* 388. *n.* 6. *& ſequent. V. reſtat. igitur*, ubi addit, id procedere etiam ſi reſignans ex cauſa permutationis deceſſerit intra tres dies.

8 Secundò permutatio ita debet fieri, ut uterque in manus Ordinarii reſignet, adeo ut permutà-

mutatio beneficiorum ſpectantium ad collationem inferioris collatoris debeat fieri in manibus Epiſcopi, qui permutationem authorizavit, conſentiente inferiore collatore; non verò fieri debet in manibus inferioris collatoris, ut tradit Fed. de Sen. *conſ.* 156. *num.* 3. *in fin. V. item quando collatio.* In manibus tamen Papæ poteſt fieri permutatio quorumcunque beneficiorum, quia eſt Ordinarius, & ſupremus ſuperior in tota Eccleſia, ut notat Calder. *conſ.* 293. Quòd ſi permutatio beneficii, cujus electio ſpectat ad collegium, vel præſentatio ad patronos laicos fiat in manibus Epiſcopi ſine conſenſu habentium jus eligendi, vel præſentandi; tunc permutatio nullius eſt valoris, ut tradit Calderinus *conſ.* 294.

9 Tertia limitatio eſt, ut collatio fiat in permutantes; quia ſi alteri conferatur collatio eſt irrita *clement. unic. de permut. verum*, hinc Ordinarius poſtquam conſenſit in reſignationem tenetur ipſis conferre. Quarta eſt conſenſus illorum, ad quos electio, vel præſentatio ſpectat; licèt poſſit Epiſcopus ſupplere conſenſum, ſi fortaſſis patronus renuerit, ut tradit Leſſius *c.* 34. *dub.* 36.

10 Cæterum inæqualitas beneficiorum non impedit abſolutè permutationem. Dicuntur verò beneficia inæqualia, ſi uni eorum ſit annexa cura animarum, non alteri. Secundò ſi unum ſit pingue, & aliud perquàm tenue; neutra enim inæqualitas permutationem irritat, ſi absque vi fiat, & dolo: quia plerumque contingit, ut magis conveniat Titio, quòd habeat tenuius beneficium in tali loco, quàm pinguius in alio; quo pacto Titius non patitur injuriam. Tum quia volenti, & conſentienti non fit injuria. Reſignatio tamen facta ex cauſa permutationis non inducit vacationem beneficii permutati, ſi ex aliqua cauſa non ſortiatur effectum, ut notat Oldradus *conſ.* 275. *num.* 3. *V. circa ſecundum.*

11 Contrarium tamen videtur probabilius, quod etiam docet Feder. de Sen. *conſ.* 156. quia beneficia permutata vacant, licèt ſuperior teneatur ex neceſſitate conferre permutantibus; & licèt non currat tempus ſuperioris, nec ſpectantes poſſint capere talia beneficia permutata; nihilominus habens fructus beneficiorum vacantium, habebit fructus beneficiorum reſignatorum ex cauſa permutationis ante collationem, quia vacant: ſiquidem beneficiorum priùs inducitur vacatio, & poſtea collatio, ut notat Gemin. *conſ.* 45. *num.* 3.

12 Rurſus permutatio beneficiorum facta inter eos, qui jus non habebant in beneficiis permutatis, non valet, neque confert ullum jus cùm permutantes nullum ſupponantur habuiſſe jus in talia beneficia; permutatio enim beneficiorum non confert niſi jus, quod habent permutantes: immo nec valet permutatio, ſi jus deficiat ſolùm uni ex permutantibus, quia permutatio non poteſt fieri de re aliena. Idque procedit, quamvis beneficia collata ex cauſa permutationis ſpectarent ad collationem conferentis ex cauſa permutationis, & verè vacarent, quando facta fuit permutatio, ex alia tamen cauſa, quàm ex cauſa permutationis: non tamen permutantibus acquiritur jus in præjudicium conferentis, niſi ex ſola cauſa permutationis. Immo neque confertur jus, quod habent permutantes, quando conferens non contulit ex veriſimili mente, ſi ſciviſſet unionem, ut quod beneficium ſit unitum menſæ epiſcopali, vel monaſterii, tunc enim ſi non fiat mentio dictæ unionis, non valet permutatio, ut tradit Feder. de Sen. *conſ* 270. *num.* 1. *V. Præterea.*

Vacare dicuntur beneficia, quando nullum 13
habent poſſeſſorem, perinde ac locus vacans dicitur, qui caret corpore, quo repleatur: hinc Martianus *in l. qui cætu* §. *ult. ff. ad leg. Jul. de vi public.* mulierem viduam vocat vacantem, eò quia ſit ſine marito: quamobrem mortuo beneficiario non moritur beneficium, neque extinguitur, ſed propriè vacat, eò quia revera exiſtat, tametſi poſſeſſore careat; & per hoc diſtinguitur à penſione, quia hæc poſt mortem penſionarii non vacat, ſed finitur, ac deſinit, perinde ac uſus fructus, ut notat Gloſſa *in extravag. ne ſede vacante V. vacantium.* Vallenſis *lib.* 3. *tit. V.* Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 22. *num.* 304.

Tripliciter dicitur beneficium vacare in jure, 14
ſcil. vel facto tantùm, vel jure tantùm, vel facto, & jure ſimul. Facto tantùm vacat beneficium, quando quis amittit poſſeſſionẽ, non verò titulum: jure tantùm, quando authoritate canonis privatur quis beneficio, quod poſſidebat: adeo ut ordinarius, ſeu ſuperior poſſit illud alteri conferre. Facto, & jure ſimul vacat beneficium, quando beneficiatus moritur, vel ſponte illud deponit, & nondum alteri collatum eſt, ut notant Azorius *p.* 2. *lib.* 7. *c.* 16 Eſcobar. *tract.* 6. *exam.* 1. *c.* 1. §. 9. Tuſchus *concluſ.* 69. & 71.

Rurſus tribus modis intelliguntur benefi- 15
cia ipſo jure vacare, ſcilicet vel ex delicto, vel ex quaſi delicto, vel ſine delicto, ut notat Gloſſa *in c. ſi propter tua de reſcript. in* 6. ubi plures alios etiam recenſet modos, quibus beneficia ipſo jure vacant, ut per mortem naturalem. Per mortem moralem, ſeu ingreſſum religionis, & emiſſionem ſolemnis profeſſionis in eadem. Per promotionem ad aliud beneficium incompatibile. Per non promotionem intra annum ad ſacerdotium, quando beneficium exigit, ut beneficiatus ſit Sacerdos. Per translationem ad aliam Eccleſiam. Per reſignationem. Per depoſitionem, & denique per matrimonium. Moſconius *lib.* 1. *de benefic c.* 2. preſſiùs aſſerit, beneficium vacare. Primò propter crimen, cui pœna amiſſionis annexa ſit authoritate juris. Secundò propter alterius beneficii incompatibilis adeptionem. Tertiò per profeſſionem emiſſam in religione approbata. Crimina verò, quæ ipſo jure privant beneficiatum ſuo beneficio, quatuordecim recenſentur. Quorum primum eſt hæreſis *c. ad abolendam* 9. *de hæret.* Secundum Schisma *c. nos conſuetudinem c. quia diligentia* 5. *de elect.* Tertium eſt ſodomia frequentata ex Bulla Pij V. quam recitat Navarrus *c* 27. *num.* 249. Quartum eſt percuſſio Cardinalis, vel Epiſcopi *c. ſæpe de pœnis in* 6. Quintum eſt homicidium qualificatum, ſcilicet perpetra-

tum per ſicarium pretio conductum *c. 1. de homicidiis in 6.* Alexander *conſ. 166.* Sextum crimen privans beneficiatum ſuo beneficio eſt falſificatio litterarum apoſtolicarum *c. ad falſarii 7. de crimine falſi.* Septimum, ſi quis per ſe, vel per alium, rectorem, vel alium clericum Eccleſiæ ſuæ, in qua beneficium poſſidet, occidit *c. in quibusdam 12. de pœn.* Octavum ſi Examinatores pro beneficio parochiali aliquid acceperint pro examine, eò quia beneficia curata ſint conferenda dignioribus. Nonum ob ſimoniam confidentiæ ex Bulla Pij IV. & Pij V. apud Navarrum *c. 23. num. 100.* Decimum ſi obtinens epiſcopatum non acceperit conſecrationem intra ſex menſes à pacifica poſſeſſione. Undecimum ſi obtinens beneficium curatum, ut parochiale, non fuerit promotus ad ſacerdotium infra ſpatium unius anni.

16 Duodecimum ſi quis duo beneficia incompatibilia ſimul retinere velit: dicuntur beneficia incompatibilia, quorũ officium legitima authoritate eccleſiaſtica illis annexum non poteſt unus ac idem clericus ſimul obire: cujusmodi ſunt ea beneficia, quæ ſingula reſidentiam continuam exigunt, ut etiam uniformia ſub eodem tecto, ut in præcedentibus explicuimus, non enim natura patitur, ut quis ſimul in duobus locis continuò reſideat, aut idem officium ſimul pluries præſtet: & inter hæc dantur aliqua ita incompatibilia, ut unum alterum ipſo jure excludat, & dicuntur beneficia incompatibilia primi generis, & ſunt quæ habent annexam curam animarum, vel dignitatem, vel perſonatum, vel officium: ipſo enim jure primum ex his vacat, quando ſecundum obtinetur, & ſi quis etiam alterum retinere contendit, utroque privatur ipſo jure, & ad ſacros ordines, ac beneficium quodcunque inhabilis habetur *c. de multa de prabend. extravag. execrabilis*, & Concil. Trid. *ſeſſ. 7. c. 4.* talia ſunt etiam beneficia uniformia ſub eodem tecto.

17 Requiritur tamen ad dictum effectum, ut ſecundum beneficium non ſolùm ſit integrè obtentum, ac habeatur ejus pacifica poſſeſſio: verùm etiam ut fructus ſecundi percipi poſſint, alioquin talis poſſeſſio inutilis eſſet. Rurſus etiam requiritur, ut utrumque beneficium collatum ſit in perpetuum titulum, vel perpetuam commendam. Hinc habens dignitatem, aut beneficium curatum, ſi vicariatum generalem Epiſcopi acceptet, non perdit primum beneficium, quia Vicarius generalis eſt amovibilis ad nutum Epiſcopi.

18 Præterea qui duo talia beneficia retinuit, is primo ipſo facto ita privatus eſt, ut nulla opus ſit ſententia, & ſecundi titulum, & proprietatem ſtatim perdat, ut *in cit. extravag. execrabilis* ſtatuitur; poſſeſſionem tamen retinet, donec per ſententiam Judicis eccleſiaſtici privetur. Rurſus is ad quem ſpectat primi beneficii collatio, poteſt ſtatim illud conferre: quòd ſi ab eo tempore intra ſemeſtre negligat illud conferre, collatio devolvitur ad alium immediatè ſuperiorem; ſin verò ex legitima cauſa ſuperior primi beneficii renunciationem non admiſerit, ſecundum dimittendum eſt, ut deſumitur *ex c. quòd in nobis de renunciatione.* Beneficia quæ dicuntur incompatibilia ſecundi generis ſunt, quæ tametſi ſine diſpenſatione nequeant licitè retineri, non tamen ita pugnant, ut uno obtento alterum ipſo jure vacet: talia ſunt beneficia, quæ licèt ſimplicia; reſidentiam tamen continuam exigunt: propterea in illis non eo ipſo primum vacat, quod ſecundum obtentum ſit, cum id expreſſum non reperiatur in jure; tametſi non deſint, qui aſſerant aliter fuiſſe declaratum à congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

Decimum tertium crimen privans beneficiatum ſuo beneficio eſt, ſi Prælatus, vel adminiſtrator alienet bona Monaſterii, vel Eccleſiæ absque formâ in jure præſcripta, vel inconſulto Pontifice *extravag. ambitioſa de reb. eccles. non alienand.* 19

Quartum decimum, ſi quis in beneficium intruſus fuerit, ſeu in ejus poſſeſſionem vi ingreſſus *c. cum qui 18. de prabend. in 6.* ubi dicitur, qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, ſeu ſe ſcienter injuſtè intrudit in eo, ſit ipſo jure privatus beneficio, quod cum cura ſimili primitùs obtinebat. Item ut qui vi beneficium aliquod occupat, eo ipſo amittat jus, ſi quod ante in illo, vel ad illud habebat, ſcilicet per electionem, præſentationem, aut collationem. 20

Cæterum juvat obſervare; quòd ut quis propter crimen privetur ſuo beneficio neceſſe ſit, ut crimen probetur; adeo ut non cogatur quisquam ante ſententiam dimittere ſuum beneficium, ut notat Rebuffus *de benefic. p. 3.* Hæc hactenus recenſita crimina dicuntur ipſo jure privare beneficiis. 21

Alia crimina, quæ tantùm merentur privationem beneficii faciendam ſententiâ Judicis octo recenſentur, quorum primum eſt, ſi beneficiatus, qui tenetur ad continuam reſidentiam absque juſta cauſa abſit *c. conquerente c. ex parte de cleric. non reſidentib.* Secundum eſt homicidium *c. clerici, ne clerici, vel Monachi*, Abbas *in c. ult. de exceſſu Prælatorum.* Tertium ſi clericus concubinam publicè alat, ſi eam non deſerat Epiſcopo monente, vel unâ relictâ aliam accipiat, olim enim beneficiis ſuis jure communi erat privatus, nunc verò à Concilio Tridentino eſt aliter conſtitutum, ut liquet *ſeſſ. 25. c. 14.* Quartum ſi fuerit perjurus in contractibus, pactis, negotiis, aut judiciis. Quintum, qui Deum, aut ſanctiſſimam Chriſti Matrem publicè blaſphemaverit, ſi ejusdem ſceleris tertiò arguatur. Sextum ſi ultra annum in excommunicatione perſiſtat Gloſſa *in c. 1. de judic. & rurſus c. quicunque 11. q. 3.* Septimum qui habens beneficium exigens continuam reſidentiam aliud ſimile obtinet; tunc enim alterum illorum reſignare cogitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. c. 4.* Octavum ſolet de ſodomitico dubitari, an ipſo jure privatus ſit. Aliqui enim affirmant ex Bulla Pij V. alii negant aſſerentes talem Bullam non eſſe ubique receptam, ut putat Azorius *lib. 7. c. 18.* Reginaldus *lib. 30. tract. 3. num. 318. & n. 333.* 22

Pra-

Præterea ut prius beneficium curatum dig-
23 nitas, perſonatus, vel etiam officium habens adminiſtrationem, non ſolum nudum miniſte-(quod dicitur habere Procurator Eccleſiæ) vacet per adeptionem alterius ſimilis; neceſsè eſt, ut ſecundum beneficium non ſolum ſit collatum, & acceptum; verùm etiam, ut beneficiatus pacificam poſſeſſionem ſecundi beneficii ſit adeptus, vel per eum ſteterit, quo minus acquireretur, ut notat Garzia *de benefic. lib.* 11. *c.* 5. *num.* 18. non enim ad inducendam vacationem per aſſecutionem ſecundi beneficii incompatibilis ſolùm requiritur, ut de facto ſecundum pacificè poſſideatur, ſed etiam ut de jure; adeo ut ſecundum beneficium non ſit litigioſum, ſed pacificè poſſideatur abſque ulla controverſia juris, & facti, alioquin beneficiatus bis puniretur, nimirum amiſſione prioris beneficii, & periculo etiam amittendi poſterius propter controverſiam juris, vel facti. Non tamen eſt neceſſe ad inducendam vacationem primi beneficii, ut utrumque pacificè poſſideatur, quia tametſi primum ſit litigioſum, vacat nihilominus per adeptionem ſecundi ſi hoc pacificè poſſideatur, ut tradit Garzia *d. c.* 5. *n.* 107.

Rurſus ut ipſo jure beneficium primum in-
24 compatibile vacet per aſſecutionem ſecundi ſimilis, requiritur pacifica poſſeſſio non ſolùm quoad titulum, & exercitium curæ, vel officii beneficio annexi: verùm etiam pacifica poſſeſſio bonorum, ac fructuum beneficii, vel ſaltem majoris partis eorundem, alioquin ſi ex privilegio, ſtatuto, vel ex alia cauſa fructus alteri ad tempus reſerventur; non cenſetur prius beneficium vacare, ut notat Garzia *de benefic. d. c.* 5. *n.* 123. & deſumitur *ex c. ſi tibi* 26. *h. t. in* 6. ubi habetur, ut quando habens beneficium curatum acquirit aliud curatum, dum alius accipit fructus ſecundi ex cauſa, ut ſi Epiſcopus accipiat ex conceſſione Papæ ad tempus, non tenetur relinquere primum: quia talis non cenſetur plenè, & perfectè obtinere alterum beneficium, quando nullum ex eo fructum percipit, nec per ipſum ſtat quo minus percipiat. Quòd ſi proviſus ex duplici curato beneficio fructus percipiat, non datur eidem optio eligendi, utrum ex duobus beneficiis velit dimittere, quia ex eo tempore prius beneficium vacati tametſi Garzia *p.* 11. *c.* 5. *num.* 131. cum aliis probabilem cenſeat contrariam ſententiam, eò quia non cenſeatur obtinuiſſe adhuc plenam, & totalem poſſeſſionem ſecundi beneficii.

Cæterum cum dicitur primum beneficium
25 curatum, vel dignitatem, vel perſonatum vacare per aſſecutionem, & pacificam poſſeſſionem ſecundi beneficii incompatibilis, multipliciter limitatur. Primò ſi quis ſecundum beneficium curatum, dignitatem, vel perſonatum obtinuit mediante gratioſa diſpenſatione Papæ; & taliter, ut licèt poſſit utrumque obtinere, tametſi fortaſſis non fuerit ſufficiens cauſa diſpenſandi, vel diſpenſatio fortaſſis fuerit ſubreptitia, nihilominus non incurrit pœnam ſtatutam contrà obtinentes ſecundum beneficium incompatibile, ut tradit Garzia *lib.* 11. *de benefic. c.* 5. *n.* 22. ubi limitat, niſi ſubreptio, & inſufficientia cauſæ diſpenſandi clara eſſet, ac evidens, quia tunc collatio ſecundi beneficii ſubreptitiè impetrati eſt nulla; proinde non poteſt inducere effectum vacationis, aut reſervationis in priore beneficio, tametſi talis in pœnam criminis poſſit per ſententiam Judicis etiam priori beneficio privari. Quòd ſi nolit Papa diſpenſare ſuper pluralitate beneficiorum incompatibilium, tunc juxta ſtylum curiæ in collatione ſecundi beneficii adjicitur clauſula: ut beneficium prius obtentum liberè dimittatur, alioquin tam primum, quàm ſecundum beneficium vacat, ut notat Garzia *loc. cit.*

Secundò limitatur ſi quis ſubitâ irâ cor-
26 reptus, vel alio vehementi motu ſtimulatus recipit ſecundum beneficium incompatibile, in quo petiit, ſe inſtitui; ſed mox in ſe reverſus pœnitentiâ ductus eidem renunciet, tunc non vacat primum *arg. c. divortium* 21. *diſt. de pœnitentia*, & deſumitur *ex l.* 3. *ff. de divortiis.* ubi dicitur, quòd quidquid in calore iracundiæ fit, vel dicitur, non priùs ratum habendum ſit, quàm ſi perſeverantiâ apparuit, judicium animi fuiſſe, ut notat Abbas *in c. de multa n.* 13.

Tertiò limitatur, ſi qui alterum beneficium
27 curatum obtinuit expenſas in primo ex bonis ſuis patrimonialibus fecerit, quia tunc non poteſt compelli, ut dimittat primum beneficium, niſi eidem reſtituantur expenſæ *argum. c.* 2. *caus.* 12. *q.* 3. Abbas *in d. c. de multa, num.* 14. ubi addit, poſſe etiam hæredem ejusdem ab inteſtato expenſas illas repetere, niſi ex conjecturis apparuerit, eas feciſſe in favorem Eccleſiæ, & ſine animo eas repetendi.

Quartò limitatur ſi Epiſcopus collator
28 primi beneficii nolit ratam habere collationem ſecundi, & ſuum repetat clericum: quia hic non poteſt renunciare beneficio expreſsè, & directè, neque tacitè, & indirectè recipiendo alterum beneficium incompatibile cum priore abſque conſenſu ſui Prælati, qui propterea debet ratam habere renunciationem primi, ut deſumitur *ex c. admonet* 3. *de renunciat.*

Epiſcopus eo ipſo quòd promovetur ad
29 epiſcopatum amittit omnia beneficia, quæ anteà poſſidebat, adeo ut ſi fuerit canonicus, vel habuerit alias præbendas iisdem privetur, poſtquam Epiſcopus promotus acceperit confirmationem, & bonorum eccleſiaſticorum pacificam poſſeſſionem, ac denique conſecrationem: tunc enim vacant omnia beneficia Epiſcopi, etiam ſimplicia, immo etiam penſiones, niſi fortaſſis promotus ad epiſcopatum nondum percipiat fructus ejusdem, eò quia iſti ex cauſa ad certum tempus alteri reſerventur: tunc enim etiam poſt conſecrationem, & obtentam poſſeſſionem, beneficia promoti non vacant, ut notat Garzia *lib.* 11. *de benefic. c.* 5. *num.* 124. & multò minus tali Epiſcopo eadem beneficia conferri licitè poſſunt, ut deſumitur *ex c. cum noſtris* 6. *de conceſſ. præbend.* quod tamen limitatur, niſi Papa ſpecialiter diſpenſet, aut juſta, & legitima cauſa exigat, ut Epiſcopo redditus ſufficientes non habenti beneficium aliud conferatur, ut notat Garzia *de beneficiis p.* 11. *c.* 6. *n.* 44. & deſumitur *in d. c. cum noſtris*.

Excla

30 Excipitur tamen Episcopus titularis, qui possessionem Ecclesiæ, ad quam promotus est, non assequitur, nec per ipsum stat, quò minus eam assequatur; eò quia ejus episcopatus sit in partibus infidelium; tales sunt suffraganei Episcoporum, quibus conferuntur episcopatus existentes in terris infidelium: horum siquidem beneficia non vacant per assecutionem talis episcopatus, ut notat Garzia *d. c. 6. n. 24.* Rursus si episcopatus sit pauper, vel ære alieno gravatus, tunc possunt Episcopo conferri beneficia simplicia, & compatibilia, quia tametsi talis Episcopus amittat priora beneficia, non tamen adest jus, quo reddatur inhabilis ad beneficia simplicia imposterum obtinenda ob congruam, & decentem sustentationem; ut notat Garzia *loco cit. num. 44.*

31 Hinc Episcopo pauperi non habenti sufficientes redditus ad congruam sustentationem possunt conferri beneficia simplicia, immo, & eidem relinqui compatibilia ante promotionem obtenta. Immò etiam incompatibilia ex gratiosa dispensatione Papæ: quia si potest Papa licitè Episcopo pauperi conferre beneficium, multò magis relinquere beneficium antea obtentum, cùm hoc minus sit: imò id in praxim deducunt Archiepiscopi Salisburgenses, ad quos cùm pertineat collatio alioquorum episcopatuum ex indulto Papæ, ferè semper eos conferunt canonicis metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, adeo ut sint simul Episcopi, & canonici in tali Ecclesia, & vocem habeant in capitulo tam activam, quàm passivam.

§. XIII.

De Erectione, & unione beneficiorum ecclesiasticorum.

1 CErtum est, nullum beneficium absque authoritate ecclesiastica posse erigi, aut aliqua ratione immutari, ut delumitur *ex c. non liceat. c. laicis. c. si quis. c. 16. q 7.* eò quia prorsus ad dispositionem Ecclesiæ spectet, cujus est officia spiritualia instituere, & certos reditus assignare. Hinc quamvis omnibus utriusque sexus Christianis, quicunque habent dominium, & administrationem rerum suarum liberam, concessum sit bona sua temporalia Ecclesiæ afferre, ad erigenda nova beneficia ecclesiastica, ut liquet *ex c. quicunque fidelium c. piæ mentis eaus. 16. q. 7.* nulla tamen reddituum assignatio facta etiam propter spirituale officium sine authoritate ecclesiastica suum sortitur valorem; nec rationem beneficii ecclesiastici. Quamobrem ad Prælatos ecclesiasticos pertinet, antequam suam interponant authoritatem dignoscere, an justæ causæ suppetant erigendi novum beneficium, & an sine juris alieni læsione fieri possit, vel an non incurratur pactio improbata.

2 Rursus ad Archiepiscopalia, & his majora beneficia erigenda omnino requiritur summi Pontificis authoritas, ut liquet *ex tit. de Ecclesiis ædificand.* siquidem ad solum summum Pontificem pertinet diœceses, & Provincias constituere, ac assignare, imò hæc eadem authoritas pontificia etiam requiritur cum agitur de mutatione, divisione, unione beneficiorum.

Quòd si de novo episcopatu in alterius diœceli erigendo tractetur, jubetur requiri consentus tam Episcopi, quàm plebis *argum. c. præcipimus. c. & temporis qualitas. c. postquam cauf. 16. q. 1.* Minora beneficia, quæ Episcopo subjiciuntur ejusdem authoritate erigi, & creari possunt, ut etiam alias suscipere mutationes *c. multis 52. cans. 16. q. 1.* non tamen potest Episcopus novam omnino dignitatem in Ecclesia non priùs consuetam erigere, quia ad solum Papam pertinet novas has dignitates creare *c. sicut unire de excess. Prælator.* 3

Forma velut substantialis erectionis beneficii ecclesiastici consistit in assignatione certorum, ac sufficientium reddituum ex bonis alicui Ecclesiæ adscriptis, ut certum officium spirituale, quod per se, & primariò intenditur, præstetur. Rursus dicta sufficientia id etiam exigit, ut præter vitæ sustentationem, etiam hospitalitas exerceatur, solvantúrque iura episcopalia. Forma veluti accidentalis consistit in solemnitatibus litterarum erectionis, & fundationis. Hujusmodi erectiones interdum aliquam habent annexam conditionem à jure non improbatam, ut, qui authoritate ecclesiastica beneficium erexit, tametsi sæcularis sit, habeat jus præsentandi idoneum clericum ad tale beneficium, ad Ecclesiam, vel beneficium. 4

Et hoc jus triplici modo ab initio constituitur scilicet fundatione, constructione, & dotatione, & iis proinde acquiritur, qui Ecclesiam fundant, ædificant, dotant; adeo ut si unus omnia præstet, illi soli ex tribus præfatis causis competat jus patronatus; quod si unus fundet alter ædificet, tertius dotet, tunc omnibus ex æquo jus acquiritur, ut etiam quando plures in uno dotando concurrunt; requiritur tamen necessariò consensus, & authoritas Episcopi: deinde ut dos assignata sit sufficiens, alioquin Ecclesia non diceretur absolutè dotata; nil tamen refert; an ante Ecclesiæ consecrationem, an post fuerit dos illa oblata, quia hoc jus introductum fuit in favorem Ecclesiæ, unde si quis mediam partem sufficientis dotis ante consecrationem, & aliùs alteram dimidiam partem offerat post consecrationem, probabile est utrique prædictum jus acquiri. 5

Non tamen augmentum dotis, quod alio, quàm dotis nomine Ecclesiæ datur, patronum constituit, nisi fortassis tale augmentum datum sit, ut nova beneficia, & plures in Ecclesia Ministri esse possint, quia tunc respectu horum tribuitur instituenti jus patronatus: siquidem non solùm illi qui Ecclesiam, sed etiam qui beneficium, aut capellam de novo fundat, aut construit, sive jam erectam sine sufficienti dote de suis propriis, ac patrimonialibus bonis competenter dotat, hoc jus conceditur. 6

Neque necesse est ad hoc jus acquirendum ut quis sibi, quando fundat, vel dotat, illud nominatim reservet, dummodo eidem expressè non renuntiet. Consistit præcipuè hoc jus in potestate præsentandi idoneam personam ad beneficia vacantia iis, quibus competit, & ad id requi- 7

Digitized by Google

requiritur, ut patronus impeditus non ſit, perſona idonea nominetur intra conſtitutum tempus,& ei præſentetur,qui poteſt inſtituere. Impeditur verò patronus,ſi Legatus à latere pro ea vice jus præſentandi ſibi reſervet, quod tamen limitatur ad ſolum patronum eccleſiaſticum, quia laico non debet præjudicari.

8 Quòd ſi patronus ſciens indignum præſentaverit, licèt Eccleſiaſticus ſit, tametſi ignorans id fecerit, amittit pro illa vice jus præſentandi, & collatio devolvitur ad eum, qui jus habet inſtituendi. Idonea perſona nominatur, ſi eas habeat qualitates, quæ generatim requiruntur in ordinandis, & conditio beneficii ſpeciatim easdem exigit. Se ipſum tamen patronus præſentare non poteſt,licèt clericus ſit,ac idoneus, quamvis eum Epiſcopus inſtituere, & patronus rogare, & aſſentire poſſit. Cæterum nominare proprium filium,aut ſanguine junctum, aut cum patrono, non prohibetur: ſi tamen habens jus patronatus indignum præſentaverit, poteſt Epiſcopus, immo tenetur ipſum repellere. Poteſt patronus præſentare, vel per ſe, vel per Procuratorem, vel per litteras perſonæ idoneæ ad eum directas, qui jus habet inſtituendi.

9 Sicut poſſunt beneficia, & Eccleſiæ de novo erigi, ita etiam mutari, adeo ut Eccleſia regularis in ſæcularem, ſæcularis in regularem, collegialis in cathedralem, cathedralis in collegialem, & Eccleſia ſimplex in parochialem converti poſſit; hæ ſiquidem dicuntur eccleſiarum mutationes, & jus, ac authoritas harum mutationum inſtituendarum eſt penes ſolum Papam, ſi ſermo ſit de mutatione alicujus Eccleſiæ in cathedralem: quia tunc non poteſt fieri hæc mutatio,niſi in ea creetur Epiſcopus: & Epiſcopi ſolius Papæ authoritate creari poſſunt.

10 Rurſus ſolus Papa jus habet, ac poteſtatem mutandi Eccleſiam cathedralem in collegiatam, eò quia ſolius Papæ ſit Epiſcopos dejicere, vel epiſcopatus ſupprimere. Rurſus pertinet etiam ad ſolum Papam mutare Eccleſiam aliquam in collegiatam, ſiquidem Eccleſiâ collegiata non erigitur, niſi principalis aliqua dignitas in eadem inſtituatur, quæ toti Eccleſiæ collegiatæ præſit: & talis dignitas nonniſi authoritate Papæ creari poteſt. Rurſus ſolius Papæ eſt eccleſiam aliquam ſæcularem convertere in regularem, & è contra: quia regulares Eccleſiæ modò ſunt exemptæ, & ſolus Pontifex mutat Eccleſiam regularem unius ordinis in alteram diverſi inſtituti. Eccleſias tamen inferiores poteſt Epiſcopus jure proprio mutare, eò quia habeat jus, & authoritatem adminiſtrandi, & regendi Eccleſias in ſua diœceſi conſtitutas: hinc poteſt Epiſcopus ſimplicem Eccleſiam in parochialem mutare, & è contra *c. ad audientiam* 1. *de Eccleſ. ædificand.* ſed tunc neceſſe eſt, ut parochi primæ,& ſecundæ Eccleſiæ conſentiant, ne ipſis inferatur damnum. Rurſus damnum, quod infertur Parocho,debet re alia compenſari, quia cùm aliquid ipſi detrahatur, debet eidem aliquid dari, unde commodè ſuſtentetur. Cauſæ verò immutandi Eccleſias ſunt evidens neceſſitas, magna earundem utilitas,vel ſi Parochus Eccleſiam deſeruerit ob continua bella, hoſtium incurſiones, aëris intemperiem, peſtem continuò quaſi graſſantem, ſoli ſterilitatem, aquarum inundationem *c. Eccleſiæ 7. q. 7. c. mutationes c. Epiſcopus c. ſcias.*

Erigere Eccleſias Metropolitanas, & cathedrales ſolus Papa poteſt *c. 1. ne ſede vacante,* 11
& c. quod translationem de offic. legat. Alias inferiores Eccleſias ſcilicet parochiales, ſimplices poſſunt Epiſcopi erigere; ut etiam olim conventuales Eccleſias regulares; ſed nunc,quia ſunt ab Epiſcopis exemptæ ob Privilegia Romanorum Pontificum, authoritate ſuperiorum Regularium eriguntur. Cæterum Eccleſia non erigitur, niſi idonea dos à fundatore, vel alio aſſignetur, quæ ſufficiat ad clericos ipſius Eccleſiæ commodè ſuſtentandos, quinimo ſi fundator dotem non dederit, adigi poteſt ad dandam, quia eo ipſo quòd Eccleſiam exſtruxit,illi ſe tacitè ad dandam dotem obligavit *c. cùm ſicut de conſecrat. eccles. vel altaris.* Cæterum ſi Epiſcopus ſine ulla dote permiſerit Eccleſiam fundari,eam dotare debet ipſemet, aut quomodocunque ſuis impenſis ſuſtentare. An verò novam dignitatem in Eccleſia cathedrali, vel collegiata poſſit Epiſcopus creare absque ulla alia juſta cauſa, niſi ut divinus cultus augeatur; negat Gloſſa *in c. cùm olim de conſuetud.* quia ibi Epiſcopus à Papa facultatem impetravit,ut in Eccleſia Londonenſi novam dignitatem erigeret: & ratio etiam videtur eſſe,quia nova dignitas in cathedrali, vel collegiata creari non poteſt, quin cæteris talis collatio obſit.

Verùm mihi videtur probabilius cum Abbate, & Azorio *lib. 6. c. 30.* poſſe Epiſcopum 12
ad augendum divinum cultum hanc novam dignitatem inſtituere, dummodo cæteris parum, vel nihil detrahatur: conſultiùs tamen ſemper eſt, ut cautiùs procedatur, & ſummus Pontifex certior fiat. Hinc Epiſcopus,ſi juſta cauſa ſubſit, poteſt etiam probabiliter numerum canonicorum minuere, ut ſi reditus annui canonicorum facti ſint tenuiſſimi, & inſufficientes ad eorundem congruam ſuſtentationem, quia ſicut, ſi reditus fiant pinguiores, canonicorum numerus licitè augetur ab Epiſcopo, ut divinus cultus in Eccleſia ſit major, ita etiam ſi reditus decreverint, ac facti fuerint tenuiores, poteſt etiam minui numerus clericorum, & tunc beneficium non vacat, ſed extinguitur. Imò tametſi numerus canonicorum ſit authoritate Papæ conſtitutus,& confirmatus, adhuc probabile eſt, quòd ex juſta cauſa, præſertim ſi reditus notabiliter decreverint, poſſit talis numerus ab Epiſcopo minui.

Uniri inter ſe beneficia poſſunt,ut deſumitur 13
ex c. ſicut unire de exceſſ. Prælat. eſt autem unio duorum, vel plurium beneficiorum authoritate Prælati eccleſiaſtici facta conjunctio ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, eſtque talis unio, vel expreſſa, quâ unum beneficium, aut Eccleſia alteri expreſsè unitur, vel tacita, quâ beneficium in alicujus Capituli, vel Conventûs, aut dignitatis favorem reſignatur, & quia Capitulum, vel Conventus nunquam moriuntur, ideo beneficium ita reſignatum nun-

quam ampliùs vacat, qua ratione effectu, & re dicitur unitum, tametsi fuerit tantùm resignatum. Expressa unio, quâ unum beneficium, vel Ecclesia alteri expresè unitur, est vel temporalis facta ad utilitatem beneficiati pro ejus vita tantùm; vel perpetua suscepta ob utilitatem, & necessitatem Ecclesiæ. Temporalis propriè non est unio, sed potiùs dispensatio tecta nomine unionis, proinde censetur odiosa, neque in dubio præsumitur, neque fieri potest in beneficiis incompatibilibus nisi à solo summo Pontifice.

14 Unio perpetua triplici potissimùm modo contingit. Primò quando duo beneficia ita connectuntur, ut ex duobus fiat unum. Secundò quando una Ecclesia, seu beneficium alteri subjicitur; adeo ut unitum sit accessorium, & alterum principale: & tunc in impetratione unionis, tantùm facienda est mentio principalis non accessorii. Tertiò quando duæ Ecclesiæ, seu beneficia ita in uno Rectore connectuntur, ut tamen utrumque beneficium propriam naturam, privilegia, & qualitates retineat, & neutrum alteri subjiciatur, & utrumque suum titulum servet, & maneat principale, & tunc in impetratione debet de utroque fieri mentio, & si diversi eorundem collatores fuerint, debet uterque concurrere. Quando verò duo beneficia ita coalescunt in unum, ut eorum unum maneat superius, & aliud inferius, tunc in inferiore constitui potest Vicarius, qui munus consuetum obeat, ut desumitur *ex c. extirpande §. qui verò de prebend.* quia tunc unum beneficium tanquam accessorium unitur alteri ut principali, proinde accessorio unito potest Vicarius constitui, qui officium in eo obeat; effectus autem hujus unionis est, ut beneficium accessoriè unitum quasi extinguatur, neque per se censeatur beneficium, eò quia assumat naturam, qualitates, & privilegia beneficii principalis, ut notat Rebuffus in praxi beneficiorum *tit. de unionibus benefic. n. 10.* unde si Ecclesia exempta alteri non exemptæ accessoriè unitur, deperdit jus exemptionis, & è contra illud acquirit si Ecclesia non exempta unitur exemptæ.

15 Quando verò ex duobus beneficiis ità fit unum, ut ambo veluti coalescant in unum corpus tertium, ut quando ex duobus episcopatibus, quorum reditus sunt tenues, fit unus authoritate Papæ; tunc effectus hujus unionis est, ut privilegia, quæ uni Ecclesiæ, vel beneficio competunt, etiam alteri conveniant; & si sint contraria, meliora, & favorabilia conserventur, & canonici instituti in una Ecclesia sine etiam canonici in altera, constituántque unum corpus cum canonicis alterius.

16 Quando verò duo beneficia, vel duæ cathedrales Ecclesiæ æquè principaliter uniuntur, ità ut ambæ propriam naturam, & qualitates, & privilegia retineant, nec una alteri subjiciatur, sed utraque proprios reditus habeat, licèt sub eodem Episcopo, vel Rectore, qui utrique Ecclesiæ præficiatur, tunc in utraque intitulatur, & utrique præest, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de union. benefic. num. 15.* Garzia *pag. 11. c. 2. num. 37.* & desumitur *ex c. 1. inf. ne sede vacante* ubi Monasterium quoddam unitum fuit alicui episcopatui; ita tamen ut Ecclesia regularis non extingueretur, sed permaneret, & idem esset utriusque Ecclesiæ Prælatus, adeo ut idem qui fuit Episcopus Ecclesiæ cathedralis, simul etiam esset Prælatus Ecclesiæ regularis, seu Monasterii *c. & tempore qualitas 48. caus. 16. q. 1.*

Potestas uniendi beneficia, & Ecclesias quascunque quocunque modo competit inprimis summo Pontifici, ut desumitur *ex c. 2. h. t. in 6.* & notat Rebuffus *in prax. tit. de union. benefic. num. 23.* Non tamen per talem unionem etiam authoritate pontificia factam tollitur Episcopo potestas visitandi Ecclesiam, vel beneficium unitum, & subditos puniendi; adeo ut non eximatur Ecclesia unita à jurisdictione Episcopi, in cujus diœcesi sita est, quia unio censetur fieri salvo jure Episcopi, in cujus diœcesi beneficium unitum existit *c. 2. de religios. domib.* Papa enim cuilibet intendit sua jura servare, & nemini derogare, ut notat Glossa *in d. c. de religios. domib. in fin.* unde ut beneficium alteri unitum eximatur à jurisdictione Episcopi, necesse est, ut id in concessione speciatim exprimatur ut factum censeatur. 17

Præterea ea potestas jure communi competit Episcopis respectu eorum beneficiorum, in quæ habent jurisdictionem episcopalem: quam possunt exercere, cùm primùm usu potiuntur jurisdictionis, vel post electionem, vel ordinariè post confirmationem. Episcopi ex justa causa Ecclesias, & beneficia suæ diœcesis ex jure communi possunt unire *c. sicut unire de excess. Prælat.* ubi simul indicatur, non licere Metropolitano, & Archiepiscopo conjungere beneficia suffraganeis Episcopis subjecta. Excipiuntur tamen beneficia exempta à jurisdictione episcopali, vel collatione, seu provisioni Papæ specialiter ac perpetuò reservata, cujusmodi sunt dignitates majores in cathedralibus post pontificalem; & principales in collegiatis: siquidem qui beneficium non potest conferre ob defectum potestatis disponendi de illo, multò minus unire potest. 18

Rursus excipitur, ad minimodo unio sit perpetua, & non ad tempus, seu ad vitam beneficiati, quia Episcopus nequit unire beneficium alteri. Præterea quia hujusmodi uniones temporales sunt odiosæ, & saltem præter formam juris cum per ipsas non ecclesiis provideatur, sed personis, & in effectu eidem personæ duo beneficia concedantur. Demum quia unio temporalis est potiùs dispensatio, quàm unio. Cæterum non solùm Episcopus potest Ecclesiam sæcularem unire sæculari, sed etiam regulari, & loco religioso, ut constat ex *clement. de reb. eccles. non alienand.* Immo potest etiam unire beneficia, quorum collatio est devoluta ad Papam ob negligentiam conferendi, ut docet Azorius *p. 2. lib. 6. q. 15.* quia jus devolutum ad Papam solùm dat illi potestatem conferendi illud ob negligentiam alterius, non verò privat Episcopum potestate uniendi tale beneficium alteri; hinc tametsi Episcopus beneficium uniat, non ob id impedit Papam, quò minus, 19

illud

illud conferat alteri; devolutio enim tantùm impedit, ne Episcopus possit tale beneficium dare in titulum alteri, non verò impedit, quin possit illud alteri unire: siquidem unio respicit proprietatem beneficii, seu jus disponendi de beneficio, quod non semper competit collatori ordinario.

20 Hinc liquet, posse Episcopum beneficia devoluta ad Pontificem, & etiam eidem reservata unire, eò quia devolutio, & reservatio titulum; unio autem proprietatem respicit, quod tamen limitatur primò, ne præjudicium fiat expectanti tale beneficium authoritate apostolica. Secundò ut non sit speciatim, & perpetuò reservatum summo Pontifici. Tertiò nec sit sub ejus omnimoda dispositione, nec sit reservatû, nam in priori casu unio quidẽ fieri ab Episcopo potest, sed effectum non sortitur ante mortem illius beneficiati, ut fit quotiescunque unio instituitur non vacante beneficio. In posterioribus Episcopus non potest se omnino intromittere.

21 Vicarius generalis Episcopi, nisi speciatim committatur illi facultas, non potest plura beneficia unire, imò nec etiam si potestatem conferendi beneficia acceperit cum generali clausula: quia plus est unire, quàm conferre beneficia, ut notat Rebuff. *in prax. tit. de union. benefic. num. 37.* Capitulum verò cathedrale sede vacante potest unire beneficia, quæ alioquin Episcopus poterat, dummodo per talem unionem Episcopo non præjudicetur: ea enim quæ sunt jurisdictionis ad Capitulum transeunt *c. nunc. de majorit. & obed. in 6.* Immo potest etiam Capitulum sede vacante illa beneficia unire, quæ conferre non potest, salvis juribus Episcopi; quia conferre censetur voluntatis, unire necessitatis, nec debet talis unio fieri nisi ob certam Ecclesiæ necessitatem, aut evidentem ejus utilitatem; quæ si non urserit, expectare convenit Episcopi electionem, aut confirmationem: hinc ex eo, quòd Capitulum non habeat potestatem conferendi beneficia, non sequitur carere facultate illa uniendi: siquidem neque Episcopus potest conferre beneficia spectantia ad collationem inferioris ordinarii, & nihilominus potest ea unire; præterea quia beneficium si nondum vacet, non potest conferri, & nihilominus potest uniri alteri *clement. 2. de reb. eccles. non alienand.*

22 Præterea quia non est idem jus conferendi, & uniendi, siquidem conferre est liberalitatis, & voluntatis, & unire necessitatis, ut innuimus. Archiepiscopus tamen non habet potestatem uniendi beneficia in diœcesibus suorum suffraganeorum, sed tantùm in sua propria diœcesi, ut desumitur *ex c. sicut 8. in fin. de excess. Prælator.* Hæc potestas uniendi beneficia ecclesiastica competit etiam Legato à latere in sua Provincia; adeo ut possit unire ea beneficia, quæ potest conferre, immo etiam alia non spectantia ad collationem ipsius, eò quia devoluta sint ad Papam: imò potest hujusmodi beneficia unire etiam absque consensu Episcopi, cum quo in potestate concurrit, ut tradit Garzia *in prax. benef. lib. 11. num. 211. & sequent.* licèt per unionem hanc factam à Legato de latere non possit præjudicari *in* aliis juri episcopali, ut in potestate excommunicandi, visitandi, corrigendi in iis, quæ ad ecclesias, & beneficia curata pertinent *c. fin. de confir. util.*

Secus alii Legati, qui non sunt à latere, nequeunt præfata beneficia unire, cùm possint ea conferre, ut nec etiam Prælati Episcopo inferiores jure communi possunt beneficia unire, tametsi jus habeant ea conferendi, nisi ex speciali privilegio, vel legitima quadragenaria præscriptione cum titulo, vel immemorialis temporis sine titulo probetur, id iisdem convenire: siquidem non qui beneficia conferre potest, illicò etiã potest illa unire, quia ut liquet ex prædictis potestas uniendi est major potestate conferendi. Excipiuntur tamen illi inferiores Prælati, qui jurisdictionem quasi episcopalem habent in ecclesias sibi subjectas; tunc enim communior, & probabilior sententia est, quòd possint beneficia, quæ illis subjiciuntur unire, eò quia unio non sit actus episcopalis consecrationis, sed tantùm jurisdictionis, adeo ut Episcopus confirmatus, & nondum consecratus possit beneficia unire, ut notat Rebuffus *in prax. beneficior. tit. de union. benefic. n. 32.* unde cùm Prælati Episcopo inferiores supponantur habere jurisdictionem, nil impedit, quin possint beneficia unire, quæ propriæ subjiciuntur jurisdictioni. Non tamen Episcopus potest beneficia ecclesiastica unire propriæ mensæ, seu adjungere illis, unde sustentatur ejus familia sine expressa summi Pontificis licentia, ut habetur *in clement. si una de reb. Eccles. non alienand.* Quòd si Episcopus sui etiam Capituli accedente consensu mensæ suæ, vel ipsi capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, factum declaratur irritum *in d. clement.* non obstante quacunque contraria consuetudine, ut notat Garzia *p. 2. c. 12. n. 68.*

23 Ut autem unio plurium beneficiorum legitimè fiat ab habente potestatem, plura requiruntur, & primò justa causa, quæ desumitur ex necessitate, vel utilitate ecclesiarum; adeo ut ipse etiam summus Pontifex in uniendis ecclesiis, vel beneficiis hanc justam causam velit exigere. Secundò citatio eorum, quorum interest, quia irrita est beneficiorum, & Ecclesiarum unio, si fiat non vocatis illis, quorum interest, & qui jure vocari debent, ut colligitur *ex regula cancellar. Roman. 21.* Non tamen necesse est, ut plebs tota vocetur, quamvis si alleget rationabilem causam audienda sit, ut notat Rebuff. *in exit. regul. cancellar. 21.* Tertiò capituli consensus *clement. 2. de rebus eccles. non alienand.* quem tamen sufficit, sequi unionem, nec necesse sit, quòd præcesserit, quia in dubio præsumitur interveniisse, & hic consensus etiam requiritur, si Legatus à latere unionem moliatur, tanquam Ordinarius; non ita si tanquam delegatus plura beneficia uniat, ut notat Socinus *in c. sicut unire num. 11.* Quartò desideratur etiam consensus Prælati inferioris, & ejusdem capituli, cui Ecclesia unienda subjicitur, immo & patronorum, cùm iisdem præjudicetur, præsertim si fuerint sæculares, quorum juri, nec Legatus à latere derogare potest *c. cum dilectus de jure patronat.* sufficit tamen si consensus interveniat etiam

poſt factam unionem. Rectoris conſenſus non requiritur, cùm unio non ſortiatur effectum, niſi poſt vacationem, quapropter eidem non præjudicatur. Quintò eſt etiam neceſſarium inſtrumentum unionis, quo conſtare poſſit in quantum, & quàm legitimè unio facto fuerit, quòd ſi cognitio cauſæ adhibita non fuerit, vel citati non ſint, quorum intereſt; ipſo jure unio habetur irrita, Rebuffus *in prax. benefic. tit. de unionib. benefic. n.* 35.

25 Rurſus debet etiam verus beneficiorum uniendorum valor exprimi ab impetrante à ſede apoſtolica talem unionem. Ut autem cognoſcatur, qualis ſit unionis effectus ſpectandum eſt, quàm plenè facta fuerit, quâ in re litteræ unionis, quamvis plurimum præſtent, eædem tamen ſtrictæ ſunt interpretationis, eò quia unio beneficiorum, vel Eccleſiarum ſit odioſa, ac propterea ſtrictæ interpretationis; fuit enim introducta hæc unio præter jus. Cæterum ſolet generatim beneficium incorporari alteri tanquam principali, vel quoad temporalia, vel quoad temporalia, & ſpiritualia ſimul. Prior unio præter beneficii proprietatem, & jus percipiendi proventus ſupra portionem competentem Presbytero beneficii uniti extantes nihil tribuit, nec jus præſentandi, niſi ſimul hoc donatum fuerit, ut notat Layman. *in theſ. de elect. q.* 106. Poſterior verò unio titulum præbet, & jus præſentandi vicarium, non tamen jus conferendi, nec ullam exceptionem, niſi ſpeciatim conceſſa ſit; adeo ut beneficium unitum adhuc maneat ſub jurisdictione Epiſcopi ex conſtitutione Pij V. *ad exequendum*, & ex declaratione Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum *ad c. 7. ſeſſ. 7.* Sin verò pleniſſimo jure facta ſit unio jurisdictionem quaſi epiſcopalem in Eccleſiam, & populum addit, proinde à ſubjectione Epiſcopi eximit.

26 De jure novo Concilium Tridentinum nonnulla ſtatuit circa unionem beneficiorum eccleſiaſticorum. Et primò *ſeſſ. 7. c. 6. de reformat.* ſtatuit, ut Ordinarii poſſint tanquam ſedis apoſtolicæ Legati examinare uniones perpetuas poſt 40. annos factas, & quæ per ſub-vel obreptionem fuerint obtentæ, irritæ declarentur: & quæ à dicto tempore nondum ſortitæ fuerint effectum, & deinceps faciendæ, niſi ex legitimis cauſis coram Ordinario vocatis quorum intereſt verificandis factæ ſint, ſubreptitiæ cenſeantur; & niſi Pontifex aliud declaraverit viribus careant; ſunt autem 40. illi anni computandi à die, quo Concilium Tridentinum authoritate apoſtolica eſt promulgatum, ut notat Azorius *lib. 6. c. 28. q. ult.*

27 Secundò ſtatuit, ut beneficia curata Cathedralibus, Collegialibus, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, Collegiis, aut piis locis, quibuscunque perpetuò unita ſingulis annis ab Ordinariis locorum viſitentur; in quibus per idoneos Vicarios etiam perpetuos aſſignata illis tertiæ partis fructuum majori, vel minori arbitrio Ordinariorum portione ſuper re certa aſſignanda cura animarum exerceatur, niſi ipſis Ordinariis pro bono animarum regimine aliter expedire viſum fuerit, nimirum ut per Vicarios temporales cura adminiſtretur, non obſtantibus privilegiis, & exemptionibus quibuscunque, ac appellationibus, ut habetur *in d. Concilio ſeſſ. 7. c. 7. de reformat.*

Tertiò ſtatuit *ſeſſ. 14. c. 9.* ne beneficia unius diœceſis uniantur cum beneficiis alterius diœceſis ex quacunque cauſa, & in hoc correctum eſt jus commune antiquum, ſecundùm quod id fieri poterat, cum conſenſu Epiſcopi alterius diœceſis. 28

Quartò *ſeſſ. 21. c. 5. de reformat.* ſtatuitur, ut Epiſcopi non ſolùm ordinaria poteſtate, quemadmodum olim, ſed etiam ut delegati ſedis Apoſtolicæ poſſint uniones perpetuas Eccleſiarum, quarumcunque parochialium, & baptismalium, ac aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis facere propter eorum paupertatem, ac in cæteris caſibus à jure permiſſis: tametſi dictæ Eccleſiæ, vel præfata beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercunque affecta; & rurſus ſtatuit, has uniones non poſſe revocari: in quo decreto augetur Epiſcopis poteſtas ordinaria uniendi Eccleſias, ac beneficia ſuæ diœceſis, tametſi reſervata eſſent, & ut id poſſint hodie, non ſolùm ut ordinarii, verùm etiam ut delegati ſedis Apoſtolicæ. Verùm ad id requiritur conſenſus capituli; quia in dicto decreto non delegatur abſolutè Epiſcopis poteſtas uniendi, ſed juxta formam juris; quæ forma conſenſum exigit capituli, ut deſumitur *ex clement.* 2. *de reb. eccleſ. non alienand.* Garzia *de benef. loc. cit. n.* 183. ubi etiam addit, id fuiſſe decitum à ſacra Congregatione Concilii. 29

Quintò ſtatuit *ſeſſ. 23. c. 18.* ut beneficia aliquot ſimplicia (non tamen omnia) cujuscunque qualitatis, & dignitatis fuerint, & etiam præſtimonia, & portiones præſtimoniales, etiam ante vacationem absque divini cultus diminutione, ac præjudicio obtinentium eadem beneficia, poſſit Epiſcopus alicui Collegio, ſeu Seminario applicare, & incorporare, quamvis reſervata ſint, vel affecta. Neque per reſignationes ipſorum beneficiorum uniones, & applicationes ſuſpendi, nec ullo modo impediri poſſint. Non tamen ex vi talis decreti poſſunt uniri Seminario beneficia, quæ exigunt reſidentiam paſtoris: neque ſimplicia ad inferiorum collationem ſpectantia: ut nec etiam beneficia juris patronatus, etiam eccleſiaſtici, neque beneficia reſervata ſedi apoſtolicæ poſt eorum vacationem, ſi tempore unionis erant affecta, ut quia erant ſub collectorum, familiarium, vel officialium curiæ adminiſtratione, juxta declarationem ſacræ congregationis Concilii apud Garziam *de beneficiis loc. cit. n.* 102. 30

Sextò *ſeſſ. 24. c. 13. de reformat.* prohibetur, ne Eccleſiæ parochiales ex ulla cauſa uniantur Monaſteriis, Abbatiis, ſivè præbendis Eccleſiæ cathedralis, aut collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus, ac militiis, & ut quæ unitæ ſunt revideantur ab Ordinariis. Et in hoc decretro poteſtas uniendi curata beneficia cum dictis, quæ ex jure communi Epiſcopis competebat, reſtricta eſt, adeo ut in hoc correctum etiam ſit jus commune antiquum, juxta quod 31

poterant

poterant Epiſcopi unire beneficia curata Monaſteriis, aut aliis beneficiis. Poſſunt nihilominus adhuc religioni unire beneficium, dummodo non ſit extra diœceſin, nec beneficium curatum.

32 Septimò *ſeſſ. 24. c. 15. de refor.* ſtatuitur, ut Epiſcopi poſſint neceſſitate ita exigente ſupprimere aliquas præbendas Eccleſiæ cathedralis, ipſisque alia beneficia unire ex patronorum conſenſu, ſi ſint de jure patronatûs laicorum. Unde à contrario ſenſu deducitur, id poſſe nunc Epiſcopos absque patronorum conſenſu, ſi eccleſiaſtici ſint.

33 Octavò *ſeſſ. 25. c. 9.* ſtatuitur, ne beneficia, libera cum eccleſiis, & beneficiis quibuscunque jure patronatûs etiam laicorum ſubjectis uniantur: ſed tales uniones ſi plenè ſortitæ ſint effectum, cenſeantur per ſubreptionem obtentæ, & in hoc decreto fuit etiam reſtrictum jus commune. Hinc per Concilium Tridentinum licèt in nonnullis ſit reſtricta poteſtas Epiſcopis uniendi beneficia Monaſterio, vel alteri loco religioſo, ſicut jure communi antiquo ipſis licebat; non tamen hæc poteſtas eſt ipſis ablata; ſi enim beneficium uniendum non ſit curatum, nec ſit extra diœceſin, in qua eſt Monaſterium, poteſt eidem uniri, quia Concilium Tridentinum nullibi prohibuit unionem beneficii loco religioſo præter in duobus prærecenſitis caſibus: unde in reliquis manet jus commune, hinc poteſt Epiſcopus præcipere, ut beneficium à ſe unitum Monaſterio regatur per Religioſos ad nutum amovibiles, quia ratione unionis beneficium, quod erat ſæculare, tranſit in regulare.

§. XIV.

De alteratione, transformatione, diminutione, diviſione, ac ſuppreſſione beneficiorum.

1 BEneficia eccleſiaſtica ob varias, quæ obtingunt rerum humanarum viciſſitudines, & ob variam inde conſequentem Eccleſiarum neceſſitatem, aut utilitatem varias ſubeunt mutationes, & non modicas ſuſcipiunt alterationes, cujusmodi ſunt diminutiones, transformationes, diſmembrationes, reſtitutiones. Transformatio beneficii contingit, quando unius formæ beneficium in aliam formam legitima authoritate tranſit; ut ſi Eccleſia ſimplex fiat parochialis; ſi ex Abbatia fiat epiſcopatus; ſi ex epiſcopatu Archiepiſcopatus, ſi ex Parochia Monaſterium; ex capella Collegiata; ex beneficio regulari ſæculare, vel è contra: vel ex non curato curatum, ex regulari unius ordinis regulare alterius: hujusmodi mutationes dicuntur beneficiorum transformationes, quæ ſi rationabiles cauſæ ſubſint, fieri poſſunt, ut perpetuus Eccleſiæ uſus ſatis comprobat. Requiritur tamen ſemper legitima authoritas: & quidem in epiſcopatibus, aliisque majoribus, ut etiam in immediatè ſubjectis Sedi apoſtolicæ eſt neceſſaria authoritas Pontificis: ut etiam authoritas epiſcopalis in iis, quæ Epiſcopis ſubjecta ſunt. Quòd ſi transformationi addatur diſmembratio, adhibenda ſunt debitæ ſolemnitates.

Hæc transformatio etiam contingit, quando beneficium ſæculare unitur alicui Monaſterio, quia tunc fit & ipſum regulare, ſi pleno jure ipſi uniatur, adeo ut pleniſſimo jure eidem ſubjiciatur, alioquin ſi Monaſterio incorporetur parochia tantùm quoad temporalia, tunc Monaſterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum, cui incorporatio reddituum parochialium facta eſt, nihil fermè juris habet, ſive circa perſonam Presbyteri, ſeu Parochi, ſivè circa curam populi; adeo ut non poſſit Monaſterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum in Eccleſia unita inſtituere, vel reſtituere Parochum ſine conſenſu Epiſcopi, cui populus ille ſubjicitur, ut notat Abbas *in c. 3. n. 6. de privileg.*

Neque neceſſe eſt, ut præſentatio parochi pertineat ad Monaſterium, quando ſolùm reddi- 3
tus temporales eidem donati fuerunt, & non jus præſentandi parochum, eſt enim hoc jus diſtinctum à jure recipiendi redditus temporales, proinde ex eo quòd Monaſterio tribuatur jus percipiendi fructus, non intelligitur eidem datum jus præſentandi. Quòd ſi utrumque jus detur Monaſterio, adhuc tenetur Presbyterum, vel Vicarium idoneum præſentare Epiſcopo diœceſano ab eodem inſtituendum, ut deſumitur *ex c. in Lateranenſe 31. h. t.* ubi ſub Alexandro III. in Concilio Lateranenſi ſtatutum fuit, ut regulares pro eccleſiis, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, præſentent viros idoneos inſtituendos Epiſcopis: & ibi Presbyteri idonei dicuntur, quos vel converſatio aptos reddit, vel probabile teſtimonium Prælatorum commendat, qui Epiſcopis de cura plebis reſpondeant, Regularibus verò de rebus temporalibus reddant rationem; neque eos amovere audeant inconſultis Epiſcopis.

Quòd ſi Eccleſia parochialis ſit pleniſſimo ju- 4
re incorporata Monaſterio, adeo ut etiam populus quoad ſpiritualia ſubjiciatur eidem Monaſterio, tunc Abbas Monaſterii, vel Capitulum cenſentur habere jurisdictionem, quaſi epiſcopalem in Eccleſia incorporata, quapropter poteſt tunc Monaſterii Abbas, vel Capitulum, Presbyteros, aut Vicarios in Eccleſia unita inſtituere, vel reſtituere prout conſultius viſum fuerit independenter ab Epiſcopo loci, unde poteſt talem Eccleſiam viſitare, rationem adminiſtrationis exigere, & alia facere, quæ ad jus pertinent Epiſcopi, ut conſtat *ex c. quoniam 21. de privileg.*

Verùm hujusmodi incorporatio Eccleſiæ pa- 5
rochialis ut cum pleniſſimo jure cum Monaſterio, ut etiam populus ab epiſcopali jurisdictione eximatur, non poteſt fieri ab Epiſcopo, ſed à ſolo ſummo Pontifice; ratio eſt, quia Epiſcopus ſine conſenſu Pontificis non poteſt abdicare jurisdictionem ſibi commiſſam *argum. l. penult. ff. de offic. Præſid.* Immo neque ſummus Pontifex cenſetur ita Eccleſiam parochialem Monaſterio regularium incorporare, ut etiam populus eximatur à jurisdictione Epiſcopi, adeo ut non habeat hic jus miniſtrandi Sacramenta, quæ alius Prælatus poteſt, ut promovere ad ordines

sacros, ministrare Sacramentum confirmationis, Ecclesias, & altaria consecrare, ut tradit Innocentius *in c. pastoralis n. 6. & 7.*

6 Quòd si Ecclesia parochialis unita sit Monasterio tam quoad temporalia, quàm spiritualia, proinde pleno jure; ita tamen, ut ratione populi subjiciatur Episcopo quoad spiritualem jurisdictionem, tunc tenetur Abbas, vel Capitulum idoneum Vicarium Episcopo præsentare, à quo examinandus sit, ac instituendus in Ecclesia unita, sivè Monasterium exemptum sit secundùm se, vel non, habet enim Episcopus facultatem jure novo ex Concilio Tridentio *sess. 7. c. de reformat.* instituendi in ecclesiis, vel beneficiis curatis, etiam perpetuò unitis quoad spiritualia, & temporalia ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, vel Monasteriis, aut aliis piis locis, vicarios idoneos etiam perpetuos, nisi iisdem Ordinariis pro bono earundem Ecclesiarum regimine aliter expedire visum fuerit, ut tradit Barb. *de offic. Episcop. allegat. 72. n. 193.* & ita declarâsse Congregationem Concilii habetur apud Garziam *p. 11. de benefic. c. 2. n. 4.* idque procedit etiam si Ecclesia antea habuerit Vicarium temporalem, & ad nutum Prælati, vel Monasterii amovibilem; nisi indulto sedis apostolicæ expressum sit debere talem parochiam per Vicarium temporalem administrari.

7 Quòd si quæras, an Vicarius instituendus in Ecclesia parochiali pleno jure unita Monasterio Regularium debeat esse Sacerdos Religiosus, vel sæcularis. Respondetur quoad hoc esse attendendum, quid in litteris fundationis, seu unionis contineatur, & an consuetudo fuerit, ut talis Vicarius fuerit Sacerdos sæcularis, vel regularis, siquidem status Ecclesiæ non debet facilè mutari. *arg. c. 2. de supplend. neglig. Prælat.*

8 Cæterum si Ecclesia parochialis sit pleno jure unita Monasterio Regularium, potest Abbas Vicarium Regularem ad nutum ejusdem revocabilem instituere, si in litteris fundationis nil in contrarium expressum sit, & nisi consuetudo semper fuerit, ut parochia per Vicarium sæcularem administraretur *c. cùm ad Monasterium 6. §. tales de statu Monachor. & clement. unic. de supplend. neglig. Prælat.* notat tamen Garzia *p. 11. de benefic. c. 2. num. 13.* Vicarium regularem deputatum in parochum debere cum socio sui ordinis manere in parochia.

9 Cæterum Monasterium, cui quoad spiritualia, & temporalia est Ecclesia parochialis unita, tenetur conservare ejus Sarta tecta, & paramenta altaris præparare; & omnia exhibere, quæ pro illius conservatione, reparatione, instauratione necessaria sunt, ut liquet *ex c. de his 4. de eccles. ædif.* siquidem cum Monastetium ex Ecclesia unita percipiat commoda, seu annuos redditus; æquum est, ut etiam onera sustineat *l. unic. C. de caduc. tollend. §. pro secundo in fin.*

10 Limitatur tamen nisi redditus sint tenues, qui Rectori principali perveniunt, quia tunc est aliter succurrendum Ecclesiæ parochiali, nimirum per contributionem populi, qui cùm divina percipiat, tenetur ad reparationem Ecclesiæ. Secundò limitatur nisi obligatio conservandi fabricam Vicario perpetuo in investitura sit imposita ob pingues redditus, qui ipsi assignantur, tunc enim ad ipsum spectat conservare Ecclesiæ sarta tecta, cùm ad ipsum etiam spectet jura episcopalia solvere *c. 2. de supplend. neglig. Prælator.* quod tamen debet intelligi juxta proportionem, ac mensuram, quæ ipsi ex redditibus parochialibus relinquitur.

11 Cæterum Vicarius constitutus in Ecclesia parochiali unita Monasterio etiam in spiritualibus non tantum si perpetuus sit, sed etiam temporalis, & ad nutum amovibilis; imò quamvis sit religiosus, & ordinis regularis exempti ab Episcopo, cui subjicitur populus quoad ea, quæ ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum pertinent, subjicitur etiam jurisdictioni Episcopi: adeo ut Vicarius quamvis Religiosus, & ex ordine exempto possit ab Episcopo visitari, & corrigi juxta Decretum Concilii Tridentini *sess. 25. d. c. 11. de regularib.* & ita declarâsse sacram congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum testatur Joan. Gallemart. Possunt etiam hujusmodi Vicarii sive regulares sint, sive sæculares, præsertim si sint ad nutum amovibiles, visitari in parochialibus etiam à Prælato Monasterii, quia & ipsi Vicarii in spiritualibus subjiciuntur Prælato Monasterii tanquam immediato Rectori, à quo possunt amoveri.

12 Tum quia, qui accipit officium, & curam alicujus, suscipit etiam ejus conditiones, proinde etiam subjectionem, & cum Ecclesia parochialis subjiciatur Prælato Monasterii, subjicitur etiam Vicarius, qui propterea potest ab eodem visitari. Immo etiam ab Episcopo cum parochiani ei subjiciantur; semel enim quòd parochiani subjiciuntur jurisdictioni Episcopi, sequitur quòd etiam Parochus, seu Rector parochiæ in iis, quæ pertinent ad curam animarum, subjiciatur etiam Episcopo, siquidem accessorium sequitur naturam principalis juxtà *regul. jur. 42. in 6.* Tum quia Parochus est propter parochianos, & non vice versa parochia est propter Parochum, unde si parochiani subjiciuntur Episcopo in spiritualibus; eidem etiam subjicitur Parochus. Excipiuntur tamen in eodem Concilio Tridentino *sess. 25. c. 11.* omnia illa Monasteria, in quibus Abbates, Generales, seu Capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, ut Monasterium Cluniacense ibi expressum, siquidem parochiæ illis incorporatæ non subjacent visitationi Episcopi.

13 Rursus excipiuntur etiam illa Monasteria, seu domus, in quibus superiores Regularium sive Abbates sint, sive Præpositi jurisdictionem quasi episcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos exercent; quia tunc populus est etiã exemptus à jurisdictione Episcopi. Quòd si Vicarius constitutus in Ecclesia parochiali unita Monasterio sit tantùm temporalis, & ad nutum amovibilis, tunc nullum jus, aut titulum habet in parochia: sed omne jus est penes principalem Rectorem, seu Prælatum Monasterii.

Sin autem Vicarius sit perpetuus, tunc jus, ac titulum obtinet in parochia, quia cura ipsius eidem est concredita, & parochia ad ipsum pertinet

tinet in actu, & ad rectorem, seu Prælatum Monasterii tantùm in habitu; quapropter tunc Vicarius in spiritualibus parùm à Prælato Monasterii dependet, si ab Episcopo fuerit institutus: ratio est, quia cum jus beneficii sit indivisibile non possunt duo esse simul actu parochi ejusdem parochiæ; proinde necesse est ut unus sit Vicarius actu, & alter tantùm habitu; & hæc potestas habitualis tunc exire potest in actum, si parochia per mortem, vel resignationem Vicarii perpetui vacet, quia tunc Rector principalis, seu Prælatus Monasterii, cui incorporata est parochia, potest eam administrare; ut docet Layman *q.* 208.

15 Diminutio, seu dismembratio beneficii tunc fit, quando relicta ejus unitate pars fructuum eidem aufertur: unde est discrimen inter diminutionem, & divisionem; quia diminutio fit quando unitas beneficii non tollitur, sed tantùm pars fructuum, seu redituum ab eo separatur, & aufertur: ut si in aliqua Ecclesia sint duæ capellaniæ collativæ, quarum una abundantes habet reditus, & altera tenues; & ex illa tollatur pars, quæ applicetur huic; tunc reditus pingues dicuntur diminui, seu dismembrari, sive applicentur alteri capellaniæ collativæ, sive fabricæ Ecclesiæ, ut tradit Garzia *p.* 11. *de benefic. c.* 3. *n.* 1. & 2.

16 Secus divisio beneficii fit, quando ex uno duo beneficia constituuntur, quo casu una præbenda in duas partes secatur, fitque ea ratione duplex, licèt officium spirituale non dividatur, sed duplicetur: sic ex una Ecclesia parochiali fiunt duæ, ex uno canonicatu duo canonicatus, ita ut ex divisis fructibus duo imposterum Parochi, duo canonici instituantur: & tunc beneficium dicitur secari in duo distincta, ut tradit Garzia *de benefic. p.* 12. *c.* 4. *n.* 1.

17 Hæc autem diminutio, seu dismembratio beneficii exigit rationabilem causam, quâ suppetente interdum etiam superstite beneficiario, ac renitente fieri potest, etiam in parochialibus præbendis, aliàs requiritur authoritas Episcopi, & consensus Capituli, & requisitio eorum, quorum interest, tametsi eorum dissensus irrationabilis non obstet, & si Ecclesia, cujus beneficium diminuendum est, Rectore careat, constituitur curator, cujus consilio, & assensu diminutio fiat. Episcopus igitur ex justa causa potest portiones, seu reditus beneficiorum in parochiis etiam quæ Monasteriis sunt incorporatæ minuere, ac dismembrare, immo si justa causa exigat, etiam parochiam dividere, ut desumitur *ex c. avaritiæ 20. h. t.* ubi habetur, quòd regulares in ecclesiis suis non possint dividere parochias, nec minuere reditus, vel portiones, quas consuetum erat dari parochis, vel clericis sæcularibus, qui inserviunt eorum ecclesiis, nisi adsit consensus Episcopi illorum: quòd si ex consensu Episcopi possunt dividi parochiæ, & minui reditus, id ex justa causa potest etiam Episcopus.

18 Divisio beneficii ecclesiastici tunc contingit, quando ex uno duo constituuntur, & tunc una præbenda in duas partes secatur, fitque ea ratione duplex *c. majoribus de prabend. & dignitatib. c. vacante eod. tit.* officium tamen spirituale non dividitur, sed duplicatur *c. dilecto eod. tit. c. majoribus, & c. vacante citatis*, ut autem hæc divisio ritè fiat, requiritur justa, & rationabilis causa, cujusmodi sunt multitudo populi, paucitas Ministrorum: & rursus non debet fieri nisi in beneficio ita pingui, ut duobus commodè sufficiat, & illo ordinariè vacante, quia jus beneficiarii lædi non debet, & requiritur etiam consensus eorum, quorum interest, tametsi; si irrationabiliter negetur, nil impediat; & rursus nonnisi ab habente jurisdictionem episcopalem respectu beneficii, adhibito etiam consensu Capituli, si jus commune spectetur *argum. c. novit de his, quæ fiunt à Prælato c. clement. 2. de reb. eccles. non alienand.* Abbas *c. vacante num.* 2 adeo ut hujusmodi divisio non possit fieri nisi ab habente jurisdictionem episcopalem respectu beneficii, ad quod etiam requiritur consensus Capituli secundùm jus commune; quia consuetudo plurimum in hisce divisionibus videtur obtinuisse.

19 Prohibita nihilominus fuit hæc beneficii divisio in Concilio Turonensi relato *in c. majoribus §. h. t.* ubi dicitur, quòd beneficiorum, etiam minorum præbendæ non sunt dividendæ; ubi Glossa *in c. dilecto* ait, duos ad unam præbendam eligendos non esse, ita ut unus habeat medietatem, & alter alteram: ratio est, quia per divisionem beneficiorum alteratur, ac mutatur status Ecclesiæ; proinde sine justa, & urgente causa, non debet hæc divisio fieri: quia in communitate juxta regulas æquitatis servanda est æqualitas, adeo ut nemo abundet, nemo penuriam patiatur *argum. c. cum Mt. 9. in fin. de constit.* qua ratione non debent minora beneficia dividi manentibus majoribus in sua integritate, sed idem jus servandum est æquè in parvis, ac magnis. Præterea in beneficio duo considerantur, proventus temporales, & jus spirituale præstandi officium spirituale. Tametsi reditus annui, seu proventus temporales minui, ac proinde dividi possint, non ita jus spirituale, quia hoc est indivisibile *cap. cum dilecto 25.* juncta Glossa *V. dividi. h. t.* ubi habetur: quando numerus præbendarum est certus vacante unâ, non possunt duo ad illam eligi, neque per Legatum Papæ: quia jus spirituale non potest dividi. Et si electi accipiant dimidiatos fructus, tenentur restituere, & electio est nulla. Et si agatur cum uno, & condemnetur, hæc condemnatio non nocet alteri electo, sed alter etiam condemnari debet.

20 Cæterum jus percipiendi reditus temporales, cùm ut sic præcisè spectatum sit aliquid temporale, & cadat etiam in laicum, cùm possit separari à titulo, seu jure canoniæ, patitur diminutionem, & divisionem, non ita ipsa præbenda quoad jus spirituale, quia cum unius beneficii jus unicum sit, & indivisibile, non debet esse simul Titulus duorum; tametsi ex justa causa unus Titulus possit dividi, seu potiùs mutari in duos, adeo ut ex uno canonicatu duo erigantur divisis etiam secundùm proportionem reditibus juxta *c. jure 20. h. t.* ubi Glossa sit, quòd licèt una remanente præbenda non possint duæ eligi, attamen ex una possunt fieri duæ. si

reditus

reditus ſuppetant, & una præbenda ex cauſa neceſſaria poteſt minui: notat tamen Abbas *in d. c. jure* quòd ſi duo recipiantur ad eandem canoniam, multiplicetur ipſo facto jus canoniæ, & ſint duo canonici habentes jus canoniæ diſtinctum, etiam ſupra numerum determinatum canonicorum: quia cùm ſit jus incorporale ſola animi diſtinctione, ſeu voluntate multiplicari poteſt. Quòd ſi duo recipiantur ad eandem præbandam, quæ in temporalitate conſiſtit, non valet receptio, niſi defacto fiat etiam diviſio reddituum.

21 Decretum tamen Concilii Turonenſis, quod refertur *in d. c. majoribus*, & prohibet, ne una præbenda in duas dividatur, limitatur, quando adeſt rationabilis cauſa, quia tunc Epiſcopus poteſt eandem præbendam dividere in duas, ſi portio ſufficiens ſit ad honeſtam ſuſtentationem utriusque præbendati; alioquin tenetur Epiſcopus reintegrare præbendam diviſam, ut deſumitur *ex c. vacante 26. h. t.* ubi habetur, quòd poſſit Epiſcopus dividere ex rationabili cauſa unam præbendam in duas, dummodo quælibet portio ſit ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationẽ, alioquin tenetur reintegrare præbendam diviſam. Non tamen eſt neceſſe, ut præbendæ de novo erectæ ſint æquales antiquis, habeántque æquales reditus, ſed ſufficit, ſi habeant ſufficientes reditus pro ſuſtentandis ſingulis beneficiatis, quia jure non improbatur inæqualitas præbendarum *argum. c. ult. de conſuetud. in 6.* Quòd ſi poſt factam beneficii diviſionem reditus non ſufficiant pro honeſta ſuſtentatione, utriusque beneficiati, tenetur tunc Epiſcopus ex beneficiis, quæ vacaverint, integrare præbendas, adeo ut portio aliqua ex beneficiis pinguioribus, cùm vacaverint, adimatur, & tenuioribus adjiciatur.

22 Immò poſſunt etiam proviſi, actionem inſtituere contra Epiſcopum ad integrandas præbendas: & interim tenetur Epiſcopus ex bonis Eccleſiæ, aut Capituli communibus, vel etiam ex reditibus ſuæ menſæ, ſi illegitimè beneficium diviſit, providere novis beneficiatis. Regulariter tamen una præbenda, tametſi vacet, non eſt dividenda ad aliam integrandã, ſed debet integra cõferri, prout ſtatuitur *in c. cùm cauſa 33. h. t.* ubi habetur, quòd ad integrandam unam præbendã non debeat alia reſcindi: ſiquidẽ non debet unũ altare denudari, ut aliud veſtiatur, neque debet uni ſubveniri cum gravi damno alterius, præſertim ſi præbenda non habeat pingues reditus, & ſuperabundantes: alioquin ſi reditus haberet, qui ſuperfluerent, ſeu non eſſent ita neceſſarii, poſſet pars reddituum ab illa auferri vacante, & alteri præbendæ indigenti applicari, ſi ex bonis Eccleſiæ, vel Capituli communibus ei ſuccurri non poſſet.

23 Cæterum ſi Eccleſia non habeat determinatum numerum canonicatuum, vel præbendarum, ſed pro arbitrio Epiſcopi, vel Capituli, poſſint plures, vel pauciores canonici, aut beneficiati inſtitui, vel præbendæ conferri, tunc mortuo uno præbendario, ſeu canonico, non vacat præbenda, vel canonicatus, ſed extinguitur *ex c. ex parte 19. de conceſſ. prabend.* quòd ſi novus canonicus recipiatur, vel inſtituatur, tunc novum jus ipſi confertur, quod iterum extinguitur mortuo canonico.

Secus contingit, quando Eccleſia habet 24
determinatum numerum canonicorum, vel beneficiariorum, tunc uno mortuo vacat ejus canonicatus, in quo propterea alius ſuccedit. Rurſus quando numerus canonicorum eſt determinatus, poſſunt ii, ad quos pertinet electio canonicorum augere numeram eorundem, & etiam præbendarum, ut deſumitur *ex d. c. ex parte de conceſſ. prabend.* idque non obſtante ſtatuto de certo numero canonicorum inſtituendo, tametſi fuerit ſtatutũ authoritate pontificia confirmatum: ſiquidem cum cenſeatur hæc confirmatio facta in favorem Capituli, poteſt hoc illi renunciare, ut notat Abbas *in d. c. num.* 10. aſſerens, ſolam confirmationem ſuperioris non impedire, quò minus numerus canonicorum augeri poſſit. Ubi etiam notat Gloſſa: quòd quando Papa ſcribit pro aliquo eligendo, ſemper reſcriptũ intelligendũ eſt juxta conſuetudinem.

Limitatur tamen, niſi ſtatutum de non au- 25
gendo numero præbendarum fuerit eorundem canonicorum juramento firmatum: quia tunc numerus ob periculum perjurii non poteſt augeri, ſi tamen augmentum fieret, validum foret, ſiquidem actus contra juramentũ factus tenet, quamvis operans perjurium incurrat; quo pacto etiam matrimonium initum contra juramentum contrahentis valet, licèt contrahens, qui juravit, ſit perjurus, multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur.

Rurſus limitatur, ſi ſtatutum fuerit à Papa 26
confirmatum cum additione clauſulæ, ut ſi in contrarium factum fuerit, non valeat: ſiquidem talis confirmatio cenſetur tunc facta in favorem Eccleſiæ, cui canonici renunciare non poſſunt, ut notat Garzia *p. 11. de benefic. c. 1. n. 10. & 12.* Tum quia quando Pontifex adjicit talem clauſulam irritantem, ſupponitur declarare, tale ſtatutum eſſe ſuum propriũ, ac proinde non poſſe ab inferioribus abrogari; debet tamen de tali voluntate Pontificis expreſsè conſtare.

Hinc ut beneficium eccleſiaſticum validè, & 27
licitè dividatur, requiritur primò juſta, & rationabilis cauſa, quæ deſumitur ex neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ, ut ſi numerus canonicorum non ſufficeret divino cultui; vel ſi muneri, vel obligationi beneficii ſecuta diviſione non poſſet ſatisfieri, ut deſumitur *ex c. vacante 26. h. t.*

Secundò requiritur etiam conſenſus capi- 28
tuli cathedralis *argum. c. novit. 4. de his, quæ fiunt à Prælat.* cùm enim per talem diviſionem mutetur ſtatus Eccleſiæ, & diviſio ſit veluti quædam ſpecies alienationis, ideo non debet fieri, niſi ex conſenſu capituli cathedralis.

Tertiò debet hæc una præbenda, quæ in 29
duas dividitur, ſufficientes habere reditus pro congrua ſuſtentatione, utriusque præbendati, ut deſumitur *ex cap. vacante 26. h. t.* ubi dicitur, poſſe Epiſcopum ex rationabili cauſa unam præbendam in duas dividere, dummodo tamen quælibet portio ſit ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem utriusque præbendati.

Quartò

30 Quartò ut Episcopus intendat eligere hos duos præbendatos ad duo jura, seu beneficia recèns erecta, seu de novo creata, quia jus canoniæ, cùm sit spirituale est indivisibile, nec dividi potest; proinde Episcopus in tali divisione non debet intendere partitionem juris canoniæ, sed extinctionem totalem ejusdem juris spiritualis, & postea creationem duorum jurium, quorum neutri desint reditus pro congrua sustentatione beneficiati.

31 Beneficia ecclesiastica non solùm alterantur, mutantur, dividuntur, sed etiam nonnunquam supprimuntur, & omnino extinguuntur. Dicuntur beneficia per suppressionem desinere, & extingui, quando inter cæteras præbendas non ampliùs recensentur, neque conferuntur: verùm cùm beneficium fuerit institutum ad cultum divinum, non potest extingui, neque supprimi, nisi ob gravem causam, qualis generaliter est diminutio redituum Ecclesiæ, cùm non oporteat plures canonicos, seu ministros Ecclesiæ instituere, quàm ex ejus reditibus congruenter sustentari possint *c. ex parte 12. de constitut.* quia verò hæc causa potest esse temporanea, & perpetua; ita etiam suppressio beneficii nonnunquam ad tempus, & aliquando in perpetuum suscipitur. Non tamen supprimitur beneficium, nisi quando actualiter vacat. Quòd si beneficium sit manuale, sicut ex justa causa auferri potest, ità etiam ob fructuum tenuitatem supprimi ab iis, qui possunt illud auferre, seu habent in illud jurisdictionem.

32 Cæterum potestas supprimendi beneficia ecclesiastica inferiora competit Episcopo accedente consensu Capituli. Si tamẽ hæc cederent in bonum Episcopi, & capituli ratione bonorum communium, tunc solus Episcopus cùm Capitulo, non censeretur sufficiens ad supprimendum beneficium, quia in facto proprio non convenit authoritatem præstare, unde requireretur tunc authoritas Metropolitani, vel etiam accedendum esset ad Pontificem. Rursus non possunt beneficia juris patronatus supprimi, nisi accedente consensu Patroni, quia cùm supponatur fundator beneficii, æquum est, ut certior fiat, si tale beneficium alteretur, vel supprimatur, adeo ut etiam ipse consentiat ob justas causas, quæ tunc suppetunt. Quòd si dissentiat, ex justa, ac gravissima causa tunc etiam ipso patrono invito, potest beneficium supprimi, quia magnum Ecclesiæ emolumentum, seu bonum non debet impediri.

33 Præterea per extinctionem pereunt beneficia, quando ex alia causa, quàm ex defectu reddituum omnino tolluntur, sive per authoritatem ecclesiasticam, sive per vim extrinsecam, illam ab hæreticis, occupantibus Ecclesias, & earum bona. Authoritate ecclesiastica extinguitur beneficium, quando vel improbatur ejus fundatio, vel subruitur ejus ædificium in alterius præjudicium ædificatum; vel quando ob delicta, & abusus beneficiatorum præbendæ, & proventus in alium usum convertuntur; vel quando necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas id suadet. Per vim illatam extinguitur beneficium quando per alterius violentiam detinentur bona ecclesiastica, vel omnino destruuntur.

An verò Episcopus, vel canonici possint aliquam dignitatem in Ecclesia cathedrali, vel collegiata supprimere, & extinguere. Respondetur posse, & id desumi *ex cap. cùm accessissent de constitut.* & tunc dicitur dignitas extincta, seu suppressa ut ampliùs non sit, quando ejus reditus ad usus aliorum canonicorum, vel clericorum destinantur, & tunc beneficiũ semel suppressũ non dicitur ampliùs vacare. Sin verò præbendæ sint ex bonis alterius fundatæ, ac institutæ, tunc sine consensu fundatoris, vel hæredis non supprimuntur, ut paulo superius innuimus. Neque potest Episcopus beneficium supprimere conjungendo ejus reditus mensæ suæ soli, vel etiam suæ mensæ, & illi canonicorum: siquidem id si fiat, declaratur irritum *in clement. si una de rebus eccles. non alienand.* ubi prohibetur talis suppressio beneficii.

34 Cæterum potest Episcopus reditus beneficii suppressi añectere alteri præbendæ, dignitati, Capellaniæ, vel beneficio; ut liquet *ex c. sicut unire de excess. Prælator.* ut etiam potest talia beneficia supprimere, ut ejus reditus perpetuò impendantur in usus fabricæ Ecclesiæ ejusdem, vel ad conservanda sarta tecta, ut desumitur *ex d. clement. si una.*

§. XV.

De litteris beneficialibus emanantibus à sede Apostolica.

1 SUnt litteræ beneficiales rescripta, quibus summus Pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia; & quia solet Papa mandare alicui conferri beneficium in aliqua Ecclesia, ideo hujusmodi litteræ vocantur etiam mandata Apostolica. Cùm enim aliqui Episcopi olim abuterentur potestate conferendi beneficia, ac præferrent indignos dignis, cœperunt Romani Pontifices per diplomata pontificia ordinariis locorum præcipere, ut his, vel illis clericis beneficia vacantia, vel proximè vacatura conferrent: & hæ litteræ dicuntur propriè mandata Apostolica de providendo, vel etiam gratiæ expectativæ, de quibus amplè tractat Rebuffus *in concord. tit. de mandatis apostolicis*, ut etiam Petrus Gregor. *in syntag. juris lib. 17. c. 11.* ubi ait quòd inter genera distribuendorum, vel conferendorum beneficiorum unum sit præ cæteris usitatum, quo per diplomata pontificia, quæ vulgò mandata apostolica de providendo dicuntur, conferuntur beneficia: cùm igitur mandatum Apostolicum sit omne rescriptum, quo summus Pontifex mandat beneficium conferri alicui *c. mandatum de rescriptis c. si capitulo de concess. prabend. in 6.* ideo tria recensentur genera harum litterarum Apostolicarum, aliæ enim sunt litteræ monitoriæ, aliæ præceptoriæ aliæ executoriæ, ut liquet *ex c. constitutus c. ex insinuatione c. Capitulum c. mandatum c. litteris de rescript.* siquidem primò consueverant Pontifices monere, & rogare Episcopos, ut idoneos ecclesiis clericos præficerent *c. cùm ex eo de elect. in 6. c. Episcopus de prabend.* & præsertim quos ad sacros ordines absque ullo beneficio promovissent.

2 Interdum consueverunt etiam certum cleri-

cum nominare, quem ob insignem morum, ac vitæ probitatem, ac singularem litteraturam, aut aliquod in Romanam Ecclesiam meritum, hoc præmio remunerandum esse justum existimabant *c. cùm dilectus de cleric. non resid.* Quòd si Ordinarii cunctarentur, & preces ac monita ægrè ferrent, immo etiam aliquando contemnerent, iterum Pontifex litteras ad eosdem dabat, ut designato clerico beneficium conferrent. Quòd si Ordinarii adhuc cunctarentur, & mandatis apostolicis non parerent; tunc tertiò litteras scribebat Pontifex, quibus certos destinabat executores, qui vel ipsos Ordinarios ad dandum beneficium adigerent, vel ipsimet beneficium conferrent, quapropter, dicuntur executores ad conferendum, Glossa *in c. si Capitulo de conceff. prabend. in 6.* Dicuntur etiam Executores ad providendum. Ex his tribus generibus litterarum Apostolicarum duo prima non sunt ampliùs in usu, quia Pontifices nunc dant litteras de facto executorias, ut docet Panormitanus *in c. ex insinuatione.*

3 An verò hujusmodi litteræ Apostolicæ sint contra Canones, & Pontifices tunc relaxent canones, quando hujusmodi litteras concedunt. Plures affirmant, primò quia per talem usum ordo ecclesiasticus confunditur: siquidem Episcoporum libera jurisdictio, & authoritas non servatur, cùm eorum potestati in beneficiis conferendis multum detrahatur, ut notat Azorius *p. 2 lib. 6. c. 32. q. 3.* Secundò quia inde datur occasio optandi mortem beneficiarii, ut alter loco ejusdem sufficiatur, ac ejus obtineat beneficium. Tertiò quia Episcopi clericos sibi subjectos distinctiùs, ac meliùs cognoscunt, quàm Papa, cùm ipsos præsentes habeant, ipsos alloquantur. Quartò quia clerici spe beneficii obtinendi Romam se conferunt, ut litteras apostolicas impetrent, quibus beneficia consequantur, & interim deserunt proprias Provincias, non serviunt propriis ecclesiis. Quintò quia hic usus videtur introductus fuisse, ut Romanus Pontifex beneficiariis imponeret pensiones.

4 Nihilominus præfata mandata apostolica fuerunt licitè introducta, & justis de causis, immo etiam ob utilitates Ecclesiarum, siquidem cùm Romanus Pontifex liberam habeat potestatem conferendi omnia beneficia *c. 2. de prabend. in 6.* & *clement. 2. ut lite pendente*, ideo nulli dubium, quin licitè possit conferre omnia beneficia in quacunque diœcesi, ac prævenire Ordinarios locorum. Tum quia Romanæ curiæ interest, ut summus Pontifex beneficia Ecclesiastica iis conferat, qui Romæ degunt, Romano Pontifici, & curiæ inserviunt, & de Ecclesia sunt benè meriti.

5 Præterea æquitas videbatur exigere, ut clerici pauperes, qui solent interdum ab Ordinariis locorum contemni, eorum auxilio destituti authoritate pontificia obtineant beneficia, quibus congruè, & honestè sustententur. Tum quia est æquitati consonum, ut homines litterati, & qui celebres sunt insigni doctrina, beneficia consequantur; cùm ipsi nonnunquam ab Ordinariis repellantur. Demum quia expediens itidem est, ut clerici sacris initiati ordinibus authoritate Romani Pontificis donentur aliquo beneficio ecclesiastico.

6 Mandata apostolica, quæ nunc expediuntur Romæ pro beneficiis vacantibus, sunt in pluribus differentiis. Alia enim dicuntur mandata *in forma pauperum*, seu in forma communi, quatenus paupertate in mandatis allegata alicui de beneficio providetur, & hæc mandata solent etiam dici *rescripta justitia*, quia æquum, & justum est, ut pauperi clerico ad ordines promoto conferatur beneficium gratis, & liberaliter. Alia dicuntur mandata, seu rescripta *gratia*, per quæ beneficia conferuntur nulla facta mentione paupertatis, & hæc dicuntur mandata *in forma dignum*, in quibus rescribitur, ut beneficium alicui conferatur, si post diligens examen idoneus fuerit deprehensus. Alia dicuntur mandata *in forma gratiosa*, quæ provisum dignum, ac idoneum esse ad beneficium supponunt. Alia dicuntur mandata, quæ vocantur, *si alteri, si neutri, si nulli.* Alia quæ dicuntur *si rationi congruit.*

7 Solent hæc mandata Pontificia ita inscribi, ut statim appareat, in quo sint genere. Mandata quæ dantur in forma pauperum, dicuntur illa, quæ conceduntur à Papa juxta eam formulam, ob quam causa pauperum solet ad ordinarios scribi: eadem ratione dicuntur etiam literæ datæ in forma comuni, eò quia Papa consueverit illas dare causâ clerici pauperis, ac indigentis. Dicuntur etiam litteræ secundùm Apostolum; quia earum initium est tale *cum secundùm Apostolum*; quatenus qui altari inservit debet de altari vivere.

8 Litteræ, quæ dantur in forma *dignum* sunt illæ, quas Papa scribit ad locorum Ordinarios, vel executores à se constitutos, quibus præcipit, ut clerico ob generis nobilitatem, vel insignem doctrinam, ac vitæ probitatem, vel ob merita in Ecclesiam beneficium conferatur: hujusmodi literæ incipiunt *dignum* eò quia magis dignũ sit, ut talibus beneficium vacans detur, & jus ad primum vacatarum beneficiũ detur: solet tamen Pontifex in hiſce literis præcipere ut doctrina examinetur.

Litteræ quæ inscribuntur *rationi congruit*, seu habent tale initium, tunc dantur, quando aliquis Papæ supplicem libellum obtulerat, ut sibi beneficium aliquod daretur; & Pontifex ejus precibus annuerat: sed antequam Pontificium diploma subscriptum tradidisset, Papa è vita decessit. Hinc Pontifex succedens solet eandem gratiam concedere: & ad ordinarios, vel executores scribens, incipit illis verbis *rationi congruit*, nimirum ut executioni mandetur gratia à prædecessore Pontifice facta clerico.

9 Quæ inscribuntur *si alteri* tunc dantur, quando inter duos lite suborta de beneficio ecclesiastico, alter illorum impetrat à Papa literas, ut sibi beneficium conferatur ea conditione, si alteri litiganti jus in beneficio quæsitum non sit; & hæ literæ hac de causa dicuntur *si alteri.*

10 Sin verò duobus litigantibus, tertius à Papa impetret literas ea conditione, si neutri litiganti jus competat, ipsi beneficium detur; tunc dicitur obtinuisse literas *si neutri* Sin verò tres de beneficio litigent; & alius literas impetrat à Papa; ut si nulli litigantium jus sit in beneficio acquisitum, eidem conferatur, dicuntur hæ literæ

si nul-

ß nulli. Unde hæ literæ dantur super beneficio litigioso: quòd si litigiosum non fuerit, nullum sortiuntur effectum: ut nec etiam quando jus est alteri acquisitum.

12 In hisce mandatis Apostolicis ea omnia comprehenduntur beneficia, quæ in jure communi nominatim non reperiuntur excepta *c. mandatum de rescript.* Excipiuntur autem. Primò dignitates electivæ *c. cùm illis de præbend. in 6.* Secundò beneficia obligata Patronis laicis *c. dilectis de jure patronatus.* Tertiò beneficia, quibus est annexa cura animarum post literas datas à Papa *clement. ult. de rescript.* & *clem. 1. de præbend.* Quartò beneficia jam ante suppressa, & extincta *c. cum accessissent de constitut.* Quintò beneficia pertinentia ad mensam Episcopi, vel alterius Prælati, & cui sunt unita, & conjuncta *Clemen. 1. §. quadam de excessib. Prælat.* Sextò beneficia, quæ potestati Papæ reservantur, & quæ affecta esse dicuntur, ut ea nullus alius inferior Papâ conferre possit; eò quia juri Papæ adstricta sint, ac ejus potestati obnoxia, & alligata. Septimò beneficia ante literas à Papa datas alteri copulata, & annexa, ne jus alteri acquisitum auferatur. Octavò beneficium monoculum, quod est unum tantùm in aliqua Ecclesia, vel civitate, & jus illud conferendi pertinet ad Ordinarium loci, vel ad alterum: tunc cum Ordinarius non possit aliud beneficium simile conferre; non censetur verisimile, quòd Papa per clausulam generalem velit privare Ordinarium tali jure; nisi expressè, ac nominatim id asseratur: quia illud verbum generale *quodcunque illud sit* in jure intelligitur de pluribus, non de uno tantùm beneficio.

13 Generales beneficiorum conditiones non sunt in mandatis Apostolicis exprimendæ, quia tacitè subintelliguntur, sicut illa clausula: *si preces veritate nitantur*: Hinc si Papa conferri mandet beneficium clerico; intelliguntur tacitè subesse in mandato hæ conditiones: si nullo sit canonico impedimento, ac vinculo adstrictus; si nullo sit crimine maculatus: si legitimo thoro natus sit; si sufficienti sit literatura instructus, si idoneus, ac dignus sit: cum enim jura ipsa has exigant conditiones *c. cum adeo de rescriptis* semper præsupponuntur. Neque est necesse, ut exprimatur ordo ecclesiasticus, quem beneficia requirunt *c. si pro clericis de præbend.* & Glossa ibidem: quia sufficit si post beneficium obtentum Mandatarius suscipiat ordinem intra tempus ipso jure sancitum, quem beneficium expostulat: unde non est necesse, ut illo ordine sit initiatus eo tempore, quo literæ dantur à Papa. Sin verò qui mandatum Apostolicum de providendo petit, beneficium jam obtinuerit, debet hujus beneficii priùs obtenti fieri mentio, ut liquet *ex cap. cum teneamus 6. h. t.* ubi Alexander III. rescribit; quòd quando Papa mandat, ut provideatur alicui de beneficio, tunc si ille habet beneficium sufficiens, vel in litteris non fiat mentio, vel non potest ei provideri sine scandalo, non debet tale mandatum executioni dari, quia Papa, non censetur, velle ut adimpleatur rescriptum, si ejus mandatum sine scandalo impleri non possit *c. si quando 5. de rescript.* Ratio verò cur debeat necessariò fieri mentio beneficii priùs obtenti est, quia Papa non solet mandare, ut clerico habenti sufficiens beneficium aliud conferatur, nisi id exprimat, quapropter si de illo in litteris provisionis non fiat mentio censetur gratia esse subreptitiè impetrata. Immo exprimendum est beneficium etiam tenue, tam in petitione beneficii, seu supplicatione, quàm in rescripto, seu mandato pontificio: siquidem rescriptum adaptatur petitioni; & ex illo colligi debet, quòd in supplicatione facta fuerit mentio beneficii, licèt exigui, & tenuis, ut desumitur *ex c. si proponente 42. de rescript.*

14 Quòd si dicas, in *c. is, cui 19. in 6.* tantùm præcipi, ut fiat mentio de beneficio sufficiente pro congrua sustentatione, proinde si beneficium sit tenue, & insufficiens pro congrua sustentatione non videtur necesse, quòd de ipso fiat mentio. Contra est, quia *in c. penult. de rescript. & c. si motu 23. h. t. in 6.* expressè statuitur, ut in supplicatione fiat mentio de beneficio etiam modico priùs obtento: & quia *in d. c. is, cui* non dicitur, quòd non sit necesse facere mentionem de beneficio non sufficiente ad congruam sustentationem; rata, & firma habenda est decisio posteriorum canonum asserentium, esse faciendam mentionem cujuscunque beneficii etiam tenuis priùs obtenti. Neque obstat, quòd modicum in jure pro nihilo habeatur, & jura persæpe, statuant, ut mentio fiat de beneficio sufficiente ad congruam sustentationem: quia tunc in jure modicum pro nihilo habetur, quando non exprimitur in jure, ut de ipso mentio fiat: jura autem in casu nostro statuunt, ut expressa mentio fiat etiam de beneficio tenui, & insufficiente ad congruam sustentationem priùs obtento, quia habens beneficium aliquod ecclesiasticum non potest simul cum illo, jure communi, aliud obtinere, nisi ex pontificia dispensatione, adeo ut, quando simplex beneficium ad clericum honestè sustentandum non sufficit, requiratur saltem authoritas Episcopi, ut cum illo possit aliud obtinere, dummodo alterutrum non sit sufficiens, & utrumque simul sit sufficiens, & non abundet superfluitate, & utrumque assiduam non postulet beneficiarii præsentiam.

15 Quòd si beneficium sit alicui collatum motu proprio Papæ, & non ad petitionem alterius, tunc rescriptum censetur validũ, tametsi in illo nulla fiat mentio prioris beneficii, quia Papa censetur tunc dispensare super pluralitate beneficiorum, debet tamen in rescripto exprimi clausula de motu proprio, ut statuitur *in c. si motu 23. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd quando Papa habenti beneficium confert aliud motu proprio nulla facta mentione de primo, gratia valet: & cognoscitur, contulisse motu proprio, tunc quando hoc exprimitur in litteris.

16 Sin verò Papa conferat ad petitionem alterius talem gratiam, seu rescriptum, si in eo non fiat mentio beneficii obtenti, tametsi tenue, & modicum sit, gratia est subreptitia, & nulla. Est enim discrimen inter gratiam concessam à Papa motu proprio expresso in rescripto, & ad peti-

petitionem alterius, quia cum fit motu proprio, tunc gratia procedit ex mera Papæ liberalitate, nec in ea poteſt beneficiatus de ambitione, vel ſubreptione notari, quia cùm ſit facta proprio motu Pontificis, præſumitur, quòd tametſi Pontifex veritatis eſſet conſcius, adhuc gratiam illam concederet, & tunc non refert qualia, & quot ſint beneficia à proviſo jam antea obtenta, quia clauſula *motûs proprii* tollit ſubreptionem collationis, ſive curata beneficia obtenta ſint, ſive ſimplicia, ſive unum, ſive plura: tametſi per hoc non cenſeatur diſpenſatum quoad retentionem beneficiorum, ut deſumitur *ex c. ſi non poteſt 21. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd, quando providetur, ut quis poſſit habere aliquod beneficium non obſtante, quòd aliud obtineat, non tamen eſt diſpenſatum, ut duo beneficia habeat, ſeu retineat; ſed ſolùm quòd gratia facta valeat, & non ſit ſubreptitia. Siquidem *motus proprius* tollit vitium ſubreptionis ob tacitam veritatem exprimendam neceſſariò, ſive gratia ſit conceſſa motu proprio Papæ, ſive alterius ſuperioris.

17 Videtur enim clauſula *motûs proprii* magis convenire Epiſcopis, cùm exactiorem habeant, ac magis diſtinctam clericorum cognitionem ſuæ diœceſis, tunc enim per talem clauſulam ſubreptio ob taciturnitatem veritatis faciliùs excluditur; licèt non tollatur obreptio ob falſitatis expreſſionem, ſicut nec per clauſulam motûs proprii tollitur inhabilitas perſonæ impetrantis; neque inducitur diſpenſatio ſuper impedimentis ipſius: neque ſupplet defectum intentionis reſcribentis, quia ſi de illa conſtet, eidem ſtandum eſt, ut notat Gloſſa *in clement. 4. V. validam in fin.* Exprimenda tamen eſt clauſula motûs proprii in reſcriptis præſertim Papæ, quia cùm motus proprius negationem includat, ſcilicet Papam nullius precibus motum concedere ex ſe, & propria liberalitate beneficium, non poteſt hæc negatio aliter probari, quàm per litteras Papæ id aſſerentis. Hinc ſi clauſula motûs proprii non exprimatur in pontificiis reſcriptis, hæc nihil operantur.

18 Sunt etiam aliæ conditiones neceſſariò exprimendæ in ſupplicatione in ordine ad litteras beneficiales obtiendas. Primò debet in ſupplicatione beneficii exprimi, an beneficium illud ſit curatum, quia ſub communi nomine beneficii in mandatis apoſtolicis non comprehenduntur beneficia curata *c. cum in illis 16. in princ. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd quando Papa mandat aliquem provideri de Perſonatu, Dignitate, vel aliis beneficiis quibuscunque, non intelligitur de curatis, niſi mentionem faciat de habentibus curam animarum: neque intelligitur de beneficiis, ad quæ per electionem ſolent aſſumi, niſi fiat expreſſa mentio, idque confirmat Tridentinum *ſeſſ. 7. c. 3. de refor.*

19 Secundò debet etiam neceſſariò exprimi in ſpecie beneficium impetratum eſſe juris patronatûs, quia Papa non præſumitur, velle patronis præjudicare.

20 Tertiò debet etiam fieri mentio de jure, quod habet ad aliud beneficium, ſeu an habeat jus ad rem ſine jure in re, ut declaratur *in c. ad audientiam 2. c. in noſtra de reſcript.* idque etiam procedit, ſi jus habeat ad beneficium, eò quia ſit electus, vel nominatus à Patrono, vel à collegio canonicorum receptus abſque præbenda, ut primò vacaturam præbendam accipiat, vel ſit ei ſcienti beneficium collatum, in quod tamen nondum conſenſerit; idque procedit, ſi alias litteras apoſtolicas priores quis impetraverit, quibus præceptum fuerit, ut Ordinarius beneficium primò vacaturum ipſi conferat.

Quartò debet etiam exprimere, ſi ſit bene- 21
ficium Eccleſiæ cathedralis, quia non venit nomine beneficii in reſcriptis ambitioſis, ut deſumitur *ex c. quamvis 4. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd litteræ ſuper obtinendis beneficiis debeant ſtrictè interpretari, eò quia ſint ambitioſæ, & odioſæ, & Papa mandans, quòd quis provideatur de beneficio in aliqua Eccleſia civitatis, vel diœceſis, non intelligitur in Eccleſia cathedrali, licèt aliàs ſub nomine eccleſiarum civitatis intelligatur cathedralis.

Quintò ſi mandatarius ſe ſe in beneficium, 22
vel Eccleſiam intruſerit, aut eam per vim obtinuerit, aut ex beneficio fructus aliquos per vim receperit, vel alium de beneficio, vel Eccleſia dejecerit, debet neceſſariò mentionem facere de ſingulis eorum, immo ad id jure compellitur, ut notat Joannes Selua *p. 3. q. 11. n. 6.* ſiquidem qui ſe ſe in beneficium intruſit, difficiliùs illud impetraret, ſi id exprimeret.

Sextò quoad patrimonium, quod clericus 23
habet idoneum ad congruam ſuſtentationem, an exprimendum ſit? quamvis nonnulli aſſerant ſatis eſſe, ſi fiat mentio patrimonii, ratione cujus eſt quis ad ordines promotus, nihilominus alii meliùs apud Azorium *p. 2. lib. 6. c. 33. q. 8.* diſtinguunt, ſi enim mandatarius impetrat litteras, quæ dicuntur juſtitiæ, & quæ conceduntur à Papa in forma Pauperum, ſeu causâ clerici indigentis, tunc jure compellitur mentionm facere de patrimonio, alioquin litteræ impetratæ cenſentur ſubreptitiæ, eò quia non creditur, quòd Papa clerico habenti idoneum patrimonium det litteras ad ordinarios in forma pauperum, cùm hujusmodi litteræ nonniſi ob clerici paupertatem dari ſoleant. Sin verò clericus impetret litteras, quæ gratiæ vocantur, tunc nullo jure compellitur mentionem facere de tali patrimonio ad congruam ſuſtentationem idoneo, quia litteræ gratuitò, & liberaliter tunc à Papa conceduntur, ut notat Rebuffus *in prax. benef. p. 1. tit. de reſcript. gratiæ, & juſtitiæ. num. 32.* & id procedit non ſolùm de jure communi, verùm etiam ex uſu, & praxi Romanæ curiæ. Idque etiam procedit de penſione eccleſiaſtica, quam mandatarius priùs obtinuit, & quidem idoneam ad vitæ ſuſtentationem. Si verò non habeat talem penſionem in perpetuum, ſeu ad dies vitæ, ſed ſolùm ad certum tempus, tunc nullo jure cogitur mentionem de illa facere ſive penſionarius impetret litteras gratiæ, ſive juſtitiæ: ratio eſt, quia annuus proventus ad certum duntaxat tempus non habetur pro patrimonio ad congruam vitæ ſuſtentationem.

Septimò debet exprimi, ſi beneficium exi- 24
gat

gat residentiam, quia ex consuetudine beneficia simplicia residentiam non exigunt.

25 Octavò si beneficium sit electivum, quia non censetur Papa velle juri eorum derogare, ad quos electio pertinet.

26 Nonò exprimi etiam debet, si beneficium impetratum sit alteri conjunctum, idque etiam si in rescripto apposita sit clausula motûs proprii, quia Papa non præsumitur velle jura unionis dissolvere, nisi fortassis unum non principaliter, & per se, sed tantùm accessoriè esset alteri unitum, quia tunc sufficeret mentionem facere de principali, quia accessorium se habet ad illud consecutivè.

27 Decimò exprimendus est etiam modus, quo beneficium vacavit per obitum, vel per resignationem *c. susceptum 6. de rescript.*

28 Undecimò exprimenda est etiam ætas mandatarii, adeo ut, quando Papa litteras concedit, quibus præcipit, ut Ordinarius, vel Executor à se constitutus det clerico beneficium, mandatarius debeat eo tempore habere ætatem, quam beneficium expostulat, ut desumitur *ex c. si eo tempore de rescript. in 6.* ubi habetur: si eo tempore, quo tibi de beneficiorum cura, vel sine cura mandavimus provideri ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebas ætatem, tibi licèt nunc legitimæ effectus sis ætatis, authoritate litterarum hujusmodis cùm tempore datæ ipsarum adhuc non esses idoneus, de beneficio curam animarum habente nequaquam poteris provideri. Beneficium autem sine cura, cum ad id sufficientem ætatem haberes, per eas litteras licitè poteris obtinere.

29 An verò ut mandatum apostolicum ratum habeatur, debeat clericus esse capax beneficii eo tempore, quo litteræ datæ à Papa impetrantur: an verò sufficiat si capax sit beneficii, tunc quando erit vacaturum, non conveniunt juris periti, Glossa, Bald. Lappus, Archidiaconus, & alii *in c. si in eo tempore de rescript. in 6.* censent, Mandatarium debere esse capacem tunc quando à Papa impetrantur datæ litteræ, eò quia jura id exigant præsertim *in c. postulasti de rescript. & d. c. si eo tempore.* Alii è converso censent, sufficere si mandatarius sit tunc beneficii capax cùm dies vacationis inciderit, & eo tempore, quò beneficium est conferendum, præ cæteris adhærent huic sententiæ Joan. Monach. Ancharanus, Felinus, & alii, & moventur ex eò quia *in c. ei qui providere de prabend. in 6.* habeatur. Ei cui provideri mandatur simpliciter de præbenda proximè vacatura, sacerdotalis præbenda conferri non potest, si nondum in ætate tali existat, ut possit ad sacerdotium promoveri, sed aliam expectare debebit. Alii volunt, mandatarium debere esse capacem utroque tempore, scilicet quo litteræ impetrantur à Papa, & quando beneficium vacans ei conceditur, idque probant, quia ut habetur *in c. si eo tempore* necesse est, ut mandatarius sit capax beneficii tempore, quo impetrantur litteræ, *in c. ei cui* dicitur, quòd debeat esse capax tempore, quo vacans beneficium confertur.

30 In hac opinionum varietate videtur probabiliùs, non esse necesse, mandatarium tunc esse capacem beneficii, quando mandatum Apostolicum datur, si hoc mandatum detur de beneficio vacaturo, quia *in c. ei cui* expressè dicitur, quòd præbenda sacerdotalis conferri non possit, si mandatarius nondum in tali sit ætate, quam poscit sacerdotium, ut notat Azorius *p. 2. lib. 6. c. 33. q. 10.* quòd si vi dati mandati mandatarius acquirit jus expectandi aliam præbendam, eò quia nondum habeat ætatem, sequitur, quòd non sit necessè, ut sit capax beneficii, quo tempore litteras impetrat à Papa, seu accipit mandatum Apostolicum. Rursus præcitati textus *in c. si eo tempore, & in c. ei cui* possunt rectè concordari, quia *in c. si eo tempore*, sermo est de mandato apostolico, quod datur de beneficio jam eo tempore vacante, vel de mandato, quod datur absolutè, & simpliciter non expresso tempore, præsenti, aut futuro: vel de mandato, quod datur de beneficio jam vacante, vel in subsidium illius, vel de beneficio proximè vacaturo, & tunc necesse est, ut mandatarius sit capax beneficii tempore impetrati mandati, adeo ut illam ætatem habere debeat, quam beneficium jure deposcit: ex quo persæpe contingit, ut beneficium, cui est annexa animarum cura mandatarius non possit obtinere; bene tamen beneficium simplex. At *in c. ei cui* sermo est de mandato apostolico directo ad beneficia proximè vacatura; proinde sufficit, ut mandatarius sit tunc capax beneficii, quando hoc vacat, & ei confertur, non verò quo tempore litteras impetrat, necesse est, habeat legitimam ætatem.

31 Duodecimò debet etiam exprimi qualitas beneficii non solùm, quod quis à Papa supplici petitione impetrat, sed etiam qualitas beneficii, quod mandatarius priùs obtinuit; quia cùm beneficium assiduam beneficiarii præsentiam in Ecclesia exigat, vel curam habeat animarum sibi annexam, vel sit dignitate præditum, debent omnes hæ qualitates exprimi. Immo Abbas censet etiam, has qualitates esse exprimendas in mandatis apostolicis motu proprio datis, adeo ut si reticeantur litteræ vitientur, ac irritentur, non quia motus proprius subreptionem non excludat; sed quia voluntas Papæ tunc non constat *argum. ex c. cùm illis, & c. is cui de prabend. in 6.* Tum quia *motus proprius* non confirmat gratiam contra voluntatem concedentis, nec cùm detrimento juris alteri quæsiti: adeo ut non valeat gratia Pontificis etiam motu proprio confirmata, si beneficium pertineat ad patronum laicum, & nulla fiat mentio juris patronatus.

32 Quòd verò debeant etiam exprimi qualitates beneficii, quod mandatarius habet, ut si sit præpositura, vel Decanatus, probat etiam Abbas *in c. postulasti de rescript.* quia si mandatarius petat, ut juris rigore laxato liceat sibi secundum habere beneficium simul cum primo, tunc necesse est, ut exprimat primi beneficii conditiones, ut si clericus habens præposituram, vel decanatum impetret à Papa facultatem habendi aliud beneficium cum præpositura, vel decanatu, si mentionem non fecerit de cura animarum adnexa Decanatui, vel Præposituræ impetratio non sortitur suum valorem, quia in-

erant duo impedimenta primo beneficio jam obtento, ſcilicet dignitas, & cura animarum: proinde ſublato uno impedimento adhuc aliud remanet,ut deſumitur *ex c. ex tuarum de authoritate, & uſu pallii*; Sin verò clericus non impetret juris relaxationem, ſed ſimpliciter ſecundum beneficium, tunc non conveniunt juris periti: Gloſſa enim *in clement. 1. de prabend.* cenſet, opus non eſſe facere mentionem de conditione primi beneficii obtenti, ſed ſufficere, ſi fiat mentio generalis de primo beneficio. Calderinus autem *in c. in noſtra de reſcript.* docet, neceſſarium adhuc eſſe, mentionem facere de conditionibus primi beneficii obtenti,quia ſi hæ exprimantur in ſupplicatione,poſſunt Papam avocare à dando mandato de conferendo ſecundo beneficio; vel ſaltem poſſunt reddere difficiliorem impetrationem ſecundi beneficii, & hæc opinio mihi videtur probabilior, quia ſi Papa primi beneficii conditiones cognoviſſet, ſecundum fortaſſis non conceſſiſſet.

§. XIV.

Quomodo litteræ beneficiales, ſeu mandata Apoſtolica debeant interpretari.

1 COnveniunt juris pontificii periti, quòd litteræ beneficiales debeant ſtrictè interpretari eò quia derogent juri communi, & diſpenſationem exigant; vel etiam aliis ordinariis collatoribus præjudicent,ut generatim habetur in reſcriptis gratiæ,in quibus conceditur gratia obtinendi beneficium etiam in alterius præjudicium,ut tradit Gloſſa *fin. recepta in c. olim. 16. de V.S.* ubi dicitur, quòd privilegium Principis ita ſit interpretandum, ut non multum lædat jus tertii. Hoc idem etiam deſumitur *ex c. is cui 19. h.t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. reſcribit,quòd quandoPapa dat facultatem alicui executori conferendi beneficium perſonæ idoneæ,non poteſt illud conferre habenti aliud beneficiũ, tametſi ſimplex,ſed ſufficiens ad congruam vitæ ſuſtentationem; eò quia beneficiatus, dum retinet primum beneficium, non eſt perſona idonea, cùm ſecundùm jus commune, non poſſit idem clericus duo beneficia retinere, ſi eorum quodlibet habeat ſufficientes reditus pro congrua ſuſtentatione, ut notat Gloſſa *hic V. non poteſt*, ſiquidem de jure communi habens beneficium ſufficiens non poteſt aliud obtinere primo retento: ſecus ſi prius beneficium non ſit ſufficiens, tunc poteſt clerico aliud dari. Rurſus *in d. c. is cui 19.* habetur, quòd ſi in litteris ponatur, ut provideat de beneficio etiã habenti aliud, tunc ſi illud eſt unicum, & non habet curam animarum, debet providere, ſecus ſi illi ſit annexa cura animarum, quia nomine beneficii in hac materia odioſa,& ſtricti juris non comprehenditur curatum.

2 Quòd ſi in litteris dicatur, ut provideat de beneficio habenti plura, non extenditur, niſi ad duo ſine cura, quia pluralis locutio eſt contenta numero duorum *ex regul. jur. 40. in 6.* cùm duo igitur beneficia conſtituant pluralem numerũ, non debet tunc intelligi pluralitas, niſi de duobus beneficiis, quia cum hæc pluralitas odioſa ſit,debet reſtringi, proinde non extendi ultra duo beneficia.

3 Præterea ipſum beneficium Principis, ſeu gratia, quæ ab ipſo conceditur, ita debet interpretari, ut non extendatur ad id, quod adverſatur diſpoſitioni juris communis;quia cùm jus commune ſit favorabile, quæ illi adverſantur cenſenda ſunt odioſa; proinde nonniſi ſtrictam ſecum trahunt interpretationem: qua ratione ſi concedatur alicui facultas conferendi beneficia,debet intelligi conceſſa juxta diſpoſitionem juris communis prohibentis, ut habenti unum beneficium ſufficiens non conferatur aliud etiam ſimplex: proinde facultas, quæ alicui conceditur conferendi beneficium debet intelligi de beneficio conferendo clericis non habentibus aliud beneficium ſufficiens, niſi in litteris beneficialibus aliud ſpeciatim exprimatur.

4 Ex eo autem,quòd poteſtas,quæ alicui conceditur conferendi beneficia ſit ſtricti juris, ſequitur, quòd non ſe extendat ad diſpenſandum ſuper pluralitate beneficiorum: ſiquidem facultas conferendi beneficia, & facultas diſpenſandi ſuper pluralitate beneficiorum ſunt diverſæ, à quibus propterea non fit illatio: ſeu ex eo,quòd concedatur una facultas, non infertur conceſſa etiam alia, quia quæ ſunt ſtricti juris non ſunt amplianda ad diſtincta, ſed reſtringenda ad illud unum, quod exprimunt. Quo pacto litteræ beneficiales Apoſtolicæ non includunt beneficium reſervatum, ſi de reſervatione non eſt facta mentio Calder. *conſ. 230. in princ.* ubi loquitur de reſervatione generali reſpectu plurium beneficiorum reſervatorum: quia non præſumitur, quòd Papa velit tollere à ſe diſpoſita, & ordinata: idque etiam procedit, quando concurrunt plures generales reſervationes, ut quia quis eſt ſcriptor Apoſtolicus, & Capellanus, & ſimilia, quia de omnibus eſt facienda mentio, aliàs litteræ non ſortiuntur ſuum valorem; idque verum eſt,ſive reſervatio ſit præter, ſive contra jus, quia litteræ non includunt reſervatum, ſi non eſt facta de ipſo mentio, ut notat Cald. *in d. conſ. 230. V. item licèt prædicta.* Quamobrem litteræ ad beneficia ſunt ſtrictè interpretandæ *c. quamvis de prabend. in 6.* In litteris tamen ſuper permutatione beneficiorum, quia non ſunt ambitioſæ, nec odioſæ, ſed potiùs de juſtitia, ceſſat in illis ratio, quæ militat in aliis litteris ſuper proviſione beneficiorum,ut tradit Calder.*conſ. 293.*

5 Rurſus ſi alicui concedatur facultas conferendi alteri beneficium, qui aliud jam habet beneficium, tunc poteſt conferri etiam habenti perſonatum non curatum, quia excipitur tantùm beneficium curatum, tametſi aliàs dignitas, & perſonatus non curatus æquiparentur quoad pluralitatem, quæ eſt odioſa: facultas autem providendi beneficium, ſi juri communi non repugnet, nec alteri tertio præjudicet, non eſt odioſa, proinde neque reſtringenda plus, quàm verba ſonant. Tum quia ſi Papa voluiſſet idem ſtatuere de dignitatibus,ac perſonatibus non curatis, id expreſſiſſet. Tum quia canones prohibent ſpecialiter, ne curatis alia beneficia conferan-

ferantur, eò quia teneantur semper residere in propria Ecclesia.

6 Neque ex eo, quòd facultas conferendi beneficia concessa Prælato inferiori à summo Pontifice sit gratia, seu beneficium Papæ, inde sequitur, quòd sit laxæ interpretationis, eò quia decet principem liberalitas. Nam tunc tantùm hæc facultas concessa à Principe conferendi beneficia est laxè interpretanda, quando agitur de solo præjudicio ipsius concedentis, quod ex tali concessione ipsi gignitur, ut si Papa deleget alicui potestatem conferendi beneficia vacantia in mensibus papalibus, quorum collatio propterea ad ipsum Papam tantùm spectat, debet tunc concessa potestas laxè interpretari, ut comprehendat etiam beneficia curata. Non ita si concessa potestas conferendi beneficia tendat in grave præjudicium tertii, quia tunc est odiosa, proinde est strictè interpretanda, præsertim si præjudicet aliis collationibus, quia Pontifex non censetur velle, ut gratia alicui facta cedat in grave præjudicium tertii, ut desumitur *ex l.* 2. §. *merito ff. ne quid in loco publico*, ubi dicitur, quòd Princeps ita soleat permittere aliquod fieri in publico, ut sine injuria cujusquam fiat: hinc Glossa *in c. tuorum 5. V. permittat de authorit. & usu pallii*, docet, quòd quamvis Papa det alicui privilegium, non tamen intendit, nec vult, ut illo utatur in præjudicium tertii, quia mens Principis concedentis gratiam aliquam talis est, ut intendat tantùm favere, & non nocere; proinde favor unius non debet esse in præjudicium alterius.

7 Sunt tamen, qui distinguentes dispensationem super pluralitate beneficiorum ab ipsa facultate dispensandi dicunt, ipsam dispensationem super pluralitate beneficiorum esse strictæ interpretationis, cùm exorbitet à jure communi, proinde volunt esse odiosam, quia dispensatio principaliter, & directè tendit ad relaxandum jus commune eximendo aliquem ab ejus obligatione: secus facultatem ipsam dispensandi, & concessam à Papa Prælato inferiori dicunt esse laxè interpretandam: quia tametsi remotè, & immediatè, seu mediante dispensatione tendat in præjudicium, & relaxationem juris communis, nihilominus directè, & principaliter, tantùm afficit favore, & beneficio illum, cui conceditur: hinc concludunt, quòd cum quoad principale, & directum intentum contineat gratiam, & favorem Principis, debeat latè interpretari, eò quia in omni re attendi debeat principale dispositum *l. si quis 4. l. reganti* 11. *in princ. ff. de re cred.*

8 Verùm quamvis regulariter facultas ipsa dispensandi, ut distincta ab ipsa dispensatione sit latè interpretanda, si præcisè consideretur, ut concessa à Principe ex mera gratia, & favore erga illum, cui talis facultas conceditur; nihilominus non ita est laxè interpretanda, si versetur circa materiam, seu objectum, quod præjudicet tertio, tunc enim magis attendendum est odiũ rei, quæ conceditur, quàm favor personæ, cui est gratia concessa; proinde debet strictè interpretari, quoties præjudicat tertio, ut tradit Felinus *in c. postulasti* 23. *num.* 11. *de rescript.* Quod vel maximè procedit, si gratia concessa præjudicet valdè ipsi Ecclesiæ, cujusmodi est pluralitas beneficiorum: quia quoties plura beneficia, quæ deberent pluribus conferri, uni tantùm conferuntur, minuitur numerus clericorum, proinde etiam cultus divinus non sine gravi Ecclesiæ præjudicio.

9 Hinc etiam litteræ beneficiales à Papa impetratæ sunt strictè interpretandæ, ut statuitur *in c. quamvis 4. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando Papa scribit alicui Prælato, ut provideat Petro usque ad certam summam, ut usque ad centum aureos, Prælatus non potest providere de hac sumã in pensione super beneficio, nisi in litteris fiat expressa mentio de pensione; sed debet providere de beneficio, quia beneficialis est latissimè interpretanda. Litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent strictè interpretari, quia sunt ambitiosæ, & odiosæ, quia assignatio pensionis est odiosa, & exorbitans à jurè communi, cùm Pensionarius non intituletur, neque teneatur ad residentiam, siquidem pensiones possunt etiam laicis concedi, ideo propriè pensio non est beneficium ecclesiasticũ, neque in litteris beneficialibus comprehenditur nomine beneficiorum, quapropter litteræ beneficiales super beneficiis obtinendis, cùm sint strictè interpretandæ, non debent extendi ad pensiones, quæ non comprehenduntur nomine beneficiorum.

10 Rursus *in eod. cap. quamvis 4.* habetur, quòd si Papa mandet, quòd quis provideatur de beneficio in aliqua Ecclesia civitatis, vel diœcesis, non intelligitur, quòd debeat providere de beneficio in Ecclesia cathedrali, quamvis aliàs nomine Ecclesiarum civitatis intelligatur etiam cathedralis. Secus si Papa mandet aliquem provideri de beneficio in aliqua Ecclesiarum Provinciæ, tunc intelligitur etiam in Ecclesia cathedrali, & metropolitana. Non enim est inusitatum, ut etiam in materia strictæ interpretationis species una, vel pars præcipua ita usurpetur, ut sub communi nomine totius non comprehendatur, quamvis sit pars, & quidem præcipua ejusdem totius; quo pacto licèt Episcopus sit præcipuus clericorũ, non tamen sub nomine clericorum comprehenditur Episcopus, ut neque nomine diœcesis ipsa civitas, quæ est sedes episcopalis, ut desumitur *ex c. Rodulphus 35. de rescript.*

11 Hinc si Papa mandet, conferri beneficium in diœcesi Salisburgensi, non potest conferri Salisburgi, seu in ipsa civitate Archiepiscopali, quia in materia strictæ interpretationis nomine diœcesis non comprehenditur civitas episcopalis, ut notat Glõssa *in c. accepimus* 13. *V. in majore Ecclesia de etat. & qualitat.* Præterea quamvis Ecclesia cathedralis sit caput omnium Ecclesiarum diœcesis, nihilominus in rescriptis impetratis ad beneficia obtinenda, cùm sit materia odiosa nomine Ecclesiarum civitatis, & etiam diœcesis non intelligitur Ecclesia cathedralis, quia ob ejus dignitatem excipitur ab aliis. Secus si mandetur alicui provideri in aliqua Ecclesia Provinciæ, tunc comprehenduntur omnes Ecclesiæ etiam cathedrales, immo & ipsa metropoli-

politana totius Provinciæ : siquidem Metropolitana principaliter comprehenditur nomine Provinciæ.

12 Attendi tamen in hoc debet stylus curiæ, quia vix sufficiens ratio diversitatis potest assignari, cur sub nomine Ecclesiarum Provinciæ comprehendantur omnes Ecclesiæ cathedrales ejusdem Provinciæ, & etiam ipsa Metropolitana, ut habetur *in c. quamvis §. quamquam*: & nihilominus sub nomine Ecclesiarum civitatis, aut diœcesis non comprehendatur ipsa Ecclesia cathedralis : non enim alia hujus discriminis ratio videtur posse assignari, nisi voluntas Papæ declarata per stylum curiæ. Et sicut in materia odiosa verba sumuntur strictè, ita in materia pœnali, quia & ipsa odiosa est, sunt strictè interpretanda, adeo ut in dubio sumi debeant in significatione stricta : quo pacto in interdicto hoc vocabulum *populus* ; in dubio accipi debet strictè; secus in materia favorabili sumitur in laxa significatione, adeo ut populus non solùm incolas omnes sæculares comprehendat, sed etiam clericos, & religiosos *argum. §. plebs autem instit. de jure natur. gentium.* ubi asseritur, quòd appellatione populi significentur universi cives, comprehensis etiam Patritiis, & Senatoribus.

13 Rursus vocabulum *clericus* in materia favorabili comprehendit omnes clericos etiam Episcopum, immo & religiosos, ac novitios : secus in materia odiosa, non extenditur ad Episcopum, neque ad religiosos, aut Novitios, nisi aliud ex verbis dispositionis, aut adnexis circumstantiis appareat, vel nisi fraus, aut elusio dispositionis sequi possit, quia tunc etiam in materia odiosa interpretatio fit amplior, ut desumitur *ex c. si civitas 17. de sentent. excommun. in 6.* ut notat Pirinch *lib. 3. tit. 5. sect. 7.*

14 Quamobrem non solùm litteræ beneficiales, sed etiam ipsa vocabula in iisdem, si versentur circa materiam odiosam, debent strictè interpretari, eò quia derogant juri communi, quod tamen limitatur, nisi gratia motu proprio Papæ concedatur: quia tunc cum ipse Papa ex mera liberalitate, & motu proprio relaxet jura; collatio beneficii suscipit ampliationem juxta *c. si motu 23. h. t.* ubi dicitur quòd quando Papa habenti unum beneficium confert aliud motu proprio nulla facta mentione de primo, gratia valet, eò quia careat omni suspicione ambitionis : & cognoscitur contulisse motu proprio, tunc quando hoc exprimitur in litteris.

15 Quando verò Papa confert ad petitionem alicujus si non fiat mentio beneficii obtenti, licèt modicum sit, gratia censetur subreptitia. Hinc è contra quando gratia conceditur ad petitionem alterius, debet strictè interpretari ; adeo ut etiam ipsa gratia motu proprio concessa non extendatur ultra intentionem concedentis, & probabiliter præsumptam, nec ultra verborum proprietatem juxta communem acceptionem, adeo ut motus proprius ut notat Glossa *in element. 2. V. directis* non ampliet gratiam, nec vim verborum ; sed tantùm extendat verba, prout propriè ipsorum significatio patitur ; hinc *in c. si pluribus 24. h. t. in 6.* habetur, quòd si vacent simul plura beneficia nulli de jure debita, & Papa conferat uni beneficium in genere, si illud contulit motu proprio, intelligitur de pinguiori ; sin verò sint æqualia, datur optio beneficiato eligendi intra decendium, quod magis libuerit : si non motu proprio, sed ad petitionem, intelligitur quod est minoris valoris : & si sint æqualia, is ad quem de jure spectabat conferre, debet intra decendium eligere ; & si non eligat devoluitur electio ad alium.

16 Cæterum cum dicitur, quòd si præbenda aliqua in genere motu proprio concedatur debeat illa eligi, quæ majoris est valoris, non sumitur de majori valore quoad æstimationem rei secundùm se; sed ratione redituum, qui ex re illa percipiuntur : siquidem clericis, quibus beneficia conferuntur, soli reditus debentur, cùm res ipsæ alienari prohibeantur: unde supervacanea esset præbendarum æstimatio, si clericus ex re magnæ æstimationis paucos, vel nullos haberet reditus, ut notat Anchar. *hic not. 2.* cæterum in obligatione generis regulariter debetur quod est minus.

17 Quòd si Papa motu proprio expresso in litteris mandat conferri alicui beneficium mille florenorum, tunc talis provisio est latè interpretanda ob excluſam suspicionem obreptionis; adeo ut si tunc unicum beneficium non habeat nisi 500. florenos ex annuo proventu, eidem possint conferri alia beneficia, donec compleatur numerus mille florenorum: non tamen hæc beneficia debent esse curata, neque de jure incompatibilia, quia ut superius diximus, beneficia curata, & incompatibilia exigentia continuam residentiam non comprehenduntur nomine generico beneficiorum : unde si in litteris non fiat expressa mentio de beneficiis curatis, tametsi motu proprio concedantur, non tamen sunt litteræ ita interpretandæ, ut comprehendant etiam beneficia curata, quia Pontifex nisi id speciatim exprimat, non præsumitur velle derogare juri communi quoad beneficia curata non expressa.

18 Cæterum litteræ, quæ dantur motu proprio expresso sunt laxè interpretandæ, eò quia sint favorabiles, & excludant omnem suspicionem obreptionis : quamvis provisio beneficii videatur fieri in præjudicium tertii, seu Episcopi, ad quem aliàs pertineret tale beneficium conferre, quia cùm Papa sit Episcopus totius Ecclesiæ catholicæ, proinde Ordinarius collator omnium beneficiorum in tota universali Ecclesia, ideo si conferat beneficia utitur jure suo, & nullum inde fit præjudicium Episcopis, qui dependent à Papa, cui subordinantur etiam quoad collationem beneficiorum. Ut in præcedentibus diximus, secluſis concordatis potest Papa omnia beneficia conferre tum jure concursûs, tum jure præventionis, & devolutionis, quinimo recipiens beneficiũ à Papa est cæteris præferendus, ut desumitur *ex c. si à sede 21. h. t.* ubi dicitur quòd quando Papa, vel ejus Legatus confert beneficium uni, & Ordinarius alteri eodem die, adeo ut non possit constare de prioritate collationis, tunc sit potior conditio possidentis, & si neuter possidet, præfertur electus à Papa, vel Legato propter ampliorem prærogativã, quod

tamen

tamen ita debet intelligi, ut ante provisionem Papæ non sit tertio jus acquisitum in beneficio in re, vel ad rem: & licèt Papa possit derogare utrique juri ex plenitudine potestatis ob causam rationabilem, non tamen de potestate ordinaria solet derogare.

19 Præterea si Papa scribat ad inferiorem Prælatum, ut alicui provideat de beneficio in aliqua Ecclesia, intelligitur tantùm de beneficio simplici, non verò de dignitate, vel rectoria, ut desumitur *ex c. cùm olim 38. h. t.* quia intentio mandantis est attendenda, & servanda, quia litteræ beneficiales, quæ obtinentur ad preces alterius, cùm sint ambitiosæ, debent restringi, ac strictè interpretari. Præterea quia non omnis qui censetur idoneus ad beneficium simplex, dignus habendus est ad dignitatem, vel personatum, aut beneficium curatum: siquidem major industria, doctrina, habilitas, & morum probitas requiritur ad beneficium, cui sit annexa cura animarum, quàm ad beneficium simplex.

20 Quapropter in litteris beneficialibus, quæ conceduntur ad preces alterius, & sine expressione certæ qualitatis, non intelliguntur beneficia curata, & dignitates, non quia hujusmodi beneficia non contineantur sub communi nomine ecclesiastici beneficii; sed ex defectu intentionis ex parte Papæ concedentis, quia intentio Pontificis non præsumitur extendi ad talia beneficia curata, ut notat Garzia *p. 1. de benefic. c. 6. n. 49. & sequent.* Quòd si Papa mandet, ut aliquibus in Ecclesia aliqua provideatur de dignitatibus, personatibus, vel aliis beneficiis quibuscunque nullâ factâ mentione de cura animarum, non possunt ex vi talis mandati eisdem provideri beneficia, vel dignitates, quibus annexa sit animarum cura, & desumitur *ex c. cùm illis 16. h. t. in 6.* ubi expressè habetur, quòd quando Papa mandat aliquem provideri de personatu, dignitate, vel aliis quibuscunque beneficiis non intelligitur de curatis, nisi expressam mentionem faciat de habentibus curam animarum: neque intelligitur de beneficiis ad quæ per electionem solent assumi, nisi fiat expressa mentio.

21 Rursus, quia collatio, præsentatio, institutio maximè differunt, si Papa mandet provideri de beneficio spectante ad collationem alicujus, non extenditur mandatum ad beneficium spectans ad præsentationem, vel institutionem, nec è contra, quia debet de natura sua restringi. Item si mandet provideri de beneficio spectante ad collationem, vel præsentationem aliquorum, non extenditur ad beneficium spectans ad collationem, vel præsentationem alterius illorum, nisi addatur clausula: communiter, vel divisim. Secus si mandetur provideri de beneficio spectante ad collationem unius non extenditur ad beneficium spectans ad collationem plurium. Ubi Glossa notat, quòd in gratiis apostolicis, ut in exspectativis beneficiorum, & dignitatum non intelliguntur beneficia curata, tametsi ponantur verba generalia. Item quod nec sub nomine provisionis, & dispositionis intelligatur electio, nisi addatur electiva. Ratio est quia cùm hujusmodi rescripta beneficialia sint odiosa, & per eorundem concessionem adimatur facultas eligendi iis, ad quos pertinet illa conferre, vel eligere, ideo sub generali vocabulo beneficii, aut dignitatis pertinentis ad quorumcunque provisionem, aut dispositionem non comprehenditur beneficium, aut dignitas electiva, præsertim si Prælaturæ sint majoris dignitatis, nisi in rescripto specialiter exprimantur, quia Papa non præsumitur per suum rescriptum velle esse gravamini toti collegio, ad quod jure communi pertinet electio. Neque intelliguntur beneficia curata, nisi speciatim etiam exprimantur.

22 Rursus quia sub nomine provisionis, & dispositionis non intelligitur præsentatio, non comprehenditur hæc nomine provisionis, Rursus præsentatio, collatio, & institutio in materia stricta, & odiosa differunt. Nec nomine unius potest alia intelligi. Præsentatio enim est electio personæ, & per hanc non acquiritur jus, sed tantùm quòd patronus non possit variare. Institutio est confirmatio: collatio est quando pleno jure diœcesanus providet, unde quamvis in jure communi, confundantur, nihilominus propriè distinguuntur, & in materia odiosa una ratio non comprehendit alteram. Et quamvis verbum generale additum speciei ampliet speciem, cui additur quoad ejus significationem, non tamen illam includit in materia odiosa, & strictæ interpretationis, quo pacto verbum generale dispositionis non includit electionem, nec præsentationem, nec institutionem, cùm sint quasi species diversæ.

23 Mandatum Papæ ut provideant Petro de beneficio pertinente ad collationem Capituli, non extenditur ad beneficia, quæ canonicus aliquis ut singularis solet conferre, ut etiam si beneficium spectet ad Capitulum, & præbenda ad singularem canonicum non extenditur mandatum, nisi in hoc exprimatur clausula *communiter, vel divisim c. cum in illis eod. in 6.* potest enim collatio beneficiorum tripliciter ad canonicos pertinere. Primò conjunctim, & capitulariter, adeo ut collatio beneficii spectet ad totum Capitulum simul, & ei sit beneficium conferendū, in quem major pars Capituli consenserit.

24 Secundò, ut unus ex canonicis conferat, sed authoritate Capituli, ideo ut canonicus agat nomine Capituli, & hæc consuetudo adhuc viget in pluribus ecclesiis Germaniæ, in quibus singuli canonici unus post alterum secundùm ordinem antiquitatis in certis mensibus pertinentibus ad Capitulum vacantia beneficia, vel etiam canonicatus conferunt nomine, & authoritate Capituli, & hic modus conferendi vulgo turnus dicitur, & canonici hoc pacto eligentes vocantur turnarii.

25 Tertiò si jus conferendi beneficium sit annexum certo officio, dignitati, vel præbendæ canonicali, & tunc singuli canonici singulariter conferunt, & non quasi vice Capituli. Quando collatio beneficii fit priori modo, debet major pars Capituli consentire in eum, cui confertur beneficium. Quando verò unus tantùm nomine, & authoritate Capituli confert beneficium, tunc perinde est, ac si totum Capitulum

pitulum consentiret, cùm electo tunc repræsentet totum Capitulum; proinde mandatum de providendo factum Capitulo includit etiam gerentem vices illius, cui mandatur.

26 Quòd si Papa mandet alicui provideri de præbenda non sacerdotali, non potest eidem ex vi talis mandati conferri præbenda sacerdotalis, tametsi ipse vellet sacerdotalem habere, quia rescripta Pontificis debent executioni mandari juxta intentionem concedentis, & desumitur *ex c. cui de non* 27. *h. t. in 6.* ubi habetur, quòd mandata Papæ non sint extendenda ad alios casus, quàm ad expressos: & ideo cùm mandatur alicui provideri de præbenda non sacerdotali, non potest provideri de sacerdotali etiam volenti. Item si mandetur provideri de integra præbenda non potest provideri de dimidia etiam volenti. Item si mandatum sit de præbenda certi valoris, non potest intelligi de minori, nec de ipsa provideri etiam volenti; unde Glossa hîc addit, quod si in provisione dicatur simpliciter provideatur de præbenda non possit dari dimidia, quia quæ mandabatur, censebatur integra: ratio est, quia mandatum in forma specifica impleri debet, neque ad aliud potest extendi, quàm exprimat mandatum etiam parte consentente juxta *l. diligenter. 5. ff. mandati.*

27 Neque obstat, quòd forma præscripta in mandato sit in commodum impetrantis; quia licèt id verum sit, non tamen potest, qui mandatum impetravit huic suo commodo renunciare, si per talem renunciationem debeat mandatum in alia forma, quàm in illo expimatur, mandati executioni; quia excedere fines mandati est aliud agere, non verò mandatum exequi, ut desumitur ex *d. l. diligenter.*

28 In contrarium videntur tamen obstare aliquot regulæ juris, præsertim *regul.* 100. *digest.* quâ dicitur: *In eo quod plus est, semper inest & minus. Regul.* 35. *in 6. Plus semper in se continet, quod est minus. Regul.* 53. *in 6. cui licet quod plus est, licet utique quod est minus:* ergo cui mandatur conferri præbenda integra; si consentiat, is poterit accipere mediam tantùm præbendam; quia medietas continetur in toto, cujus est pars: hinc si Papa mandet alicui conferri præbendam centum aureorum; potest is cui providendum est beneficium, si contentus sit, accipere præbendam quinquaginta aureorum: siquidem cui majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur, præsertim quando minus est pars majoris expressè concessi *c. Ex parte* 27. *de Decimis.* sed respondent Decius *in reg. non debet* 21. *num.* 5. Dynus *in eit. Regul.* 35. *num.* 6. apud Piring. *lib.* 3. *tit.* 5. *sect.* 7. §. 4. *num.* 267. Præfatas regulas tantùm habere locum, quando plus, & minus sunt ejusdem speciei; seu id quod est minus ut species, seu ut pars continetur in eo, quod est majus: non ita quando quod minus est, se habet ad majus non ut pars, seu species ejusdem; sed ut species distincta, & ut quid separatum; ut in casu nostro; præbenda enim quinquaginta aureorum non continetur ut pars in præbenda centum aureorum; quia sunt duæ præbendæ omnino distinctæ, ac separatæ: idque & ex eo evincitur, quia totum non potest existere sine sua parte, quam includit; quia sublata parte non manet ampliùs idem totum, quoad totam suam integritatem: sed sublata præbenda quinquaginta aureorum, vel extincta; adhuc præbenda centum aureorum subsistit, ac manet cum tota sua integritate; ex quo clarè infertur, unam præbendam non esse partem alterius, nec formaliter, nec virtualiter: & quia præbenda minor nec etiam est ejusdem speciei cum majore: quia illæ præbendæ dicuntur esse ejusdem speciei, quæ eandem continent redituum quantitatem; & eodem modo qualificantur; adeout sint beneficia simplicia, vel curata: omnia beneficia simplicia habentia easdem qualitates, & eandem quantitatem redituum sunt ejusdem speciei: non ita beneficium simplex est ejusdem speciei cum beneficio curato, cùm non qualificetur eodem modo.

Cum igitur beneficium minus sit in diversa 29
specie à majore; non habet locum à majore quantitate ad minorem: sed potiùs tunc subintrat alia regula, quòd in mandatis, & literis beneficialibus non possit fieri extensio à casu expresso ad non expressum, eò quia hujusmodi literæ sint strictæ interpretationis, & non possint excedi fines mandati, ne quidem ob identitatem, vel etiam majoritatem rationis; sed forma astùs est specificè servanda, ut notat Decius *in d. reg. Non debet num.* 7. Exemplum prioris membri distinctionis scilicet, quando quod minus est continetur velut species, aut pars in majore est in *cap. ex parte* 27. *de Decimis*: cum novalia sint veluti species quædam decimarum; ideo si Papa concedat religiosis, ut ex terris parochiarum integras decimas percipiant, non detracta quarta parte Episcopali; id intelligitur etiam de novalibus. Exemplum secundi membri, scilicet si quod minus est, sit quasi species diversa, & non contenta in majore, habetur *in l solemnis* 61. §. *ult. ff. de judic.* ubi dicitur, quòd Judex constitutus ad causas criminales, non potest cognoscere causas civiles, seu pecuniarias, quamvis sint majores istis.

Ex eo quòd literæ beneficiales sint strictæ 30
interpretationis, sequitur, quòd sub mandato generali providendi alicui de beneficio ecclesiastico non comprehendatur canonicatus, nec præbenda Episcopalis, ut desumitur *ex c. cum in Ecclesia* 25. *h. t. in* 6. ubi habetur, quòd quando Papa habenti beneficium confert aliud motu proprio, quando ex consuetudine Episcopus habet præbendam canonicalem in Capitulo; si quis provideatur de præbenda primò vacatura, & interim moriatur Episcopus, non intelligitur providendus de illa præbenda, quia Papa non intendit privare successorem Episcopum; neque augere numerum canonicorum, neque intendit derogare consuetudini. Ut enim notat Glossa ibidem, Papa derogat consuetudini, per quam præbenda ad collationem alterius pertinebat; & non derogat per suum mandatum consuetudini, per quam præbenda debetur alteri.

Hinc

33 Hinc infertur valere consuetudinem, ut in aliqua Ecclesia major sit numerus præbendarum canonicalium, quàm sit numerus canonicorum: siquidem una, vel plures præbendæ assignantur Episcopo, vel Rectori, aut Cantori, qui in numero non comprehenduntur canonicorum: è converso potest etiam statuto, vel consuetudine induci, ut plures sint canonici, quàm præbendæ; quia potest quis esse canonicus absque præbenda canonicali.

32 Potest etiam Episcopus nonnunquam habere præbendam canonicatem, imò & suffragium in Capitulo, quamvis canonicus non sit; sed solùm habeatur ut canonicus.

33 Quando verò Papa, vel ejus Legatus de latere scribit super provisione clericorum quorumlibet; non intelligitur, quòd clericis debeant provideri de Xenodochiis, Leprosariis, Eleemosynariis, seu Hospitalibus, tametsi jura spiritualia sint iisdem annexa, cujusmodi sunt Ecclesiæ, capellæ, decimæ, cœmeteria, ac jura funerandi, nisi id in literis speciatim exprimatur: quia loca pia non sunt deputata, ut sint beneficia clericis in titulum conferenda; sed in alios pios usus, juxta eorum fundationem, ac institutionē sunt eorum reditus dispensandi, ut habetur *in Clement. 2. de Relig. Dom.* adeout absque expressa licentia Papæ non possint talium locorum reditus in alios usus expendi, quàm juxta eorundem fundationem, & institutionem.

34 Tum quia, præfata loca pia non comprehenduntur nomine beneficiorum in literis beneficialibus, vel mandatis apostolicis expressorum, quamvis loca illa fuerint authoritate Episcopi erecta, nisi fortassis dentur in titulum, & conferantur in perpetuum. Rursus ut vigore mandati apostolici hæc loca conferri possint alicui clerico, non sufficit clausula generalis, ut provideatur alicui de beneficio ecclesiastico, *cujuscunque sit conditionis, & qualitatis*; sed debet de iisdem fieri expressa mentio, adeout nominentur talia Xenodochia, seu Leprosaria, vel Hospitalia.

35 Idque procedit, etiamsi literæ beneficiales emanent motu proprio; quia motus proprius non ampliat gratiam, neque vim verborum, sed tantùm excludit subreptionem, ac suspicionem fraudis in eo, ad quem literæ beneficiales diriguntur, ut notat Glossa *hic V. directas*. Imò si hospitali, vel alteri pio loco Episcopi authoritate ædificato accessoriè sit annexa Ecclesia, vel capella, adeout locus pius sit principalis, non potest tunc talis Ecclesia, vel capella conferri in titulum; quia accessorium sequitur naturam sui principalis: & sicut locus ille pius, qui est principalis, non potest in titulum conferri; ita neque quod est eidem accessoriè annexum.

36 Secus si Hospitale esset accessoriè annexum alicui Ecclesiæ, vel capellæ, tunc Ecclesia, vel capella posset in titulum conferri, quia principale non trahitur ab accessorio: omnia enim beneficia, quibꝰ accessoriè uniuntur hospitalia, vel alia loca pia, possunt in titulum conferri. Quòd si hospitale ita esset conjunctum cum Ecclesia, ut cum eadem constitueret principale equale, seens æquè principaliter ex hospitali, & Ecclesia; tunc quoad hospitale haberet locum dispositio, quæ habetur *in d. c. per litteras 2. in clement. h. t.* ubi dicitur, quòd quando Papa, vel Legatus scribit, ut provideant clericum, non intelligitur de Xenodochiis, eleemosynariis, hospitalibus, etiamsi habeant Capellas, decimas, aut alia spiritualia jura, nisi hoc in litteris speciatim exprimatur, unde in tali casu, neque Ecclesia, neque Capella comprehenderetur in litteris beneficialibus, quia tunc Ecclesia se habet per modum unius cum hospitali, cum quo constituit quid unum principale: & in materia odiosa nomine beneficii non veniunt hospitalia, & alia loca pia, nec per clausulam generalem, nisi de iisdem fiat expressa mentio. Imò id etiam procederet, quamvis ignoraretur, quodnam ex illis esset principale, ecclesiane, vel hospitale? quia impetrans tunc deberet fundare, ac probare suam intentionem.

Demum quando Papa scribit, ut quis provideatur de beneficio vacante ad collationem Episcopi, si ex negligentia Episcopi beneficium devolutum fuit ad Capitulum, de eo non poterit provideri, quia Papa per suum mandatum tantùm intendit gravare, seu obligare Episcopum, & non Capitulum, quod non intendit jure conferendi ob negligentiam Episcopi ad ipsum devoluto privare; proinde mandatum Papæ non extenditur ab Episcopo ad Capitulum, si hoc non sit expressum in eodem mandato, & hoc procedit, etiamsi jus conferendi tale beneficium devolutum sit ad alium præter Capitulum, quia est utrinque par ratio: quòd si ex negligentia Capituli, vel alterius jus conferendi beneficium fuit devolutum ad Episcopum, vel Papam, de illo poterit provideri: nam si beneficium originaliter pertinebat ad Episcopum, & fuit devolutum ad Papam, potest de ipso provideri; sed si ad alios inferiores, & per devolutionem ad Episcopum, & deinde ad Papam, non potest.

§. XVII.

De usu, & effectu litterarum beneficialium.

1 CErtum est, gratiam Principis, suum statim sortiri valorem, ac à Principe est concessa per verbum illud *placet*, vel *fiat, ut petitur*, vel per aliud æquivalens, sive subscriptum supplicationi, sive voce prolatum etiam absque ulla scriptura, adeo ut in foro conscientiæ possit quis tutè uti tali gratia, eò quia per consensum, seu concessionem Principis est perfecta, omnémque suam vim sortitur, proinde potest is, cui est concessa, eadem uti: est enim concessio gratiæ quædam quasi donatio, & de ratione donationis est, ut in se sit perfecta statim ac fit, etiam nullo donationis instrumento confecto; quia ad hanc plus non requiritur, quàm ex parte donantis, vel concedentis gratiam, ut velit eam concedere supposita potestate concedendi, vel donandi, & ex parte illius, cui fit donatio, vel concessio gratiæ, ut eam petat, & acceptet,

acceptet, unde si Princeps gratiam concedat, & hæc acceptetur ab eo, cui conceditur, gratia est perfecta, & secundùm se fortitur omnem suam vim, & valorem in foro conscientiæ. Secus in foro externo ad faciendam probationem intra, vel extra judicium, debet hujusmodi gratia reduci in scripturam, seu requiritur, ut litteræ super tali gratia concessa sint expeditæ, ut notat Garzia *p. 4. c. 2. num. 11.* & desumitur *ex c. instituit 6.* Idque procedit spectato jure communi canonico, quia ex stylo, & praxi curiæ Romanæ ad omnes provisiones, & gratias beneficiales, quæ fiunt à sede apostolica per collationem, vel per confirmationem, vel unionem, aut dispensationem super retinendis beneficiis, vel alio modo, requiritur, ut litteræ sint expeditæ; nec antea censentur validæ; quapropter, qui absque litteris apostolicis possessionem apprehenderet cujuscunque beneficii, vel Prælaturæ, haberetur pro intruso, nec faceret fructus suos, immo etiam inhabilis redderetur ad beneficia obtinenda; & litteræ tunc dicuntur expeditæ, quando sunt plumbatæ, seu quando illis est appensum plumbeum sigillum Papæ, ut notat Garzia *p. 4. c. 2. num. ult.*

2 Præterea *ex regul. 53. cancellariæ apostol.* pontificiæ dispensationes nulli suffragantur antequam super iis litteræ apostolicæ sint confectæ, quod tamen solùm intelligitur quoad forum externum, in quo non proceditur secundùm dispensationes antequam litteræ sint expeditæ: siquidem in foro conscientiæ gratiæ dispensationum valent, tametsi litteræ nondum sint expeditæ: quapropter *in d. regul. 53. cancellar.* non dicitur, quòd dispensatio non valeat litteris non expeditis; sed quòd non suffragetur ei, cui fuit gratia concessa, antequam litteræ apostolicæ super eadem sint confectæ. Postquam verò litteræ apostolicæ sunt expeditæ, tunc gratiæ dispensationum in foro externo suffragantur à tempore concessionis, & non tantùm à tempore expeditionis litterarum, tametsi Papa, qui gratiam dispensationis concessit, decesserit, & litteræ expeditæ sint nomine successoris, ut notat Cochier *in cit. regul. 53. cancell.*

3 Hinc quamvis in foro conscientiæ posset quis uti gratiâ dispensationis, si certo sciat, eam à Pontifice concessam esse, tamesi litteræ super tali dispensatione nondum sint expeditæ; nihilominus in foro externo posset talis puniri, si nondum obtinuerit litteras dispensationis, quas possit exhibere. Hoc idem etiam procedit de litteris quibus conceditur jurisdictio judicibus delegatis, & de illis, quæ diriguntur ad Executores, quia non tantùm debent expeditæ esse antequam inchoetur judicium, sed etiam debent iisdem esse intimatæ, ac præsentatæ, alioquin judicium, si inchoaretur post concessam delegationem, & ante expeditionem, & præsentationem litterarum, nullius esset valoris: quia exercitium jurisdictionis non acquiritur ante præsentationem litterarum authenticarum, ut habetur *in regul. 25. cancellar. de non judicando* neque sufficeret Protocollum scriptum manu Notarii, vel ab eo transumptum, quia est necessaria præsentatio litterarum originalium, & authenticarum, ut notat Garzia *pag. 6. cap. 2. num. 16.*

4 Hinc liquet, litteras beneficiales in foro externo non sortiri suum valorem, nec vim habere, nisi postquam fuerint plumbatæ, & expeditæ, ac præsentatæ in forma authentica.

5 An verò, ut mandatum apostolicum ratum fit, debeat clericus, cujus gratiâ Papa rescribit, capax esse beneficii quo tempore litteræ datæ à Papa impetrantur; an verò satis sit, si capax sit beneficii eo tempore, quo illud vacat, & illi confertur? Canonistæ non conveniunt, nonnulli inter quos Oldradus, Archidiaconus, Lappus *in c. si eo tempore de rescript. in 6.* docent mandatarium debere esse capacem eo tempore, quo à Papa datæ litteræ impetrantur, eò quia dicunt id esse constitutum in jure, ut *in d. c. si eo tempore de rescript. in 6.* & *in c. postulasti eod. tit.* Alii asserunt, quòd si mandatarius clericus sit beneficii capax, cùm dies vacationis inciderit, & quo tempore beneficium est conferendum, sufficiat; ita censent Felinus, Anchar. Geminianus, qui nituntur argumento deducto *ex c. ei cui provideri 29. de prebend. in 6.* ubi dicitur, ei cui provideri mandatur simpliciter de præbenda proximè vacatura, sacerdotalis præbenda conferri non potest, si nondum in tali ætate existat, ut possit ad sacerdotium promoveri, sed aliam expectare debebit. Quando enim simpliciter mandatur, ut quis provideatur non potest provideri de præbenda sacerdotali; si non est in ætate ad suscipiendos ordines requisita, sed tenetur aliam expectare. Alii volunt, mandatarium esse capacem utroque tempore, scilicet & quo tempore litteræ impetrantur à Papa, & quando beneficium vacans ei conceditur, eò quia utrumque tempus in jure requiratur: siquidem *ex c. si eo tempore*, necesse est, ut Mandatarius sit capax tempore, quo impetrantur litteræ, & *in c. ei cui* requiritur, ut sit capax tempore, quo confertur vacans beneficium.

6 Verùm in hac opinionum diversitate mihi videtur probabilius, quod docent alii, non esse necesse mandatarium esse capacem beneficii eo tempore, quo datur mandatum apostolicum, si mandatum detur, quòd provideatur mandatarius de beneficio vacaturo: quia tunc non datur de beneficio absolutè, & simpliciter, quod vacet nunc, sed tantùm quod erit vacaturum: nam *in c. ei cui ad fin.* expressè dicitur, quòd præbenda non possit conferri, si nondum in ætate requisita existat, ut possit ad sacerdotium promoveri, sed tunc debet aliam expectare, donec possit ad sacerdotium promoveri: si igitur ex vi talis mandati mandatarius acquirit jus aliam expectandi præbendam, eo quia nondum ætatem habeat, inde infertur, non esse necesse, ut sit capax eo tempore, quo mandatum apostolicum fuit sibi indultum.

7 Præterea *in c. si eo tempore* fermo est de mandato apostolico, quod datur de beneficio jam eo tempore vacante, vel de mandato, quod datur absolutè, & simpliciter non expresso tempore præsente, vel futuro; vel de mandato,

quod

quod datur de beneficio jam vacante, vel in subsidium illius, de beneficio proximè vacaturo, & tunc quomodocunque detur mandatum, requiritur, ut mandatarius tempore impetrati mandati sit capax beneficii; adeo ut eam debeat ætatem attigisse, quam beneficium jure exigit. At *in c. ei cui* sermo est de mandato apostolico super beneficiis proximè vacaturis, & tunc sufficit, ut mandatarius sit capax beneficii, quo tempore illud vacabit, ac ei confertur; quamobrem non est necesse, ut, quo tempore litteras impetrat, legitimam attigerit ætatem, sed tempore quo vacaturum beneficium accipiet.

8 Quòd si dicas, litteras beneficiales datas à Papa in favorem illius, qui est excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti vinculo irretitus nullum sortiri valorem; proinde habendam esse rationem temporis, quo dantur litteræ. Contra est, quia necesse est ut is, cui litteræ apostolicæ conceduntur, sit omnino liber ab omni impedimento excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alioquin non esset subjectum capax: hinc Pontifex initio litterarum beneficialium solet ab hoc vinculo eos solvere, ad quos sua rescripta, & mandata dirigit.

9 Cæterum, quando plures impetrârunt diversa rescripta apostolica, seu mandata de providendo in eadem Ecclesia, is debet alteri præferri, qui prius habuit datam, ut desumitur *ex cap. cum qui 7. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd in beneficiis assequendis, consideratur data, & non præsentatio, vel receptio, & is præfertur aliis, qui priùs habuit datam: ubi juris pontificii periti notant, quòd ex collatione canonicatûs acquiritur jus etiam sine receptione in canonicum, quia per solam collationem, & acceptionem beneficii acquiritur in eo jus, tametsi quis nondum ejus possessionem apprehenderit, ut desumitur *ex c. si tibi 17. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si Episcopus conferat beneficium alicui absenti, licet hic non acquirat jus in beneficio, nisi illud ratum habeat; attamen Episcopus non potest alteri illud conferre, nisi notificet collationem priori, cui contulit, & det illi terminum consentiendi; & si non consentit, potest elapso tempore alteri conferre, & si non contulit, adhuc potest consensû præstare, quamvis terminus sit elapsus; nec Episcopus potest illud alteri conferre: ergo is cui à Papa collatum est beneficium, vel canonicatus, habet jus canoniæ post acceptionem illius, tametsi nondum in canonicum sit receptus; adeo ut habeat jus reale in canonicatum, & præbendam, cum primum vacat canonicatus, cui annexa est præbenda; adeo ut si tunc conferretur alteri, ipso jure collatio esset irrita, & provisus posset illam vendicare à quolibet detentore: quia in juribus spiritualibus post quam sunt data, acquiritur jus, & dominium absque traditione: & hæc est ratio, cur in impetratione, vel collatione beneficiorum attendatur tempus datæ, & non tempus præsentationis litterarum, vel receptionis.

10 Tum quia non esset æquitati, ac rationi consonum, si is cui posteriùs collatus est canonicatus, citiùs præsentando litteras suas posteriùs impetratas posset eum prævenire, cui collatio priùs facta fuerat, cùm per talem collationem habuerit jus acquisitum in tali beneficio, quo non debet privari ex eo præcisè, quòd alius eum præveniat in præsentandis litteris.

11 Quando igitur collatio canonicatûs facta fuit duobus successivè à Papa, is præferendus est, qui litteras collationis priùs expeditas accepit: immo collatio postea alteri facta non valet, tametsi is, priùs præsentet executori litteras suæ collationis posteriùs datas: siquidem unum ac idem beneficium, cùm non possit à duobus simul, & eodem tempore in titulum obtineri; ita nec possunt duo acquirere jus in illud, & quia is, qui litteras collationis priùs expeditas accepit, jus acquisivit in beneficium; non potest in illud alius acquirere jus alioquin duo possent eodem tempore obtinere idem beneficium in titulum: est enim *regula juris 54. in 6. qui prior est tempore, potior est jure.*

12 Quòd si Papa solùm successivè mandaret duobus provideri de canonicatu, vel alio beneficio in aliqua Ecclesia, ut Petro, & Joanni, tunc si Petrus priùs litteras impetret, in assecutione præbendæ præferendus est Joanni, qui postea litteras beneficiales impetravit, tametsi eas priùs præsentaverit: præterquam si eo tempore, quo litteræ à Petro priore impetrante sunt præsentatæ, collatio præbendæ jam facta fuerit Joanni, tunc enim præbenda relinquenda est Joanni, qui priùs litteras præsentavit, ut statuitur *in c. tibi 12. de rescript. in 6.* ubi dicitur: qui priùs impetrat admitti in canonicum, & præbendam primò vacaturam, præferendus est secundò impetranti, quamvis secundus priùs præsentaverit, ac fuerit receptus in canonicum: dummodo antequam vacet præbenda, prior præsentet, quia erat prior in data: immo etiamsi prior præsentet, postquam præbenda vacavit nondum collata secundo; si Executor primi fecerit processum, immo ante processum executoris etiamsi præbenda vacans fuerit secundo collata, primo debetur; si in primis litteris fuit positum decretum irritans quidquid in præjudicium primæ gratiæ fiat, dummodo in his non possit imputari dolus, vel notabilis negligentia primo.

13 Quòd si Papa mandet, ut provideant Petro de præbenda primò vacatura, & postea eundem recipiant in canonicum; si Petrus ità negligat primam præbendam petere, ut gratia expiret, non potest secundam petere, eò quia non sit canonicus: è contra verò si Papa conferat Petro jus canoniæ, & factus sit canonicus authoritate apostolica, & mandet canonicis, ut eidem conferant præbendam primò vacaturam, & Petrus fuit negligens in illa petenda; adhuc potest aliam petere: quia gratia non est extincta, & præfertur aliis (non tamen authoritate Pontificia exspectantibus) alioquin facta collatio aliis in præjudicium Petri nullum sortitur valorem: ubi Glossa notat, eum non esse redarguendum negligentiæ, qui non habet potestatem experiendi *c. ult. de elect. in antiquis*, & Judex debet judicare de negligentia arbitrio boni viri *c. sapientes de elect.* Quòd si ita fuit negligens, ut tamen præbenda nondum sit alteri

collata tunc potest illam petere *c. si tibi absenti tod. tit.*

14 Hinc si mandetur alicui simpliciter provideri de beneficio, id intelligitur de beneficio primò vacaturo, non de secundo: quia dispositio simpliciter facta est intelligenda de primo actu: quo pacto si Papa det alicui gratiam expectativam ad præbendam proximè vacaturam, & is eam petere negligat, ea gratia est extincta postquam præbenda est alteri collata; proinde etiam extinguitur mandatum executoris in ordine ad talem gratiam exequendam; ratio est, quia potestas executoris est accessoria ipsi gratiæ factæ à Principe, unde desinente gratia desinit, & ipsa potestas executoris, quia accessorium sequitur naturam, & conditionem sui principalis *c. si super 9. de offic. delegat. in 6* Quòd si gratia facta alicui à Papa non expiret, tametsi Papa moriatur, adhuc possunt executores fungi suo officio: quia cum principale, seu gratia non expiret; neque potestas executorum, quæ est accessoria, intelligitur expirare, ut habetur *in d. c. si super*: sin verò expectans negligat petere præbendam sibi debitam; adhuc potest illam petere toto illo tempore, quo nondum est collata alteri.

15 Quòd si Papa concedat suo Legato facultatem acceptandi resignationem beneficiorum, & ea etiam conferendi: si Papa postea instituat aliquem canonicum Ecclesiæ legationis, & mandet executoribus deputatis, ut provideatur huic de præbenda primò vacatura: si vacet per resignationem, & interim Legatus illam conferat alteri, collatio legati non tenet, quia stat pro canonico creato à Papa; tametsi in mandatis nullam fecerit mentionem de potestate concessa Legato; quia sufficit decretum irritans quidquid attentatur contra decretum Papæ: quia agitur de lucro electi ab Episcopo, non de præjudicio Episcopi. Hinc notat Glossa, Legatum non Cardinalem sive missum, sive natum, non habere potestatem acceptandi resignationes, & conferendi beneficia, nisi ex speciali mandato: Legatum verò de latere, seu Cardinalem habere hanc potestatem ex sola generali delegatione.

16 Notat etiam ibidem Glossa, quòd decretum irritans; positum in reservatione liget etiam ignorantes, & quando agitur de præjudicio gratiæ concessæ alteri non esse necesse, quòd gratia eidem notificetur. Generatim collatio facta à Papa præfertur cæteris aliis collationibus, quia ut notat Glossa *in c. si postquam 13. h. t. in 6.* gratia per quam Papa confert alicui canonicatum sub expectatione præbendæ ligat manus Ordinarii collatoris; etiam ante scientiam ipsius, adeo ut alteri, etiam ignoranti, talem gratiam exspectativam priùs à Papa factam esse, conferri nequeat; & si conferatur collatio sit irrita: siquidem principalis effectus, quem intendit Papa est tunc irritare collationem factam ab alio, ut habetur *in d. c. si postquam* ubi dicitur, quòd quando Papa confert canonicatum alicui, & mandat provideri de præbenda primò vacatura, & nulli alii de jure debita; si canonici ignorantes mandatum conferant præbendam primò vacantem alteri ignoranti etiam mandatum pontificium, collatio non tenet; quia canonicus authoritate apostolica factus habet jus ad primam præbendã, quam justè potest petere, & non potest alteri conferri, licèt mandatum ignoret.

Idque procedit non solùm si Papa conferat alicui canonicatum sub exspectatione præ- 17
bendæ proximè vacaturæ; sed etiam si præbenda illa jam vacet, quia difficiliùs Papa mandat alicui provideri de præbenda vacatura, quàm vacante: utroque enim casu si præbenda tunc vacans, vel proximè vacatura conferatur alteri etiam ab ignorantibus, gratiam esse priùs factam alicui, irrita est collatio.

Quòd si Ordinarius conferat beneficium re- 18
servatum per aliquod decretum sedis apostolicæ, & qui accipit, ignoret talem reservationem, & collationem factam à Papa alicui, & accepto secundo beneficio renunciat primo, quod fortè habebat incompatibile: si postquam scivit, fuisse reservatum, vel collatum à Papa statim dimittit secundum, tunc recuperat primum absque nova collatione. Hoc idem etiam possunt alii, qui ex data tali occasione renunciârunt; sed si difficultatem adhibeant in dimittendo secundo beneficio, non possunt ad primum reverti. Procedit casus tametsi Episcopus scienter contulerit secundum, quia sufficit ignorantia accipientis. Immo procedit etiam si legatus contulerit, quia collatio facta à Papa ligat manus aliis collatoribus etiam ignorantibus.

Sin verò Papa mandet Capitulo, ut con- 19
ferat alicui præbendam, quæ vacat, & canonici alteri illam conferant, tunc collatio tenet; sed Capitulum tenetur acceptare præsentatum à Papa in canonicum, & providere de reditibus sufficientibus ad congruam vitæ sustentationem pro suo statu, donec aliam præbendam assequatur; ut liquet *ex cap. dilectus 27. h. t.* ubi Glossa notat, hic considerari tempus receptionis litterarum, & non datæ, quia pertinebat ad Capitulum statim conferre præbendam vacantem, proinde collatio facta tenet, & non proceditur contra Capitulum. Sin verò post receptionem litterarum Capitulum conferat beneficium, tunc proceditur contra ipsum, sed collatio tenet, nisi in mandato addita fuerit clausula, *si secus feceritis illud decernimus irritum c. inter cætera* & *cap. dilecto*, sed si Capitulum non posset conferre, tunc consideratur tempus datæ *c. eam te, & c. constitutus de rescript.* Secus si posset; quia talis electio quoad electum fuit canica, non verò quoad canonicos.

Hinc juvat observare discrimen inter re- 20
ceptionem in canonicum, seu collationem canonicatûs factam alicui à Papa cùm mandato, ut ei provideatur de præbenda primò vacatura, & inter mandatum Papæ factum alicui collatori Ordinario, ut quis recipiatur in canonicum, vel ut eidem conferatur canonicatus: quia in priori casu afficitur præbenda vacans, vel vacatura, proinde collatio alteri facta non valet ut desumitur *ex c. postquam 13 h. t. in 6.* in posteriori verò casu per tale mandatum apostolicum quod Papa injungit collatori inferiori, ut conferat alicui canonicatum, vel præbendam, non affici-

tur

tur præbenda vacàns, vel vacatura, proinde ejus collatio alteri facta tenet, quia per tale mandatum non tribuitur proviso jus in re seu in beneficio, antequam actu conferatur, hinc is, cui capitulum contulit canonicatum', vel præbendam vacantem contra mandatum Papæ, non jubetur removeri à beneficio, proinde collatio fuit valida: quia per tale mandatum indirectum Papæ, quo præcipit conferri Petro beneficium, & tacitè prohibet conferri alteri, non tollitur potestas ordinaria, quæ aliàs competit mandatario, proinde collatio alteri facta tenet, quamvis puniendus sit, eò quia spreverit mandatum apostolicum: secus si Papa directè mandaret collatori ordinario, ne certum beneficium conferat, tunc collatio facta ab ordinario non sortiretur suum valorem, quia per mandatum Papæ censetur eidem ablata potestas conferendi tale beneficium, cùm Papa jam contulerit alteri.

21 Si petas, an cùm quis in canonicum recipitur, ejus receptio præbendam primùm vacaturam afficiat? Probabilior sententia, & communior respondet cum Abbate *in c. inter cætera de præbend. num. 6.* quòd tametsi fuerit quis in canonicum receptus, non tamen præbendam primò vacaturam afficit. Ratio est, quia nullus præter Romanum Pontificem potest dare jus ad beneficia vacatura, proinde solus Romanus Pontifex potest afficere beneficia, antequam vacent suo possessore. In jure canonico illud beneficium dicitur esse affectum, quod cum vacaverit possessore, nequit nisi à certo superiore conferri, vel certo clerico dari. Quia verò non eodem modo collegium canonicorum potest aliquem eligere in canonicum, quo Romanus Pontifex, ideo potest Pontifex mandare, ut quis recipiatur in canonicum, & eidem conferatur præbenda primò vacatura, non ita Capitulum, quia hoc non habet jus in præbendas de futuro vacaturas.

22 Hinc si quis in canonicum eligatur promissione eidem facta à canonicis de præbenda primò vacatura, talis promissio non est rata, sed irrita, quamvis rata sit, & firma receptio, seu electio in canonicum: quia vitiosa promissio electionem non irritat. Neque obstat, quòd electio canonici cum promissione facta eidem de præbenda primò vacatura perficiatur unico, & eodem actu indivisibili, proinde totum actum infirmari, & vitiari.

23 Nam falsum est, quòd talis electio, & promissio sint quid unum indivisibile, tametsi uno eodémque actu perficiantur, quæ enim separari possunt, distinguuntur; & quæ sunt distincta, nequeunt coalescere in quid unum indivisibile: electio verò canonici cùm possit re ipsa sejungi à promissione præbendæ vacaturæ, sunt duo distincta, proinde ex eo quòd vitietur unû, non sequitur aliud esse irritum: imò subintrat *regula jur. in 6.* ubi dicitur, quòd *utile per inutile non vitiatur*: quando enim duo possunt jure à se invicem secerni, & separari, unum non vitiatur ex vitio alterius, quamvis eodem opere compleantur.

24 Quòd si Titius à collegio canonicorum eligeretur in canonicum, & postea Cajus jussu Romani Pontificis, & authoritate sedis apostolicæ crearetur canonicus, tunc ut docet Abbas *in c. relatum de præbend. num. 6.* canonicatus deberetur Cajo, non verò Titio, eò quia hic cùm fuerit authoritate Collegii in canonicum receptus, nullum jus sibi acquisivit ad præbendam; primò vacaturam: quod jus tamen acquisivit Cajus authoritate Romani Pontificis admissus ad talem canonicatum; quia solus Pontifex potest dare jus ad beneficia primò vacatura, & solus Pontifex potest afficere beneficia, antequam vacent possessore, unde non eodem modo potest Collegium canonicorum aliquem in canonicum eligere, quo Romanus Pontifex, ut statuitur *in c. 2. de concess. præbend. in 6.*

Immo licèt Innocentius *in c. relatum 9. h. t.* 25
doceat in præfato casu Titium receptum à collegio posse excipere contra Cajum, qui impetravit litteras pontificias, adeo ut possit excipere, litteras fuisse falsa ratione impetratas; quia si Romanus Pontifex de re tota certior fieret, litteras procul dubio non daret, nihilominus Hostiens. Abbas, & alii *in d. c. relatum de præbend.* contrarium sentiunt: quia Cajus non debuit mentionem facere, cùm litteras pontificias impetravit de Titio electo authoritate canonicorum, alioquin sequeretur illud absurdum, quòd canonici possent minuere, vel impedire potestatem Romani Pontificis. Præterea ubi non est certus numerus canonicorum, si moriatur is, qui in canonicum fuit receptus, non dicitur vacare canonicatus, sed extingui; & quando alius recipitur locò illius, dicitur novum jus canonicatus creari, ut notat Abbas *in c. dilectus 1. de præbend. num. 7. & ex c. dilecto eod. tit.*

An verò, qui est in canonicum ultra numerum receptus ipso futuræ præbendæ dicatur possidere beneficium ecclesiasticum? negant plures cum Abbate *in c. in nostra de rescript.* eò quia nondum habeat jus in præbenda, sed tantùm jus ad præbendam; unde Joannes Andreas *in c. dilectus 1. de præbend. & in c. cùm nostris de concess. præbend. & c. relatum 9. h. t.* ait, canonicum sine præbenda esse canonicum inermem. Verùm si jus habeat percipiendi quotidianas distributiones, censet Romanus *consil. 447.* eum habere beneficium, quia jure percipit distributiones quotidianas, & habet plura alia jura beneficiarii: siquidem qui adscitur collegio canonicorum sine præbenda, ultra certum numerum, licèt non acquirat jus percipiendi præbendam, nec ejus fructus; acquirit tamen jus ferendi suffragium, & sententiam in ipso Collegio canonicorum, in consessu, & conventibus, ac sedendi in choro: sicut is, qui in Monachorum cœnobium cooptatur, eo ipso habet jus eligendi, & sedendi inter Monachos. 26

Licèt qui recipitur in canonicum absque præbenda authoritate Romani Pontificis non consequatur aliud jus, nisi quod Romanus Pontifex in litteris expresserit: nihilominus qui in canonicum ultra numerum recipitur sine præbenda authoritate canonicorum, eo ipso jura consequitur canonici exceptâ præbendâ, & ita 27

perci-

percipit distributiones quotidianas. Verùm communior, & probabilior opinio asserit, canonicum authoritate Papæ receptum acquirere omnia illa jura, quæ acquirit canonicus receptus à Capitulo, tametsi illa jura non exprimantur in mandato pontificio: & ratio videtur esse, quia majus jus debet habere, qui recipitur authoritate summi Pontificis, quàm qui sola authoritate canonicorum admittitur. Alii etiam dicunt, canonicum sine præbenda receptum nullum jus habere, sed isti putant, non esse canonicum nisi nomine tenus, non verò in re, quod tamen est falsum.

28 Cæterum standum est consuetudini, ac statutis ecclesiarum: regulariter receptus canonicus sive authoritate Papæ, sive consensu Collegii canonicorum debet jura canonici consequi, ac percipere distributiones quotidianas; cùm sit verè canonicus, & revera ratione canonicatùs eas percipit, si chorum frequentet, & habet suffragium in Capitulo, sedem in choro, si sacris ordinibus sit initiatus *c. pro illorum c. dilectus t. de prabend.* Cæterum receptus authoritate, & consensu canonicorum Capitularium in canonicum ultra numerum canonicorum sine præbenda, sed cum spe præbendæ vacaturæ, licèt non habeat jus in præbenda, habet tamen jus ad illam, licèt indeterminatè ad aliquam præbendam si authoritate solius Capituli, vel alterius collatoris ordinarii in canonicum sit receptus: unde potest dici habere beneficium latiùs loquendo, quia cum jure percipiat distributiones quotidianas canonicorum, eò quia frequentet chorum, in quo propriam sedem habet, est verè canonicus.

29 Si Papa mandet provideri successivè primo de præbenda, deinde mandet provideri secundo de præbenda, & dignitate simul in eadẽ Ecclesia, si præbenda vacans, est annexa dignitati, præfertur secundus, cui propterea danda est: quia præbenda annexa alicui dignitati, vel officio regulatur secundùm dignitatem, vel officium, cui annectitur juxta *regulam juris 40. in 6.* unde quando præbenda, quæ vacat, vel erit proximè vacatura, est unita dignitati, vel officio, sequitur illius naturam, & eidem intelligitur, veluti accessoriè concessa, cui concessa est principalis gratia, seu dignitas, vel officium; quapropter in ejus assecutione meritò præfertur secundus impetrans. Secus si sit sola præbenda sine dignitate: quia collatio facta secundo intelligitur fieri absque præjudicio alterius, ac primi impetrantis, si præbenda utriusque impetrantis sit separata, & non connexa alteri dignitati, vel officio; consequenter quoad hoc est par causa utriusque, proinde primus impetrans, utpote prior tempore est præferendus in assecutione præbendæ, ut notat Glossa *in c. quia sape 15. b. t. V. anterior & V. prajudicari.*

30 Persæpe enim contingit, ut quis ratione connexionis alicujus cum alio aliquid accipiat, quod per se, ac separatum non posset accipere, ut liquet, quando secundus impetrans acquirit præbendam annexam dignitati, quam aliàs non obtineret: quia in connexis, qui unum obtinet, debet & alterum connexum obtinere, alioquin cum non separentur, neutrum obtineret. Quòd si is, cui mandatur provideri de dignitate, & præbenda habeat in Ecclesia aliam præbendam, tametsi possit postea acceptare dignitatem vacantem, cui accessoriè annexa sit præbenda; attamen per adeptionem dignitatis vacat prima præbenda, ut desumitur *ex c. si justa 6. h. t. element.* ubi habetur, qui habet canonicatum, & præbendam in una Ecclesia, potest acceptare dignitatem, cui est annexa præbenda, sed tunc prima præbenda vacat post pacificam possessionem secundæ. Ubi notat Glossa, habentem dignitatem sine præbenda, & expectantem ex beneficio Papæ præbendam, non posse, si vacet dignitas cum præbenda, relictâ primâ acceptare secundam.

31 Quando verò legatus mandat, quòd Petrus provideatur de beneficio, ut de canonicatu primò vacaturo, deinde Papa dicit, quòd secundùm litteras sui Legati illum recipiant, tunc recipitur authoritate apostolica, & non legati; proinde est præferendus in præbenda aliis receptis sola authoritate Legati, quod procedit, si ille priùs non fuit receptus authoritate legati.

32 Quamvis Legatus à latere spectato jure communi non possit dare certæ personæ expectativam, seu jus propriè dictum ad beneficium proximè vacaturum, ne inde detur occasio procurandi mortem alterius, ut desumitur *ex cap. 2. & 3. de conceff. prabend.* potest nihilominus Legatus à latere certum beneficium reservare suæ collationi in favorem certæ personæ, ut desumitur *ex c. 3. de offic. Legat. in 6.* & etiam dare executores ad illud conferendum, cum primum erit vacaturum; quia Legatus potest recedere à reservatione facta in favorem certæ personæ, & beneficium reservatum conferre alteri, proinde cessat ratio, ob quam non potest dare jus ad beneficium vacaturum per collationem. Si verò Papa mandet, Titium sua authoritate recipi in canonicum juxta tenorem litterarum sui Legati, Titius tunc censetur receptus in canonicum authoritate Papæ, non Legati, quia quando Papa confirmat dispositionem inferioris ob defectum potestatis invalidam, tunc censetur dispositionem illam ad se revocare, ac emanare authoritate pontificia: & quia Legatus non potest dare jus ad beneficium vacaturum, ideo Titius nullum jus assequitur ad beneficium vacaturum per mandatum legati, sed solùm per mandatum Papæ confirmantis propria authoritate mandatum legati. Confirmatio papalis plures habet effectus.

33 Primò enim reservatio, vel collatio beneficii, quæ facta per legatum esset irrita, suum fortitur valorem; eò quia beneficio confirmationis censeatur tale mandatum emanere à summo Pontifice, qui potest dare jus in beneficia proximè vacatura.

34 Secundò quia provisus à Legato post confirmationem, & authoritatem papalem impertitam, in assecutione præbendæ præferendus est aliis, quibus postea à Papa jus expectativæ datum est, vel etiam collata canonia, quia talis collatio censetur facta sine præjudicio tertii, & ex alio capite mandatum Legati per pontificiam con-

confirmationem censetur etiam emanare ab ipso Papa, non ita tamen contingeret, si Papa dedisset aliquibus jus expectativæ, vel etiam contulisset canoniam medio tempore, scilicet post reservationem, & mandatum legati, & ante reservationem papalem, tunc enim essent illi præferendi proviso per Legatum.

35 Tertiò hunc etiam confirmatio Papæ producit effectum, quia gratia sit perpetua, adeo ut ea non accedente, finito legationis officio, vel cessante legato, aut mortuo ante collationem beneficii vacantis factam, gratia reservationis expiret: quando verò per papalem confirmationem jus est acquisitum proviso ad præbendam vacaturam, illud non amittitur morte concedentis. Quartò qui impetrat aliud beneficium, de tali confirmatione papali, seu jure expectativæ ad præbendam vacaturam, debet mentionem facere, quia per eam acquiritur novum jus ad rem.

36 Quando Papa mandat, ut provideant Petro de præbenda primò vacatura, & postea eum recipiant in canonicum, tunc si Petrus negligens sit in petenda prima præbenda, gratia expirat, & non potest secundam petere, quia non est canonicus: è contra si Papa conferat ipse Petro jus canoniæ, & factus sit canonicus authoritate apostolica, & mandet canonicis, ut conferant præbendam primò vacaturam, tametsi Petrus neglexerit illam petere, adhuc potest aliam petere; quia gratia non est extincta, & si collatio fiat aliis in præjudicium Petri non tamen authoritate pontificia spectantibus, collatio non valet. Quando verò Papa mandat Episcopo, ut provideat de beneficio pertinente ad suam vel alterius jurisdictionem, intelligitur de beneficio primò vacaturo. Quòd si plura simul vacent, tunc attendenda est in litteris, quæ collatio primò nominetur, & illius beneficium est dandum: alioquin si non provideretur de beneficio primo, & proximè vacaturo, & mandatum de illo non intelligeretur; non posset intelligi nec de secundo, aut tertio, quia non major est ratio de secundo, ac tertio, & sic de aliis, hinc gratia per mandatum Pontificis facta posset frustratoria reddi, nisi in mandato de providendo adjecta fuerit clausula, ut provideatur de beneficio, quod acceptandum duxerit, quia tunc vigore mandati non necessariò debet ei provideri de beneficio primò vacante, si provisus nolit illud acceptare, sed exspectandum est, donec aliud vacet, ut notat Barb. *in collect. in c. mandato* 10. *h.t. in 6. num. 6.*

37 Cæterum quando mandatum apostolicum est de providendo plures collationes ad diversos spectantes, attendendus præsertim est ordo scripturæ: adeout quando agitur de honore, vel commodo conferendo, aut onere imponendo certis personis nominatim expressis, quod tamen non potest simul, & eodem tempore deferri, attendendus sit ordo scripturæ, qui enim primò nominatus est, eidem censetur primò onus, vel commodum delatum, ut notat Tuschus *V. ordo scripturæ conclus.* 196. *n.* 2.

38 Rursus in ordine scripturæ attenditur etiam ordo prælationis, ut is dignior censeatur, qui priùs nominatus fuit; sicut ubi agitur de vitio, primò nominatus censetur magis vitiosus. Hinc si in mandato pontificio sint tres nominati, æ idonei ad dignitatem, is qui primo loco nominatur, censetur aliis dignior. Tum quia ex ordine scripturæ major affectus charitatis ostenditur erga eum, qui priùs à testatore est nominatus: si tamen concurrat ordo juris, magis attendi debet, quàm ordo scripturæ, adeo ut qui postponitur ordine scripturæ, sit præferendus ordine juris, ut si debitor solvat creditori pro sorte, & usuris, censetur primò pro usuris, quàm pro sorte solvisse, quia id exigit ordo juris *l. in iis verò §. fin. Castr. ff. de solut. cum l. sequent.* quia ut notat Tuschus *l.c. n.* 31. magis ordo intellectûs, quàm scripturæ attendi debet; quia ordo intellectûs prævalet ordini loquutionis *Roman. cons.* 244. *num.* 10.

§. XVIII.

De executione, & expiratione litterarum beneficialium.

1 Litteræ Apostolicæ sedis super collationibus beneficiorum sunt duplicis generis; aliæ de providendo; & aliæ executoriales; illæ adhuc subdividuntur in duas species; scilicet de beneficiis proximè vacaturis; & de beneficiis vacantibus. Litteræ de providendo circa beneficia proximè vacatura sunt, quando Papa scribit ad collatorem inferiorem, ut ad Episcopum, eique mandat, ut alicui clerico sibi supplicanti conferat beneficium in sua diœcesi primò vacaturum: sed hæc mandata, quæ dicuntur gratiæ expectativæ sublata fuerunt per Concil. Trid. *sess. 24. c. 19. de refor.* adeout nemini amplius liceat iisdem uti, tametsi facta fuerint de consensu Ordinariorũ juxta declarationem sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Trid interpretum apud Garziam *part. 6. de Beneficiis c. 1. n. 4.*

2 Excipiuntur tantùm illi canonici expectantes, qui titulares dicuntur, ac instituuntur canonici sine præbenda, & super numerum definitum canonicorum: hujusmodi enim expectativæ ad præbendam vacaturam non sunt sublatæ per Concilium Trid. quod noluit in hoc derogare consuetudini immemoriali hactenus observatæ in pluribus præsertim ecclesiis Germaniæ juxta declarationem sacræ congregationis apud Garciam *part. 6. de benef. c. 1. n. 5.*

3 Litteræ beneficiales, quæ dantur de beneficiis vacantibus, solent à sede Apostolica in duplici forma concedi, ut notat Garcia *p. 6. c. 2. n. 6.* Aliæ enim dantur in forma gratiosa, ut cùm Papa confert alicui beneficium, seu canonicatum mensis Pontificii; & tunc cum hisce litteris provisionis expediri solet alia Bulla executoria, & dicitur mandatum ad deputatos Executores, ut provisum in possessionem beneficii inducant. Aliæ dantur in forma *dignum*, ut cùm Papa non confert beneficium, sed mandat Ordinario, vel ejus Vicario, ut certæ personæ, præmisso examine, si idonea, ac digna deprehensa fuerit intra triginta dies, postquam literæ apostolicæ ipsi sunt præsentatæ authoritate Apostolica beneficium ecclesiasticum ei conferat; & hisce literis principalibus additur alia Bulla executoria, quâ man-

datur uni ex vicinis Episcopis, vel etiam Vicario Generali ejusdem Episcopi, ut si Ordinarius intra triginta dies beneficium non conferat; ipse executor, si eum, pro quo scribitur, idoneum repererit, beneficium eidem conferat; simúlque provisum in ejusdem possessionem inducat, ut fusè tradit Garcia *p. 6. de benef. c. 1. n. 5.*

4 Quòd si dubitetur, an executor datus ad beneficia competentem habeat potestatem; potest de hac ipse cognoscere, sicut quilibet alius Judex etiam delegatus potest in dubio definire, an sit competens, nec ne: & si executor pronunciaverit jurisdictionem sibi non competere, eò quia gratia impetrata sit subreptitia, non tamen amittit jurisdictionem; quia potest ab illo appellari; & si appellatio justificata fuerit, executio ad eundem remittitur.

5 An verò executores maximè literarum in forma *dignum* possint alteri subdelegare vices suas in totum, vel in partem præsertim quoad examē; non est una omnium juris Pontificii peritorum sententia. Licèt executores gratiarum possint aliis committere vices suas, nisi dati sint ad providendum Ecclesiæ non expressa certa persona, ut *in c. is cui de offic. delegati in 6. & in clement. unic. eod. tit.* Rebuffus *in prax. tit. de forma, & declaratione nova provisionis V. quatenus ipse, vel duo.* Paris. *lib. 8. q. 7. n. 151.* Nihilominus in literis in forma *dignum* cum apponatur clausula: *Si per diligentem examinationem eum ad hoc idoneum esse repereris, super qua conscientiam tuam oneramus*: non videtur executor posse alteri committere vices suas saltem quoad examen ob præfatam clausulam, per quam censetur electa personæ industria, ac proinde prohibita subdelegatio, ut tenet Baldus *in c. si pro debilitate de officio delegati n. 6.* Imola *in c. fin. §. 1. eod. tit.* Felin. *in c. Pastor. de offic. deleg.* Peregrin. *ad Rubric. de offic. & potest. Judic. delegat.* Quintanadvennas *de jure imp. lib. 2. tit. uls. n. 4.*

6 Quando verò non apponitur clausula *conscientiam tuam onerantes*; vel collatio beneficii authoritate Ordinarii fieri debet; tunc examen super idoneitate posse delegari docent communiter canonistæ. Nihilominus probabilius videtur, præfatos executores posse alteri committere vices suas etiam quoad examen, prout videtur in praxi receptū, non obstante clausula *super qua tuam conscientiam oneramus*: quia per talem clausulam non censetur electa industria personæ, nec prohibita subdelegatio; sed dicta clausula potiùs est quædam monitio, & excitatio, ut tenet Abbas *in c. uls. §. 1. de offic. deleg. n. 7.* & *in c. cum in veteri in prine. de elect.* & cum ipso potior pars canonistarum, quos citat Garcia *de benef. part. 6. c. 2. n. 110.* Immo Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. c. 4. n. 6.* asserit, S. Congregationem Concilii declarâsse: quòd Episcopus, cui commissum est examen per literas Apostolicas alicujus, qui beneficium simplex obtinuit, possit illud delegare; non obstante, quòd fuerit in literis ejus conscientia onerata.

7 Neque id procedit de solis beneficiis simplicibus, sed etiam de Parochialibus, dummodo promovendus examinetur à subdelegato, & aliis Examinatoribus Synodalibus. Neque obstat, quòd in literis apponatur clausula: *de per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus in diœcesana synodo deputatis faciendam:* quia illæ particulæ *per te* non excludunt subdelegationem: sed ponuntur ad significandum, examen faciendum esse non solùm per Executorem: sed etiam cum examinatoribus synodalibus; & hanc esse declarationem Congregationis Concilii Tridentini refert Garcia *de benef. part. 6. c. 2. num. 104.* Felinus etiam docet, tunc non posse fieri subdelegationem, quando decisio negotii est commissa conscientiæ alicujus dicendo: conscientiæ tuæ committimus: seu decidas secundùm conscientiam tuam: secus verò quando apponitur clausula: *super quo tuam conscientiam oneramus*; quia tunc censetur adjecta in vim executionis, vel monitionis.

8 Hinc infertur, ad dispensationes matrimoniales, quæ solent committi ordinariis cum clausula: *Discretioni tuæ, de qua in his specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus. quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere monemus, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem repereris preces veritate niti; super quo tuam conscientiam oneramus:* non obstante tali clausula posse ordinarium alteri informationem committere, ut moris est; ac in praxim deducitur. Non tamen potest committere ipsam dispensationem ex Innocentio *in c. fin. de offic. deleg.* & ibid. Abbas §. *fin. n. 6.* Menochius *cons. 17.* & à paritate rationis Piasecius *in prax. Episcop. p. 2. c. 4. n. 8.* infert, Executorem in forma *dignum* non posse alteri committere collationem: ait enim, quòd si per literas in forma *dignum* committatur institutio, eadem non possit subdelegari; licèt possit committi actus aliquis causæ absque jurisdictione, ut quòd possit alius informationem capere de vita, & moribus, vel etiam deferre testibus juramentum, & admissum examinare.

9 Verùm probabilior sententia est, posse etiam ordinarium, cui est directum mandatum de conferendo beneficio clerico commendato, collationem ejusdem etiam alteri committere; & desumitur ex *d. c. is cui* & aliis textib⁹; licèt in eo casu, ut notat Glossa *in d. c. is cui V. provisio* collatio provisionis beneficii facienda certæ personæ non habeat locum, eò quia non sit commissio nudi ministerii: cæterum potest Executor non solùm committere testium examinationem, sed etiam juramentum, & actum jurisdictionis, quia cùm sit delegatus Papæ, potest subdelegare, quia delegatus Papæ est veluti Ordinarius, qui potest subdelegare.

10 An verò Executores hujusmodi sint meri, vel mixti solet dubitari. Executor merus dicitur, qui deputatus ad exequendum mandatum non potest assumere partes Judicis, eò quia ipsi commissum sit conferre beneficium; vel certam personam in possessionem ejusdem inducere, ab illo, qui ex jure speciali habet solam collationem sine jurisdictione, & potestate judicandi; ut si Executor deputaretur à Capitulo, tunc talis Executor potest quidem cognoscere, & examinare, an persona illa habeat omnia requisita, quæ narrantur in impetratione, & quæ

quæ ad rem pertinent, verùm hoc totum exequi debet extrajudicialiter tantùm, non verò judicialiter, quia cum committens executionem, supponatur non habere jurisdictionem, seu potestatem judicandi, non potest eam alteri committere, cùm nemo possit alteri dare, quod non habet, ut notat Innocentius *in c. ult. de præsumpt. n. 2.*

11 Cùm igitur possint Executores deputati ad beneficia conferenda non habere jurisdictionẽ, & etiam deputari à non habentibus jurisdictionem, ideo nulli dubium, quin dentur meri executores, ità deputati ad exequendum, ut non possint assumere partes judicis. Rursus si committens ptiùs plenè cognovit de juribus partium, etiam quoad executionem faciendam, censetur etiam tunc esse merus executor, seu datus ad veram executionem, adeo ut nullam debeat exceptionem admittere, ut notat Felinus *in c. ult. de præsumpt. num. 20. & in c. de cætero 5. num. 4. de sent. & re judic.* imò hoc etiam procedit, quamvis in commissione addatur clausula: *contradictores appellatione postposita compescendo*, nimirum per censuras: quia jurisdictio, quæ datur per talem clausulam non se extendit ad cognoscendam causam principalem, nec comprehendit eos, qui de jure contradicunt, sed tantùm illos, qui de facto se opponunt, ac nituntur executionem impedire, ut notat Glossa *in c. pro illorum* 22. *V. contradictores h. t.*

12 Cæterum in plerisque casibus Executor censetur mixtus, quatenus assumens, & agens personam judicis, judicialiter procedit, cum causæ cognitione. Primò tunc executor est mixtus, quando in litteris commissionis additur clausula: *vocatis vocandis*, tunc enim ex vi talis clausulæ tenetur Executor citare, ac judicialiter procedere, alioquin provisio esset irrita, ut notat Abbas *in c. exhibita 19. num. 6. de judic.* ubi addit vocandos etiam esse specificè, & nominatim eos, quorum interest, vel saltem per generale edictum, si ignorentur.

13 Secundò si Executor deprehendat aliùm esse in possessione beneficii, & propterea illud non vacare, tametsi injustus detentor sit, vel etiam intrusus, tunc tenetur etiam judicialiter procedere, ut Executor mixtus: siquidem tenetur possidentem beneficium citare, vocare ad se, & illum audire, ut desumitur *ex c. licet Episcopus 28. h. t. in 6.* ubi habetur. Postquam aliquis curatus accepit aliud beneficium simile, & est in pacifica possessione, vel per ipsum stat, tunc Episcopus potest primum beneficium alteri conferre, sed non potest dare corporalem possessionem, non vacato primo curato: quia posset adhuc illi competere jus retinendi. Tum quia non censetur esse Principis intentio, ut quis removeatur sine cognitione causæ à possessione sui beneficii: cùm nec injustus possessor, vel detentor beneficii removeri debeat, non servato juris ordine, ut notat Garcia *de benefic. p. 6. c. 2. §. 1. num. 110.*

14 Tertiò si Executor detur cum clausula, sive conditione, in qua agitur de præjudicio alterius, tunc tacitè videtur etiam mandari cognitio causæ, adeo ut Executor debeat esse mixtus, ac procedere judicialiter, ut si commissio data sit in hac forma: si Petrus beneficium suum sponte, nec vi, nec dolo inductus resignavit Paulo, conferatur huic beneficium, aut in possessionem inducatur: quia tunc tenetur Executor judicialiter cognoscere de modo, quo facta est resignatio, ut possit mandatum exequi.

Quartò executor est etiam mixtus, si detur ad compellendum ordinarium collatorem, 15
ut confetat beneficium, quia tunc debet eum priùs monere, ac citare, & si velit legitimas exceptiones opponere, debet illum juridicè audire *argum. c. accepimus 13. de ætat. & qualit. in fin.*

Quintò est etiam executor mixtus, quoties alius 16
comparet, qui prætendit aliquod præjudicium sibi inferri, tunc enim executor tenetur eum audire, & cognoscere super causa, & quidem non tantùm si ratione privati interesse velit contradicere, ac se opponere, sed etiam si ratione publici boni; vel si opponat impetrantem, non esse dignum, nec capacem talis beneficii *argum. c. ult. de præsumpt. in fin.*

Sextò quoties alicui absolutè committitur 17
executio, ut beneficium vacans conferat tali clerico cum addita clausula *si dignus est*, tunc potest etiam assumere partes judicis, & citare eos, quorum interest, proinde judicialiter inquirere, an revera impetrans sit idoneus, nec ne: ratio est, quia quoties provisio committitur alicui, vel executio; intelliguntur etiam commissa ea, sine quibus executio commodè, & plenè fieri non potest, ut notat Felin. *in c. ult. de præsumpt. n. 16.*

Si tamen nullus contradictor in jure com- 18
pareat, & non agatur de præjudicio tertii, tunc non tenetur judicem agere, sed potest sine ulla causæ cognitione, & sine processu judiciali statim providere de beneficio vacante, quia tunc sufficit, si extrajudicialiter cognoscat, & inquirat de personæ qualitate, ut notat Innocentius *in c. ult. de præsumpt. num. 4.* & tunc est merus executor. Sin verò adsit intrusus, vel compareat legitimus contradictor; tunc est executor mixtus, & tenetur Judicem agere, ac judicialiter procedere cum cognitione causæ.

Quòd si quæratur, quamdiu duret potestas 19
data executori, & cui mandatur, ut provisum in possessionem beneficii inducat, & inductum defendat. Respondetur, talem potestatem tamdiu durare, quamdiu non est facta executio etiam post annum à sententia lata contra intrusum, seu contradictorem, cùm sit accessoria ad gratiam *argum. c. si super gratiâ de offic. delegat. in 6.* ut notat Garcia *de benefic. p. 6. c. 2. n. 147.* Neque videtur obstare textus *in c. quadrenni de offic. delegat.* ubi Delegatus Papæ non potest exequi suam sententiam *nisi* usque ad annum: siquidem ibi est sermo de delegato ad causam principaliter; & est dispar ratio de executore gratiæ, cujus potestas, cùm sit accessoria ipsi gratiæ concessæ à Papa, debet tamdiu durare, quamdiu ipsa gratia, quia accessorium sequitur naturam, & qualitatem principalis, ut desumitur *ex reg. accessorium in 6.*

Quinimo etiamsi impetrans in possessionem positus fuerit beneficii impetrati, non tamen censetur cessare potestas demandata executori, donec possessor beneficii fructus percipiat ejusdem, ut notat Cardinal. *in clement. e si plures 3. num. 2. de prabend.* alioquin gratia non esset plenè executioni demandata, præsertim si in mandato adjecta fuerit clausula: ut executores faciant de fructibus responderi. Sin verò fructus negentur non ratione gratiæ impetratæ, sed ex alio capite, vel quia prædia, ex quibus proveniunt, dicantur non ex pectare ad beneficium, vel quia aliquæ decimæ dicantur ad illud non pertinere, tunc excutor, non debet se huic liti immiscere, cùm sit omnino separata ab executione sui mandati.

21 Cæterum quamvis provisus inductus sit in plenam possessionem sui beneficii, adhuc ex vi adjectæ clausulæ in mandato, ubi dicitur, quòd teneatur executor defendere inductum in possessionem beneficii, si turbetur in possessione; durat potestas executoris per annum integrum à die possessionis, ut communiter docent Canonistæ cum Cardinali *in clement. e. si plures 3. num. 2. h. t.* quamvis doceant aliqui, talem potestatem durare instar potestatis conservatoris, de qua dicitur *in c. fin. de offic. delegat in 6.* Cæterum si delegatus fuam est executus sententiam, & impetrans beneficium illud aliquamdiu pacificè possederit, intelligitur tunc potestas delegati expirare etiam intra annum: & ratio est, quia annus non datur, nisi pro ipsa executione facienda, & ad ponendum impetrantem in pacifica possessione beneficii impetrati. Si tamen incontinenti molestetur possessor, potest delegatus exercere suum officium, quia non potest dici facta executio, ex quo incontinenti facta est turbatio, ut notat Cardinalis *in d. clem. e. si plures 3. h. t.*

22 Cessat mandatum de providendo per revocationem, ut desumitur *ex c. si is, cui 39. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statim post promotionem suam ad papatum revocavit omnes gratias à suis prædecessoribus Nicolao IV. & Cœlestino V. concessas super quibuscunque beneficiis ecclesiasticis vacaturis, curatis, vel non curatis, & per quas gratias jus tantùm ad rem, non item jus in re iis, qui gratias impetraverant, quæsitum fuerat: ex quo infertur, quòd revocatio gratiæ non tollat jus acquisitum, sed acquirendum, quod non est connexum cum digniori acquisito: quia *in d. c.* fuit facta gratia alicui de acquirendo canonicatum, præbendam, dignitatem, & acquisivit canonicatum, & non dignitatem, & revocatur gratia, si canonicatus erat conjunctus dignitati, non revocatur gratia pro dignitate; si non erat annexus, admittitur. Ratio, cur revocatio gratiæ non tollat jus acquisitum, sed tantùm acquirendum, est, quia dispositio revocatoria superveniens tollit quidem ea, quæ sunt in fieri, seu tollit jus ad rem; non verò tollit ea, quæ sunt in esse perfecto, seu non tollit jus in re, seu non tollit jus jam acquisitum alicui, nisi id speciatim exprimatur, ut constat *ex d. c. si is cui 39. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd jus acquisitum Titio in canonicatu, & præbenda per subsequentem constitutionem Bonifacii VIII. non fuit revocatum, sed solùm jus, seu gratia expectativa, quam habebat ad obtinendum officium, vel dignitatem.

Quòd nec etiam dispositio revocatoria su- 23
perveniens tollat jus acquirendum ad minus quod est connexum cum majori, ad quod habetur jus acquisitum, ex eo itidem probatur, quia æquitati magis conveniens est, ut propter jus, quod quis habet in re majore, seu canonicatu, quem assecutus est, retineat jus ad rem minorem adnexam majori: non enim propter jus ad rem, quod quis habet in præbendam, debet amittere jus in re, quod jam assecutus est in dignitate, vel officio.

Non tamen per mortem Papæ contedentis 24
gratiam extinguitur gratia concessa, tametsi res sit integra, adeo ut non cesset gratia, nisi revocetur à successore. Sin verò in Ecclesia aliqua statutum, vel consuetudo sit, ut dignitas non conferatur nisi canonico, tunc sufficit, ut promovendus ad dignitatem habeat jus canoniæ, tametsi præbendam non habeat, nisi in statuto talis Ecclesiæ dicatur, quòd non detur dignitas nisi canonico præbendato. Cæterum consuetudine induci potest, ut quis simul habeat in eadem Ecclesia dignitatem, & canonicatum simul.

An verò litteræ beneficiales de provi- 25
dendo extinguantur per mortem concedentis? Respondetur, gratiam concessam alicui, ut conferat beneficia reservata sedi apostolicæ personis idoneis generaliter, & indeterminatè nullâ nominatâ, seu expressâ personâ, si re integra concedens moriatur, & personæ providendæ non erant expressæ non expirare, quia decet, beneficium concessum à Principe esse mansurum ut desumitur *ex reg. jur. in 6.* donec expressè revocetur: siquidem privilegium concessum subdito omnino gratis, & liberaliter potest revocari, nisi transierit in pactum, ut tradit Layman. *lib. 1. tract. 4. c. 23. num. 25.* Secus si personæ providendæ erant expressæ, ac speciatim nominatæ, tunc expirat gratia concessa, quia mandatum per mortem mandantis, si res adhuc integra sit, finitur §. *fin. instit. de mandat. l. mandatum 15. C. eod.* quod tamen intelligendum est si gratia concessa sit in beneficium impetrantis; non verò si in favorem ipsius collatoris, ac providentis, quia tunc gratia non censetur cessare per mortem concedentis, imò nec etiam, si concessa fuit in favorē utriusque, vel Ecclesiæ.

Hinc juris pontificii periti ponunt gene- 26
ralem regulam, quâ dicunt, quòd si à Papa, vel alio superiore sit alicui gratia facta absolutè, seu facultas concessa agendi aliquid indeterminatè erga personas aliquas, ut absolvendi illas à peccatis, aut censuris, vel dispensandi in voto, aut juramento, non expiret hujusmodi gratia per mortem concedentis etiam re integra: cessaret tamen per mortem concedantis, si limitatè sit alicui solùm concessa, vel in ordine ad certam personam, eam absolvendi, vel cum eadem dispensandi: quia tunc cum talis facultas sit in favorem ipsius tantùm personæ, quæ absolvitur, vel cum qua dispensatur, expirat re integra per mortem concedentis: non ita si concessa sit in fa-

vo-

favorem absolventis, seu dispensantis, vel in favorem utriusque simul, vel in favorem Ecclesiæ; tunc enim non extinguitur gratia concessa etiam re adhuc integra, ut desumitur *ex d. c. si cui 36. h. t. in 6.* & quidem à sensu contrario: nam ibi dicitur, quòd quando mandatur beneficium non in gratiam conferentis, sed illius, cui provideri mandatur, expiret gratia per mortem concedentis: hinc à contrario sensu infertur, non expirare talem gratiam, quando in favorem ipsius conferentis conceditur, ut tradit Pirhing. *lib. 3. tit. 5. sect. 8. §. 5.* cum Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 28. num. 80. & seq.*

27 Neque obstat textus *in c. si super 3. de offic. Judic. delegat. in 6.* ubi habetur, quòd si super gratia facta alicui à Papa dentur executores, si antequam aliquid faciant, moritur Papa, possunt adhuc executores fungi officio re adhuc integra. Nam ibi est sermo de gratia jam facta à Pontifice, non verò de gratia facienda; tunc enim non extinguitur mandatum executoris, nec ejus potestas, quia hæc se habet accessoriè ad ipsam gratiam, quæ non extinguitur per mortem concedentis, & quia gratia est principale, & potestas executoris accessorium, quod sequitur naturam, & conditionem principalis, ideo non extincta gratia, neque extinguitur potestas executoris.

28 Secus si sermo sit de gratia faciendâ alicui ab ipso mandatario, vel executore, ut quando Papa ipsi non confert beneficium, sed mandat conferri alteri, ut si mandet Episcopo, ut canonicatum simul cum præbenda, si quæ vacat, vel sit proximè vacatura, conferat Petro, tunc si re adhuc integra, seu nondum cœpta mandari executioni, moriatur Papa, extinguitur gratia, proinde etiam cessat potestas executoris: quia non est gratia jam facta, sed tantùm facienda, cùm impetrans gratiam per concessionem ex parte Pontificis nullam collationem obtineat, eò quia concessio facta sit in beneficium nondum vacans, proinde adhuc incertum: unde concessio gratiæ continet merum mandatum de providendo, quod expirat per mortem mandantis, ut tradit Garcia *p. 6. c. 2. num. 305.* Est igitur discrimen inter gratiam factam, & faciendam, quia per gratiam factam confertur beneficium à Papa, non ita per gratiam faciendam.

29 Dubitari tamen solet, an mandatum de providendo factum alicui ratione paupertatis si causa cesset, etiam ipsum mandatum expiret. Et respondetur, tale mandatum cessare unà cum causa, ut desumitur *ex c. si pauper 30. h. t. in 6.* ubi habetur, si mandatur Episcopo provideri sacerdoti pauperi, non habenti beneficium, & interim obtineat unum, quo non sit ampliùs pauper, sed congruam habeat sustentationem, Episcopus non tenetur providere eidem aliud beneficium, siquidem cessante causa mandati, cessat mandatum, tametsi non fuerit adimpletum. Nam causa finalis, & principalis mandati de providendo in forma pauperum est ipsa paupertas clerici, qui si obtineat aliud beneficium sufficiens ad congruam sustentationem non sit ampliùs pauper, cessat tunc causa finalis, & principalis ejusdem mandati de providendo, proinde cessat etiam ipsum mandatum.

30 Tum quia litteræ beneficiales, quæ dantur in forma pauperum, dicuntur litteræ justitiæ, ve quasi justitiæ, eò quia non sint merè gratiosæ, sed quodammodo debitæ clericis ordinatis, si patrimonio careant, nec beneficium sufficiens ad honestam, & congruam sustentationem possideant. Immo quamvis clericus habeat bona patrimonialia, ex quibus possit honestè vivere, nihilominus si non fuerit ordinatus ad titulum sui patrimonii, & non obtinuerit beneficium ecclesiasticum, adhuc censetur pauper, quia clericus non tenetur vivere de proprio patrimonio, sed de reditibus Ecclesiæ, quibus caret.

31 Sin verò Pontifex jam contulerit clerico pauperi beneficium, & mandaverit Episcopo executionem, & ut mittat in possessionem beneficii clericum, tunc licèt clericus, post impetratum beneficium à Papa, desinat esse pauper, antequam sit investitus in beneficio; nihilominus adhuc collatio priùs facta à Papa valet, & clericus est canonicè consecutus tale beneficium: ratio est, quia beneficium fuit à Papa collatum clerico pauperi, & tempore, quo revera laborabat paupertate, adeo ut collatio facta à Papa fuerit valida, & etiam gratia facta antequam ad pinguiorem fortunam clericus veniret: & solùm executio ejusdem collationis, seu gratiæ demandata fuit commissario, qui propterea tenetur exequi mandatum Papæ, tametsi tempore executionis clericus non sit ampliùs pauper, quia sufficit, si paupertas, quæ fuit causa conferendi beneficium tunc extiterit, quando Pontifex indulsit clerico talem gratiam; tametsi hæc eadem causa postea cessaverit tempore executionis, quo provisus investitur in beneficio, quia transitus ad pinguiorem fortunam non destruit collationem beneficii jam priùs factam, ut desumitur *ex regul. jur. 73. in 6.* ubi dicitur, *legitimè factum retractari non debet, licèt postea casus eveniat, à quo non potuit inchoari.*

32 Rursus si clericus impetret litteras in forma pauperum, ut illi provideatur de beneficio, si postea aliunde acquirat Vicariam aliquam temporalem, adhuc litteræ beneficiales validæ sunt, & mandatarius tenetur illas exequi, quia Vicaria temporalis propriè non est beneficium, nec Vicarius temporalis in jure dicitur propriè beneficiatus: siquidem beneficia propriè dicta sunt perpetua. Hinc si talis clericus post impetratas litteras in forma pauperum acquireret vicariam perpetuam, tunc mandatum expiraret, quia cessante causa cessat itidem effectus; deberet tamen vicaria perpetua habere sufficientes reditus pro congrua sustentatione clerici; qui propterea si haberet etiam certam pensionem ecclesiasticam datam in titulum, & sufficientem ad necessariam sustentationem, & postea impetraret litteras in forma pauperum, censendæ essent hæ subreptitiæ, nisi in iisdem fieret mentio de pensione data in titulum, quia Papa non præsumitur concedere litteras in forma pauperum clerico habenti proventus ecclesiasticos

ſiaſticos ſufficientes pro decente, & congrua ſuſtentatione.

33 Sin verò Papa clerico pauperi mandaverit provideri de beneficio in forma gratioſa, & clericus pauper, qui nullum antea habuit beneficium poſt mandatum Papæ conſequatur ſufficiens beneficium; adhuc executor poteſt mandatum pontificium exequi, ac beneficium ei conferre, dummodo beneficium, quod ex mandato Pontificis confertur, non ſit incompatibile cum alio priùs obtento ab eodem clerico, adeo ut utrumque beneficium non ſit curatum, ut notat Gloſſa *in d. c. ſi pauper. 30. h. t. in 6. V. pauper* quia litteræ beneficiales gratioſæ, quæ pro clericis non indigentibus ex ſpeciali gratia à ſede apoſtolica conceduntur, non expirant per adeptionem alterius beneficii: ſiquidem perſæpe ſolet Pontifex habenti jam unum beneficium conferre aliud, adeo ut carentia beneficii non ſit cauſa adæquata mandati de providendo aliud beneficium clerico habenti jam unum beneficium; dummodo ſecundum beneficium non ſit incompatibile cum primo, quia tunc per adeptionem ſecundi vacaret ipſo jure primum, ut deſumitur *ex c. de multa 28. h. t.* ubi habetur, quòd habens perſonatum, vel beneficium curatum, ſi aliud ſimile accipiat, ipſo jure privatus eſt primo, & ſi contenderit retinere illud ſpoliandus ſit altero.

34 Verùm ſi ſermo ſit de beneficiis compatibilibus eo ipſo, quòd Papa mandat, provideri clerico de beneficio in forma gratioſa, tale mandatum eſt validum, tametſi clericus habuerit jam aliud beneficium ſufficiens pro decente, & congrua ſuſtentatione, quia cùm tales litteræ gratioſæ emanent ex favore, ac liberalitate Papæ, & nunc moris ſit, ut eidem clerico plura beneficia ſimplicia, & compatibilia conferantur, ideo in praxi juxta conſuetudinem ſententia aſſerens tale mandatum eſſe validum, tuta eſt.

§. XIX.

De reſervatione beneficiorum. Et quæ ſummo Pontifici ſpectato jure communi ſint reſervata?

1 BEneficia dicuntur reſervata, quando illa ſummus Pontifex ſibi ſoli addicit, adeo ut cùm vacaverint à ſolo ſummo Pontifice conferri poſſint: & quia eorundem collatio ad ſolum Papam pertinet, ideo dicuntur beneficia Romano Pontifici reſervata, eò quia nemo alius poſſit ea conferre præter Romanum Pontificem, cui ſoli ſunt obnoxia. Hinc reſervatio definitur ab Æneâ de Falconibus *in tract. ſpeciali de reſervat. benefic.* quòd ſit alicujus beneficii eccleſiaſtici vacaturi per habentem ad id poteſtatem ad ſe facta avocatio. Et licèt cenſeant plures, olim Romanos Pontifices non conſuevisſe ſibi aliqua beneficia reſervare, eò quia in toto volumine decretorum, quæ Gratianus congeſſit, nullæ beneficiorum legantur reſervationes, nec ulla earundem fiat mentio: nihilominus certum eſt, ſaltem poſt Gratiani ſæculum cœpiſſe Romanos Pontifices ſibi beneficia eccleſiaſtica reſervare, quæ darent clericis emeritis, & dignioribus.

2 Quinimo Concilium Baſileenſe *ſeſſ. 23.* edidit decretum de reſervationibus, quas abolere tentavit; cùm tamen nihil effecerit, eò quia decreta illius Concilii authoritate Eccleſiæ non fuerint confirmata, ſed reprobata, paucis exceptis; neque poteſt in dubium revocari, quin Romanus Pontifex poſſit ſibi beneficia eccleſiaſtica reſervare, cùm habeat ampliſſimam, ac diſpoticam poteſtatem ſtatuendi de beneficiis, ac ea conferendi benemeritis, ac dignioribus, prout ipſi conſultiùs viſum fuerit; ut liquet *ex c. de prabend. in 6. & clement. 1. ad fin. ut lite pendente & c. cuncta per mundum 9. q. 3.* & cùm Concilium etiam generale nullius ſit authoritatis niſi confirmetur à ſummo Pontifice, qui eſt Caput Concilii generalis; ideo decretum Concilii Baſileenſis nullius fuit valoris. Nec Concilium quantumvis generale habet poteſtatem adimendi, minuendi, & reſtringendi hanc Pontificis poteſtatem ſuper beneficiis eccleſiaſticis, cùm inferior non habeat poteſtatem in ſuperiorem.

3 Reſervatio beneficiorum alia dicitur generalis, ſpecialis alia, illa dicitur, quâ plura beneficia unius rationis, vel generis ſibi Romanus Pontifex reſervat, quatenus ſi vacaverint, nemo alius poſſit ea conferre, ſed eorundem collatio ad ſolum Romanum Pontificem pertineat: ut ſi ſummus Pontifex ſibi reſervet omnes eccleſias Metropolitanas, Patriarchales, cathedrales, vel omnes Abbatias, Prioratus, vel omnia beneficia regularia, vel etiam omnia beneficia, & dignitates, quæ per electionem conferuntur, aut omnia beneficia in Romana curia vacantia, vel omnia beneficia familiarium Papæ, & Cardinalium, quæ vacare quandocunque contigerit, dicitur hæc reſervatio generalis, quia generatim, complectitur omnia beneficia alicujus generis. Secus reſervatio ſpecialis eſt, quæ habetur ratione loci, ut quando beneficia reſervantur certæ Eccleſiæ, vel ratione ejusdem beneficii, ut cum certa dignitas reſervatur: vel ratione perſonæ, ut quando ſummus Pontifex jubet beneficium alicujus Eccleſiæ cum primum vacaverit tali clerico conferri. Dicuntur hujusmodi reſervationes ſpeciales, eò quia aliqua tantùm intrà idem genus ſpecialia beneficia complectantur. Dicuntur etiam beneficia reſervata omnia illa, quæ exempta ſunt, ut etiam ea, quorum conferendorum poteſtas ſoli Papæ jure tamen communi, & ordinario convenit, ut mutationes, uniones, translationes Eccleſiarum, Cahedralium, Metropolitanarum, Patriarchalium, Primatialium, ut deſumitur *ex c. mutationes 7. q. 1. c. licèt c. inter corporalia de translat.* verùm hæc propriè non dicuntur reſervata, quia poteſtas conferendi illa beneficia jam jure ordinario ad Papam pertinet, cùm ad ipſum ſpectent majores, & difficiliores Eccleſiæ.

4 Immo neque beneficia, quæ dicuntur affecta propriè ſunt reſervata; eſt enim diſcrimen inter beneficium affectum, & reſervatum, quia propriè beneficium affectum illud dicitur, cujus conferendi poteſtas ad Papam ità pertinet,

net, ut nullus alius inferior possit beneficium affectum conferre: hinc patet discrimen inter beneficium affectum, & reservatum, quia reservatum nunquam ampliùs potest ab Ordinario conferri; secus beneficium affectum licèt non possit conferri tunc, quando est Papæ addictum, & obligatum, potest tamen alia vice ab Ordinario conferri: ut si Papa contulit alicui beneficium, & collatio non valuit ob clerici canonicum impedimentum; tunc beneficium illud est affectum, quia adhuc ad Papam non ad Ordinarium pertinet ejus collatio *c. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* Rursus si Papa commendet beneficium alicui, tunc obitu commendatarii manet affectum, sed non reservatum, adeo ut tunc cùm vacat, solus Papa illud dare possit. Rursus si Papa præcipiat electoribus, ne aliquem ad certam Ecclesiam eligant, tunc ea Ecclesia dicitur affecta *c. si eo tempore de elect. in 6.* Quando Papa mandato apostolico præcipit conferri clerico beneficium proximè vacaturum, tunc illud est affectum, ut colligitur *ex extravag. ult. de præbend. inter commun.*

5 Quamobrem beneficium affectum dicitur, eò quia sit tali conditioni subjectum, ut ad illud tunc nemo nisi Papa possit accedere, proinde ejus affectio non adimit simpliciter ordinariis potestatem conferendi, sed tantùm ad tempus: secus reservatio simpliciter adimit ordinariis jus, & potestatem conferendi. Tum quia reservatio fit per actum verbis expressum, quo Pontifex declarat, se reservare suæ dispositioni beneficium: affectio verò fit ipso facto, ex quo tacita reservatio oritur, ut notat Cochier *in regul. 8. cancell.*

6 Causæ, ob quas solent beneficia reservari plures recensentur, quarum prima est, quia potestas conferendi ecclesiastica beneficia vacantia originem trahit à summo Pontifice, qui cùm sit supremum caput totius Ecclesiæ catholicæ, seu universalis, eidem competit jus disponendi de omnibus beneficiis ecclesiasticis, ut desumitur *ex c. 1. dist. 22.* ubi dicitur, quòd Romana Ecclesia instituerit omnes Patriarchales, Metropolitanas, cathedrales Ecclesias, ac dignitates aliarum ecclesiarum, & ab initio collationem omnium beneficiorum in toto orbe pertinuisse ad Romanum Pontificem, qui postea Episcopis, aliisque inferioribus collatoribus ita eandem potestatem conferendi beneficia ecclesiastica concessit, ut supremam tamen potestatem, ac supremum jus conferendi hujusmodi beneficia sibi retinuerit, ut desumitur *ex cap. dudum 14. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd quando Papa concedit suo legato facultatem acceptandi resignationes beneficiorum, & illa conferendi, si Papa deinde facit aliquem canonicum Ecclesiæ legationis, & mandat executoribus deputatis, ut provideatur huic de præbenda primò vacatura, si vacat per resignationem, & interim Legatus illam confert alicui, collatio non tenet, quia stat pro canonico creato à Papa, licèt in mandatis nullam fecerit mentionem de potestate concessa Legato: quia sufficit decretum irritans, quidquid attentatur contra decretum Papæ, quando agitur de lucro electi ab Episcopo, & non de præjudicio Episcopi.

Hinc cumulativè tantùm, non privativè eam 7
potestatem inferioribus Prælatis concessit, quapropter potest talem potestatem aliis concessam restringere, vel adimere, & sibi reservare beneficia. Secunda causa habetur *in extravag. Joan. XXII. execrabilis unic.* juxta Glossam §. *quæ omnia V. reservamus h. t.* quia ad Papam pertinet remunerari omnes, qui de Ecclesia sunt benè meriti, & qui præ cæteris laborârunt in beneficium ejusdem Ecclesiæ catholicæ, vel etiam, qui cæteros doctrina, & morum probitate excellunt: proinde cùm clerici digni, ac bene meriti ex quavis orbis parte ad sedem apostolicam confluant, conveniens erat, ut summus Pontifex munificum, & liberalem se exhiberet erga dignos; proinde æquum fuit, ac rationi omnino consonum, ut Papa amplissimam haberet potestatem beneficia vacantia tanquam bona communia hisce clericis conferendi, etiam independenter ab ordinariis locorum, si enim Pontifex non haberet potestatem sibi reservandi, & conferendi talia beneficia, non posset remunerari eos, qui ipsi in Romana curia inserviunt, quod maximum foret inconveniens. Tertia causa etiam esse potest, ut major esset communicatio personarum ecclesiasticarum in toto orbe existentium cum Ecclesia Romana omnium ecclesiarum matre, dum non solùm in spiritualibus, verùm etiam in temporalibus ab ea dependeant, ut notat Cochier *in regul. 8. cancellar. n. 9.*

Quia verò reservationi factæ à Papa solet 8
apponi decretum irritans, sequitur, quòd præcipuus effectus reservationis sit ligare manus inferioris ordinarii collatoris, adeo ut beneficium à Papa collatum, vel reservatum nequeat valide conferri ab Ordinario, quamvis ignoret, ejus reservationem, & beneficii collationem esse priùs à Papa factam, ut desumitur *ex c. si beneficia 20. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd si ordinarius conferat beneficium reservatum per aliquod decretum sedi apostolicæ, & qui accipit, ignorat talem reservationem, vel collationem factam à Papa alicui, & accepto secundo renunciat primo beneficio, quod fortè habebat incompatibile, si postquam scivit, fuisse reservatum, vel collatum à Papa, statim dimittit secundum, recuperat primum sine nova collatione. Idem faciunt alii, qui ex tali occasione renunciârunt: sed si difficultatem adhibent in dimittendis secundis, non possunt reverti ad prima. Ubi Glossa notat, valere casum, tametsi Episcopus scienter contulerit secundum beneficium, quia sufficit ignorantia accipientis. Ratio, cur collatio beneficii sit præferenda cuilibet alteri collationi factæ ab inferiore collatore petitur ex suprema prærogativa, & plenitudine potestatis papalis, per quam potest prævenire collationes beneficiorum, & ea suæ propriæ collationi imposterum reservare, proinde impedire, ne alii inferiores Prælati talia beneficia conferant *argum. c. 2. h. t. in 6.*

Quòd si petas, cur provisi ab inferioribus 9
collatoribus, si secundum beneficium cum difficultate dimittant, non recuperent primum antea dimissum. Respondetur, id contingere, quia tunc ipsis imputatur culpæ, quia ubi in dimittendo adest culpa, ibi præsumitur in obtinendo

fuisse

fuiſſe pravam cupiditatem, proinde ratione culpæ privantur ſecundo beneficio, & non recuperant primum antea dimiſſum. Cæterum ſi quis reſignet beneficium ſine culpa ex falſa cauſa, quam putat veram eſſe, vel ex ignorantia probabili, & bona fide putat collationem alterius beneficii ab ordinario ſibi factam validam fuiſſe; tunc talis reſignatio ipſi non præjudicat, quò minus poſſit ad primum redire beneficium, quod antea reſignaverat; quia negatio additionis in tali caſu ad primum beneficium reſignatum eſſet pœna, quæ non imponitur niſi propter culpam, & probabiliter ignoranti non vertitur culpæ id, quod ignorat, hinc erranti nullus dicitur eſſe conſenſus.

10 Quinimo qui primum beneficium antea reſignavit ex probabili errore, & ignorantia, & nonniſi ſub tacita conditione, ſi collatio poſterioris beneficii valida fuerit, deficiente conditione corruit etiam actus, qui habetur pro nullo, ut notat Paris. *lib 9. de reſignat. benefic. q. 3. num. 30.* Quòd ſi error, ſeu ignorantia fuerit cauſa læſionis plurium ſucceſſivè, tunc gradatim primo reſtituto adverſus ſecundum, reſtituitur etiam ſecundus adverſus tertium, & ſic de cæteris, quia vitium, quod ex una oritur radice, debet una, ac eadem lege tolli *l. penult. in fin. C. de nuptiis.*

11 Per canones ordinarios comprehenſos in corpore juris ſcilicet *in c. licet 2. c. ſtatutum 3. c. præſenti 24. h. t. in 6. & in clement. 1. ut lite pendente* beneficia eorum, qui in curia Romana propter quodcunque negotium verſantur, vel ibidem, vel à curia recedentes in loco aliquo vicino inter duas dietas legales moriuntur, reſervantur Pontifici Romano, adeo ut non poſſint conferri niſi à Papa. Dicuntur dietæ legales iter duorum dierum, computatis 20. milliaribus italicis pro una dieta: ut notat Gloſſa *in c. licet 2. h. t. in 6.* habetur, quòd omnium beneficiorum, quæ vacant in curia, collatio pertineat ad ſummum Pontificem, & ſi ſecus fiat factum ſit irritum. Rurſus ſi curiam de loco ad locum contingat transferri, & curiales eam ſequentes in itinere, vel in loco, unde curia recedit ipſi remanentes forſitan infirmi moriantur, præmiſſa reſervatio ad illorum beneficia ſe extendit, quamvis locus, ubi decedunt, à curia diſtet.

12 Cæterum conſtitutio, qua beneficia vacantia apud ſedem apoſtolicam reſervantur diſpoſitioni Papæ; limitatur in Epiſcopatibus, & Abbatiis, quæ non comprehenduntur ſub reſervatione vacationis in curia: ſiquidem debent ſpecialiter exprimi, quia, cùm conſtitutio per reſervationem deroget ordinariæ poteſtati collatorum, habetur odioſa, ut notat Gloſſa *hic V. dignitatum*, proinde non comprehendit epiſcopatus, & Abbatias, tametſi in materia favorabili nomine dignitatis comprehendantur etiam Epiſcopatus, & Abbatiæ.

13 Quamvis id verùm ſit de jure antiquo, hodie tamen Epiſcopatus, & Abbatiæ reſervantur Papæ, quia in reſervationibus *in extravag. regimen 13. inter commun. h. t.* & quæ per omnes Pontifices innovantur, exprimuntur etiam Epiſcopatus, Monaſteria, & prioratus, ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 1. num. 113.* Tum quia per regulam ſecundam cancellariæ fit peculiaris reſervatio Epiſcopatuum, & Monaſteriorum, & in regula 3. Prioratuum & aliarum dignitatum conventualium, immo hæc regula reſervatoria monaſteriorum comprehendit etiam Monaſteria electiva propter verba generalia, & quia fit mentio de dignitatibus electivis; & quia prioratus regulariter ſunt electivi. De aliis dignitatibus inferioribus quantumvis electivis, & aliis beneficiis electivis certum eſt ea comprehendi in dicta reſervatione *c. 2.* ubi fit mentio de electione.

Excipiuntur tamen à præfata conſtitutione 14
beneficia vacantia in curia, quæ pertinent ad jus patronatus laicorum, non enim illa comprehenduntur ſub reſervatione facta, ut notat Garcia *l. c.* citans plures canoniſtas Lappum *allegat. 84. n. 6. & allegat. 96.* Franc. *in c. 2. de prabend. in 6.* Felin. *in tract. quando littera apoſtolica limit ſecund.* Roch. *de jure patronat. V. competens q. 24. num. 54.* Lambert. *1. p. lib. 2. q. 6. art. 2.* & alios plures, ubi etiam adfert deciſionem Rotæ. Ratio eſt, quia cùm in *d. c.* nil dicatur de præſentatione: neque Papa juri laicorũ ex fundatione, conſtructione, vel dotatione Eccleſiarum acquiſito derogat, niſi ſpecialiter id exprimat, ne laici retrahantur à fundandis, & dotandis eccleſiis. Comprehenduntur tamen, ac reſervantur illa beneficia, in quibus jus patronatus ex ſolo privilegio apoſtolico, aut præſcriptione fundata in privilegio, & non ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Eccleſiæ competit laicis, ſiquidem in his ceſſat prædicta ratio, quia habentes jus patronatus nil contulerunt in Eccleſias, & beneficia, ut notat Garcia *loc. cit. num. 575.* ubi ait, præfatam conſtitutionem procedere, etiamſi jus patronatus ex privilegio, ſeu præſcriptione ſpectet ad Duces, Marchiones, Comites, vel alios Principes, niſi ſit jus patronatus Regum, ſeu aliorum Principum jura regia, ſeu imperii obtinentium, ut tradit Gonzales, Gloſſa *24. n. 159.* Quamvis alias juri patronatus Ducum, Marchionum, vel Comitum ex dotatione, vel fundatione non cenſeatur derogatum, niſi facta fuerit ſpecialis mentio, quòd ad Ducem, Marchionem, & Comitem ſpectat, ut habetur *in regula 40. cancellar. ſeu 41. de derogatione juris patronatus*, ut notat Covarr. *c. 36. pract. num. 2.* Rebuffus *num. 62.* Quamobrem ut notat idem Garcia ad excludendam reſervationem juris patronatus laicorum oportet docere de jure patronatûs ex fundatione, conſtructione, vel dotatione, maximè ſtante Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. c. 9.* ut notat Gonzales *in reg. 8. cancellar.* Gloſſa *18. n. 22.*

Comprehenduntur etiam ſub reſervatione 15
illa beneficia, quæ ſunt juris patronatus eccleſiaſtici, tametſi ab initio originem traxerint ex patrimonio laici, & poſtea in Eccleſiam fuit jus translatum, quia huic juri facilè derogatur, & præſentatio patroni eccleſiaſtici habet vim electionis, proinde beneficia ad eum pertinentia ſi vacaverint in curia, reſervantur Papæ; ut notat Garcia *loco cit. n. 572.* Quòd ſi beneficia

ſint

ſint juris patronatus mixti, adeo ut jus præſentandi ſimul ſpectet ad clericum, & laicum, tunc non comprehenduntur in dicta conſtitutione, & ſi vacent in curia non reſervantur Papæ: ſiquidem non videtur æquitati conſonum, ut aliquis in re individua, quæ illi communis eſt cum alio patiatur præjudicium ratione ſocietatis cum alio, ut notat Covarr. *loc. cit. num.* 5. qui §. *ſed quamvis* cenſet probabilius, beneficia minora pertinentia ad patronos laicos non ſolùm quoad jus nominandi, ſeu præſentandi ad ipſos ſpectare, verùm etiam quoad jus inſtituendi à locorum Ordinariis eſſe itidem excepta, & exempta à reſervationibus, ſub quibus aſſerit non contineri quoad inſtitutionem, nec quoad præſentationem: ſecus tamen dicendum eſt de Epiſcopatibus, Abbatiis, ac cæteris dignitatibus Papæ reſervatis: ſiquidem in hiſce quamvis patroni laici retineant jus præſentandi, nihilominus poteſtas inſtituendi reſervatur Papæ.

16 Rurſus beneficia, quæ reſervantur Papæ debent eſſe perpetua, & non manualia, ſeu ad nutum amovibilia, quia beneficia non perpetua, ſive ſæcularia ſint, ſive regularia, non comprehenduntur ſub reſervationibus etiam generalibus, nec ſub regulis reſervatoriis, quia Pontifex reſervando ſibi collationem beneficiorum, eà tantùm intendit comprehendere, quæ perpetua ſunt, quia non intendit mutare naturam beneficiorum, quando ſpeciatim id non exprimit, ut tradit Calderinus *conſ. 26. de præbend.* Rebuffus *in regul. 2. cancell. V. ao dignitates conventuales* Zerolla *in prax. Epiſcop. 1. p. v. beneficiis §. 3. dicto. 9.* cum Rota Romana *deciſ. 659. n. 8. p. 1.* Gonzales *in reg. 8. cancell.* Gloſ. 5. §. *ſextò*, ubi ait, fuiſſe id deciſum à Rota Romana 10. Decembris 1603. coram D. Lita, Piaſecus *in prax. Epiſcop. p. 2. c. 5. n. 9.* & alii apud Garciam *de beneficiis p. 5. c. 1. n. 510.* Neque obſtat, quòd in regula exprimantur beneficia regularia: quia tametſi hæc regulariter, & ex natura ſua ſint manualia, ſeu ad nutum amovibilia, nonnunquam tamen ſunt perpetua, ut notat Mandoſ. *regul. 3. q. 10. & 11.* & quando beneficia regularia dicuntur reſervari id intelligitur de perpetuis, non de manualibus, ut fuit deciſum à Rota Romana 14. Maji 1610. coram Penna: hæc enim beneficia regularia ſi perpetua ſint, comprehenduntur ſub reſervationibus, quia veniunt appellatione beneficiorum: unde quamvis de regularibus perpetuis expreſſa mentio non fieret, adhuc comprehenderentur ſub reſervationibus, quia nullibi reperitur ſcriptum, quòd in generali reſervatione beneficiorum non comprehendantur beneficia regularia, ſi ſint perpetua, ut notat Gonzales *in 8. regul. cancell.* Gloſſa 8. *num.* 18. & fuit etiam deciſum à Rota Romana *deciſ. 739. & 189. p. 2.*

17 Quinimò comprehenduntur etiam ſub reſervationibus beneficia regularia, quorumcunque ordinum militarium propter verba regulæ reſervatoriæ, *qualitercunque qualificata, & ubicunque exiſtentia:* Aliqui tamen cenſent, beneficia minora ordinum militarium non comprehendi in hac reſervatione *arg. dict. regul. 3.* ex qua colligitur, quòd mens Papæ non ſit reſervare talia beneficia. Beneficia tamen Eccleſiæ non numeratæ, ſeu in qua non eſt certus numerus beneficiorum, & præbendarum, non reſervantur, quia ea tantùm à Papa reſervantur beneficia, quæ vel vacant actualiter, vel ſunt vacatura: & beneficia Eccleſiæ non numeratæ nunquam cenſentur vacare actualiter, neque eſſe vacatura, quia per mortem beneficiati extinguuntur talia beneficia, adeo ut ſint de novo creanda, quando novus beneficiatus aſſumitur.

Neque ſub reſervatione Papæ comprehenduntur beneficia reſignata ex cauſa permutationis, quia neque hujusmodi beneficia cenſentur propriè vacare. Imò neque illa, quæ vacant cauſâ reſignationis in manibus Ordinarii ſemper comprehenduntur ſub reſervatione, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 542. Neque comprehenduntur in reſervationibus, nec in litteris apoſtolicis illa beneficia, quæ dicuntur gratiæ expectativæ, ac ex conſuetudine Magiſtris Theologis, aut doctoribus juris canonici conferuntur; immo nec beneficia patrimonialia vacantia apud ſedem apoſtolicam, ut cenſent nonnulli, licèt communior ſententia, ut notat Covarruvias *loc. cit. num.* 4. §. *ſimiliter* aſſerat, eſſe reſervata Papæ, ſi apud ſedem apoſtolicam vacaverint. 18

Reſervatio tamen beneficiorum vacantium apud ſedem apoſtolicam non comprehendit ea beneficia, quæ vacant in urbe, & ad eos pertinent, qui Romæ morantur, ſed curiam non ſequuntur, ſeu non ſunt curiales, ut notat Barb. *in c. 2. n. 14. b. t.* ratio eſt, quia collatio horum beneficiorum per ſe ad ſolum Pontificem pertinet jure proprio: eò quia ſit proprius Epiſcopus urbis Romanæ, & Ordinarius collator omnium beneficiorum Romæ exiſtentium: unde collatio talium beneficiorum non jure reſervationis, ſed jure proprio pertinet ad Papam. Excipiuntur tamen tituli Cardinalium, in quibus Cardinales jurisdictionem habent quaſi epiſcopalem. Rurſus neque beneficia, quæ ob negligentiam inferiorum collatorum ſunt devoluta ad Papam propriè reſervantur, quia hæc jure devolutionis, non jure reſervationis conferuntur. 19

Excipiuntur etiam, qui in loco ubi curia 20
moratur ordinarium habent domicilium, quia ſubjiciuntur immediatè Papæ. Quòd ſi duo in curia Romana ſuper eodem beneficio litigent, & uterque ibi moriatur, tunc ad Papam pertinet collatio; & ſi decedant extra curiam ad ordinarium: ſin verò unus in curia, & alter extra curiam decedat, tunc ſi poſſeſſor beneficii deceſſerit in curia collatio beneficii ad Papam pertinet; ad Ordinarium verò ſi in curia decedat, qui beneficium non poſſedit. Quòd ſi neuter in poſſeſſione fuerit, tunc ob majorem authoritatem pertinet ad Papam beneficii collatio: ſin verò unus tantùm moriatur, & alter velit litem proſequi, exſpectandus tunc erit finis litis; quòd ſi deciſum fuerit beneficium pertinuiſſe ad defunctum, tunc collatio ſpectat ad Papam ſi in curia deceſſerit; ad Ordinarium verò ſi extra curiam: quòd ſi ad nullum ex litigantibus beneficium pertinuit, ad Ordinarium ſpectat collatio, niſi

ex alia causa reservetur, ut desumitur *ex clem. 1. ut lite pendente.* Pro curia autem Romana intelligitur ubi est Papa cum cancellaria, tribunalibus, ac suis officialibus, quos adhibet ad regimen Ecclesiæ, ut tradit Covarruvias *pract. qq. c. 4. n. 10.* & hoc pacto intelligitur dictum Innocentii, & Panormitani *in c. ego de jurejur. quòd ibi Roma, & curia sit, ubi est Papa,* seu ubi est Papa cum cancellaria, & suis auditoriis. Potest tamen esse curia, ubi non est Papa, & vice versa potest esse Papa, ubi non est curia, ut tradit Navarrus *in tract. de datis & promiss. not. 17. num. 29.* Hinc si Papa ex urbe Romana ultra duas dietas discesserit, ac reliquerit Romæ cancellariam cum suis officiis, & auditoribus, tunc beneficia eorum, qui sequentes Papam moriuntur, non censentur reservata.

21 Sunt tamen, qui censeant, Pontificem tunc declarare, Romanam curiam esse itidem in eo loco ubi est summus Pontifex, non ita tamen ut sint duæ curiæ una Romæ, & altera ubi est Pontifex, sed quia tunc eadem curia in duas dividitur partes, quarum una Romæ existit, & altera ubi est Papa; & plures referunt Paulum III. cum Niciam ad colloquium cum Carolo V. Imperatore, & Francisco I. Rege Galliæ proficisceretur, declarâsse, eos, qui suam Sanctitatem sequerentur, & eos qui in urbe remanerent, unam tantùm Romanam curiam constituere, non duas: hinc alii dicunt, curiam in capite ibi esse, ubi est Papa; & in corpore, ubi cancellaria cùm suis officialibus: constitutio hujus rei declaratoria habetur in Bullario, & est constitutio 36. inter constitutiones Pauli III. Curiales verò, seu pertinentes ad curiam dicuntur omnes illi, qui Papæ, aut Cardinalibus, seu Officialibus Romanæ curiæ, & tribunalibus inserviunt, vel ex occasione curiæ morantur in urbe. Quòd si fuerit quis semel curialis, si ampliùs non sit, non gaudet privilegio curialium, nisi officium curialis in ipso continuetur, & præsumitur continuari, nisi probetur, quòd fuerit officium mutatum, vel sublatum, & ad hanc probationem etiam leves præsumptiones, & conjecturæ sufficiunt, ut notat Mandos. *ad regul. 5. cancell. q. 1. n. 18.*

22 Hinc beneficium vacare in curia Romana, & vacare apud sedem apostolicam videtur esse idem, & desumitur *ex c. licet 2. h. t. in 6.* ubi cùm Pontifex statuisset, ut Ecclesias, & beneficia, quæ apud sedem apostolicam deinceps vacaverint, nullus præsumat conferre, præter Romanum Pontificem; statim inserit exceptionem: *nisi sit ei super conferendis eisdem in curia Romana vacantibus specialis, & expressa authoritas ab ipso summo Pontifice attributa,* quam enim antea dixerat vacationem apud sedem apostolicam, postea vocat vacationem in curia Romana; adeo ut utramque vacationem summat pro eadem: siquidem vocatur vacatio in curia Romana *in c. statuti 3.* ubi Gregorius X. moderatur præcedens capitulum, inquiens: Episcopi per se, vel si in remotis degant per suos Vicarios Generales existentes in diœcesibus, possunt post mensem conferre dignitates, & beneficia vacantia *in curia Romana,* si non fuerint priùs per Papam collata. Et eandem vacationem *in c. precedente licet 2. eod. tit. in 6.* dixerat vacationem apud sedem apostolicam. 23

Sunt tamen, qui censent, constitutionem, quâ datur facultas Ordinariis conferendi beneficia vacantia in curia per obitum beneficiarii, si Papa intra mensem illud conferre neglexerit, fuisse revocatam per *extravag. pia. t. inter communes h. t.* in qua Bonifacius VIII. statuit, omnia beneficia vacantia, vel vacatura in curia esse conferenda à Romano Pontifice. Alii tamen volunt, dictam constitutionem non fuisse revocatam, & etiam nunc vigere, ut notat Æneas de Falconibus apud Barbosam *in c. statutum 3. h. t. in 6.* quia correctio juris præsertim favorabilis non debet affirmari, nisi sufficienter sit expressa, & in præfata extravagante Bonifacii VIII. non exprimitur sufficienter, quia licèt ibi Papa sibi reservet beneficia vacantia in curia, non tamen prohibet, quin post mensem possint conferri ab Ordinario, si Papa illa non contulerit.

§. XX.

De beneficiis reservatis per extravagantes, & Bullas.

1 HActenus diximus de beneficiis reservatis per reservationes contentas in corpore juris, superest nunc de illis agere, quæ per extravagantes, & varias Bullas pontificias extra corpus juris reservantur: siquidem in extravag. Joannis XXII. quæ incipit *execrabilis h. t.* postquam summus Pontifex generaliter inhibuit pluralitatem beneficiorum, & statuit, ut qui tunc temporis habuerunt plura incompatibilia beneficia, etiam ex dispensatione tenerentur illa dimittere, & eorum unum tantùm retinere; postea addit: *qui verò deinceps perceperint dignitatem, seu personatum, seu officium, aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso jure postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, & fraude, cessantibus, quò minus habeant, steterit, privati noscuntur) absque mora dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant: alioquin ex tunc sint ipso jure secundo privati, & nedum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcunque beneficium ecclesiasticum inhabiles reputentur, quæ omnia, & singula beneficia vacatura, vel dimissa nostræ, & sedis apostolicæ dispositioni reservamus.* Præcipit Pontifex in totâ illa extravagante, ut qui antea obtinebant ex dispensatione legitima plures dignitates, personatus, officia, prioratus, seu beneficia incompatibilia ob curam animarum annexam, eligant beneficium curatum unum, & alterum sine cura intra mensem à die hujus decreti: reliqua verò beneficia cum cura, vel sine curâ, quæ non possunt de jure retineri, & quæ sine dispensatione, vel cum dispensatione habebant, verbaliter, & realiter, & in effectu

effectu dimittant coram Ordinario cum testimonio publico, nec ad ea redeant, nec se immiscere præsumant eorum administrationi sine nova collatione, alioquin sint ipso jure privati omnibus beneficiis etiam illis, quæ per hanc constitutionem retinere poterant: & fiunt inhabiles ad similia beneficia. Excipiuntur tamen Cardinales, & Filii Regum. Rursus si prædicti cum duobus beneficiis ex dispensatione habent expectativam similium, cùm vacaverint, servent hanc Bullam, scilicet intra mensem à notitia vacationis accipiant quod vacat, & renuncient ei, quod habebant, nec relictum administrent sub iisdem pœnis.

2 Rursus qui præsumunt retinere plura talia beneficia absque dispensatione canonica ultimo retento, si in eo habent jus canonicè, reliquis intra mensem re ipsa renuncient coram Ordinario sub testimonio publico; quòd si secus fecerint, privantur etiam ultimo, & censentur inhabiles ad quæcunque beneficia ecclesiastica obtinenda. Rursus qui habens dignitatem, personatum, officium, vel aliud beneficium cum cura animarum obtinet aliud simile; post pacificam possessionem secundi, vel si per ipsum stat, quin habeat possessionẽ, statim ipso jure est privatus primo, & debet illud dimittere in manibus Ordinarii, quòd si secus fecerit, privatur ipso jure secundo, & reputatur inhabilis ad sacros ordines, & ad quæcunque beneficia ecclesiastica obtinenda. Præterea omnia etiam beneficia vacatura, vel dimissa virtute hujus Bullæ reservantur dispensationi Papæ, & si quid innovatur quocunque privilegio est irritum.

3 Præcipitur etiam Ordinariis, in quorum diœcesibus sunt beneficia, seu aliqua illorum beneficiorum, vel si aliqui debeant dimittere in diœcesi, in qua morantur, vel sedibus vacantibus eorum capitulis, ut quamprimum commodè poterint, certificent sedem apostolicam de beneficiis dimissis, vel perditis, ut disponat. Item beneficium cum cura, ut possit retineri cum alia dignitate sine cura, intelligitur de parochia cum cura, quæ non per vicarios perpetuos, sed per rectores, vel ministrum illius beneficii, vel per temporales Vicarios administratur: & illa etiam beneficia, quorum ministris ratione illorum beneficiorum competit visitare, inquirere, procurationes recipere, suspendere, excommunicare, absolvere à censuris de consuetudine, vel jure, remanentibus aliis juribus quoad cætera in suo robore, quæ de cura animarum loquuntur.

4 Quia verò Bulla hæc Joannis XXII. videtur esse odiosa, ideo est strictè interpretanda, adeo ut adeptio possessionis in secundo beneficio intelligatur esse pacifica non litigiosa, & ulterius ut sit cum perceptione fructuum, non ita si fructus ejusdem fuerint ad tempus alteri reservati, ut desumitur *ex cap. si tibi concesso 26. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando habens beneficium curatum acquirit aliud curatum; dum alius accipit fructus secundi ex causa, ut si Episcopus illos accipiat ex concessione Papæ ad tempus, non tenetur relinquere primum, ut etiam tradit Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Glossa 15. *n. 9.* Dubitant tamen aliqui, an per hanc extravagantem non solùm secundum beneficium sit reservatum, sed etiam primum. Joannes Cochier *ad regul. 1. cancell. n. 23. V. ottavò* censet utrumque esse reservatum, & nititur hoc fundamento: quia in Bulla dicatur *omnia, & singula beneficia vacatura, vel dimissa.* Alii verò limitant reservationem ad sola posteriora beneficia, quia non solùm olim juxta *c. de multa 28. h. t.* non erat primi reservatio: verùm etiam post Joannem XXII. constituit Bonifacius VIII. *in c. licèt Episcopus 28. h. t. in 6.* ut Episcopus possit beneficium primum conferre per adeptionem secundi, eò quia primum tunc vacet, & ita in praxi servari testatur Barbosa *in collect. ad d. extravag. execrabilis num. 10.* Conciliat tamen has duas oppositas sententias Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Glossa 51. *num. 38.* ut prior sententia procedat, quando secundum beneficium incompatibile fuit à sede apostolica impetratum *text. in extravag. ad regimen V. nec non etiam quæ per assecutionem &, in nova regul. 111. cancell.* & quòd altera sententia procedat, quando secundum beneficium est ab Ordinario collatum.

§ Cæterum dispensare super pluralitate beneficiorum regulariter pertinet ad solum summum Pontificem, qui cùm sit supra canones, potest eorum rigorem relaxare: & quamvis olim frequenter per viam unionis ad vitam, vel commendam perpetuam secundum beneficium incompatibile retineretur cum primo; quia tamen id derogabat cultui divino non sine damno animarum, ideo Concilium Tridentinum *sess. 7. de reformat. c. 4. & sess. 24. c. 17. de reformat.* id omnino abrogavit, licèt non prohibeatur Episcopus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, aut ob penuriam clericorum plura beneficia simul unire, seu alicui alterum beneficium curatum in commendam temporalem provisorio modo concedere, dummodo ob locorum proximitatem possit utrique satisfieri ab eadem persona, quia hæc tunc non dicitur propriè habere duo beneficia, cùm alterum commendatum non habeat sub ratione beneficii, seu in titulum, aut usum perpetuum, ut notat Glossa *in c. nemo deinceps 15. de elect. in 6.* Neque Episcopus ita restringitur, ut nonnisi per sex menses commendam alteri concedat, ut statuitur *in d. c. 15. de elect. in 6.* sed si Ecclesiæ utilitas postulaverit, vel necessitas exegerit, potest etiam ad longius tempus beneficium curatum in commendam temporalem alteri dare, ut notat Glossa *in d. c. nemo deinceps V. durare.* Sin verò summus Pontifex alicui beneficium reservatum in commendam concesserit, tunc cessante commenda beneficium dicitur vacare sicut prius, neque reservatio extinguitur, donec Papa plenè de tali beneficio providerit, quia per ipsam manûs appositionem in concessione commendæ factam inducitur beneficii affectio usque ad plenam ejus provisionem, ut notat Garcia de beneficiis *p. 4 c. 4. n. 64.*

6 Amplior reservatio habetur in extravag. quæ incipit *ad regimen. 12. h. t.* ubi Benedictus XII. reservat sedi apostolicæ omnia beneficia cum

cum cura,& sine cura, regularia, & sæcularia,& Archiepiscopatum,& consueta conferri per electionem,vel alio modo,quæ vacant in curia Romana etiam per privationem, vel translationem, vel cessationem, vel renunciationem, ac etiam obitum officialium, vel commensalium ejusdem sedis, vel Legatorum, Nuntiorum ubicunque moriantur,nec non, & aliorum,qui pro negotiis veniunt,vel recedunt à curia, si intra duas dietas legales moriantur. Idem de curialibus si quacunque ratione intra duas dietas moriantur, si ibi non habeant proprium domicilium,& si quid contra hoc fiat etiam ignoranter declaratur irritum; & hæc constitutio Benedicti XII. etiam renovatur in regulis cancellariæ,& in concordatis Germaniæ per illam enim sibi Pontifex reservat omnia beneficia vacantia per obitum Cardinalium Legatorum, seu Nuntiorum sedis apostolicæ, & aliorum ejusdem sedis officialium, immo reservat etiam sibi omnia beneficia sæcularia, & regularia etiam electiva priùs obtenta, & possessa ab iis, qui authoritate pontificia promoventur ad majores dignitates, scil. Patriarchalem, Archiepiscopalem Episcopalem, Monasteriorum regimina, dignitates, Personatus, officia, canonicatus, & alia beneficia, cùm prioribus incompatibilia, postquam pacificam possessionem adepti fuerint illius beneficii, quod ultimò à sede apostolica accipiunt.

7 Quamobrem tantùm Episcoporum Titularium, qui à summo Pontifice creantur plerumque ut sint suffraganei aliorum Episcoporum, quia iis pro titulo assignatur diœcesis existens in partibus infidelium, & quæ olim ad Romanam Ecclesiam pertinebat, quia ex tali titulo nullos percipiunt fructus, ideo talia beneficia non vacant; nec tunc statim ad collationem papalem pertinent. Quamvis aliàs collatio beneficii facta Episcopo non valeat nisi ex dispensatione Papæ, vel ex justa, & necessaria causa, ut quia non habeat sufficientia alimenta, vel quia cogatur exulare, ut desumitur *ex c. cum nostris de conceff. prabend.*

8 Valet tamen præsertim de beneficiis simplicibus collatio facta Episcopo titulari, ut notat Garcia *loc. cit. c. 6. num.* 24. Notat tamen Barbosa *allegat.* 57. *num.* 76. quòd si quis promoveatur ad Episcopatum cum retentione beneficiorum,ea beneficia quæ tempore promotionis obtinebat, sint jam reservatione affecta, adeo ut si contigerit impostetum per mortem vacare, eorum collatio ad Romanum Pontificem pertineat. Verùm hæc sententia,nisi fortassis nitatur stylo, & praxi curiæ Romanæ, difficulter videtur posse subsistere cum nullo expresso juris textu reperiatur stabilita, etenim *in extravag. ad regimen* tantùm reservantur beneficia vacantia per promotionem juxta *c. cùm in cunctis 7. §. cum verò de elect.* talia autem beneficia retenta mortuo Episcopo,seu promoto non vacant ampliùs per promotionem, sed per obitum juxta *decis. Rota recent. p. 4. tom. 1. decis.* 202. *num.* 5. & 6.

9 Neque ullum faciessunt negotium verba illa generalia, quibus dicitur: *quæ obtinebant tempore promotionum nunc vacantia, & in ante vacatura:* siquidem sensus horum verborum est, quod vacantia tempore datæ extravag. & in futuris promotionum per Benedictum XII. faciendarum casibus vacatura, sint reservata,sicut leges solent ordinariè non solùm præsentibus, sed etiam futuris casibus prospicere, hoc est subintelligendo,si vacatura sint ex vi promotionis: quia reservatio, quæ est strictæ interpretationis, non debet extendi ultra verborum vulgarem significationem.

10 Cæterum beneficia eorum,qui ad effectivos episcopatus promoventur, vacant post adeptam possessionem episcopatûs, & simul consecrationem, vel etiam loco consecrationis (si Episcopus consecrationem petere neglexerit, aut jam priùs consecratus de uno episcopatu ad alium translatus sit)post spatiũ trium mensium,adeo ut elapso hoc trimestri ipso jure talia beneficia vacent *d. c. cùm in cunctis §. cum verò de elect.* Verùm tamen est, quòd frequenter super his variatur stylus curiæ, adeo ut beneficia promotorum per Papam ad Episcopatus statim post promotionem, vel confirmationem conferantur; si Papa ita expressè decernat, ut beneficia statim tunc vacent: alioquin non existante tali decreto standum est juri communi,ut notat Garcia in *d. c. 6. num. 5.*

11 Si quæras quid in aliis extravagantibus constitutionibus communibus contentis in hoc titulo statuatur circa reservationem beneficiorum. Respondetur,in prima extravagante,quæ incipit *pia solicitudinis*,Bonifacium VIII.dignitates, personatus, Ecclesias, & alia beneficia ecclesiastica, quæ apud sedem apostolicam intra unum mensem à data præsentium litterarum numerandum hactenus vacaverint, vel quæ ex tunc apud eandem in futurum vacabunt, reservare provisioni sedis apostolicæ,adeo ut beneficia vacantia in curia solus Papa conferat; & decrevit etiam irritum esse, si secus fiat ignoranter, vel scienter, non obstante quacunque authoritate: quæ tamen reservatio intelligenda est juxta determinationem *in c. statutum 3. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. moderatur præcedens Capitulum *licèt. eodem tit.*

12 Secundò in extravagante, quæ incipit *de superna* & est secunda *h. t. inter communes*. Clemens V. revocat provisiones factas sub titulo commendæ perpetuæ ex ecclesiis parochialibus, archiepiscopalibus, episcopalibus, monasteriis ad petitionem Regum, vel quorumcunque magnatum.

13 Tertiò in extravagante,*& si temporalium* 3. *h. t.* idem Clemens V. reservat specialiter sibi Ecclesiam Burdegalensem, ex qua ad pontificatum fuit assumptus, & monasterium S. crucis ibidem vacans. Rursus generaliter sibi etiam reservat omnia beneficia majora, vel minora cum cura, vel sine cura animarum apud sedem apostolicam vacantia, vel vacatùra toto tempore sui pontificatus pro illa vice tantùm,& decernit irritum quidquid in contrarium fuit attentatum,non obstantibus quibuscunque constitutionibus pontificiis contrariis. Ex quibus conjicitur, hanc extravagantem fuisse tantùm tem-

temporalem, & ad dies vitæ Clementis V. proinde expirâſſe unà cum ipſo Pontifice.

14 Quartò in extravagante quæ incipit *execrabilis*, & eſt quarta *inter communes h. t.* Joann. XXII. reſervat ſedi apoſtolicæ omnia, & ſingula beneficia vacantia per aſſecutionem alterius, & quæ ſunt incompatibilia cum primo priùs obtento.

15 Quintò in extravag. *Salvator h. t.* Joannis XXII. contra impedientes electionem epiſcopatûs Tholoſani in Eccleſiam Metropolitanam, ſeu Archiepiſcopatum, cui pro eccleſiis ſuffraganeis aſſignantur ex reditibus Eccleſiæ Tholoſanæ quatuor Villæ in civitate de novo erectæ, proferuntur cenſuræ eccleſiaſticæ.

16 Sextò in extravag. *Nuper 6. h. t.* idem Joan. XXII. contra impedientes dictam electionem Epiſcopatus Tholoſani, ejusque diviſionem in quinque diœceſes ultra pœnas ex priore *c. inſtitutæ*, addit etiam alias pœnas nimirum, ut perdant feuda, & quæcunque beneficia ſpiritualia, & temporalia: quinimo ſi ſint perſonæ eccleſiaſticæ fiunt etiam inhabiles ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica obtinenda.

17 Septimò in extravag. *nuper 7. h. t.* Papa diſpenſat in ætate, & ordine cum Abbate, ut ſit Epiſcopus, & deputantur quatuor executores, qui contra impedientes, prædictas pœnas in præcedenti extravagante relatas ſolemniter publicent.

18 Octavò in extravagant. *ad cujuslibet 9. h. t.* idem Pontifex hortatur quendam Abbatem ſcientiæ, & vitæ laude, ac morũ honeſtate multùm commendatum, ut Eccleſiæ Monaſterii ſui, quam in cathedralem Eccleſiam Papa erexerat, & cui eum Epiſcopum præfecerat, ejusdem curam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiat.

19 Nonò in extravag. *poſtulâſti* 10. *h. t.* agitur de reſervatione fructuum primi anni, qui fuerunt ex decimis collecti, & quos Pontifex Joannes XXII. ſibi ad certum tempus, ſeu triennium reſervavit pro neceſſitatibus Eccleſiæ Romanæ, & declarat, hos fructus primi anni collectos non debere exigi: & quòd altaria leviter ditata non comprehendantur ſub hac reſervatione.

20 Decimò in extravag. *cum nonnulla 11. h. t.* declaratur, quòd ſi obtinenti dignitatem, aut aliud beneficium eccleſiaſticum curatum aliud conferatur, & ambo beneficia ſucceſſivè vacent, fructus eorum primo anno, quo vacant, conferri debeant cameræ apoſtolicæ pro neceſſitatibus Eccleſiæ Romanæ ſublevandis.

21 Undecimò in extravag. *cùm nonnulla* 12. *h. t.* Papa reſolvit quædam dubia nata circa ſolutionem prædictorum fructuum reſervatorum.

22 Duodecimò in extravag. *ad regimen* Benedictus XII. reſervat ſedi apoſtolicæ omnia beneficia cum cura, & ſine cura, regularia, & ſæcularia, & Archiepiſcopatum, & conſueta conferri per electionem, vel alio modo, quæ vacant in curia Romana etiam per privationem, vel translationem, vel ceſſationem, vel renunciationem, vel etiam obitum Officialium, vel commenſalium ejusdem ſedis, vel Legatorum, Nuntiorum ubicunque moriantur, nec non & aliorum, qui pro negotiis veniunt, vel recedunt à curia, ſi intra duas diætas legales moriantur. Idem de curialibus, ſi quacunque ratione intra duas dietas legales moriantur, ſi ibi non habeant proprium domicilium, & ſi quid in contrarium fiat, etiam ignoranter declaratur irritum.

Tertiò decimò in extravag. *ad Romani* 13. *h. t.* Paulus 11. declarat, prædicta beneficia vacantia in præcedenti extravag. ita eſſe affecta, ut ſolus Papa illa conferat, adeo ut nullus præter Romanum Pontificem tunc quovis modo illa conferre poſſit. 23

Per Bullas pontificias etiam habentur reſervaciones, ſiquidem Pius IV. conſtitutionem edidit, quæ incipit *cupientes* in qua declarat, pertinere ad cameram apoſtolicam fructus omnium Monaſteriorum conſiſtorialium, ac beneficiorum quorumcunque regularium ſedi apoſtolicæ reſervatorum, vel per conſtitutiones apoſtolicas, vel per regulas cancellariæ editas, vel edendas, aut alias generaliter, vel ſpecialiter reſervatorum, ſeu affectorum in partibus Italiæ, in quibus collectores, & ſubcollectores ſpoliorum, ac jurium cameræ apoſtolicæ eſſe conſueverunt. Rurſus idem Pius IV. aliam edidit conſtitutionem, quæ incipit *Romanum Pontificem* in qua ſancitur, ut omnia beneficia per confidentiam accepta ipſo jure vacent, ac reſerventur Romano Pontifici, ad quem devolvantur, adeo ut nullus niſi ipſe poſſit hujusmodi beneficia conferre. 24

Pius V. etiam edidit conſtitutionem, quæ incipit *cum ex apoſtolatus officio*. Et etiam aliam, quæ incipit *intolerabilis*, in quibus reſervantur beneficia recepta in ſimoniacam confidentiam, de qua confidentia agitur in titulo de ſimonia, & etiam ſtatuit, ut omnia beneficia propter crimen hæreſis vacantia reſervata ſint Romano Pontifici, ad quem devolvantur, ut ea conferat: & declarat in impetrationibus beneficiorum pertinentiũ ad Pontificem ſub quibuscunque clauſulis hæc beneficia non comprehendi niſi expreſsè eorum mentio fiat. Rurſus ejusdem Pontificis Pij V. exſtat alia conſtitutio, quæ incipit *ſanctiſſimus* ubi ſtatuit, omnia beneficia ſive curata, ſive non; ſæcularia, vel regularia, & qualitercunque qualificata, & ubilibet exiſtentia ſede epiſcopali, archiepiſcopali, primatiali, patriarchali deſtituta, & viduata paſtore, & quomodolibet vacantia, quæ ad eorundem Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Primatuum, Patriarcharum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamlibet aliam diſpoſitionem quomodolibet pertineant, Romano Pontifici reſervari. Rurſus ejusdem Pij V. habetur etiam alia conſtitutio, cui initium eſt *in conferendis* ubi ſtatuitur, beneficia parochialia ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, vel Patriarchis collata non ſervata forma Concilii Trident. *ſeſſ. 24. c. 18. de reformat.* ſeu non præmiſſo examine Romano Pontifici reſervari, vel ad ipſum devolvi, vel ad alios ordinarios Epiſcopis inferiores, ad quos jus conferendi pertinebat. 25

26 Gregorius XIII. edidit etiam constitutionem, cui initium est *in ecclesiis*, in qua statuit, ut beneficia collata clericis prohibitis propter originem generis, aut hæresin, vel à fide apostasiam nullius sint momenti, & ad novam Romani Pontificis provisionem pertineant, quomodocunque eisdem clericis fuerint collata. Adest etiam ejusdem Pontificis alia Bulla, quæ incipit *humano vix judicio*, in qua reservantur beneficia resignata, quorum resignatio non est publicata juxta formam in dicta Bulla præscriptam: ad evitanda enim mala, quæ ex clandestinis resignationibus proveniunt, dum resignantes post admissam resignationem fructus exigunt; & solventes novis beneficiatis denuò solvere coguntur, & jurisdictionem spiritualem, quâ jam carent, cum animarum periculo exercent, ideo constitutum est, ut provisi de resignatis beneficiis teneantur publicationem facere, & quidem in Ecclesia beneficii, & cathedrali præsente populo.

27 Quòd si resignatio facta sit in curia de beneficio citra montes, intra sex menses à die concessæ gratiæ sit publicatio facienda. Sin verò resignatio fiat coram ordinariis extra curiam, tenetur Ordinarius intra mensem admittere, aut rejicere resignationem, & beneficium resignatum conferre: & rursus provisus debet intra tres menses publicare suam provisionem, ac possessionem beneficii accipere, alioquin provisio est nulla, & beneficium vacat, ac est reservatum, ut notat Paris. *de resignat. benefic. lib.* 11.

§. XXI.

De beneficiis reservatis Papæ per regulas Cancellariæ Apostolicæ.

1 SUnt regulæ cancellariæ apostolicæ quædam constitutiones, quas singuli Pontifices statim ab initio sui pontificatûs solent circa beneficiales, & judiciales causas, vel de novo instituere, vel jam institutas à suis prædecessoribus renovare, augere, ac minuere: siquidem ea est harum regularum natura, ut nonnisi ad dies vitæ summi Pontificis durent & cum ipsius morte expirent; hinc sede Papali vacante regulæ cancellariæ etiam vacant, quatenus vim nullam retinent; ut tradunt communiter canonistæ cum Gonzales *ad regul.* 8. *cancell.* §. 5. *proœm. num.* 2. Hinc sede papali vacante cessat regulariter reservatio beneficiorum fundata in iisdem regulis cancellariæ, & in hoc differunt regulæ cancellariæ ab aliis legibus, & canonibus, quorum obligatio est perpetua, etiam post obitum legislatoris, donec leges, vel canones per successorem revocentur, vel per contrariam consuetudinem aboleantur, ut desumitur *ex c. fin. to. de offic. legat.*

2 Rursus hoc etiam est speciale in regulis cancellariæ, quia obligant statim, ac à novo Pontifice reassumuntur, & confirmantur, tametsi nondum publicatæ fuerint, ut colligitur ex proœmio regularum cancellariæ; idque procedit quoad effectum nullitatis actus in contrarium gesti, non verò quoad culpam, vel pœnam ut tradit Æneas de Falconibus *in tract. de reservat. p. 4. num. 31.* verùm quoad hoc non omnes Canonistæ conveniunt, Zerolla *in prax. Episc. V. regula*, Cochier *in comment. proœm. ad regul. cancell. num.* 20. & alii censent, præfatas regulas cancellariæ non obligare, nisi post publicationem. Verùm hanc obligationem extendi etiam extra curiam in alias mundi partes per modum generalis legis docent communiter cum Gomezio *ad regulas cancellar. q.* 2. Hujusmodi regulæ non inseruntur corpori juris, sed de novo semper imprimuntur, cùm primùm summus Pontifex Ecclesiæ regimen suscipit. Scripserunt in regulas cancellariæ Quaranta *in summa Bullarii V. regula cancellaria* Alphonsus Soto, Mandasius, Cochier, Sarnensis, & alii.

3 Per primam igitur regulam cancellariæ reservantur summo Pontifici omnia beneficia, quæ recensentur, & reservantur in *extravagant. ad regimen* 12. *h. t. inter communes*, & *in extravagant. execrabilis* tam vacantia, quàm vacatura, & rursus additur, quòd reservatio etiam locum habeat in illis beneficiis, quæ officiales sedis apostolicæ obtinebant tempore, quo erant officiales, tametsi ante obitum desierint esse officiales: imò etiam in illis beneficiis, quæ Notarii sedis apostolicæ aliquando fuerunt assecuti. Quinimo reservantur etiam omnia beneficia tam obtenta, quàm obtinenda, de quibus Ordinarii, & alii collatores contra decreta, & formam Concilii Tridentini disposuerunt, ut notat Cochier *in regul. 1. cancellar. n.* 8. si enim Ordinarii non præmisso examine, vel non habentibus ætatem, aut alias qualitates à Concilio requisitas beneficia contulerint; vel non servaverint formam ab eodem Concilio præscriptam, tunc beneficia collata vacant, & reservantur sedi apostolicæ.

4 Juvat observare, quòd per hanc primam regulam renovantur omnes reservationes contentæ in extravag. *ad regimen.* & quia in eadem extravagante illæ reservationes fuerunt tantùm ad tempus, & expirârunt simul cum morte Benedicti XII. qui eas condidit, ideo ex eo, quòd quilibet Pontifex statim ab initio sui pontificatûs eas renovet, fiunt perpetuæ.

5 In secunda regula cancellariæ reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, ut etiam omnia Monasteria virorum 200. florenos auri communi æstimatione excedentia; & hic excessus exprimendus est necessariò in litteris: & hujusmodi beneficia non solùm, si apud sedem apostolicam vacaverint, reservantur, sed etiam absolutè, & simpliciter quomodocunque vacaverint. Immo per eandem regulam reservantur etiam dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, ac aliorum quorumcunque collatorum sæcularium, vel regularium, quomodolibet pertinentia, & quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem

nem, vel aliàs quomodocunque vacaverint usque ad provisionem successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel dignitates authoritate apostolica faciendam, & adeptam ab iisdem successoribus eorundem possessionem pacificam, quomodocunque vacaverint, & imposterum vacabunt, ut tradit Garcia *p. 5. de benef. c. 1. §. 4. in regul. 2. in prin.* Non tamen hæc regula locum habet in Germania, quia per concordata permittitur libera electio, nisi in casibus expressis *in extravag. ad regimen* quæ inseritur ipsis concordatis. Rursus etiam electi Episcopi in Germania, & alii collatores providebant de beneficiis, quæ sede vacante contigerint vacare, & ad eorum collationem pertinent, ut tradit Cochier *in regul. 2. n. 9.*

6 In tertia regula, quæ ponitur inter recentiores, prohibetur, ne provisi, vel providendi per sedem apostolicam de secundo beneficio compatibili cum primo, valeant priùs beneficium in fraudem apostolicæ reservationis nulla facta de eo expressa mentione coram Papa, vel alio resignare; alioquin utrumque beneficium vacat, & est reservatum: salvis tamen juribus alterius partis, ad cujus favorem facta esset resignatio summariè examinandis. Rursus reservantur etiam omnes dignitates majores post pontificales in cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, ut etiam principales in collegiatis ecclesiis valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes. Per dignitates majores in ecclesiis cathedralibus intelliguntur illæ etiam, quæ ex consuetudine Provinciarum, & Ecclesiarum tales habentur, ut sunt in Germania Præposituræ, in Hispania Decanatus, hinc licet dignitas Archidiaconi sit major, quàm illa Archipresbyteri secundùm jus commune: secundùm tamen statuta locorum major nonnunquam est dignitas Archipresbyteri in ecclesiis collegiatis, quia cùm præsit toti canonicorum collegio, præcipuam habet dignitatem.

7 Rursus reservantur etiam Prioratus, Præposituræ, & aliæ dignitates conventuales, & præceptoriæ generales ordinum quorumcunque exceptis militaribus, secundùm plurium opinionem, ut etiam quæcunque beneficia, quæ familiares, & commensales Papæ, etiam dum adhuc Cardinalis esset, & aliorum Cardinalium nunc viventium, & qui erunt suo tempore, Cardinalium familiares continui commensales obtinuerunt, vel obtinebunt eorum familiaritate durante, & in quibus, vel ad quæ jus illis competit, vel competierit, tametsi ab ipsâ familiaritate per obitum eorundem Cardinalium, vel alia de causa recesserint, ut notat Garcia *p. 5. c. 1. §. 5. ad 3. regul. cancellar.* Verùm circa hanc tertiam partem hujus regulæ, in qua reservantur beneficia familiarium Papæ, ac Cardinalium continuorum commensalium videndi sunt Simoneta *quæst. 35. & 39.* Æneas de Falconibus *q. 4. effect. 17. 30. & 47.* Sarnensis *in proœmio reg. q. 6. circa fin.* Menoch. *de arbit. lib. 2 cas. 201 num. 111.* Mascardus *de probat. conclus. 755.* Qui verò dicantur familiares, & continui commensales Papæ explicant Paris. *de resignat. lib. 2. q. 16. n. 16.* Gonzales *in regul. 8. cancell.* Glossa 51. *n. 14.* legendæ etiam sunt constitutiones 78. & 79. Pauli III. & 44. Julii III.

8 In regula quarta, quæ inter antiquiores est tertia, reservantur generaliter omnia beneficia ecclesiastica, quæ quicunque collectores, seu subcollectores in quacunque civitate, vel diœcesi fructuum cameræ apostolicæ debitorum durante hoc eorum officio obtinebant, & in quibus, vel ad quæ jus tunc illis competebat.

9 Per quintam regulam reservantur omnia, & singula beneficia quorumcunque curialium in quocunque loco sint etiam à dicta curia remoto, adeo ut hæc regula sit potiùs quædam extensio constitutionis, quæ habetur *in c. præsentium 34. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd beneficium vacans in curia per solum Papam sit conferendum, nunc enim extenditur ad curiales, vel nuntios, qui in eundo, vel redeundo moriuntur in locis vicinis ipsi curiæ, seu intra duas dietas legales. Item si sede vacante curialis, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, seu aliâ causâ in loco vicino moriatur, dummodo ibi domicilium, vel domus propria non existat.

10 Item si quis habet domum ubi degit curia, & ibi moriatur beneficia non conferuntur per solum Papam, quia non dicuntur vacare in curia, unde hæc regula est potiùs quædam extensio & ampliatio hujus constitutionis; quia ubicunque, moriatur curialis, etiam ultra duas dietas à curia Romana, censentur ejus beneficia reservata, dummodo illam sequendo moriatur, ut notat Glossator *in reg. 5. cancel.* apud Cochier *n. 1.*

11 Per regulam sextam reservantur omnia beneficia cubiculariorum, & curlorum summi Pontificis: quod tamen intelligitur de cubiculariis extra muros honoris causâ ita nuncupatis siquidem cæteri, qui dicuntur familiares continui, & commensales Papæ jam comprehensi erant in tertia regula.

12 Per septimam regulam cancellariæ generatim reservantur omnes canonicatus, præbendæ, dignitates, & Personatus, ac officia in Basilicis Principis Apostolorum, S. Joannis Lateranensis, ac B. MARIÆ Majoris de urbe, ut etiam beneficia quæcunque ad collationem, provisionem, præsentationem, vel aliam dispositionem Cardinalium à Romana curia absentium ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatûs, ac ipsorum Cardinalium titulorum, ac diaconiarum spectantia, quamdiu eorum absentia duraverit, sive sint canonicatus, præbendæ, dignitates, Personatus, administrationes, vel alia beneficia ecclesiastica curata, & non curata vacantia, vel vacatura, tam in urbe, quàm in ecclesiis dictorum Episcopatuum consistentia, adeo ut si secus fiat, factum sit irritum.

13 Tametsi Papa utpote Episcopus urbis Romæ jure ordinario potestatem habeat conferendi beneficia constituta in ecclesiis urbis Romæ; nihilominus specialiter sibi reservat beneficia illarum trium Ecclesiarum Principis Apostolorum, Sancti Joannis Lateranensis, & B. Mariæ Majoris ob dubium quod oriri posset in beneficiis vacantibus in iisdem ecclesiis, quæ cùm

suos

ſnos habeant Archipresbyteros, & Decanos, qui ſunt Cardinales; poſſet dubium oriri, an jus conferendi beneficia in iisdem eccleſiis vacantia ad dictos Cardinales pertineret, & hac ratione opus fuit declaratione hujus reſervationis. Reſervantur etiam beneficia Cardinalium abſentium à Romana curia ſine legitima cauſa; non ita ſi abſint in ſervitium apoſtolicæ ſedis, & cum licentia Pontificis; immo Barb. *allegat. 57. num. 153.* cenſet hic ſolùm reſervari beneficia vacantia in eccleſiis titularibus Cardinalium de urbe, ſeu in diœceſibus illorum ſex Epiſcoporum Cardinalium, quorum epiſcopatus ſunt annexi Cardinalatibus, ac ſunt extra muros urbis, ſeu non multùm diſſiti, ut Epiſcopatus Hoſtienſis, Portuenſis, Sabinenſis, Albanenſis, Prænestinus, & Tuſchulanus, quorum
13 officium eſt aſſiſtere Papæ.

Per regulam octavam, quæ eſt Clementis VIII. & in qua expendenda integrum tomum ſcripſit Gonzales, reſervantur diſpoſitioni Papæ omnia beneficia eccleſiaſtica curata, & non curata, ſæcularia, & quorumvis ordinum regularia, & qualitercunque qualificata ubicunque exiſtentia in ſingulis menſibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Auguſti, Octobris, & Novembris, extra curiam aliter quàm per reſignationem, qualitercunque vacatura, & ad quorumcunque diſpoſitionem (non tamen Cardinalium, aut aliorum ſub certis concordatis comprehenſorum) pertinentia, & voluit in horum conceſſione etiam de nomine proprio menſis, in quo vacaverint fieri mentionem, alioquin gratiam, vel conceſſionem nullam eſſe. Conſuetudines verò, & privilegia optandi, ſeu eligendi pinguiores præbendas quibusconque quomodolibet conceſſas, nullatenus vult huic reſervationi obſtare. Rurſus Epiſcopis perſonaliter in ſuis eccleſiis reſidentibus alternativam ſex menſium ad beneficia conferenda con-
14 ceſſit.

Hinc juvat obſervare, ſub hac regula non comprehendi niſi beneficia propriè, & ſtrictè dicta, non verò manualia ad nutum revocabilia, ſive regularia ſint, ſive ſæcularia; quia propriè, & ſtrictè loquendo non comprehenduntur nomine beneficiorum, neque dicuntur vacare ſi perpetua non ſint, ſed tantùm ceſſant, & extinguuntur: & Papa in hac octava regula non ſibi reſervat, niſi beneficia vacantia, ut notat Garcia *p. 5. c. 1. num. 510.* Neque reſervantur beneficia de menſa Epiſcopali, aut Capitulari, aut Abbatiali, cui ſunt perpetuò incorporata, adeo ut nunquam vacent, quia in dicta regula ſolùm reſervantur beneficia vacantia, aut vacatura, ut notat Cochier *in regul. 8. cancellar. num. 16.* Neque comprehenditur commenda, ſive temporalis, ſive perpetua; ob eandem rationem, quia non vacat per obitum commendatarii, ſed ceſſat, ut notat Cochier *loc. cit. num. 20.* Rurſus non comprehenduntur beneficia, quæ vacant per reſignationem generaliter, & indiſtinctè in ſententia nonnullorum, ſive reſignatio ſit pura, ſive ſimplex, ſive conditionalis, ſive in favorem tertii, ut putat Cochier *loc. cit.* Gloſſa 7. *n.* 3.

15 Verior tamen ſententia, ac communior eſt, excipi tantùm illa beneficia, quæ vacant per reſignationem puram, ſeu ſimplicem, & quæ in manibus Ordinarii fieri poteſt: ſiquidem vi hujus regulæ reſervantur beneficia quocunque modo vacantia extra Romanam Curiam aliter, quàm per reſignationem; & quia extra curiam beneficia non poſſunt vacare per reſignationem conditionalem, & in favorem tertii: ſiquidem talis reſignatio ex conſtitutione 58. Pij V. debet fieri coram Papa: unde cum extra curiam non poſſint fieri niſi reſignationes puræ, & ſimplices, ideo de ſolâ reſignatione ſimplici eſt regula intelligenda, ut notat Garcia *p. 5. c. 1. n. 542.* Neque comprehenduntur beneficia vacantia per reſignationem ex cauſa permutationis, quia hæc beneficia reſignantur purè, & non in favorem; ut habetur *in c. unic. de rer. permut. in 6.* quapropter Ordinarius poteſt has permutationes admittere; ut notat Garcia *loc. cit. n. 543* ideóque poteſt quilibet beneficiatus in quolibet menſe beneficium aliàs non reſervatum reſignare purè in menſibus Ordinarii, vel ex cauſa permutationis, ut tra- 16
dit Garcia *loc. cit. n. 542.* Præterea licèt in hac regula reſerventur beneficia quorumcumque ordinum, non tamen comprehenduntur Priora-tus, & Prælaturæ Regulares ordinum mendicantium, quia cùm non ſint beneficia perpetua, ſed manualia propriè, & ſtrictè non comprehenduntur nomine beneficiorum, ut notat Cochier *loc. cit.* Gloſſa 3. *n.* 5. Immò neque beneficia regularia ordinum militarium, quia hæc excipiuntur ſpecialiter *in 3. regul. cancellar.* proinde non comprehenduntur ſub generali reſervatione, ut nec etiam canonicatus doctorales, magiſtrales, qui conferendi ſunt per concurſum, ut tradit idem Cochier *loc. cit.* Gloſſa 4. *num.* 3. immo nec beneficia conſiſtentia in Eccleſia non numerata, in qua non eſt certus numerus canonicorum, vel aliorum beneficiatorum, ſed præbendæ augentur juxta quantitatem fructuum; quia hæc beneficia morte beneficiarii non vacant, ſed extinguuntur, ut deſumitur *ex c. dilecto 25. §. præterea h. t.*

Hæc tamen regula ex communi Canoniſta- 17
rum ſententia non ſortitur ullum effectum ſede papali vacante; & ratio eſt perſpicua, quia ut ſuperiùs diximus, regulæ cancellariæ tamdiu durant, quamdiu Papa vivit, adeo ut extinguantur unà cum morte Papæ, & ſucceſſor eas poſtea itérum renovet, ſtatim initio ſui pontificatus. Quamobrem ſublatis cum vita Pontificis regulis cancellariæ omnes menſes ſedis papalis vacantis pertinent ad Ordinarios, ut notat Gonzales *in regul. 8. cancellar. §. 5. præam. num. 46.* quod tamen eſt intelligendum dummodo beneficium vacare inceperit ſede apoſtolica vacante; quia ſi vacatio contingeret vivo adhuc Pontifice, tunc non poſſet Epiſcopus illud conferre, quia jam fuit reſervatione affectum, ut *ex regul. 8. cancell.* tradit Gonzales §. 5. *num.* 84. Cæterum ſi Epiſcopus beneficium vacans tempore ſedis apoſtolicæ vacantis non contulerit, antequam fuerit electus novus Pontifex, poteſt nihilominus etiam poſt aſſumptionem novi Pontificis illud conferre, ut tradit Gonzales *loc. cit.*

num.

num. 60 Verùm huic ſententiæ obſtat *regula* 68. *cancell.* in qua Papa ſibi reſervat omnia beneficia alias per regulas cancellariæ reſervata, quæ vacârunt ſede papali vacante, nec interim per Ordinarios de jis diſpoſitum, vel minus validè diſpoſitum fuit.

19 Rurſus ſub hac regula comprehenduntur non ſolùm Ordinarii collatores beneficiorum, cujusmodi ſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus, ſed etiam extraordinarii, quibus competit collatio ex privilegio, vel jure ſpeciali: ſiquidem omnia illa beneficia reſervantur, niſi ſint juris patronatus laicalis, aut mixti, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 620, quinimo intra numerum collatorum comprehenduntur etiam præſentatores, electores, & alii proviſores: quia in hac regula præmittitur reſervatio beneficiorum pertinentium ad collationem, præſentationem, & electionem, imò includuntur etiam collatrices, quia tametſi genus maſculinum in jure contineat fœmininũ, majoris tamen explicationis gratiâ exprimitur ad amputandam omnem dubitandi occaſionem: quia tametſi fœminæ de jure non poſſint beneficia conferre; ex privilegio tamen apoſtolico poteſt hoc jus iisdem convenire, ut tradit Garcia *loc. cit. n.* 622.

20 Excipiuntur tamen ab hac regula Cardinales, quia reſpectu illorum nulli menſes ſunt reſervati: eſt tamen exceptio intelligenda de Cardinalibus ordinariis collatoribus tantùm, cujusmodi ſunt Cardinales Epiſcopi reſidentes in ſuis diœceſibus; non verò de aliis Cardinalibus, & Legatis de latere degentibus in ſuis Provinciis; quia intentio Papæ tantùm fuit non præjudicare Cardinalibus in ſua ordinaria collatione, ſive reſideant in curia, ſive in ſuis diœceſibus, ut tradit Cochier *in regul. 8. cancell.* Gloſſa 10. *n.* 4. Excipiuntur etiam Reges, & Principes conferentes beneficia ex privilegio ſedis apoſtolicæ, hi ſiquidem non comprehenduntur in generalibus reſervationibus, niſi expreſſa mentio de illis fiat, ut notat Garcia *p.* 5. *c.* 1. *n.* 639. Demum excipiuntur omnia illa beneficia, quæ virtute concordatorum initorum cum ſede apoſtolica liberè providentur.

21 Cæterum in ipſa beneficiorum impetratione debet fieri mentio menſis, in quo tale beneficium vacavit, ut ſtatim innoteſcat Papæ, an vacatio contigerit in menſe reſervato ſibi, vel Ordinatio, quia Papa non intendit præjudicare Ordinariis collatoribus in ſuis menſibus, imò debet exprimi menſis vacationis diſpoſitivè, ut habetur in regula, ſeu affirmativè, & abſolutè, & nullo modo dubitativè. Menſis autem incipit à media nocte ultimi diei, & ibidem terminatur *l. more Romano ff. de feriis.*

22 Hinc oritur dubium, an teneat collatio facta ab Ordinario beneficii vacati per obitum in ultima nocte menſis reſervati ſpirantis, ſi aliqua horologia pulſaverint ſignum mediæ noctis, & alia non? Talem collationem beneficii non valere ex eo poſſet evinci, quia dies ultimus menſis reſervati eſt in poſſeſſione reſervationis, à qua non poteſt deturbari, niſi per certam ſupervenientiam ſequentis diei: ſiquidem cùm poſſeſſio certa ſit, non videtur poſſe tolli, niſi per certam ſupervenientiam temporis non reſervati; atqui quando ſolùm aliqua horologia indicant mediam noctem, & alia nondum indicârunt, non eſt certa ſupervenientia ſubſequentis diei, ſed dubia: ſiquidem illa horologia, quæ pulſârunt, ac dederunt ſignum mediæ noctis, ſolùm faciunt probabile, mediam noctem tunc fuiſſe impletam: ſed etiam alia horologia, quæ nondum pluſârunt, faciunt itidem probabile, quòd non ſit completa media nox, proinde remanet, ſemper dubium, an menſis reſervatus completus ſit, vel non: & quia vigore illius menſis reſervatio eſt in poſſeſſione, videtur judicandum eſſe pro ipſa poſſeſſione cùm in dubiis melior ſemper ſit conditio poſſidentis. Tum quia ſi quis dubitet, an hodie ſit dies jejunii, vel an ſit media nox, non poteſt cœnare, ut docent Layman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 1. *c.* 4. *num.* 36. Breſer. *lib.* 4. *de conſcient. c.* 11. *num.* 103. Trullench. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 40.

23 Nihilominus talis collatio facta ab Ordinario beneficii vacati per obitum cum illo dubio mediæ noctis valida eſt cenſenda: quia cùm nobis præcisè punctum mediæ noctis non poſſit innoteſcere, eò quia non poſſimus judicare, quódnam ex pluribus horologiis punctum illud verè indicet, immo & id videatur moraliter impoſſibile, quòd horologium cum tali puncto mediæ noctis matematicè concordet. Sequitur, quòd plura horologia, quando regulatè procedunt, faciant ſingula probabile punctum illud mediæ noctis: quinimo licèt plura horologia ſimul concordent, non tamen faciunt magis probabile, quàm unum tantùm, cùm poſſit contingere ut hoc unum ſit magis regulatum, & proximiùs accedat ad indicandum ſuo pulſu punctum mediæ noctis: qua ratione poſſe aliquem ſequi horologium, quod ipſi magis libuerit ad cognoſcendum punctum mediæ noctis, docent Bonacina *diſp.* 1. *de ſacrament. in genere q.* 2. *punct.* 2. §. *incidenti n.* 9. Breſſerus *lib.* 4. *de conſcient. c.* 11. *num.* 106. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 40.

24 Hinc cùm beneficium vacaverit inter diverſorum horologiorum varios pulſus, adeo ut ex illis non poſſit certò cognoſci punctum mediæ noctis; ſed aliqua horologia tantùm faciant probabile, quòd punctum mediæ noctis jam fuerit elapſum; & alia etiam probabile, quòd nondum effluxerit, ideo oritur hinc inde probabilitas pro reſervatione, cùm æquè probabile ſit, quòd punctum mediæ noctis tunc fuerit elapſum, ac non fuerit elapſum: & cùm poſſit quis ſequi quodlibet horologium ex iis, quæ regulanda ſunt ſecundùm terminum mediæ noctis, ſequitur, quòd collatio talis beneficii æquè ſpectet ad Ordinarium, ac ad ſummum Pontificem, ideo ſi Ordinarius prior tempore contulit tale beneficium, ejus collatio facta eſt valida, adeo ut proviſio Ordinarii ſit ſuſtentanda, quia quoties plures poſſunt conferre idem beneficiũ, ſubſiſtit proviſio, quæ eſt prior tempore facta *c. dudum* §. *non igitur* & *ſi à ſede de prabend. in* 6. *c. ſi plures* §. *porro de offic. de-*

legat. in 6. Abbas *in c. quia diversitatem n. 5. de conceſſ. prabend.* Rebuffus *in concord. in rubris. de mandat. apoſtol. §. declarantes* Gloſſa *jure prævent.* Gonzales *ad regul. 8. cancell. §. 3. proœm. num. 1.* & fuit etiam pluries deciſum à Rota Romana præſertim *deciſ. 1. n. 2. de prabendis in novis decis. 17. n. 2. V. praterea Papa de prabend. in novis decis. 272. num. 4. lib. 2. p. 3.*

25 Tum quia proviſus ab Ordinario eodem fundamento poteſt oſtendere reſervationem expirâſſe, quo contra ipſum probatur non expirâſſe, unde cùm non adſit ſufficiens fundamentum, quo poſſit excludi à poſſeſſione, non videtur poſſe contra ipſum reſervatio opponi: ſiquidem quando opponitur concludenter, debet oppoſitio probari, ac de ipſa certò conſtare, ut docent Bellam. *deciſ. 612.* Ludovis. *decis. 46. & 53. n. 5.* Puteus *decis. 265. n. 3.* Rota Romana *decis. 53. p. 2. decis. 143. n. 1. p. 7.*

26 Neque ullum videtur faceſſere negotium fundamentum, quo nititur oppoſita ſententia, quia dies ultimus menſis reſervati pulſato ſigno mediæ noctis per unum horologium non eſt ampliùs probabiliter in poſſeſſione reſervationis; quia probabiliter advenit dies ſubſequens, quæ facit, ut poſſeſſio reſervationis non ſit ampliùs certa, ſed ſolùm probabilis in ordine ad alia horologia: conſequenter non requiritur certa ſupervenientia ſubſequentis diei, ut deturbetur à poſſeſſione, ſed ſatis eſt probabilis ſupervenientia: etenim ſicut certa poſſeſſio exigit certum jus, ut deturbetur; ita etiam probabilis poſſeſſio probabile jus, ut poſſit deturbari, quando agitur tantùm de deturbatione probabili: neque obſtat, quòd ſimus in dubiis, quia ſumus etiam in probabilibus hinc, inde, cum utrinque militet eadem ratio.

27 Cæterum cùm dicitur in dubiis eſſe meliorem conditionem poſſidentis, id valet, ſi inter alias conditiones, hæc quoque concurrat, quòd poſſeſſio ſit certa: alioquin ſi dubium ſit, an revera quis poſſideat, ſeu ſi probabile ſit, quòd non poſſideat, non habetur pro poſſeſſore. Ad aliud, quod addebatur de jejunio, reſpondetur citatos DD. tantùm loqui de dubio negativo, quando non adeſt motivum inclinans in unam vel alteram partem: non ita de dubio poſitivo, cum & ipſi doceant, quòd poſſit quis ſequi primum horologium, eò quia per pulſum illius fiat probabile punctum mediæ noctis, & quòd ſit completus dies jejunii, quamvis remaneat dubium poſitivum, an ſit completus: ſiquidem eſt etiam probabile, quòd non ſit completus, eò quia alia horologia nondum pulſaverint.

28 Hinc ſi priùs unus in tali caſu ſit proviſus ab Ordinario; & alius à Sede apoſtolica, debet proviſus ab Ordinario manuteneri: ratio eſt, quia actor ſe fundans in proviſione apoſtolica tenetur probare vacationem de tali menſe reſervato, ut docent Puteus *lib. 1. deciſ. 33. & decis. 206. & lib. 3. decis. 265.* Ferretus *conſil. 2. n. 13. tom. 1.* idque vel maximè procedit, ſi proviſus ab Ordinario ſit in poſſeſſione, ratione cujus præſumitur dominus *clement. 1. §. quòd ſi unum ex lite pendente*, & ibi Gloſſa *V. poſſidebat*, & alii doctores. Quinimmo quamvis proviſus ab Ordinario fieret ipſe actor, adhuc ſi adverſarius non probaret concludenter ſuam intentionem, eſſet manutenendus, ut tradit Gonzales *ad regulam 8. cancell.* Gloſſa 11. *n. 31.* Flamin. *de reſignat. lib. 10. q. 1. n. 24.* Rota Romana *decis. 11. & aliis de ſentent. & rejudic.*

Quòd ſi dicas, proviſum ab Ordinario teneri concludenter probare ſuam intentionem ad excludendum proviſum ab apoſtolica ſede *c. in præſent. de probat.* Gonzales *ad regul. 8. cancell.* Gloſſa *43. n. 98.* præſertim ſi beneficium ſit liberæ collationis, ut declaravit Rota in Cordubenſi dimidiæ portionis 13. Februarii 1602. coram Sacrato. Contra eſt, quia id tantùm procedit, quando proviſio facta per ſedem apoſtolicam præceſſit tempore proviſionem factam ab Ordinario; & quando agitur de beneficio, de quo dubitatur, an ſit reſervatum, nec ne: non verò procedit, quando agitur de expiratione menſis reſervati, quia cùm certum ſit, poſſe Ordinarium in ſuis menſibus conferre tale beneficium, & durationem reſervationis non eſſe certam, immo probabiliter cenſeatur expirâſſe, tenetur, qui ſecundo loco proviſus eſt, concludenter probare ſuam intentionem, ut habetur in pluribus deciſionibus Rotæ, quas citant Gonzales *in regul. 8. cancell.* & Garcia *de benef. p. 5. c. 1.* qui *n. 528.* ait, quòd ſi dubitetur, an beneficiatus ante, vel poſt mediam noctem ultimi diei menſis objerit pro menſe Epiſcopali, in favore Ordinarii ſit præſumendum, eò quia reſervationes ſint odioſæ, & minus præjudicent Papæ, qui ſemper habet concurrentem collationem. 29

Quamobrem in dubio, ſi non conſtet, quo menſe beneficium vacaverit, an in Apoſtolico, vel Ordinario etiam facta indagatione, & diligenti perquiſitione, pro Ordinario eſt præſumendum, ſi hic in conferendo beneficio Papam prævenit: quinimmo ſi non conſtaret, quisnam ex collatoribus alium præveniret, & neuter proviſus eſſet in poſſeſſione, adhuc probabilius videretur præſumendum pro Ordinario, adeo ut proviſus ab Ordinario eſſet præferendus proviſo à Papa. Ratio eſt, quia Ordinarius habet ſuam intentionem fundatam in jure communi, ſecundùm quod proviſio omnium beneficiorum ſuæ diœceſis ad ipſum pertinet, dummodo non conſtet eſſe reſervata: & hoc jure non debet Ordinarius privari, quamdiu non conſtat de reſervatione: ſiquidem aliud eſt, quòd Papa non ſpeciali jure reſervationis, ſed generali jure ordinario concurſu cum inferioribus collatoribus Ordinariis intendat providere; tunc enim in dubio quis prævenerit, proviſio Papæ præfertur proviſioni Ordinarii inferioris ob pontificiæ authoritatis prærogativam *c. ſi à ſede 51. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando Papa, vel ejus Legatus confert beneficium uni, & Ordinarius alteri eodem die, ita ut non poſſit conſtare de prioritate collationis, tunc erit potior conditio poſſidentis: & ſi neuter poſſidet, præfertur electus à Papa, vel Legato propter ampliorem prærogativam. Quinimo probabilius eſt, etiam ſi Papa prævenerit collationem Ordinarii, & proviſus Papæ ſit in poſſeſſione beneficii collati adhuc præferendus 30

eſſe

esse provisum ab Ordinario: quia quando non potest certo constare, in quo mense beneficium vacaverit, præsumptio juris stat pro Ordinario, adeo ut onus probandi transferatur in adversarium, quamvis sit in possessione beneficii.

31 Tum quia tunc Pontifex tantùm intendit conferre beneficium jure reservationis, proinde si non constet de reservatione, nullum est jus acquisitum in beneficio provisо per Papam, proinde potest adhuc repelli, ut tradit Garcia *loc. cit. num.* 530, ubi ait, quòd cùm in prædicto casu non possit constare, in quo mense beneficium vacaverit, præsumitur pro Ordinario, & jus commune pro eo facit, adeo ut provisus ab eo habens hanc præsumptionem juris pro se, habeat suam intentionem probatam, & transferat onus probandi in adversarium etiam existentem in possessione, Alciatus *de præsumpt.* 3. *p. num.* 2. Mandos. *regul.* 4. *q.* 1. *num.* 4. & *regul.* 12. *q.* 7. *n.* 4. Covarruvias *lib.* 2. *variar. c.* 6. *num.* 1. Mascardus *q.* 17. *num.* 6. *concluf.* 227. Quando enim jus commune pro aliquo facit, & pro eo præsumit, tunc hujus juris præsumptio transfert onus probandi in adversarium, ut notat Mascardus *q.* 17. *n.* 9.

32 Immo Gonzales *num.* 47. ait, quòd qui habet pro se jus commune, ut in casu nostro, dicatur habere plenam probationem, quamdiu aliqua exceptione contraria plenè probata non repellitur, ut docent Bartol. *in l. admonendi n.* 30. Ripa *num.* 112. *ff. de jurejur.* Puteus *decis.* 105. *num.* 1. *lib* 2. Quòd verò præsumptio juris rejiciat onus probandi in adversarium, & quoad hunc effectum æquiparetur quasi possessioni, docet Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 33. *num.* 2. siquidem præsumptio juris est vera, & liquidissima probatio, ut notat Mascardus *concluf.* 1227. *num.* 11. & Valasius *de jure Emphit. q.* 7. *num.* 37. ubi docet, probationem per legis præsumptionem sufficere, etiam ubi requiritur probatio per scripturam.

33 Possessio autem non transfert onus probandi in adversarium, quando adest aliqua præsumptio contra possidentem, ut notat Mascardus cum communi *concluf.* 1200. *n.* 95. neque obstat decisio Putei 207. ubi dicit, quòd provisо per Ordinarium agenti contra provisum apostolicum possessorem incumbit onus probandi beneficium vacâsse in mense Ordinarii: siquidem ibi non loquitur in casu nostro, quando constare non potest, in quo mense beneficium vacaverit: sed quando de eo constare potest, & controvertitur, cuinam incumbat onus probandi mensem vacationis Ordinarium, vel apostolicum, an provisо per ordinarium, qui est actor? an provito apostolico reo, & possessori non petenti nisi absolutionem.

34 Cæterum beneficia existentia in curia Romana, & ibi vacantia non continentur sub hac reservatione; siquidem jure communi eorum collatio pertinet ad Papam, tanquam Romanum Episcopum in quocunque anni mense vacant in curia Romana: quia per hanc regulam reservantur solùm beneficia vacantia extra Romanam curiam, quia beneficia quæ vacant in Romana curia non indigent reservatione hujus regulæ, quia quocunque mense vacent, jure communi sunt semper reservata *c. licèt* 2. *h. t. in* 6. ubi dicitur, quòd omnium beneficiorũ, quæ vacant in curia, collatio pertineat ad summum Pontificem, & si secus fiat, factũ est irritum: quoad alia beneficia vacancia extra curiam juvat advertere, quòd Episcopus non amittit jus conferendi beneficium, quod vacat in suo mense, quamvis eodem mense illud non contulerit, adeo ut si vacatio duret etiam mense papali, possit Episcopus eo mense illud conferre, quia tantùm attenditur initium vacationis, & Episcopo conceduntur sex menses ad collationem beneficiorum, ut liquet *ex c.* 2. *de conceff. prabend.* & hoc jure non est Episcopus privandus.

Quòd verò ad gratiam alternativam concessam Episcopis pertinet conferendi alternis mensibus beneficia, hæc solis Episcopis conceditur, non verò aliis inferioribus collatoribus: & quidem sub conditione residentiæ in suis ecclesiis, vel diœcesibus: siquidem Episcopi antecedenter ad hanc gratiam ipsis collatam solùm liberè providere poterant de beneficiis non reservatis, & vacantibus tantùm mensibus Martio, Junio, Septembri, & Decembri; unde per hanc gratiam alternativam conceduntur illis sex menses alterni, ex quibus duo Martius, & September antea non erant reservati Pontifici, nunc autem sunt reservati per alternativam; ex quo infertur, quòd sive Ordinarius resideat, vel non, possit providere beneficia vacantia in mense Junii, & Decembris, quia cùm isti duo menses neque nunc sint vi alternativæ, neque olim erant reservati Pontifici, ideo Ordinarii in illis provident non vi alternativæ, sed ex jure antiquo, cui per alternativam non est derogatum: unde quo jure poterat olim Ordinarius in quatuor mensibus providere: etiam si non resideret, eodem jure potest etiam nunc, quamobrem licèt in alternativa prædicti duo menses Junius, & December denuò concedantur Ordinariis simul cum aliis quatuor mensibus, & illis annectatur obligatio residendi, ut alternativæ sit locus; non tamen compellitur adversarius uti facultate gratiæ alternativæ, sed potest ea omissa uti alia, quæ jure antiquo Ordinariis fuit concessa sine obligatione residendi, ut notat Gonzales *in regulam 8. cancell.* Glossa 45. *n.* 8. 35

Rursus in gratia alternativa comprehendontur tantùm illa beneficia, quæ pertinent ad liberam Episcopi collationem; quia beneficia, quæ Episcopus non potest conferre sine consensu, consilio, vel interventu capituli, aut non nisi ad præsentationem, vel electionem alterius, non continentur sub alternativa, cùm talis collatio libera non sit, eò quia non dependeat à collatione solius conferentis: unde illa provideri tantùm possunt in quatuor mensibus ordinariis Martio, Junio, Septembri, Decembri, ac si gratia alternativa acceptata non fuisset, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 475. In Germania tamen gratia hæc alternativa concessa Episcopis residentibus non sortitur suum effectum, quia tametsi Episcopi Germaniæ resideant in suis propriis ecclesiis, ut plurimum non habent jus conferendi canonicatus Ecclesiæ cathedralis, nec in 36

menſibus alternis, quia illorum collatio in menſibus ordinariis, qui non pertinent ad Pontificem, ex conſuetudine, vel privilegio, vel ſtatuto, vel alio ſpeciali jure pertinent ad capitula cathedralia, & non ad Epiſcopos; quamvis enim de jure communi proviſio dignitatum, & canonicatuum in cathedralibus pertineat ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum: nihilominus ex ſpeciali jure, vel conſuetudine pertinent modò vel ad ſolum Epiſcopum, vel ad ſolum Capitulum.

37 Cæterum gratia hæc alternativa, quamvis accepta, & recognita ceſſat primò, ſi Epiſcopus translatus ſit ad alium Epiſcopatum, quia acceptatio ſolùm facta eſt quoad Epiſcopatum priùs obtentum, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 484. ubi ait, quòd acceptatio alternativæ per aliquem Epiſcopum facta ceſſat per translationem illius ad alium Epiſcopatum, adeo ut ſi velit alternativa uti in novo epiſcopatu, debeat de novo eam acceptare. Secundò ceſſat per renuntiationem Epiſcopi, ſi à Papa acceptetur quamvis Pontifex non teneatur eam acceptare, niſi allegentur legitimæ cauſæ talis renuntiationis. Tertiò ceſſat etiam gratia alternativa per mortem Pontificis, per quam expirant omnes regulæ cancellariæ. Quartò ceſſat etiam ſi Epiſcopus ſe intromittat in proviſione beneficiorum, quæ per hanc regulam, vel alias ſunt Papæ reſervatæ, ut notat Cochier *in regul.* 8. *cancellar.* Gloſſa 2. *num.* 1. Cæterum ſublata gratia alternativa iterum habet locum reſervatio quoad menſes Februarii, Aprilis, Auguſti, Octobris, qui ſemper ſunt menſes Apoſtolici, ſeculuſâ alternativâ.

§. XXII.

De beneficiis reſervatis Papæ per alias regulas cancellariæ Apoſtolicæ.

1 PRæter reſervationes aſſignatas in præcedentibus regulis cancellariæ dantur etiam aliæ plures reſervationes per alias regulas cancellariæ, quas adfert, & explicat Cochier in ſuo commentario in regulas cancellariæ, & ne omnes recenſeam; aliquas principaliores tantùm ſubjiciam, quas expendere eſt hîc operæ pretium. Habetur igitur regula, quæ nunc dicitur XIX. quæ præ cæteris eſt celebris, & ſolet intitulari regula *de viginti*, eò quia contineat reſignationes beneficiorum, quæ fiunt ab infirmis ante viginti dies, quàm decedant; quapropter ab aliis ſolet etiam vocari regula *de infirmis* reſignantibus. In hac igitur regula habentur hæc verba: *Item voluit, quòd ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit aliquod beneficium ſive ex cauſa permutationis, vel aliàs dimiſerit, aut illius commenda ceſſerit, ſive ipſius beneficii unionis diſſolutioni conceſſerit, etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus ſignata, & poſtea infra 20. dies à die per ipſum reſignantem conſenſus præſtandi computandos de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipſum beneficium quavis authoritate conferatur per reſignationem, ſic factam, collatio hujusmodi ſit nulla; ipſum beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.* Poſita fuit hæc regula ad excludendas reſignationes factas ab infirmis in favorem certæ perſonæ, & in fraudem Ordinariorum collatorum, quibus libera inde tollitur collatio, vel in fraudem habentium à ſummo Pontifice gratias expectativas ſuper beneficio proximè vacaturo: ut etiam ne infirmi diſponant de beneficiis eccleſiaſticis, ſicut de bonis hæreditariis in favorem conſanguineorum. Plures quæſtiones ſuper hac regula producit Mandoſius in ſuo Commentario ad eandem regulam; quarum præcipuas placet hic exhibere, & ſolvere.

Quæritur enim primò, qualisnam debeat 2
eſſe infirmitas, de qua eſt ſermo in præſenti regula; ſiquidem ex verbis regulæ, *ſi de ipſa infirmitate deceſſerit*, videtur dicendum, regulam hanc loqui de infirmitate lethali cum ex ipſa reſignans moriatur, vel ſaltem, quòd talis ſit, ut timeat ſe moriturum, adeo ut ſecluſo periculo non eſſet reſignaturus. Verùm plures Canoniſtæ cum Pariſio non diſtinguunt infirmitatem gravẽ à levi, dummodo intra 20. dies poſt factam reſignationem mors ſequatur: hinc tametſi quis leviter decumbat, vel ſit podagricus, vel chiragricus, ſi beneficium reſignat, & intra 20. dies poſt reſignationem mors ſequatur, reſignatio ſit irrita; idque colligitur ex illis verbis comprehenſis in regula: *etiam vigore ſupplicationis dum eſſet ſanus ſignata.*

Sed hæc doctrina fortaſſis non eſt juxta 3
praxim curiæ Romanæ; quia ſi hoc voluiſſent Pontifices, nullam in recentiori regula de infirmis reſignantibus, & in ipſa infirmitate decedentibus; ſed ſolùm de morte intra 20. dies poſt reſignationem contingente mentionem feciſſent: nec in reſignantibus extra timorem mortis conſtitutis locum habent rationes regulæ aſſignatæ, & aliàs correctio juris veteris, non cenſetur in plus facta, quàm expreſſa *l. præcipimus in fin. C. de appellat.* Sed oritur ſtatim dubium, quid propriè ſignificetur per illa verba *vigore ſupplicationis dum eſſet ſanus ſignata*: communis reſponſio eſt, hæc verba ſignificare juxta ſtylum curiæ Romanæ, quòd talis ſit reſignationis modus, ut reſignans porrigat ſupplicationem, quæ ſi placet ſummo Pontifici, ſignatur, vel ſubſcribitur per verbum *fiat*, *ut petitur*, vel aliud æquivalens; nec tamen adhuc reſignatio eſt abſolutè perfecta, quia inſuper requiritur, ut poſt ſignationem ſupplicationis, reſignans in camera, vel cancellaria per ſe, aut procuratorem iterum in reſignationem expreſsè conſentiat, ac juramentum addat, & quòd hæc omnia abſque ulla fraude fiant, ut tradit Pariſius *in ſuo tract. de reſignat. benefic. lib.* 8. *q.* 9. Quamobrem per illa verba *vigore ſupplicationis dum eſſet ſanus ſignata* ſummus Pontifex revera loquitur de infirmis reſignantibus; & quòd infirmitas, ſeu illi 20. dies non debeant computari à die porrectæ, aut ſignatæ ſupplicationis; ſed à die præſtiti conſenſus, ex quo liquet, quòd per verba allegata, & huic regulæ inſerta, nihil ſit de veteri regula circa qualitatem infirmitatis in reſignante requiſitam abrogatum, ſed tantùm declaratum, à quónam tempore ſint numerandi illi 20. dies, an à die porrectæ, aut

ſignatæ

ſignatæ Supplicationis, vel à die præſtiti conſenſûs.

4 Tum quia eatenus præfata verba fuerunt inſerta huic regulæ; quia aliàs beneficiati reſignaturi poſſent facilè regulam eludere, ſi nimirum ſani porrigerent ſupplicationem reſignationis; deinde protraherent conſenſum præſtare, donec per gravem infirmitatem vitæ periculum immineret. Hoc enim pacto ſi dies computandi eſſent à die porrectæ, aut ſignatæ ſupplicationis flueret tempus illud 20. dierum antequam conſenſus reſignantis accederet, & infirmitate laboraret, proinde præfata regula eluderetur.

5 Quæritur ſecundò, an ex eo quòd vigore hujus regulæ reſignatio, & quæcunque ſecuta collatio beneficii ſit nulla, ſi reſignans intra viginti dies à conſenſu dato in reſignationem perfectam, moriatur; & reſignatio facta fuerit coram ſummo Pontifice (ſicut reſignationes conditionatæ in favorem certæ perſonæ tantùm coram Papa fieri poſſunt) beneficium nihilominus maneat Pontifici reſervatum: vel poſſit ab Ordinario loci conferri, ſi in ejus menſe mors extra curiam contigerit? Reſpondet Sarnenſis *in regul. de infirmis quæſt. 33.* cum Romano *conſ. 342.* quòd ſi reſignans moriatur extra curiam infra 20. dies, licèt proviſio per reſignationem non valeat, nihilominus beneficium eſt reſervatum Papæ, eſtque affectum; quod etiam docet Rebuffus *in d. reg. de infirmis V. ipsum beneficium verſic. 1. ex iſta, & in præxi ſuper eadem regul. Gloſ. 14. num. 4.* Sed Garcia *de benef. p. 5. c. 1. num. 160.* oppoſitum docet, & negat, tale beneficium eſſe reſervatum, & affectum Papæ: quia ex regula de infirmis non dicitur vacare per reſignationem; ſed per obitum: & hæc ſententia videtur ab intrinſeco probabilior: quia principalis ratio, quâ poſita fuit hæc regula, eſt, ne fraudentur Ordinarii ſuo jure conferendi beneficia; & ut aboleantur ſucceſſiones quaſi hereditariæ in beneficiis, ut notat Mandoſius *l. c. quæſt. 16. num. 10.* quæ ratio plenum ſuum conſequitur effectum, ſi collatio beneficii ad liberum Ordinarii arbitrium redierit.

6 Neque urget, quod docet Pariſius *lib. 12. q. 10.* Per reſignationem factam in curia beneficium vacare in eadem curia, conſequenter eſſe reſervatum. Præterea quia jure, & uſu receptum eſt, ut ſi manus Papæ in aliquo beneficio apponat, faciendo de eodem diſpoſitionem quamcunque; eò ipſo beneficium afficiatur, ac reſervetur, ut docent canoniſtæ *ad c. ut noſtris de appellation. c. inter dilectos de excef. Prælat.* Nam contra eſt: quia per reſignationem factam in curia tunc tantùm inducitur vacatio in curia; quando reſignatio ſortita eſt plenum effectum: non ita ſi propter mortem intra 20. dies à conſenſu præſtito reſignationi perfectæ, fuerit hæc annullata: quia tunc beneficium non vacat per renunciationem, ſed per mortem, ut habetur expreſsè in regula; proinde beneficium cenſetur vacare extra curiam; ſi obitus reſignantis contigerit extra curiam. Ad id quod addebatur de manuum appoſitione; reſpondetur, id regulariter poſſe intelligi extra cauſam ſpecialem hujus noſtræ regulæ, ut colligitur ex ipſa ratione, quæ eſt anima legis; ſiquidem ex eadem ſatis clarè infertur, Pontificis intentionem non fuiſſe per illam manus appoſitionem præjudicare Ordinariis, ut notat Garcia de beneficiis *part. 5. c. 1. num. 154.* ubi addit, Papam non cenſeri manum apponere ſuper beneficio, quod reſignatur niſi ad eum effectum, ut reſignatio ſequatur, non verò ut derogetur Ordinariis, & ait, ita fuiſſe deciſum à Rota Romana apud Achillem de Craſſis *deciſ. 119. ſeu 14. de reſtitutione ſpoliatorum*, ubi dicitur, quòd decretum in reſignatione facta; vel manus appoſitio Papæ in eadem, licèt operetur, quòd nullus inferior poſſit ex eadem vacatione conferre; tamen non inficit proviſionem per obitum; & aſſerit, id fuiſſe deciſum in una Trident. beneficii 13. Junii 1578. coram Blanchetto, & habetur 1. *part. divers.* 419. quam refert, & ſequitur Flam. Pariſ. *de reſignat. benef. lib.* 18. *quæſt.* 2. *num.* 44. & Gonzales *Gloſſ.* 52. *num.* 49. Fuit etiam hoc idem deciſum in una Cuſentina Parochial. 22. Aprilis 1594. coram Pamphilio, quam refert Garcia *l. c. num.* 157. ubi ait, fuiſſe deciſum: *Affectionem non induci ſuper alia vacatione ex reſignatione facta in manibus Papæ, quia ut fuit dictum in illa Trident. Papa apponit manum ſuper illa vacatione ex reſignatione tantùm: unde ſi illa non ſortitur effectum, jus remanet penes reſignantem, & non adeſt affectio.*

7 Quæritur tertiò, an hæc regula procedat etiam extra curiam in reſignationibus, quæ contingunt fieri extra Romanam curiam in aliis mundi partibus coram Epiſcopis, ac Ordinariis locorum? adeout ſi reſignans intra viginti dies decedat, collatio beneficii reſignati interim facta ſit irrita, & cuilibet alteri poſſit de novo fieri? Non concordant canoniſtæ in ſolutione hujus quæſtionis, Pariſius *lib. 12. quæſt. 5.* diverſas refert Doctorum opiniones; aſſeritque quòd cum hæc quæſtio in Rota Romana tractaretur, Auditores ejusdem non concordârint; ſed Mandoſius *q. 16. n. 1.* ait pro affirmativa majorem ſuffragiorum numerum prævaluiſſe. Pro negativa allegantur Decius *conſil. 224. n. 4.* & Mandoſius *d. q. 16. n. 1.* Argumenta, quibus hæc ſententia nititur, ad duo reducuntur capita. Primò quia plura verba inſeruntur huic regulæ, quæ tantùm aptari poſſunt reſignationibus, quæ fiunt in Romana curia; cujusmodi ſunt verba illa *commenda ceſſerit; diſſolutioni unionis conſenſerit; vigore ſupplicationis ſignatæ, à die præſtandi conſenſus.* Secundò quia potior ratio regulæ ſit circa reſignationes conditionatas in favorem tertii; quæ reſignationes in effectu non poſſunt fieri extra curiam: ceſſante autem ratione, videtur & lex ipſa ceſſare *c. cum ceſſante de appell. c. adigere ff. de jure Patronatus.* Pro ſententia affirmativa dicunt ejus propugnatores, regulas cancellariæ etiam extra curiam obligare; niſi manifeſtè conſtet, materiam non eſſe practicabilem extra curiam, ut tradit Sarnenſis *ad Regul. cancellar. q. 2. Proœmial.* Secundò quia in fine regulæ additur, quòd collatio quavis authoritate facta ſit invalida: unde ſupponitur, quòd reſignatio, & collatio beneficii

ficii resignati fieri possit etiam alia authoritate, quàm Pontificia, & curiali; alioquin postrema illa verba superfluerent.

8 Hæc secunda opinio videtur probabilior,& vera, quapropter qui eidem adhærent, respondent ad primum fundamentum, quo nititur prima sententia, ex aliquibus particularibus non rectè inferri universale; neque ex eo quòd hæc, vel illa particula regulæ non conveniat resignationibus extra curiam; sequi, omnem resignationem factam extra curiam esse nullam: non enim à particulari ad universale valet illatio. Ad secundum, rationem regulæ non omnino excludi in resignationibus extra curiam: tametsi coram ordinariis non possint fieri resignationes conditionatæ in favorem tertii; adeout si fiant,& ab Ordinariis acceptentur, nullius sint valoris; nihilominus infirmi resignantes verborum ambagibus, precibus; ac recommendatione certæ personæ idem obtinent. Huc etiam pertinet illud fundamentum juris, quod cessante ratione legis publico statui, & utilitati conformis in particulari aliquo casu; non semper cesset ipsa lex saltem in foro exteriori, quando ratio à priori subest *c. cum cessante de appell. l. adigere ff. de jure patronatus.*

9 Per Regulam XXI. *de non impetrando beneficio per obitum viventis*, statuitur, quòd gratia concessa à Pontifice super beneficio nullum sortiatur valorem, si impetrans in supplicatione falsò narraverit, illud beneficium tempore supplicationis vacare per obitum prioris beneficiati; neque convalidatur gratia, licèt postea beneficium ita revera vacare incæperit. Quinimo in Regula XXX. cancellariæ *de verosimili notitia* requiritur, quòd si beneficium dicatur per mortem vacare; post mortem beneficiati,& ante datam gratiæ,tantùm temporis interceserit, quo vacantia de loco, in quo beneficiatus mortuus fuit, ad notitiam Papæ verisimiliter potuerit pervenire: alioquin concessio beneficii nullum sortitur valorem.

10 In Regula quæ nunc est XXVI. de beneficiis vacaturis per promotionem, duo statuuntur. Primò quod non valeat impetratio beneficii vacaturi per promotionem cujuscunque ad Ecclesiæ, vel monasterii regimen, si concessio beneficii diem promotionis præcesserit, tametsi facta fuerit motu proprio, imò etiam cum derogatione hujus constitutionis, & rationem assignat Cochier *in hac regula num. 1. & 9.* quia Papa nimis properè fuerit rogatus pro hisce beneficiis vacaturis. Vel etiam quia nonnulli electiones, seu promotiones illorum, quorum beneficia sperabant,modis insuetis procurarunt. Secundò statuitur in hac eadem regula. Ut quæcunque collationes, & provisiones beneficiorum, quæ per promovendos,vel assumendos ad quascunque Prælaturas inter illorum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis, ubicunque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore,sint cassæ, ac irritæ. Idque ne per talem resignationem, aut dimissionem beneficiorum ante actualem promotionem præjudicetur Papæ, ad quem aliàs pertinent collationes: siquidem per *Extravag. ad regimen.* omnia beneficia promotorum reservantur Papæ.

11 Docet tamen Parisius *de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 6. num. 54.* id non procedere contra eum, qui bona fide resignavit ex alia causa, ignorans se promovendum, licèt resignaverit postquam Prælatura actu vacavit. Neque procedit regula in Germania, quia reservatio beneficii resignati ante promotionem non est comprehensa in concordatis. Quinimo dubitat Parisius *l. c. q. 6. num. 27.* an hæc regula in Germania sit in usu, quia contra eam fuit olim admissa exceptio de non usu; & addit fuisse aliquando in Rota examinatos plures officiales,qui testati sunt, sub pluribus Pontificibus, & in tota Hispania hanc regulam non fuisse receptam, & resignationes simpliciter fuisse itidem admissas absque derogatione hujus regulæ; quod non potuisset fieri, si tales resignationes absolutè in fraudem legis, & inde nullæ censerentur, ut notat idem Parisius.

12 In Regula XXIX. *de surrogandis collitigantibus* statuitur, quòd si duo super eodem beneficio litigent, & alter ex lite recesserit ob initum matrimonium, vel obitum, aut ex alia causa; tunc ad litem succidendam datur alteri collitiganti unus mensis, intra quem potest petere surrogationem,seu substitutionem in jure, vel ad jus, quod adversario competit (dummodo collitigans, qui subrogationem petit intrusus non fuerit in dicto beneficio, nec fraudulenter egerit impetrando beneficium alicujus jam gravi senio confecti, aut periculosè ægrotantis, ac illi movendo litem ea intentione, ut consequatur surrogationem: neque adversarius illud per triennium pacificè possederit) & intra spatium præfati mensis non valet gratia,seu concessio super beneficio litigioso alteri, quàm collitiganti facta, ut tradit Mandosius *ad hanc regulam q. 2.*

13 Per Regulam XXXV. *de annali possessione*, decrevit Pontifex, quòd quicunque beneficium ecclesiasticum tunc per annum præcedentem ab alio pacificè possessum, quod certo modo de jure vacare, vel injustè ab alio possideri prætenditur, ac deinde impetraverit; nomen, gradum, & nobilitatem possessoris, & quot annis in possessione fuerit, ac specificam causam, ex qua clarè constet, nullum dicto possessori jus competere, exprimere,ac intra sex menses eundem ad judicium evocare, causámque ex tunc infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi teneatur; alioquin impetrans de damnis contingentibus possessori satisfacere teneatur; & si ex frivola causa eundem molestaverit ad quinquaginta florenos auri solvendos cameræ Apostolicæ in pœnam injustæ vexationis damnatur.

14 Adest etiam Regula XXXVI. quæ inscribitur *de triennali possessore*, in qua Pontifex statuit, quòd si quis quæcunque beneficia ecclesiastica absque simoniæ ingressu,ex quovis titulo,Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, ex electionis confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos

ista

Digitized by Google

iſta pertinent, per triennium pacificè poſſederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, ſi Pontifici ex reſervatione generali in corpore juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper iisdem beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari non poſſit; nec non impetrationes de beneficiis ſic poſſeſſis factas irritas eſſe decernit, lites ſuper illis motas totaliter extinguendo. An verò hæc regula in poſſeſſorio tantùm ſuffragetur; non item quò minus poſſeſſor triennalis in petitorio poſſit impugnari, non concordant Canoniſtæ; plures eam intelligunt de ſolo poſſeſſorio, inter quos Covarruvias *ad regul. poſſeſſor. part.* 2. §. 10. *num. 10. conclus. 6.* nititur hæc ſententia ex eo, quia juxta *regul.* 1. *juris in 6.* Beneficium eccleſiaſticum ſine canonica inſtitutione non poteſt obtineri; & Cochier *in comment. ad hanc regul. n.* 18. aſſerit, ſuo tempore dominos de Rota Romana huic adhæſiſſe ſententiæ.

15 Nihilominus Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. n.* 10. Navarrus *b. t. in* 1. *edit. conſil.* 30. & alii plures cenſent: quòd dummodo perſona ſit capax; adſit bona fides, & titulus juſtus coloratus, licèt in veritate non ſubſiſtens, hæc regula convalidet titulum jure præſcriptionis, proinde quòd proſit etiam in petitorio quoad utrumque forum: & id videtur probare textus ipſe regulæ: etenim ſi triennalis poſſeſſor non conſequeretur titulum, ejus beneficium de jure ſemper vacaret, nec eſſet ratio, cur ab alio non poſſet impetrari; vel ſaltem debuiſſet Papa impetrationem novæ proviſionis, aut reſcripti injunxiſſe. Tum quia vix in legitimum ſenſum poſſent verificari verba illa: *lites ſuper illis motas penitus extinguendo* non enim poteſt dici totaliter extincta lis, quæ adhuc perſeverat quoad principale punctum, ſeu petitorium: ubi textus non adhibet diſtinctionem; nec nos debemus diſtinguere *l. de pretio ff. de publiciana.* Imò Paris. de Reſignat. *lib.* 11. *q.* 24. *num.* 25. docet, triennalem poſſeſſorem defendi contra privationem, quæ infertur ob non publicatam reſignationem, vel omiſſam promotionem intra annum ad ordines illos, quos beneficium exigit: vel per extravag. *execrabilis* ob adeptionem ſecundi beneficii. Quando verò dicatur poſſeſſor habere titulum coloratum ſufficientem ad hanc regulam, explicat Cochier *l. c. num.* 85.

16 Hanc verò regulam non procedere circa beneficia unita tradit Garcia *de benef. part.* 12. *c.* 2. *num.* 28. quia regula loquitur de poſſeſſore titulo beneficii; & qui poſſidet beneficium ut unitum, non poſſidet ut titulum beneficii, ſed ut membrum, & prædium tituli, ut loquitur Garcia; proinde regula de triennali non habet locum; alioquin daretur perpetua ſuppreſſio beneficii per præſcriptionem, quod non debet concedi, ut ex Sarnenſi *de triennali q* 8. Patriſio *conſil.* 121. *num.* 58. *vol.* 4. Rebuff. *de pacificis num.* 62. & 293. reſolvit Rota Romana coram Chiſant. ut tradit Garcia.

An verò, ſi talis beneficio inſiſtat, ipſo jure
17 privatus ſit, atque in mala fide, vel ſaltem in errore clari juris, ac notorii ſit, qui nihil prodeſt ad præſcribendum: reſpondent communiter in his caſibus non tam agi de convalidatione tituli, qui ex ſuppoſito eſt verus, ac validus, quàm de abolitione, & extinctione pœnæ privationis, quæ cum ad ſui executionem exigat factum hominis, id eſt cognitionem cauſæ ex parte judicis eccleſiaſtici, & dimiſſionem beneficii ex parte poſſeſſoris, non obligat in conſcientia ante ſententiam judicis, ut notat Covarr. *de matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 13. Hinc poſſeſſor beneficii quamvis ipſo jure privatus, adhuc non agit contra conſcientiam, nec contra jura, ſi beneficii poſſeſſionem non dimittat, ſed eidem inſiſtat usque ad ſententiam judicis, quæ ſi per triennium intermiſſa fuerit, authoritate hujus regulæ, pœna extinguitur. Pœnas etiam ipſo jure commiſſas poſſe præſcribi docent communiter Canoniſtæ Barb. *in c.* 2. *de præſcript. in* 6. *num.* 5. Arnold. Rath *in tract. de uſucapione c.* 2. *Aſſert.* 12. Quòd ſi objicias textum *in dicto c. de præſcrip. in* 6. Reſpondet Barb. procedere 18
in illo ſpeciali caſu bonorum ob hæreſim amiſſorum; ubi præſcriptio ponitur etiam contra Eccleſiam Romanam, ut illa bona acquirerentur, & admittitur minor quàm centenaria, id-eſt 40. annorum, ſed duntaxat in perſona liberorum catholicorum; & qui bona fide poſſident res Patris, qui ignorabatur hæreticus. Hinc bona fides non ſignificat juſtam retentionem in conſcientia, quam filii ſemper habent ante ſententiam declaratoriam judicis; ſed potiùs ignorantiam criminis paterni, quod ſi filiis innotuiſſet; & illud non denunciâſſent, inducerent præſumptionem participationis contra ſe, ac eſſent cenſendi indigni bonorum Patris hæretici. Quia verò in hac regula fit mentio de intruſis, obſervandum eſt, eos dici intruſos, qui propria authoritate, & absque canonico titulo beneficium eccleſiaſticum poſſident; vel qui obtinuerunt dignitatem à non habente poteſtatem conferendi *c. cum veniſſent de in integr. reſtit.* hoc pacto intruſis prætens regula de triennali poſſeſſore non favet; ut neque iis, qui ſe ingerunt in poſſeſſionem, ſeu adminiſtrationem beneficii à Pontifice ſibi collati ante expeditionem Bullarum, ut habetur in conſtitut. 4. Julii II. cui initium eſt *Romani Pontifices*: & licèt hæc conſtitutio principaliter loquatur de majoribus dignitatibus, ſeu eccleſiis cathedralibus, monaſteriis, prioratibus; nihilominus in Bulla Julii III. *cupientes* fit extenſio etiam ad minora beneficia, ut tradit Pariſius. *lib.* 10. *queſt. 1. n.* 20.

Gratia licèt dicatur perfecta, quando Papa 19
ſignat ſupplicationem ei exhibitam per verbum *fiat ut petitur*; nihilominus adhuc hujusmodi gratia eſt informis, & quaſi conditionata, antequam ordinaria collationis Bulla deſuper expediatur; argumento *regul. cancell.* 27. *de non judicando juxta formam ſupplicationum, ſed literarum expeditarum*, in cujus initio talis gratia ante literarum expeditionem vocatur *informis*: hinc qui adit poſſeſſionem ex ſola ſupplicatione ſignata literis non expeditis dicitur intruſus, & omne jus quod habet in beneficio amittit, ac de cætero ad illud obtinendum inhabilis redditur. Pertinet etiam huc Regula 51. in qua ſummus Pontifex declaravit, quòd diſpenſatio per ſolam ſignaturam nemini ſuffragari

gari debeat, antequam literæ Apostolicæ super ea confectæ fuerint: eò quia plerumque in supplicatione plura includuntur, ac inseruntur, quæ omnia per unum generale verbum *fiat ut petitur* concedere non intendit summus Pontifex. Tum quia in generali concessione non comprehenduntur ea, quæ quis verisimiliter non fuisset in specie concessurus *c. in general 85. de R. J. in 6.*

20 In regula 55. de exprimendo valore beneficiorum statuit Pontifex, ut qui prius obtinuit beneficium ecclesiasticum, si novum à Papa impetret, teneatur utriusque beneficii exprimere annuos reditus, qui debent etiam inseri gratiæ à Papa factæ; alioquin gratia non valet, nec ullum sortitur valorem; nisi post impetratum secundum beneficium dimiserit primum antea possessum. Idque ut innotescat Pontifici, an reditus unius clerici per multiplicata beneficia non nimis in detrimentum cæterorum augeantur. Habetur itidem regula 57. *de expressione qualitatum beneficiorum*, in qua Pontifex statuit, ut super beneficiis ecclesiasticis fiat mentio de qualitatibus eorundem; nimirum an dignitates, vel personatus, vel officia sint curata, vel elective, idque sub pœna nullitatis gratiæ factæ: rursus debet id negativè exprimi, nimirum quòd non sit dignitas, vel beneficium electivum, officium, vel personatus, ut exponit Glossa: quia juxta diversas beneficiorũ qualitates requiritur etiam major, vel minor qualificatio, ac capacitas in supplicante; non enim qui idoneus est ad beneficium simplex obtinendum; censetur semper capax beneficii curati, cui est animarum cura annexa.

Quia verò de jure gratiam, aut rescriptum
21 Apostolicum excommunicatus non potest impetrare super alio, quàm super articulo excommunicationis *c. 1. de rescriptis in 6.* stylus tamen curiæ is est, ut in literis, seu rescriptis super aliis causis, gratiis, vel beneficiis impetratis inserat absolutionem à censuris limitatam tamen, seu ad effectum duntaxat consequendi literas; adeout obtentis literis reincidat in censuram, qui supplicavit Papæ pro literis, & fuerit excommunicatus, nisi aliter satisfecerit Ecclesiæ, vel absolutus plenè fuerit. Idque ne ob prædictam absolutionem in literis Apostolicis poni solitam, detur occasio flocci faciendi censuras ecclesiasticas.

Hinc in regula 66. de generali absolutione
22 à censuris ad effectum literarum Apostolicarum habetur, præfatam clausulam non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, illisque utentibus, receptoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis viâ facti ausu temerario, Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuntios, vel executores sedis Apostolicæ, ac eorum officium impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis hujusmodi sententiam sustinuerunt, & generaliter quibuscunque aliis, qui censuris extra casus enarratos quomodolibet ligati in illis per annum continuum inseruerint.

In Regula 68. Papa sibi reservat omnia be- 23
neficia alàs per regulas cancellariæ reservata, quæ vacârunt sede papali vacante, nec interim per Ordinarios de iisdem dispositum, seu minus validè dispositum fuit. Cum regulæ cancellariæ expirent per mortem cujuscunque summi Pontificis, & sede Papali vacante, nullam vim obtineant, ac propterea beneficia eo tempore vacantia (nisi aliàs per constitutiones perpetuas fuerint reservata) Ordinarii validè possint conferre; propterea debent sibi invigilare, & illa statim conferre. Sunt aliæ regulæ concernentes beneficia ecclesiastica; sed recensitæ sunt principaliores: qui plura desiderat, consulat Canonistas, qui super hisce regulis fusè scripserunt, ut Cochier in commentario in regulas Cancellariæ, Gomez in Regulas easdem, Gonzales in Regulam octavam, Barbosa, Garcia, & alii.

§. XXIII.

De Concordatis Germaniæ.

AD lites, quæ passim in Germania orie- 1
bantur super vacantibus beneficiis prorsus impediendas, nonnulla fuerunt instituta, seu concordata à Nicolao V. Pontifice maximo per Joannem S. Archangeli Diaconum Cardinalem in partibus Germaniæ tunc sedis Apostolicæ Legatum de latere ex una parte; & Fridericum Imperatorem, aliósque Germaniæ Principes, ac S.R.J. Proceres ex altera, anno ab orbe reparato 1447. Calendis Aprilis hæc concordata approbata, ac confirmata postea fuerunt ab eodem Nicolao, qui bullam confirmatoriam edidit, quæ in Bullario inter constitutiones ejusdem Pontificis ponitur primo loco, cui initium est *Ad sacram Petri sedem.* Hæc igitur concordata reservant in Germania Turnariis 6. menses, & totidem Romano Pontifici; adeout si beneficium in mense Apostolico vacans non conferatur à S. Sede infra trimestre, à Turnario, vel Ordinario conferri possit. Hæc eadem concordata, Clemens VII. etiam confirmavit, & statuit, irritas esse collationes in mensibus Pontificiis alternis, seu in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembre, Novembre ab aliis factas, & etiam declaravit provisos per eos teneri ad restitutionem fructuum. Ac demum reservat provisis à sede Apostolica contra intrusos actionem.

Præterea Gregorius XIII. constituit, ne 2
quod constituerat Nicolaus V. in Bulla, quæ incipit *Ad sacram Petri sedem*, quòd post tres menses si summus Pontifex non contulerit beneficia vacantia in mensibus Pontificiis, possent à Turnario, vel Ordinario validè conferri; ut provisi à tempore collationis intra tres menses teneantur Ordinariis locorum significare collationem, ut notat Tholosanus *c. 24. n. 10.*

Verùm quia Papa est Ordinarius omnium 3
Ordinariorum; habétque jurisdictionem universalem, immediatam, ac independentem; nec non plenitudinem potestatis *c. ad honorem de Authent. & usû pallii*, ideo ut tradit Baldus *ad l. rescripta C. de precibus Imper. offer.* Omnia bene-

beneficia mundi sunt Papæ manualia, ut notat Ludovicus Gomes *in proœmio Regul. cancellar.* proinde potest quemlibet privare in beneficialibus jure suo etiam sine causa, ut notat Felinus *ad c. quæ in eccles. de constit.* Pari pacto potest Papa sola voluntate prævenire in collatione beneficiorum ecclesiasticorum omnes mundi ordinarios collatores, ut notat Joannes de Sylva *tract. de beneficiis 3. part. q. 60.* Imò potest auferre beneficia antea collata illiteratis, ac dare viris doctrinæ excellentiâ, morúmque probitate insignibus, & quibus Ecclesia vel maximè indiget; sunt enim hi cæteris præferendi, ut notat Glos. *in c. cum ex eo de elect.* Hæc causa fuit, cur Nicolaus I. Papa *in c. 4. 63. dist.* sibi reservaverit collationem Ecclesiarum Archiepiscopalium Trevirensis, & Colonien sis referente Bursato *consil. 126.* Ut per eas, viris doctissimis, virtutum potiùs claritate, quàm generis splendore illustribus succurri posset. Nostris tamen temporibus reservationes non fiunt, nisi ex justa causa, ut tradunt Simonetta *tract. de Reservat.* Felin. *ad c. fin. de testibus* juxta Trident. *sess. 24. c. 19. de Refor.* Cæterum ubicunque summus Pontifex apponit manum, ex eo affectio oritur, & beneficia dicuntur affecta, quorum collatio ad solum summum Pontificem pertinet: hæc est prærogativa supremæ potestatis, ut ubicunque manum apposuerit, sive per reservationem, sive per decretum irritans, sive alio modo, alii de iis non se intromittant *c. ut nostrum de appellat. c. 1. & 2. de confirm. utili, vel inutil.* Rursus ex Bulla Pii V. emanata die 9 Martii anno 1567. omnia beneficia vacantia, & vacatura sede Episcopali vacante reservata sunt collationi summi Pontificis.

4 Quod verò ad Bullam pertinet Nicolai V. de Concordatis Germaniæ, summus Pontifex dispositioni suæ reservat Ecclesias, & beneficia ecclesiastica, seu eorum provisio, & collatio *per extravag. constitutionem execrabilis* Joannis XXII. & extravag. *ad regimen*, inter communes, cujus Author fuit Benedictus XII. & inseruntur Concordatis Germaniæ, additis tantùm nonnullis limitationibus; quæ sunt.

5 Primò *in extravag. ad regimen* Beneficia etiam vacantia per suspensionem muneris consecrationis reservantur Papæ; non ita in concordatis Germaniæ.

6 Secundò neque in iis reservantur beneficia, quibus Joannes XXII. Antecessor Benedicti XII. manum apposuit, qui plus quàm centum annis ante Nicolaum V decesserat; adeóque nullus ampliùs ex illis supererat, de quorum beneficiis Joannes XXII. disposuerat.

7 Tertiò *in extravag. ad regimen*, indistinctè reservantur beneficia officialium sedis Apostolicæ vacantia per illorum obitum: in concordatis autem Germaniæ id restringitur ad tempus, quamdiu ipsi beneficia actualiter tenent: proinde non reservantur illa beneficia, quæ ante susceptum beneficium, aut post illud depositum tenebant, cùm morerentur.

8 Quartò in d. extravag. inter officiales absolutè ponuntur commensales, & omnes alii capellani Papæ: in concordatis verò ponuntur tantùm limitatè quidam officiales, idest Vicecancellarius, Camerarii, septem Notarii, Auditores literarum contradictoriarum, Auditores causarum Apostolici Palatii, 24. Pœnitentiarii sedis Apostolicæ, & 25. Abbreviatores; ut etiam veri commensales Papæ, & 25. Capellani sedis Apostolicæ.

9 Quintò in Concordatis reservantur Papæ Ecclesiæ, aut beneficia quæcunque, & qualiacunque, auctoritate literarum Apostolicarum immediatè collata, vel conferenda imposterum, præterquam si virtute gratiæ expectivæ effectus fiat: at *in extravag. ad regimen* non habetur vox illa immediatè, neque sequens illa exceptio, quæ in concordatis Germaniæ fortassis addita fuit, ne ordinarii collatores nimium gravarentur, si non possent beneficia vacantia per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, virtute gratiæ expectativæ aliis liberè conferre.

10 Præterea reservatio Ecclesiarum, & beneficiorum facta in extravag. *ad regimen* prout extat in corpore juris inter communes est temporalis, & expiravit per mortem Papæ Benedicti XII. qui fuit Author ejusdem extravagantis; adeout hæc extravagans soleat renovari per regulam cancellariæ, quando novus Pontifex eligitur: secus per concordata Germaniæ sunt perpetuò reservata sedi Apostolicæ, quia sicut ipsa concordata sunt perpetua, ita illa extravagans, ut inserta Concordatis. Additur etiam in concordatis decretum irritans: si secus à quocunque super præmissis scienter, vel ignoranter attentatum fuerit, id ipso jure irritum esse.

11 Rursus *in 5. Item placet Nobis* Nicolaus V. concedit, ut in metropolitanis, & cathedralibus etiam immediatè non subjectis ecclesiis, & monasteriis immediatè subjectis sedi Apostolicæ, fiant electiones canonicè, quæ ad dictam sedem Apostolicam deferantur pro obtinenda confirmatione intra tempus præfinitum à Nicolao III. *in c. capientes 16. de elect. in 6.* (ubi electo statuitur mensis post consensum ipsius, vel habitam de electione notitiam ad arripiendum iter, & quàmprimum commodè fieri poterit, ad comparendum coram sede Apostolica) & elapso dicto tempore si non præsentatæ dictæ electiones fuerint Pontifici, vel si præsentatæ non fuerint deprehensæ canonicæ, ipse Pontifex ecclesiis providebit; & si fuerint canonicæ, eas confirmabit: nisi ex rationabili, ac evidenti causa, ac de Cardinalium consilio de digniori, ac utiliori persona duxerit providendũ: curabit autem Pontifex, ut confirmati vel per ipsum provisi metropolitanis suis, & aliis præstent debita juramenta, ad quæ jure tenentur. At in monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam sedem non consuevit haberi recursus; electi, seu illi quibus providendum est, pro confirmatione, & provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebuntur: ipsáque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro monasteriis ad dictam curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabit, vel providebit Pontifex, quàm ut superiùs de cathedralibus ecclesiis est expressum. De monaste-

nasteriis Monialium non disponet Papa, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. Juvat observare, per hæc Concordata fuisse derogatum juri antiquo communi, quo Episcopi ab Archiepiscopo confirmabantur; nunc confirmatio petenda est à Papa intra statutũ tempus. Rursus si Episcopatus, vel prælatura aliqua vacet in curia Romana per obitum, provisio beneficii vacati in curia pertinet ad Papam *ob extravag. ad regimen*, cui per Concordata quoad hoc non est derogatum.

12 *In §. de cæterìs verò dignitatibus* in iisdem concordatis concedit Nicolaus V. ut de cæteris dignitatibus, ac beneficiis quibuscunque sæcularibus, ac regularibus vacaturis (exceptis majoribus dignitatibus post Pontificales in cathedralibus, & principales in collegiatis ecclesiis) ultra præfatas reservationes (scilicet *in extravagantibus execrabilis, & ad regimen*) jure ordinario provideatur per collatores inferiores, ad quos aliàs collatio, seu provisio pertinet; adeout si dignitates, vel beneficia vacent in mensibus alternis numerum parem ferè habentibus, id est in Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seù quævis alia dispositio pertinebat, non obstantibus quibuscunq; reservationibus. Quòd si beneficiũ vacaverit in mensibus apostolicis Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris reservatur sedi Apostolicæ, ad quam pertinet ejus collatio; provisus à Papa de eodem beneficio tenetur infra tres menses à die notæ vacationis apparere in loco beneficii; alioquin ex tunc, & non antea Ordinari⁹, vel alius ad quem dispositio illius pertinebit, de illo liberè disponere potest.

13 Observandum est, quòd licèt sub generali concessione, & mandato Papæ, ut aliquibus provideatur de Beneficiis quibuscunque, non comprehendantur beneficia curata *c. cum in illis 16. princ. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd quando Papa mandat, aliquem provideri de personatu, dignitate, vel aliis beneficiis quibuscunque, non intelligitur de curatis, nisi mentionem faciat de habentibus curam animarum; neque intelligitur de beneficiis, ad quæ per electionem solent assumi, nisi fiat expressa mentio: nihilominus vigore concordatorum Germaniæ possunt ordinarii collatores in alternis mensibus sibi concessis, ac propriis, conferre beneficia etiam curata, perindè ac ipse Papa in suis mensibus Pontificiis (excipiuntur tamen beneficia expressa in iisdem concordatis, quæ ipse Papa confert) siquidem in dictis concordatis excipiuntur à gratia alternativa ordinariis collatoribus facta, majores dignitates post Pontificales, seu Episcopales in ecclesiis cathedralibus, & principales, seu præcipuæ in ecclesiis collegiatis, quales sunt in Germania Præposituræ; & in quibusdam ecclesiis Decanatus cathedrales, in quibus alternativa provisio locum non habet; sed semper reservantur Sedi apostolicæ, tametsi vacent in mensibus ordinariorum. Aliquæ tamen Ecclesiæ habent à sede apostolica indultum eligendi Præpositum, ut Metropolitana Salisburgensis, & Augustana.

14 Si vacans beneficium in mensibus apostolicis, illud Papa non conferat intra tres menses, tunc jus conferendi devolvitur ad collatorem ordinarium juxta concordata Germaniæ; datur tamen locus præventioni, adeout si Papa post illos tres menses præveniat in collatione beneficii, sit ejus collatio præferenda, ac suum sortiatur valorem; idque etiam procedit, si beneficium vacavit in mensibus Ordinariorum; quia Papa concurrit cum omnibus Ordinariis; Imò Cochier *in regul. 8. cancell. in Glos 11. num. 5.* asserit, id procedere etiam de Legatis à latere.

15 Quod verò in eodem §. *de cæterìs* in Bulla concordatorũ dicitur de proviso, qui non apparuerit intra tres menses, id non intelligitur à die notæ vacationis beneficii per obitum beneficiati in ipso loco beneficii: sed debent verba illa *in loco beneficii* ita intelligi, ut nectantur cum verbis *notæ vacationis*, quæ antecedunt, non verò cum verbo *apparuerint*; adeout sufficiat, si alicubi saltem Romæ appareat, seu constet de provisione intra tres menses à Pontifice facta: & intra trimestre provisio Apostolica in loco beneficii publicata sit; ita declaravit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *quæ in Ecclesia Dei*, in qua habetur, quòd non statim valitura sit collatio Ordinarii, si intra tres menses de provisione papali non constiterit: sed si intra tres menses provisum non fuerit. Licèt ex eadem declaratione provisus papalis intra præfatos tres menses teneatur notificare suam provisionem Ordinario, eámque publicare in loco beneficii, si commodè possit, & temporis angustiâ non coarctetur; facilè tamen contingit, ut ob locorum distantiam, vel provisionis dilationem id fieri nequeat; quo pacto provisio papalis suo destitueretur effectu, ut notat Georgius Brandem *super Concordatis Germaniæ post q. 12. not. c. n. 6.*

16 *In §. placet similiter nobis* in fine Concordatorum declarat summus Pontifex, qualiter annatæ, sive fructus primi anni de ecclesiis cathedralibus, & monasteriis virorum, scilicet exemptis, à die vacationis ecclesiarum juxta summam pecuniæ in camera Apostolica taxatam solvi debeant, scilicet, ut pro media parte infra annum à die, quo novus Prælatus possessionem pacificam totius, vel majoris partis Ecclesiæ, rerúmque ad eam pertinentium adeptus fuerit, & pro alia medietate intra annum sequentem solvantur. Sin verò contingat, tandem Ecclesiam intra annum bis vacare, taxa tantùm semel debeatur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel monasterio transeat.

17 De cæteris autem dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis sæcularibus, & regularibus quibuscunque, quæ authoritate sedis apostolicæ conferuntur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiæ expectativæ, aut causâ permutationis, quibus nullum onus est impositum) solventur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annũ, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat; adeout si antecessor in beneficio taxam non solverit, successor ejus pro sua tantùm, non pro antecessoris taxa conveniatur.

18 Præterea concedit summus Pontifex, ut si quæ Ecclesiæ excessivè taxatæ sint, possint desuper à sede Apostolica in partibus peti commissarii, qui

Digitized by Google

qui taxam earundem ecclesiarum juxta qualitatem rerum, temporũ, ac regionum, moderari, ac attemperare possint. Demum additur, hæc concordata esse perpetuò duratura, nisi in futuro aliquo Concilio consensu Nationis Germaniæ fuerit aliter ordinatum.

19 Observandum est, annatas vocari fructus primi anni, qui ex Archiepiscopatibus, Episcopatibus, etiam non exemptis, ac Prælaturis immediatè sedi Apostolicæ subjectis eidem solvuntur, postquam novus prælatus electus est, idque ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, & in sustentationem Cardinalium indigentium, & officialium curiæ. Annata tamen integra non solvitur nisi ex beneficiis consistorialibus, seu quæ conferuntur consistorialiter, seu in Consistorio Cardinalium rogatis à summo Pontifice illorum sententiis; hæc beneficia sunt Archiepiscopatus, & Episcopatus, ac Prælaturæ Romanæ sedi immediatè subjectæ. De aliis non consistorialibus solvitur tantùm media annata, seu media pars fructuum primi anni. Hæc tamen annata solvitur juxta taxam cameræ Apostolicæ, quæ tamen non intelligitur de annata integra etiam de beneficiis consistorialibus; sed quasi de quinta parte annui reditus; adeout si reditus alicujus Episcopatus ascendant ad centum millia florenorum, taxa integræ annatæ sint viginti millia florenorum; & ad solvendam hanc summam conceduntur duo anni; & si intra unum annum duo, vel plures episcopi ejusdem Ecclesiæ moriantur; semel tantùm annata integra solvitur, quâ non soluta ab antecessore, successor non compellitur ad illam solvendam.

20 Quæri hic solet, an summus Pontifex possit derogare concordatis Germaniæ? Respondetur absolutè loquendo ex gravi causa pertinente ad bonum publicum, & ex plenitudine potestatis posse illis derogare; quia Papa est Episcopus Ecclesiæ catholicæ, proinde omnium Ecclesiarum, & Ordinarius omnium ordinariorum, habens jurisdictionem universalem, immediatam, ac independentem, ac plenitudinem potestatis *c. ad honorem de Auth. & usu pallii* ideóque ut tradit Bald. *ad l. rescripta c de precibus Imper. offer.* omnia beneficia mundi sunt Papæ manualia; adeout privare possit quemlibet jure suo in beneficiis ecclesiasticis etiam sine causa, ut notat Felinus *ad c. quæ in ecclesiarum de constitut.* ut paulò superius innuimus.

21 Nihilominus id non solet; imò nec convenienter facere posset, nisi gravis, & extraordinaria aliqua causa pertinens ad bonum publicum Ecclesiæ urgeret. Convenit enim quòd nunquam censeatur Papa velle uti plenitudine potestatis; & concordatis, suæque promissioni demere; nisi specialem, & expressam concordatorum, ac justæ causæ mentionem faceret; alioquin rescriptum impetratum contra concordata absque tali expressa mentione subreptitium ac invalidum censeretur *Argumento c. cum ordinem 6. c. nonnulli 82. & ibi Glossa in V. fecerit mentionem de rescript.*

22 Tum quia concordata habent vim pacti, & contractus, & quidem reciproci, quia Nicolaus V. vicissim promisit in concordatis, quòd per quamcunque (præter prædictas) reservationem gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma per se, vel authoritate sua factam, vel faciendam non impediat, quò minus in sex mensibus alternis, sibi non reservatis, liberè de beneficiis disponatur per illos, ad quos collatio pertinet, vel provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio: unde sine gravissima causa non videtur conveniens revocare hæc concordata in præjudicium eorum, quibus ex iisdem est jus acquisitum: decet principem pacta sua inita servare, cum sint jure naturæ, & gentium *Gloss. in l. 2. V. quotiès C. de precib. offerend. Imper.*

23 An verò Germanis præscriptio, vel exceptio de non receptis concordatis, vel quòd in usu non sint, suffragari possit, quominus in aliquibus punctis non teneantur stare concordatis, ut certa beneficia, quæ alias vigore concordatorum essent de collatione papali, Ordinarii Germaniæ, citra speciale privilegium conferre possint, & recipientes in conscientia tuti sint, si à tempore immemoriali constanti usu talia beneficia solita fuerint ab Ordinariis etiam post concordata conferri? Brandem *super concordata Germaniæ quæst. 2.* ait, præscriptionem Germanis non prodesse ob decretum irritans, seu clausulam ipsis concordatis adjectam, ac irritantem omnes contrarios actus, ratione cujus deficit bona fides, titulus, & possessio, quæ sunt substantialia requisita ad præscriptionem: hinc Clemens VII. declaravit recipientibus beneficia contra concordata non prodesse Regulam *de annali, vel triennali de non receptis concordatis* vel sublato eorundem usu; quia ex textu concordatorum apparet, ea fuisse à Germanis recepta, & acceptata; & redarguendos potiùs esse; quàm juvandos subditos legem superioris non recipientes *c. si decreta dist. 20.*

24 Nihilominus quamvis tutiùs sit concordata omnino servare, & hactenus ob grassantes hæreses intermissa in plerisque Germaniæ partibus iterum in usum deducere; adhuc probabile videtur, quòd ordinarii collatores, ac beneficiati per præscriptionem, vel consuetudinem possint excusari supposita illa pacifica possessione temporis immemorialis. Etenim ad præscriptionem quod attinet notissimi juris est, quòd præscriptio centum annorum, vel temporis immemorialis procedat etiam contra sedem Apostolicam *c. ad audientiam 13. c. cum vobis, c. si diligenti de præscript. authent. quæ actiones C. de SS. ecclesiis* ut etiam ea valeant privilegia acquiri, de quorum initio non extat memoria *Gloss. in c. super quibusdam de V. S.*

25 Neque obstat, quòd decretum irritans adjectum concordatis inficiat titulum, & possessionem; quia id licèt dicatur, non tamen ullo sufficienti juris textu probatur: etenim etiam constitutiones, & in specie extravagans *Ambitiosa de rebus ecclesiasticis non alienandis*, habent decreta irritantia actus contrarios, & nihilominus canonistæ passim præscriptionem bonorum ecclesiasticorum admittunt. Quamobrem adjecta clausula irritans, & allegata declaratio Clementis VII. locum tantùm habent

in poſſeſſione modi temporis, annali, vel triennali, in qua vix contingit, ut quis habeat juſtam decreti ignorantiam.

26 Præterea non deſunt doctores, qui velint tantùm errorem facti, non verò errorem juris notorii effectum regulæ de triennali operari, ut cenſet Layman *in Theol. Moral. de eccleſiaſt. benef. c. 15. num. 5.* ſecus eſt ſi poſſeſſio ſit longiſſimi temporis, ubi vel titulus non requiritur, ut in tempore immemoriali; vel ſi requiritur ſaltem titulus pro ſuo allegari poteſt, quando ordinarii Prælati ſibi invicem ſucceſſerunt, & jura ab anteceſſoribus ſuis in ſe derivata, bonâ fide præſumptâ etiam de ſuis prædeceſſoribus, ſummo Pontifice, vel ejus Legato non contradicente retinuerunt *argum. l. fin. ff. pro ſuo. Gloſſ. in c. de quarto in V. tueri. de præſcript.* Conſuetudo itidem à longo tempore inolita vim habet legis, ut liquet *ex tit. de conſuetudine.* Licèt ſuperior poſſit ſubditos cogere ad legis obſervantiam, antequam conſuetudo ſit legitimè introducta, non ita ſi conſuetudo fuerit jam legitimè introducta, tunc enim perit obligatio legis.

§. XXIV.

De beneficiis reſervatis Imperatori Romanorum recèns electo ex indulto Pontificio per primas preces.

1 MOris eſt, ut imperatori recèns electo detur à ſummo Pontifice privilegium nominandi in qualibet Eccleſia ſemel perſonam aliquam idoneam Ordinario collatori, qui teneatur eamdem perſonam nominatam recipere, ac promovere ad primum beneficium vacans in eadem Eccleſia; & hæc nominatio, vel præſentatio ſortitur nomenclationem primarum precum, eò quia ſit prima Cæſaris electi petitio, cui debet ſatisfieri non obſtantibus reſervationibus Papalibus, iis exceptis, quæ *in extravagante ad regimen* continentur. Indultum Pontificium conceſſum Cæſari refert Cochier in Scholiis ſuper preces primarias juxta tenorem conceſſionis à Paulo V. factæ imperatori Ferdinando II. Scripſit etiam noviſſimè de hiſce primariis precibus Henricus Wagnereck *in commentario exeg.* unde pauca in calce hujus
2 tituli de primis precibus donabo enucleatu.

Conceditur in hoc indulto Cæſareæ Majeſtati recèns electæ facultas offerendi preces primarias, ſeu nominandi perſonas idoneas ordinariis collatoribus, vel collatricibus, ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica per ſacrum Romanum Imperium, ubilibet conſtituta, in cathedralibus etiam Metropolitanis, Collegiatis, vel quibusvis aliis eccleſiis, ſive ſint cum cura, ſive ſine cura, ſive regularia, ſive ſæcularia, etiam beneficia hujusmodi, canonicatus, præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, etiam ſi majora fuerint; & perſonas nominatas ad hujusmodi beneficia, poſtquam ipſis canonicè de illis proviſum fuerit, prædicti collatores, & collatrices recipere, ac admittere teneantur, ſive ad eorundem collatorum, vel collatricum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem communiter, vel diviſim pertineant. Rurſus poteſt Imperator neo-electus ſuas preces interponere non ſolum in menſibus Papalibus dummodo beneficia vacantia non ſint reſervata per *extravag. ad regimen h.t. inter commun.* ſed etiam in menſibus Ordinariorum non obſtantibus concordatis Germaniæ, quibus expreſſè derogatur indultō primarum precum circa finem. Non enim, ut notat Cochier in tractatu illo ſpeciali, quem inſcripſit *Scholia in primarias preces Imperatoris* veroſimile eſt, Fridericum Imperatorem concordando cum ſede Apoſtolica, & Ordinariis Germaniæ voluiſſe ſuo, ſuorúmque anteceſſorum antiquiſſimo privilegio renunciare, ſimúlque ſuis præjudicare ſucceſſoribus, ut etiam tradit Wagnareck *l. c. §. 3. V. in quibusvis.*

3 Vigore igitur Pontificii indulti poteſt Imperator neo-electus in omnibus eccleſiis per totum Romanum Imperium ſitis primas preces concedere, tali tamen moderatione, ut idem collator non niſi ſemel gravetur; & tunc cenſetur gravatus, quando preces ſuum ſortiuntur effectum; & tunc dicuntur ſortiri ſuum effectum, quando nominatus à Cæſare ad tale beneficium eccleſiaſticum, illud conſequitur, ac pacificè poſſidet: quòd ſi precilta, ſeu nominatus matrimonium poſtea iniret, ac precibus renunciaret, vel ante adeptum beneficium deceſſerit; tunc poteſt Imperator pro alio novas preces ad eundem collatorem porrigere; quia præcedentes porrectæ preces ſuum non fuerunt effectum ſortitæ. Non tamen poteſt Imperator per primas preces gravare collatores habentes tantùm duo, vel tria beneficia conferenda; ſed ad minimum debent collatores gravandi per primas preces poſſe conferre quatuor beneficia: ſi enim collator unum tantùm, vel alterum, beneficium habent conferendum non tenetur preces Cæſaris admittere, ne fortaſſis contingat, ut toto vitæ ſuæ tempore impediatur uti jure liberæ ſuæ collationis.

4 Excipiuntur tamen à primis precibus dignitates Pontificales, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & primæ dignitates poſt illas, cujusmodi ſunt Præpoſituræ, ac Decanatus (niſi fortaſſis ex jure patronatus, aut alio ſpeciali privilegio jus præſentandi competat Imperatori) Rurſus excipiuntur primæ dignitates, ac Prælaturæ in monaſteriis, & eccleſiis collegiatis; non ita excipiuntur aliæ dignitates inferiores, officia, vel canonicatus etiam in eccleſiis cathedralibus. Beneficia verò quæ pertinent ad jus patronatus Laicorum excipiuntur; quia Pontifex non intendit derogare juri patronatus Laicorum, niſi id ſpeciatim exprimat. Præterea poteſt Imperator ex Pontificia authoritate ſibi conceſſa deputare aliquos in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos, qui primas ſuas exequantur preces; & tunc executores primarum precum Cæſaris ex eadē authoritate Pontificia poſſunt contra quosvis collatores, Epiſcopos quoscunque, & alios, ad quos preces directæ ſunt, etiam per cenſuras eccleſiaſticas procedere, ſi nitantur impedire quominus porrectæ primæ preces ſuum ſortiantur effectum; adeout eos poſſint etiam anathe-

mate

mate perèutere, si contumaces fuerint. Potest etiam Imperator pro una, ac eadem persona ad diversos collatores suas preces dirigere, non ut hæc eadem persona plura obtineat beneficia ecclesiastica; sed ut precista tanto certiùs de beneficio provideatur, si non in una, saltem in alia Ecclesia: alioquin si ipsi de uno beneficio provisum fuerit, cessare debent preces quoad alios collatores.

5 Cæterum precista, seu nominatus à Cæsare ad beneficium ecclesiasticum debet etiam uti suis precibus, & per se, vel per procuratorem acceptare beneficium vacans infra mensem, postquam notitiam habuerit vacationis juxta textum Bullæ, ubi habetur: *quæ personæ, pro quibus preces, & nominationes hujusmodi facta fuerint, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda*, quia diuturna beneficiorum vacatio dispendiosa est ecclesiis *c. quàm sit de elect.* An verò si nominatus à Cæsare neglexerit acceptare primum beneficium vacans, eique oblatum per primas preces, possit nihilominus petere secundum? Respondet Wagnereck *quæst.* 3. *l. c.* acceptatione unius beneficii semel factâ non concedi variationem, per jura, quæ regulariter electione semel factâ mutationem non admittunt, juxta vulgatum illud effatum: quod semel placuit ampliùs displicere non potest *c. quod semel* 11. *c. mutare de R. J. in 6.* re tamen integra potest acceptare primum beneficium vacans; sin aliter, expectare secundum, vel tertium, ob illa verba generalia: *quæ duxerint acceptanda.*

6 Quòd si objicias *c. si clericus* 11. *de præbend. in 6.* ubi mandatum, ut alicui de beneficio proximè vacaturo provideatur, intelligitur de primo, quo neglecto censetur extincta gratia. Respondet Glossa, textum esse intelligendum de mandato coarctato ad beneficium primò vacaturum; non verò ad beneficia *quæ duxerint acceptanda.* Si tamen nominatus non acceptet beneficium primò vacans, potest Imperator primas preces porrigere pro alio, qui obtineat tale beneficium neglectum ab alio, qui privatur jure ad aliud beneficium in eadem Ecclesia. Potest enim Imperator, postquam unum nominavit ad beneficium, variare, & resilire nominando alium, ut notat Cochier *in Scholiis sect.* 2. *q.* 2. quia etiam Legatus de latere, qui reservavit sibi beneficium pro certa persona, potest id revocare, & alteri conferre. Ratio est, quia per nominationem ad beneficium acquirendum, nominatus non acquirit jus in beneficio, sed tantùm ad implorandum officium executoris, ut sibi provideat, vel faciat sibi provideri; ut notat Glossa *in c. veniens* 13. *V. Renunciâsse de Renunc.*

Quòd si dicas, nominationem habere vim
7 præsentationis. Respondetur, id verum esse quando quis præsentatur ad beneficium vacans, quia tunc res non est ampliùs integra. Secus est de beneficio vacaturo, ad quod dantur preces primariæ, siquidem omnes expectationes sunt odiosæ: hinc si quis nominetur ad beneficium vacaturum, res censetur manere integra, ut notat Cochier *l. c.* quapropter Imperator primarias preces alicui concessas potest revocare, si nullum jus sit precistæ quæsitum, sed tantùm ejus nomen in cathalogo Cæsaris descriptum, quia per talem inscriptionem nullum jus acquiritur in re, nec ad rem propriè dictum; sed tantùm nectitur ejus nomen ad memoriam Cæsaris. Quòd si jus nominato esset quæsitum; tum Cæsar absque justa causa non deberet concessam gratiam revocare, ut notat Cochier *l. c. quæst.* 17.

8 An verò Imperator tantùm electus, & nondum confirmatus à Papa possit uti privilegio, seu indulto primarum precum. Respondet Wagnereck *ad prine. prim. prec. V. ea tibi pa.* 487. Primas preces à Paulo V. concessas fuisse Ferdinando Imperatori in forma novæ gratiæ, & non fundari in sola consuetudine; nihilominus ob antiquissimum morem consuevisse Imperatores tantùm electos, & nondum confirmatos uti primis precibus sub spe Pontificiæ ratihabitionis: alioquin spectato jure communi electus in Imperatorem ex sola electione non habet jus, nec authoritatem administrandi imperium, proinde neque potestatem concedendi privilegia, & gratias, ac alia faciendi, quæ sunt potestatis Imperialis: quia Imperator tantùm electus, & nondum confirmatus, adhuc absolutè, & simpliciter non est Imperator; sed duntaxat designatus Imperator; & nemo intelligitur operari antequam sit: unde non ex simplici electione, sed ex inolita consuetudine à tempore immemoriali, & sub spe ratihabitionis Pontificiæ potest Imperator uti primis precibus. Neque obstat quòd hoc jus nominandi personas idoneas ad beneficia ecclesiastica non sit merè temporale, sed annexum spirituali; quia hoc jus competit Cæsari ex privilegio summi Pontificis, quo utuntur Imperatores tantum electi, & nondum confirmati ex præsumpta voluntate summi Pontificis scientis, ac tolerantis, ac proinde tacitè approbantis; cujus concessio, seu indultum postea datum retrotrahitur ad tempus electionis *ex reg. juris in 6.*

9 Oritur hìc dubium, quisnam debeat precistæ, seu nominato à Cæsare conferre beneficium? quia *juxta regulam* 1. *juris in 6.* absque institutione canonica nemo potest obtinere beneficium ecclesiasticum; unde dubitatur, quisnam debeat esse collator, Imperator ne, vel ejus executor, aut Ordinarius? Respondet Wagnereck *l. c. §. 3. in fin.* apparere stando in textu, nisi consuetudine aliud sit introductum, Cæsareas literas à precista primùm offerendas fore executoribus à Cæsarea majestate deputatis, qui nullo deprehenso substantiali vitio beneficia ipsi canonicè conferant, & Cæsaris postea preces Ordinariis collatoribus, ad quos spectat, porrigant, à quibus precista recipi debet, ac in possessionem induci. Quia Pontifex nullibi in indulto dat hanc potestatem conferendi ipsis Ordinariis; sed executoribus Ordinariis, quibus injungit receptionem nominatorũ per primas preces, seu inductionem in possessionem. Tum quia Pontificis voluntas est, ut canonica provisio præcedat receptionem: ait enim Pon-

tifex in indulto *poſtquam ipſis canonicè proviſum fuerit.*

9 Nihilominus Cochier potiùs cenſet *ſect.* 2. *audacimo quæritur*, hæc beneficia eſſe potiùs conferenda ab Ordinariis, ad quos aliàs pertineret collatio: idque probat ex duabus formulis primarum precum Rodulphi, & Ferdinandi Imperatorum, quæ expreſsè fuerunt directæ ad Ordinarios collatores; & iſti ab Imperatoribus in facienda proviſione preciſtæ requiruntur, quia ad Ordinarios pertinet examinare qualitates preciſtæ, & alia præſtare ad canonicam inſtitutionem requiſita, ut liquet ex precum, ac nominationum tenore. Et hæc ſententia probabilior eſt; quia non fuit intentio Pontificis adimere Ordinariis jus ſuum conferendi beneficia in propria diœceſi, & ipſis præferre extraneos executores; quod non rarò fomes eſſet diſſidiorum; ſed Pontifex tantùm Ordinariis præcepit, ut preces primas, ſeu nominationes Cæſareas admitterent juxta indultum Imperatoribus neo-electis conceſſum.

10 Neque obſtat, quòd Pontifex *in §. quodque quicunque* ejus dem indulti, injungat executoribus Cæſareis, ut vel per ſe, vel per alios confe-rant beneficia cum omnibus juribus, ac pertinentiis, & ut nominationes effectum habeant, det etiam Papa executoribus plenam, ac liberam facultatem exequendi mandata etiam per eccleſiaſticas cenſuras. Nam id conceſſit Pontifex executoribus, quia Ordinarii non facilè parebant indulto primariarum precum; & ideo Papa conſtituit delegatos ſuos executores pro executione nominationis Cæſareæ, qui compellant Ordinarios ad conferenda talia beneficia. Debent autem hujusmodi executores, (quos Cæſar eligit) eſſe in eccleſiaſtica dignitate, vel perſonatu, vel ſaltem canonici alicujus Eccleſiæ cathedralis. Quia verò hi executores ſunt delegati à Papa, à quo habent jurisdictionem poſſunt ſub-executores ſubdelegare; quia delegati à Papa poſſunt ſubdelegare, dummodo ſubdelegati habeant qualitates requiſitas in *c. ſtatutum* 11. *in princ. de Reſcript. in 6.* ut notat Cochier *in precibus primariis ſect. 4. in Scholiis.*

11 Præterea ſicut Cæſar mortuo preciſtâ ante acquiſitum beneficium poteſt alium nominare: ita etiam mortuo executore, vel ſubexecutore poteſt alium deputare; ſi preces Cæſareæ nondum plenum ſuum ſortitæ ſint effectum, qui non ſolùm per mortem preciſtæ, ſed etiam executoris, vel ſubexecutoris impeditur. Quòd ſi executores deputarentur à Papa, tum iis mortuis recurrendum eſſet ad Papam pro aliis executoribus, ut notat Cochier *l. c. & ſect. 4. V. vacaverint*, aſſerit, beneficium per preces interpoſitas reddi affectum, adeo ut ſi Ordinarius alteri non preciſtæ etiam ignoranter contulerit, adhuc collatio futura ſit invalida. Cæterum nominatus per preces Imperatoris debet infra menſem computandum à tempore vacationis publicè notæ in loco, vel Eccleſia beneficii vacantis declarare per ſe, vel per procuratorem, an velit tale beneficium tunc vacans acceptare? *argumento Clem. 1. de conſtit. prabend.* Niſi tamen preciſta alleget, ac probet abſentiam, vel aliam juſtam cauſam ignorantiæ, ut notat Cochier *l. c. fol. 66*

Imò cenſent alii probabiliter, re adhuc integra poſſe preciſtam etiam poſt elapſum 12
menſem à tempore dictæ vacationis beneficium acceptare: quia per Cæſareas preces non agitur de jure acquirendo, ſed de acquiſito per nominationem conſervando, ac in effectum deducendo; unde per acceptationem invalidam diſpoſitio, ſeu facultas acceptandi non extinguitur *l. matrimonii* 21. *ff. qui, & à quibus manumiſſ.* Quòd ſi preciſta petat ſibi conferri beneficium, quod dicit vacare per obitum Titii, & revera vacet per obitum Caii, adhuc collatio ſibi facta eſt valida; quia eligens jus, quod ſibi falſa opinione ductus putat ſibi competere; non amittit illud, quod ſibi verè competit *l. mater* 19. *§. caterum ff. de inoffic. teſtament.* Præterea quia falſa demonſtratio non vitiat actum, dummodo conſtet de re *l. demonſtratio* 17. *ff. de condit. & demonſtrat.*

Quòd ſi dicas, non valere impetrationem 13
beneficii vacantis per obitum Titii, ſi vacet per mortem Sempronii, tametſi appoſita ſit clauſula; *aut quocunque alio modo vacet*; non enim debetur impetranti ſi vacet per obitum alterius perſonæ, quàm expreſſæ; quia modus unus vacandi, & expreſſus, non eſt alius non expreſſus; neque non expreſſus venit pro expreſſo *c. ſuſceptum 6. de reſcript. in 6.* Reſpondetur id procedere de proviſione beneficii, quæ non valet facta ei, qui in petitione dixit vacare per obitum Titii, cum vacet per obitum alterius: ſecus eſt in acceptatione, quæ non eſt niſi quædam voluntatis declaratio acceptandi tale beneficium, & tendit ad executionem gratiæ, ideóque non impeditur, etiam ſi erretur in modo vacationis, dummodo ſequatur poſtea vera proviſio, quæ dat jus in beneficio *c. ſi ſibi 17. h. t. in 6.*

Probabile etiam eſt, hoc tempus unius men- 14
ſis non currere contra minorem 25. annis, nec contra legitimè impeditum durante minore ætate, vel impedimento *argumen. l. 1. C. de annali exceptione. l. ob commiſſa* 21. *C. ad l. Juliam de adult.* ex quibus juribus ſumitur illa regula; *legitimè impedito non currere tempus*; dummodo impedimentum illud non ſit affectatum: ſicut neque abſentibus juſta de cauſa *l. 1. ff. ex quibus cauſis major.* Neque obſtat, quòd in ſpiritualibus minor cenſeatur major *c. ex parte* 14. *de reſtit. ſpoliat. c. ult. de judic. in 6.* Quia id ſolùm procedit in his, quæ ſunt merè ſpiritualia, ut matrimonium, ingreſſus Religionis, votum; & alia id genus: non verò in aliis, quæ non ſunt merè ſpiritualia; ſed ſpiritualibus ſolùm annexa, cujusmodi ſunt beneficia eccleſiaſtica: in hiſce contra minores non currit tempus præſcriptionis, vel ſaltem eisdem enormiter læſis conceditur reſtitutio in integrum.

Cæterum indultum primariarum precum, 15
& poteſtas executoribus conceſſa extenditur primò ad beneficia quævis ſedi Apoſtolicæ reſervata, ut poſſint conferri preciſtis, quos Cæſar ad illa nominavit; iis exceptis, quæ Papa reſer-

reſervantur *in extravag. ad regimen*, ut ſunt beneficia Cardinalium,& officialium curiæ Romanæ ubicunque decedunt: & eorum beneficiorum, qui aliunde cujusvis negotii cauſâ ad curiam veniunt, ſi in curia, vel in acceſſu, aut reditu, intra duas dietas à curia diſtantes moriantur. Excipiuntur etiam beneficia vacantia per privationem, depoſitionem, translationem, promotionem, aſſecutionem alterius beneficii incompatibilis, ſi talis privatio, depoſitio, translatio, promotio, ſeu collatio beneficii, facta ſit per ſedem Apoſtolicam: hæc beneficia non comprehenduntur ſub precibus primariis: alia verò omnia, etiam reſervata Papæ ſub iis continentur: quia exceptio aliquorum caſuum firmat regulam in contrarium quoad caſus non exceptos *auth. ut autem lex, & ibi Gloſſa V. in auxilio.* Secundò extenditur ad beneficia ex diverſis perſonis vacantia, quando plures ſimul, & eodem tempore, vel intra breve tempus moriuntur: vel quando plures de beneficiis contenduntur, & ſimul,ſi aliquod habeant,privantur.

Non tamen comprehenduntur beneficia, 16 quæ vacant ex cauſa reſignationis in favorem, quia ut notat Pariſ. *lib.* 10. *de reſignat. benef. q. 7. num.* 22. reſignans in favorem non intendit jus à ſe abdicare, niſi beneficium reſignatum acquiratur reſignatario. Extenditur etiam indultum ad beneficium in eadem Eccleſia, in qua preciſta habet aliud beneficium, dummodo ſine diſpenſatione Apoſtolica retineri poſſint; ſintque beneficia de jure compatibilia, cujusmodi ſunt dignitas,& canonicatus; beneficium curatum, & ſimplex; canonicatus,& capellania: hæc ſunt beneficia compatibilia,quamvis requirant reſidentiam, quia hæc fit in eadem Eccleſia. Præterea poſſunt executores primariarum precum conferre preciſtis beneficia, quamvis non habeant qualitates ſecundùm ſtatuta,& conſuetudines Eccleſiarum requiſitas, ut ſi preciſtæ careant nobilitate requiſita ex ſtatuto Eccleſiæ; imò etiamſi non habeant qualitates requiſitas ſecundùm jus commune, ut ſunt ætas,& legitimi natales, dummodo ſuper inhabilitatibus provenientibus ex jure communi ſit cum illis legitimè diſpenſatum; quia licèt Pontifex det poteſtatem executoribus conferendi beneficia incapacibus etiam de jure communi; non tamen cenſetur conceſſa poteſtas diſpenſandi, aut conferendi beneficia inhabilibus ſine diſpenſatione; ſiquidem hæc poteſtas ſpecialem exigit conceſſionem *argum. c. auctoritate 4. de privil. in 6.* ut notat Cochier *h. c. V. ſecundùm ſtatuta fol.* 25.

§. XXV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an liceat Epiſcopo aliquem promovere ad Sacros ordines ſine titulo? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. non liceat 2 h. t.* & deſumitur etiam jure novo ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 2. Ratio ex eo petitur, quia non decet eos, qui divinis aſciſcuntur miniſteriis cum ordinis eccleſiaſtici dedecore mendicare, vel ſordidum quæſtum exercere: *Diaconi ſunt diſt.* 93. Tum quia qui altari inſerviunt, æquum eſt, ut de altari vivant, ut ſcribit Apoſtolus 1. *ad Corinth. c.* 9. quo fit, ut non liceat Epiſcopo ordinare clericos ſine titulo eis pro congrua ſuſtentatione nil aſſignando: quapropter Epiſcopus vel debet clericos non ordinare, vel ſi eos promovet ad ordines eccleſiaſticos, debet iisdem congruam ſuſtentationem aſſignare. Notandum tamen eſt, quòd tametſi textus in *d. c. non liceat 2. h. t.* loquatur generaliter de clericis: ſpectato tamen jure noviore, id intelligitur de ordinatione in ſacris ordinibus, ut etiam habetur in *c. cum ſecundum* 16. *h. t.* Moris fuit, ut olim neque minores ordines alicui conferrentur ſine titulo,ut notat Suarez *de cenſur. diſput.* 21 *ſect.* 1 *num.* 31. Hodie tamen Eccleſia Romana non ſolet Epiſcopos cogere,dare ordinatis ſine titulo unde vivant, niſi in ſacris eos ordinaverint.

Quæritur ſecundò, an jure conſanguinitatis ſuccedatur in bonis, ſeu præbendis eccleſiaſticis? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. ut nullus 3. h. t.* ubi ex Concilio Pictavienſi declaratur bona eccleſiaſtica non acquiri jure conſanguinitatis. Ratio ex eo petitur,quia res Eccleſiæ, non habentur ut propriæ; ſed ut communes, adeò ut beneficiarius primò ex illis vivat, ſeu expendat, quantum neceſſitas exigit pro congrua ſua ſuſtentatione, & quæ ſuperſunt impendat in alios pios uſus *c. res 12. q. 1.* atqui eſt contra rationem, ut quod pro communi utilitate inſtitutũ eſt, propriis cujusquam uſibus applicetur, proinde bona, quæ clericũ ob eccleſiis acceperunt, vel earundem intuitu, poſt ipſorum obitum, reſtituenda ſunt eccleſiis, adeòut hæredes, vel conſanguinei non poſſint jure hæreditatis ea ſibi vendicare *c. relatum 2. de teſtam.*

Tum quia bona eccleſiaſtica futurunt Deo oblata à fidelibus pro victu, & ſuſtentatione Miniſtrorum Eccleſiæ, ſecundùm diſpoſitionem, & ordinationem ſuperiorum eccleſiaſticorum, unde clerici jus præbendæ non à defuncto per ſucceſſionem, ſed à Prælato Eccleſiæ per canonicam collationem, ſeu inſtitutionem habent; quapropter jus præbendæ nec poteſt clerico conferri ultra dies vitæ ſuæ: ſiquidem beneficium non datur niſi propter officium, ſeu miniſterium Eccleſiæ, quod poſt obitum non poteſt, qui deceſſit amplius exercere, proinde ceſſat in illo omne jus ad tale beneficium. Tum quia quamvis jus præbendæ pertineat ad beneficiarium, ut uſufructuarium, principaliter tamen,ac radicaliter pertinet ad ipſam Eccleſiam, ad quam propterea ceſſante beneficiario beneficium, & præbenda devolvitur *c. Relatum 12. de teſtament.* Hodie verò locò eccleſiarum, quibus debentur bona clericorum, ſuccedit in ſpoliis eorundem camera Apoſtolica,præſertim per conſtitutionem Pauli III, quæ incipit *Romani* edita 3. nonas Januarii 1549. Verùm id procedit de bonis acquiſitis à clerico intuitu ipſius Eccleſiæ, quia alia bona, quæ intuitu perſonæ, vel ex hæreditate alicujus perveniunt ad clericos, ab inteſtato tranſeunt ad conſanguineos, & ex teſtamento juxta diſpoſitionem

secundum clericorum, ut habetur *in c. ad hæc de testament.*

4 Quæritur tertiò, an si Episcopus promoveat ad sacros ordines aliquem non habentem de proprio, unde vivat, teneatur de suo eidem providere? Respondetur affirmativè ex *c. Episcopus 4. h. t.* ubi Alexander III. rescribit, quòd si Episcopus aliquem ordinet in diaconatu, vel Presbyteratu, si non habeat ex sua, vel paterna hæreditate, unde possit se congruè sustentare, teneatur eidem ministrare necessaria, donec illi assignet aliquem titulum in Ecclesia, unde possit vivere, quod etiam jure novo statuitur in Concilio Tridentino *sess. 21. de refor. c. 2.* Ratio id etiam suadet, quia cum Ordinatus in sacris non possit ad sæculum redire *c. 1. de cler. conjug.* & si mendicare cogeretur, id procul dubio in opprobrium redundaret ordinis clericalis *c. Diacon. dist. 93.* sequitur, quòd Episcopus, qui eum contra dispositionem canonum ordinavit, sit in causa, & culpa, cur debeat mendicare in statu clericali, ut vivat, *c. nemo dist. 70.* & quia meretur quis puniri in eo, in quo deliquit *c. fin. de temp. ordin.* sequitur, quòd cùm Episcopus talem clericum ordinaverit sine certo titulo, tamdiu teneatur ei necessaria subministrare; donec in aliqua Ecclesia eidem assignetur stipendium conveniens militiæ clericali: siquidem clerico, qui Ecclesiæ inservit, seu ministrat debetur ex justitia congrua sustentatio, ac necessarium stipendium, perinde ac militanti in militia seculari, ut scripsit Apostolus 1. *ad Corinth. 9.* inquiens, *quis militat suis stipendiis unquam?* hinc etiam Christus Luc. 10. ait: *dignus est operarius mercede sua.* Et hanc congruam sustentationem tandiu tenetur Episcopus subministrare, donec clericus aliquem fuerit titulum consecutus, quia tunc cessante causa cessat effectus *c. cum cessante de appell.* proinde ex quo per operam Episcopi clericus ita ordinatus consequitur postea beneficium, unde vivere possit, non tenetur ulterius Episcopus ei expensas ministrare.

5 Quæritur quartò, an clericus beneficiarius, qui ex bonis patrimonialibus potest se alere, possit iis in quemcunque alium usum servatis, honestam vitæ sustentationem jure accipere ab illa Ecclesia, cui inservit? Respondetur esse distinguendum de jure antiquo, & novo, quia ex jure antiquo videtur aliud dicendum, quatuor enim sunt considerandæ in Ecclesia tempora. Primum est tempus Apostolorum, quo fideles bonis immobilibus venditis pretia eorumdem Apostolis offerebant, ut per eosdem pecunia dispensaretur singulis in communi habitantibus, prout cuique opus erat, ut habetur in *Act. Apostol. c. 2.* Secundum est tempus immediatè post Apostolos, quia tunc consultiùs visum fuit, ut Ecclesiæ possiderent bona immobilia, ex quorum redditibus clerici, vel etiam sacræ virgines in communi viventes alerentur in collegiis, & sacris domibus, quæ ab aliis, titulo Salvatoris, sanctæ Crucis, B. MARIÆ Virginis, vel alicujus Apostoli, aut Martyris, ut patroni, & titularis distinguebantur: & hoc tempore, nemo in clericum assumebatur, nisi sub titulo alicujus sacri collegii, in quo sub obedientia Prælati ex bonis communibus viveret, & proprium non possideret, quo pacto etiam hodie sub hoc titulo promoventur ad sacros ordines Religiosi, qui solemnem professionem emiserunt in religione aliqua ex approbatis à sede Apostolica. Tertium tempus, quod consideratur est, in quo floruerunt sancti Augustinus, Ambrosius, Prosper, Hieronymus; tunc enim cessante persecutione infidelium, & aucto clericorum, & ecclesiarum numero, quia arduum visum fuerat relictis omnibus propriis bonis paternis vivere in communi; cœperunt clerici ordinari, qui ex propriis bonis extra collegium, seu communitatem vellent vivere, simúlque alicui Ecclesiæ inservire, sed tunc nihil ipsis sic ordinatis dabatur ab Ecclesia loco præbendæ, quia nondum præbendæ distinctæ erant, sed bona ecclesiastica secundùm portionem, quæ clericis, seu mensæ capitulari assignata erat, in communi possidebantur; adeout qui extra communitatem viverent nullum possent in iisdem jus sibi vendicare, ut habetur in *c. illi 25. sanct. 12. q. 1.* Ultimum tempus est, quod hodie viget, viguitque antehac per aliquot sæcula, & quo clerici beneficiarii, ut etiam Canonici sæculares simul extra communitatem vivunt, ac bona patrimonialia retinentes etiam pinguia, adhuc ab Ecclesia, cui inserviunt, & in qua sunt intitulati præbendam, seu sufficientes reditus sui beneficii accipiunt, possuntque de jure accipere: ex quo liquet, hodie clericos beneficiarios etiam habentes pinguia patrimonia posse jure accipere præbendam, & annuos reditus ab Ecclesia, cui inserviunt, idque ex consuetudine Ecclesiæ, quæ hodie viget: siquidem qui in sacrario operantur æquum est, ut quæ de sacrario sunt edant, & qui altari inserviunt, de altari participent, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth. 9.*

6 Quæritur quintò quotuplex sit titulus, super quo clericus sæcularis possit sacris ordinibus initiari? Respondetur, duplicem esse, scilicet titulum beneficii, & titulum patrimonii. Ad primum requiritur, ut beneficium sit perpetuum, proinde titulus non amovibilis, adeò ut excludantur beneficiorum commendæ, & vicariæ temporales, quia hæ non conferuntur in titulum, ut docent communiter Canonistæ in *c. constitutus, num. 5. de filiis Presbyteror.* Excludantur etiam Capellaniæ non collativæ & quæ revocari possunt: ut etiam beneficia manualia, quæ ita solent in titulum dari, ut possint etiam revocari, ut docet Parisius de resignatione *lib. 2. q. 6. num. 2.* Rursus requiritur, ut beneficium sit unum, quod sufficiat ad congruam vitæ sustentationem, quòd si unum non sufficiat possunt esse plura, quæ sufficiant, ut habetur in Tridentino *sess. 21. c. 2. de refor.* Verùm sufficit, si simul cum certo, & stabili patrimonio fructus beneficii sufficiant, quia tunc clericus non adigitur ad mendicandum, nec ad turpem quæstum. Qui verò fructus dicantur sufficere, id judicio relinquitur Episcopi ordinantis consideratis circumstantiis *argum. l. 1. §. ait Prætor ff. de jure de liber.* Præterea debet cle-

ricus

ricus pacificè ſuum beneficium poſſidere ex bulla Pii V. quam refert Quaranta *V. Ordo*, & incipit *Romanus Pontifex*.

7 Quinimò nomine beneficii intelligitur etiam penſio eccleſiaſtica, dummodo hæc perpetua ſit, ac veluti titularis, poteſt enim titulo talis penſionis clericus promoveri ad ordines eccleſiaſticos. Secundus titulus eſt patrimonii, ſed non niſi impropriè vocatur titulus, ſeu per æquiparationem. Hinc in *c. noſtro* ponitur regula canonica, quâ clericus in ſacris non debet ordinari ſine titulo, ſcilicet beneficii; & poſtea ponitur exceptio, niſi bona patrimonialia habeat, qua ratione bona patrimonialia æquiparantur titulo ad eum finem, ut clericus poſſit promoveri ad ordines eccleſiaſticos: habet tamen hic titulus æquiparatus varias ſpecies, quarum aliquæ ſunt extra controverſiam, licèt de aliis ſit aliqua difficultas. Primò ſi clericus poſſideat propria bona eidem ſufficientia ad vitæ ſuſtentationem, ſintque bona libera, ac fructifera, ut quot annis clerico ordinato adferant congruam ſuſtentationem, ſeu quæ ſufficiant arbitrio epiſcopi ordinantis pro clerici ſuſtentatione. Secundò ſi clerico promovendo ad ordines fiat à quacunque perſona liberalis aliqua donatio, vel promiſſio penſionis, aut annuæ ſuſtentationis ſufficientis, & quidem præſtandæ, donec beneficium ſufficiens, vel aliquam penſionem conſequatur, & monet Concilium Tridentinum hanc donationem, vel aſſignationem penſionis eſſe realiter tradendam clerico, & licèt id in multis eccleſiis non ſervetur: ita ſaltem ſervari deberet, ut cautio hypothecaria ſecura fieret, cum aſſignatione certæ rei liberæ, & fruſiferæ, unde ſuſtentatio ſufficiens accipiatur, ut fusè notat Quaranta *fol.* 492. *ſuper Bullu Pontificiis*.

8 Rurſus poteſt etiam aliquis ordinari ad ſervitium Epiſcopi, aut Parochi, ita tamen ut ordinatus inſerviat tali Eccleſiæ, à qua recipiat ſufficientem ſuſtentationem ex menſa illius, donec proprium beneficium ei conferatur: qua ratione poteſt etiam quis ordinari ſuper reditibus alicujus Seminarii ad inſerviendum beneficio, quod Seminario unitum eſt: generatim ſufficit, ſi clericus ordinetur ad titulum ſervitii in aliqua Eccleſia, ita tamen ut inde ali debeat, donec ſufficientem ſuſtentationem accipiat ab alio beneficio, quod illi conferatur, quo pacto etiam poteſt ordinari ad ſervitium altaris, vel Epiſcopi, aut Prælati, dummodo ſemper alatur, donec beneficium accipiat. Hi autem modi ſunt citra difficultatem.

9 Sunt alii, qui difficultatem patiuntur, an clericus non beneficiatus, nec penſionarius poſſit ordinari ſine patrimonio, ſi ejus pater divitiis affluat, & videtur etiam militare eadem ratio de aliis aſcendentibus, reſpectu quorum clericus eſt neceſſarius hæres. Aliqui cenſent, poſſe clericum tunc ordinari ea innixi ratione, quia cum filio competat jus ſuccedendi in bonis paternis, & ab ipſo, ſi indigeat, debeat ex neceſſitate ali, non poteſt cenſeri filius pauper, ſi ejus Pater ſit dives, ut notat Flaminius *l. 5. q. 6. n.* 22. Verùm licèt Epiſcopus non cogatur clericum ſic ordinato congruam ſuſtentationem dare cum ab ejus parente, vel alio aſcendente ali debeat, ſi indigeat, ut notat Quaranta *fol.* 404. nihilominus jure novo ex Concilio Tridentino filius ordinari non poteſt ad titulum paternæ hæreditatis ejus patre adhuc vivente, quia Concilium exigit, ut ordinandus, ſi non ſit beneficiarius, patrimonium habeat, vel penſionem, ut rectè notat Garcias *part. 2. c. 5. num.* 91. quapropter deberet pater aliquot annuos reditus ſufficientes ad congruam filii ſuſtentationem aſſignare, ut eſſet ipſi inſtar patrimonii, quo poſſet ad ordines promoveri. Verum id limitatur, niſi pater illuſtris ſit, aut unus ex magnatibus, quia tunc non ſolet hæc bonorum aſſignatio, reique certæ exigi, ſaltem in illis diœceſibus, in quibus promiſſio talium perſonarum litteris authenticis expreſſa habetur pro ſufficiente titulo mentæ, quia qui certus jam eſt, non eſt opus, ut ulteriùs certioretur ex *regul. 31. in 6.* Rurſus difficultatem patitur, an Doctor, vel Baccalaureus poſſit ordinari ſine beneficio, aut patrimonio. Affirmat Henriquez *lib. 10. c. 17. in fin.* ex innixus ratione, quia tunc periculum nullum immineat, ut debeat indigere, & mendicare.

10 Verùm non puto huic ſententiæ adhærendum, quia canones, & Concilium Tridentinum exigunt titulum beneficii, penſionem, vel patrimonium, & nullibi dicunt ſufficere, ſi ordinandus ſit Doctor, vel Baccalaureus, ac inſigniter doctus. Ratio itidem eſt, quia etiam viri doctiſſimi, & eruditiſſimi obnoxii ſunt periculo mendicitatis ob caſus varios, qui poſſunt occurrere, ut etiam ob inopinam infirmitatem, quâ fiant inutiles, ſempérque indigeant: quapropter, ne ullo unquam tempore clericus cogatur mendicare, vel ex turpi quæſtu vivere, cautum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 11. c. 2.* ne clericus ſuum poſſit beneficium reſignare niſi facta mentione, quòd fuerit promotus ad ejus titulum: ut etiam ne patrimonium, vel penſio poſſit ſine licentia Epiſcopi alienari, extingui, vel remitti, donec ordinatus, vel aliud beneficium ſufficiens obtineat, vel aliunde habeat, unde poſſit ſe ſuſtentare. Hi tituli procedunt de clericis ſæcularibus, quia Religioſi ordinantur ratione profeſſionis ſolemnis emiſſæ in religione approbata à ſede Apoſtolica, unde religioſi profeſſi initiantur ſacris ordinibus ſine alio titulo. Idque Gregorius XIII. in ſua Bulla emanata anno 1573. extendit ad religioſos ſocietatis JESU, qui ſimplicia tantùm vota emittunt.

11 Quæritur ſextò, an receptus in canonicum ex proviſione Capituli, debeat etiam præbendam habere, cum primùm ſe facultas obtulerit. Certum eſt, poſſe aliquem canonicum fieri, tametſi ſtatim non ſit præbendatus, ſeu non percipiat fructus beneficii, quia præbenda conſecutivè ſe habet ad canonicatum, à quo poteſt etiam ſeparari, adeò ut poſſit quis eſſe canonicus, & non præbendatus. Reſpondetur ad quæſitum, quòd tametſi poſſit quis inſtitui canonicus, quin ſit ſtatim præbendatus,

non tamen est canonicus diu relinquendus sine præbenda; quia non est congruum, ut diu præbendâ careat, qui in canonicum ascisci tur, ut habetur in *c. relatum 9. h. t.* ubi Alexander III. rescribit, quòd receptus in canonicatu, & habens potestatem in officiis, ut canonicus, si ei promissa sit præbenda, debeat Episcopus illi providere de præbenda, quæ vacat, vel est primò vacatura. Ratio ex eo petitur, quia non est congruum, ut sine præbenda sit aliquis canonicus, quia jus spirituale sine commodo temporali non potest diu subsistere *c. si quis 1. §. 3.* Tum quia ex Apostolo, qui altari inservit, debet de altari vivere *1. ad Corinth. 9.* Tum quia qui vult antecedens, debet etiam subsequens velle *c. translato de constit.* proinde ex quo aliquis est receptus in canonicum, si ibi non sint præbendæ annexæ canonicatibus, sed separatæ à canonicatibus, ut priùs obtineatur canonicatus, quàm præbenda; debet receptus in canonicum, quàm primùm se occasio obtulerit, habere etiam præbendam, quia cùm præstet officium, imò & locum habeat in choro, ut etiam in Capitulo, subeatque reliqua canonicorũ onera, æquum est, ut ex Ecclesiæ, cui inservit, alatur reditibus, accipiátque præbendam, seu fructus sui beneficii.

12 Cæterum sunt aliqui casus, in quibus non statim recepto in canonicum confertur præbenda. Primus est, si in alia Ecclesia jam obtinuerit sufficientem præbendam, quia tunc nisi rationabilis causa subsit, nequit alibi præbendam accipere, quamvis canonicatum sine præbenda habere possit. Secundus si propter obligationem residendi præbendæ fiant incompatibiles, tunc enim potest conferri jus canoniæ, si expediat Ecclesiæ plures habere canonicos, ut adjutores, & consiliarios *argum. c. Extra 5. dist. 64.* tametsi non conferatur præbenda. Tertius casus est: si in Ecclesia numerus præbendarum sit determinatus, non ita numerus canonicorum, ut contingit in pluribus ecclesiis cathedralibus per Germaniam, in quibus ultimò receptus in canonicum, debet diu expectare, donec alii antiquiores canonici decedant, & vacent præbendæ, quæ successivè ultimis non habentibus conferuntur, adeò ut primò recepti in canonicos, semper præcedant alios, quia præbendis vacantibus is præfertur, qui priùs fuit receptus. Æquitas tamen exigit, ut si canonici ultimò recepti obligentur ad servitia Ecclesiæ, sua præstimonia, seu portiones accipiant.

13 Quæritur septimò, an religiosi possint reditus suarum Ecclesiarum diminuere respectu portionis debitæ Rectoribus, seu Vicariis? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. Avaritia 10. h. t.* ubi Alexander III. scribit, regulares in suis ecclesiis non posse dividere parochias, nec minuere reditus, vel portiones, quas consuetum erat dari Parochis, vel clericis Regularibus inservientibus eorum ecclesiis, nisi accesserit consensus Episcopi eorundem. Ratio est, quia per detractionem talium redituum cultus divinus diminuitur, & status Ecclesiæ deterioratur, ipsisque Rectoribus indebitè aufertur, quod de jure debetur: atqui divinus cultus potiùs incrementum subire debet, quàm decrementum *c. Ex parte ext. de const.* Tum quia alterius injuriâ nemo debet ditescere *c. locup. de reg. jur. in 6.* hinc quamvis aliquæ Ecclesiæ subjiciantur Religiosis quoad temporalia, non tamen possunt Religiosi earum statum immutare, sed tenentur earum Rectores, seu Vicarios in antiquo statu servare, ut eorum proventus non minuantur.

Tum quia divisio Ecclesiarum, ut etiam 14
earundem unio spectat ad Episcopum cum consensu Capituli, & non ad aliquem inferiorem *clement. si una de reb. eccles. non alien.* & cum nemo debeat ponere manum in messem alienam *c. scriptum 6. quæst. 3.* sequitur, quòd tametsi Ecclesia subjiciatur Religiosis Regularibus etiam quoad temporalia, adhuc non possint Ecclesiam illam dividere, nec parochiam in duas partes separare, sed si ejus divisio facienda sit, id pertineat ad Episcopum ex consensu Capituli *c. sicut unire de excess. Prælat.* Concil. Trident. *sess. 7. de refor. c. 6. & sess. 24. cap. 13.*

Quæritur octavò, an Episcopus teneatur 15
in conscientia providere de beneficio competente ei, quem ordinavit sine titulo, si noverit idoneum esse ad beneficium. Juvat observare, aliud esse, Episcopum teneri ad ministranda alimenta ei, quem ordinavit sine titulo; & aliud teneri eidem providere de beneficio: siquidem hæ obligationes sunt distinctæ, censentúrque diverso jure, eò quia non solùm versensur circa diversam materiam, ut per se liquet; verùm etiam quia obligatio providendi de beneficio admittit exceptiones; siquidem potest Episcopus excipere, ordinatum à se non esse idoneum ad beneficium *c. accepimus de etat. & qualit. c. cum secundum de prabend.* secus obligatio subministrandi alimenta excludit omnem exceptionem, & statim subintrat. Respondetur ad quæsitum, Episcopum in conscientia teneri providere ei de competenti beneficio, quem sine titulo ordinavit, si noverit ipsum idoneum, adeò ut de jure compelli possit ad conferendum tale beneficium, & solùm de æquitate ei permittitur, ut possit excipere, ut desumitur ex *d. c. accepimus de etat. & qualit.* ibi *cum & si tecum de jure agere vellemus, te possemus meritò ad provisionem eorum compellere, quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret?* deinde Pontifex declarat, quòd pro gratia haberi debet, si concedat sic ordinatos posse examinari per alios ad explorandam idoneitatem. Ex hoc textu liquet, posse Episcopum adigi de jure ad conferendum beneficium ei, quem sine titulo ordinavit, si noverit eum idoneum esse.

Quòd si potest de jure compelli, procul dubio 16
contraxit obligationem, in quâ fundatur compulsio, nisi enim Episcopus ad id obligaretur, non posset de jure compelli, unde cùm obligatio sit certa, tenetur Episcopus in conscientia conferre beneficium ei, quem ordinavit sine titulo. Ratio itidem ex eo desumitur, quia semel quòd quis est ordinatus, acquirit jus, ut de patrimonio

Eccle-

Ecclesiæ sibi alimenta submini-strentur, quia factus est ejus minister, & electus in obsequium ecclesiæ, cui ut membrum incorporatur, & patrimonium Ecclesiæ institutum est pro alendis clericis ejusdem; hinc Innocent. III. *in c. cum secundum de prab.* scribens ad Episcopum Zamorensem ait: *Cum secundùm Apostolum, qui altari servit, debet de altari vivere, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio JESU Christi, cujus obsequio deputantur:* cùm igitur ordinatus acquirat jus, ut sustentetur de patrimonio Ecclesiæ, tenetur Episcopus in conscientia, ut administrator bonorum propriæ Ecclesiæ ei providere, & jus suum reddere, si aliàs idoneus sit ad beneficium, quinimò hæc obligatio transit ad successorem *c. accepimus de etat. & qualit.* & *c. cum secundum de prabend.* quia per ordinationem clericus acquirit jus, ut sustentetur de patrimonio Ecclesiæ, proinde obligatio submini-strandi alimenta, aut providendi de beneficio ab illo contrahitur, apud quem est administratio patrimonii talis Ecclesiæ.

17 Quæritur nonò, an Episcopus teneatur in conscientia statim submini-strare alimenta ei, quem sine titulo ordinavit atque eo, quòd intentetur aliqua actio contra ipsum? Respondetur affirmativè, quia semel, quòd constat de ordinatione, potest statim Episcopus compelli de jure ad alendum, quem ordinavit sine titulo, donec eidem provideat de beneficio, ut habetur in *c. accepimus de etat. & qualit.* siquidem ex ordinatione oritur obligatio in Episcopo submini-strandi congrua alimenta ordinato à se sine titulo: & eatenus permittitur exceptio, quatenus potest ordinatus non esse idoneus pro beneficio, hæc autem exceptio cessat in ordine ad submini-stranda alimenta, quia clericus debet vivere mediantibus alimentis: & ex vi ordinationis oritur in ipso jus percipiendi alimenta de patrimonio Ecclesiæ, in qua fuit ad ordines promotus, consequenter tenetur Episcopus statim eidem submini-strare congrua alimenta, quinimò hæc obligatio transit ad successores in Episcopatum, si à prædecessore ordinante satisfactum non sit, *c. accepimus de etat. & qualit.* Neque obstat, si dicas, successorem non teneri pœnas luere sui prædecessoris; id enim non obstat, quia hæc submini-stratio alimentorum non fit in ultionem, sed ad removendum, & impediendum opprobrium cleri, ut notat Glossa in *d. c. cum secundum V. successores de prabend.* siquidem in dedecus, & opprobrium cleri cederet, si clericus adigeretur mendicare, vel per turpem quæstum sibi alimenta comparare. Tum quia bona Ecclesiæ sunt pro alimentis Mini-strorum, proinde eo ipso, quòd quis ascisci-tur in Mini-strum Ecclesiæ per ordinationem, acquirit jus, ut sustentetur de bonis ejusdem Ecclesiæ.

18 Quæritur decimò, an si ordinatus ab Episcopo sine titulo deprehendatur inhabilis ad beneficium, adhuc teneatur Episcopus congrua ei submini-strare alimenta? Respondetur affirmativè, si aliunde clericus non haberet, unde honestè posset vivere, & desumitur ex *c. non licet 2. h. t.* ubi statuitur, Episcopum unum de duobus eligere, vel clericos non facere, vel si fecerit, iisdem suppeditare, unde possint honestè vivere: ex quo liquet, jus absolutè intendere, ut ordinati habeant statum, unde possint honestè vivere, consequenter ordinatis sine titulo præcipit, ut alimenta suppeditentur, donec iisdem de beneficio provideatur: quia cum ordinatus ex vi ipsius ordinationis fiat membrum Ecclesiæ, cui incorporatur, tanquam unus de Hierarchia ecclesiastica, acquirit jus, ut sustentetur de patrimonio ejusdem Ecclesiæ, ut habetur in *c. cum secundum 16. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit: *ut clerici vivere debeant de patrimonio JESU Christi, cujus obsequio deputantur*: & nonnullis interjectis subdit: *Dignum est, ut Ecclesia stipendiis sustententur, in qua, & per quam divinis obsequiis adscribuntur*: ex quo textu liquet, teneri Episcopum submini-strare alimenta clerico, quem ordinavit, ut debita ratione ordinationis, si ob inhabilitatem non possit eidem providere de beneficio: quia tametsi non debuisset ordinari, nihilominus semel, quòd fuit ordinatus, non est privandus necessariis alimentis; atqui habet jus ratione ipsius ordinationis, cujus beneficio incorporatur tanquam membrum corpori mystico Ecclesiæ: hoc autem corpus, cùm debeat ali ex bonis Ecclesiæ, ita etiam ejus membra, cùm hæc constituant tale corpus.

19 Præterea cederet in opprobrium, & dedecus ordinis clericalis, si clerici sacris initiati adigerentur ostiatim mendicare, vel ex turpi alio quæstu vivere *c. Diaconi dist. 93. c. Joannes in fin. de cler. conjug.* & notat Glossa in *c. cum secundum 16. V. Successores h. t.* ad avertendum igitur hoc dedecus, tenetur Episcopus providere ordinato à se sine titulo de necessariis alimentis, quamvis non sit idoneus pro beneficio. Tum quia clericis pauperibus tenetur generaliter Episcopus subvenire, ut docent Ugolinus *de offic. Episc. c. 26. §. 15. V. septimò excipitur.* Molfesius *p. 1. sum. tractat. 10. c. 15. n. 5.* & alii cum Glossa in *d. c. cum secundum 16 V. donec h. t.* Neque obstat, si dicas, inde sequi, teneri Episcopum etiam alimenta submini-strare clerico habenti etiam proprium patrimonium, eò quia ratione ordinationis acquirit jus, ut vivat de bonis Ecclesiæ: & cuilibet reddendum est jus suum, sive indigeat, sive non. Nam contra est, quia clericus tunc tantùm acquirit jus, ut ei mini-strentur alimenta de bonis Ecclesiæ, quando ordinatur sine titulo: quia tunc censetur ordinatus ad titulum patrimonii ejusdem Ecclesiæ: quia ratione ordinationis assumitur ad hæreditatem Christi, ut habetur in *d. c. cum secundum 16. h. t.* secus quando clerici proprium habent patrimonium, quo possint honestè vivere, censentur ordinari ad titulum ejusdem proprii patrimonii, proinde cum ordinatio innitatur titulo, non permittit consurgere jus ad commune patrimonium Ecclesiæ. Tum quia tunc intervenit pactum, quo ordinatus obligat proprium patrimonium ad sui sustentationem, & sub hoc pacto tacito censetur ordinari, quicunque proprium habet patrimonium *c. Episcopus 4. h. t.* quando autem adest provisio hominis, cessat,

proviſio legis *l. 1. §. ſi convenerit. ff. depoſiti*, & docet Alexander in *l. ſi ſocer §. Lucius circa fin. V. utrum ff. ſolut. matrim.* & ita cenſuit Rota Romana coram Durano *deciſ.* 127. *n.* 2. quinimò tunc ſubintrat alia proviſio legis, quæ confirmat pactum particulare, & eximit ordinantem ab obligatione ſubminiſtrandi alimenta, ut habetur in *d. c. Epiſcopus 4. h. t.*

20 Quòd ſi dicas, per proviſionem hominis non ceſſare proviſionem legis, quando obligatio oritur ex natura rei, & à jure communi, ut docent Jaſon in *l. 2. num.* 143. *C. de jure Emphyt.* Neguſant. *de pignor. p. 2. prin. membro 4. num.* 87. & obligationem alendi ordinatos oriri ex ordinatione, ex natura rei, & jure communi. Reſpondetur, id eſſe verum, quando obligatio ex natura rei inducit aliquid diverſum, quod non inducitur per proviſionem hominis: in caſu autem noſtro, proviſio hominis inducit proviſionem alimentorum pro ordinato, quæ proviſio inducitur etiam ex natura rei. Præterea poſſet reſponderi, ex natura rei, ſeu ordinationis non induci obligationem alendi ordinatum ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm quando absque titulo ordinatus eſt, & qui habet proprium patrimonium, quo poſſit congruè ſuſtentari, non eſt ordinatus ſine titulo, ſed cum titulo ſaltem tacito patrimonii, ob pactum tacitum reſultans ex jure, quòd ita ordinatis non ſit providendum de neceſſariis alimentis: hoc enim pactum tacitum, cùm habeat aſſiſtentiam juris, impedit, ne oriatur obligatio legis ex natura rei.

21 Quæritur undecimò, an in dubio beneficii vacantis media nocte ultimi diei menſis reſervati, ſi beneficium conferatur ab Ordinario, & poſtea à ſede Apoſtolica, valida ſit collatio facta ab Ordinario. Contigit caſus in inſigni Eccleſia cathedrali in Germania, ut Canonicus deceſſerit poſt pulſum horæ duodecimæ nocturnæ ex vicino horologio, dici ultimi menſis Januarii, & quia poſt mediam noctem illius diei incipiebat menſis Februarius reſervatus Ordinario, hic ſtatim beneficium vacans contulit clerico idoneo: ſed cùm poſtea alia horologia pulſâſſent è locis diſſitis duodecimam nocturnam, ſubortum fuit dubium, an collatio facta ab Ordinario valida eſſet, eò quia ultimus terminus diei ultimi Januarii nondum effluxerit juxta horologia, quæ in pluribus turribus poſt collationem factam adhuc pulſârunt duodecimam: dubium enim erat, an revera punctum mediæ noctis elapſum fuerit, cùm horologia non concordarent, ſed alia aliis poſteriora, ferme per quadrantem horæ pulſaverint duodecimam.

22 Obſervandum eſt ex Concordatis in Germaniæ inter Legatum ſedis Apoſtolicæ & Imperatorem Fridericum III. aliósque Germaniæ Principes approbatis per Nicolaum V ſummum pontificem anno 1447. ſtatutum fuiſſe, ut quoties beneficia eccleſiaſtica vacarent menſibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris, eorum collatio pertineret ad ſedem Apoſtolicam: quòd ſi vacarent menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris, eorum collatio, proviſio, vel præſentatio, aut electio, vel quævis alia diſpoſitio pertineret ad Ordinarium, vel ad alios, ad quos ſpectat, adeòut, hæc ordinatio collationum beneficiorum non reſervatorum habeatur per alternos menſes. Ratio dubitandi eſt, quia dies ultimus menſis reſervati, eſt in poſſeſſione reſervationis, à quo propterea non videtur deturbandus, niſi per certam ſupervenientiam diei ſubſequentis: ſiquidem cùm poſſeſſio diei ultimi ſit certa, non poteſt tolli, niſi per certam ſupervenientiam diei ſubſequentis non reſervati Pontifici: & cùm aliquot horologia pulſaverint horam duodecimam nocturnam, quæ in Germania per totum annum indicat mediam noctem, ut etiam duodecima diurna meridiem, poſt obitum canonici videbatur dies ultimus Januarii in poſſeſſione reſervationis, tametſi alia horologia pulſaverint duodecimam antequam canonicus decederet, & Ordinarius ſtatim poſt obitum, & pulſum duodecimæ in aliquibus horologiis contulerit beneficium: quia cùm horologia non concordaverint, ſolùm faciebant probabile, quòd punctum mediæ noctis effluxerit, & alia, quæ poſteriùs pulſârunt, quòd nondum effluxerit: quapropter in horologiorum diſcordantia oriebatur dubium, an Canonicus deceſſerit menſe Januario reſervato Sedi Apoſtolicæ, vel Februario reſervato Ordinario, & quia in hoc dubio menſis Januarius erat in poſſeſſione reſervationis, videbatur judicandum pro menſe Januario, eò quia in dubiis melior ſit conditio poſſidentis.

Nihilominus reſpondetur, proviſionem fa- 23
ctam ab Ordinario fuiſſe validam, ratio id ſuadet, quia cum in illa horologiorum diſcordantia non poſſimus præcisè ſcire punctum mediæ noctis, nec propterea judicare, quódnam ex pluribus illis horologiis indicaverit punctum mediæ noctis, & moraliter ſit quaſi impoſſibile, aliquod ex iisdem horologiis præcisè concordare cum puncto mediæ noctis, adeò ut ante tale punctum horologium jam pulſaverit ſex præcedentes horas ex duodecim, & poſt tale punctum pergat pulſare alias ſex, quæ ſuperſunt, fit, quòd tantummodo poſſimus moraliter judicare ad pulſum duodecimæ nocturnæ eſſe mediam noctem: quando autem plura horologia judicantur regulatè procedere, ſingula faciunt probabile, quòd ſit media nox, quam indicant. Cum igitur ſtante hinc inde hac probabilitate beneficium vacaverit per obitum ſecutum poſt pulſum duodecimæ nocturnæ in aliquibus horologiis, & Ordinarius ſtatim contulerit tale beneficium, quamvis è turribus in locis diſitis aliquot horologia poſtea pulſaverint duodecimam nocturnam, ſequitur, quòd etiam reſultet utrinque probabilitas pro reſervatione, ſiquidem ex pulſu aliquorum horologiorum erat probabile mediam noctem expirâſſe: & juxta alia horologia nondum expirâſſe etiam videbatur probabile, atqui ex horologiis, quæ regulatè proceduat, & ſingula faciunt probabile, quòd ſit media nox, poſſumus ſequi quodlibet eorundem in iis, quæ regulanda ſunt juxta terminum mediæ noctis: proinde collatio dicti

beno-

beneficii ex probabilitate tam expectabat ad Ordinarium, quàm ad ſummum Pontificem, quia potuit Ordinarius ſequi ea horologia, quæ pulſârunt ſignum mediæ noctis ante obitum, proinde potuit conferre tale beneficium tanquam non reſervatum Sedi Apoſtolicæ: è converſò ſummus Pontifex potuit etiam ſequi poſteriora horologia, & conferre beneficium ut ſibi reſervatum: atqui in hac probabilitate ex utraque parte ea proviſio ſuſtinenda eſt, quæ eſt prior tempore, proinde proviſio Ordinarii facta ſtatim poſt obitum Canonici valida fuit, quia generatim, quando plures conferre poſſunt idem beneficium, ſubſiſtit proviſio, quæ facta fuit prior tempore *c. ſi à ſede 31. h. t. in 6.* ubi expreſsè dicitur, quòd quando Papa, & ejus Legatus confert beneficium uni, & Ordinarius alteri eodem die, ita ut non poſſit conſtare de prioritate collationis, tunc potior ſit conditio poſſidentis, ex quo textu colligitur, quòd cum conſtiterit, Ordinarium ſtatim contuliſſe beneficium vacans per obitum, & priùs tempore, quàm Pontifex, debeat collatio, ſeu proviſio facta tunc ab ordinario ſuſtineri, ut valida, ut docent Rebuffus *in concord. in rubric. de mand. Apoſtol. §. declarantes in Gloſſ. v. jure præven.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancellariæ §. 3. præam. n. 1.* Rota Romana *deciſ. 1. num. 2. V. Præterea Papa de prabend. in novis. & deciſ. 272. num. 4. tom. 2. p. 3. divers.* Ratio itidem eſt, quia cum proviſus ab Ordinario poſſit eodem fundamento oſtendere reſervationem expiráſſe, eò quia aliquot horologia pulſaverint ſignum mediæ noctis, antequam Canonicus decederet, non habet contra ſe ſufficiens fundamentum, quo ſit excludendus à poſſeſſione, contra quam propterea non poteſt opponi reſervatio, quia quando hæc opponitur, probanda eſt concludenter, ut docent Ludoviſius *decis. 49. & 53. n. 5.* Bellamus *deciſ. 612.* Puteus *decis. 265. num. 3* Rota Romana *decis. 53. p. 2. diverſ.* & *decis. 143. num. 1. p. 7. recent.* & in pluribus aliis deciſionibus etiam recentioribus.

34 Neque obſtat, quæ dicebantur in ratione dubitandi, ſiquidem dies ultimus Januarii pulſato ſigno mediæ noctis per aliquot horologia non eſt ampliùs probabiliter in poſſeſſione ſuæ reſervationis, quia probabiliter jam advenit initium primi diei menſis Februarii reſervati Ordinario, proinde facit, ut poſſeſſio reſervationis Januarii non ſit ampliùs certa, ſed tantùm probabilis, in ordine ad illa horologia, quæ in turribus diſſitis pulſârunt poſt obitum Canonici ſignum mediæ noctis, conſequenter non requiritur certa ſupervenientia ſubſequentis diei, ut deturbetur à poſſeſſione; ſed ſufficit probabilis: etenim ſicut certa poſſeſſio requirit certum jus, ut deturbetur, ita etiam probabilis poteſt deturbari per ſolùm probabile jus præſertim ſi agatur tantùm de probabili deturbatione, non autem de certa: & cum hîc non ſimus in dubiis, ſed in utrinque probabilibus cum militet utrinque eadem ratio, ideo proviſio prior tempore facta fuit valida. Quòd verò menſis Januarius diceretur eſſe in poſſeſſione, & in dubiis ſit melior conditio poſſidentis. Reſpondetur, id verum eſſe, dummodo inter alias conditiones hæc etiam concurrat, quòd poſſeſſio ſit certa: in caſu autem noſtro erat probabile, menſem Januarium non fuiſſe in poſſeſſione ſuæ reſervationis, quando deceſſit Canonicus, cum antè ejus obitum aliquot horologia jam pulſaverint ſignum mediæ noctis ultimi diei ejusdem menſis.

Quæritur duodecimò, an beneficium uni- 25
tum ſubjiciatur iisdem oneribus, quibus antèa afficiebatur? Reſpondetur affirmativè, quia cum res ſemper tranſeant cum ſuis oneribus, quibus afficiuntur, ita etiam beneficium tranſit in unionem cum onere eidem annexo, & ità docent Federicus de Senis *conſil. 195. num. 4.* Loter. *de benefic. lib. 3. q. 20. num. 15.* Joannes Andreas *in c. penult. num. 3. V. nec puta de V. S.* & ita pluries cenſuit Rota Romana *decis. 1020.* & coram Seraphino *decis. 141. num. 1.* & coram Merlino *decis. 154. num. 7.* Verùm id non procedit, ſi onus afficiat beneficium non abſolutè, ſed tempore vacationis, ut cenſuit Rota coram Seraphino, quia cum onus ſit coarctatum ad vacationem, quam habet pro fundamento non afficit beneficium, niſi qualificatum vacatione, conſequenter non inducitur, quin ſimul inducatur ipſa vacatio. In beneficiis verò unitis vacatio non procedit, ut notat Gonzal. *ad regul. 8. cancellar. Gloſſ. 5. §. 7 n. 7.* Garzia *de benefic. p. 12. c. 1. num. 15.* Rota coram Seraphino *deciſ. 1011. num. 1.* & coram Ludoviſio *decis. 112. num. 3.* Ratio etiam id ſuadet, quia quod non eſt ampliùs beneficium, vacare non poteſt *c. Bona de elect.* & *c. ad diſſolvendum de deſpons. impub.* vacatio enim importat titulum, qui ad nullum tempore vacationis pertinet, proinde ſi deficiat titulus, defficit etiam poſſibilitas vacationis.

An verò onus afficiens beneficium vacans 26
ratione unionis trahatur ad beneficium, cui unitur, adeò ut illud afficiat, quando contingit vacare. Reſpondetur negativè cum Innocentio in *c. Paſtoralis num. 1. in fin. de privil.* Felin. in *c. tranſlato num. 4. V limita iſta de conſtit.* Ratio eſt, quia per unionem extinguitur beneficium *c. tua nobis de V. S.* & cenſuit Rota *decis. 133. num. 16. p. 2. divers.* conſequenter non poteſt, quando unitur alteri beneficio, ſecum trahere onus, quod fundatur in vacabilitate, cum hæc cum ipſa unione beneficii etiam extinguatur. Neque beneficium, cui fit unio tenetur ad onus annexum vacationi alterius beneficii, quia quando vacat ex proprio titulo non alieno, vacat tunc jure proprio, proinde ſubjacet tantùm oneri, quo ex propria vacatione afficitur: ſecus, ſi beneficium vacans uniatur monaſterio tenetur hoc ſolvere penſionem impoſitam ſuper beneficio unito, ut cenſuit Rota coram Seraphino *decis. 1410. num. 10* ratio ex eo petitur, quia onus penſionis non afficit beneficium ratione vacationis, ſed ratione fructuum, proinde tranſit cum ipſo ad quemcunque pervenerit, ac cenſetur in unione ſemper præſervatum jus tertii, quod intelligitur de jure independente à vacatione, ut notat Abbas in *c. 2. n. 5. de relig. domib.* & cenſuit Rota *deciſ. 730. n. 1. p. 5. recent.*

27 Quæritur tertiodecimò, an Prælatus, & Capitulum possint præbendæ vacanti onus imponere honestum, ad quod Præbendarius teneatur? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. significatum* 11. *h. t.* Ratio est, quia cum tale onus apponatur pro divino cultu super beneficio ecclesiastico est conditio de re spirituali cum spirituali, quæ fieri potest; non enim ob illam conditionem committitur simonia cum temporale aliquod pro illo onere spirituali non interveniat, ut notat Glossa in *d. c. significatum*; & quia quando beneficium vacat, nemini augetur onus, adeò ut non possit conqueri beneficiatus se accepisse beneficium sine tali onere, ac proinde quando vult illud obtinere sit onus eidem annexum, sibi debet imputare, si illud acceptat cum tali onere *c. ex litter. & ignor.* Hinc quando vacat præbenda, cujus provisio ad Episcopum unà cum Capitulo pertinet, possunt aliquod onus honestum, quo promoveatur divinus cultus eidem adnectere, adeout qui talem præbendam acceptaverit teneatur tale onus subire. Cæterum beneficium quando vacat, debet liberè conferri sine onere, aut conditione, nisi accedat consensus Papæ, qui plenissimam in beneficiis habet dispositionem, ut notat Glossa in *c. penult. V. unius præbendæ de Magist.* unde Episcopus cum sui Capituli consensu tantùm ex causa rationabili potest adjicere onus beneficio, quod actu vacat, dummodo hoc onus promoveat cultum divinum, ut esset, quod accipiens tale beneficium imposterum teneatur docere sacros canones, vel theologiam, & tunc beneficium transit ad provisum simul cum suo onere: hinc etiam Capellania quamvis ex prima fundatione habeat sibi annexum onus unius tantùm, vel alterius missæ in hebdomade, ex justa tamen causa, aut necessitate, potest numerus missarum augeri ab Episcopo, dummodo redditus sufficiant. Excipitur tamen beneficium juris patronatus, quia tunc requiritur consensus patroni, qui tamen non potest rationabiliter eum negare, si causa talis mutationis adsit.

28 Quæritur quartodecimò, an qui scienter confert beneficium, quod non potest conferre ignoranti, teneatur primam præbendam vacaturam ei conferre? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. inter cætera 17. h. t.* ratio est, quia nisi aliam præbendam ei conferret, videretur collator, illam præbendam, quam sciebat, se non posse conferre, fraudulenter ei assignâsse, ut dicitur in *d. c. inter cætera.* Ubi Pontifex declarat, eum qui scienter confert beneficium, quod non potest conferre ignoranti, teneri primam præbendam vacaturam eidem conferre, ne videatur fraudulenter primam contulisse; hinc si illi non confert, sed alteri, irritum est, quidquid fecerit, ubi Glossa ait, quod si Episcopus concessit Petro beneficium quod non poterat concedere, & sciebat; & Petrus id nesciebat, tenetur dare Petro aliud simile beneficium, quia beneficiis clericos adjuvari, non decipi oportet *c. unic. de commod.* & *l. in commodato* §. *ficut ff. commod.* fraus enim, & dolus nemini debet patrocinari *c. sedes de rescript.* quapropter ut subveniatur clerico in collatione decepto contra collatorem statuitur, ut is teneatur aliam præbendam eidem conferre *c. veniens de fil. Presbyt.* Quòd si uterque sciverit collator scilicet, & is, cui facta est collatio, tunc non tenetur collator eidem conferre aliam præbendam, ut notat Glossa in *d. c. inter cætera 17. h. t.* quia tunc dolus cum dolo compensatur *cap. intel. de adult.* Tum quia is, cui collatum fuit beneficium, non fuit tunc deceptus ab alio, sed potiùs se ipsum voluit decipere *l. liberi hom. ff. de cond. empt.* Id verum intelligitur, quando Episcopus ex mera liberalitate contulit beneficium, alioquin si tenebatur illud conferre ratione ordinis collati, etiam in tali casu teneretur eidem conferre aliud beneficium. Quòd si uterque ignoravit, tunc non tenetur ei providere de alio beneficio, quia cessat fraus, super qua fundatur textus in *d. c. inter cætera 17. h. t.* Imò id etiam procedit de collatione facta ex mera liberalitate: non ita ex necessitate, ut notat Joannes Andreas in *d. c. inter cætera.*

29 Quæritur quintodecimò, quomodo parochiales redditus insufficientes ad congruam Parochi sustentationem juxta arbitrium boni viri, vel Episcopi augeri debeant, donec sufficiant? Respondetur hoc augmentum esse faciendum. Primò ut attendatur, quisnam Parochiales decimas, & alios proventus accipiat, an Episcopus, vel Abbas Monasterii, cui incorporata est Ecclesia, vel Nobilis loci, qui decimas veluti in feudum sibi concessas possidet, tunc enim cogitur parochi redditus augere, quia Parocho competit sua portio, tametsi Parochia uniatur alicui monasterio, vel ipsa Ecclesia parochialis indigeat restauratione *argum. c. de his 4. de ecclesiis ædific.* ubi statuitur, quòd si ædes parochiales indigeant restauratione, vel ædificatione, earundem Rectores de illarum proventibus si supersint ante alios debeant subveniri, proinde etiam quando parochia unitur monasterio, vel ejus redditus ad illud perveniunt: esset enim rationi dissonum, & prorsus indecens, si redditus parochiales, qui propriè deputati sunt ad Ministrorum sustentationem, & Ecclesiæ reparationem, & conservationem cum ejusdem parochi penuria, & desertione aliò possent applicari, adeò ut nec consuetudo in contrarium valeat, nec præscriptio, utpote ecclesiis perniciosa, sacrisque canonibus contraria *argum. c. suscepti 1. h. t. in 6.* Cæterum possunt redditus insufficientes etiam augeri per unionem alterius beneficii, vel fructuum ex eo subtractionem aliquam, ut statuitur in *c. Majoribus 8. h. t.* Ut etiam augentur ex eo, quòd Parochiani taxentur ad contribuendum pro congrua sustentatione Parochi iisdem ministrantis Sacramenta juxta Tridentinum *sess. 24. c. 13. de refor.* verùm tertius iste modus augendi insufficientes redditus Parochi non est adhibendus, nisi in defectum priorum.

30 Quæritur sextodecimò, an Canonicus intitulatus in una Ecclesia, si electus fuerit ad secundam, & noluerit primam dimittere, possint eligentes resilire, & electum non acceptare? Respondetur affirmativè ex *c. cum ignores 15. h. t.* adeò

adeò ut ſpectato jure communi canonico, non poſſit aliquis in duabus eccleſiis eſſe intitulatus, adeo ut Electores ſi reſciant, eligendum jam poſſidere aliud beneficium, quod dimittere nolit, poſſint reſilire à ſua electione: ſiquidem ſpectato jure communi canonico non poteſt quis ſimul in duabus eccleſiis intitulari, quia ſicut una Eccleſia debet eſſe unius tantùm ſacerdotis, & non plurium, ita è converſo unus ſacerdos debet eſſe unius Eccleſiæ non plurium *c. quia nonnulli 3. de cleric. non reſid.* idque præſertim propter reſidentiæ, & aſſidui ſervitii obligationem. Cæterum ſicut, qui vult dimittere primam Eccleſiam, poteſt ſecundam acceptare, adeò ut non ſit inhabilis ad ſecundam; ita ſi electus ad ſecundam velit primam dimittere, electio eſt valida *c. cum inter de elect.* alioquin nullius eſt valoris, & electus habetur pro non electo. Hinc nec tenet electio, quando ad unam, eandémque præbendam duo ſimpliciter eliguntur, quia ſi duo unam eandémque præbendam haberent, contravenirent Concilio Turonenſi prohibenti præbendarum ſectionem: ſin verò unus eorum totam præbendã obtineret,& alius ſub expectatione, eſſet etiam contra ſtatutum Concilii Lateranenſis *c. nulla de conceſſ. prabend.* atqui contra Concilia generalia nullus regulariter diſpenſat, niſi ſolus Papa *c. fin. de fil. Presbyt.*& quia,quæ fiunt contra jus, ſunt irrita, *c. quæ contra de reg. jur. in* 6. ideo ſi ad unam præbendam duo eliguntur, talis electio eſt invalida.

81 Quæritur decimoſeptimò, an abſenti poſſit conferri beneficium? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. accedens 24. h. t.* pro quo juvat obſervare,duobus modis poſſe abſenti beneficium conferri. Primò ut nulla perſona interveniat, & tunc collatio valida eſt ex parte collatoris, qui propterea non poteſt eam ampliùs revocare; ex parte verò illius, cui confertur, adhuc eſt in ſuſpenſo poſita, quia nondum jus acquiſitum eſt proviſo, donec is ſciens acceptaverit *c. ſi. tibi abſenti 17. h. t. in 6.* Idque procedit in omni electione, aut proviſione,ſi ab aliquo facta ſit ex neceſſitate, vel officii obligatione, eò quia eam vacantem debuerat alicui conferre, tunc enim proviſio ſemel facta abſenti non poteſt ampliùs revocari ex parte collatoris, vel electoris, quia is jam cenſetur functus ſuo officio, ut notat Bartolus in *l. abſenti num. 2. ff. de donat.* & Covarruvias *lib. 3. de reſol. c. 16. num.* 1. Secundò poteſt beneficium conferri abſenti alio mediante, qui locò abſentis beneficium acceptet,& tunc eſt diſtinguendum,quia vel hæc perſona media, ſeu amicus, vel conſanguineus, aut utilis negotii geſtor acceptat ſine mandato; & tunc jus in beneficio non acquiritur abſenti, antequam is re intellecta ratum habeat, quod ſuo nomine geſtum eſt *l. ſi ego* 24. *juncta Gloſſa ff. de negot. geſt.* vel perſona media nomine abſentis acceptans collationem beneficii habet mandatum ſpeciale ad illud acceptandum in ſpecie,aut in genere, & tunc per talem collationem acquiritur abſenti jus, & quaſi dominium in beneficio, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur *c. ut fama de ſent. excommun.* Tum quia qui ſpecialiter conſtituit Procuratorem ad aliquod beneficium acceptandum, jam declaravit, ſuam voluntatem eſſe per mediam illam perſonam beneficium acceptare: & quia per conſenſum eligentium, & electi quaſi ſpirituale vinculum in beneficiis contrahitur *c. cum inter de elect.* ſequitur, quòd clericus abſens, vel alius pro ipſo poſſit de beneficio Eccleſiaſtico inveſtiri.

TITULUS VI.

De clerico ægrotante, vel debilitato.

CUm in præcedentibus titulis Pontifex declaraverit, omnes omnino clericos, qualecunque poſſideant beneficium eccleſiaſticum, teneri de jure communi ad reſidentiam, eò quia beneficia eccleſiaſtica cedant in compenſationem miniſterii,quod clerici exhibent *c. 16. de præbend. & dignit.* adeout beneficia, & præbendæ nonniſi iis conferri debeant, qui per ſe reſidere poſſint; & ab iis auferri, qui non reſident, niſi legitimè excuſentur. Ideò congruè Pontifex adjicit præcedenti hunc titulum; quia dubitari poterat quid juris, ſi clericus beneficiarius ob ægritudinem, mutilationem, vel ſenium non poſſit officium præſtare; num clericus ſenio, vel adverſa valetudine laborans poſſit Eccleſiæ fructus percipere, & ex beneficiis eccleſiaſticis emolumentum habere: cui dubio Pontifex ſatisfacit in præſenti Titulo.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. CUM PERCUSSIO 1. h. t. Gregorius Papa reſcribit, clericum adverſa valetudine laborantem debere percipere omnes fructus ſui beneficii, quos ſanus percipiebat,perinde ac ſi Eccleſiæ actualiter inſerviret. Quia ut notat Gloſſa, ſi famuli ægri, qui nobis inſerviunt, à nobis paſcuntur, quamdiu detinentur infirmi: nec clerici ſuis ſunt ſtipendiis privandi, ſi ob aliquam ægritudinem, quâ laborant, non poſſunt Eccleſiæ intervenire. Verùm hæc pariter

quæ

quâ nititur Glossa, procedit tantùm de alimentis, non de salario, & mercede, juxta communiorem doctorum opinionem. Ecclesiæ autem liberalitas est longè major in suis ministris, quibus præter alimenta, etiam alios consuetos proventus concedit; ne alii deterreantur, si ingruente morbo cognoscant, se necessaria sustentatione destitutum iri.

C. PRESBYTERIUM 2. h. t. declarat Eugenium Papa non esse permittendum, ut Presbyter, cui abscissi sunt duo digiti cum medietate palmæ missam celebret: bene tamen ut cæteris sacerdotalibus officiis fungi valeat. Ex quo textu liquet, deformitatem & scandalum removere sacerdotem ab executione ordinum. Rursus deformitatem corporis ortam sine culpa impedire tantùm executionem illius ordinis, ad cujus exercitium factus est impotens; non quoad alia. Et licèt insignis deformitas reddat absolutè irregularem quoad ordines suscipiendos, non ita quoad susceptos; sed tantùm quoad eum, respectu cujus factus est inhabilis.

C. DE RECTORIBUS 3. h. t. Lucius III. statuit, ut Rectoribus ecclesiarum, ita leprâ infectis, ut aliari servire non possint, detur coadjutor, qui curam gerat animarum; & de Ecclesiæ congruam sustentationem recipiat. Notandum est, hujusmodi coadjutorem non esse dicendum Prælatum, eò quia accipiat tantùm portionem. Sin autem reditus utrique non sufficerent, alimenta potiùs essent danda coadjutori; & beneficiato ægro deberet prælatus providere.

C. TUA NOS 4. h. t. Clemens III. rescribit, sacerdotem leprosum pro scandalo, & abominatione populi esse removendum ab officii administratione, & ab Ecclesia Parochiali: ita tamen ut ipsi necessaria suppeditentur juxta facultates Ecclesiæ, quamdiu vixerit.

C. EX PARTE 5. h. t. Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Arelatensi, Episcopum, qui ob incurabilem morbum nequit officium Pastoris exercere, non esse compellendum ut renunciet beneficio; sed esse ei dandum coadjutorem prudentem, & honestum, per quem tam Episcopo, quàm populo consulatur. Ex hoc textu deducitur, nullum clericum ob contractum morbum esse privandum suo beneficio, neque cogendum eidem renuntiare. Non enim afflictis addenda est afflictio. Rursus liquet, Archiepiscopum dare coadjutorem Episcopo ægritudine detento, etiam jure novo, ut habetur in Concil. Trident. sess. 25. de Reform. c. 7.

C. CONSULTATIONIBUS 6. h. t. rescribit Honorius III. Episcopo Aversano, Archidiaconum, qui ex paralysi amiserat usum linguæ non esse privandum Archidiaconatu, sed esse illi dandum coadjutorem. Idque patet etiam ex Concilio Trident. sess. 21. de Refor. c. 6. ubi statuitur, quòd illiterati, & imperitiæ Parochis si aliàs honesta sint vitæ; Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati possint coadjutores, & Vicarios deputare, eisque partem fructuum assignare, non obstante appellatione, vel exemptione. Generatim Prælatis impotentibus exercere suum officium datur coadjutor.

IN SEXTO.

C. PASTORALIS unic. h. t. declarat Bonifacius VIII. dare coadjutores Episcopis, vel eorum superioribus spectare ad Papam, eò quia sit de causis majoribus, non obstante constitutione contraria. Verùm ne hoc prætextu Ecclesia dispendium patiantur, hac generali constitutione sancitur, ut Episcopus senio, vel infirmitate gravatus, vel aliter ab officii sui exercitio perpetuò impeditus, possit de sui capituli consilio, & consensu unum, vel duos authoritate Apostolica coadjutores assumere ad officium exercendum. Quòd si Episcopus fuerit demens, ut nequeat exprimere, quid velit, vel nolit; tunc capitulum vel duæ ejusdem partes debent prafatos coadjutores eligere: & si in utroque casu Episcopus nolit habere coadjutores, vel dicat, se illis non indigere, capitulum nil debet tunc innovare, sed omnia notificare Pontifici. Demum præcipit Pontifex, ut hujusmodi coadjutores ex bonis Ecclesiæ, cui inserviunt, sumptus recipiant moderatos, & nihil de bonis earundem quomodolibet alienent, reddituri rationem non solùm Deo, sed etiam Prælatis eisdem, si convaluerint, aut eorum successoribus, si antea non fecerint. Quòd in hoc textu dicitur de Episcopis, referendum est ad superiores Prælatos, seu Archiepiscopos, Metropolitanos, & Patriarchas. Notandum est, coadjutorem alium esse temporalt, & revocabilem; alium perpetuum, & regulariter irrevocabilem. Si morbus, vel impedimentum exercendi officium sit perpetuum, tunc datur coadjutor ad vitam coadjuti, & assignatur eidem stipendium ex reditibus beneficii; idque fieri potest cum futura successione, vel sine illa. Cæterum nulla coadjutoria est propriè beneficium; proinde non vacat per mortem coadjutoris, sed coadjuti: nec vivente coadjuto dicitur coadjutor possidere beneficium. Coadjutoria cum futura successione introducta potiùs fuit in favorem, & gratiam specialem Principum & Magnatum: imò hæc propriè non est coadjutoria, quia datur etiam non indigenti, & etiam confertur ei, qui non potest juvare coadjutum: etenim filii principum in adolescentia dantur coadjutores Episcopis Germaniæ, ad eum finem, ut iisdem succedant. Hujusmodi coadjutoria in jure potiùs reprobantur, & solùm conceduntur ob spem auxilii, & commodi, quod Ecclesia sperat fore ut à talibus coadjutoribus sit perceptura. Cæterum coadjutorem perpetuum cum futura successione solus Papa dare potest. Neque obstat, quòd Concil. Trident. sess. 25. de refor. c. 1. statuat, ut nemini in quibuscunque beneficiis permittantur coadjutoriæ, & id fuerit observatum tempore Pii V. & Gregorii XIII. usque ad Sixtum V. qui coadjutorias cum futura successione concessit, in dignitatibus canonicatibus, & Prælaturis, quem imitati postea fuerunt alii Pontifices. Non enim derogarunt Concilio: Quia Concilium sess. 25. de reform. declarat, omnia statuta in ipso quoad reformationem morum, & ecclesiasticam disciplinam dependere semper ab authoritate sedis apostolicæ: ait enim Concilium: ut salva semper sit authoritas sedis apostolicæ. Unde pontifices hodie concedentes coadjutorias successorias non agunt contra Concilium.

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

An clericus beneficiatus ægrotus integrè percipiat fructus sui beneficii.

1 A Deo pia mater Ecclesia suis indulget ministris, ut si hi aliqua correpti infirmitate impediantur, quominus Ecclesiæ inserviant, suúmque præstent officium, non solùm beneficium non amittant; verùm etiam pro servientibus, ac residentibus juris fictione habeantur; ac percipiant integrè fructus beneficii, perindè ac si Ecclesiæ actualiter inservirent: ita statuitur *in c. cùm percussio* 1. *h. t.* ubi Gregorius rescribit Episcopo Candido, clericum infirmum debere percipere omnes fructus sui beneficii, quos sanus percipiebat, ac si Ecclesiæ inserviret; alioquin ab Ecclesiæ servitio deterrerentur clerici, neque idonei ministri reperirentur, qui vellent Ecclesiæ inservire: hinc Glos. ait: Famuli ægri, quos curamus, nobis servire intelliguntur, & sunt in infirmitate pascendi: sic clerici infirmi stipendiis suis privari non debent: desumitur etiam *ex cap. communiter 33. dist. cap. præcepta 55. dist. c. 1. 2. 3. 4. & ult. si quis Abbas. 8. q. 2. c. significatum* 11 *de prabend. c. in nullo* 18. *q. 2. c. 1. de cleric. non resident. in 6. c. grandi de supplenda negligen. eod. lib.* idque docent communiter canonistæ præsertim Barbosa *lib. 3. jur. Ecclesiast. c.* 10.

2 Ratio est, quia afflictis non est addenda afflictio, ne quis duplici damno afficiatur *c. si mulier 5. dist. l. jure 6. ff. de jure dot. l. si pecuniam §. ult. ff. de condict ob causam. c. licèt de censibus, authent. navigia C. de furtis.* Aliam rationem addit Gregorius l. in illis verbis: *In Ecclesiâ militantibus varia, sicut nosti, sæpè contingit infirmitas*: persæpè viri literarum studio addicti infirmitates contrahunt, pluribúsque laborant morbis, ut ait Justinianus *in §. item surdi, Instit. quibus modis testamenta*: & sicut militibus senio confectis prædia olim, & possessiones ad eorum sustentationem præstábantur *l. item §. item si forte ff. de rei vindic. l. in agris 22. ff. de acquirendo rerum dominio*: ita & qui in hac cælesti militia militant, ait Gregorius, debent fructus sui beneficii percipere; clerici enim dicuntur militare *c. militare 2. 3. q. 1. c. quod prodierit 9. dist. c. salvator 1. q. 3.* Tum quia infirmitas semper excusat *l. 2. §. si quis in judicio ff. si quis caus. l. quæsitum §. 1. ff. de rè judic. l. apud. §. in arbitrio ff. de doli excep.* Hinc Gregorius l. *l. c.* ait: omnino injustum esse, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus; atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in meâ animâ ex ejus dispositione veniat.

3 Neque obstat, quòd proventus, & fructus beneficii dicantur præstari propter officium, ac ministerium in Ecclesia impensum *c. final. de rescript. in 6.* & quia beneficiarii ægroti non deserviunt Ecclesiæ; sed tantùm eorum coadjutores; potiùs coadjutoribus debentur proventus, ac fructus beneficii, cum officii ministerium ipsi impendant: unde cum beneficiarii ægroti non deserviant Ecclesiæ, non debent percipere beneficii proventus juxta Glossã *in l. quamvis V. deneganda ff. de damno infecto*, quam sequitur Baldus *in c. 1. num. 2. de testibus.* Tum quia clerico ægroto ex jure datur coadjutor; qui alteri inservit, propterea debet hic de altari vivere. Nam hæc non infringunt nostrum assertum: quia coadjutori non denegatur congrua sustentatio; habet enim & ipse ex fructibus beneficii assignata stipendia; unde qui altari inservit de altare vivit, & qui laborat mandúcat; quia fructus beneficii dividuntur inter ægrotum, & ejus coadjutorem: neque æquum videtur, privare beneficiarium fructibus sui beneficii, tunc quando ipsis magis indiget; nè infirmitas, quâ impeditur, quominus suum præstare possit officium, ipsi non vertatur culpæ.

4 Quamobrem non debet beneficiarius ob adversam valetudinem privari fructibus sui beneficii. Quinimo non solùm non privatur annuo proventu; sed nec etiam quotidianis distributionibus, ut desumitur *ex c. unic. de cleric. non resident. in 6.* quod tamen limitatur, ut solùm procedat; quando infirmitas est causa principalis, & proxima non serviendi Ecclesiæ: alioquin si antè infirmitatem, cùm sanus erat, consuevisset non residere; tunc propter infirmitatem supervenientem non deberet censeri tanquam residens; quia casus supervenient interpretatur secundùm statum proximè præcedentem *argum. c. majores 3. in fin de baptismo*, unde sicut antequam laboraret morbo, non debebantur ipsi distributiones quotidianæ ob non residentiam; ita neque debentur in morbo.

5 Quinimo neque clericus ob mutilationem deperdit beneficium, quod habet, cujus propterea fructus percipit, ut statuitur *in c. Presbyterum 2. h. t.* ubi Papa Eugenius rescribit, quòd Presbyter qui habet scissos duos digitos cum medietate palmæ, non permittitur celebrare, quia timetur debilitas manus, vel scándalum ex deformitate: potest tamen facere alia exercitia sacerdotalia; & quoad alia exercere officium sui beneficii, præsertim audire confessiones à quibus non est impeditus per mutilationem: quòd si exercet officium propter beneficium, débet fructus istius percipere. Neque urget, si dicas, clericum sic mutilatum esse irregularem, proinde non esse capacem beneficii.

6 Nam licèt vitium, seu defectus corporis absque culpâ proveniens, & per quod vitium impeditur congruum exercitium ordinis ob impotentiam, seu debilitatem, vel notabilem deformitatem, antequam suscipiantur ordines, inducat absolutè irregularitatem: non ita post susceptos ordines constituit clericum simplici-

ter irregularem; sed tantùm inhabilem, ac impeditum in ordine ad exercendos actus aliquos ordinis suscepti, ut in casu nostro,& tradit Garcia *part. 7. de Benefic. c.* 12. *num* 18. ubi *n.* 19. addit,clerico, qui sine sua culpa amisit duos digitos, vel mediam partem palmæ,posse conferri beneficium non requirens celebrationem missæ; adeout capax sit beneficii simplicis: cui adhæret Navarrus *hic num.* 249. ubi ait, quòd si clericus sine sua culpa incidat in irregularitatem, quæ nascitur ex defectu ad usum unius ordinis, & non alterius jam suscepti, possit promoveri ad beneficium,quod non requirat majorem usum. Azorius itidem *part.* 2.*lib.* 6. *cap.*4.*quæst.* 14. asserit eum, qui postquam legitimè primam onsuram suscepit, sinistri oculi infirmitate, aut capitis morbo ita laborat, ut ad sacros ordines non possit promoveri, posse beneficium simplex obtinere, dummodo talis morbus non adferat deformitatem. Neque dissentit Suarez *disput.* 45. *sect.* 2. *num.* 18. ubi ait, quòd licèt ægrotus morbo impediente usum ordinis, irregularis sit ad beneficium curatum de novo suscipiendum; non jam ad simplex,si jam sit clericus, quia decet clericum sustentari beneficio ecclesiastico. Clerico tamen incidenti in cæcitatem non videtur posse conferri beneficium etiam simplex, quia cùm nequeat cæcus preces canonicas recitare,est incapax beneficii etiam simplicis.

7 Quòd si Rector Ecclesiæ; vel Parochus sit adeo leprâ infectus, ut altari servire nequeat, vel non sine magno scandalo eorum, qui Ecclesiam ingrediuntur,est illi dandus coadjutor cum sufficienti stipendio ecclesiastico, qui gerat curam animarum; eique ex reditibus Ecclesiæ assignanda est congrua portio pro decente sustentatione;ut statuit Lucius III. *in c. de Rectoribus 3. h. t.* quia Dei cultus cum scandalo populi non debet exerceri, si absque peccato possit scandalum vitari, ut notat *Glossa hic V. scandalo.* Hinc leprosi à communi hominum consortio separandi sunt;ne lepra irrepat in alios,& ne qui sani sunt, morbi contagione inficiantur *c. Relegande* 16.*caus.* 24. *q.* 3. hinc leprosis ingressus in Ecclesiam interdicitur: & quamvis Rector Ecclesiæ leprâ infectus, vel alio morbo incurabili laborans, vel perpetua infirmitate impeditus non sit removendus à sua Ecclesia, & beneficio;est tamen illi dandus coadjutor,qui officium in Ecclesia exerceat;adeout cura animarum quoad habitum sit in Rectore principali infirmo, & quoad actum, seu exercitium in coadjutore; quòd si Rector infirmitate perpetua laborans non possit suum officium spirituale exercere, neque Ecclesiæ inservire; valeat tamen administrationem in temporalibus adhuc retinere, ac gerere; tunc cura animarum exercenda est à coadjutore,& Rector reditus temporales percipit, assignata congrua portione ex iisdem coadjutori: Quòd si Rector neque administrationem reddituum temporalium posset gerere;tunc ab officio administrationis tam in spiritualibus, quàm temporalibus removendus esset propter scandalum, & abominationem populi; essent tamen eidem necessaria,quamdiu viveret,suppeditanda pro congrua sustentatione, ut statuit Clemens III. *in c. Tua nobis 4. h. t.* ubi rescripsit, quòd si curatus sit leprosus, pro scandalo, & abominatione populi removendus sit ab officii administratione, ac juxta facultates Ecclesiæ danda sint eidem necessaria,quamdiu vixerit.

An verò coadjutor sit dicendus substitutus, 8
vel revera sit prælatus in tali Ecclesia; si principalis remotus sit in totum, an verò quoad actum tantùm, res est dubia. Sed circa prælati nomenclationem Rector Ecclesiæ Parochialis nonnisi laxè dicitur prælatus, quatenus in foro pœnitentiali exercet jurisdictionem. Quoad hanc quæstionem respondet Innocentius *in d. c. Tua nobis 4. h. t.* quòd si morbus eò creverit, ut sine gravi scandalo, & horrore non possit Rector in communi societate hominum vivere,tum privandus sit non solùm administratione, sed etiam jure beneficii, propter bonum publicum; adeout licèt privetur suo beneficio sine culpa, non tamen sine causa, idque desumitur ex *d. c. Tua nobis* ubi dicitur, quòd curatus leprosus ob scandalum, & abominationem populi sit removendus ab administratione officii; proinde alius substituendus est illi in officio; qui propterea non est coadjutor, sed Rector principalis.

Verùm contraria sententia non censenda 9
est minùs probabilis, imò forsan magis juxta praxim; & eam docent Rebuffus *in praxi tit. de reprobat. benefic. vivent. impetr. num.* 59. Lancellot. *in instit. canon. l.* 2. *tit. de coadjut. §. 1.* Navarrus *consil.* 1. *de clerico ægrotante*, & alii plures asserentes,talem Rectorem non esse privandum suo beneficio; sed tantùm esse illi dandum coadjutorem, ut probat textus *in capite de Rectoribus cap. ex parte*,& tradit Fagnanus *in d. c. de Rectoribus num.* 9. *h. t.* ubi asserit, Parochum, vel alium beneficiarium nunquam posse etiam ob infirmitatem perpetuam removeri, aut privari jure, & titulo beneficii, nisi sponte renuntiet tali beneficio: sed tantùm posse removeri ab officio, & beneficio quoad actuale exercitium; & administrationem; si neque in spiritualibus, neque in temporalibus ei præesse possit. Hinc dicunt, non obstare textum *in cap. Tua nobis h. t.* quia volunt esse intelligendum de solo exercitio, non de habitu; adeout removendus sit ab exercitio, assignata coadjutori congrua portione de fructibus ejusdem beneficii.

Quòd si reditus non sufficiant ad sustenta- 10
tionem utriusque, seu Rectoris, & coadjutoris, probabilior sententia docet, tunc ex reditibus Ecclesiæ inprimis providendum esse infirmo Rectori, vel Parocho; & deinde si pro congrua sustentatione coadjutoris non supersint sufficientes reditus, teneri Episcopum providere coadjutori, vel cogendo Parochianos ad suppeditanda eidem necessaria; vel aliunde assignando eidem sufficientes proventus, ut notat Fagnanus *in d. c. Rectoribus numero* 12. *h. t.* ubi assignat rationem, cur Rector præferendus sit coadjutori, adeout ex reditibus Ecclesiæ priùs subveniatur Rectori: quia Parochus ager adhuc

hus censetur Ecclesiæ inservire, siquidem in *c. cùm percussio* 1. *h. t.* habetur, quòd clericus infirmus debeat percipere omnes fructus sui beneficii, quos sanus recipiebat, acsi Ecclesiæ inserviret: proinde Rectori priùs subveniendum est.

11 Præterea cum habeat titulum, ac possessionem beneficii unà cum servitio, præferri debet coadjutori se habenti accessoriè, ac carenti jure, ac titulo in beneficium: non enim coadjutor habet possessionem beneficii, sed tantùm administrationem, & exercitium: quia non possunt plures in solidum simul possidere idem beneficium; & cum Rector beneficium possideat, nequit coadjutor habere possessionem ejusdem. Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de Reform. cap.* 9. decrevit, quòd illiteratis, ac imperitis Parochiarum Rectoribus, si aliàs honestæ sint vitæ, Episcopi etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati coadjutores, aut Vicarios pro tempore possint deputare, ac partem fructuum eisdem pro congrua sustentatione assignare, vel aliter providere, quacunque appellatione, & exemptione remota; quam deputationem S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit ad eum spectare, qui potest instituere concursum; nec ideo parachum, cui datus est coadjutor, posse abesse à residentia, & redarguit dicto decreto Episcopos, qui ex causa infirmitatis constituunt in Parochialibus ecclesiis Vicarios perpetuos, data etiam Rectori facultate de non residendo.

12 Episcopus autem nunquam ob infirmitatem etiam incurabilem, vel decrepitam senectutem est amovendus ab officio Episcopali; quia beneficia ecclesiastica (maximè Episcopatus) non conferuntur ad tempus, sed in perpetuum; seu ad vitam eorum, quibus conferuntur, ut notat *Glossa fin. hic.* Tum quia inter Episcopum, & Ecclesiam intercedit indissolubile vinculum, seu matrimonium spirituale *c.* 2. *de translat. Episcop.* Quamvis tamen Episcopus propter morbum etiam perpetuum, & incurabilem non possit compelli ad cedendum officio, potest tamen cogi ad recipiendum coadjutorem; hic enim datur etiam invito; si præses nequeat suo fungi officio. Sin verò morbus sit temporalis, & curabilis, tunc potest constitui Vicarius temporalis, ut notat Fagnanus *hic n.* 4. Quid verò dicendum sit de Episcopo electo, & confirmato, sed nondum consecrato si fiat inhabilis ad officium Episcopale post confirmationem? aliqui censent, esse omnino excludendum ab Episcopatu, quia cum supersit adhuc unum scrutinium, non debet in illo admitti inhabilis ad officium, propterea neque ad beneficium, cum hoc detur propter officium. Contraria sententia est valde pubabilis, & hanc propugnant Joan. Andreas *in c. ex parte 5. h. t. n.* 1. Abbas *ibid. num.* 4. quia consecratio nihil addit ad conjugium spirituale Episcopi; & nullus Prælatus absque propria culpa removeri debet à suo beneficio, neque officio. Imò non solùm Episcopi, sed nec Prælati Episcopo inferiores removendi sunt ob supervenientem morbũ incurabilem, ac perpetuum; sed si suum nequeunt munus obire ob inhabilitatem dandus est illis coadjutor, ut habetur *in c. consultationibus 6. h. t.* ubi dicitur, quòd Archidiacono, qui amisit usum linguæ ob paralysim est dandus coadjutor. Et idem dicendum, si amisit usum oculorum *c. Diaconi 93. dist.*

§ II.

An Episcopo, vel aliis Ecclesiarum Prælatis dandus sit coadjutor, & à quo, & quale sit officium coadjutoris.

MOris est, ecclesiis, & beneficiis provideri de coadjutore, & nonnunquam etiam cum futura successione: duplex siquidem est coadjutor, scilicet temporalis, & perpetuus cum spe futuræ successionis, ut tradit Gonzales *ad regulam de mens. Glos. 5. §. 9.* coadjutor temporalis est revocabilis, & non nisi per aliquid temporis exercet officium coadjutoris, & conceditur principali Ecclesiæ Præsidi, vel Rectori, qui vel ob senium, aut morbum, vel aliud impedimentum, suum non potest officium exercere; unde datur illi coadjutor, qui vices suas gerat, pro eo ministret, & officium exerceat; & tunc coadjutori debetur stipendium ex reditibus beneficii; & Rector non est privandus suo officio, sed tantùm coadjutori datur ex reditibus quantum sufficit pro congrua sustentatione. Coadjutor perpetuus cum futura successione non est juri conformis, sed potiùs à stylo curiæ inventus in gratiam, & favorem specialem, ut notat Cassod. *decis. 1. de restituti. spoliat. num.* 2. Gonzales *l. c. n.* 46. Massonius *de majest. milit. eccles. lib.* 1. *c.* 8. *pag.* 173. Navarrus Consil. 2. *n.* 2. de clerico ægrotante.

Dantur hujusmodi coadjutoriæ perpetuæ cum futura successione, tametsi adjutus possit suum exercere officium in Ecclesia, illúdque exerceat; quapropter non dantur ob necessitatem, sed propter favorem ex gratia, ut coadjutor succedat in beneficio: unde sunt odiosæ, & exorbitantes à jure, secundùm quod ei tantùm est coadjutor concedendus, qui verè indiget coadjutore ad tempus impedimenti, Puteus *decis.* 220. *num.* 13. *l.* 3. ubi ait, coadjutorias non dari nisi ob necessitatem ecclesiæ, cui coadjutus non potest inservire, & in recompensam suorum laborum datur coadjutori portio fructuum.

Cæterum Episcopis, vel aliis ecclesiarum Rectoribus, ac Prælatis ægrotis dandus est coadjutor, qui in Ecclesia ministret. Idque probant plura jura *c. quamvis c. persisti, c. nihil* 5. *ecce 7. q.* 1. *c. venerabili 27. de offic. deleg. c. Final. quæst. ult. c. grandi de suppl. negl. in 6. t. et transmissa de concess. prabend. c. is cui de elect. in 6.* Hinc S. Ambrosius epist. 29. scribit, Episcopo Basso datum fuisse Senecionem in consortium regendæ Ecclesiæ; & in Epist. 1. Tarraconensis Provinciæ ad Hilarium Pontificem Romanum refertur, Nundinarium Episcopum Barcinonensem sibi adscivisse Irenæum; Idem de se refert Gregorius Nazianz. *epist.* 39. Narcisso Hierosolymorum Episcopo datus fuit co-

adjutor Alexander ob ingravescentem ætatem referente Eusebio *lib. 9. c. 9. & 10.* Valerius Hipponensis Episcopus S. Augustinum coadjutorem sibi substituit. Romanus Pontifex Granerio Episcopo Geneuensi coadjutorem concessit S. Franciscum Salesium. Vide Barbosam *lib. 3. juris eccles. c. 10 de coadjutoriis.* Rursus *de potestate Episcop. alleg. 57. & de canonicis c. 23.* Chopinum *de sacra Polit. lib. 1. tit. 2. num. 18.* Tondutum *variar. resol. p. 2. c. 1. §. 14.* Bouquetum *ad Innocent. l. 2. Epist. 121.* Duarenum *lib. 3. de sacris eccles. c. 5.* Etenim usus coadjutorum tam in temporalibus, quàm spiritualibus, seu ecclesiasticis receptus semper fuit, & omnium consensu approbatus, ut liquet *ex cap. grandi de suppleud. neglig. in 6.* ubi habetur, quòd si qui regit ecclesiam est negligens, vel remissus in gubernando, superior debeat illi dare coadjutorem idoneum.

4 Duas potissimum ob causas solet Romanus Pontifex coadjutores concedere cum futura successione, quatum prima est, ut coadjutor majorem habeat authoritatem: secunda ut sollicitiùs, diligentiùs, ac ferventiùs suo fungatur officio. Tum quia si coadjutor jus habeat succedendi, magis amatur, ac colitur, plurisque à populo sibi concredito æstimatur, & illi promptiùs tunc populi obediunt. Nihilominus hæc coadjutoria perpetua, quæ sublato impedimento non tollitur, sed proprietario defuncto in ejus locum succedit coadjutor, cum speciem præseferat successionis, detestabilis est *ex text. in cap. accepit, de pactis* juxta interpretationem Petri Gregorii *de Beneficiis cap 30. num. 2. Argumento capit. 1. & 2. de concess. prebend. c. ne captande 3. eod. tit. in 6. Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. vers. in coadjutoriis*, quarum propterea usus jure communi non reperitur receptus; sed tantùm de stylo Curiæ fuit introductus: & ut notat Gonzales §. 9. *num. 48.* frequentiùs conceduntur in canonicatibus, & dignitatibus, rarissimè in Parochialibus.

5 Ratio cur plerunque contingat, dari coadjutores est; quia cum Episcopi, ac cæteri ecclesiarum Prælati teneantur residere in suis propriis ecclesiis, ut iisdem inserviant, provideántque propriis parochianis, ac spirituale pabulum illis ministrent; ut habetur *in c. 2. de cler. non resid.* & qui morbo laborant, vel alio detinentur impedimento non possunt id per se præstare, nec alia propriæ dignitatis obire munia; ne afflictis addatur afflictio, non privantur proprio beneficio, sed dantur illis coadjutores, ut pro ægrotis in Ecclesia ministrent, congruâ iisdem fructuum portione pro impensis laboribus assignatâ. Idque exemplo veteris legis, in qua summo sacerdoti dabatur coadjutor, ut si per morbum, aut aliam causam sonticam, seu gravem, & urgentem non posset obire sua propria munia, coadjutor ea expleret; quo pacto Pontificatum eodem tempore tenuerunt Anna, & Caiphas. Sic etiam in lege gratiæ usus coadjutorum inolevit, ut si ob morbum incurabilem non possint Episcopi, vel Rectores Ecclesiarum divina ministrare officia, alii adjungantur, qui possint pro iisdem in Ecclesia ministrare. Id tamen procedit nisi Episcopus infirmus renunciaverit Episcopatui, quia tunc non coadjutor substituendus est; sed alius Episcopus eligendus est *cap. sicut ver. §. acce. cap. non aliter cap. quamvis. cap. qualiter 1. quæst. 3. cap. 1. 85. dist.*

Quòd si objicias Concilium Aurelianense 6
5. can. 12. Meldense can. 47. Constantinopolitanum 8. sub Hadriano act. 5. post epist. Nicolai ad Photium, & Leonem Magnum epist. 89. ad Episcopum Viennensis Ecclesiæ, ubi aitc *Epistola quoque ingesta est civium ipsius, & numerosa subscriptione singulorum firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis, quòd Projecto Episcopo suo egrotare liberum non fuisset, cum illi vix ex morbo decumbenti Hilarius Viennensis Primas, & Legatus Sedis Apostolicæ successorem daret.* Quòd cautum fuit ex dublici ratione: primò ne duo simul in una, eadémque civitate darentur Episcopi contra Concilium Nicenum I. can. 8. Tolet. 12. can. 4. Secundò ne daretur successio in beneficiis ecclesiasticis; præsertim cum futura successio det ansam desiderandi mortem alienam; quod ecclesia semper improbavit.

Contra est, quia quæ ex conciliis objiciun- 7
tur procedunt tantùm, quando coadjutores dantur cum futura successione, quos coadjutores prima illa Ecclesiæ sæcula non agnoverunt; quia populi duos Episcopos pati non poterant; proinde ad vitanda schismata tales coadjutores, vel etiam successores sacri canones non permittebant. Postea tamen summi Pontifices ob prætactas superiùs rationes pro suprema auchoritate, quâ in Ecclesia universali potiuntur, coadjutores cum futurâ successione satiùs censuerunt admittere; adeout hæc sit hodierna praxis: unde hujusmodi coadjutores cum jure & potestate succedendi non sunt ex jure communi, sed ex usu, more, ac stylo curiæ Romanæ introducti: qui tamen dari non solent quibuslibet beneficiariis; sed Episcopis, aliisque superioribus Ecclesiarum Præsulibus; Item & Parochis, ac Abbatibus, aliisque habentibus curam animarum. Rariùs dantur aliis habentibus solùm dignitatem, personatum, officium, vel administrationem: ut etiam canonicis, vel ætate, aut senio confectis.

Unde causæ, ob quas concedi solent coad- 8
jutores plures solent assignari. Primò ætas provecta Pastoris *c. Petisti 2. q. 1. c. Pastoralis de clerico ægrotante in 6.* Secundò ob infirmitatem virium corporis, cum Pastor est viribus destitutus; ac morbo tractus *c. 1. q. 1. c. Pastoralis de cleric. agrot. in 6.* Tertiò ob amentiam, vel aliam animi ægritudinem, quâ Rector Ecclesiæ est mente captus *c. tua nos de clerir. agrot.* Quartò ob defectum idoneæ literaturæ in Rectore Ecclesiæ requisitæ Concil. Trident. *sess. 21. cap. 6. de Reform.* Quintò ob negligentiam, cum Pastor fungitur quidem suo munere, sed negligenter, ut habetur *in c. quia frater 1. q. 1.* & in Concil. Trid. *sess. 21. c. 6.* Sextò si Prælatus Ecclesiæ suspectus sit de dissipatione bonorum Ecclesiæ, ut notavit Abbas *in c. venerabili de offic. Judicis deleg.*

Dare

9 Dare autem coadjutorem non ad omnes pertinet. Prælatis Episcopo inferioribus non exemptis si officio suo non possunt præesse, neque propria obire munia, coadjutores dare potest proprius eorum prælatus superior; adeout Episcopus possit dare coadjutores Parochis non exemptis, ad tempus tamen, ut notat Abbas *in c. dil Rectoribus de clerico ægrot.* Et quamvis collatio beneficii spectet ad Prælatum inferiorem Episcopo; nihilominus dare coadjutorem illi Beneficiato ad solum pertinet Episcopum: siquidem qui habet tantùm potestatem conferendi, non potest institutum destituere, seu deponere, imò neque ejus renunciationem admittere; nisi tale beneficium sit plenè subjectum tali Prælato inferiori; quia tunc Prælatus inferior haberet jurisdictionem quasi Episcopalem respectu illius beneficii.

10 Coadjutor tamen cum jure succedendi non potest dari nisi à Romano Pontifice; quia ut habetur *in cap. nulla de concess. præben.* ex Concilio Lateranensi, nulla ecclesiastica beneficia, seu ministeria tribuuntur alicui, aut promittuntur, antequam vacent: hoc idem habetur *in c. Relatum. c. ex tenore de concess. præben.* in quibus capitibus dicitur, quòd promissiones factæ de ecclesiis nondum vacantibus, sed vacaturis irritæ sint, ac inanes. Cæterum coadjutor datus tantùm ad temporalium rerum administrationem debet esse prudens, ac in re illa exercitatus: datus verò ad spiritualia administranda, & ad curam animarum gerendam debet instructus esse scientiâ necessariâ ad suum munus ritè obeundum; ac debet esse vir morum probitate commendatus; ac honestate vitæ laudatus; ut notat Abbas *in c. Pastoralis nunc. h. t. in 6.* & Concil. Trident. *sess. 21. de Refor. c. 6.* ubi statuitur, quòd illiteratis, ac imperitis Parochis, si aliàs honestæ vitæ sint, Episcopi etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati coadjutores, aut Vicarios pro tempore possint, & partem fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare.

11 Rursus is deligendus est coadjutor, qui eam attigerit ætatem, quam beneficium exigit, adeout ad curam gerendam animarum vigesimum quintum expleverit annum ætatis. Sin autem Episcopo detur coadjutor, vel datur ad spiritualium administrationem, & debet compleviſſe annum trigesimum; vel datur ad solam temporalium administrationem, & tunc sufficit si compleverit annum vigesimum quintum; quia hæc censetur in jure perfecta ætas, ut Tutor, vel Curator, aut Procurator esse quis possit *l. si reliquero 8. juncta Glos. V. si perfecta ætatis ff. de legit. Tutor.*

12 Præterea coadjutor datus Parocho, vel alteri Beneficiario debet esse clericus, quia laicus non potest esse administrator in rebus spiritualibus; imò neque in temporalibus, quia nequit esse generalis administrator Ecclesiæ *c. Judicatum 5. dist. 89.* Potest tamen à Papa dari Laicus coadjutor, etiam ad spiritualia quædam gerenda: siquidem Papa potest laico conferre potestatem excommunicandi, & causam spiritualem committere, ut notat Abbas *in c. nit. n. 1. q. 2. h. t.* cum Glossa *cap. decernimus de judiciis c. Mennam 11. q. 4 c. Adrianus.* Religiosus autem potest dari coadjutor Episcopo, vel Parocho, præsuppositâ sui superioris regularis licentiâ: Siquidem ob utilitatem publicam, & salutem animarum Monachus jure communi potest Ecclesiæ præfici, eò quia necessitas Ecclesiæ Episcopalis prævalet, & utilitas publica prætertur commodo unius monasterii: unde sicut Monachus potest eligi in præfectum Ecclesiæ, & potest esse Episcopus; ita potest esse coadjutor Episcopi, vel Parochi, vel alterius cujuslibet curam habentis animarum, præsertim si necessitas urgeat *cap. vos c. qui verè 16. q. 1.* Neque obstat quòd voluntas Monachi dicatur esse in potestate Abbatis; quia id verum est; sed ex inde tantùm sequitur ad id requiri consensum Abbatis; non verò non posse monachum ex consensu sui Abbatis præfici alicui Ecclesiæ, vel dari in coadjutorem Prælato habenti curam animarum.

13 Episcopis, & Prælatis iis superioribus, seu Archiepiscopis, & Patriarchis solus Romanus Pontifex dat coadjutores etiam ad tempus, ut statuitur *in cap. Pastoralis unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declaravit, quòd dare Episcopis coadjutores, vel eorum superioribus pertineat ad solum Papam: quia sit de causis majoribus non obstante constitutione contraria. Ratio ibidem assignatur, eò quia dare coadjutores sit ex majoribus causis, quæ in signum specialis prærogativæ reservantur sedi Apostolicæ; quia mutationes Episcoporũ sunt de majoribus causis *t. mutationes 34. caus. 7. q. 1. c. Nisi 3. de offic. Legati*, & per concessionem coadjutoris, quamvis non fiat mutatio quoad dignitatem; fit nihilominus quoad administrationem; ut notat Menochius *hic n. 3.*

14 Si dicas; Archiepiscopum esse superiorem Episcopo, proinde posse dare coadjutorem Episcopo. Contra est, quia licèt sit superior non tamen inde sequitur, quòd possit dare coadjutorem Episcopo: ratio est, quia dare coadjutorem est actus jurisdictionis, non in personam Episcopi, sed in ordine ad diœcesim; & Archiepiscopus nullam potest exercere jurisdictionem in diœceses coëpiscoporum, nisi id eidem sit in jure specialiter concessum *c. Pastoralis 11. de offic. ordin.* vel saltem ex inolita, & antiqua consuetudine introductum, ut notat Glossa *hic V. Tantummodo in addit.* Hinc patet discrimen inter Episcopum, qui potest coadjutorem dare Parocho, quia Episcopus potest exercere jurisdictionem in subditos Parochi, cum sint subditi Episcopi; & comprehendantur in diœcesi Episcopi: secus Archiepiscopus nequit exercere jurisdictionem in diœceses coëpiscoporum; proinde non potest dare coadjutores suis coëpiscopis suffraganeis.

15 Ex duabus causis datur Episcopo coadjutor. Primò quando Episcopus ætate, vel alia infirmitate corporis perpetua ita confectus est, ut suum munus, ac officium non possit obire; tunc Episcopus ex consensu capituli, vel majoris partis canonicorum, accedente authoritate Apostolica potest sibi unum, vel duos coadju-

tores aſciſcere: tunc autem ratione ætatis conceditur Epiſcopo coadjutor, quando eſt ſenio confectus; & tunc cenſetur ſenex quoad coadjutorem obtinendum, quando eſt major ſeptuaginta annis, juxta communiorem ſententiam; licèt Gonzales apud Barboſam in collectaneis *hic num. 7.* putet, quòd ætas ſexaginta annorum ſufficiat ad dandum propter ſenium coadjutorem Epiſcopo. Alii verò, & forſan melius dicunt, ſenium conſiderandum eſſe juxta Epiſcopi complexionem, cum alii citiùs, alii tardiùs ſeneſcant; alii ſint aliis fortiores, alii aliis imbecilliores; unde non tam ætatis, quàm virium habenda eſt ratio. Secundò quando Epiſcopus ita factus eſt amens, ut quid velit, aut nolit experimento dignoſci non poſſit, tum canonicorũ collegium, aut duæ partes Capituli authoritate Romani Pontificis poſſunt eidem unum, vel duos coadjutores dare: non tamen coadjutor ita datus jus habet ſuccedendi Epiſcopo, niſi id ipſi ſpeciatim concedatur indulto Romani Pontificis, ut notat Gloſſa *in cap. licèt in verbo vacaturus de prabend. in 6.* Epiſcopus ſolis clericis parochialem Eccleſiam habentibus, vel curam animarum coadjutorem tantùm ad tempus dare poteſt, dummodo juſta cauſa ſubſit, vel etiam alius ſuperior, ut deſumitur *ex cap. de rectoribus, cap. conſultationibus 6. de clerico ægro.*

16 Cæterum coadjutores cum jure, & poteſtate ſuccedendi tollendos eſſe, Concilium Tridentinum ſtatuit *ſeſſ. ult. cap. 7. de reform.* quia ſucceſſio in beneficiis eccleſiaſticis communi jure damnatur, ut liquet *ex cap. ſi Petrus, cap. Epiſcopo 1. & 2. cap. plerique 6. apoſtolica 8. q. 1.* quia inde daretur occaſio optandæ mortis beneficiarii, cui datur coadjutor; quam occaſionem optandæ alienæ mortis utrumque jus civile, & canonicum deteſtatur. Romanus tamen Pontifex dare poteſt, ac ſolet hujusmodi coadjutores, ſiquidem *in cap. petiſti 7. quæſt. 1.* Zacharias Papa Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino jam ſenio, & corporeis viribus deſtituto coadjutorem dedit, qui poſt ejus obitum ſuccederet. Coadjutor tamen Epiſcopo datus ex proventibus Prælaturæ, ſeu Epiſcopatûs portionem moderatam accipere debet, ut deſumitur *ex c. Paſtoralis unic. h. t.* Debet autem coadjutor ad animarum curam eſſe inſtructus ſidonea literatura, quâ poſſit ritè ſuo fungi officio, & ea vitæ, ac morum honeſtate præſtare, ut omnes fortiùs exemplo, quàm verbis ad pietatem alliciat.

17 Ad poteſtatem quòd attinèt coadjutoris, niſi ſpecialiter per ſuperiorem poteſtas illi limitetur, habet regulariter coadjutor eamdem poteſtatem, quam habet adjutus, ſeu ipſe principalis; ita tamen ut debeat abſtinere ab omni alienatione bonorum ſpectantium ad Eccleſiam, vel ad ipſum principalem. Officium verò coadjutoris eſt Epiſcopi, vel Rectoris curam gerere, ut etiam Eccleſiæ, ac populi, ut habetur *in cap. ex parte 5. in fine.* Quòd ſi coadjutor detur tantùm ut loco Prælati, vel Parochi adminiſtret bona temporalia ob eorundem dilapidationem factam à Prælato, vel ſuſpicionem illius ut *in c. venerabili 37. de offic. deleg.* tum officium coadjutoris tantùm ſe extendit ad temporalia, & deſumitur *ex d. c. Paſtoralis unic. h. t. in 6.*

Sin verò detur propter ſenium, amentiam, 18
vel morbum incurabilem, & cum plena poteſtate adminiſtrandi in ſpiritualibus, & temporalibus; tunc poteſt omnia exercere, quæ potuit Epiſcopus, ſi coadjutor ſit etiam Epiſcopus, quia coadjutor datur, ut ea omnia agat, quæ deberet adjutus agere, ſi poſſet. Interdicta tamen eſt coadjutori Epiſcopi alienatio rerum Eccleſiæ non ſolùm immobilium, ſed etiam mobilium pretioſarum, & deſumitur *ex d. c. Paſtoralis unic. h. t. in 6.* Excipiuntur tantùm ea bona mobilia, quæ ſervando ſervari non poſſunt: ea enim poſſunt coadjutores alienare, perinde ac Tutores ſimilia bona mobilia pupillorum *l. lex quæ 22. C. de adminiſtrat. Tut.*

Tenentur tamen hujusmodi coadjutores 19
plenam adminiſtrationis rationem reddere, tum ipſis prælatis ſi ſanæ fuerint mentis, tum capitulis Eccleſiarum, vel etiam Prælatis ſucceſſoribus, niſi antea rationem reddiderint. Imò poſſunt rationes ſæpius computatæ iteratò peti, ut reddantur; dummodo ſuper rationibus factis non ſit tranſactum, vel judicatum *l. unic. C. de errore calculi*: has rationes tenentur coadjutores etiam reddere, antequam ſuo ſint officio functi, ſi petantur à Prælatis, quia cum ſint perpetui, neſcitur quanto tempore vivant; proinde cum adhuc vivunt, & exercent officium coadjutoris tenentur ſi petantur, rationes reddere. Secus eſt de officialibus, qui conſtituuntur ad certum tempus; hi durante officio non poſſunt conveniri, vel compelli ad reddendas rationes adminiſtrationis, ut notat Anchar. *in c. paſtoralis unic. h. t. in 6.*

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones circa Coadjutores.

QUæritur primò, an coadjutor Epiſcopi poſſit beneficia conferre. Reſponderi ſolet cum diſtinctione, ſi enim Epiſcopus ſit ſanæ mentis, & ita conſtitutus, ut conſenſum per ſe ipſum præſtare poſſit, tunc ad Epiſcopum pertinet beneficia conferre, non ad coadjutorem; licèt hic conſilium, & conſenſum præſtare debeat, ſi datus ſit ad ſpiritualia miniſtranda: quia cum titulus dignitatis, & officium maneat in Epiſcopo, ad ipſum pertinet omnia expedire cum conſilio coadjutoris ipſi adjuncti; quòd ſi Epiſcopus ſine conſilio, & inſcio coadjutore beneficia conferret, adhuc collatio valida eſſet; quia conſilium, & conſenſus coadjutoris non requiritur ad ſubſtantiam actûs; cum dignitas epiſcopalis adhuc in Epiſcopo reſideat. Quòd ſi Epiſcopus, cui datus eſt coadiutor ſit demens, vel ita affectus, ut capax non ſit ritè conferendi beneficia, nec præſtandi conſenſum; tunc ad ſolum pertinet coadjutorem beneficia conferre, ut docent communiter canoniſtæ *in cap. paſtoralis unic. h. t. in 6.* ubi licèt coadjutori prohibeatur omnis alienatio; & beneficii collatio ſit quædam libera donatio *cap. ult. de offic. Vicarii in 6.* nihilominus

minus alienatio, quæ prohibetur coadjutori, non eſt quæcunque alienatio, ſed tantùm merè liberæ; alienatio enim neceſſaria illi permittitur *argum. l. alienationes* 13. *ff. famil. herciſc.* & quia collatio beneficii eſt neceſſaria quædam donatio, cum beneficia diù vacare non debeant, cum periculo ne ſalus animarum inde detrimentum patiatur, & cultus divinus minuatur; ideo permittitur hæc beneficiorum collatio ipſi coadjutori.

2 Quæritur ſecundò, an coadjutoria cum futura ſucceſſione impetrata à ſummo Pontifice eo tempore, quo Epiſcopus, ſeu principalis coadjuvandus ſit mortuus, vel ſaltem moriatur, antequam literæ papales adveniant, & coadjutor actu officium ſuſcipiat, validè fuerit collata; & ſucceſſio in beneficio locum habeat? ſiquidem ſucceſſio in Beneficio videtur dari propter coadjutoriam, & merita adminiſtrationis, proinde ceſſante cauſa ceſſare etiam debet effectus. Reſpondendum nihilominus eſt, ex ſtylo curiæ Romanæ, & inolita conſuetudine receptum eſſe, ut coadjutoria, & futura ſucceſſio cenſeantur duæ gratiæ, quarum unâ deficiente altera ſubſiſtat; quinimo moris eſt, ut hoc ipſum litteris inſeratur coadjutoriæ, ut ſucceſſioni in beneficio ſit locus. Quamobrem licèt coadjutor datus ſuum nondum etiam ex negligentia incæperit officium exercere; neque literas Papales Epiſcopo, vel Capitulo præſentaverit, adhuc intelligitur ſuccedere in beneficio, ut notat Gonzales *ad Regul. 8. cancellaria Gloſſ. 5. n. 53.* ubi *num. 57.* addit aliquid ſimile de diſpoſitione ſuper impedimento matrimonii, ac legitimatione prolis, quia licèt forſan ob ſupervenientem mortem alterius non contrahatur matrimonium, adhuc prolis legitimatio ſubſiſtit. Hæc omnia vera ſunt; quando principalis coadjuvandus dicitur mortuus eſſe, vel reſignâſſe poſt datam litterarum Apoſtolicarum, ubi gratia coadjutoriæ cum futura ſucceſſione ex parte ſummi Pontificis jam perfecta fuit.

3 Sed difficultas eſt, ſi principalis coadjuvandus deceſſerit ante datam litterarum Apoſtolicarum? In hac difficultate diſſentiunt Canoniſtæ, Gonzales *in regul. 8. cancell. l. c. n. 56.* ait, ſucceſſionem ſuum ſortiri valorem, quamvis beneficium actualiter vacet *de tempore datæ*, docet enim, coadjutoriam perpetuam cum futura ſucceſſione continere in ſe duplicem gratiam æquè principalem, ac diſtinctam, ac ſeparatam, unam coadjutoriæ, quæ expirat per obitum coadjuti, ad ejus favorem datam: alteram futuræ ſucceſſionis, cum primùm vacat beneficium per ceſſum, vel deceſſum coadjuti; & hæc ſecunda gratia cum reſpiciat favorem ſolius coadjutoris non ceſſat ceſſante coadjuto, ſed ſubſiſtit, quia non dependet à prima: hinc ſi adjutus decedat, antequam gratia coadjutoriæ ſuum ſortiatur effectum, vel ipſe de dicta gratia notitiam habeat, quamvis gratia coadjutoriæ extinguatur per obitum principalis, ſeu coadjuti: ſecunda tamen gratia ſuccedendi in beneficio firma manet, ſuúmque ſortitur effectum, ut etiam tradit Puteus *deciſ. 98. lib. 2. & 226. num. 9. lib. 3.* Peregrinus *lib. 2. deciſ. 281. lib. 2.* Hinc Gonzales infert, quòd ſi coadjutus deceſſerit prius tempore datæ, adhuc ſit locus futuræ ſucceſſioni.

4 Alii tamen cum Garcia de Benef. *part. 4. c. 5. num. 132.* docent, tum utramque gratiam invalidari, & corruere; ceſſat enim gratia coadjutoriæ, quia Epiſcopo mortuo non datur coadjutor: ceſſat itidem gratia ſucceſſionis, quia hæc datur dependenter à coadjutoria, cui committitur: hæc ſententia ex eo videtur forſan probabilior: quia coadjutoria cum futura ſucceſſione eſt odioſa, & exorbitat à jure communi, ac quidem cum præjudicio eorum, quibus jus competit electionis, vel collationis; unde non licet de uno caſu ad alium diverſam facere extenſionem, ut notat Garcia *l. c. num. 14.* neque proinde beneficium, quod collatum eſt cum coadjutoria, cenſendum eſt, eſſe collatum ſine coadjutoria: cum hæc reſcripta Pontificia ſint ſtrictæ interpretationis, non debent extendi ad caſum non expreſſum. Verùm deciſio hujus poſtremæ difficultatis videtur potiùs dependere ex ſtylo, & uſu Curiæ Romanæ.

5 Quæritur tertiò, an ſententiæ latæ contra unum coadjutorem cum futura ſucceſſione, alicujus beneficiati, illo defuncto, vel renunciante noceant ſucceſſori coadjutori? Gonzales *in reg. 8. cancell. l. c. §. 9. num. 92.* reſpondet, non nocere ſucceſſori non citato ſaltem per proclama, proinde debere de novo audiri, & citat Romanum *deciſ. 239. & 241. part. 3. lib. 3. divers.* Verùm ut notat Garcia *l. c. n. 129.* præcitatæ deciſiones non loquuntur de ſententiis latis contra coadjutorem, ſed contra coadjutum; ſi enim loquerentur de ſententiis latis contra coadjutorem, non requireretur citatio ſecundi coadjutoris ſucceſſoris, nec ei præjudicarent. Reſpondetur igitur cum diſtinctione: ſi ſententia lata eſſet ſuper invaliditate coadjutoriæ primi coadjutoris, non eſſet, cur deberet præjudicare ſucceſſori, ſeu ſecundo coadjutori; quia collatio ſecundæ coadjutoriæ eſt novus actus diſtinctus, ac prorſus ſeparatus à primo; unde ex invaliditate primæ coadjutoriæ, cum non poſſet inferri invaliditas ſecundæ, ſententia lata contra primum coadjutorem non poſſet ſecundo nocere. Sin verò ſententia lata eſſet ſuper juribus, ac pertinentiis coadjutoriæ, & ſuper ſtatu coadjutoris, tum ſententia lata contra primum coadjutorem, noceret ſecundo, aliisque ſimilibus talia Eccleſiæ coadjutoribus etiam non citatis *l. ingenuam ff. de ſtat. hom. l. ſupr de re judic.* Tiraquel *in tract. ret inter alios acta limit. 27.* Covarruvias *quæſt. pract. c. 13. num. 6.*

6 Quæritur quartò, an coadjutor poſſit cedere coadjutoriæ, etiam invito coadjuto? Reſpondetur, poſſe tantùm cedere de conſenſu Papæ etiam invito coadjuto; non verò aliter, quia cum coadjutor ſit deputatus authoritate Papæ; non videtur poſſe coadjutoriæ cedere, niſi authoritate ipſius Papæ invito coadjuto; ita cenſent Butr. *in cap. fin. n. 15.* Imola *n. 15.* Anania *num. 13 de clerico ægrotante* Gonzales Mendez, *lib. 4. diverſ. jurium argum. c. 1. q.* Neque obſtat, quod coadjutor datus ſit in favorem coadjuti, quia ut notat Gonzales *num. 53.*

id

id venit in consequentiam; proinde non attenditur *l.* 1. *de authoritate rectoris cum aliis* Cæterum futuræ successioni, cum hæc sit in merum favorem coadjutoris, potest hic illi cedere, eique renunciare sine consensu superioris, & adjuti.

7 Quæritur quintò, an coadjutoria inducat incompatibilitatem cum alio beneficio incompatibili cum illo, in quo est coadjutor? Respondent plures cum Gonzales *in Regul. 8. cancellariæ Gloss. 5. §. 9. num. 94.* Gregorio Tholosano *de Benef. c. 11. num. 2.* coadjutoriam perpetuam cum futura successione per se non esse beneficium ecclesiasticum; proinde non posse inducere incompatibilitatem cum alio beneficio, & ita fuisse decisum à Rota tradit Gonzales Meudez *lib. 4. diversor. argum. c. 1. num. 8.* Nituntur etiam ratione, quia talis coadjutor non tenetur præcisè residere, neque ad residendum potest adigi, eò quia non habeat beneficium; sed tantùm tenetur ad causativam residentiam, quatenus si non resederit, non lucrabitur fructus, qui tum debentur adjuto. Verùm hæc ratio non satisfacit, quia licèt verum sit, coadjutoriam præcisè in se non esse beneficium; cum hoc non dicatur vacare per obitum, vel cessionem coadjutoris, sed solius adjuti; nihilominus probabilior sententia est, quòd talis coadjutor, si principalis velit, teneatur residere pro eodem principali Beneficiato, alioquin teneatur illi ad damnum, & interesse; eò enim ipso quòd coadjutor acceptat coadjutoriam, ex natura officii tenetur residere, imò id procedit, quamvis ex coadjutoria nullum reciperet annuum reditum; si tali pacto illam acceptavit, valet enim regula: *scienti, & consentienti non fit injuria.*

8 Tum quia tarentia annui reditus compensatur cum futura successione, & moris est ut notat Gonzales *num.* 122. ut in modernis coadjutoriis apponatur verbum *teneatur residere.* Hinc coadjutoria licèt non inducat incompatibilitatem ad effectum, ut per eam vacet beneficium priùs obtentum; inducit tamen incompatibilitatem ad effectum retentionis cum beneficio exigente personalem residentiam, si adjutus velit ut coadjutor resideat, ac pro ipso serviat Ecclesiæ: unde per assecutionem beneficii exigentis alibi personalem residentiam videtur cessare coadjutoria, quia tunc expirat futura successio, & jus ad beneficium ex ea competens *Clement. gratiâ de rescript.*

9 Quæritur sextò, an canonicus perpetuum habens coadjutorem cum futura successione possit pinguiorem præbendam optare, ac in illâ institui? Respondet Gonzales *in* 8. *Regul. Glos. 34. 18. quæst. num.* 97. cum distinctione: vel enim futura successio concessa fuit in gratiam coadjutoriæ, quoad canonicatum, & præbendam ordinariam illi annexam absque illa præbenda, seu præstimonio, quod optatur: vel fuit concessa successio, etiam quoad hanc præbendam, & præstimonium temporale optatum per adjutum, seu canonicum beneficiatum: in priori casu respondet, coadjutum non posse optare pinguiorem præbendam, quia non potest dimittere præbendam, seu præstimonium, quod possidet, ex quo per gratiam coadjutoriæ est adjudicata coadjutori futuro successori, à quo auferri non potest ob jus ad rem acquisitum, proinde cessat natura optionis, quæ est ut si Titius optet majorem præbendam, Cajus modernior optet illam minorem dimissam à Titio; quo pacto ordo optionis prævertitur. In secundo autem casu respondet, adjutum posse optare pinguiorem præbendam; quia gratia coadjutoriæ cum fuerit concessa in ejus favorem, non debet illi nocere, ut notat Puteus *decis. 98. lib. 2.* quia quando futura successio est concessa coadjutori quoad præbendam, quam tunc habet coadjutus, nullum ei damnum infertur: imò posset tunc coadjutor optare pro coadjuto, cujus loco subrogatur.

10 Verùm cum id dependeat à voluntate coadjuti, requiritur saltem illius consensus; nisi id exprimatur in coadjutoriâ, ut solet exprimi in coadjutoriis præbendarum, ubi est jus optandi, ut notat Garzia *l. c. 119.* si igitur coadjutor succedat cuilibet beneficio coadjuti, potest hic absolutè optare pinguiorem præbendam, quæ subrogatur loco primæ, si locum habeat futura successio; quia tunc non læditur jus coadjutoris. Hinc si optetur etiam aliud beneficium non dimisso primo, ut si canonicus optaret dignitatem retinendam cum canonicatu juxta consuetudinem Ecclesiæ; coadjutoriâ in canonicatu non obesset canonico, quominus posset optare dignitatem: sed tunc haberet coadjutorem tantùm in canonicatu, non in dignitate, in qua deberet residere, non obstante, quòd coadjutor canonicatùs resideret.

11 Quæritur septimò, an coadjutus, & coadjutor possint ambo esse in Ecclesia, vel in ejus servitio? Respondetur cum distinctione; si ambo gerant plures canonicos distinctos; tunc non possunt simul esse in Ecclesia, vel in ejus servitio; quia coadjutor non auget numerum canonicorum, neque ipse est canonicus, sed tantum supplet vices canonici; adeoùt ambo simul repræsentent unum canonicum non duos canonicos. Si ambo non agant diversos canonicos, tunc nil impedit, quin possit unus esse tanquam canonicus, & alter ut persona privata sine habitu Ecclesiæ, etiam in choro: imò potest etiam unus esse in Ecclesia, & alter extra Ecclesiam agere negotia ejusdem Ecclesiæ; ut notat & docet Garcia *l. c. num.* 109.

12 Quæritur octavò, an coadjutor ratione coadjutoriæ teneatur deferre habitum clericalem, & tonsuram? Respondetur affirmativè, si inserviat Ecclesiæ; quia non potest illi inservire, nisi cum habitu decente, ac competente. Imò tametsi Ecclesiæ non inserviat, adhuc tenetur coadjutor habitum deferre clericalem, & primam tonsuram ex constitutione 30. Sixti V. vigore cujus non solùm clerici clericali tantùm tonsurâ insigniti habentes beneficium ecclesiasticum; sed etiam habentes jus in illo, vel ad illud, tenentur habitum, ac tonsuram clericalem deferre sub pœna privationis ipso facto: & quia habens coadjutoriam cum futura successione, licèt non possideat beneficium ecclesiasticum

ficum habet nihilominus jus ad illud, ut communiter docent canonistæ cum Navarr. *in c. si quando de rescript. prælud.* 5. & *excepr.* 11. *n.* 7. juxta declarationem sacræ Congregationis Rituum circa coadiutores Episcoporum: unde coadiutor sub pœna amittendi ius succedendi in beneficio tenetur habitum deferre clericalem, ac tonsuram, & quamvis non sit in sacris constitutus, adhuc cum habitu, & tonsura clericali gaudet privilegio fori, si revera inserviat Ecclesiæ ex mandato, seu authoritate Papæ; sicut etiam gaudet, qui ex mandato Episcopi inservit alicui Ecclesiæ: quòd si non inserviat Ecclesiæ, non videtur gaudere privilegio fori, quia sola coadiutoria præcisè sumpta non est beneficium, sed tantùm dat ius ad illud, si sit cum futura successione, ut tradit Gonzales *l. c.* §. 9. *num.* 69. Non enim coadiutor de se præcisè est Prælatus, ut docet Abbas *in cap. de Rectoribus num.* 6. *de cler. agrot.* neque Beneficiarius, quia non habet beneficium; sed solam functionem, & ministerium; idque ex eo liquet, quia per obitum coadiutoris beneficium non dicitur vacare. Tum quia diversa sunt vocabula coadiutor, & Beneficiarius, & ubi sunt diversa nomina, diversa itidem habentur ministeria. Qua ratione *in l. si idem codicilli C. de codicil.* dicitur, testamentum, & codicillum non esse idem; alioquin non essent diversa vocabula.

13 Quæritur Nonò, an in ecclesiis, quibus adjunguntur Judices iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 6. *de reformat.* coadiutor delinquens puniendus sit cum illis, perinde ac puniretur Adjutus? Respondetur, quòd si tempore quo deliquit revera fuit in servitiis Ecclesiæ, & etiam tempore quo proceditur contra ipsum est in servitio Ecclesiæ, debet procedi cum adiunctis per argum. ab æquiparatis, & subrogatis; & desumitur ex clausula, quæ inseritur coadiutoriæ, quâ dicitur quòd coadiutor gaudeat omnibus, ac singulis prærogativis, præeminentiis, ac honoribus coadiuti. Quòd si tempore quo contra ipsum proceditur, non est in servitio Ecclesiæ, tunc non videtur procedendum cum adiunctis, quia quandiu non est in servitio Ecclesiæ non habetur ut canonicus; sed ut clericus privatus. Ut autem coadiutor puniatur cum adjunctis, sufficit si fuerit in servitio Ecclesiæ tempore, quo inchoatum fuit iudicium contra ipsum; quia licèt postea desinat Ecclesiæ servire, adhuc cum adiunctis debet causa persequi, sicut fuit inchoata; datur enim locus præventioni, & per talem inchoationem causæ videtur causa præoccupata ab adiunctis respectu Episcopi, seu eius Vicarii, qui cum illis incipit procedere.

14 Quòd si coadiutor non fuit in servitio Ecclesiæ quando Episcopus, vel eius Vicarius processit ad aliquem actum; & ante capturam, vel citationem fit postea in servitio Ecclesiæ, videtur tunc cum adiunctis procedendum esse, quia causa nondum dicitur præventa ab Episcopo, ut tradit Mascardus *de probat. concl.* 1231. Decius *de electis* 1. *tom. lib.* 4. *c.* 21. Post factam tamen citationem, vel capturam causa dicitur præventa, adeout licèt sit postea in servitio Ecclesiæ, adhuc Episcopus, vel ejus Vicarius possit causam persequi sine adiunctis *l. si quis postea l. ubi captum ff. de judic.* Nihilominus Garcia *l. c. num.* 96. probabilius censet, contra coadiutorem non esse procedendum cum adiunctis, nisi in ipsa coadiutoria concedantur coadiutori canonici, vel dignitatis, omnia privilegia canonici; quia coadiutor canonici non est canonicus, neque capitularis; & ita declarâsse sacram Rituum Congregationem referunt Quaranta *V. Archiepiscopi authoritas in addit. lit. B.* Piasecius *in praxi Episcop. in Prooem. num.* 10. ubi asserit, coadiutorem Episcopi etiam cum futura successione, quia non habet ius in re, sed ad rem, non debere recognosci ut superiorem, sed ut coadiutorem; & Garzia *l. c.* adfert declarationem congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum emanatam *die* 4. *Februarii* 1593. ubi cum quæreretur.

An Episcopus qui iuxta decretum *Concil.* 15
t. 6. sess. 25. debet procedere contra capitulares cum adiunctis, teneatur hoc idem servare volens procedere contra coadiutorem: *Congregatio censuit, non teneri, nisi ex forma coadjutoria colligatur, ipsi coadjutori concessa fuisse omnia privilegia, quæ habent canonici. Nam coadjutor cum futura successione non dicitur canonicus, nec habet jus canonicatus, sed tantùm jus ad canonicatum.* Ad clausulam ordinariam coadiutoriæ respondet Garcia *l. c. n.* 96. per talem clausulam tantùm colligi, quòd coadiutor habeat omnes, & singulas prærogativas, ac honores coadiuti, non verò quòd concedatur coadiutori hoc privilegium de adiunctis: quia præfata clausula tantùm loquitur de prærogativis, præeminentiis, ac honoribus circa servitium Ecclesiæ. Neque obstat, quòd coadiutor actu serviat Ecclesiæ: quia per hoc non est canonicus, neque capitularis, aut dignitas, proinde non est contra eum procedendum cum adiunctis.

Quæritur decimò, an si coadiutor ægrotet, 16
vel aliàs sit legitimè impeditus haberi debeat pro præsente, & lucretur suos fructus, perinde ac lucraretur principalis. Respondetur affirmativè, ut fuit resolutum per Rotam 20. Junii 1594. coram D. Penna. Quod tamen intelligi debet si coadiutor tunc morbum contraxerit, vel impedimentum, quando actualiter inserviebat Ecclesiæ; alioquin posset facilè dari locus fraudibus in detrimentum servitii Ecclesiæ: siquidem videns principalis; qui antea noluerat coadiutorem residere, quando ille erat impeditus, posset tunc velle, quòd resideret, ad excusandum se à residentia, sicque nullus resideret cum detrimento servitii Ecclesiæ. Præterea tunc tam coadiutor, quàm principalis habendi sunt tempore infirmitatis, ut præsentes, quando sani consueverant divinis interesse officiis, ut tradit Leo *in thes. c.* 16 *num.* 65. ubi etiam addit, quòd si coadiutor consueverit residere, & mox absit ex causa non excusante; & coadiutus infirmitate detineatur, non lucretur fructus beneficii, si cum bene valeret non resideret.

17 Quæritur undecimò, an coadjutori assignanda sit eadem sedes quoad ordinem, & antiquitatem, quæ debetur principali coadiuto? Respondetur cum distinctione, si sit coadjutor alicujus dignitatis habentis certam, ac assignatam sedem; tunc eadem sedes quoad ordinem assignanda est coadiutori, quæ debetur coadiuto habenti dignitatem in Ecclesia; ratio est, quia tunc coadiutor repræsentat talem dignitatem, cui debetur propria sedes, ut docet Navarrus *cons. 2. de clerico agrotante num. 5.* ubi loquens de coadiutore dignitatis ait, ipsi convenire sedem, quæ debetur eidem dignitati. Sin verò sit coadiutor alicuius simplicis canonici, vel portionarii; tunc ultima sedes inter canonicos, vel portionarios debetur coadiutori canonici, vel portionarii; & ita fuisse decisum à Rota 15. Junii 1593. coram D. Penna refert Garzia *de Benef. part. 4. c. 6. n. 67.* respondet enim Rota in una Salamantina cocoadiutoriæ, coadiutori canonici non esse assignandam sedem principalis, seu adiuti; sed coadiutorem sedere teneri ultimo loco post omnes canonicos; quia licèt coadiutor repræsentet personam principalis, & subrogatus debeat frui iisdem prærogativis; id tamen intelligitur respectu aliorum inferiorum, quibus præferri debet, non verò respectu canonicorum, quos præcedere non potest; quia canonici propria præfulgent prærogativa, & coadiutor alienâ; nec est verus canonicus, proinde non debet præferri veris canonicis.

18 Hinc si postquam coadiutor acceptatus est, ac suum jam incæpit obire munus coadiutoris, alii canonici recèns suscipiantur, adhuc probabilius videtur coadiutori canonici assignandam esse ultimam sedem post omnes canonicos etiam recentiores: quia cum coadiutor non sit canonicus verus, non potest respectu eorum acquirere antiquitatem; sicut illam acquireret respectu aliorum coadiutorum similium postea receptorum; & idem dicendum de coadiutore portionarii respectivè: non enim videtur æquum, ut coadiutor, qui tantùm fictè est canonicus, ac impropriè, debeat præcedere veros, ac proprios canonicos, qui propria fulgent dignitate. Neque obstat quòd coadiutori debeantur omnes prærogativæ, ac præeminentiæ coadiuti. Quia coadiutori debentur tantùm prærogativæ, ac præeminentiæ coadiuti ratione canonicatûs, non ratione antiquitatis, & hanc non habet coadiutor, neque potest acquirere coadiutor respectu veri canonici, cum non sit ipse verus canonicus, ut docet Gonzales *in regul. 8. cancell. Gloss. 5. §. 9. num. 98.* Gratian. *discep. forens. c. 106. n. 39.* Leo *in Thesaur. for. Eccles. cap. 19. num. 53. & 56.* Hinc si decedat coadiutus, assignanda est coadiutori ultima sedes, ita ut eum præcedant etiam canonici ingressi tempore suæ coadiutoriæ, & post eius receptionem in coadiutorem; quia gradus canonici diversus est à gradu coadiutoris. Si dicas, post obitum coadiuti non requiri novam collationem, quâ canonicatus conferatur coadiutori, qui propterea erat jam canonicatu potitus. Contra est, quia licèt tunc nova collatio non requiratur, si coadjutoria expedita fuerat in forma gratiosa; requiritur tamen si fuit expedita tantùm in forma dignum, ut deprehenditur ex ipsis literis, & praxi.

19 Quæritur duodecimò, an coadiutor absente, seu ægrotante principali possit pro eo sedere in choro, deservire Ecclesiæ, dare suffragium in Capitulo sine consensu, imò renitente principali? Respondet Navarrus *conf. 2. de clerico agrot. n. 5.* posse talia obire munia; non tamen posse se immiscere in regimine, & administratione, ac fructuum perceptione, nisi volente, ac petente principali. Verùm probabilior sententia censet, non posse coadiutorem talem assistentiam in choro, & servitium præstare absque consensu principalis, adeout nequeat ullum actum canonicalem exercere, nisi ex consensu principalis, ut tradit Piasecius *in praxi Episcopali in proœm. n. 9.* & ita fuisse decisum à Romana Rota in una Eboren. distributionum 23. Octobris 1598. coram Domino Corduba, refert Garcia *de Benef. l. c. n. 60.* ubi ait, coadiutorem non posse inservire invito coadiuto, sed ipso petente; ut etiam tradit Campegius *de coadiutore Episcopi num. 9.*

20 Quæritur tertiodecimò, an in electionibus, provisionibus, aliisque actibus possit coadiutor alteri committere vices suas? Ratio dubitandi est: quia Procurator ad eligendum non potest alium substituere, nisi de eligenda certa persona mandatum habeat; aut nisi in substitutione diceretur, quòd eligatur talis nominata persona, ut notat Franc. *in cap. penult. de elect. in 6. §. porro:* sed coadiutor est procurator coadiuti; proinde non videtur posse alteri committere vices suas. Verùm opposita sententia est tenenda, quia coadiutor non agit nomine coadiuti, sed nomine proprio; proinde non est procurator coadiuti, neque valet paritas de procuratore: est enim coadiutor subrogatus loco coadiuti; proinde sicut coadiutus, potest alteri committere suas vices. Tum quia licèt esset procurator coadiuti non tamen esset procurator specialis ad certum negotium, sed generalis ad negotia Ecclesiæ, proinde posset substituere *cap. 1. §. fin. de Procurat. in 6.* Jason *in l. 1. ff. de offic. procuratoris Cæsaris num. 24.*

21 Quæritur decimòquartò, an si coadiutus sit excommunicatus, coadiutor percipiat distributiones? Respondent nonnulli, excommunicatum non privari fructibus beneficii, nisi id in sententia exprimatur, Glossa *in c. Pastoralis §. verum V. subtrahuntur de Appellat.* Petrus Navarrus *lib. 2. de restitut. c. 2. num. 243.* Avila *de censuris part. 2. c. 6. disp. 6.* Communior tamen, & vera sententia est, excommunicatum esse privatum fructibus beneficii, ita docent Abbas, Imola, Butrius *in cap. Pastoralis unic. de cleric. agrot. in 6.* Lancellotus *de attent. part. 2. c. 12. limit. 22.* Rota coram Seraphino *decis. 1164. num. 2.* & coram Puteo *decis. 280. lib. 1.* & desumitur *ex dic. cap. Pastoralis §. verum de Appellat.* ubi de excommunicato dicitur, *& illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur.* Sidicas,

illud

dicas, illud verbum *subtrahuntur* non dicere privationem ipso facto. Contra est, quia illud verbum non est *dispositivum*, sed *enunciativum* illius, quod secum affert excommunicatio; quia Pontifex in *d. c. Pastoralis* non intendit disponere, quòd excommunicatus sit privatus fructibus beneficii; sed supponens esse privatum, enunciat, quòd *meritò illi subtrahuntur*, illud adverbium *meritò* confirmat, & approbat, quod supponitur. Disponit enim, excommunicatum non obstante appellatione posse denunciari excommunicatum; quia excommunicatio trahit secum executionem, ac inducit suos effectus: quod tamen hodie locum non habet *propter extravag.* Concil. Constant.

22 Cæterum ex eo, quòd excommunicatio trahat secum exequutionem, inducit suos effectus ipso facto, ut liquet in effectu privationis communicationis in divinis: quia licèt *per extravag.* Concilii Constant. non sit excommunicatus vitandus ante denunciationem, tenetur tamen ipse abstinere, & remanet privatus participatione bonorum Ecclesiæ; proinde etiam fructibus beneficii, quia illi acquiruntur titulo spirituali ipsius beneficii: unde eos percipere perinde foret, ac communicare cum Ecclesia, à qua communicatione tenetur excommunicatus abstinere. Hinc respondetur ad quæsitum, coadjuto excommunicato coadjutorem non lucrari distributiones, ita tradunt communiter Canonistæ cum Rota coram Penna *decis.* 392. *num.* 9. Gonzales *ad Regul.* 8. *cantellar. Gloss.* 5. §. 9. *num.* 123. Quia coadjutor non habet possessionem, nec titulum Beneficii; sed solum exercitium officii, ut fuit decisum à Rota coram Puteo *decis.* 314. *num.* 5. & 6. *decis.* 10. *nu.* 5. *part.* 4. *Recent.*

23 Idque ex eo etiam evincitur, quia per mortem coadjutoris non vacat beneficium, proinde titulus non est penes coadjutorem: & mortuo coadjuto tenetur coadjutor capere possessionem beneficii, ut respondit sacra Congregatio *in una Conimbr. die 16. Septemb.* 1606. ut refert Garcia *l. c.* distributiones autem debentur ex titulo beneficii, ut ex causa; unde supposito, quòd coadjutor divinis interfit officiis, non sibi, sed coadjuto lucratur distributiones: siquidem stante coadjutoria coadjutus dicitur intervenire divinis officiis per suum coadjutorem, quo mediante suppleat proprium munus. Ad id dantur coadjutores, ut vices suppleant coadjuti *cap. ex part. & toto de clerico ægrotante. cap. Postulasti eod.* 1. *unic. in 6* quia verò excommunicatio est coadjuto impedimento, quominus possit distributiones lucrari; nec eas poterit coadjutor lucrari.

24 Quæritur decimoquintò, an si pars aliqua distributionum fuerit coadjutori assignata, possit hic eam lucrari non obstante excommunicatione coadjuti? Respondetur affirmativè, & ita fuisse decisum à Rota coram Penna *decis.* 455. *num.* 7. refert Garcia *l. c. num.* 85. Ratio est, quia excommunicatio est personalis, & afficit solam personam anathemate percussam, à qua non egreditur etiam quoad suos effectus. Hinc excommunicatio coadjuti, cùm sit personalis non potest obesse coadjutori *ex regul. l. Non debet alteri ff. de regul. jurit. cap. non debet alteri de regul. Juris in 6.* ut notat Imola *in c. fin. in fine de Procurat.* Tum quia illa pars distributionum tunc non debetur coadjutori intuitu coadjuti; sed ratione servitii ab eodem Ecclesiæ præstiti. Si dicas, percipere distributiones jure coadjuti, & hunc ob excommunicationem non posse eas percipere. Contra, quia non jure coadjuti eas coadjutor percipit, sed intuitu servitii præstiti Ecclesiæ; cum enim in litteris coadjutoriæ sit expressa talis assignatio, est authorizata à Pontifice, & coadjutor eam percipit jure sibi concesso à Papa *c. Pia sollicitudinis* 1. *h. t.* ut ponderat Rota *decis.* 455. *n.* 8.

Quòd si assignatio illius partis facta fuit à 25
coadjuto affecto excommunicatione; tunc coadjutor non potest partem illam assignatam percipere, quia excommunicatus non potuit eam assignare: vel fuit facta à coadjuto antequam esset excommunicatus; & tunc valet concessio, & coadjutor validè percipit sibi assignatam partem distributionum à coadjuto tempore habili: quia licèt Adjutus non possit propria authoritate cedere coadjutori jus percipiendi distributiones; potest tamen cedere ipsas distributiones, vel aliquam earundem partem, quam coadjutor jure coadjutoriæ percipit, etiam tempore, quò postea coadjutus est excommunicatus, quia jus coadjutoriæ perseverat.

Quæritur decimosextò, an coadjuto ex- 26
communicato teneatur coadjutor divinis interesse officiis? Certum est posse, si velit intervenire, quia cum non inserviat nomine coadjuti, sed nomine proprio, ut docent Innocentius *in c. fin. num.* 17. *de cler. agrot.* Oldrad. *consil.* 44. *num.* 2. potest ut coadjutor divinis interesse officiis. Tum quia eo ipso, quòd suscipit officium coadjutoris, suscipit etiam onus interveniendi divinis officiis; proinde non potest impediri nisi ex proprio personali impedimento. Difficultas est, an teneatur stante excommunicatione coadjuti, & respondetur affirmativè, adeo ut ex eo quòd repelliatur coadjutus, oriatur specialis obligatio in coadjutore ad supplendas vices coadjuti: siquidem coadjutor regulariter tenetur residere, ac inservire, ut fuit decisum à Rota *decis.* 392. *num* 1. *part.* 3. *Recent.* adeout si residere detrectet, possit privari officio *cap. inter, & cap. fin. de cleric. non residen.* & ibi Innocentius *num.* 1. Tum quia coadjutor non residet nomine alieno, sed proprio; proinde quando adjutus est excommunicatus, adhuc tenetur residere; imò potiori ratione, cum coadjutus non possit residere ob excommunicationem, neque inservire; unde tota obligatio inserviendi tunc est in coadjutore. Tum quia coadjutoria fuit in eum finem introducta, ne Ecclesia defraudetur servitio stantibus impedimentis coadjuti *8. cum percussio* 1. *h. t.* ut observat Rota coram Puteo *decis.* 226. *num.* 13. *lib.* 3. Hinc cum suscipit munus coadjutoriæ, suscipit etiam onus inserviendi, quod est in coadjuto, à quo transfertur in coadjutorem: unde ex eo, quòd coadjutus sit excommunicatus, non cessat obligatio coadjutoris, cum non

teneatur inservire nomine coadjuti, sed nomine proprio.

27 Si dicas, coadjutorem teneri supplere vices coadiuti, proinde si hic repellitur ob excommunicationem à divinis officiis, non debet coadiutor obligari; quia cum servitium principalis rejiciatur, videtur etiam cessare eius supplementum, & accessorium. Contra est, quia ex eo quòd Ecclesia repellat coadiutum à divinis officiis, non fit, quòd eidem Ecclesiæ non sit debitum servitium coadiutoris, cum hic remaneat obligatus ratione susceptæ coadiutoriæ, ac quidem principaliter non accessoriè: unde ex eo quòd adiutus detineatur impeditus, non sequitur, quòd coadiutor non teneatur divinis interesse officiis.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

HActenus egit Pontifex de præbendis, & Dignitatibus, aliisque beneficiis generatim sumptis; nunc congruè incipit agere de modis, quibus eadem beneficia ecclesiastica acquiruntur; proinde rectè subjicit hunc titulum de Institutionibus: significat enim institutio latè, & generaliter sumpta, quamlibet provisionem, seu modum concedendi alteri beneficium ecclesiasticum, sive sit electio, sive postulatio, sive nominatio, sive præsentatio, sive collatio libera, sive provisio Papæ, cum iis, quæ ad horum complementum requiruntur. Hinc beneficia ecclesiastica in genere duobus modis acquiruntur justè, vel injustè; priori modo acquiruntur per canonicam institutionem; injustè sine illa, ut per simoniam, per injuriam, violentiam. Regula autem juris est: beneficium ecclesiasticum non posse licitè obtineri sine canonica institutione *c.* 1. *de Regul. Iuris in* 6.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. NON AMPLIUS 1. h. t. ex Concilio Arelatensi statuitur, ut non plures recipiantur in monasteriis tam clericorum, quàm Puellarum, quàm quot commodè ali possint de bonis Ecclesiæ absque penuria. Notandum est ex Glos. in c. 1. de statu Regul. in 6. *tres posse modos considerari vivendi in monasteriis. Primò commodè absque defectu, vel incommoditate. Secundò cum penuria rerum necessariarum. Tertiò mediocriter sine penuria quidem necessariorum, sed citra commoditatem, & superfluitatem, & hic tertius vivendi modus videtur ad religiosos spectare ex Concil. Trident. sess.* 25. c. 3. *ubi prohibet, in monasteriis majorem numerum constitui, quàm commodè ex reditibus, vel eleemosynis possint sustentari. Quamobrem illud* commodè *quod ponitur in textu, non refertur ad commoditates statui religioso non debitas, sed ad facilitatem sustentationis; ut non sint plures, quàm facilè in religiosa mediocritate ali possint. Imò Glossa censet, etiam ob nimium incrementum facultatum, non esse recedendum à numero consueto* argum. l. penult. C. de Alend. lib.

C. IN ECCLESIA 2. h. t rescribit Eugenius Papa, laicos non posse instituì canonicos, sed numerum esse explendum ex ipsis clericis intra debitum tempus: seu ut notat Glossa intra sex menses. Ex hoc textu infertur, quòd ubi certus numerus clericorum est constitutus, non debet minui, sed impleri. Rursus infra sex menses debet etiam provideri de persona in beneficio vacante: aliàs potestas transfertur ad superiorem; nec jus canonia cadit in laicum quamvis intitulatum, sed tantùm in clericum: perinde ac jus eligendi in collegiata, nonnisi clerico convenit c. Massana de elect.

C. EX FREQUENTIBUS 3. h. t. Alexander III. rescribit, beneficia ecclesiastica recipere sine consensu Episcopi, vel ejus officialium, qui de jure hoc possunt, esse alienum ab institutione Patrum, & ecclesiastica honestate; & confirmat sententiam excommunicationis latam contra eos, qui obtentu consuetudinis talia beneficia detinent: & mandat, ne clerici, qui hanc incurrerint excommunicationem, absolvantur, nisi priùs congruè satisfecerint. Ex hoc textu deducitur, institutionem in ecclesiasticis beneficiis pertinere de jure communi ad Episcopum: adeant alii inferiores Prælati non nisi de jure speciali, consuetudine, præscriptione, vel privilegio possint instituere, ut notat hîc Panormitanus. Ceterum notat Glossa, eos qui per canones antiquos receperunt beneficia à laicis, esse suspensos ipso jure.

C. AUCTORITATE 4. h. t. statuit Clemens III. ut nullus in ecclesiis canonicorũ ultra quam facultates earum sustineant, ipsis instituatur invitis. Ex quo textu liquet, ultra facultates Ecclesiæ nullum posse instituì invitis canonicis ejusdem: unde in institutione in Ecclesia debent proventus ejusdem Ecclesiæ considerari.

C. AD DECOREM 5. h. t. Innocentius III. statuit, ut qui in ecclesiis sunt instituendi, non debeant esse unius tantùm Nationis, sed undecunque sint, dummodo habeantur idonei, debeant

beant institui. Hinc colligitur de jure communi quarumcunque nationum clericos debere ad quascunque ecclesias admitti, quia ut ait Pontifex: In omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec Sanctum Dei convenit iure hæreditario possideri. *Habet autem quandam hæreditariæ pretensionis speciem, si nullus extraneus possit admitti, quasi Ecclesia uni tantùm sit debita nationi.*

C. *CUM VENISSENT 6. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si quis sit in possessione instituendi, vel conservandi Ecclesias etiam contra jus commune pendente lite de proprietate manutenetur in possessione. Ex quo textu infertur, eum qui est in possessione debere in ea defendi, donec de jure proprietatis constet, ut observat Panormitanus hic* num. 3. *ubi etiam notat, Episcopum de consensu sui Capituli posse concedere inferiori dignitati jura pertinentia ad suam dignitatem: & concessionem semel factam per Episcopum cum consensu Capituli non posse revocari per successorem. Caterum si verba privilegii referantur ad personam in individuo, privilegium tunc censetur personale, & finitur cum persona: sin verò referantur ad rem, seu dignitatem, privilegium est perpetuum, & reale, quod sit Ecclesia, & non persona.*

C. *CUM AD NOSTRAM 7. h. t. Idem Pont. declarat, quòd cùm quis efficitur Prælatus, non possit retinere dignitatem, quam priùs habebat, eò quia illa tunc vacet ipso jure. Neque potest vacantem aliquam dignitatem sibimet conferre, quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio realis; nec potest illam recipere ab alio, quia alius non habet jus conferendi. Ex hac decretali liquet, obtenta alia dignitate vacare ipso iure priorem, & neminem posse vicem sustinere plurium personarum.*

IN SEXTO.

C. *ET SI 1. h. t. declarat Bonifacius VIII. Capitulum sede vacante non posse conferre illa beneficia juris patronatus, quorum collatio pertinet ad Episcopum; bene tamen posse præsentatos à patronis admittere, si sint idonei, & eos in beneficiis instituere, quia ut rectè notat Barbosa hic ex institutione, & confirmatione nullum futuro Prælato infertur præjudicium, quia Episcopus tenetur electos confirmare, & præsentatos instituere, dummodo digni sint* c. postquam 3. de elect. *secus est de libera collatione beneficiorum, quia hæc cùm præjudicio juris Episcopalis usurparetur à Capitulo.*

C. *SI IS ult. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd præsentatus, si aliàs sit idoneus, quamvis non sit ordinatus, dummodo intra tempus à jure præscriptum, seu intra annum possit ordinari, non debeat excludi à beneficio, ad quod præsentatur. Unde hæc decretalis est favorabilis, tam patronis, quàm præsentatis.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Institutio, & ad quos spectet ius instituendi.

1 INstitutio laxè sumitur pro libera collatione beneficii ecclesiastici, ut passim in hoc titulo: nonnunquam pro deductione in possessionem corporalem ipsius beneficii, quam investituram vocant, & hæc deductio jure communi pertinet ad Archidiaconum, quando collatio, vel institutio collativa, seu auctoritabilis, ut vulgò dicitur, præcessit *c. 7. de officio Archidiaconi.* Hodie tamen consuetudo inolevit, ut plerisque in locis hæc collatio Archipresbyteris, seu Decanis ruralibus demandetur; & passim collegia, & capitula collegas in possessionem mittunt, & titulum admittunt fortè à Patronis datum, loco canonicæ institutionis. Interdum sumitur institutio pro collatione non libera beneficii, cuiusmodi est quæ fit ad præsentationem Patroni, & specialiter dicitur institutio, cui similis est alia, ad nominationem alterius facta, vel etiam ad mandatum Papæ, vel Principis.

2 Nomen igitur institutionis generatim comprehendit quamlibet promotionem, seu modum, quo acquiritur beneficium ecclesiasticum, sive sit electio specialiter dicta cum sequenti confirmatione; sive postulatio cum admissione, sive nominatio, ac præsentatio patroni cum institutione secuta; sive collatio Papæ; sive permutatio. Dicitur institutio canonica, quia debet fieri iuxta canones, seu ritu canonico, admitti is debet in matriculam illius Ecclesiæ, cui collatum est beneficium *cap. in Ecclesia 2. h. t.* Verùm ut institutio sit canonica requiritur potestas in instituente; habilitas in eo, qui instituitur, cum aliis solemnitatibus à iure requisitis. Non enim potest quis se ipsum instituere, quia inter instituentem, & institutum debet dari distinctio ob relativam oppositionem. Institutio igitur laxè sumpta includit collationem, quæ est concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem, & bipartitur in liberam, & non liberam; illa dicitur gratuita beneficii vacantis concessio facta ab habente potestatem, seu quæ fit solo iure Prælati, quâ ratione sortitur nomenclationem donationis *cap. fin. de offic. Vicarii in 6.* Non libera dicitur, quæ fit per præsentationem, nominationem, aut mandatum alicuius; seu quæ non fit solo iure Prælati; & hæc collatio non libera propriè dicitur institutio.

3 Differt collatio ab electione, præsentatione, & postulatione, quia per collationem ac-

ceptatam, etiam ante poſſeſſionem acquiritur jus in re, ſeu in beneficio collato *c. ſi tibi abſenti 17. de prabendis in 6.* ut etiam per inſtitucionem: ſecus per electionem, vel præſentationem acceptatam acquiritur tantùm ius ad rem. Per poſtulationem verò nullum ius acquiritur poſtulato, ſicut neque per præſentationem ante acceptationem. Acceptari autem poteſt beneficium etiàm per procuratorem, ſive eccleſiaſticum, ſive laicum, dummodo ſpeciale mandatum habeat ad acceptandam poſſeſſionem; licèt ſpeciatim beneficium aliquod in eo nominatum ſon fuerit: quia generale mandatum etiam cum libera adminiſtratione non ſufficit, ut tradit Covarruvias *lib. 3. variar. Reſol. c. 19. num. 4.* Beneficium tamen abſenti collatum, & ab alio, qui mandatum non habuit, eius nomine acceptatum, cenſetur acquiſitum à die acceptationis, dummodo intra tempus ad acceptandum ſecuta fuerit ratihabitio, ut notat Piaſecius *part. 2. c. 5. art. 3. num. 10.*

4 Definitur igitur inſtitutio propriè, ac ſtrictè ſumpta prout ad noſtrum pertinet inſtitutum, quòd ſit *Juris beneficii eccleſiaſtici ad precedentem præſentationem, vel nominationem, legitima auctoritate facta translatio.* Hinc differt inſtitutio à collatione, ut ſpecifica ratio à genere, quia collatio latiùs patet, & complectitur collationem tam liberam, quàm non liberam; cum inſtitutio coarctetur ad ſolam collationem non liberam: collator enim non tenetur beneficium conferre huic tantùm; ſed liberè cui ipſi magis placuèrit; dummodo idoneus ſit, habeátque omnia requiſita *c. Relatum 3. de Prab.* ſecus inſtitutio eſt translatio non libera, quia ordinarius ſuperior velit, nolit; tenetur ius beneficii conferre præſentato, ſi idoneus deprehenſus fuerit: unde inſtitutio propriè eſt conceſſio beneficii eccleſiaſtici facta auctoritate legitima Epiſcopi, vel alterius ſuperioris ordinarii, non ſimpliciter cuivis clerico; ſed illi qui eſt à Patrono nominatus, ac oblatus.

5 Hinc notat Panormitanus diſcrimen inter inſtitutionem, confirmationem, & collationem; quia confirmatio eſt, quâ ſuperior electo, vel poſtulato à collegio canonicorum epiſcopatum, vel beneficium donat; collatio verò eſt datio Eccleſiæ, vel beneficii legitima ſuperioris authoritate ſimpliciter, ac liberè facta, quâ ſuperior ordinarius beneficium dat clerico idóneo, cui libuerit: inſtitutio verò eſt, quâ ſuperior Eccleſiam, vel beneficium concedit clerico nominato, & oblato à Patrono: quamobrem confirmatio ſuccedit electioni; approbatio poſtulationi; & inſtitutio nominationi, ſeu præſentationi factæ à Patrono; collatio verò fit ad arbitrium ſuperioris. Inſtitutio igitur ordinatur ad præſentationem eſſenrialiter *cap. decernimus 16. quæſt. 7.* proinde licèt producatur inſtrumentum inſtitutionis, non tamen probatur præſentatio, ſed præſupponitur, de qua conſtare debet, Calder. *conſ. 161.* apud Tuſchum *concluſ. 233. n. 1.*

6 Ad quem autem pertineat ius inſtituendi clericos in Beneficiis eccleſiaſticis? certum eſt, ſummum Pontificem, tanquam Chriſti vicarium ob plenam, quam habet poteſtatem in ordine ad ea, quæ in beneficiis ſunt iuris poſitivi *c. licèt de prabendis in 6. Clem. I. ut lite pendente* omnia, & qualiacunq; beneficia ſive electiva, ſive collativa, ſive iuris ſint Patronatûs poſſe conferre, non ſolum in perpetuum, ſeu ad vitam collatarii, verùm etiam ad tempus, prout ipſi conſultius viſum fuerit, magisque expedire *c. ſi gratiosè de reſcriptis in 6.* Hinc beneficia omnia eccleſiaſtica reſpectu Pontificis dicuntur eſſe mànualia, ſeu ad nutum amovibilia. Poſſunt enim à Pontifice transferri, dividi, extingui. Imò poteſt etiam Pontifex iuri patronorum, tam eccleſiaſticorum, quàm laicorum, ac iuri ordinariorum derogare: cum Ordinariis cumulativè concurrere, & illos in menſibus, etiam alternativis prævenire; adeout collatio prior à Pontifice facta ſit præferenda collationi poſteriori ordinarii; niſi proviſo à Papa obſtet regulà de veriſimili notitia. Poteſt itidem Romanus Pontifex beneficia, quæ nondum vacant, promittere, ac conferre. Ut etiam beneficia ſuæ collationi reſervare, tam generaliter, quàm ſpecialiter, ut liquet *ex extravag. execrabilis Joannis XXII. de prabend. & extravag. ad regimen eod. tit. in commun.* Rurſus etiam Legatus à Latere in ſua provincia, in qua munere fungitur legationis, poteſt beneficia vacantia conferre, ac in eorundem collatione concurrere cum ordinariis locorum, ut deſumitur *ex cap. 1. & 2. de officio Legati in 6.*

7 Poſſunt etiàm beneficia conferre omnes ordinarii collatores inferiores, quibus quomodolibet competit ius ea conferendi; ſive ius illud habeant à iure ſeu canone; ſive ſpeciatim à Papa, ſive ab inolita, & approbata conſuetudine, vel præſcriptione. De iure tamen communi ordinarius collator beneficiorum in ſua Diœceſi eſt Epiſcopus *c. Ex frequentibus 3. h. t.* Piaſecius *2. part. c. 5. art. 2. num. 10.* aliquot tamen excipiuntur caſus, in quibus Epiſcopus ſuæ Diœceſis non confert beneficia, ut ſi hæc fuerint affecta, ſeu eorum collatio devoluta ad Papam, ſi ſint iuris patronatus; vel ex alia cauſa eorum collatio ad alios pertineat. An verò collatio præbendarum in eccleſiis cathedralibus pertineat ad ſolum Epiſcopum? communior ſententia eſt, pertinere ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, idque deſumitur *ex cap. Grave nimis 29. c. cum Eccleſia 31. in fin. de elect.* Ratio id ſuadet, quia cum Epiſcopus, & Capitulum, ſeu collegium canonicorum conſtituant unum corpus, cuius caput eſt Epiſcopus æquum eſt, ut ſimul concurrant in conferendis præbendis: niſi ex conſuetudine, privilegio, indulto, ſtatuto, aliud introductum fuerit *d. cap. cum Eccleſia 31.*

8 Capitulum tamen quando unà cum Epiſcopo concurrit, nonniſi unicum habet ſuffragium; & Epiſcopus aliud; adeout tantum valeat vox Epiſcopi, quantum illa totius Capituli, vel majoris partis eiusdem *c. Paſtoralis, & ibi Gloſſ. ſup. de Reſcript.* Hinc ſi Epiſcopus in favorem unius fuit ſuffragatus; & Capitulum in favorem alterius neutra collatio ſuum ſortitur valorem, tametſi aliquot canonici acceſſerint ad ſuffragium Epiſcopi; dummodo non conſtituant majorem

lorem capituli partem. Quòd si collatio præbendæ spectet ad Episcopum, & Capitulum simul; & solus Episcopus eam conferat, neque intra semestre Capitulum contradicat, collatio tunc subsistit.

9 Rursus potest Episcopus etiam si moretur in aliena Diœcesi ea conferre beneficia, quæ in propria sua Diœcesi ad suam spectant collationem; quinimo potest etiam admittere eorundem beneficiorum resignationes, cum utrumque sit voluntariæ jurisdictionis *c. novit juncta Glossa in V. terminos de offic. Legati.* Piasecius *2. part. c. 5. art. 3. num.* 87. Quamvis plures censeant, collationem canonicatuum, ac dignitatum in ecclesiis collegiatis spectare ad Episcopum; alii tamen forsan probabiliùs putant, præsentationem, seu electionem ad eiusmodi beneficia spectare simul ad Prælatum Ecclesiæ veluti Præpositum, & Capitulum; institutionem verò, seu confirmationem ad solum Episcopum, & deducitur *ex cap. Ex frequentibus 3. h. t.* nisi fortassis Ecclesia collegiata careat prælato, & subjiciatur immediatè summo Pontifici: in quo casu electio pertinet ad solum Capitulum: quæ omnia procedunt de jure communi; quia standum est ecclesiarum consuetudinibus, privilegiis, & statutis, quæ servanda sunt.

10 Cæterum collatio cæterorum beneficiorum in ecclesiis inferioribus de iure communi pertinet ad solum Episcopum, etiam sine consensu Capituli si sint beneficia minora. Sin verò majora nonnisi de consilio Capituli *cap. novit. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Imò Capitulum sede vacante, vel suspenso Episcopo potest etiam ea conferre beneficia, quæ sunt necessariæ collationis; non verò quæ pertinent ad liberam collationem Episcopi; quæ verò sunt simultaneæ collationis, seu spectant simul ad collationem Episcopi, & Capituli, liberè potest conferre *c. unic. de sede vacante in 6.* Piasecius *2. part. c. 5. art. 2. num.* 42. Vicarius Episcopi potest conferre beneficia necessariæ collationis; non verò quæ sunt liberæ collationis absque speciali commissione Episcopi *c. fin. juncta Glossa in V. commissa de officio Vicarii in 6.* quapropter Vicarius confirmat electos, instituit præsentatos. Sequester etiam beneficia confert, & præsentat, quando capax est collationis: siquidem laicus sine speciali privilegio nequit spiritualia tractare. Est autem sequester administrator rei sequestratæ, & colligit eius fructus.

11 Neque obstat si dicas, sequestrum colligere fructus nomine alieno, proinde non posse præsentare, neque conferre beneficia. Nam contra est, quia sequester si administret, & exerceat omnia iura rei sequestratæ, potest conferre beneficium, vel præsentare; si dominus non possit tunc illud præstare; alioquin sequester non diceretur exercere omnia iura rei sequestratæ. De sequestro fusè agit Garcia *de Benef. part. 5. cap. 6.* ubi plura resolvit dubia pertinentia ad præsentem materiam. Possessor bonæ fidei etiam beneficia confert, quia collatio beneficiorum recensetur inter fructus spectantes ad possessorem bonæ fidei; imò provisus à possessore bonæ fidei præfertur proviso à proprietario *c. pastoralem 26. de electione*, Gonzales *ad regul. 5. cancellar. Gloss. 45. §. 2.* Ex singulari iure, ac privilegio possunt etiam beneficia conferre Abbates, Priores, aliique inferiores Prælati. Imò etiam Laici, & fœminæ ex indulto Apostolico possunt beneficia conferre, Boerius *sect. 32. n. 10.* Cassad *decis. 1. tit. de iure Patronatûs.* Principes sæculares ex eodem indulto habent etiam ius conferendi huiusmodi beneficia *Rebuf. tract. de regia nomin. ad Pral.*

Instituere autem clericos à Patronis, seu ab habentibus ius patronatûs præsentatos iure communi ad solum pertinet Episcopum, ut docet Abbas *in c. ex frequentibus 3. h. t.* & probari solet *ex c. cum ex injuncto 12. in fin. de haret. c. omnes Basilicæ 16. q. 7.* Hinc Abbas *cap. 1. de instit.* confutat Joannem Andream *in c. cum in cunctis de elect. & cap. quanquam eod. tit. in 6.* ubi docet, collationem, seu institutionem non esse propriam iuris Episcoporum; eò quia plures alii simile habeant ius conferendi, vel instituendi: nam ad id respondetur esse discrimen, quia Episcopi id habent iure communi; cæteri autem nonnisi iure speciali: & quia hæc potestas est iurisdictionis, non ordinis, hanc habet Episcopus statim ac est electus, ac confirmatus, quamvis nondum consecratus. Quòd si clerici à laico Patrono institutionem verbalem, per quam confertur ius, & titulus beneficii: vel realem, perquam fit introductio in possessionem, in beneficiis ecclesiasticis accipiant, pœnas incurrunt excommunicationis, ac depositionis, & alias inhabilitates recensitas *in cap. si quis deincepta. & sequent.* 12

Præter Episcopum Vicarius generalis in spiritualibus potest ex suo officio clericos præsentatos instituere, licèt ei specialim non demandetur *c. ex frequentibus 3. h. t.* quia instituere est actus iurisdictionis, & hæc Vicario generali universè committitur, nisi ius aliquas causas particulares excipiat: hanc tamen potestatem iurisdictionis alii Vicarii non accipiunt, nisi expressè delegatam. 13

Quòd si dicas *in c. ult. de officio Vicarii in 6.* haberi, Vicarium non posse beneficia conferre, nisi id fuerit eidem speciatim commissum. Respondet Abbas *in d. c. ex frequentibus 3. h. t.* cùm Glossa, Vicarium non posse conferre beneficia; bene tamen posse instituere: quia instituere est necessitatis, non ita conferre; quia collatio dependet ab arbitrio conferentis; non ita institutio à voluntate instituentis; sed nominantis, vel præsentantis: si enim is, qui præsentatus est à patrono, dignus fuerit, debet institui, adeout præsentatus non possit recusari; hinc instituere cum sit provisio non libera pertinet etiam ad Vicarium generalem; non ita collatio, quæ est provisio libera, & fit sine prævia præsentatione patroni ad Beneficium; proinde cum sit quædam libera donatio, non comprehenditur sub generali concessione facta Vicario. 14

Imò sede vacante etiam Capitulum potest præsentatos à patronis si idonei sint, instituere; licèt talis institutio, aliàs ad Episcopum pertineret 15

neret, si non decessisset c. Et si 1. h. t. in 6. quia institutio est debita ex necessitate, adeout si habens ius patronatus præsentet idoneum, debeat hic necessariò instituì, neque possit recusari; proinde sede vacante potest Capitulum canonicorum instituere clericum idoneum præsentatum. Neque fit præjudicium Episcopo successori; quia inde ipsi nulla aufertur occasio exercendi liberam donationem: & cum Capitulum, seu collegium canonicorum succedat in omni iurisdictione, & administratione Episcopali necessaria, seu in iis, quæ ratione Episcopalis officii necessariò debent expediri c. His quæ 11. c. cum olim 14. de major. & obed. ideo nil obstat, quin possit Capitulum præsentatos à patronis instituere, ut notat Barbos. in collect. hic n. 4. si dicas, Capitulum non posse admittere ad beneficium sine consensu Episcopi; proinde neque instituere in beneficio. Contra est, quia aliud est admittere, & aliud instituere. Nam admittere idem est ac recipere, seu approbare, ac in titulum tradere mediante prævio examine, ut explicant Menochius hic. c. 3. Joan. Andreas ibid. n. 1. Ancharanus hic not. 2. instituere autem est mittere in corporalem beneficii possessionem.

16 Prælatis Episcopo inferioribus iure communi non convenit instituere, bene tamen ex iure speciali, scilicet privilegio, indulto, præscriptione, vel consuetudine, ut liquet ex c. super eo 15. de offic. delegato ubi dicitur, quòd institutio possit pertinere ad Archipresbyterum, vel Archidiaconum, vel Episcopum; imò per præscriptionem, ac consuetudinem legitimè præscriptam potest Abbati, vel etiam Præposito acquiri ius instituendi c. cum olim 18. c. Audistis 15. de præscript. Possunt enim Laici Capellaniam fundare ea adiecta conditione, Episcopi consensu approbata, ut certæ Ecclesiæ præpositus, Decanus, Archidiaconus, vel Archipresbyter facultatem habeat instituendi clericos à patrono nominatos, ac præsentatos. Immo etiam Episcopi possunt certas fundare Capellanias, vel alia beneficia ea adiecta conditione, ut potestas instituendi competat alicui speciali collegio clericorum, vel conventui Monachorum. Barbos. de offic. Episc. alleg. 72. num. 184.

17 Ad Prælatos itidem regulares in ecclesiis sibi plano iure subiectis potest ius instituendi pertinere, ut desumitur ex element. unic. de ex. est. prælat. non ita in ecclesiis, quæ ipsis pleno iure non subjiciuntur: in iis Presbyteri, seu Vicarii instituendi sunt ab Episcopo c. in Lateranensi 31. cap. de Monachis 12. de prabend. Potest etiam Episcopus ex consensu Capituli concedere inferiori Prælato, eiusque dignitati ius pertinens ad dignitatem Episcopalem, & desumitur ex c. cum venissent 6. h. t. ubi ius collatum Archidiacono institutionis, & custodiæ Ecclesiarum vacantium defenditur: habetur enim in d. c. Quòd si quis sit in possessione instituendi, vel custodiendi, aut conservandi Ecclesias etiam contra ius commune, pendente lite de proprietate manutenetur in possessione. Adeout qui est in possessione, debeat in ea defendi, donec de iure proprietatis constet; & quamvis concessio personalis extinguatur cum persona, realis tamen est perpetua, quia fit Ecclesiæ, vel dignitati non personæ.

§. II.

Qui, & quales instituendi sunt in beneficiis ecclesiasticis.

CErtum est, non posse in beneficiis ecclesiasticis instituì nisi clericos, eósque idoneos, qui Deo, & ecclesiis velint, ac valeant gratum præstare famulatum, ut desumitur ex c. Grave 29. sup. de prabend. sive clerici natalium claritate præfulgeant; sive nulla sint nobilitate sanguinis insigniti, dummodo morum honestate, vitæ probitate, doctrinarum eruditione cæteros antecellant; etiam si consuetudo inolevisset, ut quædam beneficia in certa Ecclesia nonnisi nobilibus conferantur; quia non sanguinis claritas, sed virtutum nobilitas clericos Deo gratos constituit c. venerabilis 37. sup. de prabend. ubi habetur: quòd vir etiamsi non sit nobilis, imò neque eminentis scientiæ debeat admitti ad præbendam, non obstante in contrarium consuetudine Ecclesiæ: quia non nobilitas generis, sed virtutum præstantia, ac vitæ honestas faciunt gratum, & idoneum servum Dei: Deus eligit ignobiles, & pauperes, quia non est acceptio personarum apud Deum, & Christus elegit pauperes ad Apostolatum. 1

Hinc rescripsit summus Pontifex, pueris non posse beneficia ecclesiastica conferri, scilicet minoribus septendecim annis, eò quia tales nondum censeantur idonei ad gratum famulatum Ecclesiæ impendendum c. super inordinata 35. de prab. & dignit. ubi habetur, pueros non esse idoneos ad beneficia, quia tantùm idonei sunt reputandi, qui volunt, & valent Ecclesiæ inservire. Quapropter Concilium Tridentinum sess. 22. c. 4. in fin. generatim statuit, ut non aliis fiat collatio, seu provisio, quàm iis qui jam ætatem, ac cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, & quòd si collatio aliter fiat, nullum sortiatur valorem. Cæterum numerus canonicorum explendus est ex ipsis clericis intra debitum tempus: seu intra sex menses, ut notat Glossa in c. in Ecclesia 2. h. t. quòd si infra sex menses non provideatur de persona idonea in beneficio vacante, transfertur potestas ad superiorem. Nec ius canoniæ cadit in laicum etiam intitulatum; sed in solùm clericum: sicut jus eligendi in collegiata nonnisi clerico competit. c. Massana 56. sup. de elect. ubi dicitur, quòd electio Episcopi facta per Laicos, & canonicos, tametsi hoc habeat consuetudo, non valeat. Hinc licèt Monachatus cadat in laicos conversos, qui habentur personæ ecclesiasticæ, & religiosæ, & gaudent privilegio fori, & canonis; non tamen per ipsos impleri potest numerus determinatus canonicorum, quia non sunt ordinibus ecclesiasticis initiati, proinde non possunt servire Deo in officiis divinis, ut notat Innocentius hic num. 1. sed requiritur ut Laicus tonsuratus sit ordinatus, priùsquam instituatur canonicus, ut notat Abbas hic in fine. 2

Non

3 Non tamen in ecclesiis regularibus canonicorum, seu Monachorum, vel etiam Monialium instituì possunt plures, quàm commodè, ex proventibus, ac fructibus possint ali; ut cuilibet suppeditentur necessaria ad victum, ac vestitum *c. quoniam 9. de vita, & honestate clericorum cap. finali de præsumpt. cap. periculoso §. sanè de statu regul. in 6.* Hinc Concilium Aquisgranense can. 118. ait: *Cavendum summopere præpositis ecclesiarum est, ut in ecclesiis sibi commissis non plures admittant clericos, quàm ratio finit, & facultas Ecclesiæ suppetit.* Hoc idem statutum fuit in Concilio Turonensi sub Carolo ubi in can. 31. habetur: *In monasteriis canonicorum Monachorum, seu puellarum major hominum numerus non admittatur, quàm facultas monasterii posse sufferre.* Quia cum monachi, & canonici inservientes Ecclesiæ debeant de illius proventibus sustentari *cap. cum secundùm de præbend.* non debent plures recipi, quàm ali possint commodè ex fructibus Ecclesiæ, ut notat Lara *in l. si quis à liberis §. sed si filius num. 82. ff. de liber. agnosc.*

4 Tum quia perquam conveniens, ac rationi congruum est, ut determinatus sit numerus tam Monachorum, quàm clericorum juxta Ecclesiæ annuos proventus, quapropter *in cap. Non amplius 1. h. t.* Pontifex statuit, non esse plures in monasteriis recipiendos, quàm commodè ali possint de bonis Ecclesiæ. Imò Glossa ibid. censet, ob nimium incrementum facultatum non esse recedendum à numero consueto *argumen. l. penul. C. de alu.* rationem addit D. Hieronymus epist. 85. *quia Presbyteros turba contemptibiles facit*: ubi multitudo, ibi rara morum consonantia, & frequens confusio: hinc verum est, quod vulgatâ circumfertur paræmiâ, nimirum: *pretiosa esse, quæ rara*; & nihil eam egregium esse, quod multitudine non vilescat; idque considerans D. Bernardus *in lib. de convers. ad clericos cap. 29.* de Ecclesia eleganter ait: *Dilatata videtur Ecclesia, ipse etiam cleri sacratissimus ordo, fratrum numerus super numerum multiplicatus est. Verùm & si multiplicasti gentem domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quàm numeri accessisse.* Hinc Justinianus in Novella 3. ad ostendendam necessitatem taxandi numerum clericorum, eam sententiam protulit: *Nihil immensum bonum.* Facilè multitudo æmulationem nutrit, & æmulatio discordias parit, dissidia fovet: unde rectè in præsenti *c. Non amplius 1. h. t.* statuitur, ne numerus ecclesiasticorum plus æquo augeatur, & quòd non sint plures in monasteriis recipiendi, quàm commodè ali possint de bonis Ecclesiæ.

5 Neque obstat, si dicas, clericos teneri victum proprio artificio sibi comparare *cap. clericus 3. c. omnia 4. 91. dist.* & in 11. Concilio Turonensi can. 10. hoc idem fuisse statutum illis verbis: *cum jubeamur victum, aut vestitum artificiolo quærere, & manibus propriis laborare.* Si proprio artificiolo victum quærunt, non est necesse, quòd de proventibus Ecclesiæ sustententur, cum ipsi per se debeant sibi alimenta comparare. Monachi etiam non ex annuis proventibus, sed ex fidelium eleemosynis aluntur; & quia taxari hujusmodi eleemosynæ nec debent, nec possunt; ita nec debet certus numerus tantùm recipi in monasteriis; proinde corruit totum fundamentum quo nititur contraria sententia. Sed contra est, quia præcitati textus tantùm procedunt de primis Ecclesiæ sæculis, quando beneficia ecclesiastica nondum instituta erant; neque cathedrales Ecclesiæ fundatæ, neque clericorum præbendæ erectæ; sed ex communi mensa Ecclesiastici necessaria ad victum, & vestitum accipiebant: tunc clerici qui deprehendebantur validi ad operandum proprio artificiolo sibi quæstum parabant. Verùm post, quàm bona Ecclesiæ divisa fuerunt, ac beneficia Ecclesiastica instituta, & præbendæ erectæ, atque statutum fuit, ut nemo sine titulo ordinibus sacris initiaretur; quilibet ex fructibus Ecclesiæ sustentari debet; proinde rectè in *d. c. Non amplius 1. h. t.* statuitur juxta præsentem statum Ecclesiæ, ne plures recipiantur, quàm commodè ali possint de bonis Ecclesiæ.

6 Posset tamen objici textus *in cap. ex parte 3. de capellis monachor.* ubi habetur: *si pluribus facultates non suppetunt eorundem*: ex quibus deprehenditur, in illo monasterio Rivenensis diœcesis plures fuisse monachos receptos, quàm commodè per monasterii annuos proventus ali possent; & nihilominus Papa Honorius dixit, posse prædictos monachos in prioratibus constitui, ut commodè sustentarentur; unde non est contra canones recipi plures monachos, quàm ex monasterii proventibus commodè ali possint. Sed contra est, quia in præcitato textu monachi illi fuerunt in monasterio recepti eo tempore, quo proventus monasterii sufficiebant ad congruam eorundem sustentationem; sed cùm postea ex temporum injuriis, militum incendiis, proventus monasterii fuerint diminuti, vel etiàm ex parte defecerint; ideo Pontifex indulsit, ut monachi excedentes numerum juxta proventus promoverentur ad prioratus.

7 Quod verò ad clericos instituendos in ecclesiis, ac beneficiis ecclesiasticis attinet, non sunt instituendi clerici unius tantùm nationis, seu originis; sed assumendi sunt viri morum probitate, vitæ honestate, doctrinarum eruditione cæteris commendatiores, quamvis natione diversi, nobilitate non pares, ut statuitur *in c. Ad decorem 5. h. t.* ubi habetur, quòd, qui in ecclesiis sunt instituendi, non debent esse unius nationis tantùm; sed undecunque sint, dummodo sint idonei. Præferendus tamen est doctior minus docto cæteris paribus Covarruv. *in cap. peccatum p. 2. §. 1. n. 4. de R. J. in 6.* Piasecius *in praxi 2. part. c. 5. a. 3. n. 10.* minus doctus tunc potest præterri doctiori; quando morum probitate, ac vitæ honestate longè excellit; & vitæ, moresque doctioris ignorantur, ut notat Piasecius ex declarat. Cardinalium. Idoneus itidem si fuerit ex eodem loco; vel de gremio Ecclesiæ; vel de genere fundatoris, præferri etiam potest extero magis idoneo, ut notat Lambertinus *de Jure patronatûs lib. 1. p. 3. art. 6.*

Præterea ſtatuit Concilium Tridentinum
8 *ſeſſ. 7. cap. 13.* ne præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibusvis eccleſiaſticis perſonis, etiam Nuntiis Apoſtolicis, ad quævis eccleſiaſtica beneficia inſtituantur, nec confirmentur, aut admittantur, etiam virtute cujusvis privilegii, vel conſuetudinis, niſi priùs à locorum Ordinariis examinati fuerint, ac idonei reperti, neque ullius appellationis remedio ſe poſſint tueri, quo minus teneantur examen ſubire: exceptis præſentatis, electis, ſeu nominatis ab univerſitatibus, ſeu collegiis Generalium ſtudiorum, ut notat Rebuff. *in praxi Benefic. de reſcripto in forma pauperum.*

Quòd ſi nominatio ad Epiſcopum perti-
9 neat, & inſtitutio ad aliquem inferiorem, tunc ſufficit, ſi Epiſcopus nominet, vel præſentet; ut notat Abbas *in c. ſignificaſti 18. inf. de jure Patronatus*; quia Epiſcopus eò ipſo quòd præſentat, approbat eſſe idoneum; ad ipſum enim pertinet approbare clericos ſuæ diœceſis, ut deſumitur *ex c. ult. ſup. de clericis peregr.* Sin verò nominatio, ſeu præſentatio pertineat ad unum Epiſcopum, & inſtitutio ad alium alterius diœceſis, in qua ſitum eſt beneficium, etiam juxta Concilium Tridentinum *l. c.* præſentatus debet examinari, & approbari ab hoc alio Epiſcopo, in cujus diœceſi inſtituendus eſt in beneficio: ratio eſt, quia non ſtatim ac quis eſt idoneus in uno loco, cenſendus eſt idoneus etiam in alio loco. Tum quia Concilium Trident. mandat, ut præſentatus, & electus à Nuntio Apoſtolico, qui eſt ordinarius intra limites ſuæ legationis examinetur ab Ordinario loci; ut notat Zyp. *h. t. num. 2.*

Quòd ſi præſentatus, vel electus alium pro
10 obtinenda inſtitutione adire non poſſit Epiſcopum, niſi ordinarium loci, qui ſuper hoc habet fundatam intentionem in jure, tunc ſub pœna nullitatis niſi ex privilegio, vel alia ratione inſtitutio pertineat ad alium Prælatum inferiorem Epiſcopo, debet ſuper idoneitate maximè ad beneficia curata ab Epiſcopo examinari, quia ad ipſum ſpectet examen non ad alium inferiorem Prælatum ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 9. de reformat.* Idque etiam procedit, tametſi ex conſuetudine inſtitutio beneficiorum pertineat ad Archidiaconum. Non tamen poteſt Epiſcopus examinare promotum ad ordinem, vel beneficium à ſuo anteceſſore niſi poſt promotionem recens aliqua ſupervenerit cauſa, ut deſumitur *ex cap. accepimus de ætat. & qualit. ordinandorum.*

In quo conſiſtat idoneitas clericorum ad
11 beneficia eccleſiaſtica? Reſpondetur primò conſiſtere in carentia canonici impedimenti; quapropter incapaces ſunt beneficiorum eccleſiaſticorum non baptizati *c. 1. de Presbytero non baptizato.* Non inſigniti tonſurâ *c. ex litteris de tranſact.* Qui defectum patiuntur natalium, ſeu ſunt illegitimi *c. 1. & 2. de filiis Presbyt. in 6.* Poteſt tamen cum iſtis Epiſcopus diſpenſare ad minores ordines, & ad ſimplex beneficium. Rurſus ſunt incapaces filii hæreticorum, ut etiam fautores, defenſores, receptatores hæreticorum *c. quicunque §. hæretici c. ſtatutum 15. de hæret. in 6.* quod tamen intelligendum eſt de filiis hæreticorum, qui tales fuiſſe, & deceſſiſſe probantur: idque usque ad ſecundum gradum in linea paterna; & in materna tantùm ad primum. Conjugati ſunt etiam incapaces, ut beneficiis eccleſiaſticis præficiantur, ut etiam bigami, & excommunicati *c. poſtulâſtis 7. de cleric. excommun.* Covarruvias *in c. alma mater p. 1. §. 7. num. 1.* Quòd ſi beneficium conferatur excommunicato ignoranti ſe excommunicatum eſſe, tunc poteſt illud retinere poſt abſolutionem ab excommunicatione, & obtenta diſpenſatione ab eo, ad quem collatio pertinet.

Suſpenſi itidem ſunt incapaces beneficio- 12
rum *c. dilectus de conſuetud.* ut etiam interdicti & violatores interdicti *c. 1. de poſtulat. Prælat.* ut etiam irregulares ex quocunque irregularitatis capite, quod procedit, etiam ſi irregularis ignoret talem irregularitatem, & collatio facta irregulari nullum jus illi tribuit, adeo ut irregularis, qui poſſedit beneficium, ad quod fuit promotus, teneatur fructus receptos reſtituere, licèt non privetur priùs acquiſitis; nec impediatur ab actu jurisdictionis, ſed tantùm ordinis; ut tradit Piaſecius *p. 2. c. 5. articul. 3. num. 16.* Arcentur itidem à beneficiis eccleſiaſticis, qui hoſtiliter perſequuntur, inſequuntur, percutiunt, capiunt ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales; & etiam eorum ſocii, immo etiam filii, & nepotes in recta linea *c. felicis in prine. de pœn. in 6.* ut etiam percutientes, capientes & in exilium mittentes Epiſcopum, ut etiam ejusdem criminis ſocii, conſiliarii, fautores, & defenſores: hi omnes eorumque filii, & nepotes redduntur ipſo facto incapaces beneficiorum acquirendorum in illa Eccleſia, & diœceſi, in qua Epiſcopus præſidet. Demum Simoniaci, & alii ſimiles etiam excluduntur à beneficiis eccleſiaſticis, ut etiam cæci, qui non poſſunt horas canonicas recitare.

Quod verò ad ordinem attinet, & ætatem 13
præficiendorum beneficiis. Certum eſt, promovendos ad beneficia eccleſiaſtica debere illo initiatos eſſe ordine, quem ipſa dignitas, vel beneficium ex ſui natura, vel conſuetudine, aut ſtatuto exigit, non tamen eſt neceſſe, ut ſit initiatus illo ordine, quem fortaſſis aliud beneficium eidem unitum exigeret, quia hoc ſecundum beneficium non alterat primum, cui unitur tanquam acceſſorium, ſed ſequitur ejus naturam, ut referente Piaſec. *p. 2. c. 3. art. 5. n. 17.* declaravit ſacra congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum. Requiritur etiam ad hanc idoneitatem ſcientia ſufficiens ad ritè obeundum munus beneficio annexum, & quia munera hæc ſunt diverſa pro beneficiorum diverſitate, ideo major, vel minor requiritur ſcientia. Rurſus Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12.* ſtatuit, ut proviſi beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ poſſeſſionis ad minùs intra duos menſes coram Epiſcopo, vel eo impedito coram generali ejus Vicario, ſeu Officiali publicam fidei emittere profeſſionem, & quòd proviſi

de

Digitized by Google

de canonicatibus, ac dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solùm coram Episcopo, vel ejus officiali; verùm etiam in Capitulo teneantur eandem fidei professionem facere sub pœnis statutis, ut tradit Piasecius *p. 5. tit. 3. num.* 89.

14 Quæri solet, an si Episcopus instituat sine Patrono, irrita sit ipso jure institutio? Hostiensis cum aliis referente Lambertino *lib. 2. de jure patronatus p. 3. q. 2. art. 2.* censet, talem institutionem esse rescindendam, eò quia *in c. illud de jure patronatus* institutio facta ab Episcopo sine patrono dicatur irritanda esse. Verùm probabilior opinio, quam docent Abbas *in c. illud de jure patronatus* Joannes Andreas *c. 2. de officio Vicarii* asserit, talem institutionem esse ipso jure nullius valoris, adeo ut sit de facto irrita, & non irritanda; idque desumitur *ex c. decernimus 16. q. 17.* ubi habetur, quòd si Episcopi sine patronis instituerint, noverint irritam esse institutionem. Quamobrem illud verbum *irritanda*, quod habetur *in c. illud de jure patronatus* intelligitur sicut alias solet in jure, hoc est, quòd declaranda sit ut irrita: unde non dicitur irritanda, eo quia de facto sit valida, & debeat postea irritari, sed dicitur irritanda, eò quia declaranda sit irrita, ut ipso jure est talis.

15 Quòd si Patronus in nominando fuisset negligens, tunc institutio valida foret; ut desumitur *ex c. 1. de supplenda neglig. Prælat.* quia tunc ad Episcopum devolvitur potestas nominandi. Quid verò dicendum sit; si patronus indignum nominaret, & præsentaret? Respondet Glossa *in c. cùm vos. de officio Jud. ordinar.* quòd si Patronus esset ecclesiasticus ipso facto esset privatus pro illa vice iure, seu potestate nominandi: non ita si patronus esset laicus; cui sententiæ adhærent Archidiaconus *c. 1. de præbend. in 6.* & alii. Nihilominus Hostiensis, & Innocentius referente Panormitano *in c. cùm de offic. Jud. ordinar.* docent, quemlibet patronum etiam laicum ipso facto privari jure tunc nominandi.

16 Verùm Joannes Andreas, quem sequitur Panormit. docet, laicum patronum nominantem scienter indignum ante quatuor menses, adhuc posse alium dignum, ac idoneum nominare, eò quia patronus laicus in nominando habet jus mutandi sententiam; unde sicut intra quatuor menses nominando dignum potest variare ante quam Episcopus nominatum instituat; multò magis poterit variare, si indignum nominavit: cæterum exacto illo quadrimestri, intra quod patronus indignum nominavit, nec sententiam mutavit, liberum est Episcopo, alium instituere, quia dilapso quadrimestri, nullum supereſt pro tunc jus nominandi patrono, unde pertinet ad Episcopum talis institutio, ut desumitur *ex c. 1. de jure patronatus in 6.* quia perinde est immeritum nominare, ac indignum *c. 2. de translat. & c. tua de cleric. non residente* & hæc sententia, quam sequitur Panormitanus, est verior: Cæterum si institutio sine patronò ita facta fuit ab Episcopo, ut patronus postea eidem assentiatur, tunc institutio sortitur suum valorem ab ipso consensu Patroni, ut notat Lambertinus *lib. 2. de jure patronat. p. 3. q. 2. art. 2.*

17 Quinimò si Episcopus instituat clericum in beneficio præsente, sciente, ac tacente patrono nullum alium nominante, vel præsentante probabiliùs videtur, quòd talis institutio valida sit ob illam generalem juris regulam, eò quia sciens, & tacens videatur consentire: quia cùm patronus potuisset commodè resistere, vel alium nominare; ex eo quòd tacuerit, censetur suum præstitisse consensum; præsertim cùm ob nullum metum incussum, vel aliam causam potuerit coerceri à nominatione alterius.

18 An verò, quando Episcopus absque expresso patroni consensu licitè aliquem instituit, teneatur institutus ex jure patroni assensum requirere, respondet Panormit. *in c. si verò de jure patron.* nullo adigi jure ad requirendum patroni assensum; eò quia per institutionem plenum jus in beneficio acquisiverit. Moris tamen est, ut institutus ab Episcopo adhuc assensum requirat à patrono, ne ab eodem vexetur; & etiam ne patronus à possessione nominandi, & præsentandi cadat.

19 Non tamen potest Episcopus absque consensu patroni Ecclesiam collegiatam instituere, ut tradit Abbas *in c. suggestum num. 2. de jure patron.* Ratio est, quia tunc patronus absque ulla culpa amitteret jus suum nominandi, cùm in Ecclesia collegiata non possit nominare præfectum. Hinc neque liberum est Episcopo Ecclesiæ proventus, ac reditus citra patroni consensum alienare, vel transferre ad aliam Ecclesiam; quia tametsi patronus jus suum non amitteret, nihilominus sine ejus voluntate, & consensu non possunt bona juris patronatus alienari.

20 Quòd si patronus sponte suâ jus nominandi, ac præsentandi ad Episcopum transtulerit in ecclesiis, quæ tali Episcopo subjiciuntur, tunc ut notat Abbas *in c. significâsti num. 3. de jure patron.* vel institutio speciali jure pertinet ad alios Episcopos inferiores; vel tantùm ad ipsum Episcopum jure communi: si dicatur primum, respondet, tunc ad Episcopum tantùm spectare nominationem, & præsentationem, & ad alios institutionem: si secundum, censet Panormitanus cum Hostiensi, & Joanne Andrea, tunc præsentationem confundi cum institutione, proinde posse Episcopum liberè conferre Ecclesiam, vel beneficium, & quidem eadem ratione, quâ & cætera beneficia, quæ jure patronatûs non sunt affecta. Id tamen procedit, quando Episcopus ipse solus est patronus.

§. III.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, quinam ritus adhibendi sint in investitura in beneficiis? Respondetur, hos ritus varios esse pro diversitate locorum: siquidem pluribus in locis, qui investitur in beneficio ecclesiastico coram Episcopo, vel Vicario, aut ejus consistorio, fidei facit professionem juxta decretum Concilii Trident.

ſeſſ. 24. de refor. c. 12. ut etiam præſtat Homagium, ſeu juramentum obedientiæ, & fidelitatis præſtandæ Epiſcopo, & poſtea imponitur ipſi birretum adjunctis verbis ſignificantibus inveſtituram: quia verò in beneficiis perinde ac in feudis duplex ſolet inveſtitura diſtingui: una verbalis, quæ fit per verba cum traditione alicujus ſigni; & alia realis, quæ fit per actualem introductionem in poſſeſſionem beneficii, vel rei feudalis; ideo modus inveſtiendi potiùs videtur accenſendus inveſtituræ verbali, quæ ex probabiliori opinione non ipſam actualem poſſeſſionem, ſed tantùm obligationem ad traditionem actualis poſſeſſionis, vel ad ſummum inducit facultatem occupandi propria authoritate vacuam poſſeſſionem, ut notat Julius Clarus *in § feudum q. 36.* Debet tamen verbaliter inveſtitus inſuper actualiter induci in poſſeſſionem beneficii, & hæc inductio de jure pertinet ad Archidiaconum, ut habetur *in c. ad hæc de offic. Archidiaconi.* Aliquando etiam ad Epiſcopum, vel etiam ad delegatum ab eo, ut deſumitur *ex c. licèt Epiſcopus 28. de præbend. in 6.* & tunc contingit, quando beneficium eſt litigioſum, & ab alio occupatum, qui debet expelli ut notat Covarruvias *c. 17. num. 17.* Ex conſuetudine poteſt etiam ad Epiſcopum pertinere clericum inſtitutum inducere in poſſeſſionem beneficii.

2 Quòd ſi inveſtitura ſit realis, nullam habet aliam cæremoniam eccleſiaſticam, quàm actualem introductionem in locum beneficii cum traditione clavium, & jurium: & cùm ſit meri facti, poteſt etiam committi laico. In aliis locis in parochialibus præſertim beneficiis tota inveſtitura verbalis, & realis peragitur in ipſo loco parochiæ ſimul, & ſemel à commiſſario Epiſcopi, & quidem die feſto cum parochiani ad divina conveniunt; ſiquidem proponitur ipſis in Eccleſia novus parochus, qui ibidem publicè deponit juramentum fidei, & obedientiæ, & inſignia accipit parochialia: & hæc inveſtitura datur in ſpiritualibus, quâ peractâ tribuitur etiam inveſtitura in temporalibus, & fit ex eo, quòd deducatur novus parochus in domum parochialem, ipſique tradantur claves domus, & aſſignentur reditus, & fructus parochiales.

Quæritur ſecundò, quænam dicatur inſtitu- 3
tio authorizabilis? Reſpondetur nihil aliud eſſe, quàm authoritatem, vel jurisdictionem conceſſam ad curam animarum exercendam; & hæc inſtitutio in parochialibus beneficiis præcedit quamlibet aliam inſtitutionem, ſiquidem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de reformat. c. 15.* ſtatuit, quòd quamvis Presbyteri in ſua ordinatione abſolvendi poteſtatem accipiant, nullum tamen poſſe etiam regulatem confeſſiones ſæcularium, etiã ſacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Privilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemoriabili non obſtantibus. Hoc idem etiam ſtatuerunt ſummi Pontifices Gregorius XV. in Bulla, quæ incipit *inſcrutabili*, Pius V. in Bulla, cui initium eſt *Romani Pontificis* Urbanus VIII. in Bulla, quæ incipit *ſicut accepimus*: quapropter Canoniſtæ communiter docent, ſacerdotibus in ordinatione dari quidem claves Eccleſiæ ad ſolvendum, & ligandum: exercitium verò ſolvendi, & ligandi conferri ipſis ab Epiſcopo: quod perinde eſt ac accipere in ordinatione poteſtatem abſolvendi, & ligandi, & ab Epiſcopo jurisdictionem.

Quinimò ex præcitata Bulla Pii V. §. 2. po- 4
teſt Epiſcopus ſucceſſor, ſi id neceſſarium cenſuerit pro majori ſuæ conſcientiæ tranquillitate approbatos à ſuo prædeceſſore ad novum vocare examen, novámque approbationem. Non tamen per has conſtitutiones prohibentur regulares ex licentia proprii Prælati audire confeſſiones aliorum regularium ejusdem Monaſterii, vel etiam diverſi, ſed ejusdem ordinis absque approbatione Epiſcopi; non tamen ſæcularium etiam ſacerdotum, niſi hi fuerint incorporati in Monaſterio, ſintque de familia illius, ut declaravit ſacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

Quæritur tertiò, an in inſtitutione ſervan- 5
da ſit forma *in c. fin. de elect. in 6.* Reſpondetur affirmativè, adeo ut inſtitutio facta non propoſito edicto nulla ſit, ut notat Lappus *allegat. 8. num. 4.* Lambertinus *2. p. lib. 2. q. 6. art. 2.* & in pluribus aliis ſequentibus, & procedit etiam in canonicatibus, & præbendis, aliisque ſimplicibus beneficiis, ut notat Perez de Lara *de anniver. capell. lib. 2. c. 10. n. 40.* adeo ut inſtitutio præſentati facta non ſervata forma præſcripta *in d. c. fin.* ſit nulla. Hinc inſtitutio facta non præmiſſis edictis, ſeu non ſervatâ formâ traditâ *in d. c. fin.* nullum jus tribuit. Rurſus in edicto debet aſſignari terminus peremptorius, ut habetur *in d. c. fin.* & non ſufficit citatio generalis per edictum, quando ſunt alii patroni certi, ſed debent ſpecialiter, & nominatim citari; aliàs inſtitutio eſt nulla, ut fuiſſe deciſum à Rota coram Lancelloto refert Garcia *de benefic. p. 9. c. 4. num. 8.* Non tamen id procedit, ubi conſuetudo eſt incontrarium, ut notat Puteus *deciſ. 306. lib. 1.* ubi ait, quòd allegans talem conſuetudinem contra communem opinionem teneatur eam probare: & quia hæc conſuetudo non eſt contra jus clarum, ſed tantùm contra communem opinionem, ut notat Puteus *in cit. deciſ. 306.* ſufficit ſi ſit decennalis ad tradita *in c. fin de conſuetud.* Et licèt Oldradus *conſil. 3.* Felin. *in c. cum Bertoldus de re judic.* Lambertinus *q. 6. art. 26.* & alii dicant, poſt terminum edicti non eſſe ullum admittendum, vel audiendum etiam re integra ſeu non ſecuta inſtitutione; nihilominus fatentur, ignorantem, & impeditum eſſe admittendum etiam elapſo termino edicti, re tamen integra, ſeu inſtitutione non ſecuta.

Contrarium tamen ſervatur, quia ante in- 6
ſtitutionem ſemper admittuntur, qui præſentantur ab aliis patronis; non enim id videtur contra jus, quia in edictis non dicitur, quòd poſt terminum illius non admittantur, ſed quòd procedatur in cauſa, & fiant acta in abſentia.

Cæte-

Cæterum quòd transacto edicti termino ante tamen institutionem possit patronus comparere, & præsentare, docet Perez de Lara *lib. 2. c. 9. num. 47. & 50.* ubi citat Felinum, Rochum, & Lambertinum: & præsertim Felin. *in c. graves de offic. delegat. num. 3.* ait, effectum citationis per edictum elapso tempore non officere, quia audiantur illi, quorum interest, etiam post tempus, nisi Judex interloquatur imponendo illis silentium, vel in assignatione termini apponatur clausula: *alias ex tunc imponitur silentium.*

7 Quæritur quartò, an quando institutio facta est in judicio contradictorio, seu sententia lata super ea facienda, causa sit appellabilis. Proponit hanc difficultatem Garcia *p. 9. de benefic. c. 4. num. 16.* & respondet, institutionem præsentati factam pendente appellatione per alterum interpositâ sententiâ ordinarii, & possessionem subsecutam, ut etiam possessionem à præsentato instituto captam pendente appellatione judiciali interposita ab institutione facta in sententia, esse attentatam, & citat pro hac sententia Lappum, Joannem Andream, Dominicum *num. 7.* & præsertim Romanam Rotam in pluribus causis, ac signanter in una Lucana parochialis 18. Junii 1571. coram domino Lancelloto, ubi possessio dicitur esse attentata eò quia capta fuit pendente appellatione. Neque obstat, quòd Ordinarius processerit tanquam executor deputatus in confirmatione donationis, quia hoc non procedit quando assumit partes judicis, ut asseruit Rota Romana & citat. Felin. *c. final. de præsumpt.*

8 Neque obstat, quòd attentata deserta appellatione non sint revocanda, quia hoc tollitur ex facto, cùm appellatio non sit deserta, & in appellatione apostoli sint dati, & terminus præsentationis non sit elapsus, & etiam per Papam prorogatus. Minus facit, quòd passus fuerit procedi in negotio principali, quia cùm non constet, quòd sciverit possessionem captam, non potest induci aliqua renuntiatio attentatorum. Minus facit textus Concilii Tridentini, quia loquitur in relatione facienda ab Examinatoribus, quæ non potest suspendi per appellationem, quò minùs fiat institutio: secus in casu, quo agitur de jure patronatus, & institutione facta vigore illius, & non relationis. Neque obstat nova provisio, quia ultra hoc appellans habet novam ulteriorem provisionem: sed quidquid sit, non potest vigore novæ provisionis capere possessionem, alias incidit in pœnas extravagantis Julii III. contra capientes possessionem litteris non expeditis. Hæc omnia habet Rota in præcitata decisione, quam refert Garcia *loc. cit.*

9 Quæritur quintò, an quando patronus nominat, vel præsentat plures ad aliquod beneficium ecclesiasticum, possit Episcopus quem maluerit ex illis pluribus instituere? Respondet Glossa *in c. decernimus* 16. *q.* 7. quòd si omnes nominati, & præsentati sint æquè digni, ac idonei, liberom sit Episcopo tum ex pluribus illis instituere, quem maluerit, & hoc etiam desumitur *ex c. cùm autem. c. pastoralis de jure patronat.* Quòd si unus ex nominatis, vel præsentatis sit alio dignior. Respondet Joannes Andreas, Episcopum adhuc habere liberam optionem eligendi quem maluerit, quia satis est, si instituatur idoneus, & dignus. Verùm communior, ac verior sententia est, teneri tunc Episcopum instituere digniorem, ac magis idoneum, eúmque præferre cæteris, siquidem *in c. si forte dist. 63.* habetur, quòd ubi vota sunt paria, is præferendus sit, qui majoribus meritis juvatur. Cæterum si prætermisso digniore Episcopus instituere minus dignum, posset institutus ab Episcopo vocari dignior, ut notat Abbas *in c. cùm autem de jure patronatus n. 5.*

10 Quæritur sextò, an ex pluribus ab examinatoribus approbatis æquè dignis deprehensis possit Episcopus quem maluerit aliis præferre. Respondetur negativè, quia hæc libera facultas tantùm est penes patronum, qui habet jus nominandi, & præsentandi ad beneficium, non verò penes Episcopum. Et quamvis Concilium Tridentinum statuerit, ut nominati, vel præsentati à patrono approbentur judicio Examinatorum; non tamen Concilium privavit patronos potestate nominandi unum ex iisdem, quos Examinatores approbârunt. Neque urget textus *in c. cùm autem de jure patronat.* ubi dicitur, liberum esse Episcopo instituere, quem maluerit è pluribus à patrono laico nominatis, & præsentatis, si æquè digni reperiantur. Nam respondet Navarr. *consil. 5. de jure patronat. in c. cùm autem*, in præcitato textu tantùm statui ut ex multis nominatis, & oblatis à patrono possit Episcopus quem maluerit instituere. Casus verò noster procedit de iis, qui judicio Examinatorum sunt approbati, & nondum à patrono nominati, nec Episcopo oblati: cùm enim is, ad quem pertinet jus patronatûs, exploratam non habeat idoneitatem Clericorum, neque eorum doctrinam; plures simul exhibet examinandos, sibi tamen reservando jus nominandi ad beneficium, quem maluerit ex illis examinatis, & ideneis; unde non est liberum Episcopo instituere quem maluerit, sed debet instituere nominatum à patrono laico, qui ob solum examen non est privandus suo jure.

An verò id etiam procedat de patrono ecclesiastico? respondet Navarrus *loc. cit.* affirmativè, adeo ut jus nominandi aliquem ex illis examinatis dignis, ac idoneis sit penes patronum ecclesiasticum; quia licèt patronus plures exhibuerit examinandos ad explorandam eorundem idoneitatem, nondum tamen ullum nominavit, proinde non debet privari suo jure: quamobrem penes patronum est, quem maluerit ex illis examinatis, & dignis eligere, ac nominare ad beneficium, quia Concilium Tridentinum nec laicis patronis, neque ecclesiasticis adimit tale jus. Cæterum pertinet ad Episcopum explorare circa morum probitatem, vitæ honestatem, & examinare doctrinam eorum, qui à patronis nominantur ad beneficia ecclesiastica, idque ex Concilio Tridentino *sess. 22. c. 18. de reformat.* ubi statuitur, quòd quicunque sive à patronis laicis, sive ecclesiasticis nominentur ad Ecclesias parochiales, subeant exa-

11

men illorum Examinatorum, qui ad id sunt destinati, aliter eorum institutio nullum sortiatur valorem. Rursus *sess. 7. c. 13. de reform.* decrevit, ut præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis ecclesiasticis personis, etiam nuntiis sedis Apostolicæ ad quævis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur etiam sub prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi priùs fuerint à locorum ordinariis examinati, ac idonei reperti, exceptis præsentatis, & electis à collegiis generalium studiorum.

12 Quæritur septimò, an in ecclesiis, in quibus numerus canonicorum, seu clericorum non est determinatus, possint Prælati, & Capitula à suo superiore compelli ad tot canonicos, vel clericos suscipiendos, quot ex reditibus Ecclesiæ congruè sustentari possunt? Respondent ferè communiter cum Abbate *in c. non amplius* 1. *h. t.* posse Prælatos, & Capitula compelli à suo superiore ad tot suscipiendos, quot decenter, & commodè sustentari possunt ex reditibus Ecclesiæ: siquidem proventus ecclesiastici fuerunt instituti propter cultum divinum, proinde ubi proventus crescunt, ibi debet & cultus Dei augeri per institutionem plurium canonicorum, vel clericorum, qui Ecclesiæ inserviant: ubi enim famulatus est numero major, ibi servitium est uberius. Ultra tamen facultates Ecclesiæ non possunt Prælati, & Capitula compelli ad aliquem recipiendum, ut desumitur *ex c. auctoritate 4. h. t.* ubi Clemens Papa statuit, ultra facultates non posse aliquem institui invitis canonicis Ecclesiæ. Hinc si Episcopus, vel alius superior etiam Papa alicui Rectori Ecclesiæ præsentet clericum, vel mandet Capitulo, ut eum instituat, potest Rector, vel etiam Capitulum contra hoc mandatum excipere insufficientes reditus Ecclesiæ ad plures alendos, ut notat Abbas *in c. ex parte* 10. *num.* 4. *de conceff. prab.*

13 Quòd si clerici ultrò consenserint, velintque parciùs vivere, tunc ad augendum divinum cultum possunt etiam alios suscipere, ac instituere, quia volentes, & consentientes non aggravantur. Cæterum Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 3. de regular.* statuit, ut in Monasteriis tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possit; idque ne Religiosi sæcularibus curis implicentur ad sibi comparanda necessaria pro victu, vel egestas ad exercenda indecentia eos cogat. Reditus tamen Ecclesiæ, vel Monasterii pensandi sunt habito respectu non solùm ad sustentandos clericos, vel Religiosos, verùm etiam ad alia Ecclesiæ onera, & quæ expenduntur per sarta tecta, eleemosynas faciendas, hospitalitatem erga peregrinos exercendam, & alia id genus *argum. c. de Monachis* 12. *de prebend.* Glossa *c. 1. h. t. V. absque penuria.* Et quamvis præceptum Tridentini concipiatur negativè, ut non plures recipiantur in ecclesiis, vel monasteriis, quàm possint in iisdem sustentari, nihilominus tale præceptum includit etiam affirmationem, ut tot sint recipiendi, quot ex reditibus, & proventibus Ecclesiæ absque penuria ali possunt; & ad hoc possunt Prælati, & Monasteria à suis superioribus compelli, ut notat Abbas *in d. c. non amplius* 1. *h. t.*

Quæritur octavò, an si certus canonicorum, clericorum, vel etiam Regularium numerus sit determinatus in aliqua Ecclesia, vel monasterio per speciale statutum, possit numerus augeri, si reditus incrementum subeant? Respondet Abbas *loc. cit. num.* 3. ob modicum redituum augmentum non esse numerum canonicorum, vel Regularium augendum. Quòd si reditus magis excrescerent, vel mensæ capitulari, si bona communia possideantur, plurimum accrescerent, & hi reditus quot annis inter canonicos dividerentur: vel propriis beneficiatis annui proventus multùm accrescant, & præbendæ, seu reditus beneficiorum sint distincti, tunc numerus canonicorum, vel præbendarum augeri posset, tametsi certus numerus fuerit à Papa antea definitus, & confirmatus *c. cum M. Ferrariensis 9. de constitut.* ubi dicitur, quòd canonicis receptis supra numerum confirmatum etiam à Papa est providendum de fructibus excrescentibus, quomodocunque fuerint augmentati, licèt per industriam antecessorum: eò quia in reductione canonicorum ad certum numerum semper intelligitur clausula: *nisi in tantùm facultates Ecclesiæ excreverint, quòd pluribus sufficere competenter possint*, & licèt hæc clausula non semper sit expressa, tacitè tamen debet subintelligi, quia id secundùm stylum curiæ, & sacrorum canonum requiritur; hinc Felinus tradit generalem regulam, quòd clausula secundùm loci consuetudinem, aut instrumenti, vel contractûs naturam apponi solita, si non exprimatur, censeatur subintellecta. 14

Quæritur nonò, an si reditus Ecclesiæ, vel Monasterii notabiliter decrescant, adeout non sufficiant pro sustentando certo canonicorum, vel Monachorum numero confirmato à Papa possit talis numerus imminui; dummodo decrementum redituum existimetur futurum stabile. Respondetur cum Abbate *in c. cùm accessissent 8. de constitut. num.* 4. posse talem numerum minui, sive fuerit à Papa statutus, sive juramento firmatus: quia tam confirmatio Papæ, quàm juramentum de retinendo certo numero præbendarum, & canonicorum intelligitur conditionatè, nimirum si res sit in eodem statu perseveratura, in quo reperitur tempore, quo à Papa confirmatur numerus præbendarum, vel canonicorum: non ita si res notabiliter immutetur, & præbendæ, ac reditus decrescant: tunc enim juxta æquitatem, ac præscriptum SS. canonum unà cum mutatione redituum mutari etiam debet numerus canonicorum; quia cederet in dedecus Ecclesiæ, si canonici, vel alii clerici nõ possent ex reditibus Ecclesiæ honestè se sustentare. 15

Hinc Episcopus potest canonicorum numerum minuere, si reditus annui canonicorum facti sint notabiliter tenuiores; quia sicut ex eo, quòd facti sint uberiores potest licitè canonicorum 16

numerus augeri, ut divinus cultus in Ecclesia incrementum subeat ex majori inservientium numero, ita si reditus decreverint, potest jure numerus canonicorum minui, ut reditus tanti sint, quanti sufficiant ad congruam, & honestam sustentationem talis numeri canonicorum. Hinc ex eadem causa potest Episcopus minuere numerum canonicorum etiam authoritate Papæ constitutum, & confirmatum: quia quando reditus notabiliter decreverunt subest justa causa hujus mutationis: idque etiam procedit non solùm de canonicatu, sed etiam de dignitate authoritate Papæ in Ecclesia cathedrali constituta, quia justa de causa perinde dignitas, ac canonicatus supprimi, & extingui, potest.

17 Quæritur decimò, an is, ad quem spectat jus, seu potestas instituendi in beneficio, possit se ipsum instituere? Respondetur non posse se ipsum instituere, & desumitur ex *c. cùm ad nostram 7. h. t.* ubi habetur, quòd quando quis efficitur Prælatus, non potest retinere dignitatem, quam priùs habebat, eò quia prior dignitas per supervenientem secundam ipso jure vacat. Neque potest aliquam dignitatem vacantem sibi conferre, ubi etiam assignatur ratio: quia inter dantem, & accipientem, debet esse distinctio personarum, sicut inter vendentem, & ementem; locantem, & conducentem: hinc sicut nemo potest se ipsum absolvere, nec per se & directè dispensare secum, ita neque potest dignitatem, vel præbendam ecclesiasticam sibi ipsi conferre. Unde neque eligere se ipsum quis potest *c. in scripturis 9. caus. 8. q. 1.* Neque se ipsum præsentare, licèt alias sit clericus idoneus *c. per nostras 26. de jure patronat.* quia nemo potest à se ipso oriri, nec produci, & generatim nemo potest in facto proprio authoritatem præstare *Clement. 2.* juncta Glossa *V. mensa sua de reb. eccles. non alienand:* eadem ratione qui habet jus conferendi, vel instituendi, non potest sibi ipsi beneficium conferre, neque se ipsum instituere. Et quamvis Prælatus denegat alteri potestatem conferendi beneficium; non tamen potest delegatus tunc conferre beneficium, vel dignitatem jure proprio, sed jure delegantis, cùm delegatus nihil proprium habeat, sed tantùm utatur jurisdictione delegantis *l. 1. ff. de eo cui mandat. eff. jurisd.* Tum quia delegatus gerit vices delegantis *c. sanè 11. de offic. deleg.* unde in effectu censeretur delegans se ipsum instituere in beneficio, illúdque sibi ipsi conferre, proinde in proprio facto sibi ipsi authoritatem præstare, quod adversatur *l. 1. ff. de authorit. tutor.* Tum quia qui facit per alium per se ipsum facere videtur juxta *regul. juris 71. n. 6.*

18 Cæterum is, cui competit jus conferendi beneficium, vel in illo instituendi, nil obstat, quin possit illud accipere à Papa, vel etiam Legato à latere, quia summus Pontifex ex plenitudine potestatis potest beneficia conferre, cui magis libuerit, & prout ipsi consultiùs visum fuerit. Tum quia Pontifex, & ejus Legatus à latere jure communi in conferendis beneficiis concurrunt cum inferioribus collatoribus ordinariis, proinde jure proprio conferunt alia beneficia.

Videtur tamen urgere aliqua difficultas, 19
quia summus Pontifex dat suo confessario jurisdictionem, seu potestatem absolvendi eundem Pontificem à peccatis: ergo videtur, quòd possit habens jus instituendi alteri delegare jurisdictionem, & potestatem exercendam in se ipsum, & à fortiori videtur, quòd possit etiam illi dare potestatem conferendi beneficium sibi, & investiendi se ipsum. Sed contra est, negatur paritas, ratio discriminis est: quia confessarius Papæ non est merus commissarius, seu delegatus Papæ, sed potiùs est Vicarius Dei, quatenus Deus dedit Apostolis, consequenter etiam sacerdotibus ritè ordinatis tanquam eorum successoribus potestatem absolvendi à peccatis, ut desumitur *ex c. firmiter 1. de sum. Trinit.* Hinc ad absolvendum nil aliud desideratur, nisi quòd persona absolvenda se subjiciat confessario: & quia Papa voluntariè se subjicit sacerdoti confessario, ideo complet, ac veluti actuat radicalem ejus potestatem, quam Sacerdos in sua ordinatione à Deo acceperat absolvendi à peccatis.

Cæterum quia summus Pontifex nullius 20
hominis potestati subjicitur, neque jurisdictioni, cum potiùs ejus jurisdictioni subjiciantur omnes fideles, non potest unus homo in illum exercere jurisdictionem etiam in foro interno, quia jurisdictio non exercetur nisi in subditum; quamobrem ut Pontifex absolvatur à suo confessario, debet ipse eidem se sponte subjicere, ut confessarius possit in Papam, quam à Deo accepit, potestatem absolvendi exercere: ex quo liquet, confessarium non absolvere Pontificem potestate sibi delegata ab eodem, sed jure, & potestate immediatè accepta à Deo; & rursus confessarium non absolvere Pontificem ut sibi subditum, nec ut habentem jurisdictionem in illum; sed quatenus summus Pontifex vult se sponte subjicere confessario, à quo vult absolvi. Secus delegatus non potest beneficium conferre deleganti, quia cùm agat jure delegantis, censeretur delegans sibi conferre beneficium, quia quod quis per alium facit, ut principalis mandans per se ipsum facere videtur.

(o)

TITU-

TITULUS VIII.

De concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

QUia præbendæ, dignitates, & alia beneficia ecclesiastica interdum conferuntur, vel promittuntur, antequam vacent, imò & aliquando dum vacant non conferuntur, ideo congruè Pontifex superiori titulo adjicit præsentem, in quo agit non solùm de promissionibus, & concessionibus non vacantiũ beneficiorũ, verùm etiã de negligentia circa concessiones vacantium. Hinc præsens titulus est veluti quædam pars præcedentis, ut institui quispiam non possit in ea Ecclesia, quæ nondum vacat: quia sicut is dicitur improbus, qui de viventis hæreditate solicitus est *l. 2. §. interdum ff. de vul.* ita desiderium eorum sacri canones semper consueverunt improbare, qui superstitis Episcopi, vel beneficiati dignitatem, & beneficium ambirent *can. factus est can. non furem 7. q. 1.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *QUI IN VIVORUM* 1. *h. t. Gelasius Papa rescripsit ad Romanos, eum, qui voluntariè institutus est in beneficia viventis, esse deponendum, & repellendum à communione ecclesiastica, adeò ut ipso facto sit excommunicandus. Hinc liquet, non posse beneficium viventis conferri alteri ab alio ullo, qui est Papa inferior, quia beneficia secundùm antiquos canones sunt perpetua* c. satis perversus dist. 61. *Caterum de plenitudine potestatis posset Pontifex beneficia etiam viventis conferre alteri, licèt non reperiatur, quòd unquam fuerit factum sine causa. Caterum notat Glossa, quòd si quis fuerit depositus, & alius ignoranter institutus loco depositi, si post 40. annos rem sciverit, non tenetur dare beneficium ipsi deposito: quia eo ipso, quòd injustè condemnatus non appellavit, acquievit sententia, qua propterea transivit in rem judicatam* c. quoad consultationem de sent. & re judic.

C. *NULLA* 2. *h. t. Ex Concilio Lateranensi statuitur, ut nulla ecclesiastica beneficia, vel Ecclesia alicui concedantur, vel promittantur, antequam vacent, ne quis mortem proximi desideret: qua de causa expectatio futuræ successionis etiam apud gentiles prohibita fuit. Rursus si Episcopus debeat conferre, & non conferat intra sex menses, statuitur, ut collatio devolvatur ad Capitulum: & si hoc sit negligens ad Archiepiscopum. Ex quo textu liquet, potestatem conferendi beneficia gradatim devolvi ad superiores. Caterum præsens decretalis confirmatur à Concilio Tridentino ubi* sess. 24. de refor. c. 19 *sustulit omnes expectativas, immo & reservationes mentales: erat autem reservatio mentalis, quando Papa reservabat beneficium in specie, vel genere per Bullam, vel breve, ut persona grata, quam tamen non exprimebat, sed in mente retinebat, postea daretur, unde dicebatur expectativa mentalis. Notandum tamen est, per hæc jura antiqua, & nova, non ita ligari manus Papæ, quin ex gravi causa possit expectativam concedere, quia Concilium Tridentinum, ejus potestatem, & auctoritatem in omnibus voluit salvam esse. Hinc deducitur ex hoc textu, promissionem beneficii antequam vacet, non valere, neque per ipsam illam contrahi obligationem, immo neque valere talem promissionem etiam factam de consensu præbendarii. Rursus notat Glossa, tempus sex mensium currere à die scientiæ vacationis, non ab ipsa die vacationis; & habentem jus eligendi post elapsum tempus non posse amplius beneficium conferre: & id procedere etiam in episcopatibus, & Abbatiis, sed tempus esse tantùm trium mensium* c. ne pro defectu de elect.

C. *RELATUM* 3. *h. t. rescribit Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, beneficium vacans esse conferendum non obstante appellatione ab eo facta, cui beneficium promissum fuit, antequam vacaret. Ratio etiam est perspicua, quia ex tali promissione nihil juris acquiritur, & ubi promissio non tenet, nec appellatio valet: etenim ubi non tenet principale, accessorium non potest subsistere, cùm sequatur naturam principalis.*

C. *PROPOSUIT* 4. *h. t. Innocentius III. declarat, quòd si Papa mandet, ut prima vacatura prabenda cum canonicatu conferatur alicui, & assignet Executorem, qui præsentet litteras collatori, beneficium intelligatur ita affectum, ut si vacet, & alteri detur, collatio sit irritanda, & beneficium tanquam adhuc vacans sit conferendum nominato à Papa, qui utpote supra jus potest contra illud dispensare. Ex hoc textu claret, collationem factam contra mandatum Papæ esse anullandam, & per investituram non acquiri jus investito, sed Papam posse dispensare contra jus. Cùm autem Pontifex ex plenitudine potestatis dicitur esse supra jus, id intelligitur de jure positivo ecclesiastico canonico, cujus ipse Pontifex est conditor, non verò de jure divino, aut naturali. Hinc Papa non potest dispensare contra quatuor Evangelia* 14. dist. c. licut. *nec contra articulos fidei, immo nec contra statutum universalis Ecclesiæ, ut sentiunt plures* c. minor 24. q. 1.

C. QUIA

C. *QUIA* 5. *b. t. Idem Pont. ſtatuit, ut invacatione beneficii tempus ſex menſium pro collatione ejuſdem incipiat currere à die notitiæ, non à die vacationis, nec currat quando collator eſt legitimè impeditus, ut ſi ſit ſuſpenſus non obſtante confirmatione collationis facta alicui à ſede Apoſtolica in forma communi. Secus enim eſſet, ſi in forma ſpeciali: Ratio eſt, quia per confirmationem in forma communi nihil juris acquiritur. Ubi notat Gloſſa non currere hoc ſemeſtre, niſi ſuſpenſus ſit negligens in petenda abſolutione à ſuſpenſione. Dummodo præſcriptio non currat* c. non liceat de præſcript. *& id procedit, quamvis ſua culpa fuerit ſuſpenſus, neque obſtat, ſuſpenſionem regulariter infligi ob aliquam culpam, & non eſſe excuſandos qui ob ſuam culpam pœnam patiuntur* argum. l. 2. §. ult. ff. ſi quis: *quia id tantùm procedit, quando culpa ordinatur ad impediendum, non ita quando ſolùm per accidens ſe habet, ut in præſenti textu.*

C. *CUM NOSTRIS* 6. *b. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi beneficium vacet de jure, & non de facto, ut ſi dignitas conferatur Epiſcopo, & alius impetret litteras, ut ſibi eadem dignitas conferatur nulla facta mentione, quòd de facto non vacet, littera ſunt ſubrepticiæ, & nullius valoris, eò quia nullam fecerit mentionem de colorata poſſeſſione: compellitur tamen Epiſcopus relinquere dignitatem, niſi oſtendat dispenſationem. Ubi notandum eſt, quòd ſi quis ex una dignitate transferatur in aliam. Tametſi de facto utramque collationem retineat, nihilominus prima vacat de jure, & impetrans debet mentionem facere de facto illo: alioquin littera ſunt ſubrepticiæ; & per conſequens non datur jus. Ex hoc textu liquet, in beneficialibus non poſſe haberi veram poſſeſſionem ſine vero, vel juſto titulo, unde in impetratione beneficii non ſufficit ſimpliciter dicere, quòd vacet, ſi aliud ſit ſaltem in colorata poſſeſſione facti; ratio eſt, quia illud verbum* vacare *poteſt verificari tam in jure, quàm in facto: & in litteris beneficialibus utpote ambitioſis debent verba narrativa verificari omni modo, quo poſſunt tam in jure, quàm in facto, ut notat Panormitanus. Rurſus colligitur, beneficium coloratè poſſeſſum non debere alteri eripi, donec poſſeſſioni detrahatur color: ſecus tamen eſt, ſi poſſeſſio non ſit colorata, ſed evidenter injuſta, pro quo diſcernendo Panormitanus hic duas exhibet regulas, quarum prima eſt*: quòd ſi defectus poteſtatis ſit in conferente, ſed privatio beneficii ipſo jure per ſententiam juris, aut hominis non ſit ſtatuta; talis poſſeſſio eſt colorata, *& id etiam procedit, ſi conferens laboret defectu poteſtatis, & ſupercveniat confirmatio ſuperioris ratum habentis, quòd erat invalidum. Secunda regula eſt*, quando conferens non habet poteſtatem conferendi, vel ſi habet, privatio eſt inducta ipſo facto ab homine, vel à jure. *Tunc poſſeſſio beneficii non eſt colorata, ſed cenſetur evidenter injuſta. Demum quamvis nemo teneatur oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis ad petitionem partis* l cogi c. de petit. hæred. *tenetur tamen ad inſtantiam Ju-*

dicis probare talem titulum argum. c. cùm dilectus de elect.

C. *POST ELECTIONEM* 7. *b. t. Idem Pont. reſcribit, dignitatem revera non vacantem non poſſe alteri conferri, & ejus poſſeſſionem vi, qui habet beneficium, non retardari pretextu exceptionis, quòd abjuraverit, vel renunciaverit. Ubi notandum eſt, eum, qui conſenſit inſtitui in locum viventis eſſe revellendum. Rurſus notat Gloſſa, Archidiaconatum alicujus electi in Epiſcopum non dici plenè vacare, niſi ſit conſecratus* c. cum in cunctis de elect. *vel ipſe conſentiat, ut alteri conferatur.*

C. *CUM SUPER* 8. *b. t. reſcribit idem Pont. receptum in canonicum eſſe quamprimùm providendum de præbenda à recipientibus. Ubi notat Gloſſa eum, qui allegat, ſe feciſſe contra legem, ex tali lege nullum beneficium reportare: fruſtra enim implorat auxilium legis, qui contrà legem delinquit* c. quia fruſtra de uſur. *Tum quia non eſt audiendus, qui propriam turpitudinem allegat, ſicut canonici in hoc textu allegabant à ſe ipſis commiſſam violationem Concilii Lateranenſis in receptione canonici. An verò univerſim allegans propriam turpitudinem non ſit audiendus explicat Panormitanus hic* num. 9. *Cæterum receptus in canonicum debet habere beneficium.* c. relatum de præb.

C. *LITTERAS* 9. *b. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi quis habeat unam præbendam in Eccleſia, & aliam obtineat, ſi utramque retinet, prima vacat de jure, licèt non de facto. Ubi notat Gloſſa, tot eſſe canonicos inſtituendos, quot ſunt præbendæ, & conſuetudinem contrariam eſſe petiùs dicendam corruptelam. Notandum eſt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut quis in eadem Eccleſia habeat duo beneficia ſimilia, ut duos canonicatus: diſſimilia tamen ſub eadem tecto obtinere poteſt, dummodo neutrum per ſe ſit ſufficiens ad ſuſtentationem.*

C. *EX PARTE* 10. *b. t. reſcribit Idem Pont. in eccleſiis, in quibus non eſt certus numerus canonicorum, nec ſunt certæ præbendæ, non habere locum Concilium Lateranenſe, quod elapſo ſemeſtri devolvatur electio ad ſuperiorem, unde illarum Eccleſiarum ſervari debet conſuetudo. Hinc notandum eſt, canonicos eſſe inſtituendos ſecundùm facultates Eccleſiæ, & ſecundùm obſervatam conſuetudinem, ubi etiam notat Gloſſa, unum, vel duos canonicos pro defendenda Eccleſia poſſe ſe opponere toti capitulo, dummodo habeant rationabilem cauſam* c. cum in cunctis de his, quæ fiunt à majori parte. *Cæterum ex hoc textu juvat etiam obſervare, quòd quoties Papa ſcribit pro aliquo eligendo ſit ſemper reſcriptum Papæ interpretandum ſecundùm obſervatam conſuetudinem.*

C. *CONSTITUTUS* 11. *b. t. Idem Pont. reſcribit, habentem poteſtatem conferendi poſſe de jure illam dare alteri; qui ſi conferat, non poſſit poſtea primus eandem conferre. Declarat tamen Pontifex, hujusmodi licentiam non eſſe dandam cupienti fraudem facere contra jus. Notandum eſt, Epiſcopum ex cauſa poſſe delegare collationes præbendarum, eſt enim actus jurisdictionis. Rurſus conceſſionem, vel dona-*

tionem factam in fraudem juris nullius esse valoris. Rursus privilegium personale non esse trahendum ad jus commune. Notat tamen Glossa, quòd si delegatus indignum eligat possit Episcopus iterum eligere, sed non possit eidem iterum committere electionem. Demùm valere electionem factam ab Episcopo ante delegatum. Caterum prohibet Pontifex in hoc textu alius similem licentiam concedi, quia ex regul. jur. 74. in 6. *quod alicui gratiosè conceditur ab aliis non debet in exemplum trahi.*

C. *DILECTUS* 12. *h. t. rescribit idem Pont. electionem Episcopi, vel Archiepiscopi non factam in semestri, non devolvi ad alios, quia Concilium Lateranense intelligit de personatibus, & minoribus beneficiis. Ubi notat Glossa, quòd si Ecclesia cathedralis, vel regularis vacet per tres menses, electio devolvatur ad proximum superiorem* c. ne pro defect. de elect.

C. *EX TENORE* 13. *h. t. declarat Idem Pont. promissionem beneficii vacaturi non valere, ut contra statuta, seu* c. nulla c. relatum h. t. *ubi notat Glossa, allegantem suam turpitudinem, audiri, si adsit periculum animæ. Rursus in excipiendo posse aliquem suam turpitudinem allegare* ff. de condit. ob turp. caus. per tot.

C. *ACCEDENS* 14. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si Prælatus promittat providere de beneficio quando poterit, teneatur providere, eò quia tunc promissio non fit de beneficio vacaturo. Notandum tamen est quòd hodie jure novo hæc decretalis est correcta per* c. 2. h. t. in 6. *ubi Bonifacius VIII. declarat promissionem de beneficio, cùm se facultas obtulerit, non valere.*

C. *POSTULASTIS* 15. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si collatio pertineat ad Capitulum, & Episcopum, ut Episcopum, si intra sex menses non fiat, devolvitur ad superiores, quòd si Episcopus non ingrediatur, ut Episcopus, sed ut canonicus; devolvitur tunc ad ipsum Episcopum, nisi dolosè id impediat.*

C. *CUM DILECTA* 16. *h. t. Honorius III. rescribit Episcopo Cameracensi, Patronum non posse promittere se præsentaturum aliquem ad beneficia vacatura, nec dare posse hanc potestatem præsentandi alteri, & si id fiat, sit nullum. Hinc desumitur regula pro omnibus Patronis Ecclesiarum: quòd sicut collator non potest promittere beneficium vacaturum, nec dare potestatem, ut alicui conferatur antequàm vacet, ita nec patronus potest alicui [illegible]ere præsentationem ad beneficium, quod [illegible]dum vacat, nec dare cuiquam potestatem suo nomine promittendi hanc præsentationem, aut ipso facto præsentandi ad aliquod beneficium antequam vacet, est enim utrinque par ratio, & periculum optandæ, & captandæ alienæ mortis. Caterum potest Patronus alicui dare potestatem in genere, vel specie, vel etiam ad omnia beneficia sui juris patronatus vel ad certas personas idoneas præsentandi cùm primùm vacaverit non ante.*

IN SEXTO.

C. *QUIA* 1. *h. t. Innocentius IV. declarat, quòd si mandetur provideri alicui de dignitate vacatura, quam duxerit acceptanda, & dignitas vacet, quàm ante acceptationem ordinus conferat, teneat collatio, tametsi executor impetrantis fecerit reservationem, inhibitionem, & processum super prima vacatura. Ratio est, quia per mandatum non privatur Ordinarius potestate conferendi, nisi post acceptionem, ante quam nihil executor potest. Hinc colligitur generalis regula, quòd* privilegium, vel gratia non sit perfecta, nec habeat vires, donec is, cui conceditur, certior fiat, & illam acceptet. *hodie tamen stylus curiæ per clausulam apponit terminum acceptandi.*

C. *DETESTANDA* 2. *h. t. Bonifacius VIII. declarat, promissionē de beneficio cōferēdo cùm se facultas obtulerit, non valere, ac esse revocandam: eò quia promissio, quæ directè, vel indirectè est contra Concilium Lateranense, non valet, quia desideratur mors alicujus. Ubi notat Glossa, abusum esse causam cassandi ea, quæ sunt licita.*

C. *NE CAPTANDÆ* 3. *h. t. Idem Pontifex statuit, ut qui à sede Apostolica habet litteras super beneficio, dignitate, vel prebenda, quam duxerit acceptandam, debeat acceptare primum beneficium, quod vacat, vel ex causa secundum, vel tertium, nec possit determinare acceptare aliquid non vacans, & declarat irritum, quidquid fiat super non vacans, quòd si non vacet, possit Ordinarius conferre cui libuerit. Ex quo textu liquet, nunquam per quamcunque gratiam licitum esse acceptare beneficium certum antequam vacet, quando gratia est de beneficio primo vacante: tunc enim jus est tantùm ad beneficium, quod primò erit vacaturum. Non verò ad aliud, quod secundò vel tertiò nisi ex rationabili causa id exprimatur.*

C. *EXECUTOR* 4. *h. t. declarat idem Pont. quòd Executor super provisione alicujus de vacatura non potest per generales literas inhibere ordinariis generaliter, ne procedant ad collationem beneficiorum donec illi pro quo scribitur provideatur, nisi expressè id habeat in mandatis. Potest tamē specialiter pro primo, vel secundo, vel tertio vacaturo inhibere, si id habeat in mandatis, & quidquid contra factum est nullius est valoris. Quæ omnia sunt intellectu facilia.*

C. *SI CAPITULO* 5. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si Capitulo ecclesiæ ad quod canonicatuum vel prebendarum collatio pertinet, scribatur, ut aliquem in canonicum recipiat, ac eidem de prebenda vacante provideat, licèt Executor id non intimaverit, ei nihilominus beneficium jam sit affectum, & si vacet, Capitulum non potest alteri conferre: immo si post admonitionem Executoris intra certum tempus ei non conferatur, in cujus favorem Pontifex scripsit, possit Executor exequi, & illi conferre beneficium vacans etiam sine Capitulo. Ex quo textu liquet, per solam præsentationem litterarum Apostolicarum de providendo, Ordinario collatori factam, adimi ei facultatem providendi alteri: immo notat Glossa quòd si non possint litteræ Capitulo præsentari habeantur pro præsentatis.*

C. SI

C. SI SOLI 6. h.t. *statuitur, quòd si mandatum dirigatur soli Episcopo, vel Episcopo, & Executori simul, vel soli Executori, ut alicui faciat provideri de beneficio in certa Ecclesia; per solam præsentationem litterarum non auferatur Ordinario potestas conferendi. quia collatio facta alteri tenet, licèt Ordinarius, si non obediat, sit puniendus. Sin verò in mandato ponatur, irritum esse quidquid sit contra ipsum, & executor per interpositionè decreti Ordinario interdicat, ne alteri conferat, vel si is pro quo scribitur ex vi mandati jam receptus expectet præbendam, non possit tunc Ordinarius eam alteri conferre, & si conferat, collatio est nulla.*

C. AUTHORITATE 7. h.t. *rescribit idem Pont. quòd si Papa precedens det expectativam primæ vacaturæ alicui; & sequens Papa similem det secundo, deinde tertio, in cujus litteris ponat, ut præferatur provisis à prædecessore Pontifice non à se, tunc prima præbenda sit danda secundo, & secunda, vel tertia primo, perinde ac in successione adoptati ab intestato.*

C. QUONIAM 8. h.t. *Idem Pont. declarat, quòd si Papa revocet gratias, & expectativas, intelligatur includere canonicos receptos expectantes distinctam præbendam, tametsi perciperent distributiones quotidianas: immo intelligitur includere etiam habentes jus ad vacatura beneficia, si nondum fuit facta collatio, seu non habeant jus in re: sed id non extenditur ad canonicos receptos ultra numerum, qui tanquam de numero per mortem aliorum non expectant nisi augmentum distributionum, seu partium suarum.*

IN CLEMENTINIS.

C. CUM EI h.t. *Clemens V. in Concilio Vienensi declarat, mandatum Papæ conditionale non afficere potestatem Ordinarii, vel alterius collatoris ante expletam conditionem, etiam adjecta conditione irritante: ut si Papa mandet Episcopo, ut provideat alicui de beneficio centum aureorum, vel valoris minoris, si clericus voluit acceptare, & fuit idoneus: si Episcopus conferat alteri beneficium taxatis valoris antequam reperiatur idoneus, collatio tenet. Sin verò apposuit, ut intra mensem possit acceptare cum decreto irritante infra mensem collatio non tenet. Rursus intelligitur acceptare quando petit per suum executorem sibi conferri, vel præsens recipit. Quòd si moretur in loco ubi Ecclesia vacat, dicitur habere notitiam vacationis, & sic incipit currere mensis, quòd si nesciat vacationem debet sibi imputare. Ex quo textu liquet, quòd si mandatum Papæ de conferendo alicui beneficium vacabile, vel vacaturum, non contineat decretum irritans; si Episcopus contra mandatum Papæ alteri conferat, collatio teneat. Rursus in hoc casu non currere tempus impetranti à die suæ scientiæ, sed à die notæ vacationis in loco beneficii. Notat tamen Barbosa hic* num. 11. *quòd si apponatur clausula* motu proprio *non currit nisi à die suæ scientiæ.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. SEDES APOSTOLICA 1. h.t. *Gelasius Papa declarat, quòd si littera Apostolicæ continentes gratiam, vel justitiam dentur alicui pro aliqua diœcesi, si illa dividatur in plures, litteræ debeant executionem habere in illis pluribus.*

C. AD APOSTOLATUS 2. h.t. *declaratur, quòd quando Papa dividit Episcopatum, non præjudicat juribus Ecclesiæ, vel personarum ecclesiasticarum, vel officialium, nisi prout in litteris exprimitur, adeò ut Capitulum, Archidiaconus, & alii officiales possint exercere sua officia ut priùs. Ubi notat Glossa Principem per factum suum non intendere derogare juri alterius, nisi id specialiter exprimat* c. super eo de offic. deleg.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo beneficia conferenda sint.

1 HActenus diximus de præbendis, dignitatibus, ac beneficiis ecclesiasticis, déque modis ea conferendi, ac instituendi; quia verò nonnunquam contingit beneficia conferri, vel promitti antequam vacent; & interdum etiam non conferri cùm vacant, adeout beneficia diu maneant vacantia; ideo præsens subjicitur titulus, in quo agitur de promissionibus, ac concessionibus beneficiorum non vacantium; ut etiam de negligentia conferendi beneficia vacantia. Habetur hic Titulus etiam in sexto, in Clementinis, & in extravagantibus Joannis XXII. Tunc dicitur beneficium vacare, quando caret omni possessore; perinde ac locus dicitur vacuus, ac vacare, quando nullo repletur corpore, cum soleat eo repleri: Unde per mortem beneficiarii dicitur vacare beneficium, quia hoc non extinguitur per obitum beneficiarii; sed tunc à nemine possidetur, proinde dicitur vacare: secus pensio ecclesiastica per mortem pensionarii non dicitur vacare, quia extinguitur, ac cessat; perinde ac ususfructus per mortem usufructuarii cessat, ac finitur.

2 Regula generalis in hoc titulo est; beneficia nondum vacantia concedi, aut promitti alteri non debere; idque probant plures textus in jure *c. Audivimus 3. q. 2. c. 19. dist. c. deliberationem §. probibemus de offic. leg. in 6. c. 2 h.t. c. illud de jure patronat. cap. venerabili §. finali*

de prebend. c. bona 36. de elect. Concilium Frisingense anno 1440. can. 8. *Ne per receptionem canonicorum prabendis non vacantibus aliena mortis votum turpiter ingeratur; statuimus ut de cætero nullus recipiatur in canonicum Ecclesiæ nostræ cathedralis, nisi vacaverit prabenda.* Concil. Lateranense citatum *in cap. Nulla 2. h. t.* ubi vetantur concedi, vel tribui ecclesiastica beneficia antequam vacent, ne mors proximi desideretur; quia expectatio futuræ successionis etiam apud gentiles prohibita fuit: ubi etiam assignatur ratio: quia nimirum collatio beneficii nondum vacantis, vel ejus promissio votum inducit captandæ alienæ mortis *c. 2. c. ne captanda 3. h. t. in 6.* ubi qui à sede apostolica obtinuit litteras super beneficio, dignitate, vel præbenda, quam duxerit acceptandam, debet priùs probare, quòd vacet, & non potest determinare acceptare aliquid non vacans; & quidquid factum sit super non vacans est irritum: & cùm vacat ordinarius potest illud, cui maluerit conferre. Hinc etiam jure civili pacta futuræ successionis tanquam nefariæ spei improbantur *l. ult. C. de pact. l. de fideicommiss. C. de transact. l. 2. §. ult. ff. de his quibus, ut indig.* unde etiam tractatus deliberativus de futura electione non valet, antequam beneficium vacet *c. bona 36. de elect. c. nullus 79. dist.*

8 Probari id etiam potest, quia sicut in matrimonio mulier prohibetur plures habere viros; ita Ecclesia plures Prælatos *c. sicut 1. q. 1. c. cùm non ignores 15. de de prabend.* Tum quia sicut non potest quis eam habere uxorem, quam vivente ejus marito superinduxit *c. penult. de eo qui duxit in matrim. quam polluit*, ita neque clericus eam Ecclesiam, quam alius adhuc vivens possidet. Tum quia sicut obligatio realis non consistit in re aliena *l. 2. l. aliena 20. ff. de pignor. act. l. 1. ff. de pignor.* ita neque beneficium viventis dari, aut efficaciter promitti potest. Ex hac prohibitione in utroque jure canonico, & civili duæ oriuntur regulæ cancellariæ; quarum prima est contra impetrantes beneficia viventium, estque in ordine 21. quâ cavetur, ut si quis impetraverit rescriptum pro obtinendo beneficio tanquam per obitum alicujus, tunc viventis, vacante; tametsi postea per obitum revera vacet, provisio facta virtute talis rescripti nullum sortiatur valorem, ut notat Petrus Gregorius *de benefic. c. 32. n. 2.*

4 Secunda regula, quæ in ordine est 30. est de vero simili notitia, quâ habetur, impetrationem beneficii vacantis per obitum nullam esse, nisi congruum effluxerit tempus, intra quod vero similis notitia obitus ad summum Pontificem potuerit pervenire. Hinc *in præsenti tit.* prohibentur beneficia nondum vacantia conferri, aut promitti; quod anteactis temporibus pluribus Ecclesiæ legibus etiam fuerat prohibitum, ut fusè probat Antonius Augustinus *in epith. lib. 4. tit. 24.* quinimo qui in locum viventis se institui pateretur, is privatione communionis, depositione, aliisque pœnis puniebatur *c. in primis 2. q. 1. c. audivimus 3. q. 2. c. non furem 7. q. 1. c. qui in vivorum 1. h. t.* ubi Gelasius Papa instituit, eum esse deponendum, & depellendum à communione ecclesiastica, qui voluntariè institutus est in beneficio viventis. Ex quibus liquet, beneficia nondum vacantia aliis conferri, vel promitti non posse; ut nec juramento talis promissio firmari possit. Nec consuetudo etiam immemorialis contrarium valeat introducere, ut probat Garcia *de benefic. p. 10. c. 1. num. 4.* ubi addit, nec patronum posse præsentare ad beneficium vacaturum antequam vacet, nec fieri posse promissionem obligatoriam ad beneficium vacaturum *c. fin. de conces. prab.* Lambertinus *de jure patronat. 1. p. lib. quæst. 6. articul. 1.*

5 Videtur tamen in contrarium obstare, quia si beneficia nondum vacantia conferri, aut promitti non possent, sequeretur, quòd Episcopi non possent beneficia viventibus eorum possessoribus unire alteri Ecclesiæ, vel collegio, atqui id posse liquet *ex c. consultationibus de donat. c. cum venissent*, & ibi Glossa *V. retinebat. de restit. spol. clement. unic. de reb. eccles.* ergo beneficia tametsi nondum vacent, adhuc possunt conferri, vel saltem promitti, quia eadem ratio militat, si beneficium viventis conferatur, ac si beneficium promittatur, cùm facultas se obtulerit, ut liquet *ex c. accedens 14. h. t.* ubi habetur, quòd si Prælatus promittat providere de beneficio, quando poterit, tenetur providere, eò quia hæc promissio non sit de beneficio vacaturo, ergo beneficium nondum vacans promitti potest.

6 Tum quia ideo beneficium nondum vacans promitti non potest expressè, nec etiam tacitè, quia utroque modo datur occasio optandæ mortis alienæ, atqui tacitè beneficium nondum vacans promitti potest, quando quis recipitur in canonicum absque præbenda, tunc enim præcisè præbenda proximè vacatura est ipsi conferenda *c. cùm M. de constit. c. Prælatum c. si postquam 13. de prabend. in 6.* ubi dicitur, quod quando Papa confert canonicatum alicui, & mandat provideri de præbenda primò vacatura, & nulli alii de jure debita, si canonici ignorantes mandatum conferant præbendam primò vacaturam alteri etiam ignoranti mandatum, collatio non tenet: quia canonicus factus authoritate apostolica habuit jam jus ad primam præbendam, quam justè potest petere, nec potest alteri conferri licèt ignoranti mandatum; unde jus ad canonicatum includit etiam jus ad præbendam, proinde promotus ad canonicatum eo ipso promovetur ad recipiendam præbendam proximè vacaturam, proinde facilè potest habere votum captandæ mortis alienæ, & tamen hoc non obstante receptio in canonicum sine præbenda sub spe futuræ vacationis est licita: ergo beneficium nondum vacans videtur posse promitti. Tum quia *in c. licèt 2. de præbend. in 6.* habetur, quòd validè, & licitè possint beneficia vacatura promitti.

7 Verùm hæc non obstant, quia tametsi Episcopi non possint beneficia nondum vacantia promittere, possunt nihilominus ea unire loco pio, vel monasterio, ut liquet *ex præcit. c. cùm venissent, c. consultationibus*: & ratio est, quia tunc occasio optandæ mortis alienæ cessat, ne-

gligitur

gligitur enim quod communiter poſſidetur *l.2. c. quando & quibus quarta pars.* Tum quia quod datur toti communitati, ſeu collegio, nemini datur *c. Epiſcopus §. qui manumittitur 12. q. 2.* ut etiam docuit Garcia *de benefic. p. 10. c. 1. num. 29.* ubi putat, poſſe fieri unionem de beneficio viventis non ſolùm collegio, vel capitulo, ſed etiam dignitati, aut beneficio alicujus perſonæ particularis, in qua licèt videatur poſſe cadere votum captandæ mortis alienæ; nihilominus in unione, in qua conceſſio non fit ipſi particulari perſonæ, ſed ejus dignitati, vel beneficio, non conſideratur hæc ratio. Tum quia per unionem non fit viventi præjudicium, ſicut per impetrationem.

8 Ad id quod addebatur, quòd militet eadem ratio ſi beneficium viventis conferatur, vel promittatur, quando facultas ſe obtulerit, reſpondetur, quòd licèt inferiores Prælati non poſſint expreſsè promittere beneficia nondum vacantia; poſſunt nihilominus canonicos recipere in fratres, tametſi illis perconſequens debeatur præbenda proximè vacatura: & ratio eſt, quia prohibitio præſentis textûs habet tantùm locum in promiſſionibus factis ab homine, non verò à jure, & in hoc ſenſu explicantur præcitati textus. Neque obſtat textus, qui deſumitur *ex c. accedens 14. h. t.* quia talis textus, qui erat de jure antiquo fuit poſtea correctus à Bonifacio VIII. *in c. deteſtanda 2. h. t. in 6.* ubi expreſsè dicitur, quòd promiſſio de beneficio cùm ſe facultas obtulerit non valeat, ſicut non valet quæcunque promiſſio, quæ directè, vel indirectè eſt contra Concilium Lateranenſe: quia inde datur occaſio optandæ mortis alienæ. Præterea non deſunt, qui reſpondeant, quòd licèt beneficium viventis promitti non poſſit; nihilominus generaliter, & indiſtinctè dicunt beneficiū poſſe promitti, cùm primùm occaſio collationis ſe obtulerit, quia tunc præcisè non exſpectatur alicujus particularis perſonæ mors, cùm poſſit beneficium pluribus aliis modis vacare.

9 Ad aliud de promiſſione tacita etiam claret reſponſio, nimirum poſſe beneficium nondum vacans tacitè promitti tantùm indiſtinctè, & generatim; ſcilicet aliquod beneficium, quodcunque illud fuerit, non verò beneficium talis particularis clerici, quia tunc ceſſat occaſio optandæ mortis alienæ: quo pacto promittitur etiam præbenda, quando quis recipitur in canonicum ſine præbenda, quia canonicus cùm exſpectet præbendam proximè vacaturam indeterminatè, tollitur illi occaſio optandi alteri ſpeciali canonico mortem: eodem pacto reſpondetur ad alios textus, qui citantur in contrarium. Cæterum collatio beneficii nondum vacantis eſt irrita, quia beneficium uni collatum non poteſt eo vivente alteri conferri, quia duo ſimul non poſſunt habere idem beneficium *c. tua 20. de præbend.* Tum quia beneficiatus ſine juſta cauſa non eſt privandus ſuo beneficio, cùm beneficia eccleſiaſtica concedantur in perpetuum.

10 Id tamen non procedit in Romano Pontifice, quia hic propter ejus ſupremam authoritatem, ac pleniſſimam in beneficialibus diſtributionem poteſt beneficia nondum vacantia promittere, & in illis jus expectativæ conferre *c. eam te 7. c. conſtitutus 19. c. mandatum 38. c. litteris 39.* Quinimò ſummus Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt etiam beneficium litigioſum, quod conferri non poteſt *ex c. 2. ut lite pendente in 6.* conferre utiliter cui maluerit *clement. 1. in fin. eod. tit.* & licèt beneficium ex ſua natura exigat conferri in perpetuum *c. ſanctorum 70. diſt. c. unic. de capell. monach. in 6.* poteſt tamen ſummus Pontifex ad tempus beneficia conferre *c. ſi gratioſè de reſcript. in 6.* Petrus Gregorius *lib. 1. de reſcript. c. 6.* & alii Canoniſtæ communiter, idque ob plenitudinem poteſtatis in omnia beneficia eccleſiaſtica. Nihilominus quia æquius eſt, ut ſummus Pontifex non imperio tantùm, ſed etiam exemplo cæteros Epiſcopos in officio contineat, eòsque exemplo fortiùs, quàm verbo doceat, non ſolet ſummus Pontifex uti tali poteſtate in cauſis beneficialibus, ut docetur *in c. 2. de præbend. in 6.* quia ſummus Pontifex non pro libito ſuæ voluntatis, ſed ſecundùm juſtitiam, & æquitatem exercet poteſtatem in cauſis beneficialibus *argum. l. 14. tit. 2. p. 2.* & faciunt textus *in l. venditor §. 1. ff. commun. prædior. l. 2. & ult. C. ex quibus cauſis ſervand.*

Quamobrem licèt Pontifex poſſet de plenitudine poteſtatis conferre beneficia nondum vacantia, nunquam tamen reperitur id feciſſe absque juſta, & gravi cauſa, ut notat Abbas *in c. nulla 2. h. t. num. 3.* Cæterum qui ſcienter occupavit beneficium viventis nondum vacans non poteſt poſtea illud beneficium obtinere absque diſpenſatione Pontificis, perinde, ac ille qui vivente marito contraxit cum aliqua matrimonium de facto, non poteſt poſtea etiam mortuo marito eam ducere in uxorem *c. fin. de eo qui duxit in matrim.* Qui verò ſcienter ſe permiſit inſtitui in beneficio nondum vacante, ſi poſtea illud vacans impetraverit à Papa, & non fecerit mentionem ſuæ intruſionis, ac illegitimæ inſtitutionis, ratione cujus factus eſt inhabilis ad illud beneficium obtinendum, tunc collatio etiam à Papa facta eſt irrita, quia ſubreptitia: ſiquidem ſi Papa id ſciviſſet, minimè eidem beneficium contuliſſet, vel ſaltem non tam facilè *arg. c. ſuper litteris 20. & c. poſtulaſti 27. de reſcript.* Si dicas, beneficium promiſſum cum juramento eſſe conferendum cùm primùm vacaverit, eò quia non ſit juramentum violandum. Contra eſt, quia promiſſio beneficii vacaturi, etiamſi fuerit per ſcripturam, vel juramentum firmata non valet: ratio eſt, quia actus ex ſe nullus, regulariter per ſcripturam, aut juramentum non fit validus, ſiquidem contra legem emanantem principaliter in commodum publicum non valet juramentum, nec poteſt quis ſe obligare.

11

Quando verò dicitur beneficium nondum vacans non poſſe promitti, id extenditur etiam ad beneficium, poſtquam vacat, adeo ut conferri poſſit alteri non obſtante appellatione illius, cui promiſſum fuerat, antequam vacaret, ut deſumitur *ex c. relatum 3. h. t.* ubi Alexander III. decrevit, beneficium vacans eſſe conferendum non obſtante appellatione facta ab eo, cui bene-

12

ficium fuerat promissũ, antequam vacaret, quia ubi non tenet promissio, neque appellatio est valida: accessorium enim sequitur naturam sui principalis, quod si sit nullum, etiam accessorium est nullum: & promissio beneficii vacaturi ab initio ipso jure fuit irrita, proinde etiam appellatio facta ab eo, cui promissum fuerat beneficium vacaturum: neque promissio per solam subsequentem vacationem beneficii potest fieri valida, quia juxta regulam juris, quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *l. 29. ff. de R. J.* unde cùm ex tali promissione nullum jus acquisitum sit promissario, ideo non potest hic contra collationem beneficii factam alteri personæ idoneæ appellare *l. 1. ff. de appellat. recip.* Tum quia appellatio illegitima non impedit jus conferendi liberè beneficia, ut notat Abbas *in d. c. relatum 3. h. t. num. 2. & 3.* Immo extenditur etiam, quòd non possit Episcopus, vel alius Prælatus, ad quem pertinet jus conferendi beneficia, delegare, vel concedere alicui potestatem conferendi beneficia proximè vacatura, tametsi possit alteri delegare potestatem conferendi beneficia, postquam vacaverint, idque desumitur *ex c. constitutus 11. h. t.* ubi habetur, quòd habens potestatem conferendi possit de jure illã dare alteri; qui si confert præbendã, non potest primo eandẽ conferre, & cùm Episcopus Laudunensis Henrico canonico concessisset potestatem conferendi in illa Ecclesia præbendam proximè vacaturam, Innocentius III. authoritate apostolica voluit, ut canonicè illi conferretur, alioquin collatio non fuisset valida.

13 Excipitur tamen Episcopus in ordine ad suum Vicarium generalem, quia potest eidem committere facultatem conferendi beneficia vacatura in genere, & indeterminatè, licèt non in specie, & determinatè, sive respectu certi beneficii, sive respectu certæ personæ, ut notat Layman *in c. 3. num. 3. de offic. Vicarii in 6.* Hinc Episcopus licèt in genere possit delegare administrationem rerum suarum, non ita in specie, quia id posset esse in fraudem constitutionis Concilii Lateranensis *in d. c. constitutus 11 h. t.* ubi habetur, quòd talis facultas non sit danda volenti fraudem facere contra jus, quia concessio, vel donatio facta in fraudem juris non valet, nec privilegium personale trahi debet ad jus commune.

14 Juvat observare, quòd de jure novo decretalium, quæcunque promissio de beneficio conferendo cum clausula *cùm potero, vel cùm se facultas, seu occasio obtulerit*, vel per aliam similem, per quam directè, vel indirectè via aperitur ad beneficia vacatura, est prohibita, & invalida, prout statuit Bonifacius VIII. *in c. detestanda 2. h. t. in 6.* ubi derogavit antiquo juri, quod habetur *in c. accedens 14. h. t.* quia quando prohibitio respicit certum finem, censetur tunc prohibita quælibet via, per quam directè, vel indirectè ad illum finem prohibitum potest perveniri, & quia Concilium Lateranense *in c. detestanda 1. h. t. in 6.* absolutè prohibuit, ne beneficia vacatura promittantur ad tollendam occasionem optandæ alienæ mortis, ideo omnes promissiones eò tendentes sub quovis modo, aut forma verborum omnino reprobantur. Non tamen hæc constitutio se extendit ad præterita, quia tantùm est correctoria, non verò juris veteris declaratoria.

15 Quòd si beneficium uni collatum postea alteri conferatur, hæc secunda collatio est irrita, quinimmo, si quis tale beneficium scienter recipiat, sive in eo se institui permittat, inhabilis fit ad illud postea sine dispensatione obtinendum, ut liquet *ex c. post electionem 7. h. t.* ubi Romanus se permisit institui in Archidiaconatu credens, Capitulum habere potestatem conferendi jure devolutionis; & nihilominus Papa perpetuum silentium ipsi indicit. Quòd si quis per ignorantiam à legitimo collatore accipiat beneficium non vacans, tunc potest petere ab eodem, ut sibi quodcunque beneficium vacans conferat, ut tradit Glossa *in c. præsentium 3. V. in alia caus. 7. q. 1.*

16 Quinimmo sicut collatio beneficii non vacantis non potest promitti, neque facultas alicui concedi illud conferendi; ita nec habens jus patronatûs potest promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum, neque dare potestatem alteri in specie, ut præsentet ad certum beneficium, quando vacabit, & si id præstet, præsentatio non valet, ut declaratur ab Honorio III. *in c. cùm delicta ult. h. t.* ubi habetur, quòd patronus non possit promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficia vacatura, nec potestatem dare alteri, ut præsentet, & si id faciat, non tenet: siquidem est eadem ratio, quæ de collatione, quia utrinque subest idem periculum optandi alienam mortem. Potest tamen patronus præsertim laicus generatim alicui tanquam Procuratori suo committere facultatem præsentandi ad beneficia, si vacaverint, maximè si patronus debeat peregrè proficisci, sitque diu abfuturus, quia jure communi cuilibet est permissum constituere generalem suorum bonorum Procuratorem *l. 1. ff. de procurat.*

§. II.

Quónam tempore beneficia vacantia sint conferenda, & fiat juris devolutio.

1 EX hactenus dictis liquet, beneficia tunc tantùm conferri posse, cùm vacant, & non ante; eò quia beneficii non vacantis collatio, tanquam continens votum alienæ mortis captandæ, est ipso jure irrita, quia contra bonos mores *l. ult. de pactis*, adeout si quis impetret scienter, vel se patiatur in beneficium viventis institui, arceatur ab ecclesiastica communione, ac deponatur, seu spolietur sacris ordinibus, quibus initiatus fuerat *c. qui in vivorum 1. h. t.* ubi Gelasius Papa statuit, ut voluntariè institutus in beneficio viventis sit deponendus, ac depellendus à communione ecclesiastica: & S. Gregorius *in c. cum qui 40. caus. 7. q. 1.* ait: *eum, quia contra justitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusdem Archidiaconatus honore deponimus: qui si alterius*

terim in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacra noverit esse privatum. Imò est etiam eo mortuo inhabilis ad illud beneficium consequendum sine special. dispensatione summi Pontificis.

1 Quæ tamen pœna incurritur tantùm ab eo, qui scienter passus est se institui in beneficio viventis, non verò qui ignoranter, ut notat Glossa *in c. & in primis V. repellatur.* Neque incurritur ab eo, qui in beneficio succedit viventi possessori justa ex causa depositio, ut notat Glossa *in c. & si 1. h.t.* Quòd si non patiatur se institui, sed tantùm promissionem beneficii non vacantis acceptet, nullum jus ad beneficium acquirit, quia canon prohibet etiam promitti beneficia non vacantia, ut liquet *ex c. ex tenore 13. h.t.* ubi dicitur, quòd promissio beneficii vacaturi non valeat utpote contra statuta, scilicet contra *c. nulla,* & contra *c. relatum 3. h.t.* & Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 10. de refor.*

2 Hinc tunc tantùm conferri debent beneficia, quando vacant ab eo, ad quem spectat provisio, & quidem intra sex menses, ut statuitur *in c. nulla 2. h.t.* ex Concilio Lateranensi, ubi habetur quòd ecclesiastica ministeria, & beneficia non debeant tribui nec promitti antequam vacent, ne mors proximi desideretur: quia expectatio futuræ successionis etiam apud gentiles fuit prohibita: debent autè beneficia vacantia conferri intra sex menses ut habetur *in eod. cap. nulla:* siquidem diuturna vacatio beneficiorum, ac officiorum plurimum adfert ecclesiis damni, non absque animarum detrimento, ut habetur *in c. quàm sit 6. de elect. in 6.* ubi habetur, quòd electus teneatur intra tres menses post consensum petere confirmationem, adeo ut si absque causa eam neglexerit petere, amittat jus. Hoc autem procedit non solùm in electione ad dignitates, & beneficia, sed etiam in collatione, prout definitur *ex c. dilectus 12. h.t.* & tradit Garcia *p. 7. de benefic. c. 2. num. 2. & 5.* ubi citat Abbatem *in c. dilectus h.t. num. 2.* & excipit cathedralem, & regularem Ecclesiam, quæ ob majus periculum impendens ultra tres menses Prælato vacare non debet *c. postquam 50 dist. c. abeuntibus 63. dist. c. ne pro defectu de elect.*

Id tamen in ecclesiis cathedralibus intelli- 4
gitur solùm respectu principalis Prælati, seu Episcopi, & in regularibus in quibuscunque eorum Prælatis principalibus perpetuis quocunque nomine nuncupentur sive Abbates, sive præpositi. In aliis verò prælaturis, ac dignitatibus, & beneficiis Ecclesiarum sæcularium, in quibuslibet cathedralibus, & aliis ecclesiis, tam sæcularibus, quàm regularibus constitutis habet locum semestre, ut docent Abbas *in d. c. ne pro defectu.* Rebuffus *tit. de devolut. num. 4.* & *in concordatis tit. de regia ad Prælaturas nominatione §. 1. V. intra sex menses,* & communiter canonistæ. Procedit etiam hoc semestre in præsentatione, nisi sint patroni laici tantùm, qui solùm habent quadrimestre ad præsentandum *c. unic. §. verùm de jure patronatus in 6.* Ut etiam in provisione parochialium etiam stante Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. c. 18.* quando collatio ad episcopos pertinet, ut notat Garzia *l. c. n. 7.* licèt quando collatio ad Papam spectat, vel alios, debeant hi infra quatuor menses personam magis idoneam prævio concursu eligere, & electam illis significare.

Immo procedit etiam hoc tempus semestre vacationis in hospitalibus, quæ conferuntur in 5
titulum beneficii, & licèt Federicus *de permutat. q. 29.* Sorba *de benefic. 3. p. q. 64. num. 3.* Gambara *in c. nunc. de rerum permut. in 6. num. 137.* Zerola *in prax. episcopali p. 1. V. beneficium §. 3.* & alii asserant, non esse tempus statutum ad conferenda hospitalia; id intelligitur de hospitalibus, quæ non conferuntur in titulum beneficii ecclesiastici, ut docet Rebuffus *loc. cit. V intrà sex menses.* Immo procedit etiam in habente à Papa indultum conferendi beneficia reservata, licèt talis provideat virtute indulti, alioquin provisio devolvitur ad Papam, ut notat Cassadorus *decis. 8. de prabend.* & Mandos. *de signatura gratiæ tit. de provis. V. in beneficiis reservatis.* Non ita in Executore Papæ, quia hic fungitur vice Papæ, ut notat Sorba *de benefic. 3. p. q. 64.* Papæ enim nullus est terminus præfixus, adeo ut Mandos. *regula 34 de annal. q. 90. n. 5.* meritò reprehendat Paulum de Cittadinis *de jure patron. 6. p. art. 3. q. 26. num. 44.* ubi asserit, Papam etiam habere sex menses.

Non tamen hoc semestre à jure concessum, 6
ut præfixum ad conferendum beneficium currit im; edito neque ignoranti vacationem; quapropter tempus hoc numerari debet non à puncto, quo vacavit beneficium, sed à tempore quo collator habuit notitiam vacationis ut statuitur *in c. quia diversitatem 5. h.t.* ubi habetur: quòd in vacatione beneficii tempus sex mensium pro collatione incipiat à die notitiæ, non à die vacationis; neque currat, quando collator est legitimè impeditus: ut si sit suspensus, non obstante confirmatione collationis alicui à sede apostolica facta in forma communi; secus in formâ speciali: quia per confirmationem in formâ communi nil juris acquiritur, ut nec etiam per intrusionem; dicitur intrusus propriè, qui sine authoritate superioris, ad quem pertinet collatio, beneficium obtinuit, ut liquet *ex. d. c. quia diversitatem,* & notat Abbas *hic num. 2.* adeoue compelli possit ad resignandum beneficium, in quod se propria authoritate intrusit.

Neque tempus hoc semestre currit justè im- 7
pedito, sive sit impedimentum juris, sive facti, ut liquet *ex d. c.* ubi ponitur exemplum de impedimento juris in Archiepiscopo, qui erat suspensus ab officio, & jurisdictione, & nihilominus poterat conferre beneficia: & de impedimento facti habetur exemplum in suspenso, qui post absolutionem adhuc manet apud sedem apostolicam, vel ab illa recedit, tunc enim tempus semestre illi non currit ob impedimentum facti, ut notat Abbas *in d. c. num. 3.* & ratio etiam assignatur in textu, quia hoc semestre ad conferendum beneficium fuit statutum contra negligentes, & qui justè sunt impediti, non possunt negligentiæ redargui, proinde tempus illis non currit durante impedimento.

Hinc neque hoc semestre currit à tempore 8
vaca-

tionis beneficii, sed tantùm à die notitiæ vacationis ejusdem: siquidem, qui ignorat beneficium vacare, non dicitur negligens in ordine ad illud conferendum, nec illi potest verti vitio, aut culpæ, si beneficium non conferat, siquidem qui nescit, non habet potestatem experiendi, ut dicitur *in l. annus 6. in fin. ff. de calumniat.* Hinc etiam probabiliter ignoranti vacationem beneficii non currit hoc tempus semestre, si tempus hoc sit præfixum in odium negligentiæ: alioquin si præfixum foret ob merum favorem alterius, curreret etiam justè impedito, vel ignoranti, quia cui fit favor, non debet privari favore ob alterius ignorantiam, vel impedimentum.

9 Rursus neque semestre hoc currit impedito quamvis ob culpam propriam in tale impedimentum, seu censuram suspensionis incidisset, dummodo culpa non fuerit causa proxima, & immediata impedimenti, sed tantùm remota, & mediata, ut desumitur *ex d.c. quia diversitatem §. h.t.* ubi quòd Archiepiscopus non potuerit intra semestre conferre beneficia, id non oriebatur immediatè ex culpa præcedente, ob quam suspensus fuit, sed ex pœna, seu ex ipsa sententia suspensionis, quæ fuit immediata causa hujus impedimenti, quod proinde non fuit ipsi imputatum ad culpam, quia afflicto non est addenda afflictio, neque debet quis duplici pœna affici: secus dicendum esset, si culpa foret immediata causa impedimenti, quia tunc ipsi imputaretur; regulariter enim non habetur ratio ad causam mediatam, sed immediatam *argum. c. de occidendis 8. caus. 23. q. 5.*

10 Hinc deducitur, tempus hoc semestre à jure præfixum in ordine ad conferenda beneficia non esse continuum, sed utile, eò quia non currat impedito, & ignoranti, ut notat Glossa margin. *in c. bene novit 18. litter. B. dist. 61.* Cæterum ex alio capite potest etiam dici continuum, eò quia currat etiam diebus feriatis, adeo ut sex menses computentur de momento ad momentum à tempore notæ vacationis, adeo ut si beneficium, quod vacavit, inceperit innotescere collatori 1. Decembris hora prima pomeridiana, conferri possit usque ad 1. Junii, & horam 1. pomeridianam, & non post illam, ut notat Garcia *p. 10. c. 2. num. 43.* ubi ait, hanc computationem faciendam esse de momento ad momentum à tempore scilicet scientiæ, seu vacationis notæ. Sunt tamen hi menses computandi secundùm quod occurrunt, adeout quod ex primo mense detrahitur, id accipiendum sit ex ultimo etiam si annus sit bissextilis, quia in favorabilibus dies duo mensis bissextilis computantur pro uno, ut notat Garcia *loc. cit. num. 42.* ubi ait, menses hos esse computandos secundùm calendarium, & secundùm quod menses occurrunt, & quod defuit de primo mense, accipiendum sit de ultimo: *V. G.* si beneficium vacat 8. Januarii, 7. die Julii finiatur semestre, etiamsi sit bissextus, & citat Glossam *in c. quam sit V. mensem de elect. in 6.* Abbatem 6. *in c. licet de supplend. neglig. Prælat.* Lambertinum 2. *p. lib 2. q. 1. art. 14.* Menochium *de arbit. lib. 2. cas. 50.* & alios plures canonistas.

11 Quòd si collator Ordinarius differat beneficia conferre etiam ultra sex menses à tempore vacationis, & si dubitetur, an revera ignoraverit vacationem beneficii, respondet Garcia *loc. cit. num. 27.* in dubio esse præsumendam notitiam vacationis, eò quia collator ordinarius, seu Episcopus semper præsumitur habere certam notitiam beneficiorum vacantium in sua diœcesi cùm teneatur eam visitare singulis annis, & refert etiam *decisionem Rotæ 7. de prabend. in antiquioribus, quæ in antiquis est 13. de jure patron. alias 556.* & *decis. 6. eod. tit. de jure patronat. in novis alias 263.* debet tamen intelligi de notitia vera, vel præsumpta vacationis, quæ determinari debet per Judicem considerata qualitate beneficii & modo vacationis, lõgitudine temporis illius, distantia locorum ut notat Abbas *in d. c. quia diversitatem num. 17.* Lambertinus *p. 2. lib. 2. q. 2. art. 18. num. 2.* Matcardus *concius. 626. num. 9.* Pari pacto habentibus jus patronatus tempus datum ad præsentandum sive à jure, sive à fundatore non currit à die vacationis, sed à die notæ vacationis, seu à tempore, quo intepit beneficium vacans illi innotescere, ut tradit Rota *decis. 7. de prabend. in antiquioribus & 13. de jure patronat. in antiquis* & Mardos. *littera T.* ait, id esse intelligendum de scientia certa non de interpretativa; quod etiam ait Rebuffus *in concordatis tit. de regia ad Prælaturas nominatione §. V. 1. intra sex menses* & Sorba *q. 59.* ubi postquam dixit, quòd tempora conferendi, & præsentandi non currunt nisi à tempore notitiæ, ait, id esse intelligendum de notitia vera, vel præsumpta vacationis; quæ debet determinari per judicem considerata beneficii qualitate, & quantitate, locorum distantia, & fama, & Abbas *in c. nos quidem detestas.* ait, hoc verum esse etiam si testator mandâsset, præsentationem esse faciendam infra quatuor menses à die vacationis, quia debet suppleri, ac intelligi à die vacationis notæ & Tiraquell. *de retract. lignag. §. 35.* Glossa 4. *num. 7* ait requiri veram, & certam scientiam nec sufficere interpretativam. Neque est par ratio de Ordinario collatore, & patrono, quia quamvis Ordinario qui tenetur visitare, & perquirere, imputetur negligentia, si nesciat beneficium vacâsse, cùm de facto vacat; non tamen habens jus patronatus debet censeri negligens, si ignoret vacationem, quamvis notam in loco: quia patronus id investigare non tenebatur, ut Ordinarius.

12 Quòd si Episcopus intrà tempus semestre à jure præfixum neglexerit vacantia beneficia conferre, tunc collatio pro illa vice devolvitur ad Capitulum: & è contra si ad Capitulum collatio pertineat, & hoc intra semestre intermisit conferre, Episcopus de Religiosorum virorum consilio illa conferre debet: quòd si Episcopus, & Capitulum neglexerint beneficia vacantia conferre, pertinet ad Metropolitanum illa conferre, ut desumitur *ex c. nulla 2. h.t.* ubi dicitur, quòd si Episcopus debeat conferre & intra sex menses non conferat, collatio devolvitur ad Capitulum, & si uterque est negligens ad Archiepiscopum, ubi juvat observare, quòd potestas conferendi beneficia gradatim devolvitur ad superiores immediatos, qui adhibito

bito conſilio Religioſorum ea conferunt, idque procedit etiam in collatoribus Regularibus; ſiquidem eorum poteſtas ob negligentiam in conferendis beneficiis devolvitur ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium loci, in quo ſita ſunt beneficia: tunc enim Epiſcopus poteſt ea conferre tanquam Ordinarius, dummodo Prælati Regulares non ſint exempti; alioquin confert ut delegatus ſedis apoſtolicæ ſi ſint exempti, & ſubjiciantur immediatè Papæ, ut habetur *in clement. unic. de ſupplend. neglig. Prælat.* Barboſa *lib. 3. jur. eccles. c. 13. n. 109.*

13 Licèt poteſtas conferendi beneficia devolvatur gradatim ab inferiore ad proximum ſuperiorem, donec perveniatur ad Papam; excipitur tamen Epiſcopus, quia ab Epiſcopo negligente in conferendis beneficiis ſpectantibus ad ſuam collationem intra debitum tempus, non fit devolutio ad Archiepiſcopum, ſed ad Capitulum, idque jure ita diſponente propter communionem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Capitulum, velut inter caput, & membra ejusdem corporis; adeo ut defectus capitis ſuppleatur à reliquo corpore, quod tamen procedit de ſolis beneficiis ſpectantibus ad collationem Epiſcopi jure proprio, quatenus eſt talis ſpecialis Eccleſiæ Epiſcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat: non verò procedit in iis beneficiis, quæ jure devoluto pertinent ad Epiſcopum, eò quia collator inferior fuerit negligens in conferendo: ſiquidem quoad hæc beneficia conferenda ſi Epiſcopus fuerit negligens, devolvitur poteſtas ea conferendi ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, ut tradit Garcia *p. 10. c. 3. num. 34.* quia quando Epiſcopus jure devolutionis confert beneficia, non habetur ea communio inter Epiſcopum, & Capitulum, quæ habetur in beneficiis pertinentibus ad Epiſcopum jure proprio: ſiquidem in devolutis non confert tanquam Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ, ſed præcisè ut ſuperior immediatus Ordinarii in collatione, cujus negligentiam ſupplet: hinc ſi Epiſcopus jure ad ſe devoluto negligat conferre beneficia tempore à jure ſtatuto; Capitulum non habet jus illud conferendi; ſed tale jus devolvitur ad Archiepiſcopum, qui eſt proximus, & immediatus ſuperior Epiſcopi.

14 Rurſus ſi Epiſcopus ſit exemptus, tunc ſi negligat beneficia conferre, poteſtas illa conferendi ad ſolum Romanum Pontificem immediatè devolvitur, quia Epiſcopus exemptus ſubjicitur immediatè ſoli Romano Pontifici, proinde jus conferendi beneficia non devolvitur ad Archiepiſcopum Metropolitanum, qui cum non ſit ſuperior Epiſcopi ob exemptionem, non poteſt ejus negligentiam ſupplere, ut notat Barboſa *lib. 3. juris eccleſiaſtici c. 13 num. 112.* Quòd ſi is, ad quem pertinet collatio jure devoluto beneficium conferat ante devolutionem factam, collatio nullum ſortitur valorem defectu poteſtatis in conferente, quia poteſtas conferendi non incipit niſi poſt factam devolutionem: neque ſi ante devolutionem contulerit beneficium, poſtea ea facta convaleſcit, quia collatio ab initio nulla non convaleſcit per id, quod ſequitur; ſed tunc poſtquam ad ipſum jus conferendi devolutum eſt, debet denuò beneficium conferre, ut notat Garcia *loc. cit. num. 31.* ubi ait, quòd collatio facta à ſecundo collatore, ut ab Archiepiſcopo ante factam devolutionem non valet: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt dare: neque valet etiamſi primus non conferat intra tempus, Felinus *in c. cum ex officii 16. de præſcript. num. 37.* Rebuffus *tit. de devolut. num. 32.* immo id etiam procedit etiamſi, qui jure devoluto beneficium contulit, ut Epiſcopus, antequam ad eum jus illud devolueretur, haberet poteſtatem illud conferendi jure ordinario; tunc enim collatio facta jure devolutionis eſt nulla, licèt validè potuerit conferre beneficium jure ordinario *c. cùm ſemper 23. de offic. deleg. l. multum 6. § ſi verò.*

Cæterum ſi jus conferendi ob negligentiam alterius devolvatur ad ſuperiorem, is non tenetur ſtatim beneficium jure devolutionis conferre, ſed conceditur eidem aliud ſemeſtre computandum non à die juris ad ipſum devoluti, ſed à die quo ſcivit illud eſſe ad ſe devolutum: & ſic dicendum eſt de cæteris gradatim proximis ſuperioribus, ad quos fit gradatim devolutio. Poſt elapſum autem ſemeſtre non poteſt Epiſcopus purgando moram beneficium conferre, quia poteſtas illud conferendi jam ipſo jure translata eſt ad alium proximum ſuperiorem; hinc ſi ordinarius beneficium conferat ſtatim poſt ſex menſes, collatio non valet, quia ceſſavit in ordinario jus conferendi tale beneficium: tempus enim certum à jure præfixum ad conferendum, vel ad aliquid aliud agendum, pertinet ad ſubſtantiam, ſeu formam rei, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de devolut. n. 27.* 15

Præterea quoties ob negligentiam collatoris jus conferendi beneficium devoluitur ad proximum immediatum ſuperiorem tranſit jus illud ad talem ſuperiorem cum omnibus illis conditionibus, quæ eidem priùs annexæ fuerant: quia res tranſit cum cauſa, jure, & onere *l. alienatio 67. ff. de contrahend. empt. l. traditio 20. ff. de acquirend. ver. domin.* unde ſi quis conferre debeat beneficium alicui ex certa familia ratione juris patronatus; ſuperior immediatus ad quem ob negligentiam inferioris devolvitur jus, tenetur illud conferre alicui ex eadem familia: quia quod in alterius locum ſubrogatur, ſubit naturam, & conditionem illius, cui ſubrogatur *l. 1. ff. de reſolut.* & tradit Garcia *loc. cit. num. 42.* ubi ait, devolutionem fieri cum onere, & qualitatibus requiſitis in prima proviſione; & citat Felinum *in c. cùm acceſſiſſent de conſtit. num. 18.* Rebuffum *tit. de devolut. num. 40.* & alios plures. Juvat tamen obſervare, quòd ſi Epiſcopus ob ſuſpenſionem ab officio, vel aliam cenſuram non poſſit conferre beneficia, tunc jus ea conferendi pertinet ad ſolum Papam, ad quem pertinet eccleſiis conſulere, tametſi inferior non fuerit negligens, ut deſumitur *ex c.* 16

quia diverſitatem 5. h. t. quia Pontifex poteſt concurrere in collatione beneficiorum cùm
17 quolibet Ordinario.

Tum quia ut notat Abbas *loc. cit. num.* 4. devolutio non fit ad immediatum proximè ſuperiorem niſi propter negligentiam collatoris inferioris, qui intra ſemeſtre neglexit conferre beneficium vacans: & Epiſcopus ſuſpenſus non poteſt dici negligens in collatione talis beneficii, quapropter ejus negligentia non debet ſuppleri à proximo immediato ſuperiore, ſed pertinet ad Papam providere Eccleſiæ. Quod tamen intelligendum eſt, quando collatio beneficii pertinet ad ſolum Epiſcopum, quia ſi ſpectaret ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, tunc excommunicato, vel ſuſpenſo Epiſcopo collatio ſpectat ad Capitulum, ut deſumitur *ex c. unic. ut ſede vacante, & c.* 1. *de ſuppl. neglig. Prælat. in 6.*
18

Rurſus hæc juris devolutio ad proximum immediatum ſuperiorem non ſolùm fit ob negligentiam inferioris collatoris ordinarii non conferentis beneficia vacantia intra tempus à jure præfixum; ſed etiam ex eo quia beneficia conferantur indignis, & inhabilibus *c. cum in cunctis 7. §. clerici ſanè de elect.* Quod tamen intelligitur, quòd tantùm pro illa vice collator inferior deperdat jus conferendi, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 2. ubi ait, fuiſſe reſolutum à Rota in una Toletana portionis 9. Decembris 1559. coram Domino Mantica. Idque habet etiam locum in patronis laicis, ut notat idem Garcia *loc. cit. num.* 4. ubi citat *decis.* 5. *Rota de jure patronat. in novis*, Rochum *de jure patronat. V. honoriſicum num.* 36. Lambertinum 1. *p. lib.* 2. *q.* 10. *articul.* 4. & plures alios Canoniſtas, licèt non deſint, qui oppoſitum ſentiant. Neque patronus excuſatur à lapſu temporis ad præſentandum ex eo, quòd præſentaverit Ordinario electum, ut examinaretur, quando collatio facienda eſt per inferiorem juxta Concilium Tridentinum, niſi actualiter intra tempus ſtatutum præſentet coram illo, à quo conferri debet beneficium, ut notat Garcia *loc. cit. num.* 6. & addit id fuiſſe reſolutum à Rota in una Mediolan. juris patronatus 22. Maji 1595. coram domino Blan-
19 chetto.

Excuſatur nihilominus patronus à devolutione per præſentationem factam illi, quem ex juſta cauſa credidit, habuiſſe jus inſtituendi, licèt revera illo careret, ut notat Lappus *allegat.* 95. *ad fin.* & tenuit Rota in dicta cauſa Mediolan. juris patronatus 29. Januarii 1596. coram domino Blanchetto, ut refert Garzia *loc. cit. num.* 8. ubi recitat *decis. Rota.*

20 Cæterum quando dicitur, quòd poteſtas conferendi ob negligentiam non conferentium beneficia vacantia intra ſex menſes pro ea vice devoluitur ad proximum immediatum ſuperiorem, id non debet extendi ad epiſcopatum, ſed tantùm intelligitur de Dignitatibus, Perſonatibus, aliisque beneficiis minoribus, prout ſtatuitur *in c. dilectus* 12. *h. t.* quia in materia odioſa ſub generali nomine dignitatis non comprehenditur Epiſcopatus, quia non eſt ſimplex dignitas, ſed culmen dignitatum ut notat Abbas *in d. c. dilectus n.* 1.

Rurſus quod dicitur de poteſtate eligen- 21
di in eccleſiis cathedralibus, quæ devolvitur ad proximum ſuperiorem ob negligentiam non eligentium tempore jure præſcripto, intelligitur, quòd poteſtas illa devolvatur ad ſuperiorem illum, ad quem pertinet poteſtas confirmandi electum, adeo ut ob negligentiam non eligentium poſſit is unico actu electionem exercere jure ſibi devoluto, & ſimul jure proprio confirmare electum à ſe ipſo. Nunc verò poſtquam promotio Epiſcoporum reſervata eſt Romano Pontifici *extravag. ad regimen de prabend.* ſolus Pontifex Epiſcopos electos confirmat, proinde jus eligendi ob negligentiam Collegii canonicorum ad Papam devoluitur etiam in Germania ex vi concordatorum. Sin verò canonicorum præbendæ non ſint diviſæ in eccleſiis cathedralibus, vel collegiatis, ſed reditus ſint communes, pertineántque ad communem capituli menſam; & numerus canonicorum determinatus non ſit, neque numerus adnexarum præbendarum; tunc per obitum canonicorum non dicuntur canonicatus, vel præbendæ propriè vacare; ſed extingui: proinde non datur locus devolutioni ad ſuperiorem ob negligentiam conferendi intra tempus ſemeſtre, ut ſtatuitur *in c. ex parte* 10. *h. t.* ubi habetur, quod in eccleſiis, ubi non eſt certus numerus canonicorum, nec ſunt certæ præbendæ, non habet locum Concilium Lateranenſe, quòd elapſo ſemeſtri devoluitur electio ad ſuperiorem: ſed illarum Eccleſiarum eſt conſuetudo ſervanda, ita ut ſecundùm facultates Eccleſiæ canonici inſtituantur juxta conſuetudinem.

Cæterum ſuperior, ad quem fit devolu- 22
tio collationis non ſolùm poteſt beneficium vacans conferre; verùm etiam inducere in poſſeſſionem beneficii, vel præcipere, ut proviſus in poſſeſſionem inducatur. Ratio eſt quia inducere in poſſeſſionem eſt veluti acceſſorium, quod conſequitur ad jus per legitimam collationem acquiſitum. Quinimo ſi in aliqua Eccleſia ſæculari, vel regulari non habeatur certus numerus canonicorum, vel conventualium, qui ex ſtatuto, vel conſuetudine ſit definitus, poteſt Epiſcopus Capitulum, vel conventum compellere, ut recipiant tantum numerum canonicorum, vel conventualium, quantum ſecundùm redituum facultates Eccleſiæ poſſunt commodè alere: adeo ut poſſit Epiſcopus terminum præfigere intra quem recipiantur canonici, vel conventuales ad implendum debitum numerum: quia quando certus terminus temporis non definitur in jure, tunc terminus ab homine definitus, ſeu à legitimo ſuperiore præſcriptus cenſetur ſuccedere termino à jure definito, ut rectè notat Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 16. *num.* 5. Archiepiſcopus tamen cùm regulariter non habeat jurisdictionem in diœceſi ſui ſuffraganei, niſi in caſibus jure expreſſis, non poteſt Epiſcopum ſuffraganeum negligen-

gligentem compellere, ut instituat beneficiarios, sed tantùm post elapsum tempus semestre institutio devolvitur ad Archiepiscopum, si jus conferendi pertinebat ad solum Episcopum suffraganeum.

§. III.

De modis generalibus, quibus beneficia vacant.

1 VAcare beneficia dicuntur, quando omni destituuntur possessore: sicut juris consultus Martianus *in l. qui cum* §. *ult. ff. ad leg. Jul.* vacantem mulierem dixit pro vidua, eò quia sit destituta marito; & vacans locus dicitur, qui caret corpore, quo repleri consueverat: eadem ratione per mortem beneficiarii dicitur vacare beneficium, quia hoc non extinguitur, sed manet, & tantùm caret possessore; & per hoc differt beneficium à pensione, quia hæc obitu pensionarii non vacat, sed extinguitur, perinde ac ususfructus per mortem usufructuarii; beneficium verò non desinit obitu beneficiarii, sed tantùm vacat, eò quia omni careat possessore. Modi autem quibus beneficia dicuntur vacare in jure tres assignantur, quatenus beneficia dicuntur vacare, vel facto solùm, vel jure solùm, vel facto, & jure simul. Priori modo, seu facto tantùm dicitur beneficium vacare, quando beneficiarius possessionem amittit sui beneficii, non verò titulum, ut si quis vi dejectus fuerit à possessione sui beneficii; vel si legitimè electus adactus fuerit beneficio renunciare ob metum injustè incussum: vel si beneficium absenti collatum, nondum ab illo sit acceptum; omnibus hisce modis dicitur beneficium de facto tantùm vacare.

2 Secundo modo seu de jure tantùm dicitur beneficium vacare, quando ejus possessor amittit jus, ac titulum beneficii, vel ex dispositione juris eo privatur absque ulla prævia monitione, vel citatione privati, & absque prævia sententia privationis lata per hominem, alioquin non de jure tantùm privaretur, sed etiam per sententiam judicis; unde privari de jure tantùm beneficio est ex solo jure amittere beneficium. Neque obstat, quòd privatus de jure tantùm adhuc retineat beneficium: quia tenetur ad restitutionem ab eo tempore, quo de jure tantùm fuit eo privatus. Tertio modo de jure, & de facto simul dicitur beneficium vacare, quando beneficiarius ipso jure illo privatur, & possessionem non retinet: seu dicitur beneficium vacare de jure, & de facto simul, quando nec Titulus, nec possessio beneficii apud aliquem reperitur, ut cùm per mortem beneficiarii vacat beneficium, nec alius ejus possessionem etiam coloratam adivit.

3 Ex his tribus modis beneficia, quæ vacant de facto tantùm, non possunt impetrari, nec conferri aliis, eò quia cùm beneficiarii vi fuerint dejecti possessione eorundem, non habentur pro vacantibus, & datur privatis regressus ad beneficium, adeo ut injustè dejectus restituendus sit in possessionem beneficii, ut desumitur *ex cap. 2. & 3. de his quæ vi, metúsve causâ fiunt,* Beneficia vacantia secundo modo, seu de jure tantùm possunt impetrari, & conferri, tametsi alii sint in possessione, eaque colorata; debet tamen necessariò in rescripto impetrationis fieri expressa mentio possessionis coloratæ, alioquin impetratio, & collatio beneficii utpote subreptitia nullum sortiretur valorem, ut desumitur ex *c. cùm nostris 6. h. t.* ubi habetur, quòd quando beneficium vacat de jure non de facto, ut si dignitas conferatur Episcopo, & aliquis impetret litteras, ut sibi conferatur illa dignitas nullâ factâ mentione, quòd de facto non vacet, litteræ dicuntur subreptitiæ, nec valent, eò quia nullam faciant mentionem de colorata possessione: compellitur tamen Episcopus relinquere dignitatem, nisi ostendat, & probet dispensationem. Imò impetratio est subreptitia si in supplicatione fiat tantùm mentio beneficii vacantis, & non possessionis coloratæ: quia in impetratione certi beneficii vacantis non sufficit, si simpliciter fiat mentio, quòd vacet, si alius sit in colorata possessione facti, quia verbum vacare potest intelligi tam de vacatione de jure, quàm de facto: & in litteris beneficialibus utpote ambitiosis verba narrativa debent verificari omni modo, quo possunt, proinde non solùm de vacatione de jure, sed etiam de facto.

Tertio modo beneficia vacantia non tantùm de jure, sed etiam de facto simul quoad possessionem possunt impetrari, & conferri, eò quia nullus sit in eorum possessione, idque desumitur *ex c. nulla 2. h. t.* & quidem à contrario sensu, quia ibi dicitur, quòd ecclesiastica ministeria, & beneficia Ecclesiæ non debeant conferri, nec promitti, antequam vacent, ne mors proximi desideretur: ex quo à contrario sensu deducitur, quòd postquam va[illegible] possint conferri, si aliud non obstet, ut notat Abbas *in c. cum nostris 6. n. 18. h. t.*

4 Vacant beneficia ipso jure tribus modis. Primò ex delicto beneficiarii, vel ex quasi delicto: secundò sine ullo delicto: tertiò per mortem naturalem, vel civilem. Hinc Glossa *in c. ff propter cum de rescript. in 6.* octo recenset modos, quibus beneficium ipso jure vacat, primò per mortem naturalem clerici. Secundò per ingressum ejusdem in religionem. Tertiò per promotionem ad aliud secundum beneficium incompatibile cum primo. Quartò per non promotionem intra annum ad sacerdotium juxta exigentiam beneficii. Quintò per non acceptationem beneficii, ad quod quis fuerat electus. Sextò per gradationem ad aliam Ecclesiam. Septimò per resignationem. Octavò per depositionem; qui tamen modi reducuntur ad tres prærecensitos: siquidem sine delicto beneficiarii pluribus modis potest beneficium vacare, ut per obitum beneficiarii; eò quia mors corporis omnia vincula hujus vitæ dissolvat. Per ingressum clerici in religionem, seu per professionem emissam in eadem; canones enim ingressum in religionem vocant professionem religiosæ vitæ expressè, vel tacitè factam in aliquo religiosorum ordine approbato à sede apostolica *c. beneficium de Regular. in 6. c. transmissa de renuntiatione,* quia eò ipsò, quòd beneficiarius

emisit solemnem professionem in aliqua religione, beneficium habetur pro derelicto, & vacante, seu destituto omni possessore.

6 Vacat itidem beneficium per matrimonium initum à clerico, ut habetur *in c. 1. & 3. de clericis conjugati. n 6.* eo enim ipso, quòd clericus beneficiarius uxorem ducit, vacat ejus beneficium, & Ordinarius potest illud conferre absque ulla monitione, citatione, aut sententia privationis: quia clericus conjugatus privatur de jure tali beneficio, Glossa *in c. 1. de clericis conjug.* Immo intelligitur etiam de matrimonio per verbum præsentis temporis contractum, tametsi non fuerit consummatum, ut fuit decisum à Rota *decis. 26. in novis*, & notat Abbas *in c. 1. de clericis conjug.* An verò vacet beneficium ipso jure per matrimonium, si hoc per aliquod impedimentum ipso jure non subsistit? Respondent communiter canonistæ cum Panormitano *in c. 3 de cleric. conjug.* beneficium non vacare, quando ij, qui matrimonium contrahunt, nondum legitimam ætatem attigerunt, nec sunt proximi pubertati: illi dicuntur pubertati proximi, qui tantùm distant à pubertate sex mensibus, ut qui undecim annos cum sex mensibus impleverunt, ut notat Glossa *in c. continebatur V. proxima de impub. despons.* quando enim impuberes contrahunt matrimonium, hoc habet tantùm vim sponsalium *c. 1. de despons. impub. §. idem quoque in 6.* Quòd si matrimonium ratione impedimenti sit prorsus irritum, tunc beneficium non dicitur vacare, quia consensus beneficiarii contrahentis propter favorem in eo deficit.

7 Quando verò matrimonium à clerico initum est irritum; eò quia post sacros ordines fuerit [illegible] contractum, tunc Abbas *in c. 1. de cleric. [illegible]g. num. 7.* censet, beneficium non ipso jure vacare; sed clericum esse beneficio privandum. Probabilius tamen putant alii; quibus etiam adhæret ipse Abbas, tunc beneficium ipso jure vacare, eò quia tunc clericus quantùm in se fuit, contraxit: nec videtur esse melioris conditionis, quàm alius, qui licitè contraxit; ut desumitur *ex c. cum qui 18. de prabend. in 6.* Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 6. §. 3. num. 4.* Quid verò dicendum, quando matrimonium est irritum, eò quia contractum cum fœmina consanguinea, vel aliter canonicè impedita; non consentiunt Canonistæ: alii censent ipso jure non vacare beneficium, sed clericum authoritate judicis esse illo privandum, ut nominatim docet Decius *cons. 166.* E contra alii volunt tunc de facto beneficium vacare; ut Panormitanus, Jason, Imola, quos citat, & sequitur Rebuffus *de pacificis possessoribus num. 223.* & hæc sententia probabilior est; ac communior. Nec clericus suum beneficium recuperat, tametsi ejus sponsa priusquam ab eo cognoscatur, religionem ingrediatur, & fiat monialis: & ratio est, quia jus semel extinctum non amplius reviviscit, nisi de integro conferatur, ut notat Abbas *in c. 1. de cleric. conjug. num. 6* An verò beneficium vacet per matrimonium irritum ex defectu consensus in fœmina.

8 Probabile est etiam, ipso jure vacare, eò quia satis sit, quòd clericus consenserit, siquidem eo ipso peccavit contrahens matrimonium post sacros ordines. Immo etiam si post minores ordines matrimonium contraxerit, quia licèt tunc clericus non peccaverit, fecit nihilominus quantùm per se stetit, ut uxorẽ duceret. Imo clericus beneficiarius etiam ex consensu episcopi retinere non potest beneficium simplex, quod antea possidebat, si de facto matrimonium contraxerit cum puella etiam virgine, ut notant Hostiensis, & Cardinalis *in c. 1. de cleric. conjug.*

9 Alii tamen cum Panormitano *in c. Joannes 7. de cleric. conjug.* censent, ex consensu episcopi posse clericum conjugatum retinere tale beneficium simplex, quod antèa possidebat, dummodo duxerit puellam incorruptam, & virginem sumpto *argum. ex c. si qui dist. 32. c. quia tua 32. q. 1.* Cæterum authoritate Episcopi potest Sacerdos ad beneficium redire, postquam ipsum pœnituit matrimonii contracti invalidè, id enim desumitur *ex c. sanè 2. de cleric. conjug.* ubi Episcopo conceditur facultas relaxandi hac in parte juris rigorem, dummodo clericus longam egerit pœnitentiam; ac laudabilem vitam instituerit.

10 Ipso jure vacat beneficium ex eo, quòd beneficiarius fuerit consecutus secundum beneficium, ut desumitur *ex c. de multa de prabend. & extravag. execrabilis de prabend.* Joan. XXII. *c. cum nostris de concess prabend.* & ex pluribus aliis juribus, in quibus habetur ipso jure vacare beneficium, cui est annexa cura animarum, si clericus secundum consequatur etiam curatum; non ita si secundum beneficium simplex fuerit, ut notat Staphil. *de grat. expectat. de ver. mod. tractat. n. 58.* Quando verò concurrunt duo beneficia curata, clericus non privatur primo, nisi postquam obtinuerit possessionem secundi absque ulla lite, & controversia, nactúsque fuerit ejus pacificam possessionem, adeout non vacet primum beneficium, si possessio secundi litigiosa sit *c. licèt Episcopus 28. de prabend. in 6.* ubi dicitur, quòd postquam aliquis curatus accepit aliud beneficium simile, & est in pacifica possessione; vel per ipsum stat; tunc potest Episcopus primum beneficium alteri conferre, sed non potest dare corporalem possessionem non vocato primo curato, seu beneficiario, quia adhuc posset illi competere jus retinendi.

11 Immo probabilius est, nec vacare primum beneficium statim ac clericus posterioris possessionem consecutus est, nisi percipiat etiam secundi beneficii fructus, vel saltem majorem eorundem partem: adeout non intelligatur vacare primum beneficium, si beneficiarius non possit percipere fructus ex secundo beneficio; eò quia ejus fructus ex privilegio, statuto, consuetudine, vel superioris authoritate; aut alia de causa debeantur alteri ad tempus, & desumitur *ex c. si tibi concesso 26. de prabend. in 6.* ubi habetur; quòd quando habens beneficium curatum, dum alius accipit fructus secundi ex causa, quia Episcopus accipit ex concessione Papæ ad tempus; non tenetur relinquere primum, non obstante *c multa eod. tit. c. execrabilis extrav. Joan. XXII.* Hinc promotus ad Episcopatum etiam post consecrationem retinet priora beneficia,

ficia, si fructus dicti Episcopatus ex causa alteri ad tempus debeantur, idque donec fructus liberi sint, ac accipiantur ab Episcopo; ut notat Glossa *in d. c. si tibi.*

12 Rursus si Papa conferat clerico secundum beneficium cum clausula, ut primum vacet post apprehensam secundi possessionem; non vacat primum, si fructus secundi debeantur ad tempus alteri, quia possessio beneficii, tametsi patifica sit; non debet esse sterilis, sed fertilis, & fructus adfere, quibus beneficiarius possit congruè sustentari. Rursus potest clericus post assecutionem secundi beneficii adhuc retinere possessionem primi ad sibi satisfaciendum pro expensis factis ex suo patrimonio in primo beneficio *c. quicunque* 12. *q.* 4. Panormitanus *cons.* 10. *vol.* 2. Quinimo ut docet idem Panormitanus, si beneficiarius sine testamento decesserit, potest hæres repetere impensas factas à clerico ex bonis paternis in beneficio. Rursus neque vacat primum beneficium; si superior nolit confirmare adeptionem secundi, & clericum revocaverit ad primam Ecclesiam Panormit. *in c. de multâ n.* 5. *de præbend.*

13 Quòd si clericus subito iræ calore correptus secundum beneficium acceperit, & ipsum statim facti pœnitet, non censetur vacare primum beneficium; ut notat idem Panormitanus *in d. c. de multa num.* 13. *de præbend.* & desumitur *ex c. ex litteris de divortio.* Sin verò primum beneficium non habeat adnexam curam animarum, non vacat per adeptionem secundi curati, ut docet idem Panormit. *in d. c. de multâ.* Quòd si clericus in eadem Ecclesia adipiscatur secundum beneficium simile primo; tunc certum est vacare primum, ùt desumitur *ex c. litteras de conceff. præbend.* Abbas ibidem, & habet locum in clerico, qui secundum beneficium simile sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesiâ consequitur, qualecunq; illud sit etiam simplex; ut docent communiter Canonistæ *in d. c. litteras de conceff. præbend. & clement.* Ex negligentia promoti ad parochiam, eò quiâ intra annum non curaverit promoveri ad sacerdotium, beneficium parochiale ipso jure vacat, & desumitur *ex c. licet canon. c. committa de elect. in 6.* Et quamvis tantum jam effluxerit de anno; ut intra ipsum non possit ampliùs Sacerdos initiari; non tamen vacat beneficium parochiale nisi elapso anno integro; ut desumitur *ex d. c. committa 35. de elect. in 6.* & annus incipit computari à die, quo clericus beneficii parochialis possessionem sine lite est assecutus, nisi per eum steterit, quò minùs possessionem adipisceretur; ut notat Glossa *in d. c. licet canon.*

14 Cæterum non computatur annus, quando clericus legitimè impeditur, quo minùs Sacerdos creetur, ut si intra annum non inveniret Episcopum, à quo posset sacros ordines suscipere; vel ipse morbo præpeditus non posset Episcopum adire, vel etiam quia Episcopus detrectaret ad sacerdotium ipsum promovere, ut notat Glossa *in d. c. committa 35. de elect. in 6. V. justo impedimento.* Quòd si post impetratum beneficium clericus fuerit factus irregularis absque ulla sua culpa, & inde ad sacerdotium non possit promoveri; eò quia unum oculum amiserit, vel unam manum; tunc non est compellendus, ut fiat Sacerdos, nec etiam est privandus beneficio; ut notat Glossa *in c. licet canon. V. privatus.* Non ita si propriâ culpa factus fuerit irregularis, quia tunc privatur in pœnam culpæ tali beneficio. Et hæc pœna etiam procedit in Vicario perpetuo, ut etiam in Priori conventuali, seu claustrali *clement.* 1. *de offic. Vicar. clement. ne in agro* §. *cæterum de statu Monachor.* idque procedit sive ratione tituli, sive ratione commendationis obtinuerit Ecclesiam.

15 Non tamen hæc pœna extenditur ad Præpositos, Decanos, vel alios Præfectos collegii canonicorũ; quia præfata jura tantùm irrogant pœnam iis, qui parochialem consequuntur Ecclesiam; & pœnæ in jure sunt restringendæ, non laxandæ, ut notat Glossa *in d. c. licet canon. V. parochiali.* Neque minus extenditur ad Episcopos, Abbates, Archidiaconos, aut alias dignitates habentes curam animarum; & cui curæ inest jurisdictio in foro tantùm exteriori; non verò in interiori conscientiæ. Immo neque extenditur ad Ecclesias collegiatas, tametsi parochiales sint; ut desumitur *ex cap. statutum de elect. in 6.*

16 Episcopatus tamen per adeptionem alterius dignitatis, vel personatûs non vacat ipso facto; quia episcopatus non potest deseri absque expressa licentia Papæ *c.* 2. *de translat. episcop.* Additur etiam quia generali nomine dignitatum, vel Personatuum non comprehenditur Episcopatus ob suam excellentiam, & prærogativam; adeò ut constitutio, quæ habetur *in c. de multa* 28. *de præbend.* non extendatur ad Episcopum; quia cùm sit constitutio pœnalis; & odiosa in jure debet restringi non laxari, ut notat Layman *lib. 4. tract. 2. c. 8. num. 3. & seq.* Rursus si clericus sit in colorata possessione alicujus beneficii, non potest illud alteri conferri; nisi priùs citetur possessor, & præcedat summaria causæ cognitio, sitque color possessionis deletus. Tunc dicitur clericus esse in possessione colorata beneficii, quandò hoc accipit à legitimo collatore; & institutio, seu collatio non est notoriè irrita, tametsi ejus titulus, seu jus non subsistat ob occultum defectum: secus si clericus propriâ authoritate beneficium accipiat, vel absque legitimi collatoris consensu, dicitur intrusus; & habetur pro injusto possessore; & tunc non est necesse ut in rescripto fiat mentio de hac injusta possessione; quia tametsi hæc fuisset expressa; Papa non solùm tardiùs, sed potiùs faciliùs dedisset litteras, in quibus alteri concessisset beneficium; ne scilicet intrusus manifestus illud diutiùs retineret.

17 Quòd si possessio non sit colorata aliquo titulo, sed evidenter sit injusta, potest tunc beneficium alteri conferri, etiam non citato; nec vocato possessore. Sed alii consultiùs; ac tutiùs censent cum Hostiense *in summa nostris 6. h. t.* possessorem esse vocandum, & audiendum, ne si forte habeat aliquam causam retinendi beneficium privetur suo jure inauditus; quod non est æquitati consonum. Cæterum potest superior ex justa causa exigere à clerico possessore

beneficii, ut jus ac titulum sui beneficii exhibeat, ostendátque; præsertim si jus possessioni illius resistat, vel quia possidet duo beneficia incompatibilia, idque desumitur *ex c. Ordinarii 3. de offic. ordin. in 6.*

18 Cæterum licèt habens beneficium, seu præbendam in eadem Ecclesia accipiat aliam similem præbendam, vel dignitatem, cui annexa sit præbenda canonicalis, ac propterea prima præbenda per pacificam assecutionem alterius ipso jure vacet: non tamen vacat de facto, quamdiu ejus possessio retinetur à pristino beneficiario, ut habetur *in c. litteras 9. h. t.* ubi dicitur, quòd si quis habeat unam præbendam in Ecclesia, & aliam obtineat, ac utramque retineat, vacet prima de jure, licèt non de facto: quia nequit clericus in eadem Ecclesia, seu sub eodem tecto possidere duas præbendas uniformes, tametsi altera earum annexa sit dignitati, quapropter per pacificam possessionem secundæ ipso jure vacat prima, tametsi possit habere plures simplices præbendas in diversis ecclesiis. Neque Episcopus dispensare potest, ut habeat quis duos canonicatus, vel præbendas sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia, ut notat Abbas *in d. c. litteras 9. h. t.* quod tamen intelligitur de beneficiis uniformibus, seu similibus.

19 Per translationem clerici ad aliam Ecclesiam ipso jure beneficium vacat; si enim Episcopus etiam authoritate legitima ex una ad alteram Ecclesiam transferatur, prior Ecclesia dicitur vacare, cùm primum possessionem acquirit secundæ, ut notant Canonistæ *in c. si quis jam translatus* 22. *q.* 2. Sin autem Episcopus sua authoritate in secundam se transferat Ecclesiam, utramque ipso jure amittit *c. 4. de translat.* Rursus in promoto ad episcopatū post electionem, confirmationem, & consecrationem, & possessionem Ecclesiæ episcopalis vacant ipso jure omnia beneficia, etiam simplicia, quæ priùs possidebat, ut docent communiter *in c. ordinationes dist. 75. c. quoniam dist.* 100. & expressè statuitur *in c. cùm verò de elect.* hinc jure communi, ut Episcopus amittat beneficia, quæ priùs possidebat, quatuor requiruntur, scilicet electio, confirmatio, consecratio, & possessio. Præterea si Episcopus electus, aut alius Prælatus intra tres menses non petat confirmationem, vel per ipsum steterit, quò minus intra id tempus confirmetur, privatur omni jure acquisito per electionem *c. quàm sit de elect. in 6.* Item si electus, & confirmatus intra tres menses non consecretur, aut per ipsum stet, quo minus consecretur; privatur etiam jure, quod acquisierat per electionem *c. cum in cunctis §. cùm verò de elect.* Ut etiam electus Prælatus si intra mensem non assentiatur electioni de se factæ, vel intra tempus ad id constitutum, privatur etiam jure acquisito per electionem *c. quàm sit 6. de elect. in 6.*

20 Juvat adnotare, quod asserit Glossa *in clem. 1. ut lite pendente V. collata*, nimirum in curia Romana esse usu receptum, ut cùm primùm Episcopus electus in ipsa curia consecratur, tametsi Ecclesiæ possessionem non fuerit enactus, omnia beneficia, quæ possidebat, statim vacent, atque ut in curia vacantia conferantur. Abbas itidem *in c. cùm in §. cùm verò de elect.* testatur, moris esse in Romana curia, ut in Episcopo authoritate Papæ promoto statim beneficia vacent, etiam consecratione non exspectata, adeo ut statim à Papa conferantur aliis, quod etiam refert Rebuffus *in concord. tit. de mandat. apost. §. ult.* ubi hunc approbat morem, si Episcopus in sui promotione ad Ecclesiam consentiat, non ita si non consentiat: & tametsi hæc consuetudo videatur adversari juri *in c. cùm in cunctis §. cùm verò de elect.* nihilominus consuetudo Romanæ curiæ derogat juri communi. In Episcopis tamen qui vulgò dicuntur titulares beneficia simplicia non vacant, etiam post consecrationem: quia possessionem Ecclesiarum, ad quas promoventur non apprehendunt, nec ullos ex iisdem percipiunt fructus, cùm eligantur ad Ecclesias sitas in partibus infidelium, ut fusè probat Mandosius *in regul. cancell. 26. q. 4.* ubi respondet argumentis oppositis.

Oritur tamen dubium, an si Episcopus sta- 21
tim post confirmationem consecretur, vacent beneficia etiam ante tres menses concessos à jure; adeout intra trimestre illa conferri possint aliis? Glossa *in clement. 1. ut lite pendente* censet beneficia illa statim vacare, adeo ut possint authoritate Ordinarii aliis conferri; secus Hostiensis negat posse conferri nisi post elapsum totum trimestre. Probabilior tamen est opinio Panormitani distinguentis tempus adeptæ possessionis; si enim Episcopus statim ac est consecratus, vel antea, possessionem Ecclesiæ nanciscitur; beneficia vacant, ut possint ab Ordinario statim conferri ante tres menses exactos: sin autem Episcopus statim ac est consecratus non fuerit possessionem nactus, non vacant beneficia, & Ordinarius tenetur exspectare, antequam illa conferat, elapsum totum trimestre, vel saltem donec consecratus Episcopus pacificam possessionem Ecclesiæ consequatur.

Quòd si electus in Episcopum, vel aliam 22
Ecclesiæ præfecturam decedat in Romana curia, oritur dubium, an tunc Ecclesia cathedralis, vel alia dicatur vacare in curia. Probabilior sententia cum Glossa *in clement. 1. ut lite pendente V. collata* asserit, non vacare in curia, tametsi electus in eadem de sua electione, vel confirmatione litigaret, quia durat prima vacatio, donec electus confirmetur. Quòd si Episcopus confirmatus in curia apprehendat possessionem suæ Ecclesiæ cathedralis per Procuratorem; adhuc probabilior sententia est cum citat. Glossa, alia beneficia, quæ possidebat, vacare extra curiam: alioquin sequeretur, quòd beneficium dimissum in curia per procuratorem vacaret, ubi dominus renuncians constitueret procuratorem, & non in curia, ubi procurator vicem gerens principalis renunciat.

§. IV.

De modis specialibus, quibus beneficia vacant.

PEr mortem naturalem beneficiati vacare be- 1
neficium certi est juris *c. susceptum de rescript. in 6.* siquidem mors omnia solvit,

ut

ut dicitur *in authent. de nupt. §. deinceps collat.* 4. Hinc si beneficiatus à morte miraculosè resurgeret, nullum haberet jus in beneficium ab ipso, cum antea viveret, possessum, quia unà cum morte fuit extinctum tale jus, quod non reviviscit, eò quia mortuus miraculosè resurgat, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccles. c.* 14. *num.* 2. Fusè agunt de hoc assumpto Sebastianus Merices, & Gonzales *ad regul. mensium* Glossa 15. *n. 3. & sequent. & alii.* Fallit tamen hæc regula ubi beneficium, esset suppressum ab habente legitimam potestatem supprimendi: quia tunc non vacat beneficium, sed omnino extinguitur per suppressionem *c. cùm accessissent de constitut.* ut etiam si accessoriè sit alteri beneficio unitum, & quod per suppressionem extinguatur: quia cùm accessorium sequatur naturam principalis. non vacaret, sed per suppressionem extingueretur cum principali suppresso, ut notat Gonzales *loc. cit. num.* 7. Fallit etiam præfata regula ubi beneficium esset de mensa Prælati, dignitatis, seu Capituli, eò quia sit unitum eorum mensæ, sive quoad spiritualia, sive quoad temporalia: quia talia beneficia non vacant per obitum clericorum illis inservientium, & quibus eorum fructus, quandoque conceduntur: ratio est, quia illi non censentur propriè Rectores, nec beneficiarii, sed habentur ut usufructuarii, proinde ex eorundem obitu instar usus fructus mensæ consolidantur.

2 Tum quia talibus beneficiis etiam curatis potest præstari debitum servitium etiam per vicarium temporalem ad nutum amovibilem; tametsi ubi unita sunt quoad temporalia debeant administrari per vicarium perpetuum *c. extirpanda* § *qui verò de prabend.* Glossa *in clement. 1. de rescript. V. haberent*, Felinus *in c. cùm accessissent num.* 2. *de constitut.* Nunc verò beneficiis hisce curatis unitis mensæ quoad spiritualia, & temporalia Ordinarius potest deputare Vicarium perpetuum, à quo administrentur, idque ex decreto Concilii Tridentini *sess. 7. de reformat. c* 7. ubi datur facultas Ordinariis instituendi Vicarios perpetuos in beneficiis curatis unitis, nisi aliter videatur expedire non obstantibus privilegiis, & exemptionibus, vel appellationibus, quo pacto derogatur privilegio instituendi Vicarium temporalem, seu ad nutum amovibilem, nisi fortassis privilegium fuerit concessum post Concilium, Navarrus *conf. 11. de stat. Monachor.*

3 Idque procedit etiam in beneficiis unitis mensæ quoad spiritualia, & temporalia: quia Concilium loquitur generaliter de beneficiis unitis, ut declaravit sacra congregatio Cardinalium Concilii interpretum, immo derogatur etiam consuetudini immemoriali deserviendi per Vicarios temporales, seu amovibiles, ut habetur in eadem sacræ Congregationis declaratione, quam refert Garcia *p. 11. de benefic. c. 2. num.* 7. ubi dicitur: per hoc decretum tollitur consuetudo immemorialis, ut in illis beneficiis unitis deserviatur per Capellanos amovibiles, si aliter Episcopo videbitur.

4 Fallit etiam eadem regula in beneficiis sitis in Ecclesia non numerata, seu in qua numerus canonicorum non est determinatus, sed plures, vel pauciores instituuntur pro arbitrio Episcopi, aut Capituli, eò quia præbendæ canonicales non sint distinctæ, sed omnes reditus pertineant ad communem Capituli mensam: quia tunc per obitum canonici extinguitur canonicatus, proinde non vacat *c. dilecto* 25. *de prabend.* Garcia *loc. cit. num.* 17. Gonzales *in regul.* 8. *cancell.* Glossa *9. §. 3.* Secus si numerus canonicorum sit determinatus per statutum vacat canonicatus per mortem beneficiati, quia tunc non extinguitur, sed tantùm destituitur omni possessore, proindè dicitur propriè vacare, quòd si canonicus fuerit supernumerarius eo mortuo non vacat canonicatus, sed extinguitur, quia beneficium canonici supernumerarii non est stabile, & perpetuum, sed concessum tantùm ad dies vitæ.

5 Ex dispositione juris statuentis beneficia ipso facto vacare, ac posse aliis conferri, vacant: primò si clericus beneficiarius professionem expressè, vel tacitè emiserit in religione approbata à sede Apostolica *c. beneficium 4. de regular. in 6.* Secundò per matrimonium validè contractum *c. 1. & 3. de cleric. conjug.* ut etiam si clericus beneficiatus miles fiat. Tertiò si aliud beneficium incompatibile accipiat, quia jura prohibent duo beneficia incompatibilia cujusmodi sunt curata, & exigentia residentiam possideri ab eodem clerico *c. cùm in cunctis 7. §. cùm verò de elect.* Quarto si promotus ad parochiam non initietur Sacerdos infra annum à die possessionis obtentæ, vel etiam si per ipsum steterit, quò minus fuerit ad sacerdotium promotus *c. licèt 14. de elect. in 6.* Quintò si Episcopus à Capitulo ritè electus sine justo impedimento neglexerit intra tres menses à præstito consensu suæ electioni, confirmationem petere *c. quàm sit 6. eod. tit. in 6.* & alibi. Sextò si promotus ad episcopatum post adeptam ejus pacificam possessionem non petiit consecrationem intra tempus à jure definitum *c. cum in cunctis* §. *cùm verò.* Septimò si electus, aut præsentatus ad beneficium ante confirmationem, vel institutionem se immiscuerit administrationi ejusdem, privatur jure sibi acquisito, & beneficium vacat *c. insinuatum 13. de elect.* Octavò si clericus intra tempus præstitutum exhibitioni ab Ordinario, non exhibeat legitimam dispensationem super pluralitate beneficiorum incompatibilium; tunc enim prius beneficium ipso jure vacat, & ab Ordinario potest alteri conferri *c. 3. de offic. Jud. ordinar. in 6.* Nonò si litigans de beneficio impedit decretam sequestrationem, aut fructus sequestratos quocunque modo præsumit sibi usurpare, tunc enim amittit jus in beneficio litigioso *clement. unic. de sequest. possess.* Decimò si superior Ecclesiasticus dilapidet, vel alienet jura Ecclesiæ, vel Monasterii absque forma jure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice *extravag. unic. inter communes de reb. Eccles. non alienand.* Undecimò occupans violenter possessionem beneficii amittit etiam eo ipso jus quod ad illud habet, quia tunc beneficium ipso jure vacat *c. cum qui 18. de præb. in 6.* Duodecimò amittitur etiam, & vacat beneficium

ob

ob crimen, seu delictum perpetratum, ob quod privatio beneficii ipso jure, vel facto incurritur.

6 Crimina verò, ob quæ beneficiati ipso jure suis privantur beneficiis, plura sunt, quorum primum est hæresis *c. cum secundùm leges de hæret. in 6. & c. ad abolendam de hæret.* Panormitanus, Innocentius, & alii *in c. inter dilectos de excess. Prælat.* Felin. *c. 2. de rescript.* eandem pœnam etiam incurrit desertor Christianæ fidei, quem jura vocant Apostatam. Item Schismaticus, Rebuffus *in tit. de regia ad Præsaturas nomin. §. Monasteriis V. vacantibus in 31. mode.* Incurrunt etiam eandem pœnam receptores, defensores, fautores hæreticorum, cùm isti puniantur iisdem pœnis, ac hæretici *c. excommunicatus de hæret.* Non tamen ob solam hæresin mentaliter receptam incurritur hæc pœna, cùm Ecclesia non puniat occulta mentis peccata.

7 Secundum crimen est læsæ majestatis *cap. cùm secundùm leges in 6.*

8 Tertium, hostiliter persequi, vel percutere, vel capere sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem vel se socium adjungere inferenti hanc injuriam, vel consilium, aut auxilium, vel mandare *c. felicis de pœnis in 6.*

9 Quartum injuriosè, ac temerè percutere Episcopum, vel eum extra urbem ejicere, vel consilium, aut auxilium dare talia intentanti *clement. 1. de pœn.*

10 Quintum, falsificare per se, vel per alium litteras apostolicas *c. ad falsariorum 7. de crim. fals.* & interpretes intelligunt textum de privatione ipso jure, quamvis non exprimatur in textu, sed declaretur, quòd debeat privari: sic enim interpretatur textum hunc Rebuffus *de pacifica possess. n. 265. & in prax. p. 3. tit. de modis amittendi beneficia n. 43.*

11 Sextum, compellere clericum, ut renunciet beneficio, quod possidet.

12 Septimum alienare dominium Ecclesiæ, vel transferre jus aliquod bonorum Ecclesiæ in alium, sive per venditionem, donationem, emphiteusim, hypothecam, pignus, locationem ultra triennium, præterquam in casibus à jure permissis, vel de rebus in emphiteusim ab antiquo tempore dari solitis, & tunc in evidentem Ecclesiæ utilitatem, aut de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, præterquam si alienatio fiat de consensu Romani Pontificis; triennium tamen non est computandum ratione annorum, sed fructuum: adeo ut bona Ecclesiæ non sint locanda ad tempus, in quo percipiuntur plures fructus, quàm triplices, adeo ut si bona Ecclesiæ non nisi alternis annis fructus reddant, possint ad sexennium vacare, quia computantur anni fructùs, non temporis.

13 Octavum est assassinium quando quis pretio conducitur ad aliquem Christianum occidendum *c. 1. de homicid. in 6.* & hæc pœna etiam incurritur ab eo, qui mandatum dedit, licèt mors secuta non sit, ut etiam qui assassinum receptavit, vel defendit, vel occultavit.

14 Nonum est simonia in electionibus, postulationibus, confirmationibus, vel aliis dispositionibus in ecclesiis, & Monasteriis *extravag. cum detestabile inter communes*, & licèt olim simoniacus tantùm per sententiam judicis privaretur beneficio *c. Presbyter 1. q. 1.* nunc privatur ipso jure beneficio simoniacè obtento, adeo ut adeptio non valeat, & beneficium vacet. Rursus olim simoniaco manifesto, & non occulto adimebatur beneficium *c. infamatum de simonia*: nunc verò etiam simoniacus occultus ipso jure privatur beneficiis simoniacè acquisitis. Et licèt per simoniam non privetur quis nisi beneficio per simoniam acquisito: nihilominus quia simoniacus si manifestus sit ipso jure est suspensus, & infamis, ideo quamvis cæteris beneficiis ipso jure non sit privatus, est tamen tanquam infamis privandus.

15 Decimum est, se scienter intrudere in beneficium, cui est adnexa cura animarum, siquidem ipso jure privatur alio beneficio curato, quod antea obtinebat: ut etiam si quis violenter propria authoritate, quæcunque beneficia Ecclesiastica occupaverit, tunc enim privatur jure omni acquisito in illis *c. cum qui de prebend. in 6.* Sunt etiam alia plura crimina, ob quæ clericus ipso jure, seu sine ulla sententia judicis beneficio privatur.

16 Dantur etiam crimina, ob quæ beneficiarius licèt ipso jure non privetur beneficio, nihilominus est privandus per sententiam judicis. Primum est, clericum sine justa causa, & legitima facultate abesse à suis ecclesiis, in quibus tenetur jure communi, vel statuto, aut consuetudine continuò residere *c. inter c. conquerente c. ex parte de cleric. non resident.* Secundum si clericus sit homicida privandus est beneficio, licèt non desint, qui censeant esse ipso jure privatum *c. clericis ne clerici, vel Monach.* Innocentius *in c. cum nostris de conces. prabend.* Tertium est pertinaciter, & publicè alere concubinam, hoc est si ab Episcopo monitus eam non dimiserit, vel deseruerit; olim enim jure communi clerici concubinarii beneficiis privabantur, & ex concilio Tridentino *sess. 25. c. 14. de reformat.* privantur tertia parte fructuum si à superiore moniti clerici ab iis non se abstinuerint, & post secundam monitionem si non paruerint non solùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittunt, qui fructus applicantur fabricæ Ecclesiæ; vel alteri pio loco ad arbitrium Episcopi: sed etiam removentur à beneficiorum administratione; immo etiam suspenduntur, & si ita suspensi eas non expellant, tunc perpetuò privantur beneficiis, portionibus, officiis, ac pensionibus quibuscunque ecclesiasticis; & inhabiles, ac indigni redduntur quibuscunque beneficiis, honoribus, officiis, ac dignitatibus; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus justa ex causa visum fuerit cum istis posse dispensari. Quartum, perjurium, quia clericus perjurus tametsi non sit ipso jure beneficio privatus est nihilominus privandus Glossa *in c. querelam de jurejur.* quam sententiam Decius *in c. 2. de rescript.* & Covarruv. *in c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 1. §. 3.* vocant communem, quamvis, Rebuffus *de pacif. possess. n. 118.* censeat, clericum perjurum esse ipso jure beneficio privatum.

Cæte-

17 Cæterum hæc pœna procedit de clerico, qui in contractibus, pactis, conventionibus, negotiis, & judiciis pejerat. Quintum est maledictum in Deum, vel sanctos, & licèt olim jure communi blasphemus privaretur beneficio *c. si quis per capillum* 22. *q.* 1. Concilium tamen Lateranense sub Leone X. ita statuit. *Quicunque Deo publicè maledixerit, contumelioseque atque obscenis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel Beatam Virginem Mariam ejus genitricem expressè blasphemaverit, si Sacerdos vel clericus fuerit eo ipso die, quo de hujusmodi delicto fuerit convictus beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur, pro prima vice; pro secunda si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, ei privetur: si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur: quòd si tertiò ejusdem sceleris arguatur, & convincatur dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, & ad ea ulterius, obtinenda inhabilis reddatur.* Hactenus decretum Concilii Lateranensis. Sextum est possessio duorum beneficiorum incompatibilium ex Concilio Tridentino *sess.* 7. *c.* 4. ubi ait: quicunq; post unum beneficium assiduam clerici præsentiam in Ecclesia postulans, alterum simile obtinet, & ejus possessionem adipiscitur, cogendus est authoritate Ordinarii eorum alterum dimittere.

18 Hinc beneficia vacant etiam per depositionem, seu privationem factam per sententiam judicis, ob crimen, cui talis pœna inferenda à jure statuitur. Neque datur crimen inducens ipso jure privationem beneficii, nisi expressum sit in ipso jure; alioquin reus privandus semper est per sententiam Judicis; & in dubiis ita est præsumendum, ut tradit Garcia *de Benef. p.* 11. *v.* 10. *num.* 5. ubi citat Felin. *in c.* 2. *de rescript. num.* 3. Rebuffum *de pacif. possess. num.* 318. & alios plures docentes, nullum crimen etiam privatione dignum inducere privationem beneficii ipso jure, nisi in jure cautum, seu expressum fuerit. Hoc interest discrimen inter privationem beneficii ipso jure inductam; & per Judicis sententiam inferendam; quia priori modo clericus perpetrans delictum, ob quod ipso jure privatur suo beneficio, seu de facto illo caret, sic amittit titulum, ac dominium illius, ut post latam sententiam declaratoriam Judicis privetur non solùm possessione beneficii; verùm etiam omnibus fructibus à die patrati criminis perceptis; siquidem sententia per Judicem latà retrotrahitur, ac si lata fuisset eodem ipso die patrati criminis, quia à tali die clericus criminosus privatus erat beneficio: proinde tenetur perceptos à tali tempore fructus restituere. Secus qui privandus est per sententiam ferendam à Judice, non tenetur restituere fructus perceptos ex beneficio ante latam sententiam à die patrati criminis; quia non privatur beneficio statim post patratum crimen; sed solùm post sententiam latam à Judice, ut notat Covarruvias *in epitome in* 4. *decretal. p.* 2. *c.* 6.

19 Rursus beneficium, quod ob patratum crimen vacat ipso jure, non potest permutari, neque resignari in favorem tertii ab eo, qui ante sententiam Judicis tenatur illud dimittere; licèt valida sit commutatio, vel resignatio, utpote facta ab eo, qui adhuc habet jus possidendi; quamvis enim beneficium ipso jure vacet à die patrati criminis; clericus tamen criminosus non amittit ejus possessionem, donec declaretur privatus ab ipso Judice. Potest tamen per sententiam postea latam à Judice talis permutatio, vel resignatio rescindi; quia sententia retrotrahitur ad diem patrati criminis, ut notat Lessius *lib.* 2. *de just. c.* 34. *num.* 9. Secus si ob commissum delictum privandus est per sententiam à Judice ferendam, resignatio, vel permutatio facta ante sententiam non potest rescindi, ut notat Rebuffus *in praxi benef. tit. de modis amittendi beneficia num.* 53. Tertiò, beneficium vacans ipso jure ob delictum conferri potest alteri ante sententiam Judicis declaratoriam, etiam non citato criminoso, quia hic jam amisit titulum, & jus beneficii, quo ob commissum crimen ipso jure privatur: verùm possessio beneficii nequit alteri conferri ante sententiam declaratoriam Judicis; quia clericus criminosus adhuc illam possidet. Secus si beneficium amittatur per sententiam ferendam, non potest alteri conferri ante sententiam privationis in eum latam. Quartò si privatus ipso jure ob delictum beneficio moriatur ante sententiam declaratoriam Judicis, beneficium non vacat per mortem ipsius, quia antea jam vacabat ob patratum delictum; sic prima vacatio impedit secundam; unde cùm eo tempore beneficium non ampliùs fuerit in tali clerico, non potest in illo vacare, neque per mortem illius. Secus qui ratione criminis non privatur ipso jure beneficio; sed tantùm per sententiam ferendam à Judice, si moriatur ante sententiam latam; beneficium vacat per mortem ipsius.

§. V.

De gratiis expectativis, seu mandatis de providendo beneficia vacatura.

TAmetsi post vacationem debeant beneficia conferri, non antea; adeout beneficium nondum vacans non possit conferri, neque promitti, ne videatur quis desiderare mortem proximi, & ne votum alienæ mortis ingeratur, vel tribuatur occasio captandæ alienæ mortis *c.* 2. *& 3. de concess. prabend. & c.* 1. *eod. t. in* 6. Nihilominus Papa ob plenitudinem potestatis, quâ tribuit jus ad beneficia vacatura potest beneficia per gratias expectativas conferre, antequam vacent; adeout per tales gratias det jus ad talia beneficia cùm primùm erunt vacatura, ut liquet *ex cap. proposuit* 4. *h. t.* ubi habetur, quòd quando Papa mandat, ut primâ vacatura præbenda cum canonicatu detur alicui, & assignat executorem, qui præsentet litteras collatori; beneficium intelligitur ita affectum, ut si vacet, & alteri conferatur; collatio sit annullanda; & sic tanquam adhuc vacans, conferri debet nominato à Papa, qui tanquam suprà jus potest contra illud dispensare. Unde per hanc præsentationem litterarum Apostolicarum ab executore factam Papa sibi reservat il-

beneficii in genere, ac indeterminatè quod erit primò vacaturum non datur occaſio mortis ſpecialis perſonæ captandæ cùm impetrans ſcire nequeat, cujusnam beneficiarii erit beneficium primò vacaturum: unde qui tales litteras impetravit, poteſt acceptare primum beneficium, quod vacat, non ſecundum niſi ex juſta cauſa, quia fortaſſis primum debetur alteri, tunc enim poterit ſecundum acceptare: & ſi hoc fuerit dubium, ad quem pertineat, adhuc tertium, ut notat Gloſſa *in d. c. ne captanda V. cauſa ſubſit*: & ratio eſt, quia mandatum Principis intelligitur ſub tacita conditione, ſi absque alterius præjudicio fieri poteſt: quia Princeps per hoc, quòd privilegium uni concedat, non intendit privare alium ſuo jure. Cæterum qui litteras à ſede apoſtolica impetravit, nequit determinatum beneficium, antequam vacet, acceptare, quia per talem acceptionem daretur occaſio captandæ alienæ mortis. Hinc pleraque licita ſunt in genere, quæ in ſpecie prohibentur, quo pacto licitum eſt acceptare beneficium primò vacaturum, vel etiam ex juſta cauſa ſecundò, vel tertiò: non tamen licet acceptare in ſpecie tale particulare beneficium, quod poſſidetur à tali peculiari clerico.

7 Quòd ſi impetrans litteras acceptet beneficium ſecundò, vel tertiò vacaturum absque legitima cauſa, collatio illi facta eſt nulla, & Ordinarius poteſt conferre, cui magis libuerit tale beneficium: quia reſcriptum Papæ eſt tantùm de beneficio, quod primò vacabit, & tantùm ex rationabili, & legitima cauſa de ſecundò, vel tertiò vacaturo.

8 Executor ſuper proviſione alicujus de vacatura non poteſt per generales litteras inhibere Ordinariis generaliter, ne procedant ad collationem beneficiorum, donec illi pro quo ſcribitur, provideatur, tametſi executor per litteras generales à ſede apoſtolica ſit deputatus; niſi expreſsè id habeat in mandatis: poteſt nihilominus ſpecialiter pro primo, ſecundo, vel tertio vacaturo inhibere, ſi hoc habeat in mandatis, ut deſumitur *ex c. Executor. 4. h. t. in 6.* quia tametſi in generali mandato videatur conceſſum omne id, ſine quo non poteſt mandatum expediri, ne fruſtra detur mandatum: ſiquidem fruſtraneum eſſet, ſi non poſſet ſuum effectum ſortiri, unde ſaltem implicitè videtur conceſſum omne id, ſine quo non poteſt mandatum expediri, ut habetur *in c. prætereà 5. de offic. delegat.* Nihilominùs non videtur conceſſum id, ſine quo mandatum poſſet commodiùs expediri; & quia ſine generali reſervatione, ac inhibitione poteſt tale mandatum commodè expediri, non ita ſine ſpeciali, ideo hæc permittitur, & generalis prohibetur: ſiquidem graviſſimum foret, ſi per generalem reſervationem, & inhibitionem impedirentur collationes omnium beneficiorum totius Provinciæ; privatis etiam Ordinariis poteſtate conferendi beneficia vacantia: quamobrem reſcriptum, in quo id ſpecialiter non exprimitur, non debet extendi ad omnia beneficia: tum quia tale reſcriptum, cùm privet Ordinarios poteſtate conferendi beneficium primò vacaturum, eſt contra jus commune, proinde odioſum, ac ſtrictæ interpretationis.

Quòd ſi Papa ex ſpeciali privilego reſcribat Capitulo Eccleſiæ, ad quod ſpectat præſentatio, ut me recipiat in canonicum, & præbendam, quæ vacat, vel primò vacaturam, & ego præſento litteras; quamvis meus executor non intimaverit, quòd beneficium vacet, Capitulũ non poteſt alteri illud conferre; & ſi poſt admonitionẽ executoris intra certum tempus mihi beneficiũ vacans non conferatur, Executor poteſt illud exequi, & mihi conferre, etiam absque conſenſu Capituli: quia tunc in ipſum executorem transfertur poteſtas providendi, eò quia Capitulum intra terminum competentem eidem ab Executore præfixum, mandatum apoſtolicum non adimplevit. Siquidem quando Papa dat executorem ad providendum, tunc cenſetur ad ſe, vel ad ſuum executorem revocare poteſtatem providendi, & Ordinarium collatorem eadem privare, *argum. c. ut noſtrum 5 6. de appellat.* Unde per ſolam præſentationem apoſtolici reſcripti de providendo, & in quo datur facultas executori providendi, ſi Ordinarius collator negligat litteras apoſtolicas implere, non poteſt beneficium alteri dari ab eodem Ordinario.

Id autem non procedit, ſi executor tantùm 10
datus ſit ad conferendum: etenim cùm executor habeat poteſtatem liberè conferendi beneficium vacans, ſicut habebat Capitulum, à quo ob negligentiam adhibitam transfertur poteſtas conferendi beneficium in ipſum executorem, ideo non eſt neceſſe, ut executor ad conferendum beneficium moneat, vel citet Capitulum, quia contumax in uno actu non eſt citandus ad inſtituendum alium habentem neceſſariam connexionem cum præcedente: unde ſi Capitulum fuerit contumax in conferendo canonicatu, & poſtea vacet præbenda, non eſt neceſſè ut executor moneat, vel citet Capitulum in ordine ad conferendam præbendã, cùm hæc neceſſariò ſit connexa cum canonicatu, quem Capitulum neglexit conferre, ſeu fuit contumax in recipiendo ad canonicatum, quem Pontifex in ſuo reſcripto nominavit.

Quòd ſi mandatum dirigatur ſoli Epiſcopo, 11
vel Epiſcopo, & executori, vel ſoli executori, ut faciat Titio provideri de beneficio in certa Eccleſia; & præſentetur Ordinario collatori mandatum, ſeu reſcriptum pontificium; per hanc ſolam præſentationem non aufertur Ordinario poteſtas conferendi, quia collatio facta tenet, tametſi Epiſcopus, ſi non obediat, puniendus ſit. Secus ſi in reſcripto ponatur, quòd quidquid fit contra ipſum, ſit irritum; aut executor cum interpoſitione decreti interdicat Ordinario, ne alteri conferat, vel ſi Titius eſſet vi mandati receptus in canonicum, & exſpectaret præbendam, tunc Epiſcopus non poſſet eam alteri conferre, & collatio eſſet nulla, ut deſumitur *ex c. ſi ſoli 6. h. t. in 6.* ſiquidem per tale mandatum Papa non revocat ad ſe, nec ad executorem ipſam poteſtatem conferendi beneficium, quia tunc executor tantùm datur ad ſolicitandum, & compellendum Ordinarium collatorẽ, ut conferat beneficium nominato in litte-

ris pontificiis, unde reliquit potestatem illud conferendi Ordinario collatori, qui tantùm debet compelli ab executore; proinde non obstante præsentatione litterarum apostolicarum Ordinarius validè confert beneficium alteri, licèt puniendus sit, eò quia non obtemperaverit rescripto pontificio. Quòd si in rescripto apponatur decretum irritans quidquid in contrarium fiat, tunc etiam ante præsentationem mandati beneficium est affectum, nec potest ab Ordinario alteri conferri: quia collatio facta ab Ordinario ex vi rescripti pontificii est irrita.

12 Quòd si præcedens Papa det exspectativam primæ vacaturæ alicui, & sequens Papa det similem secundo, deinde tertio; & in suis apostolicis litteris apponat, ut præferatur à suo prædecessore provisis, non à se; tunc prima præbenda est danda secundo, & secunda, vel tertia primo; perinde ac in successione adoptati ab intestato: quia quando adsunt in eadem Ecclesia plures habentes gratias exspectativas ad præbendam vacaturam, attendenda est voluntas, seu intentio Papæ, quæ fuit, ut secundus præferretur tertio: unde non habetur circa hoc alia ratio nisi ipsa voluntas superioris, ad quem pertinet ob plenitudinem potestatis beneficia conferre prout ipsi magis libuerit, ut notat Glossa *hic V. primam*. Quando verò Papa revocat gratias, & exspectativas, includit canonicos receptos exspectantes distinctam præbendam, tametsi percipiant distributiones quotidianas: siquidem includit etiam habentes jus ad vacatura beneficia, si nondum facta fuerit collatio, hoc est, licèt nondum habeant jus in re: non tamen extenditur ad canonicos receptos ultra numerum; & qui tanquam de numero per mortem aliorum non spectant nisi augmentum distributionum; ut habetur *in c. quoniam §. hi t. in 6.* Siquidem exspectans præbendam distinctam à canonicatu non habet jus in re quoad illam præbendam, sed tantùm jus ad rem, tametsi respectu canonicatûs sibi jam collati habeat jus in re: unde sub illa revocatione comprehenditur etiam, qui exspectat præbendam distinctam à canonicatu; quia revocatio se extendit ad omnes gratias, per quas nondum est acquisitum jus in re, tametsi sit acquisitum jus ad rem.

13 Quòd verò revocatio non extendatur ad illos canonicos receptos ultra numerum, qui tanquam de numero per mortem aliorum non exspectant nisi augmentum distributionum, ex eo liquet, quia hoc augmentum portionis non est jus distinctum à jure canoniæ, sed est eidem accessorium, proinde sequitur naturam sui principalis: siquidem in tali Ecclesia non sunt præbendæ distinctæ, sed portiones dividuntur inter canonicos secundùm numerum ipsorum: augmentum autem censetur esse ejusdem juris, & conditionis, cujus est res principalis, cui adjicitur. Mandatum tamen Papæ conditionale non afficit potestatem ordinarii, vel alterius collatoris ante expletam conditionem etiam adjecta conditione irritante: adeo ut si Papa mandet Episcopo, ut provideat alicui de beneficio viginti librarum valoris, vel minoris, si clericus voluerit acceptare, vel fueris idoneus; si Episcopus conferat alteri beneficium taxati valoris, antequam reperiatur idoneus, collatio teneat. Sin verò apposuit, ut intra mensem possit acceptare, decreto irritante infra mensem, collatio non tenet.

Rursus intelligitur acceptare, quando petit 14
per suum executorem sibi conferri, vel præsens recipit. Rursus dicitur habere notitiam vacationis, si sit in loco, vel Ecclesia, ubi vacat, & sic currit mensis, & si nescit, sibi debet imputare ut liquet *ex c. cùm ei b. s. in clement.* ubi juvat observare, quòd decretum conditionale etiam adjecta clausulâ irritante non impedit, quò minus collator Ordinarius possit conferre beneficium alteri, ante purificatam conditionem. Rursus si mandatur alicui conferri beneficium sub conditione si velit illud acceptare, & Ordinarius antequam illud acceptet, beneficium alteri conferat, collatio est valida. Secus si mandatur clerico provideri de beneficio vacante; vel proximè vacaturo cum decreto irritante, si intrà mensem illud acceptet, & Ordinarius illud intra mensem alteri confert, collatio facta ab Ordinario est irrita, quia tempus unius mensis censetur apponi in favorem acceptantis. Rursus censetur clericus beneficium acceptare, sive verbo id exprimat, sive facto declaret suam voluntatem petendo, ut sibi conferatur. Et mensis incipit computari à tempore notitiæ, quo clericus scit beneficium vacare, imò etiam ex eo tempore, quo publicè vacat: imò currit etiam mensis ei, qui non fuit in culpa, quia tam procul abfuit à loco beneficii, ut ejus vacationem intrà mensem scire nequiverit, ut notat Glossa *in d. clementi. V. nota erit.*

Cæterum gratiæ exspectativæ hodie per 15
Concilium Tridentinum sunt sublatæ, adeo ut præter Romanum Pontificem nullus inferior Prælatus possit mandata de providendo, & gratias, quæ exspectativæ dicuntur aliis dare, & etiâ collegiis, universitatibus, senatibus id prohibetur, ut etiam aliis singularibus personis sub quovis nomine indulti, vel alio quovis colore, ut notant Barb. *in collect.* & Gonzales *ad regul. 8. cancellar. §. in præm. num 64.* Rursus in eodem Concilio Tridentino *sess. 24. de refor. c. 19.* statuitur, ne quæcunque gratiæ ad vacatura beneficia, nec indulta ad alienas Ecclesias alicui etiam Cardinali ampliùs concedantur. Cæterum quòd in eodem Concilio fiat mentio de reservationibus etiam mentalibus, non est intelligendum de reservationibus generalibus, quæ fiunt per regulas cancellariæ, & pro nulla certa persona; quia in hisce reservationibus non subest periculum captandæ mortis, quando nemo in specie habet jus ad beneficium reservatum, antequam vacet: sed intelligitur tantùm de reservationibus, quæ pro certa aliqua persona in specie olim frequenter fiebant, quam personam si Pontifex non exprimebat, sed in sola mente retinebat, dicebatur reservatio mentalis, ut notat Barb. *in collect. in c. 19. Trident. num. 4.*

§. VI.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

1 QUæritur primò, an beneficium, quod possidetur ab uno clerico adhuc vivente, si nondum vacet, possit alteri conferri? Respondetur negativè, & defumitur ex *c. qui in vivorum* 1. *h. t.* ubi Gelasius Papa rescribit, eum qui voluntariè instituitur in beneficio viventis, esse deponendum, immò & depellendum à communione ecclesiastica; quia collatio beneficii nondum vacantis nullius est valoris; non enim beneficium uni collatum potest eo vivente alteri conferri; cùm non possint duo simul habere idem beneficium *c. sua* 20. *de prabend.* tum quia beneficiarius sine justa, & quidem gravi causa non est privandus suo beneficio; quia de ratione beneficii est, ut conferatur in perpetuum, seu ad dies vitæ, proinde nisi justa, & gravis causa suppeteret injuriâ inferretur primo possidenti tale beneficium; & jus nulli vult inferri injuriam. Quamobrem solus Papa ex plenitudine potestatis potest id facere, quamvis nunquam reperiatur id fecisse sine justa
2 causa.

Quinimò qui passus est se institui in beneficio alterius beneficiarii adhuc viventis, privatur ecclesiastica communione, & participatione corporis, & sanguinis Domini, quæ tamen pœna incurritur tantùm ab eo, qui scienter passus est se institui in beneficio alterius beneficiarii viventis, non verò si ignoranter, ut notat Glossa in *d. c. qui in vivorum* 1. *V. repellatur h. t.* Neque incurritur hæc pœna ab eo, qui succedit in beneficio sacerdoti viventi deposito ex justa causa, ut notat Glossa *loc. cit.* cæterum qui scienter occupat beneficium alterius beneficiarii adhuc viventis, & beneficio nondum vacante; non potest deinceps illud beneficium obtinere sine dispensatione Papæ, perinde ac qui vivente marito contraxit de facto matrimonium cum aliqua non potest mortuo marito eam ducere, *c. fin. de eo qui duxit in matrim.* Beneficium igitur, quod est unius, non potest alteri conferri *c. sua* 20. *de prabend.* unde electio, collatio, vel institutio in beneficio nondum vacante irrita est, & institutus debet removeri, imò & puniri, si scienter institui se fecit.

3 Quæritur secundò, an beneficia nondum vacantis saltem promitti possint? Respondetur negativè ex Concilio Lateranensi in *c. nulla* 2. *h. t.* ubi dicitur, quòd ecclesiastica beneficia non tribuuntur, nec promittuntur, antequam vacent: & ratio etiam assignatur, quia ex tali promissione beneficii vacaturi facilè causaretur votum captandi mortem proximi, in cujus locum, & beneficium promissarius crederet se esse successurum, ut dicitur in textu, & etiam in *c. detestanda* 2. *h. t. in 6.* promissio autem, per quam paratur via captandæ mortis alterius est contra bonos mores, adeò ut etiam à legibus sæcularibus pactum de futurâ successione reprobetur *l. stipulatio hoc modo ff. de V. O. l. quidam ff. de donat.* proinde multò arctiùs id observari debet in Dei Ecclesia, ut in beneficiis ecclesiasticis expectatio futuræ successionis omnino amputetur, & nulla beneficia promittantur, antequam vacent, & cum vacaverint, dari debent clericis idoneis intra sex menses: siquidem ob diuturnam vacationem plurimum Ecclesiæ tum in spiritualibus, tum temporalibus patiuntur detrimenti *c. quoniam* 5. *porrò ut lite non contest.* statuitur autem semestre ad conferenda beneficia, seu tempus, nec nimium breve, nec nimium prolixum *c. cum inter de elect.* proinde quoties contingit ecclesiastica beneficia, vel officia in Ecclesia vacare, non diu debent manere in suspenso, sed intra sex menses conferenda sunt personis, quæ dignè possint ea administrare, ut habetur in *c. de multa de prabend.* In Episcopatibus verò, & Prælaturis Ecclesiarum Regularium ob majus periculum, quod vertitur in earum vacatione datur tantùm spatium trium mensium ad eligendum *c. ne pro defect. de elect.* quibus elapsis de Episcopo ad Capitulum, & è contra, & demum ad proximum superiorem collatio devolvitur, quia providendum est, ne ex negligentia Prælati debentis conferre beneficia damnum inferatur ecclesiis, & populo *c. licèt de suppl. negl. Pral.* quia verò hæc negligentia facilè potest emendari per devolutionem ab Episcopo ad Capitulum, & è converso ob communionem, quæ est inter illos *c. Ea noscitur 6. de his quæ fiunt à Prælat.* & de uno superiore ad alium ob jurisdictionem, quam habet in loco *c. sicut de supplen. negl. Prælat.* sequitur, quòd si Episcopus distulerit beneficium conferre, sit collatio facienda per Capitulum: quòd si collatio pertineat ad Capitulum, & intra semestre non contulerit beneficium, tunc Episcopus supplet negligentiam capituli, ut Metropolitanus Prælati inferioris, & Papa omnium inferiorum Prælatorum: imò potest summus Pontifex semper conferre, & in collationibus concurrit cum quolibet Ordinario *c. licet de prabend. in 6.* tum quia summus Pontifex cùm sit Episcopus Ecclesiæ catholicæ, est Ordinarius omnium fidelium *c. cuncta 9. q. 3.* quamvis non soleat conferre beneficium, quando adest alius, cui de jure specialiter competit illud conferre.

Quæritur tertiò, an appellatio facta à clerico, cui beneficium fuerat promissum, antequam vacaret, impediat collationem beneficii? Respondetur, non obstante tali appellatione adhuc beneficium validè conferri, & defumitur ex *c. relatum* 3. *h. t.* ubi cum quidam clerici accepissent promissiones ad beneficia proximè vacatura, & cum primùm ea vacarent ad sedem Apostolicam extrajudicialiter appellaverint, ne aliis conferrentur. Rescripsit Alexander III. hujusmodi promissiones, seu gratias expectativas ad beneficia proximè vacatura nullius esse valoris, & Concilium Lateranense tales promissiones declarâsse nullas; proinde non esse attendendam appellationem, sed posse statim talia beneficia conferri personis idoneis: hinc eruitur ratio, cur appellatio non obstet, quin vacans beneficium conferri possit: quia ex promissione facta de beneficio, antequam vacet, nullum jus acquiritur, nec promittens ullam contrahit obligationem standi promisso, cùm talis promissio sit à jure damnata *l. fin. ff. de appellat. recip.* appellantes autem non sunt audiendi, nisi ij, quo-
4

rum intereſt, vel quibus mandatum eſt, vel qui negotium alienum gerunt, & quia Concilio Lateranenſe caſſavit promiſſiones factas de eccleſiis, & beneficiis nondum vacantibus, ſequitur, quòd prætextu appellationis illius, cui promiſſum fuerat beneficium tempore, quo nondum vacavit, non debeat omitti collatio beneficii, cùm primùm vacat, dummodo conferatur alteri perſonæ idoneæ, cùm enim promiſſio beneficii vacaturi ab initio fuerit ipſo jure irrita, nequit per ſolam ſubſequentem vacationem ejusdem beneficii acquirere valorem, quod enim ab initio irritum eſt, tractu temporis non convaleſcit *l. 39 ff. de reg. jur.*

5 Tum quia ex tali promiſſione juxta canones, & Concil. Lateranenſe nullum jus fuit acquiſitum promiſſario, cum fuerit illa promiſſio irrita, & perinde ac ſi non fuiſſet facta: proinde non intereſt promiſſarii appellare contra collationem beneficii, poſtquam vacavit, ſi conferatur alteri perſonæ idoneæ. Neque appellatio illegitima impedit jus conferendi beneficia, quando vacant, quia adverſus collationem beneficii, ne ea fiat, appellare non poteſt is, cujus non intereſt, ſeu qui jus in beneficio non habet, ut eſt is, cui fuit beneficium nondum vacans promiſſum *l. 1. ff. de appellat. non recipiend.*

6 Quæritur quartò, an collatio præbendæ ſit irrita, ſi fiat alteri, cui Pontifex non contulit beneficium, ſeu canonicatum? Reſpondetur, talem collationem eſſe irritam, & deſumitur ex *c. propoſuit 3. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi Papa mandet, ut prima vacatura præbenda cum canonicatu conferatur alicui, & aſſignet executorem, qui præſentet litteras collatori; beneficium intelligatur ita affectum, ut ſi vacet, & alteri conferatur, collatio ſit annullanda, proinde ut adhuc vacans conferri debeat, ei, quem Papa nominavit. Ratio ex eo deſumitur, quia per præſentationem litterarum Apoſtolicarum conſtat Ordinario, Papam ſibi reſervare talem collationem, & auferre Ordinario pro illa vice poteſtatem conferendi *c. ſi Capitulo 5. h. t. in 6.* & cùm forma mandati ſit diligenter attendenda: & collatio facta ab eo, qui non habet poteſtatem conferendi irrita *ſi c. quod autè de jure patron.* ſequitur, quòd per mandatum factum Ordinario, quo eidem aufertur pro illa vice poteſtas conferendi beneficiū data executori ad providendum, ex ſola præſentatione litterarum Apoſtolicarum facta ipſi Ordinario collatori ita afficiatur ordinaria poteſtas, ut collatio per illum alteri poſtea facta non valeat, quia ſine jure, & poteſtate conferendi collatio non poteſt fieri, perinde ac ſine ſuo principio, & cauſa repugnat effectus: hinc ſi quispiam authoritate Apoſtolica creatus ſit canonicus cum expectatione præbendæ proximè vacaturæ, ſi hæc cùm primùm vacat, alteri conferatur, collatio eſt irrita *c. ſi poſtquam 13. de prabend. in 6.* hinc colligitur, Papam in beneficialibus cenſeri agere ſecundùm plenitudinem poteſtatis, hoc eſt non ſecundùm ſuam poteſtatem ordinariam; ſed abſolutam, quoties agit contra ſtatuta ſacrorum canonum, ut cum mandat, ut quis inveſtiatur ſuper præbenda vacatura. Cæterum quia hujusmodi relaxatio canonum eſt odioſa, eâ non facilè utitur Pontifex. In dubiis autem tenſetur Pontifex agere ex plenitudine ſuæ poteſtatis.

Quæritur quintò, an præfixum in jure ſemeſtre ad eligendum, vel conferendum currat impedito impedimento facti, vel juris? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. quia diverſitatem 5. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quod in vacatione beneficii tempus ſex menſium pro collatione incipiat à die notitiæ, non à die vacationis, & non currat, quando collator eſt legitimè impeditus. Ratio petitur ex eo, quia conſtitutio Concilii Lateranenſis aſſignans ſex menſes ad conferendum, fuit promulgata tantùm contra negligentes, ut dicitur in textu *d. c. quia 5. h. t.* qui verò fuit legitimè impeditus non poteſt redargui negligentiæ, quia tametſi voluiſſet, adhuc beneficium non potuiſſet conferre *l. 1. §. fin. c. de annull. except.* proinde non debet ei imputari, per quem non ſtat quo minus beneficium conferat *c. imputari de reg. jur. in 6.* proinde tempus, in quo legitimè impeditus non contulit beneficium, non eſt ei computandum intra ſemeſtre ei à jure conceſſum ad conferendū. Cæterum cùm dicitur tempus à jure præfixum non currere impedito impedimento facti, vel juris, id intelligi debet, dummodo tempus definitum ſit in odium negligentiæ: ſecus enim eſſet, ſi tempus definiretur ob merum alterius favorem, *argum. l. genere ff. de his, quæ not. infam.* 7

Rurſus tempus ſemeſtre, intra quod beneficia conferri debent, non currit ignoranti vacationem, ſiquidem qui ignorat, non poteſt dici negligens, nec culpabilis, unde ſemeſtre non incipit currere niſi à die notitiæ vacationis, quia is, qui neſcit, poteſtatem non habet experiendi *c. biduum 2. q. 6.* & *l. annus ff. de calum.* Hinc quia tempus ſemeſtre fuit ſtatutum contra negligentes, non incipit currere niſi à die notitiæ ipſius vacationis beneficii. Quòd ſi Epiſcopus ob cenſuras ſuſpenſionis, vel excommunicationis, non poſſit beneficia conferre, tum devolutio poteſtatis non fit ad Capitulum, nec ad Metropolitanum, ſed providere eccleſiis tunc pertinet ad ſummum Pontificem *c. 1. de ſupplen. neglig. Prælat. in 6.* Sin verò Papa interim non provideat, & Epiſcopus à cenſura liberetur; ex eo tempore debetur Epiſcopo integrum ſemeſtre ad conferendum, adeò ut ante lapſum ſemeſtre devolutio non fiat ad Capitulum, quod tamen intelligendum eſt, dummodo poteſtas providendi ad ſolum pertineat Epiſcopum; quia ſecus eſſet, ſi pertineret ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum *c. nunc. ne ſede vacante in 6.* 8

Quæritur ſextò, an litteræ impetratæ ad beneficium validæ ſint, ſi de alterius colorata facti poſſeſſione mentionem non faciant? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. cùm noſtris 6. h. t.* Ratio eſt, quia tales litteræ impetrantur per falſi ſuggeſtionem, & veri ſuppreſſionem, quia licèt tale beneficium vacet de jure, non tamen vacat de facto, & poſſeſſio ejusdem cùm plus habeat facti, quàm juris, ut dicitur in 9

textu *d. c. cum noſtris*, ſi Papæ innotuiſſet, quòd alius poſſideret tale beneficium ſub prætenſo titulo legitimo non ita de facili alteri contuliſſet, ne videretur conferre beneficium viventis; ſed priùs mandâſſet inquiri, an, qui beneficium poſſidebat, habuerit jus in beneficio, & eo non habente mandâſſet ipſum removeri, & beneficium vacans conferri alteri. Quamobrem litteræ ita ad beneficium impetratæ ob ſuppreſſionem veri, eò quia nulla fuerit in petitione facta mentio, quòd alius poſſideret tale beneficium, fuerunt ſubreptitiæ, & litteræ ad beneficia ſubreptitiè impetratæ, ſunt ipſo jure nullæ *c. Ad aures de reſcript.* quamvis ſubreptitiè impetratæ ad lites non ſint eo ipſo irritæ, ſed tantùm irritandæ ope exceptionis.

11 Quamobrem in impetratione certi beneficii vacantis non ſufficit, ſi ſimpliciter mentio fiat, quòd vacet, ſi alius ſit in colorata poſſeſſione facti: quia verbum illud *vacare* poteſt verum eſſe tam in jure, quàm in facto: in litteris autem beneficialibus, cùm ſapiant ambitionem, verba narrativa debent verificari omni eo modo, quo poſſunt tam in jure, quàm in facto *c. quamvis de præbend. in 6.* Hinc ſi quis ſit merè intruſus, adeò ut ejus poſſeſſio ſit evidenter injuſta, de illa non eſt neceſſariò mentio facienda: ſiquidem ob intruſionem Papa non retardâſſet dare litteras, ſed potiùs promptiùs, & expeditiùs, eas dediſſet, ne intruſus cum ſui pecato, & periculo animarum beneficium retineret *c. dudum 2. de elect.* is enim dicitur intruſus, qui beneficii eccleſiaſtici poſſeſſionem, & adminiſtrationem ſibi uſurpat ſine authoritate illius, qui jus habet conferendi *c. 2. de inſtit.* & tunc intruſus eſt monendus ad relinquendam talem ſuam poſſeſſionem, antequam impetrans mittatur in corporalem poſſeſſionem, ne ſi aliquam fortâſſis cauſam haberet retinendi, inauditus ſuo jure privaretur, ut notat Hoſtienſis in *d. c. cum noſtrâ 6. col. 3. h. t.*

12 Quæritur ſeptimò, an qui ſciens alteri collatum eſſe beneficium, permittit illud ſibi conferri, ſit eidem conferendum, cùm primùm vacat? Reſpondetur negativè, eò quia ſi ſciens tale beneficium jam uni eſſe collatum, & nihilominus permittit ſibi conferri, non ſolùm collatio eſt irrita, eò quia non poſſint duo poſſidere unum, ac idem beneficium, verùm etiam contrahit inhabilitatem ad illud obtinendum, ſi poſtea vacet, ut notat Gloſſa in *c. poſt electionem 7. v. reſignationem h. t.* ubi ait, eum, qui beneficium alteri collatum ſcienter accipit, reddi inhabilem ad illud recipiendum, ſi vacet, adeòut ſine diſpenſatione non poſſit illud obtinere. Secus ſi per ignorantiam, & bonâ fide accipiat quis beneficium non vacans à legitimo collatore, petere deinde poteſt, ut beneficium, quodcunque vacans ſibi ab eodem conferatur *c. inter 17. de præbend.* ubi dicitur, quòd conferens alicui præbendam, quam non poteſt conferre, ea evicta teneatur conferre aliam, quam poteſt conferre; & id videtur exigere canonica æquitas, quia adjuvari nos, non decipi, beneficio oportet *l. in commodato 17. §. antepenult. ff. commodati.*

Quæritur octavò, an clericus, cui beneficium à legitimo collatore collatum eſt, poſſit agere in judicio poſſeſſorio adipiſcendæ poſſeſſionis? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. poſt electionem 7. h. t.* Ratio etiam id ſuadet, quia per talem collationem beneficiatus habet legitimum titulum in beneficio *c. nulla 2. h. t.* & ad legitimum titulum ſequitur poſſeſſio collati beneficii *c. accedens*, & ibi Gloſſa *de accuſat. l. fin. C. de edict.* & eſt præſumptio contra excipientem renuntiationem, ſi exceptio malitioſè opponatur animo differendi poſſeſſionem adverſarii *c. 2. de reſtit. ſpoliat.* quapropter excipiens non eſt audiendus, antequam beneficiatus miſſus ſit in poſſeſſionem, ut habetur in *d. c. poſt electionem 7. h. t.* quapropter tenetur Judex priùs pronuntiare, ut actor priùs mittatur in poſſeſſionem, & poſtea agatur ſuper jure excipientis, ut notat Abbas in *d. c. poſt election.* Excipitur tamen, niſi incontinenti offeratur probatio; quia per probationem incontinenti oblatam removetor præſumptio de malitia, quæ erat contra excipientem *l. ſi is à quo ff. ut in poſſeſſ. leg.* Cæterum in controverſia beneficiaria ex eo, quòd unus litigans oſtendat alteri litiganti jus in beneficio non competere, non inde ſtatim evincit, jus ſibi competere, ſiquidem fieri poteſt, ut neutri competat; quapropter uſitatum eſt, ut litigans in tali caſu poſſit impetrare à Papa gratiam proviſionis novæ in forma *ſi neutri.*

13 Quæritur nonò, an receptus in canonicum poſſit agere contra Capitulum, ut ſibi provideatur de præbenda, cùm primùm ſe occaſio obtulerit? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. cum ſuper 8. h. t.* Ratio ex eo petitur, quia non eſt congruum, ut præbendâ careat, qui in canonicum fuit receptus *c. Relatum de præbend.* ſiquidem ut dicitur *Deuter. c. 25.* non eſt alligandum os bovi trituranti, quapropter ſcribit Apoſtolus 1. *ad Corinth. c. 9.* eum debere de altari vivere, qui altari inſervit. Tum quia qui vult antecedens, debet & conſequens velle *c. translato de conſtit.* & præbenda ſe habet conſecutivè ad canonicatum: proinde eo ipſo, quòd Capitulum recipit aliquem in Canonicum, tacitè ſe obligat ad providendum ei de præbenda, cùm primùm facultas ſe obtulerit, ut habetur in *d. c. cum ſuper 8. h. t.* Quamobrem ſemel quòd clericus receptus eſt à Capitulo in Canonicum, poteſt agere contra Capitulum de præbenda ſibi tribuenda, cùm primùm occaſio ſe obtulerit. Quòd ſi dicas, hanc obligationem fuiſſe à Capitulo contractam ſub conditione, ſi beneficium vacaverit, proinde ante ejus eventum actionem illi non competere. Contra eſt, quia obligatio hæc à Capitulo contracta non fuit conditionalis in *d. c. cum ſuper 8. h. t.* ſed pura, & abſoluta, quamvis ad mandandam poſtea executioni eandem obligationem requiratur occaſio, quæ cum ſe obtulerit, rectè receptus in Canonicum potuit agere contra Capitulum de præbenda ſibi tribuenda.

14 Quæritur decimò, an habens præbendam in una Eccleſia poſſit in eadem recipere dignitatem cum præbenda? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi primæ præbendæ renuntiet, utique poteſt

teſt recipere aliam dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, quia tunc prima vacat, & clericus eſt habilis ad quamlibet dignitatem cum præbenda in eadem Eccleſia: ſi nolit primam præbendam dimittere, nec ei renuntiare, tunc non poteſt dignitatem cum præbenda recipere; & ſi ſecundam præbendam recipiat, prima vacat, ut habetur in *c. litteras 9. h. t.* quia duæ præbendæ uniformes in eadem Eccleſia, & in perſona unius ſunt incompatibiles, & in beneficiis incompatibilibus per adeptionem ſecundi vacat primum *c. de multa de prabend.* adeò ut in eadem Eccleſia non poſſit quis habere duas præbendas etiam ex jure annexionis: & per adeptionem ſecundæ ipſo jure vacat prima *c. t. de conſuet. in 6.* jura enim plus abhorrent habere duas præbendas in eadem Eccleſia, quàm aliàs habere duo beneficia curata: ſiquidem primum non licet etiam jure annexionis, quam habet præbenda ad dignitatem *c. litteras 9. h. t.* ſecundum autem licet jure annexionis, quam habet beneficium curatum ad præbendam *c. ſuper eo de prabend. in 6.* Hinc licèt per conſuetudinem poſſit introduci, ut aliquis clericus plures in diverſis eccleſiis obtineat canonicatus: hæc tamen conſuetudo reprobatur, ſi in eadem Eccleſia, & ſub eodem tecto plures canonicatus, ſeu alia uniformia beneficia aliquis obtineat, ut habetur in *clement. ult. de prabend.* & quamvis qui recepit ſecundam præbendam, confirmetur ab Epiſcopo, ſi eadem præbenda impetretur ab alio, valet impetratio, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ut quis in eadem Eccleſia habeat plura beneficia uniformia, ut notat Gloſſa *fin in d. c. litteras 9. h. t.* & pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui de jure donare non poteſt *c. quod autem de jure patron.* quod autem de jure non ſortitur effectum, nequit impedimentum præſtare, *c. non præſtat. de reg. jur.* proinde confirmatio Epiſcopi non impedit, quin præbenda vacans poſſit per alium impetrari: ſecus tamen eſt, ſi beneficia ſint difformia, quia tunc per diſpenſationem Epiſcopi factam ex legitima cauſa poteſt quis in eadem Eccleſia licitè retinere canonicatum, & aliud beneficium difforme alicujus capellæ *argum. c. ſanctorum. diſt. 70.*

15 Quæritur undecimò, an Epiſcopus poſſit alteri concedere licentiam conferendi primum beneficiũ vacaturum? Reſpondetur negativè ex *c. conſtitutus 11. h. t.* in quo habetur quòd Epiſcopus, vel alius collator, non poſſit alicui concedere facultatem conferendi beneficia vacatura, ſeu non poſſit alicui delegare facultatem conferendi beneficia, niſi poſtquàm vacaverint, & habetur etiam in *c. deliberatione 4. §. prohibemus de offic. delegat in 6.* Ratio eſt, quia hæc poteſtas conferendi ita individua, & determinata ad proximum beneficium, ſi dari poſſet, tenderet in fraudem canonicæ ſanctionis, per quam prohibentur eccleſiaſtica beneficia concedi, vel promitti antequam vacent, etenim ſi quis certum beneficium nondum vacans conſequi cuperet, poſſet ſubornare amicum, qui ab ejus Epiſcopo impetraret facultatem illud conferendi, & hac amici benevolentiâ fretus poſſet mortem machinari beneficiario, cui cuperet ſuccedere, & hæc fraus eſſet de perſona ad perſonam *c. ad noſtram de rempt. & vendit.* quando autem aliquid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti *c. cum quid de reg. jur. in 6.* proinde ſicut collator non poteſt directè promittere beneficium vacaturum; ita neque poteſt alteri dare hanc poteſtatem, per quam indirectè tale beneficium videretur promiſſum, ut habetur, in *d. c. inſtituit 11. h. t.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de refor. c. 19.*

Hinc Epiſcopus licèt poſſit ſuo Vicario generali committere facultatem conferendi beneficia indeterminatè, & in genere; non tamen determinatè, & in ſpecie, ſi ſermo ſit de determinatione beneficii, vel perſonæ. Generatim non valet promiſſio beneficii vacaturi, quia talis promiſſio eſt contra ſtatuta Concilii Lateranenſis prohibentis ob publicum bonum omnem promiſſionem directam, vel indirectam, per quam poſſet dari via ad beneficia vacatura; nè quis inde habeat occaſionem deſiderandi ejus mortẽ, in cujus locum crederet ſe eſſe ſucceſſurum: & quia contra legem emanatam principaliter ob communem utilitatem non poteſt quis ſe obligare *c. ſi diligenti de foro compet.* tametſi ejus interveniat juramentum *c. ſicut de jurejur.* ſequitur, promiſſionem beneficii vacaturi non tenere, tametſi fuerit per ſcripturam exarata, adeò ut obligationem non inducat juxta Concil. Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. c. 19.* 16

Quæritur duodecimò, an ſi Prælatus promittat providere clerico de beneficio, cum poterit, teneatur poſtea conferre eidem beneficium, quod primò vacat? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. accedens 14. h. t.* ubi Abbas, & Conventus promiſerant alicui clerico, ſe collaturos eidem beneficium, cùm primùm potuerint; cum autem poſtea intermitterent, clericus ab Innocentio III. Judices delegatos ea ſuper re impetravit, & cùm Monachi excepiſſent, eam promiſſionem non tenere, utpote factam contra Concilium Lateranenſe annullans gratias expectativas? Reſpondit Innocentius III. factam promiſſionem eſſe validam, eò quia aliud ſit Prælatum promittere beneficii collationem, cùm poterit, & aliud cum vacaverit: ſiquidem in multis caſibus poteſt ſe facultas offerre, in quibus collatio non ſit in expectatione beneficii vacaturi differenda, ut habetur in *d. c. accedens*: ſiquidem præter mortem beneficiarii poteſt etiã dari facultas conferendi beneficium per reſignationem, privationem, ingreſſum religionis, & diviſionem præbendæ, & quia cauſa prohibendi, ne valeat promiſſio beneficii, antequàm vacet, ea eſt, ne quis videatur deſiderare mortem illius, in cujus locum putat ſe eſſe ſucceſſurum; ideo Prælatus qui promiſit alicui providere de beneficio, cum poterit, tenetur ſervare promiſſionem, eámque adimplere; tum primùm ſe facultas offert *c. Relatum de prabend.* Hodie tamen jure novo ob abuſiones multorum Prælatorum, qui in fraudem Concilii Lateranenſis promittebant beneficia, cum facultas ſe obtulerit, hæc decretalis in *c. accedens* eſt correcta per *c. Deteſtanda 2. h. t. in 6.* adeò ut nullo modo valeat promiſſio; ſive fiat de vacaturo, ſive in genere, cum facultas ſe obtulerit, & habetur etiam in Trident. *ſeſſ. 24. de refor. c. 19.* 17

TITU

TITULUS IX.

De ſede vacante aliquid innovetur.

CUm ex haſtenus dictis ſatis liqueat, collationem præbendarum, & dignitatum de jure communi ſpectare ad ſolum Epiſcopum, qui dicitur collator Ordinarius beneficiorum eccleſiaſticorum, ideo dubitari poterat, an ſede epiſcopali vacante, ſeu mortuo Epiſcopo, vel etiam excommunicato, aut ſuſpenſo ab officio, Capitulum ſuccedat Epiſcopo in eorundem beneficiorum collatione. Sumitur juxta præſens inſtitutum Capitulum pro ipſo Collegio Canonicorum, ſeu pro ipſis canonicis ſimul congregatis: nam ſoli canonici una cum eo, qui illis præeſt, ſive Decanus ſit, ſive Præpoſitus pro diverſa Eccleſiarum conſuetudine Capitulum conſtituunt, ut deſumitur *ex cap. ex eo de elect. in* 6. hinc qui eis præeſt ſive Decanus ſit, ſive Præpoſitus, venit etiam nomine Capituli *c. novit inf. de iis, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli.* Et quia contingit, ſedes Epiſcoporum, aliorúmque ſuperiorum Antiſtitum vacare, vel per obitum ipſius Prælati, qui è vivis exceſſit; vel per reſignationem, eò quia ſe epiſcopatu abdicaverit; vel per alterius dignitatis aſſumptionem, eò quia transferatur ad aliam Eccleſiam; vel per privationem, eò quia ob crimen commiſſum dejectus ſit à ſua Eccleſia; ideo Collegium Canonicorum illius Eccleſiæ dicitur Capitulum ſede vacante, quaſi parvum caput, eò quia minorem habeat poteſtatem, quàm Epiſcopus, ut notat Gloſſa *in c. conqueſtus de ſuppleud. neglig. Prælat. in* 6. ideò ſupereſt hic explicare, quæ pertinent ad hoc Capitulum ſede vacante, & ad quæ ſe extendat ejus poteſtas.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NOVIT. 1. h. t. declarat Innocentius III. ſede Epiſcopali vacante nihil eſſe innovandum, immo neque Papam innovare, eò quia non ſit, qui defendat jus Epiſcopale; & ne plus perſonæ, quàm Eccleſiæ tribuiſſe videatur. Ubi notat Gloſſa, ſede vacante non poſſe clericos diſponere quidquam de bonis Eccleſiæ: neque Epiſcopum bona Eccleſiæ ſibi ſubjectæ, & vacantia poſſe alienare, niſi magna urgeat neceſſitas. Poſſe tamen in minoribus eccleſiis ob neceſſitatem mortuo ſacerdote Epiſcopum alienare. Cæterum contractus initus à canonicis mortuo Epiſcopo non tenet, nec ſententia lata contra Eccleſiam, vel contra minorem.*

C. *ILLA 2. h. t. Honorius III. reſcribit, beneficia ſpectantia ad collationem Prælati ſede vacante non poſſe conferri à Capitulo, quia non devolvuntur per negligentiam, quæ ſi non interveniat, præſcriptio non currit. Cæterum generalis regula eſt, ut Capitulum ſede vacante poſſit omnia ea facere, quæ ſunt jurisdictionis, niſi expreſſè reperiantur prohibita, ut notat Barboſa hic* num. 3. & ſequent. *ubi enumerat caſus, in quibus ſede vacante Capitulum ſuccedit Epiſcopo. Non tamen procedit hæc regula de juriſdictione Epiſcopo delegata, neque de illa, quæ competit ipſi jure ſpeciali. Tenetur tamen hodie Capitulum ſede vacante conſtituere Vicarium infra octiduum à morte Epiſcopi per Concilium Tridentinum* ſeſſ. 24. c. 16: *& notat Quaranta* V. Capitulum ſede vacante.

C. *CONSTITUTIS 3. h. t. Idem Pont. reſcribit, ſi Capitulum ſede vacante ſtatuerit, ut quæ mortuo Imperatore retinentur, vel de novo ſumunt nomen Vicarii, vel alterius officii impeti, vialis*

bit, teſtimonia, & judicium ſede vacante facta contra Eccleſiam non teneri, eò quia tunc Eccleſia careat Defenſore. Hinc notat Gloſſa, Oeconomum ſede vacante non poſſe agere, ſed teneri expectare novum Epiſcopum.

IN SEXTO.

C. *SI AD EPISCOPUM unic. h. t. Bonifacius VIII. declarat, quòd ſi collatio beneficii pertineat ad Epiſcopum etiam ut Prælatum, & ad Capitulum ſimul, ſi una pars fiat inhabilis, poſſit altera conferre, adeò ut mortuo Epiſcopo, vel ſuſpenſo à collatione beneficiorum; poſſit Capitulum prabendas conferre: ut etiam è contra ſi Capitulum ſit inhabile, eò quia ſit ſuſpenſum à collatione beneficiorum, vel ſinguli canonici ſint excommunicati, poſſit Epiſcopus beneficia conferre. Sin verò collatio prabendarum pertinet ad ſolum Epiſcopum cum conſenſu, vel aſſenſu capituli; ſi Epiſcopus decedat, vel ſit ſuſpenſus à collatione beneficiorum, Capitulum non poſſit ea conferre, niſi Epiſcopus fuerit in mora. Sin verò collatio beneficiorum ſpectet ad aliquem cum conſilio tamen Epiſcopi, ſi moriatur epiſcopus, vel ita abſit, ut ejus præſentia in brevi non poſſit haberi; tunc ille, ad quem ſpectat, beneficium conferat, ne diu vacet cum detrimento Eccleſiæ.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. *SI FRATRUM unic. h. t. ſtatuitur, ut quæ*

rialis in aliqua orbis parte, vel eo utuntur sint licentia sedis Apostolica, excommunicentur, & qui eosdem sub hoc titulo recipiunt, vel eis obediunt, vel alios obedire permittunt, vel in hoc eis præstant auxilium, consensum, aut favorem, etiam excommunicentur: immo horum singuli, & eorum terræ, ac loca subjiciuntur interdicto, aliisque arbitrariis pœnis, & eorum subditi absolvuntur à juramento in hoc, si quid præstiterunt: immo dissolvuntur etiam omnia juramenta, & fœdera, eò quia sint fœdera iniquitatis.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. SUSCEPTI unic. h. t. Joannes XXII. statuit, ut si qui ex privilegio, consuetudine, vel statuto primi, vel secundi, vel plurium annorum fructus beneficii vacantis sibi vendicant: si beneficia majora sint, vel minora quantum ad solutionem decimæ, vel illa relicta pro eodem beneficiato velint residuum, quod superest; & intra decem dies ipsi non eligunt, debeant recèns creati beneficiarii eligere, quam partem voluerint, sicq; utrique dentur fructus. Si non sint taxata, tamen illi fructus, pro quibus Ecclesia consuevit decimas solvere, debeant dividi, ut dimidiam partem accipiat beneficiarius; & aliam dimidiam privilegiatus. Quòd si aliquis non sit contentus, accipiat alter, qui est contentus, utramque partem, & curet, ut Ecclesiæ inserviatur. Quòd si aliquis accipiat aliquid ultra præmissa, & sit Prælatus, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ: sin verò sit Capitulum, universitas, vel collegium, sit interdictum, donec restituat. Sin verò sit particularis persona, excommunicatur, & non potest absolvi nisi facta restitutione.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo intelligatur, quòd sede vacante nil sit innovandum.

1 TAmetsi in præsenti rubrica dicatur sede episcopali vacante non esse quidquam innovandum, sed omnia in suo statu relinquenda usque ad novum Episcopum, non tamen est id ita perpetuum, ac generale quin plures patiatur exceptiones: siquidem ex contrario habetur alia regula desumpta *ex c. hinc, quæ c. cùm olim de majorit. & obed. c. ad abolendam in princ. de hæret.* quâ videtur potiùs dicendum, quòd sede vacante jurisdictio episcopi transeat ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ. Quamobrem cùm hæ duæ regulæ juris sibi invicem adversentur, non est ita certum, quænam ex iisdem debeat prævalere. Hinc plures Canonistæ quærunt, an statuenda sit regula generalis, ut Capitulum sede vacante succedere intelligatur in his omnibus, quæ ad jurisdictionem Episcopi pertinent, nisi in casibus jure delegatis: an verò è contra statuendum sit generatim, in nullo succedere, nisi in casibus jure concessis? olim ante Bonifacium VIII. teste Panormitano *in c. cum olim de majorit. & obed. n. 2.* gravis fuit controversia, an mortuo Episcopo Capitulum succederet in iis omnibus, quæ sunt jurisdictionis episcopalis. Et ipse Panormit. *ad rubricam h. t.* docet, regulam in rubrica traditam ita esse generalem, ut regulariter sede vacante omnia prohibeantur innovari, nisi quæ specialiter sunt in jure excepta, adeout si Capitulum velit aliquem actum exercere, teneatur probare, quòd talis actus sit sibi à jure permissus. E contra Navarrus *in tit. de elect. conf. 44. num. 1.* censet, regulam universalem, & affirmativam stare potiùs pro capitulo, adeo ut omnia, quæ sunt jurisdictionis episcopalis sede vacante possint à Capitulo fieri, nisi specialiter reperiantur in jure prohibita.

Alii procedunt cum distinctione, nimirum ut in iis, quæ Episcopo defuncto non tanquam Ordinario, & Episcopo, sed ex speciali privilegio, commissione, vel ut sedis apostolicæ delegato etiam ab ipso jure constituto competebant, ut etiam in iis quæ sunt ex libera voluntate nulla necessitate cogente, & quæ potiùs gratiam, quàm justitiam continent, habeat locum regula præsentis tituli: quòd sede vacante nihil innovandum sit, nisi sit specialiter permissum. Secus ut in aliis, quæ episcopo jure ordinario competebant, ut etiam in iis, quæ sunt contentiosæ jurisdictionis, aut instante necessitate, vel justitia sunt expedienda, procedat altera regula, nimirum quòd Capitulum in similibus succedat in jurisdictione Episcopi, nisi specialiter reperiatur in jure prohibitum.

3 Verior tamen sententia in scholis, & in foro receptior nunc est, quòd ea, quæ non competunt Episcopis jure communi, vel ex jurisdictione ordinaria, ac in eorum officio radicata; sed accidentaliter, vel ex speciali mandato, cognitione, aut privilegio Romani Pontificis, non transeant in Capitulum: & ratio est, quia quamvis Capitulum succedat in jurisdictione, non tamen in dignitate episcopali, cui delegatio facta esse videtur, idque procedit maximè si in litteris adnexum fuerit, ut procedat tanquam delegatus sedis apostolicæ, ut tradit Solorzanus *de Indiar. jur. tom. 2. lib. 3. c. 13. n. 4.*

4 Censent alii, Capitulum succedere tantùm in jurisdictione episcopali contentiosa, seu necessaria, nimirum in iis tantùm, quæ sunt justitiæ; non verò in jurisdictione voluntaria, seu in iis, quæ sunt gratiæ, nisi id reperiatur in jure concessum, ita docent Felin. *in c. cùm olim eod. tit. in antiq.* Joannes Andreas *in c. unic. de majorit & obed. in 6.* Petrus Gregorius *de benefic. c. 38. num. 3.* Verùm hæc limitatio

ab

ab aliis non approbatur, quia jura abſolutè dicunt, quòd Capitulum ſede vacante ſuccedat in jurisdictione ordinaria Epiſcopi, nec diſtinguunt inter jurisdictionem contentioſam, & voluntariam: & ubi jura non diſtinguunt, nec nos debemus diſtinguere, Rebuffus *in prax tit. de devolut. num.* 58. *& ſequent.* Panving. *de poteſt. capit. ſede vacante* 1. *p. q.* 5. Navarrus *conſ.* 44. *de tempor. ordin. & conſ.* 7. *de filiis Presbyter.* Ugolinus *de cenſur. tab.* 1. *c.* 10. §. 2. Riccius *in praxi for. eccles. reſol.* 305.

5 Cæterum ſede vacante nil innovari poteſt à Capitulo in præjudicium ſedis epiſcopalis, niſi id in jure expreſsè cautum ſit; neque poteſt Capitulum ſede vacante immutare ſtatum Eccleſiæ, idque deſumitur *ex c. novit.* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd ſede epiſcopali vacante nil ſit innovandum, cùm neque Papa innovet: quia non eſt, qui defendat jus epiſcopale, & ne plus perſonæ, quàm Eccleſiæ tribuiſſe videatur. Hinc quamvis ſede epiſcopali vacante jurisdictio, & adminiſtratio rerum, ac jurium epiſcopalium devolvatur ad Capitulum *c. his quæ* 11. *c. cùm olim* 14. *de majorit. & obed.* non tamen poteſt Capitulum res Eccleſiæ alienare, vel donare *c. ſi quæ* 42. *caus.* 12. *q.* 2. ſiquidem Capitulum utpote adminiſtrans res Eccleſiæ non debet illas diſtrahere, ſed usque ad tempus Epiſcopi ſubſtituendi tenetur eas conſervare alioquin non eſſet adminiſtrator, ſed dilapidator; & deſumitur *ex c. hæc hujus q.* 2. unde Capitulo ſede vacante vetitum eſt ex lege canonica bona Eccleſiæ, quæ ſervando ſervari poſſunt diſtrahere, ut etiam notat Joannes Monachus *in c. unic. de majorit. & obedient. in* 6. quia commoda, & reditus, ſeu fructus epiſcopatûs deſumuntur ex poſſeſſionibus, & agris; & cùm fructus, ſeu reditus debeantur ſucceſſori *c. quia ſæpe de elect. in* 6. *& clement. penult. eod. tit.* ideo non debent diſtrahi, ſed vel expendi in utilitatem Eccleſiæ, vel reſervari ſucceſſori, ut decrevit Bonifacius VIII. *in c. quia ſæpe* 40. *de elect. in* 6.

6 Quamobrem bona mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, non licet Capitulo alienare; ea tamen bona, quæ ſervando ſervari non poſſunt, poteſt ex juſta cauſa Capitulum gerens adminiſtrationem ſede vacante alienare ſine alterius licentia, perinde ac tutor poteſt pupilli bona, quæ ſervando ſervari non poſſunt, alienare, *l. lex quæ* 22. *C. de adminiſt. tutor.* Abbas *in d. c. novit. h. t.* Alia verò bona mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, non ſunt a Capitulo alienanda, ut nec etiam immobilia abſque authoritate ſedis apoſtolicæ, & deſumitur ex Concilio Ilerdenſi *can.* 12. ubi dicitur: nullus clericorum cujusvis ordinis, officii, gradúſve ſit, quidquam de domo præſumat alienare, vel quod de utilitate inſtrumenti domus eſſe cognoſcitur, id eſt mobilis, aut immobilis rei eccleſiaſticæ invadere ſub pœna excommunicationis non latæ, ſed ferendæ ſententiæ.

7 Quòd ſi Capitulum alienationes abſque authoritate Papæ fecerit, eas Epiſcopus electus cùm fuerit confirmatus reſcindere poteſt; vel confirmare, ſi in majorem cedant Eccleſiæ ſuæ utilitatem, ut habetur in ſynodo Ancyrana *can.* 15. his verbis: ſi quid de rebus Eccleſiæ, cùm Epiſcopus non eſt, Presbyteri vendiderunt, placuit reciſo contractu jus Eccleſiæ revocari; ſimiliter ſi quid Epiſcopus ſine conſenſu Capituli diſtraxerit de bonis Eccleſiæ ſuæ immobilibus, ea rata fore, aut irrita velle poteſt, ut tradit Abbas *in c.* 1. *de iis, quæ fiunt à Prælato.*

8 Hinc bona, quæ ſervando ſervari poſſunt, & pertinent ad Eccleſiam cathedralem, Capitulum ſede vacante non poteſt ſine licentia à Papa petita, & conceſſa alienare, niſi defenſor ſpecialiter, ſeu curator à Papa in hunc finem datus fuerit: quia Eccleſia vacans ſine tali curatore careret defenſore; & debet talis curator, ſeu defenſor dari à Papa; quia adminiſtrator Eccleſiæ cathedralis vacantis generaliter ſolùm, etiam cum plena, & libera poteſtate in ſpiritualibus, & temporalibus à Papa conſtitutus non poteſt alienare bona immobilia Eccleſiæ *c. is cui* 42. *de elect. in* 6. idque procedit quamvis alienatio rerum immobilium etiam pretioſarum ex juſta cauſa conceſſa videatur tali adminiſtratori: ſed ad id requiritur curator, ſeu defenſor, qui ſpecialiter in hunc finem aſſignetur à Papa: quamobrem multò minus poteſt Capitulum ſede vacante bona immobilia Eccleſiæ alienare; neque mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, niſi ex ſpeciali conſenſu Papæ. Idque etiam procedit de Eccleſia exempta, ac immediatè ſubjecta Romano Pontifici; ſi enim vacet dandus eſt illi in caſu alienationis à Papa curator, ſeu defenſor bonorum *argum. c.* 1. *de reb. eccles. non alienand.*

9 Quòd ſi agatur de bonis alienandis, quæ pertinent ad Eccleſiam inferiorem, vel conventualem ſubjectam Epiſcopo, tunc Capitulum ſede illa inferiore vacante, ſeu mortuo ejus Prælato unâ cùm Epiſcopo, qui immediati Prælati vicem gerit præcedente tractatu, & cognitione cauſæ poteſt alienationem facere, dummodo gravis cauſa urgeat, quia major neceſſitatis cauſa requiritur, ut res Eccleſiæ alienentur ſede vacante, quàm non vacante: ſiquidem regulariter expectandus eſt novus Prælatus, ut notat Abbas *in c. conſtitutus* 3. *h. t.* vacante verò ſede epiſcopali bona Eccleſiæ inferioris etiam vacantis non poſſunt alienari à ſolo Capitulo, niſi ex licentia à Papa petita, & conceſſa: vel curator, aut defenſor ad hunc finem fuerit ab eodem Papa datus.

10 An verò Capitulum ſede vacante ſuccedat in jurisdictione Epiſcopo competente ex conſuetudine. Affirmat Molina *de juſtit. tom.* 6. *tract.* 5. *diſp.* 11. *num.* 18. ubi ex eo probat, quia ſi jurisdictio aliqua ex conſuetudine competat Epiſcopo, in eadem ſuccedit Capitulum ſede vacante, quia acceſſorium ex conſuetudine comparatum qualitatem, & naturam ſortitur principalis. Molinæ adhæret Azorius *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 39. *q.* 7. Cæterum poteſtas capituli quoad jurisdictionem Epiſcopi ſemper procedit ſive ſedes epiſcopalis vacet per mortem naturalem Epiſcopi, ſive per depoſitionem, vel per tranſlationem ad aliam Eccleſiam, niſi ſummus Pontifex de alio provideret, qui Eccleſiam illam adminiſtraret, ut notat Gloſſa *in c. ſi Epiſcopus de*

supplend. neglig. Prælat. V. mortem. Hoc idem etiam procedit si Episcopus captus esset à paganis, vel schismaticis perseverante captivitate, ut habetur *in d. c. si Episcopus de supplend. neglig. Prælat.* immo Glossa ibidem *V. paganis* ait, hoc etiam procedere si captus esset ab hæreticis, eò quia utrinque militet eadem ratio textus; quia scilicet captus à paganis videtur effici servus, & fingitur mortuus civiliter, ut ait Glossa *ibidem verf. nota* 1. & mors civilis æquiparatur naturali.

Quòd si Episcopo existente in remotissima
11 regione, moriatur ejus Vicarius, tunc etiam probabilius est, quòd Capitulum succedat in ejus jurisdictione, quia longa absentia æquiparatur morti, ut declaravit Bonifac. *in element.* 1. §. *volumus q.* 5. *de for. compet.* & ille dicitur esse in remotis, cujus præsentia in brevi haberi non potest *c. unic.* § *fin.* ita censent Quaranta *in sum. Bullar. V. authoritas Archiepiscopi num.* 22. & Prosper de Augustin. *V. Capitulum. n.* 12. ubi referunt id in facti contingentia servatum fuisse Neapoli tempore, quo Hannibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus morabatur in Polonia legatus summi Pontificis, adhæret huic opinioni etiam Graffius *tom.* 2. *const. tit. de elect. consil.* 1. *num.* 4. ubi docet, Capitulum absente Episcopo posse Vicarium eligere.

An verò Capitulum sede vacante possit
12 exercere suam jurisdictionem si Episcopus ad aliam Ecclesiam translatus, adhuc non acceperit jurisdictionem? plures censent, posse Episcopum translatum etiamsi suæ translationis per Romanum Pontificem admissæ notitiam habuerit, immo & bullas receperit, continuare jurisdictionem, & administrationem prioris Ecclesiæ per se, vel per suum Vicarium, donec ad secundam Ecclesiam pervenerit, & ejus pacificam possessionem acceperit, adeo ut vacatio prioris Ecclesiæ non inducatur, nisi post quam translatus accipit possessionem secundæ Ecclesiæ Glossa *in c. si quis translatus c. cùm in cunctis* & *cùm verò de elect.* Hostiens. *in c. olim* 12. *de restit. spol.* Felin. *cons.* 40. *col* 1. Romanus *cons.* 345. *n.* 17. Garcia *de benefic. loc. cit. num.* 40. ubi ait, quòd quamvis Episcopus ex die translationis per Pontificem approbatæ non faciat suos fructus primæ Ecclesiæ, sed secundæ; nec possit providere de beneficiis in illa vacantibus: nihilominus administrat, & exercet jurisdictionem in illa, in cujus possessione permanet, donec possessionem secundi episcopatus adipiscatur.

Verùm probabilius est, quòd primus Epi-
13 scopatus statim vacet per translationem ad secundum, & absolutionem à primo factam à Papa, & accedente consensu ipsius translati, tametsi nondum adeptus sit possessionem secundi Episcopatus, ut docent Abbas *in c. fin. num.* 13. *de postulat. Prælat.* & fusiùs *cons.* 101. Mandosius *de signatura gratiæ tit. de translat. V.* 2. Lopez *lib.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. Glossa penult. Mascardus *de probat. conclus.* 183. *num.* 11. siquidem dignitates majores, inter quas recensetur Episcopatus etiam sine adeptione possessionis secundæ dignitatis, vel Episcopatûs per simplicem translationem dicuntur vacare, ut notat Calder. *cons.* 10. *de sent. & re judic.* ubi ait, sententiam latam per vicarium Episcopi translati non valere, eò quia ab ipso dicatur abdicata potestas, & id procedere tametsi Vicarius ignarus esset translationis, ut notat Joannes Monach. cum pluribus aliis *in c. quod ob gratiam de regul. jur. in* 6.

Hoc idem etiam asserit Stephanus Gratia- 14
nus *cons.* 196. *num.* 17. ubi ait, nil referre, an consensus Episcopi præcedat, vel sequatur absolutionem factam à Papa à vinculo, quo primæ Ecclesiæ ligabatur, neque quòd apprehensa fuerit possessio, vel non; adeo ut cùm primùm Episcopus transfertur, quæ fiunt à Vicario Episcopi translati nullius sint valoris, tametsi Vicarius ignoret translationem episcopi; quia in ratione translationis cessat totum jus in Episcopo translato respectu primæ Ecclesiæ, & scientia, vel ignorantia Vicarii nil operatur ex defectu juris: siquidem ipso facto quo Episcopus est translatus expirat officium Vicarii absque alia certioratione, ut notat Scipio Rovitus *cons.* 22. *num.* 2. & 4. & Julius Laborius *in variis lugubrat. tit.* 4. *de elect. can. c.* 25. *n.* 17. ubi ait, quòd si Episcopus transferatur de una Ecclesia ad aliã, prima dicatur vacare statim ac ab illius vinculo absolvitur in consistorio Papæ, tametsi litteræ non sint expeditæ, nec possessio capta.

Non solùm Capitulum sede vacante juris- 15
dictionem exercet in personas ecclesiasticas, sed etiam in sæculares, si illæ subjiciebantur Episcopo talis Ecclesiæ, adeo ut Episcopus defunctus habuerit jurisdictionem temporalem in easdem personas, ac potuerit cognoscere de causis, quæ moventur inter laicos suæ Diœcesis *argum. text. in c. conquestus de for. compet.* & *in c. Romana* §. *debet de appell. in* 6. quia jurisdictio Episcopi sede vacante transit ad Capitulum, unde si Episcopus habuit jurisdictionem, & potuit cognoscere de causis etiam criminalibus per alios exercendis; etiam Capitulum poterit per alios hanc jurisdictionem exercere absque periculo irregularitatis *c. fin. ne clerici, vel Monach. in* 6.

An verò prima instantia Capituli sede va- 16
cante censeatur reservata à Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 20. *de reformat.* Probabilior opinio, & communior affirmat, quia appellatione Ordinarii in materia collationis non solùm venit Episcopus, verùm etiam alius inferior Prælatus habens potestatem conferendi, licèt non habeat jurisdictionem, ut tradit Decius *in c. post cessionem num.* 7. *de probat.* Rebuffus *in Concord. tit. de collat.* & Barb. *de appellat. verb. utrinsque juris, & c.* 177. *numero* 4. *& numero* 3. asserit Ordinarii appellatione venire etiam Priorem S. Joannis Hierosolimitani, ut censuit Rota *decis.* 493. *num.* 5. *p.* 2. *recent.* De jure tamen communi Ordinarii collatores sunt Episcopi, vel Archiepiscopi, qui in collatione, & provisione beneficiorum suæ diœcesis fundatam habeant intensionem jure communi. De beneficiis tamen, & præbendis Ecclesiarum cathedralium, ac collegialium est peculiare dubium, an spectent ad provisionem solius Episcopi, vel etiam Capituli simul. Certum est, provisionem cathedralium olim pertinuisse ad solum Romanum Pontificem Glossa *c. quamquam de elect. in* 6. Sorba *de benef.* 2. *p. q.* 22. 3. *cas. num.* 9.

&, electionē Epiſcoporū jure divino non pertinere ad clerum, ſed ad ſolum ſummum Pontificem, ut vel ipſe eligat, vel modum præſcribat eligendi, ut fusè probat Bellarminus *tom. 1. controv. 5. lib. 1. c. 8. & 2. tom. controv. 2. lib. 1. c. 8.* Proviſio verò inferiorum Eccleſiarum olim pertinebat ad Epiſcopum, ut probat Sorba *de benef. p. 2. loc. cit.* Tractu tamen temporis fuit à Papa data poteſtas collegiis eligendi ſibi Prælatum ſive Eccleſia ſit cathedralis, ſive inferior, confirmatione electi ſuperiori immediato relictā *c. ne pro defectu c. quia propter* 42. *de elect.* Nunc verò proviſio talium Eccleſiarum eſt reſervata Papæ per ſecundam, & tertiam regulam cancellariæ.

17 An verò Capitulum ſede vacante poſſit judicare de cauſis pertinentibus ad Epiſcopum, ſi quæſtio vertatur ſuper proprietate alicujus juris, ſeu jurisdictionis, an pertineat ad Epiſcopum, vel non, vel an aliquis ſit ſubjectus, vel exemptus, an talis locus ſit de diœceſi, an non; vel an aliquod beneficium ſit de jure patronatus, vel pertineat ad meram Epiſcopi collationem. Reſpondetur negativè: quia tametſi Capitulum ſede vacante ſuccedat Epiſcopo in nudo exercitio jurisdictionis epiſcopalis: non tamen quando vertitur quæſtio ſuper proprietate alicujus certi juris, ſeu jurisdictionis, an ad Epiſcopum pertineat, vel non: tunc enim non ſuccedit Capitulum in ordine ad examen illius quæſtionis ob præjudicium, quod fieri poſſet futuro Epiſcopo, quia tunc Eccleſia caret legitimo defenſore *c. fin. ne ſede vacante.* Panormit. *in c. verum num.* 12. *de for. compet.* exhibet aliquot exempla, ut ſi contenderetur an aliquis ſubjiciatur, vel ſit exemptus ab Epiſcopo. Rurſus an talis locus pertineat ad diœceſim, vel non. Si dubitaretur, an aliquod beneficium ſit de jure patronatûs, vel pertineat ad meram Epiſcopi collationem. Idque procedit tametſi cauſæ reperiantur certæ, ac inchoatæ ante vacationem ſedis epiſcopalis, adeo ut non poſſint proſequi à Capitulo, ſed exſpectandus ſit novus Epiſcopus, ut fusè tradit Panving. *de poteſt. Capituli p. 2. q. 9.*

§. II.

Quænam poteſtas ſede vacante competat Capitulo quoad promotionem clericorum ad ordines eccleſiaſticos.

1 CApitulum ſede vacante poſſe intra annum ab obitu Epiſcopi dare licentiam alteri Epiſcopo ut conferat ordines Regularibus videtur perquàm probabile, quia quando duæ res ſunt ita indifferentes, ut una fieri poſſit ſine alia, quæ prohibita eſt, non cenſetur etiam prohibita illa alia, præſertim ſi acceſſoriè non ſequatur ad prohibitam: dare autem alicui Epiſcopo extero licentiam, ut conferat ordines in aliena diœceſi ubi vacat ſedes; eſt res omnino diverſa ab eo, quod eſt dare dimiſſorias ſubditis ad ordines, unde licèt hoc ſecundum prohibeatur, adeo ut Capitulum ſede vacante non poſſit intra annum hujusmodi dimiſſorias concedere clericis ſubditis, non tamen ſequitur, quòd facultatem non poſſit concedere Epiſcopo extero conferendi ordines in diœceſi aliena Religioſis, & clericis exteris. Quòd verò ſint res diverſæ, nec una ſe habeat acceſſoriè ad aliam ex eo poteſt evinci, quia dare licentiam Epiſcopo extero ut conferat ordines in aliena diœceſi, perinde eſt, ac dare eidem licentiam, ut celebret pontificalia extra ſuam diœceſin; & Concilium Tridentinum id non prohibet, ſed tantùm vetat, quòd non fiat ſine licentia proprii Ordinarii At concedere dimiſſorias ad ordines eſt dare licentiam alicui ſubdito, ut ſe conferat ad alienum Epiſcopum, ut ab eodem ordinetur, per quas dimiſſorias Epiſcopus, qui illas concedit, dat teſtimonium, quòd ſubditus eas deferens habeat ſcientiam, & bonos mores, proinde petit ab alio Epiſcopo, ut velit huic ſubdito ordines conferre, unde liquet differre inter ſe, dare licentiam Epiſcopo extero, ut ordines conferat in aliena diœceſi; & dare dimiſſorias ſubdito, ut ab alieno Epiſcopo initietur ordinibus eccleſiaſticis.

2 Quòd verò poſſit unum fieri ſine alio ex eo liquet, quia Capitulum dans licentiam Epiſcopo extero, ut conferat ordines clericis alienæ diœceſis, vel religioſis; non dat dimiſſorias, proinde poteſt unum fieri ſine alio: quia Tridentinum non cenſetur prohibere Capitulo, ne ſede vacante intra annum vacationis det licentiam extero Epiſcopo apud ſe commoranti, vel etiam ſuo Epiſcopo titulari, ut conferat ordines Religioſis, & clericis non ſubditis. Tum quia prohibitio Tridentini, ne Capitulum ſede vacante det dimiſſorias ad ordines, ſolùm intelligitur quoad clericos ſubditos ipſi Capitulo, non verò quoad non ſubditos, & Religioſos, ut notat Henric. *tom. 2. lib. 10. c. 22. num. 2.* Tum quia id declaravit ſacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut refert Marſil. *1. tom. declarat.* quam etiam citat Farinac. ad Trident. *c. 10. de reformat. ſeſſ. 7.* ubi ait, quòd Capitulum ſede vacante poſſit concedere licentiam extero Epiſcopo exercendi pontificalia in ejus Eccleſia, & conferendi ordines Religioſis, & clericis exteris habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum juxta formam hujus decreti.

3 Idque etiàm evincitur ex ipſo nomine dimiſſoriarū, quæ non dantur niſi ſubdito, ut ſe conferat ad alienum Epiſcopū pro ordinibus recipiendis: & Religioſi non ſunt ſubditi Capitulo ſedis vacantis, ut nec etiam clerici alienæ diœceſis, proinde prohibitio dandi dimiſſorias pro ordinibus ſede vacante non intelligitur de Religioſis, nec clericis exteris, quia illi non deferunt dimiſſorias capituli, ſed ſui Prælati.

4 Neque obſtat, ſi dicas, Tridentinum prohibere generatim ordinari intra annum; quia Tridentinum tantùm loquitur generaliter de ſubditis, hoc eſt, quòd nullus ex ſubditis talis diœceſis vacantis ordinetur intra annum, non verò loquitur de clericis non ſubditis, nec de Religioſis. Idque ex eo firmatur, quia Tridentinum ſtatim prohibet dimiſſorias dari intra annum pro ordinibus ſuſcipiendis; & cùm dimiſſoriæ non dentur niſi propriis ſubditis, ideo Concilium loquitur generaliter de omnibus clericis

subditis, quibus Capitulum dare potest dimissorias, non verò de Religiosis, & aliis clericis exteris, quibus non dat dimissorias, ut etiam notat Barb. *de canon. quæst. c. 42. n. 121.* & Portel. *in respons. moral. tom. 2 cas. 71.*

5 Potest etiam Capitulum sede vacante revocare licentiam conferendi ordines, & exercendi pontificalia, si hujusmodi licentia concessa fuerit alicui extero Episcopo à defuncto Episcopo: quia si Episcopus habet facultatem ordines conferendi, & exercendi pontificalia ab Episcopo defuncto, dum viveret; Capitulum potest revocare talem facultatem concessam extero Antistiti; quia Episcopus defunctus, si viveret, posset licentiam, quam dederat, revocare; & Capitulum habet jurisdictionem ordinariam Episcopi defuncti, proinde potest etiam Capitulum hujusmodi licentiam revocare. Tum quia defacto Capitulum revocat plura concessa à defuncto Episcopo, prout consultiùs visum fuerit; adeo ut removeat Vicarium generalem constitutum à defuncto Episcopo, ut etiam provisorem, proinde à fortiori poterit etiam revocare concessam licentiam exercendi pontificalia, & conferendi ordines. Quòd si Capitulum non revocaverit talem licentiam, Episcopus exterus sicut antea ordines conferre posset, quia gratia non expirat per mortem concedentis, si gratia facta sit absolutè, & sine limitatione temporis, proinde suppositio, quòd Episcopus defunctus non limitaverit hanc gratiam Episcopo extero; non expirat per mortem concedentis, sed potest illâ uti, quamdiu Capitulum eam non revocaverit, & sicut Episcopus defunctus potuisset illam revocare, ita etiam Capitulum.

6 Prohibetur tamen Capitulum sede vacante concedere dimissorias clericis subditis ad ordines suscipiendos intra annum à morte Episcopi, idque sub pœnis injunctis à Concilio Tridentino *sess. 23. c. 10. de reformat.* ubi concedentes dimissorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum sunt ipso jure suspensi, & sacra Congregatio Cardinalium Concilii interpretum censuit die 5. Julii 1575. non licere Capitulo litteras dimissorias concedere ex hoc decreto, quamvis habeat territorium distinctum, & exemptum, & immemorabilem possessionem, ac sint Judices ordinarii. Non tamen incurruntur hæ pœnæ, si quis acceptis litteris dimissoriis illis non uratur, in hoc enim casu nec Capitulum, nec ejus Vicarius in tales pœnas incideret, quia pœna pro aliquo delicto imposita regulariter non incurritur nisi post opus consummatum, seu post usum prædictarum litterarum, quia pœnalia in jure intelliguntur cum præsuppositione delicti consummati.

7 Cæterum elapso anno à puncto sedis vacantis potest Capitulum concedere has litteras dimissorias, perinde ac posset Episcopus. Neque litteræ dimissoriæ à Capitulo concessæ per novum Episcopum expirant, ut notat Gonzales *ad regul. 8 cancellar. Glossa 12. num. 37.* Consultiùs tamen est, ut si tempore præsentationis dictarum dimissoriarum alius Episcopus sciverit, novum Prælatum possessionem ejusdem episcopatûs accepisse, eas tunc non admittere, eò quia à novo Episcopo soleant revocari. Quòd si extraneus Episcopus promoveret ad ordines sacros clericum non habentem, unde viveret, teneretur ei providere, perinde ac proprius Episcopus, ut notat Ugolinus *de potest. Episc. c. 26. §. 15. num. 1.* Non tamen Vicarius Papæ prohibetur etiam post sedem vacantem tales dimissorias concedere, quia in Concilio Tridentino non fit mentio de Vicario Papæ Campanil. *in diverf. jurib. canon. rub. 9 c. 8. n. 8.*

8 Idque etiam constat ex praxi. Major difficultas videtur esse de prima tonsura, an Capitulum sede vacante intra annum possit litteras dimissorias concedere pro prima tonsura. Plures affirmant, eò quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 2.* dicat, ut qui jam clericali tonsura insigniti sunt, per minores ad majores ordines ascendant. Ubi Concilium distinguit primam tonsuram à minoribus ordinibus, adeo ut prima tonsura non sit ordo, cùm non dentur nisi ordines minores, & majores. Tum quia idem Concilium in diversis aliis capitibus agit de prima tonsura tantùm, & *c. 6.* ait: nullus primâ tonsurâ initiatus, ut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere: unde Concilium distinguit primam tonsuram ab ordinibus minoribus, quod etiam præstitit Concilium Carthaginense, quod præ cæteris fusiùs egit de ordinibus, siquidem *in c. 3. de Presbyter. ordinat. c. 4. de ordinat. Diacon. c. 5. de ordinat. subdiacon. c. 6. de ordinat. Acoliti. c. 7. de ordinat. Exorcista. c. 8. de ordinat. Lector. c. 9. de ordinat. Ostiar.* & nullibi in eodem Concilio in ordinum enumeratione fit mentio de prima tonsura.

9 Idque etiam videtur desumi ex Romano pontificali, siquidem *in tit. de tonsurand. cleric.* non apponit verba, quæ solet in aliis minoribus ordinibus apponere, scilicet *de ordinando clerico* sed adhibet hæc alia verba *de faciendo clerico* & statim sequitur *de ordinatione Ostiarii*, unde Romanus Pontifex excludit tonsuram ab ordinibus, & ejus collationem non judicat esse vocandam collationem ordinis. Hinc Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. num. 93.* adfert declarationes sacræ Congregationis Cardinalium Concilii interpretum, in quibus sacra congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam tonsuram. Nihilominus contraria sententia communior est, ac verior, adeout Capitulum sede vacante nec pro prima tonsura possit intra annum concedere litteras dimissorias, ut etiam docet idem Garcia *num. 95.* eò quia Concilium *in d. c. 10.* generaliter, & absolutè dicat, quòd non liceat capitulo infra annum concedere licentiam ordinandi, nec dimissorias, unde licèt prima tonsura propriè non dicatur esse ordo; quia tamen litteræ, quæ ad illam suscipiendam conferuntur, dicuntur propriè litteræ dimissoriæ, ideo cùm Concilium prohibeat omnes litteras dimissorias, comprehendit etiam primam tonsuram.

10 Tum quia ex consuetudine ita intelligitur decretum Concilii, & ita etiam practicatur à capitulis sede vacante, ut etiam docent Navarr. *consil.*

consil. 27. de tempor. ordinat. & Rodriquez *in summa 2. tom. c. 14. num. 6.* ubi asserunt, non posse Capitulum sede vacante concedere dimissorias etiam ad primam tonsuram. Præterea, quia in jure canonico prima tonsura habetur pro ordine, & *in c. cùm contingat de etat. & qualit. ordin.* prima tonsura vocatur ordo clericalis, & eam etiam vocat ordinem Glossa *in c. nullus de tempor. ordin. in 6. V. tonsura* Tum quia initiati primâ tonsura gaudent privilegiis clericorum, sùntque beneficiorum capaces, & quorum laici minimè capaces sunt *c. 2. de instit. c. ex litteris de transact.* Tum quia initiati primâ tonsurâ gaudent privilegio canonis *si quis suadente* Glossa *in d. c. cùm contingat de etat. & qualit. ordin.* unde cùm prima tonsura privilegia habeat cæterorum ordinum, meritò habetur pro ordine in jure canonico.

10 Tum quia Tridentinum *sess. 14. c. 2. de refor.* suspendit initiatum primâ tonsurâ ab alieno Episcopo sine licentia proprii, & *sess. 23. c. 4 & 6. de refor.* eadem prohibitione ligat initiatos prima tonsura, ac initiatos minoribus ordinibus & cùm Concilium eos pares faciat quoad hoc, satis conjicitur, voluisse inter ordines commemorandam esse primam tonsuram.

11 Neque obstat adducta declaratio sacræ Congregationis, quia ut respondet Garcia *loc. cit. n.* 96. intelligitur, quod decretum Concilii non comprehendat primam tonsuram quoad pœnas ibi impositas contra ordinatos in minoribus, & majoribus ordinibus, eò quia appellatione ordinum minorum ex communi loquendi usu, & præsertim Concilii Tridentini solùm intelliguntur quatuor minores, & non prima tonsura, quæ ab illis distinguitur, & est ordo tantùm initiativè ut liquet ex *sess. 21. c. 4. §. 10. 11.*

12 Quamvis prohibeatur Capitulum sede vacante intra annum concedere litteras quascunq; dimissorias, non tamen ipsi inhibetur concedere litteras testimoniales infra annum de vita, & moribus ordinandorum, adeo ut siquis per pontificium diploma impetrâsset posse initiari sacris ordinibus ab alieno Episcopo extra propriam diœcesin, posset Capitulum eidem infra annum à vacatione sedis concedere litteras testimoniales de vita, & moribus. Idque colligitur etiam ex Concilio Tridentino *sess. 23. de refor. c. 8.* ubi habetur: unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur; quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, aut privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: atqui sede vacante Capitulum, vel ejus Vicarius est Ordinarius, siquidem vices gerit Episcopi, proinde ad ipsum pertinet, has litteras testimoniales de vita, & moribus dare ei diœcesano clerico, qui à Papa impetrâsset, posse ordinari ab alieno Episcopo extra suam diœcesin; & quamvis stylus modernus Romanæ curiæ sit, ut sede vacante testimoniales litteræ petantur, & concedantur ab Episcopo viciniore, id tamen ita intelligitur, ut non solus Episcopus det has litteras, sed simul cum Vicario Capituli, vel habitis ab eodem informationibus de vita, & moribus ordinandorum, alioquin sine hac informatione delumpta à Capitulo, vel ejus Vicario, non posset Episcopus vicinior, cui non innotescunt mores ordinandorum litteras testimoniales ritè conficere.

An verò possit Capitulum sede vacante dispensare, ut quis ordinetur non servatis temporum interstitiis, probabilior opinio affirmat, quia hæc facultas includitur in ipsa potestate Episcopi, non tam ex commissione speciali, quàm ex Concilii dispositione, & cùm Capitulum succedat, non tantùm in ordinaria jurisdictione spectante ad Episcopum jure communi generali, verùm etiam pertinente ad eundem jure communi speciali, ut docent Abbas *in c. verum n. 9. de for. compet.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. n. 39.* ideo videtur, posse Capitulum sede vacante dispensare, ut quis ordinetur non servatis temporum interstitiis; siquidem Capitulum succedit Episcopo in iis, quæ illi competunt tanquam Ordinario. Idque fuisse pluries declaratum à sacra Congregatione Cardinalium testatur Valenzuela *cons. 107. num. 17. fol. 2.* Aliqui tamen quoad Vicarium limitant duobus modis hanc potestatem. Primò nisi quando vicarius habuit ad id speciale mandatum à capitulo, eò quia in generali mandato non veniat potestas dispensandi, ut docet Merola *tom. 3. disp. 7. dub. 1. num. 42.* Secundò limitant dispensationem interstitiorum, quia putant faciendam esse post elapsum primum annum sedis vacantis: siquidem cùm Capitulum intra annum à vacatione sedis non possit concedere licentiam suis clericis diœcesanis recipiendi ordines, neque ad eundem effectum litteras dimissorias concedere *c. cum nullus §. Episcopo de tempor. ordin. in 6.* Zerola *in prax. Episc. p. 1. V. Capitulum n. 1.* ideo prohibita etiam videntur Capitulo ea, quæ ad ipsos ordines suscipiendos proximè conducunt, ut litteræ dimissoriæ, dispensatio super temporum interstitiis *argum. l. oratio de sponsal.* Bartol. *in l. cum lex ff. de fidejussor.* Ordinatus tamen intra annum etiam contra formam Concilii Tridentini adhuc videtur esse capax beneficii ecclesiastici, quia taliter ordinatus non amittit privilegium ipso jure; sed tantùm est privandus per sententiam ferendam à Judice, ut docet Navarr. *cons. 20. de tempor. ordinat.* Idque desumitur etiam ex ipso Concilio Tridentino, quod cùm utatur verbo illo *gaudeat*, quod dicit relationem ad futurum, non denotat pœnam ipso jure impositam, sed imponendam juxta doctrinam communiter receptam; proinde clericus ordinatus contra formam supradicti decreti, donec privetur jure acquisito est capax beneficii.

Num verò possit Capitulum sede vacante 14
dispensare cum illegitimis tam quoad ordines minores, quàm quoad beneficium simplex, Solorzanus *de Indiar. jur. tom. 2. lib. 3. c. 13. n.* 13. & alii plures docent, posse Capitulum dispensare cum illegitimis tam ad ordines minores, quàm ad beneficium simplex, idque desumunt *ex c. 1. de filiis Presbyt. in 6.* Probabilior tamen sententia est, Capitulum sede vacante non posse dispensare quoad beneficium simplex, ut

tradit

tradit Moneta *de commut. ultim. volunt. c. 5. num.* 428. eò quia Capitulum sede vacante possit tantùm dispensare, quando dispensatio est debita, non verò quando est mera gratia, quod putârim verum, quoad vicarium Capitularem, nisi habeat speciale mandatum.

15 Dubitari tamen solet, an sede vacante possit sententia degradationis fieri à vicario Capituli, si ab Episcopo fuerit id ipsi commissum. In degradatione tres concurrunt actus; quorum primus est cognoscere de crimine, an mereatur degradationem. Secundus est ferre sententiam. Tertius exequi degradationem actualem: & quoad hunc tertium actum exequendi degradationem conveniunt Canonistæ, fieri non posse à Vicario Capitulari; qui tantùm duos primos actus potest exercere, quia cognoscere causam, & ferre sententiam non est actus ordinis, sed solius jurisdictionis, quia si pertineret ad actum ordinis fieret ab Episcopo, & quidem pontificalibus induto, sicut fit ipsa executio degradationis. Tum quia sententia hæc aliud non est, quàm punire delictum, & punire delinquentes, actus est jurisdictionis, non ordinis. Tum quia si hæc sententia ferretur ab Episcopo consecrato, quique se episcopatu abdicavit, nullum sortiretur valorem, non defectu ordinis, qui perseverat in Episcopo consecrato, sed ex defectu jurisdictionis, quam Episcopus amittit eo ipso quòd renunciat Episcopatui, proinde ferre sententiam degradationis non est actus ordinis. Tum quia Episcopi assistentes huic sententiæ judicant simul cum Episcopo proprio, adeo ut sint veri Judices, & loco talium Episcoporum possunt etiam assistere Abbates, vel aliæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, ut asserit Concilium Tridentinum *sess 13. c. 4.* ex quo satis clarè conjicitur, ferre sententiam degradationis non esse actum ordinis, sed jurisdictionis cum Abbates ordine episcopali careant.

16 Hinc notat Vega *in c. 4. §. de adulteriis n.* 28 *de judic.* pœnam degradationis actualis, seu verbalis pro criminibus majoribus, sive minoribus imponi posse à proprio Episcopo, seu ab ejus Vicario generali cum hac tamen declaratione, quòd id intelligatur de sola prolatione sententiæ, quâ fit condemnatio, non verò de ipso facto degradationis actualis: quia degradatio actualis cùm sit actus ordinis episcopalis non potest exerceri per Vicarium Episcopi; sed debet necessariò fieri ab ipso Episcopo, quia Vicarius Capituli sede vacante tantùm succedit Episcopo in his, quæ pertinent ad jurisdictionem, non verò quæ spectant ad ordinem episcopalem. Hinc Episcopus electus, & confirmatus nondum tamen consecratus quamvis possit cognoscere de criminibus, quæ merentur depositionem, & deponere sacerdotes, ac verbaliter degradare, seu proferre sententiam degradationis; non tamen de facto potest actualiter degradare, eò quia nondum sit consecratus, seu careat ordine episcopali, licèt per electionem, & confirmationem jam acquisiverit jurisdictionem: ex quibus deducitur, Vicarium capituli sede vacante posse duos primos actus exercere, scilicet cognoscere de crimine merente degradationem, & ferre sententiam degradationis, non verò exequi, & exercere ipsam actualem degradationem, eò quia duo primi actus pertineant ad jurisdictionem, & tertius ad ordinem. Non tamen Prælatus regularis potest jure communi deponere, vel degradare suos subditos, nisi fortassis id ei comperat ex consuetudine, vel privilegio, ut notat Navarrus *lib. 3. consiliorum conf. 58. de regular. num. 3.* & non facilè hujusmodi privilegia conceduntur, & ad summum se extendunt ad solam depositionem verbalem.

§. III.

De potestate Capituli sede vacante quoad dispensationes.

QUia Episcopis competit potestas dispensandi super irregularitatibus juxta decretum Concilii Tridentini *sess. 24.* & Capitulum sede vacante succedit Episcopo quoad jurisdictionem ordinariam. Oritur dubium, an Capitulum sede vacante succedat in usu hujus facultatis in casibus specialiter concessis Episcopo in jure, nisi ipsumet jus, vel consuetudo id declaret: & communior sententia est, posse Capitulum sede vacante dispensare super irregularitatibus, quibus potest Episcopus vigore Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6.* Solorzanus *de jure Indiar. tom. 3. lib. 3. c.* 13. Riccius *in prax. p. 3. resolut.* 265. Vega *in c. 4. de judic. §. de adulter. num.* 53. & alii plures, quos recenset Riccius *loc. cit.* quia Capitulum sede vacante non solùm succedit in jurisdictione ordinaria jure communi spectante ad Episcopum *c. cùm olim, & c. ad abolendam*, verùm etiam in jure speciali; atqui Episcopis ratione jurisdictionis conceditur, ut possint dispensare super omnibus irregularitatibus, & suspensionibus expressis in Concilio Tridentino *c. 6.* proinde Capitulum cùm succedat in jurisdictione Episcopi, utique poterit sede vacante etiam dispensare super omnibus irregularitatibus, quibus potest Episcopus vigore Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6.*

Quòd si dicas, Capitulum non succedere in iis, quæ competunt Episcopo jure speciali, ut tradit Innocentius *in c. cùm in cunctis num. 7. de elect.* Abbas *in c. verum n. 9. in princ. de for. compet.* Respondetur, id verum esse de iis, quæ competunt Episcopo jure speciali, & gratioso, seu privilegio, vel commissione Pontificis; non verò de his, quæ jure communi speciali ei competunt, ut in præsenti specie Concilii, sicut rectè notant Abbas *in d. c. verum num.* 9. Felinus *in c. eam te num.* 17. *de rescript.* Non enim Concilium hanc limitat potestatem, ut intelligatur Episcopis concessa tanquam delegatis sedis apostolicæ, quia Concilium simpliciter concedit hanc facultatem Episcopis, adeo ut vigore talis decreti hæc videatur facultas quasi jure ordinario annexa officio episcopali.

Quid verò dicendum sit de privilegio competente Episcopis vigore Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformat.* quoad dispensandum, & absolvendum, an sede vacante competat etiam capitulo; plures negant, eò quia sacra congregatio declaraverit, prædictam facultatem

concedi ſolis Epiſcopis privativè quoad omnes alios, adeo ut *in d. c. 6.* Concilium excludat Capitulum ſede vacante. Tum quia Capitulum ſede vacante tantùm ſuccedit in his, quæ ſunt jurisdictionis ordinariæ jure communi generali ſpectantis ad Epiſcopum, non verò in iis, quæ competunt Epiſcopo jure ſpeciali, ut tradit Innocentius *in c. cùm in cunctis num. 7. de elect.* & quia hoc privilegium quoad diſpenſandum, & abſolvendum convenit Epiſcopo non jure generali, & ordinario, ſed tantùm ſpeciali, & extraordinario, conceſſa Epiſcopis poteſtas non tranſit in Capitulum ſede vacante.

4 Nihilominus probabiliter cenſent alii hujusmodi privilegium etiam tranſire ad Capitulum ſede vacante, ut docent Barb. *de poteſtat. Epiſc. allegat. 29. num. 16.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. num. 41.* quia Capitulum ſede vacante non ſolùm ſuccedit Epiſcopo in his, quæ eidem competunt jure communi generali *c. cùm olim. de major. & obed.* verùm etiam in his, quæ jure ſpeciali Epiſcopo conveniunt tanquam Ordinario, & Epiſcopo ex jurisdictione ordinaria, ſicut in jurisdictione, quam habet Epiſcopus ex conſuetudine, ut docet Abbas *in c. cùm olim 10. & in c. at ſi clerici §. de adulter.* unde prædicta facultas tametſi competat Epiſcopo jure ſpeciali Concilii Tridentini, nihilominus competit illi jure communi, & jurisdictione ordinaria eidem conceſſa per dictum decretum: ſiquidem eſt poteſtas, quæ competit non perſonæ, ſed dignitati, vel officio in perpetuum, conſequenter eſt poteſtas ordinaria: & quia Capitulum ſede vacante ſuccedit in prædicta jurisdictione diſpenſandi, & abſolvendi, ſuccedit etiam quoad tale privilegium diſpenſandi, & abſolvendi conceſſum Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6.* Unde falſum eſt, quòd talis facultas concedatur ſolis Epiſcopis privativè quoad omnes alios, quia tametſi illa facultas competat Epiſcopo jure ſpeciali decreti Concilii Tridentini, competit tamen eidem jure communi, & ex jurisdictione ordinaria ei tributa per decretum Concilii, ut notat Piaſecius *in prax. epiſc. p. 2. c. 1. n. 16.* cum Covarr. *lib. 3. variar. qq. cap. 20. n. 6. & 10.*

5 An verò Capitulum ſede vacante poſſit abſolvere ab hæreſi, quamvis negent Trullench in *decalog. tom. 1. lib. 1. c. 3. dub. 3. num. 2.* Suarez *in 3. p. tom. 4. num. 4.* nihilominus alii probabiliùs cenſent, poſſe Capitulum ſede vacante etiam abſolvere ab hæreſi; quia tametſi Capitulum non ſuccedat Epiſcopo in iis, quæ illi conveniunt jure ſpeciali delegato, vel ex commiſſione ſpecialiter illi facta, ſuccedit nihilominus in iis, quæ jure ſpeciali ordinario ei conveniunt, ut tradit Panormitanus *in c. verum num. 9. de for. compet.* Felinus *in c. cum te n. 17. de reſcript.* atqui hæc poteſtas diſpenſandi, & abſolvendi convenit jure ſpeciali ordinario Epiſcopis, ſiquidem non datur perſonæ ad tempus, ſed dignitati, & officio in perpetuum: quod autem convenit alicui in perpetuum ratione officii, competit eidem ratione poteſtatis ordinariæ, & non delegatæ.

Tum quia in Concilio non dicitur, quòd talis poteſtas abſolvendi ab hæreſi detur Epiſcopis tanquam delegatis ſedis apoſtolicæ, quod ſignum eſſet poteſtatis delegatæ, tametſi eſſet in perpetuum tale privilegium conceſſum, ut notat Gloſſa *in c. ad abolendum de hæret.* ſed datur Epiſcopis ſimpliciter, & abſolutè quatenus ſunt Epiſcopi, ſeu datur in perpetuum dignitati epiſcopali, proinde hæc poteſtas eſt ordinaria non delegata in Epiſcopo, & cùm Capitulum ſede vacante ſuccedat in iis, quæ conveniunt Epiſcopo jure ſpeciali ordinario, ideo ſuccedit etiam quoad poteſtatem abſolvendi ab hæreſi; ſi enim hæc jurisdictio in Epiſcopis eſſet delegata utique Capitulum non ſuccederet ſede vacante, ut tradunt Rota *deciſ. 6. de offic. delegat. in antiq.* Romanus *conſil. 506. num. 4.* Felinus *c. eam te num. 17. & in c. cùm olim ad 10. quæſtionem* Neque obſtat, quòd aliqui objiciant in oppoſitum declarationem Cardinalium, quòd talis facultas in Tridentino concedatur Epiſcopis privativè quoad omnes alios Prælatos inferiores, ſiquidem de tali declaratione non conſtat authenticè, neque eſt promulgata tanquam juridica, præterea eſto haberetur talis declaratio, non tamen haberet vim legis.

7 Demum neque talis declaratio eſſet ita intelligenda, ut excluderet Capitulum, cùm hoc ſede vacante ſuccedat Epiſcopo, & in omnibus ſit loco Epiſcopi etiam ſpecialiter, quoad facultatem abſolvendi. Siquidem nomine Epiſcopi ſede vacante comprehenditur etiam Capitulum: quamobrem ſicut olim ſede vacante poterat Capitulum abſolvere ab hæreſi, ita hodie poterit hoc idem præſtare, quia tametſi quæ jure ſpeciali competunt Epiſcopis, non tranſeant ad Capitulum, id tamen intelligitur de iis, quæ competunt Epiſcopis jure ſpeciali extraordinario, non verò jure ſpeciali ordinario, ut eſt hæc facultas, quæ convenit non perſonæ, ſed dignitati epiſcopali proinde Epiſcopo jure ſpeciali ordinario, & non delegato; hoc enim eſt diſcrimen inter jus ſpeciale ordinarium, & delegatum, quia illud conceditur ratione officii, & dignitatis; & hoc ratione perſonæ. Rurſus illud non extinguitur per mortem Epiſcopi, ſed perſeverat cum dignitate epiſcopali; jus verò delegatum ceſſat per obitum perſonæ. Hinc Baunius *in theol. moral. tom. 1. tract. 11. q. 26.* aſſerit, Epiſcopos poſſe abſolvere ab hæreſi occulta, & id eſſe de jure communi.

Tum quia Epiſcopi hanc facultatem habent antiquo jure à Lucio III. *in c. ad abolendam 9. de hæret.* ubi habetur: tametſi fuerint, qui à lege diœceſanæ jurisdictionis exempti ſoli ſubjaceant ſedis apoſtolicæ poteſtati, nihilominus in his, quæ ſunt contra hæreticos inſtituta Epiſcoporum ſubeant judicium: unde quòd Epiſcopi abſolvant ab hæreſi, non eſt in Eccleſia quid novum, nec quid ſpecialis juris, ſed antiqui. Tum quia Epiſcopus jure communi poteſt abſolvere ab his omnibus, quæ ſibi ſpecialiter Pontifex non reſervavit, ut tradit Innocentius III. *c. nuper 29. de ſentent. excommun.* ubi ait: quia conditor canonis hæreſis abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem relaxandi.

9 Non enim hæresis primis temporibus ex canonum lege erat Pontifici reservata, ut liquet *ex c. non erit 49. extra de sent. excommun. & c. ad abolendam 9. de haret.* & licèt Honorius III. *c. non erit 49.* excludat à sacris, ac de piorum cœtu hæreticos, non tamen indicat cordi sibi esse, ut nonnisi annuente, & approbante se restituantur Ecclesiæ; sed hæc potestas datur etiam Episcopis *in c. per hoc 16. de haret. in 6.* ubi datur facultas Episcopis hæreticos judicandi, puniendi, restituendi Ecclesiæ, ac Sacramentis, si continuò post deprehensionem erroris ad fidei catholicæ unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis illius publicè consenserint abjurare, ut liquet *ex c. 9. de haret.* Ex quo liquet, facultatem absolvendi ab hæresi de jure antiquo convenire Episcopis, proinde ipsis non competere jurisdictione delegata, sed speciali ordinaria, ad quam succedit Capitulum sede vacante. Verùm hodie stante Bulla cœnæ Episcopi prohibentur absolvere ab hæresi manifesta, & in foro externo, & quamvis per Tridentinum *sess. 24. c. 16.* hæc facultas concedatur Episcopis in foro conscientiæ, si hæresis sit occulta, non tamen ejus Vicario etiam ad id specialiter deputato: nihilominus hæc facultas revocatur quot annis per clausulam Bullæ cœnæ, ut patet ex dissertissimis verbis ejusdem Bullæ editæ à Gregorio XV. & ex aliis declarationibus Pontificum, & Cardinalium; tametsi non desint, qui putant, talem facultatem non revocari nisi quoad hæresin publicam, qualis est, quæ innotescit majori parti communitatis constantis saltem ex decem personis: & nituntur hac ratione, quia correctio juris communis maximè Tridentini, quod summi Pontifices semper magni fecerunt, vitari debet, quoties id commodè fieri potest.

10 Tum quia cùm res sit tam gravis, & sciendibus Pontificibus hinc inde controvertatur, si ipsi non censerent, posse Episcopos vigore Concilii Tridentini absolvere ab hæresi occulta, sed in foro conscientiæ tantùm, utique speciali decreto id declararent, immo Sanchez *tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 13.* censet, Episcopum posse suum subditum hæreticum extra suam diœcesim existentem absolvere, ut etiam si uterque repetiatur extra diœcesin.

11 Quinimò potest Capitulum sede vacante etiam procedere contra hæreticos, quia cùm succedat in jurisdictione Episcopo defuncto, cui non jure delegato, sed ordinario competebat potestas absolvendi ab hæresi occulta, & Capitulum succedat sede vacante in iis, quæ competunt Episcopo jure speciali ordinario, ut notat Barb *de offic. episc. p. 3. allegat. 36. num. 10* ideo potest Capitulum sede vacante circa hæreticos hoc idem, quod potuit Episcopus, antequam decederet jure speciali ordinario: atqui Episcopus potuit jure speciali ordinario procedere contra hæreticos, ut notat Barb. *loc. cit.* ergo etiam Capitulum sede vacante potest contra hæreticos procedere. Tum quia Vicarius Capituli sede vacante debet assistere inquisitoribus in causis fidei, ut notat Farinac. *q. 186. n. 177.* at in casibus, in quibus Episcopus procedit ut delegatus, ut quando in causis hæresis procedi-
tur contra exemptos, quia tunc Episcopus non procedit ut ordinarius, sed ut delegatus, non potest tunc Vicarius capituli procedere, quia Capitulum non succedit in jurisdictione delegata, sed tantùm speciali ordinaria.

12 Potest etiam Capitulum sede vacante dispensare in petitione debiti, ac concedere facultatem absolvendi à reservatis, quia hoc idem potest Episcopus jurisdictione ordinaria, unde sicut Episcopus potest dispensare in petitione debiti, & ut illegitimus minores ordines suscipiat, ac obtineat beneficium simplex *juxta c. 1. de filiis Presbyt. lib. 6.* tametsi id nonnulli negent ea ducti ratione, quia dispensatio sit usus voluntariæ jurisdictionis, & quòd ad Capitulum sede vacante tantùm devolvatur jurisdictio ordinaria: nihilominus contraria sententia videtur communior, quam docent Panormit. *c. tùm olim de majorit. & obed. num. 2. V. octavo dubitatur.* Navarr. *consil. 28. & 30.* & alii asserentes, posse Capitulum sede vacante dispensare in petitione debiti, & etiam concedere facultatem absolvendi à reservatis, quia tota jurisdictio ordinaria Episcopi sede vacante devolvitur ad Capitulum, tametsi sit jurisdictio voluntaria, quæ expressè in jure non excipiatur, ac denegetur Capitulo: atqui nullibi reperitur, quòd hæc jurisdictio denegetur Capitulo; & cùm persæpe conveniens, & expediens, immo & necessarium sit cum subditis dispensare in multis, ut desumitur *ex c. dominis sanctæ* juxta Glossa *ibid. V. necesse* & juncto *c. ut constitueretur dist. 50.* non sufficienter provisum esset diœcesibus, si jurisdictio Episcopi sine hac jurisdictione dispensandi devolveretur ad Capitulum sede vacante cùm Capitulum præsertim in similibus casibus debeat sede vacante vices gerere Episcopi.

13 Hinc potest etiam Capitulum sede vacante concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis, cùm sit eadem ratio, ut notat Panormit. *c. unic. his, quæ n. ult. c. cum olim. 14. de majorit. & obed.* Immo censent plures cum Merolla *tom. 3. disp. 7. c. 7. dub. 1. num. 13.* posse Capitulum sede vacante etiam dispensare in casibus pontificiis, quando non facilè, & commodè patet recursus ad summum Pontificem, vel ad Nuntium Apostolicum habentem potestatem concedendi talem dispensationem; quia Capitulum succedit in jurisdictione, quam habet Episcopus præsumpta voluntate Pontificis, cujusmodi est dispensare in legibus pontificiis in casu necessitatis, quando non potest facilè Pontifex adiri, nec ejus Nuntius Apostolicus, si potestatem habeat concedendi talem dispensationem: ratio est, quia Capitulum succedit in totam jurisdictionem ordinariam Episcopi, dummodo non sit delegata: Jurisdictio autem, quam habet Episcopus dispensandi in legibus pontificiis urgente necessitate, non est delegata, sed ordinaria, quia jurisdicto annexa in perpetuum dignitati episcopali cujusmodi est hæc potestas dispensandi in legibus pontificiis urgente necessitate, est ordinaria non delegata, siquidem Episcopus potest eam delegare alteri si velit, proinde in Episcopo

piſcopo debet eſſe ordinaria, quia poteſtas delegata non delegatur, niſi ſit immediatè delegata à ſummo Pontifice. Unde Capitulum ſede vacante cùm ſuccedat ad totam jurisdictionem ordinariam epiſcopi, poteſt diſpenſare in caſibus pontificiis urgente neceſſitate, ſicut poteſt Epiſcopus. Immo poteſt Capitulum etiam ſede vacante abſolvere à juramentis ex eadem ratione, quia hæc jurisdictio competit Epiſcopo jure communi ordinario, & Epiſcopus poteſt hanc facultatem etiam alteri delegare; hinc poteſt etiam Capitulum ſede vacante diſpenſare in omnibus votis, in quibus poteſt Epiſcopus jure ordinario, ut notat Molina *de juſtit. tom. 6. tract. 5. diſp.* 13. *n.* 5.

14 An verò poſſit Capitulum ſede vacante cognoſcere cauſas matrimoniales, videtur eſſe aliqua difficultas, quia Concilium Tridentinum hanc facultatem videtur concedere ſolis Epiſcopis privativè, proinde non videtur extendenda ad ipſum Capitulum, ut probant Abbas *in c. quod in iis de majorit, & obed.* Alexander de Nevo *conſ.* 71. Calderinus *in conſ.* 2. *de his quæ ſunt à Prælatis abſque conſenſu capituli.* Nihilominus probabilior ſententia, ac communior eſt, poſſe Capitulum ſede vacante cognoſcere cauſas matrimoniales, ut docent Covarruvias, Panving. *de offic. & poteſtate Capituli ſede vacante p.* 1. *q.* 10. *num.* 8. Stephanus Quaranta *in ſumma Bullar. V. Capitulum ſede vacante q.* 5. ubi aſſerit, per Concilium Tridentinum diſponi, ut cauſæ matrimoniales relinquantur examini, ac jurisdictioni Epiſcopi tantùm, ut excludantur alii Prælati inferiores: ſed Capitulum in hoc caſu non dicitur inferior Epiſcopo, ſed potiùs vices gerens Epiſcopi, ſeu par Epiſcopo, unde ex Concilio Tridentino perinde Capitulum ſede vacante poteſt cognoſcere ſuper cauſis matrimonialibus, ac ipſe Epiſcopus.

15 Tum quia Capitulum ſede vacante poteſt ſtatuta condere, quæ totam obligent diœceſin, vimque habeant in perpetuum etiam tempore Epiſcoporum, qui in eodem epiſcopatu ſucceſſerint, perinde ac Epiſcopus poteſt eadem ſtatuta facere: tametſi Epiſcopus ſuccedens in eo epiſcopatu poſſit illa revocare, perinde ac poteſt revocare quæcunque alia ſtatuta cujusvis alterius Epiſcopi ſui prædeceſſoris: ſiquidem prædeceſſor non poteſt privare ſucceſſorem poteſtate condendi nova ſtatuta, & revocandi jam condita. Tum quia ſtatutum conditum in præjudicium ſucceſſoris eſſet nullum, quia Capitulum ſede vacante non poteſt quidquam in præjudicium Epiſcopi innovare, ut deſumitur *ex c. ſi ad Epiſcopum unic. h. t. in 6.*

16 Ratio verò, cur Capitulum ſede vacante poſſit cognoſcere cauſas matrimoniales eſt illa præexpenſa, quia Capitulum ſuccedit in tota Epiſcopi ordinaria jurisdictione tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, niſi aliquid inveniatur ipſi prohibitum, atqui Epiſcopus jure ordinario poteſt cognoſcere cauſas matrimoniales, & condere ſtatuta pro tota diœceſi, quæ durent etiam poſt mortem ipſius, & in nullo jure hoc reperitur prohibitum Capitulo, proinde non videtur ipſi derogandum.

17 Tum quia cum ſede vacante poſſit occurrere neceſſitas corrigendi pravas conſuetudines, & ad Capitulum pertineat eas eradicare, ideo ut id præſtet, debet eidem ineſſe poteſtas condendi ſtatuta pœnalia, quibus homines à tali conſuetudine avertantur; & hæc ſtatuta debent ex ſe perpetua eſſe, quia perpetuitas eſt de ratione ſtatuti. Tum quia, quòd Capitulum ſede vacante poſſit hæc ſtatuta condere, id non præjudicat Epiſcopo ſucceſſori, cùm hic poſſit, ſi velit talia ſtatuta revocare. Hinc ſi juſta ſubſit cauſa, & neceſſitas urgeat, poteſt Capitulum non ſolùm nova ſtatuta condere, ſed etiam illa præcedentis Epiſcopi revocare, quia Capitulum quoad hoc habet æqualem jurisdictionem cum Epiſcopo: & ſicut Epiſcopus ſucceſſor poteſt revocare ſtatuta prædeceſſoris, ita etiam Capitulum, quod ſede vacante habet eandem jurisdictionem ordinariam, quæ competit Epiſcopo. Poteſt etiam Capitulum ſede vacante concedere monitoria ad effectum revelandi bona deperdita, vel ſcripturas, & quidem ſub pœna excommunicationis, quia hæc poteſtas jure ordinario competebat Epiſcopis.

§. IV.

Quenam jurisdictio ſede vacante competat Capitulo quoad ferendas cenſuras, & quoad approbandos confeſſarios.

18 CErtum eſt, Capitulum ſede vacante, ut etiam ejus Vicarium poſſe ferre cenſuras, quia Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo in jurisdictione ordinaria epiſcopali, ut deducitur *ex c. unic. de major. in 6.* & quia Epiſcopus jurisdictione ordinaria poteſt cenſuras ferre, id etiam poteſt ſede vacante Capitulum. Quòd etiam hæc facultas inſit vicario Epiſcopi deſumitur *ex c.* 2. *de conſuetudine, & c. Romana* 3. *de appellat in 6.* quia Vicarii, & Epiſcopi eſt unum ac idem tribunal, adeo ut id poſſit etiam Vicarius quoad jurisdictionem ordinariam, quod poteſt Epiſcopus. Immo poteſt etiam Capitulum ſede vacante ponere interdictum tam perſonale, quàm locale, ſeu imponere ceſſationem à divinis, quia ut docent Soto *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 2. *concluſ.* 3. Covarr. *c. alma mater p.* 2. §. 2. *num.* 6. *V. ex quibus* non ſolùm Papa, ſed etiam Epiſcopi, & alii Prælati habentes poteſtatem epiſcopalem poſſunt poteſtate ordinaria imponere ceſſationem à divinis, quam ſententiam Covarr. vocat communem; & quia Capitulum ſede vacante ſuccedit in jurisdictione ordinaria Epiſcopi, ideo nulli dubium, quin etiam Capitulum poſſit ſede vacante imponere interdictum tam perſonale, quàm locale.

19 Sicut poteſt Capitulum ſede vacante cenſuras ferre, ita poteſt etiam abſolvere ab excommunicatione lata tam à jure, quàm ab homine, ſi Epiſcopus poſſit ab eadem abſolvere, idque ob eandem rationem: quia jurisdictio ordinaria Epiſcopi ſede vacante devolvitur ad Capitulum, quod propterea poteſt abſolvere ab excommunicatione, à qua Epiſcopus poteſt abſolvere, & deſumitur *ex c. unic. de majorit, & obed. in 6.*

Et quamvis non desint, qui excipiant excommunicationem latam *in can. si quis suadente* 17. q. 4. contra percussores clericorum, eò quia *in c. pervenit de sentent. excommun.* concedatur Episcopis facultas absolvendi à tali excommunicatione, quando percussio clerici est levis, non ita, quando est gravis. Nihilominus hæc sententia communiter rejicitur, quia licèt procedat in aliis Prælatis Episcopo inferioribus, non ita procedit de Capitulo, quia hoc sede vacante non est inferius Episcopo quoad jurisdictionem ordinariam, sed est illi par, eò quia utitur eadem ordinaria jurisdictione, & habet eandem potestatem, tanquam subrogatam eo tempore *argum. text. in c. is, qui in jus de regul. jur. in 6.*

3 Quamobrem Capitulum non dicitur propriè Vicarius Episcopi, sed ejus successor, ut notat Romanus *cons. 506. num. 13. in fin.* ubi dicit, esse opinionem communem. Et procedit ex eodem fundamento, quia tota jurisdictio ordinaria Episcopi, quæ in jure ei denegata non reperitur, transit in Capitulum sede vacante, proinde potest hoc sicut Episcopus, sede vacante excommunicare, proinde etiam absolvere ab excommunicatione tam à jure ob percussionem ecclesiastici, quàm ab homine, quando Episcopus ab eadem potest absolvere, quia perinde solvere, ac ligare pertinet ad jurisdictionem ordinariam Episcopi; proinde utrumque actum exercere potest etiam Capitulum sede vacante, ut expresè habetur in *c. unic. de majorit, & obed. in 6.* Ex eodem fundamento ordinariæ jurisdictionis sede vacante derivatæ in Capitulum potest hoc punire, deponere, suspendere, privare beneficiis, & alia similia præstare, quæ ad correctionem clericorum, vel fidelium pertinent; siquidem hæc omnia spectant ad jurisdictionem Episcopi.

4 Hinc potest etiam deputare Pœnitentiarios cum potestate absolvendi ab iisdem excommunicationibus, & aliis casibus Episcopo reservatis, ut notat Barb. *tract. 3. allegat. 55. n. 3. de potest. Episcopi* & quod dicitur de excommunicatione, procedit etiam de aliis censuris, quia militat semper eadem ratio: siquidem jurisdictio, quæ derivatur in Capitulum sede vacante, est ordinaria tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & jure communi eam habet ad universitatem causarum, ut notat Glossa *in c. 2. ne Prælati vices*, Joannes Andreas *c. ult. de suppleud. neglig. Prælat. in 6.* Hinc potest etiam Capitulum interponere decretum sub pœna censuræ in alienationibus rerum minorum, & emancipationibus liberorum, & manumissionibus servorum. Potest etiam dare curatorem, & tutorem, & sequestrare beneficia post primam sententiam in curia datam, & suas sententias exequi, ut tradit Panvin. *1. p. q. 2.*

5 An verò Capitulum sede vacante possit dispensare, & remittere pœnas à defuncto Episcopo impositas. Negant nonnulli, eò quia remittere pœnam post latam sententiam sit de reservatis Principi Bartol. *in l. acta ff. de re judic.* Salyc. *in l. cum indulgentia C. de sentent. pass.* Tum quia plures negant id etiá competere Episcopo successori Diaz *in pract. canon. c. 37.* Florer. *in prax. canon. V. etsi committi num. 125.* quòd si hujusmodi potestas non competit Episcopo successori multò minus capitulo sede vacante. Verùm opposita sententia probabilior est, & communior quia remittere pœnam impositam ab Episcopo defuncto est facere gratiam reo, & pertinet ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, qui posset talem pœnam relaxare, & cùm sede vacante jurisdictio ordinaria Episcopi devolvatur ad Capitulum, sive jurisdictio sit contentiosa, sive voluntaria, ideo potest Capitulum sede vacante eandem pœnam relaxare, præsertim cùm nullibi in jure reperiatur exceptus hujusmodi casus, ut notat Riccius *in prax. fori eccles. resol. 301.* Neque ratio, quâ nititur opposita sententia ullum facessit negotium, quia Episcopi possunt gratiam facere, cùm sint Principes ecclesiastici, & non Vicarii Pontificis, ut rectè probat Bellarmin. *lib. 1. de Roman. Pontif. c. 3. in fin.* proinde hoc idem etiam potest Capitulum sede vacante, cùm sit Episcopi successor, & jurisdictio Episcopi devolvatur pro illo tempore ad Capitulum, quod propterea dispensare potest cum deposito per Episcopum, ut probat Riccius *in prax. variar. resolut. p. 1, resolut. 305.* ubi ait, fuisse resolutum in curia Neapolitana posse legitimè Capitulum sede vacante remittere pœnas condemnatis per Episcopum ob jurisdictionem devolutam ad Capitulum sede vacante; & quamvis dicat, hanc resolutionem videri difficilem, eò quia talis remissio videatur reservata summo Pontifici, ut summo Principi; nihilominus postea concludit, dari hanc potestatem in Episcopo similem ei quam habet supremus Princeps.

6 Immo potest etiam Capitulum sede vacante dare licentiam clerico diœcesano transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliena diœcesi, quamvis Glossa in *c. cùm olim de majorit. & obed.* id neget, eò quia id sit alienare talem clericum à jurisdictione Episcopi, & Capitulum sede vacante non habet potestatem alienandi bona episcopatûs *c. si qua de rebus 12. q. 2.* quòd si non potest alienare bona, multò minus personas, quæ pluris fiunt, quàm bona etiam immobilia. Verùm hæc ratio non satisfacit, quia dare licentiam clerico transeundi ad dignitatem in aliena diœcesi non est alienare res episcopatûs; & sola alienatio talium rerum prohibetur Capitulo sede vacante: siquidem non ita præjudicatur Episcopo in alienatione clerici, sicut in alienatione bonorum Episcopatûs, ut per se liquet, proinde ab alienatione rerum non rectè fit illatio ad alienationem personarum, ut notant Panormit. *in c. cùm olim num. 2. V. sed dubitatur.* Monach. *in c. si Abbatem de elect. in 6.* & alii Canonistæ, proinde Molina *de justit. tom. 6. tract. 5. disp. 11. num. 4.* ait: ad Capitulum sede vacante transire jurisdictionem concedendi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliena diœcesi, perinde ac eadem jurisdictio competit Episcopo: sicut enim personæ distinguuntur à rebus, ita alienatio personæ non est alienatio rerum pertinentium ad Episcopatum.

Non

7 Non tamen poteſt Capitulum ſede vacante providere pœnitentiariam, aut aliud beneficium quod tunc temporis vacet, quia tametſi collatio præbendarum ſimul competat Epiſcopo, & Capitulo, ſitque utrique communis, nihilominus quia electio perſonæ, & proviſio officii pœnitentiarii pertinet ad ſolum Epiſcopum, non poteſt Capitulum ſede vacante providere pœnitentiariam tunc temporis vacantem, quia Capitulum ſede vacante non ſuccedit in proviſione beneficiorum pertinentium ad ſolum Epiſcopum, *c. illa ne ſede vacante.* Et ita cenſuiſſe ſacram Congregationem refert Garcia *de benefic. tom.* 1. *p.* 5. *c.* 4. *num.* 145. quapropter proviſio, & electio Pœnitentiarii ſede vacante non pertinet ad Capitulum, ſed ad Papam privativè ſtante reſervatione regulæ ſecundæ cancellariæ de beneficiis ad collationem, præſentationem, electionem, & quamcunque aliam diſpoſitionem liberam Epiſcoporum pertinentibus, & vacantibus tempore vacationum Epiſcopatuum, ut etiam docet Barb. *tract. de canon. c.* 26. *n.* 3.

8 Neque poteſt Capitulum ſede vacante ſupprimere canonicatum, eò quia hæc facultas epiſcopis tantùm privativè, & non aliis conveniat, adeo ut Prælati ſæculares habentes jurisdictionem quaſi epiſcopalem non poſſint canonicatum ſupprimere etiam in caſibus, quibus epiſcopi poſſunt in ſua diœceſi, ut tradit Garcia *de benefic. p.* 12. *c.* 2. *n.* 75. ubi ſubdit, Prælatum collegiatæ Eccleſiæ non poſſe præbendas etiam tenues ſupprimere, tametſi ſit exemptus, & Eccleſiæ inſignis. Idque deſumitur etiam ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 15. *de refor.* ubi loquens de hac ſuppreſſione expreſsè aſſerit, etiam competere epiſcopis, & utitur nomine *epiſcopi* non verò *ordinarii*, eò quia Ordinarius latiùs pateat, quàm Epiſcopus.

9 Quamvis poſſet Capitulum ſede vacante approbare confeſſarios juxta uſum communiter receptum, eò quia actus approbandi confeſſarios non ſit actus ordinis epiſcopalis, ſed jurisdictionis non ſpecialiter à Pontifice epiſcopo delegatæ, ſed ordinariæ; & Capitulum ſede vacante quoad jurisdictionem ordinariam ſuccedat epiſcopo, ac propterea per ſe, vel per ſuum Vicarium poſſet confeſſarios approbare, eò quia Capitulum tunc quoad hanc jurisdictionem ſit æquale epiſcopo, ut tradunt communiter Canoniſtæ *in c. olim de majorit. & obed.* ubi Felinus *V. ſin ſexto videri etiam poteſt.* Nihilominus non poteſt Capitulum ſede vacante revocare licentias Regularium obtentas ab epiſcopo defuncto ad confeſſiones audiendas, quia Capitulum ſuccedit epiſcopo in ſola jurisdictione, & non in dignitate; & hujusmodi licentiæ non poſſunt revocari niſi ab habente ſimul dignitatem, & jurisdictionem epiſcopalem, adeo ut ſolus ſucceſſor Epiſcopus poſſit abſolutè approbatos per prævium examen iterum ad examen vocare, & approbare, vel reprobare prout noverit eos eſſe, vel non eſſe idoneos: & quamvis inſpecto jure communi ſucceſſor in jurisdictione tantùm, ut eſt Capitulum ſede vacante, poſſit approbationes Regularibus ceſſas revocare durante eodem tempore vacationis; nihilominus ex jure ſpeciali Pontificum Religioſis Dominicanis, & Franciſcanis conceſſum eſt hoc privilegium, ut Capitulum ſede vacante non poſſit approbationem à præcedente epiſcopo prætatis Religioſis conceſſam revocare, referunt hoc privilegium Fagundez *de præcept. eccles. p.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. *num.* 28. & Rodriquez *tom.* 1. *Bullar. fol.* 36. & continetur in eorum privilegiis *fol.* 55. Peregrinus *p.* 5. *de privileg. Theatin. tit. abſolutio quoad ſæculares* §. 7. Sylveſter *V. confeſſ.* 2. *n.* 4. quamobrem tametſi Capitulum ſede vacante revocaret has omnes licentias, & approbationes, non tamen comprehenderentur Religioſi, tametſi de ipſis fieret ſpecialis mentio.

10 Quòd ſi objicias, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 15. ubi abrogavit prædictum privilegium per clauſulam derogatoriam non obſtantibus privilegiis. Contra eſt quia in *d. c.* nomine epiſcopi, cujus approbatio etiam reſpectu Regularium eſt neceſſaria, intelligitur Epiſcopus quoad dignitatem, & jurisdictionem ſimul, unde Concilium tantùm derogat privilegiis audiendi confeſſiones ſæcularium absque epiſcopi prævia approbatione, quatenus vult, ut quotquot eliguntur ad audiendas confeſſiones ſæcularium, priùs approbentur ab epiſcopo per prævium examen; non verò Concilium derogat aliis privilegiis Regularium circa confeſſiones, ut liquet *ex textu illius cap.* 15. ſiquidem in illo tantùm agitur de neceſſitate approbationis, ut quilibet Sacerdos ſive ſæcularis, ſive regularis priùs probetur per prævium examen, an idoneus ſit: at Regulares abſolutè jam approbati ab epiſcopo prædeceſſore eo defuncto remanent approbati, quia jam ſe expoſuerunt examini, in quo fuerunt idonei probati, ac proinde approbati ad confeſſiones audiendas, quapropter ſine nova cauſa cognita à ſucceſſore non videntur poſſe reprobari, quia juxta Concilium fuerunt jam deprehenſi idonei ad confeſſiones audiendas in eodem epiſcopatu: unde à Capitulo ſede vacante non poſſunt reprobari, neque ad novum examen vocari.

11 Cæterum putârium probabiliùs, poſſe Regulares ſimpliciter approbatos ab epiſcopo ſucceſſore in dignitate, & jurisdictione ad novum examen vocari. Neque eſt par ratio de Capitulo, & ſucceſſore, quia privilegium conceſſum Regularibus eſt ſolùm quoad Capitulum ſede vacante, non verò quoad ſucceſſorem in dignitate, & jurisdictione epiſcopali: ſiquidem ſummi Pontifices plus epiſcopo ſucceſſori, quàm Capitulo conceſſerunt pro quiete propriæ conſcientiæ; ſi enim Epiſcopus ſucceſſor non poſſet iterum vocare ad examen confeſſarios à ſuo prædeceſſore approbatos, angeretur ſcrupulis, ſi dubitaret de idoneitate aliquorum confeſſariorum: unde pro quiete conſcientiæ Pontifices conceſſerunt epiſcopis ſucceſſoribus liberam poteſtatem vocandi ſacerdotes Regulares antea abſolutè approbatos ad novum examen: quæ tamen facultas non videtur conceſſa Capitulo ſede vacante, tametſi jurisdictio ordinaria epiſcopi devolvatur ad Capitulum ſede vacante

se: & ratio etiam poteſt eſſe, quia regulariter vacatio ſedis epiſcopalis non multum temporis durat, & pro modico tempore non videntur Pontifices voluiſſe Regulares abſolutè approbatos iterum vocari ad examen: ſed hanc facultatem conceſſerunt epiſcopo ſucceſſori, cujus regimen regulariter durat ad plures annos, & non extinguitur niſi per mortem epiſcopi, vel per ejus reſignationem, aut translationem ad alium epiſcopatum.

82 An verò poſſit Capitulum ſede vacante concedere condonationes peccatorum, ſeu indulgentias unius anni in dedicationibus Eccleſiarum, & 40. dierum in anniverſario dedicationis Eccleſiæ, de quibus dicitur *in c. cùm ex eo de pœnitent. & remiſſ. & c. ult. eodem tit. in 6.* non conveniunt doctores, negant enim Archidiaconus *c. 1. de pœnitent. & remiſſ. in 6.* Calderinus *in repetit. ſuper cap. noſter de pœnitent.* Butrius *cons. 19.* & ex Theologis huic ſententiæ adhæsent Soto *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 4. V. hinc ſit.* Corduba *de indulgent. art. 2. q. 12. propoſitione 6.* Ledesma *in 4. q. 28. art. 3.* Ratio quâ nititur hæc ſententia eſt, quia dare indulgentias non eſt actus jurisdictionis, ſed dignitatis epiſcopalis, quâ caret Capitulum ſede vacante. Tum quia licèt eſſet actus jurisdictionis non tamen contentioſæ, ſed voluntariæ, quæ non tranſit ad Capitulum ſede vacante.

83 Verùm poſſe Capitulum ſede vacante concedere præfatas indulgentias, eſt ſententia probabilior, quam docent Panormitanus *in c. cùm olim de major. & obed.* Caſpar Calderinus *in c. noſter. de pœnitent.* Selba *de benefic. p. 2. q. 11.* Molina *de juſtit. tom. 6. tract. 5. diſp. 11. n. 6.* ubi ait, poſſe Capitulum concedere præfatas indulgentias, eò quia hujusmodi conceſſio ſit actus jurisdictionis, & Navarrus §. *in nomit. 31. num. 6.* ait conſuetudine eſſe hanc ſententiam receptam, & deduci ad praxim; & eam etiam docet D. Thomas *in 4. diſt. 20. q. 3. art. 3.* Ratio eſt quia revera conceſſio talium indulgentiarum eſt actus ſolius jurisdictionis ordinariæ, non dignitatis, & cum jurisdictio ordinaria etiam voluntaria ſede vacante tranſeat ad Capitulum, ut liquet ex prædictis, nullum videtur eſſe dubium, quin poſſit Capitulum ſede vacante præfatas indulgentias concedere. Tum quia Epiſcopus electus, & confirmatus, & nondum conſecratus poteſt eas concedere, ſed tunc non habet niſi ſolam jurisdictionem, proinde talis conceſſio eſt actus jurisdictionis, non dignitatis. Tum quia pontificius legatus, tametſi Sacerdos non ſit, poteſt indulgentias largiri, ut habetur *in c. ult. de offic. legati* proinde talis conceſſio eſt actus ſolius jurisdictionis, quæ cum ſede vacante derivetur in Capitulum, ideo poteſt hoc illas concedere.

84 Hinc patet ſolutio ad utramque rationem oppoſitæ ſententiæ: & cùm jus dicat ſimpliciter quòd Capitulum ſuccedat in jurisdictione epiſcopi, non debemus nos id reſtringere ad ſolam jurisdictionem neceſſariam, non voluntariam, ubi enim jura non diſtinguunt, nec nos debemus diſtinguere. Verùm licèt hæc ſint probabiliora, conſultiùs tamen, ac tutiùs eſt, ut Capitulum committat alicui epiſcopo, ut ſimiles indulgentias concedat nomine ipſius Capituli. Ob hanc jurisdictionem derivatam in Capitulum, poteſt hoc ſede vacante juris rigorem relaxare, ſeu diſpenſare in omnibus illis caſibus, in quibus poſſet Epiſcopus, ſi viveret, ut tradunt Abbas *in c. cùm olim de majorit. & obed.* Joan. Andreas *in c. cum ex eo de elect. in 6.* Cardinalis *cons. 88.* quia revera talis actus, ſeu relaxatio, vel diſpenſatio eſt actus jurisdictionis: hinc Capitulum poteſt concedere, ut ii, quibus parochiales Eccleſiæ collatæ ſunt, quando cauſa ſtudiorum non adſunt, non cogantur ante ſeptennium promoveri ad ſacerdotium, ſicut poſſet Epiſcopus id concedere *c. cùm ex eo de elect. in 6.*

85 Poteſt etiam Capitulum ſede vacante commutare ultimas voluntates in iis caſibus, in quibus poterat Epiſcopus, quia hæc commutatio eſt actus jurisdictionis ordinariæ, quæ competit epiſcopo jure communi, & quia mortuo epiſcopo ejus jurisdictio derivatur ad Capitulum, ideo poteſt hoc has commutationes exercere. Non tamen in commiſſionibus commutationum ultimæ voluntatis, quæ fiunt in caſibus, in quibus jure ordinario non poſſet Epiſcopus commutare, ſuccedit illi Capitulum: quia tunc commutationes ex poteſtate delegata committuntur ſoli epiſcopo: & quæ jure ſpeciali delegato competebant epiſcopo, non tranſeunt in Capitulum. Non enim ſpeciales commiſſiones factæ epiſcopo tranſeunt in Capitulum ſede vacante, ſed tantùm devolvuntur ad ſucceſſorem, ſi factæ fuerint ſub nomine dignitatis epiſcopalis, ut habetur *in c. quoniam Abbas de offic. deleg.*

86 Quòd ſi factæ ſint nomine perſonæ, expirant cum perſona, eò quia ſubjectum, cui poteſtas inhærebat, deficiat *argum. l. 2. §. de uſufruct. & l. 1.* Bartol. *in fin. ff. de uſu, & uſufruct.* Unde Capitulum tantùm ſuccedit in iis, quæ competunt epiſcopo jure ordinario, & communi, ut tradit Molina *de juſtit. tom. 5. tract. 5. diſp. 11. num. 5.* Succedit etiam Capitulum ſede vacante in poteſtate compellendi executores teſtamentorum, adeout poſſit compellere executores teſtamentorum ad eorum complementum, quapropter Capitulum poteſt ſuccedere cum cura, & authoritate in exequendis ultimis teſtamentorum voluntatibus, ut notat Joannes Andreas *in c. Joannes de teſtam.* quapropter poteſt ſede vacante compellere executores teſtamentorum, ut exequantur intra annum pias defunctorum voluntates juxta *c. nos quidem de teſtament. & authent.*

87 Hoc idem etiam procedit quoad electionem pauperum, in quos hæreditas ad hunc uſum relicta diſtribuatur, ubi nulli ſunt curatores, neque executores ultimæ voluntatis, vel tametſi iſti adſint, non tamen id exequi curant, ut notat Joannes Calder. *conſil. 20. de teſtament.* Poteſt etiam diem executionis prorogare, ut notat Dominicus *in additionibus ad conſil. Calderini conſil. 3. de offic.* Et hoc etiam procedit, licèt executores piarum voluntatum ſint Religioſi, poteſt enim Capitulum eos compellere ad reddendas rationes, ut notat Pamphilus *p. 2.*

§. 7.

q. 7. num. 6. Quinimo poteſt etiam Capitulum ſede vacante adire hæreditatem Eccleſiæ legatam; quam tamen ſi Epiſcopus damnoſam Eccleſiæ repererit, poterit beneficio reſtitutionis in integrum repudiare.

§. V.

De poteſtate Capituli ſede vacante in ordine ad viſitationem diœceſis, & Monaſteriorum.

QUamvis non deſint, qui putant, non poſſe Capitulum ſede vacante viſitare diœceſin, & ad ſolum Pontificem pertinere tunc deputare viſitatorem, qui diœceſim viſitet, ut docent Imola *in c. 1. ne ſede vacante n.* 15. Joannes Monachus *in c. Eccleſiæ, de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. num.* 5. Boer. *deciſ.* 2. *n.* 29. nihilominus communior, & probabilior ſententia eſt, poſſe Capitulum ſede Metropolitana vacante viſitare univerſam Provinciam, ac totam diœceſim ita Archidiaconus *in c. ſi Epiſcopus eod. tit.* Gloſſa *in clement.* 1. *de hæret. in v. Capituli* Lignanus *in c. cum olim de majorit.* Panormitanus *in c. cùm olim* ubi ait, poſſe Capitulum generatim totam diœceſim viſitare præſertim ſi vacatio fuerit diuturna, quia id fit neceſſitate juris, propterea *ex l. debitum c. ſopita de tenſib. c. relatum* 10. *q.* 1. *c. ult. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.*

Quòd ſi Capitulum tunc viſitationis uſum neglexerit, ad Archiepiſcopum pertinet aſſignare viſitatorem; ne crimina impunita maneant, ſi viſitatio negligatur. Tum quia in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 3. de refor.* habetur, quòd viſitatores ſint à Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus viſitandi habet, dummodo viſitatores priùs ab epiſcopo approbentur. Cæterum ſi ad modicum tempus vacatio duret, & nondum anni ſpatium effluxerit, ex quo Epiſcopus, qui deceſſit, ſuam viſitaverat diœceſim, tunc non eſt neceſſe, quòd Capitulum viſitet, ut nec etiam, quando probabilitèr creditur, quòd ſucceſſor ſit brevi futurus.

Hinc ſede vacante Capitulum poteſt generaliter viſitare diœceſim, ſicut eam tenetur viſitare Epiſcopus, quia hujusmodi viſitatio pertinet ad jurisdictionem epiſcopi; quæ ſede vacante tranſit ad Capitulum, quod propterea non ſolùm quoad crimina particularia, de quibus ſit infamia, eò quòd tunc viſitatio ſit neceſſaria; ſed etiam generaliter quoad omnia crimina, quia id pertinet ad executionem epiſcopalis jurisdictionis; eſt enim viſitatio hæc non ſolùm utilis diœceſi, ſed etiam neceſſaria, & incumbit ex officio habenti curam epiſcopatûs juxtà *c. inter cætera de offic. Ordinarii, & c. Eccleſia de ſupplend. neglig. Prælator. in 6.* nam ibi ſtatuitur, poſſe Metropolitanum mittere viſitatorem Eccleſiæ vacanti; ſi Capitulum negligens ſit in exequenda jurisdictione epiſcopali ad ſe devoluta: unde ſupponitur, quòd Capitulum ſede vacante habeat poteſtatem viſitandi diœceſim, alioquin Metropolitanus non deberet ejus negligentiam ſupplere.

Immo hanc viſitandi poteſtatem ſede vacante non ſolùm habet Capitulum reſpectu generalis viſitationis, quando viſitatur tota civitas, vel diœceſis, ſed etiam reſpectu viſitationis particularis inſtituendæ contrà certas perſonas, ſi ſuborta fuerit præcedens diffamatio, quia ut rectè notat Federicus de Senis *conſ. 16. num. 1. in fin.* in puniendis exceſſibus, ac criminibus, & reformandis moribus Capitulum ſede vacante idem poteſt, ac Epiſcopus, hoc enim cedit in utilitatem diœceſis, & nullum inde epiſcopo infertur damnum.

Major difficultas eſt, an Capitulum ſede vacante poſſit viſitare Monialium cœnobia exempta, quæ alioquin poſſet Epiſcopus authoritate apoſtolicâ; ut deſumitur ex *element. attendentes §. illas de ſtatu Monach.* Panormitanus *in c. cùm olim de majorit. & obedient. n. 2. V. dubitatur* teſtatur, hac de re plures ſuo tempore conſuluiſſe doctores, & ex illis alios alleruiſſe, Capitulum non ſuccedere in his, quæ epiſcopo ſpeciali jure conveniunt; alii verò è contra ſentiebant, Capitulum ſuccedere. Monaſterium dicitur exemptũ, quando nulli alteri ſubjicitur, quàm ſedi apoſtolicæ immediatè, & proinde non poteſt viſitari niſi à ſede apoſtolica, cui immediatè ſubjicitur etiam quoad viſitationem, & regimen, & à deputato ad id ab eadem ſede; adeo ut talium Monaſteriorum regimen non committatur epiſcopis, niſi tanquam delegatis à ſede apoſtolica, neque epiſcopi poſſint eà viſitare, niſi poteſtate ſibi delegata *clement. 2. de ſtatu Monachor.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 20. c. 9. de regularib.*

Hinc quia quæ competunt epiſcopo tanquam ſedis apoſtolicæ delegato, non tranſeunt in Capitulum ſede vacante, videtur non poſſe Capitulum viſitare hujusmodi monaſteria Monialium exemptarum, ut docent plures præſertim Panvin. *p. 1. q. 7. num. 7.* ubi refert, Lappum hanc quæſtionem propoſuiſſe Federico, cui reſpondit, Capitulum id non poſſe, quia ſuccedit epiſcopo in his, quæ ipſi jure ordinario conveniunt, non verò in iis, quæ ex poteſtate delegata, & ſpeciali ipſi competunt; ſicut enim ea non facit Epiſcopus jure ſuo, ſed poteſtate ſibi demandata à Romano Pontifice; ſic Capitulum ſede vacante hæc eadem non faceret nomine epiſcopi, ſed nomine, & authoritate Papæ: atqui Papa hanc viſitationem epiſcopo, & non Capitulo ſede vacante committit: ergo cùm non viſitet Capitulum hæc Monaſteria exempta ex commiſſione Papæ, nullo jure poteſt ea viſitare.

Verùm Molina *de juſtit. tom. 1. tract. 5. diſp.* 11. *num. 5.* reſpondet, attendendum eſſe, an muneri epiſcopi aliquid jurisdictionis tanquam ſedis apoſtolicæ delegato in perpetuum comitatur, ut ex officio epiſcopi id deinceps ei competat, & tunc aſſerit, talem jurisdictionem per epiſcopum tranſire ad Capitulum ſede vacante, niſi quid aliud opponatur, ex quo inferri poſſit oppoſitum fuiſſe intentum Concilii, vel ſummi Pontificis id ſtatuentis, quia cum perpetuo muneri epiſcopali annectatur tanquam pars jurisdictionis ejusdem muneris; & id non tanquam privilegium epiſcopi, ſed in commodum, & utilitatem, ſeu magis bonum eorum, in quos talis juris-

jurisdictio exercetur, vel in bonum aliorum, & Ecclesiæ; ideo censet eam etiam partem jurisdictionis in eum transire, in quem reliqua episcopalis jurisdictio transit; & quia sede vacante reliqua jurisdictio transit in Capitulum; ita etiam hæc pars illi adjecta, seu potestas visitandi Monasteria Monialium exemptarum.

8 Idque putat desumi ex Concilio Tridentino *sess. 20, c. 9.* ubi statuitur, quòd Monasteria Sanctimonialium sanctæ sedi apostolicæ immediatè subjecta etiam sub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Joannis, vel aliàs quomodocunque nuncupentur ab episcopis tanquam dictæ sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Ex quibus infert Molina, eam jurisdictionem transire ad Capitulum sede vacante, & ex eo movetur, eò quia non videatur probabile, quòd mens Concilii fuerit, ut toto tempore sedis vacantis sive per mortem, sive per captivitatem episcopi, illæ sancti Moniales carerent gubernatore, cùm id non videatur esse rationi consentaneum. Hinc concludit per epikiam censendum esse, id Concilium non intendisse.

9 Huic sententiæ adhæret Moneta *in tract. de commut. ultim. volunt. c. 5. num. 423.* quia jurisdictio concessa episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato eo ipso, quòd est perpetuò annexa dignitati episcopali, non est propriè delegata, sed ordinaria; idque colligit Moneta *ex c. ad abolendam de hæret. §. fin. juncta clement. 1. §. & sequent. eod. tit.* quia cum in *illo cap. ad abolendam §. ult.* concessum fuisset episcopo, ut apostolica authoritate contra exemptos in causa hæresis procederet, hoc idem simpliciter conceditur tam episcopo, quàm Capitulo sede vacante nulla facta ampliùs mentione de apostolica authoritate; quasi jure ordinario id utrique competat. Tum quia ex eo quòd à canone talis jurisdictio tribuatur episcopo jam de jure communi non de speciali ei competit non obstante, quòd in ea concessione fiat mentio delegationis *argum. c. licet in corrigend. de offic. ordinar.*

10 Nihilominus contraria sententia, cui adhærendum puto, probabilior est, & communior, quia tametsi Episcopus visitet hujusmodi Monasteria Monialium exemptarum non tamen sequitur posse Capitulum sede vacante eadem visitare, quia Episcopus illa visitat non ex potestate ordinaria, sed ut delegatus sedis apostolicæ, ut dicitur *in clement. 2. de statu Monach.* & in Concilio Tridentino *sess. 20. c. 9.* atqui Capitulum non succedit episcopo in his, quæ Episcopus facit non jure ordinario, sed jure sibi ad id specialiter commisso, & delegato cum jus specialiter delegatum distinguatur à jure ordinario, eò quia id esse possit sine illo, ideo licèt Capitulum succedat episcopo in jure ordinario, non tamen succedit in jure, quod fuerat speciatim eidem episcopo delegatum, quia sede vacante tantùm jurisdictio ordinaria devolvitur in Capitulum, & non delegata; quia quæ Episcopus facit potestate sibi delegata à Romano Pontifice, ea non facit nomine proprio, sed nomine, & authoritate Papæ, & Capitulum per jurisdictionem ad se devolutam sede vacante facit tùm nomine, & authoritate episcopi, proinde potestas delegata episcopo visitandi Monasteria Monialium exemptarum sede vacante non devolvitur ad Capitulum: quia Papa hujusmodi visitationem soli episcopo committit, non Capitulo.

11 Hanc opinionem etiam tenuit Rota in una Burgen. visitationis coram Domino Otano 1. Junii 1588. & in alio Burgen. procurationis coram eodem 10. Martii 1597 ubi fuit decisum, posse quidem Capitulum sede vacante visitare Monasteria Monialium, quæ subjiciuntur jurisdictioni ordinariæ episcopi, non verò Monasteria, quæ sunt exempta, & quæ immediatè subjiciuntur sedi apostolicæ, & Episcopus nonnisi potestate sibi delegata ab eadem sede ea visitat, docent hanc eandem sententiam Garcia *tom. 1. de benefic. p. 5. c. 7. num. 45.* Federicus de Senis *cons. 291.* Riccius *tom. 4. pract. resolut. 563.* Graffius *2. p. decis. lib. 3. c. 28. num. 18.* & ita etiam sentit Abbas *in c. cùm olim de majorit. & obed. num. 2. dubitat. 5. & in c. verùm de for. competen. num. 9.* Felinus *in c. cùm omnes de constit. n. 10. & in c. eam te de rescript. num. 17.* Rebuff. *in prax. tit. de devolut. num. 68. & sequent.* ubi asserit ex illa regula quòd Capitulum sede vacante fungatur vice episcopi tantùm sequi, quòd succedat in iis, quæ sunt jurisdictionis communis, & ordinariæ; unde inferunt, Capitulum sede vacante non posse visitare Monasteria exempta Monialium, quæ visitat Episcopus authoritate sibi à sede apostolica delegata.

12 Quòd dicitur de potestate visitandi Monasteria Monialium exemptarum, procedit etiam in quocunque alio casu, quo Episcopus agit ut delegatus sedis apostolicæ. Et licèt id Panorm. *in d. q. 7.* limitet nisi necessitas urgeret, ut id, de quo agitur, expediatur per Capitulum, eò quia non patiatur dilationem, hæc tamen limitatio non est necessaria, ut notat Garcia *d. c. 7. num. 46.* ubi ait, ampliationem procedere indistinctè, & tametsi necessitas urgeat, adhuc non posse Capitulum uti tali jurisdictione, quæ à sede apostolica fuerat episcopo delegata.

13 Quòd si necessitas fuerit gravissima, tunc subintrat potiùs jurisdictio ordinaria, quâ Capitulum tenetur consulere utilitati diœcesis, & impedire mala imminentia; quapropter potest tunc Capitulum procedere ex potestate ordinaria perinde ac ex eadem potest etiam procedere Episcopus, tametsi nulla sibi potestas delegata facta fuisset: qua ratione potest Capitulum urgente gravissima necessitate respectu incendii, vel imminentis periculi militum irruentium concedere licentiam Monialibus immediatè subjectis sedi apostolicæ egrediendi è monasterio, ut etiam in aliis casibus permissis in Bulla Pii V. quæ incipit *decori, & honestati*; tametsi pertineat ad Episcopum ut ad sedis apostolicæ delegatum; & ratio est quia in similibus casibus non debent hæc Monasteria destitui Prælato, ad quem confugiant.

14 Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur ad primum, quòd tametsi jurisdictio perpetuò

petuò annexa dignitati censeatur ordinaria, quando simpliciter conceditur à Pontifice, vel à canone, qualis est jurisdictio concessa episcopis à Concilio Tridentino *sess. 24. c. 6. de reformat.* in ordine ad dispensandum super aliquibus irregularitatibus, & absolvendum à casibus pontificiis occultis, non ita censenda est jurisdictio ordinaria, quando delegata perpetuò annexa conceditur cum clausula, quòd illam exerceat, concessionarius tanquam sedis apostolicæ, seu Pontificis Delegatus, tunc enim jurisdictio perpetuò annexa dignitati episcopali non est censenda ordinaria, & quæ sede vacante transeat ad Capitulum, alioquin illa clausula esset superflua, ut per se liquet. Neque ex prædictis textibus aliud infertur, nisi quòd illa jurisdictio procedendi in causis hæresis contra exemptos, quæ ut delegata fuerat concessa Episcopis *in c. ad abolendam* postea à Clemente fuerit iisdem data ut ordinaria, ut desumitur *ex d. element. 1.*

14 Hinc ad confirmationem respondetur, quòd tametsi episcopi habeant illam jurisdictionem jure communi, illam tamen non habent ut ordinariam, sed ut delegatam à canone, ut notat Garcia *de benefic. tom. 1. p. 5. c. 7. n. 45.*

15 Quamobrem Capitulo sede vacante nullum competit jus in ordine ad visitandum Monasteria Monialium exemptarum, & quæ soli sedi apostolicæ subjiciuntur, quia authoritas commissa episcopo ea visitandi est delegata à Pontifice, quæ propterea ab episcopo ad alium non devolvitur, cùm illius solius fuerit à committente habita ratio præ cæteris. Tum quia Capitulum non succedit episcopo in privilegiis ei concessis, quia cum sint personalia, & odiosa quatenus adversantur juri communi debent strictè interpretari, Innocentius *in c. dilecti de donat.* Flammin. *de resignat.* & quia quòd Episcopus possit Monasteria Monialium exemptarum visitare; & jus in virgines illas exercere à foro suo exemptas privilegium est, à sede apostolica concessum, ideo quia est jus fundatum in privilegio, neque ex hoc capite devolvitur sede vacante ad Capitulum, quod tantùm potest ea, quæ potuit Episcopus jurisdictione ordinaria in suos subditos: cœnobia autem virginum, quæ Papæ voluntate sunt exempta à censura Episcoporum, non continentur intra ambitum potestatis ordinariæ eorundem: unde cum subducantur à foro ordinario episcopi, nihil potest Capitulum sede vacante in eorundem regimine validè moliri.

16 Hinc neque Vicarius sede vacante potest Monasteria Monialium exemptarum visitare, quia cum authoritas delegata alicui à Pontifice, eadem ab illo ad alium non dimanet; & munus, seu facultas visitandi monasteria Monialium exemptarum delegetur episcopo à Papa, non potest hæc eadem potestas sede vacante transire ad alium: proinde neque ad Vicarium Capituli, quia Episcopus non exercet tale munus jure proprio, & ordinario; sed tantùm delegato, & sibi commisso: & sicut Episcopus non visitat jure suo, sed potestate sibi demandata à Papa, sic Vicarius non visitaret authoritate, & potestate episcopi, neque nomine ejusdem; sed authoritate, & nomine Papæ, quod tamen falsum esset; cùm Papa hanc authoritatem non det Vicario, sed episcopo. Tum quia sede vacante nec Capitulum, nec ejus Vicarius succedit in privilegiis, quæ fuerunt episcopo concessa, quia cùm sint personalia, & odiosa ac propterea strictè interpretanda, ex eo quòd concedantur uni, non intelliguntur concessa alteri, quia debent strictè interpretari, ut notat Innocentius *in c. dilecti de donat.* Hoc idem fuisse dictum à Rota testatur Barbosa *in Concil. Trid. sess. 25. c. 9. num. 1.* Cæterum potest Capitulum sede vacante dare licentiam Monialibus exeundi è Monasterio in casibus permissis in Bulla Pij V. cui initium est *Decori, & honestati*, si gravis necessitas urgeat, quia tunc intrat jurisdictio ordinaria Capituli: extra autem hos casus non potest Capitulum sede vacante Monialibus exemptis, ac immediatè subjectis Papæ dare hanc licentiam egrediendi è claustro ex causa duntaxat ordinaria, idque ob plures declarationes emanatas à sacra Congregatio ne Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

17 Immo neque potest Capitulum, nec ejus Vicarius sede vacante licentiam concedere erigendi nova Monasteria in sua diœcesi, ita enim declaravit sacra congregatio Concilii die 19. Januarii 1633. referente Scledio *in select. can. 18. num. 12.* Monasteria siquidem quorumcumque etiam mendicantium non possunt erigi, neque ædificari, tametsi adsit licentia episcopi, nisi vocatis, & auditis aliorum conventuum procuratoribus, & aliis habentibus ad id interesse, & causâ cognitâ absque aliorum detrimento possint commodè sustentari; & si dicti procuratores nihil opponant, tunc Episcopus dat facultatem erigendi, & ædificandi hujusmodi Monasteria, ut habetur *in constitutione Clementis VIII. 99.* cui initium est *quoniam ad institutum*, & citatur apud Lauretum de Franc *de controv. inter Episcopos, & Regulares pag. 97.* Et hæc Clementis constitutio procedit etiam circa erigenda Monasteria Monialium, ut censuit sacra Congregatio Concilii die 19. Decembris 1620. apud Tamburinum *in tract. de jure Abbatiss. disp. 33. q. 1. num. 4.* & ejus dispositio ita censetur de substantia actûs, ut ejus omissio vitiet concessionem, ut notat Pasqualig. in Lauretum de Franc. *in q. super hac constitutione V. ad quartum.* Rursus nova mendicantium Monasteria non possunt erigi, nisi in quolibet eorundem duodecim Religiosi ex reditibus, & consuetis eleemosynis sustentari possint, & ex consensu aliorum conventuum intra quatuor miliaria existentium, qui ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii sic erigendi absque detrimento Religiosorum in aliis Monasteriis existentium posse congruè, & commodè sustentari, ut declaravit Gregorius XV. in constit. 31. quæ incipit *cùm alias* apud Lauretum de Franc. *de controvers. inter episcopos, & regulares.*

18 Potest tamen Capitulum sede vacante dare licentiam volenti ædificare Ecclesiam, ut acquirat in eadem jus patronatûs, ut docent Calder, consil.

consil. 3. *de jure patronatus* Lambertinus *lib.* 1. *de jure patron. p.* 2. *art.* 9. Panvin. *de potestate Capituli sede vacante.* Fundans, vel construens, aut dotans Ecclesiam acquirit jus patronatus, tametsi illud non reservaverit, dummodo expressè non remiserit *c. nobis* 25. *de jure patron.* & est assertum commune, quinimò fundans Ecclesiam, seu Capellam potest in totum, vel pro parte remittere jus patronatus, illúdque limitare, ac inducere in præjudicium hæredum, vel descendentium, prout sibi placuerit *c. significavit de restitut c.* 1. *de jure patronat in* 6. & ita fuit decisum à Rota in una Cremonensi *juris patron.* 18. & 21. Maji 1578. coram domino Robusterio, & habetur *in p.* 1. *diversar. decis.* 385. & refertur à Garcia *de benefic. p.* 5. *c.* 9. *n.* 64.

19 Quamvis tamen ab initio possit fundator remittere jus patronatus, vel illud ordinare prout voluerit: nihilominus eo semel completo, & authoritate Ordinarii perfecto, non potest ampliùs illud revocare, nec mutare, ut notat Lambertinus 1. *p. lib.* 4. *art.* 10. *n.* 4. unde si reservaverit jus patronatus sibi, & filiis, suisque descendentibus, aut suis consanguineis, non poterit postea eidem renunciare, nec illud transferre in alium in præjudicium filiorum descendentium, aut consanguineorum, idque probat Garcia *loc. cit. num.* 69. à simili de feudo, & emphyteusi, si accipiatur à patre pro se, & filiis. A fortiori neque potest jus patronatus à successore immutari, quia id cederet in præjudicium successorum contra voluntatem fundatoris.

§. VI.

De potestate Capituli sede vacante in ordine ad beneficia ecclesiastica.

1 CApitulum cathedrale sede vacante non succedere episcopo in collatione beneficiorum, proinde non posse Capitulum conferre præbendas, nec beneficia, quæ tempore vacationis contigerit vacare, si eorum libera collatio ad episcopum pertineat, desumitur *ex c. illa* 2. *h. t.* ubi habetur, quòd beneficia spectantia ad collationem Prælati sede vacante non possint à Capitulo conferri, quia non devolvuntur per negligentiam, ex quo infertur, quòd non currat præscriptio, cùm non habeatur negligentia. Ratio solet assignari, quia collatio beneficiorum est veluti quædam donatio saltem ex ea parte, qua est in potestate episcopi potiùs huic, quàm alteri ea conferre, adeo ut hæc beneficiorum collatio pertineat quasi ad fructus, & emolumenta episcopatûs, ut notat Glossa *in c. cùm olim de majorit. & obedient.* quamobrem hoc jus conferendi beneficia, quæ sunt de libera collatione episcopi, non transit ad Capitulum sede vacante, sed pertinet ad Pontificem ea conferre, idque verum est, tametsi beneficium vivente adhuc episcopo in ejus mense vacaverit, dummodo decesserit, antequam illud conferret. Potest tamen Capitulum beneficiis hisce vacantibus præficere Oeconomum, ut in eis administret, donec superior ea contulerit *c. cum vos de offic. ordin.* ubi Panormitanus, & Gemin. *c. nunc. de majorit. & obed. in* 6. Rebuffus *in prax. tit. de devolut. num.* 77. Felin. *in c. cùm olim n.* 6. *de majorit. & obed.*

2 Cæterum conferri ipsa beneficia non potest Capitulum, quia per talem liberam collationem fieret præjudicium episcopo successori: siquidem adimeretur eidem jus illa conferendi. Hinc Capitulum neque succedit episcopo sede vacante in potestate eligendi, vel præsentandi ad ea beneficia, quæ propriè ad episcopum pertinent: quia hujusmodi electio, & præsentatio est etiam species quædam donationis gratuitæ, siquidem fit ei, qui non habet jus ad beneficium, ad quod eligitur, & præsentatur: donare autem & fructus episcopatus distrahere non potest Capitulum, sed potiùs fructus, & jura episcopatûs debent sede vacante fideliter custodiri, ac successori reservari *c. cùm vos* 4. *de offic. ord. ordin. c. sì qua* 43. *caus.* 12. *q.* 2. unde per talem electionem, & præsentationem fieret præjudicium episcopo successori.

3 Immo neque potest Capitulum sede vacante ea conferre beneficia, quorum collatio jure devoluto ob negligentiam, vel delictum inferioris collatoris pertinet ad episcopum, ut docet Abbas *in c. cùm olim* 14. *num.* 2. *de majorit. & obed.* siquidem collatio beneficiorum liberorum, quæ devoluta est ob negligentiam inferiorum collatorum ad immediatè superiorem, est etiam quædam donatio, & quidem non minor collatione propriorum beneficiorum *c. ult. de offic. Vicar. in* 6. *& c. licet* 3. *de suppleud. neglig. Prælator.* quamobrem tam devolutio, quàm collatio talium beneficiorum recensentur inter fructus episcopatûs, qui propterea successori debent reservari. Tum quia cùm Capitulum sede vacante non possit conferre beneficia nisi in casibus, in quibus id eidem jure conceditur, & versemur nunc in materia prohibita, eo ipso quòd aliquid non reperitur concessum, intelligitur esse prohibitum, ut notat Glossa *in c. illa* 2. *h. t. V. cùm nusquam:* atqui neque propter negligentiam Prælati in conferendo potest jus conferendi devolvi ad Capitulum, quia cum sede vacante nullus sit Prælatus, neque esse potest Prælati negligentia.

4 Quòd si collatio beneficii pertineret simul ad episcopum, & Capitulum, docet Panormit. *in c.* 2. *num.* 4. *h. t.* posse Capitulum sede vacante illud conferre: quia Episcopus, & Capitulum constituunt unum corpus quoad illa, quæ illis simul, & communiter sunt facienda; proinde uno eorum facto inhabili ad conferendum devolvitur jus ad alterum, seu ad solum Capitulum, ut tradunt Navarr. *lib.* 2. *tit. de præbend. consil.* 20. Molina *tract.* 5. *de justit. disp.* 12. *n.* 13. & alii communiter. Rursus sicut mortuus naturaliter non potest conferre beneficia, ita nec mortuus civiliter, & quia suspensus, & excommunicatus æquiparatur mortuo, eò quia mors naturalis æquiparetur civili quoad collationes beneficiorum, ideo si episcopus sit suspensus, vel excommunicatus, & collatio beneficii, aut præbendæ pertineat communiter ad episcopum, & Capitulum, potest Capitulum illud conferre, ut etiam si collatio pertineat ad episcopum non ut Prælatum, sed sub alio titulo

bulo, & ad Capitulum, poteſt etiam conferri à Capitulo mortuo Prælato: & multò magis ſi collatio pertineat ad Epiſcopum, non ut ad Prælatum, ſed ut canonicum, eo mortuo poteſt Capitulum beneficium conferre.

Quòd ſi collatio beneficiorum ſpectet ad ſolum Epiſcopum, ita tamen ut illa conferre debeat ex conſilio, & conſenſu Capituli, tunc defuncto, vel ſuſpenſo, aut excommunicato epiſcopo, non poteſt Capitulum talia beneficia conferre, niſi fortaſſis Epiſcopus in petenda relaxatione ſuſpenſionis fuerit in mora culpabili, ut deſumitur *ex c. ſi ad Epiſcopum unic. h. t. in 6.* quia tametſi Epiſcopus debeat conferre beneficium cum conſilio, & conſenſu Capituli, nihilominus collatio beneficii adhuc pertinet ad ſolum epiſcopũ: quia etiam quæ Prælatus agere debet cum conſenſu, & conſilio ſui Capituli, ad ſolum Prælatum dicuntur pertinere, quia conſenſus, & conſilium Capituli tantùm requiruntur, ut Epiſcopus melius adminiſtret, ac magis prudenter ſe gerat; cæterum Epiſcopus poteſt validè beneficia conferre.

Quòd ſi Epiſcopus in petenda relaxatione ſuſpenſionis fuerit in mora culpabili, poteſt Capitulum conferre beneficium: ſeu ſi poſt ſex menſes relaxationem à ſuſpenſione non petierit, jus conferendi devolvitur ad Capitulum juxta *c. quia de conceſſ. prabend.* quia Capitulum ſupplet tunc ejus negligentiam, defectum, & inhabilitatem. Quod tamen intelligitur de beneficiis, quæ pertinent ad collationem epiſcopi jure proprio, quamvis cum conſilio, & conſenſu Capituli: quia ſi jure ad eum devoluto collationes beneficiorum ad ipſum pertinerent, quia ſcilicet inferiores collatores negligentes fuerunt in conferendo, tunc non ad Capitulum, ſed ad proximum ſuperiorem epiſcopi, ſeu ad Archiepiſcopum, vel Papam devolvitur jus conferendi *argum. c. ne pro defectu 41. de elect.* ratio diſcriminis eſt, quia eſt major communicatio, inter Epiſcopum, & Capitulum in his, quæ pertinent ad Epiſcopum jure proprio, quàm quæ jure devoluto.

Non tamen deſunt doctores aſſerentes, poſſe Capitulum ſede vacante conferre beneficia, quæ jure devolutionis ſpectabant ad Epiſcopum defunctum, ita ſentiunt Joannes Andreas *in c. quamquam de elect. in 6.* Petrus Gregorius *in Syntag. juris p. 2. lib. 7. c. 9. num. 43.* Panormitanus *in c. 2. num. 3. ne ſede vacante* Lambertinus *de jure patron. lib. 2. p. 3. q. 22. art. 8. n. 6.* & alii, ea innitentes ratione, quia hæc devolutio pertinet ad Epiſcopum ratione jurisdictionis epiſcopalis, in qua ſuccedit Capitulum ſede vacante exceptis caſibus in jure expreſſis; & quòd Capitulum ſede vacante non poſſit conferre beneficia, quæ jure devolutionis pertinebant ad Epiſcopum nullibi reperitur in jure exceptum: quia tametſi *in c. 2. ne ſede vacante* Pontifex aſſerat, Capitulum non ſuccedere epiſcopo in collatione beneficiorum; id tamen intelligendum eſt de beneficiis, quorum collatio pertinet jure proprio ad Epiſcopum, non verò quæ jure communi cum Capitulo, vel jure devolutionis. Adhæret huic ſententiæ etiam Molina *de juſtit. tom. 6. tract. 5. diſp. 11. num. 12.* ubi docet, quòd tametſi ad Capitulum ſede vacante non pertineat conferre beneficia, quorum collatio ſpectabat ad Epiſcopum ratione dignitatis epiſcopalis, & tanquam aliquod ipſi annexum; nihilominus quando collatio beneficii ad Epiſcopum devolvitur ob negligentiam, vel delictum inferioris, tunc mortuo epiſcopo illud conferre pertinet ad Capitulum, quia ea devolutio tunc pertinet ad jurisdictionem epiſcopalem ratione utilis adminiſtrationis ſuæ diœceſis in bonum, & favorem non ipſius epiſcopi, ſed beneficiorum, & animarum: atqui in hac jurisdictione ſuccedit Capitulum ſede vacante; idque deſumitur *ex c. illa 2. h. t. in fin.* juncta Gloſſa, ubi ob negligentiam conferendi beneficium intra ſemeſtre à puncto notitiæ vacationis beneficii tranſit jus, quod Epiſcopus habet ad illud conferendum, ad Capitulum, idque tametſi ſedes non vacet *c. nulla §. ult. c. quia de conceſſ. prabend.*

Nihilominus oppoſita ſententia communior eſt, quam docent Rebuffus *in prax. benef. tit. de devolut. n. 93.* Barboſa *de poteſtat. epiſc. p. 2. allegat. 126. num. 70.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. num. 53.* Panvin. *de poteſtat. Capituli p. 2. q. 1. num. 10.* Romanus *conſil. 311.* Joannes Monach. *in c. quamquam num. 7.* Et ratio hujus ſententiæ eſt, quia devolutio deducta ad Prælatum ſuperiorem ob negligentiam inferioris, non deducitur immediatè ex natura rei, neque ex aliqua ratione concludente: ſed immediatè procedit ex diſpoſitione juris canonici, proinde non eſt inducenda extra caſus in jure expreſſos: & nullibi in jure canonico expreſſum eſt, ut devolutio, quæ ob negligentiam Prælati inferioris deducitur ad ſuperiorem, tranſeat ad Capitulum ſede vacante: ſiquidem *text. in c. 2. in fin. de conceſſ. prabend.* loquitur tantùm de devolutione collationis competentis epiſcopo negligenti jure proprio; & hæc ſententia mihi videtur probabilior.

Quòd ſi ex alioquo ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudine Eccleſiæ, collatio beneficiorum pertineat ad aliquem cum adjecta conditione, ut non debeat ab eo collatio fieri, niſi adhibito conſilio epiſcopi: tunc defuncto epiſcopo, vel etiam commorante in partibus remotioribus, ita ut conſilium illius non poſſit intra breve tempus haberi, ſi interim, qui jus habet conferendi beneficium illud conferat; tunc collatio eſt valida, quapropter non eſt neceſſe, ut differatur donec Epiſcopus acceſſerit, idque ob periculum quod in expectando conſilio epiſcopi, poſſet vacanti beneficio imminere: ſiquidem periculum imminens vacationi immutat jus, quod aliàs deberet ſervari; & difficultas habendi conſilium reddit obligationem inutilem. Sin verò alicui ſpeciali perſonæ mandaretur ſive à lege, ſive ab homine, ut conferret aliquod beneficium cum conſenſu alterius; tunc collatio ſine tali conſenſu eſſet nulla: ſiquidem aliud eſt conferre beneficium ex conſilio tantùm alterius, & aliud cum conſenſu illius, quia in primo caſu conſilium ſe habet accidentaliter, & in ſecundo conſenſus ingreditur eſſentiam collationis, quæ

sine tali consensu irrita est, et nullius momenti, idque procedit, tametsi consensus peti non possit, eò quia qui debaret assentiri longè absit, vel etiam mortuus sit: ratio est, quia potestas conferendi beneficium tunc datur executori sub certa forma, quam non potest transgredi, & sub conditione, quâ non existente cessat ejus potestas, ut notat Glossa *in c. si pro te 23. V. assensus de rescript. in 6.* & colligitur etiam *ex c. si ad Episcopum unic. h. t. in 6.*

10 An verò sede vacante possit Capitulum conferre beneficia necessaria, ut quando hæc sunt debita certis personis; non videtur ita certum. Corrasius *de benefic. p. 1. c. 7. num. 5. & p. 4. c. 4. num. 37.* absolutè negat, posse Capitulum sede vacante conferre ejusmodi beneficia necessaria: ratio quâ nititur est, quia id non reperitur in jure expressum, sicut reperitur expressus casus de confirmatione electi, & institutione præsentati: & in collatione beneficiorum Capitulum sede vacante nunquam succedit, nisi in casibus in jure expressis: ut liquet *ex c. 2. ne sede vacante.* Nihilominus contrariam sententiam docet Garcia *de benefic. tom. 1. p. 7. c. 5. num. 55.* quia eatenus Capitulum sede vacante potest confirmare electum, & instituere præsentatum, quia tales confirmationes, & præsentationes necessariæ sunt, & debitæ, ut docet Panormitanus *in c. cùm olim de majorit, & obed. & c. 2. num. 6. ne sede vacante:* atqui hæc ratio militat in omni collatione necessaria, & debita, proinde hoc jus conferendi beneficia necessaria, quando eorum collatio est debita certis personis, refunditur in Capitulum sede vacante. Verùm hæc ratio patitur difficultatem, quia si Capitulum posset conferre beneficia debita ex fundatione certo generi personarum, ut consanguineis, vel successoribus fundatoris; eò quia talis collatio censeatur necessaria: sequeretur, quòd eadem ratione posset conferre beneficia debita ex fundatione etiam concivibus fundatoris: pari pacto si aliqua beneficia essent fundata, ut dentur aliquibus tantùm provincialibus, & non exteris, posset ea Capitulum sede vacante conferre, ex quo sequeretur, posse Capitulum omnia beneficia unius Regni sede vacante conferre, si debita sint tantùm illis ex tali Regno, quod tamen non videtur dicendum, & adversatur communi praxi, quia nonnisi impropriè dicuntur hujusmodi beneficia esse collationis necessariæ.

11 Quamobrem putârim, Capitulum sede vacante ea tantùm posse beneficia necessaria conferre, in quibus nulla exercetur libertas, ut quando ex eorum institutione sunt debita certæ tantùm, & determinatæ personæ, ut primo genito, seniori familiæ fundatoris; vel quando ratione optionis debetur beneficium antiquiori optanti; tunc enim collatio dicitur necessaria, quia in illa nulla exercetur libertas, sed beneficium ex jure debet necessariò conferri tali particulari personæ; & censerem, Doctores de hac tantùm collatione necessaria loqui, quando docent, Capitulum sede vacante posse facere collationem beneficiorum necessariam.

12 Quòd si dicas, patronum præsentantem plures clericos, æquè idoneos non ligare manus Capitulo, sed posse hoc sede vacante instituere, quem maluerit ex præsentatis. Respondetur, id per accidens contingere ex tacita concessione, & permissione ipsius patroni, qui cùm potuisset præsentare unum tantùm, maluit plures præsentare, ac dare optionem Capitulo eligendi, & instituendi quem voluerit ex præsentatis. Posset enim patronus si vellet, etiam neminem præsentare, & dare totam potestatem conferendi beneficium ipsi Capitulo, in quo casu Capitulum posset illud conferre, cui voluerit, quia non proprio nomine, sed nomine patroni, cujus vicem tunc gereret, beneficium conferret.

13 Quamvis nequeat Capitulum sede vacante conferre beneficia, quorum collationes ad Episcopum solum pertinent; dubitatur tamen an saltem possit eorundem resignationes recipere. Plures negant præsertim Rebuffus *in prax. tit. de devolut. num. 94.* Paris. *de resignat. benefic. lib. 7. q. 23. num. 3.* Barbosa *de potestat. Episc. p. 3. allegat. 69. num. 8.* Verùm contraria opinio communior est, ac probabilior, quam docent Panormitanus *in c. cum olim de majorit. & obed. col. penult.* Felinus *ibid. num. 4.* Panvin. *de potestat. Capituli 3. p. q. 2. num. 11.* Garcia *de benefic. p. 11. c. 3. num. 255.* Zerola *in prax. episcopali 1. p. V. renunciatio §. 4.* Et quidem posse Capitulum sede vacante tales resignationes recipere decisum fuit à Rota *decis. 6. de rer. permutat. in novis:* & ratio est, quia tunc Capitulum fungitur vice episcopi, in cujus jurisdictione succedit: atqui recipere hujusmodi resignationes pertinet ad jurisdictionem ordinariam episcopi: ergo hoc defuncto potest Capitulum uti eadem jurisdictione ordinaria, & recipere tales resignationes, idque procedit non solùm in resignatione, quæ fit in pœnam resignantis, sed etiam in qualibet resignatione, ut tradit Panvin. *loc. cit. n. 13.*

14 Quòd si dicas cum Joanne Andrea *in c. unic. de majorit. & obed. in 6.* Caiptulum tantùm succedere in his, quæ sunt justitiæ, non verò in in his, quæ sunt gratiæ. Contra est, quia regula generalis est, quòd Capitulum sede vacante fungatur vice episcopi, & succedat in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ exceptis casibus in jure expressis; & quia in jure non est expressus, ideo potestas Capituli ad illum se extendit, alioquin non succederet in totam jurisdictionem ordinariam episcopi exceptis casibus in jure expressis, & quia recipere has resignationes pertinet ad jurisdictionem ordinariam episcopi, & nullibi reperitur in jure, quòd denegetur Capitulo, sequitur posse hoc sede vacante hujusmodi resignationes beneficiorum recipere. Tum quia Capitulum sede vacante potest ex causa privare clericum suo beneficio, proinde potest etiam ejus resignationem admittere, cùm resignatio vim habeat privationis, seu destitutionis, ut notat Flamin. *de resignat. benefic. lib. 7. q. 10. n. 6.* siquidem per resignationem resignans desinit esse intitulatus, & Prælatus.

15 Major difficultas est, an possit Capitulum sede vacante eas admittere beneficiorum resi-

gnatio-

gationes, quæ fiunt ex cauſa permutationis. Azorius *tom. 2. lib. 3. c. 38. q. 4.* recenſet duas oppoſitas ſententias, negativam unam, quam dicit veteres docuiſſe; aliam affirmativam, pro qua citat Federicum *tract. de permutat. benefic. q. 3.* Lappum, Panormit. & Felinum *in c. cum olim de majorit. & obed.* ut etiam Cardinalem, Imolam, & Vitalinum cum Gloſſa *in clement. 1. de rerum permutat.* & hanc ſecundam opinionem vocat probabiliorem, quam ipſe ſequitur, & aſſerit, quòd Capitulum poſſit quidem recipere permutationes beneficiorum, ſed non conferre beneficia permutata, niſi jus conferendi ad ipſum pertineat, vel communiter ad Epiſcopum, & ad ipſum Capitulum: quia ſicut in ſimili poteſt Epiſcopus admittere reſignationem beneficii reſervati Romano Pontifici, ſed non poteſt illud conferre, ut docent Federicus, & Lappus *loc. cit.* cum Rebuffo *in prax. benefic. tit. de devolut. num. 94.* ita quamvis Capitulum poſſit ſede vacante has beneficiorum reſignationes factas ex cauſa permutationis recipere; non tamen ſequitur, poſſe itidem beneficia permutata conferre.

16 Verùm contraria ſententia mihi videtur probabilior, eique adhærendum, quia ſi Capitulo ineſſet facultas recipiendi ex cauſa permutationis tales reſignationes beneficiorum nulla videretur ſuppetere ratio, quin poſſet etiam ipſa beneficia reſignata conferre ipſis compermutantibus: ratio eſt, quia Capitulum, ut ſuperiùs oſtendimus poteſt conferre illa beneficia, quorum collationes ſunt neceſſariæ, ſeu determinatæ ad talem ſpecialem perſonam, adeo ut non ſit in libertate capituli ea conferre, cui maluerit: atqui eo ipſo quòd duo cauſâ permutationis reſignant beneficia, eorum collatio non eſt ampliùs libera, ſed neceſſaria, quia beneficia reſignata ex cauſa permutationis ſunt debita compermutantibus, proinde ſi poſſet Capitulum ſede vacante admittere reſignationes factas ex cauſa permutationis, poſſet etiam beneficia reſignata conferre, perinde ac Vicarius habens facultatem ab epiſcopo recipiendi reſignationes beneficiorum ex cauſa permutationis, poteſt etiam ea conferre.

17 Præterea quia ſi Capitulum de facto reciperet tales reſignationes ex cauſa permutationis, & epiſcopus poſtea nollet ea conferre compermutantibus, tunc renunciantes tenerentur redire ad ſua beneficia *argum. c. ſi beneficia de prabend. in 6.* Si dicas, Capitulum in tali caſu imponere neceſſitatem epiſcopo ad conferenda talia beneficia. Reſpondetur id omnino gratis adſtrui. Immo neque poſſent renunciantes redire ad priora beneficia, ſi Epiſcopus nolit permutationem expedire, quia reſignantes propria culpa amiſerunt per reſignationem factam coram capitulo beneficia: quia beneficium vacat facta reſignatione ex cauſa permutationis, proinde reſignantes non poſſent in tali caſu redire ad priora beneficia abſque nova collatione, tametſi permutatio non ſequatur, ſeu ſuum non ſortiatur effectum, ut tradit Garcia *de benefic. p. 11. c. 4. n. 2.* Hoc tamen non procedit in reſignatione ex cauſa permutationis facta in manibus Papæ, quia tunc ſi permutatio non habet effectum poſſunt permutantes ſine nova collatione redire ad priora beneficia; quia ex eo quòd permutatio non habeat effectum, conjicitur, Papam noluiſſe acceptare talem permutationem, & reſignationem, proinde reſignantes remanent cum ſuis prioribus beneficiis.

Quoad uniones beneficiorum oritur difficultas, an poſſit Capitulum ſede vacante beneficia unire. *Panvin. p. 2. q. 3. num. 17.* videtur adhærere ſententiæ neganti, eò quia per unionem beneficium quod alteri unitur, ſupprimatur, vel extinguatur, & Capitulum ſede vacante non habet poteſtatem ſupprimendi, & extinguendi beneficia, quia id cederet in præjudicium epiſcopi, & deſumitur *ex c. novit 1. h. t.* ubi dicitur, quòd ſede epiſcopali vacante, nihil ſit innovandum, & quòd nec Papa ipſe innovet, eò quia non ſit, qui tunc defendat jus epiſcopale, & ne plus perſonæ, quàm Eccleſiæ tribuiſſe videatur. Per unionem enim beneficiorum minuitur poteſtas epiſcopi: ſiquidem hic non haberet jus conferendi niſi unum beneficium, cùm antea poſſet duo conferre. 18

Nihilominus contraria ſententia eſt communior, ac probabilior, quia Capitulum ſede vacante poteſt eas uniones beneficiorum facere, quas poteſt Epiſcopus: ſiquidem Capitulum ſuccedit in tota jurisdictione epiſcopi exceptis caſibus in jure expreſſis: & unire beneficia eſt actus jurisdictionis ordinariæ, & nullibi in jure prohibetur Capitulo unire talia beneficia, proinde non eſt eidem deneganda hæc facultas, ut docent Rebuffus *in prax. de unione benefic. n. 36.* Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. num. 67.* Neque fit præjudicium epiſcopo, quia jus conferendi unum beneficium æquivalet juri conferendi duo, cùm illud unum ſit pinguius, & æquivaleat duobus. Tum quia ſi Epiſcopus nolit talem unionem ratam habere, adhuc poteſt talia beneficia dividere, ſicut antea erant diviſa; quia ſicut poteſt unire, ita & dividere. 19

Si dicas, Capitulum ſede vacante non poſſe conferre beneficia, proinde neque illa unire: ſiquidem unire beneficia perinde eſt, ac illa conferre, non enim uniuntur, quin unum ex illis beneficiis conferatur alteri Eccleſiæ, cui unitur. Sed contra eſt enim diſpar ratio, quia conferre beneficium eſt actus libertatis, unire verò neceſſitatis, quia non poteſt unio fieri niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, & utilitatem: & neceſſitas uniendi beneficia tunc urget, quando Eccleſia cui unio facienda eſt caret ſufficientibus proventibus ad alendum Miniſtrum; utilitas verò habetur quando ob fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei, qui velint tali Eccleſiæ inſervire, ut habetur *in c. expoſuiſti de prabend.* Poteſt etiam Capitulum ſede vacante commendare beneficia ad tempus, non verò in perpetuum, nimirum donec idoneus beneficiarius eligatur, ut notat Panormitanus *in c. cùm olim de majorit. & obed.* Innocentius *in c. illa 2. h. t.* Rebuffus *in prax. benefic. tit. devolut. num. 77.* Sed id intelligendum eſt, non de beneficiis curatis, ſed tantùm de ſimplicibus, ut tradit Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. num. 8.* ubi 20

etiam refert declarationem sacræ Congregationis.

21 Difficultas esse potest, an sicut Capitulum sede vacante non potest beneficia conferre, ita nec possit clericos privare beneficiis, quorum collatio ad Episcopum pertinebat: siquidem ejusdem est destituere, seu privare, cujus est conferre, & cum beneficium debeat à solo episcopo conferri, & non à Capitulo, ita clericus videtur non posse destitui suo beneficio à Capitulo. Verùm contraria sententia est probabilior, quia castigare scelera est actus jurisdictionis ordinariæ episcopi, & privatio beneficii est actus, quo punitur clericus delinquens, proinde talis privatio, seu destituere clericum ob commissum delictum suo beneficio est actus jurisdictionis ordinariæ: atqui Capitulum sede vacante succedit episcopo in tota sua jurisdictione ordinaria, ut habetur in *extravag. execrabilis §. caterum de prabend.* ergo Capitulum sede vacante si potest punire clericos in pœnam commissi delicti exercendo jurisdictionem ordinariam episcopi; potest clericos in pœnam commissi delicti privare suis beneficiis, quorum collatio ad Episcopum pertinebat: siquidem clerici puniuntur ob delicta, si destituantur bonis, dignitatibus, ac honoribus. Tum quia Episcopus potest clericum publicum concubinarium juxta Concilium Lateranense punire, ac privare beneficiis, quæ possidet, si sit contumax, indocilis, ac incorrigibilis: atqui hæc eadē potestas, seu jurisdictio, quæ est ordinaria defuncto episcopo transit ad Capitulum *c. cùm olim de majorit, & obed.* ut notat Panvin. *de tract. & potestat. Capituli sede vacante p. 1.* Flamin. *de resignat. lib. 7. q. 27. n. 22.*

22 Ad id quod addebatur quòd ejusdem sit destituere, cujus est conferre, respondetur id verum esse, quando cætera paria sunt, quod hìc non contingit, quia publica utilitas, & dignitas Ecclesiæ exigunt, ut delicta non dimittantur impunita, & ut scandala, quæ dantur ab ecclesiastico statim rescindantur: unde quia Capitulo sede vacante competit tota jurisdictio ordinaria episcopi, sicut hic potest ob delicta clericos privare suis beneficiis, ita etiam Capitulum sede vacante, alioquin tota jurisdictio ordinaria non refunderetur in Capitulum.

§. VII.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones

1 QUæritur primò, an Capitulum sede vacante possit clericis, & laicis in delictis mixti fori, & pro dispensationibus, ac commutationibus imponere pœnas, ac mulctas pecuniarias. Respondetur, hæc omnia esse actus jurisdictionis ordinariæ episcopi, proinde hoc defuncto posse illa omnia Capitulum præstare ob totam jurisdictionem ordinariam, quæ refunditur in ipsum: verùm pœnæ pecuniariæ applicandæ sunt locis piis, & applicatio fieri debet statim à Vicario Capituli juxta decretum Concilii Tridentini *sess. 25. c. 3. de reformat.* & ita solet hoc ad praxim deduci, ut notat Squillante *de obligat. & privilegiis Episcoporum p. 1. c. 28. num. 9.* ubi ait, esse inveteratam consuetudinem pro criminibus dignis compositione, compositiones facere, cùm jurisdictio episcopi sede vacante ad Capitulum devolvatur *c. nuic.* & ibi Glossa *de majorit, & obed.* unde sicut potest Episcopus has compositiones facere, ita etiam Capitulum sede vacante, quia tum repræsentat Episcopum, & agit, quæ Episcopus facere poterat. Cæterum emolumenta provenientia ex pœnis pecuniariis applicanda sunt locis piis juxta dispositionem Concilii Tridentini *sess. 25. c. 3.* quæ applicatio potest statim fieri à Vicario Capituli.

2 Quæritur secundò, an Capitulum sede vacante teneatur solvere debita episcopi defuncti ex fructibus, seu ex reditibus episcopatûs. Respondetur affirmativè, quia Capitulum sede vacante cùm sit administrator Episcopatûs tenetur ejusdem gravamina tollere, ac proinde solvere debita episcopi defuncti ex reditibus Episcopatûs, & qui supersunt fructus servare, ac custodire episcopo futuro, idque desumitur *ex c. quia sæpe de elect. in 6. c. præsenti. 9. de offic. ordin. in 6.* & ibi Glosla solutis debitis, Barbosa *de potest. episc. allegat. 114. n. 8.* Garcia *de benefic. p. 2. c. 1. num. 89.* siquidem Capitulum succedit episcopo quoad totam jurisdictionem ordinariam, ac regimen Ecclesiæ exceptis reservatis, ut notat Quaranta *in summa Bull. in V. Capitulum sede vacante §. prædicta*: atqui Episcopus si viveret, teneretur salarium solvere, ac debita, quibus gravatur episcopatus, extinguere, & cùm hæc pertineant ad regimen episcopatus, cui sede vacante succedit Capitulum, poterit hoc hæc debita solvere ex fructibus Episcopatûs, ut tradit Speculator *lib. 1. tit. de allore §. 1. num. 64. & l. 2. tit. de fructibus, & interesse §. 1. num. 15.* Ratio etiam est, quia fructus sunt accessorii beneficio, proinde debentur Prælato pro tempore, quo servivit *cap. non licet 2. c. cum secundum 16. c. dilecto filio 24. de prabend.* Hinc tenetur etiam Capitulum sede vacante eas elargiri eleemosynas, ad quas tenebatur Episcopus.

3 Quæritur tertiò, an Capitulum sede vacante possit cognoscere causas matrimoniales. Abbas *in c. quod in iis de majorit. & obedient.* Alexander de Nevo *cons. 71.* Calderinus *cons. 2. de iis, quæ fiunt à Prælatis absque Capitulo*, & alii censent, Capitulum non posse cognoscere super causis matrimonialibus, & nituntur ex eo, quia Concilium Tridentinum tantùm asserit, id pertinere ad Episcopum, proinde non debet extendi ad Capitulum. Verùm communior, & probabilior sententia, cui adhærendum puto, asserit, posse Capitulum sede vacante causas matrimoniales cognoscere, idque deducitur *ex textu in c. veniens de eo qui duxit in matrimonium*, ut tradunt Covarruvias, Panvin *de potestat, & offic. Capituli sede vacante p. 1. q. 10. num. 8.* Quaranta *in sum. Bullar. V. Capitulum sede vacante q. 5.* ubi ait, Concilium Tridentinum tantùm decrevisse, ut causæ matrimoniales relinquantur examini, & jurisdictioni episcopi tantùm ad excludenos alios Prælatos inferiores, non verò ad excludendum Capitulum, quod sede vacante eandem habet jurisdictionem

nem cum epiſcopo, & præeſt Eccleſiæ, ut par Epiſcopo. Docet etiam hanc ſententiam Molina *de juſtit. tom. 6. tract. 5. diſp. 11. num. 7.* ubi oſtendit, Capitulum ſede vacante poſſe facere ſtatuta, quæ obligent totam diœceſim, vimque habent obligandi in perpetuum etiam epiſcopos, qui ſunt in epiſcopatu ſucceſſuri; perinde ac Epiſcopus poteſt eadem ſtatuta perpetua facere, eò quia Capitulum ſede vacante habeat eandem jurisdictionem epiſcopi, tametſi Epiſcopus in epiſcopatu ſuccedens poſſit poſtea illa revocare, perinde ac poteſt revocare ſtatuta cujusvis alterius epiſcopi ſui prædeceſſoris, cùm non poſſit anteceſſor ſucceſſori in epiſcopatu auferre poteſtatem condendi nova ſtatuta, proinde revocandi etiam condita. Tum quia ſtatutum in præjudicium ſucceſſoris eſt nullum: quia ſede vacante nihil innovari poteſt in præjudicium diœceſis, & epiſcopi ſucceſſoris, ut liquet *ex c. 1. novit. h. t.*

4 Quòd verò poſſit Capitulum ſede vacante cognoſcere ſuper cauſis matrimonialibus ex eo evincitur, quia Capitulum ſuccedit in tota epiſcopi jurisdictione ordinaria, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, niſi aliquid reperiatur in jure, quod eidem expreſsè prohibeatur, & non eſt expreſsè prohibitum in jure quòd Capitulum ſede vacante non poſſit cognoſcere ſuper cauſis matrimonialibus; proinde poterit ſuper illis cognoſcere, perinde ac Epiſcopus, cui de jurisdictione ordinaria competit cognoſcere ſuper iisdem cauſis. Hinc Capitulum ſede vacante, & ejus Vicarius generalis habent facultatem concedendi licentiam aſſiſtendi matrimonio, & ingrediendi Monaſteria Monialium, quia hoc idem poteſt Epiſcopus jurisdictione ordinaria, ut habetur ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 1. de reformat.* ubi hæc poteſtas conceditur Ordinario, & Capitulum ſede vacante venit nomine Ordinarii, ut etiam ejus Vicarius generalis, tùm ſuccedat in omni jurisdictione ordinaria epiſcopi, ut docet Pontius *lib. 5. c. 10. n. 4.*

5 Quæritur quartò, an intra octiduum, quo Capitulum ſede vacante cogitat de vicario eligendo, debeat Archidiaconus jurisdictionem adminiſtrare? Reſpondent aliqui intra illud octiduum jurisdictionem devolui ad Archidiaconum, ut præ cæteris tradit Vulpe *in prax. fori eccles. c. 44. num. 30.* eò quia pertineat ad Archidiaconum jurisdictio, quia à jure eſt tunc ille Vicarius *c. 1. & c. 7. ad hæc de offic. Archidiac.* & de jure habet jurisdictionem ordinariam, ut notat Gloſſa *in c. perlectis in V. jurgia diſt. 25.* Neque videtur obſtare, quòd hæc jura loquantur ex ſuppoſitione ſedis plenæ: ſiquidem per mortem epiſcopi, ea, quæ de jure Archidiacono competunt, ei non auferuntur, ut tradit Abbas *in c. dilecto num. 7. de offic. Archidiac.* Verùm probabilior ſententia eſt, intra tale octiduum jurisdictionem adminiſtrandi devolui ad totum Capitulum, & non ad ſolum Archidiaconum.

6 Neque obſtant præcitati textus, quia ut rectè notat Quaranta *in ſum. Bullar. V. Capitulum ſede vacante num. 2.* ex diverſis non fit illatio; & præcitata jura loquuntur de ſede repleta, non de ſede vacante, tunc enim de jure tota jurisdictio ordinaria epiſcopi devolvitur ad totum Capitulum, & non ad ſolum Archidiaconum. An verò poſſit Capitulum ſede vacante reſtringere tempus illud octo dierum ſtatutum à Concilio in ordine ad electionem Vicarii; plures affirmant per textum *in c. Eccleſia veſtra*, ubi Abbas *not. 1. de elect.* Verùm putârim probabiliùs cum aliis, non poſſe Capitulum reſtringere illud octiduum ſtatutum à Concilio: quia tametſi in poteſtate Capituli ſit eligere Vicarium etiam ſtatim prima die poſt mortem Epiſcopi; non tamen poteſt ſtatuere, ut intra brevius tempus aſſignatum à Tridentino debeat Vicarius eligi, adeout ad id adigatur. Quia cùm Capitulum non ſit ſuperius ſe ipſo, neque poteſt ſibi legem imponere, à qua obligetur, lex enim non niſi ſubditos eam ferentis obligat, & quia Capitulum non eſt ſubditum ſibi ipſi, tametſi quilibet de Capitulo ſeorſim ſumptus ſit ſubditus Capitulo, ideo Capitulum non videtur poſſe obligari ſtatutis Capituli. An verò poſſit Capitulum ſede vacante poſt octiduum, antequam Metropolitanus eligat Vicarium, purgare moram, & eligere Vicarium? negat Emanuel Themudo *in decis. Archiepiſcopal. Olyſſ. p. 1. deciſ 22. n. 5.* ubi cenſet, quòd ſi Capitulum intra octiduum non conſtituat Vicarium, devolvitur deputatio Vicarii omnino ad ſuperiorem, ut Concilium declarat, ubi illa dictio *omnino* præciſam naturam habet, nec ullam patitur reſtrictionem: imò importat præciſam executionem, præciſè enim cogit ad factum, & præciſam denotat neceſſitatem, ut ait Tuſchus *conclus. 522.* ubi adfert novem conditiones excluſivas. Adhæret huic ſententiæ etiam Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 18. ſeſſ. 3. num. 2.* ubi ait, Capitulum, quod ſede vacante neglexit Vicarium conſtituere tempore, & modo ſibi præſcriptis, carere poſtea facultate eum conſtituendi.

7 Nihilominus mihi videtur probabilis ſententia aſſerens, etiam poſtquam effluxerint illi octo dies, poſſe Capitulum purgare moram: quia cum Vicariatus non ſit beneficium, ſed officium, & quidem temporale; devolutio deputationis Vicarii ſolùm intelligitur fieri, ut Metropolitanus poſſit Vicarium deputare negligente Capitulo, non verò quòd Capitulo omnino tollatur facultas purgandi moram, & eum deputandi. Tum quia devolutio ad Metropolitanum tantùm ad eum effectum habetur, ut ſuppleatur negligentia Capituli, proinde quando hoc purgat moram, & deputat Vicarium etiam poſt octiduum, deputatio eſt valida; docent enim hanc ſententiam Garcia *de benefic. pag. 5. c. 7. num. 4. V. ſed reſpondeo*, Riccius *col. 1602.*

8 Quòd ſi dicas, quòd quando jurisdictio devolvitur ad ſuperiorem propter negligentiam Prælati inferioris, non habet locum pœnitentia: eò quia ipſo jure inferior ob negligentiam deſtituitur jure. Poſſet reſponderi, hac jurisdictione non privari Capitulum poſt octiduum re integra antequam Metropolitanus Vicarium deputet, ſed tantùm poſt deputationem factam à Metropolitano, adeo ut ſi poſt deputationem

factam

factam à Metropolitano, Capitulum vellet alium Vicarium deputare; hæc deputatio Capituli nulla foret ex defectu jurisdictionis amissæ in deputatione facta à Metropolitano, cujus deputatio tantùm valeret. Cæterum priusquam Metropolitanus deputet Vicarium, & re adhuc integrâ, licèt post octiduum, si Capitulum moram purget, ejus deputatio Vicarii suum sortitur valorem.

9 Cæterum terminus ille octo dierum incipit currere Capitulo à die mortis episcopi, vel etiam à die scientiæ translationis episcopi ad aliam Ecclesiam, quando tamen à summo Pontifice fuit Episcopus absolutus à vinculo prioris Ecclesiæ, ut notat Massonbronius *in prax. habendi concurr. requis. 1. dub 9.* ubi ait, fuisse decisum à Congregatione, Ecclesiam, quam Episcopus dimittit, incipere vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in consistorio etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, & etiam ante adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ: & postquam hujus absolutionis notitiam habuerit etiam ex testimonio, seu documento Secretarii sacri collegii illicò teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, quæ propterea transit in Capitulum sede vacante. proinde debet statim Capitulum Vicarium eligere juxta præscriptum Concilii Tridentini, ac publicare sedem vacantem.

10 Quæritur quintò, quid juxta Concilium Tridentinum requiratur in electione Vicarii Capituli sede vacante. Respondetur Concilium *sess. 24. c. 16.* statuere, ut Capitulum sede vacante officialem, seu Vicarium intra octo dies post mortem episcopi constituat, vel confirmet præsentem Vicarium, qui inservivit episcopo: debet autem ex Tridentino, & jure canonico Vicarius esse doctor, vel saltem Licentiatus in jure canonico: alioquin si Capitulum eligeret minus idoneum, deputatio constituendi Vicarium devolveretur ad Metropolitanum, & si Ecclesia esset Metropolitana, & exempta, & Capitulum negligens in tali deputatione, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana deberet vicarium constituere. Rursus Episcopus ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum pertinent ab eisdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuscunque officialibus, & administratoribus, qui sede vacante fuerunt à Capitulo, vel aliis ejus locum tenentibus deputati, potest rationem exigere officiorum, jurisdictionis, & administrationis, quinimo si deliquerint, potest etiam eos punire: tametsi prædicti officiales deputati redditis rationibus à Capitulo absolutionem obtinuerint. Tenetur etiam Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere, ut injungit Concilium *sess. 24. c. 16.*

11 Rursus quando pro Vicario Capituli sede vacante haberi potest doctor in jure canonico est is eligendus, quinimo asserit Merola *tom. 3. disp. 7. c. 7. dub. 18. n. 186.* sacram Congregationem in una Tridentina declarâsse, quòd si Capitulum eligat non doctorem, quando haberi potest doctor in jure canonico, electio sit nulla. Hinc Vulpe *in prax. fori eccles. 44. num. 15.* ait, quòd quamvis Vicarius episcopi possit esse non doctor, nihilominus Vicarius Capitularis debet talis deputari, qui sit doctor, alias deputatio est nulla, & si Episcopus demortuus reliquit Vicarium non doctorem, non debet Capitulum eum confirmare, sed alium eligere, qui sit doctor; & si in Capitulo non sit doctor, potest deputari alius, qui sit idoneus, & asserit ita declarasse sacram Congregationem Concilii. Immò Barbosa *tract. de can. c. 42. num. 53.* asserit die 28. Augusti anno 1621. fuisse declaratum à sacra Congregatione, quòd doctor Theologus non possit esse Vicarius Capitularis sede vacante: quia viri Theologi quamvis litteratissimi non tamen satis jurisprudentiæ praxim, & theoricam callent.

12 Verùm non desunt, qui contrarium doceant, ut notat Garcia *loc. cit. c. 7. num. 14.* Navarrus *cons. 2. de offic. Vicar.* Riccius *in prax. Archiepisc. decis 473. num. 2.* & alii asserentes, quòd quamvis Vicarius capitularis debeat esse gradu doctoratûs in jure canonico insignitus; si tamen idoneus, & eminentis scientiæ esse deprehendatur, hoc sufficit ad verba statuti, & ad mentem Concilii implendam *argum. l. unicuique C. de prax. fac. script lib 12* Baldus *in l. sed reprobari ff. de excusat. Tutor.* De facto ipsemet novi Vicarios, qui minimè fuerunt in jure canonico doctores, tametsi ex continuo studio particulari, & praxi calluerint jus canonicum. Dummodo adsit doctrina, & idoneitas, titulus non videtur necessarius, quia hic requiritur ad comprobandam idoneitatem. Quòd si quis fuisset insignitus doctoratu in jure canonico, & non haberet idoneitatem, ob solum doctoratum sine doctrina non posset eligi in Vicarium capitularem, quia non adimpleretur mens Concilii, unde declarationes congregationis intelligendæ sunt de idoneitate, & quòd revera qui eligitur in capitularem Vicarium sit doctus in jure canonico, habeátque sufficientem idoneitatem, quamvis laureâ doctoratûs non fuisset insignitus.

13 Quæritur sextò, an Vicarius Capitularis debeat à Capitulo sede vacante eligi ex gremio Capituli idoneus? Respondetur, si aliquis ex gremio esset æquè idoneus cæteris paribus esset præferendus extero juxta declarationem sacræ Congregationis Concilii, ut refert Vulpe *in prax. fori eccles. c. 4. num. 25.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 7 num. 13.* Merola *tom. 3. disp. 7. c. 7. dub. 18. num. 187.* ubi addit, hoc etiam procedere, quando electio devolvitur ad Metropolitanum ob negligentiam Capituli, adeo ut Metropolitanus non adigatur ad eligendum aliquem ex Capitulo, sed possit etiam extraneum eligere, si sit magis idoneus, quàm quilibet ex Capitulo. Neque obstat *c. ne pro defectu de elect.* quia textus ille tantùm procedit de electione Prælati, qui debet eligi de gremio Capituli.

14 Cæterum si quis de gremio Capituli esset æquè idoneus, ac extraneus, tunc Metropolitanus cæteris paribus teneretur præferre eum, qui est de gremio: siquidem in hac electione vicarii succedit in locum Capituli, cujus negli-

gen-

gentiam, vel defectum ſupplet, proinde tenetur eligere eodem modo, quo tenebatur Capitulum, proinde non poteſt Metropolitanus eligere non doctorem, quando haberi poteſt doctor, imò neque extraneum, quando ex gremio Capituli haberi poteſt æquè idoneus, quinimò notat Garcia in *d. c. 7.* quòd ſi in gremio capituli nullus adeſſet Doctor, vel Licentiatus in jure canonico, & nihilominus adeſſet alius valdè peritus in jure canonico, ac idoneus, deberet hic eligi; idque evincit ex quadam declaratione ſacræ Congregationis, quam refert. *n.* 12. ubi dicitur, quòd exiſtentibus doctoribus in Capitulo, vel Licentiatis debeant neceſſariò eligi doctores, vel licentiati, & ſi non adſint, debeat eligi unus ex exteris, qui ſit, quantum poterit idoneus.

15 Quæritur ſeptimò, an Capitulum ſede vacante poſſit eligere parochum in Vicarium. Reſpondet Barboſa *tract. de canon. c. 42. num. 37.* non poſſe Vicarium Parochum habentem curam animarum eligi, niſi fortaſſis illam gereret in eadem civitate, & Eccleſia, ut declaravit ſacra Congregatio Cardinalium; quæſitum enim fuit, an ſede epiſcopali vacante canonici eligere poſſint in vicarium generalem canonicum ejusdem Eccleſiæ, qui in eadem civitate, & Eccleſia curam gerit animarum, & ſacra congregatio reſpondit affirmativè in una Orvie. 29. Martii 1591. ubi etiam fuit dictum, quòd contrariæ deciſiones intelligantur de Parocho rurali. Imò poteſt etiam eligi Vicarius Capitularis, qui non ſit in ſacris, quia Concilium Tridentinum hanc qualitatem non exigit, ſed tantùm, quòd ſit doctor in jure canonico, habeátque alia requiſita ad tale munus obeundum. Et licèt aliqui opponant litteras Clementis VIII. in quibus expreſsè jubet, ut Canonicus, qui non eſt in ſacris conſtitutus, non poſſit eſſe vicarius, ut objicit Novarius *in ſum. Bullar. tom. 1. tit. de Capitulo ſede vacante num. 19.* Nihilominus, ut notat Merola *tom. 3. diſp. 7. c. 7. dub. 16. num. 189.* harum litterarum nullum teſtimonium authenticum Novarius adfert, proinde non videntur vim habere, cùm non adſint. Præterea ſi adeſſent, adhuc hodie non obligarent, quia continent præceptum perſonale latum ab homine, quod per obitum Clementis VIII. expiravit.

16 Quæritur octavò, an Capitulum ſede vacante poſſit duos Vicarios eligere, affirmat Garcia *de benefic. p. 7. c. 7. num. 37.* eò quia Epiſcopus poſſit, ſi velit, duos conſtituere Vicarios ut docent Panvin. *p. 2. q. 10. num. 6.* Zechius *c. 23. de Vicario epiſcopi §. 1. num. 3.* & ita practicatur in aliquibus eccleſiis, non enim videtur inconveniens, quòd ſint plures Vicarii, cùm meliùs, ac conſultiùs tunc inſerviant. Neque obſtat, quòd Concilium Tridentinum in *d. c. 16.* loquatur in ſingulari, nimirum quòd Capitulum ſede vacante intra octo dies à mortuo epiſcopo eligat Vicarium, ſiquidem Concilium eatenus loquitur in ſingulari, quia regulariter non ſolet eligi niſi unus Vicarius; non tamen prohibet, quin poſſint plures eligi, ſi neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ id exigat. Tum quia diſpoſitio loquens de uno habet locum in pluribus, quando eſt eadem ratio in illis, Gloſſa *in c. ſi compromiſſarius* communiter recepta ſecundùm Novar. *de uſur. n. 113.* Putârim tamen ſtandum eſſe conſuetudini Eccleſiarum, quarum aliæ plures exigunt Vicarios ob plura, & majora negotia.

Cæterum regulariter unus tantùm debet 17
Vicarius Capitularis eligi. Quia verò jurisdictio Vicarii Capitularis dependet ab ipſo Capitulo, poteſt Capitulum jurisdictionem, & authoritatem limitare, vel ampliare, prout conſultiùs ipſi viſum fuerit, quia jurisdictio per mortem epiſcopi refunditur in totum Capitulum, in quo principaliter reſidet, adeo ut Vicarius electus à Capitulo non habeat niſi exercitium jurisdictionis, ex quo fit, quòd poſſit Capitulum in deputatione Vicarii aliqua ſibi reſervare, ut notat Barboſa *de canon. c. 42. num. 43.* Non tamen Vicarius conſtitutus à Capitulo poteſt alium ſubſtituere, niſi ad modicum tempus, & ex urgenti, ac magna cauſa, ut notat Hoſtiens. *in c. clericos de offic. Vicarii*, vel niſi Capitulum conſenſerit in ſubſtitutum cum clauſula *quem ex nunc prout ex tunc nos ſubſtituimus*, ut ſi Vicarius gravi laboraret infirmitate, aut alio legitimo impedimento eſſet præpeditus. Verùm in hiſce caſibus poſſet Capitulum durante impedimento alium deputare Vicarium.

Quæritur nonò, an poſt electionem Vicarii 18
poſſit Capitulum ſede vacante aliquam exercere jurisdictionem. Garcia *de benefic. p. 5. c. 7. n. 25.* cenſet, Capitulum ſede vacante non poſſe in aliquo ſe immiſcere quoad adminiſtrationem jurisdictionis; ſed teneri totam adminiſtrationem jurisdictionis liberè relinquere adminiſtrandam Vicario, tametſi antea poſſet hanc Vicarii jurisdictionem, & poteſtatem limitare. Adhæret huic opinioni etiam Marcus Antonius Genuenſis aſſerens, poſt Concilium Tridentinum non poſſe Capitulum ullam cauſam alteri delegare: ſiquidem cùm non poſſit adminiſtrare per ſe ipſum, ſed per Vicarium, in quem Concilium transfert poteſtatem, non poteſt ab illo jurisdictionem auferre, & alteri cauſam delegare, niſi ex juſta cauſa. Tum quia in Vicarium electum à Capitulo ſede vacante tranſit tota jurisdictio, quæ competebat Capitulo, adeo ut non ſit ampliùs neceſſarium ſpeciale mandatum, quia cùm Concilium adigat Capitulum ad conſtituendum Vicarium, qui totam jurisdictionem adminiſtret, non videtur neceſſarium aliud ſpeciale mandatum.

Alii verò cenſent, jurisdictionem conceſſam 19
vicario non eſſe privativè ad Capitulum, ſed cumulativè, ſicut dicitur de Vicario conſtituto ab epiſcopo; hinc dicunt, poſſe Capitulum etiam poſt Vicarii electionem ſe immiſcere adminiſtrationi jurisdictionis, perinde ac poterat antea excommunicando, diſpenſando, cauſas delegando, confeſſarios approbando, & alia exercendo, quæ pertinent ad jurisdictionem, ſicut poteſt Epiſcopus poſt conſtitutionem ſui Vicarii. Et hæc opinio mihi videtur probabilior, eò quia conformis juri antiquo, à quo non eſt recedendum, niſi quoad expreſſa in novo *l. præ-*

cipimus C. de appellat. atqui ante Tridentinum potestas data vicario á Capitulo sede vacante non erat privativè ad Capitulum, sed cumulativè: ergo hæc potestas eodem pacto se habet post Tridentinum, quia circa hoc nihil innovat.

20 Etenim mortuo episcopo succedit ei Capitulum in omni jurisdictione ordinaria exceptis casibus, qui in jure exprimuntur: & sicut Episcopus constituens Vicarium non concedit eidem jurisdictionem privativè ad Episcopum, sed cumulativè; hoc idem dicendum est de constitutione Vicarii facta à Capitulo sede vacante, quia in jure non habetur oppositum, & Tridentinum nil circa hoc innovavit, sed solùm arctat Capitulum ad eligendum Vicarium intra octiduum à morte Metropolitani; quamobrem cùm Concilium nihil statuat, an jurisdictio data vicario sit privativè ad Capitulum, an cumulativè; censetur hic casus omissus, qui propterea remanet in dispositione juris antiqui *l. commodissimè ff. de lib. & posthum.* unde sicut de jure antiquo jurisdictio data vicario non erat privativè, sed cumulativè ad Capitulum, ita erit etiam cumulativè post Concilium Tridentinum.

21 Quapropter potest Capitulum etiam post electionem Vicarii aliquas causas alteri delegare, perinde ac ante Tridentinum, quia sede vacante non destituitur exercitio jurisdictionis, quam antea habebat. Hinc in Vicarium à Capitulo simpliciter electum sede vacante non transit major potestas, seu jurisdictio, quàm in Vicarium electum ab episcopo: unde in eum non transit tota jurisdictio Capitulo competens, sed adhuc requiritur speciale mandatum quoad ea, quæ in Vicarium episcopi non transeunt absque speciali mandato: quapropter Vicarius Capituli sede vacante non potest dispensare sine speciali mandato in casibus, in quibus dispensat Episcopus, quia nec Vicarius episcopi id potest sine speciali mandato episcopi.

22 Quæritur decimò, an Vicarius Capitularis sede vacante possit ad nutum Capituli etiam sine justa causa removeri. Affirmant plures Azorius *tom. 2. lib. 3. c. 37.* Barbosa *in remiss.* ad Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 16. & in tractatu de canon. c. 42. num 48.* ubi ait, Vicarium deputatum à Metropolitano ob negligentiam Capituli vigore Concilii Tridentini posse ad nutum ejusdem removeri, & refert ita fuisse decisum in Romana 29. Septembris 1623. Immo Jacobus Sprozius *de vicario Episc. lib. 3. c. 32. num. 7.* id ampliat, tametsi interpositum fuisset juramentum de non revocando. Rationes, quibus nititur hæc sententia, sunt, quia de jure antiquo ante Tridentinum poterat Capitulum ad nutum revocare Vicarium à se electum, proinde etiam nunc post Tridentinum, quia Concilium nil circa hoc determinat, adeo ut tanquam casus omissus remaneat in dispositione juris antiqui *l. commodissimè ff. de lib. & posthum.* Quòd verò in jure antiquo potuerit Capitulum ad nutum removere Vicarium à se electum ex eo probant, quia Episcopus potest ad nutum removere suum Vicarium, ut habetur *in clement. unic. de procurat. & in clement. & si principalis 2. V. per electionem* ubi Cardinalis *de rescript.* ergo in iisdem juribus potest etiam Capitulum removere sine justa causa Vicarium à se electum, quia Capitulum succedit in tota jurisdictione ordinaria episcopi exceptis casibus in jure expressis. Unde cùm Episcopus possit ad libitum Vicarium à se constitutum revocare. Hoc idem poterit etiam Capitulum, cùm nullibi in jure reperiatur hoc illi prohibitum.

23 Tum quia sicut Episcopus ad placitum constituit suum Vicarium, ita etiam Capitulum, & sicut jurisdictio Vicarii episcopi cessat per mortem, vel resignationem episcopi; ita Vicarius Capituli cessat, cessante jurisdictione Capituli; adeout perinde Vicarius Capitularis dependeat à Capitulo, sicut Vicarius episcopi ab episcopo: proinde sicut potest Episcopus removere ad nutum suum Vicarium, ita etiam Capitulum. Verùm licèt hæc sententia sua non careat probabilitate; nihilominus adhærendum puto contrariæ sententiæ asserenti Capitulum sine justa causa non posse removere Vicarium à se electum, ut docent Garcia *loc. cit. c. 7.* Franciscus Zypæus *in Analitica juris canon. lib. 10. tit. de sede vacante num. 4.* Quaranta *in sum. Bullar. V. Capitulum sede vacante q. 12. num. 3.* Marcus Antonius Genuensis *in prax. Archiepiscopat. Neapol. c. 84. n. 4.* ubi ait, quòd quando Collegium ecclesiasticum tenetur aliquem eligere improbatur à jure mutatio, & variatio sine causa. Probant nonnulli hanc sententiam, quia si Vicarius Capitularis posset ad nutum removeri, id fieret contra Concilium Tridentinum, siquidem electio Vicarii fit in executionem, & implementum præcepti Concilii Tridentini *sess. 24. c. 16.* adeo ut Ugolinus asserat, jurisdictionem Vicarii dependere à lege, vel canone, & non à Capitulo, proinde non posse sine justa causa ab eodem revocari, eò quia ejus electio ex Concilii dispositione vires accipiat.

24 Verùm hæc ratio non satisfacit, quia Concilium nihil ex jure Capituli derogat in hac parte, sed solùm illi modum eligendi præcipit, quo meliùs litium, & negotiorum expeditioni consulatur, ut notat Riccius *in prax. decis. 474.* Quamobrem ratio mihi videtur esse, primò quia id fuit declaratum à sacra Congregatione Concilii Tridentini, & plures super hoc exstant declarationes, quas referunt Marcellus Vulpe *in prax. for. eccles. c. 44.* Novarius *in sum. Bullar. tom. 2. tit. de Capitulo sede vacante num. 6.* & alii. Secundò quia semel facta electione Vicarii, videtur hic acquisivisse vigore electionis jus aliquod exercendi suum officium; quo jure ipso invito, & absque justa causa non debet privari; siquidem hæc privatio, seu exclusio ab officio est pœna, & quidem magna *ex l. 2. ff. de offic. procurat.* atqui pœna non est infligenda nisi propter delictum, unde si Vicarius non deliquerit, nec alia justa causa suppetat, non videtur posse removeri à tali officio.

25 Tum quia si canonici pro suo libito possent privare Vicarium à se electum jurisdictione, sequeretur hoc absurdum, ut rectè notat Quaranta *in sum. Bullar. V. Capitulum sede vacante num.*

num. 3. q. 12. quòd Vicarius ſegniter ſe haberet in adminiſtranda juſtitia contra canonicos particulares, & à quibus ipſe dependebat ex timore, ne privaretur ſua jurisdictione, & huic ſententiæ adhæret Garcia *d. c. 7. num.* 22. *& in addit. ad idem cap. fol.* 61. *num.* 22. ubi refert aliquas declarationes Cardinalium negantium poſſe Capitulum removere Vicarium à ſe electum, niſi ex cauſa approbanda priùs ab ipſa Congregatione Cardinalium, alioquin revocatio eſt nulla: & ita etiam ſentit Riccius *in prax. decis.* 482. ubi ait, legitimam cauſam revocandi Vicarium poſſe eſſe inſufficientiam, vel negligentiam ejusdem in obeundo ſuo officio. Quamobrem ſaltem ob plures declarationes ſacræ Congregationis adhærendum eſt huic ſententiæ.

36 Quæritur undecimò, qualenam locus debeatur Vicario capitulari, & an abſens lucretur diſtributiones? Quoad locum reſpondet Barboſa *de poteſt. epiſc. p.* 3. *allegat.* 54. *n.* 177. *&* 178. quòd ſi Vicarius Capitularis ſit Canonicus, & chorum frequentet cum canonicali apparatu, ut diſtributiones quotidianas lucretur, tunc debeat ſedere in loco proprio ſui canonicatus, nec debeat antiquiores canonicos præcedere, & citat Riccium *in praxi for. eccles. deciſ.* 475. ubi aſſerit, id fuiſſe deciſum in Rota Romana in una Lucana beneficii 28. Decembris 1579. coram Seraphino. Sprozius verò *lib.* 2. *q.* 25. *num.* 17. ait, quòd quando Vicarius non eſt canonicus, debeat in proceſſionibus ei præferri Archidiaconus, vel alia dignitas major, quæque eſt prima poſt Epiſcopum. Merola *tom.* 3. *diſp.* 7. *c. dub.* 32. *num.* 329. aſſerit in proceſſionibus debere Vicarium Capituli ſede vacante habere primum, & honorabiliorem locum, adeo ut ſit præferendus etiam Archidiacono. Verùm id potiùs dependet ex conſuetudine locorum, quibus tenetur Vicarius conformari. Quòd verò ad diſtributiones pertinet, putat Garcia *p.* 3. *c.* 2. *n.* 359. quòd Vicarius Capituli ſede vacante ſi canonicus ſit non ſolùm habeatur propræſenti, & lucretur fructus in abſentia, ut cenſent Panvin. *de offic. & poteſt. Capit. ſede vacante q.* 10. 2. *p. num.* 5. Quaranta *V. Capitulum ſede vacante n.* 8. verùm etiam percipiat diſtributiones: eò quia Vicarius abſens à choro cenſeatur eſſe in ſervitio Eccleſiæ, cum magis commodum ſit Eccleſiæ, ut per Capitularem Vicarium exerceatur ejus jurisdictio. Qui enim abeſt pro ſervitio, & evidenti utilitate Eccleſiæ etiam ceſſante conſuetudine, non ſolùm percipit fructus *c. ex parte* 2. *de cleric. non reſident.* verùm etiam diſtributiones quotidianas, ſi ſit præſens in loco, ubi eſt Eccleſia *c. unic. de cleric. non reſidentib. in* 6. Covarruvias *lib.* 3. *variar. c.* 13. *n.* 8. *verſ.* 8. Quod tamen intelligitur, niſi ſit conſuetudo contraria, ut aliàs in ſimili, de infirmis declaravit ſacra Congregatio Concilii, ut refert Garcia *loc. cit. n.* 361.

Quæritur duodecimò, an Vicarius Capitularis ſede vacante poſſit cognoſcere ſuper cauſis delegatis Vicario generali epiſcopi, & exequi diſpenſationes in impedimentis matrimonii, & litteris in forma *dignum*, quæ vicario epiſcopi ſolent committi. Affirmant plures cum Pan-

tio, *de matrim. lib.* 8. *c.* 18. *num.* 13. eò quia Capitulum ſuccedat in omni jurisdictione ordinaria epiſcopo, & in omni jurisdictionali commiſſione facta epiſcopali dignitati; & pari paſto Vicarius Capituli ſuccedit vicario epiſcopi, proinde eandem poteſt commiſſionem exequi, ut etiam Vicarius Prælati, habentis jurisdictionem epiſcopalem in ſua dioeceſi, nulli ſubdita epiſcopo, ut ſunt Vicarii quorundam Abbatum, quia *in clement.* 11. *de reſcript.* dicitur, quòd Epiſcoporum Vicarii ſint capaces delegationis à Papa conceſſæ, vel ab ejus legato. Adhæret huic ſententiæ etiam Imola *in eadem clement.* 11. *de reſcript. num.* 19. Nihilominus ſtante ſtylo Curiæ Romanæ, & Cancellariæ, quæ ſede epiſcopali vacante non dirigit tales litteras in forma *dignum*, nec diſpenſationes vicario Capituli, quia ei non fidit, ſed epiſcopo viciniori, vel ejus vicario, ut tradit Garcia *in tract. de exeent. gratiar. 6. p. c.* 2. *num.* 44. ubi ait, quòd attento ſtylo curiæ, & cancellariæ, quæ ſede epiſcopali vacante non dirigit hujusmodi litteras in forma *dignum*, nec diſpenſationes vicario Capituli, ſed epiſcopo viciniori, vel ejus vicario; non poteſt Vicarius capitularis ſede vacante cognoſcere de hiſce cauſis delegatis vicario generali epiſcopi, neque exequi diſpenſationes in impedimentis matrimonii, & litteris in forma *dignum*, quæ tali vicario epiſcopi ſolent committi. Hunc eſſe ſtylum curiæ eſt res notiſſima omnibus in curia mediocriter verſatis ait Hieronymus Paulus *de pract. cancellar. in princ. V. circa qualitatem perſonarum*, & Segura *in c. quoniam Abbatum.* 15. ait, ex ſtylo curiæ hodie diſpenſationes matrimoniales ſede vacante non committi Capitulo, quamvis nominatim petatur, ſed epiſcopis viciniorib.

Idque etiam deſumitur ex conſtitutione Pij V. 162. in qua mandatur, quòd litteræ in forma *dignum* dirigantur ad Epiſcopum dioceſanum, vel ad Vicarium generalem, aut officialem ejusdem epiſcopi disjunctivè ad electionem impetrantis, & Bartol. *in l. qui jurisdictioni de jurisdictione om. jud.* ait, quòd ſtylus curiæ ſit, ut deputentur executores litterarum apoſtolicarum officiales Epiſcoporum, non autem Capitulorum. Demum quia ſacra Congregatio ſub die 2. Auguſti 1631. expreſsè cenſuit, Capitulum, & Vicarium Capitularem non poſſe exequi commiſſiones apoſtolicas in forma *dignum*, nec alias directas epiſcopo, vel ejus vicario generali intuitu officii, ut tradit Barboſa *de jure eccles. lib.* 1. *c.* 32. *num.* 57. Hinc Vicarius, ſeu officialis Capituli ſede vacante non poteſt exequi diſpenſationes directas vicario generali epiſcopi, idque attento ſtylo curiæ, & cancellariæ, quæ ſede vacante non dirigit litteras has in forma *dignum*, nec diſpenſationes vicario, vel officiali Capituli, ſed epiſcopo viciniori. 28

Quæritur tertio decimo, quando expiret jurisdictio Vicarii capitularis? Reſpondetur, expirare eò ipſo, quòd ceſſat jurisdictio Capituli, ſeu cùm primùm ſedes epiſcopalis ceſſat vacare. Quando verò hæc ſedes ceſſet vacare Panvin. *p.* 2. *q.* 18. *n.* 19. Hoſtienſis *in c. cùm olim. ll. c., de reſtit. ſpoliat.* cenſent, tunc ceſſare 29

ſedem vacare, quando novus Epiſcopus adeptus eſt poſſeſſionem epiſcopatus, adeo ut non ſufficiat, ſi Epiſcopus ſit electus, quia epiſcopo nominato non licet Vicarium mittere, Abbas *in c. qualiter de elect.* unde ut Capituli jurisdictio ceſſet, debet Epiſcopus capere poſſeſſionem epiſcopatûs cum oſtenſione Bullarum. Quaranta *in ſum. Bullar. num.* 13. ait, ſedem epiſcopalem ſemper intelligi vacare, donec litteræ apoſtolicæ ab epiſcopo, vel alio præſentatæ fuerint Capitulo *extravag. injuncta de elect.* adeo ut poſſit Vicarius capitularis continuare exercitium jurisdictionis, donec Epiſcopus poſſeſſionem capiat epiſcopatûs: & hodie ita practicari notat Gonzales *in regul. 8. cancellar.* Gloſſa 15. §. 2. *num 88.* Cæterum ſi Vicarius capitularis ſit electus ad tempus determinatum, tunc elapſo tali tempore expirat ejus jurisdictio, & id fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione ad petitionem Capituli Salernitani refert Merola *tom. 3. diſp. 7. c. 7. dub. 35. num. 326.* Cæterum expirata jurisdictione Vicarii tenetur hic ſtare ſyndicatui Capituli ſede vacante, & reddere etiam rationem ſuæ adminiſtrationis novo epiſcopo, & ſi malè adminiſtraverit, ſeu non rectè exercuerit ſuum officium, poteſt à novo epiſcopo puniri, ut deſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 16. de reformat.* Riccius *p. 4. decis. 291.*

30 Quæritur quartò decimo, quomodo verificentur duæ illæ in jure canonico regulæ inter ſe pugnantes, quarum prima eſt *in rubrica h. t.* quòd ſede vacante non ſit aliquid innovandum, ſed omnia in ſuo ſtatu relinquenda: & regula, quæ habetur *in c. bis, qua, & c. cùm olim de majorit. & obed. c. ad abolendam in princ. de hæret.* ubi dicitur, quòd ſede vacante jurisdictio epiſcopi tranſeat in Capitulum. Reſpondetur, primam regulam poſitam in rubrica eſſe ita intelligendam, ut quæ epiſcopo defuncto non tanquam ordinario, & epiſcopo; ſed ex ſpeciali privilegio, & commiſſione, vel ut ſedis apoſtolicæ delegato, etiam ab ipſo jure conſtituto competebant, ut etiam quæ ex libera ejus voluntate, & nulla neceſſitate cogente fiunt, quæque potiùs gratiam, quàm juſtitiam continent; non debeant ſede vacante innovari, niſi ſpecialiter ſit id permiſſum; & quoad hæc verificatur prima regula, quæ ponitur in rubrica. In aliis verò, quæ epiſcopo jure ordinario competebant, ut etiam in iis, quæ ſunt contentioſæ jurisdictionis, vel inſtante neceſſitate, aut juſtitia expedienda ſunt verificatur ſecunda regula oppoſita primæ, eò quia Capitulum in hiſce ſuccedit epiſcopo, & accipit ejus jurisdictionem, niſi ſpecialiter reperiatur prohibitum.

Hinc quia Epiſcopus in pluribus caſibus
31 poteſt procedere contra exemptos tam de jure communi *in c. ad abolendam in fin. de hæret.* quàm de jure novo in Concilio Tridentino *ſeſſ. 5. de reformat. c. 2. & ſeſſ. 6. c. 2. & ſequent.* ita Capitulum ſede vacante ſuccedit epiſcopo: quia verò hæc poteſtas datur epiſcopo ſub diverſa verborum forma, ſiquidem aliquando dicitur, ut contra exemptos procedere poſſit *tanquam ſedis apoſtolicæ delegatus*; & tunc Capitulum non ſuccedit, quia ſuccedit tantùm in jurisdictione ordinaria, non delegata: aliquando datur ipſi poteſtas ordinaria, & tantùm removentur obſtacula, cùm dicitur *non obſtantibus privilegiis, & exemptionibus*, & tunc in jurisdictione ordinaria ſuccedit Capitulum, ut tradit Barb. *de offic. epiſc. p. 3. allegat. 92. num. 17.* Quòd ſi dirigatur hæc poteſtas ad Epiſcopum cum clauſula *etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegatum*, tunc quamvis particula *etiam* videatur comprehendere utramque poteſtatem ordinariam, & delegatam, nihilominus Epiſcopus cenſetur procedere ex delegata poteſtate, cui Capitulum non ſuccedit. Quòd ſi neceſſitas exigat; etiam in iis caſibus, in quibus Epiſcopus proceſſiſſe debuiſſet tanquam delegatus Papæ, Capitulum ſuccedit, præſertim ſi non ſit de proximo futurus ſucceſſor, quia in caſu neceſſitatis receditur à jure communi; & quod non eſt licitum in lege, plerumque neceſſitas id licitum efficit *reg. 4. de regul. jur.*

Hinc Capitulum ſede vacante non ſolùm 32
non poteſt quidquam alienare *c. ſi quæ de rebus & c. precariæ 12. q. 7.* verùm etiam non poteſt de jure ullum emolumentum, vel qualemcunq; redituum epiſcopalium ſede vacante obvenientium portionem in proprios uſus convertere, vel inter ſe dividere, ſed omnia ſervanda ſunt futuro Prælato, etiam cum obligatione conficiendi inventarii, & reddendarum rationum, ut notat Covarr. *de teſtament. c. 12. num. 5.* & deſumitur *ex c. 3. hujus tituli 38. c. non licet 43. 12. q. 2. element. ſtatutum de elect.* Quòd ſi res aliquæ ſervando ſervari non poſſint, eas poteſt Capitulum rectè alienare, ut ipſa naturalis ratio dictat: quia prohibitio alienandi res epiſcopatûs ſede vacante eſt in favorem Eccleſiæ, non in ejus diſpendium *c. quod ob gratiam de regul. jur. in 6.* Panormit. *in c. 1. h. t.* Poteſt etiam Capitulum ſede vacante, quæ ſunt contentioſæ jurisdictionis decidere, & expedire, tametſi fuerint cauſæ arduæ *text. in c. ad abolendam de hæret.* ut etiam quoad cauſas matrimoniales jam inchoatas *argum. c. 1. de conſanguin. & affin.* & probatur *ex c. veniens.*

Quæritur quintò decimo, quænam ſint, 33
quæ Capitulo ſede vacante competunt quoad jurisdictionem epiſcopalem ad ipſum tranſeuntem? Reſpondetur, hæc recenſeri à Barb. *in collect. ad c. 2. h. t. num. 4. & ſequent. & juris eccleſiaſtici univers. lib. 1. c. 32.* Et nos eorum principaliora recenſuimus ſuperiùs. Hinc Capitulum ſuccedit in poteſtate ferendi cenſuras, & ab iisdem abſolvendi, quia ut ſuperiùs probavimus, hæc poteſtas non ad ordinem epiſcopalem; ſed ad jurisdictionem pertinet. In diſpenſando in illis caſibus, in quibus potuiſſet Epiſcopus, ſi diſpenſatio ſit quaſi debita, & citra periculum notabilis damni, aut ſcandali differri non poſſit; prout diſpenſationem aliquando ob gravem cauſam eſſe debitam docet Gloſſa *in c. ut conſtitueretur 25 diſt. 50. V. detrahendum eſt.* Rurſus poteſt Capitulum ſede vacante facere ſtatuta, quæ durent in tempus futuri Prælati, ut ſuperiùs oſtendimus. Poteſt recipere beneficiorum reſignationes. Beneficia unire, licèt non in proprium favorem, nec in præjudicium epiſcopi ſucceſſoris. Ultimas defunctorum voluntates exequi, quatenus jure ordinario id

competit epiſcopo. Exigere rationes ab adminiſtratoribus piorum locorum. Viſitare dioceſim. Exigere charitativum ſubſidium. Concedere indulgentias. Confeſſarium inſtituere ad abſolvendum à caſibus epiſcopo reſervatis. Aſſiſtere matrimonio juxta formam Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de refor. c. 1.* Concedere licentiam extero epiſcopo utendi pontificalibus in dioceſi, & celebrandi ſolemne officium. Conſecrandi eccleſiaſticas res, ut ſunt paramenta Eccleſiæ. Confirmandi, & alia iis ſimilia, ut habet Barb. *in collect. loc. cit.*

14 Non tamen Capitulum ſede vacante poteſt litem inſtituere, vel proſequi ſuper juribus epiſcopi; ſed tantùm ſuper juribus concernentibus ipſum Capitulum, ut notat Panormit. *in c. conſtitutis 3. h. t.* & adverſarius illud tempus ad præſcribendum contra Eccleſiam non poteſt computare, quia vacante ſede præſcriptio dormire dicitur, prout habetur *l. 2. in tit. de præſcript.* Quòd ſi ob difficultatem congregandi totum Capitulum præſertim in his, quæ celeritatem deſiderant, vel ob contradictionem, aut diſcordiam, quæ oriri poſſit, ſi penes omnes, ac ſingulos canonicos adminiſtratio bonorum temporalium, & ſpiritualium eſſet; conſtitutum eſt à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. c. 16.* ut Capitulum ſede vacante unum, vel plures fideles Oeconomos inſtituat, qui rerum eccleſiarum, & proventuum curam gerant.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli.

Sicut in præcedenti titulo viſum fuit, an Capitulum poſſit aliquid attentare ſede vacante: ita viciſſim congruè Pontifex hic quærit, an Epiſcopus, vel Prælatus ſede repleta poſſit aliquid facere ſine conſenſu Capituli, quapropter præſens titulus immediatè rectè connectitur cum præcedente, cùm enim ille docuerit nil fieri debere à Capitulo pendente ſtatu Eccleſiæ, eò quia nullus tunc ſit, qui Eccleſiam defendat; ita hic docet, quo jure valeant ea, quæ Prælati inconſulto Capitulo fecerunt.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *IRRITA 1. h. t. Ex Concilio Valentino ſtatuitur, ut donatio, venditio, commutatio rei eccleſiaſtica facta ab epiſcopo ſine conſenſu Capituli, vel clericorum non valeat. Ex quo textu deſumitur regula, quòd irrita ſit alienatio rerum eccleſiaſticarum ſine conſenſu Capituli; quod verum eſt ſaltem de bonis ipſius Eccleſiæ cathedralis. Notat tamen Gloſſa, textum procedere de rebus magnis, non de parvis. Rurſus Capitulum debere ſubſcribere alienationem: alioquin hæc non valet, ſi facta ſit per ſolum Epiſcopum* c. non liceat 12. q. 2.

C. *CONTINEBATUR 2. h. t. reſcribit Alexander III. quòd ſi Prælatus alienet ſciente, & tacente Capitulo alienatio teneat, quia tunc Capitulum conſentire videtur: ſiquidem ut notat Gloſſa taciturnitas habetur pro conſenſu, quando alienatio eſt ad tempus: ſecus quando eſt perpetua requiritur conſenſus expreſſus, & ſubſcriptio, ut appareat de tali conſenſu* c. ſi ſervus dist. 54.

C. *CUM NOS 3. h. t. Idem Pont. reſcribit, donationem factam ab epiſcopo abſque conſenſu Capituli eſſe nullam: ſed ſi Capitulum poſtea eam ratam habeat, valere: & tunc ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato, ut etiam valet ſubſequens conſenſus. Ubi notat Gloſſa, ratihabitionem tunc valere, quando ratificans poteſt ab initio alteri mandare.*

C. *NOVIT 4. h. t. Idem Pont. reſcribit, non decere omiſſo conſilio Capituli uti conſilio aliorum in negotiis Eccleſiæ, adeò ut non poſſit Epiſcopus inſtituere, vel deſtituere aliquos perſonas ſine conſenſu fratrum; alioquin factum eſt ipſo jure nullum.*

C. *QUANTO 5. h. t. Idem Pont. declarat, Prælatum non poſſe negotia tractare abſque conſenſu Capituli. Ubi notandum eſt, quòd ſcribentes in litteris nomina abſentium, ac ſi eſſent præſentes, teneantur de falſo: ubi etiam notat Gloſſa, eum incurrere crimen falſi, qui furtivè ſurripit ſigillum nomine Capituli, ut etiam qui aperit litteras Judicum, hi enim ſunt deponendi* c. olim de reſcript.

C. *EA NOSCITUR 6. h. t. declarat Cœleſtinus III. quòd ſi collegiata habeat jus præſentandi, debeat præſentare Prælatus de conſenſu capituli, vel majoris, vel ſanioris partis, alioquin præſentatio non valet, niſi Prælatus probet conſuetudinem, vel oſtendat privilegium.*

C. *CUM APOSTOLICA 7. h. t. Innocentius III. declarat, validam eſſe donationem, quam de ſolius epiſcopi conſenſu facit laicus de decimis Eccleſiæ, vel loco religioſo, quas ab alia Eccleſia habet in feudum ab antiquo, ſeu ante Concilium Lateranenſe.*

C. *TUA NUPER 8. h. t. Idem Pont. declarat, Epiſcopum ſine conſenſu, & ſubſcriptione clericorum non poſſe concedere in perpetuum Eccleſias, eò quia id eſſet alienare, tametſi accipiens in illa Eccleſia haberet jus patronatus, & alienaretur cum ſolo Archidiacono.*

C. *PASTORALIS 9. h. t. ſtatuitur, ut Epiſcopus ſine conſenſu Capituli, vel authoritate Papæ non poſſit concedere alicui monaſterio Eccleſias parochiales, vel fructus, ſeu obventiones*

parochia etiam de consensu Patroni. Neque audienda est Glossa, quæ parum convenienter textui videtur sentire, consensum Capituli non requiri quoad quinquagesimam partem: quia in textu Pontifex contrarium aperte docet: dum ait, salva consuetudine canonica neutrum, de quo quæsitum est, posse facere Episcopum sine consensu Capituli, nisi privilegio Apostolico sit munitus.

C. ETSI 10. & ult. h. t. Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Senonensi, in Concilio Provinciali esse invitanda Capitula cathedralium Ecclesiarum, & eorum Nuntios esse admittendos ad tractatum, maximè quando agitur de rebus pertinentibus ad Capitula. Ubi notandum est, Capitula cathedralia, & eorum Procuratores debere admitti ad tractatum, non verò ad desidendum: quia ut notat Panormitanus hic num. 2. soli episcopi in hoc provinciali Concilio sunt Judices.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De iis, ad quæ determinanda, vel agenda ab Episcopo, requiritur consensus Capituli.

1 CErtum est, non posse Episcopum absque consensu Capituli ea Ecclesiæ bona, sive mobilia, sive immobilia prætiosa alienare, quæ servando servari possunt, idque desumitur *ex c. irrita* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd donatio, vendentio, commutatio rei ecclesiasticæ facta ab episcopo sine consensu Capituli, vel clericorum sit invalida. Ubi Glossa id explicat de donatione, venditione, commutatione rei magni valoris. Ratio est, quia hujusmodi alienationes, donationes, venditiones & commutationes rerum magni pretii possent facilè cedere in grave præjudicium Ecclesiæ: quapropter potestas alienandi, quæ olim fuerat in solidum Prælatis concessa, & quâ fortassis abutebantur, restricta fuit, ut nonnisi de consensu Capituli fieri possit; & quamvis olim peteretur consilium Capituli, non tamen illud erat decisivum, sed consultivum, quod non impediebat Episcopum à donatione venditione, commutatione rei ecclesiasticæ: unde ne in detrimentum Ecclesiæ posset Episcopus donare, vendere, & commutare res Ecclesiæ, statutum fuit, ut non solum peteret consilium à Capitulo, sed etiam consensum, adeout Capitulum debeat subscribere alienationem; quæ alioquin irrita esset, si absque tali subscriptione fieret ab episcopo *c. non liceat* 12. *q.* 2.

2 Quòd si Episcopus ob bellum ingruens, vel pestem grassantem Capitulum non habeat; tenetur loco Canonicorum reliquos convocare clericos *argum. si forte ult. dist. 65.* & re cum illis tractatâ accedente eorum consensu potest res Ecclesiæ alienare, si ita visum fuerit, ut notat Abbas *in d. c. irrita 1. h. t.* ubi addit id utiliter observari etiam in alienatione facienda à Prælato inferioris Ecclesiæ. Rursus ad alienationem rei ecclesiasticæ, quæ fit nomine Ecclesiæ in perpetuum, vel ad longum tempus per locationem, aut similem concessionem, per quam dominium utile transfertur, non sufficit consensus Capituli tacitus, seu præsumptus, quatenus alienatio fiat sciente, & tacente Capitulo, sed ulteriùs requiritur consensus expressus, ut notat Abbas *in d. c. irrita 1. h. t. num. 1.* ubi requiritur collaudatio, seu approbatio, nimirum consensus expressus Capituli ad alienationem rei ecclesiasticæ; secus ad locationem, vel concessionem, quæ fit ad tempus breve, ut inter quinquennium, vel etiam septennium infra decennium, sufficit consensus præsumptus, ejusque scientia, & patientia *argum. c. 2. h. t.* Abbas *ibidem num. 6.*

3 Præterea consensus requisitus ad alienandas res ecclesiasticas dari debet à Capitulo legitimè congregato, quia id significat vox Capituli, ut desumitur *ex c. tertio loco 5. de probat.* Ratio est, quia singuli canonici seorsim sumpti non constituunt Capitulum *argum. c. unic. in princ. ne sede vacante.* Tum quia consensus singulorum seorsim, est consensus personarum particularium, non verò consensus totius Capituli, quia hoc constituitur ex multis simul congregatis in unum. Cæterum non est necesse, ut omnes de Capitulo consentiant, sed satis est, si major pars Capituli congregati, seu canonicorum suffragetur. Quando collegiata habet jus præsentandi, Prælatus præsentabit de consensu Capituli, vel majoris, ac sanioris partis, alioquin præsentatio non valet, nisi Prælatus probet consuetudinem, vel privilegium: hinc debet sanior pars consentire, unde si major pars suffragetur in favorem episcopi volentis alienare res Ecclesiæ, & minor pars sanior se opponat tali alienationi, & ostendat hanc necessariam non esse, nec utilem Ecclesiæ, sed potiùs damnosam, tunc non potest alienatio illa fieri, idque desumitur *ex d. c. ea noscitur* ubi disjunctivè dicitur de consensu Capituli, vel majoris, vel sanioris partis, quia sanior pars tametsi minor censetur melior, ac magis consulere Ecclesiæ utilitati, ut notat Glossa *in cit. cap. ea noscitur V. majoris h. t.*

4 Quòd si è converso totum Capitulum consentiret in alienationem rei ecclesiasticæ, & solus Episcopus dissentiat, non potest alienatio fieri, quia ad hanc requiritur utriusque simul Prælati, & Capituli consensus, adeo ut consen-

sus

ſus unius ſine alio non ſufficiat, & alienatio irrita ſit: quia Prælatus non deſtituitur potestate diſponendi de rebus Eccleſiæ, ſed tantùm ejus facultas coarctatur quoad exercitium, nimirum ut non poſſit eam exercere absque conſenſu Capituli, quapropter conſenſus Prælati ſemper requiritur principaliùs. Quòd ſi agatur de alienanda re pertinente ad Eccleſiam cathedralem, licèt requiratur neceſſariò conſenſus Canonicorum Capitularium, non tamen eſt neceſſarius conſenſus aliorum clericorum, tametſi beneficiati ſint in eadem Eccleſia, dummodo non ſint canonici. Sin autem agatur de alienatione rei pertinen[illegible]d inferiorem Eccleſiam, tunc requiritur etiam conſenſus clericorum illius Eccleſiæ, cujus res alienatur.

5 Rurſus ſpectato jure communi non ſolùm requiritur conſenſus expreſſus Capituli, ſed etiam ſubſcriptio, alioquin alienatio rei eccleſiaſticæ eſt irrita, ut deſumitur *ex c. tua nuper 8. h. t.* ubi dicitur, quòd Epiſcopus ſine conſenſu, & ſubſcriptione clericorum non poteſt concedere in perpetuum Eccleſias, quia id eſſet alienare, tametſi accipiens in illa Eccleſia haberet jus patronatûs, & alienaretur cum ſolo Archidiacono. Quamobrem hic caſus in jure eſt ſpecialis, in quo ad valorem contractûs, vel actûs requiritur ſcriptura, & ſubſcriptio, cùm aliàs ſit regula univerſalis, quòd ad ſubſtantiam pacti, vel contractûs, non requiratur ſcriptura *l. pactum 17. C. de pact.* niſi id in jure expreſſum fuerit. Ratio eſt, quia regulariter ſpectato jure naturali ad pactum, vel conventionem, aut contractum requiritur tantùm conſenſus contrahentium, in quo fundatur valor contractûs: verum tamen eſt, quòd tametſi contractus celebratus cum Eccleſia debeat in ſcripturam redigi, non tamen id ubique locorum obſervatur, ut manu Capitularium ſive ſæcularium, ſive regularium ſubſcriptio fiat, ſed ſufficit, ſi in inſtrumento ſcripto manu propria Notarii publici fiat mentio, ſeu conteſtatio de conſenſu dato à Capitulo, vel publicus Notarius manu ſua ſubſcribat.

6 Quamobrem alienatio rerum Eccleſiæ, quæ fit à Prælato, vel epiſcopo ſine conſenſu Capituli, nullum ſortitur valorem, & à ſucceſſore non debet ſervari, niſi acceſſerit conſenſus Capituli; adeo ut hoc poſtea approbet, ſeu ratam habeat talem alienationem, idque deſumitur *ex c. cùm nos. 3. h. t.* ubi habetur, quòd donatio facta ab epiſcopo, absque conſenſu Capituli ſit nulla: ſed ſi Capitulum poſtea illam ratam habeat, valet: ubi juvat notare, quòd tunc ratihabitio Capituli retrotrahitur, & comparatur mandato. Ad id tamen requiritur tractatus, & quòd cognoſcatur cauſa neceſſitatis, aut utilitatis, niſi fortaſſis alienatio fiat de rebus vilioris pretii, ut notat Innocentius *in c. 1. num. 3. de reb. eccles. non alienand. in 6.* & ratio eſt, quia tunc ratihabitio Capituli eſt inſtar mandati, & retrotrahitur ad tempus præcedentis alienationis; & quia tunc non potuiſſet res alienari niſi cognita cauſa neceſſitatis, aut utilitatis Eccleſiæ, ita per ſubſequentem ratihabitionem debet etiam cauſa hujus neceſſitatis cognoſci. In transactionibus autem rerum immobilium factis nomine minorennum ſufficit, ſi decretum, vel authoritas Judicis poſtea acceſſerit, vel conſenſus domini requiſitus ad alienationem feudi ex poſtfacto ſupervenerit, ut notat Bartol. *in l. ſi quis 25. §. juſſum n. 5. de acquirend. hæredit.* & Baldus *in l. cum ipsa 5. n. 5. C. de contrahend. empt.*

Non tamen eſt eadem ratio de tutore, qui 7
pupillo contrahenti conſenſum ſtatim in ipſo negotio, & non ex intervallo præſtare debet, alioquin contractus eſt irritus *l. obligari 9. juncta Gloſſa V. debet ff. de authorit. tutor. §. tutor.* ſiquidem pupillus ſpectato jure civili non cenſetur habere conſenſum in contractibus, niſi per conſenſum tutoris, adeo ut conſenſus pupilli informandus ſit, ac afficiendus conſenſu tutoris. Secus Capitulum non præſtat authoritatem, ſicut tutor, ſed tantùm conſenſum alienationi rei eccleſiaſticæ, proinde ex intervallo poteſt illum præſtare.

Dices, licèt non poſſit Prælatus ſine conſen- 8
ſu Capituli res Eccleſiæ alienare, non tamen inde ſequitur, quòd non poſſit eas vendere: ſiquidem venditio longè differt ab alienatione; non enim alienatum dicitur, quod venditum eſt *l. alienatum 67. §. de verbor. ſignificat.* & ratio eſt, quia ſi res venditur, ejus locò accipitur pretium, unde Eccleſia in pretio habet idem emolumentum, ac in re vendita: ergo tametſi alienatio rerum Eccleſiæ generaliter ſit prohibita, non tamen in generali prohibitione videtur contineri venditio, proinde poterit Epiſcopus absque conſenſu Capituli res Eccleſiæ vendere, licèt non poſſit eas alienare. Sed contra, quia quando venditio dicitur eſſe alienatio, non agitur de illa venditione, quæ non ſolùm eſt perfecta ex mutuo conſenſu juxta textum *in l. 1. ff. de contrahend. empt. princ. inſtit. eod. tit.* verùm etiam per ſecutam traditionem, quâ dominium transfertur *l. traditionibus C. de pact.* Venditio enim traditione non ſecuta licèt ſit proxima alienationi, non tamen propriè alienatio dicitur *d. l. alienatum 67.* Quia verò in ſervandis rebus Eccleſiæ ita cautè procedi debet, ut non ſolùm tollatur actus, in quo alienatio exercetur; verùm etiam omnis actus, per quem ad alienationem perveniri poſſit *ex regul. legis final. C. in quibus cauſis in integr. reſtit.* ideo SS. Canones non ſolùm venditionem rei traditione perfectam, verùm etiam ſolo mutuo conſenſu factam prohibent.

Illud tamen revocatur in dubium, an ſicut 9
ex hac generali prohibitione de non alienandis rebus Eccleſiæ prohibetur etiam venditio: ita è contrario ex præſenti textu, & aliis antiquis Eccleſiæ Canonibus venditione ſpecialiter prohibita, quæcunque alienatio cenſeatur prohibita? Et quamvis venditio comprehendat ſimiles contractus *l. ſicut §. venditionis ff. quib. mod. pignus, vel hypotheca:* & contractus hic latiſſimè ſumatur *ex l. XII. tabul* ac omnis ſpecies alienationis ſub eo videatur complecti, ut probat Robertus *lib. 1. animadvers. c. 8.* nihilominus probabiliùs dicitur, quòd requiratur interdictio generalis alienationis, adeo ut virtute præſentis prohibitionis non comprehendantur alii contractus *ex l. in quorum 24. ff. de pignor.* Ratio eſt,

eſt, quia prohibitio reſtringens facultatem diſponendi de rebus propriis debet ſtrictè, non laxè interpretari: & ſicut aliud eſt vendere, & aliud donare, ac aliud permutare; ideo venditione prohibita non intelliguntur prohiberi alii contractus *l. ſi pupillorum 7. §. ſi prætor ff. de rebus eorum l. final. C. de prad. Decur. lib.* 10. quia ſub ipſa venditione non comprehenduntur alii contractus, ſicut nec ſub emptione: hinc legatis rebus emptis, ſi quæſitæ ſint alio titulo non debentur *l. item 49. item ff. de legat. 3.* Rurſus qui prohibentur emere, non vetantur pignori accipere *l. in quorum.* Quamobrem poſt ſpecialem prohibitionem venditionis rerum Eccleſiæ neceſſaria fuerat generalis prohibitio alienationis earundem rerum.

10 Quòd ſi quæras originem hujus prohibitionis: ſunt, qui putant, hanc prohibitionem emanâſſe à Concilio Valentino. Sed Arias à Meſa *lib. 3. variar. c. 23.* hujus prohibitionis originem ducit à tempore longè anteriore. A tempore tamen Apoſtolorum usque ad annum Chriſti 298. nulla legitur lata lex de eccleſiaſticis bonis non alienandis, quia ex diſpoſitione Apoſtolorum epiſcopi erant diſpenſatores rerum Eccleſiæ *can. 39. Apoſtolorum c. præcipimus* 12. *q.* 1. *c. videntes* 16. *cod. quæſt.* cum pluribus aliis juribus, quæ congeſſit Antonius Auguſtinus *in epitom. juris pontif. lib. 4. tit.* 80. Quòd ſi hæc prohibitio ſuum duxit initium in Concilio Valentino, negare non poſſumus, quia in pleriſque aliis conciliis fuerit hæc eadem alienatio prohibita, ſiquidem in Concilio Cartaginenſi III. celebrato ſub Anaſtaſio Papa anno 308. fuit hæc eadem alienatio prohibita, & habetur etiam conſtitutio Leonis I. *in* ✠*iſt.* 104. cujus fragmentum habetur *in c. ſine exceptione* 12. *q.* 2. & eandem prohibitionem diſtrictiùs etiam innovârunt Hillarius, qui ſucceſſit Leoni *epiſtol. 8.* & Agapetus *epiſt. 6.* quam refert Baronius anno Chriſti 355. At hæc decreta adhuc integritati Eccleſiæ non videbantur ſufficienter conſulere, cùm prohiberent donationem, venditionem, permutationem, non verò genus omne alienationis: ſiquidem prohibitio ſpecialis unius, vel alterius contractus, ad aliud genus alienationis non extenditur *l. in quorum finibus* 24. *ff. de pignor.* niſi res à commercio eximatur *l.* 1. §. *eam rem ff. qua res pignori* Donellus *in tit. de pignor. c. an in omnibus prope finem.*

11 Rurſus per illa antiqua decreta nec exprimebantur res prohibitione comprehenſæ; quamobrem poſt illa decreta Leo Imperator ſua conſtitutione, quæ extat *in l. jubemus* 14. *C. de ſacroſancta Eccleſia* prohibuit omnem cujuscunque alienationis ſpeciem in bonis immobilibus, ſervis, ruſticis, & annonis civilibus, ſeu reditibus, & adjecit pœnas nullitatis contractûs, & ut accipientes bona ita alienata, & eorum hæredes tenerentur Eccleſiæ ſatisfacere: & quia hæc conſtitutio lata fuit à Principe ſeculari nullam authoritatem præſenti prohibitioni dabat *c. final. h. t.* qua ratione etiam edictum Baſilii Præfecti prætorio editum anno 483. referente Baronio, tametſi prohiberet alienationem rerum Eccleſiæ, nullius fuiſſe illud momenti declaratum fuit *in* Romana ſynodo relata *in c. bene quidem 56. diſt.* Præterea conſtitutio Leonis non erat univerſalis, quia tantùm prohibebat alienationem bonorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut notat Cujacius *in novell. 7. Juſtin.* Hinc Anaſtaſius ſucceſſor Leonis *in l. privilegia* 17. *l. de ſacroſancta Eccleſia*, ampliavit eam conſtitutionem ad omnes Eccleſias adjiciens, ut ex cauſa neceſſitatis, aut utilitatis licitum ſit alienare probatâ cauſâ apud defenſorem civitatis.

Cæterum Symmachus in Synodo IV. Ro- 12
mana habita anno 502. prohibuit alienationem perpetuam prædii Eccleſiæ ruſtici, vel cujuscunque qualitatis; addens, ut violator illius conſtitutionis anathemate feriatur, conceſſâ etiam actione cuilibet de populo, ut prædii alienati reſtitutionem peteret, & deſumitur *ex c. non liceat* 20. 12. *q.* 2. *c. ſi quis 6. h. t.* Et Symmachus epiſtolam etiam miſit ad Cæſareum Arelatenſem Epiſcopum, ut collapſam Eccleſiæ diſciplinam reſtitueret, & rerum Eccleſiæ alienationem, quam Prælati Galliarum faciebant authoritate apoſtolica interdiceret: quapropter Concilium Agatenſe celebravit anno 506. referente Baronio, & refertur *in c. Epiſcopus* 34. 12. *q.* 2. ubi ſtatutum fuit, ne cuilibet Epiſcopo liceat res Eccleſiæ, Caſellas, aut mancipia, vel vaſa miniſterii vendere, ſeu per quoscunque contractus alienare niſi ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis, quæ probetur per duos, vel tres Epiſcopos comprovinciales. Præterea *in canon.* 32. & 40. relatis *in c. ſtatuimus* 22. *c. Diaconi* 35. 12. *q.* 2. prohibitum fuit Presbyteris, Diaconis, & aliis clericis, ne de bonis Eccleſiæ ſibi concreditæ quidquam donare, aut concedere præſumant; & ſi ſecus fecerint, ab honore deponuntur, & compelluntur reſtituere: quantum abſtulerint excepto caſu relato *in c. ſi quis in qualibet* 56. 12. *q.* 2.

Præterea ſub eodem Symmacho celebratum 13
etiam fuit Concilium Epaunenſe anno 509. & *in canon 9.* ſtatutum fuit, ut quidquid juris eccleſiaſtici alienatum ab Abbatibus, ſeu Archipresbyteris ſine conſenſu epiſcopi debeat Eccleſiæ reſtitui; quia verò hujusmodi conſtitutiones utpote emanatæ in Conciliis Provincialibus non erant univerſales, adhuc deſiderabatur lex aliqua univerſalis, quam tulit Imperator Juſtinianus anno 535. *in authent. de non alienand. aut non permutand. reb. & in authent. de alienat. & emphyteus.* ubi conſtitutiones Leonis, & Athanaſii ad res omnes cujuscunque Eccleſiæ, & varios alienandi modos ampliavit: ſed quia hæ conſtitutiones adhuc à Principibus ſæcularibus emanârunt, nullius erant valoris, ut docent Innocentius *in c. 1. h. t. in 6.* & Gloſſa hîc: unde S. Gregorius Magnus, qui floruit ſub finem ſexti ſæculi impenſè curavit, ut res Eccleſiæ injuſtè alienatæ recuperarentur, & prohibuit, ne deinceps alienarentur, ut liquet *ex lib. 1. epiſt. 66. & lib. 3. epiſt. 16. & lib. 8. epiſt. 53.* & etiam *lib. 10. epiſt. 33.* & eodem tempore hæc prohibitio confirmata fuit in Concilio Hiſpalenſi 1. canon. 1. & Toletan. 9. *can. 1. & 2.* Rurſus in

Synodo

Synodo generali celebratá ſub Adriano II. ſtatutum fuit, ne Epiſcopus, vel Monaſterii Prælatus res Eccleſiæ alienare præſumant, niſi damnoſæ ſint, & tunc quòd illas transferant non in Principes ſæculares, ſed in clericos, vel agricolas. Hoc idem ſtatutum etiam fuit in pluribus aliis Conciliis, ut in Sylvanectenſi ſub Nicolao I. Guaſtallenſi ſub Paſchali II. Hononenſi ſub Honorio III. Lugdunenſi ſub Innocentio IV. ſub *titulo de uſuris*, & rurſus Lugdunenſi ſub Gregorio X. relato *in c. 2. de rebus eccleſ. in 6.* in Salisburgenſi ſub Martino IV. in Viennenſi relato *in clement. de reb. eccles. extravag. ambitioſæ eod. inter communes*, & tandem in Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. c.* 11. & hiſce Conciliis acceſſerunt etiam conſtitutiones Julii III. Pauli IV. Pij IV. & V.

14 Quod autem ad ſolemnitatem obſervandam in alienatione rerum Eccleſiarum attinet hæc triplex eſt juxta Baldum *in d. authent. hoc jus n.* 14. *C. de SS. eccles.* ſcilicet civilis, canonica, & conſuetudinaria. Solemnitas civilis refertur *in d. l. jubemus* 14. *authent. hoc jus* & refertur à Gratiano *in c. ea enim* §. *hoc jus* 10. *q.* 2. verùm hæc non ſervatur. Solemnitas canonica, & conſuetudinaria etiam reperiuntur in juribus; & ad illas requiritur conſenſus canonicorum, vel clericorum, & etiam epiſcopi. Verùm ſi agatur de alienatione rerum pertinentium ad menſam epiſcopalem, quæ alienatio olim erat prohibita, niſi fieret cum conſilio Concilii provincialis *c. placuit* 51. 12. *q.* 2. nunc tamen requiritur conſenſus expreſſus Romani Pontificis *c.* 2. *de reb. eccles. in* 6. adeo ut talis conſenſus Papæ debeat præcedere alienationem, alioquin Epiſcopus ſuſpenditur, ut liquet *ex d. c.* 2. *de reb. eccles. in* 6. Si verò alienentur bona, quorum adminiſtratio ad Capitulum pertineat, tunc tenetur Prælatus ad pulſum campanæ legitimè congregare Capitulum in loco conſueto, & qui præeſt debet proponere tractatum, ſcilicet cauſam, & rem, de cujus alienatione agitur; & ſigillatim rationes, ex quibus expedit alienationem fieri, vel non, ut notat Ulpianus *in l. magis puto* §. *ſi pupillus ff. de reb. eorum junctâ l.* 1. *&* 2. *tit.* 14. *partit.* 1. Et quamvis uſu, & conſuetudine receptum ſit, ut tres intercedant tractatus; nihilominus jure communi unus ſufficiebat, ut liquet *ex c. ſine exceptione. c. tuá. c. cum apoſtolica h. t. c.* 1. *de reb. eccles. in* 6. poſt tamen hunc tractatum debet ſequi conſenſus Capituli, ut ſuperiùs diximus, & debet fieri mentio de nominibus canonicorum; & ſingulorum exiſtentium in Capitulo in inſtrumento venditionis *argum. text. in l. final. C. de vendit. rerum civil. lib.* 11. Et quamvis de jure communi tenerentur omnes ſubſcribere; hodie tamen id ex conſuetudine non ſervatur, ut notat Soccinus *conſil.* 15. *fol.* 1. Ex hiſce omnibus principaliùs requiritur conſenſus epiſcopi *c. quanto t. tua h. t.* ut ſuperiùs oſtendimus.

15 Quòd ſi alienatio fiat de communi pertinente ad Epiſcopum, & clerum, requiritur eadem ſolemnitas, quæ in præcedenti caſu. Si alienentur res Monaſterii ſubjecti epiſcopo, tunc tanta alienationis debet proponi coram epiſcopo, vel ejus vicario, & poſt cauſæ cognitionem requiritur licentia epiſcopi *c. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. *c. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. Covarruvias *lib.* 2. *variar. c.* 17. *num.* 1. Quòd ſi Monaſterium exemptum ſit ab epiſcopi juriſdictione, tunc Capituli, & ſuperioris conſenſus requiruntur. Si demum res, quæ alienantur ſint bona hoſpitalium, confraternitatum, aut ſimilia loci pii, tunc procedendum eſt cum diſtinctione: vel enim talia hoſpitalia erecta ſunt authoritate epiſcopi, & tunc deſideratur facultas epiſcopi, vel non ſunt erecta authoritate epiſcopi, & tunc tantùm requiritur conſenſus ejusdem. Ad ſolemnitatem conſuetudinariam quod attinet, notandum eſt quòd ſi per conſuetudinem addatur aliqua forma, quæ ſit Eccleſiæ utilis, hæc ſervanda eſt, ut tradit Rodcanus *de rebus eccleſ. q.* 24. *num.* 80. idque etiam procedit ſi ſolemnitatis præſcriptæ conſuetudo moderetur partem aliquam levem; ut ſubſcriptionem clerici ſtatutam *in c. irrita* 1. *h. t.* Quòd ſi per conſuetudinem omnis ſolemnitas tollatur, ac proindè inferatur eccleſiis damnum, tunc talis conſuetudo utpote irrationabilis improbanda eſt *c.* 11. *& 2. de conſuetud.* Covarr. *lib.* 1. *variar. c.* 17. *num.* 4.

§. II.

An poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli præſentare ad beneficia communia, & unire Eccleſiis.

1 PLerunque jus præſentandi ad beneficia commune eſt Prælato, & Capitulo, dubitatur, num poſſit tunc Epiſcopus, vel Prælatus ſolus abſque conſenſu Capituli præſentare, & an præſentatio valeat; & inſtitutio, quæ inde ſequitur, firma ſit. Reſpondent communiter, talem præſentationem eſſe nullam; proinde etiam invalidam inſtitutionem, niſi ex indulta conſuetudine; vel privilegio probetur jus præſentandi competere ſoli epiſcopo: quia quando jus præſentandi ad beneficium pertinet ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum, tenetur Prælatus præſentare ex conſenſu Capituli, vel majoris, vel ſaltem ſanioris partis ejusdem; ut deſumitur *ex c. nè noſcitur h. t. 6.* ubi habetur, quod quando collegiata habet jus præſentandi ad beneficia; Prælatus debet præſentare de conſenſu Capituli, vel majoris, aut ſaltem ſanioris partis, aliter præſentatio non valet; niſi Prælatus probet conſuetudinem; vel privilegium. Unde Prælatus non poteſt per ſe inſtituere, vel deſtituere præſentatos abſque conſenſu Capituli. Ratio deſumitur *ex c. Paſtoralis* 9. *h. t.* ubi Alexander III. ait, canonicos eſſe fratres, & Prælatum caput; ſed Capitulum cum epiſcopo conſtituunt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus; & membra canonici; ſeu reliquum corpus Capitulum: non decet autem caput à membris ſejungi, ac diſcedere; neque è contra membra ſeparari à capite, proinde non debet Epiſcopus ſeorſim à Capitulo, ſeu abſque ejus conſenſu clericos ad beneficia præſentare, inſtituere, vel deſtituere, cùm jus patronatus pertinet ad ipſum ſimul, & Capitulum. Tum

quia quæ ad totum pertinent Capitulum cum capite, ad omnes simul, non ad singulos seorsim spectant,& licèt Prælatus sit caput communitatis,non propterea potest solus per se perage-re, quæ pertinent ad totum Collegium cum capite; nisi consuetudine aliter introductum, vel privilegio concessum sit: siquidem consuetudo, & privilegium tollunt, quæ sunt juris positivi à Prælato, & tribuunt Capitulo, & è contra, ut desumitur *ex c. 3. de consuetud. in 6.* & præsentatio à patrono facienda est quid juris positivi *c. præterea de jure patronat.*

2 Hinc est quòd Prælatus potest consuetudine, aut privilegio acquirere jus præsentandi seorsim à consensu Capituli: non ita tamen si Episcopus non possit probare consuetudinem,aut privilegium, tunc enim est necessarius Capituli consensus: sufficit tamen tacitus situs in eo,quòd Capitulum sciat præsentationem, & collationem à Prælato fieri, & nihilominus non se opponat, nec contradicat, cùm tamen commodè posset reclamare, seque opponere, ac impedire talem actum, ut notant Glossa *in d. c. ea noscitur 6.* & Abbas *num. 8.* quia in alienationibus non perpetuis, & quæ modicum adferunt præjudicium sufficit tacitus Capituli consensus: quod tamen procedit solùm quando præsentatio, vel collatio spectat ad solum Episcopum, quamvis dependenter à consensu Capituli, vel collegii, tunc enim sufficit tacitus Capituli consensus: non ita si præsentatio, vel collatio communiter pertineat ad Prælatum, & Capitulum juxta *c. unic. ne sede vacante in 6.* tunc enim non sufficit tacitus consensus, sed est necessarius expressus, quia in actibus legitimis, quales sunt præsentatio, collatio, electio, qui verbis, aut scripto fieri necessariò debent, ac expediri, tacitus consensus non supplet defectum consensus expressi, ut notat Abbas *loc. cit. in fin.* ubi ait,quòd ubi est necessarius consensus expressus, nunquam præsumitur pro consensu, & assignat rationem, quia tunc consensus expressus est solemnitas extrinseca, quæ non est præsumenda, sed probanda.

3 Videtur tamen obstare contra assertionem, quia jure communi ordinarii collatores beneficiorum sunt episcopi,qui in ecclesiis suæ diœcesis fundatam habent facultatem conferendi beneficia: siquidem ex principiis juris ad ipsos pertinet curam gerere omnium Ecclesiarum intra propriam diœcesim *c. omnes 16. q. 7. c. decretum cum sequent. 10. q. 1. c. 1. cum ex injuncto in fin. de haret.* ergo episcopus per se etiam irrequisito Capitulo, seu absque ejus consensu potest clericos instituere, & destituere. Sed contra quia præcitata jura tantùm loquuntur de beneficiis, quorum collatio spectat ad solum Prælatum, non ita quando præsentatio ad beneficium,seu jus patronatus pertinet ad Prælatum simul, & Capitulum,ut ostendit Vallensis *lib. 3. de benefic tit. 9.* Rursus tametsi collatio beneficiorum inferiorum regulariter spectet ad Episcopum, collatio tamen præbendarum, & majorum beneficiorum non pertinet simpliciter ad Episcopum, sed simul cum consensu Capituli, quapropter Episcopus per se irrequisito Capitulo non potest has præbendas, & majora beneficia conferre: & cum in præsenti sermo sit de præsentatione ad beneficia, quæ simul competebat Prælato,& Capitulo; ideo rectè concluditur,non posse Prælatum per se,sine consensu Capituli præsentare, instituere, aut destituere irrequisito Capitulo.

Contra id, quod asserebatur, posse Prælatum, seu Episcopum ex consuetudine introducta res Ecclesiæ alienare,videtur etiam difficultas insurgere: quia consuetudo, de qua in præsenti est sermo importat alienationem rerum Ecclesiæ absque debita solemnitate: atqui talis consuetudo utpote Ecclesiæ onerosa non approbatur à jure,sed improbatur *c. 1. de consuetud. c. cum causa 8. de sent. & re judic. clement. unic. de reb. eccles.* unde neque per inolitam consuetudinem Prælatus potest jus acquirere præsentandi irrequisito Capitulo ad beneficia, in quibus jus patronatus spectat etiam ad ipsum Capitulum.Sed contra quia est discrimen inter consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam,& inter irrationabilem non legitimè præscriptam; prima inducit obligationem in jure,ut liquet *in 1. c. de consuetud.* quæ verò est irrationabilis, & non ritè præscripta, improbatur in jure: in præsenti autem consuetudo supponitur rationabilis, & legitimè præscripta consequenter habet vim obligandi. 4

Quòd si opponas textum *in c. ex litteris 7. de jure patronat.* ubi expressè dicitur: *postmodum Abbatissa prædicti Monasterii alium præsentavit eidem*, ubi liquet,Abbatissam clericum ad Ecclesiam præsentâsse absque consensu Capituli: ergo etiam Prælatus per se solum irrequisito Capitulo potest clericum præsentare. Respondet ad id Lambertinus *de jure patronat. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 12. num. 2. & sequent.* præfata verba non esse Pontificis decidentis, sed partis allegantis. Sed adhuc responderi posset, asserendo,præsentationem factam absque consensu Capituli esse irritam: & in præsentationibus Prælatorum,si aliud in contrarium non constet, esse præsumendum,quòd Prælati procedant, ut debent, seu cum consensu collegii: & *in d. c. ex litteris* præsumptione juris intelligi, Abbatissam præsentâsse ex consensu Capituli,ut notat Barbosa *in d. c.* 5

Superest etiam alius difficilis textus Innocentii III. *in c. edoceri de rescript.* ubi dicitur, quòd in causa, vel litigio, quod pertinet ad Abbatem, & conventum simul, si quis impetret litteras adversus Abbatem nulla facta mentione de suis conventibus, teneatur Abbas ipsis querelantibus respondere,ait enim Innocentius: *ita ut non possint dicti Abbates se tueri per appellationem quo minus respondeant.* Hinc enim deducitur, quòd quando est actus communitatis, non possit Abbas per se ad beneficium præsentare, aut alium actum exercere: ut etiam si lis pertineret ad Abbatem, & Monachos,non posset Abbas per se solum irrequisito conventu convenire: ex quibus videtur esse falsa Innocentii decisio. Sed contra,quia si observentur verba relata *in d. c. edoceri 21. de rescript.* Innocentius III. assignat rationem decisionis dicens: 6

cum

cum ex officio ſuo teneantur congregationum ſuarum negotia procurare; his autem verbis non ſignificatur aliud obſervari in lite, ac in præſentatione, quia liti ex officio Abbas tenetur providere *c. 2. de donat. c. cum nobis de elect. c. in cui eod. tit. in 6.* Contrarium tamen videtur eſſe, quod habetur *in c. 1. de procurat.* ubi aſſeritur, Presbyteros, & Diaconos ad litem peragendam coram Romano Pontifice Gregorio Magno proprii epiſcopi litteras attuliſſe, & nihilominus eos cum talibus litteris non fuiſſe admiſſos, niſi cum ſubſcriptione Capituli; unde ſi ſolus Abbas per ſe poſſet litigare ſine Capitulo, non videretur verum, quod Innocentius affirmat *in d. c. edoceri*, conſtat enim, capitulares eſſe legitimos teſtes in cauſis ſui Capituli *c. veniens 38. de teſtibus.*

7 Neque obſtat textus *in d. c.* 1. quia ibi eſt ſermo de cauſis arduis, in quibus non ſufficit generale mandatum, quod habet Prælatus, ſed ulterius requiritur ſpeciale *c. qui ad agendum 4. de proc. in 6. c. final. eod. t. in 6.* Verùm omiſſa diſtinctione, quâ utuntur plures inter negotia, quæ tractantur in Capitulo, & quæ extra Capitulum, & textum *in d. c.* 1. intelligi de negotiis, quæ tráctantur in Capitulo, adeo ut in illis requiratur authoritas Capituli, non verò in aliis, quæ tractantur extra Capitulum. Mihi magis placet reſponſio, quam tradit Gonzales *lib. 3 decret. tit. 10. c. 6.* ubi ait, id actum fuiſſe in pœnam Prælati, qui alios ad agendum cum epiſtolis miſerat, & poſtea revocaverat dicens, facta per primos Procuratores eſſe nulla; & poſtea ipſorum litteris fidem non adhibuiſſe Gregorium Magnum, ut liquet ex contextu.

8 An verò poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli unire in perpetuũ Eccleſias, tametſi accipiens habeat jus patronatûs. Reſpondetur negativè, & id deſumi *ex c. tua nuper 8. h. t.* ubi dicitur, quòd Epiſcopus ſine conſenſu, & ſubſcriptione clericorum non poſſit concedere in perpetuum Eccleſias eò quia id eſſet alienare, quamvis accipiens in illa Eccleſia haberet jus patronatûs, & alienaretur cum ſolo Archidiacono: ſiquidem perpetua collatio, vel donatio, aut incorporatio parochiæ facta Monaſterio, vel alteri Eccleſiæ ſpeciem habet cujusdam alienationis, quæ ſine requiſitis ordinariis ſolemnitatibus juris fieri non poteſt. Hoc eſt diſcrimen inter collationem perpetuam, & temporalem, quia illa fit Eccleſiæ, quæ cùm ſit perpetua, collatio, quæ eidem accedit, eſt etiam perpetua, cùm acceſſorium ſequatur naturã principalis: collatio verò temporalis eſt, quæ fit perſonæ, quæ cum ſit interitui obnoxia ceſſat collatio cum ipſa perſona, quamvis minus propriè donatio, quæ fit perſonæ absque præfinitione temporis dicatur perpetua, ſcilicet ad dies vitæ ipſius. Hinc conceſſio, vel donatio, aut unio facta in perpetuum alteri Eccleſiæ eſt ſpecies quædam alienationis, quia Eccleſia collata, aut unita caret impoſterum proprio rectore, & quaſi capite minuitur, & à jure ſuo, ac ſtatu alienatur, proinde ad hanc unionem requiruntur ſolemnitates, quæ jure adhibentur in alienationibus rerum eccleſiaſticarum.

9 Hinc Epiſcopus ſine conſenſu Capituli, vel authoritate Papæ, nequit conferre alicui Monaſterio Eccleſias parochiales; immo nec obventiones, ſeu fructus earum, idque deſumitur *ex c. paſtoralis 9. h. t.* ubi dicitur, quòd Epiſcopus ſine conſenſu Capituli, vel authoritate Papæ non poſſit concedere alicui Monaſterio Eccleſias parochiales, vel fructus, ſeu obventiones parochiæ, etiam cum conſenſu patroni, quia talis collatio parochiarum, ac proventuum earundem eſt perpetua quædam alienatio, quæ fieri non poteſt ab epiſcopo ſine conſenſu Capituli, ut habetur *in d. c. ea noſcitur 6. h. t.* immò neque cum conſenſu patroni, quia patronus non poteſt ſtatum Eccleſiæ mutare, neque res Eccleſiæ, cujus eſt patronus alienare.

10 Cæterum ex eo, quòd *in d. c. paſtoralis* dicatur, non poſſe Epiſcopum ſine conſenſu Capituli, concedere alicui Monaſterio Eccleſias parochiales, per contrarium ſenſum videtur inferri, quòd accedente conſenſu Capituli poſſit id facere, quod tamen prohibetur in Concilio generali Lateranenſi *c. prohibemus 7. de cenſibus* ubi Epiſcopus dicitur non poſſe id facere. Nihilominus reſpondent plures, Papam hîc non dicere affirmativè, quod id poſſit Epiſcopus cum conſenſu Capituli, ſed ſolùm negativè, nimirum quod id non poſſit præter conſenſum Capituli, ex quo non valet à contrario ſenſu argumentari: ſiquidem argumentum à contrario ſenſu non valet, quando contrarium reperitur in jure expreſſum, ſicut præſens caſus exprimitur *in c. prohibemus 7. de cenſibus*, ut tradit Fagnanus *hic num.* 4.

11 Ex eo verò, quòd Eccleſia parochialis habeat intentionem fundatam de jure communi in res omnes ad ipſam ſpectantes infertur, obventiones, ſeu oblationes, quæ fiunt intra fines parochiæ in Capella aliqua ſita intra ejus limites non pertinere ad capellam, ſed ad ipſam Eccleſiam parochialem. Ex juſta tamen cauſa poteſt Epiſcopus cum conſenſu Capituli imponere novam penſionem Eccleſiæ habenti reditus pinguiores, & applicare proventus ejusdem penſionis alteri Eccleſiæ pauperi, vel ut ſuccurratur beneficiariis indigentibus, dummodo Eccleſiæ priori per impoſitionem hujus penſionis non ſubtrahantur reditus neceſſarii ad ejus fabricam, & Miniſtrorum ſuſtentationem, & deſumitur *ex d. c. paſtoralis 9. h. t.* Imò poteſt etiam Epiſcopus 50. partem redituum Eccleſiæ aſſignare locis piis indigentibus, idque non obſtante juramento de non alienandis rebus Eccleſiæ, & quidem etiam ſine conſenſu Capituli, quia Pontifex *in d. c. paſtoralis* excipit hanc 50. partem, & tantùm prohibet alias portiones redituum etiam applicandas piis locis ſine conſenſu Capituli, ut notat Gloſſa *hic in notat. & V. ſalva conſtitutione.*

12 Oritur tamen difficultas, an ſi alienationi factæ ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli acceſſerit poſtea conſenſus ejusdem, cenſeatur tunc ipſa alienatio fuiſſe ab initio valida: an verò à ſolo tempore præſtiti conſenſus à Capitulo? Abbas *in c. cùm nos 3. h. t. num. 5.* aſſerit, talem alienationem tantùm acquirere ſuum valorem

tunc quando Capitulum eidem aſſentitur, quia *ex regul. jur.* 18. *in 6. non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non ſubſiſtit*; & conſentit alia *regula* 29. *in ff.* ubi dicitur: *Quod ab initio vitioſum eſt tractu temporis non poteſt convaleſcere.* Idque verum eſt, ſi alienatio facta fuerit absque extrinſecis ſolemnitatibus requiſitis in jure: tunc enim ab initio fuit invalida, & in foro conſcientiæ irrita; adeo ut per talem alienationem non transferatur dominium; proinde quamvis poſtea accedat conſenſus Capituli, inde non ſequitur, quòd beneficio conſensùs talis alienatio acquirat valorem tunc, quando ab initio facta fuit, ſiquidem actus, qui ab initio fuit omnino irritus, non poteſt per aliud ſuperveniens ita convaleſcere, ut ab initio ſemper valuerit, niſi fortaſſis ſecundùm fictionem juris.

13 Nihilominus contraria ſententia non videtur deſtitui ſua probabilitate, dummodo intervenerint, quæ ad ſubſtantiam factæ alienationis requiruntur, ſcilicet mutuus conſenſus, ac vera cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, & nulla interceſſerit fraus, neque alienatio facta fuerit laico: videtur tunc ſpectato jure naturali alienatio valida; & cui alienatio fuit facta, videtur etiam tutâ conſcientiâ poſſe rem illam retinere, donec per ſententiam judicis, vel beneficio juris civilis alienatio facta reſcindatur. Cæterum propter omiſſam ſolemnitatem alienatio ſpectato jure communi poſitivo non ſubſiſtit, ut tradit Navarrus *tom. 1. in comment. de alienat. rer. eccles. num.* 17. & Sylveſter *V. alienatio n. 13.* ubi aſſerit, id generatim procedere in omni actu, in quo ſervatum eſt jus naturale, tametſi prætermiſſa fuerit ſolemnitas juris poſitivi; & aſſignat rationem, eò quia hujusmodi ſolemnitates extrinſecè inductæ tantùm fuerint ad vitanda ſcandala, & fraudes: unde ſi hæc abſint, ac interveniat verus conſenſus, actus eſt validus ſpectato jure naturali, & in foro conſcientiæ. Hinc per ſupervenientem poſtea ſolemnitatem à jure poſitivo requiſitam actus magis convaleſcit, ac confirmatur, adeo ut obtineat illam vim, quâ ab initio deſtituebatur, & perinde ſe habeat, ac ſi ab initio jure poſitivo valuiſſet *arg. l. unic. C. de contract. judic.* Quamobrem actus non dicitur confirmari per ſolum tractum temporis, ſed per ſupervenientem conſenſum, ſeu per voluntatem expreſſam, vel tacitam, quia ſpectato ſolo jure naturali ſolemnitas omiſſa non pertinet ad ſubſtantiam alienationis rei eccleſiaſticæ.

14 Quamvis Epiſcopus, ſeu Prælatus non poſſit res immobiles Eccleſiæ alienare, ſeu concedere in perpetuum, imò neque ad longum tempus ultra decem annos absque expreſſo conſenſu Capituli, ut habetur *in clement. 1. de rebus eccles. non alienand.* eò quia per talem conceſſionem, vel locationem rei immobilis transferatur ſaltem dominium utile rei, & ejus poſſeſſio in alium quod habet ſpeciem alienationis, ut notat Covarruvias *lib. 2. variar. reſolut. c. 16.* nihilominus poteſt Prælatus rem immobilem Eccleſiæ, ut feudum alteri locare ad breve tempus, non ad longum ſine expreſſo conſenſu Capituli, idque videtur deſumi *ex c. continebatur 2. h. t.* ubi Alexander III. ait, ſi Prælatus alienet ſciente, & tacente Capitulo tenet alienatio, quia Capitulum conſentire videtur. Ubi Gloſſa aſſerit, quod taciturnitas habetur pro conſenſu, quando alienatio eſt ad tempus, non ita quando eſt perpetua, quia tunc requiritur expreſſus conſenſus, & ſubſcriptio Capituli *c. 1. ſup. & 12. q. 2. fine exceptione*, idque ut appareat de tali conſenſu *c. ſi ſervus diſt. 54.*

Quamobrem ſi alienatio fiat ad breve tem- 15
pus, hoc eſt infra decennium ſufficit tacitus conſenſus Capituli, hoc eſt, quòd Capitulum ſciens non contradicat, nec impediat talem alienationem cùm poſſet commodè eam impedire; taciturnitas enim Capituli ſcientis, & non contradicentis in his habetur pro conſenſu, ut tradit Gloſſa communiter recepta à Canoniſtis: & ratio eſt, quia in alienatione temporali, ſeu quæ fit ad breve tempus, non poteſt Eccleſia grave detrimentum pati, ſicut in alienatione perpetua, vel ad longum tempus, ut docet Abbas *hic n. 4. & 6.* ſubjungens in conceſſione rei magnæ etiam ad tempus debere intervenire conſenſum expreſſum Capituli, licèt hic non ſit neceſſarius, ſi res ſit modica: alioquin non ſolùm requireretur conſenſus Capituli, ſed etiam ſuperioris, ſeu Epiſcopi, vel Papæ.

Quod ſi laicus decimas, quas in feudum à 16
Prælato eccleſiaſtico acceperat ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. dare velit alteri Eccleſiæ, à qua eas in feudum minimè accepit, quæritur an talis donatio ſubſiſtat, ſi fiat ex conſenſu ſolius epiſcopi diœceſani, non requiſito conſenſu Capituli? ſiquidem per talem donationem alienatur feudum ab illa Eccleſia, ad quam de jure pertinet, & ſolus Epiſcopus ſine conſenſu Capituli non poteſt alienare res immobiles, & magni momenti cujusmodi eſt feudum hoc. Nihilominus dicendum eſt, poſſe Epiſcopum irrequiſito Capitulo ex ſe ſolo aſſenciri tali donationi, & hanc validam eſſe ſine conſenſu Capituli, & per ſolum conſenſum epiſcopi. Ratio eſt, quia per talem donationem feudum eccleſiaſticum propriè non alienatur ab Eccleſia, quia remanet ſemper in dominio Eccleſiæ, ſed tantùm transfertur de una Eccleſia in aliam; & potiùs revocatur res eccleſiaſtica, ſeu jus decimarum, quod ex manu laicali, iterum reſtituitur Eccleſiæ, & tranſit ad poteſtatem eccleſiaſticam, ad quam principaliter pertinet, ut ſtatuitur *in c. cum apoſtolica* ubi habetur, quòd ſi decimæ concedantur laico in feudum perpetuum, & laicus cum ſolo conſenſu epiſcopi ſine clero donet alicui Eccleſiæ decimas, donatio tenet, quia hoc eſt revocare ad eccleſiaſticum uſum jus, quod à laicis detinetur, & non eſt alienare jus Eccleſiæ; quia donatio non teneret ſine conſenſu cleri, ſicut nec teneret in aliis decimis à laicis datis ipſi Eccleſiæ, ſi alienarentur ſine conſenſu Capituli. Simile exemplum eſt in milite, qui furatus fuit in aliqua Eccleſia calicem conſecratum, & quem non vellet eidem reſtituere, tunc poſſet induci, ut alteri Eccleſiæ illum daret, cum epiſcopi conſenſu, quia tunc res eccleſiaſtica è manu laicali iterum tranſit ad Eccleſiam.

Exa-

17 Exactiùs tamen Piringh. *lib. 3. decret. tit. 10. §. 2. n. 13.* procedit cum diſtinctione, vel enim laicus ante Concilium Lateranenſe juſtè obtinuit decimas à Prælato eccleſiaſtico ſibi conceſſas in feudum, vel injuſtè eas acquiſivit: ſi primum; poteſt laicus ſi velit eas reddere Eccleſiæ proprietariæ, & à qua in feudum acceperat, etiam non requiſito epiſcopo *argum. c. 3. §. ſanè de decim. in 6.* ubi Gloſſa ait, poſſe laicum decimas illas donare Eccleſiæ, à qua eas accepit etiam non petito epiſcopi conſenſu: quod ſi alteri Eccleſiæ, vel monaſterio eas dare velit, tunc neceſſarius eſt conſenſus epiſcopi diœceſani, & ratio eſt perſpicua, quia laici non habent facultatẽ diſponendi de rebus eccleſiaſticis abſque authoritate, & conſenſu Prælati eccleſiaſtici, ut liquet *ex c. 1. & ſequent. c. decimas 39. cauſa 16. q. 7.* & jus illud decimarum cùm ſit feudale eſt jus eccleſiaſticum, de quo laicus non poteſt diſponere abſque conſenſu Prælati eccleſiaſtici.

18 Sin verò ante Concilium Lateranenſe laicus injuſtè acquiſivit feudum illud, tunc monendus eſt, & etiam inducendus ſi fieri poteſt, ut reſtituat feudum illi Eccleſiæ, cui de jure competit. Quòd ſi ad id adduci non poſſit, tunc ex conſenſu epiſcopi diœceſani dari poteſt alteri Eccleſiæ, vel Monaſterio, ut deſumitur *ex c. cùm apoſtolica 7. h. t.* ſiquidem conſultiùs, ac melius eſt, ut jus illud decimarum alicui reſtituatur Eccleſiæ, vel Monaſterio, quàm quòd detineatur apud injuſtum uſurpatorem laicum: & tunc Eccleſia illa, ad quam jus illud pertineret ob bonum publicum, & authoritatem Prælatorum eccleſiaſticorum debet rationabiliter cenſeri contenta, ut potiùs alteri Eccleſiæ conferatur, quàm ab injuſto uſurpatore laico ſemper retineatur: idque videtur rationi conſonum, quia cùm omnes Eccleſiæ ſint membra unius Eccleſiæ univerſalis, in cujus favorem hoc ſtatutum fuit, ut faciliùs jura eccleſiaſtica è manibus eriperentur laicorum, ut notat Abbas *in c. cum apoſtolica 7. h. t. num. 10.* certè ex pia diſpenſatione Eccleſiæ fit, ut aliter quàm in rigore fieri deberet, jus illud feudale reſtituatur: ſiquidem minus inconveniens eſt, quòd decimæ transferantur ab una Eccleſia ad aliam, quàm à laico iniquè poſſideantur, ac injuſtè detineantur. Non tamen Epiſcopus aſſentiri poſſet, ut jus illud feudale decimarum menſæ ſuæ epiſcopali applicetur: ſiquidem Epiſcopus in proprio facto non poteſt ſuam authoritatem interponere *clement. 2.* & ibi Gloſſa *V. menſa ſua de reb. eccles. non alienand.* & ob eandem rationem nec poteſt Epiſcopus unire alia beneficia eccleſiaſtica propriæ ſuæ menſæ ad pinguius proventuum incrementum: poteſt tamen talis applicatio decimarum authoritate epiſcopi fieri menſæ capitulari: quia conſenſus Capituli ad hanc alienationem de jure non requiritur *d. c. cum apoſtolica 7. h. t.*

19 Ratio itidem cur ex pia diſpenſatione Eccleſiæ ſufficiat, quòd reſtitutio decimarum fiat alicui Eccleſiæ, quando non poteſt fieri proprietariæ, hæc eſt; quia ante Concilium Lateranenſe non conſtat, an laicis fuerint decimæ conceſſæ juſtè, vel injuſtè, proinde Eccleſia indiſtinctè conceſſit, ut decimæ omnes ante Concilium Lateranenſe à laicis occupatæ, quibuscunque eccleſiis reſtitui poſſint ex conſenſu epiſcopi diœceſani, eò quia ad laicum non pertineat, ſed ad Prælatum eccleſiaſticum diſponere de rebus eccleſiaſticis. Sin verò conſtet, laicum acquiſiviſſe jus illud feudale poſt Concilium Lateranenſe, & ſine conſenſu Romani Pontificis, tunc tenetur illud reſtituere Eccleſiæ proprietariæ, ad quam pertinebat, quia poſt Concilium Lateranenſe non eſt conceſſum Prælatis Eccleſiaſticis decimas dare laicis in feudum, ut notat Abbas *in d. c. cum apoſtolica 7. n. 11. h. t.* Quòd ſi hoc jus non poſſit reſtitui Eccleſiæ illi proprietariæ ob quamcunque cauſam, etiam ob iniquitatem, & violentiam laici detentoris, tunc interveniente authoritate epiſcopi diœceſani poteſt transferri in aliam Eccleſiam, vel Monaſterium, & deſumitur *ex d. c. cum Apoſtolica 7. h. t.*

§. III.

De his, quæ non fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli.

1 CErtum eſt, in rebus levioribus, negotiisq; minoris momenti non requiri conſenſum Capituli, ſed ſufficere conſilium adhibere, quod tamen Prælatus ſequi non tenetur, ut tradit Innocentius *in c. fin. ſup. de majorit. & obed.* Hoc eſt diſcrimen inter requiſitionem conſenſus, & conſilii: quia ſi requiratur conſenſus, tenetur Prælatus id ſequi quod major, vel ſaltem ſanior pars Capitularium concluſerit, adeo ut non poſſit determinare ex ſe, ſed teneatur agere juxta conſenſum Capituli: ſin autem deſideretur ſolum conſilium, tunc ſola conſultatio cum Capitularibus ſufficit abſque eo, quòd Prælatus teneatur eorum opinionem ſequi *c. cum olim 7. de arbit. & l. item ſi unus 31. §. fin. ff. de receptis qui arbitrium.* Neque ex eo quòd Prælatus non teneatur ſequi conſilium Capitularium ſequitur, eum fruſtra adhibere conſilia Capitularium: ſiquidem conſultatio illa non eſt fruſtranea, quia Prælatus auditis ſaltem rationibus Capitularium cautiùs procedet, & conſultiùs deliberabit juxta monitum Sapientis: *omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.*

2 Rurſus in ſtatutis condendis opus quidem conſilio eſt Capituli, ut deſumitur *ex c. quanto 5. h. t.* ubi dicitur, quòd Prælatus non poſſit negotia tractare ſine conſenſu Capituli, nec ſtatuta condere, & ibi Abbas *num. 4.* adeo ut non valeat conſuetudo in contrarium, ut notat Hoſtienſis *in ſum. h. t. num. 2.* Verùm neque tunc tenetur Prælatus conſilium Capituli ſequi niſi in caſibus à jure expreſſis, prout ſacra Congregatio declaravit apud Piaſecium *2. p. c. 2. art. 2. num. 7.* Caſus verò à jure expreſſi ſunt. Primò, quòd de jure non ſolùm requiratur conſilium, ſed etiam conſenſus Capituli, quoties vertitur intereſſe particulare *c. nlt. h. t.* proinde ſi collatio beneficiorum pertineat junctim ad Epiſcopum,

ſcopum, & Capitulum' nequit Epiſcopus ſolus abſque conſenſu Capituli quidquam de illis diſponere, ut deſumitur *ex c. ea noſcitur h. t.* Secundò requiritur conſenſus Capituli in omnibus iis caſibus, in quibus diminueretur Eccleſiæ authoritas, eique præjudicium fieret *c. dilecti de majorit. & obed.* quia Epiſcopus nequit deteriorem facere conditionem ſuæ Eccleſiæ. Tertiò requiritur etiam conſenſus Capituli, ſi agatur de bonorum alienatione, quæ in damnum cederet Eccleſiæ *d. c. irrita 1. h. t.* vel ſi agatur de obligatione Eccleſiæ *c. quòd quibusdam inf. de fidejuſſor.* Quartò ſi ageretur de præjudicio quoad ſubjectionem, vel exemptionem Capituli *c. ult. de majorit. & obed.* Quintò requiritur etiam conſenſus Capituli, quando agitantur cauſæ criminales *cauſa 17. q 7. per totum.*

3 Verùm in judicanda perſona aliqua capitulari, nonniſi de conſilio, & aſſenſu duorum à Capitulo in principio cujuslibet anni ad hoc deputatorum Epiſcopus, vel ejus Vicarius procedere poteſt ex ſtatuto Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. de reformat. c. 6.* Et ſi Capitulum illam deputationem neglexerit, tunc poſt monitionem prævium de electione in principio anni facienda poteſt Epiſcopus procedere, & judicare ſolus, ut tradit Piaſecius *p. 2. c. 2. art. 2. num. 9.* ex declaratione ſacræ congregationis. Procedit autem præfatum decretum abſque diſtinctione in delictis tam gravibus, quàm levibus, etiam ubi abſque forma judicii proceditur, ut fuſiùs probat Riccius *decis. 566.* ubi addit decreto illi locum eſſe tantùm quoad capitularia exempta.

4 Cæterum deputatio procuratoris fiſcalis etiam in tali caſu ad ſolum pertinet Epiſcopum abſque conſilio Capituli, ut tradit Zerola *in V. fiſcus §. 3. ex declaratione ſacra Congregationis*, quam refert. Quòd ſi totum Capitulum delinqueret, non eſſet tunc locus decreto, & poſſet Epiſcopus ſolus procedere contra omnes Capitulares delinquentes abſque adjunctis, dummodo delictum non ſit in perſonam, vel contemptum epiſcopi, vel Epiſcopus non habeat intereſſe, quia in hiſce caſibus facultas procedendi devolvitur ad proximum immediatum ſuperiorem Prælatum, ne Prælatus ſit judex in cauſa propria. Cæterum Epiſcopus in condendis ſtatutis debet cautè procedere, ut rectè notat Piaſecius *loc. cit.* adeo ut nonniſi rariſſimè in condendis ſtatutis pœnas apponat excommunicationis, ne ex nimia frequentia habeantur contemptui, floccique fiant, ſed debet potiùs uti pœnis temporalibus & rariùs pecuniariis ad removendam omnem avaritiæ ſuſpicionem, quæ à Prælato eccleſiaſtico debet longiùs abeſſe *c. cum ab omni 10. de vita, & honeſtat. clericor.*

5 Rurſus quia hæc epiſcopi ſtatuta obligant tantùm quoad pœnam, non ita quoad culpam, debet apertiùs virtutem ac ſenſum ſui ſtatuti declarare, ut faciliùs omnibus innoteſcat. Debet etiam abſtinere, ne multa injungat præcepta, condátque ſtatuta, quia ubi plurimæ leges, ibi plurimum eſt vitiorum, & nonnunquam ſatiùs eſt tolerare mala aliqua leviora, ne oriantur graviora, ſiquidem rectè monet Sapiens *proverb. 30. qui multum emungit, elicit ſanguinem nas. denique diſt. 4.* Denique proderit epiſcopo meminiſſe dicti S. Joan. Chryſoſt. apud Piaſecium *2. p. c. 2. art. 2. num. 10. Circa vitam tuam eſto auſterus, circa vitam aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem.*

Cæterum quando dicitur, quòd Epiſcopus, 6
vel alius ſimilis Prælatus non poſſit perſonas eccleſiaſticas inſtituere, vel deſtituere, nec alia negotia Eccleſiæ peragere ſine conſilio Capituli alioquin quod agitur, tanquam contra SS. Canones factum, cenſeatur irritum ut habetur *in c. novit 4. h. t.* ubi dicitur, quòd non deceat omiſſo conſilio Capituli, uti conſilio aliorum in negotiis Eccleſiæ, & non poſſe Epiſcopum inſtituere, vel deſtituere aliquas perſonas ſine conſenſu fratrum; alioquin facta inſtitutio, vel deſtitutio ipſo jure nulla ſit, ut reſcripſit Alexander III. id intelligitur, niſi contraria conſuetudo in aliqua Eccleſia fuerit legitimè præſcripta, ac inducta, ut Prælatus negotia ſuæ Eccleſiæ tractet, jurisdictionémque exerceat, irrequiſito Capitulo, ejúsque conſilio *c. non eſt. 3. de conſuetud. in 6.*

Quòd ſi objicias *d. c. novit 4. h. t.* ubi di- 7
citur, id eſſe contrarium honeſtati, contra quam non valet conſuetudo, reſpondet Abbas *hic n 5.* non valere quidem conſuetudinem, ut Prælatus in negotiis pertractandis requirat conſilium aliorum omiſſis canonicis; valere nihilominus conſuetudinem, ut ſolus Prælatus ea pertractet, quia tunc non fit injuria canonicis, cùm ipſis non præferantur alii conſiliarii, nec habeantur contemptui, ſed tantùm Epiſcopus utitur jure ſuo ex legitimè præſcripta conſuetudine acquiſito. Verùm putârim id tantùm procedere, quando Epiſcopus ex juſta cauſa utitur tali jure ſibi acquiſito ex conſuetudine, alioquin talis conſuetudo per ſe ſimpliciter expectata adverſatur juri aſſerenti, teneri Epiſcopum negotia ardua agere ex conſilio Capituli *c. novit 4. h. t.* ubi dicitur, quòd non deceat omiſſo conſilio Capituli negotia Eccleſiæ peragere, proinde videtur talis conſuetudo eſſe contra honeſtatem, proinde non valere, ſi abſque juſta, & rationabili cauſa negotia ardua pertractentur ſine conſilio Capituli; ut docet Hoſtienſis *in d. c. novit 4. h. t. V. aliorum conſilio*, & ibi Gloſſa Marginal *litt. A.* Si tamen agatur de controverſia orta inter Epiſcopum, & conſanguineos canonicorum Capitularium, non tenetur Epiſcopus requirere conſilium illorum ob periculum, ne ipſi conſanguineis ſuis ſecreta revelent, & quæ aguntur, aperiant, ut notat Abbas *hic num. 6.* ex quo generatim infert, ex juſta, & rationabili cauſa non teneri Epiſcopum in cauſis arduis requirere conſilium Capituli, proinde etiam ex conſuetudine poſſe id induci, ſi juſta, & rationabilis cauſa ſubſit, & alii extranei idonei poſſint in conſilium adhiberi.

Rurſus poteſt Epiſcopus, ſeu Prælatus ne- 8
gotia exigua ſolus expedire ſine conſilio ſui Capituli, ut tradit Abbas *hic num. 6.* quia modica ſpectant ad adminiſtrationem Eccleſiæ, & adminiſtratio, ſeu cura Eccleſiæ principaliter ad ſolum Prælatum pertinet, unde poteſt Prælatus

res quasdam Ecclesiæ dummodo rarò fiat, sintque res modicæ, donare absque consensu, & consilio Capituli, ut 50. partem proventuum Ecclesiæ in alios pios usus, ut ad alendos pauperes *c. penult. h. t.* Potest itidem Prælatus ad tempus tantùm res quasdam Ecclesiæ alicui conferre absque consensu Capituli, dummodo hoc non contradicat, & postea quod factum est, ratum habeat, ut desumitur *ex c. continebatur* 2. *h. t.* ubi Alexander III. rescripsit, quòd si Prælatus alienaverit sciente, & tacente Capitulo alienatio teneat, quia Capitulum tunc visum fuit consensisse; & ut notat Glossa ibidem, taciturnitas habetur pro consensu, quando alienatio est ad tempus: secus si sit perpetua, requiritur expressus consensus, & subscriptio Capituli *c.* 1. *& 12. q.* 2. *sine exceptione*, ut nimirum per subscriptionem appareat de tali consensu, desumitur etiam *ex c. cum nos* 3. *h. t.* ubi dicitur, quòd donatio facta ab Episcopo sine consensu Capituli sit nulla: sed si Capitulum eam postea ratam habeat, valet; & tunc ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato, ut etiam subsequens consensus valet: & Glossa ibidem notat, quòd ratihabitio tunc valeat, quando ratificans ab initio potest alteri mandare: si enim ejus nomine quid fiat, ratihabitio facta postea valet.

9 Secus quæ ardua sunt, ut Abbates, & Abbatissas, aliasque personas ecclesiasticas in beneficiis instituere, vel destituere, nequit Prælatus sine consilio Capituli agere *c. novit.* 4. *h. t.* ubi dicitur, quòd non possit Episcopus instituere, vel destituere aliquas personas sine consensu fratrum, alioquin facta institutio, vel destitutio ipso jure est nulla; rursus neque potest collationes beneficiorum, & electiones confirmare *c. quanto* 5. *h. t.* ubi dicitur, quòd Prælatus non possit gravia negotia tractare sine consensu Capituli: immo neque Ecclesias sibi, aut suæ Ecclesiæ subjectas aliis ecclesiis, vel Monasteriis attribuere *c. tua nuper* 8. *c. pastoralis* 9. *h. t.* Neque veteres dignitates suppressas in sua ecclesia suscitare. Neque statum Ecclesiæ mutare, quapropter irrita est episcopi donatio, venditio, commutatio rei ecclesiasticæ gravis momenti absque tractatu consensu, & subscriptione totius cleri, vel Capituli *c. tua nuper* 8. *h. t.* Generatim Episcopus, vel alius similis Prælatus debet negotia suæ Ecclesiæ tractare cum consilio sui Capituli, ut habetur *in c. quanto* 5. *h. t.*

10 Sufficit tamen si adhibeat consilium sanioris partis Capituli, seu eorum Capitularium, qui magis idonei sunt ad consilium dandum, & id indubitatum est, si ex consuetudine fiat. An verò sanior pars, si sit minor media parte Capitularium sufficiat ad Episcopum in pertractandis negotiis Ecclesiæ, vel requiratur major pars supra mediam. Respondetur de jure communi saniorem partem minorem mediâ non sufficere, si non sit etiam major media, quia quando agitur de aliquo actu expediendo de jure communi requiritur major pars Capituli, ut habetur *in c. cum in cunctis* 1. *tit. sequent.* Cæterum quando Prælatus in expeditione negotiorum tenetur adhibere, & requirere consilium Capituli, non tenetur illud sequi, si consensus non requiratur, ut notavimus *initio h.* §. ubi assignavimus discrimen inter requisitionem consensûs, & consilii: sed sufficit si Prælatus audierit consilium Capitularium *c. cum in veteri* 52. *de elect. c. cum olim* 7. *de arbit.* quia tunc Prælatus satisfecit præcepto juris, quatenus adhibuit consilia Capitularium.

11 Quòd si petas in quibus casibus non requiratur consensus Capituli. Respondetur in exercitio jurisdictionalium, & in administratione rerum temporalium extra causam alienationis plerumque non requiri consensum; sed consilium tantùm, ut magis communiter docent Canonistæ, quinimo consuetudine, vel præscriptione passim introductum est, ut in pluribus casibus sine consensu, vel consilio Capituli possint episcopi procedere, ut testatur Stephanus Gratianus *in discept. forens. c.* 100. *n. ult.* Zerola *in prax. Episc. p.* 1. *V. Capitulum num.* 3. ubi probat, talem consuetudinem validam esse *ex c. ea noscitur* 6. *h. t.* ubi dicitur, quòd quando collegiata habet jus præsentandi, præsentabit Prælatus de consensu Capituli, vel majoris, & sanioris partis: aliter præsentatio non valet, nisi Prælatus probet consuetudinem, vel privilegium; ex quo infertur, hanc consuetudinem introductam validam esse. Immo Joannes Honorius *h. t. num.* 11. censet non requiri certi temporis fluxum ad consuetudinem introducendam circa requisitionem consilii, vel consensus, sed sufficere frequentatos actus, ut docent alii doctores de consuetudine declaratoria legis dubiæ, Panormitanus *in c. cùm dilecta de consuetud. num.* 7. Menoch. *de arbit. centur* 1. *cas.* 83. *n.* 10. sed id debet intelligi quando verè dubitatur, an in aliquo speciali actu requiratur consilium, aut consensus, non ita si de jure decisum sit: quia tunc ea etiam, quæ aliàs ad consuetudinem contra legem introducendam requiruntur, debent concurrere.

12 Neque omittendum est, quod dicitur *in c. & si* 10. *& ult. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit quòd in Concilio provinciali debeant invitari Capitula cathedralium Ecclesiarum, & admitti eorundem Nuntii ad tractatum, præsertim si agatur de rebus pertinentibus ad eadem Capitula: ubi juvat adnotare, Innocentium tantùm rescripsisse esse Capitula Ecclesiarum cathedralium invitanda ad Concilium Provinciale, non verò cogenda, nisi aliàs sit Ecclesiarum consuetudo, ut notat Abbas *hic num.* 2. Neque tenentur Canonici per se ipsos comparere, sed satis est si mittant Procuratores, siquidem non facilè singuli per se venire possunt, nisi in ecclesiis cathedralibus deferatur cultus divinus.

13 Rursus licèt Capitula cathedralium Ecclesiarum invitentur, & debeant admitti eorum Nuntii ad tractatum, non inde sequitur, habere suffragium decisivum, siquidem potest quis admitti ad tractandam aliquam litem, qui non admittatur ad illam decidendã: etenim tractatus, seu discussio causæ præcedit, & decisio seu sententia sequitur, adeo ut sint duo distincta; quorum primum optimè haberi possit sine secundo: unde si quis ex statuto, vel mandato admitti debeat

beat in Concilio, non ſequitur habere in eodem ſuffragium deciſivum.

14 Hinc Capitula tametſi admitti debeant ad tractandum, & conſulendum; non ita ad decidendum, quia ſpectato jure communi ſoli Epiſcopi in Conciliis Provincialibus habent ſuffragium deciſivum, & non Capitula Eccleſiarum cathedralium, niſi ex aliquo ſpeciali privilegio illorum interſit, ac illorum conſenſus requiratur, ut deſumitur *ex d. c. & ſi* 10. *h. t. in fin.* Ex eo autem, quod in eodem capite dicatur, quòd Capitula cathedralium debeant admitti in Concilio Provinciali ad tractatum, maximè quando agitur de rebus pertinentibus ad Capitula, illa particula *maximè* indicat, quòd Capitula Eccleſiarum cathedralium debeant etiam admitti in aliis negotiis, quæ ipſa Capitula non concernunt, & quamvis non appareat de eorum intereſſe; quia poteſt fieri ut interſit, adeo ut ſi præſentes eſſent, fortaſſis contradicerent, & appellarent, ut notat Hoſtienſis hic, & Fagnanus *in d. c. & ſi 10. num. 13. h. t.* Excipitur tamen niſi epiſcopi aliqua ſecreta haberent, quæ abſque violatione juramenti revelare minimè poſſent.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an alienatio rei eccleſiaſticæ facta ſine approbatione Capituli valida ſit? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. irritâ* 1. *h. t.* ubi declaratur, quòd donatio, venditio, commutatio rei eccleſiaſticæ facta ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli, & clericorum nullius ſit valoris, & ratio ex eo petitur, quia Epiſcopus, & Capitulum in ordine ad regimen Eccleſiæ efficiunt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus, & canonici membra *c. novit.* 4. *h. t.* & quia in alienatione rei eccleſiaſticæ poſſet fieri grave præjudicium Eccleſiæ *c. videntes* 12. *q.* 1. & ubi periculum majus imminet; cautius eſt agendum *c. ubi de elect. in 6.* ſequitur, quòd tametſi in gerendis Eccleſiæ negotiis regulariter ſufficiat, ſi Epiſcopus requirat conſilium à ſuis canonicis *d. c. novit.* 4. in alienatione tamen rei eccleſiaſticæ; & in aliis gravioribus negotiis non ſufficit, niſi habeat etiam conſenſum Capituli; ut dicitur in *c. irritâ h. t.* Id verò intelligendum eſt de rebus Eccleſiæ cathedralis, quia in rebus aliarum Eccleſiarum ſufficit conſenſus clericorum illius Eccleſiæ, de cujus intereſſe agitur, & requiſitio conſilii Canonicorum Eccleſiæ cathedralis: niſi tamen Epiſcopus author eſſet alienationis, in quo caſu, ne facilè per Epiſcopum diſſiparentur res Eccleſiæ inferioris, eſſet neceſſarius conſenſus Capituli Eccleſiæ cathedralis.

2 Quæritur ſecundò, an ad valorem contractûs circa res eccleſiaſticas de jure communi ſacrorum canonum neceſſaria ſit ſcriptura? Reſpondetur, quòd tametſi ad ſubſtantiam contractûs non requiratur ſcriptura cum ſpectato jure naturali contractus fundetur in ipſo conſenſu partium contrahentium *l. pactum* 17. *C. de pact.* Nihilominus ſpectato jure communi eccleſiaſtico ad valorem contractûs requiritur ſcriptura; & ſubſcriptio Capitularium. Verùm non ubique receptum eſt, ut ſubſcriptio Capituli, ſeu Capitularium ſemper habeatur, ſed ſufficit, ſi in inſtrumento ſcripto manu Notarii fiat mentio de conſenſu Capituli, ſiquidem hujusmodi conſenſus ſemper requiritur ad ſubſtantiam, & ad veluti formam alienationis rei eccleſiaſticæ, ſive immobilis, ſive mobilis pretioſæ, & quæ ſervando ſervari poteſt.

Solet tamen id limitari. Primò ut ſufficiat, 3
ſi conſenſus Capituli poſtea ſuperveniat, vel Capitulum cognita cauſa neceſſitatis, vel utilitatis ratam habeat præcedentem alienationem *argu. l. Julianus* 15. §. *ſi quis à pupillo ff. de actionib. empti.*

Secundò quia ad donationem, vel alienationem, quam facit Epiſcopus de bonis ſuæ menſæ erga Capitulum ſuum cathedrale, non requiritur ſolemnitas, ut docet Gloſſa in *element.* 2. *de rebus eccles. non alienan. V. Eccleſiam*: ratio eſt, quia ob intimam unionem inter Capitulum, & Prælatum, ſeu inter corpus, & Caput, res ſemper manet in dominio ejusdem Eccleſiæ. Verùm hæc alienatio poteſt poſtea reſcindi à ſucceſſore, ſi hic oſtenderit, eam juſta ratione utilitatis, aut neceſſitatis innixam non fuiſſe: ratio eſt, quia Prælatus non eſt Dominus rerum Prælaturæ, ſed tantùm adminiſtrator *c.* 2. *de donat.* 4

Tertiò limitatur, ſi adſit impedimentum 5
quò minus requiri poſſit conſenſus Capituli, eò quia irruentibus bellorum incurſionibus diſſipatum ſit; & Canonici in varia, & diſita loca diſtracti, tunc enim, ſi neceſſitas urgeat, alienatio fieri poteſt convocatis aliis clericis, & in eorum defectu aliis teſtibus *argum. c. nullus* 39. *caus.* 17. *q.* 4.

Quartò neque requiritur conſenſus Capi- 6
tuli, ſi alienatio ſit rei valdè modicæ, & parum utilis, ut notat Abbas in *c. ult. num.* 9. *de eccles. ædific.*

Quintò limitatur, ut poſſit Epiſcopus de 7
proventibus ſuæ menſæ aliquid alienare pro Eccleſia conſtruenda, vel monaſterio ædificando, vel xenodochio inſtaurando, vel pauperibus alendis, vel pro alio ſimili pio uſu, dummodo ſoi partem cenſûs non exhauriat *c. Apoſtolica* 9. *de donat. c. Bona* 74. *caus.* 12. *q.* 2. In aliquibus tamen eccleſiis uſus invaluit, vel etiam ſtatutum viget, ut Epiſcopus teneatur Juramentum præſtare de non imminuendis cenſibus annuis ſui epiſcopatûs ſine conſenſu Capituli. Verùm ex fructibus ſuæ menſæ poteſt Epiſcopus aliquid impendere in pias cauſas.

Sextò limitatur, ſi neceſſitas alienandi ſit 8
evidens, & urgens, & non poſſit poſtulari conſenſus, ſuperioris, quia tunc non obſtante juramento emiſſo ab epiſcopis non alienandi res Eccleſiæ inconſulto Papa, poteſt Epiſcopus alienationem inſtituere ob graviſſimam, & urgentem neceſſitatem *argum. c. nullus* 39. *caus.* 17. *q.* 4. & docet Redoanus *cas.* 8 *n.* 2.

Septimò limitatur, quia mendicantes, qui 9
bona immobilia, & reditus poſſidere non poſſunt

ſunt, bona ſibi donata, vel legata absque ulla ſolemnitate poſſunt alienare, ut notat Redoanus *rubric. 33. cas. num. 22.* quia ſolemnitas, quæ requiritur in alienatione bonorum, tunc non eſt in obligatione, ſi alienatio ſit de rebus, quæ retineri non poſſunt.

10 Octavò, ſi res alienanda plus afferat damni poſſidenti, quàm commodi, ut quia plus in ea conſervanda, vel reparanda expendi debeat, quàm inde percipi poſſit lucri, tunc enim res poteſt ſine ſolemnitate alienari, dummodo cauſa alienandi notoria ſit, quia Prælatus tunc utiliter gerit negotium ſuæ Eccleſiæ *arg. c. non licet 20. caus. 12. q. 2.*

11 Demum limitatur, quia Prælatus fundum antea legitimè in feudum, vel emphyteuſim conceſſum, & ad Eccleſiam liberè reverſum, iterum ſine alia ſolemnitate poteſt eodem modo concedere etiam non requiſito conſenſu Capituli *extravag. ambitioſæ* Pauli II. Id verò intelligitur, dummodo eadem cauſa conceſſionis videatur durare, & conceſſio non fiat cum graviori conditione in præjudiciũ Eccleſiæ, in ò & penſio augeatur, ſi fundus melior factus fuerit.

12 Quæritur tertiò, an in temporali alienatione, quam inſtituit Prælatus de rebus eccleſiaſticis taciturnitas Capituli habeatur pro conſenſu? Reſpondetur cum diſtinctione: vel hæc temporalis alienatio, ſeu locatio realis, vel nomine Eccleſiæ fit ad longum tempus, & tunc requiritur expreſſus conſenſus Capituli, ut etiam aliæ ſolemnitates, quæ jure requiruntur, & deſumitur ex *clement. 1. de reb. eccleſiaſticis non alienan.* & docent communiter Canoniſtæ in *c. Nulli eod. tit.* quia nomine alienationis rerum eccleſiaſticarum prohibitæ ea etiam locatio fundi eccleſiaſtici, vel rei alterius pertinentis ad Eccleſiam comprehenditur, quâ dominium utile, ſeu jus tantùm utilitatis transfertur, ut contingit in locatione fundi ad decennium, vel ultra, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 16. n. 1.* & docent communiter Canoniſtæ in *c. ult. ff. ſi ager vectigalis, vel emphyteutecarius.* Imò tempus decennii contrahitur à Paulo II. in ſua extravag. ad triennium, adeò ut ultra triennium prohibita ſit, perinde ac ſi ad longum tempus facta fuiſſet. Vel alienatio, ſeu locatio facta à Prælato ſine expreſſo conſenſu Capituli eſt ad breve tempus, ut ad biennium, & tunc taciturnitas Capituli habetur pro conſenſu, & in hoc ſenſu intelligitur textus in *c. continebatur 2. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi Prælatus alienet ſciente, & tacente Capitulo teneat alienatio, quia taciturnitas ſcientis, & non repugnantis, habetur pro conſenſu, ut docent communiter cum Covarruvia *lib. 2. reſolution. c. 15. num. 6.* quia in alienatione temporali Eccleſia non poteſt ita lædi ſicut in perpetua, vel diuturna ad longum tempus, ut notat Gloſſa *in c. 1. V. perpetuis de reb. eccles. non alienand. in 6.* & quia ubi majus periculum vertitur, ibi cautius eſt procedendum *c. ubi de elect in 6.* & qui tacet, non videtur negare *c. Is qui de reg. jur. in 6.* ſequitur quod tametſi in alienatione perpetua, vel locatione rei eccleſiaſticæ, quam Prælatus inſtituit, requiratur expreſſus Capituli conſenſus, & ſubſcriptio Canonicorum; non ita in locatione, quæ fit ad unum tantùm, vel alterum annum: & ratio etiam deſumitur ex eo, quia ad Prælatum pertinet adminiſtratio rerum Eccleſiæ: & ad adminiſtrationem, bonámque Oeconomiam ſpectat, ut cum fundi Eccleſiæ frequenter proprio labore non poſſint excoli, utiliùs elocentur aliis pro penſione. Tum quia hæc elocatio propriè non eſt alienatio, quia nullum per ipſam jus dominii transfertur in conductorem, ſeu colonum; proinde in hiſce locationibus ad breve tempus, & cum majori utilitate Eccleſiæ non requiruntur ſolemnitates juris ſtatutæ pro alienationibus rerum eccleſiaſticarum. 13

Quæritur quartò, an Prælatus teneatur ſequi conſilium ſui Capituli? Reſpondetur, quòd tametſi ſpectato jure communi, conſilium Capituli requiri debeat, non tamen Prælatum teneri illud ſequi, niſi Capitulum oſtendat locationem ab eodem Prælato inſtitutam noxiam eſſe Eccleſiæ: alioquin, ſi Capitulum non oſtendat damnum, quod ex tali locatione ſit Eccleſiæ, non tenetur Prælatus conſilium ſequi Capituli, & tunc de hac locatione, quæ ſciente Capitulo; & rationabiliter non repugnante facta fuit nomine Eccleſiæ, dicitur, quòd ſucceſſor eadem obligetur, teneatúrque illam ſervare, ut probat Covarruvias *lib. 2. reſolut. c. 15. num. 6.* Hinc ſi Rector Noſocomii ad biennium locavit fundum pertinentem ad Noſocomium obligatur, ſi decedat, vel mutetur Rector, qui contraxit, ejus ſucceſſor ad ſervandum contractum talis locationis. Verùm ſi locus pius, vel Eccleſia læſa ſit, poteſt petere reſtitutionem in integrum. Notandum eſt, jure novo per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 11. de refor.* prohibitas eſſe omnes illas locationes, quæ fiunt ad plures annos per anticipationem penſionis: ratio hujus prohibitionis ea fuit, quia hujusmodi locationes cedebant paſſim in detrimentum ſucceſſoris, quando Prælatus, qui locationem contraxit, decedebat ante tempus locationis initæ.

Quæritur quintò, an Prælatus ſine conſenſu Capituli poſſit locare fundum ſuæ menſæ ad dies vitæ? Reſpondetur, quòd ſi reditus ex fundo ad Prælatum, ejúsque menſam pertineant, tunc poteſt Prælatus etiam non requiſito Capituli conſenſu, vel conſilio fructus, vel reditus talis fundi locare etiam toto tempore ſuæ vitæ *argum. c. veniens 3.* ubi & ibi Abbas *n. 1. de tranſact.* Ratio itidem ex eo petitur, quia ex tali locatione ad dies vitæ nullum infertur ſucceſſori damnum, nec Eccleſiæ imminet periculum alicujus detrimenti, quia locatio expirat tunc per mortem locantis, eſt enim perſonalis, ſeu dependens à vita locantis tanquam fructuarii. proinde cùm talis contractus locationis expiret unà cum vita Prælati locantis, nullum ſucceſſori infertur damnum, neque Eccleſiæ detrimentum. 14

Quæritur ſextò, an locatio temporalis facta absque conſenſu Capituli, ſi poſtea ejus conſenſus acceſſerit, rata ſit? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. cum nos 3. h. t.* & ratio eſt, quia in alienatione temporali, non requiruntur tot ſolemnitates, quot in perpetua, 15

proinde quamvis ab initio non habeatur conſenſus Capituli, ſi poſtea hic acceſſerit, locatio facta à Prælato ratificatur, ſuúmque ſortitur valorem, quia per conſenſum poſtea præſtitum, Capitulum renuntiat contemptui, quem Epiſcopus commiſit ex eo, quia ejus conſenſum non requisierit *c. ratum* & ibi Gloſſa *de reg. jur. in 6.* hinc quamvis de rigore juris alienatio temporalis facta à Prælato non teneat reclamante Capitulo, ſi tamen Capitulum eam poſtea ratam habeat, ſuum ſortitur valorem. Idque procedit etiam de alienationibus, aut transactionibus rerum immobilium factis de judicis, ſeu ſuperioris authoritate nomine minorum. Ut etiam de domini conſenſu in alienatione, in his enim ſufficit, ſi poſtea conſenſus acceſſerit, etiam ex intervallo, ut expreſſè docet Baldus in *l. cum ipſe num. 5. l. de contrahend. empt.*

16 Videtur tamen in contrarium obſtare textus *in l. obligari §. tutor* juncta Gloſſa *v. debet ff. de authorit. tutor.* & *§. tutor. inſtitutis eod. tit.* ubi habetur, quòd tutor debeat ſtatim in ipſo negotio ſuum præſtare conſenſum, & non ex intervallo. Sed contra, quia ut notat Gloſſa Marginàlis in *c. cum nos 3. h. t.* id ſpecialiter conſtitutum eſt de pupillo, adeò ut ſpectato jure civili, pupillus non cenſeatur habere conſenſum, niſi veluti informetur per conſenſum tutoris: hæcque ratio eſt, cur jure civili requiratur ſtatim uterque conſenſus tutoris, & minorennis in ordine ad obligandum pupillum, ſeu firmandum contractum ex parte pupilli: ſecus ad obligandum poſtea alterum contrahentem ſufficit, ſi voluntas tutoris etiam ex intervallo acceſſerit *l. Julianus 13. §. ſi quis à pupillo ff. de actionibus empti.* Cæterum alienatio facta à Prælato abſque conſenſu Capituli, ſi poſtea Capitulum conſenſerit, roboratur, & ſuum acquirit valorem.

17 Verùm an incipiat valere ex tunc, quo Prælatus eam inſtituit, vel ex nunc, quo Capitulum in eam conſentit, videtur eſſe difficultas. Communior tamen ſententia eſt, quòd incipiat valere pro nunc, quo Capitulum in eam conſentit, & ita docet Gloſſa in *c. non firmatur de reg. jur. in 6.* ubi dicitur, non firmari tractu temporis, quod de jure ab initio eſt irritum, quia actus, qui ab initio eſt irritus, impoſſibile eſt ita convaleſcere, ut ab initio valuerit, niſi fortiſſis ſecundùm juris fictionem. Verùm id limitatur, ſi actus ſpectato jure naturali valuerit ob adhibitum conſenſum domini, aut legitimi adminiſtratoris, & ſolùm ob omiſſam ſolemnitatem ſpectato jure poſitivo non ſubſiſtat, quia tunc, ſi ſolemnitas poſtea ſuperveniat, actus ita omnimodè confirmatur, ac ſi ab initio jure poſitivo fuiſſet validus *argum. l. 1. C. de contract. judic.*

18 Quæritur ſeptimò, an Epiſcopus ſine conſilio Capituli poſſit inſtituere, vel deſtituere, vel alia negotia Eccleſiæ tractare? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. novit. 4. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, non decere omiſſo conſilio Capituli uti conſilio aliorum in negotiis Eccleſiæ, adeò ut non poſſit Epiſcopus inſtituere, vel deſtituere perſonas ſine conſenſu fratrum; alioquin facta inſtitutio, vel deſtitutio eſt ipſo jure nulla: ratio eſt, quia Prælatus, & Canonici ejus fratres ſunt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus, & canonici membra, quævis enim communitas, ſeu collegium eſt quoddam corpus fictum: atqui non decet caput à membris diſcedere, ut nec etiam membra à capite *c. non decet. diſt. 12.* proinde non debet Epiſcopus omiſſis canonicis aliorum conſilio uti in negotiis ſuæ Eccleſiæ, quia id ipſi honeſtati, ſanctorúmque Patrum inſtitutionibus adverſatur *c. epiſc. 15. q. 7.* hinc Epiſcopus negotia ſuæ Eccleſiæ, ut etiam inſtitutiones, & deſtitutiones Prælatorum ex conſilio ſui Capituli tenetur peragere, alioquin quod agitur, tanquam contra canonem actum nullius eſt valoris *l. non dubium C. de legib.* verùm id limitatur primò, niſi in eccleſiis ſit præſcripta conſuetudo, ut Epiſcopus, vel alius Prælatus negotia agat, ſuámque exerceat jurisdictionem inconſultò Capitulo *c. 3. de conſuetud. in 6.* Limitatur ſecundò, ſi negotia ſint exigua, & parvi momenti, quæ facilè per ſolum Prælatum expediri poſſint, ut notat Innocentius in *c. ult. num. 2. de major. & obed.* ſiquidem ad ſolum Epiſcopum pertinet adminiſtratio, & cura Eccleſiæ. Limitatur tertiò, ſi juſta, & rationabilis cauſa ſubſit, vel periculum adſit revelationis, quia tunc Prælatus etiam inhabilis non tenetur conſilium requirere Capituli, ut notat Abbas *in d. c. novit. 4. num. 6. h. t.* Secus ſi Eccleſiæ, vel ſucceſſoribus præjudicium inferatur, tunc Prælatus non ſolum conſilium, verùm etiam conſenſum tenetur requirere, ut docet Abbas *loc. cit. num. 7.* In aliis verò negotiis, ubi nullum timetur damnum, ſi Capitulum diſſentiat, tunc magis decet, ut capiti ſe membra conforment, quàm membris caput.

Quæritur octavò, an ſi Eccleſia collegiata habeat jus præſentandi debeat Prælatus præſentare de conſenſu Capituli? 19 Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. noſcitur 6. h. t.* ubi Alexander III. declarat, quòd ſi collegiata habeat jus præſentandi, debeat tum Prælatus præſentare de conſenſu Capituli, vel majoris, ac ſanioris partis. Ratio petitur ex eo, quia Prælatus, & Capitulum juris fictione conſtituunt unum corpus, unámque perſonam, conſequenter tenetur Epiſcopus in iis, quæ omnes tangunt, inquirere conſenſũ capituli: ſiquidem quod omnes tangit, ab omnibus eſt approbandum *c. accedentes de præſcript.* non tamen eſt neceſſe quòd omnes, & ſinguli de Capitulo conſentiant, ſed ſufficit conſenſus majoris, & ſanioris partis, quia quod fit à majore parte capituli cenſetur factum à toto capitulo *c. cum in cunctis 1. de his quæ fiunt à major. part capit.* Hinc in præſentationibus pertinentibus ad totum collegium tenetur Prælatus habere conſenſum ejusdem collegii, ut dicitur in *d. c. ea noſcitur 6. h. t.* Id tamen limitatur, niſi de conſuetudine, vel privilegio competat ſoli Prælato: ſiquidem conſuetudo, & privilegium tollunt, & dant ea, quæ ſunt juris poſitivi *c. 3. conſuetud. in 6.* præſentatio autem ad beneficium eſt quid juris poſitivi *c. præterea de jure patron.* proinde Prælatus de conſuetudine, vel privilegio poteſt etiam in-

con-

conſulto Capitulo præſentare *c. cum Eccleſia de elect.*

20 Quæritur nonò, an in monaſteriis Abbas Regularis, vel præpoſitus, aut alius ſuperior ita negotia ſuæ Eccleſiæ teneatur agere cum conſilio ſuorum Monachorum, vel Religioſorum, ſicut Epiſcopus, vel alius Prælatus ſæcularis cum conſilio canonicorum ſpectato jure communi? Reſpondetur negativè, quia ſuperior Regularis habet magis liberum jurisdictionis exercitium, magisque independentem bonorum adminiſtrationem, quàm Prælati ſæculares, & deſumitur ex *c. nullam* 9. *caus.* 18. *q.* 2. ibi: *quæ ad cultus divini reverentiam: vel ad utilitatem monaſterii pertinent, Abbatis ſolicitudo, ad quem totam poteſtatem pertinere convenit, debet adimplere*: ubi Gloſſa notat, hanc ſolicitudinem ita ſpectare ad Abbatem, ut non pertineat ad Monachos: hinc Imola in *c. edoceri* 21. *de reſcript.* ait, totam poteſtatem Monaſterii eſſe penes Abbatem, & Sylveſter *V. Prælatus* q. 5. aſſerit, caſtigationem Monachorum ad Abbatem pertinere, & non teneri Capituli conſenſum requirere.

21 Quòd ſi dicas, Epiſcopum non corrigere clericos ſine conſenſu Capituli. Reſpondetur, quòd ſicut per conſuetudinem poteſt introduci, ut Epiſcopus conſilium Capituli non requirat, ita per regulam S. Ordinis à ſede Apoſtolica approbatam introduci poteſt, ut cura negotiorum Monaſterii ſoli Prælato incumbat, & id videtur etiam vel maximè convenire ſtatui religioſorum qui per votum obedientiæ tenentur ſe penitus ſuis ſubjicere Prælatis *c. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. Id verò limitatur in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, in quibus requiritur neceſſariò conſenſus Capituli, ſeu conventus regularis. Ut etiam in negotiis valdè arduis conſilium conventus, niſi aliqua rationabilis cauſa ſubſit, quo minus requiratur, vel niſi alicubi conſuetudo præſcripta vigeat, ut Prælatus nonniſi ſeniorum conſilium requirat. An verò ſuſceptio Monachi ad ſolùm pertineat Abbatem. Reſpondetur de jure communi, videri etiam ad Capitulum ſpectare, eò quia ſingulorum intereſſe tangat.

22 Quæritur decimò, an poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli concedere Eccleſias aliis eccleſiis? Reſpondetur negativè ex *c. tua nuper* 8. *h. t.* ratio etiam ibidem aſſignatur, quia hujusmodi conceſſiones Eccleſiarum pertinent ad perpetuas alienationes, ut etiam dicitur in *clement. fin. de reb. eccles. non alien.* ſiquidem ſemel quòd una Eccleſia conceditur alteri, non gaudet ampliùs proprio Rectore, ſed alteri ſubjicitur, proinde veluti capite minuitur, & à proprio jure ſeparatur: alienatio autem rei eccleſiaſticæ ſine approbatione Capituli invalida eſt *c. ſine* 12. *q.* 1. quapropter quando Epiſcopus Eccleſias concedit aliis eccleſiis, requiruntur omnes ſolemnitates, quæ debent intervenire in rei eccleſiaſticæ alienatione, ut habetur in *d. c. tua nuper* 8. *h. t.* & *in c.* 2. *de relig. dom.* Imò id etiam procedit, quamvis habeat jus patronatus in eccleſiis conceſſis, quia patronus Eccleſiæ ſtatum non poteſt immutare *c. quod* 5. *de jure patron.* & talis conceſſio procul dubio immutaret ſtatum Eccleſiæ, proinde quamvis ad Epiſcopum pertineat alicujus Eccleſiæ jus patronatus, non tamen poteſt illam alteri Eccleſiæ ſubjicere absque Capituli conſenſu. Si igitur Parochia Monaſterio uniatur in perpetuum, cenſetur hæc unio eſſe alienatio, proinde ad ipſam requiruntur ordinarii juris ſolemnitates. Obſervandum tamen eſt, quòd hodie jure novo hujusmodi uniones non poſſunt ab epiſcopis fieri ob conſtitutionem Concilii Tridentini in *ſeſſ.* 24. *c.* 13. *de refor.* imò nec ſummus Pontifex facile ſolet juribus detrahere Eccleſiarum, & facere alienationes: proinde in unionibus Parochiarum, ſi quæ fiant Monaſteriis, epiſcopi, & capituli cathedralis, & aliorum, quorum intereſt, ſolet ante unionem conſenſus requiri.

Quæritur undecimò, an Epiſcopus paro- 23
chiales Eccleſias, vel ipſarum obventiones, & oblationes de conſenſu Patroni ſine conſenſu ſui Capituli poſſit Monaſterio conferre? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Paſtoralis 9. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, Epiſcopum ſine conſenſu Capituli, vel authoritate Papæ non poſſe concedere alicui Monaſterio Eccleſias parochiales, vel fructus, ſeu obventiones parochiæ etiam de conſenſu patroni. Ratio eſt, quia hujusmodi Eccleſiarum, vel obventionum conceſſio eſt quædam perpetua alienatio *c. tua nuper* 8. *h. t.* Epiſcopus autem ſine approbatione Capituli non poteſt res eccleſiaſticas alienare *c. irrita* 1. *h. t.* & Patronus non poteſt immutare ſtatum Eccleſiæ, ſed tantùm in tali caſu poteſt jus patronatus donare alteri Eccleſiæ *c. paſtor. de donat.* ideo nequit Epiſcopus Parochiales Eccleſias, vel obventiones earundem ſine conſenſu ſui Capituli Monaſterio conferre. Cæterum oblationes, & obventiones, quæ fiunt intra fines parochiæ, pertinent ad fabricam Eccleſiæ parochialis, & ad ſuſtentationem Rectoris, & aliorum Miniſtrorum: hinc infert Abbas in *d. c. Paſtoralis 9. num.* 2. *h. t.* quòd ſi in ædibus alicujus privatæ perſonæ laicæ ſacra imago conſtituta eſſet, ad quam fideles oblationes deferrent, illæ pertinerent ad Eccleſiam parochialem, intra cujus fines ſitæ eſſent hujusmodi ædes, quia eo ipſo quòd oblationes fiunt ob Dei cultum, pertinent ad Eccleſiam ſúntque ſub adminiſtratione Rectorum, & Prælatorum Eccleſiæ.

Quæritur duodecimò, an ſi laicus decimas, 24
quas in feudum à Prælato eccleſiaſtico habet ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. acceptas, velit alteri Eccleſiæ, vel monaſterio, à quo feudum non recognoſcit, aſſignare, poſſit id facere cum conſenſu diœceſani etiam non requiſito conſenſu Capituli? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. cum Apoſtolica 7. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi decimæ concedantur laico in feudum perpetuum, & laicus cum ſolo conſenſu epiſcopi ſine clero donet alicui Eccleſiæ decimas, donatio tenet, & ratio etiã aſſignatur in textu, quia hæc non cenſetur alienatio, ſed potiùs revocatio rei eccleſiaſticæ ad Eccleſiam ſaltem univerſalem, ad quam principaliter ſpectat. Cæterum videtur procedendum

tendatur, ac concludat; an verò id verum sit, dependet ab usu; & plura requiruntur, ut consuetudo dicatur introducta, non enim debet præsumi, sed probanda est.

4 Rursus hæc pars debet conjunctim esse *major.* ac *sanior*, quia si minor utatur melioribus rationibus præsertim in favorem Ecclesiæ, & constet ex viris gravioribus, prudentioribus, magisque piis potest majori contradicere, & ad legitimum superiorem appellare, ut desumitur *ex c. cum in cunctis 2. h. t.* ubi dicitur, quòd in Capitulis prævaleat quod à majore, ac saniore parte fuerit statutum, appellatione remota, non obstante consuetudine contraria, quamvis jurata. Immo si quis juret servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam: postea subdit: *nisi pars minor objiciat aliquid rationabile.* In negotiis capitulariter pertractandis regulariter ad Episcopum pertinet convocare Capitulum, qui suffragia singulorum exquirere, & secundùm majorem partem eorundem tenetur concludere. Sin verò Episcopus absens fuerit, vel de negotio pertinente ad ipsum Episcopum agatur; tunc ad vicarium episcopi, seu unum de Capitulo, ad quem de jure, vel consuetudine spectat, ut ad præpositum, vel decanum, vel seniorem, pertinet potestas convocandi Capitulum *ex Concilio Trident. sess. 24. de refor. c. 6.* Non tamen ad actus capitulariter tractandos canonici absentes, & distantes per plures dietas debent necessariò vocari juxta Glossam communiter receptam *in cap. cum inter de electione argumento c. 2. §. Jus præsent.*

5 Excipiuntur tamen tres casus, quorum primus est in causa electionis novi Prælati *cap. quia propter de electione.* Secundus quando recipitur aliquis in canonicum *cap. cum in ecclesiis de præbendis in 6.* Tertius in cessationibus à divinis *cap. quamvis de officio ordin. in 6.* Imò Panormitanus, & alii *in c. 1. h. t. num. 15.* asserunt constitutum in prædictis tribus casibus procedere etiam in causis magnis, & arduis; eò quia vocatio absentium sit canonicis favorabilis; proinde ex paritate rationis debet ampliari, & ad similes, vel majores casus extendi; & præsertim si ex consuetudine soleant absentes in negotiis arduis vocari. Est itidem perquàm rationi consonum, quòd præsentes canonici extra casum necessitatis, & nisi consuetudine fuerit contrarium introductum procedere non possint, nisi saltem duæ tertiæ Capitularium præsentes fuerint, ut ex duodecim octo, ut notat Panormitanus *in d. c. cum in cunctis 1. h. t. argumento L. 3. & 4. ff. quod cujusque universitatis.*

6 Illi verò, qui de jure, & consuetùdine vocandi sunt, omnes & singuli debent vocari; adeout unus non citatus possit irritare actum; quia potest conqueri de contemptu, ex plus operatur contemptus unius, quàm consensus plurium *c. quod sicut 28. c. Bona memoria de electione*, Panormitanus *l. c. num 16. v. dico tamen.* Omnes enim canonici habent jus dandi suffragium in Capitulo: siquidem *in clement. 2. de ætate, & qualitate*, & in Concilio Tridentino *sess. 22. c. 4. de Reform.* statuitur ut tam in ecclesiis cathedralibus, quàm collegiatis sive sæcularibus, sive regularibus, omnes canonici vocem habeant in Capitulo, dummodo saltem in sacro subdiaconatus ordine sint constituti. Per hoc tamen non derogatur particularibus Regularium, ac monasteriorum constitutionibus conditis à sacrorum ordinum fundatoribus: quia in dubio non censetur Pontifex per generalem legem derogare particularibus statutis, nisi id specialiter exprimat *c. 1. de const. in 6.* & licèt Concilium Tridentinum in *d. c. 4. sess. 22.* ut etiam *clement. cit.* mentionem faciant de regularibus; possunt tamen explicari de illis sacris ordinibus, qui talia statuta particularia non habent. Probabilior tamen, & communior sententia, cui adhærendum puto, est quòd etiam in omnibus sacris ordinibus vigore decreti Concilii Tridentini non possit quis vocem habere in Capitulo, qui saltem non sit subdiaconus.

7 Ratio, cur in capitulis, & collegiis prævaleat, quod fit à majore, ac saniore parte, nisi minor rationabiliter contradicat, ut habetur *in c. cùm in cunctis 1. h. t.* videtur hæc esse: quia regulariter firmius est judicium plurimorum *cap. de quibus 3. 70. dist.* Tum quia moraliter non videtur possibile, ut omnes semper sint unanimes, consentiantque in omnibus, ac singulis negotiis *l. 1. §. final. cum l. sequenti ff. de acquirend. possess.* Hinc ne gravia, quæ passim occurrunt, negotia sinerentur indeterminata, rectè statutum fuit, ut illa pars prævaleret, quæ major respectu omnium capitularium præsentium, ac sanior est: hæc major pars justè attenditur nisi specialiter duæ tertiæ suffragiorum petantur, ut *in l. nulli 3. ff. quod cujusque univers.* quia quod lege, vel statuto cautum est, id debet attendi, ut notat Bobadilla *lib. 3. Polit. c. 8. num. 53.* Rursus debet pars major esse itidem sanior habita ratione zeli ad zelum, meriti ad meritum; quia si aliqua major pars aliquid decernat rationi, & pietati minimè consentaneum; minor pars sanior habetur pro majore *cap. final. dist. 4. cap. Ecclesia 57. de elect.* quia major pars dicitur non solùm, quæ est majoris numeri, sed etiam quæ sanioris judicii, ut notat Barbosa *de dignit. cap. 38. num. 7.* Verùm quia ex hac cognitione sanioris partis frequentes oriebantur rixæ, excitabantur diffida, ac plura alia oriebantur incommoda, cum nullus vellet alteri cedere; ideo quod notandum est: hodie post Concilium Tridentinum *sess. 24. de regularibus c. 6.* ampliùs non quæritur quænam pars sit sanior; sed tantùm quæ major respectu totius numeri capitularium præsentium, ut notat Julius Lercar. *de elect. tit. 4. c. 19. num. 89.* Tambur. *tom. 1. de jure Abbat. disput. 5. quæst. 6. n. 21.*

8 Videtur tamen in contrarium obstare, quia in sententiis, vel similibus justitiæ actibus non debet attendi major pars respectu numeri, quia ut rectè notavit Plinius *lib. 2. epist. 12.* in sententiis ferendis non numeranda, sed ponderanda sunt suffragia, nec semper majori numero est acquiescendum, cujus judicium rarò tutius, ac sanius *cap. gratum de postul. Prælat.* unde si aliqua

qua pars Capituli præferenda ſit; maximè quæ ſanior eſt, ac prudentior, quæque ex ſenioribus conſtat capitularibus; adeout qui contrarium affirmare velit, probare non poſſit, niſi per quindecim teſtes *l. unicuique C. de proximis ſacror. ſcrin. lib.* 12. Maſcardus *de probat. volum.* 3. *conclus.* 1295. *num.* 3. Tiraquel *in præfat. de primog. num.* 153. hinc Franciſcus Philelphus *lib.* 36. *epiſt.* 1. *ad Nicodem.* ait: *Romani rerum domini ſenatum à ſenibus nominârunt, quoniam intelligerent in ſenibus ſolis gravitatem eſſe, ac prudentiam.* & Quintilianus *lib.* 12. *inſtit. c.* 4. majorem ſenibus authoritatem eſſe dixit, eò quia plura noſſe, ac vidiſſe credantur: ex quibus videtur inferri; in capitulis, & collegiis non majorem partem reſpectu numeri, ſed reſpectu ſeniorum eſſe attendendam: Verùm hæc non obſtant: quia non excluditur major pars ſanior; ſed potiùs includitur; & quia nemo vult alteri cedere, & res dubia ſit, ideo in dubio major pars ſanior eſſe creditur *c. prudentiam de offic. delegat.* Acunna *in c. quapropter de elect.* Tum quia ut cognoſcatur, quæ pars ſit ſanior, ponderanda ſunt ſuffragia, non ſolùm quoad ſenectutem, verùm etiam quoad doctrinam, zelum, mores, merita; undè licèt alii ſint ſeniores, alii tamen ſunt doctiores, ac plura habent merita, quàm ſenes.

9 Objici tamen poſſet textus *in c. cum cauſam de elect.* ubi narratur, canonicos Eccleſiæ Lucanenſis privilegium ab Apoſtolica ſede impetrâſſe, ut nullus proponeretur in priorem, niſi de communi conſenſu fratrum, aut electus à majori, & ſaniore parte capituli ſit. Unde juvat argumentari: ſi factum à majore, ac ſaniore parte Capituli prævalet: ergo inutilis fuit impetratio talis privilegii: ſiquidem id jam jure communi concedebatur. Sed contra, quia licèt privilegium in ea ſpecie non fuerit neceſſarium; eò quia id jure communi jam cautum fuerit: nihilominus quia magis timetur, quod ſingulariter cavetur, aut promittitur, ut contingit in caſtitate, ad quam licèt clerici teneantur, adhuc tamen arctiùs per votum eidem ſe adſtringunt, ut ſolertiùs ſervetur *cap. quamquam* 23. *diſt.* Item in obedientia juramento firmata *c. in omnibus de ſententat. diſt.* 5. quamobrem in præcitato textu canonici Lucanenſes impetrârunt præfatum privilegium, ut ejus auctoritate magis obſtricti priorem tenerentur eligere de communi conſenſu, vel ſaltem majoris, ac ſanioris partis.

10 Poſſet etiam objici S. Iſidorus in textu in *cap. hoc ipſum num.* 35. *quæſt.* 2. ubi habetur: *In fine autem epiſtolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotieſcunque in geſtis conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius ſententia magis teneatur, cujus antiquior, aut potior extat auctoritas*: ergo factum à majore parte Capituli non debet attendi; ſed cujus potior, & antiquior eſt auctoritas; ſeu ea pars eſt attendenda, quæ eſt ſanior. Sed contra, quia. D. Iſidorus in illo textu vocavit potiorem Concilii ſententiam, eam, quæ majori parte roboratur; proinde rectè dixit, in caſu diverſarum ſententiarum eam prævalere, quæ antiquior, & potior eſt; id eſt quæ major, & ſanior; quia in dubio major pars cenſetur etiam ſanior; quia præſumitur pro pluralitate, niſi contrarium probetur, ut deſumitur ex *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.*

§. II.

Quomodo pars minor Capituli valeat majorem impedire.

1 TAmetſi minor pars Capituli ex rationabili cauſa poſſit impedire decretum majoris; non propterea poteſt quidquam decernere nomine totius Capituli; niſi fortaſſis pars numero major eſſet privata jure, ac poteſtate diſponendi ob proprium delictum; tunc enim jus, & poteſtas totius Capituli remanet in illis paucis, qui non deliquerunt, qui propterea poſſunt diſponere nomine totius Capituli, ut notat Abbas *in d. c. cum in cunctis* 1. *h. t. num.* 11. Idque procedit non ſolùm in electionibus; ſed etiam in aliis decretis, & actibus, qui fieri ſolent à Capitulo, ut tradit Layman *in c. cum Eccleſia* 57. *num.* 4. *de elect.*

2 Poteſt pars minor Capituli contradicere majori, quando hæc aliquid decernit, ac diſponit irrationabiliter, ac in præjudicium Eccleſiæ; poſſunt tunc etiam pauci, imò etiam unus contradicere majori parti capitularium, eique ſe opponere in ordine ad impediendam, ac reſcindendam ordinationem majoris partis, idque deſumitur *ex d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd ſtatutum à majore parte capitularium teneat, niſi minor aliquid rationabile objiciat, ut tradit *Gloſſa fin. in c. Nicena* 1. *diſt.* 31. & *Gloſſa marg. ibid.* ubi aſſerit, non ſolùm minorem partem, verùm etiam unum ſolum canonicum poſſe ſe opponere pro jure propugnando ſuæ Eccleſiæ. Debet tamen pars minor, & à fortiori ſi canonicus objiciens ſit unus ſolus, probare, quod opponit contra majorem partem Capituli, idque coram ſuperiore Capituli, vel coram electis arbitris: ratio eſt, quia tunc pars major cum citetur ut perſona rea, non poteſt in cauſa propria agere perſonam judicis, ut notat *Gloſſa in d. c. V. oſtenſum.* Abbas *ibid. n.* 5.

3 An verò tunc neceſſum ſit, ut pars minor appellet à diſpoſitione facta à majore parte; reſpondetur non requiri hanc appellationem; ſed ſufficere ſi pars minor contradicat, ſive agatur de ſuo præjudicio, ſive de damno tertii, vel ipſius collegii; quia poteſt pars minor contradicens ſuas ad ſuperiorem deferre querelas, ac petere, ut quod injuſtè à majore parte actum eſt reſcindatur: quia cum Capitulum non procedat judicialiter; ſed tantùm extrajudicialiter, ideo quod ſtatuitur à Capitulo, non tranſit in rem judicatam, argumento *c. concertationi* 8. *junctæ Gloſſæ Gravatum de appellat. in f.*

4 Quòd ſi minor pars, uno, vel altero, aut pluribus contradicentibus extrajudicialiter appellaverit; adhuc poteſt major pars Capituli non obſtante tali provocatione procedere ad executionem ſui decreti: licèt appellatio facta à minore ſuum ſortiatur valorem; adeout ſi legitima, ac rationabilis cognita poſtea fuerit,

reſcindi

reſcindi debeat quod actum fuerat à majore parte Capituli, ut tradit Innocentius *in d.c. cum in cunctis* 1. *h. t.* quòd ſi à contradicente non fuerit extrajudicialiter appellatum, tunc Capitulum, vel qui ei præeſt, poteſt, ac debet unum vel alterum contradicentem compellere, ut obediat ſtatuto à majore parte Capituli, quia pro illa ſtat præſumptio æquitatis. Quamobrem ad reſcindendam diſpoſitionem majoris partis requiritur neceſſariò, ut minor contradicens appellet, ſeu provocet ad ſuperiorem; quia tunc provocatio præter alios effectus, etiam hoc operatur, ut Prælatus inferior illo; ad quem eſt appellatum cognoſcere non poſſit de cauſa illa deducta ad alium ſuperiorem; neque poſſit in illa ſe immiſcere.

5 Cùm autem minor pars dicitur poſſe contra decretum à majore factum appellare ad ſuperiorem, id fallit in non habente jus appellandi, ſeu in eo, cui non competit juſta cauſa contradicendi: ſiquidem per talem contradictionem non eſt impedienda diſpoſitio Capituli, & quod à majore parte collegii ſtatuitur ut deſumitur *ex cap exore* 3. *h. t.* ubi Innocentius III. reſcripſit ad Capitulum Eccleſiæ Auguſtanæ, quòd appellatio illius, ad quem non ſpectat appellare, omnino infirma eſt, nec valet ad impediendam ordinationem Eccleſiæ; & electus à majore, & ſaniore parte Capituli eſt benè electus, & propterea confirmandus. Ut etiam habens jus ad electionem præpoſituræ, ſi alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renunciare ſuo juri ipſo facto, ubi Gloſſa aſſerit, quòd ſi quis prætendat jus in beneficio, ut in præpoſitura, vel in parochia, non debet ejus poſſeſſorem, vel intruſum, contra quem agit in judicio, abſolutè vocare præpoſitum, vel parochum, ne id fateri cenſeatur: ſiquidem ut ait Innocentius, ſi quis alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renuntiare ſuo juri ipſo facto. Præterea conſtat poſſe Papam mandare, ut ante tempus jure præfixum ad eligendum electio Prælati fiat, ut habetur *in d. c. ex ore*, ubi Innocentius mandavit, ut intra menſem certus eligeretur, tametſi de jure talis electio eſſet invalida, eò quia per ipſam tollatur libertas eligendi *c. cum terra* 14. *de elect.* Abbas in *d. c. ex ore num.* 3. ubi notat Gloſſa, quòd quando Papa mandat dari alicui præbendam, & Capitulum alium eligit, tenet electio *c. dilectus de prabend.*

6 Ut etiam quòd tacita renuntiatio in præjudicium renuncientis idem operetur, quod expreſſa, ut etiam docet Paris. *lib.* 1. *de reſignat. benefic. q.* 13 *num.* 11. *&* 12. quia tacita renuntiatio dignitatis, vel beneficii ſuum ſortitur valorem, tametſi ſine authoritate ſuperioris fiat: non verò expreſſa, quia hæc exigit ſuperioris authoritatem: quod verum eſt, cùm quis ſolùm habet jus ad rem, & cui poteſt renuntiare absque conſenſu ſuperioris: ſecus ſi habet jus in re, quia tunc ſaltem requiritur tacitus conſenſus ſuperioris; adeo ut, ſi is ſciens reſignationem factam, ei non contradicat, videatur eam tacitè acceptare: quamobrem renuntiatio tacita, ſeu facta ipſo facto valet ſine authoritate ſuperioris; ſicut plus valet prohibitio tacita, quàm expreſſa in conteſtatione litis. Quòd ſi caſſaretur electio præpoſiti, cui ipſe dominus fecit reverentiam, non poſſet poſtea dominus agere de propria præpoſitura, quia actio ſemel extincta non reviviſcit *l. qui res* §. *artam ff de ſolut.*

7 Quòd ſi præpoſitus, vel Decanus electus à Capitulo, cui tale jus eligendi competebat, ad epiſcopatum poſtea promoveatur, poteſt reſignare præpoſituram, vel decanatum data illi facultate libera alium eligendi: ratio eſt, quia beneficia electi in Epiſcopum, non vacant ante ejus conſecrationem, ideoque vacant per renuntiationem: etenim in favorem electi introductum eſt, ut ejus beneficia non vacent ante conſecrationem *c. cum in cunctis* 7. *de elect.* 1. & electus poteſt ſuo favori renuntiare.

8 Geſta à majore parte Capituli valent, quando cedunt in utilitatem Eccleſiæ, tametſi alii Capitulares contradicant, non ita, ſi quæ à majore parte aguntur, ſint Eccleſiæ damno, tunc enim non ſolùm minoris partis, verùm etiam unius capitularis contradictio impedire poteſt, quò minus geſta à majore parte ſuum ſortiantur effectum, ut docet Layman *in c. cum inter* 8. *num.* 2. *de majorit. & obed.* Quòd ſi major pars Capituli conſentiat in aliquo, quod cedat in damnum Eccleſiæ, tenentur alii expreſsè contradicere, ſiquidem quilibet Capitularis tenetur his expreſsè ſe opponere, quæ malè fiunt, vel ſtatuuntur in Capitulo, ſive per illa lædatur Eccleſia, aut Capitulum, ſive ipſe contradicens, ſive alius tertius, alioquin ſi taceat, cenſetur conſentire; cùm ex communi effato tacens cenſendus ſit conſentire, ſi contradicendo poſſit commodè id impedire; & etiam ex proprio officio teneatur impedire: & quia quilibet Capitularis eſt membrum Capituli, & ratione officii, ſeu canonicatus tenetur impedire, quæ cedunt in damnum Eccleſiæ, vel Capituli; ideo ſi à majore parte Capituli aliqua ſtatuantur, quæ cedant in damnum Eccleſiæ, tenetur contradicere; & ſi non contradicat, particeps ſit ejusdem peccati, & pœnæ, quia cùm ſit membrum Capituli ex eo quòd non contradicat, cenſetur cum aliis conſentire, tametſi ipſe expreſsè, ſicut alii non conſentiat, ut notat Innocentius *in d. c. cùm in cunctis* 1. *h. t. num.* 4. ubi addit, quòd ſi aliquid à Capitulo decretum ſit in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum, poſſit capitularis non conſentiens appellare ad ſuperiorem: non ita ſi ſtatutum à majore parte ſit in damnum perſonæ tertiæ privatæ: ratio diſcriminis eſt, quia quando eſt in damnum totius Capituli, eſt etiam in damnum ſingulorum Capitularium, proinde quilibet capitularis poteſt appellare, eò quia agatur etiam de damno proprio: ſecus quando decretum eſt in damnum tertiæ perſonæ privatæ, tunc cùm nihil interſit appellantis, neque ſtatutum à majore parte cedat in ſuum damnum, non debet appellare: ſed tunc tenetur peccatum capitularium denuntiare ſuperiori, ut emendetur. Sin autem ad actum alicujus valoris requiratur expreſſus conſenſus, ut ad alienationem perpetuam rei eccleſiaſticæ, vel ad electionem,

ctionem, tunc si capitularis taceat, non habetur pro consentiente, quinimmo neque taciturnitas quoad valorem actus habetur pro consensu in alienationibus arduis, & onerosis.

9 Habet Capitulum jus condendi statuta circa negotia concernentia ipsum Capitulum, ut docent communiter cum Felino, Decio, Abbate *in c. olim accessissent de constitut.* id tamen limitatur, ut si statuta sint circa causas arduas, magnique præjudicii, ut ad augendas, vel diminuendas præbendas, aut novum aliquid circa residentiam canonicorum inducendum; tunc necessarium sit consensus episcopi *argum. c. ex parte de constitut. c. cum consuet. g. de consuetud.* Barb. *juris eccles. univers. lib. 1. c. 32. num. 16.* Non tamen valet statutum, vel consuetudo etiam juramento firmata, vi cujus omnes de Capitulo teneantur consentire; & si non consenserint actus Capituli non sit validus, ut colligitur *ex c. cum in cunctis 1. h. t.* ubi jurans servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam. Ratio est, quia juramentum emissum contra utilitatem Ecclesiæ cum sit nullum non potest ullam obligationem inducere, & potiùs est perjurium, quàm juramentum: & statutum, vel consuetudo, ut actus capitularis non valeat, nisi omnes consenserint, est damnosa Ecclesiæ, quia per tale statutum impeditur facultas decernendi, & statuendi, quæ justa, & utilia sunt. Tum quia quilibet capitularis tali pacto posset impedire commoda Ecclesiæ si contradiceret aliis statuentibus aliquid, quod in maximum cederet Ecclesiæ bonum; unde tale juramentum utpote in præjudicium Ecclesiæ non est validum, nec potest ullam inducere obligationem.

10 Episcopus cum majore parte Capituli potest statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ cathedralis, tametsi pauciores numero ex Capitularibus dissentiant, ut desumitur *ex c. ex parte 4. h. t.* ubi habetur, quòd si Episcopus cum majore, & saniore parte Capituli statuat contributionem canonicorum pro reparanda fabrica Ecclesiæ, quamvis aliquis canonicus contradicat, nihilominus statutum plurimorum valeat, seu sententia majoris, ac sanioris partis prævaleat. Tametsi reparatio Ecclesiæ cathedralis principaliter incumbat episcopo ex illis reditibus, qui specialiter pro fabrica Ecclesiæ deputati sunt: siquidem de jure antiquo quarta pars redituum ecclesiasticorum servanda erat ad manutenenda tecta Ecclesiæ, & instaurationem ejusdem, si opus esset *c. quatuor 29. cum tertia causa 12. q. 2.* nihilominus si illa quarta pars non sufficiat, nec mensa episcopalis pinguis sit, locum habet dispositio *in d. c. ex parte 4.* cui adstipulatur textus *in c. de eccles. ædificand.* ubi exiguntur contributiones à canonicis.

11 Quòd si nec Episcopus, nec canonici superabundantes habeant reditus, quibus citra defectũ congruæ sustentationis carere non possunt: licitum est episcopo cum consensu Capituli alios inferiores beneficiatos vocare ad contribuendum de superfluis reditibus, & tunc potest etiam Episcopus de consensu Capituli quosdam reditus vacantium beneficiorum ad id deputare ut notat Barbosa *in d. c. ex parte 4. h. t.* Cui tamen videtur obstare textus *in l. per fundum 11. ff. de servitut. rustic. prædior. vedit. l. sabinus 28. ff. de communi dividundo c. in re communi. de reg. jur. in 6.* ubi habetur quòd major pars tunc tantùm prævaleat minori, quando agitur de rebus ad universitatem ut talem pertinentibus; quòd si agatur de rebus, & jure singulorum, ut in præsenti de reditibus singulorum canonicorum, tunc subintrat *regula juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*: & plus valet unius contradictio, quàm reliquorum consensus, saltem quoad portionem, quæ ipsum contingeret contradicentem.

Verùm Innocentius, & Panormit. *in d. c. ex parte 4. h. t.* respondent cum distinctione: si enim agatur de rebus acquirendis, quæque adhuc pertinent ad Ecclesiam, tametsi deputatæ sint ad sustentationem canonicorum, tunc tenent procedere dispositionem *d. c. ex parte 4. h. t.* idque præsertim, quia contributiones exiguntur in favorem causæ piæ, cujusmodi est fabrica cathedralis Ecclesiæ. Sin verò agatur de rebus acquisitis, etiam propriis factis, tunc locum habet textus juris in quo dicitur, quod juri singulorum per majorem partem non possit præjudicari; & quamvis *in l. juris gentium 7. §. 17. & 19. ff. de pact.* statuatur, quòd si hæres paciscatur cum creditoribus defuncti de remittenda aliqua parte debiti, prævalere debeat consensus plurium creditorum, qui potiora debita habeant, tametsi hic actiones, sive obligationes debitorum sint in bonis creditorum *l. qui actionem 15. ff. de regul. juris l. id apud se 143. ff. de verbor. signif. l. rem in. bonis 52. de acquirend. rer. domin.* nihilominus id credendum est, ita statutum fuisse ob favorem defuncti, ne facilè sine hærede sit futurus, & ne bona ipsius propter æs alienum subhastentur cum non exigua diminutione honoris.

12 Cæterum, quod ad reparationem attinet Ecclesiæ, tenentur canonici ex propriis reditibus contribuere, quia reditus ecclesiastici non assignantur simpliciter canonicis, ut in eorum proprietatem transeant; sed cum implicito onere ex authoritate canonum adscripto concurrendi ad reparationem Ecclesiæ, quoties opus fuerit, adeo ut consensus majoris partis Capituli non tam requiratur, an canonici velint absolutè contribuere; quàm an velint absque contradictione, & ulteriore lite agnoscere, quòd hic, & nunc urgeat necessitas contribuendi pro instauranda Ecclesiæ fabricâ.

13 An verò major pars Capituli possit aliquid decernere cum præjudicio minoris partis de bonis, ac juribus spectantibus ad singulos de collegio. Respondetur simul cum Episcopo, seu Prælato posse majorem partem Capituli cum præjudicio minoris de bonis, ac juribus ad singulos spectantibus aliquid decernere, si id fiat ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, quia jus percipiendi reditus ecclesiasticos beneficiorum principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, quamvis secundùm partes, seu portiones

portiones proventuum divisum sit, seu attributum singulis canonicis pro eorundem congrua sustentatione: unde cùm singuli percipiant fructus beneficiales non jure proprio, sed jure Capituli, vel Ecclesiæ, & inter Ecclesiam materialem, quam constituit Episcopus cum Capitulo, sit quædam communio, adeo ut juxta primævam institutionem beneficiorum ecclesiasticorum eorundem proventus dividendi sint in quatuor partes, quarum prima applicetur mensæ episcopali; secunda mensæ Capitulari; tertia fabricæ Ecclesiæ; & quarta pauperibus succurrendis juxta *c. vulterrana* 25. *& sequent. can.* 12. *q.* 2. ideo saltem ex lege charitatis, & communionis, & ex primæva institutione bonorum ecclesiasticorum tenentur Episcopus, & Capitulum, si commodè possint ex suis propriis reditibus contribuere, si aliqua ex præreconsitis quatuor partibus indigeat, ut fabrica Ecclesiæ.

15 Quinimmo si mensa capitularis sit supra congruum pinguior, & Ecclesia cathedralis instauratione indigeat, potest solus Episcopus Capitulum adigere ut ex superfluis reditibus solvat contributiones pro restauratione labentis Ecclesiæ, quia de jure ad id Capitulum jam tenetur: & ubi est obligatio juris, non requiritur consensus obligati, ut desumitur *ex c. 1. & c. de his 3. de eccles. ædificand.* Hinc etiam contradicentes Capitulares possunt adigi ad contribuendum pro tali restauratione. Sin verò sumptus fierent pro alio opere licèt pio, & quod non multum ad Ecclesiam, aut Capitulum pertinet, vel etiam sine necessitate; tunc posset pars minor, immo, & unus solus canonicus se opponere, ac impedire decretum emanatum à majore parte Capituli, quia tunc valet *regula jur. 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Pro erectione tamen seminarii clericorum major, & sanior pars Capituli cum episcopo potest aliquid statuere etiam contradicente parte minore, & cum diminutione reddituum beneficiarium singulorum canonicorum, ut notat Abbas *in d. c. si ex parte 4. num. 2. b. t.*

§. III.

An Canonici possint interdictum apponere.

1 COnveniunt Canonistæ, & concordant jura, non posse canonicos interdictum apponere, sed id pertinere tantùm ad Episcopum ex consilio Capituli, ut probant textus in *c. 1. de excess. Prælat. c. 3. de pœnis.* Covarruvias *in c. alma mater. 2. §. 2. num. 6.* & ratio petitur à natura ipsius interdicti: est enim interdictum prout ad præsens pertinet institutum censura ecclesiastica, quâ prohibentur divina officia, certa sacramenta, & ecclesiastica sepultura, ut colligitur *ex c. quod in te de pœnis. & remission. c. non est vobis de sponsal.* Dicitur interdictum esse censura, quia est pœna ecclesiastica, ratione cujus convenit cum cæteris censuris; & differt ab iisdem, quia excommunicatio privat omnibus sacramentis, non ita interdictum, sed tantùm aliquibus, & etiam ab irregularitate, & suspensione, quia hæ non privant nec sepultura, nec divinis officiis, sicut interdictum, quod bipartitur in interdictum ab homine, & à jure; illud est, quod in certis casibus reperitur in jure impositum, ut *in c. si qui sunt* 81. *dist. c. si quis deinceps* 16. *q.* 7. *c. sacro* 38. *de sentent. excommun. c. ubi periculum §. præterea de elect. in 6. c. præsenti de offic. ordin. c. 1. de sepulturis in 6. c. quamquam de usur. in 6. c. unic. de injur. in 6. clement. 1. de pœnis extravag. unic. Joan. XXII. ne sede vacante.* Interdictum ab homine est, quod à superiore ecclesiastico promanat, & bipartitur in locale, personale, & mixtum, locale principaliter afficit locum, ubi divina officia non celebrantur; quia quamvis locus non sit capax pœnæ, nihilominus cùm sit capax satisfactionis, erit etiam capax privationis: & hoc interdictum locale aliud dicitur generale, cum aliqua tota diœcesis, vel civitas interdicitur *c. cum inter de consuet. c. cum in partibus de V. S.* Aliud particulare; quòd tantùm afficit unum speciale locum, ut talem particularem Ecclesiam. Personale interdictum est, quod imponitur personis alicujus communitatis *c. si sententia de sentent. excommun. in 6.* & dividitur in generale, & speciale; illud est cum corpus collectivum interdicitur, ut populus, universitas, cùm in eos non possit ferri excommunicatio *c. Romana §. universitatem de sent. excommun. in 6.* necessariò poni debet interdictum, & tunc personæ constituentes illam communitatem manent interdictæ *c. si sententia de sent. excommun. in 6.* Speciale est, quod specialiter profertur in aliquam personam; neque interest, quòd in unam, vel plures feratur, dummodo non ponatur per modum plurium. Interdictum mixtum est, cum simul interdicuntur personæ, & locus, ubi divina celebrantur officia, ut desumitur *ex d. c. non est vobis de spons. c. 1. de usur. in 6.* Cùm igitur interdictum sit gravis pœna, per quam cessatur à divinis officiis, non est imponenda nisi ex gravi, & manifesta causa *c. irrefragabili §. cæterùm de offic. ordin. c. si sententia de sentent. excom. in 6.* proinde non à quolibet imponi debet, sed ab episcopo ex consensu Capituli; quia graves pœnæ non ponuntur nisi ab episcopo, siquidem sententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non est valida, nec tenet; & ferre censuram interdicti pertinet ad potestatem episcopalem non ad Capitulum, quia hoc vivente episcopo jure ordinario, & secluſa consuetudine; vel privilegio non habet jurisdictionem fori externi in territorium; vel civitatem episcopalem; proinde multò minus hæc potestas competit singularibus canonicis, ut sumitur *ex c. quæsivit. 2. b. t.* ubi Cœlestinus III. statuit, quòd Canonicus sine consensu episcopi, & fratrum non possit ponere interdictum in Ecclesia, & pœna ecclesiastica non est imponenda nisi iis, qui delinquunt, ne pœna delictum excedat; ubi notat Glossa, non debere interdici Ecclesiam propter delictum alicujus, nisi delinquens sit dominus loci, quia puniendus est tantùm, qui deliquit, non verò qui innocens est.

Quòd si Capitulum habeat jurisdictionem 2
contentiosam, tunc si velit interdictum ponere

debet

debet illud apponere cum assensu episcopi *c. 1. de excess. Prælat.* ut maturiùs, & consultiùs, hæc censura imponatur, alioquin si Episcopus, vel Capitulum hanc censuram frequenter imponeret, sequeretur scandalum in populo, ad quod vitandum Cœlestinus *in d. c. quæsivit*, statuit, ne Capitulum absque consensu episcopi; aut Episcopus absque consensu Capituli audeant interdictum apponere. Videtur tamen in contrarium posse objici, quia potestas ferendi censuras spectat ad jurisdictionem contentiosam, ut probat Gibalinus *instruct. disquisit. 3.* proinde habentes talem jurisdictionem contentiosam possunt interdictum imponere; & licèt Episcopo jure ordinario competat hæc jurisdictio contentiosa; Capitulo tamen potest convenire ex privilegio, vel consuetudine, proinde si Capitulum gaudeat jurisdictione contentiosa etiam irrequisito episcopo, & sine ejus consensu poterit interdictum imponere. Firmatur, quia Episcopus per se posset hoc interdictum imponere, & quidem in tota diœcesi, seu quia habeat jurisdictionem contentiosam, ut liquet *ex c. ex transmissa de elect. v. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. v. auditis de præscript. v. cum & plantare 1. v. Episcopum de privil.* quinimò potest Episcopus canonicos, seu Capitulum interdicere *c. si canonici de offic. ordin. lib. 6. v. statutum de sent. excommun. in 6.* ergo canonici absque consensu episcopi possunt hoc interdictum imponere, si Capitulum gaudeat ex privilegio, vel consuetudine jurisdictione contentiosa. Sed contra, quia tametsi potestas ferendi censuram interdicti pertineat ad jurisdictionem contentiosam; attamen quia ex ejus abusu scandala frequenter in populo oriebantur, rectè potuit Ecclesia statuere, ut Capitulum neque in casibus, in quibus jurisdictionem contentiosam exercet, posset interdictum apponere in Ecclesia cathedrali sine consensu episcopi, & vice versa potuit etiam statuere, ne Episcopus hoc interdictum apponeret absque consensu Capituli, ut desumitur *ex c. 1. de excess. Prælator.* idque ut in re tanti momenti cautè, ac consultiùs procederetur. Et quamvis Gibalinus tractat. *de censur. disquisit. 3. in fin.* asserat, hodie consuetudine huic dispositioni juris derogatum esse, nihilominus adhuc in aliquibus ecclesiis mos illè viget, ut nec Capitulũ Ecclesiæ cathedralis, imo nec Episcopus, nec alius judex ordinarius possit apponere sententiam interdicti, vel cessationis à divinis. Ad confirmationem respondetur, ex coacervatis textibus illis juris, ubi refertur tam Episcopum, quàm Capitulum interdicti sententiam protulisse. Respondetur, talem sententiam processisse ex consensu episcopi, quando Capitulum apposuit interdictum, & ex consensu Capituli, quando Episcopus sententiam interdicti tulit.

3 Objici tamen adhuc potest textus *in c. cum inter 3. de consuet.* ubi habentur hæc verba: *super eo, quòd dicti canonici generale interdictum ab episcopo vestro, vel à vobis (id est à Decano, & Capitulo) in civitate Cenomanensi positum non servabant.* Ex hisce enim duplex oritur difficultas, quarum prima ex eo nascitur, quia nulla ibi fiat mentio consensus Capituli in primo casu interdicti ab episcopo promulgati, & nihilominus interdictum fuisse validè appositum, ac juberi à Pontifice observari: ergo quia consensus Capituli necessarius non erat. Secunda difficultas ex eo itidem oritur: quia ibi supponitur, Capitulum per se posse sententiam interdicti promulgare; cùm regulariter non possit Capitulum ratione propriæ jurisdictionis censuras proferre. Verùm hæc non obstant, primæ enim difficultati facilè occurritur, quia eatenus in utroque casu interdictum ritè fuit appositum, quia adfuit consensus episcopi, quando Capitulum illud apposuit; & consensus Capituli, quando Episcopus sententiam talis interdicti tulit juxta casûs diversitatem. Secundæ difficultati respondetur, regulariter Capitulum jure ordinario non habere potestatem ferendi censuram interdicti: & ex consuetudine, vel privilegio rarò competere Capitulo similem facultatem *c. si canonici c. quamvis de offic. ordin. in 6.* sicut de Capitulo Cenomanensi in eo textu dicitur, & de Capitulo Carnotensi traditur *in c. ex parte c. 1. de V. S.* Chopinus *lib. 1. soc. pol. tit. 3. num. 4.* Quamobrem quando dicitur Capitulum vivente episcopo sententiam apposuisse interdicti, supponendum est, hanc facultatem ferendi censuras non aliter Capitulum acquisivisse, quàm privilegio, vel consuetudine.

4 Cæterum interdictum, quando est generale comprehendit æquè nocentes, ac innocentes, quia tametsi nullus innocens ob culpam alterius nocentis sit puniendus, cùm peccata suos debeant torquere authores, ut dicitur *in v. quæsivit. 2. h. t.* nihilominus potest quis ob justam causam, & bonum publicum absque culpa sua privari jure suo juxta *regul. jur. 23. in 6.* sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus, vel jure suo privandus, ut etiam notat Glossa *in c. 1. V. culpâ vacat. de constitut.* & quia tempore interdicti generalis, & localis cessatur à divinis officiis, ideóque iis carere debent æquè innocentes, ac nocentes.

§. IV.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

1 QUæritur primò, cur in Capitulis, & Congregationibus prævaleat regulariter, quod fit à majori parte Capituli? Respondetur semper prævalere, quod in Capitulis fit à majori, & saniore parte, ut desumitur *ex v. cum in cunctis 1. h. t.* ubi declaratur, statutum in Capitulis à majore, & saniore parte semper prævalere, etiam appellatione remota non obstante contraria consuetudine. Ratio ex eo desumitur, quia cùm homines facilè inter se dissentiant *v. nec novum 8. q. 1.* idque præsertim si agatur de re communi *l. cum pater §. duleis. ff. de legat. 2.* hinc nisi quod statuitur à majori parte collegii, seu universitatis ecclesiasticæ valeret, sumque sortiretur effectum, persæpè Ecclesiæ utilitas, & negotiorum expeditio impediretur *v. sicut. de elect.* & quia ubi est ma-

jor, & ſanior numerus præſumitur etiam eſſe major Zelus, maturiúsque conſilium, niſi contrarium probetur *c. In noſtra de teſtib.* rectè declaratur, id quod ſtatuitur à majore parte Capituli debere regulariter prævalere, ac ſi ſtatutum eſſet à toto capitulo, ut habetur in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* & in *l. quod major ff. ad munic.* Quamobrem quod in capitulo, ſeu collegio à majori parte congregatorum habentium vocem deciſivam ſtatutum fuerit, id legitimè ordinatum cenſeri debet, conſequenter executioni mandandum remotâ quavis appellatione.

2 Quæritur ſecundò, an major pars intelligenda ſit de ſolis præſentibus, ſeu congregatis tunc in Capitulo, vel etiam reſpectu abſentium, adeo ut major pars ſumenda ſit reſpectu omnium canonicorum, vel vocalium ſive præſentes ſint, ſive abſentes, dummodo ſint de numero Capituli, vel collegii? Reſpondetur, majorem partem eſſe intelligendam reſpectu congregatorum, & præſentium tunc in Capitulo: dummodo duæ partes eorum, qui adeſſe volunt, ac poſſunt, congregatæ ſint, ſecundùm ſententiam communiorem Doctorum: quia duæ partes ordinis in urbe poſiti totum ordinem repræſentant, ut notat Gloſſa in *l. plane* 4. *V. duæ partes ff. quod quicunque univerſitatis*, quapropter major pars præſentium, & conſentientium ſufficit, ut tota univerſitas dicatur conſenſiſſe.

3 Quæritur tertiò, an abſentes à civitate, vel loco, ubi congregantur vocales, vel canonici debeant vocari, & etiam expectari, ut ſi velint intereſſe, poſſint & ipſi præſentes eſſe? Reſpondetur ordinariè nec vocandos eſſe, nec expectandos, ut notat Gloſſa communiter recepta in *c.* 2. *V. ipſorum de teſtib. in 6.* quia vocales, & canonici tenentur præſentes eſſe, ut ſi detur ſignum poſſint Capitulo intereſſe. Neque obſtat, quod in electione epiſcopi, ut moris eſt in Germania, Canonici debeant vocari, & etiam expectari tempore præfixo. Nam contra eſt, quia ut notat Gloſſa *loc. cit.* id ſpeciale eſt in electione epiſcopi, ut Canonici abſentes ſi commodè vocari poſſint, ſint vocandi *c. quia propter* 42. *de elect.* verùm quandò dicimus abſentes ordinariè non eſſe vocandos, nec expectandos, id limitatur, niſi negotium arduum ſit, & magni momenti, ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* Limitatur etiam niſi quod ſtatuendum eſt vergat in ſingulare præjudicium abſentium, ut notat Felinus in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t* & Gloſſa ibidem *V. conſtitutum* ubi ait: quòd ſi decernendum ſit aliquid tendens in præjudicium ſingulorum, ut ſi agatur de juribus non univerſitatis, ſed ſingulorum propriis, non ſufficiat tunc conſenſus partis majoris, ſed neceſſe ſit, ut omnes conſentiant *argum. l. per fundum* 11. *ff. de ſervit. ruſtic. prad.*

4 Quæritur quartò, an poſſit minor pars contradicere majori, ſi hæc irrationabiliter, & in damnum Eccleſiæ aliquid ſtatuat? Reſpondetur affirmativè *argum. c. in cunctis* 1. *h. t.* ut notat Gloſſa communiter recepta in *c. Nicæna* 12. *diſt.* 31. ubi ſubdit, non ſolùm minorem partem, verùm etiam unicum ſolum canonicum poſſe toti univerſitati contradicere, dummodo eidem rationabilis cauſa ſubſit: hinc pro tuendis juribus ſuæ Eccleſiæ poteſt unus canonicus ſe opponere toti univerſitati, neque tunc neceſſe eſt appellare, quia canonicus contradicens poteſt ſuam querelam ad ſuperiorem deferre: ratio eſt, quia cum canonici tunc non verſentur in cauſa judiciali, quod ab iisdem fuit ſtatutum, non tranſit in rem judicatam *c. concertationi §. juncta Gloſſa V. gravatim de appellat. in 6.*

5 Cæterum non obſtante tali appellatione unius, vel alterius poteſt major pars procedere ad executionem, ut notat Joannes Andreas in *c. cum in cunctis* 1. *num.* 2. *h. t.* quòd ſi poſtea deprehendatur, quòd appellatio juſta fuerit, revocatur, quod actum fuit à majori parte, ut de omni extrajudiciali appellatione explicat Innocentius in *d. c. in cunctis num.* 2. *h. t.* ubi *n.* 4. aſſerit, quemlibet capitularem teneri contradicere his, quæ malè fiunt, aut ſtatuuntur à Capitulo, quia tacens cenſetur conſentire, ſi per ſuam contradictionem poſſit impedire, imò & ratione officii ad id teneatur: & eo ipſo, quòd quis eſt conſors Capituli, ſeu ejus membrum ad ipſum etiam pertinent, quæ à capitulo fiunt. Additque Innocentius *loco cit.* quod ſi aliquid in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum de capitulo ſtatuatur, poſſit capitularis appellare ad ſuperiorem, ſin verò ſtatuatur in damnum injuſtum tertiæ privatæ perſonæ, non datur tunc locus appellandi, cùm nihil interſit appellantis. Poſſunt tamen capitulares tunc evangelicè denuntiare.

6 Quæritur quintò, an minor pars Capituli poſſit aliquid diſponere nomine totius Capituli. Cum certum ſit, minorem partem rationabiliter contradicentem majori poſſe impedire, ne major quidquam ſtatuat nomine totius Capituli, eò quia ſana ratio ſit anteponenda exemplis *c. ſana diſt.* 9. & minor pars interdum ratione, & ſapientia antecellat. *c. Nicæna diſt.* 31. ideo fit, ut licèt regulariter valeat quod à majori parte Capituli ſtatuitur, ſi tamen à minori parte fuerit rationabiliter oppoſitum, & objectum, non tenet, quod à majori fuit ſtatutum, ut habetur in *c. in cunctis* 1. *h. t. c. ſcriptum de elect.* Hinc oritur dubium, an minor pars ſi rationabiliter contradicat majori, non ſolum poſſit impedire, quod ſtatuitur à majore, verùm etiam poſſit aliquid decernere nomine totius Capituli? Reſpondetur negativè; quia licèt minor pars, ſi rationabiliter contradicat, poſſit impedire decretum majoris, non tamè poteſt aliquid diſponere nomine totius capituli, niſi major pars eſſet voce privata propter ſuum delictum *c. Bona de elect.* quo caſu cum poteſtas totius Capituli reſideat in ſolis non delinquentibus *c. gratum de poſtul. Prælat.* ſequitur, quòd licèt qui non deliquerunt ſint numero pauciores, adhuc poſſint nomine totius Capituli aliquid ſtatuere: non ita ſi cæteri non deliquerunt, quia ut actus univerſitatis valeat, regulariter requiritur, quòd ſit geſtus copulativè à majori, & ſaniore parte illius: illi autem inter canonicos cenſentur ſaniores, qui ætate, ſcientiâ, morum gravitate, officiis, ac dignitate præcedunt, *argum. c. quæſivit* 2. *h. t.* quorum ſententiæ proinde pluris æſtimantur, *arg. c. dudum* 22. *de elect.*

Cæte-

7 Cæterum quando minor pars contradicit, non tenetur probare coram majori parte rationes ſuæ contradictionis : quia major pars non eſt Judex, & eſt ſuſpecta minori parti contradicenti; quapropter tunc adeundus eſt ſuperior ipſius univerſitatis, vel capituli *c. univers. de elect.* vel ab ipſis partibus ſunt eligendi arbitri, qui de hoc cognoſcant *c. ſecundò requiris de appellat.*

8 An verò pars, quæ contradicit, teneatur appellare, vel ſufficiat, ſi contradicat. Reſpondetur, ſatis eſſe, ſi contradicat, ut notat Abbas in *c. cum in cunctis 1. h. t.* quia cum univerſitas procedat extrajudicialiter, ejus geſta non tranſeunt in rem judicatam, proinde ex ſola contradictione poteſt minor proſequi corã ſuperiore, ut quod ſtatutũ fuit minus rationabiliter per majorem partem, retractetur *c. concord. de appell. in 6.* Tenetur tamen expreſsè contradicere, qui non vult ita geſtis à majori parte conſentire, alioquin incurrit pœnas, perinde ac expreſsè conſentiens *l. de ætate §. qui tacuit. ff. de inter.* Cæterum minor pars ſi velit poteſt appellare: & appellatio tunc inter alios effectus operatur, ut inferior Judex ad quem eſt appellatum, nequeat de illo negotio cognoſcere *c. ut noſtrum de appellat.*

9 Quæritur ſextò, an Juramentum de ſervandis ſtatutis Eccleſiæ pernicioſis validum ſit? Reſpondetur negativè, quia Juramentum de ſervandis ſtatutis, vel conſuetudinibus non debet ad ea extendi, quæ Eccleſiæ ſunt pernicioſa, quemadmodum eſſet ſtatutum illud, ut non valeat decretum, niſi omnes conſentiant: ſiquidem per hoc ſtatutum præpeditur facultas ordinandi, quæ juſta, & utilia ſunt: & poſſet quilibet ſemper Eccleſiæ commoda impedire, hinc ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis 1. num. 9. h. t.* nullum juramentum tendens contra utilitatem Eccleſiæ obligat, & cenſetur perjurium, quapropter cavere debent Rectores communitatum, ne jurent ſtatuta, in quibus aliqua contineantur contra eccleſiaſticam libertatem. Hoc idem etiam cavere debent epiſcopi, aliique Prælati, ac ſuperiores, ſi jurent illicita, & contraria ſacris canonibus, ac libertati eccleſiaſticæ *c. 1. de jurejur. in 6.* tale enim juramentum non valet, quia Juramentum circa materiam juris intelligitur ſecundùm terminos juris; & quia conſuetudo Eccleſiæ pernicioſa, vel à ſacris canonibus reprobata de jure non ſubſiſtit, ſequitur, quòd nec juramentum de obſervanda tali conſuetudine ſubſiſtat.

10 Quæritur ſeptimò, an Canonicus poſſit Eccleſiam interdicere? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. quæſivit. 2. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, Canonicum ſine conſenſu epiſcopi, & fratrum, non poſſe ponere interdictum in Eccleſia. Ratio etiam ex eo petitur, quia poteſtas interdicendi Eccleſiam ad eum pertinet, cujus jurisdictioni Eccleſia, vel populus ſubjicitur *c. 1. de exceſſ. Prælat. & c. non eſt de ſponſal.* atqui jurisdictio ſuper eccleſiis, & populo diœceſis non eſt apud aliquem Canonicum particularem, ſed eſt tota in epiſcopo, quandóque cum conſilio, & aliquando cum conſenſu Capituli juxta gravitatem negotii, & aliquando ſine illius conſilio, & conſenſu ſaltem juxta conſuetudinem præſcriptam *c. tua nuper 8. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſens. capit.* Hinc interdictum in aliqua Eccleſia per aliquem de canonicis poſitum ſine conſenſu epiſcopi, & Capituli obſervari non debet, neque fieri, ut ab aliis obſervetur: ſed ſi quis deliquerit, ipſe eſt puniendus.

11 Cæterum ut interdictum locale feratur etiam in particulare, ſeu in certam Eccleſiam, aut locum ſacrum tria requiruntur. Primum ut delictum ſit valde grave junctum cum Eccleſiæ injuria, aut dehoneſtatione. Secundum ut commiſſum non ſit à perſona privata, ſed à communitate, vel capite communitatis, ſeu perſona publica. Tertium ut adſit authoritas epiſcopi, & conſenſus Capituli. Et tunc pœna ob delictum inflicta ſuos tantùm debet authores afficere, quia æquitas non patitur, ut innocens unà cum nocente pœnis involvatur. Idque procedit per ſe directè, & ſi ſermo ſit de pœna propriè dicta: quia indirectè, & per accidens nonnunquam ob juſtam cauſam etiam innocentes unà cum nocentibus pœnis afficiuntur, & incommodis: & in hoc ſenſu intelligitur *regula 23. in 6. ſine culpa niſi cauſa ſubſit non eſt aliquis puniendus.* Hoc eſt, non eſt jure ſuo privandus.

12 Quæritur octavò, an communis ordinatio Eccleſiæ per contradictionem, vel appellationem illius, cujus non intereſt, impediatur Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Ex ore 3. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, appellationem illius, cujus non intereſt appellare nullius eſſe valoris, nec impedire ordinationem Eccleſiæ: ratio eſt, quia non caret culpâ, qui ſe immiſcet rei ad ſe non pertinenti *l. culpa ff. de reg. jur.* appellatio autem inventa eſt ad relevandum appellantem à gravamine, non verò ad deprimendam cujusque juſtitiam *c. cum ſpeciali de appellat.* & quia negotia licita non debent frivolis rationibus retardari *c. cum ceſſante de appell.* & nullum poſſit gravamen prætendere, qui intereſſe non habet in cauſa *c. omnis oppreſſus 2. q. 6.* ſequitur, quòd per contradictionem, & appellationem interpoſitam ab eo, cujus non intereſt Eccleſiæ ordinatio, non ſit ejus proſecutio retardanda, ut habetur in *c. Ex jure 3. h. t.*

13 Quæritur nonò, an poſſit ferri interdictum locale à Capitulo ſine conſenſu epiſcopi viventis? Reſpondetur negativè, adeò ut ſi totum Capitulum vivente epiſcopo ferat interdictum, hoc nullius ſit roboris, & ratio ex eo petitur, quia ſententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non tenet, ut notat Gloſſa in *c. quæſivit 2. V. aſſenſu h. t.* atqui ferre cenſuram interdicti ad ſolam pertinet epiſcopalem poteſtatem, non verò ad Capitulum: quia hoc vivente epiſcopo jure ordinario, & ſecluſa conſuetudine, vel privilegio non habet jurisdictionem fori externi in territorium, vel civitatem epiſcopalem; proinde interdictum latum à capitulo ſine conſenſu epiſcopi non eſt ſervandum, quia nullius eſt roboris.

proinde quamvis ab initio non habeatur conſenſus Capituli, ſi poſtea hic acceſſerit, locatio facta à Prælato ratificatur, ſuúmque ſortitur valorem, quia per conſenſum poſtea præſtitum, Capitulum renuntiat contemptui, quem Epiſcopus commiſit ex eo, quia ejus conſenſum non requiſierit *c. ratum* & ibi Gloſſa *de reg. jur. in 6.* hinc quamvis de rigore juris alienatio temporalis facta à Prælato non teneat reclamante Capitulo, ſi tamen Capitulum eam poſtea ratam habeat, ſuum ſortitur valorem. Idque procedit etiam de alienationibus, aut transactionibus rerum immobilium factis de judicis, ſeu ſuperioris authoritate nomine minorum. Ut etiam de domini conſenſu in alienatione, in his enim ſufficit, ſi poſtea conſenſus acceſſerit, etiam ex intervallo, ut expreſſè docet Baldus in *l. cum ipſe num. 5. l. de contrahend. empt.*

16 Videtur tamen in contrarium obſtare textus *in l. obligari §. tutor* juncta Gloſſa *v. debet ff. de authorit. tutor. & §. tutor. inſtitutis eod. tit.* ubi habetur, quòd tutor debeat ſtatim in ipſo negotio ſuum præſtare conſenſum, & non ex intervallo. Sed contra, quia ut notat Gloſſa Marginàlis in *c. cum nos 3. h. t.* id ſpecialiter conſtitutum eſt de pupillo, adeò ut ſpectato jure civili, pupillus non cenſeatur habere conſenſum, niſi veluti informetur per conſenſum tutoris: hæcque ratio eſt, cur jure civili requiratur ſtatim uterque conſenſus tutoris, & minorennis in ordine ad obligandum pupillum, ſeu firmandum contractum ex parte pupilli: ſecus ad obligandum poſtea alterum contrahentem ſufficit, ſi voluntas tutoris etiam ex intervallo acceſſerit *l. Julianus 13. §. ſi quis à pupillo ff. de actionibus empti.* Cæterum alienatio facta à Prælato abſque conſenſu Capituli, ſi poſtea Capitulum conſenſerit, roboratur, & ſuum acquirit valorem.

17 Verùm an incipiat valere ex tunc, quo Prælatus eam inſtituit, vel ex nunc, quo Capitulum in eam conſentit, videtur eſſe difficultas. Communior tamen ſententia eſt, quòd incipiat valere pro nunc, quo Capitulum in eam conſentit, & ita docet Gloſſa in *c. non firmatur de reg. jur. in 6.* ubi dicitur, non firmari tractu temporis, quod de jure ab initio eſt irritum, quia actus, qui ab initio eſt irritus, impoſſibile eſt ita convaleſcere, ut ab initio valuerit, niſi fortáſſis ſecundùm juris fictionem. Verùm id limitatur, ſi actus ſpectato jure naturali valuerit ob adhibitum conſenſum domini, aut legitimi adminiſtratoris, & ſolùm ob omiſſam ſolemnitatem ſpectato jure poſitivo non ſubſiſtat, quia tunc, ſi ſolemnitas poſtea ſuperveniat, actus ita omnimodè confirmatur, ac ſi ab initio jure poſitivo fuiſſet validus *argum. l. 1. C. de contract. judic.*

18 Quæritur ſeptimò, an Epiſcopus ſine conſilio Capituli poſſit inſtituere, vel deſtituere, vel alia negotia Eccleſiæ tractare? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. novit. 4. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, non decere omiſſo conſilio Capituli uti conſilio aliorum in negotiis Eccleſiæ, adeò ut non poſſit Epiſcopus inſtituere, vel deſtituere perſonas ſine conſenſu fratrum; alioquin facta inſtitutio, vel deſtitutio eſt ipſo jure nulla: ratio eſt, quia Prælatus, & Canonici ejus fratres ſunt unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus, & canonici membra, quævis enim communitas, ſeu collegium eſt quoddam corpus fictum: atqui non decet caput à membris diſcedere, ut nec etiam membra à capite *c. non decet. diſt. 12.* proinde non debet Epiſcopus omiſſis canonicis aliorum conſilio uti in negotiis ſuæ Eccleſiæ, quia id ipſi honeſtati, ſanctorúmque Patrum inſtitutionibus adverſatur *c. epiſc. 15. q. 7.* hinc Epiſcopus negotia ſuæ Eccleſiæ, ut etiam inſtitutiones, & deſtitutiones Prælatorum ex conſilio ſui Capituli tenetur peragere, alioquin quod agitur, tanquam contra canonem actum nullius eſt valoris *l. non dubium C. de legib.* verùm id limitatur primò, niſi in eccleſiis ſit præſcripta conſuetudo, ut Epiſcopus, vel alius Prælatus negotia agat, ſuámque exerceat jurisdictionem inconſulto Capitulo *c. 3. de conſuetud. in 6.* Limitatur ſecundò, ſi negotia ſint exigua, & parvi momenti, quæ facilè per ſolum Prælatum expediri poſſint, ut notat Innocentius in *c. ult. num. 2. de major. & obed.* ſiquidem ad ſolum Epiſcopum pertinet adminiſtratio, & cura Eccleſiæ. Limitatur tertiò, ſi juſta, & rationabilis cauſa ſubſit, vel periculum adſit revelationis, quia tunc Prælatus etiam inhabilis non tenetur conſilium requirere Capituli, ut notat Abbas *in d. c. novit. 4. num. 6. h. t.* Secus ſi Eccleſiæ, vel ſucceſſoribus præjudicium inferatur, tunc Prælatus non ſolum conſilium, verùm etiam conſenſum tenetur requirere, ut docet Abbas *loc. cit. num. 7.* In aliis verò negotiis, ubi nullum timetur damnum, ſi Capitulum diſſentiat, tunc magis decet, ut capiti ſe membra conforment, quàm membris caput.

Quæritur octavò, an ſi Eccleſia collegiata habeat jus præſentandi debeat Prælatus præſentare de conſenſu Capituli? 19 Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. noſcitur 6. h. t.* ubi Alexander III. declarat, quòd ſi collegiata habeat jus præſentandi, debeat tum Prælatus præſentare de conſenſu Capituli, vel majoris, ac ſanioris partis. Ratio petitur ex eo, quia Prælatus, & Capitulum juris fictione conſtituunt unum corpus, unámque perſonam, conſequenter tenetur Epiſcopus in iis, quæ omnes tangunt, inquirere conſenſú capituli: ſiquidem quod omnes tangit, ab omnibus eſt approbandum *c. accedentes de præſcript.* non tamen eſt neceſſe quòd omnes, & ſinguli de Capitulo conſentiant, ſed ſufficit conſenſus majoris, & ſanioris partis, quia quod fit à majore parte capituli cenſetur factum à toto capitulo *c. cum in cunctis 1. de his quæ fiunt à major. part capit.* Hinc in præſentationibus pertinentibus ad totum collegium tenetur Prælatus habere conſenſum ejusdem collegii, ut dicitur in *d. c. ea noſcitur 6. h. t.* Id tamen limitatur, niſi de conſuetudine, vel privilegio competat ſoli Prælato: ſiquidem conſuetudo, & privilegium tollunt, & dant ea, quæ ſunt juris poſitivi *c. 3. conſuetud. in 6.* præſentatio autem ad beneficium eſt quid juris poſitivi *c. præterea de jure patron.* proinde Prælatus de conſuetudine, vel privilegio poteſt etiam in-

con-

conſulto Capitulo præſentare *c. cum Eccleſia de elect.*

20 Quæritur nonò, an in monaſteriis Abbas Regularis, vel præpoſitus, aut alius ſuperior ita negotia ſuæ Eccleſiæ teneatur agere cum conſilio ſuorum Monachorum, vel Religioſorum, ſicut Epiſcopus, vel alius Prælatus ſæcularis cum conſilio canonicorum ſpectato jure communi? Reſpondetur negativè, quia ſuperior Regularis habet magis liberum jurisdictionis exercitium, magisque independentem bonorum adminiſtrationem, quàm Prælati ſæculares, & deſumitur ex *c. nullam 9. caus.* 18. *q.* 2. ibi: *quæ ad cultus divini reverentiam: vel ad utilitatem monaſterii pertinent, Abbatis ſolicitudo, ad quem totam poteſtatem pertinere convenit, debet adimplere*: ubi Gloſſa notat, hanc ſolicitudinem ita ſpectare ad Abbatem, ut non pertineat ad Monachos: hinc Imola in *c. edoceri 21. de reſcript.* ait, totam poteſtatem Monaſterii eſſe penes Abbatem, & Sylveſter *V. Prælatus q.* 5. aſſerit, caſtigationem Monachorum ad Abbatem pertinere, & non teneri Capituli conſenſum requirere.

21 Quòd ſi dicas, Epiſcopum non corrigere clericos ſine conſenſu Capituli. Reſpondetur, quòd ſicut per conſuetudinem poteſt introduci, ut Epiſcopus conſilium Capituli non requirat, ita per regulam S. Ordinis à ſede Apoſtolica approbatam introduci poteſt, ut cura negotiorum Monaſterii ſoli Prælato incumbat, & id videtur etiam vel maximè convenire ſtatui religioſorum qui per votum obedientiæ tenentur ſe penitus ſuis ſubjicere Prælatis *c. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. id verò limitatur in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, in quibus requiritur neceſſariò conſenſus Capituli, ſeu conventus regularis. Ut etiam in negotiis valdè arduis conſilium conventus, niſi aliqua rationabilis cauſa ſubſit, quo minus requiratur, vel niſi alicubi conſuetudo præſcripta vigeat, ut Prælatus non niſi ſeniorum conſilium requirat. An verò ſuſceptio Monachi ad ſolùm pertineat Abbatem. Reſpondetur de jure communi, videri etiam ad Capitulum ſpectare, eò quia ſingulorum intereſſe tangat.

22 Quæritur decimò, an poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli concedere Eccleſias aliis eccleſiis? Reſpondetur negativè ex *c. tua nuper* 8. *h. t.* ratio etiam ibidem aſſignatur, quia hujusmodi conceſſiones Eccleſiarum pertinent ad perpetuas alienationes, ut etiam dicitur in *clement. fin. de reb. eccles. non alien.* ſiquidem ſemel quòd una Eccleſia conceditur alteri, non gaudet ampliùs proprio Rectore, ſed alteri ſubjicitur, proinde veluti capite minuitur, & à proprio jure ſeparatur: alienatio autem rei eccleſiaſticæ ſine approbatione Capituli invalida eſt *c. ſine* 12. *q.* 1. quapropter quando Epiſcopus Eccleſias concedit aliis eccleſiis, requiruntur omnes ſolemnitates, quæ debent intervenire in rei eccleſiaſticæ alienatione, ut habetur in *d. c. tua nuper* 8. *h. t. & in c.* 2. *de relig. dom.* Imò id etiam procedit, quamvis habeat jus patronatus in eccleſiis conceſſis, quia patronus Eccleſiæ ſtatum non poteſt immutare *c. quod* 5. *de jure patron.* & talis conceſſio procul dubio immutaret ſtatum Eccleſiæ, proinde quamvis ad Epiſcopum pertineat alicujus Eccleſiæ jus patronatus, non tamen poteſt illam alteri Eccleſiæ ſubjicere absque Capituli conſenſu. Si igitur Parochia Monaſterio uniatur in perpetuum, cenſetur hæc unio eſſe alienatio, proinde ad ipſam requiruntur ordinarii juris ſolemnitates. Obſervandum tamen eſt, quòd hodie jure novo hujusmodi uniones non poſſunt ab epiſcopis fieri ob conſtitutionem Concilii Tridentini in *ſeſſ.* 24. *c.* 13. *de refor.* imò nec ſummus Pontifex facile ſolet juribus detrahere Eccleſiarum, & facere alienationes: proinde in unionibus Parochiarum, ſi quæ fiant Monaſteriis, epiſcopi, & capituli cathedralis, & aliorum, quorum intereſt, ſolet ante unionem conſenſus requiri.

Quæritur undecimò, an Epiſcopus paro- 23
chiales Eccleſias, vel ipſarum obventiones, & oblationes de conſenſu Patroni ſine conſenſu ſui Capituli poſſit Monaſterio conferre? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Paſtoralis 9. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, Epiſcopum ſine conſenſu Capituli, vel authoritate Papæ non poſſe concedere alicui Monaſterio Eccleſias parochiales, vel fructus, ſeu obventiones parochiæ etiam de conſenſu patroni. Ratio eſt, quia hujusmodi Eccleſiarum, vel obventionum conceſſio eſt quædam perpetua alienatio *c. tua nuper* 8. *h. t.* Epiſcopus autem ſine approbatione Capituli non poteſt res eccleſiaſticas alienare *c. irrita* 1. *h. t.* & Patronus non poteſt immutare ſtatum Eccleſiæ, ſed tantùm in tali caſu poteſt jus patronatus donare alteri Eccleſiæ *c. paſtor. de donat.* ideo nequit Epiſcopus Parochiales Eccleſias, vel obventiones earundem ſine conſenſu ſui Capituli Monaſterio conferre. Cæterum oblationes, & obventiones, quæ fiunt intra fines parochiæ, pertinent ad fabricam Eccleſiæ parochialis, & ad ſuſtentationem Rectoris, & aliorum Miniſtrorum: hinc infert Abbas in *d. c. Paſtoralis 9. num.* 2. *h. t.* quòd ſi in ædibus alicujus privatæ perſonæ laicæ ſacra imago conſtituta eſſet, ad quam fideles oblationes deferrent, illæ pertinerent ad Eccleſiam parochialem, intra cujus fines ſitæ eſſent hujusmodi ædes, quia eo ipſo quòd oblationes fiunt ob Dei cultum, pertinent ad Eccleſiam ſúntque ſub adminiſtratione Rectorum, & Prælatorum Eccleſiæ.

Quæritur duodecimò, an ſi laicus decimas, 24
quas in feudum à Prælato eccleſiaſtico habet ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. acceptas, velit alteri Eccleſiæ, vel monaſterio, à quo feudum non recognoſcit, aſſignare, poſſit id facere cum conſenſu diœceſani etiam non requiſito conſenſu Capituli? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. cum Apoſtolica 7. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi decimæ concedantur laico in feudum perpetuum, & laicus cum ſolo conſenſu epiſcopi ſine clero donet alicui Eccleſiæ decimas, donatio tenet, & ratio etiã aſſignatur in textu, quia hæc non cenſetur alienatio, ſed potiùs revocatio rei eccleſiaſticæ ad Eccleſiam ſaltem univerſalem, ad quam principaliter ſpectat. Cæterum videtur procedendum

dum cum distinctione. Vel laicus ante Concilium Lateranense injustè detinuit decimas in feudum datas, & tunc moneri debet, ac induci, ut eas restituat eidem Ecclesiæ, ad quam de jure pertinent, quòd si non possit adduci, tunc Episcopus loci, potest consentire, ut donentur alteri Ecclesiæ, vel monasterio, quia jus decimarum debetur ecclesiis non laicis: & tunc altera Ecclesia, ad quam decimæ de jure pertinerent ob bonum publicum, & authoritatem Prælatorum ecclesiasticorum debet rationabiliter esse contenta, quia quando aliter fieri non potest, satius est, ut donentur alicui Ecclesiæ, quàm decimæ possideantur à laico. Vel justè, & cum legitimis requisitis laicus accepit decimas in feudum, & tunc iterum distinguitur: quia vel eas vult reddere Ecclesiæ proprietariæ, à qua habet, & id præstare potest etiam non requisito Episcopo *argum. c. 2. §. sanè de decim. in 6.* vel vult dare alteri Ecclesiæ, aut loco religioso, & tunc requiritur consensus episcopi, ut habetur in *c. 3. de privil.* quia laici non habent facultatem disponendi propria authoritate de rebus ecclesiasticis *c. 1. caus. 16 q. 7.* Cæterum post Concilium Lateranense præter Romanum Pontificem non possunt Prælati inferiores decimas in feudum dare laicis, & si eas concedant, concessio est nulla, & sunt decimæ restituendæ.

TITULUS XI.

De his quæ fiunt à majore parte Capituli.

QUum in præcedenti titulo dictum sit de his, quæ fiunt á Prælato, & Capitulo, vel de consensu, aut consilio Capituli; sequitur dicendum de his, quæ fiunt à majore parte Capituli, & quæritur in præsenti titulo, quid juris sit circa consensum, vel dissensum eorum, qui sunt de Capitulo, si plures sint. Nomine autem Capituli Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ sæcularis, vel regularis intelliguntur soli canonici, vel Capitulares non seorsim, sed collegialiter congregati, & quibus præsit proprius Prælatus, non verò Episcopus, qui non comprehenditur nomine Capituli, ut notant Canonistæ *in c. post electionem de concess. prabend. & c. novit 4. de his quæ fiunt à Prælatis,* hinc Capitulum comprehendit Decanum, Priorem, & Præpositum, & cæteros, canonicos Capitulares, qui debent esse in majoribus, seu sacris saltem ordinibus initiati, vel saltem in sacro subdiaconatûs ordine constituti juxta *clement. 2. de etat. & qualitat.* Cæterum in pluribus ecclesiis Capitulo præest Decanus, in aliis aliquando Prior, aliquando Præpositus. In ecclesiis collegialibus, qui præest collegio Canonicorum dicitur, vel Prior, vel Abbas. Rursus qui cæteris est major dignitate in Ecclesia, vel si ibi non sit dignitas, qui ordine est major, vel tempore prior, jus habet convocandi Capitulum clericorum, & Canonici reliqui tenentur eidem parêre *argum. l. ult. ff. de fide instrum. l. 1. C. de offic. præfecti.* Cæterum soli Canonici, & non alii clerici, tametsi beneficiarii sint, constituunt Capitulum unà cum illo, qui canonicis præest, sive præpositus sit sive Decanus, ut notat Joannes Andreas *in c. ex eo de elect. in 6.* An verò in uno solo canonico possit jus Capituli conservari. Respondetur, si tempore pestis omnes Canonici morerentur, vel tempore belli interficerentur, uno tantùm superstite apud hunc mansurum jus Capituli, & desumitur *ex l. si quis mancipium, & l. sicut §. ult. ff. quod cujusque universitatis nomine,* Glossa *in c. 1. de elect.* & *in c. gratum de postulat. Prælator.* quamobrem sicut grege legata si unum solum animal remanserit, potest hoc peti *l. si grege ff. de legat. 1. instit. deleg. §. grege.* Pari pacto si unus solus superstit Canonicus, potest hic à superiore petere, ut Ecclesiæ provideatur, ut etiam docet Bald. *in l. ult. ff. de negot.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. CUM IN CUNCTIS 1. h. t. statuitur ex Concilio Lateranensi, ut in Capitulis prævaleat, quod à majore, & saniore parte fuerit statutum appellatione remota, non obstante consuetudine contraria, quamvis jurata: quinimmo juranus servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam, nisi pars minor objiciat aliquid rationabile. Ex quo textu liquet, non esse regulariter necessarium, ut quotquot sunt de capitulo, consentiant, sed sufficere consensum majoris, & saniorie partis: & majorem partem esse, qua in numero personæ-

Digitized by Google

ſonarum excedit, habito reſpectu ad totum Capitulum c. Eccleſia 48. de elect. *ut ſi duæ partes conſentiant, & tertia diſſentiat: ſic in electione Pontificis requiritur conſenſus majoris partis Cardinalium, quæ conſtituat duas tertias* c. licet de elect. *Cæterum in pluribus aliis electionibus ſufficit conſenſus plurium medietate electorum, tametſi illi plures non conſtituant duas tertias, ut cùm ex duodecim ſeptem conſentiunt.*

C. QUÆSIVIT 2. *h. t. Cœleſtinus III. reſcribit, Canonicum ſine conſenſu epiſcopi, & fratrum non poſſe ponere interdictum in Eccleſia, & pœnam eccleſiaſticam non eſſe imponendam, niſi iis, qui delinquunt, neque pœnam debere delictum excedere. Ibi notat Gloſſa, non eſſe interdicendam Eccleſiam ob delictum alicujus, niſi delinquens ſit dominus loci, quia ille tantùm punitur, qui deliquit, non qui innocens eſt.*

C. EX ORE 3. *h. t. reſcribit Innocentius III. appellationem illius, ad quem non pertinet appellare, non valere, neque impedire ordinationem Eccleſiæ: & electum à majore, & ſaniore parte Capituli eſſe bene electum, & confirmandum. Quòd ſi habens jus ad electionem præpoſituræ alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renunciare ſuo juri ipſo facto. Ibi notat Gloſſa, quòd ſi Papa mandet dari alicui præbendam, & Capitulum aliam eligat, electio teneat* c. dilectus de præbend. *Cæterum renunciatio expreſſa non valet ſine authoritate ſuperioris* c. admonet de renunciat. *Renunciatio tamen tacita, ſeu facta ipſo facto valet ſine authoritate ſuperioris: ſicut plus valet prohibitio tacita, quàm expreſſa in conteſtatione litis.*

C. EX PARTE 4. *h. t. reſcribit idem Pont, quòd ſi Epiſcopus cum majore, & ſaniore parte Capituli ſtatuat contributionem Canonicorum pro reparanda fabrica Eccleſiæ, quamvis unus, vel alter Canonicus contradicat, valet tamen ſtatutum plurimorum, ſeu majoris, & ſanioris partis: tunc enim reliqui quamvis inviti tenentur tali ſtatuto. Præterea ubi univerſitas eſt obligata ad conſervandam fabricam Eccleſiæ cathedralis, ſi non habeat, unde ſatisfaciat de bonis fabricæ propriis, vel communibus, tunc poteſt ſingulis imponi collecta moderata, non ita ſi reditus ſint adeò tenues, ut per talem collectam cogerentur parcè vivere, ut notat Panormitanus hic* num. 7.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo quæ à majore parte Capituli fiunt, valida eſſe dicantur.

1 QUando jus inest Capitulo aliquid agendi, vel determinandi, non eſt neceſſe, quòd omnes, & ſinguli Capitulares aſſentiantur actui, ſed ſatis eſt, ſi major pars Capituli conſentiat: neque eſt neceſſe, quòd ſit major pars reſpectivè ad omnes capitulares præſentes, & abſentes, ſed ſufficit ſi ſit major pars congregatorum, ſeu tunc præſentium: ratio eſt, quia ſola major pars congregatorum eſt, quæ conſtituit Capitulum, quod propterea non dicitur repræſentari in minore parte. Quamobrem quod à majoris partis conſenſu ſtatuitur, id à Capitulo cenſetur eſſe decretum *l. quòd major. 19. ff. de municip.* dummodo duæ partes illorum, qui volunt, debent, ac poſſunt adeſſe, ſint ſimul congregatæ in conſueto loco *argum. l. nulli 3. ff. quod cujuque univerſ.* quia duæ partes ordinis in urbe poſitæ totius curiæ inſtar exhibent, ac repræſentant totum ordinem, hinc Gloſſa marginal. *V. duæ partes* ait, quòd ſi major pars præſentium conſenſerit, ſufficit, ut tota univerſitas dicatur conſenſiſſe, ut tradit Abbas *in c. cum in cunctis 1. num. 16. h. t.* quapropter generatim, quæ fiunt à majore, & ſaniore parte Capituli, ſeu univerſitatis etiam contradicente minore ſuum ſortitur valorem.

2 Etenim quoties in jure requiritur conſenſus Capituli, non eſt neceſſe, ut omnes Capitulares nemine excepto conſentiant; ſed ſatis eſt, ſi major pars conſentiat; quia quod major pars Capituli facit, id totum Capitulum feciſſe cenſetur: regulariter enim major pars trahit minorem, etiam nolentem *c. ex parte 4. h. t.* ubi dicitur: quòd ſi Epiſcopus cum majore, & ſaniore parte Capituli ſtatuit contributionem canonicorum, valet ſtatutum plurimorum; adeo ut ſententia majoris, ac ſanioris partis prævaleat, & trahat minorem, dicatúrque totum Capitulum conſenſiſſe *l. quod major ff. ad municipalem.*

3 Ut autem major pars dicatur prævalere, non eſt ſumenda major pars reſpectu aliarum partium minorum; ſed reſpectu omnium Capitularium præſentium, ut ſi collatio beneficii pertineat ad Capitulum, in quo ſint viginti capitulares, & quatuor vellent conferre Petro, ſeptem Paulo, & novem Joanni, nulla ex his partibus eſt attendenda; quia licet novem ſuffragia conſtituant majorem partem ex illis tribus non tamen reſpectu omnium Capitularium, qui cum ſupponantur viginti, major pars debet ad minimum continere undecim ſuffragia. Gloſſa *in c. Eccleſia veſtra* 48. *de elect. c. ſi cui* 23. *de electione in 6.* notat nihilominus Zypæus *in Analyſi juris Pontificii h. t num.* 1. conſuetudine introductum eſſe, ut etiam major pars reſpectu aliarum minorum, licèt non ſit major reſpectu omnium Capitularium præſentium attenda-

tendatur, ac concludat; an verò id verum sit, dependet ab usu; & plura requiruntur, ut consuetudo dicatur introducta, non enim debet præsumi, sed probanda est.

4 Rursus hæc pars debet conjunctim esse *major.* ac *senior*, quia si minor utatur melioribus rationibus præsertim in favorem Ecclesiæ, & constet ex viris gravioribus, prudentioribus, magisque piis potest majori contradicere, & ad legitimum superiorem appellare, ut desumitur *ex c. cum in cunctis* 2. *h. t.* ubi dicitur, quòd in Capitulis prævaleat quod à majore, ac saniore parte fuerit statutum, appellatione remota, non obstante consuetudine contraria, quamvis jurata. Immo si quis juret servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam: postea subdit: *nisi pars minor objiciat aliquid rationabile.* In negotiis capitulariter pertractandis regulariter ad Episcopum pertinet convocare Capitulum, qui suffragia singulorum exquirere, & secundùm majorem partem eorundem tenetur concludere. Sin verò Episcopus absens fuerit, vel de negotio pertinente ad ipsum Episcopum agatur; tunc ad vicarium episcopi, seu unum de Capitulo, ad quem de jure, vel consuetudine spectat, ut ad præpositum, vel decanum, vel seniorem, pertinet potestas convocandi Capitulum *ex Concilio Trident. sess.* 28. *de refor. c.* 6. Non tamen ad actus capitulariter tractandos canonici absentes, & distantes per plures dietas debent necessariò vocari juxta Glossam communiter receptam *in cap. cum inter de electione argumento c.* 2. §. *Jus præsent.*

5 Excipiuntur tamen tres casus, quorum primus est in causa electionis novi Prælati *cap. quia propter de electione.* Secundus quando recipitur aliquis in canonicum *cap. cum in ecclesiis de præbendis in* 6. Tertius in cessationibus à divinis *cap. quamvis de officio ordin. in* 6. Imò Panormitanus, & alii *in c. 1. h. t. num.* 15. asserunt constitutum in prædictis tribus casibus procedere etiam in causis magnis, & arduis; eò quia vocatio absentium sit canonicis favorabilis; proinde ex paritate rationis debet ampliari, & ad similes, vel majores casus extendi; & præsertim si ex consuetudine soleant absentes in negotiis arduis vocari. Est itidem perquàm rationi consonum, quòd præsentes canonici extra casum necessitatis, & nisi consuetudine fuerit contrarium introductum procedere non possint, nisi saltem duæ tertiæ Capitularium præsentes fuerint, ut ex duodecim octo, ut notat Panormitanus *in d. c. cum in cunctis* 1. *h. t. argumento L.* 3. *& 4. ff. quod cujusque universitatis.*

6 Illi verò, qui de jure, & consuetudine vocandi sunt, omnes & singuli debent vocari; adeout unus non citatus possit irritare actum; quia potest conqueri de contemptu, ex plus operatur contemptus unius, quàm consensus plurium *c. quod sicut* 28. *c. Bona memoria de electione*, Panormitanus *l. c. num* 16. *v. dico tamen.* Omnes enim canonici habent jus dandi suffragium in Capitulo: siquidem *in clement.* 2. *de etate, & qualitate*, & in Concilio Tridentino *sess.* 22. *c.* 4. *de Reform.* statuitur ut tam in ecclesiis cathedralibus, quàm collegiatis sive sæcularibus, sive regularibus, omnes canonici vocem habeant in Capitulo, dummodo saltem in sacro subdiaconatus ordine sint constituti. Per hoc tamen non derogatur particularibus Regularium, ac monasteriorum constitutionibus conditis à sacrorum ordinum fundatoribus: quia in dubio non censetur Pontifex per generalem legem derogare particularibus statutis, nisi id specialiter exprimat *c.* 1. *de const. in* 6. & licèt Concilium Tridentinum in *d. c.* 4. *sess.* 22. ut etiam *clement. cit.* mentionem faciant de regularibus; possunt tamen explicari de illis sacris ordinibus, qui talia statuta particularia non habent. Probabilior tamen, & communior sententia, cui adhærendum puto, est quòd etiam in omnibus sacris ordinibus vigore decreti Concilii Tridentini non possit quis vocem habere in Capitulo, qui saltem non sit subdiaconus.

7 Ratio, cur in capitulis, & collegiis prævaleat, quod fit à majore, ac saniore parte, nisi minor rationabiliter contradicat, ut habetur *in c. cùm in cunctis* 1. *h. t.* videtur hæc esse: quia regulariter firmius est judicium plurimorum *cap. de quibus* 3. 70. *dist.* Tum quia moraliter non videtur possibile, ut omnes semper sint unanimes, consentiantque in omnibus, ac singulis negotiis *l. 1. §. final. cum l. sequenti ff. de acquiren. possess.* Hinc ne gravia, quæ passim occurrunt, negotia sinerentur indeterminata, rectè statutum fuit, ut illa pars prævaleret, quæ major respectu omnium capitularium præsentium, ac senior est: hæc major pars justè attenditur nisi specialiter duæ tertiæ suffragiorum petantur, ut *in l. nulli* 3. *ff. quod cujusque univers.* quia quod lege, vel statuto cautum est, id debet attendi, ut notat Bobadilla *lib.* 3. *Polit. c.* 8. *num.* 53. Rursus debet pars major esse itidem senior habita ratione zeli ad zelum, meriti ad meritum; quia si aliqua major pars aliquid decernat rationi, & pietati minimè consentaneum; minor pars senior habetur pro majore *cap. final. dist.* 4. *cap. Ecclesia* 57. *de elect.* quia major pars dicitur non solùm, quæ est majoris numeri, sed etiam quæ senioris judicii, ut notat Barbosa *de dignit. cap.* 38. *num.* 7. Verùm quia ex hac cognitione senioris partis frequentes oriebantur rixæ, excitabantur diffida, ac plura alia oriebantur incommoda, cum nullus vellet alteri cedere; ideo quod notandum est: hodie post Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de regularibus c.* 6. ampliùs non quæritur quænam pars sit senior; sed tantùm quæ major respectu totius numeri capitularium præsentium, ut notat Julius Lercar. *de elect. tit.* 4. *c.* 19. *num.* 89. Tambur. *tom.* 1. *de jure Abbat. disput.* 5. *quæst.* 6. *n.* 21.

8 Videtur tamen in contrarium obstare, quia in sententiis, vel similibus justitiæ actibus non debet attendi major pars respectu numeri, quia ut rectè notavit Plinius *lib.* 2. *epist.* 12. in sententiis ferendis non numeranda, sed ponderanda sunt suffragia, nec semper majori numero est acquiescendum, cujus judicium rarò tutius, ac sanius *cap. gratum de postul. Prælat.* unde si aliqua

qua pars Capituli præferenda ſit; maximè quæ ſanior eſt, ac prudentior, quæque ex ſenioribus conſtat capitularibus; adeout qui contrarium affirmare velit, probare non poſſit, niſi per quindecim teſtes *l. unicuique C. de proximis ſacror. ſcrin. lib. 12.* Maſcardus *de probat. volum. 3. conclus. 1295. num. 3.* Tiraquel *in præfat. de primog. num. 153.* hinc Franciſcus Philelphus *lib. 36. epiſt. 1. ad Nicodem.* ait: *Romani rerum domini ſenatum à ſenibus nominárunt, quoniam intelligerent in ſenibus ſolis gravitatem eſſe, ac prudentiam.* & Quintilianus *lib. 12. inſtit. c. 4.* majorem ſenibus authoritatem eſſe dixit, eò quia plura noſſe, ac vidiſſe credantur: ex quibus videtur inferri; in capitulis, & collegiis non majorem partem reſpectu numeri, ſed reſpectu ſeniorum eſſe attendendam: Verùm hæc non obſtant: quia non excluditur major pars ſanior; ſed potiùs includitur; & quia nemo vult alteri cedere, & res dubia ſit, ideo in dubio major pars ſanior eſſe creditur *c. prudentiam de offic. delegat.* Acunna *in c. quapropter de elect.* Tum quia ut cognoſcatur, quæ pars ſit ſanior, ponderanda ſunt ſuffragia, non ſolùm quoad ſenectutem, verùm etiam quoad doctrinam, zelum, mores, merita; undè licèt alii ſint ſeniores, alii tamen ſunt doctiores, ac plura habent merita, quàm ſenes.

9 Objici tamen poſſet textus *in c. cum cauſam de elect.* ubi narratur, canonicos Eccleſiæ Lucanenſis privilegium ab Apoſtolica ſede impetrâſſe, ut nullus proponeretur in priorem, niſi de communi conſenſu fratrum, aut electus à majori, & ſaniore parte capituli ſit. Unde juvat argumentari: ſi factum à majore, ac ſaniore parte Capituli prævalet: ergo inutilis fuit impetratio talis privilegii: ſiquidem id jam jure communi concedebatur. Sed contra, quia licèt privilegium in ea ſpecie non fuerit neceſſarium; eò quia id jure communi jam cautum fuerit: nihilominus quia magis timetur, quod ſingulariter cavetur, aut promittitur, ut contingit in caſtitate, ad quam licèt clerici teneantur, adhuc tamen arctiùs per votum eidem ſe adſtringunt, ut ſolertiùs ſervetur *cap. quamquam 23. diſt.* Item in obedientia juramento firmata *c. in omnibus de conſecrat. diſt. 5.* quamobrem in præcitato textu canonici Lucanenſes impetrârunt præfatum privilegium, ut ejus auctoritate magis obſtricti priorem tenerentur eligere de communi conſenſu, vel ſaltem majoris, ac ſanioris partis.

10 Poſſet etiam objici S. Iſidorus in textu in *cap. hoc ipſum num. 35. quæſt. 2.* ubi habetur: *In fine autem epiſtola hoc adjiciendum putavi, ut quotieſcunque in geſtis conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius ſententia magis teneatur, cujus antiquior, aut potior extat auctoritas*: ergo factum à majore parte Capituli non debet attendi; ſed cujus potior, & antiquior eſt auctoritas; ſeu ea pars eſt attendenda, quæ eſt ſanior. Sed contra, quia. D. Iſidorus in illo textu vocavit potiorem Concilii ſententiam, eam, quæ majori parte roboratur; proinde rectè dixit, in caſu diverſarum ſententiarum eam prævalere, quæ antiquior, & potior eſt; id eſt quæ major, & ſanior; quia in dubio major pars cenſetur etiam ſanior; quia præſumitur pro pluralitate, niſi contrarium probetur, ut deſumitur ex *d. c. cum in cunctis 1. h. t.*

§. II.

Quomodo pars minor Capituli valeat majorem impedire.

1 TAmetſi minor pars Capituli ex rationabili cauſa poſſit impedire decretum majoris; non propterea poteſt quidquam decernere nomine totius Capituli; niſi fortaſſis pars numero major eſſet privata jure, ac poteſtate diſponendi ob proprium delictum; tunc enim jus, & poteſtas totius Capituli remanet in illis paucis, qui non deliquerunt, qui propterea poſſunt diſponere nomine totius Capituli, ut notat Abbas *in d. c. cum in cunctis 1. h. t. num. 11.* Idque procedit non ſolùm in electionibus; ſed etiam in aliis decretis, & actibus, qui fieri ſolent à Capitulo, ut tradit Layman *in c. cum Eccleſia 57. num. 4. de elect.*

2 Poteſt pars minor Capituli contradicere majori, quando hæc aliquid decernit, ac diſponit irrationabiliter, ac in præjudicium Eccleſiæ; poſſunt tunc etiam pauci, imò etiam unus contradicere majori parti capitularium, eique ſe opponere in ordine ad impediendam, ac reſcindendam ordinationem majoris partis, idque deſumitur *ex d. c. cum in cunctis 1. h. t.* ubi dicitur, quòd ſtatutum à majore parte capitularium teneat, niſi minor aliquid rationabile objiciat, ut tradit *Gloſſa fin. in c. Nicena 1. diſt. 31.* & *Gloſſa marg. ibid.* ubi aſſerit, non ſolùm minorem partem, verùm etiam unum ſolum canonicum poſſe ſe opponere pro jure propugnando ſuæ Eccleſiæ. Debet tamen pars minor, & à fortiori ſi canonicus objiciens ſit unus ſolus, probare, quod opponit contra majorem partem Capituli, idque coram ſuperiore Capituli, vel coram electis arbitris: ratio eſt, quia tunc pars major cum citetur ut perſona rea, non poteſt in cauſa propria agere perſonam judicis, ut notat *Gloſſa in d. c. V. oſtenſum.* Abbas *ibid. n. 5.*

3 An verò tunc neceſſum ſit, ut pars minor appellet à diſpoſitione facta à majore parte; reſpondetur non requiri hanc appellationem; ſed ſufficere ſi pars minor contradicat, ſive agatur de ſuo præjudicio, ſive de damno tertii, vel ipſius collegii; quia poteſt pars minor contradicens ſuas ad ſuperiorem deferre querelas, ac petere, ut quod injuſtè à majore parte actum eſt reſcindatur: quia cum Capitulum non procedat judicialiter; ſed tantùm extrajudicialiter, ideo quod ſtatuitur à Capitulo, non tranſit in rem judicatam, argumento *c. concertationi 8. junctâ Gloſſa Gravatum de appellat. in 6.*

4 Quòd ſi minor pars, uno, vel altero, aut pluribus contradicentibus extrajudicialiter appellaverit; adhuc poteſt major pars Capituli non obſtante tali provocatione procedere ad executionem ſui decreti: licèt appellatio facta à minore ſuum fortiatur valorem; adeout ſi legitima, ac rationabilis cognita poſtea fuerit,

reſcindi

reſcindi debeat quod actum fuerat à majore parte Capituli, ut tradit Innocentius *in d.c. cum in cunctis* 1. *h. t.* quòd ſi à contradicente non fuerit extrajudicialiter appellatum, tunc Capitulum, vel qui ei præeſt, poteſt, ac debet unum vel alterum contradicentem compellere, ut obediat ſtatuto à majore parte Capituli, quia pro illa ſtat præſumptio æquitatis. Quamobrem ad reſcindendam diſpoſitionem majoris partis requiritur neceſſariò, ut minor contradicens appellet, ſeu provocet ad ſuperiorem; quia tunc provocatio prætet alios effectus, etiam hoc operatur, ut Prælatus inferior illo; ad quem eſt appellatum cognoſcere non poſſit de cauſa illa deducta ad alium ſuperiorem; neque poſſit in illa ſe immiſcere.

5 Cùm autem minor pars dicitur poſſe contrà decretum à majore factum appellare ad ſuperiorem, id fallit in non habente jus appellandi, ſeu in eo, cui non competit juſta cauſa contradicendi: ſiquidem per talem contradictionem non eſt impedienda diſpoſitio Capituli, & quod à majore parte collegii ſtatuitur ut deſumitur *ex cap exore* 3. *h. t.* ubi Innocentius III. reſcripſit ad Capitulum Eccleſiæ Auguſtanæ, quòd appellatio illius, ad quem non ſpectat appellare, omnino infirma eſt, nec valet ad impediendam ordinationem Eccleſiæ; & electus à majore, & ſaniore parte Capituli eſt benè electus, & propterea confirmandus. Ut etiam habens jus ad electionem præpoſituræ, ſi alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renunciare ſuo juri ipſo facto, ubi Gloſſa aſſerit, quòd ſi quis prætendat jus in beneficio, ut in præpoſitura, vel in parochia, non debet ejus poſſeſſorem, vel intruſum, contra quem agit in judicio, abſolutè vocare præpoſitum, vel parochum, ne id fateri cenſeatur: ſiquidem ut ait Innocentius, ſi quis alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renuntiare ſuo juri ipſo facto. Præterea conſtat poſſe Papam mandare, ut ante tempus jure præfixum ad eligendum electio Prælati fiat, ut habetur *in d. c. ex ore*, ubi Innocentius mandavit, ut intra menſem certus eligeretur, tametſi de jure talis electio eſſet invalida, eò quia per ipſam tollatur libertas eligendi *c. cum terra* 14. *de elect.* Abbas in *d. c. ex ore num.* 3. ubi notat Gloſſa, quòd quando Papa mandat dari alicui præbendam, & Capitulum alium eligit, tenet electio *c. dilectus de prabend.*

6 Ut etiam quòd tacita renuntiatio in præjudicium renunciantis idem operetur, quod expreſſa, ut etiam docet Paris. *lib.* 1. *de reſignat. benefic. q.* 13 *num.* 11. & 12. quia tacita renuntiatio dignitatis, vel beneficii ſuum ſortitur valorem, tametſi ſine authoritate ſuperioris fiat: non verò expreſſa, quia hæc exigit ſuperioris authoritatem: quod verum eſt, cùm quis ſolùm habet jus ad rem, & cui poteſt renuntiare absque conſenſu ſuperioris: ſecus ſi habet jus in re, quia tunc ſaltem requiritur tacitus conſenſus ſuperioris; adeo ut, ſi is ſciens reſignationem factam, ei non contradicat, videatur eam tacitè acceptare: quamobrem renuntiatio tacita, ſeu facta ipſo facto valet ſine authoritate ſuperioris; ſicut plus valet prohibitio tacita, quàm expreſſa in conteſtatione litis. Quòd ſi caſſaretur electio præpoſiti, cui ipſe dominus fecit reverentiam, non poſſet poſtea dominus agere de propria præpoſitura, quia actio ſemel extincta non reviviſcit *l. qui res* §. *Aream ff de ſolut.*

7 Quòd ſi præpoſitus, vel Decanus electus à Capitulo, cui tale jus eligendi competebat, ad epiſcopatum poſtea promoveatur, poteſt reſignare præpoſituram, vel decanatum data illi facultate libera alium eligendi: ratio eſt, quia beneficia electi in Epiſcopum, non vacant ante ejus conſecrationem, ideoque vacant per renuntiationem: etenim in favorem electi introductum eſt, ut ejus beneficia non vacent ante conſecrationem *c. cum in cunctis* 7. *de elect.* 1. & electus poteſt ſuo favori renuntiare.

8 Geſta à majore parte Capituli valent, quando cedunt in utilitatem Eccleſiæ, tametſi alii Capitulares contradicant, non ita, ſi quæ à majore parte aguntur, ſint Eccleſiæ damno, tunc enim non ſolùm minoris partis, verùm etiam unius capitularis contradictio impedire poteſt, quò minus geſta à majore parte ſuum ſortiantur effectum, ut docet Layman *in c. cum inter* 8. *num.* 2. *de majorit. & obed.* Quòd ſi major pars Capituli conſentiat in aliquo, quod cedat in damnum Eccleſiæ, tenentur alii expreſsè contradicere, ſiquidem quilibet Capitularis tenetur his expreſsè ſe opponere, quæ malè fiunt, vel ſtatuuntur in Capitulo, ſive per illa lædatur Eccleſia, aut Capitulum, ſive ipſe contradicens, ſive alius tertius, alioquin ſi taceat, cenſetur conſentire; cùm ex communi effato tacens cenſendus ſit conſentire, ſi contradicendo poſſit commodè id impedire; & etiam ex proprio officio teneatur impedire: & quia quilibet Capitularis eſt membrum Capituli, & ratione officii, ſeu canonicatus tenetur impedire, quæ cedunt in damnum Eccleſiæ, vel Capituli; ideo ſi à majore parte Capituli aliqua ſtatuantur, quæ cedant in damnum Eccleſiæ, tenetur contradicere, & ſi non contradicat, particeps ſit ejusdem peccati, & pœnæ, quia cùm ſit membrum Capituli ex eo quòd non contradicat, cenſetur cum aliis conſentire, tametſi ipſe expreſsè, ſicut alii non conſentiat, ut notat Innocentius *in d. c. cùm in cunctis* 1. *h. t. num.* 4. ubi addit, quòd ſi aliquid à Capitulo decretum ſit in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum, poſſit capitularis non conſentiens appellare ad ſuperiorem: non ita ſi ſtatutum à majore parte ſit in damnum perſonæ tertiæ privatæ: ratio diſcriminis eſt, quia quando eſt in damnum totius Capituli, eſt etiam in damnum ſingulorum Capitularium, proinde quilibet capitularis poteſt appellare, eò quia agatur etiam de damno proprio: ſecus quando decretum eſt in damnum tertiæ perſonæ privatæ, tunc cùm nihil interſit appellantis, neque ſtatutum à majore parte cedat in ſuum damnum, non debet appellare: ſed tunc tenetur peccatum capitularium denuntiare ſuperiori, ut emendetur. Sin autem ad actum alicujus valoris requiratur expreſſus conſenſus, ut ad alienationem perpetuam rei eccleſiaſticæ, vel ad electionem,

ctionem, tunc si capitularis taceat, non habetur pro consentiente, quinimmo neque taciturnitas quoad valorem actus habetur pro consensu in alienationibus arduis, & onerosis.

9 Habet Capitulum jus condendi statuta circa negotia concernentia ipsum Capitulum, ut docent communiter cum Felino, Decio, Abbate *in c. cùm accessissent de constitut.* id tamen limitatur, ut si statuta sint circa causas arduas, magnique præjudicii, ut ad augendas, vel diminuendas præbendas, aut novum aliquid circa residentiam canonicorum inducendum; tunc necessarium sit consensus episcopi *argum. c. ex parte de constitut. c. cum consuet. §. de consuetud.* Barb. *juris eccles. univers. lib. 1. c. 32. num. 16.* Non tamen valet statutum, vel consuetudo etiam juramento firmata, vi cujus omnes de Capitulo teneantur consentire; & si non consenserint actus Capituli non sit validus, ut colligitur *ex c. cum in cunctis 1. b. t.* ubi juratus servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam. Ratio est, quia juramentum emissum contra utilitatem Ecclesiæ cum sit nullum non potest ullam obligationem inducere, & potiùs est perjurium, quàm juramentum: & statutum, vel consuetudo, ut actus capitularis non valeat, nisi omnes consenserint, est damnosa Ecclesiæ, quia per tale statutum impeditur facultas decernendi, & statuendi, quæ justa, & utilia sunt. Tum quia quilibet capitularis tali pacto posset impedire commoda Ecclesiæ si contradiceret aliis statuentibus aliquid, quod in maximum cederet Ecclesiæ bonum; unde tale juramentum utpote in præjudicium Ecclesiæ non est validum, nec potest ullam inducere obligationem.

10 Episcopus cum majore parte Capituli potest statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ cathedralis, tametsi pauciores numero ex Capitularibus dissentiant, ut desumitur *ex c. ex parte 4. b. t.* ubi habetur, quòd si Episcopus cum majore, & saniore parte Capituli statuat contributionem canonicorum pro reparanda fabrica Ecclesiæ, quamvis aliquis canonicus contradicat, nihilominus statutum plurimorum valeat, seu sententia majoris, ac sanioris partis prævaleat. Tametsi reparatio Ecclesiæ cathedralis principaliter incumbat episcopo ex illis reditibus, qui specialiter pro fabrica Ecclesiæ deputati sunt: siquidem de jure antiquo quarta pars redituum ecclesiasticorum servanda erat ad manutenendo fartæ tectæ Ecclesiæ, & instaurationem ejusdem, si opus esset *c. quatuor 29. cum tertia causa 12. q. 2.* nihilominus si illa quarta pars non sufficiat, nec mensa episcopalis pinguis sit, locum habet dispositio *in d. c. ex parte 4.* cui adstipulatur textus *in c. de eccles. ædificand.* ubi exiguntur contributiones à canonicis.

11 Quòd si nec Episcopus, nec canonici superabundantes habeant reditus, quibus citra defectû congruæ sustentationis carere non possunt: licitum est episcopo cum consensu Capituli alios inferiores beneficiatos vocare ad contribuendum de superfluis reditibus, & tunc potest etiam Episcopus de consensu Capituli quosdam reditus vacantium beneficiorum ad id deputare ut notat Barbosa *in d. c. ex parte 4. b. t.* Cui tamen videtur obstare textus *in l. per fundum 11. ff. de servitut. rustic. prædior. redit. l. sabinus 28. ff. de communi dividundo c. in re communi. de reg. jur. in 6.* ubi habetur quòd major pars tunc tantùm prævaleat minori, quando agitur de rebus ad universitatem ut talem pertinentibus: quòd si agatur de rebus, & jure singulorum, ut in præsenti de reditibus singulorum canonicorum, tunc subintrat *regula juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*: & plus valet unius contradictio, quàm reliquorum consensus, saltem quoad portionem, quæ ipsum contingeret contradicentem.

Verùm Innocentius, & Panormit. *in d. c. ex parte 4. b. t.* respondent cum distinctione: si enim agatur de rebus acquirendis, quæque adhuc pertinent ad Ecclesiam, tametsi deputatæ sint ad sustentationem canonicorum, tunc censent procedere dispositionem *d. c. ex parte 4. b. t.* idque præsertim, quia contributiones exiguntur in favorem causæ piæ, cujusmodi est fabrica cathedralis Ecclesiæ. Sin verò agatur de rebus acquisitis, etiam propriis factis, tunc locum habet textus juris in quo dicitur, quod juri singulorum per majorem partem non possit præjudicari; & quamvis *in l. juris gentium 7. §. 19. & 19. ff. de pact.* statuatur, quòd si hæres paciscatur cum creditoribus defuncti de remittenda aliqua parte debiti, prævalere debeat consensus plurium creditorum, qui potiora debita habeant, tametsi hic actiones, sive obligationes debitorum sint in bonis creditorum *l. qui actionem 15. ff. de regul. juris l. id apud §. 143. ff. de verbor. signif. l. rem in bonis 52. de acquirend. rer. domin.* nihilominus id credendum est, ita statutum fuisse ob favorem defuncti, ne facilè sine hærede sit futurus, & ne bona ipsius propter æs alienum subhastentur cum non exigua diminutione honoris.

12 Cæterum, quod ad reparationem attinet Ecclesiæ, tenentur canonici ex propriis reditibus contribuere, quia reditus ecclesiastici non assignantur simpliciter canonicis, ut in eorum proprietatem transeant; sed cum implicito onere ex authoritate canonum adscripto concurrendi ad reparationem Ecclesiæ, quoties opus fuerit, adeo ut consensus majoris partis Capituli non tam requiratur, an canonici velint absolutè contribuere; quàm an velint absque contradictione, & ulteriore lite agnoscere, quòd hîc, & nunc urgeat necessitas contribuendi pro instauranda Ecclesiæ fabricâ.

13 An verò major pars Capituli possit aliquid decernere cum præjudicio minoris partis de bonis, ac juribus spectantibus ad singulos de collegio. Respondetur simul cum Episcopo, seu Prælato posse majorem partem Capituli cum præjudicio minoris de bonis, ac juribus ad singulos spectantibus aliquid decernere, si id fiat ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, quia jus percipiendi reditus ecclesiasticos beneficiorum principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, quamvis secundùm partes, seu portiones

portiones proventuum divisum sit, seu attributum singulis canonicis pro eorundem congrua sustentatione: unde cùm singuli percipiant fructus beneficiales non jure proprio, sed jure Capituli, vel Ecclesiæ, & inter Ecclesiam materialem, quam constituit Episcopus cum Capitulo, sit quædam communio, adeo ut juxta primævam institutionem beneficiorum ecclesiasticorum eorundem proventus dividendi sint in quatuor partes, quarum prima applicetur mensæ episcopali; secunda mensæ Capitulari; tertia fabricæ Ecclesiæ; & quarta pauperibus succurrendis juxta *c. vulterrana 25. & sequent. can. 12. q. 2.* ideo saltem ex lege charitatis, & communionis, & ex primæva institutione bonorum ecclesiasticorum tenentur Episcopus, & Capitulum, si commodè possint ex suis propriis reditibus contribuere, si aliqua ex præreensitis quatuor partibus indigeat, ut fabrica Ecclesiæ.

15 Quinimmo si mensa capitularis sit supra congruum pinguior, & Ecclesia cathedralis instauratione indigeat, potest solus Episcopus Capitulum adigere ut ex superfluis reditibus solvat contributiones pro restauratione labentis Ecclesiæ, quia de jure ad id Capitulum jam tenetur: & ubi est obligatio juris, non requiritur consensus obligati, ut desumitur *ex c. 1. & c. de his 3. de eccles. ædificand.* Hinc etiam contradicentes Capitulares possunt adigi ad contribuendum pro tali restauratione. Sin verò sumptus fierent pro alio opere licèt pio, & quod non multum ad Ecclesiam, aut Capitulum pertinet, vel etiam sine necessitate; tunc posset pars minor, immo, & unus solus canonicus se opponere, ac impedire decretum emanatum à majore parte Capituli, quia tunc valet *regula jur. 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Pro erectione tamen seminarii clericorum major, & sanior pars Capituli cum episcopo potest aliquid statuere etiam contradicente parte minore, & cum diminutione reddituum beneficiarium singulorum canonicorum; ut notat Abbas *in d. c. si ex parte 4. num. 2. b. t.*

§. III.

An Canonici possint interdictum apponere.

1 COnveniunt Canonistæ, & concordant jura, non posse canonicos interdictum apponere, sed id pertinere tantùm ad Episcopum ex consilio Capituli; ut probant textus in *c. 1. de excess. Prælat. c. 3. de pœnis.* Covarruvias *in c. alma mater. 2. §. 2. num. 6.* & ratio petitur à natura ipsius interdicti: est enim interdictum prout ad præsens pertinet institutum censura ecclesiastica, quâ prohibentur divina officia, certa sacramenta, & ecclesiastica sepultura; ut colligitur *ex c. quod in te de panit. & remission. c. non est vobis de sponsal.* Dicitur interdictum esse censura, quia est pœna ecclesiastica, ratione cujus convenit cum cæteris censuris; & differt ab iisdem, quia excommunicatio privat omnibus sacramentis, non ità interdictum, sed tantùm aliquibus, & etiam ab irregularitate, & suspensione, quia hæ non privant nec sepultura, nec divinis officiis, sicut interdictum, quod bipartitur in interdictum ab homine, & à jure; illud est, quod in certis casibus reperitur in jure impositum, ut *in c. si qui sunt 81. dist. c. si quis deinceps 16. q. 7. c. sacro 38. de sentent. excommun. c. ubi periculum §. præterea de elect. in 6. c. præsenti de offic. ordin. c. 1. de sepulturis in 6. c. quamquam de usur. in 6. c. unic. de injur. in 6. clement. 1. de pœnis extravag. unic. Joan. XXII. ne sede vacante.* Interdictum ab homine est, quod à superiore ecclesiastico promanat, & bipartitur in locale, personale, & mixtum, locale principaliter afficit locum, ubi divina officia non celebrantur; quia quamvis locus non sit capax pœnæ, nihilominus cùm sit capax satisfactionis, erit etiam capax privationis: & hoc interdictum locale aliud dicitur generale, cum aliqua tota diœcesis, vel civitas interdicitur *c. cum inter de consuet. c. cum in partibus de V. S.* Aliud particulare, quòd tantùm afficit unum speciale locum, ut talem particularem Ecclesiam. Personale interdictum est, quod imponitur personis alicujus communitatis *c. si sententia de sentent. excommun. in 6.* & dividitur in generale, & speciale; illud est cum corpus collectivum interdicitur, ut populus, universitas, cùm in eos non possit ferri excommunicatio *c. Romana §. universitatem de sent. excommun. in 6.* necessariò poni debet interdictum, & tunc personæ constituentes illam communitatem manent interdictæ *c. si sententia de sent. excommun. in 6.* Speciale est, quod speciatim profertur in aliquam personam; nequè interest, quòd in unam, vel plures feratur, dummodo non ponatur per modum plurium. Interdictum mixtum est, cum simul interdicuntur personæ, & locus, ubi divina celebrantur officia, ut desumitur *ex d. c. non est vobis de spons. c. 1. de usur. in 6.* Cùm igitur interdictum sit gravis pœna, per quam cessatur à divinis officiis, non est imponenda nisi ex gravi, & manifesta causa *c. irrefragabili §. cæterum de offic. ordin. c. si sententia de sentent. excom. in 6.* proindè non à quolibet imponi debet, sed ab episcopo ex consensu Capituli: quia graves pœnæ non ponuntur nisi ab episcopo, siquidem sententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non est valida, nec tenet; & ferre censuram interdicti pertinet ad potestatem episcopalem non ad Capitulum, quia hoc vivente episcopo jure ordinario, & secluſa consuetudine, vel privilegio non habet jurisdictionem fori externi in territorium, vel civitatem episcopalem; proindè multò minus hæc potestas competit singularibus canonicis, ut sumitur *ex c. quæsivit. 2. h. t.* ubi Cœlestinus III. statuit, quòd Canonicus sine consensu episcopi, & fratrum non possit ponere interdictum in Ecclesia, & pœna ecclesiastica non est imponenda nisi iis, qui delinquunt, ne pœna delictum excedat; ubi notat Glossa, non debere interdici Ecclesiam propter delictum alicujus, nisi delinquens sit dominus loci, quia puniendus est tantùm, qui deliquit, non verò qui innocens est.

Quòd si Capitulum habeat jurisdictionem contentiosam, tunc si velit interdictum ponere 2

debet

debet illud apponere cum assensu episcopi *c. 1. de excess. Prælat.* ut maturiùs, & consultiùs, hæc censura imponatur, alioquin si Episcopus, vel Capitulum hanc censuram frequenter imponerent, sequeretur scandalum in populo, ad quod vitandum Cœlestinus *in d. c. quæsivit*, statuit, ne Capitulum absque consensu episcopi; aut Episcopus absque consensu Capituli audeant interdictum apponere. Videtur tamen in contrarium posse objici, quia potestas ferendi censuras spectat ad jurisdictionem contentiosam, ut probat Gibalinus *instrg. disquisit. 3.* proinde habentes talem jurisdictionem contentiosam possunt interdictum imponere; & licèt Episcopo jure ordinario competat hæc jurisdictio contentiosa; Capitulo tamen potest convenire ex privilegio, vel consuetudine, proinde si Capitulum gaudeat jurisdictione contentiosa etiam irrequisito episcopo, & sine ejus consensu poterit interdictum imponere. Firmatur, quia Episcopus per se posset hoc interdictum imponere, & quidem in tota diœcesi, seu quia habeat jurisdictionem contentiosam, ut liquet *ex c. ex transmissa de elect. v. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. v. auditis de præscript. v. cum & plantare 1. v. Episcopum de privil.* quinimò potest Episcopus canonicos, seu Capitulum interdicere *c. si canonici de offic. ordin. lib. 6. v. statutum de sent. excommun. in 6.* ergo canonici absque consensu episcopi possunt hoc interdictum imponere, si Capitulum gaudeat ex privilegio, vel consuetudine jurisdictione contentiosa. Sed contra, quia tametsi potestas ferendi censuram interdicti pertineat ad jurisdictionem contentiosam; attamen quia ex ejus abusu scandala frequenter in populo oriebantur, rectè potuit Ecclesia statuere, ut Capitulum neque in casibus, in quibus jurisdictionem contentiosam exercet, posset interdictum apponere in Ecclesia cathedrali sine consensu episcopi, & vice versa potuit etiam statuere, ne Episcopus hoc interdictum apponeret absque consensu Capituli, ut desumitur *ex c. 1. de excess. Prælator.* idque ut in re tanti momenti cautè, ac consultiùs procederetur. Et quamvis Gibalinus tractat. *de censur. disquisit. 3. in fin.* asserat, hodie consuetudine huic dispositioni juris derogatum esse, nihilominus adhuc in aliquibus ecclesiis mos illè viget, ut nec Capitulũ Ecclesiæ cathedralis, imo nec Episcopus, nec alius judex ordinarius possit apponere sententiam interdicti, vel cessationis à divinis. Ad confirmationem respondetur, ex coacervatis textibus illis juris, ubi refertur tam Episcopum, quàm Capitulum interdicti sententiam protulisse. Respondetur, talem sententiam processisse ex consensu episcopi, quando Capitulum apposuit interdictum, & ex consensu Capituli, quando Episcopus sententiam interdicti tulit.

3 Objici tamen adhuc potest textus *in c. cum inter 3. de consuet.* ubi habentur hæc verba: *super eo, quòd dicti canonici generale interdictum ab episcopo vestro, vel à vobis (id est à Decano, & Capitulo) in civitate Cenomanensi positum non servabant.* Ex hisce enim duplex oritur difficultas, quarum prima ex eo nascitur, quia nulla ibi fiat mentio consensûs Capituli in primo casu interdicti ab episcopo promulgati, & nihilominus interdictum fuisse validè appositum, ac juberi á Pontifice observari: ergo quia consensus Capituli necessarius non erat. Secunda difficultas ex eo itidem oritur: quia ibi supponitur, Capitulum per se posse sententiam interdicti promulgare; cùm regulariter non possit Capitulum ratione propriæ jurisdictionis censuras proferre. Verùm hæc non obstant, primæ enim difficultati facilè occurritur, quia eatenus in utroque casu interdictum ritè fuit appositum, quia adfuit consensus episcopi, quando Capitulum illud apposuit; & consensus Capituli, quando Episcopus sententiam talis interdicti tulit juxta casûs diversitatem. Secundæ difficultati respondetur, regulariter Capitulum jure ordinario non habere potestatem ferendi censuram interdicti: & ex consuetudine, vel privilegio rarò competere Capitulo similem facultatem *c. si canonici c. quamvis de offic. ordin. in 6.* sicut de Capitulo Cenomanensi in eo textu dicitur, & de Capitulo Carnotensi traditur *in c. ex parte c. 1. de V. S.* Chopinus *lib. 1. sac. pol. tit. 3. num. 4.* Quamobrem quando dicitur Capitulum vivente episcopo sententiam apposuisse interdicti, supponendum est, hanc facultatem ferendi censuras non aliter Capitulum acquisivisse, quàm privilegio, vel consuetudine.

Cæterum interdictum, quando est generale 4 comprehendit æquè nocentes, ac innocentes, quia tametsi nullus innocens ob culpam alterius nocentis sit puniendus, cùm peccata suos debeant torquere authores, ut dicitur *in v. quæsivit. 2. h. t.* nihilominus potest quis ob justam causam, & bonum publicum absque culpa sua privari jure suo juxta *regul. jur. 23. in 6.* sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus, vel jure suo privandus, ut etiam notat Glossa *in c. 2. V. culpâ vacat. de constitut.* & quia tempore interdicti generalis, & localis cessatur à divinis officiis, ideóque iis carere debent æquè innocentes, ac nocentes.

§. IV.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

QUæritur primò, cur in Capitulis, & Con- 1 gregationibus prævaleat regulariter, quod fit à majori parte Capituli? Respondetur semper prævalere, quod in Capitulis fit à majori, & saniore parte, ut desumitur *ex v. cum in cunctis 1. h. t.* ubi declaratur, statutum in Capitulis à majore, & saniore parte semper prævalere, etiam appellatione remota non obstante contraria consuetudine. Ratio ex eo desumitur, quia cùm homines facilè inter se dissentiant *c. nec novum 8. q. 1.* idque præsertim si agatur de re communi *l. cum pater §. duitis. ff. de legat. 2.* hinc nisi quod statuitur à majori parte collegii, seu universitatis ecclesiasticæ valeret, sumque sortiretur effectum, persæpe Ecclesiæ utilitas, & negotiorum expeditio impediretur *v. nobis. de elect.* & quia ubi est ma-

jor, & ſanior numerus præſumitur etiam eſſe major Zelus, maturiúsque conſilium, niſi contrarium probetur *c. In noſtra de teſtib.* rectè declaratur, id quod ſtatuitur à majore parte Capituli debere regulariter prævalere, ac ſi ſtatutum eſſet à toto capitulo, ut habetur in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* & in *l. quod major ff. ad munic.* Quamobrem quod in capitulo, ſeu collegio à majori parte congregatorum habentium vocem deciſivam ſtatutum fuerit, id legitimè ordinatum cenſeri debet, conſequenter executioni mandandum remotâ quavis appellatione.

2 Quæritur ſecundò, an major pars intelligenda ſit de ſolis præſentibus, ſeu congregatis tunc in Capitulo, vel etiam reſpectu abſentium, adeo ut major pars ſumenda ſit reſpectu omnium canonicorum, vel vocalium ſive præſentes ſint, ſive abſentes, dummodo ſint de numero Capituli, vel collegii? Reſpondetur, majorem partem eſſe intelligendam reſpectu congregatorum, & præſentium tunc in Capitulo: dummodo duæ partes eorum, qui adeſſe volunt, ac poſſunt, congregatæ ſint, ſecundùm ſententiam communiorem Doctorum: quia duæ partes ordinis in urbe poſiti totum ordinem repræſentant, ut notat Gloſſa in *l. plane* 4. *V. duæ partes ff. quod quicunque univerſitatis*, quapropter major pars præſentium, & conſentientium ſufficit, ut tota univerſitas dicatur conſenſiſſe.

3 Quæritur tertiò, an abſentes à civitate, vel loco, ubi congregantur vocales, vel canonici debeant vocari, & etiam expectari, ut ſi velint intereſſe, poſſint & ipſi præſentes eſſe? Reſpondetur ordinariè nec vocandos eſſe, nec expectandos, ut notat Gloſſa communiter recepta in *c.* 2. *V. ipſorum de teſtib. in 6.* quia vocales, & canonici tenentur præſentes eſſe, ut ſi detur ſignum poſſint Capitulo intereſſe. Neque obſtat, quod in electione epiſcopi, ut moris eſt in Germania, Canonici debeant vocari, & etiam expectari tempore præfixo. Nam contra eſt, quia ut notat Gloſſa *loc. cit.* id ſpeciale eſt in electione epiſcopi, ut Canonici abſentes ſi commodè vocari poſſint, ſint vocandi *c. quia propter* 42. *de elect.* verùm quandò dicimus abſentes ordinariè non eſſe vocandos, nec expectandos, id limitatur, niſi negotium arduum ſit, & magni momenti, ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* Limitatur etiam niſi quod ſtatuendum eſt vergat in ſingulare præjudicium abſentium, ut notat Felinus in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t* & Gloſſa ibidem *V. conſtitutum* ubi ait: quòd ſi decernendum ſit aliquid tendens in præjudicium ſingulorum, ut ſi agatur de juribus non univerſitatis, ſed ſingulorum propriis, non ſufficiat tunc conſenſus partis majoris, ſed neceſſe ſit, ut omnes conſentiant *argum. l. per fundum* 11. *ff. de ſervit. ruſtic. prad.*

4 Quæritur quartò, an poſſit minor pars contradicere majori, ſi hæc irrationabiliter, & in damnum Eccleſiæ aliquid ſtatuat? Reſpondetur affirmativè *argum. c. in cunctis* 1. *h. t.* ut notat Gloſſa communiter recepta in *c. Nicæna* 12. *diſt.* 31. ubi ſubdit, non ſolùm minorem partem, verùm etiam unicum ſolum canonicum poſſe totî univerſitati contradicere, dummodo eidem rationabilis cauſa ſubſit: hinc pro tuendis juribus ſuæ Eccleſiæ poteſt unus canonicus ſe opponere toti univerſitati, neque tunc neceſſe eſt appellare, quia canonicus contradicens poteſt ſuam querelam ad ſuperiorem deferre: ratio eſt, quia cum canonici tunc non verſentur in cauſa judiciali, quod ab iisdem fuit ſtatutum, non tranſit in rem judicatam *c. concertationi* 8. *juncta Gloſſa V. gravatim de appellat. in 6.*

Cæterum non obſtante tali appellatione unius, vel alterius poteſt major pars procedere ad executionem, ut notat Joannes Andreas in *c. cum in cunctis* 1. *num.* 2. *h. t.* quòd ſi poſtea deprehendatur, quòd appellatio juſta fuerit, revocatur, quod actum fuit à majori parte, ut de omni extrajudiciali appellatione explicat Innocentius in *d. c. in cunctis num.* 2. *h. t.* ubi *n.* 4. aſſerit, quemlibet capitularem teneri contradicere his, quæ malè fiunt, aut ſtatuuntur à Capitulo, quia tacens cenſetur conſentire, ſi per ſuam contradictionem poſſit impedire, imò & ratione officii ad id teneatur: & eo ipſo, quòd quis eſt conſors Capituli, ſeu ejus membrum ad ipſum etiam pertinent, quæ à capitulo fiunt. Additque Innocentius *loco cit.* quod ſi aliquid in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum de capitulo ſtatuatur, poſſit capitularis appellare ad ſuperiorem, ſin verò ſtatuatur in damnum injuſtum tertiæ privatæ perſonæ, non datur tunc locus appellandi, cùm nihil interſit appellantis. Poſſunt tamen capitulares tunc evangelicè denuntiare. f

Quæritur quintò, an minor pars Capituli poſſit aliquid diſponere nomine totius Capituli. Cum certum ſit, minorem partem rationabiliter contradicentem majori poſſe impedire, ne major quidquam ſtatuat nomine totius Capituli, eò quia ſana ratio ſit anteponenda exemplis *c. ſana diſt. 9.* & minor pars interdum ratione, & ſapientia antecellat. *c. Nicæna diſt.* 31. ideo ſit, ut licèt regulariter valeat quod à majori parte Capituli ſtatuitur, ſi tamen à minori parte fuerit rationabiliter oppoſitum, & objectum, non tenet, quod à majori fuit ſtatutum, ut habetur in *c. in cunctis* 1. *h. t. c. ſcriptum de elect.* Hinc oritur dubium, an minor pars ſi rationabiliter contradicat majori, non ſolum poſſit impedire, quod ſtatuitur à majore, verùm etiam poſſit aliquid decernere nomine totius Capituli? Reſpondetur negativè; quia licèt minor pars, ſi rationabiliter contradicat, poſſit impedire decretum majoris, non tamè poteſt aliquid diſponere nomine totius capituli, niſi major pars eſſet voce privata propter ſuum delictum *c. Bona de elect.* quo caſu cum poteſtas totius Capituli reſideat in ſolis non delinquentibus *c. gratum de poſtul. Prælat.* ſequitur, quòd licèt qui non deliquerunt ſint numero pauciores, adhuc poſſint nomine totius Capituli aliquid ſtatuere: non ita ſi cæteri non deliquerunt, quia ut actus univerſitatis valeat, regulariter requiritur, quòd ſit geſtus copulativè à majori, & ſaniore parte illius: illi autem inter canonicos cenſentur ſaniores, qui ætate, ſcientiâ, morum gravitate, officiis, ac dignitate præcedunt, *argum. c. quæſivit* 2. *h. t.* quorum ſententiæ proinde pluris æſtimantur, *arg. c. dudum* 22. *de elect.* 6

Cæte-

7 **Cæterum** quando minor pars contradicit, non tenetur probare coram majori parte rationes ſuæ contradictionis : quia major pars non eſt Judex, & eſt ſuſpecta minori parti contradicenti; quapropter tunc adeundus eſt ſuperior ipſius univerſitatis, vel capituli *c. univers. de elect.* vel ab ipſis partibus ſunt eligendi arbitri, qui de hoc cognoſcant *c. ſecundò requiris de appellat.*

8 An verò pars, quæ contradicit, teneatur appellare, vel ſufficiat, ſi contradicat. Reſpondetur, ſatis eſſe, ſi contradicat, ut notat Abbas in *c. cum in cunctis 1. b. t.* quia cum univerſitas procedat extrajudicialiter, ejus geſta non tranſeunt in rem judicatam, proinde ex ſola contradictione poteſt minor proſequi coram ſuperiore, ut quod ſtatutũ fuit minus rationabiliter per majorem partem, retractetur *c. consord. de appell. in 6.* Tenetur tamen expreſsè contradicere, qui non vult ita geſtis à majori parte conſentire, alioquin incurrit pœnas, perinde ac expreſsè conſentiens *l. de state §. qui tacuit. ff. de inter.* Cæterum minor pars ſi velit poteſt appellare: & appellatio tunc inter alios effectus operatur, ut inferior Judex ad quem eſt appellatum, nequeat de illo negotio cognoſcere *c. ut noſtrum de appellat.*

9 Quæritur ſextò, an Juramentum de ſervandis ſtatutis Eccleſiæ perniciosis validum ſit? Reſpondetur negativè, quia Juramentum de ſervandis ſtatutis, vel conſuetudinibus non debet ad ea extendi, quæ Eccleſiæ ſunt perniciosa, quemadmodum eſſet ſtatutum illud, ut non valeat decretum, niſi omnes conſentiant: ſiquidem per hoc ſtatutum præpeditur facultas ordinandi, quæ juſta, & utilia ſunt: & poſſet quilibet ſemper Eccleſiæ commoda impedire, hinc ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis 1. num. 9. b. t.* nullum juramentum tendens contra utilitatem Eccleſiæ obligat, & cenſetur perjurium, quapropter cavere debent Rectores communitatum, ne jurent ſtatuta, in quibus aliqua contineantur contra eccleſiaſticam libertatem. Hoc idem etiam cavere debent epiſcopi, aliique Prælati, ac ſuperiores, ſi jurent illicita, & contraria ſactis canonibus, ac libertati eccleſiaſticæ *c. 1. de jurejur. in 6.* tale enim juramentum non valet, quia Juramentum circa materiam juris intelligitur ſecundùm terminos juris; & quia conſuetudo Eccleſiæ perniciosa, vel à ſacris canonibus reprobata de jure non ſubſiſtit, ſequitur, quòd nec juramentum de obſervanda tali conſuetudine ſubſiſtat.

10 Quæritur ſeptimò, an Canonicus poſſit Eccleſiam interdicere? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. quæſivit. 2. b. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, Canonicum ſine conſenſu epiſcopi, & fratrum, non poſſe ponere interdictum in Eccleſia. Ratio etiam ex eo petitur, quia poteſtas interdicendi Eccleſiam ad eum pertinet, cujus jurisdictioni Eccleſia, vel populus ſubjicitur *c. 1. de exceſſ. Prælat. & c. non eſt de ſponsal.* atqui jurisdictio ſuper eccleſiis, & populo diœceſis non eſt apud aliquem Canonicum particularem, ſed eſt tota in epiſcopo, quandóque cum conſilio, & aliquando cum conſenſu Capituli juxta gravitatem negotii, & aliquando ſine illius conſilio, & conſenſu ſaltem juxta conſuetudinem præſcriptam *c. tua nuper 8. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſens capit.* Hinc interdictum in aliqua Eccleſia per aliquem de canonicis poſitum ſine conſenſu epiſcopi, & Capituli obſervari non debet, neque fieri, ut ab aliis obſervetur: ſed ſi quis deliquerit, ipſe eſt puniendus.

11 Cæterum ut interdictum locale feratur etiam in particulare, ſeu in certam Eccleſiam, aut locum ſacrum tria requiruntur. Primum ut delictum ſit valde grave junctum cum Eccleſiæ injuria, aut dehoneſtatione. Secundum ut commiſſum non ſit à perſona privata, ſed à communitate, vel capite communitatis, ſeu perſona publica. Tertium ut adſit authoritas epiſcopi, & conſenſus Capituli. Et tunc pœna ob delictum inflicta ſuos tantùm debet authores afficere, quia æquitas non patitur, ut innocens unà cum nocente pœnis involvatur. Idque procedit per ſe directè, & ſi ſermo ſit de pœna propriè dicta: quia indirectè, & per accidens nonnunquam ob juſtam cauſam etiam innocentes unà cum nocentibus pœnis afficiuntur, & incommodis: & in hoc ſenſu intelligitur *regula 23. in 6. ſine culpa niſi cauſa ſubſit non eſt aliquis puniendus.* Hoc eſt, non eſt jure ſuo privandus.

12 Quæritur octavò, an communis ordinatio Eccleſiæ per contradictionem, vel appellationem illius, cujus non intereſt, impediatur Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Ex ore 3. b. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, appellationem illius, cujus non intereſt appellare nullius eſſe valoris, nec impedire ordinationem Eccleſiæ: ratio eſt, quia non caret culpâ, qui ſe immiſcet rei ad ſe non pertinenti *l. culpa ff. de reg. jur.* appellatio autem inventa eſt ad relevandum appellantem à gravamine, non verò ad deprimendam cujusque juſtitiam *c. cum ſpeciali de appellat.* & quia negotia licita non debent frivolis rationibus retardari *c. cum ceſſante de appell.* & nullum poſſit gravamen prætendere, qui intereſſe non habet in cauſa *c. omnis oppreſſus 2. q. 6.* ſequitur, quòd per contradictionem, & appellationem interpoſitam ab eo, cujus non intereſt Eccleſiæ ordinatio, non ſit ejus proſecutio retardanda, ut habetur in *c. Ex jure 3. b. t.*

13 Quæritur nonò, an poſſit ferri interdictum locale à Capitulo ſine conſenſu epiſcopi viventis? Reſpondetur negativè, adeò ut ſi totum Capitulum vivente epiſcopo ferat interdictum, hoc nullius ſit roboris, & ratio ex eo petitur, quia ſententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non tenet, ut notat Gloſſa in *c. quæſivit 2. V. aſſenſu b. t.* atqui ferre cenſuram interdicti ad ſolam pertinet epiſcopalem poteſtatem, non verò ad Capitulum: quia hoc vivente epiſcopo jure ordinario, & ſecluſa conſuetudine, vel privilegio non habet jurisdictionem fori externi in territorium, vel civitatem epiſcopalem; proinde interdictum latum à capitulo ſine conſenſu epiſcopi non eſt ſervandum, quia nullius eſt roboris.

ſum, ut liquet *ex d.c. ut noſtrum* ubi dicitur, quòd ſi actor non probet, reus ſit abſolvendus, niſi præſumptio ſit contra eum, tunc enim onus probandi in eum transfertur. Rurſus quamvis occulta beneficii collatio ſuſpicione non careat, ac propterea præſumatur illegitimè facta, eò quia in his, quæ clandeſtinè fiant, fraus præſumatur, ut notat Barboſa *in d.c. ut noſtrum n. ult.* non propterea collatio eſt irrita, eò quia nullo jure reperitur expreſſum, quòd collatio beneficii ſit ſemper publicè facienda, ſicut ſtatutum eſt de electione in eccleſiis cathedralibus, & regularibus *c. quia propter 47. de elect.*

3 Rurſus qui beneficium alteri confert, non poteſt licitè ſibi retinere reditus, vel aliquam partem eorundem, & ſi in collatione de illo paciſcatur cum eo, cui confertur beneficium, committitur ſimonia, quia ex pacto accipit aliquid temporale, ſeu ipſos reditus, vel partem eorundem pro re ſpirituali, ut ſumitur *ex d.c. ut noſtrum h.t.* Sin verò Epiſcopus ex conſenſu Capituli non ex pacto, ſed per authoritatem, & poteſtatem ſuam ordinariam partem aliquam redituum beneficii vacantis ſubtrahat ob juſtam, & neceſſariam cauſam, & ſibi ad tempus reſervet, quamvis in ipſius epiſcopi commodum alioquo modo cedat, ut ad ſolvenda debita epiſcopatus contracta nomine Eccleſiæ, & non ſuo privato nomine, tunc illa retentio redituum excuſatur, ac liberatur à ſimoniaca labe, ut notat Abbas *in d. c. noſtrum n. 15.*

4 Quamobrem ſi juſta, & neceſſaria cauſa ſubſit, ut ſi eccleſia ſit ære alieno ſupra modum gravata, vel alia urgeat neceſſitas, poteſt etiam beneficium, antequam ad tempus conferatur, ad id applicari, ſeu poteſt pars fructuum in uſus Eccleſiæ reſervari *c. penult. inf. de verb. ſignif. & d.c. ut noſtrum h.t.* Immo poteſt Prælatus de conſenſu ſui Capituli, ſi juſta, ac neceſſaria cauſa ſuppetat, beneficium prorſus extinguere, & ejus proventus applicare Eccleſiæ *c. cùm acceſſiſſet 8. de conſtitut.* Verùm tutiùs ſemper, & conſultiùs eſt in ſimilibus caſibus licentiam petere è ſede apoſtolica, ut rectè notat Piaſecius *p. 2. c. 5. argum. textus c. tua nobis de verb. ſignif.*

5 Cæterum collator non poteſt beneficiatum gravare ullo onere reali, vel perſonali, nec partem redituum beneficii collati ſine juſta, ac neceſſaria cauſa ſibi reſervare: ſiquidem pro collatione beneficiorum exigere munus á manu, lingua, vel obſequio eſſe ſimoniacum fusè explicatur *in lib. 5. tit. de ſimonia.* hinc in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. c. 14.* improbantur omnes conſuetudines, ex quibus in quacunque proviſione, collatione, vel admiſſione ad poſſeſſionem cujuslibet beneficii, deductiones, fructuum ſolutiones, promiſſiones, compenſationes, quæ in uſus pios non convertantur, fiunt. Immo nec fructus, qui obveniunt tempore vacantis beneficii, poteſt collator ſuis applicare uſibus, ſed tenetur eos futuro ſucceſſori reſervare, nili fortaſſis ex ſpeciali privilegio, aut legitima, ac rationabili conſuetudine aliud fuerit introductum *c. cum vos. de offic. ordin. c. præſenti eod. tit. in 6. c. 3. de exceſſ. Prælat.* Pro extinguendis tamen debitis contractis ab Eccleſia cathedrali, & nomine ejusdem Eccleſiæ tantùm, poteſt, ut diximus, Epiſcopus fructus beneficii vacantis expendere, vel reſervare ad aliam piam cauſam, dummodo hæc reſervatio fiat ante collationem beneficii, quia poſt collationem ſemel liberè factam absque conſenſu beneficiati non poſſunt fructus beneficii retineri à collatore, quia in jure acquiſito non poteſt regulariter alicui præjudicari *l. id quod noſtrum §. de regul. jur.* ut notat Zoëſius *h.t. n.a.* Quòd ſi neceſſitas aliqua urgeat Epiſcopum ad conquirendam pecuniam, & nullum vacet beneficium, vel reditus beneficiorũ tunc vacantium non ſufficiant; poteſt tunc ab omnibus clericis ſibi ſubditis charitativum ſubſidium exigere; non verò imponere onera beneficiis, quæ conferuntur.

6 Per diviſionem etiam beneficia diminuuntur, eſt ſiquidem diviſio, quando ex uno beneficio duo conſtituuntur, tunc enim beneficium deperdit partem redituum, ac proinde minuitur, quæ diminutio eſt itidem prohibita *in c. majoribus 8. de prabend.* ex juſta tamen, & legitima cauſa nonnunquam permittitur, nimirum ſi reditus, qui ſuperſunt, ad congruam ſuſficiant ſuſtentationem, & aliàs illa diviſio videatur expedire ad incrementum divini cultus, vel ad debitè eundem conſervandum *c. vacante 26 de prabend.* Hinc ſi parochia amplior ſit, & ejus proventus pinguiores, & populus eidem ſubjectus plurimus, tum ex una poteſt Epiſcopus duas facere, præſertim ſi brumali tempore populus diſſitus non poſſit commodè ad parochiam venire *c. 3. de eccles. edificand.* Neque requiritur conſenſus parochianorum, imò neque ipſius Parochi licèt citari debeat, & audiri, ſicut etiam patronus, ſi contradicendi cauſam aliquam rationabilem habeat, ut notat Barb. *loc. cit. de offic. epiſc. allegat. 68. n. 4. & in collect.* ad Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. de reformat. c. 4.*

7 Tertiò minuitur beneficium per diſmembrationem, quæ tunc contingit, quando aliqua bona, ſeu reditus ſeparantur à beneficio, & alteri applicantur remanente beneficio apud ſuum ordinarium rectorem, quæ diſmembratio eſt etiam prohibita *in c. majoribus de prabend. c. tua c. niſi eſſent. eod. tit.* ex juſta tamen cauſa interdum permittitur, ut habetur *in c. 3. de eccleſiis edificand.* ſed ad talem diſmembrationem requiruntur tunc ſolemnitates, quæ neceſſariæ ſunt ad alienationem rei eccleſiaſticæ: ut etiam conſenſus beneficiati, ſi agatur de illius præjudicio: quòd ſi juſtæ, ac rationabili cauſæ nolit acquieſcere, & aſſentiri detrectet, tunc diſmembratio fieri poteſt eo invito. Quòd ſi quæratur quænam ſit juſta cauſa diſmembrandi. Reſpondetur, plerumque eſſe pinguiores reditus unius beneficii, & tenuiores alterius, & tunc in diſmembratione requiruntur eadem cauſæ, & ſolemnitates, quæ in unione, ſcilicet conſenſus Capituli, ut notat Abbas *conſil 106. num. 4. p. 2.* Pamvin. *de poteſtate Capituli ſede vacante 3. q. 2. p. num. 10.* Mandol. *regul. 22. q. 18. num. 8. & 9.* Rurſus vocatio rectoris, vel defen-

defensoris, & aliæ solemnitates in alienatione rei Ecclesiæ requisitæ *c. 1. de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6. & 2. ne sede vacante* & ibi DD. Glossa *in clement. si una de reb. eccles. V. defensor.*

8 Quartò minuitur beneficium per suppressionem, quæ est totalis ejusdem extinctio, quæ tamen suppressio sine justa, & urgente causa fieri non debet *c. ex parte de constitut.* Quòd permitti possit, si suppetat justa causa, statuit Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformat. c. 15.* ubi ait: in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus, ubi frequentes, & tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustentando decenti clericorum numero, & gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, licet episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia iis unire: vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex prædictis præbendis suppressis cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quorum fructus, & proventus reliquis præbendis, ac distributionibus applicentur; ad pauciorem numerum reducere: ita tamen, ut tot supersint, qui cultui divino celebrando valeant respondere. Hactenus Concilium. Quia verò Tridentinum episcopo sub nomine tantùm episcopi, non sub nomine ordinarii hanc potestatem supprimendi beneficia attribuit, ideo oritur difficultas, an Vicario episcopi; vel Capitulo sede vacante, hæc potestas competat. Et quamvis plures asserant, hanc potestatem derivari in Capitulũ sede vacante, ut docent Rebuffus *tit. de union. n. 36. tit. de devolut num.* 100. Zerola *in prax. episcopali 1 p. V. unio* §. 7. Antonius Genuensis *in prax. Archiepisc. curia Neapolitana c.* 85.

9 Non tamen potest Capitulum sede vacante sibi unire beneficia, ut censuit sacra Congregatio super *c. 15. sess. de reformat.* ubi expressè ait referente Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. punct. 68. Capitulum sede vacante non potest supprimere quodcunque beneficium, & sibi unire.* Immo nec Vicarius generalis episcopi unire potest hujusmodi beneficia absque speciali mandato, quamvis sibi concessa sit facultas conferendi cum clausula generali: & ad omnina alia, quæ requirunt speciale mandatum *c. qui ad agendum de procurat. in 6. clement. 2. eodem tit.* Rebuffus *in prax. in forma Vicariatûs num.* 102. Paris. *tom. 40. lib. 4.* Sprozius *de Vicario episc. lib. 2. q. 115.* Non tamen extingui debet beneficium, si respectu redituum onera missarum sint plura, & excedant; sed tunc potiùs ipsæ missæ reducendæ sunt ad minorem numerum, unde in Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. c. 4.* habetur, quòd episcopi in synodo diœcesana, ut etiam Abbates, & Generales ordinum in suis Capitulis generalibus possint pro sua conscientia reductionem facere, ita tamen ut semper eorundem defunctorum commemoratio fiat, qui

1 pro animarum salute legata cum onere missarum fecerunt.

10 Verùm adest declaratio sacræ Congregationis apud Barb. *in collect. ad d. c. 4. sess. 25. n.* 14. quâ illæ duntaxat missæ permittuntur ad minorem numerum reduci, quæ ex legatis defunctorum ante Concilium Tridentinum accesserunt ad beneficia: quæ verò ex ipsa fundatione beneficio injunctæ sunt, vel post Concilium per testatores ordinatæ, earum reductio ad summum Pontificem dicitur pertinere. De hisce commutationibus ultimarum voluntatum fusè agit Moneta in speciali tract. & præsertim *in c. 5. num. 368.* ubi etiam docet, quòd decretum Tridentini procedat, quamvis numerus missarum impositus sit per donationem, aut actum inter vivos. Id tamen intelligitur, si non fuerit pro singulis missis competens stipendium assignatum: secus in missis votivis, quæ pro justis stipendiis singulatim à multis petronis petuntur, quarum cumulus fortassis multum excresceret, absque consensu petentium non debet reductio fieri. Rursus ob labentem ex vetustate Ecclesiam, & ejus instaurationem non debent beneficia in eadem existentia extingui; sed ad alias Ecclesias arbitrio episcopi debent eadem beneficia transferri; quantum fieri potest cum omnibus oneribus, & emolumentis, & in illis ecclesiis erigenda sunt etiam altaria, vel capellæ sub iisdem sanctorum invocationibus, sub quibus erant priùs in alia Ecclesia, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 21. de reform. c. 7.*

11 Rursus per unionem beneficiorum hæc etiam quodammodo supprimuntur, eò quia duo coalescunt in unum, & unio beneficii facta alteri accessoriè operatur extinctionem, adeo ut amplius beneficium dici non possit: & beneficium unitum naturam induit illius, cui unitur: siquidem juxta vulgatum juris regulam accessorium sequitur principale, cujus naturam propterea assumit, ut tradit Gonzales *ad regul. 8. Cancellar. Glossa 5. §. 7. num. 8.* idque procedit, si unio beneficii facta sit accessoriè, & perpetuò, non ita si principaliter, vel ad tempus, seu ad vitam beneficiati, quia tunc unio solùm operatur ut rector unius beneficii sit etiam Rector alterius perseverante utroque beneficio in pristino suo statu. Unire autem beneficia possunt episcopi in suis diœcesibus *c. sicut unire de excessib. Prælat. c. pastoralis de donat.* Immo etiam alii Prælati exercentes jurisdictionem episcopalem, ut legatus de latere in Provincia suæ legationis: Capitulum sede vacante; dummodo per talem unionem non detrahatur jurisdictioni episcopi, ut in præcedentibus fusiùs diximus.

12 Ad hanc autem unionem duo sunt necessaria, causa, & solemnitas; illa petitur à necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, ut si una Ecclesia ob inopiam reddituum, aut populi nequeat commodè proprium rectorem alere *c. exposuisti de præb.* Solemnitas in eo est sita, ut Episcopus beneficia uniat cum consensu sui Capituli saltem ex postfacto accedente *d. clement. 2. de rebus eccles. non alienand.* & licèt non desint, qui admittant consuetudinem non requirendi consensum Capituli, ut Fulcus *de visitat. lib. 2. c. 26. num. 5.* nihilominus si unio cedat in commodum, & utilitatem episcopi, vel Capituli, non potest ab episcopo fieri talis unio etiam accedente consensu Capituli; quia non debet Episcopus esse Author proprii commodi, sed tunc unio

pertinet ad ſummum Pontificem, ut deſumitur *ex d. clement. 2. in fin.*

13 Rurſus citari debent quotquot eorum intereſt, cujusmodi ſunt patroni,& inferiores Prælati, ad quos Eccleſiæ uniendæ quoquo modo ſpectant, & eorum conſenſus requiritur *c. ſuggeſtum de jure patronat. d. clement. 1. §. ad hæc de ſtatu Monachor.* non ita requiritur conſenſus Rectoris, ſeu poſſeſſoris beneficii uniendi *d. clement. 2.* ſed quia beneficiatus canonicè inſtitutus jus quæſitum habet, quo non debet privari invito eodem,ideo videtur ea interpretatio adhibenda, ut ſine ipſius conſenſu ante mortem ſuam unio effectum habere non poſſit, ut explicat *Rotam in c. conſultationibus 4. de donation.*

14 Cæterum Tridentinum *ſeſſ. 14. de reform. c. 9.* prohibet, ne beneficia diverſarum diœceſium ſive jurata ſint, ſive ſimplicia, quacunque de cauſa etiam ad cultum divinum augendum perpetuò uniantur, ne per talem unionem limites diœceſium confundantur, rurſus *ſeſſ. 21. de reform. c. 5.* permittit epiſcopis etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegatis, ut ex juſta cauſa poſſint beneficia unire ſuæ diœceſis,licèt illa eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, vel quocunque modo affecta, ut tradit Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. §. 1. num. 92. & ſequent.* ubi adfert declarationem ſacræ Congregationis, quòd in beneficiis reſervatis debeat unio fieri ante eorundem vacationem,nam poſtquam vacare cœperunt, pro ea vice beneficia devolvuntur ad diſpoſitionem ſummi Pontificis.Rurſus *ſeſſ. 24. de reformat. c. 13.* prohibet, ne parochiales Eccleſiæ impoſterum uniantur Monaſteriis quibuscunque,aut Abbatiis, vel dignitatibus ſive præbendis Eccleſiæ cathedralis, ſive collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus,hoſpitalibus,aut militiis. Excipiuntur tamen uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione,augmento, & conſervatione collegiorum, ac aliorum piorum locorum in defenſionem fidei catholicæ, ac cultum bonarum artium, ut notat Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Gloſſa 5. §. 7. n. 7.*

15 Quòd ſi quæras,quando beneficia Eccleſiaſtica diminui, vel etiam extingui poſſint. Reſpondetur, ut ſuperiùs innuimus, quando reditus beneficiis notabiliter decreverunt, ut beneficiati non poſſint congruè ſuſtentari; tunc enim ab epiſcopo conſentiente Capitulo poſſunt uniri, vel etiam extingui *c. cum acceſſiſſent 8. de conſtitut.* Rurſus ob redituum notabile augmentum poteſt beneficiorum numerus augeri, quia tot Canonici, & Eccleſiæ miniſtri inſtitui debent, quot ex reditibus poſſunt congruè ſuſtentari *c. 1. de inſtit.* Quamobrem cùm hæc præbendarum diminutio ſit juri conſentanea,non prohibetur. Excipitur tamen, quòd ut dignitas in Eccleſia extinguatur, requiritur neceſſariò authoritas Papæ, ut notat Gloſſa *in c. cum acceſſiſſent V. confirmatum.* Idque verum eſt, ſi ex jure canonico talis dignitas eſſe debeat in Eccleſia: & ratio tunc eſt evidens, quia inferiores Papâ non poſſunt ſtatuere contra jus commune eccleſiaſticum. Imò ſi nova dignitas à Papa inſtituta ſit, & pro bono alicujus Eccleſiæ confirmata, non poteſt poſtea Epiſcopus illam absque authoritate Papæ extinguere: extra hos caſus poſſe Epiſcopum accedente conſenſu Capituli etiam dignitatem ex juſta cauſa extinguere docent cum Gloſſa *in clement. 2. de reb. eccles. non alien. V. vacabat* Joannes Andreas *in d. c. cum acceſſiſſent num. 19.* Layman. *in d. c. cum acceſſiſſent num. 2.*

Excipiuntur etiam beneficia, quæ ab alio 16
quàm epiſcopo, vel Capitulo fundata fuerunt; tunc enim ſine conſenſu patroni neque extingui, neque minui poteſt beneficium, niſi id exigat pura neceſſitas, & tunc requiritur, ut vocetur patronus,qui ſi conſentire noluerit, etiam eo invito poteſt diminutio beneficii fieri,ut docet Layman. *in c. cum M. 9. num. 2. excep. 2. de conſtit.* Rurſus neque beneficia ſupprimi poſſunt ab epiſcopo, etiam conſentiente Capitulo, ſi id cedat in commodum utriusque, ut paulò ſuperiùs innuimus, quia tunc requiritur authoritas Papæ, quia Epiſcopus, vel Capitulum in proprio facto non poſſunt authoritatem præſtare *clement. 2. de reb. eccles. non alien.*

§. II.

De penſionibus, quibus reditus beneficiorum diminuuntur.

CErtum eſt, poſſe S. Pontificem,ſi juſta 1
ſuppetat cauſa,abſolutè penſiones imponere ob pleniſſimam, quam habet poteſtatem diſponendi de beneficiis eccleſiaſticis *c. 2. de præben. in 6.* non ita poſſe licitè absque ulla juſta cauſa; quia Papa eſt tantùm adminiſtrator, & diſpenſator bonorum eccleſiaſticorum, ut notat Garcia *de Benef. 1. p. c. 5. num. 277.* talis tamen impoſitio penſionis ſine juſta cauſa facta à Papa valida eſſet,ut docet Garcia *l. c. n. 275.* quòd ad imponendam licitè penſionem requiratur juſta cauſa,ex eo liquet, quia jure communi ſtatutum eſt.ut beneficia ſine diminutione conferantur, ut habetur *in c. ut noſtrum unic. h. t.* ubi Innocentius III. decrevit, ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur: & non poſſunt fructus beneficii ſine juſta cauſa diminui, neque alteri aſſignari loco penſionis: ſiquidem per penſionem beneficia minuuntur,& ſi conferantur gravata penſionibus, conferuntur cum diminutione contra ſacros canones. Eſt ſiquidem penſio certa portio ex aliquo beneficio eccleſiaſtico juſta de cauſa detracta, ac ſeparata, ut communiter eam definiunt Canoniſtæ, ſeu eſt jus percipiendi ad tempus partem fructuum ex alieno beneficio: dicitur certa portio, quia eſt pars quædam, quæ detrahitur de reditibus beneficii,quod gravatur penſione; & res per ſe à jure beneficii, & titulo ſeparata, perinde ac uſus fructus à proprietate ſejunctus diſtinguitur.

Hinc penſio eſt veluti quædam ſervitus im- 2
poſita beneficio, & onus, quo gravatur beneficiarius, proinde ſine juſta cauſa non poteſt imponi ad tempus,cùm jure communi cautum ſit, ut beneficia ſine diminutione conferantur: ex eo, quòd penſio diſtinguatur à titulo beneficii, ſequitur, poſſe clericum quidem ordinari ad titulum beneficii, non ita ad titulum penſio-

nis

nis, nisi necessitas, vel Ecclesiæ commoditas aliud suadeat.

3 Quòd si dicas, pensionem subrogari loco beneficii, & subrogatum naturam sapere illius, cui subrogatur. Respondetur, inde non sequi, quòd eandem habeat qualitatem cum illo, ut perspicuum est in patrimonio, quod subrogatur in locum beneficii, ut clericus possit sacris initiari ordinibus; & nihilominus patrimonium non est beneficium, licèt subrogetur loco beneficii: ita pensio, licèt subrogetur loco beneficii, non tamen inde sequitur, esse beneficium.

4 Differt pensio à beneficio potissimùm in duobus. Primò quia pensio est pars quædam juris beneficiariorum redituum alteri constituta, & designata: secus beneficium comprehendit totum jus, & est per se, non pars alterius juris. Secundò quia beneficium suaptè natura constituitur in usum perpetuum Ministrorum Ecclesiæ, adeo ut per mortem, vel renuntiationem beneficiati non extinguatur, sed tantùm vacet, seu existat, licèt destitutum beneficiario; proinde alteri conferri debet, perinde ac uxor defuncto marito remanet vidua, & non moritur cum marito, sed potest alteri nubere; secus pensio ad tempus statuitur, & morte, vel renuntiatione pensionarii omnino finitur, & extinguitur, perinde ac ususfructus morte usufructuarii, ut docet Lessius *lib.* 2. *de justit. c.* 34. *dub.* 37.

5 Bipartitur pensio in laicalem, seu temporalem, & clericalem, seu spiritualem. Pensio laicalis est, quæ ob temporalem aliquam causam constituta, potest etiam laico competere, eò quia detur ob ministerium temporale, vel aliam causam temporalem, ut est pensio, quæ assignatur Ecclesiæ Oeconomo, cantori, patrono, ædituo, vel defensori ejusdem Ecclesiæ. Pensio clericalis dicitur, quæ in solos clericos cadit, & datur ob solum ministerium spirituale, cujusmodi est pensio assignata Coadjutori Episcopi, vel concionatori, vel Vicario, vel Cooperatori Parochi: & hæc iterum duplex est, una simpliciter spiritualis, quæ clerico ob ministerium purè spirituale datur: altera mixta, quæ licèt fundetur in clericali statu, nihilominus non propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, eámque vel lucrosam, ut quæ clerico pauperi, vel Parocho seni loco alimentorum assignatur: vel ob causam onerosam, ut quia aliquis lite beneficiaria cedit, vel beneficium alteri resignat servatâ sibi authoritate superioris pensione: hinc duobus modis conceditur pensio, vel commodi gratiâ, vel oneris causâ, priori modo reservatur pensio ex beneficio alicujus in utilitatem alterius, ut is habeat, unde possit honestè vivere, & tunc pensio datur in subsidium vitæ, & quia dare alimenta indigenti est causa pia, ideo talis pensio dicitur etiam pia. Oneris causâ conceditur pensio, eò quia datur alicui, ut lite, & controversia cedat, vel quia beneficium alterius causâ dimittit, vel permutat cum altero tenuiore: tunc enim, ne magnum patiatur detrimentum ob beneficium à se dimissum, authoritate superioris sibi reservat pensionem.

6 Præterea solent pensiones conferri liberè, & immunes ab omni onere, quapropter in litteris pontificiis, quibus pensio aliqua conceditur, solet clausula apponi, ne beneficiarius ex resignatione, seu cessione beneficii nimium dispendiũ patiatur, estq; De alicujus subventionis auxilio providentes pensionem annuam ab omni decima papali, charitativo subsidio ordinario, & extraordinario, & quocunque alio onere, quavis etiam authoritate apostolica, & ex quacunque quamvis urgentissima, & hic necessariò exprimenda causa, etiam pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de urbe &c. Inter pensionem ecclesiasticam, & laicalem hoc interest discrimen, quia laicalis nihil ferè commune habet cum beneficio ecclesiastico, cùm non exigat statum clericalem, nec officium spirituale. Secus ecclesiastica exigit statum clericalem, & habet secum annexam obligationem recitandi officium B. Virginis. Rursus laicalis tribui solet alteri ob temporale ministeriũ, quod præstat clericis, vel ecclesiæ, ut cum certa pensio ex bonis ecclesiasticis assignatur alicui laico, ut curá habeat pulsandi æra campana, aperiendi fores templi, verrendi Ecclesiam, docendi pueros grammaticam, vel cantum ecclesiasticum, vel obeundi munus Advocati, vel Procuratoris. Pensio ecclesiastica datur alicui ob beneficium ab eo simpliciter, vel alterius causâ dimissum, vel cum altero beneficio tenuiore permutatum, vel ob litem, & controversiam renuntiatum.

7 Pensio, quæ reservatur alicui clerico pauperi in congruam ejus sustentationem conferri solet ex quatuor potissimùm causis, ut notat Paulus Romanus *tractat. de pension. q.* 1. *n.* 12. Prima ex causa litteraturæ, eò quia clericus doctrina polleat. Secunda est hospitalitas, quâ clerici peregrini, & exteri sustentantur. Tertia est præmium, adeo ut nonnunquam pensio assignetur clerico in præmium, eò quia sit de Ecclesia benè meritus. Quarta est amor superioris in inferiorem, ut cum Papa alicui pensionem tribuit, eò quia amore, benevolentiâ, ac favore eum prosequatur. Est etiam usu receptum, ut pensiones reserventur quibusdam ob vitæ, & morum honestatem, aliásque præclaras animi dotes. Solet itidem pensio imponi in fundatione Ecclesiæ, ut cum Patronus petit, ut Ecclesia à se fundata, & dotata solvat certam pensionem alteri Ecclesiæ *c. quanto de consb.* vel etiam sibi *c. Præterea* 2. *de jure patronat.* quinimò ex consensu episcopi potest etiam in fundatione, & dotatione Ecclesiæ apponere conditionem, ut fructus, quoties contigerit eam vacare, sibi reddantur, ut notat Glossa *in c. generali in V. fundatione de elect. in* 6.

8 An verò pensio sit jus aliquod rei spirituali annexum, vel temporale, ac profanum; communis Canonistarum sententia est, non esse jus aliquod spirituale, nec rei spirituali annexum, sed tantum commodum quoddam temporale, seu jus quoddam profanum per se à beneficio distinctum, & sejunctum: eò quia conferatur in vitæ subsidium, non ratione ministerii spiritualis, sed officii temporalis præstiti: qua ratione non desunt, qui putent, pensionem non esse

reſcindi debeat quod actum fuerat à majore parte Capituli, ut tradit Innocentius *in d.c. cum in cunctis* 1. *h. t.* quòd ſi à contradicente non fuerit extrajudicialiter appellatum, tunc Capitulum, vel qui ei præeſt, poteſt, ac debet unum vel alterum contradicentem compellere, ut obediat ſtatuto à majore parte Capituli, quia pro illa ſtat præſumptio æquitatis. Quamobrem ad reſcindendam diſpoſitionem majoris partis requiritur neceſſariò, ut minor contradicens appellet, ſeu provocet ad ſuperiorem; quia tunc provocatio præter alios effectus, etiam hoc operatur, ut Prælatus inferior illo; ad quem eſt appellatum cognoſcere non poſſit de cauſa illa deducta ad alium ſuperiorem; neque poſſit in illa ſe immiſcere.

5 Cùm autem minor pars dicitur poſſe contrà decretum à majore factum appellare ad ſuperiorem, id fallit in non habente jus appellandi, ſeu in eo, cui non competit juſta cauſa contradicendi: ſiquidem per talem contradictionem non eſt impedienda diſpoſitio Capituli, & quod à majore parte collegii ſtatuitur ut deſumitur *ex cap exore* 3. *h. t.* ubi Innocentius III. reſcripſit ad Capitulum Eccleſiæ Auguſtanæ, quòd appellatio illius, ad quem non ſpectat appellare, omnino infirma eſt, nec valet ad impediendam ordinationem Eccleſiæ; & electus à majore, & ſaniore parte Capituli eſt benè electus, & propterea confirmandus. Ut etiam habens jus ad electionem præpoſituræ, ſi alicui electo reverentiam præſtet, quæ debetur præpoſito, videtur renunciare ſuo juri ipſo facto, ubi Gloſſa aſſerit, quòd ſi quis prætendat jus in beneficio, ut in præpoſitura, vel in parochia, non debet ejus poſſeſſorem, vel intruſum, contra quem agit in judicio, abſolutè vocare præpoſitum, vel parochum, ne id fateri cenſeatur: ſiquidem ut ait Innocentius, ſi quis alicui electo reverentiam præſtet, quæ deberur præpoſito, videtur renuntiare ſuo juri ipſo facto. Præterea conſtat poſſe Papam mandare, ut ante tempus jure præfixum ad eligendum electio Prælati fiat, ut habetur *in d c. ex ore*, ubi Innocentius mandavit, ut intra menſem certus eligeretur, tametſi de jure talis electio eſſet invalida, eò quia per ipſam tollatur libertas eligendi *c. cum terra 14. de elect.* Abbas in *d. c. ex ore num.* 3. ubi notat Gloſſa, quòd quando Papa mandat dari alicui præbendam, & Capitulum alium eligit, tenet electio *c. dilectus de prabend.*

6 Ut etiam quòd tacita renuntiatio in præjudicium renunciantis idem operetur, quod expreſſa, ut etiam docet Paris. *lib.* 1. *de reſignat. benefic. q. 13 num.* 11. & 12. quia tacita renuntiatio dignitatis, vel beneficii ſuum ſortitur valorem, tametſi ſine authoritate ſuperioris fiat: non verò expreſſa, quia hæc exigit ſuperioris authoritatem: quod verum eſt, cùm quis ſolùm habet jus ad rem, & cui poteſt renuntiare absque conſenſu ſuperioris: ſecus ſi habet jus in re, quia tunc ſaltem requiritur tacitus conſenſus ſuperioris; adeo ut, ſi is ſciens reſignationem factam, ei non contradicat, videatur eam tacitè acceptare: quamobrem renuntiatio tacita, ſeu facta ipſo facto valet ſine authoritate ſuperioris; ſicut plus valet prohibitio tacita, quàm expreſſa in conteſtatione litis. Quòd ſi caſſaretur electio præpoſiti, cui ipſe dominus fecit reverentiam, non poſſet poſtea dominus agere de propria præpoſitura, quia actio ſemel extincta non reviviſcit *l. qui res* §. *Aream ff de ſolut.*

7 Quòd ſi præpoſitus, vel Decanus electus à Capitulo, cui tale jus eligendi competebat, ad epiſcopatum poſtea promoveatur, poteſt reſignare præpoſituram, vel decanatum data illi facultate libera alium eligendi: ratio eſt, quia beneficia electi in Epiſcopum, non vacant ante ejus conſecrationem, ideoque vacant per renuntiationem: etenim in favorem electi introductum eſt, ut ejus beneficia non vacent ante conſecrationem *c. cum in cunctis 7. de elect.* 1. & electus poteſt ſuo favori renuntiare.

8 Geſta à majore parte Capituli valent, quando cedunt in utilitatem Eccleſiæ, tametſi alii Capitulares contradicant, non ita, ſi quæ à majore parte aguntur, ſint Eccleſiæ damno, tunc enim non ſolùm minoris partis, verùm etiam unius capitularis contradictio impedire poteſt, quò minus geſta à majore parte ſuum ſortiantur effectum, ut docet Layman *in c. cum inter* 8. *num.* 2. *de majorit. & obed.* Quòd ſi major pars Capituli conſentiat in aliquo, quod cedat in damnum Eccleſiæ, tenentur alii expreſsè contradicere, ſiquidem quilibet Capitularis tenetur his expreſsè ſe opponere, quæ malè fiunt, vel ſtatuuntur in Capitulo, ſive per illa lædatur Eccleſia, aut Capitulum, ſive ipſe contradicens, ſive alius tertius, alioquin ſi taceat, cenſetur conſentire; cùm ex communi effato tacens cenſendus ſit conſentire, ſi contradicendo poſſit commodè id impedire; & etiam ex proprio officio teneatur impedire: & quia quilibet Capitularis eſt membrum Capituli, & ratione officii, ſeu canonicatus tenetur impedire, quæ cedunt in damnum Eccleſiæ, vel Capituli; ideo ſi à majore parte Capituli aliqua ſtatuantur, quæ cedant in damnum Eccleſiæ, tenetur contradicere, & ſi non contradicat, particeps ſit ejusdem peccati, & pœnæ, quia cùm ſit membrum Capituli ex eo quòd non contradicat, cenſetur cum aliis conſentire, tametſi ipſe expreſsè, ſicut alii non conſentiat, ut notat Innocentius *in d. c. cùm in cunctis* 1. *h. t. num.* 4. ubi addit, quòd ſi aliquid à Capitulo decretum ſit in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum, poſſit capitularis non conſentiens appellare ad ſuperiorem: non ita ſi ſtatutum à majore parte ſit in damnum perſonæ tertiæ privatæ: ratio diſcrimînis eſt, quia quando eſt in damnum totius Capituli, eſt etiam in damnum ſingulorum Capitularium, proinde quilibet capitularis poteſt appellare, eò quia agatur etiam de damno proprio: ſecus quando decretum eſt in damnum tertiæ perſonæ privatæ, tunc cùm nihil interſit appellantis, neque ſtatutum à majore parte cedat in ſuum damnum, non debet appellare: ſed tunc tenetur peccatum capitularium denuntiare ſuperiori, ut emendetur. Sin autem ad actum alicujus valoris requiratur expreſſus conſenſus, ut ad alienationem perpetuam rei eccleſiaſticæ, vel ad electionem,

ctionem, tunc si capitularis taceat, non habetur pro consentiente, quinimmo neque taciturnitas quoad valorem actus habetur pro consensu in alienationibus arduis, & onerosis.

9 Habet Capitulum jus condendi statuta circa negotia concernentia ipsum Capitulum, ut docent communiter cum Felino, Decio, Abbate *in c. cùm accessissent de constitut.* id tamen limitatur, ut si statuta sint circa causas arduas, magnique præjudicii, ut ad augendas, vel diminuendas præbendas, aut novum aliquid circa residentiam canonicorum inducendum; tunc necessarium sit consensus episcopi *argum. c. ex parte de constitut. c. cum consuet. 9. de consuetud.* Barb. *juris eccles. univers. lib. 1. c. 32. num. 16.* Non tamen valet statutum, vel consuetudo etiam juramento firmata, vi cujus omnes de Capitulo teneantur consentire; & si non consenserint actus Capituli non sit validus, ut colligitur *ex c. cum in cunctis 1. b. t.* ubi jurans servare talem consuetudinem privatur communione, donec agat pœnitentiam. Ratio est, quia juramentum emissum contra utilitatem Ecclesiæ cum sit nullum non potest ullam obligationem inducere, & potiùs est perjurium, quàm juramentum: & statutum, vel consuetudo, ut actus capitularis non valeat, nisi omnes consenserint, est damnosa Ecclesiæ, quia per tale statutum impeditur facultas decernendi, & statuendi, quæ justa, & utilia sunt. Tum quia quilibet capitularis tali pacto posset impedire commoda Ecclesiæ si contradiceret aliis statutis aliquid, quod in maximum cederet Ecclesiæ bonum; unde tale juramentum utpote in præjudicium Ecclesiæ non est validum, nec potest ullam inducere obligationem.

10 Episcopus cum majore parte Capituli potest statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ cathedralis, tametsi pauciores numero ex Capitularibus dissentiant, ut desumitur *ex c. ex parte 4. b. t.* ubi habetur, quòd si Episcopus cum majore, & saniore parte Capituli statuat contributionem canonicorum pro reparanda fabrica Ecclesiæ, quamvis aliquis canonicus contradicat, nihilominus statutum plurimorum valeat, seu sententia majoris, ac sanioris partis prævaleat. Tametsi reparatio Ecclesiæ cathedralis principaliter incumbat episcopo ex illis reditibus, qui specialiter pro fabrica Ecclesiæ deputati sunt: siquidem de jure antiquo quarta pars reditum ecclesiasticorum servanda erat ad manutenenda sarta tecta Ecclesiæ, & instaurationem ejusdem, si opus esset *c. quatuor 29. cum tertia causa 12. q. 2.* nihilominus si illa quarta pars non sufficiat, nec mensa episcopalis pinguis sit, locum habet dispositio *in d. c. ex parte 4.* cui adstipulatur textus *in c. de eccles. ædificand.* ubi exiguntur contributiones à canonicis.

11 Quòd si nec Episcopus, nec canonici superabundantes habeant reditus, quibus citra defectũ congruæ sustentationis carere non possunt; licitum est episcopo cum consensu Capituli alios inferiores beneficiatos vocare ad contribuendum de superfluis reditibus, & tunc potest etiam Episcopus de consensu Capituli quosdam reditus vacantium beneficiorum ad id deputare ut notat Barbosa *in d. c. ex parte 4. b. t.* Cui tamen videtur obstare textus *in l. per fundum 11. ff. de servitut. rustic. prædior. redit. l. fabianus 28. ff. de communi dividundo c. in re communi. de reg. jur. in 6.* ubi habetur quòd major pars tunc tantùm prævaleat minori, quando agitur de rebus ad universitatem ut talem pertinentibus: quòd si agatur de rebus, & jure singulorum, ut in præsenti de reditibus singulorum canonicorum, tunc subintrat *regula juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*: & plus valet unius contradictio, quàm reliquorum consensus, saltem quoad portionem, quæ ipsum contingeret contradicentem.

Verùm Innocentius, & Panormit. *in d. c. ex parte 4. b. t.* respondent cum distinctione: si enim agatur de rebus acquirendis, quæque adhuc pertinent ad Ecclesiam, tametsi deputata sint ad sustentationem canonicorum, tunc censent procedere dispositionem *d. c. ex parte 4. b. t.* idque præsertim, quia contributiones exiguntur in favorem causæ piæ, cujusmodi est fabrica cathedralis Ecclesiæ. Sin verò agatur de rebus acquisitis, etiam propriis factis, tunc locum habet textus juris in quo dicitur, quod juri singulorum per majorem partem non possit præjudicari; & quamvis *in l. juris gentium 7. §. 17. & 19. ff. de pact.* statuatur, quòd si hæres paciscatur cum creditoribus defuncti de remittenda aliqua parte debiti, prævalere debeat consensus plurium creditorum, qui potiora debita habeant, tametsi hîc actiones, sive obligationes debitorum sint in bonis creditorum *l. qui actionem 19. ff. de regul. juris l. id apud sc. 143. ff. de verbor. signif. l. rem in bonis 52. de acquirend. rer. domin.* nihilominus id credendum est, ita statutum fuisse ob favorem defuncti, ne facilè sine hærede sit futurus, & ne bona ipsius propter æs alienum subhastentur cum non exigua diminutione honoris. 12

Cæterum, quod ad reparationem attinet Ecclesiæ, teneantur canonici ex propriis reditibus contribuere, quia reditus ecclesiastici non assignantur simpliciter canonicis, ut in eorum proprietatem transeant; sed cum implicito onere ex authoritate canonum adscripto concurrendi ad reparationem Ecclesiæ, quoties opus fuerit, adeo ut consensus majoris partis Capituli non tam requiratur, an canonici velint absolutè contribuere; quàm an velint absque contradictione, & ulteriore lite agnoscere, quòd hîc, & nunc urgeat necessitas contribuendi pro instauranda Ecclesiæ fabrica. 13

An verò major pars Capituli possit aliquid decernere cum præjudicio minoris partis de bonis, ac juribus spectantibus ad singulos de collegio. Respondetur simul cum Episcopo, seu Prælato posse majorem partem Capituli cum præjudicio minoris de bonis, ac juribus ad singulos spectantibus aliquid decernere, si id fiat ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, quia jus percipiendi reditus ecclesiasticos beneficiorum principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, quamvis secundùm partes, seu portiones 14

debet illud apponere cum assensu episcopi *c. 1. de excess. Prælat.* ut maturiùs, & consultiùs, hæc censura imponatur, alioquin si Episcopus, vel Capitulum hanc censuram frequenter imponerent, sequeretur scandalum in populo, ad quod vitandum Cœlestinus *in d. c. quæsivit*, statuit, ne Capitulum absque consensu episcopi; aut Episcopus absque consensu Capituli audeant interdictum apponere. Videtur tamen in contrarium posse objici, quia potestas ferendi censuras spectat ad jurisdictionem contentiosam, ut probat Gibalinus *interp. disquisit. 3.* proinde habentes talem jurisdictionem contentiosam possunt interdictum imponere; & licèt Episcopo jure ordinario competat hæc jurisdictio contentiosa; Capitulo tamen potest convenire ex privilegio, vel consuetudine, proinde si Capitulum gaudeat jurisdictione contentiosa etiam irrequisito episcopo, & sine ejus consensu poterit interdictum imponere. Firmatur, quia Episcopus per se posset hoc interdictum imponere, & quidem in tota diœcesi, seu quia habeat jurisdictionem contentiosam, ut liquet *ex c. ex transmissa de elect. v. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. v. auditis de præscript. v. cum & plantare 1. v. Episcopum de privil.* quinimò potest Episcopus canonicos, seu Capitulum interdicere *c. si canonici de offic. ordin. lib. 6. v. statutum de sent. excommun. in 6.* ergo canonici absque consensu episcopi possunt hoc interdictum imponere, si Capitulum gaudeat ex privilegio, vel consuetudine jurisdictione contentiosa. Sed contra, quia tametsi potestas ferendi censuram interdicti pertineat ad jurisdictionem contentiosam; attamen quia ex ejus abusu scandala frequenter in populo oriebantur, rectè potuit Ecclesia statuere, ut Capitulum neque in casibus, in quibus jurisdictionem contentiosam exercet, posset interdictum apponere in Ecclesia cathedrali sine consensu episcopi, & vice versa potuit etiam statuere, ne Episcopus hoc interdictum apponeret absque consensu Capituli, ut desumitur *ex c. 1. de excess. Prælator.* idque ut in re tanti momenti cautè, ac consultiùs procederetur. Et quamvis Gibalinus tractat. *de cens. disquisit. 3. in fin.* asserat, hodie consuetudine huic dispositioni juris derogatum esse, nihilominus adhuc in aliquibus ecclesiis mos illè viget, ut nec Capitulũ Ecclesiæ cathedralis, imo nec Episcopus, nec alius judex ordinarius possit apponere sententiam interdicti, vel cessationis à divinis. Ad confirmationem respondetur, ex conservatis textibus illis juris, ubi refertur tam Episcopum, quàm Capitulum interdicti sententiam protulisse. Respondetur, talem sententiam processisse ex consensu episcopi, quando Capitulum apposuit interdictum, & ex consensu Capituli, quando Episcopus sententiam interdicti tulit.

Objici tamen adhuc potest textus *in c. cum inter 3. de consuet.* ubi habentur hæc verba: *super eo, quòd dicti canonici generale interdictum ab episcopo vestro, vel à vobis (id est à Decano, & Capitulo) in civitate Cenomanensi positum non servabant.* Ex hisce enim duplex oritur difficultas, quarum prima ex eo nascitur, quia nulla ibi fiat mentio consensûs Capituli in primo casu interdicti ab episcopo promulgati, & nihilominus interdictum fuisse validè appositum, ac juberi á Pontifice observari: ergo quia consensus Capituli necessarius non erat. Secunda difficultas ex eo itidem oritur: quia ibi supponitur, Capitulum per se posse sententiam interdicti promulgare; cùm regulariter non possit Capitulum ratione propriæ jurisdictionis censuras proferre. Verùm hæc non obstant, primæ enim difficultati facilè occurritur, quia eatenus in utroque casu interdictum ritè fuit appositum, quia adfuit consensus episcopi, quando Capitulum illud apposuit; & consensus Capituli, quando Episcopus sententiam talis interdicti tulit juxta casûs diversitatem. Secundæ difficultati respondetur, regulariter Capitulum jure ordinario non habere potestatem ferendi censuram interdicti: & ex consuetudine, vel privilegio rarò competere Capitulo similem facultatem *c. si canonici c. quamvis de offic. ordin. in 6.* sicut de Capitulo Cenomanensi in eo textu dicitur, & de Capitulo Carnotensi traditur *in c. ex parte c. 1. de V. S.* Chopinus *lib. 1. sac. pol. tit. 3. num. 4.* Quamobrem quando dicitur Capitulum vivente episcopo sententiam apposuisse interdicti, supponendum est, hanc facultatem ferendi censuras non aliter Capitulum acquisivisse, quàm privilegio, vel consuetudine.

Cæterum interdictum, quando est generale comprehendit æquè nocentes, ac innocentes, quia tametsi nullus innocens ob culpam alterius nocentis sit puniendus, cùm peccata suos debeant torquere authores, ut dicitur *in v. quæsivit. 1. h. t.* nihilominus potest quis ob justam causam, & bonum publicum absque culpa sua privari jure suo juxta *regul. jur. 23. in 6.* sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus, vel jure suo privandus, ut etiam notat Glossa *in c. 2. V. culpâ vacat. de constitut.* & quia tempore interdicti generalis, & localis cessatur à divinis officiis, ideóque iis carere debent æquè innocentes, ac nocentes.

§. IV.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

QUæritur primò, cur in Capitulis, & Congregationibus prævaleat regulariter, quod fit à majori parte Capituli? Respondetur semper prævalere, quod in Capitulis fit à majori, & saniore parte, ut desumitur *ex c. cum in cunctis 1. h. t.* ubi declaratur, statutum in Capitulis à majore, & saniore parte semper prævalere, etiam appellatione remota non obstante contraria consuetudine. Ratio ex eo desumitur, quia cùm homines facilè inter se dissentiant *c. nec novum 8. q. 1.* idque præsertim si agatur de re communi *l. cum pater § duobus. ff. de legat. 2.* hinc nisi quod statuitur à majori parte collegii, seu universitatis ecclesiasticæ valeret, suúmque sortiretur effectum, perspicuè Ecclesiæ utilitas, & negotiorum expeditio impediretur *c. eccles. de elect.* & quia ubi est ma-

jor, & ſanior numerus præſumitur etiam eſſe major Zelus, maturiúsque conſilium, niſi contrarium probetur *c. In noſtra de teſtib.* rectè declaratur, id quod ſtatuitur à majore parte Capituli debere regulariter prævalere, ac ſi ſtatutum eſſet à toto capitulo, ut habetur in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* & in *l. quod major ff. ad munic.* Quamobrem quod in capitulo, ſeu collegio à majori parte congregatorum habentium vocem deciſivam ſtatutum fuerit, id legitimè ordinatum cenſeri debet, conſequenter executioni mandandum remotâ quavis appellatione.

2 Quæritur ſecundò, an major pars intelligenda ſit de ſolis præſentibus, ſeu congregatis tunc in Capitulo, vel etiam reſpectu abſentium, adeo ut major pars ſumenda ſit reſpectu omnium canonicorum, vel vocalium ſive præſentes ſint, ſive abſentes, dummodo ſint de numero Capituli, vel collegii? Reſpondetur, majorem partem eſſe intelligendam reſpectu congregatorum, & præſentium tunc in Capitulo: dummodo duæ partes eorum, qui adeſſe volunt, ac poſſunt, congregatæ ſint, ſecundùm ſententiam communiorem Doctorum: quia duæ partes ordinis in urbe poſiti totum ordinem repræſentant, ut notat Gloſſa in *l. plane* 4. *V. duæ partes ff. quod quicunque univerſitatis*, quapropter major pars præſentium, & conſentientium ſufficit, ut tota univerſitas dicatur conſenſiſſe.

3 Quæritur tertiò, an abſentes à civitate, vel loco, ubi congregantur vocales, vel canonici debeant vocari, & etiam expectari, ut ſi velint intereſſe, poſſint & ipſi præſentes eſſe? Reſpondetur ordinariè nec vocandos eſſe, nec expectandos, ut notat Gloſſa communiter recepta in *c.* 2. *V. ipſorum de teſtib. in 6.* quia vocales, & canonici tenentur præſentes eſſe, ut ſi detur ſignum poſſint Capitulo intereſſe. Neque obſtat, quod in electione epiſcopi, ut moris eſt in Germania, Canonici debeant vocari, & etiam expectari tempore præfixo. Nam contra eſt, quia ut notat Gloſſa *loc. cit.* id ſpeciale eſt in electione epiſcopi, ut Canonici abſentes ſi commodè vocari poſſint, ſint vocandi *c. quia propter* 42. *de elect.* verùm quandò dicimus abſentes ordinariè non eſſe vocandos, nec expectandos, id limitatur, niſi negotium arduum ſit, & magni momenti, ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t.* Limitatur etiam niſi quod ſtatuendum eſt vergat in ſingulare præjudicium abſentium, ut notat Felinus in *d. c. cum in cunctis* 1. *h. t* & Gloſſa ibidem *V. conſtitutum* ubi ait: quòd ſi decernendum ſit aliquid tendens in præjudicium ſingulorum, ut ſi agatur de juribus non univerſitatis, ſed ſingulorum propriis, non ſufficiat tunc conſenſus partis majoris, ſed neceſſe ſit, ut omnes conſentiant *argum. l. per fundum* 11. *ff. de ſervit. ruſtic. prad.*

4 Quæritur quartò, an poſſit minor pars contradicere majori, ſi hæc irrationabiliter, & in damnum Eccleſiæ aliquid ſtatuat? Reſpondetur affirmativè *argum. c. in cunctis* 1. *h. t.* ut notat Gloſſa communiter recepta in *c. Nicena* 12. *diſt.* 31. ubi ſubdit, non ſolùm minorem partem, verùm etiam unicum ſolum canonicum poſſe totî univerſitati contradicere, dummodo eidem rationabilis cauſa ſubſit: hinc pro tuendis juribus ſuæ Eccleſiæ poteſt unus canonicus ſe opponere toti univerſitati, neque tunc neceſſe eſt appellare, quia canonicus contradicens poteſt ſuam querelam ad ſuperiorem deferre: ratio eſt, quia cum canonici tunc non verſentur in cauſa judiciali, quod ab iisdem fuit ſtatutum, non tranſit in rem judicatam *c. concertationi 8. junctâ Gloſſa V. gravatim de appellat. in 6.*

Cæterum non obſtante tali appellatione unius, vel alterius poteſt major pars procedere ad executionem, ut notat Joannes Andreas in *c. cum in cunctis* 1. *num.* 2. *h. t.* quòd ſi poſtea deprehendatur, quòd appellatio juſta fuerit, revocatur, quod actum fuit à majori parte, ut de omni extrajudiciali appellatione explicat Innocentius in *d. c. in cunctis num.* 2. *h. t.* ubi *n.* 4. aſſerit, quemlibet capitularem teneri contradicere his, quæ malè fiunt, aut ſtatuuntur à Capitulo, quia tacens cenſetur conſentire, ſi per ſuam contradictionem poſſit impedire, imò & ratione officii ad id teneatur: & eo ipſo, quòd quis eſt conſors Capituli, ſeu ejus membrum ad ipſum etiam pertinent, quæ à capitulo fiunt. Additque Innocentius *loco cit.* quod ſi aliquid in damnum Eccleſiæ, vel ſingulorum de capitulo ſtatuatur, poſſit capitularis appellare ad ſuperiorem, ſin verò ſtatuatur in damnum injuſtum tertiæ privatæ perſonæ, non datur tunc locus appellandi, cùm nihil intereſſit appellantis. Poſſunt tamen capitulares tunc evangelicè denuntiare. f

5 Quæritur quintò, an minor pars Capituli poſſit aliquid diſponere nomine totius Capituli. Cum certum ſit, minorem partem rationabiliter contradicentem majori poſſe impedire, ne major quidquam ſtatuat nomine totius Capituli, eò quia ſana ratio ſit anteponenda exemplis *c. ſana diſt. 9.* & minor pars interdum ratione, & ſapientia antecellat. *c. Nicena diſt.* 31. ideo fit, ut licèt regulariter valeat quod à majori parte Capituli ſtatuitur, ſi tamen à minori parte fuerit rationabiliter oppoſitum, & objectum, non tenet, quod à majori fuit ſtatutum, ut habetur in *c. in cunctis* 1. *h. t. c. ſcriptum de elect.* Hinc oritur dubium, an minor pars ſi rationabiliter contradicat majori, non ſolum poſſit impedire, quod ſtatuitur à majore, verùm etiam poſſit aliquid decernere nomine totius Capituli? Reſpondetur negativè; quia licèt minor pars, ſi rationabiliter contradicat, poſſit impedire decretum majoris, non tamè poteſt aliquid diſponere nomine totius capituli, niſi major pars eſſet voce privata propter ſuum delictum *c. Bona de elect.* quo caſu eum poteſtas totius Capituli reſideat in ſolis non delinquentibus *c. gratum de poſtul. Prælat.* ſequitur, quòd licèt qui non deliquerunt ſint numero pauciores, adhuc poſſint nomine totius Capituli aliquid ſtatuere: non ita ſi cæteri non deliquerunt, quia ut actus univerſitatis valeat, regulariter requiritur, quòd ſit geſtus copulativè à majori, & ſaniore parte illius: illi autem inter canonicos cenſentur ſaniores, qui ætate, ſcientiâ, morum gravitate, officiis, ac dignitate præcedunt, *argum. c. quæſivit* 2. *h. t.* quorum ſententiæ proinde pluris æſtimantur, *arg. c. dudum* 22. *de elect.* 6

Cæte-

7 **Cæterum** quando minor pars contradicit, non tenetur probare coram majori parte rationes suæ contradictionis : quia major pars non est Judex, & est suspecta minori parti contradicenti; quapropter tunc adeundus est superior ipsius universitatis, vel capituli *c. univers. de elect.* vel ab ipsis partibus sunt eligendi arbitri, qui de hoc cognoscant *c. secundò requiris de appellat.*

8 An verò pars, quæ contradicit, teneatur appellare, vel sufficiat, si contradicat. Respondetur, satis esse, si contradicat, ut notat Abbas in *c. cum in cunctis 1. h. t.* quia cum universitas procedat extrajudicialiter, ejus gesta non transeunt in rem judicatam, proinde ex sola contradictione potest minor prosequi corã superiore, ut quod statutũ fuit minus rationabiliter per majorem partem, retractetur *c. concord. de appell. in 6.* Tenetur tamen expressè contradicere, qui non vult ita gestis à majori parte consentire, alioquin incurrit pœnas, perinde ac expressè consentiens *l. de ætate §. qui tacuit. ff. de inter.* Cæterum minor pars si velit potest appellare: & appellatio tunc inter alios effectus operatur, ut inferior Judex ad quem est appellatum, nequeat de illo negotio cognoscere *c. ut nostrum de appellat.*

9 Quæritur sextò, an Juramentum de servandis statutis Ecclesiæ perniciosis validum sit? Respondetur negativè, quia Juramentum de servandis statutis, vel consuetudinibus non debet ad ea extendi, quæ Ecclesiæ sunt perniciosa, quemadmodum esset statutum illud, ut non valeat decretum, nisi omnes consentiant: siquidem per hoc statutum præpeditur facultas ordinandi, quæ justa, & utilia sunt: & posset quilibet semper Ecclesiæ commoda impedire, hinc ut notat Abbas in *d. c. cum in cunctis 1. num. 9. h. t.* nullum juramentum tendens contra utilitatem Ecclesiæ obligat, & censetur perjurium, quapropter cavere debent Rectores communitatum, ne jurent statuta, in quibus aliqua contineantur contra ecclesiasticam libertatem. Hoc idem etiam cavere debent episcopi, aliique Prælati, ac superiores, si jurent illicita, & contraria sacris canonibus, ac libertati ecclesiasticæ *c. 1. de jurejur. in 6.* tale enim juramentum non valet, quia Juramentum circa materiam juris intelligitur secundùm terminos juris; & quia consuetudo Ecclesiæ perniciosa, vel à sacris canonibus reprobata de jure non subsistit, sequitur, quòd nec juramentum de observanda tali consuetudine subsistat.

10 Quæritur septimò, an Canonicus possit Ecclesiam interdicere? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. quæsivit. 2. h. t.* ubi Cœlestinus III. rescribit, Canonicum sine consensu episcopi, & fratrum, non posse ponere interdictum in Ecclesia. Ratio etiam ex eo petitur, quia potestas interdicendi Ecclesiam ad eum pertinet, cujus jurisdictioni Ecclesia, vel populus subjicitur *c. 1. de excess. Prælat. & c. non est de sponsal.* atqui jurisdictio super ecclesiis, & populo diœcesis non est apud aliquem Canonicum particularem, sed est tota in episcopo, quandóque cum consilio, & aliquando cum consensu Capituli juxta gravitatem negotii, & aliquando sine illius consilio, & consensu saltem juxta consuetudinem præscriptam *c. tua nuper 8. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens capit.* Hinc interdictum in aliqua Ecclesia per aliquem de canonicis positum sine consensu episcopi, & Capituli observari non debet, neque fieri, ut ab aliis observetur: sed si quis deliquerit, ipse est puniendus.

Cæterum ut interdictum locale feratur etiam in particulare, seu in certam Ecclesiam, aut locum sacrum tria requiruntur. Primum ut delictum sit valde grave junctum cum Ecclesiæ injuria, aut dehonestatione. Secundum ut commissum non sit à persona privata, sed à communitate, vel capite communitatis, seu persona publica. Tertium ut adsit authoritas episcopi, & consensus Capituli. Et tunc pœna ob delictum inflicta suos tantùm debet authores afficere, quia æquitas non patitur, ut innocens una cum nocente pœnis involvatur. Idque procedit per se directè, & si sermo sit de pœna propriè dicta: quia indirectè, & per accidens nonnunquam ob justam causam etiam innocentes unà cum nocentibus pœnis afficiuntur, & incommodis: & in hoc sensu intelligitur *regula 23. in 6. sine culpa nisi causa subsit non est aliquis puniendus.* Hoc est, non est jure suo privandus. 11

Quæritur octavò, an communis ordinatio Ecclesiæ per contradictionem, vel appellationem illius, cujus non interest, impediatur Respondetur negativè, & desumitur ex *c. Ex ore 3. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit, appellationem illius, cujus non interest appellare nullius esse valoris, nec impedire ordinationem Ecclesiæ: ratio est, quia non caret culpâ, qui se immiscet rei ad se non pertinenti *l. culpa ff. de reg. jur.* appellatio autem inventa est ad relevandum appellantem à gravamine, non verò ad deprimendam cujusque justitiam *c. cum speciali de appellat.* & quia negotia licita non debent frivolis rationibus retardari *c. cum cessante de appell.* & nullum possit gravamen prætendere, qui interesse non habet in causa *c. omnis oppressus 2. q. 6.* sequitur, quòd per contradictionem, & appellationem interpositam ab eo, cujus non interest Ecclesiæ ordinatio, non sit ejus prosecutio retardanda, ut habetur in *c. Ex jure 3. h. t.* 12

Quæritur nonò, an possit ferri interdictum locale à Capitulo sine consensu episcopi viventis? Respondetur negativè, adeò ut si totum Capitulum vivente episcopo ferat interdictum, hoc nullius sit roboris, & ratio ex eo petitur, quia sententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non tenet, ut notat Glossa in *c. quæsivit 2. V. assensu h. t.* atqui ferre censuram interdicti ad solam pertinet episcopalem potestatem, non verò ad Capitulum: quia hoc vivente episcopo jure ordinario, & secluså consuetudine, vel privilegio non habet jurisdictionem fori externi in territorium, vel civitatem episcopalem; proinde interdictum latum à capitulo sine consensu episcopi non est servandum, quia nullius est roboris. 13

14 Quæritur decimò, an major, & ſanior pars Capituli, ſeu collegii unà cum epiſcopo, contradicente minore poſſit aliquid diſponere ob neceſſitatē, & utilitatem Eccleſiæ, non ſolùm de bonis, ac juribus communibus collegii, verùm etiam de bonis, & juribus ſpectantibus ad ſingulos de collegio cum aliqua diminutione juris ſingulorum, ſi ſinguli jure illo participent, jure ipſius collegii, vel Eccleſiæ, non verò jure proprio, & ſingulari? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. Ex parte alt. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi Epiſcopus cum majore, & ſaniore parte Capituli ſtatuat contributionem canonicorum pro reparanda fabrica Eccleſiæ, tametſi aliquis ex canonicis contradicat, valeat nihilominus ſtatutum plurimorum, ſeu majoris, & ſanioris partis. Ratio eſt, quia jus percipiendi redditus eccleſiaſticos ex beneficiis annexis Eccleſiæ principaliter pertinet ad Capitulum, ſeu Eccleſiam, tametſi ſecundùm partes, ſeu portiones proventuum diviſum, ſeu attributum ſit ſingulis canonicis pro congrua eorundem ſuſtentatione, quò fit, ut ſinguli percipiant fructus beneficiales non jure proprio, & ſingulari, ſed jure Capituli, ſeu Eccleſiæ: & quia eſt quædam communio inter Eccleſiam materialem, & quaſi formalem quam Epiſcopus unà cum capitulo conſtituit, adeò ut ſecundùm primævam beneficiorum inſtitutionem proventus dividi debeant, adeò ut una portio debeatur menſæ epiſcopali, & altera menſæ capitulari, & tertia fabricæ Eccleſiæ, & quarta pauperibus, ideo ex lege charitatis, & communionis tenetur Epiſcopus, & Capitulum, ſi commodè poſſint ex ſuis redditibus ſubſidia ſubminiſtrare, ſi redditus pro fabrica Eccleſiæ non ſufficiant; quinimo ſi redditus pertinentes ad Capitularem menſam fuerint pinguiores, & Eccleſia vitium contraxerit, & ob periculum imminentis ruinæ ſit reædificanda, poteſt tunc Epiſcopus ſolus compellere Capitulum, ut ex ſuperfluis redditibus ſubveniat fabricæ indigenti: ratio eſt, quia Capitulum ſtante indigentia Eccleſiæ de jure ad id tenetur; & ubi eſt obligatio juris, non eſt neceſſarius conſenſus obligati *c. de bis* 3. *de eccles. ædific.*

15 An verò id etiam procedat de aliis piis, ac neceſſariis operibus, ut ſi Epiſcopus cum majori parte Capituli velit pro majori commodo Eccleſiæ, clericorum ſeminarium erigere, proinde ex ſingulorum canonicorum eccleſiaſticis proventibus aliquid exigere; videtur eſſe aliqua difficultas, quia habetur regula, quòd major pars univerſitatis de rebus, aut juribus ſingulorum, vel cum præjudicio ſingulorum non poſſit ſtatuere, niſi omnes conſenſerint *argum. l. per fundum ff. de ſervit. ruſtic. prædior.* Verùm communior, & verior ſententia affirmat, poſſe majorem partem univerſitatis, ſeu collegii ſtatuere cum præjudicio, ſeu diminutione juris ſingulorum; ſi ſinguli jus illud non participent ut proprium, ac ſingulare, ſed ut jus Eccleſiæ, vel totius univerſitatis. Hinc major, & ſanior pars communitatis poteſt paciſci, vel tranſigere circa jus paſcendi, vel cædendi ligna, ſi tale jus pertineat ad univerſitatem alicujus oppidi, & ſinguli oppidani in proprium commodum gaudeant eodem jure: quia tale jus eſt communitatis, non verò jus ſingulorum, tametſi uſus, & fruitio ad ſingulos pertineat: eodem pacto diſcurrendum eſt de jure percipiendi reditus beneficiales, cum enim tale jus pertineat ad totum Capitulum, ſeu Eccleſiam, tametſi ſecundū ſe, & fruitionem fint portiones diviſæ, & attributæ ſingulis, poteſt Epiſcopus cum majori parte Capituli in beneficium Eccleſiæ aliquid exigere à ſingulis canonicis etiam cum diminutione reditūum: Id verò debet fieri propter neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ, utilitas enim neceſſitati æquiparatur: alioquin ſi non fieret in utilitatem propriæ Eccleſiæ, ſed pro alio opere extraneo, quamvis pio, ſi ad illam Eccleſiam non pertineret, poſſet minor pars ſe opponere, ob præjudicium, quod ſingulis inferretur.

TITULUS XII.

Ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

HActenus abundè diximus de collationibus beneficiorum, quinam beneficia eccleſiaſtica conferre poſſint, ſive hoc jus competat epiſcopo ſoli, vel unà cum conſilio, vel etiam conſenſu Capituli, ſive hoc jus ſoli Capitulo conveniat, vel cuilibet alteri collatori; nunc ſupereſt videndum, quomodo conferri debeant beneficia: circa quod exſtat in jure regula generalis, quâ dicitur, quòd beneficia eccleſiaſtica integrè, & abſque diminutione; ac penſione conferri debeant: & in præſenti conferre beneficium ſumitur laxè etiam pro ipſa præſentatione, & inſtitutione, vel qualibet alia proviſione, ut tradit Garcias *p. 1. de benefic. c. 6. num. 32.* ubi aſſerit *conferre* eſſe generale, & alios modos comprehendere, cui aſſentitur Rebuffus *in prax. tit. de diſpoſitione ratione ætatis V. conferantur*, licèt in materia odioſa, & reſtringibili, ut eſt mandatum de providendo tanquam ambitioſum verbum *proviſio*, & verbum *diſpoſitio*, & à fortiori, etiam verbum *collatio*, non includant electionem, ut notat Abbas *in clement. 1. fin. de elect. num. 1.* Cardinalis

clem.

in clement. 1. de ſupplend. negligent. Prælator Mandos. *regula* 2. ait quòd verbum *collatio* comprehendat omnem modum, per quem providetur de beneficio, quando profertur à lege: ſecus verò quando ponitur in ſcriptis, & impetrationibus. Cardinalis tamen forſan probabiliùs *loc. cit. num.* . aſſerit, quòd ſi apponeretur etiam in diſpoſitione reſtringibili ſolum verbum *diſpoſitio*, poſſet ampliari etiam ad electionem, ut etiam ſentit Rebuffus *in prax. de benefic. V. diſpoſitionem vers. item illa enumeratio ſpecierum.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici capitis in hoc titulo contenti.

C. UT NOSTRUM *unic. h. t. Innocentius III. reſcribit, eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione eſſe conferenda, ſecundò qui ante donationem beneficii eccleſiaſtici non percipit proventus, ſed alius, & ex donatione conſequitur, ut fructus percipiat, eſt ſimoniacus: ſed ſi ante donationem fructus percipit, & antè conſtituit ex cauſa neceſſaria, ut retineat fructus, eſt licitum. Sed ſi conveniat cum eo, qui beneficium accipit, vel cum mediatore, ut retineat proventus, & concedat beneficium, eſt illicitum, & ſimonia palliata. Tertiò ut is, contra quem eſt præſumptio, debeat rationem reddere, & ſe excuſare. Quartò ſi Actor non probet, debeat reus abſolvi, niſi præſumptio ſit contra eum, quia hunc onus probandi illi incumbit. Quintò ut ſuperior ex ſuo officio debeat inquirere de exceſſibus ſubditorum. Sextò ut occulta donatio ſit ſuſpecta, & invalida. Verùm ut notat Panormitanus hic occulta collatio beneficii quamvis ſit ſuſpecta, valet tamen, dummodo aliàs probetur legitimè facta, quia mens Pontificis in hoc textu non eſt principaliter agere de collatione occulta, ſed tantùm, quòd ſi Archiepiſcopus non probâſſet, collationem eſſe factam, debuiſſe præſumi non fuiſſe factam, tamquæ propterea ad Pontificem devolutam* argum. c. nulla de conceſſ. præbend. *Caterum Actore non probante Reus debet abſolvi, quamvis ipſe nihil probaverit. In textu tamen ob vehementes præſumptiones ortas ex pluribus argumentis onus probandi transfunditur in Reum Caterum collator beneficii non poteſt alteri tertiò reſervare partem fructuum, aut penſionem & ſi fiat collatio veluti ex pacto inficitur ſimoniaca pravitate per hunc textum, quia in hiſce conventionibus pro obtinendo ſpirituali datur, vel promittitur aliquid temporale, cujusmodi eſt ipſa penſio. Et licèt nullum intercedat pactum, ſunt tamen hujusmodi penſiones, & reſervationes illicitæ, quia non fiunt ob Eccleſiæ neceſſitatem, aut utilitatem, hinc penſio per Epiſcopum ſine juſta cauſa beneficio impoſita, eſt nulla. Demum ex eodem textu liquet, in collatione beneficii nullam conditionem rectè poſſe adjici, quàm quæ tacitè, & ex naturâ rei ineſt, cujusmodi ſunt hæ conditiones, ſi beneficium vacet, ſi juſta ſit ætatis is, cui conferatur, ſi Eccleſia velit inſervire, ſi curam animarum velit exercere, quando beneficium eſt curatum: hæ ſiquidem & aliæ ſimiles conditiones ſemper tacitè inſunt.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo intelligendum ſit, quòd beneficia eccleſiaſtica debeant ſine diminutione conferri.

1 LUvat obſervare, quatuor modis beneficium diminui poſſe, nimirum per impoſitionem oneris, diviſionem ejusdem, beneficii dismembrationem, & ſuppreſſionem, & omnes hujusmodi ſpecies diminutionis regulariter ſunt ordinario collatori prohibitæ, niſi ex juſta aliqua cauſa non tam ut collator, ſed potiùs ut Judex eccleſiaſticos permittatur Epiſcopus aliquid hujusmodi facere, alioquin tenetur quilibet collator conferre beneficium eccleſiaſticum ſine ulla diminutione, ut habetur *in c. ut noſtrum h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut eccleſiaſtica beneficia abſque diminutione conferantur, item declarat, quòd qui ante donationem beneficii eccleſiaſtici non percipit proventus, ſed alius, & ex donatione conſequitur, ut fructus percipiat, ſit ſimoniacus: ſed ſi ante donationem percipit fructus, & ante conſtituit ex cauſa neceſſaria ut retineat fructus, ſit licitum. Sed ſi conveniat cum eo, qui accipit beneficium, vel cum mediatore, ut retineat proventus, & concedat beneficium ſit illicitum, & ſimonia palliata.

Verùm notandum eſt, quòd nullus ſine reo accuſatore debeat damnari, & actore non probante reus abſolvendus ſit, quamvis nihil præſtiterit, neque innocentiam ſuam probaverit. Nonnunquam tamen ratione præſumptionis transfertur onus probandi contra reum in ipſum, 2

ſum, ut liquet *ex d.c. ut noſtrum* ubi dicitur, quòd ſi actor non probet, reus ſit abſolvendus, niſi præſumptio ſit contra eum, tunc enim onus probandi in eum transfertur. Rurſus quamvis occulta beneficii collatio ſuſpicione non careat, ac propterea præſumatur illegitimè facta, eò quia in his, quæ clandeſtinè fiant, fraus præſumatur, ut notat Barboſa *in d. c. ut noſtrum n. ult.* non propterea collatio eſt irrita, eò quia nullo jure reperitur expreſſum, quòd collatio beneficii ſit ſemper publicè facienda, ſicut ſtatutum eſt de electione in eccleſiis cathedralibus, & regularibus *c. quia propter 47. de elect.*

3 Rurſus qui beneficium alteri confert, non poteſt licitè ſibi retinere reditus, vel aliquam partem eorundem, & ſi in collatione de illo paciſcatur cum eo, cui confertur beneficium, committitur ſimonia, quia ex pacto accipit aliquid temporale, ſeu ipſos reditus, vel partem eorundem pro re ſpirituali, ut ſumitur *ex d. c. ut noſtrum h. t.* Sin verò Epiſcopus ex conſenſu Capituli non ex pacto, ſed per authoritatem, & poteſtatem ſuam ordinariam partem aliquam redituum beneficii vacantis ſubtrahat ob juſtam, & neceſſariam cauſam, & ſibi ad tempus reſervet, quamvis in ipſius epiſcopi commodum alioquo modo cedat, ut ad ſolvenda debita epiſcopatus contracta nomine Eccleſiæ, & non ſuo privato nomine, tunc illa retentio redituum excuſatur, ac liberatur à ſimoniaca labe, ut notat Abbas *in d. c. noſtrum n. 15.*

4 Quamobrem ſi juſta, & neceſſaria cauſa ſubſit, ut ſi eccleſia ſit ære alieno ſupra modum gravata, vel alia urgeat neceſſitas, poteſt etiam beneficium, antequam ad tempus conferatur, ad id applicari, ſeu poteſt pars fructuum in uſus Eccleſiæ reſervari *c. penult. inf. de verb. ſignif. & d. c. ut noſtrum h. t.* Immo poteſt Prælatus de conſenſu ſui Capituli, ſi juſta, ac neceſſaria cauſa ſuppetat, beneficium prorſus extinguere, & ejus proventus applicare Eccleſiæ *c. cùm acceſſiſſet 8. de conſtitut.* Verùm tutiùs ſemper, & conſultiùs eſt in ſimilibus caſibus licentiam petere è ſede apoſtolica, ut rectè notat Piaſecius *p. 2. c. 5. argum. textus c. tua nobis de verb. ſignif.*

5 Cæterum collator non poteſt beneficiatum gravare ullo onere reali, vel perſonali, nec partem redituum beneficii collati ſine juſta, ac neceſſaria cauſa ſibi reſervare: ſiquidem pro collatione beneficiorum exigere munus á manu, lingua, vel obſequio eſſe ſimoniacum fusè explicatur *in lib. 5. tit. de ſimonia.* hinc in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. c. 14.* improbantur omnes conſuetudines, ex quibus in quacunque proviſione, collatione, vel admiſſione ad poſſeſſionem cujuslibet beneficii, deductiones, fructuum ſolutiones, promiſſiones, compenſationes, quæ in uſus pios non convertantur, fiunt. Immo nec fructus, qui obveniunt tempore vacantis beneficii, poteſt collator ſuis applicare uſibus, ſed tenetur eos futuro ſucceſſori reſervare, nili fortaſſis ex ſpeciali privilegio, aut legitima, ac rationabili conſuetudine aliud fuerit introductum *c. cum vos. de offic. ordin. c. præſenti eod. tit. in 6. c. 3. de exceſſ. Prælat.* Pro extinguendis tamen debitis contractis ab Eccleſia cathedrali, & nomine ejusdem Eccleſiæ tantùm, poteſt, ut diximus, Epiſcopus fructus beneficii vacantis expendere, vel reſervare ad aliam piam cauſam, dummodo hæc reſervatio fiat ante collationem beneficii, quia poſt collationem ſemel liberè factam absque conſenſu beneficiati non poſſunt fructus beneficii retineri à collatore, quia in jure acquiſito non poteſt regulariter alicui præjudicari *l. id quod noſtrum §. de regul. jur.* ut notat Zoëſius *h. t. n. 6.* Quòd ſi neceſſitas aliqua urgeat Epiſcopum ad conquirendam pecuniam, & nullum vacet beneficium, vel reditus beneficiorũ tunc vacantium non ſufficiant; poteſt tunc ab omnibus clericis ſibi ſubditis charitativum ſubſidium exigere; non verò imponere onera beneficiis, quæ conferuntur.

6 Per diviſionem etiam beneficia diminuuntur, eſt ſiquidem diviſio, quando ex uno beneficio duo conſtituuntur, tunc enim beneficium deperdit partem redituum, ac proinde minuitur, quæ diminutio eſt itidem prohibita *in c. majoribus 8. de prabend.* ex juſta tamen, & legitima cauſa nonnunquam permittitur, nimirum ſi reditus, qui ſuperſunt, ad congruam ſufficiant ſuſtentationem, & aliàs illa diviſio videatur expedire ad incrementum divini cultus, vel ad debitè eundem conſervandum *c. vacante 26 de prabend.* Hinc ſi parochia amplior ſit, & ejus proventus pinguiores, & populus eidem ſubjectus plurimus, tum ex una poteſt Epiſcopus duas facere, præſertim ſi brumali tempore populus diſſitus non poſſit commodè ad parochiam venire *c. 3. de eccles. ædificand.* Neque requiritur conſenſus parochianorum, imò neque ipſius Parochi licèt citari debeat, & audiri, ſicut etiam patronus, ſi contradicendi cauſam aliquam rationabilem habeat, ut notat Barb. *loc. cit. de offic. epiſc. allegat. 68. n. 4. & in collect.* ad Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. de reformat. c. 4.*

7 Tertiò minuitur beneficium per diſmembrationem, quæ tunc contingit, quando aliqua bona, ſeu reditus ſeparantur à beneficio, & alteri applicantur remanente beneficio apud ſuum ordinarium rectorem, quæ diſmembratio eſt etiam prohibita *in c. majoribus de prabend. c. tua c. niſi eſſent. eod. tit.* ex juſta tamen cauſa interdum permittitur, ut habetur *in c. 3. de eccleſiis ædificand.* ſed ad talem diſmembrationem requiruntur tunc ſolemnitates, quæ neceſſariæ ſunt ad alienationem rei eccleſiaſticæ: ut etiam conſenſus beneficiati, ſi agatur de illius præjudicio: quòd ſi juſtæ, ac rationabili cauſæ nolit acquieſcere, & aſſentiri detrectet, tunc diſmembratio fieri poteſt eo invito. Quòd ſi quæratur quænam ſit juſta cauſa diſmembrandi, Reſpondetur, plerumque eſſe pinguiores reditus unius beneficii, & tenuiores alterius, & tunc in diſmembratione requiruntur eædem cauſæ, & ſolemnitates, quæ in unione, ſcilicet conſenſus Capituli, ut notat Abbas *conſil 106. num. 4. p. 2.* Pamvin. *de poteſtate Capituli ſede vacante 3. q. 2. p. num. 10.* Mandol. *regul. 22. q. 13. num. 8. & 9.* Rurſus vocatio rectoris, vel defen-

defenſoris, & aliæ ſolemnitates in alienatione rei Eccleſiæ requiſitæ *c. 1. de rebus Eccleſiæ non alienand. in 6. & 2. ne ſede vacante* & ibi DD. Gloſſa *in clement. ſi una de reb. eccles. V. defenſor.*

8 Quartò minuitur beneficium per ſuppreſſionem, quæ eſt totalis ejusdem extinctio, quæ tamen ſuppreſſio ſine juſta, & urgente cauſa fieri non debet *c. ex parte de conſtitut.* Quòd permitti poſſit, ſi ſuppetat juſta cauſa, ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. c. 15.* ubi ait: in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus, ubi frequentes, & tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtentando decenti clericorum numero, & gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, licet epiſcopis cum conſenſu Capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia iis unire: vel ſi hac ratione provideri non poſſit aliquibus ex prædictis præbendis ſuppreſſis cum patronorum conſenſu, ſi de jure patronatus laicorum ſint, quorum fructus, & proventus reliquis præbendis, ac diſtributionibus applicentur; ad pauciorem numerum reducere: ita tamen, ut tot ſuperſint, qui cultui divino celebrando valeant reſpondere. Hactenus Concilium. Quia verò Tridentinum epiſcopo ſub nomine tantùm epiſcopi, non ſub nomine ordinarii hanc poteſtatem ſupprimendi beneficia attribuit, ideo oritur difficultas, an Vicario epiſcopi, vel Capitulo ſede vacante, hæc poteſtas competat. Et quamvis plures aſſerant, hanc poteſtatem derivari in Capitulũ ſede vacante, ut docent Rebuffus *tit. de union. n. 36. tit. de devolut num. 100.* Zerola *in prax. epiſcopali 1 p. V. unio §. 7.* Antonius Genuenſis *in prax. Archiepiſc. curiæ Neapolitanæ c. 85.*

9 Non tamen poteſt Capitulum ſede vacante ſibi unire beneficia, ut cenſuit ſacra Congregatio ſuper *c. 15. ſeſſ. de reformat.* ubi expreſsè ait referente Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. punct. 68. Capitulum ſede vacante non poteſt ſupprimere quodcunque beneficium, & ſibi unire.* Immo nec Vicarius generalis epiſcopi unire poteſt hujusmodi beneficia absque ſpeciali mandato, quamvis ſibi conceſſa ſit facultas conferendi cum clauſula generali: & ad omnina alia, quæ requirunt ſpeciale mandatum *c. qui ad agendum de procurat. in 6. clement. 2. eodem tit.* Rebuffus *in prax. in forma Vicariatûs num. 102.* Paris. *conſ. 40. lib. 4.* Sprozius *de Vicario epiſc. lib. 2. q. 115.* Non tamen extingui debet beneficium, ſi reſpectu reditũum onera miſſarum ſint plura, & excedant; ſed tunc potius ipſæ miſſæ reducendæ ſunt ad minorem numerum, unde in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. c. 4.* habetur, quòd epiſcopi in ſynodo diœceſana, ut etiam Abbates, & Generales ordinum in ſuis Capitulis generalibus poſſint pro ſua conſcientia reductionem facere, ita tamen ut ſemper eorundem defunctorum commemoratio fiat, qui

3 pro animarum ſalute legata cum onere miſſarum fecerunt.

10 Verùm adeſt declaratio ſacræ Congregationis apud Barb. *in collect. ad d. c. 4. ſeſſ. 25. n. 14.* quâ illæ duntaxat miſſæ permittuntur ad minorem numerum reduci, quæ ex legatis defunctorum ante Concilium Tridentinum acceſſerunt ad beneficia: quæ verò ex ipſa fundatione beneficio injunctæ ſunt, vel poſt Concilium per teſtatores ordinatæ, earum reductio ad ſummum Pontificem dicitur pertinere. De hiſce commutationibus ultimarum voluntatum fuſè agit Moneta in ſpeciali tract. & præſertim *in c. 5. num. 368.* ubi etiam docet, quòd decretum Tridentini procedat, quamvis numerus miſſarum impoſitus ſit per donationem, aut actum inter vivos. Id tamen intelligitur, ſi non fuerit pro ſingulis miſſis competens ſtipendium aſſignatum: ſecus in miſſis votivis, quæ pro juſtis ſtipendiis ſingulatim à multis perſonis petuntur, quarum cumulus fortaſſis multum excreſceret, abſque conſenſu petentium non debet reductio fieri. Rurſus ob labentem ex vetuſtate Eccleſiam, & ejus inſtaurationem non debent beneficia in eadem exiſtentia extingui; ſed ad alias Eccleſias arbitrio epiſcopi debent eadem beneficia transferri, quantum fieri poteſt cum omnibus oneribus, & emolumentis, & in illis eccleſiis erigenda ſunt etiam altaria, vel capellæ ſub iisdem ſanctorum invocationibus, ſub quibus erant priùs in alia Eccleſia, ut ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. de reform. c. 7.*

Rurſus per unionem beneficiorum hæc etiam 11
quodammodo ſupprimuntur, eò quia duo coaleſcunt in unum, & unio beneficii facta alteri accеſſoriè operatur extinctionem, adeo ut ampliùs beneficium dici non poſſit: & beneficium unitum naturam induit illius, cui unitur: ſiquidem juxta vulgatum juris regulam acceſſorium ſequitur principale, cujus naturam propterea aſſumit, ut tradit Gonzales *ad regul. 8. Cancellar. Gloſſa 5. §. 7. num. 8.* idque procedit, ſi unio beneficii facta ſit acceſſoriè, & perpetuò, non ita ſi principaliter, vel ad tempus, ſeu ad vitam beneficiati, quia tunc unio ſolùm operatur ut rector unius beneficii ſit etiam Rector alterius perſeverante utroque beneficio in priſtino ſuo ſtatu. Unire autem beneficia poſſunt epiſcopi in ſuis diœceſibus *c. ſicut unire de exceſſib. Prælat. c. paſtoralis de donat.* Immo etiam alii Prælati exercentes jurisdictionem epiſcopalem, ut legatus de latere in Provincia ſuæ legationis: Capitulum ſede vacante, dummodo per talem unionem non detrahatur jurisdictioni epiſcopi, ut in præcedentibus fuſiùs diximus.

Ad hanc autem unionem duo ſunt neceſſaria, cauſa, & ſolemnitas; illa petitur à neceſſitate, 12
vel utilitate Eccleſiæ, ut ſi una Eccleſia ob inopiam reditũum, aut populi nequeat commodè proprium rectorem alere *c. expoſuiſti de præb.* Solemnitas in eo eſt ſita, ut Epiſcopus beneficia uniat cum conſenſu ſui Capituli ſaltem ex poſtfacto accedente *d. clement. 2. de rebus eccles. non alienand.* & licèt non deſint, qui admittant conſuetudinem non requirendi conſenſum Capituli, ut Fuſcus *de viſitat. lib. 2. c. 26. num. 5.* nihilominus ſi unio cedat in commodum, & utilitatem epiſcopi, vel Capituli, non poteſt ab epiſcopo fieri talis unio etiam accedente conſenſu Capituli; quia non debet Epiſcopus eſſe Author proprii commodi, ſed tunc unio

pertinet ad ſummum Pontificem, ut deſumitur *ex d. clement. 2. in fin.*

13 Rurſus citari debent quotquot eorum intereſt, cujusmodi ſunt patroni, & inferiores Prælati, ad quos Eccleſiæ uniendæ quoquo modo ſpectant, & eorum conſenſus requiritur *c. ſuggeſtum de jure patronat. d. clement. 1. §. ad hæc de ſtatu Monachor.* non ita requiritur conſenſus Rectoris, ſeu poſſeſſoris beneficii uniendi *d. clement. 2.* ſed quia beneficiatus canonicè inſtitutus jus quæſitum habet, quo non debet privari invito eodem, ideo videtur ea interpretatio adhibenda, ut ſine ipſius conſenſu ante mortem ſuam unio effectum habere non poſſit, ut explicat *Felinum in c. conſultationibus 4. de donation.*

14 Cæterum Tridentinum *ſeſſ. 14. de reform. c. 9.* prohibet, ne beneficia diverſarum diœceſium ſive jurata ſint, ſive ſimplicia, quacunque de cauſa etiam ad cultum divinum augendum perpetuò uniantur, ne per talem unionem limites diœceſium confundantur, rurſus *ſeſſ. 21. de reform. c. 5.* permittit epiſcopis etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegatis, ut ex juſta cauſa poſſint beneficia unire ſuæ diœceſis, licèt illa eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, vel quocunque modo affecta, ut tradit Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. §. 1. num. 92. & ſequent.* ubi adfert declarationem ſacræ Congregationis, quòd in beneficiis reſervatis debeat unio fieri ante eorundem vacationem, nam poſtquam vacare cœperunt, pro ea vice beneficia devolvuntur ad diſpoſitionem ſummi Pontificis. Rurſus *ſeſſ. 24. de reformat. c. 13.* prohibet, ne parochiales Eccleſiæ impoſterum uniantur Monaſteriis quibuscunque, aut Abbatiis, vel dignitatibus ſive præbendis Eccleſiæ cathedralis, ſive collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus, hoſpitalibus, aut militiis. Excipiuntur tamen uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, & conſervatione collegiorum, ac aliorum piorum locorum in defenſionem fidei catholicæ, ac cultum bonarum artium, ut notat Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Gloſſa 5. §. 7. n. 7.*

15 Quòd ſi quæras, quando beneficia Eccleſiaſtica diminui, vel etiam extingui poſſint. Reſpondetur, ut ſuperiùs innuimus, quando reditus beneficiis notabiliter decreverunt, ut beneficiati non poſſint congruè ſuſtentari; tunc enim ab epiſcopo conſentiente Capitulo poſſunt uniri, vel etiam extingui *c. cum acceſſiſſent 8. de conſtitut.* Rurſus ob redituum notabile augmentum poteſt beneficiorum numerus augeri, quia tot Canonici, & Eccleſiæ miniſtri inſtitui debent, quot ex reditibus poſſunt congruè ſuſtentari *c. 1. de inſtit.* Quamobrem cùm hæc præbendarum diminutio ſit juri conſentanea, non prohibetur. Excipitur tamen, quòd ut dignitas in Eccleſia extinguatur, requiritur neceſſariò authoritas Papæ, ut notat Gloſſa *in c. cum acceſſiſſent V. confirmatum.* Idque verum eſt, ſi ex jure canonico talis dignitas eſſe debeat in Eccleſia: & ratio tunc eſt evidens, quia inferiores Papâ non poſſunt ſtatuere contra jus commune eccleſiaſticum. Imò ſi nova dignitas à Papa inſtituta ſit, & pro bono alicujus Eccleſiæ confirmata, non poteſt poſtea Epiſcopus illam absque authoritate Papæ extinguere: extra hos caſus poſſe Epiſcopum accedente conſenſu Capituli etiam dignitatem ex juſta cauſa extinguere docent cum Gloſſa *in clement. 2. de reb. eccles. non alien. V. vacabat* Joannes Andreas *in d. c. cum acceſſiſſens num. 19.* Layman. *in d. c. cum acceſſiſſent num. 2.*

Excipiuntur etiam beneficia, quæ ab alio 16
quàm epiſcopo, vel Capitulo fundata fuerunt; tunc enim ſine conſenſu patroni neque extingui, neque minui poteſt beneficium, niſi id exigat pura neceſſitas, & tunc requiritur, ut vocetur patronus, qui ſi conſentire noluerit, etiam eo invito poteſt diminutio beneficii fieri, ut docet Layman. *in c. cum M. 9. num. 2. except. 2. de conſtit.* Rurſus neque beneficia ſupprimi poſſunt ab epiſcopo, etiam conſentiente Capitulo, ſi id cedat in commodum utriusque, ut paulò ſuperiùs innuimus, quia tunc requiritur authoritas Papæ, quia Epiſcopus, vel Capitulum in proprio facto non poſſunt authoritatem præſtare *clement. 2. de reb. eccles. non alien.*

§. II.

De penſionibus, quibus reditus beneficiorum diminuuntur.

CErtum eſt, poſſe S. Pontificem, ſi juſta 1
ſuppetat cauſa, abſolutè penſiones imponere ob pleniſſimam, quam habet poteſtatem diſponendi de beneficiis eccleſiaſticis *c. 2. de præben. in 6.* non ita poſſe licitè absque ulla juſta cauſa; quia Papa eſt tantùm adminiſtrator, & diſpenſator bonorum eccleſiaſticorum, ut notat Garcia *de Benef. 1. p. c. 5. num. 277.* talis tamen impoſitio penſionis ſine juſta cauſa facta à Papa valida eſſet, ut docet Garcia *l. c. n. 275.* quòd ad imponendam licitè penſionem requiratur juſta cauſa, ex eo liquet, quia jure communi ſtatutum eſt, ut beneficia ſine diminutione conferantur, ut habetur *in c. ne noſtrum unic. h. t.* ubi Innocentius III. decrevit, ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur: & non poſſunt fructus beneficii ſine juſta cauſa diminui, neque alteri aſſignari loco penſionis: ſiquidem per penſionem beneficia minuuntur, & ſi conferantur gravata penſionibus, conferuntur cum diminutione contra ſacros canones. Eſt ſiquidem penſio certa portio ex aliquo beneficio eccleſiaſtico juſta de cauſa detracta, ac ſeparata, ut communiter eam definiunt Canoniſtæ, ſeu eſt jus percipiendi ad tempus partem fructuum ex alieno beneficio: dicitur certa portio, quia eſt pars quædam, quæ detrahitur de reditibus beneficii, quod gravatur penſione; & res per ſe à jure beneficii, & titulo ſeparata, perinde ac uſus fructus à proprietate ſejunctus diſtinguitur.

Hinc penſio eſt veluti quædam ſervitus im- 2
poſita beneficio, & onus, quo gravatur beneficiarius, proinde ſine juſta cauſa non poteſt im- 3
poni ad tempus, cùm jure communi cautum ſit, ut beneficia ſine diminutione conferantur: ex eo, quòd penſio diſtinguatur à titulo beneficii, ſequitur, poſſe clericum quidem ordinari ad titulum beneficii, non ita ad titulum penſio-

nis

nis, nisi necessitas, vel Ecclesiæ commoditas aliud suadeat.

3 Quòd si dicas, pensionem subrogari loco beneficii, & subrogatum naturam sapere illius, cui subrogatur. Respondetur, inde non sequi, quòd eandem habeat qualitatem cum illo, ut perspicuum est in patrimonio, quod subrogatur in locum beneficii, ut clericus possit sacris initiari ordinibus; & nihilominus patrimonium non est beneficium, licèt subrogetur loco beneficii: ita pensio, licèt subrogetur loco beneficii, non tamen inde sequitur, esse beneficium.

4 Differt pensio à beneficio potissimùm in duobus. Primò quia pensio est pars quædam juris beneficiariorum reddituum alteri constituta, & designata: secus beneficium comprehendit totum jus, & est per se, non pars alterius juris. Secundò quia beneficium suaptè natura constituitur in usum perpetuum Ministrorum Ecclesiæ, adeo ut per mortem, vel renuntiationem beneficiati non extinguatur, sed tantùm vacet, seu existat, licèt destitutum beneficiario; proinde alteri conferri debet, perinde ac uxor defuncto marito remanet vidua, & non moritur cum marito, sed potest alteri nubere; secus pensio ad tempus statuitor, & morte, vel renuntiatione pensionarii omnino finitur, & extinguitur, perinde ac ususfructus morte usufructuarii, ut docet Lessius *lib. 2. de justit. c. 34. dub. 37.*

5 Bipartitur pensio in laicalem, seu temporalem, & clericalem, seu spiritualem. Pensio laicalis est, quæ ob temporalem aliquam causam constituta, potest etiam laico competere, eò quia detur ob ministerium temporale, vel aliam causam temporalem, ut est pensio, quæ assignatur Ecclesiæ Oeconomo, cantori, patrono, æditue, vel defensori ejusdem Ecclesiæ. Pensio clericalis dicitur, quæ in solos clericos cadit, & datur ob solum ministerium spirituale, cujusmodi est pensio assignata Coadjutori Episcopi, vel concionatori, vel Vicario, vel Cooperatori Parochi: & hæc iterum duplex est, una simpliciter spiritualis, quæ clerico ob ministerium purè spirituale datur: altera mixta, quæ licèt fundetur in clericali statu, nihilominus non propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, eámque vel lucrosam, ut quæ clerico pauperi, vel Parocho seni loco alimentorum assignatur: vel ob causam onerosam, ut quia aliquis lite beneficiaria cedit, vel beneficium alteri resignat servatâ sibi authoritate superioris pensione: hinc duobus modis conceditur pensio, vel commodi gratiâ, vel oneris causâ, priori modo reservatur pensio ex beneficio alicujus in utilitatem alterius, ut is habeat, unde possit honestè vivere, & tunc pensio datur in subsidium vitæ, & quia dare alimenta indigenti est causa pia, ideo talis pensio dicitur etiam pia. Oneris causâ conceditur pensio, eò quia datur alicui, ut lite, & controversia cedat, vel quia beneficium alterius causâ dimittit, vel permutat cum altero tenuiore: tunc enim, ne magnum patiatur detrimentum ob beneficium à se dimissum, authoritate superioris sibi reservat pensionem.

6 Præterea solent pensiones conferri liberè, & immunes ab omni onere, quapropter in litteris pontificiis, quibus pensio aliqua conceditur, solet clausula apponi, ne beneficiarius ex resignatione, seu cessione beneficii nimium dispendiũ patiatur, estq; De alicujus subventionis auxilio providentes pensionem annuam ab omni decima papali, charitativo subsidio ordinario, & extraordinario, & quocunque alio onere, quavis etiam authoritate apostolica, & ex quacunque quamvis urgentissima, & hîc necessariò exprimenda causa, etiam pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de urbe &c. Inter pensionem ecclesiasticam, & laicalem hoc interest discrimen, quia laicalis nihil ferè commune habet cum beneficio ecclesiastico, cùm non exigat statum clericalem, nec officium spirituale. Secus ecclesiastica exigit statum clericalem, & habet secum annexam obligationem recitandi officium B. Virginis. Rursus laicalis tribui solet alteri ob temporale ministeriũ, quod præstat clericis, vel ecclesiis, ut cum certa pensio ex bonis ecclesiasticis assignatur alicui laico, ut curã habeat pulsandi æra campana, aperiendi fores templi, verrendi Ecclesiam, docendi pueros grammaticam, vel cantum ecclesiasticum, vel obeundi munus Advocati, vel Procuratoris. Pensio ecclesiastica datur alicui ob beneficium ab eo simpliciter, vel alterius causâ dimissum, vel cum altero beneficio tenuiore permutatum, vel ob litem, & controversiam renuntiatum.

7 Pensio, quæ reservatur alicui clerico pauperi in congruam ejus sustentationem conferri solet ex quatuor potissimùm causis, ut notat Paulus Romanus *tractat. de pension. q. 1. n. 12.* Prima ex causa litteraturæ, eò quia clericus doctrina polleat. Secunda est hospitalitas, quâ clerici peregrini, & exteri sustentantur. Tertia est præmium, adeo ut nonnunquam pensio assignetur clerico in præmium, eò quia sit de Ecclesia benè meritus. Quarta est amor superioris in inferiorem, ut cum Papa alicui pensionem tribuit, eò quia amore, benevolentiâ, ac favore eum prosequatur. Est etiam usu receptum, ut pensiones reserventur quibusdam ob vitæ, & morum honestatem, aliásque præclaras animi dotes. Solet itidem pensio imponi in fundatione Ecclesiæ, ut cum Patronus petit, ut Ecclesia à se fundata, & dotata solvat certam pensionem alteri Ecclesiæ *c. quanto de censib.* vel etiam sibi *c. Præterea 2. de jure patronat.* quinimò ex consensu episcopi potest etiam in fundatione, & dotatione Ecclesiæ apponere conditionem, ut fructus, quoties contigerit eam vacare, sibi reddantur, ut notat Glossa *in c. generali in V. fundatione de elect. in 6.*

8 An verò pensio sit jus aliquod rei spirituali annexum, vel temporale, ac profanum; communis Canonistarum sententia est, non esse jus aliquod spirituale, nec rei spirituali annexum, sed tantum commodum quoddam temporale, seu jus quoddam profanum per se à beneficio distinctum, & sejunctum: eò quia conferatur in vitæ subsidium, non ratione ministerii spiritualis, sed officii temporalis præstiti: qua ratione non desunt, qui putent, pensionem non esse

rem juris, sed facti, eò quia aliud non sit, quàm certa quædam portio ex fructibus beneficii, quot annis percepta. Pensionem esse rem profanam pluries fuisse à Rota judicatum, testantur Garcia *de benefic.* & Gambara *de offic. & potest. Legat. lib. 6. num. 533.* & in decisionibus novis Rotæ *decis. 445.* pensio dicitur esse jus quoddam temporale formale, & per se separatum, ut etiam notat Imola *clement. 1. de supplend. neglig. Prælator.* Alii verò censent, pensionem non esse jus purè profanum, ut tradit Flamin. *de resign. benef. lib. 6. q. 4. num. 54.* imò Navarr. *in manual. c. 23. num. 111.* asserit, esse jus spirituali rei annexum. Et revera videtur pensio res, esse potiùs juris, quàm facti perinde ac ususfructus, & hæreditas; præsertim cum Pensionarius jus habeat quot annis exigendi, ac percipiendi annuam pensionem.

9 Tum quia pensioni sunt multa communia cum alio quovis jure annexo rei spirituali: siquidem pensio sine superioris ecclesiastici consensu, & authoritate non datur, neque redimitur, neque transfertur, neque nisi clericis tribuitur, & per matrimonium contractum extinguitur: rursus quia in collatione pensionis potest etiam committi crimen simoniæ: ex quibus inferunt, pensionem esse jus, & non factum, & rursus esse rei spirituali annexum.

10 Verùm censerem probabiliùs, pensionem non esse simpliciter jus sacrum, eò quia non conveniat clerico, cui datur ob officium, & ministerium sacrum, cùm detur simpliciter in subsidium vitæ, non ratione alicujus ministerii spiritualis. Cæterum quia est portio, quæ detrahitur ex fructibus beneficii ecclesiastici, meritò Pontifices decreverunt, ut non detur nisi clericis, neque conferatur, redimatur, aut transferatur absque authoritate summi Pontificis, & ut per matrimonium extinguatur. Quia verò pensio est portio detracta ex fructibus beneficii spiritualis, potest in hoc sensu dici jus rei spirituali annexum.

11 Causæ conferendi pensiones plures solent recenseri. Rebuff. *in prax. benefic p. 1. tit. de reservation. n. 22.* asserit, in Gallia nonnisi ex tribus causis conferri pensiones. Primò ad litem dirimendam, quando controversia est super beneficio *c. nisi de prabend.* Secundò, ne resignans nimium patiatur detrimentum, si ex beneficio resignato nullum prorsus percipiat fructum *c. super hoc de renuntiat.* Tertiò, cùm quis suum beneficium pinguius commutat cum altero minus pingui *c. ad quæstiones de rerum permutat.* Hinc liquet in Gallia non admitti alias pensiones, nisi quæ jure communi approbantur, cujusmodi sunt tres prædictæ pensionum species. In Hispania verò, & Italia præter illas tres species contentas in jure communi, aliæ etiam admittuntur, quas Romanæ curiæ usus induxit, & approbavit, ut sunt causæ eximiæ litteraturæ, hospitalitatis, præmii, morum honestatis, amoris.

12 Obligationes Pensionarii sunt, ut si sine causa pensionem exigat, tutus sit in conscientia, si pensio imposita fuerit à Papa: secus si imposita sit ab inferioribus Prælatis, quia tunc non potest illam exigere. Secundò tenetur pensionarius tantùm ad officium parvum B. Virginis, quòd si illud omittat, fructus suos non facit, & tenetur restituere. Tertiò pro rata pensionis tenetur ad solvenda onera supervenientia fructibus beneficii ab eo, qui potest imponere, nisi pensio sit reservata, libera, & ab omni onere exempta, quia tunc ad illa tenetur tantùm titularis. Quartò tenetur pensionarius ad tonsuram, & habitum clericalem ex constitutione Sixti V. si pensionem exigat, & pensio excedat 60. scutata, ut notat Garcia *1. p. c. 5. num. 14.* ubi asserit, ex constitutione Pij V. quæ obligat pensionarios ad horas, & officium parvum B. Virginis Mariæ, potest etiam hac ratione pensio dici annexa rei spirituali, quia datur ad officium, perinde ac beneficium. Hinc in materia pensionis potest quadrupliciter delinqui scilicet per injustitiam, iniquitatem, simoniam, & confidentiam.

Contra justitiam potest titularis perinde 13
delinquere, ac debitor in solutione debiti, scilicet per calumniosam negationem debiti, vel pensionis, vel per morosam illius solutionem. Pensionarius itidem delinquit contra justitiam, si exigat sine justo titulo pensionem, vel si non verificatâ causâ, propter quam data fuit pensio, vel si non verificatâ conditione narratâ, & id in præjudicium titularis, ut si narretur beneficium gravatum pensione majoris valoris esse, quàm revera sit, si enim tunc Pensionarius exigat pensionem delinquit contra justitiam. Rursus contra æquitatem, si à beneficiario omnino gravato, & exiguos fructus colligente ex suo beneficio velit integram pensionem exigere. Ut etiam si super quotidianis distributionibus pensionem constitutam pergat integram exigere, quamvis beneficiarius nullos alios fructus ex aliquo casu percipiat, quàm quos solutioni pensionis impendit.

Rursus post constitutiones Pij V. & Sixti 14
V. simoniacè etiam peccari potest in materia pensionum ex suppositione, quòd pensio non sit quid merè temporale, sed aliquid saltem annexum rei spirituali, & simonia hæc interveniens in pensionibus illicita est, ac peccaminosa. Notat tamen Navarr. *c. 23. num. 111.* hanc simoniam commissam in pensionibus nullas inducere pœnas, si simonia purè committatur contra pensiones: quia pœnæ impositæ simoniacis loquuntur de simonia circa beneficia. Verùm quia pensio est mixta, & simul intervenit vitium contra beneficium, tunc præter peccatum etiam incurritur pœna, non ratione simoniæ pensionalis, sed beneficiariæ. Tunc simonia dicitur purè pensionalis, quando pacisci tur de pensione absque ulla relatione ad beneficium: & tunc est beneficialis, quando, ut pretium beneficii, vel ut merces pro beneficio deducitur in pactum.

Hinc pensio, quæ datur ad officium aliquod 15
spirituale, non potest pretio vendi sine simonia, immo neque redimi, ut est pensio, quæ datur Coadjutori Episcopi, vel Pœnitentiario. Secus pensio fundata in titulo merè temporali redimi potest, immo etiam pretio vendi, cùm non fundetur in titulo spirituali, neque referatur ad functionem spiritualem. Aliæ verò pensiones, quæ dicun-

dicuntur mixtæ, cujusmodi sunt, quæ dantur Parocho seni, vel clerico pauperi in vitæ subsidium, vel quæ dantur ad litem componendam, vel resignanti in favorem alterius, vel commutanti beneficium pinguius cum altero tenuiori, non possunt redimi licitè absque authoritate Papæ: siquidem stylus curiæ Romanæ habet, ut tales redemptiones sine authoritate Papæ factæ reprobentur, ac invalidæ censeantur, tametsi propter illas excommunicatio non incurratur ut notant Navarr. *cons. 63 de simonia* Flamin. *q. 13. de confid.* Garcia *1. p. c. 5. n. 20.*

16 Alii tamen censent, hujusmodi redemptiones pensionum licitas esse, ut docent Lessius *loco cit. num.* 124. Toletus *lib. 5. c. 92.* Diana *4. p. tract. 4. resolut. 153.* Valentia *3. disp. 6. q. 16. p. 3.* & alii nitentes, eò quia redimere non contineat ullius rei spiritualis, vel ei annexæ conditionem, aut acceptationem pro re temporali, unde non videtur hæc redemptio illicita, nec simoniaca. Tum quia, si civis aliquis numerata præsenti pecunia se liberaret ab obligatione solvendi decimas, nihil spirituale, vel spirituali annexum censeretur per pecuniam illam acquirere, tametsi onus redimeret solvendi decimas, seque liberaret à tali obligatione; quamvis decimæ illæ recipiendæ essent à Parocho ob titulum spiritualem: sed tantùm diceretur acquirere libertatem, seu immunitatem quandam, quæ per se est quid temporale, ergo à pari, qui per paratam, & numeratam pecuniam se liberat ab obligatione solvendi pensionem suo beneficio impositam, nihil spirituale, aut spirituali adnexum acquirit, tametsi pensio recipienda esset ab altero ob causam spiritualem, vel spirituali annexam.

17 Præterea quia licèt hæc immunitas perdendi portionem fructuum beneficii sit in clerico redemptore conjuncta cum spirituali officio, ac titulo beneficii, & utrumque aliquem respectum ad eum habeat, eò quia obtenta libertate utile est clerico beneficium quoad omnes partes fructuum; nihilominus id non videtur sufficere, ut hæc immunitas censeatur materia simoniæ quia materia simoniæ debet esse quid spirituale secundùm se, vel saltem in suo conceptu includere ordinem ad spirituale, perinde ac jus beneficii illum includit: atqui immunitas illa intelligitur absque tali ordine, quia ex suo conceptu formali tantùm dicit, quòd beneficiarius non debeat ampliùs singulis annis dare alteri portionem fructuum sui beneficii: hoc autem est potiùs quid temporale: & hæc sententia mihi videtur perquàm probabilis, si sola ratione æstimatur.

18 Non tamen, ut rectè notat Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 31. respons. 10.* resignans beneficium sub onere pensionis potest pacisci, ut constituta pensio redimatur, quia id simoniam redoleret, cùm tale onus sit pretio æstimabile. Eodem pacto non excusatur à simonia, si quis pensionem redimat, resignando, vel conferendo beneficium, quia tunc datur beneficium pro re temporali, quia ejusdem rationis est extinguere aliquod debitum, seu onus temporale, & tandem acquirere.

19 Cæterum pensiones mixtæ ex consuetudine, & praxi solent redimi, & extingui contentiente Pensionario quinque annatis, neque ad id requiritur alia facultas, quia redimere talem pensionem non est emere aliquod jus spirituale, sed extinguere debitum, & onus temporale, seu debitum solvendi singulis annis. Quòd si pensio cedatur, transferatur, vel conferatur cum confidentia vitiosa, interveniente pacto de exactione omnium, vel partis fructuum in favorem conferentis, vel alterius, non committitur simonia confidentialis prohibita in constitutione Pij V. quia ibi tantùm est sermo de confidentia beneficiali.

20 Pensio non validè imponitur beneficio sine consensu beneficiarii, quia tametsi Papa possit imponere pensionem etiam absque consensu beneficiarii, non tamen id facere solet, ut liquet *ex regul. 43. cancellar. apostol.* apud Cochier, quia tametsi constitutio pensionis ecclesiasticæ non sit propriè alienatio, est nihilominus quædam quasi species alienationis, cujus naturam imitatur, proinde ad illam requiritur defensio, perinde ac ad alienationem rerum Ecclesiæ ea vacante. Neque *regula 43. cancellar.* distinguit inter pensionem impositam beneficio vacanti, vel non vacanti. Non tamen, ut imponatur pensio beneficio patronato requiritur necessariò consensus patroni, sed tantùm petitur ex quadam honestate spectato jure communi, & secluso speciali privilegio, vel consuetudine: quia nullo jure dicitur, requiri ad id consensus patroni, cui nullum fit præjudicium, cùm non conferatur beneficium sine ejus consensu, sed tantùm postquam collatum est ei, quem præsentavit, pensio sine ejus consensu alteri reservetur à superiore non in perpetuum, sed tantum ad vitam pensionarii, quapropter nihil patroni derogatur juri, cùm ipse fructus ex beneficio percipere non possit, nisi in necessitate, quæ supponitur abesse. Debet tamen pensio imposita esse moderata, alioquin posset patronus petere, ut extingueretur, vel ad debitam quantitatem redigeretur, ut docet Azorius *p. 2. c. 6. q. 2.* Non ita contingit in permutatione, & resignatione beneficii facta in favorem alterius, ut nec in unione beneficiorum, quia in hisce regulariter requiritur consensus patroni, qui alioquin privaretur suo jure præsentandi. Regulariter consultiùs semper est, ut consensus patroni priùs requiratur, quòd si hic sine justa causa consentire detrectet, potest tunc superior etiam ipso invito pensionem ex justa causa imponere beneficio.

21 In litteris tamen pensionis assignatæ à Papa debet mentio fieri de jure patronatus, si sit laicus, & si jus patronatus competat laico ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ, alioquin litteræ censentur subreptitiæ, eò quia aliquid taceatur, quod si expressum fuisset, saltem difficiliùs summus Pontifex pensionem imposuisset beneficio, cùm non soleat Papa facilè derogare juri patronatus laicorum. Sin verò jus patronatus pertineat ad ecclesiasticum, vel etiam ad laicum habentem tale jus ex præscriptione, consuetudine, vel privilegio, tunc non est necesse, ut fiat mentio juris patronatus, quia

solet Papa tunc talia beneficia onerare patroni jure neglecto, vel etiam expresè derogato. Quòd si laicus, & clericus sint simul patroni, tunc tale jus patronatus perinde se habet, ac si pertineret simpliciter ad laicum, proinde si est jus patronatus ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ, debet illius mentio fieri, alioquin litteræ pontificiæ, quibus pensio reservatur, essent subreptitiæ, quia celaretur aliquid, quod si Pontifici innotesceret difficiliorem redderet pensionis impetrationem. Rursus debet etiam fieri mentio prioris pensionis impositæ beneficio, quia Pontifex non præsumitur velle idem beneficium duplici gravare pensione, ut censent Gigas *de pensionib. q. 29.* Cassadorus *decis. 3. de pension.* Gambarus *de offic. Legat. lib. 6. qui est de pensionibus num. 126. & sequent.* Mandos. *de signatura gratiæ, & justit. tit. de pension.* idque procedit etiam in pensione, quæ conceditur alicui causâ beneficii per resignationem dimissi.

22 Hinc impetratio posterioris pensionis nullâ factâ mentione prioris, ut subreptitia nullum sortitur valorem, quia non præsumitur Pontifex velle idem beneficium duplici gravare onere *c. mandatum, & c. litteris de rescript. c. duobus eod. tit. in 6.* licut neque supponitur, quòd testator velit hæredem duplici gravare obligatione *l. Titii instrumentum §. in vitam ff. de legat. l. uxorem §. in testamento ff. de legat. 2.*

23 An verò, qui bona fide suum resignat beneficium ignorans illud alia pensione gravatum esse, ac proinde nulla facta mentione talis oneris pensionem in resignatione sibi reservat, valeat tunc talis reservatio? Gambarus asserit, esse invalidam, alii tamen proceduat cum distinctione, & dicunt, secundam resignationem tunc validam esse, si beneficium sit perquam pingue, & capax duplicis illius pensionis: secus si beneficium sit tenue. Rursus si in concessione pensionis adjiciatur illa clausula, *& alia desuper assignata pensiones non excedant dimidiam partem fructuum*, tunc ratione hujus clausulæ, reservatio secundæ pensionis rata est, tametsi nulla prioris facta fuerit mentio, quia tunc præsumitur, quòd Pontifex saltem generatim cogitaverit de priori pensione, quod sufficit *l. qui jure militari ff. de testamento militari.* Quòd si prior pensio extincta sit, tunc non est necesse, ut mentio illius fiat, quia tunc beneficium non est tali onere gravatum.

24 Tenetur autem pensionarius spectato jure communi pro rata suæ obligationis solvere onera annexa beneficio, & contribuere Episcopo ad subsidium charitativum, ut etiam ad solvendas collectas tum ordinarias, tum extraordinarias, quæ ob publicam causam, vel necessitatem aliquam à clericis nonnunquam exiguntur, ut tradit Gigas *q. 38. & 39.* quia æquitati consonum est, ut qui commodum percipit, debeat etiam onus ei annexum ferre, ut habetur in *regul. jur. 77. in 6.* & cùm Pensionarius percipiat partem fructuum ex beneficio, ideo æquum est, ut juxta proportionem subeat onera beneficio imposita, & annexa. Excipitur tamen, nisi pensio expresè libera sit, & exempta ab omnibus hisce oneribus, quia tunc solus titularis tenetur ad solutionem omnium onerum.

25 Juvat tamen observare, quòd nonnunquam Principibus conceduntur privilegia, quibus ob certum subsidium debent contribuere omnes beneficiarii, & pensionarii, tametsi beneficium, vel pensionem liberam habeant ab omni onere cujuscunque decimæ, & subsidii, & cum clausula, ut pensio sit exempta à quocunque onere nisi expresè huic privilegio derogetur. Tunc quia in privilegiis concessis Principibus cum tali clausula continentur pensionarii; & ipsum privilegium pensionis excludit pensionarios, eò quia pensio libera sit ab omni onere subsidii: videndum est, quódnam privilegium ex his duobus sit prius altero; & num posterius deroget priori. Sin verò sermo sit de pensione, ut jure communi concedi deberet, tunc ut rectè ait Gigas, pensionarius teneretur pro rata pensionis partem contribuere, ac solvere, cùm ex fructibus beneficii pensionem percipiat; & hujusmodi fructus non sint liberi à tribus illis oneribus nimirum subsidio charitative, decima pontificia, & collecta ad fontem, pontem, viam communem, & muros urbis exstruendos, restaurandos, vel muniendos.

26 Quia verò solent pensiones clericis tribui tanquam alimentum in subsidium vitæ, & causæ alimentorũ in jure habeantur pro causis piis, ideo Romani Pontifices solent pensionariis favere, ut pensionibus gaudeant ab omni onere decimarum, collectarum, & subsidiorum liberis. Cæterum obligatio beneficiarii in ordine ad solvendam pensionem transit ad ejus successores in beneficio, quia pensio est onus reale impositum fructibus beneficii, quod cum suo onere transit ad successorem; qui eo ipsò, quòd liberè acceptat beneficium pensione gravatum, se obligat ad illud onus ferendum, & ad pensionem solvendam. Quinimo plures id etiam extendunt, ut successor in beneficio pensione onerato teneatur eas etiam pensiones solvere, quas beneficiarius mortuus præteritis annis solvere neglexerat, sive proventum illum in utilitatem Ecclesiæ converterit, sive in usus suos privatos: quia pensio est onus reale impositum beneficio, quod propterea transit cum suo onere ad successorem.

27 Neque obstat, quòd ad successorem in beneficio non pervenerint pensiones elapsi temporis, quia sufficit, si ad ipsum perveniat beneficium, quod est obligatum pensionario, seu gravatum tali onere reali. Alii verò respondent, quòd si pensiones præteriti temporis fuerint à beneficiario malè insumptæ in privatos suos usus, debeant tunc hæredes beneficiarii conveniri, ut non solutas pensiones solvant, si successor in beneficio nihil perceperit ex fructibus præteritis, quos ejus anteccessor consumpsit: hinc notat Garzia *de benefic. lib. 1. c. 5. num. 199.* decisum sæpiùs fuisse à Rota Romana, quòd beneficiarius, vel ejus hæredes pro solutione pensionum præteriti temporis conveniendi priùs sint, quàm conveniatur successor in beneficio; quia hæredes sunt directè obligati, præsertim si fructus aliqui beneficii ad ipsos transierint; possunt

ſunt enim tunc actione hypothecaria conveniri: ſucceſſor autem, qui nullos hactenus percepit beneficii fructus, ſolùm in ſubſidium videtur teneri ad ſolvendum, proinde non eſt conveniendus ante excuſſionem anteceſſoris, ejúsque hæredum. Cæterum facta excuſſione beneficiarii, ejúsque hæredum penſionarius poteſt petere ſolutionem penſionum antea non ſolutarum à ſucceſſore in beneficio, quia hoc tranſit in ſucceſſorem cum ſuo onere, proinde cum obligatione penſionum ſolvendarum: quia beneficium eo pacto, quod tunc reperitur oneratum tranſit ad ſucceſſorem, qui cum omnibus ſuis oneribus illud acceptat, proinde tacitè ſe obligat ad omnia illa onera ſolvenda.

§. III.

Quinam penſiones imponere poſſint, & pro quibus perſonis, & in quibus beneficiis?

1 DE jure communi nullus poteſt penſionem imponere beneficiis eccleſiaſticis niſi ſolus ſummus Pontifex, cui ob juſtam cauſam abſolutè competit poteſtas imponendi penſiones, idque propter pleniſſimam, quam habet poteſtatem diſponendi de beneficiis *c.* 2. *de prabend. in 6.* & non obſtante hac pleniſſima poteſtate, adhuc requiritur juſta cauſa, ſine qua ſaltem licitè non imponeretur penſio à Papa, eò quia non ſit ſummus Pontifex abſolutus dominus beneficiorum, neque fructuum eorundem; ſed ſolùm adminiſtrator, ac diſpenſator, ut tradunt communiter Canoniſtæ cum Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 277.* ubi citat Gambarum poſt Felinum *de offic. delegat. lib. 10. n. 376.* & aſſerit ab hoc edoceri *num. 386.* penſionarium in foro conſcientiæ non eſſe tutum, & penſionem á Papa conſtitutam ſine cauſa pro aliquo non prodeſſe obtinenti. Idem etiam docet Abbas *de concil. 2. p. c. 21.* Victoria *in relect. de ſimonia num. 50.* Corduba *lib. 1 q. 21. punct. 2.* & plures alii, quos citat Garcia *loco cit.* qui tamen aſſerunt, valere penſionem à Papa reſervatam etiam ſine cauſa, quia tunc Papa ſolùm agit contra canones, & jura, in quibus poteſt Pontifex diſpenſare. Regulariter tamen Papa non aſſignat penſionem ſine aliqua juſta cauſa, & ſine conſenſu beneficiati, & eſt *regula cancellar. 44. de conſenſu in reſignationibus, & penſionibus.* Quòd ſi penſio imponatur à Papa ex falſa cauſa, vel ex omiſſa aliqua particula, quæ erat apponenda in ſupplicatione, penſio eſt nulla, ut deciſum fuit à Rota Romana coram Pamphilio, ut refert Garcia *loco cit. num. 279.* ubi citat reſolutionem Rotæ in una Reatina penſionis, ubi Rota reſpondit: *penſio eſt nulla, ſi cauſa narrata non eſt vera: licèt Papa poſſit reſervare penſionem ſine cauſa; in dubio tamen cenſetur motus juſtâ cauſâ, & quando expreſſa eſt, indubitanter illam debere juſtificari, aliàs eſt nulla.* Cauſas verò, ob quas poteſt Pontifex penſiones imponere beneficiis, recenſuimus in præcedenti §.

2 Legatus Pontificis poteſt etiam ex juſta cauſa penſionem imponere, ut tradit Rebuffus *de pacific. poſſeſſor. num. 120.* quod tamen intelligendum eſt de legato à latere, ut notat Gambarus *lib. 6. num. 77.* ſiquidem poteſt Legatus de latere beneficia conferre *c. 1. de offic. legat. lib. 6.* & in ſua Provincia omnia exercere, quæ poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, ut tradit Speculator. *tit. de legato §. nunc oſtendendum. n. 54.* & Mandos. *regul. 34. q. 50. num. 5.* Leo tamen *in theſauro fori eccleſiaſtici c. 22. num. 38.* apud Garciam *loc. cit. num. 284.* aſſerit, legatos de latere non habere de jure communi facultatem reſervandi penſiones, ſed vigore litterarum ſpecialium, eò quia de jure communi ſolùm poſſunt beneficia conferre *c. 1. de offic. legat. in 6.* In beneficiis verò reſervatis, cum eorum collatio ad illos non pertineat, non poſſunt penſionem imponere, ſicut nec illa conferre, ut notat Gigas *q. 6. num. 19.* Legati verò, qui dicuntur miſſi, quia virtute ſuæ legationis nequeunt beneficia conferre, ita neque penſiones reſervare, niſi hoc illis ſpecialiter concedatur, ut tradit Cuchus *in inſtitution. majorib. lib. 7. tit. 5. §. ante omnia*, vel niſi miſſi ſint à Papa cum authoritate, ſeu poteſtate legati de latere, ut ait Gigas *d. q. 6. n. 19.*

3 Hinc Nuntii Apoſtolici reſidentes in ſuis Regnis ut in Hiſpania, vel alibi cum poteſtate legati de latere, & mittuntur à Papa, cenſentur poſſe in beneficiis 24. ducatorum, quæ ad eorum proviſionem ſpectant, reſervare penſionem ex cauſa. Contrarium tamen cenſet Garcia *loc. cit.* 289. quia Nuntii in Hiſpania non conferunt beneficia authoritate ordinaria, ſed potiùs delegata, quia datur ipſis talis facultas cum aliquibus reſtrictionibus, ſcilicet perſonis idoneis providendi, & quòd priùs illis conſtet fide dignorum teſtium non excedere 24. maximè cum detur facultas conferendi beneficia etiam reſervata ratione menſis, ut etiam notat Gonzales *in regul. 8. cancellar. Gloſſa 24. num. 45.* ubi aſſerit, Legatos, & Nuntios conferentes beneficia reſervata ea conferre ut delegatos, non ut ordinarios, & quia authoritate extraordinaria conferunt hæc beneficia, non videntur poſſe penſiones imponere, quamvis mittantur cum poteſtate Legati de latere.

4 An verò Legati ſimplices miſſi ſine poteſtate Legati de latere, cum facultate tamen conferendi beneficia in ſua Provincia nullâ factâ mentione de reſervatione penſionum poſſint eas reſervare affirmat Zechius *de benefic. & penſion. c. 11. num. 5.* communior tamen opinio aſſerit, non poſſe hujusmodi legatos penſiones reſervare; quia tametſi beneficia conferre poſſint, non tamen ea conferunt vi legationis, & ex jurisdictione ordinaria; ſed ex facultate extraordinaria ſibi ſpecialiter attributa, quæ facultas, cùm ſit contra jus commune, eſt juri odioſa, proinde debet reſtringi, non ampliari: quæ doctrina tantùm procedit, quando facultas conferendi beneficia datur legato ſeparatim, non verò ſimul, cum ipſa legatione, quia tunc talis facultas eſſet extraordinaria, & delegata: ſecus quando conceditur ſimul cum ipſa legatione, datur facultas conferendi ſimpliciter, & tunc dicitur ordinaria jurisdictio, perinde ac Vicarius epiſcopi dicitur ordinariam jurisdictionem habere,

here, id docet Gambarus *de offic. legat. lib. 3. n. 33. & 37.* ubi ait, quòd licèt Legatus non sit ordinarius, sed delegatus in his, quæ competunt ex speciali facultate, seu commissione, quando seorsim committuntur, attamen quando in litteris suæ legationis simul exprimuntur omnes facultates, & sub una concessione emanantes simul stant, & cadunt *c. translato de constitut.* & ita in omnibus censetur Ordinarius.

5 Episcopus quamvis ordinariè nequeat pensionem imponere beneficiis, eò quia hæc de jure communi conferri debeant sine diminutione, & ex stylo curiæ Romanæ reservare pensiones super beneficiis pertineat ad solum Romanum Pontificem: nihilominus in aliquibus specialibus causis urgente necessitate, vel evidente Ecclesiæ utilitate etiam nunc hæc potestas Episcopo competit; & licèt iste non possit pensionem perpetuam beneficiis imponere, neque cum facultate eam transferendi ad alterum: nihilominus ex justa causa potest pensionem imponere duraturam ad vitam gravati beneficiarii, cum quo etiam pensio extinguitur; ut docet Fagnanus *in c. nisi 21. de præbend. num. 28.* ubi infertur; Papam rescripsisse, Episcopum ex justa causa, & necessaria vel concernente utilitatem Ecclesiæ posse imponere pensiones beneficiis ad vitam pensionarii, & quæ transeat ad successorem in beneficio, Garcia tamen *loc. cit. num. 334.* excipit, quòd Episcopus in causa concordiæ, & ut à lite recedatur, non possit imponere pensionem, quæ transeat ad successores in beneficio; sed solùm duret ad vitam beneficiarii onerati *argum. text. qui videtur expressus in sua ratione in c. nisi essent 21. de prabend.* ubi habetur hæc ratio, quia cum agatur de jure personali, non potest obligari successor in beneficio, quippe de hujus utilitate non agitur. Verùm contraria sententia, quæ communior est, evincitur *ex c. de cætero 5 de transact.* ubi dicitur, quòd census vel pensio imposita ex causa transactionis absque consensu episcopi non excedat vitam illius, qui pensionem soluit, unde per sensum contrarium juvat argumentari: ergo cum consensu episcopi potest excedere vitam beneficiati solventis, proinde potest ipsi beneficio imponi pensio, quæ transeat in successorem: hoc idem docet Glossa ibid. dicens, talem impositionem esse personalem, nec transire ad successorem illius, qui soluit, nisi facta fuerit authoritate Epipi. Neque obstat citatus textus *c. nisi essent de prabend.* in quo fundatur Garcia, quia ibi non fuerat pensio imposita authoritate episcopi, sed tantùm coram Judicibus, Arbitris, aut delegatis etiam à Papa, qui absque consensu episcopi non possunt imponere pensionem beneficiato, ut excedat ejus vitam, quia per hoc præjudicium fieret juri ipsius episcopi, qui non posset postea tale beneficium alteri conferre cum sua integritate.

Hinc potest Episcopus justa subsistente causa 6 beneficio conferendo imponere pensionem, ut ob bonum pacis, & utilitatis, vel ad sopiendam litem; quando beneficium est litigiosum, idque ad redimendam vexam *c. nisi essent 21. de prabend. c. audivimus de collus. deteg.* ubi apertè supponitur, per viam transactionis, quæ arbitrio episcopi fieri solet, posse pensionem ita imponi beneficio, ut pensionario sit solvenda, tametsi beneficiarius, qui soluit, mortuus sit, Piasecius *p. 2. c. 5. num. 64.* vel ut subveniatur, & alimenta præstentur parocho seni, qui ætate confectus, & viribus destitutus non potest amplius Ecclesiæ inservire, ut tradit Gigas *de pension. q. 8. num. 3.* post Anchar. *consil. 279.* Vel in permutatione beneficiorum ratione inæqualitatis si unum beneficium alteri præponderet in fructibus *c. ad quæstionem 6. de rerum permutat.* Aliàs pensio imposita ab episcopo absque justa causa est nulla, ut docent Garcia *loco cit. num. 296.* & Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Glossa 5. c. 5.* quia imponere pensionem est contra jus regulare *c. extirpanda de prabend. & c. unio. ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

Notat tamen Mandosius *de signatura tit. de pension. vers. hodie tamen ex decreto*, quòd 7 nunc ob decretum Pauli IV. non possit pensio super beneficio, de quo alicui per obitum vacante providetur, imponi absque expressa licentia ipsius Papæ *& in tit. de confirmat. vers. pensionis ab ordinario* ait, quòd pensioni ab ordinario impositæ confirmatio non datur, sed Papa denuò concedit; ut Alexander VI. *in signatura* servandum esse statuit, & addit etiam rationem, quia Ordinarius non potest beneficium dividere, & pensionem, seu partem fructuum uni assignare, & alteri aliam partem, & exstat etiam declaratio sacræ congregationis apud Garciam *loc. cit. num. 298.* declaravit enim sacra congregatio, non posse Ordinarium alicui Ecclesiæ pensionem imponere. Verùm hæc non videntur obstare, quia decretum Pauli IV. tantùm fuit factum pro Dataria, ut Ministri, & officiales Papæ non imponant pensionem sine ipsius expressa licentia: ad alia, quæ addebantur, respondetur, procedere de pensione, quæ imponitur sine justa causa; non verò si justa subsit causa. Ad declarationem sacræ Congregationis respondet Garcia *loco cit num. 304.* illam declarationem loqui de parocho concubinario, qui antequam beneficio parochiali privaretur per Ordinarium juxta decretum Concilii, parochiam resignavit, quæ resignatio est valida, nec que Ordinarius potest illam infringere, neque aliquam Ecclesiæ imponere pensionem.

Cæterum ut notat Rebuffus *in prax. tit. de* 8 *reservat. tam generalibus, quàm specialibus* episcopi hodie non amplius reservant pensiones, immo ex non usu amissa est in hoc eorum potestas, & ut notat Sotus *de justit. & jure lib. 9. q. 7. art. 1.* jam receptum est, ut Romano usu solus Papa possit pensionem ponere, & Salonius etiam *2. 2. q. 93. art. 2. controversia 6.* ait, quòd ex consuetudine Romanæ curiæ solus Papa nunc pensiones concedat; nec aliter pensiones valeant, nisi concessæ fuerint à summo Pontifice, hoc idem asserit Cardinalis Toletus *in sum. c. 83.* ubi ait, quòd dispensatio pensionis non pertineat ad ullum Prælatum, nisi ad solum Papam, tametsi id ex jure non constet; sed ex sola consuetudine, *& c. 92. in fin.* ait, non esse prohibitum jure episcopis imponere pensiones, sed ob consuetudinem, & communem stylum Romanæ curiæ, si quis sine summi Pontificis facultate

tate penſionem haberet, ſimoniacus eſſet: alii etiam communiter docent ex praxi,& ſtylo curiæ non poſſe Epiſcopos penſiones beneficiis imponere, quia non poſſunt illa diminuere, quibus adſtipulatur Leſſius *de juſtit.& jure c.34. num.* 206. ubi ait,quosdam dicere penſionum conſtitutionem per ſtylum curiæ reſervari ſummo Pontifici: unde Ordinarii eas ponere nequeunt, niſi quatenus id eis privilegio, vel conſuetudine conceſſum eſt: nam ſtylus curiæ jus facit, quod maximè in penſionibus verum eſt, quarum jus univerſum fere conſtat ex conſuetudine,Zerolla tamen *in prax. epiſcopali* 1. *p. V. penſio*, & *vers. ſimonia* 3. *dub.* ait,Epiſcopum non poſſe imponere penſionem: ſed poſtea 2. *p. V. penſio* §. 3. ait, id eſſe intelligendum juxta formam Concilii Tridentini, ut non poſſit eam imponere ſuper parochiali beneficio non excedente ſummam ducatorum centum.

9 Cæterum certum eſt,non poſſe Epiſcopum ſibi penſionem reſervare: quia ſi eſſet ex pacto redoleret ſimoniam: nec ſine pacto, quia de jure communi beneficia conferri debent ſine diminutione, proinde non poſſunt epiſcopi,nec ſibi, nec aliis reſervare penſiones: habetur enim *in c. noſtrum unic.b.t.* eccleſiaſtica beneficia eſſe ſine diminutione conferenda, & eo ipſo quòd imponitur penſio, diminuuntur. Hinc Epiſcopus non poteſt reſignanti coram ſe beneficium in favorem alterius, reſervare, vel aſſignare penſionem ſolvendam ex tali beneficio; quin imò non poteſt Epiſcopus talem reſignationem admittere, ſed pertinet ad Papam,ut notat Garcia *loc. cit. num.* 340. Neque poteſt Epiſcopus conferre beneficium cum pacto ſolvendi penſionem, quia id ſimoniacum eſſet *c niſi* 23. *de præbend.* idque procedit, ſive conveniatur ut penſio ſolvatur epiſcopo, ſive alteri.

10 Ad penſionem recipiendam titulo clericali, requiritur prima tonſura, quæ cum non conferatur ante ſeptennium, neque aſſignatur penſio puero nondum ſeptenni. Qui excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti vinculo ſunt irretiti, neque capaces ſunt penſionis, adeo ut penſio collata excommunicato ſuum non ſortiatur valorem; idque reſpondet uſui Romanæ curiæ, quia quando alicui penſio reſervatur, ſolet in litteris pontificiis apponi clauſula, quâ penſionarius abſolvitur à quolibet vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, quomodolibet poſſit eſſe innodatus. Laico quamvis Romani Pontificis authoritate conferri poſſit penſio,ſi rationabilis ſubſit cauſa, ſeu ſi laicus ſit benè de Eccleſia meritus: vel etiam ad redimendam vexationem, quando laicus Eccleſiam vexat,vel ad deterius aliquod, quod imminet,malum evitandum, vel ad pacem componendam, nihilominus laici non ſunt capaces penſionis eccleſiaſticæ, quia hæc non niſi clerico ſaltem primâ tonſurâ initiato dari poteſt, quia eſt jus fundatum in ſtatu clericali, & ex conſtitutione Pij V. habet etiam annexum officium ſpirituale, & penſionarius eccleſiaſticus tenetur habitum, & tonſuram clericalem ferre, ſaltem ſi penſio excedat ſummam 60. ducatorum auri de camera, juxta conſtitutionem ſer-

tiam Sixti V. unde laico tantùm poteſt concedi penſio temporalis, idque de jure Ordinario; quia reſpectu Papæ ob plenitudinem poteſtatis non datur exceptio perſonarum non habilium ad penſiones, ſed omnibus perſonis tam veris, quàm fictis poſſunt ab illo conferri,etiam fœminis, & infantibus, & Gigas *q. 13. num. 4.* ait ſe Bononiæ legiſſe litteras pontificias,quibus Clemens VII. reſervabat penſionem annuam 24. ducatorum cameralium cuidam puero quartum ætatis annum vix attingenti, poſtquam clericali charactere inſignitus eſt, & indultum illi fuit, ut in illa tenella ætate ad primam poſſet tonſuram promoveri.

Dubitatur tamen,an penſio alicui reſervata 11
tanquam clerico, cum tamen laicus eſſet,valida ſit: & reſpondet Gigas *quæſt.* 22. cum diſtinctione, vel Papa Titio reſervat penſionem ad preces Cai dicentis Titium eſſe clericum: & tunc penſio non ſubſiſtit, quia Cajus falſa retulit, & impetratio fuit ſubreptitia; vel Pontifex reſervat motu proprio talem penſionem, & ſic penſio eſt etiam invalida, quia quamvis motus proprius Pontificis excludat vitium ſubreptionis *c. ſi motu proprio de prabend. in 6.* non tamen operatur ultra voluntatem Pontificis concedentis, ut docuit Felin. *in c. conſtitutus de reſcript.* & voluntas Pontificis non præſumitur eſſe dandi laico penſionem. Vel Titius, cui collata eſt penſio ſtatim fit clericus, & tunc nec videtur impetratio valida,quia tempore datæ penſionis Titius non erat clericus, & quod initio non valuit ſolo decurſu temporis non convalescit *c. non confirmatur de regul. jur. in 6.*

An verò, ſpurius cenſendus ſit penſionis ca- 12
pax affirmat Cardinalis Palæottus *in tract. de noth. & ſpur. filiis c. 58.* cum Gomezio *de annal poſſeſſ. q. 21.* & alii, eo innitentes fundamento, quia penſio ſit jus quoddam profanum à beneficio per ſe diſtinctum, & ſeparatum, hinc inferunt, quòd ſi quis habeat facultatem transferendi in alium ſuam penſionem, poſſit eam ad ſpurium transmittere. Verùm hæc ratio non mihi videtur ſufficiens, quia tametſi penſio eccleſiaſtica non ſit beneficium, eſt nihilominus quid annexum rei ſpirituali, proinde ſpurii non cenſentur capaces penſione eccleſiaſtica.

Neque obſtat, poſſe ſpurios eſſe capaces ju- 13
ris patronatûs *c. pia mentis c. Fulgentius 16. q. 7.* atqui jus patronatus eſt quid annexum ſpiritualibus,proinde poteſt ſpurius eſſe capax penſionis eccleſiaſticæ; tametſi hæc ſit quid annexum rei ſpirituali. Nam eſt diſcrimen, quia Eccleſia eatenus non excludit ſpurios à jure patronatûs, ut faciliùs ſinguli laici allicerentur ad fundandas, vel ædificandas, aut dotandas Eccleſias, cùm enim ſit opus pium,non erant ſpurii ab exercitio tanti operis excludendi, cùm id reſultet in commodum, & utilitatem Eccleſiæ; ſecus penſio datur in commodum, & utilitatem ipſius penſionarii, proinde ſpurius qui jure communi non excluditur à jure patronatus,non admittitur ad penſiones eccleſiaſticas.

Poteſt tamen Pontifex diſpenſare, & per- 14
mittere, quòd ſit clericus,alioquin ſi in litte-

tis pontificiis, quibus pensio reservatur spurio, nulla fieret mentio vitii natalium, tales litteræ haberentur subreptitiæ, nisi Papa sciens, & prudens spurio conferret, ac reservaret pensionem, quia cum tali scientia supponeretur dispensatio, & eo ipso ipsum redderet aptum ad pensionem habendam, ut declaratum fuit in Rota *p. 1. decis. 425.* Ut etiam eo ipso quòd Romanus Pontifex indulget spurio, ut clericus fiat, ipsum constituit idoneum ad pensionem habendam. An verò, si Pontifex spurio concedat, ut beneficium habeat, quod postea resignat coram Papa reservata sibi pensione concessu ipsius Papæ, sed nulla facta mentione vitii natalium in litteris, valeat impetratio pensionis? Videtur esse aliqua difficultas, quia dispensatio pontificia videtur in primo actu finiri, quo spurius beneficium consecutus est: nihilominus videtur dicendum, talem impetrationem pensionis validam esse, quia cùm pensio imponatur fructibus beneficii resignati, sitque pars eorundem fructuum, ideo dispensatio ad beneficium fuit etiam dispensatio ad pensionem recipiendam ex fructibus beneficii ejusdem: siquidem idem juris est de parte, quòd de toto, & cùm spurius fuerit factus habilis ad beneficium, quod est totum; ita etiam ad pensionem super idem beneficium impositam, cùm sit pars ejusdem.

15 Quamobrem tunc Papa loco resignati beneficii pensionem reservat, quam confert: non ita contingeret in aliis actibus, in quibus dispensatio Pontificis desineret per primum actum, quia tunc tota compleretur per eundem actum. An verò, si Papa sciens concedat spurio, ut possit obtinere beneficium, eo ipso censeatur concedere, ut etiam possit pensionem habere? videtur itidem esse aliqua difficultas: siquidem in dispensationibus argumentum ab uno ad aliud est infirmum, nisi unum sit pars alterius, vel cum illo necessariò connexum, quia tunc ob inseparabilitatem, qui concedit unum, censetur etiam alterum concedere, non ita quando sunt separata.

16 Nihilominus licèt pensio separabilis sit à beneficio, cùm non sit necesse, ut beneficia graventur pensionibus, si Pontifex sciens concedat spurio, ut possit beneficium habere, tacitè etiam concedit, ut obtinere possit pensionem, quia eo ipso, quòd est factus capax beneficii, videtur etiam factus capax pensionis, cùm hæc detur loco beneficii. Tum quia eo ipso, quòd fit aptus ad beneficium, tacitè fit etiam aptus ad primam tonsuram, cum sine hac beneficium haberi non possit: unde eo ipso, quòd Papa dispensat cum spurio, ut fiat clericus, eo ipso fit capax pensionis, quia ut clericus debet ex bonis Ecclesiæ ali, ac sustentari. Non ita contingeret, si sola authoritate Episcopi spurius factus esset habilis ad primam tonsuram, & simplex beneficium, quia non eo ipso censeretur fieri capax pensionis: quia Episcopi, cùm non possint beneficiis pensiones imponere, neque possunt spurium reddere capacem pensionis, nisi in illis casibus, in quibus potest Episcopus pensionem imponere.

17 Generatim qui non est capax beneficii, nec est capax pensionis ecclesiasticæ saltem secundum stylum curiæ Romanæ, qui servandus est, eò quia declarat voluntatem Papæ: hinc sicut infantes infra septennium non sunt capaces beneficii, ita neque pensionis: quia hæc ætas requiritur ad primam tonsuram, & ad simplex beneficium jure antiquo: quinimo jure novo Concilii Tridentini sicut nullus potest obtinere beneficium ante annum quartum decimum, ità nec pensionem ecclesiasticam. Religiosi itidem sicut sunt incapaces beneficii sæcularis, ità etiam pensionis detractæ ex beneficio sæculari sine dispensatione Papæ. Cæterum eo ipso, quòd Papa dispensat ad beneficium obtinendum censetur etiam dispensare ad pensionem, quia inhabilitas ad pensionem fundatur in inhabilitate ad beneficium, unde hac sublata tollitur etiam inhabilitas ad pensionem, cùm hæc succedat loco beneficii: non ita tamen procederet in dispensato specialiter ad certum tantùm beneficium *argum. eorum quæ* tradit Tiraquell. *in l. heres. §. hoc sermone ff. de verb. signif. num. 36.* Rursus dispensatus ad beneficium, si consequatur pensionem, per eam consummat suam dispensationem, quia tametsi dispensatio sit ad beneficium incertum, & in communi, intelligitur tamen de primo *c. 1. §. 1. c. de filiis Presbyt. in 6.* Rebuffus *tit. de dispensatione super defectu natalium num. 83.* & *in concordatis in forma mandati V. dispensationum*, Covarruvias *in 4. 2. p. c. 8. §. num. 5. vers. 6.*

18 Tametsi pensiones personis ecclesiasticis indigentibus reserventur, non propterea Abbates possunt pensionibus gravari à Principibus sæcularibus ad eum finem, ut succurratur ecclesiasticis pauperioribus, ut rectè notat Zypæus *in analyt. enarrat. juris pontificii lib. 3. tit. ut eccles. benef. sine diminut. confer. controver. 5.* siquidem secluſis privilegiis de jure communi Principes sæculares, tametsi pro patronis, & defensoribus Ecclesiarum suæ ditioni subjacentium habeantur, etiam illarum, ad quarum fundationē, vel dotationē eos contulisse non constat; nequeunt pensiones imponere, neq; de illis aliter authoritate propria quoquo modo disponere, sed ad summum possunt summum Pontificē rogare, ut velit ipse has pensiones imponere Abbatibus, ut ecclesiasticis pauperioribus succurratur. Siquidem patronis solùm liberum est in fundatione onerare beneficium pensionibus, vel quid aliud instituere, non ita post talem fundationem jam factam *c. quando extra de censib.* Quamobrem non possunt Principes sæculares talibus pensionibus gravare Abbates, nisi sub beneplacito Papæ, quod, antequam interveniat permissio, nullas acquirit vires, neque obligatio effectum sortitur *c. super eo c. verum extra de cond. App. c. si pro se de rescript. in 6.* neque excusaretur à simoniaca labe qui ante pontificii beneplaciti interventum uteretur effectu talis reservationis, exigendo, aut recipiendo solutionem pensionis, ut expressè traditur in Bullis Pij IV. & V. super confidentiis: siquidem statuitur, ut si quis inciderit in contraventionem (ut est recipere pensionem ante confirmationem Papæ) pensio cesset, & recipiens tepeatur ad restitutionem.

Sicut

19 Sicut pensiones imponuntur, ita etiam datur facultas, ut possint transferri: an verò si Petrus habens à summo Pontifice facultatem transferendi suam pensionem ad quemcunque voluerit, eam possit transferre ad filium suum ex legitimo matrimonio susceptum, vel etiam spurium, non caret difficultate, Mandosius *in tract. de signat. gratiæ, & justit. tit. translationes* id negat ob constitutionem Clementis VII. quæ incipit *ad canonum*, ubi Pontifex statuit, ne filius Presbyteri possit succedere in beneficio, quod Pater obtinuit. Hinc argumentatur Mandosius: sed appellatione beneficii comprehenditur etiam pensio, quæ propterea non potest à patre transferri in filium, sive spurium, sive legitimum. Huic tamen opinioni, non adhærent alii præsertim Gigas *q. 36. num. 5.* Fiamin. *de resignat. benefic. lib. 6. q. 4. num. 21.* quia in constitutione Clementis VII. tantùm fit mentio de beneficiis, & pensio est quid distinctum à beneficio, hoc enim est perpetuum, & pensio temporanea: in jure autem pœnæ, & odia sunt restringenda: unde ex eo quòd illa constitutio comprehendat beneficia, non debet extendi ad pensiones: & hæc ratio est vera quoad constitutionem Clementis VII. ratione cujus præcisè non prohibetur pater, quin possit in tali casu suam ad filium transferre pensionem.

20 Immo neque id videtur prohiberi ex decreto Concilii Tridentini *sess. 25. c. 15. de refor.* ubi statuitur, ne filius habeat beneficium in Ecclesia, in qua pater illud habuerit, vel habet, quamvis sit dissimile, proinde etiam pensionem super fructibus illius beneficii: siquidem per hoc decretum tantùm prohibetur, quò minus pater habens pensionem in beneficio, quòd per resignationem dimisit, possit eam transferre ad filium, non ita si pater habuerit pensionem in beneficio, quod ipse nunquam possedit: tunc enim pensio videtur posse transferri in filium, cùm decretum Concilii loquatur de pensione beneficii possessi à patre: unde neque ex constitutione Clementis VII. neque ex Concilio Tridentino prohibetur pater, quò minus possit in filium transferre suam pensionem: quamobrem, quod non possit pater in filium spurium suam transferre pensionem desumendum est ex constitutione edita à Pio V. cujus initium est, *quæ ordine ecclesiastico*; siquidem in illa statuitur, ut nullus sive testamento, sive donatione, sive legato, sive eleemosyna, sive alio quocunque titulo, & pio opere ex bonis Ecclesiæ aliquid ad filios spurios transmittat.

21 Quòd verò ad beneficia pertinet, in quibus potest pensio poni, certum est, in omnibus beneficiis, sive curatis, sive non curatis imponi posse pensionem saltem à summo Pontifice ob plenitudinem potestatis, quam habet in dispensatione beneficiorum, immo potest etiam summus Pontifex pensionem imponere beneficio patronato irrequisito patrono, adeo ut ejus consensus non requiratur necessariò, sed tantùm ex quadam honestate, idque spectato jure communi, & seclusa speciali privilegio, aut consuetudine, ut docent Gigas *de pension. q. 24.* Gambarus *lib. 8. de offic. & potestat. legati num. 34.* quia tunc pensio nihil derogat juri patroni, & aliàs nullo jure cavetur, requiri talem consensum: non enim confertur beneficium, cujus collatio non fit sine consensu patroni habentis jus præsentandi ad illud; sed postquam collatum est ei, quem præsentavit, tunc pensio sine ejus consensu alteri reservatur, non in perpetuum, sed tantùm ad vitam pensionarii, unde non derogatur juri ipsius patroni, cùm ipse fructus ex beneficio non percipiat, nisi in necessitate, quæ hic non supponitur; quamobrem postquam beneficium est collatum præsentato à patrono, potest pensio absque ejus consensu alteri reservari: ut si Legatus Romani Pontificis habens facultatem conferendi beneficia, & imponendi pensiones, Titio clerico à patrono nominato conferat beneficium, & postea pensionem Sèio reservatam in eo constituat.

22 Quòd si contingeret, ut patronus alimentis indigeret, tunc potior esset patroni causa, quàm pensionarii: quia is, qui in re aliqua anteriorem habet hypothecam in jure præfertur *l. potior, & l. qui balneum ff. qui potiores in pignore habeantur*: & alimenta debentur patrono beneficii *c. pia mentis. & c. filiis 16. q. 7.* Rursus si pensio in beneficio patronato esset immodica, posset patronus excipere, ac petere ut extingueretur, vel ad debitam redigeretur quantitatem, ut notat Gigas *q. 24. num. 12.* An verò quando Pontifex concedit pensionem in beneficio patronato debeat in litteris impetrationis fieri mentio juris patronatus. Respondendum est cum distinctione, si patronus sit clericus non est necesse, ut mentio fiat talis juris, ut nec etiam si patronus sit laicus, & habeat tale jus ex sola præscriptione, vel consuetudine, aut privilegio acquisitum; in his enim tribus casibus solet Papa beneficia conferre irrequisito patrono, proinde etiam pensionem imponere: secus si laicus sit patronus ex fundatione, ædificatione, aut dotatione Ecclesiæ, debet necessariò fieri mentio juris patronatus, alioquin litteræ pontificiæ, quibus reservatur pensio, haberentur subreptitiæ; quia in illis non exprimeretur aliquid, quod si Pontifici innotesceret, difficiliorem saltem reddidisset impetrationem pensionis; cùm non soleat Pontifex facilè derogare juri patroni laici.

23 Beneficio parochiali pensio potest quidem de jure imponi, sed Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 13. de reformat.* statuit, ut impositum omnes Ecclesiæ parochiales, quæ summam centum ducatorum, secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventuri & id usu observatur, ne parochialis Ecclesiæ Rector plus æquò gravaretur. In beneficiis verò simplicibus nulla pensio solet imponi, nisi reditus annui beneficii excedant summam 24. ducatorum. Rursus si beneficium quod resignatur sit canonicatus, vel dignitas, non solet onerari pensione, nisi ejus reditus excedant quantitatem centum ducatorum. Olim in omnibus beneficiis imponebatur pensio usque ad tertiam partem fructuum, & justa pensio censebatur, quando tertiam partem eorundem non excedebat, sed jure novo Concilium Trident. aliter statuit.

24 An verò in episcopatu possit pensio constitui? Respondent Paulus Romanus *de pension. c. 1. num. 1. in caus. 1.* Gigas *de pension. q. 7. in princ.* nonnisi ex graviori causa posse Episcopatum pensionibus gravari: unde in Concilio Lateranensi sub Leone X. emanauit decretum, quo prohibetur, mensæ episcopali pensionem imponi, nisi ex causa resignationis, vel alia, quæ in consistorio secreto, licita, honesta, & probabilis videatur. Hinc mos ille effluxit, quo Romanus Pontifex, quando in episcopatibus per obitum vacantibus pensiones imponit speciali jure deroget Concilo Lateranensi per adjectam clausulam *non obstantibus constitutionibus cujusvis Concilii Generalis.* In Concilio verò Tridentino *sess. 24. c. 13. de refor.* statutum fuit, ut Ecclesiæ cathedrales, quorum reditus annui non excedunt summam mille ducatorum, non possint pensionibus gravari: & usu hoc decretum servatur, & non derogatur Concilio, nisi facta expressa, & speciali mentione illius. In beneficiis commendatis, seu quæ de more commendantur potest etiam pensio imponi, quia sunt ejusdem juris, ac beneficia collata, ut notat Gambarus *de offic. Legat. lib. 6. n. 153.*

25 Quòd si quæratur, quomodo pensio imponi soleat beneficio, & an illa clausula, quæ solet adjici in constituendis pensionibus: nimirum *ut pensio solvatur habita, vel non habita beneficii possessione* sit juri consentanea; videtur esse difficultas, Mandos. *de signatur grat. & justit. tit. pensiones* censet, in beneficiis ultra montes præsertim in Hispania consistentibus, pensiones concedi cum præfata clausula, & ideo videtur difficile quòd beneficiarius, qui possessionem nactus non est, teneatur pensionem solvere. Nihilominus respondet Mandosius teneri beneficiarium pensionem solvere, quamvis nondum possessionem beneficii nactus fuerit; alioquin nunquam, aut rarò solveretur, quando pensionarius existens in loco perquam disito, non posset fieri certior, an beneficiarius possessionē sui beneficii cœperit, nec ne? pensiones verò, quæ in beneficiis existentibus in Italia imponuntur, hanc clausulam non continent, ut notat Mandos. quia facilè pensionarius scire potest, an beneficiarius possideat suum beneficium.

26 Alii tamen dicunt etiam iisdem pensionibus adjici eamdem clausulam, at de illius æquitate aliqui dubitârunt, quia *ex l. si debitor. ff. de contrab. empt.* qui emit decem mensuras olei ex certo prædio proventuri, non debet eas solvere, nisi oleum proveniat. & *l. cum certus ff. de tritico vino, oleo*, si legentur decem amphoræ vini ex certo fundo colligendi, non debentur plures, quàm colligantur: atqui pensio solvitur ex fructibus beneficii, proinde non videtur solvenda ante perceptionem fructuum. Tum quia res promissa, vel legata si pereat sine culpa debitoris, jure ab eo non exigitur *l. inter stipulantem §. sacram. ff. de verb. oblig.* atqui fructus beneficii, cujus clericus possessionem non potuit adipisci, videntur periisse absque culpa illius, unde non videtur beneficiarius teneri ad solvendam pensionem.

27 Tum quia illa clausula videtur quandam continere speciem simoniæ, ut notat Azorius *p. 2. lib. 8. c. 9.* nam si pensio non habita possessione beneficii solvi debet; jam sequitur, ut ex ipso beneficii titulo debeatur, & beneficiarius compellatur solvere ex suo proprio patrimonio, idque videtur esse quædam beneficii nundinatio; præterea beneficiarius quamvis nunquam beneficium possideret, adhuc singulis annis teneretur pensionem solvere, quod foret intolerabile. Hinc ut testantur Flamin. & Paril. *de resignation. benefic. lib. 6. q. 2. num.* 147. Romana Rota mitiùs, ac benigniùs explicavit præfatam clausulam, scilicet quòd non protendatur ultra duos, vel tres annos, & ut beneficiarius ad duos tantùm, vel tres annos, & non ultra pensionem solvat, si possessionem beneficii non sit adeptus.

28 Nihilominus Navarrus *tom. 1. consil. de prebend. consil. 50. num. 4.* arbitratur, præfatam clausulam esse æquitati consonam, quia difficultas rem promissam præstandi non excusat promittentem *l. continuus §. cum ita ff. de verb. oblig.* Secundò quia quando quis suâ sponte vult periculum incurrere, & damnum sustinere, debet sibimet imputare *c. damnum de regul. jur. in 6.* qui autem beneficium suscipit gravatum tali pensione, spontè suâ incurrit in illud periculum, & sibi tale onus imponit. Tertiò, quia eventus, quem aliquis potuit, & debuit prævidere, non excusat *l. si putator. ff. ad leg. aquil.* atqui quisque prævidere potest, an possit possessionem nancisci beneficii, quod accipit, unde non excusatur, si non suscepta possessione teneatur pensionem solvere: quia debuisset id prævidisse. Quartò, quia licitè potest beneficium, cujus reditus annui sunt 300. aurei, concedi Petro ea lege, ut singulis annis reddat Paulo centum aureos etiam priusquam ejus possessionem consequatur, quia licèt nondum fructibus beneficii potiatur, habet tamen jus exigendi, & spem acquirendi omnes fructus. Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondet Azorius *l. c. lit. E.* Debitorem illum non teneri eas mensuras solvere, quia tantùm promiserat se soluturum ex fructibus certi prædii, vel fundi: at beneficiarius promittit se soluturum ex fructibus beneficii. Verùm hæc solutio, nisi quid aliud addatur, non satisfacit, quia videtur esse utrinque par ratio. Putârim igitur, discrimen in hoc situm esse, quia qui debet solvere eas mensuras, non censetur promisisse absolutè, sed tantùm conditionatè, si prædium tales fructus produxerit; cùm enim fructus prædii sint incerti ob pruinam, vel grandinem, ideo non absolutè, sed conditionatè censetur promisisse: secus qui suscepit beneficium cum onere pensionis, censetur se obligâsse absolutè ad solvendam pensionem, eò quia proventus beneficii certi sint, & beneficiarius habet jus ad illos, ac spem eos percipiendi suo tempore: eodem pacto solvuntur cætera argumenta petita ex præcitatis textibus. Cæterum prædicta clausula, quæ ponitur, ut pensio solvatur habita, vel non habita beneficii possessione, communiùs interpretatur benignè ad duos tantùm, vel tres annos, adeo ut si beneficiarius non possit sine sua culpa possessionem

ſionem beneficii capere, non teneatur ulteriùs penſionem ſolvere.

29 Solent etiam præter præfatam clauſulam in penſionibus imponendis plures aliæ poni clauſulæ; ſiquidem ſolet cauſa exprimi, cur penſio reſervetur: nimirum quia beneficium quis dimiſerit: vel lite de eo ceſſerit; vel ob merita, & obſequia illius, vel ob litteraturam, & inſignem doctrinam, adeo ut exprimatur cauſa, cur penſio reſervetur ei, cui conceditur. Rurſus exprimuntur fructus, ſuper quibus penſio imponitur; ut ſolvatur penſio à reſignatario, vel quocunque alio, qui ipſi in beneficio ſucceſſerit. Rurſus ut penſio ſolvatur partim in die natali Chriſti domini, & partim in natali S. Joannis Baptiſtæ; poſtea apponitur pœna excommunicationis, & privationis, adeo ut nolentes ſolvere in dictis feſtivitatibus, vel ſaltem intra 30. dies immediatè ſequentes penſionem prædictam, qui poſſidet beneficiũ lapſis iisdem diebus ſententiam incurrat excommunicationis. Si autem per ſex menſes & dictos triginta dies immediatè ſequentes ſententiam animo ſuſtinuerit indurato, ex tunc effluxis eisdem menſibus dicto beneficio perpetuò privatur, & illud vacare cenſetur. Solet etiam apponi clauſula, ut penſio ſolvatur, tametſi nullum jus reſignanti beneficium, aut lite de eo cedenti conveniat. Rurſus apponitur etiam alia clauſula, ut penſio ad minorem quantitatem redigi nequeat; neque tanquam irrita, vel inanis extingui; adeo ut decreſcentibus poſtea fructibus beneficii penſio integra debeatur: quia non adjecta hac clauſula beneficiarius petere poſſet, ut penſio ex parte minueretur, eò quia beneficii reditus fuerint notabiliter diminuti.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, quot, & quas pœnas ipſo facto incurrat beneficiarius ob penſionem impoſitam beneficio, ſi ab ipſo non ſolvatur. Reſpondetur non ſolventes penſiones impoſitas beneficiis incurrere excommunicationem, & rurſus privari beneficio, ut notat Gigas *de penſionibus q. 76.* Pro quo juvat obſervare, eſſe uſu receptum, ut penſionario detur regreſſus ad beneficium, quod per reſignationem dimiſit, ſi illi penſio non ſolvatur; adeo ut detur illi facultas revertendi ad beneficium, cui renuntiaverat, ut tradunt Gigas *de penſion. q. 99. num. 18.* Gambarus *de offic. Legat. lib. 6. de penſion. num. 431.* Conceditur enim talis regreſſus in utilitatem, & commodum penſionarii: & in litteris pontificiis, ubi penſio reſervatur, apponitur clauſula, in qua exprimitur talis regreſſus, qui eſt juri communi conſentaneus juxta *c. ſi beneficia in prabend. in 6.* Gigas *d. q. 99. n. 22.* ait, ex duplici tantùm cauſa hunc regreſſum concedi uſu, & ſtylo curiæ Romanæ. Primò quando quis ſuo beneficio renuntiat. Secundò quando lite de beneficio cedit. Mandoſius tamen *de ſignatura grat. tit. regreſſus* ait, in curia receptum eſſe, ut quando beneficium ob beneficiarii obitum confertur alicui, reſervetur alteri penſio etiam cum facultate ad illud beneficium accedendi, ſeu ingrediendi, ſi beneficiarius detrectaverit penſionem ſolvere. Rurſus hic regreſſus conceditur cum ampla poteſtate penſionario, cui propterea datur facultas capiendi beneficium propria authoritate per ſe, vel per alium: idque etiam quando beneficiarius petit, ut penſio ad minorem quantitatem redigatur, vel in totum extinguatur tanquam irrita.

2 An verò, ſtatim ac beneficiarius penſionem non ſolvit, locum habeat regreſſus? Communior ſententia eſt, requiri ad id ſententiam, quâ declaretur tempus præſcriptum tranſiiſſe. Non tamen quando penſionario conceditur regreſſus requiritur beneficiarii conſenſus, adeo ut illo irrequiſito poſſit beneficium capere, quia regreſſus conceditur in utilitatem, vel commodum penſionarii, & in odium, ac pœnam beneficiarii detrectantis penſionem ſolvere.

3 Quo verò tempore penſionarius facultatem habeat capiendi poſſeſſionem beneficii ob non ſibi ſolutam penſionem? Reſpondet Gigas *loc. cit.* eſſe uſu introductum, ut ſi debitor penſionis elapſis ſex menſibus eam non ſolverit intra triginta dies eo ipſo excommunicationem incurrat, ac propterea beneficium amittat: quòd ſi beneficiarius in ea excommunicatione adhuc inſorduerit, tunc penſionarius habet jus beneficium capiendi, ita tamen ut debeat declarare ſe velle jure, quod habet beneficium repetendi, uti; & ita communiter docent Canoniſtæ: quia ſimilem pœnam non contrahit Emphyteuta ob negatam penſionem, niſi dominus declaraverit, ſe velle uti ſuo jure, eò quia bona emphyteutica ceciderint: & illo non declarante, & poſtea moriente; hæredes contra Emphyteutam actionem non habent, quia dominus cenſendus eſt eam remiſiſſe. Immo hunc regreſſum habet penſionarius etiam contra eum, qui in beneficio penſione onerato ſucceſſit, quia in litteris pontificiis expreſſè dicitur. *Item is, qui ſubrogatur, ſuſtinet quoque ejus onus.*

4 Quamobrem ſi beneficiarius habens beneficium cum onere penſionis, & regreſſus, eam non ſolvat ſex menſibus transactis, & infra triginta dies, aut infra annum moriatur; tunc penſionarius non poteſt uti facultate redeundi ad beneficium contra ſucceſſorem: ratio eſt, quia cum non egerit contra beneficiarium demortuum, cùm viveret, eò ipſo cenſetur ſuo jure ceſſiſſe, & ita fuiſſe deciſum à Rota Romana refert Caſſadorus *decis. 21. n. 3. de locat.*

5 Quæritur ſecundò, an in impetratione penſionis facienda ſit mentio prioris penſionis in beneficio conſtituto. Et communiter reſpondent affirmativè, præſertim Gigas *de penſion. q. 29.* Mandoſius *de ſignatura grat. & juſtit. tit. de penſion.* Caſſadorus *decis. 3. de penſion.* & id procedit etiam in penſione conceſſa alicui causâ beneficii per reſignationem dimiſſi: hinc impetratio poſterioris penſionis, ſi nulla facta fuerit mentio in litteris impetrationis de prima, quâ jam gravabatur beneficium, omni caret robore; & reſcriptum pontificium habetur ſubrepti-

tium, & quia Pontifex non censetur velle duplici onere gravare Ecclesiam *c. mandatum. c. litteris de rescript. c. duobus eod. tit. in 6.* Quòd si Pontifex pensionem concedat cum hac clausula adjecta in reservatione pensionis, & aliæ desuper assignatæ pensiones non excedant dimidiam partem fructuum: tunc reservatio secundæ pensionis rata, & firma habetur, tametsi prioris nulla fuerit mentio facta, quia tunc supponitur Papa saltem generatim cogitâsse de illa priori pensione, quòd sufficit *l. qui jure militari ff. de testament. militari.*

6 Quæritur tertiò, an si pensio exigatur ante expeditionem litterarum, & solvatur ejus pars, irritetur reservatio pensionis. Quia in reservatione pensionis adjicitur clausula: *pensionem annuam persolvendam reservamus, vigore tamen præsentium, non aliter, alioquin præsens reservatio nulla sit eo ipso*, ideo oritur dubium, an si ante expeditionem litterarum solvatur pars pensionis, irritetur reservatio. Respondetur, probabiliter reservationem pensionis non irritari, quia pars pensionis non est pensio; proinde solutio illius non est censenda solutio pensionis, sed tantùm quædam inchoatio solutionis: siquidem non censetur solvere, qui totum non solvit *l. heredes §. in illa ff. familiæ herciscun*, Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Glossa 63. num.* 29.

7 Tum quia adjecta clausula est in pœnam, proinde debet strictè interpretari, & quia loquitur de pensione non debet extendi ad inchoationem solutionis, sed debet intelligi de solutione totius pensionibus, quia pœnæ in jure sunt strictè accipiendæ *c. ex litteris de constitut.* Tum quia quando lex imponit aliquam pœnam ob actum aliquem, si hic fiat, non incurritur pœna, nisi actus perfectè fiat, compleatur, & consummetur, ut tradunt Glossa *in c. 1. V. contrahere de consanguin. & affin.* Decius *lib.* 1. §. *has autem verba num.* 10. *ff. quod quisque jur.* Alexander *cons.* 194. ergo cùm annullatio reservationis pensionis sit pœna imposita à Sixto V. qui prædictam irritationem jussit apponi in litteris, non debet procedere nisi de totali, & perfectâ solutione pensionis. Rursus quamvis litteræ non dicantur expeditæ nisi postquam plumbeo sigillo sunt munitæ, ut notat Lotetius *de re beneficiariâ lib. 1. q. 37. num.* 11. non tamen attenditur tempus à data relaxationis litterarum; sed tempus, quo litteræ fuerunt plumbeo sigillo munitæ, ut notat Garcia *de benific. p. 4. c. 2. num. 56* ubi citat Rotam in Gadicensi beneficii 20. Octobris 1578. coram Bravo. & in Bissuntina pensionis 4. Junii 1603. coram Sacrato.

8 Quæritur quartò, an ratione confiscationis bonorum, & exilii amittatur pensio, adeo ut hæc comprehendatur sub confiscatione bonorum. Respondetur sub confiscatione bonorum comprehendi etiam ipsam pensionem, ut notant Abbas *in c. ad audientiam 2. num. 2. V. dicerem tamen de rescript.* Glossa *in c. quicunque §. hæretici V. beneficium de hæret. in 6.* Gigas *de pension. q. 52. num. 4. & q. 94. n. 7.* quia sicut confiscantur fructus percepti, ita etiam ipsa pensio; hoc autem tantùm procedit, quando sententia lata est à legitimo judice, ac propterea est valida. Ratio itidem est, quia in exilium missus, & capitaliter bannitus cum bonorum confiscatione habetur pro mortuo, ut tradunt Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. Glossa 9. num. 27.* Alexander *consil. 23. num. 9. lib. 1.* atqui unà cum persona extincta extinguuntur etiam jura omnia personalia, proinde extinguitur etiam jus percipiendi pensionem. Hinc si à Principe postea restitueretur, non tamen recuperaret pensionem, quia ejus jus semel extinctum non ampliùs revivisicit, & tale jus fuit extinctum per ipsam confiscationem bonorum, ut docet Suarez *de fide disp. 22. sect. 5. num. 6. in fin.*

9 Hinc beneficium, in quo erat posita pensio liberatur à tali onere. Et quamvis bannitus restitutus recuperet beneficium, si tempore exilii non fuit alteri collatum, non ita si alteri tunc fuerit collatum, ut docent Abbas *in c. ex tua 11. de cleric. non resident.* Felin. *in c. inter quatuor. num. 4. de majorit. & obed.* cum Glossa *in c. ex parte V. quamvis de restitut. spoliat.* unde cùm pensio tempore exilii fuerit extincta, & fructus consolidati fuerint beneficio, & facti de jure beneficiati, pensio non ampliùs restituitur, quia non ampliùs existit. Semel enim secutâ confiscatione omnium bonorum, si succedat restitutio ex gratia Principis etiam ad bona, non recuperari bona alienata, docent ferè communiter doctores Barbatia *consil. 43. V. aut illa bona lib. 2.* Berojus. *consil. 6. n. 19. lib. 3.* Natta *consil. 470. num. 20. lib. 3.* Farinac. *in prax. q. 6. num. 32. & 39.* quamobrem tametsi restituatur ad bona, non tamen recuperat pensionem, quia hæc non ampliùs existit, sed fuit extincta unà cum confiscatione bonorum, & jus percipiendi tales fructus transivit ad beneficiarium, quia tunc fructus pensionis consolidantur beneficio, ut notat Glossa *in d. c. quicunque §. hæretici V. beneficium de hæret. in 6.*

10 Quinimo neque si plenissimè restitueretur à Principe laico recuperaret pensionem, licèt restituenda ei essent bona omnia etiam alienata, alioquin restitutio facta à Principe non esset totalis; neque plenissima, si aliquid superesset ad quod non se extenderet, vel si non restituerentur ea omnia, quæ per sententiam judicis fuerunt ablata *l. fin. §. fin. C. de sentent. pass.* Non tamen ob hanc plenissimam, & totalem restitutionem factam à Principe laico restituitur pensio ecclesiastica, quia cum ejus fructus ratione confiscationis fuerint consolidati beneficio, & pensio extincta, deberent de novo tales fructus separari à beneficio; & Princeps laicus non habet hanc potestatem, quia non extenditur ejus potestas ad beneficia ecclesiastica, nec potest se immiscere in rebus spiritualibus, ut est restitutio pensionis ecclesiasticæ, ut desumitur *ex c. cum sequent. 10. q. 1. c. decernimus 2. de judic. c. Massana 56. de elect.* ut tradit Abbas *in c. querelam n. 9. de elect.*

11 Immo etiam si restitutio fieret à Papa pro aliquo sibi subdito in temporalibus, si talis restitutio fieret à Papa, non ut Papa, sed ut Principe laico

laico habente talem jurisdictionem temporalem in terras ſubjectas Eccleſiæ, talis reſtitutio non ſe extenderet ad penſionem eccleſiaſticam, quia tantùm fundaretur in poteſtate civili: & quamvis eſſet pleniſſima, adhuc non poſſet excedere limites poteſtatis civilis *c. cum ad verum dist. 90.* ubi dicitur, quòd uſus poteſtatis laicalis, legúmque civilium tantùm ſe extendat ad temporalia. Quòd ſi reſtitutio pleniſſima feret à Papa non ut domino temporali, ſed ut Papa exercente jurisdictionem ſpiritualem, tunc penſio eſſet reſtituenda, alioquin reſtitutio pleniſſima non ſortiretur ſuum effectum pleniſſimum.

12 Neque obſtat jus acquiſitum tertio, quia quando quis ex confiſcatione privatur bonis, hæc abſolutè non tranſeunt ad dominium alterius, ſed tantùm conditionatè, nimirum ſi ſpoliatus bonis non ſit integrè reſtituendus in priſtinum ſtatum, unde omnia bona etiam quæ fuerunt translata ad dominium alterius, reſtituuntur, conſequenter etiam ipſa penſio, cujus fructus ſub eadem tacita conditione tantùm fuerunt conſolidati beneficio. Non tamen hæc reſtitutio retrotrahitur ad penſiones decurſas, ſed tantùm incipit reviviſcere à die reſtitutionis, quia cum penſio ſit annua, tot numerantur penſiones, quot anni, & in hoc imitatur legatum annuum, quod dicitur multiplex juxta annorum numerum *l. cum in annos ff. de annuis legatis*, ſicut legatum annuum eſt affixum ſingulis annis, ita etiam penſio, hinc quia penſiones decurſæ diſtinguuntur á ſubſequentibus, non trahuntur ab ipſis.

13 Quæritur quintò, an qui reſignat beneficium, poſſit paciſci cum reſignatario, ut omnes faciat expenſas etiam pro penſione reſervata? Reſpondetur, tale pactum illicitum eſſe, eò quia in reſignationibus omnia pacta ſimoniam redolent *ex c. cum pridem c. fin. de pact. c. tua noſ. de ſimonia.* Felin. *in c. ad audientiam 2. num. 3. de reſcript.* Rebuffus in *prax. tit. de pura reſignat.* Sin verò in libello ſupplicationis apponatur clauſula, quòd reſignatarius debeat expenſas facere etiam pro penſione reſervata, tunc excluditur omnis ſuſpicio ſimoniæ, quia rogatur Pontifex, ut velit tali modo acceptare reſignationem beneficii, & Pontifex poteſt talem reſignationem, & modum rejicere, ſi velit: unde non habetur pactum, quod abſolutè obliget reſignatarium, ſed tantùm dependenter à voluntate Pontificis, & quia hoc pactum eſt tantùm de jure eccleſiaſtico prohibitum, ideo per hoc, quòd exponatur Pontifici, ceſſat ſuſpicio ſimoniæ, quia tunc Pontifex cenſetur tacitè diſpenſare, ut notant Hoſtiens. *in c. 1. init. ne Prælat. vices ſuas.* Caſſador. *decis. 3. n. 2. de renunt.*

14 Immo ſi à Pontifice ſemel admittatur reſignatio, licèt poſtea pactum non inſeratur litteris adhuc reſignatio non cenſetur ſubreptitia, quia eſt de ſtylo, quòd talia pacta non inſerantur litteris, nec regiſtrentur, ut tradit Rota Romana *decis. 380. num. 4. p. 4. recent.* quia quando Pontifex admittit reſignationem cum pactis in eadem expreſſis, & cum quibus tractata eſt inter partes, tunc cenſetur talibus pactis aſſentiri, alioquin illa rejiceret. Unde quòd poſtea pactum ex ſtylo non inſeratur litteris, id non oritur, quia Pontifex nolit tale pactum admittere, ſed tantùm ne tranſeat in exemplum, ut notat Rota *loc. cit.* ubi etiam advertit, quòd quamvis tale pactum in ſupplicatione cancellaretur, ſicut ſolet cancellari; dummodo cancellatio fieret poſt ſignatam ſupplicationem, adhuc litteræ eſſent validæ; non ita, ſi cancellaretur ante ſignationem Pontificis, quia tunc non poſſet præſumi conſenſus Pontificis, quia non conſentit, niſi expreſsè expoſitis in ſupplicatione, & quod eſt cancellatum ante ſignationem, non dicitur expreſſum, ſed deletum, ut tradunt Butrigar. *conſil. 30. in fin.* Caſtrens. *conſil. 32. init. lib. 2.* Alexander *conſil. 32. n. 3. lib. 5.*

15 Quæritur ſextò, an litteræ reſervationis penſionis ſub conditione habeant paratam executionem, tametſi non juſtificentur. Dupliciter ſolent litteræ reſervationis penſionis concedi, vel abſolutè, vel conditionatè: & conditio in iisdem poteſt diverſimodè apponi, ſcilicet dummodo pro titulari certa quantitas ſuperſit: vel ſub hac alia conditione, dummodo penſio ſe ſola, vel ſimul cum aliis non excedat dimidiam, vel tertiam partem fructuum, vel ſub aliqua alia conditione: & tunc reſpondent communiter litteras expeditas ſub aliqua ex illis conditionibus non habere paratam executionem, niſi priùs purificetur conditio, ſub qua fuerunt litteræ expeditæ, ut tradit Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. num. 458.* ſiquidem litteræ reſervatoriæ continent conditionem, quæ cadit ſupra reſervationem, proinde remanet reſervatio conditionalis, & conſenſus titularis in penſionem eſt ſub eadem conditione, ſub qua eſt reſervatio, quia conſentit in reſervationem non ſimpliciter, ſed ut taliter conditionatam, proinde niſi purificetur conditio, evaneſcit totum, quod ponitur in reſervatione, proinde etiam conſenſus *l. nec conditio init. ff. ſi cert. pet. l. neceſſario §. quòd ſi pendente de per, & con. rei vend.* unde litteræ ante purificatam conditionem nequeunt paratam habere executionem, quòd tamen limitatur, ut non procedat, ſi titularis exprimat valorem beneficii cum juramento, & valor ſit habilis ad ſuſtentandam impoſitam penſionem; quia purificatio conditionis oritur ex hac expreſſione, & conſenſu eidem adnexo, ut tradit Loter. *de benefic. q 38. num. 49. lib. 1.* ſiquidem juramentum, quo confirmatur expreſſio valoris, operatur, quòd habeatur pro vero, & quòd expreſſio valoris procedat ex perfecta cognitione, ut docent Tiraquell. *in præfat. l. ſi unquam num. 134.* Natta *conſil. 144. num. 8.* Gaillus *obſer. 39. n. 29.* Quòd ſi reſervatio penſionis ſit pura, & titularis conſentiat, tunc litteræ reſervatoriæ habent paratam executionem, quia nullum adeſt impedimentum, quo debeant impediri ab executione *c. ſi Capitulo de conceſſ. prabend. in 6.* & tradit Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Gloſſa 9. in adnot. num. 220.*

16 Quæritur ſeptimò, an filii hæreticorum privandi ſint eccleſiaſticis penſionibus. Hæc difficultas videtur dependere ab illa alia, an penſiones eccleſiaſticæ comprehendantur nomine bene-

beneficiorum ; siquidem , quando Canonistæ agunt de pœnis filiorum hæreticorum , an privandi sint beneficiis ecclesiasticis, oritur dubiũ, an tunc nomine beneficiorum comprehendantur etiam pensiones : & quia tunc agitur de pœnis,ideo docent plures , nomine beneficiorum non comprehendi pensiones, eò quia hæ distinguantur à beneficiis : siquidem hæc exigunt esse perpetua, & pensiones temporaneæ; hinc docent plures,quoad filios hæreticorum innocentes nomen beneficii non esse extendendum ad pensionem, ita Gigas *de pension. q.* 28. Gomez *ad regul. de annal. q.* 21. Geminian. *in c. quamvis tmit. de prabend. in 6.* Nihilominus contraria sententia videtur probabilior , quam docent Abbas *in c. ad audientiam* 2. *num.* 2. *V. dicerent tamen de rescript.* Pasqualig. *in quæstionibus moralibus juridicis. q.* 82. *num.* 2. Garcia *de benefic. lib* 5. *c.*10. *num.* 77. quia in hac materia ut rectè notat Pasqualig. beneficium laxè sumitur, adeo ut se extendat etiam ad pensionem, ut tradunt Glossa *in c. quicunque* §. *hæretici V. beneficium de hæret in* 6. Geminian. *ibid. num.* 3. & ratio hujus extensionis desumitur ex causa finali, quia quoties hæc habet locum in beneficiis propriè sumptis, habet etiam locum in pensionibus , & eatenus filii hæreticorum privantur beneficiis ecclesiasticis , ut eorum parentes cognoscentes filios destitutos talibus proventibus graviùs torqueantur,ut desumitur *ex c. vergentis de hæret.* atqui lex recipit suam mensuram à causa finali, adeo ut se extendat juxta exigentiam illius : unde cùm causa finalis locum habeat etiam quoad pensiones, fit , quòd nomen beneficii etiam extendatur ad ipsam pensionem; adeo ut ex eadem causa finali , qua filii hæreticorum privantur beneficiis ecclesiasticis , debeant etiam privari pensionibus.

17 Hinc dispositiones , quæ procedunt de beneficiis comprehensivè,etiam procedunt de pensionibus, adeo ut hæc sit potius dicenda comprehensio, quàm extensio , & nomen beneficii secundùm præsens institutum potiùs comprehendit pensionem, quàm extendatur ad ipsam, ut docent communiter Canonistæ Panormit. *in c. fin. num.* 10. *de rescript.* Gonzales *ad regul.* 8. *cancellar. §.* 7. *prooem. num.* 105. Imola *in l. si verò* §. *de viro. num.* 14. *ff. soluto matrimonio* Tiraquell. *in l si unquam V. libertis num.* 44. *de revocan. donat.* & quamvis lex pœnalis utpote odiosa non patiatur extensionem ; id tamen intelligitur de simplici extensione , non verò de extensione comprehensiva, ut rectè notant Abbas *in c. fin. num.* 10. *de rescript.* Covarruvias *in c Almamater. p.* 2. *§.* 4. *num.* 3. siquidem tunc lex comprehensivè extenditur, quando intentio, seu causa finalis extenditur ; mensuratur tunc extensio juxta exigentiam ipsius causæ finalis.

18 Præterea licèt leges punientes filios hæreticorum sint odiosæ in ordine ad ipsos,sunt tamen favorabiles respectu Ecclesiæ,ac fidei catholicæ, quia ordinantur ad conservationem fidei, & ad retrahendos homines per inflictas pœnas ab hæresi ; & rursus hic favor est publicus ; & odium est tantùm privatum, proinde favor publicus debet prævalere *l. jubemus C. de sacrosanct. Eccl. ecclesia c. pœna de postulat. c. licet de regul.* unde hujusmodi leges sunt potiùs absolutè censendæ favorabiles, cum in ipsis favor prævaleat , non solùm ex principali intento legislatoris, ita punientis filios hæreticorum , ut patres retrahantur ab hæresi ; sed etiam ex materia , ejusdem legis, quæ tametsi pœna sit , non tamen est in odium personæ punitæ , cùm hæc supponatur innocens, sed tantùm est medium ad conservandam fidem , ut ferè communiter docent Canonistæ Glossa *in c. si propter V. primi anni. de rescript. in* 6. Felin. *in c. 1. num.* 14. *V. aliud est de sponsal.* Covarruvias *lib.* 1. *varier. c.* 11. *n.* 5. Tiraquell. *in retract. in Præfat. n.* 56. *& §.* 30. *Glossa* 1. *num.* 5. Paris. *de resignat. lib.* 12. *q.* 2. *num.* 23. Hinc patet solutio ad rationem oppositæ sententiæ, nomine enim beneficii in materia odiosa non venit pensio,quando ex identitate rationis non comprehenditur sub eadem dispositione, secus si comprehendatur ; & causa finalis exigat talem comprehensionem. Tum quia præsens materia est potiùs censenda favorabilis, quàm odiosa.

Quæritur octavò,an beneficiarius possit as- 19
sentiri, ut imponatur pensio super proprio beneficio, dummodo servetur indemnis, & relevetur ab omni incommodo, ut si Petrus beneficiarius, & jam senio confectus rogetur à Paulo amico, ut consentiat,imponi annuam pensionem centum aureorum super beneficio ea intentione, ut post mortem Petri beneficiarii, Paulus , qui adhuc est juvenis,possit frui tali pensione, cùm beneficium cum suo onere transeat ad suum successorem : interim Petrus beneficiarius non vult assentiri tali pensioni, nisi servetur indemnis, & relevetur ab omni incommodo ; & Paulus,ut obtineat pensionem,obligat se soluturum singulis annis Petro centum aureos,hoc est eundem fructum,quem erit percepturus à pensione, cùm sufficiat Paulo habere talem pensionem liberam post obitum Petri beneficiarii. Respondetur,non posse hanc pensionem ita imponi absque simonia , quia daretur temporale pro adnexo spirituali , nempe annuus census centum aureorum pro ipsa pensione , quæ est aliquid annexum rei spirituali : siquidem datur illud jus exigendi à beneficio ecclesiastico illos centum aureos : quamvis pecunia sit quid temporale, jus est aliquod spirituale intra ordinem ecclesiasticum,proinde daretur pro temporali, seu pro annuis centum aureis , in quo consistit essentia simoniæ. Neque obstat , quòd desit pactum necessarium ad simoniam inducendam *c. qui studet.* 1. *q.* 1. *cùm pridem V. nos eam non duximus de pact. c. quæsitum de rerum permut.* quia licèt non adsit pactum explicitum , adest tamen pactum tacitum , quia beneficiarius expresserat se consensurum in pensionem , dummodo servetur indemnis à solutione pensionis, & relevetur ab omni incommodo , & quia pensionarius dat singulis annis centum aureos, seu totam illam summam quam accipit à beneficiario, ideo hic servatur indemnis, & relevatur ab omni damno:& hoc est pactum tacitum,quod revera servatur, proinde sufficit ad inducendam

simo-

simoniam, ut desumitur *ex c. quæsitum de rerum permut.* Loter. *de re benefic. lib. 3. quæst. 29. num. 45.*

20 Tum quia, cùm præcesserit tractatus de imponenda pensione, & beneficiarius declaraverit, se consensurum, dummodo servaretur indemnis, & experiretur, se inde nullum percepturum incommodum: & per solutionem annuam centum aureorum revera servetur indemnis; consensus pro impositione pensionis præsumitur exhibitus ex vi præcedentis tractatûs, & facti præcedentis *l. 3. §. verum ff de manumiss. l. qui in aliena, & l. si is qui putabat §. de acquirend. hæredit.* Surdus *decis.* 288. *num. 33.* unde prædicta pensio est omnino irrita, ac invalida, quia ad probandam simoniam sufficiunt conjecturæ, & præsumptiones *c. per tuas 9. sicut 1. de simonia*, ut notat Innocentius, proinde non potest pensionarius exigere pensionem à successore beneficiario, neque hic tenetur eam solvere. Quinimò si pensio imponatur cum clausula: quod nulla sit, nisi realiter, & cum effectu solvatur æquivalens, & pensionarius ut relevet ab omni incommodo solutionis ipsum beneficiarium, donet eidem usumfructum æqualem pensioni, adhuc est invalida, quia talis clausula in eum finem ponitur, ut excludatur fraus, & præcludatur via summo Pontifici, ne possit imponere beneficio pensionem: quæ fraus sufficit ad irritandam pensionem, ut notat Parisius *de resignation. lib. 13. q. 4. num. 2.* & Rota coram Pureo *decis. 155. n. 1.*

21 Tum quia donatio usufructûs æquivalentis pensioni declarat antecedentem intentionem, quòd beneficiarius non esset subiturus incommodum pensionis *l. si hi, qui V. si hi. ff. de ædilitio.* notat Surdus *decis. 326. num. 85.* unde detegitur animus aggravandi tantùm successorem in beneficio, proinde intervenit fraus, quam non intendit Papa reservans pensionem? Juvat observare, quòd in hac materia omnes pactiones sunt de jure prohibitæ, & inducunt simoniam *c. cùm pridem c. pactiones de pact. c. quæsitum de rerum permut.* Rebuffus *in prax. benefic. tit. de permut. n. 52.*

22 Quæritur nonò, quomodo pensio dicatur esse aliquid spirituale. Procedit quæstio de pensione ecclesiastica, pro quâ requiritur clericatus, ut aliquis sit illius capax, cùm certum sit, pensionem laicalem esse quid merè temporale. Censent plures, pensionem ecclesiasticam esse quid merè temporale Rebuffus *tract. de pacific. possess. num. 192. conclus. 18.* Gigas *de pension. q. 1. num. 1. V. prædicta definitio*, Lessius *lib. 2. de justit. & jur. c. 35 num. 125.* Loter. *de re benefic. lib. 3. q. 29. num. 86.* & alii plures ea inhærentes ratione, quia subjectum pensionis non est aliud, quàm fructus beneficii, prout hi fructus distinguuntur, & separantur ab ipso beneficio, ut præteritis notant Gigas *consil. 35. num. 9. V. est enim pensio.* Romanus *consil. 388. num. 1. V. primùm quia hæc*, & fusè id declarat Loter. *lib. 1. de re benef. q. 39. num. 82. & sequens.* Nihilominus tamen si pensio ecclesiastica ratione fructuum simpliciter, & præcisè sit quid temporale, attamen ratione juris, quod quis habet ad percipiendos tales fructus, est quid spirituale, ut docent plures apud Garciam *de benefic p. 1. c. 5. num. 19.* ubi refert plures decisiones Rotæ.

Ratio est, quia illud dicitur spirituale, quod procedit ex gratia spirituali, aut ad ipsam disponit, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 3. in corp.* proinde hoc jus percipiendi fructus pensionis est quid spiritualizatum, saltem ut informatum esse spirituali sui subjecti, & in eodem radicatum: siquidem nemo est capax ecclesiasticæ pensionis, nisi sit constitutus in statu clericali, ut declarant tum Pontifices Pius V. in sua constitutione 71. & Sixtus V. in sua constitutione 31. idque etiam fusè probat Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 19.* & quia status clericalis separat clericum à laicis, & illum incorporat ordini ecclesiastico *c. cum contingat. de ætat. & qualitat.* remanet dicatus in ordine ad ejus cultum, quo fit, ut acquirat quendam statum spiritualem, & quia jus ad pensionem fundatur necessariò in hoc statu, est jus spiritualizatum, quia est jus competens personæ non simpliciter, sed ut spiritualizatæ per consecrationem, quâ se Deo in statu clericali dicavit. 23

Tum quia eatenus beneficium, prout dicit jus percipiendi fructus, est jus spirituale, quia oritur ex legitima consecratione facta Deo bonorum temporalium, ut tradit Loter. *de re benef. lib. 1. q. 5. num. 43.* siquidem bona, quæ eriguntur in beneficium ecclesiasticum, consecrantur Deo, & suo modo spiritualizantur ratione talis consecrationis; proinde jus ad percipiendos fructus beneficiorum est spirituale. Hoc etiam procedit in jure percipiendi pensionem ecclesiasticam, quia hoc jus oritur ex consecratione bonorum temporalium facta Deo: siquidem hac stante talia bona quoad fructus remanent destinata pro sustentatione Ministrorum inservientium ecclesiis, proinde jus, quod datur talibus Ministris ad participandum in fructibus dictorum bonorum, radicatur in consecratione eorundem, & ex eadem consecratione oritur, quòd sit jus spirituale destinatum pro Ministris Ecclesiæ. 24

Tum quia habet etiam annexum officium divinum, per quod Pius V. determinavit cultum divinum exhibendum à pensionariis. Et oritur etiam ex officio ecclesiastico, tanquam radice, quia ratione status clericalis persona militat Deo, ipsique inservit in illo speciali munere recitandi officium B. Virginis. Tum quia hi fructus pensionum dantur secundùm normam commutativæ justitiæ pro onere inserviendi Deo, ut notat Sotus *lib. 3. de justit. & jur. q. 3. art. 2. in conclus.* adeo ut si Pensionarii non recitent officium B. Virginis, teneantur ad restitutionem pro rata, ut statuit Pius V. in sua constitutione 135. 25

Quæritur decimò, an pensio possit vendi, & redimi absque simonia. Plures affirmant præsertim Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 31. resp. 10.* Navarrus *in sum. c. 25. num. 114.* Medina *in sum. c. 14. §. 22.* Sanchez *tom. 1. opus. lib. 2. c. 3. dub. 46.* ubi ait, ita sentire plures doctos recentiores, & videtur huic sententiæ 26

tiæ favere Panormit. *c. ad audientiam de rescript. num.* 2. ubi asserit, pensionem esse quid temporale. Plures tamen ex hisce Doctoribus excipiunt pensiones, quæ dantur in titulum beneficii pro aliquo ministerio spirituali. Nititur hæc sententia, quia jus pensionis est omnino temporale, eò quia sit sola obligatio ad beneficiarium, ut solvat tale onus, & pensionarius recipiat tales fructus. Secundò quia pensio potest etiam concedi laicis, perinde ac conceduntur decimæ, quia ut docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. tunc non conceditur jus ullum spirituale, sed tantùm res aliqua temporalis, nimirum temporalis actio, circa fructus pensionis, & decimarum; addúntque per accidens pensioni esse annexum onus recitandi officium B. Virginis, & deferendi habitum clericalem.

17 Vera tamen, & communis sententia est, pensiones non posse sine simonia vendi, ac redimi, si sermo sit de pensionibus ecclesiasticis, de quibus in præsenti loquimur, & quæ dantur titulo ecclesiastico, seu ex eo, quòd persona sit constituta intra ordinem ecclesiasticum per clericalem tonsuram: quia tametsi pensio non det jus ad beneficium, sed tantùm ad fructus beneficii, adhuc hoc jus ad fructus pensionis est spirituale, siquidem est jus receptum spirituali modo: recipitur enim à clerico, ut persona ecclesiastica habente jus ad participandum in bonis Ecclesiæ: unde jus percipiendi fructus pensionis non solùm est annexum rei spirituali, seu statui clericali; verùm etiam suo modo spiritualizatur; quia fit proprium personæ spiritualis intra ordinem spiritualem: & sicut recipiens jus hoc percipiendi fructus pensionis illud recipit per modum personæ spiritualis; ita etiam ipsum jus recipitur per modum juris spiritualis. Hinc patet solutio ad primum argumentum oppositæ sententiæ.

18 Ad secundum respondetur, pensionem ecclesiasticam de jure communi non posse dari laicis, eò quia sit quid annexum rei spirituali, seu dignitati clericali, & ipsum jus est etiam suo modo spirituale, cùm sit jus, quod in ordine spirituali habet persona spiritualis; neque est par ratio de decimis, quæ possunt laico concedi, quia quando decimæ conceduntur laicis, extrahuntur à titulo, & officio spirituali, proinde totum, quod conceditur laico, evadit temporale, neque subjicitur alteri titulo spirituali: & licèt pensio clericalis possit extrahi ab officio spirituali, & etiam ab illo titulo particulari, cui beneficium subjicitur, non tamen potest extrahi à titulo universali clericalis dignitatis: hic autem titulus est spiritualis, proinde pensio nunquam extrahitur à totali titulo spirituali. Hinc officium B. Virginis est annexum pensioni ut ministerium, quod persona ecclesiastica tenetur præstare, ut pars Ecclesiæ sustinens in se ipsa talem obligationem, quam titulo gratitudinis habet Ecclesia in eos, quorum bonis ipsa fruitur.

19 Quæritur undecimò, quales pensiones in particulari non possint vendi, nec redimi. Tametsi nulla pensio ecclesiastica possit vendi, nec redimi pretio temporali, cum ratione juris percipiendi fructus beneficii, sit quid spirituale, ut liquet ex præcedenti quæstione principaliùs tamen vendi non potest, nec redimi absque simonia.

Primò pensio, quæ assignatur ei, qui beneficio se abdicavit ex quacunque causa facta fuerit resignatio: quia licèt pensio tunc detur ut alimentum pro congrua sustentatione illius, qui renuntiavit beneficio, adhuc tamen datur titulo spirituali, quia semper datur titulo clericatus, etenim ratione dignitatis clericalis, & status ecclesiastici debentur ipsi alimenta ex bonis Ecclesiæ, si enim non esset clericus, non deberentur ipsi ex bonis ecclesiasticis alimenta, quapropter talis pensio ratione status clericalis est spiritualis, & datur titulo spirituali, proinde sine simonia non potest vendi, nec redimi pretio temporali. Præterea quia pensio exigit poni ex justa causa, & clericus renuntians beneficio, & reservans sibi pensionem pro alimento habet justam causam, eò quia ipsi ut clerico debentur alimenta ex bonis Ecclesiæ, imò ex bonis talis determinati beneficii; quia exercuit spirituale ministerium annexum beneficio, consequenter etiam ex hac ratione pensio fundatur in titulo spirituali. 20

Secundò neque potest vendi, aut pretio redimi pensio, quæ datur clerico pauperi pro congrua sustentatione, quia tametsi tunc pensio non detur pro aliquo ministerio spirituali, nihilominus datur titulo spirituali, seu intuitu dignitatis clericalis, quapropter Tridentinum *sess.* 21. *c.* 3. *de reformat.* decrevit, ne hujusmodi pensio, ad cujus titulum clericus ordinatur, possit remitti sine licentia Episcopi, quam non possit concedere, nisi clericus aliunde habeat, unde possit congruè sustentari: ex quo clarè infertur, quòd clericus fruatur tali pensione titulo dignitatis clericalis, proinde pensionem saltem subjectivè esse quid spirituale. 21

Tertiò nec potest vendi, nec pretio redimi pensio reservata ex permutatione beneficii pinguioris, in aliud minus pingue, quia adhuc talis pensio fundatur in titulo clericatûs, & datur intuitu dignitatis spiritualis. Tum quia datur pro compensatione rei spiritualis, seu beneficii, quod, cùm sit spirituale, non posset pensio, si esset temporalis, imponi, quia daretur aliquod temporale pro spirituali. 22

Quartò neque pensio potest transferri intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium solvatur pro translatione, aut constitutione pensionis, quia eo ipso, quòd est pensio clericalis, fundatur in titulo spirituali, proinde non potest pretio temporali, seu pecuniâ redimi. Tum quia hoc pretium temporale respicit actionem fundandi, & transferendi pensionem: atqui hæc actio est annexa rei spirituali, scilicet authoritati spirituali fundandi, & transferendi pensionem. Neque obstat, quòd pactum fiat cum possidente beneficium, quia adhuc paciscentes tali modo censentur pacisci de obtinenda tali actione à Pontifice, unde & ipsa actio cadit sub pactum, & cùm sit actio spiritualis, datur pro temporali, quod propriè est simonia. 23

Quæritur duodecimò, quo jure prohibitum sit, pensiones ecclesiasticas vendere, aut redimere. 24

mere. Verior, & communior ſententia eſt ſtante conſtitutione Pij V. eſſe prohibitum jure divino: quia tunc ſimonia eſt contra jus divinum, quando verſatur circa aliquid per ſe ſpirituale, vel aliquid participans de ſpirituali: atqui penſio eccleſiaſtica revera participat de ſpirituali, quia non importat ſolos fructus beneficii, ſed etiam jus fundatum in miniſterio ſpirituali, ſeu in ſtatu clericali, & in recitatione officii beatæ Virginis, ad quam obligantur, qui penſionibus gaudent, hoc enim pacto adſciſcuntur ſpirituali miniſterio, & oritur in iisdem jus ſpirituale, quòd ſine ſimonia non poteſt pretio temporali vendi, vel redimi. Tum quia ipſa obligatio recitandi officium B. Virginis eſt etiam ſpiritualis, transfertúrque, quando venditur penſio, cui talis obligatio eſt annexa: ergo pretio temporali venderetur etiam, vel redimeretur hæc obligatio ſpiritualis. Et quamvis poſſit quis penſionem remittere, vel etiam extinguere, non tamen ſequitur, quòd poſſit eam vendere, vel redimere, quia in remiſſione, vel extinctione ſimpliciter non intervenit ullus contractus, in quo commutentur ſpiritualia cum temporalibus, ſicut interveniret, ſi quis pecuniâ penſionem redimeret. Neque obſtat, quòd penſio ex ſe præcisè non ſit materia ſimoniæ contra jus divinum: quia licèt id verum ſit, nihilominus ratione conſtitutionis Pij V. per quam penſiones eccleſiaſticæ eriguntur in titulum clericalem cum obligatione ſpirituali recitandi officium beatæ Virginis evadunt materia ſimoniæ contra jus divinum.

35 Hinc quando Pontifex facultatem concedit vendendi, aut redimendi has penſiones, tunc facultas verſatur tantùm circa fructus, quos extrahit à titulo ſpirituali; conſequenter per mutationem materiæ, facit ut quod erat materia ſimoniæ, non ſit amplius materia ſimoniæ: hoc autem poteſt Pontifex præſtare, quia eatenus erat materia ſimoniæ, quatenus fructus erant annexi titulo ſpirituali; & ſummus Pontifex poteſt talem unionem, ſeu connexionem ſolvere: quia ſicut connexio hæc fuit à Pontifice poſita, ita poteſt ab eodem tolli.

36 Quæritur tertiò decimò, an ſi renuntians beneficio conveniat cum reſignatario de penſione extinguenda mediantibus aliquibus ſolutionibus anticipatis, & quòd pecunia depoſitetur apud probum, ac idoneum virum, ſub ea conditione, quòd renuntians beneficio ſtatim totam illam pecuniam recipiat, quando ſummus Pontifex conceſſerit facultatem extinguendi penſionem, committatur tunc ſimonia? In hac quæſtione tria conſiderantur. Primò ratio pacti ſimpliciter. Secundò tractatus ut includens pactum conditionatum dependenter à voluntate Pontificis: Tertiò ipſa pecunia, quæ deponitur, ac ſervatur apud virum probum, & idoneum. Quoad primum certum eſt, reſignationem beneficiorum debere neceſſariò excludere omne pactum, & eſſe totaliter liberam *c. cùm pridem. c. fin. de pact. c. ex parte de offic. delegat. c. tuas nos de ſimonia*, ut tradunt Felin. *in c. ad audientiam 2. num. 3 de reſcript.* Rebuffus *in prax. tit. de pura reſignatione* Tuſchus *litt. S. conclus. 253.* ſiquidem cùm hæc reſignatio ſit de re ſpirituali; ſeu de jure ad beneficium eccleſiaſticum, ſequeretur, quòd res ſpiritualis ſubjiceretur contractui, proinde pactum foret ſimoniacum, ſi haberet rationem pacti firmi. Tum quia penſio absque authoritate Pontificis nequit redimi, neque extingui, ut tradunt Navarr. *conſil. 52. de prabend. & conſil. 66. de ſimon.* Zechius *de benef. & penſion c. 11. n. 8. V. quintodecimò* Zerola *in prax. p. 2. V. penſion.* ratio eſt, quia cum jus ad penſionem ſit ſpiritualizatum, & annexum rei ſpirituali trahitur ab hac, & fit ſpirituale *argum. c. quanto de judiciis*, proinde non poteſt cadere ſub pactum, ut fusè oſtendit Navarr. *conſil. 58. de prabend.*

Quia verò in caſu quæſtionis nil ſtabilitur, 37
quod firmum, ratúmque ſit, ſed totum ordinatur ad exſpectandum conſenſum Pontificis, à quo dependet tractatus, & quo ſuperveniente ſuum tantùm ſortitur effectum, ideo talis tractatus non videtur induere rationem veri pacti, ſed tantùm remanere in pura ratione tractatûs conditionati, nimirum quòd non ſortiatur effectum niſi ſummo Pontifici placuerit: eſt enim pactum duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus *l. 1. cum Gloſſa ff. de pact.* ideo tractatus non induit veram rationem pacti, donec accedat utrinque firmus, & abſolutus conſenſus, à quo non liceat recedere: & quia in præſenti caſu tractatus caret firmo, & abſoluto conſenſu, eò quia exſpectet futuram conditionem conſenſûs apoſtolici, qui ſi ponatur, ſeu ſi Papa aſſentiatur, tantùm ſortitur ſuum effectum pariendi utrinque obligationem, non eſt ante conſenſum Papæ pactum propriè ſumptum, quia non eſt firmus conſenſus inducens obligationem *l. neceſſario §. quòd ſi pendente ff. de peric. & com. rei vend. l. ſi cert. petit.* ſiquidem conditio caſualis, cujusmodi eſt, quæ dependet à voluntate Principis impedit pactum obligatorium, donec purificetur *l. cedere diem. ff. de verb. ſignif. l. non omnis ff. ſi cert. petit.* Rota *decis. 567. num. 3. p. 3. recent.* Dicitur enim conditio ſuſpendere actum usque ad purificationem conditionis, proinde ea pendente actus non eſt perfectus *d. l. cedere diem ff. de verb. ſignif.* ut tradunt Menoch. *conſil. 63. num. 28.* Surdus *conſil. 186. num. 12.* quinimò conditione pendente, actus qui dependet à tali conditione non dicitur actus *l. pecuniam quam ff. ſi cert. petit.* nec gratia conditionalis eſt perfecta, & nondum habet rationem gratiæ, niſi poſt purificationem conditionis *c. ſi pro te de reſcript. in 6.* proinde contractus conditionatus non eſt propriè contractus antequam purificetur conditio, ut rectè docet Menochius *conſil. 63. n. 30.*

Quamobrem contractus poſitus in caſu hu- 38
jus quæſtionis cùm ſit conditionatus, ſi Papa conſenſerit remanet in ſuſpenſo usque ad conſenſum ſupervenientem Papæ; neque tranſit in pactum firmum, & ratum, niſi dependenter à conſenſu Papæ, proinde non videtur per ſe tale pactum conditionatum, ac dependens à conſenſu Papæ prohiberi, cùm non ſit pactum propriè ſumptum, nec per ſe ſeorſim à conſenſu Papæ ullam inducat obligationem. Quòd verò

hoc pacto debeat interpretari, docent communiter doctores Abbas *in c. cum in de testib.* Natta *consil. 549. num. 11.* Farinac. *in prax. criminal. p. 3. q. 85. num. 1.* Menoch. *lib. 5. præsumpt. 16. num. 26.* Mascardus *de probat. conclus. 496.* quia illa interpretatio debet fieri, quâ delictum evitatur, & cum tractatus positus in casu quæstionis possit accipi per modum tractatûs conditionati, qui non sortiatur suum effectum, nisi dependenter à consensu Papæ, non debet accipi per modum pacti, ut excludatur delictum simoniæ. Tum quia pactum proprie est actus obligatorius; & tractatus ex genere suo non est actus, pro quo fit, sed sola præparatio ad illum, ut notant Alexander *consil. 25. num. 5.* Abbas *consil. 54. p. 1.*

39 Quòd verò non prohibeatur simplex tractatus tali pacto conditionatus, sed tantùm firmum, ratúmque pactum, ut desumitur *ex c. cùm pridem de pact.* proinde in tali tractatu conditionato non includi vitium simoniæ, docent Felinus *in c. ad audientiam 2. n. 3. de rescript.* Gambarus *de legat. lib. de pension. num. 116.* Gigas *de pension. q. 4. num. 2.* Tum quia Pontifex scit, hunc tractatum præcessisse resignationem, & nihilominus concedit pensionem juxtà conventionem partium, quod sufficit, quia tametsi adesset aliqua species simoniæ, adhuc Papa dispensaret, ut notat Redoan. *de simonia p. 3. c. 13. num. 4.* Cæterum illa clausula determinans tractatum, ut expectetur consensus Pontificis, & qua omnia remittuntur ad arbitrium Pontificis, extinguit omnem suspicionem simoniæ, ut tradunt Gigas *de pension. q. 4. num. 2.* Butrius *in c. cum crimen de pact.* Felin. *in c. ad audientiam 2. V. si autem de rescript.* quia tunc nihil statuitur, nihilque subsistit nisi ex beneplacito, & consensu apostolico; & conditio apposita retrotrahitur, & operatur, quòd actus censeatur celebratus eo modo, quo se habet post purificatam conditionem: quia cùm sit celebratus sub illa expectatione, est etiam celebratus sub illius forma.

40 Nihilominus quoad tertium, seu depositum pecuniæ resignatarius obligatur ad extinguendam pensionem, si Pontifex consenserit, & etiam ad expectandum eventum conditionis; & quia depositum pecuniæ interim est firmum, & ratum, ideo ratione ejusdem depositi intervenit pactum firmum, quod tanquam simoniacum prohibetur: idque evincitur ex eo, quia resignans non resignaret beneficium, nisi pecunia deponeretur apud virum probum, & idoneum, & assumeretur obligatio exspectandi consensum apostolicum; & hæc obligatio pendente conditione non potest revocari, ut de donatione conditionata docent Covarruvias *lib. 1. variar. c. 4 num. 16.* Molina *tom. 2. de justit. & jur. disp. 285. conclus. 4.* ubi enim oritur obligatio, ibi non habetur simplex tractatus; sed verum pactum inducens obligationem, proinde non potest resignans convenire cum resignatario de extinguenda pensione per aliquot anticipatas solutiones, & de deponenda pecunia apud virum idoneum sub ea conditione, quod resignans statim accipiat pecuniam illam, ac consensus apostolicus de extinguenda pensione accesserit, nisi Papa expressè dispenset, & illi innotescat pecunia, quæ fuit tali modo depositа apud idoneum virum.

Quæritur quartodecimò, an pensionarius 41
teneatur recitare preces divini officii? Respondent communiter Canonistæ affirmativè, & desumitur ex constitutione Pij V. cui initium est *ad perpetuam rei memoriam*, ubi Pontifex postquam præcepit, ut beneficiarius, qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus omiserit, omnes beneficii, seu suorum beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur, dimittat: rursus qui omittit recitare matutinum tantùm teneatur dimittere dimidiam partem; & qui cæteras omnes horas aliam dimidiam. Deinde sub finem illius constitutionis ait Pontifex. Quicunque pensionem, fructus, vel alias res ecclesiasticas ut clericus percipit cum modo prædicto, ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionis fructuum, terúmque ipsarum amissioni obnoxium.

Quæritur quintodecimò, an beneficiarius 42
possit denegare pensionem pensionario non incedenti cum habitu clericali? difficultas oritur ex constitutione 92. Sixti V. in qua statuitur, quòd pensionarii non deferentes habitum clericalem ipso jure censeantur privati pensione absque alia monitione, citatione, aut judicis ministerio, ut notat Garcia *de benefic. p. 7. c. 1. num. 18.* Non tamen hæc constitutio comprehendit omnes pensiones, sed eas duntaxat, quæ excedunt 60. ducatos aureos de camerâ, ut declaravit Sixtus V. in constitutione declaratoria prioris constitutionis §. 2. idque procedit sive hæc summa consistat in unâ, sive in pluribus pensionibus, adeo ut, qui plures haberet pensiones, tametsi singulæ tenues sint, si tamen omnes simul excederent 60. ducatos aureos de camerâ, teneretur deferre habitum clericalem. Excipiuntur tamen equites militares, qui licèt capaces pensionis sint, sufficit tamen, si incedant cum habitu, & insignibus suæ militiæ, ut declaravit Rota coram Merlino *decis. 382. n. 3.* quia cum teneantur incedere cum habitu suæ militiæ Pontifex noluit eos obligare ad mutandum habitum ob pensionem ecclesiasticam: alioquin privilegium capacitatis pensionis esset potiùs onerosum tali militiæ, quam compelleret ad dimittendum proprium habitum, nec esset speciale privilegium, sed esset illud commune cæteris clericis; privilegium autem speciale debet aliquid operari, quod non sit commune.

Præterea obligatio deferendi habitum, & 43
tonsuram clericalem quoad pensionarios, tunc tantùm incipit, quando isti incipiunt pensionem exigere, vel per ipsos stat, quòd illam non exigant, ut tradit Rota coram Ludovisio *decis. 2. num. 4.* Hinc si post concessionem pensionis, institueretur lis super reservatione pensionis non teneretur tunc pensionarius durante lite habitum induere clericalem. Sed posito, quòd pensionarius sit in pacifica possessione suæ pensionis, cujus propterea fructus exigat, an si tunc non deferat tonsuram clericalem, nec habitum

ecclc-

eccleſiaſticum cenſeatur ipſo facto privatus penſione, quam propterea beneficiarius illi impoſterum deneget? Probabilior ſententia eſt, quòd penſionarius tunc conveniendus ſit coram judice, non quidem in ordine ad privationem penſionis, nec declarationem ejusdem privationis, cum talis privatio incurratur ipſo facto ex vi conſtitutionis Sixti V. ſed in ordine ad juſtificandum, quòd cùm exigeret fructus penſionis, inceſſerit ſine habitu clericali: idque ut detur ipſi occaſio ſe defendendi, & allegandi rationes, quibus poſſit ſe defendere, & oſtendere ſe non incurriſſe pœnam legis: ſiquidem conſtitutio Sixti V. ſupponit factum, quòd penſionarius incedat ſine habitu; & ſuper hoc diſponit puniendo ipſo jure, & absque miniſterio judicis; proinde ſupponit factum in eo reperiri ſtatu, in quo ſit capax punitionis: adeo ut per excluſionem citationis, & miniſterii judicis ſolùm excludat in ordine ad punitionem: ſiquidem excludit in ordine ad id, quod ipſe Pontifex præſtat de plenitudine poteſtatis, ut liquet ex ipſa conſtitutione: atqui nullum factum dicitur reperiri in ſtatu, in quo poſſit puniri, niſi de ipſo legitimè priùs conſtiterit, vel in judicio, vel ſaltem ipſimet ſupremo Principi, & quòd delinquenti nulla competat excuſatio: proinde adhuc requiritur, ut penſionarius remaneat privatus penſione, quòd legitimè, ſeu juridicè conſtet, ſe dimiſiſſe habitum clericalem, & quòd nulla ei ſuppetat juſta excuſatio; ſiquidem penſionarius in ſui defenſione poſſet allegare diſpenſationem, vel caſum aliquem, qui ex mente legislatoris non comprehenderetur ſub lege, ut tradit Gloſſa *in element. 2. V. rationabilis de vita, & honeſtat. clericor.* Tum quia reus, antequam condemnetur, & pœnam ſubeat, audiendus eſt, ne indefenſus, & inauditus condemnetur, defenſio enim propria eſt de jure naturali divino *l. ut vim vi ff. de juſtit. & jur. t. jus naturale diſt. 1. element. paſtoralis §. caterum de re judic.*

44 Quòd ſi penſionarius deferret ſolum habitum ſine tonſura adhuc privaretur penſione, quia Sixtus V in præfata conſtitutione loquitur copulativè de habitu, & tonſura clericali, tum quia habitus clericalis conſiſtit copulativè in veſte talari, & tonſura, ut tradit Garcia *de benef. p. 7. c. 1. num.* 20. Loter. *de benef. q. 36. n. 74.* Tum quia habitus clericalis dependet ex ipſa inſtitutione Eccleſiæ, proinde debet attendi ſecundùm menſuram inſtitutionis: Eccleſia autem inſtituit habitum clerici eſſe copulativè veſtem talarem, & tonſuram. Neque ullum faceſſit negotium, quòd reſpondent aliqui, conſtitutionem illam Sixti V. per non uſum eſſe abrogatam, quia reſpondet Loter. *de re benefic. q. 25. num. 40.* legem pontificiam non poſſe abrogari per non uſum, eò quia Pontifex non habet poteſtatem à Populo, ſed à Deo immediatè, adeo ut neque per præſcriptionem mille annorum extinguatur vis legis pontificiæ per uſum contrarium, ſed quidquid ſit de hoc, cùm communior ſententia cum D. Thoma 1. 2. q. 97. doceat, leges pontificias per conſuetudinem contrariam poſſe abrogari. Neque obſtare, quòd Pontifex habeat authoritatem immediatè à Deo: quia exinde ſolùm ſequitur, quòd poſſit leges condere independenter à populo, non verò quòd leges pontificiæ non poſſint per contrariam conſuetudinem abrogari, quia ſervant naturam legis, contra quam poteſt rationabilis conſuetudo prævalere: ſiquidem cùm vis legis fundetur in ipſa ratione, debet cedere, quando una ratio cedit alteri rationi.

Reſpondetur igitur, conſtitutionem illam 45
Sixti V. non fuiſſe per non uſum abrogatam, idque ex eo probatur, quia in judiciis de facto manutenetur in ſuo robore, & ſecundùm ipſam fertur ſententia, etenim Romana Rota non aliter quàm ſecundùm ipſam judicat, ut liquet in *deciſ. 158. num. 16. p. 1. recent. & in Eborenſi penſionis 7. Junii 1627. coram Ubaldo*, & hoc ſufficit ad manutenendam conſtitutioem in ſuo vigore. Neque obſtat, quòd aliqui forſaſſis illam non ſervent, quia inde non potest concludi conſuetudo contraria, ſed potiùs violatio legis. Tum quia tales non obſervantiæ, non ſunt actus inconcuſſi, ſed interrumpuntur per ſententias in contrarium, quæ evertunt conſuetudinem, & utpote actus contrarii non ſinunt vires ſumere, ut notat Surdus *conſil. 393. num. 23.* & Rota *coram Ludoviſio decis. 162. nu. 9. & decis. 554. n. 3. coram Merlino.*

Quæritur decimo ſextò, an penſionarius te- 46
neatur, quæ illi ſuperſunt ex penſione, in pios uſus ex lege juſtitiæ impendere? Affirmat Navarr. *de reditib. eccles. q. 1. num. 78.* eò quia penſio ſit quædam portio ex fructibus beneficii detracta: & fructus beneficiorum ſecum trahunt hoc onus, ut quidquid ex ipſis ſuperfuerit, impendatur in pios uſus. Verùm licet hæc ſententia pia ſit, & ad praxim deducenda, oppoſitum tamen docent Gigas *de penſion. q. 52.* Covarruvias *de teſtament. c. cum in officiis num. 6.* Quia penſionarius nullo jure compellitur impendere ſuperflua in pios uſus, quia penſio datur tanquam alimentum vitæ neceſſarium non ratione alicujus miniſterii ſpiritualis, unde ſi quid ex tali alimento ſibi conceſſo ſuperfuerit, eidem acquiritur; & non debetur alteri ex juſtitia. An verò penſionarius, dum vivit, poſſit de fructibus penſionis ſuo arbitratu diſponere? Affirmant Gigas *de penſion. q. 52.* & Covarruvias *de teſtam. c. cum in officiis num. 6. ad fin.* Negant verò Navarrus *in tract. de reditibus eccles. q. 1. num. 74. & in apolog. q. 1. monit. 31.* Sarmentus *de redit. eccles. p. 3. c. 5 num. 7.* nihilominus prima ſententia eſt probabilis, quia jura tantùm beneficiariis prohibent taliter diſponere de fructibus beneficiorum. Tum quia penſiones dantur ut vitæ alimenta, & ut penſionarii habeant, unde ſuſtententur Neque obſtat, quòd penſiones percipiantur ex fructibus beneficiorum; quia penſionarius non percipit penſionem jure Eccleſiæ, cui inſerviat, ſed tanquam portionem aliquam neceſſariam ad vitæ ſuſtentationem.

An verò poſſit quis plures ſimul habere 47
penſiones, & an id pugnet cum jure naturali, & recta ratione? Ratio dubitandi eſt, quia plura beneficia non poſſunt ſimul poſſideri, ſi unum

ſufficiat ad congruam ſuſtentationem beneficiati, proinde ſi una penſio ſufficiens fuerit pro congrua penſionarii ſuſtentatione, non videtur quomodo non poſſit quis plura beneficia habere & poſſit tamen plures poſſidere penſiones. Quamobrem putârim id rectæ rationi adverſari, quia cum penſio detur ut vitæ alimentum, ſemel quòd una ſufficit ad congruam, & honeſtam ſuſtentationem clerici, nulla ſuppetit ratio, cur debeat plures habere: quòd ſi plures habeat penſiones, plures etiam debet habere alimentorum portiones, & quantum pluribus ſuſtentandis ſufficiat, hinc ſequeretur, quòd improbavit Apoſtolus Corinthiis, quòd alius eſuriret, & alius ebrius eſſet. Cæterum ob merita, vel inſignem doctrinam, & eruditionem, vel etiam ob generis nobilitatem poſſunt eidem plures reſervari penſiones, quia tunc dantur non ſolùm ratione alimenti, ſed etiam præmii.

48 Quæritur decimo ſeptimò, an valeat translatio penſionis in clericum ſpurium? Probabilior ſententia, ac verior eſt, talem translationem validam eſſe, ut tradunt Zerola *in prax. p. 1. V. ordo §. 4.* Palæottus *de noth. & ſpur. c. 58. n. 4.* Gonzales *ad regul. 8. cancellar. n. 24.* & hoc pacto ſemper judicavit Rota in pluribus deciſi nibus, quas refert Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 116.* Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd ſpurius eſt diſpenſatus, ut poſſit promoveri ad clericatum, eſt etiam capax penſionis: & eo ipſo, quòd eſt clericus, præſupponitur diſpenſatus ad clericatum, proinde etiam ad penſionem; ſiquidem eatenus ſpurius eſt incapax penſionis, quatenus eſt incapax qualitatis fundamentalis, quam exigit penſio, proinde ſi per diſpenſationem ponatur hæc qualitas, ponitur ſimul etiam capacitas recipiendi penſionem: conſequenter illegitimitas non ampliùs opponitur collationi, aut translationi penſionis, ſed tantùm clericatui: unde poſita diſpenſatione ad clericatum, fit ſtatim capax penſionis, nec eſt neceſſaria nova diſpenſatio. Hinc Rota *decis. 3. de filiis Presbyter. in antiq.* declaravit, valere translationem penſionis, niſi quid aliud obſtet; idque quamvis in conceſſione translationis non fuerit illegitimitas expreſſa, quia facultas transferendi penſionem, cùm non ſit coarctata ad certum genus perſonarum, extenditur ad omnes capaces, & quia illegitimus eo ipſo, quòd diſpenſatur ad clericatum, fit capax penſionis, ideo ad ipſum poteſt etiam penſio transferri.

49 Neque obſtat, quòd illegitimus diſpenſatus ad clericatum non cenſeatur diſpenſatus ad beneficium: quia eſt diſpar ratio, neque inhabilitas illegitimorum extenditur ad penſiones, cùm ſit penſio quid diverſum à beneficio *c. quamvis de prabend. in 6.* & Concilium Trident. etiam diſtinguit penſiones à beneficiis, & diſcretivè de ipſis diſponit *ſeſſ. 21. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 15. de reformat.* atqui inhabilitas utpote quid odioſum eſt potiùs reſtringenda, quàm amplianda, conſequenter inhabilitas quoad beneficia non debet extendi ad penſiones. Tum quia à diverſis non fit illatio *l. neque natales C. de probat. l. naturaliter §. nihil commune de acquirend. poſſeſſ.* Ancaranus *in repet. c. cum ſatuta oppoſit. 1. de conſtit.* Quòd ſi ſpurius ſine prævia diſpenſatione promotus fuiſſet ad clericatum, tunc probabiliùs cenſerem, non fore capacem penſionis, quia clericus cùm non fuerit aſſumptus legitimo modo, quamvis ſecum trahat tonſuram, non tamen ſecum trahit habilitatem ad penſionem in ordine, ad quam perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet aſſumptus, ut deſumitur *ex c. inter tucorporalia de translat. epiſcopi c. veniens de Presbyteris non baptizat.* quia cum tales effectus ſint de jure poſitivo, non inducuntur ſine aſſiſtentia juris poſitivi: & illegitimus, quando ſine prævia diſpoſitione contra diſpoſitionem juris ſuſcipit clericatum tantùm abeſt, quòd habeat aſſiſtentiam juris, ut jura ipſi potiùs opponantur.

Quæritur decimo octavò, an transferri 50
poſſet penſio irrequiſito ſummo Pontifice? Communis reſponſio eſt, ſine authoritate Papæ non poſſe penſionem transferri, eò quia hæc ſit onus impoſitum beneficio, & onerare beneficia ad ſolum Romanum Pontificem pertinet ob plenitudinem poteſtatis, proinde irrequiſito Papa non poteſt penſio transferri, quia in hac translatione prior extinguitur, & nova imponitur, quæ impoſitio non poteſt fieri niſi à ſummo Pontifice. Tum quia translatio penſionis eſt quid odioſum, eò quia beneficium onere, & ſervitute diu gravet; hinc ut notat Gigas *q. 12. num. 2.* Summi Pontifices non niſi difficulter, & rarò imponunt hujusmodi penſiones in beneficiis, & Sixtus V. eas recuſabat. Unde non ex quacunque cauſa datur hæc poteſtas; ſed tantùm conceditur, vel ex reſignatione beneficii, quando Cardinales ſeſe abdicant Epiſcopatu, tunc moris eſt, ut iisdem penſio reſervetur mille aureorum cum facultate transferendi dimidiam partem; non enim conceditur, ut poſſint totam penſionem transferre, ſed tantùm tertiam, vel dimidiam partem, ut notat Mandoſius *lib. 6. de reſignat. benefic. num. 24.* vel reſervatur penſio ex meritis, vel inſigni doctrina, aut inopia, ut Eccleſiaſticus habeat, unde congruè poſſit vivere.

Hinc penſionarius, tametſi poſſit dare alteri fructus ſuæ penſionis, non tamen poteſt dare 51
ipſam penſionem, ſeu jus, quod habet exigendi fructus ex beneficio alterius, quia transferre hoc jus in alium ad ſolum pertinet ſummum Pontificem: fructus tamen etiam futuri per totam vitam penſionarii poſſunt alteri dari, quia tunc penſionarius non donat, nec transfert penſionem, ſeu illud jus exigendi fructus ex beneficio alterius; ſed tantùm donat fructus futuros, adeo ut penes donatarium non ſit hoc jus exigendi hos fructus, ſed tantùm penes penſionarium, quapropter donatarius non niſi nomine penſionarii fructus exigit, ac percipit. Cæterum in foro exteriori hujusmodi donatio futurorum fructuum per totam vitam cenſeretur translatio penſionis ad alterum: proinde in praxi rata non haberetur; eò quia fieret ſine authoritate Romani Pontificis: perinde ac locatio fructuum futurorum ad vitam penſionarii in foro externo judicaretur venditio penſionis abſque conſenſu Papæ, proinde talis locatio non haberetur rata.

Quæ-

52 Quæritur decimo nonò, an pensionarius, cui denegantur à beneficiario fructus suæ pensionis, possit jure agere de spolio, ac petere, ut authoritate judicis pristinæ possessioni restituatur? Pensionarius tunc dicitur spoliatus possessione suæ pensionis, quando fructus suæ pensionis petit à beneficiario, qui tales fructus illi solvere consueverat, & à quo per plures annos eos acceperat; & nunc non vult ampliùs fructus talis pensionis solvere: siquidem eo ipso, quòd non vult solverere fructus pensionis, videtur spoliare pensionarium possessione suæ pensionis, ut tradit Innocentius *in c. suborta de sent. & re judic.* ubi ait, tunc subditus dicitur spoliare dominum sua quasi possessione jurisdictionis, quando ei parere renuit, & Decius *cons. 136.* asserit, quòd debitor censûs, vel pensionis, si recusat solvere creditori, eò quia non vult, & non quia non potest, tunc intelligitur eum spoliare possessione censûs: quia verò pensio propriè non est quid corporale, ac sensibile, sed tantùm illud jus exigendi fructus ex tali beneficio, ideo Canonistæ, ut castigatiùs loquantur, non dicunt pensionarium possidere pensionem, sed cum addito diminuente, scilicet quasi possidere, & spoliari quasi possessione, quando beneficiarius, cùm possit, non vult fructus pensionis solvere, quos ante semper consueverat solvere.

53 His prænotatis communior, & verior sententia est, pensionarium posse tunc agere in judicio de spolio, ac procedere judicio possessorio ad recuperandam suam pensionem, seu fructus pensionis, qui sumuntur pro ipsa pensione, ut tradunt Gigas *de pension. q. 47. num. 2.* Innocentius *in c. pervenit. de censib.* quia pensio est onus reale impositum beneficio, & rursus est jus quoddam eam exigendi ex beneficio alterius: hinc quia est onus impositum beneficio transit ad quemvis successorem in beneficio, quamdiu vivit pensionarius, proinde tunc pensionarius censetur spoliari quasi possessione sui juris, seu pensionis, quando negatur illi pensio, quam beneficiarius consueverat ei solvere; proinde potest agere de spolio, & judicio possessorio, ac interdicto recuperandi possessionem, & ita fuisse resolutum à Rota Romana *decis. 84. de restit. spoliat.* refert Gigas *loc. cit.*

54 An verò teneatur tunc pensionarius ostendere titulum, seu jus pensionis, quod habet. Affirmat Rota *in d. decis.* ubi ait, eum, qui asserit, se esse spoliatum possessione, vel quasi possessione pensionis, teneri priùs ostendere, se habere jus, & addit rationem, quia in tali casu judicium possessorium nequit separari à petitorio, quia non restituitur jus possessorium, quin restituatur petitorium: siquidem in rebus incorporalibus possessio haberi non potest sine jure *l. 3. §. hoc autem ff. de itinere, actuque privat.* & *c. transmissa de restit. spoliat.* Decius tamen *cons. 136.* hanc Rotæ decisionem non approbat, & docet cum Abbate *in c. querelam de elect. not. 3.* pro pensione novitèr subtracta, & annuatim præstari solita agi posse judicio possessorio ad ipsius restitutionem: & probatâ præstatione solitâ debere actorem reduci in eum statum, in quo priùs erat, quamvis nihil doceat de proprietate juris illam percipiendi.

55 Mihi tamen placet distinctio, quam tradit Gigas *in d. q. 47. num. 4.* ubi has duas contrarias sententias simul conciliat: ait enim: si pensionarius spoliatus possessione pensionis fuit per plures annos in possessione illius, tunc vera est opinio Abbatis, non compelli pensionarium ad probandum jus pensionis, quia diuturna possessio inducit titulũ, sive jus saltem præsumptum: & hoc senserunt etiam Auditores Rotæ *decis. 4.* quæ incipit *possessor beneficii in novis*, & Innocentius *in c. transmissam de elect.* Sin verò fuit in possessione per modicum tempus, tunc non sufficit, ut pensionarius probet, se possedisse, sed rursus tenetur ostendere, se habere jus pensionis exigendæ; & in hoc sensu est vera opinio Rotæ *decis. 11. in antiq.* quæ incipit, *nota quòd si in spoliatione*: ratio etiam assignatur, quia recens possessio, & ad modicum tempus habita non videtur in judicio titulum præsumptum inducere. Hæc Gigas, cujus sententia magis videtur congruere cum ipso jure. Et addit Gigas, quòd si pensionarius fuerit spoliatus perceptione pensionis uno tantùm anno, & altero sequente anno eam perceperit, possit etiam agere judicio possessorio ad recuperandam pensionem, quæ sibi tali anno denegata fuerat.

56 Quæritur vigesimò, an clericus pensionarius, cui indulgetur incedere absque habitu clericali, possit exercere officia sæcularia? Sixtus V. in sua constitutione edita die ultima Januarii 1589. declaravit, vel potiùs indulsit clericis pensionariis, quorum pensiones non excedunt aureos 60. de camera, ut possint incedere sine habitu clericali, ideo oritur dubium, an possint tunc clerici incedentes sine habitu ecclesiastico munera obire sæcularia, ac exercere officia civilia? Respondetur negativè, siquidem clericis prohibetur exercere officia civilia *c. clerici de vita, & honestate cleric.* ubi dicitur: *clerici officia, vel commercia secularia non exerceant.* & *c. 1. ne clerici, vel Monach.* ubi etiam assignatur ratio finalis, ettoue, quia Apostolus ait: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quamobrem cum finis legis sit, ne clerici ob occupationem in negotiis sæcularibus distrahantur à cultu divino; dispositio legis extenditur ad illa omnia, quæ clericos distrahunt à Dei cultu, & servitio Ecclesiæ: atqui clerici pensionarii, tametsi non deferant habitum ecclesiasticum, sunt nihilominus veri clerici, cùm sint initiati primâ tonsurâ, proinde addicti militiæ ecclesiasticæ, & per accidens est, quòd incedant sine habitu clericali, proinde generatim non possunt exercere officia civilia, neque munia obire sæcularia, ut tradit Panor. *in c. clerici de vit. & honest. cleric.* & Diaz *in pract. canon. c. 61.*

57 Quòd si dicas, clericum incedentem sine habitu ecclesiastico posse se gerere tanquam laicum, proinde officia exercere sæcularia. Contra est, negatur illatio, quia quòd clerici pensionarii possint incedere sine habitu clericali, est tantùm quoddam indultum ipsis concessum à Sixto V. in sua constitutione 92. atqui indultum, seu dispensatio, cùm sit strictioris juris, non debet

TITULUS XIII.

De rebus eccleſiaſticis alienandis, vel non.

CUm Pontifex in præcedentibus titulis egiſſet de collatione præbendarum, & beneficiorum, modisque, quibus collationes fieri debeant, nunc congruè agit de ipſo jure, quod clericis competit, circa beneficia ſibi collata, & maximè in rebus eccleſiaſticis, & bonis beneficiorum ſuorum, an poſſint hujusmodi bona alienare. Nomine autem alienationis in præſenti intelligitur quilibet contractus, quo rei proprietas transfertur, & à juribus Eccleſiæ cadit in aliorum jura. Continetur etiam in titulo manumiſſio, ut qui Eccleſiæ præeſt, ejus ſervos manumittere non poſſit, niſi aliquid juſtæ compenſationis loco Eccleſiæ conferat. Cæterum Juſtinianus *novel. 7.* conſtituit, ne res ad quamlibet Eccleſiam pertinentes alienarentur, & quamvis id pertinuerit tantùm ad bona Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & earum, quæ ſuberant Archiepiſcopo, ſeu Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſummus Pontifex hanc prohibitionem alienationis approbavit, & ampliavit, ut extenderetur ad omnes Eccleſias.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NON LICET* 1. *h. t. Ex Concilio Lugdunenſi IV. ſtatuitur, ut Prælatus ſive is ſit Epiſcopus, ſive Abbas, non poſſit dare terras, vel alia bona unius Eccleſiæ ſuæ alteri Eccleſiæ etiam ſua ſine conſenſu ambarum partium. Hinc licèt Epiſcopus habeat plenam poteſtatem in eccleſiis ſibi ſubditis, non tamen poteſt pro ſuo libitu bona in iisdem eccleſiis alienare donando, permutando, vel aliter diſponendo inter Eccleſias ſibi ſubditas. Quòd verò in textu Epiſcopo adjungatur Abbas, notat Panormitanus hic* num. 3. *id eſſe intelligendum de illo Abbate, qui habet jus epiſcopale, & in illis, quæ ſunt jurisdictionis æquiparatur Epiſcopo. Cæterum Prælatus Epiſcopo ſubditus alienationi bonorum eccleſiaſticorum non poteſt authoritatem præſtare, quia hoc jus eſt tantùm Epiſcopale* c. placuit 12. q. 2. *Cæterum ad alienationem requiritur ſemper juſta cauſa* c. conſtitutus de relig. domib.

C. *QUI RES* 2. *h. t. ex eodem Concilio ſtatuitur, ut qui petit, & recipit à laicis res Eccleſiæ, perdat receptas, & ſit excommunicandus. Ex quo deducitur, conceſſionem rei eccleſiaſticæ factam à laico nullius eſſe valoris; quia laici, & principes ſæculares nil juris habent in bonis ſpiritualibus Eccleſiarum: in rebus enim eccleſiaſticis principes ſunt veluti perſona privata* c. Noverint 10. q. 1. *Excipitur tamen niſi bona eccleſiaſtica ſint feudalia, habentia originem à principe ſæculari, vel ab alio laico, ut notat Panorm. hic* n. 2.

C. *CONSENSUS* 3. *h. t. Ex Concilio Toletano ſtatuitur, ut Rector Eccleſiæ, qui dat ſuæ Eccleſiæ alia bona, vel acquirit eidè prædia, & familias, poſſit aliquos de familia ſuæ Eccleſiæ, ſcilicet ſervos manumittere, dummodo datum valeat duplo plus ſervis manumiſſis: & tunc ſervi cum eorum poſteritate ſunt ſub patrocinio Eccleſiæ, & tenentur præſtare operas impoſitas tempore manumiſſionis. Ex quo textu videtur inferri, Prælatum acquirentem bona eccleſiaſtica poſſe liberiùs diſponere de rebus ipſius Eccleſiæ, quàm poſſit alius Prælatus, qui nihil acquiſivit; proinde dari eidem facultatem manumittendi mancipia, quæ Epiſcopus, vel alii Prælati acquiſiverunt, dummodo maneant ſub dominio Eccleſiæ, & eadem præſtent, quæ antea. Sunt tamen qui explicantes hunc textum procedunt cum diſtinctione: vel enim Prælatus acquiſivit bona illa intuitu Eccleſiæ: vel intuitu propriæ perſonæ; & de hiſce ultimis utpote induſtrialibus poſſe diſponere, & alienare, non ita de acquiſitis intuitu Eccleſiæ. Verùm hæc diſtinctio non pertinet ad præſentem textum, qui tantùm loquitur de illis bonis, quæ ſacerdotes relinquunt eccleſiis, ſeu donant, quæ quomodocunque fuerunt acquiſita, poſt factam donationem tranſeunt in dominium Eccleſiæ; proinde non poſſunt alienari per extravag.* ambitioſæ *Pauli II. Hinc apparet non concedi, ut aliquid de bonis, vel commodis Eccleſiæ per hanc mancipiorum manumiſſionem alienetur, quia licèt ex mancipiis fiant liberti Eccleſiæ, manent tamen ſub dominio Eccleſiæ, & tenentur eadem præſtare, quæ antea. Cæterum ut notat Gloſſa hoc eſt ſpeciale in prole liberti Eccleſiæ, ut ſemper ſit eidem Eccleſiæ obnoxia.*

C. *EPISCOPI* 4. *h. t. Ex eodem Concilio ſtatuitur, ut Epiſcopus, qui nihil dat de ſuo Eccleſiæ non poſſit ejusdem ſervos manumittere, & ſi manumittat, invalida ſit manumiſſio, & poſſit ſucceſſor ſervos manumiſſos repetere. Ex hoc textu deducitur, aliquid damni inferri eccleſiæ per manumiſſionem mancipiorum: ſiquidem ſervi ad plura, & duriora obligabantur, quàm poſſent manumiſſi obligari. Non tamen damnum eſſet tanti æſtimandum, ut magnum præjudicium afferat Eccleſiæ, vel ſi quid privilegii continet, non ſit per poſteriores canones ſublatum.*

C. *NULLI* 5. *h. t. Ex eodem Concilio ſtatuitur, ut*

ut nemo possit alienare res immobiles Ecclesiæ, sive agrum, sive rusticum mancipium, nec obligare titulo hypothecæ. Ubi notandum est per alienationem intelligi etiam conductionem, donationem, venditionem, permutationem, emphyteusim. Notat tamen Glossa, pro utilitate ejusdem Ecclesiæ posse alienationem fieri 12. q. 2. c. sine exceptione: *immo potest etiam Prælatus alienare ea bona mobilia, quæ servando servari non possunt.*

C. *SI QUIS* 6. h.t. *Symmachus Papa rescribit, clericum, vel defensorem subscribentem alienanti bona ecclesiastica esse excommunicandum, nisi alienans, & qui accepit res Ecclesiæ statim restituant: & declarat præter excommunicationem instrumentum alienationis non valere. Rursus quemlibet ecclesiasticum posse contradicere alienationi, & repetere bona cum fructibus. Ubi notat Glossa, per defensorem, ut dicitur in textu, intelligi Procuratorem, & Advocatum. Quòd verò statim, vel celeriter debeant res alienatæ restitui, id etiam intelligitur, antequam Ecclesia ladatur. Cæterum Ecclesia habet actionem personalem contra alienationem, si sit solvendo, & in rem contra possessorem.*

C. *AD AURES* 7. h.t. *Alexander III. declarat, terram non fertilem posse dari in emphyteusim perpetuam sub annuo censu illis, vel parentum eorum, qui proprio labore, & industria eam meliorârunt, nisi fortassis tempore contractûs possit dari alii cum maiori utilitate. Ex quo textu colligitur, in alienationibus, præsertim emphyteusibus esse spectandam majorem Ecclesiæ utilitatem: necessitas enim, vel utilitas Ecclesiæ sunt causa legitima alienandi bona ecclesiastica.*

C. *UT SUPER* 8. h.t. *Cælestinus III. rescribit, Episcopum, qui juravit non alienare bona Ecclesiæ, non posse ea alienare, sive bona sint de mensa Episcopi, sive non, sed de consilio sanioris partis Capituli posse alienare, vel commutare possessiones Ecclesiæ minus utiles pro utilioribus. Ubi notandum est, bona de mensa Ecclesiæ ea dici, quæ perpetuò fuerunt unita Ecclesiæ, nec unquam alteri ab Ecclesia post acquisitum dominium fuerunt concessa; vel licèt amissa, aut alienata, fuerunt postea recuperata, & eidem incorporata: præsûs tamen per mensam Ecclesiæ intelliguntur omnes illius reditus assignati tum Episcopo, tum Capitulo, tum aliis clericis, ministris, & officialibus; per mensam autem Episcopi reditus ejusdem Episcopi, ut etiam per mensam Capituli proventus ad ipsam spectantes. Tertia mensa non assignatur pro aliis clericis, quia illis sua stipendia, & reditus assignantur ab Episcopo, vel Capitulo. Cæterum notat Glossa, pro decimis jam subtractis, & retentis à Regibus, posse ab eis recipi aliquid pro commutatione: pro futuris autem non esse admittendam talem commutationem* c. ult. de rer. permut. *Rursus quemlibet Episcopum jurare Papæ fidelitatem, & non alienare, nec infeudare bona Ecclesiæ de novo.*

C. *AD AUDIENTIAM* 9. h.t. *Idem Pont. rescribit, Canonicos non posse locare prædia ecclesiastica in perpetuum, & si locent, prædia locata sint revocanda, & locans teneatur refundere pretium locatori. Ubi notat Glossa, quòd, si conductor sit in bona fide, habet actionem contra locantem pro pretio: secus si sit in mala fide* 12. q. 2. Vulter. *Ex hoc textu liquet, non Ecclesias, sed Authores alienationis illegitimæ bonorum ecclesiasticorum teneri ad refundendum pretium emptori præter pœnam excommunicationis, quæ incurritur per sententiam judicis ex constit. Leonis Papæ* in c. 5. h.t.

C. *POSSESSIONES* 10. h.t. *Innocentius III. rescribit, Episcopum non posse alienare possessiones, quæ sunt de mensa episcopali, vel Capituli, nec dare clericis, vel laicis Ecclesias, in quibus solent laici ministrare. Ubi notat Glossa, posse à sensu contrario, Episcopum amovere sæculares ab Ecclesia, & eam dare Regularibus, accedente tamen consensu clericorum.*

C. *AD NOSTRAM* 11. h.t. *Idem Pont. rescribit, quòd si Ecclesia in alienatione suorum bonorum inveniatur enormiter læsa, sint eidem bona restituenda, & pretium reddendum restituenti, ac relinquendi sint fructus percepti pro suo labore. Ex quo textu infertur, Ecclesiam in petitione restitutionis in integrum posse recurrere ad judicem ecclesiasticum, & non teneri sequi forum Rei, ut notat Innocentius in* c. generaliter de foro compet. *idque etiam procedere ubicunque Ecclesia juvatur aliquo privilegio: ratio est, quia in his semper supponitur aliqua deceptio saltem in re ipsa. Cæterum data restitutione in integrum non debet laicus, qui bona fide contraxit, fraudari sumptibus, & laboribus rei Ecclesiæ impensis, sed possunt relinqui eidem fructus percepti, quos alioquin teneretur restituere* l. quòd si minor. 8. restitutor ff. de minor. *Quòd si laicus nullos labores, vel sumptus impenderit, tenetur omnes fructus perceptos unà cum ipsâ re restituere; alioquin non fieret restitutio in integrum, & Ecclesia sine culpa amitteret fructus medio tempore sibi debitos. Notat tamen Glossa, post quadriennium non subveniri Ecclesiæ per beneficium restitutionis* l. ult. C. de temp. in integ. restit. *& pro levi damno non dari restitutionem* c. 1. de in integ restit.

C. *CUM LAICIS* 12. h.t. *Idem Pont. declarat, irritam esse alienationem rei ecclesiasticæ absque legitimo consensu personarum ecclesiasticarum, tametsi facta sit juxta constitutionem laicorum: & mandat, ut præsumentes contrarium sint compellendi censuris ecclesiasticis. Ratio etiam ponitur in fine textûs, quia nulla laicis tametsi religiosis attributa est potestas disponendi de rebus Ecclesiæ; & etiam habetur* in c. Ecclesia de constit.

IN SEXTO.

C. *DUDUM* 1. h.t. *Innocent. IV statuit, ut Episcopus, dum vacat aliqua ex suis Ecclesiis, non possit alienare perpetuò bona illius, eò quia tempore vacationis caret defensore. Rursus declarat sine tractatu solemni, & diligenti alienationem perpetuam non valere. Quod tamen procedit, si desit necessitas, vel evidens utilitas: quæ ta-*

men, ut notat Gloſſa hic, non ſufficit, ſi in alienatione Eccleſiæ narretur, ſed debet utilitas, vel neceſſitas probari: alioquin non creditur. Rurſus ſi cauſa juſta ſuppetat, & una Eccleſia abundet bonis, poteſt Epiſcopus conſentiente Capitulo, vel Rectore dare ex una alteri Eccleſia. Rurſus non poteſt Epiſcopus alienare rem ſuæ menſæ ſine conſenſu Capituli, & authoritate Archiepiſcopi. Notat etiam Gloſſa, in alienatione temporali ſufficere tacitum conſenſum, eò quia non ita ledatur Eccleſia: in alienatione verò perpetua requiri conſenſum expreſſum, & contractum.

C. *HOC CONSULTISSIMÒ* 2. *h. t. Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi plura prohibet. Primò ne Prælati Eccleſias ſibi creditas, & earum bona immobilia, ſeu jura ſubmittant laicis, vel recognoſcant, vel profiteantur ſe ab illis, ut à ſuperioribus ea tenere, neque Patronos, vel Advocatos conſtituant contra formam juris, ſeu ſine conſenſu Capituli, & expreſſa licentia Papæ. Secundò, contractus omnes etiam juratos, & qualitercunque firmatos talium alienationum declarat nullam prorſus vim habere, proinde nullum jus tribuere, nec cauſam præſcribendi. Tertiò declarat, Prælatos contrafacientes eſſe ipſo facto ſuſpenſos ab officio, & adminiſtratione. Rurſus clericos rei conſcios, qui id ſuperiori non denunciárunt, à perceptione beneficiorum, quæ in Eccleſia ſic privata obtinent, triennio ſuſpendi. Quartò, laicos compellentes clericos ad talem ſubmiſſionem faciendam eſſe excommunicatos: & eos, qui aliquid accipiunt, niſi reſtituant; & reſipiſcant, ultra excommunicationem eſſe interdicendos, ut etiam eorum terras per Judicem. Ex quo textu liquet, Epiſcopos ſine licentia Papæ, & conſenſu Capituli non poſſe dare eccleſiis Advocatos.*

IN SEPTIMO.

C. *AMBITIOSÆ* 1. *h. t. Paulus II. prohibet primò omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, & omne pactum, per quod eorum dominium tranſfertur; conceſſionem, hypothecam, locationem, conductionem ultra triennium, & infeudationem, contractum emphyteuticum; præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus, & bonis ab antiquo in emphyteuſin ſolitis concedi; & cum eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtanti temporis exigentiâ, & innovat decreta, & conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum ſuper hac materia. Secundò, ſi alienentur bona Eccleſiæ contra hanc decretalem non teneat alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, infeudatio, & decernit, omnia attentata in contrarium nullius eſſe valoris. Tertiò declarat etiam excommunicatos tam alienantem, quàm alium, qui res alienatas accipit. Quartò quòd ſi Epiſcopus, vel Abbas bona Eccleſiæ alienat inconſulto Papa, interdicitur illi ingreſſus Eccleſiæ penitus, & ſi ſex menſibus obſtinatè perſeveraverit ſub interdicto, eo ipſo ſuſpenſus eſt ab omni adminiſtratione Eccleſiæ; vel monaſterii in temporalibus, & ſpiritualibus. Quintò inferiores Prælati Commendatarii, Rectores beneficia, vel adminiſtrationes quomodolibet obtinentes, ſi res, vel bona eccleſiaſtica alienaverint; iisdem beneficiis, officiis, adminiſtrationibus ipſo facto privantur: & beneficia, ac officia abſque alia declaratione cenſentur vacare, & ſuperior, ad quem pertinet eorum collatio, poteſt aliis perſonis idoneis liberè ea conferre, niſi ſedi Apoſtolicæ ſint generaliter, vel ſpecialiter reſervata. Sextò ſtatuit Pontifex, ut bona taliter alienata liberè revertantur ad Eccleſias, monaſteria, vel loca pia, ad quæ antea pertinebant. Ex hoc textu liquet, alienationem bonorum eccleſiaſticorum eſſe utroque jure prohibitam, & præſertim hodie ob præſentem conſtitutionem Ambitioſæ, quam Paulus IV. arctiùs confirmavit, & Pius IV. ad viam juris communis poſtea reduxit. Cæterum ad valorem alienationis rei eccleſiaſticæ duo copulativè requiruntur. Primò cauſa juſta in caſu licito. Secundò forma, ſeu legitima ſolemnitas, adeò ut alterutra deficiente regulariter non valeat alienatio, ut notat Quaranta in ſum.* Bullar. V. alien. rer. eccles.

C. *INDEMNITATI* 2. *h. t. Julius III. ut conſuleret indemnitati Eccleſiarum, revocat omnes alienationes rerum eccleſiaſticarum factas contra præſcriptam formam à Paulo II. in c.* ambitioſæ, *& ſtatuit, ut contra tales alienationes procedatur ſummariè, & ſimpliciter, ſine ſtrepitu, & figurâ judicii, ſed per ſolam inſpectam facti veritatem.*

C. *IN SACRA* 3. *h. t. Paulus III. concedit facultatem alienandi cenſus camera Apoſtolicæ pro præſidio belli ſuſcipiendi contra Turcarum furores, ne occupent ulteriùs terras Chriſtianorum. Tunc enim intercedunt duo requiſita ad legitimam alienationem ſcilicet cauſa juſta, & utilitas Eccleſiæ, ut Turcæ ejus bona occupent.*

C. *RERUM* 4. *h. t. Paulus IV. annullat, revocat, & omnino irritas, ac invalidas declarat alienationes bonorum eccleſiaſticorum ipſis eccleſiis, & piis locis, non ſolùm damnum ſed etiam intolerabilem injuriam afferentes.*

C. *VENDITIONES* 5. *h. t. Pius IV. declarat irritas, & nullas venditiones, ceſſiones infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, & conceſſiones, & alias omnimodas alienationes, & contractus qualescunque, & in quorumvis Principum, Cardinalium, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum favorem factas de bonis pertinentibus ad Romanam Eccleſiam, vel Cameram Apoſtolicam in illius damnum ſine paris valoris recompenſatione, vel neceſſitate, aut evidenti utilitate, & detentores eorundem bonorum declarat teneri ad fructuum reſtitutionem: imò eſſe ad id etiam compellendos per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, & etiam pecuniarias: & demum decernit, hanc conſtitutionem habere vim perpetuæ legis.*

C. *TRACTANTES* 6. *h. t. Pius V. anathemate percutit omnes perſuaſores, & Mediatores infeudationum, & alienationum bonorum Eccleſiæ*

cleſiæ præſertim Romanæ, item bonorum ad ſedem Apoſtolicam pertinentium, vel quæ ad ipſam fuerint devoluta etiam in feudum.

C. CUM CHARISSIMUS 7. h. t. *Sixtus V. in ſubſidium belli ad extirpandas hæreſes permittit alienationem bonorum immobilium Eccleſiæ. Cùm enim bellum tunc in Galliis graſſaretur inter Catholicos, & hæreticos, ſupplicante Henrico Francorum Rege Chriſtianiſſimo concedit Sixtus V. ut bona immobilia eccleſiaſtica ab hæreticis præſertim jam occupata alienari poſſint, ita tamen, ut hic ordo ſervetur, ut in præſens 50. tantùm millia alienentur, & hæc ſumma, cum minimè Eccleſiarum detrimento efficiatur, & fideliter, atque utiliter in uſum deſignetur, ac erogetur. In hac conſtitutione aſſignantur etiam cauſæ juſtæ, ſcilicet neceſſitas, & utilitas: quòd enim hæreſes extirpentur, id procul dubio redundat in commodum Eccleſiæ. Quòd etiam Eccleſia Gallicana debuerit ſe defendere contra hæreticos tunc bellum urgentes, fuit etiam neceſſarium, quod in jure æquiparatur utili. Ambæ hæ cauſæ conſtituunt caſus à jure permiſſos, & expreſſos juxta Gloſſam* in ſum. 12. q. 2. *Notandum eſt, quòd tametsi ad legitimam alienationem requiratur ſolemnitas, quæ de jure antiquo quatuor continet. Primò authoritatem Prælati: ſecundò præcedentem tractatum, ſeu conſultationem: tertiò conſenſum Capituli: quartò ſubſcriptionem ſingulorum ſaltem per Notarium, ut notat Panormitanus hic & in c. tua de his quæ fiunt à Prælat. Nihilominus licèt conſenſus Apoſtolicus abſolutè abſque ſubreptione impetratus ſuppleat alias ſolemnitates, eò quia Papa ſit ſupremus adminiſtrator bonorum eccleſiaſticorum* c ſicut de præbend. in 6. *Non tamen ſupplet defectum cauſæ, præſertim ſi deſit utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ, quia Pontifices non intendunt in damnum Eccleſiarum quidquam concedere. Quinimò ſi licentia Pontificia non ſit abſoluta, nec de certa ejus ſcientia, ſed cum clauſula & conditione:* ſi ità eſt: *non ſuppletur ſolemnitas, ut notat Quarantà* in ſumma Bullar. V. alien. rer. eccles. num. 7. *Navarrus tres ponit exceptiones, quibus alienatio bonorum Eccleſiarum licita eſt ſine conſenſu Papæ. Prima eſt in caſibus jure permiſſis, ſcilicet ex juſta cauſa, & ſervata forma juris antiqui: ſecunda, ut poſſint alienari quæcunque alienationis ſpecie ab antiquo conſueta dari in feudum, & emphyteuſin, ſi fiat cum evidenti Eccleſiæ utilitate. Tertia quia non eſt prohibita alienatio rerum, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ex quo à contrario ſenſu infertur, non poſſe alienari res immobiles, & pretioſas, quæ ſervando ſervari poſſunt. Poſſet addi alia exceptio de alienatione rerum exigui pretii; ſed hæc non eſt ſpeciali nota digna.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quænam rerum eccleſiaſticarum alienatio à ſacris Canonibus vetita ſit clericis.

1 ALienatio propriè ſumpta eſt omnis actus, per quem dominium transfertur de poſſeſſore in alium: laxè alienatio dicitur datio in emphyteuſim, & locatio ad longum tempus, ſeu ultra triennium, dummodo locatio fiat de bonis, quæ ſingulis annis fructus reddunt; quia ſi fiat de iis, quæ alternis, vel ternis ſolùm annis fructus reddunt, locatio pro tota protrahi poteſt. Dicitur etiam alienatio, hypotheca, infeudatio, vel et à omnis alius actus, quo uſusfructus, vel jus in alterum transfertur, aut abdicatur. Cæterum in materia odioſa ſumitur alienatio ſtrictè pro illo contractu, cujus vigore dominium transfertur. Hic tamen ſumitur laxè; eò quia ſit materia favorabilis Eccleſiæ, quòd res eccleſiaſticæ non alienentur: proinde alienatio juxta præſens inſtitutum comprehendit omnem donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuò contractum, omnémque actum, quo dominium rei directum, vel utile, aut uſusfructus, aut jus in alterum transfertur, vel abdicatur.

2 Rurſus ex Pauli II. decreto comprehendit etiam locationem ultra trienniũ, inſtitutionem hæredis, & fideicommiſſum, item pignoris conſtitutionem, & hypothecam ſpecialem, in quæ periculum eſt certius, quàm in generali, ut notat Tuſchus V. alienatio *concluſ.* 272. Neque diſſentiunt leges Imperatorum: ſiquidem *in C. de reb. non alienand. l. ſancimus* habetur: ſivè lex alienationem inhibuerit, ſivè teſtator hoc fecerit, ſive pactum contrahentium hoc admiſerit, non ſolùm dominis alienationem; vel mancipiorum manumiſſionem eſſe prohibendam; ſed uſumfructum, donationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi ſancimus; ſimilique modo ut ſervitus minimè imponi; neque emphyteuſis contractus fieri poſſit; niſi in his tantummodo caſibus, in quibus conſtitutionum authoritas, vel teſtatoris voluntas; vel pactionum tenor; qui alienationem interdixit, aliquid tale permiſerit. Ex quibus conjicitur, juris intentionem eſſe, ut ſecundùm præſens inſtitutum alienationis terminus ſumatur laxiſſimè pro omni illo actu, quo jus ab Eccleſia tollitur, & transfertur in alios, ut notant Gaillus *lib. 2. obſer.* 10. Zerola *p.* 1. *V. alienatio* Abbas *hic num.* 3.

3 Hinc alienatio rerum eccleſiaſticarum prohibita

hibita eſt, tùm jure canonico, tum jure civili, ut conſtat *ex cauſa* 12. *q.* 2. per aliquot capita *c. nulli. c si quis Presbyterorum c. poſſeſſiones. c. ad audientiam de rebus eccles. alienand. vel non. authent. de non alienand. aut non permutand. reb. eccles. authent. de eccles. reb. immobil. alienand. authent. de alienat. & emphyteus. §. ea verò.* Leges tamen, & jura civilia tunc vim habent, quando confirmantur jure canonico. Voluerunt leges, & Canones in præſenti materia nomen alienationis ſumi latiſſimè, ut in rebus Eccleſiarum non poſſit conſtitui uſusfructus, nec ſervitus imponi, nec res Eccleſiæ pignori dari, nec ſpeciali hypothecæ ſubjici, nec in emphyteuſim concedi, tametſi uſusfructus, & ſervitus in re aliena exiſtant, & pignus res ſit debitoris, ac rei emphyteuticæ proprietas, & dominium penes dominum reſideat. Eſt igitur alienatio hæc à ſacris canonibus vetita clericis, ut deſumitur *ex tot. h. t. in 6. clement. & extravag.* ſiquidem in *c. ambitioſa* Paulus II. prohibet alienationem omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum, & omne pactum, per quod illorum dominium transfertur, ſive ſit conceſſio, ſive hypotheca, locatio, vel conductio ultra triennium; ſive infeudatio, & contractus emphyteuticus, præter quam in caſib⁹ à jure permiſſis, & de rebus, ac bonis in empyteuſim ab antiquo concedi ſolitis; & tunc cum evidenti utilitate Eccleſiarum, & de fructibus, bonisque, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia. Rurſus in *eadem extravag. ambitioſa* innovat decreta, & conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum ſuper hac materia, & declarat, quòd quando alienantur bona Eccleſiæ contra hoc decretum, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, infeudatio nulla ſit, ac irrita; & rurſus tam qui alienat, quàm qui alienas res accipit, anathemate feriuntur.

4 Quòd ſi Epiſcopus, vel Abbas bona Eccleſiæ inconſulto Papa alienet, interdicitur illi ingreſſus Eccleſiæ: & ſi in tali interdicto pertinaciter inſorduerit per ſex menſes, tunc ſuſpenditur ab omni adminiſtratione Eccleſiæ, vel monaſterii in temporalibus, & ſpiritualibus. Prælati verò inferiores, qui Eccleſias cum cura, vel ſine cura habentes beneficia, & bona alienant, ſunt ipſo facto privati beneficiis, quæ ut vacantia poſſunt conferri aliis, exceptis ipſis privatis; & bona alienata reverturtur ad easdem Eccleſias. Unde non ſolùm clericis ſimplicibus, ac inferioribus; verùm etiam Prælatis majoribus Epiſcopis, & Archiepiſcopis vetita eſt alienatio rerum eccleſiaſticarum *c. ſi quis Presbyterorum 6. c. ad audientiam 9. h. t.* Multò magis prohibetur hæc alienatio laicis ſive Principes ſint, ſive Reges, in quorum ditionibus ſint res eccleſiaſticæ *c. 2. h. t.*

5 Rurſus non ſolùm prohibetur alienatio, quâ dominium rei alienatæ transfertur in perſonam laicam, ſed etiam in eccleſiaſticam, vel aliam Eccleſiam *c. 1. h. t.* & ratio deſumitur ex eo, quia bona Eccleſiæ ſint in dominio ejusdem Eccleſiæ, non clericorum, quia iſti ante diſtributionem, vel applicationem ſibi legitimè factam ſunt tantùm adminiſtratores, & Procuratores *tam ſi privatum alt. 12. q. 1.* Adminiſtratores autem cùm careant dominio, non poſſunt donare, nec alienare *l. præſes 12. C. de tranſact.* Garcia *de benefic. p. 3. c. 3. num. 46.* Quamobrem neque Epiſcopus, neque Archiepiſcopus poteſt bona eccleſiaſtica ſibi uſurpare; ac vendere, ſed tantùm tenetur cuſtodire, rectè adminiſtrare, & cum vitæ diſcrimine etiam defendere *can. convenior. 12. juncta Gloſſa in V. pro altaribus 22. q. 8.* Imò tenentur Prælati majores præſertim Epiſcopi curare fieri inventarium omnium bonorum, ac jurium ſuæ Eccleſiæ, aliorúmque beneficiorum eccleſiaſticorum ſuæ diœceſis, conſtruique archivum, in quo hujasmodi jura deponantur, ſerventúrque, Piaſecius *2. p. c. 5. art. 2. num. 2.* ubi refert, de archivo in Eccleſia cathedrali conſtruendo editam fuiſſe conſtitutionem à Sixto V. cui initium eſt: *Previda* anno 1587. die 8. Junii.

Rurſus ſicut nomen alienationis in præſenti materia favorabili eccleſiis laxiſſimè ſumitur: ita etiam nomen Eccleſiæ extenditur ad omnem locum pium authoritate Epiſcopi conſtitutum, vel fundatum, adeo ut neque res pertinentes ad loca pia alienari poſſint ſine requiſita juris ſolemnitate, idque deſumitur *ex c. nulli h. t.* imò etiam beneficium reſtitutionis in integrum eccleſiis conceſſum ratione læſionis extenditur etiam ad noſocomia, hoſpitalia, & alia loca pia, fundata, & conſtituta authoritate Epiſcopi, quia hujusmodi loca à jure æquiparantur eccleſiis, quarum propterea gaudent privilegiis *argum. c. requiſiſti 15. §. ſecus autem de teſtam.* Abbas *hic num. 4.* Quamvis tamen prohibitum ſit, res eccleſiaſticas ſubjicere hypothecæ ſpeciali; non propterea prohibita eſt conſtitutio hypothecæ generalis, adeo ut Prælatus ad confirmandum contractum legitimè conſtitutum, poſſit bona eccleſiaſtica obligare ſub hypotheca generali, etiam ſine conſenſu ſuperioris, vel alia authoritate canonica; idque deſumitur *ex c. nulli 5. h. t.* & quidem à ſenſu contrario, quia eo ipſo quòd ibi prohibetur ſola hypotheca ſpecialis in rebus eccleſiaſticis, permiſſa cenſetur generalis, ut notat Covarruvias *lib. 2. var. reſolut. ca 6. num. 7.* Redoanus *tract. de reb. eccles. non alienand. q. 2. c. 6. num. 11. & ſequent.* eſt enim diſparratio, quia per hypothecam generalem non ita facilè poteſt deveniri ad alienationem, ſeu venditionem rei generaliter ſolùm obligatæ, ſeu oppignoratæ, ſicut per hypothecam ſpecialem, per quam plus juris in rem transfertur in ipſum creditorem cum periculo eam alienandi.

Tametſi generalis hypotheca non ſit prohibita expreſsè, non propterea cenſenda eſt ſimpliciter permiſſa, quia adhuc requiritur juſta cauſa, quia per talem hypothecam licèt generalem, acquiritur jus aliquod ad rem; unde ſaltem diſpoſitivè per talem hypothecam res eccleſiaſtica incipit alienari, & per hoc differt hypotheca ſpecialis à generali, quia per illam acquiritur jus in re, & magis præjudicatur rebus eccleſiaſticis: per hypothecam autem generalem cùm tantùm acquiratur jus ad rem, minus præjudicatur: verùm quia utraque hypotheca ſem-

7 per

per aliquo modo præjudicat rebus ecclesiasticis, ideo neutra est permissa, & specialis expresè prohibetur, generalis autem non nisi ex justa causa interdum permittitur. Est hypotheca vox græca, quæ apud latinos sumitur pro re pignori data, vel posita, aut suppositi siquidem supponere pro oppignorare, suppositas res pro pignori obligatis sæpius in Cod. legimus: unde hypotheca significat suppositionem, ut si res sit obligationi suppositi, & Martianus notat inter pignus, & hypothecam tantùm dari differentiam in solo nomine *l. res hypotheca de pignor.* quatenus unum nomen est græcum, & alterum latinum: hinc hypothecaria actio, quæ quasi Serviana dicitur, est actio in rem, quæ creditori pignus persequendi causâ datur; unde & pignoris vindicatio, petitio, ac persecutio vocatur *l. 9. in fin. C. de pignor act. l. 2. C. si unus ex pluribus l. 19. ff. ad Trebel.* hypothecarii verò creditores dicuntur, qui sub hypotheca pecuniam crediderunt *l. 1. §. sciendum ff. de separ. bon. l. 2. C. de his, qui in prior.*

8 Quamvis nomine alienationis in hac præsenti materia ecclesiis favorabili comprehendatur etiam translatio bonorum, vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam; adeo ut neque Episcopus, neque Archiepiscopus possit propria authoritate jura unius Ecclesiæ transferre ad aliam, ut desumitur *ex c. non licet 1. h. t.* nihilominus ex justa causa potest fieri hæc translatio, quamvis sit species veræ alienationis, est autem justa causa, si una Ecclesia abundet redditibus, quibus alia indigeat, ut si sint duæ Ecclesiæ parochiales habentes eandem fermè extensionem, & numerum subditorum, & una pinguiores habet reditus, & alia tenuissimos, tunc non videtur prohibitum Episcopo transferre aliquam partem redituum à Parochia pinguiori ad aliam *argum. c. 3 de eccles. ædificand.* ut notat Glossa *in c. 1. V. ad aliam h. t. in V. tenues;* ad hanc tamen translationem requiritur consensus Capituli *arg. c. tua 8. de his quæ sunt à Prælat. &c.* immo si Ecclesia sit patronata, requiritur etiam consensus patroni, si hic fundaverit, vel dotaverit talem Ecclesiam, saltem ex quadam honestate, quia nisi aliter expressum fuerit in fundatione, vel dotatione, jus in reditus talis Ecclesiæ non ampliùs pertinet ad hominem, sed ad Ecclesiam, in quam fuit translatum, quia patronus tantùm sibi reservavit jus præsentandi.

9 Quòd verò accedente consensu Capituli possit Episcopus partem redituum Ecclesiæ pinguioris transferre in aliam, ex eo liquet, quia tunc necessitas videtur id exigere; & nemini fit injuria, quia Ecclesiæ particulares sunt membra unius Ecclesiæ universalis, adeo ut tota Ecclesia catholica, seu universalis, prout complectitur Ecclesias omnes particulares, sit veluti unicum corpus, cujus membra sint Ecclesiæ singulæ particulares, & caput Ecclesia Romana: atqui si necessitas exigat, debent membra sibi invicem succurrere, ut notat Layman. *in disp. canon. de reb. eccles. alienand. thes. 4.*

10 Non tamen possunt Episcopi permutare jura, & bona Ecclesiarum, quæ sibi subjiciuntur inter se absque consensu clericorum utriusque Ecclesiæ, ut desumitur *ex d. c. 1. h. t.* Hinc Canonici sine licentia Episcopi non possunt commutare domos sibi assignatas. Rursus quamvis unio beneficiorum, aut Ecclesiarum, si perpetua fuerit, speciem præferat alienationis, ac propterea non possit Episcopus sine authoritate pontificia tales instituere uniones *c. tua 8. de his quæ sunt à Prælat.* ut notat Rebuffus *in prax. benefic. in reg. cancellar. 21. de union.* Nihilominus potest Episcopus accedente consensu Capituli unire unam Ecclesiam alteri etiam irrequisito ejus rectore, dummodo non eam uniat propriæ suæ mensæ, nec Capitulo, prout statuitur *in clement. 2. h. t.* vocandi sunt tamen ij, quorum interest, scilicet patronus si Ecclesia sit juris patronatus, quia si patronus sit laicus, requiritur ejus consensus *c. pastoralis 7. de donat.* Rebuffus *in prax. benefic. in regul. cancell. 21. de union. num 6.* non ita requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ, seu possessoris beneficii uniendi, quia talis unio fit sine præjudicio Rectoris *c. consultationibus 3. de donat.* quia non obstante tali unione, ipse adhuc retinet Ecclesiam, vel beneficium, quia unio non sortitur suum effectum, nisi post mortem Rectoris, vel resignationem liberam, aut amotionem: unde sicut illius non interest, ejus consensus non requiritur, ut Episcopus de consensu Capituli hujusmodi Ecclesias uniat, ut notat Barb. *in collect. in cit. clem. 2. n. 3. h. t.*

11 Tametsi hæc unio possit ab Episcopo fieri irrequisito Rectore, non tamen sine consensu illius Prælati, seu superioris, cui Ecclesia unienda subjicitur, siquidem est discrimen de Rectore, & superiore, quia illi nullum fit præjudicium, cùm unio non sit habitura effectum, nisi post ejus obitum; secus Prælato fieret præjudicium saltem quoad potestatem providendi. Quòd si vacet Ecclesia aliqua parochialis, vel alia inferior, non collegiata, non potest Episcopus, etiam consentiente Capitulo rem ullam Ecclesiæ vacantis alteri unire, nec partem decimarum, nisi priùs constituatur Ecclesiæ vacanti curator, vel defensor supplens Rectoris vices *c. 1. h. t. in 6.* licèt possit Episcopus consentiente Capitulo instituere unionem unius Ecclesiæ vacantis, vel beneficii, cum alia Ecclesia, aut beneficio, etiam non constituto curatore, vel defensore, ut habetur *in clem. 2. h. t.*

12 Ratio, cur possit tota Ecclesia alteri uniri, non ita pars bonorum, vel redituum, est, quia unio totius Ecclesiæ permittitur ad augmentum divini cultûs, & ut pauperes alantur, & ex tali unione nulli fit præjudicium: secus per diminutionem partis bonorum, aut redituum præjudicaretur futuro Rectori, vel beneficiario: siquidem ejus necessaria sustentatio minueretur.

13 Neque obstat, quòd, cui conceditur majus, præsumatur etiam concessum minus, proinde si concessum est Episcopo unire totum beneficium alteri, erit etiam eidem permissum, imò à fortiori unire partem beneficii alteri. Nam tunc cui conceditur majus, censetur etiam concessum minus, quando cætera sunt paria, non ita quando non sunt paria: hinc quia per unionem partis beneficii

neficii præjudicatur futuro ſucceſſori, cui diminuitur neceſſaria ſuſtentatio, & per unionem totius beneficii nulli adfertur præjudicium, eò quia talis unio non ſortiatur effectum niſi poſt mortem beneficiarii; ideo bene ſtat, quòd Epiſcopus conſentiente Capitulo poſſit inſtituere unionem unius totius Eccleſiæ, vel beneficii cum alia Eccleſia, vel beneficio, non ita partem redituum Eccleſiæ, vel beneficii alteri Eccleſiæ. Quinimò ipſe ſummus Pontifex ob plenitudinem poteſtatis, licèt poſſit Eccleſias, & beneficia unire alius, absque conſenſu Capituli *c. 2. de prabend. in 6.* non tamen ſolet tales uniones irrequiſito Epiſcopo loci inſtituere: priùs enim Pontifex vocat, & audit omnes, quorum intereſt, & exigit etiam conſenſum eorundem, quia tametſi poſſit, non tamen ſolet facilè juribus derogare particularium Eccleſiarum.

14 Epiſcopus itidem quamvis poſſit Eccleſiam unire conſentiente Capitulo dignitati, vel etiam præbendæ canonicali Eccleſiæ cathedralis, non tamen poteſt eam unire ipſi Capitulo, nec menſæ Capitulari, quia tali pacto Capitulum exerceret authoritatem in facto proprio: non ita quando Eccleſia unitur dignitati, vel ſpeciali præbendæ canonicali, quod tamen intelligitur, quando unio fit Capitulo directè, & principaliter; ſecus indirectè, & in conſequentiam poteſt in utilitatem Capituli id fieri, ut notat Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. num. 169.* ubi ait, non poſſe fieri unionem beneficii ipſi Capitulo ab Epiſcopo conſentiente eodem Capitulo, eò quia non poſſit quis authorizare in facto proprio, & ſubdit, id procedere, quando unio fit Capitulo principaliter, & directè; non ita quando in conſequentiam, ſeu indirectè eſt in utilitatem Capituli, & citat Rotam *decis. 1. de eccles. ædific. and. in antiq. & decis. 133. num. 7. & 8. part. divers.* & in practicab, Rotæ *num. 12. vers. unio facta per ordinarium*: ſecus ſi unio fiat alicui dignitati, vel præbendæ Capituli, Rota *decis. 788. num. 4. p. 1 diverſor.* immo etiam omnibus præbendis diſtinctis non ſimul, ſed ſeparatim, & diſtinctè unicuique alicujus beneficii, quia tunc non dicitur fieri unio ipſi Capitulo, proinde poteſt fieri ab Epiſcopo conſentiente Capitulo, ut ſingulis præbendis ſingula beneficia uniantur, non omnibus ſimul indiſtinctè unum, aut plura. Hæc tamen reſtrictio non approbatur ab ipſo Garcia cenſente, poſſe fieri unionem etiam omnibus præbendis ſimul, & citat declarationem ſuper hoc ſacræ Congregationis *num. 171.*

15 Verùm prior ſententia communior eſt. Quòd ſi aliqua inoleverit conſuetudo uniendi hujusmodi Eccleſias, vel beneficia menſæ Capitulari conſentiente Capitulo nullius eſt valoris, quia *in clement. 2. in fin.* expreſsè reprobatur quævis contraria conſuetudo etiam immemorialis, imò reprobatur etiam conſuetudo, quâ conceditur, bona eccleſiaſtica à Prælato liberè, & absque ſolemnitate à jure requiſita alienari, eò quia talis conſuetudo adferat Eccleſiæ grave damnum, quod aliunde non compenſatur, ut tradit Abbas in *c. nulli 5. n. 6. b t.*

Quia leges, & Canones voluerunt in hac materia nomen alienationis latiſſimè ſumere, ideo prohibetur etiam tranſactio, per quam res Eccleſiæ traditur, ſeu ejus poſſeſſio transfertur in alium, adeo ut hujusmodi tranſactio fieri nequeat ſine requiſitis juris ſolemnitatibus: id tamen non procedit de illa tranſactione, quæ fit ſuper re, cujus poſſeſſio non eſt penes Eccleſiam, & per quam ea acquiritur Eccleſiæ, ut tradit Quaranta *in ſumma Bullar. V. alienatio rerum Eccleſiæ num. 19. §. 5.* immo nomen alienationis comprehendit etiam conſtitutionem ſervitutis, ſive realis ſit, ſive perſonalis, quam conſtituere in re eccleſiaſtica prohibita alienari, non permittitur, unde Prælatus, vel beneficiarius non poteſt alteri concedere uſumfructum beneficii eccleſiaſtici *c. 2. de locat.* licèt ipſam perceptionem, & commoditatem fructuum liberè poſſit locare, & vendere ſecluſo præjudicio ſucceſſoris *c. 2. de locat.*

Rurſus quamvis parochus, & alius beneficiarius non poſſit alienare, ſeu in alium transferre jus decimarum, ut deſumitur *ex c. ult. de rerum permut.* nihilominus fructus decimarum non prohibentur vendi, vel locari alteri, ita tamen ut iſte percipiat tales fructus, non ſuo, ſed beneficiarii nomine, idque procedit in quolibet uſufructuario, qui tametſi ipſum jus utendi, fruendi vendere, vel in alium transferre non poſſit absque conſenſu domini ſub pœna amittendi uſumfructum *l. uſusfructus 65 ff. de jure dot. §. finitur inſtitut. de uſufruct.* nihilominus uſufructuarius poteſt liberè alteri locare, vel donare ipſam facultatem ad fructus percipiendos nomine tamen uſufructarii, proinde non ultra vitam uſufructuarii, cum diſſoluto jure concedentis diſſolvi etiam debeat jus accipientis *argum. l. 31. ff. de pignor.* Immo ex eo, quòd alienatio ſumatur hìc laxiſſimè, comprehendit etiam ceſſionem litis motæ ſuper re, quam Prælatus ſolus ſine Capituli conſenſu alienare non poteſt: ſiquidem qui cedit liti, cenſetur etiam renuntiare juri, quod habet in rem litigioſam, niſi intentionem ſuam aliam eſſe clarè exprimat *l. poſtquam C. de part.* quia ſicut Prælatus absque conſenſu Capituli non poteſt rem illam alienare, nec jus in illa; ita neque poteſt cedere liti.

Immo nomine alienationis venit etiam ipſa 18
locatio non ſolùm ad longum tempus, ſed etiam ultra triennium, hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 21.* præcipit, ut omnes locationes bonorum Eccleſiæ, quæ præſentatâ pecuniâ in ſucceſſorum præjudicium fiunt, pro non validis habeantur, nec in Romana curia, vel extra eam confirmentur, non obſtante quocunque indulto, aut privilegio: imò neque licet jurisdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios, in ſpiritualibus locâre: neque conductoribꝰ per ſe, aut alios eas exercere, alioquin conceſſiones etiam à ſede apoſtolica factæ ſubreptitiæ cenſentur. Immò ex eo, quòd Concilium prohibuerit, jurisdictionem eccleſiaſticam locari, ſacra Congregatio Cardinalium id extendit etiam ad quodlibet minimum officium, cui jurisdictio inſit. Ad hanc etiam prohibitionem firmandam plurimum habet momenti

Digitized by Google

menti juramentum, quo se Episcopi in sua promotione obstringunt, ubi præ cæteris habentur hæc: *possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam; neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, nec alio modo alienabo, etiam cum consensu Capituli mei inconsulto Romano Pontifice: & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.*

19 Quòd si quæras, quænam sint bona mensæ Ecclesiæ, & quæ mensæ episcopalis. Respondetur, ea bona dici de mensa Ecclesiæ, quæ perpetuò unita fuerunt eidem Ecclesiæ, & quæ nunquam alteri post acquisitum semel dominium concessa fuerunt; vel etiam quæ ad eam reversa, vel ei incorporata sunt, ut notat Barb. *in c. ut super h. t. juxta Glossam in clement. 1. de excess. Prælat.* Innocentius *in c. ut super de bonis eccles. non alienand.* Bona mensæ episcopalis dicuntur, quæ principaliter ad Episcopi sustentationem deputantur, & nullum alium Rectorem habent præter ipsum Episcopum, ut tradit Piasec. *p. 2. c. 5. num. 35.* Docent nihilominus aliqui, inter quos Emanuel Sà *V. alienatio* hoc juramentum ab Episcopo emissum non alienandi res Ecclesiæ non obstare, quo minus, servatis tamen servandis, possit in ejus utilitatem aliquid alienare, ut etiam rem modicam; eò quia tale juramentum intelligendum sit secundùm juris dispositionem. Verum quidquid sit de hac opinione, illud non approbarem, quod admittit Covarruvias *lib. 2. variar. c. 16. num. 2.* cum Calderin. ubi ait, Prælatum, qui juravit se non alienaturum bona suæ Ecclesiæ quamvis in longum tempus postea inconsulto Pontifice ea elocet, non fore perjurum, eò quia locatio nonnisi improprie dicatur alienatio, & quia juramentum est stricti juris, non debet extendi ad ea, quæ in ipso non continentur: nam hoc non valet in præsenti materia, in qua leges, & Canones sumunt nomen alienationis latissimè, prout comprehendit omnem actionem dominii directi, & utilis translativam, quapropter elocatio ad longum tempus est prohibita, & Episcopus qui tali modo elocaret bona ecclesiastica, foret perjurus, ut docet Molina *disp. 466. §. ex dictis.*

20 Quòd si clericus, vel Prælatus non obstante hac prohibitione non alienandi res ecclesiasticas eas alienaverit, ipso jure alienatio est nulla, & tam qui alienavit, quàm qui accepit res alienatas, nisi statim eas restituat unà cum suis fructibus, excommunicatur, ut desumitur *ex c. si quis h. t.* Rursus quilibet clericus illius Ecclesiæ, cujus res est alienata, immo etiam ipse Prælatus, qui rem alienavit, potest eam à quolibet possessore repetere unà cum fructibus perceptis à tempore alienationis, ut habetur *in c. si quis h. t.* quinimò etiam emptor licèt fortassis bona fide emerit, ignorans rem esse Ecclesiæ compellitur eam restituere, non recepto ab Ecclesia, ad quam res illa pertinet, pretio; siquidem alienans rem Petri sine consensu Petri non potest Petro nocere *l. non debet 74. de regul. jur.* Emptor tamen bonæ fidei, qui putavit res à se emptas non pertinere ad Ecclesiam, potest pretium repetere à suo authore, seu ab eo, à quo emit, ut habetur *in c. ad audientiam 9 h. t.* secus emptor malæ fidei, & qui rem sibi venditam non ignoraverit esse Ecclesiæ, compellitur restituere, & pretium, quod solvit, amittit, & hoc cedit in lucrum Ecclesiæ, cujus res alienata est, non verò ipsius venditoris *l. sabemus 14. §. 1. C. de SS. eccles.*

§. II.

Quænam bona Ecclesiæ alienari possint, & quæ non?

1 BOna Ecclesiæ alia sunt mobilia, alia immobilia: illa dicuntur, quæ loco moveri possunt, ut equus, vestis, pecunia, picturæ, armaria, & alia idgenus; quæ moveri possunt de loco ad locum; immobilia dicuntur, quæ loco non possunt moveri, ut domus, ager, & alia his similia: rursus in bonis immobilibus comprehenduntur tam res corporeæ fixæ, stabiles, quàm actiones, & jura, vel reditus à longo tempore, ut etiam jura, seu debita rerum immobilium jam acquisita Monasterio, & ab illo acceptа. 2 Rursus ex bonis ecclesiasticis alia dicuntur pretiosa, & alia non pretiosa; ex iis pretiosa, alia dicuntur quæ servando servari possunt, seu quæ per triennium non corrumpuntur, cujusmodi sunt vasa argentea, & aurea, gemmæ, vestes pretiosæ si servari possint, *argum. l. lex quæ 22. C de administr. tutor.* ubi mobilia pretiosa prohibentur alienari à tutoribus, ut liquet *in extravag. unic. inter communes.* Inter res, quæ servando servari possunt, comprehenduntur etiam greges ovium, armenta bovum, præsepia equorum, & similia.

3 Res, quæ servando servari non possunt, dicuntur quæ absque notabili detrimento non durarent, & quæ per usum absumuntur, cujusmodi sunt arborum fructus, pira, poma, nuces, frumentum, oleum, vinum, pecora singularia; non verò greges, & alia id genus, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore inveterascunt. His additur etiam pecunia usualis, quæ non eo fine colligitur, & servatur, ut ad bona immobilia comparanda impendatur; sic enim fuisse decisum à Rota refert Piasecius *p. 2. c. 5. num. 32.* Secus pecunia fructifera, qualis est illa in montibus, vel censibus collocata habetur, ut bonum immobile, ut etiam illa, quæ traditur pro dote, & sustentatione monialium recensetur inter bona pretiosa, quæ servando servari possunt; potest tamen, hæc pecunia data pro dote Monialis impendi in emendo agro, vel vinea, ut de ejus fructibus Monialis sustentetur. Item inter res immobiles numerantur arbores grandes, quæ cædi non solent, & sylvæ cæduæ, quia si hæc alienarentur, non mediocre damnum ecclesiis inferretur *l. lex qua tutores C. de administr. tutor.* Panormitanus *in c. nulli h. t.* Navatrus *consil. 6 h. t.*

4 Ex hisce bonis ecclesiasticis bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ servando servari non possunt, alienari possunt, ab habente illorum administrationem, ut ab Episcopo, vel Prælato absque alia juris solemnitate, quæ alioquin re-

ſufficiat ad congruam ſuſtentationem beneficiati, proinde ſi una penſio ſufficiens fuerit pro congrua penſionarii ſuſtentatione, non videtur quomodo non poſſit quis plura beneficia habere & poſſit tamen plures poſſidere penſiones. Quamobrem putârim id rectæ rationi adverſari, quia cum penſio detur ut vitæ alimentum, ſemel quòd una ſufficit ad congruam, & honeſtam ſuſtentationem clerici, nulla ſuppetit ratio, cur debeat plures habere: quòd ſi plures habeat penſiones, plures etiam debet habere alimentorum portiones, & quantum pluribus ſuſtentandis ſufficiat, hinc ſequeretur, quòd improbavit Apoſtolus Corinthiis, quòd alius eſuriret, & alius ebrius eſſet. Cæterum ob merita, vel inſignem doctrinam, & eruditionem, vel etiam ob generis nobilitatem poſſunt eidem plures reſervari penſiones, quia tunc dantur non ſolùm ratione alimenti, ſed etiam præmii.

48 Quæritur decimo ſeptimò, an valeat translatio penſionis in clericum ſpurium? Probabilior ſententia, ac verior eſt, talem translationem validam eſſe, ut tradunt Zerola *in prax. p. 1. V. ordo §. 4.* Palæottus *de noth. & ſpur. c. 58. n. 4.* Gonzales *ad regul. 8. cancellar. n. 24.* & hoc pacto ſemper judicavit Rota in pluribus deciſionibus, quas refert Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 116.* Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd ſpurius eſt diſpenſatus, ut poſſit promoveri ad clericatum, eſt etiam capax penſionis: & eo ipſo, quòd eſt clericus, præſupponitur diſpenſatus ad clericatum, proinde etiam ad penſionem; ſiquidem eatenus ſpurius eſt incapax penſionis, quatenus eſt incapax qualitatis fundamentalis, quam exigit penſio, proinde ſi per diſpenſationem ponatur hæc qualitas, ponitur ſimul etiam capacitas recipiendi penſionem: conſequenter illegitimitas non ampliùs opponitur collationi, aut translationi penſionis, ſed tantùm clericatui: unde poſita diſpenſatione ad clericatum, fit ſtatim capax penſionis, nec eſt neceſſaria nova diſpenſatio. Hinc Rota *decis. 3. de filiis Presbyter. in antiq.* declaravit, valere translationem penſionis, niſi quid aliud obſtet; idque quamvis in conceſſione translationis non fuerit illegitimitas expreſſa, quia facultas transferendi penſionem, cùm non ſit coarctata ad certum genus perſonarum, extenditur ad omnes capaces, & quia illegitimus eo ipſo, quòd diſpenſatur ad clericatum, fit capax penſionis, ideo ad ipſum poteſt etiam penſio transferri.

49 Neque obſtat, quòd illegitimus diſpenſatus ad clericatum non cenſeatur diſpenſatus ad beneficium: quia eſt diſpar ratio, neque inhabilitas illegitimorum extenditur ad penſiones, cùm ſit penſio quid diverſum à beneficio *c. quamvis de prebend. in 6.* & Concilium Trident. etiam diſtinguit penſiones à beneficiis, & diſcretivè de ipſis diſponit *ſeſſ. 21. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 15. de reformat.* atqui inhabilitas utpote quid odioſum eſt potiùs reſtringenda, quàm amplianda, conſequenter inhabilitas quoad beneficia non debet extendi ad penſiones. Tum quia à diverſis non fit illatio *l. neque natales C. de probat. l. naturaliter § nihil commune de acquirend. poſſeſſ.* Ancaranus *in repet. c. cauſam ſtatuta oppoſit. 1. de conſtit.* Quòd ſi ſpurius ſine prævia diſpenſatione promotus fuiſſet ad clericatum, tunc probabiliùs cenſerem, non fore capacem penſionis, quia clericus cùm non fuerit aſſumptus legitimo modo, quamvis ſecum trahat conſuram, non tamen ſecum trahit habilitatem ad penſionem in ordine, ad quam perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet aſſumptus, ut deſumitur *ex c. inter incorporalia de translat. epiſcopi c. veniens de Presbyteris non baptizat.* quia cum tales effectus ſint de jure poſitivo, non inducuntur ſine aſſiſtentia juris poſitivi: & illegitimus, quando ſine prævia diſpoſitione contra diſpoſitionem juris ſuſcipit clericatum tantùm abeſt, quòd habeat aſſiſtentiam juris, ut jura ipſi potiùs opponantur.

Quæritur decimo octavò, an transferri poſſet penſio irrequiſito ſumo Pontifice? Communis reſponſio eſt, ſine authoritate Papæ non poſſe penſionem transferri, eò quia hæc ſit onus impoſitum beneficio, & onerare beneficia ad ſolum Romanum Pontificem pertinet ob plenitudinem poteſtatis, proinde irrequiſito Papa non poteſt penſio transferri, quia in hac translatione prior extinguitur, & nova imponitur, quæ impoſitio non poteſt fieri niſi à ſummo Pontifice. Tum quia translatio penſionis eſt quid odioſum, eò quia beneficium onere, & ſervitute diu gravet; hinc ut notat Gigas *q. 12. num. 2.* Summi Pontifices non niſi difficulter, & rarò imponunt hujusmodi penſiones in beneficiis, & Sixtus V. eas recuſabat. Unde non ex quacunque cauſa datur hæc poteſtas; ſed tantùm conceditur, vel ex reſignatione beneficii, quando Cardinales ſeſe abdicant Epiſcopatu, tunc moris eſt, ut iisdem penſio reſervetur mille aureorum cum facultate transferendi dimidiam partem: non enim conceditur, ut poſſint totam penſionem transferre, ſed tantùm tertiam, vel dimidiam partem, ut notat Mandoſius *lib. 6. de reſignat. benefic. num. 24.* vel reſervatur penſio ex meritis, vel inſigni doctrina, aut inopia, ut Eccleſiaſticus habeat, unde congruè poſſit vivere.

Hinc penſionarius, tametſi poſſit dare alteri fructus ſuæ penſionis, non tamen poteſt dare ipſam penſionem, ſeu jus, quod habet exigendi fructus ex beneficio alterius, quia transferre hoc jus in alium ad ſolum pertinet ſummum Pontificem: fructus tamen etiam futuri per totam vitam penſionarii poſſunt alteri dari, quia tunc penſionarius non donat, nec transfert penſionem, ſeu illud jus exigendi fructus ex beneficio alterius; ſed tantùm donat fructus futuros, adeo ut penes donatarium non ſit hoc jus exigendi hos fructus, ſed tantùm penes penſionarium, quapropter donatarius non niſi nomine penſionarii fructus exigit, ac percipit. Cæterum in foro exteriori hujusmodi donatio futurorum fructuum per totam vitam cenſeretur translatio penſionis ad alterum: proinde in praxi rata non haberetur; eò quia fieret ſine authoritate Romani Pontificis: perinde ac locatio fructuum futurorum ad vitam penſionarii in foro externo judicaretur venditio penſionis abſque conſenſu Papæ, proinde talis locatio non haberetur rata.

Quæ-

52 Quæritur decimo nonò, an pensionarius, cui denegantur à beneficiario fructus suæ pensionis, possit jure agere de spolio, ac petere, ut authoritate judicis pristinæ possessioni restituatur? Pensionarius tunc dicitur spoliatus possessione suæ pensionis, quando fructus suæ pensionis petit à beneficiario, qui tales fructus illi solvere consueverat, & à quo per plures annos eos acceperat; & nunc non vult ampliùs fructus talis pensionis solvere: siquidem eo ipso, quòd non vult solverere fructus pensionis, videtur spoliare pensionarium possessione suæ pensionis, ut tradit Innocentius *in c. suborta de sent. & re judic.* ubi ait, tunc subditus dicitur spoliare dominum suæ quasi possessione jurisdictionis, quando ei parere renuit, & Decius *cons. 136.* asserit, quòd debitor censûs, vel pensionis, si recusat solvere creditori, eò quia non vult, & non quia non potest, tunc intelligitur eum spoliare possessione censûs: quia verò pensio propriè non est quid corporale, ac sensibile, sed tantùm illud jus exigendi fructus ex tali beneficio, ideo Canonistæ, ut castigatiùs loquantur, non dicunt pensionarium possidere pensionem, sed cum addito diminuente, scilicet quasi possidere, & spoliari quasi possessione, quando beneficiarius, cùm possit, non vult fructus pensionis solvere, quos ante semper consueverat solvere.

53 His prænotatis communior, & verior sententia est, pensionarium posse tunc agere in judicio de spolio, ac procedere judicio possessorio ad recuperandam suam pensionem, seu fructus pensionis, qui sumuntur pro ipsa pensione, ut tradunt Gigas *de pension. q. 47. num. 2.* Innocentius *in c. pervenit. de censib.* quia pensio est onus reale impositum beneficio, & rursus est jus quoddam eam exigendi ex beneficio alterius: hinc quia est onus impositum beneficio transit ad quemvis successorem in beneficio, quamdiu vivit pensionarius, proinde tunc pensionarius censetur spoliari quasi possessione sui juris, seu pensionis, quando negatur illi pensio, quam beneficiarius consueverat ei solvere; proinde potest agere de spolio, & judicio possessorio, ac interdicto recuperandi possessionem, & ita fuisse resolutum à Rota Romana *decis. 24. de restit. spoliat.* refert Gigas *loc. cit.*

54 An verò teneatur tunc pensionarius ostendere titulum, seu jus pensionis, quod habet. Affirmat Rota *in d. decis.* ubi ait, eum, qui asserit, se esse spoliatum possessione, vel quasi possessione pensionis, teneri priùs ostendere, se habere jus, & addit rationem, quia in tali casu judicium possessorium nequit separari à petitorio, quia non restituitur jus possessorium, quin restituatur petitorium: siquidem in rebus incorporalibus possessio haberi non potest sine jure *l. 3. §. hoc autem ff. de itinere, actuque privat.* c. *transmissa de restit. spoliat.* Decius tamen *cons. 136.* hanc Rotæ decisionem non approbat, & docet cum Abbate *in c. querelam de elect. not. 3.* pro pensione noviter subtracta, & annuatim præstari solita agi posse judicio possessorio ad ipsius restitutionem: & probatâ præstatione solitâ debere actorem reduci in eum statum, in quo priùs erat, quamvis nihil doceat de proprietate juris illam percipiendi.

55 Mihi tamen placet distinctio, quam tradit Gigas *in d. q. 47. num. 4.* ubi has duas contrarias sententias simul conciliat: ait enim: si pensionarius spoliatus possessione pensionis fuit per plures annos in possessione illius, tunc vera est opinio Abbatis, non compelli pensionarium ad probandum jus pensionis, quia diuturna possessio inducit titulũ, sive jus saltem præsumptum: & hoc senserunt etiam Auditores Rotæ *decis. 4.* quæ incipit *possessor beneficii in novis*, & Innocentius *in c. transmissam de elect.* Sin verò fuit in possessione per modicum tempus, tunc non sufficit, ut pensionarius probet, se possedisse, sed rursus tenetur ostendere, se habere jus pensionis exigendæ; & in hoc sensu est vera opinio Rotæ *decis. 11. in antiq.* quæ incipit, *nota quòd si in spoliatione*: ratio etiam assignatur, quia recens possessio, & ad modicum tempus habita non videtur in judicio titulum præsumptum inducere. Hæc Gigas, cujus sententia magis videtur congruere cum ipso jure. Et addit Gigas, quòd si pensionarius fuerit spoliatus perceptione pensionis uno tantùm anno, & altero sequente anno eam perceperit, possit etiam agere judicio possessorio ad recuperandam pensionem, quæ sibi tali anno denegata fuerat.

56 Quæritur vigesimò, an clericus pensionarius, cui indulgetur incedere absque habitu clericali, possit exercere officia sæcularia? Sixtus V. in sua constitutione edita die ultima Januarii 1589. declaravit, vel potiùs indulsit clericis pensionariis, quorum pensiones non excedunt aureos 60. de camera, ut possint incedere sine habitu clericali, ideo oritur dubium, an possint tunc clerici incedentes sine habitu ecclesiastico munera obire sæcularia, ac exercere officia civilia? Respondetur negativè, siquidem clericis prohibetur exercere officia civilia *c. clerici de vita, & honestate cleric.* ubi dicitur: *clerici officia, vel commercia sæcularia non exerceant.* & *c. 1. ne clerici, vel Monach.* ubi etiam assignatur ratio finalis, scilicet, quia Apostolus ait: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quamobrem cum finis legis sit, ne clerici ob occupationem in negotiis sæcularibus distrahantur à cultu divino; dispositio legis extenditur ad illa omnia, quæ clericos distrahunt à Dei cultu, & servitio Ecclesiæ: atqui clerici pensionarii, tametsi non deferant habitum ecclesiasticum, sunt nihilominus veri clerici, cùm sint initiati primâ tonsurâ, proinde addicti militiæ ecclesiasticæ, & per accidens est, quòd incedant sine habitu clericali, proinde generatim non possunt exercere officia civilia, neque munia obire sæcularia, ut tradit Panor. *in c. clerici de vit. & honest. cleric.* & Diaz *in pract. canon. c. 61.*

57 Quòd si dicas, clericum incedentem sine habitu ecclesiastico posse se gerere tanquam laicum, proinde officia exercere sæcularia. Contra est, negatur illatio, quia quòd clerici pensionarii possint incedere sine habitu clericali, est tantùm quoddam indultum ipsis concessum à Sixto V. in sua constitutione 92. atqui indultum, seu dispensatio, cùm sit strictioris juris, non debet

bet extendi ad casus non expressos *l. si quando fuit. C. de inoffic. testam. c. 1. §. alt. de filiis Presbyt. in 6. c. de non sacerdotali de prabend. in 6.* & notant Felin. *in c. postulasti num. 9. de rescript.* Abbas *in c. ad aures num. 7. eod. tit.* etenim deferre habitum clericalem, & non se immiscere negotiis sæcularibus, seu non exercere officia civilia sunt diversæ, ac distinctæ obligationes afficientes statum clericalem; nec una obligatio ab alia dependet: unde ex eo, quòd Pontifex dispenset in una obligatione, non censetur dispensare in alia, quia cum obligationes sint distinctæ, & independentes, exigunt distinctas dispensationes, ut rectè tradunt Geminian. *cons.* 33. *num. 8.* Surdus *cons.* 244. *n.* 4. Gonzales *ad regul.* 8. *cancell. Glossa* 13. *n.* 97. & Rota in pluribus decisionibus.

58 Quæritur vigesimo primò, an pensionarius capax sit beneficii Ecclesiastici cum retentione pensionis? Ex dispensatione Pontificis nulli est dubium, quin habenti pensionem conferri possit beneficium. Unde difficultas est de jure absque dispensatione Pontificis: & ratio dubitandi est, quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 17. *de reformat.* decrevit, ut unicum tantùm beneficium ecclesiasticum conferatur singulis clericis, & quia pensio succedit loco beneficii, cùm detur pro congrua sustentatione *c. ad audientiam* 2. *de rescript.* ideo videtur, habenti pensionem de jure non posse beneficium conferri. Nihilominus esse pensionarium capacem beneficii, docent communiùs Canonistæ Garcia *de benefic. p.* 11. *c.* 5. *n.* 214. Gonzales *ad regul.* 8. *cancell. Glossa* 5. §. 5. *num.* 14. Hoieda *de incompatibil. benefic. p.* 2. *c.* 7. & ita declarâsse sacram congregationem Concilii Tridentini ad instantiam Archiepiscopi Hispalensis refert Garcia *loc. cit n.* 310. siquidem Concilium *loc. cit.* considerat inconvenientia, quæ oriuntur ex eo, quòd unus habeat plura beneficia, nimirum ne pervertatur ordo ecclesiasticus. Tum quia beneficia dantur propter officia, & ut plura officia præstentur Ecclesiæ, plura constituuntur beneficia; hinc si unus clericus plura habeat beneficia, & non possit præstare nisi unum officium, privat Ecclesiam aliis officiis, quæ præstarentur ab aliis; si haberent singuli singula beneficia, unde invertitur ordo, si plura beneficia eidem conferantur: atqui quando agitur de pensionibus, hoc inconveniens non sequitur, quia pensio non trahit ad se beneficium, sed illud relinquit suo beneficiario, à quo tantùm exigit partem fructuum sui beneficii: ergo cùm Concilium tantùm intenderit tollere prædicta inconvenientia, non se extendit ad pensiones, quia non plus extenditur, quàm extendatur ratio finalis *l. cùm patet* §. *dulcissimis ff. de leg.* 2. *& l. adigere.* §. *quamvis. ff. de jure patronat.* & tradunt Tiraquel. *tract. cessante causa p.* 1. *n.* 114. Butrius *in c. post translationem n.* 24.

59 Quod tamen procedit, quando collatarius plures etiam habet pensiones, quia eo ipso, quòd dispositio Concilii non se extendit ad pensiones, sicut est compatibilis unica pensio cum beneficio, ita ex eadem dispositione erunt compatibiles plures, si aliunde in alio jure non habeatur prohibitio. An verò sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia sit compatibilis pensio cum beneficio. Respondetur, non esse compatibilem sub eodem tecto, si subrogetur loco beneficii, quod tunc contingit, quando quis resignat beneficium reservata sibi pensione, tunc enim pensio subrogatur loco beneficii; proinde in ipsa servandum est, quod servatur in beneficio; & quia sub eodem tecto non potest quis habere plura beneficia, ita neque talem pensionem cum alio beneficio: unde qui in Ecclesia D. Petri resignat canonicatum reservatâ sibi pensione pro congrua sustentatione, non potest acquirere in eadem Ecclesia alium canonicatum, aut aliud beneficium, & simul sibi retinere præfatam pensionem: quia pensio subrogata loco beneficii comprehenditur sub dispositione loquente de beneficiis, ut notant Natta *consil.* 346 *n.* 3. Decianus *consil.* 52. *n.* 53. cum Bald. *in l. per diversas num.* 21. *C. mandat.* & desumitur etiam *ex c. ad audientiam* 2. *de rescript.*

60 Quoad alias verò pensiones, quæ non subrogantur loco beneficii, non videntur tales pensiones incompatibiles cum beneficiis, quia jura tantùm prohibent pluralitatem beneficiorum, non verò, quòd pensionarius non possit acquirere beneficium. Quòd si pensio sit subrogata loco beneficii, quamvis non sit sub eodem tecto, est nihilominus incompatibilis cum beneficiis, quia tunc pensio habetur loco beneficii, cui subrogatur; proinde est incompatibilis cum aliis beneficiis, perinde ac incompatibilia sunt plura beneficia *l. filia sua* §. *Titia C. de condit.* & *demonstrat. l. in duobus* §. 1. *ff. de jurejur.* ut notat Rota coram Ludovisio *decis.* 115. *num.* 3. Cæterum quia pensio subrogata beneficio non est totum beneficium, sed tantùm pars ejusdem, ideo non assumit omnes qualitates beneficii, cui subrogatur, sed tantùm illas, quas habet, quatenus beneficium sustentat beneficiarium: hinc etiam pensio habet tantùm illam incompatibilitatem, quæ oritur ratione sufficientiæ.

61 Quæritur vigesimo secundò, an pensio ex totò, vel ex parte remitti debeat, si fructus beneficii ex parte fuerint diminuti, vel etiam ex toto perierint bellorum injuriis, vel incendii conflagratione, vel aquarum inundatione? Respondetur ex communiori, ac veriore sententiâ solvendam esse pensionem, quamvis aliquo ex prærecensitis casibus fructus, vel ex totò, vel ex parte perierint: liquidem hæc sententia, ut ait Gigas *de pension. q.* 62. *num.* 10. est usu recepta à curia Romana, & magis favet statui clericali, ne clericus, quam ex pensione suscipiebat sustentationem, amittat; hinc Bartol. *in l. Lucius vers. quæro pone quòd testator. ff. de aliment. & cibar. legat.* asserit, alimenta deberi integra, tametsi assignata sint in certo fundo, ex quo tantum non solet percipi, quantum requiritur ad integra alimenta. Rursus quia successor in beneficio onerato pensione tenetur solvere præteritas pensiones, quas beneficiarius antecessor non solverat; quamvis successor in beneficio fructus præterito tempore non perceperat.

Præ-

Præterea beneficiarius obligatus pensionario ad solvendam pensionem debet eam etiam primo anno solvere, quamvis secundùm consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum beneficiarius illo primo anno nullos recipiat fructus. Demum, quando fructus beneficii aliquo anno sunt longè uberiores solito, pensio nihilominus non debetur tunc major: ergo etiam quando fructus aliquo anno sunt minores, non debet pensio esse minor.

63 Si dicas, pensionem esse onus reale impositum fructibus beneficii, proinde non existentibus istis, non existere pensionem: si enim res tota pereat, necesse est etiam pereat onus, quo gravabatur. Contra est, quia pensio est onus impositum beneficio alterius, unde quamdiu durat tale beneficium, est ipsi semper annexa pensio. Quamobrem si vel aquarum inundatione, vel hostium irruptione, vel bellorum injuriis, vel aëris inclementia, vel agrorum sterilitate, vel incendii conflagratione; vel aliquo alio casu fructus beneficii omnino perirent, tunc beneficiarius, ne adigeretur ad solvendam pensionem impositam tali beneficio, posset illo se abdicare, eique renuntiare: quia quamvis pensio sit onus reale, nihilominus in litteris pontificiis apponitur clausula, quâ Pontifex obligat ipsum beneficium pensionario. Hinc si beneficiarius aliquo anno pensionem non solverit, quia non potuerit, vel abfuerit; debet postea illam solvere cum primùm potest.

64 Quæritur vigesimo tertiò, an fructus beneficii, in quo alteri relevatur pensio, eò ipso intelligantur tacita hypotheca obligari pensionario pro pensione sibi solvenda? Respondet Caccialupus *tract. de pension. q. 9.* quòd si pensio reservetur clerico loco alimenti, ac reservetur clerico pauperi, tunc fructus sunt tacita hypotheca obligati pensionario; qui propterea potest agere actione hypothecaria contra quemlibet illorum fructuum possessorem, sive sit universalis possessio, sive singularis, quia pensio authoritate Papæ conceditur clerico loco alimenti, ut habeat, unde commodè sustentetur: & quando quis mandat alimenta alicui præstari, & designat certam rem, ex qua alimenta præstentur; tunc ea res manet tacitâ hypothecâ obligata pro alimentis solvendis Glossa *in l. Lucius ff. de alim. & cibar. legat. l. Cajus ff. de annuis legat.* Sin verò pensio non conferatur ut alimentum, & reservetur clerico diviti, eò quia fuerit de Ecclesia benè meritus, tunc fructus talis beneficii, non censentur tacitâ hypothecâ obligati pensionario, quia peculiare est in alimentis, ut ea res, ex qua sunt alimenta, alicui conferenda tacitè obligetur, unde non procedit in pensionibus reservatis clerico diviti.

Verùm communior, & probabilior sententia, quam docet Gigas *de pension. q. 51. n. 17.* asserit, tales fructus esse pensionario tacita hypotheca obligatos sive pensio loco alimenti reservetur clerico indigenti, sive alia de causa clerico diviti, ait enim Gigas, non esse peculiare in alimentis, ut inducant tacitam hypothecam in re, ex qua solvi debent; sed hoc esse commune in omnibus annuis legatis: & cùm pensio, vel loco alimenti, vel saltem annui cujusdam subsidii detur, sequitur, ut fructus, ex quibus solvenda est, sint tacita hypotheca obligati pensionario: quia ut notat Bartol. *in l. Lucius ff. de aliment. & cibar. legat. & in l. fundum ff. de annuo legat.* quando testator legat alimenta, & annua subsidia vitæ, certámque rem designat, ex qua talia alimenta, vel subsidia præstentur, tunc res illa tacita hypotheca est obligata: hinc cum pensio reservetur clerico, vel tanquam alimentum, vel tanquam annuum vitæ subsidium, eo ipso fructus beneficii pensione gravati sunt tacitè pensionario obligati.

65 Quæritur vigesimo quartò, quomodo pensio extinguatur? Respondetur multipliciter. Primò per mortem pensionarii, quia hoc onus impositum beneficio solùm durat ad dies vitæ pensionarii. Secundò per matrimonium initum per verba de præsenti, quia tunc vacant beneficia ecclesiastica, proinde etiam pensiones, quæ æquiparantur beneficiis, quorum naturam imitantur. Tertiò per promotionem ad Episcopatum; quia tunc sicut vacant omnia beneficia, ita extinguuntur omnes pensiones, nisi ex pontificia dispositione, & speciali privilegio concedatur, ut promotus possit retinere pensiones. Quartò per emissam professionem tacitè, vel expressè in aliqua religione approbata, quia tunc vacant beneficia, & pensiones. Quintò si pensionarius militiam profiteatur, & monitus nolit eam deserere, tunc enim agendo militem amittit beneficium ecclesiasticum, proinde etiam pensionem, quia privatur privilegio clericorum. Sextò si pensionarius remittat in perpetuum suam pensionem, tunc extinguitur etiam sine consensu Papæ; quia licèt clericus non possit dimittere propria authoritate beneficium ecclesiasticum, potest tamen pensionem dimittere. Ratio discriminis est, quia quando beneficium dimittitur, vacat, & quia id potest cedere in damnum Ecclesiæ; ideo non potest dimitti inscio superiore: secus quando pensio dimittitur, non vacat; sed extinguitur, proinde potiùs prodest, quàm obsit Ecclesiæ, quia beneficium tunc relevatur ab onere, quo gravabatur, & à servitute, quâ premebatur.

(o)

TITULUS XIII.

De rebus ecclesiasticis alienandis, vel non.

CUm Pontifex in præcedentibus titulis egisset de collatione præbendarum, & beneficiorum, modisque, quibus collationes fieri debeant, nunc congruè agit de ipso jure, quod clericis competit, circa beneficia sibi collata, & maximè in rebus ecclesiasticis, & bonis beneficiorum suorum, an possint hujusmodi bona alienare. Nomine autem alienationis in præsenti intelligitur quilibet contractus, quo rei proprietas transfertur, & à juribus Ecclesiæ cadit in aliorum jura. Continetur etiam in titulo manumisio, ut qui Ecclesiæ præest, ejus servos manumittere non possit, nisi aliquid justæ compensationis loco Ecclesiæ conferat. Cæterum Justinianus *novel.* 7. constituit, ne res ad quamlibet Ecclesiam pertinentes alienarentur, & quamvis id pertinuerit tantùm ad bona Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & earum, quæ suberant Archiepiscopo, seu Patriarchæ Constantinopolitano, summus Pontifex hanc prohibitionem alienationis approbavit, & ampliavit, ut extenderetur ad omnes Ecclesias.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NON LICET* 1. *h. t. Ex Concilio Lugdunensi IV. statuitur, ut Prælatus sive is sit Episcopus, sive Abbas, non possit dare terras, vel alia bona unius Ecclesiæ suæ alteri Ecclesiæ etiam sua sine consensu ambarum partium. Hinc licèt Episcopus habeat plenam potestatem in ecclesiis sibi subditis, non tamen potest pro suo libitu bona in iisdem ecclesiis alienare donando, permutando, vel aliter disponendo inter Ecclesias sibi subditas. Quòd verò in textu Episcopo adjungatur Abbas, notat Panormitanus hic* num. 3. *id esse intelligendum de illo Abbate, qui habet jus episcopale, & in illis, quæ sunt jurisdictionis æquiparatur Episcopo. Cæterum Prælatus Episcopo subditus alienationi bonorum ecclesiasticorum non potest authoritatem præstare, quia hoc jus est tantùm Episcopale* c. placuit 12. q. 2. *Cæterum ad alienationem requiritur semper justa causa* c. constitutus de relig. domib.

C. *QUI RES* 2. *h. t ex eodem Concilio statuitur, ut qui petit, & recipit à laicis res Ecclesiæ, perdat receptas, & sit excommunicandus. Ex quo deducitur, concessionem rei ecclesiasticæ factam à laico nullius esse valoris; quia laici, & principes seculares nil juris habent in bonis spiritualibus Ecclesiarum: in rebus enim ecclesiasticis principes sunt velati personæ privatæ* c. Novetiat 10. q. 1. *Excipitur tamen nisi bona ecclesiastica sint feudalia, habentia originem à principe seculari, vel ab alio laico, ut notat Panorm. hic* n. 2.

C. *CONSENSUS* 3. *h. t. Ex Concilio Toletano statuitur, ut Rector Ecclesiæ, qui dat suæ Ecclesiæ alia bona, vel acquirit eidē prædia, & familias, possit aliquos de familia suæ Ecclesiæ, scilicet servos manumittere, dummodo datum valeat duplo plus servis manumissis: & tunc servi cum eorum posteritate sunt sub patrocinio Ecclesiæ, & tenentur præstare operas impositas tempore manumissionis. Ex quo textu videtur inferri, Prælatum acquirentem bona ecclesiastica posse liberiùs disponere de rebus ipsius Ecclesiæ, quàm possit alius Prælatus, qui nihil acquisivit; proinde dari eidem facultatem manumittendi mancipia, quæ Episcopus, vel alii Prælati acquisiverunt, dummodo maneant sub dominio Ecclesiæ, & eadem præstent, quæ antea. Sunt tamen qui explicantes hunc textum procedunt cum distinctione: vel enim Prælatus acquisivit bona illa intuitu Ecclesiæ: vel intuitu propriæ personæ; & de hisce ultimis utpote industrialibus posse disponere, & alienare, non ita de acquisitis intuitu Ecclesiæ. Verùm hæc distinctio non pertinet ad præsentem textum, qui tantùm loquitur de illis bonis, quæ sacerdotes relinquunt ecclesiis, seu donant, quæ quomodocunque fuerunt acquisita, post factam donationem transeunt in dominium Ecclesiæ; proinde non possunt alienari per extravag.* ambitiosæ *Pauli II. Hinc apparet non concedi, ut aliquid de bonis, vel commodis Ecclesiæ per hanc mancipiorum manumissionem alienetur, quia licèt ex mancipiis fiant liberti Ecclesiæ, manent tamen sub dominio Ecclesiæ, & tenentur eadem præstare, quæ antea. Cæterum ut notat Glossa hoc est speciale in prole liberti Ecclesiæ, ut semper sit eidem Ecclesiæ obnoxia.*

C. *EPISCOPI* 4. *h. t. Ex eodem Concilio statuitur, ut Episcopus, qui nihil dat de suo Ecclesiæ non possit ejusdem servos manumittere, & si manumittat, invalida sit manumissio, & possit successor servos manumissos repetere. Ex hoc textu deducitur, aliquid damni inferri ecclesiis per manumissionem mancipiorum: siquidem servi ad plura, & duriora obligabantur, quàm possent manumissi obligari. Non tamen damnum esset tanti æstimandum, ut magnum præjudicium afferat Ecclesiæ, vel si quid privilegii continet, non sit per posteriores canones sublatum.*

C. *NULLI* 5. *h. t. Ex eodem Concilio statuitur,*

ut nemo possit alienare res immobiles Ecclesiæ, sive agrum, sive rusticum mancipium, nec obligare titulo hypothecæ. Ubi notandum est per alienationem intelligi etiam conductionem, donationem, venditionem, permutationem, emphyteusim. Notat tamen Glossa, pro utilitate ejusdem Ecclesiæ posse alienationem fieri 12. q. 2. c. sine exceptione: *immo potest etiam Prælatus alienare ea bona mobilia, quæ servando servari non possunt.*

C. *SI QUIS* 6. h. t. *Symmachus Papa rescribit, clericum, vel defensorem subscribentem alienanti bona ecclesiastica esse excommunicandum, nisi alienans, & qui accepit res Ecclesiæ statim restituant: & declarat præter excommunicationem instrumentum alienationis non valere. Rursus quemlibet ecclesiasticum posse contradicere alienationi, & repetere bona cum fructibus. Ubi notat Glossa, per defensorem, ut dicitur in textu, intelligi Procuratorem, & Advocatum. Quòd verò statim, vel celeriter debeant res alienatæ restitui, id etiam intelligitur, antequam Ecclesia ladatur. Cæterum Ecclesia habet actionem personalem contra alienationem, si sit solvendo, & in rem contra possessorem.*

C. *AD AURES* 7. h. t. *Alexander III. declarat, terram non fertilem posse dari in emphyteusim perpetuam sub annuo censu illis, vel parentum eorum, qui proprio labore, & industria eam meliorârunt, nisi fortassis tempore contractûs possit dari alii cum maiori utilitate. Ex quo textu colligitur, in alienationibus, præsertim emphyteusibus esse spectandam majorem Ecclesiæ utilitatem: necessitas enim, vel utilitas Ecclesiæ sunt causa legitima alienandi bona ecclesiastica.*

C. *UT SUPER* 8. h. t. *Cælestinus III. rescribit, Episcopum, qui juravit non alienare bona Ecclesiæ, non posse ea alienare, sive bona sint de mensa Episcopi, sive non, sed de consilio saniorís partis Capituli posse alienare, vel commutare possessiones Ecclesiæ minus utiles pro utilioribus. Ubi notandum est, bona de mensa Ecclesiæ ea dici, quæ perpetuò fuerunt unita Ecclesiæ, nec unquam alteri ab Ecclesia post acquisitum dominium fuerunt concessa; vel licèt amissa, aut alienata, fuerunt postea recuperata, & eidem incorporata: pressiùs tamen per mensam Ecclesiæ intelliguntur omnes illius reditus assignati tum Episcopo, tum Capitulo, tum aliis clericis, ministris, & officialibus; per mensam autem Episcopi reditus ejusdem Episcopi, ut etiam per mensam Capituli proventus ad ipsam spectantes. Tertia mensa non assignatur pro aliis clericis, quia illis sua stipendia, & reditus assignantur ab Episcopo, vel Capitulo. Cæterum notat Glossa, pro decimis jam subtractis, & retentis à Regibus, posse ab eis recipi aliquid pro commutatione: pro futuris autem non esse admittendam talem commutationem* c. ult. de rer. permut. *Rursus quemlibet Episcopum jurare Papæ fidelitatem, & non alienare, nec infeudare bona Ecclesiæ de novo.*

C. *AD AUDIENTIAM* 9. h. t. *Idem Pont. rescribit, Canonicos non posse locare prædia ecclesiastica in perpetuum, & si locent, prædia locata sint revocanda, & locans teneatur refundere pretium locatori. Ubi notat Glossa, quòd, si conductor sit in bona fide, habet actionem contra locantem pro pretio: secus si sit in mala fide* 12. q. 2. Vulter. *Ex hoc textu liquet, non Ecclesias, sed Authores alienationis illegitimæ bonorum ecclesiasticorum teneri ad refundendum pretium emptori præter pœnam excommunicationis, quæ incurritur per sententiam judicis ex constit. Leonis Papæ* in c. 5. h. t.

C. *POSSESSIONES* 10. h. t. *Innocentius III. rescribit, Episcopum non posse alienare possessiones, quæ sunt de mensa episcopali, vel Capituli, nec dare clericis, vel laicis Ecclesias, in quibus solent laici ministrare. Ubi notat Glossa, posse à sensu contrario, Episcopum amovere sæculares ab Ecclesia, & eam dare Regularibus, accedente tamen consensu clericorum.*

C. *AD NOSTRAM* 11. h. t. *Idem Pont. rescribit, quòd si Ecclesia in alienatione suorum bonorum inveniatur enormiter læsa, sint eidem bona restituenda, & pretium reddendum restituenti, ac relinquendi sint fructus percepti pro suo labore. Ex quo textu infertur, Ecclesiam in petitione restitutionis in integrum posse recurrere ad judicem ecclesiasticum, & non teneri sequi forum Rei, ut notat Innocentius in* c. generaliter de foro compet. *idque etiam procedere ubicunque Ecclesia juvatur alio, no privilegio: ratio est, quia in his semper supponitur aliqua deceptio saltem in re ipsa. Cæterum data restitutione in integrum non debet laicus, qui bona fide contraxit, fraudari sumptibus, & laboribus rei Ecclesiæ impensis, sed possunt relinqui eidem fructus percepti, quos alioquin teneretur restituere* l. quòd si minor. §. restitutor ff. de minor. *Quòd si laicus nullos labores, vel sumptus impenderit, teneatur omnes fructus perceptos unà cum ipsâ re restituere; alioquin non fieret restitutio in integrum, & Ecclesia sine culpa amitteret fructus medio tempore sibi debitos. Notat tamen Glossa, post quadriennium non subveniri Ecclesiæ per beneficium restitutionis* l. ult. C. de temp. in integ. restit. *& pro levi damno non dari restitutionem* c. 1. de in integ restit.

C. *CUM LAICIS* 12. h. t. *Idem Pont. declarat, irritam esse alienationem rei ecclesiasticæ absque legitimo consensu personarum ecclesiasticarum, tametsi facta sit juxta constitutionem laicorum: & mandat, ut præsumentes contrarium sint compellendi censuris ecclesiasticis. Ratio etiam petitur in fine textûs, quia nulla laicis tametsi religiosis attributa est potestas disponendi de rebus Ecclesiæ; & etiam habetur* in c. Ecclesia de constit.

IN SEXTO.

C. *DUDUM* 1. h. t. *Innocent. IV. statuit, ut Episcopus, dum vacat aliqua ex suis Ecclesiis, non possit alienare perpetuò bona illius, eò quia tempore vacationis careat defensore. Rursus declarat sine tractatu solemni, & diligenti alienationem perpetuam non valere. Quod tamen procedit, si desit necessitas, vel evidens utilitas: quæ ta-*

men, ut notat Gloſſa hic, non ſufficit, ſi in alienatione Eccleſiæ narretur, ſed debet utilitas, vel neceſſitas probari: alioquin non creditur. Rurſus ſi cauſa juſta ſuppetat, & una Eccleſia abundet bonis, poteſt Epiſcopus conſentiente Capitulo, vel Rectore dare ex una alteri Eccleſiæ. Rurſus non poteſt Epiſcopus alienare rem ſuæ menſæ ſine conſenſu Capituli, & authoritate Archiepiſcopi. Notat etiam Gloſſa, in alienatione temporali ſufficere tacitum conſenſum, eò quia non ita ladatur Eccleſia: in alienatione verò perpetua requiri conſenſum expreſſum, & contractum.

C. HOC CONSULTISSIMÒ 2. h. t. Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi plura prohibet. Primò ne Prælati Eccleſias ſibi creditas, & earum bona immobilia, ſeu jura ſubmittant laicis, vel recognoſcant, vel profiteantur ſe ab illis, ut à ſuperioribus ea tenere, neque Patronos, vel Advocatos conſtituant contra formam juris, ſeu ſine conſenſu Capituli, & expreſſa licentia Papæ. Secundò, contractus omnes etiam juratos, & qualitercunque firmatos talium alienationum declarat nullam prorſus vim habere, proinde nullum jus tribuere, nec cauſam præſcribendi. Tertiò declarat, Prælatos contrafacientes eſſe ipſo facto ſuſpenſos ab officio, & adminiſtratione. Rurſus clericos rei conſcios, qui id ſuperiori non denunciárunt, à perceptione beneficiorum, quæ in Eccleſia ſic privata obtinent, triennio ſuſpendi. Quartò, laicos compellentes clericos ad talem ſubmiſſionem faciendam eſſe excommunicatos: & eos, qui aliquid accipiunt, niſi reſtituant, & reſipiſcant, ultra excommunicationem eſſe interdicendos, ut etiam eorum terras per Judicem. Ex quo textu liquet, Epiſcopos ſine licentia Papæ, & conſenſu Capituli non poſſe dare eccleſiis Advocatos.

IN SEPTIMO.

C. AMBITIOSÆ 1. h. t. Paulus II. prohibet primò omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, & omne pactum, per quod eorum dominium tranſfertur; conceſſionem, hypothecam, locationem, conductionem ultra triennium, & infeudationem, contractum emphyteuticum; præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus, & bonis ab antiquo in emphyteuſin ſolitis concedi; & cum eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtanti temporis exigentiâ, & innovat decreta, & conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum ſuper hac materia. Secundò, ſi alienentur bona Eccleſiæ contra hanc decretalem non teneat alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, infeudatio, & decernit, omnia attentata in contrarium nullius eſſe valoris. Tertiò declarat etiam excommunicatos tam alienantem, quàm alium, qui res alienatas accipit. Quartò quòd ſi Epiſcopus, vel Abbas bona Eccleſiæ alienat inconſulto Papa, interdicitur illi ingreſſus Eccleſiæ penitus, & ſi ſex menſibus obſtinatè perſeveraverit ſub interdicto, eo ipſo ſuſpenſus eſt ab omni adminiſtratione Eccleſiæ; vel monaſterii in temporalibus, & ſpiritualibus. Quintò inferiores Prælati Commendatarii, Rectores beneficia, vel adminiſtrationes quomodolibet obtinentes, ſi res, vel bona eccleſiaſtica alienaverint, iisdem beneficiis, officiis, adminiſtrationibus ipſo facto privantur: & beneficia, ac officia abſque alia declaratione cenſentur vacare, & ſuperior, ad quem pertinet eorum collatio, poteſt aliis perſonis idoneis liberè ea conferre, niſi ſedi Apoſtolicæ ſint generaliter, vel ſpecialiter reſervata. Sextò ſtatuit Pontifex, ut bona taliter alienata liberè revertantur ad Eccleſias, monaſteria, vel loca pia, ad quæ antea pertinebant. Ex hoc textu liquet, alienationem bonorum eccleſiaſticorum eſſe utroque jure prohibitam, & præſertim hodie ob præſentem conſtitutionem Ambitioſæ, quam Paulus IV. arctiùs confirmavit, & Pius IV. ad viam juris communis poſtea reduxit. Cæterum ad valorem alienationis rei eccleſiaſticæ duo copulativè requiruntur. Primò cauſa juſta in caſu licito. Secundò forma, ſeu legitima ſolemnitas, adeò ut alterutra deficiente regulariter non valeat alienatio, ut notat Quaranta in ſum. Bullar. V. alien. rer. eccles.

C. INDEMNITATI 2. h. t. Julius III. ut conſuleret indemnitati Eccleſiarum, revocat omnes alienationes rerum eccleſiaſticarum factas contra præſcriptam formam à Paulo II. in c. ambitioſæ, & ſtatuit, ut contra tales alienationes procedatur ſummariè, & ſimpliciter, ſine ſtrepitu, & figurâ judicii, ſed per ſolam inſpectam facti veritatem.

C. IN SACRA 3. h. t. Paulus III. concedit facultatem alienandi cenſus camera Apoſtolicæ pro præſidio belli ſuſcipiendi contra Turcarum furores, ne occupent ulteriùs terras Chriſtianorum. Tunc enim intercedunt duo requiſita ad legitimam alienationem ſcilicet cauſa juſta, & utilitas Eccleſiæ, ut Turcæ ejus bona occupent.

C. RERUM 4. h. t. Paulus IV. annullat, revocat, & omnino irritas, ac invalidas declarat alienationes bonorum eccleſiaſticorum ipſis eccleſiis, & piis locis, non ſolùm damnum, ſed etiam intolerabilem injuriam afferentes.

C. VENDITIONES 5. h. t. Pius IV. declarat irritas, & nullas venditiones, ceſſiones infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, & conceſſiones, & alias omnimodas alienationes, & contractus qualescunque, & in quorumvis Principum, Cardinalium, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum favorem factas de bonis pertinentibus ad Romanam Eccleſiam, vel Cameram Apoſtolicam in illius damnum ſine paris valoris recompenſatione, vel neceſſitate, aut evidenti utilitate, & detentores eorundem bonorum declarat teneri ad fructuum reſtitutionem: imò eſſe ad id etiam compellendos per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, & etiam pecuniarias: & demum decernit, hanc conſtitutionem habere vim perpetuæ legis.

C. TRACTANTES 6. h. t. Pius V. anathemate percutit omnes perſuaſores, & Mediatores infeudationum, & alienationum bonorum Eccleſiæ

cletiæ præsertim Romanæ, item bonorum ad sedem Apostolicam pertinentium, vel quæ ad ipsam fuerint devoluta etiam in feudum.

C. CUM CHARISSIMUS 7. h. t. *Sixtus V. in subsidium belli ad extirpandas hæreses permittit alienationem bonorum immobilium Ecclesiæ. Cùm enim bellum tunc in Galliis grassaretur inter Catholicos, & hæreticos, supplicante Henrico Francorum Rege Christianissimo concedit Sixtus V. ut bona immobilia ecclesiastica ab hæreticis præsertim jam occupata alienari possint, ita tamen, ut hic ordo servetur, ut in præsens 50. tantùm millia alienentur, & hæc summa, cum minimè Ecclesiarum detrimento efficiatur, & fideliter, atque utiliter in usum designetur, ac erogetur. In hac constitutione assignantur etiam causæ justæ, scilicet necessitas, & utilitas: quòd enim hæreses extirpentur, id procul dubio redundat in commodum Ecclesiæ. Quòd etiam Ecclesia Gallicana debuerit se defendere contra hæreticos tunc bellum urgentes, fuit etiam necessarium, quod in jure æquiparatur utili. Ambæ hæ causæ constituunt casus à jure permissos, & expressos juxta Glossam* in fum. 12. q. 2. *Notandum est, quòd tametsi ad legitimam alienationem requiratur solemnitas, quæ de jure antiquo quatuor continet. Primò authoritatem Prælati: secundò præcedentem tractatum, seu consultationem: tertiò consensum Capituli: quartò subscriptionem singulorum saltem per Notarium, ut notat Panormitanus hic & in* c. tua de his quæ fiunt à Prælat. *Nihilominus licèt consensus Apostolicus absolutè absque subreptione & obreptione impetratus suppleat alias solemnitates, eò quia Papa sit supremus administrator bonorum ecclesiasticorum* c. sicut de præbend. in 6. *Non tamen supplet defectum causæ, præsertim si desit utilitas, vel necessitas Ecclesiæ, quia Pontifices non intendunt in damnum Ecclesiarum quidquam concedere. Quinimò si licentia Pontificis non sit absoluta, nec de certa ejus scientia, sed cum clausula & conditione: si ità est: non suppletur solemnitas, ut notat Quarranta* in summa Bullar. V. alien. rer. eccles. num. 7. *Navarrus tres ponit exceptiones, quibus alienatio bonorum Ecclesiarum licita est sine consensu Papæ. Prima est in casibus jure permissis, scilicet ex justa causa, & servata forma juris antiqui: secunda, ut possint alienari quæcunque alienationis species ab antiquo consueta dari in feudum, & emphyteusin, si fiat cum evidenti Ecclesiæ utilitate. Tertia quia non est prohibita alienatio rerum, quæ servando servari non possunt, ex quo à contrario sensu infertur, non posse alienari res immobiles, & pretiosas, quæ servando servari possunt. Posset addi alia exceptio de alienatione rerum exigui pretii, sed hæc non est speciali nota digna.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quænam rerum ecclesiasticarum alienatio à sacris Canonibus vetita sit clericis.

1 ALienatio propriè sumpta est omnis actus, per quem dominium transfertur de possessore in alium: laxè alienatio dicitur datio in emphyteusim, & locatio ad longum tempus, seu ultra triennium, dummodo locatio fiat de bonis, quæ singulis annis fructus reddunt; quia si fiat de iis, quæ alternis, vel ternis solùm annis fructus reddunt, locatio pro rata protrahi potest. Dicitur etiam alienatio, hypotheca, infeudatio, vel et ã omnis alius actus, quo ususfructus, vel jus in alterum transfertur, aut abdicatur. Cæterum in materia odiosa sumitur alienatio strictè pro illo contractu, cujus vigore dominium transfertur. Hic tamen sumitur laxè, eò quia sit materia favorabilis Ecclesiæ, quòd res ecclesiasticæ non alienentur: proinde alienatio juxta præsens institutum comprehendit omnem donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuò contractum, omnémque actum, quo dominium rei directum, vel utile, aut ususfructus, aut jus in alterum transfertur, vel abdicatur.

2 Rursus ex Pauli II. decreto comprehendit etiam locationem ultra trienniũ, institutionem hæredis, & fideicommissum, item pignoris constitutionem, & hypothecam specialem, in quâ periculum est certius, quàm in generali, ut notat Tuschus V. alienatio *conclus. 272.* Neque dissentiunt leges Imperatorum: siquidem *in C. de rebus non alienand. l. sancimus* habetur: sivè lex alienationem inhibuerit, sivè testator hoc fecerit, sive pactum contrahentium hoc admiserit, non solùm dominis alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed usumfructum, donationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi sancimus; similique modo ut servitus minimè imponi; neque emphyteusis contractus fieri possit, nisi in his tantummodo casibus, in quibus constitutionum authoritas, vel testatoris voluntas, vel pactionum tenor, qui alienationem interdixit, aliquid tale permiserit. Ex quibus conjicitur, juris intentionem esse, ut secundùm præsens institutum alienationis terminus sumatur laxissimè pro omni illo actu, quo jus ab Ecclesiâ tollitur, & transfertur in alios, ut notant Gaillus *lib. 2. obser.* 10. Zerola *p. 1. V. alienatio* Abbas *hic num.* 3.

3 Hinc alienatio rerum ecclesiasticarum prohibita

hibita eſt, tùm jure canonico, tum jure civili, ut conſtat *ex cauſa* 12. *q.* 2. per aliquot capita *c. nulli. c si quis Presbyterorum c. poſſeſſiones. c. ad audientiam de rebus eccles. alienand. vel non. authent. de non alienand. aut non permutand. reb. eccles. authent. de eccles. reb. immobil. alienand. authent. de alienat. & emphyteus. §. ea verò.* Leges tamen, & jura civilia tunc vim habent, quando confirmantur jure canonico. Voluerunt leges, & Canones in præſenti materia nomen alienationis ſumi latiſſimè, ut in rebus Eccleſiarum non poſſit conſtitui uſusfructus, nec ſervitus imponi, nec res Eccleſiæ pignori dari, nec ſpeciali hypothecæ ſubjici, nec in emphyteuſim concedi, tametſi uſusfructus, & ſervitus in re aliena exiſtant, & pignus res ſit debitoris, ac rei emphyteuticæ proprietas, & dominium penes dominum reſideat. Eſt igitur alienatio hæc à ſacris canonibus vetita clericis, ut deſumitur *ex tot. h. t. in 6. clement. & extravag.* ſiquidem in *c. ambitioſæ* Paulus II. prohibet alienationem omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum, & omne pactum, per quod illorum dominium transfertur, ſive ſit conceſſio, ſive hypotheca, locatio, vel conductio ultra triennium; ſive infeudatio, & contractus emphyteuticus, præter quam in caſib⁹ à jure permiſſis, & de rebus, ac bonis in empyteuſim ab antiquo concedi ſolitis; & tunc cum evidenti utilitate Eccleſiarum, & de fructibus, bonisque, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia. Rurſus in *eadem extravag. ambitioſa* innovat decreta, & conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum ſuper hac materia, & declarat, quòd quando alienantur bona Eccleſiæ contra hoc decretum, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, infeudatio nulla ſit, ac irrita; & rurſus tam qui alienat, quàm qui alienas res accipit, anathemate feriuntur.

4 Quòd ſi Epiſcopus, vel Abbas bona Eccleſiæ inconſulto Papa alienet, interdicitur illi ingreſſus Eccleſiæ: & ſi in tali interdicto pertinaciter inſorduerit per ſex menſes, tunc ſuſpenditur ab omni adminiſtratione Eccleſiæ, vel monaſterii in temporalibus, & ſpiritualibus. Prælati verò inferiores, qui Eccleſias cum cura, vel ſine cura habentes beneficia, & bona alienant, ſunt ipſo facto privati beneficiis, quæ ut vacantia poſſunt conferri aliis, exceptis ipſis privatis; & bona alienata revertuntur ad easdem Eccleſias. Unde non ſolùm clericis ſimplicibus, ac inferioribus; verùm etiam Prælatis majoribus Epiſcopis, & Archiepiſcopis vetita eſt alienatio rerum eccleſiaſticarum *c. si quis Presbyterorum 6. c. ad audientiam 9. h. t.* Multò magis prohibetur hæc alienatio laicis ſive Principes ſint, ſive Reges, in quorum ditionibus ſint res eccleſiaſticæ *c. 2. h. t.*

5 Rurſus non ſolùm prohibetur alienatio, quâ dominium rei alienatæ transfertur in perſonam laicam, ſed etiam in eccleſiaſticam, vel aliam Eccleſiam *c. 1. h. t.* & ratio deſumitur ex eo, quia bona Eccleſiæ ſint in dominio ejusdem Eccleſiæ, non clericorum, quia iſti ante diſtributionem, vel applicationem ſibi legitimè factam ſunt tantùm adminiſtratores, & Procuratores *tam, ſi privatum alt.* 12. *q.* 1. Adminiſtratores autem cùm careant dominio, non poſſunt donare, nec alienare *l. præſes 12. C. de tranſact.* Garcia *de benefic. p. 3. c. 3. num. 46.* Quamobrem neque Epiſcopus, neque Archiepiſcopus poteſt bona eccleſiaſtica ſibi uſurpare; ac vendere, ſed tantùm tenetur cuſtodire, rectè adminiſtrare, & cum vitæ diſcrimine etiam defendere *can. convenior. 12. junctâ Gloſſa in V. pro altaribus 22. q. 8.* Imò tenentur Prælati majores præſertim Epiſcopi curare fieri inventarium omnium bonorum, ac jurium ſuæ Eccleſiæ, aliorúmque beneficiorum eccleſiaſticorum ſuæ diœceſis, conſtruique archivum, in quo hujusmodi jura deponantur, ſerventúrque, Piaſecius *2. p. c. 5. art. 2. num. 2.* ubi refert, de archivo in Eccleſia cathedrali conſtruendo editam fuiſſe conſtitutionem à Sixto V. cui initium eſt: *Provida* anno 1587. die 8. Junii.

Rurſus ſicut nomen alienationis in præſenti materia favorabili eccleſiis laxiſſimè ſumitur: ita etiam nomen Eccleſiæ extenditur ad omnem locum pium authoritate Epiſcopi conſtitutum, vel fundatum, adeo ut neque res pertinentes ad loca pia alienari poſſint ſine requiſita juris ſolemnitate, idque deſumitur *ex c. nulli h. t.* imò etiam beneficium reſtitutionis in integrum eccleſiis conceſſum ratione læſionis extenditur etiam ad noſocomia, hoſpitalia, & alia loca pia, fundata, & conſtituta authoritate Epiſcopi, quia hujusmodi loca à jure æquiparantur eccleſiis, quarum propterea gaudent privilegiis *argum. c. requiſiſti 15. §. ſecus autem de teſtam.* Abbas *hic num. 4.* Quamvis tamen prohibitum ſit, res eccleſiaſticas ſubjicere hypothecæ ſpeciali; non propterea prohibita eſt conſtitutio hypothecæ generalis, adeo ut Prælatus ad confirmandum contractum legitimè conſtitutum, poſſit bona eccleſiaſtica obligare ſub hypotheca generali, etiam ſine conſenſu ſuperioris, vel alia authoritate canonica; idque deſumitur *ex c. nulli 5. h. t.* & quidem à ſenſu contrario, quia eo ipſo quòd ibi prohibetur ſola hypotheca ſpecialis in rebus eccleſiaſticis, permiſſa cenſetur generalis, ut notat Covarruvias *lib. 2. var. reſolut. c. 6. num. 7.* Redoanus *tract. de reb. eccles. non alienand. q. 2. c. 6. num. 11. & ſequent.* eſt enim diſpar ratio, quia per hypothecam generalem non ita facilè poteſt deveniri ad alienationem, ſeu venditionem rei generaliter ſolùm obligatæ, ſeu oppignoratæ, ſicut per hypothecam ſpecialem, per quam plus juris in rem transfertur in ipſum creditorem cum periculo eam alienandi.

Tametſi generalis hypotheca non ſit prohibita expreſsè, non propterea cenſenda eſt ſimpliciter permiſſa, quia adhuc requiritur juſta cauſa, quia per talem hypothecam licèt generalem, acquiritur jus aliquod ad rem; unde ſaltem diſpoſitivè per talem hypothecam res eccleſiaſtica incipit alienari, & per hoc differt hypotheca ſpecialis à generali, quia per illam acquiritur jus in re, & magis præjudicatur rebus eccleſiaſticis: per hypothecam autem generalem cùm tantùm acquiratur jus ad rem, minus præjudicatur; verùm quia utraque hypotheca ſem-

7

per

per aliquo modo præjudicat rebus ecclesiasticis, ideo neutra est permissa, & specialis expresse prohibetur, generalis autem non nisi ex justa causa interdum permittitur. Est hypotheca vox græca, quæ apud latinos sumitur pro re pignori data, vel posita, aut suppositâ. siquidem supponere pro oppignorare, suppositas res pro pignori obligatis sæpius in Cod. legimus: unde hypotheca significat suppositionem, ut si res sit obligationi suppositâ, & Martianus notat inter pignus, & hypothecam tantùm dari differentiam in solo nomine *l. res hypotheca de pignor.* quatenus unum nomen est græcum, & alterum latinum: hinc hypothecaria actio, quæ quasi Serviana dicitur, est actio in rem, quæ creditori pignus persequendi causâ datur; unde & pignoris vindicatio, petitio, ac persecutio vocatur *l. 9. in fin. C. de pignor act. l. 2. C. si unus ex pluribus l. 19. ff. ad Trebel.* hypothecarii verò creditores dicuntur, qui sub hypotheca pecuniam crediderunt *l. 1. §. sciendum ff. de separ. bon. l. 2. C. de his, qui in prior.*

8 Quamvis nomine alienationis in hac præsenti materia ecclesiis favorabili comprehendatur etiam translatio bonorum, vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam; adeo ut neque Episcopus, neque Archiepiscopus possit propria authoritate jura unius Ecclesiæ transferre ad aliam, ut desumitur *ex c. non licet 1. h. t.* nihilominus ex justa causa potest fieri hæc translatio, quamvis sit species veræ alienationis, est autem justa causa, si una Ecclesia abundet reditibus, quibus alia indigeat, ut si sint duæ Ecclesiæ parochiales habentes eandem fermè extensionem, & numerum subditorum, & una pinguiores habet reditus, & alia tenuissimos, tunc non videtur prohibitum Episcopo transferre aliquam partem reddituum à Parochia pinguiori ad aliam *argum. c. 3 de eccles. ædificand.* ut notat Glossa *in c. 1. V. ad aliam h. t. in V. tenues;* ad hanc tamen translationem requiritur consensus Capituli *arg. c. tua 8. de his quæ fiunt à Prælat. &c.* immo si Ecclesia sit patronata, requiritur etiam consensus patroni, si hic fundaverit, vel dotaverit talem Ecclesiam, saltem ex quadam honestate, quia nisi aliter expressum fuerit in fundatione, vel dotatione, jus in reditus talis Ecclesiæ non amplius pertinet ad hominem, sed ad Ecclesiam, in quam fuit translatum, quia patronus tantùm sibi reservavit jus præsentandi.

9 Quòd verò accedente consensu Capituli possit Episcopus partem reddituum Ecclesiæ pinguioris transferre in aliam, ex eo liquet, quia tunc necessitas videtur id exigere; & nemini fit injuria, quia Ecclesiæ particulares sunt membra unius Ecclesiæ universalis, adeo ut tota Ecclesia catholica, seu universalis, prout complectitur Ecclesias omnes particulares, sit veluti unicum corpus, cujus membra sint Ecclesiæ singulæ particulares, & caput Ecclesia Romana: atqui si necessitas exigat, debent membra sibi invicem succurrere, ut notat Layman. *in disp. canon. de reb. eccles. alienand. thes. 4.*

10 Non tamen possunt Episcopi permutare jura, & bona Ecclesiarum, quæ sibi subjiciuntur inter se absque consensu clericorum utriusque Ecclesiæ, ut desumitur *ex d. c. 1. h. t.* Hinc Canonici sine licentia Episcopi non possunt commutare domos sibi assignatas. Rursus quamvis unio beneficiorum, aut Ecclesiarum, si perpetua fuerit, speciem præferat alienationis, ac propterea non possit Episcopus sine authoritate pontificia tales instituere uniones *c. tua 8. de his quæ fiunt à Prælat.* ut notat Rebuffus *in prax. benefic. in reg. cancellar. 21. de unien.* Nihilominus potest Episcopus accedente consensu Capituli unire unam Ecclesiam alteri etiam irrequisito ejus rectore, dummodo non eam uniat propriæ suæ mensæ, nec Capitulo, prout statuitur *in clement. 2. h. t.* vocandi sunt tamen ij, quorum interest, scilicet patronus si Ecclesia sit juris patronatus, quia si patronus sit laicus, requiritur ejus consensus *c. pastoralis 7. de donat.* Rebuffus *in prax. benefic. in regul. cancell. 21. de unionum 6.* non ita requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ, seu possessoris beneficii uniendi, quia talis unio fit sine præjudicio Rectoris *c. consultationibus 3. de donat.* quia non obstante tali unione, ipse adhuc retinet Ecclesiam, vel beneficium, quia unio non sortitur suum effectum, nisi post mortem Rectoris, vel resignationem liberam, aut amotionem: unde sicut illius non interest, ejus consensus non requiritur, ut Episcopus de consensu Capituli hujusmodi Ecclesias uniat, ut notat Barb. *in collect. in cit. clem. 2. n. 3. h. t.*

11 Tametsi hæc unio possit ab Episcopo fieri irrequisito Rectore, non tamen sine consensu illius Prælati, seu superioris, cui Ecclesia unienda subjicitur, siquidem est discrimen de Rectore, & superiore, quia illi nullum fit præjudicium, cùm unio non sit habitura effectum, nisi post ejus obitum; secus Prælato fieret præjudicium saltem quoad potestatem providendi. Quòd si vacet Ecclesia aliqua parochialis, vel alia inferior, non collegiata, non potest Episcopus, etiam consentiente Capitulo rem ullam Ecclesiæ vacantis alteri unire, nec partem decimarum, nisi priùs constituatur Ecclesiæ vacanti curator, vel defensor suppliens Rectoris vices *c. 1. h. t. in 6.* licèt possit Episcopus consentiente Capitulo instituere unionem unius Ecclesiæ vacantis, vel beneficii, cum alia Ecclesia, aut beneficio, etiam non constituto curatore, vel defensore, ut habetur *in clem. 2. h. t.*

12 Ratio, cur possit tota Ecclesia alteri uniri, non ita pars bonorum, vel reddituum, est, quia unio totius Ecclesiæ permittitur ad augmentum divini cultûs, & ut pauperes alantur, & ex tali unione nulli fit præjudicium: secus per diminutionem partis bonorum, aut reddituum præjudicaretur futuro Rectori, vel beneficiario: sic quidem ejus necessaria sustentatio minueretur.

13 Neque obstat, quòd, cui conceditur majus, præsumatur etiam concessum minus, proinde si concessum est Episcopo unire totum beneficium alteri, erit etiam eidem permissum, imò à fortiori unire partem beneficii alteri. Nam tunc cui conceditur majus, censetur etiam concessum minus, quando cætera sunt paria, non ita quando non sunt paria: hinc quia per unionem partis beneficii

neficii præjudicatur futuro ſucceſſori, cui diminuitur neceſſaria ſuſtentatio, & per unionem totius beneficii nulli adfertur præjudicium, eò quia talis unio non ſortiatur effectum niſi poſt mortem beneficiarii; ideo bene ſtat, quòd Epiſcopus conſentiente Capitulo poſſit inſtituere unionem unius totius Eccleſiæ, vel beneficii cum alia Eccleſia, vel beneficio, non ita partem redituum Eccleſiæ, vel beneficii alteri Eccleſiæ. Quinimò ipſe ſummus Pontifex ob plenitudinem poteſtatis, licèt poſſit Eccleſias, & beneficia unire aliis, absque conſenſu Capituli *c. 2. de prabend. in 6.* non tamen ſolet tales uniones irrequiſito Epiſcopo loci inſtituere: priùs enim Pontifex vocat, & audit omnes, quorum intereſt, & exigit etiam conſenſum eorundem, quia tametſi poſſit, non tamen ſolet facilè juribus derogare particularium Eccleſiarum.

14 Epiſcopus itidem quamvis poſſit Eccleſiam unire conſentiente Capitulo dignitati, vel etiam præbendæ canonicali Eccleſiæ cathedralis, non tamen poteſt eam unire ipſi Capitulo, nec menſæ Capitulari, quia tali pacto Capitulum exerceret authoritatem in facto proprio: non ita quando Eccleſia unitur dignitati, vel ſpeciali præbendæ canonicali, quod tamen intelligitur, quando unio fit Capitulo directè, & principaliter; ſecus indirectè, & in conſequentiam poteſt in utilitatem Capituli id fieri, ut notat Garcia *de benefic. p. 12. c. 2. num. 169.* ubi ait, non poſſe fieri unionem beneficii ipſi Capitulo ab Epiſcopo conſentiente eodem Capitulo, eò quia non poſſit quis authorizare in facto proprio, & ſubdit, id procedere, quando unio fit Capitulo principaliter, & directè; non ita quando in conſequentiam, ſeu indirectè eſt in utilitatem Capituli, & citat Rotam *decis. 1. de eccles. ædiſicand. in antiq. & decis. 133. num. 7. & 8. part. divers.* & in practicab, Rotæ *num. 12. vers. unio facta per ordinarium*: ſecus ſi unio fiat alicui dignitati, vel præbendæ Capituli, Rota *decis. 788. num. 4. p. 1 diverſor.* immo etiam omnibus præbendis diſtinctis non ſimul, ſed ſeparatim, & diſtinctè unicuique alicujus beneficii, quia tunc non dicitur fieri unio ipſi Capitulo, proinde poteſt fieri ab Epiſcopo conſentiente Capitulo, ut ſingulis præbendis ſingula beneficia uniantur, non omnibus ſimul indiſtinctè unum, aut plura. Hæc tamen reſtrictio non approbatur ab ipſo Garcia cenſente, poſſe fieri unionem etiam omnibus præbendis ſimul, & citat declarationem ſuper hoc ſacræ Congregationis *num. 171.*

15 Verùm prior ſententia communior eſt. Quòd ſi aliqua inoleverit conſuetudo uniendi hujusmodi Eccleſias, vel beneficia menſæ Capitulari conſentiente Capitulo nullius eſt valoris, quia *in clement. 3. in fin.* expreſsè reprobatur quævis contraria conſuetudo etiam immemorialis, imò reprobatur etiam conſuetudo, quâ conceditur, bona eccleſiaſtica à Prælato liberè, & absque ſolemnitate à jure requiſita alienari, eò quia talis conſuetudo adferat Eccleſiæ grave damnum, quod aliunde non compenſatur, ut tradit Abbas in *c. nulli 5. n. 6. h. t.*

Quia leges, & Canones voluerunt in hac materia nomen alienationis latiſſimè ſumere, ideo prohibatur etiam tranſactio, per quam res Eccleſiæ traditur, ſeu ejus poſſeſſio transfertur in alium, adeo ut hujusmodi tranſactio fieri nequeat ſine requiſitis juris ſolemnitatibus: id tamen non procedit de illa tranſactione, quæ fit ſuper re, cujus poſſeſſio non eſt penes Eccleſiam, & per quam ea acquiritur Eccleſiæ, ut tradit Quaranta *in ſumma Bullar. V. alienatio rerum Eccleſiæ num. 19. §. 5.* immo nomen alienationis comprehendit etiam conſtitutionem ſervitutis, ſive realis ſit, ſive perſonalis, quam conſtituere in re eccleſiaſtica prohibita alienari, non permittitur, unde Prælatus, vel beneficiarius non poteſt alteri concedere uſumfructum beneficii eccleſiaſtici *c. 2. de locat.* licèt ipſam perceptionem, & commoditatem fructuum liberè poſſit locare, & vendere ſecluſo præjudicio ſucceſſoris *c. 2. de locat.*

Rurſus quamvis parochus, & alius beneficiarius non poſſit alienare, ſeu in alium transferre jus decimarum, ut deſumitur *ex c. ult. de rerum permut.* nihilominus fructus decimarum non prohibentur vendi, vel locari alteri, ita tamen ut iſte percipiat tales fructus, non ſuo, ſed beneficiarii nomine, idque procedit in quolibet uſufructuario, qui tametſi ipſum jus utendi, fruendi vendere, vel in alium transferre non poſſit absque conſenſu domini ſub pœna amittendi uſumfructum *l. uſusfructus 65. ff. de jure dot. §. finitur inſtitut. de uſufruct.* nihilominus uſufructuarius poteſt liberè alteri locare, vel donare ipſam facultatem ad fructus percipiendos nomine tamen uſufructarii, proinde non ultra vitam uſufructuarii, cum diſſoluto jure concedentis diſſolvi etiam debeat jus accipientis *argum. l. 31. ff. de pignor.* Immo ex eo, quòd alienatio ſumatur hîc laxiſſimè, comprehendit etiam ceſſionem litis motæ ſuper re, quam Prælatus ſolus ſine Capituli conſenſu alienare non poteſt: ſiquidem qui cedit liti, cenſetur etiam renuntiare juri, quod habet in rem litigioſam, niſi intentionem ſuam aliam eſſe clarè exprimat *l. poſtquam C. de part.* quia ſicut Prælatus absque conſenſu Capituli non poteſt rem illam alienare, nec jus in illa; ita neque poteſt cedere liti.

Immo nomine alienationis venit etiam ipſa 18
locatio non ſolùm ad longum tempus, ſed etiam ultra triennium, hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 21.* præcipit, ut omnes locationes bonorum Eccleſiæ, quæ præſentatâ pecuniâ in ſucceſſorum præjudicium fiunt, pro non validis habeantur, nec in Romana curia, vel extra eam confirmentur, non obſtante quocunque indulto, aut privilegio: imò neque licet jurisdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios, in ſpiritualibus locâre: neque conductoribꝰ per ſe, aut alios eas exercere, alioquin conceſſiones etiam à ſede apoſtolica factæ ſubreptitiæ cenſentur. Immò ex eo, quòd Concilium prohibuerit, jurisdictionem eccleſiaſticam locari, ſacra Congregatio Cardinalium id extendit etiam ad quodlibet minimum officium, cui jurisdictio inſit. Ad hanc etiam prohibitionem firmandam plurimum habet momenti

menti juramentum, quo se Episcopi in sua promotione obstringunt, ubi præ cæteris habentur hæc: *possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam; neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, nec alio modo alienabo, etiam cum consensu Capituli mei inconsulto Romano Pontifice: & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.*

19 Quòd si quæras, quænam sint bona mensæ Ecclesiæ, & quæ mensæ episcopalis. Respondetur, ea bona dici de mensa Ecclesiæ, quæ perpetuò unita fuerunt eidem Ecclesiæ, & quæ nunquam alteri post acquisitum semel dominium concessa fuerunt; vel etiam quæ ad eam reversa, vel ei incorporata sunt, ut notat Barb. *in c. ut super h. t. juxta Glossam in element. 1. de excess. Prælat.* Innocentius *in c. ut super de bonis eccles. non alienand.* Bona mensæ episcopalis dicuntur, quæ principaliter ad Episcopi sustentationem deputantur, & nullum alium Rectorem habent præter ipsum Episcopum, ut tradit Piasec. *p. 2. c. 5. num. 35.* Docent nihilominus aliqui, inter quos Emanuel Sà *V. alienatio* hoc juramentum ab Episcopo emissum non alienandi res Ecclesiæ non obstare, quo minus, servatis tamen servandis, possit in ejus utilitatem aliquid alienare, ut etiam rem modicam; eò quia tale juramentum intelligendum sit secundùm juris dispositionem. Verùm quidquid sit de hac opinione, illud non approbarem, quod admittit Covarruvias *lib. 2. variar. c. 16. num. 2.* cum Calderin. ubi ait, Prælatum, qui juravit se non alienaturum bona suæ Ecclesiæ quamvis in longum tempus postea inconsulto Pontifice ea elocet, non fore perjurum, eò quia locatio nonnisi impropriè dicatur alienatio, & quia juramentum est stricti juris, non debet extendi ad ea, quæ in ipso non continentur: nam hoc non valet in præsenti materia, in qua leges, & Canones sumunt nomen alienationis latissimè, prout comprehendit omnem actionem dominii directi, & utilis translativam, quapropter elocatio ad longum tempus est prohibita, & Episcopus qui tali modo elocaret bona ecclesiastica, foret perjurus, ut docet Molina *disp. 466. §. ex dictis.*

20 Quòd si clericus, vel Prælatus non obstante hac prohibitione non alienandi res ecclesiasticas eas alienaverit, ipso jure alienatio est nulla, & tam qui alienavit, quàm qui accepit res alienatas, nisi statim eas restituat unà cum suis fructibus, excommunicatur, ut desumitur *ex c. si quis h. t.* Rursus quilibet clericus illius Ecclesiæ, cujus res est alienata, immo etiam ipse Prælatus, qui rem alienavit, potest eam à quolibet possessore repetere unà cum fructibus perceptis à tempore alienationis, ut habetur *in c. si quis h. t.* quinimò etiam emptor licèt fortassis bona fide emerit, ignorans rem esse Ecclesiæ compellitur eam restituere non recepto ab Ecclesia, ad quam res illa pertinet, pretio: siquidem alienans rem Petri sine consensu Petri non potest Petro nocere *l. non debet 74. de regul. jur.* Emptor tamen bonæ fidei, qui putavit res à se emptas non pertinere ad Ecclesiam, potest pretium repetere à suo authore, seu ab eo, à quo emit, ut habetur *in c. ad audientiam 9 h. t.* secus emptor malæ fidei, & qui rem sibi venditam non ignoraverit esse Ecclesiæ; com, ellitur restituere; & pretium, quod solvit, amittit, & hoc cedit in lucrum Ecclesiæ, cujus res alienata est, non verò ipsius venditoris *l. inhemus 14. §. 1. C. de SS. ecclesiis.*

§. II.

Quanam bona Ecclesiæ alienari possint, & quæ non?

1 BOna Ecclesiæ alia sunt mobilia, alia immobilia: illa dicuntur, quæ loco moveri possunt, ut equus, vestis, pecunia, picturæ, armaria, & alia idgenus; quæ moveri possunt de loco ad locum; immobilia dicuntur, quæ loco non possunt moveri, ut domus, ager, & alia his similia: rursus in bonis immobilibus comprehenduntur tam res corporeæ fixæ, stabiles, quàm actiones, & jura, vel reditus à longo tempore, ut etiam jura, seu debita rerum immobilium jam acquisita Monasterio, & ab illo acceptа. 2 Rursus ex bonis ecclesiasticis alia dicuntur pretiosa, & alia non pretiosa; ex iis pretiosa, alia dicuntur quæ servando servari possunt, seu quæ per triennium non corrumpuntur, cujusmodi sunt vasa argentea, & aurea, gemmæ, vestes pretiosæ si servari possint, *argum. l. lex quæ 22. C. de administ. tutor.* ubi mobilia pretiosa prohibentur alienari à tutoribus, ut liquet *in extravag. unic. inter communes.* Inter res, quæ servando servari possunt, comprehenduntur etiam greges ovium, armenta bovum, præsepia equorum, & similia.

3 Res, quæ servando servari non possunt, dicuntur quæ absque notabili detrimento non durarent, & quæ per usum absumuntur, cujusmodi sunt arborum fructus, pira, poma, nuces, frumentum, oleum, vinum, pecora singularia; non verò greges, & alia id genus, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore inveterascunt. His additur etiam pecunia usualis, quæ non eo fine colligitur, & servatur, ut ad bona immobilia comparanda impendatur; sic enim fuisse decisum à Rota refert Piasecius *p. 2. c. 5. num. 32.* Secus pecunia fructifera, qualis est illa in montibus, vel censibus collocata habetur, ut bonum immobile, ut etiam illa, quæ traditur pro dote, & sustentatione monialium recensetur inter bona pretiosa, quæ servando servari possunt; potest tamen, hæc pecunia data pro dote Monialis impendi in emendo agro, vel vines, ut de ejus fructibus Monialis sustentetur. Item inter res immobiles numerantur arbores grandes, quæ cædi non solent, & sylvæ cæduæ, quia si hæc alienarentur, non mediocre damnum ecclesiis inferretur *l. lex quæ tutores C. de administ. tutor.* Panormitanus *in c. nulli h. t.* Navarrus *consil. 6 h. t.*

4 Ex hisce bonis ecclesiasticis bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ servando servari non possunt, alienari possunt, ab habente illorum administrationem, ut ab Episcopo, vel Prælato absque alia juris solemnitate, quæ alioquin re-

quireretur: hinc res, quæ usu absumuntur, & brevi tempore inueterascunt, ut fructus, vinum frumentum, segetes, plures vestes, & pecunia quotidiano usui deserviens, & quæ servata nullũ fructum parit, alienari possunt, ut apertè colligitur *ex clement. 1. de rebus eccles. non alienand.* & tradunt Hostiens. *in sum. h. t. num.* 2. Abbas *in d. c. nulli 5. num.* 8. *h. t.* ratio est, quia leges, & canones, quæ prohibent bona ecclesiastica alienari, loquuntur tantùm de bonis immobilibus, non verò de mobilibus, quæ servando servari non possunt, ut liquet *in c. nulli 5. h. t.* quapropter potest Episcopus pecunias ex reditibus Ecclesiæ acquisitas impendere in pias causas, vel erogare pauperibus, vel etiam dare benemeritis de Ecclesia, idque absque omni solemnitate, dummodo donationes, & largitiones moderatæ sint, & damnum non inferant Ecclesiæ *auth. licentiam C. de Episcopis, & cleric. c. ad hæc de testam.* Secus res mobiles pretiosæ, cujusmodi sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, non possunt alienari, nisi subsit justa causa, & solemnitas à jure præscripta.

4 Quòd si petas, ad quam summam debeat ascendere res, ut dicatur pretiosa ad eum effectum, ut Prælatus non possit illam alienare. Respondetur post declarationem sacræ Congregationis, ut referunt Homobonus, & Peregrinus apud Dianam *p. 4. tract. 4. resolut. 223.* mobile pretiosum, quod alienari non potest, illud censeri, quod valorem excedit 25. scutorum aureorum, Naldus *in sum. V. alienare num.* 5. asserit, ex stylo curiæ illam censeri rem pretiosam, cujus pretium excedit valorem 20. ducatorum. Verùm Barbosa, Quaranta, & Felinus censent, ad inferendum judicium rei pretiosæ standum esse arbitrio judicis, vel prudentis viri. Potest tamen Episcopus, vel alius Prælatus res quasdam mobiles pretiosas, ut picturam, annulos, vasa aurea, & argentea emere, ut donentur benè meritis, ut docent Navarr. *de reditib. eccles. monit. 47.* Layman, & alii, qui etiam docent, posse Prælatum ex pecuniis, quas causâ remunerandi donare potest suo officiali, vel alteri bene merito, emere prædium, & idem donare irrequisito Capitulo, & sine alia solemnitate: & ratio est, quia, si potest donare talem pecuniam, potest etiam donare id, quod emitur tali pecunia, quia subrogatum sequitur naturam illius, cui subrogatur *l. si eum 10. §. qui injuriarum ff. si quis cautionibus.*

Non solùm res mobiles, sed etiam immo- 5
biles exigui valoris, vel quæ Ecclesiæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus possunt ab Episcopo consentiente Capitulo alienari, vel permutari ut statuitur *in c. ut super 8. §. possessiones h. t.* ubi Glossa *V. assensu* etiam addit, quòd consensus Capituli non requiratur ex necessitate, sed tantùm ex quadam honestate, quia Episcopus habet ex se facultatem meliorandi res suæ Ecclesiæ, licèt non habeat potestatem eas deterioradi *c. 2. de donat.* unde loco rei minus utilis, aut incommodæ potest comparari alia magis utilis, & commoda per alienationem minus utilis, minúsque commodæ.

Hinc terrulæ, vineolæ, & res aliæ immobi- 6
les exigui valoris alienari possunt, si Ecclesiæ utilitas, vel necessitas id exigat *c. terrulas 12. q. 2.* quod est Concilii Agathensis, cui non derogatur *per extravag. ambitiosæ* & Concilium Tridentinum, ut declaravit sacra congregatio, & notat Barb. *in c. sine exceptione 12. q. 2.* ubi addit, illam alienationem Ecclesiæ non censeri utilem, quâ recipit tantum, quantum dimisit ex decisione Rotæ Romanæ, quia tunc nihil lucri eidem accrescit.

Possunt etiam à fortiori alienari res, quæ 7
Ecclesiæ sunt damnosæ, & quidem sine solemnitatibus juris, cujusmodi sunt ædes, quibus conservandis plus pecuniæ impenditur, quàm utilitatis hauritur, quod tamen intelligendum est, ut pretio illo emantur alia bona magis utilia, ut colligitur *ex c. non liceat 20. c. sine exceptione 52. cans. 12. q. 2.* quia id perinde est, ac res ecclesiasticas utiliter administrare: quæ autem dicatur res modici, & exigui valoris, relinquitur arbitrio prudentis viri, qui consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, & valore rei alienandæ, & loci consuetudine judicabit, an res sit modica, nec ne, *argum. text. in c. caterum de donat.* Piasecius ibid. *num. 5.* hinc potest etiam terra Ecclesiæ non fertilis, nec utilis dari in emphyteusin hæredibus illius, cujus studio primùm ad culturam est redacta *c. ad aures 7. h. t.*

Rursus potest licitè alienari res nondum 8
quæsita Ecclesiæ, seu quam Ecclesia nondum incepit possidere, quo pacto remitti potest legatũ, vel hæreditas relicta Ecclesiæ ex testamento, si inde timeantur scandala, & odia, potest enim Episcopus in acquirendis, non in acquisitis præjudicare suæ Ecclesiæ, nisi legatum communiter serviret Episcopo, vel Capitulo, quia tunc Episcopus non posset illi renuntiare in præjudicium Capituli.

Rursus res, quæ ante infeudari, vel in em- 9
phyteusim dari consueverat, feudo hoc, vel emphyteusi expirante iterum potest dari in feudum, seu in emphyteusin absque solemnitate juris præscripta ad alienationem rerum ecclesiasticarum, dummodo id fiat in evidentem utilitatem Ecclesiæ, & antequam fructus illius rei, quæ datur in feudum, vel emphyteusim, incorporentur Ecclesiæ: ratio est, quia tunc non censetur nova alienatio, quæ à jure prohibeatur, sed continuatio præcedentis alienationis. Ad hoc autem, ut res dicatur in feudum, vel emphyteusim dari solita, duo sufficiunt actus concessionis factæ; vel etiam unus solemnis cum decursu annorum undecim, ut notat Piasecius *hic n. 20.* ubi addit, quòd cessante causa primæ concessionis non possunt de novo concedi; aliæ & quòd si major offeratur census, vel canon, non debet concedi pro antiquo canone; neque cum tali conditione, quæ gravior sit Ecclesiæ, quàm antea fuerat: neque pro fœminis, si masculis antea consueverat concedi.

Quamvis servi, seu mancipia Ecclesiæ com- 10
putentur inter res mobiles pretiosas, quæ alienari prohibentur *c. mancipia 3. c. sequent. de rerum permut.* nisi sint servi fugitivi *c. 54. caus. 12. q. 2.* potest nihilominus Prælatus Ecclesiæ si aliquid suâ industriâ acquisivit, servum ejus-

dem

dem Ecclesiæ manumittere, ut definivit Concilium Toletanum *c. 69.* quod refertur *in c. consensisse 3. h. t.* ubi dicitur, quòd Rectores, qui aliquid suis ecclesiis relinquunt, vel iisdem prædia acquirunt, possunt aliquos servos, seu mancipia ejusdem Ecclesiæ manumittere, seu donare libertate. Immo potest etiam servos bene meritos manumittere, licèt Prælatus Ecclesiæ nihil contulerit, nec acquisiverit *c. si quis. 17. caus. 10. q. 2. junctâ Glossâ V de familia*: verùm in hac manumissione requiritur consensus superioris, ut notat Abbas *hic num. 4.* ubi illud limitat, ut tantùm procedat, si servus manumittatur, non remanente patronatu apud Ecclesiam; secus si remaneat, quia tunc manumissio potest fieri irrequisito patrono.

Cæterum quæ à Prælato Ecclesiæ malè sunt alienata, possunt à successore repeti, adeo ut non possit illi opponi ulla exceptio, neque defectus dominii, sed sufficiat, si probet, rem illam pertinuisse ad Ecclesiam, ac fuisse illegitimè alienatam à suo prædecessore *l. jubemus 14. §. sanè C. de SS Eccles.*: quia probare dominium persæpe difficile est. Neque quòd Prælatus prædecessor malè alienaverit, debet id in damnum cedere Ecclesiæ, quia juxta *regul. jur.* delictum Prælati non debet nocere Ecclesiæ.

Alienari verò prohibentur res immobiles Ecclesiæ magni pretii, & quæ utilitatem adferunt *c. nulli 5. h. t. l. jubemus 14. in princ.* ubi est sermo de rebus ecclesiasticis immobilibus, quibus accensentur, & æquiparantur quoad solemnitatem requisitam ad alienationem res pretiosæ, quæ servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, candelabra, & alia id genus *argum. l. lex quæ 22. C. de administr. inter.* Rursus inter bona mobilia ecclesiastica, quæ alienari prohibentur, eà itidem bona mobilia recensentur, ex quibus utilitas, & fructus diuturnus percipi potest, ut est grex ovium, vel caprarum; quamvis enim dividi possint seorsim singulæ oves, vel capræ, non tamen permissum est alienare simul totum gregem, cum Ecclesia ex illo annuos reditus accipere consueverit, unde totus grex absque requisita solemnitate non potest alienari, ut nec etiam jumenta, quæ deputata sunt ad fundum Ecclesiæ excolendum, eique per longum tempus sunt affixa, nisi fortassis superflua forent *l. ult. C. quando decreto opus non est, authent. de non alienand. reb. Eccles. §. nos igitur.* Imò neque arbores in prædio pertinente ad Ecclesiam utiles possunt aliebari, si illis excisis prædium Ecclesiæ notabiliter deterius fieret: unde hujusmodi arbores frugiferæ, quibus plurimum utilitatis accrescit Ecclesiæ bonis accensentur immobilibus, adeoùt sine consensu superioris, & Capituli non possint succidi, & vendi. Quòd si arbores non essent frugiferæ, & opacitate, ac umbra essent potiùs nocumento, quatenus impedirent augmentum fructuum, ex à Prælato, vel Rectore Ecclesiæ etiam irrequisito Capitulo excidi possunt, ac vendi, ut notat Navarr. *lib. 3. conf. 6. & 7. h. t.* Generatim ex rebus mobilibus, vel immobilibus, quæ servando servari possunt illæ alienari non possunt, ex quæ fructus ferunt, & triennio durant, ut notat Glossa *in l. unic. §. licèt C. si adversus usucap.*

Rursus jura, & reditus annui, si adhæreant rei immobili, seu extrahantur ex re immobili, prædio, fundo, sylva, lacu, piscina, bonis etiam immobilibus accensentur, proinde etiam talia jura sub prohibitionem cadunt alienationis, *argu. c. 2.* & ibi Glossa *V. jura h. t. in fi.* eò quia hujusmodi jura fixa sunt, ac stabilia, proinde quamvis non sint res corporeæ, accensentur nihilominus rebus immobilibus, quibus æquiparantur quoad solemnitatem requisitam ad alienationem. Quinimo id procedit, quamvis annui reditus proveniant ex rebus mobilibus, & solvantur itidem ex rebus mobilibus, ut ex pecunia in societatem locata, quia habent etiam esse fixum, & plurimum utilitatis adferunt Ecclesiæ; idque á fortiori procedit de annuis reditibus, qui sunt stabiles, ut pensiones, & proveniunt ex rebus immobilibus agris, vel vineis; hæc enim jura prohibentur alienari, aut hypothecæ subjici, ut fusè ostendit Redoanus *in tract. de reb. eccles. non alienand. q. 14. n. 22.* Actiones verò, & instrumenta debitorum propriè non dicuntur enumerari inter bona mobilia, vel immobilia, sed constituunt tertiam quandam bonorum speciem juxta *l. à D Pio 15. §. in venditione junctâ Glossâ V. ad jura ff. de re judic.* siquidem bona mobilia, vel immobilia ea propriè tantùm dicuntur, quæ certo loco continentur: siquidem immobile dicitur, quod non potest à loco moveri; & mobile, quod à loco ad locum moveri potest, vel etiam se movere *l. moventium 93. ff. de V. S.* Actiones verò, & jura, cùm sint incorporalia, minimè loco circumscribuntur; proinde non dicuntur res mobiles, nec immobiles.

Feudum Ecclesiæ per obitum vasalli decedentis sine hæredibus, vel etiam ob delictum ejusdem, vel quia tempus concessionis expiravit, quoad dominium utile revertitur ad Ecclesiam, neque unitur mensæ episcopali, nisi accesserit consensus Capituli, quia tunc censetur esse de mensa Episcopi, quando Capitulum declaravit, esse de tali mensa. In dubio autem, an Episcopus, vel Prælatus fundum illum applicaverit suæ mensæ; si Prælatus per annum eum retinuit, nec alteri in feudum, vel emphyteusim concessit, sed ipsemet eum coluit, censetur eò ipso eum propriæ applicâsse mensæ, adeo ut illum deinceps non possit alienare sine requisitis solemnitatibus: quòd si fundi, vel agri in feudum, vel emphyteusim dari utile dominium ad Ecclesiam revertatur, debet in eodem statu permanere, in quo priùs erat, adeo ut iterum in fundum, vel emphyteusim simili modo possit à Prælato concedi, quia hæc non censetur novâ alienatio, sed potiùs ordinationis antiquæ continuatio, ut superiùs diximus.

Cæterum assignantur plures casus, in quibus res ecclesiasticæ nullo modo etiam cum solemnitatibus jure præscriptis possunt alienari. Primus est, si ex Imperatoris donatione, vel fundatione res immobilis, ut civitas, Provincia, in dominium pervenerit Ecclesiæ *ita he t hoc jus correctum V. perpetuo*: siquidem hæc tales conditione

ditione ab Imperatoribus, vel Regibus censentur hujusmodi res immobiles donari, ne scilicet alienentur, ut notat Rosental *tract. de feud. c. 4. conclus.* 19. Quamobrem ad alienandas res ecclesiasticas immobiles, tametsi hæc fiat à Prælatis Ecclesiæ, adhuc requiritur consensus Imperatoris.

16 Secundus est, quòd Ecclesia, vel Monasterium non possit alienari, nec transferri in usum privatorum *cit. auth. hoc jus porrectum, de alienat. §. & quoniam.*

17 Tertius casus est, quòd Episcopus, vel alius Prælatus ex suis bonis propriis rem Ecclesiæ non possit emere, neque per interpositam personam, ut desumitur *ex d. authent.* §. *Oeconomis verò* quia id esset authoritatem præstare in proprio facto, quod adversatur *clement. 2. h. t.* & ob eandem causam non potest Episcopus rem emere, si pertineat ad inferiorem Ecclesiam sibi subjectam.

18 Quartus est, si res sub ea conditione data sit Ecclesiæ, ut non alienetur: quia donatarius non acquirit in rem sibi dono datam majus jus, ac illi dederit donans, qui cum non donaverit hoc jus illam vendendi, neque Donatarius eam vendere potest, ut desumitur *ex d. authent. c. 9.* §. *sanctissimus*, ubi Glossa ait, quòd talis conditio esset servanda, & solùm excipitur casus ingentis, ac evidentis necessitatis.

19 Quintus est, quòd res ecclesiasticæ non possunt transferri in hæreticum, vel Judæum *authent. de ecclesiasticis titul.* §. *jubemus collat. 9.*

§. III.

De causis justis alienandi res ecclesiasticas.

1 QUatuor sunt causæ, quæ alienationem bonorum ecclesiasticorum licitam reddunt, validámque constituunt. Quarum prima est necessitas, ut si Ecclesia sit ære alieno gravata, vel urgeat aliqua necessitas, cui aliter occurri non possit, nisi per alienationem alicujus boni ecclesiastici; si enim debita Ecclesiæ aliter solvi non possunt, tunc ad extinguenda contracta debita possunt bona Ecclesiæ licitè, & validè alienari *c. 2.* §. *hoc jus caus. 10. q. 2.* ut etiam si alia justa, & evidens urserit necessitas, cui non possit aliter occurri *c. 1. h. t. in 6.* quia necessitati lex non imponitur, & quod non est licitum, urgens necessitas facit licitum juxta *regul. 41. inf. de regul. jur.*

2 Secunda causa licitè, & validè alienandi bona ecclesiastica est evidens utilitas, quæ attendenda est tempore, quo efficitur contractus, vel alienatio: dicitur autem evidens utilitas, quando nullum subest dubium, quin alienatio sit magis profutura Ecclesiæ, ut desumitur *ex c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2. c. 2. h. t.* Hæc autem utilitas censetur, quando res aliqua Ecclesiæ ita alienatur, ut alia melior, & utilior eidem acquiratur: siquidem quod in favorem, & majorem utilitatem Ecclesiæ est introductum, non debet refundi in ejus damnum *l. quod favore 6. C. de legibus*, Caterum ut fiat hæc alienatio, requiritur, ut sit utilis, & profutura: & sufficit, quòd communiter censeatur utilior, tunc quando celebratur contractus, vel fit alienatio: etenim si ex instituto super ea re tractetur, & communis opinio sit, quòd talis alienatio sit Ecclesiæ profutura, tametsi postea effectus non respondeat, adhuc valida est alienatio, nec potest revocari: Ecclesia tamen, si damnum probetur, debet in integrum restitui, ut notat Glossa recepta *in c. apostolica 7. V. profuturum de his quæ fiunt à Prælat.*

3 Tertia causa est pietas, ut si redimendi sint captivi, si alendi pauperes, si juvandi infirmi, & sublevandi miseri, tunc enim possunt ad talia pietatis officia exercenda vendi res Ecclesiæ, immo etiam calices, & vasa sacra, quæ frangenda sunt, ut pretium distribuatur pauperibus *c. aurum c. sanctorum 12. q. 2.* idque exemplo S. Ambrosii, Achacii, Cæsarii, & aliorum Episcoporum, qui in gravi proximi necessitate etiam vasa sacra fregerunt, & pretium erogârunt, ad levandas aliorum miserias, quia ut dicitur *in d. c. aurum*, melius est, ut vasa viventium serventur, quàm metallorum, scilicet Ecclesiæ, & *in l. sancimus 21. C. de SS. Ecclesia* dicitur, non esse absurdum, animas hominum præferri quibuscunque vasis, ac vestimentis. Non tamen licitum est alienare bona Ecclesiæ pro liberandis à justa pœna malefactoribus, quamvis illa gravis esset. Cæterum in alienandis rebus ecclesiasticis non esset initium ducendum ab iis, quæ ministerio altaris immediatè destinantur, ac cultui divino sunt dicata, nisi fortassis superfluerent; unde incipiendum esset à rebus externis postea ab illis, quæ non sunt consecratæ, sed tantùm benedictæ: res autem consecratæ, cujusmodi sunt calices, patenæ, nonnisi ex urgentissima causa debent pignori dari præsertim laicis, ut notat Covarruvias *lib. 2. variar. resolut. c. 16. num. 8.*

4 Quarta tandem causa est incommoditas, ut si fundus aliquis procul distet, nec possit excoli nisi difficulter, & cum majori sumptu *argum c. terrulas 12 q. 2.* Hinc possent Episcopi, qui parœcias habent à suo territorio longè dissitas, sibi invicem commutare, ut proximiores unusquisque regendas sumeret.

5 Ut autem aliquâ ex prærecensitis causis fieri possit alienatio, adhibenda est solemnitas, quæ potissimùm in quatuor consistit conditionibus, quarum prima est, ut in Capitulo consulatur, ac disquiratur, an revera talis alienatio hic, & nunc expediat *c. sine distinctione 12. q. 2. c. 1. de reb. eccles. alienand. in 6.* Neque sunt necessariò instituendi tres tractatus, nisi consuetudine id inductum fuerit, sed unus sufficit, ut notat Glossa *in c. 1. de rebus eccles. non alienand. in 6.* Secunda est, ut Capitulum expresè consentiat *c. 1. c. tua, & tot. tit. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, non tamen est necesse, ut omnes Capitulares consentiant, sed sufficit, si major pars eorum, qui sunt præsentes. Tertia est authoritas Prælati requisita, ut Episcopi, vel Abbatis, aut aliorum similium, quorum consensus omnino necessarius censetur *c. in venditionibus 16. quæst. 7.* quinimò si Abbas Epis-

Episcopo subsit, hujus etiam consensus requiritur.

6 Sin verò Ecclesia Rectore careat, dandus est illi administrator, priusquam Episcopus futuræ alienationi authoritatem præbeat; quòd si periculum sit in mora, & Prælatus absit, tunc sufficit consensus præsumptus. Quarta conditio est, ut Capitulum subscribat *c. tua de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Capit.* non tamen hæc subscriptio requiritur in omnibus, sed tantùm in donationibus, venditionibus, permutationibus, imò plerisque in locis consuetudo invaluit, ut solus Notarius subscribat, ut notat Tuschus *v. tractatus in alienation. bonor. eccles. conclus. 338.*

7 Casus tamen jure permissi, in quibus licita est alienatio absque sedis apostolicæ licentia, positâ tamen necessitate, vel evidenti Ecclesiæ utilitate, sunt. Primò, quando res alienanda est modici valoris. Secundò, si consuetudo sit legitimè præscripta contra *extravag. ambitiosa*, & decretum sacræ congregationis. Tertiò, quando bona sunt relicta religioni incapaci bonorum in communi. Quartò, quando sunt relicta cum tali onere, ut alienari debeant certo tempore, aut casu, aut restitui ex obligatione justitiæ. Quintò si bona solita sint infeudari, aut in emphyteusim concedi. Plures alios casus exhibet, & explicat Quaranta *in sum. Bullar. V. alienatio.*

8 Hodie tamen regulariter prohibetur omnis modus alienandi etiam in casu licito inconsulto Romano Pontifice exceptis rebus exigui valoris: quanti autem valoris debeat esse res Ecclesiæ, ut possit alienari sine assensu apostolico, & cum sola licentia Episcopi cognitâ causâ, & evidenti Ecclesiæ utilitate; variæ sunt opiniones Glossæ in *c. terrulas 12. q. 2. V. exiguas* indicat, posse alienari rem, cujus pretium non excedat viginti solidos. Alii tamen ad 40. aureos illud extendunt. Alii etiam ad 50. aureos. Peregrinus tamen apud Dianam *p. 4. tractat. 4. resolut 223.* asserit, declaratum fuisse à sacra Congregatione non debere rem illam excedere valorem 25. scutorum aureorum. Alii tamen censent, id relinquendum esse arbitrio prudentis judicis, quia Ecclesiæ habenti pinguissimos reditus, res, cujus pretium excedit 50. aureos, adhuc videtur esse exigui valoris; & alteri Ecclesiæ res, cujus pretium 15. tantùm attingit aureos, si tenues habeat reditus, censetur magni valoris, proinde videtur res relinquenda arbitrio prudentis judicis, qui consideratâ Provinciâ, Ecclesiæ necessitate, & ejusdem rei alienandæ valore det licentiam.

9 Verùm quia hisce non obstantibus fuerunt postea concessa privilegia religionibus circa alienationem rerum Ecclesiasticarum, quæ referuntur à Roderiquo *quæst. regul. tom. 1. q. 27. per tot.* ideo sacra Congregatio Concilii in decreto jussu Urbani VIII. edito anno 1624. die 7. Septembris, sublatis omnibus indultis, & privilegiis, quomodolibet religionibus concessis statuit hoc pacto. *Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, cujuscunque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à jure permissis fieri perpetuò prohibuit, atque interdixit, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrunt, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus apostolicarū constitutionū, & præsertim felicis recordationis Pauli II. quæ incipit* ambitiosæ, *in suo robore permansuris. Alienationes verò, & pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunque contra hujusmodi prohibitionem faciendas sanctitatis suæ authoritate ipso jure nullas, atque irritas decernit.* ex ultimis hujus decreti verbis infertur, contractus alienationis factos sine prærecensitis conditionibus esse nullos absque alia declaratione: undè qui accipit bona tali pacto alienata à Monasterio, nequit illa retinere, neque eorum fructus percipere in conscientia, quinimo si sit in mora restituendi, tenetur etiam damnum refarcire Molin. *de justit. & jur. tom. 2. disp. 466.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. c. 27 n. 20. & sequent.* ubi addit, non posse Monasterium cedere jure suo, eò quia indemnitas bonorum ecclesiasticorum concessa sit Ecclesiæ universali, non verò huic, vel illi particulari tantùm.

10 Præterea, cùm sacra Congregatio consideraret per præfatum decretum, non satis adhuc provisum Regularibus, qui eo decreto prohibiti census imponere super bonis ad religionem spectantibus, adhuc loco censuum pecunias ad cambium mutuas accipiebant, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis, annuente Urbano VIII. summo Pontifice, adhuc declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi; proinde non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, & si acceperint in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere. Rursus prohibuit Urbanus VIII. bona jurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, aut ultra triennium locare, ut habet in sua constitutione 51, cujus initium est *Humanæ salutis.* Per bona autem pretiosa, quæ prohibentur alienari in dicto decreto, intelliguntur vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, ut etiam copiosa bibliotheca. Imò præfatum decretum etiam obligat, quamvis alienatio bonorum Ecclesiæ sit aliquando utilis; quia cùm per tale decretum sublata sint omnia privilegia concessa Religionibus, ex quibus unum erat, quòd possent bona alienare in casu utilitatis, ut est illud concessum à Gregorio XIII. Monialibus, & fratribus Carmelitis in constitutione edita 1576. & incipit *ex incumbenti*, ideo alienatio fieri amplius non potest, etiam in casu utilitatis sine licentia ejusdem congregationis, ad quam pertinet judicium talis exhibitæ utilitatis perpendere: unde alienationem esse necessariam, vel utilem Ecclesiæ non est amplius

pliùs causa eam alienandi, sed tantùm justa causa impetrandi licentiam à sede apostolica, ut res illa alienetur.

11 Quando tamen res alienanda est modici valoris, ut paulò superiùs diximus, non est necessaria licentia sacræ Congregationis *text. in c. terrulas 12. q. 2.* ut nec etiam quando adest urgentissima necessitas, nec potest exspectari licentia Papæ, ut si statim essent redimendi captivi à piratis capti, vel pascendi pauperes in gravi repentina necessitate. Vel quando bona sunt relicta religioni incapaci bonorum in communi. Vel etiam quando ex speciali indulto id est concessum alicui Religioni, ut defacto conceditur Clericis Regularibus Theatinis quoad bona immobilia, quousque institutum servaverint ea non possidendi, prout declaravit sacra Congregatio his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, religionem Clericorum Regularium Theatinorum quamdiu institutum propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis. Cosmus Cardinalis de Torres, Prosper Fagnanus sacra Congregationis Secretarius.*

12 Oritur tamen difficultas, an Clerici Regulares Theatini succedant in fideicommissum? quia cùm alienari non possit, & præfati Clerici Regulares solùm possint succedere in bonis immobilibus ad effectum ea alienandi, videtur exinde sequi, quòd solùm possint succedere in bona libera, non verò quæ subjiciuntur fideicommisso. Verùm si fideicommissum oriatur ex prohibitione alienationis extra familiam, tunc possunt præfati clerici adire hæreditatem ad effectum eam alienandi in aliquem ex familia, ut rectè docet Pasqualig. in quæstionibus moralibus canonicis *q. 252. num. 1.* ubi notat, quòd possit stare fideicommissum simplex, per quod hæreditas gradatim de uno transferatur in alium, & quòd gravatus possit alienare in aliquem ex familia, ut notat Sordus *cons. 96. num. 25.* siquidem fideicommissum haberet locum, si gravatus moreretur ab intestato, aut si alienaret in extraneum, vel inter vivos, vel per ultimam voluntatem: quia Religiosus transfert in Monasterium omnia sua jura, consequenter etiam jus successionis §. *si qua mulier. Authent. de sanctis Episcopis* §. *illud quoque Authent. de Monach Authent. ingressi C. de SS. Ecclesia.* ubi approbantur leges id statuentes: ex eo enim, quòd Religiosus per solemnem emissam professionem non amittat jura agnationis, & consanguinitatis transfert in Monasterium fideicommissum *l. fin. C. de Episcop. & cleric.* ubi Glossa §. *hoc autem V. parentum.* Tiraquel. *de ret. lignag.* §. 1. *Glossa 8. num.* 19.

13 Quamvis igitur Religio capax non sit retinendi bona immobilia, quia tamen est capax adeundi eorum possessionem ad effectum illa vendendi, potest succedere etiam in bona prohibita alienari extra familiam ad effectum alienandi fideicommissum in aliquem ex eadem familia: siquidem bona prohibita alienari extra familiam possunt alienari in quemcunque de familia, etiam remotum *l. filiusfamilias* §. *post eod. tit.* Alciatus *de retract. consang.* §. 11. *Glossa 6. num. 7.* Quinimò si Monasterium excludat substitutum potest succedere in fideicommissum ad effectum alienandi, tametsi non possit bona immobilia possidere: quia ex eo quòd fideicommissum deferatur ad Religiosum jure successionis excluditur substitutus in perpetuum & cessat fideicommissum *authent. nisi rogati C. ad Trebel. & s in præsentia de prob.* quia ut docet Pasqualig. cum Religiosus se tradat Monasterio, in quod omnia sua jura transfert, induit hoc personam profitentis, quam repræsentat, proinde præsumitur æquè delectum à testatore, sicut persona, ad quam ex vi institutionis, aut substitutionis pervenit hæreditas, proinde præsumitur noluisse ulterùs extendere substitutionem, sed eam determinâsse in Monasterio, ut in eo quod semper perdurat, ac repræsentat personam vocatam.

14 Quamobrem, si Monasterium non possit retinere bona immobilia, sed solùm adire eorundem possessionem ad effectum ea vendendi, poterit succedere in bona immobilia fideicommissa ad effectum ea alienandi: siquidem per delationem ad Monasterium expirat fideicommissum, & bona fiunt alienabilia, eò quia non debeant ampliùs alicui restitui. Et hoc etiam procedit, quamvis testator expresè prohiberet alienationem fideicommissi; quia adhuc posset suscipere hæreditatem ad effectum eam alienandi: siquidem prohibitio alienandi se habet consecutivè ad fideicommissum, quo extincto, cessat etiam conditio; & fideicommissum extinguitur ex eo, quia Monasterium excludat substitutum, proinde etiam extinguitur conditio non alienandi.

15 Hinc Theatini, & domus professæ societatis JESU possunt recipere quoscunque reditus, & quamcunque hæreditatem ad effectum eam vendendi ex privilegio Julii III. id concedentis domibus professis societatis JESU, & etiam habetur in libello litterarum apostolicarum ad favorem ipsius emanatarum; quod privilegium participatur etiam à Theatinis non solùm ex generali communicatione privilegiorum; sed ex concessione, & extensione quâ omnia privilegia ipsis conceduntur, tanquam si primò, & principaliter ipsis essent concessa, ut liquet ex Brevi Gregorii XIV. sub die 5. Aprilis 1591. & ex speciali concessione omnium privilegiorum ejusdem societatis JESU à Pio V. in favorem eorundem Clericorum Regularium Theatinorum, ut liquet *in ejus Bulla* 31. §. 14. *tom. 2. Bullar.*

§. IV.

De forma servanda in alienationibus rerum ecclesiasticarum.

16 FOrma est, quæ cuivis rei dat esse, & ratione cujus res subsistit; hinc forma alienationis juxta præsens institutum dicitur, quâ alienatio suum sortitur valorem, ac subsistit in jure; & quia ad id necessariò duo requiruntur, nempe justa causa, & juris solemnitas; & de justa causa abundè jam diximus, superest nunc ex-

expendenda solemnitas juris, quæ quatuor præsertim includit; primò prævium capitularem tractatum super re ecclesiastica alienanda, an expediat eam alienari *cap. sine exceptione* 52. hic autem tractatus debet fieri in Capitulo, collegialiter congregato, & ejusdem, vel saltem majoris partis consensu: debent canonici esse collegialiter congregati, ut alter alterius rationes audire possit, absentes tamen, qui remotè distant non sunt necessariò ad hunc actum vocandi, dumodo saltem duæ tertiæ Capitularium, ut ex triginta viginti adsint loco præsentes, Panormit. *in c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli num.* 16. *l. nulli 3. ff. quod cujuscunque univers. nom.* Barbosa *de Jure eccles. univer. lib. 3. c. 30. num.* 8. hac tamen in re plurimùm attendenda est consuetudo locorum; non tamen est necesse ut plures instituantur tractatus, sed sufficit unus, in quo deliberetur, an revera adsit justa causa rem alienandi, & num alienatio utilis Ecclesiæ futura videatur, ut desumitur *ex c. dudum* 1. *h. t. in 6.* ubi statuitur, quòd Episcopus, dum vacat aliqua sua Ecclesia, non possit alienare perpetuò bona illius, quia caret defensore: similiter sine tractatu solemni, & diligenti alienatio perpetua non valet; ut etiam si desit necessitas, vel evidens utilitas.

2 Neque obstat, quòd Ecclesia vacans possit concedi, vel unisi alteri Ecclesiæ non dato eidem legitimo defensore, vel curatore *clement.* 2. *h. t.* ubi statuitur, quòd possit Episcopus consentiente Capitulo unire unam Ecclesiam alteri, vel loco religioso, etiam non vocato Rectore, vel defensore illius Ecclesiæ; quia inde non sequitur, posse etiam alienare bona Ecclesiæ: ratio discriminis est, quia per unionem Ecclesia non patitur detrimentum in suis bonis; bene tamen per alienationem; proinde bona Ecclesiæ vacantis non possunt alienari non dato priùs defensore, ut notat Glossa *in clem. 1. si una 2. V. in concess.* quòd si Ecclesia vacans sit cathedralis, curator, seu defensor est illi dandus à Papa; Ecclesiæ inferiori vacanti datur ab Episcopo, cum tractari debet causa, ac discuti, num sufficiens sit ad res alienandas.

3 Id interest discriminis inter alienationem perpetuam, & temporalem rei ecclesiasticæ; quia ad illam requiritur necessariò, ut tractatus fiat in Capitulo collegialiter congregato, habeatúrque mutua collatio de necessitate, vel utilitate alienationis, an hæc necessaria sit, ac futura Ecclesiæ utilis, vel saltem probabiliter censeatur profutura. Secus in alienationibus temporalibus ad tempus, imò etiam ad vitam factis, non requiritur hic explicitus tractatus in Capitulo collegialiter congregato; sed sufficit tacitus consensus Capituli, qui saltem subsequatur, ut notat Glossa *hic V. Perpetuis.* consultiùs tamen est, magisque utile fieri semper tractatû, quoties agitur de rebus ecclesiasticis alienandis, non tamen necessariò requiruntur plures tractatus; quia *in cap. dudum 1. h. t. in 6.* dicitur in singulari tractatus solemnis, & diligens; habetur enim in *d. c.* Episcopum, dum vacat aliqua sua Ecclesia, non posse alienare perpetuò bona illius, quia caret defensore: similiter sine tractatu solemni, & diligenti alienatio perpetua non valet; ut etiam si desit necessitas, ac evidens utilitas. In dubio tamen non præsumitur præcessisse hunc tractatum; sed debet probari *l. quæcunque 13. §. fin. de public. in rem act.* & ibi Glossa *V. Tutore auctore*; ubi dicitur, quòd auctoritas Tutoris, & decretum Judicis non præsumitur interveniisse in contractu pupilli, sed debet probari, ut probat Mascardus *vol. 3. de probat. conclus.* 1315. unde multò minus debet præsumi consensus Capituli. Sin autem in instrumento alienationis à Prælato, & Capitulo legitimè obsignato, subscripto, & Notarii manu confecto mentio fiat præcedentis contractus, aut consensus Capituli, tunc est illi fides præstanda; immo oritur etiam præsumptio, quòd justa causa necessitatis, vel utilitatis concurrerit: potest tamen contra hanc præsumptionem admitti probatio in contrarium, ut notat Mascardus *fol. 1. de probat. conclus. 75. n. 11.*

4 Non tamen de jure communi necesse est, ut fiat speciale, ac separatim instrumentum de hoc præcedente tractatu, quia id nullo jure expressum reperitur, sed sufficit, si in eodem instrumento alienationis mentio de illo fiat; alioquin si nulla fiat mentio præcedentis tractatus, sed tantùm diceretur, alienationem factam esse propter Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, & etiam indicaretur causa, scilicet ad extinguenda debita Ecclesiæ, vel quia fundus alienatus non erat utilis Ecclesiæ; hæc verba non sufficerent, quia essent merè narrativa, & non ostensiva præcedentis tractatûs facti in Capitulo collegialiter congregato: ratio est, quia in solemnitatibus contractuum, quibus partes non possunt renuntiare, non sufficiunt sola verba affertiva, seu narrativa, sed ulteriùs requiritur, ut probentur solemnitates, ut tradit Anchar *in d. c. dudum 1. not. 3. h. t. in 6.*

5 Secundò ad hanc requisitam solemnitatem etiam requiritur, ut Capitulum expressè consentiat in alienationem, saltem pro majori, & saniori parte, ut desumitur ex *c. ut super* 8. *h. t.* ubi Cœlestinus Papa statuit, res ecclesiasticas non esse alienandas sine consensu canonicorum, vel clericorum interioris Ecclesiæ collegiatæ, si res ad illam pertineat, quòd si Ecclesia collegio careat, seu nullos habeat beneficiarios, tunc solus qui illi præest, potest ex consensu Episcopi alienare, ut notat Abbas *in d. c. dudum 1. h. t. in 6. num.* 5. Alioquin si res ecclesiasticæ absque legitimo consensu personarum ecclesiasticarum alienentur, sunt repetendæ, ac restituendæ Ecclesiæ: quia alienatio nullum sortitur valorem, quamvis approbetur per constitutionem laicorum, ut in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statutum fuit, & refertur *in c. cum laicis 12. h. t.* ubi habetur, quòd alienatio rei ecclesiasticæ sine legitimo consensu personarum ecclesiasticarum non valet, quamvis esset facta juxtà constitutionem laicorum, eò quia talis constitutio sit potiùs destitutio, seu destructio, & præsumptores per censuras ecclesiasticas compellendi sunt ad desistendum: quinimo jure novo anathemate feriuntur, & ipso jure sunt excommunicati *c. graves de sent. excommunic.* quia

quia laici non possunt quidquam disponere de rebus ecclesiasticis non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus annexis spirituali juri, ut sunt proventus pecuniarii ecclesiarum, quia de annexis est idem judicium, ut habetur *in c. 3. de consuet.* quinimò neque possunt laici disponere de bonis merè temporalibus ecclesiarum, quia personæ ecclesiasticæ unà cum suis bonis etiam merè temporalibus sunt exemptæ à jurisdictione laicorum.

6 Tertiò ad eandem solemnitatem præter consensum requiritur etiam, ut Capitulum consentiens subscribat, & desumitur *ex d. c. sine exceptione 52. caus. 10. q. 2.* ubi dicitur irrita venditio, & commutatio rei ecclesiasticæ sine clericorum subscriptione: unde spectato jure communi requiritur subscriptio Capituli, saltem in casibus jure expressis, ut in donationibus, venditionibus, & permutationibus rerum ecclesiasticarum *c. una §. de his quæ fiunt à Prælat.* Quamobrem hæc subscriptio non requiritur nisi in donationibus, venditionibus, ac permutationibus: quinimo consuetudine receptum est, ut sufficiat subscriptio publici Notarii, ut asserunt communiter Canonistæ. Rursus in instrumento alienationis facto per manum publici Notarii non est necesse, ut exprimantur nomina singulorum Capitularium, sed sufficit, si in illo exprimat Notarius de consensu majoris partis Capitularium, quia consensus majoris partis censetur unanimis consensus totius Capituli, & asserenti majorem partem Capituli non interfuisse actui, vel non consensisse, incumbit onus probandi, ut notat Abbas *in c. quanto 5. num. 2. de his quæ fiunt.* Sin verò in instrumento simpliciter dicatur Capitulum consensisse, præsumitur, quòd major pars consenserit, quia Notarius utpote juris peritus supponitur usurpâsse verba inserta instrumento secundùm veram significationem juris exigentis majorem partem saltem præsentium, ac legitimè congregatam collegialiter, ut Capitulum dicatur assentiri.

7 Quartò requiritur etiam ad hanc solemnitatem, ut superioris accedat authoritas, qui in non exemptis est Episcopus, à quo datur facultas alienandi res spectantes ad Ecclesias sibi subjectas, ut refert Zypæus *h. t. n. 2.* In exemptis autem est Prælatus, cui Ecclesia, vel Monasterium immediatè subest. In alienatione tamen rerum Monasterii non solùm opus est consensu Capituli, & Abbatis, sed etiam Episcopi ad quem pertinet cognoscere, an hîc, & nunc expediat Ecclesiæ alienatio talis rei *can. Abbatibus 12. q. 2. can. in venditionibus 1. q. 7.* Hæ omnes solemnitates necessariò requiruntur ad valorem alienationis, adeo ut in instrumento alienationis probentur interveniisse: quia in solemnitatibus jure requisitis, quibus partes liberè renuntiare non possunt, non sufficiunt verba assertiva, & nuda, seu narratio non probata, quia si talis narratio sufficeret, facilè possent leges, decreta, ac statuta eludi: siquidem sufficeret nudè apponere instrumento, quòd requisitæ à jure solemnitates intervenerint, quamvis revera non adfuerint, ut notat Mascardus *vol. 1. de probat. concius. 75. n. 15.*

Quòd si in instrumento alienationis rei ecclesiasticæ tantùm narraretur, quòd fuerit facta à Prælato consentiente Capitulo ex causa legitima, & non adderetur alia probatio, nec ullæ mentio fieret de adhibitis solemnitatibus à jure requisitis; adhuc si talis alienatio fuerit jam à diuturno tempore facta, & nunquam impugnata, nec ullus fuerit, qui eidem contradixerit; tunc possunt præsumi omnia in tali venditione legitimè facta, quia ut ait Mascardus *loc. cit. conclus. 75. num. 15.* ex temporis diuturnitate solemnitates extrinsecæ præsumuntur interveniisse; hoc tamen longum, & diuturnum tempus sufficiens ad faciendam præsumptionem solemnitatis extrinsecæ est tempus 30. annorum, ut notat Abbas *in d. c. pervenit. n. 7.* quòd si res alienata fuerit parvi momenti, & non multum præjudicii attulerit, tunc sufficere spatium decem annorum docet Gaillus *lib. 2. observat. 161. num. 7.* Alii tamen asserunt, consultiùs id esse committendum, arbitrio judicis, ut ex circumstantiis determinet, quantum temporis requiratur, ut præsumptio induci possit adhibiti consensus, aliarúmque solemnitatum: siquidem hoc tempus non est à lege definitum; proinde dependet ab arbitrio viri prudentis.

8 Oritur tamen dubium, an locatio rei ecclesiasticæ facta ad longum tempus, ut ad decem annos absque solemnitate tota quanta corruat; vel saltem valeat quoad tres primos annos, eò quia elocatio rei ecclesiasticæ ad triennium etiam sine omni solemnitate permittatur: etenim quòd valeat quoad triennium potest probari *ex regula 37. jur. in 6.* quod utile per inutile vitiari non debeat in his, quæ separari possunt; sicut de jure civili, si quis una vice ultra 500. solidos donaverit, valet quidem donatio quoad 500. non verò quoad excessum *l. sancimus C. de donat.* Quòd verò locatio ultra triennium facta sit totaliter nulla suadetur *ex extrav. ambitiosæ*, ubi Paulus II. absque distinctione annullat talem locationem.

9 Ad dirimendam hanc difficultatem Gutiérres *lib. 2. canonicar. quæst. c. 13. num. 7.* utitur distinctione: si una tantùm indivisibilis facta sit locatio pro toto decennio, & si ex conjecturis appareat Prælatum non aliter locâsse, & conductorem non aliter voluisse conducere, quàm ad integrum decennium, tunc tota illa locatio corruit, & est nulla; quia contrahentium voluntas non præsumitur circa triennalem locationem, sed supponitur pro toto decennio integro, proinde defectu voluntatis, & consensûs ad triennalem locationem contractus est nullus; quòd si modo ordinario prædium Ecclesiæ fuerit pro annua pensione locatum, scilicet divisibiliter ad primum, secundũ, & tertium & sequentes annos, tunc locatio ad tres primos annos potest tolerari, eò quia tam Prælatus, quàm conductor habuerint voluntatem contrahendi singulis annis, adeo ut intellexerint tot contractus celebrare, quot anni includuntur in decennio; unde sicut locatio triennalis in jure est permissa, ita tolerari potest ad primum triennium, quæ sententia mihi videtur probabilis, quia locatio triennalis si valida est, non debet

irrita-

iritari per subsequentem locationem, tametsi hæc invalida esset, quia utile per inutile vitiari non debet in his, quæ separabilia sunt *ex regul. jur. 37. in 6.* & prima triennalis locatio in præfato casu est separabilis ab aliis subsequentibus locationibus. Non tamen censerem, posse Prælatum prædium Ecclesiæ locare ad novennium adjectâ e aululâ, ut singulis triennis sit nova locatio; quia hoc pactum videretur fieri in fraudem legis, quia in effectu nihil, vel parum interesset, an res absolutè locaretur ad novem annos, vel an prædicta clausula adjiceretur, quia in utroque casu perceptio fructuum elocatur ad longum tempus contra jura, & intentionem legis: facere enim contra legem, & in fraudem legis, seu contra ejus intentionem æquiparantur *c. fin. de regul. jur in 6.*

11 Quòd si dicas, ibi haberi tres locationes distinctas, perinde ac in supra dicto casu dicuntur haberi locationes distinctæ singulis annis in contractu, quo modo ordinarie Prælatus locavit prædium Ecclesiæ pro annua pensione divisibiliter ad primum, secundum, & alios. Contra, est discrimen, quia in annua pensione Prælatus non intendit ad decennium locare prædium, sed tantùm singulis annis, licèt protrahat locationem ultra triennium, est enim in libertate posit elapsum primum triennium non amplius locare, imò etiam post primum annum, cùm prædium locatum fuerit pro annua pensione divisibiliter ad primum, secundum, & alios: at quando locatur ad novennium cum clausula, ut singulis triennis sit nova locatio, tunc nonnisi verbo tenus interveniunt plures locationes, in effectu tamen, & revera est una locatio ad novennium, adeo ut post primum triennium adhuc contrahentes remanent obligati, donec totum novennium sit absolutum, unde patet discrimen.

12 An verò alienatio, cui deest causa necessitatis, vel utilitatis, si facta sit cum solemnitate jure præscripta, valida sit? Respondetur, non obstante servata juris solemnitate adhuc talem alienationem ipso jure irritam esse, & desumitur *ex c. ad nostram 11. h. t.* ubi absolutè dicitur, quòd, quando Ecclesia in alienatione invenitur enormiter læsa, restituenda sint ei bona, ac pretium reddatur restituenti, & declaratur nulla alienatio ex defectu legitimæ causæ necessitatis, vel utilitatis, & *in clement. 1.* etiam reprobatur locatio ad vitam, vel ad longum tempus, si facta sit absque necessitate, & utilitate Ecclesiæ, habetur enim *in d. clement. c. Monasterium 1. h. t.* Religiosus præsidens alicui Monasterio, vel Ecclesiæ non potest concedere jura, reditus, possessiones ejusdem Ecclesiæ alicui ad vitam ejus, seu ad certum tempus, etiam receptâ pecuniâ, nisi necessitas, vel utilitas illius Monasterii, vel Ecclesiæ hoc exigat. Qui secus facit, eo ipso est suspensus, nec recipienti jus acquiritur.

13 Idque ex eo suadetur, quia quoties duo copulativè requiruntur ad valorem alicujus actus, alterutrum non sufficit & quia ad valorem alienationis rei ecclesiasticæ requiruntur copulativè tum justa causa, tum solemnitas jure præscripta; ideo, si deest justa causa, tametsi cæteræ adsint solemnitates, alienatio est irrita, & non sortitur suum valorem: quia consensus Capituli, & aliæ solemnitates tantùm requiruntur, ut provideatur Ecclesiæ utilitati, & ejus res non facilè alienentur sine causa justæ necessitatis, vel utilitatis. Quòd si alienatio rerum ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, fiat à Prælato ex justa quidem causa, sed absque prævio tractatu, & consensu Capituli, & consequenter sine debita forma, seu solemnitate canonica, est etiam ipso jure ecclesiastico irrita in foro externo, ut desumitur *ex c. si quis 6. h. t.* ubi dicitur, quòd alienatio facta contra formam juris nulla sit ipso jure: quia cùm forma sit, quæ dat esse rei, non potest hæc subsistere, si forma desit, quia non habet amplius tale esse, cùm hoc sit à forma. An verò etiam alienatio irrita sit in foro interno, adeo ut teneatur, qui rem ecclesiasticam emit, illam restituere absque alia sententia Judicis, & in solo foro conscientiæ, videtur esse difficultas non modica.

14 Docent plures, quòd quamvis alienatio, cui prædicta solemnitas deest in foro externo sit irrita, ac nullius momenti, non tamen inde sequi, esse itidem nullam in foro conscientiæ, adeo ut non teneatur restituere Ecclesiæ, qui per donationem, aut venditionē aliàs secundùm jus naturale validam aliquid Ecclesiæ accepit, ita docet Panormitanus *in c. quia plerique de immunit. eccles. c. requisivit. de in integ. restit. in foro conscientiæ*: ubi ait, sufficere si contractus secundùm leges naturæ validus sit, per consensum scilicet, & titulum, idque confirmat authoritate Innocentii, qui *in c. quia propter de elect.* asserit, electionem factam absque solemnitate juris suum sortiri valorem, & totum in conscientia esse sic electum; adeo ut non teneatur renuntiare; quia jus positivum invenit has solemnitates propter scandala removenda, & fraudes vitandas, quibus sublatis coram Deo tutus est: & Sylvester *num. 13.* vocat hoc dictum notatu dignissimū, eò quia valeat in omni actu, in quo est prætermissa solemnitas juris positivi, servato tamen jure naturali, adeo ut si alienatio habeat omnia, quæ ad ejus naturalem valorem requiruntur cujusmodi sunt, quòd fiat à legitimo superiore, ad quem aliàs jure naturali pertinet potestas alienandi, & adsit verus consensus utriusque contrahentis, & justa causa, seu necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, sit valida; quia alienatio si fiat sine contractu, & consensu Capituli, proinde non servata forma juris positivi, seu ecclesiastici, spectato solo jure naturali suum sortitur valorem, quia adsunt omnia necessaria ad validitatem naturalem contractus; adsunt enim omnia substantialia requisita ad contractum, scilicet mutuus consensus contrahentium, justa causa alienandi, & ex alio capite nulla fraus, vel injuria, vel læsio intercedit Ecclesiæ: unde quamvis hæc alienatio in foro externo sit invalida; in foro tamen conscientiæ censetur valida; adeo ut is, cui alienatio facta est, tutâ conscientiâ possit eam retinere, si nullus se tali alienationi opponat, petátque ejus rescissionem; dicunt enim quòd licèt in foro conscientiæ sit va-

lida, possit tamen rescindi, & plerumque quòd debeat, perinde ac si ab initio omnino irrita fuisset, ita docent Sanchez *lib. 4. cons. c. 1. disp.* 15. Navarrus *tract. de alien. rer eccles. num.* 17. Azorius *p.* 2. *l b.* 9. *c. 1. q.* 8. Layman *in c. auditis. & lib. 1. tract. 4. c.* 16. *num.* 9. Pirinch. *lib. 3. decret. tit.* 13 *§.* 3. *num.* 36. Abbas *in c. 1. de restit. in integr.* Glossa *in l. cum hi §. eam transactionem ff. de transact.* Albericus *in authent. hoc jus circa fin. C. de SS. Ecclesia.* Tiraquel. *de legibus connub. Glossa* 8. *num.* 62. ubi plures alios citat pro hac sententia Felin. *c. dilectis de rescript.* Redoanus *de reb. eccles. non alienand.* Rebuffus *de alienat. rer. eccles. n.* 34. Ratio quâ hæc sententia nititur, est, quia tunc talis alienatio continet favorem Ecclesiæ, cujus contemplatione inducta est prohibitio: unde cum cesset finis prohibitionis debet sustineri alienatio, præsertim quia sustineri debent, quæ Ecclesiæ sunt favorabilia. Tum quia hujusmodi solemnitates non pertinent ad substantiam intrinsecam alienationis, secundùm naturam, & primævam institutionem actûs; & quia rerum ecclesiasticarum alienationes aliquando licitè fiunt sine contractu, & reliquis cæremoniis, ac solemnitatibus; ideo hæ solemnitates potiùs accidentales, & extrinsecæ censendæ sunt, quàm substantiales.

15 Putârim nihilominus probabiliùs, talem alienationem, in qua fuit solemnitas omissa, tametsi aliàs esset spectato solo jure naturali valida, non posse in conscientia subsistere, nec alienantem esse tutum in conscientia, & eum teneri restituere, qui rem alienatam accepit, id enim docent Felinus *in c. causam de judic.* Baldus in *l. fin. §. necessitate ff. de bon. que lib.* Socin. *cons.* 29. Suarez *tom. 4. de religion. tract. 8. lib. 2. c.* 27. *num.* 20. *& sequent.* Lezana *tom. 1. quæst. regul. c.* 10. *num.* 2. Pasqualig. *variar. quæst. moral. canonic. q.* 295. *num.* 4. Castrensis *in l. cum hi § eam transactionem ff. de pact.* Butrius ibid. & alii: & ratio est, quia quando actus in jure prohibetur, ut possit sustineri, debet esse capax alicujus interpretationis, propter quam possit sustineri: atqui talis alienatio facta sine solemnitate præscripta in jure non est capax interpretationis, per quam possit sustineri, siquidem interpretatio tunc tantùm admittitur, quando actus est dubius *l. quoties §. de rebus dubiis l. si quando ff. de legat. 1.* atqui in talem alienationem non cadit dubium, quin ipso jure sit irrita: quòd enim sit invalida, est clarissimum, tam *ex extravag. ambitiosa de reb. eccles. non alienand.* ubi Paulus II. declarat irritas, ac invalidas omnes tales alienationes, quæ fiunt sine solemnitate præscripta in jure; quàm ex decreto sacræ Congregationis edito jussu Urbani IIX. *die 7. Septembris anno* 1624. siquidem declarantur irritæ omnes alienationes, quæ fiunt sine authoritate sedis apostolicæ; adeo ut per hoc decretum irritans inducatur forma, sine qua actus ipso jure cadit, & est invalidus, ut resolvit Rota *in Romana societ. offic. 14. Januarii* 1613. *coram Pamphilio*, & notant Baldus *consil.* 357. *num. 3. lib.* 5. Decius *consil.* 532. *num.* 4.

Quamobrem cum actus careat sua forma non potest subsistere, quia forma est, quæ dat esse ipsi actui, unde si cesset forma, definit esse actus *l. cùm hi §. Prætor. ait. ff. de transact. c. tua nos de sponsal.* Idque ex eo firmatur, quia quando lex apponit decretum irritum, inficit omnino actum, ut docent Cassadorus *decis.* 1. *n.* 2. *de restit. spoliat.* Puteus *decis.* 272. *lib.* 2. Veral. *decis.* 15. *num.* 1. *& decis.* 307. *num.* 4. *p.* 3. & Rota *in Urgellensi Abbatia 14. Januarii* 1583. & in aliis decisionibus: quamobrem stante illo decreto irritante omnes alienationes factas sine solemnitate præscripta in jure, non potest præfata alienatio esse valida in conscientia, quia quod est validum debet habere suum esse in ratione valoris, & esse non habetur nisi per formam, quæ cùm desit tali alienationi, ut ostensum est, non potest esse valida.

Firmari etiam ex eo potest, quia decretum 17
irritans omnes alienationes rerum ecclesiasticarum factas absque solemnitate præscripta in jure est positum in favorem Ecclesiæ, ut liquet *ex proœm. extravag. ambitiosa de reb. eccles. non alienand.* ex quo clarè deducitur, non posse actum sustineri, nisi volente Ecclesia, in cujus favorem ponitur, ut notant Tiraquel. *in l. si unquam V. revertatur num.* 10. *C. de revocan. donat.* Monachus *in c. statutum de prabend. in 6.* Benedict. *in c. Raynucius V. eodem testamento* 1. *num.* 91. *de testam.* atqui Ecclesia cùm tales alienationes prohibeat, & irritet, nunquam illis assentitur: ergo cum lex semper loquatur *l.* 1. *ff. de condit. l. Ariani C. de hæret.* continuò resistit tali actui, qui propterea non potest suum valorem sortiri. Tum quia effectus legis, & ejus obligatio non cessat, quamvis finis, & ratio legis in casu particulari cesset. Tum quia potestas alienandi non aliter conceditur Prælato, nisi adhibitis juris solemnitatibus, adeo ut sine hac conditione non censeatur Prælatus habere talem potestatem, proinde alienatio est nulla, utpote facta à non habente potestatem. Tum quia ipsi alienationi deest etiam forma substantialis alienationis, & ubi forma deficit, actus est ipso jure nullus.

Ad fundamentum, quo nititur opposita 18
sententia. Respondetur, non sufficere ad validitatem alienationis, quòd interveniat evidens utilitas Ecclesiæ, quia hæc utilitas non facit cessare adæquatè causam finalem prohibitionis, est enim ejus finis non solùm evitare damnum Ecclesiæ, quod pati potest ex alienationibus; verùm etiam providere, ne inferiores Prælati authoritate propria alienent. Quamobrem per præcitatas constitutiones *in extravag. Ambitiosa*, & per decretũ sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. edito, sublata est Prælatis inferioribus facultas alienandi, quæ ad solam apostolicam sedem devolvitur: ex quo liquet, primum fundamentum oppositæ sententiæ non esse firmum, quia tunc cessat prohibitio, quando cessat ejus finis adæquatus: & in præsenti cessat tantùm inadæquatè, eò quia non infertur damnum Ecclesiæ per talem alienationem: non verò cessat adæquatè quoad aliam partem providendi, ne inferiores Prælati authoritate propria alienent; finis enim adæquatus talium constitutionum

num fuit, & consulere utilitati Ecclesiarum, & impedire, ne inferiores Prælati authoritate propria alienent, hanc enim facultatem Pontifex voluit sibi soli reservare.

89 Ad secundum fundamentum respondetur, solemnitates præscriptas in jure ingredi ipsam formam actûs, proinde pertinere ad substantiam, & esse illius, est enim forma substantialis, quæ dat esse actui; & solemnitates præscriptæ in jure dant esse alienationi validæ, proinde hisce deficientibus cessat alienatio valida: quia ubi forma deficit, actus est ipso jure nullus, non enim potest actus subsistere sine forma, à qua suscipit esse. Præterea esto, tales solemnitates non pertinerent ad formam intrinsecam, & substantialem actûs, adhuc possent irritare actum: siquidem etiam præsentia parochi, & testium, ac præviæ denuntiationes dicuntur accidentales matrimonio, eò quia non ingrediantur ejus essentiam, cùm consistat matrimonium in mutuo consensu cum traditione corporum; & nihilominus Concilium Tridentinum irritavit matrimonium in ratione contractûs civilis, si fiat sine 8 præsentia Parochi, & testium, ac præviis denuntiationibus, adeo ut licèt naturaliter concurrant omnia requisita ad valorem contractûs, ut jure naturali sit validus, siquidem ad id tantùm requiritur mutuus contrahentium consensus absque ulla fraude, injuria, & læsione: nihilominus sine solemnitatibus additis à Concilio Tridentino matrimonium est nullum, non solùm in foro externo, sed etiam in conscientia, adeo ut qui clandestinè contraxerunt, non possint matrimonio uti absque peccato: leges enim tam civiles, quàm ecclesiasticæ possunt ob bonum commune, quasdam contractibus apponere conditiones, quæ si desint, contractus sunt nulli.

90 Sed difficultas oritur, an Prælatus possit absque solemnitate requisita in jure repudiare hæreditatem, aut legatum suæ Ecclesiæ relictum. Non videtur præsens difficultas tam facilis solutionis: siquidem ratio naturalis dictat, ut Prælatus, qui constituitur ad rem Ecclesiæ utiliter gerendam, & commoda ejus procuranda, malè agat, & contra suum officium, si utilitatem, & commodum Ecclesiæ repudiet. Imò non desunt, qui putent, Prælatum recusantem sine justa causa hæreditatem lucrosam, aut legatum utile obligari ad restitutionem Ecclesiæ de suo proprio faciendam *argum. c. quicunque 12. q. 4.* ubi Glossa *in V. aut neglectum* & argumento ducto à tutore, cui assimilatur Prælatus, qui resarcit id, quod cum potuit, non acquisivit pupillo *l. quidquid c. arbit. tutela* Zoësius *b. t. num. 7.* Ratio itidem est, quia tametsi ante hæreditatem aditam jus in re, seu dominium nondum sit acquisitum Ecclesiæ, est tamen acquisitum jus ad rem: atqui Prælatus sine consensu Capituli non potest huic juri ad rem renuntiare, quia jura accensentur rebus immobilibus, proinde abdicatio talis juris est quædam species alienationis, quæ in jure prohibita est.

91 Nihilominus communior sententia est, posse Prælatum absque solemnitate repudiare hæreditatem suæ Ecclesiæ relictam, ita docent Riccius *in prax. aurea p. 2. resolut. 92.* Barb. *de jure eccles. univers. lib. 3. c. 30. n. 42.* Zoësius *b. t. num. 6. & 7.* Abbas *in c. tua 8. num. 9. de his qua fiunt à Prælat.* licèt addat, hanc quæstionem esse dubiam, Sylvester *V. alienatio q. 19.* Lessius *lib. 2. de justit. c. 24. num. 65.* Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 4. num. 12.* Layman. *lib. 3. tract. 4. c. 10. num. 7.* Valas. *decis. 77.* Rota Romana *divers. decis. 233. num. 6. lib. 3. & decis. 284.* & alii admittentes illam juris conclusionem, quòd Prælatus in quærendis possit Ecclesiæ præjudicare; non ita in quæritis, & quia hæreditas delata, nondum tamen Ecclesiæ incorporata, dicitur jus quærendum, inde intervnt posse Prælatum absque consensu Apostolico talem hæreditatem repudiare, & ex eo maximè, quia hæc repudiatio non est alienatio *l. alienationis ff. de verb. signif.* sicuti ex eo, quòd quis non acquirat, non dicitur alienare in fraudem creditorum *l. qui autem ff. de in, qua in fraudem credit.* hinc Riccius *loc. cit.* asserit, fuisse pluries in Rota Romana decisum, potuisse Prælatum absque ullo censuratum incursu repudiare hæreditatem delatam suæ Ecclesiæ, & refert plures decisiones Rotæ, quapropter addit, hanc opinionem in praxi esse servandam. Sanchez tamen *loc. cit. disp. 4. num. 17.* censet, id esse intelligendum de repudiatione simplici, non verò de cessione, aut permutatione in favorem, & commodum alterius, quia per talem cessionem hæreditas priùs censenda esset adita, vel legatum aditum, quapropter sequeretur alienatio rei jam acquisitæ, non acquirendæ. Tum quia contra talem repudiationem potest Ecclesiæ succurri per restitutionem in integrum, ut liquet exemplo minorum *l. ait Prætor. 7. §. hodie 6. & sequent. ff. minor.* siquidem Ecclesia jure minoris debet semper indemnis servari.

Unde, cùm repudiatio hæreditatis non sit 92 alienatio Ecclesiæ, sed tantùm non acquisitio cum ante aditam hæreditatem, nondum sit verè, ac perfectè acquisitum ejus dominium Ecclesiæ, Prælatus ex eo, quòd repudiet hæreditatem, non dicitur alienare rem Ecclesiæ immobilem, vel mobilem, quia illud Ecclesiæ alienatur, cujus dominium inerat Ecclesiæ: & dominium talis hæreditatis nondum inerat Ecclesiæ: quia dominium acquiritur, si sit perfectum per rei possessionem, & Ecclesia nondum fuit in possessione talis hæreditatis, proinde si repudietur, non dicitur alienari res Ecclesiæ: quamobrem licet Prælatus non possit alienare rem Ecclesiæ immobilem, vel mobilem pretiosam, quæ servando servari potest, sine debitis juris solemnitatibus; potest tamen illam non acquirere sine prædictis solemnitatibus; quia aliud est quæsitum perdere, & alienare, & aliud quærenda respuere, vel lucra non capere: cùm igitur repudiatio hæreditatis nondum acquisitæ non sit alienatio, potest Prælatus illam repudiare *l. si sponsus 5. §. si maritus hæres. §. de donat. inter virum, & uxor.* ubi permittitur marito, ut possit repudiare hæreditatem, ut uxori adveniat, & talis repudiatio non censetur alienatio, sed donatio inter conjuges *l. qui autem 6. §. perinde.*

Neque hæreditatis repudiatio censenda est alienatio facta in fraudem creditorum, quia tunc debitor nihil alienat, cum nil acquisiverit; jus enim alienandi hæreditatem, antequam ea acceptetur, non censetur esse in bonis nostris *l. pretia 63. §. sed nec haredem ff. ad legem falsid.* Idque firmatur *ex c. cum apostolica 7. de his quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur, quod illud solùm non possit à Prælato alienari sine consensu Capituli, quod ab Ecclesia possidetur, proinde sit ei jam acquisitum: & ante acceptam hæreditatem, hæc non est acquisita Ecclesiæ, proinde ejus repudiatio non est alienatio.

23 Alii sejungentes hæreditatem à legato censent, posse Prælatum sine consensu Capituli, & juris solemnitatibus validè renuntiare hæreditati nondum acceptæ ab Ecclesia, non ita legato; & assignant discrimen: quia dominium hæreditatis non acquiritur Ecclesiæ ante additionem talis hæreditatis, proinde repudiatio illius propriè non est alienatio, sed merè non acquisitio *l. si sponsus 5. §. si maritis 13. ff. de donat. inter vir. & uxor.* & cùm simus in pœnalibus lex prohibens alienationem non est extendenda ad ea, ad quæ alienatio non se extendit, & in jure diversa censentur alienare, & non acquirere, ut liquet *ex d. l. si sponsus, & l. quod autem 6. in princ. & §. 5. ff. quæ in fraud. credit.*

24 Hinc ex vi juris repudiatio non est alienatio, sed tantùm mera non acquisitio. Legatum verò saltem certæ speciei, & purum illicò à die mortis testatoris jure dominii transit in legatarium *l. legatum 60. ff. de legat. 2. l. à Titio 64. ff. de furtis.* Covarruvias *lib. 1. variar. resolut. c. 9. num. 5.* quo fit, ut legatum à die mortis testatoris jure dominii transeat in legatarium, & hic acquirat jus, ac dominium talis legati. Tum quia legatarius in legato pio non est solus Prælatus, ut is pro suo arbitrio valeat illud repudiare, sed est tota Ecclesia, vel Monasterium, imò principaliter, & ex fine legantis pro anima sua est ipse Deus, à quo legata, donationes, vota, & promissiones piæ statim acceptantur.

25 Quamobrem non potest Prælatus repudiare tale legatum, & hæc sententia mihi videtur tutior, & probabilior, quam tradunt Quaranta *in sum. Bullar. V. alienatio rer. eccles. num. 23.* Molina *de contract. disp. 468. num. 11.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 1. q. 12.* Quod verò ad hæreditatem ut sejunctam à legato attinet, mihi videtur, quòd si Prælatus repudiaret hæreditatem relictam Ecclesiæ absque justa causa sine solemnitatibus jure requisitis, quamvis non incurreret pœnas irrogatas in alienantes res Ecclesiæ sine præscriptis solemnitatibus, eò quia non acceptare hæreditatem non sit alienare bona Ecclesiæ, nec sit nocere eidem, eò quia aliud sit nocere, & aliud non prodesse; & aliud non acquirere, quæ non possidentur; & aliud alienare jam possessa: adhuc tamen, quia Prælatus præjudicaret Ecclesiæ, vel monasterio, cui hæreditas esset obventura, censerem Prælatum teneri ex propriis ad resarcienda damna, quia hæreditas non ipsi Prælato, sed toti Ecclesiæ, vel Monasterio supponitur relicta, & licèt Monasterium ob nondum aditam hæreditatem non habeat jus in illa, habet tamen jus ad illam, quod jus non potest alienari à solo Prælato, cùm pertineat ad totum Monasterium.

26 Tum quia Prælatus ex officio, proinde ex justitia tenetur rectè administrare res, quæ aliquo modo possunt pertinere ad Monasterium *c. 2. caus. 12. q. 4.* Hinc si Prælatus negligit aliquid acquirere suæ Ecclesiæ, quod commodè potest, & præsertim si Ecclesia habeat jus ad illud, illi procul dubio imputatur culpa, & de hoc tenetur instar tutoris *l. quidquid 7. C. arbitrium tutela.*

27 Rursus Ecclesiæ in hisce casibus competit beneficium restitutionis in integrum ob negligentiam Prælati in acquirendo lucro Ecclesiæ, adeo ut in optione ipsius sit, vel agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum, ut notat Sanchez *lib. 7. moral. disp. 4. num. 15.* Ratio enim naturalis dictat, quòd Prælatus constitutus ad rem Ecclesiæ utiliter gerendam, & commoda ejus procuranda, perperam agat, & contra suum officium, si utilitatem, & commodum Ecclesiæ repudiet.

28 Posset adhuc dubitari, an pecunia suscepta ex redemptione censûs possit sine solemnitate converti in extinctionem debitorum ejusdem Ecclesiæ? Respondetur cum Beroio *in c. nulli num. 83. de rebus eccles. non alienand.* Redosno *de reb. eccles. non alienand. q. 16. n. 5. & 10.* Riccio *in praxi aurea. p. 1. resolut. 70. num. 3.* non posse talem pecuniam sine solemnitatibus jure præscriptis impendi in extinctionem debitorum ejusdem Ecclesiæ, siquidem talis pecunia succedit loco censûs *argum. ex l. ita contestante ff. de jure dotium*: atqui census sine præscriptis à jure solemnitatibus non posset alienari ad debita extinguenda sine solemnitate præscripta in jure: ergo nec pecunia ex redemptione talis censûs suscepta: quia hæc pecunia succedit loco censûs *argum. l. si pupillorum §. si prator. ff. de rebus eorum*: quoties jura exigunt aliquam causam, ut aliquid concedatur, quod aliàs prohibetur, debet causa in specie approbari à superioribus, ut de ipsa juridicè constet: siquidem constare debet, quòd sit causa requisita à lege, quod fieri non potest nisi per prævium examen; quapropter usus obtinet, ut quoties petitur licentia alienandi res aliquas ecclesiasticas ob aliquam causam, semper delegetur aliquis, qui cognoscat de tali causa: & quando agitur de extinguendo debito Ecclesiæ, debent causæ esse urgentes, proinde in Capitulo collegialiter congregato examinari, ut tradit Bellam. *in c. non liceat. vers. 3. probatur 12. q. 2. per authent. hoc. C. de SS. Ecclesia*, quia quando extinctio debiti non urget, non censetur adesse necessitas alienandi, quæ est causa reddens licitam alienationem. Præterea licèt jura concedant alienationem rerum Ecclesiæ in casu urgentis necessitatis, non tamen concedunt, quòd fiat alienatio sine debitis solemnitatibus, sed tantùm permittunt, has non servari, quando necessitas est ita urgens, ut non patiatur eas servari, ut notant Abbas *in c. fin. de eccles. ædific. reparan.* Redoan. *de reb. eccles. non alienand. quæst. 19. num. 34.*

29

Tum

29 Tum quia, quando ex necessitate debent alienari res Ecclesiæ, debet tunc necessitas esse evidens, adeout non sufficiat quæcunque necessitas, ut notat Covarr. *lib. 2. variar. resol. c. 16. num. 8.* proinde debet necessitas, ut etiam alia quæcunque causa per prævium examen cognosci, ut constet, an revera sufficiens sit; proinde solemnitates semper requiruntur: & quando agitur de extinguendo debito, necessitas non ita urget, ut exigat hanc extinctionem fieri sine solemnitatibus juris, quia potest continuari solutio consueti interesse, vel etiam alio modo potest succurri Ecclesiæ ære alieno gravatæ, & interim potest cedere in majorem utilitatem Ecclesiæ, si suscepta pecunia ex redemptione censûs impendatur in quid aliud: unde cum teneatur Præsul consulere utilitati Ecclesiæ, tenetur etiam præmittere solemnitates jure præscriptas.

30 Neque obstat, quòd necessitas dicatur facere licitum, quod aliàs non erat licitum *c. quod non est licitum de regul. jur.* & quòd necessitas legem non habeat *l. si quis propter C. de patribus, qui fil.* quia id intelligitur de necessitate ita urgente, ut non permittat legem servari, ut Paulò superiùs explicuimus. Hinc pecunia destinata pro emendis stabilibus, non potest impendi pro emendis mobilibus usualibus, quia immobile cedit in majorem utilitatem Ecclesiæ, quàm mobile.

31 Quid verò dicendum sit de hærede ecclesiastico, an possit sine solemnitate alienare bona prohibita alienari pro solvendis debitis, quæ defunctus contraxerat? Videtur non ita facilè solvendum, quia statim post aditam hæreditatem bona in eadem reperta cedunt in patrimonium hæredis, sub cujus dominio constituuntur *l. 1. §. veteres. ff. de acquir. possess.* ut notat Glossa *ibid. V. per unum V. at post aditam* Menoch. *consil. 124. num. 5.* Barb. *in rubric. p. 4. num. 15. ff. soluto matrim.* Rota *in Bononiensi hæredis. de annis 18. Aprilis 1622.* unde semel adita hæreditate bona hæreditatis transeunt in dominium, Ecclesiæ hæredis, consequenter non videntur posse bona illius sine solemnitatibus jure præscriptis alienari ad extinguenda debita, quæ defunctus contraxerat.

32 Nihilominus probabiliùs censeo, non esse tunc necessarium consensum Apostolicum, quia unà cum hæreditate transeunt etiam ad hæredem ipsa debita, & quidquid oneris inest tali hæreditati *l. hæreditatis ff. de verb. signif.* unde per aditionem ad hæreditatem non censentur acquiri hæredi nisi illa bona, quæ supersunt deducto ære alieno, quia quod ex tali hæreditate ad alios pertinet, non transit in dominium hæredis, quia non erat sub dominio testatoris: unde inter bona hæreditatis ea tantùm computantur, quæ deducto ære alieno, & omni eo, quod ad alios pertinet, supersunt *l. subsignatum §. Bona. ff. de verb. significat.* Quamobrem bona illa, quæ necessaria sunt pro extinguendis debitis, quæ defunctus contraxerat, non acquiruntur absolutè, sed tantùm in ordine ad extinguenda eadem debita consequenter est acquisitio temporanea, & ex vi ejusdem hæreditatis jure resolubilis, proinde non fiunt bona Ecclesiæ, nec per illorum alienationem ullum infertur Ecclesiæ damnum: quia detractio æris alieni diminuit hæreditatem *l. Papinianus §. 4. ff. de inoffic. testam. l. in restituenda C. de petit. hæred.* Hinc talis detractio operatur, quòd, quamvis, quæ detrahuntur, sint in hæreditate, possunt incorporari bonis hæredis tanquam alteri restituenda: unde alienatio talium bonorum non solùm est necessaria, verùm etiam omninò facienda in virtute ejusdem hæreditatis, idque ex saltem tacita commissione testatoris, quæ tamen in hoc casu habetur pro expressa *l. inter vestem. ff. de auro, & argento. l. in conditionibus ff. de condit. & demonst. l. Lujus §. Martius ff. ad Trebel.*

33 Quamobrem, cùm defunctus teneretur sua debita solvere, alienatio bonorum pro solvendis iisdem debitis non censetur alienatio hæredis, sed potiùs defuncti, quatenus hæres nomine defuncti solvit debita, quæ contraxerat, & in hoc exequitur tacitam dispositionem defuncti, quæ propterea impedit, ne bona alienanda per aditam hæreditatem fiant bona ecclesiastica, quapropter, cùm sit alienatio de bonis laicalibus juxta dispositionem defuncti, non requiruntur solemnitates jure præscriptæ. Demum quia adiens hæreditatem censetur quasi contrahere cum creditoribus ad reddendum unicuique quod suum est, & solvendum quod de bonis defuncti debebatur *l. apud Julianum ff. quibus ex causis in possessionem eatur*, ut notat Castrensis *consil. 259.* quapropter in ipsa aditione hæreditatis jam incipit alienatio, eò quia tunc suscipitur obligatio alienandi adeo ut bona hæreditaria transeant in potestatem hæredis, ut obligata alienationi, proinde non transeunt in dominium Ecclesiæ.

§. V.

An spectato jure novo in alienandis rebus ecclesiasticis requiratur authoritas Romani Pontificis.

1 Diximus, solemnitates in jure præscriptas requiri necessariò ad valorem alienationis rei ecclesiasticæ, & has solemnitates de jure antiquo consistere in his quatuor. Primò, ut à Prælato cum Capitulo, vel clero superare alienanda fiat tractatus, an talis alienatio expediat. Secundò, ut Capitulum consentiat expressè in talem alienationem saltem pro majori, & saniori parte. Tertiò, ut Capitulum subscribat, vel saltem Notarius publicus. Et quartò ut succedat authoritas superioris, qui in non exemptis est Episcopus, & in exemptis Prælatus, cui Ecclesia, vel Monasterium immediatè subest. Modò inquiritur, an de jure novo ad omnem alienationem rerum ecclesiasticarum requiratur authoritas Romani Pontificis, seu consensus, ac licentia sedis Apostolicæ. Id propriè interest discriminis inter authoritatem, & consensum, quia consensus est Prælati inferioris, ut consensus Parochi, Rectoris: authoritas verò est consensus Prælati superioris, ut Episcopi, vel alterius, cui Ecclesia illa subjicitur,

unde consensus in eo, qui ex officio publico præest, vel legitimam administrationem habet, authoritas vocatur; in aliis verò inferioribus Prælatis simplex consensus, ut notat Glossa *in c. 1. V. tractatus h. t. in fi.* Innocentius *ibidem num 3.* ubi ait, consensum esse etiam minorum, sed authoritatem tantùm majorum. Requiritur tamen, ut hujusmodi consensus superioris expresse adjiciatur actui, & in scriptis detur, quia requiritur ad probandam validitatem actûs, ut notat Innocentius *in d. c. 1. n. 5.*

2 Quamvis de jure antiquo nomine superioris intelligeretur proximus superior, ut in alienatione facienda ab Abbate Episcopus *c. Abbatibus 12. q. 2. element. 1. h. t.* imò in alienatione facienda ab Episcopo solus consensus Capituli requireretur *c. sine exceptione q. 2.* hodie tamen de jure novo certo certius est, in omnibus alienationibus rerum ecclesiasticarum requiri consensum summi Pontificis *c. 1. h. t.* & expresse constat *ex extravag. ambitiosæ unic. h. t. inter communes*, in qua Paulus II. expresse prohibet alienationes omnium rerum, ac bonorum ecclesiasticorum; & omne pactum, per quod illorum dominium transfertur, cujusmodi sunt concessio, hypotheca, locatio, & conductio ultra triennium. Unde Pontifex expresse prohibet omnem alienandi speciem, per quam non solùm dominium directum, verùm etiam tantùm utile transfertur, etiam servatis juris solemnitatibus, & in casibus licitis, si hujusmodi alienationes fiant absque expresso consensu summi Pontificis, & tantùm excipiuntur tres casus, quorum primus est locationis, & conductionis intra triennium.

3 Secundus est infeudationis, vel emphyteusis cum tribus conditionibus in casibus à jure permissis, & de bonis ab antiquo solitis dari in feudum, vel emphyteusim cum evidenti utilitate Ecclesiæ: siquidem in Paulina extravagante prohibetur infeudatio, & contractus emphyteuticus præterquam in casibus à jure permissis, & de rebus, ac bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum evidenti utilitate ecclesiarum: & de fructibus ac bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia.

4 Hinc tertius casus est alienationis fructuum, qui servando servari non possunt, ut notat Quaranta *in sum. Bullar. V. alienatio rerum Ecclesiæ num. 5.* unde hæc constitutio Paulina declarat jura antiqua per hoc, quòd dicat, quòd non possit fieri locatio ultra triennium: siquidem declarat *clement. 1. h. t. in fin.* ubi permittitur locatio *ad modicum tempus*, & cum antea hoc modicum tempus extenderetur etiam ad decem annos, ut notat Glossa ibid. ubi ait *modicum tempus* in hoc sunt decem anni, vel judicis arbitrio; nunc verò modicum tempus, ut declaratur *in d. extravag.* non se extendit ultra triennium. Secundò addit antiquis canonibus consensum summi Pontificis, siquidem olim tantùm desiderabatur consensus proximi superioris, ut in alienatione facienda ab Abbate consensus Episcopi, & in alienatione facienda ab Episcopo solus consensus Capituli; nunc verò requiritur expressus consensus Romani Pontificis, & prohibetur, ne quælibet alienationis species fiat inconsulto Romano Pontifice, qui tamen consensus non requiritur in prætecensitis tribus casibus exceptis *in ead. extravag.*

5 Neque per hoc, quòd permittatur alienatio rerum Ecclesiæ in casibus à jure permissis, sequitur, quòd non requiratur consensus Pontificis de necessitate, ut censet Navarr. *in comment. de alien. rer. eccles. num. 2.* & fundatur in eo, quia *in d. extravag.* dicitur alternativè, quòd alienatio facta inconsulto Romano Pontifice sit nullius valoris, vel etiam si facta sit contra tenorem Paulinæ extravagantis, unde è contrario sensu infert, quòd si facta sit alienatio servatâ ejus formâ, suum sortiatur valorem, etiam non petito consensu Papæ; Navarræ etiam adhæret Redoan. *tract. de reb. eccles. non alien. q. 36. n. 3 & sequent.* Verùm hæc interpretatio est omnino contraria praxi, & stylo curiæ Romanæ, ut asserit Quaranta *in sum. Bullar. V. alienatio n. 5.* ubi explicat, verba illa *præterquam in casibus à jure permissis* referri ad verba immediatè præcedentia, scilicet ad infeudationem, & contractum emphyteuticum, ad quæ immediatè sequuntur præfata verba, & ita etiam restringi ad solam infeudationem, & contractum emphyteuticum, ut nullo modo extendantur ad alios contractus in præcedentibus expressos, nimirùm ad concessionem, hypothecam, locationem, conductionem ultra triennium, & hunc esse sensum D. extravag. ex eo videtur perspicuum, quia recensitis contractibus concessionis, hypothecæ, locationis, & conductionis ultra triennium, postea incipit Pontifex aliam periodum, in qua dicit. *Item prohibetur infeudatio, & contractus emphyteuticus præterquam in casibus à jure permissis.* Unde hæc postrema verba tantùm referuntur ad immediatè præcedentia scilicet infeudationem, & contractum emphyteuticum.

6 Idque ex eo firmatur, quia, si in omnibus casibus jure permissis licita esset alienatio, Paulina constitutio nihil operaretur, siquidem etiam de jure antiquo ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, & in casu licito servata juris solemnitate permittebatur alienatio rei ecclesiasticæ, ut desumitur *ex c. nulli 5. h. t.* ubi cùm prohibeantur alienationes rerum immobilium Ecclesiæ Glossa ibidem explicat, talia bona non posse alienari nisi pro utilitate ejusdem Ecclesiæ.

7 Quinimò de jure novo stante Paulina constitutione, & decreto sacræ Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. edito die 7. Septembris 1624. consensus expressus summi Pontificis in ordine ad alienandas res ecclesiasticas est adeò efficax, ut ipse solus sufficiat ad operandam validitatem alienationis, etiam sine reliquis solemnitatibus, idque ob pleniſſimam, quam Romanus Pontifex habet, potestatem disponendi de bonis ecclesiasticis: dummodo consensus Papæ non fuerit subreptitiè impetratus; & Pontifex absolutè, ac legitimè suam authoritatem interposuerit, & alienatio ex certa scientia facta fuerit, ac confirmata, adeo ut Pontifex habuerit veram notitiam totius actus & alienationis.

tionis. Cæterum quamvis consensus Papæ suppleat solemnitates à jure requisitas, non propterea supplet defectum justæ causæ, si enim alienatio non fieret ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, impetratio consensus censeretur subreptitia, quia Pontifex absque justa causa non solet assentiri alienationibus rerum Ecclesiasticarum: unde supponeretur non fuisse causam expressam in supplicatione. Rursus neque consentus Papæ supplet consensum Capitu i, seu majoris partis ejusdem, licèt suppleat tractatum, & consensum superioris, ut notat Quaranta *loc. cit. num. 7.*

8 Præterea in dicta Paulina constitutione Papa innovat decreta, & constitutiones suorum prædecessorum hac super materia, & explicat, alienationem, hypothecam, concessionem, locationem, conductionem, infeudationem factam contra hoc decretum nullum sortiri valorem, unde prohibetur generaliter omnis hypotheca simpliciter, ut notat Quaranta *loc. cit. num.* 17. Id tamen juvat observare, quòd locatio prohibita *in d. extravag.* ultra triennium intelligitur de illis campis, vel fundis, qui singulis annis excoluntur, & quolibet anno ex iisdem fructus colliguntur: alioquin si fundus non esset ita fœcundus, ut singulis annis fructus produceret, sed tantùm alternis, adeo ut primo anno excolatur, & fructus producat, & secundo quiescat; & tertio iterum colatur, & sic successivè, tunc potest locari ad sexennium, quia anni intelliguntur fructiferi, & duo æquivalent uni tantùm, cùm uno anno producat fructus, non verò altero: quòd si fundus ea laboraret sterilitate, ut nonnisi quolibet triennio excoleretur, & fructus daret, tunc posset etiam ad novem annos locari sine licentia Papæ, quia primum triennium æquivalet unico anno fructifero, ita enim explicant d. extravag. Covarruv. *lib. 2. resolut. variar. c. 16. num. 6.* Quaranta *loc. cit. num.* 18. & ratio est, quia lex illa utpote pœnalis non debet extendi ad annos non fructiferos, & quibus ex fundo nulli percipiuntur fructus, sed debet tantùm intelligi de annis illis, quibus fundus colitur, & ex ipso percipiuntur fructus, qui si servando servari non possint, possunt etiam alienari absque consensu summi Pontificis.

Præterea in hac Paulina constitutione imponuntur pœnæ incurrendæ ab alienantibus res Ecclesiasticas inconsulto Romano Pontifice, immo easdem pœnas incurrunt etiam, qui res alienatas accipiunt: habetur enim, ut tam qui alienat, quàm qui alienatas res accipit, sint excommunicati. Et si Episcopus, vel Abbas bona Ecclesiæ alienat inconsulto Romano Pontifice interdicitur illi ingressus Ecclesiæ: & si in tali interdicto obstinatè duraverit per sex menses, eo ipso est suspensus ab omni administratione Ecclesiæ, vel Monasterii in temporalibus, & spiritualibus. Inferiores verò, qui Ecclesias cum cura, vel sine cura habentes beneficia, & bona alienant, sunt ipso facto privati beneficiis, quæ propterea tanquam vacantia possunt aliis conferri, exceptis ipsis privatis; & bona alienata revertuntur ad easdem Ecclesias.

Hinc plures sunt pœnæ impositæ per hanc 10
Paulinam constitutionem; quarum prima est nullitas contractûs; secunda excommunicatio, quâ personæ contrahentes innodantur, sive sint alienantes, sive recipientes res Ecclesiæ: non tamen hæc excommunicatio est reservata: imò etiam ignorantia juris, vel facti ab ipsa excusat, dummodo secum non trahat apertam temeritatem, ut notat Barbosa in Collect *in d extrav n.* 23. Tertia est interdictus ingressus Ecclesiæ ipso jure Episcopis, & Abbatibus, & post sex menses etiam suspensio ab administratione, & regimine, eo ipso incurrenda. Quarta, quia ultra excommunicationem Prælati inferiores, & alii beneficiarii alienantes sine consensu Papæ res Ecclesiæ privantur etiam ipso facto suis beneficiis, quorum bona alienârunt, & quamvis bona alienata restituantur Ecclesiæ, beneficia tamen tanquam vacantia validè aliis conferuntur. Et solùm à prætatis pœnis excusantur qui bona fide res Ecclesiæ alienârunt, idque deducitur ex illo verbo *præsumpserit* quod habetur *in d. extrav.* qui autem bona fide procedunt, non dicuntur præsumere, proinde non censentur incurrere prætatas pœnas. Immo excusantur etiam, qui inconsulto Romano Pontifice res Ecclesiæ alienârunt quidem, sed postea ipsos pœnituit facti, & alienationem revocârunt statim ante realem, & pacificam traditionem bonorum, ut tradit Quaranta *loc. cit. num.* 50.

Excipiuntur tamen à Paulina constitutione 11
aliquot casus. Primò, si necessitas adeo urserit, ut dilationem non patiatur, donec petatur consensus à Papa, tunc enim alienatio, si sit in utilitatem Ecclesiæ, habeátque justam causam, sortitur suum valorem, & contrahentes non incurrunt pœnas impositas *in d. extravag.* Secundò quando quæ alienantur, sunt modici valoris. Verùm videtur in hoc casu aliqua oriri difficultas ob oppositos textus, siquidem *in c. terrulas* 12. *q.* 2. datur facultas Episcopo terrulas, ac vineas exiguas longè positas, & Ecclesiæ minus utiles, si necessitas urserit distrahendi etiam sine consensu Capituli: è converso *in c. ut super* 6. *fin. 10. de reb. eccles.* Pontifex ait: *possessiones, quæ Ecclesiæ minus sunt utiles pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & consensu alienandi, sive commutandi liberam concedimus facultatem.* Videntur enim hi textus invicem pugnare: siquidem *in c. terrulas* datur facultas sine consensu Capituli, & *in c. ut super* requiritur consensus Capituli, vel majoris, ac sanioris partis: quamvis nonnulli respondeant primum textum *in c. terrulas* fuisse correctum per secundum *in c. ut super.* proindè non esse licitum Episcopo res immobiles quamvis exiguas, & modici valoris alienare absque consilio, & consensu Capituli; nihilominus, quia jura juribus quantùm fieri potest, expedit concordare præsertim in dubiis ad evitandam correctionem jurium, ut habetur *in c. cum expedit de elect. in 6.* melius respondet Glossa *in d. c. ut super V. assensu* dicens in tali textu, qui habetur *in c. ut super* sensum esse, ut res, quæ quidem in se sunt utiles, sed tamen minus utiles respectu aliarum, quæ majorem præseferunt utilitatem

litatem non possint ab Episcopo permutari, nisi de consilio, & consensu Capituli: & textum *in c. terrulas* esse intelligendum de venditione, & alienatione rei, quæ in se, & absolutè spectata nullam, vel saltem exiguissimam adfert utilitatem.

12 Putârim tamen juxta hanc explicationem, rem utilem non posse alienari sine consensu Papæ, quia dicitur tantùm minus utilis respectu aliarum, quæ majorem præseferunt utilitatem, quapropter licèt comparativè sint res exiguæ, absolutè tamen, & in se possunt esse non exiguæ, & quæ propterea exigant consensum Papæ juxta constitutionem Paulinam, & decretum editum jussu Urbani VIII.

13 Oritur tamen dubium, an Episcopus, qui juravit se non alienaturum bona ecclesiastica sine consensu Papæ, si justa subsit causa à jure concessa non obstante tali juramento, licitè, & validè alienet. Respondetur, talem alienationem nullum sortiri valorem, & Episcopum esse perjurum, adeo ut alienatio sit invalida jure novo *ex d. extrag. Paulina*, ut tradit Abbas *in c. ut super* 8. *num.* 16. *h. t.* ubi habetur, quòd Episcopus, qui jurat non alienare bona Ecclesiæ, non possit illa alienare, sive sint de mensa Episcopi, sive non: siquidem tale juramentum extenditur etiam ad alienationem alioquin licitam, & jure concessam: alienationes enim, quæ sunt illicitæ jam ex se non debent fieri; proinde non est necesse, ut Prælatus jurec se illas non facturum, quòd enim est illicitum, non potest fieri etiam cum licentia superioris, nisi mutetur circumstantia aliqua, quâ fiat res licita. Præterea quia juramentum debet aliquid operari: & si alienatio non obstante tali juramento adhuc posset fieri in casu licito, & servatâ juris formâ, nihil operaretur, quia alienationes illicitæ etiam independenter à juramento non possunt fieri, unde non prohibentur, quia præcesserit juramentum, sed quia ex se sunt illicitæ: unde juramentum quoad has alienationes illicitas nil operaretur: Rursus, nec quid aliquid operaretur circa licitas, si illæ non obstante tali juramento fieri possent in casu licito, & servatâ juris formâ. Demum quia juramentum, quando sine peccato potest servari, servandum est: atqui juramentum, quo Episcopus jurat se non alienaturum bona Ecclesiæ inconsulto Romano Pontifice, est licitum, & potest servari sine peccato, proinde servandum est.

14 Quamobrem Episcopi à Papa confirmati non possunt alienare bona ecclesiastica in casu alias etiam licito, & servatis solemnitatibus inconsulto Romano Pontifice ob juramentum præstitum in propria consecratione, se non alienaturos quovis modo etiam cum consensu Capituli sui bona Ecclesiæ inconsulto Romano Pontifice. Excipitur tamen casus necessitatis non permittentis moram, ut Pontifex consulatur, ut notat Sylvester *quæst.* 17. ubi addit, hoc esse advertendum pro exemptis habentibus superiorem in remotissimis locis. Neque hoc juramentum de non alienandis rebus Ecclesiæ inconsulto Romano Pontifice se extendit ad emphyteusim, seu ad res ab antiquo in emphyteusim concedi solitas, siquidem iste casus *in d. extravag. Paulina* expresè excipitur; immò excipiuntur etiam bona feudalia non per viam extensionis, sed comprehensionis, eò quia decisiones, quæ loquuntur de feudo, procedunt etiam de emphyteusi, & è contra, quando est eadem ratio, nec contrarium est in jure expressum.

15 Præterea prohibentur etiam sine consensu Romani Pontificis submissiones jurium ecclesiasticorum, vel bonorum immobilium Principibus sæcularibus, vel aliis laicis, ut desumitur *ex c. hoc consultissimo 2. h. t. in 6* & habetur etiam in Concilio Lugdunensi coacto sub Gregorio X. etenim *in d. c. habetur*, Prælati non submittant laicis Ecclesias sibi concreditas, vel eorum bona immobilia, vel jura, cognoscendo se ab illis, tanquam à superioribus ea retinere sine consensu Capituli, & expressa licentia Papæ. Item contractus talium alienationum non habent vim, suntque invalidi. Rursus Prælati contra facientes sunt ipso facto suspensi ab officio, & administratione. Et clerici, qui sciunt aliquod contra esse præsumptum, & negligunt renuntiare superiori, sunt per triennium suspensi à beneficio; siquod in Ecclesia gravata habent. Item laici, qui compellunt clericos ad faciendam talem submissionem, sunt excommunicati, & qui aliquid accipiunt, nisi restituant, & resipiscant, ultra excommunicationem, eorum terræ supponuntur interdicto Judicis. Refert Ancharanus *in c. 2. h. t. in 6.* huic constitutioni occasionem dedisse Prælatos ecclesiarum, qui se quasi opprimi videntes invocabant contra opprimentes nobiles, & potentes laicos, quos constituebant defensores suarum Ecclesiarum, ac bonorum, & jurium earundem: hinc nobiles laici sibi usurpabant jus quoddam dominii, & advocationis in Ecclesias, & earum bona sibi submissa: ad hunc tollendum abusum prohibitum fuit Prælatis Ecclesiarum in Concilio Lugdunensi, ne imposterum suas Ecclesias, vel earundem bona immobilia, & jura submittant laicis.

16 Quamobrem hæc submissio specialiter prohibetur *in d. c. hoc consultissimo 2. h. t. in 6.* adeout sine expressa licentia Romani Pontificis non sit amplius licitum Episcopis submittere talia bona, vel jura Principibus, vel nobilibus laicis; quia licèt talis submissio propriè non sit alienatio, majus tamen in ipsa adest periculum, quàm in ipsa alienatione; cum talis submissio speciem præseferat cujusdam servitutis, ut notat Glossa *hic V. specialis*. Tum quia hujusmodi recognitio est quædam species alienationis, seu est quædam donatio, ratione cujus attribuitur laicis dominium directum in bona ecclesiastica; siquidem potest etiam per solam pactionem, tametsi nulla interveniat traditio, dominium, seu jus reale in alterum transferri. Cæterum quamvis prohibeantur alienari æquè bona mobilia, quæ servando servari possunt, quàm immobilia pertinentia ad Ecclesiam, *in d. c. hoc consultissimo* tantùm prohibetur submissio, quâ bona, vel jura ecclesiastica submittuntur laicis; non tamen comprehenduntur bona mobilia, quia de hisce possunt remunerationes, & dona fieri, dummodo non sit excessus in quantitate.

Rursus

19 Rursus non possunt Prælati Ecclesiarum constituere in perpetuum, neque ad longum tempus laicos patronos suarum Ecclesiarum; siquidem nobiles sæculares sub titulo juris advocatiæ sibi competentis solent Ecclesias, & personas ecclesiasticas gravare, & jurisdictionem sibi arrogare in illas, ut refertur in dicto Concilio Lugdunensi *c. 12. relato. in c. generali 15. de elect. in 6.* ubi excommunicantur, qui jus advocationis in ecclesiis, Monasteriis, aliisque locis piis de novo sibi vendicant, atque ob talem titulum eorum bona præsumunt usurpare. Quamobrem hoc jus advocationis non potest amplius laicis competere, nisi ex ipsa fundatione, quatenus laici sub tali conditione Ecclesias fundârunt, & dotârunt, & tunc non debent abuti tali potestate, nec sibi usurpare, quæ iisdem minimè conveniunt, sed tantùm tenentur Ecclesiam defendere, & satagere, ne bona illius pereant, ac alienentur, ut liquet *ex d. c. generali*, quinimò clerici, si videant Ecclesiam, vel ejus bona illegitimè alienari, vel laicis subjici, tenentur id denuntiare suis superioribus.

20 Non solùm consensus Romani Pontificis jure novo requiritur necessariò in rebus ecclesiasticis alienandis, verùm etiam saltem ex quadam honestate consensus Patroni Ecclesiæ: tametsi non possit hic, quamvis fundator, & dotator fuerit ejusdem Ecclesiæ alienationes impedire, si cum legitima authoritate summi Pontificis fiant. Primò quia jus talium bonorum fuit jam translatum in Ecclesiam, propterea solus superior ecclesiasticus potest de talibus bonis disponere, non verò laicus. Secundò quia cùm tales alienationes non permittantur nisi ex justa causa, scilicet ex necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, adhuc subsistunt invito patrono laico, qui nullam jurisdictionem, aut potestatem habet administrandi res ecclesiasticas *c. 7. caus. 10. q. 1. c. de rebus 22. caus. 12. q. 2. in canon. 57. caus. 16. q. 1.* & tradit Abbas *in c. cum accessissent 8. num. 5.* Excipitur, si fortassis bona Ecclesiæ non fuissent absolutè à patrono laico donata, sed tantùm sub conditione, quòd non possint alienari, & talis conditio fuerit ab initio acceptata ab Ecclesia, tunc enim sine ejus consensu non possent alienari: ut nec etiam si tantùm in feudum concessa fuissent, quia Ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ quoad bona, & jura feudalia subjiciuntur jurisdictioni domini directi ipsius feudi *c. ex transmissa 6. c. verùm 7. de for. compet.*

§. IV.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an Prælatus possit pecuniam numeratam liberè, & sine solemnitate expendere? Respondetur cum distinctione, si enim talis pecunia sit in notabili quantitate, & destinata vel ad emenda bona immobilia, vel ad ædificandam Ecclesiam, tunc quia accensetur bonis immobilibus, non videtur pecunia posse alienari absque justa causa, & debitis solemnitatibus; sicut à pari ob eandem rationem tutor alicujus pupilli ex pecunia destinata ad comparanda bona immobilia non potest nec sibi, nec aliis debita solvere *text. in l. 3. §. quid ergo ff. de contrah. ait. tutor.* hoc idem procedit etiam de summa pecuniæ ab antecessore relicta, & specialiter deputata pro gravissimis futuris necessitatibus. Sin verò pecunia numerata non sit in notabili quantitate, nec destinata ad bonum immobile emendum; communis sententia est, quòd possit liberè, & sine solemnitate à Prælato expendi, quia tunc pecunia comparatur rebus, quæ servando servari non possunt; & cum usus pecuniarum sit, ut expendatur juxta occurrentes necessitates, ideò potest talis pecunia à Prælato liberè, & sine solemnitate expendi.

2 Quæritur secundò, an pecunia suscepta ex redemptione censûs Ecclesiæ distrahi possit sine facultate apostolica, ac consensu Romani Pontificis? Etenim videtur talis pecunia non comprehendi sub bonis prohibitis alienari *per Paulinam extravag. ambitiosæ*: siquidem non comprehenditur sub bonis immobilibus, quia tametsi ex tali pecunia possint emi bona immobilia, non tamen ipsa dicitur res immobilis, ut communiter docent juris periti *in l. moventium ff. de verb. significat. in l. cætera §. sed si paraverat. ff. de legat.* & docent Mantica *de conjecturis ult. volunt. lib. 9. tit. 3. num. 3.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 138. num. 3.* Riccius *in praxi aurea p. 1. resolut. 67. num. 2.* Tiraquel. *de retract. §. 1. Gloss. 7. num. 102.* siquidem bona mobilia ea tantùm dicuntur, quæ sui natura de loco ad locum moveri possunt *l. à d. Pio §. in venditione ff. de verb. signif.* Menoch. *consil. 407. num. 6.* Tuschus *litt. B. conclus. 103.* cùm igitur pecunia sit mobilis de loco ad locum, non debet accenseri rebus immobilibus, proinde ex hoc capite non videtur comprehendi in bonis prohibitis alienari in Paulina constitutione. Rursus neque videtur comprehendi sub bonis mobilibus pretiosis, eò quia non sit de iis, quæ servando servari possint, pecunia enim ex natura sua non servatur, sed expenditur in usus proprios Panormit. *in c. nulli n. 11. de reb. eccles. non alienand.* Quaranta *in sum. Bullar. V. alienatio num. 25.* Riccius *in praxi aurea p. 1. resolut. 47. num. 3.* ubi plures alios citat: siquidem est pecunia ex natura sua consumptibilis in quotidianos usus, consequenter non potest accenseri iis rebus, quæ servando servari possunt. Et quamvis suscepta fuerit talis pecunia ex redemptione censûs, adhuc videtur computari inter bona mobilia, ut notat Tiraquel. *de retract.* Lignag. *in fin. tit. q 3. num. 14.* ubi plures citat, quia pecunia sive extrahatur ex venditione rei, sive ex redemptione censûs, nunquam exuit suam naturam, proinde semper remanet consumptibilis in quotidianos usus, ac propterea semper numeratur inter res, quæ servando servari non possunt.

3 Nihilominus dicendum est, pecuniam susceptam ex redemptione censûs Ecclesiæ accensendam esse rebus immobilibus ejusdem, propterea non posse alienari sine requisitis jure so-

lemnitatibus, & comprehendi ſub bonis prohibitis alienari in Paulina conſtitutione ut docent Quaranta *in ſum. Bullar. V. alienatio. n.* 25. Pasqualig. *de reb. eccles. non alienand. q.* 16. *n.* 13. Rota *in una Veneta nullitatis contractus* 13. *Novemb.* 1602. *coram Pamphilio*, quia tametſi pecunia ex natura ſua non ſit res immobilis, ſi tamen deſtinetur emptioni rei immobilis, computatur inter bona immobilia, ut docent Bald. *in l. etiam C. de fideicommiſſ. & conſil.* 14. *lib.* 2. Firman. *tract. de gabel. p.* 2. *c.* 8. *princ. V. propterea* Roman. *conſil.* 188. *dub. ult.* Tiraquel. *de retract. lignag.* §. 1. *Gloſſa* 7. *num.* 106. Menoch *conſil.* 114. *num.* 32. Redoan *de reb. eccles. non alienan. q.* 16. *num.* 13. & deſumitur *ex l. à d. Pio* 8. *in fin.* §. *fin. de re judic. & l. quid ergo ſi de re ff. de contract. tutor. & util act.* ubi ſuponitur, quòd pecunia pupilli deſtinata ad emendum prædium non poſſit alienari absque præſcripta jure ſolemnitate: atqui hæc ſolemnitas non poteſt alia ratione requiri, niſi quia talis pecunia accenſetur bonis immobilibus, idque ex eo etiam evinci poteſt, quia res vendita, vel cenſus redemptus repræſentatur in illa pecunia ſuſcepta ex tali redemptione cenſûs *l. quia qui pretio. ff. de uſufruct. & quemad. quis utat. fruat.* etenim pecunia ſemper ſubſtituitur pro re, cum qua fit commutatio, proinde licèt ex natura ſua ſit mobilis, & conſumptibilis in quotidianos uſus, induit nihilominus conditionem rei inalienabilis, perinde ac ſi foret immobilis, ob eam præcisè rationem, quia ſuccedit loco rei immobilis, cui eſt pretium *argum. ex l. ita conſtante* §. *de jure dotium* ut notant juris periti *l. fin. ejusd. tit. & in c.* 1. *caus.* 12. *q.* 3. & quod ſubſtituitur loco alterius, induit conditiones illius *l ſi eum* §. *quid injuriarum ff. ſi quis caut.* ergo talis pecunia deſumpta ex redemptione cenſûs, cùm ſubſtituatur loco cenſûs contrahit conditiones ejusdem cenſûs: atqui hic procul dubio comprehendebatur ſub bonis prohibitis alienari in Paulina conſtitutione: ergo etiam ipſa pecunia debet comprehendi ſub iisdem bonis prohibitis alienari.

4 Tum quia ut rectè notat Pasqualig. *loc. cit.* in omnibus principium, & finis debent attendi, ſiquidem actus, & res ex ſuo principio judicantur *l. Pomponius ff. de negot. geſt. l. ſi Procuratorem ff. mandat. l. nam origo ff. quod vi & clam*, etenim principium ingreditur ſubſtantiam principiati, cùm ſit initium ejusdem, ut tradunt Oldrad. *conſil.* 200, & Tuſchus *litt. P. conclus.* 702. *num.* 1. Finis etiam ut menſura, & forma determinans oſtendit quales res cenſendæ ſint *l. ſed, & ſi quid* §. 1. *ff. de uſufruct. & c. fraternitatis* 5 *fin. de frigidis, & maleſic.* cùm igitur prædicta pecunia ſuſcepta ex redemptione cenſûs initium ducat ab immobili, cujusmodi eſt cenſus, vel ſaltem à re inalienabili absque debitis ſolemnitatibus; & rurſus eadem pecunia convertenda ſit in bonum Eccleſiæ, ſeu in rem immobilem, quæ ſit eidem utilis, debet etiam ex menſura principii, & finis cenſeri inalienabilis ſeorſim à præſcriptis jure ſolemnitatibus, quia eſt etiam de ipſa judicium ferendum, ſecundùm ejus principium, & finem, quod eſt quid inalienabile. Tum quia pecunia ſuſcepta ex tali redemptione cenſus non accenſetur fructibus Eccleſiæ, ſed proprietatibus ejusdem, proinde ut incorporata Eccleſiæ eſt deſtinata ad fructificandum in utilitatem ejusdem: pertinet enim ad dotem ejusdem Eccleſiæ, & debet ſervari in ordine ad finem, pro quo eſt deſtinata, proinde ad fructificandum pro utilitate Eccleſiæ.

Neque obſtat, quòd Prælatus dicatur poſſe 5
diſponere de fructibus Eccleſiæ *element. 1. in fin. de reb. eccles.* ut tradit Gloſſa *in c. fin. 5. q. 3.* quia licèt id verum ſit, non tamen poteſt diſponere de proprietatibus ejusdem Eccleſiæ, & pecunia illa ſuſcepta ex redemptione cenſûs accenſetur proprietatibus, non fructibus Eccleſiæ, proinde non poteſt de illa Prælatus eccleſiaſticus diſponere ſine ſolemnitatibus jure præſcriptis: ſicut enim Prælatus non potuiſſet alienare cenſum ſine præſcriptis jure ſolemnitatibus; ita nec poteſt pecuniam ſuſceptam ex tali alienatione ſine præſcriptis jure ſolemnitatibus alienare, quia talis pecunia ſubrogatur loco cenſûs, cùm ſuccedat loco illius.

Quæritur tertiò, an ſaltem pecunia ſuſcep- 6
ta ex redemptione cenſûs poſſit ſine ſolemnitatibus jure præſcriptis impendi ad extinguenda debita, quibus Eccleſia ære alieno gravatur? Communior, & tutior ſententia eſt, hujusmodi pecuniam non poſſe impendi ad extinguenda debita ejusdem Eccleſiæ, ut docent Redoan. *de rebus eccles. non alienand. q.* 16. *num.* 15. Pasqualig. *loc. cit. q.* 174. Berojus *in c. nulls n.* 83. *de reb. eccles. non alien.* Riccius *in praxi. aurea. p.* 1. *reſolut.* 70. *num.* 3. quia talis pecunia ſubrogatur ipſi cenſui, cùm enim ſit ejus pretium, ſuccedit loco illius *argum. ex l. ita conſtante. ff. de jure dotium.* unde ſicut non potuiſſet cenſus ſine ſolemnitatibus jure præſcriptis alienari pro extinguendis debitis ejusdem Eccleſiæ: ita neque ipſa pecunia, quæ ſubſtituitur loco cenſûs *argum. ex l. ſi pupillorum* §. *ſi prætor. ff. de reb. eor.* Ut enim notat Pasqualig. *loc. cit.* quoties jura exigunt cauſam aliquam, ut aliquid aliàs prohibitum concedatur, neceſſe eſt ut cauſa in ſpecie approbetur à ſuperioribus, ut de ipſa juridicè conſtet: ſiquidem debet innoteſcere ſuperioribus, quòd ſit cauſa requiſita à lege, & hoc non poteſt innoteſcere niſi per prævium examen, quo talis cauſa diſcutiatur: hinc ſtylus curiæ Romanæ eſt, ut quoties petitur facultas alienandi res eccleſiaſticas ob aliquam cauſam ſemper delegetur aliquis vir prudens, qui in loco cognoſcat ſuper tali cauſa: & quando agitur de debitis extinguendis, difficulter habetur cauſa ſufficiens, niſi aliqua neceſſitas ſummè urgeat, quia ſemper poteſt ſolvi annuum intereſſe: & quando extinctio debiti non urget, neque adeſt neceſſitas alienandi, quæ ſola conſtituit licitam alienationem.

Addendum eſt, quòd licèt jura permittant 7
alienationem rerum eccleſiaſticarum interveniente neceſſitate; non tamen concedunt, quòd fiat ſine ſolemnitatib⁹ jure præſcriptis, ſed ſolùm permittunt non ſervari has ſolemnitates, quando neceſſitas ita urget, ut non patiatur, eas ſervari,

vati, Abbas *in c. fin. de eccles. ædific. & reparand.* Redoan. *de reb. eccles. non alienand. q. 19. n. 34.* & desumitur *ex c. placuit 12. q. 2.* tum quia quando ob necessitatem permittuntur res Ecclesiæ alienari, debet hujusmodi necessitas esse evidens, adeo ut non sufficiat qualiscunque necessitas *c. 1. de rebus eccles. non alienand. in 6.* Coverruvias *lib. 2. variar. resolut. c. 16. n. 8.* proinde debet per prævium examen cognosci super necessitate alienandi res Ecclesiæ, & debet etiam examinari, quæcunque alia causa, ut constet, an revera sufficiens sit: hoc autem examen non potest fieri sine solemnitatibus jure requisitis, proinde sine istis non potest pecunia Ecclesiæ suscepta ex redemptione censûs impendi in extinguendis debitis ejusdem Ecclesiæ; ad id enim requiritur necessariò authoritas sedis apostolicæ, seu consensus Papæ ex Paulina constitutione. Hinc infertur, non posse notabilem summam pecuniæ destinatam pro emendis bonis immobilibus, aut mobilibus pretiosis impendi pro emendis mobilibus usualibus, & quæ usu consumuntur: ratio est, quia tunc talis pecunia ratione finis, ad quem destinatur, accensetur rebus immobilibus, quæ sicut sine solemnitatibus jure præscriptis, non possunt alienari, ita neque talis pecunia, ut tradit Barbosa *de potest. Episc. p. 3. allegat. 95. n. 40.*

8 Quæritur quartò, an Prælatus per viam transactionis possit sine solemnitatibus jure præscriptis desistere à lite instituta super re immobili inter Ecclesiam, & extraneum? Ad solvendam hanc quæstionem procedendum est cum distinctione: vel enim Ecclesia est in possessione rei litigiosæ, vel possessio est penes extraneum, & Ecclesia sustinet personam actoris: si Ecclesia est in possessione rei litigiosæ, & per transactionem deberet adversario dimitti res immobilis, tunc Prælatus non potest per viam transactionis absque solemnitatibus jure præscriptis desistere à lite, quia esset saltem alienatio ipsius possessionis: secus si Ecclesia non sit in possessione rei, & in judicio sustineat personam actoris, tunc adhuc est distinguendum: si Ecclesia habet jus in re illa, quæ propterea iniquè, & violenter detinetur à laico, non potest à tali lite desistere, quia id perinde esset, ac alienare jus, quod Ecclesia habet in tali re: Sin verò sit tantùm jus ad rem, & hoc adhuc dubium, tunc cùm non possideatur, potest per viam transactionis Prælatus à tali lite desistere; quia non intervenit tunc alienatio, quia tale jus est tantùm ad rem, quod non supponit possessionem rei, & etiam est jus dubium, quod nec propriè possidetur, proinde potest Prælatus tunc à lite per viam transactionis desistere absque solemnitatibus jure præscriptis.

9 Quæritur quintò, an alienatio rei immobilis, & prohibitæ alienari in constitutione Paulina possit ab una Ecclesia alienari in aliam, adeo ut dominium talis rei semper remaneat in Ecclesia generatim sumpta, & tantùm transeat de una speciali in aliam? Plures affirmant cum Barb. *in collect. ad c. 1. de reb. eccles. non alien.* per textum *in c. 1. h. t.* cui adhæret etiam Riccius *in praxi aurea p. 1. resolut. 35.* ubi asserit, talem esse praxin Romanæ curiæ; addit rationem, quia finis prohibitionis de non alienandis bonis Ecclesiæ fuit, ut consuleretur indemnitati ejusdem secundùm Monald. *cons. 91. num. 1. vol. 1.* & Ecclesia ibi accipitur pro universali non cujuscunque particularis: hinc si una particularis Ecclesia alienet bona immobilia sæcularibus, id cedit in præjudicium Ecclesiæ universalis: at si una particularis Ecclesia alteri alienet, tunc nullum infertur damnum Ecclesiæ universali, quia semper bona alienata remanent intra universalem Ecclesiam, cujus particulares sunt membra: unde nihil tunc universali Ecclesiæ deperit, si bona ecclesiastica modò sint sub invocatione unius, & nunc sub invocatione alterius, quia semper sunt sub dispositione ipsius Ecclesiæ universalis. Licèt hæc sententia plurimum habeat probabilitatis, non tamen in praxi servatur in Romana curia, ut notat etiam ipse Riccius *loc. cit.* siquidem praxis curiæ Romanæ est, ut non admittantur alienationes bonorum immobilium, tametsi eorum dominium transferatur in aliam Ecclesiam, nisi consentiente summo Pontifice.

Nihilominus licèt hæc sententia juxta praxim curiæ Romanæ tenenda sit, si tamen in partibus extra Italiam esset consuetudo, ut ratione utilitatis, vel necessitatis, tales alienationes de una Ecclesia in aliam fierent; vel etiam ob majus commodum utriusque Ecclesiæ, ut si Ecclesia Frisingensis haberet prædium in diœcesi Bambergensi, & è converso prædium æqualis pretii Ecclesia Bambergensis haberet in diœcesi Frisingensi, tunc esset commodum utrique Ecclesiæ possidere prædium suum in propria diœcesi, & si talis permutatio fieret inconsulto summo Pontifice, eò quia in Germania mos sit, has alienationes, seu permutationes instituere, tunc non censerem improbabile, talem permutationem validam fore: quia finis prohibitionis de non alienandis rebus Ecclesiæ est, ut consulatur indemnitati Ecclesiæ universalis; & in hoc casu non solùm consulitur indemnati Ecclesiæ universalis, sed etiam Ecclesiarum particularium, cum talis permutatio cedat in commodum utriusque Ecclesiæ permutantis, nec una quidquam deperdat, quod antea habuerit, cùm prædia permutata supponantur ejusdem valoris. Tum quia *ex c. 2. de rebus eccles. in 6. & extravag. eod. tit.* infertur, consensum Pontificis principaliter requiri, quando agitur de alienationibus rerum ecclesiasticarum, quæ fiunt laicis; ideo enim hujusmodi alienationes prohibentur, ut consulatur indemnitati Ecclesiæ, & ne res Deo dicatæ applicentur ad profanos usus. Quòd si in tali permutatione una Ecclesia læderetur, deberet in integrum restitui contra aliam, quia inter privilegiatos melior est etiam conditio illius, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando *c. audilis* ubi Panormit. *n. 8. de in integr. restitut. l. verum 11. §. item quæritur 6. ff. de minor.*

10

11 Quæritur sextò, an si emptor alicujus rei ecclesiasticæ sine solemnitatibus jure præscriptis alienatæ, velit eam ultrò restituere eidem Ecclesiæ, teneatur hæc illam acceptare, si malit

contractum per adhibitionem solemnitatum confirmare? Respondet Zoësius hic *num.* 23. non posse contractum ex postfacto confirmari absque utriusque partis nova voluntate *argum. §. tutor. autem instit. de author. tutor.* ex quo infert, quòd, quæ sunt de solemnitate actûs, non possint ad convalidandum actum ex postfacto intervenire. Communior tamen, & verior sententia est, contractum illum ab Ecclesia sine solemnitatibus jure præscriptis factum esse tantùm nullum in favorem Ecclesiæ, hoc est in casu, quo Ecclesia velit contractum illum impugnare: sicut si pupillus sinè consensu tutoris cum alio contrahat, qui cum pupillo contrahit, utique obligatur stare contractui, si pupillus, & ejus tutor velint eidem stare; non ita obligatur pupillus ad standum contractui, à quo propterea, si velit, potest recedere, eò quia fuerit initus sine consensu tutoris *princ. instit. de author. tutor.* ita si Ecclesia contrahat sine solemnitate Pontificis, tenetur is, cum quo contraxit, stare contractui, si postea Ecclesia, & Pontifex simul velint eidem stare, non ità tenetur Ecclesia stare tali contractui, si Pontifex nolit; hinc si Ecclesia malit contractum confirmare per ratihabitionem superioris, eò quia cedat in utilitatem Ecclesiæ, id permittitur, & textus est clarus unà cùm Glossa *in c. si qua de rebus 12. q. 2.* & tradit Panorm. *in c. diversis de clerit. conjug. in 6.* Rursus ratihabitio etiam retrotrahitur, & comparatur mandato *c. 10. de R. J. in 6.*

12 Neque ullum facessit negotium textus *ex §. tutor autem*, ubi dicitur, quòd authoritas tutoris in ipso contractu pupilli non post longum tempus intervenire debeat: quia argumentum à pupillo ad Ecclesiâ tantùm procedit in favorabilibus, quando circa Ecclesiam non habetur alia dispositio juris; non ita procedit in iis, quæ Ecclesiæ essent oneri, ut habetur *in d. c. si quâ de rebus 12. q. 2.* Rursus authoritas Pontificis circa alienationem rerum ecclesiasticarum non solùm comparatur authoritati tutoris, sed etiam decreto Prætoris circa alienationem rei pupillaris; & hoc decretum posse ante; & post factum intervenire asserit Honorius *d. tit. de reb. eccles. non alienand.*

13 Quæritur septimò, an Prælatus possit alienare bona Ecclesiæ pro donatione remuneratoria? Certum est, quòd licèt prohibeatur donatio, non tamen prohibetur remuneratio, seu donatio remuneratoria, ut dèsumitur *ex l. metum §. sed licèt ff. de eo quod metus causa*, & tradunt Tiraquel. *in l. si unquam V. donatione largitus C. de revocan. donat.* Alciatus *in l. creditores ff. de verb. significat.* siquidem donatio remuneratoria propriè non est donatio, quia non est ex liberali voluntate, sed ex debito ob beneficium præstitum ab alio, cui propterea debetur remuneratio *l. sed & si lege §. consuluit ff. de petit. hared.* donatio enim remuneratoria est potiùs quædam permutatio, quâ beneficium præstitum mutatur cum tali remuneratione, ut habetur *in l. si pater. §. fin. ff. de donat. l. aquilius regulas ff. de donat.* ubi remuneratio dicitur non esse merè donatio, sed merces remuneratoria, proinde non videtur comprehendi sub donatione, quando hæc prohibetur; quia cum prohibitio sit odiosa, est restringenda ad donationes, quæ propriè sunt tales, seu quæ fiunt ex sola liberali voluntate, non verò debet extendi ad remunerationem, quæ fit ex debito contracto ob susceptum beneficium.

Hinc quando Clemens VIII. prohibuit Regularibus largitiones munerum sacra Congregatio Concilii ad id specialiter deputata ab Urbano VIII. declaravit, hanc prohibitionem non comprehendere donationem remuneratoriam; quam declarationem etiam confirmavit Urbanus VIII. in sua *constitutione §. 1.* An verò pro donatione remuneratoria possint alienari bona ecclesiastica, quæ aliàs vigore Paulinæ constitutionis sunt prohibita alienari, aliqui affirmant. Jason. *consil. 122 lib. 3.* Castrens. *consil. 74. lib. 1. & in l. jubemus post init. C. de sacro sanct. eccles.* Puteus *decis. 394. num. 1.* ubi tamen limitat, dummodo hæc donatio remuneratoria non sit excessiva, & si sit de re immobili, sit temporalis, non perpetua, hisce adhibitis circumstantiis dicunt, posse Prælatum bona Ecclesiæ pro donatione remuneratoria alienare, etiam sine solemnitatibus jure præscriptis, eò quia talis alienatio non sit in præjudicium Ecclesiæ, sed tantùm ad extinguendum debitum ab ipso contractum. 14

Nihilominus communior, ac vera sententia est, talem alienationem esse contra *constitutionem Paulinam ambitiosè de reb. eccles. non alien.* proinde non esse validam: & ratio est perspicua, quia *in d. extravag. ambitiosa* non solùm prohibetur alienatio liberalis, verùm etiam quæ fit titulo remunerationis, & quæcunque alia species alienationis; imò etiam locatio ultra triennium, quapropter cùm prohibeatur quæcunque alienatio, prohibetur etiam donatio hæc remuneratoria, cùm per illam bona Ecclesiæ alienentur. Tum quia in alienatione rerum ecclesiasticarum requiruntur copulativè utilitas simul, & solemnitas, adeo ut una sine alia non sufficiat ad valorem alienationis, sed debeant esse simul utilitas, & solemnitas, ut desumitur *ex c. sine exceptione 12. q. 2. c. nulli de reb. eccles. non alienand.* & notat Covarr. *lib. 2. variar. c. 17. num.* ubi plures refert doctores, & Rotæ coram Coccino *decis. 34. num. 3. & decis. 58. num. 11. p. 4. recent. & in causa dismembrationis 14. Februar. 1594.* coram Pamphilio, proinde requiruntur simul copulativè ad validitatem alienationis rei ecclesiasticæ utilitas Ecclesiæ, & solemnitas, seu authoritas Pontificis: ergo etiam in donatione remunerativa, quia per hanc res Ecclesiæ etiam alienatur, immo videtur à fortiori in hac alienatione magis requiri authoritas Papæ, cùm non ita facilè salvari in ea possit utilitas Ecclesiæ, quæ principaliùs est attendenda, adeo ut solemnitates inventæ sint, ut excludantur alienationes inutiles, & ad justificandas utiles; unde cum in donatione remuneratoria difficulter reperiatur utilitas Ecclesiæ, magis indiget authoritate sedis Apostolicæ, quam aliæ alienationes, quæ fiunt per permutationes. 15

Quæritur octavò, an clerici Regulares Theatini possint alienare hortum, vel partem ejus- 16

dem

dem, aut locum aliquem annexum domui eorundem clericorum, sive sit aula exterior, sive sit impluvium, sive cavum medium, vel locus alius, dummodum antea fuerit incorporatus domui eorundem clericorum? Ratio dubitandi est, quia clerici Regulares Theatini possunt vigore suorum privilegiorum inconsulto summo Pontifice alienare bona immobilia, quamdiu institutum servaverint ea non possidendi, & ita declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum: unde videntur posse Clerici Regulares alienare prærecensita loca annexa, seu incorporata eorum domui, vel horto, quia accensentur bonis immobilibus. Tum quia clerici Regulares stante eorum instituto de non possidendis bonis immobilibus non comprehenduntur sub prohibitionibus comprehensis in Paulina constitutione, nec in decreto emanato à sacra congregatione jussu Urbani VIII. Sed tenendum omnino est, non posse Clericos Regulares Theatinos alienare prætata loca annexa eorum domui, vel horto; ratio est, quia declaratio sacræ Congregationis, quâ Clerici Regulares, quamdiu eorum institutum retinent quoad bona immobilia alienanda, non comprehendantur in prohibitione edita de rebus ecclesiasticis non alienandis, non tamen hæc declaratio, nec eorum privilegium se extendit ad ipsum Monasterium, neque ad ullam partem ejusdem, sive sit impluvium, sive aliqua exterior aula, neque ad eorum hortum, aut partem ejusdem, si hortus fuerit incorporatus Monasterio.

17 Ratio est, quia eatenus Clerici Regulares non comprehenduntur sub prohibitionibus prædictis, quatenus possidere bona immobilia, repugnat instituto eorundem, proinde concessa ipsis fuit facultas alienandi bona immobilia pro conservatione proprii instituti; unde eorum privilegium tantùm extenditur ad illa bona immobilia, quæ repugnant eorum instituto: siquidem in iis duntaxat militat ratio legis, quæ est non possidere bona immobilia fructifera, & è quibus singulis annis suscipiuntur proventus certi; cessante autem hac ratione, seu fine legis, cessat etiam ejus dispositio *l. in omni ff. de adoptione l. quod dictum ff. de pact. l. adigere §. quamvis ff. de jure patron.* Cùm institutum clericorum Regularium sit, non habere annuos proventus, ideo prohibentur possidere illa tantùm bona immobilia, è quibus annui reditus suscipiuntur, proinde est ipsis concessum talia bona immobilia posse alienare etiam inconsulto summo Pontifice, licèt id prohibeatur aliis Regularibus: atqui impluvium, vel aliqua alia pars pertinens ad Monasterium, cui incorporatur, non est bonum immobile, quod fructificet annuum reditum, proinde declaratio sacræ congregationis non se extendit ad hujusmodi loca incorporata Monasterio, quia non repugnat Theatinorum instituto habere Monasteria propria cum omnibus suis commodis, & hortos annexos iisdem, immo id est secundùm eorum institutum, proinde est diversa ratio de impluvio incorporato Monasterio, ac de cæteris bonis immobilibus, ut rectè notat Pasqualig. *in quæst. moral. canon. centur. 2. q. 173. num. 8.*

18 Quæritur nonò, an Clerici Regulares Theatini possint alienare mobilia pretiosa inconsulto Romano Pontifice? Respondetur negativè, eò quia talis sit praxis, & consuetudo in eadem congregatione, ut res pretiosæ, quamvis mobiles non alienentur sine prævio consensu Pontificis, praxis autem, & consuetudo est optima legis interpres *c. dilectus de consuetud. clement. exivi. Item quia de verb. signif. l. minimè, & l. interpretatione ff. de legibus.* Tum quia observantia, seu consuetudo non alienandi bona mobilia pretiosa sine consensu Romani Pontificis constituit jus *l. de quibus ff. de legit. l. nulli ff. quod cujusque univers. l. observare §. 5. ff. de officio Proconsul.* Ratio itidem, cur declaratio congregationis non comprehendat mobilia pretiosa, est, quia cùm hæc non fructificent annuos reditus, & inserviant ornatui Ecclesiæ, sintque immediatè addicta cultui divino, non sunt contrà eorum institutum: præsertim cùm dicti Clerici Regulares Theatini ubique locorum profiteantur cultum ecclesiarum perquàm pretiosum, adeo ut eorum Ecclesiæ abundent aulæis pretiosioribus, vasis argenteis, & aureis, candelabris itidem argenteis, statuis, & alia pretiosa supellectili: hinc tantùm abest, quòd hujusmodi mobilia pretiosa adversentur eorum instituto, ut potiùs sint juxta ipsum, & quia vigore privilegiorum, & declarationis factæ congregationis, ideo permittuntur alienari bona immobilia, quia cùm sint fructifera, ac producant annuos reditus, sunt contrà eorum institutum, ideo cessat ratio, & est diversa itidem ratio de bonis immobilibus, ac de mobilibus pretiosis, unde debet induci etiam diversa juris dispositio *l. inter stipulantem §. sacram. ff. de verb. obligat. & l. fin. ff. de ritu nuptiar. l. si ita ff. de manumiss. test.* ex quibus, & aliis juribus colligitur, quòd, ubi ratio est diversa, juris dispositio debet itidem esse diversa. Tum quia declaratio sacræ congregationis non comprehendit mobilia pretiosa, quorum nec fit ulla mentio, sed solùm immobilia: unde non possunt hæc extendi ad mobilia pretiosa, nisi vel extensione comprehensiva ex identitate rationis, & tunc habetur, quando necessitas urget, ut fiat talis extensio; vel majoritate rationis, vel extensione ampliativa ob similitudinem, adeout debeat intervenire ratio similis, vel major in casu, ad quem lex extenditur, quia si ratio sit diversa, vel contraria, non potest fieri extensio, quia diversa ratio diversam exigit juris dispositionem *l. servus ff. de statu liber. & l. si ita ff. de manumiss. testam. & l. inter stipulantem §. sacram. ff. de verb. significat.* unde cùm ratio alienandi bona immobilia sit omnino diversa à ratione mobilium pretiosorum, eò quia illa sint contra institutum, & hæc juxta illud, sequitur evidenter, non valere pro utrisque bonis mobilibus pretiosis, & immobilibus eandem juris dispositionem.

19 Hinc in dicta declaratione conceditur specialiter alienatio immobilium, quæ in specie nominantur, non autem fit ulla mentio de mobilibus pretiosis, unde quoad hæc remanet in

suo robore jus commune, seu prohibitio alienandi mobilia pretiosa ecclesiastica inconsulto Romano Pontifice. Siquidem quando in nova dispositione casus omittitur, relinquitur juri antiquo *l. si verò §. de viro ff. soluto matrimonio l. commodissimè ff. de liber. & posth.* atqui in declaratione sacræ congregationis, quæ fuit nova dispositio, tantùm disponitur de rebus immobilibus, non verò de mobilibus pretiosis, quia de illis tantùm, & non de istis fit mentio: ergo hæc relinquuntur dispositioni juris antiqui, hoc est sub prohibitione alienationis.

20 Quæritur decimò, an Regulares possint ex pecunia iis relicta pro missa perpetua fundare censum super Monasterio, aut horto inserviente eidem? Respondetur, non posse Regulares talem censum fundare super Monasterio, vel horto, idque expresè prohibetur in decretis à sacra congregatione Concilii editis jussu Urbani VIII. sub die 22. Junii 1625. in quibus declaratur, quòd pecunia, & bona mobilia ab ecclesiis acquisita cum onere missarum perpetuarum debeant converti in bona immobilia fructifera, & non simpliciter, sed cum expressa mentione oneris; unde talis census sic fundatus esset in fraudem legis: siquidem ille violat per fraudem leges, qui in cortice, seu quoad apparentiam servat legem, & revera operatur contra mentem, & intentionem legis: siquidem ut habetur *in l. contra ff. de legib. ille fraudem fecit, qui salvis verbis legis mentem ejus circumvenit.* atqui mens pontificiæ constitutionis, & finis ejusdem fuit, ut pecuniæ illæ relictæ pro missis perpetuis celebrandis applicarentur in bona immobilia fructifera, ut annuatim percipererentur fructus, ex quibus singulis annis sacerdotes perciperent congruum emolumentũ pro missis celebrandis, hic enim propriè fuit finis talis constitutionis, ut onus annuum missarum singulis annis congruo emolumento compensaretur, hoc enim secluso, & cessante, negligitur, celebratio missarum: atqui, si census fundaretur super Monasterio, aut horto inserviente eidem, onus annuum missarum non compensaretur singulis annis congruo emolumento, proinde census ille esset contra mentem, & intentionem pontificiæ constitutionis. Rursus cùm in prædicta constitutione præcipiatur, quòd pecuniæ illæ convertantur in bona immobilia fructifera, id intelligitur de bonis fructiferis actualiter, & ex quibus quot annis percipiantur tot fructus, qui sufficiant pro congruo emolumento ad compensandum onus annuum missarum celebrandarum: & non ita se haberet talis census fundatus super Monasterio, vel horto inserviente eidem, quia per talem censum non compensaretur singulis annis congruo emolumento onus annuum missarum celebrandarum: siquidem Monasteria Regularium non dicuntur bona immobilia fructifera, quia non sunt destinata ad fructificandum mediante locatione, sed tantùm inserviunt pro habitatione Religiosorum: & illa bona tantùm dicuntur fructifera, quæ destinata sunt ad fructificandum, & solent fructus afferre: alioquin frustranea esset illa potentia, quæ non reduceretur ad actum, *l. Ita enim §. si frater. ff. de suspect. tutor. l. multum interest c. si quis alteri, vel sibi:* & quando bona immobilia non reducuntur ad fructificandum actualiter, habentur actualiter pro non fructiferis; siquidem esse sine effectu, & non esse, paria sunt, ut tradit Surdus *decis. 51. num. 31. & sequent.* Tum quia bona immobilia non possunt dici solita fructificare, nisi pluries fructum attulerint *argum. ex c. pavonum instit. de rerum division. & l. lege. §. igitur. ff. de verb. signif.*

Neque obstat, si dicas, censum fundatum su- 21
per horto inserviente Monasterio esse fundatum super bonum immobile fructiferum, eò quia hortus producat fructus Monasterio. Contra est, quia ex tali horto non possunt singulis annis tot fructus percipi, qui congruo emolumento compensent onus annuum missarum celebrandarum, præsertim si hæ missæ plures fuerint, & fructus horti, si omnes venderentur, non possent sufficientem eleemosynam pro missis illis dare. Præterea hortus annexus Monasterio non habetur pro bono immobili fructifero juxta præsens institutum, etenim fratres Minores juxta ipsorum regulam nequeunt possidere bona stabilia fructifera, nec annuos proventos, & nihilominus possunt habere conventus, & hortos iisdem annexos pro usu Religiosorum, ut declaratur *in clement. exivi §. licet vero de verb. significat.*

Quæritur undecimò, an qui emit res eccle- 22
siasticas illegitimè alienatas compelli possit ad res ipsas cum omnibus fructibus inde perceptis restituendas? Respondetur affirmativè, & de- 23
sumitur *ex c. si quis 6. h. t.* quia eo ipso, quòd alienatio est illegitimè facta, Ecclesia habet jus in re illa alienata, propterea potest eam repetere, & compellere emptorem ad eam restituendam, quia tunc repetendo, quod suum est, Ecclesia utitur jure suo. Verùm potest tunc emptor contra Prælatum illegitimè alienantem agere in ordine ad recuperandum pretium ex suppositione, quòd processerit bona fide, hoc est, nescierit esse illegitimè alienatas, vel etiam pertinere ad Ecclesiam, & sine dolo res illas emerit: nam emptor in vera mala fide existens hoc est, si sciverit rem malè alienatam esse, tenetur ad omnes fructus restituendos, & non tantùm ad eos, qui adhuc existunt, verùm etiam ad æstimationem, & pretium eorum, quos consumpsit, ut desumitur *ex d. c. si quis 6. h. t.* & ratio est, quia possessio malæ fidei, nullum acquirit jus ad tales fructus, quia sicut ratione malæ fidei non acquirit dominium in rem malè emptam, ita neque in ejus fructus, quia isti sequuntur conditionem sui principii. Tum quia non debet quis ex suo delicto, quod commisit in emptione rei malè alienatæ lucrum reportare.

Cæterum, qui ex ignorantia, & errore juris 24
non putavit requiri solemnitates ad rem ecclesiasticam alienandam, etiam potest compelli ad restituendum non solùm res, sed etiam fructus, quia error juris inducit saltem fictam malam fidem; & quamvis regulariter excuset à pœna, non tamen prodest in ordine ad possessionem rei malè emptæ, neque prodest, quoad percipiendos fructus ejusdem rei, idque vel maximè pro-

procedit in illis casibus, ubi lex resistit contractui, sicut in præsenti resistit alienationi factæ sine solemnitatibus jure præscriptis *l. 7. & 8. ff. de juris & facti. ignorant.* Panormit. *in c. penult. de reb. eccles. non alien. num. 9.* quidquid in contrarium dicat Covarruvias *variar. resol. c. 3. num. 8.* Quòd si emptor fuerit in vera bona fide non errore juris, sed tantùm errore facti deceptus, ut quia fuit à Prælato alienante persuasus solemnitates jure requisitas interveniisse, & etiam consensum superioris obtentum esse; tunc certi juris est, possessorem bonæ fidei etiam teneri restituere ram illam ecclesiasticam malè alienatam, immo & fructus inde perceptos deductis tamen necessariis impensis, & nisi per triennium bona fide possederit, & inde ex titulo pro suo usu eos ceperit, Covarruv. *variar. resolut. lib. 1. c. 3. num. 7. vers. quarta conclusio;* fructus tamen non existantes, sed consumptos lucratur pro cultura, & cura, quam in prædium impendit *l. certum C. de rei vindic. & §. si quis à non domino instit. de rer. division.* Non tamen desunt, qui velint in emptore rei ecclesiasticæ malè alienatæ, id esse speciale ut etiam æstimationem, & pretium fructuum consumptorum teneatur restituere, eò quia *in c. 2. de reb. eccles. in 6. & clement. 1. eod. tit.* dicatur, emptori nullum jus acquiri, proinde nec jus lucrandi fructus.

84 Cæterum possessor bonæ fidei si sine dolo emerit rem illam malè alienatam, potest agere contra Prælatum illegitimè alienantem in ordine ad recuperandum pretium rei venditæ, non autem potest agere contra Ecclesiam, nisi in defectum si Prælatus non possit ex proprio solvere, tunc enim ipsa Ecclesia potest pretium restituere, quatenus inde locupletior facta fuit, quia æquitas non permittit aliquem cum alterius damno fieri locupletiorem *l. nam hoc 14. ff. de condit. indeb.*

85 Quæritur duodecimò, an Canonici possint sine solemnitatibus jure præscriptis in perpetuum locare suas præbendas, vel prædia Ecclesiæ singulis canonicis assignata in præbendas? Respondetur negativè, eò quia hæc prædia quoad proprietatem non pertinent ad Canonicos beneficiarios, sed ad Ecclesiam, adeo ut ad canonicum non pertineat nisi usufructus, qui per mortem usufructuarii cessat, proinde etiam locatio ab eo facta; resoluto enim jure dantis, resolvitur etiam jus accipientis *l. lex. 31. ff. de pignorib.* quamobrem beneficiarius non potest prædium suæ præbendæ locare ultra tempus vitæ suæ, adeo ut si tantùm ad triennium locaret prædium, & Canonicus primo anno moreretur, expiraret etiam locatio eodem primo anno. Cæterum hujusmodi prædia in perpetuum locata colonis possunt revocari ab Ecclesia, vel Episcopo non quidem de jure, siquidem ipso jure locatio non tenet, sed de facto etiam pensione non reddita conductori, seu colono, quia hic in pœnam solutam pensionem amittit *argum. hujus cap.* & juxta *cit. l. jubemus §. fane 1. C. de sacrosanct. Ecclesia;* sin autem emptor, seu conductor fuit bonæ fidei, & sine ullo dolo conduxit, potest agere contra locatorem ad restituendam pensionem solutam, & locator, seu beneficiarius compelli potest ad restituendam pensionem, quia delictum personæ, non debet redundare in damnum Ecclesiæ juxta *reg. jur. 77. in 6.* Secus si mala fide conduxit, non potest repetere pensionem solutam nisi de evictione cum locatore actum fuerit, tunc enim potest agere contra locatorem, qui malè locavit *l. si fundum C. de evict.* & Glossa *hic V. resumendum.*

Quæritur tertio decimò, an res ecclesiastica possit ab emptore præscribi? Respondetur, emptorem malæ fidei non posse præscribere, quia possessor malæ fidei nullo unquam tempore potest præscribere, ut habetur *in c. fin. de præscript.* Sin verò emptor fuerit in vera bona fide, eò quia persuasus ab alienatore fuerit consensum superioris, & requisitas jure solemnitates interveniisse, tunc videtur esse difficultas, quia *in c. 2. de rebus ecclesiasticis in 6.* dicitur, quòd mala alienatio, ne quidem causam præscriptionis daret: hinc Paulus IV. absolutè constituit, ut exceptio præscriptionis contra repetitionem rei malè alienatæ non possit opponi. Nihilominus Barbosa *jur. eccles. univers. lib. 3. c. 28. num. 16.* Riccius *in prax aurea p. 1. resolut. 2.* & alii, quos ipse citat, respondent, præscriptionem, si cætera ad ipsam requisita adsint, scilicet bona fides, & possessio per 40. annos continuata, suum sortiri valorem, quia licèt res pupillares præscribi non possint, res tamen Ecclesiasticæ sunt capaces præscriptionis, ut liquet *ex tot. tit. de præscript.* ubi contra res ecclesiasticas admittitur quadragenaria præscriptio; & licèt Paulus IV. contra res Ecclesiæ malè alienatas exceptionem legitimæ præscriptionis constituerit non posse opponi, attamen Pius IV. revocavit illam constitutionem, & rem totam reduxit ad jus commune, ut liquet in ejus Bulla, quæ incipit: *Provida* & est in Bullario folio 681. & ita etiam resolvit pluries Rota Romana præsertim *in una Auximana alienationis 33. Januarij 1581 coram Litta*, id tamen intelligitur de præscriptione 40. annorum ut notat Redoanus *q 2. c. 3. num. 12.* eò quia tale tempus sufficiat ad præscribenda bona ecclesiastica, ut habetur *in authent. quæ actiones C. de sacrosanct. Ecclesiis & in c. ad audientiam c. cum nobis, & c. illud de præscript.* quod tamen ita est intelligendum, ut præscriptio incipiat post mortem illius, qui malè alienavit, ut notant Rebuffus *in compend. alienat. rer. eccles. num. 38.* Redoanus *de reb. eccles. q 79. c. 3.* Malcardus *de probat. conclus. 225. num. 12.* & ratio limitationis assignatur à Riccio *loc. cit.* quia contractus non sumpsit vigorem ab initio, & ideo subducitur tempus, quo Prælatus, qui male alienavit, vixit, ut refertur *per text. in c. si sacerdotes q. 3.* Innocentius *in c. cum ex litt. de in prine. de integ. restit.* Glossa *fin. c. 1. eod. tit. in 6.* Datur tamen adversus præscriptionem restitutio Ecclesiæ, ut fuit decisum in Rota Romana in una locatione bonorum 13. Februarii 1591. coram Lancellotto, ut notat Afflict. *decis. 329.* unde quoad præscriptionem datur Ecclesiæ in integrum restitutio, si intra quadriennium saltem numerandum à die

quo

quo scivit præscriptionem completam, illam restitutionem petierit *c. 1. de in integr. restit. in 6.*

27 Quæritur quartodecimò, quinam, & quomodo possint alienationes rerum ecclesiasticarum illegitimè factas revocare, ac repetere res ecclesiasticas malè alienatas? Respondetur primò à quocunque Prælato, vel Rectore Ecclesiæ, à quo illegitimè facta fuit alienatio, potest hæc revocari, imò & debet, simúlque repetere res alienatas, ut desumitur *ex c. si quis 6. h. t. nisi forte alienator per repetitionem*) ut supplet Glossa ibid.) & *qui accepit celeri restitutione sibi prospexerit*, quia ab initio alienatio fuit nulla, proinde etiam instrumentum alienationis, quia quoties alienatio est irrita, instrumentum super illa confectum nullius est valoris: id tamen debet intelligi, quamdiu Prælatus, qui alienavit, manet in administratione rerum ecclesiasticarum: neque obstat, quòd regulariter non licet alicui contravenire facto proprio, nec allegare propriam turpitudinem in judicio, in quo propterea non debet audiri *c. cum super* 8. juncta Glossa *V. posse de concess. prabend. c. inter 8. ibid.* quia excipitur, nisi agatur de favore, & jure Ecclesiæ *c. 3. caus. 35. q. 9.* ubi habetur, quòd in illicita alienatione rerum Ecclesiæ possit quis contra factum proprium venire. Rursus excipitur, nisi vertatur periculum animæ *c. consanguinei 11. de sent. & re judic.* & tradit Glossa *in c. inter V. turpitudinem de donat.*

28 Demum quando exceptio allegantis suam turpitudinem, seu delictum notoriè elidit jus agentis, tunc etiam debet admitti. Præterea contra Prælatum alienantem illegitimè res Ecclesiæ, non opponitur exceptio, sed sufficit probare, quòd res illa, quæ repetitur, pertinuerit ad Ecclesiam, ac fuerit illegitimè alienata per Prælatum antecessorem *c. Episcopi 4. in fin. h. t.* quia persæpe nonnisi difficulter potest dominium probari: propterea damnum inferretur Ecclesiæ, si res alienata non esset restituenda, nisi priùs probaretur dominium. Immo qui illegitimè res Ecclesiæ alienavit etiam cum juramento eas non repetendi, tenetur eas repetere, & alienationem revocare, quia juramentum emissum in detrimentum Ecclesiæ nullum sortitur valorem, & potius est perjurium *c. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* idque tametsi per alium posset integritati Ecclesiæ consuli: cùm enim Prælatus, qui illegitimè alienavit res ecclesiasticas, teneretur eas repetere, juramentum non potuit obligare, quia non potest esse vinculum iniquitatis, & injustitiæ *c. quanto 18. de jurejur.* Cæterum in tali casu honestiùs videretur, quòd alius nomine Prælati alienationem factam revocaret præsertim si aliquo modo illius interest, ut esset Capitulum, vel Prælatus superior; quia sic, qui emisit juramentũ, non repeteret ipse res alienatas cum juramento eas non repetendi, quapropter vitaretur scandalum, quia jurans saltem secundùm externam speciem videtur semper agere contra suum juramentum.

29 Rursus in defectum Prælati, qui alienavit, & etiam aliorum, quorum interest, ex officio res ecclesiasticas illegitimè alienatas repetere, potest quilibet è clero agere contra possidentem rem ecclesiasticam illegitimè alienatam, & illam repetere; immo in defectu personæ ecclesiasticæ etiam ipsi parochiani laici admittuntur ad repetendas res Ecclesiæ illegitimè alienatas, quia etiam ipsorum interest, ne eorum Ecclesia parochialis propriis destituatur bonis, ut notat Glossa *in c. si quis 6. h. t.* & ibi Abbas *num. 6.* immo possunt etiam parochiani agere pro repetendis bonis, ac juribus Ecclesiæ parochialis, tametsi non habeant litteras de rato, seu mandato; præferuntur tamen semper ipsis clerici, si adsint, qui repetant res illegitimè alienatas.

30 Præterea si, qui res Ecclesiæ illegitimè alienavit, damnum eidem intulit, tenetur ad illud resarciendum ex bonis propriis, adeo ut possit hoc titulo conveniri in judicio *c. 3. de pignor.* sicut etiam contra tutorem pupilli malè alienantem res pupilli agi potest *l. 1. in princ. ff. de tutel. & ration. distrab.* hinc Ecclesiæ duæ competunt actiones, quas potest instituere, personalis una contra Prælatum, vel Rectorem malè alienantem, ut damnum illatum Ecclesiæ resarciat, & hæc actio transit etiam ad hæredem, ut tradit Abbas *in d. c. 3. de pignor. num. 3.* altera est actio realis, quæ datur contra possessorem rei alienatæ, ut notat Glossa *in d. c. si quis 6. h. t. V. alienata*, & desumitur *ex l. 3. C. si tutor. vel curat. interven.* quia cum alienatio rei ecclesiasticæ illegitimè facta sit ipso jure nulla, non censetur dominium per ipsum translatum in accipientem, proinde potest contra possessorem actio institui: semel tamen quòd damnum Ecclesiæ illatum per restitutionem rei alienatæ est totaliter resarcitum, non potest ampliùs contra Prælatum illegitimè alienantem institui actio personalis, sed tantùm potest Ecclesia instituere accusationem contra malè alienantem, & contra ipsum agere criminaliter ad pœnam, seu satisfactionem pro illata injuria, ut notat Abbas *in d. c. si quis 6. h. t. n. 10.*

31 Quæritur quintodecimò, an Ecclesia læsa ob alienationem rerum suarum sit restituenda in integrum, si alienatio facta fuerit adhibitis solemnitatibus jure præscriptis? Respondetur, quòd non obstante alienatione facta in casu licito rerum Ecclesiasticarum, si tamen Ecclesia fuerit enormiter læsa, possit peti, ut restituatur in integrum; idque desumitur *ex c. ad nostram 11. h. t.* ubi dicitur, quòd, quando Ecclesia in alienatione invenitur enormiter læsa, restituenda sint ei bona alienata, & restituenti reddatur pretium, & relinquantur fructus percepti pro suo labore, ubi notat Glossa, quòd post quadriennium non subvenitur Ecclesiæ per beneficium restitutionis *l. ult. C. de temp. in integ. restit.* Rursus quòd pro levi damno non detur restitutio in integrum *c. 1. de in integ. restit.* sed tantùm, si Ecclesia sit enormiter læsa ex rebus alienatis, potest, si velit, petere restitutionem in integrum coram Judice ecclesiastico contra laicum, si bona alienata non sint feudalia: & hic habetur specialis casus, in quo actor non sequitur forum Rei, sed transit reus ad suum proprium forum ecclesiasticum: ratio est, quia in tali alienatione præsumitur quædam deceptio interve-

nisse

veniſſe ſaltem materialis ; quæ deceptio ſaltem laxè præſefert ſpeciem quandam ſacrilegii, quod pertinet ad forum eccleſiaſticum *c. cum ſit. 8. de for. compet.*

32 Quæritur decimo ſextò, an ſanctorum Reliquiæ, quæ conſervantur in Eccleſia, poſſint ſine faculate pontificia alienari ? Reſpondetur, quòd, ſi reliquiæ ſint de jure Eccleſiæ, non poſſunt alienari inconſulto Papa, quia *in extravag. Paulina Ambitioſa de reb. eccles. non alienand.* prohibetur alienatio, non ſolùm bonorum Eccleſiæ, ſed etiam rerum omnium eccleſiaſticarum, adeò ut ponantur in dicta conſtitutione, ut duo diſtincta bona, & res : atqui Reliquiæ, quæ ſunt de jure Eccleſiæ, tametſi non ſint bona fructifera, inficiari tamen non poteſt ; quin ſint res pertinentes ad eandem Eccleſiam : neque obſtat, quòd non ſint res pretio æſtimabiles, quia in Paulina conſtitutione comprehenduntur res ſive pretio æſtimabiles ſint, ſive non, neq; diſtinguit res pretio æſtimabiles ab aliis, proinde nec nos debemus eas diſtinguere *l. non diſtinguemus ff. de recept. arbit. l. præſes. ff. de offic præſid. l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſt. c. ſolita. de major. & obed.*

33 Tum quia nomine rei propriè intelligitur omne id, quod quomodocunque habet ſuum verum, & reale eſſe, ſeu eſt aliquid *l. ſi quis cum totum inſt. ff. de except rei judic. l. ſi defenſor. §. qui interrogatus ff. de interrogat. act.* Unde ex eo, quòd *in extravag. Ambitioſe* non ſolùm prohibeantur alienari bona, ſed etiam res Eccleſiæ, ſequitur, quòd prohibeantur etiam alienari reliquiæ, quæ ſunt de jure Eccleſiæ, cùm ſint res, & pertineant ad Eccleſiam. Tum quia Paulina conſtitutio edita fuit in favorem Eccleſiæ, ut conſervarentur non ſolùm ejus bona immobilia, ſed etiam res omnes ad ipſam pertinentes ; propterea ut res favorabilis debet extendi ad res illas omnes, quæ ſunt de jure Eccleſiæ, quia in favorabilibus lex extenditur ad omnia comprehenſa ſub verborum ſignificatione tam naturali, quàm civili, ut communiter docent juris periti cum Caſtrens. *in l. qui ſe patris C. unde liberi.* Tum quia, quamvis Reliquiæ non ſint pretio æſtimabiles, nihilominus pluris ſiunt, quàm vaſa aurea, & argentea, quæ utpote mobilia pretioſa non poſſunt inconſulto Pontifice alienari, proinde neque ipſæ Reliquiæ, quæ pluris ſolent fieri : quamvis ipſæ non ſint pecuniâ æſtimabiles, habentur tamen inter mobilia pretioſa, cùm iisdem Eccleſia potiſſimùm illuſtretur.

34 Quæritur decimo ſeptimò, an Prælatus, qui alienavit bona immobilia fructifera pertinentia ad Monaſterium nondum obtento, ſed reſervato prout opus eſt beneplacito ſedis apoſtolicæ, excuſetur à pœna impoſita per canones ? ſiquidem, ſi alienatio rei Eccleſiaſticæ facta ſit contra canones, tam alienator, quam is, in quem alienatio facta eſt, & alii, qui alienationi ſubſcripſerunt, ipſo facto incurrunt excommunicationem, ut deſumitur *ex c. ſi quis 6. h. t.* ubi habetur, quòd clericus, vel detentor, qui ſubſcribit alienanti bona eccleſiaſtica, debeat excommunicari, niſi alienans, & qui accepit, celeriter reſtituant ? Reſpondetur, talem alienationem fuiſſe factam conditionatè, ſi acceſſerit conſenſus Romani Pontificis, proinde alienantem excuſari à pœna : eò enim ipſo, quòd reſervatur beneplacitum ſedis apoſtolicæ prout opus eſt, non intelligitur valida alienatio, neque ſortiri ſuum effectum, niſi dependenter à beneplacito ſedis apoſtolicæ, quod perinde eſt, ac conditionatè alienare, nimirum ſi acceſſerit conſenſus Romani Pontificis, unde Prælatus ſic alienans non incurrit pœnas impoſitas in *Paulina extravag.* quia ibi imponuntur pœnæ alienantibus ſine authoritate ſedis apoſtolicæ & præſens alienatio dependet à tali authoritate ob reſervatum beneplacitum apoſtolicum, quod non requiritur, ut præcedat contractum, aut tractatum, nec quod interponatur tempore, quo celebratur contractus, ſed ſufficit, ſi ex poſtfacto interveniat *c. 2. de pact. ibid. quoties in conventionibus noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant, quæ geruntur, ratihabitio eas debet pro ſecuritate partium ſolidare* ut docent Butrius ibid. *num 6.* Imola *num. 3.* Franc. *decis. 163. num. 2.* quia quamdiu ſupervenit beneplacitum apoſtolicum, contractus intelligitur habere implicitum ſtatum validitatis, hinc Glotſa *in d. c. 2. V. ratihabitio de pact.* aſſerit, quòd licèt pactum de ſe non teneat, fiat nihilominus validum per ratihabitionẽ ſuperioris, eò quia ratihabitio retrotrahatur, & æquiparetur mandato, quod tamen eſt intelligendum, dummodo non ſequatur abſoluta traditio bonorum immobilium, quæ alienantur ; nec in contractu adſit clauſula *conſtituti* quia talis clauſula etiam ſine traditione habet vim transferendi poſſeſſionem *l. quidam §. de rei vendicat.* & tradunt Menoch. *conſil. 139. num. 24.* Tiraquel. *de jure conſtitut. p 2. ampliat. 1. num. 2.* unde cùm non tradatur poſſeſſio alteri, & expectetur beneplacitum ſedis apoſtolicæ, Prælatus non incurrit pœnas impoſitas in Paulina conſtitutione : ſiquidem pœnæ canonicæ non incurruntur ipſo facto, niſi effectus ſecutus fuerit, cùm enim conſtitutio ſit pœnalis, ejus verba accipienda ſunt cum effectu *c. relatum 4. de cleric. non reſidentib.* cenſetur autem effectus nondum ſecutus, ſi traditio non fuerit peracta, & ſi dependeat à beneplacito ſedis Apoſtolicæ.

35 Præterea bona fides etiam excuſat Prælatum, ne incurrat pœnas impoſitas in Paulina extravag. ſiquidem bona fides operatur, ne tales pœnæ locum habeant, colligitur autem bona fides ex ipſa reſervatione beneplaciti apoſtolici, quatenus opus ſit : ſupponitur enim, quòd alienans nolit alienare niſi legitimo modo, & ſervatis ſolemnitatibus jure præſcriptis, proinde bona fide ſine dolo cenſetur contrahere. Neque obſtat, ſi dicas, bonam fidem tunc non excuſare, quando jus exiſtit : ſiquidem ignorantia eorum, quæ ſciri debent, non ſuffragatur, ut notat Bald. *in l. in teſtam. num. 1. C. ad legem falcidiam* Alexand. *conſil. 112. num. 4. lib. 1.* & Rota coram Cavalero *decis. 60. num. 3.* Nam contra eſt, quia in præfato caſu jus non reſiſtit, ſiquidem alienatio rerum Eccleſiæ ex juſta cauſa, & ex evidente utilitate eſt in jure permiſſa clement.

clement. 1. de reb. eccles. non alienand. proinde bona fides excusat, ut non incurrantur pœnæ. Demum quia stante reservatione consensûs apostolici traditio possessionis stat sub eadem reservatione, sub qua stat etiam contractus, ut veniens in consequentiam ad consensum apostolicum: unde sicut illa reservatio facit, quòd contractus stet sub conditione supervenientis beneplaciti, ut notat Rota coram Durano *decis. 83. num.* 27. ita etiam traditio possessionis stat sub eadem conditione, ut scilicet habeat effectum superveniente conditione, proinde contractus adhuc remanet imperfectus, donec accesserit beneplacitum apostolicum, quod cùm impediat translationem dominii, impedit etiam alienationem, de qua agitur, adeo ut contractus remaneat in ratione puri tractatus, & cùm pœnæ *in d. extravag. ambitiosa* sint impositæ alienantibus dum excluditur alienatio, excluduntur etiam pœnæ. Demum quia subintrat regula, quòd nihil censetur factum, quamdiu superest aliquid faciendum, & desumitur ex *l. Titia* §. *de verb. obligat. l. cum Syllanianum C. de iis, quibus ut indig.* Jason ibidem *num.* 3. Rota *decis.* 225. *n.* 7. *p.* 2. *recent.* & quia in præfato casu superest beneplacitum Apostolicum, quod expectatur juxta conventionem partium, ideò nil censetur factum circa alienationem, consequenter non incurruntur pœnæ impositæ *in Paulina extravag. Ambitiosa.*

TITULUS XIV.

De Precariis.

EGit Pontifex in præcedenti titulo generatim de alienatione bonorum ecclesiasticorum, per quam transfertur dominium directum, vel utile, & regulariter statuit, hanc alienationem esse prohibitam, nisi copulativè concurrant justa causa, & solemnitas legitima: nunc congruè descendit ad plures alienationum species, de quibus agit in sequentibus titulis, & primò de precariis, quia cùm per hanc alienationem non transferatur dominium, sed solùm utilitas; dubitari potest, an sit licita, nec ne. Agitur de hac materia etiam in *c. precaria 10. q.* 2. item 12. *quæst.* 2. *c. clerici, & sequent.* 16. *quæst.* 3.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. PRECARIÆ 1. h. t. statuitur, ut precaria de quinquennio in quinquennium secundùm authoritatem, & antiquam consuetudinem renovari debeant. Notandum hunc contractum precaria, seu precariarum à jure canonico inductum, & jure civili parum cognitum esse conventionem quandam, quâ precibus intercedentibus res aliqua ad usum petenti conceditur, quamdiu patiatur is, qui concessit: quod quidem revocatum intelligitur, cum is, qui rogavit, decessit, vel qui rogatus est, rem precariò concessam alienavit. Hinc precaria solo nomine consentiunt cum precario: nisi quòd perinde ac precarium precibus fiunt; in reliquis autem differunt à precario: proinde ex voluntate concedentium non revocantur, quod tamen in precario inest. Caterum contractus precariorum non initur ultra quinquennium, & est quædam alienatio, per quam non transfertur rei proprietas, sed tantùm ejus usus, & debet de quinquennio in quinquennium renovari, ne fluxu temporis contingat perire memoriam beneficii, quod est precarium.

C. DE PRECARIIS 2. h. t. Ex Concilio Carthaginensi statuitur, ut successor possit dissolvere precaria irrationabiliter facta à suo antecessore, non obstante apposita pœna gravi, & ut possit etiam repetere bona Ecclesiæ. Ex quo textu colligitur, factum irrationabile Prædecessoris non ligare successorem, sed debere ab ipso rescindi. Rursus infertur, quòd, si contractus non teneat, nec pœna teneat.

C. PRECARIUM 3. & ult. h. t. Gregorius IX. declarat, precarium posse revocari ad libitum concedentis, & solvi per mortem illius, cui fuit concessum, & non per mortem concedentis: & solvi etiam, si is, qui precarium concessit, illud alienaverit alicui, qui postea illud revocat. Caterum contractus, qui dicitur precaria, non potest revocari ad voluntatem concedentis.

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit contractus.

1 IN præcedenti titulo dictum fuit, alienationem rerum Ecclesiæ regulariter esse prohibitam; & quia sermo tunc fuit de alienatione in genere; ideo nunc fit descensus ad quasdam alienationes particulares, quæ sunt species illius generis, de quo actum est in præcedenti titulo, & quia plures sunt species alienationis, ideo initium ducitur à contractu precarii, quia per hunc contractum cùm non transferatur dominium, sed sola utilitas; sub dubium adhuc est, an contractus iste licitus sit, nec ne. Contractus interdum sumitur propriè pro obligatione ultro, citroque, ut definitur *in l. labeo 19. §. contractum ff. de verb. signif.* seu pro conventione, quæ utrinque obligationem parit, quia obligatio propriè non est contractus, sed ejus effectus. Rursus hæc obligatio intelligitur ex justitia commutativa, siquidem etiam ex aliis virtutibus oriri potest mutua, ac reciproca obligatio, ut inter filium, & patrem reciproca obligatio pietatis; inter superiorem, & subditum mutua obligatio in illo ad gubernandum, & præcipiendum, in hoc ad obediendum: unde obligatio orta ex vi contractûs est ex justitia commutativa.

2 Nonnunquam sumitur contractus laxè, & tunc non distinguitur à pacto, estque duorum, vel plurium in idem placitum consensus, seu conventio, sive pariat utrinque obligationem, & habetur contractus propriè sumptus, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus: sive ex altera tantùm parte, ut in donationibus, promissionibus acceptis, depositis, precariis; & in hac laxa significatione dividitur contractus in nominatum, & innominatum; ille est, qui certam, ac distinctam ab aliis contractibus habet nomenclationem, ut emptio, venditio, locatio, conductio, commodatum, depositum, mutuum, pignus, fideiussio, & alii, qui proprio nomine gaudent *l. 1. §. fin. & l. 7. circa princ. ff. de pact.* quibus adjicitur precarium, seu precaria, vel precariæ: siquidem nomen hujus contractus in jure reperitur nonnunquam in neutro singulari precarium, vel etiã in fœminino singulari precaria, vel in fœminino plurali precariæ, quo pacto Canonistæ non distinguunt hæc nomina, & prout in jure, vocant hunc contractum precarium, vel precariam, vel precarias; & rursus feudum, & donatio: tametsi aliqui recenseant feudum inter contractus innominatos. Contractus verò innominatus tametsi gaudeat nomine generico, caret tamen specifico, & per circumscriptionem verborum designatur, & hujus quatuor recensentur genera, suntque, do, ut des; facio, ut facias; dono ut facias; facio, ut des, de quibus in jure pontificio nil peculiariter traditur, refertur etiam huc permutatio.

3 Rursus dividitur contractus in contractum bonæ fidei, & stricti juris, quia tametsi ad omnem contractum requiratur bona fides *l. bonum 4. C. de oblig. & action.* nihilominus contractus bonæ fidei dicitur specialiter, in quo exuberat bona fides, & in quo potest Judex plura ex æquo, bonóque arbitrari, scilicet illa; quæ ex bona fide, ex æquo, & bono ab altero alteri præstari oportet, tametsi de iis nil specialiter conventum sit, ut in emptione, locatione, societate, commodato, depolito, & aliis similibus. Contractus stricti juris sunt, in quibus judex tenetur judicare juxta tenorẽ verborũ, adeo ut unus alteri in plus non obligetur, quàm inter contrahentes actum est, cujusmodi sunt contractus emphyteuticus, feudalis, & omnes stipulationes, in quibus Judex adstringitur ad verba.

4 Rursus ex contractibus alius perficitur re, alius scripturâ, alius verbis, alius consensu. Contractus dicitur perfici re, in quo obligatio non oritur ex sola conventione, seu consensu, sed ex ipsa rei traditione, ut in commodato, depositio, mutuo, permutatione: siquidem hi contractus ante traditionem rei dicuntur nuda pacta, propterea non pariunt obligationem, neque potest quis per hos contractus in plus obligari, quàm acceperit. Scripturâ perficitur contractus, qui non habetur ratus ante scripturam, ut in emphyteusi, & in omni alio contractu, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario, qui de eo instrumentum confectiat. Contractus verbis perficitur, quando præter consensum exigit certam verborum formulam, ut sunt omnes stipulationes constantes ex prævia unius interrogatione, & alterius subsecuta responsione, *ut promittis dare Petro mille? promitto: facies hoc? faciam, fideiubeo.* & sic de aliis. Verùm de hisce duobus contractuum generibus nil speciale traditur in jure canonico.

5 Perficitur consensu quando ad substantiam contractus non est necessarius interventus certæ formulæ verborum, nec scripturæ, nec traditio, sed sufficit consensus *l. consensu ff. de obligat. & action.* ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, ac societatibus: & quamvis ad omnem contractum sit necessaria res aliqua deducta in contractum, non tamen omnis contractus dicitur re perfici, quia non est necesse, ut ejus traditio interveniat ad substantiam contractûs, sicut requiritur necessariò in contractibus, qui re perficiuntur.

6 Ad validitatem contractûs requiritur consensus liber contrahentium externo signo declaratus, quia homo non potest homini obligari per solum actum internum, qui ex natura sua latet:

latet: hic autem consensus subinde extorquetur per errorem, dolum, vel metum. Contingit error in contractibus, vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem, & accidentia: tunc contingit circa substantiam, si contrahens credat contractum inire de re una, & postea comperit aliam esse, ut si credens emere gemmulam, deprehendat se emisse vitrum: circa qualitatem, & accidentia contingit error, cùm quis putat inire contractum de re aliquibus specialibus qualitatibus affecta, & postea deprehendit rem illis carere. Hinc quia vis, & obligatio contractûs dependet à consensu, & voluntate contrahentium, & nil sit consensui magis contrarium, quàm error, ideo si hic in altero contrahentium contingat circa substantiam rei, contractus jure naturæ est irritus ex defectu consensûs substantialis: idque verum est, tam in contractu oneroso, quàm gratuito, imò etiam in voto, & matrimonio. Contractus celebratus cum errore comitante, hoc est qui ita comitatur contractum, ut nullo pacto ad eum inducat, sed eo sublato adhuc contractus fieret, non est validus, quia error comitans non sufficit ad validitatem contractûs, & licèt non faciat involuntarium, non facit tamen voluntarium, quod requiritur ad contractum. Error circa qualitatem rei, non irritat contractum, dummodo dolus non det causam contractui; quia contrahens tunc verè consentit in contractum sciens, & volens citra metum, & fraudem, qui consensus sufficit ad valorem contractûs: quamobrem contractus ille est validus quamvis quis deceptus sit in pretio ultra dimidium, quia dolus non dedit causam contractui, sed tantùm fuit causa majoris, vel minoris pretii: unde contractus nolente emptore, non potest rescindi, sed debet ad æqualitatem reduci.

7 Dolus est machinatio, seu deceptio, quâ quis alium decipit dicto, vel facto, vel omissione illius, quod tenebatur dicere, aut facere, & nonnunquam dat causam contractui, quando quis ratione doli inducitur ad contrahendum, & aliàs, si dolus non adesset, minimè contraheret. Nonnunquam dolus est incidens in contractu, & tunc contingit, quando contrahentes adhuc contraherent secluso dolo, licèt non ita libenter: & hic dolus provenire potest à parte contrahente, vel à tertio, adeo ut pars contrahens non sit doli particeps. Quando dolus dat causam contractui, & oritur ab altero contrahente jure positivo irritat contractum, qui in foro conscientiæ est invalidus, sive lucrativus sit, sive onerosus, excepto matrimonio. Lessius tamen *lib. 2. c. 17. de justit. & jur. num. 31.* contrariam opinionem asserit probabilem, quia quando metus dat causâ contractui, non est hic omnino irritus, sed in irritum revocandus; & in jure metus, & dolus censentur paria; secus in foro externo contractus stricti juris non sunt irriti, sed irritandi, tametsi deceptus habeat actionem contra decipientem, ne contractum ad-
8 impleat.

Quando verò dolus provenit à tertia persona, vel à propria opinione, quâ contrahens se ipsum decipit, contractus est quidem validus, sed deceptus habet actionem contra tertium, à quo fuit deceptus, quia decipiens tenetur ad omnia damna: siquidem censetur causa injusta eorundem. Contractus bonæ fidei celebrati per dolum dantem iisdem causam sunt in utroque foro irriti. Contractus verò, in quem dolus quidem incidit, non tamen dedit ei causam, validus est in utroque foro, damnum verò compensandum est ab eo, qui dolum adhibuit; sin autem inciderit re ipsa, adeo ut neuter contrahentium illum adhibuerit, nec consenserit in adhibitionem doli; tunc relinquitur arbitrio non quidem decepti, qui damnum patitur in defectu pretii, sed alterius, ut vel stet contractui supplendo ejus defectum; vel contractum ipsum rescindat, qui verò invincibiliter deceptus est à tertio, non tenetur cognito dolo contractum adimplere, si contractus non sit completus traditione rei, vel pretii, adeóque nondum sit translatum dominium: quia contrahentium tacita mens solet esse, non obligandi se ad implendum contractum, si se deceptos esse deprehenderint. Generatim dolus nemini debet patrocinari, aut prodesse *l. verum §. tempus ff. pro socio*, proinde qui deceptus est, jus habet pro rescissione contractûs, dummodo non sit indissolubilis *l. si dolo C. de inutil. stipul. instit. de except. §. 1.* qui enim proximum suum dolo eludit, injuriam, ac damnum ei infert, proinde tenetur resarcire, & ad id cogi potest per Magistratum. Hoc idem etiam procedit de vi per injuriam incussa, & metu *l. si mulier. ff. de eo, quod metûs causâ.*

Neque obstat, quod *l. & eleganter 7. ff. de* 9
dolo, & l. 3. pro socio eadem dicatur, quòd contractus bonæ fidei dolo malo initi ipso jure sint irriti, ex quo videtur sequi, per se invalidos esse contractus alterius dolo procuratos: nam id intelligitur non de substantia ipsius contractus, sed de ejus effectu, ratione cujus nullam vim aut robur obtinent; neque proinde lucrum ex dolo reportat decipiens, quia si quid commodi in eum derivetur, id non ex dolo, sed ex mutuo utriusque consensu oritur, ut notat Wesenb. *l. 4. ff. l. 3.*

Metus alius est gravis, levis alius, ille est ta- 10
lis, vel absolutè, qui cadit in constantem virum, ut metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus: vel respectivè, & est qui est alicujus mali, quod tametsi uni non videatur formidabile, ut viro constanti; alteri tamen videtur tale, ut seni, vel puero, aut homini meticuloso. Ad metum cadentem in virum constantem solet etiam revocari metus reverentialis, si conjunctus sit cum minis, vel verberibus: immo eidem etiam accensentur preces importunæ superiorum. Rursus metus alius est intrinsecus procedens à causa naturali, ut à morbo, vel imminente periculo: alius extrinsecus, qui fit à causa libera, seu homine: & hic vel justè incutitur ab homine, vel injustè, vel ad extorquendum consensum, vel in alium finem. Contractus metu gravi initus, nec jure naturæ, nec jure positivo est omnino irritus, siquidem alio modo est validus, eò quia metus simpliciter non tollat voluntarium, sed faciat involuntarium mixtum, cum quo sicut

fiat consensus sufficiens ad peccandum, ita etiam fiat consensus sufficiens ad contrahendum: non tamen desunt, qui censeant, & quidem probabiliter hujusmodi contractus irritos esse.

11 Solent etiam excipi plures casus, in quibus contractus initi per metum gravem injustè incussum ad extorquendum consensum sunt invalidi. Primus est contractus matrimonii, & sponsalium, quamvis juramentum accesserit, quia talis contractus est illicitus, & cùm juramentum non faveat iniquitati, nullum est. Secundus si dos promissa, vel soluta sit per metum, quia est accessoria ad matrimonium. Tertius in rebus Ecclesiæ non tenet promissio si traditio ex metu fiat, quia res ecclesiasticæ non possunt alienari sine solemnitatibus jure præscriptis, & consensu Pontificis. Quartus si votum ex metu emissum sit. Quintus si authoritas tutoris per metum extorta fuerit. Sextus legatum, testamentum, remissio debiti, & alia id genus, valida non sunt, si per metum extorqueantur. Septimus testimonium, quando testes ex gravi metu sunt in testamento adhibiti. Octavus quilibet contractus per injustè incarceratum initus cum eo, à quo detinetur est etiam invalidus. Cæterum contractus metu gravi initi, quamvis non sint omnino irriti, possunt tamen irritari, ac rescindi in foro conscientiæ pro arbitrio illius, cui est metus incussus, dummodo injustè fuerit incussus, ad extorquendum consensum in ordine ad contractum ineundum: siquidem qui metum alteri injustè incussit, injuriam illi intulit, quapropter tenetur illum in priorem statum restituere & qui metum est passus, jus habet exigendi hanc restitutionem. Hinc omnes contractus per metum gravem injustè extorti possunt in irritum revocari, & ille, qui ex tali contractu aliquid est consecutus, tenetur ad restitutionem sive ipse, sive alius metum incusserit, ut notat Navarrus *c.* 17. *num.* 15. Covarruvias *reg. peccat. p.* 2. §. 3. *n.* 7.

12 Contractus celebratus per metum justè incussum ad extorquendum consensum non potest, nec debet rescindi, quia est validus, nec ulla fuit injuria illata, cui fuit metus incussus, proinde non adest ratio, quâ debeat rescindi, quapropter neque restituenda sunt, quæ ex tali contractu fuerunt acquisita. Contractus verò per metum levem iniri quamvis aliquo pacto sint validi, & in foro externo non admittatur exceptio hujus metus, nec detur actio ad rescindendum contractum; nihilominus in foro conscientiæ possunt in irritum revocari, & repeti quæ tradita sunt: siquidem tenetur, qui ea obtinuit, restituere, si metus ille levis fuerit injustè incussus ad illa extorquenda, quia tunc, quod tali metu obtinetur, per injuriam habetur, proinde ejus possessor tenetur illud restituere.

13 Solent tamen, excipi matrimonium, & votum solemne, quæ quamvis ex metu levi facta fuerint, non tamen irritari possunt, quamvis non desint, qui censeant esse jure naturæ invalida. Metus reverentialis sufficientem in foro conscientiæ exhibet causam, ut implorato judicis officio, rescindatur contractus initus ex metu reverentiali, præsertim si metus efficiat consensum secundùm quid involuntarium, ut cum quis assentitur rei, à qua alioquin ejus voluntas secluso metu abhorreret. Pari pacto preces importunæ efficientes involuntarium mixtum voluntario præbent facultatem rescindendi pactum, vel contractum.

Contractus ex prohibitione juris naturalis, 14
vel etiam positivi omnino irritus, non potest juramento firmari, quia si contractus est irritus, non est contractus, & quod non est, non potest confirmari: quia non entis, nulla sunt accidentia *l. contractus ff. de ver. jur.* Bart. *in l. si quis pro socio. ff. de fidejussor.* Quòd si actus circa rem naturâ suâ non turpem versetur, ita ut contineat obligationem naturalem, vel admittat alium actum, seu promissionem non retractandi, tunc quoad hanc potest confirmari, ut tradit Farinac. *c.* 6. *q.* 160. Hoc idem etiam procedit de actu principaliter prohibito, & immediatè ob favorem publicum boni communis, cui renuntiare privatis hominibus non licet *c. si diligenti* 12. *de for. compet. l. jus publicè ff. de pact. c. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum de reg. jur. in* 6. 15

Quòd si principaliter, ac immediatè ob privatam alicujus utilitatem contractus prohibeatur, & nihilominus ineatur, ac juramento firmetur; tunc quia talis contractus sine dispendio salutis æternæ servari potest, & quilibet possit jure suo cedere, juramentum additum contractui illû corroborat, cùm non fuerit totaliter irritus, propterea debet servari *c.* 2. *de pact. in* 6.

Neque obstat, si dicas, favorem privatorum 16
conjunctum esse cum bono publico: quia bonum privatum à jure canonico, utpote non magni ponderis, non attenditur. Excipitur tamen nisi contractus, & juramentum irritentur à jure. Vel contractus reprobatus sit odio creditoris, qui absque peccato nequit, quod promisit, recipere, ut in usurario. Tametsi juramentum de solvendis usuris, cùm ex parte promittentis non contineat iniquitatem, validum sit, non tamen confirmat promissionem factam, sed per se stans obligat, donec legitimè relaxetur *c. quamvis de pact. in* 6. *c. debitore de jurejur. c cùm contingat.* Barb. *in prætermissis ad tit. de jurejur. pag.* 124.

Contractus jure civili tantùm prohibiti, & 17
qui juramento firmantur, plures sunt. Primò donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum *l. ult. C. de pact.* Secundò donatio absque insinuatione facta *l. in hac sacratissima C. de donat.* Tertiò donatio inter virum, & uxorem; patrem, & filium, Covarruvias *de testam. p.* 2. *num.* 16. Quartò donatio, & alienatio absque authore tutoris à pupillo facta *l. pupillus ff. de acquir. rer. domin.* Quintò pactum de non revocando testamento. Sextò pactum filiæ ut dote contenta cedat jure suo succedendi in bonis paternis *c. quis* 2. *de pact. in* 6. Septimò alienatio rerum dotalium, & quæ propter nuptias donatæ sunt *l. Julianus ff. de fundo dotal.* Sylvester *V. dos. num.* 1. Quia hi, & alii similes contractus non sunt per se intrinsecè mali, sed tantùm jure civili prohibentur

propter majorem ſecuritatem, ideo, quamvis per ſe nudè ſumpti à legibus repudientur, ſi tamen fuerint juramento firmati, inducunt obligationem, & debent ſervari. Secus contractus, vel pacta, quæ jure canonico irritantur intuitu libertatis eccleſiaſticæ ex adjecto juramento, nullam ſuſcipiunt firmitatem: hinc quia irritus eſt contractus, quo clericus renuntiat ſuæ libertati, tametſi tali contractui acceſſerit juramentũ, non propterea confirmatur, nec vires acquirit, quia in ſimilibus contractibus reſpicientibus libertatem eccleſiaſticã non attenditur bonum privatum, cui clericus renuntiat, ſed favor totius ſtatus clericalis, cui particularis non poteſt renuntiare. Quinimò omnia, quæ per leges canonicas prohibentur etiam ſine irritatione nullo poſſunt juramento firmari, quia in conſcientia obligant ad ſui obſervantiam, ut tradunt Dynus *in regul. 58. de regul. jur. in 6.* Suarez *lib. 2. de juram. c. 28.*

18 Quæ contractui dicuntur accidere, ſunt quatuor, ſcilicet conditio, modus, demonſtratio, & cauſa. Conditio habetur per particulam *ſi*, vel æquivalentem, & ex natura ſua ſuſpendit actum, qui expleta conditione purificatur, *l. itaque ff. ſi certum petatur.* Modus eſt clauſula per particulam *ut*, vel æquivalentem ſignificata, cujus natura eſt non contractum ſuſpendere, ut conditio, ſed ſtatim, quod promiſſum eſt exigi, & accipi poteſt, data cautione de modo ſervandi *l. qui heredi* §. *fin. & l quibus diebus* §. *de condit.* ut ſi quis dicat, lego quatuor millia aureorum, ut ædificetur Eccleſia.

19 Demonſtratio eſt clauſula, & ſignum notificans rem, de qua agitur ex aliquo præterito, vel præſente, ut ſi quis dicat lego meo nepoti libros, qui ſunt in tali armario. Cauſa eſt clauſula adjecta ſignificans cauſam finalem ipſius contractus, & notatur per particulam *quia*, vel æquivalentem, ut ſi quis dicat: quia egregiè ſtuduiſti juri canonico, promitto tibi primum beneficium, quod erit vacaturum in tali Eccleſia: ſignificat enim cauſam finalem, ita tamen ut non excludat impulſivam, cùm hæc ad finalem etiam pertineat. Cauſa finalis propriè eſt, quæ principaliter movet agentem, & cujus gratiâ agimus: cauſa verò impulſiva eſt, quæ principaliter facit, ut citiùs, aut libentiùs aliquid præſtetur, ut notat Layman. *tract. 4, lib. 3. c. 4.*

§. II.

De quaſi contractibus.

1 SIcut contractus propriè ſumptus exigit conſenſum propriè talem, ita quaſi contractus perficitur per ſolum quaſi conſenſum, à quo ſuam deſumit nomenclationem. Sunt enim plura, quæ nobis etiam invitis peraguntur, ut in tutela, & etiam in aliis negotiis geſtis, in quibus quamvis à nobis nihil actum, vel pactum ſit, nihilominus præſumimur iisdem aſſentiri: quo pacto Judex pupillo dedit tutorem. Negotia Petri Paulus ultro ſuſcepit, & expedivit: quia æquum eſt annuere, & approbare, & leges præſumunt tunc inter pupillum, & tutorem conventum eſſe. Quamobrem quaſi contractus dicuntur ſimiles veris, ac perfectis contractibus, eò quia eorum conditionem, quantùm res ipſa patitur, videantur imitari: hinc definitur quaſi contractus obligatio, quâ quis alteri obligatur, non ex aliquo contractu, vel delicto, ſed ex officio, aut facto honeſto, quamvis non interveniat expreſſa voluntas utriusque.

2 Species quaſi contractuum principaliores ſunt octo, ſcilicet, Mandatum, Negotia, Tutela, Cura, Acceptilatio, Communio rerum, Hæreditatis aditæ, & indebiti ſoluti. Mandatum eſt gratuita ſuſceptio aliquid exequendi, quod ab alio formaliter, vel virtualiter injungitur *l. 1.* §. *ult. ff. mandati.* Dicitur enim gratuita ſuſceptio, quia ubi convenitur de mercede, in conductionem, & locationem tranſit, id quod fit. Additur formaliter vel virtualiter, quia ſi quis videat aliquid in ſui gratiam fieri, & tacet, tunc conſentire, ac mandare cenſetur; & per hoc differt mandatum à negotiis geſtis, quia is propriè dicitur negotiorum geſtor, qui in gratiam aliorum agit ipſis ignorantibus: ſecus Mandatarius non agit niſi expreſsè ſciente mandante, ut tradit Weſenb. *ff. l. 17. tit. 1. num. 6.* Toloſanus *lib. 27. c. 5.* Quamobrem acceaſetur contractibus nominatis, & perficitur ſolo conſenſu quomodocunque expreſſo per verba, volo, rogo, mando, & non repugnat inter abſentes fieri ad certum tempus, & ſub tali conditione, ſi hoc vel illud contigerit *l. juris gentium de pact.* Debet tamen mandatum ad ſola honeſta, & licita dirigi *l. Lucius* §. *pro infant. ff. ad municipales*; alioquin ſi Mandatarius pro illicito, & turpi opere aliquid acceperit, tenetur reſtituere, & ſi mandatum jam fuerit executus, retinere poteſt, dummodo fuerit quid moderatum: & ſi damnum aliquod inde ortum fuit, tenetur primariò mandans illud reſarcire, & compenſare; & deficiente mandante obligatur mandatarius ad reſarciendum damnum illatum. Quòd ſi mandans tantùm mandet percuſſionem, & mandatarius non ſolùm percutiat, ſed etiam occidat hominem, tunc mandans non cenſetur reus homicidii, nec eſt plectendus illius pœnâ, ſed mitiore *l. diligenter ff. mandati.* Generatim quæcunque fiunt contra mandatum, ſunt irrita, ut notat Sylveſter *V. mandatum circa fin.*

3 A Mandatario parùm differt procurator ad negotia, is enim inſtrumentum accipit à mandante, proinde eſt & ipſe mandatarius, qui a nomine alterius ſuſcipit aliquid agendum, ſive in judicio, ſive extra judicium: quamobrem actiones directè, & principaliter acquirit ipſi mandanti, & non ſibi ipſi, qui propterea tenetur rationem reddere ſui officii, & omnia jura acquiſita tradere domino *l. qui proprio* §. *Procurator. ff. de procurat.* Eſt tamen diſcrimen inter procuratorem ad negotia, & judicialem, quia in illo tantùm ætas ſeptendecim annorum requiritur; procurator verò judicialis debet attigiſſe annum ætatis 25. *c. qui generaliter.* §. *ult. de procurat. in 6. l. minor. ff. eodem.* Rurſus Procurator judicialis non poteſt alium deputare, qui vices ſuas gerat: ſecus id permittitur procuratori ad negotia.

Gene-

4 Generatim Mandatarius non tenetur nisi de dolo, & culpa lata, quia ordinariè mandatum fit in gratiam solius mandantis: secus si mandatum fuerit in commodum utriusque, tunc etiam de levi tenebitur. Mandans etiam tenetur Mandatario de casu fortuito, quem prævidere potuit *l. Nesennius ff. de negot. gest.* si quid damni passus fuerit Mandatarius, tenetur mandans compensare *l. heredem 14. l. si mandassem. 15. ff. mandatur.* Mandatum verò procuratori ad lites datum post inchoatam litem, vel inceptum judicium non licet ampliùs mandanti revocare *l. si procuratorem ff. mandati*: secus ante inchoatam litem liberum est mandanti mutare, & revocare.

5 Potest etiam mandatum durare post obitum mandantis. Primò, si factum fuerit in gratiam Mandatarii. Secundò, si sit talis naturæ, ut post illius mortem compleri debeat. Tertiò, si factum sit in gratia, & favore dotis. Quartò, si gratiâ libertatis. Quintò, si causâ liberandi debitorem. Sextò, si gratiâ religionis, & fidei. Septimò, si à Papa alicui sit delegata potestas. Octavò, si sit Legatus à latere, quia in ipso durat potestas etiam post mortem Pontificis. Nonò, si sub nomine dignitatis sit alicui potestas delegata. Decimò, si Princeps dicat se mandare jurisdictionem, donec revocaverit. Undecimò, si mandatum fuerit in gratiam causæ piæ. Duodecimò, si mandatum sit, donec filius in furore perstiterit, si in eo decedat, non finitur ipsius morte mandatum *l. ambiguitatem C. de usufruct.*

6 Secus expirat mandatum. Primò per revocationem mandantis, re integra, seu nondum inchoato negotio §. *restè infin. de mandat.* idque etiam cum detrimento non maximo Mandatarii. Secundò, si mandatarius dum res integra est, tempestivè renuntiet, ut res per alium expediri possit *l. si mandavero ff. eod.* Tertiò, morte mandantis exceptis casibus prærecensitis. Quòd si mandatarius ignorata mandantis morte rem executus fuerit, succurritur ei ex æquitate, ut actionem mandati habeat, ne damnum sentiat in justa, & probabili ignorantia *l. inter causas ff. mandati.* Quartò demum ipsius mandatarii morte, præsertim si res integra sit, ut tradit Layman. *lib. 3. tract. 4. c. 27. num. 6.* Actiones mandati duæ sunt, directa una, altera contraria, directam mandans habet contra Mandatarium, qui mandatum accepit, & non complevit, vel cum dolo, culpa, aut damno mandantis executus est, vel etiam mandati fines egressus est *l. si procuratorem §. mandati action. ff. mandati* Actio contraria convenit mandatario, ejúsque hæredibus contra mandantem, eò quia mandatarius absolutis, ut habebat in mandato, negotiis, iisque peractis, ut oportebat, habet jus petendi impensas, quas necessariò, vel utiliter fecit in favorem mandantis *l. diligenter. l. idemque ff. mandati:* & hæc eadem actio datur etiam procuratoribus, ac fidejussoribus §. *si quid autem ff. de fidejuss.*

7 Quia verò plurimùm interest reipublicæ, ut absentium bona conserventur, hinc lege statutum est, ut qui bona alterius absentis conserva-

ret, ac manuteneret, domino teneretur, & hic vicissim illi: hinc negotiorum gestorum quasi contractus habetur sine expresso mandato; & per hoc distinguitur à præcedente quasi contractu, sufficit enim negotiorum gestori, negotia utiliter, & ut oportebat gessisse; idque quatrupliciter fieri potest. Primò curâ, & officio, sicut in Tutore, Curatore, Procuratore, ut in civilibus accidit. Secundò re ipsa, quando de facto in utilitatem alterius aliquid impenditur, tametsi illius indulto non sit factum. Tertiò ratihabitione, & tunc contingit, quando, quod unus nomine alterius gessit, hic ratum habet, & nisi ratum haberet, nihil ad eum pertineret. Quartò ipsa actione negotii gesti, ut si quis creditori alterius solvat eo absente, vel ignorante.

8 Unde in hoc quasi contractu obligatio oritur in gerente ad reddendam rationem eorum, quæ gessit, & solvendum, si quid ad se derivatum sit: & in eo, cujus gratiâ negotium est gestum oritur actio directa ad exigenda ea omnia, quæ sui gratiâ fuerunt præstita. Quandò verò negotiorum gestor solius absentis intendit bonum, tunc tantùm de dolo, & lata culpa tenetur *l. si negotium ff. de negotiis gestis.* Immo de levi etiam culpa, quando intenditur utriusque utilitas, & ita fit in procuratoribus, administratoribus, aliisque, qui stipendio conducti negotia aliorum administrant: de fortuito tamen casu regulariter non tenetur *l. si negotium ff. de negot. gest.* nisi fortassis dominus expresè monuisset gestorem, ne tale negotium ageret, nisi cum obligatione ad casum fortuitum.

9 In pluribus tamen casibus oritur obligatio. Primò ex mora culpabili, ratione cujus res æquo diutiùs apud gestorem mansit, ac propterea periit. Secundò, si cautam dedit, ut periret incendio, vel alio modo. Tertiò, si modo indebito, & minimè consueto aggressus est negotium, & inde damnum emersit, hoc enim pacto etiam de fortuitis teneretur. Quartò, si gestor inchoaverit quidem negotium, sed non perfecerit. E converso ille cujus negotia aguntur, tenetur ad expensas, nisi præcesserit monitio de abstinendo, & nisi majores factæ sint, quàm sit rei gestæ utilitas. Rursus ut in mandato, ex negotiis gestis duplex oritur actio, una directa, quæ competit domino contra gestorem ad exigendam rationem omnium, quæ gessit: altera contraria, quæ competit gestori, ut exigat, quod merentur expensæ, industria, & labores collati, & utraque actio est personalis, quia immediatè dirigitur ad personam *l. pen. C. de negot. gestis.* & utraque actio transit etiam ad hæredes *l. 3. §. hac autem ff. eod.*

10 Tutela, quæ est tertia species quasi contractûs, est jus, seu potestas in capite libero ad tuendum eum, qui ratione non perfectæ ætatis nequit se sponte tueri: proinde de jure civili datur illi tutor, qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione sui juris factum, vel factam tuetur, & jus, quod tutor habet tuendi pupillum, vel pupillam, propriè dicitur tutela, quæ datur, aut permittitur à jure civili §. *est autem instit. de tutel.* Qui verò curam alicujus minoris gerit à Prætore datus curator appellatur:

tur: & quia tutela pubertate adepta in fœminis anno 12. & in maribus anno 14. completo ætatis finitur: inde Curatori ſubduntur usque ad annum 25. Rurſus tutela alia eſt teſtamentaria, alia legitima, & alia dativa *inſtit. quib. mod. tutel. finiat.* Clerici licèt ab inteſtato ſuccedant, ad tutelam tamen non compelluntur, legitimam verò, & dativam poſſunt admittere *c. ſin. diſt. 76. c. Cyprianus* 21. *q.* 2. Monachi tamen ex ſuperiorum licentia *c. Monachi* 2. 16. *q.* 1. miſerabilium perſonarum tenentur tutelam ſuſcipere *c.* 1. *diſt. 88.* immo ad id per judicem eccleſiaſticum compelli etiam poſſunt.

11 Cæterum officium tutoris eſt. Primò pupillos à criminibus arcere. Secundò eorum res ab injuriis, & damnis tueri *c.* 1. 12. *q.* 1. Tertiò pecuniam, & mobilia, quæ ſervando ſervari non poſſunt, vel fructum non ferunt, convertere in prædia, ex quibus emolumentum habeant, alioquin tenetur pupillo reſarcire damnum, quod patitur, & quod ex carentia fructuum emergit, niſi impotentia, vel difficultas excuſet. Quartò tenetur inventarium conficere de rebus pupilli *l. tutor qui repertorium ff. de admiſſ. tut.* hæ obligationes competunt etiam curatori, à quibus tamen poteſt à judice, vel conſuetudine liberari, ut tradit Myſinger. *centur. 6. obſer. 39.* Non ſolùm homines, verùm & mulieres ad tutelam ſolent admitti, adeo ut mater, & avia poſſint tutelam ſuſcipere, ſi velint, filiorum, & nepotum, ſed renuntiare debent primò ſecundis nuptiis, ut etiam beneficio Velleiani, quo cavetur, ne jus adverſum mulieres dicatur, quæ fideiuſſionibus, ac mutuationibus pro aliis interceſſerunt: hinc mater, & avia compelli non poſſunt ad ſuſcipiendam tutelam filiorum, & nepotum, ſed tantùm, ſi velint, permittuntur eam ſuſcipere; in quo caſu, ſi mater ad ſecundas nuptias tranſierit, ſtatim tutelam amittit, *l. fin. C. quando mulier officio tutelæ fungatur.*

12 Cura, quæ eſt quarta ſpecies quaſi contractûs, coincidit cum tutela, quia pupillus, & pupilla adepta pubertate, eò quia mas annum compleverit ætatis 14. & fœmina 12. tranſeunt è ſtatu tutelæ ad ſtatum curæ, quia tunc ſubjiciuntur curatori, usque ad annum 25. ætatis, & curator easdem contrahit obligationes, ac tutor in ordine ad curam gerendam de bonis minorum. *Acceptilatio* eſſet quintus quaſi contractus, ſed propriè, ac in rigore non eſt quaſi contractus, ſed eisdem accenſetur ob ejus imperfectionem, eò quia tollat potiùs, quàm inducat obligationem, unde *diſtractus* potiùs, quàm *quaſi contractus* vocatur: etenim ſi debitor interroget ſuum creditorem, an velit acceptum, ſeu ſolutum habere debitum, vel ei remittere; ſi creditor reſpondeat, ſe acceptum habere, ſeu remittere, extinguitur debitum, & ceſſat obligatio illius, ex quo liquet intervenire utrinque conſenſum ratione cujus numeratur potiùs inter contractus; ſed quia præcedens obligatio deſtruitur, ideo diſtractus potiùs, quàm contractus à plerisque vocatur, & poteſt perfici verbis per ſtipulationem jure civili introductam, quæ propterea parit obligationem, cui diſſolvendæ eodem jure acceptilatio, ſeu imaginaria ſolutio inventa eſt §. *item per acceptilationem inſtit. quib. mod. tolli acceptilat.* Poteſt autem acceptilatio dupliciter fieri, vel per ſimplicem formam ſtipulationis, vel per Aquilianam, cujus Author eſt Gallus Aquilius, & hæc locum habet in aliis obligationibus trahentibus originem ex contractibus juris gentium, & non poſſunt per nuda verba tolli, quando re, aut conſenſu perficiuntur.

13 Quamobrem transferendæ ſunt per ſtipulationem Aquilianam, ut inde fiat acceptilatio: ut ſi Petrus debeat Paulo centum aureos ex mutuo, & tantundem, vel etiam amplius ex emptione Paulus dicit Petro: Petre promittisne mihi ex cauſa ſtipulationis omne illud; ad quod mihi ex quacunque alia cauſa es obligatus, ſi Petrus promittat, tunc omnes prædictæ obligationes transfunduntur in ſtipulationem, & cenſentur re, aut conſenſu contractæ, ſed verbis tantùm. Rurſus Petrus interrogat creditorem, an habeat acceptum, quod hodie per ſtipulationem Aquilianam ipſi promiſit? Si reſpondeat creditor, acceptum habeo, tunc ſublata eſt obligatio, & Petrus ab omni debito liberatur.

14 Hinc inter effectus hujus acceptilationis numerantur. Primò ſolutio, cui æquivalet Bart. *in l. ſi marito ff. ſolut. matrim.* Secundò vis pacti de non petendo *l. cum emptor. ff. de reſcindenda emptione* ſiquidem ſapit quandam donationem, niſi fiat à procuratore carente ſpeciali mandato Bart. *in l. an inutilis de acceptilat.* Tertiò tollere actionem realem, perſonalem, & mixtam *l. ut reſponſum C. de tranſact.* Quartò trahere ſecum executionem Bart. *in l. metum ff. quod metus cauſa.* Quòd ſi acceptilatio fiat mulieri, quæ fideiuſſit pro debitore, hæc non liberat debitorem, ut tradit Bald. *in l. ſenatus C. ad Velleian.*

15 Communio rerum eſt ſextus quaſi contractus, & eſt quædam ſocietas §. *item ſi inter inſtit. de obligat. quæ quaſi ex contract. naſc.* ut ſi Joannes, & Franciſcus hæreditatem teſtamento relictam communem habeant, vel rem aliam ex legato, vel donatione acceptam, tunc, ſi alter fructus colligat, tenetur alteri dimidiam partem dare, non quidem ex contractu, cùm nullus præceſſerit, ſed tantùm ex quaſi contractu, ſcilicet ex bonorum communione: ex eadem obligatione, ſi unus eorum neceſſarias, ac utiles expenſas faciat pro conſervanda re communi, alter tenetur ad dimidiam partem expenſarum, ut notat Weſenb. *lib. 3. cod. tit. 38.* Septimus quaſi contractus adeundi hæreditatem pertinet ad hæredem, qui dicitur legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus (non enim cum hærede, nec cum defuncto ullum negotium legatarius propriè geſſiſſe dici poteſt) & nihilominus, quia ex maleficio non eſt obligatus, quaſi ex contractu dicitur obligatus, & oritur hæc obligatio ratione hæreditatis aditæ, quia tunc hæres quaſi contrahere videtur, ſeu aſſentiri ipſi hæreditati, ac obligationibus in eadem comprehenſis, quas propterea unâ cum hæreditate ad ſe trahit *l. apud. Julianum §. fin. ff. quibus ex cauſis in poſſeſſ. eatur.* Rurſus ipſa petitio hæreditatis eſt etiam ex quaſi contractu, cum is

non

non contraxerit, qui possidet pro hærede, vel pro possessore.

16 Octavus quasi contractus est indebiti soluti, ut cùm quis per errorem solvit, quod non tenebatur solvere, tunc enim illi oritur actio repetendi indebitum solutum, non quidem ex vi contractûs, cùm nullus præcesserit inter dantem, & accipientem, quia solvens potiùs intendit obligationem dissolvere, quàm contrahere *ff. lib. 12. tit. 6. de condic. indebit. & in C. lib. 4. tit. 5. de condic. indebiti.* Quamobrem indebitum tunc dicitur, quando quis per errorem, vel ignorantiam alteri solvit, quòd ei non debebat: dicitur tamen quasi contractus indebiti soluti, quia obligatio restituendi indebitum solutum non oritur, nisi solutio re ipsa intervenerit, & ideo dicitur quasi contractus, eò quia obligatio restituendi contrahitur. Debet tamen indebitum solvi per errorem, vel ignorantiam, alioquin si sciens indebitum solvat, eo ipso videtur donare, proinde non potest repetere: quinimo, tametsi quis solvat indebitum cum dubio, adhuc illi competit actio repetendi solutum, quia in jure dubitans dicitur esse similis erranti *l. fin. C. de condic. indeb.* Hinc obligatio hæc non oritur ex contractu, sed tantùm ex quasi contractu, siquidem qui per errorem solvit, non solvit ex consensu scito, ut requiritur ad contractum; sed magis distrahendæ obligationis animo, quàm contrahendæ dare videtur, ut habetur *in l. ex maleficio §. his quoque ff. de action. & obligat.*

17 Præterea in hoc quasi contractu indebiti soluti non solùm jus civile, sed etiam naturale inducit obligationem naturalem restituendi indebitum solutũ. Ex eodem quasi contractu indebiti soluti oritur etiam illa actio, quæ in jure dicitur condictio indebiti, quâ quis repetit id, quod est indebitè solutum, & competit hæc actio illi, qui indebitè solvit contra eum, cui indebitè solutum est, & hæredibus ipsius contra eum, cui solutum est indebitum, & contra ejus hæredes.

18 Cessat autem hæc actio indebiti sex modis. Primò cum quis scienter solvit indebitum *l. cujus per errorem ff. de regul. jur.* Secundò, quando quis per sententiam condemnatus est ad solvendum, quod non debet, & sententia transivit in rem judicatam *l. 1. C. de condic. indebit.* Verùm hic secundus modus habet vim in foro tantùm externo, in quo non datur actio, ut quis repetat, non verò in foro conscientiæ, quia sententia tantùm fundatur in præsumptione, & leges in sola præsumptione fundatæ non habent vim obligandi in conscientia. Tertiò prohibetur repeti, quod causâ pietatis solutum est *l. unic. in ff. de condic. indebit.* Quartò quod solutum est ex causâ, unde lis crescit inficiando *l. ex quæ C. de condic. indebit.* Quintò quando causâ transactionis solutum est ob juramentum *insist. de act. § item si quis.* Sextò, si sit ab alio debitum, licèt is, qui solvit, non debuerit, dummodo nomine debitoris solutum sit *l. repetitio. ff. de condic. indeb.* hos modos recensет, & explicat Glossa in *l. 1. C. de condic. indeb.*

§. III.

De transactionibus inducentibus naturam contractûs.

1 Dupliciter sumi potest transactio prout accensetur contractibus innominatis. Primò generaliter prout comprehendit quamlibet conventionem *l. 1. §. 1. ff. de pact.* est enim conventio, quæ pertinet ad omnia, de quibus negotii contrahendi, vel transigendi causâ contrahitur, sunt enim conventiones omnino necessariæ, cum commercia rerum, quibus in vita civili nil frequentius, & utilius conventionibus absolvantur, siquidem eam conventionem vim habent, ut res faciant, & perdant, possessiones mutent, dominia transferant, lites, ac judicia solvant laicis, & ecclesiasticis. Secundò sumitur transactio specialiter, quando de certa, ac litigiosa re convenitur *l. 1. ff. de transact. l. transactio C. eod.* Sumpta transactio hoc secundo modo definitur esse *Pactio gratuita, de re dubia, & lite ancipiti nondum ad finem deducta*; cui definitioni ab aliquibus adduntur etiam illæ particulæ *nullam pariens juris civilis actionem, sed tantùm exceptionem*: unde præter dubietatem rei requiritur, ut non sit circà rem, de qua jam lata sit sententia, & quæ transierit in rem judicatam: hinc exactiùs definitur, seu describitur transactio à Wesenbec. *lib. 2. ff. tit. 15.* quòd sit *contractus, vel potiùs distractus juris gentium innominatus, & stricti juris, quo inter litigatores res dubia aliquo contradato, aut promisso remittitur, ac finitur nullam pariens juris civilis actionem, sed tantùm ad exceptionem proficiens.* hinc tria ad transactionem requiruntur. Primò res dubia. Secundò lis, quia si aliunde controversia oriatur, non sufficit ad constituendam transactionem, sed debet esse dubia, & litigiosa. Tertiò præstatio alicujus rei pro remissione, & extinctione litis.

2 Quapropter transactio est contractus innominatus, facio, ut facias: vel do, ut facias: habet enim similitudinem cum locatione, juxta quam regulatur; & transit in contractum nominatum, si vestiatur stipulatione; si fiat sub certa pœna nolenti eidem stare ab altero cogi potest, vel ad illi standum, vel ad solvendam pœnam illam. Si jurata sit transactio, & apposita pœna contravenienti, utrumque peti potest, & quòd servetur transactio, & quòd solvatur pœna: sin autem jurata non sit, sed tantùm munita stipulatione Aquiliana, & pœna apposita contravenienti, tunc potest exigi pœna ab eo, qui contra illam venit, ut notat Filliuc. *tract. 39. c. 8. q. 5. & sequent.* Transactionis species duæ communiter assignantur; simplex prima; & alia, quæ stipulatione Aquiliana munitur *l. si transf. 32. C. eod.* Alii tamen dividunt transactionem in generalem, & spetialem, juratam, & non juratam *l. si quis major. 41.* Mynsing. *decad. 6. respons. 60.*

3 Hinc transactio est de re dubia, & litigiosa de qua actualiter est lis; vel esse potest *l. Lucius juncta Glossa ibid. ff. ad trebel.* siquidem de re judicata, quia lis amplius esse non potest, nemo

tranſigit, ne lites procedant in infinitum, quamvis per pactum remitti poſſit. Neque de controverſiis ex teſtamento ortis fit transactio, quia hujusmodi controverſiæ cenſentur captioſæ, proinde improbantur *l. 5. h. t.* Tum quia adverſantur ultimis voluntatibus teſtatorum, quorum intentionem nituntur evertere. Rurſus transactio ſuper alimentis, ſi hæc relicta ſint ex ultima voluntate, & præſtanda in futurum absq; judicis authoritate, invalida eſt; ſin verò juramento firmetur, ſuum ſortitur valorem *l. cum hi ff. de transact.* Covarruvias *t. quamvis pactum p. 2 §. ult. num. 12.* De alimentis tamen præteritis licet tranſigere *l. 8. C. de aliment.* quia non ſunt ampliùs alimenta, cùm vita aliunde jam fuerit ſuſtentata; ſed tunc tranſeunt in purum, ac ſimplex debitum, de quo poteſt tranſigi, ut notant Tuſchus *V. transactio conclus. 346.* Decius *conſil. 474.* Menochius *lib. 2. caſu 169.* Licitum eſt etiam tranſigere de crimine publico, quod meretur pœnam capitis excepto tamen adulterio, quia licet cuique ſanguinem ſuum quovis modo redimere *l. 3. C. ad S. C. Turpil.* Tranſigere tamen de crimine non capitali leges prohibent *l. 18. C. de transact.* Weſenbec. *lib. 2. ff. tit. 15. num. 5.*

4 Ratio eſt, quia in hiſce delictis, ſi actor velit tranſigere, incurrit ſuſpicionem falſi, tametſi poſſit contingere, ut rationem, & cautam habeat deſiſtendi, quia fortaſſis cognoſcat probationes ſibi deeſſe. Eſt etiam alia ratio, cur non permittatur tranſigere de crimine publico non capitali, ne ſcilicet conceſſa tranſigendi licentia improbi proniores ſint, ac faciliores ad delinquendum. Cæterum qui de actione injuriarum numeratâ pecuniâ tranſigit, notam incurrit infamiæ *l. damnatos ff. ex quib. cauſis infam. irrogat.*

5 Excipitur tamen adulterii crimen ex triplici cauſa. Prima eſt ob frequentiam, & enormitatem ipſius. Secunda, ob favorem matrimonii, ne fiat ſanguinis turbatio, & viri ſordidæ ſtirpis, nobilibus ſubrogentur natalibus. Tertia ne maritis anſa detur lenocinandi, ut tradit Julius Clarus *lib. 5. §. fin. q. 58.* Weſenbec. *lib. 2. ff. tit. 15. num. 5.* inter tamen maritum, & uxorem adulteram permittitur transactio, ne uxor à marito accuſetur ad ſubeundam pœnam capitalem (id non obſtante ſuo adulterio permittitur facere, tametſi quoad divortium, & pœnam civilem adulteria compenſentur) unde uxor adultera poteſt in locum honeſtum ſe recipere, ut inter Moniales, ubi à viri conſortio ſeparata reliquam vitam traducat; ad id tamen requiritur conſenſus mariti, qui in pactum non poteſt ampliùs deducere jus ſuum eam accuſandi criminaliter, ſi lapſu temporis illud amiſerit, vel ex alia quacunque cauſa, vel etiam ex defectu ſufficientis probationis.

6 Rurſus hæc pœna non datur ante ſententiam judicis, quapropter deficiente probatione non poteſt maritus uxorem adulteram accuſare: neque tenetur ipſa coram judice fateri delictum ſuum, ſi probatum judicialiter non fuerit. Cæterum quia transactio hæc non importat lucrum marito acculanti, nec aliquam ex prærecenſitis cauſis evertit, non adverſatur *legi 18. tranſigere C. de transact.* quia nil aliud intendit, quam vitare incommoda illa, quæ adulterorum transactio parere ſolet, quando minus pura, ac ſincera eſt intentio, ut notat Tuſchus *V. transactio. conclus. 347.* ubi aſſerit, negata transactione nihilominus poſſe pacem conſtitui, per quam animi rancor remittatur, & etiam pœna ex parte minuatur adultero, cum de omni maleficio poſſit pax admitti, ut notat Bartol. *lib. 1. conſil. 175. V. quidam eſt per text. in authent. ſed hodie C. de adult.* ubi dicitur, maritum poſſe reconciliari adulteræ, & pacem cum ipſa inire.

7 Quòd ſi maritus occultè tranſigeret cum adultera uxore, vel hæc cũ viro adultero ſine ſcandalo, non videretur peccare, nec teneretur ad reſtitutionẽ, quod tamẽ debet intelligi poſt commiſſum adulterium, ut notat Malderus 2.2. *tract. 3. c. 4. dub. 8.* quia illa lex tantùm pertinet ad judices, ne concedatur actio in pœnam ob præſumptionem lenocinii: non verò reſpicit mores privatos; ut docent Molina *tom. 4. de juſtit. tract. 3. diſp. 100.* Sylvius *2.2. q. 62. art. 2. q. 7. conclus. 1.*

8 Omnis tamen transactio, quâ pro re aliqua temporali remittitur, vel retinetur jus aliquod ſpirituale eſt omnino irrita, & rejicitur, ut ſimoniaca *c. conſtitutus, & c. ſequent. c. ſuper eo de transact. c. cum pridem de pact. c. ult. de rer. permut.* Hinc quamvis poſſet beneficiarius Eccleſiam ſibi ſubjectam à ſua jurisdictione eximere, non tamen per viam transactionis ſibi retinendo certam penſionem annuatim ſolvendam Eccleſiæ majori, ut tradit Beroius *cons. 18. num. 5. & 8.* imò ſi per transactionem remittatur jus ſpirituale cum onere ſolvendi certam penſionem ei, qui jus ſuum ſpirituale remiſit, hujusmodi remiſſio tanquam ſimoniacâ rejicitur *c. 2. de arbit.* Beroius *d. cons. 18. num. 7.* Ratio eſt, quia in transactione fit ſemper quædam permutatio, quæ ſpeciem præſefert venditionis: ſiquidem intervenit pretium datum, vel promiſſum, quo res dubia, & litigioſa remittitur, quapropter in transactione, qua pro temporali aliquo remittitur jus ſpirituale, emitur res ſpiritualis, quæ emptio propriè ſimoniaca labe inficitur.

9 Hinc quando de jurisdictione ſpirituali lis inſtituitur, non eſt licitum per datam, vel promiſſam pecuniam tranſigere. Quòd ſi agatur de beneficio eccleſiaſtico peccant, qui litem componunt offerendo pecuniam actori, ut deſiſtat, vel ab eodem recipiendo pecuniam relinquendo ipſi beneficium; hoc idem etiam procedit de jure patronatus, & de aliis annexis rebus ſpiritualibus, ac pertinentibus ad Eccleſiam. Hinc eccleſiaſtici non poſſunt tranſigere ſuper mobilibus pretioſis litigioſis, an pertineant ad Eccleſiam, vel ad laicos, quia eo ipſo, quòd eccleſiaſtici cognoſcunt jus Eccleſiæ ſuper mobilia illa pretioſa, & incipiunt defendere coram judice tale jus; transactio eſt ſuper jure agnito, proinde cum alienatione talis juris.

10 Hinc absque ſolemnitatibus jure præſcriptis, & conſenſu Pontificis non poteſt tale jus alienari, neque tranſigi ſuper mobilibus rebus pre-

pretiosis, cùm transactio alienationem comprehendat. Abbas in *c. contingit. num. 3. de transact.* Cravetta *consil.* 123. *num. 1.* Redoanus *de reb. eccles. non alien. c. 1. num.* 12. hinc deficientibus solemnitatibus jure præscriptis transactio est nulla, *c. nulli de reb. eccles. non alien. & c. 1. eod. tit. in 6.* est enim regulare, quòd actus omissis solemnitatibus jure requisitis nullius sit valoris *l. cùm hi. §. prætor. ff. de transact. l. Julianus §. si quis ff. ad exhibendum* Bald. *in l. antiquitatis C. de testament.* Tum quia eo ipso, quòd laicus solvit in transactione certam quantitatem pecuniæ, præsumitur eam solvere pro compensatione juris, quod clerici eidem cedunt, proinde præsumitur dare pretium temporale pro re spirituali, & eo ipso quòd fit cessio juris, fit etiam alienatio, quæ sine solemnitatibus jure præscriptis, & consensu Papæ est irrita: quapropter talis transactio non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ est nullius valoris.

21 Pari pacto in materia beneficiorum illicita est transactio, non solùm si pro beneficio ecclesiastico solvatur pretium temporale, verùm etiam si detur aliquod spirituale, si tamen fiat propria authoritate agentium, ut tradit Panorm. *in c. constitutus, c. super eo h. t.* & quamvis pro spirituali re aliam rem spiritualem dare servata utrinque æqualitate non videatur per se malum, & in beneficiis semper adsit aliquid spirituale, ratione cujus possit fieri commensuratio, nihilominus jure positivo talis transactio prohibetur ob periculum, quod in talibus commutationibus latet, ne loco justitiæ simonia subintret variata exteriùs æquitate *c. quæsitum c. olim. de rer. permut.* Layman. *lib. 4. tract. 10. c. ult.* Quòd si talis transactio non fiat propria litigantium authoritate, sed ex consensu superioris ecclesiastici, Barb. *in c. 2. de transact.* asserit, talem transactionem validam esse, & ab omni suspicione simoniæ liberam.

22 Immo sunt etiam, qui docent ex consensu partium arbitros delectos, dummodo clerici sint, posse transactionem facere de beneficio, imponendo onus aliquod temporale propter bonum pacis, & videtur desumi *ex c. nisi* 22. *de prabend.* & id videtur probabile, dummodo pecunia non imponatur ei danda, cui beneficium adjudicatur: quia, si beneficium detur illi, cujus causa videtur melior, consulitur justitiæ, & si pecunia absit, nullum simoniæ periculum est, & simul bonum pacis procuratur aliquid imponendo, quod adversario suo beneficiarius impertiatur, ut docent Suarez *de religion. lib. 4. de simon. c. 51.* Tuschus *conclus. 348.* Sylvester *V. transactio.*

23 Cæterum transactio non permittitur de quovis annexo rei spirituali *c. præterea 10. de transact.* ubi damnantur nonnulli Religiosi intendentes cellam aliquam á subjectione matricis Ecclesiæ subtrahere, adducentes transactionem quandam factam *c. quanto de judic.* ubi expresè dicitur, quòd de annexo rei spirituali non possit testari, nec transigi. Causa itidem juris patronatus ita est conjuncta, & annexa causis spiritualibus, ut nonnisi à Judice eccle-

stico possit definiri, ut tradit Ximen. *in concord. p. 1.* & Sylvius *V. transactio* proinde neque super jure patronato potest transigi. Secus de decimis, ut tali modo etiam in minori quantitate dentur, si ex consensu superioris ecclesiastici, seu ordinarii fiat transactio, suum sortitur valorem *c. statuimus h. t.* Si verò fiat compositio inter parochos absque consensu Ordinarii, valet tantùm ad vitam illorum, ne inde præjudicium fiat successori. Non tamen laicis debent decimæ concedi, nisi fortassis ad breve tempus, & ex gravi causa, ut notat Barb. *in c. statuimus V. supra tit. 2. §. 2. num. 4.*

Potest tamen de rebus nondum unitis, & 24
incorporatis Ecclesiæ transigi intervenicnte authoritate superioris, imò Episcopus potest solus id præstare Abbas *in c. statuimus num. 4. de transact.* Bald. *in l. præses. num. 6.* Menochius *cons. 73. num. 8.* & tunc transactio valet etiam in præjudicium successoris *c. fin. de pact. in 6.* Berojus *cons. 7. n. 24. volum. 3.* Cravetta *cons. 849. volum. 5.* immo etiam Prælatus Episcopo inferior potest transigere sine consensu Episcopi, si agatur de recuperando pristino jure Ecclesiæ deperdito, ut tradunt Butrius *in d. c. statuimus col. 1.* Bero. *cons 7. num. 24.* idque à fortiori procedit in fratribus mendicantibus, in quibus est speciale, quòd transactiones bona fide factæ per Capitula, & Priores locorum valeant, quamvis non intervenerit consensus Ministri Provincialis, vel Generalis, aut approbatio Capituli generalis, seu provincialis *c. fin. de pact. in 6.* Butrius *de pact.* Rota *divers. decis. 22. num. 6. & sequent. p. 2.* Id etiam procedit de Monialibus, aliisque Prælatis Regularibus, qui possunt super legatis, & hæreditatibus dubiis, & litigiosis, vel damnosis non solùm transigere, verùm etiam repudiare, Abbas *in c. tua nuper. num. 9. de his quæ fiunt à Prælato* Lappus *alleg. 26.* Menochius *cons. 73. num. 11. & sequent. volum. 1.* Non tamen Monachus solus potest repudiare legatum sibi relictum, Speculator *de stat. Monach. vers. 8.* Riccius *in prax. aurea p. 2. resolut. 114.* An verò possit Prælatus donare novalia, quæ in sua diœcesi oriuntur, si nondum sint Ecclesiæ perfectè acquisita. Affirmant Abbas *in d. c. tua nuper in fin.* & Menoch. *cons. 73. num. 9.*

Cæterum in casibus à jure permissis potest 25
Judex suas partes interponere ad transigendum, debet tamen semper inclinare in meliorem partem, prout causarum, ac temporis circumstantiæ exigunt: quandoque in aliquo particulari casu lex scripta nihil disponit, & tunc stari debet æquitati: siquidem ratio sola sufficiens est ad decidendum etiam sublata lege, *l. scire l. sufficit. ff. de executione tutor. c. requiris 2. de appellat.* Menoch. *cons. 202.* Tiraquel. *in c. cessante causa limitat. 2.* Et licèt transactio sit absoluta, & consensu partium firmata, non tamen tollitur facultas Magistratui cognoscendi, inquirendi, ac puniendi crimen, de quo transactum est, neque impediuntur alii, quò minus possint de illo instituere accusationem: quia cum intersit reipublicæ, ut crimina puniantur, hoc jus publicum non tollitur per pacta privatorum *l. ne*

publicum ff. de pact. l. juris gentium §. si pacisc. eod.tit. Nihilominus super eodem processu non licet procedere, sed novus debet inchoari, ut tradunt Decianus *lib. 3. c.34. num. 35.* Tholosanus *lib. 28. c. 2. n. 9.* Transactio tamen perfecta, cùm naturam induat contractûs innominati pœnitudinem non admittit, sed observanda firmiter est *l. fratris l. etiam te l. quod res C. de transact.* Quod tamen esse intelligendum de transactionibus, quæ statim simpliciter perficiuntur, monet Mynsing. *decad. 6. respons. 60.* non ita de transactionibus redigendis in scripturam, quia tunc datur locus pœnitentiæ, donec scriptura expediatur, imò non censentur suum sortiri valorem, donec scriptura absoluta fuerit: hac enim obtenta præcluditur via retractandi, perinde ac in sententia lata, transactio enim, & sententia æquiparantur *l. 2. ff. de jurejur. l. post rem ff. de re judic.* Mynsinger. *decad. 6. respons. 60.*

§. IV.

De contractu Precarii.

PRecarium, de quo in præsenti titulo speciaIiter agitur, est contractus, quo res aliqua petenti tamdiu conceditur ad usum, quamdiu non revocaverit is, qui eam concessit *l. 1. ff. de precario, & c. ult. eod. tit.* Cuiacius *in l. 4. §. ult. de usucap.* hinc statim apparet, precarium esse quandam speciem liberalitatis jure gentium receptam, & differre à commodato, eò quia hoc ad certum usum, certúmque tempus expressum, vel tacitum tantùm concedatur: secus precarium pro libitu dantis potest semper revocari; & si contingat interdum, certum tempus nominari, nihilominus adhuc intra tale tempus potest, qui rem concessit in usum, eandem revocare, ut notat Bart. *in l. in commodato ff. commodati.* Tum quia ut notat Gomez *lib. 11. c. 7.* in commodato nulla possessio transit in recipientem *l. rei commodatæ ff. de commod.* in precario autem transit possessio naturalis, & manet apud dantem civilis, nisi aliter pactum sit *l. & habet. §. fin. de precario,* & ibidem Canonistæ cum Glossa ordinaria: & ob hanc rationem utentibus precario datur interdictum possessorium *l. qui precario ff. de precar.* eò quia non simpliciter rem detinentibus, sed possidentibus detur *l. 3. §. creditores. ff. uti possidetis.*

Quòd si quæras, cur hoc idem non contingat in commodato. Respondetur, quia Legislatori non placuit ob difficultatem recipiendi precarium hoc illi privilegium dare; quandoquidem usus illius non perinde ut in commodato certus est, ac definitus: vel fortassis ut notat Tholosanus *lib. 13. c. 11.* quia petens rem sibi dari possidendam, possessionem accipit; ait enim Tholosanus, ex hoc videri possessionem acquisivisse, quia preces adhibuit, & impetravit, ut sibi possidere, ac uti liceret, quæ tamen possessio tamdiu durat, quamdiu placet illi, qui rem ad preces concessit *l. 2. §. fin ff. de precario.* Tiraquel. *de constitut. p. 1. num. 4.* Menochius *de arbit. cas. 24.* Barb. *in c. 3. de precariis*: unde est semper in arbitrio dantis quocunque tempore voluerit iterum repetere rem datam; non tamen statim ante omnem usum, & commodum perceptũ ab accipiente, alioquin censeretur, qui ad preces dedit rem illam, fraudulenter processisse, quasi rem illam dedisset, ut mox eam resumendo spe sua, & commodo defraudatum illuderet. Unde consultius semper est, ut precarium repetatur ab eo, qui illud concessit liberaliter, & post aliquem usum, quo is, cui concessit, commodum aliquod perceperit ex tali precario. Wesenbec. *lib. 43. ff. 26.* Cuiacius *lib. 5. observat. c. 20* Layman. *lib. 3. tractat. 4. n. 14.*

Sumitur precarium non tantùm pro ipso contractu, verùm etiam pro re ipsa, quæ precario datur, & à rogante accipitur, ita enim sumitur à Glossa *in c. fin. V. precarium h. t.* ubi ait, precarium esse, quod precibus ad utendum datur, quamdiu patitur is, qui concessit, & in hoc sensu etiam sumitur, quoties dicitur precarium esse restituendum danti, quandocunque ipsi libuerit. Sunt tamen, qui distinguunt precarium à precaria, eò quia precaria non possit revocari pro arbitrio concedentis, ac proinde sit verus contractus, quo veluti precarius ususfructus prædii ecclesiastici, alicui conceditur, quinto quoque anno renovandus, & desumitur *ex c. precaria 1. h. t.* ubi dicitur, precariæ de quinquennio, in quinquennium secundùm authoritatem, & antiquam consuetudinem renovari debent, ubi Glossa addit, precariam esse contractum initum usque ad quinquennium, vel donationem usque ad mortem accipientis, idque vel ad remunerandam donationem ab eo factam Ecclesiæ; vel in gratiam ministeriorum, quæ Ecclesiæ præstiterit, vel speratur præstiturus. Et quamvis Hostiens. distinguat, precarias in plurali à precaria in singulari, quasi precariæ sint contractus, quo veluti precarius ususfructus prædii ecclesiastici conceditur alicui etiam ultra vitam quinto quoque anno renovandus. Precaria autem sit contractus, quo conceditur alicui ususfructus prædii alicujus ecclesiastici tantùm ad dies vitæ ad triplum, vel duplum fructuum ipsius rei, quam Ecclesiæ dedit.

Communior tamen sententia, & verior est, precariam, & precarias non distingui, & sumi pro eodem, ut tradit Cuiacius *lib. 1. de feud. tit. 5.* Cæterum precariam, vel precarias esse renovandas de quinquennio in quinquennium, non tam habetur ex juris dispositione, quàm secundùm consuetudinem, ne, cùm ad hæredes, & de persona ad personam transeat precaria, facilè ejus inducatur oblivio, proinde ad excitandam memoriam precarii singulis quinquenniis renovantur precariæ *argum. can. longinquitate 12. q. 2.* sicut enim non petens investituram à suo domino, cadit jure suo: ita non petens renovationem precariæ elapso quinquennio amittit, jus in precarium.

Alii tres distinguunt species precarii. Dicunt enim precariam esse rei concessionem, & ususfructûs ea lege factam, ut is, qui rogavit, tamdiu utatur, fruatúrque re sibi concessa, quamdiu vixerit, qui illam concessit: quæ tamen in personis ecclesiasticis non admittit successionem sive in beneficio, sive in aliis rebus ecclesiasticis *c. fin. de precario c. 2. 10. q. 1.* Rursus precarium dicunt, esse concessionem ejus-

dem

dem rei non ad dies vitæ, sed ad quinquennium. Rursus precarias dicunt esse plures concessiones simul junctas, ut notat Tholosanus *lib. 23. c. 2. num. 4.* Verùm hæ distinctiones non admittuntur, vel quia nonnisi accidentalem invehant differentiam.

6 Cæterum precariæ plerumque conceduntur causâ remunerationis, ut ei, qui rem suam Ecclesiæ donavit; tunc enim potest eidem hæc eadem res vicissim concedi in precarium ad dies vitæ. Pari pacto potest quis precarias obtinere licèt de facto nil donaverit Ecclesiæ, dummodo promittat, quòd post certum tempus velit Ecclesiæ aliquid elargiri *text. in c. hujusmodi, & c. precaria 10. q. 2.* verùm in jure non citatur textus, quo dicatur esse de substantia precarii, ut præcisè fiat causâ remunerationis; & Canonistæ plures de hoc titulo remunerativo nullum faciunt verbum; nisi quòd Joannes Honorius *h. t. num. 2.* doceat, precariam differri à precariis; quia illa detur causâ remunerationis instar temporalis, & gratuiti ususfructus in hæredes non transituri *argum. c. precaria 1. h. t.* ubi Glossa *in V. precaria 10. q. 2.* Precariæ verò majorem affinitatem habent cum contractu emphyteutico, nisi aliter conventum fuerit. Cæterum communiter Canonistæ precariam, & precarias sumunt pro synonimis, & probabile est, Canones in plurali usurpâsse precarias propter illas novationes quinquennales, quæ in hoc contractu concedi solent.

7 Neque videtur esse de substantia precariæ, quòd semper gratis concedatur: siquidem potest contrahi pro annua aliqua recompensatione, ut notat Panormit. *in c. 1. h. t. num. 3.* licèt Barb. *in collect. ad princ. huius tit. num. 9.* putet in precaria non posse pensionem constitui, & per hoc precariam differre ab emphyteusi, in qua solvitur annuus canon: sed id non probatur juris authoritate; & precaria sufficienter differt ab emphyteusi per repetitas quinquennales renovationes. Tum quia in precaria dominium utile non transit in eum, qui precariam accipit: secus hoc dominium tranlit in emphyteutam.

8 Cæterum ad concessionem precariæ necessariæ sunt solemnitates jure præscriptæ, est enim precaria quædam species alienationis, *& in extravag. Ambitiosa de reb. eccles. non alien.* in quacunque locatione ultra triennium semper requiruntur solemnitates jure præscriptæ, proinde etiam in concessione precariæ, cùm precaria revera sit species quædam alienationis ultra triennium, quæ alienatio expressè prohibita est in Paulina constitutione: proinde ad ejus valorem requiruntur necessariò solemnitates jure præscriptæ.

9 Rursus quamvis precariæ ritè ad determinatum tempus concessæ non possint pro voluntate concedentium ante elapsum tempus revocari, ut desumitur *ex c. precarium 3. h. t. in fin.* ubi dicitur quòd contractus, qui dicitur precariæ non possit revocari ad voluntatem concedentis: si tamen precariæ fuerint irrationabiliter concessæ, vel in damnum Ecclesiæ ab ipso concedente, vel etiam successore jure ordinario per viam nullitatis, si debitæ solemnitates non fuerunt adhibitæ; vel saltem per viam restitutionis in integrum, revocari debent: hoc enim procedit generaliter de rebus omnibus ecclesiasticis malè alienatis: immo etiamsi adjecta fuisset pœna conventionalis, nihilominus statuit Pontifex *in c. de precariis 2. h. t.* ut successor posit dissolvere precaria irrationabiliter facta ab antecessore non obstante pœna gravi apposita, & potest revocare bona Ecclesiæ. Tum quia, quando contractus est irritus pœna conventionalis eidem adjecta est nulla, & non tenet. Rursus successor non tenetur ex contractu facto ab antecessore suo in damnum Ecclesiæ.

10 Quòd si petas, quomodo, & quando precarium finiatur. Respondetur precarium finiri per obitum illius, cui est concessum, non ita per mortem concedentis, idque desumitur *ex c. precarium 3. h. t.* ubi dicitur, quòd precarium solvitur morte ejus, cui fuit concessum, & non morte concedentis, etenim quod finiatur per obitum illius, cui fuit concessum ex eo liquet, quia precarium cùm sit beneficium personale, exigit extingui simul cum persona juxta *regul. jur. 7. in 6.* nec tranfit ad successorem, aut hæredem illius, cui fuit precarium concessum *l. cum precario in fin. ff. h. t.* Abbas *in c. precarium 3. h. t. num. 5.* Et hoc est discrimen inter precarium concessum personæ, & dignitati, quia illud extinguitur cum persona, secus concessum dignitati afficit dignitatem, quæ cum transeat in successores etiam ipsum precarium ad ipsos transit, accidentia enim sequuntur subjectum cui inhærent.

11 Quòd verò precarium non extinguatur morte ipsius concedentis, & proinde transeat ad successorem, desumitur *ex cit. cap. precarium*, ubi dicitur, hoc non extingui, neque solvi morte concedentis: quia cum precarium sit quædam species gratiæ, ac veluti privilegium, exigit tamdiu manere, donec fuerit expressè revocatum: hinc precarium datur, ut illo utatur is, qui accipit, donec per voluntatem concedentis revocetur *l. 1. ff. h. t.* sed per mortem concedentis non censetur revocata gratia facta, seu jam concessa *c. si super 9. de offic. deleg. in 6.* ubi dicitur, quòd gratia à sede apostolica concessa (quamvis nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis: siquidem ad revocationem gratiæ alteri concessæ requiritur actus positivus, & contraria voluntas, quæ si à concedente, dum viveret, non promanavit, gratia perseverat, donec ab ejus hærede, vel successore revocetur, ut tradit Covarruvias *lib. 3. resolut. c. 15. num. 1.*

12 Quòd si gratia precariò concessa sit à Principe, vel alio usque ad placitum suæ voluntatis, seu quamdiu ipsi placuerit, tunc quia concessio dependet à positiva voluntate concedentis, per mortem istius etiam expirat concessio, seu gratia absque alia positiva revocatione, & desumitur *ex c. gratiosa 5. de rescript. in 6.* quia tunc gratia non conceditur absolutè, sed cum limitatione quamdiu perseveraverit voluntas concedentis: atqui hæc per mortem omnino extinguitur, unde etiam ipsa gratia concessa,

quia tunc finitur tempus concessionis, nec requiritur alius actus necessarius contrarius; quia
13 ut notat Bartol. voluntas morte finitur. Quòd si is, qui rem precario alicui concessit, eam alienavit, tum emptor potest eam revocare, consequenter finitur ac tollitur precarium per ejus revocationem, ut statuitur *in c. precarium 3. h. t.* quia per talem alienationem non licet rem alienam invito domino possidere, & cùm precarium datum fuerit omnino gratiosè, & liberaliter potest à domino repeti, quando ipsi placuerit.

14 Hinc quatuor modis finiri potest precarium. Primò voluntate illius, qui precarium concessit, quia is habet semper liberam voluntatem repetendi, ut nullo pacto sopiri possit. Secundò lapsu temporis pro quo concessum erat. Tertiò alienatione, ut si is, qui dederat venditione, vel alio contractu, rem alienavit, quia tunc res precario concessa transfertur in dominium alterius, & nisi hic novus dominus iterum concesserit precarium, hoc desinit. Quartò denique finitur morte illius, cui fuerat concessum, quia privilegium personale non transit ad hæredem *c. ult. de precario* Bartol. *in authent. de non alien.* Tiraquel. *de constitut. p. 1. num. 65.*

15 An verò possit dari precarium rei propriæ, ut si Petrus rem suam pignori datam precario petat à creditore, ut possit ea uti, donec placuerit creditori? Respondet Ulpianus *in l. certè interim ff. h. t.* posse precarium consistere in pignore, eò quia non rogetur de proprietate, sed tantùm de usu, hinc creditores possunt rogari
16 precario ab his, qui pignori dederunt: & id in praxi est frequens, qui enim oppignoravit vestem, vel vasa argentea, potest precario rogare creditorem, ut velit sibi concedere usum talis supellectilis tali die festo, vel etiam ad tempus longius donec creditori placuerit. Hinc studiosus, qui pro debitis oppignoravit suos libros, & gladiũ, potest ea petere ab hospite suo in precarium, & illis uti, non ut jam suis, sed ut precario acceptis; & si iisdem fuerit abusus, obligatum iri, perinde ac si essent aliena, de dolo, & culpa lata, desumitur *ex l. quæsitum est §. eum quoque ff. h. t.* Tuschus *conclus. 474. litt. P.*

16 Nullâ tamen jure civili ex precario oritur actio directa, vel contraria, sed propter æquitatem naturalem competit interdictum de precario *l. interdictum 13. ff. de precario l. cum qui §. in qui precar. 5. de furto*, si tamen illud cautum sit de restitutione. Cæterum si per concessionem precarii cautum fuerit de restitutione per stipulationem, ex illa tunc agitur; alio enim modo cessat interdictum *l. & habet 15. §. cum quis ff. h. t.* & datur condictio præscriptis verbis, quæ ex bona fide oritur, quapropter per interdictum restitutorium precarii dominus repetit ab eo, qui possidet, vel desiit dolo possidere *l. sicut. C. de act. l. in traditionibus ff. de pact.* Verùm condictio ex lege, vel canone tunc propriè datur, quando lex extra caulam contractus imponit obligationem, ut si Episcopus petat procurationem ratione visitationis sibi debitam: si enim verus contractus concurrit, tunc datur propria actio ex illo contractu. Sin verò agatur in foro civili (quamvis in hoc rarò formulæ actionum usitatæ sint hodierna praxi) tunc quia in jure civili contractus precariæ est incognitus, proinde innominatus, dabitur ex eo sicuti ex contractibus innominatis actio præscriptis verbis *l. naturalis* ubi doctores *ff. de præscript. verbis.*

Cæterum quia jus civile supplementum 17
præstat juri canonico, & vice versa *c. 1. de novi operis nuntiatione* ideo fortassis non posset redargui, qui diceret, sicut in jure civili actus ex contractu assumit regulariter nomenclationem ut actio precarii, commodati, empti, conducti, locati; ita eadem ratione posset dici ex contractu precariarum oriri actionem precariarum.

§. V.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

QUæritur primò, quinam possint validè 1
contrahere? Respondetur, generatim eos omnes posse validè contrahere, qui habent administrationem bonorum, quatenus illa administratio se extendit, siquidem administratio potiori ex parte sita est in contractibus: hinc carentes administratione non possunt, nisi ex consensu eorum, quibus subsunt contrahere. Sed oritur statim difficultas de minore, & pupillo pubertati proximo, & communis responsio est, posse hos sine authoritate curatoris, vel tutoris validè contrahere in suum commodum, non verò in proprium damnum; quia non possunt sine authoritate eorum, quibus subsunt, aliis validè, & efficaciter obligari, tametsi possint alios sibi obligare, & desumitur *ex instit. de author. tutor. init.* quod tamen procedit de pupillo pubertati proximo, seu qui attigit ætatis annum decimum cum medio, si sit mas, vel novem cum medio si fœmina: siquidem ante hoc tempus dicitur infans, seu infantiæ proximus, & jure non præsumitur habere prudens judicium sufficiens ad contrahendum. Infantia enim durat usque ad annum septimum completum ætatis.

Pubertas in maribus incipit in termino 2
quarti decimi anni ætatis, in fœminis 12. unde intra hos duos terminos constituti, quando sunt propinquiores termino, in quo incipit pubertas, quàm in quo desinit infantia, dicuntur proximi pubertati; & præsumuntur jure habere sufficiens judicium ad alterum sibi per contractum obligandum, Glossa *instit. de inutil. stipul. §. pupillus.* Inchoata pubertate desinit ætas pupillaris, & incipiunt nominari puberes, & minores usque ad annum 25. expletum, post tale tempus vocantur majores. Licèt minor possit per contractum sibi obligare majorem, non tamen alium minorem, quia hic fruitur eodem privilegio, quo cùm non gaudeat major, potest à minore obligari: hinc contractus majoris cum minore vulgò dicitur claudicare, quia solùm ex altero latere est obligatio.

Non tamen major tenetur restituere ante 3
sententiam judicis, nisi minor restituat pretium

quod

quod accepit: si enim nolit pretium restituere potest tunc major jure retentionis, aut compensationis rem retinere, quia de jure naturali tenetur restituere, imò etiam jure civili, pro ut ex eo factus est locupletior, alioquin si non sit factus locupletior, vel quia amisit, vel consumpsit, jure civili non tenebitur, sed solùm obligatione naturali, quam potest excutere utendo beneficio restitutionis in integrum, & compellendo majorem ad restitutionem rei venditæ per sententiam judicis.

4 Hinc amentes, furiosi, infantes nondum septennes nequeunt validè contrahere; ratio est perspicua, quia ad contractum requiritur consensus liber, & rationis usus. Prodigus nec etiam potest contrahere, quia ipsi à jure prohibita est administratio suorum bonorum. Filii familias de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, dummodo puberes sint, vel proximi pubertati possunt contrahere, quia in his habent liberam administrationem. Non ita de bonis adventitiis sine consensu patris, eo quia hic habet in iis usumfructum, & administrationem. De bonis profectitiis, nec possunt contrahere sine consensu patris, quia hic habet dominium directum, & utile in iis.

5 Si tamen contrahant de bonis adventitiis, & provectitiis, & puberes sint, obligantur ex contractibus, quia datur actio contra illos jure communi *l. instit. 3. de inutil. stipul. item inutilis.* Servi contrahendo obligantur quidem naturaliter, & in conscientia ad servandum contractum, non ita civiliter, proinde contra ipsos non datur actio in foro sæculari etiam postquam venerint ad libertatem. Excipitur tamen in jure promissio, seu pactum certæ pecuniæ pro libertate *l. promisse C. an servus pro suo prop.*

6 Quæritur secundò an Princeps obligetur ex contractu inito cum suis subditis? Difficultas oritur ex verbis Ulpiani, qui *in l. Princeps 31. ff. de legib.* expressè ait, Principem legibus solutum esse. Sed variè explicant doctores Ulpianum, Cuiacius *lib. 15. obser. c. 30.* ait, id esse intelligendum de legibus odiosis, scilicet Julia, & Papia tantùm, hoc argumento, quia desumatur ex Ulpiano *lib. 13 ad l. Juliam, & Papiam*, Gottofredus *in notis ad nov. 105. c. 2. in fin.* explicat Ulpianum, non quòd sit Princeps verè legibus solutus, sed quòd solutus videatur *argum. l. imperfecto 13 ff. de legib. 3.* Guilhelmus Onciacus *q. 37. n. 4.* ait, Principem de facto esse solutum legum vinculis, non ità jure. De hac quæstione fusè tractant Schiforhegh. *lib. 3. tract. 19. q. 21.* Ungepant. *exercit. justin. q. 5. pag. 44. & sequet.* Nihelius in *tract. de revis. conclus. 22. num. 16. & sequent.* Henonius *disp. 1. controvers. 17.* Enenkel *lib. 1. de privileg. c. 8. & l. 3. c. 3.* Rumelinus *in auream bullam Caroli IV. dissert. 5. p. 1. thes. 10.* Verùm procedendum est cum distinctione: siquidem certum est, supremum Legislatorem non obligari sua lege quoad vim coactivam, quia hæc propriè exercetur in invitum, à quo pœna reposcitur pro transgressione legis, & pœna non potest reposci à supremo legislatore, eò quia alius non subjiciatur, & sibi nec etiam subditur, nec habet vim coactivam. Tum quia esse debitorem pœnæ dicit respectum ad alium, à quo possit quis compelli ad solutionem pœnæ, & supremus Princeps non subditur alicui, à quo possit compelli ad solutionem pœnæ: quapropter si Princeps peccet, fit apud Deum obnoxius pœnæ debitæ, non verò apud hominem si sit supremus Princeps: ex quo sequitur, Romanum Pontificem non incurrere pœnam constitutam à lege à se latam, neque Episcopum teneri ad pœnam suæ legis.

7 Cæterum Princeps etiam supremus tenetur præstare, quod aliis præscripsit per legem, si ratio, & materia legis in illo etiam locum habeat, ita communitur docent doctores cum D. Thoma *q. 96. art. 5. ad 3.* Undè respondendum est, Principem subdi legi quoad vim directivam, licèt non quoad vim coactivam, & desumitur *ex c. cum omnes de constitut.* ubi habetur, quòd quis, quæ juris in alterum statuit ipse debeat eò uti, & *l. digna C. de ll.* dicitur: digna vox est majestate regnantis alligatum legibus se Principem profiteri. Cæterum quamvis Legislator non obligetur suâ lege immediatè ex efficacia legis illum adigentis, adhuc lex ab eo posita se habet respectu illius, ut conditio sine qua non, quâ posità lege naturæ obligatur ad præstandum id, quod aliis suâ lege præscribi sit.

8 Quòd si Princeps specialiter contrahat cum suis subditis, obligatur stare contractui, vel quasi contractui sive cum æqualibus, sive cum subditis suis inito, nec potest salva justitia, & conscientia reniti, quia sicut Principi subditus, ità subdito Princeps ex contractu, vel quasi contractu obligatur, relativorum enim est eadem ratio.

9 Tum quia Princeps eo ipso quòd contrahit non consideratur ampliùs ut Princeps, sed ut persona privata, quia ut Princeps non potest subjici, nec se obligare suis subditis, alioquin nunquam posset pacisci. Tum quia leges contractuum feruntur pro universitate, adeo ut singulos in ea afficiant: unde sicut membra inferiora, sic etiam caput continetur in tali universitate, & afficitur iisdem legibus, præsertim cum non ad alium finem Princeps à populo constituatur, quàm ut boni publici rationem habeat, fidem servet, justitiam exerceat, bonum publicum promoveat.

10 Quæritur tertiò, an Princeps teneatur sui prædecessoris pacta servare? Respondetur affirmativè, quia Princeps supponitur succedere universaliter in omnia bona, & jura sui prædecessoris *c. veniens de transact. c. 1. de probat. c. ii, qui in jus succedit. alterius de regul. jur. in 6.* Neque obstat, quòd *in c. fin. de rescript. in 6.* habeatur: nemo ligat suum successorem, siquidem hæc regula fallit in iis, quæ ad totius reipublicæ bonum pertinent, neque arbitrariam, sed ex natura rei obligationem conjunctam habent, cujusmodi sunt pacta, & conventiones ineundum leges, vel consuetudinem loci legitimo modo profectæ: ad quarum observantiam in primo sui monetis ingressu Princeps se obligat, idque considerans Surdus *consil. 419. n. 27.* infert, aliàs futurum, ut Princeps sibi ipsi contrarius

trarius foret juxta Baldi *observationem in consil.* 226. *col.* 3. *volum.* 1. quod vel maximè procedit si agatur, de concessis à prædecessore ob bene merita accipientium: in hoc enim casu donatio, vel concessio nequit revocari, ut probat Menochius *in consil.* 1003. *num.* 64. allegans inter alios Soarium *allegat.* 10. ubi specialiter de Rege Hispaniarum tatetur, eum prædecessoris sui donationem ob bene merita factam non posse revocare, eò quia hujusmodi concessa transierint in contractum onerosum, qui non admittit abrogationem; ut communiter docent Bald. *in l. digna vox. C. de legib.* Decius *in c. n. de probat.* Oldrad. *consil.* 44. Decian. *consil.* 25. Barb. *in præmiss. c. dilecti de for. compet.* Idque solet firmari exemplo summi Pontificis, qui servat contractus sui prædecessoris, ut notant Cynnus, Bald. Romanus, Oldrad. Jason, & saltem ex clementia, & æquitate mandat, ut ea adimpleantur, ad quæ suus prædecessor se obligaverat, pro ut habetur in sacris canonibus *c. quia Joannes 12. q. 5. c. ult. 16. q. 6. c. literis junctâ Glossa de rescript.* Tuschus V. Princeps *consil.* 690. *& sequent.* Mynsing. *decad.* 10. *respons.* 98.

41 Quæritur quartò, an contractus à Religioso initus absque sui superioris licentia sit ipso facto irritus? Respondetur, communem sententiam esse, Monasterium non teneri, neque ullam obligationem contrahere ex talibus contractibus, nisi fortassis inde locupletius factum fuisset, quia Religiosus est instar filiifamilias, & servi, qui absque facultate, & authoritate patris, & domini non potest contrahere, unde Monasterium nullam contrahit obligationem ex talibus contractibus, nisi locupletius factum sit *l. 1. si cum impubere. ff. de peculio.* Obligatur tamen Monasterium ex contractu inito à suo Prælato si non excedat limites suæ administrationis, & ex tali contractu oriatur emolumentum ipsi Monasterio, alioquin si Prælatus mutuo acciperet pecunias in proprios particulares usus vanos, & inutiles Monasterio, hoc non contraheret ullam obligationem ex tali mutuo, quia tunc contractus excederet limites suæ administrationis. Rursus contrahit etiam Monasterium obligationem ex contractu Monachi inito ratione alicujus administrationis etiam tacitè illi concreditæ, dummodo limites suæ administrationis non excedat. Contractus verò à Religioso absque licentia sui superioris initus non est omnino irritus, sed integrum est Prælato, vel Monasterio illum irritare, vel ratum habere, prout ipsis magis congruum, & utile visum fuerit: perinde ac in contractu inito à pupillo, vel minorenne absque Tutoris, vel Curatoris licentia.

42 Oritur tamen ex tali contractu semper obligatio naturalis in Religioso, si superior illum non irritet; proinde tenetur dare operam quantum in se est, ut Prælatus contractum à se initum approbet. Quòd si Religiosus de sui superioris legitima licentia contraxerit, tunc obligatur naturaliter, & civiliter, & non potest contractus ab eodem Prælato, vel successore validè irritari, quia Prælatus successor tenetur, & obligatur sicut suus antecessor.

43 Quæritur quintò, quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceperint? Respondetur, beneficium hujus restitutionis in integrum concedi. Primò minoribus, qui nondum 25. ætatis annum expleverunt: si enim in aliquo contractu non satis prudenter, & circumspectè se gesserint, adeo ut notabile damnum inde acceperint, restituuntur in integrum *l. 3. & 15. C. de in integr. restit.* immo tametsi talis contractus initus sit de consensu Tutoris, vel curatoris, & authoritate judicis, quia consensus tutoris, & decretum judicis id tantùm præstant, ut actus jure sit validus, non verò, ut excludat restitutionem in integrum. Hinc si læsus fuerit ex venditione, eò quia rem vendiderit viliori pretio, poterit agere ad justum pretium, & si oportebat rem non vendi, poterit etiam agere contra quemvis possessorem ad rem illam recuperandam. Quòd si læsus sit ex mutuo accepto, ut quia pecuniam illam malè consumpsit, potest uti beneficio restitutionis in integrum, & solùm id solvere, quo factus est locupletior. Si læsus sit in solutione pecuniæ sibi facta, potest restitui, si enim debitor sine authoritate tutoris, vel curatoris solvat minorenni pecunias, solutio ipso jure est nulla, & debitor adhuc manet obligatus, nisi pecunia sit salva, & conversa in utilitatem minoris, quod tamen procedit solùm in foro externo. Quòd si solverit cum authoritate tutoris, & curatoris minorenni, manet tunc, qui erat debitor ipso jure liber: sed restituitur minor, si pecunia sit deperdita, vel consumpta, facilitate, vel culpâ ipsius, & in hoc casu probabile est, quòd debitor habeat actionem in eos, quorum authoritate, & mandato solvit.

44 Rursus, si minor donavit rem notabilem censetur læsus, & potest etiam restitui, nisi ex rationabili causa donaverit, ut ob servitia, & obsequia accepta, & donatio fuit congrua, adeo ut decuerit sic remunerari, quia tunc per talem donationem non censetur læsus, quia secundùm rectam rationem, & regulas prudentiæ censetur facta *l. 1. C. si adversus donationem.* Præterea læsus ex quasi contractu, ut quia damnosam hæreditatem sibi testamento delatam acceptavit, quamvis ex authoritate tutoris, vel curatoris, restituitur in integrum, & non obligatur creditoribus defuncti, & legatariis, vel si lucrosam repudiavit: pari modo si læsus sit in electione eligendo partem deteriorem, restituendus est in integrum. Demum si læsus est, ex imprudenti resignatione, vel permutatione beneficii, Covarruvias *lib. 1. variar. c. 5. num.* 3. & alii censent minorem resignantem esse restituendum tametsi beneficium sit alteri collatum. Verùm talis restitutio non videtur esse in usu. Rursus hoc privilegium restitutionis in integrum competit minoribus usque ad annum 29. completum, durat enim quatuor annis integris post expletam ætatem minoritatis.

45 Conceditur hæc restitutio in integrum etiam ecclesiis, & locis piis, quia hæc instar minorum habent integrum quadriennium à celebrato

brato contractu, vel quasi contractu, ut notat Covarr. *lib. 1. variar. c. 3. num. 10.* Quinimò si Ecclesia ex contractu, vel quasi contractu fuerit enormiter læsa, conceditur ei majus spatium temporis quàm quadriennium, ut docet Covarruvias *loc. cit.* non tamen ecclesiastici in suis contractibus, quos privato nomine celebrant, fruuntur hoc privilegio. Conceditur etiam hæc restitutio reipublicæ cujusvis oppidi *l. 4. C. quibus ex causis majores in integrum restituantur.* Immo etiam supremis Principibus quoad bona principatûs alienata, quia hæc pertinent ad principatum, vel Regnum. Rursus competit etiam universitati studiorum, Academiis publicis, ut tradit Panormit. *in c. 1. de in integr. restit.* Immo nonnunquam conceditur etiam rudibus, rusticis, ac mulieribus ignorantibus jura. Potest autem hæc restitutio in integrum dupliciter peti. Primò implorando officium judicis, citata parte, ut quando solutio facta est, vel res ab alio possidetur. Secundò per exceptionem contra eum, qui petit solutionem, vel rem tradi, excipiendo, se læsum tali contractu fuisse, & hæc exceptio semper durat, quamdiu solutio facta non est, quia post solutionem factam requiritur sententia judicis, ut res recuperetur, nec est licita occulta compensatio, quia lex non aliter concedit hanc recuperationem nisi mediante sententia judicis *l. si curatorem 3. C. de in integr. restit. minor.*

16 Quæritur sextò, an in restitutione in integrum comprehendantur etiam fructus percepti? Respondetur, quòd si res minoris per contractum gratuitum sit alienata, possunt repeti etiam fructus ex ea percepti deductis expensis factis in iisdē colligendis, quia non solùm censetur tunc minor esse læsus per alienationem rei, sed etiam fructuum. Sin autem res alienata sit contractu oneroso, ut si prædium sit venditum. Respondet Covarruvias *lib. 1. variar. c. 3. num. 1.* esse etiam fructus repetendos. Verùm si res fuit justo pretio vendita, probabilius est, in foro conscientiæ non esse fructus ex re illa vendita repetendos, quia in alienatione horum fructuum nullam fuit læsionem passus; sicut enim emptor ex re empta fructus percepit, ita potuit venditor ex pretio rei venditæ lucrum habere, quòd si neglexerit talem sibi fructum acquirere, debet sibi imputare. Tum quia eo ipso, quòd pro re vendita datur justum pretium, nullum ex tali venditione infertur minori damnum, nisi fortasis, quia magis expediens erat, ut res illa non venderetur, non autem ratione fructuum, inde provenientium, proinde in restitutione in integrum non debet reperi nisi res ipsa.

17 Præterea non videtur, quomodo jure civili possit venditor compelli etiam ad restitutionem fructuum perceptorum, cùm justum pretium solverit, & contractus fuerit validus, & fructus bona fide fuerint percepti ex re propria, adeo ut læsio non sit facta minori ratione fructuum, sed tantùm ratione rei venditæ, unde non videtur adesse ratio, quâ fructus percepti debeant restitui. Tum quia exinde sequeretur, quòd lex esset potiùs in damnum, quàm favorem minorum: quia cum hac dura conditione restituendi non solùm rem justo pretio emptam, sed etiam omnes fructus ex eadem perceptos, nullus vellet cum minoribus contrahere, donec annum 29. ætatis explerent, quia emptor semper esset in periculo restituendi rem cum omnibus suis fructibus.

Neque obstat, quòd Covarruvias *loc. cit.* ad- 18
ferat textum asserentem, minoribus 24. annorum esse restituendam rem cum fructibus, quando conceditur restitutio in integrum, siquidem textus potest explicari de fructibus perceptis, postquam contractus beneficio restitutionis est rescissus. Quòd si res vendita fuisset infra justum pretium, & minor fuisset læsus in ipsa re data venum, tunc emptor compelleretur ad compensationem justi pretii, & per sententiam teneretur restituere, quod defuit justo pretio, & sic data proportione teneretur etiam restituere illam partem fructuum, quæ responderet defectui justi pretii, quia tunc venditor non solùm in rei venditione, verùm etiam in portione fructuum censeretur læsus.

Quæritur septimò, an Princeps possit con- 19
tractus suorum subditorum dissolvere? Respondetur, quòd si nulla suppetat justa causa, nec damnum publicum, non possit Princeps contractus suorum subditorum dissolvere, quia isti liberi sunt ad contrahendum, & habent verum dominium in res proprias, quas possident, proinde non potest Princeps eorum contractus dissolvere, quin injuriam ipsis inferat. Sin verò justa subsit causa, tunc non solùm Princeps potest, sed interdum etiam debet contractus subditorum dissolvere, si ipsis contrahentibus, vel bono publico noxii sint; & hac ratione dicitur Princeps habere summam potestatem destruendi, & ædificandi, prout consultiùs ei visum fuerit pro bono publico, & salute privatorum. Est enim Princeps instar tutoris, qui tenetur pericula, & damna subditorum avertere, læsos restituere, & quæ necessaria sunt procurare, ut notat Navarrus *lib. 3. consil. 3. num. 15.* Hinc potest Princeps decretum, & privilegium concessum subditis revocare *l. Lucius ff. de effect.*

Præterea potest leges, & juramenta, si opus 20
fuerit, tollere, aut relaxare *c. licèt de jure jur. in 6.* Tholosanus *lib. 50. c. 12. num. 10.* Verum tamen est, quòd sicut contractus multi sunt, & varii, & unus alio arctiùs obligat, ideo consultiùs semper est, si Princeps adhibito peritorum consilio examinet, quid in quocunque casu, & eventu magis expediens sit: quæ pacta minus considerate fiant, qui contractus majorem inferant reipublicæ læsionem, quænam personæ minus cautè, ac inconsultiùs contrahant, ut sunt juvenes, mulieres, & prodigi; tunc iisdem subveniendum est authoritate Principis: Siquidem maturum judicium in alienationibus desideratur, ut notat Cassadorus *lib. 2. epist. 11.* & facta à liberto inconsulta donatio revocatur per patronum, si liberè susceperit *l. si unquam de revocat. donat.* Rursus excessivæ donationes improbantur à legibus, ut etiam illæ, quæ sine causa fiunt *tit. de inoff. donat. in C. & l. 1. tit. de condit. sine causa.* Hinc judex ad discindendos contractus potest dirigi juxta regulas juris, ut videatur

jure agere; & ad id tunc potiſſimùm tenetur, quando ambæ partes, vel ſaltem alterutra id expoſcit. Cæterum absque juſta, & gravi cauſa jus acquiſitum ſubditis tollere, ut etiam pacta, & conventiones diſturbare Magiſtratui non eſt permiſſum, ut communiter tradunt jurisperiti Menoch. *de arbit. lib.* 1. *q.* 48. Tuſchus *V. pactum concluſ.* 4. Toloſanus *lib.* 47. *Syntag. c.* 20. *num.* 8.

21 Quæritur octavò, an contractus initus ab homine excommunicato ſuum ſortiatur valorem? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim excommunicatus poſſideat beneficium eccleſiaſticum, & contrahat de rebus Eccleſiæ, certum eſt, contractum eſſe nullum *c. veritatis de dolo, & contumacia.* Decius *in c. paſtoralis. §. verum de appell.* Sin verò contractus initus ab excommunicato ſit de rebus civilibus, tunc contractus ſuum ſortitur valorem, ſed ejus executio ſuſpenſa hæret, donec contrahens liberetur ab excommunicatione, ut tradunt Sylveſter *V. excommunicatio,* Hoſtienſis *in c. veritatis de dolo, & contumacia* & hæc ſententia eſt uſu approbata; excipiuntur tamen excommunicati ob hæreſin, vel percuſſionem alicujus Cardinalis *c. felicis de pœnis in 6.* etenim nullo jure contractus cum excommunicato initus reprobatur: tametſi contrahentes peccent ob communicationem mutuam, quæ ratione excommunicationis prohibita eſt; ſed inde non ſequitur, quòd vitium adferatur contractui, & quòd ejus validitas irritetur.

22 Cæterum hæret ſuſpenſa executio contractûs, quatenus excommunicatus non poteſt agere in judicio contra partem adverſam, & deſumitur *ex c. intelleximus de judic.* ubi expreſsè dicitur, non poſſe excommunicatum conveniri, quod tamen eſt intelligendum, niſi ſumma neceſſitas urſerit; alioquin conveniri poteſt ut reus neceſſarius, & ut proponat omnes defenſiones ſibi ſervientes, quæque naturam excluſionis habent; qualis eſt, non numeratæ pecuniæ, debiti non ſoluti, doli mali, juramenti nullitatis, & ſimilium.

23 Quòd ſi excommunicatus impeditus fuerit in propria perſona, poteſt etiam procuratorem conſtituere. Licèt tamen excommunicatus admittatur in judicio, ut reus neceſſarius, non ita ut voluntarius, quia in hac materia æquiparantur actor, & reus voluntarius: ille reus dicitur voluntarius, qui ad cauſam non trahitur, ſed judicium aperit eidem viam ad contradicendum, & opponendum. Sin verò in contumacia inſorduerit, floccique fecerit excommunicationem, adeo ut neglexerit abſolutionem impetrare, cujus beneficio liberaretur à vinculo excommunicationis, tunc neque ut reus neceſſarius audiendus eſt in judicio, ut tradit Felinus *in d. c. intelleximus de judiciis.*

24 Id tamen multipliciter limitatur. Primò niſi agatur de concernentibus animæ periculum; tunc enim licitum eſt ſtare etiam loco actoris, ut notat Hoſtienſis *in c. ſignificaverat de except.* Secundò ſi petere velit revocationem attentatorum, quia in tali judicio non obſtat exceptio excommunicationis, ut tradit Menoch. *remed. 17. de recuperand. poſſeſſ.* Tertiò ſi periculum ſit in mora, quia tunc cenſetur non omnino voluntariè agere, ut ait Felinus *in c. cum inter num.* 17. *de except.* Quartò ſi impediatur ea exequi, quæ ſibi permittuntur, tunc enim poteſt agere in judicio, ut tale impedimentum tollatur, ut docet Joannes Andreas *hic n.* 4. Barb. *in d. c. intelleximus de judiciis.* Cæterum matrimonium ab excommunicato initum validum eſt, & firmum *c. ſignificâſti, de eo qui duxit. c. cùm haberet.* Navarr. *c.* 27. *n.* 36.

Quæritur nonò, an dominus, & ſervus poſ- 25
ſint invicem ex contractu obligari? Non poſſe obligari deſumitur *ex l. inter poſitas* 13. *C. de tranſact.* ubi dicitur, dominos cum ſervis ſuis paciſcentes ex placitis ſuis teneri, atque obligari non poſſe, certi eſt juris, cui reſpondet *l. cum affirmes C. de liberali cauſa.* ubi cùm dominus acceptâ pecuniâ libertatem ſervo promiſiſſet, nec fidem ſervaret; præcipitur Rectori Provinciæ, ut ſuadeat domino ad id præſtandum, quod placuerit, quæ verba purum conſilium ſignificant. Accedit etiam *l. poſt. cert.* 36. *C. eod. tit.* ubi habetur, poſt certi temporis miniſterium ancillæ, liberam eam eſſe cum ea paciſcendo, conventionis obtemperandi legi domina nullam habet neceſſitatem. Oppoſitum tamen videtur indicari *in l. ſi ſervum* 70. *§. ſi quis ff. de acquir. hæredit.* ubi habetur, quòd ſi quis dederit nummos domino, ut manumittatur, omni modo ſit eidem ſuccurrendum.

An verò excipiatur caſus libertatis, de quo ſer- 26
vus cum domino validè paciſcitur? affirmant aliqui, quando dubius eſt ſtatus ſervitutis, non ita in aliis caſibus; & hac diſtinctione nituntur contraria jura conciliare. Nihilominus putârim, poſſe interdum dominum ex contractu cum ſervo inito naturaliter, & in foro conſcientiæ obligari, ut ſi ſervus proprium peculium habeat, quod propria induſtria ſibi comparaverit: etenim ſervum per impenſos extraordinariè labores, vel in luſu, vel per donationem poſſe aliquid acquirere ſibi proprium, & in quod habeat verum dominium, perſpicuum videtur, proinde de acquiſitis tali pacto, poteſt cum domino paciſci, & contrahere, eúmque naturaliter, & in foro conſcientiæ obligare: ſiquidem ex eo, quòd conditionem quis induat ſervitutis, non propterea naturam exuit hominis, neque quoad omnia libertatem amittit, ut docet Ariſtoteles 8. *Ethic. c.* 11. idque etiam probat textus *l. non ſolùm 49. §. ſi ignorante V. an debitor. ff. de peculio.* An verò debitor, vel ſervus domino; vel dominus ſervo obligetur ex cauſa civili computandum eſt, ubi ſupponitur inter dominum, & ſervum locum eſſe debito. Hinc leges, quæ contrarium videntur innuere, intelligi debent de obligatione civili, ut notat Rebellus de *inſtit. p.* 2. *lib.* 1. *ſect. ult.*

Quæritur decimò, quid conſuetudo poſſit 27
in contractibus, de quibus dubitatur, an liciti ſint, & juſti, an illiciti, & injuſti? Reſpondetur ad id nonnullas tradi regulas. Quarum Prima eſt, quòd conſuetudo injuſta, & juxta quam contractus per ſe illicitus impunè exercetur, non excuſat in conſcientia à peccato, nec liberat

à pœ-

à pœna eidem debita in Dei judicio, ut notat Sylvester *V. consuetudo n. 18.*

18 Secunda, qui bona fide contractum aliquem celebrat in sua Regione usitatum, & qui vitium sapit usuræ, nec tamen ex forma apparet contractus usurarius, sed dubii est juris, tunc ob consuetudinem in tali regione inolitam excusatur, ut tradit Navarrus *conf. 25. tit. de usuris*, ubi ait esse multorum opinionem, centum esse licitum, in quo octo annuatim dantur pro centum manente salvo capitali, & licèt id Navarrus reprobet, non tamen sufficit ad generalem damnationem, quia ubi consuetudo inolevit, ut similes contractus permittantur, injuria talium contractuum non est manifesta, proinde tolerabile est, si quid in iisdem lateat inæqualitatis, quia id suppletur à republica, & contrahentes sibi mutuò remittunt injurias. Quòd si in Bavaria quinque floreni annui dantur pro centum nullo reclamante; & in Carinthia, & Carniola dantur sex floreni nullo prorsus reclamante, eò quia consuetudo ita invaluit, non video, cur in Bohemia non possent dari sex, si consuetudo etiam invaluisset, & nullus reclamaret: etenim ex eo, quòd nullus reclamet, censetur contractus saltem esse dubii juris, & tunc contrahentes consentientes tali contractui liberè injuriam, si quæ esset sibi vicissim remittunt. Præterea, quia ex eo quòd in Bavaria tantùm dantur quinque pro centum, non tamen ex hoc præcisè possumus conjicere numerum quinarium esse illud justitiæ medium ultra quod non possit procedi. In mercibus triplex admittitur pretium maximum, medium, & minimum: cur non etiam in annuis censibus? Quòd si non constet, quinarium numerum esse censum maximum cum de facto in aliis Regionibus dentur sex, videtur id esse dubii juris.

19 Tertia est, quòd actus, & contractus non propterea licitus sit, quia fit palam, & publicè, quasi consuetudo suppleat defectum justitiæ; sed efficit, ut quamdiu de oppositio non constat, operans excusetur à peccato: siquidem consuetudo non derogat juri naturali, & divino *c. fin. de consuetud.* nec veritati præjudicat *c. veritate.* Navarrus *de usur. consil. 26. num. 8.* nihilominus bona fides, & ignorantia potest contrahentem excusare à culpa, quando de injustitia contractûs, non habetur certa notitia, sed à viris doctis, piis, ac prudentibus dubitatur, & à plerisque hujusmodi contractus fiunt. Hinc non excusamus eos, qui contra jus clarum, & passim notum operantur, tametsi exemplo aliorum hoc idem præstent, quia multitudo peccantium non minuit culpam peccantis *c. multi corriguntur. 2. quæst. 2.*

20 Quarta est, quòd si quis dubitet practicè de justitia alicujus contractus, quamvis à parte rei justus sit, & licitus, ac frequens, nihilominus si talem contractum ineat contra propriam suam conscientiam non excusatur à peccato, dicente Apostolo *c. 14. ad Roman. omne quod non est ex fide peccatum est*, scilicèt ut explicat D. Thomas *1. 2. q. 19. art. 5.* quod contra conscientiam fit, peccatum est, & desumitur *ex c. dominus de secund. nupt. v. inquisitioni de sent. excommun.* quia agere contra conscientiam practicè dubiam, perinde est, ac se exponere manifesto periculo peccandi, & ut ait sapiens *qui amat periculum, peribit in illo.*

21 Quinta, quando de bonitate, & æquitate contractus diversæ sunt probatorum Authorum opiniones, tunc potest quis sequi minus probabilem, dummodo sibi videatur verè probabilis, adeo ut operans expensis rationibus, quibus talis opinio nititur, & examinatis circumstantiis videatur sibi verè probabilis esse, quia tunc non operatur contra propriam conscientiam, tametsi sequatur opinionem minus probabilem, quæ subinde est tutior.

TITULUS XV.

De commodato.

QUia causæ precariæ, & commodati non multum differunt, & Pontifex in præcedente titulo egisset de precariis, congruè hic adjicit titulum de commodato, quod in eo differt à precario, quia precarium quandocunque, commodatum verò post præstitutum tempus revocari possit. Id tamen sub hoc titulo statuitur, ut qui rem aliquam ad usum accepit, teneatur de levissima culpa, ut casus fortuiti eventus non aliter ferat, quàm si culpa, aut mora casum præcesserit, aut lex conventioni dicta sit. Cæterum ante usum expletum non licèt rem commodatam repetere.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici capitis in hoc titulo contenti.

C. CUM GRATIA unic. h. t. Gregorius IX. declarat, eum, qui accipit commodatum gratia sui tantùm, teneri etiam de culpa levissima, sed non de casu fortuito, nisi acciderit suâ culpâ, vel pactum intercesserit, vel fuerit in mora. Rursus declarat, non posse repeti commodatum nisi finito usu, ob quem fuit commodatum, quia ex beneficio non debet quis decipi, sed juvari. Ubi notat Glossa, commodatum esse gratuitam concessionem rei ad aliquem certum usum: pre-

carium verò dari ſine determinatione uſus; & poſſe ſemper revocari. Rurſus commodatum dici quaſi datum commodo utentis, adeò ut non transferat dominium, & fiat ſine mercede. Hinc ſi commodatum eſt gratiâ recipientis tantùm factum, tenetur commodatarius etiam de culpa leviſſima, nec excuſatur, ſi dicat adhibuiſſe talem diligentiam, qualem in ſuis rebus, ſi alius diligentius cuſtodiſſet. Sin verò gratiâ dantis tantùm (ut ſi commodavit veſtes, ut ludum ſcenicum videret) tenetur de dolo, & culpa lata. Sin verò commodatum factum ſit gratiâ utriusque, tunc tenetur de dolo, & culpa lata tantùm ipſe commodatarius; non verò de caſu fortuito, qui prævideri non poteſt, niſi culpa præceſſerit, vel pactum, aut mora.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit commodatum, & quotuplex.

1 COmmodatum, quod ab Hoſtienſi *c. 1. de commodato*, dicitur quaſi commodo gratis datum, vel quaſi commodo accipientis, ſive utentis dati, definiri ſolet, *id quod alteri datur, ad certum aliquem uſum gratis*, per quam *gratis* particulam differt à locato, quia res locatur certâ mercede, quòd ſi non interveniat merces, ſed quid aliud ut merces, dicitur contractus innominatus, do ut des, vel do ut facias, ut notat Gloſſa *in c. 1. de commodato*. Additur *ad certum uſum* ut differat à precario, quod licèt alteri detur gratis, non tamen ad certum uſum ſed ad incertum, ſeu ad eum, quem voluerit is, qui accipit precarium. Rurſus ponitur illa particula *datur*, quia ad eum, qui accipit commodatum, non transfertur dominium, nec proprietas rei, aut poſſeſſio civilis, ſed tantùm uſus, & in hoc diſtinguitur à mutuo, quod licèt gratis detur, tamen fit accipientis. Differt etiam à depoſito, & pignore, quia in hiſce contractibus dominium rei non tranſit ad accipientem, ut nec etiam proprietas, neque uſus.

2 Dividi ſolet commodatum. Primò ratione rei, quia vel eſt rerum mobilium, aut ſe moventium, aut immobilium, deinde aut eſt rerum corporearum, aut incorporearum. Res incorporeæ ſunt corporis expertes, ut ſervitutes prædiorum, urbanorum, vel ruſticorum, ut etiam jus utendi, jus habitandi in domo, vectigalia, & alia id genus. Rurſus dividitur commodatum in illud, quod tantùm datur gratiâ illius, qui accipit: & in illud, quod datur tantùm gratiâ illius, qui dat, ut ſi quis commodet aliquod ornamentum ſponſæ, quò comptior ad eum deducatur; ut ſi Prætor inſtituens ludos ſcœnicos commodet veſtes ſcenicas *l. ſi ut certo §. interdum ff. commodati*, aut ex cauſa, & gratia utriusque, tam dantis, quàm accipientis, ut ſi Petrus commodet Joanni vaſa aurea, vel aliam pretioſam ſupellectilem, ut domi ſuæ communem excipiat amicum, quem ambo invitârunt ad cœnam *l. in rebus vers. hæc ita, & l. ſi ut certo. §. interdum. ff. commodati*. Tertiò partitur commodatum ratione temporis, vel enim datur ad certum tempus expreſſum, ut ſi Petrus commodet Joanni ſuum equum ad quinque dies: aut ad certum tempus tacitum tamen, & implicitum, ut ſi dem librum meo amico, ut eum ſibi tranſcribat, tunc enim uſus libri commodati licèt non expreſsè; tacitè tamen requirit certum tempus.

3 Commodare is poteſt, qui eſt ſui juris, ut etiam alieni, ut ſervus, & filius familias ſive bonæ, ſive malæ fidei ſit poſſeſſor *l. ſi ſervus l. commodare l. ita ut & ſi fur. ff. commodari*. Rurſus poteſt etiam commodare Oeconomus, cui res Eccleſiæ committuntur adminiſtrandæ, ut notat Hoſtienſis *in ſum. tit. de commodato*. Immo poteſt etiam commodare, qui tantùm habet uſumfructum, vel ſervitutem, vel jus habitandi in domo, ut notant Bartolus, & Baldus, & communiter alii jurisperiti *in l. 1. ff. commodati*. Uxor etiam jure communi poteſt commodare rem viri ſui *l. ſi conſtante §. ſi uxor. ff. ſol. mat.* quòd ſi res commodata perierit, tenetur uxor de ſua dote compenſare marito damnum ipſi illatum, ſi maritus prohibuerit ei commodare res ſuas: ſin autem non prohibuerit, tunc arbitrio judicis conceditur uxori modicum tempus, quo commodatum repetat, ac reſtituat viro ſuo, ut tradit Menoch. *lib. 2. de arbit. judic. c. 15*.

4 Non tamen Religioſus poteſt commodare, ſiquidem ratione voti ſe rebus omnibus abdicavit, & voluntatem ſuam in voluntatem tranſtulit ſuperioris, quapropter *in c. Religioſus de ſepult. in 6.* dicitur, quòd Religioſus non habeat velle, aut nolle; hoc idem etiam deſumitur *ex c. quorundam de elect. in 6. & c. non dicatis 12. q. 1*. Generatim qui non poſſunt contrahere, neque commodare valent, ut pupilli, & minores *l. Julianum ff. de contrahend. empt. & vendit.* quapropter *in l. 1. §. impuberes. ff. commodati* impuberes dicuntur, non teneri actione commodati, eò quia nec conſiſtat commodatum in pupilli perſona ſine Tutoris authoritate, hinc etiamſi pubes factus dolum, aut culpam admiſerit, non tenetur hac actione, eò quia ab initio contractus non fuit validus. Verùm probabile eſt, quòd, ſi pupillus ſit factus locupletior, detur actio utilis commodati, ſcilicet ſi res commodata de facto reperiatur penes pupillum, datur actio commodati. Rurſus quam-

quamvis pupillus non teneatur actione commodati civiliter, tenetur tamen naturaliter, ut notat Glossa *in l. sed mihi ff. eod. tit.* Præterea furiosus non potest commodare *l. nec in furiosum. ff. commodati*, sed tantùm datur actio, ut res exhibita vindicetur.

5 A rebus, quæ commodari possunt, nonnulli excludunt res incorporeas, cujusmodi sunt jura, servitutes, reditus annui: verùm communior sententia asserit, posse jura, servitutes, pensiones, reditus annuos commodari, & deiumitur *ex l. 1. ff. commodati* & docet Glossa *c. t. de commodato*, quia cùm hujusmodi res incorporeæ permaneant, possunt eædem restitui. An verò res aliena possit itidem commodari? Adhibenda est distinctio; vel enim habens rem alienam est bonæ fidei possessor, & tunc res illa potest commodari: vel est malæ fidei possessor, & tunc communior sententia est, non posse rem illam commodari, adeo ut possessor malæ fidei cùm teneatur, & adigatur naturali jure rem alienam suo domino restituere, non possit secundùm conscientiam illam alteri commodare, quia sicut non habet dominium in re illa, ita non potest de eadem disponere.

6 Neque obstat, quòd *in l. commodare, & l. ita ut & si fur. ff. commodati* dicatur, furem, & prædonem posse rem alienam commodare, & nihilominus fur, & prædones sunt possessores malæ fidei. Nam ideo leges illæ id permittunt, quatenus solùm intendunt, quòd fur, & prædo possint agere actione commodati, si rem alienam commodaverint: unde tantùm conditionatè permittunt actionem in rem commodatam, ut hanc possint restituere vero domino. Res verò, quæ ipso usu statim consumuntur, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia, & alia id genus commodari non possunt, sed tantùm in iisdem locum habet mutuum: ratio est, quia per commodatum tantùm conceditur usus rei salvâ ejus substantiâ, quæ restituenda est in specie, seu eadem in individuo: nisi fortè quis ad sui sustentationem pecuniam, & frumentum commodatò accipiat, ut inde aliis videatur esse dives, si habeat horrea plena frumento, & in cista multas pecunias, quas possit numerare *l. sed mihi 3. §. ult. & l. sequent. ff. h. t.* quia tunc dans pecuniam retinet ejus possessionem, & dominium; proinde non mutuum, sed commodatum tantùm est, quia post paucos dies idem frumentum numero restituitur domino, ut etiam eadem numero pecunia *l. rei §. l. sequent. ff eod.*

Hoc est discrimen inter commodatum, & mutuum, quia in commodato eadem res in specie, & non in genere restituitur, quia est de natura commodati, ut dominium, & possessio maneat penes commodantem, solo jure utendi, & detinendi translato in commodatarium *l. rei commodato ff. h. t.* Mutuum verò consistit in rebus, quæ usu consumuntur, ut in frumento, vino, pecunia numerata, proinde non eadem res in specie restituitur, sed alia ejusdem generis *l. 2. ff. de reb. credit.* hinc dominium rei mutuatæ transit in mutuatarium, qui propterea potest rem sibi mutuatam jure consumere, dummodo suo tempore rem mutuò acceptam in genere reddat, scilicet frumentum pro frumento, oleum pro oleo, pecuniam pro pecunia: secus quia in commodato debet restitui in specie eadem res, non potest contrahi in rebus, quæ usu consumuntur. Rursus in commodato non datur compensatio *l. ult. C. h. t. ibi pratexta debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur &c.* ratio est, quia compensatio tantùm fit de rebus quantis, quæ mutuam functionem recipiunt, non verò locum habet in speciebus.

8 Nihilominus dari potest retentio, quasi jure pignoris ob impensas in rem commodatam factas *l. creditoris 17. §. ult. & l. si is 69. ff. de furtis.* Quòd si res commodata fortassis culpâ commodatarii periisset, tunc non de re ipsa, sed de ejus pretio refundendo agi deberet, & daretur locus compensationi, quia tunc quantitas ad quantitatem, sive pecunia ad pecuniam contribueretur, si commodans vicissim commodatario pecuniam deberet. Est etiam discrimen notatu dignum inter commodatum, & mutuum, quia si res commodata casu, sine culpâ commodatarii pereat, is non tenetur ad aliquam restitutionem, quia res dicitur perire suo domino *c. unic. h. t. l. in rebus 18 ff. eod.* & dominium rei commodatæ non transfertur in commodatarium, sed manet penes commodantem; & commodatarius est tantùm debitor certæ speciei: secus quia mutuatarius acquirit dominium in re sibi mutuata, & fit tantùm debitor generis, quod perire non potest, ideo licèt res mutuata sine culpâ ipsius perierit, ut pecunia mutuò accepta per vim latronum ablata tenetur mutuatarius ad refusionem alterius pecuniæ intra idem genus §. 2. *instit. quibus modis re contrahitur obligatio l. 1. §. 4. ff. de obligat. & action.*

9 Ad commodati substantiam pertinet. Primò ut is, qui rem alteri comodat, ejus usum tradat, adeo ut commodatarius possit re illa in suum commodum uti *l. obligamur. ff. de act. & oblig.* ubi Glossa *in V. re, & verbis.* Secundò requiritur in contractu commodati mutuus consensus contrahentium, perinde ac in aliis contractibus *l. 1. §. adeo ff. de pact.* Tertiò ut dominium rei commodatæ, sive proprietas maneat penes commodantem, adeo ut commodatarius non habeat nisi purum usum rei sibi commodatæ *l. rei commodate l. nemo ff. commodati.* Quartò ut reddatur eadem res in specie, ut loquuntur jurisconsulti; seu ut restituatur eadem res numero, seu in individuo, ut loquuntur Philosophi *instit. quib. mod. re contrab. obligat. §. item is.* Quintò ut commodatum omnino gratis detur nulla accepta mercede *instit. quib. mod. re contrab. oblig. §. item is. ver§. commodata.* Sextò ut commodatum ad aliquem certum, & specialem usum, & ad aliquod tempus etiam certum expressè, vel tacitè detur, Glossa *in c. 1. de commodato, & l. in commodato §. ficut. ff. commodati* Bartol. *in l. 1. §. 1. ff. eod. tit.* Panormit. *in c. precarium de precariis & c. 1. de commodato unic.*

10 Quæ verò nonnisi accidentaliter pertinent ad commodatum, sunt ut res, quæ commodatur, æstimetur, ut si forte perierit, tantundem

reddatur, quantum valet. Rursus ut commodatarius sponte sua se obliget creditori ad reddendum, vel rem ipsam sibi commodatam, vel ejus pretium, tametsi fortuitò perierit. Tertiò ut commodatarius rem sibi commodatam suo periculo suscipiat.

§. II.

De obligationibus commodantis, & commodatarii.

1 QUia commodatum est verus contractus, quo res aliqua gratuitò alicui conceditur in usum ad tempus, finem, ac modum certum ex lege, ut eadem res specie reddatur §. *is cui l.* 1. §. *item is cui de oblig. & action.* & de ratione cujusvis contractus sit obligationem inducere, & contrahentes obligare; ideo recensendæ sunt obligationes tam commodantis, quàm commodatarii. Primò ex parte commodantis tenetur is monere commodatarium de vitio, aut defectu rei commodatæ, ut si equus calcitret, si bos sit cornupeta; siquidem cùm commodans profiteatur, se beneficium præstare commodatario, consentaneum est rationi, eum securum reddere de damno contingente quoad fieri potest, adeo ut commodatarius sciens defectum rei sibi commodatæ possit sibi consulere, ut tradit Connanus *l.* 7. *c.* 3. *num.* 6.

2 Secundò tenetur solvere expensas extraordinarias, quas in restaurationem rei comodatæ commodatarius fecit, ut si pars ædificii corruerit, vel ager aluvione diffusus fuerit: minores expensas tenetur commodatarius præstare, adeo ut debeat alere equum sibi commodatum, purgare domum. Tertiò non licèt commodanti ante constitutum tempus rem commodatam à commodatario repetere; aliàs in damnum, & interesse damnaretur: quia licèt contractus sit gratuitus, obligat nihilominus ex justitia ad servandam promissionem. Potest nihilominus contingere, ut commodans licitè revocet, quod commodavit, si nimirum grave damnum imminear: siquidem hic casus præsumitur exceptus; si enim commodans imminens prævidisset periculum, præsumitur, quòd non commodâsset, ne rem suam perderet, ut notat Navarrus *c.* 17. *num.* 182.

4 Commodatarius itidem obligatur ad plura. Primò ut non excedat usum, & tempus præscriptum. Secundò ut post præscripti temporis lapsum restituat eandem numero rem sibi commodatam. Tertiò non deteriorem faciam fraude aliqua, vel dolo, idque contingeret, si minore curâ, quàm res proprias, rem sibi commodatam conservaret. Quartò tenetur damna compensare, si quæ per culpam, aut dolum lata sunt *l. in rebus* 18. *ff. commodati.* Dolus committitur, quando commodatarius non monet commodantem, quòd res sibi commodata facta fuerit deterior: siquidem etiam mente tacendo, quod quis detegere tenebatur, vel verbis mentiendo, vel fraude, quæ in factis consistit, malus dolus committitur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 118. Hinc differt dolus à culpa, quia ille committitur ex formali proposito, seu intentione nocendi *l.* 1. §. *cum. ff. de dolo*, non ita culpa, ut notat Sylvester. *V. culpa q.* 1. est tamen secundùm præsens institutum sermo non de culpa theologica, quæ est peccatum contra mores, & legem, de hac enim hic non loquimur, sed de sola culpa civili, quæ dicitur deviatio ab eo, quod bonum est, ac debitum, & hominis diligentia prævideri, ac præstari, vel caveri potest, hoc enim pacto definitur culpa civilis à Bartolo *in l. quod Nerva* 33. *in repetit. num.* 7. *ff. depositi.* Hinc culpa civilis consistit in omissione alicujus diligentiæ, quæ præstari solet, & præstanda erat, & ex tali omissione damnum aliquod, vel incommodum oritur; & solet tripartiri in culpam latam, levem, & levissimam. Culpa lata, seu crassa est omissio illius diligentiæ, & circumspectionis, quam fere semper omnes homines ejusdem conditionis, professionis, & ætatis solent adhibere, ut si Petrus librum sibi commodatum à Paulo relinquat in publica platea, ac proinde auferatur, tunc censetur amisisse librum per culpam latam, seu crassam, quia nullus est vir cordatus, qui rem sibi commodatam relinquat in platea, ut facilè à quolibet prætereunte possit auferri. Culpa levis est omissio illius diligentiæ, quam solent diligentes ejusdem conditionis, professionis, vel ætatis adhibere: ut si Petrus librum sibi commodatum in conclavi domus suæ relinquat, non clauso ostio, tunc enim si aliquis furripiat librum illum, censetur Petrus illum amisisse per culpam levem, quia ut plurimum viri cordati res sibi commodatas custodiunt claudendo ostium illius conclavis, in quo reperiuntur. Culpa levissima est omissio illius diligentiæ, quam nonnisi diligentissimi ejusdem artis, professionis, ætatis homines solent adhibere, ut si Petrus librum sibi commodatum reliquerit in conclavi clauso, sed non obserato, eò quia manu non fuit expertus, an fera inducta esset, tunc censetur Petrus culpa levissima amisisse librum. Rursus potest commodatarius rem sibi commodatam casu fortuito amittere: dicitur casus fortuitus rei inopinatæ eventus, qui nullo consilio humano prævideri poterat *l.* 1. §. *si eo tempore ff. de admin. rer. ad civit. pertin. c. Joannes* 23. *de homicid.* Rursus amittitur etiam commodatum per violentiam, & est vis, cui non potest resisti *l. in rebus ff. in princ.* §. *h. t.*

4 Verùm ex culpa juridica nemo alteri obligatur, nisi verè, & in effectu fuerit causa damni illati: hinc Petrus qui reliquit librum sibi commodatum in platea, si nullus librum illum abstulerit, non tenetur Petrus ad resarciendum damnum commodanti. An verò commodatarius si utatur re sibi commodata ad alium usum præter intentionem commodantis teneatur ad aliquam restitutionem; videtur esse difficultas.

Dupliciter potest in commodatario oriri obligatio restituendi rem sibi commodatam si eam adhibuerit in alium usum, quàm ei concessum sit. Primò ratione usus: Secundò, quia commodatum potest deterius fieri, vel etiam perire. Cæterum commodatarius non tenetur de casu fortuito succedente circa rem commodatam,

datam, ut desumitur *ex c. unic. de commodat.* ubi dicitur, quòd qui accipit commodatum gratiâ sui tantùm, tenetur etiam de culpa leviſſima, ſed non de caſu fortuito, niſi acciderit ſuâ culpâ, & præceſſerit pactũ, vel fuerit in mora, habetur etiam *ex §. item is quib. modis de contrab. oblig. l. in rebus ff. commodati*, & notant Sylveſter *V. commodatum q. 9.* Gabriel *in 4. diſt. 14. q. 10. art. 3. dub. 6.* Caſus fortuiti ſicut non poſſunt prævideri, ita neque trahuntur ex commodatione, & ipſis res ſubeſt, ſive reperiatur apud dominum, ſeu commodantem, ſive apud commodatarium; proinde niſi commodatarius ſimiles caſus fortuitos in ſe ſpecialiter ſuſceperit, non tenetur ad illos *c. unic. de commodato.*

6 Sin verò res pereat eo tempore, quo in alium uſum à ſibi conceſſo rem commodatam adhibuerit, vel deterior facta fuerit, etiam ex alio caſu fortuito, tunc tenetur ad reſarciendum damnum commodanti, ut deſumitur ex iisdem textibus, & præſertim *ex c. cùm gratia unic. de commodato*, quia res cõmodata, ſi in alium uſum adhibeatur, intervenit culpa commodatarii: quia hic tunc non ſe fideliter gerit cum cõmodante, cum rem ad unum uſum ſibi conceſſam adhibeat in alium: hinc ratione culpæ tenetur ad reſarciendum damnum illatum commodanti, quia fuit moralis cauſa illius.

7 An verò, quando res non perit, neque ullum patitur detrimentum, teneatur commodatarius ad aliquam reſtitutionem, ſi utatur re ſibi commodata in alium uſum non ſibi conceſſum à cõmodante, & ad quem nec facilè conceſſiſſet? communior ſententia eſt, teneri ad reſtitutionem, quia tunc commodatarius utitur re aliena invito domino: quia licèt res illa ſit ei cõmodata, non tamen in talem ſpecialem uſum, qui propterea eſt præter intentionem commodantis; & commodatarius invito domino adhibet rem in tali uſu: præterea teneri commodatarium furti, ſi in alium uſum utatur re commodata, expreſsè deſumitur *ex l. qui fundum §. de cond. furt. l. ut certo §. planè ff. commodati:* ſiquidem ut rectè notat Gloſſa ibidem, perinde eſt rem non eſſe commodatam, & non eſſe commodatam in talem ſpecialem uſum; proinde tenetur commodatarius reſarcire domino damnum, perinde ac teneretur, ſi invito domino uteretur eadem re non commodata.

8 Sed oritur dubium, quantum teneatur tunc reſtituere, an tantum, quanti æſtimatur totus uſus, an verò tantum quanti æſtimatur exceſſus ejusdem uſus: & reſpondetur, quòd ſi uſus conceſſus comprehendatur in uſu uſurpato tanquam pars illius, ut ſi Petrus commodet Paulo ſuum equum, ut poſſit proficiſci per ſeptem milliaria Germanica, quæ conficiuntur uno die, & Paulus utatur eodem equo per 30. milliaria: tunc tenetur reſtituere ſolam æſtimationem exceſſus: quia in tali caſu læditur juſtitia, & quia non totus uſus, ſed ſolus exceſſus ſupra uſum conceſſum à commodante eſt contra voluntatem illius, ideo non tenetur de eo uſu, qui ſibi fuerat conceſſus; ſed de exceſſu ſibi uſurpato contra voluntatem commodantis. Quòd ſi uſus rei commodatæ non contineatur in uſurpato, ut ſi Petrus commodet ſuum equum Paulo pro equitando, & Paulus illo utatur pro deferendis oneribus; tunc tenetur commodatarius totum uſum compenſare, quia totus eſt præter conceſſionem commodantis, & eſt uti re aliena invito domino *l. 1. ut certo loco §. idemque ait in fin. ff. commodati* proinde tenetur totum uſum reſarcire.

Hæc tamen procedunt, quando non præſumitur voluntas interpretativa commodantis de tali uſu, ut deſumitur *ex §. placuit inſtit. de oblig. ex malefic.* & notat Gloſſa *l. ſicut certo V. furti tenetur ff. commodati.* Alioquin ſi voluntas commodantis præſumatur, commodatarius non tenetur reſarcire uſum illum: quia tunc non cenſetur, quòd fuerit uſus re aliena invito domino *l. inter omnes §. rectè ff. de furtis*, ut tradit Menoch. *de arbitra. caſ. 298. num. 1. in fin. lib. 2.* Quòd ſi commodatarius utatur bona fide re commodata in alium uſum, eò quia ignoret, hoc eſſe illicitum, an tunc teneatur ad reſarciendum damnum illatum commodanti, videtur eſſe difficultas: quia ſicut bona fides excuſat à malitia, ita etiam per accidens excuſat à reſtitutione. Verùm procedendum eſt cum diſtinctione in ordine ad forum conſcientiæ, & forum externum: ſiquidem in ordine ad forum conſcientiæ ſervanda erit regula, quæ communiter traditur in materia reſtitutionis, ut ſcilicet, ſi commodatarius cognoſcat ſe contra voluntatem commodantis fuiſſe uſum re commodata, teneatur reſtituere fructus, quos ex tali uſu percepit; vel etiam id, in quo factus eſt ditior, ut tradit D. Antoninus *p. 2. tit. 2. c. 12. §. 16.* & communiter DD. & ratio eſt perſpicua, quia fructus rei pertinent ad dominum, cujus res eſt, ſicut enim is habet dominium in re, ita etiam in fructus rei, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, hinc res dicitur fructificare domino.

Rurſus tenetur etiam reſtituere id, in quo factus eſt ditior, quia hoc habet ex alieno, conſequenter eſt alteri, ad quem pertinet, reſtituendum: & vix poteſt ſupponi bona fides, quia lumen naturæ oſtendit, teneri commodatarium fideliter ſe gerere circa rem ſibi commodatam, proinde non debere illam adhibere in alios uſus non conceſſos à commodante. Tum quia ſi commodans equum ad equitandum ſolùm, & commodatarius illo utatur ad deferenda onera, & cum tali intentione petit, ut ſibi commodetur equus, quia id non exprimit commodanti, procul dubio dolosè procedit conſequenter cum culpâ, & dolo: hæc autem non permittunt locum habere bonam fidem, conſequenter in foro conſcientiæ tenetur commodatarius reſarcire damnum illatum commodanti. Neque quoad forum externum poteſt locum habere bona fides, quia tunc jus etiam reſiſtit bonæ fidei, ſiquidem declarat, quòd commodatarius non poſſit uti re commodata in alium uſum præter conceſſum à commodante *l. ſi ut certo §. ſed interdum. ff. commodati.* Immo tenetur etiam furti *l. planè ſi ſic in fin.* Unde cùm hoc jus habeat etiam aſſiſtentiam juris naturalis exigentis fidelitatem in commodatario non admittitur ignorantia hujus juris juxta 10 regulam *c. ignorantia*

de

de regul. jur. in 6. proinde neque admittitur bona fides. Tum quia ipsum lumen naturale ostendit, commodatarium non debere sibi usurpare alium usum, quàm concessum à commodante, adeo ut si aliter fiat, violetur contractus commodati, & fides servanda commodanti.

11 Quamobrem cum lumen ipsum naturæ ostendat, non posse commodatarium honestè, ac licitè adhibere rem sibi commodatam in alium usum præter concessum à commodante, sequitur, quòd non possit præsumi bona fides. Tum quia commodatarius, ut communior est sententia, tenetur etiam de culpa levissima, & desumitur *ex c. cum gratia unic. h. t.* ubi dicitur, qui accipit commodatum gratiâ sui tantùm, tenetur etiam de levissima culpa: siquidem fidelitas id exigit, ut commodatarius eam majorem adhibeat diligentiam, quam potest, ne res commodata damnum ullum apud se patiatur: quando autem commodatarius adhibet rem sibi commodatam in alium usum præter sibi concessum à commodante, tunc dolosè procedit, & culpam saltem levissimam committit, cum sciat non esse rem sibi commodatam in talem usum. Tum quia commodatum est contractus, quo res alicui gratis conceditur ad usum, & de ratione contractus est obligare ad illum tantùm usum, qui exprimitur in contractu; proinde si rem commodatam adhibeat in alium usum, jam commodatarius non servat legem contractus, quod sine culpa non contingit.

12 Hinc quando in solius commodatarii gratiam res comodata datur, & hæc patitur læsionem aliquam; tunc commodatarius tenetur de culpa lata, levi, & levissima, quia eandem illi, quàm rebus propriis curam, & custodiam debet, ut notat Wesenbec. *l. 13. ff. 6. num.* 8. Quòd si contractus commodati in gratiam utriusque dantis, & accipientis ineatur, ut si pretiosa supellex commodata fuerit alicui ad recipiendum hospitio communem amicum commodantis, & commodatarii, tunc hic tenetur ex culpa lata, & levi, sed non ex levissima, ut desumitur ex *l. in rebus 18. §. hac ita* juncta Glossa *V. Æstimatio ff. h. t. & ex contractu 23. ff. de R. J.* quia tunc commodatarius minus beneficium accipit à commodante, proinde non tenetur ad exactissimam diligentiam in re custodienda, ut notat Abbas *hic num.* 12. Rursus si res commodata deterior fiat, ut si vestis commodata deteratur, vel supellex deterior fiat sine tamen culpa commodatarii, cedit id in solius commodantis damnum *l. eum qui 10. h. t.* quia cum res commodata tunc usu atteratur, ac fiat deterior, censetur commodans consensisse in hanc deteriorationem, quam res commodata secum trahit, nisi aliter conventum fuerit.

§. III.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an si commodatarius differat ultra præscriptum tempus restituere rem sibi commodatam refarcire teneatur damnum inde illatum? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex Regul. Juris 25 de R. J. in 6.* ubi dicitur, quòd mora sua cuilibet sit nociva; quæ regula commodatarium potissimum obligat: etenim si hic ultra tempus concessum, vel extra usum determinatum non restituit, quamvis ex levissima culpa, tenetur ad omnia damna, quæ ex tali mora emerserunt, imò etiam lucri cessantis; si res commodata fuerit in solius commodatarii gratiam. Quòd si pertinaciter retinere ausus fuerit rem sibi commodatam usque ad sententiam condemnatoriam, non solùm tenetur ad restitutionem rei commodatæ, sed etiam ad valorem ipsius. Quòd si mora non fuerit culpabilis excusat à compensatione lucri cessantis, & damni emergentis. Qui enim res suas petenti dat commodato, eo ipso censetur exponere se periculo casuum non prævisorum, proinde non debet imputare commodatario innoxio, ut tradit Decius *in Regul. Unicuique ff. ad Reg. juris.*

2 Quæritur secundò, an si res commodata casu fortuito, ut incendio, fulmine, naufragio pereat, teneatur commodatarius ad refarciendum damnum? Respondetur negativè, & desumitur *ex d. c. cum gratia unic. h. t.* ubi dicitur: qui accipit commodatum gratiâ sui tantùm, tenetur etiam de levissima culpa, sed non de casu fortuito, nisi acciderit sua culpa, vel intercesserit pactum, vel fuerit in mora; casus enim fortuitus non imputatur commodatario, ut etiam constat *ex l. 1. §. Is verò ff. de obligationibus, & act.* Et hoc procedit etiam in precario, & aliis similibus contractibus, in quibus non transfertur dominium rei *l. contractus 23. in fine ff. de de R. J.* ubi casus, & neces animalium dicuntur accidere sine culpa, & propterea à nullo præstari; quia si res casu fortuito pereat, domino suo perit. Sic in commutationibus, si res ante traditionem factam, seu antequam contractus sit perfectus casu pereat, dicitur perire domino suo.

3 Excipitur tamen primò, si culpa in commodatario præcesserit, ex qua secutus fuerit eventus ille fortuitus, ut si Petrus commodaverit suum equum Paulo ituro tantùm suum rus; & Paulus cum eodem equo descendit ad singulare certamen cum suo inimico, à quo equus explosione sclopeti occisus fuit, tenetur Paulus refarcire damnum commodanti *l. si ut certo 5. §. sed interdum ff. h. t.*

4 Secundo si ab initio ita conventum fuit, adeout commodatarius periculum eventus fortuiti in se susceperit. *l. 1. c. h. t. unic.* quia contractus ex conventione legem dicuntur accipere *l. 1. §. convenit. ff. depos.*

5 Tertiò si commodatarius fuit in mora culpabili restituendi rem commodatam, quatenus eam tempore constituto neglexit restituere, & postea casu fortuito periit, vel deterior facta est; quia cùm mora illa fuerit veluti causa, cur commodatum perierit, & commodatarius fuit causa talis moræ, fuit etiam causa illius damni, quod propterea tenetur refarcire: qui enim est causa causæ, est etiam causa causati, si causatum sequatur ex tali causa, ut simpliciter sit ab alio, ut in casu nostro mora illa culpabilis est à commodatario

tario, cui propterea dicitur esse noxiva juxta *regul. jur. 25. in 6.*

6 Quòd si commodatarius habuisset justam causam differendi restitutionem rei commodatæ, quia tunc mora non fuisset eidem danda culpæ, non teneretur damnum refarcire ex casu fortuito, ut desumitur ex *l. illud 40. ff. de hared. pet.* Rursus cum commodatarius dicitur ex mora culpabili teneri ad damnum ex casu fortuito ortum refarciendum, limitatur etiam nisi res commodata similiter peritura fuisset apud suum dominum, tametsi constituto tempore, & loco fuisset statim restituta; tunc enim morosus debitor non tenetur refarcire damnum, quia ratione illius moræ præcisè, quamvis culpabilis non fuit causa damni illati, cum res eodem modo etiam periisset proprio domino, ut desumitur ex *l. si plures 14. in fin. ff. depositi.* quod tamen intelligitur dummodo dominus rei non fuisset eam distracturus. Cæterum fures, raptores, ac violenti invasores apud quos res furto ablatæ perierunt, tenentur restituere earundem pretium, quamvis apud dominum etiam periissent, idque statutum fuit à lege in odium, & pœnam furti *argum. l. 1. §. restissimè l. penult. junctâ Glossa V. frustrata ff. de vi.*

7 Quæritur tertiò, an commodatarius teneatur præferre in periculis commodatum rebus propriis? Respondetur in periculo incendii naufragii, hostilis irruptionis posse commodatarium res suas pretiosiores, rebus commodatis, vel oppignoratis præferre, ut eas salvare possit, si utrasque nequeat: ratio est, quia nemo tenetur subire damnum majus, ut avertat alterius damnum minus. Quòd si res aliena erat apud commodatarium in solum suum commodum, quamvis ex decentia, & quadam gratitudine teneatur alteri damnum compensare, non est tamen improbabile, quòd non teneatur ad compensandum damnum, quod commodans fuit passus pro re commodata, quæ periit, si hæc absque culpa commodatarii periit, ut docet Molina *de justit. & jur. disp. 296.* cui adhæret Lessius *l. 2. c. 27. num. 25.*

8 Quòd si res commodata sit pretiosior rebus propriis, tenetur tunc commodatarius eam præferre propriis vilioribus, eámque eripere è periculo relictis propriis vilioribus: ratio est, quia deposito, commodato, pignori, & locato eadem debetur custodia, quam quisque prudens suis propriis rebus adhiberet, & sicut vir prudens præferret res proprias pretiosiores aliis propriis minus pretiosis, ita tenetur præferre res sibi commodatas pretiosiores suis propriis minus pretiosis. Quando verò res commodatæ, & propriæ sunt æquales quoad pretium, potest tunc commodatarius præferre res suas, si res alterius sint apud ipsum in commodum solius alterius, vel etiam in commodum commune: secus si sint in commodum solius commodatarii, tenetur hic præferre rem alienam propriæ, nec tenetur commodans compensare commodatario. Sin verò res fuerit duobus commodata tunc ille solus tenetur refarcire damnum illatu, cujus dolo, vel culpa periit: & si neuter culpa caruit, obligatur uterque in solidum *l. si ut certo §. si duobus ff. commodati* Molina *tom. 2. disp. 297. in fin.* Sed postquam unus totum damnum refarcivit, potest dimidiam partem dati ab altero repetere: & si duo ex pacto se obligaverint ad casum fortuitum rei commodatæ, locatæ, vel depositæ, re pereunte singuli tantùm tenentur pro parte, nisi expressè conventum sit, ut obligentur in solidum.

Quæritur quartò, an pugnet cum substantia commodati, ut is qui accipit commodatum eo utatur ad tempus incertum? Respondet Panormitanus *in c. unic. de commodato*, cum Bart. *in l. in commodato §. sicut ff. commodati*; de ratione commodati esse, ut sit ad certum quendam usum: & quia certus usus rei tacitè, & implicitè certũ tempus habet, sequitur necessariò, ut commodatum expressè, vel tacitè certum exigat tempus: hinc Cynnus *lib. 2. C. de commodato* asserit, ad commodati substantiam pertinere certum tempus expressè, vel tacitè. Cæterum Glossa *in c. cum gratia unic. de commodato* hujus conditionis non meminit, quia ad commodatum non requiritur expressè certum tempus, sed sufficit, si implicitè, & tacitè requiratur tale tempus, ut cùm dicitur comodatum esse ad certum usum: hinc si Petrus accepit à Paulo certum librum ad transcribendum, utique illum accepit commodatum, quia illum habet ad certum usum transcribendi, proinde tacitè ad certum tempus, quod requiritur, ut possit commodè liber transcribi. Quòd si Petrus daret Paulo librum, ut eidem studeret, non acciperet tunc Paulus librum commodatum, quia non haberet certum tempus expressè, vel tacitè: quia studium non habet certum tempus præfixum, sicut transcriptio, cum possit quis toto vitæ tempore studere. 9

Quæritur quintò, an qui accipit commodatum possit illud sibi retinere in compensationem alterius rei, quam commodans debet commodatario, ut si Petrus deberet Francisco 20. & hic peteret à Petro, ut sibi commodaret suum equum, quæritur an posset sibi retinere equum, donec Petrus solveret viginti illos aureos? Respondent fere communiter cum Glossa *in d. c. cum gratia unic. de commodato.* Panormit. *in c. bona fides de deposito* posse Franciscum talem equum sibi retinere, idque probant *ex l. si quis, vel pecunias C. depositi l. ult. C. de compens. & justit. de action. §. in bona fidei*, in quibus textibus dicitur esse tantùm proprium depositi, ut non possit retineri loco compensationis, ex quo infertur, quòd commodatum possit retineri loco compensationis: & Glossa addit rationem, cur in commodato locum habeat compensatio; quia scilicet res commodata debeat eadem in specie restitui. Quòd si quæras cur depositum retineri non possit in compensationem sicut commodatum? Respondet Panormit. id causæ esse, ne is cujus fidei depositum committitur, evadat perfidus. Non tamen desunt, qui asserant, spectato solo jure naturali eandem esse rationem in commodato, ac in deposito. Siquidem qui commodatum accipit, compellitur etiam fidem servare, & quidem naturali jure, & res depositas simul, & commodata restitui de- 10

bet eadem in ſpecie. Verùm ratio Panormitani eſt præferenda; etenim qui depoſitum accipit, videtur contra fidem facere, cùm ſemper ejus fidem, curam, & diligentiam ad rei cuſtodiam exigat, ac deſideret is, qui depoſitum dedit: ſecus qui accipit commodatum, non accipit præcisè, ut diligenter cuſtodiat, ſed ut eo utatur ad tempus, & per hoc patet diſcrimen inter depoſitum, & commodatum, hinc in *l. ſi quis C. depoſiti* prohibetur quis retinere depoſitum loco compenſationis, ne ſcilicet contractus ortus ex bona fide retrahatur ad perfidiam.

11 Quæritur ſextò, quænam conditiones requirantur ad juſtam compenſationem? Reſpondetur plures requiri. Primò ut debitum ſit moraliter certum, adeo ut debitor in conſcientia teneatur ad explendum debitum, quod ſine peccato non poſſit prætermittere. Secundò ut non plus in compenſationem accipiat, quàm ſibi debeatur. Tertiò ut debitum ſit actu non potentiâ. Quartò ut admoneat debitorem, vel ejus hæredes, quòd debitum jam ſit ſolutum, ne bis ſolvant. Alii aliam ponunt conditionem, ut ſcilicet, ſi poſſit quis rem ſibi ſublatam commodè per ſententiam judicis recuperare, teneatur juridicè procedere, alioquin injuriam inferret judici, cujus officium ſibi uſurparet. Alii tamen cum Maldero *in 2. 2. tract. 4. c. 1. dub. 6.* cenſent, quòd quando ex occulta compenſatione non ſequitur ſcandalum, nec turbatio in republica, ſit licita occulta compenſatio, tametſi poſſet quis rem ſuam recuperare per ſententiam judicis, quia in tali caſu agitur tantùm de retinendo, non verò de acquirendo de novo. Et licèt Sylvius *in 2. 2. q. 62. art. 3. conclus. 7.* aſſerat ad juſtam compenſationem requiri, ut res ſint ejusdem rationis, eò quia, quæ ſunt diverſæ non poſſint parte invita compenſari, id tantùm procedit in foro externo, non verò in foro conſcientiæ, in quo poteſt fieri compenſatio in debitis diverſæ rationis, proinde in ſpecie ad ſpeciem, dummodo non ſit exceſſus, ſed utrinque ſit idem pretium. Cæterum ut compenſatio ſit juſta requiritur, ut debitum ſit actu, non potentiâ, ſcilicet reſtituendum ſtatim, & illo tempore; quòd ſi fortaſſis creditor non haberet ſpem, rem ſuam recuperandi tempore ſtatuto, adhuc probabile eſt, poſſe compenſationem etiam ante præfixum tempus fieri, ut docet Tannerus *in §. 2. diſp. 4. q. 6. dub. 14.*

12 Quæritur ſeptimò, an in compenſatione occulta requiratur, ut debitum ſit liquidum, ac certum? Communis reſponſio eſt, debitum debere eſſe liquidum, & certum. Verùm ſtatim oriuntur aliquot difficultates. Primò an qui à Petro infamatus eſt, poſſit ſibi compenſare negando Petro pecunias, quas eidem debet, ſi Petrus nolit eidem famâ reſtituere. Reſpondet Leſſius *l. 2. c. 11. dub. 25.* probabile eſſe poſſe diffamatum in compenſationem retinere pecuniam, quam debet Petro, à quo fuit infamatus; adeo ut infamia poſſit per pecuniam compenſari, quando non poteſt in proprio genere reſtitui: verùm in hoc caſu probabile ſolùm eſt, debitum pecuniæ pro fama; cùm verior ſententia id neget, & nihilominus admittitur compenſatio pro tali debito. Secundò ſi duo ſe viciſſim infament, poſſunt, ſi damnum ſit utrinque æquale, compenſare ſibi; adeo ut quilibet eorum non teneatur reſtituere, quamdiu alter non vult reſtituere, ut docet Sylvius *in 2. 2. q. 63. art. 8.* & tamen id fundatur ſolùm in opinione probabili, cùm communior, & tutior ſententia ſit, quòd infamia non ſit licita compenſatio. Tertiò qui ex teſtamento minus ſolemni debet legata ſolvere; eſt opinio probabilis, quòd in foro conſcientiæ ea legata debeant ſolvi; & nihilominus licèt contraria opinio ſit communior, poteſt adhuc legata retinere, aut occultè ſibi compenſare, ut docet Leſſius *de juſtit. & jure lib. 2. c. 19. dubit. 3. num. 22. & 30.* ubi addit, poſſe hæredem ab inteſtato uti compenſatione occulta contra eum, qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minus ſolemni, eò quia contraria ſententia ſit probabilis, quam poteſt ſequi hæres ab inteſtato.

13 Verùm de Lugo *tom. 1. de juſtit. diſp. 16. ſect. 5. num. 94. & ſequent.* aliter reſpondet, ſi enim opinio æquè probabilis, vel etiam probabilior faveat creditori volenti compenſationem facere, quæ verſatur circa jus, non circa factum, tunc probabile eſt, quòd poſſit creditor antequam res ad judicium deducatur poſitis aliis conditionibus compenſare ſibi occultè ſuum debitum, quia non obſtante poſſeſſione debitoris judex proferret ſententiam, vel ſaltem poſſet proferre pro creditore amplectendo ſententiam probabilem, vel probabiliorem, quæ ipſi favet: ſiquidem regula illa, quod in pari cauſa favendum ſit potiùs reo, quàm actori, locum habet in cauſa dubia dubio negativo, vel ad ſummum in dubio probabili circa factum: ſiquidem fundatur in illa alia regula, quòd actore non probante reus ſit abſolvendus: quando verò actor ſuam intentionem probat, & fundat in veriore, ac probabiliore ſenſu legis, non poteſt dici actor non probare.

14 Rurſus quando actor pro ſe adfert claſſicos doctores, aſſerentes in talibus circumſtantiis jura ei favere, reus debet condemnari, quia tunc oſtendit juxta illorum doctorum ſententiam cauſam ſuam non eſſe parem, ſed meliorem, quàm ſit cauſa Rei: proinde quando creditor ſine gravi incommodo non poteſt ad judicem recurrere poterit ſibi debitum compenſare. Neque obſtat, quod iniquum ſit compenſare debitum certum cum debito incerto: ſed qui habet ſolam probabilitatem, quod ſibi aliquid Petrus debeat, cui ipſe tantundem certò debet, ſi compenſatione utatur, videtur jam certum debitum cum incerto compenſare. Nam licèt rationes illæ ſint probabiles, non tamen opinio illius habet pro objecto probabilitatem, ſed ſolutionem, & compenſationem certam, ſiquidem præcitatus de Lugo non dicit debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel compenſationem probabilem; ſed probabiliter dicit, debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel compenſationem certam, quòd ſufficit ad illam petendam, vel faciendam: ſiquidem ad operationem licitam ſufficit probabilitas proxima, quâ probabiliter quis judicet ſe habere hîc, & nunc jus, ad tan-

tum

tàm pecuniam, tunc potest illam accipere, quia non potest esse jus ad illam accipiendam, nisi sit jus ad illam certò accipiendam: hæc docet De-Lugo *tom. 1. de justit. disp. 16. sect. 5. n. 19.*

15 Verùm putârim non esse recedendum à sententia communiori asserente, non sufficere ad sibi compensandum, si probabiliter judicet, se habere hic, & nunc jus ad tantam pecuniæ summam, ut possit eam accipere, ac sibi retinere: quia tunc jus est tantùm probabile, & compensatio certa, & evidens, proinde excederet ipsum jus, quod non egreditur limites probabilitatis: ut enim compensatio respondeat debito debet hoc esse liquidum, certum, & evidens, perinde ac compensatio est certa, & evidens.

16 Quæritur octavò, an qui juravit solvere, possit hoc non obstante compensare sibi sine metu perjurii? Tres circa præsentem quæstionem sunt sententiæ. Prima negat, eò quia compensatio non sit ficta solutio *l. Julianus ff. de condit. & demonstrat. l. si peculium. §. 1. ff. de statu liber.* Juramentum autem debet impleri in forma specifica, ut desumitur *ex c. ad nostram de jurejur.* ubi expressè statuitur, jurantem restituere mutuum sub pignoribus non posse objicere compensationem fructuum à mutuante perceptorum ex pignore, ita enim docent Hostiensis, Innocentius, Imola. Secunda sententia affirmat posse sine metu perjurii talem compensationem fieri, quia tunc compensans dicitur solvere, ut habetur *in §. solvisse. ff. de re judic.* ubi habetur: solvisse accipere debemus, non tantùm eum qui solvit, sed etiam omnem omnino, qui ea obligatione liberatus est: qui verò compensat, liberatur, *l. si ambo. ff. de compens.* Secundò quia conditio solvendi, & dandi potest adimpleri per compensationem *l. si pecunia. 1. §. de illo vers. quid si heredi. ff. de statu*, & nihilominus debet impleri in forma specifica, sicut juramentum: unde qui promisit cum juramento solvere adimplet compensando, ita docent Panormit. *in c. ad nostram. de jurejurando.* Covarruvias *in c. quamvis pactum 1. p. §. 4. num. 9.* Navarrus *de restit. lib. 3. c. 1.* Tertia sententia procedit cum distinctione, & asserit, primam sententiam veram esse, si eo tempore, quo ipse juravit solvere creditori suo, ipse erat etiam creditor sui creditoris, & debita erant hinc inde compensabilia, & tamen juravit solvere; quia in hoc casu videtur se obligare ad sibi compensandũ *arg. d. c. ad nostram.* Secus si post promissionem juratam incœpisset ex aliquo titulo esse creditor sui creditoris, tunc non posset sibi compensare, quia juramentum debet intelligi rebus hìc stantibus *c. quemadmodum de jurejur.* hac distinctione adhibita, Panormit. *in d. c. ad nostram. num. 3. vers. quid dicendum* conciliat duas priores oppositas sententias, & huic distinctioni adhærendum est.

17 Quæritur nonò, an commodatarius si sit dubius, an res fuerit sua culpa amissa, teneatur eam restituere? Respondent plures cum Merola *tom. 1. disp. 3. c. 3. corol. 7. num. 50.* teneri commodatarium illam restituere, quia in dubio potiùs debet damnum pati, qui beneficium accepit, quàm qui contulit; tum quia ut commodatarius obligetur ad restitutionem sufficit culpa juridica.

Verùm contraria sententia est probabilis, 18
quia quando commodatarius est dubius, an res sua culpa perierit, vel fuerit amissa, non tenetur restituere, quia cùm delictum non præsumatur, sed debeat constare, tunc commodatarius est in possessione suæ innocentiæ, ut tradunt Lessius *lib. 2. de justit. c. 27. dub. 3.* Sancius *in select. disp. 43. num. 11.* Verùm in foro externo si res commodatarii appareant incolumes, præsumitur de dolo, proinde incumbit ei onus probandi casu rem commodatam periisse, vel non potuisse simul servare res suas, & sibi commodatas ob imminens incendium, vel ex alia ratione, & maluisse res suas servare, quàm alienas.

Quæritur decimò, an quæ accedunt ad rem 19
commodatam, seu illam comitantur, vel sequuntur, censeantur pariter commodata? Respondetur, eadem itidem censeri commodata, & quidem jure communi *l. si ut certo §. neque adeo. ff. commodati:* ut si Petrus commodaverit Joanni equam, quam equulus comitabatur, intelligitur etiam commodatus ipse equulus, quia accedit ad rem commodatam: ratio est, quia commodatum datur gratiâ illius, qui accipit, ut eo utatur, proinde, quæ comitantur commodatum intelliguntur etiam esse commodata, ne res commodata fit inutilis.

Quæritur undecimò, quænam actio ex 20
commodato oriatur? Respondetur, duas ex commodato oriri actiones, directam unam, alteram contrariam. Directa habet commodator contra commodatarium, & ejus hæredes. Primò ad restitutionem rei commodatæ finito ipsius usu, seu elapso tempore commodationis. Secundò ad æstimationem rei, si hæc perierit dolo, vel culpa commodatarii. Tertiò ad interesse propter deteriorationem, si enim res commodata dolo, vel culpa commodatarii facta sit deterior, tunc qui commodavit, habet jus repetendi ab eo, quod sua interest, quapropter *in l. cum qui rem commodatam accepit. ff. h. t.* habetur: si in eam rem usus est, in quam accepit, nihil præstare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem fecit, verum est. Nam si culpa ejus deteriorem fecit, tenebitur: quia sæpe res, quæ commodantur usu ipso atteruntur, ut vestes, & similia, ut tandem pereant, quamvis non prius obsumantur, & pereant, quàm ex eis utilitas sumatur, habetur etiam *ex l. sed mihi 3. §. si reddita. ff. h. t.* ubi Castrensis asserit, id verum esse, quando commodator ignoravit, rem esse factam deteriorem, tunc enim vult, commodatarium teneri ad resarciendum damnum, secus si commodator sciverit rem fieri deteriorem, quia tunc videtur remisisse *l. qui scivit. §. 1. ff. de relat.* Actio contraria competit commodatario ad repetendum magnas impensas factas in re sibi commodata *l. in rebus § possunt. ff. h. t.* Layman. *lib. 3. tract. 4. num. 14.* Wesenbec. *lib. 13. ff. tit 6.*

Quæritur duodecimò, an qui commodatum 21
dedit, possit illud repetere ante præscriptum tempus, & antequam is, qui accepit, sit eo usus? Respondetur id non licere *ex l. in commodato §. sicut. ff. commodati*, & *c. 1. de com-*

modato. quia tunc ſi commodator repetat, quod alteri commodavit, illi infert damnum, quia non poteſt ampliùs uti re ſibi commodata, & quâ indigeret,& ſi commodator eam non repeteret ſibi conſuleret, ſicut ſi eam non commodâſſet, aliunde ſibi proſpexiſſet. Verùm hæc tantùm procedunt in foro judiciali, non ita in foro conſcientiæ, quando is, qui commodatum dedit, damnum majus, vel æquale paſſurus non eſſet; & is qui commodatum accepit facilè potuiſſet ſibi conſulere, ut notat Sylveſter *in V. commodatum q. 4.* Tum quia quisque magis ſibi, quàm alteri obligatur *c. ſi non licet* 23. *q. 5. & l. præſes. C. de ſervitut.* In ordine autem ad reſtituendum commodatum adhiberi ſolet diſtinctio, comodatum enim quod ſolùm datur gratiâ illius qui accipit, reſtitui debet eo in loco, de quo facta fuit pactio inter dantem, & accipientem *l. ſi ut certo in princ. ff. commodati.*

22 Quòd ſi de loco non fuit pactum expreſſum, tunc reſtitui debet in eo loco, ubi quis commodatum accepit, tametſi commodatarius à tali loco receſſerit; ſiquidem commodatum eſt gratiâ ipſius, proinde ejus impenſis debet ad creditorem referri: non enim eſt æquitati conſonum, ut commodator, qui rem ſuam alteri indulſit ad uſum, damno afficiatur ex eo, quòd officium erga alium exercuerit charitatis, & benevolentiæ. Secus ſi commodatum tantùm fuerit conceſſum alteri ex cauſa illius, qui dat, reſtituendum eſt in eo loco ubi res eſt, ac de facto reperitur, non verò ubi data, & accepta fuit, propterea debet reſtitui impenſis commodatoris, non ipſius commodatarii. Quòd ſi commodatum ad utilitatem pertineat utriusque dantis, & accipientis, debet reſtitui in loco ubi res accepta eſt, dummodo nil pactum ſit de loco reſtituendi, & tunc impenſæ faciendæ in reſtitutione commodati debent eſſe communes, quod conſonum eſt æquitati cùm commodatum ſit gratia utriusque.

TITULUS XVI.

De depoſito.

PRecarium, & commodatum, de quibus in titulis præcedentibus dictum eſt, utilitatem reſpiciunt accipientis, ſunt enim contractus initi cauſâ, & gratiâ ipſius recipientis: nunc ſequitur depoſitum, quod fit gratiâ concedentis, ſeu dantis, & totum ex fide conſtat, quam pleniorem exigit, quàm ullus alius contractus. Quia verò nullum verſatur ejus emolumentum, cui res quælibet commendata eſt, ideo de levi, vel leviſſima culpa non tenetur, dolum tantùm præſtat, & latam culpam, quæ dolo proxima eſt. Rurſus hic contractus non ſolo conſenſu, ſed etiam rei traditione perficitur: ſiquidem depoſitum exigit, ut res tradatur depoſitario in gratiam tradentis, ſeu deponentis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *GRAVIS 1. h. t. Alexander III. reſcribit Epiſcopo Londonenſi, eum qui deponit pecuniam apud clericum alicujus Eccleſiæ non obligari Eccleſiæ pro illa pecunia, niſi fuerit converſa in utilitatem Eccleſiæ. Notandum eſt, depoſitum, de quo Pontifex loquitur in textu eſſe contractum, quo res alteri gratis cuſtodienda commendatur, & habere locum in rebus mobilibus vi nominis, & Eccleſiæ, quia non ſubeſt detrimentum, ſed beneficium, ſi quis rem alterius cuſtodiendam recipiat; depoſitum enim ſolùm datur ad cuſtodiendum, non autem ad uſum, niſi aliter conventum fuerit expreſsè, vel tacitè, ut ſi apud aliquem deponatur pecunia non obſignata* l. die 25. in fin. ff. eod. *Quòd ſi depoſitum deterioretur, aut amittatur, competit tunc actio contra depoſitarium, ſi id contingat dolo, vel lata culpa illius: de levi autem non tenetur, qui beneficium alteri præſtat, niſi ſe ultro obtulerit ad depoſitum recipiendum, quia tunc videtur promittere diligentiam, vel niſi pro cuſtodia aliquid receperit. Hinc depoſitarius contra voluntatem deponentis non poteſt uti depoſito, & ſi illo utatur committit furtum* ff. de condict. furt. *immò condemnatus efficitur infamis,* l. qui depoſitum 6. eod. *& hac infamia præcedente poteſt etiam clericus carcerari, ac ſubjici tortura.*

C. *BONA FIDES 2. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd ſi depoſitarius perdat depoſitum, & non res ſuas non præſumatur habere bonam fidem, & ſit condemnandus, eò quia præſumitur dolus. Rurſus qui ſe obtulit, vel accepit, aliquid pro cuſtodia teneturde culpa, & etiam de caſu fortuito, ſi pactum, vel culpa, vel mora intervenerit depoſitarii. Rurſus declarat idem Pontifex, depoſitum poſſe repeti ad libitum, & non admittere compenſationem, vel deductionem, ſicut in aliis contractibus, quamvis cauſa compenſationis ſit liquida. Ubi notat Gloſſa, depoſitarium teneri de ſolo dolo. Quòd ſi ſe obtulit, vel accepit mercedem declarat, teneri etiam de culpa. Quamvis lata culpa comparetur dolo, non tamen eſt dolus, quia nihil eſt, in quo ſit illi ſimilis. Quòd ſi res ſit depo-*

ſita

ſita in gratiam tantùm depoſitarii, tenetur etiam de culpa leviſſima. Rurſus præſumitur lata culpa, vel dolus in depoſitario, ſi hic non adhibuerit diligentiam, ſicut in propriis ſuis rebus. Præterea contractus facti cum pacta ſervari debent, niſi à jure prohibeantur. Rurſus qui rem depoſitam vendit, deinde redimit, ut eam habeat pro depoſito; ſi poſtea talis res pereat etiam ſine dolo, tenetur, quia ſufficit ſemel commiſiſſe dolum.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit depoſitum; & à quo committi, & ſuſcipi poſſit.

1 DEpoſitum dupliciter ſumitur. Primò pro re ipſa, quæ alicui datur conſervanda, & cuſtodienda. Secundò pro ipſo contractu inter duos, quo unus dat alteri aliquid cuſtodiendum nulla mercede data, aut promiſſa. Priori modo definitur depoſitum eſſe id, quod alteri datum eſt cuſtodiendum, ut tradit Ulpianus jurisconſultus *in l. 1. ff. depoſiti* ubi ait, depoſitum dici ex eo, quod ponatur, & præpoſitionem *de* augere depoſitum, ut oſtendatur, totum eſſe commiſſum fidei illius, cui depoſitum datur cuſtodiendum. Quatenus verò eſt contractus, definitur eſſe *contractus, quo res aliqua alteri traditur cuſtodienda, ut eam reſtituat integram nulla mercede data, aut promiſſa.* In quo contractu non transfertur dominium, neque uſusfructus in depoſitarium, ſed ſola rei cuſtodia committitur depoſitario, & per hoc differt à cæteris contractibus; à mutuo quia in hoc dominium rei mutuatæ transfertur in accipientem, qui propterea poteſt uti pro ſuo arbitrio, & etiam conſumere, & alienare rem ſibi mutuo datam, eò quia per mutuum acquiſiverit dominium, & jus in illa: ſecus depoſitarius non poteſt uti depoſito pro ſuo arbitrio, quia nullum acquirit dominium, nec jus in illo, ſed proprietas, & poſſeſſio totius rei depoſitæ manet penes ipſum deponentem *l. licèt 18. § rei ff. h. t.* unde eatenus deponitur, ut præcisè ſervetur, non translato illius dominio, nec uſufructu: differt etiam à commodato, in quo conceditur uſus commodatario, & à pignore, quod datur in cautionem: ut etiam à precario, in quo etiam conceditur uſus ad placitum, per quod differt precarium à commodato: rurſus à contractibus onerosis, emptione, locatione, & ſimilibus evidenter diſtinguitur.

2 Præterea depoſitum datur ad cuſtodiendum ſimpliciter, ut ſeparetur ab aliis, in quibus alius finis intenditur: ſiquidem cum depoſitum in ſolam utilitatem ipſius deponentis conſtituatur, non alia intervenit cauſa illud deponendi niſi ſola cuſtodia: hinc depoſitum eſt tantùm gratiâ illius, qui rem deponit, non verò alterius, qui depoſitum recipit: commodatum verò, & precarium ſunt in utilitatem illius, qui accipit, quod tamen intelligitur regulariter, ut plerumque fit: ſiquidem commodatum nunquam eſt etiam gratiâ illius, qui dat; cum tamen depoſitum interdum ſit gratiâ ipſius depoſitarii, ut deſumitur *ex l. ſi quis, & l. rogâſti ff. de reb. credit.* Differt etiam à locatione, & conductione, quia in depoſito res traditur cuſtodienda omninò gratuitò ſine ulla mercede *l. 1. §. ſi veſtimenta ff. h. t.*

Demum à pignore etiam differt, quia licèt 3
non detur ad utendum, datur tamen creditori in cautionem ut ſecurus ſit de alteri dato, quod ſit illi reſtituendum: ſecus depoſitum non datur in cautionem, ſed in ſimplicem cuſtodiam: hinc de ratione depoſiti eſt. Primò ut res ſit tradita, ſiquidem eſt contractus qui perficitur per rei traditionem, & non per ſolum conſenſum §. *præterea inſtit. quib. mod. re contrab. oblig.* Rurſus requiritur conſenſus utriusque dantis, & accipientis depoſitum. Præterea, ut res depoſita detur alicui ad cuſtodiendum omnino gratis, & ſine ulla mercede, ſiquidem eſt officium prorſus gratuitum. Demum requiritur etiam ut res reddatur eadem, quæ fuit depoſita.

Depoſitum enim quod recipit functionem 4
(ut eſt vinum, oleum, & res aliæ, quarum una permutari poteſt cum alia) naturam mutat depoſiti, & fit mutuum ſaltem quando depoſitarius incepit uti re depoſita, & id procedit quoad ea, quæ conſumit, & alienat, non verò quoad alia, quorum dominium perſeverat apud deponentem, neque quoad ea, quæ non recipiunt functionem. Quòd ſi depoſitum ſit ex iis rebus, quæ non conſumuntur uſu neque recipiunt functionem, tunc ſi concedatur uſus, tranſit in commodatum; vel etiam in locatum, quando pretium exigitur pro uſu rei *l. quintus ff. depoſiti* Navarr. *c. 17. n. 181.*

Bipartitur depoſitum in judiciale, & priva- 5
tum, illud eſt, quo res aliqua litigioſa committitur alteri, ut eam retineat, ac cuſtodiat, donec cognita lite, & dirempta cauſa conſtet, cuinam debeatur dominium rei illius; & de hoc genere depoſiti agitur *in c. examinata de judic. & in l. licet §. depoſiti.* Rurſus dicitur etiam depoſitum judiciale, quando debitor offert creditori pecuniam, quam debebat: & quia creditor eam accipere detrectat, debitor ad uſuras evitandas conſignat talem pecuniam alicui loco ſacro in depoſitum *l. acceptam C. de uſuris.* Depoſitum privatum habetur quando res apud privatum aliquem, de cujus fidelitate, & diligentia in rebus alienis cuſtodiendis confidimus, deponitur, ut illam diligenti cura cuſto-

diat. Illi etiam dicuntur deponere, qui de re aliqua certantes penes Arbitrum eandem deponunt ea conditione, ut illam postea det victori. Est enim quædam species depositi ipsum sequestrum, quod est voluntarium, vel involuntarium ex modo constituendi: siquidem duobus modis perficitur. Primò utriusque partis consensu cum res litigiosa apud tertium deponitur usque ad decisionem causæ, nec interest in judicio, vel ante illud fiat. *l. in principio ff. depositi l. si solutum. ff. de solut.* & tunc si res deponatur tantùm custodiæ causa, dominium, & possessio civilis immota manet: sin verò ut sequester rem apud ipsum depositam pro tali tempore possideat, tunc possessio civilis naturalis in illum transfertur *l. licet. ff. depositi*, idque ut majore cum fide, & diligentia servetur. Secundò perficitur per sententiam judicis cognitâ causâ etiam invitis litigatoribus: & licèt inde graventur partes, adhuc censetur remedium tutissimum in re dubia, dummodo prudenter à judice constituatur *l. equissimum. ff. de usufruct.* Glossa *in c. ad hoc de sequest.* Gaillus *lib. de arrestis. obser. 12.* Is apud quem res sequestrata deponitur vulgò dicitur sequester, quatenus utraque pars ejus fidem sequitur *l. sequester ff. de verb. significat.*

6 Depositarii esse possunt, quotquot usu utuntur rationis, sive mares sint, sive fœminæ, quapropter clerici, pupilli, & Religiosi possunt esse depositarii, seu alienum depositum suscipere custodiendum: si tamen pupillus sine tutoris authoritate, & consensu depositum susceperit, si pubertati proximus sit tenetur de dolo, & culpa lata *l. socius ff.* pro socio. Cagnol. *in lib. contract. ff. de reg. jur. num. 8.* nisi subjecta materia aliud suaserit. Contra illum tamen, qui infantiæ proximus est, datur actio, ut rem depositam reddat, vel eâ deperditâ restituat id, in quo factus est locupletior *l. 2. & 3. ff. commodati.* Religiosus tamen malè se gerit, si absque consensu sui superioris munus suscipiat depositarii; cæterum Ecclesia, vel Monasterium non tenebitur ad restitutionem si res deposita etiam dolo Religiosi, vel beneficiati perierit, vel absumpta fuerit, nisi fortassis in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii aliquid fuerit insumptum. Quòd si Ecclesia, vel Monasterium depositum susciperet, nimirum superior cum consensu Capituli, tunc Monasterium perinde ac alius depositarius teneretur.

7 Quid verò dicendum sit de eo, qui apud servum rem deposuit? Respondet Ulpianus *l. 1. §. si apud servum. ff. depositi*, hoc pacto: si apud servum deposuero, & cum manumisso agam, Marcellus ait, nec tenere actionem: quamvis solemus dicere, doli etiam in servitute commissi teneri quem debere: quia delicta, & noxæ caput sequuntur: erit igitur ad alias actiones competentes decurrendum. Ubi Bartol. Ulpianum juris consultum sic interpretatur: in servum manumissum non datur actio ex contractu in servitute facto, sed ex delicto, eò quia delictum personam sequitur. Respondet tamen Azorius *p. 3. lib. 7. c. 3.* cum servo manumisso non posse agi actione depositi, sed vindicatione rei, si apud ipsum depositum exstet, posse tamen agi in servum ex delicto in servitute patrato. Quòd si res deposita fuerit apud filiumfamilias, & hic emancipatus rem teneat. Respondet Paulus juris consultus *in l. si apud filiumfamilias ff. de depos.* patrem nec intra annum de peculio debere conveniri; sed ipsum filium. Et Trebatius censet, etiam apud servum, si is manumissus depositum teneat, dari actionem in illum, non in dominum, tametsi ex cæteris causis in manumissum actio non detur.

8 Deponere possunt omnes, quotquot rei alicujus dominium, administrationem, aut bonæ fidei possessionem habent: quinimo etiam filii familias, & servi deponere possunt res pertinentes ad patrem, vel dominum; & tunc qui depositum accipit, obligatur patri, & domino, non verò filiofamilias, vel servo, quia depositarius illi obligatur, ad quem pertinet res apud se deposita. An verò prædones, & fures res aliis ereptas, & ablatas possint deponere? Respondet Ulpianus *in l. 1. §. si prædo. ff. depositi*: si prædo, vel fur deposuerint, & hos Marcellus *lib. 6. digestorum putat rectè depositi acturos, nam interest eorum eo quod teneantur.* Ratio hujus legis est, quia prædones, & fures tenentur res domino restituere, & ad id jure compelluntur, proinde jus civile dat ipsis actionem, non quia agant ob furtum, sed ob contractum, quem iniverunt cum eo apud quem rem furtivam deposuerunt: ipsorum enim interest, rem illam, quam deposuerunt reposcere, ut vero domino restituatur. Res quæ ordinariè deponuntur, sunt mobiles, ut vestis, liber, candelabrum, gemmula: vel se moventes ut bos, equus, pecus. Rursus res mobiles, vel sunt usu consumptibiles, ut pecunia, vinum, frumentum, oleum: & tunc pecunia, vel est numerata, vel non, sed obsignata tantùm, & clausa aliquo saculo, & deponitur ut eadem numero restituatur, vel saltem alia ejusdem speciei in æstimatione usuque æqualis: vel non sunt usu consumptibiles, ut arma, gemmulæ, & alia id genus; hæc omnia cum mobilia sint possunt transferri de loco in locum, proinde possunt deponi, ut etiam res illæ, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura, & in suo genere functionem recipiunt, ut frumentum, oleum, vinum, ut colligitur *ex l. Lucius, & l. Ponsalierum §. qui pecuniam. ff. depositi:* & tunc res deponuntur ad pondus, vel ad mensuram, ut nimirum cum eodem pondere, & mensura restituantur.

9 Ex contractu enim depositi ad plura depositarius obligatur. Primò ut teneatur rem apud se depositam custodire ea fide, ac curâ, quâ solet res suas proprias *c. bona fides de deposito* ubi dicitur: depositarius si perdat depositum, & non res suas non præsumitur habere bonam fidem, & condemnabitur, quia præsumitur dolus. Secundò tenetur regulariter rem depositam restituere absque mora, quandocunque dominus illam petierit *c. bona fides de deposit. & l. 1. §. est autem, & §. penult. ff. depositi.* Tertiò tenetur eam restituere in eo statu, in quo illam accepit, scilicet non fractam, non diminutam, non detritam, non corruptam, neque factam

ctam modo aliquo deteriorem *l. ſed mihi videtur §. ſi reddita. ff. commodati.* Quartò ut non poſſit uti re depoſita ſine conſenſu expreſſo, vel tacito deponentis, alioquin ſi invito domino utatur re depoſita furti reus habetur *l. ſi ſacculum. ff. depoſ. l. furtum ff. de condict. furtiv.* Quintò tenetur etiam reſtituere, quidquid damni, dolo, vel culpâ ſuâ res depoſita paſſa fuerit.

10 E contra depoſitarius non tenetur depoſitum reddere. Primò niſi expenſæ factæ in re depoſita cuſtodienda ſolvantur. Secundò quando bona deponentis confiſcata ſunt poſtquam depoſuit, quia tunc depoſitum eſt reddendum, fiſco. Tertiò quando reditio depoſiti vergeret in alicujus injuriam, vel in reipublicæ commune damnum, quo pacto gladius non eſt reſtituendus furioſo. Quartò neque tenetur reſtituere depoſitum, quando quis rem depoſuit apud proprium dominum ignorantem eſſe rem ſuam: ſiquidem depoſitarius cognoſcens rem eſſe ſuam non tenetur ampliùs eam reddere deponenti. Quintò quando res depoſita eſt furto ablata, & ſimul eam repetunt, fur, qui eam depoſuit, & verus dominus, quia in conſcientia reſtituenda eſt vero domino, non verò reddenda furi, qui eam depoſuit, eſt enim ex juſtitia reddendum unicuique quod ſuum eſt.

11 Quòd ſi pecunia concedatur alicui cuſtodienda cum facultate ea utendi, ſi opus fuerit, non propterea cenſenda eſt mutuò data, & pro illius uſu poteſt etiam aliquid exigi, quia pecunia non ſemper habet rationem pretii, ſed ut docet D. Thomas, 2. 2. *q. 78. art. 1. ad 6.* poteſt etiam eſſe aliquis uſus pecuniæ ſecundarius, ut ſi quis concedat pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ponendam loco pignoris: & talem uſum pecuniæ licitè poteſt homo vendere, proinde poteſt etiam eum locare, & aliquid etiam exigere: quapropter non ſemper in contractum mutui tranſit depoſitum datum cum tali conditione, quamvis ſit depoſitum minus purum, & ſimplex. Cæterum in duobus caſibus licitum eſt depoſitario, uti rebus apud ſe depoſitis. Primò quando ſunt uſu conſumptibiles, ut vinum, frumentum, oleum, & alia ſimilia; nec depoſitarius dubitat, eo tempore, quo reddendæ ſunt, tantundem ejusdê menſuræ bonitatis rei ſe habiturum, quo plenè ſatisfiat repetenti ſuum depoſitum: imò ſi certus ſit, quòd poſſit plenè deponenti ſatisfacere, cenſent plures, poſſe etiam alienare absque peccato gravi rem apud ſe depoſitam, eò quia ſi reddatur in eadem quantitate, menſura, & bonitate non fit injuria ulli, & qui depoſuit nullum inde patitur damnum quoad ſubſtantiam, & valorem *l. ſi ſacculum ff. depoſiti. l. in næve. ff. locati.*

12 Verùm ſine conſenſu ſaltem tacito putârim non poſſe depoſitarium uti re illa, nec eam alienare, quia non poteſt quis diſponere de re non ſua invito domino, & quia in contractu depoſiti non transfertur dominium in depoſitarium, non poteſt hic ſine conſenſu domini ſaltem implicito, vel tacito diſponere de re apud ſe depoſita. Quòd ſi res conſumptibiles ſervando ſervari non poſſent; tunc cenſeretur adeſſe conſenſus domini, ne vitium contraherent, proinde depoſitarius poſſet res illas conſumere, vel alienare, & poſtea reſtituere res ejusdem ſpeciei in eadem menſura, quantitate, & bonitate, ſicut ipſe accepit. Hinc ſecundò licet depoſitario rebus apud ſe depoſitis uti, ſi adſit conſenſus explicitus, vel implicitus, ſeu interpretativus ipſius deponentis, ut ſi bona fide exiſtimet, illi non diſpliciturum, quod conjicere, & præſumere poteſt ex ingenio, & moribus domini. Hinc Faber *l. 1. C. de pignor. act.* aſſerit, locum hic non habere pœnas in jure conſtitutas commodatario, & depoſitario propter uſum rei commodatæ, cui adhæret Covarruvias *l. 3. var. C. 15. circa fin.* Præter hos caſus ſi depoſitarius uſus fuerit rebus apud ſe depoſitis, vel eas alienaverit, reus furti habendus eſt *l. 3. C. eod. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc. §. furt.* Barb. *in c. 1. t. de depoſ.*

An verò, quando res deponitur, cenſeantur 13
etiam omnia quæ conſequuntur, aut concomitantur rem illam, eſſe depoſita? Communior reſponſio eſt negativa, adeo ut ſi Petrus armatum equum deponat apud Joannem ornamenta equi non cenſeantur depoſita, quia tunc ſolus equus intelligitur depoſitus, ut notat Cognan. *l. 7. c. 4. num. 14.* nihilominus pro iſtis; quæ concomitantur, vel ſequuntur rem depoſitam competit actio non quidem depoſiti, ſed rei vendicationis. Verùm contraria ſententia, quam tenet Accurtius, eſt etiam probabilis, & deſumitur, ex *l. ſi ut certo. ff. commodati*, ubi habetur, ſi tibi commodavero equam, quam pullus comitatur, etiam pullus intelligitur commodatus. Mihi tamen prior ſententia videtur vera, quia eſt diverſa ratio de depoſito, & commodato; quia in hoc utilitas accipientis, & in depoſito utilitas tantùm dantis attenditur, proinde non debet depoſitarius gravari, ultra quod ſe extendunt verba, quibus depoſitor deponit rem ſuam, & cùm dicat ſe deponere ſuum equum nullam faciens mentionê de ornatu, non debet ornatus intelligi æquè depoſitus, adeo ut ſi depoſitarius res illas amiſerit, vel alienaverit, quæ erant ornatui equo; depoſitor actione rei vendicationis, non verò depoſiti poſſit contra depoſitarium agere.

Ex depoſito duæ dantur actiones in jure 14
civili, & ambæ ſunt perſonales, quia ex contractu deſcendunt, una dicitur directa, & altera contraria; prima competit deponenti, ejúſque hæredibus contra eum, qui depoſitum ſuſcepit, & ejus hæredes, ſi enim doloſè ſe geſſerit in cuſtodiendo depoſito, aut ſi ejus hæredes facti ſint ditiores ex depoſito; tunc datur actio ad reſtituendam rem integram deponenti *l. 1. §. qui depoſiti ff. depoſ.* Rurſus ſi hæres neſciens rem penes teſtatorem fuiſſe depoſitam eam alienaverit, nec eam poſſit ampliùs redimere, tunc datur actio ut rei depoſitæ pretium reddatur *l. 1. §. ult. ff. depoſ.* Rurſus ſi quis ex periculo incendii, tumultûs, vel ruinæ rem depoſuit apud aliquem, & is qui eam ſuſcepit depoſitam denegaverit, agitur contra illum in duplum *l. quod tumultu ff. depoſ.* quia tunc tale depoſitum ex mera neceſſitate datur alteri ſervandum, & cuſtodien-

ſtodiendum, unde is, qui deponit non tam liberè eligit cuſtodem, ſicut is, qui rem ſuam ſpontè deponit. Actio contraria competit depoſitario, & ejus hæredi; & hac actione poteſt exigere impenſas utiles, & neceſſarias, ſi quas fecit in re ſibi depoſita ſervanda, & cuſtodienda; imò etiam compenſationem damni, ſi quod paſſus eſt ex depoſito, ut ſi quis ſciens deponeret ſervum, qui eſſet fur, *l. actione ff. depoſit.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an depoſitarius teneatur de lata culpa ſine dolo commiſſa? Ratio dubitandi eſt, quia *in §. 3. inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 1. §. 8. l. ſi ſine 20. ff. h. t. l. contractus 23. ff. de Reg. Jur.* habetur, in depoſito nonniſi dolum præſtari; unde culpa lata ſine dolo commiſſa non videtur præſtanda. Reſpondendum tamen eſt, hîc latam culpam dolo accenſeri, ut communiter tradunt doctores, & ſatis clarè deſumitur *ex l. quid Nerva 32. ff. h. t.* & expreſſiùs *in l. 1. C. eod. l. 1, §. 5. ff. de oblig. & act.* Ratio itidem id ſuadet, quia cum in depoſito per receptionem rei depoſitæ contrahatur obligatio, debet hæc eſſe ad aliquam diligentiam adhibendam ſaltem communem; ad hunc enim finem datur alteri depoſitum, ut illud diligenter cuſtodiat, ſaltem ex communi diligentia, quâ ſolent res propriæ cuſtodiri: hæc propriè eſt illa obligatio, quam præſens contractus depoſiti invehit; & quam contrahentes ſincerè intendunt: non verò quòd depoſitarius ſe tantùm obliget ad dolum non committendum; quia jam tenetur ſine contractu ad non committendum dolum: unde liquet, depoſitarium teneri de culpa lata etiam ſine dolo commiſſa.

2 Neque obſtant allegati textus, quia in ipſis nomine doli etiam culpa lata intelligitur; & illi textus, in quibus culpa excluditur à dolo, intelliguntur de culpa levi, quæ regulariter in jure vocatur culpa, ut liquet *ex l. 23. de Reg. Jur.* unde hoc eſt diſcrimen inter culpam latam, & levem juxta præſens inſtitutum, quia in jure lata culpa ſub appellatione doli comprehenditur, & præſumptivè æquiparatur dolo *l. quod Nerva 32. ff. eod. l. magna 226. ff. de V. S.* ubi dicitur, magna ſive lata culpa dolus eſt. Præſumitur autem dolus commiſſus, ac lata culpa, ſeu abeſſe bona fides, ſi rebus propriis ſalvis, aliæ quæ apud ipſum depoſitæ erant, & exiſtebant in eodem loco amiſſæ fuerunt *c. Bona fides 2. h. t.* ubi præſumitur abeſſe bona fides, ibi dolus adeſſe præſumitur; quia bona fides non minorem exigit præſtare diligentiam in rebus depoſitis cuſtodiendis, quàm in propriis: ſecus culpa levis dicitur ſimpliciter culpa, & non comprehenditur ſub appellatione doli.

3 Quæritur ſecundò, an depoſitarius teneatur ad reſarciendum damnum, ſi res apud ipſum depoſita pereat ex culpa levi, vel deterior fiat? Reſpondetur ex culpa levi, vel leviſſima non teneri depoſitarium ad reſarciendum damnum: ſiquidem depoſitum regulariter, fit tantùm gratiâ deponentis, & nullam in illo habet depoſitarius utilitatem *l. ſi ut certo 5. §. nunc videndum 1. ff. commod.* ex eo autem, quod nulla in depoſitarium refundatur utilitas ex re penes ipſum depoſita non tenetur ad tam arctam, & diligentem cuſtodiam, ut etiam ex culpa levi, vel leviſſima debeat damnum reſarcire, ſi res pereat, vel deterior fiat.

4 Solent tamen excipi aliquot caſus. Primò ſi depoſitarius non rogatus ultrò ſe obtulerit ad recipiendum, & cuſtodiendum depoſitum, tunc enim cenſetur teneri etiam de culpa levi, quia juris interpretatione ſupponitur ſimul promiſiſſe omnem majorem diligentiam in re penes ipſum depoſita cuſtodienda; excepto enim caſu fortuito dicitur obligatus ad reſarciendum damnum rei penes ipſum depoſitæ ex quacunque culpa etiam levi, vel leviſſima. Quæ tamen ſententia videtur dura, ut notat Harprechtus *in inſtit. h. t. §. 3. num. 28.* quia ſi amicus ſponte ſe offerat alteri in neceſſitate ad ejus rem cuſtodiendam, non videtur rationi conſonum, quod hoc benevolentiæ, & amicitiæ officium debeat eidem eſſe damno: & per id plus cæteris ordinariis depoſitarius debeat obligari. Quòd enim fit in gratiam amici ex ſpeciali benevolentia, & quod non fieret in gratiam alterius, non debet facienti verti vitio. Tum quia licèt ſe exhibuerit ad cuſtodiendam rem amici, hic tamen adhuc erat ſui juris in ordine ad deponendam rem ſuam huic, vel illi; unde quòd potius amicum ſe exhibentem elegerit, & non alium, quem facilè potuiſſet etiam eligere, debet ſibi imputare.

5 Secundò excipitur, ſi depoſitarius pro rei cuſtodia mercedem acceperit, tunc enim ſaltem ad levem culpam præſtandam videtur teneri juxta *regul. in tit. de pact. §. 7.* ſiquidem in contractu cedente in utilitatem utriusque contrahentis, levis etiam culpa præſtatur *l. 5. §. 2. vers. niſi forte ff. commodati*: ſed tunc depoſitum tranſit in contractum locationis, & conductionis: ſiquidem tunc depoſitarius accipiens mercedem, cenſetur diligentiam ſuam ad rem cuſtodiendam locâſſe *l. 1. §. ſi quis ſervum ff. h. t.*

6 Tertiò excipitur ſi nominatim convenerit, ut depoſitarius culpam, vel etiam caſum præſtaret in re depoſita, tunc enim depoſitarius teneretur ad id, quod promiſit, quia contractus ex conventione legem accipiunt *l. 1. §. ſi convenit 6. & §. ſæpe 35. h. t. juris gentium. 7. §. ſed & ſi quis ff. de pact.* Hinc ſi depoſitarius rogetur, ut velit rem cuſtodire apud ipſum deponendam diligentiſſimè, & promittat, ſe adhibiturum omnem diligentiam, tunc obligatur ad culpam etiam levem præſtandam, imò etiam leviſſimam, quia eo ipſo, quòd adeſt culpa defuit diligentia, proinde non adhibuit omnem diligentiam, quam promiſit. Non tamen valeret pactum, ne dolus præſtetur, quia ſupponitur, quòd nolit dolum committere, cum adverſetur bonæ fidei, bonisque moribus *l. 1. §. illud 6. h. t. l. in commodato 17. ff. commodati. l. contractus 23. ff. de regul. jur.*

Quæ-

7 Quæritur tertiò, an depoſitarius dubius utrum res penes ipſum depoſita amiſſa ſit, teneatur illam reſtituere? Reſpondetur in dubio non teneri reſarcire damnum: & ratio eſt perſpicua, quia culpa non debet præſumi, ſed debet de ipſa conſtare, alioquin depoſitarius eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. Quòd ſi res depoſitarii apparerent incolumes, & res depoſita, quæ periit, extitiſſet in eodem loco, & tempore, tunc in foro externo depoſitarius præſumeretur in dolo, proinde ipſi incumberet onus probandi, quòd caſu perierit; vel quòd non potuerit ſimul ſervare res ſuas proprias, & alienas apud ſe depoſitas ob imminens incendium, ac maluerit res ſuas æquè pretioſas ſervare, ac eripere ex imminente periculo priùs, quàm alienas; tunc enim, ſi partem aliquam ex propriis rebus amiſerit ſimul cum alienis apud ſe depoſitis ceſſat præſumptio de dolo, ut notat Maſcardus *de probat. V. depoſitarius conclus. 509.*

8 Quæritur quartò, in quibus caſibus teneatur depoſitarius ad caſum fortuitum? Reſpondetur in tribus caſibus videri depoſitarium obligatum ad præſtandum caſum fortuitum ſcilicet, primò ſi pactum; ſecundò ſi culpa lata; tertiò ſi mora culpabilis præceſſerit caſum fortuitum; idque deſumitur *ex c. bona fides 2. h. t.* ubi Gregorius Magnus reſcripſit, quòd qui ſe obtulit, vel accepit aliquid pro cuſtodia, tenetur de culpa, & etiam de caſu fortuito, ſi pactum, vel culpa, vel mora intervenerit depoſitarii. Rurſus de pacto hoc idem ſtatuitur *l. 1. C. h. t.* de dolo, vel culpa præcedente caſum fortuitum, habetur etiam *in cit. l. 1. §. ſi rem ff. eod.* etenim qui dat cauſam damni, videtur damnum dediſſe. Præterea de mora culpabili habetur etiam *in l. ſi in Aſia 12. §. fin. ff. h. t.* quod verum eſt, præſertim ſi alioquin res non periiſſet apud dominum, ſi ſuo tempore fuiſſet eidem reſtituta, ut notat Gloſſa *ibid. V. periculo*: quàpropter mora ſua cuilibet dicitur eſſe nociva. Imò hoc etiam ſpecialiter ſtatutum eſt *in l. 3. §. at hoc edicto ff. nauta, caupones, ſtabularii.* ad eorum improbitatem reprimendam, apud quos itinerantes ſuas ſolent res deponere, nimirum ut teneantur ad reſarciendum damnum, tametſi ſine eorum culpa res perierit, ſcilicet ſine culpa levi, ita tamen ut ſola leviſſima intervenerit, ut tradit Gloſſa *ibidem V. ſine culpa* niſi fortaſſis res ex fatali caſu fortuito periret unà cum rebus depoſitarii.

9 Rurſus Stabularii, Cauponeſ, & Nautæ comparatione eorum, quæ in navim, vel hoſpitium conferuntur, & qui curam molendini habent, comparatione tritici, quod ut molatur, aſportatur, & qui curam habent domorum publicarum, ubi aliquot res conſervantur, vel venduntur, & inde commodum aliquod habent: item ſartores, fullones, & alii ſimiles tenentur omnes de levi culpa, quia res depoſitæ etiam cedunt in ipſorum commodum ob contractum locationis, & conductionis conjunctum cum depoſito, immo nonnunquam etiam de culpa leviſſima. Præterea notandum eſt, quod tametſi depoſitum ad certum tempus contractum ſit, ut ad ſemeſtre, vel annum, aut biennium; nihilominus deponens poteſt ſemper rem ſuam depoſitam pro ſuo arbitrio revocare: quia ſicut contractus principalis cedit tantùm in favorem deponentis; ita etiam temporis adjectio *l. 1. §. ſi depoſuero ff. eod. tit. c. 2. vers. ſanè h. t.*

Quæritur quintò, an aliquando dominium 10
rei depoſitæ tranſeat ad depoſitarium? Reſpondetur *in l. licèt §. rei depoſitæ ff. depoſ.* apertè conſtitui, proprietatem, & etiam poſſeſſionem rei depoſitæ manere apud deponentem. Quòd ſi deponens retinet proprietatem, & poſſeſſionem, utique etiam dominium: ſiquidem hoc eſt penes illum, ad quem pertinet proprietas. Quòd ſi dicas *in l. dici penes deponentem* poſſeſſionem etiam manere, cum depoſitarius etiam rem illam teneat; proinde etiam illam poſſidet, cùm tenere apud ſe rem, & illam poſſidere ſint idem: ex quo ſequeretur, dari duos poſſeſſores ejusdem rei. Contra eſt, quia in jure civili is non dicitur rem civiliter poſſidere, qui non ſuo, ſed alterius nomine rem illam tenet, ut colonus, inquilinus, fructuarius: is etiam cujus nomine alius rem detinet, dicitur per illum poſſidere rem illam.

Quamobrem qui depoſuit rem penes alium 11
eam civiliter retinet, quamvis depoſitarius rem apud ſe depoſitam naturaliter teneat. Cæterum datur etiam caſus, in quo dominium rei depoſitæ transfertur ad eum, qui rem ſuſcepit, idque conſtat *ex l. in navem. ff. locati vers. reſpondit.* ubi dicitur: rerum locatarum duo genera eſſe: ut aut idem redderetur, ſicuti cum veſtimenta Fulloni curanda locarentur: aut ejusdem generis, veluti cum argentum puſullatum daretur fabro, ut vaſa fierent, aut aurum, aut annuli: ex ſuperiori cauſa rem domini manere, ex poſteriori in creditum iri. Idem juris eſſe in depoſito: nam ſi quis pecuniam numeratam ita depoſuiſſet, ut neque clauſam, neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem depoſita eſſet, niſi tantundem pecuniæ ſolvere: hæc habentur *in d. l. in navem.* Ex quo infertur, quod quando res depoſitæ conſiſtunt in numero, pondere, & menſura, ut vinum, frumentum, pecuniæ & traduntur numeratæ, vel obſignatæ, vel clauſæ in aliquo ſacculo, nec is, qui deponit, prohibet uſum, tunc dominium rei depoſitæ dicitur tranſire ad depoſitarium, qui eas res ſuo periculo ſuſcipit & ſolùm tenetur tantundem ejusdem generis reddere. Secus ſi deponens interdicat uſum rei depoſitæ, dominium manet penes deponentem.

Quæritur ſextò, an depoſitarius poſſit ali- 12
quando reſtitutionem depoſiti differre ad aliud tempus, tametſi repoſcatur à deponente hic, & nunc? Reſpondetur, in quatuor caſibus poſſe depoſitarium reſtitutionem depoſiti differre in aliud tempus. Primò quando certò, vel probabiliter ex reſtitutione hic, & nunc facienda ſequeretur damnum aliquod grave ſpirituale, vel temporale, ſi redderetur depoſitum domino repetenti, ut arma homini inſano, vel furioſo *c. ne quis 12. q. 2.* Secundò jure differtur etiam reſtitutio depoſiti, quando bona deponentis confiſcata ſunt *l. bona fides ff. depoſ.* quia tunc

authoritate legis ob crimen deponens spoliatur suis bonis, hinc si quis postquam deposuit rem suam apud alium crimen commisit, ob quod ejus bona confiscantur, amisit etiam jus repetendi suum depositum. Tertiò quando fur deposuit apud alium pecuniam furto sublatam, tunc si deponens, & dominus pecuniæ simul repetant, tenetur depositarius pecuniam illam vero suo domino dare, non verò furi *l. bona fides ff. depos.* Idque procedit, tametsi fur priùs, quàm dominus repeteret pecuniam, quam deposuerat: quia pecunia secundùm conscientiam restituenda semper est vero domino. Neque obstat, quòd *in l. bona fides vers. latro* statuatur, quòd furi priusquam domino sit restituendum depositum: quia lex sic est intelligenda, ut furi priùs repetenti res deposita reddatur non comparente domino, idque expressè colligitur ex eadem *l. bona fides V. quòd si ego.*

13 Cæterum repetente domino depositum semper est illi restituendum, sive fur eam reposcat antea, vel postea. Quartò differtur etiam restitutio depositi, quando traditum fuit ad custodiendum ei, qui cùm illud susceperat, ignorabat, rem suam esse; postea verò comperit esse suam, tunc enim si deponens instet pro re illa, potest depositarius differre restitutionem, & interim probare in judicio, quòd res illa ad se pertineat. *l. bona fides. ff. depos.*

14 Oritur tamen difficultas, quid dicendum, si dominus reposceret pecuniam, ut eam malè perderet, vel ut luxuriosè viveret, vel ut sibi, vel alteri damnum inferret. Respondet Cajetanus *in 2. 2. q. 62. art. 5.* non teneri depositarium ad restituendam pecuniam illam, eò quia ex lege charitatis adigatur vitare peccatum alterius, quando commodè potest, & hæc sententia mihi videtur probabilior, quidquid dicat in contrarium Sotus *lib. 4. de justit. q. 7. art. 1. ad 1.* siquidem si non tenetur depositarius restituere furioso suum gladium ad impediendum malum, ita neque tenetur pro tunc restituere pecuniam ad impediendum peccatum, si sciat deponentem exigere suam pecuniam, quam deposuerat ad hunc unicè finè, ut illâ mediante possit peccare: cæterum si depositarius non sit certus, quod debeat malè impendere suas pecunias, tutâ conscientiâ potest illas reddere, quia tunc deponens jure exigit quod suum est, in quo nullum peccatum est, proinde tenetur depositarius illas reddere.

15 Quæritur septimò, an possit depositarius rem apud se depositam velle compensare cum alio debito deponentis, vel saltem possit rem depositam apud se retinere, donec à deponente sibi solvatur debitum. Respondetur, non posse depositarium rem depositam in compensationem debiti sibi retinere, idque statuitur *in c. bona fides 2. h. t.* ubi Gregorius IX. declaravit, quòd depositum possit repeti ad libitum, neque admittitur compensatio, vel deductio sicut in aliis contractibus, quamvis causa compensationis sit liquida, & facilè ad exitum deduci credatur. Hoc idem etiam statuitur *in l. si quis 11. C. h. t. & l. 1. C. de compensat.* Ratio est perspicua, quia is, qui rem suam apud alium deponit, eam fidei illius committit, ac tradit, nimirum ut fideliter se gerat circa rem illam, & diligenter eam custodiat: & depositarius eò ipso quòd rem suscipit custodiendam saltem tacitè promittit, se servaturum fidelitatem, alioquin deponens, rem suam apud illum non deponeret: atqui non servat fidelitatem si rem depositam postea non restituat repetenti, proinde ex fidelitate tenetur rem illam apud se depositam restituere. Imò id procedit, ut compensatio unius depositi nec locum habeat cum altero depositio, si ex utraque parte aliquid fuerit depositum: sed res depositæ sunt utrinque restituendæ absque omni exceptione, & ei primùm, qui suum depositum priùs repetit: hinc sicut in depositio non permittitur compensatio, ita neque deductio, per quam pars depositi retinetur, & desumitur *ex d. c. bona fides 2. h. t.* Immo neque directa compensatio, seu debiti cum debito contributio *l. 1. ff. de compens.* nimirum illa compensatio, quâ depositarius vult reddere rem depositam deponenti pro eo, quod ipsi aliunde debet: neque indirecta, quâ res retinetur, donec à deponente aliud debitum solvatur. Hæc autem procedunt in foro externo, quia in foro conscientiæ, si quis debitum liquidum alio modo non posset consequi, posset depositarius licitè compensatione uti, & rem depositam interim retinere, donec ipsi satisfiat: quia jure gentium, imò & naturali id videtur permissum, ut possit quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere, dummodo aliter non possit solutionem obtinere, ut notat Sylvester *V. compensatio q. 2.* Layman. *lib. 3. tract. 2. c. 9. n. 10.* ubi tamen excipit, nisi inde scandalum timeretur, vel legitimus judex aliud præciperet; vel beneficio compensationis sponte quis renuntiaret.

16 Quæritur octavò quid dicendum sit de illis pecuniis, quæ deponuntur apud Montem pietatis? Mons pietatis est summa pecuniæ, vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad subveniendum per mutuum necessitatibus pauperum, & ad illum constituendum quinque solent conditiones concurrere: quarum prima est, ut ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus, non verò divitibus. Secunda ut ad certum tempus ad annum, vel paulò ampliùs idem mutuum eis permittatur. Tertia ut mutuatarii dent pignus idoneum. Quarta ut singulis mensibus aliquid minutum solvant pro sumptibus necessariis ad montis conservationem, ut pro stipendiis Ministrorum, qui montem custodiunt, & administrant, ac semper parati esse debent ad mutuandum, ac pignora recipienda, custodienda, reddenda; pro conductione domûs, pro libris rationum, cæterisque necessariis instrumentis. Quinta conditio est, ut si contingat mutuatarios non solvere termino præfixo, pignora vendantur sub hasta, ut ex pretio satisfiat monti, & ejus Ministris, & quod supereat, restituatur domino pignoris.

17 Circa honestatem horum montium fuit olim non modica concertatio ante Concilium Lateranense sub Leone X. plures enim eos impugnabant ut illicitos, alii propugnabant ut honestos.

neſtos. Cajetanus *tom. 2. opuſc. 6.* eos impugnavit, ſed ante dictum Concilium Lateranenſe, ſiquidem opus Cajetani fuit editum anno 1498. & definitio Concilii circa hujusmodi montes pietatis contigit año 1515. ut liquet ex ejus Bulla, adeo ut poſt Concilium Lateranenſe omnes doctores approbent hujusmodi montes uno fortaſſis excepto Soto *lib. 6. de juſtit. & jur. q. 1. art. 6.* ubi impugnat hos montes ratione illius, quod exigitur à mutuatariis pro expenſis Miniſtrorum. Nititur primò, quia ſi quis dives decerneret mutuari cuicunque petenti ſuſcepto pignore usque ad certum tempus, perinde ac Mons pietatis, non poſſet ultra ſortem aliquid recipere, quia non recipit pignus in utilitatem mutuatarii, ſed in propriam, nimirum ut faciat ſibi certam ſolutionem: ergo neque Mons pietatis poteſt quidquam exigere. Secundò, beneficium mutui debet gratis conferri, proinde tenetur mutuans gratis onera ſuſcipere, quæ ſunt mutuationi annexa, ut ſervare pignus, reddere, & alia id genus: ex quo infert, non poſſe montem aliquid exigere ratione expenſarum, eò quia tales expenſæ ſint onus annexum mutuationi. Et addit hoc adeo verum eſſe, ut ſi pignus ſit cuſtoditu difficile, debeat mutuans proteſtari, quòd ſi pereat, mutuatario pereat, quòd ſi voluerit pignus curari, id fiat expenſis ipſius. Tertiò, quia eſt peculiare tantùm aliquibus pignoribus, ut debeant curari, ut ſunt veſtes, quæ tineis roduntur, adeò ut per accidens ſit aliquot pignora expenſis indigere, & quod per accidens contingit, non debet in legem duci.

18 Verùm hujusmodi montes pietatis honeſtos, ac licitos eſſe, certum omnino eſt, & fuit definitum in Concilio Lateranenſi ubi tanquam pii approbantur illis verbis: *declaramus, & definimus, montes pietatis, in quibus pro eorum expenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas Miniſtrorum expenſas, & aliorum, ad illorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra ſortem abſque lucro eorundem montium recipitur, nec mali ſpeciem præferre, nec ullo pacto improbari.* Immo anathemate etiam percutit docentes oppoſitum. Neque obſtat, quod reſpondet Sotus fuiſſe in Concilio Lateranenſi montes approbatos, prout tantùm juſtitiæ, & ſacris canonibus non repugnant. Nam contra eſt, quia fuerunt approbati cum illa conditione, ob quam cenſet Sotus repugnare juſtitiæ, & ſacris canonibus, & eſt, ut aliquid exigatur à mutuatariis pro impenſis Miniſtrorum. Addit Sotus, Concilium non eſſe receptum quoad ea, quæ ad montes pertinent. Sed contra, quia definitio Concilii non eſt lex, quæ dependeat à receptione hominum, ſed eſt declaratio veritatis facta à Concilio cum ſuo capite, proinde cum aſſiſtentia Spiritus S. unde qui non recipit talem definitionem, ſeparat ſe à corpore Eccleſiæ, & ſuo capite. Neque majoris eſt momenti, quod ſubjungit Sotus, ad Concilium non pertinere has quæſtiones definire, cum potiùs ex Philoſophia, quàm ex ſacris litteris dependeant. Nam contra eſt, quia ad Romanum Pontificem pertinet paſcere oves Chriſti, ſeu inſtruere fideles, ac declarare, & definire, quæ ſint licita, & quæ illicita. Tum quia licèt id non poſſit immediatè definiri ex ſacris litteris; poteſt tamen mediatè.

Præterea ratio, cur montes pietatis liciti 19
ſint, eſt, quia nihil exigitur à mutuatariis ratione mutuationis; ſed tantùm ratione expenſarum, quæ neceſſariæ ſunt pro montis conſervatione, & adminiſtratione: atqui licitum eſt aliquid pro illis expenſis exigere: ſiquidem nulla æquitas poſtulat, ut quis cum proprio damno mutuet, unde tantum exigere, quantum eſt neceſſarium ad damnum vitandum, eſt æquitati omnino conſonum. Mons enim cum hac conditione mutuatur, ut mutuatarii pro rata ſolvant expenſas, quæ fiunt in ordine ad mutuandum, dum accipiunt mutuum à monte: paciſcuntur enim tacitè cum ipſo monte de ſolvendis hiſce expenſis, ut mons ſervetur indemnis, & non patiatur damnum: quo pacto non ſolvunt ratione mutui, ſed ratione pacti ſaltem tacitè initi de ſervanda indemnitate: & licitum eſt unicuique ita paciſci, quia poteſt exigere ſuam indemnitatem ab eo, cui mutuatur: hinc omnes Canoniſtæ, & Theologi cum D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.* docent, poſſe recipi lucrum ex mutuo ratione damni emergentis. Neque fundamenta, quibus nititur Sotus, ſubſiſtunt.

Ad primum reſpondetur, exigere aliquid à 20
mutuatariis licere privatæ perſonæ, quoties hæc mutuando patitur aliquod damnum, vel facit aliquas expenſas. Neque obſtat, quòd recipiat pignus pro ſecuritate ſortis principalis, quia cùm illud recipiat, ut mutuetur, ideo ſuſcipit onus conſervandi pignus in commodum mutuatarii, quod non ſuſciperet, ſi non mutuaretur, proinde ſi neceſſariæ ſint expenſæ pro conſervatione talis pignoris, poſſunt licitè exigi à mutuatario, non enim tenetur mutuans ſolvere expenſas pro conſervatione rei alienæ. Ad ſecundum ex eo, quòd beneficium mutui debeat gratis conferri, reſpondetur, inde non ſequi, debere gratis ſuſcipi onera annexa mutuationi; alioquin neque ratione damni emergentis poſſet mutuans aliquid recipere: hæc enim onera ſunt extra mutuationem, proinde ſi ſint pretio æſtimabilia, poſſunt pretio compenſari. Ad tertium reſpondetur, ea, quæ exiguntur à mutuatariis eſſe pro conſervatione montis, & expenſis, quas mons facit: ſiquidem mons non poſſet mutuari, niſi haberet Miniſtros, qui ipſi inſervirent, proinde debet ſervari indemnis ab expenſis, quas facit pro Miniſtris, ut iſti ſemper ſint parati ad inſerviendum: & ad ipſos ſpectat curare pignora, ſi indigeant: quòd ſi non indigeant, adhuc tenentur mutuatarii ſolvere pro expenſis; cùm Mons in ordine ad ipſos conducat, & alat Miniſtros.

Quæritur nonò, an deponentes pecunias a- 21
pud montem pietatis poſſint aliquid ultra ſortē recipere? Communis ſententia eſt, non poſſe deponentes pecunias apud montes pietatis quidquam ultra ſortem recipere ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente, ita ſpecialiter docent

docent Navarr. *lib. 5. conſil. 2. de uſur. num. 2.* Azorius *tom. 3. lib. 5. c. 9. q. 5.* Megal. *2. p. inſtit. lib. 2. c. 5. num. 46.* Filiuc. *tract. 34. p. 2. num. 177. art. 178.* Ratio, quâ hæc communis ſententia nititur, eſt, quia inter montem, & deponentes pecuniam non poteſt alius intervenire contractus, quàm depoſiti, vel mutui, ſiquidem deponens pecuniam, & dans facultatem Monti depoſitario, ut illâ utatur, cenſetur mutuare: & ratione mutui non poteſt quidquam recipere ſupra ſortem principalem: eſſet enim id contra præceptum naturale, & divinum, eſt enim pecunia de genere ſterilium, proinde non producit ex ſe fructus, eſt etiam contra præceptum divinum *c. conſuluit de uſur.* & docet D. Thomas 2. 2. *q. 78. art. 1. ad 4.* neque ratione depoſiti; quia contractus depoſiti debet eſſe gratuitus *l. 1. §. ſi veſtimenta, & § ſequent. ff. de poſſeſſ.*

22 Nihilominus ex indulto ſummorum Pontificum pluribus in locis uſus invaluit, ut deponentes pecuniam apud montem pietatis aliquid ultra ſortem recipiant, nimirum quatuor, vel quinque pro centum annuatim tutâ conſcientiâ. Hoc enim expreſsè conceſſit Paulus III. conſervatoribus, præſidentibus montis pietatis Ferrariæ in ſua Bulla, quæ incipit *charitatis opera, quæ Salvator noſter JESUS Chriſtus* edita die 10. Julii 1549. & ſui pontificatûs anno 15. ubi derogat conſtitutionibus in contrarium, & Concilii Lateranenſis: ergo ſtante tali indulto ſummi Pontificis licitum eſt deponentibus pecunias apud montem pietatis recipere quatuor, vel quinque pro centum ultra ſortem annuatim: quia ut notat Bonacina *tom. 2. de contract. diſp. 3. q. 3. punct. 12. num. 9.* cenſentur illa quatuor, vel quinque dari ex liberalitate, & gratitudine montis recipientis mutuum, nimirum ut alii inde alliciantur ad tradendam pecuniam ut pauperibus ſubveniatur.

23 Tum quia in hoc caſu Pontifex declarat, legem prohibentem lucrum ex depoſito ſupra montem pietatis non obligare; eò quia ejus obſervantia impediret majus bonum: pertinet autem ad bonum communitatis, ut pauperes, urgente neceſſitate ſubleventur: & mons pietatis non poſſet eos ſublevare, niſi apud ipſum deponerentur pecuniæ, & ſi depoſitantes nihil lucri perciperent, ſuas non depoſitarent pecunias, proinde ſi ſervaretur lex de non percipiendo lucro, impediretur majus bonum, ut docet Pasqualig. *in decis. moral. decis. 184.* Neque obſtat, quòd tale lucrum ſupra ſortem principalem ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente eſſet contra legem naturalem, & divinam: quia in hiſce circumſtantiis non eſt ampliùs contra tales leges, cùm ſit quid licitum, & mons ex gratitudine, & liberalitate exhibeat illud lucrum, ut alii alliciantur ad depoſitandam pecuniam, quâ ſubveniatur pauperibus.

24 Præterea ſummi Pontifices poſſunt declarare tam legem divinam, quàm naturalem; nimirum, quòd in aliquo peculiari caſu non obligent, idque ex mutuatione facta in materia, dummodo declaratio rationabilis ſit, quia ex rationabili cauſa lex non obligat, ut docent Gloſſa *in c. à nobis de decimis V. exemptas* Gloſſa *l. manumiſſiones V. naſcerentur* Felin. *in c. quæ eccles. num. 26. de conſtit.* ubi plures alios citat. Abbas *in c. à nobis num. 4. de decimis & in c. cum tanto num. 3. de conſult.* Covarr. *in 4. p. 2. c. 6. §. 9.* & alii plures loquentes de lege naturali, cujus declaratio ab iisdem etiam diſpenſatio dicitur: quòd poſſit etiam ſummus Pontifex declarare legem divinam in aliquo ſpeciali caſu non obligare ex mutatione facta in materia tradunt Panormit. *c. propoſuit. n. 20. de conceſſ. prabend.* Felin. *in c. quæ in eccles. n. 19. & 20. de conſtitut.* Decian. *conſil. 112. n. 3. volum. 1.* & communiter Canoniſtæ *in c. de tranſlat. Epiſcop.* & quamvis vocent talem declarationem diſpenſationem, in re tamen perinde eſt diſpenſare, ac declarare legem in talî peculiari caſu non obligare. Tunc enim non cenſetur lex obligare, quando ejus obſervantia adverſatur directè bono communitatis, vel etiam privatæ perſonæ, vel quando impedit majus bonum, licèt cauſet minus bonum, quia tunc cenſetur hoc malum in comparatione majoris boni: quapropter Pontifex diſpenſat in voto, & juramento, & declarat hic, & nunc legem non obligare.

Hinc in præſenti etiam declarat, legem pro- 25
hibentem lucrum ex depoſito ſupra montem pietatis cum præfatis circumſtantiis non obligare, eò quia obſervantia ipſius eſſet impeditiva majoris boni: pertinet enim ad bonum communitatis, quòd pauperes ſubleventur, quod non fieret, niſi deponentes pecuniam ſupra montem pietatis aliquid lucri perciperent. Tum quia ſicut votum non obligat, quando impedit majus bonum, tametſi obſervantia ipſius ſit de jure naturali, & ejus violatio ita ſit mala, ut nunquam poſſit eſſe bona, quamdiu permanet in eſſe violationis: ita lex de lucro non percipiendo ſupra ſortem principalem in noſtro caſu ceſſat, quia ejus obſervantia impediret majus bonum, quod eſt ſubvenire pauperibus.

Quæritur decimò, quinam ſint tituli, ob 26
quos lucrum perceptum ex pecuniis depoſitis ſupra montem pietatis honeſtatem induat, & fiat licitum. Reſpondetur, ex pluribus titulis poſſe tale lucrum eſſe juſtum, & licitum. Primò ob ingens emolumentum, quod præſtat communitati, qui pecunias ſuas deponit apud montes pietatis: quia inde providet, ut poſſint pauperes ſublevari, quod redundat in maximam utilitatem totius communitatis: atqui hoc emolumentum eſt in republica pretio æſtimabile: ſiquidem omne id eſt pretio æſtimabile, quod redundat in bonum temporale: & ſicut pecunia præſens, & parata eſt magis æſtimabilis, quàm abſens, ideo qui dat præſentem pecuniam, ut tantundem recipiat de abſente, poteſt aliquod pretium in compenſationem accipere.

Si dicas, depoſitanti pecunias non ceſſare 27
aliquod lucrum, nec emergere aliquod damnum, tametſi ex ea depoſitatione reſultet commodum ipſi monti pietatis, proinde non poſſe juſtè percipere aliquod lucrum. Contra eſt, quia depoſitans ſuas pecunias apud montem

priva-

privatur certo aliquo commodo. Primò quia non habet amplius pecunias ſibi præſentes, & ad manus, ut poſſit illis immediatè uti, eſt enim maius commodum habere pecunias præſentes, quam abſentes. Secundò quia privatur etiam commodo utendi immediatè talibus pecuniis, & inde lucrandi aliquid; conſiſtit enim hoc commodum in potentia lucrandi, mediante uſu pecuniæ: ſiquidem poteſt uti pecunia ad hoc, vel illud emendum cum ſua utilitate, & ad lucrandum; quod commodum transfert in montem pietatis, tametſi illi non ceſſet aliquod lucrum actuale, nec emergat aliquod damnum: eſt enim hoc commodum in poſſeſſione pecuniæ expeditæ, & applicabilis in quemcunque uſum: ſiquidem inficiari nequit, quin ſit magnum commodum habere paratam pecuniam ad quemcunque uſum.

28 Præterea ex eo, quòd depoſitet quis pecuniam apud montem pietatis, ut ex ipſa provideatur pauperibus, certè inſtituit maximum commodum ipſius communitatis, quod transfert in ipſum montem: unde non ratione mutui præcisè percipit lucrum, quia in mutuo nil conſideratur præter ipſam translationem pecuniæ: & in caſu noſtro principaliter conſideratur commoditas pecuniæ paratæ, & præſentis, & potentia ad lucrandum, quâ depoſitor ſe privat, & illam transfert in montem. Neque hoc titulo palliatur uſura, cùm ſit titulus realis, & verus, & fiat realis commutatio illius commodi, quod à deponente transfertur in ipſum montem ad bonum commune, tale enim commodum pecuniæ paratæ, quod transfertur in montem, eſt aliquid reale, quo transferens pecuniam privatur, proinde potentiâ ad lucrandum realiter.

29 Quæritur undecimò, an ratione finis ſublevandi pauperes lucrum, quod percipitur ex depoſitis pecuniis ſupra montem cohoneſtetur, & ſit juſtum? Reſpondetur, tale lucrum etiam cohoneſtari ratione finis ſublevandi pauperes, ſeu ratione obligationis, quam in ſe ſuſcipit mutuandi pauperibus pro tanta ſumma: etenim cum pertineat ad communitatem, quantum fieri poteſt, pauperes ſublevare; ideo ad hunc finem ut habeat paratam pecuniam, quâ poſſit ſuccurrere pauperibus, contrahit cum hoc, vel illo, ut ſe obliget pro aliqua quantitate pecuniæ ad mutuandum pauperibus, & pro tali obligatione ſolvit quatuor, vel quinque pro centum annuatim: & quia omnis obligatio eſt pretio æſtimabilis poteſt etiam annuatim aliquod pretium juſtè accipi, ut docet Molina *de contract. diſp. 308. num. 4.* Tum quia licèt prohibeatur lucrum ex fine, & ratione mutui; ſuccedit tamen alius finis in depoſitatione pecuniæ apud montem pietatis cum lucro; & hic finis, quem intendit depoſitator eſt bonum communitatis in ipſa ſublevatione pauperum, proinde ceſſat injuſtitia talis lucri, quod eatenus eſſet injuſtum, quatenus præcisè eſſet intuitu ipſius mutui: uſura enim conſiſtit in lucro ex mutuo, quod ſit præcisè intuitu mutui, & tunc habet annexum finem prohibitum à lege, ſeu injuſtum gravamen: cæterum quando lucrum non eſt præcisè intuitu mutui, ut quando eſt ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis cohoneſtatur, & ſit juſtum: & quia in noſtro caſu lucrum non percipitur intuitu mutui, ſed ratione finis, qui eſt pretio æſtimabilis, nempe illud commodum, & emolumentum quod præſtatur communitati, ut hæc poſſit ſublevare egenos, ideo non ratione mutui præcisè, ſed intuitu finis lucrum perceptum cohoneſtatur.

Quæritur duodecimò, an lucrum perce- 30
ceptum ex depoſito apud montem pietatis poſſit cohoneſtari ratione commodati? Reſpondetur etiam ſub hoc titulo poſſe lucrum perceptum ex tali depoſito cohoneſtari, ſi nimirum pecunia non cenſeatur mutuari, ſed accommodari, adeo ut tranſeat in locatum, id enim poteſt fieri per declarationem Principis juxta exigentiam boni publici: & hujusmodi declaratio fit à Pontifice, quoties concedit, poſſe tale lucrum quinque, vel quatuor annuatim percipi pro centum ex depoſita pecunia apud montem pietatis: etenim cum pecunia ſit perquam utilis, poſſitque mediante ejus uſu plurimum adferre utilitatis, præſertim in emptione mercium, ideo poteſt tanquam res utilis venire in conſiderationem, & eſſe materia contractûs, locationis, adeo ut qui pecuniam alteri locat, poſſit perinde fructus percipere ac ſi domum locaret, & ſicut ex locatione domûs poſſunt fructus percipi, ita etiam ex locatione pecuniæ.

Præterea pecunia etiam conſideratur, ut 31
merx tum ratione diſtantiæ localis, tum etiam ratione commoditatis, ut notat Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jur. c. 23. dub. 1. num. 4.* hinc cambium reduci ſolet ad contractum emptionis, & venditionis, ut notat Cajetanus *opuſc. de cambiis c. 7.* unde poteſt etiam conſiderari, ut res fructifera, eſt enim talis, ſi pecunia exponatur cambiis, aut mercaturæ, unde proveniat aliqua utilitas, & id præcipuè videtur habere locum in depoſito, quod fit apud montem pietatis conſiderato fine ejusdem montis intendentis uti pecunia tanquam re fructifera, nimirum ut inde percipiat fructum ſublevationis pauperum, qui fructus eſt utilis, & maximus in communitate: & hic titulus tametſi non exprimatur, nihilominus quoad ſubſtantiam intervenit.

Neque obſtat, quòd in contractu locatio- 32
nis dominium remaneat apud locantem cum dilapſo tempore locationis debeat reſtitui res eadem, quæ locata fuerat: & Mons pietatis reſtituat pecuniam non eandem, ſed diverſam, proinde contractus talis depoſiti non poteſt dici contractus locationis. Nam contra eſt, quia licèt non reſtituatur eadem numero pecunia, reſtituitur tamen eadem ſpecificè, & hoc ſufficit, ut contractus depoſiti poſſit eſſe contractus locationis: ſiquidem de ratione locationis eſt, ut res locata præſcripto tempore reſtituatur eo modo, quo reſtitui poteſt habita ratione, quòd convertatur in utilitatem locatarii: hinc eſt quòd quando non poteſt reſtitui eadem, debeat reſtitui innovata ut in locatione prædii, in quo innovantur vites, & plantæ: ita in locatione pecuniæ, quia hæc non convertitur in utilita-

tem locatarii, & consumitur, debet expleta locatione restitui juxta suam capacitatem, scilicet eadem secundùm eandem quantitatem, & eundem valorem: tunc enim quamvis physicè non sit eadem pecunia, moraliter tamen censetur esse eadem. Materia enim locationis est res utilis, & locatio ordinatur in eum finem, ut locatarius ex locato debitam percipiat utilitatem: unde præcipuum, quod habetur in locatione est, ut res locata convertatur in utilitatem locatarii, si postea res locata usu atteratur, vel consumatur, id per accidens se habet ad rationem locationis.

33 Quæritur tertiò decimò, an ratione translationis dominii, & privationis ejusdem possit cohonestari lucrum perceptum ex deposita pecunia apud montem pietatis? Respondetur, posse itidem hoc titulo cohonestari tale lucrum, siquidem omne dominium rei utilis est pretio æstimabile, & negari non potest, quin præsens, ac parata pecunia sit res utilis, proinde pretio æstimabilis: atqui, quando quis depositat suas pecunias apud montem pietatis, tunc se privat tali utilitate, & commodo, scilicet præsentia, & potentia expedita utendi pecuniâ in obvios quosque usus lucrativos; proinde privat se re aliqua utili, quæ est pretio æstimabilis, & dominium talis rei transfert in montem, apud quem depositat suas pecunias: ergo ratione translationis hujus dominii potest, qui depositavit tales pecunias aliquid supra sortẽ accipere, quia tunc ratione lucri cessantis, non ratione mutui simpliciter accipit aliquid supra sortem: siquidem potentia convertendi pecuniam in obvios quosque usus lucrativos, ut esset cambium, mercatura, aut emptio rei fructiferæ est aliquid, ex quo potest percipi aliquod lucrum, quod propterea cessat in eo, qui depositavit suas pecunias apud montem pietatis: privare enim se tali facultate, & potentia convertendi pecuniam in usus lucrativos est privare se aliquo commodo, & dominio, & illud transferre in ipsum montem, à quo propterea, non ratione mutui præcisè, sed ratione translationis dominii aliquid accipit, quatuor, vel quinque pro centum annuatim: hac ratione salvatur, quomodo lucrum ex tali depositio sit justum, non ita ex mutuo; quia catenus lucrum ex mutuo, præcisè est injustum, quia per mutuum transfertur dominium rei mutuatæ; proinde si mutuatarius aliquid solveret ratione mutui, utique solveret, ut posset uti eo, quod est suum: at in casu depositi mons non solvit, ut eo utatur, quod suum est, quia in depositio non transfertur dominium; proinde solvit, ut acquirat aliquid quod suum non est, nempe dominium utendi tali pecunia apud se deposita. Præterea catenus lucrum ex puro mutuo est injustum, quia si mutuatarius redderet aliquid supra sortem, plus redderet, quàm acciperet, proinde non servaretur æqualitas: atqui in depositio mons pietatis non plus reddit, quia illud lucrum non datur per modum restitutionis; neque computatur cum sorte principali: sed datur præcisè per modum compensationis, quatenus compensatur illud dominium, & commodum utendi tali pecunia apud se depositi, est enim dominium rei utilis; proinde pretio æstimabile.

Videtur tamen urgere aliqua difficultas, 34
quia translatio dominii, pecuniæ, & carentia illius cum obligatione non repetendi pecunias mutuatas nisi infra certum tempus sunt rationes ita intrinsecæ mutuo, ut non possint ab ipso separari, proinde si mutuum exigat gratis fieri, nihil pro tali carentia pecuniæ, & translatione dominii accipi potest. Verùm hæc ratio tantùm vim habet quando pecunia traditur sub simplici, ac præcisa ratione mutui; quia tunc translatio dominii, & gravamen ex carentia pecuniæ se habent consequenter ad rationem mutui, non tamen veniunt principaliter in considerationem, proinde sequuntur naturam mutui: quapropter sicut ratione mutui præcisè non potest quidquam supra sortem accipi, ita neque ratione illorum, quia accessoria sequuntur naturam principalis, & stant sub determinatione illius. At si principaliter considereretur translatio dominii, & gravamen ex carentia pecuniæ, ac potentiæ utendi pecuniâ in obvios usus lucrativos, cum hæc omnia sint pretio æstimabilia, & per se primò veniant in considerationem, ideo mutant rationem contractûs, & faciunt, ut id quod alioquin esset mutuum fiat venditio ad certum tempus; quo dilapso res vendita ad pristinum redit dominum: hinc cùm cessat contractus mutui, jam translatio dominii, & carentia pecuniæ non sunt ampliùs quid intrisecum mutuo, cùm non detur ampliùs mutuum, sed contractus venditionis: hinc non ratione mutui, sed ratione venditionis illius dominii, & commodi utendi paratâ pecunia ad obvios quosque usus lucrativos percipitur lucrum.

Quæritur quartò decimò, an lucrum per- 35
ceptum ex deposita pecunia apud montem pietatis possit cohonestari ex taxatione Principis? Respondetur affirmativè, quia sicut Princeps habet potestatem taxandi valorem monetarum, ita etiam inest eidem potestas taxandi fructum, qui percipi potest ex depositatione pecuniæ apud montem pietatis: & quia bonum communitatis exigit, ut taxentur ad eam summam, quæ solet percipi in fundatione censuum, ideo ut allicerentur depositantes, Paulus III. taxavit, ut depositantes suas pecunias apud montes pietatis possent licitè annuatim percipere quatuor, vel quinque pro centum. Immo hæc taxatio summi Pontificis videbatur necessaria, quia tametsi præexpensi tituli faciant ut aliquod lucrum supra sortem principalem possit tuta conscientia percipi, non tamen id ex se præstant, ut tale lucrum ascendat ex se ad quinque pro centum, quia carentia pecuniæ non tanti æstimatur ex se, sed pluris etiam juxta commodum utentis tali pecunia, vel etiam minoris, perinde ac bona immobilia, quæ non semper reddunt quinque pro centum. Hinc necesse fuit, ut Pontifex taxaret justum lucrum, & quamvis Pontifex non possit facere, quòd usura non sit usura, potest tamen declarare quòd non sit usura, proinde debent supponi

justi

juſti tituli, ob quos hujusmodi lucrum non ſit uſura, cum enim ad Principem pertineat promovere bonum commune, ineſt eidem poteſtas ad ea omnia, quæ requiruntur ad promovendum idem bonum communitatis: & ſicut habet poteſtatem taxandi pretium eorum, quæ venduntur, ita etiam augendi, vel minuendi valorem extrinſecum monetarum, proinde etiam taxandi lucrum percipiendum ex pecuniis depoſitis apud montem pietatis.

TITULUS XVII.

De emptione, & venditione.

DUo qui præceſſerunt tituli fuerunt de iis contractibus, qui gratia tantùm unius fiunt. Nunc Pontifex deſcendit ad illos contractus, qui utriusque contrahentis commodum reſpiciunt, quorum primus eſt emptio, & venditio, cujus origo à jure gentium ſumpſit initium, & nihil aliud eſt, quàm rei ſuæ alienatio, jurisque ſui in alium translatio.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. PLACUIT 1. *h. t. Ex Concilio Valentino ſtatuitur, ut res non debeant cariori pretio, vendi tranſeuntibus, & ſi opus ſit debeat plebs cogi, ut res cariùs non vendantur, quàm in mercato vendi ſoleant. Ubi notandum eſt, rem tantùm valere regulariter, quantum in foro venditur: unde preſens canon vult, ut exponens victualia venalia non vendat illa cariùs peregrinis, & hoſpitibus, quam in foro ſoleant vendi civibus.*

C. UT MENSURÆ 2. *h. t. Ex Concilio Meguntino ſtatuitur, ut qui frandat menſuras, & pondera causâ lucri, debeat pœnitentiam* 30. *dierum agere in pane, & aqua. Notandum eſt, hunc canonem eſſe unum ex pœnalibus, qui cùm non ſint ampliùs in uſu, hodie in foro anima hujusmodi pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, & judicio relinquuntur Confeſſarii* c. Deus qui de pœnit. & remiſſ. *In foro verò externo variæ pœnæ imponuntur huic crimini* l. Cornelia ff. de falſ.

C. CUM DILECTI 3. *h. t. Alexander III. reſcribit, venditorem rei ſi ſit deceptus ultra dimidium juſti pretii poſſe agere, vel ad ſupplementum juſti pretii, vel ad reſtitutionem rei, eſſe tamen in arbitrio emptoris, vel reſcindere contractum, vel ſupplere pretium, qua electio venditori non competit. Notat Gloſſa, ad cognoſcendum, an læſio fuerit ultra dimidium eſſe conſiderandum valorem tempore venditionis. Rurſus eum qui petit ex una cauſa, & ſuccumbit, poſſe eundem repetere, ex alia cauſa.*

C. PERVENIT 4. *h. t. Cœleſtinus III. declarat, quòd ſi vir conſentiente uxore vendat res donatas uxori propter nuptias, & pretium fuit converſum in uſum communem viri, & uxoris, & fuerunt elapſi* 30. *anni, emptor non poſſit ampliùs moleſtari ab uxore etiam ſoluto jam matrimonio.*

C. AD NOSTRAM 5. *h. t. reſcribit Innocentius III. eſſe uſurariam illam venditionem, quâ quis vendit rem cùm pacto, quòd poſt certum tempus poſſit recuperari modico pretio, ſed ultra dimidium. Ubi notat Gloſſa, contractum uſurarium cognoſci non ſolùm ex forma contractus, ſed etiam ex pretio.*

C. CUM CAUSA 6. *h. t. Idem Pont. reſcribit, venditorem deceptum ultra dimidium poſſe agere, vel ut reſtituto pretio ſibi res reddatur, vel ut pretium ſuppleat. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi decipiatur uterque vendens, & emens in dimidia parte tantùm, non poſſit agere.*

C. SI VENDITORI. 7. *h. t. Gregorius IX. declarat, venditorem non teneri emptori de evictione. Primò ſi emptor mota lite contra ipſum eum denunciavit venditori, ut rem defenderet. Secundò ſi tempore ſententiæ ſe contumaciter abſentaverit. Tertiò ſi per injuriam Judicis ſententia fuerit lata contra ipſum. Evincere in præſenti idem eſt, ac rem ſuam ab aliquo, cujus non erat data, alteri datam, vel venditam repetere in judicio.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. REGIMINI 1. *h. t. Martinus V. reſcribit, contractus cenſuales etiam ſi fiant pro decem ad centum, & cum conditione, ut venditor poſſit in totum, vel in partes redimere cenſum: ita tamen ut non poſſit cogi ad redimendum, eſſe licitos, & non uſurarios.*

C. REGIMINI 2. *& ult. h. t. Calixtus III. reſcribit Epiſcopo Magdeburgenſi fere idem quod in præcedenti. Notandum eſt, quòd ut hi contractus ſint liciti, duæ requiruntur conditiones. Quarum prima eſt, ne cenſus annuus excedat decimam partem capitalis, adeò ut pro centum non poſſit quis annuatim exigere ſupra decem. Secunda ne cenſus computentur in ſortem. Verùm Pius V. in ſua conſtitutione quæ incipit:* onus Apoſtolicæ ſervitutis *plures alias addidit conditiones, quibus non ſervatis contractus cenſuales non ſunt validi.*

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

De quidditate, & requisitis ad substantiam emptionis, & venditionis.

1 QUia emptio est correlativa venditioni, ideo emptio, & venditio constituunt unum contractum bonæ fidei ultro, citróque obligatorium: definitur enim emptio, & venditio: *contractus juris gentium nominatus bonæ fidei de re pro certo pretio habenda:* seu est contractus, in quo venditor cum emptore de re, sive merce pro pretio paciscitur: & quatenus merx pro pretio promittitur, est venditio, & quatenus pretium offertur pro ipsa merce, vel re data venum, dicitur emptio. Est hujusmodi contractus ultro citroque obligatorius, quia emptor obligatur ad solvendum pretium venditori, & hic ad rem, seu mercem tradendam emptori *l. exempto. 11. in princ. ff. de action. empt. l. 2. §. fin.* & per hoc emptio distinguitur ab iis contractibus, vel quasi contractibus, qui tantùm ex una parte obligationem inducunt, cujusmodi est donatio *l. Aristo 18. §. fin. ff. de donat.* Rursus requiritur utriusque contrahentis consensus, quia hic contractus quoad substantiam perficitur per solum mutuum consensum voluntatis verbis, vel nutibus expressum: siquidem in contractibus, qui instituuntur inter homines requiritur signum aliquod externum, quo consensus internus exprimatur.

2 Cæterum hic contractus emptionis, & venditionis perficitur per solum consensum, quia non est opus ut statim fiat rei traditio, ut in mutuo, commodato, deposito, pignore, qui contractus exigunt rei traditionem, ante quam semper licitum est resilire: neque hic contractus exigit certam verborum formulam, sicut stipulatio; neque litteras, aut scripturam, ut emphyteusis, adeo ut contractus emptionis, & venditionis etiam inter absentes possit institui per Procuratorem, imò etiam cum Muto, & Surdo *l. 1. §. fin. ff. de contrab. empt.* & per hoc differt ab aliis contractibus, qui re, vel verbis, aut litteris perficiuntur.

3 Rursus hic contractus quoad essentiam perficitur solo consensu, quo præstito non licèt ampliùs resilire: non tamen perficitur quoad integritatem completam, seu quoad totum complementum, quia ad hoc requiritur præter mutuum consensum solutio pretii ex parte emptoris, & traditio rei ex parte venditoris. Rursus per hoc quod solvatur pretium differt venditio à permutatione, quia in hac una res cum alia permutatur absque pretii interventu. Distinguitur à locatione, in qua non pretiũ, sed merces, seu pensio intervenit *l. 1. §. 1. & Glossa in V. agendo ff. de superficiebus.* Demum in hoc contractu dicitur venditor cum emptore paciscí de re, & pretio, seu de merce, sine qua venditio non subsistit *l. nec emptio, & l. & si con-*
sensum ff. de contrab. empt. quod tamen non ita intelligitur ut emptio exigat, ut statim res vendita tradatur emptori: quia si hoc deposceret re potiùs, quàm consensu præsens contractus perficeretur: sed quia exigit, ut in rerum natura subsistat actu, vel virtute id, quod venditur, siquidem res futuræ vendi possunt, & emi, ut fructus arborum, fœtus animalium *l. nec emptio ff. de contrab. empt.* neque emptor necesse est, ut statim solvat pretium, sed sufficit si det fidem, quâ promittat, se soluturum, & venditor item se traditurum rem.

4 Neque per venditionem opus est, ut actu transferatur dominium, sed sufficit, si venditio sit translativa dominii, adeo ut venditor se obligaverit ad dominium transferendum: siquidem dominium rei venditæ non transfertur in emptorem tunc, cum initur contractus venditionis per mutuum consensum; sed quando soluto ab emptore pretio, venditor dat res, seu mercem venditori, tunc hic cùm primùm incipit possidere rem à se emptam, acquirit dominium, quod transfertur per hanc traditionem à venditore ad emptorem.

5 Per accidens tamen potest contingere, ut per traditionem dominium non transferatur, eo quia res, quæ datur venum non pertineat ad venditorem, sed ad alium, qui rem illam non venderet. Debet in hoc contractu pretium solvi, seu pecunia, quæ inventa est, ut sit publica mensura, seu æstimatio mercium, quæ in contractus humanos venire possunt *l. 1. ff. de contrab. empt.* hinc pretium est propriè nummus, quia hic lege, & authoritate publica omnia numerat, & adæquat: non tamen semper est necesse, ut pro pretio solvatur numerata pecunia, subinde enim sufficit si detur æquivalens, quale est pignus, vel arrha, vel fidejussor: non tamen potest dari res pro re, quia non distingueretur à permutatione, in qua datur res pro re, seu mutatur una res in aliam, sed debet necessariò dari res pro pecunia, per quod differt etiam à cambio, in quo datur pecunia, pro pecunia, & tunc pecunia non tam habet rationem pretii, quàm mercis ratione materiæ, vel alicujus circumstantiæ, ut si pecunia argentea commutetur cum aurea.

6 Hinc in contractu emptionis, & venditionis, necesse est, ut constituatur certum, ac determinatum pretium: si enim Titius venderet Cajo suas ædes, & diceret ipsi; dabis mihi justum pretium non valeret venditio, nisi justum pretium arbitrio boni viri, vel officio judicis determinaretur: siquidem valida est venditio, in qua determinatio pretii arbitrio relinquitur boni viri, ut si Titius dicat Cajo vendo tibi meum equum, quanti illum æstimaverit Sempronius, si is pretium definierit venditio est valida: secus si illud non definierit: rursus non valet vendi-

venditio, in qua pretii definitio remittitur arbitrio emptoris *l. quod ſæpe* 25. §. *illud ff. h. t. l. in vendentis* 136. *eod.* Rurſus debet etiam pretium conſtitui in numerata pecunia, alioquin non eſſet emptio, & venditio, ſed potiùs permutatio, quâ una res daretur pro alia: & quia pretium debet eſſe certum, ita de re certa debet venditio inſtitui, & debet etiam res, quæ venditur exiſtere in rerum natura actu, vel virtute, hoc eſt, debet eſſe de re, quæ ſaltem ſperetur extitura, ut ſunt fructus agrorum, & fœtus animalium. Hinc liquet ad ſubſtantiam hujus contractus tria requiri. Primò res certa, quæ venditur, ſive illa exiſtat, ſive futura ſit, ſive ſperetur extitura, quia ſine re quæ veniat, non poteſt intelligi præſens contractus emptionis, & venditionis. Secundò pretium, quia ſine hoc non habetur emptio, & venditio *l. inter partem* 1. *ff. h. t.* & hoc pretium debet conſiſtere in pecunia numerata §. *retium inſtit. h. t.* Tertiò ut in rem, & pretium venditor, & emptor conſentiant, verè, & non ſimulatè, ut deſumitur *ex c. ad noſtram* 5. *h. t.* quia plus valet in quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur. Interdum tamen in hoc contractu datur arrha in ſignum celebrati contractus *l. quod ſæpe* 35. *de contrab. empt.* ſeu in ſignum contractus poſtea perficiendi totaliter, & integraliter per ſolutionem pretii, & traditionem rei.

Quòd ſi velimus ſejungere emptionem à
7 venditione, definitur emptio contractus, qui conſenſu perficitur pretii, pro merce. Venditio autem poteſt definiri contractus obligans venditorem ad tradendam mercem pro pretio: unde de ratione emptionis eſt, ut detur merx pro pretio: nomine autem mercis comprehenduntur omnes res vendibiles mobiles, vel immobiles etiam actiones, & jura, & quæ pecuniâ æſtimari poſſunt. Communiter tamen emptio, & venditio conſtituunt unum contractum reciprocum exigentem rei promiſſionem, ſeu mutuum conſenſum, qui ſi fuerit conditionalis, ſuſpendit contractum emptionis, & venditionis, usque ad purificationem conditionis, quâ poſitâ contractus perficitur *l. qui balneum, & l. potior. ff. qui potiores in pignore*, ſed tali pacto ut effectus, qui eſt obligatio abſoluta, juriſfictione retrotrahatur ad tempus initi contractus, perinde ac ſi ab initio conſenſus abſolutus fuiſſet. Rurſus contractus exigens ratihabitionem alterius non cenſetur perfectus, donec acceſſerit ratihabitio, quia ex diſpoſitione juris continet tacitam conditionem, quæ illi debet vim dare fictione juris; & ejus perfectio, ac obligatio conſequens retrotrahuntur, ac ſi omnia ab initio omnia perfecta fuiſſent.

8 Quòd ſi petatur, cujus ſit emptio juris? Reſpondet Juriſconſultus *in l. 1. ff. de contrab. empt.* eſſe juris gentium, ex quo enim gentes eſſe cæperunt emptio fuit uſu recepta: & licèt pecunia hac, vel illa ratione cudi cœperit apud aliquas gentes certis temporibus; ut tamen eſt pretium mercium, ac rerum, cœpta fuit introduci in humanos uſus ſtatim ab initio, cùm primum gentes eſſe cœperunt. Et licèt ab initio uſitatæ fuerint rerum permutationes, adeo ut juris conſultus 11. *de contrab. empt.* aſſerat, originem emendi, & vendendi à permutationibus rerum ſuum duxiſſe initium; eò quia ante venditiones, & emptiones unusquisque ſecundùm proprias neceſſitates temporum, ac rerum, res inutiles pro utilibus permutarent: id tamen non impedit, quò minus emptio dicenda ſit juris gentium: ſiquidem omnes gentes permutatione, & venditione uti cœperunt, antequam jus ullum civile apud homines conderetur, ut notat Azorius *p. 3. lib. 8. c. 1.*

An verò nomine venditionis comprehen- 9
datur omnis contractus, per quem dominium tranſit ad alium. Affirmant aliqui, & alii negant. Verùm *in l. ſtatu liberi* §. 5. *ff. de ſtat. lib.* jurisconſultus videtur aſſerere, nonnunquam nomine venditionis comprehendi omnem contractum, per quem dominium tranſit in alium, quod etiam innuitur *in l. ſicut.* §. *venditionis ff. quib. mod. pignus ſolvat.* & etiam *in lib. feudor. c. 1. de controvers. inter dominum, & emptorem*, & hæc ſententia videtur communior: excipiuntur tamen tres caſus; quorum primus eſt: quando in lege, vel ſtatuto fit mentio pretii, tunc ſolùm intelligitur emptio, & venditio, ut tradit Panormit. *in c. 1. de iis quæ fiunt à Prælat. & c. potuit de locato*: hinc ſi quis prohibeatur vendere abſque certa juris formula, ne decipiatur in pretio poteſt donare, vel permutare ſine tali juris formula. Secundus ſi materia ſit odioſa, & pœnalis, tunc licèt non fiat mentio pretii, nomine emptionis, & venditionis non comprehenditur alius contractus, ut tradit Abbas *in c. 1. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli* Decius *cons. 59. vol. 1.*

Quamobrem in decreto judicis prohibentis 10
emptionem, & venditionem ſtrictè, & preſsè ſumitur nomen emptionis, quia verba decreti ſunt ſtrictæ interpretationis *l. 1. C. ſi plures una ſententia l. ſi pupillorum* §. *ſi prater. ff. de rebus eorum qui ſub tutela, vel cura ſunt.* Bartol. *in l. 1. C. quando provocare non eſt neceſſe.* Tertius quando ii, qui loquuntur communi, & vulgari uſu acceptis vocibus utuntur, quia vulgares nomina venditionis, & emptionis ſolent ſtrictè ſumere, Abbas *in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſens. capitul.* quapropter ſi Titius legaverit Cajo omnes res à ſe emptas non comprehenduntur aliæ, quæ ad Titium devenerunt per alium contractum donationis, vel permutationis.

Solet emptio quadrupliciter partiri, ſeu fieri 12
quatuor modis. Primò purè, & ſimpliciter, vel ſub conditione. Purè dicitur fieri, quando contractui nulla apponitur conditio, nec pactum, imò neque dies: ſub conditione, quando adjicitur conditio, ut ſi Titius dicat Cajo, vendo tibi meam domum mille aureis, ſi ego miſſus fuero in aliam Regionem. Rurſus emptio ſub conditione, vel pacto contrahitur, vel cum addictione in diem; ut vendo tibi meum fundum mille florenis, niſi intra feſtum S. Michaëlis alius meliorem mihi conditionem obtulerit *l. ſin diem ff. de in diem addictione.*

Vel contrahitur cum pacto legis commiſ- 13
ſoriæ, ut vendo tibi centum florenis meum

equum, quòd si pretium intra mensem mihi non solveris volo, ut pro non vendito habeatur *l. cum venditor §. de lege commissoria.* Vel fit cum pacto retrovendendi, ut vendo tibi tanti meum fundum hac tamen conditione, ut si intra biennium tibi restituero pretium, debeas mihi reddere fundum.

13 Vel contrahitur cum pacto, quod significatur *in l. curabit. C. de actionib. empt. & venditi* ut vendo tibi mille aureis meam domum, eo pacto, quòd si intra quatuor annos pretium non receperos; vel simpliciter, donec mihi pretium persolveris, singulis annis mihi certâ persolvas pensionem. Vel etiam contrahitur per alicujus pacti adjectionem, ut vendo tibi meam domum, ita tamen, ut eam mihi statim loces, & ego eandem habeam conductam.

14 Secundò dividitur emptio ex modo, quo fit clam, vel palam sub hasta in foro, vel alio loco publico positâ, vel voce præconis. Clam dicitur fieri emptio, quando privatim aliquid emitur. Rursus fit etiam emptio cumulatim, ut cùm venditur acervus tritici, vel lignorum sine alia mensura adhibita, sed tantùm ad oculum.

15 Tertiò dividitur emptio questus gratiâ, seu lucri, vel causâ necessitatis. Quæ est causa lucri, adhuc est duplex. Primò cùm res ita emitur, ut eadem prorsus absque ulla sui mutatione iterum vendatur, & hæc dicitur negotiatio clericis interdicta in jure canonico *c. 1. & 2. de clericis, vel Monach.* est enim talis negotiatio propriè mercatorum. Secundò cùm res aliqua emitur, ut iterum vendatur, sed melius effecta per industriam, curam, & operam emptoris, & hæc est communis artificum, pastorum, & agricolarum.

16 Quartò demum dividitur emptio in eam, quæ est ex pretio: vel enim res emitur dilata solutione pretii ad tempus, vel pretio statim soluto, vel emitur res futura soluto statim pretio ante traditionem rei: vel emitur statim re tradita emptori, & soluto pretio venditori.

§. II.

Quinam in jure prohibeantur vendere, & emere, & quæ res vendi possint, vel non?

1 OLim legibus imperatoriis privati homines fuerunt prohibiti vendere purpuram, vel sericum, aut lanam blattam, seu purpuream, & carbasinam, seu rubro tinctam colore, vel etiam purpuram pretiosissimam, vel hyacinthinam, seu purpuram referentem colore ferrum ardens, idque sub pœna privationis bonorum *l. 1. C. quæ res vendi possunt.* Rursus prohibebantur privati homines emere ab hostibus sericum, vel purpuram *l. comparandi C. eod. tit.* Neque licitum erat frumentum publici canonis vendere, aut emere in litoribus, idque sub pœna capitis, *l. quia nonnunquam C. eod. tit.* Neque frumentum ad exercitum missum poterat quis emere sub pœna privationis omnium
2 bonorum, si honestæ esset conditionis, vel si viilis, pœna capitis *l. ne frumentum C. eod. tit.* Præterea ad barbaros, seu hostes populi Romani nullus poterat oleum, vel alia id generis liquida transferre, nec causâ gustûs, nec gratia commerciorum *l. 1. C. quæ res exportari non debeatur.*

Rursus prohibebantur etiam vendi arma, ut lorica, scuta, gladii, arcus, sagittæ, & alia id 2
genus hostibus populi Romani, imò etiam eorum legatis, vel Nuntiis, & venditores hujus legis transgressores capitis pœnam subibant *l. nemo C. eod. tit.* Prohibebantur etiam domini, vel per se, vel per alium vendere suos servos criminosos eo pacto, ut cum bestiis pugnarent, hoc enim genus crudelitatis leges meritò vetuerunt, præsertim *lege Petronea.* Neque servus in fuga constitutus vendi poterat suo domino *l. in fuga C. ad legem flaviam de plag.* Si verò aliquis amico suo peregrè proficiscenti mandâsset, ut fugitivum servum quæreret, & inventum venderet, id permissum erat *l. quod sæpe §. illud constat. ff de contrab. empt.* imò licitum etiam erat domino servum absentem vendere *d. c. quod sæpe.*

Nunc verò hi omnes possunt vendere, qui 3
sunt sui juris, & habent verum, ac proprium dominium in res illas, quæ dantur venum. Res tamen pupilli, vel minoris non possunt vendi tutori, vel curatori *l. si in emptione ff. de contrab. empt.* & in pluribus aliis legibus, quibus universim prohibetur, ne tutor, vel curator emat rem sui pupulli, vel minoris, si tamen palam, & bona fide emat, legem non transgreditur, dicitur quis palam emere quando rem emit sub hasta publica, voce præconis venditam: & dicitur bona fide emere si justo pretio emat. Qui verò publico officio in Provincia fungitur non potest prædia emere, quæ in eadem provincia venduntur, nisi ea fiscus distraxerit.

Valent illa statuta Provinciarum, quibus ali- 4
quis prohibetur res suas immobiles, præsertim domum, vel fundum vendere extraneis spectantibus ad alterius Principis jurisdictionem, ut desumitur *ex l. 1. C. non licere habitatoribus Metrocomia loca sua ad extraneos transferre.* Extraneis tamen clericis, Monachis, vel Religiosis possunt talia bona immobilia divendi, & desumitur *ex authent. collat. de sacrosanct. eccles.* quia Magistratus laicales nullum habent jus in Religiosos; si enim talia statuta condita sint sine consensu Romani Pontificis irrita sunt, & nullum sortiuntur valorem, præsertim si expressa mentio fiat, quòd talia bona non vendantur clericis, vel Religiosis. Quòd si statutum tale esset ut nemo deberet vendere rem immobilem illi, qui non est subditus, vel non sustinet communia Reipublicæ onera, tunc tale statutum non ligaret clericos, sed tantùm laicos: ratio est, quia cum ecclesiastici non subjiciantur laicis, non possunt laicorum statutis obligari, quia superior non potest obligare nisi suos subditos, generatim statutum laicale non comprehendit clericos, nec Ecclesias, nec Religiosos.

An verò cùm quis prohibetur emere, possit 5
per alium amicum emere. Respondetur cum distinctione, vel enim absolutè, & simpliciter

pro-

prohibetur emere, & tunc etiam prohibetur, ne emat per alium *l. si mandavero §. quoniam ff. mandatum*: quia tunc videretur committere fraudem contra legem. Sin verò lex prohibeat expresè, ne quis emat per se; cum hæc lex sit odiosa, & proinde restringenda juxta significationem verborum, non debet extendi ad alios, proinde licèt non possit per se emere, non prohibetur tamen emere per amicum interpositum, ut notat Fabius *de empt. q. 3. princ. n. 10.* apud Azorium *p. 3. lib. 8. c. 4.* Rursus jure communi fidejussor non potest emere rem debitoris loco pignoris obligatam creditori *l. si mandavero tibi §. Paulus ff. mandati.*

6 Plures sunt, quibus alienatio rei per venditionem prohibetur, etenim usufructuarius non potest rem vendere, ex qua usumfructum percipit, ut nec etiam qui rem aliquam accepit nomine, & jure feudi, vel emphyteusis, nisi accesserit consensus illius, qui directum dominium sibi reservavit. Ratio est, quia per venditionem non potest alienari nisi id, de quo venditor habet dominium absolutum, ac potest disponere: & usufructuarius, ac feudatarius non habet dominium rei: siquidem directum dominiũ feudi pertinet ad Principem: ut etiam res, à qua percipitur usufructus non pertinet ad usufructuarium. Potest tamen usufructuarius usumfructum simpliciter vendere, eo quia habeat dominium illius. Neque obstat, quòd *in l. arbor. ff. de usufruct. inst. de usu, & habitat.* dicatur non posse usumfructum vendi.

7 Nam dupliciter in jure sumitur usufructus. Primò pro jure, quod habet usufructuarius percipiendi fructus ex re aliena, & faciendi eos suos: & in hoc sensu verum est, non posse usufructuarium vendere, locare, vel donare usumfructum, seu ipsum jus percipiendi ex re aliena fructus, quia hoc jus est personale; & quod uni personæ conceditur, non ideo intelligitur concessum alteri: nonnunquam enim placet Principi hæc persona, non alia, cui propterea concedit feudum, vel usumfructum: hinc usufructus extinguitur, ac finitur morte usufructuarii. Hoc idem etiam procedit de pensione annua, quam authoritate Romani Pontificis aliquis percipit ex beneficio ecclesiastico. Secundò sumitur usufructus, non pro ipso jure percipiendi ex re aliena fructus: sed pro ipsis fructibus jam perceptis, vel quos percipit: & in hoc sensu, quia usufructuarius est verus dominus taliũ fructuum, nil videtur obstare, quo minus possit eos vendere, locare, vel alteri donare.

8 Quamobrem usufructuarius, feudatarius, emphyteuta, & alii similes, qui dominium absolutum non habent, absque consensu domini directi, non possunt vendere rem, in qua habent usumfructum, vel feudum, neque jus percipiendi tales fructus, vel reditus: benè tamen possunt vendere, locare, vel donare ipsos fructus: qui enim habet rem nomine, & jure emphyteusis, vel feudi, potest fructus, quos percipit vendere, locare, vel donare, licèt non ipsum jus *l. ult. C. de jur. emphyteu. Glossa in l ult. de locat.* Maritus non potest vendere rem immobilem dotalem æstimatam pretio sine consensu uxoris, & si ea consentiente rem immobilem dotalem pretio æstimatam vendit, tenetur pretium illius restituere, non verò rem ipsam dotalem: quòd si maritus accipiat rem dotalem pretio non æstimatam, non potest etiam consentiente uxore eam vendere *l. Julianus, & l. Julia ff. de fundo dotali.* Imo neque potest eam nomine hypothecæ obligare *l. unic. §. & cum lex C. de rei uxor. act.*

9 Cæterum consentiente uxore potest maritus rem dotalem in quinque casibus vendere. Primò si vendat cum universitate *l. 1. ff. de fundo dotali.* Secundò ex causa necessaria non voluntaria *l. eadem.* Tertiò in utilitatem uxoris *l. ita constant. & l. ult. ff. de jure dot.* Quartò si uxor non solùm consentiat, sed etiam adhibeat jusjurandum sive per se, sive per Procuratorem, cui ad id dederit speciale mandatum *c. ult. de procurat. in 6. c. cum contingat. de jurejur.* Quintò si maritus ad divisionem fundi dotalis provocetur à socio: non tamen ipse maritus potest socium provocare, cum quo habet fructum communem ad dividendum fundum *l. ult. C. de fundo dotal.* Fidejussor debitoris rem loco pignoris obligatam creditori non potest emere *l. si mandato Titii ff. mandati* Tuschus *conclus. 60.* Pater, & Filius non emancipatus, tutores, & minores nec emunt, nec vendunt sibi invicem, ut tradit Molina. *disp. 340.* Rex itidem, vel Princeps non potest vendere urbes, oppida, castella absque civium consensu, ut tradit Felinus *in c. dilecti filii de majorit. & obed.* Abbas *in c. intellecto de jurejur.* quòd tamen intelligitur sine justa, & debita causa; alioquin venditio, & alienatio esset noxia Regno, cui Rex tenetur consulere, & ejus majus bonum promovere Covarruvias *in c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 2. §. 2. num 4.* Ob publicam tamen utilitatem Regni potest urbes, & oppida vendere, imò etiam ad remunerandum aliquorum merita, & obsequia potest oppida, & castella donare.

10 Quæ vendi possunt, sunt ea omnia, quæ pecuniâ æstimantur, nisi adsit specialis prohibitio, seu circumstantia irritans venditionem, vel eam reddens illicitam: siquidem sub venditionem cadit, quidquid tradi potest pro pretio, qua ratione possunt vendi omnia bona etiam futura, dummodo non comprehendatur inter illa pretium, quod recipitur ex emptione alterius, & id ne venditor maneat intestabilis. Rursus hæreditas tota, vel ejus pars, major, vel minor, dummodo certa sit, vendi potest, ut etiam creditum, vel actio, quam quis habet adversus alium, vel in rem sibi debitam, aut in pignus, hypothecam, fidejussionem: & accedente utriusque consensu sine alia cessione transit actio utilis in emptorem, & accedente cessione etiam actio directa. Quòd si actio venderetur, vel cederetur potentiori, esset invalida, & venditor in pœnam amitteret jus quod habebat ad tale debitum. Potest etiam vendi res in sola spe, antequam existat, quo pacto venduntur fructus arborum, pecorum, fœtus animalium: hoc tamen discrimine, quòd fœtus, & fructus ven-

duntur conditionaliter, ſi naſcantur: venatio autem, & piſcatus abſolutè, licèt nil capiatur, niſi aliter conventum ſit.

11 E converſo ſex enumerantur rerum genera, quæ minimè vendi poſſunt. Primò res ſpirituales non poſſunt pretio vendi, alioquin venditio ſacrilega foret, ac ſimoniaca. Secundò nec res ſacræ, ac ſanctæ poſſunt pretio vendi, ut vaſa, veſtes, altaria, templa, & alia id genus *l. ſancimus 1. C. de ſacroſanct. eccles. l. ſi celſus §. de contrab. empt.* quia pretio, & pecunia non æſtimantur: per accidens tamen ratione materiæ, vel laboris adhibiti in iis fabricandis, vendi poſſunt, dummodo non augeatur pretium ratione rei ſacræ. Verùm tunc conſultius eſt formam rei ſacræ deſtruere, tunc enim calix confractus, aut diſciſſa veſtis, quæ priùs ſacra erat licitè vendi poteſt, quia materia remanet, quæ venditur: non verò forma, quæ jam periit.

12 Quòd ſi res ſacræ vendantur integrè, tunc aliis tantùm eccleſiis vendi poſſunt ad ſacros uſus, & ſi vendantur laicis debent etiam hac condition: vendi, ut adhibeantur ad ſacrum, & eccleſiaſticum miniſterium: pretium autem ſolùm accipitur ratione materiæ, vel laboris, aut artificii, adeo ut tanti vendantur, quanti hæc æſtimantur, quia ſi venderentur pluris, quàm materia æſtimaretur, vel artificium, aut labor, utique illud plus reſponderet conſecrationi, quæ eſt quid diſtinctum ab ipſa materia, quæ conſecratio non poteſt vendi ſine ſimonia, quia eſt res ſpiritualis, quæ pecuniâ non æſtimatur.

13 Cæterum vaſa ſacra quoad ſolam materiam poſſunt vendi ad captivos redimendos, vel pauperes alendos, qui aliunde, nec redimi, nec ſuſtentari poſſent *c. aurum, & apoſtolicus. c. & ſacrorum* 12. *q.* 2. Tertiò jure communi prohibitum eſt vendi à privata perſona res publicis uſibus deſtinatas, ut forum publicum, viam publicam, idque procedit tametſi venditio referatur in tempus, quo hæc bona erant privatæ perſonæ *l. ſed celſus ff. de contrab. empt.* Quartò interdictum eſt etiam vendere venena, & alia, quæ nullo modo per adjectionem, vel mixtionem alterius materiæ humanis uſibus prodeſſe poſſunt *l. quod ſæpe §. illud conſtat. ff. de contrab. empt.* ea verò quæ mixta ſunt aliis materiis, & propterea vim nocendi depoſuerunt, ut ex his etiam anthidota, & alia medicamenta ſalutaria conficiantur, vendi poſſunt, quia poſſunt humanis uſibus inſervire. Quintò venditio hominis liberi irrita eſt jure Cæſareo *l. ſi in emptione ff. de contrab. empt.* idque procedit, tametſi referatur in tempus, quo ſervus erat.

14 Excipiuntur tamen tres caſus, in quibus talis venditio eſt licita. Primò in extrema fame poteſt enim tunc pater filium, aut filiam vendere, idque non ſolùm jure civili permittitur *l. ſi quis C. de patribus*, ſed etiam lege veteri divina videtur id olim fuiſſe permiſſum apud Hebræos ut deſumitur *ex Levit. c. 25.* ubi populus Hebræorum fame oppreſſus Nehemias 5. dicebat *filii, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, ac bibamus.* Secundò pro ſolvendis debitis ut conſuetum erat in veteri teſtamento *Levit. c. 25.* Tertiò pro vita propria tuenda, vel etiam pro alio redimendo ut præſtitit S. Paulinus, ut notat Garcias *de contract. c. 40. n. 18.* Non tamen hæc venditio apud Chriſtianos eſt in uſu, quia parentibus etiam extrema fame, & egeſtate laborantibus poteſt facilè, & commodè filius aliis mediis conſulere; hinc ſufficeret, ſi parentes filii opera, & labores, mercede, ſeu pretio debito locarent.

Cæterum ineſt patri jus propter inopiam, & extremam egeſtatem filium ſuum loco pignoris dandi, imò etiam propter famem licitum eſt ſe ipſum vendere, quia vita ſemper eſt pretioſior libertate. Poteſt etiam filius tuta conſcientia ſe ipſum vendere ad tuendam, & conſervandam parentum vitam, vel ad redimendos captivos. Quòd ſi pater extrema fame adactus filium vendiderit; ita ſuum venditio ſortitur valorem, ut pater, qui vendidit, vel filius qui venditus fuit, vel alius habeat jus redimendi venditum etiam invito emptore, vel quolibet alio poſſeſſore; adeo ut ſi tradatur pretium, vel detur alius ſervus pro filio teneatur poſſeſſor filium reſtituere, ut deſumitur *ex l. ſi quis C. de patribus qui filios ſuos.* Immo ut rectè notat Covarruvias, ſi pater qui filium vendidit ad pinguiorem fortunam venerit jure naturali adigi poteſt ad filium ſuum redimendum. Sextò tandem res litigioſa nec vendi, nec emi poteſt *l. lite pendente, & l. quicunque l. cenſemus C. de litigioſis.* illa verò dicitur res litigioſa, de cujus dominio cauſa, ſeu lis movetur inter poſſeſſorem, & eum, qui rem petit *authent. litigioſa C. de litigioſis.* 15

16 Rurſus neque vendi poſſunt res, quas natura, vel jus gentium, aut divinum, aut canonicum vel civile, aut ſtatuta civitatum, vel populorum, vel mores patriæ vendere prohibent *l. ſi emptione §. omnium rerum de contrab. empt.* ſiquidem tales res dicuntur noſtro commercio exemptæ, eò quia ſimpliciter perpetuam cauſam habeant, quâ vendi prohibentur. Quòd ſi ob privilegium cauſæ, rei, vel perſonæ prohibetur venditio, tunc non dicitur res ab humano commercio ſepoſita, aut exempta, cujusmodi eſt res dotalis, res pupilli, vel minorennis, ſervus in fuga conſtitutus, & alia id genus. Item res defuncti non poſſunt emi ab executore teſtamenti, quando executor tenetur eas vendere in executionem teſtamenti, ut nec etiam res pupilli à tutore, nec res minorennis à curatore ob præſumptionem fraudis, niſi tutor, vel curator emat palam ſub haſta, & bona fide, & cum juſto pretio, nec adſit alius, qui velit emere.

17 An verò emptio rei furtivæ rata ſit, & firma. Reſpondetur, talem emptionem, & venditionem rei alienæ eſſe irritam, nullúmque fortiri valorem, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem: ratio eſt, quia venditor non poteſt plus juris in emptorem transferre, quàm ipſe habeat: unde cum in re fur-

furtiva, seu furto ablata non habeat dominium, non potest hoc in alium transferri; adeo ut dominus rei venditæ, possit eam vendicare ubicunque sit, nisi legitimo temporis cursu præscripta fuerit ab emptore bonæ fidei: quòd si emptor sciat rem à se emptam esse alienam, & fuisse furto ablatam, tunc emptio non valet respectu ipsius, unde non habet jus, nec actionem petendi quod suâ interest: sin verò uterque sciverit, rem esse alienam, neuter obligationem contrahit; imò potest emptor in conscientia rescissa emptione à venditore pretium repetere, & si emptor pactus fuerit de evictione cum venditore, potest tunc contra venditorem in judicio contendere, ut tradit Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *num.* 166. etenim cum damno, & detrimento domini emptio non consistit sive fiat inter ignorantes, sive inter scientes; quia dominus rei semper habet jus vindicandi, & repetendi, ac recuperandi rem suam, nisi jure usucapionis dominium transferatur in alterum.

18 De publicis officiis solet dubitari, an hæc vendi possint, & an talis venditio sit per se, & de jure naturali prohibita. Officia publica in jure intelliguntur officia judicum, Senatorum, Ministrorum, fiscalium, tabellionum, & aliorum similium. Certum est, quòd si talia officia sint merè profana, vendi possint, quia non repugnat id juri naturali, dummodo vendatur personis idoneis, & quæ ritè fungantur suo officio, neque apparet, cuinam virtuti hæc venditio adversetur. Neque Princeps ullo jure obligatur ad danda hujusmodi officia omnino gratis. Verùm tamen est quòd res non sit periculo vacua: siquidem multis ansam exhibet ad impetranda talia officia, quibus postea abutuntur. Cæterum in ipso venditionis actu, si præcisè, & per se consideretur, nulla apparet malitia, ut scripsit D. Thomas epist. ad Ducissam Brabantiæ. Servandæ tamen sunt tres conditiones in tali venditione. Prima est, ut hæc officia publica non exhibeantur venalia cuicunque idoneo vel non idoneo, dummodo majus pretium offerat; sed illis tantùm, qui communi bonorum judicio habeantur digni. Secunda ut pretium non sit excessivum, sed moderatum, ne emens exacto suo patrimonio compellatur parum honestis mediis, quæ familiæ desunt conquirere. Tertia ut non ex qualibet causa, vel etiam mera cupiditate, sed tunc primùm vendantur, quando gravis reipublicæ necessitas, cui alio modo subveniri non potest, vendenda esse suaserit.

19 Quòd si hæ conditiones negligantur innumera inde damna reipublicæ civibus, & subditis oriuntur: quinimò plures, qui difficulter censent hæc damna posse evitari ob venditionem talium officiorum malunt eam improbare, quàm approbare: & revera emptores ut sibi compensent sumptus, quos in emptione sui officii fecerunt, subinde justitiam etiam vendunt. An verò qui à Principe obtinuit licentiam transferendi suum officium in aliam personam idoneam possit illud licitè virtute talis licentiæ vendere, non est una omnium sententia: docent plures, hanc licentiam non sufficere, sed requiri expressum consensum ad vendendum, vel saltem, quòd Princeps sciat suum officialem per talem licentiam petere facultatem vendendi suum officium; vel noverit eum, qui talem licentiam expostulat, consuevisse suum officium vendere, ut tradit Malderus 2. 2. *tract.* 9. *c.* 1. *dub.* 5. Nihilominus alii oppositam sententiam asserunt probabilem, nimirum sufficere simplicem licentiam transferendi publicũ officium in aliam personam idoneam, ut qui illam à Principe obtinet, possit licitè, ac validè citra ullam culpam, officium, quod possidebat alteri vendere, ita docent Corduba *q.* 117. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 109. & alii, quos ipse citat: & ratio, quâ nituntur, est, quia cùm Princeps sciat talia officia esse venalia, & fuisse empta; ea licentia, quâ officialis possit se officio abdicare, censetur esse tacita licentia idem officium vendendi.

An verò expediat reipublicæ ut talia officia 20
publica vendantur? Canonistæ inter quos Panormit. Innocentius, Hostiensis censent, turpe lucrum esse hujusmodi officia vendere, eò quia leges, & jura, eam venditionem prohibeant. Tum quia plura inde oriuntur incommoda, & quidem gravissima: siquidem qui plus aliis abundant pecuniâ, solent hujusmodi officia emere, licèt plerumque in iisdem obeundis deprehendantur minus idonei, hinc non meritum præfertur pecuniæ, sed hæc merito. Præterea, qui majus offerunt pretium, hujusmodi officia obtinent sive digni sint, sive non, proinde non habetur ratio dignitatis, & meriti, sed tantùm pretii, quod offertur. Demum quia emptores solent postea pretium extorquere, quod solverunt, & plerumque labefactatur justitia, & pleraque mala oriuntur: siquidem excitant lites, prorogant decisiones, pecunias per fas, & nefas acquirunt, seque excusant, dicentes tale officium fuisse ab ipsis emptum, & quòd debeant ex tali officio empto vivere. Rursus solent etiam alios in locum sui ministros constituere, sive illi idonei sint, sive non, dummodo eorum opera utantur ad plus pecuniæ extorquendum, sicque non solùm lac, sed sanguinem etiam emungunt, ut rectè notavit Cajetanus, & certè talis venditio non caret periculo, proinde consultiùs semper est eam non permittere, nisi necessitas aliter expostulaverit.

Cæterum talia officia soli Principes, qui in 21
civilibus, & profanis nullum agnoscunt superiorem vendere possunt. Privari enim homines licèt legitimam habeant potestatem vendendi, vel alienandi officium, quod emerunt, non tamen possunt illud ad alium transferre, nisi ad Principem, abdicando se tali officio; quia jus conferendi officium publicum est inseparabile à Principe, quapropter per obitum illius, qui tali officio fungebatur, vacat, & ad Principem redit officium, quapropter consueverunt Principes quasdam edere constitutiones, quibus declarârunt, talia officia vacare, nisi Ministri, qui ea possident à die renuntiationis, vel abdicationis certos, & definitos dies fixerint.

Pretium rerum venalium dupliciter potest 22
imponi. Primò per Principem, vel Magistra-

tum, qui consideratis circumstantiis, ex quibus rerum æstimatio pendet, statuunt quanti res vendi debeant, & hoc pretium dicitur legitimum, scilicet quasi lege definitum, & consistit in indivisibili; adeo ut, si quis notabiliter excedat à tali pretio non excusetur à culpa gravi, & teneatur ad restitutionem. Secundò solet pretium imponi communi hominum peritorum æstimatione, & hoc pretium dicitur vulgare, seu naturale, veluti à naturali prudentia constitutum, & hujusmodi pretium non consistit in indivisibili, sed suscipit magis, & minus, quapropter triplex communiter statuitur, scilicet infimum, quod dicitur pium; medium quod moderatum; & supremum, quod rigorosum vocatur: rursus quodlibet horum pretiorum suam habet latitudinem, quæ varia est, major, vel minor: major si res sit pretiosior, ut si res medio pretio vendatur centum florenis; supremum attingat centum, & quinque, infimum 95. tunc latitudo inter supremum, & infimum non se extendit ultra decem florenos; sin verò res sit minus pretiosa latitudo erit itidem minor, ut si medium pretium sit viginti, supremum attingit 22. & infimum 18.

23 Cæterum pretium non constituitur pro varietate rerum naturalium, sed prout res humanis usibus, & commodis inserviunt: siquidem si naturâ res tantùm æstimaretur, plus valeret equus, quàm pretiosissima gemma; imò plus canis, quàm adamas, cùm natura sensitiva, & vivens sit longè præstantior non vivente. Quamobrem pretia rerum constituuntur juxta æstimationem hominum. Immo pretium justum non semper æstimatur ex utilitate rei, quia res alioquin minus utiles, & commodæ plus aliquando valent, unde pretia solent considerari ex communi omnium æstimatione, adeo ut pro varietate locorum, temporum, populorum, & gentium pretia rerum augeantur, vel minuantur.

24 An verò eadem res possit majori pretio æstimari apud mercatores, quàm apud privatos homines. Respondet Medina *de reb. restituend. q. 3.* posse pluris æstimari ratione muneris, & officii; quo mercator in republica fungitur, eò quia mercator indigeat Ministris, & famulis ad merces comparandas, congerendas, & conservandas. Aurifices itidem, & argentarii vasa aurea, & argentea non eodem pretio vendunt, sicut cæteri.

25 Per se tamen non est licitum rem aliquam majori pretio vendere diviti, quàm pauperi, quia res venduntur juxta suum valorem intrinsecum, non verò hauriunt pretium ab emptoribus. Per accidens tamen potest contingere ut possit minori pretio vendi pauperi, ut si mercator, velit remittere eidem partem pretii ordinarii, sæpe enim pauper necessitate premitur. Præterea possunt, & ipsi mercatores subinde viliori pretio merces suas vendere, eò quia timeant, ne vitium contrahant, hinc quærunt emptores, & merces sponte oblatæ vilescunt, hinc ex modo venditionis rei pretium variatur, si enim modus vendendi sit causa, ut sit paucitas, vel copia venditorum, vel emptorum augeat, vel minuit pretia rerum: crescit enim pretium si copia adsit emptorum; decrescit verò si pauci sint, qui emant: è contra ex multitudine venditorum minuitur pretium, & ex paucitate augetur. Rursus in castris partâ belli victoriâ exiguo pretio venduntur res à militibus: ut etiam à civibus quando ob hostiles incursus, pestem, vel famem compelluntur è patria exire.

Rursus in finem nundinarum solent merces 26
minoris æstimari, ac viliori pretio vendi, quàm in principio, quia ad finem pauci sunt, qui amplius emant. Res verò illæ, quæ solent vendi ad ornatum, splendorem, vel delicias, cujusmodi sunt lapilli pretiosi, gemmæ, canes venatici, tanti vendi solent, quanti quisque vendere potest, ut notat Sotus *lib. 6. de justit. q. 2. art. 3. ad 3.* siquidem leges nullum rebus illis pretium imposuerunt, unde valet de illis, quod vulgò dicitur: tanti res valet, quanti vendi potest: & illud aliud: quisque suæ rei est moderator, & arbiter, ut habetur *in l. in re mandata.* Idem juris est de aliis similibus rebus, cujusmodi sunt picturæ, statuæ, gemmulæ. Novæ tamen merces ab exteris Regionibus deportatæ, quæ nec lege, nec communi hominum æstimatione pretium habent, taxari debent arbitrio prudentis, & boni viri, vel etiam Magistratus habita ratione impensarum, periculi, curæ, industriæ, & laborum in mercibus deferendis: & ex parte emptorum consideratur etiam paucitas, vel multitudo earundem, ut etiam earundem utilitas, quantitas, & qualitas, pecuniarum copia, vel inopia: hisce omnibus diligenter examinatis ducitur ratio lucri, & commodi, quod mercatoribus debetur, & statuitur illarum rerum pretium.

§. III.

De obligationibus venditoris, & emptoris.

CUm de ratione cujusvis contractûs sit obligationem aliquam parere, inquiritur, 1
quænam sint obligationes, quas ex vi contractus emptionis, & venditionis contrahunt venditor, & emptor. Communiter obligationes venditoris quinque recensentur, quarum prima, & præcipua est, ut rem venditam tradat emptori, & in ejus dominium, vel quasi dominium transferat, vel solùm quod emptoris interest. Secunda ut emptorem moneat de vitio occulto rei venditæ. Tertia ut venditionem vi, vel metu, vel dolo factam rescindat. Quarta ut restituat, si rem pluris æquo vendidit, & damna si quæ passus est emptor refarciat. Quinta ut teneatur lege evictionis. Quoad primam oritur difficultas, an venditor simpliciter, & absolutè possit jure communi compelli ad tradendam rem venditam? Plures opinantur, eum jure communi simpliciter, & absolutè non adigi ad tradendam rem venditam, eò quia ejus dominium adhuc maneat penes venditorem; sed posse compelli disjunctivè, vel ad tradendam rem, vel ad solvendum quidquid emptoris interest, adeo ut si hoc secundum præstiterit, liberetur ab omni alio onere.

Com-

2 Communior tamen ſententia, & verior eſt, venditorem poſt contractum initum teneri rem venditam tradere emptori, adeo ut ſimpliciter, & abſolutè poſſit ad id compelli Gloſſa *in l. 1. in princ. ff. de action. empt.* & Gloſſa *inſtit. de emption. & vend. §. pretium* Bartol. *in l. 1. §. de action. empt.* Covarruvias *reſolut. c. 19. num. 1.* Neque obſtat, quod dominium adhuc maneat penès venditorem: quia tametſi dominium rei venditæ non transferatur ad emptorem, niſi per ipſam traditionem rei emptæ, quâ incipit illam poſſidere; nihilominus emptor ex vi contractûs initi habet jus ad rem illam emptam, proinde tenetur venditor ſtare contractui, & rem tradere, ac transferre dominium, vel quaſi dominium in emptorem. Dicitur emptor transferre dominium, quando tradit res corporales venditas, quarum erat dominus; quaſi dominium, cùm vendit res incorporales, jura, actiones, ſervitutes, penſiones, & alia id genus.

3 Sin verò venditor non ſit dominus rei, tunc propriè non dicitur tradere dominium, vel quaſi dominium; ſed tantùm cauſam, & jus uſucapionis *l. clavibus ff. de contrab. empt.* quia ſtatim inchoatur uſucapio: ſiquidem emptor ſi ſit bonæ fidei poſſeſſor dilapſo certo tempore legibus præfixo, poteſt rem venditam uſucapere *l. clavibus ff. de contrab. empt.* Hinc non defuerunt, qui putaverint ad ſubſtantiam venditionis, non pertinere translationem dominii rei venditæ ad emptorem, ſed eſſe tantùm de illius ſubſtantia disiunctivè translationem dominii, vel juris, aut cauſæ uſucapionis.

4 Quoad ſecundam obligationem, quâ tenetur venditor emptorem monere de vitio occulto rei venditæ. Juvat obſervare, duplex eſſe vitium rei venalis, unum per ſe manifeſtum, aliud per ſe occultum, adeo ut facilè ab emptore benè oculato poſſit vitium per ſe manifeſtum cognoſci. Rurſus tale vitium adhuc eſt triplex; vel enim eſt tale, ut ejus uſus inferrè poſſit damnum emptori, ut, ſi equus ſit calcitroſus, vel mordax; ſi ſervus ſit fur, vel perfidus: vel vitium per ſe occultum eſt tale, ut ejus uſus poſſit eſſe emptori periculoſus, ut ſi domus ſit malè materiata, ſi ſit ruinoſa: vel demum vitium per ſe occultum eſt tale, ut rem ipſam venditam conſtituat inutilem emptori, licèt eidem non noxiam, nec periculoſam, ut ſi equus ineptus ſit ad equitandum. Rurſus poteſt vitium rei eſſe vel in ſubſtantia, ut ſi vitrum pro gemma vendatur; vel in qualitate, ut ſi res vendita non habeat eam bonitatem, quam venditor aſſerit. Si vitium per ſe occultum ſit tale, ut ejus uſus ſit noxius, & periculoſus, vel etiam tale, ut rem inutilem reddat, tunc tenetur venditor tale vitium aperire emptori. Si verò vitium fuerit per ſe manifeſtum, & notum, non tenetur monere emptorem, quia ad hunc pertinet diligenter examinare, ac circumſpicere rem, quam emit. Sin verò vitium occultum tale ſit, ut non reddat rem emptori noxiam, nec periculoſam, nec inutilem, tunc licèt in ſententia plurium non teneatur venditor monere emptorem de tali vitio occulto; tenetur tamen minori pretio eam vendere, prout cum tali vitio minoris æſtimatur, ita reſpondet D. Thomas 2. 2. *q. 77. art. 3.* Verùm quando vitium, licèt per ſe natum, non animadvertitur ab emptore, licèt Sotus *lib. 6. de juſtit. q. 3. art. 2.* teneat venditorem non teneri vitium illud emptori manifeſtare, eò quia hic debet ſibi imputare, ſi vitium, quod omnibus per ſe patèt, non animadvertit.

5 Attamen meliùs cum Panormitano, & aliis Canoniſtis diſtinguitur: vel enim emptoris negligentia eſt culpabilis, vel immunis à culpa, eò quia emptor fuerit merè naturaliter oblitus obſervare, & examinare rem à ſe emptam; ſi primum venditor non tenetur monere emptorem de tali vitio, quia tunc emptor ſibi imprudenti, & incauto debet imputare, quòd vitium per ſe omnibus notum non obſervaverit: at ſi negligentia emptoris fuerit ſine culpa ex naturali oblivione; & fortaſſis, quia fuit in bona fide, quòd venditor non traderet illi rem vitiatam, tunc tenetur venditor emptori vitium manifeſtare, quia tenemur periculum, & damnum proximi impedire, quando proximus abſque ſua culpa illud incurrit.

6 Quid verò dicendum ſit, ſi vitium tale ſit, ut ſoli venditori reddat rem inutilem, non verò emptori; cui etiam cum tali vitio poteſt prodeſſe, ut ſi dominus vendat ruſtico equum ad equitandum inutilem, & venditor illo indigeat ad equitandum tantùm, proinde ſit illi inutilis, ruſtico tamen ſit utilis ad arandum, vel ad trahendum plauſtrum, & ad onera deferenda, ad quos uſus ruſticus emit equum; an tunc teneatur venditor vitium equi manifeſtare emptori, cenſent plures ad id non teneri, eò quia nullum damnum inferat emptori, ſed tantùm teneri viliori pretio vendere equum: & hæc ſententia probabilis eſt, quia tunc ſi ruſticus velit iterum equum vendere, cum illum emerit viliori pretio, poteſt recuperare quod ſoluit, proinde non infertur illi damnum. Verùm meliùs mihi videtur procedendum cum diſtinctione: vel enim emptor, ſi illi innotuiſſet vitium rei adhuc illam emiſſet, vel non; ſi primum non compellitur venditor ad manifeſtandum vitium emptori, cum illi res vendita non ſit noxia, nec periculoſa, nec incommoda, nec inutilis, nec pluris vendatur, quàm valeat: neque talis emptio cenſetur involuntaria, cum emptor, adhuc præmonitus de vitio eam emiſſet. Si verò emptor manifeſtato ſibi tali vitio rem non emiſſet, tunc involuntariè ſupponitur emere, cùm emptor ſi vitium reſciviſſet, rem non emiſſet; & ideo tenetur venditor vitium rei manifeſtare emptori. Quòd ſi emptor licèt certior factus de vitio adhuc rem illam emiſſet, ſed viliori pretio, tunc venditor, dummodo de pretio illud deducat, quod ſubtraxiſſet emptor, non tenetur vitium manifeſtare emptori, quia emptio tunc non eſt involuntaria: ſiquidem emptor adhuc tali pretio emiſſet rem illam cum tali vitio.

7 Juvat obſervare, vitia alia eſſe intrinſeca, & alia provenire ab extrinſeco; illa inſunt rebus ipſis, ut ſi equus calcibus ferire ſoleat, ſi bos cornu ſubinde petat, ſi ædes utpote malè materiatæ ſint ruinoſæ; vitia quæ ab extrinſeco pro-

venium,

veniunt, ſunt quæ ex caſu, vel aliena voluntate, vel cauſis extrinſecis proveniunt, ut ſi futura ſit annonæ caritas anno proximè venturo ob cœli intemperiem, ob hoſtium incurſiones, vel ob aliam extrinſecam cauſam: ex hiſce vitiis tenetur venditor ea manifeſtare emptori, quæ ſunt intrinſeca rei, quæ datur venum; non verò alia, quæ proveniunt ex cauſis extrinſecis, non enim tenetur venditor manifeſtare futuram annonæ penuriam: hinc laudatur ab Ariſtotele *in lib. 1. polit. c. 7.* talis qui cùm ex aſtris, aliisque naturæ cauſis prævidiſſet magnam annonæ penuriam futuram præſenti pretio emit quantam potuit copiam annonæ, quam poſtea multò pluris vendidit, adeo ut brevi ad pinguiorem devenerit fortunam: imò quid ſimile etiam fecit Joſeph Patriarcha, ut legitur *Geneſ. 41.* Quamobrem ſi mercator certò ſciat brevi adfuturam copiam mercium, & illarum pretium imminuturum iri, poteſt currenti pretio hic, & nunc ſuas merces divendere: quia quòd propediem futura ſit copia, non eſt vitium quod merces poſſeſſæ à mercatore de præſenti patiantur: quia id, quod cognoſcit mercator ingenio ſuo ſagaci, eſt ex induſtria ſua; vel ex litteris amicorum. Hinc qui ſcit valorem monetæ eſſe Principis authoritate minuendum, poteſt ſuam diſtrahere pretio præſenti.

8 Obligationes, quas ex contractu emptionis, & venditionis ipſe emptor contrahit quatuor ſunt. Prima eſt, ut pretium juſtum, & integrum ſolvat tempore præſcripto. Secunda, ut pretium ſuppleat, ſi rem minoris æquo emerit. Tertia ut venditorem præmoneat de pretio rei juſto, ſi per ignorantiam minoris vendat, quàm rei valor exigat. Quarta ut damna venditoris reſarciat ob moram, vel culpam, quæ paſſus eſt, eo quia tempore ſtatuto non ſolverit. Quòd ſi res empta ex caſu fortuito, & non præviſo fuerit deprehenſa melior, ac pretioſior, quàm fuerit empta, tunc videtur dubium, ad quem pertineat illud augmentum, ad venditorem, vel emptorem. D. Thomas 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. aſſerit, quòd ſi quis ædes, vel fundum emat, & poſtea caſu theſaurum inveniat in eo fundo, vel domo, tam jure naturali, quàm gentium, ſibi totum acquirit: imò etiam jure civili, quia cùm dominium jam fuerit translatum per traditionem, & poſſeſſionem fundi, vel domûs emptæ in re ſua theſaurum illum invenit, & theſaurus in nullius bonis eſt, ſeu ad nullum alium pertinet dominum *l. 1. C. de theſaur. lib. 10. & l. nunquam ff. de rerum acquirend. domin. & l. peregrè ff. de acquir. poſſeſſ. inſtit. de rer. diviſion. §. theſaurus*: & res communis fit inventoris, ſi in ſuo ſolo eam invenerit.

9 Quinimò ſi quis ſciret in fundo Titii latere theſaurum, & propterea fundum illum emeret, quanti æſtimatur, docet D. Thomas *loc. cit.* emptorem non peccaturum, & jure gentium facturum juris proprii totum theſaurum illum: idque videtur confirmare parabola illa Chriſti apud Math. c. 13. *ſimile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo, abſcondit, & pra gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Ratio etiam id ſuadet, quia theſaurus ubicunque ſit, eſt omnium communis, adeo ut dominus fundi non habeat dominium illius, ſitque primò acquirentis: unde qui emit fundum, & in eo theſaurum invenit, totum ſui juris facit, cum res communes ſint primò acquirentis, ac inventoris; idque procedit de jure naturali, & gentium. Cæterum jus civile ſtatuit, ut qui invenit theſaurum in fundo alieno reddat totum, vel partem domino fundi, idque ad lites, & controverſias dirimendas, pacémque inter privatos fovendam, & ut omnis occaſio ingrediendi in fundum alienum præcideretur.

Quid verò dicendum ſit de emptore, qui 10
in fundo, quem emit, invenit lapidicinas, vel fodinas auri, & argenti, aut gemmas, & lapillos pretioſos, an ſit ejusdem juris, ac de theſauro? Reſpondetur, quòd tametſi theſaurus jure gentium ſit quid commune, non ita tamen lapidicinæ, nec mineræ metallorum, hæc enim, & ſimilia jure gentium pertinent ad dominum, in cujus fundo, vel agro renaſcuntur: ſiquidem cenſentur fructus fundi, vel agri, in quo naſcuntur: & fructus naſcuntur domino, ad quem fundus, vel ager pertinet *l. divortio §. ſi vir in fundo ff. ſoluto matrimonio in l. fundi ff. de contrab. empt.* Quamobrem ſi empto fundo inveniat in ipſo fodinas auri, & argenti, quæ ibi renaſcebantur, tenetur venditori ſatisfacere, quia erant fructus agri etiam quando fundus pertinebat ad venditorem, & quia fructus agri ipſi tunc debebantur, ita etiam auri, & argenti fodinæ. Immo ſi emptor inveniat lapillos pretioſos in agro empto, quia nec iſti ſunt communes tenetur reſtituere venditori, qui fortaſſis eos perdidit, vel per errorem, aut oblivionem, eos non ſuſtulit, quando ibi poſuit.

Neque obſtat, quod in *l. item Lapilli ff. de* 11
rer. diviſion. lapilli, & gemmæ jure gentium dicantur omnium eſſe communes; quia ibi tantùm eſt ſermo de gemmis, & lapillis, qui inveniuntur in littore maris, vel in fluminibus, non verò de illis gemmis, quæ inveniuntur in fundo, vel prædio, aut domo alicujus: quapropter ſi quis inveniat in ædibus, quas nuper emerit pecunias, vel gemmas, eas non facit ſuas, tenenturque eas reſtituere venditori *l. à tutore ff. de rei vindicat*: non enim eſt eadem ratio, ac de theſauro invento: ratio eſt, quia tunc venditio cenſetur involuntaria, quia ſi venditor ſciviſſet in ſua domo adeſſe pecunias, vel gemmas, eas ſuſtuliſſet, vel non vendidiſſet domum, vel multò chariori pretio eam vendidiſſet, ut ſibi compenſaret pro pecunia, & gemmis ibi relictis. Nec eſt eadem ratio de theſauro, quia theſaurus nullius eſt, proinde eſt omnium communis, quapropter qui emit fundum, & theſaurum in eo invenit, ſuum facit, non quia fundum emit; ſed quia in fundo ſuo quem emit, illum invenit; adeo ut theſaurus ſit ipſius emptoris, non ut inventoris: ſecus gemmæ, & pecuniæ inventæ in fundo, vel domo, quem quis emit, non ſunt res communes, ſed illius, ad quem pertinebat domus, vel fundus: hic enim vel amiſit, vel poſuit, & poſtea non ſuſtulit ex oblivione, proinde non habuit pro derelictis gemmas illas. Quamobrem

obrem tenetur tunc emptor manifeſtare venditori ea, quæ in re ſibi vendita invenit.

12 Rurſus tenetur emptor venditorem certum facere de pretio rei, ſi venditor ejus valorem ignoret, ut ſi ruſticus vendat viro nobili gemmam aliquam pretioſam inventam in campo vili pretio, eò quia ruſticus neſciat gemmam eſſe, nec ejus pretium. Tum vir nobilis cognoſcens gemmam, & ejus pretium tenetur venditorem ruſticum monere de juſto pretio, alioquin venditio eſſet involuntaria ex parte ipſius venditoris, qui per errorem, & ignorantiam rem vendit minoris, quàm ejus valor exigat: etenim ſi rei pretioſitas, & ejus valor innoteſcerent ruſtico, non illam venderet tam vili pretio; proinde ſi eidem non manifeſtetur valor rei, venditio eſt illi involuntaria, proinde contractus nullum ſortitur valorem.

§. IV.

De evictionibus, & monopoliis, quæ contingunt in contractibus venditionis, & emptionis.

1 EVictio juxta præſens inſtitutum eſt rei emptæ, vel alia de cauſa acceptæ per judicis decretum ablatio *l. evicta ff. de evict.* Vel eſt ejus rei, quam adverſarius legitimo jure acquiſierat per judicem recuperatio *l. non tamen* 24. §. *de evict.* quod, ut intelligatur, ſciendum eſt, moris olim fuiſſe, ut ſi res non Quiritium, ſed gentiũ jure abalienaretur, is qui eam acquirebat, duplam, aut ſimplam ſtipularetur ſibi ab authore dari, ſi ea ſibi judicio adimeretur, ſicut Varro *lib.* 2. *de re ruſt. c.* 10. explicat: cum autem mancipio res venierat, tum
3 judiciis periculum præſtabat is, qui eam vendiderat. Unde Varro intelligendus eſt, cùm ait: ſi mancipio non detur, id eſt, ſi res non acquiratur per jus Quiritium, ſeu per mancipationem, & nexum: nam ſi mancipio res erat data, aut uſucapta, aut in jure ceſſa, nunquam evinci poterat, ſeu judicio à poſſeſſore aufferre. Quamobrem evincere eſt rem meam jure dominii ab aliquo, cujus non erat, alteri datam, aut venditam repetere in judicio, & ab emptore per judicis ſententiam rem illam extorquere, & aufferre, ut mihi reſtituatur, eò quia venditor, cùm non habuerit dominium in rem illam, non potuit de ea diſponere, nec illam vendere, proinde talis contractus non fuit validus, cùm non poſſit quis diſponere de re non ſua: propterea cum emptor
4 malè emerit, debet compelli per actionem evictionis ad eam reſtituendam vero domino *l.* 1. *ff. de evict.*

2 Tenetur venditor actione de evictione poſtquam emptor ipſi denuntiavit, ut rei venditæ jus contra litem motam tueatur, & cogitur ſolvere omnes ſumptus, quos emptor fecerat litigando, ſive litem obtinuerit, ſive non *l.* 1. *C. de evict. & l. venditores ff. de verb. obligat.* Venditor enim regulariter ex natura ipſius contractûs, tamen ſi nihil ſuper re vendita convenerit, obligatus eſt emptori de evictione rei venditæ, adeo ut ſi quis eam ab emptore rebètat, & evincat, oſtendens rem illam eſſe ſuam,

& non pertinuiſſe ad venditorem, teneatur venditor reſtituere emptori pretium juxta æſtimationem rei, eo tempore, quo evincitur, proinde quanti ejus intereſt rem evictam non eſſe, imò tenetur etiam ad reſarcienda damna, quæ inde emptor paſſus eſt, dummodo hic tempore contractûs ignoraverit rem eſſe alienam; & lite poſtea intentata denuntiaverit venditori, ut ſe defendat *l.* 1. *l. venditor* 8. *l. evicta* 16. *ff. de evict.* quia ut habetur *in l. ex empto* 11. §. *de act. empt.* cum emptionis, & venditionis ſit bonæ fidei judicium, nihil magis congruit bonæ fidei, quàm id præſtare, quod inter contrahentes actum eſt; quòd ſi nihil convenit, tunc ea præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt: hinc vi contractûs venditionis tenetur venditor tradere rem ipſam emptori, cuius rei ſi venditor fuit verus dominus, & ratione abſoluti dominii potuit de ipſa diſponere; emptor ſoluto pretio per traditionem ejus rei ſibi factam, acquirit etiam dominium, quod transfertur de venditore in emptorem. Sin autem venditor non fuit dominus rei venditæ, eò quia ejus dominium pertinuerit ad alium, ac proinde non potuit venditor eam alteri vendere, tunc ſi eam vendidit, ſolùm evictionis nomine venditor obligatur, dummodo pretium fuerit ſolutum, & eo nomine ſatisfactum: & emptor poteſt repetere pretium ſolutum venditori.

Quando igitur venditor alteri vendit rem 3
non ſuam, & de qua propterea non poteſt diſponere, nec eam vendere, tenetur tunc de evictione, ſive tota res evincatur, ſive pars *l.* 1. *in princ. ff. de evict.* adeo ut ſi verus dominus exigat ab emptore rem ſuam, & emptor moneat venditorem, ut defendat jus, ſi quod habet in rem venditam, obligetur venditor emptori de evictione rei venditæ, adeo ut ſi dominus rei venditæ eã repetat ab emptore, & evincat, ſe eſſe verum dominum rei ab ipſo emptæ, teneatur venditor emptori reſtituere pretium juxta æſtimationem rei eo tempore, quo evincitur: unde ſi etiam uſusfructus rei evincatur, tenetur venditor de evictione, quanti is æſtimabitur *l. ſed ſi quid* 14. *l. vaccæ* 43. *l. ſi ab emptore* 89. *ff. eod.* ratio eſt, quia uſusfructus eſt quid acceſſorium rei, cujus eſt fructus; & acceſſorium ſequitur naturam principalis, immo uſusfructus eſt veluti pars rei *l.* 4. §. *de uſufructu*, & quia venditor tenetur de evictione, ſive tota res evincatur, ſive pars, ideò tenetur etiam de evictione quoad uſumfructum. Præterea ſive ſervitus ſit ruſtica, ſive urbana, ſi evincatur, tenetur venditor de evictione; ſiquidem cum ſciret, rem eſſe ſervituti ſubjectam tanquam liberam vendidit *l. pen. ff. de evict. l.* 1. §. *venditor.* Quòd ſi venditor ignoraverit, rem eſſe ſervituti ſubjectam & eam vendidit, tunc non tenetur ad intereſſe, neque ad damna, quæ inde fuerunt orta, ſed ad id, quod res illa valet, quæ cùm ſit ſervitute gravata, minoris æſtimatur, quàm ſi libera foret *d. l. penult. ff. de evict. junctâ Gloſſa V. ſi tacitè.* 5

Dantur tamen plures caſus, in quibus ven- 4
ditor non obligatur emptori de evictione, ut deſumitur *ex c. ſi venditori 7. h. t.* ubi tres recenſentur

ſentur caſus, in quibus venditor non obligatur de evictione emptori; quorum primus eſt, ſi emptor poſt judicium, ſeu actionem contra ſe intentatam, ſaltem poſt litem conteſtatam ante teſtium publicationem, vel concluſionem in cauſa, non denuntiet id venditori, ut jus, quod habet in rem ſibi venditam, defendat. Secundus, ſi tempore ſententiæ emptor ſe contumaciter abſentaverit. Tertius ſi per injuriam judicis, vel imperitiam, aut errorem contra emptorem fuit ſententia lata. Quòd venditor non teneatur emptori de evictione in primo caſu, ſcilicet ſi emptor mota lite contra ipſum, id non denuntiavit venditori, ut rem venditam defenderet, videtur eſſe perſpicuum, quia venditoris maximè intereſt, ut poſſit rem venditam defendere, & ipſe melius ſcire poteſt, ac meliora producere documenta juris, & tituli, ſi hæc pro ſua cauſa faciant; proinde ſi emptor non præmonito venditore, cauſâ cadat, eámque perdat, tunc non ob defectum juris, ſed propter ignorantiam juris competentis venditori præſumitur perdidiſſe cauſam illam, quapropter ſi res evincatur, culpa non imputatur venditori, ſed ipſi emptori, qui neglexit litem motam venditori denuntiare, ut eam defenderet.

Neque obſtat, quòd fortaſſis venditor ſcire potuerit litem eſſe motam, quia etiam in hac ſuppoſitione, debet moneri de mota lite *l. ſi parentes* 20. *in fin. C. de evict.* & ſi dicas, certioratum non eſſe certiorandum *cap. eum qui* 31. *de regul. jur. in 6.* contra, eſt quia certioratus non eſt certiorandus, quando debet certiorari ad eum unicè finem, ut habeat notitiam rei; non item ſi debeat certiorari, ut ultra aſſumat rei defenſionem: aliud enim eſt certiorem facere aliquem de aliqua re, & aliud illum certiorem facere de defenſione ejusdem rei, per hoc ſecundum certioratur quis non de ipſa re, ſed de defenſione ipſius rei. Quòd ſi venditor in cauſa fuerit, quò minus potuerit de lite ei mota certior fieri, eò quia impedierit, quò minus id illi denuntiaretur, & ſtudio latuerit; nihilominus adhuc de evictione tenetur *l. ſi ideo* 55. *in fin.* §. *eod.* & Gloſſa *in c. ſi venditori 7. h. t. V. inſtitutum.* Id etiam procedit, ſi citra pactum venditoris emptor ſcire non potuit, ubi venditor eſſet, ut ei motam litem denuntiaret: tunc enim tenetur etiam venditor de evictione emptori *l. ſi dictum* 56. §. *ſed & ſi* ut etiam ſi venditor hanc obligationem denuntiandi litem per pactum expreſsè remiſiſſet emptori; tunc enim teneretur de evictione, quamvis emptor motam litem ei non denuntiaret, quia adhuc tale pactum fuit initum in favorem venditoris: ſiquidem quòd emptor obligetur monere debitorem de mota lite, eſt in favorem ipſius venditoris, proinde tali obligationi, ſeu favori poteſt venditor renuntiare, & tenetur emptori de evictione *l. Herennius* 63. *in princ. ff. de evict.* 5

Sin verò venditor, & emptor ita contraxerint, ut quomodocunque res vendita evinci poſſet, teneatur ſemper venditor de evictione, tunc non teneretur emptor venditori denuntiare motam litem, ſi id ſcivit; non ita ſi motam litem venditor ignoraverit, quia tunc teneretur emptor venditorem admonere de mota lite, alioquin non obligaretur venditor ad præſtandam evictionem, ut tradit Covarruvias *lib. 3. reſolut. c. 17. num. 7.* Quinimò etiam Eccleſia, ſi rem emit, tenetur motam litem venditori denuntiare, alioquin non poſſet contra ipſum agere de evictione, ut notat Abbas *in d. c. ſi venditori 7. h. t. num. 4.* Verùm communior, & verior ſententia eſt, poſſe Eccleſiam contra venditorem agere de evictione, quia Eccleſia gaudet privilegio minorum, ut notat Covarruvias *d. lib. 3. reſol. c. 17. num. 4.* & minores non tenentur ad hujusmodi denuntiationem faciendam *l. in minorum 3. C. in quib. caus. reſtit. in int. neceſſ.* 6

Quòd neque in ſecundo caſu venditor teneatur de evictione, ſi contra emptorem lata fuit ſententia condemnatoria ob eam cauſam, quia tempore ſententiæ ſe contumaciter abſentaverit à judicio, ex eo etiam evincitur: quia propter abſentiam victus videtur emptor, ideo enim præſumitur ſe abſentare à judicio, eò quia malam cauſam habeat, quam non poſſit ſuſtinere, proinde datur ipſi culpæ, ſi res fuerit per ſententiam judicis evicta *l. emptor. 8. C. eod.* Id tamen procedit, dummodo abſentia, ſeu contumacia emptoris fuerit cauſa, cur condemnatus ſit. In tertio caſu, quòd ſi per injuriam judicis, vel imperitiam, aut errorem ſententia lata ſit contra emptorem, nec teneatur venditor de evictione, liquet etiam *ex l. ſi per imprudentiam 51. ff. de evict.* ubi habetur, quòd injuria, quæ fit emptori, venditorem non contingit: ſiquidem evictio facta per injuriam judicis, habetur tanquam infortunium, & veluti caſus fortuitus, qui non imputatur venditori. 7

Unde poſt perfectam venditionem res vendita perit emptori, ad quem ut ad dominum rei pertinet damnum per injuriam judicis illatum, & quod propterea tenetur ipſe emptor ferre, ſed ſi ab eo qui illud intulit, non poſſit compenſationem damni acquirere, poteſt tunc emptor agere contra ipſum judicem, & illum redarguere injuſtitiæ in ferenda ſententia *princ. inſtit. de oblig. quæ ex quaſi delicto. l. ſi per imprudentiam 51. ff. de evict. V. autherem.* An verò ſi ſcienter extra judicium amittat rem emptam, eò quia per vim illâ ſpolietur, teneatur tunc venditor de evictione? Reſpondetur negativè, quia culpa, & factum alterius non debet nocere tertio innocenti, & injuria, quæ fit emptori non debet venditori nocere. 8

Dantur etiam plures alii caſus, in quibus venditor eximitur ab evictione, ut quando emptor compromiſit, & lata eſt ſententia contra ipſum *l. ſi dictum ff. de evict.* tunc enim non tenetur ad præſtandam evictionem emptori. Secundò ſi emptor ſcivit, rem à ſe emptam fuiſſe alienam, & non venditoris, tunc enim datur emptori culpæ, qui cum ſciret rem eſſe alienam, ac poſſe evinci, id non adverterit, proinde debet ſibi imputare damnum, quod inde patitur: excipitur tamen, niſi fortaſſis expreſsè convenerit de evictione, tunc enim agere poſſet contra venditorem in ordine ad recuperandum pretium ſolutum, non verò ad intereſſe *l. ſi fundum 27. C. evict.* 9

& evict. Tertiò si emptor potuit usucapere rem emptam, & id neglexit, tunc etiam datur illi culpæ, & venditor non tenetur ad præstandam evictionem emptori, si res ab alio evincatur *d. l. si dictum §. si cum posset.* Quartò si emptor à sententia lata absente venditore à judice non appellaverit; vel si appellaverit, appellationem postea deseruit *l. Herennius 63. §. Gaia juncta Glossa V. venditore*: secus est si præsente venditore emptor non appellavit *d. l. Herennius §. Gaia.* Quintò nec tenetur venditor ad præstandam evictionem emptori, si is sua culpa possessionem rei emptæ amisit, adeo ut ex reo fieret actor, & litem amiserit *l. si rem 29. §. simpla ff. eod.* An verò quando venditor pactum inivit, ne de evictione teneretur, eo ipso sit liber, adeo ut si emptor specialiter renuntiaverit actioni de evictione, quam habet contra venditorem, tunc venditor sit eo onere liber? Respondetur, tale pactum non impedire, quò minus venditor teneatur pretium solvere re evicta *l. ex empto ad fin. ff. de act. empt. & vendit.* Id tamen procedit, quando pactum est generale, scilicet, ne tueatur rem, quamvis hæc ab aliquo evincatur non specificando personam: alioquin si pactum foret speciale, ne teneatur rem tueri, si res evincatur à tali certa persona, vel in tali certa causa, tunc non tenetur venditor emptori de evictione *l. qui libertatis ff. de evict.*

10 Monopolium etiam in contractu emptionis, & venditionis interdum contingit, est enim monopolium multiplex; & primo quando penes unum aliquem tantùm existit potestas vendendi, & tunc ad eum finem, ut unus solus, vel cum paucis secum admissis exerceat, vendat, vel emat aliquod genus mercaturæ, & ut solus pretium statuat. Is enim tunc augens pretium rerum propriè deservit avaritiæ, & aliis omnibus est damno, quibus propterea noceat. Secundò quando conveniunt inter se mercatores, ne quis eorum vendat merces, nisi certo quodam pretio, quod ipsi statuerint. Tertiò quando etiam inter emptores habetur conventio, ne quis eorum pluris emat merces, quàm ipsi decreverint. Authores horum monopoliorum puniuntur exilio, & confiscatione bonorum *l. 1. C. de monopol.* idque ob grave damnum quod reipublicæ infertur, eò quia merces chariori pretio dantur venum, immo tenentur etiam in conscientia resarcire damna illata, quando eorum causâ merces pluris venduntur, quàm valeant. Quartò quando duo tantùm, vel tres mercatores conveniunt, ut ipsi soli vendant has, vel illas merces, & quidem eo pretio, quo ipsi voluerint, eò quia tales merces solùm apud ipsos reperiantur. Quintò si mercatores merces servent, usque ad id tempus, quo cariori pretio venduntur: ex quo fit, quod per multum temporis tales merces rarò inveniantur, ac proinde etiam pretio crescant, & tunc etiam peccant monopoliorum Authores, si ex eo merces servent, ut inde penuria, & caritas oriatur, & sit illis occasio augendi pretia. Sextò fit etiam monopolium, quando mercatores impediunt, ne aliæ merces in urbem advehantur, ut suas cariùs divendant *l. legè Julia. ff. ad leg. Jul. de annon.*

Cæterum Princeps potest quibusdam certis 11
mercatoribus privilegium concedere, ut ipsi soli quædam possint genera mercium vendere, dummodo tale privilegium concedatur gratis, & non sit occasio mercatoribus vendendi cariori pretio tales merces, unde pretium tunc debet taxari à Magistratu, ne venditores eo pretio merces vendant, ut ipsis magis libuerit. Imo neque peccant illi mercatores, qui à Principe tale privilegium impetrant, ne alii præter ipsos quædam mercium genera vendant, dummodo non sint causa, ut inde oriatur penuria earundem mercium, & illarum pretium non augeatur. Cæterum hujusmodi privilegia non conceduntur, nisi de rebus illis, quæ minimè necessariæ sunt ad victum, & vestitum, sed tantùm inserviunt luxui, vel pompæ, vel ornatui non necessario.

§. V.

Quomodo, & in quibus causis contractus emptionis, & venditionis rescindi possint.

INterdum recedi potest ab emptione, & ven- 1
ditione perfecta, si nimirum rescindatur contractus propter læsionem: si enim in contractu contigerit læsio circa pretium, potest tunc contractus impugnari, ac rescindi propterea recedi ab emptione, & venditione etiam perfecta. Debet tamen læsio in hoc contractu contingere circa pretium, quod non consistit in indivisibili, nisi specialiter à Magistratu taxatum fuerit, sed ex diversa hominum æstimatione potest ejusdem rei triplex esse pretium, infimum, medium, & summum, siquidem quod aliqui æstimant 10. hoc alii 11. & alii 9. Quòd si pretium in contractu datum, vel acceptum arbitrio boni, & prudentis viri non sit majus pretio summo, nec minus infimo, tunc censetur pretium esse justum, eò quia non excedat limites summi, & infimi, proinde nulla concedenda erit contractûs impugnatio, & in hoc sensu intelligitur textus *in l. item si 22. §. 3. ff. locati*, ubi habetur, *naturaliter concessum esse, id quod pluris est, minoris emere.*

Quòd si pretium excedat limites summi, & 2
infimi juxta communem æstimationem, tunc debet distingui forum externum à foro conscientiæ, quia in foro conscientiæ, si pretium excedat taxatam quantitatem pretii summi, vel infimi, debet restitui totũ id, quod excedit pretium summum, vel suppleri quod habetur infra infimum: in foro autem externo ad evitandam multitudinem litium non succurritur alicui, nisi supra dimidium justi pretii deceptus fuerit: quamvis enim non obstante læsione ultra dimidium justi pretii, emptio, & venditio taliter contracta ipso jure valeat; nihilominus potest deceptus, seu læsus ultra dimidium justi pretii petere, ut contractus rescindatur, sive is venditor fuerit, sive emptor. Rursus tam emptor, quàm venditor dicitur deceptus ultra dimidium justi pretii, quando non accepit dimi-

dium illius, quod dedit, quo pacto emptor dicitur deceptus ultra dimidium si rem, quæ valet 10. emerit 21. & venditor si rem, quæ valet 10. vendiderit tantùm quatuor; etenim neuter accepit dimidium illius, quod dedit. Hinc non solet à canonistis approbari opinio asserentium, emptorem dici ultra dimidium deceptum, si rem valentem decem emerit 16. siquidem non potest tunc dici deceptus ultra dimidium illius quod dedit; cum plus, quàm dimidium illius acceperit. Quamobrem in æstimatione læsionis ultra dimidium spectari debet non solum pretium, sed etiam res ipsa, quæ conferri debet cum pretio dato: quo pacto emptor, qui pro re valente decem dedit 21. fuit deceptus ultra dimidium, quia non accepit dimidium ejus, quod dedit. Quòd si spectetur solum pretium simpliciter dici potest deceptus ultra duplum, quia si justum pretium sunt decem, sequitur quod 20. sint duplum pretium, proinde si quod valet 10. aliquis emerit 21. spectato solo pretio præcisè, & simpliciter dicitur deceptus ultra duplum. Cæterum non potest præcisè agi ad rescindendam venditionem ex capite læsionis ultra dimidium; sed tunc emptor deceptus potest, vel rescissa venditione rem restituere repetito pretio, vel manente venditione repetere partem pretii, quam ultra dimidium solvit. Pari pacto si venditor deceptus sit in electione, in arbitrio est emptoris, vel supplere quod justo pretio deest, vel rem restituere *c. cum dilecti vers. quia verò h. t.*

3 Præterea quamvis ob læsionem infra dimidium justi pretii lex non rescindat venditionem, sed toleret talem læsionem; non propterea licitum est, alterum contrahentium usque ad dimidium justi pretii circumvenire, sed justo pretio debet emi, & vendi. Quòd si dicas *l. in causa 16. ff. de minor* haberi, licitum esse contrahentibus naturaliter se circumvenire? Respondetur, id intelligi infra latitudinem justi pretii, quod est intra limites summi, & infimi. Alioquin non licet pluris vendere, vel minoris emere, quàm res valeant, neque emere infra dimidium justi pretii: qui enim pluris vendit, quàm res summo pretio valeat, vel emit minoris, quàm valeat infra infimum pretium peccat, & tenetur ad restitutionem. Lex tamen non rescindit emptionem, quamvis res supra summum pretium vendita fuerit, dummodo non ultra dimidium justi pretii; hoc est, si res valuerit 10. fuerit empta 21.

4 Quòd si res bona fide fuerit vendita supra summum pretium, non teneri tunc venditorem ad restitutionem excessûs docent aliqui etiam in foro conscientiæ: quia venditor solùm tenetur restituere excessum ratione injustæ acceptionis, quæ tunc non habetur, sicut & emptor; cùm enim res apud ipsum non ampliùs exstet, etiam æquivalenter; & sine culpa perierit, non obligatur ratione rei acceptæ, nisi quatenus uterque venditor, vel emptor locupletior factus est. Verior tamen sententia est, quòd quoties exceditur in pretio, vel ultra summum, vel infra infimum debeat excessus ille pretii restitui: quia tametsi contractus fuerit bonæ fidei initus cognito tamen excessu, & læsione in pretio debet pretium reduci ad æqualitatem.

5 Quamvis lex non rescindat contractum emptionis, & venditionis, licèt supra summum pretium res vendita fuerit, dummodo non ultra dimidium justi pretii, in quo casu conceditur actio venditori contra emptorem, si fuerit empta infra infimum pretium, vel emptori contra venditorem si supra summum, ut vel rem emptam restituat, vel quod deest justo pretio suppleat *l. 2. C. de rescind. vendit. c. dilecti. h. t.* ubi dicitur, quòd sit in arbitrio emptoris, vel rescindere contractum, vel supplere pretium, quæ electio venditori non competit. Excipiuntur tamen minorennes, quia ipsis propter læsionem gravem, quamvis non fit ultra dimidium per remedium extraordinarium restitutionis in integrum subvenitur, ut habetur *in tot. tit. ff. de minor. & C. de restitut. in integr. minorum.* Et quia minoribus æquiparantur Ecclesiæ, & causæ piæ, ut habetur *in tit. de restitut. in integr.* ideo propter læsionem gravem possunt etiam contractus emptionis, & venditionis initi ab Ecclesia, vel piis locis rescindi. Rursus excipitur, si quis justo metu contraxerit ad id adactus ob imminens corporis periculum, quod causa fuit ut rem suam minoris venderet: is enim qui ex tali metu contraxit potest contractum rescindere, ut habetur *in tit. ff. quod metûs causâ.* Hinc contractus, quem graviter ægrotus cum medico; vel cliens durante lite cum Advocato inivit, eò quod talis contractus censeatur factus ex metu, ne infirmus, vel cliens eo tempore à medico, vel Advocato deseratur, & ideo majus damnum in corpore, vel rebus suis patiatur, rescindi potest *l. Mevius ff. de variis cognit. l. archiatri. C. de profess. l. quisquis C. de postulando.*

6 Cæterum in foro interno omnis læsio, & damnum illatum debet resarciri, nisi fortassis læsio modica fuerit, & facilè à læso potuerit prævideri: vel nisi ratione amicitiæ contrahens dissimulet damnum passum, & libenter toleret pro amico; tunc enim præsumitur illud condonare, ut notat Lessius *de justit. & jur. lib. 2. c. 21. num. 37.* Juvat observare quòd tametsi in jure canonico non statuatur, quòd per viam actionis possit quis quamcunque læsionem in foro externo recuperare: nihilominus quia judex ecclesiasticus potest judicare de omni peccato mortali, tametsi causa ad suum forum non pertineat, ideo ex communi sententia graviter læsus ex contractu, si non audiatur in foro civili, potest convenire lædentem in foro ecclesiastico, ut tradit Fachinæus *lib. 2. controv. c. 25. §. est etiam controvers.* si enim læsio sit gravis, etiam culpa est gravis, super qua potest judex ecclesiasticus cognoscere. Quòd si læsio non fuerit ita gravis, vel inde timeantur plura incommoda, potest etiam judex ecclesiasticus inauditum dimittere læsum, non enim quidquid judicis potestati permittitur, juris necessitati subjicitur *l. non quidquid 40. §. de judic.* ratio enim publicæ utilitatis, quæ vel maximè habetur in amputatione litium privato commodo

unius,

nios, vel alterius etiam jure canonico nonnunquam præfertur.

8 Potest tamen contra prædicta objici textus *in l. si quis 38. juncta Glos. marg. ff. de contrab. emption.* ubi habetur, quòd si quis vendat rem suam minore pretio, quàm valeat, animo donandi, non auditur si petat rescissionem venditionis: sed qui sine necessitate cogente, absque vi urgente, sine metu incusso vendit rem suam infra infimum pretium supponitur voluisse defectum justi pretii donare emptori, cum facilè potuerit exigere justum pretium, quod supponitur ei innotuisse; cum quisque præsumatur scire valorem rei suæ, quam vult vendere *l. quisquis 15. c. de rescin. vend.* unde si donare noluisset defectum pretii infimi, non vendidisset rem illam, cum ad id non fuerit adactus. Sed contra, quia non præsumitur quis animo donandi defectum justi pretii vendidisse rem suam infra infimum pretium, nisi id ex circumstantiis conjiciatur; ut quia emptor sit amicus, vel consanguineus, vel quia venditor sit emptori obligatus ob servitia ipsi præstita, tunc censendus est voluisse donare defectum pretii vendendo tali personæ rem suam mitiori pretio; proinde nequit talis venditio rescindi juxta *d. l. si quis.* Quòd si præfatæ circumstantiæ non concurrant, in dubio non debet præsumi animus donandi *l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Quinimo eo ipso quòd venditor dicit se velle vendere, debet præsumi, quòd donare nolit, quamvis infra pretium infimum vendat, nisi id exprimat; quia præsumptio hæc vendendi rem, ut fortior elidit aliam, quâ præsumitur quisque rei suæ pretium scire, ut notat Abbas *in c. cum causa 6. h. t. n. 4.*

9 Tum quia donatio non præsumitur, quando vel ignorantia justi pretii, vel necessitas emendi, & vendendi intervenit. Sed requiritur ut contrahentibus innotescant rerum pretia, & postea omnino liberè venditor vendat viliori pretio infimo *l. indebitum 9. C. de condict. indeb.* Cæterum non solùm venditor, sed etiam emptor si supra dimidium pretii summi justi læsus sit, debet restitui; adeout vel rescindendus sit contractus; vel supplendum justum pretium, sive per augmentum si est minus infimo; sive per detractionem si est majus summo; æquitas enim postulat, ut propter æquiparationem, seu æqualitatem, sicut venditori enormiter læso succurritur; ita emptori enormiter læso debeat succurri, ne contractus ex altera parte dicatur claudicare.

10 Cæterum quamvis Canonistæ læsionem emptoris ultra dimidium desumant ex collatione rei emptæ cum pretio soluto, ut superius diximus, & læsionem venditoris ultra dimidium ex collatione pretii tantùm vilioris cum infimo. Nihilominus sententia Theologorum asserentium, hanc læsionem tam ex parte venditoris, quàm emptoris esse computandam ex pretio justo cum ejus excessu, vel defectu, ut si res valet 10. dimidium hujus pretii tam ultra, quàm infra justum pretium sint quinque; proinde emptor, qui rem illam emit sexdecim sit læsus ultra dimidium, videtur æquitati perquàm consona: quia in contractu reciproco debet æqualitas servari inter contrahentes, proinde æquum est, ut non sit major læsio in emptore, quàm in venditore: unde si venditor rem, quæ valet decem florenis, vendit quatuor, restituitur; eò quia dimidium pretium rei venditæ non accepit; etiam emptor, qui rem valentem decem emit sexdecim, debet restitui; alioquin si non esset restituendus nisi quando eam emeret florenis viginti, & uno, duplò plus læderetur, quàm venditor; proinde non servaretur æqualitas inter contrahentes; quia læsio esset duplò major in emptore, quàm in venditore; adhærent huic sententiæ *Glossa in l. 2. C. de rescind. contract. vendi. & in c. cum causa 6. V. dimidiam h. t.* Covarruv. *lib. 2. Resol. c. 3. num. 5.* & alii Canonistæ.

11 Cæterum justum pretium in læsione ultra, vel infra dimidium (sive læsio computetur ex solo excessu, vel defectu justi pretii tantùm; sive ex excessu, vel defectu valoris rei, & pretii soluti simul) semper attendi debet secundùm tempus, quò fuit contractus initus, quanti scilicet eo tempore res valuit, & non quanti postea valuit *c. cum causa 6. h. t. & l. si voluntate 3. ff. de rescind.* Non tamen emptor, qui læsit ultra dimidium, satisfacit, si eligat supplere pretium, seu restituere tantum, quantum defuit medietati justi pretii, sed debet verè rem emptam restituere, vel totum integrum pretium, sive totum illud, in quo venditor fuit læsus, restituere, ut nihil damni ei ex tali contractu emptionis, & venditionis inferatur, ut desumitur *ex c. cum dilecti 3. h. t.* Pari pacto si venditor rem valentem 50. vendidit centum & quinque, non sufficit si restituat quinque, quibus redditis cessaret læsio ultra dimidium justi pretii: sed tenetur restituere totam illam pecuniam, in qua deceptio facta est, scilicet 55. vel rescindere contractum restituto toto pretio, quod acceperat, ut desumitur *ex d. c. cum dilecti 3. h. t.*

Quòd si contractus ob enormen læsionem rescindatur, sive venditor fuerit læsus vendendo infrra dimidium justi pretii: sive emptor emendo ultra dimidium justi pretii, non tamen tenetur emptor fructus perceptos ex re empta unà cum re restituere, ut desumitur *ex c. ad nostram de reb. eccles. alien.* siquidem fructus temporis intermedii pertinent ad emptorem, ut dominum rei emptæ, quia venditio fuit valida, quamvis pretium justum non fuerit solutum: unde emptor percipit fructus ex re sua, & periculum rei ad eum spectat. Idque etiam procedit, si emptor læsus agat adversus venditorem, eligátque rescissionem contractus, alioquin essent restituendi non solùm fructus, sed etiam lucrum, quod ex pretio acquirere poterat.

12 Causæ ex quibus rescindi potest contractus venditionis, & emptionis ex læsione ultra dimidium plures recensentur, quarum prima est, si contracta fuerit venditio per errorem in pretio, ut si deceptus sit emptor, vel venditor ultra dimidium justi pretii *l. rem majoris C. de rescind. vendit*, sive error contigerit in contractu, vel in corpore rei venditæ, vel in sub-

ſtantia, & materia, vel in ſexu, vel in qualitate, vel quantitate rei. Si pretium propter ignorantiam juſtæ æſtimationis non fuerit juſtum, licitum eſt contrahentibus naturaliter ſe circumvenire, dummodo ea deceptio non excedat latitudinem juſti pretii, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 3. num. 2.* Quòd ſi deceptio contingat infra dimidium juſti pretii, vel usque ad dimidium, & non ultra, tunc nec in foro civili, neque eccleſiaſtico ſuccurritur læſo: ne ob læſionem qualemcunque impediantur rerum commercia, & ad vitandas lites, quæ innumeræ excitarentur ſi ob quamlibet læſionem poſſet agi in judicio, ut communiter notant Canoniſtæ.

14 Rurſus quamvis jure Canonico deceptis infra dimidium juſti pretii non detur actio judicialis, ut deſumitur *ex c. cum dilecti 3. h. t. & c. cum cauſa 6. eod. tit.* in quibus tantùm conceditur actio læſis ultra, non infra dimidium; & nullus alius exſtet canon, qui concedat talem actionem læſis infra dimidium; datur tamen denuntiatio ad Prælatum eccleſiaſticum, ſi læſio ad peccatum pervenerit mortale, adeo ut poſſit læſus lædentem denuntiare Prælato eccleſiaſtico, à quo compellatur ad reſtituendum, quod ſub mortali tenetur, ut deſumitur *ex c. novit, 13. de judic.*

15 Secunda, ſi per vim contractus, emptionis, & venditionis initus fuerit: tunc enim contractus non eſt reſcindendus, ſed ipſo jure eſt reſciſſus, ac irritus: ratio eſt, quia vis illata tollit conſenſum liberum, ſine quo non poteſt contractus conſiſtere.

16 Tertia, quando venditio per metum illatum, & cadentem in conſtantem virum facta fuit, tunc enim contra illum, qui metum incuſſit, datur actio in ordine ad reſcindendum contractum. Immo ipſo jure contractus tali metu initus eſt etiam irritus, adeo ut Judex tantùm illum declaret fuiſſe nullius valoris.

17 Quarta, ſi deceptio det cauſam contractui, ut ſi quis dolo inductus ſit à venditore ad emendum, aliàs non empturus, vel ab emptore ad vendendum; tunc contractus eſt etiam ipſo jure nullus, ſicut cæteri contractus bonæ fidei *l. & eleganter 7. in princ. ff. de dolo. l. ſi dolo 5. §. reſcind. vend.* At in contractibus ſtricti juris, quamvis dolus det cauſam contractui, is tamen ipſo jure tenet; ſed agens per exceptionem doli poteſt repelli *l. ſi quis 36. ff. de V.O.*

18 Quinta, ſi dolus incidat in contractum, ut ſi quis rem quidem vendidiſſet, ac emiſſet, ſed dolo alterius contrahentis minoris vendidit, vel pluris emit, tunc licèt contractus teneat, poteſt tamen agi, vel ad reſcindendum contractum, vel ad reſtituendum id quanto pluris emit, vel ad ſupplendum defectum pretii ipſi venditori.

19 Sexta reſcinditur venditio ratione ætatis, ut pupillis, minoribus, eccleſiis, & civitatibus ſolent bona alienata reſtitui.

20 Septima, ratione pacti violati. Octava ratione conditionis non purificatæ.

21 Nona, ratione ſolemnis formulæ, quæ in venditionibus defuit, cum tamen jure requireretur.

Cæterum in foro conſcientiæ quoties res venditur ultra limites juſti pretii, venditio ſemper eſt iniqua, & adverſatur æqualitati juſtitiæ commutativæ; proinde tam venditor, quàm emptor, ſi ſit quantitas notabilis, & ſufficiens ad mortale, in qua alter contrahentium fuit læſus, tenetur ad reſtituendum exceſſum, vel defectum pretii.

22 Ceſſat tamen remedium reſcindendæ venditionis ob læſionem ultra, vel infra dimidium. Primò ſi res caſu fortuito perierit, tunc cum ſive fuerit empta infra dimidium, ſive vendita ultra dimidium juſti pretii, non datur in foro externo emptori, aut venditori actio ad reſcindendum contractum, vel ſupplendum defectum pretii, aut reſtituendum exceſſum, quia ſemel quòd caſu fortuito res perierit, ceſſat optio reſcindendi contractum, quia non poteſt res ampliùs reddi, proinde ceſſat actio, & tunc læſus debet ſibi imputare, quòd maturiùs non convenerit lædentem, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 4. num. 14.* Molina *diſp. 49. de juſtit. & jur. num. 6.* ubi addit, quòd in foro conſcientiæ tam venditor exceſſum pretii juſti, quàm emptor defectum juſti pretii, ſi res pluris valuerit, teneatur reſtituere, tametſi res caſu fortuito perierit, eò quia nemo debet locuples fieri cum alterius jactura. Verùm hoc tantùm procedit, ſi venditor, vel emptor conſcius fuerit injuſtæ læſionis, quia tunc obligatio illa oritur, non ratione rei emptæ cum hæc ſupponatur caſu fortuito periiſſe; ſed ratione injuſtæ venditionis, vel emptionis.

23 Hinc tametſi res vendita ſit ultra dimidium juſti pretii bona fide, neuter contrahens tenetur reſtituere exceſſum, vel defectum juſti pretii: quia contrahens, ſeu venditor obligatur tantùm reſtituere exceſſum ratione injuſtæ acceptionis, ſicut & emptor; & cùm contractus fuerit bona fide initus, non ſupponitur hæc injuſta acceptio, & cùm res apud ipſum non ampliùs exiſtat, & ſine culpa perierit, non obligatur etiam ratione rei acceptæ, niſi fortaſſis uterque contrahens inde locupletior factus fuerit. Secundò ceſſat etiam remedium reſcindendæ venditionis, & emptionis, ſi quis non tantùm generaliter, verùm etiam ſpecialiter, & expreſsè renuntiaverit, & præſertim ſi renuntiatio fuerit juramento firmata: quia juramentum debet reſervari ſine diſpendio ſalutis æternæ. Tertiò non poteſt remedium hoc reſcindendæ venditionis intentari contra tertium rei poſſeſſorem, ſi is rem acquiſiverit titulo oneroſo, vel juſto pretio, aut bona fide: non ita ſi tertius rem acquiſierit titulo lucrativo, vel ſciens quòd res infra dimidium juſti pretii empta fuerit, eam acquiſiverit: tunc enim contra tertium poſſeſſorem poteſt agi in defectum primi emptoris, ut vel rem emptam reſtituat, vel defectum pretii ſuppleat.

§. VI.

§. VI.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones

1 QUæritur primò, ad quem pertineat periculum rei venditæ? Reſpondetur in emptione, & venditione perfecta omne periculum, & commodum in re vendita contingens pertinere ad emptorem, adeo ut ſi res vendita pereat, vel deterior fiat, damnum ſit emptoris, quamvis pretium nondum ſit ſolutum, dummodo fides de eo habita fuerit, ut deſumitur *ex l. lector* 12. ubi additur, idem eſſe, ſi per emptorem ſteterit, quò minus res traderetur; ſiquidem per traditionem rei dominium transfertur de venditore in emptorem, & res perit domino ſuo *l. pignus C. de pignor. act.* Hinc ſi domus igne conſumpta ſit, vel equus mortuus, damnum eſt emptoris, qui propterea tenetur venditori pretium ſolvere. E contra ſi fundus per aluvionem augeatur, tale commodum pertinet ad ipſum emptorem, qui cùm ſit dominus fundi, quidquid fundo contingit ſive incrementi, ſive decrementi ad dominum pertinet. Pari pacto ſi vinum vetus hodie venditum juſto pretio juxta communem æſtimationem, cras plus æſtimetur, & valeat ob vineas improviſa pruina decoctas, non propterea reſcinditur venditio, vel adigitur emptor ad majus pretium, quia contractus jam fuerat initus, & perfectus mutuo conſenſu, & dominium translatum de venditore in emptorem: unde omne commodum, perinde ac omne damnum quod rei emptæ obtingit in damnum, vel commodum eſt emptoris §. 3. *inſtit. h. t.*

2 Quòd ſi dicas, ante traditionem rei venditæ dominium non eſſe translatum in emptorem, quamdiu hic jam ſolvit pretium, proinde rem non perit emptori, ſed venditori, cùm ante traditionem venditor adhuc maneat dominus rei *l. traditionibus* 20. *C. in pactis.* Imò etiam poſt traditionem, niſi pretium conventum acceperit, vel fidem de eo habuerit §. *vendita inſtit. de rer. diviſion.* ergo res non emptori, ſed venditori tunc perit, vel incrementum ſubit. Contra eſt, quia id eſt ſpeciale in emptore, ut quamvis dominus non ſit, nihilominus authoritate juris incrementum, vel decrementum rei emptæ ad ipſum pertineat, quia poſt emptionem perfectam, & conventionem de pretio, & merce, res aliquo modo ad emptorem cenſetur pertinere, quia is habet actionem ad exigendam rem ab ipſo emptam; & qui habet actionem ad rem petendam, videtur habere rem ipſam *l. is qui* 15. §. *de regul. jur. l. rem in bonis* §. *de acquir. rer. domin.* proinde facta conventione de pretio, & merce omne periculum, & commodum in re empta contingens ad emptorem pertinet, quamvis ipſi res nondum tradita ſit. Tum quia in arbitrio emptoris eſt, rem ſoluto pretio acquirere, ac poſſidere, quòd ſi id præſtare negligat, & res à ſe empta interim pereat, ipſe cenſetur eſſe in mora, propterea etiam in culpa, quòd res perierit apud venditorem. Demum quia cùm ad emptorem pertineat omne commodum contingens in re à ſe empta; ita è converſo incommodum, & periculum oritur in ſuum damnum, qui enim ſentit commodum, debet & incommodum ſentire, *c. qui ſentit de regul. jur. in 6.*

3 Excipitur tamen primò ſi venditor in mora fuerit, & ſoluto jam pretio rem emptori reſtituere diſtulerit, tunc enim, mora, & caſus venditori nocet *c. mora* 25. *de regul. jur. in 6.* Secundò ſi res pereat culpa etiam levi venditoris, tenetur enim tunc venditor etiam de hac levi culpa, quia contractus emptionis, & venditionis initur in utilitatem utriusque *l. contractus* 23. *ff. de regul. jur.* Tertiò ſi contractus fuerit ſub conditione initus, & res ante purificatam conditionem perierit; tunc damnum eſt etiam venditoris. Quòd tamen intelligitur de totali interitu rei venditæ, quia deterioratio rei in venditione conditionali ſuperveniens fit in damnum emptoris *l. neceſſario* 8. *ff. de periculo, & commodo rei vendita l. fin. C. eod. tit.* id enim intereſt diſcriminis inter totalem rei interitum, & ejus deteriorationem, & particulare damnum, quia ſemel quòd res tota periit, non poteſt ampliùs tradi, proinde neque perfici emptio, quæ ab initio ob adjectam conditionem nondum purificatam non fuit perfecta, ſed tantùm inchoata: ſecus in deterioratione, ſeu damno particulari adhuc manet poteſtas tradendi, quia cùm res tota non pereat, adhuc exiſtit, & tradi poteſt, & tunc conditio retrotrahitur, & cenſetur ab initio purè, ſeu abſolutè contractus initus. Quartò ſi res empta ſit in numero, pondere, & menſura, ut ſi emptor emit quinque libras argenti, vel centum oves, vel 50. modia frumenti, cenſetur tunc hujusmodi emptio tacitam habere conditionem, nimirum ſi emptum adnumeratum, adpenſum, & admenſum fuerit, proinde antequam id fiat rei periculum in venditoris eſt detrimentum *l. qui ſæpe* 35. §. 5. *ff. de contrab. emption.*

4 Secus ſi res conſiſtens in numero, pondere, aut menſura non ad numerum, vel pondus, ſed ematur in acervo, prout continetur totũ in aliquo loco, ut quando quis emit quidquid frumenti eſt in horreo, quidquid vini eſt in dolio, quotquot oves ſunt in ovili, quia tunc tota quantitas ſe habet per modum certæ ſpei, proinde omne periculum contingit in detrimentum emptoris *l. ſi vina* 15. *ff. de periculo, & commodo rei vendita.* Quòd ſi poneretur caſus medius, in quo diceretur, emo omnes oves, quæ ſunt in ovili, & pro ſingulis dabo florenum, tunc probabilius eſt, talem venditionem non refundere periculum in emptorem, quia videtur eſſe contractus conditionatus, nimirum ſi erunt centum oves, dabo tibi centum florenos; non ita ſi quando mihi oves numerabis, hæ non erunt centum.

5 Quæritur ſecundò, an poſſit interdum quis compelli authoritate publica ad vendendã rem ſuam? agit de hac quæſtione Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 14.* & ratio dubitandi eſt, quia nemo jure communi compellitur rem ſuam vendere *l. irritum C. de contrab. empt.* Reſpondetur nihilominus, plures poſſe dari caſus, in

quis

quibus possit quis compelli ad rem suam vendendam. Primò si habeat servum communem cum aliis potest illum manumittere invitis sociis, si illis solveret partem pretii eisdem debitam *l. debitam C. de communi servo manumisso.* Secundò si quis habeat sepulchrum, sed non aditum, & accessum ad illud, tunc vicinus cogitur officio judicis aditum præbere *l. si quis sepulchrum. ff. de Religios. & sumptib. funer.* Tertiò si quis habeat prædium commune cum fratre, tunc enim si frater vendiderit alicui extero partem suam potest alius frater agere contra emptorem, ut illud sibi vendat *l.* 1. *C. communi dividundo.* Quartò si quis habeat domum ruinosam, maléque materiatam, & ob inopiam nequeat eam reficere, compellitur illam alteri vendere, qui possit sumptus necessarios solvere ad illam, vel instaurandam, vel reædificandum ut damno consulatur vicinorum *l. lege Cornelia* §. 1. *ff. ad senatum consultum Syllanianum.* Quintò si quis servum hebeat qui matrimonium contraxerit cum ancilla alterius domini in alia provincia commorantis, tunc eorum alter compellitur alteri vendere servum, ut is possit cum uxore cohabitare *c. eos qui* 1. *q.* 1. Sextò si quis habeat rem communem cum alio, & velit eam vendere, tunc compellitur vendere illi, cum quo habet rem communem, si is voluerit totam habere *l. ad officium C. communi dividundo.* Septimò cùm quis habet plus juris in re, & alius minus, & hic velit rem vendere, compellitur eam vendere habenti majus jus *l. sancimus* §. *aliàs C. de donat.* Octavò ratione Religionis compelli quis potest ad vendendam rem suam, vel agrum, cum opus est, vel ad ædificationem loci religiosi, vel ampliationem ejusdem, *l. si sepulchrum ff. de Religios.* Nonò ratione publicæ pietatis, qui venales habent res ad victum necessarias compelluntur eas vendere peregrinis, & hospitibus exteris eodem pretio, quo vendi consueverant incolis; quæ cura veluti causa pia pertinebat olim ad Episcopos *c.* 1. *de empt. & vendit.* ex inolita postea consuetudine fuit hæc cura ad civiles judices devoluta. Decimò qui rem suum ad arbitrium pertinentem publicè venum expositi, compellitur eam vendere justo pretio: hinc cauponarii, stabularii, qui id susceperunt officii, compelli possunt ad hospites excipiendos. Non tamen ut perperam videntur censere aliqui, possunt meretrices compelli officio judicis ad proprium corpus exponendum: siquidem non potest quis ulla ratione adigi ad peccandum, quia id divinæ legi adversatur. Undecimò ratione publicæ necessitatis ut famis, penuriæ, potest quis compelli ad vendendum concivibus frumentum, quod servat in horreis eo detracto, quod pro alenda familia est ipsi necessarium. Hinc prohibentur etiam cives annonam extrahere, & exteris vendere, ne sit penuria inter cives. Duodecimò ad vias publicas exstruendas, reficiendas, vel ampliandas, potest quis compelli ad partem sui agri, vel prati vendendam.

6 Quæritur tertiò, quænam actiones ex empto, & vendito oriantur? Respondetur, duas præsertim, unam scilicet ex empto, alteram ex vendito, & illam convenire soluto jam pretio emptori contra venditorem, ut is tradat rem venditam unà cum fructibus perceptis post moram culpabilem, & cum aliis ad rem ipsam pertinentibus *l. Julianus* §. *ferri & 3. ex vendito l. ex empto ff. de action. empt.* & actionem ex vendito competere venditori adversus emptorem, ut ab eo consequatur, quod jure ipso compellitur præstare, ut est pretium justum, de quo fuit conventum *l. curabit. C. de action. empt.* & in hac actione comprehenduntur pretia, & damna, si quæ passus est venditor ob moram, & culpam emptoris, qui pretium tempore præscripto non soluit. Rursus in actione ex empto tres etiam continentur actiones. Quarum prima est evictio, quia si venditor rem non suam vendidit, & res evincitur à vero domino, à quo per legitimam probationem in judicio vendicatur, tunc competit emptori actio contra venditorem, ut pretium sibi restituat, & quidquid sua interest.

7 Secunda est actio redhibitoria, quam emptor habet intra sex menses contra venditorem, ut rescindat venditionem, eò quia vendiderit rem occulto vitio affectam. Redhibere perinde est, ac facere ut rursus venditor habeat, quod habuerat; & quia id fit reddendo, ideo hæc actio redhibitoria dicitur, de qua habetur *in l.* 1. *& sequent. ff. de ædilitio edicto.*

8 Tertia actio est de præscriptis verbis, & hac actione emptor agit contra venditorem, eò quia non steterit pacto venditioni adjecto.

9 Quæritur quartò, an exteris, & peregrinis liceat cariùs vendere merces, quàm indigenis? Respondetur id prohiberi *in c. placuit 1. h t.* ubi expresè statuitur, ne res cariori pretio vendantur transeuntibus, & ab Episcopo etiam compelluntur venditores ad vendendas res justo pretio exteris, & peregrinis, quia ubi agitur de evitando peccato, episcopus habet jurisdictionẽ etiam in laicos, ut ad exercendum opus pietatis, *c.* 1. *de offic. judic. ordinar. c. novit.* 13. *de jud.* & quia vendere rem cariùs, quàm valet, injustum est, ac illicitum, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 77. art.* 1. *in corp.* & ex alio capite est opus pietatis, ut peregrini humanè pertractentur, ideo potest Episcopus vendentes compellere etiam per excommunicationem, ne ultra justum pretium victualia ad victum necessaria peregrinis vendant; ad Magistratum autem pertinet in iis, quæ ad vitam hominis sustentandam necessaria sunt, posse statuere normam, ac justum definire pretium: pertinet enim ad superiorem necessitatibus providere reipublicæ, ut notat Bart. *l.* 1. *C. de Episc. audiend.* Justum autem pretium etiam in ordine ad exteros, & peregrinos est illud, quo res venduntur in foro publico.

10 Cæterum venditor potest eandem rem cariùs eodem tempore vendere credito, quàm numeratâ pecuniâ citra vitium injustitiæ, dummodo servetur latitudo justi pretii naturalis. Justitia autem hujus pretii desumi solet. Primò ex hominium æstimatione in unaquaque Provincia, adeo ut tanti res vendi possit, quanti æstimatur communiter in foro publico secluſa fraude cujusvis monopolii,

Secun-

11 Secundò ex variis circumstantiis, ut ex penuria, vel copia mercium, ex frequentia, vel inopia emptorum, & venditorum. Rursus indigentia major rerum aliquarum uno tempore plus quàm alio auget earundem pretia; ut etiam earundem copia pretiũ minuit, & inopia auget.

12 Tertiò desumitur etiam justitia hujus prétii ex modo vendendi, viliùs enim emuntur res, quæ simul in magna quantitate exhibentur venum, quàm quæ tantùm per partes emi solent. Rursus quæ sub hasta voce præconis, vel per proxenetas venduntur, viliùs solent emi, quàm apud mercatores, ut etiam quando ultro exhibentur venales, ac sponte quæruntur emptores; merces enim oblatæ pretio vilescunt. Requiritur tamen semper determinatio pretii ad valorem venditionis, & ejus perfectionem, quapropter invalida est hæc venditio: vendo tibi hanc rem tanti, quanti eam æstimaveris, seu pro eo pretio, quo volueris.

13 Secus esset valida, si quis diceret: vendo tibi hanc rem tanti, quanti Petrus eam æstimaverit; sed tunc conditio est conditionata, & dependet à futuro arbitramento Petri, qui si illam noluerit arbitrari, suum venditio effectum non sortitur. Rursus invalida est hæc venditio, vendo tibi, vel emo à te hanc rem justo pretio, quo æstimata fuerit eam valere, si nullus determinetur certus æstimator: secus si determinetur, & dicatur: vendo tibi; vel emo à te hanc rem justo pretio, quo æstimata fuerit per unum, vel duos viros probos, tunc enim est contractus conditionalis, ut desumitur *ex §. 1. Instit. de empt. & vendit. & l. ult. C. de empt. & vendit.*

14 Quæritur quintò, an quando duo exstant pretia, quorum unum fuerit taxatum à Principe, & alterum à communi hominum æstimatione, quódnam teneantur contrahentes sequi? Respondent Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 20. punct. 2.* Navarr. *lib. 3. c. 2. num. 1.* & alii, tunc teneri emptores, & venditores sequi pretium taxatum à Principe: quia sicut decreta justa Principum debent servari, ita etiam observandæ sunt leges sancientes rerum pretium. Meliùs tamen Lessius *lib. 2. c. 21. dub. 2. num. 13.* Reginald. *lib. 25. n. 270.* Salonius *de contract. q. 77. art. 1. controvers. 12.* & alii procedunt cum distinctione, si pretium legitimum majus sit, quàm vulgare, ordinariè non est licitum exigere pretium legitimum, quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum, ut non excedatur, non autem ut infrà non descendatur, interdum autem taxatur in gratiam venditorum, ut in venditione censuum, ac similium jurium, tunc licet exigere totum pretium legitimum, imò contrahens ad id tenetur: quòd si legitimum pretium sit minus, & vulgare majus, tunc non licet exigere vulgare, sed solùm legitimum, quia hoc censetur esse pretium justum: nihilominus si mutatis circumstantiis copiæ, vel inopiæ res notabiliter varientur quoad valorem, venditor potest eas vendere pretio vulgari: siquidem posita notabili mutatione datur epikia, quâ interpretatur voluntas Principis nolentis legem suam in suo rigore perseverare.

15 Cæterum si omnibus maturè discussis moraliter constiterit, pretium à Principe taxatum esse injustum, non esset servandum. In dubio autem, an pretium sit justum, vel injustum præsumitur esse justum in favorem Principis habentis authoritatem præcipiendi, & taxandi pretia. Quòd si major pars populi pretium taxatum à Principe impunè non servat sciente Principe, vel dissimulante, tunc censetur consentire in violationem suæ legis, propterea pretium ab ipso taxatum non est servandum. Secus obtingit, quando transgressores puniuntur ob violationem taxati pretii, ut docent Molina *de justit. & jur. disp. 353. num. 14.* Salonius *de contract. q. 77. controvers. 16.* Reginald. *lib. 25. num. 283. & sequent.* Clerici quamvis non subjiciantur legibus Principum sæcularium, quatenus hæ ab iisdem latæ sunt, tenentur tamen ad illas servandas, quatenus conjunguntur cum lege naturali, & divina, adeo ut idem pretium etiam à clericis servandum sit, quod servatur à laicis ob taxam Principis. Exteri etiam cùm teneantur servare leges loci pertinentes ad contractus; tenentur etiam eo pacto, quo incolæ taxatum pretium servare, ut docent Molina *de justit. & jur. disp. 364. n. 4.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 27.*

16 Quæritur sextò, an licitum sit emere viliùs? Respondetur cum D. Thoma 2. 2. *q. 78. a. 2. ad 7.* licitum esse emere rem viliùs per anticipatam pecuniam intra latitudinem justi pretii usque ad infimum: & pari pacto licitum esse vendere rem cariùs pecunia credita; dummodo non excedatur justum pretium rigorosum, alioquin usurarius esset contractus, & injustus, si ex eo tantùm, quòd anticipetur pretium ematur minus justo pretio infimo: vel ex eo quòd differatur solutio, vendatur plus justo pretio rigoroso: est enim usura palliata, quando pro mutuo virtuali aliquid accipitur. Cæterum per accidens potest interdum res minoris emi ratione anticipatæ solutionis, ut si exinde emptor notabile patiatur detrimentum, vel lucri jacturam; vel si esset periculum fraudis in venditore, quòd vel merces non traderet, vel non finceras; vel non præscripto tempore, quia hæc omina sunt pretio æstimabilia. Rursus potest etiam minoris emi anticipata solutione ratione modi vendendi, eò quia talis modus inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum, quæ causa est, ut pretia rerum decrescant, ut præ cæteris tradit Molina *de justit. & jur. disp. 388.*

17 Quæritur septimò, quænam sint causæ, ob quas interdum licitum est, rem pluris vendere, quàm per se alioquin valeret, aut venderetur? Respondetur, has causas plures recenseri. Prima apud Reginaldum *lib. 25. num. 288.* Lessium *lib. 2. c. 21. n. 130.* est multitudo emptorum, & copia pecuniæ: quia sicut copia mercium est causa sufficiens, cur diminuatur pretium, ita multitudo emptorum, & pecuniæ est causa, cur pretium incrementum subeat.

18 Secunda apud Medinam *q. 31. de restit.* Salonium 2. 2. *q. 77. art.* Reginaldum *lib. 25. n. 274.* est affectus ad rem, quæ venditur, ut si venditor ægrè se privet re illa, & commodo, quod inde percipiebat; siquidem privatio illius affectùs, & commodi est pretio æstimabilis, hinc

ſtatus, & pictura antiquâ, quam quis charam habet, poteſt cariùs vendi, quàm alioquin venderetur.

19 Tertia apud Leſſium *lib.* 2. *de juſtit. & jur. c. 21. num. 26.* Filiucium *tract. 35. num. 98.* Sylvium 2. 2. *q. 77. art. 1. q. 5.* & alios, eſt lucrum ceſſans venditori, ſi in gratiam emptoris rem ſuam vendidit, quam conſtituerat ſervare usque ad tempus, quo pluris æſtimaretur; ſed tunc aliquid detrahendum eſt ratione cuſtodiæ, vel periculi, quod potuiſſet venditor ſubire rem ſervando usque ad tale tempus.

20 Quarta apud Covarr. *lib. 2. variar. c. 3. n. 6.* Sylvium 2. 2. *q. 77. art. 1. q. 4.* eſt damnum emergens, quod patitur venditor, eò quia merces ſuas vendat pecuniâ creditâ: quia ſicut in mutuo licitum eſt aliquid ſupra ſortem accipere, ita etiam in venditione: hinc merces, quæ communiter credito pluris venduntur, poſſunt licitè pluris vendi pecunia credita, quàm alioquin venderentur pecuniâ numeratâ: tunc enim juſtum pretium ſolet deſumi ex communi uſu ementium, & vendentium.

21 Quinta apud Navarrum *lib. 3. c. 2. n. 91.* Dianam *de contract. reſol. 57.* & alios, eſt periculum amittendi totum, vel partem pretii, vel periculum recuperandi pretium cum expenſis, & moleſtiis; ſiquidem periculum, cui venditor ſe exponit, eſt pretio æſtimabille, ſed tunc quando ob periculum, & damnum quod timetur aliquid cariùs venditur, conſultiùs eſt monere emptorem, ne invitus emat majori pretio, quàm fortè aliunde emiſſet.

22 Sexta apud Sâ *V. emptio num. 4.* Reginaldum *lib. 25. num. 319.* & alios eſt modus vendendi: interdum una res pluris venditur uno modo, quàm alio, merx enim minutatim pluris venditur, quàm acervatim: rurſus merx ſi ultro offeratur, viliùs venditur juxta vulgatam paræmiam: ultroneæ merces pro tertia parte vileſcunt: rurſus res, ſub haſta venduntur nonnunquam pluris, & interdum minoris.

23 Juvat tamen obſervare, quòd in rebus, quæ ſub haſta venduntur, juſtum pretium eſt, quod non excedit ſupra dimidium, nec deficit infra dimidium illius juſti pretii, quod bona illa valerent, ſi alio modo venderentur, quàm ſubhaſtatione. Secundò aliud tamen juſtum pretium in ſubhaſtatione dicitur illud, quod ultimum offertur citra fraudem: fraus autem tunc cenſetur eſſe ſi venditor vitium rei venditæ ſciens illud non manifeſtet, ut etiam ſi venditor aliquos inducat, qui pretium augeant, ut, res pluris, quàm valet, vendatur; vel minoris res ematur ab amicis, vel conſanguineis, & demum ſi venditor ſumpto tempore, quo ſunt pauci emptores rem haſtæ ſubjiciat, in his enim ſupponitur cùm fraude procedere. Emptor itidem poteſt fraude uti ſi nimirum impediat, ne alius pretium augeat, ut ipſe minoris emat, ut etiam ſi ob invidiam ipſe pretium augeat, ut alius inde pluris emat.

24 Quæritur octavò, an venditor ſtato tempore non tradendo rem venditã teneatur ad intereſſe emptori non ſolùm intrinſecum, ſed etiam extrinſecum, quod per accidens emptori obtingit? Reſpondetur affirmativè in foro conſcientiæ, dummodo venditor fuerit in mora culpabili rei tradendæ. Ratio eſt, quia tunc vendens, qui ſuſcepto pretio rem non tradidit ſtato tempore, fuit cauſa, ob quam emens non perceperit fructus ex re ſibi debita: debita enim erat res à tali tempore emptori. Verùm in foro externo venditor tenetur tantùm ad intereſſe intrinſecum *l. ſterilis §. cum per venditorem ff. de act. empt.* Leſſius *lib. 2. c. 21. dub. 13. num. 102.* Quòd ſi quæratur, ad quem pertineant fructus medii temporis contractu diſſoluto. Obſervandum eſt, quinque modis poſſe contractum diſſolvi. Primò per novum pactum, & tunc fructus omnes, quos res protulit ante diſſolutionem contractus, pertinent ad primum emptorem à tempore, quo rem illam emit, & acquiſivit dominium illius per mutuum conſenſum, traditionem rei, & ſolutionem pretii, ſive realem, ſive virtualem, hoc eſt per pignora, & fideiuſſiones. Secundò diſſolvitur ex vi pacti retrovenditionis appoſiti primæ venditioni: tunc ſi eodem pretio res debeat redimi, quo fuit vendita, omnes fructus, qui à tempore venditionis, usque ad tempus redemptionis producti ſunt, ſecundùm valorem, quem tunc habent, pertinent ad emptorem. Tertiò ex pacto legis commiſſoriæ, ſcilicet, quando alicui ea lege res venditur, ut niſi intra certum tempus pretium ejus ſolvat, contractus erit irritus; & tunc ſi pactum fuit conceptum verbis directis; fructus pertinent ad venditorem, ſi verò conceptum fuerit verbis obliquis, ſeu indirectis, tunc fructus medii temporis pertinent ad emptorem. Quartò reſolvitur contractus ex pacto adictionis in diem, ſeu quando res alicui venditur ea lege, ut ſi intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, contractus ſit nullus *l. 1. ff. in diem edict.* Quintò ſi venditio ſit conditionalis, & conditio non fuerit purificata, tunc enim venditio eſt irrita, & fructus omnes ante conditionem impletam percepti pertinent ad venditorem: impletâ verò conditione fiunt emptoris Molina *diſp. 379.*

Quæritur nonò, an licitum ſit vendere rem alienam? Certum eſt, inſcio, & invito rationabiliter domino non eſſe licitum rem ipſius cum ejus præjudicio vendere: nihilominus valida eſſet venditio ſi emptori ignoranti fieret in præjudicium venditoris, qui actione ex empto ad compenſationem omnium damnorum tenetur *l. rem alienam, ff. de contrab. empt. l. nemo C. de reb. alienis non alienand.* Tenetur etiam de evictione ſi res vendita furtiva ſit, & comperiatur *l. 1. l. venditor & tot. tit. de evict. l. non dubitatur*, pretium nihilominus acquiritur venditori tametſi dominium rei venditæ non transferatur in emptorem *l. traditio ff. de acquir. rer. domin. l. ex empt. ff. de act. empt.* imò id procedit etiam, quando qui vendit, eſt fur, vel malæ fidei *l. qui Vas. §. ult. ff. de furt.* ubi dicitur quòd nummus redactus ex re furtiva non ſit furtivus: hinc ſi quis emerit dominium rei furtivæ, dominium rei emptori non acquiritur, & pretium vendenti advenit: neque inde ſequi- 25

tur

ter inæqualitas; quia quamvis venditor acquirat dominium pretii, non ita emptor rei emptæ, obligatur tamen venditor emptori de evictione; adeout teneatur restituere pretium, si verus dominus rem vendicaverit *l. ex empto*, Tuschus *conclus.* 53. quòd si emptor rem alienam esse noverit, non competit illi actio adversus venditorem, neque iste de evictione obligatur, nisi contrarium expressè fuerit in pactum deductum *l. si fundum C. de evict.* Quòd si res empta mobilis sit, & emptor sciat, eam ad alium pertinere, tunc si emat, quasi fur punitur, Tuschus *conclus.* 53. *n.* 7. Mozius *tract. de empt. tit. de rebus, quæ emi, & vendi possunt.*

26 Præterea res aliena, cum sit restitutioni obnoxia, si post diligentem inquisitionẽ dominus non compareat, non sibi emptor acquirit, sed pauperibus distribuenda est, quia talis potiùs videtur esse voluntas veri domini: quia licèt dominus ignoretur, supponitur tamen res illa retineri invito domino: siquidem si is sciret rem suam esse apud talem, illam procul dubio recuperaret, & si illi diceretur, quòd non possit ampliùs recuperari, benè tamen suo nomine dari pauperibus, utique eligeret, ut potiùs pauperibus traderetur.

27 Quæritur decimò, an contractui emptionis, & venditionis possit licitè apponi pactum retrovendendi, vel redimendi? Potest hujusmodi pactum apponi, vel in favorem solius vendentis, quatenus is possit rem, quam vendidit iterum redimere, prout ipsi placuerit: est enim facultas emendi rem à se venditam favor quidam in vendente, & onus in emente, cùm is teneatur rem à se emptam iterum vendere ei, à quo emerat: vel fit in favorem solius emptoris, ut hic prout ipsi placuerit, possit iterum restituere venditori rem à se emptam, & exigere ab eodem pretium, adeo ut venditor teneatur eam acceptare; vel fit in favorem utriusque eodem modo. Respondetur, talem contractum cum pacto retrovendendi sive in favorem solius venditoris, sive solius emptoris, sive utriusque esse licitum, dummodo concurrant debitæ conditiones, quarum prima est, ut adsit intentio emendi, & vendendi, quia deficiente tali intentione non est contractus venditionis, sed mutui, & committitur usura, si accipiatur aliquid ex mutuo. Secunda ut adsit justum pretium juxta æstimationem viri prudentis servatâ consuetudine, & statutis locorum, habita ratione gravaminis, quod imponitur alteri contrahenti, quia contractus celebratus cum pretio valde modico esset illicitus, & injustus, & inducit obligationem restituendi justum pretium, & lucrum cessans. Tertia ut fructus rei emptæ pertineant ad emptorem: quia emptor per contractum emptionis dominium rei emptæ acquisivit, & res fructificat suo domino, sicut eidem etiam perire debet, si pereat: quod tamen procedit, si fructus non pertineant ad venditorem ob contractum locationis. Quarta ut in contractu emptionis, & locationis non adsit aliqua læsio. Servatis hisce conditionibus contractus nullam continet injuriam, præsertim si gravamen impositum venditori redimendi ad arbitrium primi emptoris compensetur augmento pretii, quanti gravamen illud æstimatur.

Rursus in venditione facta cum pacto re- 28
trovendendi, adeout pactum sit in favorem utriusque contrahentis, res vendi debet minore pretio, quàm per se valeat, & quàm venderetur, si pactum esset in favorem solius emptoris: & pluris quàm si venderetur cum pacto in favorem solius venditoris; adeo ut si res per se valeat centum florenos, per adjectionem pacti in gratiam solius venditoris valeat 80. si pactum sit etiam in favorem emptoris valeat 90. juxta prudentis viri æstimationem: quia tunc res debet minus valere, quàm si pactum redimendi adderetur in favorem solius emptoris; & rursus debet plus valere, quàm si apponatur in gratiam solius venditoris: unde sicut pactum est appositum in favorem utriusque, ideo consonum est æquitati, ut ex parte utriusque pretium aliquantulum imminuatur, ut compensetur onus, quo uterque contrahens gravatur restituendi rem pro arbitrio alterius. Aliquando tamen fieri potest, ut hujusmodi venditio illicita sit, & labem contineat usuræ, ac injustitiæ, ut si primus venditor irritet pactum cum emptore, ut res ab eo empta iterum sibi retrovendatur infimo pretio, quia tunc talis contractus est usurarius, & videtur resolvi in mutuum.

Quæritur undecimò, quid juris in retractu? 29
Retractus juxta præsens institutum sumitur pro redemptione prædiorum lege, aut pacto contrahentium introducta: sicut à contrahendo contractum, & à distrahendo distractum jurisconsulti declinârunt, ita à retrotrahendo retractum dixerunt. Duplex est retractus, legitimus unus, qui & gentilitius dicitur; & alius conventionalis; ille est, qui propinquis conceditur, ut alienata à propinquis prædia oblato intra legitimum tempus pretio recuperare possint: ex quo apparet nasci quandam quasi prædiorum gentilitatem. Retractus conventionalis contingit, quando in venditione prædii pactum est, ut venditori quandoque liceat restituto pretio illud redimere: sive dies redemptionis ei præstituta sit, sive non. Unde retractus est jus alicujus gentis, aut civitatis statuto, vel consuetudine conceptum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi, & ad se revocandi venditionem rei immobilis eodem oblato pretio, quo ab extraneo, vel etiam remotiore consanguineo empta fuerat *l. dudum C. de contrab. empt. c. constitutus de restit. in integ.* Et hic retractus inventus est ob conservationem jurium in eadem familia, ut probat Gaillus *lib.* 2. *obser.* 19. Hinc retractus locum habet in sola venditione, adeo ut non extendatur ad permutationem, locationem, emphyteusim, vel alium contractum, quo utile tantùm dominium transfertur permanente directo penes alterum, ut notat Covarruvias *lib 3. variar. c.* 11. *num.* 3. & Tiraquel. *lib.* 1. *de retract.* §. 23. Quòd si post legitimam denuntiationem proximi consanguinei justo pretio nolint prædium illud redimere, tunc post duorum mensium spatium potest alteri vendi. Sin verò non

requisito proximo consanguineo res alteri vendita sit, jus habet proximus retrahendi intrà annum, & diem communi jure, ut liquet *ex l.2. feudorum*, & currit præfatus annus post venditionem perfectam etiam contra ignorantem, tametsi justa, & probabilis ignorantia possit præbere justam causam restituendi in integrum. Quòd si proximus consanguineus habens jus congruum defungatur morte naturali, vel civili, seu professione religiosa, tunc jus retrahendi non transit ad ejus hæredem, nec Monasterium, quia est privilegium personale, quod extinguitur cum persona. Rursus proximus consanguineus, qui prædium venditum redimit, tenetur sumptus, & expensas tempore contractus factas integrè refundere *l. infra utile §. fin. ff. de minor:* excipiuntur tamen sumptus non necessarii. Hinc in retractu continetur actio quasi realis, quia relinquitur potestas proximo consanguineo revocandi ad se rem, apud quemcunque extiterit.

30 Quæritur duodecimò, an vendi possint opera, quæ fiunt ex justitia, vel obligatione officii? Respondetur negativè, adeo ut judex pro sententia, testis pro testimonio ferendo nihil paciſci, & accipere possit; quia ad id ex justitia, & officio suo obligantur. Neque obstat, si dicas, testificari pro alio esse actum charitatis, quia eo ipso, quòd quis accedit ad testificandum tenetur ex justitia testari veritatem. Hæc tamen intelliguntur de ipso actu judicandi, & testificandi præcisè: quia si pro labore, diligentia, vel periculo pretium datum fuerit, quamvis cum peccato fuerit datum, & acceptum, opere tamen perfecto, potest retineri, sicut meretrix retinet sibi pretium ei datum post opus consummatum. Neque opera ex charitate præstanda vendi possunt, quia hujusmodi opera non æstimantur pretio. Tum quia maximè interest proximi ea opera exerceri, proinde nil potest accipi ab eo, qui talia opera exercet.

31 Quæritur tertio decimò, an res temporales annexæ spiritualibus possint vendi? Certum est, res pùrè spirituales, cujusmodi sunt ordo sacer, actus ordinum, potestas absolvendi à peccatis, sacrificare, consecrare Ecclesias, & omnes actus procedentes à potestate ordinis non posse vendi, neque emi: quia talis venditio procul dubio simoniaca foret, & contra jus divinum, & naturale *c. ult. causa 1. q. 3.* quia spiritualia non possunt pecuniâ æstimari *Actor. c. 8.* Imò neque temporale si annexum sit spirituali tanquam suæ causæ, ut est in beneficio ecclesiastico jus percipiendi proventus beneficiales, vel decimas clericales, vendi potest, quia esset etiam simoniaca venditio *c. Presbyter. 3. caus. 1. q. 1.* quia tametsi proventus beneficiales, vel decimales secundùm se sint temporales, proinde pretio æstimabiles, fundantur tamen in jure spirituali, & ex sua institutione sequuntur ad jus spirituale, cui sunt accessorii, adeo ut non sint duo jura, quorum unum versetur circa officium, seu ministerium spirituale, & alterum circa reditus temporales percipiendos, sed sit unum, ac idem jus, quod ad unum terminatur ratione alterius: siquidem proximum fundamentum juris in ordine ad percipiendos reditus temporales est ipsum ministerium spirituale, ratione cujus debitum est clerico stipendium suæ sustentationis: unde jus beneficiale includit utrumque, scilicet quòd sit jus pericipiendi reditus temporales propter officium spirituale: proinde immediatè, & primariò versatur circa spirituale, seu officium, vel ministerium spirituale, & mediatè tanquam accessorium circa temporale, quia hoc ex illo sequitur; unde jus percipiendi fructus temporales non potest vendi, nisi etiam vendatur jus tituli spiritualis, seu officii, quod vendi nequit. Imo si temporale sit annexum spirituali antecedenter, & sit tanquam subjectum rei spirituali per se, & inseparabiliter, ut Ecclesia, cœmeterium, si vendantur ut res consecratæ, & benedictæ, non possunt licitè vendi, desumitur *ex c. querelam 15. de simon.* ubi cùm prohibitio facta sit, intuitu religionis, talis venditio continet simoniam juris positivi Ecclesiastici.

Quòd si temporale sit annexum spirituali 32
antecedenter, & separabiliter, tunc temporale vendi potest ut castrum, prædium, cui inhit jus patronatus, quia nulla constitutio ecclesiastica id prohibet: & quamvis jus patronatus secundùm se non possit vendi *c. quia clerici 6. de jure patron.* eò quia sit quid spirituale, vel quasi spirituale: nihilominus vendito castro unà cum omnibus suis pertinentiis, etiam jus patronatus ipsi adhærens accessoriè transfertur in emptorem, adeo ut jus patronatus non vendatur, sed tantùm transferatur de uno in alium. Cæterum hæc bona licèt absolutè vendi possint, requiritur tamen ad id justa causa cum requisitis solemnitatibus juris, de quibus diximus in præcedentibus; alioquin alienatio est prohibita secundùm sacros Canones, proinde etiam venditio.

Quæritur quarto decimò, an vendens rem 33
vitiatam si dicat emptori, quòd illi vendit rem habentem talia vitia, quæ revera omnia non habet, & inter illa sit illud, quod habet, teneatur expresè, & seorsim manifestare verum vitium? Respondetur absolutè teneri, ut tradunt communiter Canonistæ præsertim Speculat. *tit. de empt. & vendit. §. nunc videndum V. quid si venderes.* Abbas *in quæst. 2. num. 12.* siquidem vendens rem occultè vitiatam tenetur manifestare vitium, alioquin decipit emptorem, sed quando occultat vitium, quod habet, & manifestat aliud, quod non habet, tunc tantùm abest, quòd manifestet vitium, quod habet, ut ipsum magis occultet, cùm verum vitium misceat cum falsis, de quibus emptor cognoscit falsitatem; tunc enim venditor facit, ut emptor verum vitium putet esse falsum, perinde ac falsa sunt cætera vitia: unde verba venditoris potiùs ordinantur ad celandum verum vitium, quàm ad illud aperiendum. Tum quia si nullo pacto declararet vitium occultum, teneretur de ipso juxta communem sententiam in materia restitutionis, ergo etiam in præsenti casu. Tum quia manifestatio vitii occulti debet esse cum effectu, hoc est, ut deducat emptorem in cognitionem ipsius: & hunc effectum non præstat,

sed

sed potiùs persuadet indirectè, quòd careat tali vitio. Tum quia ita exprimere vitium ut non intelligatur, & non exprimere paria sunt *l. de state §. nihil interest. ff. interrog. act.* Romanus *consil. 321. in fin.*

14 Quæritur quinto decimò, an venditor possit licitè aliquid annuatim percipere ab emptore, donec ei solvat pretium? Ratio dubitandi est, quia venditor tunc reservat sibi dominium, unde non videtur posse quidquam percipere, eo quia in contractu venditionis debet fieri translatio dominii in emptorem. Respondendum nihilominus est, posse venditorem aliquid percipere annuatim, donec emptor pretium solvat, quia cùm venditor non reservet sibi dominium in perpetuum, sed tantùm ad certum tempus, donec emptor solvat, id non impedit verum contractum emptionis, & venditionis, quia hæc reservatio dominii solùm operatur, ut plena executio venditionis differatur in tempus futurum, & interim sola possessio transeat in emptorem, ut notat Rota Romana *decis. 190. num. 6. p. 3. recent.* unde licèt dominium maneat penes venditorem, quia tamen possessio transfertur in emptorem, licitè potest emptor pro tali possessione aliquid annuatim percipere, ut docent communiter Canonistæ Abbas *consil. 66. num. 4. lib. 1.* Alexander *consil. 121. num. 6. lib. 5.* Covarruvias *c. 4. variar. num. 9. lib. 3.* siquidem non est æquum, quòd venditor careat usufructu rei venditæ, & etiam pretio, & simul fructu, quem inde posset percipere ipsum convertendo in rem fructiferam, proinde ad tuendam suam indemnitatem, potest licitè aliquid annuatim exigere pro re fructifera, quam alteri possidendam tradit. Siquidem accipit annuum proventum pro compensatione ususfructus rei venditæ, qui conceditur emptori: quia cùm venditor reservat sibi dominium usque ad solutionem pretii, reservat etiam usumfructum, quia ususfructus est pars dominii, ut tradunt Bart. in *l. qui usumfructum. num. 3. ff. verbor. obligat.* Caltrensis *in l si quis §. differentia n. 3. ff. de acquir. possess.* Garcia *de expens. & meliorat. c. 10. num. 4.* Rota *decis. 230. num. 8. p. 4. recent.* unde si venditor cedit usumfructum ad se pertinentem potest ex titulo justitiæ compensationem exigere.

15 Quæritur sexto decimò, an quando creditum est liquidum, possit constitui census cum debitore vendente jus? Tametsi debitor solvens quod debet, & facta solutione, creditor si utatur pecunia soluta, possit ex illa fundare censum, qui tunc emitur numerata pecunia juxta constitutionem Pij V. de censibus: non tamen id est ita certum, quando debitor non solvit, quod debet, vel quia ob inopiam non possit, vel ex aliqua alia causa, adeo ut emptor census afferat aliam pecuniam numerandam juxta dictam constitutionem, quam tamen postea sibi retinet, adeo ut pro censu inserviat pecunia debita, & non illa, quæ fuerat numerata. Plures præsertim Canonistæ censent, talem censum posse sic fundari. Gratianus *discept. forens. c. 652. num. 14.* Farinacius *consil. 206. num. 4.* Navarr. *ad constitutionem Pij V. de censib. Glossa 3. n. 88. V. est autem quæstio.* Cencius *de censib. p. 2. c. 1. q. 1. art. 5. num. 22.* Rota Romana *in pluribus decisionibus*, quarum aliquas allegat Farinacius *loc. cit.* & hæc sententia videtur probabilis, quia in fundatione hujus censûs intervenit conditio requisita in constitutione Pij V. scilicet numerata pecunia, quæ solvitur pro pretio censûs, seu pro pretio juris percipiendi fructus ex fundo, qui censui subjicitur, & simul intervenit effectus solutionis, seu utilitas vendentis censum, etenim liberatur à debito, quod in ordine ad commodum, perinde se habet, ac si pecuniam retineret, quæ in fundatione censûs numeratur: neque obstat, quòd hæc se habeat æquipollenter: quia in æquipollentibus sufficit, si obtineatur idem effectus *l. Mulier §. ad Terbel. & l. fideicommiss. §. si servo alieno ff. de leg. 3. & l. si mater. C. de institut. & substitut.* cùm igitur talis numeratio pecuniæ revera sortiatur suum effectum potest excusari à simulatione.

16 Tum quia videtur realitas contractûs posse salvari per diversos contractus implicitos, adeo ut primò emens censum mutuetur pecuniam venditori pro extinguendo debito, ut nimirum venditor statim extinguat suum debitum, & facta extinctione ematur census: empto autem censu venditor restituit pecuniam mutuatam, quæ propterea remanet penes emptorem census. Natura enim contractus est talis, ut ad sustinendam ejus validitatem admittat omnem interpretationem, cujus est capax; proinde censetur constituere illos contractus, quorum substantia potest intervenire *l. 3. §. de testam. milit. l. quoties §. de verb. obligat. c. Abbate de verb. significat.* ut tradit Glossa *civilis in l. si post divisionem V. non potest. C. de jur. & fact. ignor.* Ex eo autem, quòd constet de realitate contractûs, excluditur omnis fraus, & simulatio *l. qui autem init ff. de his, quæ in fraudem credit.* Cravetta *consil. 319. n. 9. in fin.* quando enim intervenit substantia contractus, non potest agi de simulatione, quia hæc reddit contractum fictum, & excludit ejus realitatem, & substantiam.

17 Quæritur decimo septimò, an stante Bulla Pij V. de censibus, sit licitus census irredimibilis? Plures negant inter quos Wiggers *de Just. & jure tract. 5. c. 8. dub. 3. n. 38.* Rebellius *de justitia, & jure lib. 10. q. 7. num. 3.* Duardus *de censur. in Præam. q. 28. num. 31.* De Lugo *tom. 2. disp. 27. sect. 7. num. 112.* & alii nitentes hac ratione; quia Bulla Pij V. comprehendit universaliter omnes census imposterum instituendos, & vult omnes taliter esse instituendos, ut possint semper à venditore eodem pretio redimi, non obstante quolibet pacto, quo sibi talem facultatem auferat: sed in censu irredemibili adest pactum expressum, quo talis facultas redimendi directè tollitur: ergo tale pactum est prohibitum per Bullam Pij V. Nihilominus contraria sententia est probabilis, quam defendunt Lessius *de Justit. l. 2. c. 22. dub. 12. num. 92.* Diana *Tract. 3. de contract. Resol. 60.* Molina *de Justit. tom. 2. disp. 385.* & plures alii, quos citat Diana. Probatur hæc

ſententia : quia cenſus redimibilis emptus juſto pretio, & concurrentibus conditionibus requiſitis ex decreto Martini V. & Calixti III. eſt juſtus, quamvis habeat aliquam ſpeciem mutui ob pactum retrovendendi eundem: ergo à fortiori erit juſtus cenſus irredimibilis ; quia hic eſt apertior, nulla in eo apparet ſpecies mutui; & habetur propria ratio emptionis, & venditionis; quia in cenſu irredimibili pretium nunquam eſt reddendum, ut in propria, & rigoroſa venditione : ergo cenſus irredimibilis ſervato juſto pretio juxta ejus naturam, & rationem contractûs eſt juſtus : & apertiorem habet honeſtatem, & juſtitiam, quàm cenſus redimibilis. Neque conditio adjecta, ut cenſus ſit perpetuus, impedit, quin jus illud, quod in hujusmodi contractibus emitur, ſit vera merx, & res venalis ; neque obligatio, quam quis ſibi imponit, efficitur iniqua ex eo, quòd ſit perpetua: ſiquidem ſi licitum eſt emere domum, fundum in perpetuum, cur non etiam cenſum? accenſetur enim rebus immobilibus.

38 Tum quia Respublicæ frequenter accepto juſto pretio quasdam ſibi imponunt obligationes ſolvendi ſingulis annis certam pecuniæ quantitatem. Tum quia *in c. conquæſtus de Religioſis domib.* hujusmodi cenſus irredimibilis approbatur, & plura monaſteria, & loca pia tales cenſus habent, & illis Religioſi aluntur: & licèt hi cenſus perpetui, ac irredimibiles innotuerint Pio V. non tamen eos prohibuit; quod ſi eſſent illiciti eos Pontifices prohibuiſſent. Hinc ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, verba Bullæ Pij V. non comprehendare cenſum perpetuum irredimibilem; quia ubi ceſſat ratio legis, ceſſat & ipſa lex: quia finis bullæ erat impedire uſuras, & earum præſcindere occaſiones, quas plures ſibi captabant ex emptione cenſuum redimibilium minori pretio, quàm redimerentur, id enim ſibi licitum eſſe putabant ob gratiam factam rem ſuam redempturis : hæc autem ratio ceſſat in cenſu perpetuo irredimibili.

39 Præterea eſto verba bullæ comprehenderent etiam cenſus irredimibiles, non tamen omnes, ſed tantùm eos, qui emuntur multo pluris, quàm redimibiles, hi enim ſunt iniqui; non verò qui emuntur juſto pretio, & ſunt perpetui; quia iſti perinde venduntur, ac emuntur, ſicut res immobiles, domus, fundus juſto pretio. Præterea licèt in tali contractu deſit aliqua ſolemnitas requiſita in Bulla Pij V. quia tamen hæc tantùm requiritur ad vitandas fraudes; ideo ſi contractus jure naturæ teneat, & fraudes non adſint, in foro conſcientiæ tunc contractus valet; licèt non ſervetur ſolemnitas ſolvendi pecuniam numeratam coram Notario, & teſtibus ; quia talis ſolutio jam fuit facta antecedenter; quia debitor ſupponitur accepiſſe pecuniam, cujus eſt debitor; & in qua fundatur cenſus irredimibilis. Neque obſtat quòd Pontifex aſſerat, pecuniam eſſe numerandam tempore celebrationis contractus ; quia id procedit, quando pecunia non fuit antea numerata : unde ſi probetur, fraudem nullam interceſſiſſe, ſed antea juſtum pretium fuiſſe ſolutum ratione mutui acceptì à debitore, vel alterius rei æquivalentis domûs, vel fundi, validus eſt contractus ; quia pecuniæ nomine æquivalentia comprehenduntur *l. pecuniæ ff. de V. S. l. quæ ff. de jure dotis.* Quòd ſi in foro externo talis contractus reprobaretur, adhuc in foro conſcientiæ valeret etiam poſt latam ſententiam de nullitate ; quia cum ſit præfata ſententia fundata in præſumptione culpæ, fraudis, ſicut fundantur omnia jura diſponentia de re judicata *c. cum inter de re judic.* ideo in foro conſcientiæ locum non habet, quia in hoc foro attenditur tantùm ipſa veritas.

Quæritur decimo octavò, an merces, quæ 40
frequentiùs venduntur pecunia credita, quàm numerata, poſſint cariùs vendi? Reſpondetur, duobus modis poſſe pretium incrementum ſubire, primò in compenſationem dilatæ ſolutionis, & hoc pacto non eſt licitum cariùs vendere, quia venditio eſſet uſura manifeſta. Secundò ratione multiplicationis emptorum, eò quia iſti ſint frequentiores ob commodum emendi ſine numerata pecunia, & ſolvendi poſtea pretium cùm ipſis fuerit commodum: & tunc probabile eſt, poſſe licitè merces illas vendi cariùs: ſiquidem pretium rerum creſcit tam propter raritatem earundem, quàm ob copiam mercium, & frequentiam emptorum: unde ſi incrementum non excedat pretium ſummum intra limites pretii juſti, poſſunt tales merces cariùs vendi pecuniâ creditâ, quàm venderentur numerata. Tum quia juſtum pretium rerum deſumitur ex communi foro; & commune forum deſumitur ex majori copia emptorum in tali modo vendendi, vel emendi : unde non debet deſumi comparativè ad illos pauciores, qui vendunt numerata pecunia: quia non repugnat ratione diverſi fori diverſa eſſe rerum pretia: ſiquidem in emptione numerata pecunia eodem tempore diverſum pretium eſt, quo res venduntur in ſubhaſtatione, & quo venduntur in officinis mercatorum: ergo hoc idem poteſt procedere, quando ob neceſſitatem mercium, aut defectum pecuniæ plures ſunt, qui emunt pecunia credita, quàm numerata, quia illi faciunt pretium in tali modo emendi, imò & magis commune forum: & hæc ſententia videtur probabilis, quam docent Molina *diſp. 105. de juſtit. & jur.* Bannes. 2. *2. q. 77. art. 4. dub. 9.* Sâ *V. venditio num. 4.* & alii quos ſequitur, & citat Diana *tract. 3. de contract. reſolut. 67.*

Quæritur decimo nonò, an in venditioni- 41
bus ſub haſta detur exceſſus pretii? Reſpondetur, quòd ſi pretium ſit à lege taxatum, uterque contrahens venditor, & emptor tenetur eidem ſtare: quod ſi non ſit taxatum, tunc neutri licitum eſt excedere latitudinem juſti pretii vulgaris, alioquin ſi exceſſus eſſet notabilis, non poſſet excuſari à peccato. Verùm quale ſit juſtum pretium in hiſce ſubhaſtationibus non conveniunt doctores. Solonius *in 2. 2. tom. 2. q. 77. art. 1. controvers. 5.* aſſerit in ſubhaſtatione conſtitui illa tria genera pretii, quæ conſtituuntur in communi uſu fori, ſcilicet, infimum,

mum, medium, & ſupremum ; hoc tamen diſcrimine, quia in pretiis, quæ ſumuntur ex communi uſu fori, infimum, & ſupremum parùm diſtant à medio, ſicut novem, undecim parùm diſtant à 10. Secus in ſubhaſtatione plurimum poſſunt diſtare: ſiquidem medium pretium eſt, quod eſt juſtum, aut ſecundùm uſum fori, aut arbitrium prudentum. Infimum quod ab illo deficit, dummodo non deficiat infra medium: ſupremum, quod illud excedit infra dimidium, videtur adhærere huic ſententiæ Molina *tom.* 2. *diſp.* 349. *num.* 11. Malderus 2. 2. *tract.* 5. *c. dub.* 2. Alii cenſent, juſtum pretium in ſubhaſtatione eſſe illud, quando ex contentione licitatorum res duplò venditur, quàm valeat, imò Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 21. vult, juſtum pretium vendendi ſub haſta eſſe illud, quod poteſt extorqueri ſine fraude, & addit in exceſſu pretii præſumi donationem, eò quia nec ignorantia, nec jus, nec neceſſitas, nec fraus ulla adigat emptorem ad ſic emendum, ut nec venditorem ad ita vendendum: unde dari poteſt exceſſus ſecundùm varias doctorum opiniones, quod putârim verum, quando exceſſus non eſt nimius, & tantùm dicitur exceſſus comparativè ad pretium, quo eædem merces venduntur, & emuntur in officinis mercatorum: viliùs enim emuntur merces ſub haſta, alioquin non emerentur.

42 Quæritur vigeſimò, in quibus caſibus poſſint interdum res cariùs vendi, quàm alioquin venderentur? Reſpondent communiter doctores, id poſſe contingere. Primò ob multitudinem emptorum, tunc enim ſolent mercatores pretia augere. Secundò ob affectum ad rem. Tertiò ob lucrum ceſſans. Quartò ob periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expenſis. Quintò ob modum vendendi. E contra poteſt etiam nonnunquam res minoris emi, quàm alioquin emeretur. Primò ob multitudinem mercium, & paucitatem emptorum. Secundò ob inopiam pecuniæ. Tertiò ob modum vendendi, dummodo res non habeat pretium à lege jam taxatum, quia tunc ſtandum eſt tali pretio. Hinc interdum quis minoris emit ab illo, qui neceſſitate adigitur ad vendendum, tunc enim ex modo vendendi talis emptio cenſetur licita: quia neceſſitas compellit venditorem, ut offerat merces ultroneas, quæ ultro oblatæ vileſcunt.

43 Verùm id putârim procedere, quando pretium non multùm decreſcit, alioquin ex eo, quòd neceſſitas adigat venditorem ad vendendum quod ordinariè venditur centum, & id, ut ſe liberet ab aliquo gravi incommodo; non cenſerem, poſſe emi tantùm 50. ſi hæc eadem res valeat in eo ſtatu, in quo reperitur, centum: quia tunc venditor non ſupponitur donare, quod deeſt pretio, quia ſi emptor daret, illud acciperet, ſed tantùm quia compellitur neceſſitate urgente, quæ non debet emptori eſſe occaſio inferendi damnum venditori: unde licèt concurrentibus aliquibus circumſtantiis liceat aliquando minoris emere, ut è contra; non tamen defectus debet eſſe cum gravi damno vendentis, præſertim ſi hic coactus vendat. Cæterum in fine nundinarum, merces minoris venduntur, quàm initio, non tamen cum gravi damno mercatorum: & regulariter res pluris venduntur in officina mercatoris quæſiti, & rogati, quàm quando quis per ſe, vel per proxenetas emptores quærit, & rogat, ut velit emere, quia merces ultroneæ vileſcunt.

Quæritur vigeſimo primò, an res carentes 44
legitimo, & taxato pretio, cujusmodi ſunt gemmæ, picturæ, ſtatuæ, & alia id genus, poſſint vendi quanti volet dominus? Reſpondent Sotus *de juſtit. lib.* 6. *q.* 2. *art.* 3. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 20. *punct.* 2. Reginald. *in prax. lib.* 25. *c.* 16. *ſect.* 4. *num.* 236. poſſe venditorem res illas vendere eo pretio, quo voluerit, eo quia non ſint res neceſſariæ ad vitam humanam, proinde ſi quis velit eas emere, & ſponte, cenſebitur velle dare, quod alter exigit, alioquin non emeret, cum ad id non compellatur, unde venditor poteſt accipere exceſſum pretii, ut ſibi dono datum, alioquin poſſet nolle ſuam picturam, vel gemmam vendere. Tum quia quisque in rebus ſuis eſt moderator, & arbiter, ut deſumitur *ex l. in re mandata* 21. *C. mandati.* Tum quia eſt commune proloquium, rem tanti valere, quanti vendi poteſt *l.* 2. §. *ſi hæres.* Nihilominus mihi videtur probabilius, res illas, quamvis non neceſſarias vitæ humanæ non poſſe vendi pro arbitrio venditoris, ſed juxta æſtimationem virorum intelligentium, ac prudentum ſpectatis circumſtantiis: ſiquidem juſtum pretium earum rerum, quæ nec lege, nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, deſumi debet ex judicio probi, ac intelligentis viri, cujus judicio ſtandum eſt, cum res quælibet vendenda ſit juſto pretio; ex quo liquet, non eſſe licitum vendenti rem pro ſuo arbitrio tanti vendere, quanti ipſi placuerit: tunc enim æquitas exigit, ut ſtetur judicio probi, ac intelligentis viri, qui juxta æquitatem pretium rei taxet.

Præterea, quia non ideo res tanti valet, quia 45
venditori placet eam tanti vendere, ſed quia prudentum judicio omnibus conſideratis tanti æſtimatur. Tum quia judicium, quo judicatur tantum valere, debet eſſe prudens, & nemo poteſt prudenter judicare, rem tanti valere ex eo præcisè, quòd venditor velit eam tanti vendere. Hinc ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, emptorem non cenſeri ſponte donare exceſſum pretii, quia ipſe tunc intendit tantùm emere, non verò donare, & tantùm ſolvit pretium pro re empta, eò quia tanti ei vendatur, quòd ſi non tanti venderetur, procul dubio pretium minueret, & minus daret.

Neque obſtat, quòd non adigatur ad emen- 46
dum, quia ſi exinde liceret plus ſolvere, quàm debeatur venditori, poſſent uſuræ peti ab eo, qui nulla neceſſitate coactus mutuas ab alio peteret pecunias, ut luderet: & ſicut qui ludit, mavult ſolvere illam uſuram, quàm carere occaſione ludendi, licèt liberè ludat, ita qui rem illam deſiderat, mavult facere jacturam illius exceſſûs pretii, quàm re illa carere, unde ſicut dans pecunias mutuas ludenti non excuſatur ab uſura, ita neque vendens cum tali exceſſu pretii excuſatur ab injuſtitia. Ad id quod addebatur, quòd

quis-

quisque sit moderator, & arbiter in suis rebus, respondetur id non esse intelligendum de æstimatione imponenda rebus, sed tantùm, quòd quisque possit de rebus suis disponere pro suo arbitrio etiam in suum incommodum, non ita mandatarium. Aliud effatum, quo res dicitur tanti valere, quanti vendi potest, debet intelligi intra limites justæ æstimationis, ac justi pretii, quia ut diximus intra limites justi pretii comprehenduntur summum, medium, & infimum pretium.

47 Quæritur vigesimo secundò, an victualia possint arbitrio vendentium relinqui, vel debeant à Magistratu taxari. Respondetur, probabiliorem, & veriorem sententiam esse, pretia victualium esse taxanda à Magistratu, quia ita expedit bono cummuni, sunt enim victualia singulis necessaria, proinde commodum, & bonum communitatis exigit, ut non vendantur pretio excedente, & ad arbitrium vendentium, sed juxta taxam statutam à Magistratu: hinc *in l. annonam ff. de extraord. crimin.* mandatur præsidibus Provinciarum, ut ad hoc suis statutis laborent, quòd annona non oneretur, & quia supponitur, posse annonam augeri, si superiores non taxent pretium; ideo ad id tenentur pro bono publico; adeo ut statuatur justum pretium quod desumendum erit ex variis circumstantiis, nimirum ex copia, vel inopia victualium, ex copia, vel penuria pecuniarum, ex multitudine, vel paucitate emptorum: ex varietate temporum: ex his enim rerum æstimatio incrementum, vel decrementum subit.

TITULUS XVIII.

De locato, & conducto.

QUia contractus locationis, & conductionis plurimum habet affinitatis cum contractu emptionis, & venditionis, uterque enim iisdem fere juris regulis consistit, ac regitur; adeo ut in quibusdam quæri soleat, an sit contractus emptionis, & venditionis, vel potius locationis, & conductionis *l. 2. ff. h. t.* ideo præcedenti attexitur præsens titulus; & sicut emptio, & venditio unum contractum constituunt ob mutuam correlationem, ita locatio, & conductio unum efficiunt contractum ob eandem correlationem, quia locatio dantis est conductio accipientis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. EX RESCRIPTO 1. h. t. Clemens IV. statuit, ut Magistri, & Scholares Bononienses, qui ante tempus elapsum conductionis hospitia conducunt aliorum Magistrorum, vel Scholarium sine consensu inquilinorum, sint excommunicati; & mandat, ut hoc decretum singulis annis in audientia Magistrorum, & Scholarium recitetur. Notat Glossa, hanc excommunicationem in casu textus esse latæ sententiæ.

C. VESTRA 2. h. t. Innocentius III. rescribit, fructus decimarum, & beneficiorum posse liberè locari illis, cùm quibus potest fieri melior conditio sua Ecclesiæ, dummodo hæc locatio non extendatur ad feudum, vel alienationem, non obstante contrario statuto Diœcesanorum Episcoporum. Ex quo textu colligitur, beneficiatos quoslibet, etiam Regulares posse locare reditus suæ Ecclesiæ aliis, si cognoscant id conducere, etiam sine licentia superioris. Cæterum perpetua alienatio fructuum est prohibita, perinde ac datio eorundem in feudum.

C. PROPTER 3. h. t. Gregorius IX. rescribit, quòd si Coloni patiantur sterilitatem cum magno incommodo sine propria culpa, sed vitio rei, vel casu fortuito contingenti, Prælatus debeat remissionem facere pensionis pro rata, nisi ubertas præcedentis, vel subsequentis anni compenset sterilitatem. Rursus declarat, inquilinum posse excludi ante finitum tempus conductionis in quatuor casibus. Primò si Dominus velit domum habitare. Secundò, si necessitas expostulet, ut domus reficiatur, quæ necessitas tamen non imminebat tempore locationis, & tunc remittitur pensio pro rata. Tertiò quando perversè conversatur in domo. Quartò si per biennium non solvit canonem. Ubi notat Glossa, hunc titulum loqui de Colono, qui annuatim solvit certam pecuniam, vel corbes; non de partiario, qui cum Domino damnum, & lucrum partitur l. si merces §. si major. ff. eod.

C. POTUIT 4. & ult. h. t. Idem Pont. rescribit, Emphyteutam posse vendere meliorationes, & suum jus, dummodo moneatur primò Ecclesia, an velit ea emere aperiendo quantum sibi ab aliis offeratur. Quòd si Ecclesia dicat se nolle emere, vel per duos menses non respondeat, tunc declarat Pontifex, emphyteutam posse vendere suum jus; alioquin si præsumat vendere, vel per biennium non solvat canonem, nisi studeat sibi celeriter consulere, potest expelli, tametsi ei non fuerit nuntiatum, ut canonem solveret, quia dies statuta interpellat pro domino. Ex quo textu liquet, Emphyteusin habere tres conditiones, quarum prima est, ut solvatur annuus canon, in quo si emphyteuta cessave-

ceſſaverit per biennium cadit à jure ſuo ſecundùm jus canonicum h. t. *nam jure civili conceditur triennium. Secunda, ne res alienentur* l. 3. C. eod. *Intelligitur nomine alienationis quilibet actus, quo transfertur dominium. Excipitur tamen in utroque jure venditio, quæ permittitur cum hac conditione, ut Emphyteuta venditionem Domino priùs denunciet, ſi fortè velit ipse emere. Tertia, ut res melior fiat ſecundùm nomen, & hujus contractus naturam.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quænam ſit natura locationis, & conductionis, & quæ requirantur ad ejus ſubſtantialia.

INter contractus oneroſos, in quibus transfertur uſusfructus rei, enumeratur contractus locationis, & quia locatio eſt dantis, & conductio accipientis, ideo ii ſeorſim ſumantur, locatio definitur eſſe contractus, quo perſona, vel res aliqua ad uſum, vel fructum pretio conceditur, adeo ut poſſit quis non ſolùm res ſuas mobiles, vel immobiles, ſed etiam ſe ipſum, ſervum ſuum, & operam ſuam alteri locare ad uſum, vel fructum. Conductio verò definitur eſſe contractus, quo perſona, vel res ad uſum, vel fructum comparatur pretio: hinc conductor dicitur, qui mercedem ſoluit pro uſu, vel fructu rei acceptæ; & locator qui accipit mercedem pro uſu, vel fructu rei traditæ: quia verò emptio, & venditio unum contractum ſolùm conſtituunt, qui unica definitione definitur ita etiam locatio, & conductio, ob mutuam correlationem, quâ non poſſunt ſeparari unicum conſtituunt contractum, adeo ut locatio, & conductio ſimul definiatur: *Eſſe contractus bonæ fidei ſolo conſenſu initus, quo de uſu rei alicujus, vel perſonæ pro certa mercede, ac pretio convenitur:* ſicut enim unus ac idem contractus emptionis, & venditionis ex parte unius dicitur venditio, & ex parte alterius dicitur emptio: ita etiam hic contractus ex parte concedentis eſt locatio, ſimilis emptioni, & ex parte accipientis eſt conductio ſimilis venditioni; ſiquidem conductor eſt, qui emit fructus rei, vel operas perſonæ, & locator, qui rem tradit ad alium, ut mercedem, vel pretium accipiat. Unde non ſolùm res, ſed etiam perſonæ locantur, in quo diſtinguitur locatio ab iis contractibus, per quos transfertur dominium in accipientem, ut in venditionibus, permutationibus, donationibus, & mutuis; ſiquidem dominium rei locatæ non transfertur in conductorem, ſed tantùm ipſe uſus rei locatæ *l. non ſolet ff. locati.*

Differt rurſus à venditione, quia in hac pretium debet conſiſtere in pecunia numerata: in locatione verò poteſt conſiſtere etiam in aliis rebus ut ſi Petrus ſuum fundum pro certis modiis frumenti annuatim ſolvendis elocet Joanni *l. ſi olei* 21. *C. h. t.* debent tamen eſſe res fungibiles, quæ uſu quotidiano conſumuntur, quia ſi Petrus concederet Joanni agrum ſuum utendum, ut ille viciſſim ſuum bovem, vel equum ei concederet ad uſum; non eſſet propriè locatio, ſed contractus innominatus, nec ſolo conſenſu perficeretur. Differt etiam locatum à depoſito, quia res locatur, ut ea conductor utatur; ſecus res non deponitur, ut ea depoſitator utatur. Præterea adduntur particulæ *pro pretio, vel mercede* & per hoc differt à commodato, & precario, in quibus licèt transferatur ſolus uſus, id tamen fit gratis, & liberaliter; at locatio non fit niſi mercede *l. ſi convenerit. ff. communi dividundo. l. ſi vir uxori. ff. de donat. inter virum & uxor.*

Locatio dividi ſolet ratione rei locatæ, omnes enim res, quæ poſſunt vendi, locari itidem queunt, niſi exiſtet ſpecialis prohibitio, quia non plus requiritur ad locandum, quàm ad vendendum. Aliqua tamen locari prohibentur, ut ſervitutes prædiales, ſcilicet viæ, & ſubjectiones prædiorum; quamvis enim vendi poſſint, non tamen locari *l. 1. §. localia ff. locat. l. locare. ff. locati:* è contra aliquæ res locari poſſunt, quæ vendi prohibentur, ut res pupilli, & minoris, item bona feudalia poſſunt quidem à feudatario locari, non tamen vendi. Res tamen Eccleſiæ licèt ad breve tempus locari poſſint ab iis, qui præſunt Eccleſiæ, non tamen ad longum tempus, ſeu ad decennium, ut habetur *in clem. 1. de reb. eccles. non alienand. & in clement. ambitioſa*, ubi ſub graviſſimis pœnis prohibetur, ne ex rebus eccleſiaſticis, ut fundis, domibus, prædiis locatio fiat ultra triennium, alioquin locatio eſt invalida.

Rurſus non ſolùm ea, quæ pecuniâ ſunt æſtimabilia, locari poſſunt, ſed etiam ipſa pecunia ad pompam ſcilicet accipientis, vel ad pignus, dummodo pecuniæ dominium maneat penes locatorem, & ſtet ipſius periculo; adeo ut ſi pereat absque lata, vel levi culpa conductoris, pereat ipſi locatori; quia genetatim quoties res aliqua perit citra culpam alterius, domino perit.

Hinc dividitur primò locatio ratione rei locatæ, quæ vel eſt immobilis, ut fundus, domus: vel mobilis ut Gladius, liber; vel ſe mo-

Digitized by Google

vens, ut equus, jumentum, ſervus. Si res eſt immobilis, & ſit prædium urbanum, qualia ſunt ædificia intra urbes, tunc conductor dicitur inquilinus: ſin verò prædium ſit ruſticum, conductor vocatur colonus *l. qui pignoris ff. de acquir. poſſeſſ.* Gloſſa *in l. emptorem C. de locato.* Secundò dividitur, quia vel locantur operæ alicujus ad aliquid agendum, vel cuſtodiendum: vel locantur res aliæ *l. qui operas ff. locati*, vel locantur ſimul res, & operæ. Tertiò dantur etiam duo genera rerum locatarum, ut deſumitur *ex l. in navem Sauphei ff. locati* vel enim locatur res, ut eadem numero reddatur, ut cùm quis locat ſuum equum, vel ut reddatur alia, ſed ejusdem ſpeciei, vel generis, ut cùm argentum poſtulatum datur fabro argentario, ut vaſa conficiat. Quartò ratione uſus, ob quem aliquid locatur, etiam ſolet locatio dividi, nam vel res locatur ad certum uſum, ut equus ad iter faciendum, bos ad arandum, jumentum ad onus deferendum: vel ad uſum incertum, ut cùm quis elocat alteri ſuum equum per triduum, poteſt enim tunc conductor illo uti, vel ad onera portanda, vel trahenda, vel ad iter faciendum.

6 Rurſus locatur etiam res, vel ad habitandum ut domus, vel ad fructus percipiendos ut ager, vinea, imò locatur etiam perſona, ut ſervus, vel famulus ad laborem diurnum. Quintò dividitur locatio etiam ratione temporis, quia poteſt res locari ad tempus incertum ut ſi Petrus elocet ſuam domum Paulo, donec vixerit: vel ad tempus certum, ut ad tres annos. Rurſus locatur res, vel ad longũ, vel breve tempus. Per longum tempus in locationibus rerum eccleſiaſticarum Canones intelligunt decennium *l. ult. C. de præſcript. long. temp. ex Gloſſa & communi conſenſu.*

7 Ad ſubſtantiam contractus locationis, & conductionis requiritur conſenſus utriusque contrahentis, adeo ut ſecluſo tali conſenſu corruat contractus. Quòd ſi res locanda communis fuerit duobus, aut pluribus, & unus velit locare uni, & alter nolit; vel unus velit locare ad unum uſum, & alter ad alterum; vel unus velit locare perſonæ honeſtæ, & alter inhoneſtæ. Cenſent aliqui tunc prævalere contractum illius, qui habet majus jus in re, ſeu potiorem partem, vel qui vult locare perſonæ honeſtæ: quando verò non eſt potior cõditio unius, quàm alterius, aſſerunt tunc mittendas eſſe ſortes, vel recurrendum ad judicem pro concordia: & addunt validum eſſe contractum locationis rei communis factum ab uno ſocio, vel à pluribus, aliis diſſentientibus, ſi abſque juſta cauſa diſſentiant, ita Gomezius 2. *variar. c.* 3. *num.* 14. Filiucius *tract.* 26. *c.* 1. *num.* 16. Et licèt hæc ſententia non careat probabilitate: nihilominus putârim, requiri utriusque conſenſum ad locandam rem communem duobus, vel pluribus, neque ſufficere conſenſum majoris partis, neque illius, qui fortius habet jus in re, idque deſumitur *ex l. per fundum ff. de ſervitutib. ruſtic. prædior. & l. ult. ff. commun. præd.* unde ſi habentes rem communem diſſentiant in ordine ad eam locandam adeundus eſt judex pro concordia. Non tamen eſt neceſſe, ut hujuſmodi conſenſus exprimatur verbis *l. item quæritur §. qui impleto. ff. locati.* ubi hæc habentur: qui impleto tempore conductionis remanſit in conductione non ſolùm reconduxiſſe videbitur, ſed etiam pignora videntur durare obligata.

Hinc jurisconſultus aſſerit contractus locationis, & conductionis ſolo nudo conſenſu convaleſcere, tametſi nulla adſit ſcriptura, nec verba præceſſerint, quia ſolus conſenſus tacitus domini ſufficit ſine ullis verbis: unde ſi ſciente, & patiente domino conductor finito tempore conductionis, vel in domo, vel fundo conducto remanſerit, cenſetur conductionem renovâſſe, eò quia videtur dominus tacitè aſſentiri, deſumitur etiam *ex l. ubi non voce ff. de regul. jur.* ubi habetur quòd mutus, dummodo intelligat, poſſit contractum locationis, & conductionis inire, ut etiam Surdus: unde ſi poſſunt mutus, & Surdus locare, eò quia poſſint præſtare conſenſum ſolis nutibus expreſſum, non eſt neceſſe quòd talis conſenſus fiat verbis, vel ſcriptura. Pertinet tamen ad ſubſtantiam hujus contractus res ipſa, quæ locatur: quia ſicut emptio ſine re non conſiſtit, ita nec locatio: iniquus enim eſſet is, qui ruſtico locaret equum, quo poſtea non poſſet uti.

An verò ſit de ſubſtantia hujus contractus, ut pretium ſolvatur in pecunia numerata videtur eſſe aliqua difficultas, quia *in l. ſi olei C. de locat.* habetur, *ſi olei certa ponderatione fructus anni locâſti: de contractu bona fide habito, propter hoc ſolum, quòd alter majorem obtulit ponderationem, recedi non oportet*: unde habetur locatio tametſi merces non ſolvatur in pecunia, ſed in fructu conſiſtente in pondere, vel menſura: & nihilominus communior ſententia videtur eſſe, quòd talis merces ſolvenda ſit in numerata pecunia, alioquin ſi detur alia res, videtur eſſe potiùs contractus innominatus, do ut des, do ut facias, ut do tibi meum agrum ad uſum, ut des mihi annuatim 50. ſcaphas frumenti. Sunt qui cenſeant inter locatorem, & conductorem, de quibus dicitur *in l. ſi olei C. de locato* interfuiſſe pactum ab initio, ut merces in pecunia priùs ſolveretur, & poſtea penſionem in fructu loco pecuniæ fuiſſe ſolutam: verùm hoc non impedit, quo minus ab initio fuerit verus contractus locationis, ſiquidem in contractibus id ſpectatur, quod ab initio actum eſt, non verò quod poſtea fit. Tum quia hæc reſponſio non cohæret cum ipſa lege *ſi olei*: quia ibi expreſsè dicitur ſi olei certa ponderatione fructus anni locâſti, unde non ſupponitur fuiſſe pactum initum, ut merces in pecunia ſolveretur.

Alii reſpondent, talem contractum etiam 10
propriè fuiſſe locationis, quia quando penſio ſolvitur ex pacto in fructu, qui conſiſtit in pondere, vel menſura, quia tunc talis fructus eſt loco pecuniæ, non obſtat, quo minus contractus ſit propriè locationis, quia moris eſt, ut fundi, & agri locentur certa menſura frumenti, hordei, tritici, avenæ, olei, quæ penſiones intelliguntur pecuniæ nomine, quia ſunt res fungibiles, quæ uſu quotidiano conſumuntur, perinde ac pecunia.

Verùm

11 Verùm censerem cum Bartolo, & Accurtio, quos plures sequuntur *in d. l. si olei C. de locato*, locationem dupliciter posse sumi magis, & minus propriè, & tunc haberi locationem magis propriam, quando merces pecuniaria intervenit: tunc verò haberi locationẽ minùs propriam, quando loco pecuniæ dantur res fungibiles, quæ usu quotidiano consumuntur, quia tunc dantur loco pecuniæ, quæ alioquin converteretur in res illas. Neque mirum si nonnunquam verbum locare sumatur minus propriè, quia legis verba aliquando impropriè, & in laxa significatione sumuntur, licèt frequentiùs propriè: sic filius in lege dicitur manumitti, cum tamen propriè dicatur emancipari: siquidem filiorum est emancipatio, & servorum manumissio.

12 Quanta verò debeat esse merces pecuniaria in locationibus? Certum est, hanc debere esse juxta regulam æquitatis, & justitiæ, quapropter *in l. si quis ff. locati* habetur, si quis conduxerit nummo uno, locatio nulla est, quia & hoc donationis instar inducit. Sicut igitur venditio, & emptio justum pretium exigunt; ita etiam locatio justam mercedem: at difficultas est, quanta debeat esse hæc justa merces in contractu locationis, & conductionis. Alexander de Nevo *cons. 95.* vult, illam esse justam mercedem, quæ 20. annis collecta exæquat justum pretium rei ex Glossa in *authent. perpet. C. de sacrosanct. eccles. & ex authent. de reb. eccles. non alienand* §. *si vero alicujus ecclesiastici.* Sed Panormit. *in c. cum causa c. dilecti de empt.* Bartol. *in l. si merces* §. *vis major. num. 3. ff locati* sentiunt, consuetudinem gentis, provinciæ, vel populi attendendam esse, & secundùm eam volunt esse censendam justam mercedem in locationibus. Quòd si nulla fuerit consuetudo, tunc merces boni viri arbitrio statuenda est.

13 An verò in locationibus possit merces committi arbitrio incertæ personæ, nimirum ut tanti res intelligatur locata, quanti aliquis æstimaverit? *in l. si merces ff. locati.* ita habetur: si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio locatio, & conductio non videtur contrahi. Sin autem quanti Titius æstimaverit sub hac conditione stare locationem: unde si persona, cujus arbitrio merces æstimanda est, non nominetur, contractus non fortitur suum valorem, est tamen validus, si nominetur, & persona nominata mercedem definiat, secundùm rei æstimationem. Quòd si illa noluerit mercedem definire, tunc contractus corruit.

14 Locationis merces ex conducto solvenda est eo tempore, prout contrahentes paciscuntur, quia pactum adjectum contractui servandum est: quòd si nihil de tempore solutionis dictum fuerit, tunc standum est consuetudini locorum, & si hæc nulla sit, tunc merces solvenda est in exitu anni, quia ut legitur *in l. semper in stipulat. ff. de regul. jur.* id in stipulationibus, & cæteris contractibus æquimur, quod actum est, vel si non appareat, quid actum sit, consequens erit, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur, aut si mos regionis non appareat, quia varius fuit, tunc ad id, quod minimum est, redigenda summa est: hoc idem etiam habetur in *l. semper in obscuris ff. eod. tit.* ubi dicitur, quòd lex in obscuris semper sequatur, quod minimum est. Neque obstat, quòd *in l. placuit C. de collation.* dicitur, debere pensiones fundorum patrimonialium solvi tribus terminis in anno, quia ut respondet Gomez. *lib. 2. variar. resolut. c. 3. num. 13.* textus ille tantùm locum habet in fundis publicis, emphyteuticis, & tributariis.

§. II.

De obligationibus mutuis locatoris, & conductoris.

1 QUia de ratione cujusvis contractus est obligare contrahentes, qui ita tenentur contrahere, ut nulla fraus, aut dolus interveniat, ideo plures sunt obligationes, quas contrahunt locator, & conductor. Primò tenetur locator rem locatam tradere conductori, quâ utatur, & fruatur ad præscriptum tempus: quia si per locatorem stet, quò minus conductor fruatur re, tenetur tunc solvere quidquid interest conductoris *l. ex conducto, & l. si uno* §. *plane si forte ff. locati*, ut si possessio rei locatæ conductori non præstetur, aut si villa non reficiatur, vel stabulum, vel ubi greges ejus stare oporteat, ut notat Glossa *in l. si uno in V. personis ff. locati.* Quòd si per casum fortuitum conductor impediatur, quò minus possit re locata uti, tunc locator tenetur mercedem remittere, vel restituere, non autem id, quod interest conductoris Glossa *in l. si uno in V. personis ff. locati.*

2 Secundò sicut venditor tenetur aperire vitium rei venditæ emptori, ne decipiatur in re, quam intendit emere, ita etiam locator tenetur aperire vitium rei locatæ conductori: adeo ut qui locavit alteri vasa vitiosa, teneatur ad restitutionem damni, quod passus est conductor non præmonitus de rei conductæ vitio: quod tamen intelligitur, dummodo interceserit culpa locatoris lata, vel levis. Pari pacto qui equum assuetum se se in aquam dimittere, alteri locavit ad merces transferendas, tenetur ad restitutionem damni, quod passus est conductor non præmonitus de vitio equi. Hinc si locator locaverit equum calcitrosum, domum ruinosam, servum furem, tenetur ad restitutionem, si quid damni inde conductor passus fuerit: quod si res locata non inferat damnum, tenetur locator adhuc minuere mercedem, adeo ut tanti locet, quanti cum tali vitio solet res illa locari; dummodo, si conductori vitium rei innotesceret, adhuc eam conduceret, alioquin contractus esset irritus defectu consensûs necessarii ad valorem contractûs.

3 Tertiò, locator tenetur etiam ad onera, & tributa imposita pro re locata, nisi aliter convenerit cum ipso conductore, vel nisi aliter exigat inolita consuetudo, siquidem qui sentit commodum, æquum est, sentiat etiam onus *l. quod ille* §. *quicunque ff. de via publica.* Rebellus *lib. 14. q. 9.* hinc locator tenetur solvere tributum, quod pro domo locata solvere consueverat, ut etiam ad muniendam, & refarcien-

dam viam ante domum. Non tamen tenetur ad onera impoſita pro fructibus, quia ad hæc obligatur conductor; cùm hic percipiat fructus,& ſentiat commodum,æquum eſt,ut etiam ſentiat onus injunctum fructibus.

4 Quartò ut locator ſolvat impenſas neceſſarias, vel utiles factas per conductorem in re locata *l. dominus* §. *i. l. colonus l. ex conducto ff. locati.* Dicuntur impenſæ neceſſariæ, vel utiles, quando tales ſunt, ut ſine ipſis conductor non poſſet re locata uti; & quæ non ſolùm ipſi conductori, verùm etiam locatori neceſſariæ ſunt,vel utiles, ut ſi partem domûs collapſam conductor inſtauraverit: vel ſi in fundo arbores, & vites plantaverit Baldus *l.* 1. *C. de jure emphyteut.*

5 Quintò ne locator ante tempus locationis completum rem locatam repetat, & conductorem à locatione expellat, tametſi alius majorem penſionem offerat *l. ede, & l. ſi olei* 21. *ff. h. t.* dilapſo autem locationis tempore poteſt propria authoritate, vel etiam intentata actione locati expellere conductorem, etiamſi majorem mercedem vellet ſolvere, *l. ne cui* 32. *C. eod.* ubi prohibetur, ne conductor elapſo conductionis tempore impediat dominum uti re ſua, vel alteri locare: niſi tamen per ſpeciale pactum in ſcriptis factum aliter conventum fuerit, quia tunc ſtandum eſt pacto.

6 Habetur tamen ſpecialis caſus hac ſuper re *in c. ex reſcripto* 1. *h. t.* ubi Clemens III. reſcripſit, ut Magiſtri, & Scholares Bononienſes qui ante tempus elapſum conductionis hoſpitia conducunt aliorum Magiſtrorum, vel Scholarium ſine conſenſu inquilinorum anathemate feriantur, & hoc decretum ſingulis annis in audientia Magiſtrorum, & Scholarium recitatur,tum ad cautelam, tum ne quis de facto ſe ignorâſſe dicat. Verùm hæc conſtitutio cum ſit pœnalis, inferátque excommunicationem iis, qui conducunt ante tempus conductionis finitum hoſpitia aliorum Profeſſorum, vel ſtudioſorum ſine illorum conſenſu, eſt tantùm affixa tali loco,adeo ut non ſe extendat ad alias publicas Academias in aliis civitatibus, quia conſtitutio localis non extenditur ultra locum in præjudicium aliorum, pœnalia enim utpote odioſa ſunt ſtricti juris.

7 Verùm quia poſtea eadem conſtitutio fuit ſimpliciter à Pontifice approbata, & confirmata, & inſerta corpori juris communis, non eſt ampliùs localis, ſed ſe extendit juxta latitudinem juris communis, adeo ut modo ſit generalis, locúmque habeat in omnibus aliis Academiis. Nihilominus non deſunt, qui cenſeant, talem conſtitutionem etiam ut diſpoſitivam eſſe tantùm localem, ut docent Innocentius *in d. c. ex reſcripto 1. h. t.* Sylveſter *V. excommunicatio 9. num.* 11. & alii eo innixi fundamento, quia contineat jus ſpeciale derogans juri communi, quatenus *in d. c. ex reſcripto 1.* prohibetur, ne ædes conductas à Profeſſoribus, & ſtudioſis Bononienſibus in eorum præjudicium alii Magiſtri, & ſtudioſi conducant, ſi qui priùs conduxerunt, pro eodem pretio velint ædes illas reconducere. Unde cùm talis conſtitutio lata fuerit tantùm in ordine ad univerſitatem Bononienſem,non videtur extendenda ad alias univerſitates, quia cauſa eam ferendi non fuit favor publicus ſtudiorum, ſed ſpeciales contentiones ſtudioſorum, quæ inter doctores, & ſtudioſos Bononienſes exortæ erant.

Dantur tamen aliquot caſus, in quibus poteſt locator inquilinum invitum ante locationis expletum tempus expellere,& viciſſim conductor ex juſta cauſa recedere,ut deſumitur *ex l. ede* 3. *C. de locat. & conduct. & c. propter l. h. t* ubi Gregorius IX. has recenſet cauſas. 8 Primò ſi dominus velit domum inhabitare, poteſt inquilinum expellere ante finitum tempus conductionis. Secundò ſi neceſſitas exigat, quòd domus reficiatur; quæ neceſſitas non imminebat tempore locationis; & tunc remittitur penſio pro rata. Tertiò quando perversè converſatur in domo. Quartò quando per biennium non ſolvit canonem, niſi celeriter ſatisfaciendo ſibi provideat. Quamobrem primus caſus,in quo locator poteſt inquilinum etiam invitum è domo locata etiam ante tempus locationis finitum expellere,eſt, ſi uſibus propriis probet domum eſſe neceſſariam, ut quia domus, quam inhabitat, corruat, & indigeat ſubita reſtauratione, vel quia uxorem duxit, ac indigeat ampliori domo pro familia, vel quia domus,in qua habitavit,fuit incendio abſumpta: in hiſce tamen caſibus penſio pro rata remittenda eſt conductori expulſo, adeo ut ſi per totum annum debuerit ſolvere centum, & non fuerit commoratus in domo niſi per ſex menſes,locator non poſſit exigere niſi 50. Debet tamen hæc neceſſitas oriri poſt initum contractum, alioquin ſibi deberet dominus imputare, quòd tempore contractûs neglexerit ſibi proſpicere, & temerè ædes ſibi neceſſarias futuras alteri elocaverit *argum. l. ſi is* 3. §. *fin. ff. ut in poſſeſſ. legat.* quando igitur neceſſitas poſt initum contractum oritur, tunc locatori ſuccurritur, quia contrahendo cum inquilino præſumitur non conſenſiſſe in caſu neceſſitatis. Immo id procedit quamvis pactum præceſſerit de non expellendo conductore; quia pactum non extenditur ad caſus jure exceptos *l. quæro* 54. §. *inter locatorem ff. h. t.* niſi ex circumſtantiis conjiciatur, quòd locator volverit huic ſuo priviliegio renuntiare, ut notat Molina *diſp.* 479. *n.* 8.

9 Secundus caſus ejiciendi inquilinum etiam invitum eſt, ſi domus locata debeat neceſſariò inſtaurari, & tempore locationis non indiguerit reparatione *c. propter ſterilitatem de locato & l. ade, quamte C. de locato.* ſiquidem ſi dominus tempore locationis ſciviſſet domum ſuam ruinoſam eſſe, ac indigere reſtauratione, illam non locâſſet alteri; quòd ſi adhuc eam locâſſet, neceſſitas eam reficiendi illum non excuſaret, ſiquidem neminem neceſſitas excuſat, in quam volens ſe conjicit *l.* 2. §. *ſi quid tamen ff. ſi quis cautionibus.* Cæterum refecta domo, & inſtaurata, conductor poteſt locatorem compellere ad locationem repetendam, & tunc locator tenetur mercedem remittere pro rata portione temporis,quo non fuit in tali domo moratus.

Tertius

10 Tertius casus est, quando perversè versatur in domo, ut habetur *in c. propter 3. h. t.* & id potest dupliciter contingere, vel quia conductor rem conductam deteriorem fecerit, in qua deterioratione tria debent concurrere. Primò ut sit notabilis juxta judicium prudentis viri. Secundò ut sit perpetua, ejusmodi est destructio rei facta non in fructibus, sed in proprietate ac substantia rei locatæ. Tertiò ut oriatur ex dolo, vel culpa conductoris. Rursus conductor dicitur malè in domo conducta versari, eò quia in eam recipiat meretrices, fures, & alios viros nequam; tunc enim potest etiam invitus expelli, & quidem ob primam causam, quia conductor destruendo rem conductam grave damnum infert locatori, qui propterea debet sibi cavere: in posteriore efficit domum infamem, quòd etiam in damnum cedit locatoris, quia difficiliùs honestæ personæ imposterum eam erunt conducturæ.

11 An verò teneatur tunc locator pro rata portione temporis mercedem remittere. Respondet Abbas *in d. c. propter 3. h. t. num.* 16. cum distinctione, vel enim inquilinus malè versatur in domo, adeo ut damnum afferat locatori, & tunc fit remissio pensionis pro residuo temporis, quia in tali casu potest locator conductorem convenire, vel actione locati, vel ex lege aquilia ad damnum resarciendum. Vel perversè versatur in domo locata, scilicet inhonestè; & tunc locator nihil tenetur remittere de pensione, quia dominus debet non sentire damnum ex culpa inquilini.

12 Quartus casus est si per biennium conductor non soluit canonem *l. ade, quam 3. C. h. t. c. propter 3. h. t.* & quidem in solidum, scilicet, quia intermittit solvere integram pensionem: non enim sufficit solvere per partes, & intervalla, quia hæc solutio plurimum secum affert incommodi *l. plene 3. ff. familiæ herciscæ.* proinde conductorem non excusat quo minus possit expelli. Ad id autem requiritur ut per biennium canonem non solverit, nisi moram celeri satisfactione purget, quod tamen intelligitur de locatione facta ad longum tempus.

13 Quòd si ad breve tempus, duos, vel tres annos res locata fuerit, potest conductor statim debito tempore expellere inquilinum non solventem pensionem: imò ex jure communi Cæsareo sufficit ad illum expellendum, si tempore constituto pensionem contumaciter detrectet solvere. An verò propria authoritate absque judicis officio possit locator conductorem expellere; tametsi jure communi possit, nihilominus plerisque in locis saltem consuetudine receptum est, ne id faciat sine publica authoritate ad evitanda mala, quæ inde facilè orirentur.

14 Conductor suas etiam contrahit obligationes, etenim prima ejus obligatio est, ut tempore præfinito mercedem solvat locatori pro re sibi locata, quia sicut locator debet rem conductori præstare; ita conductor tenetur mercedem solvere locatori *l. colonus §. navem. ff. locati.* Hinc potest locator conductorem à re locata expellere, si stato tempore detrectaverit mercedem solvere.

15 Secunda est, quòd conductor obligetur ad non utendum re locata aliter, quàm conventum fuerit in ipso contractu: alioquin leges ipsum condemnarent tanquam furem *l. qui jumenta, l. si pignore ff. de furt. l. si ut certo §. interdum ff. commodati.*

16 Tertia, ut conductor rem locatam expleto tempore locationis restituat locatori, cùm illam tantùm acceperit pro tali tempore: quòd si non restituerit, compellitur resarcire damnum, quod res passa fuerit, & solvere usuras post moram *l. præses C. de locato.*

17 Quarta, ut conductor ante tempus locationis elapsum rem locatam non deserat sine justa, vel probabili causa, alioquin deberet solvere integram mercedem, & id quod locatoris interest *l. dominus §. qui contra legem. ff. locati l. si in lege §. si domus ff. eod. tit.* Et solùm potest conductor in tribus casibus justè rem locatam relinquere, ut habetur *in l. quæro §. inter locatorem ff. locati*, ut si solverit locatori integram mercedem, si res locata indigeat reparari taliter, ut ea non possit uti; si pestis grassetur, vel bellum immineat, vel metus per vim ab aliquo incutiatur: in his, & similibus casibus potest justè domum conductam relinquere, & migrare in alium locum: imò sufficit si causa adsit, cur periculum timeatur *l. habitatores §. iterum interrogatus est ff. locati.* Quinta tandem est; ut res integra, & non deteriorata, vel corrupta dolo, vel culpa lata, vel levi restituatur locatori.

§. III.

An, & quando locator rei fructiferæ teneatur remittere de pensione conventa conductori ob sterilitatem, vel casum fortuitum?

1 COnveniunt doctores, quòd si damnum casu fortuito illatum modicum fuerit, nihil colono, vel conductori de pensione teneatur locator remittere, id enim desumitur *ex l. si merces 25. §. vis major. h. t.* ubi habetur, quòd debeat colonus modicum damnum æquo animo ferre, eò quia non auferatur ipsi immodicum lucrum; nimirum, quia pensio, quam tenetur solvere locatori ei non augeatur, si ob unius, vel alterius anni fertilitatem majus lucrum acceperit. Unde quæstio procedit, quando damnum ex casu fortuito illatum est grave. Rursus si ab initio ita contrahentes convenerint ut conductor quovis eventu per casum fortuitū teneatur ad integram pensionem solvendam, tunc non tenetur locator, quidquam remittere ob pactum initum: siquidem potest conductor renuntiare omnibus casibus fortuitis, ac dispositioni favorabili legis, vel consuetudinis, quæ in eventibus fortuitis concedunt remissionem pensionis: est enim tale pactum consentaneum naturæ contractus locati, & conducti: est enim hic contractus affinis emptioni, & venditioni, siquidem locator agri videtur vendere colono fructus, quos ipse suo cultu, & diligentia poterat percipere: & locator domûs vendit usum ipsius domus: unde sicut rei emptæ periculum

eſt emptoris, ita periculum eſt conductoris, cum ſit veluti emptor illorum: unde niſi jus, vel conſuetudo inoleverit, quâ fiat talis remiſſio, ex natura contractus non videretur facienda. Verum tamen eſt, quòd ſi contrahentes ita convenirent ab initio, ut conductor teneretur ſemper ad integram penſionem ſolvendam pro quocunque caſu fortuito, tunc locator deberet minori penſione rem ſuam locare, & quidem deberet penſio minui, quanti æſtimatur onus, quo gravatur conductor renuntiando caſui cuicunque fortuito.

2 Cæterum propter ſterilitatem, vel alium fortuitum caſum ſine culpa coloni proveniem, debet à locatore penſio remitti, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni poſſit ſterilitas compenſari, id deſumitur *ex c. propter 3. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcripſit, quòd quando coloni patiuntur ſterilitatem cum magno incommodo ſine propria culpa, ſed vitio rei, vel caſu fortuito contingente, Prælatus debet de penſione remittere pro rata, niſi ubertas præcedentis, vel ſubſequentis anni compenſet ſterilitatem: unde penſio tunc remittenda eſt pro rata juxta menſuram damni illati, & deſumitur etiam *ex l. ſi merces §. vis major. l. ex conducto 15. §. ſi vis ff. h. t.* adeo ut id procedat tam de conductoribus rerum eccleſiaſticarum, quàm ſæcularium; adeo ut jura tam eccleſiaſtica, quàm civilia injungant hanc remiſſionem penſionis ob ſterilitatem, vel alium caſum fortuitum obvenientem ſine culpa conductoris: ſiquidem penſio locationis promittitur in compenſationem fructuum ex re, vel fundo conducto percipiendorum; eſt enim quaſi pretium rei, quæ datur venum; unde ſi nulli ex re locata percipiantur fructus, non tenetur conductor penſionem ſolvere pro iisdem; perinde ac emptor non tenetur pretium ſolvere pro re, quam non accipit à venditore; quod ſi conductor non niſi modicam fructuum partem ob ſterilitatem percipit; pro rata fructuum tenetur tantùm penſionem ſolvere, id enim videtur exigere bona fides, ne conductor ſemper ferat periculum damnorum, & locator ſit ſemper ſecurus: æquitas enim exigit, ut unus ex contrahentibus non magis gravetur alio, ut contingeret, ſi locator ſemper eſſet ſecurus de ſua penſione integra percipienda, & ſolus conductor teneretur pericula ſubire; dicitur autem ſterilitas compenſari cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni ſecundùm Barb. *in d. c. propter. 3. n. 19. h. t.* ſi colonus in anni fertili tot fructus colligat, ut deductis impenſis, ſufficiant pro ſolutione penſionis duorum annorum, ſcilicet fertilis, & ſterilis.

3 Sed difficultas major eſt, quanta debeat eſſe hæc ſterilitas; ob quam teneatur locator totam penſionem remittere, non enim conveniunt Canoniſtæ in ſtatuenda hac quantitate. Aliqui cenſent, ſufficere eam ſterilitatem, quando ex fundo non tantum fructuum colligitur, quantum ſeminis fuit terræ mandatum, ita Gloſſa *in l. ſi uno. ff. locati.* Alii volunt ſterilitatem talem eſſe quando deductis impenſis, & ſemine nulli fructus ſuperſunt, Bartol. *in l. ſi merces §. vis major. ff. locati.* Albericus *in l. licet C. eod. tit.* Alii docent, ſufficere ſterilitatem, quando fructus ſunt tam exigui, ut deductis impenſis, & ſoluta mercede conductor ſit læſus ultra dimidium juſti pretii. Alii putant, eam ſterilitatem ſufficere, quando fundus tantum reddit duas partes fructuum, quos alioquin reddere conſueverat: volunt tunc, locatorem teneri mercedem minuere pro rata portione, adeo ut ſi fundus conſueverat quot annis 15. reddere, & conductor loco penſionis ſolvebat tria; ſi hoc anno fundus non reddat niſi 10. teneatur tunc locator remittere tertiam partem penſionis, & non exigere à conductore niſi duo. Docent hanc ſententiam præſertim Canoniſtæ Covarruvias *in practicis quæſtion. c. 30.* Panormit. *in c. propter 3. h. t.* Navarrus *in manual. c. 17. n. 188.* Alii demum aſſerunt, in hac parte ſtandum eſſe opinioni vulgi, ſeu conſuetudini loci, adeo ut ea ſterilitas ſufficiat, quam vulgares homines communiter judicaverint eſſe inſufficientem, ita Gloſſa *in l. ſi uno. ff. locati* Cynus *in l. licet C. de locato.* Salicetus *in l. licet C. de locato*, ubi ait, hanc ſententiam eſſe comunem. Cæterum alicubi moris eſt, ut conductori detur optio, ut perſolvat integram mercedem, vel omnes fructus relinquat abſque ſolutione mercedis, & ex hiſce opinionibus duæ ultimæ videntur probabiliores. Andreas Gaillus *lib. 2. pract. obſervationum obſer. 23. num. 1.* cenſet id, arbitrio prudentis viri remittendum eſſe, vel dijudicandum ex communi hominum circumcolentium æſtimatione.

4 Licèt ob ſterilitatem debeat penſio remitti à locatore, id tamen procedit niſi præcedentium annorum fertilitas compenſaverit præſentem ſterilitatem, tunc enim locator non tenetur penſionem remittere, quòd ſi præcedentis anni fertilitas illam non compenſaverit, & ſequentes id præſtiterint, quod remiſit annis præcedentibus poteſt locator inde repetere, id enim videtur æquitas poſtulare, quia ſi ob ſterilitatem fit remiſſio, æquum eſt, ut ob fertilitatem id compenſetur, compenſatio enim facienda eſt, non ſolùm cum ubertate anni proximi præcedentis, ſed etiam ſubſequentis, vel etiam interpoſiti, ut tradit Barb. *in collect. in d. c. propter. 3. n. 18. h. t.* Quòd ſi fructus à colono jam ſint collecti, & à ſolo ſeparati, tametſi nondum in horreum reconditi, tunc cum colonus factus ſit dominus talium fructuum, ſi hi caſu fortuito poſtea pereant, ſibi debet imputare damnum, & non fundo, proinde non poteſt petere remiſſionem, neque diminutionem penſionis, ſiquidem res perit ſuo domino *l. pignus 9. C. de pignor.* id autem non procederet, ſi fructus nondum eſſent percepti, ſed adhuc penderent, vel exiſterent in fundo, quia tunc eſſent pars fundi *l. fructus 44. ff. de rei vendicat.* proprietas autem fundi ad locatorem pertinet, proinde conductor, ſeu colonus, cum ex re aliena nullum fructum tunc percipiat, non debet ſaltem totam penſionem ſolvere, ut notat Gaillus *obſervat. 23. lib. 2. n. 13.* & Canoniſtæ *in c. propter 3. h. t.*

5 Quòd ſi non certa, & ſtabilis penſio ſit conductori impoſita, ſed tantùm pars fructuum aliquota, ut tertia pars, vel medietas, tunc ob ſterilitatem nihil de penſione coloni remittitur *l. ſi mer-*

ff merces 25. §. *vis major in fin. ff. h. t.* & ratio eſt, quia tunc damnum proveniens ex ſterilitate fundi eſt commune utrique contrahenti; tam enim minus accipit locator, quàm conductor. Sin verò ob culpam coloni ſterilitas fundi contigerit, eò quia in excolendo agro negligens fuerit ſive propria, ſive ſervorum culpa id factum fuerit, non tenetur tunc locator remittere penſionem *l. videamus* 11. *in princ. ff. h. t.* ſiquidem damnum, quod quis ſua culpa ſentit, non aliis, ſed ſibi debet imputare juxta *regulam jur. 86. in 6.*

6 Sin verò ſterilitas contigerit ex vitio rei locatæ, ſi hoc vitium irrepſerit culpâ coloni, eò quia debitam diligentiam in excolenda vinea, vel amputandis vitibus non adhibuerit, ſibi etiam debet imputare damnum, ut notat Gloſſa *in d. c. ſi propter 3. V. vitio rei h. t.* Demum ſi ſterilitas, vel fundi deſtructio in aliquo loco ſemper ſolet contingere, ut ſi quis conduxit agrum juxta torrentem, vel flumen, quod ſæpiùs exundat non eſt remittenda penſio, quia tunc conductor creditur prævidiſſe damnum illud, ac proinde tacitè conſenſiſſe, quapropter cum frequenter ſoleat in tali loco damnum illud contingere, non attribuitur caſui fortuito, ſed ipſi conductori ſcienti, & volenti, ut notat Gaillus *in d. c. ſ propter 3. V. vitio rei h. t.*

7 An verò debeat penſio remitti, ſi conductor ex juſta cauſa, ut ob irruptionem hoſtium, periculum ruinæ, metum contagionis rem conductam deſerverit. Reſpondetur in ſimilibus caſibus remittendam eſſe penſionem, ſi uſus rei conductæ ad longius tempus impediatur: ratio eſt quia cum penſio detur ob uſum rei, & contractus locationis ſit bonæ fidei, in quo omnia ex bono, & æquo judicari debent, non eſſet æquitati conſonum, ſi conductor nullum poſſet uſum ex re conducta percipere, & nihilominus teneretur eandem penſionem ſolvere, ac ſi talem uſum perciperet *l. ex conducto* 15. §. 1. *& ſequent. l. habitatores* 27. §. 1. *ff. h. t.* Gaillus *obſer.* 23. *num.* 5. & 7. Immo aſſerit Bart. *in l. cum in plures. ff. h. t. num.* 1. etiam conductorem hoſpitii publici non teneri totam penſionem ſolvere, ſi poſt conductionem ſuperveniat bellum, quo itinera impediantur, ut hoſpitibus eò non ſit tutus acceſſus: ratio eſt, quia tunc talis eventus æquiparatur ſterilitati.

8 An verò ſicuti ſtante ſterilitate tenetur locator remittere de penſione ipſi conductori, ita etiam ſtante ubertate continuata, poſſit è contra penſio à locatore augeri? Reſpondetur illud incrementum eſſe conſonum æquitati, dummodo illa major fructuum ubertas oriatur ex cœli clementia, vel alio fortuito caſu ob rerum mutationem, ut ſi ager ex eo quòd flumen ſuum mutaverit alveum factus ſit longè amplior, ac antea, quia ſicut colonus majores percipit fructus, quàm credidiſſet, cum primum inivit contractum conductionis, æquum eſt ut plus etiam ſolvat: ſicut enim penſioni aliquid detrahitur ob ſterilitatem, ita æquitas exigit, ut ob inſolitam, & inexpectatam ubertatem aliquid eidem addatur, æquum enim eſt ut ſicut locator ex ſterilitate ſentit damnum, ita etiam ex ubertate experiatur lucrum, quod tamen procedit, quando ratione illius ubertatis non multum minuitur pretium, adeo ut longè major pecunia tunc poſſit haberi, quàm ordinariè ſolet: quia ſi ratione abundantiæ pretium ita decrevit, ut magna illa fructuum copia non multò pluris æſtimetur, quàm conſueta meſſis; æquum non eſt, penſionem tunc augeri. Juvat tamen obſervare, quòd ſi ubertas fructuum proveniat ex induſtria, & opera conductoris, tunc penſio non eſt augenda, & tunc verum eſt, quod dicitur *in §. vis major*; *immodicum lucrum colono non auferetur*; non enim induſtria debet damno eſſe viro eam exercenti. Immo neque ſi ex ſola bonitate agri oriatur ubertas, debet penſio augeri, quia hanc cenſetur dominus locâſſe ea majore mercede, quàm potuit.

9 Cuinam tribuendum ſit damnum, ſi domus conducta incendio conflagraverit. In hac quæſtione procedendum eſt cum diſtinctione, ſi enim incendium caſu fortuito, & citra culpam conductoris obtigit, ut vel quia milites irruentes domum incenderint, vel fulmen è cœlo dilapſum incendium illud cauſaverit, vel etiam malitia exterorum hominum, in hiſce enim caſibus, quia incendium non contingit culpâ conductoris, non tenetur hic ad damnum reſarciendum, imò nec ad penſionem ſolvendam. Sin verò culpa ſaltem levi ipſius conductoris domus perierit, tunc nulli dubium, quin teneatur conductor reſarcire damnum locatori, cùm fuerit cauſa illius. Major difficultas eſt, ſi neſciatur, an domus incenſa fuerit culpâ conductoris, vel caſu merè fortuito, an tunc teneatur ſtare damno locator, vel conductor debeat damnum illud reſarcire. Reſpondent aliqui cum Fachinæo *lib.* 1. *controvers. c.* 87. conductori incumbere onus probandi, quòd ſufficientem diligentiam adhibuerit in cuſtodiendo igne, ne damnum cauſaret, & quòd nullam culpam ex contractu locationis præſtandam commiſerit; quòd ſi id non probaverit, aſſerunt, quòd teneatur compenſare damnum, quod locatori ex tali incendio illatum fuit. Ratio eſt, quia locator præſumptionem juris pro ſe habet, quod incendia plerumque culpa inhabitantium contingant *l. 3. §. 1. ff. de officio præfecti vigilum. l. ſi vendita, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*; atqui præſumptio juris transfert onus probandi in Adverſarium; & qui præſumptionem pro ſe habet, ſufficienter intelligitur cauſam ſuam fundâſſe, donec ab adverſario contrarium probetur. Tum quia vix videri poteſt poſſibile, ut locator poſſit probare ea, quæ fiunt in domo, quam ipſe non inhabitat, & alteri locavit: hinc æquitas videtur exigere, ut onus probandi transfundatur in ipſum conductorem, qui domum inhabitat; ſiquidem cum fuerit præſens, vel per ſe, vel per ſuos domeſticos majorem poteſt probationum habere copiam.

10 Nihilominus contraria ſententia communior eſt, ac probabilior, nimirum onus probandi incendium contigiſſe ex culpa conductoris, eſſe injungendum locatori; ut tradunt Gaillus *lib.* 2. *pract. obſerv.* 21. Mynſingerus *centuria 6. obſerv. 88.* idque ex regula juris; quòd actori in-

incumbat onus probandi *l. 2. ff. de probat. l. 4. C. de edendo:* & quia culpa, vel delictum in jure non præsumitur, ideo probandum est ab actore *l. merito ff. pro socio l. dol. C. de dolo.* Neque obstant, quæ pro contraria sententia allata fuerunt. Ad primum, licèt plerumque incendium contingat culpa inhabitantium; non tamen inde infertur, esse præsumptionem de tali culpa, quæ ex contractu locationis præstanda sit: siquidem potuit incendium contigisse ex culpa levissima, quæ cum potissimum consistat in omittendo, non inducit obligationem resarciendi damnum.

11 Tum quia ut rectè notat Jurisconsultus *in l. si vendita, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*, potuit incendium contigisse ex negligentia servorum; & tunc non semper culpa servorum imputatur domino; neque proinde hic semper tenetur damnum resarcire: ex communi doctrina dominus non aliter tenetur de culpa sui famuli, quàm si delinquat ex officio sibi commisso *argum. l. si vendita, & legis .1 §. familiæ, ff. de publicanis* si stabularius in stabulo neglexerit candellam accensam, quæ propterea paleas, ac stramen accenderit, ac causaverit incendium, tenetur tunc dominus resarcire damnum, quia sibi debet imputare, quod famulum negligentem conduxerit: at si stabularius, in culina aliquid coxerit, & ex incuria incendium excitaverit; tunc non tenetur dominus damnum resarcire, quia famulus deliquit extra suum officium, ut notat Gaillus *l. c. obser. 21. num. 6.* ex quo liquet, conductorem non semper teneri ad resarciendum damnum ex incendio; quod contigit ex culpa famulorum; proinde onus probandi, ex culpa famuli teneri conductorem ad resarciendum damnum, incumbit locatori; quia culpa in jure non præsumitur, sed est probanda ab ipso actore, quia quilibet supponitur in sua innocentia.

12 Ad id quod addebatur, locatorem non habere copiam probationum circa ea, quæ fiunt in domo ab aliis habitata, respondetur, posse locatorem homines in eadem domo casu versantes, ut etiam alios domesticos vocare coram judice de veritate aperienda: incendium enim quocunque casu contigerit judicio subjacet criminali, proinde causa incendii examinanda est coram judice, ut notat Mynsingerus *l. c. observ. 88.* Tametsi utraque sententia videatur probabilis; posterior tamen utpote juri conformior mihi videtur præferenda, cum rationes, quibus nititur prima non adeo urgeant, & facilè iisdem satisfiat. Et licèt præsumptiones juris magnum actori suppeditent adminiculum; adeout aliis judiciis, ac imperfectis probationibus concurrentibus maximè actorem juvent: non tamen conductor inde excluditur, quin per testes, & probationes contrarias possit se à culpa purgare: siquidem præsumptiones præsumptionibus, probationes probationibus enervantur *c. in nostra 23. de testibus l. divus 9. de in integr. restit.*

(o)

§. IV.

Ad quos transeat locatio, & quibus pereat, & ex qua culpa locator, & conductor teneantur.

DIfficultas est, an successor, vel hæres locatoris compellatur stare locationi à prædecessore, vel testatore factæ? & vicissim an successor, vel hæres conductoris succedat in re conducta; an verò possit à locatione recedere. Certi juris est, conductionem perpetuam transire ad hæredes; proinde etiam temporalem, desumitur ex *l. viam veritatis C. de locato:* ubi dicitur *cum sive perpetua conductio est, etiam ad hæredes transmittatur: sive temporalis intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat.* Non solùm conductio rei, sed etiam operationis transmittitur ad hæredes: si Titius conduxit operas Cai ad aliquid complendum; tenetur hæres Cai complere, quod Cajus inchoaverat, ac morte præventus reliquerat imperfectum *l. veteris juris C. de contraben; & committenda stipulatione*, ubi habetur: stipulationes, consistentes tam in dando, quàm faciendo aliquid ad hæredes transmitti, quandoque id quod actum est potest per alium impleri.

Non tamen successor singularis, qui tantùm succedit in re particulari, & non in aliis, qualis est emptor, donatarius, vel legatarius, tenetur stare contractui locationis inito ab eo, cui succedit in re particulari, nisi fortassis antecessor in alienatione expressè, vel tacitè, aliter convenerit: vel nisi bona locatoris sint hypothecata conductori, idque desumitur *ex l. emptorem C. de locato*: hoc enim est discrimen inter hæredem, & successorem universalem, & singularem; quia universalis cum vicem gerat prædecessoris, & ejus personam repræsentet, succedátque in ipsius jura, & onera realia, ideo locatio transit ad hæredem, seu successorem universalem; alioquin non succederet in omnibus suis juribus; proinde non esset hæres universalis: secus successor singularis non repræsentat personam locatoris, neque ipsius obligationem suscipit, ut notat Filiucius *tract. 30. c. 2. q. 1. & 2.* Hinc conductor non tenetur solvere pensionem singulari successori, nisi antecessor locator cesserit illi jus suum: imò neque tenetur conductor stare contractui locationis postquam res transiit ad singularem successorem, quia illi nunquam se obligavit. Nec Maritus, qui accepit in dotem rem aliquam locatam, quam ignorabat esse locatam, tenetur stare locationi, quia censetur, & ipse successor singularis, Covarruvias *p. 2. variar. c. 15. num. 3.* Tuschus. *tom. 5. conclus. 418.*

3 Secus uxor defuncto marito, vel quomodocunque soluto matrimonio tenetur stare locationi factæ à marito durante matrimonio, quoad locationem bonorum paraphernaliũ, seu quoad illa bona, quæ uxor in domo mariti habet in usu, dicuntur enim talia bona paraphernalia, quia præter dotis causam deferuntur, ut notat Ulpianus *in l. 9. §. 2. ff. de jure dotium* & habe-

habetur exemplum apud Livium *lib. 26. de Scipione Africano*, qui capta Carthagine virginem nobilem à Lucio adoleſcenti Celtiberorum Principi deſponſatam ita reddidit, ut pecuniam ad illam redimendam à parentibus allatam adjiceret ſuper dotem: inquiens ſupra quæ acceptu-rus à ſocero es, hæc tibi à me dotalia dona accedant, aurúmque tollere, ac ſibi habere juſſit. Locatio enim bonorum paraphernalium cenſetur facta à marito nomine uxoris, ut ab adminiſtratore, & procuratore *l. ſi filiusfamilias ff. ſolut. matrim.* non verò tenetur ſtare locationi fundi dotalis; quia tunc maritus cenſetur locáſſe nomine proprio, non verò communi: tenetur tamen uxor ad ſervandum maritum indemnem, ne ob id damnum aliquod patiatur, Covarruvias *p. 2. variar. c. 15. n. 5.*

4 Minores, & pupilli finitâ tutelâ, vel curâ tenentur ſtare locationi factæ à ſuo tutore, vel curatore ſiquidem, quæ tutor, vel curator agit, cenſentur fieri nomine pupilli, vel minorennis, alioquin ſequerentur plura incommoda, diſſidia, & lites. Conceditur tamen minoreuni reſtitutio in integrum, ſi notabiliter ſe læſum compererit *l. ſi tutela ff. de adminiſt. tut.* Idque etiam procedit de locationibus factis ab adminiſtratoribus, vel rectoribus collegiorum, hoſpitalium, vel civitatum. An verò colonus, qui agrum excoluit, & ſeminavit, poſſit expelli ab emptore, ſi dominus agrum vendiderit alteri? Reſpondetur negativè, quia intempeſtivè expelleretur cum damno fruſtrati laboris, ac fructuum deperditorum *l. nihil ſpeciale ff. de legat.* Sylveſter *V. locatio queſt. 11. num. 11.*

5 Quòd ſi venditor accepiſſet omnes fructus, poſſet tunc colonus contra venditorem actionem inſtituere. Sin autem Titius, qui ſolum uſumfructum habet in fundo Caji, uſumfructum Seio vendiderit, & ſtatim poſt initum contractum objerit, hæres Titii non tenetur ſtare contractui *l. neceſſario §. cum uſumfructum ff. de periculo, & commodo rei venditæ.* Ratio eſt, quia uſusfructus eſt perſonalis, & extinguitur obitu perſonæ, proinde Titius non potuit Seio vendere, niſi ad ſuam tantùm vitam: unde Titio uſufructuario decedente, ejus hæres nihil Seio debet. Id etiam procedit, ſi Titius uſumfructum Seio locaverit, ſi enim ſtatim moriatur Titius poſt initum contractum, uſusfructus illicò finitur, & hæres Titii nullum Seio uſumfructum debet. Secus ſi Titio ſuperſtite Seius deceſſerit, tunc in uſufructu venditio, vel locato Seio ſuccedit ejus hæres, adeo ut Titius uſufructuarius teneatur ſtare contractui locationis, vel venditionis, & in eodem relinquere Seji hæredi: quòd ſi Titius ſit dominus fundi, & vendat, vel locet uſumfructum Seio, & ſtatim poſt initum contractum decedat, tunc hæres Titii, Seio vivente, compellitur ſtare venditioni, vel locationi. Sin autem Seius decedat ſuperſtite Titio venditore, vel locatore, tunc hæredi Seji nihil Titius debet, quia per obitum Seji uſufructuarii, extinguitur uſusfructus, ut tradit Paulus Jurisconſultus *in d.l. neceſſario §. cum uſumfructum ff. de periculo, & commod rei venditæ.*

Aſt verò fiſcus ſuccedens bonis ob delictum 6
alicujus publicatis compellatur ſtare locationi factæ per illum: cujus bona ſunt publicata? Reſpondet Gomez *lib. 2. variar. reſolut. c. 3. n. 10.* cum diſtinctione, vel enim fiſco adjecta ſunt certa tantùm bona, vel omnia bona; vel pars tantùm incerta bonorum, ſcilicet dimidia, vel tertia, vel quarta pars: ſi primum, non cogitur fiſcus ſtare locationi, quia tunc eſt ſucceſſor particularis, perinde ac emptor. Sin autem dicatur ſecundum, non poteſt fiſcus conductorem expellere, idque deſumitur *ex l. 2. C. ad legem Jul. de vi public.* Tenetur fiſcus ſtare locationi factæ per condemnatum ante patratum delictum, ſi ſuccedat in omnibus bonis, vel in aliquota eorum parte, ſeu dimidia, tertia, vel quarta, quia tunc reputatur ſucceſſor univerſalis; non ita ſi tantùm ſuccedat in ea parte, quæ confiſcatur, tunc enim non tenetur ſtare locationi, quia cenſetur ſucceſſor ſingularis, proinde poteſt expellere colonum: quinimò nec tenetur fiſcus ſtare locationi, quam delinquens poſt patratum delictum inivit, quia fiſcus ante locationem jam acquiſivit jus in rem illam, quam propterea delinquens non poterat locare, quia non poterat fiſco præjudicare.

Si Prælatus Eccleſiæ ſciente Capitulo, & 7
non contradicente rationabiliter fundum Eccleſiæ, cujus fructus ad ipſam pertinent Eccleſiam, non ad Prælatum, locavit nomine Eccleſiæ ad breve tempus, ſcilicet non ultra triennium, tunc ſucceſſor in dignitate, tenetur ſtare tali locationi, ut notat Covarruvias *lib. 2 reſol. c. 15. n. 6. §. 1.* quia tunc locator eſt legitimus adminiſtrator Eccleſiæ, rerúmque pertinentium ad eandem: unde ſi nomine Eccleſiæ intra tempus jure permiſſum locavit res, ejusdem, locatio eſt valida, & ſucceſſor tenetur illi ſtare, perinde ac pupillus tenetur ſtare contractui inito à tutore nomine pupilli, eò quia tutor ſit verus adminiſtrator rerum pupilli *l. ſi tutela 8. ff. de adminiſt. tutor.* Quòd ſi locatio facta ſit ultra triennium, ſeu ultra tempus permiſſum à jure, tunc non tenetur ſucceſſor, nec locator ſtare locationi, niſi in caſu jure permiſſo, & ſervatis ſolemnitatibus: quia talis contractus eſt irritus, proinde nullam inducit obligationem. Rurſus ſi Eccleſia ſe læſam ex tali contractu probaverit, poteſt petere reſtitutionem in integrum.

Cæterum, ut Prælatus teneatur ſtare loca- 8
tioni factæ per ſuum prædeceſſorem infra triennium, ut communior, ac verior cenſet opinio, quam docent Abbas *q. 3. num. 6. & ſequent. & in c. fin. ne Prælat. vices ſuas.* Rodeanus *q. 57. n. 53. vers. quia ſucceſſor in beneficio* Cavalcan. *deciſ. 44. p. 2. ubi à num. 23. ad 41.* quamplurimos pro hac opinione allegat doctores, & probat eſſe communiorem, ac veriorem, & ſecundùm illam pluries fuiſſe judicatum in diverſis tribunalibus: & idem aſſerunt plures alii præſertim Marta *deciſ. 180.* & Guido Papa *deciſ. 480.* quatuor requiruntur conditiones; quarum prima eſt, ut locatio fiat nomine Eccleſiæ. Secunda pro utilitate Eccleſiæ. Tertia quòd pecunia convertatur in utilitatem Eccleſiæ. Quarta ut fiat authoritate ſuperioris, ut tradit

Mynſing. *centur. 3. obſer. 41.* Quòd ſi locatio à Prælato nomine proprio fieret, ſucceſſor non teneretur ſtare locationi, ut tradit Rota *decis. 1. de locat. in novis*, quia prædeceſſor non potuit obligare ſucceſſorem, non enim actio perſonalis tranſit in ſucceſſorem, ſed extinguitur cum perſona, ut notat Puteus *lib. 1. decis. 181.* cum Pariſio *decis. 192.* Rurſus de quatuor prærecenſitis conditionibus debet clarè conſtare; aliàs ſucceſſor in beneficio non tenetur ſtare dicto ipſius coloni, ut tradunt Menochius *cons. 449. tom. 3.* Burſat. *cons. 23. num. 6. vol. 1.* Rodeanus *q. 37. num. 81.*

9 Limitatur tamen, quando ſummus Pontifex concedit licentiam locandi ad tot annos, ut tali tempore durante conductor à nemine, nec à ſucceſſoribus in beneficio moleſtetur, ut tradit Mandoſius *de ſignatur. grat. tit. de indulto locandi vers. ponamus.* Secundò limitatur, quando annus eſt jam inchoatus, fundus excultus, & terra ſata, Menoch. *conſ. 181. vol. 2.* tunc enim pro tali anno incepto ſucceſſor in beneficio tenetur ſtare locationi, ne colono inferatur damnum, idque ampliatur, ut talis obligatio extendatur etiam ad ipſum conductorem; adeo ut pro anno jam inchoato non poſſit recedere à locatione. Verùm ſtandum eſt conſuetudini loci.

10 Quamobrem locatio fructuum fundi eccleſiaſtici facta cum omnibus prærecenſitis conditionibus non extinguitur per mortem Prælati, benè tamen, ſi talis locatio non fieret nomine Eccleſiæ, ſed tantùm ipſius Prælati, tunc enim locatio morte Prælati locantis expirat, nec poteſt ſucceſſor ad talem locationem obligari: ſiquidem Prælatus non potuit rem illam ultra tempus ſuæ vitæ, vel ſuæ adminiſtrationis locare, proinde fructus, & reditus rei locatæ, nomine Prælati locantis ad ſucceſſorem pertinent, cui reſervantur *c. ult. de offic. judicis ordinar. in 6. c. relatum 12. de teſtam.* Abbas *in c. ult. n. 8. ut Prælati vices ſuas.* Idque procedit etiam quando Prælatus, qui nomine ſuo locavit fructus beneficii, eidem poſtea renuntiat ante finitam locationem, tunc nec ejus ſucceſſor tenetur ſtare locationi, imò etiam ſi vellet, adhuc conductor poteſt eidem non ſtare, quia contractus tamdiu durat, quamdiu perſeverat adminiſtratio contrahentis, & hæc ceſſat per hoc quòd, qui contraxit, renuntiat beneficio.

11 Dantur tamen aliquæ cauſæ, ob quas ſucceſſor compellitur ſtare locationi factæ à ſuo prædeceſſore, tametſi in re jam locata ſuccedat jure emptionis, donationis, permutationis, vel alia qualibet ratione, ut tradit Covarruvias *lib. 2. variar. reſolut. c. 15. num. 3.* Prima eſt, quando pactum fuit, ut is, cui res jam locata donatur, venditur, vel alio quovis jure conceditur, ſtet locationi antea factæ *l. emptorem C. de locato l. ſi merces. §. qui fundum. ff. locati:* tunc enim emptor ſupponitur voluiſſe concedere uſum rei locatæ ipſi conductori, qui ſi expelleretur, poſſet agere contra venditorem, ut reſtituat, quod ipſius intereſt. Secunda, quando emptor, qui ſuccedit in re antea locata, pactum inivit cum conductore, ut in re locata permaneat *l. emptorem C. de locato.* Tertia quando conductor inivit pactum, ut res ſibi locata maneret etiam ſibi obligata ex jure, & nomine hypothecæ, ut locator eam alienare non poſſet *l. ſi creditor §. ult. ff. de diſtract. pignor.* Quarta quando locator generatim omnia ſua bona obligavit, ut notat Covarruvias *lib. 2. variar. reſol. c. 15.* Quinta quando quis emit rem locatam ea lege, ut conductor ageret contra eum ad reſtituendum ſibi, quidquid ſua intereſt: tunc emptor, qui emit à fiſco, non poteſt conductorem expellere. Sexta, quia alicubi ſtatuto caveri ſolet, ne emptor conductorem excludat, ſi ipſe conductor voluerit ipſi ſolvere, quidquid lucri amittit, ac reſarcire quidquid damni patitur, ex eo quòd compellatur ſtare locationi.

12 Tenetur conductor ad reſarciendum damnum rei conductæ, ſi hæc pereat, vel deterior fiat dolo, vel culpa lata, vel etiam levi ipſius conductoris. Non item ſi pereat caſu fortuito, vel culpa leviſſima conductoris *l. ſi ut certo 5. §. nunc videndum ff. commod. & l. contractus 23. ff. de regul. jur.* quia locatio eſt in utilitatem utriusque locatoris, & conductoris. Quòd ſi pactum fuerit, ne ex dolo obligetur, tale pactum eſt irritum, quia contra bonos mores *l. ſi quis fundum. l. ſed de damno.* Secus ſi pactum ſit, ut conductor teneatur ex culpa leviſſima, vel caſu etiam fortuito, valet pactum, quia non eſt contra, ſed præter ſubſtantiam contractûs, proinde poſſunt contrahentes paciſci, ut res conducta ſit periculo ipſius conductoris, non locatoris, Gloſſa *in l. ſi quis fundum*, ſed tunc locator tenetur ratione oneris injuncti conductori, vel mercedem minuere, vel pretium aliud conductori ſolvere, eò quia periculum ſuſceperit rei locatæ. Tenetur conductor vi locationis cuſtodire rem locatam in aliquibus, non ita in omnibus; ſi enim conducatur paſtor ad gregem paſcendum, eo ipſo intelligitur conductus ad cuſtodiendum gregem: at ſi Petrus conducat horreum, ut in ipſo frumentum reponatur, vel conducat dolia ad vinum aſſervandum, non obligatur ad horreum, neque ad dolia: unde interdum in ipſa locatione includitur cuſtodia rei, ut cùm quis locat operam ſuam ad aliquid præſtandum, nonnunquam locatio diſtinguitur à cuſtodia, quæ ſeparatur à re locata, & tunc conductor cavere debet, ne res pereant ex toto, vel ex parte, dolo, vel culpa levi *l. dominus horreum C. cùm in plures §. rerum cuſtodiam. ff. locati.*

13 Hinc niſi conductor ſuâ culpâ cauſam dederit caſui fortuito, ut quia fuerit in mora reſtituendi, vel ſi pactum inierit, ne ignem in ſtabulum deferret, & ipſe detulit, tunc tenetur ad reſarciendum damnum, etiam ſi caſu fortuito tale incendium obtigerit *l. videamus 11. §. ſi hoc ff. h. t.* Rurſus ſi etiam expreſsè ſit conventum, ut conductor teneatur de minore culpa, vel caſu fortuito, ut ſuperiùs diximus, quia tunc ſtandum eſt pacto. Interdum locantur etiam res valdè pretioſæ, quæ ſuapte natura exactiſſimam in cuſtodiendo requirunt diligentiam, ſed tunc conductor tenetur damnum reſarcire, etiam ex culpa leviſſima *§. penult. inſtit. h. t.* ubi dicitur,

quæ

qui pro usu vestimentorum, aut argenti, vel jumenti mercedem dedit, vel accepit, ab eodem talis custodia desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet: his enim rebus significatur etiam culpa levissima.

14 Verùm communior sententia est, quòd quando argentum utriusque gratiâ commodatum est, tantùm ex culpa levi, & non levissima teneatur quis ad damnum resarciendum, & hoc videtur etiam procedere in contractu locationis, & conductionis, quia initur gratiâ utriusque: unde in citato textu illud superlativum *diligentissimus* ponitur pro positivo, ut notat Mynsing. *in d. §. qui pro usu instit. h. t.* Quòd si locator vitiosam rem locaverit, ex qua conductor fuerit damnum passus, tenetur ad illud resarciendum, si dolo, vel culpa lata, vel levi locatoris illatum fuit, non ita si casu fortuito, vel ex culpa levissima: quia contractus locationis initur in commodum utriusque.

15 Generatim res locata perit domino, si casu fortuito pereat, hinc si superveniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ absque culpa conductoris, & ob quod debeat deserere rem conductam, vel ea non uti; non tenetur ad pensionem solvendam pro illo tempore, quia conductor non censetur promittere pensionem, nisi prout re illa uti possit in suum commodum. Quòd si impedimentum oriatur ex culpa conductoris, vel ab illa originem trahat, ut si causa sui commodi conductor cogatur aliò proficisci, & rem locatam deserere, non potest quidquam de pensione detrahere, nisi fortassis cum domino rei conductæ convenerit. Generatim conductor tenetur de dolo, de culpa lata, & de levi, non verò de levissima, nec de casu fortuito, cùm contractus sit in commodum utriusque; conductor tantùm tenetur, si res quam conduxit ad suum usum, vel ad fructum ex ea capiendum ipsius negligentia periit, vel deterior facta est: nunquam tamen tenetur nisi aliunde deductum sit in pactum; si eam diligentiam in re custodienda adhibuit, quæ communiter à conductoribus solet adhiberi.

§. V.

De emphyteusi quid sit, & quotuplex, & quæ ad ipsam requirantur.

1 OB maximam, quam emphyteusis habet affinitatem cum locatione, & conductione summus Pontifix contractum emphyteuticum ad hunc retulit titulum: est enim veluti medius inter contractum emptionis, & venditionis; & contractum locationis, & conductionis; adeo ut olim dubitaretur, num esset contractus emptionis, & venditionis; vel potiùs locationis, & conductionis ob similitudinem, quam cum iisdem habet; donec Zeno imperator distinctum, ac specialem fecerit contractum; hinc agitur de contractu emphyteutico in jure civili *in tit. Codicis de jure emphyteutico, & in novella 7. & 120. ut etiam in §. 3. Inst. h. t.* & in jure canonico *in c. nulli 3. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Rursus *in extravag. Ambitiosæ eod. tit. inter commun.* ac demum *in c. potuit 4. h. t.* quâ ratione agunt canonistæ de emphyteusi in hoc titulo. Est emphyteusis nomen græcum, quod latinè idem est ac implantatio, seu insitio: dicitur ager dari in emphyteusim, quando datur, ut conseratur arboribus, vel segetibus: inde accommodatum est hoc nomen ad significandum contractum, quo res in emphyteusim datur.

2 Definitur emphyteusis contractus nominatus juris gentium bonæ fidei constans solo consensu, quo res immobilis cum translatione utilis dominii, retento directo, seu proprietate alicui datur colenda, & ad usum, idque vel in perpetuum; vel ad vitam illius, cui concreditur, vel etiam ad unam, vel plures generationes sub onere certæ pensionis realis solvendæ habenti dominium directum rei emphyteuticæ. Hinc differt emphyteusis à locatione, quia illa tantùm est de rebus immobilibus, quæ cultura possunt meliorari, ut ager, fundus; locatio verò etiam de rebus mobilibus servo, equo. Tum quia in emphyteusi transfertur utile dominium rei *l. 1. & 2. ff. si ager vectigalis* secuta traditione rei, ut regulariter fit in cæteris contractibus *l. traditionibus 20. C. de pact.* Secus in locatione ne quidem jus utile, seu reale transfertur in conductorem, sed solus usus *l. non solet. 39. ff. h. t.* Covarruvias *l. 2. variar. resolut. c. 16. n. 1.* Differt etiam emphyteusis à contractu censuali reservativo; quia in hoc utrumque dominium utile, & directum transfertur in censualistam reservato censu, seu pensione quot annis solvenda; ita tamen ut licèt pensio, seu census triennio non sit solutus, non propterea res censualis cadat in commissum.

3 Secus in emphyteusi non transfertur dominium directum; neque dominium utile absolutè transfertur, sed tantùm sub conditione, si canon, vel pensio solvatur: siquidem non purificata conditione dominium utile iterum reassumitur à proprietario, ut notat Julius Clarus *lib. 4. §. emphyteusis q. 1. num. 2.* ubi etiam indicat aliud discrimen, quia censum solvimus ex re nostra, pensionem verò emphyteuticam ex re aliena, eò quia in contractu emphyteutico dominium directum, seu proprietas rei maneat apud concedentem rem emphyteuticam. Differt etiam à feudo, quia in hoc tantùm personale servitium, ac fidelitas à vasallo exhibetur domino, si sit merum feudum: in emphyteusi verò solvitur vera, & realis pensio. Differt etiam à contractu libellarii, qui tunc fit cum vasallus, & emphyteuta concedit alteri prædium pro annua pensione, quod ipse ab alio habuerat in feudum, vel emphyteusim; adeo ut in contractu libellario transferatur dominium directum, & proprietatis à concedente in eum, qui rem accipit in emphyteusim, quæ propterea à plerisque dicitur emphyteusis subalterna, & distinguitur à contractu emphyteutico, in quo dominus proprietatis retento sibi dominio directo concedit alteri solum dominium utile sub onere certæ pensionis realis solvendæ quot annis domino proprietatis, ut notat Julius Clarus *lib. 4. §. emphyteusis q. 1. n. 1.* Differt etiam ab usufructu, quia hic non trans-

fert dominium utile; sed est tantùm servitus personalis consistens in solo usu, & hæc servitus non transit ad hæredes, imò neque quoad ipsum jus potest transferri in alium §. *finitur instit. de usufructu l. si usufructus 66. ff. de jure dotium.* Rursus est etiam de natura usufructus ut ad differentiam locationis, & conductionis gratuitò constituatur sine annua pensione, quæ omnia minimè emphyteusi conveniunt.

4 Quòd verò in definitione emphyteusis dicitur esse contractus, qui solo consensu perficatur, non videtur inter doctores ita certum. Alii enim asserunt ad perfectionem hujus contractûs requiri scripturam, vel instrumentum, sine quo non oritur obligatio, & fundantur in textu *l. 1. C. de jure emphyteutico*, ubi habentur hæc verba *scriptura interveniente*: & quia ponuntur in ablativo absoluto important conditionem, adeo ut sensus sit, *si scriptura intervenerit. argum. l. ab emptione 58. ff. de pact.* cum plurimis aliis similibus: atqui conditione non purificata actus conditionatus nullum sortitur valorem, quia conditio suspendit obligationem. Tum quia si in specie contractus aliquis in scriptis fiat ante expeditionem scripturæ non est validus, proinde non inducit obligationem *l. si contractus 17. C. de fide instrument.* has ob rationes Julius Clarus §. *emphyteusi q. 4.* asserit, hanc sententiam esse communem.

5 Verùm pro contraria sententia Harprechtus *in §. 3 instit. h. t. num. 57.* plures congerit doctores, & rationes, quibus contrariam sententiam probabiliorem ostendit, eò quia prior sententia fundetur *in textu l. 1. C. de jure emphyteutico*, ubi in ablativo absoluto ponuntur illa verba *scriptura interveniente*, quæ tamen videntur habere ambiguum sensum, & possunt facilè explicari non de dispositione juris, sed de narratione facti. E contra in omnibus aliis contractibus, etiam iis, qui cum emphyteusi plurimum habent affinitatis, ac proximam similitudinem, ut in emptione, locatione, & feudo, non requiritur scriptura, quæ propterea non est de substantia contractûs, nisi expressè aliter contrahentes pacisc antur: unde ob aliqua unius textus verba non videtur recedendum à communibus contractuum regulis.

6 Cæterum possent pugnantes sententiæ reconciliari, si media via incedamus, asserentes per leges civiles, ac in foro externo requiri in contractu emphyteutico scripturam, non quidem ad substantiam contractûs, sed ad probationem judicialē, manente naturali obligatione ex solo consensu, quæ perinde ac in pactis nudis obligat in foro interno; in judicio autem fori civilis ad declinandas lites non admittitur probatio, nisi per scripturam ostendatur contractus initus: hinc in statutis Bavaricis *tit. 21. num. 3.* emphyteusis non aliter probatur, quàm per documenta litteraria: in aliis etiam regionibus, qui prætendit fundum emphyteuticum necesse est, possit exhibere concessionem illius scriptam: & hæc scriptura dici etiam solet investitura emphyteutica. Verùm aliud est, actum non obligare in foro externo nisi probetur per scripturam; & aliud non oriri obligationem ex solo mutuo consensu in foro interno, licèt nulla præcesserit scriptura, quia in foro interno attenditur sola veritas rei, adeo ut emphyteuta in recognitionem dominii directi rementis penes proprietarium, & in compensationem dominii utilis sibi concessi teneatur in conscientia solvere annuam pensionem, tametsi contractus solo mutuo consensu libero absque scriptura initus fuerit, ut statuitur *in §. adeo instit. de locat. & conduct.* Neque refert, an pensio modica sit, vel magna, quia absolutè loquendo potest esse adæquata fructibus detractis expensis, & habita ratione laudemii: ex consuetudine tamen solet semper esse minor, & modica.

7 Neque refert, an annuus canon, seu pensio solvatur in pumerata pecunia, vel in fructibus, oleo, aut vino, quia ex natura contractûs unum non magis requiritur, quàm aliud, & id dependet ex pacto contrahentium. Quòd si emphyteuta hanc pensionem per tres annos continuos in laica emphyteusi, vel per duos in ecclesiastica solvere neglexerit domino proprietatis, emphyteusis cadit in commissum, seu emphyteuta amittit rem, quam in emphyteusim acceperat, quæ propterea redit ad dominum habentem dominium directum in illa, fitque iterum unio in eadem persona dominii directi, & utilis *l. 2. C. de jure emphyteutico, & e. potuit. 4. h. t.* in favorem autem Ecclesiæ minus temporis requiritur in emphyteusi ecclesiastica, quam civili.

8 Idque procedit, quamvis res emphyteutica magni sit valoris, & pensio modica: ratio est, quia pensio potiùs solvitur ab emphyteuta in recognitionem dominii directi, quàm ratione rei in emphyteusim datæ, in qua longior cessatio posset inducere oblivionem emphyteuseos, proinde non attenditur quantitas pensionis, sed diligentia in ea solvenda, ut notat Zoësius *ff. h. t. §. de emphyt. num. 76.* Immo procedit etiam quòd emphyteuta amittat totam emphyteusim, si integram pensionem negligat culpabiliter solvere, adeo ut non sufficiat, si tantùm partem canonis solvat, quia non est pars pensionis, sed tota pensio, quæ datur in recognitionem dominii, imò dominus partem pensionis ex re emphyteutica non compellitur recipere *l. eadem, 3. junctâ Glossâ V. in solidum C. h. t.* imò si ex pluribus hæredibus, ad quos res emphyteutica pervenit unus non solvat partem pensionis, quam debet, quamvis cæteri suas solvant partes, adhuc tota res in commissum cadit: ratio est, quia defunctus erat in solidum obligatus ad solvendam totam pensionem: & hæc obligatio non potest mutari facto hæredum: sed in solidum ad omnes, & singulos transit hæredes *l. 2. §. ex his igitur ff. de V. O.*

9 Hinc hujusmodi obligatio solvendi pensionem est individua, & pœna ab omnibus hæredibus committitur, quamvis unus tantùm ex illis delinquat, ut notat Zoësius *loc. cit. n. 78.* Fachinæus tamen *lib. 1. controvers. c. 97.* censet, hæredes defuncti emphyteutæ non teneri ex persona defuncti tanquam hæredes, sed tanquam novos emphyteutas ex propria persona: sed contraria sententia est communior, additque ad pœnam caducitatis incurrendam non requiri

quàm sententiam judicis, sed emphyteutam ipso jure privari re emphyteutica, dummodo probetur, quòd per triennium in re emphyteutica sæculari,& per biennium in ecclesiastica solutionem canonis culpabiliter omiserit, & desumitur *ex l. 2. ibi si dominus solverit C. de jure emphyt.* Julius Clarus *cit. §. emphyteusis q. 9.* Mynsing. *centur. 3. obser. 65.* immo potest emphyteuta ob non solutum canonem à domino expelli, quamvis priùs non fuerit monitus, ut solvat, quia quando tempus solvendi à lege, vel ab homine partium conventione definitum est, non est opus, ut debitor admoneatur, sed transacto tempore fit obnoxius pœnæ *l. magnam 12. C. de contrahend. stipul.*

10 Id tamen limitatur in pluribus casibus. Primò si dominus sit debitor emphyteutæ,ita ut tantum debeat emphyteutæ annuatim, quantum hic tenetur eidem solvere, quia tunc emphyteuta potest uti compensatione,ut notat Abbas *in c. 2. n. 11. de depos.* Secundò,qui ob probabilem ignorantiam, vel aliam justam causam non solverit canonem, ut quia hæres non scivit rem esse emphyteuticam, tunc enim ex æquitate ob justum errorem restituitur in integrum, quia ubi culpa non est, nec pœna est infligenda,ut notat Julius Clarus *loc. cit. q. 8. n. 9.* Tertiò si emphyteuta re ipsa obtulit pensionem domino, loco, & tempore congruo, & hic noluit eam recipere, tunc etiam absolvitur à pœna caducitatis, quia per ipsum non stetit, quò minus pensio solveretur. Quartò, si emphyteuta moram purgaverit,adeo ut statim post elapsum biennium, vel triennium, pensionem solvat: hæc autem purgatio moræ, vel est spatium decem dierum,eò quia tale tempus comparativè ad biennium, vel triennium censeatur tempus modicum *l. promissor. 21. §. 1. ff. de constit. pecun.* Alii tamen censent,id arbitrio judicis relinquendum esse, cùm in jure nil inveniatur determinatum, & revera in emphyteusi civili illa purgatio moræ exigit majus tempus. Immo de rigore juris non admittitur purgatio moræ, sed tantùm ex quadam æquitate.

11 Ex hactenus dictis infertur,plures ad contractum emphyteuticum requiri conditiones. Prima ut constituatur de re immobili, & frugifera,solóque adhærente, ut in agris,domibus, pascuis, sylvis, stagnis, & similibus, quæ cultu, & industria possunt perfici, ac meliora fieri.

12 Secunda,ut dominium directum, seu possessio civilis rei emphyteuticæ maneat apud priorem dominum; & solum dominium utile transferatur in emphyteutam conditionatè, si statutum canonem solverit: hinc emphyteuta non potest præscribere dominium directum, quia possessio requisita ad præscriptionem semper inhæret proprietario.

13 Tertia,ut singulis annis emphyteuta teneatur canonem solvere, vel in pecunia numerata, vel in collectis fructibus, & hæc pensio ordinariè est semper minor, quàm valeant fructus rei emphyteuticæ detractis expensis, licèt possit fructibus esse adæquata. Quòd si emphyteuta negligat solutionem pensionis biennio in re emphyteutica ecclesiastica,vel triennio in sæculari amittit rem emphyteuticam cum omnibus meliorationibus,& ea redit ad dominum directum.

Quarta,si res pereat sivè culpa emphyteutæ,aut occupetur ab hoste absque spe illam ampliùs recuperandi,emphyteuta liberatur à solutione pensionis, nisi fortassis se obligaverit etiam ad casus fortuitos: siquidem res emphyteutica perinde ac quælibet alia res, si pereat, perit domino habenti dominium directum,proinde res emphyteutica perit proprietario: quòd si aliqua pars rei emphyteuticæ supereſſet, adhuc emphyteuta teneretur ad integram pensionem si modica sit, alioquin ex æquitate faciendа esset remissio pro rata amissæ partis, ut notat Julius Clarus *q. 8. n. 9.* 14

Quinta,quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel levi emphyteutæ, ut si arbores inciderit, si sylvam combusserit, si vineam amputaverit, emphyteuta potest privari re accepta in emphyteusim, sive hæc ecclesiastica fuerit, sive sæcularis, quia emphyteuta non aliter rem accepit, quàm ad illam meliorandam: unde si illam notabiliter deteriorem reddidit suæ non satisfecit obligationi: proinde potest re emphyteutica privari: ad judicandum verò, num deterioratio notabilis sit, standum est judicis arbitrio. 15

§. VI.

An res emphyteutica possit alienari? & quid de laudemio, & rebus Ecclesiasticis?

CErtum est, emphyteutam non posse vendere alteri jus,seu dominium utile,quod obtinet in re emphyteutica,nisi servato modo præscripto *in c. pervit 4. h. t.* ubi habetur, quod emphyteuta possit vendere meliorationes, & suum jus, si moneatur primò Ecclesia,an velit illud emere, dicendo quantùm sibi ab aliis offeratur. Si Ecclesia respondeat, se nolle emere, vel per duos menses non respondeat, tunc potest vendere: aliàs si præsumit vendere, vel per biennium non solvit canonem, nisi studeat sibi celeriter consulere, & moram purgare, potest expelli, tametsi ei non fuerit nuntiatum,ut canonem solveret, quia dies statuta interpellat pro domino, unde emphyteuta debet semper denuntiare domino, si velit jus suum emere, alioquin cadit ab illo, & rursus quantum pretium ab alio possit accipere,idque requiritur ut dominus possit deliberare, an ipse oblato eodem pretio velit rem emphyteuticam emere. Rursus post talem denuntiationem adhuc tenetur emphyteuta per duos menses expectare, antequam alteri vendat. Non tamen potest vendere iis, qui emere prohibentur. Sub hisce conditionibus permittitur emphyteuta vendere jus suum, idque ob necessitatem, quâ nonnunquam potest premi, & ne amittat lucrum, quod ex tali venditione posset percipere, ut notat Zoësius *in ff. h. t. §. de jure emphyteut. n. 100.* 1

Cæterum si eodem pretio velit dominus proprietarius rem emphyteuticam emere, præferendus est aliis emptoribus. Quòd si in alie- 2

natione facta alteri protestaretur, se vendere rem illam salvo, & reservato consensu domini proprietarii, adhuc caderet jure suo, quia talis protestatio esset contraria facto, nisi sit protestatio geminata, ut si dicat salvo, & reservato consensu domini, & non alio modo, adeo ut si dominus, ad quem pertinet dominium directum hujus rei, noluerit hanc alienari hoc modo, res non intelligatur alienata.

3 Quòd si emphyteuta post venditionem factam eam recuperaret, adhuc intelligitur cecidisse jure suo, proinde non evadit pœnam privationis; quia jus jam est quæsitum domino directo per privationem ipso jure incursam, ut notat Julius Clarus *q. 8. num. 6.* Immo neque potest emphyteuta melioramenta, quæ suo labore, & industria fecit in re emphyteutica vendere sine consensu domini, quia in his dominus est præferendus aliis emptoribus, si ea velit emere, quia hujusmodi emolumenta contigerunt rei, cujus ipse habet dominium directum: non tamen id procedit si in ipsa investitura, seu concessione emphyteuseos pactum sit, quòd liceat emphyteutæ rem emphyteuticam vendere, tunc enim etiam domino non requisito potest res emphyteutica vendi, quia consensus domini supponitur adesse ob concessionem factam emphyteutæ vendendi rem emphyteuticam; prout ipsi magis libuerit, ut etiam si concessa sit alicui emphyteusis pro se, & aliis, quibus ipse dederit, tunc enim subintelligitur clausula, ut consensus domini non requiratur; alioquin ultra jus commune nil operaretur. Ut
3 etiam si dominus à novo emphyteuta, cui res est vendita, quamvis absque consensu directi domini, pensionem accipiat, quia tunc etiam censetur consentire in alienationem, & pœnam caducitatis ab emphyteuta incursam remittere.

4 Non tamen ut emphyteuta pœnam incurret caducitatis satis est, si contractus alienationis sit celebratus; sed ulteriùs requiritur, ut tradita sit res emphyteutica vera, non ficta ipsi emptori, quia ante traditionem res non dicitur perfectè alienata *l. alienatum 67. §. de verb. signif.* Julius Clarus *loc. cit. q. 13. num. 3.* ubi addit, quòd juxta æquitatem requiritur etiam actualis, & realis traditio. Præterea hæc alienatio non debet esse ficta, vel simulata, sed vera, & realis, quia per hanc tantùm transfertur dominium, non verò per fictam. Tum quia alienatio simulata, & ficta cùm sit invalida, non comprehenditur nomine alienationis *argum. l. si fe 4. §. condemnatum ff. de re judic.* & cùm in alienatione ficta dominium utile adhuc maneat penes emphyteutam, ideo hic non incurrit pœnam privationis.

5 Demum debet hujusmodi alienatio non solùm esse vera, sed etiam pura, & non conditionata, quia si emphyteuta dicat, vendo tibi hanc rem emphyteuticam, si dominus directus eam nolit emere, cùm conditio adjecta suspendat effectum, non intelligitur res vendita, ut notat Clarus *q. 13. n. 3.* & ratio est, quia ante purificatam conditionem, & traditionem rei, venditio non est omnino perfecta, & dominium nondum translatum: unde res non censetur adhuc alienata, & ut emphyteuta incurrat pœnam privationis, debet res esse alienata, eò quia tenus pœnam incurrit, quatenus per talem venditionem ipso jure privatur dominio utili, unde quamdiu hoc non privatur, non censetur incurrere pœnam.

6 Cæterum potest emphyteuta rem emphyteuticam alteri donare etiam domino directo, seu proprietario non interrogato, quia hoc jure non est prohibitum, non tamen potest donatarium investire, seu in possessionem mittere; sed ad id tenetur rogare dominum directum, ut ipsemet velit id facere: quia non potest hoc præstare, nisi sit persona idonea, à qua facilè possit obtineri solutio canonis, & quæ solemni stipulatione promittat se soluturum canonem: eodem pacto, & sub hisce conditionibus potest etiam eam legare, oppignorare, permutare, ut docet Baldus, quòd si res sit ecclesiastica, non potest oppignorari per *authent. hoc jus, & qui rem C. de sacrosanct. eccles.* Non tamen emphyteuta potest rem emphyteuticam alteri locare ad decennium, vel ultra, domino proprietario, seu habente dominium directum irrequisito; nisi alicubi contraria inoleverit consuetudo; infra tamen decennium potest rem emphyteuticam locare non requisito domino proprietario, ut tradit Julius Clarus *quæst. 19.* quia locatio ad decennium, vel ultra est vera alienatio rei emphyteuticæ, quoad dominium utile, & quidem pro pretio seu annua pensione solvenda: & emphyteuta non potest rem alienare pretio, quin priùs rem totam aperuerit domino proprietario, eique obtulerit eodem pretio dominium utile, quia dominus ut potè habens dominium directum in rem emphyteuticam, si velit emere dominium utile eodem pretio, quo alii, debet cæteris præferri *l. 3. C. de jure emphyteut.* Pari pacto neque potest eam subemphyteuticare, vel ut vulgò dicitur, dare ad libellum domino proprietario irrequisito, ut notat Clarus *q. 20.*

7 Quòd si res emphyteutica venditione, donatione, permutatione, aut alio modo alienetur, is qui eam accipit tenetur domino proprie- 1
tario pro investitura, seu possessione, quam ab ipso accipit, eidem solvere laudemium *l. 3. C. de jure emphyt.* Est autem laudemium certa quædam pars pretii, seu æstimationis rei venditæ, quæ jure communi est quinquagesima, consuetudine verò trigesima, ut notat Sylvester *n. 28* Dat- 2
ur enim laudemium pro laudatione, & approbatione novi emphyteutæ, ut tradit Joannes de Amanis *cons. 30. circa fin.* & solutio laudemii ad eum pertinet, qui vult investiri, seu ad ipsum emptorem, Jason *in l. fin. num. 41. C. de jure emphyteut.* & quia laudemium jure communi est pars 50. pretii, ideo quantitas laudemii est, 3
ut duo solventur pro centenario, Fulgos. *cons. 6. §. quidam emphyteuta circa medium.*

8 Idque procedit etiam in emphyteusi Ecclesiæ, quia contrarium de jure canonico non habetur, & quando in hoc jure non reperitur contrarium dispositum, censetur tunc approbata lex civilis Fulgos. *cons. 6.* id tamen limitatur, nisi sit consuetudo, vel statutum, vel decretum

Prin-

Principis ſolvendi majorem ſummam, Alexander *cons. 5. ſi vera ſunt. num. 22. lib. 5.* Quòd ſi minor ſumma ex ſtatuto laicorum induceretur, non propterea hoc ſtatutum obligaret Eccleſias, niſi eſſet à Papa, vel ejus officiali confirmatum, quia ſæculares non poſſunt Eccleſiis legem imponere, cum nullam in ipſas habeant jurisdictionem. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus non ſolvitur laudemium. Primò quando hæres neceſſarius accipit rem emphyteuticam titulo hæreditatis: ſecus eſt in hærede extraneo. Secundò ſi alienatio ſit neceſſaria, ut ſi Pater non habens alia bona danda filiæ, ei det fundum emphyteuticum in dotem. Tertiò quando reſoluto contractu, & pacto de redimendo, res redit ad venditorem. Quartò quando plures hæredes rem emphyteuticam inter ſe dividunt, Barboſa *in cap. ſi. in c. vlt. h.t. n* 31.

9 Quòd verò ad res eccleſiaſticas pertinet; certum eſt, ſpectato jure communi, & ſecluſa conſuetudine, non poſſe Prælatum bona Eccleſiæ dare in perpetuam emphyteuſim, aut in generationes aliquas ſine juſta cauſa neceſſitatis, aut utilitatis, & ſervatis ſolemnitatibus jure præſcriptis *c. nulli 5. de reb. eccl. alienand. vel non alienand.* ubi dicitur, nulli liceat alienare rem Eccleſiæ ſuæ immobilem, ſive agrum, ſive ruſticum mancipium: neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conductionem (aliàs conductionem nempe ad longum tempus) donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perfectum contractum, idque habetur etiam *in extravag. Ambitioſ.* ubi Paulus II. etiam prohibet tales contractus perpetuos emphyteuticos.

10 Quòd ſi fundi antea in emphyteuſi dati per mortem emphyteutæ ſine hæredibus, vel ob delictum ejusdem; vel quia finitum ſit tempus conceſſionis, vel ex alia cauſa ad Eccleſiam revertantur quoad dominium utile, poſſunt tunc iidem à Prælato etiam ſine conſenſu capituli, & aliis juris ſolemnitatibus iterum in emphyteuſin alteri concedi, etiam non obſtante juramento de non alienandis rebus Eccleſiæ: dummodo hæc ſecunda conceſſio in emphyteuſim fiat cum utilitate Eccleſiæ, & colligitur *ex c. 2. de feudis* ubi habetur, quòd ſi res Eccleſiaſticæ proximè ante datæ fuerant in feudum, vel emphyteuſim, poſſint iterum ſic dari abſque ſolemnitate, quam jus canonicum præſcribit, dummodo id fiat, ad evidentem utilitatem Eccleſiæ; & antequam illius rei fructus incorporentur Eccleſiæ, ſeu ejus uſibus à Prælato applicentur, ut notant etiam Clarus de emphyteuſi *q. 6. & de feudo q. 13.* Covarruvias *lib. 2. variar. c. 17. num. 4.* ratio, quæ communiter adducitur, eſt, quia hæc ſecunda conceſſio rei in emphyteuſim, non eſt nova alienatio, ſed tantùm continuata executio antiquæ ordinationis, illius ſcilicet, quæ antea facta fuerat, ut ob utilitatem Eccleſiæ fundus, vel feudum daretur in emphyteuſim: ſiquidem ex origine cujusvis contractus, & cauſæ quid ſtatuendum, & agendum ſit, dignoſcitur *Gloſſa penult. in l. unic. C. de imponenda lucrativa deſcript. lib. 10.* Unde ſufficit, ſi res ſemel in feudum, vel emphyteuſim conceſſa fuerit, & ad Eccleſiam reverſa, non fuerit eidem incorporata *argum. c. 2. de feud.* Quòd ſi Eccleſia velit retinere apud ſe rem feudalem: vel emphyteuticam ad ſe reverſam, utique id ei licet, adeo ut non poſſit compelli, ut de novo rem illam concedat alteri, ut propinquiori hæredi, cognato defuncti emphyteutæ, ut notat Roſenthal. *tract. de feud. c. 4. conclus. 26.* Mynſing. *centur. 5. obſer. 47. n. ult.*

Quinimò ſi mutato rerum ſtatu res emphyteutica fuerit notabiliter meliorata, ac plurimum utilitatis ſit Eccleſiæ allatura, tunc ceſſat cauſa primæ conceſſionis, proinde nequit Prælatus rem illam ad Eccleſiam reverſam de novo in emphyteuſim concedere, vel infeudare: ut, Eccleſia conceſſit Caio in emphyteuſim fundum ad ripam fluminis, eò quia tum ob ſterilitatem ſoli, tum ob expenſas ad divertendum alveum fluminis, nihil utilitatis Eccleſiæ adferebat. Si poſtea flumen alveum mutavit, & fundus factus ſit longè amplior, & tellus feracior, ac per mortem emphyteutæ revertatur ad Eccleſiam, tunc quia ceſſavit cauſa primæ conceſſionis in emphyteuſim, non poteſt Prælatus Eccleſiæ de novo concedere in emphyteuſim ſine ſolemnitatibus jure præſcriptis. Quòd ſi mutatio modica eſſet, tunc non eſſet Prælato obici, quo minus ſine ſolemnitatibus poſſet eum iterum concedere in emphyteuſim, ſed quia ad id teneretur cum emolumento, & utilitate Eccleſiæ, ideo deberet reditus, ſeu penſiones pinguiores exigere, ut notat Roſenthal. *loc. cit. conclus. 39.*

Conceſſio enim rei in emphyteuſim, vel feudum debet fieri taliter, ut inde major utilitas Eccleſiæ adferatur, quàm ex poſſeſſione ipſius rei emphyteuticæ poſſet derivari, alioquin conceſſio in emphyteuſim non eſſet utilis Eccleſiæ; proinde conceſſio eſſet irrita, niſi ex authoritate ſuperioris fieret: ſed probabile eſt, tunc conceſſionem non fore irritam in totum, ſed tantùm quoad exceſſum, ut notat Roſenthal. *loc. cit. c. 4. conclus. 37.* ſiquidem utile, per inutile non vitiatur, quando commodè poſſunt ſeparari, niſi clarè conſtet, aliam fuiſſe mentem contrahentium, quia ſi paciſcantur, ut contractus valeat in totum, tunc ſtandum eſt pacto adjecto contractui.

Hinc ſi res Eccleſiæ data fuit in emphyteuſim pro maſculis tantùm, & nunc de novo concedatur pro fœminis de jure communi irrita eſt non conceſſio emphyteuſis, ſed in tali conceſſione ipſa extenſio ad fœminas, ut notat Clarus *§. emphyteuſis q. 6. num. 2.* Pari pacto, ſi antea conceſſa fuit res in emphyteuſim ad vitam emphyteutæ tantùm; & poſtea concedatur ad plures generationes; vel ad hæredes emphyteutæ valida eſt conceſſio quoad vitam emphyteutæ tantùm; & invalida quoad extenſionem ad hæredes, vel plures generationes. Demum non poteſt res emphyteutica ſi revertatur ad Eccleſiam denuò concedi in emphyteuſim pro minore utilitate, ſed tantùm pro majore, ut notat Piaſecius *p. 2. in prax. c. 5. artic. 2. cap. 20.*

Sin verò fundus emphyteuticus, vel feudalis ad Eccleſiam reverſus ad ipſam fuit incorporatus,

poratus, vel applicatus menſæ Epiſcopi, vel Prælati, non poteſt poſtea absque conſenſu Capituli, aliisque ſolemnitatibus jure præſcriptis ſimili modo alteri in emphyteuſim concedi. Quòd ſi diu Epiſcopus talia bona non applicaverit ad ſuam menſam, nec incorporaverit Eccleſiæ, poteſt infra annum ea in emphyteuſim iterum concedere non ita dilapſo anno; quia tunc cenſentur deſtinata ad menſam Epiſcopi, ſi iſte ea penes ſe retinuit uno anno, ut notat Panormit. ſecutus Archidiaconum *c. 1. 32. q. 8.* in dubio enim, an fundus ille reverſus ad Eccleſiam ſit incorporatus eidem, nec ne; ſi Epiſcopus per annum illum retinuit, eo ipſo cenſetur ejus menſæ incorporatus, adeo ut nequeat deinceps absque ſolemnitatibus requiſitis illum alienare, neque concedere in emphyteuſim; notat tamen Menoch. *de arbit. judic. cas. 433. n. 39.* nullum tempus quoad hoc eſſe jure definitum, proinde judicis arbitrio id eſſe relinquendum, ut ſpectatis circumſtantiis declaret, an ex lapſu temporis, quo Prælatus intermiſit fundum iterum in emphyteuſim concedere, conjici poſſit, eum voluiſſe fundum illum ſuæ menſæ applicare, vel Eccleſiæ.

15 Res verò immobilis Eccleſiæ recèns acquiſita per donationem, hæreditatem, legatum, vel alium acquirendi titulum, cenſetur ſtatim Eccleſiæ incorporata, vel Prælati menſæ applicata, eo ipſo, quòd dominium pleno jure eſt Eccleſiæ acquiſitum, adeo ut ſine juſta cauſa, & ſolemnitatibus jure præſcriptis non poſſit à Prælato concedi in emphyteuſim: hæ autem ſolemnitates ſunt. Primò, ut fiat ſuper ea re tractatus, ſeu ut in Capitulo diſcutiatur allatis utrinque rationibus, an expediat rem illam concedere alteri in emphyteuſim. Secundò, ut Capitulum expreſsè conſentiat, & talis conſenſus non datur niſi poſt tractatum, cujus eſt veluti concluſio: non tamen eſt neceſſe, ut ſinguli de Capitulo ſuffragati fuerint, ſed ſatis eſt, ſi major pars præſentium conſenſerit, quia tunc totum Capitulum conſenſiſſe cenſetur, major enim pars ſecum trahit minorem. Tertiò ut Capitulum ſubſcribat, ubi conſuetudo in contrarium non inoleverit; quia conſuetudine receptum eſt, ut ſufficiat ſubſcriptio publici Notarii. Quartò ut adſit authoritas ſuperioris; qui in non exemptis eſt Epiſcopus; & in exemptis Prælatus, cui Eccleſia, vel Monaſterium immediatè pleno jure ſubeſt, ut Abbas in eccleſiis ſibi ſubjectis: Generalis, vel Provincialis in ordinibus mendicantium, aliisque, qui eorum fruuntur privilegiis.

16 Servata tali forma, & poſita juſta cauſa poteſt res immobilis recèns Eccleſiæ acquiſita per donationem, hæreditatem, legatum, vel alium acquirendi titulum concedi in emphyteuſim, vel feudum, vel ſpecialiter oppignorari: quia licitum eſt, res Eccleſiæ ex juſta cauſa, & ſervatâ formâ juris, vendere, permutare, alienare, proinde multò magis dare in emphyteuſim: quinimo ſi alicubi ex inolita conſuetudine forma juris ſervata non fuerit; alienatio non cenſetur invalida, dummodo adfuerit conſenſus illorum, qui ex natura rei debent conſentire: ratio eſt, quia cum talis forma ſit jure poſitivo humano introducta, poteſt contraria conſuetudine aboleri, tametſi aliqui Canoniſtæ videantur oppoſitum docere.

§. VII.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones

1 QUæritur primò, an res Eccleſiæ poſſit in perpetuam emphyteuſim alteri concedi, adeo ut ſemper tranſeat ad quoscunque hæredes in perpetuum? Ratio dubitandi eſt, quia *Novell. 7. c. 3.* Imperator conſtituit, ut emphyteuſis eccleſiaſtica ultra virum, & uxorem (ſi tamen viri, & uxoris, nominatim in contractu facta ſit mentio) filios item, ac nepotes non extendatur. 2 converſo *in novell. 120. c. 6.* conceditur abſolutè, ut res Eccleſiæ, & locorum piorum poſſint in perpetuam emphyteuſim concedi. Ob hanc contrarietatem jurium Doctores hac ſuper re non conveniunt, ut notat Julius Clarus §. *emphyteuſis q. 28. num. 6.* Alii enim docent eſſe de natura emphyteuſis eccleſiaſticæ, ut ultra filios, & nepotes ad alios extraneos hæredes non tranſeat, niſi ſpecialiter in conceſſione fiat mentio expreſſa hæredum. E contra alii id negant, & dicunt, præfatam *novell. 7.* non obligare Eccleſias, eò quia ſit conſtitutio emanata à Principe ſæculari non habente jurisdictionem in Eccleſias, nec perſonas eccleſiaſticas *c. Eccleſia 10. de conſtit.* Addúntque præfatam *novellam 7.* fuiſſe correctam per *novell. 120. c. 6.* ut per poſteriorem.

Quinimo Gottofredus *ad d. c. 3. in novell. 7. in V. ad ſolam vitam*, aſſerit, Imperatorem inſtituiſſe talem conſtitutionem pro ſola Eccleſia Conſtantinopolitana, adeo ut non intenderit obligare alias Eccleſias; quæ tamen reſponſio omnino rejicienda eſt, quia ſicut Imperator non habuit jurisdictionem in Eccleſiam Conſtantinopolitanam, ita non potuit per ſuam conſtitutionem eam obligare: non enim Princeps poteſt obligare niſi ſuos proprios ſubditos. Has inter pugnantes ſententias ſecunda defenditur à pluribus gravioribus doctoribus, quos citat Julius Clarus §. *emphyteuſis q. 28. num. 6. & ſeq.* & nititur optimo juris textu, & qui ex alio capite conſulit indemnitati, ac utilitati Eccleſiarum, pro quarum favore in dubiis convenit reſpondere, *l. ſunt perſonæ ff. de Religioſis, & ſumpt. funer.* ideo videtur eidem adhærendum, & ad conciliandas pugnantes ſententias reſpondendum eſt, non potuiſſe Imperatorem prohibere, quin ex juſta cauſa concurrentibus ſolemnitatibus jure præſcriptis emphyteuſis eccleſiaſtica in perpetuum, & etiam pro hæredibus extraneis concedi poſſit *argum. d. c. eccles. de conſtit. 10.*

3 Cæterum in dubio non eſt præſumenda emphyteuſis data in perpetuum, & mentio hæredum reſtringenda eſt ad proximos hæredes, ſanguinis nimirum, ad filios, & nepotes. qui jure naturæ ſunt hæredes *l. cum ratio ff. de bonis damnator.* Et quamvis prohibitio *dicta novell. 7.* neqveat Eccleſiam excludere à conceſſione rei in perpetuam emphyteuſim, poteſt nihil

eminus extraneos hæredes subditos legi imperatoriæ excludere à petitione, quando ipsis per Ecclesiam non est factum expressum pactum: & in hoc sensu potest etiam explicari *novell.* 120. ne jura juribus adversentur, & ad evitandam correctionem jurium *c. cum expediat de elect. in 6.*

4 Quæritur secundò, ad quem pertineat emphyteusis, si emphyteuta in religione approbata solemnem emittat professionem? Respondetur, quòd si Religiosus ante emissam professionem nihil de tali emphyteusi disposuit, & fuerit professus religionem incapacem bonorum stabilium, ac reditoum, ut sunt ordines Minorum de observantia, Capucinorum, & Clericorum Regularium Theatinorum, imò societatis JESU quoad domos professas, in emphyteusi non succedit Monasterium, nec religio, si emphyteusis sit hæreditaria transiens non solùm ad hæredes necessarios, sed etiam ad extraneos: sed tunc devolvitur ad proximum consanguineum, qui aliàs succedit ab intestato. Quòd si emphyteusis non sit hæreditaria, sed tantùm ex pacto, tunc ad eos pertinet, qui vocantur secundùm investituram, seu vi primæ concessionis, seu institutionis eam accipiunt, tametsi non sint hæredes.

5 Quòd si nullus adsit, tunc cessat emphyteusis, & res quoad dominium utile revertitur ad dominum directum: quia solemnis professio in religione approbata æquiparatur morti naturali, qua extingueretur emphyteusis, Molina *tract. de justitia disp. 482 num. 3.* Sin verò emphyteuta professionem emittat in ordine capaci bonorum stabilium, & redituum; tunc adhibenda est distinctio, vel enim est emphyteusis hæreditaria, quæ nequit ad extraneos transire, & tunc transit quidem ad Monasterium, vel Ordinem, perinde ac tranſeunt cætera bona talis Religiosi, sed debet Monasterium, seu religio saltem post mortem sui professi eam aliquo modo alienare: quia redderetur detetior conditio domini directi, siquidem amitteret omnem spem accipiendi impostetum laudemium, & acquirendi dominium utile: quia unà cum persona religiosa omnia ejus jura, & bona transeunt in Monasterium, proinde etiam emphyteusis, & quilibet ususfructus. Sin verò emphyteusis non sit hæreditaria, sed tantùm ex pacto, tunc non transit in Monasterium, seu religionem, sed in illa succedunt post mortem Religiosi, qui ad eandem ex investitura vocantur: utilitas tamen emphyteuseos, quamdiu professus Religiosus vixerit, ad Monasterium pertinet: & si post ejus obitum nulli adsint, qui vocentur ex investitura emphyteusis quoad dominium utile, revertitur ad dominum directum, ut docet Molina *tract. de justit. disp. 182. n. 2. & 3.*

6 Quæritur tertiò, an valeat locatio rei ecclesiasticæ si fiat ad triennium adjecta conditione, quòd si ultimis sex mensibus partes quiescant, & nihil innovent, censeatur facta ad aliud triennium. Ratio dubitandi est, quia locatio rei ecclesiasticæ ad longum tempus est in jure canonico prohibita; & tantùm ad breve tempus per *clem. 1. de reb. eccles. non alienand.* conceditur; & hoc breve tempus censetur communiter esse triennium; imò id declaratur etiam *in extravag. ambitiosa eod. tit.* Unde dubitatur, an per adjectam conditionem, si ultimo semestri locatarius, & locans taceant, censeatur innovata locatio ad aliud triennium, & sic deinceps, & censeatur talis locatio valida? quòd videatur suum sortiri valorē ex eo potest conjici, quia adjectâ conditione, si locator, & conductor ultimo semestri tacuerint, locatio pro secundo triennio non est absoluta, sed tantùm conditionalis, quæ non parit obligationem, nisi post purificatam conditionem *l. necessario §. quòd si pendente ff. de pericul. & commod. rei vendit. l. quamvis tit. si certum petatur.* siquidem conditio casualis, quæ potest esse, & non esse, cujusmodi est ista, impedit, ne oriatur obligatio ante purificatam conditionem *l. cedere diem. ff. de verb. signif.* ubi Glossa *V. pendente. l. non omnis. ff. si cert. pet* Rota *decis. 567. n. 3. p. 3. recent. apud Farinacium:* ubi autem non oritur obligatio, ibi non initur contractus, de cujus natura est, obligationem inducere, unde contractus pro secundo triennio non perficitur, nisi post elapsum ultimum semestre primi triennii, proinde sunt distincti contractus.

7 Tum quia paria sunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, si conferantur in tempus habile *l. in omnibus ff. de hered. instit.* unde quamvis cum primùm fit locatio sit tempus inhabile, eò quia non possit tunc fieri pro secundo triennio, suspenditur tamen contractus, & confertur in tempus conditionis purificatæ, ideo confertur in tempus habile, quia tunc fieri potest nova locatio pro alio triennio, quæ propterea videtur subsistere, ut facta in tempore habili.

8 Nihilominus dicendum est, talem locationem esse contra dispositionem *extravag. ambitiosa de reb. eccles. non alien.* siquidem conditio illa apposita revera non est conditio vera, quia hæc suspendit actum, adeo ut nullum sortiatur effectum, donec ipsa purificetur *l. conditionales ff. de verb. significat.* & præfata conditio adjecta triennali locationi non suspendit actum, donec purificetur, eò quia supponit locationem perfectā, etiam pro secundo triennio; & tantùm ipsam modificat, ac qualificat, ut faciat resolubilem ad placitum contrahentium: idque ex eo evincitur, quia eadem locatio eo ipso durat pro secundo triennio, si partes nil dicant, & noluerint resolvere in vim primæ conventionis: quapropter non eveniente conditione resolutionis permanet locatio contra naturā actus conditionalis, qui non ponitur nisi eveniat conditio; quamobrem est conditio tantùm resolutiva, quatenus constituit actum jam præexistentem resolubilem juxta doctrinam Glossæ *in l. 2. ff. de in diem. adject.* Bart. *in l. 1. V. tertia differentia ff. de condit. & demonst.* Paris. *consil. 5. n. 12. lib. 4.* unde prædicta locatio pro primo triennio est irresolubilis, ac irrevocabilis, proinde necessaria: & pro secundo triennio est ad beneplacitum partium, adeo ut possint partes pro libito eam continuare

ed by Google

vel non, prout ipsis magis libuerit, & quatenus est ad beneplacitum, intelligitur pura, sed postea partium voluntate resolubilis *c. fi gratioſè de reſcript. in 6. l. 4. ff. locati, & conducti.* Decius *conſil.* 108. *n.* 5.

9 Hinc fundamentum, quo nititur contraria sententia procedit ex falso supposito, quatenus supponit, locationem esse conditionalem cùm revera sit absoluta, & tantùm resolubilis. Quòd si dicas, præfatam locationem non prohiberi *in clement.* 1. *de rebus eccles. non alienand.* nec *in extravag. ambitioſæ eod. tit.* quia cùm sit locatio resolubilis, & ad beneplacitum non continetur sub præfatis prohibitionibus: quia cùm sint odiosæ restringuntur ad locationem necessariam, quæ partium voluntate non fit resolubilis. Contra est, quia locatio tametsi resolubilis, adhuc est vera locatio, & quidem cum omni proprietate: siquidem est locatio pura, & in prædictis textibus prohibetur omnis locatio ultra triennium: etiam venditio est propriè venditio, licèt sit resolubilis, & cum pacto retrovendendi, & ideo comprehenditur sub præfatis prohibitionibus *clem.* 1. *& extrav. ambitioſæ.*

10 Præterea falsum est, dictas constitutiones esse odiosas, proinde restringendas ad solas locationes necessarias, non extendendas ad resolubiles: etenim cum finis talium constitutionum sit, ut promoveantur, & conserventur bona ecclesiastica, nulli est dubium, quin sint in favorem Ecclesiæ, proinde tantùm abest, quòd sint odiosæ, ut revera sint favorabiles propterea ampliandæ ad omnes species locationis. Quòd si ita non essent, fieret fraus legi prohibenti locationes ultra triennium: siquidem tali pacto fierent ultra triennium, immo & per plura ac plura triennia, cùm semper sit in potestate partium ultimo semestri tacere, & nihil innovare ex præterito, quo pacto locatio semper duraret ex vi primæ conventionis: & quod est prohibitum una via, non censetur aliâ permissum *l. quod dictum ff. de pact. l. cum hi §. ſi cum iis ff. de tranſact. c. cùm quid una via de regul. jur. in 6.*

11 Neque urget, si dicas, silentium partium in ultimo semestri esse conditionem, qua exstante habetur signum voluntatis innovandi locationem pro sequenti triennio. Quia cum hujusmodi signum sit appositum initio contractus arguit ab initio adesse voluntatem continuandi locationem pro secundo triennio: proinde quòd locatio fiat de præsenti, licèt ad beneplacitum sit resolubilis postea per manifestationem voluntatis resolvendi. Hinc ad resolutionem ex solo silentio partium requiritur positiva, & expressa voluntas partium, ad hoc ut impediatur, ne transeat ad secundum, & tertium triennium, quapropter ex vi primi contractus locatio subsistit etiam pro secundo triennio: de facto enim nisi quid de novo exprimatur ex se transit ad secundum triennium, quapropter est locatio in se absoluta, & conditio adjecta non afficit ipsum contractum, sed ad summum ejus executionem, ut notat Tuschus *litt. C, conclus. 579 num. 4. 6. & ſequent.* Praterea dato etiam, & non concesso, quòd hujusmodi locatio esset conditionata, adhuc contineretur sub prohibitione, siquidem purificatâ conditione fieret absoluta, & quia conditio retrotrahitur à die adventus ipsius conditionis ad diem conventionis *l. qui balneum l. potior. ff. qui pot. pign. l. ſi quis ſub conditione ff. de vulg. ſubſtit.* inde sequeretur, quod ab initio facta esset locatio ultra triennium, cum pro secundo triennio adhuc valeret in virtute prioris dispositionis contra *extravag. ambitioſæ de reb. eccleſ. non alien. & clement. 1. eod. tit.*

12 Quæritur quartò, an locatio ad beneplacitum expiret per obitum locantis? Quamvis habeatur ut regula communis, quòd beneplacitum expiret per mortem concedentis *l. locatio 4. ff. locati. l. uxorem 41. §. Scævola ff. de legat. 3.* Felin. *in c. litteris num. 10. de conſtit.* Gonzales *ad regul. 8. cancell. in prooem. §. 1. num. 6.* Covarruvias *lib. 3. variar. c. 15. num. 2.* Rota *in Bononienſi Parochialis die 18. Martii 1613. coram Verospio.* Nihilominus patitur talis regula suas limitationes, nec potest universaliter vera esse, proinde distinguendum est de beneplacito quo ad ea, quæ dependent in conservari à voluntate concedentis: & quoad ea, quæ semel concessa non ampliùs dependent quoad conservationem à voluntate concedentis: præterea quæ in conservari dependent, vel sunt effectus voluntatis particularis ipsius concedentis, vel sunt effectus jurisdictionis, seu potestatis publicæ, id est, sunt quidem effectus voluntatis concedentis, non tamen simpliciter, sed ut informatæ publica potestate, & jurisdictione. 12

13 Certum est, beneplacitum quoad ea quæ non dependent in conservari à voluntate concedentis non extingui morte ipsius, quia quæ non dependent in conservari à voluntate concedentis, non exigunt continuum influxum conservativum beneplaciti, sed per se subsistunt: quando enim effectus habet per se omnia requisita ut subsistat, & non dependet in conservari à tali causa, tametsi hæc cesset, non tamen cessat effectus *l. ſanximus C. de adminiſt. tutor.* Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa limit. 12. n. 2.* Præterea licèt verum sit, voluntatem finiri per mortem *l. cùm hic ſtatus §. fin. ff. de donat. inter vir. & uxor.* id tamen ita intelligitur, ut solùm finiatur, quatenus non possit ampliùs aliquid de novo velle, non verò ut revocetur prior voluntas, quia aliud est, voluntatem cessare, & aliud voluntatem revocari, ut notat Bartol. *in l. mare majorum circa fin. ff. de jurisdict.* quia ut cesset voluntas, sufficit, si desinat, ut contingit per obitum; ut autem revocetur requiritur contraria voluntas: hinc est, quòd licèt per mortem cesset voluntas de novo aliquid velle, non tamen per mortem revocatur, ut notat Alexander *in l. centeſimis. §. fin. de verb. obligat.* & Innocentius *in c. licèt de offic. delegat.* quòd si voluntas non revocatur, manet firmum beneplacitum quoad ea, quæ in conservari non dependent à voluntate, eò quia non indigeant ejus concursu, ut causa conservante, sed sufficit, quòd non interveniat opposita voluntas revocatoria.

hinc

hinc ſi clauſula *ad beneplacitum* addatur conceſſioni in iis, quæ non dependent in conſervari à concedente, reſolvitur in hanc aliam clauſulam, donec revocata fuerit conceſſio, ut notat Baldus *in c. ſi gratioſè de reſcript. in 6.* ſiquidem clauſulæ debent regulari ſecundùm naturam diſpoſitionis, & actûs, cui adjiciuntur, ut notat Rota *decis. 23. num. 24. p. 5. recent.* & quia præſens actus non indiget conſervari ad continuationem beneplaciti, ideo tantùm ſignificatur, quòd poſſit per beneplacitum revocari.

14 Quòd ſi conceſſio ad beneplacitum ſit de genere eorum, quæ indigent continua conſervatione, tunc ſi conceſſio ſit actus hominis, ſeu voluntatis, ut informatæ jurisdictione publica, tunc non extinguitur per mortem concedentis, quia cùm jurisdictio ſit perpetua, & non extinguatur morte illius, in quo reperitur, neque extinguitur beneplacitum circa ea, quæ ſunt actus talis poteſtatis *c. ſi gratioſè de reſcript. in 6.* quia tunc tam conceſſio, quàm beneplacitum non ſunt actus privati, ſed publici, & nituntur publica authoritate, quæ nunquam deſinit, hinc quæ fiunt authoritate publica, quamvis adjiciatur clauſula ad beneplacitum non ceſſant morte concedentis.

15 Ad dignoſcendum verò, quænam publica authoritate fiant, & quæ à privata perſona; juvat obſervare, quòd ea dicuntur fieri publica authoritate, quæ proveniunt à voluntate reſpiciente bonu n publicum, & ea à privata perſona, quæ proveniunt à voluntate reſpiciente finem tantùm privatum, & commodum perſonæ privatæ, cujusmodi eſt conceſſio retinendi beneficia, quæ de jure non poſſunt retineri, hæc enim voluntas reſpicit privatum commodum: cùm enim poteſtas, & jurisdictio ſit quid publicum, habeátque pro objecto, & fine publicum commodum, ſequitur quòd quoties Princeps operatur aliquid intuitu publici commodi, illud operetur in virtute publicæ poteſtatis, adeoùt actus ipſius ſit actus voluntatis ut informatæ publica poteſtate: ſecus quoties actus reſpicit privatum commodum, & finem privatum, tunc eſt actus hominis, ac privatæ perſonæ, quia finis privatus non poteſt ut improportionatus movere publicam authoritatem; proinde in tali caſu non operatur publica poteſtas, ſed tantùm privata voluntas innixa publica authoritate.

16 Hinc ad quæſtionem directè reſpondetur, locationem ad beneplacitum expirare per obitum ipſius locantis, quia beneplacitum in ordine ad locationem dependet in conſervari à voluntate locantis, quæ cùm per obitum ceſſet, ita etiam ceſſat ipſa locatio, cùm enim locatio habeat tractum ſucceſſivũ, & locatio facta ad beneplacitum dependeat in conſervari à voluntate privata ipſius locantis, non verò à jurisdictione, & poteſtate publica, ideo ceſſat per obitum locantis. Præterea quia per mortem locantis res locata tranſit ad hæredes, proinde in alterius dominium, & cùm locatio tunc fiat dependens ab alterius voluntate ceſſat, niſi ab hac eadem voluntate manuteneatur, ac velit locationem continuare Id tamen procedit, niſi aliter in

contractu locationis, & conductionis pactum fuerit, quia ſi conductor domum conduxerit ad tres annos, & ſolverit anticipatè ipſam pecuniam, non ceſſaret per mortem locantis ipſa locatio, niſi ſucceſſor ſolveret conductori datas pecunias, & conſervaret indemnem ipſum conductorem: ſiquidem in contractibus locationis, & conductionis præſertim ſtandum eſt pacto in ſcriptis facto, ut notat Gloſſa *in l. ne cui 30. V. pacta.*

Quæritur quintò, an poſſit, qui pluribus o- 17
peram ſuam in ſolidum locat, plura integra accipere ſtipendia? Ratio dubitandi eſt, quia ſi una, ac eadem res reddatur duobus, non poteſt illius rei integrum pratium exigi à ſingulis: ſed locatio propriæ operæ ſe habet inſtar venditionis, opera enim perinde venditur, ac res alia, quæ pretio datur venum, proinde ſi duobus elocata fuerit in ſolidum, non poteſt locans à ſingulis integrum pretium exigere. Tum quia in quovis contractu juſto debet ſervari æqualitas, quæ hîc minimè ſervaretur, quia locans pro opera, cujus valor non excederet decem florenos, acciperet 30. & 50. ſi pluribus eandem locaret in ſolidum, tum quia ſi Petrus paciſceretur cum Paulo centum florenis obire pro illo peregrinationem ad limina Apoſtolorum, poſſet pari pretio paciſci cum Joanne, Franciſco, & Andrea. Tum quia ſi commiſſarius cauſarum, cui pro unius cauſæ expeditione, quando ſuum exercet officium proficiſcendo, permiſſum eſt ſingulis diebus accipere ſex florenos ab eo, cujus negotia gerit, poſſet accipere 12, & etiam 18. ſi pro aliis duobus negotia ageret, quod tamen non videtur æquitati conſonum, quia ſtatim per exiguum laborem poſſet multum diteſcere.

Verùm in hac quæſtione procedendum eſt 18
cum diſtinctione cum Leſſio *lib. 2. c. 24. de locat. & conduct.* vel enim quis obligat ſuam operam ſingulis in ſolidum taliter, ut teneatur eam præſtare pro ſingulis ſeorſim, tametſi alii non concurrerent; & tunc non poteſt tantum exigere, quantum ſi uni ſoli eam obligaret, quia obligatio partialis, eſt minoris pretii, quàm totalis, & integra, perinde ac dominium partiale eſt minus totali: hinc Nuntius ordinarius non poteſt tantùm exigere à ſingulis pro delatione litterarum, quantum exigeret ab uno ſolo, ſi illi tantùm ſuam operam obligaret. Vel opera multis præſtita non eſt tam utilis, ac commoda ſingulis, quàm uni ſoli exhibita, & tunc neque poteſt tantum exigi à ſingulis, quantum exigeretur ab uno ſolo, ſi illi tantùm opera impenderetur, quia tunc opera non tantùm prodeſt ſingulis ſimul, quàm prodeſſet, ſi tota præſtaretur in beneficium unius ſolius: unde pretium tunc non debet menſurari ab illis pluribus, quibus præſtatur opera, ſed ab ipſo valore operis in ſe, alioquin pro re, cujus valor non excederet 10. poſſet quis accipere centum, vel 200, florenos, ſi eandem impenderet pro 10. & 20.

Quòd ſi quis obligaret operam ſuam plu- 19
ribus, & ſingulis in ſolidum, & illa æquè commoda eſſet ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſolo eſſet exhibita, neque poſſet à ſingulis tantum

exigere quantum posset ab uno solo, si pro illo tantùm operam præstaret, est contra Lessium *loc. cit.* quia alioquin si quis pro se solo deberet mittere Nuntium Monachio Viennam Austriæ, & pro accessu, & recessu deberentur ipsi 200. floreni; si ab aliis etiam negotia susciperet transferenda Viennam, vel etiam epistolas necessarias, quæ deberent quàm primùm transmitti illuc, posset accipere plura millia florenorum, si plures concurrerent ad epistolas, vel negotia illuc transmittenda per talem Nuntium, quia unusquisque tantum deberet solvere, quantum daret, si ab ipso solo Nuntius ille Viennam mitteretur; unde in tali casu licèt à principali mittente posset exigere omnes expensas pro accessu, & recessu, non tamen ab aliis, sed tantùm quoddam honorarium: & ratio est, quia ille labor in itinere suscipiendo non debet æstimari in ordine ad plures mittentes suas Epistolas Viennam, sed in ordine ad proprium meritum, adeo ut tantum Nuntius accipiat, quantum exigit labor, quem impendit in tali itinere addito, aliquo honorario dando ab aliis mittentibus per eundem nuntium sua negotia Viennam: & in hoc sensu procedit prima sententia, quæ propterea mihi videtur probabilior, quia locatio operarum est instar venditionis, & sicut res eadem non potest duobus in solidum vendi, ita nec eadem opera duobus in solidum locari, & à singulis integrum pretium exigi, alioquin si ludimagister deberet operam suam totam præstare uni tantùm discipulo, qui propterea daret ludimagistro medium florenum singulis diebus pro sua congrua sustentatione, eò quia debeat sustentari ex sua opera, quam præstat uni tantùm, si eandem præstare 200. studiosis, eodem pacto exigeret à quolibet eorum medium florenum singulis diebus, & sic pro sua opera acciperet in mercedem singulis diebus centum florenos, quod videtur absurdum, cùm opera diurna Ludimagistri à nemine tanti æstimetur; unde attendenda est opera in se, & ejus valor.

20. Quæritur sextò, an licitum sit locare domum ei, qui creditur ea abusurus ad peccatum mortale? Respondet Navarrus *c. 17. num. 195.* non esse licitum locare domum meretrici absque justa, & urgente causa, eò quia id perinde esset, ac ministrare materiam ad abusum contra castitatem. Mendos. tamen *in 2. 2. disp. 173. sect. 30. §. 394.* id limitat in casu, quo domus non possit alteri locari, alioquin si adsit alius conductor, asserit non esse licitum locare domum meretrici, quia unusquisque tenetur vitare, ac impedire, ne actus turpes in sua propria domo exerceantur, quoties absque incommodo potest hos impedire, imò addit, quòd si fœmina prudenter æstimaretur alibi honestè victura, omittendum tunc potiùs esset lucrum, & domus vacua relinquenda, ut præcideretur fœminæ occasio peccandi, & castè imposterum viveret. Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4.* & Salonius *in 2. 2. q. 77. art. 4. controvers. 6. post. 4. conclus. coral. 3.* censent, adhuc posse domum meretrici locari, tametsi dominus posset alteri commodè eandem domum locare. Id tamen limitant nisi loci circumstantia occasionem daret pluries peccandi, aut nisi aliis honestis fœminis in eadem platea commorantibus multum noceret: in hisce circumstantiis dicunt, quòd si domus posset alteri æquali pretio locari, non deberet meretrici locari, ne damnum inferret honestis fœminis in eadem platea commorantibus; quòd si non possit alteri suam domum locare, censent, quòd non obstante tali damno possit eam meretrici locare, eò quia locatio domus sit valde remota à peccato, ac proinde si alia circumstantia non accedat locare meretrici domum non est cooperari peccato. Verùm si elocator possit, & teneatur peccatum alterius impedire, censerem non posse meretrici suam domum locare, si certò sciat, esse in eadem peccaturam, alioquin videretur ei præbere occasionem ad peccandum: quinimmo si nemo vellet suam domum meretricibus locare, tunc procul dubio non morarentur in civitate, nec essent aliis occasio peccandi.

Neque putârim, posse suam domum locare meretrici, *si* hæc sit datura scandalum in tali platea commorantibus, quia tenetur quisque saltem ex charitate impedire damnum spirituale proximi. Neque obstat, quòd, si meretrix non habitet in tali domo, possit facilè aliam conducere, & eam inhabitare, quia ex eo, quòd alii non bene agant locantes meretricibus suas domus, non inde sequitur, quòd Petrus debeat suam domum meretrici locare, sicuti ex eo, quòd alii peccent, non sequitur, quòd debeat etiam Petrus peccare. Unde ad summum si ex nulla circumstantia, & malo fine talis elocatio vitietur, cùm sit per se indifferens, permitti posset, sed difficulter fieri potest, quòd talis elocatio depuretur ab omni prava circumstantia. 21

Neque obstat, quòd meretrices in plerisque civitatibus permittantur ad vitanda majora mala. Nam ex eo, quòd permittantur in republica, tantùm sequitur, quòd nullus privatus teneatur eas ejicere, non verò quòd privatus debeat ipsis suam domum elocare, si enim sciam meretricem in mea domo futuram esse scandalo, ad evitandam ruinam spiritualem proximi in mea domo, non debeo eam elocare meretrici. Cæterum plures censent, posse meretrices permissas in Republica locare domus ad inhabitandum, & quæstum faciendum ex proprio corpore, & posse quemlibet privatum suam domum eis elocare & hoc idem etiam dicunt de usurariis, eo quia æquè usurarii, ac meretrices permittantur in Republica. Verùm quoad usurarios jure canonico prohibitum est, ne quis usurariis, alienigenis domum suam elocet *c. 1. de usur. in 6.* 22

Quæritur septimò, an possessor emphyteuticus, si cadat ab emphyteusi ob culpam, amittat ea omnia, quibus rem meliorem fecit, & quæ in jure melioramenta vocantur? Respondetur possessorem emphyteuticum tunc illa omnia amittere, & desumitur *ex l. 2. C. de jure emphyt. & ex authent. de alienat. & emphyteusi c. fi vero quis*, tametsi non desint, qui putent, id tantùm procedere in melioramentis, & sumptibus, sive impensis communibus, & consuetis, non de impensis, quæ sunt raræ, & insolitæ, 23

ac

at magni pretii, quia poſſeſſor emphyteuſis ex contractu emphyteutico tenetur rem meliorem efficere. Quòd ſi melioramenta facta fuerint poſt commiſſum delictum, ut ſi Titius poſſeſſor rei emphyteuticæ, poſtquam incidit in pœnam commiſſi, rem fecerit multò meliorem. Dubitant aliqui, an tunc ad eundem pertineant hujusmodi emolumenta rei? ſiquidem malæ fidei poſſeſſor non facit ſua emolumenta rei poſſeſſæ.

24 Nihilominus ſi emolumenta fuerint communia, & conſueta, probabiliùs eſt, pertinere, ad emphyteutam, ſi is poſt pœnam commiſſi in ſe emphyteutica permaneat ſciente, & tacente domino, quia tunc cenſetur dominus emphyteuſim renovare: ſecus eſt, ſi dominus nihil reſcierit, vel ſi ſciverit, contradixerit, tunc enim ſi emphyteuta retinet rem emphyteuticam non eſt illius poſſeſſor bonæ fidei, proinde melioramenta rei non facit ſua, ſicut malæ fidei poſſeſſor non facit ſuam rem, neque quæ ſunt eidem acceſſoria. Quòd ſi emphyteuta rem effecit meliorem ex pacto inito cum domino directo, eò quia in ea plantaverit vites, arbores, ædificaverit domum, adhuc hæc melioramenta ad dominum pertinent, qui rem emphyteuticam ea conditione dedit, ut is, qui eam accipit, meliorem faceret. Tum quia emphyteuſi extincta revertitur tota res cum ſuis melioramentis ad dominum directum.

25 Quæritur octavò, an Prælatus poſſit concedere ſuis conſanguineis emphyteuſim reverſam ad Eccleſiam? Negant plerique, quibus accenſetur Harprechtus *in* §. 2. *inſtit. h. t. num.* 197. & fundatur in *Authentic. quibuscunque C. de SS. Eccleſia, & in Novella* 120. *cap.* 5. ubi œconomis, ac venerabilium domorum adminiſtratoribus, eorúmque conſanguineis interdicitur accipere emphyteuſin, & hypothecas rerum pertinentium ad hujusmodi venerabiles domos; idque ad eum finem, ne adminiſtratores, & œconomi Eccleſiæ fraudem, ac damnum inferant *c. decenter diſt.* 89. Nihilominus reſpondetur non reperiri hactenus ullam conſtitutionem canonicam, quâ conſanguinei Prælati eccleſiaſtici prohibeantur accipere emphyteuſim eccleſiaſticam; quòd ſi eam accipiant cum evidenti utilitate Eccleſiæ, & omnia agantur bona fide; adeout non minorem hauriat Eccleſia utilitatem ex emphyteuſi conceſſa conſanguineis Prælati, quam haberet, ſi alteri concederetur; non videtur rationi conſonum, debere hac in parte conſanguineos eſſe deterioris conditionis. Neque citata conſtitutio ullum faceſſit negotium; quia eſt civilis emanata à ſæculari Imperatore, qui non poteſt eccleſiaſticos obligare, in quos non habet jurisdictionem. Præterea illa conſtitutio non loquitur de prælatis; ſed tantùm de œconomis, & ſimilibus inferioribus adminiſtratoribus locorum piorum; quorum poteſtas eſt longè reſtrictior, & authoritas minor, quàm in Prælatis, qui præcitata conſtitutione non poſſunt obligari, eò quia non ſubjiciantur jurisdictioni ſæculari Covarr. *c.* 31.

26 Quæritur nonò, an emphyteuta poſſit rem emphyteuticam ſibi conceſſam alteri obligare titulo hypothecæ? Zerola *V. emphyteuta n.* 4. Molina *diſput.* 461. §. *majus dubium* & alii reſpondent, poſſe emphyteutam rem emphyteuticam alteri concedere titulo hypothecæ conſtituendo jus cenſûs, vel aliam ſervitutem ad dies vitæ concedentis: imò etiam locare ad breve tempus, dummodo non fiat ipſius rei emphyteuticæ locatio ſimpliciter; ſed alicujus commoditatis ex ea percipiendæ cauſa ab ipſo emphyteuta quamdiu vivit: hæc opinio videtur probabilis, quia ex hac conceſſione nullum videtur damnum, aut præjudicium inferri domino directo; neque inde oritur periculum, quo minus dominium directum ſervetur indemne.

27 Quæritur decimò, an Eccleſia, vel alius dominus emphyteuſis ad ſe reverſæ ob finitam generationem, vel ex alio cauſa teneatur eam concedere cognatis ultimi emphyteutæ, ſi hi petant, ſibi dari; vel ſaltem ſint præferendi ceteris extraneis? Reſpondent plures affirmativè, & fundantur *in textibus l. Imperator* 60. *ff. de pactis l.* 1. *ff. de privilegiis creditorum*, ubi habetur, quòd ſi bona debitoris vendantur, in emptione eorum creditores ſint præferendi cognatis; & cognati extraneis.

28 Rurſus *in l. jubemus* 3. §. 5. *C. de advocatis diverſorum Judicum*, filii advocatorum ſi idonei ſint, ad officium ſuorum parentum præmortuorum admittuntur ante extraneos. Nihilominus contraria ſententia mihi videtur probabilior, quam præ cæteris docent Harprechtus *in d. l. jubemus* 3. Andreas Gaillus *practic. obſerv. lib.* 2. *obſerv.* 148. *num.* 2. quia tametſi videatur adeſſe quædam convenientia, ne dominus in nova conceſſione emphyteuſis ad ſe reverſæ præferat extraneos conſanguineis ultimi emphyteutæ; ſi eam pro ſe, vel pro ſuis velit reſervare: in rigore tamen nulla domino directo oritur obligatio; neque jus petendi habent conſanguinei ultimi emphyteutæ: etenim hæc obligatio, vel jus deberet neceſſariò fundari in aliquo pacto, vel lege; ſed non in pacto, quia res ſupponitur ex conſueto pacto emphyteutico liberè, ac pleno jure reverſa ad dominum directum; proinde ſicut quilibet in re ſua propria moderator eſt, & arbiter *l. in re mandata C. mandati*; ideo non tenetur ex juſtitia dominus directus præferre conſanguineos ultimi emphyteutæ extraneis: cuicunque enim conceſſerit rem emphyteuticam ſemper utitur jure ſuo, conſequenter nemini cenſendus eſt *inferre injuriam l. nullus* 55. *ff. de R. J.*

29 Neque ex lege tenetur præferre conſanguineos ultimi emphyteutæ extraneis; quia hæc lex non aſſignatur: quinimo *in Novella* 7. *c.* 3. §. *fin.* hæc petitio conſanguineorum non approbatur, & expreſsè removetur. Tum quia nemo invitus tenetur contrahere, aut vendere *l. invitos* 11. *Cod. de locato. l. invitum, & l. ſed dum Cod. de contrab. emptione.* Neque textus, quibus nititur oppoſita ſententia ullum faceſſunt negotium, quia loquuntur de diverſis caſibus, ut liquet; & à ſeparatis non eſt bona illatio: ibi enim ex publico officio proceditur ad venditionem bonorum; ac diſtributionem offi-

ciorum: hic autem ex privato jure dominii. Ibi nihil præjudicat primo judici si præferat consanguineos extraneis juxta præscriptum legis, à qua suum habet officium, ac dependet: hic autem nimis videretur limitari naturalis facultas dominii, quo cuilibet conceditur uti re sua prout ipsi magis libuerit.

30 Quæritur undecimò, an conductor possit deducere impensas, si quas fecit in re conducta, ut si domum malè materiatam, ac ruinosam restauravit, aliqua in eadem refecit, vel addidit? Respondetur cum distinctione, quia sumptus alii dicuntur ordinarii, qui fiunt ordinariè pro necessario usu rei conductæ, ut pro excolendis campis, arandis agris in ordine ad percipiendos fructus, & hi sumptus non deducuntur, sed eos tenetur conductor ex proprio præstare. Alii sunt sumptus extraordinarii; & hi vel sunt necessarii; ut si domus ruinosa sit necessariò reparanda, vel tectum pluviis pervium resarciendum: vel sunt sumptus utiles, ut si novæ arbores frugiferæ; aut vites inserantur vineæ: vel sunt ad majus commodum, vel etiam voluptatem conductoris: ut si domus pingatur; hortus ornetur, vel alio ordine in ipso disponantur areolæ. Ex hisce sumptibus necessarii, & utiles (si eorum utilitas sit perpetua, & non solùm conductorem, sed etiam dominum rei conductæ concernat) regulariter possunt deduci; quia ex ipsis etiam dominus suum percipit commodum; vel saltem dominus pati debet, ut eos conductor auferat, si absque deterioratione prioris status tolli possint *l. dominus* 55. §. 1. *l. penult. ff. h. t.* Fachinæus *lib. 1. contr. c.* 85. sumptus voluptarii regulariter non deducuntur; nisi ex inde dominus rei locatæ factus sit locupletior; eò quia ob illas impensas rem pluris vendiderit, vel elocaverit majori pensione. Cæterum tollere impensas voluptuarias sine deterioratione rei conductor non prohibetur *l. plane. l. utiles ff. de petitione hereditatis*: sed tunc debet commodum aliquod oriri ipsi conductori; alioquin non esset licitum, si ex mera invidia vellet picturas obradere, ornamenta destruere *l. in fundo* 38. §. *constitutum ff. de rei vendic.* & tunc sibi debet imputare conductor, qui in re aliena fecit impensas illas absque ulla necessitate. Quòd si impensæ ex conventione, aut consensu domini factæ fuerint, tunc ad dominum integrè pertinent.

31 Quæritur duodecimò, quæ actiones ex locatione oriantur? Respondetur, duas nasci, quarũ una dicitur ex locato, quæ contra conductorem convenit locatori pro re locata elapso tempore locationis restituenda cum onere solvendæ pensionis. Altera dicitur ex conducto, quia contrà locatorem convenit conductori, ut si hic impediatur, ne possit uti re conducta: tunc enim conductor agit contra locatorem ad repetendum ab ipso, quod conductoris interest, ut damnum dolo, culpa lata, vel levi illatum sibi compensetur; & restituantur etiam expensæ à conductore utiliter, ac necessariò factæ. Demum ut remittatur etiam pensio pro rata portione, quâ caruit usu rei locatæ. Imò inter causas remissionis recensetur etiam sterilitas agri, si hæc sine culpa conductoris contigerit, ut est illa, quæ provenit ex inclementia aëris, inundatione fluminum, incursione militum *l. ex conducto* §. *si vis l. si uno* §. *quicunque ff. locati l. excepto C. de locat.* §. *propter sterilitatem.* Non tamen quælibet sterilitas ad id sufficit, quia si minor fuerit uno anno potest sequentis anni majore ubertate compensari.

Quæritur tertiodecimò, an emphyteuta, 32
qui per 40. annos non solvit canonem, præscribat immunitatem in futurum. Tametsi non desint, qui censeant, emphyteutam, qui per 30. vel 40. annos pensionem non solvit, si rem emphyteuticam per id tempus possederit, eam præscribere quoad futuram immunitatem, eo innixi fundamento, quia omnis actio hoc tempore tollatur, ut docent Redoanus *in tract. de reb. eccles. non alienand. q.* 24. *c.* 3. *num.* 26. Schurff. *cons.* 10. *centur.* 1. Bero. *conf.* 114. *n.* 23. cui sententiæ adhæret Bartol. *in l. competit C. de præscript.* nihilominus probabilius mihi videtur dicendum, emphyteutã, qui per 30. vel 40. annos non solvit canonem minimè præscribere immunitatem in futurum, ut tradunt Mynsing. *centur.* 3. *obser.* 13. Gaillus *lib.* 3. *obser.* 73. Wesenbec. *lib.* 1. *tit.* 45. *num.* 4. siquidem præscriptio requiritur ad quamlibet annuam pensionem, sive hæc debeatur titulo contractûs, vel ultimæ voluntatis; adeo ut à die cessationis non solutæ pensionis incipiat currere præscriptio tantùm illo anno, quo non fuit canon solutus, & in secundo anno incipiat præscriptio tantùm ab illa die, qua post elapsum secundum annum erat pensio solvenda, adeo ut præscriptio primi anni tantùm incipiat initio secundi, & præscriptio secundi initio tertii, & hujus initio quarti, & sic deinceps, adeo ut tot enumerentur distinctæ præscriptiones, quot erant annuæ pensiones solvendæ; & tempora præscriptionum utpote commensurata annuis pensionibus sunt etiam distincta, & correspondentia præstationibus canonis *l. cum notissimi* 7. §. *in his autem C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum. c. constitutus* 6. *sub fin. extra. de relig. dom. c. olim tamsam* 20. *extra de consti.* unde si beneficio præscriptionis acquireretur immunitas post 30. annum elapsum, non præscriberetur immunitas nisi unius tantùm anni, seu primi, non verò secundi, & tertii, quia 30. anni tantùm fluxerunt in ordine ad primum, non verò ad alios sequentes, qui tali spatio non distant à 30. Præterea præscriptio sine possessione non procedit: & debitor annuarum pensionum, seu præstationum ratione sequentium annorum, ac futurarum præstationum non est in possessione, proinde non potest præscribere.

Quæritur quartodecimò, an si emphyteuta 33
juret se singulis annis soluturum canonem sub pœna incidendi in commissum, si non solvat, revera in pœnam incidat? Diximus in præcedentibus in contractu emphyteutico ex neglecta triennali solutione pensionis rem emphyteuticam redire ad dominum proprietatis cum omnibus meliorationibus, nisi ignorantia, vel legitimum impedimentum excusaverit: & si dominium proprietatis pertineat ad Ecclesiam,

suffi-

sufficere, si per biennium canon non fuerit solutus, nisi celeri satisfactione emphyteuta sibi consulat, seu mulam purget; & post præviam monitionem, si adhuc negligat solvere eo ipso cadere in commissum, seu privari dominio utili rei emphyteuticæ; modo difficultas est, an si emphyteuta juraverit, se singulis annis canonem solutorum ratione perjurii si non solvat, incidat in pœnam.

34 Tametsi plures id affirment, inter quos Natta *cons. 476. num. 21.* Rippa *in c. ex parte n. 20. de rescript.* Baldus *in c. querelam 10. vers. nota quod propter dum extr. de jurejur.* Nihilominus communior, ac verior sententia est, ratione perjurii simpliciter emphyteutam non solventem canonem non incidere in pœnam: siquidem ea est natura contractus emphyteutici, ut emphyteuta ob solam cessationem triennalem à solvendo canone jure suo cadat: & juramentum adjectum contractui emphyteutico non immutat ejus naturam: siquidem juramentum cum sit quid accessorium ipsi contractui, sequitur naturam contractûs, cui adjicitur *l. fin.* & ibi communiter jurisconsulti *Cod. de non num. pecun.* unde cum contractus emphyteuticus ex sua natura tantùm cesset ob triennalem cessationem, juramentum non servatum non potest facere, ut solvatur, ac cesset per non solutum canonem in primo tantùm anno.

35 Tum quia juramentum adjectum contractui induit omnes conditiones, ac limitationes, quas secum trahit contractus *c. quemadmodum* & ibi Panormit. *in c. ad nostram 7. de jurejur.* Tum quia nulla lege cautum est, emphyteutam esse privandum dominio utili ob solum perjurium, ut notat Covarruvias *in c. quamvis de part. in 6. & in 4. §. prima partis relect. num. 5.* & licèt juramentum sequatur conditiones accidentales actûs, cui adjicitur; nihilominus sequitur etiam naturales, & primordiales ejusdem actûs: sic quia natura contractus matrimonialis exigit consensum perfectum, & liberum, ideo consensus metu extortus tametsi juramento firmatus nullam inducit obligationem. Quia solemnis professio religiosa exigit consensum perfectè deliberatum, & ut emittatur post 16. ætatis annum expletum, si emittatur ante id tempus, quamvis juramento firmetur non propterea valida est. Quia natura venditionis exigit compleri traditione rei venditæ, per quam dominium transfertur de venditore in emptorem; si quis tamen sub juramento rem vendat uni, quam postea tradat alteri, prima venditio, quamvis jurata, non est valida defectu traditionis rei venditæ; & secunda tenet, eò quia in ea res fuit tradita.

36 Cùm igitur primordialis natura contractûs emphyteutici exigat, ut rei emphyteuticæ dominium utile non amittatur, nisi post non solutam triennalem pensionem si emphyteusis sit secularis, vel per biennalem si ecclesiastica, tametsi emphyteuta juramento promiserit, se amissurum emphyteusim si ante lapsum triennium, vel biennium canonem non solverit, non propterea dominium utile rei emphyteuticæ amittit, quia contractus emphyteuticus per non servatum juramentum non solvitur. Cæterum ad conciliandas pugnantes sententias posset responderi cum Amico *tom. 5. disp. 25. sect. 2. n. 50.* tunc emphyteutam in pœnam incidere si juramentum fuerit acceptum à domino proprietatis, quia tunc transivit in pactum, & dominus directus acquirit jus ad pœnam incursam exigendam: sin verò tale juramentum non fuerit à domino directo acceptum nullum eidem tribuit jus ad talem pœnam exigendam: sicut nulla promissio non acceptata tribuit promissario jus ad illam exigendam: unde emphyteuta licèt sit perjurus, & reus coram DEO non subeundo incursam pœnam, non tamen est obnoxius restitutioni.

37 Quæritur quintodecimò, an si emphyteuta per triennium non solverit canonem, & dominus directus per sexennium non egerit contra emphyteutam ad eum privandum dominio utili rei emphyteuticæ, adhuc fructus perceptos post primum triennium possit emphyteuta sibi retinere? Respondent plures negativè. Primò quia malæ fidei possessor fructus non facit suos, sed tenetur omnes restituere domino rei *l. fructus 33. l. si mavis 62. §. ult. ff. de rei vindic. l. domum 5. l. si fundum 17. l. certum 22. C. eod.* emphyteuta autem cum post primum triennium ceciderit jure suo, per totum secundum triennium est possessor malæ fidei, proinde non potest facere suos fructus rei emphyteuticæ. Secundò quia usufructuarius ad fructuum restitutionem tenetur, si quos percepit finito usufructu *l. si pater 5. C. de usufruct.* Tertiò quia hæc est natura contractûs conditionalis, ut retrotrahatur *l. si filiusfamilias 78. ff. de verb. obligat.* unde domino declarante se velle privationi locum esse, idem est ac si statim post primum triennium fuerit privatus. Quartò quia principalis causa in similibus contractibus attendenda est, & ab ea debet dispositio regulam sumere *argum. l. si heres 5. ff. de action. empt. l. unic. circa fin. C. de imponend. lucr. descript.* & quia causa principalis ob quam emphyteuta privatur dominio utili est, quia per triennium neglexit solutionem canonis, ideo hæc causa debet inspici, & ex illa judicari privationem inductam esse, statim post elapsum primum triennium. Nihilominus contraria sententia mihi videtur perquam probabilis, quam docent Fachin. *lib. 1. contro. c. 94.* Mynsing. *cent. 6. obser. 83. num. 3.* Diana *tract. 3. de contract. resol. 196.* & alii quos ipse citat; siquidem certi juris est, fructus spectare ad eum, qui habet dominium rei, à qua oriuntur *l. & ex diversa 35. §. 1. l. solùm 49. §. 1. ff. de rei vendic.* sed emphyteuta non privatur dominio utili rei emphyteuticæ antequam dominus directus, seu proprietarius declaret, velle dare locum caducitati *d. l. 2. C. de jure emphyteut.* ubi expresè dicitur, quòd emphyteuta cadat jure suo ob non solutum canonem, si dominus voluerit: unde antequam dominus velit, non intelligitur cecidisse jure suo, proinde non amisisse dominium utile: illa enim verba expressa in jure *si dominus voluerit* conditionem includunt, & de natura conditionis est suspendere actum, do-

nec

nec ipsa purificetur, seu ponatur: ergo priusquam dominus declaret suam voluntatem, & ponat conditionem, non intelligitur emphyteuta cecidisse jure suo, cùm talis casus non sequatur nisi ob purificatam conditionem; proinde antequam hæc fuerit posita fructus rei emphyteuticæ pertinent sicut antea ad ipsum emphyteutam; quia actus sub conditione factus non sortitur effectum nisi post expletam conditionem *l. cedere diem 213. ff. de verb. signif. l. legata sub conditione 41. ff. de condit. & de demonst.*

38 Hinc ad fundamentum primæ sententiæ posset responderi, emphyteutam non esse possessorem malæ fidei post primum triennium, eò quia non ceciderit jure suo, nec privatus fuerit dominio utili, nisi postquam dominus proprietarius egerit contra ipsum, & voluerit eum cecidisse jure suo: unde ante domini declarationem intelligitur possessor bonæ fidei. Tum quia cùm dominus potuerit ipsi remittere pœnam, potuit emphyteuta probabiliter credere, dominum fore cum ipso tam benignum, ut non exigeret ab ipso talem pœnam, præsertim cùm tacuerit. Ad secundum est disparitas de usufructu, quia hic statim cessat finito tempore ususfructus: secus jus emphyteuticum non cessat ex sola cessatione in solutione canonis. Ad tertium, in quo dicitur, conditionem retrotrahi, tantùm locum habere, quando conditio pendet à casu, non ita quando à potestate contrahentium *l. potior 11. §. 1.* & ibi Bartol. *ff. qui potior. in pignor. habeant*: atqui illa conditio expressa in jure *si dominus voluerit* dependet à voluntate domini, quia is potest velle, & nolle exigere pœnam ab emphyteuta, proinde pœna non retrotrahitur. Deinde in præjudicium tertii conditionem non retrotrahi, evincitur *ex l. 4.* ubi Baldus *in ult. col. C. an servus pro suo facto post manumiss. teneatur.* Ad ultimum, tametsi attendenda sit semper causa principalis, si hæc talis fuerit, quæ effectum possit producere: id tamen non procedit in casu nostro, quia negligentia non solvendi canonem sola ex se non sufficit ad producendum effectum, sed principaliter requiritur voluntas domini directi, seu proprietarii, quia hic sicut potest pœnam remittere emphyteutæ, ita potest declarare, quòd subeat pœnam, ac privetur dominio utili, quapropter hic effectus privationis non dependet à sola negligentia non soluti canonis, sed principaliùs à voluntate domini directi.

TITULUS XIX.

De Rerum permutatione.

EGit Pontifex in præcedentibus titulis de nonnullis contractibus nominatis, quibus subjicit nunc etiam aliquid de innominatis, seu de rerum permutatione: est enim rerum permutatio quædam rerum Ecclesiæ alienatio *c. 2. sup. de reb. eccles. alien. vel non*; quapropter nisi debita solemnitas intercedat, nullius est valoris *c. 2. h. t.* Cæterum quamvis nomen permutationis videatur proprium, est tamen generale, quia non significat aliquam certam speciem contractus: siquidem etiam in emptione res vendita verè permutatur cum pretio, & in locatione merces cum opera. In hoc tamen textu sumitur permutatio specialiter prout distinguitur ab aliis contractibus. Agitur de hac materia etiam in *sexto*, & *Clementinis*.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SI PRINCEPS 1. h. t. statuitur, quòd si adsit causa rationabilis, possit Princeps commutare rem suam immobilem cum re immobili ecclesiastica, si res quam dat, sit major, vel saltem æqualis, & super tali permutatione publicetur scriptura facta à Principe, & commutatio fiat de communi consensu partium. Ubi notat Glossa, rationabilem causam commutandi rem ecclesiasticam esse utilitatem ejusdem Ecclesiæ, quâ sublatâ commutatio corruit, & est invalida.*

C. *UT COMMUTATIONES 2. h. t. Ex Concilio Bellunacensi statuitur, ut commutationes rerum ecclesiasticarum, quæ ab antecessore inconsultè factæ sunt, ab eo, qui successor est, revocentur. Concordat hic textus cum illo in c. 2. de precariis, & ex eodem colligitur commutationem factam ab antecessore in damnum Ecclesiæ non servato jure, esse nullam, & revocandam.*

C. *MANCIPIA 3. h. t. Ex Concilio apud Sylvanectum statuitur, ut mancipia Ecclesiæ non possint permutari cum aliis mancipiis, nisi remaneant libera, & assignatur etiam ratio, quia quod est Deo dicatum, non debet transferri ad usum humanum. Ex quo textu colligit Panormitanus, mancipia à fidelibus Deo, & Ecclesiæ donata occasione alicujus permutationis non esse tradenda in servitutem sæcularium, adeò ut si semel dimittenda sint, debeant donari libertate, & Ecclesiam non permittere illos distrahi, nisi sint fugitivi. Ubi notat Glossa, res Ecclesiarum non debere ad usus sæcularium redire. Id tamen fallit, quando servus ordinatur*

tur sine consensu domini c. ex antiquis dist. 24. c. 6.

C. *INJUSTUM* 4. *h. t. Ex eodem Concilio declaratur, impium, & injustum esse, ut mancipia ecclesiastica Deo à fidelibus pro remedio animæ sue consecrata, per commutationem iterum in servitutem secularium redigantur contra canonicam authoritatem: proinde statuitur, ut caveatur, ne eleemosyna unius fiat peccatum alterius, cùm absurdum sit, ut ab ecclesiastica dignitate servus discedens humanæ fiat servituti obnoxius.*

C. *QUÆSITUM* 5. *h. t. Urbanus III. rescribit, commutationes prebendarum generaliter non posse de jure fieri præsertim ubi præcedit pactum: eò quia omne pactum circa spiritualia, vel iis annexa semper habet labem simoniæ. Cæterum Episcopus, si justa, & necessaria causa subsit potest personas permutare de uno loco ad alium, adeò ut quæ minus utilis est in uno loco, utilior fiat in alio. Ubi notandum est, nomine episcopi comprehendi etiam omnem illum superiorem, qui habet jurisdictionem episcopalem* l. Episcopus non sit. *Quia verò collatio frequentius spectat ad inferiores, ut Decanum, Capitulum, & alios, ideo videtur ad talem permutationem beneficiorum sufficere authoritas collatorum* c. unic. in 6. h. t. *Verùm communior opinio est contraria, adeò ut nisi consuetudo præscripta inferioribus Collatoribus hanc licentiam concesserit, approbatio permutationis beneficiorum semper pertineat ad Episcopum, & collatio ad illos, ad quos de jure, vel consuetudine spectat. Legatus tamen de latere cùm sit loco Ordinarii potest permutationes admittere, ut etiam Capitulum sede vacante, quia succedit in episcopali jurisdictione.*

C. *AD QUÆSTIONES* 6. *h. t. declarat Clemens III. duas Ecclesias pro majori commoditate posse permutare earum bona, ita tamen ut si proventus unius sint uberiores, debeat altera refundere pecuniam ad æqualitatem, contractu tamen refectionis pecuniæ per se celebrato, adeò ut cum contractu permutationis non misceatur. Ubi notat Glossa, spirituale posse permutari cum spirituali, perinde ac temporale cum temporali authoritate tamen superioris: non tamen spirituale cum temporali. Rursus permutationem in spiritualibus non esse venditionem, vel emptionem: hinc quando una villa commutatur cum alia, & Ecclesiæ sunt accessoriæ ad villas, permutatur Ecclesia cum universitate* argum. c. ex litteris, c. cum æculum de jure patron. *nec intelligitur aliquid esse pretium peculii Ecclesiæ, quando servus venditur cum peculio.*

C. *CUM OLIM* 7. *h. t. Innocentius III. declarat, eos qui propria authoritate permutant beneficia, ea perdere. Ubi notandum est, permutantes beneficia, esse iisdem privandos per sententiam definitivam. Rursus declarat, confessum in jure haberi pro convicto; sed mitiùs cum ipso agi, quàm cùm convicto. Ex hoc textu infert Glossa, clericum beneficiatum non habere proprietatem, seu dominium beneficii, proinde non posse permutare suum beneficium, sola enim Ecclesia habet dominium, proinde sola potest permutare.*

C. *CUM UNIVERSORUM* 8. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd si absque licentia fiat bonorum permutatio, & unus dedit, alter verò noluit dare bona, tunc data sint auferenda à possessore, & restituenda danti: idque ut venia detur simplicitati, jura enim subveniunt deceptis non decipientibus.*

C. *EXHIBITA* 9. *h. t. Gregorius IX. declarat, spirituale pro temporali non posse commutari. Notandum est, quod destructo principali, destruitur etiam accessorium. Cæterum notat Glossa, spirituale posse in arbitros compromitti* c. cum olim de arbit.

IN SEXTO.

C. *LICET* 1. *h. t. rescribit Bonifacius VIII. quòd si quis ex gratia Papæ expectet vacantiam beneficii, id non impediat, quin aliqui permutent sua beneficia, renunciando in manibus episcopi; & hoc de gratia non de rigore juris: talis enim resignatio sine fraude, quia non fieret nisi ad permutandum, ideo beneficia non dicuntur vacare, secus si probaretur fraus.*

IN CLEMENTINIS.

C. *NE CONCESSIONE unic. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi statuit ut beneficia resignata causâ permutationis debeant solùm permutantibus conferri, quòd si conferantur aliis collatio nullius sit valoris. Ubi notat Glossa, tractatum de permutandis beneficiis esse permissum, dummodo nullum interveniat pactum, sed totum remittatur arbitrio superioris, ut episcopi, cujus officio sit permutatio expedienda: siquidem pertinet ad Episcopum, & non ad inferiorem Prælatum permutare, vel dare authoritatem permutandi: licèt inferiores quorum est conferre, vel eligere, debeant consensum præstare.*

(o)

Digitized by Google

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit permutatio, & quæ ad eam requisita.

1 PErmutatio prout ad præsens pertinet institutum definitur unius rei cum alia vicaria præstatio, ita Hostiensis *in sum. tit. de rerum permutatione*: dicitur enim vicaria præstatio, quia permutantes rem suam vicissim tradunt;& est contractus innominatus juris gentium similis emptioni, ac bonæ fidei, ut desumitur *ex §. actionum instit. de actionibus* ubi actio, quæ ex permutatione competit,enumeratur inter actiones bonæ fidei. Cæterum exigit hic contractus mutuum consensum,sine quo contractus suum non sortiretur valorem. Hujus contractûs duæ sunt species, quæ desumuntur à rebus,quæ permutantur: vel enim una res, quæ pecunia non est, permutatur cum alia re, quæ nec etiam est pecunia, & hæc species propriè dicitur permutatio. Vel commutatur pecunia cum alia pecunia, & hæc species permutationis dicitur cambium, de quo in sequenti.

2 Ad ineundum hunc permutationis contractum plura requiruntur. Primò ut permutantes sint domini rerum permutandarum,quia si nihil juris haberent in rebus, quas permutare intendunt, non possent de ipsis disponere. Secundò,ut permutatio sit libera,non fraude, nec metu extorta. Tertiò,ut uterque contrahens rem suam cedat alteri, quòd si permutatio esset de beneficiis ecclesiasticis, deberent hujusmodi beneficia priùs resignari in manus Ordinarii, cui subjiciuntur, nec inferior Episcopo absque illius prævio consensu permutantibus præstito potest recipere resignationes causâ permutationis,& ex vi illius conferre beneficia;quia id solis episcopis videtur concessum cùm aliàs sit jure prohibitum *c. quæsitum 5. de rerum permut. & c. admonet. 4. de renuntiat.* Quamobrem soli episcopi possunt concedere authoritatem permutandi beneficia,alioquin seclusо consensu, & authoritate episcopi permutatio est irrita: imò si collatio beneficiorum ad alios pertineat, nec potest Episcopus sine eorum consensu exequi permutationem recipiendo resignationes, & conferendo ipsa beneficia; sed tenentur permutantes accedere ad collatores, & in eorundem manus sua resignare beneficia, ut ipsi jure suo utantur, alioquin cùm collatio ad ipsos pertineat, privarentur jure suo.

3 Cæterum si alicubi consuetudo fortassis inoleverit, ut etiam inferiores Episcopo,ut Abbas, Præpositus, Decanus sua authoritate permutationes admittant, & exequantur, tunc permutatio est valida, ut docet Glossa *in clement. 1. de reb. eccles. non alien.* Sin verò Ecclesiæ fuerint exemptæ, earum permutatio approbanda est à summo Pontifice. Quartò requiritur,ut collatio fiat inter permutantes,adeo ut beneficium causâ permutationis resignatum non possit conferri nisi compermutanti: quod si alteri conferatur, irrita est collatio, ut desumitur *ex clement. unic. de rer. permut.* ubi dicitur,quòd beneficia resignata causâ permutationis debeant solùm permutantibus conferri, & si conferantur aliis, non tenet permutatio; ubi notat Glossa tractatû de permutandis beneficiis esse permissum, dummodo non fiat pactio, sed totum ponatur in arbitrio superioris, cujus officio est expedienda permutatio. Quintò requiritur consensus illorum, ad quos electio, vel præsentatio pertinet, alioquin non valeret permutatio, ut notat Glossa *in d. clement.* Non tamen est irrita permutatio, sed à patrono potest in irritum revocari mediante sententia judicis, si intra tempus à jure ad præsentandum concessum contradixerit: quòd si tacuerit, & sciat illam esse factam, tunc efficitur valida, seu potiùs confirmatur, ac rata habetur, ut notat Covarr. *in practicis quæstionibus c. 36. num. 9.* Imò si patronus requisitus nolit assentiri, potest Episcopus (si judicaverit permutationem expedire Ecclesiæ) sua approbatione supplere consensum patroni, & tunc permutatio est valida, & testatur Rebuffus *num. 22.* ita judicâsse senatum Parisiensem.

4 Hinc permutatio in pluribus convenit cum ipso contractu venditionis, & emptionis, ut notant Glossa, & Bartol. *l. 1. & 2. C. de rer. permutat.* Primò quia uterque contractus est bonæ fidei. Secundò quia ex utroque oritur conditio usucapiendi *l. sequitur §. de illo. ff. de usucapion.* Tertiò quia ex utroque contractu præstatur evictio *l. 1. C. de rerum permutat.* Quartò quia ex utroque datur actio redhibitoria, seu emptionis dissolutio *l. sciendum C. de adilitio.* Quintò quia permutatio perinde ac emptio, si deceptionem contineat ultra dimidium justi pretii rescinditur. Quapropter permutans scienter rem vitiosam, seu servum fugitivum, aut equum calcitrosum, tenetur actione redhibitoria, perinde ac venditor. Differt verò permutatio à contractu venditionis, & emptionis. Primò, quia emptio potest fieri solo consensu: secus permutatio non fit nisi interventu rei traditæ. Secundò quia in emptione res datur pro pretio; secus in permutatione res datur pro re, quapropter in contractu emptionis, unus est emptor, & alius venditor; in contractu verò permutationis uterque contrahens est permutans. Demum quia in permutatione datur actio, quæ dicitur condictitia ob causam; vel actio quæ dicitur in jure præscriptis verbis; non verò in emptione.

5 An verò permutatio sit dicenda contractus innominatus? Communior responsio affirmat, quando datur genus pro genere, seu incertum pro incerto, scilicet bos indefinitè pro equo indefini-

definitè; vel cùm datur genus pro ſpecie, ut ſi des indefinitè oleum pro vino, quod Petrus habet in certo dolio; vel cum datur ſpecies pro genere, ut ſi des vinum tuum certum pro oleo Petri indefinitè: & tunc aiunt, eſſe contractum nominatum, quando datur ſpecies certa, pro ſpecie certa, ut ſi Petrus det ſuam tunicam albam, quam actu defert pro tunica nigra Joannis, ita diſtinguunt, & cenſent Canoniſtæ præſertim Gloſſa, Salicetus, Jaſon *l. 1. C. de rer. permutat.* Cæterum mihi potiùs videretur dicendus contractus nominatus, cùm nomen habeat ſpeciale, ac civilem pariat tum obligationem, tum actionem, quod eſt proprium contractuum nominatorum.

6 Dubitari tamen poteſt, an in jure, ac ſtatutis nomine emptionis, & venditionis comprehendatur etiam ipſa permutatio. Agunt de hac quæſtione Salicetus *l. 1. & 2. de rerum. permutat. & l. 1. ff. de contrab. empt.* Imola *in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli*, & alii aſſerentes, nomine emptionis, & venditionis comprehendi ipſum contractum permutationis. Verùm alii Canoniſtæ, ut Abbas, Panormit. Covarruvias procedunt cum diſtinctione, & docent, quòd ſi leges ſint juris communis, tunc nomine venditionis comprehendi etiam permutationem.

7 Sin verò ſint ſtatuta municipalia, cujusmodi ſunt illa civitatum, locorum, & Principum, tunc negant nomine venditionis comprehendi permutationem in materia odioſa, & pœnali; ſed tantùm in favorabili. Hæc diſtinctio eſt notatu digna, quia conducit ad intelligendas facultates, licentias, & commiſſiones, ac privilegia, quibus alicui conceditur libera poteſtas vendendi certa bona, & è contra: etenim ſi detur poteſtas permutandi bona, ut ſi legatus ſit alicui fundus ea conditione, ne illum vendat; quia tunc conditio eſt odioſa, licitum illi erit eum permutare, quia in materia odioſa nomine venditionis non comprehenditur permutatio. Rurſus ſi ſit municipale ſtatutum alicujus civitatis, ut vendens rem aliquam teneatur vectigalia ſolvere; ſi rem illam non vendat, ſed permutet cum alia, non tenetur ea ſolvere.

8 Permutationes tamen rerum eccleſiaſticarum Patres Eccleſiæ ſemper improbârunt, & abhorruerunt: & præſertim Prælatis Eccleſiæ Gallicanæ exoſæ ſemper viſæ fuerunt, ut ex Conciliis Pariſienſi, Valentino, & Meldenſi, probat Antonius Auguſtinus *lib. 15. epitom. tit. 43.* ex juſta tamen cauſa eas permiſerunt, & in decreto Burchardi habetur hæc rubrica, *ut non liceat alicui unius Eccleſiæ terram, niſi cambiaverit, vertere ad aliam*, illud verbum *cambiare* eſt idem ac permutare, ut habetur etiam *in l. Salica tit. 39. §. 1.* Cæterum hujusmodi permutationes, etiam ex juſta cauſa non permittuntur in Gallia, niſi de licentia Principis, ut deſumitur ex concil. Matiſc. *can. 4.* ubi dicitur: à ſancta ſynodo decretum eſt, ut imperialis authoritas denuntiet, ne commutationes rerum, vel mancipiorum eccleſiaſticorum, quælibet perſona ſine licentia, & conſenſu regio præſumat facere.

9 Quamobrem res eccleſiaſticæ immobiles, vel mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt juxta ſacros canones, non poſſunt abſque evidenti utilitate, & requiſitis à jure ſolemnitatibus permutari, adeo ut *in c. ut communationes 2. h. t.* ſtatuatur, ut commutatio facta ab anteceſſore in damnum Eccleſiæ, ſeu non ſervato jure ſit revocanda. Immo non ſolùm ſucceſſor, ſed etiam ipſe Prælatus anteceſſor, qui illegitimè, & in damnum Eccleſiæ res commutavit, poteſt peractam permutationem revocare; immo ad id tenetur, ſi lædatur in adminiſtratione *c. ſi quis 6. de reb. eccles. alien.* Minor tamen cauſa ſufficit ad permutandum, quàm ad vendendum, quia permutatio rei eccleſiaſticæ cum alia re ſimili, minus videtur obeſſe Eccleſiæ, quàm ipſa venditio; quapropter pœnæ juris ſtatutæ in malè alienantes non incurruntur ab illegitimè permutantibus res eccleſiaſticas, niſi permutatio per traditionem rerum ſit ex utraque parte completa, quia antea non cenſetur eſſe contractus abſolutus, quia hic contractus non conſenſu tantùm, ſed rei utrinque datæ traditione perficitur.

10 Quando tamen adeſt rationabilis cauſa poteſt Princeps commutare rem ſuam immobilem cum re immobili eccleſiaſtica, ſi res, quam dat, ſit majoris valoris, vel ſaltem æqualis pretii, & ſuper tali permutatione publicetur ſcriptura facta à Principe, & commutatio fiat de communi conſenſu partium, idque deſumitur *ex c. ſi Princeps 1. h. t.* hinc ſi Princeps ſuas velit ædes ampliare, vel hortum conſtruere, & Eccleſia habeat ibi vicinum prædium mutationi opportunum ob hoſtium incurſus, poteſt illud commutare cum alio prædio, vel caſtro majoris, vel ſaltem æqualis valoris, ob neceſſitatem, aut commoditatem Principis: quia tunc merita Principis erga Eccleſias videntur exigere, ut juſtæ ipſius petitioni ſatisfiat ſine damno Eccleſiæ: requiruntur tamen in hujusmodi permutationibus ſolemnitates juris, ſcilicet tractatus capitularis, conſenſus canonicorum, & authoritas ſuperioris, & licèt nomine Principis in jure intelligatur ſolus Imperator, vel Rex, aut alius, qui nullum recognoſcit ſuperiorem, nihilominus id extenditur etiam ad alios magnos Eccleſiæ patronos, ac fundatores, quia cùm hujusmodi permutatio non ſit coacta, ſed petita ex rationabili cauſa, & non cedat in ullum detrimentum Eccleſiæ, hoc ipſo cenſetur eſſe utilis, quia fit in commodum Potentis de Eccleſia benè meriti, & ad ejus majorem benevolentiam conciliandam; & licèt hæc cauſa ſufficiens ſit pro contractu permutationis ineundo, non ita ſufficit pro venditione, quia hæc magis noxia eſt Eccleſiæ, quàm permutatio cum re majoris, vel æqualis valoris. Servus tamen Eccleſiæ nec alienari, nec permutari poteſt, niſi ſit fugitivus, & niſi in ordine ad libertatem, adeo ut mancipia, quæ erant Eccleſiæ, fiant libera, ſeu perpetuam libertatem conſequantur, & alia mancipia, quæ pro illis commutantur, ſervituti ſubjiciantur Eccleſiæ, idque deſumitur *ex c. mancipia 3. h. t.* ubi habetur, quòd mancipia Eccleſiæ non poſſint permutari cum aliis manci-

piis niſi remaneant libera, quia quod eſt Deo dicatum, non debet transferri ad uſum humanum: vel niſi ſint fugitiva, & ita Barboſa in præſenti, Petrus Gregorius *lib. 3. partit. tit. 15. c. 3.* Cuiacius *in d. c. mancipia 3. h. t.* ſiquidem conſtat, non minorem eccleſiaſtici patrimonii partem olim ex mancipiis conſtâſſe, quæ fideles pro redemptione peccatorum ſuorum inter vivos, aut teſtamento Eccleſiæ donabant, quapropter frequens eorum mentio in veteſtioribus Eccleſiæ Conciliis, & antiquis monumentis habetur: & hac ſuper re plures Eccleſiæ canones congerit Antonius Auguſtinus *epit. juris lib. 10. à tit. 22. usque ad 27.* & probat Nicolaus Lemaiſtre *lib. 3. juris eccleſiaſtici c. 4. cum ſequent.* ubi de ſervis, colonis, originariis, famulis, vaſallis Eccleſiæ agit.

11 Servitus tamen mancipiorum Eccleſiarum mitiſſima erat, quia operas domeſticas impendebant juxta miniſterium iisdem ab Epiſcopo præſcriptum: hinc in Chronico Conſtantienſi *c. 19. in vita S. Gebarti* legitur, ipſum poſt exſtructum Monaſterium ſervos ad Monachorum miniſteria deputâſſe, & ex eis optimos conſtituiſſe coquos, piſtores, caupones, fullones, ſutores, hortulanos, & carpentarios, & ſingularum artium Magiſtros: imò ſubinde etiam militarem operam impendebant in defenſionem Eccleſiæ, unde mancipiorum ſervitium in Eccleſia conſtat fuiſſe pium, proinde illa ab Eccleſia diſtrahi, & in laicam manum transferri, pœna videbatur, & ſupplicium ſervorum, qui meliorem, ac clementiorem dominum nanciſci non poterant, quàm ipſam Eccleſiam, ex cujus propterea avulſi familia, non tam mutâſſe ſervitutem videbantur, quàm libertatem amiſiſſe: idque ex eo etiam probari poteſt, ſi ſtudium attendamus Eccleſiæ in ſervis extraneis ad eam fugientibus ſervandis immunibus ab injuria dominorum, ut deſumitur *ex l. 1. C. de his, qui ad Eccleſiam*: etenim ſi ſervi ſeveritatem metuentes dominorum ad Eccleſias confugerent; priùs ab hac non permittebantur avelli, quàm eorum domini ſolemnem dediſſent ſponſionem de ſervis non lædendis, idque deſumitur etiam *ex can. 29.* Concilii Epaunenſis, ubi dicitur: *ſervus reatu attrociore culpabilis ſi ad Eccleſiam confugerit, corporalibus tantùm ſuppliciis excuſetur, de capillis verò, vel quocunque opere placuit à dominis juramentum non exigi*: moris fuit antiquitùs ut ſervis negligentibus, & otioſis turpiter capilli tonderentur: ſiquidem flagellationem, & detonſionem propria fuiſſe ſervorum ſupplicia, liquet *ex lib. 3. tit. 30. ex legib. Longobart. & lib. 3. tit. 7.* unde Patres Concilii Epaunenſis cenſuerunt, poſſe compelli dominum ad firmandam jurejurando ſponſionem de non lædenda ulla corporis parte ſervorum, qui Eccleſiam vindicem imploraverant: non debere tamen ſacerdotem de non tondendo ſervo Sacramentum, ſeu Juramentum exigere.

12 Objici tamen poteſt, quia vel prohibetur permutatio ſervorum Eccleſiæ absque debita ſolemnitate, vel hac adhibita: ſi primum, non generaliter ſit prohibitio in omnibus Eccleſiæ rebus, quæ permutari non poſſunt, absque juſta cauſa, ac debita ſolemnitate: ſi permutatio fiat cum debita ſolemnitate jam non eſt ratio, cur permutatio in aliis rebus Eccleſiæ, prædiis, domibus, caſtris, admittatur, & non in mancipiis; cum æqualiter prædia, ac mancipia fuerint Eccleſiæ donata, & dicata: unde ſi in aliis rebus permutatio procedit, debet etiam in ſervis admitti. Tum quia aliæ res ſunt, quæ conſecrantur in uſum Eccleſiæ: & aliæ quæ donantur eccleſiis, piisque locis, potiùs ad divitias, ac devoti animi oſtentationem, quàm ad ſervitium in rebus divinis Eccleſiæ: & harum donationum exempla plura congerit Renatus Chopinus *lib. 3. de ſac. poliſ. tit. 1. num. 2.* & hæc donaria potiùs erant ſacro commendata, & in templi ipſius dominium translata, quàm ſacra, & commercio exempta, ſi perpetuo, & irrevocabili animo dicata fuerint: non ita ſi tantùm deſtinarentur ſervitio templi, hoc eſt ad uſum potiùs, quàm ad proprietatem *l. ſervum 35. ff. de libertate cauſ.* ſecus ſi perpetuo animo *l. ſervos 17. de aliment. legat.* Hinc Cuiacius *lib. 9. reſpons.* Papin. *in d. l. ſervos 35.* infert diſcrimen inter res Eccleſiarum, & res ſacras; eò quia res Eccleſiarum poſſint alienari ſub præſcripta in jure ſolemnitate; res verò ſacræ ſint divini juris *l. 1. ff. de rer. divis.* unde ſervi donati tantùm Eccleſiæ permutari poſſunt cum aliis. Præterea videtur difficilis exceptio de ſervis fugitivis, docent enim Patres, ſervos fugitivos poſſe alienari, ac permutari; cùm ex ſenatu conſulto ad legem Flaviam de plagiariis facto, ille quoque incidat in legem Flaviam, qui fugam ſervi ſui vendidit *l. 2. ff. ad legem Flaviam l. 3. §. final. C. eod. tit.* unde non rectè dicitur, quòd ſervi fugitivi poſſint permutari, ac alienari.

Sed contra, reſpondetur, in præſenti permu- 13
tationem ſervorum abſolutè prohiberi etiam adhibitis juris ſolemnitatibus, quia in tali alienatione omnino deficit cauſa: ſecus ſi ſervi ſint fugitivi poteſt tunc pro ſuo libito Epiſcopus eos alienare, quia ipſa fuga ſuppeditat juſtam cauſam alienandi. Neque ullum faceſſit negotium, quod addebatur de ſenatu conſulto ad legem Flaviam; ſiquidem dominus ſervum fugitivum quamdiu in fuga eſt, non poteſt vendere, donare, vel alio modo permutare *l. 2. §. final. ff. ad legem Flaviam l. 2. & 6. C. de ſervis fugitivis l. 35. §. ſi quis amico ff. de contrab. empt.* & hujus prohibitionis ratio aſſignatur à Gloſſa *in d. l. 6.* eò quia fuga ſit ſpecies libertatis *l. 17. §. 10. ff. de edilit. edict.* & ſicut homo liber non poteſt vendi, ita neque fugitivus.

Verùm hæc reſponſio non approbatur, quia 14
homo liber non debet æquiparari fugitivo, qui verè eſt ſervus. Rurſus quòd jurisconſultus dicat, fugam cujusdam libertatis ſpeciem eſſe, id non intelligitur abſolutè, ſed comparativè ad ſervum non fugitivum, quatenus per ipſam fugam videtur ſervus fugiens poteſtatem dominî illuſiſſe, cum de facto à vinculis dominicæ poteſtatis ſe liberum inveniat, & hanc fuiſſe mentem Jurisconſulti conjicitur ex ejus verbis, ait enim: *libertatis cujusdam ſpeciem eſſe fugiſſe, hoc eſt poteſtate dominica in præſenti liberatum*

beratum esse. Cuiacius aliam adfert rationem deductam *ex l. 1. C. de servis fugitivis*, eò quia fugitivus servus dicatur furtum sui facere: servum autem fugitivum vendere nobis non licet *l. si emptione C. item emptor. de contrab. empt.*

15 Rursus idem Cuiacius *tom. 1. obs. c. 10.* ait meritò senatum consultum alienationem inhibuisse servorum fugitivorum, ut à fuga deterreantur servi, si nec recipi se posse à quopiam impunè intellexerint, nec ullo justo titulo emptionis, aut donationis acquiri, cui videtur favere *l. 6. C. h. t. de fugit. in fin.* ubi dicitur *sed etiam fugitivorum animos à fuga deterrere*: unde mens Jurisconsulti fuit, ut acerbitas dominorum, quorum potestatem servi fugitivi evadunt, ipsos jugiter comitetur, ut servi ubique locorum deterreantur. Non tamen id procedit in alienatione necessaria, quæ fit officio, & sententia judicis, ut *in l. 19. §. 3. ff. communi divid.* ubi de servo fugitivo jubentur socii à judice licitationem facere, quæ quidem species quædam est venditionis *l. 3. ff. eod. tit. l. 29. ff. eod. tit. l. 29. ff. familiæ Erciscæ.*

16 Ex permutatione duæ oriuntur actiones, quarum una dicitur præscriptis verbis ex permutato *l. rebus C. de rerum permutat.* & hæc actio convenit illi, qui permutavit, & tradidit rem suam contra eum, qui rem ex permutatione accepit, & cessat dare suam: & competit ad duo, scilicet ad implendam conventionem, vel ad quod interest ejus, qui tradidit rem suam, ut notat Bartol. *in l. fin. C. de rer. permut.* altera est actio, quâ qui tradidit rem suam, & non accepit rem alterius, petit, ut contractus non ultra procedat: quia contrahens in contractu permutationis, si adversarius nondum rem suam tradiderit, potest resilire à contractu; & tunc agit actione, quæ dicitur *condictio ob causam*, quâ petit, ut sibi restituatur res sua alteri tradita, eò quia tradita sit ob causam, quæ de facto non est posita, eò quia alter contrahens rem suam non tradiderit, sicut convenit ex ipso permutationis contractu *l. 1. §. fin. ff. de rerum permutat.* & utraque hæc actio est personalis.

Cæterum permutari possunt res omnes,
17 quæ vendi possunt: & è contra non permutari, quæ vendi prohibentur, hinc sicut res, & jura spiritualia citra simoniam pro pecunia vendi non possunt, ita neque permutari pro re aliqua temporali *c. exhibita 9. h. t.* ubi expressè prohibetur spirituale pro temporali posse commutari. Verùm quia destructo principali, destruitur accessorium, ita remoto temporali, una res spiritualis pro alia spirituali rectè permutari potest, ut unum beneficium ecclesiasticum pro alio: est autem permutatio mutua beneficii resignatio, seu reciproca duorum beneficiorum mutatio, per quam duo clerici sua beneficia dimittunt, ut quisque beneficium alterius obtineat; adeo ut dimissio unius fiat in favorem alterius.

18 Ad hanc autem permutationem, ut sit legitima plura requiruntur. Primò ut uterque permutans habeat jus in beneficio permutato, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de permut. num. 9.* alioquin sine jure in beneficio irrita est permutatio, quia nemo potest disponere de re non sua, & in qua non habet jus *c. venerabilis 6. de except. l. 1. ff. de rer. permutat.* & tunc alter permutans potest redire ad suum beneficium, quia non præsumitur absolutè renuntiâsse, sed conditionatè, si alter pariter renuntiavit suo beneficio causâ permutationis *arg. c. si beneficia de prabend. in 6.* Abbas *in d. c. venerabilis n. 23.*

Secundò, debet uterque contrahens bene- 19
ficium suum resignare in manus superioris ordinarii, cui beneficia subjiciuntur.

Tertiò, post permutationem beneficiorum 20
ex utraque parte factam, & à superiore admissam debet fieri collatio eorundem beneficiorum sic vacantium, ita ut beneficia ex causâ permutationis sic resignata coram superiore, non aliis, quàm ipsis permutantibus conferantur: siquidem permutantes non omnino absolutè resignant, sed adjecto modo, ut permutantibus beneficia conferantur; alioquin non resignarent.

Quartò, ut permutatio fiat authoritate su- 21
perioris ecclesiastici, ut desumitur *ex c. quæsitum 5. h. t.* quia beneficia ecclesiastica, quæ conferuntur in titulum non possunt propria, seu privata authoritate possidentium permutari: siquidem beneficia ecclesiastica sine canonica institutione, proinde sine authoritate superioris habentis potestatem instituendi, vel conferendi, licitè non possunt obtineri *c. 1. de regul. jur. in 6.* idque ne clerici de beneficiis, veluti de rebus propriis patrimonialibus liberè disponere videantur. Tum quia nemo potest beneficium suum dimittere, & aliud obtinere sine consensu superioris.

Quinimo permutatio beneficiorum sine au- 22
thoritate legitimi superioris, adeo est prohibita clericis, ut si isti beneficia, quæ possident propria authoritate inter se permutent, ea amittant, iisque per sententiam judicis priventur, ut desumitur *ex c. cùm olim 7. h. t.* ubi dicitur quòd qui propria authoritate permutant beneficia, illa perdunt: quia ut notat Glossa ibidem, clericus beneficiatus non habet proprietatem, seu dominium beneficii, proinde non potest illud permutare, quia comparatur tantùm usuario, adeo ut dominium beneficii sit penes Ecclesiam, ad quam solam pertinet disponere de beneficiis *c. ad quæstiones supra eod.* & clerici tantùm habent usum, & percipiunt fructus.

Demum hæc permutatio beneficiorum de- 23
bet etiam fieri ex justa causa, quam Episcopus debet cognoscere, & de illa judicare: & hujusmodi causa generatim duplex est, necessitas, & utilitas Ecclesiæ, licèt non desint, qui censeant esse itidem justam causam ipsam permutantium utilitatem, dummodo illud commodum, saltem indirectè redundet in utilitatem ipsius Ecclesiæ, & hæc non sit incommodum ullum passura, ut notat Garcia *p. 11. c. 44. num. 47.* ut si Parochus non possit sanus immorari in loco suæ parochiæ ob ætis intemperiem, vel ob linguæ imperitiam nequeat ibi bene fungi suo munere, censetur hæc justa causa permutandi suum beneficium cum alio, quia Ecclesia tunc nullum patitur damnum, imò majus inde illi accrescit

emolumentum: & hæc causa satis est, si sit respectu unius tantùm.

24 Rursus debet permutatio fieri ex consensu illorum, quorum interest, si habeant jus eligendi, conferendi, vel præsentandi ad talia beneficia, ut notat Glossa *in clement. unic. V. conferantur. h. t.* siquidem in actibus, quibus aliorum juribus potest præjudicari jure communi requiritur eorum consensus, alioquin invalida esset permutatio, vel saltem ad ipsorum petitionem posset rescindi: & tantùm si permutatio foret Ecclesiæ necessaria, vel utilis, & patronus assentiri detrectaret, posset Episcopus supplere consensum patroni, & permutationem approbare.

25 Demum antequam possessio beneficii permutati accipiatur, debet publicatio permutationis fieri in ecclesiis permutatis juxta formam constitutionis Gregorii XIII. cui initium est, *humano vix judicio.*

26 Quòd si petatur, cujus superioris authoritate beneficia permutari debeant. Respondetur, non solum Papam, sed etiam Episcopum proprium loci, in quo beneficium est sitũ, posse permutationes beneficiorum ex causa utilitatis, instituere, ut habetur *in c. quæsitum 5. h. t.* ubi Urbanus III. rescripsit, ut Episcopus cum causa necessaria possit permutare personas de uno loco in alium, ut quæ minus utilis est in uno loco, sit utilis in alio; alioquin nemo potest propria authoritate renuntiare suo proprio beneficio, sed ad id requiritur authoritas superioris ordinarii, quia ad Episcopum jure communi pertinet collatio beneficiorum *c. 1. cum ex injuncto 12. in fin. de hæretic.* proinde ad superiorem ecclesiasticum semper pertinet providere, ne indignis beneficia conferantur etiam ex causa permutationis; & nomine superioris ordinarii non solùm intelligitur Episcopus, vel Archiepiscopus, verùm etiam quilibet alius Prælatus, qui ex consuetudine, vel privilegio gaudet jurisdictione quasi episcopali, & nulli Episcopo est immediatè subjectus, ut notat Abbas *in d. c. quæsitum num. 4. h. t.* ratio est, quia potestas interponendi authoritatem in permutatione beneficiorum competit superiori ratione jurisdictionis episcopalis, non verò ratione dignitatis, vel ordinis episcopalis.

27 Cæterum seclusâ consuetudine, & privilegio, spectato jure communi ad solum Episcopum pertinet approbare permutationes beneficiorum, non verò ad alium inferiorem collatorem, nisi habeat jurisdictionem episcopalem, quia cum permutatio beneficiorum regulariter non fiat sine translatione personarum quoad munera, seu officia, vel etiam quoad loca, ideo ad Episcopum pertinet ei authoritatem præstare.

28 Forma igitur mutandi beneficia in eo sita est, ut clerici priùs ea resignent in manus Episcopi, exprimentes, quòd beneficiis renuntiant causâ permutationis, & tunc ad Episcopum pertinet maturè omnibus consideratis judicare, an talis permutatio admittenda sit, vel non; quòd si judicaverit admittendam esse nulli alteri, sed præcisè ipsis volentibus commutare, conferre potest, & debet resignata beneficia. Idque etiam si essent expectantes, quibus ex papali gratia beneficium primò vacans debetur: imò etiam in mense papali, licèt in manibus Pontificis hujusmodi resignatio fiat: quia non est resignatio absoluta, sed conditionata, si beneficium unius conferatur alteri; unde non purificata conditione non subsistit resignatio *c. 1. h. t. in 6. & clement. unic. eod. tit.* alioquin si clerici inter se beneficia permutarent sine consensu Episcopi, iisdem privarentur *c. cùm olim 7. h. t.* Cæterum si clericus fortè minus idoneus cum alio aptiore suum beneficium commutet, potest eidem cum authoritate Episcopi aliquam pensionem imponere in compensationem pinguioris beneficii resignati.

29 Objici tamen potest contra hanc beneficiorum permutationem. Primò, quia Matth. 10. habetur: *gratis accepistis, gratis date*: atqui is, qui permutat rem sacram cum sacra non dat gratis, proinde hujusmodi permutatio non videtur licita. Secundò quia permutans tali pacto rem spiritualem pro spirituali satis apertè significat, se habere dominium in beneficio: siquidem permutatio dominium transfert, unde permutans committit irreverentiam in rem sacram. Tum quia clericus beneficiatus, cùm non habeat nisi usumfructum, & non dominium in beneficio, cum hoc pertineat ad Ecclesiam, videtur dicendum, quòd non possit suum permutare beneficium. Sed contra ad primum negatur minor, quia illud Matth. 10. *gratis date*, perinde est ac dare sine mercede, vel pretio temporali: siquidem statim sequuntur hæc alia verba, quæ explicant priora, *nolite possidere aurum*, & ita communiter explicant SS. P.P. verba illa Matth. Ad secundum negatur assumptum, quia sicut qui rem spiritualem confert absque permutatione non per hoc testatur, se ejus habere dominium, quamvis in alterum eam conferat: sed tantùm habere potestatem eam conferendi; ita qui commutat suum beneficium cum alio, non insinuat suo facto se habere dominium, sed tantùm jus quoddam illud in alterum conferendi mediante consensu superioris, & Ecclesiæ, ad quam pertinet rerum dominium; unde in tali permutatione non propriè dominium, sed simile jus acquiritur.

§. II.

De permutatione pecuniæ pro pecunia, seu cambio.

1 CAmbium generatim sumptum idem est, ac permutatio, *cambire* enim est permutare, ex vulgato tamen usu sumitur pressiùs pro ipsa permutatione pecuniarum: & quamvis non desint, qui censeant, cambium rationem induere mutui; & alii, qui putent reduci ad contractum venditionis, & emptionis, eò quia pecunia in cambio vendatur, & ematur: nihilominus communior, & verior sententia est, cambium referri ad permutationem, eò quia fit permutatio unius pecuniæ cum alia: unde permutatio sumitur, ut est nomen generis, & cambium nomen speciei. Cambium definitur

per-

permutatio negotiatoria diverſarum pecuniarum, ſeu pecuniæ propecuniæ; hæc autem pecuniarum diverſitas poteſt contingere, vel ex parte figuræ, ut in pecuniis diverſarum Provinciarum: vel ex parte materiæ, eò quia ſint diverſi metalli; vel ex parte qualitatis metalli diverſi generis, quando unum eſt præſtantius alio; vel ex parte quantitatis, eò quia ſint diverſi ponderis, vel numeri. Hinc differt cambium à mutuo, quia de ratione cambii eſt aliqua diverſitas pecuniæ: ſecus de ratione mutui eſt, ut res mutuata in eadem ſpecie reſtituatur mutuanti, niſi mutuans velit eſſe contentus de diverſa.

2 Tum quia de ratione mutui eſt, ut aliquandiu ſolutio expectetur; de ratione autem cambii non item. Tum quia mutuum ideo non eſt permutatio propriè ſumpta, quia non eſt ultro, citroque datio, neque includit redditionem æquivalentis, ſed tantùm inducit obligationem, ut poſt temporis intervallum reddatur æquivalens ejusdem ſpeciei: ſecus permutatio eſt ultro, citroque datio, nec cenſetur perfecta, donec utrinque ſecuta ſit traditio: quapropter non res, quæ prior datur, ſed etiam quæ rependitur dicitur permutari.

3 Demum quia cambium non exigit, ut aliquod intercedat temporis intervallum inter dationem, & redditionem; niſi per accidens ratione rerum, quæ permutantur, quatenus loco diſtant, ut cùm permuto centum aureos hic Monachii cum aliis centum aureis, quos mercator habet Romæ: tunc ratione diſtantiæ non poteſt ſtatim fieri traditio; ut fieret ſi permutarem centum aureos cum 400. florenis, quos mercator habet hic Monachii. Demum ad rationem permutationis requiritur utriusque rei exiſtentia, nimirum ut is, qui recipit in promptu habeat, ut reddat, quia niſi res exiſteret non poſſet tradi, conſequenter non poſſet perfici contractus permutationis, quia hic rerum traditione perficitur.

4 Quòd ſi iniretur pactum permutandi rem exiſtentem cum altera nondum exiſtente, tunc ſolùm diceretur permutatio inchoari, non verò perfici: quòd ſi neutra exiſteret, nec poſſet permutatio inchoari, quia nulla poſſet traditio fieri. Juvat obſervare, quòd in permutatione cambii, campſor ille dicitur à quo petitur, ut permutet pecuniam, ut eſt negotiator, ſeu mercator, qui accipit pecunias, ut alias, vel præſentes, vel abſentes reddat: campſarius verò eſt is ad cujus petitionem pecunia commutatur.

5 Dividitur cambium in reale, & ſiccum: dicitur cambium ſiccum, eò quia non ſit verum cambium, ſed tantùm fingatur eſſe cambium ob quandam ſpeciem cambii, quam præſefert, ut quando habetur ſola ratio temporis: vel quando fingitur alibi ſolutio facienda, & fit in eodem loco cum uſura: ſiccum etiam dicitur, eò quia careat humore, & areſcat, adeo ut ex natura ſua non ſit idoneum ad producendum fructum, quod idem eſt ac carere juſto titulo accipiendi ex tali cambio lucrum: hinc cambium ſiccum eſt uſurarium, quia ſumitur lucrum ob ſolam dilationem ſolutionis. Cambium reale eſt legitima, ac vera permutatio pecuniarum, ratione cujus poteſt juſtè, ſeu ex legitimo titulo aliquid accipi lucri. Et hoc bipartitur in minutum, & locale, illud habetur, quando quis dat pecunias majores mercatori, ut ab eodem accipiat minores; vel è contra, ut etiam quando permutatur vetus pecunia cum nova, aurea cum argentea, hæc cum cuprea; vocari etiam ſolet hoc cambium manuale, eò quia de manu ad manum eodem loco, ac tempore perfici ſoleat: & hoc cambium eſt licitum, dummodo ſumma pecuniæ diverſæ, quæ recipitur tanti à viris peritis, & probis æſtimetur, quanti ſit ſumma data. Cambium locale dicitur, quo pecunia præſens commutatur cum diſtante in alio loco, & dici etiam ſolet cambium per litteras: quia campſor dat ſuas litteras, ut per ipſas campſarius accipiat in illo loco, quem deſiderat pecunias ab eo, qui eſt campſoris ſocius: & hoc cambium eſt etiam licitum, quia ſi campſor re ipſa pecunias campſarii, de loco in locum transferret, utique poſſet aliquid exigere ad compenſandum ſuum laborem.

An verò poſſit campſor licitè pro cambio 6
minuto aliquid exigere? Reſpondetur ex pluribus titulis poſſe aliquid exigere. Primò titulo lucri ceſſantis, poteſt enim mercator tantùm exigere ſupra valorem legitimum, quanti æſtimatur illa ſpes lucri, quâ per cambium ſe privat: ut ſi decreverat nummos aureos aliò deferre, ubi pluris valent, vel alibi merces emere, quas non poteſt ſine damno aliâ monetâ emere; hic titulus lucri ceſſantis meretur aliquam compenſationem. Et licèt pretium lege taxatum dicatur conſiſtere in indiviſibili, id non obſtat, quia illud incrementum non accipitur pro nummo ipſo præcisè conſiderato, ſed pro lucro ex eodem ſperato, & ceſſat.

Secundò ratione officii cambiendi præſer- 7
tim ſi tale officium ſit alicui à Principe, vel republica conceſſum: ſiquidem tale officium ſecum trahit plura onera, etenim habet adnexam obligationem cambiendi, ac propterea habendi ſemper paratam pecuniam varii generis in gratiam aliorum: debet itidem easdem pecunias aſſiduè coſtodire, & non ſine ſolicitudine.

Rurſus debet habere famulos, eósque con- 8
ducere, ut inſerviant in numerandis pecuniis, iisque cuſtodiendis: quæ omnia cenſentur pretio æſtimabilia: quamobrem campſor pro hac obligatione, & his obſequiis, quæ in commodum aliorum præſtat, poteſt à ſingulis aliquid exigere, ſi aliunde à Magiſtratu, vel Principe ſtipendium ob tale obeundum munus non habeat.

Verùm ut campſor poſſit tale lucrum exi- 9
gere, debet eidem officium cambiendi eſſe injunctum à Principe: ſiquidem qui ſponte ſuâ absque tali authoritate hoc officium exercent, cùm nulla ipſis inſit obligatio habendi ſemper paratam pecuniam varii generis; putârim non poſſe tale lucrum exigere, quia cùm non teneantur mutare unam pecuniam pro alia, ſi id non eſt ipſis commodum, non tenentur ad talem permutationem; ſicut qui ex officio ad id ſunt depu-

deputati à Principe, vel Magiſtratu. Ratione laboris numerandi pecuniam putat Cajetanus *tract. de camb. c.* 1. nil poſſe accipi, quia talis labor cum ſit valdè exiguus, non videtur pretio æſtimabilis. Tum quia talis labor compenſatur ſufficienter labore alterius, qui pecuniam etiam numerare debet.

10 Communior tamen ſententia eſt, poſſe itidem pro hoc labore aliquid exigi, quia cùm fiat ad petitionem alterius, poteſt pro eo exigi compenſatio: ſiquidem ab eo qui petit, aliquid in ſuum commodum præſtari, poteſt merces repeti; proinde etiam in mutuo, vel cambio poteſt aliquid ratione hujus laboris accipi. Verùm cùm ſoleat hujusmodi exiguus labor gratis præſtari, non cenſerem, eſſe aliquid exigendum, præſertim ſi labor ſit valdè exiguus, & brevis, ut in numerandis 50. vel centum florenis: quòd ſi quis deberet numerare plura millia florenorum, & impendere majorem partem diei, tunc non ratione numerationis ſimpliciter, ſed ratione laboris diuturni poſſet aliquid exigere, quia æquum eſt, ut labor compenſetur mercede.

11 Ad juſtitiam cambii per minutum tria requiruntur. Primum eſt, ut in campſore nulla ſit falſitas dando quasdam pecunias, pro aliis, vel falſas pro veris. Secundum, ne ſit fraus, decipiendo in valore monetæ, ſi enim campſori conſtet, monetam plus valere, debet id campſario aperire. Cæterum qui ſcienter, vel etiam ex inadvertentia, ac ignorantia pecuniam adulterinam recipit, non poteſt illã expendere, quia talis pecunia eſt vitioſa; & res adulterina, ac vitioſa notabiliter, non poteſt alteri tradi vitio non detecto: neque ex eo, quòd quis fuerit deceptus poteſt alios decipere; ſiquidem actio, quâ quis deceptus eſt, non confert eidem jus decipiendi alios, ſed tantùm arguit ejus ſimplicitatem, cùm ſiverit, ſe decipi. Tertium, ut ſit juſtum pretium, ſeu lege ſtatutum: citra autem legem illud ſtatuitur juſtum pretium cambiorum, quod communiter viri prudentes, & probi conſideratis ſingulis circumſtantiis arbitrantur eſſe juxta æquitatem: neque in hoc habenda eſt ratio ad labores corporales campſorum, ſed ſpectanda eſt communis æſtimatio. Cæterum illud cenſetur juſtum pretium, quod eſt conforme communi illius loci, & juxta conſuetudinem habita conſideratione copiæ, vel inopiæ talium pecuniarum.

12 Sin verò famulus, vel Oeconomus, aut Procurator, qui à domino accepit pecunias, ad aliquid emendum, vel ad debitum ſolvendum, eas per cambium minutum permutet, & lucrum inde cambiendo accipiat, cenſent plures probabiliter, quòd poſſit illud ſibi reſervare, eò quia tale lucrum ſit ex ipſius induſtria, labore, ac opera, quapropter dicitur fructus induſtriæ concurrente pecunia, tanquam inſtrumento ſterili, ac infœcundo: ſed dominus pecuniæ ſervandus eſt omnino indemnis, alioquin ſi damnum aliquod pateretur ob negotiationem ſuæ pecuniæ præſtitam à famulo, vel œconomo teneretur hic reſarcire tale damnum, perinde ac tenetur ad reſtitutionem, ſi eas pecunias expendendo, emiſſet domino res minoris pretii, ut etiam ſi dominus voluit, ut pecuniæ illæ pretioſiores traderentur ſuis creditoribus: ſiquidem ſi tunc famulus, vel Oeconomus privaret creditores emolumento pecuniæ pretioſioris cenſeretur illis damnum injuſtè intuliſſe. Tum quia perſæpe fit, ut unum genus monetæ pluris æſtimetur ob pretioſitatẽ metalli, & cõmoditatem, quàm alterum; ob quam rationem pluris æſtimatur moneta aurea, quàm cuprea, eò quia faciliùs deferatur, ac contra inſidias abſcondatur: rurſus moneta argentea antiqua cenſetur puriorem continere materiam, quàm recens, & nova; imò vulgò æſtimatur vetus plus continere argenti, quàm nova, quod in multis verum eſt: unde tali emolumento contra intentionem domini non ſunt privandi creditores.

Cæterum quia radix omnium malorum eſt cupiditas, quæ novis dietim rei augendæ ſemper ſtudet modis; innumeræ apud Authores exortæ ſunt quæſtiones de licito, & illicito, juſto, & injuſto cambio, de obligatione reſtituendi, & ſimilibus. Unde pro generali reſolutione hæc ſolet regula ſtatui: ut ubicunque ex parte campſoris præſtatur aliquid pretio æſtimabile, poſſit pro eodem exigi auctarium: & ubi nullus labor impenditur; nec aliud quidquam compenſatione dignum; nil juſtè exigi poſſit. Poſitâ hac generali regulâ reſolvuntur caſus particulares: neque multum in hoc attendenda eſt conſuetudo, quia hæc ut plurimum à ſua radice, quæ eſt cupiditas, & avaritia vitium trahit excepta ea conſuetudine, quam viri probi cognoſcunt alienam ab omni inordinata cupiditate: unde quando pretium nulla lege definitum eſt, ratio, & æquitas debent attendi. 13

Hinc improbantur cambia ſicca, quibus nullus titulus, & cauſa auctarii petendi verè ineſt, 14
ſed tantùm fingitur ineſſe, adeo ut ſub colorata cambii larva execrabilis exerceatur uſura, ut notat Soto *lib. 6. de juſtit. & jure q. 8. & q.* 10. *art. 1.* ut Petrus mercator pecuniam Monachii enumerat Paulo, ut reſtituatur Venetiis, cùm auctario conſueto in cambiis ad ejusmodi locum, quamvis ſciat Petrus, ſe nec pecuniam, nec ſocium, nec correſpondentem, habere Venetiis, ideóque credit, pecuniam in eodem loco; ſeu Monachii, ubi accepta erat, reſtitutam iri: hic enim contractus uſurarius eſt: perinde enim eſt, ac dare alicui centum aureos, ut eosdem paulò poſt cum fœnore, ſeu additis aliis decem reſtituat. Cambiens, qui dat pecuniam minoris valoris pro pecunia majoris valoris ſolvenda in alio loco ei, qui nec realiter, nec credito eam ibi habet, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, quia virtualiter uſuram committit; neque ad excuſationem ſufficit, quòd ignoret eum illam habere, vel non habere, quia oportet, ut ſciat, vel ſaltem probabiliter credat eam habere, quia ignorantia facti ejus, quod oportet ſcire, non excuſat *argum. c. innotuit.* cum Gloſſa *de elect.*

Cæterum in cambio locali reali, quando campſor accipit pecunias, ut alibi reſtituat, poteſt aliquid lucrari, & quidem variis titulis. Primò titulo translationis pecuniæ, ſi- 15
quidem

quidem cãmpſor trajicit pecuniam, quæ hîc eſt, in loco, ubi campſarius eam deſiderat: & quia hæc opera in gratiam campſarii præſtita, eſt pretio æſtimabilis, ideo poteſt campſor pro eadem aliquid exigere. Neque obſtat, quòd campſor re ipſa talem pecuniam non transferat, ſiquidem faciendo quod æquivalet reali translationi cenſetur virtualiter eam transferre, quapropter etiam ſecundùm uſum communem loquendi dicitur talis pecunia trajici: unde cùm æquivalenter campſor eam trajiciat, & tantum commodi det campſario, quantum ſi re ipſa eam transferret realiter, ideo pro tali obſequio, ac ſervitio præſtito poteſt aliquid exigere. Neque obſtat, quòd ſine incommodo ullo, vel labore id præſtiterit, quia id tribuendum eſt induſtriæ campſoris, qui ſuas pecunias antea miſerat in loca illa diſſita, vel ſervandas ibi tradidit ſociis; vel cum iisdem inivit commercium in ordine ad ſolvendas haſce pecunias. Non tamen poteſt campſor tantum exigere pro hac æquivalente, ſeu virtuali translatione, quantum ſi re ipſa transferret; ſed ſolùm quantum inter ipſos bona fide pro tali obſequio eſt conſtitutum; quod ordinariè eſt multo minus: ſiquidem facilitas operæ, & commoditas, quam percipit, qui eam præſtat multum detrahit de pretio ſecundùm communem hominum æſtimationem.

16 Neque obſtat, quòd qui dat Monachii ſuam pecuniam campſori, ut eam recipiat Venetiis non intendat conducere operam campſoris, ſed ſolùm permutare pecuniam, quam habet Monachii cum illa, quam campſor habet Venetiis, proinde talem titulum eſſe fictitium. Tum quia transfert dominium ſuæ pecuniæ in campſorem, proinde non conducit ejus operam ad trajiciendam datam pecuniam Monachio Venetias. Nam contra eſt, negatur antecedens, quia eo ipſo, quòd campſarius petit pecuniam, quam campſor habet Venetiis, cum ſciat, campſorem libenter habere ibi ſuam pecuniam, ſaltem petit, ut poſtea pecunia numerata campſori illuc trajiciatur: unde campſarius ſemper petit pecuniam ſuam, quam campſori tradit trajici Venetias; proinde ſaltem implicitè, & virtualiter conducit operam campſoris, cùm tradat illi pecuniam cum obligatione, ut Venetiis tantundem reddat: non enim poteſt campſor id præſtare, niſi per realem, vel æquipollentem translationem: ſiquidem procurare, ut Venetiis reddantur centum aurei accepti Monachii ſecundùm communem hominum æſtimationem perinde eſt, ac eos virtute, & æquivalenter transferre, quia præſtatur idem commodum.

17 Tum quia eſto campſarius tantum intenderet permutare ſuam pecuniam cum illa, quam campſor habet Venetiis; adhuc campſor poſſet ſuam pecuniam, quàm habet Venetiis pluris æſtimare, eò quia per talem pecuniam exiſtentem Venetiis poſſit illac transferre pecuniam, quæ reperitur in aliis locis absque ullo periculo, vel incommodo itineris, unde quòd talis pecunia ſit Venetiis eſt aliquid reſpectu campſoris pretio æſtimabile, proinde poteſt aliquid accipere pro tali pretio, & commodo. Ad confirmationem reſpondetur, non transferri dominium præciſè ex vi contractus, quia poteſt campſor nolle illud admittere, adhuc integro permanente contractu. Verùm, quia tradens pecunias campſori permittit, ut poſſit ſtatim acquirere dominium illarum, & illis uti pro ſuo libitu, dummodo Venetiis eandem quantitatem accipiat, ideo poteſt campſor dominium illud admittere, & uti tali pecunia tanquam ſua, & tunc non transfertur dominium præciſè ex vi contractûs, ſed ratione campſarii permittentis campſori dominium, quapropter transfertur dominium tantùm permiſivè ratione campſarii, non præciſè ex vi contractus.

Quamobrem in hoc contractu permutationis pecuniæ præſentis pro pecunia abſente, ſi quis attentè conſideret, includitur contractus locationis, quo campſor locat campſori operam ſuam ad deportandam, & transferendam pecuniam, quam recipit in uno loco, ad alium locum diſſitum. Neque obſtat ſi dicas, rem locatã reddi ſemper eandem numero, & in cambio ſemper unam pecuniam dari, & aliam reddi. Nam hoc argumentum non habet vim, quia campſor non locat pecuniam, ſed ſuæ perſonæ operam, quâ pecuniam ſibi datam Monachii deportat Venetias, ubi eſt eam ſoluturus. 18

Neque urget, ſi dicas, pecuniam præſentem pluris valere, quàm abſentem; proinde ratione abſentiæ non poſſe campſorem aliquid lucrari. Nam contra eſt, quia eatenus pluris valet, quia eſt commodior: atqui campſario eſt longè commodius habere ſuam pecuniam Venetiis, quàm Monachii: & campſori itidem eſt commodius habere partem ſuæ pecuniæ Venetiis, quàm totam Monachii, idque ob ſua negotia, & commercia: unde ſemper poteſt pluris æſtimare ſuam pecuniam abſentem, quàm præſentem, quia per abſentem præſtat id, quod eſt pretio æſtimabile, levando alios onere transferendi illuc ſuas pecunias. 19

Secundus titulus, quo poteſt campſor lucrari in cambio locali eſt præſtatio periculi, ſeu aſſecuratio, quatenus accipiens hîc Monachii pecuniam trajiciendam Venetias, ſuſcipit in ſe onus transferendi, & periculum, adeo ut ſi pereat non danti, ſed ipſi pereat: hoc autem onus habens adnexum laborem, & periculum, eſt procul dubio pretio æſtimabile, proinde poteſt campſor pro tali onere, quod ipſe ſuſcipit, aliquid lucrari in cambio locali. Quòd ſi dicas, campſorem nulla pericula ſuſcipere, neque ullos perferre labores, neque impenſas facere, eò quia Venetiis habeat fratrem, vel filium, aut procuratorem, aut ſocium, qui pro ipſo ſolvit, & ad quem litteras mittit abſque ullo labore, periculo, & impenſis: cùm enim habeat Venetiis paratam pecuniam nullum ſubit periculum in tali ſolutione. Contra eſt, quia quod actualiter pericula non ſuſcipiat, nec labores perferat, per accidens ſe habet: ſiquidem res ipſa per ſe, & ex natura ſua eſt obnoxia incommodis. Cæterum quòd campſor ſuâ induſtriâ, curâ, & diligentiâ hæc incommoda devitet, lucrum, quod inde accipit, fructus ſunt ſuæ induſtriæ. 20

ſtriæ. Hinc quò longius eſt iter, & quò majora ſunt pericula, eò plus lucri ratione aſſecurationis, & translationis poteſt exigere à campſario, quia ſi trajectio pecuniæ re ipſa fieret, eſſet procul dubio difficilior, & periculoſior. Hinc lucrum, quod campſor accipit in hoc cambio non eſt uſurarium, quia ipſe non dat pecunias, ſed recipit, unde ex mutuo lucrum non acquirit: & rurſus in campſario, qui dat pecunias campſori non eſt uſura, cum ipſe lucrum non accipiat ex data pecunia, ſed det potius lucrum campſori: neque lucrum illud eſt iniquum, quia campſor accipit tale lucrum, prout lege, vel communi æſtimatione taxatur.

21 Quamobrem hoc cambium trajectitium, ſeu translatitium eſt licitum: & ejus formula hæc eſt: Petrus indigens centum aureis Romæ dat hîc Monachii campſori centum aureos, ut ſolvat ipſi Romæ totidem: hinc campſor ſcribit ad ſuum ſocium commorantem Romæ tali pacto: hiſce primis litteris viſis, & perlectis ſolvas Petro, vel ejus Procuratori centum aureos: quia hic Monachii toridem ab eo accepi, & ſubſcribit diem, menſem, & annum: dicit *viſis hiſce primis litteris*, quia ſolent mercatores binas litteras mittere, ut ſi fortè primæ perjerint, ſecundæ perveniant ad ſocium: ponit etiam illam particulam *viſis*, quia uſu, & more, vel ex pacto ſolutio pecuniæ fit intra octiduum, vel decendium, vel intra 15. vel 20. dies, qui computantur à die, quo litteræ recipiuntur, & ratæ, acceptæque habentur; proinde ſpatium temporis conceditur, ut is, qui eſt ſoluturus pecunias, eas præparet, quòd ſi non habeat, quærat, & aliunde accipiat. Interdum tamen ſolutio fieri debet ſtatim ac litteræ pervenerint ad eum, qui eſt pecuniam ſoluturus, & tunc intra tertium, vel quartum diem, ex quo litteræ ſunt ei datæ, eásque ratas, & acceptas habuit, eam ſolvit.

22 Solet etiam addi tertius titulus, nimirum ſi pecunia ſit minoris pretii in loco ubi campſor eam accipit, quàm ubi illam reſtituit.

23 An verò quando campſor non propriam, ſed alterius pecuniam trajicit, adeo ut ſit campſor qui det prior ſuam pecuniam, ut eam recipiat alibi, poſſit aliquid lucrari, & quo titulo; eſt difficultas. Hoc cambii genus hanc habet formulam: Petrus campſor dat Monachii Paulo mille aureos, quibus indiget hîc, qui deinde ſcribit Venetias ad ſuum Procuratorem hoc pacto: hiſce primis litteris cambii viſis, & perlectis, ſolves Joanni ſocio Petri mille aureos, quia totidem accepi Monachii à Petro, & ſubſcribit menſem, diem, & annum. Has litteras Paulus dat Petro campſori ut ipſemet eas mittat Venetias, ut earum fide, & authoritate, ejus procurator, vel ſocius exigat tales pecunias à Procuratore Pauli. Aliqui cenſent campſorem in hoc contractu non poſſe lucrum ullum accipere. Verùm communior ſententia eſt, quòd poſſit etiam licitè aliquod lucrum accipere, ut docent Navarrus *in manual. c. 17. num. 289.* Toletus *lib. 5. c. 33.* Valentia *2. 2. diſp. 5. q. 23 p. 4.* Sylveſter *V. uſura 4. q. 3. §. 1.* Malder. *de cambiis dub. 3. num. 3.* Layman. *ſ. 19. n. 8.* ex primo titulo virtualis translationis, & majoris æſtimationis pecuniæ præſentis, quàm abſentis, adeo ut campſor poſſit aliquid lucrari, quamvis utrobique ſit idem pretium monetæ, & eadem copia, vel inopia: & id procedit, quamvis det ad locum intra idem Regnum, vel Provinciam: quia ſicut pecunia abſens ab uno regno minoris valet illi Regno, quàm præſens in eodem Regno; ita periculum abſens ab una civitate ejusdem Regni minus valet, quàm præſens alteri, & quò plus diſtabunt loca, eò minoris æſtimatur pecunia abſens, ac proinde campſor poteſt plus lucrari, ratione hujus abſentiæ pecuniæ ſecundùm locum magis diſtantem.

24 Secundus titulus eſt major æſtimatio pecuniæ in loco ubi datur, quàm ubi redditur, ſive illa æſtimatio ſit intrinſeca, ſeu à lege, & communi conſuetudine, & valor pecuniæ proveniat ex conditione materiæ, ponderis; ſive procedat ex cauſis extrinſecis, & fortuitis: etenim ratione utriusque æſtimationis poteſt campſor aliquid lucrari, dummodo lucrum non excedat pretium fructuum cambii: quamvis nummi aurei eandem habeant æſtimationem legalem hic Monachii, & Romæ, adhuc fieri poteſt, ut hîc majorem habeant accidentalem, ſeu fortuitam, vel ratione majoris raritatis talis pecuniæ, vel ratione majoris ſecuritatis in uno loco, quàm in alio: regulariter ubi majora ſunt pericula cæteris paribus pecuniæ minoris æſtimantur, ut docet Cajetanus *tract. de cambiis c. 7.*

25 Solet etiam addi tertius titulus ratione cujus poteſt campſor aliquid licitè lucrari ex præfato cambio, eſtque carentia pecuniæ, cui adnectitur periculum, ne reſtituatur, & privatio commoditatis negotia inſtituendi ex tali pecunia, quæ apud mercatores pluris æſtimatur, proinde quo longius eſt tempus, in quod campſor talem pecuniam concedit, eò plus lucri poteſt exigere. Cæterum ratione æſtimationis poteſt campſor plus accipere Venetiis, quàm det Monachii, ut ſi det centum aureos Ungaricos hîc Monachii Petro, ut eos Petrus Venetiis ſolvat ſocio campſoris, quia Monachii aurei Ungarici valor eſt major, quàm Venetiis, ne campſor exceſſum valoris perdat, poteſt aliquid plus Venetiis accipere, ſed minus, ſepoſito pretio trajectionis, alioquin non eſſet dati, & accepti æqualitas in æſtimatione, quæ in omni contractu ſervanda eſt: ratione æſtimationis extrinſecæ, ſeu fortuitæ, poteſt etiam aliquid lucrari, ſicuti enim merces ratione paucitatis, & neceſſitatis, ut etiam ratione multitudinis petentium, & raritatis venditorum pluris valent, & emuntur, quàm aliàs emerentur, ita etiam pecuniæ præſentes ob easdem cauſas pluris valent, pecuniæ enim abſentes ſe habent inſtar mercium reſpectu præſentium.

26 Datur etiam tertium cambii genus, quod etiam litteris fieri ſolet, & dicitur cambium ad nundinas; in quo nunc quaſi verſatur tota mercatorum ars, & negotiatio, quæ non gratia mercium fit, ſed quæſtûs, & lucri causâ. Sicut olim introductæ fuerunt nundinæ, ut omnes, & ſinguli faciliùs, & commodiùs merces coemerent, quæ ubique locorum non inveniuntur, & ob eandem cauſam deſignata fuerunt certa

loca,

loca, ad quæ venditores cum mercibus, & emptores cum pecuniis venirent, ut venderent illi, emerent isti: ita mercatores, & sampsores suas nundinas instituerunt, & certa loca designârunt, in quæ commodè, & opportunè convenirent, cum suis debitis, & creditis. Neque in iis locis, fiunt venditiones, & emptiones mercium, sed pecuniarum solutiones, & traditiones; adeo ut alii sua debita solvant, & alii debita contrahant: redduntur itidem dati, & accepti rationes; & demum pecuniæ creduntur, & accipiuntur: quinimò totum hoc negotium fere sine ullis pecuniis exigitur, solùm datis, & acceptis chyrographis, & syngraphis: & hæ nundinæ solent singulis trimestribus, seu quater in anno celebrari. Hinc cambium dicitur fieri ad primas, secundas, tertias, vel quartas nundinas: sed pecunias dari, vel accipi ad primas, vel secundas nundinas nil aliud est, quàm pecuniarum solutionem esse faciendam ad tres, vel sex menses.

27 Interdum autem pecuniæ dantur in uno loco, ut in alio solvantur, in quo nullæ fiunt nundinæ; & aliquando dantur in uno loco, ut solvantur in alio, in quo fiunt nundinæ. Sed licèt in loco ubi solvendæ sunt, non fiant nundinæ, nihilomnius solent mercatores fingere, ac si ibi nundinæ celebrarentur, quatenus ad solutionem pecuniarum statuuntur ea tempora, in quibus solent nundinæ peragi: hinc pecuniæ dicuntur dari, vel accipi ad primos, secundos, vel tertios terminos, hoc est ad primum, vel secundum trimestre, in quo primæ, vel secundæ nundinæ celebrantur; cambium igitur ad nundinas non differt nisi accidentaliter à cambio locali ex natura sua, quia eædem personæ in utroque cambio conveniunt, & regitur eadem pecunia, & variatio pretii fit juxta longius, aut brevius tempus, hinc concurrentibus debitis circumstantiis, & conditionibus cambium ad nundinas non est illicitum jure naturali, vel communi scripto.

28 Prima igitur conditio est, ut fiat realis permutatio ex uno loco in alium habita ratione diversitatis pecuniæ, & valoris monetarum, adeo ut hæc cambia citra fraudem, & dolum fiant verè, & re ipsa litteræ de uno loco in alium mittantur, & virtute litterarum fiat solutio pecuniæ receptæ in alio loco, quàm in eo ubi solvitur.

29 Secunda conditio est, ut servetur justum pretium, secundùm communem fori æstimationem, in qua habenda est ratio ad copiam, vel inopiam pecuniæ ad distantiam, vel indistantiam locorum.

30 Tertia, ut in æstimatione pretii non habeatur per se ratio temporis, hoc enim esset usurarium, ut habetur in Bulla Pij V. siquidem distantia temporis non parit justum lucrum, sicut distantia loci, quæ regulariter onera æstimabilia conjuncta habet in trajectione pecuniæ de loco ad locum.

31 Rursus omne monopolium vitandum est, siquidem facientes monopolium directè, & per se, sive ex pacto expresso, sive tacito, quo pretium augeatur supra justum, peccant contra justitiam, ut etiam qui positivè cooperantur monopoliis: siquidem sunt causa efficax incrementi illius pretij supra justum, quod non potest ab ipsis institui, quia pretium justum cambii non dependet ex eorum arbitrio, sed ex aliis causis; cooperatores itidem tenentur positivè in solidum ad restitutionem, si principales non satisfacerent, quia fiunt & ipsi participes talis injusti incrementi contra justitiam, ut docent Toletus *lib. 5. c. 53. num. 3.* Sotus *de justit. & jure lib. 6. q. 12. art. 3.* Salonius *de cambiis q. 4. art. 2.* Cambium pro secundis, vel tertiis nundinis censetur usurarium, si campsor ob id plus exigat, quàm exigeret, si pecuniam daret ad proximas tantùm nundinas; siquidem ob solam simplicem dilationem aliquid exigere usuram redolet: cæterum cum pari lucro licitum esset ad secundas, vel tertias nundinas pecuniam dare, quia id cedit in favorem campsarii. Rursus non potest ab initio determinatum interesse in pactum deduci pro periculo, in quod se injicit concedens dilationem ultra terminum ordinarium, quia id prohibetur in Bulla Pij V. de cambiis. Non tamen prohibetur, ut qui alterius causâ patitur damnum aliquod, possit indemnis servari in foro conscientiæ, cùm id in cæteris contractibus jure naturæ licitum sit.

32 Juvat observare, Pium V. in sua Bulla de cambiis, aliquas apponere conditiones, quibus non servatis cambia non sunt licita. Primò damnat Pontifex ut usuraria omnia cambia sicca, in quibus falsò fingitur in alio loco futura solutio, cum de facto intendatur futura in eodem loco, ubi fit contractus, eò quia alter alibi pecuniam non habeat. Secundò jubet in cambio reali servari aliquas conditiones; quarum prima est, ne campsor ratione dilationis ultra terminum præstitutum concessæ pacisca tur de ullo lucro, id enim usuram oleret. Secunda est, ne ab initio, vel postea, pacisca tur de certo interesse, etiam in eventu, quo non fieret solutio tempore debito. Non tamen Pontifex prohibet pactum de interesse incerto, quod postea ex mora campsarii deprehensum fuerit, sed tantùm pactum de certo interesse futuro ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Rursus neque prohibet, no pœna moderata adjiciatur, si ex negligentia tempore convento non fuerit facta solutio. Tertia conditio est, ne realia cambia aliter quàm ad proximas nundinas fiant, vel si nundinæ non agantur, in proximis terminis juxta receptum locorum usũ: unde non licet ire ad secundas nundinas cum majori lucro, quàm ad proximas. Quòd si quis ratione veri interesse plus exigeret, quando ad secundas nundinas concedit, peccaret contra hanc Bullam, & tanquam usurarius puniretur in foro exteriori. Quarta est, ut in constituendis terminis solutionum habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus destinatur solutio, ne dum longiores præfiguntur, quàm exigant loca solutioni destinata, fœnerandi detur occasio: ubi juvat adnotare, hîc non improbari terminos solutionum in nundinis, qui sæpe triplo, vel sextuplo sunt longiores, quàm locorum exigat intercapedo, eò quia non possint commodè alii termini constitui talibus locis; sed improbantur termini ex-

tra nundinas: siquidem improbatur saltem tacitè illa consuetudo, quâ campsores eò plus lucri accipunt, quò longius est tempus, ante nundinas. Cæterum non desunt, qui censeant probabile, id non improbari, quando fit communi mercatorum judicio, & ob causas, quæ communiter ipsis videntur justæ, & æquæ.

§. III.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones

1 QUæritur primò, an si duo clerici beneficiati permutent vicissim sua beneficia, & unum eorum majores habeat proventus, præ altero, possit excessus iste redituum ab altero permutante pecuniâ, vel alia re temporali compensari? Siquidem pecunia in tali casu non datur pro beneficio, & re spirituali, sed tantùm pro illo excessu proventuum, qui est aliquod temporale: & videtur id concedi *in c. ad quæstiones 6. h. t.* Respondetur nihilominus cum distinctione, an sint duæ Ecclesiæ conventuales, seu Monasteria, quæ velint beneficia sibi unita inter se permutare: vel an sint duo clerici beneficiati: in priori casu ex *d. c. ad quæstiones 6. h. t.* est talis permutatio licita, ubi Clemens III. rescribit, quòd si duæ Ecclesiæ pro majore commoditate, velint permutare eorum bona, possint id præstare: & si proventus unius sunt uberiores, altera infundat pecuniam ad æqualitatem, contractu tamen refectionis pecuniæ per se celebrato. ita ut cum contractu permutationis non misceatur. Ratio est, quia ibi pecunia datur pro fundis, & agris, qui temporales sunt, & per incorporationem transierunt in dominium Ecclesiæ conventualis. Quando verò sunt duo clerici beneficiati, qui permutant sua beneficia, non est licitum pro excessu redituum aliquid temporale accipere, quia tunc principaliter fit permutatio quoad titulum: quia cùm agri, & fundi non sint in dominio beneficiati, sed is habeat tantùm jus spirituale, vel saltem spirituali annexum, seu fructus percipiendi; non posset pecunia intelligi data pro ipsis fundis, & agris, sicut in priori casu; sed pro titulo spirituali, & jure percipiendi ampliores reditus, quod non est licitum, quia daretur temporale pro spirituali, vel pro annexo spirituali. Quòd si unus clericus esset alio minus idoneus, & haberet beneficium pinguius posset in illa permutatione authoritate tamen Episcopi congruam pensionem sibi reservare ad tempus vitæ, ut notat Navarrus *de simon. consil. 43. num. 4.*

2 Quæritur secundò, an permutatio beneficiorum possit fieri non obstantibus gratiis expectativis? Respondetur, tales gratias expectativas non se extendere ad beneficia resignata ex causa permutationis, proinde validam esse permutationem beneficiorum non obstantibus gratiis expectativis prout statuitur *in c. licet sanct. h. t. in 6.* in quo habetur, quòd quando quis ex gratia Papæ expectat vacantiam beneficii, id non impedit, quin aliqui permutent sua beneficia renunciando in manibus Episcopi, idque de gratia, non de rigore juris: quia talis resignatio sine fraude cum non fieret nisi ad permutandum, non dicuntur beneficia vacare: secus si probaretur fraus. Unde habenti hanc gratiam expectativam nihil prodest, nec fit in ejus præjudicium, quòd si permutatio in fraudem fieret, tunc irrita foret, & probata fraude expectans posset petere unum ex beneficiis permutatis, non obstante tali permutatione, perinde ac si beneficium vacâsset per mortem, vel resignationem, non verò causa permutationis, ut tradit Glossa *in d. c. licet V. sine fraude argum. 2. de renuntiat. in 6.* An verò permutatio facta sit in fraudem, id colligitur ex qualitate, & circumstantiis ipsius facti, non verò ex eo præcisè quòd habens beneficium tenue illud permutet cum habente beneficium pingue, neque ex eo quòd clericus juvenis permutet suum beneficium cum sene, *argum. l. dolus 12. C. de rescindend. vendit. juxta Glossam marginal*; quia tunc cùm superior sciat unum beneficium esse alio pinguius, & clericos esse juvenes, vel senes, non potest ex hoc præcisè adesse fraus; quia quoad hoc authoritas superioris, à qua permutatio sumit robur, tollit præsumptionem fraudis, nisi aliæ concurrant fraudis conjecturæ, quæ superiorem lateant, ut si permutaretur beneficium tenue cum pingui proximè vacaturo, eò quia alter permutans esset morti proximus, ut notat Rebuffus *in prax. tit. de permut. n. 47.*

3 Quæritur tertiò, ad quid teneantur clerici beneficiati, qui irrequisito proprio prælato beneficia vicissim permutârunt? siquidem talis permutatio censetur licita; quia spiritualia cum spiritualibus, proinde beneficia cum beneficiis inter personas idoneas possunt permutari *c. quæsitum 5. §. At quæstiones h. t. c. cum venerabilis 6. de excep. c. inter 18. de prabend. c. super eo de transact. c. final.* quia in permutatione beneficii ecclesiastici cum alio beneficio datur res spiritualis pro re spirituali; & labes simoniæ non committitur nisi quando pro re spirituali datur aliquod temporale *c. qui studet 1. q. 1. c. salvator 1. quæst. 3.* Respondetur nihilominus, talem permutationem factam irrequisito proprio superiore esse irritam, & clericos privari suis beneficiis. Quia licèt beneficiati possint tractare de permutatione suorum beneficiorum facienda; non tamen permutationem ipsam facere, nec concludere possunt irrequisito superiore proprio: siquidem talis permutatio continet labem simoniæ; proinde uterque suo beneficio privatur *c. quæsitum 5. & cap. cum olim 7. h. t.*

4 Neque obstat, quòd in tali permutatione detur aliquid spirituale pro spirituali: quia licèt beneficium ecclesiasticum secundùm se præcisè sit quid spirituale, habet tamen annexum aliquod temporale, scilicet fructus, & commodum, ratione cujus contrahi etiam simoniam liquet *ex c. præterea 17. de transact.* ideo permutat quis suum beneficium, quia hoc videtur esse sibi minus commodum; & aliud magis commodum, ratione cujus permutat; proinde pro aliquo temporali datur spirituale, quod est simoniacum. Neque obstant allegata jura in con-

contrarium; quia illa procedunt in permutationibus factis auctoritate legitimi superioris. Unde res spiritualis potest quidem permutari cum re spirituali non privata permutantium auctoritate, sed accedente consensu superioris. Imò non facilè reperitur, olim licuisse beneficiariis habentibus beneficium ecclesiasticum propriam Ecclesiam deserere, & ad aliam se transferre; neque Ecclesiæ, cui per ordinationem mancipati erant, renunciare irrequisito proprio episcopo; quapropter juri consentaneum est, ut beneficiarii non possint privata authoritate propriis renunciare ecclesiis, nec illas cum aliis permutare.

5 Tum quia hæc mutua permutatio non potest fieri sine reciproca renunciatione, quæ sine consensu proprii prælati non potest fieri *c. admonet de renunc.* Tum quia beneficium non potest valide obtineri sine canonica institutione *c. 1. cum vulgatis de regul. juris l. 6.* & hæc institutio non potest fieri à privatis clericis; sed necessario facienda est à legitimo superiore ecclesiastico. Tum quia permutatio rei alienæ est nulla *l. 1. §. ult. ff. de rerum permut.* non enim potest quis disponere de re non sua; & clerici beneficiarii non sunt domini suorum beneficiorum, sed tantùm usufructuarii, vel œconomi *c. caterum de donat.* unde defectu dominii non possunt propria authoritate sua beneficia permutare. Has ob rationes hæc permutatio vix permittebatur olim in Ecclesia, adeout apud Gratianum nulla fiat de illa mentio, donec in Concilio Turonensi relato *in c. majoribus 8. de prabendis* Patres prohibentes beneficiorum sectiones, præbendarum permutationes improbaverint, quæ prohibitio firmata postea fuit ab Urbano III. & Clemente III. ac Innocentio III. & Pius V. in sua constitutione 42. cui initium est *officium* suspendit omnes facultates ordinariorum admittendi quascunque resignationes beneficiorum; & in constitutione 58. eas tantùm permittit resignationes, ac permutationes, quæ juri consonæ sunt.

6 Quæritur quartò, an jus ad rem possit permutari cum simili jure, vel cum beneficio? Respondent plures, talem permutationem adversari juri canonico, & præsertim *c. exhibita 9. & ult. h. t.* sed ibi tantùm dicitur, spirituale non posse permutari cum temporali, ut jus decimarum cum certa pecuniæ summa; jus autem ad beneficium ecclesiasticum non est quid temporale, sed spirituale, quod si permuteturcum alio jure ad rem, vel cum beneficio, est permutatio rei spiritualis cum spirituali. Respondetur exactiùs, talem permutationem non posse fieri, præsertim si sermo sit de gratiis expectativis, quia hæ gratiæ sunt personales, propterea non extenduntur ultra casum expressum, neque ultra personam, cui conceduntur, ut tradit Panormitanus *in c. cum olim 7 h. t.* & probatur *ex c. cui de non sacerdotali 27. de prabendis in 6.* ubi expressè dicitur, mandata de providendo, seu gratias expectativas non debere extendi ultra casus expressos. Quòd si tales permutationes fierent authoritate ordinarii, probabile est, non fore irritas, quia tunc non committitur simonia, cum sint res spirituales; unde si ob justam causam, ut ad litem componendam, fieret talis permutatio authoritate legitimi superioris non esset damnanda, quia cum talibus circumstantiis in jure non reprobatur.

7 Quæritur quintò, an si Titius velit suum beneficium resignare in favorem Cai; & Ordinarius nolit talem resignationem admittere, ut possit ipse tale beneficium alteri conferre; possit uti Titius permutatione ficta resignando causâ permutationis. Respondent plures cum Rebuffo §. *de permutat. num. 14. & sequent.* talem permutationem validam esse, & eorum fundamentum est, quia non interest nisi partis, cui nulla fit injuria, quia integrum est illi acceptare, vel respuere tale beneficium. Tum quia si Titius det Cajo rem suam causâ permutationis, & postea nolit rem Cai, quam illi condonat, non propterea irritatur permutatio: ita qui permutat suum beneficium fictè cum alio ad eum finem, ne Episcopus illud det alteri, potest concedere suum beneficium alteri, à quo nihil accipiat, cedendo jure suo revertendi ad proprium beneficium. Licèt posset id valere si bona fide Cajus putaret se habere beneficium, quod cum Titio mutaret, eo quia tunc transferatur dominium propter bonam fidem contrahentis: non ita si Cajus sciebat se non habere beneficium, quia tunc non poterat bona fide velle permutare, sed tantùm donare gratis, seu resignare in favorem alterius, quam tamen resignationem Episcopus non admisisset; unde collatio videtur facta per errorem.

8 Quamobrem adhærendum puto contrariæ sententiæ asserenti, non esse licitum ita fictè permutare beneficium, quia alioquin, si id licitum esset, sterneretur via pluribus fraudibus. Tum quia eo ipso quòd alius caret beneficio non potest illud permutare cum alio beneficio, est enim de ratione permutationis beneficiorũ, ut duo beneficia, quæ diversis inerant beneficiariis transeant de subjecto in subjectum, seu de beneficiario, in beneficiarium; & quando non datur nisi unum beneficium non potest fieri hæc permutatio, quæ proinde non potest vim ullam obtinere permutationis. Tum quia in permutatione ficta collatio extorquetur per fraudem; proinde non est licita: neque obstat, quòd talis error sit circa aliquid extrinsecum, quia etiam error extrinsecus, quando est causa contractûs illum irritat: hinc Ludovicus Gomez *q. 19. in regul. cancell. de infirmis* asserit, permutationem cum beneficio, quod vocatur de *pertica* cum beneficio ficto nullius esse valoris.

9 Quæritur sextò, an legatum prò erectione capellaniæ possit commutari in certum numerum missarum, si non possit erigi in loco destinato à testatore? Communis sententia est, omne legatum si ex impedimento facti non possit executioni mandari, posse permutari in aliud opus pium Glossa *in c. vos quidem de testament.* Abbas *num. 6. Innocentius num. 1.* & desumitur etiam ex Concilio Trident. *sess. 22. c. 6. de refor.* ubi generatim statuitur, quòd ex justa, & necessaria causa possint Episcopi tanquam delegati sedis Apostolicæ commutare ultimas voluntates testatorum, & *sess. 25. c. 4.* ubi asserit, posse Episcopos, & alios circa missas relictas

relictas celebrandas à teſtatoribus decernere, quod magis ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem expediens fuerit, ſi contingat, quòd non poſſint ſuppleri: quia tunc potiùs mens eſt attendenda teſtatoris, quàm ſonus verborum, quod procedit in omni diſpoſitione *l. labeo in fin. ff. de ſuppellect. leg. & lege nominis, & rei §. verbum ff. de verb. ſignif.* quod vel maximè procedit in ultimis voluntatibus *l. hæredes mei §. cùm ita ff. ad trebell. l. cum acutiſſimi C. de fideicommiſſ.* Caſtrens. *conſil. 264. lib. 2.* cùm enim teſtator non præviderit, quòd legatum non poſſet executioni mandari, ideo conſideranda eſt ejus intentio, ac exploranda ejus voluntas, nimirum an voluiſſet, ſi prævidiſſet, ac fuiſſet interrogatus *l. Titius §. Lucius ff. de lib. & poſth.* Gloſſa *in l. tale factum in fin. ff. de pactis*, & cùm non præſumatur voluiſſe inutiliter legare *l. ult. ff. ſi certum petit.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 4. num. 25.* ſiquidem omne agens agendo ſibi præſtituit finem, ob quem agit, non enim intendit fruſtra agere, ſed utiliter in ordine ad aſſecutionem finis; unde tunc rectè interpretatur voluntas teſtatoris de permutando legato, quod non poteſt impleri cum alio pio opere. Tum quia quando voluntas teſtatoris non poteſt in totum impleri, debet ſaltem eò meliori modo, quo poteſt impleri *l. in his l. in teſtament. l. filia ſua §. 1. ff. de condit. & demonſt.* Romanus *conſil. 409. num. 11.* unde cùm non poſſit impleri voluntas teſtatoris in erectione capellaniæ in loco deſtinato, erit implenda alio meliore modo, quo fieri poteſt, hinc ſi ſumma relicta pro fundatione non ſufficiat, ut erigatur in alio loco, tunc poſſe ſummam relictam commutari in aliud opus pium, docent communiter Canoniſtæ Abbas *in c. nos quidem de teſtament.* Socinus *tract. de obligat. lib. 19. num. 16.* Riccius *collect. p. 3. collect. 558. verſ. tertia cauſa.* Barb. *de potcſt. epiſcopi p. 3. allegat. 83. num. 7.* Idque reperitur deciſum *in l. legatum ff. de adminiſtrat. rerum ad civitatem pertinent.* ubi dicitur quòd ſi pecunia legata pro operibus pertinentibus ad ornatum civitatis ob interventum falcidiæ non ſufficiat; poſſit expendi in aliud opus utile civitati, & favet decilioni etiam decretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. c. 4. de refor.* ubi ſtatuitur, quòd ſi eleemoſyna relicta pro miſſis celebrandis ſit adeo tenuis, ut non facilè inveniatur, qui ſe oneri ſubjiçiat, poſſit Epiſcopus in ſynodo diœceſana ſtatuere circa hoc quidquid ad DEI cultum, & Eccleſiæ utilitatem magis expediens viſum fuerit, neque tunc defraudatur mens teſtatoris, cùm nemo præſumatur velle, quod fieri non poteſt *in l. Lucius §. Imperatores ff. ad municip. l. ſi tibi §. unius ff. de option. legat.* Rota *deciſ. 364. num. 3. apud Farinacium p. 1. recent.* & quia in tali eventu teſtator cùm jam objerit, non poteſt loqui; ideo ad ſuperiorem pertinet ejus intentionem interpretari, quòd ſi non ſufficiat pecunia relicta pro erectione capellaniæ, & celebratione miſſæ quotidianæ, poteſt fieri commutatio in aliud opus pium, alioquin teſtator, vellet aliquod impoſſibile.

10 Quamvis de jure antiquo hæc commutatio potuerit ab epiſcopis fieri, ut habetur *in d. c. nos quidem, de teſtament.* & in Tridentino *ſeſſ. 22. c. 6. de refor. & ſeſſ. 25. c. 4.* Nunc tamen hæc facultas commutandi ſublata eſt epiſcopis, ſi agatur de commutatione ultimarum voluntatum quoad miſſas celebrandas, idque per decretum ſacræ Congregationis Concil. Tridentini *de celebr. miſſ.* editum authoritate Urbani VIII. ubi etiam declaratur, quòd ſi legatum ſit adeo tenue, ut non reperiatur, qui velit tale onus ſuſcipere, adeunda ſit ſedes apoſtolica pro reductione oneris; & ita hodie eſt in praxi.

Quòd verò poſſit commutatio fieri in tot miſſas celebrandas pro una vice tantùm, quot correſpondent, habita ratione conſuetæ elemoſynæ, ſummæ totius legati, neque eſſe neceſſe, ut in alio loco capellania fundetur cum minori onere, tradunt Geminian. *in c. gratia de reſcript. in 6.* Natta *in repet. clem. ſepe num. 66. de V. S.* & alii docentes, quòd legatum pro ædificatione Eccleſiæ, quæ non poteſt ædificari ſine voluntate Papæ poſſit commutari in aliud pium opus, quia quando non poteſt impleri, quod teſtator præſcripſit in ordine ad cauſam piam, tunc ſubintrat facultas ſuperioris in favorem piæ voluntatis, in ordine ad ſuſtentandum actum, ne pereat juxta interpretativam voluntatem diſponentis *l. ſi miles. ff. de teſtam. milit. l. quoties. ff. de V. O. l. ſi quando ff. de legat. 1.* Quamobrem ex vi hujus facultatis, & voluntatis præſumptæ teſtatoris poteſt ſuperior eam inſtituere permutationem, quæ rationabilis viſa fuerit, magisque appropinquare diſpoſitioni ipſius. 11

Quæritur ſeptimò, an ſi legatum pium impleri non poſſit, ac proinde permutandum ſit cum alio opere pio, tunc requiratur conſenſus eorum, in quorum favorem factum eſt? Reſpondent communiter doctores, eſſe vocandos, ſiquidem omnes ij debent ad actum vocari quorum intereſt, ac lædi poſſunt *l. de unoquoque init. ff. de re judic. l. non ita divus. l. cum in cauſas prima §. cauſa cognita. c. cum olim de teſtib. & clement. paſtoralis de re judic.* An verò requiratur etiam eorundem conſenſus, ut fiat talis permutatio, affirmant plures cum Genuenſi *in praxi Neapol. c. 20. num. 3.* ubi addit, quòd ſi nec Eccleſia, cujus favore eſt factum legatum, nec hæres conſenſerint, poſſit tunc Epiſcopus ſe ſolo talem commutationem exercere; quòd ſi Eccleſia ſola conſenſerit, & non hæres, debeat Epiſcopus favere Eccleſiæ legatariæ. Sed putârim, tunc non requiri conſenſum legatarii, ſiquidem conſenſus ita neceſſariò fundatur in jure conſentientis, ut ubi nullum eſt jus, neque ullus poſſit conſenſus intervenire, qua ratione, qui non ſunt ſui juris non poſſunt conſenſum præſtare quoad illa, in quibus non ſunt ſui juris; adeo ut conſenſus minorennis non valeat, niſi factus major eundem approbet *l. ſi in rem C. ſi res aliena pignor. data ſit:* atqui Legatarius, quando voluntas teſtatoris non poteſt impleri non acquirit jus ad legatum, quia ad impoſſibile non acquiritur jus; neque voluntas teſtatoris cenſetur voluiſſe aliquod impoſſibile *l. Lucius §. Imperatores ff. ad municip. l. ſi tibi §. unius ff. de option. leg.* Cùm igitur voluntas 12

juntas teſtatoris ex impoſſibilitate adimplendi legatum, cenſeatur ceſſare, ceſſat etiam translatio juris in legatarium; proinde ejus conſenſus non eſt neceſſarius in tali commutatione, cùm nullum habeat jus.

14 Præterea ut rectè docet Pasqualig. *quæſt. moral. canon. q. 92. num. 6.* ſi legatum non debeatur alicui, hic non acquirit jus in illud, ſiquidem jus, & debitum referuntur eſſentialiter, adeo ut non poſſit ſine debito eſſe jus: eatenus habeo jus ad rem, quia hæc mihi debetur, alioquin ſi mihi non eſſet debita, non haberem jus ad illam: atqui ſi legatum non poſſet impleri juxta expreſſam teſtatoris voluntatem, tunc legatario non eſſet debitum legatum, quia cenſetur impoſſibile, proinde non habet jus ad illud, conſequenter neque requiritur ejus conſenſus in tali commutatione: minor habetur *in l. Seian. in fin. ff. de auro, & argent.* ubi dicitur, quòd ſi extinguatur res legata, vel non permaneat in ſua ſpecie, aut forma, non ſit res illa debita, imò nec ejus pretium, unde quando legatum abſolutè impleri non poteſt juxta modum præſcriptum à teſtatore, non eſt ampliùs debitum, proinde legatarius nullum acquirit jus in tale legatum. Tum quia eo ipſo quòd aliquid de jure eſt faciendum, non requiritur conſenſus habentis intereſſe, quia tunc jus per ſe ſupplet, & ſtandum omnino eſt determinationi juris, ut tradunt Menochius *conſil. 1094. num. 16.* Natta *conſil. 475. num. 14. lib. 2.* Oldrad. *conſil. 139. in 6. dub.* & quando impleri non poteſt mens teſtatoris eodem modo, ac forma, quâ præſcripſit, tunc de jure debet legatum mutari in aliud opus pium juxta voluntatem interpretativam teſtatoris *l. legatum §. de uſu, & uſufruct.* proinde jus ſupplet omnia alia, cùm ſtandum ſit ejus determinationi.

15 Requiritur tamen conſenſus hæredum *l. legatum ff. de uſu, & uſufruct.* & deſumitur *ex c. nos quidem de teſtam.* idque ſaltem ex quadam honeſtate, non verò ex totali neceſſitate, quia ſi hæres conſentire noluerit, & legatum ſit pium, poteſt ſolus Epiſcopus illud permutare, ut habetur *in text.* Neque obſtat, quòd hæres repræſentet perſonam defuncti *l. heres 1. ff. de uſucap. & authent. de jurejur. à morient. præſtand. init.* & ſuccedat in univerſum jus defuncti *l. nihil aliud ff. de V. S.* adeo ut hæres ſit ejusdem poteſtatis, cujus fuit defunctus, & habeat idem jus, quod ipſe habuit, *l. heredem. ff. de regul. jur.* quia licèt id verum ſit, tenetur tamen hæres approbare etiam factum defuncti *l. fin. ff. de hared. inſtituend. l. cùm à matre C. de rei vendicat. authent. de jurejur. à mor. præſt. §. 1.* proinde tenetur adimplere mentem teſtatoris eo meliori modo, quo poteſt *l. in his l. in teſtamento. l. filia ſua §. 1. ff. de condit. & demonſt.* quapropter ſi non aſſentiatur rationabili, ac piæ mutationi, ſolus Epiſcopus permutabit, quia id exigit favor, quo ultima voluntas ſuſtineri debet, ne pereat. *l. hereditas. ff. de tit. hared. ff. de petit. hared. & l. nulli, & fere toto C. de Epiſcopo & cler. & c. ſi haredes. & c. tua* Tridentinum *ſeſſ. 7. c. nit. & ſeſſ. 22. c. 8. de refor. & ſeſſ. 25. c. 8.*

Quæritur octavò, an ſi una Eccleſia permutet oratorium, vel quid aliud cum alia Eccleſia, requirantur ſolemnitates, quæ habentur in Paulina *ambitioſa*, ſiquidem in tali extravag. Pauli II. prohibentur permutationes bonorum Eccleſiæ generatim, adeo ut comprehendantur omnes permutationes: ſiquidem eſt permutatio, quædam alienatio, eo quia dominium alienetur ab uno, & transferatur in alium *c. nulli de rebus Eccleſiis non alienand. c. 2. de rer. permut. c. ſine exceptione 12. q. 2.* ubi Rebuffus *num. 66.* Rota apud Farinac. *decis. 70. num. 1. p. 1.* An verò Paulina conſtitutio comprehendat etiam permutationes, quæ fiunt inter Eccleſias, affirmant Rebuffus *in d. c. ſine exceptione n. 6.* Quaranta *in compend. Bullarij V. alienatio rerum eccles. n. 15.* Beroius *conſil. 179. num. 3. lib. 1.* At quòd non requirantur ſolemnitates *d. extravag. ambitioſa*, è converſo docent Riccius *in prax. fori eccles. reſol. 60. num. 2. & p. 4. collect. 996.* Barboſa *p. 3. de poteſtat. Epiſcop. allegat. 95. n. 57.* Pasqualig. *quæſt. moral. canon. q. 95. num. 4.* Megal. *tom. 1. variar. reſol. 31. num. 10.* & hæc ſententia eſt perquam probabilis, quia tota obligatio legis à voluntate dependet legislatoris, proinde non extenditur niſi juxta intentionem legislatoris, quæ utpote fortior, principaliùs attenditur *l. labeo in fin. ff. de ſuppellect. leg. & l. nominis, & rei §. verbum ff. de V. S.* hinc verba legis trahuntur ad menſuram intentionis legislatoris, ut tradunt Oldrad. *conſil. 9. verb. item cum num. 3. & 4.* Tuſchus *littera M. concluſ. 199.* Ancharan. *conſil. 219. num. 5.* & mens legislatoris menſuratur à cauſa finali: ſiquidem non poteſt voluntas legislatoris quidquam velle, niſi quatenus movetur ex fine; ideo vult quidquid eſt lege volitum, & tale propter finem, ex quo liquet, intentionem legislatoris, & obligationem legis menſurari ex cauſa finali, adeo ut non plus extendatur, quàm ipſa cauſa finalis *l. cum pater. §. dulciſſimis ff. de legat. 2. & l. adigere §. quamvis ff. de jure patron.* 16

Hinc quando dubitatur, an caſus aliquis comprehendatur in lege, & non reperitur cauſa finalis legis, tunc lex non procedit, quia deficit intentio legislatoris, proinde etiam ipſa lex circa eundem caſum *l. ut omni ff. de adoption. l. quod dictum. ff. de pact. c. & ſi Chriſtus de jurejur.* atqui in præfata *extravag. ambitioſa*, & in præſenti caſu permutandi bona Eccleſiarum finis Pontificis eſt conſulere indemnitati Eccleſiæ generatim, adeo ut per alienationes, & translationes dominiorum in laicos non patiatur detrimentum, & hac ratione finali prohibet tales permutationes fieri ſine facultate Romani Pontificis: non verò intendit prohibere permutationes inter unam Eccleſiam, & aliam, quia tunc Eccleſia univerſalis non damnificatur, quia bona quæ permutantur ſemper remanent in eadem Eccleſia univerſali, quamvis enim tranſeant, de uno membro in aliud, manent tamen in eodem corpore, & ſub eodem capite, proinde cauſa finalis dictæ *extravag. ambitioſa* non extenditur ad præſentem caſum: ſiquidem habetur in illa conſtitutione: *Ambitioſa cupiditati illorum, ac divini cultus detrimento exquiſitis me-* 17

diis

diis usurpare præsumunt, occurrere cupientes: unde claret, mentem Pontificis fuisse impedire, ne bona Ecclesiastica transeant ad laicos, ut enim habetur *in l fin. §. de hæred. instit. & l. 1. ff. ad sen. conf. macedon.* ex proœmio præsertim mens conjicitur legislatoris, & notant Tiraquel. *tract. cessante causa limit. 1. num. 65.* Mascard. *de prob. conclus. 1284.* Rota *decis. 619. num. 5. apud Farinac. p 5.* ergo cùm præfata constitutio complectatur tantùm alienationes ad manus laicales, sequitur, præsentem casum non includi in tali extravag. Verùm juxta praxim Romanæ Curiæ etiam in casibus non necessariis solet recursus haberi ad sedem Apostolicam, ut ea etiam impetrentur à Pontifice, quæ alioquin ab Ordinariis obtineri possent: unde consultius est talem permutationem sine consensu Pontificis non instituere.

18 Quæritur nonò, an quando res æstimata datur pro re alia itidem æstimata habeatur tunc permutatio, an verò venditio: ut Petrus suum fundum æstimatum mille aureis dedit Paulo pro suo fundo tantumdē etiam æstimato? Respondent magis communiter esse potiùs venditionem, eò quia æstimatio, seu taxatio utriusque fundi facta inducat utriusque venditionem, cùm enim taxetur fundus mille aureis per accidens se habet, quòd loco pretii, & numeratæ pecuniæ detur fundus, quia ipsa æstimatio rei est, quæ attenditur, & hæc venditionem inducit: ut si Petrus vendat suum fundum, sed Paulus cum pecuniam non habeat numeratam tradit illi alium suum fundum, hæc traditio est emptio *l. 1. C. de rerum permut.* quia tametsi quoad res, quæ traduntur, videatur esse permutatio; voluntate tamen contrahentium est verus contractus venditionis, & emptionis; non enim quid aliud intendere voluerunt contrahentes, quàm vendere, & emere *l. pretij C. de rescindend. vendit.*

Sed quæritur decimò, an quando pro re da- 19
tur simul res, & aliqua pecunia, tunc sit permutatio, an potius venditio? ut Petrus dat Paulo pro suo fundo 100. aureos, & simul suum fundum. Respondet Abbas *in c. ad quæstiones 6. h. t.* esse considerandum ex verbis contrahentium id, quod præcipuè voluerunt, & secundùm illud esse judicandum: etenim si præcipuè voluerint emere, & vendere, tunc est venditio: & si intenderint permutare, est permutatio. Verùm quia voluntas contrahentium non semper constat, ideo alii distinguunt, si pretium pecuniæ datæ sit majus re data, tunc dicunt esse emptionem: sin autem minus, volunt esse permutationem. Fundus Petri valet mille aureis, Paulus dat Petro pro illo suum fundum valentem 300. aureis, & addit in numerata pecunia 700. aureos: hæc est vera emptio: secus si Paulus dederit suum fundum valentem 700. aureis, & rursus alios 300. aureos, dicunt esse permutationem: & hæc sententia est perquam probabilis.

TITULUS XX.

De feudis.

QUia non desunt, qui ad contractus innominatos referant contractum feudalem, eò quia à jure scripto proprium nomen non habeat, non enim hoc nomen feudum suum à Romanis trahit originem, sed ex moribus, & lingua Longobardorum; ethymon enim hujus nominis à fide, vel fidelitate verius deducitur, ideo dicunt, congruè Pontificem hic agere de feudis. Communior tamen sententia asserit, feudum esse contractum nominatum, quia licèt jure scripto nomen non habeat, illud tamen obtinuit à consuetudine, adeò ut contractus feudalis designet rem, quæ à Principe datur in feudum subdito, cum quadam obligatione præstandi aliquod servitium, vel obsequium, ac servandi fidelitatem: hinc feudum definitur *ususfructus rei immobilis sub conditione fidelitatis à domino concessus*: & per hoc differt ab emphyteusi, quia non respicit fidelitatem specialem domino præstandam; sed solùm recognitionem domini, & canonis solutionem.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. INSINUANTE 1. h. t. Innocentius III. declarat, quòd si habens in feudum ab Ecclesia possessiones acceptâ pecuniâ eas pignorat Episcopo ejusdem Ecclesiæ, non debeat Episcopus commutare in sortem principalem fructus illius pignoris: sed pignorantem esse liberum à servitio, quod Ecclesiæ debebat, quia tunc fructus compensantur pro servitio. Ratio hujus decisionis petitur ex natura feudi, est enim ut fructus cedant vasallo præstanti servitium, quod si non præstet, non percipit fructus. Non enim hic consideratur excessus fructuum, quia ab initio tales fructus fuerunt concessi ex mera liberalitate pro tali servitio, quo cessante fructus meritò retinentur. Non tamen hæc ratio videtur procedere, quando feudum conceditur sub sola conditione fidelitatis, nullo onere, seu servitio imposito; quia vasallus tenetur

netur fidelitatem præstare domino, etiam post-quam feudum dedit in Gageriam, *ut dicitur in textu, seu* in pignus. *Imò neque potest dominus retinere fructus feudi oppignorati, si pro concessione illius Vasallus solverit pecuniam, vel feudum notabiliter minoraverit: ratio est, quia tunc cessat interesse domini, quod consistit in servitio, cui respondent fructus.*

C. *EX PARTE 2. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd non obstante juramento de non infeudando inconsulto Papa, possit Episcopus in pluribus casibus infeudare. Primò si mortuo Vasallo feudum reverteretur ad Ecclesiam. Secundò si Vasallus feudum alienavit, potest Episcopus de feudo investire filium, vel consanguineum. Tertiò si Episcopus feudum alienatum facilè per se recuperare non potest; tunc potest infeudare alicui laico, qui illud recuperet, & ab Ecclesia cognoscat, & per quem Ecclesia possit feudum illud alienatum recuperare. Hinc notandum est, juramentum de non infeudando de novo, non extendi ad antiqua feuda, sed solùm ad illa, quæ nunquam fuerunt infeudata, suntque ab Ecclesia possessa. Notat Glossa in hoc textu, quòd si Vasallus sine licentia domini alienet totum feudum, vel majorem partem, perdat feudum, & possit dominus illud à quolibet recuperare, non ita, si tantùm minorem partem alienet, dummodo maneat in servitio domini. Rursus licèt feudum non possit alienari, potest tamen dari in dotem usque ad vitam Feudatarii* c. nuper. de donat. inter vir. & uxo.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De nomenclatione, origine, quidditate, ac speciebus Feudorum.

1 TAmetsi plures juris civilis interpretes feudum deducant à fide, eò quia, qui oppidum, pagum, vel urbem in feudum accipit se domino directo ejusdem feudi obstringit, ac fidelitatem eidem promittit: communior tamen, ac verior opinio asserit, feudum esse vocabulum non latinum, sed Longobardicum deductum fortassis à Germanica voce feee, quæ olim apud aliquos Germaniæ populos bellum significabat: prædia enim bello occupata, quæ victor ea lege colenda, & possidenda suis tradebat militibus, ut illum perpetuum dominum directum agnoscerent, seque illius clientes profiterentur, feuda dicebantur: unde licèt aliqui feudorum originem à Romanis, alii à temporibus Justiniani, alii à Gallis derivent; magis tamen receptum est, feuda suum duxisse initium à Longobardis, qui bellorum vi Italiam occupârunt, ac diu possederunt: siquidem in ipsis feudorum libris frequens est Longobardorum mentio, ac eorundem legum, ut *in c. 1. de feudi cognitione, c. 1. de contentione inter dominum, & fidelem.* Non tamen imus inficias, ante Longobardos Italiam occupantes, aliquos extitisse contractus speciem quandam feudorum præseferentes, ut tradunt Fachineus *lib. 7. controvers. c. 1.* Harprecht. *in annot. ad Julium Clarum in §. feudum q. 1. num. 11.* Cæterum jus feudale insertum corpori juris civilis ab incertis potissimum authoribus compillatum fuit ex usibus, moribúsque, adeo ut etiam nunc dicatur jus consuetudinarium.

2 Quamobrem feuda sumpta in eo sensu, quo in utroque jure solent intelligi, propriè cœperunt eo tempore, quo Longobardi in Italia Regnum obtinuerunt: & eorum origo hæc fuit, ut Victores cùm gratiam suis Ducibus, Præfectis, ac militibus pro opera in præliis egregiè navata referrent, honoribus, & fortunis Italorum eos insignierint. Tum etiam ut certos sibi devinctos, & tanquã devotos ac obligatos clientes haberent, quorum operâ bello partam regionem imposterum, si opus esset, tueri possent, quos Vasallos appellabant, quasi famulos: non enim servi, aut famuli dici voluerunt, sed nomine paulò honestiore vasalli, seu subjecti jurisdictioni ejus, qui rem in feudum dabat; quia verò profitebantur, se esse homines illius, à quo rem in feudum accipiebant, ideo edita, & constituta postea fuit solemnis in feudis accipiendis formula, nimirum ut fidem, & juramentum præstarent, quod postea magis barbarè dictum est homagium. Immo ab initio quædam feuda solùm precariò concedebantur, ut ea dominus, quoties ei liberet, revocaret; postea verò institutum est, ut in perpetuum tempus fidei, & dominii conditione feuda traderentur.

3 Hinc tres feudorum gradus orti fuerunt, summus, medius, & infimus. Summus est ordo Principum, ac Procerum, qui Regni Duces, Marchiones, & Comites vocantur, & à Rege non solùm illis titulis, & honoribus afficiebantur; sed etiam Italiæ oppidis, vicis, arcibus, ac villis donabantur: & quia hæc feuda partem aliquam regiæ dignitatis obtinebant (siquidem qui Duces, Marchiones nunc appellantur, Reguli olim fuerunt) propterea regalia dicta sunt: & potestas eis etiam dabatur cudendæ pecuniæ, creandorum Magistratuum, salinarum, & fodinarum exercendarum, caducorum, confiscationum, earúmque functionum, quæ angariæ, & parangariæ vocabantur, quæ jura regalia vocantur. Medius ordo eorum fuit feudorum, quæ Principis illius ordinis Proceres, Regis concessu ea lege aliis inferioris dignitatis hominibus dabant, ut vasalli ipsos be-

neficii authores, ac patronos agnoscerent, & pro ipsorum fortunis, si opus esset, pugnarent; & hi sunt, qui nunc vocantur Barones, ac vasalli. Infimus ordo eorum fuit, quæ à secundi ordinis vasallis in privatos conferebantur, sive illi nobiles essent ob præclara in bello gesta, sive ignobiles: & omnes iurisjurandi formulæ obligabantur.

5 Ex quo constat, feudum esse genus quoddam clientelæ, quo dignitas, vel prædium aliquod ea lege alicui datur, ut ipse, & ejus posteri, seu hæredes beneficii authorem perpetuò agnoscant, & quasi pro patrono habeant. Est autem feudum multiplex, siquidem aliud dicitur propriè, & aliud impropriè feudum; illud est, quod simpliciter, purè, ac directè concediditur absque ulla determinatione temporis, certi obsequii, officii, seu servitii §. *penult. & ult. tit. quid sit investitura lib. 2. feud.* Impropriè dicitur, quod ad certum officium, vel obsequium ex inito pacto conceditur §. *ult. tit. quid sit investitura lib. 2. feud.* & hujusmodi feuda certis temporibus, ac locis certum debent officium præstare Principi, vel patrono accedenti ad oppidum, ut aquam fundere manibus lavandis, mensam apparare, fercula apponere, ensem præferre, coronam regiam pulvino auato impositam manibus tenere; vel etiam certam quampiam arcem custodire, quod dicitur feudum guardiæ, seu custodiæ. Rursus aliud dicitur feudum regale, & aliud non regale; illud est, quod à Principe supremo, qui superiorem non agnoscit, conceditur, & præter simplicem jurisdictionem habet etiam nomen dignitatis, & titulum ducatûs, marchionatûs, comitatûs *c. 1. tit. quis dicatur dux. lib. 2. feudor.* Non regale dicitur, quod nil habet dignitatis, & eminentiæ, & confertur, vel à Principe, vel etiam ab alio inferiore. Rursus aliud dicitur feudum nobile, aliud ignobile; illud est, quod suum possessorem nobilitat. *c. 1. tit. quis dicatur dux. lib. 2. feud.* Ignobile, quod à plebe etiam privatis hominibus conceditur *c. 1. tit. de his, qui feudum dare possunt. lib. 1. feudor.*

6 Præterea ut ad nostrum magis facit institutum, dividitur feudum in Ecclesiasticum, & sæculare, illud est, quod Ecclesia dat alteri, vel ipsa feudũ accipit ab alio *c. 1. tit. de iis qui feudum dare possunt. lib. 1. feud.* Sæculare, quod datur à Principe sæculari, vel accipitur à quolibet alio laico *c. 1. §. Marchia tit. de his qui feudum dare possunt.* Rursus bipartitur in reale, & personale, illud est quod ad hæredes jure transit tum domini, tum beneficiarii *c. 1. tit. de his qui feudum dare possunt lib. 1. feud.* Personale dupliciter solet accipi. Primò quia ad hæredes accipientis non transmittitur, quamvis obliget dantis successores: tale est, quod alicui conceditur causâ tuendæ pacis, vel territorii custodiendi, vel arcis; & dicitur feudum custodiæ; tale etiam est, quod datur causâ gubernandæ rei Principis, & vocatur feudum castaldiæ *c. 1. tit. de feudo guardiæ lib. 1. feudor.* Secundò dicitur feudum personale, quod neque ad accipientis, neque dantis hæredes extenditur.

7 Rursus aliud est, masculinum, quod tantùm ad mares pertinet; aliud fœmininum, quod solis fœminis conceditur §. *filia. ff. de successione feudi lib. 1. feud. & §. hoc quoque tit. de iis qui feudum dare possunt. eod. lib.* Rursus aliud est feudum antiquum, vel paternum, & aliud novum; antiquum est, quod majores communis agnationis supra quartum gradum habuerunt. Paternum est, quod parentes, seu progenitores usque ad quartum gradum tenuerunt, ut Avus, Proavus, Abavus, Atavus. Novum dicitur, quod cæpit in persona beneficiarii, neque ad eum pervenit ex successione *c. 1. tit. de successione feudi, lib. 1. feud.* Rursus feudum aliud dicitur individuum, quod dividi non potest, ut Ducatus, Marchionatus: aliud dicitur dividuum quod patitur divisionem, ut sunt feuda inferiora.

8 Præterea aliud dicitur arctioris fidelitatis, & obsequii, & qui tale feudum obtinet, juravit in verba domini: aliud simplicis fidelitatis, & obsequii, & qui illud accipit, non jurat, sed tantùm promittit fidelitatem, & obsequium. Demum aliud dicitur feudum ligium; vel non ligium: illud est, cùm quis jurat, se domino fore fidelẽ contra omnes excepto Imperatore. Non ligium dicitur, quando in jurejurando, qui jurat fidelitatem excipit non solùm supremum dominum, sed etiam alios, cujusmodi sunt antiquior dominus, cognati, & amici ac alii, ad quos pertinet. Quando feudum datur in perpetuum, & transit ad hæredes, dicitur hæreditarium. Si ematur pecuniâ numeratâ, dicitur emptitium.

9 Definitur igitur feudum, *benevola, ac libera concessio rei immobilis, vel equivalentis cum translatione utilis dominii in perpetuum proprietate retenta, seu dominio directo, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi.* Is qui feudum concedit, dicitur dominus, & sibi retinet dominium directum feudi concessi, is verò qui accipit, dicitur vasallus, qui habet tantùm dominium utile, seu accipit in perpetuum fructus feudi sibi concessi. Dicitur *libera, & benevola concessio*, quia feudum est species beneficii, quod ordinariè gratis concedi solet à domino, ut is pro suo honore servando, vel augendo vasallos sibi ad fidelitatem, & servitia obligatos habeat, *argum. c. 1. de feudo dato in vicem legis commissoriæ.* Cæterum non est de essentia feudi, ut merè gratuitò concedatur, quia solent etiam feuda numeratâ pecuniâ emi *c. unic. de natura feud.* sed tunc debent viliori pretio emi, quàm in se valeant, quapropter adhuc retinent speciem beneficii.

10 Dicitur *rei immobilis* quo nomine non solùm intelliguntur res temporales, solóq; hærentes, ut castra & prædia; sed etiam jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, cujusmodi sunt jura exercendi jurisdictionem, vectigalia exigendi. Dicitur transferri *dominium utile retento directo*, quia in concessione feudi dominium directũ remanet apud concedentem feudum, & tantùm dominium utile transit in eum, cui conceditur: distinguitur tamen Vasallus ab usufructuario, quia jus usufructuarii extinguitur cum persona, & jus feudale transit ad hære-

hæredes. Tum quia jus uſufructuarii ita eſt perſonale, ut non poſſit alteri cedi, ſi enim uſufructuarius vellet jus ſuum in alium transferre eo ipſo expiraret uſusfructus, & ad dominum proprietatis revertereturt *l. ſi uſusfructus 66. ff. de jure dotium.* Secus vaſallus poteſt feudum alteri elocare, imò etiam per modum feudi concedere, & alium ſubinfeudare *c. unic. per quos fiat inveſtitura.* Additur *in perpetuum*, quia quædam ſunt feuda, quæ non perpetuò, ſed ad certum tantùm tempus conceduntur, & hæc à natura feudi degenerant. Adduntur ultimæ particulæ *ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis exhibendi*, quia feudum in eum finem conceditur, ut fidem, & obſequium quaſi loco compenſationis Vaſallus exhibeat domino directo. Tenetur enim Vaſallus ad ſervitia honeſta domino feudi exhibenda, & hæc ſervitia habentur principaliter ex pactis, conventionibus, vel ſpecialibus locorum conſuetudinibus. De jure tamen feudali nomine ſervitiorum obligatur tantùm Vaſallus, quando à domino fuerit requiſitus, ut dominum euntem in bellum ſequatur, & pro eo etiam propriis ſumptibus teneatur pugnare, ſi feudum pingue fuerit, vel ſaltem alium æquè idoneum ſui loco ſubſtituere: vel ſaltem mediam partem fructuum feudalium illius anni domino directo pro bello continuando ſuppeditare *c. 1. §. firmiter de prohibita feudi alienatione per Fridericum.*

11 Id tamen procedit, ſi bellum fuerit juſtum, alioquin in bello injuſto non tenetur Vaſallus domino ſervire, niſi tantùm ad defenſionem, quòd ſi dubitetur, an bellum ſit juſtum, vel injuſtum, ſervitia tunc præſtanda erunt, quia in dubio mandatum ſuperioris præſumitur juſtum. Hinc Vaſallus obligatur ad ſervandam fidelitatem domino directo; adeo ut nihil contra ipſum machinari debeat, ſed potiùs ipſum conſilio, & auxilio juvare, qua ratione feudum à fide, ſeu fidelitate ſuam trahit nomenclationem; quapropter niſi dominus ultro remiſerit, tenetur Vaſallus juramentum fidelitatis præſtare, quod tamen dependet à conſuetudine loci, ſeu à conventione, aut pacto: cæterum ſive exigatur juramentum fidelitatis, ſive non, ſemper Vaſallus tenetur ad ſervandam fidelitatem, quia id eſt de natura, & ſubſtantia feudi: aliqui tamen excipiuntur, ut ſummus Pontifex utpote Pater, & ſuperior totius Eccleſiæ Catholicæ *argum. c. venientes 19. de jurejur.* ut etiam Imperator, & Rex Romanorum 2. *feudor. tit. 55. in fin.* ut etiam antiquior dominus, à quo Vaſallus jam priùs feudum acceperat. 2. *feudor. tit. 28. in fin.* Rurſus contra patriam, & ſua bona propria non tenetur Vaſallus aſſiſtere domino, neque contra proprium patrem, quia jure naturali debetur majus obſequium patri, majórque fidelitas, quàm domino. Neque tenetur Vaſallus ſua ſervitia præſtare domino in hæreſin lapſo. Plura habet de hiſce obligationibus Scraderus *de feudis. p. 6. c. 5. per tot.* & Harprecht. *in d. §. feudum. q. 21.*

12 Hinc differt contractus feudalis ab aliis, in quibus transfertur dominium, differt enim à locatione, quia hæc fit ad tempus, feudum verò in perpetuum. Tum quia feudum tribuit dominium utile, non ita locatio, ſed ſolum uſum. Rurſus differt ab emphyteuſi, quia in hac debetur domino directo penſio realis, in feudo autem obſequium perſonale. Tum quia feudum non poteſt alienari ſine conſenſu domini: & emphyteuta poteſt jus ſuum alteri donare, vel legare, imò & vendere requiſito tamen priùs domino. Tum quia feudatarius non compellitur præſtare obſequium, niſi id dominus exigat: emphyteuta verò tenetur penſionem ſolvere tempore conſtituto, tametſi dominus directus eam non petat. Tum quia feudatarius poteſt feudum dimittere irrequiſito domino directo, quia cùm ſit beneficium, poteſt eidem renuntiare, non ita emphyteuta, quia hic ita rem accepit in emphyteuſim, ut teneatur reſtituere meliorem.

Conditiones igitur requiſitæ de jure, vel 13
conſuetudine ad contractum feudalem ſeptem principaliores recenſentur. Prima eſt, ut feudum conſtituatur in re immobili. Secunda ut dominium directum, ſeu poſſeſſio civilis rei feudalis remaneat apud Principem, vel dominum, qui illam dat in feudum, & in Vaſallum transferatur dominium utile. Tertia ut non teneatur feudatarius ad penſionem, ſi eſt feudum purum, ſed tantùm ad obſequium perſonale, quando ad illud interpellatur. Quarta, ut amittat feudum, & incidat in caducitatem, ſi non præſtiterit obſequium debitum vaſalli, perinde ac emphyteuta amittit emphyteuſim, ſi negligat penſionem ſolvere. Quinta ut debeat feudatarius à directo domino inveſtiri, ac mitti in poſſeſſionem, & tunc eidem jurare fidelitatem. Sexta ut non poſſit ſine domini voluntate feudum oppignorare, vel donare, vel alteri concedere in feudum, ut cenſent plures. Septima ut ſi ſine voluntate domini, illud alienaverit, eodem privetur.

Quod verò ad res attinet, quæ in feudum 14
dari poſſunt. Certum eſt, res ſacras, religioſas, & ſpirituales alienationi non obnoxias non poſſe in feudum dari, eò quia ab hominum commercio ſint exemptæ *argum. l. pacta 72. §. fin. l. ſequent. §. de contrab. empt.* Quòd ſi caſtrum cum omnibus ſuis pertinentiis alicui concedatur in feudum, tunc etiam jus patronatus, quod dominus feudi in Eccleſia illius caſtri habuit, acceſſoriè unà cum caſtro tranſit ad Vaſallum *c. ex litteris 3. de jure patron.* quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: & plura in conſequentiam permittuntur, quæ aliàs prohibentur, ut notat Roſenthal. *tract. de feud. c. 4. conclus. 13.* Imò nec bona Eccleſiæ temporalia, ſive pertineant ad fabricam, ſive ad menſam Prælati, ſivè de novo ab ipſo Prælato fuerint acquiſita ex reditibus eccleſiaſticis, poſſunt à Prælato abſque conſenſu Capituli, & authoritate ſuperioris, & aliis requiſitis ſolemnitatibus in feudum concedi, ut deſumitur *ex lib. 1. feud. tit. 6.* ut notat Zaſſius *p. 5. num. 13.* ſiquidem conceſſio feudi habet rationem alienationis, & quidem magis, quàm emphyteuſis, proinde difficiliùs permittitur Prælato eccleſiaſtico: tum quia feudum proximiùs accedit ad na-

turam beneficii, & donationis, ut liquet *ex lib. 2. feudor. tit. 23.* & donatio eſt prohibita Prælato eccleſiaſtico, eò quia is tantùm donare poteſt, qui habet dominium rei, quam alteri dat dono; & Prælatus eccleſiaſticus non eſt dominus bonorum Eccleſiæ, ſed tantùm purus adminiſtrator *c. 2. de donat.* Tum quia feudum tardiùs, & difficiliùs ad Eccleſiam revertitur, quàm emphyteuſis, cùm ſit feudum jus fruendi alieno bono in perpetuum.

15 Id tamen limitatur. Primò, quia poteſt Prælatus res, quæ antea in feudum concedi conſueverant, iterum concedere ſine aliis juris ſolemnitatibus, & deſumitur *ex lib. 1. feudor. tit. 1. de his qui feudum dare poſſunt.* quia tunc talis infeudatio non cenſetur nova infeudatio, ſed potiùs quædam continuatio, & executio antiquæ infeudationis: quia cùm olim fuerit ſtatutum, ut talia bona in feudum concederentur, eò quia id vilum fuerit Eccleſiæ utile: ità poteſt talis infeudatio continuari. Secundò quia ſi res ſit modica, & parvi pretii, poteſt etiam infeudari ſine juris ſolemnitatibus. Cæterum ſi res datæ ſint Eccleſiæ ea conditione, ut non poſſint infeudari etiam ſervatis juris ſolemnitatibus, tunc non eſt liberum Prælato eas infeudare.

16 An verò res aliena in feudum dari poſſit? Reſpondetur, quòd ſi quis ſciens rem eſſe alienam eam dederit in feudum ignoranti, tunc qui accipit, poteſt agere, ut alia res ejusdem bonitatis, & æſtimationis ſibi detur in feudum, cùm prima ſit evicta. Secus qui ſciens rem alienam accipit in feudum, niſi ſpeciali pacto ſibi conſuluerit, agere nequit re evicta *c. 1. tit. de inveſtitur. de re aliena facta lib. 2. feudor.* & hoc etiam procedit de re obligata alteri, ſi enim qui accipit, ignorat eſſe obligatam alteri, poteſt agere, ut alia res æquè bona, & quæ tanti æſtimetur, ſibi detur: ſecus ſi ſciverit, rem eſſe alteri obligatam non poteſt agere, niſi ex ſpeciali pacto ſibi proſpexerit. An verò poſſit dominus in feudum dare, quando feudum nondum eſt apertum, eſt aliqua difficultas. Dicitur feudum apertum, quando eſt vacuum poſſeſſore beneficiario. Feudum igitur quod adhuc à vetere beneficiario poſſidetur dicitur feudum non apertum.

17 Reſpondetur, quòd ſi dominus det in feudum ſub conditione, ſi vetus beneficiarius deceſſerit absque hæredibus, agnatis ad ipſum feudum vocatis: vel ſub conditione, quoties ipſum feudum ad dominum fuerit jure devolutum, tunc contractus ſubſiſtit, ut communiter cenſent doctores cum Julio Claro *lib. 4. ſententiarum §. feudum q. 15.* Quòd ſi dominus det feudum ſimpliciter absque ulla conditione, tunc non valet contractus, tametſi poſtea vetus beneficiarius absque ullo hærede vocato ad feudum obierit: ratio eſt, quia quod ab initio eſt irritum, tractu temporis non convaleſcit. Debent tamen Principes vel maximè cavere, ut non concedant feuda nondum aperta, quia id perinde eſſet ac dare occaſionem captandæ alienæ mortis.

§. II.

Quibus modis feudum acquiri poſſit.

1 ESt explorati juris, poſſe feudum tribus potiſſimum modis acquiri, ſcilicet pacto cum inveſtitura, præſcriptione, & ſucceſſione; nomen pacti ſecundùm præſens inſtitutum ſignificat contractum feudalem, quo dominus alicui rem ſuam jure feudi concedit, ſive id fiat gratis, ſive titulo donationis, ſive pro pecunia, aut re alia, & ſpeciem habeat venditionis, vel permutationis; eſt enim feudum verus contractus nominatus ultro, citroque invehens obligationem: ſiquidem obligatur dominus ad tradendum feudum, & Vaſallus ad ſervandam fidelitatem, & præſtanda obſequia, proinde in tali contractu utpote nominato locum non habet pœnitentia, ut notat Harprecht. *de feud. in annotat ad Julium Clarum in §. feudum q. 1. ſub num. 5.* ubi addit, quòd cùm proximè accedat ad emphyteuſim, locationem, emptionem, & donationem, ſolo conſenſu perficiatur, *arg. c. 1. in fin. qui ſucceſſores feudum dare teneantur:* ubi promiſſio de feudo promittentem obligat. Hoc pactum eſt cum ipſa inveſtitura, ſeu illo ritu, quo quis per inveſtituram feudi rem dat, vel accipit. In utroque jure canonico, & civili, quando quis rem in feudum accipit, vel feudo donatur, tunc is qui accipit inveſtiri dicitur feudo; & ipſa feudi apprehenſio, ſeu aſſecutio inveſtitura dicitur, quæ vox procul dubio barbara eſt, & tantùm uſitata in legibus Longobardorum, quia latinè inveſtitus diceretur confirmatus, & inveſtitura confirmatio: hinc inveſtitura eſt apprehenſio poſſeſſionis feudi, & ille dicitur in feudum inveſtiri, qui feudi poſſeſſionem acquirit: fieri autem ſolet hæc inveſtitura cum haſta, vel alio corporeo inſtrumento: qua ratione etiam Romani alienationes ſolemni mancipatione, vel naturali traditione adhibitâ certâ verborum formulâ ad confirmandum contractum iniebant. *lib. 1. ff. de prætor. ſtipulat.* Longobardi verò alium inſtituerunt ritum, erecto ſcilicet vexillo, vel gladio, vel haſtâ, ſed præſertim haſtâ, quæ magis in uſu erat.

2 Hinc inveſtitura alia eſt propria, alia abuſiva: illa eſt, quâ Vaſallus actualiter in poſſeſſionem rei feudalis introducitur: abuſiva, quâ in domini curia vexillum, haſta, ſceptrum, vel aliud corporeum inſtrumentum traditur Vaſallo, exprimendo verbis idoneis, id fieri intentione inveſtiendi Vaſallum, eique concedendi feudum, & hæc abuſiva inveſtitura debet fieri coram aliis Vaſallis teſtibus ſaltem duobus, qui ab eodem domino feudum habeant; niſi dominus alios non haberet Vaſallos, vel locorum intercapedo non permitteret eos advocari; vel ipſi recuſarent venire, aut feudum eſſet Eccleſiaſticum, aut conſuetudo, vel ſtylus curiæ in contrarium eſſet, quia tunc inveſtitura coram aliis teſtibus concedi poſſet. *c. 1. quid ſit inveſtitura, c. unic. ſi de inveſtitura inter dominum, & Vaſallum lis oriatur.* Cæterum quando

fieri

fieri poteſt, teſtes debent eſſe pares curiæ, ſeu Vaſalli ejusdem domini, qui feudū dat. Clerici autem ſine teſtibus inveſtiri poſſunt. An verò teſtes requirantur ſolùm ad probationem inveſtituræ, an verò etiam ad ſubſtantiam, videtur controverti: ſed communior, & verior opinio eſt, eſſe neceſſarios ad ſubſtantiam, & colligitur *ex lib. 2. feudor. tit. 32.* & tradunt Hanetonius *de uſibus feudor. c. 41.* Duarenus *in comment. de conſuetud. feudor. c. 9. num. 3.* Tholoſanus *lib. 6. c. 14.* Inveſtituram ſequitur neceſſariò traditio feudi, præſtito priùs ab accipiente juramento: & jus ſemel acquiſitum, non leviter, neque absque gravi cauſa auferendū eſt. Quòd ſi contingat unius feudi plures inveſtituras eſſe inter ſe pugnantes; prima obtinebit poſſeſſionem, & erit cæteris præferenda; quia jus illius virtute acquiſitum à ſubſequentibus non tollitur, unde tenor primæ inveſtituræ erit ſervandus, quia primæ inveſtituræ non poteſt pactum ſecundæ, vel tertiæ nocere Gloſſa *hb. 2. tit. 49.* ſiquidem per pactum jus acquiſitum alteri nequit perimi *l. ſi unus ff. de pact.*

3 Quod ad præſcriptionem attinet; feudum ſi profanum ſit, & ſæculare, longa ejus poſſeſſione acquiritur, hæc autem longa poſſeſſio in feudo ſæculari eſt 30. annorum, in eccleſiaſtico 40. & contra Eccleſiam Romanam requiruntur centum anni, ut notat Molina *diſp. 71.* Sylvius *V. præſcriptio*, unde ſi quis feudum domini per 30. annos poſſederit, & ſe pro Vaſallo geſſerit, fidelitatem, & ſervitia præſtiterit, dicitur feudum præſcriptione acquirere *c. ſi quis per 30. ſi de feudo defuncti*: ſed hæc præſcriptio tantùm procedit contra dominum ſæcularem, quia contra Eccleſiam, vel Monaſterium, ex communiori ſententia requiritur præſcriptio 40. annorum *argum. authent. quas actiones C. de SS. eccles. ad aures*, & paſſim *in tit. de præſcriptionibus.* In hac autem præſcriptione duo requiruntur. Primò ut quis poſſederit per 30. annos, ſi feudum pertineat ad dominum ſæcularem. Secundò, ut poſſederit tanquam feudum: hinc ſi Titius nullum jus haberet in fundo, ſi tamen ſpatio 30. annorum eo uſus eſt tanquam feudo, & præſtitit obſequia domino, tanquam ejus Vaſallus; quamvis poſtea dici poſſit, nunquam eum fundum fuiſſe Titio in feudum conceſſum, nihilominus præſcriptione poteſt ſe Titius tueri, ac ſuſtinere, feudum illud ad ſe pertinere titulo præſcriptionis *lib. 2. feudor. tit. 26. §. ſi quis*: ejusdem juris eſt in domino, ſiquidem eſt eadem ratio: ſi quis enim utatur per 30. annos aliquo feudo tanquam directus dominus, & exigat à Vaſallo illud poſſidente obſequia, quæ ſolent dominis feudorum præſtari: tametſi nihil juris habeat in tali feudo, adhuc titulo præſcriptionis acquirit directum dominium. Licèt contra quamlibet Eccleſiam præſcriptio non procedat, niſi ſpatio 40. annorum *authent. excepto. C. de SS. Eccleſia*, nihilominus contra Eccleſiam Romanam præſcriptio non currit niſi ſpatio centum annorum, quia præſcriptio aliter non procedit in aliis bonis contra Romanam Eccleſiam.

4 Succeſſione etiam acquiritur feudum, ita ut tranſeat ad hæredes *lib. 2. feudor. tit. 11.* & quamvis olim feuda eſſent tantùm temporalia *lib. 2. feudor. tit. 1.* & finirentur per obitum illius, qui feuda accipiebat, fuerintque propterea feuda perſonalia, quæ ſimul cum perſona ceſſabant: uſu tamen factum poſtea fuit, ut ad hæredes tranſirent, qui propterea ſuccederent in feudum, & dicuntur titulo ſucceſſionis acquirere feudum: & quamvis circa res allodiales duo ſint modi ſuccedendi, unus ex teſtamento, alter ab inteſtato; in feudis tamen regulariter nulla ſucceſſio ex teſtamento locum habet; quia devolvitur feudum ad ſucceſſores etiam ab inteſtato jure ſanguinis; niſi fortaſſis feudum ita à domino conceſſum fuiſſet, ut liceret illud in quoslibet hæredes quocunque modo legitimo transferre *c. unic. in princ. de ſucceſſion. feudor.* alioquin neque pater poteſt ita inter liberos diſponere, ut iſti inæqualiter ſuccedant in feudo, vel unus ſolus feudum poſſideat, & illud quaſi prælegati jure habeat; niſi feudum merè hæreditarium fuerit, ut tradit Scraderus *de feud. p. 7. c. 2. n. 3. & 12.*

Quinimò tametſi hæres Vaſalli, ad quem devolvitur tota hæreditas, nollet hæreditatem acceptare, eò quia ſit ære alieno gravata; poſſet ſolum feudum petere, dummodo non ſit filius, quia hic non poteſt recuſare hæreditatem Patris, & agnoſcere feudum *c. 1. an agnatus, vel filius.* Ratio diſcriminis adducitur à Vulpeo *lib. 1. c. 9. num. 237.* quia filius habet feudum ſaltem aliqualiter ex beneficio patris, à quo genitus eſt, unde durum videtur, ut per repudiationem hæreditatis paternæ, ejus memoriam negligat, & bona patris forſan ſubhaſtari permittat: ſecus agnatus, qui non eſt filius, non habet ex beneficio teſtatoris, ſed primi acquirentis, quamvis de jure communi hæreditas pro parte adiri non poſſit, ſed vel tota adiri, vel tota repudiari debeat. *l. 1. & 2. ff. de acquirend. vel amittend. hæredit.* Cæterum ex antiquis pactis, & inveſtituris feudum eſt debitum, & ſeparabile ab hæreditate, ut notat Fachin. *lib. 7. controv. c. 5.* 5

Succeſſio in feudum ab inteſtato, & jure ſanguinis triplicem habet ordinem, ſcilicet deſcendentium, cujusmodi ſunt filii, & nepotes: aſcendentium ut pater, avus: collateralium, ut ſunt fratres, ſorores, & alii conſanguinei. Succeſſio feudalis primò debetur deſcendentibus filiis ſcilicet, & nepotibus, quia iſti jure naturali ſuccedunt immediatè ſuis prædeceſſoribus, & deſiderio parentum etiam primò vocantur ad ſucceſſionem *l. cùm ratio ff. de bonis damnatorum*: & in hoc convenit jus feudale cum jure communi, quia in linea deſcendentium locum habet jus repræſentandi, & ſi adſit filius defuncti Vaſalli, hic repræſentat patrem, hoc autem filio prædefuncto, nepos *c. 1. in princ.* & ibi doctores de ſucceſſione feudi. Differt tamen jus feudale à communi, quia de jure communi filii, & filiæ nullâ habitâ ſexûs differentiâ admittuntur ad ſucceſſionem *novel. 118. c. 1. & 4.* ſecus de jure feudali regulariter fœminæ, & etiam deſcendentes ex linea fœminina excluduntur à ſucceſſione feudi, niſi fortaſſis feudum fœmineum fuerit, ſeu ſpecialiter datum à domino 6

pro fœminis: vel fuerit mixtum, ſeu datum tam pro maribus, quàm pro fœminis *c. unic. de feudo fœmine. c. unic. de natura ſucceſſionis feudi.*

7 Ratio, cur fœminæ regulariter ſoleant à feudis excludi, eſt, quia ex primæva natura feudi eſt, ut feudum ad eum finem conferatur, ut Vaſallus contrahat obligationē præſtandi ſervitia militaria principi, ſervandi fidelitatē, injurias ipſius propulſando, & ejus honorem defendendo, ut etiam inter pares curiæ ſedere, & in cauſis feudalibus judicium ferre: quæ omnia cum ſint aliena à ſexu fœmineo, & minimè fœminis conveniant, eò quia ſint officia virilia *l. alienam 18. C. de procurat.* ideo à ſucceſſione feudali meritò ſolent fœminæ excludi, cùm ipſæ non belligerent, neque munera publica ſubeant, neque ea poſſint obſequia domino præſtare, quæ à Vaſallo præſtantur *l. 2. ff. de de R. J.* Rurſus ſi feudum ex pacto, vel conventione datum ſit ad conſervationem certæ familiæ, eò ipſo intelliguntur fœminæ excluſæ, cum per ipſas nomen familiæ non conſervetur: ſiquidem per nuptias tranſeunt ad aliam familiam, & nomen accipiunt mariti. In feudo eccleſiaſtico fœminas nullo ſpecialis admiſſionis jure gaudere, niſi inveſtitura, aut conſuetudo aliud ſuadeat, tradit Harpercht. *in addit. ad Fachin. 7. controvers. n. 13.* ubi aſſerit, hanc eſſe communem, & veram doctrinam.

8 Præterea filii, qui ſuccedunt in feudo debent eſſe naturales, & legitimi ſimul, ſeu ex juſtis nuptiis geniti, adeo ut filii, qui ſunt tantùm naturales, excludantur à ſucceſſione feudali deſcendentium *text. in §. naturales, ſi de feudo defuncti controvers. ſit.* Ubi habetur, quòd naturales filii, licèt poſtea legitimi fiant, ad ſucceſſionē feudi nec ſoli, nec cum aliis admittuntur. Id tamen intelligitur ſi legitimentur per reſcriptum Principis, vel comitem Palatinum, ſeu per factum hominis, per quod alteri jus ſuum auferri non debet: non verò intelligitur de legitimatis legitimatione juris communis per ſubſequens matrimonium, quia iſti comparantur legitimè natis *novell. 89. c. reliquis.* Mynſing. *centur. 5. obſer. 42. num. 2.* Immo etiam legitimati per reſcriptum Principis poſſunt ſuccedere in feudo, ſi acceſſerit conſenſus domini, & agnatorum; vel ſi feudum antiquum fuerit, vel ex plenitudine poteſtatis concurrat publica cauſa, tunc enim etiam ad feuda filii tantùm naturales, & non legitimi admittuntur, ut notat Fachin. *lib. 7. cap. 49. & ſequent.* Filii adoptivi etiam excluduntur à ſucceſſione feudi, ut deſumitur *ex c. adoptivus ſi de feudo defuncti contentio ſit,* niſi fortaſſis invitus dominus alium Vaſallum acquirat præter ſuam voluntatem, ut habetur *in c. unic. in fin. de fratibus de nova feudo inveſtitis*: quia ſicut nemini jus ſuum absque publica cauſa eſt auferendum, injuſtum enim eſſet ſine cauſa alium privare jure ſuo *l. reſcripta 7. C. de precibus Imperatori offerendis*: ita nec cùm conſenſu Principis in præjudicium veri domini, & agnatorum arrogari poteſt. aliquis extraneus cum hoc jure, ut in feudis ſuccedat *argum. l. 4. & 5. ff. de natalib. reſtit.* Harprecht, *ad princ. inſtit. de hæred. lit. ab inteſtato, num. 257.* An verò filii muti, ſurdi, cæci, claudi, & alii mente capti ſuccedant in feudo, ſi ſtandum ſit juri communi ſunt feudorum incapaces, ut habetur *in tit. feudorum, an mutus, vel imperfectus*: rurſus *in §. mutus tit. Epiſcopum, vel Abbatem.* Solent tamen excipi illa feuda, in quibus nulla præſtantur perſonalia officia, nec tenentur Vaſalli in curia domini comparere, ut fusè probat Fachin. *lib. 7. controvers. c. 34.* Nihilominus communior ſententia eſt, mutos, ſurdos, claudos, cæcos, & alios mutilos feudum paternum retinere; eò quia per alios ſibi ſubſtitutos poſſint debita obſequia præſtare domino: & quamvis hæc ſententia non congruat cum jure, uſu tamen recepta eſt, & in praxim frequenter deducitur.

Cæterum in ſucceſſione deſcendentium in feudo mares etiam deſcendentes in infinitum cæteris excluſis ſemper ſuccedunt *lib. 1. feudor. tit. 1. §. hoc quoque ad fin.* & hanc ſententiam Zaſſius apud Clarum *q. 59.* vocat communem, & veram, idque procedere etiam in feudo eccleſiaſtico docent communiter cum Duareno *in comment. in conſuetud. feudor. c. 11. num. 3.* imò ſuccedit etiam filius emancipatus Curtius *in tract. feudor. p. 3. num. 2. q. 1.* Hannetonius *de jure feudor. lib. 2. c. 2.* Filius tamen exhæredatus à patre ſicut excluditur à reliquis bonis paternis, ita etiam à bonis feudalibus, quia jus ad bona feudalia amittit iisdem de cauſis, ob quas juſtè exhæredatur, & deſumitur *ex lib. 2. feudor. tit. 34.* Duarenus *in comment. in conſuet. feudor. c. 11. num. 3.* An verò cum filiis etiam nepotes concurrant in ſucceſſione feudi?

Reſpondetur jure civili in bonis allodialibus cum filiis ſuccedere nepotes in ſtirpes, non verò in capita *§. cùm filius inſtit. de hæredit. qua ab inteſtato*: hinc ſi Petrus objerit relicto filio, & duobus nepotibus ex altero filio, hæreditas non dividitur in tres partes, ut totidem ſint partes, quot perſonæ, vel capita, ſed tantùm in duas: quia ſunt duæ tantùm ſtirpes, nepotes enim conſtituunt unam ſtirpem in locum patris, proinde eam hæreditatis tantùm partem accipiunt, quam eorum pater fuiſſet accepturus, ſi ſupervixiſſet. Unde ſicut jure civili deſcendentes in bonis allodialibus, ac liberis ſuccedunt excluſis aſcendentibus: ſic etiam in feudo ſuccedunt deſcendentes omnibus aliis excluſis. 10

Rurſus ſicut in bonis allodialibus ſuccedunt nepotes unà cum patruis in ſtirpes, non in capita, ita etiam in bonis feudalibus. Præterea qui pari gradu ſunt, omnes locum patris repræſentant *§. cùm filius inſtit. de hæreditatib. qua ab inteſtato, & l. nepotes. C. de ſuis & legitimis liberis*, ut ſi Petrus deceſſerit nullo relicto filio, ſed tantùm nepotibus ex filiis jam mortuis, adeo ut ex uno filio unum tantùm habeat nepotem, & ex altero duos; tametſi ſint omnes in gradu æquales, nihilominus ille unus nepos ex uno filio tantum conſequitur, quantum alii duo, idque ob jus repræſentationis: quia duo nepotes ex eodem filio repræſentant tantum unicum patrem, perinde ac alius nepos ſolus, & ſicuti eorum patres in duas partes æquales ſibi hæreditatem 11

ditatem dividerent, ita illi duo nepotes ex eodem filio ſolam illam partem, quæ patri obtigiſſet, poſſunt ſibi dividere.

12 An verò in feudo ſuccedant æqualiter omnes filii, vel tantùm primò genitus? Quamvis de jure Longobardico videantur filii æqualiter ſuccedere nulla habita ratione primogenitorum, ut habetur *in lib. 1. feudor.* nihilominus uſu, & conſuetudine plerisque in locis receptum eſt, præſertim in Galliis, ut primò genitus reliquis præferatur filiis. Quinimmò etiamſi vellet paternæ hæreditati renuntiare, eò quia ſit pluribus gravata oneribus, adhuc poteſt feudum retinere *lib. 2. feudor. tit. 45. & 51. §. filius.*

13 De filiis clericis, & Religioſis, an ſuccedant in feudis, vel poſſint ea retinere in ſtatu clericali, & religioſo, ſi illa obtinuerint in ſtatu laicali, videntur diverſi textus eſſe in jure feudali; ſiquidem *in §. qui clericus ſi de feudo defuncti contentio,* & *in c. unic. vers. ex hoc. de feudo fœmine. c. unic. de Vaſallo milite, qui arma bellica depoſuit c. unic. in fin.* mutus, vel imperfectus, & clerici ac Religioſi videntur dici incapaces feudorum; & *in c. unic. de Vaſallo milite* etiam additur ratio, quia deſinit eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti: & beneficium non pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. E converſo clericos, & religioſos capaces eſſe feudorum probari ſolet *ex c. unic. §. fin. de capitulis Corradi, & ex c. verum 7. de for. compet.* ubi Clericus ſuper feudis, de quibus fuit conventus, jubetur coram imperiali judicio reſpondere. Hinc Canoniſtæ *ex eod. cap. verum, & ex c. ex tranſmiſſa eod. tit.* inferunt generalem concluſionem, quòd clerici in cauſis feudalibus coram domino feudi etiam ſæculari rectè conveniantur, ut habet Gloſſa *in d c verum,* & Panormit. *num. 2. & 13.* Et hæc ſententia, quâ clerici, & Religioſi cenſentur capaces feudorum in Germania ad praxin deducitur: ſiquidem Epiſcopi, & Prælati eccleſiaſtici, ut Benedictini, Canonici Regulares, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes, & alii, Principatus, & territoria ab Imperatore accipiunt, ut etiam notat Andreas Gaillus *lib. 1. pract. obſer. 30. n. 4. & 6.*

14 Quamobrem clerici, & Religioſi poſſidentes bona in communi non ſunt abſolutè incapaces feudorum, præſertim ſi ſint feuda franca, vel in quibus ſervitiorum loco, pecunia, & cenſus annuus præſtetur domino: idque vel magis, ſi dominus ultro velit, eos in feudo inveſtire, & conſentiat, ut feudum retineant. Neque allegati textûs pro ſententia negativa ullum faceſſunt negotium, quia commodè explicantur de feudis exigentibus perſonalia obſequia, quæ per clericos, aut Religioſos non poſſunt decenter impleri. Cæterum ſi Vaſallus ingrediatur Monaſterium, tunc feudum tantùm quoad vitam illius manet penes Monaſterium, idque ne domini conditio durior conſtituatur ex eo, quòd Monaſterium nunquam extinguatur, & feudum ordinariè non ad quosvis, ſed tantùm ad hæredes ſanguinis pertineat, quibus ceſſantibus revertitur ad dominum, penes quem reperitur dominium directum. Excipiuntur tamen feuda regalia, cujusmodi ſunt Regna, Ducatus, Principatus, Marchionatus, hæc enim non tranſeunt ad Monaſterium, etiam vivente Vaſallo, ut notat Barboſa *de jure eccles. univers. lib. 3. c. 31.*

Quoad aſcendentes, cujusmodi ſunt pater Avus, Proavus, Abbavus, Atavus in feudo regulariter non ſuccedunt, ubi deſcendentes deficiunt. Hoc enim eſt ſingulare in feudis, ut aſcendentes non ſuccedant, ſi deſint deſcendentes, quamvis jure civili ſuccedant in bonis allodialibus. Id tamen procedit, niſi contrarium in inveſtitura expreſſum fuerit, & dominus conceſſerit, ut etiam parentes ſuccedant, ſi deficiant deſcendentes: excipitur etiam, niſi aliter ex inolita loci conſuetudine introductum fuerit *c. unic. in princ. de natura ſucceſſionis feudi.* Rurſus excipitur, ſi feudum fuerit hæreditarium, & datum pro quibuscunque hæredibus, vel ſi filius ſit inveſtitus ratione patris, ſeu ob ſervitia, & obſequia à Patre præſtita domino, quia tunc deficiente filio ſuccedit pater tanquam principalis, ob cujus præſtita ſervitia dominus dedit feudum. Excipitur etiam feudum antiquum, quod per refutationem patris ad filium pervenit, tunc enim ſi filius ſine deſcendentibus decedat, pater ſuccedit in feudo, ut notat Scraderus *p. 7. c. 6. num. 3.* Quòd ſi defunctus fratrem reliquerit, tunc is unà cum patre etiam ſuccedit in feudo, ſic enim diſponitur de jure communi *in novell. 118. c 2.* & quia in contrarium nil ſtatutum reperitur in jure feudali, ideo ſtandum eſt juri communi: ſiquidem in defectu juris feudalis recurritur ad jus commune *c. 1. in fin. vers ſtrenuus de feudi condition.* Regulariter quando filius inveſtitus eſt in feudo propter merita patris, tunc receptum eſt, ut mortuo filio ſine hæredibus pater ſuccedat, habeatúrque ſucceſſio aſcendentium. 15

Collaterales, ſeu propinqui conſanguinei ex latere, etiam ſuccedunt, quando feudum eſt paternum, non novum, ſed agnati tantùm, non cognati, quia cum fœminæ non ſuccedant in feudo, multo minus ij, qui ex fœmina deſcendunt *lib. 2. feudor. tit. 11.* hinc fratri in feudo paterno ſuccedit frater. Hoc eſt diſcrimen inter feudum novum, & antiquum; quia in novo regulariter ſoli deſcendentes ſuccedunt, non verò collaterales: quapropter ſi Vaſallus decedat non relictis filiis, vel nepotibus, quamvis reliquerit fratres, vel alios conſanguineos feudum novum ad dominum revertitur *c. unic. §. cum verò de his qui feuda dare poſſunt. c. unic. de ſucceſſione feudi.* Limitatur tamen hæc regula, quando aliter in ipſa inveſtitura, ſeu feudali pacto cautum fuit, vel loci conſuetudine receptum, ut collaterales conſanguinei in feudo novo ſuccedant. Limitatur etiam quando duo fratres ſimul cohabitantes, ſimúlque viventes ex communibus bonis, ac impenſis ſciente domino feudum acquiſiverunt; vel ambo obſequia, & ſervitia præſtiterunt domino, ob quæ illis in compenſationem conceſſit feudum: tunc enim uno fratre defuncto ſine liberis, alter ſuccedit in feudo novo juxta *text. in tit. 20. de benefic. fratris. lib. 1. Feudor.* 16

Neque

17 Neque obſtat, quòd contrarium habeatur *in c. unic. de fratr. de novo benefic. inveſtit.* ubi expreſsè dicitur, quòd frater, non ſuccedat in feudo ex quacunque cauſa. Nam id tantùm verum eſt, quando dominus nihil ſciverit de tali acquiſitione feudi facta à duobus fratribus, nec potuit ſupponi ejus tacitus conſenſus,& in hoc ſenſu explicat ſecundum textum Roſenthal. *in tract. feudal. c. 7. conclus. 59. num. 6.* Primus autem textus procedit de acquiſitione feudi facta à duobus fratribus conſentiente domino,vel ſaltem ſciente, ac permittente.

18 In feudo antiquo etiam collaterales agnati ſuccedunt, & inter ipſos proximior remotiorem excludit,imò non ſolùm agnati, ſed etiam cognati in quibusdam caſibus ſpecialibus, in quibus fœminæ permittuntur ſuccedere in feudo, & proximior ſemper remotiorem excludit, quæ proximitas non computatur reſpectu primi acquirentis, ſed ratione ultimi poſſeſſoris; adeo ut frater defuncti ſuum excludat patruum, tametſi hic proximior ſit primo acquirenti,ut deſumitur *ex c. unic. §. ſi capitanei* Gothofredus *in V. praditti.* Sin verò defunctus duos reliquerit fratres, & unus ex his præmortuus liberos reliquerit, iſti ex jure repræſentationis cum altero fratre ſuperſtite patruo ſuo in ſtirpem ſuccedunt *c. 1. de ſucceſſione feudi*, & *c. unic. de ſucceſſ. frat.* Sin autem ſuperſint tantùm duorum, vel plurium fratrum filii, quia de jure feudali non eſt plenè deciſum,an tunc in capita, vel in ſtirpem ſuccedant, ideo ſtandum eſt juri communi juxta *c. 1. vers. ſtrenuus de feudi conditione.* & communior doctorum opinio eſt, eos ſuccedere in capita,ut tradit Mynſing. *centur. 3. obſer. 94.* ubi addit, hanc quæſtionem de fratrum filiis ſolùm exiſtentibus, quòd ſuccedant in capita, fuiſſe deciſam ab Imperatore Carolo V. in comitiis Spirenſibus.

19 Præterea quamvis in bonis allodialibus Germanus frater excludat fratrem conſanguineum *novell.* 118. *c.* 3. nihilominus in feudis frater conſanguineus unà cum fratre duplicis vinculi ex communiori ſententia ſuccedit: & ratio eſt, quia in feudis non attenditur vinculum matris, ſed tantùm illud patris, vel quia fœminæ non ſuccedant in feudo; vel quia per ſolum patrem feudum acquiratur, ut notat Vulteus *c. 9. n.* 222. & ita fuiſſe deciſum in Camera Spirenſi teſtatur Gaillus *lib. 2. obſer.* 151.

20 An verò in feudo antiquo conſanguinei,ſeu agnati collaterales ſuccedant in feudo usque ad ſeptimum tantùm gradum, vel etiam ulteriùs in infinitum, videtur adeſſe dubium ob contrarios textus, ſiquidem *in tit.* 1. *lib.* 1. *feudor. §. hoc quoque ſciendum,& in c. unic. §.* 1. *de ſucceſſione feudi*, dicitur, quòd agnati collaterales tantùm ſuccedant usque ad ſeptimum gradum. Secus *in c. unic. de natura ſucceſſionis feudi. c.* 1. *ſi Vaſallus feudo privetur, cui deferatur*, habetur, agnatos collaterales etiam in infinitum ſuccedere in feudo. Communior doctorum opinio, quam refert Fachin. *lib. 7. controvers. c. 27. in fin.* aſſerit,collaterales agnatos ultra ſeptimum gradum in infinitum ſuccedere: & fere omnes, qui huic adhærent ſententiæ, explicant priores textus de antiquioribus feudorum uſibus,qui cum ſucceſſu temporis mutati fuerint, ideo nunc eſt uſu receptum, ut etiam agnati collaterales in infinitum ſuccedant, in feudo,ut tradunt Mynſing. *centur. 2. obſer. 95.* Julius Clarus §. *feudum. q. 79. n.* 3.

Quando verò in feudis plures ſimul ex agnatis, vel filiis in æquali gradu conſiſtentes ſuccedunt, tunc dubitari ſolet, an omnes participent de feudo. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim feudum ſit regale, ut Regnum, Ducatus, Marchionatus, tunc in feudo non ſuccedit niſi ſolus primò genitus, quia feuda regalia ſunt individua, quæ non poſſunt dividi, nec participari à pluribus: quòd ſi feudum non ſit regale, & non adſit ſpeciale pactum, tunc in plures cohæredes partitur,niſi conſuetudine fuerit contrarium introductum; quia feuda non habentia regalem dignitatem regulariter ſunt dividua *c. 1. §. præterea de prohibita feudi alienatione per Fridericum*, Vulteus *lib. 1. c. 8. num. 77.* uterini tamen fratres, ſcilicet ex eadem matre editi, ſed ex diverſo patre in feudo non ſuccedunt *lib. 2. feudor. tit. 12.* quia collaterales non ſuccedunt niſi per agnationem, & tales fratres uterini non ſunt agnati, eò quia ſint ex diverſo patre geniti, quia in feudis attenditur ſolus Pater, non Mater, quæ regulariter incapax eſt feudi. 21

Quamobrem ſolùm Germanus frater, qui ex utroque parente deſcendit; & conſanguineus,qui ab uno, eodemque fratre ſuam trahit originem ſuccedit in feudo. 22

Licèt in ſucceſſione bonorum allodialium deficientibus conſanguineis ordo ſuccedendi tribuatur marito, & uxori,ut deſumitur *ex tot. tit. ff. tit. 11. unde vir. & uxor:* non tamen id procedit in feudalibus, niſi aliter expreſſum fuerit in pacto feudali *c. unic. & ibi Gothofredus, an maritus ſuccedat uxori in beneficio.* Procedit, tamen quando feudum conceſſum eſt pro hæredibus quibuscunque etiam extraneis, quia non debent maritus, & uxor eſſe deterioris conditionis, quàm quilibet hæres extraneus, ut notat Clarus *in d. §. feudum q.* 83. In dubio tamen non præſumitur,quia verbum *hæres* regulariter de hærede feudali agnato intelligitur. Rurſus quamvis in allodialibus nonnunquam aliis deficientibus hæredibus bona applicentur fiſco,ut deſumitur *ex tot. tit. Cod. de bonis vacantibus*, id tamen in feudis locum non habet, quia deficientibus hæredibus Vaſalli non cenſentur bona vacantia, ſeu eſſe nullius domini, quia eo ipſo, quod ceſſant hæredes Vaſalli ſubintrat dominus feudi, apud quem ſemper manet dominium directum; & tunc juxta intentionem,& naturam pacti feudalis dominium utile, quod ceſſat in Vaſallo ex defectu hæredum, unitur dominio directo, proinde talia bona feudalia non poſſunt ſicut allodialia adjici fiſco. 23

Quinimò etiamſi feudum conceſſum fuiſſet pro hæredibus quibuscunque,adhuc fiſco non competeret ſucceſſio: ſiquidem fiſcus non dicitur jure hæreditario ſuccedere, ſed tantùm bona vacantia occupare, eò quia ad nullum alium pertineant dominum, ut notant doctores *ad tit. inſtit. de ſucceſſione ab inteſtato.* Diſcrimen 24

igitur

igitur inter bona allodialia, & feudalia eſt, quia illa utpote libera deficientibus hæredibus addicuntur fiſco, qui ſubintrat loco domini, cùm nullus alius ſit, cui competat jus, & dominium in talia bona: ſecus bona feudalia cùm non ſint libera, ſed obligata domino feudi, apud quem ſemper remanet dominium directum, ſi ceſſent hæredes Vaſalli, non propterea ceſſat dominus feudi, unde non fiſco addicitur feudum, ſed ſuo domino, in quo dominium utile unitur cum directo.

25 Quoad ſucceſſionem extraneorum judicium ferendum eſt ex formula inveſtituræ: ſiquidem tribus modis verba concipi poſſunt, primò ut detur alicui feudum ſimpliciter nulla mentione facta filiorum, & hæredum, & tunc non transfertur feudum ad extraneos, quia cùm ſit ſtricti juris, & extenſio privilegiorum odioſa, non debet fieri ampliatio ultra genuinam verborum ſignificationem. Secundò ut detur alicui taliter, ut illud transferre poſſit, ad quoscunque voluerit, vel expreſsè nominentur extranei, & tunc nulli dubium, quin ad illos extendatur. Tertiò poteſt etiam contingere, ut acci,iat quis feudum ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, atque hæredibus quibuscunque, & tunc non ſatis clarum apparet, an extranei comprehendantur. Baldus aſſerit etiam comprehendi extraneos. Verùm communior ſententia aſſerit, tunc extraneos non comprehendi, quia revera feudum ad extraneos hæredes non tranſit, niſi id fuerit in inveſtitura expreſsè conceſſum: quia hæc eſt natura, & conditio feudi, ut non tranſeat niſi ad hæredes neceſſarios, quæ in jure vocantur ſui; vel agnati ab inteſtato venientes.

§. III.

De variis modis, quibus feudum amittitur.

1 QUatuor ſunt principaliores cauſæ, quibus feudum amittitur, ſcilicet alienatio, inveſtituræ renovatio omiſſa, refutatio, & delictum, ſeu felonia. Certum eſt, Vaſallum absque conſenſu domini ſui non poſſe feudum alienare, oppignorare, nec teſtari de illo, & ſi id fecerit, ſtatim privari feudo, ut liquet ex pluribus textibus *in tit. de prohibita feudi alienatione per Lotharium, & id de prohibita feudi alienatione per Fridericum*, & pluribus aliis locis. Verùm ſuper hoc fuerunt olim variæ conſuetudines, & permiſſum fuit ex cauſa urgentis neceſſitatis, partem feudi etiam inconſulto domino alienari, & deſumitur *ex c. unic. in princ. de alienatione feudi, & c. unic. in princ. qualiter olim poterat feudum alienari.* Sed poſtea per conſtitutiones Lotharii, Friderici generaliter alienatio feudi absque conſenſu domini prohibita fuit, adeo ut, ſi Vaſallus totum feudum alienaverit, totum amittat, & ſi partem tantùm, partem etiam amittet *c. unic. de Vaſallo qui contra conſtitutionem Lotharii*, Clarus *in §. feudum q.* 21. id tamen procedit, quando alienatio revera ſortitur ſuum effectum, quia leges pœnales non habent locum, niſi probetur delictum jam commiſſum, unde verbum alienatio-

nis hic ſumitur cum effectu, ſecutâ nimirum rei feudalis venditæ actuali traditione *argum. l. alienatum 67. §. de V. S.* & deſumitur *ex text. in cit. tit. de prohibita feudi alienatione per Fridericum vers. callidis.* Vultejus *de feudis lib. 1. c. 11. num. 42.* Quòd ſi Vaſallum pœniteat ſuæ alienationis, an feudū venditum ſtatim recuperet, an verò cenſendus ſit amiſiſſe feudum; quamvis diſſentiant doctores, probabile tamen eſt, Vaſallum tunc non amittere feudum, quia parum pro nihilo reputatur, & exiguum tempus quando integrè reparatur, quod commiſſum fuerat, pro nullo habetur.

Hinc feudum nullo modo poteſt alienari 2
ſine conſenſu domini, neque oppignorari, imò neque dari in dotem irrequiſito domino directo, quamvis cauſa dotis ſit favorabilis, quia tunc feudum non datur cauſa dotis, niſi alienetur, & tranſeat ad aliam familiam præter intentionem domini directi, & generaliter quæcunque alienatio eſt prohibita. Genero tamen durante matrimonio permitti poteſt, ut habeat fructus ex re feudali, reſervato ſibi jure utilis dominii. Feudum tamen alteri concedere licitum eſt, etiam in feudum ſub triplici tamen conditione, quarum prima eſt, ut omnis fraus abſit; committitur autem fraus in tali translatione, quando pro inveſtitura exigitur pretium *lib. 2. feud. tit. 55. vers. callidis.* Secunda ut detur homini pari gradu, & dignitate ornato, ne domini conditio deterior reddatur, ſicut contingeret, ſi fœminæ, aut potentiori daretur. Tertia ut iisdem pactis, & conditionibus detur, quibus à domino fuerat obtentum: adeo ut dominus feudi illum, quem immediatè inveſtivit, & ſecundum inveſtitum compellere poſſit ad obſequium ſibi præſtandum immediatè quidem primum, & eo mediante alterum interpellando.

An verò tacitus conſenſus domini ſufficiat, 3
ne Vaſallus in alienatione feudi illud amittat? Communior ſententia aſſerit, ſufficere ad excludendam pœnam caducitatis, idque præſertim ex fundata juris regula, *qui tacet conſentire videtur*, ſed ad hanc regulam aliquot requiruntur conditiones, nimirum quòd dominus ſit præſens, ſciat alienationem, & taceat; quia tunc cum non ſe opponat alienationi cum facilè poſſet, cenſetur aſſentiri alienationi, & tunc ceſſat ratio legis prohibentis alienationem feudi, quia conſenſus domini non tam requiritur ad ſolemnitatem actûs, quàm ob præjudicium ipſius domini, qui ſi cùm poſſit commodè impedire, illud non impediat, ſibi imputare debet *argum. l. qui patitur. ff. mandati* Fachinæus *lib. 7. c. 80.* Julius Clarus autem *in §. feudum q. 31. in fin.* cenſet, dominum in hac taciturnitate debere notabili tempore ſaltem per annum integrum perſeverare, ut inde tantò meliùs ejus tacitus conſenſus præſumi debeat, quantò plus temporis tacuerit: ſiquidem non tam eſt officium domini alienationē feudi impedire, quàm munus Vaſalli conſenſum requirere à domino: quapropter dominus licèt ſtatim non contradicat, non propterea præſumitur ſuum jus remittere, niſi per longius tempus perſeveret in ſua taciturnitate,

& ex aliis circumstantiis conjiciatur, quòd tali assentiatur alienationi.

4 Censent tamen plures, ea feuda, quæ alicui concessa sunt pro se, suisque hæredibus quibuscunque, non posse sine consensu domini alienari per textum *in c. 1. de feudo non habente propriam naturam feudi*, ut tradit Vulteus *de feudis lib. 1. c. 10. num. 91. & sequent.* Posse tamen feudum sine consensu domini directi alienari in proximum agnatum alias successurum, faciliùs conceditur. Cæterum rectè notat Fachinæus *lib. 7. c. 85.* dominum sive expressè, sive tacitè consentientem, in dubio tantùm censeri facultatem concedere transferendi jus utile, quod Vasallo concesserat sine tamen præjudicio juris directi, quia nemo præsumitur sibi damnum inferre *l. cum de indebito ff. de probat.* Tum quia non est dominus, qui contrahit, sed Vasallus qui jus utile in alium transfert. Tum quia Vasallus non habet nisi solum jus utile, cùm dominium directum semper maneat apud dominum; proinde non potest alienare nisi dominium utile, quia non potest plus juris transferre, quàm habeat *l. nemo potest ff. de regul. jur.*

5 Rursus hujusmodi alienatio in feudo antiquo facta ex consensu domini non præjudicat agnatis, quò minus mortuo Vasallo feudum tanquam ad se devolutum à quocunque possessore possint repetere, etiam non restituto pretio: quia nemo tenetur rem suam emere, nisi fortassis etiam ipsi agnati in contractu alienationis consenserint, vel ad pretium restituendum, vel ad perpetuam alienationem consentiente domino. Cæterum si emptor ignarus fuerit conditionis, & qualitatis feudalis, potest tunc ab hæredibus alienantis solutum pretium repetere. Quòd si agnati non consenserint contractui alienationis, non potuit Vasallus iisdem præjudicare, proinde possunt mortuo Vasallo feudum vindicare *c. 1. de alienatione feudi. c. Titius si de feudo fuerit controversia. c. unic. si unus ex fratribus.*

6 Hinc mortuo Vasallo, proximior agnatus quamvis intra 30. annos feudum vindicare neglexerit, non tamen hæc præscriptio, quæ tantùm actionem proximioris excluſit, reliquis agnatis, qui vivente proximiore agere non potuerunt, præjudicat: quia agnati cùm non consenserint in alienationem feudi jus ex antiquis investituris quæsitum, ac sibi competens ex alieno facto iisdem involuntario non debent amittere *l. id quod nostrum ff. de regul. jur.* siquidem cum non consenserint tali alienationi, non sunt spoliandi suo jure: neque obstat elapsum tempus præscriptionis, quia tali tempore ad ipsos non pertinuit agere, sed ad proximiorem agnatum, qui neglexit agere contra possessorem feudi, & culpa proximioris non est imputanda successoribus agnatis, quibus ex antiquis investituris est jus quæsitum: tum quia est juris axioma, quòd non volenti agere non currat præscriptio, neque extinguatur actio, quæ nondum nata censetur *argum. l. sicut ibi ex quo competere cœperunt C. de præscript. 30. annorum l. 1. §. ad hæc C. de annali exceptione*, ut fusè tradit Arnoldus Rath *in tract. de usucap. cap. 4. assert. 12.*

7 Regula generalis servanda in materia feudorum est, Vasallum sine consensu domini directi non posse alienare feudum sive hoc novum sit, sive antiquum, adeo ut alienatio irrita sit, & alienans privetur feudo, ut habetur *in c. imperialem de prohib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55.* Rosenthal. *tit. de feudis c. 9. conclus. 1.* Ratio cur Vasallus alienans feudum sine domini directi consensu, amittat feudum, est contemptus domini, videtur enim directum dominum contemnere, cùm eodem inscio, & irrequisito alienet feudum, in quod dominus habet dominium directum *c. unic. §. fin.* & tunc feudum saltem ad dies vitæ vendentis revertitur ad dominum directum. Rursus nomine alienationis in materia feudali non solùm comprehenditur venditio, verùm etiam omnis contractus, & actus, per quem dominium, vel jus aliquod reale, seu in re constitutum transfertur in alium sine consensu domini *c. unic. §. similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. c. unic. §. præterea de capitulis* Corrad. *l. 2. tit. 40. c. 1. de prohib. feud. alien. per Lotharium lib. 2. tit. 52.* Mynsing. *centur. 6. obser. 3.* Hinc Vasallus non potest feudum sine consensu domini alicui in testamento relinquere, nec instituere in illo hæredem, nec legare, nec donare inter vivos, vel mortis causâ, nec permutare, nec dare feudum in emphyteusin, nec locare ad longum tempus. In Brabantia tamen, ut notat Vallensis *lib. 3. tit. 20. §. 2. num. 5.* potest quis ex indulto principis feudum cui libuerit testamento relinquere, vel etiam aliàs inter vivos alienare, in Belgio tamen non nisi jurata coram feudalibus necessitate; quòd scilicet Vasallus non possit juxta suam qualitatem se exhibere nisi divendito feudo; sed tunc si possidet bona allodialia, debent hæc priùs vendi: & si probetur, quòd necessitas non adfuerit, alienatio declaratur nulla, & id fuisse decisum in parlamento Mechlinensi anno 1617. testatur Zypæus *de jur. pontif. novo. lib. 3. h. 1.* ubi etiam addit existere quandam ordinationem Comitis Flandriæ Ludovici innovatam per Philippum Bonum 27. Augusti 1460. ne feuda alienentur absque indulto Principis, neque pro debitis subhastentur, nec à proximo agnato haberi possint etiam quæ sunt ex providentia majorum, nisi is hæres fuerit.

8 Prælati ecclesiastici, & alii clerici beneficiarii non possunt alienare feuda annexa beneficio ecclesiastico, vel mensæ solius Prælati, quia non habent ipsi dominium directum, sed ipsa Ecclesias; proinde nō possunt de ipsis disponere. Tum quia Prælatus, & Capitulum non possunt communi consensu rem alienare expressè, nisi subsit justa, & necessaria causa, & præcedant juris solemnitates. Hinc ecclesiastico infra summum Pontificem non permittitur dare quidquam in feudum sine expresso consensu Pontificis, idque procedit de bonis ecclesiasticis, quia de patrimonialibus, ac privatis potest disponere *c. unic. de reb. eccles. non alien. in extravag. commun. c. per tuas de donation.* quia quælibet datio, quæ

fit

ſe à Prælato in præjudicium Eccleſiæ eſt ipſo jure nulla: & Pius IV. anathemate percuſſit omnes perſuaſores, & mediatores in infeudationem bonorum Eccleſiaſticorum 4. Kalend. Aprilis 1566. ut refert Petrus Matthæus *in decretal. lib. 1. tit. 1. c. 6.* adeo ut non poſſit hodie Epiſcopus jus decimarum dare in feudum *c. prohibemus inf. de decim.* ubi etiam prohibetur, ne laici decimas poſſeſſas ante Concilium Lateranenſe transferant in alios laicos.

Limitatur tamen id. Primò in rebus, quæ 9
dari in feudum conſueverant, ſi enim per obitum Vaſalli, vel alio modo ad Eccleſiam redierint, priusquam factæ ſint de menſa Eccleſiæ, & incorporatæ eidem, poteſt Prælatus iterum alteri in feudum dare, dummodo judicetur id eſſe Eccleſiæ utile, ut deſumitur *ex c. ex parte 2. h. t.* idque etiam, ſi jurâſſet, ſe res Eccleſiæ de novo non daturum in feudum inconſulto Romano Pontifice, quia tale juramentum intelligitur de iis rebus, quæ antea non conſueverant in feudum dari, etenim *in d. c. ex parte.* expreſsè dicitur, quòd non obſtante juramento de non infeudando inconſulto Papa poſſit Epiſcopus fundum infeudare, ſi mortuo Vaſallo feudum revertatur ad Eccleſiam. Secundò limitatur, ſi illicitè à Vaſallo alienatum fuerit feudum, & ſit ipſo jure amiſſum, quia poteſt tunc Prælatus alteri dare feudum, etiam filio, vel conſanguineo ejusdem Vaſalli. Limitatur tertiò, quia feudum Eccleſiæ ita alienatum, ut facilè non poſſit ampliùs recuperari, Prælatus poteſt illud concedere alicui laico præpotenti, qui illud recuperet, & ab Eccleſia recognoſcat, quam propterea teneatur defendere. Cæterum quilibet clericus in propriis bonis, quæ non intuitu Eccleſiæ acquiſivit, poteſt feudum conſtituere, & alteri dare *c. 1. in princ. de cleric. qui inveſtituram:* quia hæc bona non ſunt eccleſiaſtica *c. quia nos. c. relatum inf. de teſtam.*

Cæterum ſicut Vaſallus non poteſt feudum a- 10
lienare ſine conſenſu domini directi, ita viciſſim nec dominus poteſt directum dominium ſive feudum, & Vaſallum ſine ejus conſenſu in alium transferre; ne Vaſallus alium acquirat dominum fortaſſis duriorem, quàm ſibi ab initio per contractum feudalem conſtituerat *c. firmiter, in fin. de probib. feud. alien. per Fridericum*, niſi concomitanter cum univerſitate bonorum, ut ſi Princeps totam curiam, ſeu territorium alienaret, ut notat Clarus *in d. §. feudum q. 28.* Vulteus *de feud. lib. 1. c. 10. num. 71.*

Alia cauſa amittendi feudum eſt non petita 11
renovatio inveſtituræ intra annum, & diem poſt mortem domini, vel Vaſalli, vel ex alia facta mutatione *c. 1. qua ſint prima cauſa*, Vulteus *de feudis c. 11. num. 139.* ſiquidem ceſſante legitimo impedimento tenetur is, qui ſuccedit feudo, poſt mortem feudatarii, vel etiam domini indirecti intra annum, & diem petere renovationem inveſtituræ ſub pœna amittendi feudum. Militibus tamen degentibus in caſtris ad petendam renovationem inveſtituræ conceditur annus, & menſis *c. 1. quo tempore milites.* Rurſus impuberes, qui nondum attigerunt annum ætatis 14. quamvis tutores habeant, veniam tamen meretur, ſi petere neglexerint renovationem inveſtituræ *c. 1. de prohibita feudi alienatione per Fridericum.* Minorennes, qui annum ætatis 14. exceſſerunt, ſed nondum 25. expleverunt, licèt de jure amittant feudum, ſi negligant petere renovationem inveſtituræ, nihilominus per extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, iterum illis ſuccurritur in ordine ad recuperandum feudum, quia hoc beneficium reſtitutionis jure civili conceditur minorennibus *in tit. ff. de minorib.* Tempus tamen non priùs incipit currere, quàm ſi Vaſallus reſciverit, caſum obtigiſſe, ex quo teneatur intra annum, & diem petere renovationem inveſtituræ. Quòd ſi perſona Vaſalli mutetur, novo Vaſallo non incipit currere, niſi à die adeptæ poſſeſſionis feudi, quia non poſſidenti, non currit tempus unius anni, & diei, dummodo diligentiam adhibuerit in avocanda illa exiſtente apud alium, & lata ſua culpa non amiſerit, ut notat Clarus *in §. feudum q. 49. num. 8.*

An verò omittenti petitionem renovatio- 12
nis concedatur purgatio moræ, adeo ut ſi Vaſallus poſt annum, & quatuor, vel ſex dies veniens poſſit pœnam caducitatis declinare, negat Schraderus *de feud. p. 6. c. 2.* cum aliis, quos citat, & nititur ea ratione, quia in omnibus diſpoſitionibus, in quibus dies, & pœna ſimul copulantur, non conceditur moræ purgatio, niſi tolerabilis ignorantia, vel legitimum impedimentum probatum fuerit. Verùm contraria ſententia eſt probabilior, quam ſequitur Julius Clarus *in d. §. feudum q. 9. num. 9.* adeo ut purgatio moræ ob quamcunque excuſationem admittenda ſit: ſiquidem juxta communiorem opinionem feudum ob neglectam petitionem inveſtituræ non amittitur ipſo jure, ſed tantùm per ſententiam. Tum quia valet hic argumentum à ſimili, ſiquidem ex contractu emphyteutico conceditur purgatio moræ illi, qui poſt terminum lapſum ad evitandam pœnam amiſſionis ſtatim ſolvit penſionem *c. potuit. tit. de locato.* Unde etiam Vaſallo concedi debet purgatio moræ.

Imò ſi poſt annum, & diem dominus dire- 13
ctus Vaſallum, qui neglexit inveſtituram petere, ad ſe vocaret, & ad ſolita ſervitia, & obſequia admitteret, & ut Vaſallum tractaret, tunc non eſſet ampliùs opus purgare moram, & petere renovationem inveſtituræ, quia dominus directus cenſeretur renuntiâſſe juri ſuo, & confirmâſſe Vaſallum in ſuo feudo, ut notat Julius Clarus *in d. §. feudum q. 49. num. 10.* Imò ſi lis mota fuerit inter dominum, & Vaſallum ſuper feudo, non tenetur Vaſallus ea durante inveſtituram petere, ut tradit Sonsbechius *de feudis p. 9. num. 20.* Cæterum ob non petitam inveſtituram probabilior ſententia eſt, feudum reverti ad dominum directum durante vita illius, qui neglexit renovationem inveſtituræ petere, & poſt ejus obitum, ad ipſius agnatos proximiores juxta pactum feudale ex ſuppoſitione, quòd feudum ſit perpetuum in tali ſtirpe.

Tertia cauſa amittendi feudum eſt ipſa re- 14
nuntiatio, quâ quis vult ſe feudo abdicare, & hæc renuntiatio duplex eſt, propria una, altera im-

impropria, illa contingit, quando domino directo renuntiatur feudum: impropria, quæ magis alienatio, quàm renuntiatio est, contingit, quando renuntiatio fit in favorem agnati, vel extranei. Vasallus si velit, potest ipsi domino etiam invito feudum renuntiare, adeo ut si nolit dominus directus, adhuc teneatur feudum renuntiatum acceptare: siquidem cuilibet conceditur posse renuntiare suo beneficio, & favori pro se introducto: idque esse naturale in contractu feudali liquet *ex c. unic. de Vasallo qui contra constitutionem Lothar. &c.* Id tamen procedit, si Vasallus in fraudem non renuntiaverit, post perceptos totius anni fructus, & quando dominus ejus operibus, & obsequiis, vel maximè indigeret, ut notat Mynsing. *centur. 3. obser. 65.* Agnato tamen, & multò minus extraneo feudum non potest renuntiari, nisi is proximus sit, & immediatè succedat in feudo: vel adsit consensus domini, & reliquorum agnatorum cedentium juri proprio. Quòd si feudum fuerit antiquum, ejus refutatio facta domino non præjudicat agnatis, qui propterea possunt feudum illud tanquam ex antiquis investituris sibi debitum petere à domino, ut tradit Vulteus *de feudis lib. 1. c. 10. num. 76.*

15 Quarta, & ultima causa, quâ amittitur feudum, est delictum, quod juxta præsens institutum vocatur felonia, est siquidem felonia terminus feudalis, significans delictum vasalli. Tripliciter potest Vasallus delinquere. Primò per delictum directè commissum contra suum dominum. Secundò per delictum commissum in aliquem alium directè, & indirectè in dominum, quatenus in ejus offensam, & injuriam redundat. Tertiò per delictum, quod nullo modo dominum attingit, sed tantùm Vasallum graviter infamat, ut in curia honestè stare nequeat. Delicta primi generis ad decem reducuntur capita. Primò si non petat investituram, aut renovationem, idque intra annum, & diem, ut notat Julius Clarus *d. §. feudum. q. 49.* Secundò si dominum in acie periclitantem deserat, vel in prælio vulneratum relinquat *l. 1. feud. tit. 5.* Tertiò si sciens domino insidias parari non monuerit, aut certiorem eum fecerit *lib. 2. feudor. tit. 38. §. præterea.* Quartò si uxori domini sui, filiæ, sorori, nepti, vel nurui se miscuerit, aut alicujus illarum pudicitiam tentaverit labefactare. Quintò si detulerit dominum apud judicem, vel accusaverit etiam ex justa causa excepto crimine læsæ majestatis divinæ, & humanæ. Sextò si absque consensu domini feudum alienaverit, & alteri tradiderit. Septimò si filius ipsius, aut domesticus, aut Vasallus dominum offenderit, & admonitus non adduxerit reum ad petendam veniam. Octavò si contumax sit in dominum, seu si ab eo vocatus ad curiam, detrectet accedere, nolitque debita obsequia præstare. Nonò si jure feudi abutatur contra leges, & pacta. Decimò si domino exigenti servitium, & obsequium neget se Vasallum esse, ut notat Isernia *in rubricis quib. mod. feud. amittatur.*

16 Delicta secundi generis, quæ dominum directum, tantùm indirectè offendunt, sunt, quæ personas sanguine domino junctas immediatè offendunt, quia tunc læsio, quæ illis fit, immediatè redundat in damnum ipsius domini directi ob propinquum gradum consanguinitatis personæ læsæ cum domino directo *argum. c. 12. de nova forma fidelitatis*, ubi Vasallus tenetur jurare, se nunquam aliquid facturum, quod ad injuriam domini, aut suorum pertineat, huc etiam referri potest quod notat Joannes Köppen *juris feudalis obser. 9. num. 11.* posse etiam Vasallum pœnam caducitatis incurrere, si nimiam sævitiam in subditos exerceat, eos turpiter emungendo, & immodicis servitiis, ac laboribus cruciando. Delicta tertii generis sunt ea, ob quæ Vasallus contrahit maximam infamiam, ut si committat crimen læsæ majestatis, parricidium, latrocinium, aut aliud simile grave crimen, ex quo maximam contrahit infamiam, ut habetur *in tit. quæ fuit prima causa beneficium amittendi, & in tit. quibus modis feudum amittatur.* Vulteus *lib. 1 c. 11. per tot.* An verò Vasallus delinquens ipso jure feudum amittat, vel potiùs necessaria sit judicis sententia? Respondetur cum distinctione, si deliquit alienando feudum, tunc nonnisi declaratione judicis opus est, & sufficit, si judex declaret, Vasallum cecidisse jure suo; & bona illius esse confiscata: secus si aliis de causis peccavit, tunc non potest condemnari, nec privari feudo, nisi postquam convictus fuerit de crimine *l. 2. feud. tit. 26. §. Vasallus.* Fachinæus *lib. 7. c. 84.* Gaillus *lib. 2. obser. 5.*

17 An verò feudum ex delicto Vasalli amissum revertatur ad dominum, vel ad agnatos? Respondetur, duo certa esse. Primum quòd feudum novum propter delictũ amissum ad dominum redeat. Secundum, quòd si in feudo antiquo delictum perpetratum sit extra personam domini, agnatis non præjudicet *c. 1. an ille qui interfecit fratrem domini sui.* Et quamvis delictum tale sit, ut bona delinquentis confiscari debeant, non tamen feudum confiscabitur, quia delicta debent suos authores tenere *l. sanctimus C. de pœnis*: neque per delictum unius, agnatis innocentibus præjudicium est inferendum *c. non debet de regul. jur. in 6.* nisi forsitan ob crimen læsæ majestatis ex primo capite legis Juliæ, & causâ perduellionis, & insidiarum in vitam Principis totius familiæ nomen in perpetuam ignominiam aboleretur; tunc enim feudum exclusis agnatis ad dominum reverteretur. Tertium quod communiter etiam approbatur est, quòd delicto in dominum commisso filiis, & descendentibus præjudicetur, quia illorum major est cum delinquente conjunctio, & ejus personæ repræsentatio, atque magis præsumitur periculum, ne cum sanguine etiam paternam malitiam participent, ut dicitur *in l. quisquis §. 1. C. ad legem Juliam majest.* Quinimò ex eo quòd textus feudales *in c. si Vasallus culpam, si de feudo defuncti contentio sit, & in c. unic. si Vasallus feudo privetur*, generaliter loquantur de exclusione filiorum à feudo ob delictum deperdito, putat Fachinæus *lib. 7. controvers. c. 23.* delictum etiam extra personam domini commissum nocere filiis. Sunt tamen plures Juris periti, qui contrarium sentiunt.

Quòd

Quod verò magis controvertitur, eſt, an ſi
18 feudum antiquum ſit, & Vaſallus directè in perſonam domini deliquerit, an tunc feudum amittatur, non ſolùm à Vaſallo delinquente, ſed etiam ab omnibus ejus agnatis. Plures docent, feudum tunc ad dominum directum reverti etiam in præjudicium agnatorum, ut nimirum dominus inde hauriat compenſationem pro injuria ſibi illata, textus *in c. denique fin. qua fuit prima cauſa, & in c. 1. an ille qui interfecit fratrem domini.* Fachinæus *lib. 7. c. 22.* neque obſtat *textus in c. 1. ſi Vaſallus feudo privetur*; ubi aſſeritur, feudum ob culpam amiſſum pertinere ad agnatos: quia dicunt, id debere intelligi de culpa commiſſa extra perſonam domini, non in eandem domini perſonam. Neque obſtat, quòd agnatis in feudo antiquo jus quæſitum ſit, quò propterea non debent agnati ſine ſua culpa privari: ſiquidem reſpondent, tale jus non eſſe quæſitum abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſub tacita conditione niſi Vaſallus ingratitudinem, ſive feloniam commiſerit. Alii reſpondent, dominum directum debere retinere feudũ, donec Vaſallus delinquens vixerit; & poſt ejus obitum teneri agnatis ſucceſſoribus reſtituere. Verùm in hac ſententia difficulter explicatur compenſatio debita domino pro injuria eidem illata, præſertim ſi delinquens ob patratum delictum deberet ſtatim capite plecti; tunc vix dominus directus feudum poſſideret; vel poſſeſſio eſſet ita brevis, ut non deberet cenſeri juſta compenſatio pro injuria domino illata: unde prior ſententia eſt probabilior.

§. IV.

Exhibentur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

QUæritur primò, an ſi feudi alienatio facta ſit ſine conſenſu domini; & ob eandem cauſam Vaſallus, qui alienavit feudum eo privetur, tunc dominium utile feudi alienati revertatur ad dominum directum, vel pertineat ad agnatos proximiores? in hac controverſia diſtinguendum eſt feudum novum ab antiquo, & ſi ſermo ſit de novo reſpondent communiter juriſconſulti, dominium utile feudi alienati non pertinere ad proximiores agnatos, quia in illo nullum eſt ipſis jus quæſitum, proinde dominium utile revertitur ad dominum, in quo conſolidatur cum directo. Sin autem ſermo ſit de feudo antiquo, non conveniunt doctores, aliqui enim putant, feudum devolvi ad proximiores agnatos Vaſalli alienantis, idque deſumunt *ex c. unic. §. porro qualiter olim poterat feudum alienari, c. Titius 2. ſi Vaſallus culpam ſi de feudo defuncti*, & nituntur etiam ratione, quia agnatis in jure quæſito non præjudicatur per alienum factum: ſiquidem juxta vulgatas regulas juris, factum cuique ſuum non alteri nocere debet.

Tum quia Vaſallus ſi conſentiente domino
2 feudum alienet, non propterea poteſt agnatis præjudicare: ergo multò minus ſi dominus non præſtiterit ſuum conſenſum: hanc ſententiam, quæ perquam probabilis eſt, defendit Clarus *in §. feudum. q. 66. num. 6.* quem plures ſequuntur. Nihilominus, quia plures ſunt textus feudales ſignificantes tunc feudum etiam antiquum reverti ad dominũ directũ, ut *c. unic. de Vaſallo habetur: qui contra conſtitutionem Lotharii Regis feudum alienaverit, ſi totum, perdat totum, ſi partem, partem perdat, & ad dominum revertatur. c. 1. vers. ſi libellario nomine quibus modis feudum amittatur. c. unic. quid juris ſi poſt alienationem. c. imperialem vers. callidis de prohibita feudi alienatione per Fridericum*, ubi dicitur venditor, & emptor feudum amittant, & ad dominum revertatur. *c. fin. qua fuit prima cauſa beneficium amittendi*: & quia hi textus feudales non diſtinguunt inter feudum novum, & antiquum, ita nec nos diſtinguere debemus; ſed ſunt intelligendi indiſtinctè de utroque feudo novo, & antiquo *argum. l. de pretio ff. de Publiciana.*

Tum quia ſpeciatim *in d. c. denique* propo-
3 nitur caſus, quo agnati Vaſalli delinquentis cum domino concurrunt, qui concurſus non potuit eſſe de feudo novo, cum jure certum ſit ad agnatos non pertinere, unde fuit concurſus de feudo antiquo, de quo deciditur, quòd ſi delictum committatur in perſonam domini, tunc feudum revertitur ad dominum, & additur etiam ratio, nimirum, ut hanc ſaltem habeat ſuæ injuriæ ultionem: quòd ſi delictum committatur extra perſonam domini, tunc feudum ad proximiores agnatos devolvitur. Hinc ad textus quibus nititur prima ſententia, qui hanc ſecundam propugnant, reſpondent, præcitatos textus loqui de antiquiore feudali jure, ubi alienatio certis caſibus permiſſa fuit: & de jure retractus domino, & agnatis competente: non autem de jure caducitatis ob alienationem ex poſterioribus legibus feudalibus prohibitam: & adrationem ibi adductam reſpondent, non debere alicui jus quæſitum auferri, nec per alienum factum præjudicare; ſi non concurrat authoritas legis, & id exigat natura contractus: cæterum concurrente authoritate legis, & exigentia contractûs poteſt jus quæſitum alteri auferri per alienum factum: & in præſenti caſu natura contractûs feudalis id exigit, quia contractus feudalis non eſt ſimpliciter abſolutus, ſed involuit tacitam conditionem, ſi non committatur delictum in dominum directum, alioquin feudum in compenſationem injuriæ ſibi illatæ etiam in præjudicium agnatorũ ad ſe revertitur: nec eſt neceſſe quòd ſemper committatur delictum, ſed ſufficit contemptus, qui oritur ex eo, quòd Vaſallus irrequiſito domino feudum alienet. Hanc ſententiam præ cæteris defendit Fachinæus *lib. 7. c. 24.* Alii nitentes præfatas pugnantes ſententias conciliare aſſerunt, feudum ob malam alienationem amiſſum à Vaſallo alienante reverti ad dominum non quidem in perpetuum, ſed quandiu Vaſallus, qui feudum alienavit, vixerit, adeo ut poſt ejus obitum teneatur dominus directus feudum proximioribus agnatis defuncti Vaſalli reſtituere.

Hæc ſententia mihi videtur æquitati conſo-
4 na, quia ex eo, quòd Vaſallus, qui feudum alienavit, illo privetur ad dies vitæ, habetur pœna

correſpondens delicto: & ex eo quòd dominus fruatur fructibus dominii utilis, quamdiu Vaſallus delinquens vixerit juſtè compenſatur injuria illata domino directo, ſita in illo contemptu orto ex eo, quòd Vaſallus irrequiſito domino directo auſus fuit feudum alienare. Demum ſervatur indemne jus antiquum acquiſitum ipſis agnatis, qui ex facto alieno non ſunt privandi ſuo jure. Neque textus feudales id ſtatuunt, quia licèt contractus feudalis includat tacitam conditionem, dummodo Vaſallus dominum directum non offendat, hæc conditio non debet extendi ad agnatos præſertim in caſu malæ alienationis, cùm id non exprimatur injure, ſed debet reſtringi ad ſolum Vaſallum malè alienantem, adeo ut ille privetur feudo, quod revertitur ad dominum directum, quamdiu Vaſallus qui malè alienavit, vixerit: neque eſt par ratio de mala alienatione, & delicto, quia cùm delictum ſubinde ſit adeo grave, ut mereatur mortem delinquentis ſtatim, ideo non compenſatur injuria illata domino, ſicut per malam alienationem, ratione cujus Vaſallus non meretur mortem, ſed tantùm privationem feudi, & cùm poſſit diu vivere, ideo poteſt dominus directus diu frui fructibus dominii utilis, & ſibi compenſare contemptum ortum ex alienatione facta ipſo irrequiſito. Demum quia per malam alienationem non ita graviter offenditur dominus directus, ſicut per delictum immediatè commiſſum contra ſuam perſonam.

5 In hunc ſenſum explicari commodè poſſunt allegati feudales textus, & hæc interpretatio videtur etiam ſignificari *in c. unic. culpam unius ex coheredibus*, ex argumento deducto à ſimili ex jure communi, ad quod in dubio jure feudali recurritur *l. Statius Florus §. Cornelio. ff. de jure fiſci. & l. cùm pater §. hereditate ff. de Legatis.* Ubi fideicommiſſum confiſcatum ex cauſa delicti in vita tantùm delinquentis apud fiſcum manet, poſt mortem verò cæteris, quibus competit, reſtituendum eſt. Huic ſententiæ libentiùs adhæreo, quia mihi videtur magis conſona æquitati, ne agnati tam facilè ex alieno facto contra communes juris regulas ſuo priventur jure quæſito præſertim ob ſolam alienationem, quâ non tam grave delictum in dominum committitur: tuetur etiam hanc ſententiam Menochius *lib. 4. conſil. 304. n. 35. & lib. 6. conſil. 524. n. 14.*

6 Quæritur ſecundò, an Vaſallus litem habens de feudo poſſit cum adverſario tranſigere, ſeu an licitum ſit Vaſallo, motam de feudo controverſiam, ac inchoatam litem, cùm adverſario abſque conſenſu domini directi tranſigendo componere? Reſpondetur, hanc transactionem jure permiſſam eſſe, dummodo fiat bona fide abſque ulla colluſione; nec quod accipitur nomine transactionis, fit feudũ *lib. 2. feudor. tit. 26. §. Vaſallus tit. 43.* quod procedit, dummodo feudum per transactionem non tranſeat ad alium, ſed ſemper maneat penes Vaſallum, qui illud accepit à domino, ut notat Julius Clarus *d. §. feudum q. 38.* An verò liberum ſit etiam eidem compromittere, ſi ei de feudo lis per adverſarium moveatur; quod idem eſt, an Vaſallus litem de feudo motam poſſit committere judicio arbitrorum, ut iſti feudalem controverſiam cognoſcant, & per ſuam ſententiam dirimant. Reſpondetur, quòd ſi inter capitaneos Regis ſit contentio, tunc lis dirimi debet coram Rege; ſin verò inter vaſallos coram paribus curiæ: ſin autem inter duos pares curiæ, tunc controverſia mota de feudo dirimenda eſt à judice, vel arbitro, ut habetur *in lib. 2. feudor. tit. 34. in princ. & tit. 46.* Compromiſſum etiam permittitur, hac tamen conditione, quòd per compromiſſum feudum ad alium non transferatur, ut notat Julius Clarus *d. §. feudum q. 39.*

Quæritur tertiò, quisnam ſit judex cauſarum feudalium? Reſpondetur, quòd ſi de feudo duo Vaſalli contendant, judex competens eſt dominus feudi, vel etiam pares curiæ *§. praterea l. 2. tit. 55.* Sin verò lis ſit inter dominum, & Vaſallum, & de re pertinente ad feudum, tunc cauſa cognoſcitur, & judicatur à paribus curiæ, ſi ita convenerint Vaſallus, & dominus. Sin autem non convenerint, dominus habet jus cogendi, ut electis duobus, vel tribus à ſe, totidem Vaſallus eligat, quorum judicio ſtetur *lib. 2. feudor. tit. 16. & 20.* Lis verò orta inter Vaſallum, & eum, qui non eſt Vaſallus de re ad feudum pertinente dirimenda eſt ab ordinario; ſin verò orta lite inter Vaſallos pertinente ad rem feudalem dominus directus ſit ipſis ſuſpectus, tunc pares curiæ judicant: ſin verò Vaſalli inveſtiti ſint ab Imperatore, vel Rege, aut Principe non recognoſcente alium Principem ſuperiorem, tunc ad ipſos principes pertinet ortam litem dirimere *lib. 2. feudor. tit. 38.* 7

An verò dominus directus feudi, ſi laicus ſit, poſſit eſſe judex competens inter clericum, & laicum, ambos tamen ſuos Vaſallos, aliqui negant, eò quia clerici exempti ſint, cenſentes, hanc exemptionem eſſe juris divini: nihilominus communior opinio eſt, poſſe tunc dominum directum quamvis laicum judicare, ac dirimere ortam litem inter laicum, & clericum, ſi ambo ſint ejus vaſalli; eò quia Pontificum tunc conſenſus, & approbatio accedat, ut notant Zypæus *l. 1. de jurisdict. eccles. c. 30.* Zerola *V. feudum.* Controverſia autem de poſſeſſorio inter Vaſallos, aut Vaſallum & dominum dirimitur ab ipſo domino, ad quem jure communi cauſæ feudales pertinent, ut tradit Julius Clarus *d. §. feudum q. 30.* quando verò feudi dominus, vel pares curiæ recuſant, vel non poſſunt judicare ortam controverſiam de feudo, tunc ad ordinarium loci pertinet cauſam cognoſcere, & judicare. Quòd ſi dominus feudi clericus ſit, & nolit judicare inter Vaſallos laicos, tunc judicium ferri debet à judice eccleſiaſtico, eò quia feudum ſit domini eccleſiaſtici. Sin verò clericus feudo privandus eſſet, non ab alio judicari, ac puniri deberet, quàm à judice eccleſiaſtico, eſtque communis ſententia, quam tradit Zypæus *lib. 1. de jurisdict. eccles. c. 30. n. 5.* Cæterum judex ordinarius, ad quem in cauſa feudali appellatur, eſt dominus ſuperior, à quo res conceſſa eſt inferiori domino, tametſi hic clericus eſſet, & ille laicus, quia tunc inferior judex, licèt ſit clericus, cognoſcit cauſam feudalem, ut ejus competens judex, proinde ſuperiorem judicem habet, ad quem poſſit 8

fieri

fieri appellatio, ut notat Mynsing. *centur. 6. obser.* 19.

9 Quæritur quartò, an possit dominus directus ob delictum commissum in Vasallum privari dominio directo, quod habet in feudo, adeo ut sicut Vasallus, si graviter delinquat contra dominum, privatur dominio utili, ita etiam dominus privetur dominio directo, si graviter delinquat contra Vasallum? Respondetur ex communiore sententia affirmativè, eò quia dominus feudi reciprocè obligatur Vasallo ad præstandam fidem, & vicem, unde si graviter deliquerit contra Vasallum, nullum ampliùs potest ab ipso exigere obsequium, & Vasallo competit actionem instituere, ut ab omni juramento, & obligatione liberetur: quinimmo fieri etiam potest, ut privetur dominio proprietatis, & transferatur in Vasallum, siquidem *in l. 2. feudor. tit. 47.* habetur: quæsitum est, an sicut Vasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate privetur? & quidam dicunt, ex omni felonia, quâ Vasallus feudo privatur, etiam dominus proprietate privetur, alii dicunt ex magna felonia, alii ex nulla: sed prior sententia est probabilior; pro felonia autem non solùm intelligitur contumacia Vasalli in dominum, & domini in Vasallum perfidiam, sed etiam quodlibet capitale facinus *tit. 26. lib. 2. feudor.* Imo quodlibet scelus.

10 Quæritur quintò, quænam actiones competant domino contra Vasallum, & è contra Vasallo contra dominum? Respondetur, domino quatuor contra Vasallum competere actiones, quarum prima est rei vindicatio directa jure communi. Secunda actio, quâ agit contra illum, ut debitum obsequium præstet. Tertia est condictio ex mora: etenim quando feudum est apertum domino, & Vasallus cunctatur reddere, coram judice agit dominus, ut declaret, feudum ob Vasalli culpam ad se devolutum esse. Quarta est rei vendicatio contra emptorem, cui absque consensu suo Vasallus feudum vendidit *l. 1. ff. de condit. triticaria.* emptori verò bonæ fidei competit actio contra venditorem de evictione *lib. 2. feud. tit. 5.* E converso emptor malæ fidei non habet actionem ex empto de evictione *l. si feudum C. de evictionib.* Rursus datur actio successoribus in feudo: siquidem filii, & agnati, quorum interest contra emptorem feudi procedunt, ut rem feudalem restituat §. *Titius l. 2. tit. 26.* E contra Vasallo competit actio contra dominum. Primò quando contra promissionem factam non tradit possessionem feudi *l. 2. tit. 7. c. fin.* & tali actione petit possessionem rei, omnemque utilitatem quanti suâ interest, non traditam statim possessionem esse: idque in novo feudo, quia in antiquo tantùm petitur renovatio. Secundò post possessionem habet actionem in rem utilem contra quemlibet possessorem, ut deciditur *in tit. 8. lib. 1. feudor.* Julius Clarus *d. §. feudum q. 89.*

11 Quæritur sextò, an feudum sine consensu domini directi alienatum possit à tertio bonæ fidei possessore præscribi, saltem spatio 30. vel 40. annorum? In hac quæstione distinguendum est, an quæratur, si tertius ille possessor possit præscribere absolutum rei dominium, & ut ex feudali res fiat allodialis? vel an saltem quoad dominium utile, & ut ipse imposterum sit Vasallus dominio directo penes priorem dominum perseverante? Et ad primam quæstionis partem Harprecht. *ad princ. instit. de usucap. n. 16.* respondet negativè ob textus feudales, præsertim *in c. unic. vers. præterea de capitulis Corradi.* ubi dicitur, quòd liceat dominis omnes alienationes feudi factas nulla obstante præscriptione revocare: & *c. imperialem de prohibita feudi alienatione per Fridericum*, ubi etiam adduntur hæc verba: *nullius temporis præscriptione impediente.* Et demum *c. unic. si unus ex fratribus*, ubi etiam habentur hæc verba: *sine ullo obstaculo & temporis præscriptione.* Et quamvis per lapsum 30. annorum res, quæ erat allodialis possit feudalis fieri, ut desumitur *ex c. si quis per 30. si de feudo defuncti:* & contrariorũ eadem sit ratio, adeo ut etiã res feudalis videatur possit per lapsum 30. annorum fieri allodialis: nihilominus in præsenti non valet argumentum à contrario, quia adest specialis consideratio in uno contrariorum, ut notat Harprecht. *loc. cit. num. 171.* quia ut res ex allodiali fiat feudalis nihili reipublicæ interest, imò inde majus haurit emolumentum, quia numerus militum incrementum subit, pro commodo ipsius reipublicæ.

Secus si bona feudalia fiant allodialia, è 12
converso numerus militum minuitur in præjudicium reipublicæ, cui minora præstantur servitia: hæcque est ratio, cur hîc argumentum ductum à contrario non valeat. Præscriptione tamen 30. annorum jus domini amitti docet Andreas Gaillius *practicarum obser. lib. 2. obser. 160.* eò quia ex hoc temporis tam diuturno fluxu plena securitas tribuatur rebus possessis, & cedat in bonum reipublicæ, ut spatio 30. annorum res possessæ præscribantur ad lites minuendas, ne dominia rerum sint in incerto *l. sicut, l. omnes C. de præscriptione 30. annorum*: & textus feudales in contrarium allegati in hac sententia explicantur, ut domino in revocando feudo nulla præscriptio ordinaria, vel nullius ordinarii temporis decem, aut 20. annorum obstare debeat, eò quia in hac ordinaria præscriptione requiritur titulus, quem minimè præstat mala alienatio sine consensu domini facta, quia ipso jure est nulla, & irrita per *d. c. imperialem.* Immo addit Gaillius, in hac longissimi temporis præscriptione non dari domino restitutionem in integrum ex causa ignorantiæ.

Verùm hæ pugnantes sententiæ possent 13
conciliari adhibita distinctione inter feuda exigentia servitia militaria in comodum reipublicæ, & quæ propterea dantur à Principibus habentibus jus belli indicendi: & inter feuda privata, quibus non sunt annexa hujusmodi servitia militaria: & potest responderi, textus feudales procedere de feudis primi generis, & id revera conjicitur ex eorundem adducta ratione: non verò de feudis secundi generis, in quibus non requiruntur servitia hæc militaria præstanda in commodum reipublicæ, & quia feudales

textus

textus fundantur in hoc, suboritur alia utilitas reipublicæ, quatenus per talem præscriptionem amputantur lites, & tolluntur dominiorum incertitudines, & consulitur paci civium, & quieti reipublicæ.

14 Quæritur septimò, an Vasallus possit feudum inter cohæredes absque consensu domini directi dividere? Siquidem divisio est quædam species alienationis *l. 1. C. communia utriusque judicii.* Verùm respondendum est cum distinctione, si sermo sit de feudis, quæ dantur ab Imperatore, vel Rege, cujusmodi sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus; hujusmodi feuda, quæ etiam regalia dicuntur, divisionem non patiuntur, ex constitutione Federici Imperatoris *lib. 2. feudor. tit. 55. §. præterea.* proinde habent hæredes omnes consortes communionem, in qua compelluntur persistere. Rursus in feudis propter utilitatem publicam, & obsequium, quod Principi debetur etiam statutum est, ut feuda voluntate consortium dividi nequeant, *argum. l. jus publicum ff. de pact.* Alia verò feuda, si consortes consenserint, dividi possunt inter cohæredes. An verò requiratur necessariò communis consensus consortium, censent nonnulli, requiri talem consensum omnium consortium, idque esse speciale in feudis, quia jure communi uno tantùm consortium provocante ad divisionem, res dividitur *l. & si non omnes ff. communi dividundo.* Communior tamen sententia est sufficiere, si unus tantùm consortium divisionem petat, eò quia in feudis jus speciale proprium de hoc non reperitur, proinde tenemur sequi jus commune. Neque obstant verba inserta constitutioni Federici Imperatoris, *si consortes voluerint*, quia hæc verba non habent hunc sensum, si omnes consortes voluerint, sed tantùm si unus, vel alter ex consortibus voluerit, non enim indefinita propositio semper æquivalet universali.

15 Quæritur octavò, an pater uni ex filiis possit testamento ex re feudali plus dare, quàm cæteris filiis, seu an pater possit uni filio donare duas partes feudi, alteri tres, alteri unam, vel etiam uni filio totum feudum? Respondetur quòd si feudum sit paternum, & antiquum non possit tunc ita partiri, ut tradit Julius Clarus §. *feudum q.* 1. & est communior sententia. Sin verò feudum sit novum, standum est consuetudini loci: & ubi nulla adest consuetudo, plures asserunt, liberum esse patri uni ex filiis majorem partem feudi assignare, idque probant argumento ducto ex jure civili *l. femine. C. de secund. nupt.* ubi lucra nuptialia dantur filiis, & nihilominus potest mater uni filiorum plus dare, vel etiam ea omnia donare cuicunque ex illis maluerit. Rursus pater uni ex filiis potest libertum attribuere, jusque patronatus in eum transferre *l. 1. ff. de assignand. liber. l. unum ex familia in princ. ff. de legat. 2.* tametsi jus patronatus omnibus debeatur, ut filiis, non ut hæredibus *l. ut jurisjurandi §. si liberi ff. de oper. liberter.* & hæc sententia videtur communior, quam docet Clarus *d. §. feudum qu.* 50.

16 Alii è contra censent, patri non licere un filio majorem partem feudi testamento relinquere; nisi quando feudum est hæreditarium, quia tunc debetur filiis, ut hæredibus, non ut filiis, proinde potest tunc Pater uni Filiorum plus cæteris ex feudo dare, sicut ex suo patrimonio: idque potest ex eo confirmari, quia *lib. 2. feudor. tit. 8.* ubi sermo est de filiis, habetur, quòd Pater non possit ordinare, ut filii inæqualiter succedant in feudo, ut filii reduplicativè. Quamvis utraque sententia sua non careat probabilitate: secunda tamen videtur probabilior spectato jure feudorum: secus si spectetur tantùm jus Romanum, seu civile: sed in feudis non recurritur ad jus Romanum, quando aliquid est expressum in jure feudali, quia causa feudalis judicanda est secundùm proprium jus feudale.

17 Quæritur nonò, an possit in feudum dari castrum ea contractui adjecta conditione, ut ad quascunq; manus feudum devenerit, subsit gravaminibus imponendis à supremo principe sæculari? Ratio dubitandi est, quia tale feudum ex testamento, vel legato potest devenire ad manus ecclesiasticas; & quia ex vi conditionis non posset eximi à talibus oneribus; vel non posset sine oneribus legari Ecclesiæ; videtur hujusmodi conditio adjecta in odium immunitatis ecclesiasticæ; ut scilicet ecclesiastici subjiciantur oneribus, & gravaminibus imponendis à principe sæculari, cui non debeat ecclesiastici subjici *c. quamquam de censibus in 6. cap. 1. de immunit. eccles. Bul. cœnæ can.* 18. Nihilominus respondendum est, præfatam conditionem posse adnecti contractui feudali; ac posse feudum, ut vestitum, & affectum tali conditione devenire ad manus ecclesiasticas; neque id adversari immunitati ecclesiasticæ: ita docent Panormitanus *in cl. verum de condit. appos.* Felinus *in cap. Ecclesia S. Maria num. 77. de constit.* Hostiensis *c. verum de foro competente*, Castrensis *l. si nepot. §. fin. ff. de neg. gestis.* Suarez *lib. 4. contra regem Anglia c. 14. num. 13.* Azor. *1. p. lib. 5. c. 13. quæst. 1. V. secundo sciendum est.* Pasqualig. *quæst. moral. canonic. cent. 1. quæst. 74.* Duardus *in Bullam cœnæ lib. 2. can. 18. q. 6. num.* 10. Thomas del Bene *de Parlament. dub. 4. sect. 20. subsect. 2. num.* 10. Guttieres *lib. 1. pract. quæst.* 3. Ratio est, quia cum quilibet sit rerum suarum dominus, & arbiter *l. in re mandata c. mandati, l. Pollæ C. de his quibus ut indig. hered. auser.* potest de iisdem disponere prout ipsi magis libuerit; consequenter etiam imponere quodcunque onus; & etiam ut res quando per infeudationem transfertur in alium, transferatur cum eodem onere à se impositio, & non aliter; idque non solùm quia res transit cum suo onere *cap. ex litteris de pignorib. l. si convenit. 2. §. si fundus ff. de pignor. act.* sed etiam quia vult ita de re sua disponere: adeout si perveniat ad manus ecclesiasticas, trahat etiam secum tale onus, quod vult esse inseparabile à tali re: siquidem onus annexum rei fundat jus tertii, cui ex vi talis oneris res obligatur; & ex eo quòd res transeat ad Ecclesiam non privatur quis jure suo: neque obstat quod bona Ecclesiæ sint immunia, quia id non intelligitur cum-

cum læsione injusta tertii; sed servatâ justitiâ respectu uniuscujusque.

18 Hinc quando feuda, & res transeunt ad Ecclesiam, retinent eadem onera ipsis inviolabiliter imposita, etiam ex vi privati dominii, ut docent communiter doctores, & canonistæ inter quos ex nostro Theatinorum sacro ordine Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 18. quæst. 6. num. 6.* Pasqualigus *in quæst. moral. canonic. cent. 1. quæst. 74.* Megala *part. 2. lib. 5. cap. 17. quæst. 6. num. 98. & 103.* Quaranta *in summa Bull. v. vectigal.* Molfesius *part. 2. summ. tract. 12. c. 22. num. 167.* Thomas del Bene *de Parlam. dub. 4. sect. 15. n. 5.* Diana *p. 1. tract. 2. Resol. 43. in fin.* Hinc in jure *c. verum de condit. appositis. c. præterea de jurepatronat. c. cum dilectis de donat.* statuitur, ut servetur conditio, cum qua donatio facta est Ecclesiæ: cum igitur hæc conditio apposita infeudationi, nimirum rem infeudatam debere perpetuò obnoxiam esse oneribus à principe imponendis in quascunque manus devenerit sit justa; eò quia respiciat bonum commune, debet servari; etiam cum res affecta tali conditione pervenit ad manus ecclesiasticas.

19 Neque urget, si dicas, onera imponenda esse variabilia, & incerta, ac proinde non transire ad Ecclesiam cum re, ut docet Abbas *in cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* Quia aliud est, rem transire cum oneribus variabilibus, & aliud transire cum obligatione ad onera variabilia; onera utpote variabilia possunt separari à re, quam aggravant: sed ipsa obligatio ad subeunda hæc onera est inseparabilis à re, cui apponitur; proinde est onus invariabile adhærens rei ex conditione appositâ rei, cum qua propterea transit ad Ecclesiam. Hinc Prælati plures ecclesiastici in Germania ratione feudorum, quæ possident, tenentur præstare auxilia Imperatori in ordine ad bellum; licèt hæc auxilia variabilia sint, ac incerta; quia in feudo fundatur obligatio certa. Ad rationem in oppositum initio exhibitam respondetur, inde non lædi immunitatem ecclesiasticam: quia inde non acquirit Princeps jus ullum in personas ecclesiasticas; sed tantùm conservat jus, quod habet in re transeunte ad Ecclesiam; licèt res fiat Ecclesiæ, non ita jus, quia hoc semper manet apud principem.

20 Quæritur decimò, an si domino directo ecclesiastico Vasallus det feudum in pignus, teneatur dominus computare fructus feudi in sortem? Ratio dubitandi est, quia creditorem teneri computare in principalem sortê fructus rei oppignoratæ certum est juris principium *c. ad nostram*, ubi plura habet Balboa *de jurejurando c. cum contra*; ex quibus videtur dicendum, dominum directum feudi, accipientem à vasallo pignori res feudales teneri fructus earundem in sortem principalem computare, eósque deducere de principali debito. Nihilominus Innocentius III *in c. Insinuatione 1. h. t.* expressè definit; quòd si quis habeat in feudum ab Ecclesia possessiones, si acceptâ pecuniâ eas oppignorat Episcopo Ecclesiæ ejusdem, non debet Episcopus computare in sortem principalem fructus illius pignoris: pignorans tamen est liber à servitio, quod Ecclesiæ debebat. Subdit Glossa, quòd si pignorans adhuc vellet servire, ut fructus perciperet, non essent ejus obsequia, & servitia acceptanda.

Difficultas sita est in assignanda ratione, cur 21
fructus feudi oppignorati non sint computandi in sortem, & licitè possint à domino directo retineri. Plures docent, licitam esse hanc fructuum retentionem, quatenus æquipollet servitiis, & obsequiis, quæ tempore oppignorationis non præstantur à vasallo, cui propterea remittuntur; ita respondent Innocentius *in c. insinuatione 1. h. t.* Covarruvias *lib. 3. variar. c. 1. num. 4.* Ugolinus *tract. de usuris c. 11. §. 1. num. 2.* tunc enim remissio servitii aliàs præstandi domino compensatur retentione fructuum feudalium. Verùm contra hanc rationem statim oritur difficultas. Primò quia illa servitiorum æstimatio, & compensatio cum fructibus non videtur posse definiri: quia servitia plerumque sunt incerta, & non solùm præstantur operibus, quorum occasio rariùs obtingit; sed frequentiùs consiliis, benevolentiâ, & gratitudine, quæ plerunque à vasallo præstantur domino directo etiam tempore oppignorati feudi; unde hac ratione non videntur fructus feudales posse retineri in compensationem remissi servitii à domino directo. Secundò, quia Innocentius *in d. c. insinuatione 1. h. t.* & Alexander *in cap. conquestus de usuris* indistinctè asserunt, fructus computandos non esse in sortem, nulla mentione facta de compensatione; imò omnino liberè videntur concedere domino directo, ut omnes percipiat fructus oppignorati feudi absque onere eos imputandi in sortem: & Glossa *in d. c. conquestus de usuris* ait, hoc specialiter statutum fuisse in favorem Ecclesiæ; adeout in aliis dominis directis sæcularibus res non ita procedat. Verùm quia Pontifex nullum in præsenti jus novum condit; neque quoad hoc ullum apparet discrimen inter feudum ecclesiasticum, & laicale; ideo non debet diversum jus in uno servari, & non in alio.

Alii inter quos Imola *in d. c. insinuatione 1.* 22
h. t. & Mantica *de tacitis convent.* docent, posse dominum directum percipere sine usura fructus feudi oppignorati, eos non computando in sortem, eo quia tunc fructus retinentur ratione antidoralis obligationis, est antidorum in jure ex Ulpiano *de pet. hared.* redditio doni, seu obligatio remunerandi; ratione cujus dominus directus absque usura sibi retinet fructus oppignorati feudi. Sed neque ratio ista satisfacit; quia licèt feudum sit beneficium collatum vasallo, & hic videatur domino naturaliter obligatus ad remunerationem, non tamen compellitur invitus ad remunerandum, quod enim naturaliter debetur, propriè non debetur cum in effectu non possit peti *l. fidejussor 16. §. naturales.* Petrus Gregorius *lib. 1. de usur.* & quamvis dominus rei feudalis possit fructus rei percipere, quando illi remunerandi gratiâ rei feudalis possessio à Vasallo tradita est, id tamen procedit quando liberè redditur; & in præsenti nullum adest liberalitatis, ac voluntatis remunerandi vesti-

vallgium. Tum quia cum pro pecunia mutuò accepta, ac debita Vasallus rem pignori det domino directo, non potest dici, quòd liberaliter donet domino directo fructus feudi oppignorati: nemo enim in necessitatibus censetur liberalis *l rem 18. ff. de adimen. legat.*

23 Alii cum Panormit. Hostiensi, Joanne Andrea *in d. c. insinuatione 1. h. t.* apud Covarruviam *lib. 3. variar. c. 1. num. 4.* putant dominium utile feudi oppignorati domino directo consolidari in eodem cum dominio directo, qua ratione dominus justè rei propriæ fructus percipit, quia tunc dominium utile consolidatum directo pertinet ad dominum directum. Verùm hæc consolidatio utriusque dominii suas patitur difficultates, & Binsfeldius *in c. 1. de usur. q. 1.* illam impugnat, ut etiam Covarruvias *loc. cit.* eò quia inde sequeretur, quòd feudum non posset esse loco pignoris: siquidem de ratione pignoris est, ut dominium rei oppignoratæ remaneat penes debitorem, licèt possessio rei oppignoratæ transeat ad creditorem *l. 1. C. de pignorat.* Rursus dominium utile est pretio æstimabile, proinde si transferatur pro mutuata pecunia constituit contractum usurarium.

24 Præferenda igitur est communior, ac probabilior sententia, quæ docet oriri ex natura feudi, ut fructus feudi oppignorati à Vasallo domino directo, & ab eodem percepti non computentur in sortem principalem: siquidem cum de natura feudi sit, ut Vasallus teneatur præstare domino suo debita obsequia: æqua ratio exigit, ut quamdiu sine illius culpa, & domino contentiente feudo caret, sit liber ab obsequiis, & muneribus, quæ tenebatur domino præstare: & e contra, cum re feudali existente penes dominum directum Vasallus ab obsequiis præstandis liber sit, eadem ratione non debet fructus rei percipere; cum eo tempore cesset causa, ob quam eidem res in feudum data sit, nimirum ut præstet debita obsequia domino directo, ideo sequitur, fructus esse domini, qui cum ex feudo non exigat servitia, debet fructus exigere, ita docent Leothardus *de usur. q. 14. n. 5.* Balboa *in c. cum Bertoldus num. 50. de re judic.* Binsfeld. *in d. c. 1. de usur.* Cùm enim dominium directum semper remanserit penes dominum proprietatis, & dominium utile ad illum redierit ex voluntate vasalli oppignorantis, fit dominus utriusque dominii directi, & utilis: quia tempore oppignorationis Vasallus restituit feudum domino proprietatis, eâ tacitâ conditione, ut illud restituat cum primum acceperit datas pecunias mutuas, est enim ea natura feudi, ut fructus à re oppignorata orti percipiantur à domino directo, si Vasallus sua non præstet servitia. Neque habetur ratio excessus fructuum: siquidem ab initio merè liberaliter dominus directus ampliores fructus dedit Vasallo pro servitio præstando: unde potest Vasallus eos restituere pro tempore oppignorationis domino directo: & hic potest sine usura, eos percipere: siquidem percipit, quod suum est, seu fructus rei suæ, feudum enim semper pertinet ad dominum directum, & tantum dominium utile datur vasallo sub conditione, ut præstet debita obsequia, si dominus illa exigat: & quia tempore oppignorationis dominus non exigit illa obsequia à Vasallo, ideo cessat conditio, ob quam transtulit dominium utile ad Vasallum; proinde potest absque usura fructus oppignorati feudi percipere.

25 Quòd si propriè velimus loqui, feudum tunc propriè non oppignoratur, quia dominium utile non ampliùs manet apud Vasallum, sed restituitur domino directo sub tacita conditione, ut iterum illud det Vasallo, quoties ab eodem acceperit datas eidem pecunias mutuas: si ita dicamus cessant difficultates initio positæ *ex c. ad nostram*, ubi dicitur, certum juris principium esse, teneri creditorem imputare in sortem principalem fructus rei oppignoratæ, siquidem id est intelligendum de pignore propriè, & rigorosè sumpto, in quo non transfertur dominium rei oppignoratæ, sed sola possessio: non verò de pignore laxè sumpto, in quo non solùm possessio, sed etiam dominium utile transfertur in dominum directum: quòd oppignoratio feudi non sit propriè, & rigorosè oppignoratio, ex eo liquet, quia in pignore dominium directum rei oppignoratæ manet apud oppignorantem, & Vasallus nunquam habuit dominium directum, sed tantum utile situm in jure percipiendi fructus feudales.

TITULUS XXI.

De pignoribus, & aliis Cautionibus.

CUm Pontifex in præcedentibus titulis egisset de alienationibus, & contractibus, nunc pergit agere de cautionibus quibusdam, quæ in securitatem conventionis, & debiti adjici solent, unde tractat de hisce, tanquam de accessoriis ad contractum. Sunt hæ cautiones simplex promissio, juramentum de solvendo, vel adimplendo debito, pignus, & fidejussio, & primo loco agit de pignoribus, quia plus cautionis est in re, cujus accessione contrahitur pignus, quàm in persona, cujus accessione contrahitur fidejussio *l. plus cautionis 20. ff. de regul. jur.* Aliqui censent pignus dici à pugno, eò quia res, quæ datur pignori, manu tradatur *l. plebs 127. §. 1. ff. de*

ff. de V. S. alii tamen verius dicunt, pignus deduci à verbo compingo, seu stabilio, eò quia per pignus contractus stabiliatur, & firmetur, est enim pignus illa res, quæ creditori ad securitatem datur: unde Martialis *lib.* 12.

Cum rogo te, nummos sine pignore non habeo inquis.
Idem si pro me spondet Agellus habes.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NULLUS* 1. *h. t. Ex Concilio Remensi statuitur, ut nullus Presbyter possit pignorare res Ecclesiæ laicis, ut calicem, librum, vestes, nisi ex justissima, & urgente necessitate. Ubi notat Glossa, hanc necessitatem esse redemptionem parochianorum captivorum* 12. q. 2. c. sicut omnino: *hinc res prohibita alienari non potest oppignorari, quia facilè devenitur ad distractionem debitore differente solutionem* l. 2. §. cum rem ff. quæ res pign. oblig. *cujusmodi sunt, quæ in hoc titulo prohibentur pignorari, ut calices, patenæ, vestimenta sacerdotalia, & alia id genus, quæ non possunt oppignorari sine urgente necessitate, seu nisi pro redimendis captivis, & alendis pauperibus, si aliter sustentari non possint.*

C. *LATOR.* 2. *h. t. Gregorius III. rescribit, hominem liberum non debere pro debito retineri, si non habeat, unde solvat, & res defecerint, quæ possunt pro debito addici. Fallit tamen, ut notat Hostiensis primò in libero homine fusfecto, & malè merito* c. 1. de deposito. *Secundò in vacillante* l. ex libero ff. ad quæst. *Tertiò si bona habeat, & nolit illis cedere, & aliàs constet de debito* c. Odoardus de solut. *Quartò in patre obligante filium ex necessitate famis, quo casu potest etiam filium vendere* l. 2. C. de Patribus, qui filios distrax. *Quintò in redempto ab hostibus, qui per quinquennium compellitur servire, aut pretium solvere* l. fin. C. de capt. postlim. *Hoc autem non est ampliùs in usu. Sextò in raptore virginis, qui confugiens ad Ecclesiam donatur quidem vita, sed servire cogitur, nisi se redimat* c. de raptoribus 31. q. 1.

C. *EX PRÆSENTIUM* 3. *h. t. Alexander III. rescribit Episcopo Exoniensi, quòd si Rector Ecclesiæ facto proprio pignoravit res Ecclesiæ, & moriatur, compellitur ejus hæres redimere res oppignoratas, easque restituere Ecclesiæ: ex quo textu notat Glossa, alienationem factam propria authoritate non tenere, & Ecclesiam posse liberè alienatum repetere, tametsi in hoc casu consulatur creditori: quia si pro necessitate patrimonii Presbyteri facta fuit alienatio, tunc hæres convenitur pro facto, vel contractu defuncti; non ita si alienatio facta sit pro necessitate personali. Ex quo infert Panormitanus* num. 5. *successorem in beneficio teneri solvere debita non solùm contracta pro necessitate suæ Ecclesiæ, sed etiam propria persona.*

C. *Illo* 4. *h. t. Innocentius III. rescribit, quòd emens rem cum pacto, quòd post tempus possit eam venditori restituere recipiendo quid plus quàm dederit, sit censendus usurarius, ut etiam contractus. Ubi notandum est, quòd si in contractu non constet de mente contrahentium recurrendum est ad formam contractûs, qui præsumitur usurarius, quando quid ultra sortem recipitur, immo in dubiis de usura præsumitur contra eum, qui solet usuras exercere.*

C. *EX LITTERIS* 5. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Aquinati, uxorem stante delicto mariti posse recuperare dotem in bonis ipsius ubicunque fuerint, eò quia tacitè sint ei pro dote obligata, adeò ut cum hoc onere transeant ad quemlibet, hinc ipsa jura prohibent, uxorem remanere indotatam ob viri delicta. Notat tamen Glossa, duo tunc debere constare. Primò quanta fuerit dos: alioquin non fit restitutio. Secundò quod possideat illa de bonis mariti. Hinc Mulier quantum ad dotem præfertur omnibus creditoribus habentibus personales actiones, vel tacitas hypothecas: non tamen præfertur quantum ad donationes propter nuptias, nec habentibus expressas hypothecas anteriores. Rursus paraphernalia, & donationes propter nuptias non gaudent privilegio dotis.*

C. *CUM CONTRACTA* 6. *h. t. Idem Pont. declarat, fructus perceptos ex pignoratis possessionibus æquantes summam pignoris esse restituendos dominis, & esse in sortem computandos absque alia refectione pecuniæ. In hoc textu reprobatur contractus, quo pignus ita datur, ut quoad debitor solverit, possit creditor illo usura nomine frui, & græcè dicitur antichresis seu mutuus usus. Est enim hic contractus usurarius, quia creditor ob solam dilationem solutionis percipit pignoris fructus salvâ sorte, quod est accipere plus, quàm dederit.*

C. *SIGNIFICANTE* 7. *h. t. Idem Pont. rescribit, quòd qui dat rem in pignus cum pacto legis commissoriæ, seu eam recolligendi tali die, aliàs amplius non molestabitur creditor etiam sub juramento firmato: si debitor legitimè impeditus non solvat tali die, ut quia nuntius, per quem misit pecuniam, non fuit fidelis, vel fuit spoliatus, vel violenter detentus, tunc non obstante juramento, tenetur creditor restituere pignus accepta sua sorte, computatis tamen in eadem sorte fructibus, & declarat Pont. esse creditorem ad id etiam per censuras compellendum. Ex quo textu liquet, pactum legis commissoriæ in pignoribus reprobari. Est commissoria lex pactio in venditionibus, & oppignorationibus usurpata, qua id agitur in venditionibus, ut si intra diem statutam emptor non solverit pretium, & venditur*

tor venditionem infectam velit, res nec vendita, nec alienata fit l. 2. ff. de lege commiſſoria. *In oppignorationibus autem eſt, ut niſi definito tempore ſolvatur debitum, pignus fiat creditoris, quæ lex in pignoribus improbatur, quia ſubeſt grave detrimentum debitori, à quo ſæpe res debito pretioſiores pignori ſupponuntur urgente neceſſitate, & creditoris duritie. Unde tale pactum, ut iniquum, & uſurarium damnatur, ſi ob moram ſolutionis extra peculiarem caſum damni emergentis, pignus excedens ſummam debiti retineatur.*

C. CUM CONSTET 8. *h. t. Gregorius IX. ſtatuit, ut uſufructuarius teneatur cavere, quòd velit uti rebus ſalvâ earum ſubſtantiâ, & quòd reſtituet pecuniam, & æſtimationem rerum mobilium conſumptarum ad arbitrium boni viri. Ubi notat Gloſſa nomine cautionis in hoc textu intelligi nudam promiſſionem: & per idoneam, vel ſufficientem intelligi pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, quæ à teſtatore non poteſt remitti cum data ſit in favorem hæredis: & uſumfructum eſſe jus utendi, vel fruendi rebus alienis ſalvâ rerum ſubſtantiâ, hinc differt à nudo uſu, quia minus eſt in uſu, quàm uſufructu.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit pignus, & quotuplex, & quomodo ab hypotheca differat?

1 PIgnus, ait Caj⁹ dicitur à pugno, eò quia res pignori data quaſi pugno capiatur, ac teneatur: quæ enim pignori dantur, manu traduntur *l. plebs §. pignus ff. de verb. & rer. ſignif.* quamobrem pignus propriè dicitur id, quod datur creditori loco cautionis, ut ſecurus ſit de re alteri oppignoranti data, ut in tuto habeat rem ſuam ab oppignorante creditori debitam: ſiquidem tutius eſt incumbere pignori, quàm agere in perſonam *inſtit. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur §. furti.* Tum quia plus cautionis habetur in rem, quàm in perſonam *l. plus cautionis ff. de regul. jur.* Quamobrem ſumitur pignus pro re qualibet, quæ creditori pro debito obligatur, & traditur: ſic dicitur pignus creditori traditum, ſicut enim depoſitum datur ad cuſtodiam; ſic pignus datur creditori ad cautionem *inſtit. quibus modis contrah. oblig. §. ult.* Hinc differt pignus ab hypotheca, quia pignus propriè eſt res mobilis, idque liquet ex nominis notione, eò quia pugno, ſeu de manu in manum tradatur; hypotheca autem rei immobilis, & non traditæ, ſed tantùm quæ nuda conventione contrahitur §. *item Serviana inſtit. de action. l. ſi rem §. propriè de pig. action.* Et tripliciter ſumitur. Primò pro ipſa re, quæ creditori in ſecuritatem debiti obligatur. Secundò pro ipſo contractu, ſeu conventione, quâ pignus, vel hypotheca contrahitur. Tertiò pro obligatione, ſeu jure, quod ex contractu in re naſcitur, & quo creditor nomine illius, quod ſibi debetur, rem obligatam apud ſe tenet.

2 Pignus igitur ſumptum pro contractu, ſeu conventione definitur, *quod ſit obligatio rei licitæ pro debito factæ ad ſecuritatem creditoris*, ut definitur ab Hoſtienſi *in ſum. num. 1.* ſeu eſt contractus juris gentium nominatus bonæ fidei, quo aliquid creditori in ſolutionem debiti obligatur, ut in defectu ſolutionis per id ſatisfiat creditori: ex quo liquet, hunc contractum ſolo externo conſenſu perfici, ut deſumitur *ex l. contrahitur, l. creditor ff. de pignor.* Dicitur obligatio rei licitæ, quia quædam ſunt res, quæ obligari non poſſunt. Hæc autem pignoris obligatio ex triplici cauſa oritur. Primò ex Prætoris jurisdictione, & dicitur pignus prætorium, ut notat Sylveſter *V. pignus.* Secundò ex partium conventione, & dicitur pignus conventionale. Tertiò ex juris conſtitutione, & dicitur pignus legitimum. Pignus prætorium ſubdividitur in judiciale, & in illud, quod propriè dicitur prætorium: judiciale eſt, quod in executionem ſententiæ judicis authoritate conſtituitur, mittendo creditorem in poſſeſſionem bonorum debitoris, poſtquam in ſolvendo debitum contumax fuerit. Pignus prætorium eſt, quod ante latam ſententiam à Magiſtratu conſtituitur, mittendo actorem in poſſeſſionem, vel retentionem bonorum, ut ipſi cautum ſit: unde per hoc differt pignus judiciale à præterio, quia illud ex ſententia præcedente, vel re judicata mittit agentem ex primo decreto in poſſeſſionem bonorum debitoris: prætorium verò eſt, quando judex ex primo decreto nulla præcedente ſententia mittit creditorem in poſſeſſionem rei, idque deſumitur *ex divers. tit. eod. de prætorio pignore, & ſi in cauſa judicati pignus captum ſit.* Cæterum laxè utrumque pignus dici poteſt judiciale, eò quia detur à judice, vel etiam prætorium, ut deſumitur *ex l. 1. & 2. C. de prætorio pignore, & l. non mirum de pignore act.*

3 Rurſus pignus conventionale eſt, quod partes contrahentes expreſsè conſtituunt, ſive rei interventu, ſivè ſolo conſenſu, & hoc adhuc eſt duplex, unum generale, quod ad omnia bona ſe extendit non ſolùm præſentia, ſed etiam futura: non tamen in hoc pignore, ſeu hypotheca cenſentur ea comprehendi, quæ nemo prudens in ſpecie facilè obligaret, ut quotidiana veſtis, & ſupellex, artificum inſtrumenta. Particulare pignus eſt unius rei, vel plurium rerum in ſpecie obligatio. Pignus legitimum eſt, quod

neque

neque judicis præcepto, nec partium conventione, ſed legis diſpoſitione conſtituitur; quapropter vocari etiam ſolet pignus tacitum.

4 Licèt pignus proprie,& rigorosè ſumptum diſtinguatur ab hypotheca,eò quia pignus ſit de re mobili, quæ manu traditur creditori. Et hypotheca tantùm de re immobili, quæ non traditur creditori, ſed manet penes debitorem, licèt obligata ſit creditori, adeo ut hypotheca etiam nuda conventione perficiatur *l. item Serviana inſtit. de act.* nihilomius quoad effectum pignus, & hypotheca non differunt, quia per utrumque contractum res obligatur creditori in ſecuritatem ſui debiti: ſiquidem etiam per ſolam pignoris conventionē ſine traditione facta creditori acquiritur actio hypothecaria,ſeujus petendi rem ſibi oppignoratam à quovis poſſeſſore, ſi ſolutionem ſui debiti non poſſet conſequi *d. §. item ſerviana*: & viciſſim debitor per actionem pignoratitiam acquirit jus exigendi pignus ſoluto priùs debito, quia tunc ceſſat cauſa, ſeu cautio,ac ſecuritas in creditore, cùm enim hic accipiat, quod dederat, non eſt amplius opus, ut habeat pignus pro ſecuritate illud idem recipiendi,cum de facto receperit: proinde ceſſante cauſa retinendi pignus,debet hoc reſtitui ſuo domino.

5 Præterea pignus conventionale bipartitur in tacitum, & expreſſum, illud habetur, quando licèt inter contrahentes nihil ſit conventum de re oppignoranda; nihilominus ex legis diſpoſitione intelligitur contracta obligatio. Pignus expreſſum eſt, de quo expreſſo conſenſu inter contrahentes contrahitur, & eſt duplex, unū ſpeciale, in quo obligantur pignori una,vel plures res certæ, & in ſpecie, ſeu in individuo. Aliud univerſale, quo omnia bona ex legis diſpoſitione obligantur,ut eſt illa obligatio,quam primò habet uxor in bonis omnibus mariti pro ſolutione dotis,in qua comprehenduntur omnia bona præſentia,& futura. Secundò, quam habet fiſcus in bonis cujuscunque ſui debitoris. Tertiò bona omnia tutoris, vel curatoris, ſicut etiam adminiſtratoris Eccleſiæ, vel hoſpitalis tacitè obligata ſunt pro adminiſtratione. Quartò liberi habent etiam tacitam hypothecam in bonis patris pro adminiſtratione adventitiorum. Sextò quæ à conductore in prædium Urbanum illata ſunt, obligata cenſentur pro penſione, & damno rei.

6 Hinc uxor pro ſecuritate ſuæ dotis, ejusque reſtitutione habet tacitam, ſeu ab ipſa lege conſtitutam hypothecam in omnibus bonis mariti, idque liquet *ex l. unic. §. ut plenius C. de rei uxor. act. & §. fuerat. inſtit. de action.* ut etiam *ex c. ex litteris 5. h. t.* ubi habetur, quòd uxor ſtante delicto mariti poſſit recuperare dotem in bonis ipſius, ubicunque ſint, eò quia tacitè ſint ei obligata pro dote, adeo ut cum hoc onere tranſeant ad quemlibet, ex quo jura prohibent uxorem remanere indotatam pro delictis viri.Ubi Gloſſa notat,duo debere conſtare: primò quanta fuerit dos, aliter non fit reſtitutio. Secundò quòd illa poſſideat de bonis mariti. Rurſus mulier quantum ad dotem præfertur omnibus creditoribus habentibus actiones perſonales, vel tacitas hypothecas; non ita præfertur quantum ad donationes propter nuptias, neque habentibus expreſſas hypothecas anteriores, ſicut nec fiſcus licèt habeat idem privilegium cum muliere.Præterea para, hernalia, & donationes propter nuptias non gaudent privilegio dotis. Item nec bona Prælati ſunt obligata Eccleſiæ. Demum hoc privilegio non gaudent mulieres, quæ non percipiunt communionem catholicam, ſeu hæreticæ ſunt. Hinc propter delictum mariti, vel aliam ejus obligationem non poteſt uxor conveniri in judicio, nec ſua privari dote, ut inde læſus à marito ſatisfactionem accipiat *l. 1. & 2.* ubi habetur quòd ob maritorum culpam uxores inquietari non debeant. *C. ne uxor pro marito:* quapropter nec ob delicta mariti poteſt immiſſio fieri in bona uxoris.

Quòd ſi res oppignorata,vel alio titulo ob- 7
ligata reddatur alicui tertio, tunc dominium transfertur quidem in emptorem, ſed taliter, ut ſimul onus annexum pignori tranſeat ad poſſeſſorem, ut patet *ex d. c. in litteris 5. h. t.* & id procedit etiam ſi res oppignorata vendatur,ſeu diſtrahatur ex mandato judicis,quia per id non tollitur jus pignoris, quod creditori competit, quia ſententia judicis non debet præjudicare tertio *c. ex tenore 11. de for. compet. c. cum ſuper. 13. de ſent. & re judic.* id autem limitatur niſi ex conſenſu creditoris fundus hypothecæ ſubjectus alienatus ſit, quia tunc jus hypothecæ cenſetur remiſiſſe; dummodo effectus venditionis jam habeatur, proinde etiam alienatio, & traditio rei facta ſit *l. ſicut 8. §. ſi voluntate ff. quib. mod. pig. ſolvit.* Id etiam procedit,quando creditor convenit, ut res pignori data,& ipſi obligata,filiæ debitoris in dotem detur *l. Lucius 11. §. eod.*

Colligitur,in pignore ſex concurrere ſub- 8
ſtantialiter, quorum primum eſt, ut præcedat aliqua obligatio; quia non contrahitur pignus, niſi propter aliquam obligationem. Secundum ut res certa adſit, quæ pignori obligetur: quod in hypotheca non requiritur, eò quia hypotheca non ſit tradenda creditori, ut pignus. Tertium, ut creditor, fructus in ſortem computet, ſive illi exſtent, ſive non. Quartum creditor tenetur de dolo, & culpa lata, & levi in pignore. Quintum in qualibet obligatione abſolutè, vel conditionatè, conſtituitur pignus. Sextum, quod pro uno debito pignus datum eſt, pro alio debito retineri poteſt Weſenbec. *lib. 20. ff. tit. 1.*

§. II.

Quinam poſſint pignori dare, & quas res oppignorare.

QUicunque liberam habet ſuarum rerum, 1
vel alienorum bonorum adminiſtrationem poſſe pignori dare, liquet *ex l. ſolutum §. ult. & l. ſi conveniunt. ff. de pignor. act.* Secus qui res proprias non habent, nec alienorum bonorum adminiſtrationem, non poſſunt pignori dare; quia oppignorare,eſt alienare,& oppignoratio eſt quædam ſpecies alienationis:

tametsi debitor proprietatem rei oppignoratæ non transferat in creditores, transfert tamen, & alienat ipsum jus pignoris; quod est jus reale afficiens, & sequens ipsam rem; ad quemcunque possessorem ipsa devenerit, proinde manet semper salvum creditori jus pignoris, dumodo non consenserit in alienationem *l. sicut* 8. §. *non videtur ff. quib. mod. pignus, vel hypotheca solvatur.* Hinc pupillus non potest rem suam etiam authoritate tutoris loco pignoris obligare, sed ad id requiritur decretum judicis *l.* 1. *ff. quæ res pignori obligari non possunt*; id tamen procedit de obligatione voluntaria, non verò necessaria. Tum quia ad tuendam, vel defendendam causam, vel rem pupilli, potest solus tutor ejus bona obligare, ut notat Bartol. *in l.* 1. *ff. quæ res pignore oblig. non possunt.*

2 Neque servus potest aliquid loco pignoris obligare, nisi habeat liberam peculii administrationem *l. si liberam C. quod cum eo, qui in alien. potest.* & tunc non potest pignori dare, nisi obligatio sit in rem, & utilitatem ipsius peculii, aliàs obligatio est nulla, si fiat sine consensu, & mandato domini. Neque filiusfamilias rem patris potest pignori dare, sed tantùm bona castrensia, vel quasi castrensia: idque defectu dominii, quia non potest quis disponere de re aliena, & præsertim eam alienare, & oppignoratio est quædam alienatio, quia licèt debitor proprietatem rei oppignoratæ non transferat in creditorem, transfert tamen, & alienat jus pignoris, quod est quid reale afficiens, & sequens ipsam rem ad quemcunque pervenerit possessorem. Imò neque defunctus potuit bona hæredis, pignori obligare, ut notat Salicetus *in l. assiduis C. qui potiores in pignor. habeantur.* & Alexander *in l. si hæredis servus ff. de legat.*

3 Id tamen limitatur, nisi hæres expresè ratam habeat obligationem: neque sufficit, si hæreditatem adeat, nisi defunctus obligaverit bona hæredis nomine ipsius; quia tunc hæres adeundo hæreditatem creditur ratam habere obligationem, ut notat Bartol. *in l. rem alienam §. si tamen ff. de pignorat. actio.* Neque socius potest pignori dare rem sibi cum socio communem *l.* 1. *C. si communis res pignori data sit l.* 2. *C. de communi dividundo l. si fratres C. communia utriusque judicii.* Idque etiam procedit in sociis omnium bonorum *l. nemo ex sociis ff. pro socio.* Procurator tamen qui negotia alterius gerit, si habeat speciale mandatum potest aliquid pignori dare *l. solutum §. ult. ff. de pignoratit. act. & l. si inter. ff de pignor.* Bartol. *in l. filiusfamilias ff. de donat.* ut etiam si habeat universam bonorum administrationem cum libera potestate *l. procurator cui generaliter ff. de procurat.* Idem juris est in eo, qui est publicus administrator alicujus civitatis cum libera potestate *l. si is, qui bona. ff. de pignor.* & ratio est, quam innuimus, quia oppignoratio est quædam species alienationis *l. ult. C. de reb. alienis non alien.* & rem alienam nemo potest pignori obligare nisi ex speciali mandato, & consensu domini.

4 An verò Prælatus ecclesiasticus possit bona suæ Ecclesiæ oppignorare saltem pro propria necessitate, vel utilitate. Respondetur negativè, & desumitur *ex c. ex præsentium* 3. *h. t.* ubi statuitur, quòd si Rector Ecclesiæ facto proprio oppignoraverit res Ecclesiæ, & moriatur, compellitur ejus hæres redimere res oppignoratas, easq; Ecclesiæ restituere. Ubi notat Glos. quòd alienatio facta propria authoritate non tenet, & Ecclesia liberè potest alienatum repetere, tametsi in hoc casu consulatur creditori: siquidem si pro necessitate patrimoniali Presbyteri facta fuit alienatio, tunc hæres convenitur pro facto, vel contractu defuncti. Ratio est, quia obligatio pignoris non potest consistere nisi in iis, quæ quis de bonis suis facit obnoxia, ut dicitur *in l. qui filius 6. C. quæ res pign. oblig. poss.* atqui res ecclesiasticæ non sunt in dominio, nec in propriis bonis Prælati Ecclesiæ, quia is non est earundem dominus, sed tantùm administrator *c.* 2. *de donat.* hinc si Prælatus pignori obligavit res Ecclesiæ ob propriam necessitatem, vel utilitatem obligatio nullum sortitur valorem.

5 Hinc hæres tenetur rem illam pignori obligatam redimere, ac restituere Ecclesiæ, quia non solum Prælatus tenetur resarcire damnum Ecclesiæ illatum ob dolum, vel malam administrationem, sed etiam ejus hæres, quia obligationes personales transeunt ad hæredem, ut notat Abbas *hic num.* 3. & 8. *argum. l. quidquid. 7. C. arbitrium tutelæ.* Quòd si Prælatus non habeat sufficientes reditus ad suam sustentationem ob causam aliquam accidentariam, eò quia fuerit ab hostibus captus, vel per plures annos tenues fructus perceperit, ac proinde debita contraxerit, tunc successor tenetur debita illa solvere, & pignora pro eis data redimere *arg. C. de solutionib.*

6 Potest tamen Prælatus per generalem hypothecam res Ecclesiæ prohibitas alienari obligare, licèt non per specialem: hinc si Prælatus contrahens debita nomine Ecclesiæ bona ejusdem per generalem hypothecam obliget, nil agit contra prohibitionem sacrorum canonum de rebus Ecclesiæ immobilibus non alienandis: siquidem in executione, seu reali apprehensione bonorum ob moram factam in solvendo, debent priùs distrahi bona mobilia debitoris ad solvenda debita, quòd si hæc non sufficiant, etiam immobilia bona ob pignoris causam vendere, & justo pretio in solutum dare permittitur, quia lex naturalis, quæ obligat ad solvenda debita, prævalet juri positivo de non oppignorandis, vel alienandis rebus Ecclesiæ.

7 Res verò quæ oppignorari non possunt, sunt, quæ vendi, & alienari nequeunt, ut Ecclesia, cœmeterium, sepulchrum *l.* 1. §. *ult. quæ res pign. vel hypoth.* Jus etiam patronatus nequit oppignorari *c. cum Bertoldus de sent. & re judic.* siquidem non est res, per quam debitum pecuniarium possit compensari: hinc tametsi castrum oppignoretur, jus tamen patronatus eidem annexum non censetur oppignoratum, & præsentatio manet apud priorem patronum. Sin verò castrum, cui hoc jus est annexum vendatur, tunc simul cum castro jus patronatus transfertur in alium, & præsentatio incipit pertinere ad emptorem: & ratio est, quia accessorium sequitur suum principale. Mobilia pretiosa dicata

cultui

cultui divino, ut calices, candelabra, casulæ, & bona immobilia pertinentia ad Ecclesiam: neque possunt oppignorari nisi ex causa necessaria, & cum solemnitatibus jure requisitis; ut, si aliter debita solvi nequeant, vel captivi Ecclesiæ liberari, vel fame oppressis subveniri, quia in his, & similibus casibus servatis juris solemnitatibus non solùm oppignorari, verùm etiam vendi possunt.

8 Rursus neque potest homo liber oppignorari, ut liquet *ex c. 2. de pignorib.* si quis tamen sit captus, potest se ipsum tradere in pignus pro pretio, quod alius nomine ipsius persolvit, idque donec pretium, vel obsequio, vel pecuniâ restituerit; nihilominus potest homo liber dari obses, præsertim in causa belli, ut serventur pacta: & si Princeps, qui obsidem dedit, pactum violet sine culpa obsidis, non potest obses ob delictum Principis interfici, quia ut habetur Exod. 23. *insontem, & justum non interficies*, imò nec mutilare, nec flagellis cædi: hæc enim sine culpa directè non possunt irrogari: potest tamen spoliari bonis, & detineri, ac in servitutem rapi, si Christianus non sit, sicut alii innocentes in bello. Hinc qui fidejussit pro reo, cui periculum imminebat capitis, ut à carcere ad tempus liberaretur; si postea reus absque ejus culpa fugam capessat, non potest fidejussor loco rei puniri pœna capitis: ratio est, quia hujusmodi supplicia attrocia infliguntur propter crimina personalia, non ob solutiones debitorum. Tum quia fidejussor non supponitur se ad id obligâsse, sed solùm ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur à judice: imò nec potuisset se obligare ad subeundam mortis pœnam, quia homo non est dominus vitæ suæ.

9 Res aliæ mobiles, vel immobiles oppignorari possunt ab iis, qui earundem liberam habent administrationem, sive res fuerint corporales, sive incorporales, ut ususfructus, & alia jura similia *l. si quis §. ususfructus ff. de pignorib.* item servitutes prædiorum rusticorum, ut hujusmodi servitutibus possit creditor uti, donec pecunia ei solvatur, & si ad diem constitutum debitor eam non solverit, licet creditori eas vendere vicino *l. sed an via. ff. de pignor.* secus servitutes prædiorum Urbanorum, ea pactione, & conditione non possunt pignori dari *l. si is §. ususfructus ad fin. ff. de pignor.* Idque ne ædificia Urbana mutatis habitatoribus deformentur. Possunt tamen pignori subjici, adeo ut liceat creditori ire, & agere *d. l. sed an via. ff. de pignor.* Quòd si quis oppignoraverit suum agrum, censentur etiam oppignorati fructus ab ipso sati, vel eo tempore concepti, etiam si agrum illum interim vendiderit, & fructus fiat ab emptore percepti, ut desumitur *ex l. quamvis 3. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacitè contrah.* ratio est, quia fructus se habent accessoriè ad agrum, quem propterea sequuntur: unde si ager oppignoretur, censentur etiam ejus fructus cum ipso oppignorati. Fructus tamen qui post ipsam alienationem, vel elocationem sati, vel concepti sunt, non censentur oppignorati, nisi quamdiu sunt pendentes, seu solo cohærent, quia tunc censentur quid unum cum solo: possunt tamen à creditore vindicari, si opus fuerit, detractis tamen expensis factis in agro excolendo à conductore *l. si fundum 16. §. in vindicat. de pignor.* Creditor etiam, qui pignus ab alio accepit potest illud alteri oppignorare, si pignus pignori datum sit, quia potest jus suum, quod in tali pignore habet, alteri dare in pignus.

Quæ verò pignori obligari non possunt, 10
sunt, quæ exempta, & soluta sunt à commercio hominum, vel jure gentium, ut res sacra, seu religiosa: vel jure civili, ut res publicæ publicis destinatæ usibus *l. sancimus C. SS. eccles.* Neque publica stipendia militum, vel aliorum similium possunt oppignorari *l. stipendia. C. de execut. rei judic.* Neque instrumenta aratoria ut boves, & alia animalia ad excolendos agros destinata, neque servi aratores *l. executores l. pignor. authent. agricultores C. quæ res pignor. oblig. poss.* Neque spes eorum præmiorum, quæ pro colonis, athletis redduntur, saltem privata actione oppignorari possunt *l. spem. C. quæ res pignor. oblig. possunt.* Res verò aliena quamvis possit vendi, non tamen oppignorari potest *l. si probaveris C. si aliena res pignori data sit.* Id enim jura voluerunt, quia venditio afficit personam venditoris, ita ut de evictione teneatur: si enim res aliena empta sit, emptor habet jus, & actionem in venditorem, ut restituat quidquid sua interest, adeo ut possit repetere pretium solutum; secus pignus est contractus quidam, qui afficit rem, non personam: siquidem datur creditori, ut spem certam habeat, non periturum sibi, quod dedit creditori; eò quia si debitor non solverit, jus sit creditori vendendi pignus, ex cujus pretio sibi satisfaciat. Tum quia res, quæ venditur, quamvis aliena sit, si bona fide ematur fluxu temporis usucapitur: at verò pignus nullo unquam lapsu temporis potest usucapi *l. pignori rem acceptam §. de usucap.* ubi habetur: pignori rem acceptam usu non capimus. Cæterum sub conditione si res facta fuerit mea potest in pignus dari *l. si fundus §. aliena. ff. de pignoratit. act.* Sin verò inscio domino res fuerit oppignorata, & dominus cùm rescierit, factum habuerit ratum, tunc pignus confirmatur *d. l. aliena ff. de pignor. act.* Sin autem aliquis sciens det pignori rem alienam inscio creditore, tunc tenetur crimine stellationis *l. tutor. §. 1. ff. de pignoratit. action.* stellatio in jure est omnis fraus, & impostura, quæ propriam significationem non habet, & in proprium delicti nomen non cadit *l. 7. §. 1. ff. ad turpil.* ut si quis rem alienam sciens obliget, vel alii jam pignoratam, alii denuo obliget, crimen dicitur stellionatûs committere *l. 1. ff. de stellion. l. 16. §. 1. l. 36 ff. de pignoratit. action.* Sin verò sola bona fide dederit, solùm tenetur de eo, quod interest creditoris *l. antepenult. C. si aliena res pignori data sit.*

Quòd si res in pignus, vel hypothecam tra- 11
dita non maneat integra, sed deterior fiat, non amittit suam obligationem, sed in eo quod supereſt, eam retinet, ut si domus ex parte corruat, vinea, sive hortus minuatur *l. domo. ff. de pignoratit. act.* quinimò totum quod accrescit, censetur

fetur hypothecatum. Quòd si ab alio proveniat illud incrementum: qui rem illam emerit, datur ei optio, ut vel solvat debitum usque ad id, quod res sine tali augmento valere poterat; vel à creditore accipiat id, quod melioratio illa valere potest.

§. III.

De obligationibus, & fructibus ex pignore ortis.

1 OBligationes, quæ ex pignore oriuntur duplicis sunt generis: aliæ enim pertinent ad debitorem, qui rem pignori dedit; & aliæ ad creditorem, qui rem oppignoratam suscepit. Ex parte debitoris tres sunt. Prima, ut omnes impensas solvat, quas creditor in conservando pignore fecit *l. si servus ff. de pign.* Glossa *in c. 1. de usur.* quod tamen procedit de impensis necessariis, non verò de voluntariis, quia has debitor nullo jure compellitur solvere, desumitur *ex d.l si servus de pignoratit. action.*

2 Immo non desunt, qui censeant, neque teneri solvere impensas, quibus pignus redditum est melius, ac pretiosius, eò quia nemo cogitur rem suam meliorem facere. Sed communior sententia est, teneri impensas illas solvere, dummodo immoderatæ non sint, vel ipse debitor, quia fortassis pauper est, nequeat solvere: & ratio, cur hujusmodi impensæ sint à debitore solvendæ, est rationi consona, quia cùm pignus per ipsas factum sit melius, & utilius suo domino, seu debitori, æquum est, ut is solvat pro hac melioratione. Tum quia pignus est quidam contractus initus gratiâ creditoris, & debitoris, proinde emolumenta pignoris non solùm fiunt gratiâ creditoris, sed etiam dibitoris Glossa in *l. creditor. 2. C. de pignoratit. action.*

3 Secunda obligatio est, ut rem uni oppignoratam non det alteri in pignus: quia id neque absque suo, nec alterius damno fieri potest.

4 Tertia est, ut pignus non repetat antequam satisfactum sit creditori; adeo ut non sufficiat etiam ex majore parte solvisse: siquidem etiam pro minimo solvendo potest à creditore totum pignus retineri *l. quamdiu C. de dist. act. pignor.*

5 Ex parte creditoris quinque oriuntur obligationes, quarum prima est, ut creditor curet, ne pignus pereat, aut deterius fiat, siquidem tenetur damna pignoris compensare *l. si cum venderet. venit autem ff. de pignor.*

6 Secunda est, ut non possit uti pignore, alioquin furti actione tenetur *l. si pignore §4. ff. de furt. instit. de oblig. qua ex delicto nascuntur. §. placuit.* Excipitur tamen si usus sit talis, ut soleat inter amicos liberaliter concedi. Rursus si per usum nihil damni inferatur pignori. Ut etiam si in gratiam debitoris fiat, ut nimirum res oppignorata conservetur, ac melior fiat *l. creditor. ff. de pignor.*

7 Tertia obligatio est resarcire damna pignoris, quo usus est *l. creditor C. de pignoratit. action.* si enim res oppignoratas malè tractaverit, si servum, vel equum debilitaverit, tenetur damna resarcire. Excipitur tamen si servum ob maleficia sua coarguerit, vel Magistratui obtulerit, id enim jubetur à lege.

8 Quarta est, ut fructus rei oppignoratæ, qui solius industriæ non sunt, in sortem principalem, seu pro parte solutionis factæ computet, vel saltem restituat *l. creditor. §. ult. C. de pignoratit. action. & l. si dominium C. de pignor.*

9 Quinta denique obligatio creditoris est, ut integrè sibi soluto debito, pignus restituat ei, à quo accepit illæsum, & nihil imminutum: ratio est, quia creditori datum est, ad eum duntaxat finem, ut de solutione facienda caveretur, ut notat Wesenbec. *lib. 2. tit. 6.* Interim creditori permittitur acceptum pignus alteri dare, ac secundam instituere oppignorationem, quæ tamdiu duret, donec extinguatur prima.

10 Fructus verò pignoris quod attinet, si creditor in re pignori data percepit fructus, vel debuit percipere, & culpa sua neglexit, eo ipso tales fructus debitum minuunt, & computandi sunt in sortem principalem, ac solutionem debiti *l. 1. & 2. C. de pignoratit. action. l. si pignore in princ. ff. de pignoratit. action.* Impensarum tamen, quæ inde factæ sunt habenda est ratio: si enim factæ sint ex pura necessitate, ut si ager sit sterilis, & ex industria, & diligentia creditoris excultus fructus produxit, non cogitur tunc creditor secundùm conscientiam eos in sortem computare, præsertim si fructus non sint magni, ac multi: & expensæ tunc sunt creditoris, quia compensantur fructibus: quando verò ager non est sterilis per se, sed tantùm negligentiâ, & incuriâ debitoris, tunc creditor cum sorte ejusmodi fructus tenetur computare. Neque valet quod ait Sotus; quando ager est sterilis per se, fructus, quos inde percipit creditor, non venire ex agro, sed ex industria creditoris, sicut is, qui depositos nummos suscepit, si ex eis lucrum acquirat non tenetur restituere, eò quia tale lucrum non ex pecunia, sed ex industria oriatur.

11 Tum quia ut ait Sotus, dominus pignoris nullos erat fructus percepturus, unde damno non afficitur, si fructus sibi creditor retineat. Tum quia debitor quando pignus dedit creditori, videtur cessisse jure percipiendi tales fructus, quos ipse colligere non poterat. Etenim hæc non obstant, quia tales fructus revera sunt rei datæ pignori, & creditor tantùm potest ex illis eam portionem retinere, quam illius industria, & diligentia meretur, videtur enim id magis consonum æquitati.

12 Neque obstat, quòd debitor illos fructus non percepisset, quia inde non tollitur, quòd non sint fructus rei, & ut tales domino debeantur. Ad aliud quod addit Sotus, debitorem nullum damnum inde pati, respondetur esse falsum, quia semper privatur jure, quod habet in fructus illos ortos ex re sua, & sine damno non privatur quis jure suo. Hæc obligatio, quâ tenetur creditor fructus in sortem computare descendit ex ipsa re, eò quia sint fructus rei oppignoratæ, ac proinde restituendi debitori. Neque paritas de depositio pecuniario valet, quia pecunia per se est de genere sterilium, nec fructus parit, nisi accedat hominis industria, proinde cùm quis ex pecunia apud se depositia lucrum

erum ácquirit, ſuum efficit; quia tale lucrum eſt fructus induſtriæ, non pecuniæ. Quamobrem ſi creditor ex ſua induſtria, & diligentia multò uberiores ex pignore percipiat fructus, quàm pignus apud debitorem reddere conſueverat; compellitur creditor in ſortem eos computare, quia omnes ſunt fructus pignoris; deducitur tamen quantum ſuæ induſtriæ, & diligentiæ debetur.

13 An verò creditor debeat in ſortem deducere non ſolùm fructus perceptos ex pignore, ſed etiam percipiendos, & quos ipſe adhibitâ diligentiâ percepiſſet. Hoſtiens. *in ſum. tit. de pignor. num. 9. vers. ſed nunquid creditor.* & alii cenſent, non eſſe in ſortem computandos: ratio, quâ nituntur, eſt, quia nusquam jus canonicum habet, ut fructus percipiendi computentur, etenim *in c. 1. e. quoniam. c. conqueſtus de uſur.* tantùm habetur, quòd fructus percepti debeant computari. Tum quia creditor eſt poſſeſſor bonæ fidei, & hic tantùm debet reſtituere fructus perceptos, & non percipiendos, & per hoc differt à poſſeſſore malæ fidei, qui tenetur reſtituere & perceptos, & percipiendos. Tum quia non videtur æquum, quòd creditor teneatur neceſſariò ſolvere fructus, quos noluit percipere; quia induſtriam, & curam ſuam in ea re collocare ſua ſponte recuſavit: alioquin compelleretur reddere plures fructus, & majores, quos ex majori induſtria, & diligentia potuiſſet colligere. Verùm contraria opinio communior eſt, & probabilior, magisque congruit cum jure, quia in *l. creditor. C. de pignorati. action.* maximè habetur, quòd creditor debeat computare fructus, quos percepit ex pignore, vel percipere debuit; ut etiam habetur *in l. cum pignoris. C. de partu pignor.* Qui verò ſint hi fructus computandi, an illi, quos creditor dolo, vel lata culpa percipere deſiit, an verò illi, quos levi ſua culpa non percepit?

14 Certum eſt, debere creditorem in ſortem computare fructus, quos dolo, vel lata culpâ ſuâ non collegit. Cæterum Hoſtiens. *loc. cit.* cenſet, non eſſe in ſortem computandos fructus, qui ex levi culpa creditoris percepti non ſunt: at communior opinio etiam vult, hos fructus eſſe in ſortem computandos: opinio enim communior, & verior eſt, quòd creditor teneatur non ſolùm ex dolo, & lata culpa, verùm etiam ex levi, licèt non ex leviſſima, quia contractus pignoris initur gratiâ utriusque creditoris, & debitoris; proinde fructus, quos ex levi ſua culpa non percepit, debet computare in ſortem, non verò eos, quos ex leviſſima culpa non percepit.

15 In jure canonico tres potiſſimum ponuntur cauſæ, ob quas creditor fructus computare pro ſolutione non tenetur. Prima eſt, ſi pro dote uxoris ejus maritus acceperit fundū, prædium, domum, vel aliam rem, ut ex illa fructus colligat, donec dotem accipiat, tunc non tenetur tales fructus in ſortem computare, quia ſupponuntur dari pro alimento uxoris, & oneribus matrimonii *l. pater. ff. doli mali. c. ſalubriter 16. de uſur.* Binsfeld. *tract. de uſur. q. unic.*

16 Secunda eſt ſi fundus, vel alia res ab Eccleſia feudi nomine detur, quam rem deinde Eccleſia in pignus accipit ab eodem; tunc Eccleſia fructus ſibi retinet, donec integrè ſatisfactum fuerit, ut fusè oſtendimus *in §. ult. præcedentis tituli q. ult.*

17 Tertia cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis illius, cui datur, ut ſi equus ſit Paulo furto ablatus, quem Joannes fur Franciſco ignoranti furtum donavit, is ſi eum pignori det Paulo pro pecunia mutuata; fructus ex illo perceptos non tenetur Paulus in ſortem computare, eò quia proveniant ex re ſua *c. 1. de uſur.* Barboſa *in c. cum contra de pignor.* Addi ſolet alia cauſa, quæ coincidit cum ſecunda, & ab illa ſolùm differt, eò quia res oppignorata non ſit fundus, qui pertineat ad Eccleſiam: unde creditor etiam laicus fructus ex pignore perceptos non tenetur computare in ſortem; ſed poteſt eos retinere, manente ſorte integra: nempe quando feudum directo domino eſt oppignoratum; & quando emphyteuta oppignoravit directo domino rem emphyteuticam *c. 1. ſup. de feudis c. conſtitutus 8. de uſuris:* quia uterque contractus feudalis, & emphyteuticus inter alias tacitas conditiones, cum quibus cenſentur ſemper iniri, niſi contrarium exprimatur, habent hanc, ut ſi feudum, vel fundus emphyteuticus oppignoretur directo domino, poſſit is percipere fructus forte non minuta; idque ne res exiſtens apud dominum directum alteri extraneo fructificet, quod non videtur rationi conſonum, cum res naturaliter fructificet ſuo domino: hic autem in hoc caſu non poteſt à vaſallo exigere conſueta ſervitia, & obſequia, neque penſionem: immo nec poteſt fructus percipere, quos res producit, ex qua parte melior effecta eſt per diligentiam, & induſtriam emphyteutæ, quia accenſentur fructibus induſtrialibus, qui debentur ei, qui induſtriam adhibuit.

18 Cæterum ſi res frugifera ſimpliciter ſit creditori oppignorata, & tradita, is fructus pignoris non lucratur, ſed debet eos in diminutionem ſortis principalis computare; niſi fortaſſis partem aliquam loco intereſſe ob lucrum ceſſans, aut damnum emergens, vel aliam ob cauſam excuſantem ab uſura poſſit exigere: unde ſi ex re oppignorata per decurſum temporis tot jam fructus perceperit, ut ſummam capitalem adæquent, pignus debitori reſtituendum erit ob extinctum debitum per fructus perceptos *c. 1. & c. cum contra 6. h. t. l. 1. C. de pignoratitia actione.*

19 Quia verò maritus eſt uxori obligatus ad eam ſuſtentandam, & ad ſuſtinenda onera matrimonialia *c. per veſtras de donat. inter vir. & uxorem, & l. ſi dotem §. ſin autem ff. ſoluto matrimonio* ob hæc onera maritus acquirit ſibi fructus pignoris, donec promiſſa dos ipſi ſolvatur, ut diximus in prima cauſa, ob quam creditor non tenetur fructus computare pro ſortis ſolutione. Dos ſiquidem datur viro, ut ex ejus fructibus uxorem alat, & onera ſubeat matrimonii; tenetur tamen maritus uxoris dotem integram conſervare: quando igitur dos promittitur, & interim loco dotis datur pignus; tunc fructus pignoris ſubſtituuntur loco fru-

ctuum dotis; proinde maritus eos percipit, ac si revera essent fructus dotis; fit enim tunc quædam permutatio. Socer enim loco dotis, quam statim debuerat dare, dat fundum: & gener loco fructuum dotis percipit fructus fundi. Hinc maritus tenetur uxori alimenta præbere, & omnia subire matrimonii onera, alioquin fructus pignoris non posset sibi lucrari.

20 Rursus debet marito dos simpliciter promitti, quia si inter ipsum, & socerum ab initio ineatur pactum, ut dos non nisi ad certum tempus tradatur, tunc gener non facit suos fructus pignoris, eò quia consenserit, ut dotis solutio nonnisi tali tempore fiat, quod est cedere jure suo: sicut enim potest ultro sine dote uxorem ducere, ita etiam eam accipere prorogata ad tempus solutione dotis: nisi expresserit, se interim velle aliquid loco dotis ad tempus dilatæ *c. salubriter 16. de usur.* ut notat Panormitanus Quòd si gener accipiat pignus, & postea relinquat in libertate soceri differre solutionē dotis ad tempus, etiam tunc facit suos fructus pignoris; quia videtur id fecisse secundùm jura, ut notat Covarruvias *lib. 3. variar. resol. c. 1. n. 2.* Quòd si fructus, quos gener percipit ex pignore sint longè majores, ac uberiores, quàm exigant onera matrimonii, & alimenta uxori debita, tunc fructus excedentes eos, qui percipe-
21 rentur ex dote, si jam soluta esset, debent in sortem computari, adeo ut dos minuatur juxta hunc fructuum excessum.

An verò possit gener cum socero pacisci, ut donec sibi promissam dotem solverit certam pecuniariam pensionem in singulos menses, vel annos reddat, Joannes Andreas in *c. salubriter*, & plures Canonistæ negant, talem pactionem licitam esse, nisi pensio in sortem computetur: & nituntur eò quia Pontifex *in d. c. salubriter*, nil prorsus de tali contractu dicat, nec statuat: tum quia fructus fundi incerti sunt, interdum majores, nonnunquam minores: & annua pensio est certa. Nihilominus communior sententia cum Panormit. *in d. c. salubriter*, asserit talem pactionem licitam esse, & esse jure permissam, & huic sententiæ videtur adhærendum: quia socer tenetur, vel dotem dare, vel aliquid aliud,
22 quo gener onera matrimonii sustentet, & uxorem alat.

An verò hæres mariti defuncti, ad quem devenit fundus, quem loco pignoris maritus acceperat, & qui uxorem viduam alit, possit, sicut maritus fructus fundi percipere eo anno, quo dotem restituere jure non cogitur, si illa consistat in rebus mobilibus, adeo ut sit idem juris de mariti hærede, ac de ipso marito. Respondent Hostiensis, Anchar. Panormit. *in c. salubriter, ex l. unic. §. ex actio. C. de rei uxor. action.* negativè: quia maritus ipso jure cogitur uxorem alere, ac matrimonii onera suscipere, ac sustinere: non ita hæres, qui ab hoc jure, & oneribus liber, ac solutus est, unde tenetur fructus pignoris in sortem computare. Tum quia hæres nonnisi sponte susci pit talia onera, quæ posset respuere, unde sibi debet imputare, si inde habeat sumptus. Nihilominus contraria sententia, quam docent Decius, Parisius, Salicetus, & Lupus *de usur. comment. 4. num. 32.* est etiam probabilis: quia hæres succedit in eodem jure, proinde potest ex pignore percipere fructus, quos maritus percipiebat. Tum quia tenetur hæres pignus illud salvum, & integrum tueri, donec viduæ promissa dos solvatur. 23

Verùm putârim priorem sententiam probabiliorē de jure speciali *in d. c. salubriter 16. de usur.* ac eidem adhærendum. Cæterum hæres ratione ejus quod sua interest, deberet tunc, vel viduam dimittere, vel pacisci pro ejus sustentatione, si enim viduam alit, æquum est, ut sumptus illi suppeditentur.

§. IV.

De pactis pignorum, & actionibus pignoratitiis.

TAmetsi in emptione admittatur pactum legis commissoriæ, in pignoribus tamen tam jure canonico, quàm jure civili prohibitum est *l. ult. C. de pact. pignor. & c. significante de pignor.* Est pactum legis commissoriæ, quando creditor cum debitore pacisci tur, ut si ad tempus statutum ex mutuo consensu juxta initum pactum debitum non solverit, aut non satisfecerit creditori, pignus cadat in jus, & dominium ipsius creditoris: dicitur propterea pactum legis commissoriæ, quia tunc pignus cadit in commissum, si debitum die præfinito non solvatur: & est pactum in modum commissorum emphyteuticorum, & publicanorum, quorum meminit. *l. 2. C. de jure emphyteut. & l. commissa. ff. de publican. & vectigal.* & est etiam pactum simile illi, quod in venditione, & emptione aliqui consueverunt inire, ut Petrus vendit Paulo rem suam data, & accepta fide de pretio sibi solvendo, ea conditione, ut nisi Paulus statо tempore pretium solverit, res non censeatur empta, & habeatur pro non vendita; quod pactum in venditione, & emptione jure civili approbatur. At pactum legis commissoriæ in pignoribus, utroque jure civili, & canonico damnatur. *l. ult. C. de pact. pignor. & c. significante de pignor.* 1

Ratio discriminis est, quam tradit Panormit. *in d. c. significante*, & Glossa *in l. 2. & ult. C. de pact. pignor.* quia venditor emptori nullum infert damnum, si rem suam ea conditione vendat emptori, ut si tempore præstituto pretium non solverit, habeatur pro non empta. Secus pignus solet esse majoris æstimationis, & pretii, quàm sit debitum: ergo pacisci ut pignus fiat creditoris pro debito est cum damno ipsius debitoris, qui compellitur plus solvere, quàm ex justitia teneatur, & minoris vendere rem suam: hinc pactum legis commissoriæ rectè in utroque jure damnatur. Contrahitur autem pactum legis commissoriæ, quando apponuntur verba, quæ directè, vel indirectè significant, ut pignus transeat in jus, & dominium creditoris: quod pluribus modis potest contingere. Primò si dicatur, do tibi pignus ea conditione, ut nisi debitum tibi solvero præfinito tempore hoc idem pignus tuum sit, vel habeas, ut emptum. Secundò do tibi rem hanc loco pignoris ea conditione, ut si statuto tempore non sibi 2

satis-

satisfecero de eo statuas, ut tibi magis libuerit: & ego ampliùs eam, non possim recipere, eò quia ceciderim jure meo. Vel tertiò do tibi fundum locò pignoris, ut, si non solvero, quod debeo, eum retineas nomine, & jure feudi.

3 An verò pactum legis commissoriæ in pignoribus, non solùm jure civili, & canonico prohibitum sit, sed etiam jure naturali, & divino, eò quia sit per se iniquum, & usurarium? Respondetur cum distinctione: vel enim tale pactum adnectitur contractui ob pœnam debitoris si statuto tempore creditori non satisfecerit: vel apponitur simpliciter, ut creditor sibi pignus lucretur. Si primo modo instituatur pactum, non videtur per se iniquum, proinde neque naturali jure damnatum, quia ob pœnam debitoris potest creditor lucrum aliquod ex mutuo acquirere: quòd verò non sit usurarium ex eo etiam liquet, quia non acquirit lucrum illud vi, nec ratione mutui, sed tantùm ut pœnam debitoris: nil enim impedit, quin debitor mutuum accipiens sese voluntariè creditori obliget ad pœnam illam solvendam, si statuto tempore mutuum non solverit: tunc tamen debitor non debet pœnam subire nisi moram, vel culpam contraxerit, quia pœna non debetur, nisi culpa præcedat: quòd si potuerit solvere, & noluit solvere, tunc subjicitur pœnæ sibi injunctæ: alioquin esset pactum iniquum si debitor in omni eventu teneretur pœnam subire, tametsi nulla mora, aut culpa præcederet. Quòd si pactum adnectatur contractui non in pœnam debitoris, sed absolutè, & simpliciter, ut creditor pignus sibi acquirat, tunc ex parte creditoris est pactum omnino usurarium, & per se iniquum; proinde naturali jure damnatum: siquidem pignus est majoris æstimationis, seu pretii quàm debitum: unde cum creditor ex pacto faciat pignus suum; jam ex mutuo exigit, & accipit lucrum, proinde pactum illud usurarium est, ut probat Azor. *p. 3. lib. 7. c. 10.* Si enim Petrus creditor det Paulo centum aureos, & pro assecuratione accipiat à Paulo debitore pignus, cujus valor excedat centum, & 25. aureos, jam Petrus ex mutuo lucraretur illos 25. aureos, quod lucrum esset usurarium. Rursus est etiam pactum per se iniquum, quia creditor pignus viliori pretio emit, quàm valeat: & hac ratione Covarruvias *lib. 3. variar. resol. c. 2. n. 7.* asserit, tale pactum esse per se iniquum, & usurarium, & jure naturali damnatum.

4 Communis tamen sententia asserens tale pactum esse solùm prohibitum jure civili, & canonico, sumit pactum priori modo, ut apponitur tanquam pœna debitoris: leges enim, & canones prohibuerunt tale pactum apponi in fraudem legis: alioquin liberum est creditori contra debitorem in judicio agere, si moram protraxerit in solvendo pretio: leges autem non permittunt, ut ab initio apponatur tale pactum in pœnam non soluti pretii statuto tempore, quia permittunt tunc actionem creditori contra debitorem. Unde pactum illud, quando apponitur in pœnam debitoris, solùm adversatur juri civili, & canonico. Sin verò pactum simpliciter sit, ut creditor pignus sibi acquirat, nisi debitor tempore statuto solverit, est tunc pactum usurarium, & iniquum, & jure naturali damnatum, adeo ut creditor teneatur restituere quidquid præter debitum ex pignore accepit, seu totum id, quod pignus ultra debitum valet.

5 Sin autem pactum se habeat tali pacto: do tibi fundum pignori, ea pactione, ut si debito tempore non solvero habeas eum tanquã emptũ, vel tanquam tuum justo pretio, adeo ut tantum accipias de pignore, quantum tibi debeo, ita tamen, ut pignus juxta boni viri arbitratum pro justo pretio vendatur, tunc non committitur pactum legis commissoriæ *l. si fundus 16. §. fin. ff. de pignor.* Panormit. *in d. c. significante n. 6.* Præterea licitum est pactum si fiat cum fidejussore, & non cum creditore: ut debeo Petro centum aureos; Paulus est fidejussor pro me, possum cum Paulo pacisci ut habeat rem meam loco pignoris, ut me non solvente debitum satisfaciat Petro, & habeat pignus pro suo *l. ult. ff. de contrab. empt.* Cynus *l. 1. C. de pactis pignor.* id tamen intelligitur, ut fidejussor habeat pignus tanquam emptum justo pretio, alioquin si pretium pignoris debitum excederet, pactum foret iniquum, quia minoris emeretur, quàm valeat, ut notat Covarruvias *lib. 3. variar. resol. c. 2. num. 7.*

6 Quid verò dicendum sit, si debitor dicat creditori, nisi statuto tempore solvero, habeas tu pignus in solutum? Sunt qui cum Joanne Andrea *in c. significante*, & Bart. *in l. quamvis ff. de pignor. act.* impugnant tale pactum ut illicitum, eò quia perinde sit, ac si debitor dicat, nisi ego solvero suo tempore, habeas pignus pro tuo: quòd si pignus pluris æstimetur creditor habet lucrum ex mutuo, proinde tale pactum est usurarium. Alii tamen cum Panormit. *in c. significante* censent, pactionem illã esse permissã, eò quia debitor tunc non paciscitur cum creditore, ut pignus habeat pro suo, sed ut habeat in solutum, hoc est in partem solutionis; vel ut habeat tanquam emptum justo pretio. Hinc putârim esse distinguendum, si enim pignoris pretium excedat valorem debiti, & creditor ex eo præcisè, quòd debitor non solverit præfinito tempore, totum pignus suum faciat, censerem tale pactum esse usurarium, quia si valor pignoris attingeret centum, & 50. aureos, & debitum non excederet centum, tunc creditor 50. aureos lucraretur supra sortem mutui ex eo præcisè, quòd debitor non solverit statuto tempore, ut promiserat, quod pactum est illicitum, & usurarium.

7 Sin verò pignus non excedat pretium debiti, tunc pactum est licitum, quia creditor non plus accipit, quàm dederit: vel si pretium pignoris excedat illud mutui, est etiam pactum licitum, dummodo creditor vendito pignore restituat debitori excessum pretii, adeo ut tantum duntaxat accipiat, quantum dederat debitori: hoc pacto datio in solutum nullum in se vitium continet, & permittitur *l. eleganter ff. de pignorat. action.* Covarruvias *lib. 3. variar. resol. c. 2.* Immo tametsi debitor vellet cedere jure suo, & renuntiare beneficio legis prohibentis

bentis tale pactum in pignoribus ; adhuc esset pactum illicitum: & ratio est, quia lex non prohibet tale pactum tantùm gratiâ debitoris, sed etiam in odium, & pœnam creditoris: præsefert enim speciem usuræ, tametsi dicatur apponi tale pactum in pœnam debitoris.

8 Quòd si debitor promittat se pœnam soluturum, si pignus non redimat tali tempore; adhuc hoc pactum censetur invalidum, ac initum in fraudem legis. Quòd si hoc idem pactum jurejurando firmaretur, Federicus *in conf.* 140. & alii censent, tunc pactum valere, eò quia jusjurandum confirmat contractus, qui sunt contra leges, bonósque mores civiles. Verior tamen sententia asserit, tale juramentum nunquam confirmare pactum, eò quia sit hoc naturali, & divina lege damnatum, & non solùm jure civili, & imperatorio: unde jusjurandum non confirmat, nec ratum habet tale pactum, quia jusjurandum tantùm confirmat contractus, qui tantùm sunt lege civili, & imperatoria prohibiti, & qui sine peccato servari possunt; quia tunc servandum est juramentum: non verò confirmat illos contractus, qui jure naturali damnantur, nec possunt sine culpa servari: & præfatum pactum est usurarium, & iniquum, vel saltem speciem præsefert usuræ. Verùm in tali casu, ut notat Glossa *in c. cùm contingat de jurejur.* teneretur debitor servare juramentum, nisi à superiore legitima authoritate relaxaretur, quia ex parte ipsius pactum non esset turpe, & licitè posset servari: sicut qui juravit, se soluturum usuras, tenetur jusjurandum servare, quia absque peccato potest illud implere *c. debitores de jurejur.* sed sicut accipiens usuras, teneretur illas restituere, ita etiam creditor teneretur pœnam remittere debitori ex tali pacto contractam.

9 Potest tamen creditor pignus distrahere, si debitor statuto tempore non solvit, & de pretio sibi satisfacere, & quidem si per pactum expressum potestas distrahendi data sit creditori, seu alienandi, aut vendendi pignus sibi obligatum: quia tametsi creditor non sit dominus pignoris, potest tamen pignus vendere, eò quia non fuerit tempore præfinito sibi solutum debitum juxta pactum ab initio initum, idque sive ab initio inter ipsum, & debitorem convenium fuerit, ut pignus venderetur, sive non *l. si convenerit. ff. de pignorat. action. & instit. quibus alienare licèt, vel non licet, §. contra.* Immo potest etiam pignus vendi, quando est pluribus creditoribus obligatum, & nondum omnibus plenè satisfactum *l. solutum §. si creditori. ff. de pignor. act.* & id etiam procedit, quando plura pignora uni tantùm creditori sunt obligata, est enim liberum creditori vendere, quod voluerit ex illis, & desumitur *ex l. creditoris ff. de distract. pignorum.* Qui verò locò pignoris res plures accepit, non adigitur unam earum restituere, nisi soluto omni debito *l. qui pignori ff. de pignor.* Immo quamdiu debitum manet insolutũ media ex parte, jus est creditori vendendi tale pignus *l. quamdiu eod. de distract. pignor.*

10 Ex eo tamen quòd creditor pignus vendat, non debet sibi totum pretium pignoris retinere, sed eam tantùm portionem, seu quantitatem, quæ sufficit, ut sibi satisfiat, seu recuperet totam illam pecuniam, quam alteri mutuaverat, quod enim supersest ultra debitum, tenetur restituere debitori, ad quem pignus pertinebat *l. vetustissimam §. ult. C. de jure dominii impet.* & è contra si pignus non tanti æstimaretur, quantum dedit debitori, tunc jure potest exigere à debitore, quod deest, ut integrè satisfiat *l quæsitum §. Pomponius ff. de distract. pignor. l. ult. C. de jure dominii impetrando.*

11 Cæterum in distrahendo pignore conventionali nonnulla servanda sunt. Primò quòd pignus non distrahatur, seu non vendatur antequam debitor moram in solvendo traxerit, ut desumitur *ex l. cum solvendo ff. de distract. pignor.*

12 Secundò ut quando conceditur facultas creditori in ordine ad vendendum pignus, id intelligatur de facultate vendendi post moram debitoris, & quòd tunc possit illud vendere, tametsi id non denuntiet debitori, Glossa *in l. creditor hypothecæ V. testato C. de distract. pignor.* quia ubi inter ipsos conventum est expressè, ut creditor possit vendere pignus, eo ipso intelligitur, quod possit illud distrahere absque alia denuntiatione, quia debitor jam ab initio scivit, quòd dilapso tempore statuto pro solutione debiti, si solutio non fiat, possit creditor pignus vendere. Tum quia ex substantia contractûs inerat creditori jus vendendi.

13 Tertiò si ab initio non sit facultas vendendi pignus concessa, nec interdicta, tunc præter moram requiritur, ut creditor debitorem moneat, quod tempus statutum pro solutione sit elapsum, & nisi solverit, velit pignus vendere, idque ex jure codicis, ut notat Glossa in *d. l. creditor hypothecas. C. de distract. pignor.*

14 Quartò si pactum initum fuerit, ne pignus vendatur; tunc dilapso statuto tempore pro solutione, creditor tenetur ter debitorem monere ut solvat suum dubitum, alioquin sit pignus venditurus: ratio est, quia si creditor nunquam posset pignus distrahere, non posset ei satisfieri, nisi in judicio conveniret debitorem, sic pignus datum frustraneum esset pro solutione statuto tempore faciendo. Rursus hæ tres denuntiationes ita fieri debent, ut si commodè res patiatur tres dies medient ab una ad aliam denuntiationem, & ad minimum debet spatium intercedere unius diei naturalis, ut notat Bartol. *l. si convenerit. 1. ff. de pignor. action.*

15 Quintò si nil prorsus conventum sit inter debitorem, & creditorem completo solutionis tempore denuntiandum est debitori, ut debitum solvat; quòd si intra biennium debitum non solverit, nec pignus liberaverit; tunc creditor potest pignus vendere, quòd si nullum reperiat emptorem, potest judicem adire, idque denuntiare debitori, qui si non comparuerit, tunc judex certum tempus statuet, intra quod debitore minimè comparente, creditori jus erit petendi à judice, ut ei dominium pignoris cedat: quòd si intra aliud bienniũ debitor accesserit, & debitũ solverit, tunc suum pignus recuperat; sin verò non comparuerit elapso hoc secundo biennio creditor pleniſſimum dominium pignoris consequi-

ſequitur, & tunc pignus per viros prudentes, & intelligentes debet æſtimari, & creditor reſtituere debitori, quod reſiduum eſt ultra debitum, ut habetur *in l. ult. C. de jure dominj impetrando.*

16 Juvat adnotare, quòd primùm biennium cujus fit mentio *in d. C.* eſt numerandum, ut ait Bartol. *in l. ſi conveneris*, ſi certum ſit debitum, à die denuntiationis factæ, quando una tantùm requiritur: quando verò tres ſunt neceſſariæ à die ultimæ denuntiationis. Quòd ſi debitum ſit incertum inchoatur biennium à die ſententiæ per judicem latæ. Præterea in pignore judiciali poſt latam ſententiam contra debitorem de pignore judiciali, debent quatuor menſes tranſire antequam ad pignus capiendum procedatur: & poſt captum pignus, adhuc per alios duos menſes tenetur creditor debitorem exſpectare antequam pignus vendat: & demum venditio nonniſi authoritate judicis fieri debet. In pignore autem prætorio diſtrahendo, ſeu vendendo nil reperitur in jure communi definitum, ſed arbitrio relinquitur judicis, cujus authoritate vendi debet. Sin verò nullus ſit emptor pignoris judicialis poteſt creditor ad licitandum admitti, & poteſt eidem juſtũ pretium offerenti vendi pignus, vel extraneo. *l. cum in cauſa C. ſi in cauſa judicati pignus captum ſit.* Quamvis hæc de jure communi ſerventur in diſtractione pignorum: nihilominus pro varietate locorum, ac populorum variæ etiam ſunt conſuetudines, & leges municipales, quibus pignora diſtrahuntur.

17 Duæ ex pignore naſcuntur actiones, una pignoratitia, alia hypothecaria, illa eſt actio perſonalis, ut habetur *in l. ult. ff. de diſtract. pignor.* Hypothecaria eſt realis, ut colligitur *ex l. eos C. priores. in pignor. habeantur. l. pignoris. ff. de pignor.* Ratio eſt, quia omnis actio, quæ ex contractu, vel quaſi contractu oritur, ut etiam quæ ex delicto, vel quaſi delicto eſt perſonalis, proinde in perſonam primò, deinde in rem ratione perſonæ, quæ contravit, aut deliquit, dirigitur. Hypothecaria dicitur realis, quia oritur ex jure in rem, quod creditor acquiſivit ad illam repetendam, ſi ablata ei fuerit. Rurſus pignoratitia actio eſt duplex directa, & contraria; illa competit debitori, qui poſt totam debiti ſolutionem repetit à creditore pignus, quod illi dederat pro aſſecuratione debiti *l. ſi rem alienam §. omnis. ff. de pignor. act.* ſiquidem ut ait Ulpianus; omnis pecunia exſoluta eſſe debet, aut eo nomine ſatisfacta, ut naſcatur pignoratitia actio. Satisfactum autem accipimus quemadmodum voluit creditor, licèt non ſit ſolutum. Hinc ſatisfactione præſtita debitor procedit contra creditorem: ut etiam contra eum, qui accepto pignore non numeravit pecuniam, vel non eſt perfectus contractus, ex quo debitor voluerit pignus obligare. Ut etiam adverſus eum, qui dolo, vel culpa quacunque lata, & levi damnum pignori intulit, quia quæ diligens paterfamilias in rebus ſuis cuſtodiendis præſtare ſolet, hæc eadem debitor exigit à creditore, ut ſervetur indemnis quoad pignus *l. 1. C. de pignoratit. action.* Quòd ſi pluris pignus vendiderit, quàm ſit debitum, vel ſi cùm venderet, conventum eſt inter ipſum, & emptorem, ut ſi debitor reſtituturus eſſet pretium emptori, liceret ei recipere rem ſuam *l. ſi cum venderet ff. de pignoratit. action.* in his omnibus datur actio debitori contra creditorem, & alios poſſidentes ſuum pignus. Præterea hæc actio tam quæ convenit creditori, quàm quæ debitori, tranſit ad hæredes, quia illi ſuccedunt in omnibus juribus. Rurſus dicitur actio bonæ fidei, nec admittit præſcriptionem; ſiquidem ceſſat bona fides in poſſidente alienum pignus. Pignoratitia igitur actio directa propriè eſt jus in debitore repetendi pignus, & fructus pignoris, & id, quo poſſint damna compenſari, quæ pignus accepit dolo, vel lata, aut levi culpa creditoris *l. pignorũ C. de pignorat. action.*

18 Actio pignoratitia contraria eſt, quæ convenit creditori ad exigendas impenſas neceſſarias, quas fecit in pignore cuſtodiendo, ſervando, tuendo *l. ſi neceſſitas. ff. de pignorat. action.* Rurſus creditor per hanc actionem pignoratitiam contrariam habet etiam jus contra debitorem, ſi rem alienam inſcio, vel invito domino ſibi pignori dedit, vel propriam, alteri tamen obligatam, cùm utrique debitor non ſufficeret *l. ſi rem alienam ff. de pignorat. action.* Ut etiam ſi vitrum pro gemma datum ſit loco pignoris *l. ſi quis in pignore. ff. de pignoratit. action.*

19 Actio hypothecaria convenit creditori ad pignus poſſidendum, eò quia ſit ſibi jure obligatum: quapropter creditor agit in judicio, ut illud retineat acceptum, recuperet ſibi ablatum, adeo ut vendat, & alienet, eò quia debitor ſibi non ſolverit definito tempore, vel non ſatisfecerit juxta obligationem, quam contraxerat *inſtit. de action. §. item ſervia.* Competit etiam hæc actio hypothecaria hæredibus creditoris contra debitorem *l. 1. C. ſi unus ex pluribus hæredibus creditoris.* Imò convenit etiam creditori contra tertium poſſeſſorem, penes quem pignus reperitur *l. pignoris de pignor.* Rurſus contra emptorem, qui emit pignus à debitore, ut ex pretio ſatisfaceret debitor creditori, & poſtea non ſatisfecit *l. diſtractis C. de pignoratit. & hypoth.*

§. V.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an quando bona debitoris ſunt pluribus obligata, ſit unus cæteris præferendus, & quis ille ſit. Quia non rarò contingit, unam rem pluribus oppignorari, ideo oritur dubium, cui tunc diſtractio pignoris facienda ſit. Reſpondetur, eſſe generalem regulam uſu receptam, eum ex creditoribus eſſe cæteris præferendum, cui plus juris competit in re oppignorata, vel cui priùs res eſt obligata *l. ſi pignus l. ſi ex jure ff. h. t. l. licet. C. eod. l. 4. ad S.C. macedonian.* Neque intereſt, ſi pignus ſit conventionale, prætorium, aut judiciale *l. 2. C. eod.* neque an ſpecialiter, vel generali-

generaliter res obligata ſit, expreſsè, vel tacitè *l. unic. c. rem alienam gerentibus.* Neque intereſt, an creditores omnes privati ſint, an verò aliqui eorum privilegiati, ut pupillus, mulier, civitas, fiſcus, Princeps *l. ſi pignus §. & l. fin. C. fin. h. t.* Regulariter, quicunque eſt primus, præfertur cæteris, niſi aliud expreſsè jure definiatur. Sic pupillus, mulier, civitas, fiſcus, Princeps, præferuntur iis præcipuè, qui generalem tantùm habent hypothecam *authent. de aqualitate dotis*, Neguzantius *tract. de pignorib. p. 5. memb.* 2.

2 Ex jure proceditur hoc ordine, qui mutuam dedit pecuniam ad refectionem navis, vel inſtaurationem labentis domus, ſi is hypothecam habeat, cæteris creditoribus præfertur *l. 1. & 2. ff. in quibus cauſis hypoth. tacitè contrab.* imò etiam præfertur anterioribus tempore, habentibus hypothecas generales, vel ſpeciales, tacitas, vel expreſſas in illa navi, vel ædificio *l. interdum, & l. hujus ff. qui potior. in pignor. habeantur.* & ibi Gloſſa communi doctorum conſenſu approbata: non tamen præfertur creditori anteriori habenti hypothecam ratione dotis in ea navi, vel domo. Secundò qui mutuas pecunias dedit ad deportandas merces, vel ad conducendam domum pro hiſce mercibus deponendis, ſi habeat hypothecam, in iis præfertur aliis creditoribus, etiam ſi priùs tempore habuerint hypothecas in iisdem mercibus *l. hujus enim §. qui potior. in pign. habean.* non ita præfertur creditori habenti hypothecam ratione dotis. Tertiò ſi qui mutuam dedit pecuniam alicui ad conſervandam rem aliquam habeat hypothecam in eadem, eſt etiam cæteris præferendus *l. hujus prædicta* Neguzantius *tract. de pignor. memb. 2. p. 5. num. 15.* Quartò ſi tutor, vel curator emit rem aliquam pecuniâ pupilli, vel minoris; habet pupillus, vel minorennis hypothecam in illa, & præfertur cæteris creditoribus antiquioribus habentibus etiam hypothecam in eadem re *l. ſi tutor. C. de ſervo pignori dato manumiſſo.* Quintò qui mutuas pecunias dedit alteri, ut prædium emeret, ea conditione, ut prædium emptum pro mutuo maneret obligatum, habet etiam hypothecam in illo potiorem cæteris hypothecis, ſi quas creditores tempore priores in illo haberent *l. licet. C. qui potior. in pignor. habean.* Sextò qui impenſas facit in funere, teſtamento, inventario, & aliis neceſſariis ad hæreditatem, habet hypothecam in bonis defunctis, & eſt cæteris creditoribus præferendus *l. ſcimus §. in computatione C. de jure deliberandi, l. impenſa ff. de religioſis, & ſumptib. funer.*

3 Quæritur ſecundò, an dotalis hypotheca ſit omnium potiſſima; adeo ut cæteris omnibus etiam anterioribus præferri debeat. Jurisperiti in hac quæſtione non conveniunt, Dynus *in l. aſſiduis. C. qui potior. in pign. habean.* Gloſſa *in c. ex litteris de pignor.* Covarruvias *lib. 1. variar. reſol. c. 7. num.* 1. & alii cenſent, dotalem hypothecam eſſe præferendam omnibus anterioribus hypothecis tacitis, non verò expreſſis. E contra Cynus, Joannes Andreas, & præſertim Panormit. *in c. ex litteris de pignor.* docent, dotalem hypothecam eſſe potiorem cæteris omnibus anterioribus tam tacitis, quàm expreſſis, & nituntur. Primò quia *in l. aſſiduis, & authent. de qualitate dotis. §. his conſequens.* præfertur cæteris omnibus anterioribus, & qui totum dicit, nihil excludit. Secundò quia dotale pignus eſt potioris juris, quàm hypotheca, quam habet, qui mutuas dat pecunias ad reſtaurandam domum corruentem: unde ſi hæc hypotheca præfertur cæteris, à fortiori etiam hypotheca dotalis *authent. de aqualit. dot. §. his conſequens.* Alii demum cenſent, hypothecam dotalem præferri expreſsè illi, quæ ſolo conſenſu eſt contracta, non tamen illi, cujus poſſeſſio jam tranſiit ad creditorem; quia poſſeſſor pignoris præfertur cæteris. Verùm in hac controverſia ſtandum potiùs eſt locorum conſuetudinibus, ac ſtatutis municipalibus: perſæpe enim Principum legibus, vel civitatum ſtatutis dotalis hypotheca anteponitur quidem cæteris hypothecis anterioribus tacitis, nonverò expreſſis.

4 Cæterum licèt in jure communi res videatur dubia, ex tribus tamen prærecenſitis opinionibus prior communior eſt, & probabilior, & *in l. aſſiduis. & authent. de aqual. dot.* ſolùm videtur præferri aliis hypothecis, quæ privilegio legis ſunt potiores; proinde ſolùm præfertur tacitis hypothecis antiquioribus, non expreſſis, idque ratione naturali oſtenditur: quia privilegium vi legis acquiſitum cùm ſit beneficium à lege conceſſum poteſt facilè tolli; ſecus privilegium quod quis ſibi cavendo acquiſivit, non facilè poteſt auferri.

5 Quæritur tertiò, an hypothecarii creditores præferantur chyrographariis? Reſpondetur, quòd ſi debitor ære alieno nimis gravatus bonis cedat, vel obæratus moriatur, & concurrant plures creditores, ſemper hypothecarii præferendi ſint chyrographariis: & inter ipſos hypothecarios præfertur, qui prior tempore cenſetur potior jure, is enim anteit illum, qui poſteriùs ſibi hypothecam conſtituit, niſi hic poſterior ſpeciale prioritatis privilegium habeat, ut mulier in bonis dotalibus: pupillus, & minorennis in rebus ex pecunia ſua comparatis, vel in bonis ſui tutoris. Ut etiam qui in rem emendam, vel reficiendam, aut conſervandam pecuniam ſuam mutuam dedit, ut in præcedenti quæſtione diximus, & docet Gaillus *pract. obſervat. lib. 2. obſer. 25.*

6 Quæritur quartò, an Eccleſia, & Monaſterium præferri debeant creditoribus chyrographariis, & hypothecariis. Dicuntur creditores chyrographarii, qui ſibi chyrographo caverunt, ut conſtet de mutuo alteri dato, ut notat Paulus *l. 38. §. 1. ff. de privil. creditor.* Hypothecarii verò creditores, qui ſub hypotheca pecuniam crediderunt *l. 1. §. ſciendum ff. de ſepar. bon.* Certum eſt, Eccleſias, & monaſteria eſſe præferenda creditoribus chyrographariis, ut communiter docent: unde tota difficultas eſt, an ſint itidem præferenda hypothecariis. Melonius *de jure Prælator. p. 2. num. 15.* aſſerit, Monaſteria, & Eccleſias debere itidem præferri hypothecariis creditoribus, quæ ſententia probabilior

lior est, ac ei adhærendum, quia quæ sunt juris divini, & pertinent ad cultum Dei, non debent subjici humanis legibus, neque multò minus supprimi *l. sanctimus. C. de SS. eccles. l. sunt personæ ff. de relig. & sumpt.*

7 Tum quia si mulieri ratione bonorum dotalium, & fisco conceditur hoc privilegium, & jus, quòd cæteris præferantur creditoribus chyrographariis, & hypothecariis, non est, cur debeat hoc jus denegari Ecclesiæ, quæ proinde à juris peritis comparatur mulieri ratione bonorum dotalium, & fisco habentibus jus prælationis, Tiraquel. *privileg. 143.* Pasqualig. *in Lauretum de Franch. controvers reg. p. 2. q. 96.* idque consuetudine esse receptum testatur Köppen *decis. 88. num 25.* Ratio id etiam plenè suadet, quia si fiscus præfertur hypothecariis creditoribus, eò quia sit fiscus causa Principis; multò magis præferenda erit Ecclesia cum sit causa Dei Tridentinum *sess. 25. c. 20.* ibi enim de rebus Ecclesiæ dicitur, quòd sint res Dei. Tũ quia civitas habet hanc prælationem: ergo etiam Ecclesia, quæ præfertur civitati *l. ut inter. C de SS eccles.* idque vel maximè si ex pecunia Ecclesiæ res empta probari posset: quo casu sicut pupillo tacita hypotheca privilegiata conceditur *l. itemque 7. ff. qui potior. in pign.* ita erit Ecclesiæ concedenda, cùm hæc jure utatur minoris *c. de in integ. restit.*

8 Rursus in bonis administratoris sui, Ecclesiæ tacitam hypothecam, exemplo minoris in bonis curatoris, concedunt communiter cum Neguzant. *de pignor. membr. 4. p. 7. num. 120.* Quòd si Ecclesia pecunias dederit mutuas, ut res aliis obligatæ reficerentur; ut ab executione militari propter tributa reipublicæ debita, vel ab oppressione alia violenta liberarentur, tunc non solùm pupillo, vel Ecclesiæ, sed cuilibet alteri hypotheca privilegiata conceditur, cum suis expensis pignus conservaverit *l. interdum 5. cum sequent. ff. qui potior. in pign.*

9 Quæritur quintò, an qui accepit in pignus à suo debitore merces alicujus tertii illi concreditas, ut de ipsis disponat, ut magis ei libuerit; si debitor cedat bonis, sit pignus restituendum? Ratio dubitandi est, quia cum Petrus acceperit merces à Paulo in pignus, & merces pertineant ad Franciscum, videntur suo domino restituendæ, quia manent integræ; & cùm fuerit pignus rei alienæ, censetur adhuc manere sub jure sui domini: quia per id, quòd res aliena tradatur in pignus, non amittit dominus jus, & dominium in re sua, proinde merces illæ videntur restituendæ suo domino. Nihilominus respondendum est, Petrum non teneri restituere Francisco merces, quas in pignus accepit à Paulo; ex suppositione quòd Franciscus eas concrediderit Paulo, ut de ipsis disponeret, quomodo vellet, dummodo sibi correspoderet totum, quod retraheret: ita enim fuisse judicatum Florentiæ in tribunali mercatorum testatur Pasqualig. *in decis. moral. decis. 103. num. 2.* eo enim ipso, quòd Franciscus dominus mercium eas concredidit Paulo, ut is posset iisdem uti, prout ipsi magis libuerit, potest Paulus eas emere nomine proprio, & se constituere Francisco debitorem; siquidem non excluditur à generali mandato, quin possit tales merces tanquam emptor sibi adjudicare: unde si Paulus, qui tali pacto emit merces, det eas in pignus Petro, potest is eas retinere pro suo credito.

Nequevbstat, quòd nullus præcesserit contractus venditionis, & emptionis circa tales merces inter Franciscum, & Paulum; quia tametsi non præcesserit contractus expressus: eo tamen ipso, quòd eas dat in pignus Petro virtuali contractu se constituit legitimum emptorem mercium, adeóque eas, tanquam suas virtute emptionis dat in pignus Petro, qui propterea non tenetur eas restituere Francisco, sed eidem Paulo, à quo acceperat, si solverit debitum: unde Francisco pro recuperandis suis mercibus competit actio contra Paulum. Præterea cùm Franciscus crediderit suas merces Paulo, ut iisdẽ uteretur, prout ipsi magis libuerit, ideo Paulus iisdem utitur tanquam re propria cùm illas oppignorat, nec Franciscus prohibuit Paulo suas oppignorare merces. Tum quia ideo Paulus oppignorat Petro tales merces ut servetur indemnis, proinde illas oppignorat ut proprias, alioquin non servaretur indemnis apud Petrum mediante tali pignore; unde oppignoratio supponit saltem virtualem emptionem, quâ Paulus intenderit tales merces à Francisco emere, & eas oppignorare pro sua indemnitate Petro. Tum quia etiam pignus rei alienæ valet, quando dominus id scit, & dissimulat. *l. 2. C. si aliena res pign. data.* Bartol. *in l. qua dotis. num. 23. §. soluto matrimonio.* & in præsenti non solùm habetur dissimulatio domini mercium, sed etiam consensus, ut dentur in pignus; cùm in mandato generali de dispositione mercium, prout Paulo magis libuerit, includatur etiam hæc dispositio, quâ possit eas oppignorare constituendo se debitorem pro iisdem mercibus ipsi Francisco. 10

Quæritur sextò, an venditio rei cum pacto revenditionis ad arbitrium emptoris recipiendo aliquid supra sortem sit licita; an potiùs contractus pignoris usurarius? Respondetur, talem venditionem re vera esse contractum usurarium, & desumitur *ex c. ille 4. h. t.* ubi habetur, quòd emens rem cum pacto, ut post tempus possit illam venditori restituere recipiendo quid plus, quàm venditori dederit, judicatur usurarius: quia quando in contractu non constat de mente contrahentium, tunc recurrendum est ad formam contractûs, qui præsumitur usurarius, quando quid ultra sortem recipitur. Ad cognoscendam speciem alicujus contractus non sunt attendenda nuda verba conventionis, sed pacta adjecta contractui: & in contractu posito *in d. c. ille 4. h. t.* quamvis appareat simulata venditio, & emptio, re tamen ipsa est contractus pignoris pro mutuo, proinde mutuum usurarium cum traditione pignoris; idque conjicitur primò, quia fructus inter venditionem, & redemptionem percepti computati sunt in sortem, quod non fit in vera venditione, & emptione: nam si venditio rei fiat cum pacto redimendi rem venditam pro libito emptor is 11

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit fidejussio, & quales conditiones ad ipsam requirantur?

1 DIcendum est, fidejussionem esse alienæ obligationis in se susceptionem, seu esse contractum, in quo quis promittit, & se obligat, se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non soluerit. Et quamvis de jure civili sit quædam species stipulationis, quæ fiat per certam verborum formulam; in jure tamen canonico sufficit, si fiat nudo pacto per consensum verbis expressum: imò fieri potest per quodcunque pactum, sponsionem, nuntium, vel epistolam juxta consuetudines, & statuta municipalia locorum, quinimò *in l. cùm ostendimus 4. §. fin. ff. de fidejuss. tutor.* habetur, quòd si quis in judicio nominatus fidejussor patiatur suum nomen in acta publica referri, perinde teneatur, ac si verbis expressis fidejussisset. Quod tamen plures cum Bartol. *in d. l. cùm ostendimus* putant esse limitandum, ut procedat de solis fidejussoribus tutorum, idque ob favorem pupillorum.

2 Fidejussor igitur est, qui pro alio accessoriè se obligat, dicitur pro alio, quia nemo pro se ipso, seu pro eo, quod ipse debet alteri dare, fidejubet: & per hoc differt à constitutore, quia potest quis constituere, quod ipse debet §. *in personam instit. de action.* sicut & in eo, quod quis possit constituere sive pro se, sive pro alio, etiam nudo pacto, vel per epistolam, & constitutor nonnisi principalem obligationem sequatur. Differt etiam à mandatore, quia mandator nudo consensu constituitur etiam absens, & fidejussor nonnisi præsens per stipulationem *l. 12. C. h. t.* Tum quia mandator suo nomine obligatur, & obligationem principalem præcedit; siquidem mandator dicitur, qui mandat alicui credi, vel cum aliquo contrahi, idque sua fide esse jubet, seu suo periculo, id est promittit se hoc idem soluturum, si is, pro quo mandat, non solverit *l. 12. §. si post creditam de mandat.* Secus fidejussor, solùm alieno nomine obligatur, & plerumque sequitur obligationem principalem, quam tamen præcedere potest. §. *fidejussor. instit. h. t.* Differt etiam ab expromissore, quia expromissor tametsi pro alio obligetur per stipulationem, ita tamen obligatur ut ipsam rem principalem liberet: quapropter per expromissionem fit novatio, non per fidejussionem cùm principalis maneat obligatus. Demum differt à correis, eò quia correi suo nomine, & quidem principaliter promittant, dicuntur correi debitores ejusdem obligationis, quos Cicero *in epist. ad Attic.* consponsores vocat: fidejussor autem tantùm pro alio promittit, & quidem accessoriè.

3 In hoc contractu fidejussionis ordinariè quatuor requiruntur conditiones, quibus ejus natura explicatur. Prima est, ut hic contractus sit accessorius, & supponat alium debitorem, & aliam obligationem principalem præsentem, vel futuram, ut desumitur *ex instit. de fidejuss.* §. *1. & 3.* hinc dicitur fidejussor, eò quia alienum contractum, vel debitum fide sua esse jubeat. Neque refert, an fidejussor præcedat, vel sequatur principalem obligationem, quia potest quis fidejubere in contractus futuros amici. Rursus neque refert, an obligatio principalis oriatur ex contractu, vel delicto, aut ex sententia judicis, ut nec etiam, an sit obligatio civilis, & naturalis simul, vel tantùm naturalis, quia his omnibus potest fidejussor accedere. Hinc liquet, eum non esse propriè fidejussorem, qui se constituit debitorem principalem pro alio, quia tunc non se obligat accessoriè, scilicet in defectum alterius, sed æquè primò, adeo ut possit statim conveniri, sicut principalis debitor, & de ratione fidejussionis est, ut obligatio sit accessoria.

4 Secunda conditio est, ut fidejussor non possit in plus obligari, quàm principalis debitor tam quoad locum, quàm quoad tempus, potest tamen arctiùs obligari, ut cum juramento, vel cum hypotheca, vel publico instrumento, quod guarantigium vulgò dicitur, promittat se habiturum paratam executionem, tametsi principalis debitor non sit ita obligatus.

5 Tertia conditio est, ut si obligatio principalis debitoris irrita sit, etiam illa fidejussoris sit invalida *l. cùm lex 46. de fidejussor.* Hinc qui fidejussit pro solutione usuræ, quia obligatio dandi usuras est lege prohibita, ita fidejussio est invalida. Si tamen ex contractu, vel facto aliquo principalis debitoris oriebatur saltem naturalis obligatio, & accesserit fidejussor, tunc tenetur hic non solùm naturaliter, sicut principalis debitor, sed etiam civiliter, proinde potest conveniri, si principalis non possit, vel nolit solvere, ut docet Gomez. *tom. 1. c. 13. num. 2.* & colligitur *ex instit. §. 1. de fidejussor.* hinc si quis fidejusserit pro minorenne contrahente sine authoritate curatoris, vel pro religioso contrahente sine authoritate superioris, vel etiam pro muliere contrahente sine authoritate mariti, quamvis hi omnes obligentur ad complendum contractum, quantum in ipsis est, si tamen adhibeant fidejussorem, is obligatur, tametsi ipsi obligationem beneficio restitutionis in integrum elidant: vel illi, à quibus dependet ratificatio contractûs, contractum invalideat. Si tamen minorennis vendat rem immobilem, vel mobilem pretiosam sine decreto judicis, & adhibeat fidejussorem; tunc fidejussor non tenetur, quia ex tali contractu nulla oritur obligatio civilis, nec naturalis *l. 2. C. de fidejuss. minor.* Hoc idem etiam procedit, si minor emat aliquid absque authoritate curatoris supra dimi-

dium

dium justi pretii, aut vendat infra dimidium, quia non obligatur naturaliter, aut civiliter ad servandum contractum, ut liquet *ex d. l. 2.* Quando tamen nulla in contractu adest injustitia, si in eodem adhibeatur fidejussor ad securitatem contractûs, ne rescindatur à superiore, tenebitur etiam si principalis non teneatur, quia obligavit se pro principali, si iste non esset servaturus contractum; id tamen procederet, si adhiberetur solùm ad securitatem debiti solvendi: siquidem non teneretur, si contractus esset jure irritus: quia tunc præsumitur tantùm se obligâsse in eventu, quòd principalis non solveret ex contractu jure valido.

6 Quarta conditio est, ut fidejussor non possit conveniri, nisi priùs adhibitâ diligenti excussione principalis debitoris constiterit, ipsum non soluturum, desumitur *ex authent. C. de fidejussor.* ante hanc authenticam poterat fidejussor conveniri etiam ante excussionem principalis, ut notat Gomezius *tom. 1. c. 13. n. 14.* nisi esset fidejussor indemnitatis. Nonnunquam contingit, ut creditor sumpto uno, vel pluribus fidejussoribus non putet se satis securum, eò quia nesciat, an satis habeant in bonis: quapropter petit aliquem alium, qui pro iisdem spondeat, & hic in jure dicitur fidejussor indemnitatis, eò quia promittat, creditorem fore indemnem hisce fidejussoribus, séque obliget, satisfacturum creditori, si fidejussores non satisfecerint. Hæc autem fidejussio ex natura sua exigit excussionem fidejussorum priorum, quæ tamen non requiritur ad fidejussionem communem. Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam fidejussor communis potest conveniri ante excussionem principalis, ut si renuntiaverit beneficio *auth. præsente C. de fidejussor.* quia cum id ejus tantùm favore sit constitutum, potest eidem renuntiare. Secundus, si certum scit, principalem non soluturum, & non habere bona sufficientia ad solvendum, potest etiam tunc communis fidejussor conveniri, ne creditori damnum inferatur, si quod alteri dedit, non possit recuperare. Tertius si fidejussor conventus neget se fidejussorem, tunc enim amittit beneficium excussionis.

7 Sunt tamen qui censeant, posse fidejussorem communem conveniri ante excussionem, si juramento confirmaverit suam fidejussionem: verùm id non approbatur, ut docet Gomez *loc. cit.* quia juramentum intelligitur secundùm naturam contractûs, nec majorem habet extensionem, quàm contractus, quem confirmat, ideóq; extenditur ex intentione contrahentis, vel juris dispositione: unde si communi modo tantùm intendit fidejubere, potest opponere exceptionem præviæ excussionis. Quòd si ita se obligâsset, ut in casu, quo principalis nollet solvere, & non posset ab ipso solutio via amicabili impetrari, velit ipse fidejussor satisfacere, tunc tenetur etiam ante excussionem creditori satisfacere. Quòd si in aliquo ex his casibus, in quibus requiritur excussio, fidejussor per ignorantiam non opposuit hanc exceptionem, proinde fuit condemnatus ad solvendum; si jam solvit, valet solutio, nec creditor tenetur ad restitutionem; quia talis exceptio non inducitur à jure contra substantiam actionis, & obligationem, sed tantùm ratione ordinis procedendi; proinde debet hujusmodi exceptio opponi ante litem contestatam, ut docet Gomez. *loc. cit. num.* 14.

8 Cæterum fidejussor potest adhiberi in omni genere obligationum quocunque modo contrahantur §. 1. *instit. h t. l. 1. 2. 8. §. 1.* Neque refert, an obligatio cui accedit, sit tantùm civilis, an tantùm naturalis, an utraque simul, an prætoria, an principalis, vel accessoria, cum dari possit fidejussor fidejussoris, neque refert, an sit contracta, vel contrahenda *l. stipulatus 6. §. adhiberi ff. eod.* non tamen hæc fidejussio præcedit de facto obligationem principalem, sed quoad vim suspenditur, donec principalis obligetur: neque refert an ex contractu, vel quasi contractu, an ex delicto, vel quasi delicto oriatur: in criminalibus tamen non aliter adhibetur fidejussor, quàm si agatur ad pœnam pecuniariam, quia pro criminis pœna corporali exoluenda dari fidejussor non potest, cùm nemo sit suorum membrorùm dominus *l. liber homo. ff. ad legem Aquiliam.*

9 Rursus fidejussor dotis, vel pro conservatione dotis aliter non potest dari, quàm, si maritus notoriè fiat pauper *c. per vestras inf. de donat. inter virum, & uxor.* vel ut aliqui volunt, nisi ultro à marito offeratur. Ideo dicitur, quòd fidejussor adhiberi possit pro omni genere obligationum, quia non in singulis obligationibus adhiberi potest: cùm enim dicitur posse adhiberi in omni obligatione fit distributio pro generibus singulorum, non verò pro singulis generum; adeo ut in quocunque genere in uno, vel altero particulari possit fidejussor adhiberi; non verò est necesse, ut adhibeatur in omnibus, & singulis particularibus obligationibus.

§. II.

De iis, qui validè possunt, vel non possunt fidejubere.

1 CErtum est, eos omnes posse validè fidejubere, qui possunt validè obligari principaliter, nec repelluntur à jure: hinc illi soli possunt fidejubere, qui habent suorum bonorum administrationem, adeo ut possint disponere de propriis bonis, quæ sufficiant ad solvendũ debitũ, & resarcienda damna, quæ pas[s]ᵘˢ est creditor ob culpam principalis debitoris. Requiritur tamen ut fidejussor rectum habeat rationis usum, ac liberam suorum bonorum administrationem, hinc filiusfamilas nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense, non potest fidejubere, quia non potest liberè disponere de bonis paternis. Minorennes itidem sine authoritate curatoris, & pupilli sine facultate tutoris non possunt esse fidejussores. Si tamen minor 25. annis pro aliquo fidejubeat, obligatur naturaliter, licèt beneficio restitutionis in integrum possit obligationem elidere, quia semper præsumitur læsus; excipitur tamen nisi fidejubeat pro patre incarcerato, quia tunc obligatio

est efficax, eò quia teneatur ad succurrendum patri.

2 Prohibentur milites, quo minus fidejubere possint *l. milites 31. C. de locat.* idque ne à militia abstrahantur,& præsumptione cinguli militaris sint aliis gravamini. Excipitur tamen nisi miles in rem suam, vel pro sua utilitate, aut sua cohorte fidejusserit. Servi itidem cùm non sint sui juris, neque possideant bona propria, non possunt fidejubere. Sicut milites jure civili prohibentur fidejubere, ita etiam jure canonico vetantur clerici esse fidejussores, ne se ipsos ære alieno gravent cum dedecore statûs clericalis, damnóque ecclesiastici officii, ac redituum ecclesiasticorum, qui in pios, non in profanos usus impendi debent, & ne clerici ad curias trahantur,ac perpetuis occupentur litibus: hinc *in c. clericus 1. h.t.* dicitur quòd clericus inserviens fidejussionibus sit abjiciendus,neque id tantum jure pontificio, sed etiam cæsareo statuitur *in novell. Justiniani. 123. c. 6. novell. Leonis 86.* quæ leges non ideo hîc allegantur,quasi Principes læculares possint clericos suis legibus obligare: siquidem clerici non subjiciuntur jurisdictioni Principis sæcularis; sed ut tantùm minus contra sacros canones conquerantur laici, si noverint etiam jure imperiali clericos à similibus oneribus immunes esse.

Videtur tamen in contrarium opponi posse, 3 quia fidejussio non solum est actus honestus, & necessarius ad usum commerciorum, verùm etiam pro fratre egente actus pius, adeo ut etiam D. Paulus propria syngrapha fidejusserit pro Onesimo apud Philomenem; & *c.29.* ecclesiastici legatur: *Vir bonus fidejubet pro proximo suo, & homo imprudens patitur fidejussorem exsuti, & luere,* & rursus: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam, seu bona* Quinimò jure naturæ tenetur quilibet pro proximo suo fidejubere, ut docet Archidiaconus *in c. sient* 11. *q.* 1. Tum quia fidejussio per se est actus virtutis, & charitatis, adeo ut non valeat juramentum præstitum de non fidejubendo, ut docet Abbas *in c. si verò num. 5. de iureiur.* si igitur clericus tenetur exercere actus charitatis,poterit fidejubere pro proximo indigente. Tum quia clericus fidejubens ob fidejussionem efficaciter obligatur, ut liquet *ex c.2. & 3. h.t.* Quinimmo non solum pro aliis possunt clerici fidejubere, verùm etiam se ipsos in vadem dare *c. exhibita de arbitris. c. ex rescripto de iureiur.*

4 Ob has difficultates Zonaras, & Aristenus græci interpretes canonum Apostolorum explicant canonem 20. in quo dicitur, quòd clericus fidejussionibus inserviens sit deponendus, quòd non liceat clericis pro publicanis, & vectigalium redemptoribus fidejubere, non ita quòd prohibeantur pro aliis fidejubere,maximè si necessitas, & charitas urgeat: & hæc interpretatio videtur desumpta *ex novell.* 128. *c.* 6. *& lib.* 6. *Caroli c.* 122. ubi cùm prohibeatur, ne clerici publicarum functionum exactores constituantur, aut vectigalia, & privatas possessiones conducant, & in his fidem suam pro aliis obstringant; supponi videtur, quod in aliis negotiis possint esse fidejussores.

Verùm hæc interpretatio non satisfacit, 5 quia prohibitio est generalis, & omnino indistinctè prohibet sub pœna depositionis, ne clerici fidejussionibus inserviant: quapropter prohibitio non est restringenda, quòd prohibeantur clerici fidejubere pro solis publicanis. Alii inter quos Balseron græcus etiam interpres canonum Apostolorum,putant *in d. c. clericus 1. h. t.* ubi sub pœna depositionis clerici prohibentur inservire fidejussionibus, quod etiam prohibetur *in canon. 20. Apostolor.* esse id intelligendum, quòd prohibeantur clerici pro se ipsis dare alios fidejussores, eò quia clericus in judicio conventus tantùm alium clericum possit fidejussorē dare: non quòd prohibeatur clericis pro aliis fidejubere. Verùm neque hæc interpretatio placet, quia non respondet *canon. 20. Apostolorum*,neque *cap. clericus 1. h.t.* ubi expresè statuitur, ut clerici fidejubentes deponantur.

Exactiùs respondetur in *d. c. clericus 1. h. t.* 6 *& in canon. 20. Apostolor.* non prohiberi absolutè clericis si charitas urgeat fidejubere pro egenis, & oppressis, aliisque miserabilibus personis, pro quibus urgente necessitate fidejubere est opus charitatis: siquidem est officium charitatis, & nonnunquam etiam misericordiæ, si is, pro quo fidejubetur, sit in gravi necessitate constitutus, ut docet Abbas *in d. c. 1. num. 3. & 4. h. t.* Unde prohibentur clerici tantùm fidejubere, ne ex assidua fidejussione negotiis sæcularibus se immisceant, & litibus implicentur, quæ ex hujusmodi fidejussionibus oriri solent, Tum quia fidejussiones solent frequenter firmari juramento, quo fidejussores adstringuntur, unde monet Salomon. *c.* 20. *Proverb. noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis*, quod etiam refertur *in c. 2. h. t.*

Juvat obsevare, quòd Salomon dicat *defi-* 7 *gere manus*,pro devovere,est enim id usitatum, unde Plinius *lib.* 14. *c.* 2. dixit, defigi diris deprecationibus, quod propriū est sortilegorum, & apud Virgilium habetur, *Jo colchiacis animam defigere votis*, hæ defictiones frequenter perjuria secum trahunt, quæ maximè à clericis vitari debent *c. querelam 10. de iureiur.* Unde clerici non prohibentur absolutè fidejubere,sed tantùm lucri gratiâ, & negotiationis causâ, non verò quando charitas urget, & pietas id exigit: non enim jura prohibent actus virtutum, quin potiùs illos præcipiunt. Cæterum seclusō actu virtutis, charitatis, pietatis, ac misericordiæ prohibentur clerici indistinctè fidejubere lucri gratiâ, vel negotiationis causâ, quod est propriè inservire fidejussionibus in propriam utilitatem.

Hinc patet solutio primæ difficultati, est 8 enim discrimen inter fidejussionem, quâ clericus urgente charitate fidejubet pro miserabili persona, & quâ nulla exigente virtute fidejubet: quando necessitas urget non solùm non prohibetur clericus fidejubere, sed ad id etiam tenetur, ut habetur *in c. videntes q. 1. c. quoniam*

niam quidquid 16. *q.* 1. *c. quiescamus* 42. *dist.* Sin autem charitas non urgeat, lucri gratiâ & negotiationis causâ prohibentur clerici fidejubere, ne implicentur variis litibus. Unde Salomon *c.* 6. *Proverb.* improbavit has assiduas fidejussiones *fili si spoponderis pro amico, defixisti animam tuam & c.* 11. *Parab.* habetur *affligetur malo qui fidem facit pro extraneo.*

9 Ad aliud quod addebatur, quòd clericus ex fidejussione efficaciter obligetur ad fidejussionem, respondent nonnulli, clericum fidejubentem nullam contrahere obligationem, quia quando actus prohibetur, si fiat, est nullus, adeo ut contra juris prohibitionem celebratus, nullum sortiatur valorem, ut docet Hunnius *vol. ult. disp.* 28. *thes.* 2. *q.* 12. Verùm talem fidejussionem factam à clerico esse validam, docet communior, & verior opinio, & desumitur *ex l.* 6. *tit.* 13 *lib.* 3. *fori.* Tum quia juxta vulgatum effatum, multa quæ in jure fieri prohibentur, si facta sint, tenent, *l. si fundum, ff. de fundo dotali l. final. ff. unde liberi*, & hoc procedit in omnibus legibus imperfectis, seu in omnibus illis, quæ actum prohibent, non verò irritant: quamobrem licèt fidejussio extra casum urgentis charitatis clericis prohibeatur, eisque pœna imponatur depositionis, quia tamen non irritatur, ideo trahit secum obligationem, & subsistit, ut verior censet opinio.

10 Textus igitur prohibentes clericis fidejubere intelliguntur de indiscretis fidejussionibus susceptis sine causa necessitatis, quæ si frequentiores fuerint, merentur clerici puniri pœna depositionis tanquam se nimium immiscentes negotiis sæcularibus. Rursus pro ecclesiis suis, ut etiam pro aliis clericis possunt clerici fidejubere, idque desumitur *ex c. pervenit* 2. *h. t.* ubi Lucius III. statuit, quòd fidejubens, & solvens etiam pro clerico debeat redintegrari à principali non solùm quoad sortem, verùm etiam quoad damna, quæ fuit passus, vel reditibus debet satisfieri, vel ei assignari debent reditus debitoris, donec fidejussori satisfiat: & clerici, qui in hoc violant fidem, & juramentũ sunt suspendandi ab officio, & beneficio: eadem ratione, quâ clerici pro Ecclesia sua, & aliis clericis possunt fidejubere; pro se, & in propriam utilitatem possunt etiam hoc idem præstare, cùm ordinata charitas incipiat à se ipso; & quòd quis alteri præstat, utique etiam sibi præstare potest: immo nonnunquam sibi, quod alteri non potest *argum. c.* 1. §. *fin. de postuland. l. qui stipendia C. de procurator.* Cæterum clericus quoad obligationem bonorum suorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, si sibi justum, ac debitum stipendium retineat pro congrua sustentatione, potest fidejubere, quia cùm possit talia bona donare, potest etiam de iisdem fidejubere.

11 Quoad reditus ex titulis ecclesiasticis perceptos ex rationabili causa potest etiam licitè fidejubere, quoad illam portionem, quæ debetur clerico pro sua congrua sustentatione, quia potest aliunde congruè sustentari; non verò quoad illam portionem, quæ destinata est pro pauperibus, vel pro instaurandis fabricis ecclesiarum: unde clericus beneficiarius ex rationabili causa, & ob urgentem necessitatem potest etiam pro laico fidejubere, quia id est officium charitatis, & subinde opus misericordiæ. Quinimò etiam religiosi, qui beneficium aliquod obtinent ex rationabili, & justa causa possunt pro aliis fidejubere, si potestas administrandi reditus beneficiales sit ipsis secundum canones concessa, dummodo talis fidejussio non sit damno Ecclesiæ, cui beneficiarius religiosus inservit.

Cæterum nullus Religiosus potest sine li- 12
centia sui Prælati, vel consensu majoris partis capituli pro alio fidejubere, ut statuitur *in c. quod quibusdam 4. h. t.* ubi Innocentius IV. statuit, ut nullus Religiosus absque sui Abbatis, vel majoris partis capituli licentiâ possit pro aliquo fidejubere, nec accipere mutuam pecuniam ultra summam à capitulo constituram, alioquin non tenetur Monasterium pro illo respondere; nisi manifestè constet, pecuniam fuisse conversam in utilitatem Monasterii. Ratio est, quia Religiosus non habet quidquam proprii, quod possit alteri obligare, & ideo fidejussio sine legitima licentia superioris est irrita, perinde ac donatio, & quævis alia dispositio sine legitima facultate facta, & per hoc differt clericus sæcularis à Religioso quia illius fidejussio tametsi prohibeatur, si tamen semel facta fuerit, est valida, eo quia clericus ob liberam administrationem, quam habet, potest disponere, de illa portione, quæ ad ipsum pertinet: secus religiosus cùm nullum habeat dominium in res, non potest validè fidejubere, etiam si habeat peculium sibi concessum ad certam causam, vel ad necessaria sibi comparanda, dum versatur in studio litterarum, vel ad iter faciendum; quia fidejussio est extra talem causam; si tamen Religiosus existens in studiis litterarum de licentia Prælati multas accipiat pecunias pro necessaria sua sustentatione obligatur Monasterium, & desumitur *ex c. quod quibusdam 4. h. t.*

Quòd si clericus fidejubeat, tenetur suum 13
fidejussorem indemnem reddere à fidejussione etiam per assignationem fructuum proprii beneficii, id enim desumitur *ex c. pervenit. 2. h. t.* ratio est, quia fidejussor solvens pro reo principali, duplicem habet actionem ad repetendam pecuniam solutam, unam ex persona creditoris, in cujus locum successit, ut probat Arias de Mesa. *lib. 1. variar. c. 14. num.* 11. alteram mandati ex propria persona *l. si quis* 46. *l. fidejussorem* 52. *ff. mandati l. si quis mandato* 28. *ff. de negot. gest.* unde potest semper repetere pro sua indemnitate, quod ipse solvit pro principali debitore, idque per actionem mandati contra ipsum, si ex ejus mandato fidejusserit *l. si fidejussor. c. mandati l. rogatus* 33. *l. qui fide alterius* 52. *ff. mandati* §. *si quis autem*, idque sive in judicio conventus, sive extra judicium solverit *l. idemque* 10. §. *fideiussores. ff. mandati.* unde clericus cogitur satisfacere suo fidejussori, & illum à tali fidejussione indemnem reddere: & si non possit hoc præstare ex bonis patrimonialibus, quibus caret, tenetur ex fructibus sui beneficii, quorum est dominus. Posset tamen

in contrarium argumentari, quia ſtipendia militibus militiæ ſæcularis aſſignata non poſſunt capi in cauſam judicati *l. ſtipendia C. de execut. rei indic.* proinde neque ſtipendia debita clericis militibus in cœleſti militia, ut deſumitur *ex c. cum ſecundum de prabend.*

14 Tum quia clerici non poſſunt conveniri ultra quod facere poſſunt *c. Odoardus de ſolut.* ergo per ſubtractionem redituum proprii beneficii non ſunt clerici compellendi ſatisfacere propriis debitoribus. Idque firmari poteſt *ex l. ſpem 5. C. qua res pignori obligari*, ubi Adrianus ſtatuit, ſpem illorum præmiorum, quæ pro coronis ſacris athletis præſtantur, non poſſe ſpeciali hypothecæ obligari, nec generali bonorum obligatione contineri; & per conſequens non poſſe præmia illa judicialis pignoris causâ capi: ergo hoc idem dicendum de fructibus, qui debentur clericis ratione coronæ, ſeu beneficii, adeo ut non debeant ex cauſa pignoris judicialis capi. Sed contra eſt, quia licèt ſtipendia militibus ſæcularibus aſſignata, non poſſint ex cauſa judicati capi, non tamen valet illatio ab illis ad ſtipendia eccleſiaſtica; ſed tantùm argumentum procedit, quando clericus non habet alia bona, quibus poſſit ſuſtentari, tunc enim, quia deficeret clerico ſuſtentatio, oriretur obligatio impendendi tales fructus pro neceſſaria ſuſtentatione.

15 Quòd ſi clericus habeat alios fructus, tunc tenetur fidejuſſorem ſuum indemnem reddere à fidejuſſione, etiam per aſſignationem fructuum proprii beneficii. Unde quando capiuntur fructus beneficii ex cauſa judicati, debet priùs congrua portio aſſignari pro clerici ſuſtentatione, quo pacto non condemnatur ultra quod facere poteſt. Ad aliud quod addebatur de præmiis, quæ pro coronis ſacris athletis præſtabantur, reſpondetur, ſtipendia illa, ſeu commoda ex cauſa pignoris judicialis, etiam potuiſſe capi, ut ait Papinianus *in l. commodis ff. de re indic.* inquiens: commodis præmiorum, quæ propter coronas ſacras præſtantur condemnato, placuit interdici, & eam pecuniam jure pignoris in cauſam judicati capi.

16 Mulier regulariter non poteſt fidejubere pro marito, & ſi fidejubeat, irrita eſt fidejuſſio, ut prolixè dicitur *in tot. tit. ff. & C. ad ſenatus conſultum Velleianum* propter ſexûs imbecillitatem, quapropter fuit mulieribus in fidejuſſione ſuccurrendum: ſiquidem mulieres utpote proniores ad commiſerationem, nec prævidentes imminentis damni periculum facilè inducuntur ad fidejubendum. Tum quia verecundiæ ſexûs videtur repugnare, alienas defenſiones ſuſcipere, & virilibus ſe officiis immiſcere: hinc ſi de facto fidejuſſerint contra creditorem exceptio, & ſi ſolverint, ſoluti condictio ex præfato ſenatusconſulto Velleiano mulieribus competit *l. 2. §. 1 l. quamvis* 8. §. *interdum 3.* & paſſim apud ſenatusconſultũ Velleianum, imò lex non ſolùm utitur vocabulo fidejuſſionis, ſed etiam interceſſionis, quod latiùs patet: unde quomodocunque mulier pro alio intercedat, vel priorem alterius obligationem in ſe recipiat, conſtituat, mandet, expromittat, defendat, res ſuas pignori det, vel mutuum accipiat, vel alio quovis modo contrahat, beneficio legis protegitur *d. l. 2. & d. l. 8. §. ſi cum eſſem. 14. l. redemptores §. 1. de rei vindicat.* imò id procedit, ut mulier, nec pro conjunctiſſimis perſonis intercedendo obligetur *l. 3. & l. ſi paternam 8. C ad ſenatusconſultum Velleianum.* Cæterum poteſt mulier pro alio, quàm pro marito fidejubere, licèt non poſſit id pro marito præſtare, & tunc debet fidejuſſio fieri cùm inſtrumento publico adhibitis tribus teſtibus cum ſubſcriptione, & obligatur mulier ex hac fidejuſſione civiliter, & naturaliter: competit tamen eidem exceptio ſenatusconſulti Velleiani; quod tamen intelligendum eſt ante executionem ſententiæ. Conſuetudine tamen receptum eſt, ut ſufficiat ſubſcriptio Notarii publici præſentibus tribus teſtibus.

Imò neque uxoris ſimul cum marito fide- 17
juſſio ſuſtinetur *l. ſi ſine voluntate 5. & authent. ſi qua mulier C. ad ſenatuscons. Velleian.* Neque obſtat, quod *in c. ex reſcript. de jureiur.* uxor quæ cum marito fidejuſſit, compellatur ad implendam conventionem: quia communiter doctores aſſerunt, talem textum ſolùm procedere in fidejuſſione jurata, de qua nominatim in eodem textu fit expreſſa mentio: quia cùm tale juramentum, nec vi, nec dolo præſtitum abſque æternæ ſalutis diſpendio ſervari poſſit, ideo ſervandum erit *argum. cap. cum contingat. 28. de jureiur.* Cæterum extra caſus ſpecialiter expreſſos mulier non ſolùm in foro fori, verùm etiam in foro conſcientiæ juxta communiorem ſententiam beneficio ſenatusconſulti adjuvatur, alioquin exigua, vel nulla foret beneficii utilitas, ſi mulier non obſtante juris privilegio, nihilominus urgente conſcientiâ totum ex fidejuſſione debitum ſolvere teneretur, ut tradit Gomez. *lib. 2 variar. reſol. c. 13. n. 16.*

Dantur tamen plures caſus, in quibus mu- 18
lier non poteſt beneficio ſenatusconſulti Velleiani ſe juvare. Primò ſi mulier in rem ſuam, vel propriam utilitatem fidejuſſerit *l. aliquando 13. ff. ad S. C. Velleianum*, vel ſi accepto pretio pro fidejuſſione, vel addito juramento ad confirmandam fidejuſſionem pro alio fidejuſſerit, tenetur ſtare fidejuſſioni, ſi conſcia erat privilegii: vel ſi non erat conſcia, probabile eſt, eam non teneri, ſed probabiliùs eſt eam teneri, quia eatenus cenſetur jurâſſe, ut ſibi omnes vias præcluderet non implendi promiſſionem *l. antiqua 23. C. in dicto titulo.* Secundò ſi ex expreſsè renuntiaverit privilegio ſenatusconſulti Velleiani: poteſt enim quisque iis renuntiare, quæ in proprio ſuo favore inducta ſunt: & tunc non ſufficit ſimplex renuntiatio in inſtrumento, ſed requiritur, ut fiat coram Magiſtratu, quia quando ætas, vel fragilitas perſonæ eſt cauſa privilegii, non ſufficit ſimplex renuntiatio: ſed requiritur, ut fiat coram Magiſtratu, vel cum juramento, ne privilegium reddatur fruſtraneum: ut enim notat Gomez. *loc. cit. num. 17.* eadem facilitate, quâ mulier inducitur ad fidejubendum, induci etiam poteſt ad renuntiandum huic privilegio, quod propterea nullius eſſet momenti. Tertiò ſi juramento ſuam fidejuſ-

ſionem

sionem firmavit, tunc enim tenetur implere suam fidejussionem, quamvis privilegium ignoraverit, cùm juraret: notat tamen Covarruvias *in c. quamvis pactum p. 2. §. 3. num. 5.* mulierem in hoc casu posse uti beneficio senatusconsulti Velleiani, eò quia juramentum non se extendat ad incognita.

19 Verùm neque cum tali ignorantia posse uti beneficio senatusconsulti Velleiani est sententia communior, quia etiamsi eidem innotuisset tale privilegium, adhuc jurâsset: etenim ideo juravit ut sibi omnes vias præcluderet ad non implendam promissionem; quapropter implicitè censetur renuntiâsse huic privilegio. Quartò si fidejussit pro libertate servi alieni, vel pro dote alterius mulieris intercessit *l. veterum 24. & l. fin. C. eod.* quia favore libertatis, & dotium ita constitutum est. Quintò si pignus, vel fidejussionem pro alio dedit, & post biennium à dicta optione numerandum, iterum se ad idem obligavit, vel pignus, & fidejussorem dedit. Cæterum si ea obligatio fit ante biennium completum, nullum sortitur valorem. Sextò si in fraudem fidejussit, ut deciperet, tunc enim in pœnam tenètur stare fidejussioni, & privatur beneficio Velleiano, non enim hoc beneficium opitulatur mulieri, si decipiendi animo, vel cùm sciret, se non teneri, pro aliquo intercessit: non enim decipientes mulieres, sed deceptæ merentur auxilium *l. 2. §. 3. ff. ad senatusconsultum Velleianum.* Septimò, si creditor apud quem mulier fidejussit, fuerit minorennis non juvatur mulier exceptione senatusconsulti Vellei. *l. apud minorem 12. ff. de minor.*

§. III.

De causis recipientibus fideiussores, & de effectibus fidejussionis.

1 TAmetsi regulariter causæ omnes videantur fidejussionem admittere, & non solùm principali obligationi, vel etiam accessoriæ fidejussor accedat *l. græcè §. fin. ff. h. t.* Nihilominus excipiuntur aliquæ causæ, quæ fidejussores respuunt: quarum primæ sunt causæ criminales, ob quas imponitur pœna corporalis, non verò ob quas tantùm injungitur pœna pecuniaria: ratio, cur non possit quis fidejubere pro alio, qui teneatur pœnam corporalem subire ob patratum crimen, est, quia nemo est dominus suorum membrorum, neque de ipsis potest disponere *l. liber homo ff. ad legem Aquiliam*, solus enim Deus est dominus vitæ, & mortis, quapropter nemo potest se obligare ad pœnam alterius subeundam.

2 Rursus pro dote conservanda non admittitur fidejussor, ne conjuges se invicem perfidiæ arguant, debet enim concordia conjugalis cuilibet lucro præferri: neque mulier debet esse difficilior in concredenda dote proprio marito, quàm ad tradendum eidem, credendúmque proprium corpus *l. 1. C. ne fideiussores dotis detur.* Quòd si maritus decoctor foret, ac prodigus bona omnia alienaret, ac ad inopiam vergeret, non solùm tunc fidejussor, & cautio super dote recipi posset, verùm etiam dos ipsa repeti, aut ad censum annuum in beneficium uxoris collocari, & tunc maritus absque ulteriore administratione ex solis fructibus sibi consignatis teneretur onera subire matrimonii *c. per vestras 7. de donat. inter virum, & uxor. l. si constante 24. ff. soluto matrim.*

In contractu etiam, cui lex expressè resistit, 3
non potest fidejussor intervenire: ratio est, quia tunc principalis, nec naturaliter, nec civiliter obligatur, & frustrata principali obligatione cadit etiam accessoria. Aliter tamen contingeret, si naturalis obligatio subesset, ut in pupillo proximo pubertati, vel minore, si sine tutoris authoritate contraheret: utrique enim tam pupillo, quàm minorenni fidejussor cum efficaci obligatione accedere potest *l. si pupillus ff. de verb. obligat.*

Præcipuus fidejussionis effectus est, quòd 4
si creditor solutionem à principali debitore petat, & non potuit consequi, valeat fidejussorem convenire, ut ipsemet satisfaciat; & tunc non solùm ipsemet fidejussor tenetur creditori satisfacere, sed etiam eo mortuo ipsius hæres, prout regulariter dicuntur obligationes ortæ ex consensu, & contractu transire ad hæredes §. 2. *instit. h. t.* Verùm ne fidejussoribus officium suum gravissimum adferat damnum, jura tria concesserunt beneficia, scilicet ordinis, seu excussionis; beneficium divisionis; & beneficium actionum cedendarum, imò solet etiam addi quartum, quod est beneficium liberationis: ad primum beneficium ordinis quod attinet, solet fidejussor hoc beneficio opponere, ne ante principalem debitorem conveniatur: siquidem priùs in bonis suis excutiendus est principalis debitor, & si constiterit, quòd non habeat, unde sufficienter satisfaciat; tunc primùm creditor contra fidejussorem procedit.

Dantur tamen aliqui casus, in quibus fide- 5
jussor destituitur hoc beneficio excussionis. Primò si illi renuntiaverit expressè, vel tacitè, seu explicitè, vel implicitè, nimirum si solverit, non oppositâ exceptione beneficii; vel etiam si instrumento fidejussoris se ut principalem debitorem obligaverit, ut notat Fachinæus *lib. 8. controv. c. 54.* Secundò amittit fidejussor beneficium excussionis in pœnam, si malitiosè negaverit fidejussionem, & postea convictus fuerit fidejussor, ut tradit Barbosa *in c. 2. h. t. num. 6.* Tertiò cessat hæc exceptio, si manifestè constet, principalem debitorem non habere bona ad solvendum, vel si ob suam præpotentiam conveniri non possit, ut notat Mynsing. *centur. 2. observ. 15.* Idque etiam procedit, si principalis extra Provinciam absens fuerit & fidejussor præsens adsit: in hoc tamen casu conceditur fidejussori terminus ad sistendum principalem, si petierit *authent. præsent. C. h. t.* Quartò quamvis omnes exceptiones reales, quæ rem respiciunt, & vel ipso jure, vel beneficio exceptionis tollunt obligationem, cujusmodi sunt exceptiones doli, pacti de non petendo, & similes, principali debitori competentes, prosint quoque fidejussori, quò minus teneatur solvere *l. fin. ff. de pact.* Nihilominus, in exceptionibus personalibus, quæ prin-

principali competunt, fidejussor non privatur: hinc quamvis clerici respectu creditorum, parentes respectu liberorum, donator respectu donatarii, aliique similes habeant exceptionem competentiæ, ut excutiendi non sint, nec teneantur in plus, quàm reservata congrua sustentatione præstare possint, quia tamen hujusmodi exceptiones favorem tantùm respiciunt personæ principalis, ideo fidejussor rectè in solidum convenitur.

6 Beneficium divisionis competit pluribus fidejussoribus, qui pro eodem debitore, & pro eadem summa fidejusserunt: siquidem ex natura fidejussionis singuli fidejussores tenentur in solidum, seu obligantur ad totam summam solvendã, quam propterea tenetur ille solvere quẽ creditor cæteris prætermissis voluerit convenire. Potest tamen fidejussor solus conventus beneficio divisionis concesso ab Adriano Imperatore in sua epistola, excipere, ut quilibet ex fidejussoribus conveniatur pro sua parte, adeo ut si tres fidejusserint pro debitore 300. aureorum, & debitor non possit solvere, fidejussor qui convenitur à creditore tunc beneficio divisionis non tenetur in solidum ad totum debitum solvendum, sed tantùm, ad centum aureos, & tunc creditor tenetur reliquas duas partes exigere ab aliis duobus fidejussoribus *l. inter fideiussores 16. de fideiussorib. & l. non rectè 3. C. de fideiuss.* Debet tamen hæc exceptio opponi ante sententiam definitivam, quâ jubeatur solvere, ut notat Gomezius *n. 5.* quia post latam sententiam non potest ampliùs opponi.

7 Si tamen cogeretur solvere non virtute sententiæ definitivæ, sed ratione instrumenti guarantigii posset adhuc opponi, ut notat Gomez. *loc. cit.* ut etiam si post sententiam definitivam fidejussor appellâsset. Rursus hæc exceptio non competit fidejussori, si sponte, vel compulsus per sententiam definitivam jam solverit, ut etiam si fidejubendo huic privilegio renuntiaverit. Si tamen fidejussor solverit in solidum totum debitum, potest creditorem compellere, ut sibi cedat actionem, quam in reliquos duos fidejussores habebat exigendi ab iisdem æquales partes, quas à singulis potest fidejussor conventus ex rescripto Adriani petere, nimirum centum aureos ab unoquoque: quo pacto fidejussor conventus non solveret nisi pro sua rata, quod videtur æquitati consonum.

8 Hinc beneficium divisionis cessare potest multipliciter. Primò si fidejussores eidem renuntiaverint, vel expresse indivisim se obligando, vel tacitè omissa exceptione divisionis solvendo: quia obligatio inter plures fidejussores non dividitur ipso jure, sed ope, ac beneficio exceptionis *l. ut fidejussor 29. ff. h. t.* potest nihilominus hæc exceptio etiam post litem contestatam opponi, ut notat Hering *de fideiuss. c. 28. num. 31.* quia saltem pro illa parte, quæ reliquos contingit fidejussores, est exceptio peremptoria. Secundò amittitur beneficium divisionis etiam in pœnam, si fidejussor negaverit fidejussionem, & fuerit deprehensus, ac convictus fidejussor *l. si dubitet 10. §. 1. ff. h. t.* Tertiò non gaudent hoc beneficio, qui in re pupilli pro tutore fidejusserunt: idque ne cum pupilli incommodo actio scindatur *l. fin. ff. rem pupillo salvam fore.* Quartò si ex tribus fidejussoribus tempore litis cõtestatæ duo destituantur bonis, quibus possint solvere, tertius non gaudet beneficio divisionis, ne creditor damnum patiatur, si tantùm ex tribus partibus sui crediti unam accipiat. Quòd si post litem contestatam, & inter moras judicii fidejussores priventur suis bonis, tunc periculum pertinet ad creditorem *l. inter 22. cum ll. sequent. h. t.*

9 Beneficium cedendarum actionum habetur, quando fidejussor nec beneficio excussionis contra principalem debitorem, neque divisionis contra confidejussores ex aliqua causa potest uti: tunc enim à creditore, cui in solidum solvit totum debitum, jure petit, ut sibi singulas actiones tam reales, quàm personales non solùm contra principalem debitorem, sed etiam contra reliquos fidejussores, vel etiam pignorum possessores cedat: tunc qui totùm debitum solvit beneficio cedendarum actionum potest agere contra principalem debitorem, & alios fidejussores. Necessarium erat hoc beneficium saltem respectu confidejussorum, ut à solvente conveniri possent, ne adnihil tenerentur: siquidem cum ipsis solvens non contraxit, unde ratione contractûs non posset eos convenire: immo neque ex quasi contractu negotiorum gestorũ, quia fidejussor ordinario jure præscindendo à speciali pacto, cùm sit per se in solidum obligatus, proprium magis, quàm alienum censeretur negotium gessisse, *l. ut fideiussor 39. ff. eod.* unde fidejussor conventus, & qui solvit in solidum, si non muniretur beneficio hoc cedendarum actionum, non posset quidquam exigere defectu tituli à cæteris confidejussoribus: contra principalem debitorem hoc beneficium cedendarum actionum non videtur omnino necessarium, ratio est, quia fidejussori solventi pro principali à jure jam competit actio mandati, vel negotiorum gestorum; siquidem fidejussor conventus, & qui in solidum solvit pro principali negotium gessit ejusdem, proinde ex hoc titulo potest ipsum convenire: nihilominus hoc beneficium actionum cedendarum est plerumq; maximè utile, quia creditor ob constituta pignora ordinariè pinguiorem habet actionem, quàm sit actio mandati, vel negotiorum gestorum.

10 An verò cessio actionum peti, & fieri possit, post solutionem debiti, videtur dubium, quia obligatio expirat solutione debiti, ut etiam actio *princ. instit. quibus modis tollitur obligatio. & l. pen. ff. de solut.* Tum quia, quod non est ampliùs in rerum natura, ac esse desiit, non potest cedi, cessio enim supponit rem, quam quis cedit, & quod non supponitur, non ceditur, sicut non entis non sunt qualitates. Nihilominus, quia per solutionem tantùm expirat actio, quæ competebat creditori contra fidejussorem, ideo principalis debitor, qui non solvit, adhuc manet ipso jure obligatus, & per ipsum etiam reliqui fidejussores, qui non solverunt: unde cùm obligatio hæc adhuc maneat in principali debitore, ac cæteris confidejussoribus,

ribus, ideò probabile est, quòd etiam post solutionem factam ab uno fidejussore, competat eidem actio contra principalem, & reliquos fidejussores, si creditor eidem actionem illam cesserit. Tum quia posset creditor etiam post solutionem factam à fidejussore convento eidem restituere acceptum, & convenire principalem debitorem, vel etiam alios confidejussores: unde illa solutio non absolvit ab obligatione principalem debitorem, nec alios confidejussores, alioquin creditor non posset ipsos convenire, quia quod semel extinguitur non amplùs reviviscit.

11 Ultimum beneficium conservans indemnem fidejussorem est ipsa liberatio: dantur enim certi casus, in quibus fidejussor potest agere contra principalem debitorem, ut se à fidejussione liberet, solvendo nimirum creditori; vel alium idoneum fideiussorem, vel pignora substituendo. Si enim principalis debitor nimis diu permanserit in sua obligatione non satisfaciendo creditori; ne continuum, vel perpetuum sit fideiussoris periculum, potest debitorem principalem convenire, ut vel ipsum liberet à fideiussione, vel satisfaciat creditori: quòd si petatur quantum temporis requiratur, ut obligatio in creditore censeatur nimis diu permanere; respondent communiter, esse spatium decem annorum, vel prout prudens judex consultiùs arbitrabitur.

12 Rursus potest etiam actione liberationis fideiussor agere contra principalem debitorem, si is incipiat bona sua prodigere, ac dilapidare, ac ad inopiam vergere; tunc enim ne fideiussor locò beneficii præstiti damnum patiatur; potest agere, ut liberetur à fideiussione. Ponitur etiam alius casus, si fideiussor forsan prætermisso beneficio ordinis condemnatus fuerit. Habetur hic casus *in c. fin. h. t. & in l. hujus. 38. §. fin. ff. mandat.* Solet etiam addi alius casus, nimirum si fideiussio tantùm ad certum tempus facta fuerit, & interim fideiussor sit peregrè profecturus, diúque abesse necesse sit. Alios etiam casus tradunt Gaillus *lib. 2. obser. 29.* Harprecht. *in §. fi quid authent. ut. num. 7. instit. h. t.* Hering. *tract. de fideiuss. c. 25. & 30. num. 64.* ubi etiam exhibet formulam hujus actionis.

13 Quæri solet, an fideiussor priusquam solverit, possit convenire debitorem, ut vel eum liberet à fideiussione, vel pecuniam tradat pro eadem. Navarrus *c. 17. num. 185.* Covarruvias *lib. 3. variar. c. 2. num. 6.* & alii docent, posse fideiussorem licitè pecuniam accipere pro fideiussione, eò quia sit quoddam onus, & obligatio, quam in se suscipit fideiussor, ac est pretio æstimabilis: non enim fideiussor tenetur hanc obligationem gratis suscipere, & si eam gratis susceperit, non tamen tenetur eam diutiùs sustinere: proinde pro hoc onere, quod in se suscipit, quod certè est pretio æstimabile, potest fideiussor aliquid exigere à principali debitore.

14 Immo dicunt id procedere quamvis fideiussor nullum inde patiatur periculum, nec molestias, nec ullum subeat laborem. Imò etiam ipse creditor potest aliquid accipere à fideiussore, si velit se eximere ab obligatione fideiussionis: siquidem fideiussio est pretio æstimabilis non solùm ratione obligationis, verùm etiam ratione periculi, cui creditor se exponit, amittendi creditum, ut notat Covarruvias *lib. 3. variar. c. 2. num. 6.*

15 Cæterum debitor non solùm tenetur restituere debitum, quod fideiussor pro ipso solvit, sed etiam expensas, & damna, quæ passus est, dummodo culpa debitoris intercesserit: quòd si nulla debitoris culpa intercesserit, sed ob solam impotentiam non solvit, obligatur tunc ad solam restitutionem debiti principalis, non ad expensas, & damna fideiussoris, quia tunc debitor non est causa voluntaria non soluti debiti, sed eius impotentia, proinde non adest in ipso radix restitutionis, ob quam debeat obligari ad restitutionem.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an fideiussor, qui se in plus obligavit, quàm principalis debitor, teneatur totum solvere, vel tantùm id, ad quod tenetur principalis debitor? Certum est, fideiussorem debere esse paris, vel saltem non deterioris conditionis cum principali debitore: proinde licèt in æqualem quantitatem, vel minorem, vel etiam arctiùs possit se obligare, quàm obligetur principalis debitor, ut cùm intervenit pro naturaliter tantùm obligato, quo casu non solùm naturaliter, sed etiam civiliter, at proinde arctiùs obligatur: non tamen potest se obligare in majorem quantitatem, vel in plus quàm debeat principalis debitor. Quòd si in plus se obligaverit, ut si principalis debitor teneatur solvere centum aureos, & fideiussor se obligaverit ad 200. quæritur tunc quid juris, an tota fideiussio corruat, vel tantùm secundùm excessum, adeo ut fideiussor maneat obligatus ad solvendum illos centum aureos, ad quos obligatur debitor principalis.

2 Sunt, qui censent, fideiussionem tunc corruere in totum *argum. l. græcè §. illud ff. h. t.* ubi dicitur, fideiussores in duriorem cautam adhibitos omnino non obligari. Sed communior, ac verior sententia est, fideiussionem non corruere nisi secundùm excessum, adeo ut fideiussor teneatur ad solutionem illorum centum in defectu principalis debitoris, ut tradit Zoësius *ff. h. t. num. 9.* siquidem utile per inutile non vitiatur in his, quæ divisionem, vel separationem admittunt, & quia ex 200. aureis, ad quos se obligavit fideiussor, possunt separari centum aurei, ideo excessus habetur pro non adjecto, & fideiussor non obligatur in plus, quàm principalis debitor. Hoc idem etiam procedit in stipulationibus *l. 1. §. si stipulanti. ff. de verb. oblig.* ratio itidem est, quia summa minor includitur in majore, proinde promittens majorem, censetur etiam promisisse minorem petitam, si enim consensit in plus, à fortiori etiam in minus contentum in illo.

3 Neque obstat *argum. l. græcè*, quia ibi dicitur

citur, omnino non obligari, scilicet per omnia, hoc est, non obligari quoad totum: hinc aliqui dicunt, *non omnino obligari* præponendo particulam negativam ad indicandum, quòd non teneatur ad totum, sed tantùm ad eam partem, ad quam debitor principalis obligatur. Quòd si retineatur vulgata lectio, ea intelligi debet juxta alias leges, nimirum ut dicatur omnino non obligari, scilicet nullo modo in plus, quàm debeat debitor principalis. Quòd si quis fidejusserit purè, & absolutè pro obligato; adeo ut non possit fieri separatio, & solùm se obligaverit sub conditione; is nullo modo tenetur, quia obligatio pura non inest conditionali, sicut summa minor majori: unde non est par ratio, cum in obligatione pura non insit conditio, sicut in summa majori inest minor.

4 Quæritur secundò, an si fideiussor juramento se obligaverit ad plus solvendum, quàm principalis debitor teneatur, debeat vi juramenti præstiti solvere etiam ipsum excessum? Censent plures, teneri ad solvendum etiam excessum, & nituntur ea ratione, quia quodlibet juramentum servandum est, si absque dispendio æternæ salutis, seu sine peccato jurantis servari possit: si enim quis juraret, velle occidere suum inimicum, tunc juramentum non esset servandum, quia sine homicidio, seu peccato, ac dispendio salutis æternæ non posset servari: si quis autem juravit velle se abstinere à lusu, quia absque peccato potest quis cessare à ludo, juramentum impleri debet: & in casu nostro adnectitur juramentum fideiussioni, quæ absque detrimento salutis æternæ servari potest, proinde teneretur fideiussor etiam excessum juratum solvere: quia potest quilibet liberè se obligare ad dandum plus, quàm aliàs deberet. Nihilominus Zoësius *ff. h. t. num.* 12. & alii censent, fideiussorem non obstante juramento non teneri solvere excessum, quia juramentum sequitur naturam actûs, cui apponitur, eámque non mutat, nec alterat *l. fin. de non numer. pecun.*

5 Hoc autem procedit de fideiussore, quatenus fideiussor simpliciter est, alioquin si quis scienter juraret, se daturum summam excedentem debitum principale, utique teneretur ad solvendum totum, non ut fideiussor, sed ut promissor principalis quoad excessum: siquidem juramentum est sufficiens argumentum enixæ voluntatis *l. cum patet 77. §. filius. ff. de legat.* 2. Verùm prior sententia est tutior, & in praxim deducenda, si enim fideiussor simpliciter, & absolutè juraverit fideiussionem pro centum aureis, tametsi debitor principalis non teneatur solvere nisi 50. adhuc in defectu debitoris deberet fideiussor monere creditorem, quòd ipse solvit quidem centum aureos, ut adimpleat suum juramentum, sed quod creditor teneatur 50. restituere, eò quia illi minimè debeantur, cùm debitor principalis tantùm teneatur ad solutionem 50. & ipse det centum.

6 Quæritur tertiò, an fideiussor, qui se obligavit pro principali debitore teneatur etiam ad accessiones? Respondetur cum distinctione; vel enim se obligavit cum clausula amplissima; seu quòd promiserit se responsurum in omnem causam, & eventum pro debitore principali; & tunc tenetur præstare accessiones, seu damnum emergens, & lucrum cessans creditori in defectum debitoris, si fuerit in culpabili mora solvendi, ut desumitur *ex l. quare 54. ff. locati, l. fideiussor 1. l. h. t.* Glos. *hic V. accessiones.* si verò non fideiusserit cum illa clausula amplissima, sed pro sola summa capitali; tunc non tenetur ad accessiones; quia obligatio non plus se extendit, quàm fideiussio; & cum non fideiusserit pro censibus, & usuris, non tenetur ad has accessiones, ut tradit Hostiensis *hic V. accessiones.* Juvat observare, quòd non semper id, quod accedit sorti est usura: quia potest esse interesse, & tunc non solùm debitor, sed etiam in defectum illius, fideiussor illud præstare debet, & potest ab eo peti, etiam juxta canones, ut tradit Imola *in c. constitutus 3. h. t.*

7 Quæritur quartò, quotupliciter possit fideiussor se obligare? Respondetur dupliciter, primò tanquam principalis debitor, adeout ex æquo fideiussor, & principalis debitor sint obligati: & tunc creditor potest si velit, primo loco debitum exigere à fideiussore irrequisito principali debitore. Secundò potest fideiussor se obligare, non ex æquo ut principalis debitor, sed solùm ut teneatur debitum solvere in defectu principalis debitoris, scilicet si hic non solverit. Jure veteri optio dabatur creditori conveniendi, quem ipsi magis liberet fideiussorem, vel principalem debitorem *l. jure nostro, & l. non rectè C. de fideius.* Postea jure novo correctum fuit hac in parte jus vetus, & statutum, ut creditor non possit convenire primò nisi principalem debitorem, quando hic est præsens; & habet sufficientia bona, quibus possit creditori satisfacere. Quòd si debitor principalis absit, vel non possit solvere in totum, vel in partem; tunc in subsidium convenitur fideiussor *authent. præsente C. de fideiussoribus.* Sin verò fideiussor petierit tempus, ut præsentet principalem debitorem in iudicio, & primò conveniatur reus, tunc conceditur ei tempus à iudice, intra quod præsentet reum, seu principalem debitorem; quo elapso compellitur ipse fideiussor satisfacere, & illi conceduntur actiones à creditore contra principalem debitorem. Hodie tamen fideiussores solent communiter renuntiare huic iuri *authent. hoc ita C. de duobus reis stipul.* & renuntiant constitutioni, quæ incipit *divi Adriani C. de constituta pecunia.* Hinc fideiussor ex natura contractûs se habet ex parte debitoris, quia se obligat ad satisfaciendum creditori pro debitore.

8 Quæritur quintò, an quando contractus est irritus, quo principalis debitor se obligavit creditori, etiam tunc fideiussor maneat obligatus? ut pupillus, vel minorennis sine authoritate tutoris, vel curatoris emit à Paulo mercatore pecuniâ creditâ merces, & pro emptore Franciscus fideiussit, an teneatur tunc Franciscus solvere pro pupillo, vel minorenne; cum contractus emptionis sine authoritate tutoris, vel curatoris supponatur invalidus? Respondetur, interdum quando obligatio principalis debito-

debitoris est nulla, etiam illam fideiussoris esse ipso iure invalidam ; idque procedit quando fideiussor rogatus fidem suam obstrinxit: quòd si fideiussor creditorem deceperit, asserendo principalem debitorem posse solvere, ac satisfacere, tunc obligatur fideiussor ad resarciendum damnum, quod creditor passus est : sin verò creditor noverit principalem debitorem esse sub alterius potestate constitutum, & nihilominus suas illi merces concredidit, tunc fideiussor non contrahit obligationem satisfaciendi ; quia creditor debet sibi imputare, si quid damni inde passus est, cum sciverit pupillum, vel minorennem esse sub alterius potestate. Sin autem pecunia mutuata pupillo, vel minorenni, vel merces vendita conversa sit in bonum pupilli, vel minorennis, tunc creditor servari debet indemnis, ut desumitur *ex c. quod quibusdam 4. h. t.* ubi Innocentius IV. statuit, ut nullus religiosus absque sui Abbatis, vel majoris partis capituli licentia possit fideiubere pro alio, nec accipere mutuam pecuniam ultra summam à capitulo constitutam: alioquin non tenetur conventus pro religioso respondere, nisi manifestè constet, quòd pecunia fuit conversa in utilitatem ipsius domus: & creditor licèt non possit in iudicio agere ex contractu fideiussionis, aget tamen actione de in rem verso *l. si pro parte ff. de in rem verso.*

Quæritur sextò, an ex virtute charitatis 9 teneamur pro proximo fideiubere. Certum est lege canonica, aut civili neminem teneri pro alio fideiubere; quia hæc obligatio nullibi in jure reperitur. Unde oritur difficultas, an ex præcepto charitatis teneamur fideiubere Abbas *dis. 16. quæst. 2. num. 2. V. quintus casus.* Archidiaconus *in cap. sicut num. 2. q. 1.* Romanus *in l. non solùm ff. de non oper.* & alii censent, obligationem fideiubendi oriri ex naturali lege charitatis. Verùm hæc opinio sic universaliter sumpta non videtur consona veritati: quinimo Angel. *in l. in personam §. non solum ff. de pactis* Alexander *in l. si constante n. 14. ff. soluto matrimonio* & alii reprehendunt fideiussores, ut malè utentes propriis bonis, & potiùs dissipantes res suas; unde potiùs adversatur charitati in se ipsos exercendæ.

Respondetur igitur exactiùs, fideiussionem 10 non cadere sub præceptum charitatis, nisi quatenus est quædam subventio proximi: ratio est, quia non tenetur quis impendere sua propria bona in beneficium alterius, nisi agatur de subventione ipsius: & cum per fideiussionem se obliget fideiussor impendere propria bona in beneficium alterius, non potest ad id obligari, nisi quando agitur de proximo subveniendo. Hinc obligatio ad fideiubendum mensurari debet juxta mensuram, quâ mensuratur obligatio subveniendi proximo; & hæc obligatio non obligat, nisi quando proximus est constitutus in extrema, vel saltem gravi necessitate: hinc ex præcepto charitatis nemo tenetur pro alio fideiubere, nisi viderit proximum suum in extrema, vel gravi necessitate; adeout summè indigeat tali fideiussione. Præterea ut quis teneatur ad fideiubendum, non debet alius adesse, qui possit, & velit fideiubendo succurrere proximo constituto in gravi illa necessitate.

Quæritur septimò, an fideiussor, si securus 11 sit de sua indemnitate, possit aliquid accipere pro actu fideiubendi. Certum est ratione periculi, in quod se fideiussor injicit, solvendi id, pro quo fideiubet, si principalis debitor deficiat, nolitque suo creditori satisfacere; aliquid posse pro sua fideiussione accipere: quia fideiussor subjicit creditori non solùm propria bona; sed etiam propriam personam, quæ à creditore in defectu principalis debitoris potest conveniri; hinc ratione hujus periculi, quod in se suscipit; & ratione obligationis, quâ se & propria bona obligat creditori, potest pro fideiussione aliquid accipere; quia se, & propria bona alteri obligare est aliquid pretio æstimabile.

Sed difficultas est, an quando nullum adest 12 periculum; & fideiussor securus est de propria indemnitate, possit adhuc aliquid accipere pro sua fideiussione, quia tunc cum nullum immineat periculum; non apparet, quo titulo possit fideiussor aliquid accipere: hinc Gutierez *lib. 1. practic. c. 142. num. 4.* & plures juris interpretes *in l. periculi pretium ff. de nautico fœdere* docent, fideiussorem securum de sua indemnitate non posse pro sua fideiussione quidquam accipere; quia tunc cessat causa aliquid accipiendi.

Nihilominus adhuc posse fideiussorem se- 13 curum de sua indemnitate nulla habita ratione periculi, aliquid accipere pro sua fideiussione est probabile: quia fideiubere ex se præcisè est aliquid pretio æstimabile, quia semper obligat propriam personam, & sua bona; alioquin non esset fideiussio; hæc autem obligatio est aliquid positivum, ac pretio æstimabile. Quantum verò possit accipere, id dependet ex qualitate fideiussionis, & concurrentibus circumstantiis: consideranda enim est res, pro qua quis fideiubet, tempus pro quo se, & sua bona obligat, periculum quod potest imminere; ratione harum circumstantiarum potest obligatio pluris, vel minoris æstimari.

Quæritur octavò, an qui cum juramento 14 promisit fideiubere pro alio, si principalis debitor postea decidat è pingui sua fortuna, fiátque impotens ad satisfaciendum suo creditori, teneatur promissarius stare suæ promissioni, ac fideiubere? Respondetur cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 110. art. 3. ad 5.* ratione mutationis statûs non teneri fideiubere non obstante juramento; & ita docent fere communiter canonistæ Castrens. *in l. fin. ff. qui satisdare cog.* Hering. *de fideiuss. c. 19. num. 121.* Clarus *lib. 5. recept. sent. §. fin. V. perjurium.* Alciatus *in c. si contingat num. 38. de jurejur.* siquidem juramentum tunc habet in se tacitam conditionem, si justa non intervenerit causa non standi promisso *l. fin. ff. qui satisdare cog. l. si convenerit ff. pro socio. l. quod servis ff. de condit. ob caus.* sed actus non operatur ultra intentionem agentis *l. obligationum substantia ff. de actionibus, & oblig. l. non omnis ff. si cert. petit. l. in traditionibus ff. de pactis.* Actus enim fundatur in

voluntate agentis, ut notat Gloſſa *in l. ſi filia C. de donat. ante nupt.* Menochius *lib. 1. de præſumpt. ſo. num.* 11. unde nequit actus extendi ultra id, quod eſt in intentione agentis; & quia agens reſpicit tantùm præſentem rerum ſtatum; futurus enim, cùm ſit ignot9, non cadit ſub conſideratione; ideo juramentum obligat tantùm rebus ſic ſtantibus; niſi promiſiſſet, ſe fideiuſſurum pro quocunque eventu in principali debitore, quia tunc agens reſpiceret etiam ſtatum futurum, & teneretur ſervare juramentum.

15 Quòd ſi non promiſerit pro quocunque eventu; ſupponitur promiſiſſe tantùm juxta præſentem rerum ſtatum; & ſi aliud non contigerit: & quando principalis debitor fit impotens ad ſolvendum, tunc habetur talis mutatio, ut ſecum trahat cauſam juſtam, ob quam fideiuſſor poſſit recedere à promiſſione etiam juramento firmata; ſiquidem talis mutatio variat ſecundùm ſubſtantiam rem promiſſam, proinde etiam obligationem ſuſcipiendam à fideiuſſore: quia hic tantùm promittit conditionatè, ſi principalis debitor manens in ſtatu, & fortuna, in qua de præſenti reperitur, non ſolverit: unde ſi teneretur ſtare promiſſioni fieret tranſitus de fideiuſſione conditionatè præſtanda, ad abſolutam, quam promiſſarius non intendebat: conditionatum autem, & abſolutum differunt eſſentialiter, & quoad ſubſtantiam; quia conditio ita detinet rem in ſuſpenſo, ut quamdiu illa non purificatur, res non obtineat ſuam ſubſtantiam *l. pecuniam quam ff. ſi cert. petit.* Tum quia quæ de novo contingunt, novo indigent remedio, & conſilio *l. de ætate §. ex cauſa ff. de interrog. act. & l. jure decedens ff. de inoffic. teſtam. & c. fin. de in integr. reſtit.* unde qui juramento promiſit fideiubere pro eo, qui poſtea mutavit ſtatum, & factus eſt impotens ad ſolvendum; indiget novo conſilio; proinde promiſſio facta non cadit ſub præcedentem deliberationem de fideiubendo pro tempore, quo erat potens; alioquin non indigeret novo conſilio ad deliberandum.

16 Quæritur nonò, an qui juravit nolle fideiubere, idque ſub certa pœna pecuniaria ſolvenda alteri, teneatur eam ſolvere, ſi fideiubeat? Reſpondetur, tale juramentum eſſe irritum, eò quia opponitur præcepto charitatis: poſſet enim contingere, quòd proximus eſſet conſtitutus in extrema, vel gravi neceſſitate, & indigeret tali fideiuſſione; in quo caſu, ſi alius non fideiuberet, delinqueret contra præceptum charitatis ſubveniendi proximo in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituto: unde cum juramentum non poſſit ſervari ſine diſpendio animæ, non obligat, quia nemo poteſt obligari ad peccandum; cum igitur juramentum ſit irritum, nequit inducere obligationem ad abſtinendum à fideiuſſione; conſequenter neque ad ſubeundam pœnam, ſi fideiubeatur: quia pœna eſt effectus tranſgreſſionis obligationis ſibi impoſitæ: & deficiente cauſa ceſſat effectus *l. cum re C. de pactis int. empt. l. general. C. de epiſcop. & cler. c. magna de voto c. cum ceſſante de appellat.* Quòd ſi proximus non eſſet in extrema neceſſitate conſtitutus, & nihilominus indigeret fideiuſſione; & hæc tunc eſſet actus miſericordiæ, vel alterius virtutis, adhuc juramentum eſſet irritum, & non induceret obligationem; proinde fideiubens non teneretur pœnam ſubire: juramentum enim, quod opponitur exercitio virtutis, eſt irritum; quia non poteſt quis ſe obligare ad non exercendos actus virtutis; eſſet enim talis obligatio contra inclinationem naturæ rationalis, quæ naturaliter eſt inclinata ad virtutum exercitia.

17 Neque Deus tales acceptat obligationes, cum ſint contra conſilium ſuum. Id etiam procedit tametſi moveatur quis ad jureiurandum, ne fideiubendo damnum patiatur: quia fideiuſſio ex natura ſua eſt actus, ſeu contractus læſivus *l. 1. C. de fil. fammil. & l. ait Prætor. §. 1. ff. de minor.* Socin. *Conſil. 41. num. 2. lib. 4.* proinde poteſt quis ad declinandum tale damnum moveri ad jurandum ſe non fideiuſſurum pro alio: in quo caſu adhuc juramentum eſſet irritum; & nemo tenetur ad pœnam ſibi impoſitam. Ratio eſt, quia juramentum de fideiubendo comprehendit non ſolùm materiam licitam; ſed etiam illicitam per modum unius: licèt fideiubere malum ſit, quando fit irrationabiliter; aliquando tamen eſt actus virtutis, & conſilii; & nonnunquam etiam cadit ſub præcepto charitatis; quando autem materia eſt partim licita, & partim illicita, juramentum non tenet, quia vitiatur tota materia ratione partis. Valeret tamen juramentum, ſi reſpiceret tantùm fideiuſſionem irrationabilem ex quocunque capite, ut ſi fideiuſſio eſſet occaſio alicujus peccati; quia tunc juramentum abſtinendi à tali fideiuſſione haberet materiam honeſtam, quia ordinaretur ad vitandum peccatum: in quo caſu jurans ſubjiceretur pœnæ ſibi impoſitæ, cùm juravit non agere contra fidejuſſionem.

18 Quæritur decimò, quibus modis extinguatur fideiuſſio? Reſpondetur extingui iisdem modis, quibus ceſſat ſtipulatio, vel contractus principalis: idque multipliciter poteſt contingere. Primò per integram debiti ſolutionem. Secundò per novationem, ſeu tranſlationem prioris debiti in aliam obligationem: eſt enim novatio in iure prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem tranſfuſio, vel tranſlatio; fitque cum ſtipulatione, vel per litis conteſtationem, ut cum pro ſuo debitore convento ſe ſe offert Titius, & litem mecum conteſtatur *l. delegati ff. de novat. l. ſolutionem ff. de ſolut.* Tertiò per actionis confuſionem, ut ſi creditor ſuccedat principali debitori, quia extincta acceſſoria obligatione fit ipſe debitor principalis; vel è contra ſi debitor ſuccedat fidejuſſori.

TITU-

TITULUS XXIII.
De solutionibus.

HActenus dictum est de contractibus, & quasi contractibus, déque eorundem cautionibus, quæ sunt satisdationes pro solvendis debitis, quæ contrahuntur ratione, ac virtute initi contractus; Prius contractus celebrantur, postea debitis cautionibus, pignoribus, ac fidejussoribus firmantur, & demum solvuntur: hinc recto nunc ordine agitur de solutionibus, quæ fiunt post contractus initos, & cautionibus firmatos.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Quatuor capitum in hoc titulo contentorum.

C. AD HOC 1. *h. t. Alexander III. declarat, successorem in beneficio teneri solvere debita sui prædecessoris, si contracta fuerint pro necessitate Ecclesiæ, & subjecit exemplum de filio, qui tenetur solvere debita patris, si tamen filius, ut notat Glossa, sit hæres: quòd si debita sint ex delicto, vel quasi delicto non tenetur filius solvere debita patris, nisi aliquid ad eum pervenerit, vel nisi cum defuncto lis fuerit contestata. Verùm de iure canonico tenetur etiam ex delicto* c. ult. de sepult. *immo si filius non fecit inventarium, tenetur ad omnia debita, sin verò fecit, tenetur solùm solvere prò viribus hæreditatis. Hinc hæres, & successor in beneficio conveniunt, quod sicut hæres succedit in universum ius defuncti* l. hæreditas de hæred. pet. *ita Prælatus succedit in universum ius Ecclesiæ. Differunt verò, quia hæres consequitur ius à defuncto, & successor in beneficio à solo superiore, à quo habet institutionem. Tum quia hæres tenetur solvere omnia debita defuncti qualitercunque contracta, & successor in beneficio, ea tantùm, quæ fuerunt contracta ob utilitatem Ecclesiæ.*

C. SI QUORUNDAM 2. *h. t. Gregorius IX. prohibet, ne quis Ecclesiam sibi concreditam gravet pro alienis debitis, & si id faciat, sit suspensus ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, & obligatio non tenet. Et id etiam procedit, si det litteras cum suo sigillo, quibus Ecclesia de facto obligetur, licèt non de iure. Et textus etiam procedit, quando Ecclesia est commissa in titulum beneficii, seu est commendata. Notat Glossa, talem esse suspensum, & de facto removendum, quamvis aliunde reddat Ecclesiam indemnem.*

C. ODOARDUS 3. *h. t. rescribit Idem Pont. Clericum, qui ob inopiam non potest debitum solvere, non esse excommunicandum, sed tantùm teneri dare cautionem de solvendo cùm primùm poterit, hinc notat Glossa, quòd si constet de impossibilitate debitoris, vel quod cesserit bonis, sententia excommunicationis non tenet, & judex tenetur ad interesse. Quòd si clericus non possit præstare cautionem pignoratitiam, vel fidejussiones, debet tunc jurare: nec cessio bonorum liberat ab obligatione, si postea venerit ad pinguiorem fortunam, sed tantùm id operatur, ne interim molestetur in persona.*

C. IS QUI 4. *& ult. h. t. rescribit idem Pont. quòd si quis dicat indebitè se solvisse, teneatur id probare, sed si adversarius solutionem neget, & convincatur accepisse, incumbat ei onus probandi, quòd debitè acceperit: ubi notandum est solventem pecuniam semper præsumi ex debita causa solvere, quia nemo præsumitur velle gratis suum dare alteri* l. cum de indebito ff. de præb. *hinc licèt ab initio asserens debitum incumbat id probare* l. 1. c. de probat. *post factam solutionem præsumitur solvisse ex debita causa. Rursus licèt Actor debeat probare, se indebitè solvisse: si tamen sit persona privilegiata, ut pupillus, vel minor, vel miles agricultor, & simplicitate gaudens, tenetur reus probare, quod debitè accepit. Cæterum quando præsumptio est contra reum, onus probandi transfertur in ipsum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit solutio, & quotuplex, & quomodo privilegium competentiæ conveniat clericis.

SOlutio dupliciter sumi potest laxè, vel propriè; priori modo accipitur pro quacunque liberatione à debito, seu satisfactione quocunq; modo data creditori; adeout hic nequeat quidquam ulterius exigere ab eo, qui erat debitor *l. solutionis* 54. *ff. de solutionibus. l. liberationi* 47. *l. solutionis* 176. *ff. de V. S.* solutio strictè, ac propriè sumpta est naturalis præstatio, seu rèddito ejus, quod debetur *l. solutam* 49. *& l. penul. ff. h. t.* in præsenti sumitur laxè pro

omni liberatione à debito quocunque modò contingat, ut creditori satisfiat, sive ipso jure, veluti solutione propriè dicta, sive novatione, vel transactione, aut confessione; sive ope exceptionis, veluti pacto de non petendo; dummodo debitor liberetur ab onere satisfaciendi suo creditori. Solutio specialis sita in naturali præstatione illius, quod debetur; est totius rei debitæ idonea satisfactio præstita creditori per debitorem justo loco, & tempore. Debitor itidem hic sumitur laxè, quatenus comprehendit non solùm principalem debitorem, sed etiam fideiussorem, & hæredem; illum quia sponte ad obligationem accedit; hunc quia succedit in jus defuncti *l. fin. §. fin verò ff. de iure liberandi. l. haredem 59. l. hereditas 61. ff. de R. J.* æquum enim est, ac rationi consentaneum, ut ad quem devenerint bona defuncti, onera itidem ejusdem unà cum bonis ad hæredem transeant; ne creditoribus defuncti damna inferantur *l. secundùm naturam 10. ff. eod. tit.*

2 Hoc tamen interest discriminis inter debitorem clericum, & laicum: quia licèt cuique debitori, sive ecclesiastico, sive sæculari convenist, quæ contraxerat debita solvere; & ad id uterque teneatur; speciali tamen privilegio juris muniuntur clerici, quia ob contracta debita non possunt detrudi in carcerem, neque anathemate percuti, si bonis careant, quibus satisfaciant: tunc enim illis indulgetur, ut tantùm caveant, ac spondeant se solvturos, si contigerit, eos ad pinguiorem promotum iri fortunam. Hoc autem singulare est in iure canonico; & per argumentum probari solet *ex cap olim 16. de restit. spoliat. cap. 2. de fideius.* ubi clericus qui inopiâ laborabat ob contracta debita non percutitur anathemate; desumitur *ex c. Odoardus 3. h. t.* ubi expressè dicitur, quod clericus, qui propter inopiam non potest solvere debita non sit excommunicandus; sed debeat dare cautionem de solvendo, quando poterit.

3 Hinc clericus ob debita civilia, si ea ob inopiam solvere non possit in totum, vel pro parte, non debet anathemate percuti, neque in carcerem detrudi, neque alio modo molestiis affici; immo neque potest compelli ad cessionem bonorum; neque conveniri à suis creditoribus, nisi in quantum potest creditori satisfacere, deductis alimentis, ne indigeat; & ne cogatur ex turpi quæstu vivere, aut contra decorem status clericalis emendicare; dummodo idoneam præstet cautionem, quòd si ad pinguiorem devenerit fortunam, velit solvere; ita docent omnes canonistæ *in d. c. Odoardus 3. h. t.* ubi hoc beneficium, quo gaudent clerici, vocant privilegium competentiæ.

4 Ratio est, quia hoc privilegio gaudent milites, eò quia sint de republica benemeriti *l. miles 6. l. item miles 18. ff. de re iudicata. l. si castrensi 1. ff. de castrensi pecul.* sed clerici sunt milites cælestis militiæ de republica benemeriti, cum sint ministri publici *cap. dilecto. cap. cum secundùm de prabendis c. 1. de clerico agrotante. c. salvator circa medium 1. q. 3. cap. militare 23. q. 1. c. reprehensibile*; ubi habetur: *cum militum Christi sit Christo servire; militum verò se-culi saculo*; hinc D. Augustinus epist. 70. ad Bonifacium comitem ait: *In silentio pugnant milites Christi, non ut occidant homines; sed ut expugnent principes, & potestates, & spiritualia nequitia*: ergo eodem privilegio competentiæ quo gaudent milites terrenæ militiæ, à fortiori frui debent milites Christi; quia ut post Evardum, & alios docuit Mancinus *sacri iuris controver. dissert. 22.* clerici gaudent omnibus privilegiis militaribus; dummodo eorum statui conveniant.

Tum quia inanis est actio, quam inopis 5
debitoris excludit. *l. nam is 6. ff. de dolo c. olim 16. de restit. spoliator.* Qui nihil habet nihil dare potest Glossa *hic V. Valentem.* Tum quia alioquin compellerentur clerici mendicare in opprobrium totius status clericalis *c. Diaconi 93. dist.* unde Concilium Trident. statuit, ne clericus absque beneficio, vel competenti patrimonio ordinaretur *sess. 21. de Reform. c. 2.* & id ita strictè procedit, ut ordinatus nequeat patrimonium, ad cujus titulum ordinatus fuerat ullo modo distrahere; si aliunde non habeat: unde possit congruè sustentari. Hinc ne unâ viâ admittatur, quod aliâ prohibetur contra textum *in l. oratio ff. de spons. cap. cum quid de reg. iur. lib. 6.* meritò statutum est, clericum pro debito civili non esse in carcerem detrudendum, nec cogendum bonis cedere; sed competere illi privilegium, ne conveniatur ultra quàm solvere possit.

Hoc igitur privilegium competentiæ in eo 6
consistit, ne quis conveniatur ultra quàm facere potest; adeout personæ, quibus competit, non in solidum pro executione iudicati bonorum vendicationem sustineant; sed dumtaxat quantum facere possunt; seu quatenus facultates patiuntur relictis alimentis *l. inter 19. ff. de re iudic. l. in condemnatione 173. ff. R. J. §. item de donat. instit. de act.* neque in carcerem detruduntur, etiam si solido solvendo bona non sufficient. Barbosa *in l. maritis 3. n. 2. ff. solut. matrim.* Imò illis relinquenda sunt, quæ sufficiunt ad alimenta *l. inter 19. in fin. l. cum ex causa 30.* non verò deducto ære alieno, quo gravantur *l. sunt qui 16. de re iudic. l. si filio 58. ff. solut. matrim.*

Excipi tamen solet donator, qui deducere 7
potest æs alienum, quod aliis non ex eadem donationis causa debet *l. inter. 19. l. qui ex donatione 12. ff. de donat.* Personæ, quæ gaudent hoc privilegio competentiæ ad sex solent classes reduci. Prima est earum personarum, quas summa sanguinis conjunctio simul copulat; cujusmodi sunt parentes, liberi, fratres: de prioribus, habetur textus *in l. sunt, qui 16. l. cum ex causa 30. ff. de re judic. l. licet 7. §. sed si quis ff. de obsequiis.* Pro fratribus deducitur argumentum *ex l. verùm 63. ff. pro socio l. patronus 17. ff. de re iudic.* Ratio est, quia hujusmodi personæ ob summam sanguinis necessitudinẽ debent sibi invicem alimenta suppeditare, & non solùm liberi parentibus, & è contra *l. si quis à liberis 5. ff. de agnoscendis liberis l. ult. §. ipsum autem C de bonis quæ lib.* sed etiam fratres fratribus *l. qui filium 4. ff. ubi pupillus*: absurdum autem esset si li-

si liceret exigendo in solidum illos privari à suis parentibus, vel liberis, aut fratribus necessario alimento, ut probat Cuiacius *lib. 32. Pauli ad edict. in l. si unus 67. §. ult. ff. pro socio.*

8 Tum quia in parentibus urgent rationes reverentiæ, ac pietatis, eisque à filiis impendendæ: unde repugnat à filio patrem reduci ad extremam egestatem, vel carcerem propter exactionem solidi *l. licèt 7. l. liberto. 9. ff. de obsequiis parentibus.* Rursus quoad hoc privilegium perinde ac in aliis casibus nomine parentum comprehenduntur omnes ascendentes in infinitum *l. 4. §. parentum. ff. de in jus vocando*: pari pacto nomine liberorum intelligiuntur omnes descendentes *l. sed si hæc 10. §. liberos 9. ff. de in jus vocando.*

9 Ad secundam classem pertinent socii ob imaginem fraternitatis: quia sicut fratres sunt in communione bonorum, & ideo dicuntur consortes *l. si is qui tres 31. §. cæterum de excusat. tut. l. cum duabus 52. §. Papinianus. ff. pro socio*, Cuiacius *lib. 6. d. l. si is qui tres 31. §. cæterum, & lib. 5. observat. c. 10.* socii igitur perinde ac fratres propriè dicuntur consortes, ut notat Brissonius *V. consortes*: imò veteres consueverunt socios appellare fratres, ut liquet ex solemni formula renuntiandæ societatis, quam adfert Petronius *in Satyr. c. 10.* unde privilegium hoc competentiæ convenit in primis socio omnium bonorum, cum quo divisa est solida fraternitas, ut ait Quintilianus *declamat. 321. l. sunt qui 16. §. de re indic.* usus etiam obtinuit, ut socio unius tantùm rei, si ex ea societate conveniatur, competat hoc privilegium, siquidem limitatæ causæ effectus limitatus quidem est; sed similis intra suum modum universali *l. in agris 16. ff. de acquirendo dominio.* Neque obstat textus *in l. de illo 23. ff pro socio* ubi cùm unus ex pluribus sociis Titium ad societatem solus admisisset, & admissus solvendo non esset, teneatur, ut docet Ulpianus, ille qui Titium admisit, sociis satisfacere pro Titio, idque non solùm ut actiones suas mandet contra admissum; verùm etiam ut eos indemnes servet in id, quod à socio admisso solvi non potuit: etenim in illo textu concedit Ulpianus privilegium hoc socio admisso contra eos, qui non admiserunt, quorum socius non est, *l. qui admittitur 19. ff.* pro socio *l. consilii 47. §. ult. ff. de regul. jur.* & illud negat socio, qui admisit Titium contra socios, quorum utrumque absurdum videtur. Nam contra est, responderi enim solet, ideo socios, qui non admiserunt Titium, ab eo solidum non exigere, sed tantùm, quantum facere potest, quia cùm socii non sint ipsius Titii, proinde in eum non habeant actionem propriam, seu directam suo nomine, necesse est ut expediantur mandatis actionibus à socio, qui admisit, proinde eis obstabit, ut cessionariis exceptio hujus privilegii: quia obstaret mandanti, cujus jure, & actionibus ipsi utuntur *ex l. empter 5. C. de hæredit. l. si post divortium. 27. §. solut. matrim.*

10 Contrarium tamen contingeret, si ex delegatione admittentis alii experirentur contra Titium, quia uterentur tunc propria actione quæsita ex promissione, & consensu debitoris delegati *l. nec creditoris 6. C. de novat.* proinde non obstaret exceptio hujus privilegii. Secus socius, qui in præcitato textu admisit Titium, non fruitur hoc privilegio contra socios, sed in solidum illis tenetur in id, quod ab admisso servari non potuit; quia culpâ ipsius contigit, & quidem proximâ dolo; cum admiserit socium non idoneum sine aliorum consensu: proinde tenetur ad id, quod quasi dolo fecit in ipsa societate, & impedivit, quo minus solidum debitum possent socii consequi, & ob has rationes cessat tunc privilegium competentiæ in socio *l. verum 63. §. hoc quoque 7.* Barbosa *in l. maritum 12. num. 103. ff. solut. matrim.* Imò hoc privilegium denegatur etiam socio inficianti se socium esse *l. si unus 67. §. ult. ff. pro socio*, idque ob turpitudinem, & odium mendacii *l. de stat. 11. §. 3. ff. de interrogat.* siquidem indignus est privilegio, qui id ipsum negat, ratione cujus privilegium ei conceditur *l. auxilium 37 ff. de minor.* Sin verò socius, qui negavit, se socium esse, mendacium revocet ante litis contestationem, tunc non amittit privilegium competentiæ *ex l. quamvis 11. §. de in jus vocando.*

11 In tertia classe eorum, qui gaudent privilegio competentiæ comprehenduntur maritus, uxor, & socer; maritus enim in restitutione dotis tantùm condemnatur in id, quod facere potest. *l. patronus 17. l. maritum 12. ff. solut. matrim.* & ob eandem vitæ societatem competit hoc privilegium uxori si à marito conveniatur ex promissione dotis *l. ex diverso 17. §. 1. ff. solut. matrim.* sive etiam ex alio contractu *l. non tantùm 20. de re judic.* Neque obstat, quòd maritus non debeat tantam reverentiam uxori, sicut hæc marito, eò quia uxor subjiciatur marito, ut capiti: quia licèt id verum sit, tenetur tamen maritus debitum obsequium, & honorem præstare matrimonio *l. 2. in actione rer. amot. l. 1. §. si vir. ff. ad Syllanian.* & ob hanc rationem hoc privilegium fuisse etiam uxori concessum notat Osvvaldus *lib. 27. cap. 9.* Et ob eandem ferè rationem convenit privilegium competentiæ etiam socero utriusque conjugis, scilicet patri mariti, si soluto matrimonio pro dotis restitutione conveniatur: quia si marius in patris potestate sit, transit etiam in soceri familiam nurus *l. 1. §. si vir. ff. ad Syllanian.* sin autem maritus sit emancipatus, tunc quia uxor subjicitur potestati mariti, debet reverentiam socero, cui & maritus, quamvis emancipatus: naturaliter enim filius tenetur præstare patri debita obsequia, & quia socer nurui est loco parentis, ideo hoc privilegium convenit socero *l. rei judicata 15. §. ult.*

12 Quarta classis comprehendit patronum, & patronam, & eorum liberos, ut etiam donatores, & alios similes: siquidem patronus conventus à liberto non debet spoliari omnibus suis bonis ob libertum, cui patronus contulit beneficium inæstimabile libertatis, tunc enim beneficium collatum liberto à patrono esset compensandum, ne patronus propter libertum ad extremã reduceretur inopiã, esset enim contra virtutem gratitudinis *l. patronus 17. l. inter*

19. Ofvvaldus *lib. 27. c. 9. littera L.* Præterea competit hoc privilegium etiam donatori, qui ex liberalitate ſua inops factus eſt; ſi enim donatarius donatorem conveniat, non poteſt hic privari omnibus bonis, ſed ſolùm quatenus facere poteſt, ſeu prout facultates patiuntur relictis alimentis *l. Neſſenius 41. per tot. l. exheredatum 49. cum ſequent. ff. de re judic.* Pacius *sentur. 4. 4. 56.* Ad quintam claſſem ſpectant illæ perſonæ, quæ ob inopiam ſunt dignæ miſeratione, ut filius emancipatus, vel exhæredatus, & qui paterna hæreditate ſe abſtinuit, vel ex minima parte hæres fuit: tunc enim causâ cognitâ non damnatur in ſolidum ex geſtis cùm filius familias eſſet *l. exheredatum 49. ff. de re judic. l. 3. §. ſed utrum ff. de minor.* Excipiuntur tamen duo caſus, quorum primus eſt, ſi filius ex delicto, vel dolo conveniatur, quia tunc non gaudet privilegio competentiæ *l. 4. §. quamquam ff. quod cum eo*, ubi id refertur in actione mandati, quæ eſt bonæ fidei: ſiquidem in actionibus bonæ fidei id tantùm procedit, & idem admittitur in judiciis ſtricti juris *l. qui cùm ſe 10. de re judic.* Secundus ſi filiusfamilias, qui pecuniam quam mutuam erat accepturus ante numerationem ſpopondit, & poſtea emancipatus accepit, condemnatur in ſolidum, eò quia ſubſtantia obligationis expleta fuerit poſt emancipationem, cum tunc numeratio pecuniæ facta fuerit: non enim ſine illa ſtipulatio habet effectum, ideóque poſt emancipationem mutuum celebrari creditur *l. ſi ita 6. §. ult. ff. de novat.* Cuiacius *lib. 3 qq. Pauli in l. ergo 5.* Donellus *lib. 16. comment. c. 20.* Solet etiam in hac claſſe comprehendi is, qui bonis ſuis ceſſit, ſi poſt ceſſionem à prioribus creditoribus conveniatur *l. item 17. ff. de receptis §. ult. inſtit. de action. junctæ.* In ſexta demum claſſe comprehenduntur milites, & clerici: hi enim ſi non habeant, unde creditoribus ſatisfaciant ſi conveniantur, gaudent privilegio competentiæ, & in ſolidum pro executione judicati bonorum venditionem non ſuſtinent, ſed ſolùm quatenus facere poſſunt, ſeu quatenus facultates patiuntur relictis alimentis, imò clerici non debeant anathemate percuti, nec moleſtiis affici.

13 Videtur tamen in contrarium obſtare, quia abrogato legis decemviralis rigore in uſu perſeveravit venditio ſolemnis omnium bonorum debitoris, ut ex eorum pretio creditoribus in ſolidum debitum ſolveretur *princ. inſtit.* & ſi bona non ſufficiant, debitor publicus detinetur in carcere, donec in ſolidum ſolvat *l. 1. §. penult. vers. ult. C. qui bonis cedere l. ſi pro aliquo 21. §. 1. ff. ad Velleianum*: & carceris moleſtiam declinant debitores per bonorum ceſſionem introductam *l. Julia*, quæ ceſſio jure communi ſola profeſſione fiebat: ex conſtitutione tamen Pij V. clericis indulgetur, ut id deferre non cogantur, ſed tenentur ex vi juris in ſolidum ſolvere, proinde cedere omnia bona, ut creditoribus integrè ſatisfiat. Tum quia Eccleſia ipſa admittitur ad ceſſionem bonorum, ergo à fortiori ejus miniſtri.

14 Sed contra; quia licèt ſpectato juris rigore clericus compellendus eſſet ad ceſſionem bonorum, ut ita creditoribus ſatisfaceret, nihilominus virtute privilegii, non convenitur ultra, quàm facere poteſt, nec compellitur, prædictam ceſſionem facere, aut carceris moleſtiam pati. Quòd ſi clericus haberet beneficium, unde ſuſtentari congruè poſſet, & ſimul ſatisfacere creditoribus, tunc cogendus eſſet per ſubtractionem fructuum creditoribus ſatisfacere relictâ ſemper congruâ ſuſtentatione ipſi clerico. Ad aliud quod addebatur de Eccleſia, quæ admittitur ad ceſſionem bonorum, reſpondent aliqui, non competere Eccleſiæ tale privilegium, benè tamen ejus miniſtris, & aſſignant diſcrimen, quia Eccleſia eſt incorporalis, & non indiget neceſſariis ad ſuſtentationem, bene tamen ejus miniſtri, & clerici.

15 Cæterum Eccleſiam putârim non eſſe ſpoliandam omnibus ſuis bonis, ſi miniſtros habeat, quos teneatur alere, quia tunc debent clerici congruam habere ſuſtentationem ab ipſa Eccleſia, ſi hæc aliunde non poſſit iisdem providere. Hinc ſententia excommunicationis lata contra debitorem, qui notoriè non eſt ſolvendo ipſo jure eſt nulla, etiam in foro externo, quia excommunicari nemo poteſt, niſi ob inobedientiam, & contumaciam: atqui contumax in ſolutione debitor eſſe non poteſt, quando ſolvere non poteſt: ſiquidem ad impoſſibile non datur obligatio. Sin autem de inopia evidenter non conſtet, tunc propter dubium ſententia quidem tenet, ſed ſi veritas poſtea deprehendatur, quòd revera non poſſit ſolvere, relaxari debet.

16 Cæterum quòd clericus ob debitum civile non poſſit in carcerem detrudi, limitari ſolet, niſi dolosè ſe geſſerit, & creditorem deceperit, eò quia finxerit ſe laicum eſſe, vel quia bona ſua abſconderit, ne ex iis debitum ſolveretur: vel quia coram judice falsò negavit debitum: in hiſcè enim caſibus detrudi poſſet in carcere, non præcisè ob civile debitum, ſed propter crimen commiſſum, ut docet Molina *tract. 2. de juſtit. diſp. 571. num. 11.* Rurſus ſi clericus eſſet ſuſpectus de fuga, tunc authoritate judicis eccleſiaſtici poſſet per miniſtros laicos capi, & in carcerem detrudi, donec debitũ ſolveret, vel de eodem ſolvendo idoneam præſtaret cautionem, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 1. num. 9.* Barboſa *lib. 1. jur. eccleſ. c. 29. §. 6. num. 10.* Cæterum clericus debitor, qui ſolvendo non eſt, ſive in totum, ſive ex parte, non poteſt compelli ad ceſſionem bonorum, neque conjici in carcerem, ſi bonis non cedat ob debita civilia. Rurſus gaudet etiam clericus privilegio, ut poſtquam condemnatus eſt ad ſolvendum per ſententiam, ſi poſtquam debitum confeſſus eſt, in mora ſolvendi ſit, executio fieri poteſt in reditibus, ac ejus bonis, adeo ut aſſignentur talia bona creditoribus, donec ſatisfiat debito; non tamen poteſt clericus omnibus ſuis privari bonis, ſed relinqui ea debent, quæ ſufficiant pro congrua, & honeſta ejus ſuſtentatione, ne cogatur ex turpi quæſtu vivere, vel cum probro ſtatûs clericalis emendicare.

17 Ut autem clericus debitor gaudeat privilegio competentiæ, ut habetur *in c. Odoardus* aliquot requiruntur conditiones, quarum prima eſt,

eſt, ut ſit clericus; ſiquidem hoc beneficium competit ſolis clericis, qui in ſacris ſunt conſtituti, vel ſaltem minoribus, vel primâ tonſurâ initiati, & inceduut cum habitu clericali, & tonſurâ, & alicui Eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviunt, vel dant operam ſtudiis juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 6. de reformat.* Immò Fagnanus *in c. Odoardus 3. h. t. num. 24.* cenſet probabile, clericos in minoribus conſtitutos, vel habentes primam tonſuram, modò non abjecto habitu clericali ſe publicè pro laicis gerant, gaudere hoc beneficio competentiæ, quamvis beneficium Eccleſiaſticum non habeant, neque Eccleſiæ alicui inſerviant, quia Concil. Trid. tantùm ademit privilegium fori clericis non habentibus requiſita, quæ ibi præſcribuntur, non verò alia privilegia, & ait, id ſæpe fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione Concilii.

18 Secundò requiritur, ut clericus debitor ob inopiam non poſſit ſolvere, ſive in totum, ſive pro parte, ſi enim ſit impotens ad totum ſolvendum, & potens ad partem, compellitur creditor partem accipere, quam debitor ſolvere poteſt.

19 Tertiò requiritur, ut conſtet de inopia, ob quam debitor non poſſit ſolvere, proinde tenetur debitor eam probare, ſaltem ſummariè, vel præſumptivè ex forma, vel communi hominum æſtimatione.

20 Quartò, ut clericus propriâ culpâ non ſit redactus ad talem inopiam, & impotentiam ſolvendi debitum. Nam ſi luſerit, vel luxoriosè vixerit, ac proinde bona ſua, ſuósque reditus diſſipaverit, cenſent aliqui, tunc non gaudere beneficio competentiæ. Verùm aliqui docent, contrariam ſententiam eſſe probabilem, & aſſerunt, eſſe quid ſimile in clerico, qui propria culpa incidit in morbum, cui non ſubtrahuntur emolumenta debita clericis inſervientibus Eccleſiæ.

21 Quintò, ut clericus non conveniatur ratione debiti in cauſa civili, ut deſumitur in *d. c. Odoardus*: ſin verò debitum ſit ex delicto, tunc non gaudet beneficio competentiæ: & tunc valet axioma, *qui non habet in ære, luat in pelle l. ſi quis 7. §. ſervos. ff. de iurisdic.* ſiquidem valet axioma in illis obligationibus, quæ naſcuntur ex delicto, quia tunc pœna pecuniaria, quæ de jure infligenda eſſet, commutatur in corporalem ob inopiam debitoris, idque ne delicta maneant impunita *l. 1. §. fin. ff. de pœnis.*

22 Sextò, ut clericus conveniatur actione perſonali, quia conventus actione reali non poteſt uti hoc privilegio, cùm ſit perſonale.

23 Septimò, ut fateatur debitum, quia ſi clericus debitor cedat bonis, priusquam fateatur debitum extra judicium, vel in judicio, vel ad ſolvendum condemnetur, non debet audiri, quia tunc cedendo bonis non extinguitur obligatio, ſed tantùm exactio differtur. Tum quia ſi ante ceſſionem non conſtaret de debito, poſſet creditori perire copia probationum, proinde ante ceſſionem bonorum debet conſtare de debito, ut notat Abbas *in d. c. Odoardus n. 7.*

24 Octavò tandem, ut clericus debitor, ſi non poſſit ſolvere, præſtet cautionem idoneam de ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit: quia inopia, & impotentia ſolvendi non extinguunt obligationem, ſed tantùm ſuſpendunt ejus effectum in tempus pinguioris fortunæ; adeo ut obligatio civilis, & naturalis maneat durante inopia, & impotentia, licèt inefficax ſit in ordine ad effectum ratione impotentiæ debitoris, quâ ſublatâ obligatio fit efficax, & debitor tenetur ſolvere.

§. II.

An Eccleſia, vel Prælatus ejus nomine poſſit mutuum dare, vel accipere. Et an ſucceſſor in beneficio teneatur ſolvere debita ſui prædeceſſoris.

1 MUtuum, ſi nominis etymologia ſpectetur, dicitur quaſi fiat de meo tuum; quia per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur de mutuante ad mutuatarium: & à Bartolo *in l. 2. ff. de rebus cred.* definitur mutuum; quòd ſit: *contractus nominatus ab aliquo initus datione vera, vel ficta rei conſiſtentis in pondere, numero, menſura, ſpe recipiendi tantumdem in genere ſuo.* Dicitur contractus nominatus, quia habet proprium, & ſpeciale nomen cum cæteris contractibus non communicabile; ubi juvat animadvertere, quòd is, qui dat, dicitur mutuans, & qui accipit mutuatarius. Rurſus dicitur iniri re, quia non ſolo conſenſu, ſed re ipſa hic contractus perficitur: unde qui promittit ſe pecuniam alteri daturum, antequam pecunia eidē numeretur, non perficitur contractus; mutuum enim perficitur traditione, perinde, ac donatio, commodatum, & depoſitum, & differt à venditione, emptione, locatione, ac conductione, aliisque ſimilibus contractibus, qui ſolis verbis perficiuntur.

2 Differt etiam à commodato, & permutatione, quia in commodato eadem res reddenda eſt: & in permutatione redditur res alterius ſpeciei; ſecus in mutuo recipitur ſimilis in ſpecie, & bonitate, hinc quando accipitur pecunia ad ſolam oſtentationem, & pompam, & non ad illam expendendam, non initur contractus mutui, ſed ſolius commodati, quia cenſetur accepta pecunia cum obligatione reſtituendi eandem numero: in commodato enim dominium rei non transfertur in commodatarium. Hinc mutuum celebrari tantùm poteſt de iis rebus, quæ recipiunt functionem, ſeu quarum una dari & ſubſtitui poteſt loco alterius ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia: hinc mutuum dicitur eſſe traditio rei numero, vel pondere, aut menſura conſtantis: ſiquidem mutui obligatio conſiſtit in his rebus, quæ numero, pondere, & menſura conſtant, cujusmodi ſunt vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, argentum, aurum; res conſiſtentes in numero ſunt, quæ functionem recipiunt: & quæ conſiſtunt in menſura, ſunt, quæ aliena capedine menſurantur, dicitur enim menſura, quæ res liquidas, vel aridas capit, non quâ rerum magnitudines, & locorum intervalla metimur, ut notat Fachinæus *lib. 2. c. 49.*

3 Mutuum quinque modis dividi solet. Primò in naturale, & civile, illud est cum re ipsa Petrus suam pecuniam numerat Paulo: civile vel est simpliciter tale, vel est civile, cui ipsa natura suffragatur: mutuum simpliciter civile vim obtinet sola juris civilis potestate, ut si filiusfamilias ex profectitio peculio dederit mutuam pecuniam, tunc enim fictione juris pater censetur dedisse, cui propterea mutuatarius debet restituere non verò filio. Præterea si Petrus deposuit apud Paulum centum aureos cum permissione usûs, jurisfictione censetur numerâsse, & dedisse mutuos centum illos aureos. Mutuum civile, cui natura suffragatur, tunc habetur, quando quis promisit alteri per stipulationem dare mutuò pecuniam, & stipulationem ipsam statim consequitur numeratio, vel saltem proximè præcessit *l. si ita stipulatus fuero de verb. oblig.* siquidem jus civile stipulationem introduxit, & natura ipsam numerationem.

4 Secundò ratione materiæ mutuum potest consistere in numero, ut in pecunia, quæ numeratur, vel in pondere, ut massa auri, vel argenti; vel in mensura ut in vino, oleo, & aliis id genus, quæ mensurantur.

5 Tertiò dividitur mutuum ratione temporis, eò quia aliud detur ad certum tempus, & aliud ad incertum, quamvis non perpetuum, ut si Titius det Cajo pecuniam mutuam, quâ possit studiis litterarum navare operam: rursus mutuo ad certum tempus potest addi pactum non solventi, & de lucro cessante caveri, ut notat Gaillus *lib. 2. obser. 5. n. 14.*

6 Quartò ratione personæ, vel mutuum datur tantùm ad utilitatem, & commodum illius, qui accipit, vel illius, qui dat, vel causa utriusque.

7 Quintò ratione modi dividitur mutuum in expressum, & tacitum, illud est, in quo exprimitur mutuum; & tacitum, in quo præsumitur, ut si Titius vendat Cajo merces creditò, perinde est, ac si illarum pretium mutuò dedisset. Mutuum enim tacitum, quod & virtuale dicitur, est, quod virtute includitur in aliis contractibus, & dici ob hanc rationem etiam solet mutuum palliatum, ut cùm quis vendit alteri domum majori pretio concessa dilatione ad solvendum, tunc enim censetur virtualiter mutuare pretium emptori usque ad terminum illi concessum, & ad solvendum præfixum.

8 Omnes qui possunt contrahere jure naturæ ex mutuo, possunt etiam obligari, nisi privilegio juris positivi eis concessum sit, ut in certis casibus non obligentur, vel ut possint mediante exceptione obligationem elidere. Hoc privilegium conceditur filiofamilias, minorennibus, civitatibus, ecclesiis: siquidem filiusfamilias, qui est sub patria potestate, si acceperit mutuam pecuniam sine consensu patris, non tenetur in effectu ad restitutionem, nec post obitum patris, eò quia possit opponere mutuanti exceptionem senatusconsulti Macedoniani, quo concessum est illi, ut non teneatur solvere. Si tamen filius juraverit se soluturum, tenebitur solvere post mortem patris, quàm primùm poterit: quia juramentum in alterius favorem factum, si servari possit sine detrimento animæ, & absque peccato, servandum est.

9 Id etiam procedit de filiafamilias, & ejus parentibus, & hæredibus, ac fidejussoribus: dantur tamen plures casus, in quibus filius, seu filiafamilias tenetur ad restitutionem mutui accepti. Primò si habet bona castrensia, vel quasi castrensia, & etiam quando filiusfamilias habet administrationem peculii adventitii, & usum fructum ex consensu patris sui. Secundò si quo tempore mutuam pecuniam sumit, est miles *l. ult. C. eod.* quia tunc præsumitur in usus proprios necessarios eam petere, & impendere. Tertiò si accipiat jussu patris, aut consensu expresso, vel tacito, quia cùm pater sciret, non contradixit; vel si postea contractum approbavit verbo, aut facto, quia partem debiti solvit. *l. tamen si ff. eod.* Quartò si publicè videtur esse juris sui, vel se dicat patrem familias, & mutuans habeat justam causam credendi mutuanti *l. 3. & penul. ff. eod.* Quintò si pro alio, qui sui juris est, mutuum acceperit; fidejusserit, si id in fraudem senatusconsulti Macedoniani factum fuerit. Sextò si pecunia mutuò accepta in rem patris versa sit *l. item si §. proinde ff. eod.* sed de hoc debet sufficienter constare. Septimò si pater, aut alius filium negotiationi suæ præposuit, censetur tunc facultatem dedisse mutuandi, nisi de contraria voluntate ex aliis indiciis constet *d. l. item si §. proinde ff. eod.* Octavò si filius accepit pecuniam mutuam ob ea, ad quæ insumenda erat pecunia à patre, ut si filius absens causâ studiorum accipiat mutuum necessarium, quo congruè se sustentet, & libros emat necessarios: cùm enim studiosis necessaria sit pecunia, nihili interest, si à patre suo, an ab alio ipsius loco interim accipiant, dummodo fraus, & collusio absit, ut notat Wesenbec. *lib. 14. ff. tit. 6.*

10 Censet tamen Covarruvias *in c. quamvis pactum p. 2. §. 3. num. 6.* cum Rebell. *p. 2. lib. 8. quæst. 1. sect. 2.* per senatumconsultum Macedonianum actionem non nisi in foro externo negari fœneratoribus, sed obligationem naturalem manere, proinde in conscientia teneri ad restituendum, quod mutuò acceperunt: & quamvis hæc sententia tutior sit, & æquitati consona, præsertim quod filius teneatur restituere, quando factus est sui juris, & habet commodum ad restituendum: nihilominus alii censent, quòd quamvis hujusmodi contractus non sint omnino invalidi, & naturalem pariant obligationem, claudicent tamen propter contrariam juris dispositionem, juxta quam possunt repellere actorem à sua petitione, & negare solutionem etiam in conscientia; eò quia magistratus odio fraudis, & aliorum malorum, fœneratores dominio pecuniæ in mutuum datæ privaverit; imò si filiusfamilias post acceptam mutuò pecuniam vivente patre renuntiaret huic privilegio Macedoniano, adhuc non teneretur solvere; quia hoc privilegium principaliter concessum sit in favorem parentum, & nullus potest renuntiare privilegio concesso in favorem alterius. Ita censent Wesenbec. *lib. 12. ff. tit. 1.* Schneidevic. *l. 3. instit. tit. 11. de acquisit. per arrog.*

Si tu-

12 Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minorennis mutuum accepit non tenetur poſtea pupillus, vel minorennis major factus ſolvere niſi creditor probaverit tale mutuum fuiſſe converſum in ejus utilitatem, ita enim docent communiter doctores *ex l. 3. C quando ex facto tutoris*: datur tamen actio adverſus illum, qui mutuum accepit nomine alterius, ſiquidem poteſt adigi ad ſervandum indemnem eum, qui pecuniam tradidit; quinimò ſi minor mutuum acceperit, & inde ſe læſum deprehenderit, ut quia pecuniam inutiliter conſumpſerit, poteſt petere reſtitutionem in integrum, ut non teneatur niſi quatenus inde factus eſt locupletior, vel ditior: quòd ſi Eccleſiæ, vel cauſæ piæ mutuum datum ſit, & dubitetur poſtea, an pecunia illa verſa ſit in ejus utilitatem, non tenetur Eccleſia, vel locus pius ſolvere niſi creditor probaverit pecuniam verſam fuiſſe in ejus utilitatem, ut habetur *in authent. hoc jus porrectum C. de SS. eccles.* quæ authentica translata eſt in jus canonicum 10. *q.* 2.

13 Cæterum Eccleſia ſi habeat reditus eccleſiaſticos abundantes, ut etiam ejus Prælatus, non prohibetur dare pecuniam mutuam indigentibus, dummodo ſors, vel ſumma capitalis aſſecuretur per pignora, vel fidejuſſores: quia dare mutuum indigentibus eſt opus pietatis, & miſericordiæ, & tunc Eccleſia ſervatur indemnis: alioquin ſi non urgeat proximi neceſſitas pertinet ad bonam Prælati adminiſtrationem augere res Eccleſiæ, ſuperflua & inutilia vendere, & pecunias expendere in emptionem aliarum rerum, quæ ſint utiles Eccleſiæ; perinde ac tutores, & curatores jubentur id facere de bonis pupillorum, & minorennum *l. id autem 5. in princ. l. tutor. q. 7. §. ſi poſt ff. de adminiſt. & peric. tut.* Hinc Gregorius IX. *in c. ſi quorundam 2. h. t.* ſuſpendit Prælatos obligantes Eccleſias pro alienis debitis ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium, & expreſsè prohibet univerſis Eccleſiarum Prælatis, ne quis eorum Eccleſiam ſibi concreditam præſumat gravare pro alienis debitis. Poteſt tamen Epiſcopus, vel alius habens ſimilem jurisdictionem ab hac ſuſpenſione abſolvere, eò quia non ſit reſervata, nec in perpetuum lata, ſed indefinitè: etenim ſi Pontifex eam voluiſſet eſſe perpetuam, & irremiſſibilem, id expreſſiſſet. Non tamen debet Epiſcopus diſpenſare ſuper hac ſuſpenſione, niſi priùs Eccleſiæ fuerit ſatisfactum.

14 Quòd ſi Prælatus nomine Eccleſiæ acceperit pecunias mutuas, & eas expenderit in proprium commodum, non tenetur Eccleſia plus ſolvere, quàm quantum inde in Eccleſiæ utilitatem verſum fuiſſe mutuator probaverit, ut habetur *in authent. hoc porrectum. C. de SS. eccles.* & refertur *in 2. caus. 10. q. 2.* quoad alias verò pecunias, quas Prælatus impendit in ſuum proprium commodum tenetur ipſe ſatisfacere mutuanti, adeo ut non contra Eccleſiam, ſed contra Prælatum poſſit creditor, & ejus hæredes actionem inſtituere, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 17. num. 1.* Non enim Prælatus eſt dominus rerum Eccleſiæ, ſed tantùm ejus adminiſtrator juxta exigentiam ipſius Eccleſiæ, adeo ut non poſſit ſine neceſſitate eam gravare ære alieno, neque inutiliter illam obligare pro alienis debitis.

15 Tum quia cui inhibetur, rem alienare, prohibetur etiam eam obligare *l. final. C. de rebus alienis*: atqui Prælatis Eccleſiarum prohibetur res Eccleſiæ alienare, ut conſtat ex pluribus textibus in jure canonico *& in c. nulli de rebus eccles.* proinde nec poſſunt eas obligare, & ſi ſecus fecerint, ſuſpenduntur ab adminiſtratione: ratio eſt, quia quilibet meritò privatur rebus, quibus abutitur, ſeu non utitur juxta uſum ſibi conceſſum *l. ſi ſervus 70. §. ſi quis ſervum. ff. de acquir. hæredit. c. privilegia 13. q. 3.* atqui Prælatus obligando res Eccleſiæ pro alienis debitis abutitur adminiſtratione ſibi conceſſa, proinde meretur eadem privari, idque firmatur exemplo mariti, qui arcetur ab adminiſtratione dotis ſi eam dilapidaverit *l. ſi conſtante ff. ſolut. matrim.* & exemplo tutoris, qui removetur ut ſuſpectus, ſi bona diſſipet pupilli *l. 1. & per tot. ff. de ſuſpect.* unde meritò Prælatus ſi diſſipet res Eccleſiæ, ſuſpendendus eſt ab earundem adminiſtratione. Quamobrem Prælato dilapidanti bona Eccleſiæ, datur coadjutor, ut vices illius gerat, & bona Eccleſiæ adminiſtret.

16 Oritur tamen difficultas ex eo, quòd Prælatus malè adminiſtrans res temporales Eccleſiæ dicatur privari adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus: ſiquidem ſi Prælatus obligat res Eccleſiæ pro alienis debitis, non videtur ſuſpendendus ab adminiſtratione in ſpiritualibus; quia quisque debet in eo puniri, in quo deliquit *c. nemo de temper. ordin. lib. 6.* atqui Prælatus in præſenti tantùm deliquit in adminiſtratione rerum temporalium: ergo ab illa tantùm ſuſpendendus eſt. Hinc prodigo tantùm interdicitur, ne patrimonium diſſipet *l. is cui 6. ff. de verb. obligat.* Sed contra quia Prælatus, de cujus pœna *in d. c. ſi quorundam 2. h. t.* agitur, peccavit in improba adminiſtratione rerum Eccleſiæ: & quia ex prava adminiſtratione in temporalibus arguitur injuſta adminiſtratio in ſpiritualibus, ideo rectè ab omni ſuſpenditur adminiſtratione *c. final. de exceſſ. Prælat.* non tamen privatur exercitio ſacrorum ordinum, nec officiis eccleſiaſticis, in quibus non peccavit. Poſſet tamen adhuc objici; eò quia non ſolùm pœna incurritur à Prælato ſuſpenſionis, verùm etiam ejus actus irritatur: etenim ex actu nullo pœna non incurritur, nec debetur *l. ea C. ſi mancipium ita fuerit.* quia quod eſt nullum, nullum producit effectum *l. 4. §. condemnatum. ff. de re indic. c. illud de jure patron. c. non poteſt de regul. jur. lib. 6.* Alciatus *lib. 5. paradox. c. 13.* Quamobrem ſi obligatio eſt nulla, non videtur Prælatus ob illam ſuſpendendus.

17 Sed contra, quia vel lex reſpicit tantùm effectum, vel animum facientis: ſi primum, verum eſt, quòd actus invalidus nil operetur, nec pœna ex eo incurratur *l. 1. ff. de abig.* ſi verò lex reſpiciat animum; tunc non curatur de effectu, ſed tantùm de ipſo facto, & hac ratione plerumque qui facit actum invalidum ob fa-

ctum tantùm punitur, eò quia talis actus sit positus, & factus, non verò quia sit irritus, & invalidus, & quia de facto talis actus est positus, ideo rectè punitur *l. eum qui duas* 18. *C. ad leg. Juliam de adult. c. nuper de bigam. clement.* 1. *de consanguin. & affin. c. si religiosus de elect. in* 6. Hinc Gregorius *in c. si quorundam 2. h. t.* ut has obligationes omnino eradicaret, non solùm earum effectum improbavit, sed etiam factum ipsum obligandi; proinde Prælatus ponens tale factum rectè pœnam incurrit suspensionis. 18

Sin autem Prælatus nomine Ecclesiæ pecunias accipiat mutuas juxta limites suæ facultatis, & administrationis, eò quia cum consensu Capituli tantam summam mutuò accipit, ad cujus solutionem sufficiunt reditus, & alia bona mobilia non pretiosa Ecclesiæ: vel etiam si Prælatus solus etiam absque consensu Capituli, si is non requiratur, mutuas accipit pecunias, tunc obligatur Ecclesia, quamvis à mutuatore non probetur, pecunias re ipsa versas fuisse in utilitatem Ecclesiæ; sed sufficit si mutuator, seu creditor ostenderit ex voluntate Prælati, & Capituli pecunias illas fuisse mutuò acceptas pro Ecclesia, seu ob necessitatem ejusdem, ut notat Abbas *in c. ad hoc 1. h. t.* & ratio est, quia Prælatus nonnunquam solus, vel in quibusdam casibus una cum capitulo liberam administrationem bonorum mobilium, non pretiosorum habet, proinde etiam facultatem accipiendi pecunias mutuas si Ecclesiæ necessitas urserit, id enim pertinet ad administrationem ejusdem: unde sufficit, si creditor, per instrumentum authenticum ostendat se dedisse mutuas pecunias ob necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, tametsi in instrumento non contineatur specialiter pro qua utilitate, quia id probabiliter colligitur, ex eo quòd tunc novum ædificium exstructum fuerit, vel prædium Ecclesiæ emptum, ut notat Menochius *de arbit. iudic. cas. 432. n. 33.*

19 Tum quia sicut ut successor teneatur debita antecessoris solvere, sufficit, quòd pro necessitate Ecclesiæ contracta fuerint talia debita: ita sufficit probare quòd propter imminentem aliquam necessitatem Ecclesiæ pecuniæ sint mutuò acceptæ, licèt non probetur, expensas fuisse ob talem specialẽ necessitatẽ, talis enim probatio esset difficilis, proinde vix reperirentur, qui ecclesiis, & ejus Prælatis urgente necessitate vellent mutuum dare, quod procul dubio in Ecclesiarum redundaret detrimentum.

20 Hinc successor in Prælatura, vel beneficio ecclesiastico tenetur solvere debita à suo antecessore contracta, ut statuit Alexander III. *in c. ad hoc 1. h. t.* ubi expressè habetur, quòd successor in beneficio tenetur solvere debita sui antecessoris contracta pro Ecclesiæ necessitate, perinde ac filius tenetur solvere debita patris, probatur etiam *ex c. quia Joannes 12. q. 5. c. convenior. 23. q. 8. c. significante 34. c. significavit. 37. de rescript. c. 3. de pignor. & c. final. de his quæ fiunt à Prælat* Bekius *de eccles. edific. c. 19.* Quintanadvennas *lib. 2. eccles. num. 42.* Amaya *in l. 24. C de decur. lib. 10.* Ratio est, quia quoties antecessor pro Ecclesiæ utilitate, & necessitate contraxit debita, successor tenetur ex bonis, & reditibus Ecclesiæ illa extinguere: siquidem successor, vel alius Rector Ecclesiæ, est quasi hæres sui antecessoris, cui in Prælatura, vel beneficio succedit Glossa *hic V. predecessoris*: & sicut hæres succedit in universum jus defuncti, tam quoad jura, & commoda, quàm quoad onera, & debita, seu obligationes *l. hereditas 62. ff. de regul. iur.* ita etiam Prælatus Ecclesiæ succedit in universum jus ejusdem *c. relatum 12. de testam.* proinde suscipit etiam onus extinguendi debita contracta à suo prædecessore. Juvat observare discrimen inter debita, quæ Prælatus propter Ecclesiam, seu in ejus utilitatem contraxit; & debita quæ ipse personali, & speciali causâ suscepit, etenim tantùm in primo casu tenetur successor extinguere debita sui prædecessoris, non verò in secundo: ratio discriminis in eo est sita, quia successor in beneficio, quamvis hæres appelletur *c. final. 12. q. 2.* non ita appellatur; quia ex defuncti voluntate in universale, seu singulare jus successerit; nec etiam succedit ex defuncti vocatione *c. Episcopo. c. Moyses 8. q. 1.* Sed dicitur quasi hæres quatenus habet eandem sedem, quam alius antea habuerat; unde æquum est, ac rationi consonum, ut qui rem ipsam occupat, fructus, ac proventus percipit, onera ipsius rei solvat juxta *text. in l. mortuo 22. ff. de fideiuss. l. inter 42. ff. de pact. l. Imperator 20.*

In secundo verò casu ex debito personali 21
prædecessoris non potest successor conveniri, quia quoad personam particularem non est ejus hæres, nec repræsentat ejus personam, alioquin ex alieno facto gravaretur contra textum in *l. 1. C. ne uxor. pro marito l. 1. C. ne filius pro patre.* Hinc receptum est, pensiones decursas ab antecessore mero jure debere successorem solvere, quia pensio est onus reale beneficii, non beneficiati, ut desumitur *ex l. Imperatores 20.* Barbosa *de pensionib. p. 1. q. 7. num. 44.* Hinc receptum est etiam, ut si beneficiarius ad congruam sustentationem, seu in ejus infirmitate debitum contraxerit, successor in beneficio teneatur illud solvere: quia similes expensæ censentur onus reale ipsius beneficii, ut docuit Redoanus *de reb. eccles. q. 57. num. 7.* Juvat etiam observare discrimen inter filium, seu alium hæredem, & Prælatum successorem, quia hæres accipit, & consequitur jus successionis à defuncto, proinde obligatur ad solvenda omnia debita defuncti saltem juxta vires hæreditatis *c. 1. de testam. si inventarium fecit.* at Prælatus beneficiarius non consequitur à defuncto prædecessore jus successionis, sed illud accipit ab Ecclesia, seu superiore, qui illum in Prælatura, vel beneficio instituit: proinde non tenetur ad omnia debita sui antecessoris solvenda, sed ad ea tantùm, quæ is nomine Ecclesiæ, & pro utilitate ipsius contraxit.

Verùm videtur urgere difficultas, quia non 22
est æquitati naturali consonum, quòd pro alienis debitis alius molestetur *l. hæc 12. C. de omni agro deser. lib. 11. l. si quis suo 33. §. legis C. de inoffic.* unde Cassiodorus *lib. 4. epist. 30.* ait: *dividuntur causæ Germanis: filius obligationibus paternis, si non sit hæres, exuitur; uxor maritalibus*

bus debitis, niſi per ſucceſſionis vincula non teneatur, & audacia ad ſolutionem trahit extraneos cùm abſolvant iura coniunctos. Magni peccati genus eſt alienis debitis alterum pragravari: ergo ſucceſſor in Epiſcopatu, non eſt adigendus ad ſolvenda debita à ſuo prædeceſſore contracta, cùm ſucceſſio muneris, aut officii non pariat ſubrogationem reſpectu obligationis, & debiti; ſiquidem propria obligatio ſpecialiter afficit perſonam particularem, ſicut crimen non conſtituit delinquentem, niſi ſolum criminoſum *l. ſanimus 12. c. de pœnis l. non debet ff. de regul. jur.* cum igitur epiſcopus ſucceſſor, & electus non veniat, ut hæres, neque repræſentet perſonam defuncti, non ſuſcipit omnes illius obligationes; venit enim ſucceſſor tanquam ſingularis, & particularis ſubrogatus in locum defuncti, neque ſe obligavit ad debita ſui prædeceſſoris ſolvenda; & cum obligatio æris alieni non afficiat epiſcopatum; non videtur quâ ratione ſucceſſor teneatur ſolvere debita ſui prædeceſſoris. Tum quia Epiſcopus, vel alius beneficiarius in locum prædeceſſoris ſubrogatus, eſt particularis ſucceſſor; ſiquidem ſuccedit titulo particulari, ſeu ratione canonicæ inſtitutionis; proinde non accipit beneficium à ſuo prædeceſſore; ſed ab ipſo conferente, ſeu ſuperiore eccleſiaſtico *c. cum veniſſent de inſtit. c. 1. de regul. juris in 6.* ſucceſſor autem ex titulo ſpeciali non tenetur ſolvere debita ſui prædeceſſoris *l. 1. c. ſic certum petatur.*

23 Idque vel maximè procedit, ſi nihil acceperit à defuncto *l. unum 67. §. 2. ff. de legat.* Sed contra eſt, quia hæc non obſtant: etenim dupliciter poſſunt debita contrahi à Prælato eccleſiaſtico: primò ob neceſſitatem proprii patrimonii, ac commodum propriæ perſonæ: ſecundò ob utilitatem Eccleſiæ: ſi debita contrahantur priori modo, onus ea ſolvendi non tranſit in ſucceſſorem, ſed ſola perſona contrahentis manet obligata, & hæc obligatio tranſit ad ejus hæredes, & non ad ſucceſſorem in beneficio eccleſiaſtico. Sin verò debita fuerint contracta ſecundo modo, onus ea ſolvendi tranſit ad ſucceſſorem, dummodo anteceſſor ea contraxerit cum ſolennitate à jure præſcripta; quia tunc cenſentur contracta nomine ipſius Eccleſiæ, quæ propterea cum maneat gravata ære alieno; tenetur beneficiarius quicunque ille fuerit, debita illa extinguere; eò ipſo, quòd ſuſcipit ejus adminiſtrationem, tenetur ejus utilitatem promovere, proinde eam liberare à gravamine æris alieni.

24 Tum quia beneficiarius eſt veluti procurator Eccleſiæ; unde anteceſſor tunc tanquam procurator contraxit nomine Eccleſiæ *c. ſine exceptione 12. q 2. authent. hoc jus porrectum c. de SS. Eccleſia*: ſed ex principiis juris procurator contrahens nomine procuratorio obligat illum, cujus eſt procurator *l. ſi pupilli 6. §. 1 ff. de negot. geſt. l. 1. §. non autem ff. de exercit. act.* & quia ſucceſſor ſuſcipit in ſe omnia onera ipſius Eccleſiæ, contrahit etiam omnes ejus obligationes *c. ex literis 3. de pignor.* Hinc patet diſcrimen, cur ſucceſſor, licèt non teneatur ſolvere debita contracta à ſuo anteceſſore ob proprium commodum; teneatur tamen ea ſolvere, ſi contracta fuerint ob neceſſitatem, ac utilitatem ipſius Eccleſiæ. Hinc licèt ſucceſſor ſuccedat ut ſubrogatus particularis, & titulo particulari canonicæ inſtitutionis, quia tamen ſuccedit, ut adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, tenetur ejus utilitatem promovere, conſequenter eam liberare ab ære alieno, quo gravatur. Semel quòd contractus fuerunt initi in utilitatem, & gratiam Eccleſiæ, jam Eccleſia, & ejus prælatus tenetur eos adimplere, ac ſervare.

Imò tenetur ſucceſſor ſolvere etiam debita 25
contracta ab anteceſſore ob neceſſariam, ac decentem ſuſtentationem ſuæ perſonæ; quia hæc debita ſolvi debent ex reditibus eccleſiaſtici beneficii, in quo ſuccedit: ſiquidem cum teneatur Eccleſia prælatum ſuum congruè alere, ac ſuſtentare, quamvis is habeat bona patrimonialia, ut notat Abbas *in c. ad hoc 1. h. t. num. 2.* ideo hujusmodi debita cenſentur contracta nomine Eccleſiæ, proinde unà cum eadem Eccleſia tranſeunt ad ſucceſſorem, qui tenetur ea ſolvere. Quinimo tenetur etiam ſucceſſor ſolvere debita, quæ anteceſſor in infirmitate contraxit, & ex qua deceſſit; ut tradunt Abbas in *d. c. 1. h. t.* Barboſa *d. c num. 3.* Quòd ſi anteceſſor defunctus nullos reliquit eccleſiaſticos reditus; tunc diſtinguendum eſt; ſi habuerit ſufficientes reditus ab Eccleſia ei aſſignatos; vel non: ſi dicatur primum, tunc debita ab ipſo contracta ob neceſſitatem, vel infirmitatem ſolvenda ſunt ex bonis ejus patrimonialibus, argumento *c. ex præſentium 3. de pignor.* ſi dicatur ſecundum, iterum procedendum eſt cum diſtinctione; vel præter opinionem, & ob cauſam accidentalem contigit, ut ob ſterilitatem plurium annorum, vel hoſtium incurſiones; & tunc ſucceſſor in beneficio tenetur ipſe contracta ab anteceſſore debita ſolvere ex futuris reditibus Eccleſiæ; dummodo poſſit tale onus ſuſtinere, ut tradit Pariſius, *lib. 1. de reſignat. benefic. q. 16. num. 51.* vel Beneficiatus initio ſcivit tenuitatem reddituum; & nihilominus voluit beneficium acceptare; & tunc ipſi imputari debet, qui tam tenue beneficium acceptavit, ut ſuâ induſtriâ, vel patrimonio vivere debeat; hinc hæredes ex propriis, ſeu patrimonialibus bonis defuncti tenentur contracta debita ſolvere, ut notat Abbas *l. c.* & deſumitur *ex l. ſi pro re 10. junct. Gloſ. V. cepiſſe C. mandat.*

Quòd ſi beneficiarius nec reditus eccleſia- 26
ſticos, nec bona patrimonialia reliquit, tunc ſumptus neceſſarios factos in infirmitate, vel funeris cauſâ, Eccleſia, vel ſucceſſor debet ſolvere *arg. c. 1. h. t.* quia quod pro neceſſitate perſonæ Prælati expenditur, id pro ipſa Eccleſia cenſetur expenſum ob unionem inter prælatum, & eccleſiam; beneficiarium, & beneficium; unde talis obligatio realis cuilibet beneficio impoſita cenſetur; propterea unà cum beneficio tranſit ad ſucceſſorem, dummodo is poſſit onus ferre; alioquin ad Epiſcopum pertinet aliunde providere. Sin verò beneficiarius, qui debita contraxit ob ſuſtentationem propriæ perſonæ non habeat bona patrimonialia, nec quaſi patrimonialia, tunc reditus eccleſiaſtici

conſervantur, vel creditori aſſignantur, ut eos percipiat, donec debitum ſit ſolutum: tunc enim Eccleſia indulget clerico pauperi ob honorem clericalis ordinis, ut omnia ejus debita, ſive vivat, ſive mortuus ſit, ſolvantur ex reditibus eccleſiaſticis. Quòd ſi habeat bona patrimonialia, tunc debita non ſunt ſolvenda ex reditibus eccleſiaſticis, niſi ſecundùm eam quantitatem, quam decens, ac congrua ejus ſuſtentatio videbatur exigere; & reliqua debita ſolvenda ſunt ex bonis patrimonialibus.

§. III.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an creditor teneatur particularem ſolutionem acceptare; ut ſi debitor mille aureorum velit centum aureos hoc anno ſolvere, & totidem anno ſequenti, & ſic ſucceſſivè, teneatur creditor hanc accipere ſolutionem? Reſpondetur cum diſtinctione. Vel enim debitor tenetur ſolvere mille aureos ex diverſis debitis, quæ contraxit; adeo ut ſingula annuatim extinguat, & tunc creditor tenetur talem ſolutionem accipere; quia quando diverſa ſunt debita, unum ſine alio ſolvi poteſt, & creditor tenetur accipere *l. 1. C. h. t.* ſed tunc cum debitor ſit talis ex diverſis cauſis, ſi aliquam pecuniæ ſummam ſolvat, & non exprimat quale ex pluribus velit debitum extinguere; tunc electio pertinet ad creditorem, qui tamen ita rem debitoris agere debet, ſicut propriam *l. 1. ff. h. t.* proinde in dubio, & quando non conſtat aliter de mente ſolventis; cenſetur illa ſolutio imputata in cauſam duriorem, & per illam extinctum illud debitum, quod magis gravabat debitorem *l. in his 5. ff. eod.* Imò licèt major pecunia ſoluta ſit, quàm debitum unum expoſcat, adhuc illud debitum, quod cæteris graviùs debitorem premebat, ex toto, vel ex parte intelligi debet extinctum *l. cum pluribus q. 7. ff. h. t.* Illud verò eſt ſpeciale, ac notatu dignum, quòd ſi ſimul uſuræ aliquot debeantur, tunc prius ſolutæ cenſentur uſuræ, quàm ſublatũ capitale, tametſi expediret debitori ſolutam pecuniam in capitale imputare, ut eo extincto nullæ impoſterum orirentur uſuræ: nihilominus non eſt in poteſtate debitoris permanentibus uſuris ſolvere capitale *l. in his 5. §. 3. ff. h. t.* Vel debitum mille aureorum ex unica tantùm fuit obligatione contractum, & tunc ſi creditor exigat, debet totum unica ſolutione extingui: quia una obligatio, una ſolutione tollenda eſt, & plerumque particularis ſolutio multa ſecum adfert incommoda; ſiquidem talis pecunia ita minutatim accepta facilè conſumitur, neque applicari poteſt ad emptionem rei immobilis frugiferæ *l. tutor 41. §. ff. de uſur.*

2 Quæritur ſecundò, quales obligationes ex mutuo oriantur? Certum eſt, aliquot ex mutuo oriri obligationes, quarum prima eſt ex parte illius, qui dat mutuum, ut ſecundùm conſcientiã reſarciat damnũ, ſi ſcienter, vel mala fide mutuò dederit rem vitioſam in ſubſtantia, vel quantitate, aut qualitate, ex qua damnum paſſus ſit, qui mutuum accepit, oritur enim hæc obligatio ex jure naturæ. Quòd ſi Petrus dederit Paulo mutuò falſos nummos, ut ſtanneos pro argenteis, vel ſi dederit pecuniam Principis, vel Reipublicæ authoritate reprobatam, & Paulus ut veros, ac probatos impenderit, ac conſumpſerit, tunc tenetur omne damnum, quod fuit alius paſſus, compenſare, quia dedit cauſam damni. An verò Paulus debeat reſtituere Petro nummos veros? Reſpondet Pileus *q. 138.* cum diſtinctione, ſi Petrus, qui mutuos dedit bona fide tales nummos putavit eſſe veros, & probatos: & Paulus qui mutuò accepit, ſcivit eſſe falſos nummos, tunc Paulus debitor tenetur veros nummos reſtituere, idque probat *ex l. domum. ff. de contrab. empt. §. ſimili quoque*: ſin autem Petrus mala fide dedit nummos illos ſtanneos, Paulus nullo jure cogitur veros, ac probatos ei nummos reſtituere: quia eo ipſo quòd nummos falſos mutuò dedit, nihil mutuò dediſſe creditur, cùm falſa pecunia non ſit pecunia. Secunda obligatio ex parte illius, qui mutuum dat, eſt, ut non poſſit mutuum repetere ante ejus uſum expletum, vel ante tempus conſtitutum, niſi pari neceſſitate urgente premeretur, vel damnum æquale incurreret, ut notat Baldus *in l. ſi parum. ff. de verb. oblig.* ubi etiam addit, non poſſe mutuum repeti ſtatim, ac datum eſt, tametſi qui dedit, dixerit, do tibi mutuum, pro ut mihi placuerit: alioquin inde ſequeretur, quòd mutuum foret inutile, ut rectè notavit Panormitanus *in c. precarium n. 2. de precar.* quòd ſi mutuum abſque ulla certi temporis præfixione datum fuerit, tunc arbitrio judicis definiendũ eſt, quamdiu expectare debeat, qui dedit, ad illud repetendum, ut tradit Menochius *de arbitrariis iudic. lib. 20. caſ. 22.* Tiraquel. *in l. ſi unquam num. 31. C. de revocand. donat.* Tertia obligatio oritur ex parte accipientis mutuum, is enim ſecundùm conſcientiam debet rem ejusdem generis reſtituere *l. mutuum ff. de reb. credit.*

3 Rurſus tenetur reſtituere rem ejusdem generis, æquè bonam in ſubſtantia, quantitate, qualitate, *l. cum quid ff. de reb. credit.* Rurſus tenetur etiam mutuum reſtituere in omnem eventum etiam ſi fortuitò perierit *l. incendium C. ſi certum pet. inſtit. quib. mod. retrah. obligat. §. item is, cui res.*

4 Quæritur tertiò, an, ſi debitum ſit in diem contractum, etiam ante talem diem ſolvi poſſit? Reſpondetur affirmativè, quia dies cenſetur adjectus in favorem debitoris; cui proinde renuntiare non prohibetur, ſiquidem poteſt quilibet proprio favori renuntiare *l. ſtipulatio iſta 38. §. inter. 16. l. continuus. 137. §. 2. ff. de V. O.* Id tamen limitatur, niſi in gratiam creditoris certus ſolutioni dies deſtinatus eſſet; quia tunc etiam requireretur conſenſus creditoris, qui cederet juri ſuo, ut ſolutio antecedenter ad præfixum diem fieret, quia creditor non poteſt compelli ad renuntiandum proprio favori *l. eum qui 15. §. de annuis legat.* Quòd ſi dies nominatim ſolutioni non ſit adjectus tametſi de rigore poſſit repeti, eò quia in omni obligatione pura ſtatim veniat dies *l. cedere diem 213. ff. de*

d. §. nihilominus ne contractus ſit eluſorius, & mutuum inutile, ut contingeret, ſi pecunia mutua repeteretur eodem die, quo fuit data; ideo ut diximus in præcedente quæſtione, aliquod tempus concedendum eſt mutuatario arbitrio judicis pro commoda ſolutione *l. quod dicimus 105. ff. h. t.*

5 Quæritur quartò, in quánam moneta ſolutio fieri debeat? Reſpondetur, quòd ſi ſpecialiter non ſit conventum, ut ſolutio fiat in certa ſpecie monatæ, non poteſt debitor cogi, ut pecuniam in illa ſpecie reddat, in qua accepit, ut aureos hungaricos, pro aureis hungaricis acceptis, adeo ut poſſit ſolvere numerando imperiales, vel florenos, vel etiam aliam parvam pecuniam æquivalentem quoad valorem aureis mutuò acceptis: ratio eſt, quia pecunia recipit functionem in genere, & regulariter magis attenditur quantum, quàm quid ſolvatur *argum. l. 1. §. 1. & l. Titia 35. §. de aure, & argento legato.* Verùm attendenda eſt, prima contrahentium intentio, ſi enim mutuator dedit mutuos aureos, ut viciſſim mutuatarius tales in ſpecie aureos reſtitueret, tunc teneretur mutuatarius ſolvere aureos, non verò aliam pecuniam inferiorem argenteam, & in hoc ſenſu explicatur textùs *in novel. 4. c. 3.* ubi aurum pro auro exigi conceditur: ſin verò creditor, vel mutuator non intenderit, ut ſibi ſolverentur totidem aurei, tunc poteſt mutuatarius aliam pecuniam inferiorem ſolvere, dummodo æquivaleat toti debito.

6 Tum quia aurea pecunia æſtimationem, & functionem in genere recipit cum tempore mutui contracti, non tam qualitas, quàm quantitas pecuniæ fuerit conſiderata; proinde interpretatio ſit contra creditorem in cujus poteſtate erat contractûs obligationem apertiùs declarare, & expreſſiùs aperire, ut notat Gotofredus *ad leg. 3. ff. de reb. credit.* & deſumitur etiam *ex l. Titia 35. ff. de aur. & argent. legat.* ubi pro auro legato æſtimatio præſtari permittitur. Id tamen procedit, quando mutuatarius pro pecunia accepta ſolvit aliam pecuniam licèt diverſæ ſpeciei. Quòd ſi pro pecunia accepta vellet dare equum, vel domum, vel quid aliud, quod non eſſet pecunia: vel etiam è contra ſi pro equo vellet pecuniam ſolvere, tunc creditor invitus non teneretur pecuniam pro ſuo equo acceptare, neque equum pro pecunia: ſiquidem talis ſolutio ſpeciem præſeferret emptionis, & nemo invitus compellitur emere, vel vendere *l. invitum 11. C. de retrahend. empt.* hinc habetur regula illa, quod *aliud pro alio invito creditori ſolvi non poſſit prine. inſtitut. quib. mod. tollit. oblig. & l. eum à quo C. h. t.*

7 Quæritur quintò, quomodo ſolutio debeat fieri ſi pecunia mutetur ex diſpoſitione Principis in ſuo valore, vel etiam augeatur, vel minuatur quoad materiam. Pecunia mutari poteſt intrinſecè, & tunc contingit, quando ejus ſubſtantia, quâ intrinſecè conſtat, mutatur, ut ſi pecunia erat ex puro argento, cuditur ſemicuprea, quia tunc ſubſtantia ejus intrinſeca non ſe habet, ut antea. Mutatur etiam extrinſecè, & tunc contingit, quando manente eadem ſubſtantia intrinſeca, ſeu eadem materia pecuniæ ejus valor, ſeu æſtimatio extrinſeca augetur, vel minuitur, ut contigit noſtris temporibus hîc in Germania, iidem enim aurei hungarici anno 1670. tres duntaxat florenos valuerunt, & anno 1690. eorum valor ad quatuor excrevit florenos immutata intrinſeca ſubſtantia aureorum? Reſpondetur, quòd ſi pecunia intrinſecè mutetur, plures cenſent, attendendum eſſe tempus contractûs, & ſecundùm illam æſtimationem, & ſpeciem pecuniæ ſolutionem eſſe faciendam: quòd ſi antiqua pecunia non ampliùs exſtet, tunc ſolutio fieri debeat in pecunia nova habita tamen proportione, & æſtimatione arbitrio boni viri; & conſiderato lucro ceſſante, & damno emergente ad valorem veteris pecuniæ; adeo ut ſi vetus pecunia fuerit melior, ſupplendum ſit aliquid de nova, & ſi antiqua fuerit deterior, detrahendum ſit aliquid in nova; ita enim docent plures doctores *in c olim. 20. & c. cum canonicis 36. de cenſib.* Non enim tota ratio pecuniæ conſiſtit in ſola æſtimatione extrinſeca à ſuperiore impoſita: ſiquidem pro bono Reipublicæ conſideratur etiam bonitas intrinſeca, ſeu materia pecuniæ, & certum ipſius pondus, etenim pecunia raſa tantò minus valet, quantò plus auri, vel argenti detractum eſt illi. Tum quia ob materiam intrinſecam diverſam, pecunia, quæ in ditione unius Principis acceptatur, in ditione alterius reſpuitur. Si igitur ſolutio fiat à mutuatario in pecunia, ratione cujus debeat mutuator damnum pati, non tenetur hic talem pecuniam cum ſuo damno acceptare *l. debitorem 99. ff. h. t.* ubi habetur quòd creditor non ſit cogendus, ut in alia pecunia ſuum creditum accipiat, ſi ex hoc ſit damnum paſſurus, ut notant Fachin. *lib. 2. conſil. 46. num 9.* Covarruvias *de veterum numismatum collatione c. 7. §. univ. num.* Gaillus *lib. 2. obſervat. 73. n. 3.* Regulariter ex conſuetudine, & præſcriptione ſolvendi valet ſolutio in pecunia nova, quia hæc conſuetudo cedit in commodum Reipublicæ, eò quia tollat multitudinem litium, ut notat Rovius. *decis. 327. n. 3.*

8 Quæritur ſextò, an quando valor pecuniæ mutatur tantùm extrinſecè, adeo ut pecunia invariata quoad materiam, & ſubſtantiam intrinſecam, ſi antea valuerit ſex, modò valeat octo, vel è contra ſi antea octo, nunc tantùm ſex; damnum, vel lucrum pertineat ad creditorem, vel debitorem? Reſpondetur, in tali caſu attendendam principaliter eſſe conventionem contrahentium: ſiquidem contractus regulantur juxta conventionem, à qua legem accipiunt, ut deſumitur *ex regul. 85. jur. in 6.* Aſſignantur tamen tres conventionis modi. Primus eſt; ſi nominatim conventum ſit, ut certæ ſpecies pecuniæ in certo numero ſolvantur, ut centum aurei gallici in ſpecie. Secundus ſi nulla certa ſpecies & numerus pecuniæ ſit determinatus, ſed tantùm exprimatur quantitas in genere. Tertius ſi mentio fiat de certa ſpecie pecuniæ, ut de ducatis ſolvendis, & numerus non exprimatur. Quoad primum modum ſi pecunia in certa ſpecie & numero expreſsè in contractu determinata ſit, ſi ſuperveniat extrinſeca mutatio valoris tunc lucrum, vel damnum ortum ex

tali

tali mutatione refunditur in creditorem, quia debitor ſolvit juxta conventionem eandem ſpeciem monetæ: neque illius intereſt, an ejus valor auctus ſit, vel diminutus, quia ſufficit ſi ipſe adimpleat contractum initum.

9 Et id procedit præſertim quando mutatio pecuniæ, vel ejus incrementum, vel decrementum non eſt exceſſivum, ſed modicum, alioquin ſi Petrus tempore, quo valor aurei hungarici excedit 50. florenos, acciperet mutuos à Joanne decem aureos, quibus emeret campum 500. florenis, ſeu decem aureis; ſi poſtea aurei ita decreſcerent, ut ejus valor minueretur ad tres, vel quatuor tantùm florenos, non videretur æquum, ſi tantùm reſtitueret decem aureos cùm ipſe quoad valorem acceperit 500. florenos, quibus campum emit: unde cùm agatur de lucro ceſſante, putârim tunc habendam eſſe rationem ad valorem aureorum, & aliquid poſſe peti cum prudenti judicis moderatione, conſideratâ certitudine, vel incertitudine lucri, quod creditori obtigit, & utilitate, quâ debitor acceptos aureos expendit *l. unic. C. de ſent. qua pro eo, quod intereſt, proferuntur*, ubi ſtatuitur, quòd in caſibus, vel contractibus, in quibus certa quantitas eſt in obligatione, intereſſe non debeat duplum illius quantitatis excedere. Tum quia in contractibus, qui de jure civili dicuntur ſtricti juris, cujusmodi ſunt mutuum, & ſtipulatio, non excluditur omnis interpretatio ex bono, & æquo *l. placuit. C. de judic.* Et verba contrahentium cum rigore non extenduntur ad caſus inſolitos, de quibus tempore contractûs veriſimiliter contrahentes non cogitârunt *argum. text. in l. continuum 137. §. cum quis ff. de V.O.* ubi dicitur, quòd non ſecundùm futuri temporis jus, ſed ſecundùm præſentis conſuetudinem æſtimari debeat ſtipulatio.

10 Quoad ſecundum modum conventionis, quando quantitas in genere deducitur in ſolutionem ſine expreſſa ſpecie monetæ, videtur eſſe major difficultas, an ſuperveniens mutatio monetæ, ad commodum, vel damnum creditoris, vel debitoris ſpectare debeat? Tractat hanc quæſtionem fusè Fachin. *lib. 2. controvers. c. 9.* ubi refert authoritates pro utraque ſententia. Quia verò de hac re nihil expreſsè in jure reperitur deciſum, ut notat Harprecht. *in princ. inſtit. quib. modis re contrahit. obligat. n. penult.* ideo putârim ſtandum doctrinæ Pauli Layman *c. 5. num. 15.* ubi ait, commodum, & damnum probabiliùs ad debitorem pertinere ex conſuetudine imperii, ut ſolutio fiat ſecundùm novam æſtimationem pecuniæ, & refert Ferdinandum I. anno 1559. in commitiis Auguſtanis hanc poteſtatem dediſſe debitoribus ſolvendi in pecunia recèns cuſa ſecundùm extrinſecam æſtimationem: ſiquidem conſiſtit moneta etiam in æſtimatione extrinſeca ei à Principe impoſita *l. 1. ff. de contrab. empt.* & intentio Principis mutantis pecuniam eſt, ut in defectu pecuniæ debitoribus ſuccurratur. Hoc autem patitur aliquas limitationes. Primò ſi mutatio monetæ non ſit facta à legitima poteſtate, ſeu Principe, ſed inducta per improbam uſurariorum conſuetudinem. Secundò ſi non fuerit perpetua, ſed tantùm durante præſente bello. Tertiò ſi intrinſecus etiam valor, & bonitas mutata ſit, tunc enim judicis arbitrio conſulendum erit indemnitati creditoris, & debitoris. Quoad tertium conventionis modum ſi in contractu mentio fiat certæ monetæ, ſed non addatur, an in ſpecie, vel in æſtimatione reſtitui debeat, tunc commodum, vel damnum cenſetur debitoris, quia pecunia recepit functionem in ſuo genere, & æſtimatione *argum. l. 1. ff. de aure, & argento legat.* Tum quia ante ſolutionem debitor eſt dominus, ad quem regulariter ſpectat commodum, vel periculum rei. Demum quia in dubio interpretatio fit contra creditorem cum fuerit in ejus poteſtate legem contractûs, & ſolutionis expreſſiùs declarare, & de certa ſpecie monetæ nominatim pacifci *l. ſtipulatio 38. §. in ſtipulationibus 18.*

11 Quæritur ſeptimò, an debitor moroſus inculpabiliter teneatur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis? Certum eſt, debitorem ex delicto, vel quaſi delicto teneri reſtituere, dum commodè poteſt, alioquin cenſetur eſſe in mora *l. in re furtiva ff. de condict. furt.* Et debitorem ex contractu, vel quaſi contractu teneri ſolvere ſtatim, ac elapſus eſt terminus ſolutioni conſtitutus; tametſi non admoneatur, quia dies definita interpellat pro domino *c. fin. de locat. & conducto.* Quòd ſi non fuerit terminus conſtitutus ad ſolvendum, tunc debitor non cenſetur eſſe in mora non ſolvendo antequam moneatur: quia creditor ſciens, & potens petere, cenſetur dilationem concedere non petendo; ſecus ſi non petat ob timorem, impotentiam, vel oblivionem: quia tunc debitor dicitur retinere rem alienam invito domino, & cenſetur eſſe in mora, ſi non reſtituat. Plures cenſent, debitorem etiam inculpabiliter moroſum teneri ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, ita præ cæteris docet Molina *de juſtit. tom. 1. diſp. 315. num. 2.* eò, quia quando aliquid datur mutuò ad certum tempus tenetur mutuatarius ad damnum emergens, & ad lucrum ex illo ceſſans mutuanti, ſi in termino præfixo ſolutio non fiat, etiam abſque culpa mutuatarii, vel quia non potuerit ſolvere, vel alia de cauſa, quæ tamen non proveniat ex parte mutuantis: eò enim ipſo, quòd terminus ſolutioni mutui præfigitur tacitè, ac virtute cenſetur intervenire pactum, quo mutuatarius teneatur ad intereſſe, quo mutuans defectu ſolutionis in eo termino privatur.

12 Quamobrem cum illa obligatio oriatur ex contractu, quamvis abſq; juridica culpa mutuatarii omiſſa fuerit ſolutio, tenetur ad tale intereſſe etiam non exſpectata ſententia. Quamvis hæc ſententia ſua non careat probabilitate: oppoſita tamen mihi videtur probabilior, quam propugnant Diana *tract. 2. de contract. reſolut. 20.* Decius *lib. 2. c. 20. dub. 10. num. 70.* & alii quos citat Diana, quia quando mora eſt ſine culpa juridica, & non præceſſit pactum, ut debitor teneretur ad ſolvendum intereſſe, tunc ex mora inculpabili non tenetur ad reſarciende damna: ratio eſt, quia non poteſt quis obligari niſi ex culpa, vel pacto, & in præſenti nullum ſuppo-

ſupponitur præceſſiſſe pactum, & mora eſt inculpabilis: quinimò Armilla *n. 2. de regul. iur. in 6.* ait, eam non eſſe cenſendum in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri: & omiſſio inevitabilis, ac propterea inculpabilis nullam habet rationem retentionis injuſtæ, & quæ pariat obligationem ad reſtituendum. Ad rationem, quâ nititur Molina pro oppoſita ſententia poteſt reſponderi, quòd tacitum pactum non extendatur ad præſentem caſum, quia ad impoſſibile nemo tenetur, & ille non eſt cenſendus in mora, qui non potuit eam declinare.

13 Quæritur octavò, an debitor, qui contraxit cum pacto, quòd creditor poſſit ſibi ſatisfacere expenſis debitoris, ſi non ſolvat die præfixo, cenſendus tunc ſit in mora, ac teneatur reſtituere lucrum ceſſans, vel damnum emergens creditori ex tali mora? Reſpondetur, quòd ſtante prædicto pacto, quòd creditor expenſis debitoris poſſit ſibi ſatisfacere, ſi debitor præfixo termino non ſolverit, non teneatur ad ullum intereſſe: quia tunc non ſtat per debitorem, quin creditor recuperet, quod ſuum eſt, ſibique debetur; ſed ſibi debet imputare, qui cùm poſſit ſuum creditū exigere, illud negligit: unde non debitor tunc, ſed potiùs creditor conſtituitur in mora, quia debitor jam dedit facultatem ex vi pacti initi, ut creditor ſibi ſatisfaceret ſine ullo ſuo detrimento, ſed expenſis debitoris; unde ſi ſibi non ſatisfecerit, ipſe fuit in mora, ut notant Surdus *de aliment. tit. 4. q. 16. num. 2.* Giurba *deciſ. 114. in fin.* Rota Romana *deciſ. 252. num. 9. p. 4.* ſtante ſiquidem pacto quòd creditor dilapſo termino ſolvendi poſſit ſibi ſatisfacere de re ſibi debita expenſis debitoris, ſi ſibi non ſatisfaciat, debet ſibi imputare, quia per ipſum ſtat, ne obtineat rem ſibi debitam, & ad quam habet paratam, & expeditam executionem. Præterea cum ſcriptura ſemper loquatur *l. Ariani C. de haredit.* per tale pactum initum cum creditore, cenſetur debitor ſemper conſentire extinctioni debiti, & continuò interpellare creditorem, ut ſibimet ſatisfaciat, terminus enim appoſitus ſolutioni ipſe ſemper interpellat. *l. magnam C. de contrab. & commun. ſtipul. l. trajectitia §. de illo ff. de act. & oblig.* quamobrem cùm voluntas debitoris ex vi pacti initi ſit pro ſolutione debiti facienda ſaltem per ipſum creditorem expenſis debitoris, tota mora refunditur in creditorem, qui cùm poſſit rem ſibi debitam obtinere, negligit eam obtinere.

Tum quia per tale pactum duplex habetur
14 modus ſolutionis, quorum unus eſt in ſubſidium alterius, ſi primus deficiat: primus enim eſt, quòd ſolutio fiat regulariter per ipſum debitorem: ſecundus, ut in defectum hujus modi creditor ſibi ſatisfaciat expenſis debitoris: & quia creditor conſenſit in totum pactum, totúmque contractum, ideo conſenſit utrique modo extinguendi debitum, conſequenter etiam ſecundo in defectu primi: unde ſi deficiente primo ipſe non recuperat ſuum creditum expenſis debitoris, ipſe eſt in mora, cùm habeat paratam, & expeditam executionem, ſi velit, proinde debet ſibi imputare, ſi ex tali mora, quam potuit declinare, aliquod eſt damnum paſſus; potuit enim uti, vel non uti tali mora: debitor enim ex vi talis pacti conſtituit ſe incapacem moræ, quia poteſt ſemper ſe tueri legitima exceptione, quòd ſolutionem ſui debiti poſuerit in arbitrio creditoris, qui abſque ſuo incommodo, & expenſis debitoris potuit poſt præfixum tempus ſibi ſatisfacere.

Quæritur nonò, an creditor acceptans ſo- 15
lutionem debiti cenſeatur liberare debitorem à mora? Reſpondent communiter doctores, quòd ſi poſt incurſam moram debitor ſatisfaciat creditori de ſorte principali, & hic illam acceptet, cenſeatur tacitè liberare debitorem à mora, eique remittere pœnam, quam teneretur ſubire ratione moræ, & deſumitur ex *l. qui ſemiſſe ff. de uſur. l. fin. ff. de eo quod cert. loc.* Beroius *conſil.* 200. Tuſchus *litt. I. conclus. 238. num. 8. & litt. M. conclus. 378. num. 2.* Pasqualig. *quæſt. moral. canon. centur. 4. q. 362.* ſiquidem tunc creditor ſuo facto declarat ſibi ſatisfactum eſſe, proinde remittere omne aliud, quod poſſet prætendere; alioquin ſe declararet, quòd ulteriùs illud prætenderet. Ut enim diſcurrit Pasqualigus, pœna debita ratione moræ eſt acceſſoria ad debitum ſortis principalis; proinde cum creditor acceptans ſatisfactionem in ſorte principali, in ea quieſcat, nec quid aliud exigat, cenſetur extinctum debitum, etiam quoad acceſſorium ex tacita voluntate creditoris: ſiquidem contentus ſorte principali extinguit debitum ejusdem ſortis, conſequenter etiam debitum acceſſorii; quia extincto principali extinguitur etiam acceſſorium *l. qui liberis. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. & l. cum principalis de regul. jur.*

Verùm cùm dicitur, quòd extincto princi- 16
pali extinguatur etiam acceſſorium, id procedit, quando acceſſorium eſt quid inſeparabile à principali, cujus naturam propterea ſequitur: quando verò acceſſorium eſt quid diſtinctum, & ſeparabile, tunc ex eo, quòd extinguatur principale, non ſequitur, quod ex eò præcisè, extinguatur acceſſorium; unde ſi creditor ſe declararet ſatisfactum pro ſola ſorte principali, non verò pro intereſſe, quod debitor deberet ſolvere ratione moræ, tunc extincto principali acceſſorium non extingueretur; unde quòd debitor non teneatur ſolvere intereſſe ratione moræ, id potius procedit ex tacita remiſſione ipſius creditoris, qui cùm acceptâ ſorte principali non exigat intereſſe, quod poſſet petere ratione moræ, cenſetur illud remittere. Cæterum etiam ſi creditor totam ſortem principalem non acceptaret, ſed tantùm partem ejusdem, adhuc quoad illam partem cenſeretur remiſſa pars intereſſe eidem debita ratione moræ, valet enim argumentum à toto ad partem *l. quæ de tota. ff. de rei vendic.* Ratio enim quæ militat pro toto, facit etiam pro parte, ut tradunt Menoch. *conſil. 72. num. 5.* Abbas *conſil. 51. V. præterea lib. 2.* Alexander *conſil. 15. in fin. lib. 4.* quod verò pertinet ad moram reſpectu alterius partis, quæ non ſolvitur, adhuc reſpectu illius cenſeri probabiliter poteſt, quòd creditor moram tacitè remittat: acceptans enim partem ſui crediti alia parte non ſoluta, ratione taciturnitatis cenſetur conſentire, quod tunc ſolvatur

tantùm pars; & ſolutio alterius differatur; hac partiali ſolutione debitor ſufficienter declarat animum ſuum; nolle tunc totum debitũ ſolvere: animus enim facto magis declaratur, quàm verbis *l. Paulus ff. rem ratam habere l. pro hærede ff. de acquir. hæred.*

17 Taciturnitas creditoris acceptantis mediam tantùm partem ex ſibi debitis, & non interpellantis pro alia, prodit ejus conſenſum; adeo ut cenſeatur aſſentiri, quod pro nunc ſolvatur ipſi una pars, & altera ad placitum debitoris; quia cum potuerit pro illa interpellare, & non interpellaverit pro ſolutione totius debiti, & intereſſe, aſſentitur ſolutioni eo modo, quo fit à debitore, proinde voluntati ejusdem: ſicut qui recipit pretium rei ſuæ venditæ eo ipſo cenſetur ratificare venditionem *per text. l. liberis* §. 1. *ff. de lib. can.* Tiraquel. *de jure conſt. part. 3. limit. 30. num. 13. & ſeq.* quia voluntas efficaciùs facto declaratur, quàm verbis *l. de quibus ff. de legib.* Romanus *conſil. 291. num. 4.* cum igitur creditor conſentiat voluntati debitoris quoad ſolutionem debiti; & remittat ſolutionem unius medietatis pro arbitrio debitoris, remittit etiam moram, & quidquid conſequitur ad ipſam. Semel quòd concedit dilationem concedit moram; proinde debitor ex tali mora ſibi conceſſa non tenetur quidquam ſolvere; quia per conceſſionem moræ liberatur ab incommodis, quæ alioquin teneretur ſubire ex tali mora. Semel igitur quòd creditor ratam habet dilationem ſolutionis, & in ipſam conſentit, revocat tacitè terminum præfixum, & omne pactum circa ſolutionem; perinde ac conſentiens in venditionem revocat pactum prohibitionis alienationis Bald. *in l. qui Romæ* §. *Flavius ff. de V. O.*

18 Cæterum ſi regulariter loquamur, debitor ſi ritè interpellatus in mora fuerit ſolvendi, damnum quod inde creditori reſultat, tenetur reſarcire: mora enim cuique ſua, non alteri nocere debet *c. mora 25. de R. J. in 6.* arbitrium tamen boni viri hic debet aliquid valere *argum. l. mora 32. ff. de uſuris*: quia juſta cauſa; & etiam impoſſibilitas dandi, & magna difficultas excuſant à ſubeundis incommodis moræ *Gloſſa in l. quid ſe 5. ff. de rebus creditis.* Gaillus *lib. 1. obſerv. 142. n. 2.*

19 Quæritur decimò, quomodo indebitè ſolutum repeti poſſit? Indebitum eſt quaſi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem ſolutam accepit, tenetur eam reſtituere *l. 1. 15. qui 5. §. in quoque ff. de oblig.* Poſſunt tamen contrahentes, quando indebitum ſolvitur ſimul expreſsè convenire, ut ſi poſtea conſtiterit, ſolutum eſſe indebitum, debeat reſtitui *l. 2. in princ. ff. de condic. indeb.* ſed tunc eſt contractus innominatus initus expreſſo conſenſu. Rurſus ex ſolutione indebiti oritur actio perſonalis contra eum, qui indebitum accepit, quæ actio dicitur condictio: ratio eſt, quia accipiens quod ſibi non debetur tacitè ſe obligat ad ejus reſtitutionem, cum nemo poſſit rem alienam invito domino retinere: iniquum enim eſt retinere quod ſibi per errorem datum eſt; & aliàs ad ſe non pertinet *l. hæc conditio 66. ff. de condic. indeb.* Cæterum ſicut debitum, ita indebitum multipliciter ſumitur: primò naturaliter, & civiliter; quando ſolvitur alicui, quod nec naturaliter, nec civiliter ei debetur, ſeu nullâ obligatione orta ex natura, vel lege *l. ſi non ſortem 26. §. indebitum ff. de condict. indebit.*

Secundò poteſt aliquid eſſe indebitum naturaliter, & debitum civiliter: ut ſi quis ſpe 20
futuræ ſolutionis chirographo ſuo fateatur ſibi fuiſſe ſolutum, quod nondum ſolutum eſt; is ex literis dicitur ſatisfactus civiliter ratione chirographi; non verò naturaliter cum revera non fuerit quidquam ei ſolutum; & debitor civiliter non dicitur obligatus ob acceptum à creditore chirographum; naturaliter verò manet obligatus: vel ſi Titius ſub ſpe pecuniæ ſibi numerandæ à Cajo det ipſi chirographum, quo fateatur ſibi fuiſſe à Cajo talem pecuniam numeratam; tunc Titius intra biennium civiliter ex literis eſt obligatus, non verò naturaliter cum nihil acceperit; unde debitum Titii eſt tantùm civiliter debitum Cajo; non naturaliter: quia jure naturæ talis pecunia eſt indebita Cajo, cum Titius ab illo revera eã non acceperit. Tertiò poteſt aliquid jure civili eſſe indebitum; & jure naturæ debitum: ſiquidem ex nudo pacto oritur obligatio naturalis, non verò civilis: ſi Titius nudo pacto contraxit cum Cajo cedere illi ſuum equum, hic naturaliter eſt debitus Cajo; & indebitus jure civili *l. juris gent. 7. §. ſed cum nulla ff. de pactis.* Qui igitur per errorem ſolvit alteri quod illi non eſt debitum naturaliter, nec civiliter, poteſt id condicere, ſeu repetere, ſumitur *ex l. 1. & ſeq. ff. de condic. indeb.* quia quando id ſolvitur, quod nullo jure debetur accipienti, naturalis æquitas non permittit, ut is locupletetur cum alterius damno, & jactura *l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb.* ſunt tamen qui putant, ſolutum per errorem juris non poſſe repeti, quamvis ſit omnino indebitum; idque probant *ex l. eam quis 10. C. de jur. & facti ignor.* Verùm ibi jus loquitur tantùm in caſu ſpeciali, quia in aliis juribus abſque ulla diſtinctione dicitur, indebitum ſive juris, ſive facti per errorem ſolutum poſſe condici, ſeu repeti: quia cum condictio indebiti oriatur ex naturali æquitate *l. in ſumma 65. §. quod ob rem*: & ratio naturalis æquitatis ſit ſemper eadem, ſive per errorem juris; vel facti fiat ſolutio; ideo ſemper eſt iniquum retinere rem alienam invito domino, & locupletari cum jactura alterius.

Qui verò ſolvit quod tantùm jure naturali 21
eſt indebitum, ſed civiliter debitum poteſt ſolutum repetere, ſive per errorem facti, vel juris illud ſolverit, ut ſi quis ductus ſpe accipiendi pecuniam mutuam chirographum dedit, in quo ſe obligavit eam reſtituere; & poſtea ſi pecuniam non accipiat, chirographum repetere poteſt intra biennium, vel creditorem per exceptionem non numeratæ pecuniæ repellere *l. quaſi 7. C. de non numer. pecun.* hinc ſi ſolvat, ſeu reſtituat, quaſi ad id obligatus ex vi dati chirographi jure civili; non naturali, ſolutum repetere poteſt; quia error juris non nocet, quando agitur de damno vitando, non de lucro

captan-

cantando *l. error. 8. in fin. ff. de jur. & fact. ignor.* ſi quis autem ſolvit quod è contra jure civili indebitum eſt, & debitum jure naturali præcisè ſpectato; tunc vel ſolvit per errorem, ſeu ignorantiam facti, dummodo non ſit ignorantia craſſa, & ſupina *l. nec ſupina 6. & l. error 8. ff. de jur. & fact. ignor.* & tunc poteſt ſolutum repetere: vel ſolvit per errorem juris; & tunc nequit ſolutum repetere *l. cum quis* 10. *junct. Gloſſa V. cum quis C. de jur. & fact. ignor.* hinc ſi hæres ſolvit legatum relictum ex teſtamento imperfecto per errorem facti, quia putavit teſtamentum eſſe ſolemne, poteſt ſolutum repetere: ſin verò ſolvit per errorem juris putans etiam ex teſtamento imperfecto legata ſolvenda eſſe; tunc non poteſt ſolutum repetere *l. fideicommiſſum 7. juncta Gloſſa V. ſolutum C. de condict. indeb.*

22 Excipiuntur tamen milites, minorennes, ruſtici, mulieres, quibus error juris non obeſt *l. Regula 8. ff. de jur. ex fact. ignor.* Ruſſus habens exceptionem perpetuam, poteſt repetere ſolutum per errorem facti, vel juris *l. ſi ſortem 26. §. indebitum, & §. adeo autem:* quia exceptio perpetua reddit actionem inefficacem, ut quaſi nihil debeatur *l. nihili intereſt* 122. *ff. de regul. jur.* debet tamen exceptio eſſe favorabilis, ut eſt illa Senatusconſulti Velleiani in favorem mulierum pro aliis fidejubentium. Qui verò ſciret, ſe non debere Cajo centum florenos; & nihilominus eos illi ſolveret; non poſſet poſtea illos repetere *l. 1. & l. ſi non ſortem 26. §. indebitum ff. de condict. indeb.* quia tunc præſumitur donare. Qui verò anceps, ac dubitans ſolvit indebitum, ſi poſtea probare poſſit ſolutum fuiſſe indebitum, poteſt illud repetere, ſi per errorem ſolverit, quia in obſcuro melius eſt favere repetitioni, quàm adventitio lucro ex *regul. jur. 41. in ff.* ſin verò quod debetur ſub conditione contingente, ac pendente in futurum, & quæ poteſt non eſſe, ſolvatur per errorem ante purificatam conditionem, condici poteſt, ac repeti tanquam indebitum, quia ante purificatam, ſeu impletam conditionem nondum debebatur. Secus ſi conditio neceſſariò futura erat; tunc ſolutum non poteſt condici, quia conditio eſt neceſſariò ponenda *l. eam & ſi 17. & ſeq. ff. eod.* Quòd ſi petatur, cuinam incumbat onus probandi indebitum eſſe ſolutum. Reſpondetur, onus probandi incumbere ei, qui dicit indebitè, & per errorem ſe ſolviſſe; ſi enim conducit, ſeu repetit ſolutum debet oſtendere, illud alteri, cui ſolutum fuit, non convenire, deſumitur *ex cap. ii qui ult. h. t.* quia ſi reus ab initio fateatur ſe recepiſſe pecunias, & eas ex debito fuiſſe ſibi ſolutas; præſumptio ſtat pro illo, qui pecunias accepit. Sin verò adverſarius negat ſolutionem, & convincitur accepiſſe; incumbit tunc illi onus probandi, ſe debitè accepiſſe. Cæterum qui dicit ſe pecuniam indebitam ſolviſſe, incumbit eidem onus probandi ſolutionem illam fuiſſe indebitam; quia quilibet præſumitur ſolviſſe, ut debitum alteri, quod illi ſolvit.

23 Quæritur undecimò, an debitor moroſus ſit monendus à creditore priusquam accipiat pecuniam cum intereſſe propter ejus moram? Titius non ſolvit Cajo tempore præfixo pecunias ſibi à Cajo creditas; ob id Cajus aſtrictus eſt cum intereſſe tantum, quantum erat debitum, accipere: difficultas eſt, an teneatur monere Titium, ſe velle mutuum ab illo accipere cum uſuris? Reſpondent plures, Titium eſſe monendum, quia fortâſſis ſolvet debitum, ne ob moram teneatur etiam ſolvere intereſſe: vel aliter providebit, ne damnum inde patiatur; hæc ſententia licèt ſit tuta, & in praxim deducenda, oppoſita tamen opinio eſt probabilior, cui adhærent plures cum Petro Navarro *de reſtit. lib. 13. c. 1. num. 281.* Scaccia *tract. de commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 5. n. 266.* ratio eſt, quia non monitio, ſed mora cauſat obligationem in debitore; & damnum quod patitur creditor ex eo quòd ſibi non ſolvatur ſua pecunia: unde cum mora jam cauſaverit obligationem, non videtur neceſſaria talis monitio.

24 Quæritur duodecimò, an debitor moroſus teneatur ſolvere damnum emergens, & lucrum ceſſans? Damnum emergens, & lucrum ceſſans communiter dicitur intereſſe. Damnum emergens dicitur quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet, vel quæ ſibi debentur; ut ſi Titius ratione mutui, quod alteri præſtitit adigatur ipſe pecunias fœnori accipere, ac uſuram ſolvere: vel res ſuas viliori pretio vendere, hoc enim damnum emergens patitur Titius ob pecunias alteri mutuò datas. Lucrum ceſſans habetur quando quis impeditur ab aſſecutione alicujus boni, vel lucri quod poſſet commodè acquirere, ſi non dediſſet alteri mutuas ſuas pecunias. Reſpondetur, quòd ſi mutuatarius ſit in mora, & inde mutuator damnum aliquod patiatur ob non ſolutas ſibi ſuas pecunias tempore præfixo, tenetur mutuatarius ad compenſationem damni, quod mutuator tulit. Neque opus eſt, ut eum interpellet de ſolutione, quia terminus ipſe præfixus ſatis interpellat, virtute pacti ab initio conventi. Tenetur igitur compenſare damnum inde emerſum, quia per omiſſionem ſolutionis fuit cauſa illius, & ſolutio erat debita: unde cum illa omiſſio ſolutionis fuerit contra juſtitiam, tenetur ad compenſandum damnum inde emerſum, & lucrum ceſſans. Idque procedit etiam ſi debitor fuerit in mora per plures annos, tenetur enim ſolvere intereſſe totius illius temporis.

TITULUS XXIV.

De donationibus.

QUæ ad contractus oneroſos pertinent in ſuperiobus Titulis expendimus; ſunt contractus oneroſi, qui ex utraque parte contrahentium obligationem pariunt, ut venditio, emptio, locatio, conductio, feudum: nunc agendum ſupereſt de contractibus gratuitis, quorum præcipua ſpecies eſt donatio, quæ de jure noviſſimo eſt contractus ſtricti juris *l. cum 22. & l. hereditatem 28. ff. eod.* tametſi plures acriùs, quàm par ſit diſputent, an dicendus ſit contractus nominatus, vel innominatus, ut Bart. *ad l. juris gentium 7. ff. de pactis* Jaſon *ad l. cùm mota 6. C. de tranſact.* proximiùs tamen videtur accedere ad cauſam liberalitatis; ſiquidem qui donat, non id præſtat, ut alterum ſibi obliget, quod propriè convenit contractibus; ſed ut donator beneficio afficiat donatarium; & non ob aliam cauſam niſi liberalitatis exercendæ.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PRUDENTES 1. h. t. declarat Gregorius Papa, nobilium eſſe exiſtimare, quòd ſponte tribuunt, ſe debere, & niſi in beneficiis creſcant, nihil ſe præſtitiſſe putant. Ubi notat Gloſſa, id, quod dicitur de incremento eſſe intelligendum ſaltem per bonam voluntatem, quia hilarem datorem diligit Deus. Explicatur textus, ut homo nobilis ita ſit propenſus ad benefaciendum, & dandum, ut debitum putet dare, & nunquam ſatietur dando, quamvis plurima dederit, eò quia beatius ſit magis dare, quàm accipere. Cùm liberalitas ſit virtus, quæ vel maximè nobilibus convenit, ideo proprium eſt Nobilium dare, ut notat Panormitanus hic* num. 2. *& ideo Pontifex tribuit nobilitati donationem tanquam proprium actum.*

C. *FRATERNITATEM 2. h. t. Alexander III. declarat, Prælatum de rebus Epiſcopatûs non poſſe in detrimentum Eccleſiæ graves donationes facere, præſertim inconſultis canonicis, & ſucceſſorem poſſe tales donationes revocare, ſive à clericis, ſive à laicis, eò quia nullius fuerint valoris: & additur etiam ratio, quia Prælatus eſt tantùm Procurator, & adminiſtrator Eccleſiæ, non verò Dominus, quapropter tenetur meliorare conditionẽ Eccleſiæ, non deteriorare. Notat Gloſſa, Prælatum poſſe donare modicum, & in hoc differre à Procuratore: non tamen poſſet parvas donationes facere ſi Eccleſia inde laderetur, quia ſi læſio eſſet gravis, donatio itidem reſpectu ejusdem Eccleſiæ eſſet cenſenda gravis. Cæterum ſi fiat donatio licita poteſtate cautâ, & Capitulum conſentiat, donatio tenet: ſed poteſt peti reſtitutio in integrum, ſi Eccleſia graviter fuerit læſa, ut notat Panormitanus hic* num. 5.

C. *CÆTERUM 3. h. t. Idem Pont. reſcribit, Prælatum juxta loci conſuetudinem poſſe dare in modica quantitate, dummodo conſuetudo ſaeris non adverſetur canonibus, ſicut enim tutor poteſt dare de bonis pupilli conſiderata illius, & bonorum qualitate; ita etiam Prælatus poteſt donare aliqua modica etiam ſine conſenſu Capituli: quia Prælatus non habet minus liberam adminiſtrationem, quàm tutor, niſi obſtet aliqua lex, vel conſuetudo legitima. Ex quo textu infertur, parvitatem rei, & conſuetudinem facere, donum eſſe ratum: quinimò ut notat Gloſſa hic conſuetudo dat jurisdictionem, & liberiorem adminiſtrationem* c. ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælato, *ſunt tamen omnia intelligenda, dummodo enormiter non gravetur Eccleſia.*

C. *CONSULTATIONIBUS 4. h. t. reſcribit idem Pont. Epiſcopum non poſſe dare alicui clerico Eccleſiam, quæ nondum vacat: quòd ſi det declarat, donationem eſſe nullam: poſſe tamen dare locis religioſis. Liquet ex hoc textu, Eccleſiã non vacantem non poſſe dari privatis perſonis, adeò ut qui illam poſſident, non debeant eâ ſpoliari in vita ſua ſine eorum conſenſu. Cæterum locis religioſis de conſenſu capituli poteſt Eccleſia, quæ nondum vacat, dari. Non verò privata perſonæ; in quo ſenſu intelligitur textus* c. cognoſcentes de conſtit. *neminem ſine ſua culpa eſſe ſpoliandum ſuo beneficio.*

C. *PER TUAS 5. h. t. Innocentius III. declarat, non obſtante juramento de non infeudando de novo, poſſe Prælatum integrare feudum conceſſum, ſi non fuerit integrum, ſicut fuit promiſſum. Ubi notandum eſt, poſſe Epiſcopum rem Eccleſiæ infendare ratione ſervitii facti ſuæ perſonæ.*

C. *CUM DILECTI 6. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi clauſula onerosa adjecta ſit ultimæ donationi, eam tantùm afficiat, adeò ut non ſe extendat ad alias, quibus non eſt annexa. Ubi notandum eſt, id ſpeciale eſſe in donationibus, ut clauſula onerosa poſt plures donationes in fine inſtrumenti poſita, proximam tantùm reſpiciat, & afficiat donationem, ut declarat Pontifex in hoc textu: ubi notandum eſt, quòd in contractibus plena, in teſtamento plenior, in beneficiis pleniſſima eſt facienda interpretatio, ratio diſcriminis aſſignatur à Panormitano hic* num. 4. *quia contractus oneroſus inducit obligationem ex utraque parte l. labeo 2.*

ff. de V. S. *proinde reſpectu utriusque debet in interpretatione ſervari aqualitas, ut non ſit in favorem unius, & odium alterius, ſed plena reſpectu utriusque. In teſtamentis verò, & legatis, quia cedunt in bonum præſertim hæredis, & Legatarii interpretatio ſit plenior, quàm in contractibus: quia debet ſatisfieri voluntati defuncti, qua ſubinde fuit largior, quàm verba ſignificent. In donationibus verò ſit interpretatio pleniſſima, quia donatio propriè dicta eſt actus meræ liberalitatis, unde ſicut præſumitur donator largus in donando; ita ejus verba intelligenda ſunt pleniſſimè. Id tamen limitatur. Primò ut non procedat, quando non agitur de præjudicio ſolius concedentis, ſed cederet in enorme præjudicium tertii* l. 2. ſi quis à Principe ff. ne quid in l. pub. C. cum dilectus de conſult. *Secundò limitatur, dummodo interpretatio donationis non deviet à jure communi, quia ut notat Panormitanus hic* num. 5. *omnis receſſus à jure communi eſt odioſus: qua ratione diſpenſationes cenſentur eſſe ſtricti juris.*

C. *PASTORALIS* 7. *h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi Epiſcopus de conſenſu Patroni concedat Eccleſiam pio loco, intelligatur, Patronum dediſſe jus patronatus, & Epiſcopum dediſſe id, quod temporale habebat in Eccleſia, vel conceſſiſſe omnes proventus præter jus cathedraticum. Verùm ad validitatem hujus donationis requiritur conſenſus Capituli.*

C. *INTER DILECTOS* 8. *h. t. Idem Pont. declarat, poſſe Hoſpitalarios, ſeu equites S. Joannis Hieroſolymitani, qui nunc dicuntur Melitenſes ſe, & ſua alteri Eccleſiæ cum ſuis juribus ſubjicere: nec valere, ſi deinde allegent pro ſe propriam turpitudinem, vel quòd ſint perjuri, excommunicati, & in frandem expleverint talem actum; quia jura non ſubveniunt deceptoribus, ſed deceptis: ſalvis tamen rationibus aliorum; quia res inter aliquos acta non debet aliis præjudicium inferre. Ex quo textu colligitur, quòd qui ſuccumbit in poſſeſſorio poſſit intentare petitorium. Hoſpitalarii enim in hoc textu non obtinuerunt pro ſe ſententiam in poſſeſſorio, ſed debuerunt poſſeſſione ad tempus cedere, ſalva tamen ipſis manſit lis in petitorio, ubi eam obtinuerunt. Cæterum notat Gloſſa, allegantem ſuam turpitudinem non eſſe audiendum* c. cum ſuper q. de conceſſ. præb. *niſi vertatur periculum animæ, vel adſit favor Eccleſiæ, aut libertatis.*

C. *APOSTOLICÆ* 9. *h. t. tametſi in can.* bonæ rei 12. q. 2. *definitum ſit, ut Epiſcopus ſi velit conſtruere monaſterium in ſua parochia, & illud dotare de rebus ſuæ Eccleſiæ, non conferat plus quàm* 50. *portionem cenſus ipſius Eccleſiæ, cui præeſt; attamen ſi Eccleſiam ſæcularem velit in monaſterium convertere, vel eam ampliare pro ſepulturis, non ampliùs ſi conferat, quam centeſimam partem redituum, & hoc ſive fiat ſemel, vel pluries ab eodem, vel diverſo epiſcopo; dummodo grave damnum Eccleſiæ, à qua tollit, non patiatur: alioquin ſi cum gravi damno dedit, donatio revocatur, niſi præſcriptio, vel alia legitima exceptio talem revocationem excludat. Cæterum ſine gravi damno Eccleſiæ, ſive det* 50. *ſive* 100. *ſemper requiritur authoritas Papæ.*

C. *PROPTER* 10. *h. t. declarat Gregorius IX. donantem, & non ejus ſucceſſorem poſſe revocare donationem ob ingratitudinem donatarii ſi in ipſum impias manus injecit, vel præſumpſit inferre vitæ periculum, vel attroces injurias, ſeu grave damnum ſuarum rerum: ubi notat Gloſſa, donationem ſemel perfectam non ampliùs revocari, etiam pretextu reſcripti imperialis. Cæterum donatio facta liberto, ſi non præſtet obſequium, revocatur, ut etiam res emptæ ex pecunia donata: non verò revocatur libertas, ſed tantùm propter alias cauſas dictas in textu. Demum donatio matris facta filio, quando tranſit ad ſecundas nuptias revocatur in tribus caſibus, ſi inſidietur vitæ, ſi attrectet percutiat, ſi totam rem effundat.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit donatio, & quotuplex.

DOnatio ſi nominis etymologia ſpectetur eſt quaſi *dondatio l. ſenatus ff. de mortis cauſâ donationibus.* Donum verò eſt datum gratuitum, quod neque ex juſtitia debitum eſt, neque donatario obligationem imponit. Hinc donatio definitur *contractus, quo gratis, & liberaliter aliquid in alterum conferitur, nullo ad id cogente jure.* Sumitur hîc contractus pro pacto, ex quo ſaltem ex una parte oritur obligatio. Dupliciter ſumitur contractus: primò preſsè, & ſtrictè, in quo ultro, citroque inducitur obligatio, ut notat Gloſſa *in l. labeo lib. 1. in V. ultro citroque ff. de V. S.* ſecundò fusè, & laxè, ut cùm ex una tantùm parte eſt obligatio, ut deſumitur *ex l. Julianus §. ſi quis à pupillo ff. de action. empt. & vendit.* & hoc ſecundo modo donatio dicitur eſſe contractus, quia tantùm obligat donatorem ad rem tradendam. Dicitur, quo gratis, & liberaliter aliquid in alterum confertur, quia donatio eſt datio omnino gratuita, & liberalis; datio autem hîc ſumitur pro actione donantis, quæ ex natura ſua ſufficiens ſit ad dominium transferendum: fitque vel traditione rei, vel

officio verborum: hinc duplex est donatio, alia quæ incipit à reali traditione, ut quando res, quæ donatur, simul traditur; & hæc est completa donatio, quæ transfert dominium de donatore ad donatarium: alia quæ incipit à promissione, vel verbali traditione, ut si Titius dicat Cajo: do tibi meam domum, quam habeo in tali loco dissito: & hæc verbalis donatio licèt ex natura sua sit sufficiens ad transferendum dominium; nihilominus jure positivo impeditur, ne dominium transferat, nisi secuta rei traditione; adeo ut si quis rem sic donatam uni, venderet alteri, & simul eam eidem traderet, hic acquireret illius dominium, & donatarius tantùm haberet actionem personalem in donatorem, ut compensaret rei æstimationem: ratio est, quia per solam donationem verbalem sine reali traditione rei donatæ tantùm fuit concessum donatario jus ad rem tribuens actionem personalem in donatorem. Rursus hæc datio dicitur liberalis, quia omnino liberè fit. Addunt postremæ particulæ *nullo ad id cogente jure*, quia res, quæ donatur non est jure debita: hinc excluditur omnis donatio, quæ habet rationem solutionis debiti, vel permutationis, quia neutra est liberalis. Potest nihilominus donatio fieri ex gratitudine, & dicitur donatio remuneratoria debita ex gratitudine: siquidem non repugnat, aliquid dari ex liberalitate, & gratitudine: liberalitas enim, est dispositio necessaria ad gratitudinem; & nemo potest esse gratus in benefactores, nisi sit liberalis: quinimò potest eadem donatio simul esse ex affectu liberalitatis, & gratitudinis: potest enim donator ab honestate utriusque virtutis moveri ad donandum: ut donatio dicatur liberalis sufficit si non sit debita ex justitia, neque ad tale debitum alteri imponendum ordinetur, licèt verum sit, donationem merè liberalem non fieri ex gratitudine, sed ex solo affectu liberalitatis.

2 Hinc liquet discrimen inter donationem, & promissionem: quia promissio ex natura sua secluso jure positivo non habet vim transferendi dominium: secus donatio, quamvis incompleta, quæ fit tantùm verbis, transfert dominium inchoativè, quatenus dat jus ad rem, & tribuit actionem personalem in donatorem; & simplex promissio non dat tale jus: quia promissio respicit donationem futuram, & donatio est translatio rei in alterum de præsenti; licèt posito jure, quo impeditur translatio dominii per donationem verbalem, talis translatio non sit completa. Differt etiam à pollicitatione, quia hæc est solius offerentis promissio *l. 3. ff. de pollicit.* est enim pollicitatio nuda promissio nondum secuta acceptatione ex parte promissarii: secus donatio supponit donatarium acceptare donum. Differt etiam à pacto, quia hoc est duorum consensus, seu conventio, adeo ut ad rationem pacti requiratur essentialiter consensus duorum: ad rationem pollicitationis tantùm consensus pollicitantis; hinc pollicitatio transit in pactum, quando is, cui facta est, eam acceptat; donatio verò non solùm supponit consensum in donatore, sed etiam acceptationem in donatario. Differt demum à stipulatione, quia hæc est contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & secuta responsione debitoris.

Hinc donatio ante acceptationem donatarii non transfert dominium, nec obligat *l. nec ambigi 6. C. eod.* adeo ut ante acceptationem semper possit revocari *l. multum interest C. si quis alteri.* siquidem obligatio non oritur nisi ex mutuo duorum consensu, unde priusquam alterius consensus accedat, donator potest revocare suam donationem: imò mortuo donatario ante acceptationē invalida est donatio, quia ampliùs acceptari non potest, imò ex rigore juris, neque ab hæredibus, eò quia ad illos non fuerit directa, quamvis ex quadam æquitate videatur posse ab iisdem acceptari, cum hæredes personam defuncti repræsentent; & voluntas donatoris præsumatur talis esse, ut si donum donatario non prodest, saltem prosit ejus hæredibus, quod tamen procedit de filiis, non ita si hæredes essent extranei. Rursus si donatio deferatur per nuntium, & contingat, hunc mori ante insinuationem, vel traditionem rei donatæ, censetur donatio tacitè revocata: siquidem per mortem mandatarii, extinguitur mandatum *l. 57. mandat. ff. mandati*: consensus enim donatoris commissus mandatario, ut per ipsum deferatur ad donatarium tunc quasi evanescit, & donatio corruit, quod tamen procedit, si nuntio expresè commissum erat, ut verbis, & traditione reali rem perageret: non ita si tantùm litteras deferendas habuerit: quia si istæ ad manus pervenerint donatarii, sufficiunt ad insinuandam donationem, & tunc, donatarius vicissim per litteras potest donationem acceptare.

Quòd si petatur, undénam oriatur, quòd donatio non habeat vim obligandi ante acceptationem? Respondetur, id provenire non solùm ex jure civili, sed etiam ex jure naturali, vel jure gentium: siquidem jure gentium ut donatio absolutè habeat vim obligandi requiritur acceptatio, quia ubique gentium in contractibus onerosis ante acceptationem licitum est, pœnitere, & revocare suam obligationem: neque opus est expectare donec alter acceptet, vel rejiciat, ac respuat donationem, sed sufficit, si negativè se habeat, eam positivè non acceptando. Tum quia obligatio onerosa, quâ quis se alteri obligat, semper secum trahit tacitam conditionem, nimirum si alter vicissim se vellit obligare: unde donatio habet etiam tacitam conditionem, si donatarius velit donationem acceptare *l. qui absenti 36. §. de acquirend. vel amittend. possess.* ubi dicitur, quòd donator non videatur habere animum se obligandi, donec alter acceptet donum: hinc si nondum impleta sit conditio hæc tacita obligatio potest revocari. Quòd si donatio fiat absenti donator debet per Epistolam, vel nuntium eidem insinuare donationem: id enim requiritur, ut voluntates duorum in unum coeant *l. 1. §. de contrab. empt.* & si alius præcurrens sine mandato donationem illi insinuaret, non sufficeret, ut validè eam acceptaret, ut notat Glossa in *l. nec ambigi 6. c. de donat.*

4

donat. quia cùm promissor non intendat per talem hominem præcurrentem suum consensum, & obligationem in alterum dirigere, non potest alter acceptando quidquam juris acquirere: siquidem cui nihil validè offertur, is nil validè potest acceptare, & quia donator non mittit suum consensum, & obligationem ad donatarium per hominem illum præcurrentem, non potest donatarius ab eodem quidquam acceptare, benè tamen ab eo, qui à donatore mandatur & tunc donatarius debet donationem acceptare coram eodem nuntio, adeo ut non sufficiat, si eam accipiat coram aliis, alioquin duorum consensus non coirent in unum, nec vicissim innotescerent: debet enim acceptatio exprimi illi, qui eam offert, scilicet donatori, vel ejus nuntio, qui ejus locum supplet.

5 Rursus ut ratio valida sit, requiritur, ut donator non revocet suam donationem ante acceptationem: si enim eam revocet, & id innotescat nuntio, quem misit, donatio non transfert dominium *l. si vero* 12. §. *si mandavero ff. mandati*, quia tunc mandatum extinguitur. Quòd si revocatio donatoris non innotescat nuntio ante executionem, tunc procedendum est cum distinctione, vel enim nuntius tantùm se habet per modum simplicis referentis alterius donationem, aut tradentis rem: vel habet mandatum faciendi donationem: priori modo si donatorem pœniteat donationis, factâ revocatione nuntius per insinuationem donationis non transfert dominium, idque defectu consensus ex parte donantis: quia tunc nuntius solum habet officium nuntiandi, non verò tribuendi quidquam juris, nec transferendi dominium. Posteriori modo insinuatio facta per nuntium valida est, non ad transferendum dominium; sed ad tribuendum donatario jus ad rem, & donatori injiciendam obligationem, ut assentiatur: tenetur enim mandatum ratum habere, quod ex vi mandati bona fide, & ejus nomine factum est, ut tradit Gomezius *tit.* 2. *c.* 4. *num.* 3. & desumitur *ex l.* 23. *inter causas ff. mandati.*

6 Solemnis est partitio donationis in donationem inter vivos, & eam quæ fit causâ mortis *princ. instit. h. t.* Donatio inter vivos dicitur, quæ fit absque ulla mortis suspicione ex mera liberalitate, & ea mente, ac proposito, ut res donata statim fiat accipientis, adeo ut pro nullo eventu ad donatorem revertatur, & hæc donatio si semel fiat revocari non potest: & per hoc differt à donatione facta causâ mortis, quia hæc facilè revocatur: hæc tamen donatio inter vivos potest fieri, vel absolutè, & simpliciter, ita ut res donata fiat statim accipientis, nec possit temerè revocari, & hæc est propriè donatio, de qua agitur in præsenti titulo. Vel fit donatio sub conditione, ut si Titius dicat Cajo, do tibi meum equum si Petrus servus Vienna Monachium redierit: & hæc obligatio non ante obligat, nec sortitur suum effectum, quàm conditio impleta fuerit: quia hæc est natura conditionis, ut suspendat actum, & effectum, donec ipsa impleatur. Vel fit sub certo modo, ut si Titius dicat Cajo dono tibi centum aureos, ut eos insumas in pios usus; & hæc donatio statim obligat, & non suspenditur ratione modi adjecti; potest tamen revocari, si modus non impleatur, seu si Cajus non expendat in usus pios centum aureos sibi dono datos *l. 1. C. de donat. sub modo*, vel fit donatio ad certum tempus, nimirum ut res donata fiat donatarii post biennium *l. quoties 3. C. eod.* Vel fit ob causam ut est donatio dotis causâ, quæ fit marito ab uxore, vel ab alio ejus nomine pro sustinendis oneribus matrimonii, ut etiam est donatio propter nuptias: vel vicissim fit à viro uxori in securitatem dotis.

7 Donatio mortis causâ est, quæ fit propter mortis suspicionem: & tunc donator debet exprimere se mortis causâ donare, vel saltem aliunde debet constare, quòd donet mortis causâ: alioquin præsumitur absolutè, & inter vivos donare quamvis ægrotus, & in extremis vitæ constitutus donet. *l. Seia* 42. *in fin. de mortis causâ donat.* Unde donatio, quæ fit mortis causâ non est tam perfecta donatio, quàm illa, quæ fit inter vivos: quinimò nonnisi impropriè dicitur donatio, quia non fit ex mera liberalitate ut perpetuò res fiat donatarii, sicut contingit in donatione facta inter vivos. Donatio enim mortis causâ, & quæ fit ob mortis suspicionem videtur quasi esse conditionata, ut si quid humanitus contigerit donatori, haberet is, qui accepit: sin autem supervixisset, is, qui donavit, reciperet: vel si eum donationis pœnituit, vel prior decesserit is, cui donatum est, ut habetur *in §. mortis causâ instit. h. t.*

8 Hujus donationis species tres recensentur *in l.* 2. §. *h. t.* Una cùm quis nullo præsentis periculi metu conterritus sola cogitatione mortis aliquando futuræ absolutè donat in tempus, quo mortuus fuerit; & hæc donatio non expirat, nisi donatarius ante donantem moriatur, vel donatio à donante revocetur. Alia cùm quis imminente periculo commotus ita donat, ut donum statim fiat accipientis. Alia cùm quis periculo imminentis mortis motus donat quidem, non tamen ut donum fiat statim accipientis, sed tunc tantùm cùm mors fuerit secuta. Verùm secunda species propriè non est donatio mortis causâ, quia per hanc nunquam transfertur per se, & ex vi donationis præcisè dominium irrevocabiliter ante mortem donantis, unde in rigore duæ tantùm sunt species donationis causâ mortis: siquidem dupliciter potest quis intuitu mortis donare, adeo ut quamvis tradat rem donatam; non tamen ejus dominium transferat irrevocabiliter. Primò donat quis mortis causâ quando nullo præsentis periculi metu, sed sola futuræ mortis memoriâ ductus donat. Secundò quando præsenti, ac imminente periculo mortis quis ductus donat: juvat tamen observare discrimen inter utramque donationem; quia quæ fit in periculo vitæ, transacto periculo expirat donatio ipso jure absque ulla alia revocatione, quia tenetur sub conditione mortis subsecuturæ donatum fuisse, ut desumitur ex verbis §. *instit.* & *l.* 12. *ff. de condit. causa data*; ubi habetur *cùm quis mortis causâ donationem cùm convaluisset donator condixit,*

dicit, fructus quoque donatarum rerum, & partus, & quod accrevit rei donatæ repetere potest. Secus extra præsens, ac imminens periculum mortis facta donatio non expirat nisi à donatore revocetur: siquidem tunc non videtur posse assignari conditio, sub qua ante mortem facta sit donatio. Rursus sicut aliæ donationes, ita donatio causâ mortis potest incipere, vel à traditione, vel à promissione: si res donata tradatur donatario ante mortem donantis, per illam traditionem acquirit donatarius dominium rei donatæ, sed revocabile durante toto vitæ tempore donantis, quia donatio facta causâ mortis semper potest revocari à donatore, donec vixerit *l. 29. ff. h. t.* Sin verò donatio incipiat à promissione; tunc quamdiu traditio non accedit, dominium nec ut revocabile transfertur in donatarium. An verò necessaria sit stipulatio, vel possit hæc donatio fieri nudo pacto; & an requiratur utriusque præsentia, vel possit fieri absenti, videtur dubium; quia *in l.* 38. requiritur utriusque præsentia, siquidem dicitur: *nam mortis causâ donatur, quod præsens præsenti dat.*

9 Communior tamen sententia est, posse hujusmodi donationem mortis causâ fieri nudo pacto, perinde ac hodierno jure fieri possunt aliæ donationes, proinde etiam absenti per epistolam, aut nuntium, & tunc donatio valet statim ac donatarius illam acceptat sive per se, sive per alium à jure ad hoc permissum. Ad legem 38. respondet Otomannus, lectionem esse mendosam, adeo ut legendum sit: *quod præsens dat:* vel *quod præsenti datur*, adeo ut vox præsens non ad personam, sed ad tempus referatur; sed hæc juris correctio non videtur necessaria, quia ut docent Julius Clarus, Covarruvias, & alii, stipulatio jure antiquo requirebatur ad donationes factas causâ mortis; & jure novo hoc esse sublatum. Cæterum de natura hujus donationis in causâ mortis, est, ut intervenist acceptatio ante mortem donantis, alioquin donatio non haberet rationem donationis causâ mortis, sed potiùs rationem legati, vel fideicommissi particularis: consequenter non valeret, si fieret à filiofamilias, qui licèt donare posset causâ mortis, non tamen posset testamentum constituere, proinde nec legare, nec fideicommittere *l. 75. §. de legat.* 2. Donatio causâ mortis quoad effectum ultimò completur per ipsam mortem donantis *l. 32. §. h. t.* ubi habetur, quòd non sit perfecta donatio mortis causâ facta, antequam mors sequatur ipsius donantis. Cæterum donatio mortis causâ quoad formam, & modum institutionis convenit cum contractibus, quoad effectum verò convenit verè cum ultimis voluntatibus *l. ult. C. de donat. mortis causâ.* In dubio tamen præsumi debet potius donatio inter vivos, quàm mortis causâ, ut notat Glossa *in d. l. ult. V. indigere C. de donat. mortis causâ.*

10 An verò donatio ut suum sortiatur valorem exigat insinuationem apud judicem, videtur dubium. Insinuatio donationis tunc fit cùm donator coram judice, seu in judicio declarat suam voluntatem donandi, petitque illam in acta redigi, & instrumentum super ea confici. *l. donatio 25. in fin. l. in donationibus 21. C. h. t.* Clarus §. *donatio q. 15. num. 4.* consuetudo tamen invaluit, ut sufficiat, si donatio scripta ipsi judici denuntietur absq; alia scriptura, ut notat Clarus. Respondetur, olim ad donationem excedentem primò 200. postea 300. solidos fuisse necessariam insinuationem, ut desumitur *ex §. alia autem instit. h. t. & l. sancimus 34. C. eod.* de jure tamen novo sola donatio excedens 500. solidos debet insinuari apud judicem, alioquin donatio facta sine insinuatione est invalida, non quidem in totum, ut verius est, ne utile per inutile vitietur; sed tantùm ex parte, quâ excedit 500. solidos, adeo ut donatio sit tantùm invalida quoad excessum, non verò intra summam 500. solidorum: nomine solidorum ex recepta consuetudine in Germania intelliguntur aurei Hungarici, seu ducati, qui antiquis solidis aureis suffecti sunt, adeo ut quæ de solido in jure civili statuuntur, nunc ad ducatum aureum referantur, ut notat Mynsing. *in §. alia autem instit. h. t.* Ratio cur talis donatio facta sine insinuatione sit invalida, est, quia Magistratus ut obviaretur fraudibus, quæ in donationibus magnæ quantitatis facilè possent intervenire, irritavit talem donationem ob bonum publicum. Et ne profusis donationibus cives ad paupertatem redigerentur cum damno Reipublicæ, cujus interest habere cives locupletes.

Hinc si quis debitum aliquod liquidum ex- 11
cedens prædictam summam remittat absque insinuatione, invalida est remissio, quia hæc se habet instar donationis, ut notat Clarus *q. 16. n.* 1. Cæterum is, cui ultra hanc summam donatum est, potest excessum sibi retinere nisi à donatore, vel ejus hæredibus repetatur; leges enim non intendunt obligare donatarios, ut sponte restituant; id enim non videbatur spectare ad bonum commune; sed ut restituant, si donator, vel ejus hæredes petant restitutionem: quia leges non reddunt donatarium inhabilem, sed tantùm tribuunt donatori potestatem pro arbitrio repetendi excessum supra præfatam summam; alioquin si non repetat, potest donatarius excessum sibi retinere, quia scienti, & volenti non fit injuria. Quinimò id procedit, quamvis donator ignoraret, se posse repetere, quia donatarius non tenetur edocere jus donatorem cum suo incommodo.

Excipiuntur tamen quædam donationes, 12
quæ sine tali insinuatione suum sortiuntur valorem: tales sunt, quæ fiunt in redemptionem captivorum, reparationem ædium suarum, quæ corruerunt, vel incendio fuerunt consumptæ *l. penult. §. eamque C. h. t.* Secundò excipiuntur etiam donationes factæ à Magistris militum ipsis militibus *l. penult. C. eod.* Tertiò donationes factæ à Principe non recognoscente superiorem alicui privato *l. sancimus, & authent. item C. eod.* Quartò excipiuntur etiam donationes remuneratoriæ beneficiorum, vel obsequiorum, quia non sunt veræ donationes, ut desumitur *ex l. Aquilius 27. juncta Glossa V. non meram, & l. penult. § si quis ff. h. t.* ut docet Clarus §. *donatio q. 16. num. 6.* idque procedit dummodo donatio non multum excedat merita; alioquin

ſecundùm menſuram exceſſûs non foret donatio remuneratoria, ſed merè liberalis, proinde ſine inſinuatione eſſet invalida, ut notat Zoëſius *ff. h. t. num. 43. & ſequent.* Rurſus excipiuntur donationes, quæ fiunt ob cauſam, ut ad militiam, ad ſtudia, ad nuptias *l. hoc jure 19. §. labeo, & §. ſed & ha ff. h. t.* quia hujusmodi donationes, non ſunt donationes perfectæ, cum iſtæ fiant ob ſolam liberalitatem exercendam *l. 1. ff. h. t.* & quia lex exigens inſinuationem eſt odioſa, eò quia reſtringat liberam facultatem donandi, ideo non debet extendi ultra donationem propriè, & ſtrictè ſumptam.

13 Sin verò donationi factæ ultra ſummam 500. aureorum adjiciatur juramentum de non revocanda donatione, tunc hæc confirmatur etiam quoad exceſſum, & donatio ſubſiſtit in utroque foro, ut tradit Gaillus *l. 2. obſer. 39. n. 12.* quia tale juramentum non eſt diſſonum bonis moribus; non ex ſe, quia ſi fiat in confirmatione alicujus veri, eſt actus honeſtus: neque ratione rei, ſeu ſummæ excedentis, alioquin in nullo caſu donatio ſupra ſummam lege præſcriptam ſubſiſteret, eò quia quod eſt illicitũ per ſe, non fit licitum ex adjecta inſinuatione: unde cùm ſine diſpendio ſalutis æternæ poſſit tale juramentum ſervari, donatio erit valida, & juramentum ſervandum *c. cùm contingat. 28. de jurejur.* Tum quia inſinuatio non requiritur principaliter à lege ob utilitatem publicam, ſed tantùm in conſequentiam, & ſecundariò; lex enim principaliter reſpicit favorem donantium, ne domeſticis fraudibus, quæ in donationibus magnæ quantitatis facilè poſſunt occurrere, cives prodigaliter donando ſuis priventur bonis *l. data 27. c. h. t.* Quòd ſi donator renuntiet legi exigenti inſinuationem ſimpliciter, & ſine juramento, tunc talis renuntiatio eſt irrita: quia tametſi lex inſinuationis principaliter ſancita ſit in favorem donantis: nihilominus quia dat formam ipſi actui, qui ſine illa eſt invalidus, non poteſt ei renuntiare, non enim poteſt quis impedire, ut leges locum non habeant in ſuo teſtamento *l. nemo 55. ff. de legat.*

14 Difficultas tamen oritur, an donatio ad pias cauſas invalida ſit, ſi excedat ſummam 500. aureorum, ac fiat ſine inſinuatione. Reſpondetur cum Julio Claro *quæſt. 17.* hujusmodi donationem validam eſſe. Primò quia tametſi jus civile non permittat, niſi 500. ſolidos, ſeu aureos Hungaricos validè donari, non tamen id ſtatuit in præjudicium piarum cauſarum: ſiquidem Principes ſæculares non poſſunt quidquam ſtatuere in præjudicium bonorum operum, ac eorum, quæ pertinent ad animarum ſalutem, ut ſunt donationes, quæ fiunt ad cauſas pias: ſolùm poſſunt Principes ſæculares ita gubernare Rempublicam ad temporalem tranquillitatem promouendam, ut tale regimen non impediat exercitia virtutum, ſtudia pietatis, & media ad aſſecutionem finis ſupernaturalis; quia potiùs gubernatio politica debet ſubſervire executioni æternæ ſalutis, eámque juvare, ac promovere: ſin autem hæc inſinuatio neceſſaria foret in donationibus, quæ fiunt in cauſas pias, ſemper bona opera impedirentur cum magno boni ſpiritualis detrimento; plurès enim qui nollent, ut tales donationes manifeſtarentur, abſtinerent ſe ab iisdem ob inſinuationem, quam facere tenerentur. Secundò quia *in c. relatum 1. de teſtament.* Pontifex decernit, ne pro legatis ad pias cauſas requiratur ſolemnitas ſeptem, vel quinque teſtium jure civili definita, ſed ſufficiant duo, vel tres, ſicut ſufficiunt jure gentium: quapropter Panormit. *idem num. 4.* infert, donationem ad pias cauſas valere ſine inſinuatione in quacunque quantitate, & addit ſe ita ſæpe reſpondiſſe: quia cauſæ piæ ſubjiciuntur jurisdictioni eccleſiaſticæ, non Principibus ſæcularibus.

Tum quia ſi Pontifex abſtulit numerum illum teſtium, ne legata pia impediantur; præſumendum eſt, nolle etiam donationes pias circumſcribi legibus ſæcularibus exigentibus talem inſinuationem. Tertiò quia ſi Imperator in favorem militum liberas reliquit largitiones ducum in eosdem, adeo ut non obſtante lege inſinuationis valida ſit donatio facta à Præfecto exercitûs militi, quamvis excedat ſummam 500. aureorum: à fortiori concedi debet hoc privilegium piis donationibus in favorem divini cultûs, ſuſtentationem pauperum, & ſalutem animarum. 15

§. II.

Quinam poſſint donare, tam inter vivos, quàm mortis cauſâ? & quæ res donari poſſint.

1 CErtum eſt, eos ſolos poſſe liberè donare, qui dominium habent, & adminiſtrationem, & ſimul facultatem alienandi: qui enim ſolùm habent dominium, ij non poſſunt donare: quia donatio pertinet ad regimen, & diſpoſitionem bonorum. Rurſus qui tantùm habent adminiſtrationem, nec poſſunt donare niſi juxta mentem domini, aut in ejus commodum: & qui carent facultate alienandi non poſſunt donare, niſi quatenus jus, & ſuperior id eis permiſerit. Hinc donare non poteſt, primò is, qui non eſt mentis compos, ut amens, furioſus, ſiquidem mente captus non poteſt conſentire, & ad donationem perinde requiritur conſenſus, ac in cæteris contractibus *l. Julianus ff. de curatorib.* Neque donatio ſubſiſtit ſi, qui non eſt mentis compos, donet, *l. Modeſtinus ad fin. ff. de donat.* quia mentis impos non poteſt contrahere, neque vovere. Sin verò amens per lucida intervalla, ſeu per temporum ſpatia uſum habeat rationis, ſitque ſanæ mentis, poſſitque adminiſtrare, tunc poteſt aliquid donare *l. cum aliis C. de curatore furios.* hinc Bart. *in d. l. cum aliis* ait, curatorem furioſi ceſſare à rerum adminiſtratione, cùm primùm noverit, furioſum ſanitati mentis reſtitutum eſſe: & ad adminiſtrationem reverti, cùm furioſus iterum furere incipit: adeo ut curator furioſi non deſinat eſſe curator tempore, quo ille ad ſanæ mentis uſum redit; ſed adminiſtrationem non exerceat.

2 Secundò prodigus, qui à Magiſtratu poſitus eſt ſub curatore, non poteſt quidquam donare

nare eò quia adempta sit eidem administratio rerum suarum: hinc qui aliquid à prodigo accipit, tenetur illud restituere.

3 Tertiò, impubes, seu masculus, qui nondum explevit annum 14. & fœmella, quæ nondum 12. non potest quidquam donare, si sit magni valoris, & desumitur ex *l. final. C. de testamento milit.* ubi tribuno impuberi denegatur potestas testandi etiam de bonis castrensibus; & additur ratio, quia stabilem mentem nondum sit adeptus: hæc enim ratio etiam urget in donationibus; non tamen ex illa lege prohibetur donatio ad causas pias, sed tantùm, quæ fit extraneis.

4 Quartò, nec minor 25. annis donare potest nisi ratam habeat donationem post expletum 25. annum *l. 1. C. si major. factus ratam habuerit alienationem:* vel nisi authoritate curatoris donaverit. Hinc multò minus pupillus donare potest absque authoritate sui tutoris *l. pupillus. ff. de acquir. rerum domin.* Potest tamen sine tutore acquirere, ut habetur *in ead. l.*

5 Filiusfamilias, donare non potest, quamvis liberam habeat peculii adventitii administrationem: quia illi non conceditur hæc libera peculii administratio, ut pecuniam dissipet, ac perdat *l. filiusfamilias ff. de donat.* Id tamen non procedit, si filiusfamilias constitutus sit in dignitate, habeatque liberam peculii administrationem, ut si sit filius Ducis, vel Principis, nisi pater illi specialiter donandi facultatem ademerit *l. filiusfamilias ff. de donat.* Neque procedit de filiofamilias habente liberam peculii administrationem à Patre, si justa ratione mortis donaverit, præsertim matri, vel sorori, vel aliis consanguineis indigentibus. Neque procedit de filiofamilias habente bona castrensia, vel quasi castrensia: is enim donare potest, tam inter vivos, quàm mortis causâ, eò quia possit testari de peculio castrensi, vel quasi castrensi. Si tamen profusè, ac prodigè donaverit, adeo ut sentiat damnum notabile, potest petere restitutionem in integrum.

6 An verò filiusfamilias consensu patris possit donare mortis causâ, videtur dubium, eò quia nequeat testari nisi de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, non verò de aliis bonis etiamsi accesserit authoritas patris *l. qui in potestate ff. de testam.* proinde videtur dicendum, neque posse donare mortis causâ etiam accedente authoritate patris. Nihilominus *in l. tam is §. ult. ff. mortis causâ donat.* resolvitur hoc dubium, & dicitur, quòd filiusfamilias, qui testamentum nequit condere etiam accedente voluntate patris; nihilominus mortis causâ donare potest id permittente patre. An verò filiusfamilias habens peculium adventitium, si pater non habeat usum fructum, donare possit mortis causâ absque consensu patris; Jason, Cumanus, & alii apud Covarruviam censent, posse tunc filiumfamilias donare mortis causâ sine consensu patris, eò quia ad donationem mortis causâ consensus patris non sit necessarius tanquam pertinens ad solemnem formulam donationis factæ à filiofamilias; sed tantùm ne talis donatio noceat juri patris. Nihilominus contraria sententia videtur probabilior, adeo ut filiusfamilias ex tali peculio non possit sine voluntate patris donare etiam mortis causâ, ita censent Covarruvias *in rubric. de testam. p. 3. num.* 8. Julius Clarus *lib. 4. sent. 4. donatio q.* 6. siquidem ad solemnem formulam talis donationis requiritur, ut fiat authoritate, & consensu patris, ut notat Abbas *consil. 40. ad fin. lib. 2. rubric. consil. 46. num.* 2. Socinus *consil. 212. num. 1.* Cæterum potest donare filiusfamilias inter vivos, si peculium habeat adventitium, in quo patri non sit ususfructus acquisitus. Quòd si filiusfamilias causâ mortis donaverit patri, necessaria sit tunc judicis authoritas, vel sufficiat ipsius patris consensus, adeo ut pater assentiatur donationi sibi factæ à filio causâ mortis; plures putant sufficere solum consensũ patris. Sed opposita sententia scilicet requiri authoritatem judicis verior est, & communior, ut tradit Julius Clarus *loc. cit. q.* 16. quia authoritas nemini patrocinatur in causa propria *l. 1. ff. de authorit. tutor.*

7 Quamobrem filiusfamilias permittente patre, ac consentiente potest mortis causâ donare ea bona, quorum ususfructus ad patrem pertinet, & desumitur *ex l. 25. ff. h. t. §. 1.* ubi dicitur filiusfamilias, qui non potest facere testamentũ, nec voluntate patris, tamen mortis causâ donare potest patre permittente: quia donatio mortis causâ assimilatur contractibus in sua productione: & filiofamilias consentiente patre licitum est, contractus inire proinde; etiam mortis causa donare. Neque obstat illa regula quâ dicitur: cui non est testamenti factio, neque est mortis causâ donatio: nam hæc regula patitur exceptionem nisi consenserit respectu filii pater.

8 An verò consensus patris requiratur ob præjudicium patris, vel ad integrandam personã filiifamilias, utrinque controvertitur. Fachinæus putat, non requiri ad integrandam personam filiifamilias sicut requiritur authoritas Tutoris, sed tolùm ob præjudicium patris, idque probat *ex l. 7. ff. de donat. §. 4.* ubi habetur: pari ratione, qua donare filiusfamilias prohibetur, etiam mortis causâ donare prohibebitur. Quamvis enim ex patris voluntate donare possit mortis causa, attamen cum cessat voluntas, inhibetur hæc quoque donatio: hinc Fachinæus argumentatur: filiusfamilias ea ratione prohibetur sine patris consensu donare mortis causâ, quâ prohibetur donare inter vivos: atqui donare prohibetur inter vivos propter præjudicium patris, ut liquet *ex d. l. 7. ff. de donationib.* ubi dicitur *filiusfamilias donare non potest, neque si liberam peculii administrationem habeat, non enim ad hoc ei conceditur libera peculii administratio, ut perdat*: quia id vergeret in præjudicium patris, qui concessit liberam filio administrationem: ergo filiusfamilias prohibetur donare causâ mortis, ne rem perdat in præjudicium ipsius patris, ad quem id temporis pertinebat res donata. Secus est de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus: quia cum talia bona pleno jure pertineant ad filium, non agitur tunc de præjudicio patris, proinde potest tunc filius

ea

ea donare, tam inter vivos, quàm mortis causâ.

9 Idque firmat Fachinæus *ex l. 8. §. 5. post medium C. de bonis, quæ liber.* ubi filii prohibentur donare ea, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est; unde Fachinæus argumentatur. Si pro solemnitate patris consensus requireretur, quasi filius integram personam non haberet ad donandum causâ mortis, non autem ratione præjudicii, quod inferretur patri; tunc prohibitio locum sibi vindicaret etiam in iis rebus, quarum ususfructus patri non acquiritur; sed præjudicium tantùm habetur de iis rebus, quarum ususfructus patri acquiritur: ergo filiusfamilias etiam causâ mortis prohibetur donare sine consensu patris propter præjudicium ejusdem.

10 Objicitur tamen, quia qui testari non possunt, ii neque mortis causâ donare possunt *l. 1. §. 1. ff. de test.* sed filiusfamilias non potest etiam consentiente patre de illis bonis testari, eò quia id lege prohibeatur: ergo neque poterit donare mortis causâ. Sed contra, quia major propositio tantùm est vera de iis personis, quæ ob vitium inhærens prohibentur testari, ut sunt pupillus, furiosus, mente captus, non verò si ob aliam causam prohibeantur testari: & filiusfamilias non prohibetur testari ob vitium inhærens, sed ob alias causas, quæ non habent locum in donationibus mortis causâ, quæ saltem consentiente patre fieri possunt. Tum quia si sensus illius propositionis non esset prætatus, argumentum nimis probaret: siquidem posset subsumi, sed filiusfamilias nec consentiente patre potest testamentum condere: ergo neque posset donare, quod tamen est falsum.

11 Sed dices, ideo potest filiusfamilias donare de bonis castrensibus, quia potest de illis testari: ergo si nequit de adventitiis testari, nec poterit donare. Sed contra quia potestas donandi non dependet ex potestate testandi, sed potiùs arguitur à majori ad minus: ergo qui habent castrense peculium in ea sunt conditione, ut & donare mortis causâ, & non mortis causâ possint, cùm testamentum condere valeant.

12 Uxor donare non potest de bonis illis, quorum administratio pertinet ad maritum, & id vel maximè procedit, quando maritus supponitur rationabiliter invitus. Excipitur tamen primò, si uxor faceret donationes, & eleemosynas juxta consuetudinem aliarum fœminarum suæ conditionis; quòd si vir eas etiam prohiberet, conferetur tantùm vetare excessum: quòd si inde possent oriri rixæ, & contentiones, tunc consultius esset, ut uxor abstineret à similibus donationibus. Secundò si daret in extrema, vel gravi necessitate proximi. Tertiò si maritus non esset mentis compos, quia tunc administratio devolvitur ad uxorem. Quartò potest etiam aliquid donare ad impediendum damnum mariti sive temporale, sive spirituale. Quintò si maritus absit, quia tunc ad uxorem pertinet administratio, nisi aliter sit à marito præscriptum. Sextò si pro rebus familiæ, vel sibi necessariis aliquid accipiat, ut pro vestibus, pro victu, pro medicamentis. Septimò si parentes uxoris sint pauperes, vivántque miserabiliter secundùm suum statum, vel si uxor habeat prolem indigentem ex alio marito. Octavò potest donare ex bonis paraphernalibus, quæ uxor suo labore, & industria acquisivit. Quæ autem quantitas particularis possit ab uxore donari inscio marito. Diana *tract. 1. misc. resol. 33. & tract. 2. misc. resol. 25. p. 2. & p. 5. tract. 8. resol. 34.* Bannes 2. 2. *q. 32. art. 8.* Malderus ibid. & alii censent, posse uxorem donare inscio marito vigesimam partem lucri annualis, seu annui proventus, eò quia hujusmodi dispensatio sit rationabilis, ac debeat esse interpretativè volita ab omni viro.

Prælatus sive sæcularis, sive Regularis ex rebus, & proventibus Ecclesiæ, Universitatis, vel Collegii non potest facere donationes merè gratuitas, & liberales, saltem immodicas, & notabilis quantitatis, desumitur *ex c. fraternitatem 2. h. t.* ubi Alexander III. rescripsit, ne Prælatus de rebus episcopatûs in detrimentum ecclesiæ graves possit donationes facere, præsertim inconsultis canonicis, & successor potest revocare tales donationes sive à clericis, sive à laicis, eò quia non teneant: & ratio est, quia cum Prælatus non sit dominus, sed tantùm Procurator, & administrator Ecclesiæ, tenetur potiùs meliorare conditionem Ecclesiæ, quàm eam deteriorare. Quamvis Prælatus generalem, ac liberam habeat administrationem bonorum, ac proventuum Ecclesiasticorum, adeo ut possit eos ad augmentum divini cultus, vel ad suam, aut Capituli sustentationem si propria portio non fuerit assignata, vel etiam ad pauperes alendos fideliter erogare *c. nullam. 9. caus. 18. q. 2. c. Apostolicos 13. conf. 12. q. 2.* non propterea potest Prælatus ad libitum de iis disponere, quia non est dominus, sed tantùm juxta exigentiam, & utilitatem Ecclesiæ; proinde non potest merè gratuitas, & liberales donationes ex proventibus Ecclesiæ facere: quia nemo dat, quod suum non est: & proventus ecclesiastici non sunt ipsius Prælati, sed Ecclesiæ; proinde omnino gratis donari non possunt, non enim res aliena ita donari potest, ut statim fiat accipientis, & dominium transferatur in illum *l. in ædibus 9. §. fin. ff. h. t.* Tum quia ex alienis liberalitatem exercere est quædam species injustitiæ: proinde in generali administratione alicui concessa non continetur donario merè liberalis *l. controvers. 28. ff. de pact. l. filiusfamilias 7. in prin. ff. h. t.* 13

Ob causam tamen pietatis potest Episcopus, vel alius Prælatus etiam sine consensu Capituli, & requisitis à jure solemnitatibus ex reditibus ecclesiasticis donationes facere titulo eleemosynæ, dummodo istæ moderatæ sint consideratis Ecclesiæ facultatibus, causâ necessitatis, & aliis circumstantiis: tunc enim donationes non sunt merè liberales, sed fiunt ex quadam juris obligatione, & necessitate, ut subveniatur pauperibus *argum. c. 1. h. t. l. filiusfamilias §. 1. ff. h. t.* siquidem etiam tutor ex rebus pupilli ob talem causam donare aliquid potest *l. cum plures 12. §. cùm tutor. ff. de administ. tut.* quia tunc donationes niuntur justa ratione, ac videntur esse 14

necessariæ, proinde expedire Ecclesiæ, & pupillo, ut fiant ad sublevandam alienam miseriam. Imò potest etiam Prælatus donationes remuneratorias facere in compensationem meritorum in beneficium Ecclesiæ, vel personarum inservientium tali Ecclesiæ: ratio est, quia neque tunc hujusmodi donationes dicuntur merè liberales, quia fiunt ex obligatione gratitudinis, ut liquet *ex l. sed & si 25. §. consuluit. ff. de petend. hared.* ubi remunerationes dicuntur esse veluti quoddam genus permutationis, dummodo non sint immodicæ, & commensurentur obsequiis præstitis.

15 Quinimò ob remunerationem ingentium beneficiorum, quæ Ecclesiæ, vel Prælato ejus intuitu præstita fuerunt donari etiam potest res aliqua immobilis, quæ pertineat ad Ecclesiam præmisso tamen tractatu, & requisitis à jure solemnitatibus, ut desumitur *ex c. quicunque 66,* & ibi Glossa *caus. 12. q. 2.* & colligitur etiam *ex c. per tuas 5. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd non obstante juramento de non infeudando de novo, possit Prælatus integrare feudum concessum, si non fuit integrum, sicut fuit promissum; unde Episcopus ratione servitii facti suæ personæ potest rem Ecclesiæ infeudare. Hinc justa causa donandi, vel concedendi in feudum rem immobilem Ecclesiæ est remuneratio beneficiorum, quæ fuerunt præstita non solùm Ecclesiæ, sed etiam ejus Prælato intuitu Ecclesiæ: etenim si Ecclesia ad liberandum Prælatum ex imminenti gravi periculo potest bona immobilia Ecclesiæ alienare, ac vendere, si necessitas urserit ob pietatis obligationem, ut desumitur *ex tit. 13. de reb. eccles. alienand. vel non.* à fortiori poterit rem immobilem in feudum dare ob remunerationem beneficii, vel obsequii præstiti Ecclesiæ, vel ejus Prælato intuitu Ecclesiæ.

16 Clerici tamen beneficiarii non possunt donare ad suum libitum fructus beneficii, qui superfunt congruæ suæ sustentationi in usus profanos, sed tantùm in pias causas, idque procedit, quando summa est notabilis; tametsi valida esset donatio, nec donatarius teneretur ad restitutionem, non tamen excusaretur donator à gravi culpa. Rursus beneficiarii regulares, quamvis donationes remuneratorias, & ad pias causas facere possint; non tamen in usus profanos, vel ad ditandos consanguineos: siquidem ob votum paupertatis non habent dominium in res illas, sed tantùm administrationem, quapropter ut administratores tenentur juxta præscriptum canonum fructus illos insumere. Prælatus regularis potest nihilominus ex rebus Ecclesiæ donationes modicas facere, etiam merè liberales, præsertim accedente consensu Capituli, & si loci consuetudo id permittat, ut desumitur *ex c. caterum 3. h. t.* ubi Alexander III. rescripsit, quòd Prælatus juxta loci consuetudinem sacris canonibus non contrariam potest dare in parva quantitate. Etenim parvitas rei, & consuetudo faciunt donum ratum, ut enim notat Glossa ibidem, consuetudo dat jurisdictionem, ac liberiorem administrationem, & desumitur *ex c. ea noscitur 7. de his, quæ fiunt à Prælato:* debent tamen fieri hujusmodi donationes cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut enormiter non gravetur Ecclesia: alioquin consuetudo si irrationabilis sit, & dissona sacris canonibus non potest donationes ratas facere: sed tantùm consuetudo rationabilis, quæ si diuturna fuerit, nequit capitulum, seu conventus ei contradicere: illa autem consuetudo censeretur irrationabilis, quæ tribueret facultatem donandi res mobiles pretiosas Ecclesiæ, vel immobiles, quia esset consuetudo contraria SS. canonibus.

17 Hinc ex consuetudine tantùm receptum esse videtur, ut Prælatis liceat tantùm minima, seu modica donare, ut Ecclesia nil lædi censeatur: ratio est, quia facultas donandi hæc minima videtur pertinere ad rectam Oeconomiam, ac liberam administrationem, quam Prælatus habet. Tum quia tali pacto tollitur suspicio avaritiæ, quæ aliena prorsus esse debet à viris religiosis: & rursus conservatur bona existimatio, & benevolentia hominum; qua ratione hujusmodi facultas donandi hæc minima cedit in utilitatem Ecclesiæ.

18 Quæ verò censeantur res minimæ, seu modicæ, quæ omnino liberaliter donari possunt; & quæ immodicæ, ac magnæ, quæ non permittuntur donari; id viri prudentis arbitrio æstimandum est consideratis circumstantiis, seu reditibus Ecclesiæ, dignitate donantis, & qualitate illius, cui res donantur. Cæterum an donatio immodica merè liberalis ex reditibus Ecclesiæ facta à Prælato in notabili quantitate cum consensu Capituli sit valida, videtur esse difficultas: quia si Prælatus etiam accedente consensu Capituli donet in notabili quantitate res Ecclesiæ viro diviti absque causa meritorum censetur talis donatio omnino invalida, & desumitur *ex c. sine exceptione 52. caus. 12. q. 2.* quia non sufficit consensus Capituli, sed rursus requiritur justa causa nimirum Ecclesiæ utilitas.

19 Nihilominus plures censent, hujusmodi donationes in notabili quantitate factas à Prælato ex consensu Capituli esse quidem illicitas, & prodigas, non tamen invalidas, eò quia Prælatus cum Capitulo repræsentat Ecclesiam; proinde potest nomine Ecclesiæ contrahendo aliquid eidem inferre damni, etiam quoad bona acquisita, & non solùm acquirenda, quibus potest Ecclesia renuntiare. Verùm prior sententia est probabilior, eique adhærendum, quia licèt Ecclesia sit domina bonorum, ac jurium ad eandem pertinentium, non tamen hoc dominium est dispoticum, sed conditionatum, ac lege fundationis affectum, adeo ut hujusmodi bona, & reditus non ad quemvis usum applicari possint, sed tantum ad divinum cultum, & ad sustentandos Ministros Ecclesiæ, & pauperes. Unde ut donatio in notabili quantitate valida sit, non solùm requiritur consensus Capituli, sed etiam justa causa, vel necessitas, quæ urgeat; alioquin donatio facta cum consensu Capituli potest per beneficium restitutionis in integrum rescindi, si inde Ecclesia notabiliter læsa fuerit.

20 Cæterum quoad donationes regularium etiam Prælatorum extat Bulla Clementis VIII. quæ

quæ incipit: *Religiosa congregationes*, per quam derogatur omni consuetudini donandi munera in notabili quantitate, & pretio: erat enim consuetudo, quâ superior Religioso facultatem concedebat, ut aliis donaret ea bona, quæ ipse superior alioquin jure donare posset: potestas autem superioris erat secundùm consuetudinem receptam aliquid donandi, quod esset in rem, & utilitatem cœnobii, vel in pauperum, & indigentium usus, vel ad afficiendos munusculis illos, qui de cœnobio, vel Religione benemeriti erant, vel ad conciliandam aliorum benevolentiam, unde non condemnabatur Religiosus, qui ex consensu superioris hoc idem præstaret: præsertim si in aliqua Academia, vel Gymnasio publico alios edoceret, & ex annuis reditibus talia elargiretur munera consanguineis, vel amicis. Pari pacto sanctimonialibus permittebatur aliis de se benemeritis aliqua dona impertiri atquisita propria industria, arte, vel labore manuum suarum, vel ex dono parentum suorum, aut amicorum: & quia hujusmodi largitiones videbantur religiosam paupertatem labefactare, ideo eas prohibuit Clemens VIII. in dicta constitutione edita anno 1594. Verùm hanc constitutionem non esse ubique receptam asserit Suarez *de religione c.* 26. *num.* 15. sed constitutioni Clementis VIII. accessit postea declaratio facta ab Urbano VIII. in Bulla edita anno 1640.

a 1 Quod verò ad res pertinet, quæ donari possunt positis debitis conditionibus, illæ sunt, quæ in commercium humanum veniunt, vel quarum dominium ex uno ad alterum transferri potest, sive res sint corporeæ, sive incorporeæ, ut si quis donationis causâ cum suo debitore paciscatur, ne debitū ante certum tempus ab eo petat *l. in edibus ff. de donat.* Imo potest etiam spes habendi donatione transferri *l. spem futuræ actionis, & l. si quis argentum C. de donat.* Rursus jus litigandi potest etiam donari, dummodo non donetur potentiori: qui enim donaret incideret in edictum *C. de alienat. mutandi judicii causâ.* Potest etiam donari res singularis, & quæ universitatem habeat; vel etiam ex toto, vel ex parte: demum dominium rei potest donatione ad alterum transferri solo usufructu, vel solo usu retento. Donatio verò rei alienæ valet quoad usucapionem, adeo ut non statim dominium, sed jus usucapiendi, & Titulus transferatur: cæterum non valet si vero domino statim noceat *l. 2. C. de donat.* Sin verò quæratur, an donator *l. de evictione* obligetur. Respondetur cum distinctione: vel enim donatio incipit à rei traditione, vel à promissione de re donanda. Si quis promittat, se rem alienam donaturum, si res fuerit evicta, jure cogitur alteram donare, ut notat Glossa *in l. Aristo* §. *ult. ff. de donat.* Sin verò quis donet, & simul tradat rem *l. de evictione* non tenetur nisi ex pacto ipse se obligaverit, si sciens rem alienam dederit, quis tunc contra donatorem potest agi actione de dolo: etenim *in d. l. Aristo* §. *ult. ff. de donat.* sic legitur: *Labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit, in quam sumptus magnos fecerim, si ea mihi evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere: planè de dolo posse me adversus eum habere actionem si dolo fecerit.* Verùm juxta conscientiam possunt impensæ factæ retineri.

Rursus hæreditatem viventis non posse donari liquet *ex l. qui* §. *ult. ff. de donat.* ubi legimus, donationem partis bonorum proximè cognatæ viventis nullam fuisse constabat: verùm ei, qui donavit, ac postea jure prætorio successit: quoniam adversus bonos mores, & jus gentium festinâsset actiones hæreditarias in totum denegandas respondit. Hinc qui donat hæreditatem viventis indignum se constituit eadem hæreditate. Demum neque donari possunt res obligatæ alteri tanquam domino, cujusmodi sunt res censui suppositæ, vel in feudum, vel in emphyteusin acceptæ, quia ut donentur, requiritur consensus expressus, vel tacitus illius, cui tales res sunt obligatæ. a 2

§. III.

Quibus ex causis donatio rescindi possit.

1 CErtum est, donationem inter vivos semel ritè factam nudo pacto, seu consensu, tametsi nulla stipulatio intercesserit, & traditio rei dono datæ nondum facta fuerit, regulariter non posse revocari, sola voluntate, seu pœnitentia donatoris *l. ult. C. de revocat. donat.* imò neque ex rescripto Principis *l. si donationem* 5. neque per amissum instrumentum donationis *l. 2. C. eod.* quia jus semel alicui acquisitum non debet ei sine causæ auferri, neque authoritate Principis nisi ob publicam utilitatem. Id tamen interest discriminis inter donationem factam inter vivos, & mortis causâ, quia per primam donans vult absolutè rem donatam esse alterius, & quidem irrevocabiliter: non ita per secundam: siquidem qui donat mortis causâ non vult absolutè, & irrevocabiliter rem esse donatarii, nisi post mortem donatoris.

2 Donatio inter vivos, tametsi acceptata sit, & res tradita, nihilominus ex triplici causâ potest revocari. Primò ob ingratitudinem donatarii. Secundò ob prolem susceptam. Tertiò si sit inofficiosa, ut communiter docent jurisperiti cum Julio Claro *q.* 21. *num.* 1. Ratione ingratitudinis *in l. fin. C. de revocand. donat.* quinque ponuntur casus; quorum primus est, si donatarius acerbiores injurias in donatorem effuderit. Secundus si crudeles manus in ipsum injecerit. Tertius si plurimum intulerit damni ejus bonis. Quartus, si in periculum vitæ illum induxerit. Quintus si conditionem donationi appositam non impleverit. His quinque casibus solent doctores sextum adjicere, nempe si donatorem inopia pressus non aluerit. Quoad primam causam ingratitudinis, qua donatarius atroces injurias in donatorem effudit, seu verbis injuriosis, aut contumeliosis eum affecit: observandum est, quòd injuria atrox æstimari debet ex circumstantiis, & qualitate personæ, cui infertur, & aliis juxtà arbitrium prudentis judicis. Molina censet, ad revocandam donationem sufficere unam gravem injuriam

riam ſive verbis, ſive facto illatam, eò quia lex non exigat, ut atrox injuria iteretur, ut etiam notat Zoëſius *ff. h. t. num. 85.* Revocari etiam ſolet ad hanc cauſam, ſi donatarius non coactus, & nulla urgente cauſa donatorem accuſet de gravi crimine, ob quod debeat ſubire pœnam mortis, vel mutilationis, vel infamiæ, aut exilii, vel amiſſionis notabilis partis bonorum, imò non ſolùm ſi ſit accuſator, verùm etiam ſi teſtis, vel Advocatus, vel Procurator, adeo ut in judicio agat contra donatorem, eſt enim hujusmodi ingratitudo adeo gravis, ut mereatur revocationem donationis factæ in beneficium donatarii.

2 Quoad ſecundam cauſam, quâ donatarius impias manus injicit in donatorem juvat etiam advertere, quòd non ſit neceſſè, ut donatarius ſuas proprias manus violenter injiciat in donatorem, ſed ſufficere, ſi per ſe, vel per alium id præſtet, & non ſolùm manibus, ſed etiam pedibus, vel lapide, baculo, graviter percutiat donatorem *l. non ſolum 11. in princ. ff. de injuriis*, ſufficit enim ſi percuſſio ſit injurioſa, & ſecum trahat culpam gravem: quia ſi talis injectio manuum violentarum fieret ob defenſionem Reipublicæ, vel propriam, non eſſet ſufficiens cauſa revocandæ donationis, quia tunc percuſſio non eſt culpabilis: & ubi non adeſt culpa, nec pœna eſſe debet. Hoc idem etiam procederet, ſi quis graviter percuteret donatorem, quem ex ignorantia putaret eſſe alium: quia ſine animo offendendi injuria non infertur *l. 3. §. 1. ff. de juris. jur.* Quoad tertiam cauſam ſi donatarius jacturam gravem bonis attulerit donatoris, notandum eſt, hoc damnum grave penſari ex circumſtantiis, & præſertim ſi donator affluat divitiis; ſiquidem quod uni damnum eſt grave, alteri cenſetur leve, unde quale ſit hoc damnum grave, definiri debet arbitrio prudentis judicis.

3 Rurſus non ſufficit ſi donatarius ſolùm attentaverit inferre damnum grave; ſed ulteriùs requiritur, quòd tale damnum revera ſit illatum; & cum jactura notabilis partis bonorum, ut docet Molina *tract. 2. de juſtit. n. 2. §. tertia.* Quoad quartam cauſam ſufficit, ſi donatarius per ſe, vel per alium ſine juſta cauſa donatorem in grave periculum vitæ injecerit, tametſi inde grave damnum non fuerit paſſus, ſufficit enim ſi inſidias vitæ ipſius ſtruxerit, ex quibus ipſi grave vitæ periculum immineret, ut tradit idem Molina *tract. 2. de juſtit. §. quarta.*

4 Hæc tamen non procedunt, quando donatio facta eſt ob cauſam, ut propter obſequia præſtita, vel ſervitia, quæ talem merebantur donationem. Immo nec procedunt in donatione facta Eccleſiæ, vel Monaſterio, quia cùm donatio cenſeatur facta Deo, non poteſt ampliùs revocari: Rurſus donatarius, qui ob aliquam ex recenſitis cauſis meretur, ut donatio revocetur, non tenetur ad reſtitutionem ante latam ſententiam, quia hujusmodi revocatio eſt pœna, quæ ſupponit probatam culpam, ut deſumitur ex pluribus textibus, quapropter debet priùs interponi querela, & poſtea probari ingratitudo. Sin autem res nondum tradita ſit, poteſt tunc donator eam non tradere, & donatarium rejicere per exceptionem ingratitudinis: ſin verò re jam tradita donatarius per injuriam impediat querelam, poteſt tunc donator via compenſationis etiam occultè ſibi conſulere, quia per talem injuriam ſibi illatam patitur damnum. Præterea ſi donator donationem non revocaverit in vita ob injuriam à donatario ſibi illatam; neque hæredes poſſunt eam revocare *l. fin. C. de revocand. donat.* quia hoc jus quod habet donator eſt perſonale, proinde non tranſit ad hæredes.

6 Id tamen limitatur, niſi fortaſſis donator per ignorantiam ingratitudinis in ſe commiſſæ, eam non revocaverit, quia tunc hæredes poſſunt eam revocare, quia quamvis ignoretur ingratitudo, tacitè cenſetur revocata donatio. Revocatur tunc donatio de rigore juris; non tamen ſumitur hic rigor juris, ut opponitur æquitati; ſed accipitur pro jure ſcripto, quod præferendum eſt æquitati non ſcriptæ, ſeu non expreſſæ in jure, ut deſumitur *ex c. ult. de tranſact.* & ibi Abbas *num. 5. in fin.* Immo donatio ob ingratitudinem non revocatur ipſo jure, ſed revocari debet per ſententiam judicis, adeo ut requiratur, ut ingratitudo probetur in judicio à donatore, & ſententia lata ſit contra donatarium, unde hic non tenetur reſtituere ante ſententiam latam.

7 Cæterum probata ingratitudine, & lata ſententia revocantur etiam fructus, qui præter rem donatam reſtitui debent; id tamen procedit de fructibus perceptis poſt litem conteſtatam, non verò de perceptis ante illam, quia eos percepit tunc ex re propria, ut tradit Molina *tract. 2. de juſtitia num. 6.* Præterea donatio à patrono facta liberto etiam revocatur, ſi libertus patrono obſequium præſtare neglexerit: quinimò repetitur etiam res empta per libertum pecunia donatoris *l. 1. C. de revocand. donat.* ſed non adimitur ipſi libertas *l. ſola C. de liberali cauſa.*

8 Ratione prolis ſuſceptæ etiam revocatur donatio, ſi quis enim per plures annos prole caruerit, & propterea bona omnia, vel eorum partem donaverit, ſi poſtea præter ſpem liberos ſuſcipiat poteſt facta donatio revocari, ut deſumitur *ex l. ſi nunquam 8. C. de revocand. donat.*: ſiquidem donatio facta tempore, quo donator caruit prole præſumitur fuiſſe facta ſub tacita conditione niſi ei naſcerentur liberi, qui naturaliter ſuccederent in bonis poſſeſſis: quòd ſi donatio facta ſit extraneo revocatur tota: ſin verò facta ſit alicui aſcendentium, ut patri, vel avo revocatur tantùm quoad legitimas filiorum. Idque etiam procedit quando donatio facta fuit Eccleſiæ, vel ad aliam piam cauſam, tunc enim ſolùm revocatur, quantum accreſſe eſt, ex filii, qui poſtea naſcuntur legitimam habeant, ut notat Julius Clarus *q. 32. num. 2.* Ratio eſt, quia quod priori datum eſt filio non revocatur, niſi quantum ad legitimas, quæ debentur aliis liberis, qui poſtea ſuſcipiuntur: Eccleſia autem ſe habet inſtar filii, ut notant communiter Canoniſtæ cum Panormit. proinde à

deco-

donatione ipſi facta nonniſi legitimæ detrahuntur pro filiis poſt talem donationem ſuſceptis à donatore.

9 Tum quia quod datur in piam cauſam, datur propter ſalutem animæ, cujus cauſa non eſt minus favorabilis, quàm cauſa filiorum, ut deſumitur *ex authent. ſi qua Mulier. C. SS. eccles.* Nonnunquam tamen ad extinguendam omnem ſuſpicionem avaritiæ, & ad populorum ædificationem conveniens eſt, ut quod ante liberos ſuſceptos datum eſt Eccleſiæ, vel Monaſterio, Prælatus iisdem filiis ſuſceptis reſtituat, etiam totum, ut *in c. fin. 17. q. 4.* refertur, id præſtitiſſe Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem. Non tamen donatarius tenetur quidquam reſtituere, donec, quod datum fuit, repetatur: ſiquidem quamdiu non repetitur, præſumitur, quòd donator non deſideret reſtitutionem, ac velit jure ſuo cedere. Rurſus ſi donator expreſsè renuntiavit privilegio *l. ſi unquam* ſi donaverit, non poteſt poſtea donationem revocare, quamdiu vivit, tametſi ei liberi naſcantur.

10 Sin verò donator juraverit, ſe non revocaturum donationem, poteſt nihilominus ſuſceptâ prole eam revocare, quia juramentum non excludit tacitam, conditionẽ, quæ ex diſpoſitione juris ineſt illi donationi: ſi enim qui deſperans prolem ſuſcipere, bona ſua alteri donet, juretque, ſe donationem non revocaturum, intelligitur ſub hac conditione, ſi non ero liberos ſuſcepturus, ut tradit Julius Clarus *q. 32. num. 1.* quia ſupponitur, quòd nolit privare liberos bonis, quæ ipſis naturaliter ſunt debita, habent enim liberi jus naturale, ut ſuccedant in bona patris, quod jus cùm non habeat extraneus, cui fit donatio, ideo lex diſponit in favorem liberorum, & ſupponit talem donationem juramento firmatam non eſſe abſolutam, ſed conditionatam.

11 Quòd ſi donator expreſsè excluderet etiam illam tacitam conditionem, & vellet donationem ſuum ſortiri valorem, tametſi eſſet liberos ſuſcepturus, & eam juramento firmaret, non poſſet poſtea illam revocare, ut notat Julius Clarus *q. 22. n. 4.* quia quando juramento firmatur, quod non eſt malum, & poteſt ſervari ſine diſpendio ſalutis æternæ, juramentum ſervandum eſt; & non revocare talem donationem non eſt malum, proinde debet juramentum ſervari. Verùm poſt patris obitum poſſunt filii eam revocare, quia habent jus ad bona patris.

12 Revocari etiam poteſt donatio inofficioſa, ſeu quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios, ut ſi pater totum extraneis daret, & filii inde privarentur ſua portione legitima *l. 1. & ſequent. C. de inofficioſ. donat.* Quòd ſi donatio facta fuerit alicui ex filiis, revocatur tantùm usque ad legitimam cæterorum *l. 5. & 8. C. eod.* ſin verò facta fuerit extraneis animo fraudandi proprios filios tota donatio revocatur: ſi tamen aliquid relictum fuerit liberis, tunc plures cenſent probabile, non revocari donationem niſi quoad ſolas portiones legitimas, quæ pertinent ad filios, ut tradit Covarruvias *lib. 1. variar. c. 19. in fin.* ubi pro hac ſententia citat Panormitanum, & alios. Sin verò donatio aqua fuerit facta animo fraudandi liberos, ſolùm revocatur quoad legitimas filiorum, ut notat Clarus *q. 24. num. 4.* Rurſus ſi donatio facta ſit Eccleſiæ, vel ad piam cauſam, ſolùm revocatur quoad portiones legitimas filiorum, ut docent Jaſon *conſil. 141.* Decius *conſil. 247.* & alii, quia Eccleſia eſt inſtar filii, & donatio facta eſt in favorem animæ.

Cæterum donatio inofficioſa facta à patre 13
habente filios non revocatur, nec in parte, nec in toto, niſi poſt obitum patris, quia tunc primùm debita eſt filiis portio legitima, proinde tunc tantùm incipit donatio illa cedere in præjudicium filiorum. Non tamen donatio inofficioſa quamvis valida ſit usque ad donantis obitum, ſit ſine peccato, eò quia cedat in gravę damnum liberorum, quod poſt obitum donantis experiuntur. Hinc ſi Titius promitteret donationem inofficioſam, & ſuam promiſſionem juramento firmaret, non teneretur ſtare promiſſo, nec adimplere ſuam promiſſionem inofficioſam, quia ſine peccato non poſſet eam implere. An verò donatio inofficioſa irrita ſit ipſo jure, vel reddatur irrita per interpoſitam querelam? Bartol. cenſet, ipſo jure irritam eſſe, adeo ut res donata condici, & vindicari poſſit, quando donatio reſcinditur pro filiis, qui recèns naſcuntur: ſecus quando infirmatur tanquam inofficioſa, tunc nonniſi per interpoſitam querelam irritatur Gloſſa *in l. 1. C. de revoc. donat.* Donatio tamen remuneratoria non poteſt revocari ob easdem cauſas, ob quas revocari poteſt donatio abſolutè, & ſimpliciter facta, idque deſumitur *ex l. ſi pater. ff. de donat.* & docet Panormit. *in c. ult. de donat.* ubi ait; leges, & jura de revocanda donatione, tantùm comprehendere eas donationes, quæ non ſunt gratiâ remunerandi beneficia ſuſcepta, & obſequia præſtita.

Donatio, cui adjicitur conditio, ſi conditio 14
adhuc pendeat, diſſolvi non poteſt, eò quia talis donatio tempus futurum expectat, ut conditio impleatur. Hinc ſi conditio expleta non fuit, nequit donatio revocari, quia non eſt ſortita ſuum effectum. Quòd ſi conditio deficiat, neque revocatur, quia quod non eſt, non poteſt revocari, ac perinde ſe habet, ac ſi donatum non eſſet *c. ad diſſolvendam de deſponſat. impub.* rurſus expleta conditione non eſt amplius revocabilis, quia tranſit in donationem ſimplicem, & puram. Conditio tamen præſentis, vel præteriti addita donationi eam non ſuſpendit, ſed ſi conditio exiſtit, donatio valet, ſecus ſi non exiſtat, tametſi ignoretur.

Idque procedit etiam de conditione circa 15
futurum omnino certum: quia quod eſt certò futurum, jam in præſenti eſt verum, proinde conditio cenſetur præſens, ut notat Gomez. *c. 12. de legat. num. 63.* Unde ſola conditio futuri incerti ſuſpendit donationem usque ad eventum conditionis, quia antequam conditio purificetur, non poteſt certò conſtare, an res erit exſtitura: unde qui ita donat, non intendit, ut illud fiat donatarii, antequam purificetur conditio, licèt in donatario oriatur jus dependens à futu-

futuro quoad sui impletionem, ut etiam in donatore obligatio standi promisso.

16 Quòd si conditio, sub quâ donatio facta est, tempore præfixo à donatore non fuerit purificata, donatio non obligat, quia in irritum recidit, quia dispositio dependens ab hominis libertate, non habet majorem vim obligandi, nec potest aliter obligare, quàm disponens intendat; & quia hic non intendit se obligare, antequam conditio purificetur; ideo donatio non sortitur suum effectum, antequam conditio impleatur. Quòd si conditio impossibilis fuerit, tunc non suspendit, sed irritam reddit donationem, & nulla ex illa oritur obligatio, neque potest eidem fidejussor accedere, ut notat Gomez *tract.* 1. *c.* 12 *num.* 67. & desumitur *ex l. impossibilis 7. ff. de V. O. & l. non solum 31. de action. & obligationib.* ubi etiam adfertur ratio: quia omnium ea cogitatio est, ut nihil agi existiment appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem; tunc enim conditio, nisi præsumatur joco adjecta, prodit dissensum, non consensum. In matrimonio tamen conditiones impossibiles, & turpes adjectæ contractui matrimonii, habentur pro non adjectis ob favorem matrimonii; proinde non irritant contractum iis exceptis, quæ sunt contra substantiam matrimonii, ut declaravit Gregorius IX. in sua constitutione, quæ habetur *in c. final. de conditionibus appositis.*

§. IV.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an dos assignata filiæ à patre possit revocari post initum matrimonium ob ingratitudinem ipsius filiæ, vel ejus mariti? Respondetur negativè, & desumitur *ex l. si dotem 24. C. de jure dotium*: ratio est, quia dos fuit assignata filiæ propter causam, ob quam pater tenebatur illam dotare *l. qui liberos 19. ff. de ritu nuptiar.* Tum quia talis dos non potest dici donum merè liberale, & gratuitum, quia debebatur filiæ, & quod est debitum, non datur gratis, unde pater dotando filiam suam potiùs persolvit debitum, quàm liberaliter donaverit. Immo id videtur etiam probabiliùs procedere de extraneo, qui dotem dedit, non enim potest hic ob ingratitudinem uxoris, vel ejus mariti dotem revocare, quia tametsi non teneretur ad dotandam puellam, cujus non erat pater; nihilominus quia ex causa onerosa assignavit ei dotem, non potest ampliùs revocari; habet enim dos rationem contractus onerosi, proinde non videtur merè liberaliter dedisse, nec propterea potest dos illa assignata puellæ revocari, ut notat Zoësius *ff. h. t. num.* 96. imò id etiam procedit, sive extent liberi, sive non.

2 Quæritur secundò, an circa excessum, vel defectum justi pretii in contractibus præsumatur donatio, si contrahens omnino taceat? Respondetur, quòd si contrahens sciat valorem rei, & contrahat nulla necessitate compulsus, nec ullus interveniat metus, nec ulla inferatur vis, nec irrepat fraus, tunc contrahens præsumitur liberè donare excessum à latitudine justi pretii, quia scienti, & consentienti non accidit quidquam invitè: & præsertim hæc donatio præsumitur, quando contrahentes sunt sanguinis necessitudine copulati, vel amicitiâ juncti. Alioquin est regula generalis, quòd donatio non præsumatur, quoties alia interpretatio, vel conjectura fieri potest *l. cum de indebito 25. §. fin verò ff. de probat.* Menoch. *de arbit. judic. cas. 88. num.* 1. adeo ut neque ob solam sanguinis conjunctionem, quamvis arctissimam præsumatur donatio, nisi ex aliis circumstantiis conjiciatur. Sunt tamen alii casus, in quibus jura donationem præsumunt, ut si vir nobilis, & dives, aliquid alteri exhibeat, dummodo non sit magni pretii, præsumitur tunc res exhibita donò data, ut notat Glossa *in l. si uxori 32. §. fin. ff. de legat. 3.* idque firmari potest *ex c. prudentes. 2. h. t* quia ibi dicitur, quòd nobilium sit existimare, quod sponte tribuunt, sed verè, & nisi in beneficiis crescant, nihil se præstitisse putant, propria enim nobilium virtus est liberalitas. Rursus donatio præsumitur, si merita præcesserint; quod enim post præstita obsequia datur censetur donatum in remunerationem præcedentium meritorum, ut notat Menoch. *de arbit. judic. c.* 88. *num.* 53. Demum præsumitur donatio, si venditor nulla necessitate, vel dolo inductus rem magni valoris vili pretio vendiderit, quia cum sciverit justum ejus pretium, si illud non petierit, præsumitur id donâsse, ut notat Menoch. *loc. cit.*

Quæritur tertiò, qualis interpretatio fieri 3
debeat in dubio donationis? Respondetur, quòd si donatio facta fuerit inter vivos, interpretatio debet laxissimè fieri in favorem donatarii, idque desumitur *ex c. cum dilecti 6. h. t.* ubi dicitur, quòd ultimis donatis ultimo loco clausula onerosa apposita extenditur ad ultimam tantùm donationem, cui annectitur, quamvis aliàs clausula in fine instrumenti, vel dispositionis posita, etiam si onerosa sit, referatur ad omnia præcedentia, quamvis diversa sint negotia *c. secundò requirò 41. & c. inquisitionis 71. de appellat.* Hoc tamen non procedit, quando in eodem instrumento plures continentur donationes, quarum prior facta sit pura, & sine aliquo onere, vel conditione: posterior verò cum onere, & conditione pensionis; tunc clausula onerosa adjecta in fine instrumenti non extenditur ad priorem donationem in eodem contentam, sed tantùm refertur ad posteriorem conditionatam, ut notat Abbas *in d. c. cum dilecti num. 6. & 7. h. t.* ubi addit, quòd si utraque donatio esset absoluta sine onere, & conditione, tunc non appareret ratio, cur clausula adjecta deberet magis referri ad posteriorem; quàm ad priorem donationem.

Quòd si in contractibus interpretatio in ca- 4
su donationis dubiæ sit plena: in testamentis tamen, & ultimis voluntatibus sit plenior: & in beneficiis, donationibus, ac gratiis, seu privilegiis interpretatio sit plenissima, idque habetur *in d. c. cum dilecti 6 h. t.* & etiam colligitur *ex l. cùm quid 3. ff. de reb. credend.* quia in contractibus reciprocis ultro, citroque obligatoriis

tortis ſervanda eſt æqualitas inter contrahentes, proinde verba non ſunt nimis ſtrictè, nec nimis laxè interpretanda in favorem unius, & odium alterius, ſed ut recta fides exigit, adeo ut neutra pars conqueratur de gravamine. Quòd verò in teſtamentis, & ultimis voluntatibus interpretatio debeat fieri amplior, ac debeat eſſe plenior, deſumitur *ex l. in teſtam.* 12. *ff. de regul. jur.* ſiquidem qui teſtatur, vel relinquit legatum mortis causâ, huic licet liberaliter donationem aliquam facere, proinde interpretatio debet eſſe plenior, quàm in contractu.

5 Demum in beneficiis, donationibus, privilegiis pleniſſima interpretatio facienda eſt, ut habetur *in c. quia circa* 12. *de privileg.* & præ cæteris beneficia Principum laxiſſimam ſuſcipiunt interpretationem *c. olim* 16. *de V. S.* quia cùm hujusmodi gratiæ procedant ex mera liberalitate, jura præſumunt, donatorem voluiſſe eas laxiſſimè accipi, ac intelligi, id tamen procedit, quando gratiæ cedunt in præjudicium ſolius concedentis, non in damnum tertii *l.* 2. *C. de precib. imperat. offer. & l.* 2. *§. ſi quis à Principe ff. ne quid in loco, vel itiner. public.* ubi dicitur, quod in reſcripto, aut privilegio Principis non cenſentur conceſſa, quæ aliis adferunt incommodum, niſi id in reſcripto exprimatur. Præterea neque beneficia, nec privilegia ampliſſimè interpretantur, quando derogant juri communi, ut ſunt diſpenſationes: ratio eſt, quia quilibet receſſus à jure communi eſt odioſus, quia ſicut bonum commune eſt præferendum privato; ita major eſt favor juris publici, quàm privati *arg. c.* 1. *in fin. & c.* 2. *de fil. Presbyter. & c. dilecti* 3. *de conſanguin. & affin.*

6 Quæritur quartò, an Prælatus, ſeu Epiſcopus poſſit donare beneficium, quod nondum vacat, alicui clerico? Reſpondetur negativè, & id deſumi *ex c. conſultationibus 4. h. t.* ubi Alexander III. reſcripſit, quòd Epiſcopus non poſſit dare Eccleſiam non vacantem alicui clerico: & ſi dat, donatio ſit nulla: poteſt tamen dare locis religioſis. Ratio primæ partis eſt, quia collatio beneficii, vel Eccleſiæ, ſi fiat particulari perſonæ ſit in Titulum: & quia Titulus beneficii eſt ſpiritualis, proinde indiviſibilis, & Titulus jam ſit penes beneficiarium adhuc viventem, non poteſt eodem non remoto in alium transferri, alioquin eſſet partim in uno, & partim in alio, proinde divideretur contra naturam tituli ſpiritualis: hinc ejusdem beneficii non poſſunt eſſe duo beneficiarii *c. cum non ignores* 15. *& c. tua* 20. *de prabend.* Secunda pars ex eo etiam evincitur, quia conceſſio Eccleſiæ, aut beneficii facta alteri Eccleſiæ, vel Monaſterio incorporatur eidem per unionem etiam pleno jure quoad bona temporalia, & ſpiritualia; licèt Titulus non transferatur, ſed maneat penes Rectorem viventem: & tunc Titulus, ſeu jus non eſt actualiter penes Rectorem Eccleſiæ, cui unita, & incorporata eſt alia Eccleſia, ſed tantùm habitu, ſeu potentia; quia actu eſt penes Vicarium intitulatum.

7 Quæritur quintò, an ſi donatio Novitii ſit invalida, adhuc Monaſterium poſſit donata retinere? Poteſt donatio facta Monaſterio à Novitio eſſe nulla. Primò quia Novitius non potuit diſponere de bonis donatis. Secundò quia tametſi potuerit liberè diſponere, non tamen ſufficienter diſpoſuit ex defectu ſolemnitatis, vel alterius requiſiti. Quòd ſi donatio fuit irrita priori modo, oritur dubium, an bona donata adhuc pertineant ad Novitium, an verò poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem iis privetur: ſi enim cadit ab iisdem bonis, certum eſt, non poſſe Monaſterium bona illa retinere, quia ad ipſum non pertinent ratione donationis, nec alio modo: non ratione Novitii, quia licèt hic per emiſſam profeſſionem incorporetur Monaſterio, & fiat membrum illius, quia tamen cecidit ab iisdem bonis, etiam Monaſterium ſupponitur ratione membri cecidiſſe. Quamobrem difficultas oritur, quando donatio eſt de iis bonis, de quibus poteſt Novitius liberè diſponere. Reſpondetur, quòd tametſi donatio Novitii facta monaſterio ſit irrita, nihilominus poſt emiſſam profeſſionem adhuc bona donata fiunt monaſterii: quia tametſi non perveniant ad monaſterium ratione donationis, quæ ſupponitur irrita ex defectu ſolemnitatis, vel alterius requiſiti, pertinent tamen ad monaſterium alio titulo: quia tametſi donatio ſit nulla, non tamen Novitius privatur dominio talium bonorum, quia donatio irrita non abdicat dominium à donante *l. non putavit. §. non quavis. ff. de bonor. poſſeſſ. l. aut nullum C. de legit. hared.* Rota Romana coram Ludoviſio *decis.* 496. *num.* 9. *& decis.* 745. *num.* 8. coram Merlino. Ex eo igitur, quòd dominium talium bonorum perſeveret in Novitio, ſi is emittat ſolemnem profeſſionem ex vi ejusdem omnia ſua bona, & jura transferuntur in monaſterium, quia quidquid habet Monachus, acquirit monaſterium, quod propterea non ratione donationis irritæ, ſed titulo juris, quod Novitius habet in talia bona, fiunt hæc monaſterii juxta *authent. ingreſſi C. de SS. eccles.*

8 Hinc ſi donatio non eſſet facta in favorem religionis, ſed tertiæ perſonæ, & talis donatio eſſet irrita defectu alicujus requiſiti neceſſarii ad ejus validitatem; adhuc poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem talia bona pertinerent ad monaſterium; quia adhuc profeſſio ſortiretur ſuum effectum dedicandi Deo, & religioni non ſolùm perſonam, ſed etiam ejus bona juxta *d. authent. ingreſſi C. de SS. eccles.* cùm igitur bona donata ob nullitatem donationis adhuc remaneant apud donantem, qui per emiſſam ſolemnem profeſſionem incorporatur monaſterio, etiam unà cum ipſo incorporantur ejus bona.

9 Quòd ſi dicas, ex tali donatione quamvis nulla ſatis apertè conjici animum donantis, qui erat transferendi dominium talium bonorum non in monaſterium, ſed in extraneam perſonam juxta *l. legatum §. fin. ff. de adimplend leg.* Decius *conſil.* 3. *num.* 36. Contra eſt, quia non obſtante intentione Novitii, bona illa ratione ſolemnis profeſſionis emiſſæ tranſeunt in monaſterium, quia cum intentio donantis non potuerit ſortiri ſuum effectum ob nullitatem donationis, ideo bona donata adhuc remanſerunt ſub dominio ipſius, & cum per profeſſionem

nem solemnem emissam sic efficaciter, & sua omnia Deo, & Religioni dedicet; ideo ex vi hujus efficacis dedicationis, transferuntur in monasterium, perinde ac si præcessisset vera donatio efficax, & valida. Immo id procedit quamvis Novitius tempore professionis nil sciverit de nullitate talis donationis: siquidem translatio bonorum in monasterium consequitur ad translationem personæ, quæ trahit secum omnia bona, & jura ex natura sua: proinde non est necessaria in emittente solemnem professionem hæc specialis voluntas transferendi in monasterium bona illa, quia ex se unà cum persona transeunt ad monasterium: persona enim est principalis, & jus, seu dominium in illis bonis est accessorium, quod sequitur naturam, & conditionem principalis.

10 Quæritur sextò, an donatio facta sine solemnitatibus juris civilis intuitu ingressus in religionem suum sortiatur valorem? Potest quis de propriis bonis disponere, ac liberè donare, eò quia intendat habitum religiosum suscipere, adeo ut intuitu ingressus in religionem possit in favorem ejusdem, vel alterius personæ extraneæ donare omnia sua bona, & instituere donationem inter vivos, ut statim transferatur dominium: vel etiam mortis causâ, ut non sortiatur effectum, nisi post mortem civilem, seu emissam professionem solemnem, quæ civiliter æquiparatur morti. Certum est, quòd si hoc posteriori modo donatio fiat in favorem religionis suum sortitur valorem, tametsi facta fuerit absque solemnitatibus juris civilis, ut notat Natta *consil. 150. num. 7.* quia per hanc donationem donator disponit liberè de rebus propriis juxta id, quod secum esset allatura solemnis emissa professio in religione, quamvis non præcessisset donatio; proinde ut diximus in præcedente quæstione non ratione donationis, sed titulo dominii manentis in Novitio emittente professionem transeunt talia bona in monasterium.

11 Difficultas igitur est, quando donatio fit in favorem tertiæ personæ, & etiam religionis, sed inter vivos, an tunc valida sit, si careat solemnitatibus juris civilis? Respondetur, talem donationem carentem solemnitatibus juris civilis factam ante susceptionem habitus religionis esse invalidam, tametsi facta fuerit intuitu ingressus in religionem. Ratio est, quia quando fit donatio attendendus est status, in quo donator reperitur, & quibus legibus tunc teneatur, ac statutis obligetur, ut habetur *in l. 2. ff. de in diem addict.* ut observat Bald. *in l. Julianus ff. de condic. indeb.* Rota *decis. 125. n. 49. p. 5. recent.* & qui nondum induit habitum religiosum est in statu laicali, & licèt donet intuitu ingressus in religionem, per id tamen non fit, quòd exierit è statu laicali, cum nondum factus fuerit religiosus: atqui donatio, quæ fit à persona laica sine solemnitatibus juris civilis est invalida, proinde etiam donatio illa facta intuitu ingressus in religionem est nulla.

12 Quæritur septimò, an donatio facta à Novitio intuitu professionis emittendæ valida sit, si careat solemnitatibus juris civilis, fiatque in favorem tertiæ personæ? Respondetur, talem donationem suum sortiri valorem, ut communiter docent Canonistæ Abbas *in c. in præsentia num. 54. de probat.* Anchar. *consil. 69. n. 7.* Ratio est, quia tametsi Novitius eò quia nondum emiserit professionem solemnem, non sit plenè Religiosus, est nihilominus in via ad statum Religiosum, & censetur persona ecclesiastica constituta in statu ecclesiastico, ut defumitur *ex c. Religiosa §. 1. de sent. excommun. in 6.* & ita censent communiter Canonistæ Jason *in authent. si qua mulier. circa fin.* Geminian *in c. Religiosa de sent. excommun. in 6.* Franch. *in c. benefic. de regul. jur. in 6.* Tiraquel. *de retract. consanguin. §. 1. Glossa 8. n. 2.* atqui ecclesiastici non tenentur regulare suas dispositiones juxta solemnitates juris civilis: unde si Novitius est intra statum ecclesiasticum, & recensetur inter personas ecclesiasticas, non tenetur regulare suam donationem juxta solemnitates juris civilis, proinde licèt donatio facta à Novitio careat solemnitatibus juris civilis, adhuc suum sortitur valorem. Juvat tamen observare, quòd cum per mutationem status de laicali in ecclesiasticum Novitius subtrahatur à jurisdictione laicali, legibus, ac statutis civilibus; subjicitur tamen jurisdictioni ecclesiasticæ, cùm ipse status ecclesiasticus, quem Novitius profitetur, eidem suffragetur; hinc Novitius in suis dispositionibus subjicitur solemnitatibus juris ecclesiastici, consequenter non potest de rebus propriis quidquam disponere intra annum novitiatûs, nisi intra duos ultimos menses anni probationis, juxta decretum Concilii Tridentini *sess. 25. c. 16. de regul.* alioquin donatio facta ante duos ultimos menses esset nulla, quia Concilium illam irritat, quamvis firmaretur juramento, & renuntiaretur favori hujus dispositionis.

13 Quæritur octavò, an Prælatus ecclesiasticus possit in remunerationem meritorum alicujus personæ laicalis ei donare bonum aliquod immobile; vel mobile pretiosum, quod pertineat ad Ecclesiam? Ratio dubitandi est, quia tametsi prohibeatur donatio, non ita remuneratio *l. metum §. sed licet ff. de eo quod metûs causâ l. jubemus nulli §. scientes C. de SS. eccles.* Tiraquel. *in l. si unquam V. donat. largit. C. de revocand. donat.* siquidem remuneratio propriè non est donatio, quia hæc exigit fieri ex liberalitate, & omnino gratis; & remuneratio non fit ex pura liberalitate, sed ex debito, seu intuitu obsequii præstiti: hinc *in l. sed, & si lege §. consulvis. ff. de petit. hared.* remuneratio dicitur esse quædam species permutationis, & *in l. si pater. §. fin. ff. de donat.* remuneratio reducitur ad quandam speciem mercedis, quæ datur alteri ratione servitii, & obsequii præstiti; ex quibus liquet, remunerationem non comprehendi nomine donationis: proinde licèt hæc prohibeatur, non propterea intelligitur prohibita ipsa remuneratio. Hinc cum Clemens VIII. interdixisset Regularibus munerum largitiones, ac donationes rerum ecclesiasticarum; Sacra Congregatio ad id specialiter deputata ab Urbano VIII. declaravit, talem prohibitionem non comprehendere donationes remuneratorias; quam declaratio-

nem

hem confirmavit idem Urbanus in ſua conſtitutione 158. §. 1.

14 Reſpondendum nihilominus eſt, Prælatum eccleſiaſticum non poſſe in remunerationem donare bona immobilia, vel mobilia pretioſa, ſi hæc fuerint magni valoris, eò quia id omnino prohibitum ſit *in extravag. Paulina ambitioſa de reb. eccles. non alienand.* ſiquidem in Paulina conſtitutione non ſolùm prohibetur quæcunque alienatio liberalis, verùm etiam quæcunque alia, ſive fiat titulo venditionis, vel quocunque alio, & prohibetur expreſsè quæcunque ſpecies alienationis, conſequenter etiàm donatio remuneratoria, quia per hanc habetur vera, & propria alienatio, quamvis non liberalis bonorum Eccleſiæ; quæ alienatio non poteſt fieri ſine ſolemnitatibus à jure canonico requiſitis: ſiquidem ad alienationem rerum Eccleſiæ duo copulativè requiruntur, ſcilicet utilitas, & ſolemnitas, adeo ut una ſine altera non ſufficiat, *c. ſine exceptione 12. q. 2. c. nulli de reb. eccles. non alienand.* Imola *in c. ad aures, num. 1. de reb. eccles. non alienand.* Covarr. *lib. 2. variar. c. 17. num. 2.* ubi citat plures doctores: ergo utilitas, & ſolemnitas etiam requiruntur in donatione remuneratoria, cùm hæc ſit vera, ac propria alienatio, per quam dominium rei transfertur de Eccleſia ad laicum: quamobrem examinandum eſt, num hæc utilitas adſit, & hoc examen nonniſi ab Apoſtolica ſede fieri poteſt; proinde eſt neceſſaria ſolemnitas conſenſus Apoſtolici, præſertim cùm difficulter ſalvari poſſit Eccleſiæ utilitas in donatione remuneratoria. Tum quia in hiſce donationibus præcipuè attenditur ipſa ſolemnitas: ſiquidem ſolemnitates inventæ, & inductæ fuerunt ad excludendas alienationes inutiles, & ad juſtificandam utilitatem, quæ ex alienatione derivatur in Eccleſiam, ut tradit Rota coram Mantica *decis. 101. num. 5.* & coram Merlino *decis. 702. num. 76.*

15 Quæritur nonò, an ſola voluntas donandi in donatore ſufficiat, ut donatarius poſſit rem ſibi retinere? Reſpondetur negativè, quia promiſſio donandi propriè non continet donationem, conſequenter non dat jus ad rem, quam donator dicit ſe velle dare: ſiquidem promiſſio donationis, reſpicit donationem, ut faciendam tempore futuro; proinde non continet ejus executionem, ſed tantùm obligationem ad exequendum, ſi qui vult donare, intendat ſe obligare ad ineundam donationem, alioquin ſi non intendat ſe obligare, nullam contrahit obligationem, ſed tantùm declarat ſimplex propoſitum donandi ad oſtendendum affectum liberalem: unde donatarius non poteſt, quod fuit deſignatum pro donatione, ſibi retinere: quia defectu intentionis ſe obligandi non poteſt obligatio induci, proinde non acquiritur jus donatario ad rem in donum deſignatam, ut tradunt, Molina *de juſtit. & jure tract 2. diſp. 262. n. 1.* Pasqualig. *in quæſt. moral. canon. centur. 2. q. 152.* Neque ullum faceſſit negotium, quòd ſit de ratione promiſſionis inducere obligationem ad implendum promiſſum, adeo ut poſſit promiſſor ad id adigi, ut deſumitur *ex l. ubi autem non apparet §. fin. ff. de V.O.* & docent communiter Juriſperiti *in l. ſtipulationes ff. de V.O.* Quia id tantùm eſt verum de promiſſione, quæ propriè eſt vera promiſſio, & acceptata à promiſſario: non verò quando non eſt vera promiſſio, ſed tantùm quædam oſtenſio propoſiti ad indicandum animi affectum. Et licèt ſtante tali propoſito exteriùs manifeſtato videatur adeſſe ſufficiens fundamentum interpretandi voluntatem, quòd Petrus contentus ſit, ut Paulus retineat, quod ipſi promittit donaturum? nihilominus hoc propoſitum licèt exteriùs manifeſtatum non eſt ex ſe ſufficiens fundamentum interpretandi tali pacto mentem promiſſoris, niſi quid aliud concurrat; quia tale propoſitum manifeſtatum ſemper reſpicit donationem, non ut factam, ſed ut faciendam, proinde ut nondum obligantem: hinc virtute talis propoſiti manifeſtati non poteſt promiſſarius ſibi retinere, quod promiſſor promittit, ſe ipſi daturum; ad id enim adhuc requiritur alius actus, quo donator dicat, nunc dono rem hanc Paulo; ſi præſcindamus ab hoc ultimo actu, voluntas donantis eſt adhuc indeterminata, & indifferens ad donandum, vel non donandum. Quamobrem illa interpretatio tantùm fieri poſſet, quando facta eſſet promiſſio inducens obligationem ad donandum: quia tunc mens præſumitur eſſe talis, qualis de jure debet eſſe, ut notat Jaſon *in l. cauſam n. 3. C. de tranſact.*

16 Quæritur decimò, an pactum de donando de facto contineat ipſam donationem; adeo ut ſi Petrus dicat Paulo, ſe velle illi relinquere in teſtamento mille aureos; ſi ab inteſtato poſtea deceſſerit poſſit Paulus virtute pacti illam pecuniam ſibi retinere? Reſpondetur probabilius, Paulum ex vi hujus pacti non acquiſiviſſe jus ad mille aureos, ut ad legatum ſibi relictum, conſequenter non poſſe eos ſibi retinere, ita enim cenſent Tiraquel. *tract. de retract. convent in fin. num. 48.* Salicetus *in l. ſi quis argentum §. fin. C. de donat.* quia promiſſio, ſeu pactum ſimpliciter relinquendi legatum in teſtamento non eſt abſolutè promiſſio, ſed tantùm coarctata ad teſtamentum, & ad legatum, ſi nimirum promittens teſtamentum condiderit: ſiquidem legatum non inſtituitur, niſi per teſtamentum, quòd ſi non ponatur, nec ponitur legatum, conſequenter promiſſio aliquid relinquendi in legatum non ſortitur ſuum effectum, niſi interveniat diſpoſitio ultimæ voluntatis ob alligationem ad illam, ratione cujus debeat ſortiri ſuum effectum.

17 Quamobrem cùm quævis diſpoſitio trahatur ad tempus, in quo confertur effectus *l. quod ſponſa C. de donat. ante nuptias:* & in præſenti caſu non intervenerit diſpoſitio ultimæ voluntatis; pactum, ſeu promiſſio non poteſt ſuum effectum ſortiri. Tum quia quando teſtamentum eſt imperfectum quoad voluntatem, non valet, nec quoad legata pia. Hinc ſi teſtator diceret, ſe velle teſtari, & etiam juberet vocari Notarium, & teſtes, & interim inſtitueret hæredem, & aliqua legata; ſi decederet priusquam venirent Notarius, & teſtes, tale teſtamentum quoad legata eſſet invalidum, ut tradunt Covarruvias *in c. relatum, 1. num. 9. de teſtam.*

Paris. *consil.* 24. *num.* 11. *vol.* 3. Jason *consil.* 155. *vol.* 4. quia testamentum, & legata non subsistunt, nisi virtute ultimæ voluntatis: & quando testamentum est imperfectum quoad voluntatem, adeo ut habeatur tantùm quædam præparatio ad ultimam voluntatem, tunc non habetur ultima voluntas: siquidem ex mente testatoris ultima voluntas determinanda est coram Notario, & testibus, adeóque non habetur donec determinetur juxta modum, quem sibi testator præscribit: proinde si ita non determinat, non habetur effectus ultimæ voluntatis. Neque pactum de donando continet ipsam donationem, siquidem pactum ex genere suo non continet ipsum factum, ut liquet in sponsalibus, quæ continent pactum de matrimonio ineundo, & tamen non continent factum, seu ipsum matrimonium: quia promissio facti, seu matrimonii, non est ipsum factum, nec matrimonium ut notat Covarruvias 3. *variar. c.* 4. *n.* 7. quamobrem tale pactum solùm inducit obligationem donandi juxta factam sponsionem: & si judicialis fuerit, parit etiam obligationem, quâ promissor potest adigi, ut exequatur promissum, ut desumitur ex *l. cùm ostendimus* §. *fin. ff. de fideiuss. tut. & l. tale pactum* §. *qui provocavit. ff. de pact.* Aretinus *in l.* 1. *init. ff. de V. O.* Jason *in l. juris gentium* §. *si cum nulla n.* 19. *ff. de pact.*

18 Quæritur undecimò, an donatio mortis causâ accenseri debeat contractibus, vel ultimis voluntatibus? Respondent jurisperiti cum distinctione, si donatio mortis causâ spectetur præcisè quoad sui initium, ordinationē, seu productionem, tunc asserunt, proximiùs accedere ad rationē contractûs, quàm ad ultimas voluntates. Sin verò spectetur quoad effectum, & stabilitatem, quatenus ampliùs non potest revocari, dicunt sub hac ratione magis accedere ad ultimas voluntates, quàm ad rationē contractûs: & inferunt, quoad sui initium, & productionem judicandum esse de donatione mortis causa, sicut de aliis contractibus, & secundùm leges contractuum: quoad verò effectum, & stabilitatem esse judicandum juxta leges ultimarum voluntatum, dummodo in jure non fuerit statutum quidquam speciale, ut quando jus exigit quinque testes, si summa donationis excedat 500. solidos, & non concurrat insinuatio. Cæterum donatio mortis causâ in multis convenit cum legatis. Primò quia est revocabilis. Secundò quia non requiruntur ad ejus valorem quinque testes, sicut in codicillis *l. fin. C. h. t.* Tertiò quia non requiritur insinuatio *l. fin. C. h. t.* Quartò quia in ea habet locum falcidia. Quintò etiam jus accrescendi, quando habet locum in legatis factis duobus simul *l. unic. C. de caduc. tollend.* §. 14. Sextò perinde in legatis, ac in donationibus mortis causâ conditiones turpes, & impossibiles habentur pro non adjectis. Septimò in donatione mortis causâ attenditur capacitas donatarii tempore mortis donatoris, & etiam habilitas donantis tempore mortis, non tempore donationis *l.* 22. *ff. h. t.* ubi dicitur, quòd in mortis causâ donationibus non tempus donationis, sed mortis inspiciendū est, an quis capere possit. Octavò sicut dominium legati absque alia traditione transit in legatarium à morte testatoris: sic etiam dominium rei donatæ causâ mortis *l.* 2. §. *de public. in rem act.* Nonò in solemnitatibus convenit cum codicillis.

Differt tamen hæc donatio in aliquibus ab 19
ultimis voluntatibus. Primò quia donatio mortis causâ confirmatur morte donantis sine additione hæreditatis, dummodo priùs fuerit acceptata *l.* 5. §. 17. *ff. de his, quæ ut indignis.* Secus legata non confirmantur independenter ab additione hæreditatis. Secundò ad donationem mortis causâ requiritur acceptatio ante mortem donatoris, & per hoc convenit cum contractibus. Tertiò quia donatio mortis causâ potest in alterius voluntatem conferri, perinde ac alii contractus. Quartò filiusfamilias accedente patris consensu potest donare mortis causâ, licèt non possit testari *l.* 25. §. 1. *ff. h. t.* Cæterum si oriatur dubium, an donatio fuerit inter vivos, vel mortis causâ; si nulla facta sit mentio mortis præsumitur fuisse donatio inter vivos, eò quia donatio inter vivos verè, ac propriè sit donatio, & verba sumi debent in proprio sensu. Hinc alleganti donationem mortis causâ incumbit probare, factam fuisse mortis causâ. Quòd si imminente mortis periculo facta sit donatio, & nulla in eadem fiat mentio mortis, tunc donatio judicatur esse inter vivos, quia ut jura loquuntur, non tam mortis causâ, quàm moriens donâsse videbitur *l.* 42. §. 1. *ff. h. t.*

Quæritur duodecimò, an donator possit 20
instituere donationem mortis causâ irrevocabilem, si non ex toto, saltem ex parte? Respondetur, posse ex parte talem donationem fieri irrevocabiliter, dummodo ex alio saltem capite sit revocabilis, idque desumitur *ex l.* 35. §. 4. *ff. h. t.* Difficultas tamen est, an si donationi factæ mortis causâ addatur clausula, *quòd nunquam revocari debeat.* tunc talis donatio gaudeat juribus donationis mortis causâ, vel censenda sit donatio facta inter vivos, plures enim docent, talem donationem per adjectam clausulam degenerare in donationem inter vivos, idque probant *ex l.* 27. *ff. h. t.* ubi dicitur, quòd ubi ita donatur mortis causâ, ut in nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quàm mortis causâ donatio; & ideo perinde haberi debet, sicut alia quævis inter vivos donatio; ideoque inter viros, & uxores non valet: & ideo nec falcidia locum habet quasi in mortis causâ donatione. Alii è converso asserunt, talem donationem adhuc esse censendam mortis causâ, idque desumunt *ex l.* 13. §. 1. *in fin. ff. eod.*

Verùm pugnantes sententiæ possunt recon- 21
ciliari adhibita distinctione duplicis modi, quo irrevocabilitas potest donationi adjici à donatore. Primò potest donator per pactum quasi reflexum, ac distinctum ab ipsa donatione velle se obligare ad non revocandam donationem; imò potest etiam hanc eandem obligationem firmare juramento, & in tali casu valdè probabile est, talem donationem adhuc esse mortis causâ, & gaudere ejus juribus: quia non obstante tali obligatione etiam juramento firmata,

adhuc

adhuc si donans contraveniret revocando donationem, revocatio valida foret, tametsi peccaret, sicut in sponsalibus, tametsi Cajus promiserit etiam cum juramento se ducturum Hertam, & postea duxerit Catharinam matrimonium est validum; tametsi Cajus peccet non stando promissioni juramento firmatæ; & tantùm tenetur priori sponsæ ad interesse.

22 Secundò potest donatio ita institui, ut donator dicat, se ita donare, ut velit, omnem revocationem esse nullam, & nullâ sibi repetitione competere: & tunc talis donatio non esset censenda mortis causâ, sed inter vivos, tametsi mors imminens fortassis fuerit causâ donandi, & ita sentiunt ferè communiter Canonistæ Fachinæus *lib. 5. c. 23.* Menoch. *lib. 3. de præsumpt. 35. num. 21.* quia tunc mors est potiùs causa impulsiva, quàm finalis talis donationis: quoties enim ita donatur, ut dominium rei donatæ absolutè, simpliciter, & irrevocabiliter transferatur in donatarium, est donatio inter vivos, tametsi fiat in imminente mortis periculo, quia mors imminens est tantùm causa impulsiva.

TITULUS XXV.

De peculio Clericorum.

QUia Pontifex in præcedenti Titulo egit de donationibus, congruè in præsenti Titulo quærit, an clerici sive donando, sive aliter alienando possint disponere de suo peculio, sive bonis in clericatu aut possessione beneficii acquisitis: unde rectè adjicitur præsens Titulus de peculio Clericorum, dicitur enim peculium in jure quasi pusilla pecunia illorum, qui sunt juris alieni, non suo, ut filiorum familias, & servorum, quam habent seorsim à bonis, & pecunia patris, vel domini, deducto, quod illis debetur, quæ pecunia cùm regulariter magna esse non soleat, fit, quod diminutivo pecuniæ nomine designetur *l. 5. §. fin. ff. de pecul.* & transfertur etiam ad pecuniam, & bona Clericorum, tametsi sint sui juris, quia illis non competit thesaurizare super terram, sed contentos esse honesto victu, & amictu.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *INVESTIGANDUM 1. h. t. Ex Concilio Arelatensi statuitur, ut beneficiatus emens prædia, si non habeat patrimonium tempore assumpti beneficii, præsumatur emisse de bonis ecclesiæ, proinde empta prædia esse juris ecclesiastici. Verùm ut notat Glossa, hæc præsumptio admittit probationem.*

C. *PRESBYTER 2. h. t. Ex eodem Concilio statuitur, ut Prælatus, qui emit de bonis Ecclesiæ debeat nomine Ecclesiæ emere: alioquin sit removendus ab administratione. Id tamen intelligitur, quando emit de nummis, vel bonis Ecclesiæ, non ita si emat ex bonis propriis patrimonii. Cæterum quæ Clericus ex fructibus Ecclesiæ comparat, debent nomini Ecclesiæ adscribi, non bonis ipsius clerici.*

C. *UT UNUSQUISQUE 3. h. t. Ex eodem Concilio statuitur, ut unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis acquisierit, teneatur propriæ Ecclesiæ relinquere. Quod etiam intelligitur de acquisitis ex fructibus Ecclesiæ, non de bonis patrimonialibus, vel industria, labore, aut artificio comparatis, vel donatis.*

C. *INQUIRENDUM 4. h. t. Ex Concilio Remensi prohibetur, ne ullus Presbyter de reditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, aut votis sæcularium alieno nomine res comparet, quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine debet fraudem facere de facultatibus ecclesiasticis, frans enim nemini prodesse debet. Cæterum quæ clericus ex propriis patrimonialibus emit, sibi acquirit non Ecclesiæ, nisi ultro ipsi donet. Fraus verò, de qua loquitur textus, debet esse gravis, ut si quis ex bonis Ecclesiæ suo, vel alieno nomine, sibi aliquid comparare, & vendicare velit, ut proprium. Generatim fraudem de bonis ecclesiasticis facere dicuntur clerici, si illa, quæ ultra decentem, & suo statui competentem sustentationem in usus non pios insumant.*

C. *SI QUIS 5. h. t. Ex Concilio Toletano statuitur, ut Rector, qui melioravit terras, & bona Ecclesiæ, ea possideat, quamdiu vivit: non tamen moriens possit alicui relinquere in testamento, vel hæreditario jure, nisi fortassis Episcopus voluerit illa assignare alicui pro servitiis factis Ecclesiæ. Ubi notat Glossa, beneficiatum non comparari usufructuario, quia de fructibus perceptis non potest testari, sicut usufructuarius. Quamvis clericus beneficiorum fructus faciat suos, de illis tamen, quæ supersunt congruæ sustentationi, non potest testari, neque hæredibus ea relinquere. In hoc autem textu illud peculiariter statuitur de his, quæ sunt in terra, seu solo Ecclesiæ, ne post mortem beneficiarii pertineant ad Ecclesiam, quod sanè æquissimum est, & conforme juri civili, ubi in l. 7. de acquir. rer. dom. §. 12. 32. instit. eod. §. 19. dicitur, quod plantatum, seu ædificatum alieno solo, sive ex propria, sive ex aliena materia solo cedit.*

IN SEPTIMO.

C. ROMANI 1. h. t. Paulus III. motu proprio ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declarat, bona Prælatorum ſine facultate teſtandi decedentium pertinere ad fiſcum reverendæ camerę Apoſtolicæ, ſive bona hujusmodi, vel ſpolia, in quibuvis regnis, ac dominiis tam citra, quàm ultra montes, & maria reperiantur, quæ pro tempore poſt obitum Prælatorum, & perſonarum quomodolibet qualificatarum etiam Cardinalatus honore fulgentium, qui vel nullo condito teſtamento, vel absque ſufficiente facultate, aut ultra quantitatem de qua habuerint facultatem condito, deceſſerunt, vel decedent, remaneant ad cameram Apoſtolicam, & non ad alios.

C. ROMANI PONTIFICIS 2. h. t. Pius V. declarat, conſtitutionem Pauli III. non extendi ad ſacra ſupellectilia ornamenta, nec ad res divino cultui dicatas, adeò ut ornamenta Eccleſiæ, paramenta ſacerdotum, ſacra vaſa altarium, miſſalia, gradualia, ac cantus firmi, & muſica, aliique quomodolibet nuncupati libri non comprehendantur nomine ſpolii, ut nec etiam vaſa aurea, & argentea, & alia quæcunque bona pertinentia ad uſum, & cultum divinum etiam in privatis capellis, vel oratoriis, & declarat hæc omnia ſpectare ad easdem Eccleſias tempore obitus eas obtinentes, ac habentes.

C. OFFICII NOSTRI 3. h. t. Gregorius XIII. declarat, bona regularium extra clauſtra degentium comprehendi nomine ſpoliorum, & eſſe adjudicanda fiſco camerę Apoſtolicæ, ut heredi bonorum Eccleſiaſticorum. Hinc Pontifex, ut conſuleret indemnitati ejusdem camerę Apoſtolicæ, declarat, res & bona, quæcunque per dictos regulares extra clauſtra Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, & quorumcunque regularium, locorum, degentes, quocunque jure, & actione ſive ex cauſa teſtati, ſive inteſtati acquiſita, & impoſterum acquirenda, vel ad eos delata in quibusvis Provinciis, dominiis, regnis, & locis conſiſtant, niſi iidem ad quos iſta ſpectaverint ſufficienti fuerint teſtandi, vel de illis diſponendi facultate ſuffulti, & ea legitimè uſi fuerint, ad eandem cameram pleno jure declarat pertinere.

C. ILLA 4. h. t. Idem Pont. declarat, res quæcunque bonorum mobilium, ſeu immobilium poſt obitum Prælatorum, & quarumcunque perſonarum eccleſiaſticarum extra urbem Romam decedentium relictas pertinere ad cameram Apoſtolicam, cujuscunque ſint qualitatis generis, vel ſpeciei, etiam gemmas, & alia pretioſa, ac pecuniarum ſummas, nec non fructus, reditus, & proventus menſarum hujusmodi à die vacationis Eccleſiarum, vel monaſteriorum.

C. DECENS 5. h. t. Pius IV. declarat, Clericorum bona omnia per negotiationem illicitam quæſita, quæ tempore obitus eorum manent inconſumpta, ſpectare ad ſacram Romanam Eccleſiam: conſecuta quoque quæcunque via ſacris canonibus prohibita.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit peculium; & an clerici ſint domini reditum Eccleſiaſticorum.

1 PEculium dicitur eò quia ſit puſilla pecunia; vel puſillum patrimonium teſte Ulpiano *in l. depoſiti 5. §. ult. ff. de peculio.* Eſt peculium diminutivum pecuniæ, ſi ſumatur pro puſilla peconia; quæ notatio eſt Grammaticorum: ſin verò peculium ſumatur pro puſillo patrimonio eſt vox juridica, & ſignificat pecuniam illam ſeparatam à rebus, & ratiociniis Patris, datam, vel promiſſã filio, aut ſervo; ita juridicè deſcribitur peculium ſecundùm primævam nominis etymologiam *in d. l. depoſiti ult. ff. de peculio.* Hinc peculium ſumi poteſt laxè, vel ſtrictè; priori modo ſignificat potiſſimùm patrimonium alicujus, qui à patris poteſtate eſt liberatus, vel à dominica: ſtrictè eſt portio patrimonii exiſtentis ſub alterius poteſtate, ut eſt filiusfamilias, vel ſervus permiſſu patris, vel domini habens portionem aliquam pecuniarum, vel aliarum rerum ſeparatam à rationibus patris, vel domini tanquam propriam: unde in jure civili peculium eſt illa pecunia, quam ſervus, vel filiusfamilias à rationibus domini, vel patris ejus permiſſu ſeparatam habet, ac poſſidet.

Eſt autem in jure civili peculium filiorum quadruplex, ſcilicet caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe, 2 adventitium, & profectitium. Peculium caſtrenſe eſt quidquid filiusfamilias acquirit ratione militiæ juſtæ, ſive extra, ſive intra mœnia, ſive re ipſa militando, ſive exercendo officium publicum, quod pertineat ad militiam, cujusmodi ſunt officia tabellionis, nautæ, remigis. Rurſus ad peculium caſtrenſe pertinet etiam quidquid filiusfamilias dono acquirit intuitu, vel ratione militiæ; quod alioquin non eſſet acquiſiturus, ut etiam quidquid ex hujusmodi bonis iterum lucratur. Immo ex privilegio Conſtantini Imperatoris bonis caſtrenſibus accenſentur etiam, quæ filiusfamilias acquirit in regio palatio ob aulicum obſequium ſuâ induſtriâ, aut parſimoniâ, vel Principis munificentiâ *l. unic. C. de caſtrens. omnium palatinorum pecul.*

fui. Circa hæc bona caſtrenſia filius habet plenum jus tam quoad proprietatem, quàm quoad uſumfructum, adeo ut poſſit de illis liberè diſponere.

3 Peculium quaſi caſtrenſe eſt, quod filiusfamilias acquirit ex advocatione, ſeu cauſarum patrocinio, ex publico munere, & actione aliqua, vel ex profeſſione liberalium ſcientiarum: hinc ad peculium quaſi caſtrenſe pertinet, quidquid filiusfamilias acquirit ex aliquo publico officio habente ſtipendium, ut ex officio judicis, aſſeſſoris, advocati, magiſtri artium liberalium, Theologiæ, juris canonici, vel civilis: non ita accenſetur peculio quaſi caſtrenſi ſtipendium Procuratoris, quia hoc munus non eſt publicum, & poteſt etiam infami competere: neque quod acquiritur per artem Mechanicam *l. ult. C. de inof. teſt.*

4 Pertinet etiam huc quidquid donatur ab Imperatore, vel rege, imperatrice, vel Regina *l. 7. C. de bonis quæ liberis.* Immo etiam feuda, cùm hæc plerumque dentur à Principe. Monet tamen Waizenegg *diſſert. 2. de ſervit. c. 4. n. 11.* eſſe committendam rem hanc arbitrio prudentis judicis, ut feudi naturâ diligenter examinatâ, ex obſequiorum genere, ſervitiorum qualitate, perſonarum conditione, concedentis affectione, aliisque circumſtantiis decernat, ad quæ bona ſint feuda reducenda. Communis tamen ſententia eſt, patrem in feudis non habere uſumfructum, eò quia feudatarius ſit etiam uſufructuarius, proinde ſi feudum datum eſt filio, adeo ut ſit feudatarius, ſit etiam uſufructuarius. Peculium hoc quaſi caſtrenſe æquiparatur peculio caſtrenſi, proinde cenſetur eodem jure *l. cum oportet 6. C. de bonis, quæ liberis &c.*

5 Peculium adventitium dicitur quod advenit filio aliunde, quàm ex re patris, vel intuitu patris: hinc ad peculium adventitiũ pertinet quidquid filius aliunde acquirit, quod non ſit bonum caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe: neque ex occaſione proxima, vel intuitu patris primariò, nec ab ipſo patre filius acquiſivit. Talia ſunt, quæ filio advehiunt jure hæreditatis ex linea materna, donatione, propria induſtria, labore, artificio, eventu fortuito, ut ſi inveniret theſaurum, gemmam, vel quid aliud pretioſum. Huc etiam pertinet, quod filius per negotiationem ex pecunia mutuò à patre accepta lucratur; ut etiam quod donatur à patre donatione auctorali; aut ita ut in partitionem cum aliis non debeat adduci. Rurſus quæ à patre donantur donatione remunerativa ad peculium pertinent adventitium, perinde ac ſi pater eſſet, perſona extranea, quæ daret filio, quia tunc pater non cenſetur præcisè donâſſe filio affectu paterno, ſed per modum ſimplicis remunerationis.

6 Rurſus quæ avus etiam paternus donat Nepoti in patria degenti ſub poteſtate patris, & non avi, ſi dubium ſit, an intuitu patris donata ſint, accenſentur etiam peculio adventitio, cujus proprietas hodierno jure filio tribuitur, & patri ſolus uſusfructus, dum vivit, acquiritur per ſe, & regulariter loquendo §. *igitur. inſtit. per quas perſonas cuique acquiritur l. cum oportet 6. C. de bonis, quæ liberis.* Peculium profectitium eſt, quod proficiſcitur à patre, & filio obvenit ex bonis paternis, vel ab alio, ſed intuitu patris: unde ad peculium profectitium filiifamilias pertinent ea omnia bona, quæ filius acquiſivit ex rebus, & ſubſtantia patris, vel etiam ea bona, quæ eidem data ſunt intuitu patris; ut ſi donatio ad preces patris facta ſit in favorem filii, vel quando aliquid datum eſt ad uſum, ad quem pater dare debuiſſet, ſed ob inopiam non potuit. Quòd ſi aliquid daretur filio ob ſpecialem aliquam ſpem, quæ in ipſo relucet, & è contra pater eſſet homo avarus inutilis Reipublicæ, & qui filium negligeret, tunc probabile eſt, tale bonum datum filio pertinere ad peculium adventitium; quinimò ſi donator nollet, patrem habere in illo uſumfructum, hic illi non competeret: ſicut quando quis donat aliquid filio hac conditione, ut pertineat ad peculium caſtrenſe, quamvis non ſit bonum caſtrenſe, evadit nihilominus tale, adeo ut pater in illo non habeat uſumfructum *l. ſi fortè. ff. de caſtrens. pecul.* Dominium tam proprietatis, quàm uſusfructus pertinere ad patrem, eſt ſententia communis, & deſumitur *ex* §. 1. *inſtit. per quas perſon. nobis acquir.*

7 Quòd ſi petas, quid utilitatis filio adveniat ex peculio profectitio, ut mereatur dici peculium filii, ſi hic utroque dominio caret proprietatis, & uſusfructus. Reſpondetur, adhuc filium hanc habere utilitatem ex peculio profectitio, ut ſi contingeret, alia bona patris ob ejus delictum publicari, non tamen publicaretur peculium profectitium filii *l. 3. ſed utrum in fin. ff. de minor.* ubi dicitur, quòd aliquo caſu peculium ad filium ſpectet, ut puta ſi patris ejus bona fiſco propter debitum occupata ſint, nam peculium ei ex conſtitutione Claudii ſeparatur. Excipiuntur tamen ab hac regula, quæ pater dat filiis in patrimonium, ut ſuſcipiant ſacros ordines, vel filiabus in dotem, vel filio ad nuptias, quia dominium horum bonorum, & uſusfructus ad filios, & filias ſpectant: dicuntur tamen aliquo pacto pertinere ad peculium profectitium, quia quoad ſubſtantiam, licèt non quoad fructus, debent poſtea in partitionem adferri.

8 Sicut de jure civili peculium dicitur illa pecunia, quam ſervus, vel filiusfamilias poſſidet ſeparatam à rationibus domini, vel patris, ex ejus tamen permiſſu: ita per quandam ſimilitudinem illa bona clericorum, quæ ſeparatim à bonis immediatè ad Eccleſiam ſpectantibus poſſidentur, ad peculium pertinent clericorũ: & quia per recentiores canones clericis amplior data eſt poteſtas rerum poſſidendarum: ideo peculium clericorum in quatuor ſolet dividi bonorum genera. Alia enim ſunt bona patrimonialia, & ea dicuntur, quæ ex ſucceſſione parentum, aut donatione amicorum, vel ex alia profana cauſa derivantur in clericos: & circa hæc bona acquirunt clerici plenum dominium, plenámque diſpoſitionem tam inter vivos, quàm in ultima voluntate *c. quia de teſtament.* Hinc bona patrimonialia clericorum ea omnia ſunt, quæ

quæ vel ex ſucceſſione hæreditaria, legato, fideicommiſſo, donatione, aut alio quocunque titulo, dummodo non occaſione Eccleſiæ, vel beneficii eccleſiaſtici, eis obtigerint, & dicuntur bona quaſi patrimonialia, ut etiam ea quæ proprio labore ſolent lucrari: & quia clerici, perinde ac laici ſunt domini bonorum patrimonialium *can. epiſcopi, & duobus ſequentibus, & c. quia nos. inf. de teſtam.* ideo poſſunt clerici liberè de bonis hiſce patrimonialibus diſponere, ac donare tam inter vivos, quàm mortis causâ *d. can. epiſcopi & c. requiſiſti inf. de teſtam.* & hoc etiam procedit de bonis quaſi patrimonialibus, quia hæc dantur clericis in mercedem ſuſcepti laboris, vel ſervitii, vel etiam liberaliter in ſuſtentationem absque ullo onere tacito, vel expreſſo dandi ſuperflua pauperibus. Rurſus quæ filiusfamilias poſt clericatum aſſumptum acquirit, non habent ampliùs rationem peculii adventitii, ſed quaſi caſtrenſis, proinde in iis uſusfructus non debetur patri *l. ſacroſancta 34. juxta authent. Presbyteros C. de epiſcop. & cleric.*

9 Ad ſecundum genus bonorum conſtituenti um peculiũ clericorũ ſpectant bona induſtrialia, de quibus clerici perinde diſponere liberè poſſunt, ac de præcedentibus: dicuntur bona induſtrialia ea omnia, quæ acquiruntur, non ſolùm ex profana induſtria, vel officio, verùm etiam ex induſtria ſpirituali, & extraordinariis functionibus, ut ex miſſis votivis, anniverſariis, & ſimilibus, ut notat Zoëſius *h. t. num. 2.* Imò etiam largitiones fidelium, quæ ſunt incertæ, & dantur Parochis ob ſpeciales functiones, baptiſmum, nuptias, & ſepulturas, bonis ſolent induſtrialibus accenſeri: tametſi Hoſtienſis *in ſum. h. t. num. 3.* velit, omnia illa bona eſſe reſpectu Eccleſiæ acquiſita, quæ clericus non acquiſiviſſet, ſi Eccleſiam non obtinuiſſet. Major tamen difficultas eſt, de diſtributionibus quotidianis, quas canonici ob ſingulas in choro præſentias accipiunt, an bonis Eccleſiæ acquiſitis debeant annumerari, eò quia directè ab Eccleſia dentur. Reſpondetur, in probabiliori ſententia has diſtributiones eſſe accenſendas bonis Eccleſiæ acquiſitis, idque deſumitur etiam ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. de refor. c. 3.* ubi habetur, quòd tertia pars redituum ordinariorum in diſtributiones, ubi aliæ nimis tenues ſunt, converti debeat, & nihil videtur mutatum in qualitate bonorum, ſed tantùm in modo diſtribuendi. Verùm plures cenſent, & forſan non improbabiliter, has quotidianas diſtributiones tanquam denarium diurnum dari ab Eccleſia propter ſpecialem induſtriam, & diligentiam, adeo ut non comprehendantur ſub fructibus canonicatûs. Verùm adhærendum puto priori ſententiæ, quia hæ diſtributiones ſunt de illis bonis, quæ reſpectu Eccleſiæ acquiruntur: ſiquidem dantur directè ab Eccleſia.

10 Ad tertium genus bonorum, quæ conſtituunt peculium clericorum, pertinent ea bona, quæ reſpectu Eccleſiæ acquiruntur, & ſunt, quæ conſiſtunt in ſtabilibus, & ordinariis reditibus, ac fundationibus beneficiorum, ut in decimis, fructibus agrorum, aut rerũ ad beneficium ipſum, ſeu Eccleſiam ſpectantibus: & de hiſce bonis non aliter poſſunt clerici diſponere, quàm ut inde ſuam congruam deſumant ſuſtentationem, & quod ſuperfluum eſt, erogent in pias cauſas: quæ verò ſuperſunt, poſt obitum clerici de jure ad Eccleſiam revertuntur *c. fin. 12. q. 1. c. 1. & 3. h. t.* etenim *in c. inveſtigandum 1. h. t.* habetur, quod beneficiatus emens prædia, ſi non habebat patrimonium tempore aſſumpti beneficii, præſumitur emiſſe de bonis Eccleſiæ, proinde empta prædia eſſe juris eccleſiaſtici, & poſt obitum beneficiati incorporari Eccleſiæ. Contra tamen hanc præſumptionem admittitur probatio, ut notat Gloſſa *12. q. 1. c. ſint manifeſtè.* Non tamen deſunt, qui clericis de hiſce bonis concedant dominium, inter quos Zoëſius *h. t. num. 3.* eò quia diviſio beneficiorum per Dionyſium Papam *in c. unica causa 13. q. 1.* inter clericos facta ſuſtulerit antiquam illam bonorum communionem, & fructus cuilibet fecerit proprios *argum. l. 1. C. communia utriusque judicii.* Præterea quia in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. de refor. c. 1.* argumento à contrario ſenſu, clerici, qui reſident in ſuis propriis eccleſiis, dicuntur ſuos facere fructus beneficiorum: unde textus, qui in contrarium adducuntur, explicantur, vel de primitivo Eccleſiæ ſtatu, ubi ante diviſionem beneficiorum omnia inter clericos communia erant *c. duo ſunt c. 12. q. 1.* vel de obligatione reſtituendi ſuperflua pauperibus: cæterum volunt, hoc dominium non eſſe abſolutum, ſed affectum obligatione reſtituendi ſuperflua pauperibus, vel ad pias cauſas, prout in jure præcipitur.

Ad quartum genus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ conſtituunt peculium clericorum, 11
ſunt bona parſimonialia, ea ſcilicet, quæ clericus ſibi de congrua ſuſtentatione parciùs vivendo ſubtraxit. Verùm non omnes doctores aſſerunt, poſſe clericos de bonis illis pro ſuo arbitrio diſponere, etenim Panormit. *in c. cùm eſſes num. 27.* negat, poſſe clericos de hiſce bonis pro ſuo libito diſponere, eò quia ſacri canones diſpoſuerint, ut bona eccleſiaſtica ſuperflua debeant à clericis diſtribui ad pias cauſas: & canones non diſtinguunt, an hujuſmodi bona ſuperſint ex parſimonia, vel ex indigentia. Contraria tamen ſententia eſt valde probabilis, eamque propugnat Covarruvias *in c. cum in officiis de teſtament. num. 4.* quia pars redituum eccleſiaſticorum concernens congruam ſuſtentationem clerici eſt libera ab omni onere reſtituendi pauperibus, vel Eccleſiæ, vel ad alias pias cauſas, & liberè poteſt abſumi, ſive clericus partem illam redituum impendat in propria congrua ſuſtentatione, ſive parciùs vivendo donet ad uſus honeſtos. Tum quia illa pars redituum, quæ aſſignatur pro congrua ſuſtentatione clerici, datur ut ſtipendium quoddam, & veluti ut merces ratione operis præſtiti, ut clericus de tali diſponat portione in honeſtos uſus, pro ſuo arbitrio. Tum quia fideles, qui tales reditus conſtituerunt non intenderunt clericis onus ullum imponere, ſed permittunt liberè eorum diſpoſitioni, perinde ac permittunt arbitrio operarii uſum mercedis, quam ei perſoluunt.

Neque

Neque obstat, hæc stipendia nonnunquam excedere operam: siquidem à fidelibus etiam donantur ecclesiasticis.

12 Mihi tamen probabiliùs videtur dicendum, beneficiarios clericos acquirere quidem dominium redituum beneficialium etiam superfluorum, qui ad congruam, & decentem sustentationem necessarii non sunt, ac supra labores, ac merita eorum; non tamen hoc dominium esse absolutum, sed restrictum, & limitatum, eò quia annexam habeat obligationem, sive ex justitia, sive ex alia virtute, aut præcepto expendendi tales reditus in pios usus, ut docet Covarr. *in c. cùm in officiis num. 3.* & solet id probari *ex c. unic. de cleric. non resident. à n. 6.* ubi dicitur, quòd clericus sine justa, & rationabili causa absens à divinis officiis non acquirat dominium distributionum receptarum, nec faciat eas suas: hinc à sensu contrario valet illatio, quòd faciat illas suas, & acquirat dominium, si clericus sit præsens: alioquin pœna, seu privatio dominii, inflicta propter absentiam, vel negligentiam clerici non frequentantis chorum non subsisteret. Ex eo tamen quòd clerici acquirant dominium talium distributionum, possunt quidem illis uti prout ipsis magis libuerit, sed juxta præscriptum in sacris canonibus, nimirum vel ad pias causas, vel ad sustentandos pauperes, vel ad sublevandos consanguineos ex aliqua indigentia juxta suum statum, quia tunc veniunt nomine pauperum.

13 Cæterum clerici, vel officiales sæculares sunt veri domini bonorum suorum patrimonialium, & de ipsis possunt liberè disponere tam inter vivos, quàm mortis causâ, & per ultimam voluntatem, perinde ac laici; & desumitur *ex c. quia nos. 9. de testam.* siquidem per clericatum clerici sæculares non redduntur incapaces dominii, nec illo se abdicant, neque se obligant ad bona sua patrimonialia impendenda in pauperes, vel pias causas, proinde de ipsis bonis patrimonialibus possunt disponere, prout ipsis magis libuerit, ut etiam de bonis quasi patrimonialibus, quæ in clericatu acquisiverunt, sed non intuitu Ecclesiæ: quia clerici hujusmodi bona accipiunt absque ullo onere, & pacto expresso, vel implicito ea distribuendi pauperibus, vel impendendi in pios usus. Non ita dicendum de illis bonis, quæ acquirunt intuitu Ecclesiæ; hæc enim distribui debent juxta intentionem Ecclesiæ, & sacrorum canonum præscribentium reditus superfluos esse impendendos in pios usus.

14 Hinc Navarrus *tract. de reditib. eccles. q. 2. monito 7. num. 1.* Layman *hîc c. 3. num. 3.* & plures alii docent, clericos beneficiarios teneri ex justitia ad reditus, quos ex bonis ecclesiasticis veluti fructus beneficiorum percipiunt, quique ultra congruam vitæ sustentationem supersunt, expendendos in pios usus, vel distribuendos pauperibus, adeo ut non possint in profanos usus eos consumere; & teneri ad restitutionem, si eos ita malè insumpserint: quæ sententia est procul dubio conformis sacris canonibus, consona pietati, ac æquitati, proinde ad praxin deducenda, & desumitur *ex c. quia tua §. in fin. c. Episcopi 19. c. res Ecclesiæ 16. causa 12. q. 1. causa similiter 58. & c. quia juxta 59.* ubi res Ecclesiæ vocantur vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum *c. reverimur 65. c. decima 66. caus. 16. q. 1. c. quod autem 3. causa. 3. q. 7.* in his enim, & aliis pluribus textibus expressè dicitur, quòd reditus beneficiorum dentur clericis, ut superflua erogent pauperibus, & consentit Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 1. de refor.* ubi Episcopis interdicitur, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, vel familiares locupletiores faciant; cùm & Apostolorum canones (*can. 39. & 75.*) prohibeant ecclesiasticis, res Ecclesiæ, quæ Dei sunt, donare consanguineis, nisi sint pauperes, ex quibus liquet, dominium, quod clerici acquirunt super reditus superfluos non esse absolutum, sed limitatum, nimirum ad eos expendendos ad pias causas, vel distribuendos pauperibus juxta sacros canones.

15 Idque ex eo etiam evincitur, quia si alicui detur aliquid cum onere dandi partem illius alteri, procul dubio tenetur donatarius ex justitia partem illam alteri dare juxta intentionem datoris; & si partem illam in alios usus impenderet, vel inutiliter absumeret, procul dubio teneretur ad restitutionem, eò quia disponeret de re non sua: atqui concedentes reditus ecclesiasticos clericis beneficiatis non intendunt, quòd illos insumant in usus profanos, sed ad congruam, & decentem propriam sustentationem, & cum hoc onere, seu pacto, saltem tacito, ut reditus superflui distribuantur pauperibus, vel impendantur ad causas pias; ut liquet ex prætitatis textibus in jure canonico: ergo si reditus superflui ex intentione donantis debent distribui pauperibus, vel impendi in causas pias; non acquirit clericus beneficiatus plenum illorum dominium, sed restrictum, & modificatum, nimirum ut illos quidem expendat pro suo arbitrio, sed ad causas pias, vel eos distribuendo pauperibus: unde beneficiarius ratione dominii potest applicare hos superfluos reditus ad hanc potiùs, quàm ad alteram causam piam, & eos distribuere hisce potiùs, quàm aliis pauperibus, adeo ut dominium claudatur intra limites pauperum, vel causarum piarum. Tum quia ferè omnes Theologi fatentur, clericos beneficiarios graviter peccare, si reditus Ecclesiæ superfluos in notabili quantitate non distribuant pauperibus, nec impendant in alios pios usus, sed eos insumant in usus profanos; unde peccant, vel contra charitatem, & misericordiam, vel contra virtutem religionis. Sunt tamen qui censent, non peccare contra charitatem, eò quia hæc non obliget sub peccato mortali ad subveniendum pauperibus, nisi in extrema, vel quasi saltem gravi necessitate constitutis.

16 Tum quia si in aliqua Provincia non essent pauperes constituti in gravi necessitate, & clerici beneficiarii in usus profanos reditus superfluos expenderent, non dicerentur peccare contra charitatem, & misericordiam. Unde putârim eos peccare contra justitiam, quia cùm reditus superflui ex institutione sacrorum canonum

num debeantur pauperibus, & hiſce deficientibus debeant impendi in cauſas pias; ſi clerici aliter expendant reditus ſuperfluos, privant pauperes, vel Eccleſias jure ſuo, quod eſt delinquere contra juſtitiam. Cum Eccleſia det beneficia eccleſiaſtica juxta ſacros canones, & iſti præſcribant, quòd reditus ſuperflui diſtribuantur pauperibus, vel impendantur ad cauſas pias, ideo Eccleſia cum hoc pacto ſaltem tacito dat beneficia clericis, ut iſti reditus ſuperfluos dent pauperibus: propterea Eccleſia hanc ſuperfluitatem non dat clericis, ſed pauperibus, vel piis cauſis, quibus debetur, & ſi clerici in alios uſus eam impendant, privant pauperes, & Eccleſias jure ſuo ipſis conceſſo ab Eccleſia, & donatore; ſiquidem à fidelibus, & fundatoribus fuerunt hujusmodi bona Deo oblata, & eccleſiis donata cum pacto ſaltem tacito, ut ſuperflua, ſeu quæ ſuperſunt ex honeſta, congrua, & decente ſuſtentatione expendantur in uſus pios, non profanos, vel diſtribuantur pauperibus; hanc eſſe piam intentionem fundatorum declarant SS. Canones ſtatuentes, ut reditus ſuperflui diſtribuantur pauperibus, vel impendantur in cauſis piis; non in uſus profanos.

17 Nihilominus plures tum Theologi, tum Canoniſtæ in ea ſunt ſententia, ut putent, clericum beneficiarium expendentem reditus eccleſiaſticos in uſus profanos non teneri ad reſtitutionem, eò quia non peccent contra juſtitiam; ſed tantùm contra charitatem, & miſericordiam, vel contra virtutem religionis, vel præceptum Eccleſiæ injungentis per ſacros canones, ne proventus ſuperflui in notabili quantitate expendantur in profanos uſus. Qui hanc ſententiam propugnant, dicunt, poſt diviſionem bonorum, & redituum eccleſiaſticorum, hos proventus fuiſſe diviſos in quatuor portiones, quarum una Epiſcopo; altera aliis clericis; tertia fabricæ Eccleſiæ; quarta peregrinis, & pauperibus fuit aſſignata *in c. Vulterrana 25. & pluribus ſeqq. caus.* 42. *q.* 2. & poſt inſtitutionem beneficiorum, clericos beneficiarios eſſe abſolutos dominos omnium reditnum ſibi aſſignatorum, ſeu illius quartæ partis ſibi aſſignatæ, & reditus ſuperfluos illius quartæ partis, ſeu qui ſuperſunt ex congrua, & decente ſuſtentatione, poſſe expendere etiam in profanos uſus, adeout licèt mortaliter peccent, non tamen teneantur eos reſtituere pauperibus, vel cauſis piis. Docent nominatim hanc ſententiam ex canoniſtis Covatruv. *in c. cum in officiis 7. n. 3. de teſtam.* Garzias *tract. de beneficiis p.* 2. *c.* 1. *num. 5.* Barboſa *lib. 3. de jur. eccles. c. 17. num.* 10. Fagnanus *in c. ſi quis ult. h. t. num.* 2. Ex Theologis adhærent huic ſententiæ Molina *tract.* 2. *de juſt. diſp.* 114. Vasquez *tract. de redit. eccles. c.* 1. §. 2. *dub.* 1. *num.* 27. Leſſius *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Nituntur primò, quia licèt conſtet, bona Eccleſiaſtica donata fuiſſe à fidelibus Eccleſiæ ad honorem, & cultum Dei, & ad eum etiam finem, ut clerici reditus ſuperfluos expendant ad pios uſus, ac cultum Dei; non tamen conſtat, donata eſſe cum tali pacto, vel onere, ut pars ſuperflua expendatur in pauperes, vel alios uſus pios; proinde cum clerici ſint abſoluti domini poterunt ſuperfluos reditus citra læſionem juſtitiæ expendere etiam in profanos uſus, prout ipſis magis libuerit.

Secundò, quia quando SS. Canones dicunt, 18
clericos eſſe tantùm diſpenſatores bonorum eccleſiaſticorum, eò quia debeantur pauperibus, procedunt tantùm ſecundùm illud tempus, quo reditus eccleſiaſtici principaliter erant deputati pro ſubſidio indigentium; & bona eccleſiaſtica nondum erant diviſa, neque beneficia erecta: ſecus dicendum poſt beneficia erecta, ac reditus diviſos.

Tertiò, quia non conſtat, unde pars illa pau- 19
perum devenerit, & permixta ſit cum portione epiſcopi, & clericorum; præſertim cum conſtet aliundè proſpectum eſſe pauperibus per hoſpitalia, ſeminaria, & alia loca pia erecta: ergo ſaltem in dubio clerici non tenentur ad reſtitutionem.

Quartò, quia Eccleſia non reſcindit dona- 20
tiones, quas clerici ex abundantibus reditibus Eccleſiæ faciunt conſanguineis, vel expendunt in alios profanos uſus. Sin autem qui ſuperfluunt reditus deberentur ex juſtitia pauperibus deberet Eccleſia tales donationes, ut iniquas reſcindere.

Verùm prior ſententia eſt tutior, & proba- 21
bilior, ac promovet exercitia virtutum, magisque conſonat æquitati, proinde eſt ei adhærendum; præſertim cum fundamenta quibus nititur hæc ſecunda ſententia non videantur adeo valida. Ad primum reſponderi poteſt; bona eccleſiaſtica fuiſſe donata à fidelibus eccleſiis cum pacto, ſi non explicito, ſaltem tacito, & interpretativo, ut expendantur in pios uſus, etiam qui ſuperfluunt; quia eò ipſo quòd omnes reditus etiam qui ſuperfluunt fuerunt donati Eccleſiæ; ex intentione donantis fuerunt applicati ad pios uſus, & ad honorem, ac cultum Dei, proinde eo fine, ut inſerviant tantùm piis uſibus; etiam qui ſuperfluunt; unde ex pacto ſaltem tacito, & interpretativo cauſæ piæ, pauperes acquirunt jus in illis reditibus ſuperfluis, qui propterea ex juſtitia illis debentur. Ad ſecundum reſpondetur, SS. Canones nullibi dicere, poſſe à clerico beneficiario expendi reditus ſuperfluos in profanos uſus; ſed ubique aſſerere reditus ſuperfluos indiſtinctè eſſe expendendos ad pias cauſas, vel diſtribuendos pauperibus; eò quia cenſeant, cum tali pacto ſaltem tacito fuiſſe à fidelibus donatos Eccleſiæ. Ad tertium, quomodocunque reditus ſuperflui obtingant portioni debitæ clerico beneficiario ſemper ſunt bona Eccleſiæ, proinde debent expendi juxta intentionem Eccleſiæ, ac ſacrorum canonum exiſtimantium deberi ex juſtitia piis cauſis, vel pauperibus.

§. II.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, an clerici habentes pro- 1
prium patrimonium poſſint illud ſibi totum reſervare; & in proprios uſus tantùm expendere reditus Eccleſiæ, ſeu propriis

prii beneficii? Reſpondetur, poſſe clericos beneficiatos totum quod habent patrimonium expendere in profanos uſus; & pro ſua propria congrua ſuſtentatione expendere ſolos reditus ſui beneficii: imò poſſe etiam vivere ex bonis patrimonialibus, & uti compenſatione, tantumdem ex reditibus eccleſiaſticis accipiendo, & detrahendo. Ratio eſt, quia clerici ſæculares habent verum dominium bonorum patrimonialium; & de illis perinde ac laici poſſunt diſponere; non enim per clericatum, vel ordinem etiam ſacrum redduntur incapaces dominii; neque per ordinem ſacrum ſe abdicant tali dominio; neque ſe obligant ad expendenda bona patrimonialia in pias cauſas; adeoutt poſſint illa cedere conſanguineis, vel amicis, vel etiam expendere in uſus profanos; conſequenter pro congrua propria ſuſtentatione poſſunt expendere ſolos reditus eccleſiaſticos: quia nemo tenetur propriis ſtipendiis militare, quamvis divitiis affluat c. *Urbanitatem 45. in fin. caus.* 12. *quæſt.* 2.

2 Quæritur ſecundò, an clerici ſæculares poſſint liberè diſponere in uſus profanos de bonis quaſi patrimonialibus? Reſpondetur affirmativè ob dominium abſolutum quod habent in hujusmodi bonis; ratione cujus non magis tenentur ea expendere in pios uſus, quàm bona patrimonialia, ut tradunt Covarruvias *in cap. cum in officiis de teſtamentis num.* 4. Navarrus & alii tum Canoniſtæ, tum Theologi; quia bona quaſi patrimonialia dantur, ut quoddam ſtipendium ſuſtentationis, & ut merces ob præſtita obſequia, vel ſervitia; proinde dantur hæc bona clericis, ut iſti poſſint illis uti pro arbitrio: non enim fideles donantes talia bona clericis intendunt iisdem onus ullum imponere; ſed ea omnino liberæ diſpoſitioni clericorum relinquunt; perinde ac permittunt operario cõducto liberum uſum perſolutæ mercedis. Neque obſtat, hujusmodi ſtipendia nonnunquam excedere meritum operæ: quia adhuc ille exceſſus omnino liberè datur clericis, proinde poſſunt hi illo uti prout ipſis magis placuerit. Hinc ſi clerici vivant de hiſce bonis quaſi patrimonialibus, vel ea expendant ad pias cauſas, poſſunt tantumdem accipere ex reditibus beneficii, & de illis, perinde ac de patrimonialibus liberè diſponere: quia cum habeant jus expendendi reditus eccleſiaſticos pro congrua propria ſuſtentatione; non tenentur vivere ex aliis propriis ſuis bonis; & ſi ex illis vivant, poſſunt uti compenſatione, accipiendo tantumdem ex beneficio. Præterea cum non teneantur in pios uſus expendere alia bona, quæ clericis non obveniunt reſpectu Eccleſiæ; ſi ea impendant in piis uſibus, vel ad pias cauſas, poſſunt uti compenſatione ex reditibus beneficii; qui alioquin in iisdem uſibus debuiſſent expendi, ut tradit Navarrus *monit.* 32. niſi fortaſſis intenderint non uti compenſatione; quod niſi exprimatur, ac conſtet expliciè non eſt præſumendum.

3 Quæritur tertiò, an clerici beneficiati poſſint elargiri eccleſiaſticos reditus ſuperfluos propriis conſanguineis, ſi iſti habeant neceſſaria ad victum, non tamen bona ſufficientia ad decentiam ſtatûs, nec pro conditione, & qualitate perſonæ? Reſpondetur, poſſe de reditibus, qui ſuperfluunt donare conſanguineis, & familiaribus, quantum requiritur ad eorundem decentiam ſpectatis ſtatu, & qualitate, aliisque circumſtantiis perſonæ, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. Fagnanus *in c. ſi quis vlt. n.* 18. & 19. *h. t.* & deſumitur etiam *ex can. ſtudeat* 39. Ratio eſt, quia ratione indigentiæ accenſentur pauperibus. Hinc clerici beneficiarii ex reditibus eccleſiaſticis poſſunt proprios liberos alere, ſi bonis careant temporalibus; & non ſolùm legitimos, verùm etiam ſpurios; imò etiam filiæ ſpuriæ dare dotem; quia dos ſuccedit in locum alimentorum. Quia ſi aliunde non habent unde liberos alant, ac dotem filiæ aſſignent; tunc eſt opus pietatis, & miſericordiæ eos alere: hinc alimenta, quæ liberis, vel aliis conſanguineis carentibus patrimonio, unde vivant, conferuntur, non dantur liberaliter, ſed illis debentur, imò ſunt debita jure paupertatis; ut tradit Molina *diſp.* 146. *de juſtit. num. ult.* Imò etiam beneficiarius habens bona patrimonialia poteſt ex reditibus eccleſiaſticis filium ſuum alere; vel etiam fratrem ſuum, aut alium conſanguineum; quamvis pater ipſius poſſet eos alere; vel ſumptus neceſſarios ad incumbendum ſtudiis ſuppeditare; quia cum pater hujusmodi ſumptus non ſubminiſtret; filii, vel fratres verè tunc indigent, ac pauperibus accenſentur, ut notat Navarrus *l.* 3. *Tit.* 1. *conſil.* 2. Nomine ſiquidem pauperum in hac materia, non ſolùm intelliguntur ipſi pauperes; ſed etiam omnia opera pia tendentia in cultum Dei, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. *ad* 2.

4 Quæritur quartò, an poſt editam à Pio V. conſtitutionem, cui initium eſt: *quæ ordini eccleſiaſtico*; liceat clerico filiæ ſpuriæ, vel ſoroti ex reditibus beneficii eccleſiaſtici jure communi dotem dare, ſi aliunde non habeat? Ratio dubitandi eſt, quia Pius V. in ſua conſtitutione irritat omnes licentias, privilegia, diſpenſationes, indulta faciendi teſtamenta, donationes, tam inter vivos, quàm mortis cauſâ; & quascunque alias diſpoſitiones de dominiis, terris, caſtris, domibus, & quibuscunque aliis bonis, & rebus mobilibus, & ſe moventibus, pecuniis, juribus, actionibus, & beneficiis, fructibus, penſionibus, aliisque rebus eccleſiaſticis quibuscunque, & aliàs quomodocunque provenientibus, nec non de peculio, & aliis ſolâ induſtriâ, labore, muneribus, & quocunque alio modo partis, cujuscunque quantitatis, qualitatis, ſpeciei, naturæ, valoris, exiſtentibus, in quoscunque illegitimos, ſive ſuos, ſive extraneos, etiam legitimos; eos denique ex toto, vel ex parte hæredes inſtituendi, & ſubſtituendi: ſeu quòd ipſi in prædictis ab inteſtato ſuccedant. Reſpondent tamen fere communiter cum Navarro *tract. de ſpol. cleric.* 5. 19. *num.* 9. & *ſequent.* Pontificem in præfatâ conſtitutione abrogâſſe omnes facultates, privilegia, & indulta dandi aliquid ex fructibus beneficiorum ſive per teſtamentum, ſive extra teſtamentum; non tamen abſtuliſſe facultatem id faciendi jure communi conceſſam *in c. cùm haberet.*

5 Idque etiam videtur desumi ex ipsa constitutione Pij V. quæ abolet privilegia, & facultates à suis prædecessoribus datas: sed quod jure communi conceditur, non est privilegium, nec facultas, nec licentia, aut indultum; & cum constitutio Pij V. habeatur pœnalis, ut pote tollens facultatem disponendi de rebus possessis, non est extendenda ultra verba in eadem expressa; & cum nulla in eadem fiat mentio juris communis, non præsumitur hoc derogatum per talem constitutionem. Tum quia Pontifex abrogat etiam facultates relinquendi aliquid ex testamento, vel extra testamentum spuriis etiam ex bonis propriis partis propriâ industriâ, labore, vel alia ratione; & nihilominus jure communi potest clericus de his bonis testari, & ea in usus impendere, prout ipsi magis libuerit: quamobrem Pontifex præfata constitutione non abrogat jus commune, sed tantùm privilegia, & facultates concessas ad testandum de iis bonis in spuriorum commodum, & utilitatem. Neque obstat, quòd Pontifex aboleat prædicta privilegia, & postea districtiùs prohibeat, ne bona illa sive in prædictos illegitimos utriusque sexus, sive in eorum conjuges, sive parentes, aut filios ascendentes, aut descendentes, sive alios cognatos, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cujuscunque pii operis intuitu instituantur sive vivis, sive mortuis ipsis illegitimis.

6 Nam ut rectè respondet Navarrus *de sponsal. cleric. §. 19. num.* 11. verba illa ita intelligenda sunt, ut aliquid non detur vi alicujus privilegii, facultatis, licentiæ, vel indulti; non ita si detur vi ipsius juris communis, cui Pontifex non videtur derogare. Idque fuit etiam decisum à Rota Romana anno 1590. & est *decis. 487. 1. p.* ubi ait, constitutionem Pij V. revocatoriam facultatum testandi de rebus ecclesiasticis gratiâ spuriorum, aliorúmque filiorum extra legitimum matrimonium susceptorum intelligi; ut per eam revocentur facultates testandi virtute privilegiorum, licentiarum, & eorum indultorum, quæ conveniunt jure aliquo speciali; non autem ut abrogentur facultates testandi, quæ conveniunt jure communi, scilicet vel causâ dotis, vel alimentorum; quando tales filii sunt ita pauperes, ut nihil aliunde possideant, quo vivant, vel possint dotem habere.

7 Tunc enim potest tum laicus ex bonis Ecclesiæ, tum clericus ex beneficiis, aut bonis sui patrimonii testamento relinquere spuriis filiis dotem, vel alimenta; secus quando habent, unde commodè sustententur, tunc non potest ipsis relinqui de bonis Ecclesiæ: quia tunc facultas non convenit nisi jure speciali, quod jus abrogatur per constitutionem Pij V. nec jus commune ipsis suffragatur: quia jure communi pater filium, aut filius patrem non cogitur alere, si habeat aliunde, quo possit se commodè alere *l. si quis à liberis §. si filius, & §. solum. ff. de liberis agnoscend.*

8 Quæritur quintò, an pensionarius ex fructibus superfluis, quos percipit ex pensione, quam accipit ex beneficio ecclesiastico, possit pro suo arbitrio disponere, eósque impendere in usus profanos: ratio dubitandi est, quia jura tantùm loquuntur de reditibus superfluis beneficiorum ecclesiasticorum, & statuunt eos à clericis beneficiatis debere impendi in pias causas, vel distribui pauperibus; atqui pensio est quid diversum à beneficio, quia jus distinguit inter pensionem, & beneficium *c. quamvis de prabend. in 6.* ubi dicitur *non in pensione, sed in beneficiis ecclesiasticis tantùm volumus providere.* Rursus Concilium Tridentinum distinguit pensiones à beneficiis, & discretivè de illis disponit *sess. 21. c. 2. & sess. 25. c. 15. de refor.* hinc cùm abrogatio facultatis disponendi sit quid odiosum, & debeat potiùs restringi, quàm ampliari, non videtur extendenda ad reditus superfluos, qui percipiuntur ex pensionibus; præsertim cùm à diversis non fiat illatio *l. neque natales C. de probat. l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. possess.* & tradit Cynus *in l. ex lege C. de condit. ob causam.* Anchar. *in repet. c. canonum statuta oppos. 1. de constit.* unde ex eo quòd clericus beneficiatus non possit impendere fructus superfluos sui beneficii in usus profanos; non rectè infertur, nec posse pensionarium ex superfluis reditibus suæ pensionis disponere, prout ipsi placuerit, etiam in usus profanos.

9 Nihilominus licèt præfata sententia pluribus videatur probabilis, putârim tamen non posse pensionarium ex superfluis reditibus suæ pensionis disponere in usus profanos, adeo ut qui percipit pensionem ex aliquo beneficio ecclesiastico debeat, quod ultra decentem statum supereſt, vel distribuere pauperibus, vel in alios expendere pios usus: moveor ad id asserendum, non quia pensio censeatur beneficium ecclesiasticum, sed quia sit ex reditibus Ecclesiæ, adeo ut tam sint bona Ecclesiæ reditus, qui percipiuntur ex beneficio, quàm qui ex pensione: & omnes reditus ecclesiastici cùm fuerint Deo dicati, debent impendi in pios tantùm, & non in profanos usus: hinc nec pensionarius habet dominium in reditus superfluos suæ pensionis absolutum, sed tantùm restrictum, & limitatum cum annexa obligatione expendendi in pios usus in vita superfluos reditus; & post mortem relinquendi omnes illos reditus Ecclesiæ; eos etiam, qui inserviebant decenti, ac congruæ sustentationi: quod enim dicatum est Deo, & relictum Ecclesiæ non debet aliter expendi, nisi juxta intentionem Ecclesiæ, ad quam pertinet principale dominium bonorum omnium ecclesiasticorum.

10 Quæritur sextò, ad quem pertineant bona recèns acquisita à clerico beneficiario, & meliorationes factæ in bonis Ecclesiæ? Respondetur, quòd si beneficiarius tempore, quo fuit promotus ad beneficium, nullum habuit patrimonium, omnia bona acquisita ab eodem, & etiam meliorationes factæ in bonis Ecclesiæ pertineant ad solam Ecclesiam, idque habetur *in c. investigandum 1. h. t.* ubi dicitur quòd beneficiatus emens prædia, si non habeat patrimonium tempore assumpti beneficii, præsumitur emisse de bonis Ecclesiæ, proinde esse juris ecclesiastici, & fuit desumptum ex Concilio Carthaginensi *in c. 1. caus. 12. q. 3.* Abbas *in d. c. investigandum num. 3.* Ratio id etiam suadet

quia

quia ſicut Prælatus, vel alius beneficiarius, qui nullũ patrimoniũ habet, ſed tantùm reditus eccleſiaſticos, ex quibus vivere poſſit, & etiam eos ſuâ induſtriâ augere; non debet exercendo mercaturam, vel negotia patrimonium ſibi acquirere: eò quia negotiatio ſit clericis prohibita: ita acquiſita poſt promotionem ad ſtatum eccleſiaſticum non debent præſumi acquiſita per negotiationem, cùm hæc clericum non deceat; ſed ex bonis, & ſolis reditibus Eccleſiæ; proinde debent accenſeri bonis Eccleſiæ.

11 Tum quia quæ uxor acquirit conſtante matrimonio, ex bonis mariti cenſentur acquiri *l. Quintus Mutius* §1. *ff. de donat. inter. vir. & uxor.* alioquin poſſet præſumi, quòd uxor turpis quæſtûs cauſa illa acquireret, ut habetur *in citata l. Quintus Mutius*, ne igitur delictum præſumatur; tam bona acquiſita ab uxore conſtante matrimonio, cenſentur acquiſita ex bonis mariti, quàm acquiſita à clerico beneficiario, qui nullum habuit patrimonium tempore aſſumpti beneficii debent ſupponi acquiſita ex reditibus Eccleſiæ, ne clerico imputetur, quòd exercuerit mercaturam, vel negotiationem à ſacris canonibus prohibitam. Neque obſtat, quòd ſi tutor pauper tutelam ſuſcipiat, ex qua poſtea aliquid acquirat; non ex bonis pupilli, ſed ex propria induſtria cenſeatur acquirere *l. ſi defunctus* 10. *C. arbitrium tutelæ.* Nam eſt diſcrimen de tutore, & clerico, quia tutori non eſt prohibita negotiatio, ſicut clerico, proinde ex negotiatione poteſt aliquid acquirere; non ita clericus. Tum quia tutor tenetur rationes adminiſtrationis tutelæ reddere.

12 Nihilominus cùm dicimus, bona acquiſita à clerico beneficiario, qui tempore aſſumpti beneficii caruit patrimonio, fieri juris eccleſiaſtici, limitatur, primò ſi clericus tempore aſſumpti beneficii habuit patrimonium, tunc enim præſumitur, quod acquiſierit, non ex bonis Eccleſiæ, ſed proprii patrimonii: etenim ſi ideo præſumitur acquiſiviſſe ex bonis Eccleſiæ eò quia tempore aſſumpti beneficii caruit patrimonio; ita per ſenſum contrarium ſi habuit tunc patrimonium, ceſſat illa præſumptio: & oritur alia præſumptio, nimirum quod clericus ex bonis ſui patrimonii illud acquiſiverit. Secundò, ſi clericus beneficiarius bona, quæ acquiſivit proprio nomine, ita pacificè aliquandiu poſſedit; in dubio pro ipſo poſſeſſore, ejusque hærede præſumi debet: ratio eſt, quia in dubio non eſt præſumendum delictum, nec dolus *l. marito* §1. *ff. pro ſocio* ubi expreſsè dicitur, in dubio præſumendum eſſe, aliquem juſtè potiùs egiſſe, quàm iniquè. Tertiò ſi beneficiarius eccleſiaſticus confecto inventario rationes reddidit adminiſtrationis, & bona propria deprehendatur habere, quæ in rationes nõ veniant, præſumitur etiam ea acquiſiviſſe ex propriis, ut notat Abbas *in d. c. inveſtigandum 1. num. 3. h. t.* Quartò ſi conſtet, beneficiarium tempore aſſumpti beneficii habuiſſe ſufficiens patrimonium, & dubitetur, an ex bonis patrimonii, vel beneficii aliquid acquiſiverit, tunc acquiſitum poſt mortem beneficiarii dividi debet inter Eccleſiam, & hæredes beneficiarii juxta quantitatem patrimonii, & redituum Eccleſiæ, imò id alii extendunt etiam ad beneficiarium, qui tempore aſſumpti beneficii caruit patrimonio, dummodo fuerit vir induſtrius in acquirendis honeſtis lucris: quia tunc aſſerunt, præſumi ſaltem potiorem partem acquiſiviſſe ex propria induſtria. Tum quia acquiſita propriâ induſtriâ non acquiruntur Eccleſiæ *argum. c. quia nos. 9. & c. relatum* 12. *de teſtam.* quo pacto ſi conſtaret, uxorem ſtante matrimonio acquiſiviſſe ex donationibus ſibi à conſanguineis factis, vel ex paraphernis, aut ex negotiatione marito ſciente, & tacente; ceſſaret præſumptio, quòd ex bonis mariti illud acquiſiverit.

13 Quæritur ſeptimò, ad quem pertineant, quæ Epiſcopus poſt ſuam conſecrationem acquiſivit? Reſpondetur, ea quæ Epiſcopus poſt ſuam conſecrationem, vel alius quicunque Prælatus poſt ſuam promotionem acquiſivit, emit, comparavit ex bonis, & reditibus eccleſiaſticis, vel intuitu Eccleſiæ, pertinere ad Eccleſiam, & Prælatum teneri ea Eccleſiæ relinquere, deſumitur *ex c. unusquisque* 3. *h. t.* ubi expreſsè dicitur, quòd Epiſcopus, quæ poſt ſuam conſecrationem acquiſivit debeat ſuæ Eccleſiæ relinquere, quod tamen intelligitur de acquiſitione facta intuitu, vel occaſione Eccleſiæ *c. quia 9. de teſtam.* Item quod occaſione tunc rei tuæ ad me pervenit, tibi reſtituendum eſt, *argum. c. ad noſtram de jurejur.* Idque procedit de quolibet Rectore Eccleſiæ, ſive Presbytero, aut Parocho, qui propriè loquendo ordinatur. Tum quia in *authent. licentiam C. de Epiſcop. & cleric.* excipiuntur ſola bona patrimonialia: & reliqua, quæ intuitu Eccleſiæ, quomodocunque acquiſita ſunt eſſe jure Eccleſiæ dicuntur eſſe reſervata.

14 Hinc non ſolùm ea, quæ clericus beneficiarius emit Eccleſiæ nomine, vel ex bonis, & reditibus ipſi Eccleſiæ incorporatis, ſed etiam quæ emit ſuo proprio nomine ex reditibus, quæ intuitu Eccleſiæ, ſive ex beneficio ſuo ipſi proveniunt, juris etiam fiunt eccleſiaſtici, & ad eandem pertinent Eccleſiam poſt mortem beneficiarii: & deſumitur *ex c. inveſtigandum* 1. *h. t.* ut tradit Gloſſa ſummaria *ſuper c.* 1. *cauſ.* 12. *q.* 3. ubi ait, clericum teneri relinquere Eccleſiæ quidquid acquiſivit, de rebus Eccleſiæ, & intuitu Eccleſiæ: ſin verò intuitu perſonæ aliquid acquiſivit poteſt illud relinquere, cui maluerit, tunc dicitur intuitu perſonæ aliquid acquiri, quando acquiſitum provenit ex donatione amicorum, vel ſucceſſione, ex teſtamento, vel ab inteſtato.

15 Imò non ſolùm Prælati, & Rectores Eccleſiæ, ſed etiam canonici, & alii clerici beneficiati non habentes adminiſtrationem, ſi ex reditibus ſui beneficii aliquid ſuo nomine emunt, vel comparant, id etiam Eccleſiæ acquiritur *c.* 1. *cauſ.* 12. *q.* 3. Et non ſolùm res immobiles cujusmodi ſunt domus, prædia; verùm etiam res mobiles, ut candelabra argentea, vaſa aurea, vel etiam ſe moventes, ut equus, ſi ex reditibus eccleſiaſticis comparentur ad Eccleſiam pertinent, cui acquiruntur, idque deſumitur *ex c. inquirendum. 4. h. t.* ubi dicitur, acquiſita à Prælato ex proventibus Eccleſiæ, quæcunque illa

sint, juris esse ejusdem Ecclesiæ, etiam si alieno nomine comparata fuerint, quia hæc fraus nemini prodest. Idque ratione suadetur, quia reditus ecclesiastici hoc saltem tacito pacto dantur clericis, ut qui superfunt ex necessaria congrua, & decente sustentatione, distribuantur pauperibus, vel expendantur in alios usus pios; vel Ecclesiæ, à qua oriuntur, relinquantur, ut desumitur *ex c. res Ecclesiæ 26. & c. sequent. caus. 12. quæst. 1.*

16 Quæritur octavò, ad quem pertineant meliorationes factæ à Rectore Ecclesiæ, vel beneficiario in terris, agris, vel vineis pertinentibus ad beneficium ecclesiasticum, ut si beneficiarius ex terra sylvestri, & inculta vineam plantavit, si novalia excoluit, & fructus ex iisdem suscepit? Respondetur, has meliorationes pertinere ad beneficiarium, quamdiu vivit; & post ejus obitum ad Ecclesiam, idque desumitur *ex c. si quis ult. h. t.* ubi dicitur quòd Rector qui melioravit terras, & bona Ecclesiæ ea possideat quamdiu vivit; sed moriens non possit illa relinquere alicui in testamento, vel hæreditario jure, nisi forsan Episcopus voluerit ea assignare alicui pro servitiis Ecclesiæ præstitis. Ratio etiam videtur id suadere, quia est consonum æquitati, ut quamdiu vixerit, relinquatur terra possidenda ei, cujus labore exculta, & ad fertilitatem redacta fuit. Cæterum post obitum beneficiarii hæ meliorationes penes Ecclesiam manere debent, adeo ut clericus non possit repetere impensas, si ex reditibus ecclesiasticis superfluis factæ sint: siquidem res acquisitæ ex reditibus ecclesiasticis cedunt Ecclesiæ. Quòd si ex reditibus patrimonialibus meliorationes factæ essent, tunc tam ipse beneficiarius, quàm ejus hæredes possent æstimationem expensarum repetere; nisi fortassis evincatur, beneficiarium animo donandi meliorâsse, ut notat Abbas *in d. c. si quis 5. num. 5. h. t.* ubi addit, quòd si beneficiarius ob delictum excludatur à beneficio, adhuc meliorationes debeant ipsi quamdiu vixerit, relinqui *argum. c. ad aures. 7. de reb. eccles. non alien.* Cæterum notat Glossa *in d. c. si quis. 5. h. t.* beneficiarium non comparari usufructuario, quia de fructibus perceptis non potest testari; sicut potest usufructuarius. Item non posse facere vineam de terra aratoria. Sed comparari usuario, cui tantùm licet uti ad usum quotidianum.

17 Quæritur nonò, an Religiosi possint habere peculium, & ad quod Monasterium illud spectet, si Religiosus unius Monasterii eligatur superior alterius, & decedat ante apprehensam possessionem? Certum est, Religiosos ex licentia sui superioris, posse habere aliquod peculium ex rebus consumptibilibus, sive sint pecuniæ, sive quid aliud, ut illud convertant in proprios usus religiosos, ut desumitur *ex cap. Monachi de statu Monachor.* quia verò quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit, nec quidquam propriù possit habere §. *si qua mulier. authent. de sanct. Episcop. &* §. *illud quoque auth. de Monach. & authent. ingressi C. de SS. eccles. c. quia ingredientibus 19. q. 3.* fit, quòd peculium concessum Religioso in proprios usus pertinet ad Monasterium: hinc si Religiosus unius Monasterii eligatur superior alterius, & decedat ante apprehensam possessionem sui officii, oritur dubium ad quod Monasterium pertineat peculium Regligiosi demortui? Respondetur, probabiliùs tale peculium pertinere ad Monasterium, cujus fuit electus superior: siquidem cùm peculium fuerit illi concessum juxta consuetudinem religionis pro usibus propriis, Religiosus non habet nisi usumfructum, ut tradunt Navarrus *com. 1. de regular. num. 13. & com. 2. num. 2.* Rodriquez. *quæst. regul. 29. art. 4. to. 3.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 12. q. 1. & sequent.* Sanchez. *lib. 7. sum. c. 18.* & alii communiter, ideo licèt usus peculii sit apud Religiosum, cui permittitur, dominium tamen pertinet ad Monasterium: & quia hoc dominium non possidetur à quocunque Monasterio, sed tantùm ab eo, cui incorporatur Religiosus, ideo peculium pertinet ad Monasterium, cui Religiosus est incorporatus, vel tanquam caput, vel ut membrum: atqui eo ipso quòd Religiosus eligitur superior alicujus Monasterii, eidem incorporatur, ut caput, seu ut principale membrum ejusdem.

18 Idque vel maximè procedit si agatur de pecunia ita concessa in proprios usus, ut ex consuetudine, & saltem tacita licentia superiorum sequatur personam, quando de uno Monasterio transfertur ad aliud: tunc enim sicut Religiosus incorporatur Monasterio, eidem etiam incorporatur pecunia, quam secum defert, quia usus illius desinit esse dependens à superiore prioris Monasterii; & si Religiosus transiens ad aliud Monasterium sit subditus, usus sit dependens à superiore hujus secundi Monasterii, cui Religiosus subditus recèns incorporatur, qui propterea potest revocare talem usum, & convertere pecuniam in alios usus Monasterii, cùm usus particularis cujuscunque Religiosi sit dependens à licentia proprii superioris, à quo propterea potest revocari, tametsi promiserit se non revocaturum, ut notat Abbas *in c. cùm ad Monasterium n. 11. de statu Monachor.*

19 Quòd si Religiosus sit superior potest habere usum talis pecuniæ, quatenus ut administrator bonorum Monasterii potest hoc idem sibi indulgere, quod suis subditis indulget: id autem non contingeret, si pecunia non computaretur inter bona Monasterii, cujus est ipse superior, & quorum tantùm est administrator: alioquin si illud peculium pertineret ad prius Monasterium, nec in proprios usus posset de eodem disponere, cùm ejus facultas non se extendat circa bona alterius Monasterii.

20 Tum quia mutato statu personæ, mutatur etiam status rei adhærentis eidem personæ, ut docent doctores *in c. 1. n. 9. de immunit. eccles. in 6.* Anchar. *consil. 129. n. 2.* Rota Romana *coram Merlino decis. 902. num. 74.* ex quo inferunt, quòd si persona fiat ecclesiastica, ejus quoque bona mutent statum, ac subtrahantur à jurisdictione laicali: unde cùm Religiosus de subdito fit superior, subtrahitur à jurisdictione superioris, cui prius subjiciebatur, proinde etiam ejus bona eidem adhærentia subtrahuntur

ab eadem jurisdictione: hinc peculium quod ſequitur perſonam unà cum ipſa ſubtrahitur ab eadem ſubjectione, & cùm perſona incorporatur alteri Monaſterio, cui facta eſt ſuperior.

21 Neque obſtat, quòd nondum apprehenderit poſſeſſionem ſuæ ſuperioritatis, quia apprehenſio poſſeſſionis tantùm requiritur in ordine ad exercendos actus jurisdictionales, non verò in ordine ad incorporationem; hæc enim incorporatio habetur per electionem: ſiquidem cùm primùm quis eligitur ſuperior alicujus Monaſterii ipſi incorporatur, cùm fiat caput ejusdem, proinde incorporantur etiam illa bona, quæ illum ſequuntur.

TITULUS XXVI.

De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.

QUum in ſuperioribus Titulis Pontifex egerit de contractibus, déque donationibus inter vivos, & de peculio Clericorum, aliisque bonis, quæ clericis ex induſtria, vel amicorum liberalitate, vel ſucceſſione obveniunt, déque modis, quibus inter vivos poſſunt de iisdem diſponere, ſubjicit tractatum de Teſtamentis, & ultimis voluntatibus, ut exploratum ſit; quâ ratione poſſint clerici de iisdem diſponere; præſertim cum dubitari poſſit, an de omni peculio poſſint clerici teſtari, vel per aliam ultimam voluntatem diſponere: ſiquidem ultima voluntas generatim nil aliud eſt, quàm libera, & gratuita diſpoſitio de bonis in tempus poſt mortem diſponentis: quia verò non omnis ultima voluntas eſt Teſtamentum, ideo in prima parte præſentis tituli ponitur tractatus de Teſtamentis, & in altera comprehenduntur ultimæ voluntates, quæ non ſunt propriè Teſtamenta.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *QUORUNDAM* 1. *b. t. Gregorius IX. declarat, Epiſcopum ſolùm poſſe teſtari de illo patrimonio, quod habuit ante conſecrationem: etenim quidquid erat Eccleſia ante conſecrationem epiſcopi, vel quod acquiſivit Epiſcopus, dum fuit Epiſcopus, pertinet ad dominium Eccleſiæ, nec poteſt Epiſcopus de eo teſtari: quòd ſi alicui bona illa reliquit, vel donavit, donatio eſt revocanda. Ex quo textu colligitur, prohibitum eſſe jure communi Epiſcopis, & clericis teſtari de iis, quæ acquiſiverunt intuitu Eccleſiæ, ſive ſui beneficii: non ita de aliis, quæ ſunt patrimonialia, vel propriâ induſtriâ acquiſita* c. quia nos. infra. *item* 12. q. 3. c. 2. & q. 5. c. fixum *ubi dicitur, clericos poſſe de his teſtari, unde præſens textus intelligitur de rebus acquiſitis intuitu Eccleſiæ.*

C. *QUIA INGREDIENTIBUS* 2. *b. t. Idem Pont. declarat, res Abbatiſſæ de jure competere monaſterio, in quod eſt ingreſſa, & Abbatiſſa conſtituta eſt, tametſi non geſtaverit habitū Monachalem ex incuria epiſcopi, non obſtante contraria conſuetudine. Cum enim de fructibus Eccleſiæ, & beneficii prohibeantur teſtari clerici ſeculares, multò ſtrictiùs ex natura ſui ſtatus, id prohibitum eſt Religioſis, qui voto paupertatis impediti, dominium non acquirunt fructuum, ſed tantùm uſum; quapropter ait Gloſſa hic, Abbatiſſam in ſuo ingreſſu in Monaſterium ſe, & ſua dediſſe Deo. Poteſt tamen ex Pontificia diſpenſatione Religioſus teſtari. Caterum ex hoc textu etiam colligitur, delictum non debere redundare in damnum Eccleſiæ, ſicut nec delictum ſubditorum debet imputari Prælato.*

C. *NOS QUIDEM* 3. *b. t. Idem Pontifex ſtatuit, ut ſi hæredes elapſo anno adhuc differant exequi legata pia, debeat Epiſcopus ea exequi loco hæredis. Ex quo textu colligitur, voluntatem teſtatoris circa legata pia eſſe adimplenda infra annum: & ſi executores à teſtatore dati ſint negligentes in executione, debeat Epiſcopus ſupplere eorum negligentiam, non ſolùm in piis cauſis, quod illi conceditur jure civili* l. nulli C. de Epiſcop. & clerie. *Verùm etiam, ut aliqui cenſent, in omnibus relictis etiam ad cauſas non pias, ea innixi ratione, quia omnis voluntas teſtatoris niſi iniquum quid continet, eſt pia, ut notat Panormitanus hic* num. 8. *Caterum executionem teſtamentorum ad cauſas piar Epiſcopis concedit Concilium Tridentinum* ſeſſ. 22. de refor. c. 8. & ſeſſ. 25. decret de purg.

C. *INDICANTE* 4. *b. t. Idem Pont. reſcribit cuidam Petro ſubdiacono, legata nudis verbis relicta eſſe executioni mandanda, præſertim ſi ſint ad pias cauſas, ut in præſenti textu; ubi moriens uxor redempti, concham argenteam nudis verbis juſſit venundari, & ſuis dari libertis, & ſcutellam argenteam cum reliquiſſet Monaſterio cuidam, Pontifex reſcripſit, ut per omnia ejus voluntas adimpleretur. Ex quo textu deſumitur generalis regula, legatum ad cauſas pias factum ſine teſtamento, & inſtitutione hæredis valere etiam in foro externo, dummodo probari poſſit per duos, vel tres teſtes,*

§ ſa-

ſi factum ſit nudis verbis, etiam ſine ſcriptura. Rurſus notat Gloſſa, mulierem poſſe teſtari etiam vivente marito.

C. FILIIS 5. *h.t. Idem Pont. declarat, quòd ſi teſtator legavit rem non ſuam, ſed alienam, heres quamvis ſecundùm leges ſæculi adigatur ſolvere æquivalens, non tamen ſecundùm leges Dei. Ex quo textu, infertur, jure civili, quod Pontifex vocat legem ſæcularem: quando quis ſcienter legat aliena, teneri juxta Gloſſam rem legatam relinquere legatario, vel ejus æſtimationem, ſi vendi poſſit* §. quod autem inſtit. de legat. *Sin autem ignoranter legavit rem alienam, quam putavit eſſe ſuam, legatum eſt irritum, niſi legatum factum ſit perſonæ ſanguine junctæ, ut conſobrino, fratri, patrueli: tenetur tamen legatarius probare ſcientiam legantis, nimirum ipſum ignorâſſe rem eſſe alienam* l. cum rem alienam C. de legat. l. verius ff. de probat. *De benignitate tamen canonica, ſeu ſecundùm legem Dei hæres non compellitur ſolvere æquivalens, quando teſtator legavit rem non ſuam, ſed alienam. Ratio diſcriminis utriuſque juris aſſignatur à Panormitano, quia jus civile in hoc nititur præſumpta voluntate teſtatoris (non certa, aut expreſſa) eò quia teſtator legando rem, ſive ſcienter, ſive ignoranter ſeriò volverit rem legatam eſſe legatarii, & ſi appareat eſſe alienam debeat eidem ſolvi æquivalens pretium, eò quia jura velint ultimas diſpoſitiones valere eo modo, quo poſſunt. Sed jure canonico, quia hæc præſumptio poteſt eſſe falſa, ſi nimirum teſtator præſumptam intentionem non habeat, ut legatario ſolvatur rei alienæ æſtimatio, meritò Eccleſia, quæ rei veritatem magis ſequitur, quoad hoc receſſit à rigore juris civilis. Tum quia durum eſt adigere hæredem, rem non ſuam non aliter redimere, quàm ſi revera ſua futura eſſet.*

C. SI HÆREDES 6. *h.t. Ex Concilio Moguntino ſtatuitur, quòd ſi hæredes juſſa, ſeu voluntatem teſtatoris non impleverint, debeat ab Epiſcopo loci illius res omnis, quæ illis relicta eſt, canonicè interdici unà cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut voluntas defuncti adimpleatur: procedit tamen textus præſuppoſitâ negligentiâ hæredum, qui ſi non ſint negligentes in mandanda executioni voluntate defuncti, non debet Epiſcopus ſe immiſcere: poſitâ autem negligentiâ cura executorum devolvitur ad Epiſcopum, qui proinde pro adimplenda voluntate defuncti contra hæredem negligentem, poteſt totam hæreditatem canonicè interdicere cum fructibus, & emolumentis. Imò volunt plures id eſſe mixti fori, adeò ut non ſolùm Judex eccleſiaſticus, ſed etiam ſæcularis poſſit id præſtare, & Panormitanus hic* num. 3. *vult, inter hos judices eſſe locum prevencioni.*

C. CUM IN OFFICIIS 7. *h.t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut bona Clericorum acquiſita per Eccleſiam ſint Eccleſiæ, ſive clerici moriantur inteſtati, ſive cum Teſtamento. Ubi notandum eſt, alia eſſe bona acquiſita per Eccleſiam, ſeu intuitu Eccleſiæ; & alia bona patrimonialia, vel acquiſita propriâ induſtriâ, & labore, non ex obligatione beneficii eccleſiaſtici; textus enim procedit de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, non verò de aliis, imò cenſent plures, poſſe clericos etiam teſtari de illis bonis, quæ ſubtrahunt neceſſariæ ſuſtentationi, vel etiam quæ miniſteriis ſuis in Eccleſia utilitatem impenſis promerentur ultra competentem ſuſtentationem, quia hæc pertinent ad induſtriam beneficiarii. Cæterum de ſuperfluis reditibus beneficiorum ſuorum ultra competentem ſuſtentationem non poſſunt clerici teſtari etiam in uſus pios* c. adhæc h.t. *Idque procedit tam de beneficiis ſimplicibus, quàm curatis, quia in* c. relatum *ſermo eſt de canonicis, quorum beneficia ſunt ſimplicia. Ratio verò, cur non poſſint teſtari, eſt, quia clerici, quamdiu vivunt debent bona ſua in pios uſus erogare, non verò pecunias cumulare, quibus conſanguinei diteſcant. Cæterum ex conſuetudine legitimè tempore præſcripta putant plures, poſſe beneficiarios validè teſtari prò libito, quamvis teſtando in uſus profanos peccent contra legem naturalem, contra quam nulla valet conſuetudo, vel præſumptio.*

C. AD HÆC 8. *h.t. Alexander III. declarat, clericos, quamvis de mobilibus acquiſitis per Eccleſiam teſtari non poſſint, poſſe tamen viventes, vel etiam infirmos dare moderatas eleemoſynas. Ubi notat Gloſſa, poſſe clericos de mobilibus in morte dare tam conſanguineis, quàm aliis extraneis intuitu recepti ſervitij.*

C. QUIA 9. *h.t. Idem Pont. reſcribit, clericos poſſe teſtari de bonis hæreditariis, vel acquiſitis intuitu ſanguinis, vel perſonæ, vel adeptis artificio, vel dono amicorum, & generatim de omnibus bonis non acquiſitis intuitu Eccleſiæ, quia de acquiſitis per Eccleſiam, ſeu intuitu ejusdem, declarat Pontifex, clericos non poſſe teſtari, nec diſponere, quia ut rectè notat Gloſſa hîc, clerici non habent proprietatem, ſed ſolùm uſum rerum Eccleſiæ, adeò ut præter victum, & veſtitum, & moderatam donationem causâ ſervitii recepti ſint omnia danda pauperibus* 12. q. 2. c. ult.

C. CUM ESSES 10. *h.t. reſcribit idem Pont. teſtamenta facta à Parochianis coram Presbytero ſuo, & duobus, vel tribus teſtibus valere, quamvis non fuerit addita ſolemnitas juris humani, ſeu ſubſcriptio à quinque, vel ſeptem teſtibus: immò Pontifex declarat excommunicatum eum, qui auſus fuerit talia teſtamenta reſcindere non obſtante contraria conſuetudine. Ubi notat Gloſſa, valere talia teſtamenta pro legatis relictis Eccleſiæ, vel locis piis. Neque per hunc textum reprobantur leges civiles quoad ſeptem teſtes, ac ſi illicitum foret tot teſtes adhibere: ſed quia ſupervacaneum videatur tantam exigere ſolemnitatem cùm ſufficiant tres teſtes, immo etiam duo cum Paroche, præſertim ſi ſint omni exceptione majores.*

C. RELATUM 11. *h.t. Idem Pont. reſcribit pro relictis Eccleſiæ, vel legatis piis, ſufficere duos, vel tres teſtes, eò quia in cauſis piis non judi-*

judicandum ſecundùm leges civiles, ſed juxta canones. Ubi notandum eſt, quòd ſi agatur de teſtamentis, & legatis ad cauſas pias prater duos teſtes requiritur etiam præſentia Parochi: quòd ſi loco illius intervenirent alii duo teſtes, tunc docet Panormitanus hic n. 7. cum aliis teſtamentum ſuum ſortiri valorem, eò quia duo teſtes præſertim omni exceptione majores, ſint majoris authoritatis, quàm ſolus Parochus c. à nobis de teſtibus. *Immo in hoc textu Pontifex vult, Teſtamenta eſſe valida, dummodo aliquis voluntatem ſuam exprimat ſcripto, vel ſine ſcripto, immo etiam ſine Presbytero, idque ſtatuit Pontifex in favorem cauſæ piæ.*

C. *RELATUM EST AURIBUS* 12. *h. t. declarat idem Pont. bona clerici defuncti acquiſita intuitu Eccleſiæ pertinere ad Eccleſiam; & nomine Eccleſiæ intelligi, ubi eſt Collegium, vel communis Congregatio: ubi enim non eſt communitas intelligitur ſuccedere. Rurſus per bona clerici intelliguntur mobilia, & immobilia, quæ ſucceſſor teneatur in Dei timore diſpenſare, id eſt bona mobalia pauperibus, vel locis religioſis, vel iis, qui viventi ſerviverunt. Bona verò acquiſita ex hereditate, artificio, vel doctrina, poſſe ad libitum diſtribui, declarat idem Pontifex. Qui verò in diverſis locis diverſa habent beneficia, mandat Pontifex, ut bona relicta dividantur inter ipſa, ſecundùm congruam æſtimationem pro rata. Ubi notat Gloſſa, bona epiſcopi non devolvi ad Collegium majoris Eccleſiæ, ſed ad ſucceſſorem: bona verò Archidiaconi, ſi ſint diſtincta à bonis Canonicorum eſſe ſervanda ſucceſſori, ſin minus Capitulo. Quòd ſi eſſent plures Eccleſiæ pro rata illi, à qua plus accepit, vel minus ſervivit, plus debetur.*

C. *CUM TIBI* 13. *h. t. reſcribit Innocentius III. eum qui ſuam ultimam voluntatem in alterius diſpoſitione committit, non dici inteſtatum obiiſſe. Ubi notat Gloſſa, talem ex benignitate tantùm canonicâ dici Teſtamentum feciſſe: quia revera non eſt Teſtamentum, ubi nomen hæredis non exprimitur: ſiquidem inſtitutio hæredis eſt fundamentum totius Teſtamenti. Hinc quia conferens ultimam ſuam voluntatem in alterius arbitrium nullum exprimit hæredis nomen, nec propriè inſtituit hæredem, ideo nec dicitur propriè Teſtamentum inſtituere. Hinc jus civile* l. illa inſtitut. ff. de hæred. inſtit. *vult, ultimam voluntatem non poſſe in alterius arbitrium conferri, quia ut notat Ceſius hic* num. 23. *lex civilis voluit, Teſtamentorum jura firma eſſe, proinde non dependere ab aliena voluntate: & in hoc jus Canonicum diſcordat à jure civili, ut notant Panormitanus hic* num. 3. *& Covarruvias* num. 13. *cùm Pontifex in præſenti textu expreſsè dicat, committentem ſuam ultimam voluntatem in arbitrium alterius non dici inteſtatum obiiſſe. Cenſerem tamen, hanc commiſſionem ſive verbis, ſive ſcripto, ſive ſolo nutu factam, probabiliter tantùm referri ad cauſas pias, quia hæc habent certam regulam, quâ reſpiciunt cultum divinum, bonum animæ, & pauperum neceſſitatem. Caterum quando quis committit voluntati alterius factionem Teſtamenti, ſi ille eſt hæres, valet; ſecus ſi non eſt hæres, ut ſi quis expreſsè dicat, inſtituo hæredem, quem Titius voluerit, non valet, quia eſt commiſſio captatoria: ſecus ſi tacitè, & dicat, inſtituo te hæredem, ſi tuus frater victor è bello redibit: ex quo liquet, legatum poſſe committi alterius arbitrio tacitè, non expreſsè. Caterum perſonæ incertæ præſertim ad cauſas pias poſſunt inſtitui hæredes, ut ſi quis dicat; inſtituo pauperes meos hæredes.*

C. *OFFICII* 14. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi quis legaverit Epiſcopo aliquam portionem: & alia plura legaverit Monaſterio, vel Eccleſiis, poſſit Epiſcopus ſibi accipere portionem etiam de legatis factis monaſterio, aliisque locis piis, niſi eſſent Regulares privilegiati à Papa. Sin verò quis illam legaverit partem Epiſcopo, ut hic ſit illâ ſolâ contentus, & Epiſcopus acceptavit, declarat Pontifex, non poſſe poſtea Epiſcopum de aliis accipere portionem, quia illis renunciâſſe videtur. Quòd ſi pars relicta epiſcopo eſſet minor portione debita, & ſolita; tunc poſſet exigere portionem inſtitutam à canone: quia fraus, & dolus nulli debet prodeſſe. Ex quo textu liquet, jure antiquo deberi Epiſcopo aliquam portionem de relictis Eccleſiæ, quæ canonica dicitur, & diverſa eſt, ſecundùm diverſas locorum conſuetudines. Hinc* mortuarium *dicitur illa portio, quæ ex relictis Eccleſiæ poſt mortem teſtatoris Epiſcopus ſibi vendicat, cujus cauſa fuit olim Eccleſiarum inopia, ut cenſet Navarra in c.* requiſiſti 15. h. t. *ubi allegat varia jura. Quia verò Epiſcopatibus poſtea dotatis, ac ditatis ceſſavit hæc ratio inopiæ, videtur conſuetudo ſolvendi mortuarium etiam ceſſâſſe.*

C. *REQUISISTI* 15. *h. t. Idem Pont. declarat, regulariter verum eſſe, quòd de relictis Eccleſiæ debeatur Epiſcopo tertia, vel quarta portio ſecundùm diverſas conſuetudines. Verùm diſtinguendum eſt inter cathedralem, & alias Eccleſias: ſi enim ſermo ſit de cathedrali, & teſtator dicat, relinquo hoc Epiſcopo, ſi teſtator ſit extraneus præſumitur relictum intuitu Eccleſiæ, & non perſonæ, & tunc cathedralis poteſt petere canonicam portionem ſicut Epiſcopus: ſin autem teſtator relinquat Eccleſiæ, & exprimat, quòd illud tantùm velit eſſe epiſcopi, & non Eccleſiæ, tunc relictum pertinet ad Epiſcopum: ſin verò exprimat, quòd velit eſſe ſolius Eccleſiæ, & non Epiſcopi, non præjudicat Epiſcopo. Sin autem Epiſcopo relinquitur à propinquo præſumitur eſſe relictum non intuitu Eccleſiæ, ſed perſonæ, & tunc nihil poteſt habere Eccleſia vivente Epiſcopo, niſi foratàſſis contrarium probetur, ſcilicet intuitu Eccleſiæ fuiſſe relictum. Sin verò teſtator dicat: relinquo illud Eccleſiæ, & Epiſcopo; tunc inter ipſos fieri debet canonica diviſio. Sin verò dicat, relinquo iſtud Eccleſiæ & iſtud Epiſcopo, tunc reducenda ſunt ad canonicam diviſionem inter Epiſcopum, & cathedralem, niſi ambo velint contenti eſſe diſpoſitione teſtatoris quod æquitati eſt conſonum, cùm nulla adſit fraus. Sin verò ſermo ſit de aliis eccleſiis, vel teſtator reliquit*

Enquit aliquid Episcopo, & aliquid locis piis, & tunc relictum Episcopo est præcipuum ipsius cum Ecclesia cathedrali: de legatis ad alias Ecclesias relictis, Episcopus obtinet canonicam portionem. Rursus quæ relinquuntur clericis qui possunt habere proprium, & non habent Ecclesia prælationem, vel administrationem; sive relicta sint ab extraneo, sive à propinquo intelliguntur relicta intuitu personæ, & de illis nec Episcopus, nec Ecclesia potest quidquam prætendere nisi contrarium constet. Imò notat Glossa etiam relicta personæ privatæ habenti beneficium intelligi relicta intuitu personæ, verùm quia hæc præsumptio est juris, & non de jure admittit probationem contrariam. Rursus relicta canonicis non intelligi relicta Ecclesiæ. Caterum quòd in textu dicatur de relictis Episcopo debere etiam Ecclesiam cathedralem habere suam portionem, sicut è contra; de facto non servatur, ut notat Panormitanus num. *5. unde non est distinis in hoc prolixo textu immorandum.*

C. *RAYNUTIUS* 16. *h. t. rescribit idem Pont. in bonis Patris, Matris, & Aviæ quemlibet habere quartam partem sibi debitam jure naturæ, nec posse patrem eâ filium privare. Rursus filius rogatus de restituenda hæreditate debet quartam sibi debitam jure naturæ, & Trebellianicam detrahere, in quæ computantur fructus percepti post contestationem litis. Hinc notat Glossa, Testamentum, in quo nihil relinquitur hæredi, non valere, & institutos in certis rebus haberi locò Legatarii, nec teneri creditoribus. Caterum ex textu liquet, quemlibet in bonis paternis, & maternis habere legitimam jure naturæ sibi debitam, & filium restituentem hæreditatem, utpote sub ratione fideicommissi sibi relictam habere jus detrahendi Trebellianicam. Legitima à lege non solùm positiva, sed etiam naturali trahitur* l. omni modo C. de inof. testam. *Dicitur autem liberis debita jure naturæ, quia sine causa non possunt filii exhæredari, & illis mortuis debetur legitimis nepotibus, nec potest hæc pars imminui, vel gravari per legata, aut fideicommissa, sed tantùm per debita. Præter hanc legitimam, dantur etiam alia duæ illius speciei, una quæ dicitur* falcidia *à Falcidio Authore, quæ debetur jure institutionis, & est quarta pars totius hæreditatis, quam hæres detrahit, & sibi retinet de singulis legatis (iis exceptis, quæ sunt ad causas pias) si hæreditas sit exhausta, vel nimis gravata legatis* l. similiter C. ad leg. falcid. instit. eod. *Altera species dicitur* Trebellianica *à Trebellio Authore, quæ etiam debetur hæredi jure institutionis, & est quarta pars hæreditatis, quæ detrahitur à tota hæreditate ab hærede instituto, si rogatus est, ut si moriatur absque liberis ac hæreditatem sibi relictam alteri restituat, & per hoc differt à falcidia, quæ non detrahitur ex tota hæreditate, sed tantùm à singularibus relictis, Trebellianica enim detrahitur ex tota hæreditate.*

C. *TUA NOBIS* 17. *h. t. Gregorius IX. rescribit, Episcopum debere compellere executores Testamentorum, ut bona fideliter expendant in pios usus juxta voluntatem testatoris, non obstante, quòd testator relinquat, executores non esse compellendos. Debet tamen præcedere debita monitio, idque etiam habetur jure novo in Concilio Tridentino* sess. 22. de refor. c. 8. *Ex hoc textu deducitur, Religiosos cum facultate suorum superiorum posse esse executores Testamentorum. Rursus executores non posse mutare usum destinatum à testatore, nec in melierem, quamvis consentiat Episcopus, ut notat Panormitanus hic* num. 4. *ubi tamen excipit authoritatem Principis, qualis est illa Papæ in fundationibus Ecclesiarum, & Monasteriorum. Caterum hic textus procedit, ut notat Glossa, dummodo voluntas testatoris sit rationabilis.*

C. *RAYNALDUS* 18. *h. t. Idem Pont. statuit, ut filius rogatus restituere hæreditatem in morte possit detrahere tertiam jure naturæ, & quartam trebellianicam, quas possit relinquere legato, vel hæredi. Hic autem textus dependet ex illis, quæ ex accidenti ad jus civile spectantia inseruntur, & textus satis fuit declaratus in* c. Raynutius 16. h. t.

C. *JOANNES* 19. *h. t. Idem Pont. declarat, executores testamentarios, postquam acceptarunt, debere ab Episcopo compelli, si sint negligentes, ut exequantur Testamentum. De hac autem potestate Episcopi circa executionem Testamentorum superius dictum est.*

C. *DE HIS* 20. *h. t. declarat idem Pont. Episcopos non debere portionem canonicam habere de his, quæ leguntur Ecclesiæ, vel aliis locis piis specialim pro ornamentis, fabrica, luminaribus, anniversario, septima, vigesima, trigesima die, vel aliis ad perpetuum cultum divinum; dummodo non fiat in fraudem; adeò ut Episcopus iis non defraudetur. Ubi notat Glossa, portionem canonicam diversimodè deduci, pro diversitate consuetudinum, adeò ut alicubi sit tertia, alibi quarta, vel etiam media pars. Observandum tamen est, falcidiam cessare in iis, quæ ad pias causas relinquuntur.*

IN SEXTO.

C. *SI PATER* 1. *h. t. Bonifacius VIII. declarat, in substitutionibus esse semper interpretandum, ut substitutio sit potius directa, quàm obliqua, dummodo conveniat personis, & earum verbis. Ubi notat Glossa, in substitutionibus obliquis, uti in fideicommissariis habere locum quartam legitimam, & trebellianicam: non verò habere locum in directis. Rursus quamvis filius non possit privare matrem portione illi debita lege naturæ, potest tamen pater in Testamento, quod filio impuberi facit. Caterum notandum est, substitutionem esse secundam institutionem, duplex enim est hæredis institutio, una quæ dicitur prima, qua unus, vel plures hæredes nominantur, qui immediatè succedunt in jus testatoris; altera dicitur secunda, seu substitutio, quando primo hæredi substituitur alius, vel etiam plures, qui non potiuntur hæreditate nisi primo hærede mortuo, vel non adeunte hæreditatem. Pauperes si instituantur hæredes in genere, intelliguntur pauperes illius loci, in quo testator habuit domicilium.*

C. Re-

C. *RELIGIOSIS 2. h. t. Idem Pont. declarat, Religioſum deputatum executorem Teſtamenti ab aliquo, non poſſe ſuſcipere hoc officium niſi petita, & obtenta licentia à ſuo ſuperiore, quia non habet proprium velle. Quòd ſi teſtator plures ſimpliciter executores deputavit uno eorum mortuo, vel in remotis partibus agente, vel id exequi nolente, ne voluntas teſtatoris impediatur, vel nimium differatur, declarat Pontifex, ut poſſit alius officium executionis liberè adimplere, niſi teſtator aliter expreſſerit, ubi notat Gloſſa, mulierem, & minorem annis 25. poſſe ex conſuetudine eſſe executores, quicquid ſit de jure.*

IN SEPTIMO.

C. *ROMANUS 1. h. t. Paulus III. declarat, Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliósque Prælatos eccleſiaſticos de rebus, ac bonis, quæ poſſident, ſi à ſede apoſtolica facultatem non habeant teſtandi, ſeu diſponendi, nonniſi decimam partem rerum, & bonorum eorundem, mobilium & immobilium, & ſe moventium, ac pecuniarum, eccleſiis, Hoſpitalibus, aliiſque piis locis, habentibus facultatem acquirendi tantùm, non per viam inſtitutionis hæredum, ſeu donationis, vel legati in vita, ſeu in morte relinquere poſſe: & Eccleſiæ, monaſteria, Hoſpitalia, & alia pia loca, ſeu illorum Rectores nonniſi decimam partem talium bonorum capere, ſeu acquirere poſſunt, non obſtantibus quibuscunque privilegiis, gratiis, & indultis, & Pontifex declarat irritum quicquid in contrarium fiat. Ex quo textu liquet, Prælatos non habentes facultatem teſtandi jure legati, vel donationis, nonniſi decimam partem bonorum Eccleſiaſticorum, quæ poſſident, poſſe relinquere piis locis.*

C. *QUÆ ORDINI 2. h. t. Pius V. declarat irrita eſſe, & nullius valoris Teſtamenta, & donationes bonorum, quæ fuerunt acquiſita intuitu Eccleſiæ in favorem illegitimorum, imò etiam legitimorum, non tamen ſi fiant in favorem Hoſpitalium, Expoſitorum, & Orphanorum. Et diſtrictius probibet, ne talia bona in prædictos illegitimos utriusque ſexus ſive in illorum conjuges, vel eorum parentes filios deſcendentes, aſcendentes, & alios cognatos fiant donationes etiam Titulo paupertatis, vel dotis, vel alterius cujuscunque pii operis. Et declarat nullius valoris Teſtamentum, donationem, legatum, vel diſpoſitionem factam contra hanc decretalem, prohibens etiam, ne audeat quispiam quantumvis capax prætextu privilegii, vel indulti, fructus, res, pecunias, vel alia bona, ſua facere, nec illa detinere, & detinentem non juvari præſcriptione, ſed teneri ad integram illorum reſtitutionem etiam poſt cujusvis temporis lapſum.*

C. *GRAVE NOBIS 3. h. t. Pius IV. declarat, bona eccleſiaſtica ſine indulto Apoſtolico non eſſe relinquenda arbitrio ultimæ voluntatis, eò quia id cedat in grave damnum Cameræ Apoſtolicæ, cujus indemnitati, ut conſuleret Pontifex, declarat in hac decretali, omnia & ſingula teſtamenta, donationes in vitis, vel mortis cauſâ factos codicillos, legata, & quascunque alia in ultimis voluntatibus per quoscunque Eccleſiarum Prælatos etiam ſi Patriarchali, Archiepiſcopali, vel Epiſcopali præfulgeant dignitate, ac quorumvis monaſteriorum cujuscunque ordinis Abbates, ſeu Commendatarios: ac Presbyteros ex bonis, & reditibus eccleſiaſticis ſine ſpeciali licentia, & facultate ſedis Apoſtolicæ eſſe nullius valoris, etiam ſi donationes, vel Teſtamenta facta ſint in favorem Hoſpitalium, & aliorum locorum piorum.*

IN CLEMENTINIS.

C. *RELIGIOSIS unic. h. t. ſtatuit Clemens V. ut Epiſcopi, Ordinarii ſine fraude, dolo, & negligentia exigant rationem executionis Teſtamentorum à Religioſis, & exemptis, qui fuerunt electi executores & cum licentia ſuperiorum acceptárunt, & ſunt executi: & ſi in aliquo deliquerint, eos puniant, non obſtante quocunque privilegio. Notandum eſt, nomine ultimæ voluntatis generatim comprehendi quidquid mortis cauſa diſponitur ſive per Teſtamentum, ſive codicillum, donationem, vel Epiſtolam.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Teſtamentum, & quæ ſolemnitates requirantur ad illud.

1 TEſtamentum, ſi nominis ſpectetur etymon, eſt teſtatio mentis, eò quia declaret, quæ ſit mens, & ultima hominis voluntas, ut habetur *in princ. inſtit. h. t.* definitur autem à Modeſtino Jurisconſulto *in l. 1. ff. qui teſtamen. facer. poſ. Voluntatis humanæ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Quia verò hæc videtur convenire cum aliis ultimis voluntatibus, ſcilicet codicillo, legato, fideicommiſſo, & donatione mortis cauſa; ideo doctores addunt definitioni Modeſtini has alias particulas *cum directa hæredis inſtitutione* per hæc enim verba Teſtamentum diſtinguitur à cæteris ultimis voluntatibus; eò quia nulla alia ultima voluntas continet heredis inſtitutionem; non autem quia continet legata, vel fidei commiſſa; quia quòd hæc in eodem inſtrumento ſcribantur, eſt extrin-

trinſecum, & acceſſorium ratione teſtamenti; & poſſunt omitti ſalvâ ratione teſtamenti.

2 Hinc Teſtamentum differt à codicillo, quia codicillus non fit ad inſtituendum hæredem (niſi interdum ex ſpeciali privilegio, quale concedi ſolet militibus, ut liquet *ex l. militis codicillis 36. de milit. teſtam.*) ſed ad aliquid in Teſtamento explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum: ut ad legata inſtituenda, vel ad ſubſtitutionem fideicommiſſariam faciendam, ob hæc enim, & alia id genus adduntur teſtamento codicilli. Præterea quia in codicillo ſufficit ſi adſint quinque teſtes, quamvis non rogati, & inter ipſos poſſunt etiam eſſe mulieres: ſecus in teſtamento ritè facto requiruntur quinque teſtes rogati maſculi, & puberes. Hinc clauſula codicillaris addita teſtamento (qua teſtator intendit velle ſuam diſpoſitionem valere per modum, vel teſtamenti, vel codicilli, vel generatim ſe velle, illam valere meliori modo, quo poteſt) eam vim obtinet, ut tametſi Teſtamentum ob defectum ſolemnitatis non valeat, quà præcisè eſt Teſtamentum, ſeu quoad directam inſtitutionem hæredis, valet tamen quà codicillus. Quapropter legata, quæ tali teſtamento relinquuntur ſunt valida, & ſolvenda. Rurſus ſi teſtator non habens liberos inſtituat extraneum hæredem, inſtitutio hæc directa habet vim ſubſtitutionis fideicommiſſariæ: ſiquidem frater, vel alius, qui ab inteſtato ſuccederet, tenetur illi tradere hæreditatem, ſibi tantùm retenta quarta ejus parte, quam juriſtæ vocant tribellianicam. Quòd ſi habeat liberos ipſis tantùm competit legitima, & extraneo hæredi conſtituto reliqua hæreditas.

3 Dividitur Teſtamentum in ſolemne, & minus ſolemne, quod etiam privilegiatum dicitur, eo quòd quamvis careat ſolemnitatibus jure communi requiſitis ad validitatem teſtamenti: nihilominus ex privilegio ſuum ſortitur valorem; talia ſunt teſtamenta, quæ fiunt ad pias cauſas, vel inter liberos; ut etiam Teſtamenta militum, vel condita tempore peſtis, vel facta coram Principe; ut notat Julius Clarus §. *Teſtamentum q. 3.* Teſtamentum ſolemne bipartitur in ſcriptum, & nuncupativum; quæ differentia neceſſariò introducta eſt quia ut ſine ſcripto poſſet fieri Teſtamentum, id exigebat non ſolum eorum conditio, qui nec ipſi ſcribere norunt, nec alteri negotium ſcribendi ſine periculo committere poſſunt; verùm etiam ratio eorum, qui teſtamenti factionem eo usque differunt, donec ad vitæ extrema deducti, non poſſint ampliùs adhibere ſolemnitates omnes jure requiſitas ad valorem teſtamenti ſcripti: ut igitur plura declinarentur incommoda neceſſe fuit, ut facultas concederetur condendi Teſtamentum nuncupativum; & eſt in quo teſtator ſola voce absque ſcripto coram teſtibus declarat, quid poſt mortem ſuam fieri velit, ut notat Clarus *d. §. q. 4. num. 1.* Moris tamen hodie eſt, ut hæc nuncupatio, ſeu declaratio ultimæ voluntatis à publico Notario in ſcripturam redigatur; non quia ad illam requiratur ſcriptura, tanquam forma ad ſubſtantiam actûs; ſed ut facilius probari poſſit voluntas teſtatoris, ſi fortaſſis teſtes interim mori, vel reddi inhabiles contingeret, antequam coram judice defuncti teſtatoris voluntatem declararent; horum enim defectus ſuppletur per publicum inſtrumentum Notarii, adeo ut non ſit neceſſaria apud judicem alia inſinuatio, ut notat Julius Clarus §. *Teſtamentum q. 4. num. 2.*

Præterea fuit etiam neceſſe, ut poſſet fieri 4
Teſtamentum ſcriptum, ſeu clauſum: quia ſi omnes nuncupativè teſtarentur, ſæpe occaſio præberetur æmulationi inter ſanguine junctos, & ſæpe etiam immineret periculum ipſi teſtatori ab illis etiam, quibus aliquid reliquit, vel ob metum revocationis, vel etiam ob moræ tædium. Demum immineret etiam periculum pupillo quoties quis illi ſubſtitutus eſſet: ad hæc igitur removenda incommoda neceſſe itidem fuit, ut præter Teſtamentum nuncupativum poſſet etiam condi Teſtamentum ſcriptum, ſeu clauſum.

Rurſus utrumque Teſtamentum nuncupa- 5
tivum, & ſcriptum, dividitur: primò ratione finis in Teſtamentum ad cauſas pias, & Teſtamentum ad cauſas profanas, & iſtis plura adnectuntur privilegia, de quibus infra. Secundò ratione objecti ſubdividitur in Teſtamentum, quod fit inter liberos, quod etiam gaudet pluribus privilegiis, & in Teſtamentum factum inter extraneos. Tertiò ratione cauſæ efficientis partitur in Teſtamentum paganicum, & militare. Teſtamentum militare eſt, quod fit à militibus, & pluribus gaudet privilegiis; paganicum verò fit à ruſticis, cæcis, mutis, ſurdis, & hoc Teſtamentum habet etiam quædam ſpecialia. Rurſus ad Teſtamentum ſcriptum requiritur inprimis nomen hæredis, quod ipſe teſtator per ſe, vel per alium ſcribat: & ſi per alium ſcribi curet, ipſe vel propria manu, vel per octavum teſtem eo nomine adhibitum in reliquorum teſtium præſentia ſubſcribat: ſin verò totum Teſtamentum, vel ſaltem nomina hæredum propria manu ſcripſerit, tunc non eſt neceſſe, ut adhibeatur octavus teſtis; debet tamen teſtator exprimere in ſcriptura, ſe propria manu ſcripſiſſe.

Præterea ubi non eſt exceptio, adhiberi de- 6
bent ſeptem teſtes idonei ad ferendum Teſtimonium: quapropter excluduntur furioſi, muti, ſurdi, prodigi, & damnati ob crimen famoſum. Debent itidem teſtes eſſe maſculi, puberes, libertate prædîti, rogati, ſeu invitati ad teſtificandum, quique teſtatori ita ſint præſentes, ut eum audiant, videant, & ſuum nomen ſubſcribant, firmentque ſigillo ſive proprio, ſive alieno: verùm in aliquibus Provinciis requiritur ut major pars teſtium proprio utatur ſigillo: quòd ſi ſint imperiti, poſſunt per alium ſubſcribere, factâ tamen mentione hujus alienæ ſubſcriptionis. Imò non eſt neceſsè ut in hunc finem ſpecialiter convocentur teſtes, ſed ſufficit, ſi etiam caſu præſentes moneantur, quòd adhibeantur teſtamenti causâ *l. 21. §. penult. ff. qui Teſtamentum facere poſſ.* unde ſufficit, ſi ante Teſtimonium certiorentur ſe adhiberi in teſtes. Non tamen teſtes hi poſſunt eſſe domeſtici teſtatoris, nec ejus hæredes: nomine domeſticorum

rum intelliguntur, quorum alter in alterius potestate, vel ambo in patria potestate tertii sunt; hinc filiusfamilias non potest esse testis in Testamento patris, nec Pater in Testamento filii, nec Frater in Testamento fratris sub eadem secum potestate constituti.

7 Non tamen arcentur à testimonio ferendo maritus, Frater emancipatus, libertus, socius, famulus conductus. Secus Pater, ut etiam is, qui in potestate ejus est. Rursus duo fratres sub ejusdem patris potestate possunt testes esse in Testamento alterius; quia nihil nocet plures sanguine junctos testes adhiberi in alieno negotio, dummodo non sint sub potestate testatoris. Quòd si filiusfamilias de peculio castrensi post missionem condat Testamentum, nec Pater ejus potest in testem adhiberi, nec is, qui est in potestate ejusdem. Imò reprobatur etiam Testimonium domesticum. Legatarii, & fideicommissarii particulares à testimonio non arcentur, benè tamen fideicommissarius universalis excluditur, eò quia veniat nomine hæredis. Ut autem testes adhibiti rectè subscribantur, debent singuli, non solùm suum proprium nomen subscribere, verùm etiam nomen exprimere testatoris, & adnotare, cujus Testamentum signaverint *l. penult. ff. qui Testament.*

8 Alia solemnitas requisita ad valorem testamenti est, ut totum testandi negotium uno contextu compleatur, scilicet eodem tempore continuato, eodem loco, & nullo actu penitus extraneo (cujusmodi sunt, qui non habent connexionem cum ultima voluntate testatoris) interveniente absolvatur: hinc in Testamento nuncupativo ipsa nominatio hæredis; & in Testamento scripto subsignatio, seu subscriptio testibus semper præsentibus fieri debet, tametsi Testamentum jam diu ante rescriptum fuerit: hæc enim moraliter sunt pensanda, quapropter modicum intervallum temporis ex aliqua necessitate, non officit. Testamentum nuncupativum paucis absolvitur, quia non est opus subscriptione, aut sigillo. Immo nulla est necessaria subscriptio, quamvis consultiùs adhibeatur, vel saltem, ut qui tantùm nuncupativè testari volunt facilioris probationis causâ curent à publico Notario nuncupatam voluntatem scripturâ authenticâ excipi.

9 Cæterum Testamentum nuncupativum à scripto in hoc vel maximè differt; quia nuncupatio, seu talis manifestatio hæredis, quâ indubitanter hæres innotescat testibus, est de essentia testamenti nuncupativi: sitque hæc nuncupatio, si testator voce articulata proferat nomen hæredis; sive deinde nomen proprium exprimat, sive alio modo circumscribat, ut sufficienter intelligatur de quo loqui velit. Sufficienter etiam si in præsentia testium propria manu hæredem spectantibus testibus scriberet; vel etiam priùs scriptum legendum exhiberet, & signis certis indicaret, hunc se velle hæredem. Secus Testamentum scriptum, quamvis non pugnet cum manifestatione hæredis, non tamen hanc requirit; imò in hunc finem præcipuè introductum est, ut possit hæres testes ignorare.

10 Demum discrimen inter Testamentum paganicum, & militare est, quia paganicum regulariter septem exigit testes, eósque rogatos, ut habetur in *l. hac consultissima, & l. jubemus*, & ibi doctores; Testamentum paganicum dicitur, quod fit ab eo, qui non est miles: secus Testamentum militare fit à milite, & si fiat in expeditione bellica nullâ requirit solemnitatem ordinationis jure civili requisitam, sed ad ejus validitatem sufficit, si constet quoquo modo de militis voluntate sive scripta, sive non scripta *l. ex Testamento 5. l. milites 15. C. de testam. milit. instit. eod. tit. in princ.* siquidem milites magis arma, quàm leges scire præsumuntur, nec permittunt bellicæ occupationes Jurisperitos adhibere, nec quid leges jubeant inquirere: secus mulieres, rustici, & alii tametsi imperiti sint juris, non gaudent simili privilegio: imò nec etiam milites, si testentur post missionem, vel extra castra, licèt adhuc militent, tunc enim solemni jure eos testari oportet *l. penult. C. de testam. milit. §. 4. instit. eod. tit.*

11 Hodie moris est, ut Testamentum fiat coram Notario, & duobus, vel pluribus testibus, quod testamenti genus est nuncupativum, eò quia testator voluntatem suam nuncupat, ac declarat coram testibus. Notarius autem voluntatem nuncupatam excipit scripto, non ut requiratur ad substantiam testamenti, ut superiùs innuimus, sed ad rei gestæ comprobationem, nimirum ut probetur, quòd Testamentum nuncupatum factum fuerit. Pari pacto jure Pontificio Testamentum factum coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus suum sortitur valorem, præsertim si fiat ad piam causam, ut si Monasterium, vel Ecclesia, aut pauperes instituantur hæredes, ut desumitur *exc. relatum 11. h. t.* ubi dicitur, quòd pro relictis Ecclesiæ, vel legatis piis sufficiant duo, vel tres testes: quia in his non est judicandum secundùm leges, sed secundùm canones. Unde ad validitatem testamenti ad pias causas non requiruntur solemnitates jure civili introductæ, sed sufficiunt illæ, quæ juris sunt gentium, nimirum ut duo adsint testes: nec aliæ qualitates requiruntur in testibus, quàm quas ipsum jus gentium exigit, ut notat Julius Clarus §. *testam. q. 6. n. 1.*

12 Quinimò neque requiruntur duo testes, ut Testamentum sit validum; dummodo adsit potestas in disponente, & capacitas in eo, in cujus favorem disponitur, & libertas in dispositione, adeo ut testes tantùm ad probationem sint necessarii: & id etiam procedit, ubi Testamentum non fit principaliter ad piam causam, veluti si laicus instituatur hæres, ut habetur in *c. cum esset 10. h. t.* ubi dicitur, quòd Testamenta, quæ faciunt parochiani coram Presbytero suo, & duobus, vel tribus testibus valent, etiamsi non addita sit solemnitas juris humani, seu subscriptio à quinque, vel septem testibus: quinimò rescindentes talia Testamenta anathemate percutiuntur non obstante consuetudine in contrarium, quia ait Pontifex, scriptum esse, quòd in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Verùm utrumque jus servandum est in suo foro; civile in foro civili, & terris Impe-

rii; pontificium in foro eccleſiaſtico, & ditionibus Romanæ Eccleſiæ etiam ſubjectis quoad temporalem jurisdictionem, ut notat Julius Clarus §. *Teſtamentum q. 57.*

13 Cæterum defectus ſolemnitatum ſuppletur, ſi quis apud acta ſuam declaraverit voluntatem, vel Principi precibus oblatis; tunc Teſtamentum ſuum ſortitur valorem, perinde ac ſi omnes ſolemnitates ſervatæ eſſent, ut deſumitur *ex l. 19. C. de teſtam.* Demum non eſt de ſolemnitate ſubſtantiali teſtamenti addere annum, menſem, & diem, quia *in l. hac conſultiſſima* nullibi reperitur: verum tamen eſt, quòd ad cognoſcendum, quódnam ex duobus teſtamentis revocandum ſit, ſi aliunde non conſtet, neceſſe eſt addere annum, menſem, & diem.

14 Solent nonnulli objicere, Teſtamenta non eſſe neceſſaria, eò quia à lege ſufficienter proviſum ſit, cuinam per ſucceſſionem bona debeantur, proinde hominis proviſio diverſa à proviſione legis non valet, & ſi ſit juxta proviſionem legis, eſt inutilis, cum lex ipſa jam provideat: atqui per legem ſufficienter proviſum eſt bonis defunctorum, & prudentiùs, quàm faceret quivis particularis privato affectu ductus: ſiquidem per legem proviſum eſt, ut ſucceſſiones ab inteſtato ſint ordinatæ. Sed contra quia ubi habetur proviſio hominis, ibi ceſſat proviſio legis, quia leges ipſæ præferunt voluntatem defuncti ſuæ propriæ diſpoſitioni, nec aliter intendunt leges diſponere, niſi ut ſuppleant defectum voluntatis defuncti. Cur autem leges prætulerint voluntatem teſtatoris diſpoſitioni earundem legum, plures ſolent cauſæ aſſignari, inter quas illa eſt principalis, ne inde daretur occaſio inſidiandi vitæ eorum, qui ex lege ſunt ſucceſſuri. Alia cauſa deſumitur à pietate, quæ id videtur exigere à Republica, ut hoc ſolatio ſuos ſubditos poſt mortem proſequatur; ut nimirum ipſis integrum ſit benefaciendo de ſuis bonis gratam apud ſucceſſores memoriam impetrare *l. 1. C. de SS. Eccles.* Alia quoque cauſa permittendi Teſtamenta eſt, ut hac via ſubditi modum haberent conſulendi animæ ſuæ relinquendo ad pias cauſas, ad quas nil reperitur ſpecialiter ordinatum in legibus de ſucceſſione ab inteſtato: & favor animæ eſt omnibus rebus caducis longè præferendus *l. ſunt perſonæ ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* Ob has fortaſſis, & alias rationes Solon apud Athenienſes primus omnium introduxit hæredum inſtituendorum poteſtatem, & id Romani à Græcis receperunt.

15 Quæri ſolet, an poteſtas hæc teſtandi ſit juris naturalis, an juris gentium, & an juris poſitivi, & civilis: Baldus, Alexander, & alii jurisperiti cenſuerunt eſſe juris naturalis. Communior tamen Canoniſtarum ſententia cenſet eſſe juris gentium, ut tradit Covarruvias *variar. reſolut. lib. 3. c. 6. num. 7.* Alii volunt, eſſe juris civilis ut Accurtius, Corneus, Vasquius, qui plures alios citat. Verùm pugnantes hæ ſententiæ conciliari poſſunt: etenim poteſtas teſtandi poteſt dici juris naturalis, & gentium, quatenus rationes, ob quas hæc poteſtas conceditur ſunt perquàm conſentaneæ rationali naturæ: quia ſicut conſentaneum eſt naturæ rationali, ut homo ab homine gubernetur, & inter homines alii præſint, & alii ſubſint, ita hæc poteſtas teſtandi in hoc ſenſu videbatur neceſſaria, ac propterea juris naturalis, & gentium. Non tamen eſt ita juris naturalis, ut ſi lex non extaret, quæ ultimas voluntates ratificaret, & ſua authoritate, ac vi ſupremi dominii, quod habet in omnia bona ſubditorum, muniret, adhuc Teſtamenta, & aliæ ultimæ voluntates ſuam ſortirentur efficaciam; quia id non eſt verum: ſiquidem ut rectè notat Vasquius, bona defunctorum ex natura rei ſunt bona vacantia: & quaſi derelicta, proinde ex natura rei cederent primò occupanti.

Ratio eſt, quia homo privatus non habet à 16
natura poteſtatem diſponendi de re ullâ pro illo tempore, quo ipſe omnis juris eſt incapax, & quo deſinit eſſe membrum Reipublicæ: ſiquidem transferre dominium in alium propria authoritate eſt alium ſuo loco conſtituere, ut habeat jus illud, quod ipſe, ſi vellet, poſſet retinere: unde ſicut defunctus non poteſt poſt obitum diſponere de re, quæ quidem aliquando fuit ſua, nunc autem non ampliùs ad ipſum pertinet: ita ex rei natura præcisè non poteſt defunctus diſponere de re pro eo tempore, quo ampliùs non eſt inter vivos: unde ultimæ voluntates ſe habent potiùs per modum cujusdam deſiderii, quàm per modum actûs imperantis: proinde non ita ex natura rei ſequitur translatio dominii ad ultimas voluntates: ſed quia iſtæ ſunt quædam rationabilia deſideria, ut bona patris ad filios potiùs, quàm ad alios perveniant, & quia hoc videtur conſonum naturæ rationali, in hoc ſenſu poſſunt dici juris naturalis.

Cæterum extrinſecè, & efficaciter Teſta- 17
menta ſunt potiùs juris civilis, quia deſiderium teſtatoris, quod intrinſecè haberet tantùm rationem cujusdam velleitatis; extrinſecè, ſeu per legem civilem fit voluntas efficax, adeo ut non alii participent bona teſtatoris, quàm is, qui ab eodem inſtitutus fuit hæres: & hæc eſt ratio etiam, cur Teſtamentum carens requiſitis ſolemnitatibus ſit inefficax ad jus ullum tribuendum hæredi ſive ſcripto, ſive nuncupato, eò quia à lege civili tale Teſtamentum ſuam non ſortiatur efficaciam. Cæterum poteſtas condendi Teſtamentum poteſt etiam dici juris publici, eò quia beneficio juris publici conceſſum ſit, ut quis poſſit in vita diſponere pro tempore mortis, quo etiam nolenti dominium adimitur.

§. II.

An non obſervatis ſolemnitatibus juris civilis Teſtamentum in foro conſcientiæ, & jure canonico ſit validum?

1 DIfficultas eſt, an ſi Teſtamentum careat ſolemnitatibus juris civilis, adeo ut non habeat rationem teſtamenti ſcripti, neque nuncupativi, nec ſit privilegiatum quoad ſolemnitates, & nihilominus hæredi ab inteſtato ſucceſſuro, ſeu à lege vocato ad hæreditatem certò conſtet mentem teſtatoris fuiſſe, alium

alium hæredem conſtituere; & ut hæreditas ad aliam perſonam perveniret, an tunc hæres ab inteſtato teneatur relinquere hæreditatem hæredi minùs ſolemniter inſtituto: & è contra an hæres ex Teſtamento minus ſolemni poſſit hæreditatem ſibi retinere, ſi certò ſciat, intentionem teſtatoris eſſe, ut ipſemet hæreditatem acquireret; vel potiùs, an teneatur in conſcientia cedere hæreditatem ei, qui eſt hæres ab inteſtato, & an hæres ab inteſtato poſſit hæreditatem in judicio petere, & obtentam retinere.

Tres circa præſentem controverſiam ſunt 2 ſententiæ, duæ inter ſe pugnantes, & tertia, quæ nititur eas reconciliare. Prima docet, Teſtamenta ſine ſolemnitatibus jure civili requiſitis facta ad cauſam profanam eſſe invalida, non ſolùm in foro externo, verùm etiam in foro conſcientiæ: nititur hæc ſententia, quia eo ipſo quòd ob defectum ſolemnitatum Teſtamenta in foro externo ſunt irrita, etiam in foro interno, & conſcientiæ ſunt invalida, ſicut ex eo quòd matrimonium clandeſtinum carens ſolemnitatibus à jure requiſitis eſt in foro externo irritum, eſt etiam invalidum in foro conſcientiæ. Hinc hæres in Teſtamento deſtituto ſolemnitatibus à jure requiſitis, tametſi inſtituatur hæres, tenetur nihilominus ad reſtitutionem ſuſceptæ hæreditatis faciendam hæredi ab inteſtato, adeo ut non poſſit eam retinere in conſcientia, ſi hæres ab inteſtato eam petat. Ita docent ex Canoniſtis Covarruvias *c. cùm eſſes. de teſtam. num. 8.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q. 8.* Arnoldus Roth *thes. 92. & ſeq.* Vasquius *lib. 1. p. 1. de creat. teſt. §. 1. num. 22. & §. 2. quaſi per totum.* Ex Theologis docent hanc ſententiam Bonacina, Bannes, Vasquez, Dicaſtillo, Becanus, Lugo, & plures alii, quos citat, & ſequitur Diana. Tum quia leges, quæ abſolutè irritant actum aliquem, cenſentur illum irritare non ſolùm in foro fori, ſed etiam in foro poli; eò enim ipſo, quòd leges ſunt juſtæ, ſeu conſonæ æquitati, cujusmodi ſunt leges civiles irritantes Teſtamenta deſtituta debitis ſolemnitatibus obligant etiam in conſcientia; adeo ut non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam in interno irritent matrimonia.

Secunda ſententia per diametrum oppoſi- 3 ta cenſet, Teſtamenta condita ſine ſolemnitatibus jure civili requiſitis eſſe valida in foro conſcientiæ; proinde licitè retineri hæreditatem, vel legatum ex tali Teſtamento acquiſitum; neque hæreditatem eſſe reſtituendam hæredi ab inteſtato, dummodo certò conſtet, talem fuiſſe voluntatem teſtatoris, ut hæres ſcriptus hæreditatem acquireret: dicunt, hæredem ab inteſtato teneri tunc in conſcientia tradere hæreditatem hæredi ſcripto, ac ſolvere legata ex tali Teſtamento relicta. Propugnant hanc ſententiam ex Canoniſtis, Fachinæus *lib. 4. controv. c. 5.* Zoëſius *in comment. ad decret. num. 19. h. t.* Corneus, Jaſon, Butrius, Panormitanus, Angelus, Mantica, Julius Clarus, Sicardus, & alii. Ex Theologis defendunt hanc ſententiam Molina *tract. 2. de juſtit. diſp. 81. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 19. num. 12.* Wadingus, & alii plures, & nituntur quia ex Teſtamento minùs ſolemni oritur obligatio naturalis, ut docent communiter juriſtæ cum Julio Claro §. *Teſtamentum q. 90. n. 1.*

Sed obligatio naturalis, eſt obligatio in con- 4 ſcientia: ergo eo ipſo quòd Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus jure civili requiſitis inducit obligationem naturalem, eſt valida in conſcientia; adeo ut hæres ab inteſtato teneatur ei ſatisfacere, & qui eſt inſtitutus hæres ſine ſolemnitatibus poſſit hæreditatem ſibi retinere, quamvis jus civile nullam concedat actionem ex tali Teſtamento, quod habet ut nullum.

Idque firmant à pari, quia etiam ſimplex pro- 5 miſſio valida eſt in foro conſcientiæ, & implenda quamvis jus civile nullam ex ea actionem concedat: ſiquidem naturalis obligatio oritur ex natura actûs ſecluſo omni jure poſitivo, neque ab hoc ſuperveniente irritatur. Quòd verò ex Teſtamento deſtituto ſolemnitatibus juris civilis oriatur obligatio naturalis ex eo etiam liquet, quia ſi hæres ab inteſtato non eſſet naturaliter obligatus ad implendam teſtatoris voluntatem, liceret eidem ob illam cauſam repetere ſolutum *l. quod in debitum 7. l. naturaliter 10. in fin. l. quod pupillus 41. ff. de condict. indeb.* ſed ex Teſtamento deſtituto ſolemnitatibus jure civili requiſitis, non poteſt hæres ab inteſtato ſolutum repetere *l. 2. C. de fide commiſſ. l. non dubium. 16. h. t.* ergo quia naturaliter obligatur.

Demum quia ſolemnitates eatenus in Te- 6 ſtamentis requiruntur, ut omnis fraus in iisdem evitetur *l. fin. C. de fideicommiſſ.* unde leges irritantes Teſtamenta facta ſine ſolemnitatibus, fundantur in præſumptione fraudis: ſed hæc præſumptio ceſſat, quando certò conſtat de voluntate contraria teſtatoris: proinde ceſſant ipſæ leges irritantes, quia ceſſante fine legis, ceſſat ipſa lex. Tertia ſententia veluti media nititur præfatas inter ſe pugnantes ſententias conciliare, & docet, Teſtamenta carentia ſolemnitatibus jure requiſitis non eſſe quidem irrita ipſo jure in foro conſcientiæ, poſſe tamen reſcindi per ſententiam judicis, adeo ut poſſit hæres ab inteſtato petere in judicio hæreditatem, tametſi ipſi conſtet, voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut hæres ſcriptus hæreditatem poſſideret.

Certum eſt, potuiſſe legislatorem ſubditos 7 ita obligare ad certas ſolemnitates, ut iisdem non ſervatis actus teſtandi eſſet nullus: ſicut Concilium Tridentinum irritat matrimonium clandeſtinum, eò quia careat debitis ſolemnitatibus, ſi enim non adſint duo teſtes, & Parochus, tale matrimonium habetur nullum, ut etiam ſi concurrant alia impedimenta dirimentia juris poſitivi. Ratio eſt, quia cùm leges poſſint tollere omnem facultatem teſtandi, & admittere ſolam ſucceſſionem ab inteſtato, perinde ac de facto reddunt quasdam perſonas inteſtabiles; ita à fortiori poſſunt totaliter annullare Teſtamenta condita ſine talibus ſolemnitatibus. Rurſus potuiſſent legislatores, ſi illis conſultiùs ob bonum commune vitium fuiſſet, tantùm tollere à Teſtamento efficaciam ad probandum in foro externo, niſi haberet tot ſolemnitates; quamvis relinquerent in foro

con-

conſcientiæ oriri obligationem, ſicut de facto declarant quasdam perſonas inhabiles ad ferendum Teſtimonium, quatenus leges non admittunt earum Teſtimonium, ut efficax ad probandum. Tandem potuiſſent etiam legislatores media procedere via, & conſtituere, ut Teſtamenta deſtituta ſolemnitatibus valerent, quamdiu hæredes in iisdem conſtituti retinerent hæreditatem, & fructus inde perciperent tanquam veri domini: ſecus ſi hæredes ab inteſtato litem moverent, quia tunc per ſententiam judicis talia Teſtamenta eſſent reſcindenda.

8 In hac opinionum diverſitate mihi probabiliùs videtur dicendum, Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus jure civili requiſitis, ſi ſit ad cauſas profanas, eſſe omnino irritum, & non tribuere jus in conſcientia hæredi inſtituto ad hæreditatem; neque obligationem in hærede ab inteſtato ad dandam hæreditatem hæredi inſtituto, adeo ut ſolemnitates non requirantur præcisè ad probandam voluntatem defuncti, neque ob præſumptionem fraudis, ſed ut ſubſtantiales, & eſſentiales ad valorem teſtamenti; licèt hæres ſcriptus in Teſtamento facto ſine ſolemnitatibus non teneatur in foro conſcientiæ hæreditatem, quam absque vi, vel fraude conſecutus eſt, reſtituere hæredi ab inteſtato, ſi ipſi certò conſtet de voluntate teſtatoris, quòd ipſi hæreditatem reliquerit, donec in judicio ab hærede ab inteſtato repetatur: quia hæres ſcriptus in Teſtamento eſt in bona fide, & quamdiu hæres ab inteſtato non petit in judicio hæreditatem, præſumitur cedere jure ſuo.

9 Ratio cur tale Teſtamentũ deſtitutũ ſolemnitatibus jure requiſitis ſit nullum, eſt, quia verba legis ſunt abſolutè irritantia; & non explicant alibi ſe nolle tollere obligationem naturalem, ut liquet *ex l. hac conſultiſſima*, in qua poſt recenſitas ſolemnitates, ſubduntur hæc verba. *Ex imperfecto autem Teſtamento* (ſcilicet condito ſine ſolemnitatibus jure requiſitis) *voluntatem tenere defuncti (niſi inter ſolos liberos à parentibus utriusque ſexus habeatur) non volumus. Si verò in hujusmodi voluntate liberis alia ſit perſona extranea mixta, certum eſt, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam duntaxat permixtam perſonam pro nullo haberi, ſed liberis adcreſcere.* Neque obſtat, quòd reſpondent aliqui, aliud eſſe Teſtamentum reddi invalidum, & aliud ipſam voluntatem teſtatoris reddi inhabilem ad transferendem dominium: dicunt illud Teſtamentum materialiter ſumptum, ſeu tabulam in ratione teſtamenti, & inſtrumenti publici eſſe invalidum, ac ſi non eſſet confectum, adeo ut ex vi illius, nec peti hæreditas in judicio poſſit, nec à judice adjudicari; proinde ſi hæres ſcriptus non habeat pro ſe aliam probationem, quàm illud Teſtamentum, nihil illi deberi etiam in foro conſcientiæ: verùm addunt cum hoc bene conſiſtere, quòd ſi hæres ſciat, voluntatem defuncti fuiſſe, ut ipſe habeat hæreditatem, poſſit eam retinere.

10 Nam licèt poſſit eam retinere ſi absque vi, & fraude talem hæreditatem fuit conſecutus, ac ſit in bona fide, quod ad ipſum pertineat, eò quia voluntas teſtatoris fuerit, ut ipſe eſſet hæres; non tamen ſi hæres ab inteſtato repetat in judicio hæreditatem: quia tunc non cenſetur cedere jure ſuo, & teſtator ſcriptus tenetur hæreditatem reſtituere hæredi ab inteſtato, eò quia ceſſet bona fides, præſertim ſi judex per ſuam ſententiam declaret, tale Teſtamentum defectu ſolemnitatum eſſe omnino irritum, ut liquet ex *cit. l. hac conſultiſſima*, ubi Imperator ait: *nolumus tenere voluntatem defuncti*, per quæ verba irritat voluntatem, proinde etiam ipſum Teſtamentum defuncti, cùm Teſtamentum ſit expreſſa voluntas teſtatoris. Tum quia Imperator vult, partem permixtæ extraneæ perſonæ *liberis accreſcere*, cui conſonat *l. ult. C. famil. herciſcund.* & non poſſet Imperator ſtatuere, quòd filiis accreſcat illa pars niſi cenſeret, tale Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus jure requiſitis eſſe nullum; & filioseſſe hæredes.

11 Solet tamen objici textus *l. ſi utiliter, & l. quæſtionem. C. de fideicommiſſ. & §. fin. inſtit. de fideicommiſſ. hared.* ubi dicitur, ſi teſtator fidei hæredis ſui commiſit, ut vel hæreditatem, vel ſpeciale commiſſum reſtituat, & neque ex ſcriptura, neque ex quinque teſtium numero poſſit res manifeſtari; tunc ſi hæres perfidia ductus adimplere fidem recuſat, negando rem ita eſſe ſubſecutam; ſi fideicommiſſarius jusjurandum ei detulerit, cùm priùs ipſe de calumnia juraverit, neceſſe, eum habere, vel jusjurandum ſubire, quod nihil tale à teſtatore audiverit, vel recuſantem ad fideicommiſſi, vel univerſalis, vel ſpecialis ſolutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas teſtatoris fidei hæredis commiſſa. Sed contra quia hujusmodi leges videntur nimis probare: ſiquidem etiam pro foro externo non requirerentur ultimatæ ſolemnitates juris, ſiquidem iis deficientibus poſſet etiam adferri Iuramentum hæredi ab inteſtato, & hic poſſet jurare, ſibi non conſtare, nec ſe audiviſſe à defuncto, quòd vellet alium inſtituere hæredem: & tamen certum eſt apud omnes, in foro externo ſolemnitates ita requiri ad valorem teſtamenti, ut illis deficientibus in foro externo Teſtamentum ſit nullum, neque offerri debeat Juramentum hæredi ab inteſtato.

12 Quamobrem præfatæ leges non loquuntur de Teſtamento, & hæredis inſtitutione, ſed de fideicommiſſis, in quibus quia teſtator fidei hæredis, vel legatarii committit aliquid ſolvendum, vel reſtituendum, tunc deficientibus ſolemnitatibus ſtatur fidei hæredis, vel illius, qui debet ſolvere, hic enim ſi juramento fateatur, talem fuiſſe voluntatem defuncti cogitur ſolvere, & ſi jurare detrectet pro confeſſo habetur: ratio, cur id ſpecialiter in fideicommiſſis ſtatuatur, aſſignatur in ipſis legibus ex etymologia nominis, *quia fidejuſſorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen, quàm ſubſtantiam acceperunt.* Imò id procedit de omnibus legatis ſemel ab hærede agnitis, ut deſumitur *ex l. non dubium C. de teſtam.* Quia cùm hæres repræſentet perſonam defuncti, ſi fateatur, illam fuiſſe voluntatem defuncti manifeſtatam, talis confeſſio hæredis cenſetur declaratio defuncti, & habet eandem vim, ac ſi ipſe defunctus

ctus hoc idem interetur: unde non debet hæres contrariu velle, ne ſibi ſit contrarius; ſed debet volu tatem defuncti, quem repræſentat, perinde tueri, ac propriam.

10 Neque urget, quod objiciunt aliqui, leges irritantes Teſtamenta ex defectu ſolemnitatum fundari in præſumptione fraudis, quâ ceſſante, debet etiam lex ceſſare. Nam falſum eſt, leges has irritantes Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus jure requiſitis fundari in præſumptione fraudis pro caſu determinato particulari: ſed tantùm fundantur in præſumptione vera periculi fraudum, quæ alioquin paſſim committerentur, niſi talia teſtamenta à lege irritarentur: non enim leges irritantes contractus ob defectum alicujus conditionis fundantur in præſumptione fraudis pro caſu determinato particulari; alioquin poſſet quis validè contrahere matrimonium clandeſtinum, ſi ſciret ſe habere animum ſincerum nubendi; quod tamen eſt falſum: ſed fundantur in præſumptione veriſſima, ac infallibili periculi fraudum, quæ alioquin paſſim committerentur.

11 Dices, poteſt Titius ſibi retinere quædam bona Cai, quæ dixit ſe velle ei in Teſtamento relinquere, ſi Cajus ab inteſtato decedat, ut docent plures, quos citat Rippa *lib. reſpons. c.* 12. *num.* 2. Alciatus *reſpons.* 117. *num.* 102. & alii plures, quos citat, & ſequitur Menoch. *conſil.* 92. *num.* 27. & ratio, quâ nituntur, eſt, quia pactum de donando continet donationem; unde etiam promiſſio de aliquo legato in alicujus favorem faciendo continet inſtitutionem legati: ergo à fortiori hæres ſcriptus poteſt ſibi retinere hæreditatem, ſi certò ſciat, voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut ipſe eſſet hæres. Sed contra, quia Titius per illam promiſſionem non acquiſivit jus ad bona Cai, ut ad legatum ſibi relictum, conſequenter non poteſt talia bona ſibi retinere, quamvis promiſſio Cai de inſtituendo tali legato ſupponatur acceptata à Titio, ut docent Imola in *l. in haredibus* §. 1. *ff. de donat.* Tiraquel. *tract. de retract. convent. in fin. n.* 48. ubi citat plures alios juris peritos: & ratio ſit ſtatim obvia, quia promiſſio relinquendi legatum in teſtamento non eſt abſoluta promiſſio, ſed coarctata ad ipſum Teſtamentum, & ad legatum; adeo ut ſit virtualiter conditionata, hoc eſt, ſi promittens, Teſtamentum condiderit: & quia legatum non habet locum niſi interveniat Teſtamentum, ideo ſi hoc non ponitur, neque legatum ponitur, & hæc eſt ratio, cur promiſſio aliquid relinquendi in legatum non ſortiatur effectum, niſi interveniente diſpoſitione ultimæ voluntatis, quia talis promiſſio eſt alligata ultimæ voluntati, ratione cujus eſt tantùm ſortitura ſuum effectum: omnis enim diſpoſitio trahitur ad tempus, in quo effectus confertur *l. quod ſponſa. C. de donat. ante nupt.*

12 Neque Fundamentum, quo nituntur adverſarii ſubſiſtit, non enim pactum de donando continet ipſum effectum, ut liquet in ſponſalibus, quæ ſunt promiſſio, ſeu pactū de matrimonio contrahendo, & tamen non dicuntur continere matrimonium, non enim promiſſio facti, eſt ipſum factum, ut notat Gloſſa *in l. bona fidei. V. conditurum ff. de eo, quod certo loco.* Covarruvias *3. variar. c.* 4. *num.* 7.

Quamvis Teſtamentum condictum ad cauſas profanas non ſit validum, ſi defuerint ſolemnitates jure civili requiſitæ; nihilominus ſi factum ſit ad piam cauſam, eſt validum, quamvis defuerint ſolemnitates jure civili requiſitæ, adeo ut ſufficiant illæ ſolemnitates, quæ ſunt juris gentium, ſcilicet ut adſint duo teſtes, idque deſumitur ex *c. relatum* 11. *h. t.* ubi dicitur, quòd pro relictis Eccleſiæ, vel legatis piis ſufficiant duo, vel tres teſtes: quia in his non eſt judicandum ſecundùm leges civiles, ſed ſecundùm canones. Voluit enim Pontifex in hac re legibus civilibus derogare, ne iſtæ piis cauſis præjudicarent; pertinet enim ad eccleſiaſticam poteſtatem, & præſertim ad ſummum Pontificem dirigere hominum actiones ad finem ſupernaturalem, & ad ſalutem ſpiritualem animæ; proinde pertinet ad Pontificem tollere omnia impedimenta ad aſſecutionem æternæ ſalutis, & ad exercitia virtutum, ut ſunt illæ leges civiles, quæ irritant Teſtamenta condita ſine ſolemnitatibus jure requiſitis: ſiquidem plures ſe abſtinerent à legatis piis, & ad condenda Teſtamenta ad cauſas pias, ſi deberent cùm omnibus illis ſolemnitatibus jure civili requiſitis Teſtamentum condere. 13

Quamobrem Teſtamentum ad pias cauſas, ſeu quo inſtituitur hæres pia cauſa, ut Eccleſia, Hoſpitale, Monaſterium, ſeminarium, pauperes, validum eſt etiam in foro externo, quamvis non fuerit conditum cum ſolemnitatibus jure civili requiſitis; cujusmodi ſunt, ut adſint ſeptem teſtes, & omnes ſint maſculi, rogati, & qui ſe ſubſcripſerint: nam ſufficiunt ſolemnitates, quæ ſunt juris gentium, ſcilicet duo teſtes, ut notant Covarruvias *c.* 11. *de teſtam. num.* 9. Julius Clarus §. *Teſtamentum q.* 6. *num.* 1. Neque requiritur præſentia Parochi, quia Alexander III. *in d. c. relatum* non exigit niſi duos legitimos teſtes. Tum quia Teſtamenta condita ad pias cauſas cenſeri debent cauſæ eccleſiaſticæ, de quibus Magiſtratus civilis nil poteſt ſtatuere in præjudicium Eccleſiarum, cùm iſtæ non ſubjiciantur jurisdictioni ſæculari. 14

Immo neque de jure canonico duo teſtes ſunt neceſſarii ad ſubſtantialem formam, vel valorem teſtamenti, vel legati ad pias cauſas, ſed ſufficit tantùm cauſa probationis, ſi alia non adſit probatio, ut notat Covarruvias *in d. c. relatum num.* 8. unde ſi aliunde conſtet hæredibus ab inteſtato de voluntate teſtatoris ad pias cauſas, vel quia propria manu ſcripſit Teſtamentum, vel aliam diſpoſitionem abſque ullo teſte adhibito, vel quia teſtator ſola voce declaraverit ſuam voluntatem, quamvis ſufficienter non poſſit per teſtes probari, tenentur in conſcientia legata pia ſolvere: ratio eſt, quia talis diſpoſitio tam jure naturæ, quàm gentium eſt valida, & jure canonico non irritatur; imò potiùs approbatur *in c. relatum 11. h. t.*

Neque obſtat, quòd ibi duo, vel tres teſtes dicantur requiri ad formam ſubſtantialem, & validitatem teſtamenti: quia id tantùm eſt verum de teſtamento ad cauſas profanas, ad quod 15

præter duòs, vel tres teſtes etiam requiritur ipſa præſentia Parochi, ut deſumitur *ex c. cùm eſſet 10. h. t.* quæ tamen præſentia Parochi non requiritur ad cauſas pias, ſed ſufficiunt duo, vel tres teſtes. Quòd ſi iſti ad ſolemnitatem teſtamenti ad pias cauſas requirerentur, utique etiam præſentia Parochi neceſſaria foret. Præterea quamvis regulariter in teſtamento debeant teſtes eſſe rogati, & maſculi, nihilominus in teſtamento ad pias cauſas poſſunt eſſe teſtes non rogati, & fœminæ, non ſolùm in foro eccleſiaſtico, ſed etiam ſæculari; ratio eſt, quia teſtes legitimi in teſtamento ad pias cauſas omnes illi cenſentur, quibus fides jure naturali, vel gentium poteſt adhiberi, ut notat Covarruvias *in d. c. relatum num. 4.* & licèt *in d. c. relatum* dicatur *tribus, vel duobus teſtibus requiſitis*; non tamen id ita intelligitur, ut rogari etiam debeant à teſtatore, ſed quia requiruntur ad probationem, ſi hæc deficiat, ut rectè notat Fagnanus *in d. c. relatum num.* 12. Immo quamvis regulariter Teſtamentum, in quo ſolo nutu ſine ſcriptura, vel voce inſtituitur hæres, nullum ſortiatur valorem *l. jubemus* 29. *C. h. t.* ad Teſtamenta tamen, & legata ad pias cauſas ſatis eſt, ſi teſtator quovis externo ſigno ſuam declaraverit voluntatem, ut docet Julius Clarus *q. 6. num. 3.*

17 Quinimò ut addit idem Clarus *num.* 8. in teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria inſtitutio hæredis. Præterea legata ad pias cauſas debent ſolvi, quamvis hæreditas non fuerit adita, eò quia hæres deceſſerit, vel hæreditatem repudiaverit: ratio eſt quia legata pia non ſubjacent diſpoſitioni juris civilis. Immo Teſtamentum minus ſolemne conditum ad piam cauſam valet, etiam quoad legata profana relicta in tali teſtamento: ratio eſt, quia eo ipſo, quòd principale ſubſiſtit, etiam acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis, debet ſubſiſtere, unde quamvis Teſtamentum carens ſolemnitatibus jure civili requiſitis eſſet nullum, ſi eſſet conditum ad cauſas profanas, proinde etiam legata profana eſſent nulla; quia tamen conditum ad cauſas pias ſuum ſortitur valorem, ſunt etiam valida ipſa legata, quia quando totum eſt validum, etiam partes validæ ſunt.

18 Immo quamvis Teſtamentum quoad inſtitutionem hæredis eſſet invalidum, adhuc valeret, quoad legata pia in eodem relicta: ratio eſt, quia ultimæ voluntates quoties ſe extendunt ad cauſas pias ob defectum ſolemnitatum civilium non irritantur, ut rectè notat Covarruvias *in d. c. relatum num. 10.* & licèt teſtator potuiſſet voluntatem ſuam mutare, quia tamen re ipſa eam non mutavit; interpretatur mens teſtatoris in favorem cauſæ piæ. Cæterum Teſtamenta condita ad cauſas pias ſunt cauſæ mixti fori, adeo ut detur optio actori petendi ſibi relicta in tali teſtamento à judice eccleſiaſtico, vel à ſæculari, quia uterque poteſt hæredes adigere ad illa præſtanda, quæ in tali teſtamento relicta ſunt ad cauſas pias, ſi hæres ab inteſtato, vel poſſeſſor hæreditatis ſit laicus: ſed tunc hujusmodi cauſæ à judice laico non debent tractari ſecundùm leges civiles, ſed juxta ſtatuta SS. canonum, ut notat Abbas *in d. c. relatum 11. num. 8. h. t.*

Juvat etiam obſervare in favorem teſta- 19
menti ad pias cauſas, quòd tametſi conferatur ad alterius arbitrium, ut ſi teſtator dicat: inſtituo hæredem bonorum meorum illam Eccleſiam, quam Cajus elegerit: vel lego 500. florenos tali puellæ in dotem, ſi hæres meus voluerit, quamvis hujusmodi diſpoſitio jure civili ſit nulla, eò quia tali jure prohibeantur ultimæ voluntates alterius arbitrio committi; non tamen hæc prohibitio extenditur ad Teſtamenta, vel legata ad cauſas pias: ratio eſt, quia talis diſpoſitio adhuc de jure naturæ, & gentium eſt valida, proinde etiam jure canonico, ut notat Clarus *q. 6. num. 5.* Hinc quamvis teſtator taliter conderet ſuum Teſtamentum, ut committeret omnia ſua bona diſpoſitioni Cai, adhuc tale Teſtamentum valeret, ſed tunc Cajus eſſet hæres ſolo nomine, & cum obligatione totam hæreditatem pauperibus diſtribuendi, ut deſumitur *ex c. cum ſibi 13. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quod ſi quis ultimam ſuam voluntatem in alterius diſpoſitione commiſerit, non dicitur objiſſe inteſtatus: ubi Gloſſa notat, id dici de benignitate canonica, eò quia verè non ſit Teſtamentum, ubi nomen hæredis non exprimitur: ſiquidem inſtitutio hæredis eſt Fundamentum totius teſtamenti: ſed ratio ex eo peti poteſt, quia ultima voluntas ita debet intelligi, ut potiùs valeat, quàm pereat, *argum. c. ſabbato 25. de V. S. & l. quoties 13. ff. de reb. dubiis.*

Hinc quamvis ultimæ voluntates commiſſæ 20
in arbitrium tertii ex jure civili nullum ſortiantur valorem *l. illa 32. l. ſi quis 68. ff. de hæred. inſtit.* nihilominus ne talis diſpoſitio pereat, ſed potiùs ſuum ſortiatur valorem, ita explicari debet, ut defunctus voluerit ad pias cauſas ſua bona relinquere: neque hæc interpretatio eſt ſine fundamento, quia cùm cauſæ piæ non ſubjiciantur ſolemnitatibus juris civilis, rectè explicatur ultima diſpoſitio defuncti, prout poteſt ſubſiſtere: etenim jure naturali, & gentium eſt valida, proinde etiam jure canonico *in c. relatum 11. h. t.* ubi habetur, quòd relicta ad cauſas pias non ſunt judicanda ſecundùm leges civiles. Tum quia ut notat Hoſtienſis apud Barbos. *in collect. in d. c. relatum num.* 2. quando teſtator dicit: committo omnia bona mea diſpoſitioni Cai, tunc Cajus videtur nominatim inſtitutus hæres, proinde cenſetur illum inſtituere dominum ſuorum bonorum: unde cùm addit; committo omnia mea bona diſpoſitioni Cai, ut illa diſtribuat uni, vel alteri monaſterio, prout ipſi magis libuerit, tunc etiam conſtituit Cajum hæredem, ſed cum onere diſtribuendi bona ſua pauperibus, vel Monaſteriis, prout ipſi magis libuerit.

§. III.

§. III.

Qui possint testari, & qui à Testamento condendo arceantur.

1 REgula generalis, perinde ac in aliis judiciis prohibitoriis, quæ juristæ dicunt esse de genere permissorum, est, eos omnes posse Testamentum condere, qui non prohibentur, nec ab ipsa natura impediuntur. Rursus habetur etiam ut regula, eos non posse Testamentum condere, qui non possunt sua relinquere aliis per alias species ultimarum voluntatum, ut per codicillos, nisi specialiter excipiantur *l. 6. §. 3. ff. de jure codicil.* Cæterum codicillos is tantùm potest facere, qui & Testamentum potest condere: hinc cui est prohibitum Testamentum condere, eidem inhibetur legata, & fideicommissa relinquere *l. 2. ff. de legat.* ubi habetur, eos tantùm fideicommissum posse relinquere, qui jus habent testandi. Immo qui non possunt Testamentum condere, nec mortis causâ possunt aliquid donare nisi excipiantur *l. 1. §. 1. ff. de tutel. & rat. distrab.* ubi dicitur, quòd sicut testamenti factio pupillis non est concessa; ita neque mortis quidem causâ donationes permittuntur.

2 Cæterum inhabiles ad testandum reduci solent ad tres classes; quarum prima est eorum, qui ob defectum integri statûs prohibentur testari, quò etiam referuntur ex jure canonico Religiosi. Secunda est eorum, qui propter animi defectum, seu judicii, & consilii imbecillitatem arcentur à testamentis condendis. Tertia eorum est, qui ex corporis, aut sensuum vitio, ac defectu impediuntur. Iis accenseri etiam posset quarta classis eorum, qui spectata conditione personæ possent quidem testari, sed tamen illis adempta est potestas testandi quoad certam materiam, ut prohibitum est clericis testari de bonis Ecclesiæ.

3 Sicut quotquot sufficientem habent rationis usum, ac liberam bonorum administrationem, nisi juris dispositione prohibeantur, testari possunt: ita è contra illi inhabiles sunt ad condendum Testamentum, qui vel sufficienti rationis usu carent, vel juris dispositione prohibentur. Prohibentur Testamentum condere, quotquot sufficienti rationis usu carent, ut furiosi, qui lucida non habent intervalla, impubes, seu masculus ante 14. annum expletum, & fœmina ante 12. itidem expletum, ut habetur *in l. à qua ætate 5. ff. qui testamenta*, ubi dicitur, illud tempus debere esse completum, quod tamen intelligitur sufficere, si dies ultimus sit inchoatus. De furioso etiam habetur *l. furiosum C. qui Testamentum, facere poss.* Servi ab hoste capti sunt etiam incapaces testandi, quia facultas testandi conceditur tantùm civibus Romanis *l. 1. ff. ad falcidiam.* & servus non est civis Romanus, imò nec juris civilis habet communionem *l. 20. §. 7. ff. h. t.*

4 Tum quia servus non habet quidquam in bonis, quamdiu detinetur in servitute. Immo nec consentiente domino Testamentum à servo conditum suum sortiretur valorem; ratio est, quia quando quis jure publico prohibetur, vel constituitur inhabilis ad aliquem actum celebrandum, nullius privati consensus (præsertim si non in ejus utilitatem id prohibitum sit) potest actum validare, nisi hæc specialis ratio validandi expresè à jure, vel consuetudine approbetur. An verò servus possit relinquere fideicommissum, adeo ut talis actus in servitute celebratus effectum fortiatur, si postea servus manumittatur absque novo actu; affirmativè probabiliùs respondetur per *l. 1. §. 1. ff. de legat. 3.* Inter Christianos tamen capti in bello non accensentur servis. An verò si servus ante captivitatem Testamentum condiderit, postea in captivitate codicillos fecerit, an isti validi sint? Respondetur, quòd si servus in captivitate fuerit mortuus, codicilli non valent, perinde ac Testamentum *l. Cornel.* quia fingitur, quòd servus decesserit, antequam codicillos fecerit; sin verò fuerit manumissus tunc valent, ut habetur *in l. 12. §. 1.*

5 Secundò, filiusfamilias impubes testari non potest, sed pubes testari potest de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus *l. nemo 11. C. qui testament.* De bonis adventitiis, si ea ante clericatum ei obvenerint, non potest testari ad causas profanas, tametsi pater consenserit, ut tradit Julius Clarus *quæst. 8.* ex communi sententia, eò quia sit contra expressa jura *l. qui in potestate 6. ff. qui testamenta.*

6 Tertiò, mutus, & surdus simul à nativitate prohibetur testari, non ita si ex accidenti, dummodo scribere sciat, & possit voluntatem suam scripto declarare §. *item surdus instit. quibus non est permissum, & l. discretis 10. qui testam. facere poss.*

7 Quartò, cæcus non permittitur testari nisi nuncupativè, & observatis solemnitatibus, quæ præscribuntur *in l. hac consultissima 8. C. qui testam. facere poss.*

8 Quintò, prodigus, cui à judice interdicta est bonorum administratio, arcetur etiam à testamento condendo §. *item prodigus instit. quib. non est permissum.*

9 Sextò, damnatus ad mortem naturalem, vel civilem *l. ei qui 8. §. 1. & sequent. ff. eod.*

10 Septimò, obses apud hostem detentus, quamdiu detinetur non potest testari *l. ejus qui 8. in princ. ff. h. t.* ubi prohibentur captivi Testamentum condere, & *l. obsef. 11. ff. eod.*

11 Octavò, usurarius manifestus, nec testari potest, nisi priùs restituerit, vel idoneam cautionem præstiterit de usuris restituendis *c. 2. in fin. de usur. in 6.*

12 Nonò, aliqui censeat, excommunicatum notorium, & vitandum etiam arceri à testamento condendo: verùm id nullibi in jure reperitur expressum, ut notant communiter doctores, & ejus actus privati non sunt irriti, ut desumitur *ex c. excommunicamus 13.* nisi sit excommunicatus propter hæresin, vel ob percussionem Cardinalis *c. felicis 5. in 6.* ex quibus textibus deducitur, in aliis casibus Testamentum excommunicati esse validum: siquidem exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

13 Decimò, testari non possunt, qui commiserunt aliquod crimen, cui jure est pœna annexa, quia ipso facto sunt intestabiles, *l. is cui* 18. cujusmodi sunt, qui fuerunt insecuti hostiliter Cardinalem, vel eum ceperunt, aut percusserunt, & etiam qui ad id fuerunt cooperati, ut etiam hæretici, & receptatores, defensores, & fautores eorum, si intra annum non satisfecerint. Neque potest testari, qui damnatus est ob libellum famosum, ut desumitur *ex d. l, is cui §. si quis.*

14 Undecimò Prælati Religiosorum ordinum, & alii Religiosi professi non possunt Testamentum condere, & si illud condant, ipso jure est irritum, idque constat *ex authent. ingressi. C. de de SS. eccles. & c. quia ingredientibus 7. caus.* 19. *q.* 3. siquidem Religiosi ob votum paupertatis non sunt sui juris, nec habent proprium velle, & nolle; quia per solemnem professionem ei renuntiârunt *c. non dicatis* 11. *caus.* 12. *quæst.* 1.

15 Imò Abbatissa Monasterii postquam regendi officium suscepit, si per multum temporis monasterium gubernaverit, non potest Testamentum condere, & relinquere bona personis exteris, idque præscriptum fuit à Gregorio IX. *in c. quia ingredientibus* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd res Abbatissæ de jure competant loco, in quem est ingressa, & Abbatissa constituta, tametsi non portaverit habitum Monachalê ex incuria Episcopi non obstante contraria consuetudine: quia eo ipso, quòd passa est, se in Abbatissam eligi, & per multum temporis Monasterium gubernavit, tacitè, seu ipso facto convincitur emisisse professionem religionis: siquidem de jure antiquo sufficiebat ad statum religionis obtinendum tacita professio *c. vidua 4. inf. de regular.* licèt jure novo requiratur expressa professio, ut possit fœmina ad Prælaturam eligi *c. nullus* 18. *de elect. in 6.*

16 Neque obstat, quòd præfata Abbatissa habitum non gesserit monachalem: quia non habitus, sed professio tacita, vel expressa constituit Monialem *c. perrectum* 13. *de Regular.* Hinc non solùm professio expressa, sed etiam tacita impedit, ne possit regularis Testamentum condere, ut notat Fagnanus *in d. c. num.* 13. Ad inducendam autem tacitam professionem sufficit susceptio Prælaturæ post ingressum, tametsi habitus professorum non assumatur, ut liquet *ex d. c. quia* 2. *h. t.*

17 Immo neque ad pias causas possunt Religiosi professi testari, quia ob solemne paupertatis votum non habent rerum dominium, nec possunt habere: & qui incapax est dominii, est etiam incapax condendi Testamentum, quia testari est quidam actus dominii, ut tradit Navarr. *in comment. 2. de Regular. num. 44.* Immo nec de licentia cujusvis Prælati summo Pontifice inferioris potest Religiosus Testamentum condere, nec quidem ad pias causas, quia prohibitio æquè comprehendit ipsos Prælatos Regulares, ac eorum subditos. Hinc Religiosus professus etiam de superioris licentia non potest codicillum facere, nec aliam ultimam dispositionem: siquidem regulariter, qui prohibentur testari, arcentur à codicillis instituendis, immo nec donare possunt causâ mortis, quia hæc donatio est quædam species ultimæ voluntatis, cui etiam æquiparatur: & regulariter qui non potest testari, neque donare potest causâ mortis, nisi modicum sit, & de superioris licentia, quod mortis causâ donatur, notat tamen Layman *lib. 3. tract. 5. c. 3. num. 4.* posse Prælatum hanc licentiam datam Religioso donandi mortis causâ rem modicam revocare ante mortem Religiosi: quia per hoc non infertur ulla injuria donatario, cùm nullum jus sit adhuc ei quæsitum, eò quia hæc donatio ante mortem donantis sit revocabilis; neque fit injuria Religioso, quia Prælatus non se abdicavit potestati revocandi talem licentiam.

18 Nihilominus quamvis de jure communi Religiosi professi prohibeantur Testamentum condere, possunt tamen obtenta licentia à summo Pontifice testari, ut notat Covarruvias *in d. c. num. 10. h. t.* quia Pontifex potest Religioso professo ex justa causa concedere facultatem testandi de aliquibus rebus, quarum habuit usum, & administrationem: quia sicut potest illi dare potestatem alienandi per donationem inter vivos, ita etiam mortis causâ, & per Testamentum: neque ad id requiritur, ut testator constituatur dominus earundem rerum, ac proinde ut dispensetur cum eodem etiam in voto paupertatis; sed sufficit, quòd ei concedatur libera administratio, & usus talium rerum cum potestate eas alienandi etiam per ultimam voluntatem: hoc pacto solet Papa concedere potestatem testandi Religiosis beneficiariis extra clastrum degentibus, si episcopatum, vel Cardinalatum obtineant.

19 Sunt tamen aliqua notanda. Primò, quia tali facultate testandi absolutè concessâ non potest Religiosus testari nisi ad causas pias, quia Papa quando concedit generalem potestatem aliquid agendi non censetur velle derogare juri comuni, nisi speciatim id exprimatur. Secundò, requiritur ut summus Pontifex expressè concedat Religioso facultatem condendi Testamentum, quia voluntas Pontificis in hoc non præsumitur. Tertiò hæc facultas testandi concessa Religioso, tantùm intelligitur de illis bonis, quæ de facto possidet, non verò in præjudicium illius, cui bona vi prioris testamenti ante ingressum in Religionem acquisita erant, nec in præjudicium Monasterii, etiam quoad illa bona Religiosi, quæ per illius professionem Monasterium acquisivit; quia facultas à Principe concessa non debet intelligi cum præjudicio tertii. Quartò facultas hæc testandi concessa à Papa Religioso professo non extinguitur per primum actum, sed vi illius licet Testamentum facere quoties libuerit, & prius revocare usque ad mortem; imò neque talis facultas extinguitur per obitum Papæ concedentis, sed semel concessa est perpetua, donec ab alio Papa successore revocetur. Quintò Testamentum priùs à Religioso factum sine licentia Papæ, si postea illam obtinuerit, redditur validum; quia Testamentum priùs tempore mortis factum potest mutari, cùm semper sit revocabile; proinde si

ſperaccedat facultas Papæ validatur. Sextò hæc facultas teſtandi non extenditur ad codicillos, vel donationem causâ mortis, quia argumentum à majori ad minus in diſpenſationibus non valet, eſt enim diſpenſatio ſtricti juris, & non extenditur ultra expreſſum in ipſa diſpenſatione, & cum diſpenſatio deroget juri communi, non eſt extendenda.

20 Cæterum Novitii, qui nondum ſolemnem profeſſionem emiſerunt, poſſunt prout ipſis magis libuerit, Teſtamentum condere, ut etiam per aliam ultimam voluntatem de ſuis bonis diſponere absque alia ſuperioris licentia, *ex authent. nunc autem C. de Epiſcop. & cleric. & can. ſi qua mulier. 9. §. fin. caus. 19. q. 3.* Covarruvias *in c. quia 2. num. 5. h. t.* ſiquidem Novitii ante emiſſam profeſſionem ſunt ſimpliciter ſui juris, ac domini ſuorum bonorum, liberámque habent poteſtatem exuendi habitum religioſum, & exeundi.

21 Eſt tamen probabilius, quòd ad tale Teſtamentum requirantur ſolemnitates juris communis, imò etiam juris civilis in terris imperii, ſi Teſtamentum condatur ad cauſas profanas, eò quia nullibi in jure reperitur hoc privilegium teſtandi ſine ſolemnitatibus juris communis conceſſum Novitiis. Debent tamen Novitii ante duos menſes proximè præcedentes profeſſionem diſponere de ſuis rebus, & Teſtamentum etiam condere, quod tamen Teſtamentum non acquirit ſuam validitatem niſi poſt emiſſam profeſſionem, quia Concilium Tridentinum prohibet renuntiationem bonorum, ne Novitius privatus ſuis bonis ante emiſſam profeſſionem cogatur manere in Religione, & non poſſit ita liberè redire ad ſæculum: hinc per Teſtamentum non privatur Novitius bonis ſuis, quia hoc non ſortitur effectum ante mortem naturalem, vel civilem Novitii, ſeu ante emiſſam ſolemnem profeſſionem.

22 Potior difficultas eſt de clericis beneficiariis, an teſtari poſſint, & de quibus bonis. Certum eſt, clericos beneficiarios de bonis patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus poſſe teſtari, ut deſumitur ex pluribus teſtibus præſertim *c. Relatum 12. h. t.* ubi dicitur, quòd clericus de bonis, quæ acquiſivit hæreditate, vel artificio, vel doctrinâ moriens poſſit teſtari, ac diſtribuere prout ipſi magis libuerit; quia ſicut poteſt illa inter vivos donare, vel reſervare conſanguineis, ac vivere ex reditibus Eccleſiæ, idque etiamſi conſanguinei divitiis affluant; & etiam ipſe clericus beneficiarius ſit locuples, eò quia nemo tenetur propriis ſtipendiis militare *c. cum ſecundum 14. ſup. de Præben.* Piaſecius 2. *part. c. 5. art. 4. num. 45.* nequidem ipſe Epiſcopus, licèt menſa, victóque frugali, & modeſtâ ſupellectili uti debeat ex decreto Concil. Tridentini *ſeſſ. 25. c. 1. de reform.* ſervatâ tamen ratione qualitatis, perſonæ, nobilitatis, gradûs, & loci conſuetudine, quia interdum quod uni ſufficere honeſtè poteſt, alteri non ſufficit *can. clericum junctâ Gloſſa V. neceſſitatem 21. q. 1.* Navarrus *de redit. Eccles. q. 1. num. 92.* ita de iisdem bonis poſſunt clerici beneficiarii teſtari.

Immo poſſunt etiam teſtari de iis bonis, quæ 23
proprio labore, & perſonali opere ſibi comparârunt etiam per eos actus, ad quos ipſum beneficium eos obligabat: hinc ſi curatus extra proventus ſui beneficii aliquid lucretur concionando, celebrando miſſas, audiendo confeſſiones, fungendo officio vicariatûs, inſerviendo capellaniæ, adminiſtrando Sacramenta, poteſt de tali lucro diſponere prout ipſi magis libuerit, proinde poteſt etiã teſtari: quia hujusmodi bona taliter acquiſita æquiparantur patrimonialibus, de quibus poſſunt clerici beneficiarii liberè diſponere, perinde ac laici de ſuis propriis, ut deſumitur ex pluribus textibus præſertim *can. Epiſcopi 11. q. 1. c. quia nos. 9. h. t.* ubi dicitur, quòd clerici poſſint teſtari de bonis hæreditariis, & acquiſitis intuitu ſanguinis, vel perſonæ, vel adeptis artificio, vel dono amicorum non habito reſpectu ad Eccleſiam.

Hoc idem etiam procedit de clericis bene- 24
ficiariis, qui parciùs viventes, quæ ex proventibus ſuorum beneficiorum congruæ ſuſtentationi ſubtraxerunt, poſſunt liberè diſponere ad cauſas tamen pias. Quantum verò requiratur ad honeſtam ſuſtentationem cujuscunque, cùm non poſſit id certâ regulâ determinari, relinquitur arbitrio timoratæ conſcientiæ, ut notat Piaſecius 2. *p. c. 5. art. 4. num.* 52. poſt Navar. *loc. cit. q. 2. num. 20.* regulariter tamen in beneficio modici valoris, ut ducatorum triginta ultra victum, nil præſumitur ſupereſſe, proinde quæ ſuperſunt, cenſentur acquiſita proprio labore, & de illis teſtari licet.

Quamobrem major difficultas eſt de illis 25
bonis, quæ clerici intuitu Eccleſiæ, cui inſerviunt, acquiſierunt, cujusmodi ſunt fructus ſuorum beneficiorum, qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt. Dicendum eſt, ſpectato jure ſcripto clericos beneficiarios non poſſe de hiſce bonis teſtari, nec quidem ad pias cauſas, ut deſumitur *ex c. 1. 2. cum in officiis 7. c. quia nos. 9. c. Relatum 12. h. t.* ubi expreſsè dicitur, quòd bona clerici defuncti acquiſita per Eccleſiam ſunt Eccleſiæ, & nomine Eccleſiæ, etiam Collegium, vel communis congregatio intelligitur; & ubi non eſt communitas intelligitur ſucceſſor: & per bona intelliguntur mobilia, & immobilia, quæ bona ſucceſſor in Dei timore diſpenſat. Hinc nec Pontifex quidem de reditibus ſui pontificatus teſtari conſuevit, ut notat Piaſecius *loc. cit. num. 49.* Ratio eſt, quia jus pontificium voluit ejusmodi bona non alia lege cedere clericis, quàm ut inde ſibi neceſſaria perciperent, & poſt mortem beneficiati redirent ad Eccleſiam, ut deſumitur ex *c. cum in officiis in fin.* idque ad eum finem præſertim jus pontificium ſtatuit, ut averteret eccleſiaſticos à deſiderio accumulandi opes, & incitaret clericos ad expendendas pecunias in pios uſus, quapropter permittuntur clericis donationes talium bonorum inter vivos ad pios uſus *can. quod autem 20. q. 7.* non verò permittitur ipſis Teſtamentum condere de iisdem nec donare causâ mortis, niſi ſpecialem facultatem de iisdem teſtandi à ſummo Pontifice clerici obtinuerint. Neque hic locum habet regula illa: quod licitum eſt inter vivos, licere

cere etiam in ultima voluntate *argum. text. in fin. de lege canonica tollend.* Ratio eſt, quia dominium fructuum beneficii poſt clerici mortem ipſo jure redit ad Eccleſiam, cui inſervivit, ut deſumitur *ex c. cùm in officiis 7. in fin.*

26 Poſſunt nihilominus clerici conſtituti in ægritudine ex fructibus ſuorum beneficiorum non teſtamentaria diſpoſitione, ſed per modum eleemoſynæ erogare aliquid etiam amicis, & familiaribus ſuis ratione obſequii, aut beneficii, ſibi, vel Eccleſiæ præſtiti, moderatè tamen, idque deſumitur *ex c. relatum 12. h. t.* Immo poſſunt etiam conſanguineis aliquid dare, ſi indigeant pro eorum decente ſuſtentatione *can. non ſatis, can. eſt probanda diſt. 86.* conſiderata etiam qualitate, & conditione, quam acquirunt conſanguinei per promotionem clerici ad dignitates eccleſiaſticas: ſiquidem ex clerici promotione creſcit etiam conſanguineorum dignitas, adeo ut in tali gradu illis non ſufficiat ad decentem ſuſtentationem, quod antea ſatis erat, ut notat Piaſecius *2. p. c. 5. art. 4. num. 47.* Dari tamen debet, non ut diteſcant, ſed ut congruè ſuſtententur, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 1. de reformat.*

27 An verò conſuetudine induci poſſit, ut clerici de fructibus ſuorum beneficiorum validè teſtentur, etiam ad profanos uſus, dummodo congruentem portionem erogent in pauperes, & pios uſus? plures affirmant, eò quia prohibitio, ne clerici de talibus bonis teſtentur, non eſt juris divini, naturalis, nec gentium, ſed juris merè poſitivi, quod contrario jure poſitivo, ſeu contraria conſuetudine tolli poteſt, ita docent Covarruvias *tract. de teſtament. & in c. cum in officiis. num. 23.* Garcias *tract. de benefic. p. 2. c. 1. num. 16.* Zoëſius *in comment. ad decret. num. 7. h. t.* Barb. *in collect. & in c. in officiis num. 6. & ſequent.* & alii apud illos, aſſerentes id eſſe receptum in Gallia, & Hiſpania quoad clericos beneficiarios Epiſcopo inferiores, adeo ut ipſi de præfatis reditibus licitè, & etiam in foro conſcientiæ teſtari poſſint ad uſus etiam profanos, dummodo non ſint vani, & inutiles, unde dicunt relinquere per Teſtamentum hujuſmodi bona propriis conſanguineis, tametſi divites ſint. Tum quia conſuetudine induci poteſt, ut fructus beneficii per aliquot tempus vacantis, defuncti hæredibus, vel aliis perſonis applicentur, ut liquet ex *c. ſuſcepti 2. §. 1. de elect. in extravag. Joan. XXII.*

28 Nihilominus contraria ſententia eſt tutior, & communior, unde dicendum eſt, non poſſe per ullam conſuetudinem introduci, ut tam Epiſcopi, quàm alii beneficiarii inferiores habentes ſuperfluos reditus, poſſint de illis pro libito teſtari, vel per aliam ultimam voluntatem diſponere ad uſus profanos, idque communiter deſumunt *ex c. 12. h. t.* ubi approbatur conſuetudo permittens, ut res mobiles per Eccleſiam acquiſitæ, pauperibus, & locis, piis, ac religioſis, vel iis, qui viventi inſervierunt, conferantur. Unde ſola conſuetudo approbatur, quâ relinquuntur bona Eccleſiæ ad cauſas pias, vel in juſtam obſequiorum remunerationem; unde improbatur alia conſuetudo teſtandi de reditibus eccleſiaſticis ſuperfluis ad cauſas, & uſus profanos: ſiquidem hæc conſuetudo non ſolùm repugnat juri humano, verùm etiam naturali, & divino: ratio eſt, quia beneficiarii majorem habent facultatem ſibi à jure conceſſam diſponendi inter vivos de reditibus Eccleſiæ, quàm de iisdem diſponendi mortis causâ: atqui omnes tum Canoniſtæ, tum Theologi fatentur, beneficiarios mortaliter peccare, ſive contra juſtitiam, ſive contra charitatem, vel religionem, ut ſuperiùs probavimus, ſi ſuperfluos reditus Eccleſiæ in notabili quantitate expendant in uſus profanos inter vivos donando conſanguineis divitibus: ergo à fortiori mortaliter peccant, ſi de iisdem mortis causâ ad cauſas profanas diſponant: quia clericis beneficiariis faciliùs permittitur facultas diſponendi inter vivos, quàm poſt mortem, quia poſt obitum beneficiarii bona acquiſita intuitu Eccleſiæ fiunt juris Eccleſiæ, ut liquet ex *c. 3. de peculio clericor. c. cùm in officiis 7.*

29 Tum quia non obſtante quacunque conſuetudine contraria, adhuc conſtat, Epiſcopos de ſuperfluis reditibus eccleſiaſticis non poſſe teſtari, niſi ad pias cauſas ex ſpeciali facultate ſummi Pontificis, adeo ut ſine licentia Papæ, neque ad pias cauſas teſtari poſſint, eò quia talia bona ipſo jure poſt obitum epiſcopi pertinent ad Eccleſiam: ergo à fortiori neque induci poterit conſuetudo teſtandi ad uſus profanos: quia ſi hæc conſuetudo non inducitur ad pias cauſas, adeo ut requiratur conſenſus Pontificis, multò minus introduci poterit ad uſus profanos.

30 Immo nec ſummus Pontifex ſine juſta cauſa, & valde rationabili concedit clericis beneficiariis facultatem teſtandi de reditibus ſuperfluis Eccleſiæ ad uſus non pios; quia juri naturali videtur repugnare, quòd bona Eccleſiæ deſtinata ad pias cauſas, in alios uſus profanos abſque juſta, & rationabili cauſa convertantur. Pontifex enim eſt adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, & ab ea conſtitutus non ad diſſipandum, ſed ad legitimè illa diſpenſandum tanquam bona Dei, & ad ejus cultum oblata, ut notat Abbas *in repet. c. cum eſſet. 10. num. 30.* reditus enim eccleſiaſtici ex primæva ſua inſtitutione expendendi ſunt ad cauſas pias, non verò ad uſus profanos.

31 Hinc ad primum fundamentum, quo nititur prima ſententia, reſpondetur, poſſe quidem conſuetudinem derogare legi humanæ, prout hæc humana eſt, non verò quatenus in ſe complectitur legem naturalem, aut divinam. Ad ſecundum *in extravag. Joan. XXII.* ſolùm approbari conſuetudinem, ut beneficiarius poſt obitum percipiat reditus beneficii primi, & ſecundi anni, adeo ut hæredes beneficiarii defuncti non poſſint illos impendere niſi in ordine ad extinguenda debita defuncti: alioquin non poſſunt fructus illos percipere, niſi ut pauperes, vel loco aliorum bonorum, quæ fortaſſis defunctus ex ſuis bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus in pios uſus impendiſſet: unde non ſequitur, beneficiarios ex conſuetudine

dine poſſe liberè teſtari de fructibus primi, & ſecundi anni poſt mortem percipiendis, ut tradit Abbas *in d. c. cum in officiis n. 5. h. t.*

32 Quamobrem mortiferè peccant beneficiarii ſive ſint epiſcopi, ſive canonici, qui de reditibus ſuperfluis ſuorum beneficiorum diſponunt per Teſtamentum ad cauſas profanas, relinquendo eos conſanguineis divitibus, vel ſinendo eos ſponte ſuccedere ab inteſtato, & talis diſpoſitio eſt irrita, & nullum ſortitur valorem. Quòd peccent mortiferè, docent communiter doctores, quia ſi peccant de illis profanè diſponendo inter vivos, multò magis causâ mortis, & per ultimam voluntatem, cùm minus ſemper conceſſum ſit beneficiariis condere Teſtamentum, quàm donare inter vivos, idque liquet ex pluribus textibus, quibus graviter prohibetur, ne de iis, quæ ex bonis Eccleſiæ acquiſita ſunt, præſertim epiſcopi teſtentur, ut patet *ex c. cùm in officiis de teſtament. & 12. q. 5.* & quamvis nonnulli in ea ſint opinione, ut cenſeant hiſce canonibus derogatum eſſe, ubi conſuetudo inolevit: nihilominus iſti tantùm volunt eſſe derogatum quoad cauſas pias; non verò quoad profanas: ſed ut liquet ex prædictis, neque quoad cauſas pias derogatum eſt præfatis canonibus, cùm epiſcopi, ut validè teſtentur ad cauſas pias debeant facultatem obtinere à ſummo Pontifice, in quocunque loco ſint; quæ licentia non eſſet neceſſaria, ſi conſuetudine derogatum eſſet præfatis canonibus. Cæterum viri probi, ac timoratæ conſcientiæ ab hiſce teſtamentis, ac diſpoſitionibus de reditibus etiam ſuperfluis Eccleſiæ ſemper abhorruerunt: & ſanè videtur mirum, aliquos eccleſiaſticos tam parum eſſe ſuæ ſalutis ſolicitos, ut quamvis mox ad Chriſti tribunal ſint rapiendi, conſtituti in extremis vitæ, ob conſanguineorum affectum velint delinquere in re tam gravi auferendo ab Eccleſia reditus, & bona, quæ dent conſanguineis absque ulla neceſſitate, & cum maximo propriæ animæ detrimento.

§. IV.

Quinam poſſint teſtamento hæredes, vel legatarii inſtitui.

1 CErtum eſt, omnes homines tam exteros, quàm conſanguineos, liberos, & ſervos, ſive ſint patresfamilias, ſive filii, ſive laici, ſive clerici; imò etiam amentes, mutos, ſurdos, prodigos, excommunicatos, ut etiam communitates, & collegia poſſe in teſtamento hæredes inſtitui, niſi jure ſpeciali prohibeantur, ut notat Zoëſius *in comment. in decret. h.t. n. 16.* Eſt inſtitutio hæredis baſis, & fundamentum teſtamenti *inſtit. de fideicommiſſ. haredit. §. 2.* Non tamen poſſunt hæredes, vel legatarii inſtitui hæretici, & Apoſtatæ *l. fin. C. de haret. & l. ſi qui ſanctam 3. C. de Apoſtat.* ut nec etiam credentes, receptores, defenſores, fautores hæreticorum, ſi intra annum eos facti non pœnituerit, & deſumitur *ex auth. Federici Imperatoris C. de haret. & c. excommunicatus 1. §. credentes.* Hinc catholici poſſunt hæredes hæreticos excludere, & ſi impediantur poſſunt uti occulta compenſatione contra tales hæreticos, quia iſti nullum acquirunt jus ad hæreditatem catholicorum, quia per hæreſin facti ſunt inhabiles ad ſuccedendum; proinde bona illa debentur hæredibus catholicis ab inteſtato: verùm per Germaniam hoc jus cum illo rigore non videtur eſſe uſu receptum. Præterea neque poſſunt hæredes inſtitui, qui Cardinales perſequuntur, vel percutiunt, vel capiunt & deſumitur *ex c. felicis 5. de pœn. in 6.* Rurſus, qui ob crimen eſt inhabilis activè, ſeu prohibetur condere Teſtamentum, eſt etiam inhabilis paſſivè, ut non poſſit inſtitui hæres, ut notat Gloſſa *in c. is, cui*, & docet Julius Clarus *q. 4. de teſtament. ex Aretino.*

An verò illegitimi poſſint hæredes inſtitui, 2
ſolet controverti, pro quo juvat obſervare ex illegitimis, alios naturales vocari, & alios ſpurios; & naturales eſſe, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens, ut tradit Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 4. n. 4.* Jure tamen Cæſareo naturalis is dicebatur, qui natus erat ex unica concubina domi retenta: ſed jure canonico omnes illi dicuntur naturales, qui generantur ex parentibus ſolutis, & omnes eodem jure gaudent, quod etiam nunc conſuetudine receptum eſt in foro civili, ut notat Panormit. *in c. per venerabilem qui filii ſint legitimi.* Spurii vocantur, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis erat impedimentum dirimens, ut tradit Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5. n. 1. & ſequent.* Sub hiſce duabus ſpeciebus comprehenduntur etiam nothi, & Manzeres; quæ nomina diverſimodè uſurpantur apud Covarruviam *loc. cit. §. 4. n. 1.*

Hinc natus ex fœmina non morante domi 3
concubinarii vocatur naturalis, ſi nullum erat impedimentum inter eam, & virum, tametſi ipſa eſſet meretrix, cujus filius in jure vocatur nothus. Qui verò natus eſt ex virgine vi compreſſa eſt etiam nothus, quia tametſi talis conjunctio lege puniatur, adhuc proles inde ſuſcepta ſit inhabilis. Qui natus eſt ex ſoluta, & conjugato, vel ex ſoluta, & ſacerdote eſt ſpurius, & hic non poteſt quidquam à patre accipere ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex contractu inter vivos, ut docet Covarr. *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5. num. 5.* & deſumitur *ex novel. 74. c. 6.* ubi habetur: *nulla eis participanda clementia eſt: ſed ſit ſupplicium etiam hoc patrum, ut agnoſcant, eos nihil habituros.* Hinc ſi pater in teſtamento præter neceſſaria alimenta aliquid relinquat filio ſpurio, nihil juris ipſi acquiritur; ſed tenetur in conſcientia legitimis hæredibus reſtituere, quia ſpurius per leges eſt incapax hæreditatis, & partis ejusdem, quod eſt intelligendum de ſpurio patris, nam ſi uxor habeat ſpurium, is eſt marito, veluti extraneus, proinde lex illius non meminit: unde maritus perinde ac pater putativus poteſt illi aliquid relinquere, ſicut extraneo.

Hinc ſi pater inſtitueret Titium hæredem, 4
& eum rogaret, ut hæreditatem reſtitueret Cajo ejus filio ſpurio, & Titius promitteret, ſe reſtitutu-

ſtituturum hæreditatem Cajo ; non teneretur Titius implere promiſſum,nec hæreditatem dare Cajo: ratio eſt, quia talis promiſſio ut pote contraria legi fuit nulla,cum jura talem promiſſionem irritent, eò quia conſtituant filium ſpurium incapacem hæreditatis; quapropter poſſet Titius hæreditatem ſibi retinere, ut verus hæres inſtitutus à teſtatore: illa enim conditio à teſtatore appoſita, nimirum ſe conſtituere Titium hæredem ea conditione, ut eandem hæreditatem reſtituat Cajo ſpurio cùm adverſetur legi, habetur ut non appoſita in ultimis voluntatibus,ut deſumitur *ex l. impoſſibilis 7. de V. O.* & tradit Gomez *tom. 1. c. 12. num. 67.* Neque Titius ante ſententiam judicis tenetur talem hæreditatem reſtituere fiſco, quia hæc reſtitutio eſt pœna à legibus conſtituta hæredi in punitionem promiſſionis factæ contra legem, ut notat Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5. num. 13.* atqui pœna non debetur, neque eſt ſubeunda ante ſententiam condemnatoriam. Imò ſi Titius promiſſor à judice interrogetur, num tale quid teſtatori ſpoponderit, non tenetur fateri ſe promiſiſſe, niſi fortaſſis præceſſerit infamia, ut tradit Covarr. *loc. cit. n. 14.*

5 Ratio eſt,quia agitur de crimine occulto, ratione cujus ſi Titius fateretur ſe promiſiſſe, graviter mulctaretur, ſcilicet confiſcatione non ſolùm hæreditatis ſibi relictæ cum conditione eam reſtituendi ſpurio, verùm etiam privatione omnium bonorum, & deportatione in inſulam, eò quia ſponte non revelaverit, ut deſumitur *ex eod. de iis qui ſe deferunt. l. unic.* Quòd ſi hæres inſtitutus nil promiſit teſtatori de hæreditate reſtituenda ſpurio,poteſt eam reſtituere ex pura ſua liberalitate, & ſpurius poteſt illam acceptare,& poſſidere, non ut ſibi debitam ex vi teſtamenti, ſed ut ſibi dono datam à Titio: non enim lex prohibet, quin poſſit quis bona ſua alteri donare. Quòd ſi Titius tacitè, vel expreſsè promiſiſſet teſtatori id petenti,peccaret graviter promittendo, ſicut & ipſe teſtator diſponendo, nihilominus ſi Titius eam daret Cajo ſpurio, poſſet illam hic accipere,& ſibi retinere.

6 Cæterum quòd Titius promittendo teſtatori, mortiferè peccaret ex eo evincitur, quia leges talem promiſſionem ſub graviſſima pœna prohibeat, ut eſt confiſcatio non ſolùm hæreditatis, verùm etiam omnium bonorum, & pœna graviſſima non infligitur niſi ob culpam ei commenſam, & quæ propterea ſit etiam graviſſima. Quòd verò Cajus ſpurius poſſet ſibi datam hæreditatem retinere ex eo etiam liquet, quia eam dono accipit ab eo, qui eſt dominus illius: licèt enim lex prohibeat promiſſionem factam teſtatori, non tamen prohibet, quin hæres cùm ſit verus dominus bonorum illorum,poſſit eam dare alteri,& cùm Titius optimè ſciat, ſe neque ex ſua ſponſione, neque ex diſpoſitione teſtatoris obligari ad dandam hæreditatem Cajo ſpurio, non cenſetur illam dare ex diſpoſitione teſtatoris, ſed ex ſua mera liberalitate. Alioquin ſi putaret ſe obligari, & hac ratione eam cederet ſpurio, tunc ſpurius non efficeretur illius dominus, quia donatio non foret voluntaria; & procederet ex ignorantia, proinde teneretur eam reſtituere. Quinimò neque poteſt ſpurius ſuccedere matri,tametſi nulla alia ſuperſit proles, ut tradit Covarruvias *loc. cit. §. 5. n. 20.* quia eo ipſo quòd filius illegitimus non poteſt ſuccedere patri; neque poteſt matri ſuccedere,niſi ex ſpeciali indulto alicujus juris,ut deſumitur *ex novel. 74. c. 6.* & in jure nulla reperitur exceptio, aut indultum, quòd filius ſpurius poſſit ſuccedere in bonis maternis.

Probabile tamen eſt,filium conjugati ex ſoluta poſſe ſuccedere matri, imò in praxi hæc opinio videtur recepta, ut refert Covarruvias *loc. cit. num. 20.*Contraria tamen ſententia eſt probabilior, quia concubitus conjugati cum ſoluta in jure damnatur, quamvis non ita frequenter puniatur. Probabile etiam eſt, poſſe ſpurium ea ſibi retinere, quæ mater ipſi reliquit, donec per judicem privetur,dummodo notabiliter id non noceat liberis legitimis: & revera hæc ſententia non caret probabilitate, quia jura, quibus doctores probant non poſſe matrem filio ſpurio quidquam relinquere,loquuntur de patre, ut *novel. 74. c. 6. & authent. ex complexu. C. de inceſtis nuptiis*, ubi hæc leguntur: *Ex complexu nefario,aut inceſto ſeu damnato, liberi nec naturales ſunt nominandi, omnis paterna ſubſtantia indigni beneficio, ita ut nec alantur à patre:* atqui cum hæc privatio bonorum ſit graviſſima pœna, & odioſa, non debet extendi ad bona materna, ſi jura tantùm privent ſpurium bonis paternis. Neque obſtat textus *in l ſi qua illuſtris 3. C. ad S. C. Orphitianum*, quòd mulier illuſtris ſi filios habeat illegitimos non poſſit quidquam eis dare, vel teſtamento relinquere: quia inde non ſequitur,etiam mulierem non illuſtrem non poſſe filio ſpurio quidquam dare, quia lex odioſa eſt potiùs reſtringenda, quàm amplianda.

Rurſus filius ſpurius ſecundùm jus civile 8
non ſolùm non poteſt quidquam conſequi de bonis paternis,verùm etiam privatur alimentis, ut liquet ex *d. authent. de complexu.* Quia verò id videtur nimis durum, & contra naturalem æquitatem denegare alimenta propriæ proli licèt illegitimæ;ideo in hac parte jus civile correctum fuit à jure canonico *in c. cùm haberet de eo qui duxit in matrim. eam quam pollut. per adult.* ut tradunt Alexander *conſil. 74. num. 4. vol. 2.* Socin. *conſil. 162. num. 1. V. quinimò. vol. 2.* & communiter Canoniſtæ.

Hinc pater poteſt ſpurio alimenta relin- 9
quere, ut deſumitur *ex d. c. cùm haberet*, idque non ſolùm in jure canonico, verùm etiam in foro civili, ut tradunt Covarruvias *de ſponſal. p. 2. c. 8. §. 6. init.* Garcia *de ſpons. c. 3. num. 8.* Menochius *lib. 1. præſumpt. 26. num. 13.* Ratio id etiam ſuadet, quia quilibet à natura habet jus percipiendi alimenta ſibi neceſſaria pro ſuſtentatione vitæ; & ex vi hujus juris conſurgit obligatio in iis, qui naturali vinculo ſunt ſpurio conjuncti, & præſertim hæc obligatio oritur in patre, qui ex naturali obligatione tenetur curam habere de filiis. Hinc obligatio alendi ſpurios tranſit etiam ad hæredes,& ſucceſſores, ut tradunt Riccius *collect. 169. V. inferatur ſecundò*

randi Mantica *de conjecꝰ. ultimæ voluntatis lib. 8. tit. 5. num. 14.* ſiquidem cùm lex obliget ad ſubminiſtranda alimenta ſpuriis, & hæc obligatio oriatur ex naturali vinculo, quo pater, & filius unâ ſanguine conjunguntur, non poteſt hæc obligatio oblitterari, *l. nemo poteſt. ff. de leg. 1.*

10 Hinc ſpurius ſemper habet jus ad bona patris, ut ex iisdem alatur, ſi aliunde non poſſit ſe ſuſtentare, ut liquet *ex c. cùm haberet de eo qui duxit in matrim.* parens enim jure naturali tenetur prolem alere, ſi poſſit. Nomine autem alimentorum intelliguntur omnia, quæ pro conditione perſonæ ſunt neceſſaria, ut victus, veſtitus, habitatio, medicinæ ad tuendam valetudinem, & alia id genus, quæ omnia præſtanda ſunt ſpectata conditione parentis, & prolis juxta arbitrium prudentis, ac probi viri, ut liquet *ex d. c. cùm haberet.* Quamobrem etiam filiæ ſpuriæ debetur dos, cùm hæc ſuccedat in locum alimentorum, idque procedit etiam ſi parens eſſet Sacerdos, ut rectè notat Navarrus *in c. non liceat. §. 19. num. 11.* imò nec pater ſatisfacit huic obligationi, ſi filium ſpurium ponat in aliquo hoſpitali pauperum, niſi fortaſſis ipſe pater pauper ſit, vel res occulta, & aliàs timeatur infamia, tunc enim ad tempus poſſet exponi in hoſpitali cauſa vitandi infamiam: hinc ob ſimiles caſus reperiuntur in amplis civitatibus fundata hoſpitalia ad recipiendos parvulos ſpurios. Tenetur tamē tunc parens eidem hoſpitali compenſare ſumptus, & ſi non ex rigore juſtitiæ, niſi fortaſſis hoſpitale fundatum ſit pro ſolis pauperibus, ſaltem ex decentia, & gratitudine.

11 Cæterum mater tenetur prolem primo triennio alere, vel curare ſuis ſumptibus ali, ſi poſſit: & poſt dilapſum triennium tenetur pater, donec filius poſſit ſe ſuâ induſtriâ juvare, ut liquet *ex l. nec filium 9. C. de patria poteſtate* & etiam inſinuatur à Gregorio IX. *in c. fin. de converſione infidelium*, ubi ait, quòd pueri poſt triennium apud patrem ali debent.

12 An verò ſpurius poſſit participare de legato, quod pater pauperibus diſtribuendum reliquit controvertitur Tiraquel. *de privileg. pia cauſa in præfat. V. & facit.* Ancharanus *in c. cùm tibi num. 19. de teſtament.* & plures alii, quos citat, & ſequitur Mantica *de conjecꝰ. ult. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 13.* cenſent, poſſe ſpurium participare de tali legato titulo alimentorum, quæ tamen cum vita ſpurii finiantur *l. cùm hi §. modus. ff. de tranſact.* Verùm communior, ac probabilior ſententia, cui adhærendum puto, aſſerit, non poſſe ſpurium participare de tali legato, ut tradunt Menochius *præſumpt. 96. num. 12. lib. 4.* Alciatus *conſil. 213. num. 2. lib. 9.* ſiquidem ſpurius non comprehenditur nomine pauperis; & legatum eſt quid ſeparatum à reliquis bonis teſtatoris, & ſpurius habet jus quoad alimenta ad bona patris, quæ ſuperſunt ſecluſo legato: & non habet jus ad bona pauperum, & cùm tale legatum, ſit de jure pauperum, quia ipſis relictum, non poteſt ſpurius participare de tali legato, quia eo ipſo quòd habet alimenta congrua, quæ ipſi debentur ex bonis patris, ut diſtinctis à legato, non eſt ampliùs pauper, conſequenter non poteſt eligi ad participanda legata.

Neque poteſt pars legati computari in alimenta, quia fieret injuria pauperibus, qui privarentur illa parte legati, quæ ſpurio titulo alimentorum daretur, cum ſpurio providendum eſſet ex aliis bonis paternis: quinimò etiam traudaretur mens teſtatoris, qui cùm ordinâſſet totum legatum ad pauperes, non ipſis totum daretur, ſed pars ei detraheretur contra mentem teſtatoris. Quòd ſi bona paterna non ſupereſſent pro congrua ſuſtentatione ſpurii; tunc poſſet detrahi ſufficiens portio de legato, & ſpurio aſſignari. Tum quia ſpurius tunc ob defectum alimentorum veniret nomine pauperum. Tum quia obligatio patris ad præſtanda alimenta prævalet ultimæ voluntati de legato: ratio eſt, quia alimenta ſunt de neceſſitate, & legatum de voluntate, quæ non poteſt prævalere contra legem obligantem ad ſuppeditanda neceſſaria alimenta proli *l. nemo ff. de lege 1.* 13

Cenſent tamen plures, executorem poſſe filio ſpurio aliquid conferre de legato pauperibus diſtribuendo Caſtrenſis *in l. ſi is, qui 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Alexand. *l. fin. n. 8. ff. de his quibus ut indign.* Padilla *in l. unum ex familia §. ſi de falcidia num. 2.* & ratio, quâ hæc ſententia nititur eſt, quia jura tantùm prohibent, ne ſpurius quidquam accipiat à patre, & quando ſpurius accipit ab executore, non accipit à patre *l. unum ex familia init. & §. 1. ff. de legat. 2.* Huic tamen ſententiæ non puto adhærendum: ſiquidem legatum ex voluntate teſtatoris eſt determinatum pro ſolis pauperibus, & executor debet mentem teſtatoris exequi in omnibus; proinde ut executor non poteſt eligere niſi perſonas pauperes: & cùm executor non poſſit, non conformari voluntati teſtatoris, quæ ſemper dominatur *l. cum quæſt. in fin. C. de leg.* ſequitur quòd nequeat executor niſi pauperibus tale legatum diſtribuere. 14

Tum quia ſi executor poteſt de ſuis bonis miniſtrare ſuo filio ſpurio ſufficientia alimenta, tunc filius non eſt pauper, quia habet jus ad alimenta, non ex legato, ſed ex bonis paternis, & pater tenetur ea miniſtrare *c. cùm haberet de eo qui duxit in matrim.* hinc executor ſi de legato tribuat alimenta filio ſuo ſpurio fraudat mentem teſtatoris, & virtualiter ſibi retinet eam portionem legati, quatenus ſibi retinet illam pecuniam, quam pro neceſſariis alimentis teneretur erogare filio ſpurio, & loco illius ſubſtituit partem legati, proinde fit ipſe locupletior. Quòd ſi tribuat ſimul alimenta, & partem legati filio ſpurio, tunc portio illa, quæ datur ſpurio non tribuitur pauperi, quia eo ipſo quòd ſpurius habet congrua alimenta, non eſt ampliùs pauper, proinde illa portio ſubtrahitur contra mentem teſtatoris ipſis pauperibus. Quinimò Calderinus *conſil. 31. de teſtament.* cenſet, nec poſſe executorem aliquid de legato tribuere filiis propriis, licèt pauperibus. 15

Verùm ſi revera filii legitimi executoris gravi laborent paupertate, putârim poſſe legatum etiam ipſis diſtribui, quia tilii tunc com- 16

prehenduntur nomine pauperum, & teſtator non eſt cenſendus excluſiſſe tales filios, imò potiùs præ cæteris incluſiſſe, cùm eorum patrem elegerit executorem legati. Tum quia ſi filii gravi laborantes paupertate poſſent ab alio eligi ut pauperes ad eum finem, ut participarent de legato; non video cur etiam à patre non poſſint ad id eligi: non enim ex eo quòd pater poſſit eligere alios pauperes, ſequitur, quòd non debeat eligere filios proprios pauperes, alioquin ex eo præcisè, quòd eſſent filii, eſſent deterioris conditionis.

17 De Religioſis clauſtralibus, qui bona immobilia non poſſident, videtur eſſe difficultas, an ipſi poſſint inſtitui hæredes. Certum eſt, fratres minores S. Franciſci non poſſe hæredes inſtitui, ut deſumitur *ex clement. exivi de V. S. §. quia igitur.* id tamen intelligitur, ut exponit Gloſſa, quòd fratres minores non poſſint abſolutè inſtitui hæredes taliter, ut ipſi acquirant jus ad bona immobilia, teneantúrque ut hæredes ad onera defuncti. Cæterum poteſt in eorum favorem tota hæreditas relinqui, ut per executores ſtatim vendatur, & detur eis pretium: ſiquidem poſſunt ex tali pretio Eccleſias, & monaſteria conſtruere, vel etiam ſupellectilem pro Eccleſia, bibliotheca, monaſterio emere. Hoc pacto poſſunt etiam Clerici Regulares vulgò Theatini inſtitui hæredes, ut etiam domus profeſſæ ſocietatis JESU, quamvis tam domus Theatinorum, quàm domus profeſſæ ſocietatis JESU non poſſideant bona immobilia, quia poſſunt hæreditatem acceptare, & eam vendere, & ex pretio ſibi providere, vel ad extinguenda contracta debita, vel ad conſtruendam domum, vel ad emendam ſupellectilem pro Eccleſia: eſt enim tunc hæreditas eleemoſyna ſpontè oblata, non verò poſſeſſio bonorum immobilium, cùm hæc non poſſideantur, ſed alienentur, & tantùm eorundem pretium recipiatur, ut ſuccurratur neceſſitatibus.

18 Ratio itidem eſt, quam adfert Gloſſa, quia cùm bona immobilia, non remaneant apud dictos Religioſos, non dicuntur ad ipſos pervenire, quia tantùm per tranſitum ſunt apud ipſos, quod non manet, non dicitur poſſideri, & quod non durat, non dicitur factum, nec converſum in bona alterius *l. ſi pro patre §. verùm ff. de in rem verſ.* Nec dicitur veniſſe, qui non ſtetit *c. 1. de judic.* ut notant plures apud Tiraquel. *in l. ſi unquam vers. libertis num. 176. de revocand. donat.* Tum quia actus qui non durat à lege non conſideratur *l. cogi §. hi qui ff. ad Trebel.* Quando enim aliquid eſt tantùm in via ad aliud non conſideratur per ſe, ſed cum ordine ad ſuum terminum, à quo haurit denominationem: & quia aditio hæreditatis eſt in ordine ad venditionem non conſideratur per ſe, ſed cum ordine ad venditionem, proinde non poteſt inducere naturam poſſeſſionis, ſed tantùm rationem alienationis, ad quam ordinatur, proinde non opponitur inſtituto domorum profeſſarum ſocietatis JESU, nec Theatinorum de non poſſidendis bonis immobilibus.

19 Quòd ſi dicas, per aditionem hæreditatis acquiri dominium bonorum immobilium *l. cum hæredes init. ff. de acquirend. poſſeſſ. & l. pro hærede ff. de acquir. hæredit.* & acquiſitionem dominii bonorum immobilium adverſari inſtituto Theatinorum. Reſpondetur id falſum eſſe, quia illud dominium non eſt de hæreditate, ut poſſidenda; ſed ut vendenda, & alienanda: proinde non ſequitur, eos adire hæreditatem bonorum immobilium poſſidendorum: unde poſſunt talem adire hæreditatem, & non poſſidere bona immobilia, cum illam non adeant, ut poſſidendam, ſed ut vendendam. Tum quia illud dominium, ſi haberetur eſſet momentaneum, & non duraturum, ut notant Baldus *in c. dem cauſa n. 4. de re judic. & conſil. 232. num. 1. vers. item domus.* Calderinus *conſil. 46. V. præterea.*

Præterea eſto etiam eſſet dominium bonorũ 20
immobilium, non tamen eorũ inſtituto adverſaretur, quia non eſſet nudum, & ſimplex dominium, ſed eſſet dominium habens cauſam finalem alienationis, & quia res denominatur à fine *l. ex imperfecto ff. de leg. 3. & l. ſed & ſi quis §. 1. ff. de uſufruct. & c. fraternit. §. fin. de frigid. & malefic.* ideo conſideratur, ut veſtitum ſua cauſa finali, & ut apprehenſio alienativa hæreditatis, ac ordinata juxta obſervantiam inſtituti.

§. V.

De modis, quibus poſſit aliquis hæredi ſubſtitui.

SUbſtitutio ab Accurſio *l. 1. §. de vulg. & pupill. ſubſt.* definitur *ſecunda inſtitutio* 1
& per ſecundam inſtitutionem intelligitur quæcunque inſtitutio, quæ non ſit prima, ſive ſit ſecundo, tertio, quarto, vel quinto loco poſita, dicitur ſemper ſecunda inſtitutio, ſeu ſubſtitutio: quia in jure ſæpe fit mentio ſecundarum tabularum, quæ ita nuncupantur, eò quia ſubſtitutionem continerent. Verùm hæc definitio videtur nimis anguſta, quia non omnis ſubſtitutus eſt inſtitutus, cùm non ſolùm in hæreditate (in qua ſola datur inſtitutio) ſed etiam in legatis, & donationibus mortis cauſâ fieri poſſit ſubſtitutio *l. unis. §. 7. in fin.* Exactiùs ſubſtitutio pro ut comprehendit ſubſtitutiones etiam in codicillis, & aliis ultimis voluntatibus factas definitur à Covarr. *in c. Raynutius 16. h. t. §. 3. num. 1. eſſe unius, vel plurium in alterius, aut in alienum locum in ultima voluntate factam vocationem.* Preſſiùs tamen poteſt definiri *vocatio ad hæreditatem in locum alterius.*

Cæterum poſſunt etiam plures uni ſubſtitui 2
dupliciter. Primò immediatè: ſecundò mediatè, & quodam ordine, ut habetur *in l. 1. ff. de vulg. ſubſtit. §. 1.* ut inſtituo hæredem Titium, & ſi is hæres non erit, Cajus hæres eſto, hæc ſubſtitutio dicitur directa, & immediata. Indirecta, & mediata eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto mediante alio ſine miniſterio hæredis primò inſtituti, & hic gravatur, & obligatur, ut vel totam hæreditatem, vel ejus partem reſtituat, ſeu tradat alteri, & hæc ſolet etiam vocari ſubſtitutio fideicommiſſaria. Hoc intereſt diſcriminis inter utramque ſubſtitutionem

nem indirectam, & directam, quia in directa tota hæreditas devolvitur ad hæredem substitutum absque ulla diminutione : secus in substitutione indirecta, seu fideicommissaria hæres directus primò institutus detrahit quartam partem. Cæterum potest utraque substitutio directa, & indirecta fieri etiam in legatis, & donationibus causâ mortis, sed absque detractione quartæ partis.

4 Substitutio directa communiter subdividitur in quinque species, scilicet in vulgarem, pupillarem, exemplarem, reciprocam, & compendiosam, Covarruvias tamen, & Molina addunt sextam, quam vocant substitutionem militarem, quam collocant statim post vulgarem, eamque definiunt, *esse substitutionem directam, & simplicem; quâ quis ex solo privilegio heredem sibi substituit.* Ponitur illa particula *ex solo privilegio*, ut excludatur vulgaris substitutio; per reliquas particulas excluduntur aliæ substitutiones. Modus specialis, quo miles potest substituere est, quando suos hæredes instituit, sed unum alteri substituit quoad tempus; primum siquidem usque ad tempus certum, vel incertum, vel post mortem prioris; vi cujus substitutionis secundò institutus capit hæreditatem effluxo tempore assignato immediatè à testatore; nec primò institutus potest aliquid deducere, sicut potest hæres fiduciarius, seu gravatus. Hoc privilegium, quod dicitur etiam militare, eò quia milites concernat, continetur in variis juribus *l. 15. ff. de vulg. subst.* & desumitur ex pluribus aliis juribus.

5 Substitutio vulgaris dicitur, eò quia possit à quolibet testatore fieri cuilibet capaci hæreditatis; & per hanc substitutionem fit substitutus hæres testatoris sub conditione, si is, qui ex testamento, vel ab intestato successurus erat, nolit, vel non possit hæreditatem acceptare, aut nolit esse hæres, ut etiam si moriatur ante testatorem; vel si ob patratum crimen fiat incapax hæreditatis; tunc succedit substitutus, qui fit propterea hæres testatoris. Hujusmodi conditio in quavis substitutione vulgari, vel exprimitur, vel tacitè subintelligitur, fitque vel verbis generalibus: ut si testator dicat, instituo Petrum meum hæredem, & Paulum ei substituo; tunc enim nulla exprimitur conditio, quæ tamen tacitè subintelligitur; & perinde est ac si dicat: instituo meum hæredem Petrum; & si is ex quocunque eventu non fuerit hæres, instituo Paulum. Vel fit verbis specialibus: ut Petrum instituo hæredem; & si hæres non erit, substituo ei Paulum; hic enim exprimitur conditio verbis specialibus, sub quibus continentur diversæ conditiones singulares. Vel fit verbis singularibus, ut quando exprimitur conditio specialissimè, ut notat Covarruv. *de testamentis c. 10. §. 3. num. 3, & sequent.* & fusè Gomez *tom. 1. c. 3.*

6 Pupillaris substitutio est, per quam Pater liberos suos impuberes in sua potestate constitutos, & qui post mortem suam in alterius potestatem non reincident, hæredes instituit; & illis alium hæredem substituit conditionatè, si filii ante annos pubertatis decesserint; & desumitur *ex princ. instit. de pupill. subst. l. 1. §. 2. ff. vulg. & pupill.* Cum nemo ante pubertatem possit Testamentum condere; jura concesserunt, ut pater impuberis possit loco illius Testamentum quodammodo facere directè substituendo ei hæredem; si ante pubertatem decesserit; & per hanc substitutionem fit, quòd non solùm bona pupilli, quæ à patre obtinuit, sed etiam alia ad substitutum perveniant; ac si ipse pupillus Testamentum condidisset in favorem substituti, ut notat Gomez *l. 1. c. 4. num. 13.* Tria in hac pupillari institutione sunt notatu digna. Primò quia ad valorem hujus substitutionis requiritur, ut testator habeat sub sua potestate eum, cui alium substituit: hinc mater non potest pupillariter substituere, quia liberi non sunt in potestate matris, sed patris, ut docet Covarr. *l. c. §. 5. num. 18.* ob eandem rationem, nec potest pater filio illegitimo substituere.

7 Prætera pupillus, cui fit substitutio non debet per obitum testatoris fieri sub alterius potestate: hinc Avus nequit nepotem pupillariter substituere, si pater adhuc vivat; quia nepos post mortem avi recidit in potestatem patris: imò nec Pater Filium, si adhuc avus vivit; quia nepos jure communi est in potestate avi. Secundò quia in hac pupillari substitutione semper exprimi, vel intelligi debet conditio, si in ætate pupillari, seu ante quartum decimum ætatis annum decesserit; hac enim ratione dicitur substitutio pupillaris. Intelliguntur etiam aliæ conditiones, ratione quarum tacitè continentur aliæ substitutiones: siquidem in quavis formula substitutionis continetur omnis substitutio, cujus persona, cui substituitur est capax, & quæ verbis illius formulæ significari potest, nisi expressè constet de contraria mente testatoris. Tertiò quia substitutio pupillaris expressa potest etiam tripliciter fieri. Primò verbis generalibus, ut si testator non exprimat specificè, quòd filius suus sit impubes, ut si dicat: instituo filium meum hæredem, illique Titium substituo. Secundò verbis specialibus, quibus expressè mentionem faciat ætatis pupillaris. Tertiò verbis specialissimis, ut si exprimat conditionem, dicátque instituo filium meum impuberem hæredem; & si in ætate pupillari meum post obitum decesserit, substituo illi Joannem, ut notat Covatruvias *loc. cit. §. 5. n. 20.*

8 Substitutio exemplaris ita nuncupatur, eò quia inducta sit ad exemplum pupillaris, proinde dicitur etiam quasi pupillaris; estque directa, & simplex substitutio, quâ pater condens Testamentum filio amenti; vel surdo, simul, & muto, vel prodigo, cui interdicta est bonorum administratio alium substituit: prodigus enim, & surdus simul ac mutus prohibentur testari, nisi ad pias causas: tunc enim pater filiis mente captis, puberibus etiam emancipatis legitimæ portione relicta hæredem substituit, ut desumitur *ex l. humanitatis 9 C. de impl. & aliis subst.* Hinc si pater habens filium mente captum, vel surdum simul, & mutum dicat: instituo filium meum, & ei substituo Petrum: si is nondum fuerit pubes eadem substitutio est etiam pupil-

laris: imò in eadem semper contineetur vulgaris, quia si contingat, filium moriente testatorem, substitutus succedit ex substitutione vulgari: & idem dicendum, si nomine ipsius hæreditas repudietur.

8 Cessat tamen hæc substitutio si filius restituatur sanæ menti, nec citò ad infantiam revertatur. Hæc autem substitutio exemplaris potest fieri etiam ab ipsa matre, idque in diversos substitutos: & tunc substitutio patris prævalet in bonis provenientibus à linea paterna: & illa matris in iis, quæ sunt à linea materna, ut docet Gomez *loc. cit. c. 6. num. 13.* Quòd si is, cui fit substitutio habet filios, vel fratres, debet unus ex his substitui relicta legitima illis, quibus jure debetur: quapropter avus maternus potest etiam substituere, quamvis non pupillariter, quia exemplaris substitutio non dependet à patria potestate, ut pupillaris.

9 Substitutio fideicommissaria est substitutio indirecta, seu obliqua, quâ hæres gravatur ut hæreditatem totam, vel partem ejus aliquotam, ut dimidiam, vel tertiam, aut quartam restituat alteri, qui dicitur fideicommissarius. Fideicommissum in genere dicitur, quod alicui per intermediam personam, & quasi per manum alterius relinquitur: & est duplex, unum universale, in quo hæres sive in testamento institutus, sive ab intestato succedens rogatur, vel jubetur, ut totam hæreditatem, vel ejus partem alteri restituat *§. in primis & §. præterea instit. de fideicommiss. hared.* & tunc is, qui jubetur, vel rogatur restituere dicitur hæres *Fiduciarius l. sciat 49. ff. ad S. C. Trebell.* & ille cui jubetur restitui dicitur *fideicommissarius §. sed quia stipulationes instit. eod.* Aliud est fideicommissum particulare, & tunc habetur, quando non tota hæreditas, aut pars illius, sed tantùm res una, vel plures ab hærede in particulari jubentur alteri restitui. Et hæc substitutio, seu fideicommissum, videtur induere naturam legati, à quo jure novo vix differt, ut notat Zoësius *ff. ad S. C. Trebell. num. 9.*

10 Effectus universalis fideicommissi est, quòd si hæres directus fideicommisso in testamento, vel etiam hæres ab intestato in codicillo gravatus restituere hæreditatem alteri, detrectet illam adire, possit officio judicis cogi, ut illam adeat, & ut aditam restituat fideicommissario §. *ergo instit. de fideicommiss.* Hinc substitutio fideicommissaria differt ab aliis, quia cæteræ sunt directæ, cùm per ipsas hæreditas directè, & immediatè à testatore deferatur substituto sine ministerio alterius: secus fideicommissaria est indirecta, seu obliqua, quatenus per ipsam defertur hæreditas Ministerio alterius, ut tradit Covarr. *loc. cit. c. 16. §. 4. num. 2.* Rursus potest substitutio fideicommissaria fieri codicillo, non ita aliæ: siquidem per codicillum potest hæredi onus imponi, ut hæreditatem alteri restituat, ut contingit in substitutione fideicommissaria: secus per codicillum non potest quis directè instituí hæres.

11 Quòd si quis codicillo instituat substitutionem vulgarem, vel pupillarem, vel exemplarem, aut reciprocam, vel compendiosam, tunc ex benigna juris interpretatione habet vim substitutionis fideicommissariæ, ut notat Glossa *supra. de vulg. subst. in princ.* Cæterum hæres sic institutus, & gravatus restituere, potest detrahere quartam partem ejus, in quo institutus est; & id ne vana sit hæredis institutio; & etiam ut alliciatur ad acceptandum, & præstandum, quod testator cupit: quapropter si est institutus in tota hæreditate, cum onere illam alteri restituendi, detrahit quartam partem totius hæreditatis; sin autem institutus sit in sola dimidia parte, detrahit quartam illius dimidiæ: & si tantum in sexta, quartam sextæ, & sic de cæteris.

12 Sin verò testator aliquid ei certi assignet, & reliquum restitui jubeat, tunc si illud certum non adæquat quartam partem totius in quo institutus est hæres, potest detrahere de reliquo, donec quartam compleat, idque desumitur ex §. *sed quia stipulationes instit. de fideicommissariis hæreditatibus l. 1. & sequent. C. ad S. C. Trebell.* ubi dicitur, perinde sive quis ex toto, sive ex parte hæres sit institutus, potest semper quartam partem portionis, in qua institutus est, sibi retinere: idque ne gravatus restituere ob nullum, vel exiguum lucrum recuset adire hæreditatem, & sic fideicommissum extinguatur, ut habetur in *d. §. sed quia*, & desumitur, etiam *ex c. Raynutius 16. h. t.* ubi habetur, quòd in bonis patris, matris, & aviæ quilibet habet quartam partem sibi debitam de jure naturæ, adeo ut non possit pater illam gravare, nec filium illâ privare. Rursus dicitur, quòd filius rogatus de restituenda hæreditate detrahit quartam partem debitam jure naturæ, & Trebellianicam, in qua computantur fructus percepti post litis contestationem.

13 Legitima enim portio successionis in bonis parentum est debita liberis jure naturæ, ut habetur *in d. c. Raynutius & c. Raynaldus 18. h. t.* in quibus dicitur, quòd legitima portio successionis in bonis parentum jure naturæ sit debita liberis, quod tamen intelligendum est, quoad originem, & quatenus legitima vice alimentorum fungitur, & in eorum locum succedit: siquidem necessaria sustentatio jure naturæ à parentibus debetur liberis *l. cùm ratio 7. ff. de bonis damnat.* secus quoad quotam, seu quantitatem determinatam est juris civilis, & à lege augeri potest, vel minui, dummodo liberis, relinquatur necessaria sustentatio, quæ est juris naturæ, & non potest per legem, aut consuetudinem tolli, ut notat Abbas *in d. c. Raynutius 16. num. 12. h. t.* Gaillus *lib. 2. obser. 102. n. 12.* Immo si filius, vel alius ex descendentibus gravatus sit hæreditatem alteri restituere sub conditione, si absque liberis decesserit, potest non solùm legitimam deducere, verùm etiam quartam partem Trebellianicam ex reliqua hæreditate detrahere, sibique retinere; immo & hæc legato relinquere, vel hæredi, aut pœnas imponere, ut expressè statuitur *in d. c. Raynaldus 18. h. t.* ubi dicitur, quòd filius rogatus restituere hæreditatem in morte, potest detrahere tertiam jure naturæ, & quartam Trebellianicam quas potest etiam relinquere legato, vel hæredi, &pœ-

& pœnas imponere. Ibi enim Papa confirmat, & approbat ſententiam Cardinalis judicis à ſe delegati, qui pronuntiavit, quòd Raynaldo ex bonis patris ſui Peponis legitima, quæ jam eſt trientis, ſive tertia pars hæreditatis jure naturæ debita fuerit, in qua proinde gravari fideicommiſſo non potuit, nec reſtitui ea debuit: & quòd etiam quartam Trebellianicam, ſicut quilibet alius hæres, etiam extraneus, ex reliqua hæreditate, in cujus reſtitutione fuit gravatus, potuit deducere. Et hoc etiam procedere de jure civili probat Fachinæus aſſerens, antiquas leges quoad hoc correctas fuiſſe per *novel. Juſtiniani de reſtit.* §. 1. *& c.* 3. additque probabilius eſſe, quòd filius gravatus reſtituere hæreditatem poſſit detrahere Trebellianicam, tametſi ea fuerit ſemis, ut quia quinque, vel plures ſint filii, qui rogati ſunt reſtituere hæreditatem, quia nunquam legitimè gravari poteſt propter numerum filiorum, proinde neque poteſt in reſtitutionem venire. Imò ſi hæres gravatus reſtituere hæreditatem confecit inventarium, poteſt etiam uti beneficio legis Falcidiæ detrahendo quartam partem hæreditariæ ſuæ portionis ex rebus legatis; non ita poteſt detrahere Falcidiam de eo, quod pœnæ causâ adjectum eſt, quia hæc quarta in pœnis non habet locum, ut notat Gloſſa in *d. c. Raynaldus V. beneficio legis Falcidiæ.* Cæterum docet Gomez. *tom. 1. c. 5. num.* 11. poſſe teſtatorem prohibere, ne hæres detrahat Trebellianam: & ratio, quâ nititur eſt, quia teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat Falcidiam à legatis *authent. ſed cum teſtator C. ad leg. Falcid.* ergo etiam ne detrahat Trebellianam à fideicommiſſis: quia in jure Trebelliana, & Falcidia æquiparantur, adeout perſæpe, vel ipſa nomina confundantur, ut notat Covarruv. *c.* 18. *n.* 10.

14 Subſtitutio reciproca, quæ etiam breviloqua dicitur, eſt, cujus beneficio inſtituti ſibi viciſſim ſubſtituuntur; & hæc ſubſtitutio plures complectitur ſubſtitutiones quoad perſonas, ut ſi Petrus dicat: inſtituo Paulum, & Joannem meos hæredes, & eos invicem ſubſtituo, tunc duo ſaltem habentur ſubſtitutiones vulgares, & ſi uterque ſit impubes, ſunt duæ vulgares, & duæ pupillares; ſin verò alter ſit impubes, & alter pubes, ſunt tantùm duæ vulgares: ſiquidem hæc ſubſtitutio ſolùm complectitur eas, quæ utrique ſubſtituto taliter conveniunt, ut notat Covarruvias *loc. cit. c.* 16. §. 7. *num.* 4. Immo poteſt etiam continere duas fideicommiſſarias, ut ſi fiat per codicillum, vel ſi fiat in teſtamento verbis obliquis, ſcilicet quibus jubeantur, vel rogentur hæredes, ut qui prior ſit moriturus, reſtituat aliis hæreditatem, ut notat Gomez *tom.* 1. *c.* 5. *num.* 11. Hinc ſubſtitutio reciproca non eſt ſimplex, ſed mixta, ſeu compendioſa, plures in ſe ſubſtitutiones continens, & non eſt diverſa ſpecies ab aliis ſubſtitutionibus, à quibus tantùm differt inqualitate, vel modo, reſpectu cujus dicitur tertium genus ſubſtitutionis *in l. nam hoc jure* 4. §. *eod.* ut notat Zoëſius ibidem *num.* 82.

15 Subſtitutio compendioſa eſt, quæ verborum compendio plures in ſe continet ſubſtitutiones ſecundùm diverſa tempora, & ætates: ut ſi Petrus dicat, inſtituo filium meum hæredem, & ſi is deceſſerit, vel quandocunque deceſſerit, ſubſtituo ei Paulum: tunc enim ſi filius non aditâ hæreditate deceſſerit, vel objerit ante teſtatorem, Paulus ſuccedit ex vulgari ſubſtitutione: ſin verò filius poſt aditam hæreditatem, ſed ante pubertatem deceſſerit, ſuccedit tunc ex pupillari: quòd ſi poſt pubertatem deceſſerit, ſuccedit ex fideicommiſſaria, detractâ tamen non ſolùm legitimâ, ſed etiam quartâ Trebellianicâ: ſi deneque poſt pubertatem amens fiat filius, ſuccedit Paulus ex ſubſtitutione exemplari, ut notat Gomez. *loc. cit. c.* 7. *num.* 2.

§. V.

De legatis, & fideicommiſſis particularibus.

DE legatis, & fideicommiſſis particularibus habentur tres prolixi tituli in libris Digeſtorum: verùm in Inſtitutionibus omnia compendio aguntur in tribus titulis, quorum primus agit de legatis dandis, ſecundus de legatis adimendis; & tertius de iisdem minuendis, ſeu de lege Falcidia: quia verò legata ordinariè relinqui ſolent in teſtamentis, vel codicillis, & regulariter ad cauſas pias, ideo hîc nonnulla principaliora de legatis expendemus. Dupliciter ſumi poteſt legatum, ſcilicet pro re ipſa legata, & pro actu legandi: & ſumptum legatum poſteriori modo deſcribitur *eſſe donatio quædam teſtamento, vel meliùs, à defuncto, relicta, ab hærede præſtanda*, & eſt deſcriptio Juſtiniani §. 1. communiter recepta; ubi juvat obſervare, quòd donatio hîc ſumitur laxè pro quavis gratuita donatione, ſive inter vivos, ſive mortis cauſâ; & per hanc particulam excluditur hæreditas, quia hæc habet onera adjuncta, non item legatum, quod eſt gratuita, & liberalis donatio,

Additur illa particula *quædam*, quia legatum ſemper eſt donatio alicujus rei particularis, quæ detrahitur ab hæreditate, & non habet rationem hæreditatis, ut excludatur fideicommiſſum univerſale, cui cæteroquin data definitio congrueret. Rurſus donatio importat jus directum, & exigit fieri per verba directa; in quo etiam diſtinguitur à fideicommiſſo particulari, quod verbis obliquis, ſeu indirectis fit. 2

Præterea differt legatum à donatione inter vivos, quia hæc fit à vivo donatore, à quo firmitatem ſortitur, ut revocari ampliùs non poſſit; legatum verò eſt revocabile *l. ſi quis* 3. §. *fin. ff. de adimend. legat.* diſtinguitur etiam à donatione mortis cauſâ, quia hæc etiam à vivente tranſit in donatarium; tametſi ante ejus mortem non ſortiatur firmitatem, ſed poſſit revocari: & donatio cauſâ mortis conventionem, ſeu acceptationem exigit *l. ſenatus* 95. §. *ergo qui mortis*: ſecus in legato nullum geritur negotium, proinde dicitur eſſe donatio quædam relicta; ſiquidem relinqui propriè dicuntur, non quæ mutuo duorum, vel plurium conſenſu; ſed quæ unius tantùm voluntate poſt mortem ſuam in alium conferre volentis, tranſeunt, ut notat Zoë- 3

sius *ff. de legat. num. 9.* Rursus differt etiam legatum ab hæredis directa institutione, quia hæreditas ab ipso solo testatore immediatè procedit,& accipitur ; legatum verò immediatè ab ipso hærede legatarius accipit.

4 Verùm quia hodierno jure legata non solùm in testamento,sed etiam in codicillis instar fideicommissorum relinqui possunt *l. & in epistola 22. C. de fideicommiss.* ideo operæ pretium est, aliqua de codicillis testamento additis hic attexere. Quamvis codicilli vulgò dici soleant Testamentum imperfectum, non tamen hoc merentur nomen,nisi laxissimè sumatur Testamentum pro quacunque specie ultimæ voluntatis. Cuiacius definit Codicillum esse : *Testati, vel intestati voluntatem minus solemnem.* Verùm per hanc definitionem vix distinguitur à donatione causâ mortis. Hinc potest Codicillus describi: *sententia voluntatis ultima, quam sine justa testamenti solemnitate permissum est,ob impedimenti necessitatem scribere :* siquidem leges, quoad possunt, volunt accommodari usibus hominum; & præsertim ultimis voluntatibus latissimè propagandis impensè favent, ut quisque pro re nata ansam habeat non admodum difficilem testandæ voluntatis nunquam perituræ ; & licèt olim codicilli non aliter subsisterent, quàm si testamento essent confirmati, aut sequente, vel antecedente: postea tamen statutum fuit, ut etiam sine testamentis facti codicilli in hoc subsisterent, ut fideicommissum ex iis peti posset *l. 3. in princ. l. 5. de jure codicill.* Differt codicillus à testamento solemni maximè in solemnitatibus , quia in codicillis sufficiunt quinque testes, neque opus est, ut ad id sint specialiter rogati *l. fin. §. 3. C. h. t.* Non tamen pauciores testes sufficerent, si quis testamento imperfecto clausulam codicillarem adjiceret,ut communiter tradunt doctores *in l. 1. ff. de codicill.* An verò in codicillo sufficiant quinque testes? Affirmant Castrensis, Jason, Salicetus: sed communior sententia est totidem requiri, quot in testamento eorundem.

5 Fœmina ex communiori sententia potest esse testis in codicillo, quia quando fit mentio testium, qui requiruntur ad alias ultimas voluntates fœminæ non excluduntur ; proinde censentur omnes admitti, qui in aliis contractibus possunt esse testes: alioquin parùm consultum foret incommodis, quibus leges per licentiam faciendi codicillos obviatum esse voluerunt. Imò in codicillo facto inter liberos, non sunt necessarii quinque testes; quia nusquam plus requiritur ad codicillum, quàm ad Testamentum ejusdem rationis;& cùm ad Testamentum inter liberos sufficiant duo testes, totidem etiam ad codicillum satis erunt. An verò hæc solemnitas testium requiratur pro forma substantiali,vel tantùm ut causa probationis: communior sententia est, requiri solùm causâ probationis, & desumitur *ex §. 3. instit. h. t.* quinimò si codicillus testamento confirmatus sit, nec quidem testes probationis requiruntur, quia quæ talibus codicillis relinquuntur, ipso Testamento censentur relicta *l. 77. §. de hæred. instit.*

De jure qui non permittuntur Testamentum facere,prohibentur etiam codicillos scribere *l. 6. §. 3. ff. h. t.* Potest enim codicillus fieri etiam non facto testamento ; siquidem intestatus potest cum solis codicillis decedere *l. 4. C. h. t.* Cæterum codicillos confirmari testamento tam priùs , quàm postea facto , liquet *ex l. 6. C. h. t.* Sed dubium est, an valeant, si non expresè inveniantur testamento confirmati, communis sententia est valere , si post Testamentum facti sint, & habetur textus expressus *in l. 3. §. 2. testamento facto etiam si codicilli, ideo confirmati non essent, vires tamen ex eo capient.* Sin verò post codicillos factum fuerit Testamentum, etiam vires accipiunt à superveniente Testamento, ut habetur *in §. 1. instit. h. t.* ubi dicitur : *sed cùm ante Testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm si speciali postea voluntate confirmentur ; sed divi Severus, & Antoninus rescripserunt ex illis codicillis,qui Testamentum præcedunt posse fideicommissum peti, si appareat, eum, qui Testamentum fecit à voluntate, quam in codicillis expresserat , non recessisse.* Firmitatem igitur desumunt à testamento , quatenus ita ei innituntur, ut tanquam accessio, & appendix illius testamenti jus sequantur,stentque,cadantque cum eodem *l. 11. ff. testam. quemad aperien.* ubi codicilli dicuntur pars testamenti, hinc si hæreditas ex tali testamento non adeatur, etiam fieicommissum in codicillo relictum evanescit *l. 3. §. 2. ff. h. t.* ut etiam si Testamentum aliunde irritum reddatur, vel rumpatur. Sin verò codicilli expresè in testamento confirmentur, possunt in effectu aliquem facere hæredem declarando, quod in testamento obscuro , & per relationem ad codicillum constitutum est; ut si in testamento nõ fuerit hæres clarè institutus,& in codicillis videatur hæres. Cæterum codicilli etiam infirmantur voluntate contraria defuncti, eaque nuda , quia ex vulgari regula, per quas causas aliquid constitutum est , iisdem in contrarium actis solvitur *l. 35. ff. de R. J.*

6

Effectus clausulæ codicillaris est, ut ejus virtute institutio directa hæredis extranei obliquetur in fideicommissariam, adeo ut si hæres succederet ab intestato ob testamenti nullitatem detractâ Trebellianicâ,seu quarta parte,debeat hæreditatem restituere hæredi scripto, ut liquet ex *l. 39. ff. qui testament. facere poss.* Ratio est, quia clausula facit , ut illa scriptura sit codicillus, casu quo non est Testamentum: sed in codicillo potest fieri institutio fideicommissaria , proinde censetur ibi facta. An verò si quis duo condidisset testamenta , quorum secundum ob defectum solemnitatum esset invalidum, & haberet nihilominus clausulam codicillarem, an per eam revocaretur primum Testamentum,proinde hæredes ab intestato succedentes, gravarentur restituere hæredi scripto in secundo testamento, videtur dubium,Bartol. *in l. si jure ff. de leg. 3.* sententiæ adhæret affirmativæ ; sed communior est negativa, & asserit, valiturum primum Testamentum, quia sicut per codicillos hæreditas nec dari , nec adimi potest , ita neque per Testamen-

7

mentum invalidum, cui adjectus ſit codicillus.

8 Legata igitur, quæ in teſtamentis, vel codicillis relinqui ſolent, nudis verbis poſſunt fieri; non tantùm ad piam cauſam, verùm etiam ad profanam, idque absque inſtitutione hæredis facta in Teſtamento, vel alia ſcriptura, & defumitur ex *c. indicante 4. h. t.* quia licèt aliàs legata dependeant à Teſtamento, & hæredis inſtitutione, adeo ut ſi Teſtamentum corruat, etiam legata tanquam acceſſoria deficiant *l. ex Teſtamento 29. C. fideicommiſſ. l. ult. §. illud C. de codicill.* nihilominus ſi defunctus nudis verbis, ſeu nuncupativè absque hæredis inſtitutione, nullóque Teſtamento, vel codicillo facto legata reliquit, ea præſtari debent: ratio eſt, quia tunc ſic legans cenſetur velle inteſtatus decedere, & ipſius hæredi ab inteſtato ſuccedenti fideicommittere, ut hujusmodi legata ſolvat *l. ſi quis 3. in princ. ff. de jure codicill.* Abbas *in c. indicante 4. num. 3. h. t.* Imò tunc non eſt neceſſaria ſolemnitas teſtium *l. ult. C. de fideicommiſſ.* ſed ſufficit, ſi de voluntate, ac diſpoſitione defuncti obligantis hæredem ad ſolvendum legatum conſtet, ut notat Gloſſa *in cit. cap. V. nudis verbis,* & hoc non ſolùm procedit in legatis ad pias, ſed etiam ad profanas cauſas.

9 Legata tamen ad pias cauſas relicta in Teſtamento non dependent ab ejus valore, & ſolvi debent, ſive Teſtamentum ab initio fuerit irritum ob defectum ſolemnitatum, vel poſtea irritetur, ac rumpatur, eò quia hæres inſtitutus mortuus eſt non adita hæreditate, vel quia illam repudiavit: hæc enim eſt ſententia communis recepta in utroque foro eccleſiaſtico, & ſæculari, ut notat Covarruvias *in c. Raynaldus 18. §. n. 11. cas. 4. h. t.*

10 Interdum tamen contingit, legata ita inſtitui, ut incerta ſint, tam quoad locum, quàm perſonam, adeout neque ex conjecturis, & circumſtantiis conjici poſſit, cuinam potius teſtator voluerit illud relinquere; & tunc ſi legatum ſit incertum, tam quoad rem legatam, quàm quoad legatarium, ut quando teſtator non exprimit quid leget, neque perſonam, cui legat, ratione legatarii regulariter non valet, ſeclusâ cauſâ piâ *tit. 20. inſtit. de legat. & l. ſi ita fuerit legatum poſt init. V. & verius ff. de reb. dub.* Ratio eſt: quia cauſa imperfecta non poteſt perducere ad eſſe ſuum effectum; & quia voluntas teſtatoris quoad tale legatum eſt imperfecta cum non determinet legatarium; vel ſaltem quoad determinationem non eſt voluntas expreſſa, non poteſt perducere ad eſſe ipſum legatum. Id etiam procedit, quando legatum eſt incertum quoad rem legatam, quia voluntas ſemper eſt imperfecta *l. Titia cum teſtamento init. ff. de legat. 2.* Et id verum eſt, quoad cauſas profanas: ſecus ſi legatum ſit ad cauſas pias, & teſtator dicat lego centum pro anima mea, aut lego tali Eccleſiæ pro anima mea, vel in honorem, & cultum Dei, aut alicujus peculiaris ſancti, tunc legatum eſt validum, licèt ſit à voluntate imperfecta: etenim legatum incertum quoad legatarium tunc ſubſiſtere, tradunt communiter doctores *in authent. ſimiliter ad leg. Falcidiam & l. 1. C. de SS. eccles.*

Rurſus etiam eſſe validum legatum incer- 11
tum quoad quantitatem ſi ſit ad piam cauſam docent Romanus *in d. authent. ſimiliter n. 91.* Bald. *in l. quidam in teſtament. ff. de legat. 2.* Jaſon *in l. ita ſtipulatus num. 13. ff. de V O.* & alii communiter: quia verò non poteſt tunc executioni mandari niſi in aliqua determinata materia, & quantitate, ideo arbitrio boni viri determinandum eſt, habitâ ratione qualitatis, & conditionis teſtatoris, facultatum ipſius, filiorum, & aliarum circumſtantiarum; adeo ut determinatio fiat juxta verisimilem mentem teſtatoris. Quòd ſi legatum ſit incertum non ſolùm quoad rem legatam, ſed etiam quoad legatarium, tunc etiam probabiliùs cenſerem, tale legatum eſſe ſuſtinendum, ut ſuum ſortiatur effectum: quia legatum in genere quoad cauſas pias valet, & pertinet ad executorem eo deſignato determinare ſpeciem, & ſi executor non ſit deſignatus, pertinet ad Epiſcopum ſpeciem determinare penſatis præfatis circumſtantiis *l. nulli init. C. de epiſc. & cler.* & cùm teſtator relinquat pro anima ſua, & cultum Dei legatum, tunc hoc non eſt omnino incertum, ſed eſt certum, & determinatum in genere, & tantùm indeterminatum in ſpecie: etenim ſi relinquat pro anima ſua remanet determinatum genus, ut nimirum quòd legatum debeat converti in ea opera, quæ animabus defunctorum prodeſſe poſſunt; pari pacto ſi relinquit centum in honorem, & cultum Dei, vel alicujus ſancti remanet determinatum genus, ut relictum convertatur in ea, quæ cedunt in cultum Dei, vel talis ſancti: ergo tale legatum cùm ſit determinatum in genere, perinde valet, ac legatum relictum pauperibus in genere *l. ſi quis ad declinandum C. de epiſc. & cler. & l. id quod pauperibus eod. tit. & c. cùm tibi 13. h. t.*

Tum quia ſi quis leget in opus pium, & di- 12
cat, ſe relinquere executori determinare ſpeciem talis operis, tunc valet legatum, & ceſſat incertitudo, quia teſtator cenſetur illud nominâſſe, quod ab executore eligitur *l. cùm quidam, & l. unum ex familia ff. de l. 2.* Gomez. *de ſucceſſ. c. 12. tit. de legat. num. 47. in fin.* Covarruvias *in c. cum tibi 13. h. t. n. 11.* ergo valet etiam legatum pium relictum in genere, tametſi non committatur expreſsè executori determinatio ſpeciei, quia tacitè talis determinatio cenſetur commiſſa, cùm diſpoſitio non poſſit executioni mandari ſine determinatione ſpeciei: quoties duo ſunt eſſentialiter, & inſeparabiliter unita, qui explicitè vult unum, tacitè vult etiam aliud, ſine quo primum non poſſet ſubſiſtere. Tum quia voluntas teſtatoris debet ſemper ita interpretari, ut ejus diſpoſitio non infringatur, ſed valeat *l. quoties, & l. ubi eſt verborum ambiguitas ff. de reb. dub.* Mantica *lib. 2. de conject. ult. volunt. tit. 15. num. 2.* Tum quia diſpoſitio teſtatoris non eſt incerta, quando de certo genere eligi debet aliquid incertum *l. unum §. cùm quidam ff. de reb. dub.* Caſtrenſis *in l. cùm quidam ff. de leg. 2.*

Neque

13 Neque obstat, si dicas, voluntatem testatoris circa legatum incertum quoad rem, & quoad legatarium simul esse imperfectam, cùm tantùm in confuso, & absque determinatione aliquid velit: & voluntatem imperfectam non esse voluntatem desumitur ex *l. cum Syllanianum C. de ii, quibus, ut indign. & l. si quis cùm Testamentum ff. de testam. & §. ex eo autem solo in fin. instit. quib. mod. testam. infir.* & notat Alciatus *in l. 2. num. 32. C. de bonor. possess.* cùm igitur non sit voluntas, non potest inducere ullam dispositionem. Nam contra est, quia tunc solùm voluntas imperfecta non est voluntas, quando est simpliciter, & absolutè imperfecta: non ita quando est perfecta quoad substantiam, & solùm imperfecta quoad aliquam determinationem: tunc enim sortitur suum effectum *l. unum. §. 1. ff. de reb. dub.* & id vel maximè verum est, quando indeterminatum tacitè comprehenditur in eo, quod determinatur, & exprimitur.

14 Hinc si testator instituat hæredem aliquem locum pium, quem voluerit Petrus, institutio valet, ut communiter docent doctores *in c. cùm tibi 13. h. t.* Tiraquell. *de privil. pia causa. privil. 64.* Julius Clarus §. *Testamentum q. 6. n. 5.* siquidem in tali institutione habetur duplex dispositio. Prima ut in hæreditate succedat locus pius: secunda, quòd electio loci pii fiat à commissario, seu ab illo, cui à testatore committitur: & quia prior voluntas est certa, ac determinata, debet tanquam propria testatoris sortiri suum effectum, ut habetur *in l. utrum §. 1. ff. de reb. dub.* Secunda dispositio dat commissario facultatem eligendi ex locis piis, quem voluerit, adeo ut licèt relinquat hæredem indeterminatum quoad speciem; illum tamen determinat quoad genus, quatenus determinat esse locum pium, licèt non determinet hunc, vel illum; hæc autem determinatio in genere sufficit, ut fiat delatio hæreditatis ex voluntate testatoris: siquidem voluntas ipsius principaliter operatur post mortem, & voluntas commissarii solùm cooperatur ut determinativa. Hinc quando substantia dispositionis habet determinationem à voluntate testatoris, & tantùm in alienam voluntatem transfertur electio, & executio, tunc dispositio testatoris subsistit per textum *l. unum §. 1. ff. de rebus dubiis.* Covarruvias *in c. cum tibi num. 11. de testam.* Beroius *consil. 23. n. 28.*

15 Quòd si dicas, institutionem hæredis esse actum ultimæ voluntatis; proinde esse actum proprium voluntatis testatoris, non verò esse actum alienæ voluntatis *l. 1. ff. de testam.* proinde non posse institutionem hæredis transferre in alienam voluntatem. Contra est, quia institutio hæredis tunc non committitur alienæ voluntati, sed tantùm ipsa electio, & executio: est enim testator, qui eligit hæredem causam piam, licèt relinquat commissario eligere hanc, vel illam. Hinc cùm dicitur, quòd institutio hæredis sit actus ultimæ voluntatis, proinde actus propriæ voluntatis testatoris, sufficit si sit actus originativè, & quoad substantiam, non verò quoad individuum: si enim quis leget centum florenos distribuendos pauperibus, non eligit in individuo hos, vel illos pauperes, sed id relinquit determinandum executori testamentario, & nihilominus tale legatum etiam quoad illa individua, quæ eligit executor, sortitur suum effectum, quia illa distributio individualis est originativè à testatore.

16 An verò legatum distribuendum pauperibus possit ab executore testamentario distribui Religiosis mendicantibus? Respondent communiter affirmativè, quia Religiosi mendicantes, cùm non habeant annuos proventus, & vivant ex eleemosynis comprehenduntur nomine pauperum: is siquidem est pauper, qui iis caret, quæ sibi necessaria sunt ad victum, & vestitum, & tales sunt Religiosi mendicantes, eo ipso, quòd vivunt de eleemosynis, & carent annuis reditibus; imò id etiam procedit licèt possideant aliquod bonum immobile insufficiens tamen ad eorum sustentationem. An verò legatum distribuendum pauperibus possit uni tantùm Monasterio totum dari, videtur dubium, quia tametsi in Monasterio sint plures Religiosi, & omnes pauperes, & per hoc salvetur voluntas testatoris, ut legatum distribuatur pauperibus; nihilominus, quia Religiosi non acquirunt sibi, sed Monasterio, ideo unam tantùm habent communem capacitatem, ratione unius Monasterii in ordine ad acquirendum; adeo ut omnes Religiosi, qui degunt in uno Monasterio, considerentur tanquam unica persona in ordine ad acquirendum. Cùm non sint capaces acquirendi ratione personarum, sed ratione Monasterii, quod est unum tantum; sequitur, quòd cum testator, velit distribui pauperibus suum legatum injungat plures distributiones in ordine ad plures capaces acquirendi, quod distribuitur. Nihilominus putârim, executorem posse distribuere Monasterio totum legatum, si Monasterium plures alat Religiosos verè pauperes: quòd enim Monasterium sit tantùm unum, & etiam capacitas acquirendi sit tantùm in Monasterio, adhuc tamen Monasterium continet plures pauperes alendos, & testator legavit talem pecuniam in ordine ad ipsos pauperes alendos, proinde tunc impletur voluntas testatoris.

17 Quinimò si testator commiserit Religioso alicujus Monasterii electionem pauperum, & simul distributionem legati posse hunc eligere proprium Monasterium, docent Mantica *lib. 8. de conject. ult. volunt. tit. 5. num. 7.* Rota in *Romana decis de Mattheis. 17. Decembris 1584. coram Bubalo* quod procedit etiam si testator Superiori Monasterii committeret talem distributionem: idque ratio etiam suadet, non enim ex eo, quod talis distributio legati commissa sit alicui de Monasterio, debent Monachi illius Monasterii fieri per hoc deterioris conditionis: & quia alius commissarius extraneus posset ipsis ut pauperibus tale legatum distribuere, ita etiam si executor sit superior, vel simplex Religiosus illius Monasterii, poterit eidem Monasterio habenti plures pauperes Religiosos alendos, totum legatum distribuere. Non tamen putârim id procedere, si testator legaret pecunias distribu-

ſtribuendas pauperibus diœceſis, vel alicujus ſpecialis loci, quia tunc juxta mentem teſtatoris eſſent pecuniæ legatæ diſtribuendæ ſolis pauperibus illius loci.

18 Sed oritur dubium, an ſi teſtator reliquerit alicui Monaſterio ſpeciale legatum, poſſit illud Monaſterium participare de alio legato ejusdem teſtatoris pauperibus diſtribuendo. Affirmant Anchar. *conſil. 84.* Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 19. in fin.* & nituntur eò quia Religioſi talis Monaſterii non obſtante ſpeciali legato ſibi relicto ab eodem teſtatore adhuc ſint pauperes, ac propterea poſſint eligi ut tales ad participandum de legato pauperibus relicto. Verùm non putârim huic ſententiæ adhærendum: quia tametſi Religioſi talis Monaſterii ſint pauperes; nihilominus teſtator jam alibnde iisdem ut pauperibus providit, cùm ſpeciale legatum illis reliquerit; & quia non ipſi ſoli ſunt pauperes, ſed etiam plures alii, ideo mens teſtatoris fuit, ut ſecundum legatum aliis diſtribueretur pauperibus, ut inde plurium indigentiis ſuccurreret.

19 Tum quia modus legandi diſcretivus manifeſtat, quòd per illam ſpecialem proviſionem teſtatoris circa Monaſterium, ipſum excludat à generali proviſione facta in favorem pauperum: eſt enim regula, quòd ſub generali diſpoſitione non comprehendantur ea, de quibus ſpecialiter proviſum eſt *l. cum in teſtamento §. fin. ff. de hæred. inſtit. & l. ſervo manumiſſ. ff. de pecul. legat. & l. cohæred. §. qui partem. ff. de vulg.* Corneus *conſil. 90. num. 6.* Seraphin. *deciſ. 476. num. 12.* ergo cùm teſtator in ordine ad legatum jam ſpecialiter providerit Monaſterio, non videtur hoc comprehendi ſub alio legato generali relicto pauperibus, proinde non poteſt de ipſo participare: niſi fortaſſis primum legatum non eſſet relictum monaſterio titulo paupertatis, ſed alio titulo, eò quia teſtator haberet in ipſo vel affinem, vel conſanguineum, vel etiam ex alio titulo præter illum paupertatis, quia tunc Monaſterium repræſentaret plures perſonas ſcilicet illam, cujus intuitu eſſet à teſtatore relictum legatum: & aliam perſonam pauperis, & quando quis repræſentat plures perſonas virtualiter eſt multiplex, & in favorabilibus computatur ut multiplex *l. ſi non ſubſcripſiſti C. de adminiſt. tutel. & l. 1. §. ſolet. ff. quando appelland. c. ex litteris de probat. c. poſtulâſti de conceſſ. præben.* Rebuffus *in concord. tit. de collat. §. ſi quis jure V. diſpoſitiones* Menochius *de recup. poſſeſſ. remed. 1. num. 34.* Chaſſaneus *in catal. glor. mund. p. 11. conſider. 12. in fin.* Hinc ſi legatum unum relinquatur pro fabrica Monaſterii, aut aliquem alium ſpecialem uſum Eccleſiæ, poſſunt Religioſi illi adhuc eligi ut pauperes ad participandum de legato relicto pro pauperibus, quia tunc Religioſi illius Monaſterii adhuc indigent iis, quæ ſunt ipſis neceſſaria pro ſuſtentatione.

20 An verò ſi teſtator leget centum florenos diſtribuendos pauperibus poſſit executor Teſtamentarius totam illam pecuniam dare uni tantùm pauperi, qui revera ſit extremè pauper, plures cenſent poſſe uni tantùm dari, Imola *in l. unum ex familia §. ſi duos. num. 16. V. poteſt dicere. ff. de legat.* Alexander *conſil. 109. num. 7. vol. 7.* & *in l. qui quæram §. 1. n. 3. ff. de leg.* Verùm communior, ac vera ſententia eſt, tale legatum eſſe diſtribuendum pluribus pauperibus, quia mens teſtatoris debet impleri eo modo, quo fuit à teſtatore expreſſa: & quia teſtator reliquit illos centum florenos diſtribuendos pauperibus in plurali, & non alicui pauperi etiam extremè indigenti; ideo mens teſtatoris non adimpleretur, ſi uni tantùm pauperi licèt extremè indigenti totum legatum daretur: eo enim ipſo, quòd in diſpoſitione teſtatoris ponitur numerus pluralis, non poteſt in uno ſingulari adimpleri *l. inter illa §. fin. C. de V. O. & l. fin. ff. ad Trebellian. & c. pluralis locutio de reg. juris in 6.*

An verò poſſet totum legatum, duobus tantùm pauperibus diſtribui, videtur eſſe major difficultas: quia tunc habetur numerus pluralis, proinde videtur adimpleri mens teſtatoris: nihilominus putârim eſſe tunc conſiderandam quantitatem legati, & indigentiam pauperum, ſi enim legatum ſit modicum, & non excedat ſummam 20. vel 30. florenorum; & pauperes illi duo ſint extremè pauperes, tunc putârim poſſe totum legatum illis duobus pauperibus diſtribui, quia numerus pluralis in illis duobus ſalvatur *l. ubi numerus ff. de teſtibus*: ſecus ſi legatum excederet ſummam notabilem centum florenorum, vel aureorum, & conſequenter etiam excederet congruam ſublevationem illorum duorum pauperum, tunc deberet legatum diſtribui aliis pluribus pauperibus, quia mens teſtatoris eſt ſublevare paupertatem indigentium: proinde tantum unicuique dari debet, quantum ſufficit ad congruam ſublevationem; non verò quod excedatur in ſublevatione unius, & priventur alii pauperes tali ſublevatione, quam poſſent habere ex illo exceſſu. Unde diſtributio potiùs eſt facienda infra congruam ſublevationem paupertatis, ut plures pauperes participent de tali legato, quàm ſupra congruam ſublevationem, ut pauciores pauperes ſubleuentur: ſiquidem finis teſtatoris eſt ſublevare indigentiam pauperum, & benefacere pluribus, quantum poteſt; & quamvis ſublevatio ſit minus congrua, quia pauperes minus inde accipiunt levaminis; ſit tamen compenſatio extenſivè, quatenus legatum extenditur ad plures numero pauperes: & major eſt pietas illa, quæ pluribus prodeſt. Non tamen debet legatum in tam exiguas portiones dividi, ut ſublevatio fere nulla evadat, quia mens teſtatoris eſt, ut pauperes ex ſuo legato notabile aliquod ſentiant levamen, alioquin non intenderet, eos ſublevare à paupertate, cum parva ſublevatio pro nulla habeatur *l. quamvis ff. de condit. & demonſtrat.*

21

Cæterum ſi eſſent nobiles, qui ſumma laborarent paupertate, poſſet executor Teſtamentarius iisdem majorem portionem dare, ut pauperibus, quàm aliis, qui non erubeſcunt mendicatò vivere: cùm enim legatum ſit diſtribuendum pauperibus in genere, & nobiles illi revera ſint pauperes, & fortaſſis magis indigeant

22

quàm qui non erubeſcunt mendicare, ideo majorem portionem poſſunt accipere de tali legato: ratio eſt, quia voluntas teſtatoris debet intelligi, ut verba naturaliter ſonant, ut notat Bartol. *in l. ſi arrogat. num. 27. ff. de adopt.* & cum teſtator legaverit pauperibus in genere, & nobiles illi revera ſint pauperes, ideo poteſt etiam ipſis diſtribui tale legatum: & quia magis indigent, eò quia erubeſcant mendicare; poteſt etiam ipſis major portio dari, & id maximè procedit, quando legatum eſt amplum, ut notant Angel. *in l. ſed & ſi ſuſceperit. §. ſi libertin. num. 3. ff. de judic.* Bald. *in l. ſi quis ad declinandam n. 3.* Rota *in Romana dotis de Matth. 17. Decembris 1584. coram Bubalo*, & alii, qui aſſerunt nomine pauperum venire non ſolùm mendicantes, ſed etiam ij, qui ſpectato ſtatu perſonæ non habent congruam ſuſtentationem, ut notant Tiraquel. *in l. maritum num. 6. ff ſolut. matrim.*

23 Quamobrem paupertas quando conſideratur in genere in ordine ad eligendos pauperes, quibus diſtribuendum ſit legatum, non debet conſiderari ſecundùm ſe præcisè, ſed habita ratione conditionis, & ſtatûs perſonarum, proinde poſſunt eligi nobiles indigentes, quia paupertas conſiſtit in eo, quòd quis non habeat neceſſaria pro congrua ſuſtentatione, ut tradunt Archidiaconus *in c. quo jure diſt. 8.* Caſtrens. *in l. quod pauperibus C. de epiſc. & cler.* unde paupertas æquè poteſt haberi in ſtatu mendicitatis, quàm in ſtatu nobilitatis; & cùm nobiles poſſint plus indigere, quàm mendici, poteſt etiam major portio iisdem diſtribui.

24 Eſt tamen difficultas, an legatum relictum pro viduis poſſit diſtribui nuptæ habenti virum infirmum. Negat Panormit. *in c. ne pro defectu num. 2. de elect.* eò quia ea tantùm mulier dicatur vidua, cujus maritus eſt mortuus: & quæ habet virum inutilem, propriè non eſt vidua, cùm ejus maritus vivat, & quia in diſpoſitionibus Teſtamentorum verba ſumi debent in ſenſu proprio, ut tradunt Menoch. *præſumpt. 76. num. 8. lib. 6.* Mantica *lib. 3. de conject. ult. volunt. tit. 4. num. 15.* & Rurſus legatum quantum fieri poteſt adimpleri debet in propria, & ſpecifica forma *clement. quia contingit. de relig. dom.* & Concil. Trident. *ſeſſ. 25. c. 8. de refor.* ideo legatum relictum pro viduis non poteſt diſtribui nuptæ habenti virum inutilem, quando adſunt veræ, ac propriæ viduæ. Nihilominus contraria ſententia videtur etiam probabilis, quia nomine viduæ in favorabilibus, & in ordine ad fruitionem privilegiorum, quæ ipſis conceduntur, venit etiam mulier habens virum inutilem, ut tradunt Barb. *in l. 1. p. 1. num. 47. ff. ſolut. matrim.* Tiraquel. *l. 6. connub. num 12.* Alexander *conſil. 104. num. 4. lib. 1.* & quia legatum inſtitutum pro viduis eſt favor, ideo ex vi ſuæ inſtitutionis comprehendit etiam fœminas habentes viros inutiles.

25 Nec obſtat, quod objicit Sanchez *lib. 4. conſil. c. 2. dub. 13. num. 2.* habentes viros inutiles gaudere quidem privilegiis, quæ concedit jus civile in favorem viduarum, ſi tamen non ſint in præjudicium tertii, nec alteri auferant jus quæſitum: & in præſenti nuptæ habentes viros inutiles auferrent jus quæſitum ad legatũ relictũ veris, & propriis viduis. Nam contra eſt, quia eo ipſo, quòd admittuntur ad participandum in privilegiis, & favoribus conceſſis viduis, adeo ut comprehendantur ſub nomine viduarum, acquirunt totum jus, ac ſi eſſent veræ ac propriæ viduæ, quia favores, privilegia, & commoda ex natura ſua extenduntur, proinde comprehendunt etiam nuptas habentes viros inutiles, quæ cùm ſint pares in jure cum veris viduis, nullum iſtis jus adimitur, ſi illæ admittantur ad participandum in iis, quæ pro viduis conceduntur, ſeu in legatis, quia hæc æquè pro veris viduis, quàm pro nuptis habentibus viros inhabiles relinquuntur.

Idque poteſt facilè etiam evinci ex cauſa fi- 26
nali: ſiquidem teſtator, qui inſtituit legatum pro viduis reſpicit ad ipſarum ſtatum, ut miſerabilem, eò quia non habeant maritos, à quibus poſſint ſublevari: quamobrem cauſa finalis relicti legati, ſeu diſpoſitionis teſtatoris eſt ſublevatio earum fœminarum, quæ deſtitutæ ſunt ope, & auxilio mariti: proinde ex vi cauſæ finalis diſpoſitio teſtatoris, ſe etiam extendit ad nuptas habentes viros inutiles, cùm & ipſæ deſtituantur ope, & auxilio mariti, qui ratione inutilitatis perinde ſe habet reſpectu nuptæ, ac ſi mortuus eſſet: ſiquidem inutile eſſe, & non eſſe, paria ſunt *l. quoties ff. qui ſatisdat. & §. ſciendum inſtit. de ſatisdat.*

Tum quia identitas rationis id operatur, ut 27
diſpoſitio ea omnia comprehendat, ad quæ ſe extendit eadem ratio *l. item veniunt. §. ait Senatus ff. de petit. hared. l. illud C. de SS. eccles.* & tradunt Tiraquel. *in l. ſi unquam V. libertis num. 45. & 46. C. de revoc. donat.* Gonzales *ad regul. 8. cancell. §. 7. præam. n. 105.* Et hæc ſententia mihi videtur perquàm probabilis, & ad primum fundamentum, quo nititur oppoſita, poſſet reſponderi, verba teſtatoris eſſe intelligenda in naturali, propria, & non in civili ſignificatione, quando civilis adverſaretur menti teſtatoris: non item quando ex cauſa finali colligitur, quòd ſignificatio civilis ſit juxta mentem teſtatoris: & in præſenti cauſa finalis teſtatoris per nomen viduæ comprehendit etiam nuptam habentem virum inutilem, hæc enim ſignificatio ex conjectura deducitur *ex l. Gallus §. & quid ſi tantum §. de lib. & poſth.* & tradit Mantica *lib. 3. de conject. ult. volunt. tit. 4. n. 15.* Cùm igitur cauſa finalis teſtatoris ſit ſublevare fœminas, quæ deſtituuntur ope mariti; & nupta habens virum inutilem etiam deſtituatur ope mariti, ſequitur, quòd mens teſtatoris etiam extendatur ad nuptas habentes viros inutiles, adeo ut verba teſtatoris ob cauſam finalem ſumi debeant etiam in civili ſignificatione. Tum quia non ſolùm cauſa finalis, verùm etiam alia levis conjectura ſufficit, ut quælibet verborum ſignificatio locum habeat *l. talem inſtitutionem in fin. ff. de hared. inſtit.* Ad ſecundum reſpondetur, legatum tunc impleri in propria, & ſpecifica forma, quando impletur ſecundùm præciſam diſpoſitionem teſtatoris, cujus intentio eſt, ſublevare fœminas deſtitutas ope mariti.

Eſt

28 Eſt tamen difficultas, an legatum ad piam cauſam extinguatur, ſi ceſſet paupertas, cujus intuitu legatum relinquitur. Reſpondet Lara *de aliment. §. ſi mater num. 27.* affirmativè: quia quoties cauſa eſt pietatis, etiam quæ fiunt per errorem, ſubſiſtunt; eò quia pietas faveat animæ, quæ rebus omnibus præferenda eſt *l. ſancimus. §. fin. C. de ſacroſanct. eccles.* Et hæc ſententia mihi videtur valde probabilis, eò quia legatum ſolùm ceſſet, ceſſante cauſa finali, non verò ceſſante ſola cauſa impulſiva *l. cùm tale §. falſam & l. demonſtratio §. quòd autem ff. de condit. & demonſtrat.* & tradit Mantica *lib. 6. de conject. ult. volunt. tit. 14. num. 14.* imò id eſt generale in omnibus, ut non ceſſent ceſſante ſola cauſa impulſiva, permanente finali *l. 2. § fin. ff. de donat. & l. 1. §. 6. ff. de poſt* ubi Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa limit. 1. num. 1.* & ratio eſt, quia cauſa finalis eſt, quæ principaliter movet, & regulat voluntatem; & in legato ad pias cauſas, cauſa finalis eſt utilitas teſtatoris, cùm omnia pietatis opera tendant ex natura ſua ad commodum animæ; & quamvis interveniat etiam commodum legatarii, nihilominus commodum teſtatoris prævalet, & eſt cauſa finalis, & commodum legatarii eſt cauſa impulſiva *l. Titio centum init. ff. de condit, & demonſt.* Tum quia in cauſa pietatis, ut in legato ad pias cauſas, finis teſtatoris eſt ſemper ſalus, & utilitas animæ propriæ, ut notavit Rota *decis. 23. num. 3 p. 1.* apud Farinacium.

29 An verò legatum relictum pro fabrica alicujus loci pii poſſit in alium meliorem uſum converti. Bordonus *tom. 2. conſil. regul. reſol. 55. num. 48. & ſequent.* reſpondet affirmativè, & fundatur in privilegiis Sixti IV. & Leonis X. Mihi tamen videtur abſolutè dicendum, legatum relictum pro aliquo determinato uſu, non poſſe converti in alium uſum etiam utiliorem intra genus piæ cauſæ, idque deſumitur ex *clem. quia contingit de relig. dom.* ubi dicitur: cùm ea quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium ad illum debeant, non ad alium (ſalva quidem ſedis apoſtolicæ authoritate) converti. Ratio id ſuadet, quia quoties agitur de adimplenda diſpoſitione alicujus, debet adimpleri in forma ſpecifica, adeo ut non poſſit impleri per æquipollens etiam melius, & utilius *c. cui de non ſacerdotali, de prabend. in 6.* Non enim poteſt fieri extenſio dictæ diſpoſitionis ad caſum non expreſſum. Tum quia legatum eò ipſo quòd ex mera teſtatoris libera voluntate determinatur ad certum uſum; ſi in alium convertatur, etiam meliorem, & utiliorem ſit ipſi injuria, eò quia ipſo invito contrectentur res ipſius aliter, ac diſpoſuerit: quia cùm potuerit ipſe in meliorem uſum deſtinare, & non deſtinaverit, præſumitur rationabiliter invitus, quòd convertatur legatum in alium uſum, in quem ipſe non deſtinavit.

30 Nec obeſt fundamentum Bordoni, quia ipſe nititur privilegiis conceſſis vivæ vocis oraculo; quæ privilegia nunc ſublata ſunt. Tum quia licèt non eſſent ſublata, adhuc hæc non valerent, quia ſunt in præjudicium teſtatoris: & injuriosum eſt, non ſervare voluntatem teſtatoris, etiam prætextu cauſæ magis piæ, ut tradunt Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 4. in fin.* Caſtrenſis *conſil. 259. in fin. vol. 1.* Decius *conſil. 11. num. 10. & ſequent.* Poteſt tamen legatum relictum pro dote puellæ, eidem dari; tametſi non nubat, ſed ingrediatur religionem, & fiat monialis, quia quod datur puellæ Monaſterium ingredienti, datur titulo dotis, quia Monaſterium illud accipit titulo dotis ipſius puellæ, ut notant Calderin. *conſil. 9.* Beroius *qu. 34. familiar. num. 8.* Tum quia ex communi uſu loquendi puella, quæ ingreditur Religionem eſt dotanda, proinde quod ipſa dat monaſterio dat loco dotis: unde cùm verba teſtatoris, verificentur in puella ingrediente Religionem, adhuc ejus diſpoſitio verificatur ob communem uſum loquendi, à quo non eſt recedendum *l. cum antiquitas circa fin. C. de uſufruct.* Romanus *conſil. 179. num. 5.* quamobrem ſtante communi uſu, quòd puellæ ingredientes religionem dicantur dotari, jam ex mente teſtatoris legatum dotis extenditur ad id, quod puella dat monaſterio pro ſuo ingreſſu.

Quòd ſi quæratur, an legatum relictum pro puellis, quæ debent nubere, poſſit tribui etiam viduis. Caſtrenſis *conſil. 308. num 3. vol. 1.* Lara *de annivers. lib. 1. c. 21. num. 88.* cenſent, poſſe viduas participare de tali legato. Verùm oppoſita ſententia eſt longè probabilior, eamque docent Tiraquel. *in l. boves. § hoc ſermone num. 111. & 113. ff de V. S.* ubi citat plures alios. Jaſon *in l. duobus § ſi ei qui n. 2. ff. de jurejur.* & huic ſententiæ adhærendum puto, quia nomine puellæ, intelligitur virgo, non verò quæ aliàs fuit nupta *l. cùm quedam puella. ff. de jurisdic. om. judic. c. puella 20. q. 2.* & notat Rota *decis. 188. num. 3. p. 2.* proinde tale legatum non debet dari pro dote viduæ, quia piæ diſpoſitiones in forma ſpecifica præfixa à teſtatore impleri debent ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. c. 8. de reformat.* Tum quia quando fit mentio de nuptiis intelligitur de primis nuptiis, proinde cùm teſtator reliquerit legatum pro nuptiis puellæ, debet intelligi de primis nuptiis, quia verba teſtatoris ſumenda ſunt in propria ſignificatione, & ſecundùm communem uſum.

31

32 Cæterum ſi in loco ubi dos eſſet diſtribuenda, tunc non adeſſent puellæ, quæ deberent nubere, poſſet dos diſtribui viduæ, quia ut ait Concilium Tridentinum *loc. cit.* quando non adſunt perſonæ illius ſpeciei, in quarum favorem facta eſt pia diſpoſitio, poteſt hæc in alium uſum pium proximum inſtitutioni converti, & pro loco, & tempore utiliorem: & eſt ei maximè proximus uſus pius tribuere viduæ dotem in defectum puellæ. Non tamen executor poteſt ex ſe id executioni mandare; ſed ſervanda eſt forma præſcripta à Concilio, nimirum quòd fiat ex conſenſu Epiſcopi, & cum duobus de Capitulo.

33 Poſſet quæri, an ſi optio daretur executori eligendi puellam, prout ipſi magis placuerit in ordine ad dandam illi dotem legatam à teſtatore pro nuptiis: ſi executor ſpe dotis puellam pelliceret, eamque ſtupraret, & poſtea ei promiſſam tribueret dotem, ſatisfaceret menti teſtatoris,

ſtatoris, & non teneretur alteri puellæ legatam dotem à teſtatore tribuere? Reſpondetur, quòd tametſi executor liberam habuerit eligendi poteſtatem, non tamen habuit poteſtatem, ut ea abuteretur *l. fideicommiſſa §. ſi fideicommiſſum V. quandoque ff. de leg. & l. Thaïs. §. ferrore. ff. de fideicommiſſ.* & tradunt Paris. *conſil. 45. n. 16. vol. 3.* Jaſon *in l. ſi fic. n. 4. ff. de leg.* & quando executor dotem tribuit puellæ, quàm ſpe dotis pellexit ad peccatum, fuit abuſus poteſtate ſibi conceſſa: quia teſtator legavit dotem puellæ pro ſalute animæ, & executor fuit uſus poteſtate ſibi facta in perniciem propriæ animæ, & in ſcandalum, ac ruinam ſpiritualem proximi. Tum quia puella eo ipſo quòd aſſentitur peccato, fit indigna beneficio teſtatoris, quia teſtator eatenus legavit dotem puellæ, quia ejus intentio fuit ſublevare paupertatem honeſtæ puellæ carentis dote: non verò ejus intentio potuit eſſe exhibere fomentum, & aperire occaſionem ad peccandum, unde cum puella ex hoc acceperit fomentum peccandi, fit indigna beneficio teſtatoris, & ut talis, non potuit eligi ab executore, ut docent Gloſſa *in l. cum quidam V. qui non offenderint. V. quid ſi aliquid ff. de leg. 2.* Bart. ibidem *num. 3. V. nam quando & n. 6.* & ibidem Caſtrenſis, Imola, & alii.

34 Hinc executor non ſolùm peccat ſi tribuat legatum dotis puellæ ſtupratæ, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem; adeo ut totum, quod dedit tali puellæ, teneatur alteri honeſtæ puellæ tradere: quia cùm abutatur poteſtate ſibi conceſſa, & illam extendat contra intentionem teſtatoris, contrectat rem teſtatoris invito domino, quia diſponit de re illa aliter, ac ipſi conceſſum ſit diſponere: imò cùm diſponat de tali legato contra mentem teſtatoris, lædit ejus jus, & ponit radicem, ex qua oritur obligatio reſarciendi per reſtitutionem jus læſum.

§. VII.

De Falcidia, & Trebellianica à legatis, & fideicommiſſis detrahenda.

1 CUm in lege duodecim tabullarum libera daretur legandi facultas, ac liceret totum patrimonium legatis erogare, viſum fuit hanc legandi licentiam coarctare, ut refert Imperator Juſtinianus *inſtit. h. t. princ.* idque ut ipſis teſtatoribus proviſum eſſet, cùm plerumque inteſtati decederent, recuſantibus ſcriptis hæredibus adire hæreditatem pro nullo, vel ſaltem minimo lucro: & quamvis *lex Furia* prohiberet uni legatario legare ſupra mille aureos: & *lex Voconia* prohiberet, ne plus legatario, quã hæredi, quis relinqueret: nihilominus neutra adhuc ſufficiens videbatur ad impediendum, ne teſtatores decederent inteſtati: quia eorum hæreditas ſubinde erat ita tenuis, ut per dictas leges *Furia*, & *Voconia* non ſatis proviſum eſſet hæredibus. Hinc lata poſtea fuit lex *Falcidia*, quâ cavetur, ne liceat plus legare, quàm Dodrantem omnium bonorum, adeo ut ſive unus hæres inſtitutus ſit, ſive plures; apud eum, vel eos ſaltem quarta pars hæreditatis remaneat: alioquin ſi ultra legatum fuerit, poteſt hæres, vel hæredes, ſi plures fuerint, quartam partem hæreditatis ex legatis detrahere, ſibique retinere: & per hanc legem proviſum eſt quærelæ hæredum recuſantium adire hæreditatem ob nullum, vel minimum lucrum, ut habetur *in princ. inſtit. de leg. Falcid.*

Hæc lex dicta eſt falcidia non à conſule 2
Falcidio, neque à falce, ut putârunt aliqui; ſed à Cajo Falcidio Tribuno plebis, adeo ut origine ſua fuerit plebiſcitum: & hac lege non de ſingulis hæredibus, ut fiebat per leges Furiam, & Voconiam, ſed de omnibus ac tota hæreditate ſancitum eſt, ut ita impoſterum temperarentur legata, ut quarta patrimonii pars hæredi conſervaretur, & ſi plus legatum fuerit, quarta pars detraheretur ab ipſis legatis, ſeu defalcaretur, quam hæres conſequeretur, non ſolùm per retentionem, verùm etiam per vindicationem. Non tamen hæc lex Falcidia locum habet in teſtamento militis *l. 12. C. de teſtam. milit.* ubi habetur *in teſtamento militis legem Falcidiam, & in legatis, ac fideicommiſſis ceſſare explorati juris eſt:* & ne horum ultima voluntas quoad legata deſtitueretur effectu, aliud remedium inventum eſt, ut repudiantibus hæredibus ſcriptis hæreditatem, à ſubſtitutis hæredibus, vel ab inteſtato ſuccedentibus legata præſtarentur. Rurſus neque lex Falcidia comprehendit legata privilegiata, cujusmodi ſunt, quæ fiunt cum perpetua inalienabilitate, ut deſumitur *ex authent. C. h. t.*

Sicut per legem Falcidiam cautum fuit, ne 3
plus legare liceret, quam dodrantem bonorum, ſeu tres partes omnium bonorum, ut hæredi quarta ſupereſſet: ita fideicommiſſis univerſalibus, quibus hæres directus ſæpe ita gravabatur, ut meritò ipſam hæreditatem reſpueret, ut iisdem temperamentum imponeretur, ne hæredes arcerentur ab adeunda hæreditate, duo facta ſunt ſenatusconſulta, ſcilicet Trebellianum, & Pegaſianum; quæ licèt à principio differrent, poſtea tamen in Trebellianum vis tota collata fuit: adeo ut ſicut priùs ex Pegaſiano quarta detrahebatur de hæreditate fideicommiſſaria; ita nunc detraheretur ex ſenatusconſulto Trebelliano, ut deſumitur *ex §. 7. inſtit. de fideicommiſſ. hared.*

Hinc ad exemplum legis Falcidiæ reſpectu 4
legatorum proviſum quoque fuit hæredibus per fideicommiſſum gravatis, adeo ut ſi quis gravatus eſſet totam reſtituere hæreditatem, poſſet quartam partem hæreditatis ſibi retinere, eamque deducere de fideicommiſſo ob eandem rationem, ne hæres abſterreretur ab hæreditate adeunda. Et moris nunc eſt, ut hæres jure ſuccedens ab inteſtato quartam Trebellianam deducere poſſit ex hæreditate *l. 3. C. ad Trebell.* Verùm tamen eſt, quòd hodierno jure hæres ſcriptus, qui ſuſpectam habet hæreditatem non poteſt eam repudiare, ſed compellitur eam adire, ac fideicommiſſum præſtare: ſiquidem à principio Pegaſianum hac ratione introductum fuit, ut primariò teſtatori, ſecundariò fideicommiſſario conſuleretur; ne ille inteſtatus decederet; hic verò fideicommiſſo deſtitueretur: poſtea utrique aliter proviſum fuit, nimirum

rum ut hæres fiduciarius, etiam invitus cogeretur hæreditatem adire, & illam fideicommiſſario reſtituere. Imò hæres fiduciarius debet in Trebellianicam computare fructus perceptos eo tempore, quod interceſſit inter mortem teſtatoris, & reſtitutionem fideicommiſſi *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.*

5 In computanda hac quarta parte per legem Falcidiam, ſpectanda eſt in primis quantitas hæreditatis, ſeu bonorum defuncti, ſecundò tempus mortis ejusdem, quia tunc hæreditas tantùm defertur hæredi tanquam domino, & ad illud tempus aditio retrahitur *l. omnis hæreditas 138. & l. omnia 193. ff. de R. J.* & tunc etiam acquiritur jus ad legata: quamobrem ſive poſt obitum teſtatoris aucta ſint bona illius hæreditate incerta nondum adita; ſive diminuta, id nec obeſt, nec prodeſt legatariis, ſed accreſcit, vel decreſcit hæredi, ejusque commodo, vel damno, ut deſumitur *ex §. quantitas autem inſtit. de l. Falcid. in l. in ratione* 30. *in princ. l. cum quo* 56. *in princ.* Sin verò hæreditas poſt obitum teſtatoris ita decreviſſet, ut hæres non poſſet quartam detrahere, tunc hæres adhuc integra legata præſtare debet, nec quidpiam deducere poteſt: quia tamen non aditâ hæreditate legata extinguuntur, nec debentur ab inteſtato, niſi ſpecialiter teſtator hoc voluerit *l. eam* 14. *C. de fideicommiſſ.* & legatarii non poſſunt compellere hæredem, ut adeat hæreditatem *l. eam quod* 14 §. *& generaliter ff. ad S. C. Trebell.* ideo adiguntur legatarii cum ipſo hærede de certa portione legatorum paciſci, ut ſaltem aliquam partem eorundem aſſequantur ut conſtat *ex d.* §. *quantitas autem.*

6 Juvat tamen obſervare, quòd antequam Falcidia detrahatur à legatis, deduci debet totum æs alienum, quo teſtator defunctus gravabatur §. *cum autem inſtit. de leg. Falcid.* Imò etiam quod ipſis hæredibus debetur tempore mortis *l. qui fundum* 87. §. *ſi quis ff. & in imponenda:* niſi fortaſſis expreſſè id teſtator prohibuerit *l. ſi debitor.* 12. *ff. eod.* ſiquidem legata ſolvenda ſunt ex bonis ipſius teſtatoris, non verò ex bonis alienis; & bona teſtatoris ea tantùm ſunt, quæ ſuperſunt deducto ære alieno, *l. ſubſignatum* 39. §. 1. *ff. de V. S.* Rurſus deducuntur etiam ſumptus pro funere, ut habetur *in* §. *cùm autem V. as alienum* imò etiam quod impenſum eſt in pharmacopea tempore infirmitatis, ſiquidem hæc debita, ut privilegiata, ſunt priùs ſolvenda *l.* 3. *C. de religios. & ſumpt. fun.*

7 An verò hæres poſſit ſolvere integrum legatum pium quando alia legata non poſſunt integrè ſolvi, non caret difficultate: ſiquidem cauſa pia tanquam privilegiata eſt præferenda, adeo ut magis favendum ſit piæ cauſæ, quàm filiis ejusdem teſtatoris *argum. l. poſtliminium* §. *filius ff. de capt. juncta l. veluti ff. de juſtit. jur.* & tradit Baldus *in c. in præſentia num.* 1. *in fin. de probat.* Hinc Teſtamentum ſolo nutu factum quamvis regulariter non valeat, etiam inter liberos, ut communiter docent doctores Mantica *lib.* 4. *de conject. ult. volunt. tit.* 4. *n.* 8. Felin. *in c. in præſentia num.* 77. nihilominus in favore piæ cauſæ ſuum ſortitur valorem, ut notat Gloſſa *in c. cum tibi de teſtam.* & Baldus *conſil.* 174. *vol.* 3.

8 Nihilominus dicendum eſt probabiliùs, non licere executori integrum legatum pium ſolvere, quando cætera legata integrè ſolvi non poſſunt; ſed debere etiam de legato pio detrahere debitam portionem pro rata, ſicut detrahitur à cæteris legatis, ut docent Tiraquel. *de privilegiis pia cauſa privileg.* 26. *num.* 9. Gomez. *tom.* 1. *variar. c.* 12. *num.* 34. quia jus legatariorum omnium oritur ex una, & eadem radice; ſcilicet ex ultima voluntate teſtatoris morte confirmata; hoc enim jus eſt æquale apud omnes quoad legata ſibi relicta, nec in uno eſt cum prælatione ad alios, cùm jus in ſingulis oriatur ex eadem voluntate teſtatoris: unde niſi prælatio inducatur, & exprimatur ab ipſo teſtatore, non poteſt quoad legata ab aliis induci: in diſtribuendis autem legatis attendi debet jus, quod habent legatarii, & non favor cauſæ piæ: ratio eſt, quia tunc non agitur de favorabilibus, ſed de iis, quæ ad juſtitiam pertinent, ut detur unicuique jus ſuum, prout cuique competit: proinde non poteſt legatum integrum ſolvi ad piam cauſam, ſi alia non poſſint integrè ſolvi: alioquin læderetur jus cæterorum.

9 Neque obſtat, quòd cauſa pia ſit favorabilis, & privilegiata, quia inde non ſequitur habere ordinem prælationis, quoad recipienda legata integra, quando cæteri non poſſunt integrè ſatisfieri: favor enim ita debet ſervari, ut aliis non fiat injuria *c. ex tenore de for. compet. & c. nuper de donat. inter vir. & uxor.* atqui in præſenti cæteri legatarii læderentur, ſi integrum legatum ſolveretur cauſæ piæ, eò quia ipſis diminueretur jus, quod habent in legata ſibi relicta. Hinc ſi hæres, vel executor integrè ſolvat loco pio, vel alteri legatum, quando omnia non poſſunt integrè ſolvi, & ſcienter id facit, peccat contra juſtitiam, & tam ipſe, quàm legatarius, qui plus accepit, tenetur ad reſtitutionem, ut docet Navarrus *in manual. c.* 17. *lib.* 51. *V. quinto loco.* Tabiena *V. reſtitutio q.* 25. *V. ſexto*, ſiquidem legatarius, qui integrum legatum accepit plus accepit, quàm ei deberetur, & quidem in præjudicium aliorum; hinc executor, vel hæres ſolvendo integrum legatum uni lædit jus aliorum contra juſtitiam.

10 Non ſolùm à legatis detrahi poteſt Falcidia, verùm etiam à donationibus cauſâ mortis *l.* 18. *C. ad l. Falcid.* ubi dicitur: ſi enim cum mortis cauſa donatio procedat, & hæc modum legis Falcidiæ excedat, hæres poſt aditionem repetit eam pecuniam, quæ ultra modum legis Falcidiæ corporaliter quidem data eſt, lege autem in patrimonio teſtatoris permanſit. Imò DD. hoc idem extendunt etiam ad donationem inter conjuges, & alias nonniſi morte confirmandas, idque ob paritatem rationis. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus in pœnam prohibetur falcidia detrahi. Primò, ſi hæres non conficiat inventarium tempore, & forma à jure præſcriptis. Secundò, quando poſt admonitionem à judice factam intra annum, teſtatoris voluntatem non eſt executus; quo dilapſo non ſo-

lùm amittit jus detrahendi falcidiam; ſed inſuper privari poteſt tota hæreditate ſalvâ legitimâ, ut habetur *in Novella* 1. *c.* 1. Tertiò quando hæres ſurripuit aliquid de bonis hæreditatis, ut habetur *in d. Novel.* 1.

11 An verò in hiſce caſibus teneatur hæres in conſcientia non detrahere falcidiam, etiamſi nemo contradicat, nec ſententia propterea feratur. Reſpondetur, hæredem adhuc poſſe Falcidiam detrahere; quia ante ſententiam judicis nemo tenetur in ſe pœnam lege promeritam exequi; præſertim ſi absque culpa aliquid hujusmodi committit; imò ſi absque culpa à judice condemnaretur, poſſet occulta compenſatione ſe indemnem ſervare; ut docent plures cum Molina *diſp.* 213. modus detrahendi Falcidiam habetur *in* §. *fin. inſt. h. t.* ubi dicitur: cum autem ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum; item funeris impenſa, & pretia ſervorum manumiſſorum; tunc demum in reliquo ita ratio habetur; ut ex ea quarta pars apud hæredem remaneat, tres verò partes inter legatarios diſtribuantur, pro rata (ſcilicet portione ejus, quod cuique eorum legatum fuerit) verùm omiſſum eſt, priùs etiam eſſe detrahendum quidquid hæredes in Teſtamento, & in conficiendo inventario inſumpſerunt; vel ratione hæreditatis quoquo modo neceſſario expenderunt: his detractis detrahuntur etiam legata privilegiata: poſtea ab eo quod reſiduum eſt detrahitur quarta pars pro hæredibus; & reliquæ tres partes diſtribuuntur inter legatarios.

12 Rurſus Falcidia, vel Trebellianica detrahitur unà cum legitima, adeout hæc non computetur in Falcidia; ſed filius poſſit ex hæreditate Patris utramque detrahere Falcidiam, & legitimam; idque deſumitur *ex cap. Raynutius* 16. *h. t.* ubi Innocentius III. ſecundùm jura civilia ab omnibus recepta reſcripſit, deberi adjectæ filiæ tam legitimam ſuam, quàm Trebellianam, & utramque ſimul, & ſemel eſſe deducendam ex hæreditate patris; hoc idem etiam expreſsè habetur *in c. Rainaldus* 18. *h. t.* ubi Gregorius IX. ait: Filius rogatus reſtituere hæreditatem in morte poteſt detrahere tertiam jure naturæ, & quartam Trebellianicam; & has poteſt relinquere legato, vel hæredi, & pœnas ponere. Hoc idem probatur etiam ex jure civili; quia jus detrahendi Trebellianicam eſt jus eam detrahendi ex bonis, quæ ſunt in hæreditate: & hoc jus alioquin competit absque ulla exceptione cuivis gravato reſtituere hæreditatem; adeout eam detrahat, ac retineat jure hæreditario: at qui legitima non continetur in bonis hæreditatis; nec filius eam accipit jure hæreditario, ſed jure proprio, ſeu ſibi jure naturæ debito: ergo Filius gravatus reſtituere hæreditatem detractâ priùs legitimâ ſibi jure naturæ debita, habet etiam jus detrahendi quartam Trebellianicam. Major eſt certa, & oſtenditur à pari de dote, quæ non computatur in hæreditate, quia debetur filiæ jure naturæ ratione alimentorum; proinde nec legitima, quæ computatur pro alimentis comprehendi debet in hæreditate *l.* 14. *ff. ad l. Falcid.* ubi Ulpianus expreſsè aſſerit *dotem in hereditate patris non inveniri.*

Rurſus legitima, ut unanimiter aſſerunt juriſtæ conſideratur in bonis paternis, ut æs alienum; proinde ut tale deducitur, non ut donum liberale defuncti: & ſicut quivis creditor antecedenter ad bonorum æſtimationem ex quibus deducenda eſt Trebellianica detrahit ſibi debitum; ita pari pacto detrahi poteſt legitima, cum ex juriſtis ſe habeat ut æs alienum in paterna hæreditate: unde ſi creditor eſſet hæres gravatus reſtituere hæreditatem, ante omnia deduceret ſibi debitum, & inſuper Trebellianicam; ita etiam filius, cui competit legitima ſi ſit hæres gravatus hæreditatem reſtituere, debet priùs deducere legitimam, poſtea Trebellianicam: detrahitur tamen legitima ſolutis priùs debitis ex contractu; & poſtea detrahitur Trebellianica ex diverſis titulis, ſcilicet titulo legitimæ detrahitur tertia; & titulo Trebellianicæ quarta. Dices, legitimam non minus haberi jure hæreditario, quàm Trebellianicam: ergo corruit Fundamentum noſtræ ſententiæ; quòd ideo legitima ultra Trebellianam detrahi poſſit, eò quia debeatur jure proprio, non jure hæreditatis, ſicut Trebelliana. Sed contra eſt, quia legitima eſt debita eodem jure, ac dos debetur filiæ; ſcilicet ob alimenta: ſed dos eſt debita jure proprio *l.* 14. *ff. ad Falcidiam* ibi *ſi Pater dotem conſentiente filia non petiſſet, Falcidiam quidem jure hereditario, dotem autem jure proprio filiam habituram reſpondi*: ergo ſi legitima eſt debita eodem jure ac dos, ſequitur eſſe debitam jure proprio. 13

Neque obſtat, quòd filius non accipiat legitimam niſi poſt mortem patris; quia licèt id verum ſit; nihilominus eam ſemper accipit ut ſibi debitam jure proprio, & naturæ, & quatenus eſt hæres neceſſarius; non verò illam accipit ex libero judicio defuncti. Hinc poteſt filius acceptâ legitimâ hæreditatem repudiare: idque tanè argumento eſt, filium non accipere legitimam, nec eſſe illi debitam jure hæreditatis; ſed jure proprio diſtincto. 14

Sunt tamen plures caſus, in quibus ceſſat detractio Falcidiæ, quos recenſet Gloſſa *in fin.* §. *alt. inſt. de l. Falcidia.* Primò ſi teſtator expreſsè prohibuit, ne Falcidia detraheretur, non ignarus modi, ſeu virium patrimonii ſui *auth. de hared. & Falcid. c.* 2. §. 1. *verò expreſſum col.* 1. quòd ſi dicas *in c. Rainaldus* 18. *in fin. h. t.* haberi; quòd contra voluntatem teſtatoris lex Falcidia inducatur, ac deduci poſſit. Contra eſt, quia *ex l. Titia* 86. *ff. ad l. Falcid.* liquet, deductionem Falcidiæ non ex voluntate teſtatoris, ſed potiùs contra illam ex legis diſpoſitione inductam eſſe, præſertim *in c. Rainaldus*, ubi voluit teſtator, ut res legatæ avunculis ſuis, ſine contradictione, ac diminutione integræ illis darentur, ut notat *Gloſſa fin. ibid.* proinde contra ejus voluntatem fuit, ut retineretur, ſeu detraheretur ex illis Falcidia; & nihilominus ex juris diſpoſitione deducenda fuiſſet, niſi teſtator expreſsè id prohibuiſſet. Idque habetur etiam *in authent. ſed cum teſtator C. ad l. Falcid.* ibi: *ſed cum teſtator id expreſſim vetuit, non ignarus quis modus ſit ſui patrimonii, ceſſat Falcidia, & ſi hæres in hoc defuncto non pareat, de-* 15

fertur

fertur hæreditas perſonis enumeratis ſub titulo de legatis, & fideicommiſſ. Et hiſce juribus correctum, & abrogatum eſt jus antiquum, quo non licebat prohibere detractionem Falcidiæ. An verò eodem modo poſſit prohiberi deductio Trebellianicæ à fideicommiſſo univerſali; ſicut detractio Falcidiæ à legatis, & fideicommiſſis ſingularibus; negant Fachineus *l. 5. c. 4.* Alciatus, Rittershuſius, & alii plures.

16 Sed probabilior ſententia eſt affirmativa; quia in jure ſub nomine Falcidiæ comprehenditur etiam Trebellianica, quæ cauſa eſt, ut nonnunquam hæc duo in jure confundantur, & accipiantur pro eodem: & Juſtinianus *in Novel. 1. c. 2.* per Falcidiam intellexit Trebellianicam. Secundò non poteſt deduci Falcidia de legatis ad cauſas pias *authent. ſimiliter c. de l. Falcid.* & licèt Fachineus *lib. 5. controv. c. 17.* nitatur pluribus textibus evincere poſſe Falcidiam detrahi etiam ex legatis ad pias cauſas; nihilominus communior ſententia, cui adhærendum eſt, id negat. Conſuetudo tamen plerisque in locis inolevit, ut ex legatis piis tunc deducatur Falcidia, quando ex aliis legatis integra quarta haberi non poteſt; proinde tamdiu manent ſub diminutione legata pia, quamdiu alia legata non fuerint exhauſta. Molina *tract. 2. diſp. 213. num. 10.* & plures alii excipiunt niſi cauſa, vel locus pius fuerit hæres inſtiturus; quia tunc hæredes cum ſint loca pia poſſunt detrahere Falcidiam: quia quoties duo circa eandem rem æquali gaudent privilegio, ceſſat privilegium, ac ſubintrat jus commune, quod tunc ſervari debet. Tertiò non detrahitur Falcidia, ſi hæres intra tempus, & juxta formam jure præſcriptam neglexerit inventarium conficere: quia tametſi legata vires excedant hæreditatis, illa hæres tenetur integrè ſolvere *auth. de hæredib. & Falcid. c. 2. §. hinc nobis.* Quartò ſi res ſit eo modo legata, ut alienari non poſſit: ſed perpetuò apud ſucceſſores illius, cui relicta eſt, permaneat; tunc nec Falcidiæ ſubjicitur *authent. ſed in ea c. eod.* Quintò ſi hæres monitus à judice, intra annum teſtatoris voluntatem executus non fuerit; eo dilapſo non ſolùm privatur jure detrahendi Falcidiam; verùm etiam tota poteſt hæreditate ſpoliari detractâ ſolâ legitimâ, quæ jure naturæ debetur hæredibus *authent. de hæredit. & Falcid. §. His igitur*, non tamen hoc jus amittitur niſi poſt ſententiam judicis; cum ſit pœna inflicta à lege, non incurritur niſi per ſententiam judicis; quia nemo ſibi pœnam infligit, nec ſe ipſum condemnat. Sextò ſi hæres negavit, vel occultavit, aut ſurripuit aliquid ex hæreditate, tunc in pœnam delicti prohibetur ex omnibus legatis Falcidiam detrahere *authent. de hæred. & Falcid. V. hinc nobis.*

17 Ex legatis piis portio canonica debita eſt Epiſcopo, ut habetur *in c. requiſiſti 15. h. t.* ubi Innocentius III. declarat quomodo portio canonica debita ſit Epiſcopo, & legata pia diſtribuenda. Aſſerit enim, Epiſcopo de relictis Eccleſiæ eſſe debitam tertiam, vel quartam portionem juxta diverſas locorum conſuetudines. Sed diſtinguendum eſt inter cathedralem, & alias Eccleſias: imò ſi agatur de cathedrali, adhuc diſtinguendum eſt: vel teſtator dicit: *relinquo iſtud Epiſcopo* & tunc ſi teſtator eſt extraneus præſumitur relinquere in uſum Eccleſiæ non perſonæ, unde cathedralis poteſt petere canonicam portionem, perinde ac Epiſcopus: ſi relinquatur Eccleſiæ, tunc ſi teſtator velit expreſsè, illud eſſe ſolius Epiſcopi, & non Eccleſiæ, id tunc ſervandum eſt; ſin verò dicat expreſsè velle illud eſſe Eccleſiæ, non Epiſcopi, non præjudicat Epiſcopo.

Quòd ſi Epiſcopo relinquatur à propinquo, 18
præſumitur eſſe relictum non intuitu Eccleſiæ, ſed ſolius perſonæ, & tunc nihil poteſt Eccleſia habere vivente Epiſcopo, niſi oppoſitum probetur, ſcilicet fuiſſe relictum intuitu Eccleſiæ. Vel teſtator dicit: *relinquo iſtud Eccleſiæ, & Epiſcopo ſimul*; & tunc inter ipſos facienda eſt canonica portio, ac diviſio rei relictæ utrique: Vel dicit *relinquo iſtud Eccleſiæ, & iſtud Epiſcopo*; & tunc redutenda ſunt ad canonicam diviſionem inter Epiſcopum, & cathedralem; niſi ambo velint eſſe contenti diſpoſitione facta à teſtatore; quod æquum eſſe videtur, cum nulla adſit ſuſpicio fraudis, nec aliquis nimis fraudetur canonica portione. Si loquatur de aliis Eccleſiis; vel legans relinquit aliquid Epiſcopo, & aliqua locis piis; & tunc quod relinquitur Epiſcopo eſt præcipuum ipſius cum Eccleſia cathedrali; & de legatis relictis aliis Eccleſiis Epiſcopus obtinet canonicam portionem. Quæ verò relinquuntur clericis, qui poſſunt habere proprium, & non habent Eccleſiæ prælationem, vel adminiſtrationem, ſive relicta ſint ab extraneo, ſive à propinquo, intelliguntur relicta ratione perſonæ; & de iis nec Epiſcopus, nec Eccleſia quidquam obtinet; niſi evincatur contrarium citra fraudis ſuſpicionem.

§. VIII.

De executoribus teſtamentariis, & alterius ultimæ voluntatis.

EXplicato jure diſponendi in ultima voluntate, ſeu teſtandi de rebus propriis, ſupereſt explicandum jus exequendi ultimam voluntatem defuncti & illi quibus tale officium demandatur dicuntur executores ultimarum voluntatum, adeout executores teſtamentarii ſint, qui deputantur ad exequendam ultimam teſtatoris voluntatem; & hujusmodi executores ſunt varii: ſiquidem alii ab ipſo teſtatore relinquuntur in teſtamento, & hi propriè dicuntur teſtamentarii Executores: alii dantur à jure, ſeu deſignantur à lege, & vocantur legitimi: alii conſtituuntur à Magiſtratu, & iſti vocari ſolent dativi. Si teſtator nullum in teſtamento executorem nominaverit, tunc executio teſtamenti, & cujusvis alterius ultimæ voluntatis pertinet ad hæredes teſtatoris defuncti, etiam quoad legata pia, ut deſumitur *ex c. ſi hæres 6. h. t.* ubi etiam additur, quòd ſi hæres non impleat intra annum voluntatem teſtatoris, debeat eidem ab Epiſcopo interdici hæreditas unà cum fructibus, & tantùm excipiuntur, quæ pro redemptione captivorum, vel pau-

pauperum alimentis relicta fuerunt; eò quia executio ad causas pias tunc ad Episcopum loci, vel originis, aut domicilii testatoris, ut ad patrem pauperum, & personarum miserabilium debeat spectare; si nullus alius executor sit designatus, ut desumitur ex *l. nulli* 28. & ibi Glossa *V. oritur C. de Episcop. & cleric.* Abbas *in c. nos quidem num.* 4. Covarruvias ibidem *num. 8.* servanda tamen quoad hoc erit loci consuetudo.

2 Cæterum testator potest unum, vel plures prout ipsi magis libuerit executores suæ ultimæ voluntatis in testamento nominare, ac constituere, sive hæredes sint, sive extranei, sive mares, sive fœminæ, ut desumitur *ex c. nos quidem* 3. *h. t.* Sin verò uxor fuerit à priori marito executrix constituta, non amittit jus exequendi, si transeat ad secundas nuptias, ut tradit Covarruvias *in c. tua 17. h. t. num. 3.* Minorennis etiam potest esse executor testamenti, dummodo 17. compleverit annos, eò qui hæc ætas sufficit, ut quis constituatur procurator ad negotia gerenda *c. quæ generaliter 5. §. fin. de procur. in 6.* Immo etiam clerici esse possunt executores testamentarii, & Episcopus potest eos compellere, ut voluntatem testatoris fideliter exequantur, tametsi testator reliquerit, executores non esse compellendos, ut desumitur *in c. tua 17. h. t.*

3 Imò possunt etiam plures constitui, quorum alii sint laici, alii clerici, dummodo executio tunc non repugnet statui clericali. Quòd si ex pluribus deputatis executoribus unus eorum decesserit, vel ob aliquod impedimentum non possit, vel etiam nolit exequi suum officium; tunc ne testatoris voluntas diu impediatur, possunt alii deputati liberè exequi suum officium, nisi testator aliud in testamento expresserit, vel vetuerit, ne unus sine altero ad executionem procedat, ut statuitur *in c. Religiosus 2. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd quando plures executores deputantur à testatore simpliciter, & unus vel moritur, vel est in remotis, vel non vult; alter potest liberè exequi Testamentum, nisi testator aliud expresserit. Sin verò impedimentum non sit diuturnum, vel executor absens non longè distet, tunc debet is vocari, & expectari; quòd si in termino præfixo non venerit, potest, qui præsens est, suo fungi executionis officio. Quòd si degeret in remotis, vel nollet exequi (quod tamen arbitrio boni viri determinandum est) tunc non debet vocari, sed alter qui est præsens, & expeditus, potest suum exequi officium, ut notat Glossa *in c. sanè V. in remotis:* siquidem interest Reipublicæ, ut voluntates defunctorum adimpleantur *l. vel negare 5. §. quemadmodum testam. aperi.* Quando verò unus ex deputatis executoribus vult defuncti voluntatem exequi, licet alii nolint, vel non possint, Episcopus non debet tunc se immiscere, nec substituere alios executores, ut tradit Farin. *in §. sanè n. 4.*

4 Transacto tamen anno à jure executoribus testamentariis concesso, communior sententia asserit, Episcopum fieri executorem, ut voluntas defuncti impleatur, non solùm ad legata pia, verùm etiam profana, ut ex Navarro, Tiraquello Boërio tradit Parreira *in tract. de manu regia p. 1. c. 16. num. 5.* ubi asserit, hunc casum esse mixtæ cognitionis, & in eo dari præventionem inter judicem Ecclesiasticum, & sæcularem: quia adimpletio voluntatis defuncti cedit in ipsius defuncti bonum, & ad Episcopum pertinet defunctorum bona curare, tametsi Testamentum non sit ad pias causas, ut pluribus juribus ostendit Panormit. *in d. c. fi hæres de testam. num. 3. & in relict. c. cùm esses de testam. num. 32.* Hinc pertinet etiam ad Episcopum, quando adversus executorem, aut hæredem laicum intentatur actio, efficere, ut ea via in defuncti bonum ipsius voluntas mandetur executioni, id enim pietati est magis consonum; & hoc procedit etiamsi in testamento adsint tantùm legata profana, & quando judex sæcularis non esset remissus in administranda justitia. Imò Episcopus potest exequi legata pia etiam contra laicum tertium possessorem; quia jura quæ præbent episcopo hanc facultatem, non se restringunt, ut tantùm contra hæredes procedere possit, sed absolutè, & indistinctè loquuntur, & ubi jura non distinguunt, nec nos debemus distinguere. Secundò pro executione legatorum, & ad eorundem executionem tres dantur actiones, quarum prima est personalis, secunda relicta, tertia hypothecaria ut liquet ex textu *in §. nostra autem* ubi Glossa, & doctores *instit. de legat.* proinde coram ipso Episcopo possunt hujusmodi actiones proponi, prout natura negotii patitur, quia si datur jus exequendi, debet etiam dari modus, & actio: quamobrem si agatur contra tertium possessorem non est locus actioni personali cùm tertius ille non sit hæres: unde erit locus rei vendicationi pro executione rerum legatarum: & hæc actio potest etiam intentari hæreditate non adita: siquidem non requiritur subjectum actionis personalis, sed tantùm dominium ex parte agentis, & possessio ex parte rei conventæ, ut desumitur *ex textu l. in rem ff. de rei vendicat. §. omnium autem.* Tertiò pro assecutione rerum legatarum, & acquirenda earundem possessione datur etiam aliud remedium, & est Salvianum interdictum, quo potest quis contra tertium possessorem intentari: quod si procedit de legatis profanis, à fortiori etiam de piis, proinde contra tertium possessorem Episcopus est legitimus executor piarum dispositionum; alioquin facilè eluderetur ejus officium intervertendo possessionem bonorum legatorum, vel testatoris in tertiam personam, ut rectè Ciarlinius *in controvers. forens. c. 28. num. 25.*

5 Cæterum datâ negligentiâ executoris non solum potest, sed etiam tenetur Episcopus Testamentum exequi, quia suppositâ executorum negligentiâ, executio devolvitur ad Episcopum, ut hic eorum defectum suppleat, ac præstet, ut ultimæ testatorum voluntates, quamprimùm adimpleantur: quòd si Episcopo nullum esset præceptum injunctum, non rectè negligentia suppleretur executorum, nec tam citò testatoris voluntas adimpleretur. Immo si Episcopus dilapso anno dato à jure executoribus ad exequendum, fuerit & ipse negligens in administranda justitia removendo executores ab

executiône,eósque privando emolumentis poteſt Metropolitanus talem executionem facere, quia pertinet ad Metropolitanum ſupplere negligentiam epiſcopi, cum quilibet de populo poſſit reclamare,ſi noverit defuncti voluntatem non impleri, ut notant Archidiac. & Butrius quos citat,& ſequitur Spinus *ſpec. teſtam. Glaſſa* 20. *num.* 42.

6 An verò poſſit teſtator prohibere, ne executio devolvatur ad Epiſcopum. Reſpondetur,poſſe teſtatorem in caſu negligentiæ executoris ſubſtituere alium executorem, & tunc impedit, ne executio devolvatur ad Epiſcopum, donec ſubſtitutus fuerit deprehenſus negligens, ut tradit Covarruvias *in c. tua de teſtam. num.6. & c. 3. de teſtam. num.* 2. & licet poſſit teſtator alium executorem ſubſtituere ad ſupplendam negligentiam primi, non tamen poteſt ſubſtituere tertium ad ſupplendam negligentiam ſecundi, ut docent Bald. Lopez. & alii. Putârim tamen probabiliùs,teſtatorem datâ executorum negligentiâ non poſſe impedire Epiſcopum, ut non ſe intromittat, curétque executionem teſtamenti; quia exigere ejuſmodi rationem eſt munus publicæ poteſtatis introductum in commune bonum Reipublicæ, & teſtator non poteſt impedire bonum commune.

7 Tum quia tale impedimentum anſam præberet peccandi. Verùm id procedit, ut executio teſtamenti devolvatur ad Epiſcopum ſuppoſitâ negligentiâ executorum, ſi teſtator de alio executore non providit, quia ſi providit ad hunc devolvitur executio non ad Epiſcopum, niſi ſecundus executor eſſet etiam & ipſe negligens. Quòd ſi Epiſcopus deceſſerit,executores poſſunt compelli à Capitulo, ſede vacante ad executionem teſtamenti, & ad reddendas rationes, ut tradit Covarruvias *in c. Joannes* 19. *n.* 2. *h. t.* & Barb. *de poteſt. Epiſcop tom.* 3. ut etiam Moneta *de commut. ult. volunt. c.* 5. *n.* 5.

8 Non ſolùm clerici, ſed etiam Religioſi clauſtrales poſſunt eſſe executores teſtamentorum, & cujusvis alterius ultimæ voluntatis ſive ad pias, ſive ad profanas cauſas, idque deſumitur *ex c. Religioſus* 2. *h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd Religioſus deputatus executor teſtamenti ab aliquo teſtatore,non poſſit tale munus ſuſcipere, niſi petitâ, & obtentâ licentiâ à ſuo ſuperiore,eò quia Religioſus non habeat proprium velle: ex quo liquet,Religioſos ex licentia ſuorum ſuperiorum poſſe eſſe executores teſtamentarios. Id etiam approbat ipſa conſuetudo,quæ tolerari poteſt, dummodo Religioſi inde non abſtrahantur à divino ſervitio,ut tradit Joannes, Andreas *in c. Joannes* 19. *num.* 18. *h. t.* Verùm id procedit ſolùm de Religioſis clauſtralibus, quia alii degentes extra clauſtra, & alicui beneficio perpetuo addicti,poſſunt ſine ſuperioris licentia fungi tali munere, eò quia non cenſeantur ſub Prælati obedientia, & habent proprium velle & nolle; ut ſunt Epiſcopi, vel alii Prælati Religioſi. Quòd ſi executor conſtituatur ſuperior alicujus Monaſterii,is poteſt absque Provincialis, vel Generalis licentia hoc munus obire, & exercere: ratio eſt, quia hujusmodi ſuperiores poſſunt uti omnibus facultatibus, quas ſuis poſſunt ſubditis concedere, niſi aliud peculiare ſit in aliqua religione ſtatutum, vel conſuetudine inductum, ut docet Molina *de juſtit. diſp.* 247. *n.* 9.

An verò irritum ſit, ac invalidum, quod 9
Religioſus executor teſtamenti, ſine licentia ſuperioris fecerit,affirmant Fagundez.*de tract. lib. 6. c.* 5. Vicadingus *de contract. diſp. 4. dub.* 13. §. 3. Carpius *de executione teſtament. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 22. quia quando conſenſus alterius requiritur ad aliquem actum eſt de illius ſolemnitate, & forma;adeout ſi omittatur, talis actus privetur ſua forma, ac ſit invalidus: conſenſus autem ſeu licentia ſuperioris requiritur ad actum executionis teſtamentariæ, quæ fit à Religioſo: ergo talis executio eſt nulla niſi acceſſerit conſenſus ſuperioris. Quòd verò actus ſit nullus, quando deeſt conſenſus alterius, qui alioquin requireretur,probat Tiraquel. *ex l. non dubium C. de legibus*; hæc autem lex ab Eccleſia fuit recepta, ut liquet ex Gregorio Magno, & refertur *in c. Imperiali* 15. *quæſt.* 2. & *c. que contra de reg. jur. in* 6. licèt hæc ſententia probabilis ſit, oppoſita tamen videtur etiam probabilis: quia textus aſſerentes Religioſos non habere velle, & nolle poſſunt explicari de velle, & nolle licitè,quin extendantur ad validè, unde licèt illa executio facta à Religioſo abſque conſenſu ſuperioris non ſit licita, poteſt nihilominus eſſe valida: ſiquidem plura prohibentur fieri, quæ poſtea facta tenent.

Tum quia Religioſus non exequitur tunc 10
voluntatem propriam, ſed teſtatoris, nec eſt executor nomine ſuo,ſed nomine defuncti, adeo ut voluntas executoris ſit potius applicatio ultimæ voluntatis teſtatoris, ut hæc moraliter perſeverans ſuos habeat effectus in omnibus particularibus ſalibus,ad quos teſtator direxit ſuam voluntatem, adeo ut voluntas executoris moraliter cenſeatur voluntas teſtatoris:proinde licèt Religioſus careat proprio velle, non inde ſequitur,quòd non poſſit validè ſine licentia ſui ſuperioris exequi teſtamentum: hanc ſententiam docent Sanchez, *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 11. *num.* 14. Diana *de executor. teſtament reſol.* 25. *num.* 2. Layman. *lib.* 3 *tract.* 5. *c.* 11. *n.* 5. Tum quia licèt *in c. Religioſus ult. h. t. in 6.* requiratur licentia ſuperioris; hæc tamen requiritur ex vi illius textûs, ut executio fiat licitè; non verò quòd ſemel facta ſit irrita,quia lex non procedit ad irritandum actum prohibitum. hinc officium Procuratoris ſine licentia ſuperioris validè ſuſcipitur per textum *in c. Monachi* 16. *q.* 1. & *clement. Religioſus & prorsus* non enim omnes actus, qui prohibentur, ne fiant, invalidantur, ſi facti fuerint. Sanchez. tamen *loc. cit.* id limitat, quando ſuperior non contradicit tali executioni, quia ſimplex prohibitio non ſufficit ad irritandum, ſicut nec ſimplex prohibitio juris id efficit. Secundò,ſi in judicio opponatur Monacho exceptio defectûs poteſtatis ad exequendum, eò quia ſuperioris licentia careat. Verùm alii non putant neceſſarias has limitationes, & dicunt ſufficere, ſi Religioſus quoad valorem actûs exequatur voluntatem teſtatoris: ſed ſententia Sanchez eſt tutior, ac verior.

11 Sunt tamen qui putant, non esse necessariam specialem licentiam superioris, ut Religiosus ex voluntate testatoris existat commissarius ad condendum Testamentum eo pacto, quo permittitur per commissariũ condi; eò quia in jure non fiat expressa mentio hujus prohibitionis: & addunt tacitam prohibitionem non posse colligi ex prohibitione officii executoris, eò quia leges prohibitivæ cùm sint odiosæ non debent extendi ad casum diversum: & condere Testamentum est longè diversum ab executione testamenti jam conditi: siquidem per illud tantùm exprimitur voluntas testatoris, & per executionem eadem voluntas jam expressa mandatur executioni. Et hæc sententia mihi videtur perquam probabilis: quia ratio ob quam executio prohibetur non procedit in commissario ad condendum Testamentum; ea enim fuit, ne Religiosus pecunias contrectaret, & ne litigia ad se traheret in bonorum distributione, & ne se obligaret judicio stare ad reddendam executionis rationem: hæc autem in condendo testamento non procedunt, unde non est eadem ratio prohibitionis, proinde cum nec expressè, nec tacitè prohibitum sit, Religiosum esse commissarium ad condendum Testamentum, non videtur necessaria ad id superioris licentia, licèt hæc requiratur, ut Religiosus sit executor testamentarius. An verò hæc specialis licentia requiratur, ut Religiosus eligat executores testamentarios, licèt affirmet Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 11. num. 41.* ea innixus ratione, quia Religiosus non habeat proprium velle, aut nolle: nihilominus opposita sententia est communior, quia hæc electio executorum ex nullo textu probatur Religioso prohibita, proinde quoad electionem non videtur necessaria superioris licentia, sicut requiritur, ut sit executor, quia electio executoris est tantùm pars complens dispositionem testamenti; non verò est pars ipsius executionis testamenti jam dispositi, & *in c. Religiosus ult. h. t. in 6.* solùm prohibetur Religiosis executio testamenti jam dispositi, non verò ejus constitutio, quæ non est pars executionis.

12 Fratribus minoribus de observantia omnino prohibitum est, esse executores Testamentorum, ut etiam Capucinis; adeo ut neque Guardiani, nec alii superiores talium ordinum possint dispensare, & dare licentiam, ut habetur statutum in *clement. exivi §. proinde vir sanctus de V. S.* ubi tamen additur, quòd in exequendis testamentis Consilium dare eorum statui non obsistat, cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur. Tametsi fratres minores, & Capucini non possint esse executores ultimarum voluntatum: nihilominus electio pauperum, in quos eleemosyna ab executore distribuenda sit, potest ipsis à testatore committi; quia hæc personarum electio est potius facti, quàm juris, ut liquet ex *l. cum pater. §. hæreditatem ff. de legat.* proinde potest per eum fieri, qui hujus muneris non est capax, quia tunc non gerit vices hæredis.

Præterea quia in tali electione cessant causæ finales, ob quas fratres minores non possunt esse executores testamentarii: siquidem cessant rationes litigii, aut contrectationis, seu administrationes pecuniarum, ob quas Clemens V. *in præfata sua constit. exivi* declaravit, Minoribus ultimarum voluntatum executionem inhibitam esse. Demum quia electio pauperum est pia, & consona Religioso statui, nec mentem terrenis implicat, & potest brevissimo tempore fieri. Non tamen hæc electio pauperum fieri potest à fratribus minoribus sine licentia superioris, quia tametsi non sit propria executio testamenti, nihilominus pertinet saltem inchoativè ad ipsam executionem, cujus fratres minores non sunt capaces.

Quoad alios executores testamentarios li- 14
cèt ipsis à testatore sit munus executoris demandatum, non cogi possunt illud suscipere: sed postquam munus executoris acceptârunt, adigi possunt, implere jussa defuncti, ut habetur *in c. Joannes 19. h. t.* ubi dicitur, quòd executores testamentarii postquam acceptârunt, debent cogi ab Episcopo, ut Testamentum exequantur, si sint negligentes. Tum quia etiam non suscipere mandatum, cuilibet liberum est, & nihilominus semel susceptum impleri debet, ut dicitur *in §. mandatum instit. de mandat.* Immo non requiritur expressa acceptatio, sed sufficit tacita, quæ colligi potest ex facto aliquo, ut si executor actum aliquem executionis exerceat, vel si litteras acceptet, in quibus officium executoris ipsi demandatur, & non contradicat *arg. clem. 1. de Procurat.* ut docet Bartol. *in l. Titius 24. ff. de constit.* Secus si quis tantùm sit præsens, & sciat se executorem constitutum esse testamenti & taceat, tunc enim non censetur acceptâsse, nisi sit propinquus, vel amicus testatoris, ut notat Covarruvias *in d. c. Joannes num. 3. & 4. h. t.* Episcopus tamen potest clericum sibi subditum, si necessitas, vel charitas urserit compellere ad acceptandum, & exercendum munus executoris, saltem ut delegatum, & commissarium suum *argum. c. pastoralis 28. de offic. de leg. & l. unic. C. qui pro sua jurisdic.*

An verò executor possit munus executoris 15
per alium exercere, probabiliùs est, non posse delegari alteri, neque impleri per alium, quia regulariter censetur electa industria personæ, nisi fortassis executio facienda esset certo tempore, & loco, quia tunc posset fortassis alius delegari. Ex eo autem quòd hoc officium committatur personæ ratione industriæ, non transit ad hæredes, quia eadem industria non est in hærede. Sin verò officium executoris committatur habenti dignitatem, tunc transit in successorem in eadem dignitate, quia committitur dignitati: secus si ratione personæ, quia quando committitur ratione dignitatis afficit dignitatem, quæ cùm sit eadem in successore licèt varietur persona, transit in successorem ratione dignitatis.

Ad cognoscendum verò, an commissio fiat 16
nomine dignitatis, vel personæ inspiciendum est, an in commissione adjiciatur nomen proprium, sive solùm, sive cum dignitate, ut si Petrus dicat nomino meum executorem Testamentarium

ſium Franciſcum Epiſcopum Auguſtanum; tunc commiſſio cenſenda eſt nomine perſonæ: ſecus ſi tantùm apponatur nomen dignitatis, & Petrus dicat, nomino Epiſcopum Auguſtanum executorem mei teſtamenti, tunc commiſſio eſt ratione dignitatis, niſi fuerit ſanguine conjunctus; quia tunc licèt nomen perſonæ non fuerit expreſſum, videtur tamen executor electus ratione conſanguinitatis, proinde ratione perſonæ, non dignitatis.

17 Cæterum ſi executor teſtamenti fuerit tantùm à teſtatore nominatus, non poteſt compelli ad acceptandum tale officium, quia per ſolam nominationem teſtatoris non cenſetur expreſsè, nec tacitè acceptâſſe munus executoris, proinde nominatus, non tenetur acceptare, nec peccat renuntiando tali muneri, alioquin hoc officium non eſſet voluntarium. Quando verò executores nominati à teſtatore nolunt tale officium acceptare, tunc ipſe Epiſcopus eſt executor, ut notat Anchar. *in c. Religioſus de teſtam. in 6. n. 2.* Si nominatus à teſtatore acceptet munus executoris, tenetur illud obire. Si teſtator tempus determinavit, in quo ejus voluntas debeat executioni mandari, tunc intra id tempus ab ipſo teſtatore præfixum implenda eſt executio, ſi fieri poſſit; imò poteſt etiam priùs executioni mandari, quia hujusmodi præventio non cenſetur contraria voluntati teſtatoris *argum. l. poſt mortem 12. ff. de fideicommiſſ.* Currit autem hoc tempus à die ſcientiæ, & aditæ hæreditatis *l. 13. §. ſi quis hæredi ff. de ſtatu liber.*

18 Sin verò à teſtatore non fuit tempus executionis præſcriptum; tunc ſi hæres, vel alius executor poſt præviam monitionem ſaltem unam à judice ſive eccleſiaſtico, ſive ſæculari factam, ut teſtatoris impleat voluntatem, ſi illam non exequitur intra annum, hoc dilapſo poteſtas exequendi, præſertim circa legata pia devolvitur ad Epiſcopum, ut expreſsè ſtatuitur *in c. nos quidem 3. h. t.* ubi Gregorius I. ſtatuit, ut ſi legata pia differantur impleri per hæredem elapſo anno Epiſcopus ipſe poſſit loco hæredis exequi. Non tamen doctores conveniunt, an ſufficiat opus inchoatum intra annum ad hoc, ut executio devolvatur ad Epiſcopum, tametſi operis perfectio non diu poſtea differatur, Abbas *in d. c. nos quidem num. 9.* aſſerit etiam opere inchoato executionem devolvi ad Epiſcopum. Alii verò inter quos Fagnanus *in d. c. nos quidem num. 7.* aſſerunt, ſi opus inchoatum intra annum ſit brevi abſolvendum, poſſe executorem illud perficere, & complere.

19 Tenentur autem executores mentem teſtatoris ad amuſſim exequi, proinde debent etiam inſtrui mediis ad ſuum officium neceſſariis. Si meri executores ſunt, contra reſiſtentes, ſive hæredes, ſive alios, poſſunt implorare officium judicis: ſin verò ſint executores commiſſarii, vel cum plena facultate, tunc poſſunt etiam intentare actionem in judicio: tenentur etiam initio facere inventarium: quia verò hæredi plerumque accidit valde durum, aperire ſtatum ſuorum bonorum, cùm plerumque non expediat, ut manifeſtetur; tunc ſufficit, ſi ille caveat executoribus de præſtandis legatis juxta voluntatem teſtatoris, ſéque exhibeat paratum abſoluto officio rationem reddere ſuæ diſtributionis. Secus ſi executores ſint univerſales, & quaſi vicem gerant hæredis in ordine ad diſtribuenda omnia juxta mentem defuncti; tunc debent facere neceſſariò inventarium, non tamen coram judice, ſed coram tabellione, & teſtibus. Teſtator tamen poteſt ipſis remittere confectionem inventarii *l. ult. C. de arbit. tut.*

An verò executores, ut exequantur opera 20
in teſtamento præſcripta poſſint bona teſtatoris vendere; circa hoc procedunt doctores cum diſtinctione, præſertim Carpius *de execut. teſtam. lib. 3. c. 3.* ubi fusè hanc rem diſcutit: ait enim executorem, ſeu commiſſarium poſſe eſſe univerſalem, vel particularem, illum dici quando nullo dato hærede in teſtamento pauperes, vel anima inſtituuntur (commiſſariis conſtitutis) vel eis teſtatio, ſeu diſtributio univerſalis injungitur. Particularem verò dici, quando conſtituto hærede executio alicujus rei eidem demandatur, primò habetur *in l. nulli ſi quis ad declinandam C. de epiſc. & cleric.* Secundum *l. alio hærede ff. de aliment.* Si igitur commiſſarius ſit univerſalis poteſt res hæreditarias vendere ad perficiendam teſtatoris voluntatem: ſin verò ſit particularis executor non poteſt vendere, niſi facultas ei à teſtatore ſit conceſſa. Rurſus commiſſarius, cui à teſtatore conceditur plena, & libera facultas vendendi, poteſt apprehendere rem, ſeu res hæreditarias ad exequendam teſtatoris voluntatem (etiam reluctante hærede) & dominium ac poſſeſſionem in emptorem conferre, etiam de jure communi poſt aditam hæreditatem. Secus executor, ſeu commiſſarius particularis, vel univerſalis cum facultate vendendi, non poteſt ipſe res hæreditarias directè, nec indirectè emere: poteſt tamen jure ſanguinis retrahere rem ſui patrimonii.

Cæterum ex venditione rerum hæreditariarum in ordine ad exequendas cauſas pias à defuncto relictas, executor, ſeu commiſſarius non tenetur ſolvere gabellam, quando illud quod hujus juris nomine teſtaretur eſſet detrahendum ex cauſis piis: ſecus in eventu, quo certa quantitas relinquitur expendenda, vel diſtribuenda pro pia cauſa, remanentibus aliis bonis hæreditariis commodo hæredis, ex quibus ſolvi poſſet: quòd ſi executor, ſeu commiſſarius aliquas fecerit expenſas in exigendis rebus, vel quovis alio modo ad exequendam defuncti diſpoſitionem, poteſt illas petere ex bonis hæreditariis. 21

Tenetur tamen executor, vel commiſſarius 22
etiam cum facultate vendendi, res diſtrahere ſubhaſtatione, & tenetur procedere hoc ordine, ut priùs vendantur bona mobilia, poſtea immobilia, deinde jura, & actiones. Rurſus executor, ſeu commiſſarius particularis, vel univerſalis periculum non ſuſtinet evictionis ex venditione ab eo facta. Venditio tamen bonorum teſtatoris quieſcit, ſi hæres nummos offerat commiſſario ad exequendum Teſtamentum, ut fusè oſtendit Carpius *lor. cit. n. 3.*

Quòd ſi hæres ultimam voluntatem defuncti poſt judicis admonitionem intra annum implere

plere negligat, amittit totam hæreditatem, adeo ut nil commodi ex rebus à defuncto sibi relictis percipere possit, ut habetur *in authent. hoc amplius C. de fideicommiss. junct. authent. de haered. & Falcid. §. si quis autem in princ. c. 1. collat. 1.* & sufficit si præcesserit una tantùm monitio: sin verò in continenti privetur, tunc bina monitio requiritur. Desumitur etiam *ex l. si hares. 6. h. t.* ubi statuitur, quòd hæredi non implenti intra annum voluntatem testatoris interdicatur ab Episcopo hæreditas cum fructibus. Ratio hujus pœnæ privationis assignatur *in l. si patroni 55. §. sed nec illud ff. ad S. C. Trebel.* ubi dicitur, cur enim non videatur indignus, ut qui destruit supremas defuncti preces, consequatur quid ex voluntate? Excipiuntur tamen ab hac pœna privationis totius hæreditatis hæredes necessarii, scilicet filii descendentes, & ascendentes: hi enim ob negligentiam non privantur sua portione legitima, quia hæc illis non ex voluntate testatoris, sed juris dispositione convenit, imò ex quasi natura est debita *authent. hoc amplius C. de fideicommiss.* Abbas *in d. c. si hares. 6. n. ult. h. t.* Nisi tamen hæreditas sit indivisibilis ut Regnum, vel Ducatus, tunc enim hæres privatur Regno, vel Ducatu, ut habetur *in c. licet 6. de voto* ubi filius Regis Hungariæ fuit Regno spoliatus, eò quia patris defuncti voluntatem non impleverit: nimirum quia Regnum non potest dividi, proinde nec legitima ex eo detrahi.

24 Hæres igitur post aditam hæreditatem cùm primum potest, & cessante legitimo impedimento sine mora debet legata solvere, & alia testatoris jussa exequi, & ad hoc tam ipse, quàm executores cogi à judice possunt, ut desumitur ex *l. cùm vos 47. in princ. ff. de legat.* Quòd si hæres cessante legitimo impedimento negligat exequi, & solvere legata pia intra sex menses computandos à die insinuationis testamenti, debet in pœnam legata restituere cum omnibus fructibus, omnique augmento, & emolumento, quod à tempore mortis testatoris ex iis percipere potuit *auth. de eccles. tit. §. si autem hæres vers. si autem legatum t. 12.*

25 Imò non solùm hæres, sed etiam quilibet alius executor, si voluntatem, & jussa defuncti negligat adimplere, quando honestè possunt adimpleri, præfatam incurrit pœnam: siquidem & ipse privatur omnibus commodis in testamento ei relictis, imò & etiam munere executoris, ut tradit Covarruvias *in d. c. si hares 6. num. 6. h. t.* non enim æquum videtur, ut is ex liberali voluntate testatoris aliquid commodi consequatur, qui ejusdem voluntati opponitur, & detrectat exequi, quod ipse mandavit. Verùm quia hæc lex est pœnalis, talis privatio, seu pœna non incurritur ante sententiam condemnatoriam, est enim id commune in omnibus pœnis, quæ injunguntur à lege.

26 Quando verò hæres, vel executor ob negligentiam privatur emolumentis, quæ perciperet ex hæreditate; tunc hujusmodi emolumenta applicantur ad causam piam, & Episcopus succedit *in executione*: & facultatem habet vindicandi omne lucrum, seu commoda, quæ hæredi, vel executori relicta erant, & quibus ob negligentiam privatur, ita tamen ut ad pias causas eadem emolumenta applicet, ut habetur *in d. auth. de eccles. tit. §. si quis autem pro redemptione vers. si autem qui hoc facere*, & docet Molina *de justit. disp. 252. num. 4.* Quòd si dispositio testatoris non sit facta ad causas pias, sed profanas, tunc succedit in executione judex sæcularis loci, nisi ab Episcopo præventus fuerit: & commoda relicta priori executori deferuntur aliis cohæredibus, vel collegatariis, vel etiam hæredibus ab intestato venientibus, & deinceps aliis secundùm ordinem præscriptum.

Oritur tamen dubium, an legatarius possit 27
clam capere rem sibi legatam, si prævideat quòd non sit illam consecuturus ex aliquo defectu testamenti. Plures in ea sunt sententia ut censeant, quòd possit, ita tradunt Baldus *in l. 1. C. de testam. milit.* Sylvester *V. legatum 4. num. 10.* Medina *c. de reb. restit. q. 23.* & alii, qui dicunt, id procedere, quando legatarius est certus de voluntate defuncti. Ratio, quâ nituntur, est, quia eatenus requiritur solemnitas, quia præsumitur necessaria ad fraudes vitandas, & ad certificandam voluntatem testatoris: sin autem aliunde constet de voluntate testatoris, debet hæc sortiri suum effectum, & legatarius potest tanquam sibi debitam in foro conscientiæ rem legatam clam accipere. Nihilominus si solemnitatis defectus sit non solùm secundùm jus civile, verùm etiam secundùm jus canonicum, putârim probabiliùs non posse legatarium clam suscipere rem sibi legatam, ut tradit Covarruvias *in c. cùm esses num. 10. V. septimo de testa.* Ratio est, quia eatenus posset clam rem illam capere, quatenus res legata fieret sibi debita, & oriretur in hæredibus naturalis obligatio: sed non fit debita, nec nascitur talis obligatio: siquidem voluntas testatoris, ut efficax sit tanquam ultima voluntas, debet habere assistentiam testium sufficientium; ita ut tunc solùm habeat vim disponendi, quando apud testes declaratur, adeo ut hæc declaratio requiratur, ut forma, à qua recipiat suam efficaciam *l. hac consultissima C. de testam. c. cùm esses de testam.* quamobrem deficiente hac solemnitate testium voluntas testatoris, ut informis non sortitur suam efficaciam, nec potest in hærede parere ullam obligationem, nec rem legatam facere debitam legatario. Sin verò defectus non sit secundùm utrumque jus, sed tantùm secundùm jus civile, adeo ut adsit solemnitas requisita à jure canonico, tunc putârim cum prima sententia, posse legatarium clam capere rem sibi legatam, quia stante dicta solemnitate duorum testium cum Parochi præsentia (& est solemnitas requisita in jure canonico) testamenta suum sortiuntur valorem, & sunt servanda *c. cùm esses de testam.* præsertim si sint dispositia in ordine ad pias causas: si enim ultima voluntas sic declarata servari debet, jam non est informis, sed habet suam formam, ratione cujus saltem in foro conscientiæ, ubi jus civile quoad hoc non servatur, est efficax, & valida.

Superest examinandum dubium, an execu- 28
tores testamentarii possint altimas defuncto-

rum

rum voluntates commutare. Et reſpondetur, quòd propria authoritate non poſſint à juſta, & licita teſtatoris voluntate diſcedere, nec eam in aliud opus, quamvis melius commutare, idque deſumitur *ex c. conqueſtus 16. de for. compet.* ubi dicitur, eſſe valdè iniquum, ea, quæ collata ſunt, pro remedio peccatorum venerabilibus eccleſiis, vel relicta, aut eis juſtis aliis modis acquiſita, aliis uſibus applicari. Deſumitur etiam *ex c. nos quidem 3. h. t.* ubi Pontifex ſtatuit, quòd ſi legata pia differantur adimpleri per hæredem elapſo anno Epiſcopus ea exequatur loco hæredis. Interveniente tamen authoritate ſummi Pontificis ex rationabili cauſa poſſunt hujusmodi legata commutari, quia cum ſummus Pontifex præſit toti Eccleſiæ providere debet, quæ ad ejus commutationem pertinent, ut notat Abbas *in c. tua uni. 17. n. 4. h. t.*

29 Major difficultas eſt, an cum ſola diſpenſatione Epiſcopi poſſit executor Teſtamentarius recedere à voluntate teſtatoris; & plures probabiliùs cenſent, non poſſe cùm ſola diſpenſatione Epiſcopi talia legata commutari, & deſumitur *ex element. 2. de relig. dom.* ubi habetur, quòd piæ defunctorum voluntates ab uno caſu in alium commutari à nemine poſſint, niſi à ſolo Romano Pontifice, imò Panormit. & alii Canoniſtæ addunt, ſine rationabili cauſa nec poſſe ab ipſo ſummo Pontifice in aliam piam cauſam commutari. Concilium etiam Trident. *ſeſſ. 22. c. 6. de refor.* vult ut Epiſcopi tanquam delegati ſedis Apoſtolicæ ſummariè cognoſcant, an in precibus, nil falsò ſit narratum, etiam antequam permittant mandari executioni, ubi ſupponit commutationes conceſſas à ſolo Romano Pontifice: quia ſi Epiſcopi haberent poteſtatem ordinariam non eſſet opus eos conſtituere in tali re delegatos; non enim opus eſſet illis mandare, ut ſummariè cognoſcerent, ſi ſit aliquid falsò narratum: quia id ſupponitur ab Epiſcopo jam factum, ſi preces ipſi præſentatæ ſint; etenim Epiſcopus adeſt, & poteſt omnes cognoſcere: ſummus Pontifex verò, quia procul abeſt, præſumitur nonnunquam falſis narrationibus circumveniri.

30 Hinc communior, & verior ſententia eſt, commutationem legati in alium uſum ad ſolum Papam ſpectare. Neque obſtat, ſi dicas, voluntates teſtatorum firmas eſſe oportere, ac ratas, ut dixit Gregorius Papa I. & ex eo refert Gratianus 13. *q.* 2. *can. ultima voluntas*, & *in c. cum Marta de celebrat. miſſ. 6.* ubi dicitur, quòd hominis Teſtamentum immobile perſeverat, eò quia Teſtamentum obitu confirmetur. Nam contra eſt, reſpondetur enim, per mutationem legati in melius, vel in æquè bonum ex juſta cauſa non infirmari Teſtamentum defuncti, ſed conſentaneè ad teſtatoris voluntatem explicari, ut habetur in *c. cum dilectus de donat.*

§. IX.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an Teſtamentum ſolemne verbaliter poſſit revocari? Nimirum an morti proximus pœnitentiâ ductus, ſi coram teſtibus dixerit, ſe nolle ampliùs inſtituere Titium hæredem, quem in ſuo teſtamento inſtituerat, proinde ſe revocare tale Teſtamentum à ſe jam ante confectum; an hæc revocatio valeat. Plures affirmant, inter quos Bartol. *in l. ſi jure n. 3. ff. de legat. 3.* Caſtrenſ. *in l. hereditas num. 2. C. de his, quibus, ut indig.* & plures alii utriusque juris periti, quorum tamen alii procedunt cum limitatione, adeo ut verbalis revocatio teſtamenti ſit tantùm valida, ſi fiat ſine inſtitutione hæredis, & revocans dicat, ſe velle decedere inteſtatum; quia ſic cenſentur vocati, qui veniunt ab inteſtato; ut docent Alexander *conſil. 104. lib. 2. & conſil. 30. dub. 2.* & deſumitur *ex l. ſancimus circa fin. C. de teſtam. & l. ſi ita ſcriptum §. regula num. 4. ff. de liber. & poſthu.* Covarruvias *p. 2. num. alt. V. ſexta concluſio de teſtam.* Gomez. *l. 3. tauri. n. 103.* Ratio eſt, quia tunc res reducitur ad priſtinum ſuum ſtatum, & venienti ab inteſtato reſtituitur naturale jus ſuccedendi.

Cæterum eſt valde probabile, quòd ſi coram 2
ſufficientibus teſtibus teſtator revocet Teſtamentum à ſe jam pridem ſolemniter confectum, revocatio valeat, ut pura, & nuda revocatio, quamvis non inſtituat alium hæredem, & deſumitur *ex l. ſancimus C. de teſtam.* ubi ſtatuitur, quòd ſolemne Teſtamentum non corruat ex lapſu decennii. Et ſignificatur duplex modus, quo prius Teſtamentum poteſt revocari, ſcilicet vel per ſubſequens Teſtamentum ſolemne, vel per manifeſtationem contrariæ voluntatis, ſive coram ſufficientibus teſtibus, ſive inter acta; & concluditur, Teſtamentum eſſe nullum, tam ex contraria voluntate, quàm ex curſu temporali. Ratio eſt itidem aſſignatu facilis, quia res quælibet, per quas cauſas naſcitur, per easdē denaſcitur, ac deſinit *cap. omnis res de regul. jur. in decret.* ſed Teſtamentum naſcitur per voluntatem teſtatoris ſolemniter manifeſtatem; proinde per eandem deſinit, præſertim cum Teſtamentum ex natura ſua ſit ſemper diſſolubile per voluntatem teſtatoris, à qua voluntate dependet, ac habet totam ſuam vim; unde deficiente voluntate teſtatoris neceſſe eſt, ut etiam ceſſet ipſum Teſtamentum; quapropter ſi ſolemniter conſtet, teſtatorem receſſiſſe à priori voluntate; evidens erit, Teſtamentum remanere irritum, ac ſine ullo valore.

Idque ex eo firmari poteſt, quia ſi teſtator 3
recedens à primo Teſtamento incipiat ſecundum condere, quamvis non poſſit illud perficere, eò quia impediatur ab hæredibus, nihilominus cenſetur receſſiſſe à priori, quod propterea corruit *l. ſi ſcriptis ff. de his quib. ut indig.* ut notat Mantica *lib. 12. de conject. alt. volunt. tit. 1. num. 24.* quia ex incohatione ſecundi teſtamenti infertur efficax voluntas in teſtatore recedendi à primo, illúdque irritandi: ſed hæc eadem voluntas manifeſtiùs habetur, quando teſtator declarat coram ſufficientibus teſtibus, ſe nolle ampliùs talem hæredem inſtituere, quem in primo teſtamento inſtituerat; ergo tunc Teſtamentum irritatur, & corruit. Tum quia ex eo quòd teſtator rumpat linum, vel auferat ſignaculum, deleat ſigillum, intelligitur

mutata ejus voluntas, & Teſtamentum non amplius valet *l. 1. §. ſi hæres inſtit. ff. ſi tabul. teſtam. nul. extrab. l. penul. C. de teſt.* ut docent Caſtrens, Salicetus: & alii jurisperiti, ut etiam annullatur Teſtamentum ſi teſtator illud deleat *l. cancellaverat, & l. ſequent. l. fin. ff. de iis quæ in teſtam. delen.* ratio eſt quia per tales actus teſtator manifeſtat ſuam voluntatem revocandi Teſtamentum: ſed hanc eandem voluntatem expreſſiùs declarat, quando coram ſufficientibus teſtibus dicit claris verbis, ſe nolle ampliùs inſtituere hæredem, quem in priori teſtamento inſtituerat, & vult prius Teſtamentum eſſe irritum: non enim verba minus declarant mentem, quàm facta *l. Paulus, & l. tantum ff. rem ratam haberi. l. quibus ff. de legib.*

4 Neque obſtat, quòd teſtator non inſtituat hæredem; quia Teſtamentum non oritur ex inſtitutione hæredis, ut ex cauſa efficiente; ſed dependet ab illa ut à forma: ſola voluntas ſolemnis teſtatoris, ſeu declarata coram ſufficientibus teſtibus eſt cauſa efficiens tam effectiva, quàm deſtructiva teſtamenti: cum igitur forma teſtamenti ſit inſtitutio hæredis; revocatio talis inſtitutionis erit forma oppoſita, quæ inducitur per hoc, quòd teſtator nolit ſuum Teſtamentum ampliùs valere. Neque urget ſi dicas, diſpoſitionem perfectam non tolli per ſubſequentem imperfectam, ex qua alteri jus non acquiritur *l. nec utilem ff. ex quib. caus. major. l. ſi jure ff. de leg. 3. l. cum quis §. ſi debiterem ff. de ſolut.* ex quibus, & aliis textibus deducitur, Teſtamentum perfectum non tolli niſi per ſubſequens Teſtamentum perfectum: cujusmodi non eſt verbalis declaratio teſtatoris nolentis ampliùs inſtituere hæredem, quem antea inſtituerat. Nam contra eſt, quia inde tantùm probatur quòd ſolemne, & perfectum Teſtamentum non poſſit tolli per aliud Teſtamentum, ſi hoc fuerit imperfectum in ratione teſtamenti, & teſtamentario modo; non verò probatur, quòd non poſſit tolli per ſimplicem revocationem: ſufficit enim ſi revocatio perfecta ſit, hoc eſt facta coram ſufficientibus teſtibus *argum. ex l. 2. ff. de orig. jur.* Tum quia per talem revocationem alteri jus acquiritur, ſcilicet venienti ab inteſtato. Et licèt Teſtamentum ſolemne non infirmetur per nudam voluntatem privatam, quâ teſtator nolit ampliùs ſuum Teſtamentum valare *§. ex eo autem inſt. quib. modo teſt. infirmetur*, infirmatur tamen per publicam, & ſolemnem voluntatem; ſeu per eam, quæ declaratur corã ſufficientibus teſtibus; quia tunc non eſt nuda, & ſimplex voluntas, ſed veſtita formâ in jure præſcriptâ, ſcilicet ſolemnitate teſtium. Imò ſufficit numerus teſtium, qui ſolus à jure canonico requiritur pro conficiendo teſtamento *in cap. cum eſſes. de teſtam.* imò etiam in foro externo revocatio eſt valida; quia Pontifex ibi præcipit ita ſervari, & oppoſitum rejicit, ut alienum à lege divina, ac Sanctorum Patrum inſtitutis; proinde inducitur apud omnes obligatio in conſcientia.

5 Quæritur ſecundò, an teſtator poſſit hæredem inſtituere extraneum relictis fratribus, & conſobrinis. Certum eſt, teſtatorem teneri inſtituere hæredes deſcendentes, ut ſunt filii, & nepotes; vel aſcendentes, ut ſunt pater, avus cum ſint conſanguinei in linea recta; & leges juſtitiæ, & charitatis id exigunt: difficultas eſt de conſanguineis collateralibus; an hi poſſint omitti, & inſtitui hæres à teſtatore poſſit extraneus. Communior, ac probabilior ſententia eſt affirmativa, dummodo non adſit ſcandalum, nec obligatio, quâ teſtator teneatur conſanguineorum neceſſitates ſublevare: quia ſublata neceſſitate conſanguineorum, & ſcandalo nullum jus ſive divinum, ſive naturale, ſive humanum ad id obligat teſtatorem; idque vel maximè procedit ſi teſtator hæredem inſtituat Monaſterium, vel Noſocomium, aut alium locum pium; quia nullo jure cavetur, ut teſtator teneatur ſua bona relinquere conſanguineis collateralibus, ſi illi extremè non indigeant; proinde nulla in hoc violatur juſtitia; & ſi hæredes eligantur pauperes, vel loca pia, ceſſat ratio æquitatis, quâ conſanguinei videbantur inſtituendi: imò etiamſi conſanguinei collaterales eſſent in neceſſitate conſtituti, adhuc poſſet iis hoſpitale præferri: quia in pari neceſſitate charitas præeminet conſanguinitati, cui eſt præferenda: ſunt enim in hoſpitali in graviore neceſſitate pauperes conſtituti, cum laborent morbis, nec poſſint ſe ipſos juvare: conſanguinei cum ſani ſint non cenſentur ita pauperes; cum ſaltem poſſint ſe ipſos manibus propriis juvare: ita docent Valerus *in differen. utriusque fori V. hæreditas different. 9. num.* 3. Layman. *in Theol. Moral. lib. 3. ſect. 5. tract. 5. c. 5. n. 17.* Molina *tom. 1. de juſtit. tract. 2. diſp. 159.* Hinc ſi moribundus nolit inſtituere hæredem fratrem, ſed extraneũ abſolvi debet; quia in rigore non peccat, ut notant Covarruv. *poſt. 1. de ſpon. c. 7. §. 7. n. 8. & 13.* Malderus *in 2. 2. tract. 1. c. 11. dub. 8.* Layman. *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. c. 5. num. 15.* Gaſpar Pegadus *in repet. ad l. inter cætera ff. de liberis & poſthum. p. 2. §. 3. num. 12.* & deſumitur *ex l. frater C. de in officioſo teſtam.* Et licèt confeſſarii debeant moribundis perſuadere, ut fratres in defectu filiorum inſtituant hæredes; non tamen debent eos ad id adigere; ut fusè probat Pegadus *l. cit.* Id tamen procedit dummodo ex odio non excludant fratres.

6 Quæritur tertiò, an pater, aut mater poſſit plus uni filio teſtamento relinquere, quàm aliis. Reſpondetur conſultiùs ſemper eſſe, ut filii in partibus ſemper æqualibus ſuccedant; & ſi pater, vel mater nolint ſuccedere æqualiter; tunc æquitas videretur exigere, ut filio meliori plus cæteris relinqueretur. Moris tamen eſt in plerisque provinciis, ut major natu ſuccedat in bonis omnibus paternis, & maternis; & cæteris natu minoribus quædam aſſignetur annua penſio pro congrua ſuſtentatione: an poſſit id fieri? certum eſt, hanc conſuetudinem in Gallia, & pluribus aliis provinciis approbari, ne familiæ bonorum frequenti diviſione ad paupertatem redigantur. Neque id putárim eſſe contra juſtitiàm; etenim non eſt contra juſtitiam diſtributivam; quia pater diſtribuens bona inter filios non tenetur legibus juſtitiæ diſtributivæ, quæ ſolùm eos ligat, qui publica poteſtate, com-

communis, & publica bona, ac officia in republica diſtribuunt; & nulla adeſt lex, quæ patri, vel matri formam præſcribat relinquendi ea bona, quæ ad libitum poſſunt relinquere. Neque eſt contra juſtitiam commutativam; quia Pater non tenetur relinquere filiis niſi legitimas portiones; & quæ ultra legitimas habet poteſt ut dominus ſuorum bonorum liberè relinquere: unde dummodo filii non priventur legitima portione, poteſt pater relinquere bona ſua cui maluerit; quia cum hujusmodi bona ſint ipſius teſtatoris, ac ſub ejus dominio, poteſt plus uni relinquere, quàm alteri, ut docent Homobonus *in tract. de ſtatibus p. 2. c. 20.* Sà *V. Teſtamentum num. 17.* Bela *in reſpons. part. 1. caſ. 51.*

7 Quæritur quartò, an pater poſſit hæredem inſtituere extraneum adjectâ conditione, ut poſtea illam reſtituat filio ſpurio? Certum eſt, filios ſpurios non poſſe à patre inſtitui hæredes *authent. licèt in fine C. de natur. libert. authent. quibusmodis naturales §. ult. authent. ex complexu C. de inceſtis nuptiis inſtitut. ad §. C. officiorum §. noviſſimè* ubi Gloſſa *V. admitti.* Covarr. in epitome *part. 2. c. 8. §. 5. num. 3.* Reſpondet Julius Clarus *quæſt. 31. V. ſed quid*, filium ſpurium poſſe retinere hæreditatem ſibi à patre relictam, dummodo non extent filii legitimi: & Sotus *in 4. diſt. 41. q. 1. art. 4.* aſſerit, ſpurium eſſe capacem paternæ hæreditatis, & leges illum conſtituentes incapacem non obligare ante judicis ſententiam, eò quia ſint leges pœnales imponentes talem pœnam ſpuriis. Sed communior, & verior ſententia eſt; jura conſtituere ſpurium incapacem paternæ hæreditatis; & qui eſt incapax acquirendi non poteſt retinere acquiſitum.

8 Quamobrem hæres conſtitutus cum præfata conditione tacitâ, vel expreſsâ reſtituendi hæreditatem filio ſpurio, poteſt eam ſibi retinere; quia adjecta conditio eſt turpis, utpote contraria legi prohibenti ob deteſtationem criminis ſpurium habere hæreditatem patris: & promiſſio facta ſub conditione turpi eſt invalida. Verùm ſi hæres de facto reſtitueret hæreditatem ſpurio poteſt hic eam ſibi retinere, ut ſibi dono datam non à patre, ſed ab extraneo vero domino talium bonorum: quia ſpurius tunc non accipit illa bona ex hæreditate patris; ſed ut ex munificentia alterius provenientia: non enim ſpurius eſt incapax accipiendi, quæ ab extraneis illi dono dantur. Neque talis donatio fit in fraudem legis, ut tradit Molina *diſp. 109. concluſ. 2. & 3.*

9 Quæritur quintò, an ſi confeſſarius affirmet hæredi, fuiſſe intentionem teſtatoris relinquere alicui legatum, teneatur hæres illud ſolvere? Reſpondent plures, teneri hæredem confeſſario credere, & legatum tunc ſolvere; quia in rebus civilibus, quæ non magni ſunt momenti, qui audivit à fide dignißimo, poteſt in judicio deponere, perinde ac ſi vidiſſet, ut tradunt Vericelli *in quæſtionibus moral. tract. 1. q. 13. n. 2.* Mendoſa *in 2. 2. diſp. 173. ſect. 5. §. 10.* Tum quia unus teſtis fide dignus, ſi denuntiet mortē unius conjugis, ſufficit, ut alter ſuperſtes licitè ad ſecundas nuptias tranſire poſſit, ut docent Angel. *V. matrim. 3. imped. 13. num. 4.* Veracrux *p. 1. pecul. art. 42. conclus. 1.* & videtur etiam deſumi *ex c. in præſentia de ſponſal.* ubi habetur, quòd ſi ſatis ſit certus nuntius, ſufficiat unus teſtis, ut docet Hoſtiens. *in d. c. in præſentia ad fin.* & Abbas ibidem *num. 6.* unde ſi unus teſtis omni exceptione major ſufficit, ut conjux ſuperſtes poſſit ſecundas nuptias contrahere: ſufficiet etiam ut hæres obligetur ad ſolutionem legati, cùm utrinque adſit periculum violandi jus alienum: ſicut enim violari poteſt jus hæredis, ſi fortè teſtator non reliquit alteri legatum: ita etiam jus alterius conjugis ſi alter adhuc vivat. Nihilominus communior, & probabilior ſententia eſt, hæredem non teneri tale legatum ſolvere, quia tametſi teſtis ſit omni exceptione major, ſeu cui nil opponi poteſt, cùm ſit ipſe confeſſarius defuncti: nihilominus ex dicto unius tantùm teſtis, cùm nemo plenè convincatur, non tenetur hæres illi præſtare fidem contra ſe ipſum, & cum proprio damno, perinde ac filius adulteræ non tenetur credere matri ſuæ dicenti illum non eſſe filium ejusdem patris cum aliis fratribus; ac proinde non poſſe ſibi cum aliis æqualiter dividere hæreditatem; ſiquidem ex dicto unius tantùm teſtis, cùm nemo plenè convincatur, non tenetur cum proprio damno ei credere, unde unus teſtis tantùm obligat ad diligentius inquirendum de re, de qua teſtis teſtificatur. Verùm prior ſententia aſſerens legatum eſſe ab hærede ſolvendum eſt tutior.

Quæritur ſextò, an ſi res legata pereat, damnum ſit legatarii? Reſpondetur, quòd ſi res legata perierit citra culpam, & dolum hæredis, ejus interitus ſpectat ad legatarium, ſecus ſi facto, vel culpâ, vel morâ, aut dolo hæredis interierit, tenetur hæres pretium rei legatæ legatario dare. Sin verò res, quæ facto, culpâ, aut morâ apud hæredem periit; æquè fuiſſet peritura, tametſi culpa, factum, aut mora hæredis non interveniſſet. Reſpondent Menoch. *3. præſumpt. 138. num. 2.* Zaſius *ad l. 5. num. 28.* Saporta *in tract. de mora num. 110.* rem illam cenſeri interiiſſe in damnum hæredis, qui propterea tenetur compenſare legatario ejus pretium in æſtimatione, idque probant, quia *in l. 83. §. penult. ff. de V. O.* Paulus juris conſultus moratorem furi comparat; ſed fur indiſtinctè tenetur, licèt res domino fuiſſet peritura, ut deſumitur *ex l. 1. §. reſtiſſimè ff. de vi, & vi armata.* Tum quia in actionibus perſonalibus non ſimpliciter rem petimus, ſed perſonam obligatam, & obſtrictam perſequimur: perſona autem obligata manet, quamvis res fuerit perempta *l. 25. §. ſi poſt divortium ff. ſolut. matrim.* proinde hæres legatario ex quaſi contractu remanet obligatus. 10

Nihilominus alii oppoſitum defendunt inter quos Hunius *in comment. ad Trautlerum vol. 2. diſp. 14. thes. 4. q. 6.* ubi ait, quòd ſi res fuiſſet eodem modo peritura apud legatarium, ſi ipſi ſtatuta die fuiſſet reſtituta, nec ulla interveniſſet culpa, vel mora hæredis, damnum tunc pertineret ad legatarium; ſin verò facta reſti- 11

tutione

tutione præfixa die res non ita periiſſet, tunc damnũ pertineret ad hæredem, ac teneatur compenſare æſtimationem rei, quæ periit. Tum quia legatarius poſt moram debitoris, ſi res ſibi legata interiit, id ſolùm petere poteſt, & exigere ab hærede, quod ipſi per moram debitoris damni eſt datum: ſed re poſt moram debitoris ita perempta; ut eodem modo apud legatarium peritura fuiſſet, nil lucri per moram debitoris creditori interverſum eſt, quod aliàs habiturus fuiſſet, nec quidquam ei damni obtigit, quod non obtigiſſet, ſi res legata ſtatim fuiſſet ei data: unde legatarius non videtur poſſe exigere compenſationem ab hærede. Licèt hæc opinio ſit probabilis: prima tamen eſt communior, & etiam verior, quia ſi res fuiſſet tradita legatario, hic potuiſſet ſtatim illam divendere, & aliquid lucri acquirere. Tum quia legatarius veniſſet in poſſeſſionem rei ſibi legatæ, proinde potuiſſet ſtatim illâ uti, prout ipſi magis placuiſſet, quod procul dubio eſt aliquid pretio æſtimabile.

12 Quæritur ſeptimò, an qui juravit, ſe non revocaturum Teſtamentum, adhuc poſſit illud revocare? Reſpondetur, tale Teſtamentum non poſſe ampliùs licitè revocari, quia Juramentum ſervari poteſt ſine peccato, & absque detrimento animæ; proinde teſtator ne ſit periurus, non poteſt tale Teſtamentum licitè revocare, quia illud revocando eſſet periurus; & peierare nunquam eſt licitum. Hinc qui juravit ſe legata contenta in teſtamento ſervaturum, & per fas, aut nefas revocat, adhuc tenetur talia legata ſolvere, quia Juramentum fuit de re licita. Quòd ſi dicas, Juramentum ſequi naturam actus ſuper quem cadit, perinde ac acceſſorium ſequitur naturam principalis, ſed Teſtamentum eſt ſemper ex natura ſua revocabile: ergo non obſtante juramento poterit revocari. Contra eſt, quia acceſſorium tantùm ſequitur naturam actus principalis quoad tacitas conditiones, niſi iſtæ excludantur: in caſu autem noſtro, ſi jurans excludat expreſsè tacitam conditionem teſtamenti, intendit illud non revocare, tametſi in primo teſtamento appoſita ſit clauſula derogatoria alterius teſtamenti.

13 Cæterum qui juravit, ſe non revocaturum Teſtamentum, ſi poſtea illud revocet, revocatio quamvis illicita ſit, eſt tamen valida, perinde ac ille, qui juravit ſe alteri non venditurum ſuam domum, ſi poſtea eam vendat, quamvis venditio ſit illicita, & vendens perjurus; nihilominus venditio eſt valida: ut etiam ſi quis juret, ſe aliquam non ducturum in uxorem, ſi poſtea illam ducat, validè ducit, quamvis illicitè: quia hujusmodi contractus ex natura ſua ſunt validi & ob adjectum Juramentum non deperdunt, quidquam de propria natura.

14 Quæritur octavò, an damnatus ad mortem propter aliquod crimen teſtari poſſit? Reſpondent, communiter talem in foro externo non poſſe teſtari, idque deſumitur *ex l. deportati l. in metallum authent. bona damnatorum C. de bonis præſcript. & ex l. quidam ſunt l. qui ult.* & ibi Bartol. *ff. de pœn.* eò quia damnati ad mortem in pœnam patrati ſceleris per leges civiles deperdunt ea, quæ juris ſunt civilis, proinde amittunt facultatem condendi Teſtamentum, eò quia hujusmodi facultas ſit juris civilis *l. teſtam. ff. de teſtam.* id autem procedit quoad forum fori: alioquin in foro conſcientiæ, ſi teſtetur coram duobus teſtibus, Teſtamentum eſt validum, ut hæres tuta conſcientia poſſit bona ſibi relicta retinere ante ſententiam judicis, & donec compellatur per judicem bona illa fiſco tradere: quia cùm tales leges ſint pœnales non obligant ſubire pœnam, niſi poſt latam ſententiam judicis. Verùm ut notat Becanus *p. 2. tom. 3. c. 7. q. 4.* cum jus codicis non ubique ſervetur, ideo etiam quoad jus civile in teſtamentis damnatorum ad mortem habenda erit ratio loci, conſuetudinis, præſertim cum Julius Clarus aſſerat, conſuetudinem eſſe quaſi ubique locorum in contrarium: & Malderus *in 2. 2. tract. 1. c. 11. dub. 3.* ait ubique damnatos ad mortem, ſi eorum bona non publicentur, poſſe Teſtamentum condere, & ſi illud non condant, ſuccedunt hæredes ab inteſtato, tractat hanc quæſtionem Layman. *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. c. 3. num. 3.*

Quæritur nonò, qui teſtes poſſint in teſtamento adhiberi tempore peſtis? Reſpondetur, quòd quamvis plures doceant, eſſe neceſſarios ſeptem teſtes, ut tradunt Fachinæus *controvers. jur. lib. 5. c. 92.* Caniſius *lib. 3. decret. tit. 26. c. 10.* Tuſchus *litt. T. conclus. 122. num. 20.* eò quia *ex l. conſultiſſia 21. C. de teſtam.* clarè habeatur, quòd regulariter in quovis teſtamento requirantur ſeptem teſtes, & regulæ generali inhærendum ſit, donec ejus exceptio demonſtretur *l. ab ea p. 5. §. de probat. l. ſuus 4. §. puto. ff. de hared. inſtit. c. ad decimas 2. in fin. de reſtitut. ſpoliat. in 6.* Decius *lib. 1. num. 7. §. de R. J.* Tum quia potuiſſet teſtator tempeſtivè condere ſuum Teſtamentum, & proinde antevertere teſtis periculum *argum. l. qui poteſt. 174. ff. de reg. jur.* Tum quia teſtatoris maximè intereſt, ne veri hæredes ſubſtantiâ ipſius fraudentur; & teſtes numero pauciores poſſunt corrumpi, quàm plures *argum. l. jubemus 29. C. de teſtam.* Nihilominus alii etiam probabiliter cenſent graſſante peſte, ad valorem teſtamenti ſufficere quinque teſtes, docent hanc ſententiam Maſcard. *de probat. conclus. 1358. num. 23.* Baldus *in l. fin. num. 1. C. de teſtam.* Julius Clarus *§. teſtam. q. 56. vers. & hæc quidem* Decius *conſ. 284. num. 5.* Immo alii aſſerunt ad Teſtamentum conditum tempore peſtis ſufficere ſolas ſolemnitates juris gentium, proinde quod fiat coram duobus, vel tribus teſtibus, ut docent Gailus *lib. 2. obſer. 118. n. 17. & ſequent.* Mynſing. *centur. 1. obſervat. 96. num. 1.* Wurmſer *in controvers. jur. lib. 2. tit. 10. controvers. 2.* Imò hanc ſententiam ut æquiorem, & humaniorem approbat camera Imperialis. Rationes, quibus hæc ſententia nititur, ſunt, quia facilius, ac citiùs homines peſte infecti intereunt. Secundò quia morbus iſte facilè irrepit, ac contrahitur, proinde non facilè accedunt ad teſtatorem hoc morbo laborantem. Tertiò debent tamen teſtes tempore, quo Teſtamentum aperitur, adhuc vivere: alioquin, ſi perierunt, vel unicus tantùm

15

tùm teſtis tempore apertura ſuperſit, Teſtamentum non valet.

16 Verùm ob hanc rationem putârim, eſſe adhærendum primæ ſententiæ, quia ſi teſtes ſint ſeptem faciliùs ex illis poſſunt plures ſupervivere poſt mortem teſtatoris, quàm ſi tantùm ſint quinque. Nihilominus in hoc ſtandum eſt conſuetudini locorum: ſiquidem in aliquibus locis ſufficiunt duo teſtes, dummodo ſint idonei, & Molanus *de piis teſtamentis c. 82.* aſſerit tempore peſtis Teſtamentum exceptum à Parocho præſente unico tantùm teſte, qui haberi poteſt, ſortiri ſuum valorem, ſi uterque ut teſtis apud judicem deponat, hanc fuiſſe ægrotantis ultimam voluntatem, & nuncupativum teſtamentum, & tunc ex mandato judicis ab aliquo Notario publico de hac re publicum poteſt confici inſtrumentum. Imò cum tempore peſtis in condendis teſtamentis obſervetur ſolùm jus gentium, fœminæ poſſunt eſſe teſtes, ut docent Berlichius *pract. conclus. 5. num. 26. p. 3.* Crottus *in tract. de teſtib. p. 1. num. 21.* Jaſon *in l. ult. C. de teſtam. num. 4.* Molanus *de piis teſtam. c. 83.* ubi addit, Teſtamentum coram duabus mulieribus conditum eſſe validum, ſi viri reperiri non potuerint. Imò tale Teſtamentũ non eſſe irritum, ſi poſtea teſtator peſte decumbens reconvaleſcat, docent Maſcardus *de probat. conclus. 1422. num. 18.* & *conclus. 1358. n. 25.* Pechius *de teſtam. conjug. lib. 3 c. 19.* Moller. *in comment. ad conſtit.* Saxon. *p. 3 conſtit. 4. num. 8.* Sed tutiùs tunc eſt, poſtquam convaluerit Teſtamentum iterum condere cùm ſolemnitatibus à jure requiſitis. An quod dicitur de teſtamentis conceptis tempore peſtis, procedat etiam de codicillis & donationibus causâ mortis? negant Pariſius *conſ 32. num. 48.* Theſaurus. *dec. pedemont. 180. num. 3.* & alii, ſed Marchinus *de peſte p. 8. c. 1. num 25.* aſſerit, valere etiam de codicillis, & donationibus, & revera utrinque militat eadem ratio.

17 Quæritur decimò, an milites noſtri temporis gaudeant privilegio à jure conceſſo antiquis militibus. Communior ſententia eſt gaudere iisdẽ privilegiis, quia hodie in bellis licitis non minore, quàm olim, diligentia, aſſiduitate, vigilantiâ, & labore opus eſt, & iisdem periculis ſunt milites noſtri temporis obnoxii, ac antiqui; proinde eodem favore militari cenſentur digni *l. unic. ff. de bonor. poſſeſſ. ex teſtament. milit.* Præterea non minus hodie, quàm olim milites ſuis ſignis jugiter inhærent, & Rempublicam à qua aluntur, defendunt *l. milites 31. C. de locato.* Tum quia militat eadem ratio in militibus noſtri temporis, ob quam antiquis Romanis militibus ſolemnitates juris communis remiſſæ erant; fuit tunc ratio concedendi hoc privilegium ſimplicitas, & ignorantia juris in militibus *l. quamquam 3. C. de teſtam. milit. l. 1. C. de juris, & facti ignorant.* Præterea quia milites noſtri temporis non ſolùm pro patria vindicanda, pro laribus, ac ſepulchris avitis (ut Romani conſueverunt pugnare) dimicant, verùm etiam pro religione contra Turcas, proinde à fortiori ſunt digni eodem privilegio in ordine ad condenda teſtamenta, ut docet Weſenbec. *conſil. 17. num. 32.* Mynſing. *reſpons. 46. num. 9.* Aromæus *exercit. Juſtin. 7. num. 8.* Schraderus *de deliniat. jur. bell. conclus. 8.* Demum quia etiam hodie militum nomina rotulis ſcribuntur: præſtántque jusjurandum ſaltem ſimul, ut olim etiam nonnunquam conjurabant, vel ſeorſim. Ut autem miles gaudeat hoc privilegio debet actu eſſe in caſtris, ſeu verſari in aliqua expeditione, imò ait Nunnius *in encyclopedia juris p. 4. tit. 5. c. 1. num. 7.* quòd ſi miles Teſtamentum extra caſtra ſine ſolemnitatibus confectum ſecum in caſtra ſumat, ibique aliquid ei addat, vel detrahat, ſeu renovet, Teſtamentum valet jure militari, ut etiam ſi miles in caſtris vulneratus ad domum deferatur, & ibi coram duobus teſtibus jure militari Teſtamentum conficiat, hoc valet; quia etiã tunc gaudet privilegio militis: & ad id juxta communiorem ſententiam ſufficiunt duo teſtes *arg. l. divus Traianus 24.* ibi *convocatis hominibus ff. h. t.*

An verò hujusmodi teſtes debeant eſſe ro- 18
gati, diſtinguunt doctores inter militem in caſtris degentem, & in ipſo prælio arma tractantem, & dicunt, hunc non teneri habere teſtes rogatos, benè tamen illum, quia cùm ſit extra actuale periculum poteſt commodè duos rogare teſtes, ut tradunt Gaillus *lib. 2. obſ. pract. obſ. 118. num. 7.* Mynſing. *reſpons 46. num. 5.* Verùm hanc diſtinctionem alii rejiciunt: quia Juſtinianus Imperator non diſtinxit, & generaliter conſtituit, ut militis Teſtamentum valeat, ex ſola ejus ſuprema voluntate, quoquo modo ea reperiatur *inſtit. de milit. teſtam. in princ. vers. quoquo enim modo & §. planè* Ulpianus *in l. 1. in princ. ff. de teſtam. milit.* ubi aſſerit, ratam eſſe militis voluntatem quoquo modo is teſtatus ſit, & idem repetit *in l. frandem 15. §. 1. ff. eod. tit.* ubi aſſerit, militem nuda voluntate poſſe dare hæreditatem: & voluntas militis non eſſet nuda, ſi ad eam pro forma duo teſtes ſpecialiter rogari, & convocari deberent; neque poſſet, quoquo modo vellet, teſtari: nuda voluntas eſt, quæ præter animi motum nil continet, & libera eſt ab omni alia re *l. juris gentium 7. §. ſed nulla ibi nuda pactio l. diviſionis 45. ff. de pact.* Tum quia milites nullam Teſtamentorum ſolemnitatem tenentur obſervare: ſed pro forma teſtamenti duos rogatos adhibere teſtes, eſt quædam ſolemnitas *l. qui teſtamento 20. § & veteres ibi eos qui propter ſolemnia teſtamenti adhibentur, ff. qui teſtam. facere poſſ.* Quidquid enim jus civile in actu aliquo præter ea, quæ juris naturalis, vel gentium ſunt, de ſubſtantia requirit, id ſolemne eſt *l. nec ex prætorio 27. ibi nec ex ſolemni jur. ff. de R. J.* Miles mutus, & ſurdus etiam gaudet privilegio militari *ex l. 4. ff. de teſtam. milit.* ubi expreſsè dicitur, jure militari ſurdum, & mutum Teſtamentum facere poſſe, dummodo degat in caſtris, & ſcripturâ, vel ſignis poſſit ſufficienter ſuam voluntatem declarare *l. in frandem 15. §. 1.* Harprechtus *in comment. ad juſtit. §. quinimo num. 8. de milit. teſtam.*

Quæritur undecimò, an qui audierunt te- 19
ſtatorem verbabiliter injungentem hæredi, ut poſt ſuum obitum ſolvat legatum pium, poſſint in judicio eſſe teſtes ad ipſum vindicandum?

Reſpondetur affirmativè, quia in teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſe, ut teſtes ſint rogati, ut communiter docent Canoniſtæ, Covarruvias *in c. relatum* 11. *de teſtam.* Tiraquel. *de pia cauſa privileg. 3.* Caſtrens. *cons. 75. & 327. vol. 1.* etenim quod ſint rogati pertinet tantùm ad ſolemnitatem, quæ non eſt neceſſaria, niſi quando à jure requiritur, & in diſpoſitione ad pias cauſas non requiritur, ut teſtes ſint rogati, ut liquet *ex c. relatum* 11. *de teſtam.* ubi dicitur, quòd pro relictis Eccleſiæ legatis piis ſufficiant duo, vel tres teſtes: quia in his non eſt judicandum ſecundùm leges civiles, ſed ſecundùm canones: unde tametſi teſtes non fuerint rogati, ſufficit, ſi poſſint deponere eo pacto, quo deponunt in cæteris cauſis. Neque in teſtamento ad pias cauſas facto requiritur, ut probetur, teſtes adhibitos eſſe idoneos, quia quòd tales ſint præſumi debet, & contrarium probari, ut notat Mantica *de conject. lib. 6. tit. 3. num.* 10. Immo neque opus eſt, quòd omnes teſtes toti actui adfuerint, ſed ſi aliqui ante finem ordinationis diſceſſerint, poſſunt alii in ipſorum locum ſubrogari, ut tradit Hunnius *in encyclopedia juris p. 4. tit. 3. c. 2. num.* 10. Debent tamen habere requiſita à jure canonico pro illis teſtibus, qui idonei ſunt pro quocunque actu, quamvis non habeant requiſita à jure civili juxta ea, quæ notat Anchar. *in l. Lucius ff. de teſtam. milit.*

20 Quòd ſi teſtes in teſtamento ad pias cauſas confecto, non ſint omnino integri, nec omni exceptione majores, tunc requiruntur tres teſtes ut notat Tuſchus *litt. T. conclus. 116. num. 7.* Cæterum qualitas, quæ in hiſce teſtibus requiritur, jure gentium præſumitur ineſſe *c. dudum de præſumpt. l. cùm pater. §. rogo. ff. de legat.* Teſtamentum tamen ad pias cauſas propria manu teſtatoris ſcriptum ſuum fortitur valorem, quamvis nulli ſint teſtes adhibiti, ut notant communiter Canoniſtæ, Imola *in l. ſi quis cùm Teſtamentum num. 5. & 6. ff. de teſtam.* Alexander *conſ. 4. num. 10. vers. accedit. ad ſuſtinendum vol. 7.* Jaſon *in cons. 61. vol. 1.*

21 Id tamen procedit dummodo certò conſtet, quòd ſcriptura ſit facta manu defuncti. Imò ſi Teſtamentum ad pias cauſas factum ſit tantùm manu teſtatoris, ſubſcriptum etiam ſine teſtibus, vim teſtamenti obtinere aſſerit Tiraquel. *de pia caus. privileg. 4.* Quòd ſi qui aliàs erat ſucceſſurus fateatur defunctum ſcripſiſſe Teſtamentum ad pias cauſas, ſed non adhibuiſſe teſtes, & ob id velit Teſtamentum infringere, non eſt tunc audiendus, quia propria ejus confeſſio ſufficit. Quinimò ſi qui aliàs erat ſucceſſurus, ſciat hujusmodi Teſtamentum ad pias cauſas eſſe factum, & id non fateatur, eò quia, nec ſcriptura, neque teſtes de eo reperiantur; adhuc in conſcientia tenetur ipſe ſatisfacere piis cauſis, ut docent Corneus *conſil. 215. vol. 2. & conſil. 207. num. 7. vol. 3.* Maulius *tract. de ult. voluntat. lib. 1. tit. 13. num.* 8. Menochius *conſ. 224. vol. 3.* & alii oſtendentes ſolam ſcripturam teſtatoris, ſine teſtibus valere ad pias cauſas.

22 Verùm communior, & probabilior ſententia docet, teſtes in diſpoſitionibus ultimæ voluntatis ad cauſas pias requiri ad validitatem teſtamenti, ut docent Baldus *in authent. ingreſſi num. 15. C. de SS. eccles.* Anchar. *in l. poſſeſſ. n. 12.* Garcia *de ult. fin. 237.* Covarruvias *in c. cùm omnes num. 6. & ſequent. de teſtam.* Tiraquel. *de legib. connub. Gloſſa 4. num. 22.* & huic ſententiæ adhærendum puto, & probatur *ex c. cùm eſſes* 10. *h. t.* ubi præcipitur, quòd firma habeantur Teſtamenta facta coram duobus teſtibus, & Parocho: hæc autem diſpoſitio eſt, ſub conditione, quòd intervenerint duo teſtes, & Parochus, adeout per hanc conditionem cenſeatur forma inducta, & quia omiſſâ formâ actus eſt informis, ac invalidus *l. qui haredi & l. Mevius ff. de condit. & demonſt.* ideo Teſtamentum, ſi careat teſtibus eſt informis, ac invalidum.

Tum quia diſpoſitum ſub una conditione 23
cenſetur non diſpoſitum ſub oppoſita *l. ſi legatum pure ff. de leg. admin. & l. aliquando ff. de condit. & demonſt.* Ratio etiam id ſuadet, quia in jure civili, numerus teſtium eſt de ſubſtantia ultimæ voluntatis, quam ita informat, ut illo ſecluſo tanquam carens ſua forma, & ſubſtantia non valeat ultima voluntas, & Teſtamentum ſit nullum, *l. hac conſultiſſima C. de teſtam.* ubi declaratur nulla ultima voluntas, cui non aſſiſtit debitus numerus teſtium, ut communiter notant juris periti cum Bartol. *in l. nemo poteſt. init. ff. de legat.* & Covarruvia *in c. cùm eſſes. num. 8. de teſtam.* Quando enim lex apponit decretum irritans, inducit formam, quâ non ſervatâ corruit actus, ut tradunt Felin. *in c. cùm acceſſiſſent. num. 8. vers. & ubi apponitur.* Pariſius *conſil. 19. num. 185. lib. 2.* Gonzales *ad regul. 8. cancell. Gloſſa 67. num. 50.* Hinc numerus teſtium requiſitus à jure canonico non ſolùm eſt in ordine ad probationem, ſed requiritur etiam pro forma, & *in d. c. cùm eſſes* 10. *h. t.* tantùm corrigitur jus civile requirens ſeptem, aut quinque teſtes pro validitate teſtamenti tanquam contrarium juri divino, & numerus teſtium reducitur ad duos, vel tres cum præſentia Parochi; & quoad cauſas pias ad duos, vel tres ſine præſentia Parochi, ut habetur *in c. relatum* 11. *h. t.* non verò corrigitur quòd teſtes in jure canonico, non ſe habeant, ut in civili pro forma, quia hæc correctio non colligitur ex allegatis teſtibus; conſequenter non debet induci *l. ſi quando C. de inofficioſo teſtam. & l. præcipimus in fin. C. de appellat.* Quamobrem cùm ultima voluntas deficiente ſolemnitate teſtium ſit nulla, non parit naturalem obligationem.

Quæritur duodecimò, an hæres, ſi non 24
confecit inventarium, poſſit uti compenſatione, ſi coactus ſit aliquid ſolvere ultra vires hæreditatis? Reſpondetur, quòd ſi nihil ſubtraxerit ab hæreditate, non teneatur in conſcientia ſolvere quidquam ultra vires hæreditatis: ſiquidem obligatio in foro externo ultra vires hæreditatis oritur ex præſumptione, quòd hæres aliquid de hæreditate ſubtraxerit, quæ eſt præſumptio juris, & de jure; quòd ſi hæres nil ſubtraxerit, non obligatur in conſcientia ſolvere quidquam ultra vires hæreditatis, quia præſumptio, quæ eſt fundamentum obligationis corruit, proinde ipſa obligatio: lex enim fun-

data

data in falſa præſumptione juris, & de jure non obligat in conſcientia, ut tradunt Panormit. *in c. 1. de conſtit.* Innocentius *in c. plerique de immun. eccles.* Joannes Andreas *in c. quamdiu de uſur. in 6.* & ratio eſt, quia in foro conſcientiæ non attenditur præſumptio, ſed veritas *c. tua nos, & c. is, qui fidem de ſponſal.* Abbas *in c. quæ in Eccleſiarum de conſtitut.* Hinc ſi hæres condemnatus fuerit aliquid ſolvere ultra vires hæreditatis per ſententiam judicis, poteſt in conſcientia uti compenſatione. Ratio eſt, quia talis condemnatio, & ſolutio pœnæ oriuntur ex falſa præſumptione, nimirum quòd hæres aliquid ſubtraxerit ab hæreditate: & quia præſumptio eſt falſa, nullam poteſt fundare obligationem, conſequenter facit, ut omnia ceſſent, quæ veniunt in conſequentiam ad ipſam, quia corruente fundamento, corruunt ea omnia, quæ nituntur tali fundamento *l. 1. §. hujus rei ff. de officiis ejus, & l. veteres. ff. de itin.* quamobrem cùm corruat obligatio ſtandi ſententiæ judicis tanquam innixæ legi, quæ in conſcientia non obligabat, corruit etiam obligatio ſolvendi pœnam, proinde ſi ex ſententia judicis ſolverit, poteſt uti compenſatione.

Tum quia quamvis ſententia feratur ex legitimis probationibus in favorem alicujus, non tamen hic redditur tutus in conſcientia, ſi certò ſciat, rem ſibi adjudicatam non pertinere ad ſe, ſed eſſe alterius, ac proinde tenetur reſtituere, quamvis ſecundùm allegata, & probata res illa ſit eidem adjudicata *c. fraternitas 12. q. 2.* & docent Canoniſtæ *in c. novit. de judic.* ratio eſt, quia licèt juxta allegata, & probata ſententia rectè procedat, in ſe tamen eſt injuſta, proinde non dat jus in conſcientia. Hinc juvat à contrario argumentari, quando ex falſa præſumptione, in qua lex fundatur, condemnatur quis ſolvere ultra vires hæreditatis, non tenetur in conſcientia ſolvere; tametſi aliàs ſententia juridicè ſecundùm allegata, & probata rectè procedat, eò quia certus ſit, quòd talis præſumptio ſit falſa, in qua lex, & ſententia fundantur. 25

TITULUS XXVII.

De ſucceſſione ab inteſtato.

SUccеſſio jure civili defertur, vel ex teſtamento, & dicitur teſtamentaria, vel à lege, & vocatur legitima, cui tunc eſt locus, quando certum eſt, ex teſtamento non poſſe ſuccedi *l. quamdiu 39. ff. de acquir. vel amitt. hær.* Hinc poſtquam Pontifex in præcedente titulo egerit de ſucceſſione teſtamentaria rectè in præſenti titulo agit de alia ſucceſſione, quam ab inteſtato defert jus canonicum: eſt enim præſens Titulus de ſucceſſionibus Clericorum, qui nullâ teſtatione mentis ſuæ relictâ diem ſuum obierunt, ut eorum bona ad Eccleſiam, in qua ſuum miniſterium ſunt executi pertineant, ſi parentes, & cognatos ſuperſtites non habuerint: & ita cavetur de Epiſcopo, qui ab inteſtato defunctus eſt.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium Capitum, quæ in hoc titulo continentur,

C. SED HOC 1. h. t. ſtatuitur, ut Clericus Presbyter, vel Epiſcopus bona hæreditaria, vel acquiſita intuitu perſonæ poſſit donare, dum vivit, cui voluerit: ſed ſi moriatur inteſtatus, ſuccedat Eccleſia, cui ſervivit. Ubi notat Gloſſa, id intelligi, dummodo non habeat conſanguineos, qui ſuccedant ab inteſtato, quia tunc ſuccedunt conſanguinei, non Eccleſia. Ex quo textu liquet, poſſe clericos de illis bonis hæreditariis diſponere, donare inter vivos, teſtari, ut etiam de aliis bonis, quæ acquiſiverunt intuitu perſonæ.

C. SANCTO 2. h. t. Ex Concilio Triburienſi ſtatuitur, ut ſi ſervi facti liberi, & Presbyteri morientur, eorum bonis non ſuccedant laici, ſed eorum peculium dividatur in quatuor partes, quarum una ſit Epiſcopi, ſecunda Eccleſiæ, tertia pauperum, quarta parentum, quos, ſi non habet, Epiſcopus conferat quartam in uſum Eccleſiæ: & ſufficiat patronis habere divinum officium à ſervis: & qui contrafecerit pœnam incurrit excommunicationis. Ubi notandum eſt, hunc textum procedere de Presbyteriis, qui ex ſervitute promoti ſunt ad ſacerdotium dominis conſentientibus, ut ex communi colligit Panormitanus hic, quapropter dicuntur ſervi proprii. Verùm quia rigoroſa mancipiorum ſervitus inter Chriſtianos exolevit, ideo præſens textus de ſervis factis liberis, & morientibus Presbyteris, vix hodie eſt in uſu. Cæterum notat Gloſſa, Prælatum morientem poſſe teſtari de iis, quæ ante promotionem habebat, & acquiſivit intuitu perſonæ.

C. CUM DILECTUS 3. & ult. h. t. Innocentius III. declarat, Teſtamentum ad pias cauſas dici ſatis probatum, & valere, quando unus teſtis dicit, fuiſſe factum, & alii teſtes dicunt, ſe audiviſſe ab infirmo incidenter loquente de hac re, & dixiſſe, ſe dediſſe illa bona tali piæ cauſæ, ſi tunc erat mentis compos, hæc ubi-

ma voluntas habet vim teſtamenti validi: ſin verò probaretur, id dixiſſe mente alienata, habetur inteſtatus. Ex hoc textu notat Gloſſa, unum teſtem, cum adminiculis vehementibus probare in favorem religionis. Caterum nec in profanis, nec in ſpiritualibus ſine adminiculis ſufficit unus teſtis ad plenam probationem c. licèt univerſis de teſtib. *Rurſus liquet, mente captum non poſſe teſtari, & demum poſſe quemquam probare negativam, ſi in ſe includat affirmativam.*

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

De ſucceſſione ab inteſtato in bonis laicorum, & Clericorum.

1 SUccеſſio ab inteſtato tunc locum habet, quando defunctus nullum condidit Teſtamentum, vel quia noluit, vel quia ob juris impedimentum non potuit: vel ſi illud condidit, nihilominus ob defectum neceſſariæ ſolemnitatis, vel ob injuſtam exhæredationem, vel omiſſionem filii, reſciſſum fuerit: ut etiam ſi defunctus, non Teſtamentum ſolemne coram ſeptem teſtibus, ſed tantùm codicillum coram quinque ſcripſerit, in quo aliquem inſtituerit hæredem: in hiſce caſibus ſubintrat ſucceſſio ab inteſtato, quia in codicillis hæreditas, nec dari, nec adimi poteſt, ut habetur *in §. 2. inſtit. de codicill.* Verùm hæredes ab inteſtato in tali caſu quartam duntaxat hæreditatis partem Trebellianicam accipiunt. Quoad reliqua enim defunctus cenſetur ipſorum fidei commiſiſſe, ut ea hæredi in codicillo nominato reſtituant. Hinc hæreditas in codicillo directè data, trahitur ad fideicommiſſum *l. Scævola 76. ff. ad S. C. Trebell.*

2 Quod verò ad ſucceſſores attinet, aliter computat gradus cognationis, jus civile in ordine ad hæreditates, quæ deferuntur ſecundùm gradûs prærogativam: ſiquidem proximior in gradu prior eſt in ſucceſſione, proinde excludit alios remotiores *§. ſi plures inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.* Aliter verò jus canonicum in ordine ad contrahendum matrimonium, ut liquet *ex c. ad fidem 2. caus. 35. q. 5.* ſiquidem in linea recta aſcendentium, & deſcendentium eodem modo computat gradus conſanguinitatis jus canonicum, & civile, & utriusque eſt eadem regula, nimirum quòd tot ſint in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, quot ſunt generationes, ſive perſonæ genitæ unâ demptâ, ſcilicet communi ſtipite, à quo tota trahitur conſanguinitatis origo. Hinc pater, & filius ſunt juncti in primo gradu: Avus, & Nepos in ſecundo: Proavus, & pronepos in tertio, & ſic de aliis *§. primo gradu, & ſequent. inſtit. de gradibus cognat.* In linea autem collaterali æquali, vel inæquali ſpectato jure civili tot cenſentur eſſe gradus conſanguinitatis, quot ſunt perſonæ ſtipite dempto, ſive quot ſunt perſonæ collaterales, adeo ut duo fratres ſint in ſecundo gradu *§. ſecundo gradu inſtit. eod.* quia ſunt duæ perſonæ collaterales, quia pater cùm ſit in linea recta, & communis ſtipes non computatur: quapropter in jure civili nullus datur primus gradus collateralium, eò quia frater non conjungitur fratri per ſe, ſed per alium ſcilicet per patrem, vel matrem, qui cùm ſint in linea recta, non computantur. Pari pacto Patruus, ſive frater patris, & filius patris jure civili ſunt in tertio gradu *§. tertio gradu inſtit. eod. tit.* quia nimirum ſunt tres perſonæ collaterales, hoc eſt duo fratres, & filius fratris dempto communi ſtipite; & idem eſt de avunculo, ſeu fratre matris, & filio fratris matris. Filii autem fratrum, & ſororum ſunt in quarto gradu, quia ſunt quatuor perſonæ collaterales, ſcilicet duo fratres, vel ſorores, & duo patrueles, vel conſobrini *§. quarto gradu inſtit. eod.* Ratio hujus computationis eſt, quia leges civiles computant gradus ſæculares ad eum finem, ut hæreditas ab una perſona deferatur ad aliam, quapropter opus erat, ut in ſingulis perſonis totidem gradus conſtituerentur.

Secus ſacri canones computant gradus conſanguinitatis in ordine ad Sacramentum matri- 3
monii, quod cùm non poſſit conſiſtere, niſi inter duas perſonas, ideo non quælibet perſona novum gradum conſtituit; ſed duæ perſonæ unum ſolum conſtituunt gradum, adeo ut duo fratres, duæ ſorores ſint in primo gradu in linea transverſali. Sunt autem fratres alii germani, ſeu duplicis vinculi, quatenus ſunt conjuncti ex utroque parente: alii conſanguinei, quatenus ſunt ex eodem patre, ſed diverſa matre, alii uterini, eò quia ſint ex eadem matre, ſed diverſo patre.

Fratres Germani ſuccedunt excluſis fratribus conſanguineis, & uterinis, ſi de bonis allodialibus ſit ſermo: in feudalibus enim juxta communiorem ſententiam conſanguinei, unà cum Germanis admittuntur in feudis: imò filii fratrum Germanorum mortuis ſuis parentibus in eorum locum jure repræſentationis, ſuccedunt, & excludunt uterinos, & conſanguineos. Fratribus germanis eorúmque liberis primi gradûs ſuccedunt fratres ex uno latere conjuncti, & iis deficientibus ad reliquos conſanguineos ſine differentia maris, vel fœminæ agnatos, vel cognatos ſucceſſio in capita devolvitur; & ſemper proximior in gradu excludit remotiorem; & qui in eodem ſunt gradu ſimul admittuntur. Sin verò fratrum fuerint filii tantùm, iſti patruo, 4

vel

vel avunculo non in ſtirpes, ſed in capita ſuccedunt, ut communiùs docent juris periti, & id probat Harprechtus *in princ. inſtit. h. t. n.* 423. ubi adfert conſtitutionem Caroli V. latam in comitiis Spirenſibus.

Juvat tamen obſervare, quod inter fratres legitimos tantùm, & naturales tantùm, id intereſt diſcriminis, quia legitimi tantùm, ſeu adoptivi non ſuccedunt ſibi invicem, niſi ab aliquo aſcendentium adoptati ſint *l. penult. ff. & ideo C. de adoptionib.* Secus fratres naturales, ut etiam ſpurii, tunc ſibi ſuccedunt, ſi ſint uterini, ſcilicet ex eadem matre, non autem ſi ex diverſa *l.* 2. & 4. *ff. unde cognati* Covarruvias *de matrim. p.* 2. *c.* 8. §. 1. *in fin.* Quòd ſi defunctus reliquerit fratrem ex juſtis nuptiis genitum, & alium fratrem naturalem, tantùm ille huic præfertur. De natis ex damnato coitu, an ſibi invicem ſuccedant, fusè agit Fachinæus *lib.* 6. *c.* 10. Lector ipſum conſulat. Rurſus plerique docent in defectu propinquiorum collaterales ad ſucceſſionem eſſe admittendos in quovis gradu defuncto ſint conjuncti, dummodo ſuam probent genealogiam *l.* 2. §. 1. *ff. de ſuis & legitimis* §. 3. *inſtit. de legitima agnat. ſucceſſ.* ubi habetur, quòd agnati ſuccedant quamvis in decimo ſint gradu, ubi decimus gradus ponitur pro exemplo gradûs remoti, non verò pro reſtrictiore, cùm non facilè conſanguinei reperiantur, qui ulteriorem gradum exactè probare poſſint. Affines tamen nullum jus ſucceſſionis habent *l. affinitatis* 7. *c. communia de ſucceſſionib.*

6 Cæterum ad ſucceſſionem in primis vocantur liberi, & deſcendentes, idque ex voto parentum, qui malunt ſua bona devolvi ad filios, quàm extraneos, & etiam ex æquitate, & jure naturali: ſiquidem natura exigit, ut liberi ex bonis paternis conſequantur alimenta: qui enim dat eſſe, debet etiam dare conſequentia ad eſſe, ut poſſit conſervari *l. cùm ratio ff. de bonis damnator.* Filii autem alii ſunt ſpirituales, alii affines, alii legitimi tantùm, alii legitimi, & naturales ſimul, & alii naturales tantùm, qui etiam ſubdividuntur in naturales propriè, & ſpurios & ex damnato coitu genitos, & legitimos. Spirituales dicuntur ratione baptiſmi, vel confirmationis, qui enim puerum tenuit in baptiſmo, dicitur ejus pater ſpiritualis, & infans baptizatus filius itidem ſpiritualis: horum nulla eſt ſucceſſio, quia ſpiritualis cognatio nullam habet rationem conſanguinitatis, ut habetur *in can.* 1. *c.* 30. *q.* 3. Rurſus nec filii affines, ſeu privigni ſuo vitrico ſuccedunt *l.* 3. & 7. *C. communia de ſucceſſ.* Legitimi tantùm, ſeu adoptati, quia ſola juris fictione ſunt filii, tantùm ſuccedunt ab inteſtato patri adoptivo, quamdiu adoptio durat.

7 Quòd ſi vivente patre filius emancipetur, ceſſat ſucceſſio: ſed ſi abaque juſta cauſa fuerit emancipatus, quarta pars bonorum patris ei debetur. Filii naturales, & legitimi ſimul dicuntur, qui ex juſtis, & legitimis nuptiis ſunt geniti; dicuntur naturales, quia juxta ordinem naturæ fuerunt à parentibus procreati: nuncupantur verò legitimi, quia hanc parentum conjunctionem per legitimum matrimonium leges approbant: & iſti ſuccedunt ſuis parentibus abſque ulla diſtinctione, ſive mares, ſive fœminæ ſint: ſed hoc procedit de bonis allodialibus, quia quoad bona feudalia, adhuc hodie attenditur differentia ſexûs: & fœminæ ex iis deſcendentes à ſucceſſione feudi excluduntur, ut liquet ex titulo de feudis, imò in locis pluribus ſaltem conſuetudo invaluit, ut pro conſervatione familiæ illuſtris, filiæ tantùm in bonis maternis æqualiter cùm ſuis fratribus ſuccedant, & de bonis paternis contentæ ſint aliqua certa dote. In hac verò ſucceſſione deſcendentium non ſolùm filii, qui vivunt, ſuccedunt patri, verùm etiam unus, vel alter ex filiis præmortuis, ſi nepotes ſuperſtites reliquerit, etiam nepotes unà cum filiis primi gradus vocantur ad ſucceſſionem, quia nepotes repræſentant ſuum patrem prædefunctum, in cujus locum ipſi ſuccedunt: non tamen plus accipiunt, quàm accepturus fuiſſet eorum pater, ſi viviſſet; proinde dicuntur nepotes ſuccedere in ſtirpes, non in capita, quia non fit diviſio bonorum juxta numerum capitum, ſed prout omnes nepotes trahunt originem ab eodem patre: Idque procedit etiam ſi omnes filii præmortui ſint, & ſoli nepotes ex diverſis filiis extent, ſucceſſio enim fit etiam in ſtirpes, adeo ut ſi ex uno filio adſint duo nepotes, & ex altero tres, hæreditas nonniſi in duas partes æquales dividenda ſit, eò quia omnes illi nepotes repræſentent duos tantùm fratres, ex quibus fuerunt geniti §. *cùm filius* 6. *inſtit. h. t. l.* 2. *C. de ſuis, & legitimis novel.* 118. *c.* 1.

Naturales filii quamvis dici poſſint omnes quotquot generantur extra matrimonium, quatenus lex eorum nativitatem non approbat; propriè tamen dicuntur, qui nati ſunt ex concubina domi retenta loco uxoris: ſiquidem talis concubinatus olim jure civili toleratus fuit, ut liquet ex *tot. tit. ff. & C. de concub.* noſtris tamen temporibus non ſolùm in foro eccleſiaſtico prohibetur, & contra concubinarios proceditur juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 8. verùm etiam in foro ſæculari. Filiis naturalibus ab aliquibus etiam accenſentur, qui ſuſcepti ſunt ex fœmina aliàs honeſta, & ſeducta à viro, qui non fuit ejus maritus. Naturales filii, ſi non extent alii ex legitimo matrimonio nati, neque uxore legitima, ſuccedunt patri unà cum ſua matre in ſextante, ſeu duabus unciis, vel duabus partibus, ſi hæreditas in duodecim dividatur: avo autem paterno non ſuccedunt; ſed neque patri, ſi juſti liberi adſint, vel legitima uxor: ſed tunc alimenta illis debentur ex bonis paternis juxta arbitrium boni viri, & deſumitur *ex novel.* 18. *c.* 5. & *novel.* 89. *c.* 12. Matri autem illuſtri, & aſcendentibus per lineam maternam ſuccedunt cum filiis legitimis, ut deſumitur *ex authent. ſi qua illuſtris C. ad S. C. Orfician.* §. *noviſſimo.* Spurii vocantur generatim omnes illegitimi, ſed magis propriè, dicuntur, qui ex muliere publica paſſim corpus ſuum proſtituente ſunt nati, & iſti cùm præſumantur habere patrem incertum non ſuccedunt bonis paternis, bene tamen maternis, cùm mater ſit certa,

& quidem æqualiter, cum legitimis liberis nisi mater fuerit illustris, quia tunc publica libido magis reprobatur, ut tradit Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5.* Filii ex damnato coitu dicuntur, qui ex copula prohibita nati sunt, cujusmodi sunt filii adulterini, & incestuosi à consanguineis, vel affinibus in gradibus ad matrimonium contrahendum prohibitis geniti: & isti non succedunt bonis paternis, nec maternis, eò quia habeantur ut prorsus indigni: adeo ut de jure civili nec quidem alimenta sint iisdem debita, ut desumitur ex *authent. ex complexu. C. de incest. nupt. & novel. 89. c. ult.* de jure tamen canonico illis alimenta juxta facultates parentum sunt suppeditanda, ut desumitur *ex text. in c. cum haberet 5. de eo qui duxit.*

9 Observandum tamen est, legem civilem denegantem filiis natis ex damnato coitu alimenta, non esse ita intelligendam, ut velit tales parvulos fame perire; hoc enim perinde foret, ac indirectè parricidium talium liberorum concedere *l. necare ff. de agnoscendis, & alendis liberis*, quod iniquum foret, ac impium; sed lex civilis ita intelligi debet; ut hujusmodi liberis non debeantur alimenta secundùm statum parentum, vel eorum dignitatem; adeout filius adulterinus, vel incestuosus comitis non debeat ali ut comes; sed ut privatus juxta necessariam vitæ sustentationem.

10 Neque obstat, quòd jus canonicum injungat, tales liberos esse alendos secundùm facultates parentum; quia aliud est secundùm facultates, & aliud secundùm statum dignitatis; ut alantur secundùm facultates sufficit si ipsis nihil desit ad vitæ conservationem; secundùm statum dignitatis requireretur luxus. Privantur etiam liberi ex damnato coitu nati insignibus familiæ, quia non censentur de familia patris; & licèt etiam filii naturales non censeantur de familia patris, ac priventur & ipsi insignibus patris & familiæ; nihilominus liberi damnati differunt à naturalibus, quia naturales in communi hominum æstimatione habentur honestioris status.

11 Filii legitimati per subsequens matrimonium ex communi doctorum sententia æquiparantur legitimè natis quoad dignitates, & successiones; idque ex legis dispositione, statuit enim lex ut legitimatus pro legitimo habeatur: nihil enim interest, an lex alicujus nativitatem ab initio, vel ex postfacto ratam habeat, & approbet, & effectum matrimonii ad tempus nativitatis retrotrahat. *textus & inter in c. tanta qui filii sint legitimi* & notat Barb. *in collect. ibid. num. 14.* unde quando lex legitimat filium post matrimonium subsecutum ad nativitatem filii, lex ipsa retrotrahit matrimonium ante nativitatem filii legitimati; & ita se habet legitimatus, ac si ex legitimo matrimonio natus fuisset: qua ratione taliter legitimati admittuntur ad bona feudalia, ut notant Fachinæus *lib. controvers. c. 51.* Gaillus *lib. 2. obser. 141. n. 2.* Id autem procedit, quando nulli extant liberi ex matrimonio justo procreati. Rursus legitimati per præscriptum Principis, ut succedant in bonis paternis, requiritur, quòd mater talium liberorum duci non potuerit in uxorem, vel saltem non pro dignitate, aut quia mortua est; vel quia lateat *l. Imperialis 23 C. de nuptiis novel. 89. c. 9.* Cæterum Princeps de plenitudine potestatis, potest filium naturalem etiam extantibus justis liberis ad successionem legitimare, sed tunc pater tenetur pro tali legitimatione supplicare Principi; & mentionem facere liberorum justorum: non tamen potest pater filio sic legitimato plus relinquere, quàm uni filiorum, cui minimum relinquit, ut notat Andreas Gaillus *d. lib. 2. obser. 142. num. 8. argum. d. novel. 89. c. 3.* Rursus hoc interest discriminis inter legitimationem, & dispensationem, quia legitimatus dicitur restitutus natalibus, & censetur prima ejus nativitas approbata, proinde habetur quoad omnia legitimus: dispensatio autem fit tantùm quoad aliquos particulares effectus: quo pacto Papa in foro ecclesiastico passim dispensat cum illegitimis ad ordines, vel beneficia ecclesiastica; & hæc dispensatio est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra casus, & effectus in ea expressos.

12 Juvat observare, quòd cùm non soleant legitimari nisi illi filii, quorum parentes potuissent matrimonium inire, non verò alii, quorum parentes non potuissent nuptias contrahere, ut sunt incæstuosi, & adulterini, ideo si huic Princeps extra ordinem gratiam fecerit pro legitimatione, plurium sententia est; quòd in dubio censeatur potiùs Princeps tunc dispensâsse, adeo ut tales dispensati non veniant in dispositione legis, vel statuti, quoties de legitimis vel legitimatis liberis aliquid statuitur; nisi Princeps de plenitudine potestatis expressè aliter disposuerit, ut notat Covarruvias de matrimonio *p. 2. c. 8. §. 8.* & in hoc sensu plures volunt intelligi *regulam 50. cancellariæ de dispensatione, super defectu natalium*: ubi summus Pontifex indulgens, ut illegitimus possit succedere in bonis temporalibus, vult adjici clausulam, dummodo non præjudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat: unde hæc clausula tantùm habet effectum, ut sit dispensatus deficientibus aliis consanguineis, excludat Fiscum, possitque succedere ex testamento, ut tradit Fachinæus *lib. 3. controvers. c. 62.* Alii tamen censent prædictam clausulam intelligi de solis liberis naturalibus simul, & legitimis, non verò de consanguineis collateralibus.

13 In ordine ad ascendentes, si filius nullum post se relinquat descendentem, succedunt ab intestato æqualiter parentes ascendentes servatâ tamen graduum prærogativâ, adeo ut proximiores gradu excludant remotiores *authent. de hared. ab intestato venient. c. 2. col. 9.* hinc si pater, & mater ambo sint superstites, æqualiter sine differentia sexûs succedunt filiis excluso avo, & avia, ut desumitur *ex d. authent. c. 2.* Sin verò defuncto patre, & matre extent avus, & avia in linea paterna, & simul sint superstites avus, & avia in linea materna; tunc ex parte patris solus avus, & ex parte matris avus, & avia, aut vice versa omnes ab intestato succedunt defuncto nepoti, & pronepoti in stirpes tamen, non

in

in capita, adeo ut hæreditas ex æquo inter illos aſcendentes, qui eundem obtinent gradum, dividatur, & unam medietatem accipiant aſcendentes à patre; & alteram aſcendentes à matre, ſi plures fuerint, ut deſumitur *ex d. authent. de hared. ab inteſtat. c.* 2. Succedunt pater, & mater, & alii aſcendentes utriusque lineæ paternæ, & maternæ, ſi paris ſint gradus æqualiter in bonis filii defuncti, ſive illa à patre, ſive à matre ad filium pervenerint, quia Juſtinianus *in cit. authent. c.* 2. indiſtinctè loquitur; utitur enim vocabulo hæreditatis, quod complectitur omne jus defuncti *l. hereditas* 62. *ff. de regul. jur. & l. nihil.* 24. *ff. de V. S.* Præterea aliter ſuccedunt aſcendentes, ſi ſoli ſint, & aliter ſi cum fratribus defuncti concurrant, nam ſi ſoli ſint ſuccedunt in ſtirpes, & ſi defunctus reliquerit ſolum avum paternum ex una parte; & ex altera avum, & aviam maternam; hæreditas tunc dividitur in duas partes æquales, & unam accipit avus paternus, alteram inter ſe dividunt avus, & avia materna. Quòd ſi cum aſcendentibus concurrant collaterales ſucceſſio fit in capita, & in tot partes dividitur hæreditas, quot ſunt perſonæ ſuccedentes.

14 Fiſcus nonnunquam etiam ſuccedit hæreditati. Fiſcus ſuam creditur nomenclaturam trahere à fiſcis, ſive ſportis, quibus pecuniæ publicæ olim aſportari, & concludi conſueverant, & alio vocabulo dicitur etiam ærarium Principis: & hac ratione res, quæ in uſu publico ſunt ab iis, quæ ſunt in patrimonio fiſci, diſtinguit Papinianus *l.* 72. *in contrab. empt.* rurſus damnatorum bona publicari, vel confiſcari ſolent; tunc publicantur, quando vænum publicè exhibentur: confiſcantur verò, quando ad privatam Principis utilitatem referuntur.

15 Fiſcus tamen jure regalium, & originaliter tantùm ad ſummum Principem olim pertinuit: ſed hodie etiam ad inferiores Principes, & dominos territoriorum, qui aliis etiam regalibus utuntur: imò & in nonnullis locis etiam inferiores Magiſtratus jura fiſci ex inolita conſuetudine ſibi arrogant: nunc prout ad præſens attinet inſtitutum fiſcus ſuccedit, quando nulli prorſus adſunt legitimi hæredes, qui jus habeant in bona defuncti; tunc enim per publicum proclama, vel litteras patentes in loco publico affixas vocantur omnes conſanguinei; ut qui in hæreditate defuncti jus aliquod ſe habere arbitrantur, illud producant: ſin verò tales litteræ per aliquot hebdomades juxta locorum conſuetudinem affixæ fuerint, & nullus hæres comparuerit, tunc hæreditas, ut vacans fiſco defertur.

16 Sin verò fiſcus intra quadriennium eam non agnoverit, poſſeſſor bonorum, ſe adverſus fiſcum poteſt præſcriptione tueri, ut deſumitur *ex toto tit. de bonis vacantib.* Sin verò peregrini in remotis locis decedant, tunc adhibetur omnis major diligentia, ut bona ab ipſis relicta ad eorundem hæredes deveniant, & ſi ob locorum diſtantiam nullus poſſit hæres inveniri, tunc nec fiſcus ſæcularis, nec hoſpes in cujus hoſpitio peregrinus deceſſit bona illa occupat, ſed pertinent ad Epiſcopum loci, qui tenetur ad pias cauſas ea impendere, ut deſumitur *ex auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſſion.* Nonnunquam etiam fiſcus ſuccedit excluſis omnibus aliis hæredibus, idque ob delictum attrocius, vel crimen læſæ majeſtatis, vel hæreſeos *l. quisquis C. ad legem Juliam.* Id tamen hodie in Germania contra hæreticos toleratos non procedit, niſi crimen ſpecialiter ſit exceptum.

§. II.

De perſonis eccleſiaſticis ab inteſtato ſuccedentibus.

1 BOna eccleſiaſticorum alia ſunt patrimonialia, vel induſtrialia, quæ perſona ratione induſtriæ acquiſivit: & alia ſunt eccleſiaſtica, quæ obtinuit intuitu Eccleſiæ; cujusmodi ſunt reditus eccleſiaſtici, etiam qui ſuperſunt ex congrua ſuſtentatione beneficiati: & illa bona, quæ à fidelibus relinquuntur Eccleſiæ circa bona primi generis clericis ab inteſtato ſuccedunt liberi, ſi quos habent ex legitimo matrimonio, ut ſi clericus ante ſacros ordines fuerit conjugatus, & procreaverit liberos iſti ab inteſtato ſuccedunt in bonis patrimonialibus, & propria induſtria quæſitis: & deficientibus liberis ſecundo ordine vocantur parentes unà cum fratribus, & ſororibus Germanis, ſeu ex utroque latere junctis.

2 Sin verò defunctus parentes ſuperſtites non habeat, tunc tertio ordine ſuccedunt à latere venientes ſecundùm gradûs prærogativam usque ad decimum gradum; & hiſce conſanguineis deficientibus clerico ab inteſtato ſuccedit Eccleſia, vel altare, cui inſervivit, ut deſumitur *ex can. fin. 12. q. 5. c. 1.* De bonis patrimonialibus, & induſtrialibus ſicut poteſt clericus inter vivos diſponere, ita conceditur ei facultas, ut etiam mortis cauſâ poſſit de iisdem teſtari, & ſi inteſtatus decedat, in iisdem bonis proximi conſanguinei clericorum ſuccedunt. Et in hac ſucceſſione computatio graduum non fit ſecundùm arborem canonicam, quia hæc tantùm ad matrimonium pertinet, quod ſicut ex duabus perſonis conſiſtit; ita in illo duæ perſonæ ad unum gradum trahuntur; ſed fit computatio ſecundùm arborem civilem, in qua tot ſunt gradus, quot perſonæ à communi ſtipite deſcendentes omiſſo ſtipite. Hinc ſi defunctus reliquerit filium ſui fratris, & patruelem, ſeu filium patrui, ſi ex arbore canonica computatio inſtitueretur filius fratris, & filius patrui æqualiter ſuccederent, cùm tali computatione uterque ſit defuncto in ſecundo gradu conjunctus: ſecus ex computatione civili filius fratris excludit patruelem etiam abſtrahendo à jure repræſentationis, quia filius fratris eſt in tertio gradu conjunctus, & patruelis in quarto, ut notat Tuſchus *V. ſucceſſio concluſ.* 861. *n.* 91.

3 Quòd ſi clericus non habuerit conſanguineos, nec beneficium eccleſiaſticum, tunc ejus bonis ſuccedit fiſcus epiſcopalis, ut notat Panormit. *in c. ſed hoc* 1. *h. t. n.* 1. & *in c. ſancto* 2. *h. t.* etenim jura fiſci competere Epiſcopo deſumitur *ex can. ſi quis contumax.* & *can. ſi quis deinceps* 16. *q.* 4. & cum Gloſſa *in c. quia diverſitatem*

ſtatum V. prater ejus de conceſſ prabend. docent communiter Canoniſtæ apud Barb. *de officio epiſcop. allegat.* 107. *n.* 16.

4 Neque obſtat, quòd *in c. ſanctæ* 2. *h. t.* ſtatuatur, quòd ſi appareat demortuum ſuo labore, & induſtria acquiſiviſſe, & ex patrimonio habuiſſe bona aliqua, hæc eſſe dividenda in quatuor partes, quarum unam Epiſcopus, ſecundam Eccleſia, tertiam pauperes, & quartam conſanguinei accipiant: nam *in d. c. ſanctæ.* non eſt ſermo de clericis, ſed ſolùm de ſervis, qui olim manumiſſi in Presbyteros ordinati fuerunt: & quibus civiliter non eſt cognatio, ſaltem collateralium, quæ poſſit ſucceſſionem prætendere §. *quod autem 6. inſtit. de cap. diminut. junct. Prine. de ſervil. cognat.* ut exponit Gloſſa. Habetur enim in citato textu, quòd ſi ſervi laicorum à dominis manumiſſi, ſeu liberi facti, ſacerdotes fuerint ordinati, & poſtea mortui inteſtati, eorum bonis non ſuccedunt laici; ſed eorum peculium dividitur in quatuor partes, quarum una eſt Epiſcopi, ſecunda Eccleſiæ, tertia pauperum, quarta parentum, quos ſi non habet, Epiſcopus confert hanc quartam in uſum Eccleſiæ. Tametſi patronus liberto, quem ex ſervitute manumiſit, ſi abſque liberis moriatur, ſuccedat, ut liquet *ex §. ſed noſtra inſtit. de ſucceſſ. libert.* nihilominus poſtquam ſervus manumiſſus ex conſenſu domini ad ſacros ordines eſt promotus, nihil patronus ex temporalibus ejus bonis poteſt ſibi retinere, neque eidem ab inteſtato ſuccedere; quamvis poſſit ſpiritualia officia ſibi ab eodem præſtanda exigere, ut deſumitur *ex eod. c. ſanctæ* 2. *h. t.* ſiquidem ſervi manumiſſi ob ſacerdotium, ad quod ſunt promoti conſecuti ſunt plenam libertatem, proinde intuitu Eccleſiæ, & eccleſiaſtici miniſterii: & hæc eſt ratio, cur eorum conſanguinei ipſis non ſuccedant in totum ab inteſtato etiam de bonis induſtrialibus, & proprio labore partis; ſicut ſuccedunt conſanguinei aliorum clericorum, qui non fuerunt ſervi manumiſſi: diſcrimen igitur eſt, quia alii clerici bona induſtrialia, & patrimonialia non acquiſiverunt intuitu Eccleſiæ, ſed perſonæ; proinde conſanguinei ſuccedunt in totum ab inteſtato in iisdem bonis: ſecus ſervi manumiſſi, ſi fiant ſacerdotes intuitu ſacerdotii, & Eccleſiæ, acquirunt omnimodam libertatem, & eximuntur ab eorundem patrono, qui aliàs eis ſuccederet ab inteſtato, & ideò cùm talia bona ſint acquiſita intuitu ſolius Eccleſiæ, ideo ipſorum conſanguinei non ſuccedunt in totum; ſed tantùm in quarta parte, & reliquæ tres diſtribuuntur in opera pia: niſi fortaſſis tales clerici Teſtamentum feciſſent de bonis intuitu perſonæ, & non Eccleſiæ acquiſitis, quorum liberum habent dominium, tunc enim Teſtamentum ſubſiſteret, ut tradit Abbas *in d. c. ſanctæ* 2. *h. t.* Hodie tamen plerisque in locis clericis ab inteſtato decedentibus ſuccedunt conſanguinei hæredes præſertim in Gallia, ut teſtatur Zypæus *de jure pontific. nov. lib.* 3. *tit. de teſtam. num.* 1.

5 Teſtamentum tamen ad pias cauſas, vel etiam alia diſpoſitio excludit ſucceſſionem ab inteſtato, & deſumitur *ex c. cum dilectus* 3. *h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, quòd Teſtamentum ad pias cauſas ſit probatum, ac ſuum ſortiatur valorem, quando unus teſtis dicit, fuiſſe factum, & alii aſſerunt, audiviſſe ab infirmo incidenter loquente de hac re, qui dixit, ſe dediſſe illa bona tali piæ cauſæ, ſi tunc erat mentis compos: quia ſi probaretur dixiſſe hæc mente alienata, haberetur inteſtatus. Ubi notat Gloſſa, quòd unus teſtis cum adminiculis vehementibus probat in favorem religionis. Hinc per verba enuntiativa, quamvis non principaliter, ſed incidenter, ſeu propter aliud prolata, dummodo per ipſa ſufficienter declaretur conſenſus, & intentio loquentis inducitur diſpoſitio ad piam cauſam, adeout excludatur ſucceſſio ab inteſtato, quia in teſtamento militis talia verba ſufficiunt *l. ex his verbis 7. C. de teſtam. milit.* proinde multò magis in diſpoſitione ad pias cauſas debent vim ſortiri ultimæ voluntatis, cùm non requirantur ſolemnitates juris civilis, ſcilicet hæredis inſtitutio ſcripto, vel verbo expreſsè facta, ut notat Gloſſa *in d. cap. cum dilectus ult. h. t.* Quinimo unus teſtis, & confeſſio facta altera parte abſente, proinde duæ probationes per ſe inſufficientes, & ſemiplenæ, etiamſi diverſi generis, ſi tendant ad eundem finem, ſeu effectum faciunt unam plenam probationem: quia judex non ex uno tantùm probationis genere, ſed ex omnibus debet animum ſuum informare, ut deſumitur *ex d. c. cùm dilectus ult. h. t.*

6 Oritur difficultas, an Monaſterium ſuccedat in bona Religioſi per profeſſionem, ſi aliter de illis ante emiſſam ſolemnem profeſſionem non diſpoſuerit; & reſpondetur, Monaſterium ſuccedere, ſi jus habeat ſucceſſionis: ſiquidem bona Religioſi, de quibus ante ſolemnem profeſſionem non diſpoſuit, per profeſſionem jure communi tranſeunt in Monaſterium, ut docent communiter: & hoc jus ſuccedendi habent omnia Monaſteria regularium exceptis iis Minorum de obſervantia, & Capucinorum, ſiquidem cæteris omnibus aliis Ordinibus tam virorum, quàm mulierum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de regular. c.* 3. conceſſit, ut poſſint bona immobilia poſſidere, etiam ut poſſint in iisdem ſuccedere, ſiquidem ante Concilium poterant cæteri mendicantes ſuccedere; ſed tenebantur bona immobilia vendere: nunc autem cùm poſſint retinere, quod antea non poterant, à fortiori poſſunt etiam ſuccedere, cùm antea potuerint ſuccedere, ſed non retinere. Idque deſumitur etiam *ex novel. Juſtiniani* 5. *quæ eſt de Monachis, c.* 5. *& auth. ingreſſi C. de SS. eccles.* ubi additur, quòd ſi ingrediens religionem habeat filios, iis ſola legitima debeatur, & cætera bona Monaſterio.

7 Idque videtur etiam rationi conſentaneum, æquum enim eſt, ut cùm quis ſe totum Deo conſecrat, ſuas etiam res Deo dicet, nec ſinat eas inſervire mundo, nec ſæcularibus ad luxum: ratio enim exigit, ut non ſolùm ſe, verùm etiam bona ſua Deo faciat inſervire. Præterea cum religioſus debeat in Monaſterio vivere, & ab eodem alimenta accipere, æquum eſt, ut eidem potiùs res ſuas relinquat, quàm ſæcularibus ad luxum,

luxum, præſertim ſi illis nil debeat, & ab illis nil expectet. Demum, quia eſt Chriſti conſilium, ut talia bona dent pauperibus, *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus* & nullis pauperibus convenientiùs dari poſſunt, quàm iis, qui ſunt pauperes ſpiritu, & quorum eſt Regnum cœlorum, & qui poſſunt recipere in æterna tabernacula, cujusmodi ſunt Religioſi.

8 Sin verò qui ſolemnem profeſſionem emittit in aliqua religione habeat liberos, eò quia fuerit conjugatus, ei permittitur, ut illis diſtribuat ſua bona poſt profeſſionem, ſi ante id non præſtiterit: idque non ut dominus, quia poſt emiſſam profeſſionem nullius rei habet ampliùs dominium; ſed ut adminiſtrator conſtitutus à jure ad hunc effectum: non tamen poteſt ampliùs teſtari, quia id non eſt ei permiſſum; quia condere Teſtamentum majorem præſefert dominii imaginem, quàm nuda diſtributio. Et quamvis conſtitutio Juſtiniani ſit juris civilis, non tamen ut talis habet vim, ſed ut recepta jure canonico, & approbata à ſummis Pontificibus: & quia præfata conſtitutio, à Gratiano relata eſt in corpus decreti *c. ſi qua mulier. 19. q. 3.* ideo vim habet etiam quoad Eccleſiaſticos, quamvis iſti exempti ſint à jurisdictione Principis ſæcularis. Cæterum filiis profitentium Religionem ex æquitate canonica conceditur legitima portio, ſtatim poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem, adeo ut non debeant expectare mortem naturalem parentis, ut colligitur *ex c. cùm ſimus* 14. *de Regular.* ſiquidem profeſſio religioſa æquiparatur morti naturali, & nimis durum foret, ſi filii deberent à Monaſterio alimenta petere.

9 Sin autem qui profitetur, careat liberis, ſed habeat patrem, vel matrem, avum, vel aviam jure communi debet illis dare legitimam portionem, ſi in tali loco hoc jus ſit receptum, quia tunc vicem gerunt liberorum. Neque urget, quod Monaſterium habeatur pro filio, vel hærede, ut colligitur *ex c. in præſentia* 8. *de probat. & novel. 123. c. 37.* proinde nil videatur deberi aſcendentibus; quia id non eſt verum, niſi ad effectus jure expreſſos, qualis non eſt iſte. Imò non ſolùm bona libera per ſolemnem profeſſionem tranſeunt ſub dominium Monaſterii, verùm etiam alia gravata, ut ſunt bona fideicommiſſa cum onere, ut ſi abſque liberis quis decedat, teneatur alteri ea reſtituere: hæc enim etiam cedunt Monaſterio, quia ſe habet inſtar filii, ut dicitur in text. *c. in præſentia* 8. *de probat. & novel. 123. c. 37.* Feudum itidem tranſit ad Monaſteriũ ſi ſit liberum ab obſequio, vel eidem ſit annexum onus obſequii, quod poſſit à Monaſterio præſtari, vel conceſſum cum facultate præſtandi obſequia per alium: at commoditas feudi non durat in Monaſterio, niſi ad dies vitæ ipſius Religioſi: ſiquidem eo mortuo devolvitur ad proximos hæredes, quibus ex ſua inſtitutione eſt debitum, & ſi hæredes deſint, tranſit ad dominum directum, ut tradit Julius Clarus §. *feudum. q. 78. num. 2.* Feuda tamen exigentia ſervitium ſæculare, & Religioſis indecorum, ac prohibitum non tranſeunt ad Monaſterium ob incompatibilitatem.

Emphyteuſis etiam tranſit in Monaſterium, 10
ſed ſi domino directo placuerit, tenetur Monaſterium in alium transferre, qui non ſit majori privilegio præditus, quàm prior emphyteuta, ut docet Clarus §. *emphyteuſis q* 22. quia conditio domini directi deterior redditur, cùm amittat ſpem laudemii, ſeu trigeſimam, vel quadrageſimam partem pretii, quam ſolet percipere in ejus venditione. Imò non ſolùm dominium, verùm etiam ipſa poſſeſſio bonorum per ſolemnem profeſſionem emiſſam à Religioſo tranſit in Monaſterium, etenim ſicut perſona tranſit in jus Monaſterii, ita unà cum perſona dominium, & poſſeſſio, quæ illi inerat: acceſſorium enim ſequitur ſuum principale. Tum quia Monaſterium non ſuccedit ſicut hæres extraneus, qui ut acquirat dominium hæreditatis debet illam adire, & ut poſſeſſionem capiat, tenetur eam apprehendere: ſed ſuccedit ſicut filius, ſeu hæres, qui in jure dicitur *hæres ſuus*, qui non ſibi comparat novum dominium, ſed tantùm continuat dominium, & poſſeſſionem illius, cui ſuccedit, ut docet Innocentius *in c. in præſentia 8. de probat.*

Quòd ſi Religioſus ante emiſſam ſolemnem 11
profeſſionem per Teſtamentum diſpoſuit de bonis in hæredes non neceſſarios, ut in fratres, vel amicos, tunc Monaſterium fruitur iisdem bonis usque ad mortem naturalem ejusdem Religioſi, perinde ac ipſe teſtator facturus fuiſſet, ſi in ſæculo manſiſſet: quòd ſi illi moriantur ante teſtatorem evaneſcit diſpoſitio, & bona tunc pertinent abſolutè ad Monaſterium, ut notat Covarruvias *c. 2. de teſtam. n. 11.*

Sin verò Monaſterium careat jure ſuccedendi, tunc bona Religioſi, niſi aliter de ipſis ante profeſſionem diſpoſuerit, per ipſam profeſſionem devolvuntur ad hæredes ab inteſtato; perinde ac ſi ipſe morte naturali defunctus eſſet, quia per profeſſionem ſe ſpoliat omni dominio, & poſſeſſione, & cùm hæc non tranſeat in Monaſterium, jure devolvitur ad alios hæredes. 12

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

§ QUæritur primò, quomodo nepotes ſuccedant avo? Reſpondetur, quòd ſi quis deceſſerit omnibus filiis primi gradûs præmortuis; ſed relictis plurimis nepotibus ex diverſis filiis, vel filiabus diverſi numeri, ſed pari gradu. Tunc tales nepotes ſuccedunt avo tantùm in ſtirpes, & non in capita, id enim deſumitur *ex §. cùm filius in fin. & §. alt. inſtit. & l. 2. C. de ſuis:* quia cum nepotes non habeant opus jure repræſentationis, cum ſupponantur omnes in eodem pari gradu, ſcilicet ſecundo reſpectu avi, de cujus ſucceſſione agitur, & proprio jure ſuccedant, ac vocentur in hæreditatem avi, ideo æqualiter ſuccedunt in ſtirpes, quia omnes nepotes repræſentant patrem,

qui fuit tantùm una perſona,& quia eidem unica tantùm pars hæreditatis erat debita ex ſuppoſitione,quòd alios habuerit fratres, ideo filii non ſuccedunt niſi in ſtirpes reſpectu avi, quia ſuccedunt in locum patris §. *cui autem inſtit. de hared. qual. & differ. l. ſi retentus ff. de bonis poſſ.* Hoc etiam procedit in Pronepotibus, & ulterioribus deſcendentibus, quando ſoli ſunt, & omnes in pari gradu, ut deſumitur *ex d.* §. *cùm filius, & §. fin. inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.* eſt enim ſemper eadem ratio: ſin verò ſint inæquales,ſuccedit qui eſt proximior defuncto ab inteſtato aliis remotioribus excluſis, quia cùm deſcendentes utantur jure repræſentationis in infinitum, quamvis pluribus inter ſe gradibus diſtent, ita qui ſemper proximior eſt defuncto habet immediatius jus ad hæreditatem; proinde ſuccedit defuncto ab inteſtato,licèt ſit in tertio, quarto, vel ulteriore gradu, quia deſcendentes quantumvis remoti traxerunt ſanguinem ab aſcendente *l. cùm ratio 7. in fin. ff. de bon. damnat.*

2 Quæritur ſecundò, quomodo nepotes ex filiis primi gradûs ſuccedant cum filiis primi gradûs? Reſpondetur nepotes tunc repræſentare ſuum patrem, & ſuccedere avo in locum patris jure repræſentationis, proinde nepotes non ſuccedere in capita in hæreditatem avi, ſed in ſtirpes; adeo ut ſinguli nepotes non accipiant æquales partes pro numero capitum, ſeu perſonarum, ſed eam tantùm partem, quam pater eorum, ſi viveret, acciperet, deſumitur *ex* §. *cùm filius inſtit. de hared. quæ ab inteſt. & ex l. 3. juncta authent. in ſucceſſione C. de ſuis, & authent. ab inteſtato veniunt:* ut Petrus habet tres filios, Paulum, Andream, & Joannem; ex iſtis Paulus deceſſit & reliquit tres filios: Joannes,& Andreas nondum ſunt conjugati; moritur Petrus Pater Joannis, & Andreæ, & avus filiorum Pauli præmortui,omnes iſti ſuccedunt ab inteſtato hæreditati Petri, Joannes, & Andreas utpote filii in capita; & tres filii Pauli in ſtirpes, eò quia omnes tres repræſentant perſonam ſolius Pauli, qui ſi viveret nonniſi unam partem æqualem ſimul cum Andrea, & Joanne acciperet:unde hæreditas eſſet dividenda in tres partes æquales,quarum primam acciperet Joannes, ſecundam Andreas, & tertiam filii Pauli præmortui, quia nepotes ſuccedunt, quatenus referunt patrem ſuum,aliàs non ſucceſſuri,utpote gradu remotiores, cùm ſint ipſi in ſecundo gradu, & patrui in primo;& abſurdum foret, ſi plus accipere vellent,quàm eorum Pater: cùm tunc non ex ſua,ſed ex perſona patris ſui vocentur ad hæreditatem, & hoc non ſolùm procedit in nepotibus, ſed etiam pronepotibus: ſi quis enim decedat relictis filiis, & pronepote ex filio præmortuo; pronepos jure repræſentationis ſuccedit in ſtirpes cum filiis ipſius defuncti, ſeu proavi; & filii defuncti ſuccedunt in capita,ut habetur *in §. ſi quis igitur. & §. fin. inſtit. de hared. quæ ab inteſt.*

3 Quæritur tertiò, an filia poſſit privari jure ſuccedendi in bonis paternis. In quibusdam locis conſuetudo inolevit, vel etiam fortâſſis ſtatutum fuit introductum, ut pro conſervatione familiæ perſonarum illuſtrium, ac nobilium, filiæ nonniſi in bonis maternis æqualiter cùm ſuis fratribus ſuccedant, & in bonis patris contentæ ſint aliqua dote. Dubitatur an filiæ privari poſſint hoc jure ſuccedendi in bonis paternis: ſiquidem legitima eſt ipſis debita jure naturæ, quia portio legitima ſuccedit in locum alimentorum *novel. 1. in præfat. §. 2.* atqui jus naturæ non poteſt mutari §. *ſed naturalia inſtit. de jure naturæ gentium, & civil.* Nihilominus reſpondetur, conſuetudines, & ſtatuta habere vim legis, ſi ſint acceptata & legitima præſcriptione firmata *l. omnes populi ff. de juſtit. & jure* proinde hæc conſuetudo in illis partibus,in quibus filiæ minorem ſua legitima dotem accipiunt, nunc valet: dummodo filia ex illa dote, vel ex bonis adventitiis, aut maternis, vel à marito congrua habeat alimenta, & decentem ſuſtentationem juxta proprium ſtatum: alioquin ſi ſuſtentatio deficeret, tunc non obſtante tali conſuetudine, vel ſtatuto, poſſent filiæ ex bonis paternis alimenta petere, quæ ipſis jure naturali debentur *l. 1. §. jus naturale ff. de juſtit. & jure.*

4 Quamobrem verum eſt, portionem *legitimam* deberi filiabus jure naturali, non tamen ſimpliciter, ſed quatenus legitima deſervit pro alimentis neceſſariis,& non quoad quantitatem jure civili determinatam, quòd nimirum præcisè debeatur tertia pars bonorum: ſiquidem id reſpectu legitimæ eſt tantùm juris civilis diſpoſitio, quæ per conſuetudinem, & ſtatutum contrarium tolli poteſt. Dupliciter conſideratur legitima portio. Primò quatenus deſervit pro alimentis neceſſariis, & hac ratione eſt jure naturæ debita, quia filiis, & filiabus, ſunt debita alimenta juxta proprium ſtatum. Secundò conſideratur legitima, ut importat tertiam, vel dimidiam partem bonorum, & ſub hac ratione non eſt de jure naturæ, ſed de jure civili,quod per conſuetudinem contrariam tolli poteſt, ut rectè notat Fachinæus *lib. 4. controvers. c. 32.*

5 Quæritur quartò, an ſucceſſor poſſit paciſci ſuper hæreditate, cui debet ſuccedere: & an poſſit quis adhuc vivente teſtatore vendere hæreditatem ſibi relictam? Reſpondetur negativè, quia cùm duo tantùm ſint modi, ex quibus hæreditas ad alium devolvitur, nimirum ex teſtamento, vel ex lege; ſequitur, quòd per pacta, & conventiones hæreditas de jure non poſſit acquiri. Hinc licèt venditio hæreditatis,quæ poſt mortem teſtatoris, alicui jam actualiter delata eſt,ſuum ſortiatur valorem,ut deſumitur ex *tot. tit. C. de hæredit. & action. vendit.* Non tamen vivente adhuc teſtatore poteſt hæres paciſci ſuper hæreditate;proinde ſi pactum aliquod ineatur, eſt irritum, & nullam inducit obligationem: hinc ſi quis vendat hæreditatem, quam per mortem ſui patris, vel cognati adhuc viventis ſperat ſibi adventuram, venditio eſt irrita,& nullam parit obligationem, niſi teſtator fortaſſis ſciverit hunc contractum, cui ſuum etiam

con-

conſenſum adjunxerit, & in tali conſenſu permanſerit usque ad obitum *l. ult. C. de pact.* Reſcinduntur à lege hujusmodi pacta, utpote plena periculis, ut *in l. fin.* notat Imperator Juſtinianus, & inducunt etiam votum captandæ mortis illius perſonæ, cujus hæreditas divendita fuit. Hinc non ſolùm pacta affirmativa, cujusmodi ſunt, quæ prohibentur circa ſucceſſionem hæreditatis, ſeu pacta ſuccedendi in jure hæreditatis prohibentur; verùm etiam pacta negativa, per quæ viventis hæreditati renuntiatur *l. 3. C. de collation. l. ſi quando 35. §. 1. C. de inoff. teſtam.*

6 Tum quia viventis non datur hæreditas determinata ad unum, quia vivens poteſt ſemper diſponere de ſuis bonis, prout ipſi magis placuerit; & Teſtamentum ſemel conditum poteſt ſemper revocari; conſequenter hæreditati viventis non poteſt renuntiari. Tum quia illis bonis, quæ non poſſidemus, non poſſumus renuntiare, non enim poſſumus privari illo, quod non habemus, cùm privatio ſemper præſupponat habitum, quia non entis, non ſunt qualitates, ſed qui ſperat hæreditatem, adhuc vivente teſtatore, illam non poſſidet, cùm teſtator poſſit Teſtamentum revocare; & ſua bona alteri relinquere: proinde non poteſt eidem renuntiare. Tum quia inde etiam oriretur votum, ac periculum captandæ mortis ex parte illius, in cujus favorem tali hæreditati renuntiatur. Sed major difficultas eſt, an ſi tale pactum juramento firmetur, ſervari debeat. Ratio dubitandi eſt, quia cùm talia pacta ſint bonis moribus contraria, tametſi juramento firmentur, non propterea ſuum ſortiuntur valorem, nec inducunt obligationem, nec juramentum præſtitum ſervandum videtur *c. non eſt obligatorium 59. de regul. jur. in 6.*

7 Verùm cenſerem procedendum cum diſtinctione, vel enim tale pactum initum eſt ex conſenſu teſtatoris, adeout ipſe perſiſtat usque ad mortem in tali conſenſu, & tunc tale pactum juramento firmatum erit ſervandum, quia tunc paciſcens non vendit ipſam hæreditatem, quam actu non poſſidet, ſed tantùm jus ad hæreditatem, ut poſſidendam poſt mortem teſtatoris, & quia teſtator conſentit, ut tale jus transferatur in alium, cui ſi vellet, poſſet etiam ſine tali pacto ſua bona relinquere; ideo tale pactum ſic juramento firmatum debet ſervari: quia juramentum ſine dolo, aut metu præſtitum, & quod ſine diſpendio ſalutis, & præjudicio tertii eſt ſervabile, ſervandum eſt, ut habetur in *text. c. cùm contingat. 28. de jurejur.* & in hac quæſtione præſertim habetur expreſſa deciſio *in c. quamvis 2. de pact. in 6.* ut notat Covarr. *in relect. d. c. quamvis.* Sin verò pactum ineatur inſcio teſtatore; tunc quia eſt lege prohibitum, & eſt pactum malum, eò quia inducat votum captandæ mortis illius perſonæ, de cujus hæreditate conventum eſt, juramentum non valet, eò quia non tantùm ſit contra bonos mores politicos, & civiles, ſed etiam contra naturales, & canonicos, ut eſt inducere votum captandæ mortis: eſt enim contra bonos mores morales, præſertim ſi habeat adnexam aliquam ſeliam turpem circumſtantiam; ut ſi teſtator probabiliter ſit mutaturus Teſtamentum: vel ſi præſupponeretur non aſſentiri tali pacto, quod ſi illi innoteſceret, ſtatim exhæredaret hæredem paciſcentem, quia cum iſtis circumſtantiis, qui ſperaret hæreditatem, uteretur re aliena invito domino, & pro pretio certo venderet rem incertam, ad quem contractum requiruntur plures conditiones juxta majorem, vel minorem ſpem rei futuræ: alioquin accedente conſenſu teſtatoris poteſt jus ad hæreditatem vendi, & paciſcens tenetur ſtare contractui, tametſi huic non eſſet juramento firmatus: ſic filia accepta dote, in favorem fratrum renuntiat hæreditati paternæ.

Quæritur quintò, an Religioſi incapaces poſſeſſionis bonorum immobilium poſſint ab inteſtato ſuccedere in hæreditatem? Quando Monaſterium capax eſt poſſidendi bona immobilia, tunc nulli eſt dubium, quin poſſit ſuccedere ab inteſtato, quia Monaſterium ſuccedit in locum filii *l. Deo nobis §. hoc eſt cognitum, c. de Epiſcop. & cler. §. ſed & hoc præſenti authent. & SS. Epiſc. c. in præſentia de probat.* unde ſemper admittitur Monaſterium, niſi voluntas teſtatoris aliter ſtatuerit, ut notat Covarruvias *lib. 1. variar. c. 19. num. 6.* Quamobrem difficultas eſt, quando Religioſi ex ſpeciali inſtituto non poſſident bona immobilia, an poſſint adhuc ab inteſtato ſuccedere quoad bona immobilia. Et reſpondetur cum diſtinctione, ſi intendant Religioſi ſuccedere cum animo poſſidendi bona illa immobilia, tunc non poſſunt illis ſuccedere, eò quia talis ſucceſſio adverſatur ſpeciali proprio inſtituto talium Religioſorum: ſin verò intendant ſuccedere bonis immobilibus cum animo illa vendendi, & pretium impendendi pro ſupellectile ſacriſtiæ, vel Eccleſiæ, vel pro libris emendis, aut contractis debitis extinguendis, tunc poſſunt ſuccedere ab inteſtato hæreditati etiam pingui, eàmque adire, ac ejus poſſeſſionem capere, & eſt communior ſententia, quæ deſumitur *ex c. unicum V. demum. de relig. dom. in 6.* & docent Abbas *in c. in præſen. num. 63. de probat.* Felin. *num. 91.* Decius *num. 70.* Speculator *tit. de ſtat. Monachor. §. 1. ver ſed quæritur.* Et communiter alii aſſerentes, incapaces poſſidendi bona immobilia poſſe ea capere ad effectum ea vendendi. Ratio id ſuadens eſt, quam adfert Gloſſa *in d. c. unicum*: quia cùm bona immobilia non ſint apud dictos Religioſos remanſura, non dicuntur ad ipſos pervenire, neque ab ipſis poſſideri, quia tantùm per tranſitum ſunt apud ipſos: etenim quod non durat, non dicitur factum; nec converſum in bona alterius, ſi converſum non durat *l. ſi pro patre §. verum. ff. de in rem verſo*, nec dicitur veniſſe, quod non ſtetit *c. 1. de judic.* ut notant plures cum Tiraquel. *in l. ſi unquam V. libertis n. 176. de revocan. donat.*

Tum quia actus, qui non durat à lege non conſideratur *l. cogi §. hic, qui ff. ad Trebell.* quamdiu enim aliquid eſt in via ad aliud non conſideratur per ſe, ſed cum ordine ad ſuum terminum, à quo denominatur: & quia aditio hæreditatis non eſt in ordine ad illam poſſidendam,

ſed ad illam vendendam; ideo conſideratur cum ordine ad alienationem, & ideo induit naturam alienationis, ad quam ordinatur: conſequenter non adverſatur ſpeciali ſtatuto talium Religioſorum de non poſſidendis bonis immobilibus, quia ea vendunt, & alienant; alienare autem non eſt poſſidere. Neque obſtat, quòd per additionem hæreditatis acquiratur dominium illius *l. cum heredes init. ff. de acquir poſſeſſ. & l. pro herede ff. de acquir. hæredit.* Nam tale dominium cùm ſit momentaneum, & non duraturum, eò quia accipiatur in ordine ad alienanda bona immobilia, ideo non eſt dominium, quod ſecum trahat poſſeſſionem bonorum immobilium, ſed tantùm alienationem eorundem; & hujus dominii ſunt capaces Religioſi, qui ex ſpeciali inſtituto non poſſunt poſſidere bona immobilia: aliud eſt dominium ſecum trahens poſſeſſionem duraturam bonorum immobilium; & aliud dominium, quod ſecum trahit alienationem eorundem bonorum, hoc ſecundum dominium rectè cohæret cum ſpeciali ſtatuto non poſſidendi bona immobilia, quia non eſt dominium ſecum trahens poſſeſſionem duraturam eorundem.

10 Tum quia tale dominium non eſt nudum, ſed habet cauſam finalem alienationis, & cum res denominetur à fine *l. ex imperfecto ff. de leg. 3. & l. ſed & ſi quis §. 1. ff. de uſufructu* ideo tale dominium conſideratur ut veſtitum cauſa finali, conſequenter ſe habet ut apprehenſio alienativa hæreditatis, ac ordinata ad obſervantiam inſtituti. Hinc nec prohibentur ſuccedere ab inteſtato, cum ex eleemoſynis vivant: quia id non excludit dominium bonorum immobilium veſtitum cauſa finali ea alienandi, quia tunc bona immobilia veniunt titulo eleemoſynæ, & cum ſtatim vendantur non ſunt contraria ſpeciali inſtituto non poſſidendi bona immobilia. Neq; obſtat, quòd tales eleemoſynæ non fuerint emendicatæ, cum bonis immobilibus Religioſi ſuccedant ab inteſtato: quia non omnes eleemoſynæ ſunt emendicatæ, ſed plures etiam ſpontè oblatæ: & hujusmodi bona, quibus Religioſi ſuccedunt ab inteſtato, accenſentur eleemoſynis ſpontè oblatis, hoc eſt ſine mendicatione: ſiquidem nomine oblationum comprehenditur quidquid ad Eccleſiam quocunque titulo pervenit, ut notat Gloſſa per illum textum *in c. cum inter in figurat. caſ. in fin. de V.S.* quam ſequitur Moſcon. *lib. 1. de majeſt. militar. eccleſ. p. 3. c. 3. V. nomine.* Specialiter etiam ſub eleemoſynis ſpontè oblatis comprehenduntur, quæ proveniunt ab inteſtato, quia hæc etiam proveniunt ex tacita voluntate defuncti *l. ſi quis cum multum, & l. confirmatur init. §. de jur.* ut notat Puteus *decis. 31. n. 9. lib. 2.* Ratio eſt, quia cum poſſeſſor poſſit, ſi velit, hæredem ſibi eligere, & nihilominus ſinit bona ſua devolvi ad Monaſterium, tacitè illi offert ſuam hæreditatem, imò non ſolùm jure hæreditario, ſed etiam jure donationis, ac eleemoſynæ: ſiquidem agens præſumitur ſemper operari, ut eſt ſibi magis utile; & teſtatori utilius eſt, bona ſua donare loco pio *l. 3. §. de milit. teſt. & l. centurio ff. de vulg. & pupill.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 9. n. 10.*

11 Quæritur ſextò, an Religioſi incapaces poſſidendi bona immobilia, poſſint ſuccedere in fideicommiſſum: ratio dubitandi eſt, quia fideicommiſſum non poteſt alienari, ſicut alienantur bona ipſa immobilia, ad quæ ab inteſtato Religioſi ſuccedunt, & accipiunt eorundem dominium, non ut illa poſſideant, ſed ut vendant, ut in præcedenti quæſtione oſtendimus: at in præſenti, fideicommiſſum non poteſt divendi, nec alienari, conſequenter eſt ſpecialis difficultas. Nihilominus reſpondendum eſt, quòd præfati Religioſi poſſint ſuccedere, ſi fideicommiſſum oriatur ex prohibitione alienationis extra familiam: quia tunc poſſunt Religioſi adire fideicommiſſum ad effectum alienandi in aliquem ex eadem familia: ſiquidem datur fideicommiſſum ſimplex, per quod hæreditas gradatim de uno tranſit in alium, & quòd gravatus poſſit illud alienare in aliquem de eadem familia, ut notat Surdus *cons. 96. num. 25.* tunc fideicommiſſum haberet locum ſi gravatus moreretur ab inteſtato, vel ſi alienaret in extraneum.

12 Idque procedit, quòd Monaſterium habeat jus ſuccedendi, quamdiu Religioſus vivit, ſi enim tale fideicommiſſum pertineat ad Religioſum, hic per ſolemnem profeſſionem illud transfert in Monaſterium, quia cùm in illud transferat ſuam perſonam, transfert etiam omnia ſua jura, conſequenter etiam jus ſucceſſionis: acceſſorium enim ſequitur principale *§. ſi qua Mulier authent. de ſanct. Epiſc. & §. illud quoque auth. de Monach. & authent. ingreſſi C. de SS. eccles.* Tum quia Religioſus per ſolemnem profeſſionem non amittit jura ſuitatis, & agnationis, proinde illa transfert in Monaſterium *l. fin. C. de Epiſc. & cler.* ubi Gloſſa *hoc autem V. parentum.* Tiraquel. *de retr. lign. §. 1. Gloſſa 8. n. 19.* unde licèt Monaſterium non ſit capax poſſidendi bona immobilia, cùm nihilominus poſſit ad illa ſuccedere ad effectum ea vendendi, ita poterit etiam ſuccedere in bona prohibita alienari extra familiam, ad effectum tamen ea alienandi in aliquem de eadem familia: ſiquidem bona, quæ prohibentur alienari extra familiam poſſunt adhuc alienari in aliquem de familia etiam remotiorem *l. peto §. fratre ff. de legat. 2. & l. unum ex familia init. & §. 1. l. filius familias §. pater eod. tit.* & notat Alciatus *de retract. conſang. §. 11. Gloſſa 6. n. 7.*

13 Quæritur ſeptimò, an ſi Monaſterium incapax poſſidendi bona immobilia excludat ſubſtitutum, adhuc poſſit ſuccedere in fideicommiſſum ad effectum illud alienandi? Reſpondetur affirmativè, quia ex eo quòd fideicommiſſum deferatur ad Religioſum jure ſucceſſionis, excluditur ſubſtitutus in perpetuum, & extinguitur fideicommiſſum *§. ſed & hoc præſenti authent. de ſanct. Epiſc. & authent. niſi rogati c. ad Trebell.* ratio eſt, quia cùm Religioſus quoad ſuam propriam perſonam ſe tradat Monaſterio in ipſum transfert etiam omnia ſua jura, cùm acceſſorium ſequatur principale, & cum Religioſus per ſolemnem profeſſionem incorporetur Monaſterio, hoc repræſentat Religioſum illum, proinde præſumitur æquè dilectum à teſtatore, ac ipſa perſona, ad quam ex vi inſtitu-

tionis,

tionis, aut ſubſtitutionis pervenit hæreditas; proinde cùm Monaſterium ſit perpetuum, interpretatur voluntas teſtatoris, quòd nolit ulteriùs extendere ſubſtitutionem, ſed velit illam terminare in Monaſterio, ut in eo, quod ſemper manet, & repræſentat perſonam vocatam: ideo hæreditas tranſiret ad alios ſubſtitutos, quia deficeret perſona vocata: ſed eo ipſo, quòd hæc incorporatur Monaſterio, fit quid unum cum Monaſterio, quod propterea repræſentat, quamdiu durat, perſonam vocatã, & quia Monaſterium ſemper durat; ideo ceſſat ratio, cur hæreditas debeat tranſire ad alios ſubſtitutos. Neque obſtat, quòd Monaſterium non poſſit poſſidere bona immobilia; quia ut ſuperiùs diximus, monaſterium non accipit dominium ſecum trahens diuturnam poſſeſſionem talium bonorum, ſed tantùm accipit dominium ad effectum illa vendendi: proinde poteſt ſuccedere ad bona immobilia fideicommiſſo ſubjecta ad effectum ea vendendi: quia cum per delationem ad Monaſterium expiret fideicommiſſum, fiunt alienabilia, & Monaſterium poteſt uti jure ſuo ea vendendo.

14 Quæritur octavò, an ſi teſtator expreſsè prohibuerit alienationem fideicommiſſi, adhuc Monaſterium ad quod pervenit, poſſit illud alienare? Reſpondetur affirmativè, quia cum prohibitio alienandi ſe habeat conſecutivè ad fideicommiſſum, ideo eo ipſo quòd extinguitur, ceſſat ipſa conditio illud non alienandi: ſed eo ipſo quòd cum Religioſo fideicommiſſum incorporatur Monaſterio extinguitur, ut in præcedenti quæſtione oſtendimus, quatenus Monaſterium ſemper durat, ſemperque repræſentat perſonam vocatam ad hæreditatem: ex eo enim quòd Monaſterium ſemper duret, excludit ſubſtitutum, perinde ac illũ excluderet perſona vocata, ſi nunquam deficeret: ſiquidem cùm perſona tranſeunt in Monaſterium omnia ſua bona, etiam gravata, & fideicommiſſa, quia Monaſterium eſt inſtar filii, ut expreſsè habetur *in c. in præſentia* 8. *de probat. & in novel.* 123. Præterea eo ipſo, quòd fideicommiſſum tranſit ad Monaſterium incapax poſſidendi bona immobilia, prohibitio alienandi fit de jure impoſſibilis, quia retentioni bonorum immobilium obſtat jus ſpeciale religionis, cujus conſtitutiones præcipiunt alienationem, conſequenter conditio non alienandi tunc rejicitur à diſpoſitione teſtatoris, habetúrque ut non appoſita §. *impoſſ. inſtit. de hared. inſtit. l. conditiones contra l. ſi quis ita inſtitutus ff. de condit. inſtit. l. obtinuit. ff. de condit. & demonſt.* Tunc enim interpretatur mens teſtatoris, & præſumitur, quòd non appoſuiſſet talem conditionem, ſi illam ſciviſſet impoſſibilem *l. quoties* §. *tantundem V. ſed ſi ff. de hared. inſtit.*

15 Quæritur nonò, an ſi Monaſterium excludatur à ſubſtituto, adhuc poſſit percipere hæreditatem ad effectum eam vendendi pro tempore vitæ naturalis Religioſi, ratione cujus Monaſterium ſuccedit? Reſpondetur affirmativè: quia tametſi Monaſterium excludatur à ſubſtituto, non tamen excluditur, niſi poſt mortem naturalem Religioſi gravati; cùm enim omnia jura profeſſi tranſeant in Monaſterium, & profeſſus, ſi in ſæculo manſiſſet toto vitæ ſuæ tempore retinuiſſet illa bona, ita etiam Monaſterium poteſt eodem pacto illa retinere, & proinde vendere usque ad mortem naturalem talis Religioſi; adeout emptor poſt mortem Religioſi teneatur illa reſtituere ſubſtituto excludenti Monaſterium, ut deſumitur *ex c. cùm in præſentia* 9. 25. *de probat.* & docent Beroius *conſil.* 14. *in fin.* Coſta *in v. ſi patr. p. 1. V. ſi absque liberis num. 63. de teſtam. in 6.* Pariſius *in l. Gallus* §. *& quid ſi tantùm num.* 52. *ff. de lib. & poſth.* & communiter alii.

Hinc quando Monaſterium excluditur à 16
ſubſtituto, & non poteſt poſſidere bona immobilia, poteſt adhuc illa percipere ad effectum illa vendendi ad dies vitæ Religioſi: quia ſicut perſona gravata poteſt talia bona validè alienare donec ſint reſtituenda ſubſtituto, ut habetur *in l. ſervo legato* §. 1. *ff. de legat.* & docent communiter doctores, quos citat Tiraquel. *de retract. convent.* §. 1. *Gloſſa* 7. *num.* 10. ita Monaſterium repræſentans talem Religioſum gravatum onere reſtituendi poſt obitum ſubſtituto fideicommiſſum, poterit illa ad dies vitæ Religioſi vendere. Tum quia eo ipſo, quòd Religioſus incorporatur Monaſterio cum omnibus ſuis juribus, fideicommiſſarius eſt ipſum Monaſterium repræſentans perſonam gravatam tali onere: ſed fideicommiſſarius gravatus eſt verus dominus, donec vixerit, & acquirit dominium *l. filii, & l. filios ff. de uſufruct. & legat.* & docent Durandus *deciſ.* 155. *num.* 16. Socinus *conſil.* 10. *num.* 11. Rota Romana *in Reatina fideicommiſſ.* 17. *Maji & in Arimineus. legit.* 1617. *coram Durano*: unde nulli dubium, quin Monaſterium poſſit ad dies vitæ Religioſi alienare fideicommiſſum cum per talem alienationem non lædatur ſubſtitutus, cùm huic reſtituatur fideicommiſſum poſt mortem naturalem Religioſi, ut tradunt Natta *conſil.* 470. Angel. *conſil.* 169.

Quæritur decimò, an poſſit ſtatutum condi, 17
quo Monaſteria prohibeantur ſuccedere in bona immobilia Religioſorum? Reſpondetur, tale ſtatutum non poſſe fieri, quia directè adverſaretur conſilio Chriſti dicentis Adoleſcenti diviti quærenti ſalutem animæ ſuæ *Matth.* 19 *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*: per tale autem ſtatutum omnino contrarium præciperetur, ſcilicet non vendere nec dare pauperibus, ſed relinquere conſanguineis, etiam ſi pauperes non ſint: oppugnare autem Conſilium Chriſti graviſſimum eſt peccatum, & continet gravem in Chriſtum irreverentiam, etiam cum tacita blaſphemia, quaſi Chriſtus Conſilium dederit adoleſcenti noxium Reipublicæ. Neque refert, ſi dicas, nolle ſequi Conſilia Chriſti non eſſe grave peccatum, eò quia Conſilia non ſint præcepta, ſed libera. Nam eſt diſcrimen inter nolle ſequi Conſilium Chriſti, & nolle ut alii ſequantur tale Conſilium; primum non eſt peccatum, quia cùm Conſilium non ſit præceptum, poteſt quilibet illud non ſequi: ſed ſecundum eſt graviſſimum peccatum; quia impedit, ſequi perfectionem: licèt

nemo teneatur religionem ingredi, ac profiteri, peccaret tamen graviſſimè, qui alium volentem religionem ingredi, & in ea profiteri, impediret.

18 Tum quia lege divina, & naturali quisque habet jus offerendi Deo non ſolùm ſe ipſum; verùm etiam omnia ſua bona, & jura: atqui impedire hujus juris executionem eſt graviſſima injuria, quia volens uti jure ſuo graviſſimè lædituꝛ, & læſio quævis in re gravi, eſt peccatum grave: ergo iniquum eſſet tale ſtatutum, quo juris naturæ, & divini executio directè impediretur. Tum quia relinquere bona ſua pauperibus, perinde eſt, ac ſibi conciliare amicos de mammona iniquitatis, qui eum, cùm defecerit, recipiant in æterna tabernacula; & eſt id etiam ad quod Chriſtus hortatur Matth. 6. proinde iterum impediretur, ne quis Conſilium Chriſti exequeretur: proinde ſe opponeret in re graviſſima doctrinæ, & conſiliis Chriſti. Tum quia impedire, ne quis Chriſtum hæredem inſtituat, meretur privari cœleſti hæreditate, & poſſeſſione etiam omnium bonorum temporalium, ac totaliter exhæredari, cùm ipſe omnia bona à Deo acceperit; eſſet enim peccatum ſummæ ingratitudinis, ut notat Salvianus *lib. 3. de avaritia*; ubi etiam in hominibus privatis, ac parentibus acriter reprehendit hanc in Deum ingratitudinem, dum filios religionem ingreſſuros privant legitima ſua portione, ne illam Chriſto conſecrent: atqui impedire, ne Monaſterium inſtituatur hæres, perinde eſt, ac impedire, ne Chriſtus fiat hæres talium bonorum: ſiquidem cauſa pauperum, eſt cauſa Chriſti, ut liquet, ex illo Matth. 25. *Quod uni ex minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Neque obſtat, quòd nunc plura Monaſteria ſint opulentiſſima, quia ſunt etiam plura alia, quæ paupertate laborant, & quæ ægrè Religioſos ſuſtentant, & ære alieno gravantur: unde ſemper dantur Monaſteria, in quibus poſſunt Chriſti Conſilia executioni mandari.

TITULUS XXVIII.

De ſepulturis.

OUm in præcedentibus titulis ſummus Pontifex egerit de teſtamentis, aliisque ultimis voluntatibus, quæ nonniſi per mortem teſtatoris confirmantur, adeo ut poſſint ſemper, quamdiu vixerit teſtator, mutari: ut etiam de ſucceſſionibus ab inteſtato, quæ nonniſi poſt mortem contingunt; ideo, nunc adjicitur Titulus de ſepulturis: ſiquidem ſepulchrum morti eſt proximum. Jura enim ſepulturæ, ſicut & illa decimarum, primitiarum, & oblationum pertinent ad bona externa clericorum, cùm illa non accipiant ab Eccleſia, ſed à laicis, ratione miniſterii eccleſiaſtici. Jus autem ſepulturæ ideo ſtatim hîc ſequitur, quia ſpectat ad Epiſcopum, cùm ſit executor ultimarum voluntatum, non ſolùm ut bona teſtatorum, & inteſtatorum legitimè diſtribuantur, verùm etiam, ut eorum corpora ritè ſepeliantur; ideo poſt titulos de teſtamentis, ultimis voluntatibus, ſucceſſionibus ab inteſtatis rectè hîc additur Titulus de ſepulturis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NOS INSTITUTA* 1. *h. t. ſtatuit Leo III. ut quamvis ex decentia quilibet eſſet ſepeliendus in ſepultura ſuorum Majorum; poſſit nihilominus quilibet eligere ſepulturam in loco alieno, dummodo illi Eccleſiæ, ubi aliàs erat ſepeliendus, & Sacramenta percipiebat, ſeu Parochiæ detur tertia pars eorum, quæ reliquit Eccleſiæ, ubi ſepelitur: ex quo textu liquet, regulariter, quemque ſepeliendum eſſe in Eccleſia parochiali, in qua recepit, vel recipere debuit Sacramenta* c. is qui h. t. in 6. *Sin verò quis in una Eccleſia audivit divina, & in altera percepit Sacramenta, tunc locus erit præventioni* c. cùm quis eod. in 6. *Decedens verò in villa rurali, non electâ ibidem ſepulturâ ſepeliendus eſt in Eccleſia ſuæ civitatis, & ſepulchro majorum. Peregrini verò Advenæ, & Studioſi ſepeliendi ſunt in Eccleſia parochiali, ſi ibi pernoctaverunt Sacramenta niſi in contrarium ſit conſuetudo.*

C. *RELATUM* 2. *h. t. mandat idem Pont. quòd ſi Parochianus elegerit ſepulturam in monaſterio; tunc eorum, quæ pro anima ſua reliquit Eccleſiæ, medietas debeatur Eccleſiæ parochiali, ex quo textu liquet, debitam eſſe Eccleſiæ parochiali portionem canonicam detractam ex iis, quæ defunctus in legitima ætate conſtitutus pro ſalute animæ ſuæ, & ratione ſepulturæ reliquit. Ubi notat Gloſſa quoad hoc ſtandum eſſe conſuetudini, & de relictis pro ornamentis Eccleſiæ, vel pauperibus, vel conſanguineis in remedium animæ ſuæ nil detrahi* c. ult. de teſtam.

C. *FRATERNITATEM* 3. *h. t. Innocentius III. reſcribit Archiepiſcopo Genuenſi, quòd ſi electio ſepulturæ in loco minus religioſo facta ſit, ſepultura majorum non valeat. Ubi tamen notat Gloſſa, hunc textum eſſe correctum per* c. cùm quis 2. h. t. in 6. *Verùm Panormitanus ita intelligit præſentem textum, ut non valeat ejus-*

ejuſmodi ſepultura electio, ſi quis dolo inductus, aut ex contemptu, vel non relicta canonica portione Eccleſia, ubi ſepeliri deberet, id faciat. Caterum ſi corpus defuncti ſepultum ſit in loco non habente jus cœmeterii, poteſt repeti, & quaſi vendicari ab ea Eccleſia, in qua defunctus debebat ſepeliri.

C. *DE HIS 4. h. t. Alexander III. ſtatuit, ut qui in ſanitate eligit ſepulturam in alia Eccleſia, cui dat aliqua, de his tunc Eccleſia parochialis non habet penſionem: ſin verò eligit, & dat in infirmitate, in qua moritur, parochia habet ſuam penſionem: quia ut notat Gloſſa, tunc data fuerunt cauſa mortis. Plures tamen cenſent, hunc textum eſſe intelligendum de iis, qui ingrediuntur monaſterium, ut fiant Religioſi, non verò de iis, qui volunt vivere ſine profeſſione. Verùm Innocentius id intelligit de poſterioribus: ſed prior ſententia videtur probabilior, quia verba ſignificant plenam translationem* c. ſi quis jam translatus 21. q. 1.

C. *EX PARTE 5. h. t. Idem Pont. declarat, eos qui ſepeliunt alienum parochianum, teneri reſtituere corpus, & bona, quæ habuerunt, vel amicabiliter convenire: quia Eccleſia parochialis habet fundatam intentionem ſuper funere ſui parochiani: hinc aſſerenti quòd alibi debeat ſepeliri, incumbit onus id probandi, niſi conſtiterit, elegiſſe alibi ſepulturam.*

C. *CUM LIBERUM SIT 6. h. t. Idem Pont. mandat, id fermè quod in præcedenti, ſcilicet corpus, & bona eſſe reſtituenda Eccleſiæ, in qua defunctus debuiſſet ſepeliri. Ex quo textu, colligitur, Eccleſiam habentem jus ad corpus defuncti per legitimam electionem poſſe agere, ut reſtituatur ſibi corpus defuncti, quod alibi fuit ſepultum.*

C. *DE UXORE 7. h. t. Lucius III. declarat, quòd ſicut vir, ita etiam uxor poſſit ſibi ſepulturam eligere, eò quia in hoc ſint pares. An verò parentes poſſint filios impuberes ſepelire ubi voluerint, ſtandum eſt conſuetudini. Caterum ex hoc textu colligitur; liberum relinqui uxori eligere ſepulturam: ratio eſt quia per mortem ſolvitur à lege viri. Rurſus conſuetudinem ſuccedere in locum juris, ubi jus deficit, ut dicitur in textu de ſepultura impuberum.*

C. *CUM SUPER 8. h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut ſi Parochianus non ſepeliatur in Eccleſia parochiali, ſed alibi; Capitulum cathedralis Eccleſiæ habeat quartam. Ex quo textu deducitur; Eccleſiam collegiatam, & cathedralem habere interdum parochiam annexam, in quo caſu jura parochialia perſolvuntur Capitulo, non Epiſcopo, ut notat Panormitanus: & ratio itidem eſt, quia jus parochiale non exercetur per Epiſcopum, ſed per aliquem ex canonicis, vel alium à Capitulo conſtitutum.*

C. *CERTIFICARI 9. h. t. reſcribit Clemens III. quoad quantitatem portionis canonicæ, quæ debetur Eccleſiæ parochiali, ſtandum eſſe conſuetudini. Ubi notat Gloſſa, in mortuariis conſuetudinem loci ſervandam eſſe. Quòd ſi eſſent variæ conſuetudines in variis vicinis locis, tunc intelligendum eſt de minori ſumma, quia in illa omnes concordant, ut ſi ſint tres arbitri, quorum unus condemnet in decem, alter in ſeptem, alter in quinque; quia numerus quinarius includitur etiam in numero ſeptenario, & decenario.*

C. *IN NOSTRA 10. h. t. Innocentius III. ſtatuit, ut privilegiati ad ſepeliendum in propria Eccleſia. ſi ſepeliant vos qui eligunt talem ſepulturam, teneantur de relictis à defuncto pro anima ſua in ultima diſpoſitione dare quartam parochiæ, niſi dolo & fraude fuerit inductus ad eligendam talem ſepulturam, tunc enim debent totum reſtituere: quòd ſi vos ſepeliant, qui non elegerunt ſepulturam, tenentur totum reſtituere. Præterea declarat Pontifex, de equis & armis relictis Hoſpitalariis, & Templariis non eſſe quartam ſolvendam in favorem terræ ſanctæ ſicut nec de relictis ad cultum divinum. Caterum notat Gloſſa, patrem poſſe filio impuberi eligere ſepulturam, quia poteſt ei Teſtamentum facere. Eſſe tamen ſepulturam eligendam in loco magis religioſo. Colligitur etiam ex textu, dolum ſupervenientem etiam in ſpiritualibus reſcindere contractum* c. cum dilecti filii.

C. *EX PARTE 11. h. t. declarat Pont. feminam, quæ ut effugeret, ſtupri intentati causâ, ſe perſequentes de ponte cadens ſubmerſa fuit, tradendam eſſe eccleſiaſticæ ſepulturæ, eò quia ex honeſta causa fugerit, & cui communicabatur viventi, communicandum eſt etiam defuncta. Ex quo textu colligitur, vi, qui caſu moritur, & non ſe ſponte interimit, non eſſe denegandam eccleſiaſticam ſepulturam. Notat tamen Gloſſa, eum qui ſe ſponte præcipitat non eſſe ſepeliendum in loco ſacro* 23. q. 5. placuit, *ſed ſi putavit, poſſe vadere, quamvis ſponte ſe præcipitaverit eſt ſepeliendus in loco ſacro, quia tunc illi non imputatur.*

C. *SACRIS 12. h. t. reſcribit idem Pont. ſacris canonibus inſtitutum eſſe, ut quibus non communicavimus vivis, nec debeamus defunctis communicare, & ut careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ: ideo mandat Pontifex, corpora excommunicatorum aliquo caſu in cœmeterio eccleſiaſtico tumulata exhumari, ſi diſcerni poſſint: & ſi non poſſint non convenire, ut cum oſſibus excommunicatorum corpora tumulentur fidelium. Ex quo textu colligitur duplex regula, una affirmativa, altera negativa de ſepulturis. Prima eſt, ut* communicemus defuncto, cui communicavimus viventi: *& deſumitur ex præcedente capite, ubi virgo præcipitur ſepeliri in loco ſacro, eò quia pro defenſione caſtitatis ſe demiſerit è ponte in fluvium. Secunda eſt, ut* non communicemus defuncto, cui non communicavimus viventi. *Per illos autem, quibus non communicantes vivis, intelliguntur hi omnes, quibus communio fidelium fuit interdicta, iis enim eccleſiaſtica ſepultura negatur, tales ſunt omnes excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti* c. is qui de ſent. excommun. in 6.

C. *ABOLENDÆ 13. h. t. damnat Innocentius III. & reprobat conſuetudinem, quæ in aliquibus locis inoleverat, ut mortuis non priùs permitterentur effodi ſepulchra, quàm pro ter-*

pa, in

va, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium perſolverint, & diſtrictè mandat Epiſcopo, ut omnino inhibeat clericis, ne quidquam exigant hac de causa. Notant tamen plures, in hoc textu tantùm damnari conſuetudinem aliquid exigendi à nolentibus per coactionem. Cæterum ex conſuetudine inolita, ex pia, & laudabili devotione fidelium, dicunt poſſe aliquid exigi, ſi non jure actionis, ſaltem judicis officio cap. ex parte de cenſib. & certè conſuetudo hodie inolevit, ut pro ſepultura aliquid exigatur, quod præſumitur ſuam traxiſſe originem, non quidem ex jure, cùm hoc ſit potiùs contrarium, ſed ex pia fidelium devotione: ſiquidem etiam in mortuis ſepeliendis videntur operarij digni eſſe, ut etiam Miniſtri ſepulturæ, mercede ſuâ. Quòd ſi locus ſit purus alicujus privati, & non ſit religioſus, vel ſacer vendi poteſt: non ita ſi de voluntate domini in illa fuit aliquis ante ſepultus, quia per præcedentem ſepulturam factus fuit locus ſacer, immo nec cœmeterium vendi poteſt, quamvis in eo nullus ſit ſepultus, quia eſt locus ſacer. Rurſus vendere officium ſepulturæ, quando ad hoc clerici tenentur ob beneficium, quod habent in illa Eccleſia, eſt ſimonia: non ita ſi non tenentur ad hoc ex beneficio.

C. PAROCHIANO ult. h. t. Gregorius IX. reſcribit, excommunicatos pro manifeſtis exceſſibus, ut pro incendio, homicidio, percuſſione clerici, violatione Eccleſiarum, inceſtu, & aliis id genus, eſſe ſepeliendos in loco ſacro, dummodo in mortis articulo à ſuo parocho fuerint abſoluti. Cæterum in articulo mortis quilibet Presbyter poteſt abſolvere à quacunque ſententia excommunicationis, tametſi fuerit Papæ reſervata, c. ſi quis ſuadente 17. q. 4. Verùm hæredes etiam laici compelli poſſunt per judicem etiam eccleſiaſticum, ut ſatisfaciant pro defuncto.

IN SEXTO.

C. ANIMARUM 1. h. t. Bonifacius VIII. prohibet, ne religioſi, vel clerici ſeculares inducant aliquem ad vovendum, vel jurandum, vel promittendum, ut in eorum eccleſiis ſepulturas eligant, vel electas non mutent, & ſi ſecus fiat, Pontifex declarat, electionem nullam, & mortuum eſſe ſepeliendum, ubi de jure debuiſſet ſepeliri, ſi ſepulturam elegiſſet. Rurſus ſi tales religioſi, vel clerici præſumant ſepelire prædictum in ſuis eccleſiis, tenentur intra decem dies corpus reſtituere, ſi petatur, ut etiam omnes proventus acceptos ratione talis ſepulturæ: alioquin Pontifex declarat, Eccleſiam, & cœmeterium, ubi defunctus eſt ſepultus, eſſe interdictum, donec fiat integra reſtitutio: immo hodie tranſgreſſores, ſunt etiam excommunicati, & non poſſunt abſolvi niſi à Papa clem. de pœn. c. cupientes. Voluit Pontifex per hanc decretalem conſulere libertati eligendi ſepulturam, proinde prohibet omne pactum, emolumque promiſſionem. Tum quia id etiam videtur ſtatutum ad tollendam omnem ſpeciem ſimoniæ, ne eccleſiaſtica ſepultura, quæ eſt aliquid ſpirituale, & habet preces, & ſuffragia annexa, videatur vendi pro illa pecunia, quæ datur pro ſepultura.

C. CUM QUIS 2. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi aliqui conſueverint ſepeliri non in Eccleſia parochiali, ſed in alia, & illâ aliâ dimiſſâ eligant tertiam: debeat hæc tertia ſolvere quartam, ſeu canonicam portionem non Eccleſiæ relictæ, ſed parochiali. Rurſus ſi habens duo domicilia, & in utroque ſe locet æqualiter, ſi ſepulturam eligat in tertia Eccleſia, tunc declarat Pontifex, quartam, ſeu portionem canonicam eſſe dividendam eccleſiis domiciliorum. Demum ſepulturam poſſe eligi in loco minus religioſo. Ubi notat Gloſſa, portionem eſſe pariter dividendam, ſi haberet unum domicilium æqualiter in duabus parochiis, ut in confinio: Ex quo textu liquet, poſſe aliquem habere duo domicilia.

C. IS QUI 3. h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut, qui egreditur de ſua parochia lætandi animi causa, vel negotiandi, ſi moriatur non electâ ſepulturâ ſit ſepeliendus in parochia, ſi commodè poſſit. Rurſus ſi Mulier habuit plures viros, & deceſſit nulla electa ſepultura, ſtatuit Pontifex, ut ſepeliatur in ſepultura ultimi viri. Mulier enim nubens plebeo perdit dignitatem primi ſenatoris.

C. LICET PATER 4. h. t. declarat idem Pont. quòd cum filii impuberes non poſſint eligere ſepulturam, pater debeat eligere, ſi ſit talis conſuetudo: ſin autem non adſit conſuetudo mandat Pontifex, filios impuberes eſſe ſepeliendos in ſepultura majorum. Rurſus filium familiæ poſſe quidem ſepulturam eligere, ſi ſit pubes, non tamen poſſe aliquid legare pro anima ſine conſenſu patris, niſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, de quibus poteſt diſponere. Ubi notandum eſt, filiumfamilias poſſe eligere ſibi ſepulturam, & teſtari de peculio pro anima, non pro aliis. Verùm circa ſepulturam impuberum attendenda eſt loci conſuetudo.

C. RELIGIOSI 5. h. t. Idem Pont. præcipit, ut Religioſi ſepeliantur in propriis monaſteriis, niſi ſint ita remoti, ut commodè ad ea deferri non poſſint, in quo caſu declarat Pontifex, poſſe ſepulturam eligere, & ſi non eligant, cenſet Gloſſa, eſſe ſepeliendos in parochia, in qua moriuntur.

IN CLEMENTINIS.

C. EOS QUI 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat, eos, qui defunctos in cœmeterii tempore interdicti in caſu à jure non conceſſo publicè, aut nominatim excommunicatos, interdictos, vel publicos uſurarios præſumunt ſcienter ſepelire, incurrere ipſo facto excommunicationem, & non poſſe ab illa abſolvi, niſi priùs arbitrio Ordinarii ſatisfecerint offenſis per talem injuriam nulla exemptione, vel privilegio ſuffragante. Ex quo textu à ſenſu contrario infertur, interdictum non nominatim poſſe ſepeliri in loco interdicto. Rurſus manifeſtum uſurarium non eſſe ſepeliendum in ſacris, niſi in teſtamento cautum ſit, ut reſtituatur, quia id ſufficeret quoad ſepulturam, non quoad validitatem teſtamenti, ſed cautio data ab hæredibus non ſufficit quoad ſepulturam.

C. JU-

C. DUDUM 2. h. t. *Idem Pont. declarat, fratres Prædicatores, & Minores, posse prædicare in propriis ecclesiis, & locis, & in communibus plateis: excepta hora, in qua Prælatus loci vult prædicare, vel facere coram se solemniter prædicare: posse tamen Prælatos specialem licentiam concedere prædictis Religiosis etiam prædicandi eadem hora. Rursus eosdem Religiosos posse prædicare in studiis generalibus, ubi solet prædicari ad clerum certis diebus, immo etiam ad funera mortuorum, & in festis specialibus, nisi illa hora vellet Episcopus, vel superior clerum ad se vocare generaliter. Rursus declarat Pontifex, ut fratres prædicatores, & minores non audeant in parochialibus Ecclesiis prædicare, nisi fuerint à Parochis invitati, & vocati, vel de illorum petita, & obtenta licentia: nisi Episcopus velit per eos ibi prædicare. Rursus circa confessiones audiendas statuit, ut superiores eorundem Ordinum in singulis civitatibus, & diœcesibus, ubi loca habent; vel in vicinis, ubi loca non habent, per se, vel suos ad Prælatos se conferant, humiliter petituri, ut fratres ad hoc electi in suis civitatibus, & diœcesibus possint confessiones audire, & pœnitentias imponere de ipsorum licentia. Item ut prædicti superiores eligant personas sufficientes, easque præsentent, vel faciant præsentari Prælatis, ut de illorum licentia confessiones audiant. Præterea statuit circa sepeliendos defunctos, ut fratres dictorum Ordinum omnes possint ad sepulturam recipere, qui sepeliri elegerint in ecclesiis ipsorum. Item ut Religiosi eorundem ordinum de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscunque quomodocunque relictis, ad quoscunq; usus (tametsi de illis canonica portio exigi non soleat) quartam partem parochialibus sacerdotibus integrè largiantur. Item ne procurent ut illis ea relinquantur, de quibus canonica portio solvenda non esset, super quo etiam oneratur eorum conscientia. Cæterum ultra hanc portionem canonicam nil valent parochiales Rectores, Curati, & Prælati exigere. Et Pontifex revocat omnia privilegia, pacta, statuta, consuetudines in contrarium. Demum hortatur Prælatos, & Rectores parochiales, ut iisdem fratribus, seu Religiosis faventes se benignos exhibeant, eósque veluti cooperatores, & laborum suorum participes recipiant, & benevolè admittant. Hæc decretalis est clara, nec dubium est in illa immorandum, solùm superest monere ab omnibus esse observandam hodie dispositionem Concilii Tridentini* sess. 23. de refor. c. 15. *ubi statuitur, ut nullus Regularis possit confessionem sæcularium, etiam sacerdotum audire, nisi parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, aut aliàs idoneus reputetur, & approbationem, quæ gratis datur, obtineat, non obstantibus privilegiis concessis Regularibus. Hoc idem etiam sanxit Urbanus VIII. in sua Bulla, cui initium est* cùm sicut accepimus. *Cæterum hæc decretalis cùm specialiter loquatur de Prædicatoribus, & Minoribus in vigore non videtur extendi saltem in odiosis ad cæteros mendicantes & Religiosos, bene tamen in favorabilibus. Probabilior tamen sententia est, hanc constitutionem esse in omnibus favorabilem.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. DETESTANDÆ 1. b. t. *Bonifacius VIII. reprobat, & damnat abusum eorum, qui corpora nobilium, vel in dignitate insignitorum præsertim peregrè morientium exenterant, & membratim, vel in frusta concisa, aut igne bus decocta, & tegumento carnis ab ossibus exciso ad suos, vel alienas remotas partes mittunt, seu deferunt sepelienda: Ideoque statuit, ut si quis cujuscunque status, aut dignitatis in locis catholicis de cætero moriatur, non sit hujusmodi abusus servandus, sed defunctorum corpora deferenda sint ad locum, ubi elegerint sepeliri; vel in loco, ubi decesserunt, vel ut sepelientur ad tempus in vicino, donec inenerratis corporibus possint deferri ad loca, ubi elegerant sepulturam. Rursus Pontifex fert sententiam excommunicationis ipso facto incurrendam, & soli Papæ reservatam extra articulum mortis in contravenientes, & corpora defunctorum tam inhumaniter, & crudeliter pertractantes. Immo vult etiam eum, cujus corpus tam inhumaniter, & crudeliter pertractatum fuit carere Ecclesiasticâ sepulturâ. Ex hoc textu colligitur, intestina non esse extrahenda inciso cadavere. At verò hæc constitutio fuerit recepta, non est ita certum; & Navarrus* c. 27. manual. num. 105. *asserit, hujusmodi exenterationem, & divisionem cadaverum non esse per se malam, & illicitam. Cæterum hæc decretalis non procedit, quando quis ad finem anathemia exercendæ, tollendique fœtoris; vel ut debitus honor exhibeatur cadaveribus Regum & Principum, qui frequenter petunt eorum corpora dividi, & in uno sepeliri cor, in alio alia membra, corpora exenterant.*

C. SUPER CATHEDRAM 2. b. t. *Idem Pont. idem statuit ac Clemens V. in sua constitutione* c. dudum 2. in clement. h. t. *adeò ut præsens decretalis sit integrè inserta tali clementinæ, proinde nil superest addendum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit sepulchrum, & in quo loco possit quis sepeliri.

1 Sepulchrum dicitur locus subterraneus, concavus, in quo cadaver demortui hominis condi solet, & dicitur sepulchrum à sepeliendo, perinde ac simulacrum à simulando, lavacrum à lavando: illa igitur loca subterranea, & concava, in quibus hominum cadavera humantur, ac reconduntur, sepulchra vocantur *l. Prator. §. sepulchri ff. de sepulchro violato.* Sepultura autem interdum sumitur pro ipso sepulchro, ut *in can. eorum 12. q. 2. can. secundum 24. q. 8. c. penult. h. t.* Nonnunquam pro ipso actu sepeliendi, seu ipso officio, quod impenditur sepeliendis corporibus *can. præcipiendum 13. q. 2. c. non satis inf. de simonia*, ubi prohibetur venditio sepulturæ. Olim nec in ecclesiis, nec in civitate permittebantur sepulchra fieri, ut habetur *in l. 12. tabularum*: ubi dicitur, *hominem mortuum in urbe, ne sepelito, ne urito*, & *in l. mortuorum 12. C. de Religios. & sumpt. funer.* Moris itidem fuit apud Græcos, ut mortui sepelirentur extra oppidum, & si inferrentur, id summo iisdem dabatur honori. Diversos alios extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum apud diversas gentium nationes heroico carmine refert Silius Italicus, & post illum Cassanæus *in catalog. Gloriæ mundi p. 2. considerat. 5.* qui plura desiderat ipsum consulat. Apud Christianos usitatus mos est, corpora defunctorum in terram defodere juxta illud Genes. *c. 3. homo de terra sumptus, & pulvis, revertitur in terram, & pulverem revertatur*, & ad hunc finem primi orientis Ecclesiæ fideles constituerunt cœmeteria, seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera sepelirentur: & licèt olim prohibitum fuerit, ne quisquam in Ecclesia sepeliretur *c. præcipiendum 13. q. 2.* ob eam rationem, quia Christus quotidie in Ecclesia immolatur, cui mors ultra non dominabitur: nihilominus postea ex consuetudine inolita, vel etiam ex statuto introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, & aliis piis, ac honestioribus personis etiam laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, ut liquet *in c. nullus 13. q. 2.* Cæterum humana cadavera, quæ olim apud Ethnicos feris tradebantur voranda, vel igne absumenda, vel aquis præfocanda, vel aëri appensa lenta tabe diffluentia, ac putrescentia, nunc inter Christianos in locis sacratis, seu cœmeteriis prope Ecclesias constitutis humantur, ne minus à spiritibus immundis vexentur, & ut animæ defunctorum patrocinium consequantur sanctorum, quibus Ecclesia una cum cœmeterio dedicatur, & ut fideles sæpius Ecclesiam introeuntes humata videant suorum majorum cadavera, & inde excitentur ad preces in eorundem suffragia Deo fundendas, & ad piè vivendum in hoc sæculo.

2 Fideles regulariter sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, vel cœmeterio eidem adnexo; æquum enim est ut mortui jaceant in illa Ecclesia, in qua viventes debuerunt Sacramenta recipere, & audire divina *c. 1. c. in nostra 10. h. t. c. ie qui eod. in 6.* Quòd si quis in una Ecclesia audiverit divina, & in alia perceperit Sacramenta, vel fuerit parochianus duarum Ecclesiarum habentium jus sepulturæ, locus erit præventioni *argum. c. duobus de rescript. in 6. c. cùm quis 2. h. c. in 6.* cum Glos. & tunc dividitur quarta inter tales Ecclesias, ut habetur *in d. c. cùm quis.* Hoc idem etiam procedit, si quis duo domicilia in diversis habuerit parœciis, & in utroque habitaverit, vel habuerit domicilium partim unius, partim alterius parœciæ, ut notat Glossa *in c. cùm quis in 3. notab. eod. in 6.* alioquin si contentio oriatur de sepultura, ad Episcopum pertinet definire quid juris, & ubi quis pro majori tempore habitare consueverit.

Qui domicilium habet in civitate, vel castro, & se recreationis causâ ad villam confert ruralem, si ibi extemplò decedat, vel inopinato interitu, non electâ sepulturâ cadaver non sepelitur in Ecclesia parœciali dictæ villæ, sed in sepulchro suorum majorum si habeat, vel in Ecclesia parœciali civitatis, in qua habuit domicilium, dummodo absque periculo possit illuc asportari *c. ie qui 3. h. t. in 6.* ubi dicitur: qui egreditur è sua parochia animi causâ, vel negotiandi, & moritur non electâ sepulturâ, est sepeliendus in parochia, si commodè potest: unde si quis majorum careat sepulchro, vel in eo non possit commodè sepeliri regulariter sepeliendus est in propria parochia, in qua domicilium habuit, Sacramenta percepit ac divinis interfuit officiis. Ratio est, quia tametsi quis recreationis causâ, vel ob aliud rurale exercitium se transferat à loco domicilii extra civitatem ad suum prædium, ibique per aliquot dies commoretur, non propterea amittit prius domicilium, nec fit parochianus loci illius, in quem se transtulit, nisi habeat animum ibi constituendi suum fixum, ac stabile domicilium *l. domicilium 20.* Hinc qui ob imminens bellum, vel grassantem pestem ab urbe, in qua domicilium habet, se transfert in pagum animo redeundi, & interim decedat in pago, & ibi sepeliatur, cùm non possit commodè in urbe; portio canonica parochialis non debetur Ecclesiæ illius pagi, sed Ecclesiæ civitatis, quia defunctus in pago non habuit domicilium, cùm illuc non migraverit animo ibi perpetuò manendi, proinde non habuit parochum in illo pago, sed in civitate, ubi habuit stabile domicilium Abbas *in l. in nostra 20. num. 10.*

3

4 Tempore interdicti, qui aliàs in sepulchro suorum majorum esset sepeliendus, debet sepeliri in Ecclesia parochiali, vel cathedrali, si ista

non

non sit interdicta: quòd si omnes Ecclesiæ fuerint interdictæ, in nulla illarum poterit sepeliri, sed in alia Ecclesia proximiore non interdicta erit sepeliendus, ut notat Sylvester *in V. sepultura num. 8.* Peregrini, & advenæ, si moriantur in locis, per quæ transeunt, animo tamen ibi non diutius morandi, si commodè ad sepulturam suorum majorum deferri possunt, sunt ibi sepeliendi: sin minus, vel suorum majorum sepulchra ignorentur, locus erit præventioni inter cathedralem Ecclesiam, & parœcialem, nisi Sacramenta perceperint in parœciali, quia tunc censentur tacitè elegisse sepulturam in parœciali, à qua fuerunt sacramentis muniti: id etiam procedit de advenis, si primùm venerint animo non manendi in eodem loco Idem dicendum etiam est de studiosis, aut damnatis ad mortẽ, nisi contraria sit consuetudo: ut etiam de exteris, ac forensibus, si habeant hospitium in civitate: ut etiam de viatoribus transeuntibus, nec habentibus hospitium: & licèt Glossa, & alii jus sepulturæ tunc asserant, ac vindicent cathedrali: communior tamen, & verior sententia est, sepulturam tunc spectare ad Ecclesiam parœcialem, si Parochus ejusdem administraverit eisdem Sacramenta: æquum enim est, ut quis in illa sepeliatur Ecclesia, à qua sumpsit Sacramenta; ut notant Abbas *in cap. penul. n. 4. h.t.* Sylvester *V. sepultura q. 8. dicto 2.*

5 Hinc facilè deducitur, in quo loco sint alii sepeliendi, de quibus potest dubium oriri. Prælati Ecclesiarum regulariter sepeliendi sunt in ecclesiis propriæ prælaturæ, quòd si in duabus ecclesiis fuerint Prælati, tunc datur locus præventioni: sed moris est, ut sepeliantur in illa Ecclesia, in qua decesserunt. Clerici inferiores sepeliuntur in Ecclesia, in qua fuerunt beneficiati, quia in ipta censentur habuisse domicilium. Famuli domestici ordinum mendicantium possunt in eorum ecclesiis, vel cœmeteriis sepeliri etiam renuente parocho loci, dummodo intra septa Monasterii decesserint, idque ex privilegio à Papa concesso, tametsi in tali loco sepulturam non elegerint, ut notat Rodriquez. *tom. 2. q. 68. num. 2.* Uxor vidua sepelitur in sepulchro mariti, si decesserit nulla alia sepultura electa *c. 2. in fin. caus. 13. q. 2.* ubi dicitur: *quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum:* quapropter non est uxor vidua sepelienda in sepulchro suorum majorum, quia est major conjunctio uxoris cum marito, quàm cum suis consanguineis; cum Genes. 5. dicatur, *quod homo relinquet patrem suum, & adhærebit uxori suæ,* id tamen intelligitur de uxore legitima, & post consummatu n matrimonium, vel saltem post eductam sponsam ad domum mariti, non ita procedit de sponsa de futuro, hæc enim sepelienda est in sepulchro suorum majorum, ut notat Franch. *in c. is qui 3. §. mulier. in fin. num. 3. h.t. in 6.*

6 Immo neque procedit, si Mulier ob patratum adulterium sit separata à viro, facto divortio, quia tunc non censetur de familia viri, nisi antequam decesserit fuerit eidem reconciliata. Quòd si mulier pluribus nupserit viris successivè & sepulturam non elegerit, si moriatur, sepelienda est cum ultimo marito, quia pertinet ad ejus domicilium, ut desumitur *ex c. is qui 3. § Mulier. h. t. in 6.* quia uxor non solùm vivente marito sequitur ejus domicilium, & forum, sed etiam post mortem retinet idem domicilium, ut habetur *in l. quoties 3. C. de privileg. scholar. lib. 12.* & *in c. ex parte 15. de foro compet.* hoc autem procedit si uxor post mortem mariti permanserit in viduitate, vitámque duxerit honestam, quòd si transierit ad secundas nuptias sequitur domicilium, & honorem ultimi mariti *argum. §. Mulier. & l. his solis. 7 C. de revocan. donat.* Imo uxor vidua tametsi post mortem mariti reversa fuerit in domum patris, vel in alium se transtulerit locum, adhuc sepeliri debet in sepulchro mariti: ratio est, quia cùm hoc privilegium sit personale, sequitur personam, & non amittitur ob varietatem locorum. Sin verò uxor decesserit ante maritum, tunc pertinet ad maritum eligere sibi sepulchrum proprium, & in eodem sinere, ut ejus uxor mortua sepeliatur. Quòd si maritus non eligat propriam sepulturam, & intendat sepeliri in sepulchro suorum majorum, erit itidem uxor in eodem sepelienda. Quòd si tale non habeat, vel in illo non possit sepeliri, tunc uxor sepelienda est in parœcia, ut notat Abbas *in c. de uxore 7. num. 6. h.t.* ubi Lucius III. rescripsit, quòd sicut vir, ita & uxor potest sibi eligere sepulturam, quia in hoc sunt pares.

Difficultas tamen esse potest, an si quis decedat non electâ sepulturâ, quàm commodè potuisset eligere, detur jus eligendi superstiti hæredi, vel sepeliri debeat in sepulchro majorum, vel in Ecclesia parochiali. Respondetur, talem esse sepeliendum in sepulchro majorum suorum, si commodè possit ibi sepeliri, vel in Ecclesia parochiali, & desumitur *ex c. nos instituta 1. h.t.* ubi Leo III. rescripsit, quòd quamvis ex decentia quilibet esset sepeliendus in sepultura suorum majorum: nihilominus potest quilibet eligere sepulturam in loco alieno: sed illi Ecclesiæ, ubi aliàs erat sepeliendus, & ubi pabulum spirituale accipiebat, debet dari tertia pars eorum, quæ reliquit Ecclesiæ, ubi sepelitur; & anathemate percutit oppositum facientes. 7

An verò ij, ad quos cura funeris pertinet, possint eligere sepulchrum majorum, vel Ecclesiam parochialem cum defunctus nullam sibi sepulturam elegerit, videtur dari optio eligendi alterutrum, quia *in c. is qui 3. h.t. in 6.* & *in c. licet 4. h.t. in 6.* videtur alterutrum concedi; siquidem *in d.c. licet* statuitur, quòd impubes sepeliatur, vel apud suos majores, vel in Ecclesia parochiali, si non adsit consuetudo, quâ pater illi sepulturam eligat: & *in d.c. is qui* ponitur alternativa, quæ secum trahit electionem per regulas in alternativis *de reg. jur. in 6.* Nihilominus dicendum est, non dari electionem, sed defunctum, qui non elegit sepulturam esse sepeliendum in sepulchro suorum majorum, si adsit, & in ejus defectu apud Ecclesiam parochialem: hæc enim sententia est communior, & desumitur *ex d.c. nos instituta 1. h.t.* ubi Leo III. statuit duo, quorum primum est, ut quilibet ex decentia sit sepeliendus in sepultura suorum majo-

majorum: secundum est, quòd quilibet possit eligere sepulturam in loco alieno: quòd si defunctus non sibi elegerit sepulturam, manet jus eum sepeliendi in sepulchro suorum majorum si adsit, & in ejus defectu in Ecclesia parochiali, proinde non datur ampliùs libera electio præponendi unam Ecclesiam alteri. Tum quia stante *textu in c. nos instituta* 1. *h. t.* Ecclesia, in qua est sepulchrum majorum, acquirit jus ad sepulturam, quando defunctus eam non elegit, proinde non debet privari suo jure, quod fieret, si eligeretur alia Ecclesia.

9 Supereſt tamen explicandum, quódnam sit sepulchrum majorum, in quo quilibet sit sepeliendus, qui vivens sepulturam non elegit. Respondetur, sepulchrum majorum illud esse, in quo plures ex ascendentibus sepulti sunt, ut docet Glossa *in d. c. is qui* 3. *h. t. in 6.* Joannes Andreas *in c. animarum 1. eod. tit. in 6.* Panormitanus, Barbosa, & alii communiter: ratio est, quia textus loquuntur in plurali de majoribus, & *in c. is qui eod. tit. in 6.* ut etiam in aliis capitibus ponitur expresse particula *ab antiquo*, quæ significat pluralitatem antecessorum. Hinc si in uno loco sit pater sepultus: & in alio cæteri majores, sepeliendus est defunctus, qui non elegit sepulturam, non in sepulchro patris, sed aliorum antecessorum.

10 Quòd si in uno loco essent sepulti pater, & avus, & in alio Proavus, & Atavus, tunc sepeliendus esset in sepulchrò patris, & avi, ut notat Oldrad. *consil.* 24. Alii tamen in ea sunt sententia, ut putent sepulchrum majorum respectu defuncti esse sepulchrum solius patris, tametsi solus ibi sepultus jaceat, & nituntur, eò quia sepultura inter mortuos comparetur domicilio, & cum filius sequatur domicilium patris *l. assumptio ff. ad municip.* ideo sepultura majorum censenda, est illa patris. Tum quia unitas sepulturæ fundatur in unitate dilectionis, proinde debet quisque sepeliri cum suis majoribus, quibus est illis in dilectione junctus *c. unaquaque* 13. *q.* 2. at filius in dilectione est strictiùs conjunctus patri, quàm cæteris majoribus.

11 Mihi videtur procedendum cum distinctione; si pater eum locum, in quo est sepultus delegit sibi, & suis descendentibus, tunc sepulchrum patris videtur esse sepulchrum majorum, quia per illam liberam electionem fuit constitutum sepulchrum familiæ, proinde omnes descendentes acquirunt jus ad ipsum, & quemadmodum per patrem omnia jura transeunt ad filium; ita etiam jus sepulchri. Sin verò pater non elegerit talem locum pro se, suisque descendentibus, sed tantùm ex accidenti voluit ibi sepeliri, & non ex intentione stabiliendi sepulchrum familiæ; tunc sepulchrum majorum est illud, in quo sepulti jacent alii antecessores: quia tunc sepulchrum patris est adventitium, & non transit ad successores, adeo ut dici tantùm possit sepulchrum proprium ipsius patris, non verò familiæ: nec sepulchrum majorum. Hinc ad fundamentum primæ sententiæ posset responderi, per sepulchrum majorum esse intelligendum sepulchrum familiæ, ut est illud quod pater constituit pro suis descendentibus: dicitur autem sepulchrum majorum in plurali respectu familiæ in statu perfecto, siquidem sicut familia semper incipit in uno, & perficitur in descendentibus, in quibus acquirit numerum, propagationem, & nomen; ita etiam sepulchrum majorum incipit in uno, & completur in descendentibus: cæterum ut sit sepulchrum majorum, & familiæ sufficit si sit tale inchoativè, & ex intentione, ut sit sepulchrum descendentium: quia tunc intelligitur esse sepulchrum plurium; alioquin si non sufficeret hujusmodi inchoatio nullum de novò posset ampliùs constitui sepulchrum familiæ, & majorum.

12 Neque obstat illa particula *ab antiquo*, quia hæc sumitur laxè prout significat antecessionem temporis; adeout sufficiat, si pater priùs in tali sepulchro fuerit sepultus. Ad fundamentum secundæ etiam respondetur, quòd quando pater ex accidente sepelitur extra sepulchrum suorum majorum, se habet ibi ut advena, proinde non censetur acquirere aliquid æquivalens domicilio, eò quia non eligat locum permanenter pro suis descendentibus: nec ratione dilectionis debet filius sepeliri cum patre, quia pater non separat filium ab aliis majoribus, quando se ipsum separat absque intentione stabiliendi sepulchrum successoribus: siquidem hæc separatio est tantùm accidentalis, nec habet vim se extendendi ad alios, proinde filius debet sequi unionem cum suis majoribus, perinde ac si pater cum iisdem sepultus jaceret.

13 Cæterum juvat observare discrimen inter jus civile, & canonicum, quia in jure civili nomine majorum intelliguntur tantùm superiores ultra Tritavum *l. Jurisconsultus* §. *parentes ff. de gradibus, & l. quique* §. *parentes ff. de in jus vocand.* Jus enim civile accipit majores quasi specificè pro iis tantùm antecessoribus, qui carent proprio vocabulo, proinde in jure civili majores dicuntur superiores ultra Tritavum. Secus jus canonicum accipit nomen majorum veluti genericè pro omnibus antecessoribus in eadem linea.

14 Est tamen dubium de filio adoptivo, in quonam sit sepulchro sepeliendus. Et respondetur cum distinctione, si filius adoptivus decesserit vivente adhuc patre adoptante, tunc debet sepeliri in sepulchro patris adoptantis, quòd si decedat post mortem patris adoptantis, sepeliendus est in sepulchro patris naturalis; ita respondet Asinius in *l. familiaria sepulchra n.* 8. *ff. de relig. & sumpt. funer.* Melius tamen dicendum esset, quòd si pater adoptans, sepulchrum familiæ habeat, debeat filius adoptatus in eo sepeliri, tametsi mortuus sit post patrem: & ratio est, quia filius adoptivus fictione juris, habetur ut filius, & succedit in jura filii naturalis; proinde etiam in jus sepulchri. Quòd si pater adoptans non habeat sepulchrum familiæ, sive vivat, sive mortuus sit, quando adoptivus moritur, debet filius sepeliri prout sepeliretur, si non esset adoptatus.

15 Quòd si filius naturalis renuntiaverit hæreditati patris, an possit adhuc sepeliri in eo sepulchro. Respondet Asinius *loc. cit. num.* 9. *affir-*

mati-

Digitized by

motivè quia tametsi renuntiaverit hæreditati, non tamen renuntiavit conjunctioni sanguinis, & amoris: sed non ratione hæreditatis, sed ratione conjunctionis sanguinis debetur filio sepulchrum patris *c. Ebron.* 13. *q.* 2. Immo si filius fuerit exhæredatus, vel prætéritus, adhuc humanitatis gratia sepeliendus est cum suo patre, ut desumitur *ex l. si quis fuit hæres de sepult.* non ita tamen si pater id expressè prohibuerit, potest enim testator disponere de jure sepulchri quod est proprium. Rursus si pater damnetur crimine læsæ majestatis, tunc filius utpote omnino exhæredatus à fisco excluditur etiam à jure sepulchri, ut desumitur *ex l. 1. interdum etiam ff. de suis, & legitimis*, & docet Asinius *in l. familiaria sepulchra n.* 10. *ff. de relig. & sumpt. funer.*

§. II.

An electio sepulturæ sit unicuique libera.

CErtum est, omnes, sive mares, sive fœminas posse extra parochiam propriam, in aliena Ecclesia, vel cœmeterio eligere sibi sepulturam, dummodo sint puberes, & utantur ratione, & desumitur *ex c. Nos instituta 1. b. 2.* ubi Leo III. rescripsit, posse quemlibet sibi eligere sepulturam in loco alieno: hinc etiam filiusfamilias quamvis adhuc in patris potestate constitutus, si pubes sit, absque patris consensu potest sibi liberè sepulturam eligere; quamvis per ultimam voluntatem etiam pro anima sua non possit sine patris consensu aliquid relinquere, nisi ex peculio castrensi, vel quasi castrensi, ut desumitur *ex c. licet 4. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd licèt filius familias possit eligere sepulturam, non tamen potest quidquam legare pro anima sua sine consensu patris, nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense: ubi Glossa notat, filiumfamilias posse tantùm sibi eligere sepulturam, & testari de peculio castrensi pro anima sua, non pro aliis. Quilibet igitur laicus, qui sit juris sui, potest sibi eligere sepulturam tam in Ecclesia sæculari, quàm regulari, & tam in propinquis, quàm in remotis partibus, ut docent communiter Canonistæ *in c. cum liberum de sepult* Immo id extenditur etiam ad loca extra Ecclesiam, ut ad claustrum, sacristiam, capitulum, ut habetur *in c. cum quis 2. h. t. in 6.* ubi conceditur sepultura in locis minus religiosis. Ex iis, qui non sunt sui juris uxor potest etiam sibi eligere sepulturam, ut statuitur *in c. de uxore de sepult.* & docent communiter Canonistæ Spinus *in specul. testam. Glossa 2. n. 41.* Zechius *de red. eccles. c. 28. de Parœch. n. 17. vers. fallit.* Belletus *p. 1. disquisit. cler. §. 3. de cler. debit. num. 15.* & ratio etiam adducitur, quia electio sepulturæ pertinet ad eum statum, in quo uxor solvitur à lege viri.

2 Clericus etiam potest sibi in quocunque loco sepulturam eligere; ut desumitur *ex extravag. Detestandæ §. prafati & §. sed ut defunctorum de sepult.* & ex *c. bona rei 12. q. 2.* & docent communiter cum Glossa *in c. ubicunque 13. q.* Geminian. *consil. 1. c. 4.* & ratio est, quia clericus quoad jus eligendi sepulturam non debet esse deterioris conditionis, quàm laicus; unde si laicus potest in quacunque Ecclesia sibi eligere sepulturam, etiam clerici hoc jure gaudebunt. Immo inter Regulares Novitii possunt etiam sibi sepulturam eligere, idque desumitur *ex c. Religiosi alt. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd Religiosi sint sepeliendi in propriis Monasteriis, nisi sint ita remoti, ut commodè ad ea deferri non possint; tunc enim possunt sibi sepulturam eligere, ubi Glossa notat, quòd si non eligant, sint sepeliendi in parochia, in qua moriuntur, & loquitur de Religiosis claustralibus: unde argumento à contrario sensu probatur, Novitium posse sibi sepulturam eligere, quia eatenus Religiosus professus non potest sibi sepulturam eligere, quia caret proprio velle, & nolle: atqui Novitii cùm nondum emiserint votum solemne obedientiæ, adhuc habent proprium velle, & nolle, proinde possunt testari, & alia exercere, in quibus requiritur proprium velle, & nolle, consequenter possunt etiam sibi sepulturam eligere, ut docent Pasqualigus *decis. moral. de electione sepult. decis. 381. n. 6.* Diana *p. 5. tract. 3. resolut* 109. Franc. *in d. c. Religiosi alt. h. t. num. 2. in 6.* Servi itidem possunt sibi sepulturam eligere, ut tradunt Hostiensis *in c. 1. de conjug. ser.* Pasqualig. *loc. cit. num. 7.* Portel. *in dubio Regul. V. sepult. n. 6.* quia in spiritualibus servus non subjicitur domino, neque hic potest illum adigere.

Immo Religiosi professi si decedant extra Monasterium, ad quod non possint commodè deferri, possunt etiam sibi sepulturam eligere, & desumitur *ex d. c. Religiosi 5. h. t. in 6.* ubi expressè habetur, quòd si Religiosi decedant remoti à suo Monasterio, ad quod commodè deferri nequeant, possunt sibi sepulturam eligere, & ita docent communiter Canonistæ, Riccius *p. 4. prax. fori eccles. resol. 293. num. 39.* Barb. *de offic. & potestate Parœch. c. 26. num. 3.* Pasqualigus *loc. cit. decis. 382.* cùm enim *in d. c. Religiosi 5. h. t. in 6.* ponatur exceptio, & dicatur, quòd Religiosi sint sepeliendi in propriis Monasteriis, nisi sint ita remoti, ut commodè deferri non possint ad illa; quoties revera decedunt dissiti à proprio Monasterio, possunt sibi sepulturam eligere. Et tunc talis electio fit cum interpretativo consensu superioris: siquidem cum non possit cadaver commodè ad Monasterium deferri; præsumitur, quòd intentio superioris sit, ut ille Religiosus possit sibi juxta beneplacitum sepulturam eligere: cùm enim Religiosus defunctus jam sepeliendus sit extra Monasterium superior præsumitur ipsi indulgere, ac concedere facultatem, ut sibi eligat sepulturam: quapropter licèt ob votum obedientiæ non habeat proprium velle, & nolle; adhuc in tali casu potest sibi sepulturam eligere.

Quòd si Religiosus claustralis, qui decessit 4
extra proprium Monasterium, ad quod deferri commodè non potest, non elegerit sibi sepulturam, debet tunc sepeliri in ea Ecclesia parochiali, in qua decessit, ut notat Glossa *in cap. fin. de sepult. in 6. V. nota primò* Barb. *in collect. in cit. c. num. 4.* ratio est, quia ut notat Pasqualigus, tunc Religiosi se habent instar sæcularium de-

cedentium in itinere, qui etiam ſepeliuntur in parochia, ubi decedunt, quia ſequuntur locum, in quo reperiuntur, ut participantes jus ad ſpiritualia, quæ communicantur in illo loco, ut rectè diſcurrit Pasqualigus: quia omnis fidelis habet jus ad Sacramenta, & ad annexa ſpiritualibus, in quocunque loco reperiatur: proinde ut recipiat auxilia ſpiritualia in eo loco, in quo reperitur. Si tamen in tali loco eſſet Monaſterium ſui ordinis, tunc eſſet Religioſus ſepeliendus in illo, tametſi deceſſerit extra Monaſterium in hoſpitio; quia id tantùm fuit per accidens ratione itineris; & omnia Monaſteria unius ſacri ordinis ſimul uniuntur ſub uno capite: proinde quamvis non communicent in bonis temporalibus; debent tamen communicare in ſpiritualibus ratione charitatis, quâ omnia membra ſimul uniuntur ſub uno capite. Et tunc Religioſus clauſtralis ſi decedat non electâ ſepulturâ, debet in Eccleſia ſui ordinis ſepeliri. Imò cenſerem, non poſſe eligere ſepulturam extra talem Eccleſiam, tametſi contrarium cenſeat Pasqualig. ſi Religioſus non ſit ſub obedientia Prælati illius Monaſterii: quia Religioſus non habet propriumvelle, & nolle: & eatenus poteſt, ſi decedat in loco diſſito à Monaſterio ſibi eligere ſepulturam, quia ſupponitur voluntas interpretativa ſui ſuperioris: atqui hæc voluntas debet eſſe rationabilis; proinde, quòd Religioſus, ſi non poſſit ſepeliri in Eccleſia proprii Monaſterii, ſaltem ſepeliatur in aliqua ſui ordinis, quando id commodè fieri poteſt: & quando in loco, in quo Religioſus decedit adeſt aliud Monaſterium ſui ordinis, poteſt commodè ad Eccleſiam illius deferri, proinde voluntas interpretativa proprii ſuperioris, cum ſit rationabilis, ſupponitur eſſe, ut tunc Religioſus ſepeliatur in tali Eccleſia: quia licèt non ſit membrum illius Monaſterii, eſt tamen membrum ejusdem ordinis, cujus Monaſterium eſt etiam membrum; adeo ut Religioſus, & Monaſterium ſimul nectantur ratione capitis, & ordinis: unde putârim, Religioſum decedentem in loco diſſito à proprio ſuo monaſterio, & in quo ſit Monaſterium ſui ordinis, non poſſe ſibi ſepulturam eligere extra Eccleſiam talis Monaſterii.

5 An verò Novitius decedens ſine electione propriæ ſepulturæ ſit ſepeliendus in Eccleſia monaſterii, in quo deceſſit. An verò in Eccleſia parochiali. Reſpondent Petrus de Ubaldis *de canon. epiſc. c. 34.* Angelus *V. ſepultura num. 26.* Novitios eſſe ſepeliendos in Eccleſia parochiali, eò quia non ſint veri Religioſi, nec adhuc incorporati Monaſterio, & habent adhuc proprium velle, & nolle, nec ſint ſub obedientia ſuperioris.

6 Nihilominus reſpondendum abſolutè eſt, Novitios, qui defungantur intra tempus probationis in novitiatu, ſeu monaſterio, eſſe ſepeliendos in Eccleſia ejusdem monaſterii: ſiquidem licèt nondum emiſerint ſolemnem profeſſionem adhuc accenſentur quoad plures effectus Religioſis, nimirum quoad obſervantiam regularum, Sacramentorum perceptionem, & privilegium canonis *c. Religioſo de ſent. excommun. in 6.* Navarr. *conſ. 5. & 6. de for. compet.* Immo etiam ſi Novitius decederet in domo parentum ubi verſabatur cum licentia ſui ſuperioris retento habitu religioſo, & absque electione ſepulturæ, adhuc ſepeliri deberet in Eccleſia ſui monaſterii, quia Novitii gaudent jure, & privilegiis ſui ordinis, ut docent communiter cum Rodriquez. *tom. 2. q. 39. art. 4.* Sylveſt. *q. 8. dict. 7.* & quidem expenſis monaſterii ſui ordinis, ſi proprio carent patrimonio, ſiquidem ſunt membra monaſterii, quatenus Novitii fuerunt jam admiſſi, ut probentur. Sed poſſet eſſe difficultas ſi Novitius ante mortem intentionem habuiſſet redeundi ad ſæculum, an tunc ſepeliendus eſſet in Eccleſia parochiali: quia per intentionem redeundi ad ſæculum elegiſſet mori in ſæculo, proinde cenſendus eſt, etiam elegiſſe ſepulturam extra monaſterium. Nihilominus adhuc dicendum eſt, Novitium non obſtante tali intentione, adhuc eſſe ſepeliendum in Eccleſia ſui monaſterii: ratio eſt, quia ſolum propoſitum non extrahit Novitium à ſtatu Novitiorum, perinde ac ſola voluntas mutandi domicilium, & parochiam non ſubtrahit à jure Parochi *argum. l. domicilium ff. ad municipalem* ſed ut extrahatur à ſtatu Novitiorum requiritur factum ſolvens contractum, quo Novitius ſe probandum tradidit religioni, & ipſe fuit acceptatus, & etiam acceptavit religionem probandam. Eſt tamen verum, quòd ſervanda ſit conſuetudo recepta in quavis religione, quia ordines ſunt diverſi, ac diverſa habent inſtituta.

Prælati religionum præſertim ſi ſint Gene- 7
rales poſſunt ſibi ſepulturam eligere, ut docent Layman. *lib. 2. Theolog. moral. tract. 5. c. 9. n. 6. V. porro.* Sylveſter. *V. ſepultura q. 6.* & alii, eò quia hujusmodi ſuperiores non dependent ab alio ſuperiore intra eundem ordinem, cùm ſint ipſi primi, & generales, conſequenter habent proprium velle, & nolle. De aliis ſuperioribus ſubordinatis, & qui ſubduntur generali, eſt dubium, quia hi non videntur habere proprium velle, & nolle, proinde militat ratio, ob quam *in cap. Religioſi ult. h. t. in 6.* prohibentur Religioſi ſibi eligere ſepulturam. Verùm poſſe etiam ſuperiores, qui ſubduntur generali ſibi eligere ſepulturam, docent Abbas *in c. de uxore num. 5. de ſepult.* Franc. *in c. fin. de ſepult. in 6. num. 2.* Roiella *V. ſepultura 2. n. 2.* Pasqualigus *loc. cit. deſis. 384.* & hæc opinio eſt valdè probabilis, quia tametſi Prælatus localis ſubdatur generali, adhuc tamen in pluribus habet proprium velle, & nolle in his ſcilicet, quæ pertinent ad regimen ſui monaſterii, in quo poteſt de pluribus diſponere: & quia *in c. Religioſi 5. h. t. in 6.* ratio, cur Religioſi prohibentur ſibi eligere propriam ſepulturam eſt, quia non habent proprium velle, & nolle, ideo à contrario ſenſu, quia Prælati locales habent proprium velle, & nolle, videtur, quòd poſſint ſibi eligere ſepulturam: præſertim cum electio ſepulturæ pertineat ad jus ſpirituale, quod minus adſtringitur in quocunque ſubjecto, quàm quodcunque aliud jus: qua ratione uxor, quamvis ſit ſub poteſtate viri, adhuc poteſt ſibi ſepulturam eligere, ſicut etiam filiusfamilias.

Hinc

8 Hinc hujuſmodi ſuperiores poſſunt ſepulturam ſibi eligere etiam in Eccleſia extra ſuum ordinem, cùm facultas eligendi ſepulturam non limitetur ad hanc potiùs, quàm illa loca, ſed extendatur ad omnia, in quibus locum habet eccleſiaſtica ſepultura: & quamvis non ſit conſuetudo, ut Regulares Religioſi ſepeliantur extra Eccleſiam ſui ordinis: nihilominus id non videtur obſtare, quia ſi velint, poſſint ſibi eligere ſepulturam in Eccleſia extra ſuum ordinem. Rectè tamen notat Pasqualigus *in additionib. ad Lauretum de Franchis p. 2. q. 61. num. 3.* hanc electionem debere eſſe rationabilem, alioquin nulla eſſet electio ſepulturæ, ſi Prælatus ſibi eligeret ſepulturam in Eccleſia valdè diſſita, ad quam deportari non poſſet ſine magnis expenſis: neque eſſet rationabilis electio, ſi ex illa graviter læderetur honor, & bona opinio religionis; ſicut de facto læderetur, ſi non appareret ſpecialis prærogativa loci electi, & quæ præponderaret ad relinquendam ſepulturam in proprio monaſterio. An etiam ſuperiores locales poſſint eligere ſepulturam pro ſuis ſubditis, videtur dubium, eò quia Prælatus æquiparetur patri, qui ſicut poteſt eligere ſepulturam filio impuberi, ita etiam Prælatus Regularis ſuo ſubdito non habenti proprium velle, & nolle; & licèt Prælatus non ſit verus pater, nihilominus poteſt diſponere cum ſuis ſubditis, perinde ac pater cum filio impubere; ob hanc rationem adhæret huic ſententiæ Rodriquez. *tom. 3. quæſtionum regul. q. 60. art. 1.* Verùm contraria ſententia eſt probabilior, quam docent Aſinius *in l. familiaris ſepulchra ff. de relig. & ſumpt. funer. num. 51.* Pasqualigus *loc. cit decis. 386. num. 3.* de Ubaldis *de canon. Epiſc. c. 11. num. 6.* quia pater non poteſt eligere filio impuberi ſepulturam, ratione patriæ poteſtatis, ſed tantùm ratione conſuetudinis, & ubi conſuetudo non inolevit, non poteſt eligere filio impuberi ſepulturam, ut habetur expreſsè *in c. licèt pater 4. h. t. in 6.* ubi dicitur: cùm filii impuberes nequeant eligere ſepulturam, eligat pater, ſi eſt talis conſuetudo: ſi non eſt, ſepeliatur in ſepultura majorum: atqui non eſt moris, neque hactenus inolevit conſuetudo ſepeliendi Religioſos extra Eccleſias ſuorum monaſteriorum, proinde non eſt eadem ratio de Prælato Regulari, ac de patre reſpectu filii impuberis.

9 Neque obſtat, quòd ſubditus transtulerit totum ſuum velle, & nolle in Prælatum, adeo ut voluntas Prælati ſit voluntas ſubditi, quia licèt id verum ſit, non tamen Prælatus poteſt diſponere, niſi rationabiliter: & recta ratio exigit, ut Religioſi regulares ut moris eſt, ſepeliantur in propriis eccleſiis, quando defunguntur in ſuis monaſteriis. Imò ſi Prælatus ipſe ex rationabili cauſa ſibi eligeret ſepulturam in Eccleſia extra proprium Ordinem, & poſtea defungeretur finita Prælatura eſſet ſepeliendus in Eccleſia ſui ordinis, non in electa extra ordinem, ut notat Pasqualigus in Lauretum de Franchis *q. 61. & in decis. moral. decis. 387.* quia electio ſepulturæ eſt actus ultimæ voluntatis, ut notat Gloſſa *in c. animarum 1. h. t. in 6. in additione V. & ſi ratio.* Propterea reſpicit ultimam voluntatem, quæ ſi careat jure eligendi non poteſt eligere, & electio facta non eſt ampliùs valida, ſi facta fuit tempore, quo voluntas non habuit jus eligendi; quia eò ipſo, quòd voluntas deperdit jus eligendi, etiam electio facta amittit ſuum valorem: ſed quando Prælatus regularis abſolvit ſuam Prælaturam, & revertitur ad ſtatum ſubditi, eò ipſo amittit jus eligendi ſepulturam, proinde etiam electio antea facta deperdit ſuum valorem: quia electio facta ante mortem habet robur in morte, quatenus cenſetur actus ultimæ voluntatis; & talis electio non poteſt eſſe actus ultimæ voluntatis Religioſi ſubditi, cùm non poſſit hic ſibi ſepulturam eligere; proinde talis electio eſt invalida, & Religioſus ſepeliendus eſt in Eccleſia ſui monaſterii. Generatim Religioſi, qui ſubjiciuntur Prælato locali alicujus monaſterii; ſive in eodem ſint Vicarii reſpectu præpoſiti, vel Guardiani, ſive Priores, qui ſubjiciuntur Abbati, non poſſunt ſibi ſepulturam eligere, quia non habent proprium velle, & nolle, cùm ſubjiciantur Prælato principaliori monaſterii.

10 Pater poteſt ſepulturam eligere filio impuberi mortuo, & deſumitur *ex c. licèt de ſepult. in 6.* ubi dicitur cùm filii impuberes nequeant eligere ſepulturam, eligat pater, ſi eſt talis conſuetudo, alioquin ſepeliatur in ſepultura majorum: unde conſuetudo dat facultatem patri eligendi ſepulturam pro filio impubere, & quia textus loquitur generaliter de electione pro filio impubere, ideo non debet limitari ad vivum, vel mortuum, ſed accipi debet cum tota ſua extenſione, quia lex generalis generaliter accipitur *argum. l. de pretio. ff. de public. in rem act.* Tum quia conſuetudo, quæ dat patri hanc facultatem, ideo eſt rationabilis, quia ipſi aſſiſtit jus: ſiquidem ad patrem pertinet curam gerere de filiis tam in ordine ad temporalia, quàm ad ſpiritualia, adeo ut ad patrem etiam pertineat cura de ſepultura, quando filii ſunt mortui: conſequenter fundamentum conſuetudinis, cum duret poſt mortem filii, durat etiam ipſa poteſtas introducta ex tali conſuetudine: ſiquidem conſuetudo introducitur cum menſura ad fundamentum, ratione cujus eſt rationabilis, proinde etiam cum extenſione ad idem fundamentum: æquè pertinet ad patrem gerere curam de filio impubere vivo tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus, ac ſpectet ad eundem curam gerere, ut filius poſt mortem ſepeliatur, & officia eidem Chriſtianæ religionis impendantur; proinde fundamentum rationabilis conſuetudinis eligendi ſepulturam pro filio impubere manet etiam poſt obitum filii impuberis: proinde conſuetudo etiam viget poſt mortem, & electio eſt valida. Tum quia ſi pater nomine filii eligeret ſepulturam, adhuc poſſet eam eligere poſt mortem filii: & pater eatenus eligit nomine filii impuberis ſepulturam, quia voluntas filii cenſetur identificata cum voluntate patris, ac dirigentis actiones filii, & quia poſt mortem filii perſeverat voluntas patris, ideo manet virtualiter in patre voluntas filii in ordine ad ea quæ poſt mortem diſponenda ſunt. Neque obſtat,

ſtat, quòd electio ſepulturæ ſit actus ultimæ voluntatis referibilis ad tempus vitæ, non ad tempus poſt mortem: nam pater non eligit ſepulturam filio impuberi nomine ipſius filii, ſed nomine proprio cùm ad ipſum pertineat curam habere de filio etiam poſt mortem, ut ipſi officia impendantur Chriſtianæ religionis. Tum quia quamvis nomine filii jam defuncti eligeret ſepulturam, adhuc voluntas filii cenſeretur virtualiter manere in illa patris, cùm tota voluntas filii cenſeatur translata ex vi inolitæ conſuetudinis in illam patris.

11 Mater poteſt etiam filio impuberi ſepulturam eligere, & deſumitur *ex d. c. licet 4. h. t. in 6.* in quo dicitur, quòd cùm filii impuberes non poſſint ſibi eligere ſepulturam, pater eligat, ſi talis ſit conſuetudo; alias ſepeliatur in ſepulchro ſuorum majorum, vel in Eccleſia parochiali: & quia *in c. Nos inſtituta 1. h. t.* Leo III. ait, quòd quamvis ex decentia eſſet quilibet ſepeliendus in ſepultura ſuorum majorum, tamen quilibet poteſt eligere ſepulturam in loco alieno: & quia ſunt aliqui, qui non poſſunt ſibi ſepulturam eligere, ut ſunt filii impuberes; & jura non prohibeant, quòd alii eligant ipſis ſepulturam, quinimò potiùs convalident conſuetudinem, quâ pater ſibi aſſumit jus, quod filiis conveniret, ſi eſſent capaces, ut habetur *in c. de uxore 7. §. utrum autem h. t.* ideo ex conſuetudine uterque parens tam pater, quàm mater poteſt filio impuberi eligere ſepulturam, cùm jus hanc conſuetudinem approbet, ac proinde ſit ſecundùm jus, à quo admittitur ut rationabilis.

12 Quamobrem ex eo, quòd pater ratione conſuetudinis poſſit eligere filio impuberi ſepulturam, poterit hoc idem præſtare mater, cùm ad ipſam etiam pertineat cura filiorum impuberum, in quo eſt conſocia mariti, quem adjuvat in eadem cura gerenda, ut liquet in iis, quæ pertinent ad educationem filiorum: quamobrem ſi mater eligat ſepulturam filio impuberi, electio ſuum ſortitur valorem, ut actus ſpecialis curæ maternæ reſpectu filiorum, quia mater habet jus ad talem curam impendendam pro filiis, proinde ad omnes actus, qui ſunt partes talis curæ; conſequenter etiam ad electionem ſepulturæ, cùm ſit actus ejusdem curæ. Non tamen poſſunt affines, & conſanguinei ſepulturam eligere, pro affine, & conſanguineo impubere, niſi fortaſſis ſuccedant patri, vel matri in cura impuberum: quia ad ipſos non pertinet curam gerere de affine, & conſanguineo impubere, niſi expreſsè ſuccedant patri, vel matri, quia tunc vicem gerunt patris, & matris: & quia pater ex conſuetudine poteſt filio impuberi defuncto ſepulturam eligere, ita etiam affines, & conſanguinei ſi gerant vices patris, cui ſuccedant in cura filiorum impuberum: ſiquidem talis ſucceſſio dat ipſis jus ad illa exercenda, quæ pertinent ad eorundem curam, ut notat Pasqualigus *loc. cit. decis. 394.* quapropter transfert etiam ad ipſos jus, quod convenit patri ratione conſuetudinis pro electione ſepulturæ filii impuberis. Secus ſi non ſuccedant loco patris, vel matris, non poſſunt ſepulturam eligere pro affine, & conſanguineo impubere, quia tunc non transfertur ad ipſos jus ea exercendi quæ pertinent ad patrem, & matrem, quia hoc jus non transfertur, niſi ratione ſucceſſionis, quâ affines & conſanguinei ſuccedunt loco patris, vel matris.

Tutores in probabiliori ſententia poſſunt etiam eligere ſepulturam pupillorum impuberum: ratio eſt, quia tutor vicem gerit patris, & in tutorem transfertur jus patris in ordine ad gerendam curam pupilli; adeo ut officium patris tranſeat ad tutorem; ut docent communiter doctores Socinus *conſil. 61. p. 1.* Specul. *de ſponſal. §. 1. vers. tamen contra* Suarez. *3. p. tom. 3. diſp. 25. ſect. 3 V. ſecundò infertur* Pasqualigus *loc. cit. decis. 395. num. 3.* unde tranſit etiam ad tutorem jus eligendi ſepulturam, cùm tutor ſubrogetur in locum patris, ac ejus locum teneat *l. penult. C. de prox. ſac. ſcript. lib. 12.* ubi Bartol. *in fin.* unde cùm tutor ſubrogetur patri in ordine ad curam pupilli impuberis, gaudet iisdem privilegiis, & juribus, quæ exiguntur à fine ipſius ſubrogationis *l. decernimus C. de aqua duct. lib. 11.* & jus eligendi ſepulturam pertinet ad finem ſubrogationis, quia pater habuiſſet hoc jus, & cùm tutor ſubrogetur patri, transfertur ad tutorem etiam hoc jus eligendi ſepulturam pupillo impuberi ratione ſubrogationis. Et quamvis tutela expiret per mortem pupilli impuberis quoad negotia gerenda, non tamen extinguitur in ordine ad perficienda jam inchoata, ut notant Bartol. *in l. ita autem §. fin. ff. de adminiſt. tut.* Bald. *in l. tutori V. oppon. C. de negot. geſtis.* Quapropter poſt mortem pupilli impuberis adhuc tutor debet inchoatam litem proſequi *l. 1. C. de adminiſt. tutel.* & ita communiter docent Jurisperiti: electio ſepulturæ habetur etiam ut negotium inchoatum, eò quia pertineat ad curam perſonalem, quam tutor tenetur de pupillo gerere. 13

Non tamen amicus poteſt alteri amico ſepulturam eligere, licèt contrarium ſentiant Gloſſa *in c. licet V. vel in parochiali de ſepult. in 6.* Franc. ibid. *num. 3.* Gratianus *tom. 1. diſcept. forens. c. 94. num. 80.* Noſtram tamen ſententiam docent Riccius *in prax. rerum quotid. decis. 666.* Pasqualigus *loc. cit. decis. 396. num. 4.* Diana *p. 5. tractat. 3. reſolut. 108.* Barb. *in c. 1. de ſepult. num. 6.* & communiter alii cenſentes, hanc ſententiam probabiliorem: quia ſi amicus, cui alter amicus eligit ſepulturam perveniat ad annos pubertatis, ſeu compleat annum ætatis 14. habet proprium jus perſonale eligendi ſibi ſepulturam, & hoc jus non tranſit in amicum, cùm jura perſonalia, tametſi communicabilia, non transferantur niſi ex ſpeciali aliqua ratione, unde amicus non poteſt amico adhuc viventi eligere ſepulturam, niſi ex ſpeciali mandato.

Nec poteſt amicus amico jam mortuo eligere ſepulturam; quia jus eligendi ſepulturam, quod inerat alteri amico, extinguitur per mortem ipſius, quapropter nequit amicus ſuperſtes defuncto ſepulturam eligere: ſed tunc ſubintrat jus præſcribens locum ubi defunctus debeat ſepeliri. Sin verò amicus ſit impubes, tunc ratione amicitiæ, nequit alter amicus eidem 14

eligere

eligere sepulturam: quia tenella illa ætas ob imbecillitatem consilii non censetur capax talis amicitiæ ineundæ, quæ præponderet conjunctioni sanguinis, & efficiat, ut amicus sit alter Ego, ut notat Glossa *c. Ego N. 4. de jurejurando.*

15 Dominus tamen potest sepulturam eligere servo, quia comparatur ad servum, perinde ac ad filium, & debet gerere curam servi, præsertim in ordine ad spiritualia, adeo ut illud jus, quod servo inesset in ordine ad electionem sepulturæ, si pubes esset, præsumatur esse in domino ante pubertatem. Quamobrem dominus nonnisi servo impuberi potest sepulturam eligere: cùm enim ad ætatem pubertatis devenerit, acquirit proprium jus personale eligendi sibi sepulturam, proinde non dependet à domino: & in hoc non est eadem ratio de servo, ac de filio, quia jus conceditur filio ratione consuetudinis, non verò servo. An verò si electio sepulturæ committatur alicui, debeat is eam eligere antequam committens defungatur. Certum est, habentem jus eligendi sepulturam posse alteri facultatem committere eam eligendi, quia tunc electio fit nomine habentis jus eligendi, ut notant Geminian. *in c. is qui §. Mulier. num. 6. de sepult. in 6.* Riccius *in prax. p. 1. resol. 564. num. 2.* Ancharan. *consil. 214.* unde dubium est, an hujusmodi electio facienda sit à commissario adhuc vivente committente.

16 Probabilior sententia est, quòd possit fieri etiam post mortem committentis, ut docent Menoch. *consil. 60. num. 6.* Pasqualigus *loc. cit. decis. 399. num. 4.* Guttieres *tractat. juram. confir. p. 2. c. 4.* Quia tametsi mandatum spiret per mortem mandantis; non tamen tunc spirat, si habeat effectum, quòd non possit executioni mandari, nisi post mortem mandantis, quia tunc ex intentione mandantis extenditur usque ad positionem effectus; proinde debet extendi usque ad tempus ponendi effectum: & quia hoc tempus est post mortem mandantis, ut in sepultura eligenda; siquidem tunc tantùm potest sepultura suum sortiri effectum, proinde mandatum committentis se extendit in ordine ad electionem sepulturæ etiam post ejus obitum: proinde potest commissarius etiam post mortem committentis validè eligere sepulturam. Ex eo enim, quòd jus committentis se extendat usque ad ponendum effectum sepulturæ, cùm habeat jus ad talem effectum, ideo se extendit usque ad tempus, quo ponitur talis effectus: & quia hoc idem jus transit in commissarium; ideo in isto etiam manet post mortem committentis, donec ponatur effectus sepulturæ: licèt cætera jura spirent per mortem mandantis, proinde etiam in mandatario cessent, non tamen hoc jus eligendi sepulturam extinguitur per mortem mandantis, quia ejus effectus non potest poni nisi post mortem mandantis: proinde ne sit jus frustraneum, debet extendi post mortem, donec ponatur effectus sepulturæ: quamobrem jus committentis, cùm extendatur usque ad effectum sepulturæ manet in ipso commissario, quia est causa concurrens ad effectum sepulturæ.

§. III.

Jus sepulturæ, ad quam Ecclesiam spectet & an possit quid exigi pro sepultura.

1 DE jure communi, & regulariter jus sepeliendi competit tantùm illis ecclesiis, quæ populum habent, & curam gerunt animarum, cujusmodi sunt Ecclesiæ parochiales, ut docent communiter jurisperiti Abbas *in c. certificari 9. num. 8. h. t.* Sylvester *V. sepultura q. 3.* quia sicut Sacramenta administrare, verbum Dei prædicare, ita etiam officium sepulturæ fidelibus præstare ad eorum pertinet pastores, ut desumitur *ex element. 2. §. verum h. t.* Neque obstat Concilium Triburicense, quod statuit, ut fideles, si fieri possit, sepeliantur primò in Ecclesia episcopali, deinde in Ecclesiis Monasteriorum, ubi degit religiosa congregatio, & tertiò ubi quis decimas percipiebat: siquidem Concilium tantùm loquitur de monasteriis habentibus populum, seu curam gerentibus animarum, ut explicat Abbas *in c. fraternitatem 3. not. 1. h. t.* Est enim rationi consentaneum, ut in ea quisque sepeliatur Ecclesia, in qua recepit, vel saltem recipere debuit Sacramenta, & audire verbum Dei, ut habetur *in c. in nostra 10. h. t.* ubi Innocentius III. injungit, ut fideles sepeliantur in propriis ecclesiis parochialibus, & privilegiati ad sepeliendũ in propria Ecclesia, si sepeliant eos, qui eligunt talem sepulturam, teneantur de relictis à defuncto pro anima sua in ultima dispositione dare quartam parochiæ, nisi dolo, & fraude fuerit inductus ad eligendam talem sepulturam: quia tunc debent totum restituere, ut etiam si eos sepeliant, qui non elegerunt sepulturam.

2 Quamvis jure communi jus sepulturæ competat solis ecclesiis parochialibus, nihilominus ex privilegio sedis Apostolicæ jus sepeliendi fideles concessum est etiam Religiosis Sacrorum ordinum Prædicatorum, & Minorum *in clem. dudum 2. §. hujusmodi h. t.* ubi dicitur, quod prædicti regulares liberè possunt in suis locis sepelire quoscunque, qui in illis sepulturam eligunt: ut prædicti fratres de omnibus proventibus tam funeralibus, quàm quocunque modo relictis distinctè, vel indistinctè ad quoscunque certos, vel indeterminatos usus, de quibus etiam quarta non consuevit solvi, vel non debet de jure, & datis in morte, & mortis articulo, vel in infirmitate, in qua decesserunt quocumq; modo, vel fratribus, vel aliis pro eisdem, semper quartã partem integram dent ecclesiis parochialibus, & eorum Rectoribus: immo quæ danda essent fratribus in morte, non curent sibi dari in vita, ne quartam solvant, & si quid faciunt cum fraude, & dolo, ultra peccatum restituant quartam, & ultra quartam hic taxatam non possunt fratres cogi ad aliud, nec Rectores cogere: & ad hoc revocantur omnia privilegia sub quacunq; verborum forma data, & etiam consuetudines.

3 Hoc privilegium sepeliendi fideles in propriis ecclesiis concessum postea fuit aliis Religiosis, qui petierunt, immo concessum etiam iis-

dem fuit, ut non teneantur permittere, ut funus prius ad Eccleſiam parochialem ducatur: & ſi Presbyteri ſæculares admoniti corpus defuncti deferre nolint ad Eccleſiam Regularium, poſſunt etiam contradicente Parocho, vel Epiſcopo ipſi Regulares illud levare, ac deferre ad propriam Eccleſiam: ratio eſt, quia jus ſepeliendi fideles eſt iisdem religioſis liberum, hoc eſt ſine ullius contradictione: verùm quoad hoc ſervanda eſt conſuetudo loci; alioquin ſi non adſit conſuetudo in contrarium, poſſunt Regulares etiam contradicente Parocho, vel Epiſcopo corpora defunctorum, qui in propriis eccleſiis elegerunt ſepeliri, levare, ac deferre; aliter non haberent jus liberè ſepeliendi. Tum quia conceſſo fine, cenſentur etiam conceſſa media neceſſaria ad aſſecutionem ejusdem finis, proinde obſtare impedimentis. Solus ſummus Pontifex poteſt generatim in tota Eccleſia concedere jus, ſeu privilegium ſepeliendi. Legati de latere tantùm intra ſuas Provincias, & Epiſcopus, vel qui quaſi epiſcopali jurisdictione eſt præditus, poteſt concedere jus ſepeliendi intra ſuam diœceſin ex juſta cauſa, & accedente conſenſu capituli, ſine quo nequit Epiſcopus, quæ ardua ſunt expedire, nec jus competens uni Eccleſiæ, cujusmodi eſt jus ſepulturæ, auferre Eccleſiæ parochiali, & dare alteri cùm præjudicio parochialis.

4 Hoc jus ſepeliendi tripliciter poteſt alicui dari, ut notat Navarrus *conſil. 3. in c. 1. h. t.* primò ut is, cui datur, fiat dominus ſepulturæ: & hoc pacto nulli poteſt tale jus dari; nec cum authoritate Epiſcopi, quia res ſacræ, & loca religioſa, ut ſunt ſepulchra in Eccleſiis, non poſſunt alienari; & alienarentur, ſi alicui concederetur eorum dominium, quoties enim dominium transfertur de Eccleſia ad ſæculares habetur vera alienatio prohibita *in extravag.* Pauli II. ut liquet in *tit. de rebus eccles. non alienand.* Secundò poteſt alicui dari jus, ut ipſe, & ſui conſanguinei in certa Eccleſia, vel loco ſepeliantur, & ne ipſis invitis alius extraneus in eo ſepeliri poſſit: & hoc ſecundo modo non niſi de authoritate Epiſcopi accedente conſenſu Capituli, & juſtâ cauſâ, concedi poteſt ſepulchrum ſæcularibus: quia tametſi per talem conceſſionem non transferatur dominium rei, ſeu ſepulturæ, transfertur tamen ejus uſus, quod non poteſt fieri niſi ſervata forma, & ſolemnitate requiſita in alienatione rerum eccleſiaſticarum. Tertiò tandem poteſt quis habere jus ſepeliendi in ſua Eccleſia eos, qui petierunt: & hoc pacto poteſt concedi locus ſepulturæ à quolibet habente jus admittendi alios ad ſepulturam in ſua Eccleſia, vel cœmeterio adnexo ſine ſpeciali conſenſu Epiſcopi, quia facultas tunc habetur à jure communi; & conceditur ex legitimo ſpeciali privilegio.

Videtur tamen oriri difficultas, ubinam ſepe- 5 liendus ſit, qui ob aliquod impedimentum non poteſt ſepeliri in ſepultura electa. Reſpondent Genuenſis *in prax. Archiepiſc. Neap. c. 76. n. 5.* & Lavorius *variar. lugubr. tit. 2. c. 11. num. 41.* ſepeliendum eſſe ubi Epiſcopo, & ejus vicario viſum fuerit conſultius, quia non poteſt dici defunctum elegiſſe ſepulturam in parochia, proinde electio ſepulturæ conjicienda eſt ex devotione, affectione, & propenſione defuncti. Verùm huic ſententiæ non putârim adhærendum, quia non ſervaretur mens defuncti circa ſepulturam, nec juris diſpoſitio. Unde putârim procedendum cum diſtinctione, an impedimentum obſtans, ne defunctus ſepeliatur in electa ſepultura, ſit temporale, an verò perpetuum; ſi enim ſit temporale, eò quia Eccleſia ſit interdicta, ac proinde durante interdicto non poſſit quis in eadem ſepeliri juxta *c. quod in te de pœnit. & c. ſi civitas. de ſent. excommun. in 6.* tunc ſepeliendus eſt loco depoſiti in parochia ea conditione, ut ceſſante impedimento deportetur ad ſepulturam electam: ſiquidem electio ſepulturæ, cum ſit potior pars ultimæ voluntatis, debet omnino ſervari *l. quoties. §. ſi duo ff. de hared. inſtit. & l. cogi ff. ad Trebell.* quòd ſi ultima voluntas defuncti non poſſit ſervari in totum, ſervanda ſaltem eſt, eo meliori modo, quo poteſt, quia hæc ſemper eſt interpretativa voluntas defuncti: proinde ejus corpus deportandum erit ad ſepulturam electã, cùm primũ transferri poterit.

Quòd ſi impedimentum fuerit perpetuum, 6
vel quia Eccleſia caret jure ſepeliendi, vel adſit poſitiva prohibitio, ne quis in illa ſepeliatur, tunc defunctus erit ſepeliendus, pro ut de jure debuiſſet ſepeliri, ſi nullam elegiſſet ſepulturam, quia quando electio ſepulturæ non poteſt ſortiri ſuum effectum, perinde ſe habet, ac ſi non præceſſiſſet. *l. ſi quis ſub conditione ff. de teſtam. tut. & l. ex ſenſu §. 1. de appellat.* Tum quia quando libera electio ſepulturæ facta à defuncto non poteſt habere effectum, tunc ſubintrat diſpoſitio juris, & vim habet, ut ſuum ſortiatur effectum, ut declaravit Rota Romana coram Milino *decis. 273. num. 1.* ſiquidem diſpoſitio juris, quando non poteſt ſervari illa defuncti, ſervanda eſt.

Neque obſtat fundamentum oppoſitæ ſen- 7
tentiæ, quia tametſi defunctus elegerit ſepulturam, eſt nihilominus electio ſine effectu, proinde non habetur in conſideratione: unde exinde non colligitur, quòd noluerit ſepeliri in parochia aut alibi, ubi de jure eſſet ſepeliendus, ſed tantùm quòd habuerit intentionem, ut ſepeliretur in Eccleſia electa, & non in alia, ſi poſſet in electa ſepeliri: ſecus ſi prævidiſſet impedimentũ, elegiſſet proculdubio aliam Eccleſiam, in qua ſine impedimento poſſet ſepeliri: & quia non conſtat [illegible] tali Eccleſia, ideo ſervanda eſt diſpoſitio juris, & debet ſepeliri in Eccleſia parochiali, vel in ſepulchro ſuorum majorum, quando enim electio non poteſt habere effectum, ſubintrat diſpoſitio juris *c. ſi Papa de privileg. in 6.*

Advenæ ſi defungantur ſine electione ſepulturæ, debent ſepeliri juxta conſuetudines, & ſtatuta locorum: ſiquidem alicubi moris eſt, ut ſepeliantur in Eccleſia cathedrali: alibi in parochiali: unde in hac materia attendenda potiſſimùm eſt conſuetudo loci, ut notat Mantica *decis. 366. num. 3.* ſiquidem conſuetudo legitimè præſcripta inducit jus *l. de quibus ff. de legib. & l. nulli ff. quod cujusque univers.* Seclusa tamen conſuetudine, & jure municipali diverſæ

ſunt doctorum ſententiæ, Gloſſa *in c. in noſtra* 10. *h. t.* Innocentius, Hoſtienſis ibidem & Andreas *in c. Nos inſtituta 1. h. t.* docent, eſſe ſepeliendos in cathedrali, eò quia hæc ſit parochia univerſalis totius civitatis, & diœceſis *c. 1. de Raptor. & c. licet in regul.* 16. *q.* 1. & docet Hoſtiens. *in ſum. tit. de paroch. num.* 3. *V. quid ergo lib.* 3.

9 Communior tamen, & probabilior ſententia eſt, advenas decedentes ſine electione propriæ ſepulturæ eſſe ſepeliendos in Eccleſia parochiali, ita cenſent Abbas *in c. nos inſtituta 1. h. t. num.* 4. Butrius *ibid. num.* 9. Gratianus *diſcept. forens. c.* 94. *num.* 73. Rota Romana coram Seraphino *decis.* 1135. quia jus ſepulturæ eſt acceſſorium ad jus adminiſtrandi Sacramenta, quando non eligitur ſepultura, vel aliàs non eſt de jure determinata, ut tradunt Abbas *in d. c. Nos inſtituta num.* 4. Butrius *ibid. num.* 6. Barb. *de jure eccleſiaſt. lib.* 3. *c.* 10. *num.* 34. atqui acceſſorium ſequitur principale, proinde ſi jus adminiſtrandi Sacramenta competit Eccleſiæ parochiali, eidem etiam competit jus ſepeliendi, cùm acceſſorium ſequatur principale. Tum quia hæc duo jura ſunt inter ſe connexa, ut ordinata ad ea, quæ debentur morituro, & defuncto ex officio paſtorali: atqui conſtat, jus miniſtrandi Sacramenta in articulo mortis pertinere ad Parochum, quoad omnes, qui ſunt in ejus parochia, adeo ut Sacramenta non poſſint ipſis miniſtrari à Miniſtris cathedralis Eccleſiæ; ergo ad Eccleſiam parochialem etiam pertinet jus ſepulturæ. Tum quia eo ipſo quòd moribundus recipit Sacramenta à Parocho, in cujus Parochia laborat in extremis, tradit etiam ſe ipſum in ejus manus in ordine ad ea curanda, quæ concernunt ſalutem æternam, proinde à fortiori cenſetur etiam illi commendare ſuum corpus in ordine ad ſepulturam, ſi defungatur: ſiquidem ſepultura eccleſiaſtica accenſetur etiam ſpiritualibus, quæ ſalutem concernunt animæ, & ut ordinata ad percipienda ſuffragia Eccleſiæ: proinde tacitè cenſetur eligere ſepulturam in Eccleſia ejusdem Parochi, ut notat Abbas *in d. c. Nos inſtituta 1. h. t. n.* 4. & Butrius *ibid. num.* 9. Geminianus *in c. animarum* 1. *h. t. in 6.*

10 Immo id etiam procedit quamvis advena defungeretur non ſuſceptis Sacramentis, eò quia miniſtri non adfuerint in tempore, quia id per accidens ſe habet, quòd tunc non miniſtrentur Sacramenta, quia ex-tempore deceſſerit; ſufficit enim quòd de jure adminiſtrare Sacramenta pertineat ad Parochum. Tum quia jus ſepeliendi non nectitur cum actuali adminiſtratione, ſed cum ipſo jure adminiſtrandi. Ad fundamentum, quo nititur contraria ſententia reſpondetur, quòd licèt Eccleſia cathedralis ſit parochia totius civitatis, & diœceſis, nihilominus relinquit unicuique parochiæ propria ſua jura particularia ad ipſas pertinentia, nec illa ſibi uſurpat. Tum quia jura particularia aliarum Eccleſiarum parochialium ſunt diſtincta à juribus Eccleſiæ cathedralis, proinde debent ſingulis parochiis illæſa ſervari ita exigente ipſarum inſtitutione, non enim ſunt confunden-

da hæc jura, ut habetur *in c. 1. cauſ. 6. q. 3. c. nullus 9. queſt.* 2.

An verò pro ſepultura poſſit aliquid accipi, 11
certum eſt, fundum non ſacrum poſſe vendi, & emi ad eum etiam finem, ut poſtea in ſepulturas fidelium conſecretur, vel benedicatur, vel ut ibi cœmeterium conſtruatur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. quia fundus ille ſecundùm ſe eſt pretio æſtimabilis, cùm ſit quid merè temporale: & cum non ſit quid ſacrum, nec religioſum, poteſt licitè vendi: quia nemo debet adigi, ut rebus ſuis propriis beneficium faciat *cap. precaria* 4. *cauſ.* 12. *q.* 2. Neque obſtat, quòd ematur pro ſepultura, proinde pro uſu ſacro, quia id per accidens ſe habet: poteſt enim fundus emi, & licitè vendi etiam in ordine ad conſtruendam Eccleſiam in illo. Secus poſtquam fundus eſt conſecratus, vel benedictus, vel publicè dedicatus in ſepulturam fidelium, non poteſt abſque ſimonia contra jus naturale, & divinum pro pretio vendi, vel emi, ſi pretium detur, & accipiatur ratione conſecrationis, vel benedictionis, ut docent communiter, præſertim Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 14. n. 17.* quia conſecratio, & benedictio ſunt res ſpirituales, quæ propterea pretio venderentur.

Quinimò prohibetur etiam in ſacris canoni- 12
bus, tanquam ſimoniacum pro pretio dare ſepulturam in Eccleſia, vel cœmeterio deputato ad communem fidelium ſepulturam, vel ibi non admittere aliquem ſine certa pecunia priùs data, ut habetur *in c. abſolvenda 13. h. t.* ubi dicitur: pro terra Eccleſiæ, in qua ſepeliendus eſt defunctus non poteſt accipi pretium, nec hoc debent clerici præſumere, quia ut notat Gloſſa vendere officium ſepulturæ, quando ad hoc clerici tenentur propter beneficium, quod habent in illa Eccleſia eſt ſimonia: & hæc prohibitio fit intuitu religionis, ne locus ſacer negotiationi videatur exponi.

Hinc eſt etiam ſimoniacum dare, vel acci- 13
pere pretium pro honoratiore loco ſepulturæ, ut dare ſummam pecuniæ, ut quis ſepeliatur intra Eccleſiam: vel ante hoc, vel illud altare, quia tametſi finis extrinſecus ementis fortaſſis ſit honor humanus, nihilominus locus qui venditur, eſt ſacer, & ille honor eſt quid ei annexum, perinde ac honor humanus eſt annexus dignitati eccleſiaſticæ, unde vendi non poteſt, niſi etiam ſimul vendatur res ipſa ſpiritualis: fundamentum enim hujus honoris eſt ſemper major ſanctitas loci ob majorem propinquitatem ad altare majus, vel ad aliud, ut docet Suarez. *lib. 4. de ſimon. c. 14. num.* 22. Generatim poſtquam locus aliquis eſt conſecratus, vel benedictus, vel publica authoritate Prælati eccleſiaſtici deputatus ad ſepulturam fidelium, non poteſt vendi, quia in nullius privati eſt dominio, ſed eſt quid incorporatum Eccleſiæ *l. non tantùm 6. §. ſacra. ff. de rer. divis.* & ita dicendum etiam de ſtructura, & ornamentis ſepulchri, quæ cum ſint loco ſacro impoſita, cenſentur & ipſa ſacra, & in nullius dominio eſſe.

Quòd ſi dicas, clericos vendentes ſepultu- 14
ram non vendere ipſam conſecrationem, nec benedictionem, nec quid aliud ſpirituale ſepultu-

re: ſed tantùm fundum illum materialem prout eſt quid humanum, perinde ac eſt fundus extra Eccleſiam, qui vendi poteſt. Contra eſt, quia eo ipſo quòd talis fundus eſt in Eccleſia, & inſervit uſui ſepulturæ, & ad hunc finem venditur, & emitur, habet inſeparabiliter connexum aliquid ſpirituale, & eſt fundus Eccleſiæ: per hoc enim quòd talis fundus ſit in tali loco, ſeu in Eccleſia, contrahit inſeparabiliter aliquod ſpirituale, cujusmodi eſt conſecratio Eccleſiæ, & dedicatio ad cultum Dei. Tum quia eo ipſo quòd emitur, ut inſerviat uſui ſepulturæ, connectitur etiam cum re ſpirituali, cujusmodi eſt uſus ſepulturæ: unde tunc non poteſt vendi materiale, ſine ſpirituali, ut deſumitur *ex c. ſi quis 7. caus. 1. q. 3.* Hinc tametſi Eccleſia deſtruatur, & ſepulchra in illa condita tollantur, fundus nihilominus adhuc manet ſacer *l. ade 73. §. de contrab. empt.* niſi per poteſtatem eccleſiaſticam Eccleſia eo fine deſtruatur, ut fiat locus profanus, tunc enim poteſt poſtea vendi.

15 Verùm quamvis clerici, quibus cura ſepeliendi ratione beneficii incumbit, pro ipſo officio ſepulturæ, & exequiis, ac deductione funeris non poſſint quidquam exigere; poſſunt tamen liberaliter oblata accipere, imò ſi conſuetudo introducta ſit, ut detur absque turpi exactione; laici tenentur talem conſuetudinem obſervare, imò ad illam ſervandam etiam compelli poſſunt, ut habetur *in c. ad apoſtolicam 42. de ſimon.* Alii verò clerici quibus ratione beneficii non incumbit officium ſepeliendi fideles, poſſunt aliquid pro ſepultura accipere non ut pretium, ſed ut ſtipendium extraordinarii ſui laboris, ut notant Gloſſa *in d. c. V. ſepultura*, & Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 15. num. 7.* dummodo non præcedat pactum: in hoc ſtandum eſt etiam conſuetudini locorum, ubi enim conſuetudo inolevit, ut aliquid pro ſepultura detur Eccleſiæ, dummodo priùs officia funebria à clericis obeantur, poteſt Eccleſia accipere juxta conſuetudinem loci aliquid à laicis, quamvis enim non poſſint clerici aliquid exigere pro ſepultura, poſſunt tamen laici compelli ſervare pias, & laudabiles conſuetudines, ſi quæ ſint.

§. IV.

De Canonica portione parochiali, & Epiſcopali.

1 SI quis extra Eccleſiam ſuam parochialem ſepeliatur, vel quia alibi ſepulturam elegerit, vel quia ſepulchrum ſuorum majorum ſit in alia Eccleſia; tunc ex bonis relictis tali Eccleſiæ, in qua defunctus ſepelitur, etiam ſi exempta fuerit, debetur portio, quæ canonica dicitur, Eccleſiæ parochiali; in qua defunctus percepit, vel debuiſſet percepiſſe Sacramenta, ac audiviſſe divina, idque pro labore, & cura animarum, quam parochus geſſit: ſiquidem eſt æquitati prorſus conſonum, ut conſolationum ſint ſocii, qui fuerunt, & paſſionum, ut ait Apoſtolus, & deſumitur *ex c. Nos inſtituta 1. h. t.* ubi Leo III. ſtatuit, quòd tunc illi Eccleſiæ, ubi aliàs erat ſepeliendus, & ubi pabulum ſpirituale accepit, ſeu Eccleſiæ parochiali debeat dari canonica portio eorum, quæ reliquit Eccleſiæ ubi ſepelitur, imò anathemate etiam percutit contrarium facientes. Hæc autem canonica portio nonnunquam eſt quarta pars bonorum, quæ defunctus reliquit Eccleſiæ, in qua ſepeliri elegit, ut habetur *in c. cùm ſuper 8. h. t.* ubi dicitur, quòd quando Parochianus Eccleſiæ parochialis alibi ſepelitur, Capitulum cathedralis Eccleſiæ accipit quartam partem.

2 Interdum canonica portio eſt tantùm tertia pars eorundem bonorum, quæ defunctus reliquit Eccleſiæ, in qua voluit ſepeliri, ut habetur *in d. c. Nos inſtituta 1. h. t.* ubi Leo III. expreſsè ait, quòd Eccleſiæ parochiali debeatur tertia pars eorum, quæ defunctus reliquit Eccleſiæ, ubi elegit ſepeliri: aliquando eſt etiam media, ut habetur *in c. relatum 2. h. t.* ubi dicitur, quòd parochianus, qui elegit ſepulturam in monaſterio, eorum, quæ pro anima ſua reliquit Eccleſiæ, medietas dari debeat ejus Eccleſiæ parochiali. Quandoque eſt minor, adeo ut non ſit ubique locorum certa regula, ſed ſtandum ſit conſuetudini loci, ut deſumitur *ex c. certificari 9. h. t.* ubi Clemens III. quæſitus, quanta debeat eſſe portio canonica, quæ debetur Eccleſiæ parochiali, reſcripſit quoad hoc ſtandum eſſe conſuetudini loci: ubi etiam Gloſſa notat, quòd in mortuariis conſuetudo loci ſervanda ſit, quòd ſi eſſent variæ conſuetudines in variis vicinis locis, eſt intelligendum de minori ſumma, quia in illa omnes concordant: unde ſi eſſent tres arbitri, quorum unus condemnaret in 15. alter in 10. alter in quinque valeret ſententia hujus ultimi, quia quinque includuntur in 10. & 15. proinde omnes conſentiunt in quinque.

3 Ad introducendam hanc conſuetudinem Abbas docet, ſufficere fluxum decem annorum, eò quia non ſit conſuetudo contra jus, ſed tantùm præter jus: attendi tamen debent ſtatuta, & concordata, ſi quæ ſint *c. ult. de pact. in 6.* & Concilium Trident. *ſeſſ. 25. c. 13.* ſtatuit, ut quibuscunque in locis jam ante annos 40. quarta, quæ funeralium dicitur cathedrali vel parochiali Eccleſiæ moris erat, ut ſolveretur, eadem integro jure, & eadem portione, ut ante eidem Eccleſiæ perſolvatur, idque non obſtantibus conceſſionibus gratiis, privilegiis etiam maâ magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque: ſiquidem mens pontificum concedentium talia privilegia ſemper eſt iſta, nimirum ut privilegiati iisdem civiliter, & urbanè utantur.

Hinc licèt à Pio V. & antea à Julio III. & aliis Pontificibus, quorum meminit Choppin. *Monaſt. lib. 2. tit. 1. num. 3.* per ſpecialia privilegia Religioſi ordines prædicatorum, minores S. Franciſci, & cæteri Ordines mendicantes videantur à quarta funeralium exempti, quam antea de jure ſolvere tenebantur juxta *c. in noſtra 10. h. t.* ubi privilegiati ad ſepeliendum in propria Eccleſia, ſi ſepeliant eos, qui talem eligunt ſepulturam, tenentur de relictis à defuncto pro anima ſua in ultima diſpoſitione date quartam partem parochiæ; & *in clement. 1. dudum 2.* ubi etiam jubentur ſolvere quartam parochialibus Eccleſiis, tam de obventionibus,

quàm

quàm de funeralibus, quibuscunque & quomodocunque relictis distinctè, vel indistinctè ad quoscunque certos, & determinatos usus, etiam de quibus canonica portio ab aliis ecclesiis exigi non consuevit, vel non debet de jure, ut habetur *in d. clement. dudum.* 2. & explicat Glossa: nihilominus Pius V. declaravit, mentem suam fuisse hanc, incitandi scilicet Parochos, ut si eorum parochiani in ecclesiis mendicantium sepelirentur, ipsi quoque præsentes interessent, ac propterea quartam partem consequerentur omnium, quæ ab hæredibus defunctorum pro funeralibus dantur. Cæterum officia mortuorum, & alia munera, quæ in hisce Monasteriis solent adhiberi, non peraguntur à Parochis, nec canonicis, nec à clero sæculari, sed ab ipsis Religiosis.

5 Juvat tamen observare quod hæc canonica portio parochialis non detrahitur ex iis bonis, quæ relicta sunt aliis ecclesiis, seu piis locis, sed tantùm illi, in qua quis sepelitur, ut notat Abbas *in d. c. certificari 9. h. t.* neque detrahitur ex legatis pro ornamentis, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo aut trigesimo die, vel aliis ad perpetuum cultum divinum relictis, dummodo non subsit fraus aliqua, nec jure suo privetur Episcopus, aut Parochus *c. fin. de testam.* Neque detrahitur ex dono datis Ecclesiæ inter vivos, ut desumitur *ex c. Nos insistentes. 1 h. t.* & ibidem Hostiensis: neque de equis, aut armis, quæ indulgentur militibus Jerosolymitanis, seu Melitensibus in subsidium terræ sanctæ, ut habetur *in c. in nostra 10.* ex Innocentio III. Neque detrahitur ex relictis pro incertis malè ablatis: sed debetur hæc canonica portio ultra legatum relictum Ecclesiæ parochiali ab eo, qui sepulturam sibi elegit alibi: ratio est, quia non testator debet eam portionem parochiali Ecclesiæ; sed Ecclesia, in qua elegit sepeliri, ut desumitur *ex clement. c. dudum.* 2. & fusè de hac materia tractat, Lælius Zechius de Republica Christiana *c.* 28. *n.* 18.

6 Quòd si Parochianus Ecclesiæ inferioris sepultus sit in Ecclesia cathedrali, sive quia sepulcrum majorum in ea habeat, sive quia ibi elegerit sepeliri, adhuc canonica portio ex mortuariis solvi debet Ecclesiæ inferiori Parochiali; idque generaliter procedit de omnibus Ecclesiis, ac locis piis, in quibus parochiani extra suam Parochiam eligunt sepeliri, semper enim solvenda est canonica portio Ecclesiæ parochialis ipsius defuncti, ut notat Abbas *in c. cum super* 8. *num.* 9. *h. t. argum. c.* 1. *eod.* 1. quia generatim, indistinctè, & absque ulla restrictione statuitur, ut canonica portio ex mortuariis solvi debeat Ecclesiæ parochiali, in qua defunctus percepit, vel debuisset percepisse Sacramenta; & de jure debuisset in eadem sepeliri: debetur enim hæc portio, ratione laboris, & pro cura animarum, quam Parochus gessit. Immo si quis morbo aliquo laborans se transferat ad Religionem, in qua ex eodem morbo defungatur; etiam tunc de suis bonis canonica portio debetur Ecclesiæ, ut habetur *in c. de his 4. h. t.* quia oblatio bonorum facta tempore infirmitatis censetur facta mortis causâ, & ratione sepulturæ, & de relictis alienæ Ecclesiæ intuitu sepulturæ canonica portio debetur Ecclesiæ parochiali. Quòd si ante ægritudinem se transtulerit ad religionem, tunc canonica portio non debetur parochiæ, quia oblatio facta à viro sano, non censetur facta intuitu sepulturæ.

7 Hinc Novitii, qui sani fuerunt religionem ingressi si intra annum probationis defungantur, non debetur canonica portio Ecclesiæ illi, cujus erant Parochiani, quia Novitii gaudent privilegio religionis, in quam cum ingrediantur animo mutandi vitam, ac profitendi, censentur mutâsse domicilium; proinde eo ipso quod fiunt Novitii, desinunt esse Parochiani, ut docet Francus *inc. cum quis* 2. *n.* 3. *h. t. in f.* nisi probaretur, quòd in fraudem fuerit quis religionem ingressus sine animo profitendi. Quòd si Ecclesia cathedralis sit simul parochialis, etiam ipsi debetur ex mortuariis quarta canonica portio, si ejus Parochianus sepeliatur in alia Ecclesia, idque statuitur in *c. cùm super* 8. *h. t.* non enim Ecclesia cathedralis si fuerit simul parochialis debet esse deterioris conditionis, quàm sint aliæ Ecclesiæ parochiales inferiores: tunc tamen hæc canonica portio debetur Capitulo cathedralis Ecclesiæ, non Episcopo, ut statuitur *in d. c. cùm super*: quia parochia quando est adnexa cathedrali pertinet ad Capitulum, non ad Episcopum; adeout jura parochiæ spectent ad Capitulum.

8 Sunt tamen aliquot casus, in quibus canonica portio parochialis non debet solvi. Primò quando habetur expressum sedis Apostolicæ Privilegium, in quo tamen debet fieri expressa mentio *Clementinæ Dudum 2.* cui specialiter derogetur, ut notat Barbosa *de offic. Parochi c.* 25. *num.* 8. Secundò si Parochianus non potuit in sua parochia audire divina, nec Sacramenta percipere, eò quia longo tempore abfuerit, & alibi elegerat sepeliri; quia quarta canonica portio datur propter laborem, qui tunc cessat. Tertiò quando Ecclesia parochialis erat interdicta culpâ suâ, vel Parochi, & non Parochiani defuncti; tunc quarta canonica portio illi non debetur, quamvis Parochianus elegerit sepeliri in alia Ecclesia. Plures alii casus recensentur à doctoribus, & nos superiùs innuimus.

9 Portio debita parochiali Ecclesiæ non abrogatur nisi per consuetudinem præscriptam 40. annis cum Titulo; vel tempore immemoriali sine Titulo, ut docet Abbas *in c. certificari 9. num. 6. & 7. h. t.* quia jus commune stat pro Ecclesia parochiali, vel pro Episcopo; proinde cum præsumptio sit contra possidentem, huic incumbit onus probandi Titulum, per quem hæc præsumptio tollatur; vel allegandi, ac evincendi cursum temporis immemorialis habentis vim tituli præsumpti.

Hoc autem procedit, si præscribatur, ut infra quartam, vel nihil, detur Ecclesiæ parochiali; quia cum talis præscriptio sit contra jus Ecclesiæ, ideo cum Titulo requiritur consuetudo præscripta 40. annis juxta *c. de quarta de præscript. & c.* 1. *eod. in f.* vel præscriptio temporis immemorialis sine Titulo. Ita etiam dicendum est si agatur de solvenda portione parochiali

chiali ultra dimidium, ut ex tribus dentur duæ partes, quia id est etiam contra jus. Secus quia jure expressum est, ut portio Ecclesiæ parochiali debita possit esse dimidia pars, vel tertia, aut quarta, ad præscribendum intra hos terminos in jure expressos sufficit consuetudo decem annorum sine Titulo; quia talis consuetudo non est contra, sed præter jus. Et quamvis Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 13. de reform.* revocet privilegia concessa monasteriis, Hospitalibus, aliisque locis piis, ne quartam funeralium cathedrali, vel parochiali Ecclesiæ solvere tenerentur, ac statuat, ut à quibus hæc quarta canonica portio ante annos ab hinc 40. persolvi consueverat, ab iisdem etiam eodem modo solvatur: tacitè hoc ipso significat, non comprehendi illa monasteria, quæ ante integros 40. annos præfatam quartam non consueverunt solvere, ut docent Layman. *lib. 3. tract. 4. c. ult. num. 13.* Pirhing. *h. t. §. 6. num. 60.* Cæterum consuetudine jam receptum est, ut quarta non solvatur, nisi de iis tantùm, quæ cum corpore defuncti deferuntur, & de oblationibus, quæ in die sepulturæ fiunt; quia Concilium Tridentinum tantùm mentionem facit de quarta funeralium, seu de iis, quæ offeruntur in die funeris, vel sepulturæ.

10 Præter canonicam portionem, quæ debetur Ecclesiæ parochiali, alia reperitur in jure canonico portio, quæ dicitur Episcopalis, eò quia debeatur Episcopo pro cura, quam gerit, & laborem, quem impendit in promovenda salute fidelium suæ diœcesis; unde ex relictis alicui Ecclesiæ, canonica portio debetur Episcopo, ut desumitur *ex c. conquerente in V. mortuariorum sup. de offic. Ordinarii c. officiis 14. sup. de testa.* ubi dicitur; quòd quando quis legavit Episcopo aliquam portionem, & alia multa legavit monasteriis, vel Ecclesiis, Episcopus potest sibi accipere portionem etiam de legatis factis monasteriis, & aliis locis piis, nisi essent Regulares privilegiati à Papa.

11 Hæc portio canonica Episcopo debita etiam nunc est quarta, vel tertia pars *c. requisisti 15. sup. de testam.* interdum etiam media *can. antiquus 10. q. 1. c. 2. h. t.* servanda est quoad hoc locorum consuetudo. Hanc portionem potest Episcopus detrahere, licèt testator expresserit, quod nolit quidquam Episcopo relinquere; sed velit totum dare Ecclesiæ, vel loco pio: ratio est quia hæc portio canonica est de jure communi, & dispositio privatæ personæ, ut est illa testatoris non potest immutare generalem constitutionem canonis *d. c. requisisti 15. sup. de testa.* ubi expressè habetur: quod ex relictis Ecclesiæ regulariter Episcopus debeat habere tertiam, vel quartam portionem secundùm diversas consuetudines: & si testator exprimat, quòd illud tantùm velit esse Episcopi, & non Ecclesiæ; tunc ita servandum est: sin verò exprimat, quod velit esse solius Ecclesiæ, & non Episcopi, id non præjudicat Episcopo, sed illi adhuc debetur canonica portio juxta juris dispositionem.

12 Verùm sicut Episcopo de relictis Ecclesiæ competit canonica portio: ita si quid Episcopo relictum fuerit, de eodem Ecclesia parochialis suam canonicam detrahit portionem, nisi testator expresserit, quòd velit illud esse Episcopi tantùm, vel præsumatur relictum Episcopo intuitu personæ, & non Ecclesiæ, ut quia à conjuncto, vel propinquo, aut amico relictum sit Episcopo, ut habetur *in d. c. requisisti 15. de testam.* Secus si relinquatur aliquid Episcopo intuitu Ecclesiæ, ut si relinquatur ab extraneo; tunc ex relicto canonica portio debetur Ecclesiæ parochiali.

13 Quòd si conjunctim Episcopo, & Ecclesiæ cathedrali legetur aliquid, tunc dividenda est, in duas medietates res illa relicta, & Episcopus accipit unam medietatem; & Ecclesia aliam; hæc omnia habentur *in dic. c. requisisti*, sicut si istud Ecclesiæ, & illud Episcopo relictum sit: nisi stare malint dispositioni testatoris. Cum Ecclesiis autem inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum; quia cum ecclesiis inferioribus non est Episcopo tanta communio sicut cum cathedrali: quartam tamen ex iis, quæ illis relinquuntur detrahit, ut statuitur *in d. c. requisisti* ubi fusè agitur de hac materia, ut etiam in decisione Rotæ Romanæ, quam citat, & refert Piasecius 2. *p. c. 5. art. 4. num. 40.* ubi deciditur, de iis, quæ relinquuntur pauperibus in genere non esse quartam detrahendam; quia tunc testator non relinquit piis locis, neque ecclesiis, sed tantùm personis: & de relictis personæ, vel personis non detrahitur quarta Episcopalis; excipitur tamen nisi testator sua bona relinqueret parperibus certi loci, quia tunc legatum censeretur factum intuitu talis loci pii, in quo aluntur pauperes. In eadem decisione apud Piasecium *l. c.* habetur etiam quòd ex relictis pro restauratione Ecclesiæ, hospitalis, monasterii, vel alterius loci pii non detrahitur quarta per textum *c. de his 20. sup. de testam.* ubi dicitur, quòd Episcopus, vel parochiæ non debeant habere portionem canonicam de iis, quæ legantur Ecclesiæ, vel aliis locis piis pro ornamentis, pro fabrica, pro luminaribus, pro anniversario 7. 20. vel 30. seu aliis ad perpetuum cultum divinum; dummodo non fiat in fraudem, ut scilicet Episcopus, vel parochia iisdem defraudetur.

14 Quòd si Ecclesia, vel locus pius, pro cujus fabrica testator legavit summam pecuniæ, non indigeat restauratione; tunc Rota Romana in præfata decisione resolvit attendendam esse formam legati; ut si testator velit statim, vel annuatim aliquid solvi pro restauratione loci pii, qui reparatione non indiget, tunc debeatur quarta: non ita si legavit pro restauratione Ecclesiæ quoties indiguerit, tunc servandum est totum legatum pro tali indigentia; quia præsumitur relictum intuitu solius fabricæ. Id procedit etiam de relictis pro ornamentis, luminibus, aliisque ad cultum divinum pertinentibus, ut resolvit eadem Rota in præfata decisione; ubi excipit, nisi cultus esset indeterminatus, vel non destinetur cultui divino. Quid verò dicendum de relictis pro aliis piis operibus in genere, resolvit Rota in dicta decisione, id dependere à futuro eventu: quia si executores testamentarii legatum distribuerint in fabricam, lumi-

luminaria, ornamenta Eccleſiæ, vel in concernentia divinum cultum, non detrahitur quarta: ſecus ſi in piorum locorum uſum non privilegiatum.

15 Neque quarta detrahitur ex dote relicta pro maritandis ſingulis annis duabus puellis, vel pro una puella conſanguinea; quia vel ſunt pauperes, & tunc liquet *ex cit. tex.* non deberi quartam; quia legatum eſt factum perſonæ pauperi, non loco: ſi non ſunt pauperes, neque debetur quarta ob eandem rationem, quia legatum eſt relictum perſonæ; & non loco pio. Neque detrahitur quarta à legatis, quæ fiunt regularibus; ut habetur *in extravag. 1. h. t. in commun.* ſecus de bonis relictis à clerico inteſtato quarta permittitur Epiſcopo, ubi viget talis conſuetudo *arg. c. ult. de officio ordinarii in 6. c. ſancto juncta Gloſſa in V. morientium.*

16 De bonis etiam laicorum ab inteſtato decedentium poteſt Epiſcopus quartam deducere diſtribuendam in pios uſus, ubi conſuetudo viget, ut reſpondit ſacra Congregatio referente Genuenſi *in prax. c. 66.* verùm hæc quarta non detrahitur, niſi priùs deductis oneribus, ſeu ſolutis debitis, ſi quæ ſint, & etiam expenſis factis in pompam funebrem, & aliis, quæ fuerunt neceſſaria pro famulis, & Miniſtris, ut habetur *in c. ult. §. porro de offic. ordinar. in 6.* & notat Piaſecius *2. p. c. 5. art. 4. n. 42. in fin.*

§. V.

Quibus ſepultura eccleſiaſtica concedenda ſit, & quibus deneganda.

1 TAmetſi ab eccleſiaſtica ſepultura nemo arcendus videatur juxta illud Eccleſ. 7. mortuo non prohibeas gratiam, ſciens, quoniam omnes moriemur, ut habetur in *can. in eccleſiaſt. 4. 12. q. 2.* adeo ut omnibus fidelibus baptizatis debita ſit ſepultura in loco ſacro: nihilominus prohibentur ex l. canonica nonnulli ſepeliri in loco ſacro ob crimen aliquod, cujus pœna eſt privatio talis ſepulturæ, ut deſumitur *ex c. nullus 18. juncta Gloſſa caus. 13. q. 2. & c. Eccleſiam 28. de conſecrat. diſt. 1.* Secluſo igitur delicto omnes fideles, ſeu baptizati ſepeliendi ſunt in loco ſacro, etiam qui ob patrata flagitia damnantur ad mortem, ſi ipſos pœnituerit peccatorum, quia cùm hiſce Eccleſia non deneget Sacramenta, ita nec Eccleſiaſticam ſepulturam *c. quæſitum 30. caus. 13. q. 2.* & deſumitur *ex c. ex parte 11. h. t.* ubi dicitur ei, qui caſu moritur, & non ſponte ſe interimit non eſſe denegandam Eccleſiaſticam ſepulturam, & additur etiam ratio: quia cui communicamus vivo, debemus & mortuo communicare. Qui verò ſe ſpontè præcipitâſſet è loco edito, non eſſet ſepeliendus in loco ſacro, ut notat Gloſſa *in d. c. ex parte* & habetur *in 23. q. 5. placuit.*

2 Sin verò putavit poſſe evadere, licèt ſe ſpontè præcipitaverit, eſt ſepeliendus in loco ſacro, quia ei non imputatur. Nonnunquam tamen damnati ad mortem ob patrata crimina privantur eccleſiaſtica ſepultura, vel ad tempus, vel etiam in perpetuum ad terrorem cæterorum, & ideo eorum corpora relinquuntur in loco publico ſuſpenſa, ut nos docet quotidiana praxis. Tum quia cadavera eorum, qui in patibulis fuerunt ſuſpenſi, vel rotis illigati, vel palo infixi non deponuntur, neque extrahuntur ſine Principis, vel Magiſtratus licentia, ut notat Abbas *in d. c. ex parte num. 4.* non tamen ex eo, quòd quis fuerit ære alieno gravatus, privari debet ob ſola contracta debita, ſacrâ ſepulturâ, ut tradit Covarr. *lib. 2. reſol. c. 1. n. 10.*

3 Rurſus ex juris diſpoſitione juſtè nonnullis interdicitur Eccleſiaſtica ſepultura, ut paganis *can. Eccleſiam 26. & ſequent. de conſecrat. diſt. 1.* Judæis etiam, & hæreticis, ac eorum fautoribus etiam poſt mortem damnatis *c. excommunicamus 13. §. credentes de hæret.* Immo id procedit, quamvis eorum hæreſis nonniſi poſt mortem manifeſtata fuerit *c. ſanè 6. caus. 24. q. 2.* Infidelibus etiam accenſentur parvuli Chriſtianorum decedentes ante baptiſmum. Quòd ſi certò conſtet, prolem in matris alvo mortuam eſſe, tunc unà cum matre defuncta debet & proles in ejus utero extincta cum matre ſepeliri in loco ſacro: quia fœtus nondum in lucem editus eſt pars ventris, & pars ſequitur totum, cujus eſt pars *l. 1. §. & ex reſcripto ff. de inſpiciend. ventre.* Quòd ſi dubitetur, an proles mortua ſit, nec ne, tunc mortua matre ſecari debet ejus uterus, & fœtus extrahi ut baptizetur: non verò debet mater dum adhuc vivit ſecari, ſi ſine periculo inferendæ mortis non poſſit ſcindi.

4 Hinc neque catechumeni ſepeliendi ſunt in loco ſacro eò quia careant baptiſmo, tametſi pro illis oret Eccleſia, ſi credentes deceſſerint. Neque ſepeliendus eſt in loco ſacro, qui manus violentas in ſe ipſum injiciens, ſe ſponte ac voluntariè occidit, ex deſperatione, vel iracundia, ut deſumitur *ex c. placuit 13. caus. 23. q. 5.* ſed ſi quis ex urgente cauſa, vel ut declinaret inſequentem hoſtem ſe in fluvium præcipitaret, quem natando exiſtimaret poſſe trajicere, & interim ſuffocaretur; vel è feneſtra ſe præcipitaret in plateam, ut incendium evaderet, non eſſet privandus eccleſiaſtica ſepultura: ut nec etiam puella ſi fugiat violare eam volentes, & ſe è feneſtra det præcipitem, ut deſumitur *ex d. c. ex parte 11. h. t.* ubi puella ut evaderet volentes ipſi vim facere aufugiens, de ponte in amnem præterfluentem cecidit, & cùm dubitaretur, an ſepelienda eſſet in loco ſacro, reſpondit Innocentius III. quòd cùm puella non ſpontè ſe præcipitaverit, ſed caſu de ponte ceciderit in fluvium, ſepeliendam eſſe in loco ſacro, præſertim cùm ex honeſta cauſa fugerit: ſimiliter ſi puella ob eandem cauſam ſe præcipitaret è feneſtra etiam voluntariè, dummodo crederet, ſe non morituram, eò quia altitudo non ſit nimia, & interim fracto capite moreretur, non eſſet ei deneganda ſacra ſepultura, quia intentio puellæ non fuit ſe occidere, ſed tantùm fugere, ne vim pateretur.

5 Cæterum ſi quis ſpontè, & non coactus, ſe in fluvium præcipitaret cum evidenti, & certo periculo moriendi, id non foret licitum, neque in puella ad vitandam vim ſibi inferendam. Proinde eſſet illi deneganda Eccleſiaſtca ſepultura, ut deſumitur *ex d. c. ex parte* ubi dicitur, eum

qui

qui non ſe ſponte interemit, eſſe ſepeliendum in loco ſacro: unde à ſenſu contrario infertur, eum, qui ſe ſponte interemit non eſſe ſepeliendum in loco ſacro. Qui verò animo ſe occidendi lethaliter ſe vulnerat, ſi ſtatim non moriatur, & interim ipſum pœniteat facti, non debet ei Eccleſiaſtica ſepultura denegari, nec etiam ei, qui mortuus reperitur in puteo, niſi conſtet, ſe ipſum præcipitem dediſſe: imò neque privandus eſt ſacra ſepultura qui laqueo ſuſpenſus, & mortuus invenitur, niſi conſtet, ſe ipſum interfeciſſe: ratio eſt, quia in ſimilibus caſibus, quis non præſumitur, ſe ipſum interfeciſſe; quia id alienum eſt à quovis homine ſanæ mentis: unde præſumitur, id contigiſſe per inſidias, vel vim ab alio factam, vel ex mentis alienatione: in dubiis enim de nemine præſumitur, quòd deliquerit *l. merito 51. §. pro ſocio.* Tum quia delicta niſi probentur, & conſtent, præſumi non debeat. Qui etiam vulneratus lethaliter deceſſit, non præmiſſa ſacramentali confeſſione, eò quia eam non potuit facere, ſepelitur in loco ſacro, niſi apertè conſtet, eum in peccato lethali impœnitentem obiiſſe, ut cùm quis in furto, vel latrocinio deprehenſus occiditur nullo pœnitentiæ ſigno edito: ut etiam cùm quis actu peccans cum meretrice defungitur *c. placuit 12. in fin. cauſ. 23. q. 5.*

6 Notoriè excommunicati arcentur etiam à ſepultura eccleſiaſtica, ut ſtatuitur in *c. 1. cauſ. 24. q. 2. & c. quicunque 27. cauſ. 11. q. 3.* & magis expreſsè *in c. ſacris 12. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi excommunicati ſepulti fuerint in loco ſacro, & eorum oſſa poſſunt ab aliis ſeparari, debeant exhumari, & procul à loco ſacro ejici: quòd ſi nequeant ſeparari, relinqui debeant, eò quia defuncto nec vilis ſepultura nocet, nec ſpecioſa juvat. Quòd ſi excommunicatus adhuc vivens petierit reconciliari cum Eccleſia, nec per ipſum ſteterit, quò minus reconciliaretur, tunc poſt mortem abſolvendus eſt ab excommunicatione, & ſepeliendus in loco ſacro, ut deſumitur *ex c. à nobis 28. & c. ſacris 38. de ſent. excommun.*

7 Rurſus etiam publicè interdictis denegatur ſepultura eccleſiaſtica, & deſumitur *ex clement. 1. h. t.* ubi habetur: qui etiamſi ſint exempti, defunctos in cœmeteriis tempore interdicti in caſu à jure non conceſſo, vel publicè, aut nominatim excommunicatos, interdictos, vel publicos uſurarios præſumunt ſcienter ſepelire, ſunt ipſo facto excommunicati, nec poſſunt abſolvi niſi priùs arbitrio ordinarii ſatisfecerint offenſis tali injuria, non obſtante quocunque privilegio ſub quacunque forma: non tamen dicitur quis ſtatim publicè excommunicatus, ut notat Gloſſa *in d. c.* ex eo quia per judicem ſit excommunicandus in loco judiciali: ſed excommunicatio dicitur publica, vel non publica ex qualitate fori, ſeu ex multitudine, vel paucitate officialium, & aſſiſtantium ad hoc ut præſumatur ignorantia in ſepeliente, vel non: quia licèt ſententia ſit promulgata à judice coram duobus, vel tribus, adhuc excommunicatio cenſetur occulta: pari pacto interdictus non nominatim poteſt ſepeliri in loco interdicto: publicus tamen uſurarius non poteſt ſepeliri in ſacris, niſi in teſtamento cautum ſit, ut reſtituatur totum alienum: id enim ſufficit quoad ſepulturam: non ita quoad eandem ſufficeret cautio data ab hæredibus.

8 Cæterum nominatim, ac publicè interdicti arcendi ſunt à ſacra ſepultura *ex d. clement. 1. h. t.* quia per omne interdictum ſive generale, ſive ſpeciale locale, vel perſonale prohibetur eccleſiaſtica ſepultura *c. quod in te 11. de panis. & remiſſ.* ubi etiam expreſsè dicitur, quòd per generale interdictum debeat omnibus denegari eccleſiaſtica ſepultura: & id etiam procedit de illis, quibus ingreſſus Eccleſiæ eſt interdictus, niſi pœnituerint, *c. ſi vero 20. §. talis quoque de ſent. excommun. in 6.*

9 An verò hodie excommunicati, qui vitandi non ſunt gaudeant eccleſiaſtica ſepultura. Affirmant plures cum Navarr. *de ſepult. conſ. 4.* Layman. *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. c. 5. num. 8.* Alii tamen è contra ſentiunt, ſi de excommunicatione publicè conſtet, non eſſe ſepeliendos in loco ſacro, quia *in d. extravag.* non adjuvantur excommunicati, ſed tantùm fideles innocentes, ne facilè aliquam cenſuram incurrant, ut docent Covarr. *in ſelect. c alma mater. de ſentent. excommun. in 6. p. 1. §. 2. num. 11.* Zoëſius *lib. 3. decret. h. t num. 9.* quòd ſi excommunicatio fuerit occulta, & fortaſſis ſoli parocho cognita, non erit tunc excommunicatus privandus eccleſiaſtica ſepultura, quia privata ſcientia licèt poſſit quis interdum uti in privato, non ita ad condemnationem in publico.

10 Verùm poſt Concilium Conſtantienſe *in extravag. ad evitanda* ſolùm excommunicati denuntiati, & vitandi, privandi ſunt eccleſiaſtica ſepultura, ut communior, ac probabilior eſt ſententia, ut docet Suarez *diſp. 12. de cenſur. ſect. 4. n. 5.* ſiquidem ratio, cur excommunicatis non conceditur eccleſiaſtica ſepultura, eſt, quia quibus vivis non communicamus, nec mortuis, communicare debemus, ut habetur *in d. c. ſacris 12. h. t.* unde à ſenſu contrario valet illatio: ergo quibus vivis communicare potuimus, etiam mortuis non prohibemur ſepulturam communicare.

11 Præterea prohibitio ſepeliendi non cadit in ipſos excommunicatos, ſed in fideles viventes, ne eorum corpora ſepeliant: atqui aliis fidelibus, perinde prohibita eſt communicatio per ſepulturam, ac alia communicatio, ut conſtat *ex c. ut privilegia 24. de privil.* ergo ſi excommunicatus non ſit vitandus, poteſt ſepeliri in loco ſacro: quia eò ipſo, quòd non eſt vitandus poſſunt fideles cum ipſo communicare, proinde etiam per ſepulturam. Cæterum ſi corpus excommunicati, & vitandi de facto ſepultum ſit in loco ſacro, locus ille cenſetur violatus, & aſperſione aquæ benedictæ debet ſolemniter reconciliari, ut habetur *in c. conſulvit. 7. de conſecrat. eccleſ.* & ſi locus ſacer ſit Eccleſia, nequeunt in ipſa divina officia peragi, nec alii fideles ſepeliri, donec Eccleſia fuerit expurgata, & reconciliata, ut habetur *in c. unic. de conſec. eccleſ. in 6.* proinde excommunicati ſepulti exhumari debent, ſi à reliquis corporibus ſepultis diſcerni poſſint, quòd ſi non poſſint diſtingui relinqui debent,

debent, ratione difficilis separationis, ratione cujus aliquid interdum permittitur, quod aliàs non permitteretur, ut notat Glossa *in d. c. sacris 12. h. t.* ubi etiam assignatur ratio, cur tunc sepulta corpora excommunicatorum relinqui debeant: quia defuncto nec vilis sepultura nocet, nec speciosa prodest: locus reconciliandus est, quia violatus fuit per primam sepulturam, & post reconciliationem possunt in eodem sepeliri fideles; quia cùm corpus excommunicati non possit ampliùs discerni, habetur pro occulto defectu, qui non impedit reconciliationem. Tum quia præceptum exhumandi hujusmodi corpora est affirmativum, proinde non semper obligat, sed tunc tantùm, quando potest sine tot difficultatibus corpus exhumari, eò quia ab aliis secernatur.

12 Juvat animadvertere, quòd prohibitio non sepeliendi excommunicatos in loco sacro est limitata, & restricta ad solos excommunicatos denuntiatos, & vitandos, quia excommunicati tolerati, hodie per Germaniam non vitantur quoad communicationem cum illis, & perinde habentur ac si solùm occultè essent excommunicati: hinc Ecclesiæ, in quibus diu Lutherani sua habuerunt exercitia, ac in iisdem corpora suorum defunctorum sepelierunt, si à catholicis recuperentur, communior sententia est, quòd non necessariò debeant solemniter reconciliari per Episcopum; quia per exercitium hæreticæ religionis non fuerunt violatæ, ut nec etiam per sepulturam hæreticorum. Alioquin non liceret divina in illis celebrare officia: moris tamen est, ut tales Ecclesiæ simplici saltem aqua benedicta per sacerdotem catholicum aspergantur, priusquam divina officia iterum in iisdem celebrentur: ita enim fuit ad praxim deductum in pluribus Ecclesiis Lutheranorum in ultimo bello in Palatinatu inferiori occupatis à Gallis. Neque necesse est, corpora hæreticorum non denuntiatorum, nec vitandorum, qui in Ecclesiis ab hæreticis in Germania occupatis antea sepulti fuerant, exhumentur, si tales Ecclesiæ iterum recuperentur à catholicis, quia tales Ecclesiæ non fuerunt violatæ: & ex alio capite non sine gravi perturbatione, & periculo corpora hæreticorum exhumarentur.

13 Quamobrem eorum tantùm corpora in locis sacris sepulta exhumari debent, qui excommunicati denuntiati, & vitandi sunt, & tales non habentur hodie hæretici per Germaniam, ubi simul cùm catholicis sua gerunt negotia, communicant in rebus, tum politicis, tum privatis, & frequenter etiam matrimonia simul contrahunt. Nomine autem loci sacri in ordine ad sepulturam intelligitur locus consecratus, vel saltem benedictus, ut Ecclesia, vel cœmeterium, quia reconciliatio supponit consecrationem, vel benedictionem: hoc tamen discrimine, quòd si Ecclesia fuit consecrata, requiritur solemnis, & episcopalis consecratio, ut reconcilietur, quòd si tantùm fuit benedicta, sufficit sacerdotalis benedictio per aquam benedictam, adeo ut locus aqua benedicta aspergatur à sacerdote, ut notat Zerola *in prax. Episcop. p. 1. V. pollutio Ecclesiæ.*

Tametsi excommunicatus decesserit cum signis contritionis, si tamen à censura excommunicationis non sit absolutus, non debet in loco sacro sepeliri, ut habetur *in c. à nobis 28. de sentent. excommun.* ratio est, quia privatio sepulturæ est effectus excommunicationis, quæ cum non tollatur per contritionem, sed per absolutionem ecclesiasticam, ideo potest quis contritus decedere, & salvari, tametsi excommunicatus moriatur, ac privetur ecclesiastica sepultura. Sin autem ante absolutionem jam sepultus fuerat in loco sacro, debet quàm primùm absolvi, ne alioquin si fuerit excommunicatus denuntiatus, & vitandus exhumari debeat, ac locus reconciliari. Quòd si quis ante mortem per Sacramenta Ecclesiæ fuit à suo Presbytero absolutus ab excommunicatione; is sepeliri debet in loco sacro, ut desumitur *ex c. parochiano 14. h. t.* ubi Gregorius VII. ita rescribit: excommunicati pro manifestis excessibus ut incendio, homicidio, percussione clerici, violatione Ecclesiarum, incestu, & aliis flagitiis, si à suo Presbytero juxta formam Ecclesiæ fuerint absoluti in morte, sunt sepeliendi in loco sacro, sed hæres tenetur satisfacere pro illis sub censura. 14

Excipiuntur tamen Rei, quibus ob graviorum criminum detestationem per sententiam condemnatis sacra solet denegari sepultura, tametsi à peccatis, & censuris fuerint ante mortem absoluti, ut ob hæresin. Cæterum quilibet sacerdos in mortis articulo constitutum potest absolvere ab omnibus peccatis, & excommunicationibus annexis sive à jure, sive ab homine latis, sive Papæ reservatis: debet tamen sacerdos si possit jurisdictionem absolvendi impetrare ab Episcopo: unde hæc jurisdictio ordinaria, vel delegata ex communiore, ac probabiliore sententia semper requiritur, si haberi possit, ut tradit Layman. *lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 14.* quia eatenus sacerdoti simplici conceditur facultas absolvendi à quibuscunque peccatis, ac censuris in mortis articulo jure extraordinario ob necessitatem, ne si absolutio denegetur, aliquis pereat, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 7.* proinde cessante necessitate cessat etiam potestas extraordinaria: est enim regula communis, quam tradit Abbas *in c. cum venerabilis 7. in fin. de consecrat.* quòd quando aliquid conceditur ob necessitatem tamdiu durat concessio, quamdiu necessitas. Plures tamen oppositum docent, & volunt quemlibet sacerdotem etiam præsente Ordinario posse in articulo mortis absolvere: sed prior sententia verior est, ac servanda, quia habens jurisdictionem ab Ecclesia expressam ratione dignitatis in pari concursu debet præferri simplici sacerdoti. 15

Cæterum si absolvatur in articulo mortis ab excommunicatione, debet id fieri secundùm formam præscriptam à sacris canonibus, ut habetur *in c. ex tenore 10. c. cùm desideres 15. juncta Glossa fin. de sentent. excommun.* adeo ut excommunicatus non debeat prius absolvi, quàm realem satisfactionem dederit parti læsæ, vel si talis satisfactio non possit statim præstari, saltem 16

tem debeat cautionem dare, vel ſeriò promittere ſe ſatisfacturum, ut deſumitur *ex d. c. parochiano 14. h. t.* & talis obligatio tranſit ad hæredes defuncti, ut habetur *in cod. cap.* ſed procedendum eſt cùm aliqua diſtinctione, quia ſi agatur tantùm de injuria illata alicui à defuncto absque damno pretio æſtimabili, tunc quia obligatio ſatisfaciendi eſt merè pœnalis, ſeu præcisè orta ex delicto non tranſit ad hæredem, quia delicta per mortem delinquentis extinguntur §. *non autem inſtit. de perpet. & temp. action.* excipitur tamen niſi pœna ipſo jure ſit impoſita, & incurſa à defuncto hæretico, ut eſt pœna confiſcationis bonorum *argum. l. Cajus 22. §. de S. C. Syllan.* tunc enim cùm pœna jam ſit impoſita ejus obligatio tranſit ad hæredes. Vel niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, tunc enim ex delicto defuncti etiam ſucceſſores obligantur in ſolidum, in quantum ad eos pervenit *l. unic. C. ex delicto defuncti:* ſiquidem per litis conteſtationem partes litigantes contrahunt inter ſe, proinde obligatio tranſit ad hæredes, vel niſi ex furto agatur condictione furtiva; tunc etiam hæres tametſi nihil ad eum pervenerit, obligatur ad æſtimationem rei perditæ *l. ſi pro fure 7. ff. condictio.* Sin verò agatur de ſatisfactione ob damnum voluntariè, & injuſtè illatum per delictum, ut per homicidium, furtum, vel quaſi delictum, obligatio ſatisfaciendi ſecundùm jus canonicum, forùmque conſcientiæ tranſit ad hæredes, ut deſumitur *ex c. parochiano ult. h. t.*

17 Prohibentur etiam ſepeliri in loco ſacro quotquot in notorio peccato mortali decedunt, ut deprehenſi in crimine furti, adulterii, & interempti *c. fures. 10. 13. q. 1.* ubi etiam ſibi mortem inferentes ex deſperatione, vel iracundia *c. placuit 13. q. 5.* ſecus ſi ex fatuitate, vel ſi inflicto ſibi vulnere lethali ante mortem pœnituerint: & in dubio non præſumitur, quòd quis ſibi mortem peccaminosè intulerit, niſi ex aliis conjecturis appareat. Rurſus meretrices publicæ, quæ ad meliorem vitæ frugem non redierunt ſacra privantur ſepultura, ut etiam qui ſemel in anno Sacramentum Euchariſtiæ non perceperunt. Subitanea tamen morte extincti quamvis conſtet, quòd ſæpius peccaverint, non tamen ſunt excludendi à ſacra ſepultura, quia privatim cenſentur pœnituiſſe, ut habetur *in c. ex parte 11. h. t.* ubi dicitur, quòd illi, qui caſu moritur, & non ſe ſponte interimit, non ſit deneganda eccleſiaſtica ſepultura; quia cui communicamus vivo, & debemus & mortuo communicare. Uſurarii manifeſti etiam privantur eccleſiaſtica ſepultura, niſi priùs reſtituerint, vel de reſtituendo caverint *c. 2. de uſur. in 6.* verùm quia materia uſurarum eſt difficilioris indaginis, cùm plures contractus à doctoribus excuſentur ab uſura: ideo non facilè erit Parocho concedendum, ut propria authoritate ſine prævio judicio eccleſiaſtico tam gravem pœnam exequatur. Rurſus qui in haſtiludiis, ſeu torneamentis, ex quibus probabile mortis periculum imminet deceſſerunt, tametſi ante obitum Sacramenta pœnitentiæ, & communionis perceperint adhuc privantur eccleſiaſtica ſepultura, ut habetur *in c. 1. & 2. de torneamentis.* & ita etiam dicendum de occumbentibus in duello ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19. de refor.*

Neque id limitatur ad ſolum duellum ſolemne quod authoritate publica initur cum patrinis, aliisque ſolemnitatibus, quia Gregorius XIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit: *Ad tollendam*, & Clemens VIII. in ſua cui initium eſt; *Illius vices*, pœnas contentas in Concilio Tridentino extenderunt etiam ad duella privata, quæ fiunt ex condicto certo loco, & tempore deſignato, quamvis ſine patrinis, & non transmiſſis litteris provocatoriis, aliisque cæremoniis. Hinc morientes in duello, ita tamen ut ante mortem dederint ſigna contritionis, an poſſint ſepeliri in loco ſacro. Affirmat Portel. *in reſpons. moral. p. 3. caſ. 10. num. 3.* & nititur quia lex Concilii Tridentini arcentis ab eccleſiaſtica ſepultura morientem in duello eſt pœnalis, proinde ſtrictè intelligenda de iis tantùm, qui moriuntur in ipſo duello: qui verò dedit ſignum contritionis, non moritur in ipſo duello, ſed poſt duellum, alioquin non daret illa ſigna pœnitentiæ, ſi duellum non ceſſâſſet: ergo dantis poſt duellum ſigna contritionis non videtur deneganda eccleſiaſtica ſepultura. Tum quia lex Tridentini cùm ſit pœnalis, intelligitur cum reſtrictione de illo, qui moritur in duello abſque ſigno contritionis, & cum notorio peccato lethali. Verùm hæc ſententia rejicitur, quia in Rituali Romano edito juſſu Pauli V. ſic habetur in rubric. de exequiis. *Negatur eccleſiaſticæ ſepulturæ morientibus in duello, ſi ante obitum ſigna dederint pœnitentiæ.* Si quis tamen moreretur uno, vel altero die poſt duellum, poſſet ſepeliri in loco ſacro, quia tunc non moritur in loco duelli, nec in duello, ſed tantùm ex occaſione duelli, nec iſte caſus includitur in Concil. Trident. neque in Rituali Pauli V. Non tamen deſunt qui cenſeant, talem eſſe privandum eccleſiaſtica ſepultura, eò quia pœna hujus privationis inducta ſit in deteſtationem criminis, & ut alii agnoſcentes duellum tam graviter puniri, terreantur, & à duello ineundo arceantur. 18

Tum quia privatio ſepulturæ non infligitur per modum cenſuræ, ſed per modum juſtitiæ vindicativæ diſtinctæ à cenſura, alioquin non fuiſſet opus, hanc pœnam exprimere, cum privatio ſepulturæ ſit effectus, qui ſequitur ad excommunicationem. Et hæc ſententia eſt etiam valdè probabilis. Quinimò excluduntur etiam ab eccleſiaſtica ſepultura, qui in duello inopinatò defunguntur, tametſi ab adverſario non fuerint vulnerati, quia iſti moriuntur in loco duelli, & cum peccato lethali notorio, cùm nullum dederint ſignum contritionis, & ſupponantur ex-tempore defungi. 19

Difficilius videtur de milite in exercitu, & de viro equeſtri in aula imperatoria, vel regia, qui ſi provocatus ad duellum, illud non acceptet ob ignaviæ ſuſpicionem debeat excidere à favore Principis in aula, vel ducis in caſtris, ut etiam de illo, qui ad pugnandum laceſſitur per crebra convicia, & contumelias, an iſte ad liberandum ſe à tali molæſtia, ac dedecore poſſit duellum acceptare, & ſi illud acceptet, & occumbat 20

cumbat in duello, an privandus ſit eccleſiaſtica ſepultura. Reſpondent Floronus *de duello* 6. §. 2. Filiucius *tom.* 1. *tract.* 15. *c.* 5. *n.* 107. Laymann *in Theolog moral. lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. & alii in ſimilibus circumſtantiis acceptantem duellum oblatum non animo occidendi provocantem, ſed ob meram defenſionem in foro interno poſſe excuſari, quia videtur nimis durum, ac difficile viro equeſtri, aut militi excidere à dignitate, vel favore Principis, aut ducis ob ſuſpicionem ignaviæ, ſi provocatus ad duellum illud non acceptet; non animo nocendi adverſario, ſed tantùm ſe ipſum defendendi, & offendendi tantùm cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi aliter non poſſit ſe ipſum defendere: etenim ſi quis velit alteri vitam adimere, poteſt hic ſe tueri, & ſi aliter non poſſet ſe defendere, poteſt duellum acceptare cum aliter eſſet occidendus. Tum quia acceptare duellum, & comparere in loco condicto eſt quid ex ſe adiaphorum quod bene, vel malè fieri poteſt: unde ſi juſta cauſa ſubſit videtur duellum poſſe acceptare non animo nocendi adverſario, ſed ſe ipſum, & proprium honorem tuendi. Verùm hæc ſententia eſt falſa, & contraria omnino vera, adeo ut deduci ad praxin non poſſit: quia Eccleſia ſub graviſſimis pœnis prohibuit duella, ut liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *c.* 19. *de reformat.* & Eccleſia potuit ad impedienda plura mala, quæ inde ex duellis orirentur, has pœnas injungere. Tum quia provocans ad duellum non intendit ſpoliare provocatum ſuo honore; ſed ſi honoris amiſſio ſequitur, id tantùm contingit per accidens, & poteſt etiam id impediri, ſi dicat ſe paratum fore, ſi per decreta Eccleſiæ licitum eſſet ſingulare certamen. Tum quia recuſare duellum, eò quia ſit prohibitum ab Eccleſia ita pugnare, apud viros probos, & prudentes non eſt dedecus, ſed id potius vertitur probitati vitæ.

21 Demum quia provocatus poteſt ſemper reſpondere provocanti, quod ſi ipſum aggreſſus fuerit palam, & non proditoriè, ſe defendet, quo pacto nullam poteſt ignaviæ ſuſpicionem incurrere. Hinc qui tantùm honoris causâ duellum acceptaret, & in illo occumberet non eſſet ſepeliendus in loco ſacro, quia id ſtatuitur in Bulla Clementis VIII. cui initium eſt: *Illius vices*; ubi dicitur, quòd pœnæ duellantium procedant, etiamſi unus miles cum altero etiam ex hoſtili caſtro, & ducum permiſſu, privata tamen de cauſa duellum ineat: quamvis miles tunc ſine contemptu, & diffamatione apud totum exercitum non videretur poſſe duellum declinare. Ratio eſt quia ad execrationem, & extirpationem alicujus gravis criminis in genere talis, aut abuſus, multa fiunt ſine vera culpa, quæ non fiunt ſine cauſa, aut culpa præſumpta: & nonnunquam ex præſumptione mali, damnatur etiam qui eſt innocens: hinc electus per ſimoniam alterius, etiam ignoranter privatur dignitate *c. nobis fuit 37. de ſimon.* Rurſus filii eorum, qui crimen læſæ majeſtatis perpetrârunt graviter puniuntur per privationem bonorum, ſucceſſionum, & dignitatum, ut ipſis mors ſit ſolatium, & vita ſupplicium, quamvis in ſua perſona nil commiſerint *c. vergentis* 10. *de hæret.* *l. quisquis C. ad leg. Jul. majeſtat.*

Demum neque eccleſiaſtica ſepultura illi 22
conceditur adulto, qui antequam defungeretur, baptiſmum petiit, ſi illum non ſuſceperit: ratio eſt, quia adultus non niſi per ſuſceptionem baptiſmi ingreditur in Eccleſiam viſibilem, unde cùm careat baptiſmo, quem nondum ſuſceperat ab Eccleſia viſibili, non eſt honorandus eccleſiaſtica ſepultura: quia Eccleſia non agnoſcit ut viſibilem filium, qui viſibiliter per Sacramentorum januam ad eam non eſt ingreſſus. Non tamen adultus ille in campum eſſet abjiciendus; cum piè credi poſſit, talem fuiſſe ſalutem conſecutum ſi ex contritione cordis baptiſmum petiit, unde ſepeliendus eſſet, non per contemptum, ſed in aliquo honeſto loco non ſacro. Infideli tamen non baptizato patienti tamen pro Chriſti fide mortem, concedenda eſt Eccleſiaſtica ſepultura: quia per martyrium ſatis oſtendit, ſe filium eſſe Eccleſiæ, pro qua ſanguinem, & vitam profudit.

Sepelientes ſcienter tempore interdicti de- 23
functos in caſibus non permiſſis in eccleſiis, vel cœmeteriis publicè excommunicatos, vel nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ipſo facto incurrunt excommunicationem, & non poſſunt abſolvi niſi priùs ſatisfecerint offenſis tali injuria non obſtante quocunque privilegio, ſub quacunque forma, ut habetur expreſsè *in clement.* 1. *c. eos qui h. t.* Non tamen hanc excommunicationem incurrunt, qui ex ignorantia etiam culpabili præfatos ſepeliunt, ut deſumitur *ex d. clement.* 1. Imò neque qui gravi metu coacti id faciunt. Hinc ſi hæreticus peteret à Parocho ſepulturam eccleſiaſticam pro hæretico defuncto non in contemptum Eccleſiæ, ſed pro honore familiæ, & Parochum detrectantem vellet occidere, non teneretur Parochus cum gravi damno reſiſtere: ſed ceſſante periculo deberet cadaver hæretici, ſi ab aliis ſecerni poſſet extrahi è loco ſacro, ut habetur *in c. in ſacrâ* 12. *h. t.*

Poſſunt tamen publicè, aut nominatim ex- 24
communicati, & interdicti ſepeliri in loco contiguo cœmeterio, dummodo non ſit deputatus ad uſum eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſitque locus profanus. Rurſus nomine ſepelientium hic non ſolùm intelliguntur, qui propriis manibus ſepeliunt, corpúsque in ſepulchrum immittunt, ſed etiam hi omnes, qui ſepulturam procurant, cujusmodi ſunt mandantes, & exequentes; non verò qui funus comitantur, vel qui cantant, & crucem, aut lumina deferunt, quia iſti verè, & propriè non ſepeliunt, conſequenter excommunicationem non incurrunt; neque obſtat, quod ipſi etiam cooperentur ad ſepulturam: quia eorum cooperatio non eſt immediata, & cùm hæc conſtitutio ſit pœnalis reſtringenda eſt, ut notat Gloſſa *in tit. clement. 1. V. ſepelire.* Cæterum excommunicati qui privantur eccleſiaſtica ſepultura, eo ipſo cenſentur etiam privati omni honore, & pompa funeris, quæ ordinatur ad ſepulturam eccleſiaſticam, quia eſt quædam moralis communicatio cum defuncto, ut habetur *in c. placuit.* 12. *cauſ.* 23. *q.* 5.

Tum quia est per se indecens, quòd defuncti corpus cum pompa funeris, & cæremoniis ecclesiasticis deferatur ad locum profanum. Rursus quamvis minore excommunicatione ligati, si defungantur non sint sepeliendi in loco sacro: non tamen sepelientes incurrunt pœnam excommunicationis hic statutam, ut notat Glossa *hic V. excommunicatos*, & Abbas *in eod. clement. 1. num. 6.*

§. VI.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an Regulares possint persuadere infirmis, ut sepulturam eligant in propria eorundem Ecclesia? Certum est *in clement. cupientes §. fin. de pœnit.* anathemate percuti clericos, & Regulares audentes infirmum inducere ad eligendam sepulturam in propria eorum Ecclesia; eò quia id cedat in præjudicium Ecclesiæ parochialis, vel alterius, in qua de jure erat sepeliendus. Respondetur stante præfata Clementina non posse clericos, & Regulares inducere infirmum ad eligendam propriam sepulturam in propria eorum Ecclesia, præsertim cum obligatione irrevocabili orta ex voto, vel juramento, vel aliâ, quâ infirmus ita maneret obligatus ut salvâ fide non posset mutare electionem: etenim in præfata *Clement.* habetur: *sanè temerarios violatores constitutionis illius, qua Religiosis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alios ad promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent,* adeo ut si infirmus jam elegerit sepulturâ in Ecclesia Regularium, non possint isti ipsum inducere, ut se obliget voto, vel juramento, vel modo alio verè obligatorio, ad ratam, firmámque habendam electionem jam factam. Cæterum putârim, non esse prohibitum simpliciter persuadere infirmo per adhibitas duntaxat preces, ut sepulturam eligat in propria Ecclesia suadentis, si sit Religiosus Regularis; dummodo is non intendat infirmum obligare, & interim liberum eidem sit mutare electionem jam factam, ut docent Navarr. *c. 27. manual. num. 103.* D. Antoninus *3. p. tit. 24. c. 55.* Pasqualig. *decis. moral. decis. 373. num. 4.* Suarez. *disp. 22. de censur. sect. 4. num. 25.* ratio est, quia cùm dicta Clementina sit pœnalis non debet extendi ad eos, ad quos verba in Clementina contenta non pertingunt: atqui verba Clementinæ tantùm eos comprehendunt, qui inducunt ad eligendum cum obligatione: ergo si regularis non inducat cum obligatione infirmum ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia, non incurrit pœnam, quia non comprehenditur in verbis præfatæ Clementinæ. Tum quia finis illius Clementinæ alius non fuit, quàm conservare liberam potestatem eligendi infirmo usque ad ultimum vitæ, ut notat Glossa *in c. animarum 1. h. t. in 6. in addit.* unde si electio fiat sine ulla obligatione est semper revocabilis, & liberum est infirmo eam revocare, unde cum finis legis sit servare libertatem, talis Religiosus suadens per simplices preces infirmo, ut sepulturam eligat in propria sua Ecclesia, non transgreditur legem, quia non agit contra finem legis.

Quæritur secundò, an excommunicatio imposita *per clement. cupientes* eos etiam afficiat, qui inducunt ad electionem sepulturæ mediante obligatione, eos qui non pro se ipsis illam eligunt, sed pro aliis: an verò tantùm eos liget, qui inducunt alios ad electionem sepulturæ mediante obligatione, qui pro se, & non pro aliis eligunt? Tametsi non desint, qui censeant, talem excommunicationem eos tantùm ligare, qui inducunt alios ad eligendam pro se sepulturam in propria Ecclesia, eò quia præfata Clementina sit pœnalis, & restringenda, non amplianda, ut fieret, si præter eos, qui pro se eligunt sepulturam, etiam comprehenderet eos, qui pro aliis illam eligunt, & Regulares incurrerent excommunicationem, si utrosque inducerent mediante obligatione ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia. Nihilominus respondendum est, talem excommunicationem ligare inducentes utrosque ad electionem obligatoriam sepulturæ sive pro se, sive pro aliis: quia constitutio universaliter loquitur de inducentibus ad eligendam sepulturam in propriis ecclesiis: unde sive eligentes eligant pro se, sive pro aliis, semper inducuntur mediante obligatione ad talem electionem. Rursus electio, quæ fit contra præfatam clementinam, est nullius valoris; proinde qui ita eligeret, ejus electio nulla esset, & eligens esset sepeliendus, ubi priùs, ac si nullam fecisset electionem, ut decrevit Bonifacius VIII. in constitutione innovata *in d. clement. citata* & habetur *in c. animarum 1. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. prohibet, ne Religiosi, vel clerici sæculares inducant aliquem ad vovendum, vel jurandum, vel promittendum, ut in eorum Ecclesiis eligat sepulturam, vel jam electam non mutet: & si secus fiat, electio est nulla, & mortuus sepelitur, ubi de jure sepeliendus esset, si sepulturam non elegisset; & tales Religiosi, vel Clerici, si præsumant sepelire prædictum defunctum in suis ecclesiis tenentur intra decem dies corpus restituere, si petatur, & etiam omnes proventus occasione sepulturæ habitos; alioquin Ecclesia, & cœmeterium ubi est sepultus, remanet interdictum, donec fiat integra restitutio ultra peccatum mortale.

2

Imò etiam electio esset nulla, si quis cum voto, juramento, aut promissione induceret infirmum ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, ut si clericus sæcularis induceret infirmum ad eligendam sepulturam in Ecclesia Benedictinorum, vel si Benedictinus induceret cum eadem obligatione ad eligendam sepulturam in Ecclesia Canonicorum Regularium, idque cum fraude nempe clericus sæcularis ad instantiam Benedictini, & iste ad instantiam Canonici Regularis, uterque enim contraheret pœnas positas in dicta constitutione, ut docent Pasqualig. *loc. cit. num. 8.* Portel. *in dubiis Regularium V. sepultura n. 5.*

3

Quæritur tertiò, an lethaliter peccet, & contrahat pœnas juris, qui nititur infirmum inducere

4

ducere ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia cum voto, & juramento, aut promissione irrevocabili, etiamsi infirmus non sinat se suaderi? Respondetur, inducentem ad talem electionem peccare lethaliter, quamvis effectus non sequatur, quia quantum est ex se intendit actum malum circa objectum prohibitum, & hoc sufficit, ut actus contrahat malitiam, tametsi effectus non sequatur: quia ideo non sequitur, quia infirmus non vult assentiri inducenti ad talem electionem; quemadmodum qui alliceret puellam ad peccandum, peccaret procul dubio, tametsi puella nollet assentiri, quia talis allicientia est circa objectum dissonum rectæ rationi. An verò etiam incurrat excommunicationem positam à Bonifacio VIII. *in d. c. animarum* 1. *h. t. in* 6. & *in clement. sapientes* §. *sanè de pœn.* Respondetur affirmativè, ratio est, quia quod prohibetur in præfatis constitutionibus est actus inducendi consistens in quadam continua successione, quapropter prohibitio fortitur suum effectum eo ipso, quòd aliquis alium conatur inducere ad talem electionem jure prohibitam.

Verùm opposita sententia, nimirum inducentem non contrahere excommunicationem, si non sequatur effectus, est etiam valdè probabilis, & illam docent Suarez *tom. 5. in 3. p. disp.* 22. *de censur. sect. 4. num.* 26. *Navarrus c.* 27. *manual. num.* 109. & fundatur hæc sententia in eo, quòd censuræ non contrahantur nisi effectus sequatur, ut docent Coninch. *disp.* 13. *de censur. dub.* 8. *num.* 75. Pasqualigus *decis.* 374. *num.* 3. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 2. *num.* 5. *in fin.* Et hæc sententia mihi videtur probabilior, quia sub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, sed ipsa inductio ad eligendum: & inductio non est in ipso inducente activè, sed in inducto passivè, quia dicit, quòd ducatur, seu inducatur passivè; adeo ut non habeatur inductio, donec quis trahatur ad eligendum cum voto, aut alia obligatione irrevocabili: proinde si non sequatur electio non habetur inductio, sed tantùm simplex attentatio ad inducendum: & per solam attentationem, licèt contrahatur peccatum, non tamen incurritur excommunicatio, quia hæc est pœna, quæ supponit delictum exterius perpetratum: quemadmodum si quis procuret clericum percutere, eúmque insequatur, si tamen eum non percutit, non incurrit excommunicationem canonis, si quis suadente diabolo. Hinc ad fundamentum prioris sententiæ respondetur, constitutiones non prohibere sub excommunicatione ipsam attentationem, sed inductionem, quæ non habetur, nisi sequatur electio, non enim sine electione dicitur quis inductus ad eligendum, quia si non eligit, non est inductus ad id præstandum, & potest non eligere.

6 Quæritur quartò, an peccet clericus sæcularis, si inducat cum obligatione irrevocabili orta ex juramento, vel voto infirmum sæcularem ad eligendam propriam sepulturam in Ecclesia sua parochiali? Respondent aliqui non peccare, nec incurrere excommunicationem, quia textus *in c. animarum*, & *in clement. sapientes* sunt in favorem Ecclesiæ, in qua defunctus de jure debet sepeliri; proinde inducens cum obligatione ad electionem sepulturæ in Ecclesia parochiali, in qua aliàs parochianus deberet sepeliri, non peccat, nec incurrit excommunicationem, quia non agit contra *clement. sapientes*, nec contra *c. animarum* 1. *h. t. in* 6. Nihilominus opposita sententia, quam docent Pasqualigus *decis.* 375. *num.* 2. Portel. *in dub. regul. V. sepult. num.* 4. est valdè probabilis, quia ibi intervenit peccatum, & censura imposita actui prohibito incurritur, quando ponitur actus revera prohibitus, & cui est adnexa excommunicatio: at per præfatos textus juris prohibetur ipsa inductio ad eligendam sepulturam cum voto, juramento, vel promissione irrevocabili, unde si clericus revera cum tali obligatione inducit infirmum ad eligendam sepulturam etiam in propria parochia, ponit actum in jure prohibitum, & ad quem in pœnam delicti sequitur excommunicatio: quapropter clericus non solùm peccat, sed etiam incurrit excommunicationem impositam tali actui.

Neque obstat, quòd sepultura parochiani 7
de jure sit in Ecclesia parochiali, quia licèt id verùm sit, adhuc tamen est liberum infirmo sibi eligere sepulturam in alia Ecclesia: & præfati juris textus ad servandam indemnem hanc libertatem in infirmo prohibent, ne inducatur cum obligatione orta ex voto, vel juramento ad electionem sepulturæ: & quia per talem inductionem revera tollitur libertas quoad electionem sepulturæ in alia Ecclesia, ideo ponit actum contra præfatos textus juris, & finem eorundum; propterea talis actus est malus, & trahit secum pœnam excommunicationis.

Tum quia per talem inductionem ostenditur avaritia, quia præsumitur fieri ex desiderio emolumenti, quod provenit Ministris Ecclesiæ ex sepultura. Tum quia præfatæ constitutiones non sunt in favorem Ecclesiæ, in qua de jure debet quis sepeliri; sed in favorem libertatis in ordine ad eligendam sepulturam; quam Pontifices voluerunt servari indemnem, etiam in præjudicium Ecclesiæ habentis jus ad sepeliendum; & in detestationem avaritiæ, & ad tollenda scandala, ut initio constitutionis explicat Bonifacius VIII. quæque oriuntur ex eo, quòd Religiosi regulares, vel clerici sæculares habeant obligatas personas ex ipsorum inductione ad proprias Ecclesias, quoad sepulturam; unde hæc inductio est semper contra finem constitutionis; cui propterea non dat vires, nec robur ut supponitur in fundamento, quo nititur prima sententia.

Quæritur quintò, quænam ignorantia suffi- 8
ciat ad excusandos inducentes ad eligendam sepulturam cum obligatione, ne incurrant excommunicationem? Respondetur, omnem ignorantiam excusantem à peccato lethali excusare etiam, ne incurratur excommunicatio ab inducente ad eligendam sepulturam cum obligatione: quia eo ipso quòd excusat à peccato mortali, excusat etiam ab excommunicatione incurrenda, cum hæc non incurratur, nisi ob contumaciam conjunctam cum peccato mortali, ut desumitur

ex c. nullus, c. nemo 11. *q. 3. c. 1. de judic. & c. à nobis 1. c. sacrosancta de sentent. excommun.* hinc ignorantia probabilis, quâ quis ignorat prohibitionem quatenus putat, probabiliter se posse inducere alium ad eligendam sepulturam cum tali obligatione, videtur etiam excusare à contrahenda excommunicatione, ut docent Cajetanus *in sum. V. excommunicatio. c. 10. cas.* 49. Navarr. *c. 27. manual. num.* 103. Immo Suarez. *3. p. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 4. num. 26.* docet, ad incurrendam excommunicationem plus requiri, quàm ad peccandum, adeo ut ignorantia aliqua, quæ à peccato non excusaret, possit ab incurrenda excommunicatione excusare. Idque videtur deduci *ex d. element. cupientes §. sanè de pœn. in 6.* ubi anathemate percutiuntur temerarii violatores huius constitutionis: illa enim particula *temerarii* debet aliquid operari, adeo ut requiratur ausus temerarius, qui non intervenit, quando quis ex ignorantia, & bona fide procedit, tametsi ignorantia eum non excusat à peccato ob negligentiam. Cæterum probabile est, ignorantiam affectatam non sufficere ad incurrendam hanc excommunicationem, eò quia sufficiat ad excludendum ausum temerarium requisitum ad hanc contrahendam excommunicationem. Est enim ausus temerarius, quo sine ratione proceditur, & violatur constitutio cum intentione contraveniendi: hæc autem intentio non habetur in ignorantia affectata, quia ausus est quidam contemptus, ut notat Innocentius *in c. cum medicinalis 1. de sentent. excommun. in 6.* & cùm quis aliquid affectatè ignorat, illud non contemnit.

10 Quæritur sextò, an qui eligit sepulturam in aliqua Ecclesia, & postea mutat electionem, & eligit illam in alia Ecclesia cum juramento, ac promissione sé non mutaturum electionem debeat sepeliri in Ecclesia priùs electa? Respondent Rodriquez *tom. 3. quæstion. regularium. q. 58. art. 7. dub. 2.* & alii, talem esse sepeliendum in Ecclesia priùs electa, eò quia electio fuit legitima, & si non supervenisset posterior illegitima, servanda procul dubio fuisset: & quia posterior electio est nulla juxta *element. cupientes §. fin. de pœn.* ideo standum est primæ electioni, quia non irritatur per secundam juxta regulam juris *c. utile de regul. jur. in 6.* ubi dicitur, *quòd utile per inutile non vitiatur.* Mihi tamen videtur procedendum cum distinctione: vel enim eligens sepeliri in alia Ecclesia cum juramento post primam electionem inducitur ab alio ad secundam electionem juramento firmatam; vel sponte ex propria voluntate, & sine extrinseca inductione eligit secundam sepulturam, & jurat se non mutaturum electionem: si fuit ab alio inductus, tunc prima electio non irritatur per secundam, quia secunda est nullius valoris utpote prohibita à jure, & valet regula, *quod utile per inutile non vitiatur.* Sin autem non fuit ab alio inductus ad secundam electionem juramento firmatam sepeliendus est in Ecclesia, quam ultimò elegit, quia secunda electio est valida, & juramentum obligat: sicut enim sine juramento potuisset revocare primam electionem, & eligere aliam sepulturam: ita juramentum magis firmat, & corroborat secundam electionem: quia quoties actus, vel electio potest servari sine detrimento salutis, servandum est juramentum ei annexum. Hinc prior electio est irrita, quia Pontifex vult, quòd juramentum vel promissio liget eligentem quoad facultatem, quam habet in eligenda sepultura, ideo standum est secundæ electioni, ut servetur juramentum: quia jurans manet obligatus juramento quantum est de se, proinde non potest subsistere prior electio, quæ non habet robur stante secunda electione juramento firmata.

Quæritur septimò, an si unus tantùm ex clericis, aut Regularibus inducat infirmum ad 11
eligendam sepulturam in sua propria Ecclesia cum obligatione non revocandi electionem, talis electio sit nulla? Respondet Rodriquez. *in sum. p. 4. c. 130. num. 5.* cum Archidiacono *in c. animarum 1. de sepult. in 6.* talem electionem esse validam, si non interveniat fraus respectu omnium, vel saltem majoris partis, & nititur quia Ecclesia punit tantùm ex facto omnium, vel majoris partis *argum. l. jubemus. C. de SS. Eccles.* Tum quia *ex regul. jur. in 6.* delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. Nihilominus dicendum est, talem electionem nullum sortiri valorem, ut censet etiam Pasqualig. *loc. cit. decis. 380.* adeo ut sufficiat si unus tantum Religiosus inducat cum obligatione ad eligendam sepulturam, ut electio juramento, vel voto firmata sit nulla, idque clarè habetur *in c. animarum 1. h. t.* ubi Bonifacius VIII. expresè prohibet inducere aliquem ad vovendum, vel jurandum, vel promittendum, ut in Ecclesia inducentis eligat sepulturam, vel jam electam non mutet: quòd si secus fiat, Pontifex vult, electionem esse nullam, & quòd mortuus sepeliatur, ubi de jure sepeliendus esset, si sepulturam non elegisset.

Tum quia si electio juramento firmata, ideo 12
esset valida, eò quia unus tantùm induxisset electorem ad talem electionem, illuderetur constitutio Pontificis, & lex frustraretur suo fine: siquidem qui sunt de Ecclesia tam regulari, quàm sæculari, possent per unum solum procurare talem electionem, proinde decretum foret irritum. Rursus hæc prohibitio est personalis, & comprehendit omnes, & singulos, quia non fit communitati, neque loco, sed personis, adeo ut respiciat actus personales, non verò actus communitatis: unde talis electio facta uno tantùm inducente est nulla ex vi constitutionis. Tum quia irritat illum actum, quem fieri prohibet, seu irritat ipsam electionem, quæ sequitur ex actu, quem prohibet.

Neque inde sequitur, quòd ex facto unius 13
Ecclesia patiatur detrimentum, quia cùm Ecclesia per talem electionem irritam nullum acquisiverit jus, ideo nihil deperdit, cùm nihil ad ipsam fuerit translatum: per talem electionem invalidam non transfertur aliquod jus in Ecclesiam, apud quam fuit electa sepultura, proinde si non concedatur, non fit ei aliquod præjudicium. Neque delictum personæ particularis potest redundare in detrimentum talis Ecclesiæ, quia cùm hæc nullo privetur jure antea

quæ-

quæſito, nil patitur damni, cùm non lædatur in aliquo ſui ipſius.

14 Quæritur octavò, an Religioſi, quibus ob ſepulchrum majorum in propria Eccleſia competit funerare cadaver, poſſint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam parochiam proceſſionaliter ad ſuam deportare Eccleſiam? Reſpondetur, quoad hoc ſtandum eſſe conſuetudini, vel ſpecialibus pactis, ac privilegiis locorum, & ordinum Religioſorum, & Parochi: ſiquidem quando introducitur aliquis ſacer Ordo in loco aliquo, ſolet Parochus pacifci cum Religioſis recèns introductis circa funera, ne ipſi præjudicetur, proinde attendenda ſunt pacta cum Parocho inita *argum. c. 1. de pact. in 6.* Sin verò abſtrahamus à pactis, privilegiis, & conſuetudinibus, eſt juri conformius non licere abque licentia Parochi ingredi proceſſionaliter ſuam parochiam ad tollendum cadaver *argum. c. nunc. 13. q. 1.* & Zyppæus *in annal. juris pontific. tit. de ſepult. num. 5.* pro hac ſententia allegat Bullam Leonis X. Sicut enim de jure civili habenti jus venandi poteſt à domino prohiberi ingreſſus in proprium fundum §. *fera 12. de rer. divis.* ita etiam poteſt Parochus prohibere ingreſſum proceſſionalem in ſuaEccleſia, ſi adſit juſta cauſa. Cæterum quando Parochi comitantur corpora defunctorum in eccleſiis Religioſorum humanda, tantùm poſſunt procedere usque ad Eccleſiam Regularium: ſiquidem debent ibi ſiſtere, & nullam agere functionem ex declaratione ſacræ Congregationis apud Petrum de Murgia *in queſt. paſtor. p. 3. queſt. 7. num. 6.*

15 Quæritur nonò, an electio ſepulturæ per teſtes ſingulares probari poſſit? Reſpondetur affirmativè, & eſt communior ſententia, quam docent Barb. *in c. cum ſuper num. 2. de ſepult.* Diana *p. 5. tractat. 3. reſolut. 106.* Pasqualigus *loc. cit. decis. 404.* Lauretus de Franchis *in controvers. inter epiſc. & regul. q. 64. §. probatur verò:* Riccius *in prax. p. 1. reſolut. 565.* ſiquidem electio ſepulturæ accenſetur tanquam pars ultimæ voluntati, ut notat Gloſſa *in addit. V. & ſit in c. animarum 1. B. t. in 6.* unde ſufficit, ſi probetur tantùm hæc pars ultimæ voluntatis, & ad illam probandam ſufficiunt teſtes ſingulares, quia eo ipſo, quòd ſingulariter probant, evadunt conteſtes, quia licèt ſint ſingulares reſpectu exterioris manifeſtationis, quâ eligens ſuam manifeſtavit voluntatem, ſunt tamen conteſtes in probanda volùntate exteriùs manifeſtata, quam ut conteſtes probant tanquam habentes tractum ſucceſſivum.

16 Quòd ſi quæratur, quot ſint neceſſarii teſtes ad probandam electionem ſepulturæ: communior ſententia eſt, requiri ſaltem duos, eò quia agatur de præjudicio Eccleſiæ, in qua defunctus erat de jure ſepeliendus: & comparatur diſpoſitioni ad pias cauſas, quæ ſaltem per duos teſtes probari debet *c. cùm eſſes de teſtam.* An verò dictum confeſſarii ſufficiat ad probandam electionem ſepulturæ: Plures cenſent, ſufficere, ut Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 13. c. 8. num. 32.* cui adhæret Diana *p. 5. tract. 3. de caſ. occurr. reſol. 106.* & idem docet etiam Pasqualigus *loc. cit. decis. 406.* & huic ſententiæ adhærendum puto, quia cum ſoleat moribundus concredere confeſſario ſuam conſcientiam, ita etiam ea, quæ ſtatum concernunt ſpiritualem, & animæ, adeo ut ſit confeſſarius à moribundo veluti conſtitutus executor eorum, quæ pertinent ad ſtatum ſpiritualem, & deducenda etiam ſunt ad forum externum: ergo ſi moribundus aperuit confeſſario ſuam intentionem, ut ſepeliatur in tali ſpeciali Eccleſia, & confeſſarius teſtetur, moribundum revera elegiſſe ſepulturam in tali Eccleſia, non ſe habet tunc confeſſarius ut purus teſtis, ſed ut executor voluntatis ſibi à moribundo concreditæ, ut rectè notat Pasqualigus *loc. cit.* unde ſtandum erit dicto confeſſarii, non ut teſtis ſingularis, quia ſic non faceret plenam fidem, ſed ut executoris voluntatis à defuncto ſibi concreditæ. Hanc ſententiam deduci ad praxim in curia Archiepiſcopali Neapolitana *ex decreto Concil Provincial. tit. de ſepult.* refert Lavor. *tom. 1. variar. lugubr. tit. 2. c. 11. n. 10.*

17 Quæritur decimò, an ſi uxor ſpecialem ſepulturam ſibi elegerit, & defungatur ante maritum, ſi iſte poſtea decedat ſine electione ſepulturæ, ſepeliendus ſit in Eccleſia parochiali, vel in ſepulchro uxoris? Reſpondent aliqui cum Panormit. *in c. de uxore h. t. n. 7.* maritum eſſe ſepeliendum in Eccleſia parochiali, eò quia jura tantùm loquantur de uxore, ut hæc debeat ſepeliri in ſepulchro mariti: & in vocabulo fœminino non continentur mares, ut ait Juris-conſultus *in l. ſi ita ſcriptum. de leg. 2.* adeo ut uxor debeat virum ſequi, non vir uxorem. Probabile tamen cenſeo, maritum in præfato caſu eſſe ſepeliendum in ſepulchro uxoris, ſi ſpecialiter non elegerit aliam ſepulturam, nec ſepulturam habeat majorum, idque præſertim ſi matrimonium fuerit pacificum; & uxor, & maritus ſemper concordes, tunc enim ob individuam vitæ ſocietatem, affectionem, & unionem conjugalem jus diſpoſuit, ut uxor ſepeliretur cum marito: atqui hæc ratio etiam procedit ex parte mariti. Tum quia præſumendum eſt, velle ſuæ adhærere uxori etiam poſt mortem. Tum quia ſcivit uxorem elegiſſe ſepulturam, & cum maritus ſuperſtes nullam fecerit contrariam diſpoſitionem, videtur ob maritalem affectionem eandem elegiſſe ſepulturam: ut quorum mens una fuit in domino, eorum quoque corpora mors non ſepararet, ut habetur *in c. unaquæque 13. queſt. 2.*

(o)

TITU-

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

QUm Pontifex in præcedente Titulo egiſſet de jure ſepulturæ, quod ordinariè pertinet ad jus parochiale, & pleraque ejusmodi de decimis, primitiis, oblationibus, aliisque ſint ſubſecutura, congruè hîc agit de parochiis. Pertinet etiam hic Titulus ad circumſcribendam cujúsque Epiſcopi, vel Presbyteri jurisdictionem, ne extra Eccleſiam ſuam aliquid ſibi vendicet, cum *Deuter.* 19. dicatur, *Non movebis terminos proximi tui, quos fixerunt patres tui in poſſeſſione tua*, & ob hanc rationem parochiæ, & diœceſes ſuis finibus, & terminis diſtinguuntur *can. Eccleſias* 13. *q.* 1. ut quisque Presbyterorum intra ſepta ſua ſe contineat, nec quidquam de alieno ſibi uſurpet.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Quinque Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SI EPISCOPUS 1. *h. t. Ex Concilio Africano ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus cum parte plebis fiat hæreticus, & eligatur alius Epiſcopus Catholicus in Epiſcopatu; ſi hæreticus cum plebe revertatur ad fidem, & diſpenſativè admittatur ad eundem Epiſcopatum, ſit dividenda diœceſis, ut etiam fructus, & plebs. Verùm hic textus ad hodiernam praxim parum videtur facere, quia cùm primum Epiſcopus ſit hæreticus privatur Epiſcopatu, ad quem non revertitur, ſi fiat iterum catholicus; ſed Papa potius daret illi alium Epiſcopatum, quàm priorem divideret & ejus plebem.*

C. UT DOMINICIS 2. *h. t. Ex Concilio Nannetenſi jubetur Parochus, in diebus feſtis præſertim dominicis antequam ſacrum faciat, interrogare, num quis alterius parochiæ contempto proprio Parocho, velit ibi miſſam audire; & ſi aliquem deprehenderit, præcipit Concilium, ut ſtatim eum ab Eccleſia abjiciat. Ex quo textu colligitur multiplex eſſe jus parochiale. Primò ut diebus feſtis populus audiat miſſam in parochia. Secundò ut exigat decimas. Tertiò oblationes, & primitias. Quartò ut exhibeat Sacramenta. Quintò det ſepulturas. Sextò benedicat nuptias.*

C. NULLUS 3. *h. t. Hadrianus Papa prohibet, ne ullus Epiſcopus Parochianum alterius judicet: eò quia cùm eum ordinare non poſſit, nec judicare debet. Id tamen limitatur, niſi alibi ubi ordinatus fuit, domicilium in alienam diœceſin tranſtulerit, & ibi deliquerit: tunc enim poteſt judicari ab Epiſcopo, à quo non poterat antea ordinari.*

C. SUPER EO 4. *h. t. Urbanus III. reſcribit, quòd ſicut limites Provinciarum ſecundùm jura præſcribi non poſſunt, ita nec limites Epiſcopatuum, & parochiarum cum adhærentibus, non poſſunt præſcribi, ſi legitima probatione, & fide indubitata conſtet eſſe ſtatutos ordinatione eccleſiaſtica.*

C. SIGNIFICAVIT 5. *h. t. Cœleſtinus III. ſtatuit, ut ſi quis ex una diœceſi transferat domicilium in aliam, primus Epiſcopus non habeat jurisdictionem in ipſum, nec ab eo temporalia exigat, cùm illi non adminiſtret ſpiritualia, ſed ſecundus: nihilominus ſi iſte habeat prædia in primo epiſcopatu, debeat decimas integras ſolvere juxta conſuetudinem primo Epiſcopo. Ubi notat Gloſſa, decimas prædiales deberi Eccleſiæ, in qua ſunt prædia, & perſonales, Eccleſiæ, in qua divina officia audiuntur. Ex hoc textu liquet, Prælato non adminiſtranti ſpiritualia per ſe, vel per alium, non deberi decimas perſonales, nec alia temporalia. Rurſus ex conſtitutione domicilii, Epiſcopum habere jurisdictionem Epiſcopalem in conſantem, tranſlato enim domicilio ceſſat jurisdictio, quam Epiſcopus habebat ratione domicilii, quia tunc ceſſat cauſa ſubjectionis.*

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

De paræcia, & requiſitis ad ipſam, ac juribus ejusdem.

PArochia eſt totus ille urbis, vel pagi tractus, in quo habitat populus Eccleſiæ alicui deputatus in ordine ad ſuſcipienda Sacramenta, & audiendum verbum Dei: Eccleſia enim hæc vocatur parochia, & degentes in tali diſtricto vocantur parochiani, ut notat Tuſchus *litt. P. concluſ.* 94. *n.* 1. In jure Eccleſia hæc parochialis frequenter paræcia vocatur, quod nomen græcè idem ſonat, ac conventus, ſeu habitatio accolarum; adeo ut paræcia græcè idem ſit, ac latinè parochia. Fuit diſtinctio parochiarum introducta ad curam animarum in populo commodiùs exercendam, ut etiam habetur in Concilio Tridentino

ſeſſ. 24.

tutiori animarum ſalute debeant populum diſtinguere in certas, ac proprias parochias, & unicuique ſuum perpetuum, ac proprium Parochum aſſignare, à quo ſolo licitè parochiani Sacramenta percipiant. Hinc Eccleſia parochialis ea propriè dicitur, quæ habet curam animarum interiorem, ſeu in foro pœnitentiali, non verò exteriorem, ſeu in foro contentioſo: & quidem ſine aliqua prærogativa, vel prælatione, alioquin diceretur dignitas, vel perſonatus. Primus qui parochiarum diſtributionem invexit, fuit Dionyſius Pontifex circa annum Chriſti 266. & curionibus, ſeu Parochis pro neceſſariis ad vitam, aſſignavit decimas portiones, quæ intra terminos parochiæ cujusque continentur, ut habetur *in can. eccleſias. 13. q. 1. cons. diſt. 90. can. Epiſcopi diſt. 18. c. paſtoralis de his quæ fiunt à Prælato.* Videatur Petrus Tholoſanus *ſyntag. juris univers. lib. 16. c. 8. num.* 38. idque ſtatutum fuit, ne quis alterius parochiæ fines, aut jus invaderet, ſed quisque curam, Eccleſiámque haberet ſibi legitimè aſſignatam. Hinc Abbas cenſet parochiam dici quaſi portionem curæ: eò quia cuilibet Presbytero parochiali datur certa pars civitatis, vel dioceſis per eum curanda, ſeu concreduntur animæ in tali diſtrictu degentium, ut eas promoveat ad aſſecutionem æternæ ſalutis: hinc Sacerdos, cui cõmiſſa eſt hæc animarum cura, vocatur etiam Curatus.

2 Parochia igitur dupliciter ſumitur. Primò pro toto illo diſtrictu, in quo degunt parochiani *can. ſi quis ordinandus cum duobus ſequent. diſt. 92 can. licèt in regulis* 16. *q. 4.* Secundò pro Eccleſia ipſa habente populum certis limitibus diſtinctum cum poteſtate fori pœnitentialis, ſeu ligandi, & ſolvendi, & miniſtrandi Sacramenta ſubditis: hæc omnia neceſſaria ſunt, ut Eccleſia aliqua conſtituatur parochialis, ut tradunt Gonzales *ad regul. 8. cancell. Gloſſa 6. n.* 35. Joannes Fileſacius Theologus Pariſienſis *in ſuo tract. de parœciarum orig.* Chokier *in Scholiis ad preces imperiales ſect. 2. in V. cum cura.*

3 Hinc quamvis Eccleſia fontem habeat baptiſmalem, & jus ſepulturæ ex conſuetudine, vel etiam authoritate Epiſcopi, non propterea dicenda eſt parochialis, niſi habeat populum certis diſtinctum limitibus. Quòd ſi aliqua Eccleſia talem populum olim habuerit, & nunc illo careat ob bellorum calamitates, vel loci inundationem, aut alio caſu, dicitur talis Eccleſia parochialis quidem habita, non autem actu, donec iterum aquiſiverit populum. Rurſus licèt ex privilegio Religioſis clauſtralibus competat jus audiendi confeſſiones, & miniſtrandi Euchariſtiam in ſuis eccleſiis, non tamen eorum Eccleſiæ dicuntur parochiæ, neque Religioſi parochi, aut curati, quia tales Eccleſiæ carent juribus Eccleſiarum parochialium.

4 Fines, & termini parochiarum potiſſimùm probantur per teſtes deponentes, quòd à tem-

can. licèt in regul. 21. q. 4. Rurſus Eccleſia parochialis fundari debet authoritate Epiſcopi deſignantis fines, conſtituentis plebem, & nominantis Parochum *c. nullus omnino* 16. *q. 7.* Debet inſuper Eccleſia dotari habita ratione qualitatis loci, perſonarum, & temporis *c. 1. de prabend. in 6. c. quisquis de vita: & honeſtat. cleric.* Quòd ſi Eccleſia tenuiores habuerit reditus, quibus nequeat ſatisfacere debitis oneribus; tunc pertinet ad Epiſcopum plura ſimul unire beneficia ſimplicia, vel etiam habentia curam animarum, quæ tamen regularia non ſint, ut ex iisdem ſufficientes conſtituantur reditus, ut decrevit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 5. de refor. & ſeſſ. 24. c. 13.* Quòd ſi hæc beneficia non eſſent, poteſt Epiſcopus providere per aſſignationem primitiarum, ad quas in certis caſibus poteſt adigere populum, ut tradit Rebuffus *in tract. de decimis q. 5.* Imò poteſt Epiſcopus in tali caſu etiam unire duas parochiales Eccleſias, ut Parochus habeat ſufficientes reditus, dummodo populus non ſit ita frequens, & Parochus poſſit illius curam gerere.

Præterea Eccleſiæ parochiali inſtitutæ debet præfigi unus Sacerdos, qui in ea baptiſmum, & reliqua Sacramenta populo adminiſtret, ut habetur *in can. ſicut in unaquaque* 21. *q. 2.* & curam animarum proprio, vel alieno nomine exerceat. Quòd ſi duo ſacerdotes inſtituerentur, neuter eorum curatus eſſet, ut notat Oldrad. *conſ. 67.* ratio eſt, quia ſicut ſponſa duos reſpuit habere maritos eodem tempore *c. 1. inf. de ſponſa duorum*: ita Eccleſia duos clericos ſponſos, qui ejusdem eodem tempore curam habeant, non admittit. *d. can. ſicut in unaquaque* alioquin idem corpus duo haberet capita, quod procul dubio monſtroſum foret: quamobrem cura animarum dicitur eſſe penes ſolum Prælatum, non verò penes ejus vicarium, tametſi is perpetuus ſit, ut notat Maſcardus *de probat. concluſ. 489. num. 13.* Forma quâ eligendus ſit Parochus habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 18. de refor.*

6 Jura Eccleſiæ parochialis plura ſunt. Primò ut populus eidem ſubjectus, ſeu parœciani debeant in Eccleſia parochiali baptizari, & alia Sacramenta ſuſcipere, ut notat Abbas *ad rubric. h. t.* Secundò ut diebus feſtis ibidem ſacram audiant concionem. Tertiò ut nuptiæ in ſola Eccleſia parochiali ritu ſolemni celebrentur, ac ſponſi benedicantur. Quartò quòd parochiani, ſi defungantur, & alibi non habeant ſepulturam, nec eam elegerint in illa ſepeliantur. Quintò ut decimas, oblationes, & primitias parochiani ſolvant Eccleſiæ parochiali: unde ſpectato jure communi parochiani diebus dominicis, & feſtis tenentur in propria parochia intereſſe ſacro, adeo ut peccent, ſi cùm commodè poſſint propriam adire parochiam ex contemptu proprii Parochi, ſe transferant ad aliam parochiam, & id fiat ſine legitima cauſa; ſecus ſi juſta ſubſit cauſa, ut habetur in *extravag. 2. inter communes de treuga & pace.* Verum hoc

præceptum juris communis, quo quisque in sua parochia teneatur audire rem divinam, partim per generalem consuetudinem abrogatum est.

7 Hinc ut cognoscatur quænam Ecclesia sit parochialis, quatuor præsertim debent eidem competere: primò potestas fori pœnitentialis scilicet ligandi, & solvendi. Secundò locus certis limitibus, ac finibus circumscriptus, in quo populus illi Ecclesiæ assignatus sua habeat domicilia, & habitet. Tertiò ut Parochus ejusdem populi curam exerceat nomine suo proprio, quod personam concernit, non locum, nec Ecclesiam. Quartò ut Sacerdos tanquam Rector suo nomine singulariter, non verò cum aliis ad regimen promoveatur Ecclesiæ parochialis. Demum illud etiam potissimum attenditur, ut Sacramenta Parochus administret ex necessitate, & similiter populus assignatus Ecclesiæ parochiali ex necessitate non ab alio Sacramenta accipiat, quàm à Parocho proprio, id enim decisum fuit à Rota Romana *decis. 52.* Hinc nec Regulares, nec sæculares sacerdotes tametsi Sacramenta ministrent, & Parochi vicem gerant, non tamen dicuntur Parochi, quia tale officium non exercent ex necessaria obligatione, nec nomine proprio.

8 Cæterum Parochus interdum Plebani, nonnunquam Rectoris Titulo insignitur: siquidem plebem ducit, gregémque sibi concreditum regit. Nihilominus *ex c. scriptum est de elect.* plebanus propriè dicitur qui sub se plures habet Ecclesias, vel capellas, & est respectu aliorum sicut Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum: siquidem etiam plebano competit jus visitandi Ecclesias inferiores; & rursus Ecclesia plebani vocatur matrix quasi mater cæterarum, quas sub se continet *c. ad audientiam de eccles. ædif.* Non tamen plebanus dici potest in dignitate constitutus, nisi fortassis Ecclesia, cui præest, simul collegiata sit, ac sub se capellas habeat, cum jurisdictione fori contentiosi. Quamobrem discrimen inter Plebanum, & Rectorem est tantùm accidentale; quia Rector pluribus in Provinciis Sacellanos etiam plurimos habet, ac præbendarios sub se, & eadem denominatio solet etiam tribui habentibus dignitatem, personatum, vel prioratum.

9 Hinc Parochus solet etiam vocari Sacerdos proprius in *c. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* quia solus ipse ex obligatione, & necessitate Sacramenta administrat, ut statuitur in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 13.* Ex eo autem, quòd curam gerat spiritualem aliorum dicitur etiam curatus, quæ tamen vox latiùs patet, ac tribuitur omnibus, qui ex officio curam gerunt aliorum, cujusmodi sunt Decani, Scholastici, Vicarii perpetui, & alii similes: unde quamvis omnis Parochus sit etiam curatus, non tamen omnis curatus est Parochus. Rursus licèt Parochus vocetur Sacerdos proprius, nihilominus etiam Episcopis, & summo Pontifici hoc nomen congruit, est enim Pontifex Pastor Pastorum, & ideo Parochus omnium Parochorum ut notat Franciscus Leo *in thesaur. p. 2. c. 1. & 3.* qui verò Ecclesiam parochialem Monachorum administrant cum cura animarum in jure canonico non vocantur Parochi, sed capellani *c. in ecclesiis de capell. Monachor.* ubi Urbanus III. ait: ubi Monachi habitant populus per Monachum non regatur, sed Capellanus qui populum regat ab Episcopo per consilium Monachorum constituatur, adeo ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.

Juribus parochialibus accenseri etiam solet jus prædicandi, quod parochis ratione sui officii pastoralis potissimum incumbit, ut desumitur *ex clement. dudum 2. de sepult.* Summus tamen Pontifex hoc munus prædicandi aliis sacerdotibus non curatis, ut etiam Regularibus committit, adeo ut sine hac commissione nullus possit prædicare, ut notat Glossa *in c. quod Dei 5. V. privilegiatum de statu Monachor.* Imò anathemate percutiuntur, qui sine Papæ, vel Episcopi commissione sibi usurpant officium publicè, vel privatim prædicandi. Rursus etiam privilegia concessa Regularibus à summo Pontifice intelliguntur sine præjudicio Pastorum, Ordinariorum inferiorum, nisi expresse eorum juri derogetur: non enim Papa per suum privilegium intendit alterius juri derogare juxta Glossam communiter receptam *in c. 2. V. cujus est de relig. domib.* Hinc Regulares cujuscunque ordinis nequeunt etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare, nisi cum licentia suorum superiorum personaliter se Episcopo loci repræsentaverint, & ab eodem benedictionem petierint, quòd si Episcopus contradicat, & prohibeat, ne Regulares privilegiati in suis ecclesiis concionentur, possunt nihilominus non obstante tali prohibitione concionari: ratio est, quia inferior non potest tollere privilegium à superiore concessum: quòd si Episcopus non prohibeat absolutè, sed tantùm velit, ne certus determinatus Religiosus ad concionandum assumatur, parendum est Episcopo, qui Religioso etiam in propria Ecclesia concionanti potest interdicere conciones, si errores, & scandala disseminaverit. 10

§. II.

De parochis, & eorum requisitis, ac obligationibus.

PLura solent congeri Parochum concernentia, & ejus statum necessariò concomitantia, & quia omnia hic attexere nimis prolixum foret, ideo principaliora subjicientur. Debet in primis Parochus morum præseferre gravitatem, vitæ probitatem, ætatis maturitatem, & litterarum sufficientem scientiam ad ritè animarum curam gerendam *c. cum in cunctis de elect. §. inferiora.* Quoad ætatem, qui recipit beneficium curatum ante 25. annum inchoatum, tenetur utpote de jure incapax beneficio renuntiare, fructúsque inde perceptos restituere, neque dispensare potest Episcopus, ut qui nondum 25. ætatis annum incepit, parochialem Ecclesiam obtineat, ut tradit Imola *in clem. 1. num. 34. de statu Monachor.* qui tamen habet parochialem Ecclesiam accessoriè unitam alteri, sufficit si sit in ætate illa constitutus, quam beneficium 1

neficium requirit, cui parochialis Ecclesia est accessoriè unita.

2 Rursus quando Ecclesia parochialis accessoriè est unita beneficio, vel dignitati alicui simplici, & in ea Vicarius perpetuus constituitur, Titulum parochi, & curam habitualem habet principalis, curam verò actualem, seu exercitium Vicarius: secus si vel Vicarius sit temporalis tantùm, vel Ecclesia filialis, quia tunc Rector, seu principalis per se censetur deservire, & nomine illius, qui substituuntur *c. cùm venissent de restit. spol. l. quod in eo ff. de acquir. possess.* Barb. *in rubric. de offic. Vicar. c. super eo de prabend.* Quoad morum gravitatem, si ea parochus careat, ut etiam vitæ probitate, indignum se noverit stipendiis ecclesiasticis, & officio Parochi. Tanta itidem debet esse scientia præditus, ut concreditam sibi plebem salutaribus valeat monitis pascere, sed fortiùs etiam exemplo, quàm verbo, cùm illud efficaciùs moveat: quapropter ad exemplum eorum, quorum cura sibi commissa est, suos tenetur mores componere, & omnibus specimina exhibere virtutum.

3 Specialiter non debent Parochi vestimentis, & calceamentis aliis uti, quàm quæ modestiam spirent, & religionem deceant, ut habetur in Tridentino *sess. 14. c. 6.* hinc prohibentur vestes holosericæ, vel pelliceæ pretiosiores, quia ex constitutione Pij V. *de cler. Roman. resor.* vestes debent esse longæ, ac talares, ut distinguantur à sæcularibus, color viridis, & rubeus clericis prohibetur *in c. penult. V. panis de vita, & honestat. cleric.* sed vestibus debent uti nec fulgidis, nec sordidis, sed modestis juxta monitum S. Augustini: non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, incessu, statu, habitu, & omnibus motibus vestris; nil fiat, quod alicujus offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Hinc prohibentur Parochi mulieres in propriis domibus recipere, ac retinere, multóque minus cum suspectis versari, tametsi senex sit Parochus, ut declaravit sacra Congregatio 15. Februarii 1619. & habetur *in c. de cohabit. cleric. & Mulier.* Convivia itidem inhonesta, & comessationes tenetur Parochus declinare *c. cum decorem de vita, & honestat. cleric.* conviviis tamen honestis, & quæ gratiâ charitatis instituuntur, possunt Parochi interesse.

4 Negotiari, & mercaturam exercere lucri causâ non possunt Parochi, & si secus fecerint anathemate possunt percuti, ac suspendi ab officio ecclesiastico, imò etiam deponi, ut desumitur *ex c. negotiatio 88. dist.* imò id etiam procedit quocunque contractu negotientur, emendo, vendendo, conducendo possessiones ob cupiditatem, ut habetur *in c. 1. ne clerici, vel Monachi* Excipitur tamen. Primò si necessitas urgeat, ad sui, suorúmque sustentationem Hostiens. *in c. 1. de oblig. & ratiocin.* Secundò si succedat conductori, quia potest in conductione perseverare, donec conductionis tempus expiret Glossa *V. conducere in d. c.* 1. Tertiò, si rem emat eo animo, ut domi consummat, vel ut eam ad formam aliquam reducat; vel ea vendat, quæ de rebus suis fuerunt recollecta, ut tradit Quaranta *in sum. Bull. V. vestigal. V. tertiò quatenus.* Quartò si negotietur per alios justa intervenient causa. Navarr. *de spol. cleric. §. 1. in fin.* Quintò si emisset pertinentia ad se, suámque familiam per totum annum sustentandam, & præter propositum, empta superessent, vel diminutione familiæ, vel alia ratione; tunc enim currente pretio absque negotiationis periculo, quæ supersunt, posset vendere. Sextò si mercaturam cum suis animalibus, & prædiis exercuerit, potest siquidem locare animalia boves, & oves, si habeat ex decimis, aut successione, vel si habens pascua multa emit talia animalia, ut ea depascerer, ad sui, suorúmque sustentationem, ut tradit Rodeanus *de spol. cler. q. 2.* Rursus si agros proprios excolat, potest fructus divendere.

5 Quia verò ars artium est regimen animarum *c. cùm sit de etat. & qualit.* nemo debet in Parochum constitui, qui idoneus non sit, & habeat hactenus recensita. Præcipuum verò quod in Parocho requiritur, est, ut sit Sacerdos, & si nondum fuerit sacerdotio initiatus, debet promoveri ad sacerdotium infra annum computandum à tempore sibi comissi beneficii: quòd si id negligat, nulla præmissa monitione ipso jure privatur Ecclesia sibi concredita *c. licet. can. 14. de elect. in 6.* Hodie tamen ut plurimum nonnisi sacerdotibus jam ordinatis conferuntur beneficia, quibus annexa est cura animarum. Quòd si contingeret dari non sacerdoti, nec ignorantia excusaret, si se infra annum promoveri ad Presbyteratum non faceret; (nisi esset justum aliquod impedimentum tunc enim requireretur sententia ad privationem *c. licet. can. ibi*) nulla enim præmissa monitione privaretur Glossa *celebr. 5. V. justo impedim. cessante in c. commissa de elect. in 6.* Parochus tamen impotens effectus, ac inutilis ad ampliùs administrandum non debet privari suo beneficio, quia afflictis non est addenda afflictio *c. de Rectoribus c. ex parte c. fin. de clerico agrot.* sed ob ægritudinem, vel infirmitatem dari debet coadjutor temporalis, & revocabilis, ut pro illo administret cum congrua portione ex reditibus beneficii eidem assignanda, ut tradit Gonzales *ad regul. 8. cancell. Glossa 5. §. 9. num. 19.* item Parocho leproso datur coadjutor *c. de Rectorib. c. tua nos eod. tit.* ut etiam paralytico *c. ult. de agrot. cleric.* ut etiam dementi, vel furioso *in c. unic. §. si verò de cleric. agrot. in 6.* Illiteratis autem, & imperitis, si aliàs sint vitæ honestæ, Episcopus ut sedis apostolicæ delegatus deputat coadjutorem pro tempore secundùm dispositionem Concilii Tridentini *sess. 21. de refor. c. 6.* Illi verò Parochi dicuntur imperiti quoad hunc effectum, qui inhabiles sunt ad ea exploranda, quæ muneri, & oneri beneficii incumbunt, ut notat Riccius *in prax. p. 4. resolut. 547.*

6 Quòd si Parochus ob auctam populi multitudinem non possit curam omnium gerere, non dividitur parochia, sed illi adduntur Ministri coadjutores juxta decisionem Rotæ Romanæ *in Aquilana nullitatis erectionis 10. Maji 1613.* & Episcopus potest compellere Parochum, ut tot sibi

sibi adjungat coadjutores, qui sufficiant ad Sacramenta omnibus ministranda. Coguntur etiam Parochi ad subeunda ea munera, ad quæ tenentur per se ipsos, & non per alios substitutos. Tolerandi tamen sunt, ut per substitutum suppleant in illis tantùm casibus, in quibus expressis verbis canonum, & decretorum Concilii est illis permissum, ut per substitutos possint suo fungi munere. Non tamen possunt Parochi cogi ab Episcopo, sed tantùm hortari, ut ministrent necessaria Presbytero petenti celebrare in eorum ecclesiis, ut declaravit sacra rituum congregatio in Egitanien. *in 3. dub. 10. Junii 1602.* Tenetur Parochus provisus de beneficiis habentibus curam animarum intra duos menses ad minus à die adeptæ possessionis, coram Episcopo se sistere, vel ejus Vicario, & facere fidei professionem juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 17.* & sede vacante non sufficit fieri coram Capitulo, sed faciende est coram ejus vicario Capitulari, ut notat Garcia *p. 3. c. 5. num. 27.* & in omni beneficio parochiali, seu canonicali debet de novo emitti, & id etiam procedit in eo, qui denuo adipiscitur parochialem Ecclesiam, quam antea habuerat, & dimiserat.

7 Tenetur etiam Parochus ad residentiam juxta Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1. de refor.* adeo ut qui detrectat in sua residere parochia, debeat servato juris ordine suo privari beneficio, ut notat Garcia *de benefic. p. 3. c. 2. n. 29.* Quòd si Parochus non habeat domum propriam in loco, ubi tenetur residere, debet aliquam conducere: hodie tamen provident patroni, & subditi, adeo ut quilibet Parochus habeat suam domum quasi annexam Ecclesiæ, imò quamvis parochia sit adeo tenuis, ut in illa non habitent, nisi pauciſſimæ personæ, etiam sex, vel septem, adhuc tenetur parochus ibi residere, ut declaravit sacra congregatio apud Garciam *de benefic. p. 3. c. 2. n. 179.*

8 Neque licet Parocho etiam causâ studiorum abesse à sua Ecclesia parochiali post Concilium Tridentinum, neque Episcopus potest ad id licentiam concedere, ut fuit declaratum ab eadem congregatione apud Garciam *loco cit.* Neque excusatur Parochus à residentia, si non adsit domus parochialis commoda; neque ob intemperiem aëris, neque per hoc quòd retineat Capellanum in parochia, & ipse singulis diebus festis accedat ad Ecclesiam, ut declaravit sacra congregatio Concilii *in Sarsinen. 13. Novemb. 1627.* neque excusatur à residentia propter officium inquisitionis, ut notat Gonzal. *in regul. 8. cancell. Glossa 6. num. 265.* & refert declarationem sacræ congregationis: hinc Parochus cogendus est, ut habitet in domo Ecclesiæ, vel si Ecclesia eam non habeat in domo propinquiori intra limites Parochiæ, & si non habitaverit, tenetur ad restitutionem juxta Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1. de refor.* Garcia *de benefic. p. 2. c. 2. num. 179.*

9 Compelli autem potest ad residentiam ab Episcopo, tametsi Ecclesia parochialis pertineat ad collationem inferioris Abbatis, vel Præpositi Regularis juxta declarationem sacræ congregationis teste Garcia *loc. cit.* neque Parochus à pœna amissionis fructuum exsistat quamvis per quatuor menses ex urgente causa abfuerit, si licentiam ab Episcopo non petierit, nisi fortâsis periculum fuisset in mora. Monachus itidem exercens curam animarum in Ecclesia parochiali unita Monasterio tenetur residere in domo parochiali. Fuit tamen cum Parocho non habente commodam habitationem in parochiali dispensatum, ut possit habitare in loco vicino, dummodo ejus substitutus prope Ecclesiam habitaret, ut notat Garcia *de benefic. p. 3. c. 2. n. 179.* Quòd si Ecclesia parochialis habeat propriam domum commodam, & nihilominus parochus eâ relictâ habitet in sua propria, vel paterna existente intra limites parochiæ ob sui majus commodum, si id sciat Episcopus, & taceat obligationi residentiæ videtur satisfacere, eò quia possit sufficienter necessitati populi providere. Qui verò simul cùm parochia habet etiam canonicatum tenetur in domo Ecclesiæ parochialis habitare cum legitima dispensatione, quia prima, & præcipua est cura animarum, & tunc percipit fructus præbendæ, & solùm perdit quotidianas distributiones.

Quòd si possit etiam inservire Ecclesiæ, cu- 10
jus est canonicus, adeo ut in eadem Ecclesia sit Parochus, & canonicus etiam accipit quotidianas distributiones Garcia *loc. cit. num. 179.* Sin autem duas habeat Ecclesias parochiales unitas in digniori tenetur residere: & si non constet, quæ sit dignior, in frequentiori: quòd si una sit in urbe, & alia extra, tenetur residere in illa, quæ intra urbem est, ut decisum fuit à sacra congregatione referente Garcia *loco cit. num. 170. in declar. 14.* ubi autem nulli sunt parochiani non tenetur Parochus residere, quia tunc talis parochia habetur ut beneficium simplex, ut tradit Riccius *de jure Pers. extra grem. eccles. exist. lib. 1. c. 14.* Qui tamen debet residere in Ecclesia, in qua habet canonicatum, non obligatur ad residentiam in parochiali accessoriè, & in perpetuum unita dignitati, vel canonicatui Garcia *loc. cit. n. 138.*

Residere tamen saltem ut coadjutor tene- 11
tur, qui obtinet Ecclesiam baptismalem, cui incumbit sola cura baptizandi omnes infantes alicujus pagi, vel oppidi. Rursus Parochus non potest abesse à sua Ecclesia ob Principis, & populi furorem, nec ob grassantem pestem, aut alium epidemicum morbum, imminente detrimento suarum ovium in spiritualibus, præsertim si careant alio Ministro sufficiente, ut tradit Ugolinus *de offic. Episcop. c. 15. §. 11.* Immo neque ob inimicitias capitales abesse potest, nisi consulta sacra congregatione, & tunc debet vel resignare, vel permutare, ut declaravit sacra congregatio *15. Februarii 1619.* nec propter senectutem etiam substituto per Ordinarium Vicario cum certibus reditibus, ut tradit Zerola *in prax. episcopal. p. 1. V. resid. §. 9.*

Potest tamen Parochus Episcopo consenti- 12
ente per tres, aut quatuor menses manere in locis vicinioribus ad recuperandam valetudinem, si in loco parochiali curari non possit, ut notat Ugolin. *loc. cit.* Si tamen per mediam diem abesset continuò censeretur adesse Posevin. *de offic.*

ctr. c. 1. num 3. in fin. abeſſe autem per totum diem non eſt laudandum, nec vituperandum, tametſi nullus ſit infirmus. Parochus autem ſi abſit ultra biduum, triduúmve, poteſt ab Epiſcopo puniri pœna pecuniaria præmiſſa prohibitione Congregationis Concil. *in una Teracin.* 11. *Februarii* 1628. non tamen Epiſcopus ſub excommunicatione latæ ſententiæ ad tam breve tempus debet id prohibere, ut tradit Garcia *p. 3. c. 2. n. 23. declarat. 2.*

13 Cæterum ex quatuor cauſis poteſt Parochus à ſua Eccleſia abeſſe in ſcripto tamen ab Epiſcopo approbandis, ſcilicet ob Chriſtianam charitatem: ob urgentem neceſſitatem: ob debitam obedientiam: & ob Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatem. Chriſtianæ autem charitatis eſt dirimere lites, controverſias, odia; reconciliare diſſidentes animos, impedire imminentia mala, juvare aliam Eccleſiam privatam, ſecluſo ex tali abſentia notabili damno, ut docet Azorius *p. 2. lib. 7. c. 4. q. 4.* Urgens neceſſitas quoad hunc effectum abſentiæ eſt hoſtium incurſus, bellum imminens, peſtis graſſans, aëris intemperies, declinatio offenſionis Principis, vel populi ſalutis, aut libertatis periculum ad tempus vitandum, dummodo interim in ſpiritualibus oves detrimentum non patiantur, ut notat Azorius *loc. cit. q. 4. vers. ad ſecundum.* Debita obedientia eſt, quæ debetur ſuperioribus. Primò Papæ, Epiſcopo, & Legato Papæ, præſtando illis debitum obſequium, & juſtum officium, quale eſſet ad viſitandam Provinciam, vel diœceſin, vel ad componendam pacem, ut tradit idem Azorius *loc. cit. q. 4. V. ad tertium.* Demum ob evidentem Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatem abeſt, qui ad ſynodum generalem, vel provincialem, aut diœcetanam ritè, & legitimè vocatus abeſt, vel etiam cum quis abeſt pro lite Eccleſiæ, vel pro obtinenda informatione in variis emergentibus à ſuperiore, ut tradit idem Azorius *loc. cit. V. ad quartum.*

14 Cæterum per duos menſes ſingulis annis etiam animi relaxandi causâ ſive continuos, ſive interruptos abeſſe poteſt, ſubſtituto priùs idoneo Vicario. Debet tamen id fieri ex cauſa, & ſine gravi detrimento ovium, ut habetur in Tridentino *ſeſſ. 23. c. 1. de refor.* ultra bimeſtre autem nonniſi ex juſta, eaque gravi cauſa cognita, & approbata ab Epiſcopo abeſſe nequit, & debet Parochus tunc in ſcriptis facultatem ab Epiſcopo obtinere; & non debet abeſſe tempore Adventus, Naralis domini, quadrageſimæ, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & feſti corporis Chriſti. Quatuor requiruntur conditiones ut Parochus ultra bimeſtre poſſit legitimè abeſſe intra annum; quarum prima eſt, ut cauſa ſit juſta, & debita. Secunda, ut per Epiſcopum priùs cauſa cognoſcatur, & approbetur. Tertia ut facultas detur ab Epiſcopo in ſcriptis, & gratis. Quarta ut pro tempore abſentiæ inſtituatur idoneus Vicarius ab Ordinario approbatus cum debita aſſignatione mercedis, ut tradit Barb. *de Parocho p. 1. c. 8. num. 58.*

15 Juvat tamen notare, quòd tametſi Parochus juſtam abeundi cauſam ultra bimeſtre habeat, non tamen ſatisfacit, ſi petat licentiam jurans ſe gravem habere cauſam, quam non expediat aperire, ſi Epiſcopus facultatem non concedat, ut tradit Garcia *loc. cit. num. 37.* ubi adfert declarationem Congregationis Concilii. Quòd ſi Parochus fingeret cauſam juſtam, quam revera non haberet, mortaliter peccaret, & fructus perceptos teneretur reſtituere, ut notat Azorius *p. 2. lib. 2. c. 10. q. 3.* Rurſus neque licentia abſentiæ ab Epiſcopo ſufficit ſi ſit tacita, ſed requiritur, quòd ſit expreſſa, ut tradit Garcia *loc. cit. num. 35.*

16 Munus Parochi eſt verbum Dei prædicare, quod officium pertinet etiam ad Archipresbyteros plebanos, aliósque habentes curam animarum, ſive id præſtent per ſe, ſive per alios ab Epiſcopo approbatos, ſaltem diebus dominicis, feſtisque ſolemnibus juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 2.* materiam verò, & modum concionandi Leo X. in Concilio Lateranenſi præſcribit *tit. 7. de offic. præceptor. pueror.* Piaſecius *p. 2. c. 3. num. 16.* quòd ſi Parochus negligat hoc ſuum officium ſubtrahitur ab Epiſcopo pars fructuum, & datur alteri, qui vices ſupleat Parochi. An verò qui apti ſunt ad concionandum ſi alios ſubſtituant, proprio ſatisfaciant muneri, videtur dubium: ſiquidem de iſtis dici poteſt, quòd manum ſub axilla ponunt, & alios permittunt triturare. Barboſa *pag. 113.* cenſet non ſatisfacere quoad Deum, ſi totius anni conciones alteri committant: perinde ac non ſatisfaceret, qui totam curam Vicario permitteret, niſi fortaſſis à conſuetudine immemoriali excuſaretur.

17 Hinc in dominicis ſaltem, & aliis diebus feſtis à parochis doctrina Chriſtiana tradenda eſt juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4.* & negligentes lethaliter peccare cenſent Piaſecius *p. 2. c. 3. pag 152.* ubi refert Bullam Pij V. Zerola, *p. 2 V. doctrina Chriſtiana* & alii. Tenetur etiam Parochus adminiſtrare Sacramenta ſuis ovibus. An verò Parochus excommunicatus poſſit ſuis parochianis occulte Sacramenta adminiſtrare, affirmant nonnulli cum Soto *in 4. diſt. 25. art. 4.* eò quia creditor poſſit debitum ſuum ab excommunicato petere, & debitor poſſit licitè ſolvere *c. intelligimus de judic. c. ſi verò de ſent. excommun.*

18 Hinc Sacerdos ſi homicida ſit occultus, non peccat miſſam celebrando, quamvis ſit irregularis, dummodo præmiſerit confeſſionem, vel contritionem, & moraliter certum ſit, eum infamatum iri de patrato homicidio ſi celebrare deſinat, ut docet Navarr. *c. 27. num. 239.* Et hæc opinio videtur eſſe probabilis, quia ſi ſcandalum abſit, neceſſitas urgeat, nec Sacerdos ultrò ſe ingerat, vix apparet ratio, cur petentibus negare debeat Sacramenta, cùm nemo teneatur ſe ipſum prodere, nec dare ignorantibus occaſionem ſuſpicandi ipſum fuiſſe homicidam. Huic ſententiæ adhærent Suarez *de cenſur. diſp. 11. num. 15. & ſequent.* Fagundez *lib. 2. in præcept. eccles. c. 3. num. 15.* Avila *p. 2. diſp. 6. dub. 2.* Eſcobar. *tract. 4. exam. 2. de excommun. n. 14.* Quòd ſi infirmus ob incuriam Parochi ſine confeſſione, & ſacro viatico defungatur, deponendum eſſe Parochum tradit Gloſſa *in c.*

officium V. fine confessor. de offic. archipresb. eò quia Parochus ob negligentiam reum se fecerit animæ defuncti *c. Presb. 16. q. 6.* Hoc idem etiam procedit, si neglexerit baptizare parvulum in necessitate constitutum, si absque baptismo decedat *c. quicunque de consec. d. 4.* Lopes tamen in sua practica *c. 46. pag.* 130. asserit se semper vidisse hujusmodi delicta puniri pœna suspensionis, vel incarcerationis, & Navarr. *consil. 13. tit. de pœn.* suadet tale delictum puniendum esse pœna potiùs arbitraria.

19 Functiones propriæ Parochi, & quæ à solo Parocho fieri debent, sunt. Primò benedictio fontis baptismalis. Secundò delatio venerabilis Sacramenti, & celebratio missæ feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbatho sancto. Tertiò benedictio candelarum in die purificationis B. MARIÆ Virginis. Quartò benedictio Palmarum. Quintò processiones per parochiam, adeo ut sine Parochi consensu non debeat ullus Regularis illas dirigere, ut censuit sacra rituum congregatio. Sextò benedicere cineres primo die quadragesimæ, ut notat Piasecius *p. 2. c. 3.* Parochus tamen ex justa causa potest etiam dispensare quoad jejunium etiam præsente Episcopo, maximè si accedat prudens medici judicium. Tametsi jure ordinario Parochis non congruat potestas dispensandi in votis, juramentis, & legibus ecclesiasticis, nihilominus possunt dispensare ex commissione Episcoporum, ad quos ut Ordinarios, ita dispensare pertinet: ut etiamsi adsit consuetudo, vel urgeat necessitas, quando Episcopus procul abest, vel difficilis est ad ipsum accessus, vel crebri sunt casus, & frequentiores, ut tempore jejunandi solet contingere, idque Filliucius *tract. 27. c. 6. num.* 127. extendit etiam ad observantiam dierum festorum, & præceptum audiendi missam, ac similia. Posse etiam Parochum secum dispensare, si Episcopus, à quo petenda esset dispensatio, non adesset, ac difficilis ad ipsum esset accessus, docent Suarez *lib. 6. de voto c. 10.* Posevin. *loco cit. c. 11. num. 22.* Sylvester *V. dispensatio num. 7. & V. jejunium num. 20.* Navarrus *c. 21. num.* 18.

20 Non tamen Ordinaria Parochi potestas se extendit ad ferendam excommunicationem, & alias censuras ecclesiasticas, ut communiter docent doctores, & nominatim Navarrus *c. 27. n. 5.* ubi ait, quòd causa efficiens excommunicationis possit esse Papa; & etiam omnes alii Prælati etiam minores Episcopis, cujusmodi sunt Abbates, Præpositi, Priores Ecclesiarum Regularium, ac sæcularium, imò etiam eorum delegati. At Abbates, Rectores, Parochi simplicium Ecclesiarum non possunt excommunicare suos Parochianos jure communi, nec specialiter, neque generaliter. Ratio est, quia facultas excommunicandi non oritur ab ordine, sed est pars fori externi jurisdictionalis, Glossa recepta *in c. transmissum de elect.*

21 Possunt tamen Parochi hanc potestatem habere ex consuetudine præscripta secundùm *clement. c. duo simul. c. cum contingat de foro compet.* Abbas *in c. Sacerdos* de officio Ordinarii. Rursus potest Parochus subditos suos exhortari, ut diebus festis interfint missæ in Ecclesia propria parochiali, non tamen ad id debet, neque potest ipsos cogere, ut docent communiter Zerola *part. 2. V. Parochus* Piasecius *part. 2. c. 3.* & super hoc habentur declarationes summorum Pontificum. Tenetur Parochus observare ne quisquam insuetas imagines ponat, vel appendat in Ecclesia, aut aliquid simile nisi obtenta priùs licentia, & approbatione ab Episcopo *Trid. sess. 25. de sacr. imagin.*

Si quæratur, quot modis Parochus suum amittat beneficium, ac desinat esse Parochus? 22
Respondetur, primò per mortem, quia beneficium quodlibet vacat per mortem beneficiati *c. suscepti de rescript. in 6.* ubi Glossa *15. per V. non morte*, Gonzales *ad reg. 8. cancellar. Glossa 15. num. 3.* Imò ita per mortem vacat beneficium, ut si beneficiarius miraculosè resurgeret, illud non recuperaret, sed deberet de novo ad illud promoveri. Parochus etiam jure suo amittit parochiam per assecutionem alterius beneficii curati, quòd si parochiam retinere contenderit, privatur etiam secundo beneficio per textum capitalem *in c. de multa de præbend.* secus si parochialem Ecclesiam obtineat, simul cum monasterio, cui adnexa est cura animarum data in commendam ad vitam, quia obtinens alterum tenetur dimittere, ut tradit Gonzales *ad regul. 8. cancell. Glossa 5. §. 8. num. 65.* alioquin qui plura curata, aut aliàs beneficia ecclesiastica incompatibilia sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, vel alio quocunque nomine, & Titulo contra formam sacrorum canonum recipere, ac retinere præsumpserit suis beneficiis ipso jure privatur, & non dimittens unam ex duabus ecclesiis curatis juxta tempus assignatum à Concilio Tridentino *sess. 7. c. 4. de reformat.* debet condignas luere pœnas, prout in eodem statuitur: secus si Ecclesiæ essent sibi invicem unitæ, quia prohibentur tantùm retineri beneficia incompatibilia, ut declaravit sacra congregatio referente Garcia *p. 11. c. 2. n. 42.*

Hinc si Parochus assequatur possessionem canonicatûs incompatibilis cum beneficio parochiali desinit ipso jure esse Parochus, ut tradit Gonzales *ad d. reg. 8. cancell. Glossa 15. n. 15.* Rursus desinit esse Parochus etiam per renuntiationem, ut habetur *in toto Titulo de renuntiat.* vera est etiam renuntiatio ex causa permutationis facta *text. in c. 1. de rer. permutat. in 6.* Quòd si Parochus semel amiserit beneficium parochiale, & iterum fuerit promotus ad aliam parochiam, tenetur iterum fidei professionem emittere, tametsi eandem obtinuerit parochiam, quam antea habuit, Garcia *p. 3. c. 3. n. 17.* 23

Ut autem Parochus jure privetur beneficio suo tria requiruntur. Primò gravis, & rationabilis causa, quæ per se mereatur talem privationem *can. inventum 16. q. 1. c. 1.* & ibi Glossa *de capell. in 6.* Secundò ut causa hæc gravis sit manifesta, ac notoria, *can. nec in quemquam 2. q. 1.* neque creditur judici asserenti aliquem esse criminosum, sed oportet, ut manifestè constet *can. si tantùm, & can. si placuit. 6. quæst. 2.* Tertiò ut privetur in judicio, ac servato juris 24

tis ordine post trinam canonicam admonitionem.

§. III.

De Parochianis propriis, & alienis.

1 PArochiani vocantur, qui intra limites assignatos Ecclesiæ parochiali domicilium posuerunt, ibique habitant, sive clerici sint, sive laici: dicuntur proprii respectu illius Parochi, in cujus parochia commorantur, & illi subsunt: vocantur verò alieni respectu alterius parochi, in cujus parochia domicilium non habent. Rursus non solùm respectu parochi, sed etiam Episcopi dicuntur parochiani. Quælibet Ecclesia parochialis suos habet limites, ultra quos non se extendit, & intra quos comprehendit suos parochianos, nec hujusmodi limites unquam præscribi possunt, ut statuitur *in c. super eo 4. h. t.* ubi Urbanus III. rescripsit, sicut limites Provinciarum secundùm jura præscribi non possunt; sic limites episcopatuum, & parochialium cum adhærentibus non possunt præscribi si legitima probatione, & indubitata fide constiterit, ordinatione ecclesiastica esse statutos: idque ne parochiarum termini confundantur, néve quis usurpet terminos alienos *c. inter 6. caus. 16. q. 3.* alioquin privata cujuscunque authoritate sublatis antiquis terminis passim novi limites constituerentur, & tam in jurisdictione, quàm in aliis pertinentibus ad publicam utilitatem frequens daretur occasio excitandi lites: quapropter termini publica authoritate constituti, ac distincti immutabiles sunt, nec præscribi possunt, etiam per tempus immemoriale, ut notat Abbas *in c. super eo 4. num 2. h. t.* quia non potest ullo tempore illa præscriptio valere, cui lex resistit: siquidem præscriptio nonnisi à lege positiva suam obtinet vim, & inducta fuit, & præscriptioni finium resistit lex non solùm canonica, ut liquet *in c. quicunque 4. & c. sequent. caus. 16. q. 3.* sed etiam jus civile *per textum l. agros. 3.* ubi dicitur cujuslibet spatii temporis præscriptione cessante *C. de fundis Limitrophis lib. 11.* & propositio indefinita æquivalet universali. Debet tamen de finibus legitima authoritate institutis constare per instrumentum, vel alias conditiones, aut indicia prout habetur *in d. c. super 4. h. t.* etenim si de finibus non constet, potest præscriptio locum habere; quia tunc non præscribuntur fines, proinde cessat ratio adducta, ut notat Barb. *in collect. in d. c. super n. 4. h. t.*

2 Quòd si quis domicilium habet in duabus parochiis, & æquali tempore in utroque moratur, scilicet sex menses in uno domicilio, & alios sex in alio, tunc utriusque Parochi dicitur Parochianus proprius: secus si in altero domicilio non nisi per unum, vel alterum mensem recreationis causâ, vel ad ruralia exercenda moraretur. Qui verò longo tempore degeret in aliqua parochia, in qua domicilium non haberet, studiorum, vel negotiorum causâ, pro parochiano illius loci habendus esset, quia non tantùm per domicilium, sed etiam per quasi domicilium redditur quis parochianus, præsertim in ordine ad suscipienda Sacramenta, excepto Sacramento Ordinis, ut notat Glossa *in clement. 1. de privil.* Panormitanus *in c. cum contingat. n. 29. de for. compet.*

Alienus parochianus ab Episcopo non po- 3
test ordinari, nec judicari, nisi illuc domicilium transtulerit, ut habetur *in c. nullus 3 h. t.* ubi Adrianus Papa rescribit, ut nullus Episcopus præsumat judicare parochianum alterius Episcopi sine ejus licentia: & etiam subdit rationem, quia quem ordinare non potest, nec judicare valet, & argumentatur à minore ad majus, procedítque argumentum negativè: quia si Episcopus sibi non subditum, sive qui alterius diœcesis est, ordinare non potest *c. 1. caus. 9. q. 2.* licèt sit actus jurisdictionis voluntariæ, cui aliquis potest, se sponte subjicere. A fortiori nec poterit judicare alienum subditum, quia actus judicii est actus jurisdictionis contentiosæ, quæ coactionem aliquam secum trahit, quapropter, non potest exerceri erga non subditum: unde si Episcopus non potest alienum parochianum promovere ad ordines; multò magis nec judicare. Id autem procedit in judicibus ordinariis, & qui sunt Episcopi: quia delegati possunt judicare quamvis non possint ordinare, ita Archidiaconi, & alii inferiores Prælati judicare possunt eos, qui suæ subjiciuntur jurisdictioni, quamvis illos ordinare non possint, ut notat Fagnanus *in d. c. nullus. n. 6. h. t.*

Quòd si parochianus ex una parochia, vel 4
diœcesi suum transferat domicilium in aliam, primus Episcopus non habet jurisdictionem in ipsum, nec ab eo temporalia potest exigere, ut nec etiam primus Parochus, cum ei ampliùs non administret spiritualia, sed secundus, ut habetur *in c. significavit. 5. h. t.* Possunt parochiani mutare domicilium tam quoad temporalia, quàm spiritualia conferendo se ab una parochia in aliam absque licentia Ordinarii loci *l. Postliminium 5. in fin. juncta Glossa fin. ff. de captivis l. placet 3.* & tunc desinunt subjici priori Parocho, & Episcopo, & fiunt subditi secundi Episcopi, & Parochi, à quo suscipiunt Sacramenta. Hoc tamen procedit de solis parochianis sæcularibus, quia clerici non possunt ad aliam diœcesin transire sine litteris dimissoriis proprii Episcopi, ut desumitur *ex c. placuit. 2. caus. 21. q. 2.* Cæterum parochiani in illa parochia ubi suum fixerunt domicilium tenentur Sacramenta Eucharistiæ, & pœnitentiæ frequentare, missam audire, si velint, & matrimonium celebrare, quinimò *in clement. 1. de privil.* sub pœna excommunicationis reservatæ, prohibetur Regularibus, ne absque speciali licentia Parochorum extremam unctionem, vel Eucharistiam alienis parochianis administrent, vel matrimonio assistant, licèt tam per privilegium mendicantium, quàm ex inolita consuetudine ab hoc rigore juris nonnullis in locis recessum sit: imò in locis amplioribus ubi plures sunt Regularium ordines extra tempus paschale passim parochiani non solùm Sacramentum pœnitentiæ, verùm etiam Eucharistiæ apud Regulares frequentant scientibus, & non contradicentibus Parochis, qui propterea saltem tacitè censentur consentire.

tire. Hinc parochiani diebus festis solent sacris interesse in ecclesiis Regularium, quia si desit contemptus, quamvis justa causa fortassis non adsit, satisfaciunt præcepto de audiendo sacro diebus festis, præsertim post declarationem Leonis X. quam refert Barb. *de offic. Parochi p. 1. c. 11. num. 15.* in ipsa enim declaravit Pontifex, omnes fideles, qui apud mendicantes, dummodo non contempto proprio Parocho missas audiunt, præcepto ecclesiastico satisfacere, nec ullum incurrere peccatum, aut pœnam.

5 Hoc idem etiam innuitur in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 4. de refor.* ubi parochianos tantùm monendos dicit, ut in propria parochia divina frequent officia: unde si Parochiani sunt monendi tantùm, sequitur non esse cogendos, cùm longè aliud sit cogere, ac monere: quamobrem si desit contemptus, excusantur parochiani: neque contemptus præsumendus est ex repetitis absentiis, quia culpa non præsumitur, sed probanda est.

6 Parochiani non possunt parochum sibi eligere, nec nominare, nec alio modo instituere, quia ad id nullum ipsis jus competit. Possunt tamen Episcopo, & superiori humiliter supplicare pro certa, & speciali persona, dummodo sit idonea: tunc enim superior potest, ut rem gratam parochianis præstet personam illam promovere, dummodo habeat omnia requisita, quia eo ipso quòd est gratior majori cum fructu suo fungitur munere *argum. c. quod Dei timorem 5. de statu Monachor.* Non tamen possunt parochiani oblatum sibi Parochum ab Episcopo recusare, sed ad summum si quam habent rationabilem causam eum recusandi, possunt eam exhibere Episcopo: causa hæc potest esse, si Parochus malè vivat, quia multum interest ipsorum, ne sub malo Pastore periculum incurrant.

7 Quia Ecclesia semper detestata est matrimonia clandestina *can. non omnis can. honorantur. can. fin. 32. q. 2.* ideo parochiani nonnisi solemni ritu, & coram proprio Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii consensu, & licentia in facie Ecclesiæ tenentur nuptias contrahere, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 1. de reformat. matrim.* ubi mandat Parocho, ut librum habeat, in quo conjugum, & testium nomina, & locum contracti matrimonii describat & quem diligenter apud se custodire teneatur. Rursus quam ex matrimonio parochiani prolem suscipiunt, debent permittere, ut eadem in Ecclesia parochiali baptizetur, hinc incumbit Parocho in propria Ecclesia habere fontem baptismalem, quem diligenter, ac mundè custodiat, ut semper adsit sufficiens aqua cautè occlusa: & cavere itidem vel maximè debet, ne sua culpa quis decedat sine baptismo sub pœna depositionis, *can. quicumque de consecrat. dist. 4.* Rursus debet librum habere, in quo nomina baptizatorum, parentum, ac patrinorum diligenter describat, ac notet annum, mensem, & diem, quo singuli baptizantur juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 2. de refor. matrim.* Immo debet etiam Parochus in alio libro describere nomina confirmatorum, parentum, ac susceptorum.

8 Ad restaurationem Ecclesiæ parochiani deficiente Parocho, tenentur contribuere, ut notat Riccius *resol. 476.* tametsi nulla adsit consuetudo, & hoc onus pertinet ad dominum, qui habet domum in tali parochia, non verò ad conductores ejusdem domus. Cæterum Parochus, ut etiam quilibet alius beneficiarius tenetur contribuere ad restaurandam Ecclesiam pro rata redituum, deducto priùs necessario ad sui sustentationem, ut notat Surdus *cons. 162. n. 1.* Patroni etiam si Ecclesia sit de jure patronatus tenentur in defectum Parochorum contribuere ad reficiendam Ecclesiam, quia etiam patroni percipiunt emolumentum à jure patronatûs, cùm præsentent clericum promovendum, habeántque honorantias primi loci in processionibus, & sessionibus, percipiantque in necessitate ab Ecclesia alimenta, Belletus *tit. de cleric. debitor. §. 14. n. 10.* Cæterum Parochiani licèt nobiles, & exempti, sunt etiam ad id cogendi remota quacunque appellatione, ut notat Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Glossa 5. n. 218.*

9 Idque etiam procedit de ipsa domo, in qua habitat Parochus, & pertinet ad Ecclesiam, quia cum sit veluti pars ejusdem, tenentur etiam parochiani concurrere ad illius restaurationem si indigeat. Verùm in hoc attendenda est potissimùm loci consuetudo, quòd si hæc fuerit legitimè præscripta, ut Episcopus, vel Rector, vel beneficiarii, vel etiam laici parochiani suppeditent sumptus fabricæ: vel quòd Rector Ecclesiæ, & beneficiarii reficiant altare majus, parochiani verò corpus Ecclesiæ non obstantibus canonibus in contrarium, talis consuetudo legitimè præscripta servanda erit, ut notat Petrus Gregorius *syntag. jur. lib. 2. c. 1. num. 12.* Prohibentur tamen Parochiani appendere arma, sagittas, & alia id genus, ut etiam negotia sæcularia instituere, & contractus in eadem inire *c. 1. & 2. cum Ecclesia de immunit. eccles.* nec ullum possunt in Ecclesia judicium civile exercere, imò nec ipsam citationem, quia hæc est actus judicialis *c. quoniam 11. de probat.* Rebuff. *ad leg. appellat. 72. V. item ficuti*, nec possunt in eadem convivia habere, nisi fortassis aliquid frugale & parculum absque tumultu, sine luxu, absque perturbatione adstantium ex rationabili causa: quia non sit alius locus sufficienter accommodatus, & tunc comestio debet fieri in aliquo Ecclesiæ angulo servato silentio, & modestia *C. multi 42. dist.*

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an Parochus in funeralibus debeat Ecclesiam collegiatam præcedere? Respondetur, adesse plures declarationes in favorem Parochi, cui debetur præcedentia respectu Ecclesiæ collegiatæ, ita habetur in declaratione Nucerina *die 24. Octob. 1609.* ubi sacra congregatio respondit, *illum Presbyterum, seu curatum aut priorem, qui defert stolam, & ad cujus Ecclesiam funus defertur omnes alios præcedere debere*, & in alia declaratione

tione *Prænestina die 13. Julii* 1619. respondit, ad Parochum ipsum in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius parochiæ in loco prædicto præcedentiam spectare juxta ritualem dispositionem, & hanc sententiam defendunt Gratianus *tom. 2. discept forens. c.* 198. Barbosa *in pastoral. allegat. 78. numero 38.* & probari potest. Primò quia ita statuitur in rituali Romano, ubi dicitur, quòd Pastores intonent antiphonam clero cum cruce, & aliis præcedentibus. Particula *cum aliis* significat similitudinem, & identitatem in substantia *auth. qui se vel. C. quomodo, & quando judex* Surdus *decis. 265. num.* 24.

2 Secundò quia Parochus in associandis funeribus fungitur proprio munere cum habitu sacerdotali, siquidem ipse solus stolam defert *c. ecclesiastica dist. 23.* proinde debet præcedere alios non deferentes stolam, sive collegiales sint, sive non, quia pretiosioribus vestibus adhibetur honor Cassanæus *in catalog. Gloriæ mundi p. 1. consider.* 23. Butrius *in c. 1. de author. & usu pallii.* Tum quia in confraternitatibus sæcularium, & processionibus Sacerdos, qui ipsas comitatur cum stola præcedit etiam oratores Regum. Tertiò quia Parochus in funeralibus, & exercitio curæ animarum gerit vices Episcopi, qui dicitur Rector parochialis *c. bona rei 12. q. 2. c. ad Apostolicam de donat.* Boerius *de authorit. magn. consil. in addit. num. 16.* unde Parochus quando curam gerit animarum præfertur cæteris aliis, proinde etiam in collegialibus, quia subrogato debetur idem honor, qui subroganti in illis actibus, in quibus repræsentat subrogantem: quapropter ob jurisdictionem, quam habet Parochus in sua parochia nequit funus levari absque illius licentia, & antequam dicat *subvenite*, ut notant Oldradus *consil. 82. num. 2. V. nam & portare* Cardinalis §. *hujusmodi in fin. in clement. dudum.* Quartò quia quilibet Sacerdos quando actu celebrat missam conventualem, præcedit omnes capitulares etiam quoad cultum divinum, & primo loco incensatur, & in Capella Papæ celebrans præfertur omnibus Cardinalibus, eò quia sit in actu officii sacerdotalis: ergo debet etiam præferri Parochus, quando est in actu, & exercitio curæ animarum. Quintò quia Rector, & Parochus in sua propria Ecclesia parochiali dicitur Prælatus *c. apicibus 7. q. 1.* & tantam habet authoritatem, quanta inest Prælato cum Capitulo in Ecclesia collegiata, ut docet Abbas *c. 1. num. 28. V. si verò in Ecclesia de dolo, & contumacia*, unde Parochus debet collegiales præcedere. Sextò, quia quilibet in propria domo est Rex. Decianus *consil. 67. num.* 12. ergo etiam Parochus.

3 Verùm putârim esse procedendum cum distinctione, siquidem Ecclesia collegialis alia est cathedralis, quæ una cum Episcopo integrat unum corpus mistum, cujus caput est Episcopus, & membra Canonici Regulares ejusdem cathedralis: alia est simpliciter collegialis, eò quia non habeat cathedram episcopalem, licèt suos habeat canonicos Rursus collegiales possunt intelligi, ut procedentes collegialiter, & ut procedentes seorsim, & non collegialiter, quatenus unus tantùm, vel alter vult interesse processioni. Si sermo sit de collegialibus cathedralibus procedentibus collegialiter, putârim hos debere Parochum præcedere, ut notat Felin. *in c. cùm liceat init. de præscript.* Manriquez, *de precedentia num. 25.* Et id decisum fuit à sacra rituum congregatione in una Hostiensi *die* 18. *Aprilis* 1607. ubi sic dicitur. *Quando contingit associare funus alicujus defuncti ad aliquam Ecclesiam parochialem, in qua simul Capitulum Ecclesiæ collegiatæ cum Parochis aliarum Ecclesiarum dicti loci conveniunt, præcedentiam dandam esse Archipresbytero, & canonicis Ecclesiæ collegiatæ etiam supra proprium Parochum, cui tamen jus faciendi officium in propria Ecclesia reservetur.* unde Capitulum cathedrale, & collegiale ita præcedit, ut Parochi retineant sua jurisdictionalia, unde secundùm diversa Parochus præfertur Capitulo, scilicet in jurisdictionalibus, quæ Parocho conveniunt, & non Capitulo; & Capitulum præfertur Parocho tantùm quoad locum nobiliorem: hoc idem etiam fuit declaratum in alia Prænestina *die* 18. *Aug.* 1618. ubi sacra congregatio statuit, *præcedentiam semper, & ubique competere Archipresbytero, & canonicis Ecclesiæ collegiatæ supra prædictum Parochum, & in asportandis funeribus defunctorum propriæ Parochiæ. Jus tamen faciendi officium competere Parocho.*

Quamobrem Parochus tantùm præcedit ra- 4
tione muneris, & jurisdictionis, non ratione loci. Tum quia canonici Ecclesiæ cathedralis incedentes collegialiter constituunt unum corpus cum Episcopo, quem repræsentant, & cui uniuntur, perinde, ac membra corpori, adeo ut etiam in actu funerandi Episcopus repræsentetur à canonicis collegialiter incedentibus: sed qui digniorem repræsentat, debet minus dignum præcedere *argum. c. præcipimus dist. 93. Felin. c. cum olim. num.* 1. hinc communiter concludunt *ex c. quamvis* 1. ibi *propter ipsius honorem de prabend. in 6.* quòd Ecclesia cathedralis debeat præeminere omnibus, ut notat Decian. *respon. 50. num. 30.* Et licèt Episcopus non adsit, non propterea canonici desinunt esse ejus membra *c. novit. de his, quæ sunt à Prælat.* atqui est contra ordinem, quòd membra disjungantur à capite *c. 1. dist. 12.* ergo si inter Episcopum, & Capitulum nullus debet mediare, ne caput sejungatur à membris, sequitur evidenter, quòd sicut Episcopus præcedit Parochum, etiam collegiales collegialiter incedentes debent quoad locum Parochum præcedere, ut notat Menochius *consil. 52. n. 140.* Hæc ratione, quia Cardinales immediatè uniuntur summo Pontifici, eò quia sunt pars corporis Pontificis, perinde ac canonici pars Episcopi, ut notant Abbas *in c. novit. de his quæ sunt à Prælat.* Monach. *c. ad succedendos num. 4. de schismate*, ideo Cardinales præcedunt omnes Prælatos etiam Patriarchas, quamvis non sint cum summo Pontifice, quia inter membra, & caput non fit separatio, ut notat Homobonus *de statib. human. vit. p. 1. c. 7. §. sunt autem*, & Cassanæus *in catalog. glor. mund. p. 4. consider.* 19. ergo ea-

dem ratione canonici cathedrales præcedunt Parochum.

5 Sin verò sermo sit de Ecclesia collegiali non cathedrali, videtur esse major difficultas, eò quia præeminentia in ista non sit tanta. Nihilominus adhuc videtur dicendum, canonicos istos collegiales incedentes collegialiter, quoad locum debere Parochum præcedere, ita enim docent Gratianus *num. 3. disceps. forens. c. 728. num. 16.* Pasqualigus *quæst. moral. canon. q. 79. num. 3.* Ratio est, quia Ecclesia collegialis, quamvis non cathedralis est dignior simplici parochiali, proinde collegiales collegialiter incedentes sunt digniores simplici Parocho: atqui digniores juxta rectum ordinem debent minùs dignos præcedere, proinde tale Capitulum collegiale in funeralibus debet præcedere Parochum, siquidem in præcedentia servandus est ordo dignitatis *l. omnes C. ut dignit. ord. servet.* & docent Glossa §. *aliam instit. de bonor. possess.* Calsinæus *in catalogo Glor. mund. p. 7. consid. 14. 26. 33. 38. & 40. p. 9. considerat.* 1. & ita etiam scripsit Eugenius IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, cujus epistolam refert Dians *part. 5. resol. 1.*

6 Neque obstat, quod canonici collegiatæ non cathedralis dicantur clerici secundi gradus: quia licèt id verum sit, adhuc tamen sunt cæteris nobiliores, ac præferuntur Rectoribus Ecclesiarum parochialium *argum. ex c. licet eamen. & c. statutum de elect. in 6.* Juvat tamen observare, quòd in ordine ad hanc præcedentiam consuetudo locorum plurimum obtinuerit roboris in locis pluribus, proinde standum est consuetudini legitimè præscriptæ, cum hæc vim habeat legis. Secus collegiales si non incedant collegialiter, tunc non repræsentant dignitatem Ecclesiæ collegialis, sed tantùm propriam personam, cui præferenda est dignitas Parochi, quando is exercet suum munus, ac jurisdictionem, & in hoc sensu argumenta, quibus nititur prima sententia vim habent, non verò quoad collegiales collegialiter incedentes. Ad primum enim posset responderi, illam dictionem *aliis* non comprehendere collegiales incedentes collegialiter, quia in funeribus etiam interveniunt alii præcedentes clerum: unde illa dictio importat diversa ab expressis, ut notant Pasqualigus *loc. cit. num.* 12. Paris. *consil. 78. n. 21. vol.* 2. Menochius *consil. 335. num.* 10. Ad aliud quod addebatur de Parocho deferente stolam, respondetur, ex hoc non sequi, quòd debeat præcedere, quia non semper Sacerdos, eo ipso, quòd est cum habitu sacerdotali præcedit omnes; non enim in choro præcedit Abbatem, tametsi hic non sit indutus vestibus sacerdotalibus. Ad aliud, quod dicebatur de vestibus pretiosioribus, quibus debeatur major honor, id intelligendum est cæteris paribus: alioquin simplex Sacerdos, ex eo, quòd haberet stolam, deberet Episcopos, & Cardinales præcedere. Unde nec Sacerdotes, qui in processionibus comitantur confraternitates præcedunt oratores Regum, si incedant ut oratores. Inquisitor verò ideo in causis fidei Episcopum præcedit, quia tunc repræsentat summum Pontificem, cujus est delegatus, & delegatus Principis est cæteris major quoad causam sibi commissam *c. sanc de offic. delegat.* Ad aliud de Parocho, qui in funeralibus dicitur gerere vices Episcopi, respondetur, id non esse verum, quia funerando, non fungitur munere, quod sit proprium Episcopi; neque repræsentat personam Episcopi.

7 Neque ex eo, quòd Parochus præferatur omnibus in cura animarum, inde sequitur, quòd debeat etiam præferri omni dignitati non habenti curam animarum, alioquin præferretur dignitati etiam imperatoriæ. Hinc Parochus funerans non exercet actum subrogationis, nec est subrogatus Episcopi, quia funerare non est actus proprius jurisdictionis episcopalis, nec in ipsam Parochus subrogatur: siquidem ad subrogationem requiritur, ut subrogatus subintret in jus subrogantis, ut notant Baldus *l. quoties §. si quis 1. ff. de hared. instit.* Barbat. *consil. 2. n. 2.* & alii communiter *in 1. quoniam de offic. delegat.* Ad aliud, quod addebatur, de quolibet sacerdote, qui quando actu celebrat missam conventualem, præcedit omnes capitulares, Respondetur, id tantùm locum habere in celebratione missæ, quia tunc repræsentat Christum, qui in illa actione est principalis sacrificans, & Sacerdos offert nomine Christi, & profert verba consecrationis nomine Christi; proinde ab hoc actu ad alios non rectè fit illatio, cùm etiam in æquiparatis non fiat extensio de uno ad aliud, quoties unum ita militat in favorem unius, ut non militet in favorem alterius, ut tradit Tuschus *litt. E. conclus. 318. n. 38.*

8 Ad aliud de Parocho, qui in sua propria Ecclesia dicitur Prælatus, respondent communiter, Parochos propriè non esse Prælatos, quia in *clement. dudum. §. in ecclesiis.* Rector, & Prælatus distinguuntur, & cùm Parochus sit Rector, non est Prælatus. Præterea collegiales collegialiter incedentes habent majorem prælationem, cùm sint digniores, proinde ex hac ratione debent præcedere. Capitulum enim tanquam corpus, & collegium est in dignitate constitutum, ut notat Glossa *in c. si canonici de offic. ordinarii in 6.* & habet etiam jurisdictionem à jure, ut notat Menochius *consil. 58. num. 86.* Ad ultimum, in quo dicebatur quemlibet in propria domo esse Regem, id non propriè, sed secundùm analogiam, & non quoad jurisdictionem: & dignitatem; sed quoad dominium intelligitur, & præcedentia non oritur ex dominio, sed ex dignitate.

9 Quæritur secundò, an quando plures simul concurrunt Parochi Regulares, & sæculares, sit ordo servandus, & qualis? Respondetur, quoad hunc ordinem attendendam esse ipsarum Ecclesiarum majoritatem, & prærogativam, ut censuit sacra congregatio rituum in una Astensi 21. *Martii Anno* 1609. nihilominus in funeribus præcedit Parochus, in cujus templo defunctus sepeliendus est, & id etiam Romæ servatur.

10 Quæritur tertiò, an Parochus habens duas parochias unitas debeat in utraque residere? respondetur, quòd si constet, unam esse aliâ digniorem teneri Parochum in digniore residere & si

& si non constet, quæ dignior sit, in ea quæ est periculosior, & frequentior, quòd si una fuerit extra civitatem, & altera intra civitatem, in hac tenebitur Parochus residere: quòd si Ecclesiæ parochiales sint omnino pares, poterit residere in illa, quæ illi magis placuerit. Et si quis cum parochia canonicatum possideat obtenta dispensatione residebit in parochiali juxta Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 1.* ubi verò Vicarius perpetuus ex more constituitur, illo vivente non tenetur residere Rector Ecclesiæ, quia actualis cura animarum ad Vicarium pertinet. Quòd si Vicarius sit temporalis, & amovibilis, tenetur residere principalis, quia animarum cura ipsi incumbit primariò.

11 Quæritur quartò, an Parochi possint impedire, ne Regulares ministrent Sacramentum pœnitentiæ in aliis ecclesiis? Respondetur, non esse necessariam licentiam parochi, ut approbatus ab Ordinario possit confessiones audire in parochia ejusdem, ut docent communiter cum Glossa *in element. dudum V. libere de sepult.* quia sive Regularis à summo Pontifice, sive ab Episcopo jurisdictionem acceperit in ordine ad confessiones audiendas, & absolvendum, hæc jurisdictio est independens à Parocho, qui propterea non potest ejus exercitium impedire: siquidem cùm non habeat potestatem supra Episcopos, nec potest abrogare, aut tollere illam jurisdictionem, quam Episcopus dedit Regulari; hinc Parochus frustra reclamaret contra Regularem exercentem in sua parochia jurisdictionem, quam accepit à summo Pontifice, vel ab Episcopo. An verò possit etiam talis Regularis audire confessiones in ipsa parochiali Ecclesia plures negant, eò quia inde perturbaretur aliena jurisdictio: unde requiritur licentia parochi expressa, vel tacita; adeo ut non contradicat positivè.

12 Alii tamen forsan probabiliùs censent, talem licentiam non esse necessariam, etiam si Regularis in Ecclesia parochiali audiat confessiones, eò quia semel quòd Regularis accepit ab Episcopo jurisdictionem, qua possit audire confessiones, & absolvere à peccatis in tota sua diœcesi, Parochus non potest impedire exercitium hujus jurisdictionis, quia non habet potestatem supra Episcopatum; & quia jurisdictio se extendit ad totam diœcesin, in qua comprehenditur Ecclesia parochialis, poterit Regularis in eadem exercere jurisdictionem sibi datam ab Episcopo, cui Parochus subjicitur, ac subordinatur.

13 Tum quia est sententia probabilior, quòd hæc jurisdictio concessa Religioso sit privilegium personale, quod sequitur ipsam personam per totam diœcesim, adeo ut in quocunque loco intra eandem diœcesin possit Regularis illam exercere: ut docet Tamburinus *tom. 2. de jure Abbat. disp. 6. q. 13. n. 4. V. ex quibus* Miranda *tom. 1. manual. q. 45. art. 14. conclus. 3.* non enim privilegium personale est affixum loco, vel Ecclesiæ Regularium, sed est annexum personæ, quam sequitur per totam diœcesin *c. privilegium de regul. jur. in 6.*

14 Hinc Regularis, qui accepit jurisdictionem ab Episcopo audiendi confessiones intra totam suam diœcesin, intra quam tantùm potest illam concedere, potest in quovis loco ejusdem diœcesis jurisdictionem illam exercere: quòd si Regulares à summo Pontifice hanc jurisdictionem acciperent, cùm Pontifex non habeat limitationem territorii, posset ubique locorum Christianos absolvere, quia summus Pontifex est Episcopus totius Ecclesiæ catholicæ: unde sicut jurisdictio data ab Episcopo inferiore, se extendit ad totam suam diœcesin; ita etiam jurisdictio data à Pontifice, se extendit ad totam Ecclesiam catholicam. Tum quia Regulares sunt coadjutores Parochorum deputati à summo Pontifice, ut desumitur *ex d. element. dudum de sepult.* ubi dicuntur Regulares esse cooperatores eorum idonei: atqui inferior non potest impedire coadjutorem sibi datum à superiore in proprio officio. proinde non poterit Parochus impedire, quin regularis in sua parochia, imò & Ecclesia parochiali audiat confessiones.

15 Quæritur quintò, an Parochus contra prohibitionem Episcopi, vel statuti synodalis possit concedere facultatem assistendi matrimonio; & an talis facultas valida sit? Respondetur cum distinctione: vel enim in prohibitione Episcopi, vel statuti synodalis habetur expressa clausula *irritans*, adeo ut Episcopus, vel statutum synodale irritet talem facultatem, & tunc certum est, Parochum non posse validè concedere facultatem assistendi matrimonio, quia tenetur ipse parêre Episcopo, & servare statuta synodalia, à quibus ipsi adimitur, posse hanc facultatem concedere. Sin verò in prohibitione non adsit clausula irritans, tunc facultas à Parocho data non præjudicat validitati matrimonii, ut censuit Rota Romana *decis. 750. num. 3. & 4. p. 1. recent. apud Farinac.* & probari solet *ex c. 2 de matrim. contra interdictum Ecclesiæ.* Ratio est, quia Parochus à jure habet facultatem assistendi matrimonio, & etiam facultatem ipsam delegandi alteri sacerdoti juxta Tridentinum *sess. 24. c. 1. de matrim.* ubi dicitur, *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi licentia:* unde Concilium requirit ad ineundum matrimonium præsentiam Parochi, vel alterius sacerdotis ex licentia, & consensu ipsius Parochi: & quia Episcopus, & synodus non habent facultatem supra jus commune, non possunt privare Parochum tali facultate, nec illam coarctare, nec proinde facere quòd actus prohibitus sit irritus, quia prohibitio non tollit, quin talis actus proveniat à sufficienti, ac legitima facultate: nihilominus quia usus hujus facultatis subordinatur Episcopo, ideo potest actum illius irritare, seu licentiam alteri concessam. Quoties adest facultas exercendi actum, & supervenit prohibitio, sive per præceptum, sive per legem supponens talem facultatem, si in prohibitione non addatur clausula irritans actus fortitur suum valorem, ut docent communiter cum Glossa *in element. 1. V. inhibentes de jure patron.* Hinc sacra Congregatio declaravit, matrimonium, cui de licentia Parochi licèt contra prohibitionem Episcopi, Sacerdos interfuit, validum esse, consequenter validam etiam fuisse

licentiam datam à Parocho contra prohibitionem Episcopi, ut habetur *in declarat. ex Bibliot. Bellar. ad c.* 1. *sect.* 24. ubi dicitur, *si Episcopus prohibet, suspendit, tollit jurisdictionem à Parocho, ne quos jungat in matrimonium, si quos jungit matrimonium tenet.*

16 Quæritur sextò, an Parochus excommunicatus vitandus possit alteri sacerdoti licentiam dare assistendi matrimonio? Respondetur probabilius, non posse hanc dare licentiam: ratio est, quia Sacerdos assistens matrimonio in virtute licentiæ sibi à Parocho concessæ, non assistit nomine proprio, cùm non habeat ex se facultatem authorizandi matrimonium, ut est simplex Sacerdos, sed tantùm nomine Parochi, cujus gerit vices, adeo ut nomine procuratorio assistat: atqui Parochus excommunicatus non toleratus non potest procuratorem constituere, qui authoritate ipsius exerceat munus sibi commissum, ut habetur in *c. fin. de Procurat.* proinde talis institutio nulla est, ut notant Panorm. Innocentius, & alii communiter *in d. c. fin.* quamobrem Parochus excommunicatus non potest licentiam dare alteri sacerdoti assistendi matrimonio, & si licentiam concedit; hæc est nulla. Tum quia Parochus non assistit matrimonio, ut simplex testis, sed reduplicativè, ut Parochus, proinde ut exercens munus parochiale cum suis subditis, quod est assistere tanquam superior in ordine ad authorizandum contractum subditorum; quod perinde est, ac in subditos exercere illam jurisdictionem, quæ illi competit ut Parochus: atqui eo ipso quòd Parochus est excommunicatus non toleratus, privatur tali jurisdictione saltem quoad exercitium, adeo ut non possit illam exercere, ut liquet *ex c. audivimus* 24. *q.* 1. *c. de offic. Vicarii in 6. c. si in cui de offic. delegat. in 6.* ergo non potest talem jurisdictionem quoad exercitium committere alteri: nemo enim potest alteri dare, quod in se non habet.

17 Neque dici potest, quòd Parochus tunc non committat simplici sacerdoti exercitium jurisdictionis, sed tantùm dominii. Nam hoc est falsum, quia committit id, quod sibi competit tanquam Parocho, ratione superioritatis, quam habet supra suos parochianos sibi subditos, proinde committit jurisdictionem annexam officio parochiali. Præterea committit potestatem authorizandi contractum matrimonialem, qui initur inter Parochianos: sed authorizare talem contractum est actus parochialis superioritatis, consequenter est actus jurisdictionis: siquidem facultas exercendi, quæ concernunt munus Parochi, importat jurisdictionem, ut docent Glossa *in l.* 1. *ff. de jurisdic. om. judic.* Abbas *in c. quod sedem de offic. Ordinar.* Demum quia excommunicatus non toleratus est suspensus ab officio: siquidem cùm non possit cum aliis communicare, remanet suspensus ab officio, cum illud non possit exercere, ut notat Navarrus *c.* 27. *manual. num.* 17. si igitur Parochus est privatus exercitio suæ jurisdictionis, non potest illud alteri concedere.

18 Quæritur septimò, an si simplex Sacerdos petat à Parocho licentiam assistendi matrimonio, & taceat qualitatem personarum contrahentium, & ratione cujus Parocho prohibetur, ne pro ipsis licentiam concedat, adhuc possit Sacerdos assistere, & licentia sit valida? Sicut Concilium Tridentinum prohibet Parochis, ne assistant, aut dent facultatem assistendi matrimonio vagorum absque licentia Episcopi: ita si Episcopus, vel synodus prohiberet, ne Parochus assisteret, nec licentiam daret assistendi matrimonio, quando unus ex contrahentibus est advena: & petens licentiam taceret hanc qualitatem advenæ, an licentia esset valida, vel nulla? Respondetur, hujusmodi licentiam esse nullam, & sacerdotem non posse assistere tali matrimonio, quia Parochus non præsumitur dedisse licentiam assistendi matrimonio, cui nec ipse posset assistere, eò quia sit ipsi prohibitum, si enim explicaretur Parocho qualitas contrahentis, non concederet licentiam, cùm illi sit prohibitum, quapropter petitio est dolosa, & operatur, quòd consensus Parochi non trahatur ad ipsam, tanquam quid dolosè dispositum, ut docent Tuschus *litt. C. conclus.* 754. *n.* 48. Parisius *de resignat. lib.* 13. *q.* 3. *num.* 5. Socinus *consil.* 159. *n.* 29. *lib.* 2.

19 Tum quia nemo præsumitur velle, nisi quod de jure potest, ut docent Baldus *in l. ex facto ff. de vulg. & pupil. substit.* Felin. *consil.* 31. *n.* 7. siquidem voluntas hominis, & præsertim Parochi præsumitur conformis legibus, & de pari judicatur §. *disponat. authent. de nupt.* Jason *in 6. certi condit.* §. *si nummos. num.* 5. *& sequent. ff. si cert.* Non enim præsumendum est, quòd Parochus velit licentiam concedere, quando jure non potest, consequenter licentia concessa debet intelligi intra terminos habiles: & quatenus de jure potest: hinc licentia à tali sacerdote accepta non suffragatur iis, pro quibus petitur, cùm non possit in favorem matrimonii eorundem illam concedere, proinde matrimonium contractum est nullum juxta Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 1. *de matrim.*

20 Hoc idem etiam evincitur ex principio theologico: siquidem ignorantia antecedens causat omnino involuntarium, proinde excludit consensum in omne id, quod ignoratur: adeo ut si voluntas feratur in aliquod objectum affectum certa aliqua qualitate, & ignoretur talis qualitas, licèt objectum sit voluntarium, non tamen est voluntaria illa qualitas, præsertim si per accidens sit illi annexa, est enim voluntas potentia cæca, quæ non potest velle, nisi quod eidem ab intellectu repræsentatur, & quod ignoratur non potest eidem proponi; hinc non solùm ignorantia antecedens, verùm etiam concomitans constituit involuntarium negativum, seu non voluntarium, ut docet D. Thom. 1a. *q.* 6. *art.* 8. *in corp.* quia quæ concomitanter ignorantur, non sunt in cognitione, proinde non possunt proponi voluntati, nec hæc potest illa velle, vel nolle.

21 Præterea quoties qualitas per accidens adnectitur objecto, illud mutat in ratione objecti in ordine ad movendam ipsam voluntatem; adeo ut objectum, quod ex se potest allicere voluntatem, ut hæc illud amplectatur: si

sit

ſit affectum aliqua qualitate non ampliùs illam alliciat, nec voluntas illud amplectatur, ſed reſpuat; & cùm qualitas advenæ afficiens contrahentem matrimonium, ſit qualitas ratione cujus voluntas Parochi reſpueret tale matrimonium, ſi illi innoteſceret; ideo ſi taceatur, non ſupponitur, quòd Parochus dederit licentiam aſſiſtendi tali matrimonio, quia non eſt idem objectum, quod fuit repræſentatum Parocho: diverſitas enim ſpecifica in actibus cauſari poteſt ex objecto etiam ex ſola diverſitate qualitatis, quâ afficitur, ſive qualitas ſit intrinſeca objecto, ſive extrinſeca, ac ſe habeat per modum circumſtantiæ: ſiquidem & ipſæ circumſtantiæ dant ſpeciem actui, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 8. *art.* 10. & tunc tribuunt diverſam ſpeciem, quando continent diverſa motiva.

22 Quæritur octavò, an Parochi, ſeu Curati poſſint ſibi eligere confeſſarium ex privilegio *in c. fin. de panit.* Reſpondetur affirmativè cum Panormit. *in d. c. fin. de panit.* quia talis facultas ſibi eligendi confeſſarium eſt conceſſa Prælatis, & Parochi etiam veniunt nomine Prælati *in c. tua de cler. agrot.* Tum quia *in d. c. fin.* privilegium conceditur omnibus ſuperioribus habentibus alium ſuperiorem: hic autem modus exprimendi perſonas privilegiatas importat privilegium conceſſum cum amplitudine, adeo ut nomen ſuperioris intelligendum ſit cum tota ſua amplitudine, cùm appareat, fuiſſe intentionem concedentis ampliare privilegium. An verò etiam poſt Concilium Tridentinum, quòd *c.* 15. *ſeſſ.* 23. *de reform.* prohibet, ne ullus Sacerdos ſit idoneus pro audiendis confeſſionibus ſæcularium etiam ſacerdotum niſi ſit approbatus à proprio Ordinario, id procedat. Probabilis ſententia eſt, privilegium, quod habetur in *c. fin. de panit.* non fuiſſe revocatum per decretum Concilii, eò quia tale privilegium ſit inſertum in corpore juris, & privilegia inſerta in corpore juris non revocantur per clauſulas generales, ut eſt regula Canoniſtarum, quam tradunt Felin. *in c.* 1. *num.* 12. *& in c. nonnulli n.* 9. *c.* 26. *de reſcript.* Decius *conſ.* 165. *num.* 4. cum Gloſſa *in authent. qua in Provincia. V. illico omni privilegio C. de criminib.* & deſumitur *ex l. ejus militis §. militia miſſus de teſtam. milit.* unde ut privilegium inſertum in corpore juris revocetur, debet in revocatione mentio illius ſpecialiter fieri, proinde Parochus, perinde ac cæteri ſuperiores eccleſiaſtici, poteſt etiam poſt Tridentinum ſibi eligere confeſſarium approbatum à quocunque Ordinario, tametſi non fuerit approbatus ab Ordinario loci.

TITULUS XXX.

De decimis, primitiis, & oblationibus.

QUia decimæ, primitiæ, & oblationes ſunt de jure parochiali congruè Pontifex adjicit præſentem Titulum ſuperiori, qui fuit de Parochiis, & alienis Parochianis, jura enim decimarum, primitiarum, & oblationum ſunt veluti acceſſoria ad ipſas parochias. Eſt autem decima juxta nominis ethymologiam cujusvis rei decima pars: jus tamen Canonicum utitur hac vace in plurali, eò quia plurium rerum decima pars ſimul ſolvatur, vel quia unius rei decima pars per iteratas ſolutiones repetitur, ut notat Caniſius in *reflect. de decis. c.* 1. Cæterum uſus decimarum eſt lege Moyſis antiquior, conſtat enim Abrahamum dediſſe decimam prædæ, & Manubiorum ſacerdoti Melchiſedech: ut habetur *Geneſ. c.* 14. & Jacob *Geneſ.* 28. pollicetur, ſe Deo præſtiturum decimam bonorum omnium. *Decimam omnium bonorum meorum dabo tibi*: Ex quo liquet, jus decimarum à jure ipſo naturali ſuum duxiſſe initium in lege Moyſis, poſtea Deus voluit, decimas ſibi reddi *Exod.* 22. *& Levit. ult.* in ſignum univerſalis dominii. Idque adeò eſt juxta naturam, ut vel ipſi Ethnici legantur ſolviſſe decimas ſuis numinibus. Cur verò decima potiùs pars, quàm alia minor, vel major ſelecta fuerit, ſolet ratio deſumi ex denarii numeri perfectione, qui Deo vel maximè convenit, eſt enim numerus denarius veluti limes numerorum ſimplicium, à quo non proceditur ultrà, ſed fit ireratio, & repetitio numerorum priorum, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 87. Decimæ igitur Chriſtianorum ſunt decima pars eorum omnium, quæ quis licitè ex quavis cauſa acquiſivit, ſolvenda Miniſtris Eccleſiæ *c. pervenit*, & paſſim in hoc Titulo. Extat etiam hic Titulus in *ſexto*, *ſeptimo*, *clementinis*, *& extravagantibus communibus*.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. DECIMAM 1. *h. t. Ex D. Hieronymo ſuper Ezechielem refertur, decimam omnium fru-*

gum Levitica tribui populum ex lege dediſſe, ex quibus Levita etiam dederunt decimas ſacer-

detibus. Rursus constat alias decimas separâsse, ut comederent eas in Templo, cum irent Hierosolymam, & sacerdotes, ac Levitas ad convivium invitarent. Alias decimas servâsse pro pauperibus. Rursus primitias quas de frugibus offerebant non fuisse speciali nomine definitas, sed relictas fuisse arbitrio offerentium intra 40. & 60. partem juxta traditionem Hebraeorum. Ex quo textu liquet, jus decimarum antiquissimum fuisse, & quidem à Deo institutum in recognitionem generalis dominii: qua ratione etiam primitiæ, & oblationes jure divino olim debebantur Exod. c. 12. *tametsi ad arbitrium potius offerentium, quàm ad juris necessitatem: hinc etiam Plinius* lib. 18. c. 2. *ait: Priscos Romanos non priùs novas fruges, aut vina fuisse solitos degustare, quàm sacerdotes primitias libassent. Rursus* lib. 12. c. 14. & 19. *refert Arabes, & Ægyptios ex thure & Cynnamomo decimas Dijs suis consecrâsse: immo moris etiam fuit apud ipsos Romanos, partem decimam bonorum vovere, quam plerumque Herculi dicabant, ut refert Plutarchus* in quæst. Roman. *idque verò potissimum fiebat à victoribus ex Manubiis bostium.*

C. *NOVUM* 2. b. t. *Non approbat Paschalis II. ut clerici à clericis decimas exigant, eò quia neque Levita à Levitis eas exegerint. Declarat tamen Pontifex, clericos à clericis spiritualia ministeria accipientes debere iisdem decimas solvere. Notandum est, textum hunc procedere de clericis habentibus reditus ex decimis, tunc enim non tenentur ex decimis jam perceptis alias decimas persolvere aliis clericis: alioquin non bene fuisset adductum exemplum Levitarum, si sermo esset de aliis clericorum reditibus minimè provenientibus ex decimis: quia Levita in vetere testamento præter decimas non leguntur quid aliud possedisse. Neque obstat, quòd in textu Levita dicantur dedisse decimas sacerdotibus, quia eas non debant sacerdotibus inferioribus, vel suis æqualibus. Cæterum si clerici proprio jure, & ex successione hæreditaria, vel alio Titulo prædia possideant, tenentur decimas persolvere præsertim reales.*

C. *EX MULTIPLICI* 3. b. t. *Hadrianus Papa rescribit, quòd si post conventionem factam de decimis, altera pars obtineat privilegium à Papa, nulla facta mentione de conventione, standum sit conventioni, non privilegio: eo quia Papa per privilegium non intendit derogare conventioni, quæ non fuit expressa. Ex quo textu colligitur, privilegium, quod impetratur tacitâ veritate nullius esse valoris: & præstationem decimarum posse transactione tolli, vel imminui, aut mutari, alioquin Pontifex improbasset hanc conventionem factam in hoc textu inter Abbatem, & Parochum, & non jussisset observari. Verùm ut transactio sit perpetua requiritur Authoritas Papæ, quia est transactio quædam species alienationis* l. non solùm c. de prædiis. *Liquet etiam ex textu, posse conveniri in spiritualibus inter spirituales personas.*

C. *COMMISSUM* 4. b. t. *Idem Pontifex rescribit, Monachos esse compellendos ad solvendas integras decimas de terris noviter cultu, ubi antea constructæ fuerunt domus, & terræ cultæ, pro quibus propterea solvebantur olim decimæ. Hoc idem etiam declarat de pascuis, & etiam Monachos Cistercienses teneri solvere decimas de possessionibus, quas non colunt suis sumptibus, & laboribus: vel quando per subtractionem talium decimarum Ecclesia parochialis enormiter læditur* c. qui per novale de V. S. *Rursus alios Monachos decimas solvere, sed non de novalibus, sed de terris, quarum non extat memoria, fuisse cultas. Ex hoc textu liquet, quòd si dominus rei conditionem mutet, & agrum qui frumento conseri solebat in vineam convertat, teneatur ad decimas solvendas ex illis fructibus, qui de præsenti colliguntur: unde si priùs ex agro viliores, ac minores decimæ solvebantur, nunc qualitate mutata, vel quia ager factus sit feracior, vel meliores fructus ferat; plures, ac meliores decimæ debent solvi. Hujusmodi tamen decimæ pluribus saltem in locis videntur nunc abolitæ.*

C. *PERVENIT* 5. b. t. *Alexander III. declarat, Parochianos posse compelli ad solvendas decimas molendinorum, piscariarum, fœni, lanæ sub pœna excommunicationis, & decimas integras ante aliquam deductionem.*

C. *NUNCIOS* 4. b. t. *mandat idem Pontifex, esse itidem Parochianos cogendos ad solvendas integras decimas de apibus, & omni fructu, ut etiam ex proventibus, qui habentur ex molendinis, piscatu, fœno, lana.*

C. *CUM HOMINES* 5. b. t. *declarat idem Pontifex, teneri Parœcianos integras decimas solvere sine deductione expensarum; ac restituere quidquid deduxerunt. Notandum est discrimen inter decimas prædiales, & personales, quia prædiales absque diminutione debent integrè solvi nullis detractis expensis seminis, cultura, operariorum, vel alterius rei ex vi hujus textus; idque procedit etiam de decimis mixtis, ut de pecoribus, negotiatione, venatione, & aliis pertinentibus ad fructus industriales. Secus in decimis personalibus conceditur deductio expensarum, quæ factæ sunt negotiando in quærendis, emendis, convehendis mercibus. Ratio discriminis adducitur à Laymanno* tract. 6. de decimis c. 1. *quia decimæ personales solvuntur ratione lucri, quod homo propria industria facit: & lucrum commutari non potest nisi deductis expensis* l. Mutius ff. pro socio. *Secus decimæ prædiales, & mixtæ solvuntur Deo ex fructibus terræ, vel animalium Titulo supremi dominii, quod Deus habet in res omnes, & singulas, & præsertim in prædia, quæ ejus potissimum beneficio fructificant: quamobrem ob levem laborem, quem homines impendunt in excolendis agris, non debet aliquid deduci. In personalibus verò, quia totum lucrum est ex industria hominis, aliquid deducitur.*

C. *DILECTI* 8. b. t. *declarat idem Pontifex, quòd habentes privilegium non solvendi decimas, si conducant, vel sumant ad firmam prædia solita solvere, teneantur etiam ipsi de illis præ-*

gitized

prædiis decimas solvere; quia privilegia non intelliguntur de agris conductis: neque quoad præjudicium tertii, seu Parochi, vel alterius, cui decima debentur c. quamvis de rescript. in 6. *Notat Glossa, privilegia non esse ampliandа, quia odiosa, & derogant juri communi, & esse intelligenda, ac concedens intellexit.*

C. *SUGGESTUM* 9. *h. t. Idem Pont. declarat, revocandum esse privilegium concessum Religiosi non solvendi decimas, si multum multiplicet possessiones, adeoque notabiliter alios ladat, qui consueverunt decimas habere. Vel debere religiosum hanc cum illis se componere. Ex quo textu desumitur hæc generalis regula:* Privilegium simpliciter à Principe concessum interpretandum esse, ut enorme præjudicium non inferatur tertio. *Hinc licèt privilegia sint perpetua, & immutabilia, superveniente tamen nova causa pereuntur, ut si quis iisdem abutatur per negligentiam spatii decem annorum, vel per contrarium factum, vel si enorme præjudicium inferant. Infertur itidem posse ecclesiasticos inter se componere de decimis.*

C. *EX PARTE* 10. *h. t. Idem Pontif. declarat, Cistercienses, Templarios, Hospitalarios de prædiis, quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt, non teneri decimas solvere. Rursus nec alios Religiosos teneri solvere decimas de novalibus, quæ colunt suis manibus, nec de hortis, ac nutrimentis animalium: bene tamen de aliis prædiis, ac rebus teneri decimas solvere. Ex quo textu infertur, Religiosos, non minus quàm alias personas ecclesiasticas, teneri jure communi seclusis privilegiis decimas solvere: quia decimæ sunt onus fructuum perpetuum per Ecclesiæ constitutionem ita illis annexum, ut ab omnibus debeantur, qui fructus percipiunt. Notandum tamen est, Paschalem II. indulsisse religiosis omnibus, ut de laboribus, & alimentis propriis, proinde etiam de prædiis, quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt, decimas solvere non debeant. Licèt Hadrianus IV. hoc privilegium tam amplum revocaverit hodie tamen præter ius commune inspici debent privilegia specialia Religiosorum circa decimas solvendas.*

C. *LICET* 11. *h. t. rescribit idem Pont. habentes privilegium non solvendi decimas de agris, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, teneri eas solvere de terris, quas aliis colendas tradunt. Ex hoc textu liquet, non esse condonandas partes prædiorum, quæ eleemosynæ à Religiosis exemptos à solutione decimarum: ratio est, quia hoc privilegium est personale, & sequitur ipsas personas Religiosorum* c. sanè de privil. c. Privilegium de Reg. Juris. in 6.

C. *AD AUDIENTIAM* 12. *h. t. Idem Pont. rescribit, privilegium de non solvendo decimas de laboribus, esse intelligendum etiam de terris, quæ non sunt novalia. Ubi notat Glossa, sine certa scientia non esse recedendum à forma verborum: quia quando princeps aliter intelligit, id explicat, & verbis propriis suam mentem aperit.*

C. *QUONIAM* 13. *h. t. Idem Pont. declarat, decimas novalium intra limites alicujus Parochiæ esse debitas eidem Parochiæ, datâ tamen suâ parte Episcopo; quod etiam procedit de jure novo ex Concil. Trident.* sess. 22. de reform. c. 12. *Quòd si novalia non sint in aliqua Parochia, Episcopus potest eorum decimas sibi retinere; vel alicui Ecclesiæ deputare, prout judicaverit. Ex hoc textu liquet, decimas novalium seclusis privilegio, præscriptione, consuetudine, aut compensatione deberi Parochiali Ecclesiæ, intra cujus limites exurgunt. Rursus quamvis decima ejusdem Parochiæ sint ab alia Ecclesia præscriptæ, adhuc Parocho deberi decimas novalium: quia præscriptio sine possessione, vel quasi possessione non procedit* c. 3. de R. J. & l. sine possessione ff. de usucapion. *& ager novalis, quoad jus decimandi possessus nunquam fuit, cum fuerit ante inscultus: est enim novale in jure canonico terra recèns proscissa redacta ad culturam, cum autem fuerit inculta, neque exstat memoria, quòd antea fuerat culta, vel attulerit fructus: unde jus novalium manet semper salvum Parocho; adeo ut si laico concedatur jus decimandi in fundum, id non extendatur ad decimas novalium* c. tuas inf. h. t.

C. *PAROCHIANOS* 14. *h. t. rescribit idem Pontif. decimas posse exigi, eò quia non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutæ. Ex hoc textu oritur gravis illa difficultas, an decimæ sint de jure divino: plures canonistæ inter quos Innocentius* in c. ult. de Paroch. *& Hostiensis affirmant, quia in veteri lege ex præcepto divino jubebantur solvi decimæ Tribui Levitica, cui Clerus in lege Evangelica successit. Tum quia Concilium Tridentinum* sess. 25. c. 2. de reform. *præcipit solutionem decimarum ex eo Titulo, quia debeantur Deo. Nihilominus hodie decimæ licèt quatenus sunt recognitio supremi dominii Dei in res omnes; & Deus vult illas assignari sustentationi ministrorum Ecclesiæ sint de jure divino naturali, ut docet D. Thomas* 2. 2. q. 83. *non tamen debentur nisi jure canonico, ut communior fert opinio: Potuisset enim Ecclesia aliter consulere sustentationi ministrorum Ecclesiæ: ut de facto plerisque in locis congrua eorum sustentatio habetur ex aliis reditibus: unde licèt ipsa sustentatio ministrorum Ecclesiæ sit de jure divino Luca* 7. dignus est operarius mercede sua. *&* 1. *ad Corint.* 9. Nemo militat suis stipendiis: *quocunque tamen modo fiat sive per decimas, sive alios reditus sufficit. Neque obstat quòd in veteri lege solverentur decimæ ex præcepto Dei, quia illud fuit unum ex præceptis judicialibus, quæ expirarunt in Christi nece.*

C. *AD HÆC* 15. *h. t. idem Pont. rescribit Episcopo Ambianensi, decimas non posse concedi laico jure hereditario; & laicum esse cogendum per excommunicationem, ut resignet. Notandum est, decimas duplicitèr posse spectari, primò formaliter, quatenus fundantur in spirituali officio, seu obligatione ministrandi spiritualia; & ob hoc ministerium decimæ solvuntur ministris Ecclesiæ instar stipendii, ut congruè sustententur. Secundò materialiter*

pro

pro solo jure percipiendi fructus sine spirituali Titulo, & absque respectu ad spiritualia ministeria. Præsens textus intelligitur de decimis priori modo, seu formaliter consideratis, sub hac enim ratione decimæ nullo modo possunt laicis concedi. Secus posteriori modo, seu materialiter nil vetat, eas laicis locari, vendi, & concedi, nisi canones id prohibeant: quia sola perceptio fructuum, & jus ad illos percipiendos sine Titulo spirituali ministerii nil continet spirituale.

C. *DE TERRIS* 16. h. t. *Idem Pont. rescribit Marsilienſi Episcopo. Judæos qui colunt terras, seu agros esse compellendos ad solvendas decimas prædiales, vel resignare, ac vendere Christianis possessiones. Ubi notat Glossa, Judæos non teneri solvere Christianis decimas personales, eò quia ab iisdem non accipiunt spiritualia, cum non sint de Ecclesia, nec membra ipsius: teneri tamen solvere decimas prædiales: quia prædia sita intra limites parochiæ habent hoc onus solvendi decimas, quibus est annexum ut accessorium; proinde ad quoscunque prædia transeant, etiam ad Judæos semper transeunt cum hoc onere.*

C. *QUAMVIS* 17. h. t. *Idem Pont. declarat, laicos non debere sibi usurpare ea quæ sunt Sacerdotum: neque esse iisdem ullam concedendam potestatem super res ecclesiasticas. & Prælatum qui laico in sæculo permanenti concedit ecclesiasticas decimas, vel oblationes esse deponendum à suo statu, donec satisfecerit. Ex hoc textu infertur, decimas non posse laicis concedi in feudum, quia non possunt transire ad hæredes ut fœudum: Hinc laici non solùm sunt incapaces decimarum jure divino naturali, quatenus decimæ fundantur in jure spirituali cui percipiendi ob ministerium spirituale: verùm etiam prout consistunt in merè jure perceptionis earundem, id est solius utilitatis seclusò Titulo spirituali* c. ad hæc 15. h. t. c. causam quæ de præscript. *Excipiuntur tamen laici, qui authoritate Pontificis decimas percipiunt; quia habet Pontifex plenam potestatem disponendi de rebus ecclesiasticis* c. 2. de præbend. in 6. *unde quod ex decimis temporale est, potest à Pontifice laicis concedi sive in remunerationem beneficiorum, & obsequiorum, quæ præstiterunt Ecclesiæ, sive cum onere fundandi novas Ecclesias: qua ratione Covarr.* in quæstionibus Pract. c. 35. num. 2. *refert à Pontifice concessas decimas Regni Granatensis Regibus Hispaniæ Ferdinando, & Isabellæ ob ejectos Saracenos.*

C. *CUM SINT* 18. h. t. *Idem Pont. rescribit, quòd si Parochiani accipiant Sacramenta, & spiritualia in una Parochia, & habeant prædia in alia; quoad solvendas decimas standum sit consuetudini. Ubi notat Glossa, decimas in Parochia alterius non posse præscribi. Notandum tamen est, quòd decimæ personales dandæ sunt illi Parochiæ ubi quis recipit Sacramenta, & spiritualia: prædiales verò illi parochiæ intra cujus limites prædia sunt sita; nisi consuetudo contraria præscripta fuerit.*

C. *PROHIBEMUS* 19. h. t. *Ex Concilio Lateranensi declarantur, laicos sine periculo animæ non posse decimas retinere, nec eas ullo modo transferre in alios laicos: & eas recipientes, & non restituentes Ecclesiæ, esse privandas ecclesiastica sepultura. Nota hunc textum intelligi de laicis, qui decimas illicitè detinebant, proinde cum periculo animarum, eò quia eas de manu principum secularium obtinuerint, cum eas dare non possint: proinde in malo statu constituti tenebantur eas Ecclesiæ restituere. Concilium autem ad vitanda scandala, & ex aliis justis causis tantùm prohibuit, ne decimas ad alios laicos transferrent; ut saltem post eorundem obitum ad Ecclesiam redirent. Non tamen inde sequitur, Ecclesiam concessisse laicis ut illicitè retinerent decimas illas; quia ut rectè advertit Rebuffus* q. 10. num. 22. *in hoc tantùm se habuit permissivè.*

C. *AD APOSTOLICÆ* 20. h. t. *Lucius III. declarat, consonum esse æquitati, ut qui recipit Sacramenta in una Parochia, & habet intra limites alterius prædia, quæ colit, solvat decimas personales ubi accipit Sacramenta, & divina; & prædiales ubi ex consuetudine inolita solvi consueverunt. Ratio discriminis petitur ex eo, quòd obligatio personalium decimarum sit personalis, quâ quis obligatur Parocho, à quo accipit spiritualia: secus obligatio decimarum prædialium est realis, & adnectitur rei, seu prædio, cui hæret affixa: hinc ad quemcunque dominum transeat prædium, semper transit cum hoc onere.*

C. *EX PARTE* 21. h. t. *Clemens III. statuit, ut agricultores teneantur solvere decimas integras de omnibus fructibus prædiorum, etiam in diversis temporibus anni seminatis; & quidem absque diminutione; & mandat, ut ad id adigantur etiam sub ecclesiastica censura. Ubi notat Glossa. esse decimas solvendas etiam de arboribus, nullis expensis deductis.*

C. *NON EST* 22. h. t. *Cœlestinus III. declarat, decimas esse solvendas sine diminutione de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, militia, venatione, & omnibus bonis, antequam deducantur expensæ. Notat tamen Glossa, id tantùm verum esse de decimis prædialibus; non de personalibus. Personales decimæ dicuntur, quæ intuitu personæ solvuntur, ut de negotiatione, artificio, militia* c. non est c. pastoralis eod. *de quibus sunt deducende expensæ ante solutionem decimarum. Rursus decimæ animalium solent etiam computari inter prædiales, & solvi debent ubi continuè pascuntur: quòd si per sex menses pascantur intra limites unius parochiæ, & per alios sex menses intra limites alterius, vel continuè morentur quoad domicilium in uno loco, & continuè pascantur in alio sunt decimæ dividendæ.*

C. *EX TRANSMISSA* 23. h. t. *declarat idem Pont. etiam de Molendinis ad ventum esse decimas solvendas absque diminutione. Ubi notat Glossa, etiam de illicitis acquisitis, si transferatur dominium, & non competat repetitio, esse decimas solvendas, & posse eleemosynam fieri, dummodo res sint res alienæ.*

C. A NO-

C. *A NOBIS* 24. *h. t. Innocentius III. rescribit Episcopo Pistoriensi, dantes, vel accipientes possessiones ad firmam, seu locantes, & conducentes teneri de fructibus solvere decimas, nisi ostenderint privilegium immunitatis. Ex quo textu desumitur regula universalis, quòd* quilibet teneatur decimas solvere, nisi sit specialiter exemptus. *Hinc notat Panormitanus, Ecclesiam habere semper fundatam intentionem contra quemlibet in ordine ad exigendas decimas. Rursus infertur, posse Papam ex plenitudine potestatis aliquos particulares eximere: non verò tollere praeceptum universale de solvendis decimis.*

C. *TUA* 25. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Vercellensi, nullam concessionem imperialem posse aliquem eximere à solutione decimarum, eò quia decimae sint debita divina constitutione; & laicis nulla ineſt potestas concedendi vel dispensandi in spiritualibus. Rursus in decimis licentiam non esse extendendam, sed restringendam: adeo ut habens ab antiquo decimas in feudum non possit decimas novalium accipere. Ubi notat Glossa, laicos non habere potestatem in temporalibus, quae ad commodum Ecclesiae pertinent sine licentia Ecclesiae. Liquet ex eodem textu, jura negantia laicis potestatem disponendi de spiritualibus procedere etiam in Imperatore, & Regibus.*

C. *TUA NOBIS* 26. *h. t. Idem Pontifex declarat, decimas deberi absque ulla diminutione Ecclesiae & clericis suae diocesis, nec cui voluerint. Et declarat Pontifex, non obstare malitiam clericorum, neque sumptus factos, sed hisce non obstantibus adhuc integras esse decimas solvendas, & ad id esse cogendos Parochianos districtione ecclesiastica, quia sunt tributa egentium animarum, & signum universalis dominii Dei super terras. Ubi notat Glossa, super decimis non admitti appellationem. Ex eodem textu deducitur, quòd si colonus det domino tertiam, vel quartam partem fructuum utrumque teneri decimas solvere pro rata portione. Imò si colonus det certam mensuram, ut duos modios, debet tunc dominus solvere decimam de illa certa mensura, licet desumpta fuerit ex acervo jam decimato, & danda est Ecclesiae, in cujus territorio est posita. Quinimo potest Ecclesia pro decimis convenire possessorem sive suo, sive alieno nomine, sic in possessione, quia decima est onus sequens possessorem.*

C. *EX PARTE* 27. *h. t. rescribit idem Pont. quòd si alicui ecclesiastico ex privilegio concedatur, ut sibi accipiat decimas suorum praediorum, possit etiam exigere eas de novalibus: secus si ex privilegio decima concedantur laico* c. Tua h. t. *de clerico assignat Pontifex in textu rationem: quia quando majus conceditur; etiam minus concessum esse creditur. Discrimen verò inter laicum, & ecclesiasticum est, quia concessio facta laico est odiosa, & facta ecclesiastico favorabilis; proinde illa restringenda, haec amplianda est.*

C. *PASTORALIS* 28. *h. t. rescribit idem Pont, negotiatorem de lucro acquisito per mercimonium antequam solvat decimas, debere expensas deducere: quia pecuniae, quibus emuntur merces, ut ager, vinea, clibanus &c. jam erant decimatae; sed expensa, quae fiunt pro fructibus colligendis ab illis, de quibus fructus proveniunt, non sunt deducendae, quamvis fuerint decimatae, seu empta pecunia decimata. Rursus declarat Pontifex, fructus non posse alienari nisi cum onere decimarum. Neque de proventibus decimandis esse deducendas expensas factas pro restaurando detrimento rerum, ex quibus fructus deducuntur, ut pro instaurandis molendinis, piscariis, vineis. Ubi notat Glossa, in negotiatione deduci expensas ante decimas; non ita in fructibus. Item filium de hereditate non debere solvere decimas.*

C. *CUM CONTINGAT* 29. *h. t. Idem Pont. rescribit, receptionem decimarum de jure spectare ad Parochias, proinde etiam decimas novalium, quae in eadem parochia insurgunt. Verùm si quis praescripsisset decimas alterius parochiae, non posset simul accipere decimas novalium ejus parochiae, nisi cum rationabili causa ostendat ad se pertinere. Ubi notat Glossa, decimas de jure communi pertinere ad parochias non ad Episcopum, qui in decimis parochialibus non debet habere portionem, nec quartam* c. conquerenti de offic. ordin. *excipitur tamen nisi consuetudo loci fuerit in contrarium.*

C. *CUM TUA* 30. *h. t. Idem Pontifex rescribit Episcopo Bellunacensi, decimas de jure deberi Ecclesiae parochiali. Quòd si monasteria, vel conventus de certa terra subjecta Parochiae acciperent aliquos fructus ratione decimarum, & deinde alii fructus de eadem terra colligantur, declarat Pontifex, eadem monasteria debere accipere decimas illorum novorum fructuum: quia non debet una, & eadem res diverso jure censeri. Notat Glossa, minutas decimas vocari partus animalium, cujusmodi sunt decimae de pullis, ovis, hortis.* c. ex multiplici eod. *quod verò una Ecclesia dicatur praescribere posse decimas in alterius Parochia* c. cum contingat eod. *id intelligitur quando habet Titulum.*

C. *DUDUM* 31. *h. t. Idem Pont. rescribit, laicos etiam Reges non posse donare Ecclesias, vel decimas, vel aliquid Ecclesiae; & si dent, talem Titulum non facere praescriptionem. Quòd si Papa confirmet talem donationem, non tamen tunc intendit derogare juri alterius, nisi expressè id declaret. Notandum est, quòd postquam per Concilium Lateranense laici facti sunt incapaces decimas in feudum recipiendi in perpetuum, aut possidendi praescriptio amplius locum non habet respectu laicorum; quamvis possit una Ecclesia contra aliam praescribere jus decimandi, vel immunitatem a decimis, eo modo quo potest alia jura praescribere Ecclesia verò allegans praescriptionem tenetur probare Titulum, cujus causa praescripsit* c. si diligenti de praescript. *Caterùm ex hoc textu liquet, confirmationem donationis non valere quando ipsa donatio est invalida: quia confirmatio non po-*

nit novum jus, sed tantum stabilit, magisque roberat jus quod antea erat: unde si jus non confirmatur donatio non valet.

C. *IN ALIQUIBUS* 32. *ex Concilio generali statuitur, ut domini prædiorum possint cogi per censuras, ut dent prædia colenda talibus colonis, à quibus Ecclesia sine contradictione integras decimas possit exigere, vel ut ipsi domini solvant. Rursus declaratur, quòd illa decima necessariò sint solvenda, quæ debentur de jure divino, vel de loci consuetudine legitima, & approbata, seu præscripta* c. ult. de consuet. *Notandum est cum Glossa hîc, in laicis non posse esse consuetudinem solvendi minores decimas, nisi Papa approbet, quia non potest esse cum bona fide, sine qua non præscribitur.*

C. *CUM NON* 33. *h. t. ex eodem Concilio statuitur, ut priùs sint solvenda decimæ, deinde census, & alia tributa indecimata, quæ per censuras ecclesiasticas decimari cogantur ecclesiis, quibus de jure debentur: quia res transeunt cum hoc onere, seu decimarum. Ubi notandum est, de decimis prædialibus expensas non esse deducendas.*

C. *NUPER* 34. *h. t. Ex eodem Concilio statuitur, ut Cistercienses, & omnes regulares, qui gaudent iisdem privilegiis, de terris alienis, & imposterum acquirendis, etiam si eas propriis manibus, & sumptibus excolant, debeant solvere easdem decimas, quas antea dominis terrarum solvebant; vel ut inter ipsos componant. Præterea hortatur Concilium Prælatos ecclesiarum, ut studeant servare privilegia Regularium ea defendendo contra Malefactores. Ubi notat Glossa, quòd si privilegium sit in enorme detrimentum aliorum, debeat ei derogari in totum, vel in partem. Præterea, eos qui de jure communi decimas possidere non possunt, ut sunt Regulares, & Monachi non habentes populum, neque Sacramenta administrantes, ratione quorum dantur decimæ; non posse decimas præscribere, nisi habeant alium Titulum* c. si diligenti c. causam quæ de præscript.

C. *INTERDICIMUS* 35. *h. t. prohibet Gregorius IX. ne ecclesiastici præsumant accipere à laicis in pignus decimas detentas à laicis, & quæ spectant ad alienas Ecclesias. Ubi notat Glossa, textum procedere sive decima de facto, & vi detineantur à laico, sive in feudum: ut post mortem laici decima citiùs deveniant ad Ecclesiam: ratio est, quia in decimis excluditur successio, nisi ex privilegio speciali concedatur. Caterum Ecclesia ad quam de jure pertinent decimæ potest eas accipere in pignus, quia cessat difficultas.*

IN SEXTO.

C. *DISCRETIONI* 1. *h. t. mandat Gregorius IX. districtè, ut fratres prædicatores, & minores in sermonibus hortentur populum ad solvendas decimas, & non præsumant laicos retrahere a solutione decimarum, rerúmque aliarum, quæ debentur ecclesiis parochialibus. Occasionem huic decretali dederunt querelæ Archiepiscopi, & Capituli Pisani ad Pontificem delatæ, eò quòd prædicti Religiosi prædicarent decimas ex præcepto non deberi. Contra quos ferretur pœna excommunicationis in* clement. de pœnis.

C. *STATUTO* 2. *h. t. declarat Alexander IV. primò ut Monachi, si obtineant privilegium habendi decimas novalium secundùm proportionem decimarum, quas aliquo modo possident, tale privilegium non extendatur ad decimas novalium, quas tempore impetrationis aly de jure possidebant, nisi fiat expressa mentio. Secundò ut privilegium non valeat nisi pro illis locis, in quibus Monachi habent antiquas decimas. Tertiò si Monachi erant in possessione tertiæ partis, tametsi ad ipsos spectaret dimidia pars, debeant accipere decimas novalium in suis terris pro tertia parte tantùm, non pro dimidia. Quartò si possidebant omnes decimas, & obtinuerunt privilegium pro novalibus correspondentibus, non possint accipere omnes, sed tantùm dimidiam partem: eò quia Papa non intendit inferre tantum detrimentum Ecclesiæ parochiali. Excipiuntur tamen Cistercienses, & Carthusiani. Quòd si Parochi propter concessionem talium decimarum, non habeant, unde congruè vivant, & jura parochialia commodè exhibeant; mandat Pontifex Ordinariis ut eis provideant, & habeant de proventibus quantum sufficit ad congruam sustentationem. Quintò ut laici, qui ante Concilium Lateranense habebant decimas in feudum, si velint ipsas dare, tenantur eas dare parochiis, quarum de jure erant, & mandat Episcopis, ut eis id persuadeant: quòd si laici nolint, possint Episcopi consentire, ut eas dent Ecclesiæ alicui, vel loco Religioso. Sextò si Religiosi dederunt decimas in feudum, non possint deinde eas accipere de manibus laicorum sine consensu Episcopi. Septimò si Religiosi emant terras de novo, possit Episcopus eos compellere, ut solvant de illis terris parochiæ decimas; dummodo non agatur de rebus exemptis. Octavò ut Religiosi tam exempti, quàm non exempti de terris, & possessionibus tam acquisitis, quàm acquirendis solvant decimas integras illis ecclesiis, quibus antea solvebantur, nisi super hoc habeant speciale jus, vel privilegium. Nonò quòd si per donationem laicorum habeant decimas antiquas, non propterea possint accipere decimas novalium in iisdem, nisi adsit rationabilis causa. Notandum est cum Glossa, hoc privilegium restringi ad solos Religiosos, quibus per indultum conceduntur decimæ novalium: esse tamen mentem Pontificis consulere ecclesiis parochialibus per hujusmodi indulta nimis gravatis: quapropter prohibet, ne indultum extendatur ad decimas novalium, quæ tempore impetrationis novalium non fuerunt ab impetrante possessa, nec aliter quam fuerint possessæ veteres; adeò ut si ex illis tantùm percipiebant mediam partem, vel tertiam, aut etiam quartam, non plus percipiant ex novalibus. Quamvis licèt totaliter decimas veteres perceperint, in novalibus tamen per quodcunque indultum declarat Pontifex, non censeri ultra mediatatem decimarum concessionem extendi.*

IN

& alia onera, & ea diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, vel impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt, ut etiam eos, qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè audent prædicta facere, exequi, vel procurare, vel in iisdem auxilium, conſilium, favorem, vel ſuffragium palam, vel occultè præſtare, cujuscunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiam ſi Imperiali, aut regali præfulgeant dignitate: & innovat decreta ſuper his per ſacros Canones edita etiam cum cenſuris, & pœnis in iisdem contentis.

IN CLEMENTINIS.

C. *RELIGIOSI* 1. *b.* 1. *Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut Religioſi, qui decimas ad ſe non ſpectantes uſurpant, ſeu de animalibus ſuorum familiarium, ſive quorumvis aliorum, vel à ſe coemptis, & aliis fraudulenter traditis, ut etiam de terris illis, quas tradunt aliis excolendas non permiſerint decimas eccleſiis ſolvi, niſi requiſiti per eos quorum intereſt, deſiſterint infra menſem: aut aliqua de præmiſſis uſurpantes infra duos menſes eccleſiis non ſatisfecerint, ſint ab officiis, & beneficiis tamdiu ſuſpenſi, donec ſatisfecerint. Rurſus qui adminiſtrationes, vel beneficia non habent eo caſu, aly ſuprà dicti ſuſpenſionis, iſti excommunicationis ſententiam incurrant. Declarat tamen Pontifex, quòd ſi laicus donavit ſe, & ſua Monaſterio cum affectu effectu, & ſine fictione ut ſunt converſi, non debeant ſolvere decimas. Ex quo textu apparet, tempore Concilii Viennenſis Religioſos contra præceptum decimarum deliquiſſe, cùm Pontifex tam arctè eos coërcuerit. Notandum eſt, nomine laici ſe & ſua donantis Monaſterio comprehendi tam eos, qui habitu non mutato, ſe dedicant religioni: quàm beneficiorum ut Regi Gallia, & decima ſint in aliqua parte taxata, debeat Rex decimas accipere ſecundùm antiquam taxationem, non ſecundùm valorem, & debeat eas accipere ſecundùm monetam currentem in illo loco. Rurſus declarat, collectores decimarum Regis non poſſe accipere calices, libros, vel ornamenta Eccleſiarum causâ pignoris, vel diſtractionis, nec ea diſtrahere, quæ ſunt ad ſervitium Dei, & deputata officiis divinis. Ubi notat Gloſſa in hoc textu non agi de decimis fructuum, aut laborum, quos parochiani jure communi ſolvunt Eccleſiæ parochiali; ſed de decima parte redituum cujuscunque beneficij, ſive illi habeantur ex decimis parochianorum, ſive alibunde: ſolet enim Pontifex interdum talia imponere decimas beneficiatis ob aliquam neceſſitatem, vel utilitatem publicam Eccleſiæ; non quidem in perpetuum, ſed ad tempus, & eas mandat ſibi perſolvi, vel alicui Principi, qui Eccleſiam defendit; & tunc pro decimis hiſce colligendis conſtituuntur collectores, quibus tamen prohibetur, ne utenſilia, & ornamenta Eccleſiæ pro his decimis diſtrahant, aut in pignus recipiant.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *DECLARATIONES* unic. *b.* 1. *Bonifacius VIII. declarat, multa dubia circa decimas beneficiatorum, quas Pontifex induxit ob componendas res Regni Siciliæ contra hoſtes Eccleſiæ. Unde Pontifex in hac prolixa decretali reſolvit plures quæſtiones ſuper his decimis motas: & declarat quid collectori earum ſit obſervandum. Quòd ſi contingeret ejusmodi decimas hodie beneficiatis imponi, ſtandum eſſet huic decretali inſertæ corpori juris, quia habet vim juris communis.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplices ſint decimæ, & quo jure introductæ.

DEcima generatim nihil aliud eſt, quàm cujusvis rei pars decima; quæ Principibus, ſacerdotibus, ſeu Miniſtris Eccleſiæ perſolvitur, quâ detractâ ſuperſunt novem pro domino rei. Juxta tamen præſens inſtitutum ſumitur ſpecialiùs, pro decimis eccleſiaſticis, ſeu decima parte bonorum omnium mobilium, ſeu fructuum jure quæſitorum, & Miniſtris Eccleſiæ ſingulis annis perſolvenda. In hiſce decimis duo continentur, quæ clericis, & eccleſiis debentur; quorum primum eſt pars fructuum perceptorum, non tamen certa, definita, & taxata, ſed tanta, quanta eſt neceſſaria ad congruam ſuſtentationem clericorum; ſive hæc pars ſit octava, ſive decima, ſive vigeſima fructuum perceptorum. Alterum eſt pars certa, & taxata fructuum, quæ ſolvitur ad clericos commodè ſuſtentandos, ſi.óque debito ſtipendio afficiendos: & hæc propriè dicitur decima pars fructuum, quæ parochialis Eccleſiæ quot annis perſolvitur, & de qua in præſenti Titulo agitur.

2 Certum eſt, decimas Deo perſolvendas fuiſſe in uſu etiam tempore legis naturæ, ut notat Hugo Victorinus *lib. 1. de ſacram. p. 2. c. 3. & 4.* & licèt in lege naturæ nullum extiterit præceptum divinitus homini datum de perſolvendis decimis: adfuit tamen Conſilium: hinc Abraham Genes. 14. poſt partam victoriam, de quatuor Regibus bello proſtratis decimam partem refertur ſolviſſe ſacerdoti Melchiſedech, quod etiam haud obſcurè innuit Apoſtolus ad Hebreos 7. inquiens *intuemini autem quantus ſit, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Rurſus Jacob Genes. 28. cùm patris juſſu Meſopotamiam peteret, ut ibi nubèret, decimam ſuorum omnium bonorum, ſe Deo daturum voti religione ſpopondit. Rurſus in lege ſcripta *Exod. 22. Levit. 27. & numer. 18.* Deus præceperat, ut decimæ perſolverentur, tametſi illa præcepta fuerint judicialia, & ad politiam illius populi ſpectantia. Hinc etiam in novo Teſtamento decima pars fructuum quot annis ſolvenda Miniſtris Eccleſiæ deputatur, perinde ac olim à Deo in veteri Teſtamento. Cur verò ſtatuatur potiùs decima pars, quàm nona, vel undecima, rationem addit D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. in corp.* quia denarius numerus eſt perfectus, & quaſi primus limes, ſeu terminus numerorum, ultra quem non proceditur, ſed fit reiteratio ab uno ad alium denarium duplicem, vel triplicem, ut notat Caniſius *tract. de decim. c. 1. num. 9.* Barb. *de offic. Parochi c. 28. num. 4.*

3 Tripliciter ſolent decimæ dividi, ſcilicet in prædiales, perſonales, & mixtas. Decima prædialis eſt illa decima pars, quæ ſolvitur ex fructibus, qui proveniunt ex prædiis cujusmodi ſunt olera, fructus arborum, vinum, oleum, frumentum *c. pervenit. c. paſtoralis. c. Apoſtolicæ de decimis.* Perſonalis eſt decima pars fructuum, qui proveniunt ex aliqua induſtria, vel opera perſonæ, ut ex mercatura, negotiatione, venatione, piſcatu, opificio, militia, vel ex cujuspiam alterius rei arte, vel diſciplina, quam quis exercet *c. decima 16. q. 1. c. ad Apoſtolica h. t.* Mixta eſt decima pars fructuum provenientium ex animantibus, ſeu brutis, quæ in paſcuis, & arvis noſtra cura, & ſolertia aluntur, cujusmodi ſunt fœtus pecorum, porcorum, bovum, eorúmque fructus, ut caſeus, lac, butyrum, lana, pelles. Hæc decima vocatur mixta, eò quia ejus fructus partim ex induſtria perſonæ, & partim ex ipſis quodammodo prædiis ſpontè proveniunt: ſiquidem in paſcendis, nutriendisque animalibus neceſſaria eſt hominis cura, & induſtria, quâ animalia cuſtodiantur, ducantur ad paſcua, defendantur, arceantúrque lupi venientes ad damnum inferendum. Et rurſus requiruntur prædia, in quibus paſcantur, nutriantur, & vivant: ſicut enim arbor cenſetur eſſe illius loci, in quo radices egit, & vivit *l. ſi plures §. ſi radicibus ff. arborum furtim cæſarum*, ita animalia dicuntur eſſe illius fundi, vel prædii, in quo laborant, & in quo vivunt, non verò alterius, in quo morantur *l. cum quidam ff. de fundo inſtructo.*

4 Rurſus ex decimis aliæ dicuntur majores, quæ ex frumento, vino, & ſimilibus ſolvuntur; aliæ minores, quæ ex hortis, fœtibus animalium, & aliis hujusmodi minutioribus ſolvi ſolent juxta conſuetudinem cujusvis Provinciæ. Rurſus aliæ dicuntur profanæ, aliæ eccleſiaſticæ: illæ ſunt, quoddam tributi genus, quod olim ſæculares domini prædiis ſubditorum imponere conſueverunt. Eccleſiaſticæ ſunt in duplici differentia, quædam enim juxta primævam ſuam inſtitutionem ſolvuntur Eccleſiæ Miniſtris in ſtipendium ob ſpiritualia eorundem miniſteria, ſeu functiones, & iſtæ propriè ſpirituales, & eccleſiaſticæ vocantur: aliæ ſunt, quæ à Titulo ſpiritualis officii ſeparatæ ab Eccleſia juſta de cauſa etiam laicis perſonis conceduntur, & propterea laicales vocantur ſumptâ nomenclatione ab ipſis laicis, quibus conceduntur.

In dubiis verò, an decimæ profanæ, vel eccleſiaſticæ ſint, præſumendum eſt, eſſe potiùs eccleſiaſticas apud Chriſtianos, qui ex ſuis prædiis decimas Eccleſiæ ſemper conſueverunt ſolvere. Ut etiam ſi dubium ſit jus decimandi, an ad clericos, vel laicos pertineat, præſumitur ad clericos ſpectare, eò quia ab antiquo conſueverint laici decimas perſolvere clericis Miniſtrantibus ſpiritualia pro eorundem congrua ſuſtentatione: ratio eſt, quam addit Layman *c. 1. h. t. num. 4.* quia mutatio, ſeu alienatio decimarum eſt quid facti, & cedit in præjudicium Eccleſiæ, proinde probari debet non præſumi, ſupponitur enim Eccleſia in legitima decimarum poſſeſſione. 5

Ut autem intelligatur quo jure decima debita ſit eccleſiis, earúmque Miniſtris, juvat obſervare dupliciter poſſe decimam conſiderari. Primò prout eſt quædam pars fructuum, quos percipimus, non tamen certa, & definita, ſed tanta, quanta ad debitam clericorum miniſtrantium ſpiritualia ſuſtentationem eſt neceſſaria, ſive hæc pars ſit quinta, octava, decima, vigeſima, aut trigeſima. Secundò conſideratur decima quatenus eſt certa, & taxata pars fructuum. Certum eſt, decimam priori modo ſumptam, ſeu ſpectatam quoad ſubſtantiam, quatenus eſt ſtipendium neceſſarium ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ eſſe debitam jure naturali, & divino, ita enim docet D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. in corp.* ratio eſt, quia lege naturali ſtatim oſtenditur Operariis eſſe debitam propriam ſuſtentationem, eſt enim lex naturalis juſtitiæ præcipiens, ut ſpiritualia Eccleſiæ miniſtrantibus neceſſaria vitæ ſuſtentatio, tanquam debitum ſtipendium perſolvatur. Rurſus, quòd ſit etiam de jure divino poſitivo deſumitur ex illo Chriſti *Matth. 10. v. 10. dignus eſt operarius cibo ſuo*, & ex illo D. Pauli *1. Corinth. 9. ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.* 6

Quamobrem ſumpta decima materialiter, & ſecundùm ſubſtantiam pro ſtipendio neceſſario ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ eſt debita non ſolum jure naturali, ſed etiam divino, quia utrumque jus præcipit, ut Miniſtris Eccleſiæ nobis ſpiritualia miniſtrantibus neceſſariam ſuſtentationem præbeamus. Non enim decimæ penduntur clericis tanquam eleemoſynæ 7

moſynæ pauperibus, ex mera miſericordia, & charitate; ſed debentur ipſis ex juſtitia tanquam merces debita laborantibus. Quòd ſi clerici ſuſtentationem congruam ex aliis reditibus eccleſiaſticis habeant, tunc decimæ non ſunt illis debitæ jure naturali, & divino, eò quia non habeant tunc rationem neceſſariæ ſuſtentationis, proinde ceſſat ratio, cur dicantur, debitæ utroque jure naturali, & divino.

8 Sin autem ſumantur decimæ formaliter pro certa determinata quota, ſeu pro decima parte fructuum; tempore legis moſaicæ, ſeu ſcriptæ debebantur Levitis jure poſitivo divino, idque conſtat *ex c. 27. Levit.* ubi Levitis præcipitur dari decimas, ſiquidem *v. 30.* habetur *omnes decimæ terræ, ſive ex frugibus, ſive de pomis arborum domini ſunt, & illi ſanctificantur.* Erat hoc præceptum per ſe primò, & directè ex judicialibus, quæ ſpectabant ad juſtitiam, & æquitatem in populo judaico rectè adminiſtrandam, ac indirectè, & remotè erat præceptum cœremoniale, quatenus decimæ offerebantur ob Dei cultū, & in ſignum ſupremi ejus dominii in res omnes, & ab hominibus egentibus, ac cognoſcentibus ſuam imperfectionem, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 87. a. 1. in corp.*

9 Tota difficultas eſt de lege Evangelica, an decimæ formaliter ſumptæ, ut dicunt determinatam certam quotam ſolvendam quot annis Eccleſiæ, & ejus Miniſtris, ſit de jure divino, vel tantùm de jure canonico eccleſiaſtico. Duæ ſunt ſententiæ una Canoniſtarum docentium fere communiter eſſe de jure divino, & alia Theologorum aſſerentium eſſe tantùm de jure eccleſiaſtico. Prior ſententia Canoniſtarum nititur primò ex Matth. 23. v. 23. ubi cùm dixiſſet Chriſtus *decimatis mentam & anethum* poſtea ſubjungit *oportuit hæc facere, & illa non omittere*, ſcilicet oportuit mentam decimare, & anethum, ut decimæ ſolverentur Eccleſiæ: verbum autem *oportuit*, indicat obligationem juris divini. Secundò ex illo Matth. 5. *niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum Cælorum*, inde enim ſequitur, quòd ſi illi ſolverint decimas ex præcepto divino, multò magis Chriſtiani tenentur eas ſolvere: alioquin juſtitia Chriſtianorum non abundaret plus quàm Scribarum, & Phariſæorum. Tertiò ex variis Capitulis *h. t.* præſertim *ex c. Parochianus 14. h. t.* ubi habetur, quòd decimæ poſſint exigi, quia ſunt à domino non ab homine; cauſa enim exigendi decimas eſt, quia fuerunt à Chriſto inſtitutæ. *c. tua 25. h. t.* ubi habetur quòd nulla conceſſio imperialis poſſit aliquem eximere à ſolutione decimarum, quia debentur divina inſtitutione, & in laicis nulla eſt poteſtas concedendi, vel diſpenſandi in ſpiritualibus *c. in aliquibus 32.* ubi habetur, illas decimas eſſe neceſſariò ſolvendas, quæ debentur de jure divino, vel de loci conſuetudine approbata. Hoc idem habetur etiam in variis canonibus, *ut can. decimas. can. decime. can. nlt. 16. q. 1.* & ſimilibus, ex quibus videtur apertè colligi, decimas deberi ex divina inſtitutione, eò quia non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo inſtitutæ ſunt in ſignum univerſalis dominii, quaſi quodam titulo ſpeciali ſibi Chriſtus decimas reſervaverit *c. cùm non ſit 33. h. t.*

Nihilominus Theologorum ſententia aſſe- 10
rens decimas formaliter ſumptas, & prout dicunt certam quotam determinatam ſolvendam quot annis Eccleſiæ, & ejus Miniſtris in lege Evangelica eſſe de ſolo jure eccleſiaſtico, ſeu canonico debitas, videtur eſſe communior, cui ſententiæ etiam adhærent plures Canoniſtæ Covarruvias *1. variar. reſolut. c. 17.* Caniſius *de decimis c. 3. num. 7. & ſequent.* Rationes, quibus hæc ſententia nititur, ſunt. Primò quia in lege Evangelica nullum extat præceptum de hac determinata quota, ſeu quantitate fructuum perſolvenda, ſed tantùm dicitur Miniſtris rerum ſpiritualium debitam eſſe congruam ſuſtentationem: quòd verò hæc congrua ſuſtentatio debeat potiùs eſſe decima, quàm nona, vel undecima, aut vigeſima pars fructuum nullibi in lege Evangelica ſtatuitur.

Secundò, quia ſi decimæ eſſent de jure divi- 11
no non poſſent conſuetudine tolli, aut minui, quia quæ ſunt de jure divino, non poſſunt immutari quoad ſubſtantialia, qua ratione Eccleſia non poteſt immutare materiam & formam Sacramentorum, eò quia ſint ex divina inſtitutione: decimæ autem minui, & tolli poſſunt, ut deſumitur ex *c. in aliquibus 32. h. t.* ubi dicitur, quod domini prædiorum poſſint cogi per cenſuras, ut dent prædia colenda talibus colonis, à quibus Eccleſia ſine contradictione integras decimas exigere poſſit, vel ut illi ſolvant. Tum quia plerisque in locis multorum fructuum, ut olerum, raparum, fabarum, piſorum, lentium, ciceris, ac ſimilium ſublatæ ſunt decimæ. Refert etiam Zypæus *h. t. num. 2.* Epiſcopum Abbenſem cum decimas exegiſſet crocorum, & ſubditi ſolutionem detrectarent, eo prætextu, quòd antea non ſolviſſent, ſententiam pro ſe obtinuiſſe, ea tantùm ratione, quia in aliis locis decimæ de croco ſolverentur.

Tertiò quia lex naturalis non plus exigit, 12
quàm ut miniſtrantibus ſpiritualia congrua, & ſufficiens ſuſtentatio præbeatur: & ex vi hujus legis naturæ, non magis eſt debita octava, nona, decima pars, quàm undecima, vigeſima, & trigeſima, illa enim tantùm eſt debita, quæ ſufficit pro congrua ſuſtentatione ſive ſit octava, ſive decima.

Quartò quia in lege naturæ ante legem Mo- 13
ſaicam nulla vigebat lex de decimis ſolvendis, & perquàm probabile eſt quòd Abraham *Genes. 14.* & Jacob *Genes. 28.* non ex ulla obligatione, ſed tantùm ex libera voluntate decimas obtulerint, ut notat Suarez *lib. 1. c. 10. n. 4.*

Quintò quia licèt in lege Moſaica, ſeu ſcripta 14
decimæ ſolverentur ex præcepto divino: nihilominus quia tale præceptum fuit judiciale, & cæremoniale non obligat in lege Evangelica, in qua omnia præcepta judicialia, & cæremonialia legis Moſaicæ abolita ſunt, ut liquet ex Apoſtolo *ad Gallat. v. 25. & c. 4. v. 5.* & *ad Hebreos. 7. v. 12. 18. 19. & c. 8. v. 6.* Imò nec ipſa præcepta moralia quatenus præcisè fuerunt moralia veteris legis obligant in lege Evangelica, ſed tantùm

ratione præceptorum naturalium, eò quia innitantur jure naturæ.

25 Hinc ad fundamenta primæ ſententiæ reſpondetur, ad primum deſumptum ex illo *Matth.* 23. Chriſtum ibi loqui de tempore illius legis, quo decimæ jure divino debitæ erant: præceptum autem legis veteris de decima ſolvenda, cùm fuerit judiciale, & cæremoniale morte Chriſti abrogatum fuit; quamvis authoritate Eccleſiæ de novo fuerit conſtitutum, ut ad imitationem veteris legis decimæ ſolverentur Miniſtris Eccleſiæ. Ad ſecundum petitum ex *Matth.* 5. reſpondetur, juſtitiam Chriſtianorum debere quidem eſſe majorem, non tamen in ſolvendis decimis: alioquin deberemus plusquam decimam ſolvere, cum Scribæ, & Phariſæi accuratiſſimè decimam de omnibus ſolverint; ſed intelligitur de majori juſtitia in ordine ad informandos internos affectus: ſiquidem eorum juſtitia tantùm in extima cute elucebat, putantes ſufficere, ſi non occiderent, aut non mœcharentur exteriùs, interim internos affectus negligentes, ſinebant eos tumultuariè nulla coercitione detentos inſurgere.

26 Ad citatos textus juris canonici in hoc Titulo reſpondetur, ibi decimas dici debitas eſſe ex conſtitutione divina originativè tantùm, remotè, & occaſionaliter, non verò propriè, & proximè: dicuntur enim de jure divino quatenus ad imitationem veteris legis fuerunt ab Eccleſia receptæ, & conſtitutæ; qua ratione etiam jejunium quadrageſimale dicitur eſſe nobis præceptum ex lege, & ex Prophetis, & ex ipſo Evangelio, quatenus ad exemplum Prophetarum, & præcipuè Chriſti, ab Apoſtolis fuit hoc jejunium inſtitutum. Præterea decimæ dicuntur Deo deberi, vel quia jure naturali, ac divino earum ſolutio eſt debita, quatenus ſolvuntur Eccleſiæ Miniſtris ad eorum neceſſariam ſuſtentationem, quo pacto dicuntur eſſe de jure naturali, & divino: non verò prout continent certam, ac determinatam quotam, ſeu partem fructuum: ſub hac enim ratione tantùm ſolvuntur ex lege, ſeu præcepto juris poſitivi, & eccleſiaſtici, quod latum fuit ad imitationem veteris teſtamenti: non enim æquum videbatur, ut Miniſtri Evangelii deterioris eſſent conditionis in Eccleſia Chriſti, quàm ſacerdotes, & Levitæ in Synagoga Judæorum: in hoc ſenſu communiter intelliguntur SS. PP. quando dicunt decimas ſolvendas eſſe jure divino, & debitas eſſe Deo. Præterea decimæ dicuntur ſolvi Deo quatenus ſolvuntur Miniſtris Eccleſiæ, quibus quod ſolvitur, & datur, Deus dicit ſibi ſolvi, & dari. Dicuntur etiam nonnunquam non poſſe minui, quod eſt intelligendum quamdiu viget lex eccleſiaſtica, quæ ad imitationem legis veteris hanc quotam juſtiſſimis de cauſis taxavit, & præceptum legis ſcriptæ abrogatum per mortem Chriſti renovavit, ſeu ad illius imitationem aliud ſimile præceptum inſtituit.

27 Quamobrem decimæ debentur eccleſiis, parochialibus, ut habetur *in c. Parochianos 14. h. t.* ſiquidem ex parte fidelium eſt obligatio ſolvendi decimas, & ex parte Miniſtrorum Eccleſiæ oritur actio, quæ dicit correlationem ad obligationem ſolvendi decimas, adeo ut Miniſtri ſint creditores, & fideles debitores. Cæterum decimæ prædiales, ut etiam perſonales non debentur jure divino poſitivo, ſi ſermo ſit de decimis formaliter ſumptis, quatenus dicunt certam determinatam quotam, ſeu partem fructuum, ſed tantùm debentur perſonales ex præcepto juris eccleſiaſtici. Et hæc ſolutio ſpectata prout eſt debita Eccleſiæ Miniſtris ſubminiſtrantibus ſpiritualia eſt actus juſtitiæ, ut deſumitur ex *c. cum ſecundum 16. de præbend.* adeo ut Miniſtri Eccleſiæ jus habeant eas exigiendi, & percipiendi. Quòd ſi conſideretur hæc ſolutio decimarum, quatenus fit à fidelibus ob Dei cultum, in ſignum ſupremi dominii in res omnes, ut dicitur *in c. tua 25. h. t.* eſt actus religionis.

§. II.

Quinam teneantur decimas ſolvere.

Dupliciter poſſunt fideles obligari ad ſolutionem decimarum. Primò ratione perſonæ, quæ in ſpiritualibus ſubjicitur alicui Eccleſiæ, vel Parocho, & tunc obligatio derivatur etiam in rem ab ipſo poſſeſſam, ſeu fructus ejusdem: & hæc obligatio ratione perſonæ dicitur per ſe. Secundò poſſunt obligari ratione rei quatenus perſona, quæ alioquin per ſe non teneretur decimas ſolvere, quia tamen res frugiferas poſſidet, & fructus ex illis percipit, quæ reali onere decimarum ſunt affectæ; ideò tenentur fideles ratione harum rerum decimas ſolvere; quæ ſolutio dicitur per accidens, quatenus fideles non per ſe, ſed ratione rerum, quas poſſident tenentur decimas ſolvere. Hinc quod ad decimas attinet prædiales, quotquot titulo non ſpirituali poſſident prædia alicui ſubjecta Eccleſiæ tenentur decimas ſolvere, & quidem ei Eccleſiæ, cui prædia ſubjacent, niſi fortaſſis ex inolita conſuetudine alienæ Eccleſiæ ſolvantur: ſiquidem hac in re vel maximè ſpectanda eſt conſuetudo locorum, ut habetur *in c. ad Apoſtolicæ 20. h. t.* ubi Lucius III. reſcripſit, quòd quando aliqui recipiunt Sacramenta in una parochia, & habent, ſeu colunt prædia in alia, debent ſolvere decimas perſonales, ubi ſumunt Sacramenta: & prædiales, ubi ex conſuetudine diu obtenta ſolvuntur: ubi decimæ perſonales dicuntur, quæ intuitu perſonæ ſolvuntur, ut de negotiatione, artificio, militia, de quibus deducendæ ſunt expenſæ ante decimarum ſolutionem. Rurſus decimæ animalium deputantur inter prædiales, & ſolvi debent ubi jugiter paſcuntur, quòd ſi per ſex menſes paſcantur in uno loco, & per ſex alios in alio, tunc dividuntur.

Tenentur decimas ſolvere omnes fideles baptizati, qui in ſpiritualibus ſubjiciuntur alicui Parocho, ſeu ſacerdoti proprio, à quo debent Sacramenta recipere per ſe, & ex debito perſonali, niſi aliquo titulo, ſeu jure eximantur, & deſumitur *ex c. ex tranſmiſſa 23. h. t.* ubi generatim dicitur, teneri quemlibet fidelem de omnibus, quæ licitè acquirere poteſt decimas erogare. Et *ex c. à nobis 24. h. t.* ubi Innocentius

ejus M. rescribit, quòd qui dant, vel accipiunt possessiones ad firmam, vel locant, vel conducunt tenentur de fructibus decimas solvere, nisi ostendant Titulum, quòd sint immunes: & ratio id suadens est, quia decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura, & ministerio, quòd Parochi, & Ministri Ecclesiæ impendunt fidelibus.

Rursus tenentur ex reali obligatione decimas solvere, quotquot possident rem, quæ antequam ad ipsos perveniret obligata erat, & obnoxia decimis, etiamsi novi possessores sint Principes, Reges, Imperatores, sive laici, sivè Clerici, nisi ex legitima præscriptione, vel ex summi Pontificis dispensatione, aut privilegio sint exempti, ut docet Suarez. *lib. 1. c. 17. n. 10.* quia postquam diœceses partitæ sunt in parochias, prædia parochianorum intra parochiam sita onus habent annexum, seu reale debitum solvendi decimam partem fructuum, qui percipiuntur in iisdem prædiis ipsi Ecclesiæ parochiali: & quia hoc onus non est personale, seu non afficit personam, sed est prædiale, hoc est annexum prædio: ideo ad quemcunque transferatur ejus dominium, tenetur semper possessor prædii decimam ex eodem perceptam solvere Ecclesiæ parochiali, tametsi possessores sint Judæi, cathecumeni, & alii non baptizati, quia licèt illi non obligentur per se, ac directè, seu ratione personæ ad solvendas decimas, eò quia non sint baptizati, nec intra Ecclesiam, nec proinde subjiciantur Ecclesiæ, nec sacerdotes ecclesiæ sint illorum Pastores, qui propterea pro illis non ministrant Sacramenta, nec offerunt sacrificium: indirectè tamen, & per accidens tenentur decimas solvere, quatenus sunt possessores prædiorum, quæ decimis sunt obnoxia, & hoc onus erat prædiis illis annexum, antequam ad eorum manus pervenirent, ut desumitur *ex c. de terris 16. h. t.* ubi Alexander III. rescribit, Judæos teneri ad solvendas decimas ex terris, quas colunt, ne alioquin contingat, Ecclesias suo jure fraudari. Ubi Glossa notat, Judæos non teneri solvere decimas personales, quia non sunt de Ecclesia, sed teneri solvere prædiales, si possideant prædia, quibus annexa erant onera decimas solvendi: alioquin hujusmodi prædia non possent à Judæis, vel aliis infidelibus possideri, quin Ecclesia suo jure fraudaretur. Tum quia ad quem spectat fructus prædiorum percipere, ad eumdem etiam spectat onera fructuum subire *c. usufructu. 7. §. hactenus l. si pendentes 27. §. penult. ff. de usufructu*: hinc quando onus decimarum adhæret prædio, ad quemcunque transferatur ejus dominium, ad eumdem etiam transfertur onus eas solvendi, siquidem onus reale transit ad quemlibet possessorem *c. ex litteris 5. de pignor*: hinc decimæ non solvuntur à Judæis, & aliis infidelibus, prout formaliter sunt decimæ, sed quatenus possident prædia, quibus adhæret onus decimarum, quod cùm sit reale, transit ad quemlibet possessorem. 3

Rursus cùm Judæi per se, & directè non teneantur decimas solvere, non possunt præcisè ad id adigi, sed tantùm alternativè, scilicet, ut vel illa solvant, vel prædia aliis vendant, qui velint solvere: siquidem gravatus reali onere potest, se à tali onere liberare relinquendo rem, quâ gravatur. Cæterum Judæi, & alii infideles non tenentur decimas prædiales solvere de illis prædiis, quæ nunquam fuerunt à Christianis possessa: quia cùm in illis nullum sit jus Ecclesiæ quæsitum, cessat ratio solvendi decimas ex fructibus, qui à talibus prædiis percipiuntur. Neque obstat, quòd etiam Judæi teneantur agnoscere, & colere Deum, ut supremum dominum: quia licèt id verum sit, non tamen tenentur Deum colere per solutionem decimarum ex vi juris ecclesiastici, sed tantùm jure divino, & positivo; quod jus in lege Evangelica jam abolitum est. Cæterùm putârim, posse Judæos per accidens, & indirectè compelli ad solvendas decimas in defectum personalium decimarum, & oblationum, quas fideles, si domus, & prædia Judæorum possiderent, Ministris Ecclesiæ solverent: ad compensandum igitur hoc damnum illatum ministris Ecclesiæ possunt per accidens, ac indirectè adigi ad solvendas decimas *argum. c. de terris 16. h. t. c. tua 28. V. pretextu h. t.* & Canonistæ, nominatimque Abbas in *c. de terris 16. n. 6. h. t.* 4

Non solùm laici, sed etiam ipsi clerici simplices, seu non curati, qui ex officio non ministrant divina aliis fidelibus, tenentur decimas solvere de fructibus, quos percipiunt ex bonis patrimonialibus, aliisque lucris, reditibus titulo temporali acquisitis, ut docent Covarruv. *lib. 1. resol. c. 17. num. 8. §. primum hinc conflat*, & alii Canonistæ: ratio est, quia respectu bonorum, seu redituum, ac lucrorum temporalium per accidens se habet, quòd talis persona sit clericus, vel beneficiatus: hinc clericus percipit tales fructus, non ut clericus, sed ut civis, & non est exemptus à solutione decimarum ex talibus reditibus, aut lucris: sed tenetur decimas solvere ei sacerdoti, à quo accipit Sacramenta, seu Parocho illi, in cujus parochia habet domicilium. 5

Neque obstat *c. novum genus 2. de decimis* ubi dicitur, quòd clerici à clericis non debeant primitias accipere, & quòd novum genus exactionis sit, ut clerici à clericis decimas exigant. Nam licèt ob hunc textum aliqui Canonistæ, & etiam Theologi inter quos Sylvester *V. decima q. 7.* in ea sint sententia, ut censeant, non teneri clericos Ecclesiæ, cui inserviunt decimas solvere: nihilominus contraria sententia communior est, & verior, quam etiam docet Glossa *in d. c. novum*, ubi explicans textum ait, clericos non teneri decimas solvere de dote Ecclesiæ, sed de bonis patrimonialibus: unde non eximit absolutè clericos à solvendis decimis de bonis, quæ non pertinent ad Ecclesiam. 6

Præterea prædium unius Ecclesiæ debet decimas alteri Ecclesiæ; tametsi ejus dominium transferatur in aliam Ecclesiam, si antequam dominium transferretur, decimæ pertinebant ad illam Ecclesiam, ut notat Panormit. *in d. c. novum genus.* Non ita clerici simplices, qui ex officio non ministrant divina tenentur decimas solvere ex fructibus, quas ex titulis, seu beneficiis ecclesiasticis accipiunt, de hisce enim non tenentur sibi invicem, sive aliis clericis decimas dare, & desumitur *ex d. c. novum 2. h. t.* ubi dicitur, quòd clerici à clericis non debeant primi- 7

tiæ

tias accipere, & docet Coarruv. *lib. 1. resol. c. 27. num. 8. § primum hinc, constat.* Barb. *in collect. ibid. num. 2.* ubi expendens *d. c. novum 2. h. t.* ait, novum genus exactionis est si clerici à clericis decimas exigant, cùm nulpiam in lege domini legatur, quòd Levitæ à Levitis decimas exegerint. Ratio est, quia Ecclesia voluit, ut clerici integros perciperent reditus ex titulis, ac beneficiis ecclesiasticis absque ulla diminutione, & præsertim ex fructibus decimarum, ne ex illis aliæ decimæ solverentur: hinc habetur parœmia: *clericus clericum non decimat*: hinc Canonici non tenentur ad solvendas decimas prædiales ex decimis, aliisque fructibus, quos titulis ecclesiasticis accipiunt; tametsi bona, ac prædia, ex quibus fructus percipiunt, sita sint intra eandem Ecclesiam parochialem, seu propriam eorundem parochiam: quia tunc clerici reduplicativè, ut clerici, seu ut Ministri Ecclesiæ percipiunt fructus, qui iisdem debentur ratione muneris ecclesiastici, quod exercent: unde si ex illis solverent decimas, utique solverent, ut clerici aliis clericis contra *c. novum 2. h. t.*

8 Quinimo spectato jure communi canonico Monachi etiam, & Religiosi, ac loca pia tenentur solvere decimas, nisi aliquo privilegio, vel præscriptione, aut compositione, vel transactione eximantur, idque desumitur *ex c. nuper 34. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, ut Cistercienses, & omnes Regulares, qui gaudent iisdem privilegiis, de terris post Concilium Lateranense sub eodem Innocentio III. celebratum acquirendis solvant decimas; etiamsi eas propriis manibus, & sumptibus excolant, quas antea domini terrarum solvebant; nisi aliter cum ecclesiis se componant. Moris olim fuit, ut Monachi ex prædiis, & laboribus suis decimas solverent Parocho, in cujus Ecclesia divina audiebant, & Sacramenta percipiebant, sicùt laici; eò quia id temporis Monachi ad clericatum non promoverentur, ut desumitur *ex c. Alia causa 6. c. Ecclesia 7. c. interdicimus 10. & ex aliis canonicis.* sed Concilium Moguntinum, & Papa Paschalis II. ut refertur *in c. quæst. 46. t. decimas 47. tod. can. & quæst.* indulserunt postea Monachis, & Clericis in communi viventibus ex laboribus suis, ac alimentis, adeóque etiam ex hortis, campis, prædiis, quæ ipsi proprio labore, ac sumptu pro vitæ sustentatione colerent, decimas non tenerentur solvere. Verùm hoc privilegium ab Adriano IV. & ejus successore Alexandro III. restrictum postea fuit ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios. Imò etiam ipsis hoc privilegium restrictum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ad prædia, quæ præfati Religiosi, & omnes alii gaudentes simili privilegio jam possidebant: de aliis verò, quæ post dictum Concilium essent acquisituri sive emptione, sive pia fidelium donatione, vel quovis alio Titulo, etiamsi propriis manibus, ac sumptibus excolant ex iisdem debeant decimas solvere; sicut antea possessores eorum prædiorum solvebant. Verùm quibusdam postea Ordinibus concessum fuit, ut de nullis prædiis, aliisque bonis ab iisdem possessis teneantur ullam decimam etiam Papalem solvere; idque per speciales bullas, quibus extra corpus juris plures Religiosorum ordines exempti sunt à solvendis decimis, non solùm in novalibus, sed etiam in quibuscunque terris, quas suis laboribus ac sumptibus excolunt. Hoc privilegium fuisse concessum Religiosis Congregationis Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, ac pluribus aliis asserit Barbosa *in c. ex parte 21. n. 5. h. t.*

9 Sed hujusmodi privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ propriè non pertinent ad Religiosos; sed ab aliis sunt conductæ, desumitur *ex c. dilecti 8. h. t.* ubi habetur, quòd habentes privilegium non solvendi decimas, si conducant, vel sumant ad firmam prædia solita solvere, teneantur etiam ipsi de illis prædiis solvere: quia privilegia non intelliguntur de agris conductis: sed tunc Religiosi conducentes alia prædia possunt se componere. Neque hujusmodi privilegia extenduntur ad illa prædia, quæ Religiosi aliis vendiderunt, vel elocârunt: quia privilegium comprehendit tantùm personas Religiosorum, non extraneas *c. licèt 11. h. t.* ubi dicitur, quòd habentes privilegium non solvendi decimas de agris, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt; debeant tamen solvere de terris, quas aliis colendas tradunt. Sicut fiscus licèt de possessionibus, quas tenet non solvat vectigalia; emptores tamen, & conductores tenentur ea solvere *l. locatio q. §. ult. de public.* Quòd si in privilegio concedatur exemptio à solvendis decimis de laboribus, hic terminus non debet restringi ad sola novalia; sed extenditur etiam ad universas proprias possiones propriis laboribus, vel sumptibus cultas *c. ad audientiam 12. h. t.* ubi dicitur, quòd privilegium concessum de non solvendis decimis de laboribus intelligitur etiam de terris, quæ non sunt novalia: & ut notat Glossa ibidem sine certa scientia non est recedendum à forma verborum.

10 An verò etiam alii Religiosi, qui expressè in præfato privilegio non sunt nominati proinde in spetie à solutione decimarum exempti non sunt, nihilominus ob generalem communicationem privilegiorum, quam habent cum exemptis, censeantur & ipsi privilegiati. Respondetur, à Rota fuisse decisum, cæteros Religiosos non censeri exmptos à solvendis decimis, ut refert Barb. *de offic. Parochi p. 3. c. 88. §. n. 41.* ratio est; quia immunitas à decimis solvendis difficulter conceditur ob præjudicium, quod inde Parochis infertur *argum. c. nuper. 34. h. t.* Hinc subintrat regula, quod in generali concessione non comprehendantur, quæ superiori verisimiliter in specie non esset concessurus *c. qui ad agendum de proc. in 6.* Tum quia privilegium cùm sit contra legem, quam privilegiati violant, habetur ut res odiosa, quæ propterea restringi debet non ampliari. Nihilominus Pasqualigus ex pluribus Rotæ decisionibus nonnullas notat limitationes *in additionibus ad Lauretum de Franchis de controvers. inter Episcopum, & Regul. p. 2. q. 72. n. 10.* scilicet in generali communicatione privilegiorum comprehendi etiam ipsam exemptionem à decimis; si com-

communicatio talis sit, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere; vel talis adsit verborum amplitudo, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia.

11 Rursus si in privilegio communicato jam sit inserta clausula derogatoria, ut habetur in *d. c. nuper.* ratio est, quia privilegium communicans illud communicat cum suis qualitatibus, præsertim si privilegium communicationis habeat annexam clausulam *quorum tenore*, siquidem hæc clausula operatur, ut privilegia communicata de verbo ad verbum censeantur inserta litteris communicationis. Demum juvat adnotare, quod privilegia exemptionis etiam à decimis solvendis conceduntur Religiosis Regularibus intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia in ministrandis sacramentis, docendis fidelibus, prædicando verbum Dei, audiendis confessionibus, & promovendo divinum cultum, ut etiam significavit Rota Romana *decis. 795. n.* 27. quamobrem æquitati videtur omnino consonum, ut hoc privilegium non solvendi decimas comprehendat etiam Religiosos alios communicantes in privilegiis, & qui similes labores etiam subeunt.

12 Cæterum regulariter quilibet tenetur decimas solvere, nisi specialiter se se exemptum docere possit, sive is clericus sit, sive laicus, quatenus decimæ sunt juris canonici positivi. Rursus non debent, qui decimas solvere detrectant eximi à tali onere privilegio Principis laici, ut desumitur *ex c. à nobis 24. & tua 25. h. t.* ubi habetur, quòd quæcunque concessio imperialis non potest aliquem eximere à solutione decimarum, eò quia debeantur divina constitutione: & in laicis nulla est potestas concedendi, vel dispensandi in spiritualibus.

13 Neque obstat, decimas, quæ solvuntur esse res temporales, seu fructus; quia ut rectè notat Glossa *in d. c. tua* laici non habent potestatem in temporalibus, quæ ad commodum Ecclesiæ respiciunt, nisi de licentia Ecclesiæ in aliquibus casibus: unde non possunt clerici, nec laici eximi ab onere solvendi decimas, nisi ex speciali privilegio, & indulto summi Pontificis *c. ex multiplici 3. c. suggestum. 9. h. t.* Hinc soli Religiosi communicantes in privilegiis eximuntur à summo pontifice, quod tamen privilegiũ non extenditur ad decimas, in quarum perceptionis possessione fuerat antea Ecclesia parochialis, vel alia, ut notat Oldradus *consil. 268.* sicut nec extenditur ad prædia ab aliis conducta *c. dilecti 5. h. t.* neque ad terras, quæ aliis colendæ traduntur *c. licet 11. h. t.*

14 Pontifex ratione suæ personæ non potest obligari per se ad solvendas decimas: ratio est, quia nemo potest per se, & ratione propriæ personæ obligari ad solvendas decimas, nisi in spiritualibus subjiciatur alicui Pastori: & summus Pontifex in terris cùm sit supremus omnium Pastorum Pastor, nulli potest in spiritualibus Pastori subjici; consequenter, non potest per se, & ratione suæ personæ obligari ad præstandas decimas. Potest tamen interdum per accidens ad id obligari ratione debiti realis, eò quia possideat bona patrimonialia, vel alio Titulo propria bona, quæ antea erant obnoxia decimis, siquidem res transit cum onere suo ad quemvis possessorem: unde si Papa quocunque Titulo temporali acquirat bona, seu prædia, quibus sit annexum onus decimarum, tenetur ex illis decimas solvere illis ecclesiis, quibus antea solvebantur: quia licèt summus Pontifex sit supremus jurium ecclesiasticorum dispensator, non tamen est absolutus Dominus.

15 Episcopi itidem, Parochi, & alii Curati per se, & ratione propriæ personæ non obligantur spectato jure communi canonico ad decimas solvendas, nec debito personali; tametsi obligari possint debito reali ad solvendas decimas prædiales ex prædiis patrimonialibus, aliisque temporali Titulo acquisitis, ut notat Suarez. *lib. 1. c. 17. num. 11.* Ratio prioris partis est, quia nullus in jure canonico assignatur textus, quo Episcopi, & Parochi, & alii Curati teneantur decimas solvere: imò potiùs eximuntur *in c. novum 2. h. t.* ubi statuitur, quòd clerici à clericis non debeant primitias accipere. Ut enim notat Barb. *in collect. ibid. num. 2.* novum genus exactionis esset, si clerici à clericis decimas exigerent, cùm nusquam in lege domini legatur, quòd Levitæ à Levitis decimas exegerint: neque ex consuetudine talis obligatio potest evinci; quia personales decimæ non possunt exigi nisi ab aliquo ordinario Pastore, à quo quis recipiat Sacramenta, & alia spiritualia, & qui ex officio ea administrare teneatur.

16 Neque obstat, quòd Episcopus dicatur Ordinarius Pastor Parochorum sibi subditorum, quia inde non adest sufficiens fundamentum, quo teneantur ipsi decimas solvere, quia jus canonicum illis talem obligationem non imposuit: hinc non potest Episcopus Parochis, imò nec aliis sacerdotibus imponere decimas, vel ab eis exigere, ut nec aliud tributum præter illud, quod jure communi concessum est, ut desumitur *ex c. constitutum 60. c. nulli 62. c. Praedicator 64. caus. 16. q. 1.* & tradit Suarez. *c. 17.* Secus summus Pontifex potest Episcopis, & Parochis obligationem injungere solvendi decimas de omnibus bonis ecclesiasticis, quia Pontifex est Pastor omnium fidelium: consequenter etiam Episcoporum, & Parochorum, qui tanquam oves dominici gregis subjiciuntur supremo Pastori, seu Divo Petro, & ejus successori, cui Christus dixit *pasce oves meas*, hoc est omnes fideles. Non tamen Pontifex, nisi necessitas Ecclesiæ urgeat, solet hoc onus solvendi decimas Episcopis, & Parochis imponere de bonis ecclesiasticis.

17 Posterior pars etiam ostenditur; quia si prædia, quæ possidentur ab Episcopis, & Parochis habent annexum onus reale decimarum; prædia cum tali onere transeunt ad quemlibet possessorem, tametsi Parochus sit, vel Episcopus, quia Ecclesia non debet in suis bonis lædi ex eo quòd prædia, quibus sunt annexæ decimæ transeant ad dominium Parochi, vel Episcopi. Quod tamen intelligendum est de prædiis patrimonialibus, vel alio titulo sæculari acquisitis: si enim Parochus emat à laico prædium, cui sunt decimæ annexæ; cum hoc onere prædium

tranſit ad Parochum, qui propterea tenetur eas ſolvere. Cæterum ſi prædia ſint eccleſiaſtica, & Epiſcopo, vel Parocho ſpecialiter applicata pro congrua ſuſtentatione, non poteſt Epiſcopus, vel Parochus ex illis obligari ad ſolvendas decimas, quia tunc talia prædia ei donantur tanquam ſtipendium ratione officii, proinde dantur libera ab omni onere eccleſiaſtico.

§. III.

Quibúsnam decimæ debeantur.

CUm jus decimarum ſit ſpirituale, eò quia decimæ ſolvantur propter divina, & Sacramentorum adminiſtrationem; ideo ſolis eccleſiaſticis ſolvi debent, & deſumitur *ex c. quamvis 17. h. t.* ubi habetur, quòd laici non debeant ſibi uſurpare ea, quæ ſunt ſacerdotum; nec eis ſit aliqua poteſtas tribuenda de rebus eccleſiaſticis: ideóque Prælatus, qui laico in ſæculo remanenti concedit Eccleſiaſticam decimam, vel oblationem, eſt deponendus à ſtatu ſuo, donec ſatisfaciat: hinc Gloſſa notat, laicos retinentes decimas peccare, nec poſſe eis concedi in feudum, eò quia non poſſint tranſire ad hæredes, ut feudum; imò nec poſſunt cadere in laicum, ſicut nec jus eligendi. Poſſunt tamen concedi laico fructus decimarum ex juſta, & legitima cauſa ad tempus vitæ ſuæ, ſed non in feudum, ſicut poſſunt vendi ad tempus; ſed non ipſum jus percipiendi decimas: ſiquidem eſt diſcrimen inter jus illas percipiendi, & fructus decimarum; fructus enim ſunt quid temporale; & jus percipiendi decimas eſt ſpirituale, quod proinde non cadit in laicum.

2 Hinc decimæ ex prima Eccleſiæ ordinatione debebantur cœtui clericorum in genere, qui populo ſpiritualia adminiſtrant, vel aliquo modo in hac adminiſtratione juvant, ita tamen ut diſtributio pertineret ad Prælatum, cujus authoritate, ſingulis, quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex aliis oblationibus fidelium, dabatur: ſiquidem olim antequam diœceſes in diſtinctas parochias dividerentur, decimæ totius diœceſis Epiſcopo ſolvebantur, qui poſtea eas inter clerum, ſeu ſuos Miniſtros Eccleſiæ pro cujusque meritis, & neceſſitate diſtribuebat, ut refert Clemens Romanus *lib. 2. conſtit. c. 25.* & deſumitur *ex c. pervenit. 3. caus. 16. q. 7.* Poſtquam verò diœceſes in plures fuerunt partitæ parochias, tunc ſingulis parochiis, ſeu Eccleſiarum Rectoribus fuerunt prædiorum decimæ aſſignatæ: & ſpectato jure communi ex iisdem decimis quarta pars Epiſcopo ſolvitur, ut Paſtori totius diœceſis *c. de quarta 4. de præſcript. c. quoniam 13. h. t.* ubi dicitur quòd decimæ novalium, ſi ſint in aliqua parochia, debentur illi parochiæ datâ ſuâ parte Epiſcopo; ſi non ſint in aliqua parochia, Epiſcopus poteſt eas vel ſibi retinere, vel alicui Eccleſiæ deputare, prout conſultiùs ipſi viſum fuerit.

3 Tametſi laici non ſint capaces juris primarii decimarum, quod naſcitur ex eo, quia Miniſtris rerum ſpiritualium, debeatur ſuſtentatio, cùm dignus ſit operarius ſua mercede: ſunt nihilominus capaces cujusdam juris ſecundarii, quod non fundatur immediatè in Titulo ſpirituali Miniſtrandi ſpiritualia populo, & ideo fructus decimarum laicis dari poſſunt, ut loquitur Pontifex *in c. 2. de locato, & conducto.* Hinc hoc jus ſubinde Pontifices Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus ob merita in Eccleſiam conceſſerunt; quas decimas Pragmatici vocant decimas infeudatas. Sunt enim tales fructus decimarum, quid merè temporale, ut docent Ugolinus *de ſimon. tabul. 1. de ſimon. in genere. c. 28. §. 3. num. 7.* Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. num. 18. in fin.* ſiquidem important meros fructus ſeparatos à jure ſpirituali, cùm quo proinde non habent ampliùs connexionem: hinc quando Pontifices concedunt decimas Principibus ſæcularibus, illis tantùm concedunt aliquid merè temporale, quia non concedunt ipſis jus ſpirituale primarium percipiendi decimas: ſed tantùm res temporales, quæ nomine decimæ dantur, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. circa fin.* Extra has conceſſiones factas à Pontifice Principibus laicis, nullæ aliæ, vel decimæ, vel oblationes Eccleſiæ concedi poſſunt laicis, & ſi ſecus Prælatus eccleſiaſticus ageret, eſſet graviter puniendus, imò & deponendus, ut habetur *in c. quamvis 17. h. t.* ubi dicitur quòd Prælatus, qui laico in ſæculo remanenti concedit eccleſiaſticam decimam, vel oblationem, ſit deponendus à ſtatu ſuo, donec ſatisfaciat.

4 Nec poteſt laicus transferre decimas in alium laicum, tametſi cum Titulo eas poſſideat, ut deſumitur *ex c. prohibemus 19. h. t.* ubi habetur, quòd laici ſine periculo animæ non poſſint decimas retinere, neque in alios aliquos laicos transferre quoquo modo: & qui eas retipiunt, ſi non reſtituant Eccleſiæ, privantur eccleſiaſtica ſepultura; immò notat Gloſſa *in d. c. prohibemus*, nec in laicos, nec in clericos poſſe illas transferre, nec de conſenſu Epiſcopi. Hinc nec poſſunt decimas donare; licèt ſit Rex, adeo ut nec ejus Titulus præſtetur cauſâ præſcribendi, ut habetur *in c. dudum 31. h. t.* ubi dicitur, quòd laici etiam Reges non poſſunt donare Eccleſias, nec decimas, neque aliquid Eccleſiæ; & ſi dent talis Titulus non facit præſcriptionem, & ſi Papa confirmaret talem donationem, non tamen intenderet derogare juri alterius, niſi expreſsè hoc declararet.

5 Hinc decimæ eccleſiaſticæ his tantùm debentur eccleſiaſticis, qui habent curam animarum, idque ex juſtitia quoad ſuſtentationem, etiam ſepoſito omni Eccleſiæ præcepto, & taxatione, quia populus ex juſtitia non tenetur alios alere præter ſuos Parochos, & eorum neceſſarios adiutores ſecluſo Eccleſiæ præcepto: tametſi ex lege religionis, & charitatis teneatur etiam contribuere ad ſuſtentationē aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ. Cæterum poſita Eccleſiæ taxatione, & præcepto de ſolvendis decimis debentur iſtæ ſecundùm quotam non ſolùm habentibus curam animarum, verùm etiam cœtui eccleſiaſticorum in genere, cùm Eccleſia hos omnes ab initio voluerit decimis ali, & ad eum finem eas imperaverit, eò quia ab his omnibus multa in populum ſpiritualia bona deriventur.

Poſt-

Postquam verò Dionysius Pontifex distinctis parochiis Ecclesias singulas, & proventus earum singulis tribuit Presbyteris *can. Ecclesiæ* 13. q. 1. *c. Pastoralis* 9. *de his quæ fiunt à Prælat.* magis specialiter tribuuntur decimæ Parochis, aliisque curam gerentibus animarum; quia hisce multo strictiore jure alimenta debentur: unde hisce ante omnes, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex fidelium contributionibus, aut ex aliis bonis ecclesiasticis est providendum: quòd si eis sufficienter non sit provisum, & decimæ alioquin abundè sufficiant; sed aliis usibus applicentur, ut locis piis, vel canonicatui, non tenetur populus contribuere, cùm jam singulis annis solvat pro congrua illorum sustentatione: & si decimæ, quas solvit, ad ipsos habentes curam animarum non perveniant, id non accidit eorum culpâ, sed superiorum, qui ex officio tenebantur illas rectè dispensare, hoc est Parochis in primis, & eorum Ministris curam gerentibus animarum.

7 Hinc quilibet Parochus habet intentionem fundatam de jure communi ad percipiendas decimas, ut non teneatur probare decimas ad se spectare, eò quia à jure sint ipsis attributæ, ut desumitur *ex c. à nobis* 24. *c. cùm contingat* 29. ubi dicitur, quòd receptio decimarum de jure spectat ad parochias: consequenter etiam decimæ novalium, quæ in eadem parochia insurgunt. Et Glossa *in d. c.* addit, decimas de jure communi ita spectare ad parochias, ut non pertineant ad Episcopum, qui in decimis parochialibus non debet habere portionem, nec quartam *c. conquerenti de offic. Ordinarii*, & asserit Capitula, quæ videntur docere contrarium, loqui vel de decimis Ecclesiæ Episcopalis, vel secundùm consuetudinem loci. Quamvis etiam alii Ministri Ecclesiæ participent de decimis pro congrua sustentatione; earum tamen major portio debetur Parochis: & ratio desumitur ex ipso debito justitiæ, quia sicut onus onere majus est, ita illi majus stipendium debetur, vel stipendii vice alimonia: & quia Parochorum officium, ac onus est majus, ac laboriosius illo cæterorum Ministrorum, ideo ipsis major debetur decimarum portio. Hoc tamen nomine, & jure gaudent Episcopi, qui majores sunt Parochi, & curam gerunt totius diœcesis, invigilántque ad custodiam totius gregis, imò & etiam ipsorum Parochorum.

8 Hinc triplici Titulo Episcopo decimæ debentur. Primò ratione Ecclesiæ cathedralis, cui Episcopus præest. Secundò ratione parochiarum in sua tota diœcesi. Tertiò ratione mensæ, & personæ suæ ex prædiis intra diœcesin sitis, & nulli parochiæ specialiter attributis. Verùm huic juri aliàs communi hodie derogatum est. Fieri tamen potest, ut nunc etiam omnes decimæ ad Episcopum pertineant. Primò si ipsemet immediatè curam habeat Ecclesiæ cathedralis, seu alterius parochialis. Secundò si suæ diœcesis prædia nulli attributa sint parochiæ. Tertiò si diœcesis in plures parochias divisa non sit, ut notat Zerola *p. 1. v. decima ad 10.*

9 Non solùm Parochis spectato jure communi canonico, sed etiam ecclesiis cathedralibus, & Capitulis Collegiatorum, & eorum membris, ut sunt Præpositi, Decani, Canonici, debentur decimæ suæ Ecclesiæ secundùm illas portiones, quæ eorum dignitatibus, mensis, ac beneficiis sunt applicatæ, ut desumitur *ex c. ex parte* ubi Clemens III. præcipit, ut canonicis, qui apud ipsum conquesti erant, de omnibus prædiorum fructibus, decimæ sine diminutione persolvantur. Imò debentur etiam decimæ aliis clericis, qui Titulo cujuscunque beneficii ecclesiastici propriè dicti fructus decimarum, vel aliquam eorundem partem percipiunt: siquidem hi omnes proprio jure spirituali ad se pertinente decimas percipiunt; quia postquam authoritate Ecclesiæ reditus unius cujusque parochiæ in plura sunt divisi beneficia, cuilibet beneficiato per se, & directè competit jus ad portionem decimarum suo beneficio correspondentem, & assignatam in prima beneficii fundatione pro congrua sustentatione: proinde unicuique beneficiato debentur illæ decimæ, cùm quilibet beneficiatus sit etiam obligatus ad ministranda populo spiritualia.

Hinc canonici, quorum præbendis sunt annexi pastoratus, quos ipsi per Vicarios administrant, ex justitia tenentur ad congruam sustentationem illis præbendam, alioquin injuriam suis vicariis irrogarent, qui totum laborem subirent absque emolumento: tum etiam populo, qui hac ratione compellitur ad illis subveniendum: injuria autem populo irrogata in eo sita est, quia amplas cum det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, parum assignetur Vicario gerenti curam talis populi: & quia plerumque viri idonei, nolunt tam tenui stipendio onus subire, sæpè indocti, & improbi, qui alia ratione vivere non possunt, regendis populis præficiuntur: non enim quærentur, qui sint populo profuturi, sed qui minimo stipendio contenti futuri: & si interdum aliquis præficiatur idoneus, qui doctrina, & moribus populum instruat; adhuc dici posset, quòd cùm boves ararent, asini pascerentur: scilicet principales, qui reditus percipiunt, lautè vivunt, cùm substituti portantes pondus diei, & æstus, vix necessaria habeant pro congrua sustentatione. 10

Tametsi decimæ personales spectato jure communi debeantur illi parochiæ, in quâ quis Sacramenta percipit, & divina officia audit. Prædiales tamen decimæ regulariter debentur illi parochiæ, intra cujus limites ipsa prædia sita sunt, nisi alicubi ex inolita consuetudine contrarium serveturs ut notant communiter Canonistæ; & quoad decimas personales habetur *in c. de decim.* 45. *c. statuimus* 55. *caus.* 16. *q.* 1. *& c. ult. de Parochiis*, & præsertim *in c. ad apostolicæ* 20. *h. t.* ubi Lucius III. ait, quòd quando aliqui recipiunt Sacramenta in una parochia, & habent, seu colunt prædia in alia, solvant decimas personales, ubi sumunt Sacramenta, & prædiales, ut ex consuetudine diu inolita solvuntur: dicuntur personales decimæ, quæ intuitu personæ solvuntur, ut de negotiatione, artificio, militia *c. non est*, *c. pastoralis vod.* ex illa tamen deducuntur expensæ ante solutionem decimarum. Decimæ autem animalium deputan- 11

tur inter prædiales, & ſolvi debent ubi continuò paſcuntur, quòd ſi paſcantur partim in uno loco, & partim in alio, dividuntur.

12 Quòd verò decimæ perſonales debeantur parochiæ, in qua quis Sacramenta percipit, ex eo evincitur, quia non ſunt onus reale, ſed merè perſonale; proinde à perſona debentur illi Eccleſiæ, vel Paſtori ejusdem, qui Sacramenta, & alia ſpiritualia miniſtrat, & à quo quis illa accipit: ſiquidem decimæ penduntur in ſuſtentationem eorum, qui ex officio ſpiritualia miniſtrant: quo fit, ut ſi quis mutet domicilium, & in aliam migret parochiam, debeat Paſtori iſtius decimas perſolvere, & ſi habeat ſua bona in finibus alterius, debeat decimas prædiales alteri pendere: ſiquidem decimæ perſonales ſolvuntur illi parochiæ, in qua habet quis domicilium, quia ibi tenetur Sacramenta recipere, & divina audire. Quòd verò decimæ prædiales debeantur illi parochiæ, intra cujus limites ſunt prædia illa, tametſi eorum dominus domicilium habeat in alia parochia, deſumitur *ex c. cùm contingat.* 29. *h. t.* quia cùm decimæ prædiales ſint onera realia, quæ ipſis prædiis inhærent; ideo non debet attendi, ubi poſſeſſor, vel colonus prædii immoretur, habeátque domicilium, ſed in qua parochia ipſum prædium ſitum ſit: ſiquidem cuilibet parochiæ aſſignatur quædam loci amplitudo, tam ex domibus, quàm prædiis; adeout, qui habitant in iisdem domibus ſint parochiani illius parochiæ, intra cujus fines ſunt domus illæ: & ſi poſſident prædia in diſtrictu alterius parochiæ, tenentur ſolvere decimas prædiales illi alteri parochiæ; & perſonales, ubi habent domicilium, ne ſequatur Diœceſium confuſio.

13 In ſolvendis tamen decimis prædialibus ſervari debet conſuetudo legitimè præſcripta, ut habetur in *d. c. cum ſint 18. h. t. argum. cum dilectus 8.* ubi conſuetudo approbata dicitur eſſe optima legis interpres: & *l. interpretationes 37.* dicitur; in dubiis, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem vim legis obtinere. Nec decimæ, quæ ex conſuetudine ſolvebantur uni Parochiæ, debent alteri attribui; quia hujusmodi applicationes ſunt odioſæ, ac pariunt diſſidia, & jura confundunt Diœceſium.

14 Poſſet tamen quis dubitare, an Religioſis regularibus debeantur decimæ, cum ipſi ſpiritualia miniſtrent, confeſſiones audiant, Euchariſtiam diſtribuant, Evangelium prædicent. Reſpondetur, de jure decimas non deberi Religioſis, quia licèt Parochiani in eccleſiis Regularium divina audierint, Sacramenta perceperint, ut hodiè in amplioribus locis fit, non tamen tenentur eccleſiis Regularium decimas pendere, ſed Eccleſiæ Parochiali, ubi domicilium habent; quia in illa debent Sacramenta percipi, & divina audiri; ad id enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ Parochiales, ut in ipſis Parochiani Sacramenta percipiant, ſacris interſint, divina audiant *c. ut dominicis 2. h. t.* ubi Parocho præcipitur, ut in diebus feſtis, antequam ſacrum faciat, interroget: num quis alterius Parochiæ contempto proprio Paroeho ibi velit miſſam audire; & ſi quem invenerit, ſtatim ab Eccleſia illius ejiciat: paria autem ſunt recipere, vel recipere poſſe; & per quem ſtare, quo minus recipiat *l. quod te ff. ſi certum petatur, cum ſimilibus.* Cum igitur per Parochum non ſtet, quo minus Parochiani Sacramenta in ſua Eccleſia parochiali percipiant, ſacris interſint, divina audiant, non ipſi eſt culpæ vertendum, ſi Parochiani malint in eccleſiis Regularium Sacramenta perciperere, & audire divina *l. in jure ff. de Regul. Juris.*

15 Decimæ miſtæ dividendæ ſunt inter Eccleſias prædialem, & parochialem, prout participant de reali, & perſonali decima. Habet enim Parochus Eccleſiæ prædialis jus exigendi decimas in omnibus illis prædiis, quæ ſita ſunt intra ejus limites, licèt non adminiſtret Sacramenta domino prædii, eò quia is domicilium habeat in alia Parochia: tenetur enim Parochus orare pro illis, qui prædia poſſident intra fines ſuæ Parochiæ ſita, ideóque de fructibus provenientibus ex hujusmodi prædiis debentur illi decimæ, ut notat Turrecremata *in c. 1. §. ad hæc v. 1. q. 1.* Si quis verò plura habeat domicilia in diverſis parochiis; tunc illi Eccleſiæ tenetur decimas ſolvere, in cujus parochia principale habet domicilium Rebuffus *q. 6. num. 2.* Monetta *de decimis cap. 7. num. 21.* ubi ſubdit, quòd ſi domus ſita ſit in confinio duarum Parochiarum, utrique Parochiæ debeantur decimæ perſonales. Quòd ſi dubitetur, in quánam Parochia ſit domus ſita; inſpicienda eſt nobilior domûs janua; & domus cenſenda eſt pertinere ad illam parochiam, in qua poſita eſt janua anterior, ac nobilior. Prædia, quæ in nullius Parochiæ finibus continentur; illorum decimæ ad menſam Epiſcopi pertinere videntur: & eadem eſt ratio de decimis provenientibus ex noviter cultis terris, & dicuntur decimæ novalium, quæ regulariter illi debentur Eccleſiæ, in cujus parochia ſunt prædia ſita *c. cum contingat. c. cum in tua de decimis c. ult. de reſtit. ſpoliat.* alioquin magna ſequeretur confuſio, ad quã avertendã præfigendi ſunt termini, & ſingulis ſua jura aſſignanda. Sin verò alicubi contrarium ſervetur id tribuendum eſt conſuetudini legitimè præſcriptæ, ut notat Barbos. *in c. cum contingat h. t.* ubi notat quòd ſi locus ſit inter duas Parochias, & ignoretur, ſub qua ſit, decimæ non debentur Epiſcopo, ſed ſunt dividendæ in duas mediotates, quarum una uni Eccleſiæ, altera alteri obveniat.

16 Quòd ſi controverſia oriatur inter parochialem, & baptismalem Eccleſiam, quando hæc ab illa eſt diverſa; tunc ex decimis perſonalibus portio aliqua, eáque minor baptismali Eccleſiæ debetur, ut notat Abbas *in c. cùm contingat.* prædiales verò decimæ omnes parochiali Eccleſiæ tribuendæ ſunt; niſi fortaſſis baptismalis antiquior eſſet, tunc enim ſicut tempore, ita etiam jure antecedit parochialem, & percipit decimas *c. Eccleſia. 8. quicunque 16. q. 1.* Poteſt tamen contingere, ut exſtructa nova Eccleſia Parochiali in eam cum adminiſtratione Sacramentorum transferatur jus decimarum antiquiori Eccleſiæ ſublatum, ut notat Abbas *conſil. 58. col. 2. & 3. lib. 1.*

Quan-

17 Quando erigitur nova parochia, cui tribuuntur prædia in alterius parochiæ territorio ſita, decimæ talium prædiorum debentur parochiæ recèns conſtructæ, & deſumitur *ex c. queſti 16. q. 1.* ſiquidem unicuique Eccleſiæ permittitur, ut ex poſſeſſionibus, quas accipit ad ſuorum Miniſtrorum congruam ſuſtentationem decimas alteri non ſolvat, quocunque in loco exiſtant talia prædia. Verùm communior, ac probabilior ſententia aſſerit, decimas illas adjudicandas eſſe antiquæ parochiæ, & deſumitur *ex c. Eccleſia 16. q. 1.* ubi dicitur, quòd Eccleſiæ antiquitùs conſtitutæ non debeant decimis, nec illa poteſtate privari, ut novis tribuantur Oratoriis, vitandum eſt enim damnum, quod priori Eccleſiæ inferri poteſt.

18 Ex dictis infertur jus decimarum percipiendarum præ cæteris competere ſummo Pontifici, tum ratione ſui, ut de ipſis percipiat, quantum ſtatui ſuo opus eſt, tum ratione inferiorum, ut quando res exigit, ut ſuam illis portionem aſſignet, & tunc poteſt etiam ſubditos obligare ad talem decimarum præſtationem: eſt enim ſummus Pontifex ſupremus, ac generalis Paſtor, ac bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrator, & ratione adminiſtrationis poteſt, vel motu proprio, vel ad Regum, ac Principum ſupplicationem aliquando decimas indicere, aut permittere ex bonis clericorum, imò etiam Regularium ſumere, ut notat Tuſchus *lit. d. V. decima*; ubi addit, eas decimas eſſe ſolvendas inſtar decimarum perſonalium deductis expenſis, quæ fiunt gratiâ fructuum quærendorum, percipiendorum, & conſervandorum, ut notat Geminianus *conſil. 35. num. 3.* ubi allegat Gloſſam *in clem. 2. de decimis*, ubi aſſerit, ita fuiſſe declaratum per Papam, & notat Barboſa *in præterm. ad c. decimas 16. q. 7.* ubi congerit exempla plurimorum Regum ab Hiſtoricis petita, quibus decimæ à ſummis Pontificibus conceſſæ ſunt: quod tamen intelligitur non de jure decimarum, quia hoc cùm ſit ſpirituale, non poteſt Principibus laicis competere, ſed tantùm de fructibus, qui percipiuntur; & talis poteſtas eos percipiendi ad ſummum tantùm impropriè, & ſecundariò dici poteſt jus percipiendi decimas.

19 Poteſt itidem ſummus Pontifex exigente neceſſitate decimas à fidelibus petere ex tripliti capite, nimirum ut Paſtor univerſalis omnium Chriſti fidelium. Secundò ut ſupremus adminiſtrator omnium bonorum Eccleſiaſticorum. Tertiò ut ſupremus Princeps in ſpiritualibus: unde non ſolùm ab eccleſiaſticis omnibus, verùm etiam ab omnibus omnino Chriſtianis, non decimam tantùm, ſed majorem etiam contributionem poteſt exigere, prout opus fuerit ad bonum ſpirituale Eccleſiæ promovendum, vel inſtituendum, aut tuendum. Poteſt etiam Pontifex populum à ſolvendis decimis eximere, ſi ex aliis bonis eccleſiaſticis, vel collationibus, quibus decimæ compenſentur, clero ſit ſatis proviſum, ut notat Covarruvias *lib. 1. variar. c. 17. num. 9.* Neque obſtat, quòd id videatur cedere in damnum Eccleſiarum, quæ antea ex iisdem prædiis decimas percipiebant. Nam id non obſtat, quia ſicut authoritate ſedis apoſto-

ſticæ prædia illa teneantur decimas ſolvere, ita eadem authoritate ob juſtam, & rationabilem cauſam poſſunt liberari à tali onere; hoc enim ita impoſitum fuit, ut ſemper dependeat ab authoritate ſedis apoſtolicæ, à qua ſicut fuerunt decimæ impoſitæ, ita poſſunt tolli citra injuriam illius Eccleſiæ, cui ſolvebantur: quia ſedes apoſtolica non impoſuit has decimas in commodum hujus, vel illius Eccleſiæ, ut ſibi poteſtatem adimeret eas laxandi, remittendi, vel etiam totaliter tollendi.

De jure in certis caſibus decimæ debentur etiam Epiſcopo. Primò quando prædium ſitum eſt in parochia Eccleſiæ cathedralis, & cura parochialis Eccleſiæ proximè pertinet ad Epiſcopum, alioquin ſi alius curam gereret animarum, & munus obiret Parochi, huic Curato eſſent decimæ ſolvendæ, ut notat Rebuffus *q. 7. num. 7.* Secundò quando prædium non eſt ſitum intra fines ullius ſpecialis parochiæ *c. quoniam 13. h. t.* ubi habetur, quòd decimæ novalium, ſi ſint in aliqua parochia, debentur illi parochiæ datâ ſuâ parte Epiſcopo: ſi non ſint in aliqua parochia, Epiſcopus poſſit eas, vel ſibi retinere, vel alicui Eccleſiæ deputare, pro ut conſultius viſum fuerit, & ſignificatur etiam in Tridentino *ſeſſ. 22. c. 12. de refor.* Tertiò quando parochiæ non ſunt diſtinctæ, quia tunc tota dioeceſis eſt parochia Epiſcopi *can. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* Quartò quando conſuetudo id habet, ut ad Epiſcopum pertineant decimæ, ut notat Rebuffus *d. q. 7. num. 10.* Quintò ſi decimæ donentur Eccleſiæ cathedrali, vel alio modo ſint eidem debitæ, tunc Epiſcopus de jure communi habet de illis fundatam intentionem, ac jus eas exigendi, ut tradunt Moneta *de decim. c. 7. num. 13.* Rebuffus *d. q. 7. num. 13.* ubi addit, decimas illas inter fratres, qui ſunt Canonici cathedralis Eccleſiæ dividendas eſſe. Sextò habet etiam Epiſcopus jus exigendi ſuam canonicam portionem, ſeu quartam decimarum, ut tradit Caniſius *c. 12. per c. conquerente 16. de offic. ordinar. c. de quarta 4. de præſcript.* Hæc enim quarta decimarum debetur Epiſcopo ratione univerſalis curæ, quam habet in eccleſiis ſibi ſubjectis per totam dioeceſim. Clericis, ſeu Parochis etiam debentur decimæ non tamen intuitu perſonarum, ſed intuitu miniſterii, & officii eccleſiaſtici, eò quòd Sacramenta miniſtrent, & miſſas celebrent, Evangelium promulgent, quæ omnia cùm ſint ſpiritualia, jus exigendi decimas propter talia miniſteria eſt etiam ſpirituale: hinc Parochis, & Curatis tametſi divitiis affluant, ſunt decimæ perſolvendæ *can. decime 16. quæſt. 1.* ſiquidem ex eo, quòd ſit quis dives non debet privari ſuo jure *can. 1. 24. quæſt. 1.* quapropter neque Principi quantumvis diviti, nec Regi licèt opulento tributa negari poſſunt, ut nec etiam creditori prædiviti pecuniæ debitæ, ut notat Rebuffus *d. q. 7. num. 16.*

§. IV.

Ex quibus rebus, & quo tempore, & loco debeantur decimæ, & quas pœnas incurrant, qui eas detinent, vel detrectant solvere.

1 IUre communi debent decimæ de omnibus dari fructibus, ut de frumento, oleo, vino, fœno, & omnibus leguminibus, ut desumitur *ex c. non est* 22. *h. t.* ubi Cœlestinus III. decrevit, decimas solvendas esse ex omnibus terræ fructibus sine diminutione, & antequam deducantur expensæ, quod tamen intelligendum est de decimis prædialibus, ut notat Glossa ibid. Hinc *in c. ex parte* 21. *h. t.* Clemens III. ait, agricultores teneri solvere omnes decimas integras de omnibus fructibus prædiorum, etiam in diversis temporibus anni seminatis sub censura ecclesiastica, imò etiam de arboribus, ut notat Glossa ibidem nullis deductis expensis. Immo etiam de fructibus hortorum, ac pecorum, lacte, caseo, butyro, lana, apibus, & etiam columbis, ut desumitur, *ex c. cum homines* 7. *h. t.* Quin imò etiam de proventibus molendinorum, ut habetur *in c. pervenit. 5. h. t.* etiam ex conductioneædium, prædiorum, & cujuscunque rei *c. ex parte* 22. *c. à nobis* 24. *h. t.* Demum ex quacunque lucrosa, honesta tamen, & licita negotiatione *c. pastoralis* 28. *h. t.* ubi dicitur, negotiatur de lucro acquisito per mercimonium antequam solvat decimas, debet expensas deducere: quia pecuniæ, quibus emuntur merces, ut agat, vineas elibamus, jam erant, decimare; sed expensæ, quæ fiunt pro fructibus colligendis ab illis, de quibus fructus proveniunt, non sunt deducendæ, etiamsi fuerint decimatæ, seu emptæ pecuniâ decimatâ.

2 Rursus fructus non possunt alienari, nisi cum onere decimarum: demum de proventibus decimandis non sunt deducendæ expensæ factæ pro restaurando detrimento rerum, ex quibus fructus deducuntur, ut domûs, vineæ molendini. Hinc decimæ solvendæ sunt de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, imò etiam de militia, de conductione, & omnibus aliis bonis: imò etiam de minimis, ut de oleribus, leguminibus, aroco, fœno, & aliis id genus nisi contraria consuetudo inoleverit, notat enim Tolosanus *lib.* 2. *c.* 26. tolerari consuetudinem non solvendi decimas ex minutis rebus, dummodo sit præscriptio, cujus non exstet memoria, & asserit, in Gallia juxta constitutionem Philippi Augusti non posse exigi decimas de rebus minutis, de quibus antea non constat exactas fuisse, legatur Zypæus *lib. 3. conf. 4.*

3 De illis, quæ acquiruntur per liberam donationem sive inter vivos, sive mortis causâ, an debeantur decimæ, non videtur ita certum; Hostiensis, Azorius, Rebuffus *q. 8. num. 31.* & alii censent, esse de illis decimas solvendas, eò quia sint lucro acquisita, licèt per donationem. Alii probabiliùs putant ex acquisitis per donationem non esse decimas solvendas, adhærent huic sententiæ Innocentius *in d. c. non est* Panormitanus, Sylvester, & alii, eò quia, quæ ex liberali donatione nobis obveniunt, non sunt propriè lucra cùm non fuerint acquisita nostrâ industriâ, & manu, sed aliorum liberalitate donata: & hæc sententia est verior, quia ex jure canonico non potest aliud colligi: unde non sunt onera ponenda, ubi jus ea non imposuit.

4 An verò ex bonis modo illicito acquisitis sint decimæ solvendæ. Respondendum est cum distinctione; si enim recipiens sit capax dominii, tenetur etiam ex illis bonis decimam Ecclesiæ solvere; non tamen Ecclesia exiget talem decimam, ne favere videatur iniquitati: quòd si incapax sit dominii tunc malè quæsiti non solvitur decima: quapropter salaria meretricum non sunt decimationi obnoxia, neque lucra furum, & raptorum, ac usurariorum, quia isti lucrando peccant contra justitiam, & tenentur percepta lucra veris dominis restituere: secus meretrices quæstum facientes ex usu sui corporis, & mercedem accipientes, licèt malè agant, peccántque lethaliter, non tamen injuriosè faciunt.

5 Sin verò ex cœnosa illa voluptate mulier decimam offerret, non propterea Ecclesia admitteret ejus oblationem, aut decimam de lucro turpiter reportato, quia Ecclesia potiùs attendit, quid expediat, ut notant Canonistæ *ex c. ex transmissa* Tolosanus *lib.* 2. *c.* 24. Sin autem peccatum foret occultum, & scandalum non timeretur, tunc nulla lex prohibet, ne Parochus delicti gnarus posset decimam sibi oblatum ex turpi illo quæstu acceptare: siquidem etiam peccatores postquam resipuerint, & peracta pœnitentia etiam de anterioribus lucris decimas solvere possunt, & Ecclesia eas acceptare, ut docet Jacobus de Graff. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 27. *n.* 43.

6 An verò fundus decimalis mutari possit de pascuo in culturam, vel è contra, videtur esse dubiũ, plures enim docent, sine consensu illius, cui decimæ debentur non posse fundum decimalem à domino de pascuo mutari in culturam, nec de cultura in pascuum, ut tradunt Tiraquel. *de retract. convent. §. 3. Glossa 1. num. 23.* Gaillus *obser. 67. num. 7.* Cepolus *de servit. rustic. c. 9. & tit. de montibus num. 10.* & alii docentes, non posse dominum prædii ferentis pascua, aut sylvam reducere ad culturam, aut è contra, sine consensu illius, ad quem pertinent decimæ, & dicunt, id etiam procedere, quamvis agatur de melioratione, quia dicitur deteriorari respectu illius, cui servit, eo ipso, quòd sine ejus consensu inducitur mutatio *l. fin. ff. de usu & habit.*

7 Nihilominus communior, ac verior sententia, cui adhærendum puto, asserit, posse dominum fundi decimalis, eum mutare de cultura in pascua, vel è contra sine consensu illius, cui decimæ solvi debent, & hoc desumitur, *ex c. commissum 4. h. t.* ubi rescribitur, quòd decimæ sint persolvendæ de frugibus illius fundi, in quo antea pascua erant: neque dicitur, quòd illa pascua, quia decimalia erant, non potuerint converti in culturam, ut notant Abbas *in c. cum in tua h. t.* Butrius ibidem Rota *in Conchensi decor. de Lazara 12. Decemb. coram Justo & decis. 666. num. 1. p. 1. apud Farinac.* Ratio id etiam videtur fundere, quia jus decimarum non

est

eſt jus aliquod ſupra fundum, ſed tantùm eſt jus percipiendi quotam, ſeu decimam partem de fructibus fundi, non enim decima eſt quid aliud, quàm pars, quæ de fructibus, de re, vel prædio perceptis ſolvi debet, ut habetur *in c. ad Apoſtolicam c. pervenit. h. t.* Hinc jus ad decimas recipiendas non eſt jus ſupra fundum, ſed ſolùm ad quotam de fructibus ex tali fundo perceptis: hinc dominus fundi poterit illo uti ad beneplacitum in quoscunque uſus voluerit absque ulla injuria, quæ alteri irrogetur ex tali uſu: ſatis enim eſt, ſi qui jus habet percipendi decimas, accipiat decimam partem fructuum, quos dominus percipit ex tali prædio, ſive illo utatur ad culturam, ſive ad paſcua. Neque eſt eadem ratio de decimis, ac de prædio ſervituti obnoxio: ſiquidem eo ipſo, quòd prædium ſervit, pertinet ad jus illius, cui ſervit, quantum ad ipſam ſervitutem ſpectat, proinde jus ſervitutis radicatur in ipſo prædio, & operatur, ut non ſit ſub pleno dominio ipſius domini: ſiquidem participat de dominio prædii, etiam ille, cui prædium ſervit: ſecus jus decimarum oritur tantùm ex fructibus exiſtentibus, adeo ut afficiat ſolos fructus, non verò fundum, ex quo oriuntur fructus: hinc eſt, quòd non obſtante hoc jure exigendi decimas poſſit dominus uti ſuo fundo, prout ipſi placuerit.

8 Hinc decimæ perſolvendæ ſunt de fructibus, qui è prædio, vel fundo oriuntur, & ſi fundus decimatorius de cultura mutetur in paſcua, decimæ ſunt ſolvendæ de paſcuis, quia tunc paſcua ſunt fructus provenientes ex tali fundo, & ſuccedunt loco priorum fructuum, ut deſumitur *ex c. commiſſum 4. h. t.* ubi dicitur quòd Monachi debeant ſolvere illas integras decimas de terris noviter cultis, ſed quæ ante fuerunt cultæ, & ſolvere decimas, quas ante ſolvebant: item de paſcuis, adeo ut de iſtis debeant decimas perſolvere: vult enim Pontifex *in d. c.* quòd ſicut Monachi antequam fundum colerent, ſolvebant decimas de paſcuis; ita poſtquam terram illam noviter cœperunt excolere, ſolvant de frugibus ſine diminutione, ut docet Abbas *in c. cùm in tua 30. h. t.* ubi hoc idem etiam expreſſiùs ſtatuitur: ſiquidem habetur, quòd decimæ de jure debeantur Eccleſiæ parochiali: ſed ſi monaſteria, vel conventus de certa terra ſubjecta parochiæ accipiebant aliquot fructus ratione decimarum, & deinde alii fructus de eadem terra colliguntur; eadem monaſteria debent accipere decimas illorum novorum fructuum. Tum quia quando fundus obnoxius ſervituti quoad quotam fructuum transfertur ab uno in aliud fructuum genus, debetur eadem quota de fructibus, qui recèns colliguntur ex tali fundo, ut tradunt Gloſſa *in l. certo generi. ff. de ſervit. ruſtic. prad.* Bart. ibidem Jaſon in *l. ſi fundum §. qui fundum ff. de l.* 1. ſiquidem fructus recèns percepti dicuntur ſubrogati in locum priorum.

9 Quòd verò etiam ex talibus fructibus debeantur decimæ ex eo liquet, quia Parochi habent fundatam intentionem quoad omnes decimas cujuscunque fundi decimalis exiſtentis intra fines talis parochiæ *d. c. cùm contingat. h. t.* ubi Gloſſa *V. de jure communi*: & ita cenſuit Rota *in Hiſpalenſi juris nominand. contra Julii 1617. & in aliis pluribus deciſionibus* apud Farinac. Quamobrem cum Parochus habuerit intentionem fundatam, ſeu jus percipiendi decimas de paſcuis, ut habetur *in d. c. commiſſum h. t.* & notat Rebuff. *de decim. q. 8. n. 22.* ideo Parochus ſi fundus producat alios fructus, habet jus percipiendi decimam hujus novi fructus, qui ſubrogatur loco priorum paſcuorum. Hinc decimæ ſemper ſunt ſolvendæ, non ſolùm ſi paſcua vendantur, aut locentur: ſed etiam de animalibus, quæ ibi paſcuntur, quia ipſa ſunt etiam decimationi obnoxia, ut habetur *in d. c. non eſt 22. h. t.*

Quid verò dicendum ſit, quando fundus decimalis transfertur ad illos fructus, de quibus conſuetudo legitimè præſcripta obtinuit, ut non ſolvantur decimæ. Zypæus *in annali. juris novi Pontific. lib. 3. tit. de decim. num. 5. V. generalibus* cenſet, non eſſe decimas de illis fructibus ſolvendas, ſi translatio ad hos fructus non ſit perpetua: ſed converſo tempore fundus iterum convertatur ad priores fructus: ſecus ſi translatio perpetua ſit, vult tunc decimas eſſe ſolvendas ex fructibus, ad quos fuit facta translatio: quia tunc illi prioribus ſubrogantur, unde perinde ac de illis ſunt de illis decimæ ſolvendæ. Hoc tamen dicit procedere, ubi conſuetudo contrarium non obtinuit. Verùm probabilius eſt, etiam vigente in contrarium conſuetudine, decimam ſolvendam eſſe de quovis genere fructuum, quando fundus decimalis transfertur ad fructus, de quibus decimæ non ſolvuntur. Siquidem conſuetudo eſt ſtricti juris *l. 1. §. ſi quis hac interdictio ff. de itin. actuque privato* Alexander *conſil. 122. in fin. vol. 1.* Ludoviſius *deciſ. 162. num. 6.* proinde talis conſuetudo extendenda non eſt ad caſum diverſum *l. quod nero §. fin. ff. de acquir. poſſeſſ.* Natta *conſil. 99. n. 18.* Eſt autem ratio prorſus diverſa, quando fundus decimalis transfertur ad fructus, de quibus conſuetudo obtinuit, non ſolvi decimas; & de fundo ſolito hos ferre fructus: quia in hoc caſu conſuetudo id fuit operata, ut fundus, qui erat decimalis non ſit ampliùs decimalis, eò quia ejus fructus non ſint obnoxii decimæ: at in præſenti caſu fundus eſt decimalis, nec conſuetudo fuit operata, ut non eſſet decimalis, proinde fructus, ad quos convertitur, non eximuntur à decimatione: ratio eſt, quia fructus ſe habent acceſſoriè ad fundum, à quo producuntur: & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, quo fit, ut ſi fundus ſit decimalis, etiam ejus fructus ſint decimæ obnoxii. 10

Præterea conſuetudo, quæ abrogat unam legem, non ſtatim aliam abrogat: eſt autem diverſa lex præcipiens ſolvi decimas de omnibus fructibus ab ea, quæ præcipit decimas ſolvi de fructibus ſubrogatis, quando fundus de uno genere fructuum transfertur ad aliud genus, id enim ſpecialiter ſtatuitur *in d. c. commiſſum h. t. & illud in c. non eſt, & in c. pervenit eod. tit.* Quamobrem licèt conſuetudo induxerit, quod de aliquo genere fructuum non ſolvatur decima; non propterea inductum erit, quod 11

non ſolvatur quando fundus decimatorius transfertur de illo genere fructuum, de quo ſolvitur decima, ad aliud genus, de quo non ſolvitur.

12 Si quæratur, cur Eccleſia in lege Evangelica ſtatuerit dari decimas de omnibus fructibus, cum in lege ſcripta decimæ nonniſi de frugibus, & pomis arborum ſolverentur, ac de animalibus, quæ tranſeunt ſub virga paſtoris; ut habetur *Levit. ult. in fine.* Reſpondetur, in lege ſcripta ſingulas familias habuiſſe ſuos agros, unde poſſent decimas ſolvere; proinde non fuiſſe neceſſe, decimas perſonales exigere; cum quilibet prædiales ſolveret. Secus in lege Evangelica, ubi non ſolùm ſunt multæ familiæ, ſed etiam urbes, & Reſpublicæ quædam prædiis carentes, ut Genuenſis; & plures homines, qui licèt prædia non poſſideant, divitiis tamen affluunt; ideo opus fuit, ut decimæ perſonales inſtituerentur; alioquin plures nihil Eccleſiæ contribuerent, & ubi non ſunt prædia ruralia clerici nil acciperent pro congrua ſuſtentatione, nec ali poſſent. Tum quia in novo Teſtamento ſacerdotes magis indigent, quàm in lege ſcripta; & ſæculares plura ab iisdem beneficia recipiunt per Sacramenta, quæ ab iisdem ſæcularibus miniſtrantur. Cæterum ex fructibus omnibus ſolvuntur decimæ, ut etiam ex omni alio quæſtu licito; ut inde cognoſcamus, omnia bona à DEO in nos derivari; *quodcunque enim te paſcit, ingenium DEI eſt*, ait Auguſtinus.

13 De tempore, quo decimæ ſolvendæ ſint, ſtandum eſt locorum conſuetudini: remotis tamen perſonalibus decimis, prædiales ſolvendæ ſunt poſtquam fructus à ſolo ſeparati ſunt, & collecti, & quidem ſtatim, ut detur illicò Eccleſiæ quod ad ipſam pertinet, & deſumitur *ex cap. revertimini 16. q. 1. c. cum homines hoc tit.* ubi Alexander III. ait: mandamus quatenus eos cogatis, ut decimam ſtatim fructibus collectis perſolvant, atque de ſubtractis, & retentis dignam ſatisfactionem exhibere procurent: deſumitur etiam *ex c. 22. eod. tit.* ubi habetur: *Decimas tuas, & primitias tuas ne tardaveris reddere.* Ratio hoc idem etiam ſuadet, quia quisque tenetur quamprimùm commodè poteſt reddere alteri, quod ſuum eſt, ac ſatisfacere ſuo creditori, & quidem ex juſtitia, quando jam tempus ſolvendi debitum effluxit: ergo multò magis tenetur quis reddere Eccleſiæ quod ſuum eſt, quamprimùm commodè poteſt, etiam non expectata monitione, quia ut parochianus conſtituatur in mora non eſt neceſsè ut Parochus eum moneat, ut decimas ſolvat, neque ut illas ab eodem exigat, quia Parochianus tenetur ſtatim ſeparatis à ſolo fructibus, ac collectis in conſcientia decimas ſolvere: alioquin non excuſatur à culpa, ſi abſque juſta cauſa ſolutionem notabiliter differat: ſiquidem ipſe dies, ſeu tempus ſolutionis interpellat pro creditore, eò quia fructus ex juris diſpoſitione realiter obligati ſint ad decimas, ut notat Abbas *in c. pervenit. 5. h. t.* ubi Alexander III. ait, parochianos poſſe compelli ad ſolvendas decimas ſub pœnis excommunicationis, & quidem integras ante aliquam deductionem, poſtquam fructus ſunt collecti, pœna autem excommunicationis cum gravis ſit, ſupponit culpam gravem: Verùm ad excommunicationem hanc infligendam debet præcedere monitio, quia cenſura non incurritur niſi ob contumaciam, & conſentit Concil. Trid. *ſeſſ. 25. c. 12. de reform.* non poteſt autem quis anathemate percuti, niſi poſt trinam monitionem canonicam juxta *c. omnes 5. cauſ. 16. q. 7.* Cùm igitur non poſſit aliud commodius tempus aſſignari pro ſolvendis decimis, quàm illud, quo fructus collecti ſunt, ideo eo tempore erunt ſtatim decimæ ſolvendæ: hinc ſi bis, vel ter in anno fructus proveniant, toties facienda erit decimatio, ut deſumitur *ex c. ex parte 10. h. t.* & notat Moneta *de decimis c. 6. n. 8.* Silvius ibidem *num. 15.* ubi addit, quòd ſi ex acervo frugum aliquid ſubtractum fuerit, dum ruſticus moram facit, damnum ab eo ſit compenſandum juxta *regul. 25. juris in 6.* mora ſua cuilibet noxia eſt. Pro animalium verò fructibus, ſeu fœtu debet tempus ſpectari, quo vituli, & equorum pulli utiles eſſe incipiunt, & à matre ſeparari.

Neque opus eſt, ut ſemper detur corpus, 14
ſed ſufficit pretium, modò partes ita convenerint, ut tradit Zypæus *lib 3. reſpons. pag. 126.* ubi etiam ait, agnos decimari, non in prædio, ſed in paſcuis, & conſentit Fagundez *in quinto præcepto eccles. lib. 3. c. 5. num. 14.* eò quia dominum ſuum potiùs, quàm villam, & prædium ſequantur: quoad hoc autem ſtandum eſt etiam conſuetudini, quia in aliquibus locis equorum, & aſinorum pulli non niſi poſt biennium à nativitate decimantur. Quòd ſi pecora in una parochia per æſtatem, & in alia per hyemem paſcant, dividendæ ſunt decimæ in duas medietates, & una uni, altera alteri parochiæ ſolvi debet. Quorum verò impenſis aſportari de loco in locum debeant decimæ, dantium, an recipientium? nonnulli cenſent impenſis dantium; ita Gloſſa, & Panormitanus *in c. revertimini 16. q. 1. V. horrea colonis*; cui ſententiæ videtur etiam adhærere Covarruvias. Verùm ſi præſcindamus à conſuetudine, non putârim, debitoribus eſſe id oneris imponendum, quia à jure canonico nullibi definitum eſt, quod parochiani ſuis impenſis teneantur decimas deferre ad horrea Parochorum.

Decimæ perſonales ſi alicubi vigent, ac ſunt 15
in uſu commodiſſimè ſub finem cujusvis decurrentis anni ſolvuntur, perinde ac alii cenſus, & alia tributa, tunc temporis moris eſt, ut ſolvantur: alioquin ſi ſtatim poſt abſolutam quamcunque operam decimæ ſolverentur id incommodum foret non ſolùm parochianis, ſed etiam Parochis, tot enim partiales, ac minutæ ſolutiones plura adferrent incommoda *l. 3. §. familiæ Herciſc.* & deſumitur *ex d. c. pervenit. 5. h. t.* Cæterum etiam quoad hoc ſtandum eſt conſuetudini. Alioquin ſicut, qui tributa detinent pluribus afficiuntur pœnis, ut habetur in *can. ſi tributum 11. q. 1. tit. C. ſine cenſu, vel reliquis fundum comparari non poſſe*: ita detrectantes decimas ſolvere, vel eas detinentes, quia ſunt tributa egentium animarum *can. decimæ 16. q. 1. c. tua nobis 25. h. t.* ubi dicitur, quòd quæcun-

que

que conceſſio imperialis non poſſit aliquem eximere à ſolutione decimarum, & quòd decimæ debeantur ſine diminutione Eccleſiæ, & clericis ſuæ diœceſis, nec cui voluerint. Neque obſtat malitia clericorum, nec ſumptus facti, ſed integræ ſunt ſolvendæ, & ad hoc cogendi diſtrictione eccleſiaſtica, eò quia ſint tributa egentium animarum, & ſignum univerſalis dominii Dei ſuper terris, unde ſicut detinentes tributa afficiuntur pluribus pœnis: ita etiam non ſolventes, vel detinentes decimas.

16 Primò igitur veluti injuriam irrogantes Deo *can. revertimini 16. q. 1.* digni ſunt animadverſione divini judicis, ut dicitur *in c. quamvis 17. h. t.* Secundò infamia, & penuria, ſemper erunt maledicti, ſiquidem timendum eſt, ut quisquis Deo debitum ſuum ſubtrahit, ne Deus eidem neceſſaria ſubtrahat, ſinátque eum perire *can. admonemus 16. q. 2.* ſicut è contra, qui eas ſtatim ſolvunt benedictionibus replentur, ad pinguiorem fortunam permoventur, & uberioribus affluunt divitiis *d. can. 16. revertimini V. & effundam.* Hinc qui ſine mora libenti animo Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant, omnibus abundabant copiis: nunc verò quia fideles ægrè, ac ſerò decimas ſolvunt, tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus, ut ait Auguſtinus *in can. majores 16. q. 7.* Tertiò non ſolventes decimas infirmitates, & ægritudines in hac vita, & etiam mortem æternam in alia incurrunt; ſicut è contrario, qui eas ſtatim, & libenter ſolvunt ſanitatem conſequuntur corporis, & anima cœleſti donatur beatitate, ut habetur in *d. can. decima 16. q. 1.* Quartò non ſolventes decimas ad decimam revocantur, id eſt tantùm eis decima remanebit, ſeu dœmonibus accenſentur, qui ſunt decima pars Angelorum *d. can. decima*, & ibi Gloſſa: & impio dabunt militi, quod detrectant donare ſacerdoti, ut dicitur *in d. can. decima.* Quintò quia non ſolventes decimas invadunt, ac rapiunt res alienas: ſiquidem detinere injuſtè perinde eſt ac rapere, ut notat Gloſſa *in d. can. revertimini 16. q. 1.* Sextò excommunicari poſſunt, & debent *can. omnes decima 16. q. 7. can. ſtatuimus ibid. q. 1. cap. pervenit. 5. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, quòd parochiani poſſunt compelli ad ſolvendas decimas ſub pœna excommunicationis. Non verò ipſo jure ſunt excommunicati, quia textus tantùm ſunt comminatorii excommunicationis. Septimò ſunt indigni eccleſiaſtica ſepultura, ut notat Rebuffus *de decimis q. ult. num. 5.* & deſumitur *ex c. prohibemus 19. h. t.* ubi dicitur, quòd laici ſine periculo animæ non poſſunt decimas retinere; neque in alios aliquos laicos transferre ullo modo, & qui eas percipiunt, ſi non reddant Eccleſiæ, privantur eccleſiaſtica ſepultura. De hiſce pœnis plura habentur *in clem. 1. de decimis.*

§. V.

De decimis novalium, ac de actione, & cognitione decimarum.

1 TAmetſi novale multipliciter ſumatur in jure, ut liquet *in l. ſylva 30. §. novalis ff. de V. S.* prout tamen ad præſens pertinet inſtitutum novale dicitur, ager recèns excultus, ſeu ad culturam redactus, cùm antea non extiterit memoria, quòd aliquando fuerit cultus, ut habetur *in c. quid per novale 21. inf. de V. S.* Ut autem privilegium de non ſolvendis decimis ex novalibus vigeat, tria requiruntur. Primò ut ager fuerit recèns excultus, ſeu tunc primùm ad culturam redactus. Secundò quòd antea ab hominum memoria non fuerit cultus. Tertiò, quòd Eccleſia parochialis nullos, vel ſaltem modicos fructus ex tali terra priùs perceperit; alioquin ſi notabiles proventus, decimarum nomine, è fundo illo priùs perceperit, ut ex paſcuis, ſylvis, non cenſetur fundus ille novalibus accenſendus, ſaltem in ordine ad privilegium non ſolvendi decimas ex novalibus: ſecus ſi modicos tantùm proventus antea perceperit. Cæterum illa prædia, quæ ſemel ſunt novalia, habentur ſemper talia quoad immunitatem non ſolvendi ex illis decimas, ut habetur *in c. ult. de privileg.* ubi dicitur: terra, de qua non eſt memoria quòd fuerit culta, ſi redigatur ad culturam per Religioſos pepetuò erit immunis à ſolvendis decimis.

2 Spectato jure communi ſecluſisque privilegiis decimæ novalium debentur parochiali Eccleſiæ, in cujus finibus exiſtunt, & quidem pro modo limitum, ſicut aliæ decimæ *c. non eſt 22. h. t. & c. cumvontingat 29. eod. tit.* ubi dicitur, quòd receptio decimarum de jure ſpectet ad parochias, & conſequenter decimæ novalium, quæ in eadem parochia inſurgunt. Quòd ſi novalia exſurgant inter duas parochias velut intra limites utriusque, ad hanc, vel illam pertinebunt ex illis decimæ pro modo limitum: adeo ut ſi tres partes novalium exurgant intra limites unius parochiæ, & quarta pars intra limites alterius, illa tres partes decimarum, hæc quartam exigere debeat. Quòd ſi nulli appareant limites, quibus novalia regi poſſint, tunc dividuntur decimæ, & juxta arbitrium Epiſcopi aſſignantur eccleſiis. Ratio eſt, quia decimæ novalium cùm ſint prædiales, ſunt onus reale annexum ipſi fundo *c. ſi quis 44. can. 16. q. 1.* & ibi Gloſſa *V. inde abſtrahere*: proinde ſolvendæ ſunt decimæ novalium illi parochiali Eccleſiæ, intra cujus fines fundus recèns excultus conſiſtit, perinde ac decimæ aliorum prædiorum, debentur Eccleſiæ parochiali intra cujus fines ſunt prædia ſita.

3 Præterea ſicut cenſus, & tributa merè realia, ſeu quæ non perſonas, ſed res afficiunt, & imponuntur fundis, rebúsque immobilibus ſolvi debent illi civitati, in qua ager, vel domus, ſeu fundus eſt ſitus, tametſi poſſeſſor in alia moretur civitate, ut liquet *in l. firma 4. §. is verò ff. de cenſib.* ita etiam decimæ novalium ſolvendæ ſunt illi parochiali Eccleſiæ, intra cujus fines comprehenduntur. Juvat tamen obſervare diſcrimen inter tributa, & decimas, quia illa fundos ipſos ſecundùm ſe afficiunt, veluti inſeparabile eorum onus: ſecus onus ſolvendi decimas per ſe, & immediatè non inhæret ipſi fundo, ſed fructibus fundi; adeo ut ad quemcunque poſſeſſorem fructus devenerint, teneatur is ex talibus fructibus decimam ſolvere Eccleſiæ paro-

chiali, intra cujus fines ſitus eſt fundus, à quo tales oriuntur fructus.

4 Quòd ſi novalia non ſint intra fines alicujus certæ parochiæ, tunc decimæ eorundem pertinent ad Epiſcopum, qui eas poteſt ſuis neceſſitatibus, ac uſibus applicare, vel alicui Eccleſiæ, aut loco pio deputare, ut ſtatuitur *in c. quoniam 13. h. t.* ubi dicitur, quòd decimæ novalium, ſi ſint in aliqua parochia, debeantur illi parochiæ data ſua parte Epiſcopo, quòd ſi non ſint in aliqua parochia, Epiſcopus poteſt eas vel ſibi retinere, vel alicui Eccleſiæ deputare, prout conſultiùs judicaverit, & idem etiam ſtatuitur in Tridentino *ſeſſ. 12. c. 12. de refor.* ſiquidem Epiſcopus cùm ſit veluti Parochus totius diœceſis, teneatúrque ipſe, ubi non eſt Parochus providere, ne deſit, qui Sacramenta miniſtret, Evangelium promulget, divina officia celebret; ideo quilibet ex diœceſi dicitur etiam Parochianus Epiſcopi, ut habetur *in c. parochianos 14. h. t.* unde ſicut decimæ novalium ſolvendæ ſunt Parocho, ſi intra ejus parochiam ſitæ ſint: ita ſi intra diœceſim extiterint, & non intra certam parochiam Epiſcopo erunt debitæ, ut illas ſibi, vel alteri Eccleſiæ, aut loco pio applicet. Poteſt enim Epiſcopus etiam ſine conſenſu Capituli, & non adhibitis aliis juris ſolemnitatibus decimas novalium applicare Eccleſiæ, dummodo hæc ſint intra limites ſuæ diœceſis, ut deſumitur *ex d. c. quoniam:* quia conſenſus Capituli, & aliæ juris ſolemnitates tunc tantùm requiruntur, quando ex juſta cauſa res Eccleſiæ alienantur: at applicatio decimarum novaliũ alicui Eccleſiæ, quæ ſunt intra diœceſim, non eſt propriè alienatio, quia jus decimarum in fundis de novo excultis ortum, nondum fuit ante bonis cathedralis Eccleſiæ, incorporatum, nec acquiſitum: ſicut Epiſcopus non poteſt præjudicare Eccleſiæ in bonis nondum acquiſitis, ita nec in decimis novalium, ſi eas applicet alteri Eccleſiæ intra ſuam diœceſin: aliud enim eſt alienare, & aliud non acquirere; alienare ſupponit poſſeſſionem rei, cujus dominium transferatur in alium: & quia decimæ novalium nondum fuerant Eccleſiæ cathedrali acquiſitæ, ita Epiſcopus tametſi illas non acquirat eidem Eccleſiæ cathedrali, non tamen, dicitur eas alienare ex eo, quia eas applicet alteri Eccleſiæ intra ſuam diœceſin: cùm enim Eccleſia cathedralis non poſſedilſet decimas novalium, non poteſt amittere earum dominium, cùm illud nunquam habuerit.

5 Privilegium conceſſum alicui clerico, vel Monaſterio de decimis in aliena parochia percipiendis non comprehendit novalia, niſi rationabilis cauſa oſtendatur, cur Privilegium debeat ſe ad novalia extendere. Secus Privilegium eximens à ſolvendis decimis ex propriis prædiis, quæ laboribus, & ſumptibus propriis coluntur, probabilius eſt, quòd extendatur etiam ad novalia coli cœpta, ſeu ſi coli cœperint poſt conceſſum Privilegium, idque deſumitur *ex c. ad audientiam 12. h. t.* ubi dicitur quòd Privilegium conceſſum de non ſolvendo decimas de laboribus, intelligitur etiam de terris, quæ coli cœperunt. Deducitur etiam *ex c. ex parte 37. h. t.* ubi habetur, quòd quando ex privilegio conceditur alicui eccleſiaſtico: ut ſibi accipiat decimas ſuorum prædiorum, poteſt etiam eas exigere de novalibus; ſecus ſi Privilegium concedatur laico: ſiquidem cui conceditur majus, creditur etiam conceſſum eſſe minus, ut notat Gloſſa *in d. c.* exemptio autem abſoluta à decimis prædialibus eſt quid majus, quàm exemptio à novalibus tantùm, proinde ſi ſupponatur prius, ſupponitur etiam conceſſum poſterius. Tum quia ſub Privilegio generaliter, & indefinitè conceſſo de non ſolvendis decimis ex propriis prædiis, ex propria verborum ſignificatione continentur etiam decimæ novalium: ſiquidem hæc ſunt etiam propria prædia eo enim ipſo, quòd novalia coli incipiunt, fiunt prædia propria excolentis.

6 Neque obſtat, hoc Privilegium eſſe odioſum; eò quia cedat in præjudicium parochiæ, proinde ſit potiùs reſtringendum, quàm ampliandum: nam licèt privilegia odioſa ſint, eò quia contra legem; non tamen reſtringi debent ultra verborum ſignificationem: & quia præfatum Privilegium conceſſum Religioſis ex propria verborum ſignificatione includit etiam novalia: ideo tale Privilegium, quamvis odioſum, non tamen ex eo, quòd comprehendat novalia, extenditur ultra propriam verborum ſignificationem: non enim talis comprehenſio eſt extenſio, ſed tantùm incluſio illius, quod continetur in privilegio, cùm enim hoc indefinitè comprehendat prædia omnia propria, & novalia eo ipſo, quòd coli incipiunt, fiant prædia propria, ideo etiam ipſa comprehenduntur in tali privilegio.

7 Id tamen intelligitur per ſe loquendo, quia per accidens fieri poteſt, ut ſi læſio Eccleſiæ parochialis fuerit enormis, non obſtante tali privilegio, adhuc ex novalibus debeant decimæ ſolvi, ut habetur *in c. quid per novale 21. in fin. de V. S. & in c. ſuggeſtum 9. h. t.* ubi dicitur, quòd religioni habenti Privilegium non ſolvendi decimas, ſi multum multiplicet poſſeſſiones, ita ut notabiliter alios lædat, qui ſolebant decimas percipere, revocandum ſit Privilegium, vel adhibenda ſit compoſitio cum illis de decimis: ut enim notat Gloſſa ibidem, privilegia quamvis ſint perpetua, ac immutabilia, ſuperveniente tamen nova cauſa amittuntur; ut ſi quis iisdem abutatur, per negligentiam ſpatii decem annorum per contrarium factum, & ſi enorme præjudicium aliis inducant. Cæterum eccleſiaſtici poſſunt inter ſe ſuper decimis componere.

8 Non tamen Privilegium percipiendi decimas ex prædiis ſpectantibus ad aliam Eccleſiam extenditur ad decimas novalium, quæ poſt conceſſionem privilegii fiunt intra fines talis Eccleſiæ, ſive Privilegium conceſſum ſit laicis, ſive Religioſis, niſi in illo fiat expreſſa mentio de iisdem, ut docent communiter Canoniſtæ Barb. *in c. ex parte 37. n. 3. h. t.* Zæſius *lib. 3. tit. 30. num. 56.* & deſumitur etiam *ex c. ſtatuto 2. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. ait, quòd quando aliqui ut Monachi obtinent Privilegium habendi decimas novalium, ſecundùm proportionem decima-

tinarum, quas aliquo modo possident; tale Privilegium non extenditur ad decimas novalium, quas tempore impetrationis alii de jure possidebant, nisi fiat expressa mentio: & ratio id suadens est, quia tametsi Privilegium hoc quoad clericos sit minus odiosum, quàm quoad laicos, cùm illis non competat jus percipiendi decimas; nihilominus est simpliciter odiosum, quia semper præjudicat illi Ecclesiæ, ad quam jure communi decimæ novalium pertinent, proinde Privilegium est restringendum etiam respectu clericorum *arg. c. cum olim 6. de consuet.* hinc si verba privilegii salva eorum proprietate possunt aptè explicari de prædiis antea cultis tantùm, non debet privilegium extendi ad novalia: quia intelligitur privilegium concessum de illo jure decimarum, quod tunc est, non verò de jure decimarum nondum existente, adeo ut privilegium non extendatur ad fundos incultos, & qui nondum oneri decimarum fuerunt obnoxii. Quòd si verba privilegii salva eorum proprietate non possunt restringi ad solos fundos antea excultos, tunc privilegium comprehendit etiam ipsa novalia, nisi fortassis circa novalia includeret injustitiam, quia concedens privilegium non intendit justitiam lædere.

9 Quòd si privilegium percipiendi decimas novalium concessum sit iisdem clericis, qui antiquas decimas in aliquo loco percipere consueverant, non debet tunc extendi ad decimas novalium, quas alii tempore impetrati privilegii possidebant tanquam jure sibi debitas: unde privilegium tantùm intelligitur de solis novalibus, quæ in futurum post impetratum Privilegium fiunt, idque desumitur *ex c. statuto 2. in princ. h.t. in 6.* hæc enim est intentio petentis, & concedentis Privilegium, ut non minus ex novalibus decimas percipere liceat, quàm eædē ex fundis frugiferis certi alicujus loci ab antiquo percipiebantur. Rursus si impetrantes privilegium percipiendi decimas ex novalibus tempore impetrationis integras decimas antiquas, vel ultra medietatem percipere consueverint: adhuc impetratio hæc decimarum ex novalibus de medietate tantùm intelligi debet: eò quia non sit verisimile, quòd si tunc de plena, & integra perceptione veterum decimarum ab impetrante fuisset expressum, summus Pontifex facturus fuisset concessionem percipiendi integras decimas novalium cum tam gravi præjudicio Ecclesiæ parochialis: hinc statuit Alexander IV. *in d. c. statuto*, ne ratione talis indulti sive jam impetrati, sive impetrandi plus possit percipi, quàm medietas decimarum novalium. Vegùm sub hac declaratione non comprehenduntur Cistercienses, & Carthusiani: siquidem privilegium de percipiendis decimis spectantibus ad aliam Ecclesiam est valdè odiosum, quæ causa fuit, ut Alexander IV. hanc specialem adjecerit declarationem & limitationem, quamvis exorbitantem à jure communi: siquidem alia privilegia quamvis odiosa concedontur absolutè, & non limitatè, ac omnia sub illis contenta comprehenduntur.

10 Si quis sive clericus, sive laicus, vel etiam monasterium præscripserit decimas in aliquo loco, & ibi fiant novalia, decimam eorum non habet, qui præscripsit, sed debetur Curato, & desumitur *ex c. cùm contingat 19. h. t.* ubi dicitur, quòd receptio decimarum de jure spectat ad parochias, & consequenter decimæ novalium, quæ in eadem parochia insurgunt: & si quis præscripsisset decimas alterius parochiæ, non posset simul accipere novalium decimas ejusdem parochiæ, nisi cum rationabili causa ostenderit ad se pertinere: ratio est, quia præscriptio in uno prædio non extenditur ad aliud *c. cùm tua 30. h. t.* nisi etiam possedisset novalium decimas à tempore immemoriali sine titulo, aut cum titulo 40. annis, vel nisi præscripserit decimam in una parte prædii, & alia pars fiat novalis, ut desumitur *ex d. c. cum in tua 30. h. t.* dummodo appareat esse unum prædium. Juvat etiam observare quoad præscriptionem decimarum, eum qui præscripsit decimas frumenti in aliquo prædio, si ibi seminetur avena, vel alia species, habiturum quoque avenæ, vel alterius rei ibi seminatæ decimam, ne res diverso jure censeatur, idque desumitur *ex d. c. cum in tua*, & *l. cum qui ff. de usucap.* & in dubio decimæ præscriptio censenda est realis, seu ut concernat terram, non speciem fructuum perceptorum: hinc qui in certa terra decimam præscripsit, videtur etiam illam præscripsisse quoad omnes illius fundi fructus.

Cæterum jus decimarum secundarium, & 11
distinctum à primario potest etiam à laico præscribi cum titulo spatio 40. annorum: sine titulo tempore, quod superet memoriam hominum: sic Pontifices nonnunquam solent decimas concedere Principibus in feudum etiam perpetuum ob eorum merita in Ecclesiam, vel ut impositorum Ecclesiam defendant, & tunc non concedunt quid spirituale, sed tantùm illam potestatem percipiendi fructus temporales, quæ potestas licet originem trahat à jure primario fundato in officio ministrandi Sacramenta, celebrandi divina officia, promulgandi Evangelium, non tamen jus secundarium est hoc jus primarium, sed tantùm dicitur jus secundarium, seu facultas percipiendi fructus temporales: & hanc facultatem ante Concilium Lateranense celebratum sub Alexandro III. etiam Episcopi poterant concedere, sed postea per dictum Concilium fuit potestas hæc illis sublata, ut habetur *in c. quamvis 17. h. t.* ubi dicitur, quòd Prælatus ecclesiasticus, qui laico in sæculo remanenti concedit ecclesiasticam decimam, vel oblationem, est deponendus à suo statu, donec satisfaciat.

Possunt tamen laici eas decimas retinere, 12
quæ iisdem ante Concilium in feudum perpetuum ab Episcopis fuerunt concessæ, vel post Concilium à summo Pontifice. Immo possunt etiam easdem alicui monasterio vel pio loco dare ex consensu tantùm illius Episcopi, ad cujus Ecclesiam pertinebant: & hic consensus quamvis ad hoc necessarius sit, eò quia Ecclesia illa amittat spem eas recuperandi; non tamen est necessarius consensus Capituli, aut tractatus, ut desumitur *ex c. cum apostolica de his, quæ fiunt à Prælato*, quia hæc non est alienatio, sed potiùs revo-

revocatio rei à laico detentæ ad usum Ecclesiasticum.

13 Circa actionem,quâ decimæ exigi possunt,potest Ecclesia duplici actione decimas ex collectis fructibus petere. Primò condictione ex canone, quia per canones impositũ est laicis onus, & debitũ illas solvendi.Secundò rei vindicatione,quę est actio in rem, & conceditur domino. Prior actio est personalis, & eâ priùs uti debet , tum ne debitores turbentur , si res apprehendatur, antequam ipsi fuerint conventi: tum quia divisio est facienda per debitorem. Quòd si hac via non procedat,potest rem apprehendere , & sibi inde decimam separare. Quo fit, ut quando fructus nondum decimati,sunt alienati,competat Ecclesiæ actio in venditorem , & emptorem,ut expressè habetur *in c.cum non sit* 33. *h.t.* in emptorem, quia habet rem Ecclesiæ debitam; in venditorem verò,quia Ecclesiam fraudavit.

14 Ad quem verò judicem pertineat judicare de hisce actionibus fusè tractant Rebuffus *tract. de decimis q. 9.* & Moneta *tractat. eod. c. 8.* In aliquibus Provinciis ex concordatis , decimarum cognitio in possessorio ad Principem;in petitorio ad Ecclesiam pertinet,nisi agatur de decimis infeudatis, & etiam per Ecclesiam possessis. Ratio est,quia licèt fructus decimarum secundùm se sint temporales, sunt tamen annexi spirituali juri decimandi : & laici non debent negotia spiritualia, vel annexa spiritualibus tractare,ut expressè habetur *in c. decernimus* 2. *de judiciis* ubi dicitur: Laici non præsumant tractare negotia ecclesiastica. Tum quia nullam habent potestatem disponendi de rebus spiritualibus *c. ita* 25. *h.t.*

15 Quòd si quæstio fuerit meri facti , an quis perceperit, vel solverit decimas; non verò de jure, an sint solvendæ; probatum est,posse actionem cognosci à judice etiam laico,quia hæc causa censetur mixti fori. Cæterum etiam illæ decimæ, quæ in feuda concessæ sunt sæcularibus cognosci debent à judice ecclesiastico; quia licèt jus secundarium , seu potestas percipiendi fructus illos temporales spectet ad laicos, oritur tamen ac dependet à jure primario spirituali fundato in officio spirituali ministrandi Sacramenta laicis: id tamen limitatur nisi decimæ auctoritate Pontificis fuerint omnino translatæ in laicos,quia tunc supponuntur sejunctæ à jure spirituali, & laici perinde possunt de ipsis disponere, ac de re alia temporali. Regulariter si controversia sit de jure possidendi decimas,solus judex ecclesiasticus potest de illo cognoscere, ut tradit Covarruvias *pract. quæstionum c. 35. num. 1.* nisi per concordata aliter fuerit statutum: quia possessio sumpta non pro pura detentione rei ; sed pro jure possidendi, seu detinendi in re spirituali , est spiritualis; proinde ad solum judicem ecclesiasticum pertinet de illa cognoscere. Tractantur verò causæ decimarum summariè in judicio , hoc est simpliciter , & de plano sine strepitu , sine forma judicii,ut habetur *in clement. 2. de judiciis.*

§. VI.

Quibus modis eximatur quis à præstatione decimarum.

REgula generalis est , omnes baptizatos,qui 1
in spiritualibus subjiciuntur alicui sacerdoti Curato,à quo Sacramenta recipere debent per se, & ex debito personali obligari ad solvendas decimas , nisi aliquo legitimo titulo, seu jure eximantur: quia postquam diœceses in parochias sunt divisæ , prædia Parochianorum intra fines parochiæ sita habent annexum onus, seu debitum reale ex iisdem solvendi decimas, quod onus non personam , sed rem comitatur, ad quemcunque possessorem illa deveniat: quia res transit cum suo onere. Cum igitur decimæ solvantur pro spirituali cura , ac ministerio quod fidelibus præstatur à ministris Ecclesiæ ; & omnes fideles hæc beneficia à sacerdotibus Curatis percipiant , vel possint percipere, ideo tenentur hac ratione decimas iisdem solvere,ut stipendium ipsis debitum ; nisi aliquo titulo eximantur. Potest autem quis multipliciter eximi ab onere solvendi decimas , nimirum per privilegium , consuetudinem , præscriptionem, compositionem, remissionem.

Eximuntur primò fideles ab onere solvendi 2
decimas privilegio,non quidem à principe aliquo laico concesso, quia ut habetur *in c. tua 25. h.t.* quæcunque concessio principis sæcularis etiam imperialis,non potest aliquem eximere à solutione decimarum ; quia in laicis nulla est potestas concedendi,vel dispensandi in spiritualibus ; imò neque privilegio concesso ab Episcopo ; quia decimæ debentur jure canonico, & Episcopi non habent potestatem relaxandi jus canonicum: unde hoc privilegium debet immediatè concedi à summo Pontifice , quia ipse solus ex justis causis potest relaxare jus canonicum , cum sit supremus legislator. Hinc privilegio Pontificio eximuntur à solvendis decimis leprosi in communi viventes de hortis,& nutrimentis animalium suorum *c. 2. de Eccles. ædific.*

Rursus eximuntur ex privilegio in corpore 4
juris clauso alia pia loca diversimode per canones à solutione decimarum; quos canones in hunc ordinem Glossa redigit *in cap. ex parte 10. in v. laborum h.t.* cum monachi in primitiva Ecclesia haud secus, ac laici decimas solverint *argument. c. alia causa, & c. generaliter* 16. *q.* 1. *c. duo 1. q. 1.* postea Paschalis II. statuit quòd nec Monachi, nec clerici in communi viventes decimas de suis laboribus solverent *c. decimæ 16. q. 1.* progressu temporis Adrianus Papa solis Cisterciensibus , Hospitalariis, Hierosolymitanis,seu Templariis concessit hoc Privilegium,ut de laboribus suis, & hortis, quos propriis manibus, vel sumptibus excolunt decimas solvere non tenantur *c. ex parte 10. h.t.* ubi dicitur,quòd Cistercienses,Templarii,Hospitalarii de prædiis,quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt non tenentur solvere decimas: & cæteri religiosi non tenentur solvere decimas de novalibus , quæ colunt suis manibus , & de hortis

hortis, ac nutrimentis animalium: de aliis prædiis, ac rebus debent omnes decimas ſolvere. Sed Innocentius III. in Concilio Lateranenſi hoc privilegium ſuſtulit reſpectu poſſeſſionum poſt tale Concilium acquirendarum. Sed extra corpus juris per varias ſpeciales Bullas Pontificias multi Religioſorum Ordines eximuntur non ſolùm in novalibus; ſed etiam in aliis quibuscunque terris, quas ſuis laboribus, vel ſumptibus colunt, ut de Religioſis Caſſinenſibus, Camaldulenſibus, Prædicatoribus, Carthuſianis, aliisque pluribus refert Barboſa *in d. c. ex parte num. 5.* Rurſus habentes communicationem privilegiorum juxta probabilem ſententiam communicant, ac participant etiam hoc privilegium immunitatis à ſolvendis decimis; adeout nunc omnes Religioſi communicantes in privilegiis ſint exempti à decimis ſolvendis.

4 Secundò eximitur etiam quis à præſtatione decimarum per conſuetudinem legitimè introductam: valet enim conſuetudo non ſolvendi decimas ex quibusdam fructibus minutis, oleribus, rapis, fabis, ac ſimilibus; vel non integras, ſed minores, adeout ſolvatur tantùm duodecima, vel vigeſima, aut trigeſima pars. *c. commiſſum 4. c. dilecti 8. c. in aliquibus 32. h. t.* Neque obſtat quod *in c. Non eſt 22. c. cum nobis 26. h. t. in fin.* dicatur, quòd decimæ ſolvendæ ſint cum ſua integritate: quia præfati textus non intelliguntur de integritate, quæ ſit decima pars: ſed de illa parte, quæ juxta conſuetudinem ſolvi debet; adeout hæc ſolvatur integrè, ſive ſit decima, ſive vigeſima, aut trigeſima, ſive ex uno, ſive ex altero genere fructuum. Licèt decimæ minutæ paſſim ſint abrogatæ, id tamen accipitur cum illa generali limitatione, ſi nimirum Parocho per talem conſuetudinem congrua ſuſtentatio non ſubtrahatur. Cæterum valet conſuetudo, ut clerici nullas ſolvant decimas, & ut laici non ſolvant perſonales, vel non niſi in fine anni: vel ut decima uni Parochiæ jure debita ſolvatur alteri *c. ad Apoſtolica 20. h. t.*

5 Verùm decimæ perſonales, ſeu ex lucro induſtriæ hodie ferè nullibi ſolvuntur, ut notat Navarrus *in Manuali c. 21. num. 31.* & Zipæus aſſerit, uſum in hac materia decimarum eſſe varium in variis locis: ait enim *tit. de decimis n. 5.* in aliquibus locis decimas leguminum eſſe in uſu; in aliis decimas lignorum, in aliis animalium. Conſuetudo ſi fuerit legitimè præſcripta poteſt derogare juri communi poſitivo *c. alt. de conſuetud.* proinde induci poteſt, ut alicubi decimæ non ſolvantur, dummodo miniſtris Eccleſiæ non deſint neceſſaria ad congruam ſuſtentationem illis debitam de utroque jure naturæ, & divino. Quantum verò temporis requiratur ad inducendam conſuetudinem eximentem ab onere ſolvendi decimas Layman *in Theol. Moral. l. 4. tract. 7. c. 6. num. 11.* aſſerit, quòd tametſi ad introducendam conſuetudinem contra legem eccleſiaſticam regulariter ſufficiant 40. anni: nihilominus quia lex ſolvendi decimas obligat ſub gravi peccato; conſet, non poſſe ordinariè immunitatem à ſolvendis decimis per conſuetudinem acquiri, niſi tempore immemoriali; ex quo ſcilicet ſucceſſores bona fide credant, ſuis majoribus per privilegium, aut aliunt titulum obligationem ſolvendi decimas fuiſſe olim remiſſam: alioquin ſubintraret textus *in c. cum haberet de eo, qui duxit*, nimirum quòd: *diuturnitas temporis peccatum non minuat; ſed augmentet:* & etiam textus *in cap. fin. de conſuetud.* ubi dicitur: *tanto ſunt graviora crimina, quanto diutiùs infelicem animam tenuerunt.* Communior tamen ſententia eſt, hanc conſuetudinem introduci ſpatio quadraginta annorum; quia hoc tempore etiam acquiritur jus decimandi, ut enim notat Abbas *in c. cum tua 30. n. 3. & 5. h. t.* ſi in aliquo fundo per annos quadraginta percepti ſint certi fructus ſub generali ratione juris decimandi, acquiritur conſuetudine jus percipiendi decimam de omnibus fructibus provenientibus à tali fundo: ita per id tempus etiam introducitur conſuetudo eam non ſolvendi; ſiquidem contrariorum eſt eadem ratio.

6 Per præſcriptionem poteſt etiam quis eximi à ſolvendis decimis. Notandum eſt diſcrimen inter conſoetudinem, & præſcriptionem; quia conſuetudo inducitur à tota communitate: præſcriptio verò à ſingularibus perſonis: minus præjudicii infertur parocho per præſcriptionem, quàm per conſuetudinem; quia minus damni patitur ſi unus tantùm, vel alter ſe eximat à ſolvendis decimis; quàm ſi tota communitas: prima exemptio contingit per præſcriptionem, ſecunda per conſuetudinem: cum enim decimæ non debeantur Eccleſiis, neque earum miniſtris jure naturali, vel divino poſitivo, nec quidem quoad certam, & determinatam quotam, ſeu ut ſolvatur pars decima fructuum, niſi quatenus illa eſt neceſſaria pro congrua ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ; ideo ſi de aliis proventibus eccleſiaſticis miniſtri Eccleſiæ habent congruam ſuſtentationem, poſſunt fideles per conſuetudinem, vel præſcriptionem liberari ab onere ſolvendi decimas. Neque obſtat, quòd *in c. In aliquibus 32. §. fin. h. t.* decimæ dicantur neceſſariò ſolvendæ, eò quia debitæ ſint de lege divina: quia id intelligitur per ſimilitudinem, vel originem, quatenus in lege ſcripta decimæ ſolvebantur ex præcepto divino, & Eccleſia ad imitationem veteris legis etiam ſtatuit, ut decimæ ſolverentur, adeout ſint tantùm de præcepto eccleſiaſtico poſitivo ad imitationem præcepti divini, ob quam rationem dicuntur ſuam ab illo trahere originem; propterea per conſuetudinem tolli, ac mutari poſſunt.

7 Si dicas, laicum non poſſe præſcribere jus percipiendi decimas, ut iſtæ ei ſolvantur; eò quia hoc jus ſit ſpirituale, cujus laicus non eſt capax *c. cauſam 7. de præſcript.* conſequenter neque poſſe præſcribere jus retinendi decimas. Contra eſt, negatur conſequentia; & ratio diſcriminis eſt, quia jus percipiendi decimas eſt ſpirituale, cujus eſt laicus incapax: ſecus jus exemptionis à ſolvendis decimis non eſt ſpirituale, proinde poteſt laicus hanc præſcribere exemptionem, licèt non poſſit præſcribere jus percipiendi decimas.

8 Dices, hanc præſcriptionem non ſolvendi decimas adverſari juſtitiæ, proinde non poſſe introduci: antecedens ex eo videtur ſufficien-

ter oſtendi; quia decimæ debentur Parocho tanquam ſtipendium curæ, ac laboris, quem impendit pro parochianis. & eſt contra juſtitiam retinere quod alteri eſt debitum, tanquam ſtipendium ratione ſuſcepti laboris. Contra eſt, quia conſuetudo legitimè præſcripta non eſt contra juſtitiam; vel enim eſſet contra juſtitiam reſpectu parochi, vel reſpectu Parochiani; non primum, quia ex ſuppoſitione, quòd Parochus ex aliis proventibus eccleſiaſticis habeat congruam ſuſtentationem, parum illius intereſt, num decimæ illi ſolvantur ab hoc, vel alio: decimæ non debentur Parocho, niſi pro ſuo labore, ut habeat, quo congruè ſuſtentetur; ſin autem pro ſuo labore habeat aliunde ex proventibus eccleſiaſticis, unde congruè ſuſtentetur; jam accipit ſufficiens ſtipendium pro ſuo labore ex juſtitia ei debitum: unde non læditur juſtitia, ſi præſcribatur exemptio non ſolvendi decimas, quia nil ipſi adimitur de congrua ſuſtentatione, cum hanc habeat ex aliis proventibus Eccleſiæ. Neque reſpectu Parochiani; quia fieri poteſt ut licèt unus, vel alter Parochianus non ſolvat decimas; non ideo cæteri parochiani plus ſolvant; quia quilibet decimas ſolvit ex propriis agris, & fundis; proinde non ideo debet plus dare, quia alter ſit liber ab onere ſolvendi decimas.

9. Præterea poteſt aliquis privatus ex rationabili cauſa eximi à communi onere aliorum: & hæc cauſa præſumitur interveniſſe, quando exemptio à decimis per conſuetudinem eſt legitimè præſcripta; quia vel præſumitur privilegium aliquod fuiſſe conceſſum; vel ſaltem bona fide exiſtimatur, illud præceſſiſſe; quia non videtur veriſimile, quòd Parochus, ad quem jus tale exigendi decimas pertinebat, tamdiu toleraverit ſibi non ſolvi decimas. Quamvis igitur laici ſint incapaces juris percipiendi decimas; proinde nulla præſcriptione etiam immemoriali illud poſſint acquirere *c. cauſam de præſcript.* tamen nullibi habetur expreſſum, quòd ſint incapaces exemptionis ab earum præſtatione.

10. Hinc laici præſcribere poſſunt exemptionem à ſolvendis decimis ſine titulo tempore excedente memoriam hominum, & ut juriſtæ dicunt tempore immemoriali, cum juris præſumptio ſit in contrarium *c. 1. de præſcript. in 6.* cum titulo autem ſpatio 40. annorum; quia non minore temporis ſpatio contra Eccleſiam currit præſcriptio, ut deſumitur ex textibus *in c. 4. 6. & 8. ſup. de præſcript.* niſi fortaſſis ob ſpecialem aliquam rationem *in c. ſi de terra inf. de privil.* & fusè Covarruv. *lib. 1. variar. reſol. c. 17. n. 10.* Caniſius *c. 17. num. 14. & ſeq.* Quòd ſi petas, cur ad conſuetudinem ſufficiant 40. anni ſine titulo; & ad præſcriptionem requiratur titulus; ratio diſcriminis eſt, quia conſuetudo reſpicit communitatem, quæ per diuturnum uſum legitimo tempore continuatum poteſt legi derogare; ut enim tota aliqua communitas ſe eximat ab obligatione ſolvendi decimas
1 per conſuetudinem contra legem decimarum inductam ſufficiunt quadraginta anni etiam ſine titulo *c. ult. de conſuetud. juncta Gloſſa legitimè*

ſit præſcriptio Covarr. *lib. 1. var. reſol. c. 17. §. decimo.* Secus præſcriptio reſpicit privatam perſonam, cujus uſus quantumvis continuetur, non poteſt legem introducere, nec abrogare, proinde requiritur Titulus.

Hoc autem procedit ſi præſcriptio fiat con- 11
tra Eccleſiam Parochialem, tunc enim cum titulo requiruntur 40. anni, & ſine titulo tempus excedens memoriam hominum. Quòd ſi præſcriptio fiat contra aliam Eccleſiam, vel monaſterium quadraginta anni ſine titulo ſufficiunt: vel præſcriptio ſit contra privatũ clericum, vel laicum, & tunc ſufficiunt cum titulo decem anni, ſine titulo triginta juxta vulgata præſcriptionis jura. Ad præſcribendam tamen hanc immunitatem à ſolvendis decimis requiritur bona fides *cap. fin. de præſcript.* ut quòd emerit agrum tanquam immunem à decimis, venditore privilegium, vel compoſitionem cum Parocho factam allegante; vel quia putativum privilegium habeat; vel quia ſui anteceſſores nunquam ab hominum memoria decimas ſolverint *text. in l. fin. ff. pro ſuo.*

Per compoſitionem etiam amicabilem ſu- 12
per decimis, ſeu per tranſactionem poſſunt etiam decimæ non ſolvi: poteſt enim inter clericos fieri compoſitio, ut uni non alteri decima ſolvatur *c. dilecti §. h. t.* ubi dicitur: qui habent privilegium non ſolvendi decimas ſi conducunt, vel ſumunt ad firmam prædia ſolvere ſolita, tenentur etiam ipſi de illis prædiis ſolvere; quia privilegia non intelliguntur de agris conductis; ſed poſſunt componere. Requiritur tamen ad hanc compoſitionem auctoritas ſuperioris, ſi agatur de decimis futuris in perpetuum; vel ultra vitam tranſigentis; vel etiam ſecundùm nonnullos ad longum tempus.

De decimis autem præteritis, ſeu fructibus 13
decimarum privata conventione tranſigi poteſt *c. ſtatuimus ſup. de tranſact.* & non tollitur per privilegium ſubſequens, niſi de illa fiat expreſſa mentio *c. ex multiplici 3. h. t.* ubi habetur: quod poſt conventionem de decimis, ſi altera pars obtineat privilegium à Papa non facta mentione de conventione; ſtandum eſt conventioni non privilegio: & additur ratio, quia Papa per privilegium non intendit derogare conventioni, quam non expreſſit, clerici itidem ad quos decimæ de jure pertinent poſſunt cum laicis tranſigere, vel componere, ſi acceſſerit conſenſus Epiſcopi, ſcilicet ut minorem partem ſolvant *c. 2. juncta Gloſſa V. perſonam eccleſiaſticam* Suarez *lib. 1. c. 12.*

Demum per remiſſionem poteſt etiam quis 14
fieri immunis à ſolvendis decimis: ſic clerici à præſtatione decimarum Epiſcopalium per remiſſionem canonicè factam, ſeu de conſenſu Capituli, & ex cauſa paupertatis eximi poſſunt *c. quia circa 22. inf. de privileg. can. fin. 16. q. 1.* poſſunt etiam decimæ remitti divitibus concordiæ, vel ſcandali vitandi cauſa; vel ob aliam juſtam cauſam.

Nunquam tamen per poteſtatem ſæcula- 15
rem poteſt quis eximi ab onere ſolvendi decimas; idque expreſsè habetur *in c. tua 25. h. t.* quia nemo poteſt alteri dare quod in ſe non habet:

Digitized by Goog

bet: & principes laici non habent poteſtatem diſponendi de rebus ſpiritualibus, neque aliis concedendi ſpiritualia jura, & ſi ea concedant, conceſſio eſt nulla, & habetur pro non dato, quod ab ipſis datur de juribus ſpiritualibus.

§. VII.

De primitiis, & oblationibus.

1 PRimitiæ dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, ac arborum, ut liquet *ex lib. Exodi c.* 23. *Deuter. c.* 16. juxta præſens inſtitutum nomine primitiarum intelliguntur primi fructus tempore, non bonitate, ut habetur *in c.* 18. *Num.* ubi dicitur: *univerſa frugum initia, id eſt, primitias, quas gignit humus.* Ita in animalibus primitiæ ſunt primogenita *Exod. c.* 13. *ſanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quàm de jumentis.* Hinc primitiæ differunt à decimis, quia primitiæ ſunt primi fructus è terra eo anno collecti: decimæ verò ſunt certa pars eorundem fructuum, quæ decima dicitur, eò quia ex decem partibus una detur Eccleſiæ pro congrua miniſtrorum ſuſtentatione. Ruſſus primitiæ immediatè offeruntur DEO in gratiarum actionem pro fructibus eo anno è terra perceptis; poſtea cedunt in alimenta ſacerdotum: ſecus decimæ immediatè dantur Eccleſiæ miniſtris pro eorum congrua ſuſtentatione, ut ſtipendium laboris.

2 Quo verò ſint primitiæ jure debitæ, conveniunt omnes, non deberi jure naturali; eò quia nullum extet præceptum juris naturalis obligans ad colendum Deum per oblationem primorum fructuum; cum poſſit Deus aliis modis, & oblationibus coli, ac exhiberi gratitudo erga ipſum: loquuntur doctores de primitiis, quæ non dantur miniſtris Eccleſiæ ratione congruæ ſuſtentationis; & ex ſuppoſitione, quòd miniſtri hanc aliunde habeant ex reditibus eccleſiaſticis; alioquin ratione congruæ ſuſtentationis poſſent eſſe debitæ miniſtris Eccleſiæ; ſicut iisdem eſt debita de jure naturæ congrua ſuſtentatio. Conſentaneum tamen eſt rationi naturali, honeſtum, ac conveniens, ut Deus per has primitias etiam colatur; eique ut ſupremo univerſorum domino primitiæ rerum omnium, quas percipimus offerantur, ac in ejus referantur honorem. Hinc ante legem ſcriptam, à Deo datam Moyſi, quamvis nullum extaret præceptum, has primitias offerendi Deo, nihilominus viri pientiſſimi, ac juſti divino afflati ſpiritu, Deique inſtinctu, non legis neceſſitate, ſed pia voluntate has primitias Deo obtulerunt; ſic Abel, & Cain multo ante legem datam iſte de frugibus terræ; ille de animalibus primitias obtulerunt: Abraham ſpoliorum decimas Melchiſedecho ſacerdoti dedit: Jacob promiſit, ſe Deo decimas omnium redditurum: Noë inter munda, & immunda animantia diſtinxit: hi & alii viri pii in lege naturæ nullo extante præcepto, ſed naturæ impulſu moti, vel divinitùs inſtigati, vel ſuis à parentibus, ac majoribus moniti primitias Deo obtulerunt; eò quia noverint honeſtum eſſe, ac congruum, ut cum bona omnia à Deo in nos deriventur, primitiæ eorundem ſupremo Numini offerantur: nil æquius quàm ut bonorum omnium largitorem primitiarum oblatione in ſignum grati animi recognoſcamus.

3 In lege ſcripta primitias omnium fructuum fuiſſe præcepto divino impoſitas, & has fuiſſe Deo oblatas ex præcepto legis illius, liquet ex variis ſcripturæ locis *Exod. c.* 23. *Numer. c.* 18. *Deuter. c.* 16. *& Malachiæ c.* 3. Deus conqueritur de Judæis, eò quia Deo decimas, & primitias non ſolverent. In qua verò quantitate hæ primitiæ darentur, non erat determinatum quoad præciſam quotam, ſed offerentium arbitrio id relictum erat: traditio tamen fuit, & uſus ut qui plurimum dare vellent, ii quadrageſimam partem fructuum darent, qui verò minimum ſexageſimam; & proinde inter ſexageſimam, & quadrageſimam partem liceret offerre, quid quisque voluiſſet: & cum in Pentateucho ſtatutum non eſſet, in qua quantitate primitiæ offerri deberent; eam Magiſtri Hebræorum, ut avaritiæ ſatisfacerent ſacerdotum, ſtatuerunt, ne ampliùs, quàm partem ſexageſimam in primitiis offerendis liceret exigere, ut etiam habetur *in c. decimam* 1. *h. t.* ubi referuntur decimæ, & primitiæ antiquæ legis.

4 Quod verò ad legem Evangelicam attinet, nonnulli cenſent, eas non deberi *arg. can. decimas & can. Revertimini* 16. ſed verior, & communior ſententia eſt, primitias in lege Evangelica ex præcepto debitas eſſe in duobus caſibus; primò ſi ſit conſuetudo eas præſtandi: ſecundò ſi miniſtri Eccleſiæ indigeant; quia congrua ſuſtentatio eſt ipſis debita de jure naturæ: imò in his duobus caſibus, qui detrectant primitias ſolvere anathemate feriuntur *can. Præter hoc* §. 2. *diſt.* 32. Præter hos duos prærecenſitos caſus ſolutio decimarum eſt tantùm de conſilio, non de præcepto: & quoad quantitatem probabilius eſt, eam non eſſe ſpeciali nomine definitam à jure; proinde arbitrio offerentium relictam; putârim tamen ſtandum eſſe conſuetudini, quæ optima eſt legum interpres; unde ea pars ſolvenda eſt, quæ moris eſt ut præſtetur. Si indigentia parochi, vel alterius ſacerdotis, cui ex conſuetudine debentur primitiæ, magna fuerit, plus erit offerendum, vel juxta conſuetudinem vicinioris loci *c. cum olim ſup. de conſuet.* Quòd ſi locorum vicinorum conſuetudines fuerint diverſæ, eligenda erit mediocritas: legatur Boërius *deciſ. 136. num. 4.* Et licèt primitiæ offerantur Deo tanquam bonorum largitori *d. can. Revertimini* quia tamen Deus ſuam partem dedit ſacerdotibus, & Levitis cultui divino inſervientibus; ideo ſolvi debent proprio Parocho, vel aliis ſacerdotibus Curatis; qui pro offerentibus primitias preces Deo fundunt *can. Eccleſias* §. *item cum decimis* 13. *q.* 1. non tamen tenetur Parochus ſtatim primitiarum ſolutionem acceptare, ſed tandiu debet expectare, quamdiu periculum abſit ne pereant. Cæterum primitiæ per contrariam conſuetudinem abrogari poſſunt; & nunc vix alicubi primitiæ ſolvuntur; quia Parochi, & alii ſacerdotes Curati, vel ex decimis, vel aliis reditibus eccleſiaſticis ſuam

by Google

ſuam ubique locorum congruam habent ſuſtentationem.

5 Oblatio generatim ſumpta idem eſt, ac rei alicujus non petitæ ſpontanea largitio; quæ ſi fiat homini, donatio dicitur: ſi Deo, oblatio in jure canonico vocatur, & meritò. Quia cum Deus ſit rerum omnium ſupremus Dominus, & omnia bona ſua ſint, & ab ipſo in nos deriventur; nihil Deo dare poſſumus; ſed tantùm offerre. Dividitur oblatio ut genus in duas ſpecies, ſeu decimas, & primitias, prout ad præſens pertinet inſtitutum. Oblatio ſpecialiter dicitur quidquid à Chriſti fidelibus de propriis, ac licitis ad divinum cultum, vel honorem, Deo vel Eccleſiæ datur *cauſ. Carpenſis 13. inf. de V. S.* ſive ſit res mobilis, ut monilia, pecunia, ornamenta, & alia id genus: ſive ſit res immobilis ut ager, prædium, fundus. Tripliciter autem poteſt oblatio fieri. Primò ſi donetur Deo, vel Eccleſiæ inter vivos. Secundò ſi donetur Deo, vel Eccleſiæ cauſâ mortis. Tertiò ſi donetur ad altare, vel ad manum ſacerdotis celebrantis *can. Antiquos 10. quæſt. 1.* ex inolita conſuetudine hæc tertia donatio ſpecialiter oblatio dicitur.

6 An verò detur præceptum aliquod, ex quo Parochiani teneantur certis temporibus oblationes facere ſacerdoti Curato, videtur difficultas oriri *ex c. omnis Chriſtianus de conſec. diſt. 1.* ubi legitur: *omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre; & dare ad memoriam, quòd Deus per Moyſem dixit, non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Communis tamen ſententia aſſerit, nullum adeſſe præceptum de oblationibus faciendis; & revera oblationes de ſui natura ſunt voluntariæ; & nemo tenetur diebus feſtis, ac dominicis ad offerendum. Verùm nonnunquam oblationes ſunt neceſſariæ. Primò ratione conſuetudinis *arg. c. ad Apoſtolicam 42. de ſimonia*, huic autem conſuetudini ſatisfit, quando pars major populi, capituli, vel collegii offert. Quòd ſi dicas, in actibus meræ voluntatis non introduci conſuetudinem, neque præſcriptionem, ut docent communiter doctores *in c. Abbate de V. S. & in l. 2. ff. de via publ.*

7 Reſpondet Guttieres *can. qq. lib. 2. c. 21. num. 144.* hanc doctrinam fallere cùm agitur de favore Eccleſiæ. Verùm hæc reſponſio non videtur niti ſufficienti fundamento; quia nullibi in jure reperitur, quòd hæc conſuetudo introducta ſit ex pacto, ut cenſet Guttieres & id probatur *ex c. veniens 10. de teſtib.* Reſpondetur igitur, introduci conſuetudinem per diuturnum uſum generalem; & hoc pacto fuiſſe introductam ſub initiis Eccleſiæ: fideles enim certis anni feſtivitatibus conſueverunt inter miſſarum ſolemnia oblationes facere: unde ſi alicubi etiam nunc talis conſuetudo viget, putârim hanc obligare. Secundò ſi miniſtri Eccleſiæ indigeant; quia nemo tenetur ſuis ſtipendiis militare *c. cùm ex officii de præſcript.* Tertiò ſi concedatur fundus alicui communitati, vel univerſitati ea adjecta conditione, ut fiat oblatio Eccleſiæ *can. oblationes 14. q. 2.* Quartò ex deputatione, aut promiſſione, ut ſi quis inter vivos, vel mortis cauſa aliquid relinquat Eccleſiæ ſolvendum, ac offerendum *can. nulli 12. q. 2.*

8 Si oblationes fiant in Eccleſia pertinent ad paſtorem, vel prælatum ejusdem *can. quia ſacerdotes 10. q. 1.* ſi fiant in aliquo ſacello Eccleſiæ parochialis pertinent ad Parochum, ut tradit Panormitanus *in cap. Paſtoralis num. 2. de his, quæ fiant à Prælato.* Excipitur tamen ſacellum habens regimen, ac bona diſtincta ab Eccleſia Parochiali; in hoc ſtandum eſt conſuetudini, quæ eſt optima legis interpres. Si offeratur aliquid altari exiſtenti in Eccleſia non intuitu Eccleſiæ, ſed altaris, ſeu ſacelli habentis bona diſtincta cedit oblatum uſui illius altaris, Piaſecius *2. p. c. 5. art. 4. num. 44.* Cæterum de oblationibus, quæ fiunt in Eccleſia poteſt Epiſcopus participare *can. conceſſ. 12. q. 2.* ſi vigeat conſuetudo; alioquin Parochus habet intentionem fundatam de jure ſuper oblationibus, quæ fiunt intra fines ſuæ Parochiæ, ut etiam, quæ fiunt circa benedictiones nuptiarum, purificationes poſt partum, in adminiſtrandis ſacramentis, miſſisque celebrandis *can. ſtatuimus 16. q. 1.* ſive hæc Parochus immediatè per ſe ipſum exerceat; ſive mediatè per alios *c. qui facit de R. J. in 6.*

9 Quòd ſi Epiſcopus celebret in cathedrali, vel etiam in parochiali Eccleſia, vel alia, tunc oblationes ad ipſum ſolum pertinent, *c. ſuper eo de Parochiis.* Hoc idem etiam procedit de Archiepiſcopo, quando celebrat in ſua provincia, niſi conſuetudo fuerit in contrarium; vel frequentius ibi celebret. Ubi Epiſcopo in Eccleſia celebrante oblationes debentur Parocho ex conſuetudine, adhuc Epiſcopus ex iisdem ſuam accipit portionem canonicam *c. conquerente de officio Ordinarii.* Si tamen Epiſcopus celebret in locis exemptis, oblationes debentur habenti jus Parochiale. Quòd ſi Parochiani nolint oblationes facere, non tamen debet Parochus iisdem Sacramenta denegare, ſed debet implorare officium ſuperioris; idque procedit quamvis Parochiani conſueverint oblationes præſtare; quia ſæpe tales conſuetudines exigunt cognitionem cauſæ, an legitimè fuerint introductæ; & Parochus non debet eſſe Judex in propria cauſa: tum quia talis ceſſatio à divinis videretur habere quandam ſpeciem ſimoniæ; quaſi Parochus nollet Sacramenta miniſtrare, eò quia non accipiat pecunias, & oblationes *argum. c. cum in Eccleſia 6. de ſimonia.*

10 Dubitari poſſet, an oblationes, quæ fiunt in eccleſiis Regularium, in quibus Regulares non habent jura Parochialia pertineant etiam ad Parochum? Affirmat Azorius *part. 1. l. 7. c. 27. q. 13.* niſi Regulares ſint contra Parochum ſpeciali privilegio muniti: ſed hæc ſententia nulli nititur juris textui: unde dicendum putârim cum Pasqualigo in Addit. ad Lauretum de de Franchis *part. 2. q. 69. tex. in c. 1. de ſtat. Monach.* oblationes factas in eccleſiis regularium pertinere ad ipſos regulares; neque in hoc ullum inferri præjudicium ordinario loci, neque Parocho; & id fuiſſe declaratum pluries à ſacra Cardinalium congregatione refert idem Pasqualigus *l. c. num. 3.* unde Regulares poſſunt recipe-

recipere oblationes fidelium, quæ inter missarum celebrationes fiunt; dummodo eas non quærant, neque extorqueant à fidelibus. Ex oblationibus tamen, quæ occasione sepulturæ fiunt in ecclesiis Regularium canonica portio debetur Parocho, quia cum ministraverit Sacramenta viventi, debet etiam utilitatem in funere experiri.

11 Non tamen ab omnibus promiscuè recipi possunt, nec debent oblationes; non ab hæreticis, excommunicatis, simoniacis, oppressoribus pauperum, raptoribus, usurariis manifestis, aliisque similibus, ut tradit Clemens Romanus *lib. 4. constit. Apost. c. 6.* nimirum in detestationem talium criminum, ut criminosi ita rejecti resipiscant; & ne Ecclesia videatur delinquentibus favere, oblationes ab iisdem percipiendo. Neque accipiuntur à publicis pœnitentibus, neque à meretricibus, neque furibus, & aliis offerentibus aliena *c. causa Carpensis.* Laicis autem interdictum est sub pœna excommunicationis papalis oblationes percipere, vel aliis percipiendas committere *can quia sacerdotes 13. & seq. q. 1. Concil. Trident. sess. 22. c. 15.* imò nec valet consuetudo eas recipiendi, quia non sunt capaces talium oblationum.

§. VIII.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an Hæretici teneantur decimas solvere? Respondetur, teneri non solùm ratione prædiorum, quæ sita sunt intra fines, seu limites Parochiæ; & quibus semper adnexum fuit hoc onus, ut eorum possessores decimas de fructibus ex iisdem perceptis solverent; verùm etiam ratione personæ, quamvis hæresis labe infectæ, adeout hoc debitum sit etiam personale, ut notavit Abbas *in c. de terris 16. in fin. h. t.* siquidem cum hæretici per baptismum ritè susceptum fuerint Ecclesiam ingressi, ac fidem receperint, ac professi sint, unà cum charactere; ideo per se, ac ratione personæ, debent ut cæteri fideles ex præcepto Ecclesiæ, in quam fuerunt per susceptum baptismum ingressi decimas solvere. Neque ob eorum contumaciam in suis erroribus debent eximi ab hoc onere solvendi decimas; sicut neque eximuntur peccatores, licèt sint usurarii publici, fures; alioquin ex propria iniquitate commodum consequerentur. Neque obstat, quòd hæretici de facto non recipiant à Parocho Sacramenta, neque alia spiritualia, quia id non provenit ex defectu Parochi; sed ex eorum protervia, cum nolint resipiscere, & Sacramenta sicut cæteri baptizati recipere: unde quòd non recipiant Sacramenta à Parocho refundendum est in eorum contumaciam, quæ non debet illos eximere ab hoc onere, ne ex sua iniquitate commodum consequantur.

2 Quæritur secundò, an ex rebus illicitè acquisitis solvendæ sint decimæ; ut si Titius ex pecunia usuraria, vel alio modo illicitè acquisita emat agrum, teneatur ex fructibus inde perceptis decimas solvere? Respondetur, decimas prædiales ex quocunque lucro sit prædium requisitum esse solvendas: ratio est, quia fructus illi non sunt ex usura, vel furto; sed ex Dei munere, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 87. art. 2. ad 2.* proinde non dicuntur debitæ ex actione injusta; sed ex fructibus terræ, & qui à Deo sunt producti ex terra. Tum quia onus decimarum cum sit adnexum ipsi prædio, sive hoc ematur pecuniâ usurariâ, sive aliâ; sive possideatur ab uno, vel altero, peccatore, vel justo; semper res transit ab uno domino ad alium cum suo onere reali; proinde dominus prædii quicunque sit, & quacunque pecunia illud emerit; illud emit cum suo onere, ac propterea ex fructibus ab eodem perceptis tenetur decimas solvere; quia prædium, & ejus fructus sunt tali obligatione affecti; hinc in decimis illis prædialibus nunquam attenditur, quisnam possideat, nec qua pecunia, vel titulo tuerat prædium acquisitus: sed prædium cum suo onere transit ad quemcunque possessorem, qui propterea sive sit bonæ, sive malæ fidei possessor, tenetur decimas solvere *Glossa in c. decima 66. v. Negotio can. 16. q. 1.*

3 Quòd verò ad decimas personales attinet, procedendum est cum distinctione, quia dupliciter possunt res illicitè acquiri: primò contra justitiam commutativam, ut si res sint injustè acquisitæ per furtum, rapinam, usuram, venditionem ultra justum pretium, vel per simoniam; adeout non acquiratur dominiũ talium rerũ ipsi accipienti, sed res acceptæ ab eo repeti possint; & is teneatur restituere: & tunc ex tali injusto lucro Ecclesia non accipit decimas; quia cum accipiens rem injustam, non acquirat dominiũ, non potest de illa disponere; quia de re non sua, nemo disponit; & res quæ debet restitui, non computatur inter bona restituentis *l. non possunt 11. ff. de jure fisci.* Secundò potest injustè, ac illicitè acquiri pecunia; ita tamen ut acquisita non sit ampliùs restituenda; ut si meretrix ex eo quòd copiam faciat sui corporis injustè, ac illicitè pecuniam accipiat, quam tamen non tenetur restituere, postquam concessit danti usum sui corporis; licèt fuerit injustè, seu mediante peccato acquisita; & de hoc lucro solvendæ sunt decimæ personales; alioquin malè agentes melioris essent conditionis, quàm bene operantes; & iniqui commodum reportarent ex propria iniquitate. Idque procedit per se, quia per accidens potest aliter obtingere ratione scandali. Verùm decimæ personales ferè nullibi sunt in usu.

4 Quæritur tertiò, an decimæ prædiales solvendæ sint integrè, non deductis priùs ex fructibus indecimatis expensis, tributis, & pensionibus? Respondetur affirmativè, ratio est, quia decimæ solvuntur Deo speciali titulo, & prærogativa in signum dominii universalis, ac supremi, quod Deo competit ut supremo, ac dispotico domino rerum omnium: secus tributum, vel pensio solvitur in signum particularis dominii, quod uni homini in alium competit: sed particulare dominium, & jus humanum est subjectum universali, ac divino dominio, quod cum sit fortius, ac principalius, debet eidem cedere

quodvis aliud particulare dominium, ac jus humanum: hinc quia dominium creaturæ cedit divino dominio, cui ſubjicitur, ſequitur quòd decimæ ſint ſolvendæ integrè, neque per tributa, vel penſiones debeant minui. Hoc idem procedit de decimis mixtis, quia hæ prædialibus accenſentur, vel propiùs ad illas accedunt; proinde etiam integrè ſolvi debent, & deſumitur *ex c. cum homines 7. h. t.* ubi Alexander III. expreſsè mandat, ut decimæ integræ ſolvantur ſine deductione expenſarum; & ut deductum reſtituatur. Id procedit de decimis prædialibus, non ita de perſonalibus, quia iſtæ non ſolvuntur, niſi deductis priùs expenſis neceſſariis de lucro per negotiationem, vel aliam induſtriam acquiſito, ut habetur *in c. Paſtoralis 28. h. t.* Ratio diſcriminis, cur decimæ prædiales, & mixtæ debeant integræ ſolvi non deductis expenſis; & perſonales è contra niſi deductis priùs expenſis, eſt; quia prædiales, & miſtæ ſolvuntur de fructibus terræ, qui omnes à Deo ex terra ſubſtantialiter producuntur, & ſpecialiùs in illis operatur Deus, ut notat Gloſſa *in d. c. Paſtoralis V. deducendas*: proinde decima pars omnino integra eſt Deo ſolvenda in recognitionem ſupremi ejus dominii in res omnes, & in ſuſtentationem ejus miniſtrorum.

1 Secus decimæ perſonales cum non ſolvantur niſi de lucro *d. c. Paſtoralis 26. h. t.* & lucrum in communi æſtimatione non cenſeatur niſi quod ſupereſt deductis expenſis; ideo ſi decimæ perſonales ſolvuntur de lucro, debent priùs deduci expenſæ, quia ſolùm quod manet deductis expenſis eſt propriè lucrum. Pluribus tamen in locis decimæ perſonales ſublatæ omnino ſunt; & in aliquibus in fine tantùm vitæ ſolvuntur, in aliis nunquam; ſtandum eſt conſuetudini locorum. Similiter multæ decimæ prædiales, & mixtæ variis in locis abolitæ ſunt; idque factum fuit permiſſu Eccleſiæ; cum videret ſæculares ægrè ſolvere, neque judicaret compellendos ad vitanda ſcandala: vel quia plura alia bona à fidelibus relicta fuerunt eccleſiis, & hæc ſufficerent ad congruam ſuſtentationem Parochi, & aliorum ſacerdotum.

6 Quæritur quartò, an emptor prædii, cujus poſſeſſor, ſeu venditor non ſolverat per decennium decimas teneatur eas ſolvere; adeout decimæ ſequantur poſſeſſorem prædii. Reſpondent Caniſius *de decimis c. 4.* Zœſius *eod. tit. n. 52.* & alii, emptorem non teneri decimas non ſolutas ab anteceſſore domino prædii ſolvere, eò quia decimæ non ex prædio, ſed ex fructibus prædii ſolvendæ ſint; & cum emptor non perceperit fructus præcedentes, non tenetur ex illis decimas ſolvere. Neque obſtat, quòd tributa ſint ſolvenda ab ipſo emptore: quia hoc dicunt eſſe diſcrimen inter tributa, ac decimas, quòd onere tributorum ipſa prædia graventur; onere verò decimarum ipſi fructus afficiantur; idque ex eo evincunt, quia ſi prædia elocata ſint, non domini prædiorum, ſed conductores, ſeu fructuum perceptores tenentur decimas ſolvere *c. dilecti 8. c. à nobis 24. h. t.* Hæc ſententia licèt perquam probabilis eſſe videatur; nihilominus communior opinio in favorem Eccleſiæ aſſerit, poſſeſſorem prædii obligari ad ſolvendas decimas retroactis annis non ſolutas; ita tamen ut emptor ſuum regreſſum ad compenſationem damni habeat contra venditorem ob evictas decimas. Idque probatur *ex l. Imperatores 7. de publician. & l. prædiis 36. §. de jure fiſci.* ubi de vectigalibus, & tributis ſtatutum eſt, ut ad ea etiam temporis præteriti ſolvenda conveniri poſſint prædiorum poſſeſſores: eò quia hujusmodi onera, prædia potiùs, quàm perſonas afficiant.

7 Hinc deſumitur argumentum de decimis ſolvendis ab ipſo poſſeſſore prædii, ſi antea non fuerunt ſolutæ, ſunt enim decimæ tributa animarum egentium, ut habetur in *c. decima 66. 10. quæſt. 1.* Imò ante omnia tributa ſolvi debent decimæ ob prærogativam dominii generalis, ut deſumitur *ex c. cùm non ſit 33. h. t.* ubi dicitur: priùs ſunt ſolvendæ decimæ, deinde cenſus, & alia tributa: & ſi ſolvantur priùs tributa indecimata, illa etiam ſunt decimanda ſub pœna excommunicationis: quia res tranſeunt cum hoc onere ſolvendi decimas; quamobrem cùm onus decimarum afficiat potiùs prædium, quàm perſonam, à prædio exigi debent à quocunque poſſideatur: hac enim ratione etiam Judæi tenentur decimas prædiales ſolvere *c. de terris 16.* Rurſus habens prædia in alia parochia, in qua non percipit Sacramenta tenetur decimas prædiorum ſolvere illi parochiæ, in qua ſita ſunt. Demum quia decimæ ſunt onus reale, quod in quemcunque poſſeſſorem tranſit. Docent hanc ſententiam Riccius *p. 2. reſol. 57.* Rebuffus *de decim. q. 9. num. 9.* & ferè communiter alii.

8 Cæterum poteſt Parochus, vel Eccleſia ob decimas non ſolutas etiam debitorem convenire, ſi emptor ob potentiam ſit difficilis conventionis: non enim quòd in favorem Eccleſiæ eſt introductum, nimirum, ut novus prædiorum poſſeſſor conveniri ab eadem poſſit, id debet ei detrimento eſſe, ac in ejus odium retorqueri: cùm enim venditor prædium poſſederit, fructúsque integros perceperit, naſcitur contra ipſum actio perſonalis, ſeu condictio ex canone ad ſolvendas decimas, quæ per venditionem prædij non videtur expirâſſe.

9 Neque obſtat aſſignatum diſcrimen à Caniſio inter tributa, & decimas: ſiquidem in quæſtione eſt, an ob decimas præcisè tantùm ipſi fructus; vel potiùs prædia propter fructus, ut decimales, obligata ſint. Nec quod addebatur de conductoribus prædiorum videtur oppoſitum convincere, immo potiùs noſtræ aſſertioni favet, quia ut exponit Gottoffredus *in l. obſiſtere 10. Cod. de annon. & tribut.* etiam tributa à colonis, & emphyteutis ſolvuntur *l. 2. C. de jure emphyteut.* quòd ſi iſti dilapſo anno intra ſex menſes non ſolvant tributa, tunc domini prædiorum conveniuntur: ſicut igitur tributa exiguntur à colonis, ita etiam decimæ à novis poſſeſſoribus prædiorum, ſeu ab ipſis emptoribus. Neque obſtat, ſi dicas, tributa eſſe ſolvenda etiam data ſterilitate, non ita decimas; eò quia iſtæ extrahantur tantùm ex fructibus enatis, qui ſi ob ſterilitatem non fuerunt producti, nec decimæ ex ipſis ſolvi poſſunt: quod evincit, decimas afficere fructus tantùm, & tributa prædia. Nam

contra est, quia ex inde tantùm probatur, quòd tributa sint simpliciter, & absolutè onera prædiorum, & decimæ tantùm conditionatè, seu sub conditione implicita fructuum producendorum. Tum quia etiam in magna sterilitate si non compensetur per priorem, vel sequentem ubertatem, solet etiam saltem de æquitate fieri remissio tributorum tanquam cessante causa *argum. l. 1. C. de omni agro deserto.*

10 Quæritur quintò, an qui bona fide per decem, vel viginti annos decimas Ecclesiæ non solvit, si postea condemnetur ad illas solvendas, teneatur etiam decimas temporis præteriti solvere? Videtur respondendum negativè, eò quia possessor bonæ fidei, à quo res possessa per sententiam evincitur, non tenetur ad restitutionem fructuum consumptorum §. *si quis à non domino 25. instit. de rer. division.* imò neque extantium, quos bona fide per triennium possedit, & usucepit, Bart. *in l. 4. §. fructus ff. de usurp.* siquidem præscriptio triennalis etiam contra Ecclesiam procedit, ut communiter docent doctores *in auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* Nihilominus communior, & verior sententia est, decimas etiam temporis præteriti restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit: siquidem alia est ratio de fructibus ex re aliena perceptis, & alia de decimis; quia in fructibus præscribitur dominium verum, & irrevocabile, cùm priùs fuerint alieni, & tantùm in quasi revocabili dominio possessoris ad eum principaliter effectum, ut exclusa actione *in factum*, possessor eos potuerit jure consumere: secus in decimis præscribitur ipsa obligatio, & actio, veluti in quibus Ecclesia nondum in sui præjudicium dominium habuerit, sed condictionem ex canone, ut docet Glossa *in c. tua nobis b. t.* obligationes autem, & actiones regulariter sunt perpetuæ, durantque ad 30. annos, & contra Ecclesiã ad 40. *prine. instit. de perpet. & temp. act. junct. l. omnes, & l. sicut. C. de præscript. 30. ann.* Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd tametsi possessor bonæ fidei lucretur fructus, non tamen id infertur de decimis, cùm hæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorii, & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione.

11 Quæritur sextò, an privilegium concessum Regularibus de non solvendis decimis ex prædiis, quæ eorundem manu, vel sumptu coluntur, comprehendat etiam prædia conductitia? Respondetur, hoc privilegium non se extendere ad prædia conductitia, & desumitur *ex c. dilecti 8. h. t.* ubi habetur, quòd qui habent privilegium non solvendi decimas si conducant, vel sumant ad firmam prædia solita solvere, tenentur etiam ipsi de prædiis illis solvere, eò quia privilegia non intelligantur de agris conductis. Ratio itidem est, quia privilegium Principis, si cedat in alterius præjudicium, debet strictè interpretari, neque ita intelligi debet, ut per illud grave damnum inferatur tertio *l. 2. C. de precibus Imper. offer.* sed si Religiosi non solùm in propriis, verùm etiam in conductitiis prædiis immunes essent à solvendis decimis, id procul dubio in grave cederet præjudicium, & damnum Ecclesiæ parochialis, intra cujus fines sita sunt prædia illa conductitia: & eò majus esset damnum, quo Religiosi plura conducerent prædia: igitur privilegium immunitatis à decimis concessum Religiosis non extenditur ad prædia conductitia, sed tantùm comprehendit propria, quæ propriis eorum manibus, vel sumptu coluntur, ut habetur *in c. ex parte 10. h. t.* Tum quia prædia conductitia non sunt propria Religiosorum, sed aliena, & privilegium tantùm comprehendit prædia propria.

Quæritur septimò, an laici, qui prædia con- 12
ducunt Religiosorum teneantur decimas solvere? Respondetur affirmativè, quia privilegium jure communi concessum Religiosis, ut ex prædiis, quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt, non teneantur decimas solvere; non extenditur ad terras, seu prædia, quæ Religiosi aliis tradunt excolenda, de his enim conductores tenentur decimas solvere ecclesiis parochialibus, idque desumitur *ex l. licet 11. h. t.* ubi dicitur: qui habent privilegium non solvendi decimas de agris, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, debent solvere de terris, quas aliis colendas tradunt: & ratio est, quia privilegium cùm cedat in præjudicium Parochi, debet strictè interpretari, proinde non debet extendi ad prædia, quæ per alios colonos excoluntur, ut notat Abbas *in d. c. licet num. 2.* unde cùm privilegium concedatur Religiosis de illis prædiis, quæ proprio labore, vel sumptu colunt, eo ipso quòd hoc idem præstant per colonos, deficit conditio, sub qua tale privilegium fuit concessum, quia tunc Religiosi non ampliùs proprio labore, vel sumptu prædia illa colunt: proinde tenentur coloni solvere decimas ex illa parte fructuum, quam ipsi percipiunt.

Juvat observare, quòd si privilegium im- 13
munitatis à solvendis decimis fuerit concessum Religiosis intuitu personarum, adeout privilegium sit personale tunc, non transit ad colonos, quia tale privilegium non egreditur personam, cui concedicur *l. in omnibus 68. §. de R. J.* Sin autem privilegium reale fuerit, adeo ut afficiat ipsa prædia, tunc hæc eximuntur ab onere decimarum, quia privilegium est affixum prædio, cui inhæret, sive ab uno, sive ab altero excolatur. Potest multipliciter prædium tradi alicui ad excolendum. Primò ut nudo ministro, seu famulo, qui sumptu Heri illud debeat colere, & pro mercede est ipsi constituta pecunia, vel quid aliud, & tunc prædium sumptu domini, vel monasterii coli intelligitur, proinde est immune à decimis solvendis, quia licèt Religiosi illud non colant proprio labore, dant tamen alteri excolendum proprio sumptu. Secundò dari potest prædium alteri excolendum pro certa annua pensione pecuniaria, & tunc habetur propria locatio, vel emphyteusis, & conductor vel emphyteuta tenetur decimas solvere: ratio est, quia tunc percipit omnes fructus ex tali prædio. Tertiò interdum datur alteri prædium excolendum pro pensione fructuaria, scilicet pro tanta quantitate frumenti, vel vini, & hæc nonnisi impropriè dicitur locatio: est enim po-

tiùs contractus innominatus do, ut des: quòd si ultra decennium prædium ita locetur, tunc est contractus emphyteuticus: & quia in hisce contractibus prædium colitur sumptu coloni, tenetur hic decimas ex perceptis fructibus solvere, ut notat Abbas *in c. ex parte 10. n. 2. h. t.* Nonnunquam datur prædium excolendum colono partiario, adeo ut jure societatis dimidiam, vel tertiam partem fructuum percipiat, & quod supereſt teneatur domino tradere: & tunc colonus partiarius etiam suo sumptu tenetur prædium excolere; proinde debet etiam solvere, quia monasterium tunc nec proprio labore, nec proprio sumptu prædium illud excolit: unde colonus ex illa parte fructuum, quam percipit, tenetur decimas solvere.

15 Quæritur octavò, an hoc privilegium exemptionis à decimis prædialibus non solvendis concessum Regularibus, vel aliis, qui jure communi tenerentur eas solvere, sit odiosum, vel favorabile? Respondetur, respectu eorum quibus tale privilegium conceditur censeri favorabile, siquidem favet Religiosis: absolutè tamen esse potiùs odiosum, proinde restringendum non ampliandum: siquidem derogat juri communi, & cedit in præjudicium Ecclesiarum parochialium: siquidem in rescripto, seu privilegio Principis nil videtur concessum, quod cum incommodo alterius fit, nisi exprimatur *l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publico.* Verùm cùm privilegium dicitur esse strictè interpretandum, eò quia præjudicet aliis, id debet ita intelligi, ut ultra verborum propriam significationem, seu usitatam acceptionem nulla fiat extensio, etiam ob majoritatem rationis, servatâ tamen communi verborum proprietate, & usitatâ significatione, adeo ut omnia in illa extensione comprehendantur, si nulla exceptio, vel limitatio sit apposita; & desumitur *ex c. ad audientiam 12. h. t.* ubi dicitur, quòd privilegium concessum de non solvendis decimis ex labore, intelligitur etiam de terris, quæ non sunt novalia, dummodo propriis manibus, vel sumptibus colantur; quia Pontifex fuit usus verbis generalibus absque ulla exceptione. Id tamen procedit, quando ex verbis adjunctis, vel ex adjecta ratione, aut aliis conjecturis contrarium non apparet.

16 Quæritur nonò, an Ecclesia habeat dominium decimarum, antequam fructus separentur à prædio? Respondet Glossa *in c. tua nobis de decimis & c. 23. moderamine 16. q. 1.* Ecclesiam non habere dominium ante separationem, eò quia decimæ petantur per Ecclesiam condictione ex canone, vel ex officio judicis, & condictio ex canone est actio personalis, ut liquet *ex §. sic itaque instit. de action.* & ita docent plures Canonistæ cum Federico *consil. 74.* Secus alii cum Panormit. *in c. commissum, & c. tua nobis h. t.* probabiliùs docent, Ecclesiam habere dominium ante separationem fructuum, idque probant. Primò quia Deus dicit, decimas, & primitias *suas* esse, *c. tua nobis*, & illud *suas* significat dominium. Secundò, quia Ecclesia dicitur posse decimas vindicare *c. moderamine 16. q. 1.* & vindicatio datur domino in rem suam *l. in rem. ff. de rei vindicatione.* Tertiò, quia venditio fructuum non decimatorum non est valida, & Ecclesia semper potest ex illis suam portionem extrahere *c. pastoralis de decimis*; id autem non esset, nisi Ecclesia haberet dominium decimæ partis saltem in confuso.

Neque urget, si dicas, dominium non com- 17
parari sine apprehensione: quia sicut Ecclesia habet privilegium, ut in rebus emptis, donatis, & legatis dominium acquirat sine rerum apprehensione, ut habetur *l. ut inter jus C. de SS. Eccles.* ita etiam dicendum de decimis: & hæc sententia probabilior est. Præterea Ecclesia habet etiam jus non solùm ad rem, sed etiam in re, quod æquivalet dominio partiali, & illis convenit, quorum frumentum mutuo consensu est permixtum: etenim apud quemcunque fructus non decimati extent, potest Ecclesia uti jure suo, & ex illis decimam partem detrahere, ut desumitur *ex c. cum non 33. h. t.*

Quæritur decimò, an qui justo bello incen- 18
dunt hostium segetes, teneantur decimas Ecclesiæ restituere? Respondetur cum Panormitano *in d. c. commissum* non teneri, quia quòd decimæ tunc pereant, est per accidens, ratione commixtionis cum re alterius: & hostes ut victoriâ potiantur, utuntur jure suo, à quo non debent impediri propter decimas, quæ inde solverentur ecclesiis. Quinimo sunt etiam qui docent, non teneri Ecclesiæ decimam resarcire, qui agricolam à serendo, aut piscatorem, à piscando injustè impedivit: quia decima tantùm debetur de fructibus jam perceptis, & extantibus, non verò de fructibus, qui non percipiuntur: imò id etiam extendunt ad eum, qui segetes sui inimici succendit ob eandem causam, ut notant Covarruv. *regul. peccat. p. 2. §. 8. num. 12.* Molina *de just. disp. 49.* & revera saltem hujusmodi restitutio non est in usu: imò qui fraude sententiam judicis impedivit non tenetur pœnam solvere, eò quia hæc non debeatur ante condemnationem.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

QUia Pontifex in præcedentibus titulis fuit speciatim locutus de clericis secularibus, eorúmque moribus, bonísque externis, nunc transit ad alios Ecclesiasticos, qui dicuntur Regulares à regula speciali, quam profitentur: dicuntur enim Regulares, qui certo voto se adstrinxerunt, séque regulæ monasterii subjecerunt: qua ratione cœpit

Cano-

Canonicorum esse aliqua distinctio, ut quidam sæculares,& alii Regulares dicantur: quod etiam procedit de clericis, quorum plures hodie sunt Regulares, & alii sæculares; olim omnes Canonici erant Regulares, ut etiam clerici erant Canonici, eò quia viverent sub regula. Cæterum hic Titulus est de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem, & Pontifex explicat, quo jure quisque teneatur legibus sui monasterii, vel ordinis, & quomodo debeat votum emittere. Quia verò à Concilio Tridentino *sess.* 24. *de regul.* jure novo plura aliter statuta sunt, quàm in his canonibus reperiatur circa ætatem ingredientium Religionem,novitiatum, & tacitam professionem, ideo opus erit decreta Concilii Tridentini etiam addere decretalibus hujus tituli.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NULLUS* 1. *h. t. ex Concilio Maguntino statuitur, ut nullus tondeatur nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate. Ubi notandum est, nomine tonsuræ in textu intelligi eam, quæ solet fieri quando quis emittit professionem inter Canonicos Regulares, & Monachos, adeò ut perinde sit, ac si textus diceret, nullum esse admittendum ad professionem ante legitimam ætatem, & nonnisi spontanea voluntate suscepit habitum, & tonsuram religiosam: quia vis, metus, & error constituunt professionem irritam* c. Præsens clericus 20. q. 3. *ubi notandum est, olim legitimam ætatem pro emittenda professione fuisse pubertatem completam, nimirum in viro annum* 14. *completum, & in fœmina* 12. *Hodie tamen ex decreto Concilii Tridentini* sess. 25. de Regul. c. 15. *in quacunque virorum, vel mulierum religione ad validam professionem requiritur annus decimus sextus ætatis completus; adeò ut non sufficiat ultimum diem hujus ætatis fuisse cœptum, sed debere esse annum completum de momento ad momentum, adeò ut in anno bisextili teneatur Novitius differre professionem in sequentem diem.*

C. *SI QUIS* 2. *h. t. Ex eodem Concilio statuitur, quòd si filius infra legitimam ætatem,sed cum consensu parentum ingrediatur Religionem, & parentes infra annum non reclament ad Papam; Episcopus, vel eius Vicarius non possit post annum illum revocare. Sin verò est ingressus post legitimam ætatem, sed per vim, & nec ipse, nec ejus parentes reclament infra annum ad prædictas personas, debet in clericatu remanere. Circa hanc decretalem, & impuberum oblationem nil à Concilio Tridentino fuit innovatum, sed illud tantùm statuit, ne ante* 16. *annum fiat professio: & reliquit impuberes in dispositione juris antiqui. Cæterum ex textu liquet, post pubertatem solùm permitti reclamationes propter vim, aut metum, & pro termino reclamationis præfigi annum tantùm annum: sed jure novo loco unius anni Concilium Tridentinum* sess. 25. c. 19 *concedit quinquennium, & inter causas reclamationis ponit etiam defectum ætatis, & quid simile. Rursus quinquennium à concilio præfixum reclamationi debet esse continuum, ac currere ab ipso die emissæ professionis, non obstante ignorantia, metu, vel alio simili impedimento, post tantam moram præsumitur postea consentire, si cùm potuit, non reclamavit.*

C. *UT CLERICI* 3. *h. t. Ex Concilio Toletano statuitur, ut qui habitu, & nomine se fingunt Monachos, & non sunt, debeant cogi, ut sint veri Monachi vel clerici. Notat tamen Glossa, textum intelligi de fictione, seu simulatione culpabili, ut si pauper ingrediatur Monasterium, ut habeat unde vivat, proinde habitu, & nomine se simulet Religiosum, licèt in animo talis non sit. Huic enim sive sit laicus, sive sit clericus optio conceditur, ut sit vel verus Monachus, vel verus clericus, aut verus laicus, si clericus non fuerit: si quis verò se fingit Religiosum ex causa honesta præcedente protestatione, ei non nocet* c. per latum de his, quæ vi metusve. *Sin verò ex inhonesta causa compellitur redire ad monasterium.*

C. *VIDUA* 4. *h. t. Ex Concilio Arelatensi statuitur, ut si vidua sibi sponte imponit velum conversionis, licèt non sacrum, & inter velatas in Ecclesia oblationem Deo offerat, debeat postea etiam invita retinere habitū religionis; quamvis juret, eo tenore sibi velamen impositum fuisse, ut posset deponere. Notandum est, per velum conversionis hic intelligi, quod ex veteri Ecclesia usu imponebatur virginibus, aliisque fœminis ingredientibus Monasterium, & professentibus religionem, quod ordinariè solebat priùs benedici, qua ratione etiam sacrum dicebatur. Rursus ex textu liquet, non esse standum soli juramento viduæ. Quòd si vidua alias haberet efficaces præsumptiones, & esset persona honesta, tunc ad plenam probationem posset accipi juramentum, immo si haberet alias probationes, ista admittuntur etiam sine juramento, si tamen fictio processit ex honesta causa, quia si processerit ex inhonesta, nulla tunc ei probatio suffragatur.*

C. *JOANNES* 5. *h. t. Gregorius III. statuit, ut non liceat Monacho transire temerè de Monasterio ad Monasterium, nec habere aliquid peculiare: quòd si hoc præsumserit, ei præcipitur, ut mediante previa competente correctione revertatur ad Monasterium, in quo ab initio fuit conversatus sub regula sui Abbatis. Ubi notat Glossa, textum loqui de his, qui causa levitatis transeunt: alioquin si transitus fiat ad arctiorem religionem petita priùs licentia,*

licèt non obtenta transitus est licitus c. licet 18. h. t. *Praterea in* Extravag. viam h. t. *conceditur omnibus mendicantibus transitus ad Carthusianos.*

C. *QUIA 6. h. t. ex Regiſtro Gregorii ſtatuitur, ut in Inſulis, quia eſt dura, ſeu aſpera converſatio Monachorum, pueri non recipiantur antè annum ætatis 17. Verùm hodie hac decretalis non videtur ampliùs eſſe in uſu, & quamvis adhuc vigeret, non tamen qui ante talem ætatem profeſſionem emitteret, hæc eſſet irrita, dummodo illam emitteret poſt annum ætatis* 16. *completum, quia hæc decretalis nullum continet verbum irritans: unde quamvis talis profeſſio eſſet illicita, eò quia contra hanc decretalem; non tamen eſſet invalida.*

C. *NON EST 7. h. t. Alexander III. declarat, Monachos, & converſos Ciſtercienſes poſt profeſſionem non poſſe tranſire ad alios Ordines abſque licentia Abbatis, & qui fuit egreſſus, & monitus illicò non redierit, eſt compellendus à Prælatis, ut revertatur. Notandum eſt, hunc textum loqui de tranſitu ad religionem artiorem, quia Abbas non poteſt diſpenſare, ut Religioſus tranſeat ad aliam Religionem minus artam.*

C. *AD NOSTRAM 8. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi juvenis geſtet habitum profeſſorum ante annum 14. non ſit profeſſus, & ſi poſt annum 14 eum accepit, & ante triduum ſine præcedente probatione dimiſerit, non eſt profeſſus, & poteſt nubere, quia præſumitur ſine deliberatione. Ubi notat Gloſſa, quòd quando conſtat de facto, & ejus qualitate ac obligatione non ſit quærendum de illius perſeverantia: quia quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt. Quòd ſi conſtet de facto, & dubium oriatur de intentione, tunc recurrendum eſt ad præſumptionem perſeverantiæ.*

C. *SUPER EO 9. h. t. Idem Pont. reſcribit, clericos, qui habitum religionis ſuſceperunt, & ante profeſſionem ad priorem ſtatum redierunt; ſi auſteritatem illius ſervare noluerint, debere ad mitiorem religionem tranſire, ne contra votum ſuum veniant. Quòd ſi ante ſuſceptum habitum ex probatione velint recedere, mandat Pontifex, non eſſe prohibendos redire ad priorem ſtatum. Ubi notat Gloſſa, eos qui habitum religionis acceperunt animo perſeverandi non poſſe tranſire ad ſæculum, etiam ſi non emiſerint profeſſionem, eò quia renunciaverint ſæculo generaliter.*

C. *SANE 10. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Canonicus Regularis ſit Monachus in religione ſtrictiore eſt relinquendus, quia eſt tutus in conſcientia: ſin verò in non ſtrictiori; teneatur ad ſuum Monaſterium reverti. Quia Religioſus ex bono zelo, non causa levitatis poteſt tranſire ad artiorem.*

C. *SIGNIFICATUM 11. h. t. Idem Pont. reſcribit, puerum qui non fuit oblatus à parentibus, & ante annum 14. fuit profeſſus, poſſe exire, quia profeſſio eſt nulla: ſin verò fuit à parentibus oblatus, non debere exire. Verùm hæc decretalis non eſt ampliùs in uſu: quia ex Concilio Tridentino, ſeu jure novo non poteſt quis religioſam profeſſionem emittere ante 16. ætatis annum completum.*

C. *CUM VIRUM 12. h. t. Clemens III. declarat, quòd ſi puella, quæ ante annum diſcretionis, ſeu duodecimum, & in viro quartumdecimum annum accepit habitum cum ſolita benedictione: ſi in ætate debita ratam habeat profeſſionem non poſſit ampliùs relinquere habitum: ſed ſi nubilis ſumpſit habitum cùmtè, poſſit illum dimittere. Ubi notat Gloſſa, votum quod ab initio non valet, tractu temporis convaleſcere, & valere ex nunc, non ex tunc* c. de illis de deſponſ. impub.

C. *PORRECTUM 13. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi quis in infirmitate ſine habitu emittat profeſſionem in manu Abbatis ſit verè Monachus, eò quia non habitus, ſed profeſſio regularis facit Monachum, & ideo compellendus ſit ad ſervanda emiſſa vota. Ubi notat Gloſſa, quòd tametſi tantùm promiſiſſet, ſe ingreſſurum, adhuc eſſet compellendus ſervare promiſſum* c. per tuas de voto, & voti redempt.

C. *CUM SIMUS 14. h. t. Cæleſtinus III. declarat, quòd ſi pater cum filio impuberi, & bonis ſe offert religioni, & filius in anno diſcretionis nolit eſſe Monachus, poſſit exire, & petere bona paterna, quæ ſibi ex ſucceſſione provenerunt. Per tamen bona paterna intelligitur legitima, quia non potuit plus petere, quam legitimam, quam parentes compelluntur relinquere filiis, & eſt vel tertia pars bonorum, vel medietas pro numero liberorum* in authent. noviſſima C. de inof. teſtam.

C. *SICUT 15. h. t. Innocentius III. declarat, quòd ſi mente captus induat habitum religionis, & profiteatur, non valet profeſſio, niſi factus mente compos ſponte eè conſentiat: quia nullum eſt votum, quod ſit mente alienata, requiritur enim ad ejus validitatem plena deliberatio, & conſenſus profitentis.*

C. *AD APOSTOLICAM 16. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd tametſi annus probationis à ſanctis Patribus fuerit indultus non ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii, ut ſe mutuo valeant experiri. Nihilominus ſi ante tempus probationis profeſſionem emiſerit in manu Abbatis profeſſio ſit valida, quia tunc uterque videtur renunciare ſuo favori, proinde qui profeſſionem emiſit, obligatur ad regularem obſervantiam, & verè eſt Monachus: quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Hodie tamen jure novo per Concilium Tridentinum* ſeſſ. 25. c. 15. de refor. *talis profeſſio emiſſa ſine diſpenſatione Papæ non valet, quia Concilium, abſque ulla exceptione profeſſioni vult præmitti annum probationis. Excipiuntur tamen Moniales ordinis prædicatorum, quæ poſt expletum annum ſextum decimum quamvis annum novitiatûs non expleverint, poſſunt profeſſionem emittere in mortis articulo, quod illis pro ſolatio animæ ſuæ conceſſit Pius V. in Bulla, cui initium eſt* ſummi ſacerdotii cura.

C. *SICUT NOBIS 17. h. t. Idem Pont. reſcribit Epiſcopo Aconenſi eum, qui emiſſa profeſſione*

sione unquam in claustro mansit, sed in seculo, & cum usu bonorum suorum esse cogendum per excommunicationem ad habitum regularem, immo ut notat Glossa, etiam ad clausuram, & vitam regularem, quia est verus Religiosus ratione emissa professionis, & ideo tanto gravius delinquit, quanto diutius manet in seculo. Neque Religiosus contra obedientiam potest prescribere. Quod si Monachi non curaverint revocare eum vivum, nec possunt eum praetendere mortuum cum suis bonis.

C. *LICET* 18. *h. t. rescribit idem Pont. posse Religiosum transire ad arctiorem religionem, petita, & non obtenta licentia, & non obstare quod prima religio habeat privilegium, ut ejus religiosi non possint transire ad alium ordinem etiam pratextu arctioris religionis ipsis invitis, quia privilegium intelligitur in hoc sensu, quod non possit quis temerè, & ex levitate in jacturam & injuriam sui ordinis ad aliud transire, non verò intelligitur de eo Religioso, qui humiliter, & sincerè licentiam petit ad sedandam propriam conscientiam, quam Prelatus non debet protervè negare; quia majus bonum praponitur minori: sed subditus dubitans de suo spiritu debet superiorem consulere. Rursus prohibet Pontifex, ne ullus Praesul praesumat relinquere praesulatum absque licentia Papa, quia communis utilitas praefertur speciali, & particulari. Caterum notat Glossa, eum, qui transit non requisita licentia non esse revocandum, nisi constet de levitate. Caterum si dubium sit, an ex justa causa, & bono zelo, petatur transitus, standum est judicio superioris ad quem provocatur.*

C. *VENIENS* 19. *h. t. Idem Pont. rescribit, quod si vir, & uxor jurant separationem, quia vir prius dicit, cognovisse amitam uxoris, & separati, uterque transit ad secundas nuptias, sunt cogendi, ut relictis secundis, revertantur ad primas nuptias; eò quia impedimentum non fuerit probatum: quod si aliquid habeant contra matrimonium, debent id proponere, vel ambo religionem ingredi, ex quo textu infertur cum Glossa, juramentum contra matrimonium esse illicitum, & non servandum.*

C. *CONSULTI* 20. *h. t. Idem Pont. declarat, quod si quis ingrediatur novitiatum animo experiendi, si mox sibi displiceat, possit redire ad seculum, si animo serviendi Deo de catero in habitu regulari, non potest. Quod si non placet illa religio debet ad aliam transire, quamvis laxiorem, dummodo protestetur hanc intentionem. Verum id debet intelligi, dummodo novitius emiserit votum simplex ingrediendi religionem, quia sic licèt non sit omnino determinatus ad unam religionem tenetur ad alteram: seclusa autem voto, Novitius potest ad seculum simpliciter transire. Unde non sunt audiendi, qui putant per solam susceptionem habitus religiosi fieri tacitam professionem ex decreto Ecclesia, quia aliud est propositum suscipiendi habitum religiosum causa experiendi, & aliud emittere votum profitendi in tali religione.*

C. *POSTULASTI* 21. *h. t. declarat, eum, qui in anno probationis revertitur ad seculum posse ordinari, & in Ecclesia ministrare*

C. *EX PARTE* 22. *h. t. Honorius III. declarat, eum, qui per annum defert habitum clericalem, tametsi non faciat expressam professionem haberi tamen post annum ut Monachum, & esse cogendum censuris, ut servet regulam, quia post annum, ut notat Glossa, praesumitur professus, quia gestatio habitus fuit tacita professio, contra quam non potest Religiosus se excusare, quia fiat contra ipsum praesumptio juris, & de jure.*

C. *STATUIMUS* 23. *h. t. Gregorius IX. statuit, ut Novitij intra annum probationis, & ante professionem possint redire ad seculum, nisi evidenter appareat, quòd voluerint absolutè vitam mutare, & perpetuò Deo servire, quòd etiam jure novo est confirmatum in Concilio Tridentino* sess. 25. de refor. c. 15. *Rursus statuit Pontifex, ut ubi non est distinctus habitus professorum à novitiis debeant in professione vestes benedici ad differentiam Novitiorum. Ex quo textu colligitur cum Glossa, eum qui simpliciter religionem ingreditur, & nihil dicit, facit, vel protestatur, posse in novitiatu exire, quia tunc praesumitur voluisse conditionaliter experiri, nisi contrarium evidenter appareat dicto, vel facto.*

C. *NE RELIGIOSI* 24. *& ult. statuit idem Pont. ut superiores praesidentes capitulis celebrandis, sive sint Abbates, sive Priores, debeant suos fugitivos, vel ejectos singulis annis quarere: & si possint recipi in suis Monasteriis, compellantur Abbates, & Priores illorum per censuram ecclesiasticam previa monitione ad eos recipiendos salva ordinis disciplina. Quod si fieri non possit, saltem provideant eis in locis proximis dicto Monasterio, si fieri potest sine aliquo scandalo, ut in aliis ejusdem religionis Monasteriis maneant ad poenitentiam agendam suppeditando eis necessaria ad vitam. Plures tamen censent, hanc decretalem esse intelligendam de injustè ejectis: quia qui justè fuerunt ejecti possunt relinqui, adeò ut praefecti religionum non teneantur amplius eos requirere: injustè verò ejecti, vel defectu potestatis in ejiciente, vel causa sufficientis, vel processus juridici, debent à superioribus iterum quari, & vocari, quia nisi reciperentur, ac restituerentur in integrum fieret ipsis injuria. Caterum jure novissimo ex decreto sacra Congregationis Concilij Tridentini authoritate Urbani VIII. edito, nullus imposterum professus è religionibus legitimè potest ejici, nisi verè sit incorrigibilis: & talem censeri, qui non observat, quae jure communi pro re statuta sunt, & qui unius anni spatio jejunio, & poenitentia probatus in carceribus non resipuit.*

IN SEXTO.

C. *IS QUI* 1. *h. t. Innocentius IV. statuit, ut qui ingreditur religionem, ut Monachus fiat & erat ante 14. annum, si in 15. non emisit professionem, & si quam emisit ante decimum quartum non habuit ratam, nec in quintodecimo accepit habitum professorum, liberè possit*

reverti

reverti ad ſeculum infra annum 15. Item ſi toto anno quintodecimo manſit in Monaſterio ubi profeſſorum, & Novitiorum non eſt diſtinctus habitus, videatur per hoc emiſiſſe profeſſionem, vel ratam habuiſſe, ſi quam priùs emiſerit. Excipitur tamen ſi habitus eſſet ita indiſtinctus, ut eſſet etiam communis laicis, & clericis ſecularibus, quia tunc non præſumitur tacita profeſſio: ſin autem, qui religionem ingreditur, expleverit 14. annum, & geſtaverit habitum religionis per annum, præſumitur profeſſus, quamvis habitus ſit indiſtinctus à profeſſis, & laicis cohabitantibus. Hodie tamen jure novo ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de refor. c. 15. *non emittitur profeſſio religioſa niſi poſt annum ætatis 16. completum, & conſuetudo invaluit, ut omnes religiones ſoleant exigere profeſſionem expreſſam, & quidem in ſcriptis, adeò ut profeſſio tacita nunc parum proſit.*

C. *NON SOLUM* 2. *h. t. Alexander IV. prohibèt Religioſis ſub pœna excommunicationis, ne præſumant recipere aliquem ad profeſſionem vel renunciationem in ſeculo faciendam ante elapſum annum probationis. Neque præſumant impedire, ſi infra hunc annum voluerint tranſire ad aliam religionem, vel ſeculum, niſi evidenter conſtet, ex indiciis competentibus, eum voluiſſe vitam mutare. Rurſus ſtatuit idem Pontifex, quòd ſi Religioſi præſumpſerint aliquem admittere contra hanc conſtitutionem; admiſſus non ſit obligatus, & admittentes ſint ipſo facto ſuſpenſi à receptione quorumlibet ad profeſſionem, & puniantur pœnis, quæ in religione ſolent infligi pro culpis gravioribus. Ubi notat Gloſſa, profeſſionem expreſſam factam in aliquo Monaſterio obligare illi monaſterio in ſpecie, & tacitam obligare tantùm in genere: & hanc decretalem extendi ad omnes mendicantes.*

C. *CONSTITUTIONEM* 3. *h. t. Bonifacius VIII. extendit conſtitutionem Innocentii relatam in* c. ad Apoſtolicam, *quæ prohibet, converſos recipi ante annum probationis elapſum, quam Alexander IV. ad Prædicatores, & Minores ſolùm declaraverat extendi, in hac præſenti decretali ob ſimilitudinem rationis extendit ad ordines aliorum mendicantium. In aliis verò religionibus decernit, profeſſionem expreſsè, vel tacitè licitè fieri infra annum, ſi tamen expreſsè fiat declarat, tunc obligare religioni, quam quis eſt profeſſus: tacitam verò profeſſionem factam infra annum probationis per ſuſceptionem habitus profeſſorum obligare tantùm religioni in communi, ſi ſit in ætate ſciens, & volens, & perſeveret in triduo. Ubi notat Gloſſa, textum loqui non de profeſſione tacita, quæ fit per lapſum anni, ſed de illa, quæ infra annum, in qua licet in triduo pœnitere. Verùm hodie præſens decretalis reduci debet ad terminos Concilij Tridentini* ſeſſ. 25. de regul. c. 15. *ubi abſque ullo diſcrimine inter religiones mendicantes, & non mendicantes univerſim ſtatuit Concilium, profeſſionem emiſſam ante finem novitiatus, & annum ætatis 16. completum eſſe invalidam.*

C. *BENEFICIUM* 4. *h. t. Idem Pont. declarat, beneficium ingredientis religionem non eſſe infra annum probationis cuiquam alteri conferendum abſque illius conſenſu, niſi vitam abſolutè voluerit mutare, ſive expreſsè profeſſus fuerit, vel ſcienter ſuſceperit habitum profeſſorum: ſed interim vult Pontifex, ut ſervietur eidem beneficio per alium, aſſignatâ congruâ portione de fructibus illius. Ubi notandum eſt, id, quod dicitur de beneficio intelligi etiam de jure in re, non ad rem. Præterea textum loqui de beneficio, quod per Regulares poſſideri non poteſt, tunc enim in anno probationis non poteſt beneficium conferri, quia ſtatus eſt dubius. Cæterum fructus beneficii, qui ſuperſunt ultra congruam ſuſtentationem Vicarii non dantur Novitio, ſed conſervantur pro Eccleſia, vel ſucceſſore.*

C. *QUI POST VOTUM Idem Pont. declarat, eum qui emiſit votum ſimplex ingrediendi aliquam religionem, & deinde ingreditur aliam laxiorem, in qua profitetur, licitè poſſe in illa manere. Secus ſi votum ſolemne emiſit in ſtrictiore, quia profeſſio ſolemnis eſt vinculum fortius voto ſimplici, ſeque habet inſtar ſponſaliorum ad matrimonium: qui enim contrahit matrimonium de præſenti obligatur eidem vinculo indiſſolubili, tametſi cum alia antecedenter inierit ſponſalia, eique matrimonium promiſerit; priora tunc ſponſalia diſſolvuntur. Verùm licèt votum ſolemne deroget ſimplici, qui ſolemne emiſit in religione laxiore tenetur ſubire pœnitentiam pro non obſervato voto ſimplici: non ita, ſi votum ſolemne emiſit in religione ſtrictiore.*

C. *SI AD SOLUM* 6. *h. t. reſcribit idem Pontifex, quòd ſi creare Monachum de conſuetudine, vel privilegio ſpectet ad ſolum Abbatem, mortuo Abbate non poſſit conventus creare Monachum: ſecus ſi ſpectet ad Abbatem, & conventum ſimul poteſt tunc conventus. Cæterum ſpectato jure communi creationem Monachorum ſpectat ſimul ad Abbatem, & conventum, ut notat Barboſa hic* num. 6. *quod tamen intelligi debet non ſolùm de amiſſione ad profeſſionem, ſed etiam de receptione ad Novitiatum. An verò teneantur Abbates conſilium ſequi conventus, ſtandum eſt ſtatutis Religionum, & Monaſteriorum, quia in jure communi id non eſt definitum.*

IN SEPTIMO.

C. *POSTQUAM* 1. *h. t. Paulus IV. varias imponit pœnas contra eos, qui in ætate legitima religioſam profeſſionem emittentes à profeſſo poſtea vitæ inſtituto deficiunt, & ad alios ordines vagantur, & ut omnis vagandi occaſio hujuſmodi Apoſtatis tollatur, ſancit, ut omnes tam eccleſiaſticæ, quàm ſeculares perſonæ, cujuſcunque ſint ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, nullum Apoſtatarum eorundem receptare, ſeu nutrire, vel iisdem quominus ad eorum Monaſterium, ſeu domum regularem redeant, non præſumant favorem auxilium, vel conſilium præſtare ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ſi prænoniti non deſtiterint.*

C. *SIN-*

C. *SINGULAS LITES* 2. *h. t. Pius IV decernit, Apoſtatarum cauſas, & Religioſorum extra clauſtra vagantium lites, eſſe evocandas ad deciſionem Apoſtolicam in ſtatu, & terminis, in quibus reperiuntur.*

C. *ROMANI* 3. *h. t. Pius V. ex Concilio Tridentino declarat, decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium ad audiendas confeſſiones ſæcularium ab Epiſcopis facienda obſervari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumvis ordinum etiam mendicantium, & ſub regulari diſciplina viventibus, quamvis ſint lectores, & in theologia etiam de licentia ſuorum ſuperiorum graduati, vel promoti Vult tamen Pontifex, quòd ubi ſemel ab Epiſcopo in civitate, vel diœceſi fuerint previo examine approbati ab eodem Epiſcopo iterum non examinentur.*

IN CLEMENTINIS.

C. *UT PROFESSORES* 1. *h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes etiam de licentia ſedis Apoſtolicæ non poſſint habere vocem in Capitulo, prioratus, adminiſtrationes, curam animarum, nec pro ſe, nec pro aliis, & declarat irritum quicquid in contrarium fiat.*

C. *EOS* 2. *h. t. Idem Pont declarat, quòd ſi quis conſtitutus in ætate diſcretionis portat habitum novitiorum per annum in aliqua religione, ſi habitus Novitiorum, & profeſſorum non ſit diſtinctus intelligatur profeſſus, non ita ſi ſit diſtinctus: notat Gloſſa, hanc diſtinctionem habituum colligi ex colore, ſciſſura, vel forma.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *VIAM AMBITIOSÆ* 1. *Martinus V. declarat, mendicantes virtute cujuscunque privilegii litterarum Apoſtolicarum, vel pœnitentiariæ non poſſe tranſire ad alias religiones quæcunque quæſito colore, excepta religione Carthuſianorum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam incurrunt non ſolùm tranſeuntes, ſed etiam recipientes, & non poſſunt abſolvi niſi à Papa, & quicquid in contrarium fiat, ſit irritum. Ex hoc textu liquet, ad omnem tranſitum ad aliam religionem præterquam ad Carthuſianos requiri ſpecialem licentiam ſedis Apoſtolicæ.*

C. *AD NOSTRAM* 2. *h. t. Joannes XXII. præcipit, ne Religioſi cujuscunque ſint ordinis non tranſeant ad partes ultramarinas, in quibus pauci fideles reſpectu infidelium commorantur abſque licentia ſui ſuperioris conceſſa per litteras patentes ipſius ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ à qua non poſſint abſolvi niſi à Papa. Rurſus præcipit ſuperioribus, ut ſimilem licentiam non concedant niſi viris litteratis, providis & expertis ſub eadē pœna. Rurſus Prælatis eccleſiaſticis prohibetur, ne tales tranſeuntes ad partes ultramarinas admittant ad prædicandum, vel celebrandum divina, niſi patentes littera ſuperioris plenam fidem fecerint.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Qui dicantur Regulares, & Monachi, & quæ ſint eorum requiſita.

1 Regulares dicuntur à regula ſpeciali, quam profitentur: & Religioſi nuncupantur, qui certæ religioni ſunt adſtricti; & inter illos, alii ſunt Abbates, & Abbatiſſæ, alii Priores, iique vel claultrales, vel conventuales, alii ſuperiores; & demum alii ſimplices Religioſi, Monachi, vel Moniales. Hinc vocabulum illud *Regulares* latiùs patet cùm omnes illi, Regulares nuncupentur, qui ſub aliqua regula vivunt: *Religioſi* verò non ſolùm ſub propria regula vivunt, ſed etiam adſtringuntur tribus ſubſtantialibus votis religionis, ſcilicet caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ *c. fin. de relig. domib.* Monachi verò, & Moniales propriam ſortiuntur nomenclaturam à ſolitudine clauſtri, cui ſe adſtrinxerunt. Monachus enim græcè dicitur, & latinè idem eſt, ac ſolitarius, & ſingularis *can. 1. & 8. 16. q. 1.* quod tamen non ita intelligitur, quod ſeorſim, & extra eorum fratrum conſortium vivere debeat, cum id prohibeant ſacri canones *c. 1. de ſtat. Monach.* ſed quia ſemotus, ac ſeparatus à vita, ac moribus ſæcularium, quaſi mundo mortuus ſoli Deo vivat, ut habetur *in d. can.* 8.

2 Quamobrem nomen Monachi propriè non convenit omnibus Religioſis, ſed iis ſolis, qui vitæ contemplativæ ſunt addicti: hinc mendicantes cùm aſſiduè inter homines verſentur non ſunt propriè Monachi, neque qui ex inſtituto ſunt clerici ſive Regulares, ſive ſæculares: alia enim eſt religio clericorum, & alia Monachorum, ut deſumitur *ex c. non licèt 18. h. t.* licèt in favorabilibus nomine Monachorum veniant etiam omnes Religioſi, ut docet Panormit. *in c. ex parte de poſtulat. Prælator.*

3 Rurſus Religio ex primæva ſua ſignificatione excelſam illam denotat virtutem, quæ inter omnes morales eſt præcipua, & potiſſima juſtitiæ pars, quâ debitum cultum, & honorem Deo exhibemus propter ipſius excellentiam, quatenus creationis, & gubernationis rerum omnium eſt primum, ac univerſale principium: magis tamen ſpecificè, & ut ad noſtrum pertinet inſtitutum religio ſignificat ſtatum Religioſorum, modúmque vivendi juxta ſpeciales conſtitutiones cum obligatione ſervandi vota emiſſa caſti-

tatis, paupertatis; & obedientiæ: quo pacto religio est communitas, quæ per specialem vivendi modum ab Ecclesia approbatum se Deo emancipat, ac ejus obsequia dedicat, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ: hinc differunt Religiosi à clericis sæcularibus, quia licèt isti etiam per ordinationem Ecclesiasticam ad sacrum ministerium dedicentur, non tamen se Deo obligant per vota obedientiæ,& paupertatis: sed tantùm per votum castitatis, in ipsa susceptione ordinis sacri: Rursus Religiosi sub specialibus constitutionibus in communi vivunt, quod clerici sæculares non præstant.

4 Hinc ad substantiam veræ religionis quatuor sunt necessaria. Primò ut serventur tria consilia Evangelica paupertatis perpetuæ, castitatis, ac obedientiæ, hæc essentialiter, ac inseparabiliter adnectuntur statui religioso, qui sine præfatis tribus votis non subsisteret, ut desumitur *ex c. ad monasterium 6. de statu Monachorum*: siquidem status religiosus est via, ac tendentia ad acquirendam perfectionem Christianam, quæ in charitate Dei consistit, ut significat Apostolus ad Colos. 3. ubi ait, *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,& pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore* ad id autem requiritur ut vir religiosus renuntiet rebus omnibus creatis, quæ perfectum Dei amorem impedire possunt; ut sunt bona externa, divitiæ, quibus per paupertatem Religiosus renuntiat; voluptates corporis, quas per votum castitatis rejicit; & propria voluntas, quam per votum obedientiæ abrogat.

5 Non tamen paupertas requisita ad statum religiosum constituendum exigit, ut Religiosus fiat omnino incapax dominii acquirendi, vel retinendi, neque ut eo privetur: sed in eo paupertas religiosa est sita, ut per votum paupertatis Religiosus privetur potestate utendi rebus pretio æstimabilibus, vel de illis liberè disponendi sine consensu, ac licentia superioris, ut notat Lessius *lib. 2. c. 4. n. 27.* ubi ait, Religiosos non esse incapaces dominii, sed posse illud retinere, quamdiu superiori visum fuerit, licèt non possint, habere ullum usum illorum bonorum, vel aliorum absque superioris consensu, ut liquet ex constitutione Gregorii XIII. edita hac de re anno 1584. quæ incipit.: *ascendente Domino*. Ratio est quia censetur parvi momenti esse dominium illud, cujus usus est omnino dependens à consensu superioris, & alienatio etiam obstricta, ac debita: non enim dominium rerum æstimatur, nisi propter usum, & potestatem disponendi,& in actu secundo perinde se habet, ac si Religiosus dominio illo careret, & licèt *in c. cum ad monasterium de stat Monach.* dicatur, quod abdicatio proprietatis sit de essentia status religiosi, id tamen ita intelligitur, ut non possit Religiosus retinere proprietatem, seu dominium rerum temporalium cum libera facultate illis utendi, ac disponendi de iisdem independenter à voluntate superioris.

6 Rursus ad castitatem perfectæ religionis non sufficit castitas conjugalis, sed requiritur absoluta castitas, ut docet Lessius *de justit. c. 14. num. 7.* hinc qui in quibusdam ordinibus militaribus ab Ecclesia approbatis castitatem tantùm conjugalem profitentur, licèt sint personæ ecclesiasticæ, gaudeántque privilegio canonis, & fori; non tamen propriè, ac verè sunt Religiosi, quia non observant primaria Christi consilia: castitas enim conjugalis, non est consilii, sed præcepti, adeo ut conjuges teneantur eam servare, & contenti esse solo usu matrimonii: possunt tamen præfati ordines dici religiones, imperfectæ, & secundùm quid, quatenus participant quædam pertinentia ad statum religionis, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *a. 4. ad* 3. & dici possunt hujusmodi equites, ut S. Jacobi, & Alcantaræ Religiosi quoad statum, non quoad usum, eò quia per dispensationem Papæ possint uxores ducere.

7 Secunda conditio, quæ requiritur ad substantiam veræ religionis est, ut præfata tria consilia Evangelica firmentur voto continente perpetuam obligationem, adeo ut ad statum religiosum non sufficiat nudum, & simplex propositum servandi illa tria consilia Evangelica; sed ulteriùs sit necessaria obligatio personalis per vota Deo edita, & quidem in perpetuum, seu donec Religiosus vixerit: siquidem de ratione status est immobilitas, ac perpetuitas, proinde ut quis constituatur in statu religioso debet hanc immobilitatem,& perpetuitatem promittere. Rursus ex parte promittentis, ac voventis requiritur actualis traditio, per quam is se Deo, & religioni donet, ac dedicet: & ex parte religionis externa acceptio, per quam homo mutans statum peculiariter transit in sortem, & familiam Dei: hinc superior religionis nomine Dei traditionem illam factam à vovente religionem accipit, & ventem in Dei familiam, & in corpus mysticum religionis admittit, ut desumitur *ex c. præcium 13. h. t.*

8 Tertia conditio est, ut præfata tria vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittantur in religione approbata per sedem Apostolicam, adeo ut non solùm modus vivendi approbetur, sed etiam quòd admittatur, ut vera religio: nunc enim approbatio Religiosorum ordinum soli Romano Pontifici reservatur, ut fuit statutum in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. *c. 13.* & refertur *in c. ult. de relig. domib.* siquidem approbatio religionum accensetur majoribus Ecclesiæ causis, quæ sunt reservatæ sedi Apostolicæ *c. majores 3. de baptismo*: siquidem possent facilè in aliqua religione errores irrepere, qui in perniciem tenderent catholicæ religionis. Sunt etiam aliæ causæ, cur summi Pontifices sibi reservaverint hanc approbationem, præsertim ad compescendum quorundam hominum indiscretum ardorem, qui novis religionibus, seu formulis vivendi excogitandis erant intenti, quæ res utique magna incommoda potuisset in Ecclesiam invehere.

9 Hinc qui profiteretur in religione à sede Apostolica non approbata talis professio foret invalida, neque qui eam fuit professus obligaretur votis paupertatis, & obedientiæ, quia eo ipso,

ipso, quòd Ecclesia prohibet illam formulam vivendi, & profitendi, non tribuit potestatem acceptandi vota illa, proinde prohibet etiam susceptionem habitûs in illis religionibus, ac usum earundem, adeo ut qui eas professi sunt, possint easdem deserere: unde qui in religione non approbata vota emittunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ, non tenentur servare vota paupertatis, & obedientiæ, quia talia vota restinxerunt ad illam vitæ formulam, non intendentes se obligare ad paupertatem, & obedientiam, nisi in tali ordine, & juxta directionem superioris ejusdem ordinis.

10 An verò de voto castitatis sit eadem ratio nonnulli dubitant, eò quia executio talis voti non dependeat à potestate superiorum, neque eorundem directione. Sed communior sententia asserit, esse eandem rationem etiam de voto castitatis, quia eo ipso, quòd Ecclesia absolutè prohibet talem religionem, professio in ea facta est nulla; proinde etiam quoad votum castitatis, cum in ea perinde contineatur, ac votum obedientiæ. Tum quia vovens religionem non intendit castitatem vovere, nisi in tali religione, ut nimirum sic vovendo fiat talis religiosus, & quia religio non est approbata, immo prohibita, & professio est nulla, ita etiam votum castitatis emissum juxta directionem talis religionis est irritum. Licèt religiones sanctorum Antonii, Basillii, Augustini, Benedicti non videantur ab initio fuisse approbatæ à summo Pontifice, sed tantùm ab Episcopis, quibus tunc suberant. nihilominus postea ipso usu fuerunt admissæ, & etiam approbatæ à summis Pontificibus, à quibus postea fuerunt laudatæ.

11 Quarta conditio est, ut emittens vota religionis constituatur sub alicujus superioris, seu Prælati ecclesiastici jurisdictione, & potestate; adeo ut possit Religiosos subditos adigere non solùm per pœnas temporales, sed etiam spirituales ad servandam regulam: hæc tamen jurisdictio non oritur ex natura votorum, quia nemo potest per solum votum ita alteri se subjicere, ut eidem spiritualem jurisdictionem in se ipsum tribuat: quamobrem hæc jurisdictio derivatur ab ipso superiore approbante religionem, scilicet à summo Pontifice, à quo talis jurisdictio communicatur superioribus religionum, seu Generalibus, Provincialibus, aliisque immediatè superioribus: hinc in Prælato religionis duplex datur potestas, una gubernativa, seu Oeconomica, cujus Prælatus potest præcipere Religiosis sibi subditis: imò & per inflictas pœnas illos etiam adigere ad servandam regularem disciplinam. Alia est jurisdictio spiritualis, quæ pertinet ad claves Ecclesiæ, & consistit in potestate ligandi, & solvendi, & ecclesiasticas censuras ferendi; quæ potestas distincta est, ac separabilis à priore potestate, ut liquet in Abbatissis, quæ cùm fœminæ sint, non sunt capaces spiritualis jurisdictionis propriè dictæ, & nihilominus habent potestatem gubernativam ratione voti obedientiæ præstiti à subditis: hæc autem potestas jurisdictionis necessaria est ad perfectum regimen ordinis religiosi, & residet in Prælato Religiosorum, vel in Episcopo.

12 An verò status religiosus fuerit institutus jure divino, vel tantùm ecclesiastico. Respondetur cum distinctione, si enim sermo sit de statu religionis secundùm se, & quoad substantiam suam certum est, fuisse institutum à Christo domino in lege Evangelica, & statim cœpisse propagari, ac frequentari, ut liquet *ex c. 4. & 5. act. Apostol.* quo pacto dici potest de jure divino non tamen præcipiente, se duntaxat consulente, ut docet Suarez *tom. 3. de relig lib. 3. c. 2. num. 3.* ratio est, quia Christus fuit homines ad illa tria consilia Evangelica exhortatus, & ad vota perpetua de iisdem edenda, ut colligitur de paupertate ex Matth. 16. *qui vult. venire post me, abneget se metipsum*: & quia status religiosi consistit in his tribus votis castitatis perpetuæ paupertatis, & obedientiæ: sequitur, statum religionis secundùm se, & quoad substantiam in lege Evangelica esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente.

13 Sin verò consideretur status religiosus quoad peculiarem, ac determinatum modum vivendi, seu quoad talem particularem regulam, non est de jure divino, seu institutione Christi; sed tantùm de jure Ecclesiæ, quæ certas potest conditiones statuere, sine quibus vota acceptari non debeant, ut religiosa, & in ordine ad constituendum statum religiosum: sicuti contractui matrimonii appositi solemnitates denuntiationum, testium, & præsentiæ Parochi; sine quibus contractus est irritus, & matrimonium nullum: ita etiam ut vota valida sint in ordine ad constituendum statum religiosum Ecclesia vult, ut religio illa sit approbata à sede apostolica, à qua approbatione dependeant vota illa, quoad validitatem: unde Ecclesia potest apponere quasdam conditiones, & illas pro temporum varietate etiam mutare in ordine ad validitatem votorum; quo pacto dicitur Christus instituisse Sacramenta Ecclesiæ, quoad ea quæ pertinent ad eorum substantiam, quamvis accidentalia, Ecclesiæ determinanda reliquerit.

14 Hinc sicut quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum, sunt eadem in omnibus ecclesiis græcis, & latinis: ita omnes religiosi ordines conveniunt in iis, quæ pertinent ad essentiam status religiosi; consistit essentia status religiosi in tribus prærecensitis votis editis, & ab Ecclesia acceptis, ut rectè docet Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. de variet. relig. lib. 1. c. 1. n. 2.* Diversitas verò in sacris ordinibus provenit ex duobus. Primò ex particulari fine, seu functione, ratione cujus quilibet ordo est speciatim institutus, ut docet D. Thomas *q. 188. art. 1.* siquidem ex sacris Religiosorum ordinibus quidam sunt instituti, ut præter observantiam votorum essentialium, potissimùm se exerceant in operibus vitæ contemplativæ; cujusmodi sunt religiosi ordines instituti à sanctis Antonio, Pachomio, Basilio, Benedicto, Brunone, quorum cultores cum vacent solitudini, Monachi vocantur. Alii religiosi ordines fuerunt instituti ad opera corporalia vitæ activæ, ut ad redimendos captivos, ad suscipiendos peregrinos, ad serviendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei: hæc enim omnia cùm sint

opera charitatis, per eorundem exercitia tenditur ad perfectionem: quapropter ad ea obeunda potest peculiari studio aliquis ordo Religiosorum institui, ut docet D. Thomas *loc. cit. q. 189.* Alii demum sunt Religiosorum ordines, qui participant de utraque vita activa, & contemplativa, adeo ut partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ activæ incumbant, tales sunt ordines mendicantium, ac clericorum omnium Regularium.

15 Secundò differunt Religiosorum ordines ex particularibus mediis, ac ritibus, quibus utuntur, vel ad vota sua exactiùs servanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam: qua ratione inter ordines institutos ad contemplationem magna adest varietas in habitu, victu, jejuniis, aliisque piis exercitiis, quo fit, ut variæ sint religionum constitutiones, quibus hæc speciatim præscribuntur.

16 Quamvis doctores nonnisi quatuor recenseant approbatas regulas, sub quibus omnes religiosi ordines militant, scilicet Basilii, Augustini, Benedicti, & Francisci: nihilominus singuli ordines proprias constitutiones propriæ regulæ adjunxerunt, quibus inter se discrepant, tametsi omnes ordines eandem regulam sequantur: quo pacto sub regula S. Basilii vivunt fere omnes græci Monachi: sub regula S. Augustini fere omnes Canonici, & Clerici Regulares, Dominicani, Augustiniani, Servitæ, & alii plures. Sub regula S. Benedicti omnes Monachi nigri, Benedictini, Cluniacenses, Cistercienses Camaldulenses, Cœlestini, & alii, qui omnes licèt easdem habeant S. Benedicti regulas; illis tamen proprias addiderunt constitutiones.

17 Cæterum hæc sacrorum ordinum varietas plurimum adfert Ecclesiæ ornamenti: perinde ac Reipublicæ politicæ est ornatui si in ea sint omnia genera officiorum, quæ juvent Reipublicæ regimen; ita varietas ordinum Ecclesiam mirificè exornat, juvátque ad excolendas exercitiis spiritualibus animas: est etiam utilis, quia tali ratione pluribus patet aditus ad statum perfectionis: siquidem qui non est idoneus ad unum exercitii genus, seu ad contemplationem, est idoneus ad aliud, quo pacto potest institutum incumbens vitæ activæ profiteri.

18 Quòd si quæratur, quisnam ex omnibus prærecensitis ordinibus Religiosorum sit perfectior, respondetur cum D. Thoma perfectionem Religiosorum ordinum primariò spectandam esse ex fine; & secundariò ex mediis: quapropter illi ordines sunt absolutè perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinsecum, seu perfectiorem functionem: proinde quia spiritus est perfectior corpore, & functiones animæ illis corporis, fit, quòd illi ordines sint cæteris perfectiores, quorum proprius finis est vacare operibus vitæ contemplativæ: sunt enim perfectiores aliis, qui tantùm operibus vitæ activæ, seu corporeis incumbunt. Rursus qui non tantùm contemplationi vacant, sed etiam contemplationẽ in alios transfundunt perfectiores sunt, quàm qui soli contemplationi sunt addicti; tales sunt in Ecclesia ordines instituti ad prædicandum, Sacramenta ministranda, & salutem æternam proximi promovendam: siquidem perfectius est illuminare, quàm lucere.

19 Tum quia hi ordines proximiùs accedunt ad statum Episcoporum, ad quos pertinet alios ad perfectionem adducere. Tum quia hoc est obire munus Apostolorum, & ipsius Christi. Tum quia nil potest esse excellentius, nil Deo gratius, quàm studium salutis animarum, ob quam Deus creavit mundum, & factus est homo: ut enim homines salvos faceret plura fuit passus, mortem subivit, Sacramenta instituit: tum quia hi sacri ordines sunt mixti ex utraque vita contemplativa, & activa, & continent excellentissimas utriusque functiones. Demum sunt etiam naturæ humanæ magis accommodati.

§. II.

De Ingredientibus Religionem, & iis qui prohibentur ingredi.

1 POssunt religionem ingredi, ejúsque onus subire quotquot sunt sui juris, & qui alteri non sunt obstricti, tametsi impuberes sint, etiam ante annos pubertatis, ut à mundi vanitate abstracti regulari vitæ assuescant, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 5.* adeo ut pueri septennes rationis usum habentes possint habitum regularem suscipere, & voto se obstringere religionis: siquidem liberè offerre se ad perpetuum Dei servitium in omni ætate semper, est licitum.

2 Juvat tamen observare, quòd tametsi puer septennis regularem suscipiat habitum, ac per plures annos in religione moretur, non tamen verè, ac propriè dicitur Novitius, eò quia annum probationis jure novo non possunt Novitii inchoare nisi post expletos pubertatis annos: siquidem impuberes non censentur habere liberum propriæ discretionis arbitrium, proinde dependent à parentum, ac tutorum voluntate, & imperio: gaudent tamen impuberes in religionem suscepti, si infantiam excesserunt, privilegio canonis; ut habetur *in c. 21. §. quamvis de sent. excommun. in 6.* quia per hoc, quòd susceperint habitum religiosum, ac vivant in religione, accensentur & ipsi Religiosis. Imò non solùm pueri septennes, ac impuberes, verùm etiam infantes ante usum rationis possunt religionem ingredi, & ab ejus Prælato recipi, ac indui habitu religioso accedente tamen consensu parentum *c. ult. caus. 20. q. 2.* quia cùm infantes nequeant proprium consensum præstare ob judicij defectum, ideo si absque consensu parentum susciperentur in religionem tam ipsis infantibus, quàm eorum parentibus fieret injuria.

3 Cæterum possunt parentes filios impuberes religioni offerre, non solùm ut in illa educentur sub regulari disciplina, vèrùm etiam ut in eadem professionem emittant *c. 1. caus. 20. q. 2.* ubi dicitur, quòd parentes, quantum in ipsis est, possint infantes offerre religioni, ut perpetuò in eadem remaneant, siquidem parentes habent jus, & potestatem in filios suos, proinde possunt de illis disponere in omnem usum justum,

ftum,& legitimum, & uberius bonum ſpirituale filiorum. Quòd ſi filius infra legitimam ætatem ſine conſenſu expreſſo, vel tacito parentum ingrediatur religionem, & parentes infra annum non reclamaverint ad Papam, aut Epiſcopum, vel ejus Vicarium, non poſſunt poſt annum illum revocare,ut habetur *in c. ſi quis* 2. *h. t.* quia cùm parentes potuerint reclamare, & non reclamârint poſt tantam moram, præſumuntur conſenſiſſe.

4 Quamvis ante annos pubertatis non poſſint impuberes religionem profiteri, ut habetur *in c. nullus* 1. *h. t.* poſſunt tamen ex conſenſu parentum in religionem recipi, ut in illa educentur: ſiquidem filii usque ad pubertatem in hiſce ſubjacent diſpoſitioni, & arbitrio parentum, qui tamen intra annum, & diem poſſunt filios revocare à Monaſterio, & ſi hoc valde diſtet, ut parentes infra annum, & diem non poſſint commodè filium impuberem revocare, adhuc iisdem conceditur longius tempus. Si tamen impubes proximus pubertati religionem ingrederetur,ſine conſenſu parentum, tunc illis non concederetur integer annus ad reclamandum, ſed tantùm illud tempus, quod ſupereſt ad pubertatem: ſiquidem poſt pubertatem liberum eſt filiis religionem ingredi etiam contradicentibus parentibus, à quibus propterea non poſſunt ampliùs revocari. Non ſolùm parentes, ſed etiam tutores poteſtatem habent pupillum, ſeu impuberem offerendi religioni, & etiam revocandi ingreſſum,ſi ſine eorum conſenſu pupillus ingreſſus ſit religionem, & deſumitur *ex c. 2. caus. 20. q. 2.* ubi tutores æquiparantur parentibus etiam in ordine ad revocandum pupillum à monaſterio,ſi ipſi non conſenſerint expreſsè, vel tacitè, quia tutor pupilli eſt inſtar patris, & poteſtatem habet in ejus perſonam: ſuccedit enim patri quoad omnia, quæ ad gubernationem filii pertinent, adeo ut tutor perinde ac pater poſſit vota irritare pupilli.

5 Sin verò pater reluctantem filium impuberem, qui tamen infantiam exceſſit, & uſum habuit rationis ad religionis ingreſſum compulit, poteſt filius ab illa recedere etiam ante annos pubertatis,quia ut habetur in *c. non eſt* 10. *caus.* 15. *q.* 5. Deus non niſi voluntarium militem diligit, idque vel maximè procedit, ſi talis ingreſſus fuerit in ordine ad profeſſionem emittendam ſuo tempore: quia ſe haberet tanquam ſponſalia, quæ ſunt irrita, & nullam pariunt obligationem, ſi impubes expreſsè, vel tacitè non conſentiat *c. unic. de ſpons. impub. in* 6. etenim profeſſio religioſa; perinde ac matrimonium tribuit ſtatum immutabilem, proinde ex ſua natura exigit liberum conſenſum.

6 Contraria tamen ſententia videtur probabilior, adeo ut filius teneatur permanere in religione; donec annos pubertatis compleverit, quamvis à patre fuerit adactus ingredi, & deſumitur *ex c. ſi quis* 2. *h. t.* ratio eſt, quia ſicut parentes poſſunt filium; vel filiam impuberem revocare ex monaſterio,ſi non conſenſerunt ingredi;ita etiam poſſunt filium, vel filiam adigere ad ingrediendum, & morandum in religione, donec pubertatem expleverint,quia eſt ejusdem poteſtatis ligare, & ſolvere.

7 Epiſcopi cùm jurejurando obſtricti ſint obedire Romano Pontifici, non poſſunt ſine illius conſenſu religionem ingredi, nec in ea profeſſionem emittere: quia ſicut maritus non poteſt uxorem deſerere, ſine ejus conſenſu, ita neque Epiſcopus ſuam Eccleſiam ſine conſenſu Papæ, qui curam gerit omnium Eccleſiarum, & deſumitur *ex c. niſi cum pridem de renuntiat.* ubi ex cauſa ingrediendæ religionis non permittitur Epiſcopis renuntiare epiſcopatui: neque ſolet Pontifex hanc licentiam Epiſcopis concedere, ſive iſti conſecrati fuerint, ſive tantùm electi, & confirmati, licèt nondum conſecrati, quia talis Epiſcopus electus, & confirmatus eſt etiam ſponſus ſuæ Eccleſiæ, cui ſine licentia Papæ non poteſt renuntiare *c. 2. de renuntiat. Epiſcopor.* Quòd ſi Epiſcopus ſit tantùm electus, & nondum confirmatus, ſicut ſpirituali conjugio nondum eſt obligatus Eccleſiæ; ita etiam ſine licentia Papæ,poteſt renuntiare epiſcopatui, quapropter etiam poteſt profiteri in religione. Immo hoc etiam procedit de Epiſcopo conſecrato,ſi nullum habeat Epiſcopatum,eò quia illi legitimè renuntiaverit, quia tunc ceſſat ratio prohibitionis, ſcilicet obligatio Eccleſiæ, quæ in Epiſcopo eſt impedimentum aſſumendi ſtatum religioſum: non ita Epiſcopi titulares, quia ſunt alligati certæ Eccleſiæ, tametſi per accidens ob infidelium occupationem, vel ob Tyrannorum perſecutionem non poſſint actu præeſſe ſuo Epiſcopatui *argum. c. poſt translationem* 11. *de renuntiat.*

8 An verò ſi impedimentum fuerit perpetuum, & nulla illuxerit ſpes recuperandi epiſcopatum poſſit talis Epiſcopus ſine licentia Papæ religionem ingredi, & in eadem profiteri; affirmant aliqui: ſed tutior ſententia aſſerit, requiri licentiam Pontificis, eò quia tale impedimentum ſit extrinſecum. Ponuntur tamen in jure quædam cauſæ, ob quas Epiſcopis facultas conceditur renuntiandi Epiſcopatui in ordine ad religionem ingrediendam: ſuntque conſcientia criminis impedientis etiam poſt pœnitentiam executionem officii; debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grave ſcandalum, & irregularitas.

9 Quòd ſi Epiſcopus voveret religionem, docet D. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 7. tale votum non fore invalidum, eò quia fieri poſſit, ut id Eccleſiæ ſit melius,proinde teneretur,qui vovit, ſuum votum aperire ſummo Pontifici, & facultatem illud exequendi petere. An verò profeſſio religioſa emiſſa ab Epiſcopo electo, & confirmato valida ſit? Affirmant aliqui, eò quia nullo poſitivo jure irritetur, ſed tantùm prohibeatur: & ex natura ſua non eſt invalida, eò quia vincula profeſſionis, & Epiſcopatus non ſunt formaliter incompatibilia cùm Religioſus profeſſus poſſit promoveri ad Epiſcopatum, ſitque Epiſcopus Religioſus: contraria tamen ſententia videtur probabilior, nimirum talem profeſſionem emiſſam ſine licentia Papæ eſſe irritam, quia cùm Eccleſia prohibeat,ne Epiſcopus deſerat ſuum gregem ſine licentia Papæ, ita Eccleſia talem profeſſionem non acceptat, utpote contra intentionem ſuam. Hinc ad fundamentum

mentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd tametsi status religiosus, & episcopalis, non sint incompatibiles de jure naturæ secluſa prohibitione juris positivi: sunt tamen incompatibiles ratione prohibitionis, qua Ecclesia non acceptat talem professionem. Professio religiosa non sortitur suum valorem, si non acceptetur ab Ecclesia, ejusque supremo Pastore Christi Vicario. Cæterum alii Prælati Episcopo inferiores, tametsi habentes jurisdictionem quasi episcopalem possunt sine licentia Papæ religionem ingredi, & in ea profiteri, quia isti non sunt spirituali conjugio, ac perpetuo vinculo obligati Ecclesiæ, nec ad munus pastorale, & nullo jure prohibetur ipsis ingressus in religionem. Nihilominus ex decentia tenentur, & ipsi licentiam à Papa petere, si eidem immediatè subjiciantur.

10 Conjuges non possunt post consummatum matrimonium religionem ingredi, hinc si altero ignorante, vel non consentiente profiteatur religionem, potest alter conjux professionem illam irritare, & conjugem repetere, in quo casu conjux, qui post consummatum matrimonium professionem solemnem emisit, teneretur redire ad conjugem, & debitum petenti reddere, non verò exigere, quia quantum est ex se semper remanet adstrictus voto castitatis. Possunt tamen conjuges etiam post consumatum matrimonium religionem ingredi, si mutuus accesserit consensus: verùm uxor consentiens ingressui mariti, teneretur etiam ipsa religionem ingredi si juvenis esset, vel talis, ut ex eo quòd maneat in sæculo, timeri possit de incontinentia. Quòd si uxor fuerit senex, & tale periculum moraliter absit, tunc sufficit votum continentiæ emissum in manibus Episcopi: quâ verò ætate mulier conjugata dicatur senex, ut ejus vir possit religionem profiteri remanente illa in sæculo cum solo voto castitatis non conveniunt doctores: alii asserunt, fœminam quinquagenariam censeri senem quoad effectum incontinentiæ, quia tam senex est mulier quinquagenaria, quàm vir sexagenarius: in hac enim ætate tepescit in utroque ardor libidinis: mulier enim celeriùs senescit, quàm vir, adhærent huic sententiæ Bonacina *de matrim. q. 3. punct. 4. n. 12.* Filliucius *tract. 10. punct. 2. num. 133.* Alii volunt fœminam dici senem quoad hunc effectum quando est sexagenaria, ut censet Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 1. q. 6.*

11 Putârim tamen cum Pontio *de matrim. lib. 9. c. 12. num. 1.* hanc senectutem quoad effectum incontinentiæ non esse desumendam ex sola circumstantia ætatis, sed etiam ex aliis, præsertim personæ, valetudinis, roboris, morum, propensionis, & vitæ anteactæ: unde ad Episcopum pertinet maturè has omnes circumstantias considerare, ac judicare utrum uxor in his casibus citra periculum incontinentiæ possit in sæculo manere: quamobrem in tali casu tenetur uxor licentiam ab Episcopo petere, ut desumitur *ex c. si vir, & uxor 27. q. 2.* & *c. quia Agatho*: & sicut uxor consentiens in ingressũ mariti tenetur ipsa ingredi, vel saltem profiteri continentiam, ita etiam maritus, si consentiat in ingressum uxoris. Dantur tamen aliquot casus, in quibus alter conjux potest invito altero religionem ingredi. Primò si nondum matrimonium consummaverit *c. verùm, & c. ex publico de conv. conjug.*

12 Secundò etiam post consummatum matrimonium potest uxor juxta valdè probabilem sententiam religionem ingredi; si vir per vim matrimonium consummaverit ante expletum primum bimestre, quod illi à jure conceditur, quia tunc maritus gravem uxori injuriam intulit: proinde non debet hæc ob illam vim sibi illatam privari suo jure. Et hoc etiam procedit, si talis consummatio fuerit per gravem metum extorta, ut docent Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 22. num. 6.* Diana *de sacram. resolut. 242. pag. 3.*

13 Tertiò si alter conjugum adulterium committat, potest alter qui est innocens religionem ingredi: debet tamen primò fieri separatio authoritate judicis, & cognitâ causâ, ut non possit repeti, & cogi ad redeundum, ut habetur *in c. Agathosa 27. q. 2. c. porro de divortiis.* Quòd si alter etiam adulterium occultè commiserit non potest conjugem dimittere, ut religionem ingrediatur: siquidem paria delicta mutua compensatione tolluntur; hoc idem procedit, si cognito illius peccato debitum petiit, vel reddidit, quia illi censetur reconciliatus, & jus suum condonâsse.

14 Quartò si alter conjux incidat in hæresin, & judicio Ecclesiæ fiat separatio; quia tunc innocens potest religionem ingredi, tametsi alter resipuerit.

15 Rursus non possunt religionem ingredi, qui sub futuri matrimonii promissione puellam defloràrunt, quamvis fictè promiserint, quia ratione gravis damni illati puellæ tenentur stare promisso, vel saltem eam dotare juxta illius conditionem, ut docet Diana *de sacramentis resolut. 203. p. 3.* dantur tamen aliquot casus, in quibus non tenetur stuprator defloratã puellam ducere. Primò si notabiliter excedat statum puellæ ratione præsertim nobilitatis: & puella hujus excessus erat conscia, ut si vir equestris puellam rusticam defloraret spe matrimonii. Secundò si probabiliter timeatur infaustus exitus. Tertiò, quando fœmina se finxit virginem, cùm talis non esset, ac propterea decepit virum: in hisce enim casibus liberum est viro ad religionem transire. An verò qui priùs votum emisit religionis, aut castitatis, & postea virginem defloravit cum promissione matrimonii teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum? communis sententia est, teneri ad matrimonium contrahendum, si puella votum promittentis matrimonium ignoraverit: ratio est, quia ingressus religionis jam factus est ei illicitus, quia qui religionem vovit non potest eam ingredi, nisi gravem injuriam irrogando puellæ, quia obligatio strictæ justitiæ præponderat obligationi religionis: unde cum promittens grave damnum intulerit puellæ, nec hoc possit aliter ex æquo resarciri, nisi eandẽ ducendo, tenetur eam ducere: siquidem puella bona fide ex parte sua complevit contractum cum damno propriæ pudicitiæ,

pro-

proinde etiam alter tenetur ex parte sua stare eidem contractui.

16 Neque potest puella adigi ad admittendam aliam compensationem, quia pudicitia non est pecuniâ æstimabilis: neque puella tenetur subire incertam deperditæ virginitatis, ut ille votum suum adimpleat. Nihilominus contrariam sententiam tenent Navarr. Rodriquez. Layman. *lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. num. 5.* & alii apud Dianam *p. 5. tract. 15. resolut. 38.* Quòd si puella sciverit promittentem matrimonium jam antea vovisse castitatem, vel religionem, non posset tunc nuptias urgere, quia non contraxisset cum bona fide: siquidem scivit ipsum non potuisse nuptias promittere ob votum religionis, vel castitatis, & scivit, quòd promissio non posset ab ipso licitè præstari. An verò in hisce casibus impetranda sit dispensatio voti? Putârim id non esse necesse, eò quia executio voti emissi sit ei illicita.

17 In praxi tamen consulendum est, ut relaxatio voti petatur, alioquin teneretur, qui vovit ex parte sua castitatem servare, si eam vovit, proinde non posset debitum petere, sed tantum reddere petente conjuge implicitè, vel explicitè; unde ad petendum debitum tenetur dispensationem voti obtinere. Quid verò dicendum sit de illo, qui post emissum votum religionis, vel castitatis contraxit postea sponsalia, & licèt non obtinuerit uluram corporis, talem tamen exercuit familiaritatem cum sponsa, ut moverit suspicionem copulæ.

18 Putant aliqui cum Corduba, & Lopez *1. p. c. 76.* teneri puellam ducere, eò quia non potest damnum suspicionis aliter resarcire: sed ego putârim teneri votum exequi, & religionem ingredi, quia votum religionis prævalet sponsalibus, quando puella non fuit defiorata: illa enim suspicio est tantùm extrinseca, & temerè fundata: ex eo enim quòd sponsus familiariter agat cum sponsa, non debet inde argui, quòd impurè tractaverit cum ipsa. Quòd si puella vi, vel dolo fuisset defiorata, vel precibus violentiæ æquipollentibus: & corruptor ut huic injuriæ satisfaciat sponte promittat ei matrimonium, tunc tenetur stare promisso, & non potest illâ invitâ religionem ingredi, quia ex vi illius defiorationis injuriosæ tenetur eam ducere, vel dotare, ut desumitur *ex c. 1. de adulter.* quod ex lege veteri translatum est in jus canonium: si enim puella fuerit contenta dote, tenetur corruptor emissum antea votum exequi.

19 Servi non possunt religionem ingredi, nec in ea professionem emittere absque consensu domini, quia cum sint sub jure Domini furtum committerent, si injustè se subtraherent potestati Domini: siquidem illum privarent jure suo. Hinc si servus inscio Domino sit religionem ingressus, potest intra tres annos à Domino repeti, cui est restituendus cum omnibus, quæ secum attulit; fide tamen accepta de impunitate quòd servus non sit puniendus à Domino. Quòd si intra triennium computandum à tempore scientiæ, vel inchoatæ probationis, seu assumpti habitûs regularis servus non fuerit repetitus, non potest postea repeti, quamvis nondum professionem emiserit, nisi Dominus ita longè distet, ut inveniri non possit; & tunc tantùm illa sunt Domino restituenda, quæ servus secum attulit in monasterium, ut desumitur *ex c. si quis 3. caus. 17. q 2.* quia tunc in favorem religionis censetur Dominus, qui intra triennium non repetiit suum servum, consensisse tacitè, ut in illa remaneat, ut notat Glossa *in c. si quis 2. h. t. V. intra triennium*, id tamen procedit dummodo ipsum bona fide receperit, adeo ut ignoraverit servum esse, & tunc non tenetur domino ad aliam compensationem, si non fuit in mala fide, ut desumitur *ex d. c. si quis in fin.* Quòd si servus intra triennium professionem solemnem emittat mala fide fingens se liberum, cùm sciat se servum esse, & sub alieno, non proprio jure, potest tunc à domino in servitutem revocari, ne ex sua fraude lucrum reportet. Sin autem religio ipsa fuerit in culpa, eò quia admiserit, quem sciebat servum esse, vel quia si dubitaverit, & nihilominus neglexerit debitam præmittere diligentiam ad veritatem inquirendam, tunc tenetur ipsa religio satisfacere, & compensare domino damnum illatum ob servi jactutam, & damnum quod inde fuit passus.

Cæterum si bona fide servum admisit, sufficit si eundem restituat domino, ut docet Suarez *de relig. lib. 6. c. 6. num. 4.* Hæc autem procedunt non solùm de veris servis, & mancipiis, verùm etiam de servis originalibus, & adscriptitiis, seu colonis fundo adscriptis. Professio autem à servo infra triennium absque consensu Domini emissa non solùm est illicita, sed etiam invalida, ut notat Azorius *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 3.* videtur desumi *ex c. si quis 17. q. 2.* ratio est, quia servus quoad actiones utiles est totus sub jure Domini: unde furtum faceret sui, si se illi subtraheret; quapropter etiam si professionem in religione emisisset adhuc Domino petenti esset restituendus: & in tali casu teneretur servus apud Dominum castitatem servare, si ad illam absolutè, & independenter à statu religionis intenderit se obligare: siquidem potuit invito Domino ad illam se obstringere. Hoc autem intelligitur de servo, qui manet in statu servitutis; non verò de illo qui per fugam ad suos, enactus est libertatem. Nihilominus professionem religiosam emissam à servo validam esse docet Suarez *lib. 6. de relig. c. 6. num. 3.* eò quia nullo jure positivo irritetur: Prior tamen sententia communior est. 20

Gravatus ære alieno, si creditoribus solvendo non sit, & inter paucos annos manens in sæculo possit debita sua extinguere, & creditoribus satisfacere, non potest religionem ingredi, quia æquitas non patitur, ut cum damno aliorum quis ingrediatur religionem, si illud absque gravi incommodo potest impedire, ex eo quod aliquamdiu maneat in sæculo: unde quamvis debitor hic, & nunc non sit solvendo creditoribus, si tamen adsit spes quòd intra paucos annos manens in sæculo possit ex acquisitis arte, vel industria suis creditoribus satisfacere, non potest tunc religionem ingredi, nisi priùs suis creditoribus satisfecerit. Quòd si probabilis 21

bilis ſpes non illuceat ſatisfaciendi intra illud tempus: & manendo diutiùs in ſæculo incurreret notabile periculum ſalutis, poſſet tunc religionem ingredi; & relinquere bona, quæ ſuperſunt creditoribus dividenda pro rata, ut docet D. Thomas 4. 88. *art. 6. ad 3.* ubi apertè docet, non teneri in ſæculo remanere, ut ſolvat, ſed ſufficere ſi de bonis præſentibus ſatisfaciat creditoribus: & dat rationem, quia perſona hominis liberi non eſt pro pecunia obligata, ut ipſa ſit quaſi ſerva creditorum; ſed tantùm obligata eſt ad ſatisfaciendum ipſis ex propriis bonis, quæ tunc habet: quamobrem traditio, per quam debitor ſe tradit religioni per profeſſionem valida eſt, quamvis illicita, quatenus cedit in præjudicium creditorum. Non tamen ſi gravatus ære alieno admiſſus fuerit in religionem, hæc obligatur ad ejus debita extinguenda, niſi fortaſſis ex tali ingreſſu facta fuerit locupletior. Neque obſtat, quòd ex conſtitutione Sixti V. quæ incipit *cum de omnibus*, gravatus ære alieno reddatur inhabilis ad emittendam religioſam profeſſionem: quia hæc conſtitutio à Clemente VIII. quoad profeſſionis nullitatem moderata fuit, ac reducta ad terminos juris communis, proinde non manet in ſuo vigore, & ſolùm habet vim quoad illicitam illius receptionem, & pœnas recipientium, ut liquet ex Bulla Clementis VIII. edita anno 1602. die 2. Aprilis, cui initium eſt: *In ſuprema eccles. Apoſt. ſpecula.*

22 Qui reddendis rationibus obnoxii ſunt, nec poſſunt religionem ingredi, eò quia eorum perſonæ ſint ad talem functionem obſtrictæ, unde debent priùs ſe expedire, ſi ſint ratiocinia Reipublicæ: quòd ſi ſint ratiocinia privatorum, quamvis conveniens, & honeſtum ſit, ut ab iisdem ſe priùs expediant antequam religionem ingrediantur, non tamen id cenſetur abſolutè neceſſarium. Non tamen deſunt doctores, qui doceant, obligatos publicis, & privatis ratiociniis reddendis arceri ab ingreſſu religionis: eò quia in conſtitutione Sixti V. dicatur, quòd reddendis ratiociniis obnoxii nullatenus recipiantur, & quia Pontifex non diſtinguit, ita nec nos debemus diſtinctionem adhibere. Secus eſt de illo, qui ad aliquod officium obeundum longo tempore ſe obſtrinxit, ut ad docendum per decennium, ad ſerviendum perpetuò in hoſpitali, ad adminiſtrandam Rempublicam: quia in ſimilibus contractibus videtur exceptus ſtatus perfectionis, & ſemper intelligitur tacita conditio, niſi fuero religionem ingreſſus: ſiquidem præfati contractus non debent ita intelligi, ut contrahens cenſeatur ſibi aditum ad ſtatum perfectionis voluiſſe intercludere: quinimò quamvis contractus eſſent juramento firmati, adhuc contrahens poſſet in religionem ingredi: ratio eſt, quia juramentum ſequitur naturam contractus, ſuper quem cadit, perinde ac acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: & quia hujusmodi contractus intelliguntur celebrari ſub tacita conditione niſi contrahens fuerit religionem ingreſſus; ita etiam juramentum intelligitur emiſſum ſub eadem tacita conditione.

23 Filiusfamilias nequit religionem ingredi, & ejus parens extrema, vel graviori prematur egeſtate, & ipſe non poſſit aliter illi ſuccurrere niſi manendo in ſæculo, quia jure naturæ tenetur tunc parentem alere: & hoc etiam procedit de parente, ſi filius pari neceſſitate premeretur: non tamen eſt ea obligatio erga fratres, & ſorores, quia non eſt inter illos dependentia, ſicut inter patrem, & filium. Quòd ſi filius non poſſet parentib⁹ in ſæculo providere ſine diſpendio propriæ ſalutis, ſeu probabili periculo peccati lethalis, poſſet tunc religionem ingredi, quia quisque ex charitate ordinata tenetur pluris facere ſuam propriam ſalutem ſpiritualem, eamque magis procurare, quàm corporalem ſalutem parentum. Rurſus ſi alius ſit in ſæculo, qui poſſit, & velit parenti ſummè indigenti ſubvenire; poſſet tunc filius religionem ingredi: ſiquidem Chriſtus quosdam vocavit filios, qui adhuc parentes habebant paupertate laborantes; ut etiam Jacobum, & Joannem filios Zæbedei, qui relictis retibus, & parte, ſecuti ſunt Chriſtum: ubi notat Liranus, eos reliquiſſe proprios parentes, eò quia alii adfuerint, qui illis ſubvenirent.

24 Cæterum ſi filius parente conſtituto in gravi neceſſitate profeſſionem ediderit in religione; tenetur egredi ſi aliter eidem non poteſt ſubvenire: ratio eſt, quia ſtante tali neceſſitate patris, non poterat filius ex obligatione jam contracta ſubveniendi patri extrema vel gravi neceſſitate laboranti religionem ingredi. Quòd ſi filius jam emiſerit ſolemnem profeſſionem, hæc non eſt irrita, ſed tantùm ſuſpenditur ejus executio donec parenti proviserit. Quòd ſi parens ex caſu fortuito poſt emiſſam à filio profeſſionem inciderit in illam paupertatem, non tenetur tunc filius egredi; quamvis ſi velit, poſſit obtenta priùs licentia à Prælato: ratio eſt, quia per editam profeſſionem mutavit ſtatum, nec ampliùs ſubeſt patriæ poteſtati, ſed Prælato; quamobrem illi obligationi ſupervenienti non tenetur filius ſatisfacere, niſi quantum poteſt ſalvo ſtatu: hoc autem intelligendum eſt de egeſtate non extrema, ſed minore, & in qua parens poteſt utcunque vivere, quamvis plura ſentiat incommoda: alioquin ſi neceſſitas extrema foret, teneretur filius ſubvenire parenti etiam egrediendo religionem petita priùs licentia, tametſi non obtenta, quia obedientiæ votum non debet impedire obligationem juſtitiæ, & miſericordiæ exercendæ in proprium patrem.

25 Teneretur tamen filius egreſſus è religione habitum geſtare religioſum niſi foret impedimento ad lucrandum pro ſuſtentatione parentis: neque in dimiſſione habitus poteſt Prælatus diſpenſare, ſed ſolus Papa, ut habetur *in c. 2. ne cler. vel Monach. in 6.* Rurſus Religioſus, quamdiu manet in ſæculo, tenetur obſervare non ſolùm eſſentialia religionis; verùm etiam majora præcepta, & minores obſervantias ſuæ religionis, ut jejunia, & alia id genus eo modo, quo poſſunt commodè obſervari.

26 Demum debet filius ſtatim ac patrem ſublevavit ab illa extrema neceſſitate, eique providit, iterum religionem ingredi, ut etiam ſi pa-

ter objerit, & etiam si à Prælato religionis fuerit requisitus, & ille se offerat, quòd velit procurare necessaria pro congrua sustentatione parentis, debet etiam tunc filius paratus esse ad religionē redire. Laudabile hinc est, si filii abstineant ab ingressu religionis pro tempore, adeo ut illum differant, si possint parentes gravatos ære alieno juvare: & etiam quando necessitas parentum, licèt non sit extrema, nec ita gravis, ut eos mendicare adigat, aut aliis inservire; est nihilominus valdè gravis. Ut etiam quando parentes plures habent filias, quarum pudicitia periclitatur, nisi illis subveniatur. Et demum quando parentes deberent decidere notabiliter de suo statu, ac ad summam devenire miseriam; in his enim, & similibus casibus possunt filii abstinere ab ingressu religionis, vel illum differre, ut parentibus succurrant.

27 Illegitimi non possunt religionem ingredi, in qua ejus pater sive ante, sive post nativitatem filii professus fuit, si adhuc sit superstes. Immo sunt plures religiones, quæ ex vi propriarum constitutionum excludunt homicidas, infames, natos ex Judæis, Saracenis, vel Hæreticis usque ad quartam generationem: & pro sacro ordine fratrum minorum strictioris observantiæ habetur Bulla Pauli IV. confirmata per Gregorium XIII. quâ prohibetur sub gravibus pœnis eos recipi, qui descendunt ex genere maculato: similem Bullam etiam obtinuerunt religiosi Minimi. Verùm quia omnes hæ Bullæ pœnales sunt ob pœnas, quas continent, non extenduntur ad alias religiones: quia tametsi in pœnalibus subinde liceat aliquam extensionem facere ex verisimili mente Pontificis de casu ad casum; non tamen fit de persona ad personam; proinde neque de religione ad religionem, quia secundùm regulam juris odia sunt restringenda.

28 Qui corpore sunt notabiliter vitiati etiam arcentur ab ingressu religionis, nisi morum integritas, insignis doctrina, vel magna sanguinis nobilitas suppleant corporis defectum: siquidem corpore vitiati arcentur à ministerio altaris, ut habetur *in c. 2. de cler. ægrot.* Eorum tamen professio de jure communi non est irrita, quia nullibi in jure prohibetur, ne corpore vitiati religiosam possint professionem edere. Cæci enim possunt validè profiteri, quatenus possunt ore proferre verba professionis. Muti itidem, & surdi possunt professionem emittere per signa, ut docet Sanchez *lib. 7. moral. c. 12. num. 32.* Claudos, Mancos, Luschos, Surdastros validè profiteri non est dubium, quia nullibi in jure id prohibetur; quamvis Prælati Regulares debeant abstinere à suscipiendis similibus corpore vitiatis, nisi defectus compensetur per insignem doctrinam, vel plura merita, vel insignem sanguinis nobilitatem. Moriones, infames, Histriones, Carnifices, & alii similes nec debent in religionem recipi, quia nequeunt ad clericatum promoveri, neque etiam post peractam pœnitentiam ob infamiam, quâ laborant.

29 Si tamen recipiantur in religionem, & emittant professionem hæc valida erit, quia nullibi in jure irritatur, & licèt in constitutione Sixti V. cui initium est, *cùm de omnibus*, sub gravissimis pœnis prohibeatur, ne criminosi, aut de crimine suspecti ad religionis habitum recipiantur: nihilominus in hac constitutione criminosi dicuntur, qui facinora exorbitantia, ac valdè turpia perpetrârunt, ut homicidium, furtum, latrocinium: & rursus requiritur, ut crimen sit notorium, tam notoreitate facti, quàm juris, quapropter debet accusatio, & inquisitio illius constare actibus publicis.

Rursus debet in particulari esse contra aliquem criminosum inquisitum, adeo ut non sufficiat inquisitio in communi facta. Demum hujusmodi accusatio, & inquisitio debet præcedere susceptionem habitûs, ac fieri coram judice sæculari. Quòd si post accusationem, vel inquisitionem accusatus innocens declaretur, licitè, & validè potest ad religionem admitti: imò etiam si de crimine fuerit juridicè convictus, & ad pœnam damnatus, si eam persolverit, & tantæ curiæ, quàm parti satisfecerit, quantum est ex dicta constitutione non prohibetur religionem ingredi, & professionem emittere, quia intentio summi Pontificis solùm fuit obviare, ne delicta colore religionis manerent impunita, ut notant Suarez *de religion. tom. 3. lib. 5. c. 8.* Miranda *tom. 1. q. 19. art. 1.* & professio emissa ab hisce criminosis est jure communi valida juxta moderationem Clementis VIII. in sua Bulla paulò superiùs citata. Cæterum si Novitius ante emissam professionem habeat aliquod impedimentum ex iis, quæ à Sixto V. in sua Bulla de criminosis recensentur, debet expelli, tametsi non sit impedimentum de jure communi; aliquin Prælatus incurreret pœnas illius Bullæ: excipitur tamen impedimentum illegitimi, quod sublatum est à Gregorio XIV.

Bigami non possunt in clericos ad religionem recipi, sed tantùm in laicos, ut etiam illiterati: siquidem post emissam professionem debent eâ saltem scientiâ pollere, quæ ad divinum officium ritè persolvendum est necessaria. Et Sixtus V. exigebat, ut antequam Novitius in religionem susciperetur fierent exactè informationes de illius vita, & examinaretur à Patribus: verùm quia id nimis onerosum videbatur, & ex dilatione facienda, occasio dabatur juvenibus ad religionem aspirantibus retrocedendi, ideo Clemens VIII. anno 1592. 12. Septembris aliam edidit Bullam, quæ incipit: *In his quæ ad religionum propagationem*, in qua indulget, ut juvenes ætatis suæ annum 16. excedentes suscipi possint in religionem, recepto ab iisdem juramento, quòd non sint criminosi, nec rationibus obligati, neque furto, latrocinio, aut homicidio notati, nec aliis impedimentis, quæ recensentur in Bulla Sixti V. detenti. 30 31

§. III.

De Novitiatu, & Novitiis.

EX jure antiquo masculus completo anno 14. ætatis, & mulier 12. ad religiosam professionem admittebantur, & quidem ante annum probationis in religione expletum accedente tamen Novitii voluntate, ac justa causa ex consensu Prælati, & communitatis *c. si* 1

qui monaſterio 1. *h. t. in* 6. ubi Innocentius IV. ait: qui ingreditur religionem, ut Monachus efficiatur, & erat ante 14. annum, ſi in 15. non fecit profeſſionem, & ſi quam fecit ante 14. non habuit ratam, nec in 15. accepit habitum profeſſorum, liberè poteſt reverti ad ſæculum infra 15. Item ſi toto 15. anno manſit in monaſterio, ubi Profeſſorum, & Novitiorum non eſt diſtinctus habitus, videtur per hoc feciſſe profeſſionem, vel ratam habuiſſe ſi quam priùs fecerit. Verùm ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *c.* 15. non licèt ampliùs religioſam profeſſionem emittere ante annum probationis, & ſextum decimum ſuæ ætatis expletum, aliàs invalida foret profeſſio: & in hoc malitia non ſupplet ætatem; quia à jure requiritur certus numerus, ac determinatus annorum.

2 Rurſus annus Novitiatus computandus eſt de momento ad momentum, & cùm ſit materia favorabilis, poteſt Novitius profiteri eo ipſo die, quo annus finitur. Quòd ſi annus biſſextilis occurrerit ſecundùm jus duo dies debent pro uno reputari; etiam quoad finum probationis: ſiquidem cùm hæc materia politica ſit, & civilis, de ea politicè, & civiliter debemus loqui: hinc annus probationis, non debet eſſe annus ſolaris, & naturalis continens neceſſariò 365. dies, & ſex horas demptis aliquibus minutis; ſed debet eſſe annus à Republica ut talis declaratus, ut notant Diana *de dub. Regul. p.* 3. *reſolut.* 57. Portel. *de dub. Regul. V. Novitius num.* 48. Nihilominus Pius V. conceſſit Monialibus S. Dominici, ut Novitia ex judicio medici mox moritura poſſit ante annum completum probationis, dummodo ætatem ſufficientem habeat, profeſſionem emittere in manibus Prioriſſæ, ac indulgentiam plenariam lucrari, & hæc profeſſio valida eſt, ſaltem in foro conſcientiæ. An verò Novitiæ defunctæ ſuccedat monaſterium, vel ejus parentes venientes ab inteſtato, communior ſententia eſt ſuccedere parentes, eò quia profeſſio emittitur in favorem ſpiritualem Novitiæ, non in præjudicium parentum ſuccedentium ab inteſtato. Contraria tamen ſententia aſſerens in tali caſu ſuccedere monaſterium eo prorſus modo, quo ſuccedit in bona profitentium peracto legitimo anno Novitiatûs probabilis eſt, & illam docent Diana *de dub. regul. reſol.* 17. *p.* 3. & plures alii quos ipſe citat, quia tametſi finis profeſſionis ſit conſolatio Novitiæ, & ſpiritualis ipſius fructus: nihilominus ubi ſemel virtute privilegii emiſit profeſſionem, revera conſtituitur impoſterum profeſſa, & ſi priſtinæ reſtitueretur ſanitati, non indigeret alia profeſſione: Religioſo autem emittenti ſolemnem profeſſionem ſuccedit monaſterium, cujus ſit membrum.

3 Præterea ut annus Novitiatus ſit legitimus debet eſſe integer, & continuus, adeo ut non ſufficiat, ſi ſit interpolatus, ut docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 2. *q.* 8. Navarr. *de regul. conſ.* 32. & 33. ratio eſt, quia quoties in jure præſcribitur aliquod tempus, debet illud continuum eſſe, quapropter debet eſſe annus continuus, in quo Novitius integrè, & perfectè religionis onera, & aſperitates experiatur: illa autem nec non perfectè experiretur, ſi per aliquod tempus ea intermitteret: interrumpitur autem annus Novitiatus, ſi Novitius è religione contra obedientiæ præſcriptum recederet, niſi per paucas horas tantùm recederet; non ita ſi mora duorum, vel trium dierum intercederet, tunc enim annus non cenſeretur continuus: quia ut ſit continuatio debent eædem qualitates in re continuata manere, & in mora duorum, vel trium dierum contrarium intercederet, ſcilicet dimiſſio novitiatûs, & obedientiæ, proinde non remanerent eædem qualitates in toto illo anno continuo. Hæc autem intelliguntur, quando Novitius fugit etiam animo redeundi ad religionem.

4 Quòd ſi Novitius abſque licentia ſuperioris è monaſterio egrederetur cum animo non redeundi, an tunc cenſendus eſſet interrupiſſe novitiatum, ſi habitum etiam dimitteret, videtur eſſe difficultas, nec doctores conveniunt; plures cum Navarro *tit. de regul. cons.* 42. cenſent modicum intervallum non facere interruptionem moralem, proinde talem egreſſum ad paucas horas non interrumpere novitiatum: ſiquidem tota ratio, cur annus debeat eſſe continuus, eſt, ut Novitius experiatur auſteritates religionis; & intermiſſio paucorum dierum non cenſetur id impedire, cùm non impediat moralem continuationem. Alii cum Sanchez *lib.* 5. *moral. c.* 4. *num.* 32. *& ſequent.* volunt, quamcunque modicam interpolationem interrumpere novitiatum: ſicuti defectus anni integri, tametſi ſit defectus paucarum horarum, ſufficit ad irritandam profeſſionem juxta declarationem Cardinalium referente Barboſa *de jur. canon. lib.* 1. *c.* 42. *num.* 139. Alii media incedunt via cum Suarez. *de religion. tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 15. *n.* 6. Navarr. *de regul. cons.* 33. & docent, per talem egreſſum novitiatum interrumpi tantùm imperfectè, & inchoativè, quatenus egrediens dimittit habitum religioſum.

5 Putârim tamen, talem actum, ſeu egreſſum è religione cum dimiſſione habitûs, & intentione non redeundi eſſe actum conſummatum interrumpentem novitiatum, quia intentio, & dimiſſio habitûs ſolvunt, ac interrumpunt continuationem: eatenus modicum intervallum non facit interruptionem moralem, eò quia continuatio habetur per actum revertendi: at quando quis de facto non vult ampliùs redire, & dimittit habitum, retractat præcedentem actum, quo inchoavit novitiatum, quem propterea non vult ampliùs continuare, intentio enim non redeundi, & dimiſſio habitûs ſupponunt actum nolentis continuare inchoatum novitiatum, qui propterea interrumpitur, & Novitius tenetur iterum, ſi revertatur ad religionem, novitiatum inchoare.

6 Quòd ſi Novitius à Religioſis per ſecreta ſuffragia dimitteretur: & ex ſuperiorum benevolentia ad humilem petitionem Novitii pro iteratâ anno novitiatûs admitteretur habitu religionis non dimiſſo; cenſerem novitiatum non eſſe interruptum per talem dimiſſionem factam à Religioſis monaſterii per collecta ſuffragia, ratio eſt, quia Novitius ſemper habitum reti-

cetinuit, in conventu manſit, & rogavit ſuperiorem, ut dignaretur illum admittere ad iterandum annum novitiatûs: qui tamen non eſſet iterandus, quia annus ex parte Novitii eſt continuus, & nunquam ceſſavit experiri auſteritates religionis: unde non video, cur teneretur iterum annum novitiatûs inchoare; niſi fortaſſis Religioſi illi ob aliquam juſtam cauſam vellent differre tempus profeſſionis emittendæ ad meliùs probandam vocationem Novitii, & ejus habilitatem in ordine ad ſervitia religionis. Neque urget, quòd ſuperior admiſerit Novitium ad iterandum annum novitiatûs, ut ipſe humiliter petierat: ſiquidem talis petitio iterandi annum novitiatûs continebat errorem, quatenus ſupponebat annum inchoatum fuiſſe interruptum: hic autem error ſemel detectus non debet Novitio nocere.

7 Hodie de eſſentia novitiatus eſt, ut peragatur in habitu Religionis, ſeu in veſtitu illius Religionis, quam fuit ingreſſus: ſiquidem habitus eſt etiam quædam vitæ auſteritas, difficultas, & labor; proinde accenſetur experimentis probationum, unde neceſſe eſt, ut Novitius, hoc etiam experiatur onus: tum quia talis eſt uſus, & praxis cujusvis Religionis. Rurſus debet etiam Novitiatus peragi in loco ad id deputato; adeo ut ſi quis non peragat novitiatum in loco deſignato, & ibidem admittatur ad profeſſionem, non validè profiteatur, ut liquet ex diſpoſitis à Clemente VIII. in ampliatione ſui decreti circa receptionem Novitiorum annexi ejusdem conſtitutioni *83. tom. 3. Bullar.* §. 8. ubi dicitur: *Receptiones verò, & probationes quaslibet earum, quæ contra hujusmodi decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcunque effectum, nunc decernit, & declarat.* Decretum autem prohibet, ne Novitii recipiantur, & ad profeſſionem admittantur, niſi in locis deſignatis: unde ſi in alio loco, quàm in deſignato Novitii ſuſcipiantur, & profeſſionem emittant, eorum profeſſio irrita eſt, nec ullum poteſt effectum parere defectu poteſtatis Religionis: ſiquidem religio cùm accipiat totam poteſtatem à ſummo Pontifice in ordine ad ſuſcipiendos Novitios, poteſt tantùm illâ uti ſecundùm menſuram, ei conceſſam: & quia hæc poteſtas eſt reſtricta à Pontifice ad certa loca, & remanet ſublata quoad alia.

8 Hinc Novitius, qui profeſſionem emiſit in locis non deputatis, poteſt intra quinquennium reclamare, quia Concil. Trident. *ſeſſ. 25. c. 19. de Regular.* diſponit, quòd Regulares, qui prætendunt nullitatem profeſſionis, debeant intra quinquennium reclamare, & adducere cauſas nullitatis, & dilapſo quinquennio non ſint ampliùs audiendi, unde diſpoſitio Concilii induxit præſumptionem juris, & de jure, pro validitate profeſſionis; quod ſpecialiter de nulliter profeſſis ob non peractum Novitiatum in locis deſignatis ſtatuit ſacra Congregatio *in decreto poſt conſtitution. 115. Urbani VIII. §. quòd ſi.* Hinc ſi ſponte Religioſus dimitteret habitum poſt quinquennium, imò etiam intra quinquennium absque licentia ſacræ Congregationis, habendus eſſet ut Apoſtata, ac eſſet puniendus. In foro tamen conſcientiæ Religioſum nulliter profeſſum eſſe tutum in conſcientia ſi ſecluſo ſcandalo maneat extra Religionem ſine habitu, docent Leſſius *de juſtit. & jur. lib. 2. c. 41. dub. 7. num. 65.* Navarrus *allegat. 1. V. ita* Sotus *lib. 7. de juſt. & jur. q. 1. art. 2. §. an verò* ſiquidem profeſſio ob non peractum novitiatum in loco deſignato ita eſt nulla ex diſpoſitione Clementis VIII. ut hæc nullitas ſe extendat ad omnes effectus, proinde non inducit ullam obligationem in eo, qui talem profeſſionem irritam emiſit, manendi in Religione, ſed illum relinquit in eodem ſtatu, in quo eſſet, ſi non emiſiſſet profeſſionem aliquam, nec in conſcientia habet aliquam obligationem erga Religionem. Tum quia ſi nulliter profeſſus non remaneret in ſua plena libertate recedendi à religione, ſicut erat antequam profeſſionem illam nullam emitteret, ſequeretur, quòd profeſſio irrita aliquem induceret effectum, & obligationem contra diſpoſitionem Pontificis: ſiquidem non eſſet irrita, quoad omnes effectus: quod enim nullum eſt, perinde ſe habet, ac ſi omnino non eſſet factum *l. 2. §. hæc autem ff. quod quisque jur. ſtatu*, & notant Felinus *in c. illud de præſcript.* Decianus *reſpons. 10. num. 34.* & quamvis elapſo quinquennio profeſſio habeatur pro valida, per hoc tamen non ſequitur, quòd valida ſit, ſi aliàs fuit nulla, & non fuit ratificata, quia tota validitas fundatur tantùm in præſumptione, eò quia jus præſumat pro validitate; & quia præſumptio eſt falſa, non obligat in conſcientia; non enim quod verum non eſt, poteſt effectum verum inducere, ut docent Abbas *in c. 1. n. 10. de conſtit.* Felin. *num. 4. Bald. in l. cum quis n. 19. C. de jur. & fact. ignoran.* ratio eſt, quia in foro conſcientiæ attenditur ſola veritas *c. ita nos de ſponſal.* proinde cum præſumptio ſit falſa corruit lex, quæ ipſi innititur, quia obligat tantùm ex ſuppoſitione talis præſumptionis, quæ cum falſa ſit, non habet locum in foro conſcientiæ, in quo præſumptio cedit veritati *l. cum de indebita ff. de probat. & l. in rebus C. de jur. dot.* Menochius *conſil. 86. num. 106.* Roland. *conſil. 99. num. 11. lib. 1.* quinimo ſtante falſa præſumptione deficit etiam intentio legislatoris, quia hic eatenus intendit obligare: quia ſupponit verum eſſe, quod præſumit, & ideo ejus intentio non extenditur ultra veritatem præſumptionis.

9 Hæc etiam procedunt, tametſi nulliter profeſſus ſe immiſcuerit actibus propriis profeſſorum, quia inde non ſequitur ratificatio profeſſionis, non enim profeſſio irrita revalidatur per actus proprios profeſſorum: ſiquidem ad revalidandam profeſſionem requiritur facultas ex parte religionis recipiendi ad profeſſionem, & quòd talis profeſſio non prohibeatur volenti profiteri: tota enim validitas profeſſionis dependet à Romana ſede, proinde non poteſt executioni mandari niſi ſecundùm menſuram facultatis ab eadem conceſſæ: & ſedes apoſtolica non concedit facultatem recipiendi Novitios ad profeſſionem emittendam niſi in locis deſignatis, unde ſi non fuerit profeſſio emiſſa in tali loco deſignato à ſede Apoſtolica, & non

fuerit ibi peractus novitiatus, professio est invalida, & non revalidatur, si fiat in alio loco: hinc teneretur Novitius juxta terminos facultatis Apostolicæ iterare totum novitiatum in loco deputato, & ibi novam professionem emittere. Neque dici potest, talem professionem emissam in loco non designato esse validam tacitè: siquidem tacita professio non minus est contra dispositionem Clementis VIII. quàm expressa: siquidem utraque incorporat professum religioni in loco non designato à sede Apostolica, quod adversatur dispositioni Clementis VIII. Tum quia taciti, & expressi est idem judicium *l. cum quid ff. si certum pet. & l. item quia ff. de pact. l. fin. ff. de l. 2.* cùm enim dispositio Clementis VIII. habeat decretum irritans non solùm resistit professioni expressæ, sed etiam tacitæ, quam irritat: siquidem annullat omnia, quæ tali contrariantur dispositioni, *c. si eo tempore de elect. in 6.* ut notant Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Glossa 67. n. 12.* Menochius *consil. 83. num. 7.*

10 Tum quia si ex præscripto actus debeat celebrari cum aliqua certa forma, hac non servatâ actus est nullus, & non potest revalidari nisi de novo celebretur cum eadem forma *l. nuptiæ ff. de ritu nuptiar.* Socin. *consil. 92. num. 11. lib. 3.* eo ipso, quòd actus ob defectum formæ est ab initio nullus, semper est talis, donec ponatur eadem forma: unde si professio fuit nulla ob peractum novitiatum in loco non deputato, proinde defectu formæ, stante decreto irritante, non potest revalidari, nisi iteretur novitiatus in loco à sede Apostolica designato, & ibi emittatur professio: proinde non potest induci tacita professio, ut tradunt Felin. *in c. cum accessissent. n. 8. de constit.* Paris. *consil. 19. num. 185. lib. 2.* Hinc Sixtus V. in sua constitutione circa receptionem Novitiorum declarat, nullam esse tacitam professionem, quando non servatur forma expressa, quia est eadem ratio de tacita, & expressa: eadem enim viget ratio in tacita, & expressa professione. Tum quia Urbanus VIII. in sua constitutione 115. super professionibus emissis in locis non designatis supponit, eas omnes professiones esse nullas, proinde concedit, ut iterum emittantur, & revalidat actus, qui fuerunt nulli.

11 Cæterum Novitius ante annum probationis liberè potest exire, & ad sæculum redire, si nondum tacitè, vel expressè professionem emiserit, nec tenetur ab ullo facultatem petere: nisi Novitius religionem fuerit ingressus, & habitum assumpserit, animo vitam absolutè mutandi, & Deo in religione perpetuò serviendi: quia tunc spectato jure antiquo, non posset redire ad sæculum, sed esset cogendus ad professionem emittendam in religione saltem laxiore, ut habetur *in c. consulti 20. h. t.* ubi Innocentius III. disposuit, quòd qui ingreditur novitiatum animo experiendi, si mox sibi displicet, potest redire ad sæculum: si animo serviendi de cætero in habitu regulari, non potest: sed si non placet illa religio transeat ad aliam, licèt laxiorem, sed tenetur hanc intentionem protestari in principio. Hæc autem obligatio transeundi ad aliam Religionem laxiorem non oritur ex nudo proposito, neque ex intentione absolutè mutandi vitam, sed ex voto, non quidem obligante certo alicui ordini, sed religioni in genere; stante enim tali voto facto Deo non solùm ingrediendi, sed etiam absolutè permanendi in religione aliqua, tenetur ad religionem laxiorem transire.

Sin autem præscindamus à tali voto, potest 12
Novitius liberè è religione egredi, ut habetur *in c. statuimus 23. h. t.* ubi Gregorius IX. disposuit, quòd Novitii intra annum probationis, & ante professionem possunt redire ad sæculum, nisi evidenter appareat, quòd voluerint absolutè vitam mutare, & perpetuò Deo servire in aliqua religione.

Hinc tres excipiuntur casus, in quibus No- 13
vitius in probatione existens non potest etiam ante annum probationis expletum è religione egredi ex antiquo jure. Primò si expressè sit professus. Secundò si susceperit habitum religionis, qui profitentibus tradi solet. Tertiò si evidenter appareat, quòd intraverit animo absolutè vitam mutandi, & Deo perpetuò in religione serviendi, ut ex præcitatis textibus colligitur. Verùm spectato jure novo ex decreto Concilii Tridentini *sess. 25. de regul. c. 15.* professio facta ante annum probationis post susceptum habitum est irrita, & nullam parit obligationem ad observantiam alicujus regulæ religionis, vel ordinis, aut alios quoscunque effectus; proinde qui professionem emisit intra annum probationis, vel etiam cùm voto simplici religionis, aut oblatione facta ad profitendum, sed non acceptata à religione ad nullam tenetur ingredi religionem, nec in genere, nec in specie ex *declaratione Cardinal. Congreg. super Concil.* ut refert Fagnanus *in d. c. consulti 20. num. 42. h. t.* Hinc qui intra annum probationis redeunt ad sæculum, possunt licitè promoveri ad sacros ordines, ut habetur *in c. postulasti 21. h. t.* ubi Pontifex statuit, ut Novitii qui in anno probationis revertuntur ad sæculum possint ordinari, & in Ecclesia ministrare.

An verò Novitii obligentur ad servanda 14
statuta, & præcepta superiorum Regularium? Respondetur per se primò, & directè, & sub culpa non teneri ad observationem regularum, & præceptorum superioris: sed tantùm ex honestate, & decentia: quia debent subesse religiosæ disciplinæ, dum in Religione manent. Quòd non teneantur per se, & directè est certum, quia cùm versentur adhuc in probatione & ad experiendum, nondum sunt Religiosi obligati legibus, cùm possint ad sæculum reverti: hinc sicut catechumeni non obligantur legibus Ecclesiæ donec per baptismum in Ecclesiam ingrediantur: ita Novitii nisi per professionem obligentur religioni, non tenentur ad observationem regularum, & præceptorum superioris. Quòd verò ex honestate, & decentia teneantur; ex eo suadetur: quia dignum est, ut qui similem eum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in lege disciplinam, ut habetur in *c. 3. de statu Monachor.* Additur etiam, quia Novitii cùm fruantur privilegio religionis æquum est, ut ejus onera etiam sentiant, servéntque leges: alioquin

quin non possent convenienter gubernari à Prælatis religionis, & non modica inde confusio oriretur: quamobrem eo ipso, quòd Novitii habitum suscipiunt religionis, tacitè se obligant ad observantiam regularum, ac præceptorum superioris. Tum quia quamvis Novitii ad regularem ordinis observantiam non obligentur sub culpa, eò quia nondum sint Regulares professi: possunt nihilominus Prælati Religionum eis leges injungere statui ordinũ convenientes, ad quas saltem sub pœna subeunda obligentur, quamdiu manent in religione: non secus ac Clerici qui immorantes in alia diœcesi legibus obligantur ejusdem, tametsi possint inde recedere.

15 Quomodo Novitii possint de suis bonis disponere, & illis ante professionem renuntiare extat decretum Concilii Tridentini *sess. 25. de Regular. c. 16.* ubi dicitur *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta (seu ante expletum probationis annum) etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam juratæ, sit irrita, & nullius effectus.* Ut autem obligatio ante professionem facta irrevocabiliter valeat, tria debent concurrere. Primò ut fiat intra duos menses proximos ante professionem. Secundò ut fiat cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii. Tertiò ut professio sit subsecuta: & constitutio Concilii præter donationes liberales comprehendit etiam renuntiationes beneficiorum ecclesiasticorum, & officiorum sæcularium, ut etiam fidejussionem, liberationem, quâ Novitius tutorem, vel curatorem suum à reddendis rationibus liberat, quod tamen est intelligendum de professione subsecuta, quæ valida sit, adeo ut non sufficiat professio tantùm emissa, si jure non subsistat, nisi ex postfacto de novo ratificetur: rursus constitutio Concilii non solùm comprehendit minorennes emittentes professionem, sed etiam majorennes, ut fuit declaratum à sacra *Congregat. Cardinal. super Concil.* ut notat Barbosa *de offic. Episcop. allegat. 99. num. 18.*

16 Limitatur tamen constitutio, ut non comprehendat contractus onerosos emptionis, venditionis, permutationis, in quibus Novitius tantum recipit, quantum dat: imò neque comprehendit Testamentum, nec Codicillos, nec donationes mortis causâ, quæ ex sua natura revocari possunt, si Novitius ex monasterio egrediatur, quia tunc non confirmantur morte civili, nec naturali. Neque comprehendit victum, aut vestitum, quem pro se Novitius tribuit monasterio.

17 An verò decretum Concilii comprehendat obligationem, aut renuntiationem factam ante ingressum religionis, seu ante novitiatum, seu adhuc in sæculo; non desunt, qui putent, talem renuntiationem non comprehendi in decreto Concilii, & nititur hæc sententia communibus regulis, quòd correctio juris, vel constitutio pœnalis, aut irritans contractus sit odiosa, proinde strictè interpretanda: quòd volenti non fiat injuria: quod damnum, quod quis sua culpa sentit, sit sibi imputandum: quod ingrediens religionem debuisset cautiùs processisse in renuntiando suis bonis. Alii verò docent Concilium comprehendere, etiam renuntiationes factas ante Novitiatum adhuc in sæculo: & fundatur hæc sententia in mente Concilii, cujus intentio fuit, præcavere, ne ingredientes ob præproperam bonorum distributionem à regressu impediantur, vel ne egredientes è Religione, in paupertate vivant: hæc autem ratio æquè procedit sive Novitius ante novitiatum, & adhuc in sæculo, sive in novitiatu bonis suis renuntiaverit: imò videtur fortiùs valere contra renuntiationes factas ante novitiatum; cùm tunc temporis renuntians minus prævidere potuerit supervenientes causas egrediendi è Religione.

Hæc sententia mihi videtur probabilior 18
præsertim, si renuntiationes factæ fuerint intuitu ingrediendi Religionem, sive Religio sit causa impulsiva, sive principalis, & finalis, adeo ut ingrediens absolutè, adhuc existens in sæculo non renuntiaret suis bonis, nisi Religionem ingrederetur. Rationes, quæ suadent veritatem hujus asserti plures sunt. Primò quia Concilium generatim, & absolutè loquitur de renuntiationibus factis ante duos menses præcedentes ipsam professionem, nec restringit prohibitionem ad illas tantùm renuntiationes, quæ factæ sunt tempore novitiatûs: unde dispositio Concilii non est restringenda ad illud tempus. Secundò quia licèt Concilium non loquatur expressè nisi de renuntiatione facta à Novitio, nihilominus finis hujus decreti æquè locum habet in renuntiatione facta ante ingressum, & intuitu ingressus: siquidem per illam æquè tollitur Novitio libertas ad egrediendum è Religione, cum non posset recuperare bona, quibus renuntiaverat. Tertiò quia alioquin posset Concilium facilè elludi; si nimirum parentes, vel consanguinei curarent, ut ingressuri Religionem ante ingressum suis renuntiarent bonis, ne deinde post ingressum possent retrocedere. Quartò accedit etiam ratio æquitatis, quia in dubio potior est conditio illius, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando. Unde si quis intuitu ingressûs in Religionem renuntiaverit bonis suis ante novitiatum, si postea Religionem ingrederetur, & ex illa ante emissam professionem egrederetur: ne juxta mentem Concilii rediens ad sæculum magnum inde sentiret damnum, esset per beneficium restitutionis in integrum de æquitate eidem subveniendum, sive minorennis esset, sive majorennis ex generali clausula Prætoris *in l. 1. ff. ex quib. caus. majores* ubi dicitur: *si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam*, scilicet ut notat Ulpianus *in l. sed & si 26 §. item inquit ff. jam d. tit.* quoties æquitas restitutionem suggerit.

§. IV.

De professione religiosa, & requisitis ad illam; & quomodo invalida ratificetur.

1 PRofessio religiosa propriè est contractus sacer, quo homo voluntariè se tradit Deo in Religione approbata, quoad certum modum, seu institutum vivendi proprium illius Religionis, in qua emittit professionem, simúlque vovet paupertatem, castitatem, & obedientiam: quæ professio emissa à professente debet acceptari, ut valida sit, nomine ipsius Dei à Prælato Regulari. Quòd requiratur præfata traditio videtur ex eo suaderi, quia sola vota Religionis non sufficiunt ad constituendum statum Religiosum: siquidem potest quis privatim vota illa edere, & non inde esse professus, vel Religiosus, unde requiritur traditio sui Deo in religione approbata; adeo ut emittens professionem se privet jure, quod habet in se ipsum, quoad actiones, & bona sua, & illud transferat in religionem, vel Prælatum propter Deum, cui specialis obligatio ex illa acquiritur: hinc professio non est contractus merè humanus, sed religiosus, & sacer, cùm fiat principaliter ipsi Deo, licèt mediante Religione, seu ejus Prælato. Rursus præter traditionem sui, requiritur etiam ad professionem promissio per tria vota, sunt enim hæc de essentia statûs religiosi; proinde etiam de essentia professionis. Requiritur etiam acceptatio à Prælato Regulari, ut desumitur *ex c. ad Apostolicam 16. h. t.*

2 Spectato jure communi admissio ad professionem pertinet simul ad Abbatem, seu Prælatũ Religionis immediatum, & ad Conventum, seu Capitulum; adeo ut non sufficiat solum Consilium, seu consultatio cum Capitulo, sed ulterius consensus saltem majoris partis ejusdem Capituli: alioquin receptio invalida foret, ut notat Glossa *in c. ult. h. t. in 6.* Tum quia hæc est communis observatio omnium Religionum: ratio est quia nulla professio suum sortitur valorem nisi ad eandem duæ concurrant personæ, quarum altera se obliget religioni tradendo se in jus illius, & obligando se ad manendum in illa: altera quæ religionem obliget illi, recipiendo illum in filium, & jura reliquorum ei communicando: cùm enim professio religiosa sit contractus sacer, continet reciprocam obligationem inter eum, qui professionem emittit, & religionem, quæ talem professionem acceptat, ut habetur *in d. c. ad Apostolicam 16. de regular. & c. porrectum eod. tit.* & ibi Panormitanus *n.* 10. Debet autem hic consensus esse liber, non fraude, non metu injusto extortus; adeo ut si Prælatus metũ gravem injustè ad id incutiat, ut Novitius professionem emittat, professio sit invalida, quia in quovis contractu necessaria est libertas in utraque parte contrahentium.

3 Tum quia ad valorem professionis non minus requiritur receptio, quàm traditio: unde sicuti ad firmitatem professionis requiritur libertas in traditione, ita etiam in receptione: hinc si Prælatus metu gravi injustè incusso à consanguineis Novitii cogeretur Novitium admittere ad professionem, hæc foret invalida. Non solùm Prælatus Regularis immediatus verùm etiam superior, ac mediatus, ut Provincialis, vel Generalis ordinis potest admittere subditos Novitios ad professionem solemnem etiam contradicente Prælato immediato, dummodo id fiat accedente consensu Capituli: siquidem Prælati superiores, ut Generales in potestate cumulativè concurrunt cum localibus, & immediatis superioribus: & potestas admittendi ad professionem eminenter existit in Prælatis superioribus, cum iisdem inferiores Prælati subjiciantur, adeout quoad usum, & exercitium ab illis dependeant: hæc autem procedunt de jure communi, & nisi aliter sit specialiter statutum in aliquo Ordine.

4 Professio religiosa alia dicitur expressa, & alia tacita, illa est, quæ fit verbo, vel scripto; vel utroque simul: usu tamen receptum est, ut si quis scribere sciat, professionem suam etiam in scripto tradat: nulla tamen certa verborum forma ad valorem professionis religiosæ requiritur. Tacita professio tribus modis præsumitur facta. Primò si post annum probationis exactum professorum, proprium, & à Novitiis distinctum habitum per triduum quis in religione gestaverit. Secundò si suscepto habitu professorum, quamvis ante triduum exactum exerceat actum proprium Professorum, ut si in Capitulo cum reliquis professis suffragium ferat. Tertiò si per annum continuum habitum religiosum quis in Religione gestaverit, in qua nulla habetur distinctio inter habitum Novitii & professi, tunc enim anno exacto censetur tacitè professus: & hæc procedunt etiam post Concilium Tridentinum; quia cum in ipso nulla fiat mentio de tacitis hisce professionibus manent juxta dispositionem juris antiqui, quod tamen ita intelligitur ut hujusmodi tacitæ professiones inducantur transacto anno novitiatûs & expleto 16. ætatis anno ipsius professentis.

5 Rursus ex susceptione sacrorum Ordinum inducitur tacita professio, ut declaravit sacra Congregatio Cardinal. *sup. Episcop. & Regul. in una Beneventana 20. Decemb 1619.* quam refert Tamburinus *tom. 3. de jur. Abbat. disp. 6. q. 13. num. 12.* Hoc igitur est discrimen inter professionem expressam, & tacitam; quia illa fit verbo, vel scripto, vel utroque simul. Tacita verò fit sine voce, & scriptura, & per hoc, quòd quis post exactum integrum, & continuatum annum novitiatûs, & expletum 16. ætatis exerceat unum, vel plures actus professorum proprios.

6 Potest expressa Religionis professio emitti non solùm verbis, ut ordinariè fit, sed etiam scripto, aut nutibus, vel signis: siquidem nullibi reperitur jure statutum quòd professio sit necessariò per expressa verba facienda, nisi regulæ particularis religionis quid aliud exigant, hinc mutus à natura, qui postea surdus etiam factus sit, potest professionem emittere, dummodo scripto, vel nutibus possit consensum suum exprimere: ratio est, quia is habet liberum consensum, & potest liberè se obligare, & etiam contrahere matrimonium carnale, ut tradit

Azorius

Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. q. 1.* Quòd ſi ſit ſimul mutus, & cæcus à nativitate, quia ſolis ſignis edoceri non poſſet, quid ſit profeſſio religioſa non poſſet illam emittere, quia nemo ſe obligat ad id, quod non cognoſcit: ſecus ſi non eſſet ſurdus, & poſſet edoceri verbis quid ſit profeſſio religioſa. Hinc liquet, ad valorem profeſſionis expreſſæ, non requiri certam verborum formam: ſed formam profitendi eſſe variam juxta diverſa ordinum inſtituta, ut notat Azorius *loc. cit. q. 2.*

6 Quòd ſi quis emitteret profeſſionem religionis non ſuſcepto habitu religioſo proprio eſſet profeſſus, quia habitus Monachum non facit, ut dicitur *in c. peractum 13. h. t.* ſed ſola profeſſio regularis, expreſſa, vel tacita, qui enim in infirmitate ſine habitu emittit profeſſionem in manu Abbatis, eſt verè Monachus, quia habitus non facit Monachum, ſed profeſſio regularis: conſtituit enim profeſſio non in ſuſceptione habitus, ſed in ſui traditione religioni, & acceptatione ejusdem per votum ſolemne: & quamvis habitus religioſus ſoleat eſſe ſignum hujus traditionis, non tamen eſt res ſignata, ſeu non eſt profeſſio. An verò profeſſio expreſſa fieri poſſit per Procuratorem? Affirmat Azorius *lib. 12. p. 1. c. 5. q. 5.* dummodo ordinis regula contrarium non ſtatuat: ſiquidem per Procuratorem poſſunt omnia fieri, quæ non prohibentur ſpecialiter per illum fieri *l. 1. §. ulus ff. de Procurat. c. poteſt 68. de R. J. in 6.* & nullibi in jure reperitur, quòd profeſſio religioſa non poſſit fieri per Procuratorem.

7 Quinimo ſicut matrimonium, quod per ſe eſt vinculum indiſſolubile poteſt contrahi per Procuratorem; ita etiam poteſt profeſſio emitti. Debet tamen ut profeſſio valida ſit, Procurator habere ſpeciale mandatum ad profeſſionem emittendam in certa determinata Religione. Rurſus Procurator tenetur per ſe ipſum nomine alterius profeſſionem edere, adeo ut non poſſit alium ſubſtituere, niſi id ſit ipſi ſpecialiter conceſſum. Rurſus requiritur, ut tempore, quo fit profeſſio per Procuratorem, ejus poteſtas non fuerit revocata. Demum conſtitutio procuratoris non debet eſſe gravi metu extorta. Quamobrem profeſſio religioſa perinde ac matrimonium carnale poteſt fieri per litteras.

8 Hinc profeſſio religioſa poteſt etiam fieri ſub conditione de præſenti, vel præterito non ſuſpendente actum; ut etiam ſub conditione propriè dicta pendente ex eventu contingente, ut ſi Novitius dicat promitto obſervantiam regularem in hac religione, & voveo paupertatem, caſtitatem, & obedientiam perpetuam, ſi Pater meus infra octiduum conſenſerit: impleta enim conditione talis profeſſio valida eſſet, perinde ac valeret matrimonium ſi ſub tali conditione iniretur: verùm ante conditionis eventum conſenſus non debet revocari; alioquin etiam expleta conditione poſt revocationem conſenſûs profeſſio non eſſet valida, quia intentio profitentis non ampliùs eſt ſe obligare dependenter ab illa conditione adjecta. Id autem limitatur, niſi adjecta conditio repugnet ſubſtantiæ ſtatûs religioſi, quia deficiente parte ſubſtantiali contractûs, ſeu conſenſu, non poteſt contractus ſuum ſortiri valorem, proinde neque profeſſio valeret, ut habetur *in c. ſua nos 26. de ſponſal.*

An verò profeſſio religioſa emittenda ſit in Eccleſia? Reſpondetur, poſſe emitti in Eccleſia, vel monaſterio, vel in alio loco intra clauſtrum Religionis, etiam in lecto, ſi illam emittens ſit ægrotus: immo etiam extra clauſtrum: quia de loco emittendi profeſſionem in jure nil ſtatuitur, ut notat Abbas *in c. ſicut 17. num. 2. h. t.* Poteſt etiam profeſſio fieri quocunque tempore etiam media nocte, quia hujusmodi circumſtantiæ ſunt extrinſecæ, & non impediunt ſubſtantiam, & eſſentiam profeſſionis: hinc etiam in articulo mortis poteſt quis validè profeſſionem emittere, dummodo ſit ſuî compos, & integrum habeat judicium, ut deſumitur *ex c. ſicut nobis 17. h. t.* 9

Ut autem profeſſio expreſſa, vel tacita valida ſit, nonnullæ requiruntur conditiones, quarum prima eſt aptitudo perſonæ voventis, ut ſcilicet legitimam habeat ætatem, quæ ſecundùm Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 15. de regul.* eſt annus 16. completus: & hæc ætas computanda eſt, de momento in momentum: alioquin non diceretur ætas completa: quòd ſi non conſtaret de hora nativitatis expectandus eſſet terminus totius diei: & ſi non conſtaret de die, ſed de ſolo menſe expectandus eſſet exitus totius menſis: & ita ſi non conſtaret de menſe, ſed de ſolo anno expectandus eſſet finis totius anni. Rurſus debet emittens profeſſionem manſiſſe cum Religioſo habitu per annum integrum in novitiatu abſque impedimento, & in religione approbata, & confirmata à ſede Apoſtolica. Quòd ſi conſtet, profeſſionem expreſſam, vel tacitam, ſeu præſumptam ab aliquo editam eſſe, & poſtea ad illam irritandam opponatur defectus ætatis, vel aliud impedimentum irritans profeſſionem; tunc probatio illi incumbit, qui impedimentum allegat, ut notat Fagnanus in *c. 1. num. 26. h. t.* ſiquidem in dubio præſumendum eſt pro validitate profeſſionis, donec contrarium oſtendatur, ut habetur *in c. Abbate 25. de V. S.* Præterea, quia poſſeſſio ſtat pro profeſſione, & Religione, quæ hactenus hominem tanquam ſuum profeſſum habuit. Cæterum monaſterium etiam poteſt ſuas probationes afferre, ac oſtendere, quòd habuerit legitimam ætatem *argum. c. ſuper hoc* Gloſſa *V. reſignationis de renunt.* Abbas *in c. nullus 1. h. t.* 10

Secunda conditio eſt conſenſus, & acceptatio expreſſa, vel tacita illius, ad quem pertinet profitentem incorporare religioni; & ut Novitius admittatur ad profeſſionem conſentiente etiam majore parte Capituli illius conventus, in quo novitiatum egit. Epiſcopus enim in monaſteriis ſibi ſubjectis, & Prælatus in monaſteriis exemptis non poteſt quemquam ad profeſſionem admittere contradicente majore parte Capituli, quòd ſi non obſtante tali contradictione Novitius emitteret profeſſionem, ſecundùm probabiliorem, & veriorem ſententiam profeſſio ita emiſſa eſſet invalida: è converſo, nec totus conventus repugnante Prælato poteſt ad profeſſionem admittere, ut notat Sanchez 11

chez *lib. 5. c. 4. num. 62.* Verùm quoad hoc ſtandum eſt conſuetudini, & conſtitutionibus Religionum.

12 Cæterum ſi capitulares negarent ſuffragium Novitio, qui in novitiatu bene ſemper ſe geſſit non excuſarentur à peccato lethali, quia eſt contra charitatem proximi arcere dignos Religione, & contra quaſi contractum jam factum inter Ordinem, & Novitium; ut ſi dignus reperiatur admittendus ſit: quamobrem Novitius eo ipſo, quòd benè ſe gerit, videtur acquirere jus ad profeſſionem; quo jure non debet privari ſine culpa, & defectu gravi. Præterea Religioſi expellentes Novitium idoneum ſine rationabili cauſa abutuntur poteſtate jurisdictionis ſibi conceſſæ, ratione cujus tenentur ex officio juſtum judicium ferre in cauſa admittendi Novitios ad profeſſionem. Tum quia qui ſine juſta cauſa retrahunt aliquem ab ingreſſu religionis peccant graviter contra charitatem: & quia Religioſi, qui negant ſuffragium Novitio idoneo in ordine ad profeſſionem emittendam non ſolùm illum retrahunt, ſed etiam expellunt à religione, ideo peccant contra charitatem, & plurimum inde inferunt exeunti Novitio damni, eſt enim probrum, quòd aliquis fuerit è Religione expulſus, quia talis expulſio ſupponit vel delictum, vel incapacitatem, quorum utrumque cedit in damnum Novitii è Religione expulſi.

13 Tertia eſt, ut tria ſubſtantialia vota nuncupet; quia ſine ipſis non eſt perfecta religio: ad ſtatum enim religionis requiruntur tria vota, eáque perpetua, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Neque ſufficit ſi hæc tria ſervantur ſine obligatione voti; quia ſine voto non conſtituunt ſtatum religioſum ex defectu firmitatis; ſtatus enim debet eſſe firmus, adeout non poſſit ab eo recedi. Tum quia ſine voto homo non dedicatur perfectè Deo, quia libertatem reſiliendi ſibi retinet, quæ per votum abdicatur. Tum quia ad perfectionem religionis requiritur, ut homo totam vitam ſuam Deo conſecret, & quidem in perpetuum, quod fit per præfata tria vota, quia ut ait S. Gregorius homil. 20. in Ezech. *cùm quis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit Omnipotenti Deo voverit holocauſtum eſt.* Hinc Nazaræi, qui erant typus religioſorum voto conſecrabantur Deo, ut liquet *ex c. 6. numer.* hoc autem holocauſtum ab his offertur, qui ſæculum deſerunt, & relicta Ægypto in eremo, ſeu in ſtatu, & ſolitudine religionis ſacrificium, ſeu ſe ipſos Deo offerunt; & quia non poteſt quis vitam ſuam totam ſimul Deo conſecrare, eò quia non tota ſimul agatur, ut notat D. Thomas *q. 186. art. 6. ad 2.* debet hujusmodi conſecratio fieri per vota, quibus tota vita præſens, & futura Deo dedicatur: hinc non ſufficit votum temporaneum, ſeu ad ſolum ſexennium, vel decennium emiſſum, ſed debet eſſe perpetuum, alioquin conſecratio foret imperfecta, hoc eſt cum jure retrocedendi poſt elapſum decennium.

14 Rurſus non ſufficit, ſi tantùm quis voveat caſtitatem, vel ſolam paupertatem, vel obedientiam, ſed debet has tres virtutes ſimul vovere, & quidē in perpetuum: quia vel maximè conducunt ad Chriſti imitationem, & aſſecutionē perfectionis. Tum quia cùm ſtatus Religioſus ſit quoddam holocauſtum, quo Vir Religioſus omnia ſua Deo conſecrat, debet eſſe exercitium tendens ad perfectionem, & requiruntur illa tria vota: ſiquidem per votum obedientiæ Religioſus offert Deo animam, quatenus propter Deum ſubjicit judicium, & voluntatem propriam in rebus agendis ſuperiori; per votum caſtitatis offert corpus, quatenus abſtinet ſe propter Deum ab omnibus carnis voluptatibus: per votum paupertatis offert bona externa, quibus propter Deum ſe privat: unde ad ſtatum religioſum, & ſolemnem profeſſionem requiruntur illa tria vota. Præterea quia ſtatus religioſus eſt remotio impedimentorum ſalutis, & hæc impedimenta removentur per hæc tria vota: ſiquidem per votum paupertatis Religioſus exuit affectum, & ſolicitudinem rerum terrenarum, ut nos docuit Chriſtus *Matth. 6.* Per voluntariam caſtitatem removentur impedimenta carnis, & ejus voluptates, quæ mentem ad ſpiritualia reddunt maximè ineptam, ut monet Apoſtolus *1. ad Corinth. 7.* Denique per votum obedientiæ dirigitur Vir Religioſus, ne proprio judicio, & affectu fallatur, ut habetur *Eccles. 6. & Proverb. 19.* Rurſus impedimenta hæc, potiſſimum ſunt tria ſcilicet cupiditas rerum terrenarum, illicia carnis, & amor proprii judicii, ut innuitur *1. Joan. 2. Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:* & hæc tria impedimenta tolluntur per prædicta vota.

15 Quarta eſt animus profitendi, quia ſine hac intentione tacita, vel expreſſa profitendi, profeſſio eſt nulla: ſiquidem nec votum, nec ulla alia promiſſio per ſe obligat, ſi abſit intentio, ſeu voluntas ſe obligandi, tum quia profeſſio religioſa eſt quidam contractus ſacer, & de ratione cujusvis contractus eſt, ut contrahentes habeant animum, ac voluntatem contrahendi: alioquin contractus non poſſet ſuum ſortiri valorem, quia actus agentium ex intentione non operantur ultra intentionem, à qua deſumunt totam ſuam vim, perinde ac lex non ſe extendit ultra intentionem legislatoris: hinc jus quod quis in ſe ipſum habet, non infert obligationem mediante promiſſione niſi juxta illam menſuram, quâ promittens intendit illam inferre, adeo ut obligatio nec ampliùs duret, nec aliter, nec diutiùs, quàm qui ſe obligavit, intenderit; non tamen eſt neceſsè, ut formaliter, & explicitè intendat hanc obligationem, ſed ſufficit ſi implicitè hoc eſt ſi ſciens, & volens voveat: hinc in dubio ſemper præſumitur intentio, eò quia hæc naturaliter, & ex praxi communi gentium ſemper adnectitur formæ promiſſoriæ. Id autem intelligendum eſt per ſe, quia per accidens poteſt quis obligari ratione ſcandali, vel damni declinandi ſi promiſſio exteriùs facta non præſtaretur. Cæterum ſecluſo periculo ſcandali, qui profeſſus fuit ſine intentione, & voluntate profitendi poſſet è Religione egredi, habitum exuere, & in exteras Provincias profiſci, quia revera non eſſet profeſſus, nec Religioſus.

Quinta

16 Quinta, ut professio sit sponte facta nullo cogente metu injusto, & gravi cadente in virum constantem, cujusmodi esset metus, ne Novitius in carcerem detruderetur, vel alimenta illi subtraherentur, nisi in professionem assentiretur. Quamvis metus reverentialis ob preces, vel imperium Prælati, aut consanguineorum, ut plurimum à doctoribus non censeatur gravis, nec sufficiens, ad infirmandam professionem: nihilominus si aliæ concurrant circumstantiæ, quas difficulter possit Novitius à se repellere, cujusmodi sunt plurium precum, aut imperii sæpius repetiti importunitates, & adjunctæ frequentes blanditiæ; gravis offensio, vel diuturna indignatio consanguineorum, à quibus dependet vita, & fortuna Novitii, & præsertim si accesserint minæ, professionem infirmant, ut docent communiter, nominatimque Layman. *lib. 4. tract. 5. num. 6.* In dubio tamen, an metus, cujus causâ Novitius emisit professionem fuerit gravis, nec ne, præsumitur levis in favorem religionis, & valorem professionis, quia cum constet certò de professione emissa, & metûs incussio, seu impedimentũ non sit certũ, sed tantùm dubium; stat possessio pro professione certò emissa. Hoc idem procedit in dubio, an metus intercesserit; præsumitur enim non intercessisse: & ita dicendum de quovis alio impedimento dubio, quòd si non esset dubium, sed certum, infirmaret professionem.

17 An verò quando professio fuit irrita ratione alicujus impedimenti eam infirmantis; & qui talem professionem irritam emisit per plures postea annos in religione manserit, possit ab illa egredi. Respondent communiter affirmative, quia ex regula juris: *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; quod tamen limitatur nisi sciens esse irritam, illam postea ratificaverit, vel nisi expressè apud se statuerit eam validam facere, dixeritque intra se, volo meam professionem validam esse quamvis fortâsis ob aliquod impedimentum ab initio valida non fuerit.

18 Verùm ut Religiosi absque scandalo è religione sic egrediantur Concilium Tridentinum *sess. 25 de Regular. c. 19.* statuit: *Ut quicunque Regularis pretendat se per vim, aut metum ingressum religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile: velitque habitum dimittere, quacunque de causa; vel etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis; & tunc non aliter nisi causas quas pretenderit, deduxerit coram superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur. Interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur.* Hinc Concilium tria requirit, ut invalidè professus reclamans possit audiri; quorum primum est, ut reclamet intra quinquennium computandum à die professionis emissæ. Secundum, ut causas nullitatis, quas prætendit coram suo superiore, & Ordinario deducat. Tertium ut non dimiserit habitum ante hanc deductionem; nisi enim hæc tria præcesserint invalidè professus non auditur ad eum finem, ut juridicè declaretur liber à vinculo Religionis. Rursus quia quòd non audiatur, si habitum dimiserit, statutum est in pœnam; non procedit si bona fide ad tempus deposuerit habitum, quia pœnalia sunt strictæ interpretationis, adeo ut sensus sit, si habitum dimiserit, & non resumpserit, quia si resumpsit, est audiendus, ut probant fere communiter cum Navarr. *de Regul. comment. 4.*

19 Præterea illa verba *non esse audiendum nisi intra quinquennium à die professionis*, intelliguntur cum exceptione, nisi toto illo quinquennio impotentia reclamandi duraverit, quia tunc non potuit ob timorem reclamare: & verba Concilii sunt intelligenda, quòd non reclamaverit, & potuerit reclamare, *c. cum in tua 6. qui matrim. accus.* ubi mulieri non obfuit, quod durante metu viri non reclamaverit. Et quia regulariter impotentia reclamandi non constat, ideo Religiosus plerumque restituitur in integrum, ut possit audiri: quia quando Concilium absolutè dicit, quòd post quinquennium non sit audiendus, id intelligitur jure ordinario, quod servandum est, nisi constet de impotentia reclamandi, quia Concilium præsumit, post quinquennium Religiosum ratificâsse professionem, & vult, ita præsumi ab ecclesiasticis Iudicibus, qui propterea debent habere Religiosum pro professo; hinc silentium per totum quinquennium juxta mentem Concilii inducit præsumptionem juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio: id autem statuit Concilium ad tollendas solicitudines, anxietates, & scandala, quæ contingerent si semper licitum foret Religioso suam in judicio professionem oppugnare: pari pacto *in c. si quis 2. h. t.* inducitur præsumptio juris, & de jure, ex eo, quòd quis intra annum à professione per vim emissa non reclamaverit.

20 Non tamen tales Religiosi destituuntur omni remedio, quia licèt contra præsumptionem juris, & de jure non admittatur probatio in judicio ordinario, datur nihilominus ex justa causa restitutio in integrum jure extraordinario, ut defumitur *ex l. si mater de except. rei jud.* ubi datur restitutio contra sententiam, quæ transiit in rem judicatam, tametsi pro tali sententia, sit præsumptio juris, & de jure, ratione cujus admittitur omne jus agendi. Tum quia *in c. coram 7. de in integ. restit.* dicitur, quòd Ecclesia post terminum peremptorium non sit audienda; & tamen eidem per beneficium restitutionis in integrum conceditur eadem actio ad certum tempus. Similiter potest Religioso nulliter professo restitui jus agendi, quod amiserat per lapsum quinquennii, præsertim si Religiosus ex ignorantia non reclamaverit, vel ex impotentia, aut gravi metu.

21 Sexta, ut emittens professionem religiosam non habeat aliquod impedimentum, quod in illo Ordine censeatur essentiale: siquidem per impedimentum Novitius redditur inhabilis ad professionem emittendam in tali Religione: etenim sicut constituta sunt varia impedimenta di-

rimentia, quibus redditur quis inhabilis ad matrimonium, vel ſimpliciter cum quacunque perſona, vel ſecundùm quid cum hac, aut illa: ita poſſunt etiam impedimenta conſtitui, quæ reddant Novitium inhabilem ad emittendam profeſſionem ſimpliciter in quacunque Religione, vel tantùm ſecundùm quid in hac, vel illa ſpeciali: quòd ſi qui poteſt diſpenſare à tali impedimento, illud novit, & nihilominus Novitium admittit ad profeſſionem, hæc eſt valida, quia ſuperior cenſetur tacitè diſpenſaſſe. Quòd ſi ignoraverit impedimentum, & Novitius illud tacuerit in examine, tunc profeſſio ab illo emiſſa eſt nulla, quia manſit inhabilis. Verùm ut impedimentum habeat vim infirmandæ profeſſionis, debet conſtitui, & confirmari à Pontifice, ut probat Navarrus *lib. 3. tit. de Regul. conſil. 5.* quia ſicut ad ſolum Pontificem pertinet conſtituere impedimenta dirimentia matrimonium, ita ad eundem ſpectat conſtituere impedimenta religioſæ profeſſionis: quia religio, & profeſſio ab ejus approbatione dependent.

22 Poſſet tamen Prælatus interim aliquem Novitium admittere ad profeſſionem cum proteſtatione, non eſſe ſibi animum admittendi, ſi Novitius habeat talia impedimenta, & tunc ſi impedimenta adeſſent, profeſſio eſſet nulla, eò quia deſit voluntas in Prælato admittendi ad profeſſionem talem novitium. Hinc profeſſio ex errore, vel ignorantia, aut dolo circa ſubſtantialia religionis emiſſa, eſt irrita jure naturali, quia error, vel ignorantia tollit conſenſum ſubſtantialem, ut deſumitur *ex c. cùm dilectus 6. de iis, quæ vi* & docet Suarez *lib. 6. c. 5. num. 3. & 4.* Non ita infirmatur profeſſio, ſi error, vel ignorantia ſolùm ſit circa accidentalia, quia tunc habetur ſufficiens conſenſus. Quapropter non eſt irrita profeſſio illius, qui morbum contagioſum, vel gallicum interrogatus tacuit, tametſi ſi illum aperuiſſet, admiſſus minimè fuiſſet, quia cùm talis morbus non ſit impedimentum irritans profeſſionem, ejus ignorantia in admittente non judicatur ſubſtantialis, ut notat Sanchez. *lib. 5. moral. c. 4. num. 77.* Imò neque poteſt profeſſus cum tali morbo in pœnam dimitti è religione, eò quia, ut notat idem Sanchez. *loc. cit. num. 58.* non videtur cauſa ita gravis, ut mereatur profeſſus excludi à Religione, niſi fortaſſis morbus foret incurabilis, quia tunc poſſet expelli non ſolùm ob culpam deceptionis, verùm etiam ob periculum infectionis aliorum.

23 Septima, ut Novitius emittens profeſſionem ſit ſui juris; profeſſio enim ſervi abſque conſenſu Domini, & mariti abſque conſenſu conjugis poſt conſummatum matrimonium, eſt nulla, quia per profeſſionem ſolemnem profeſſus dat poteſtatem, & quaſi dominium ſui corporis Religioni: & qui non ſunt ſui juris non habent hanc poteſtatem tradendi alteri dominium ſui corporis, quia tale dominium jam pertinet ad alium, nempe dominium ſervi ad dominum, mariti ad conjugem; & nemo poteſt quod eſt alterius dare alteri, ſine ejus conſenſu, qui debet eſſe expreſſus: nec in re tanti momenti, ac præjudicii ſufficit diſſimulatio. Neque obſtat, quòd qui tacet cenſeatur conſentire, quia id tantùm procedit, quando agitur de ejus commodo, non ita quando de illius damno. Rurſus hic conſenſus non debet eſſe extortus gravi metu, vel dolo.

Cæterum qui invalidam emiſſit profeſſionem, quamvis in foro externo non poſſit probare impedimentum irritans, non tamen tenetur eam ratificare, quia ſtatus religioſus, ut docet Sanchez *de matrim. diſp. 37. num. 30.* eſt ita arduus, ut ſpontaneum, ac liberum conſenſum exigat: unde nullus invitus adigi poteſt ad illam ratificandam, tametſi ex ſua culpa contigerit, fuiſſe profeſſionem invalidè emiſſam: neque obſtat, quòd exteriùs, & apparenter habuerit voluntatem revera profitendi; quia illa voluntas ſit inefficax ob impedimentum dirimens, & defectum veri conſenſus, quapropter non poteſt quis ratione illius obligari, ad obſervandum, quod per profeſſionem invalidam promiſit, neque cogi poteſt in foro conſcientiæ ſecluſo ſcandalo ad ratificandam profeſſionem. Quòd ſi ex præſumptione fori externi talis profeſſio habeatur pro valida, poſſet in illo foro compelli profeſſus ad obſervandum id, ad quod ſe obligavit per talem profeſſionem. 24

Ut autem profeſſio irrita ratificetur, tria potiſſimum requiruntur. Primò ut ratificans ſciat profeſſionem à ſe emiſſam nullam fuiſſe, quia ſicut ignorantis nullus eſt conſenſus, ita & incogniti nulla voluntas: excipitur tamen niſi expreſsè apud ſe ſtatuerit, velle profeſſionem à ſe emiſſam validam eſſe, quia tunc illam ratificavit, & cùm fuerit accepta, tenet. 25

Secundò, eſt neceſſarius novus conſenſus, ratione cujus profeſſio invalidè emiſſa ratificetur, ſeu de novo emittatur: ratio eſt, quia cùm profeſſio antea emiſſa fuerit nulla, requiritur nova profeſſio, conſequenter nova intentio, & voluntas profitendi. Poteſt tamen hæc ratificatio profeſſionis fieri expreſsè, vel tacitè perſeverando de facto cum externo habitu regulari, & ſub obedientia religioſa poſtquam ipſi innotuerit, profeſſionem priùs à ſe emiſſam fuiſſe nullam, ut docet Suarez. *lib. 7. de Relig. cap. 1. num. 6.* 26

Tertiò, requiritur nova acceptio Prælati Regularis conſcii nullitatis prioris profeſſionis: ſiquidem profeſſio eſt contractus mutuus ſacer, ſeu mutua Religioſi, & Religionis obligatio, & ſicut ut profeſſio irrita revalidetur, requiritur nova traditio profitentis conſcii nullitatis prioris profeſſionis; ita etiam requiritur nova ſuperioris acceptio, quia traditio, & acceptio ſunt correlativa, licèt plures probabile cenſeant ſufficere acceptionem factam à Generali ordinis, vel à Papa, qui eſt ſupremus Generalis omnium ordinum, ut habetur in *c. ſignificatum 11. h. t.* 27

§. V.

De Prærogativis validæ Profeſſionis.

EA eſt religioſæ profeſſionis præſtantia, ea dignitas, ut hominem Deo totum conſecret, & abſtrahat à mundi curis; dirimatque

que matrimonium, non tantùm postea contrahendum; verùm etiam antea jam contractum, dummodo non fuerit consummatum. Quòd si alteruter conjux velit religionem ingredi; & alius votum perpetuæ continentiæ emittere, permittitur divortium; adeout ab invicem quoad cohabitationem, ac eorum separari possint, ut desumitur *ex c. veniens 19. h. t.* quia matrimonium spirituale initum cum Deo mediante professione religiosa est fortius, ac perfectius, & prævalet; alioquin quia vinculum matrimonii est indissolubile, non potest mutuo consensu, vel renuntiatione conjugum dissolvi, sicut dissolvuntur alii contractus. Quòd si maritus ex consensu uxoris ingrediatur religionem, & in ea professionem emittat; mulier, quæ manens in sæculo se voto perpetuæ continentiæ obstrinxit, compelli potest, ut in ea perseveret: quòd si uxor non præstet consensum, ut ejus vir Religionem ingrediatur, non potest hic ea invita Religionem ingredi, quia divortium est nullum.

2 Rursus professio religiosa transfert Religiosum in jus, ac potestatem illius Religionis, in qua profitetur, & illũ constituit ejus membrum, propterea dicitur incorporari Religioni: hinc si Religiosus professus fugiat, possunt superiores eum capere propria authoritate, tanquam rem suam, & reducere, ac illum punire; perinde ac dux belli potest capere militem desertorem; & maritus uxorem fugitivam, ut etiam Dominus servum fugientem. Operatur professio id ratione voti obedientiæ, non præcisè quatenus hoc votum obligat Deo, sed quatenus continet tacitam, vel expressam promissionem erga superiorem, suique traditionem in corpus religionis, & conjunctam cum legitima acceptione superioris: habent enim superiores religionum à summo Pontifice talem jurisdictionem; non tamen est jus strictæ justitiæ, nec jus simile illi, quod in bello habet dux in militem, cujus obligatio est propter mutuum, vel alterius commodum: siquidem Religiosus non se obligavit religioni propter commodum ipsius, sed propter suam salutem: unde est jus obedientiæ competens superiori in inferiorem, adeo ut, Religiosus professus, qui fugit è Religione non peccet contra justitiam; sed contra obedientiam, & fidem debitam religioni: licèt hæc sententia plurimum habeat probabilitatis, communior tamen, & verior sententia est, peccare etiam contra justitiam: eò quia inter Religiosum, & Religionem ineatur contractus, vi cujus Religiosus se tradit in potestatem religionis ad obsequium illius; & viciſſim Religio se illi obstringit in ordine ad illum alendum, & tractandum ut filium, quapropter in hoc sacro contractu non solùm spectatur commodum privatum Religiosi, verùm etiam communitatis.

3 Id etiam operatur professio religiosa, ut tollat votum antea emissum ingrediendi aliam Religionem, adeo ut votum simplex ingrediendi certam religionem, & in ea profitendi tollatur per posterius votum solemne professionis editum in alia Religione etiam laxiore, & desumitur *ex c. qui post 5. h. t. in* 6. ubi dicitur, quòd qui fecit votum simplex ingrediendi aliquam Religionem, deinde ingreditur aliam laxiorem, & in ea profitetur, licitè potest in illa manere; quia votum solemne derogat simplici; sed imponitur ei pœnitentia, eò quia votum simplex non servaverit: ratio est, quia sicut quod est debilius cedit fortiori, ita vinculum minus cedit vinculo majori, & fortiori: & quia votum simplex est vinculum minus, & votum solemne vinculum majus, & fortius; ideo illud dissolvitur per professionem solemnem; perinde ac sponsalia de futuro contracta cum una muliere dissolvuntur per sponsalia de præsente, seu matrimonium posterius contractum cum alia *c. si inter 31. de sponſ. & c. 1. de spons. duorum* & ratio est, quia matrimonium est fortius vinculum, quàm simplex promissio sponsaliorum: licèt taliter contrahens matrimonium non excusetur à peccato ob injuriam illatam primæ sponsæ de futuro: siquidem contra fidem ei datam contrahit postea cum altera per verba de præsenti: ita si quis vovit ingredi unam Religionem, & postea aliam ingreditur laxiorem, in qua profitetur, quamvis à voto priore liberetur, & professio suum fortiatur valorem; eò quia solemnis professio sit fortius vinculum, per quod vovens se tradit Religioni, quæ propterea jus perpetuum acquirit in eundem Religiosum professum: non tamen excusatur à peccato, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 189. art. 8. ad* 3. eò quia per professionem emissam in laxiore Religione minus præstiterit, quàm voverit: sed id intelligitur de illo, qui strictiorem Religionem vovit ingredi, non solùm ut eam experiretur, verùm etiam ut in illa profiteretur; tunc enim profitendo in laxiore peccat, quia cùm teneatur profiteri juxta votum in strictiore, non implet votum illud, quod Deo promiserat, cùm votum majus respectu religionis strictioris commutet in minus in ordine ad laxiorem, in qua profitetur, quod est minus præstare, quàm voverit, ut docet Sanchez *lib. 4. moral. c. 18. n. 17.*

4 Quòd si quis tantùm voveret ingredi religionem strictiorem, ut eam experiretur; non peccaret, si postea professionẽ emitteret in laxiore: ratio est, quia tunc votum mutatur in melius: prius enim votum non fuit profitendi, sed tantùm experiendi; & secundum est profitendi, licèt in religione laxiore, & professio est procul dubio perfectior, quàm solum experimentum: tum quia ratione prioris voti non tenebatur permanere in Religione strictiore; sed tantùm illam experiri; & si displiceret, posset egredi, absque ulla culpa: secus ratione posterioris voti obligatur manere in religione, licèt laxiore: & majus est ita se obligare in laxiore, quàm ingredi strictiorem cum libertate iterum exeundi.

5 Quòd si dicas, professionem emissam in Religione laxiore non esse contrariam voto ingrediendi Religionem strictiorem, & in ea profitendi; eò quia professus in religione laxiore semper possit transire ad aliam arctiorem, & in ea profiteri, proinde posterius votum non posse priori derogare, nec illud tollere. Contra est, quia licèt professio in Religione laxiore non repugnet

pugnet voluntati transeundi postea ad Religionem arctiorem, & in ea profitendi, proinde tale propositum non tollat, quin tacitè in professione emissa includatur conditio, nisi placuerit, ad strictiorem, & perfectiorem transire: nihilominus repugnat obligationi, & voto profitendi in alia Religione: siquidem professio ex natura sua invehit obligationem perpetuò manendi in tali Religione, in qua emittitur: quia per professionem religiosam quis se tradit Religioni in perpetuum; cui obligationi opponitur votum profitendi in alia Religione: hinc licèt professio in Religione laxiore non excludat libertatem transeundi ad strictiorem, & in ea profitendi; repugnat tamen voto se obligandi alteri religioni strictiori: & quia votum hoc est simplex ei derogatur per posterius votum solemne professionis in alia laxiore, proinde non tenetur professus in laxiore transire ad strictiorem, ut notat Sanchez *lib. 4. moral. c. 16. num. 16.*

6 Præterea professio privat Religiosum omni dominio bonorum mobilium, & immobilium, eúmque constituit inhabilem ad tale dominium, adeo ut non possit habere quidquam proprium, ut desumitur *ex c. 7. quia ingredientibus* 19. *quæst.* & *c. si qua mulier ibidem*; idque ratione voti paupertatis, quia hoc votum in professione non solùm continet abdicationem usus independentis, sed etiam omnis dominii, quia id exigit perfecta paupertas juxta consilium Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, qua habes, & da pauperibus*, & desumitur etiam *ex c. Monachi 2. c. super quodam 4. de statu Monachor.* Quòd si quis ita profiteatur, ut intendat dominium retinere rerum temporalium, etiam quoad tempus, non foret valida professio spectato jure communi, præsertim si ita intendat dominium retinere, ut non sit paratus illud abdicare, quando superior jusserit: ratio est, quia non intenderet se obligare ad id, quod est de substantia statûs religiosi: abdicatio enim dominii in præparatione animi, & quoad vinculum abdicandi, pertinet ad substantiam Religionis: quòd si intenderet ita retinere dominium ad tempus, ut paratum haberet animum se abdicandi tali dominio, quoties superiori placuerit, adhuc stante jure communi talis actus non videretur habere vim professionis, nec constituere hominem in statu Religioso, quia professio jure communi includit actualem abdicationem, & non potentialem; unde eo ipso, quòd quis profitetur, privatur tali dominio, perinde ac si naturaliter moreretur. Tum quia Prælatus non habet potestatem acceptandi talem professionem, eò quia sit insufficiens ad incorporandum professum Religioni, eò quia jus illi resistat, & sit contra ea, quæ sunt de substantia religionis.

7 Potest tamen hujusmodi intentio retinendi proprium, dupliciter haberi ab emittente professionem: primò ex errore privato, ita tamen ut error non sit causa professionis, nec illam restringat; & tunc non irritat professionem, sed per accidens illi conjungitur: quia Novitius cum tali errore adhuc intendit profiteri absolutè sicut oportet, & tantùm privato errore censet se posse retinere proprium, saltem ad tempus: quia verò error iste non limitat, nec afficit professionem, ideo neque illam inficit. Secundò potest error esse causa professionis, & tunc contingeret, si qui profiteretur, intenderet, professionem restringere, & nollet nisi tali modo se obligare, nimirum cum dominio retinendi talia bona; & tunc professio irrita foret, quia error esset circa substantiam professionis, propterea tolleret consensum necessarium.

8 Tum quia intentio illa retinendi tale dominium restringeret vim professionis, cui tolleret, quod jure communi ad ejus substantiam pertinet: quapropter stante jure communi talis professio nulla foret. Cæterum Ecclesia novo jure posset talem professionem admittere, ut sufficientem ad incorporandum professum religioni, & ad reliquos effectus professionis suo tempore inducendos. Quòd si quæratur, à quo oriatur hæc inabilitas ad dominium? Respondetur non oriri ratione voti paupertatis præcisè, siquidem non ideo est quis incapax juris, & dominii, quia Deo paupertatem promiserit: neque oritur ratione tacitæ renuntiationis, quia aliud est se dominio spoliare; & aliud inhabilem se ad illud constituere. Unde hæc inhabilitas ad dominium oritur ex aliis duabus causis, scilicet à traditione sui ipsius in jus religionis, & à decreto Ecclesiæ annexo professioni: ita enim Religiosus per professionem se tradit religioni, ut partim mancipio, partim filiofamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed tantùm ei, in cujus potestate est. Decretum etiam Ecclesiæ professioni annexum confirmat illam traditionem, & reddit directè Religiosum professum incapacem dominii acquirendi: perinde ac constituit professum incapacem contrahendi matrimonium. Quamobrem hæc inhabilitas ad dominium oritur ex lege, & potestate superioris, sicut inhabilitas ad plura beneficia, vel officia.

9 Id etiam operatur professio, ut filiumfamilias liberet à patria potestate, quia cùm Religiosus se totum tradat Religioni, transit in potestatem Regularium superiorum, quod tamen non est intelligendum de iis, quæ cedunt in damnum Religiosi, quia quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum *ex regul. jur. 61. in 6.* Rursus per professionem solemnem expirant ipso jure omnia alia vota, & juramenta pia priùs edita. Tollitur etiam irregularitas proveniens ex defectu natalium quoad sacros ordines suscipiendos, licèt non quoad Prælaturas, nec quoad beneficia curata, ad id enim requiritur dispensatio super irregularitate. Rursus tollitur macula, seu inhabilitas ad actus temporales, adeo ut damnatus de crimine perjurii, vel furti possit adhiberi in testem, & ad alios actus legitimos ferendos ut colligitur *ex authent. de Monach. collat. 1. in princ.* Præterea hoc beneficium præstat religiosa professio, ut plenissimam omnium peccatorum antea commissorum remissionem quoad pœnam temporalem iisdem correspondentem in purgatorio impertiatur, si qui profitetur fue-

rit-

rit antea confeſſus, & in ſtatu gratiæ, quia quando homo ſe totum Deo conſecrat per vota Religionis tantum præſtat, ut plus præſtare non poſſit, proinde pleniſſimè pro peccatis ſatisfacit. Demum licèt per ſolemnem profeſſionem Religioſus civiliter moriatur mundo, non propterea cenſendus eſt amittere nobilitatem, quia cùm hæc proveniat ex natalibus, ſeu ex familia deſcendente ex majoribus, eſt quoddam jus ſanguinis naturale, & immutabile juxta *jus agnationis 34. ff. de pact.* non enim Religioſus moritur mundo quoad amiſſionem jurium naturalium, ſed ſolùm quoad contemptum eorundem, & quoad poſſeſſionem propriæ voluntatis, ac bonorum temporalium.

Cæterum profeſſio ſemel validè emiſſa non poteſt ampliùs diſſolvi; adeo ut ſit vinculum ſacrũ indiſſolubile; quia per profeſſionẽ religioſus ſe totum tradit Religioni, & donatio alteri facta non poteſt revocari invito donatario. Præterea quia religioſus per profeſſionem fit ſervus Religionis; & ſervus propria authoritate non poteſt ſe in libertatem aſſerere, qua ratione Religioſi profeſſi ſi Religionem deſerant ſunt Apoſtatæ: unde ex parte Religioſi profeſſio ſemel validè emiſſa eſt indiſſolubilis. Immo etiam ex parte Religionis, adeo ut hæc non poſſit profeſſum etiam invitum dimittere, quia profeſſio ſit per contractum mutuum, & oneroſum inter profitentem, & Religionem: ſicut enim Religioſus ſe totum obligat Religioni, ita religio abſolutè, & ſimpliciter ſe obligat ad alendum, & regendum Religioſum, proinde non poteſt illum invitum dimittere. Immo neque ex mutuo conſenſu utriusque contrahentis, ſeu religionis, & Religioſi poteſt diſſolvi vinculum profeſſionis. ſed ſolus Papa per legitimam diſpenſationem poteſt relaxare vinculũ profeſſionis, adeo ut qui hactenus fuit profeſſus Religioſus, non ampliùs ſit obſtrictus votis: ſiquidem Papa poteſt diſpenſare in votis ſimplicibus ut communiter docent, proinde etiam in ſolemnibus, quia ſolemnitas votorum eſt tantùm introducta ex conſtitutione Eccleſiæ *c. unic. de votis in 6.* Tum quia Chriſtus dedit S. Petro, & ejus ſucceſſoribus pleniſſimam poteſtatem ſolvendi in Eccleſia à quolibet vinculo Matth. 16. Hinc licèt religioſa profeſſio ſit ex natura ſua indiſſolubilis, poteſt à Papa relaxari, & diſſolvi.

10

11 Quòd ſi dicas, ſolemnitatem voti conſiſtere in quadam conſecratione, ſeu benedictione, proinde non poſſe relaxari, eò quia quod ſemel ſanctificatum eſt domino, non poſſit in alios profanos uſus commutari. Reſpondetur id verum eſſe quamdiu manet conſecratio: alioquin ſicut per authoritatem Eccleſiæ fieri poteſt, ut res conſecrata deſinat eſſe conſecrata, ut liquet in calice deſtructa forma, & manente materia: pari pacto licèt Pontifex non poſſit diſpenſare, ut profeſſus manens Religioſus non ſit obſtrictus votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, cùm ſint de eſſentia, & ſubſtantia Religionis, ut habetur *in c. Monaſterium 6 de ſtatu Monachor.* Nihilominus ex juſta cauſa poteſt diſpenſare, ut ex profeſſo fiat non profeſſus, ſeu ut deſinat eſſe Religioſus, ac votis obſtrictus: non enim conſecratio religioſa diſtinguitur ab ipſa obligatione votorum, & quia hæc obligatio tolli poteſt per diſpenſationem, ita etiam ipſa conſecratio: nec aliud eſt diſpenſare in votis Religioſorum, quàm relaxare eorum vincula, ac tollere ejus obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod erga Deum Religioſi vovendo contraxerant.

Ex eo, quòd profeſſio ſit indiſſolubilis non poteſt præſcribi à Religioſo profeſſo, quamvis ſupra 40. annos maneret in ſæculo, & nunquam intra clauſtra Religionis ſe reciperet, & bona, quæ antea habuit, tanquam propria retineret, quia cùm voluntariè ſe obſtrinxerit Deo ſemper remanet eidem debitor *argum. c. quod Deo 4. cauſ. 33. q. 5.* quia nullus annorum curſus excuſat in malefactis, ſed potiùs culpam auget, propter perſeverantiam in malo, ut deſumitur *ex l. inficiando 67. §. infans. ff. de furtis* ubi habetur: & quid tam ridiculum, quàm meliorem furis conditionem eſſe propter continuationem furti: unde contra profeſſionem religioſam non poteſt ullo tempore Religioſus præſcribere, quia ſemper fuit in mala fide, ut deſumitur *ex l. 1. C. de ſervis fugit.* 12

Quòd ſi quæratur ad quid teneatur, qui Religionem vovit? Reſpondetur, dupliciter poſſe aliquem vovere Religionem. Primò indeterminatè, adeo ut ſi non admittatur in una, velit in aliam ingredi. Secundò determinatè adeo ut intendat tantùm ingredi unam religionem, quam poſt maturam deliberationem ſeligat: qui indeterminatè vovit, ſi non admittatur in uno ordine, debet procurare, ut in aliquo alio poſſit ingredi, idque ad tres, vel quatuor Ordines prout expreſsè, vel tacitè intendit, ut docet Sotus *lib. 7. de juſtit. q. 2. art. 1. ad 3.* dicitur expreſsè vel tacitè, quia ſpectari debet habitualis affectio, in qua vovens erat, cùm voveret, & quidnam interrogatus fuiſſet reſponſurus. Si Ordines ſuæ Provinciæ nolint ipſum acceptare, non tenetur quærere extra Provinciam, niſi fortaſſis intenderit ingredi in Ordinem extra Provinciam: in dubio tamen id non præſumitur, quia eſt inſolitum. Qui verò vovit determinatè, non tenetur ingredi niſi illum Ordinem, quem vovit ingredi, quia non ſe obligavit ad ampliùs: quòd ſi talem Ordinem ingrediatur, & in anno probationis ſe ineptum deprehenderit, & excludatur, non tenetur procurare, ut recipiatur in alio Ordine, ſed manet ſolutus à voto. 13

Quòd ſi determinatè vovit ingredi Religionem S. Franciſci in ſua Provincia, & non fuerit receptus in uno conventu, tenetur procurare, ut recipiatur in aliquo alio conventu ejusdem Provinciæ, quòd ſi iterum rejiciatur poteſt iterum procurare ingreſſum in aliquo alio conventu ejusdem Provinciæ, à quo ſi etiam non recipiatur, manet liber à voto, quia per ipſum non ſtetit, quin votum adimpleret: neque tenetur extra Provinciam quærere, cùm ejus obligatio non ſe extenderit niſi intra Provinciam. Tum quia ipſe non vovit ingreſſum abſolutè, ſed tantùm conditionatè hoc eſt, ſub hac tacita conditione, *ſi admittar*, hæc autem conditio non dependet ab ipſo vovente, ſed ab ipſis Religioſis 14

ligiosis volentibus illum admittere: quapropter vovens ex vi voti tantùm tenetur procurare, & solicitare ingressum, & si non admittatur per ipsum non stetit, proinde manet liber à voto. Quòd si quis voveret magis determinatè ingredi in aliquem peculiarem conventum: si ibi non recipiatur, non tenetur quærere in alio cum votum fuit coarctatum ad talem Conventum illius loci, & obligatio non magis se extendit, quam votum. Juvat tamen observare, quòd si vovens repulsus fuit, eò quia teneretur aliquo temporali impedimento, eo cessante tenetur iterum rogare, ut possit ingredi, quia tunc repulsa videtur dilata ad tempus: secus si repulsa fuit absoluta, & sine relatione ad impedimentum, quia non videtur ejus intentio fuisse post absolutam repulsam se iterum obligare: alioquin semper maneret incertus, & suspensus. Secundò si vovens impedimentum objecit, ne reciperetur, tenetur, quantum potest, illud tollere, & omnino solicitare, ut recipiatur: siquidem qui vovit ingredi Religionem implicitè etiam vovit adhibere opportuna media ad talem ingressum; & impedimenta quantum est ex se removere, alioquin deluforiè videretur vovisse.

15 Rursus vovens si non admittatur in Religione, quam vovit, non tenetur in sæculo servare ea, quæ sunt talis religionis, scilicet paupertatem, castitatem, & obedientiam, quia non vovit hæc tria absolutè, sed tantùm conditionatè si admissus fuerit in religione. Demum qui vovit ingressum certi monasterii, ubi essentialia Religionis non servantur, non tenetur ingressum procurare, si non affulgeat spes futuræ reformationis: ratio est, quia cessat finis voti, seu facilitas salvandi animam, quia in tali monasterio ubi nulla viget observantia, plura potiùs incurreret pericula perversionis. Quòd si se adeo firmum putaret, ut prudenter non judicaret probabile tale periculum, & potiùs speraret, se alios conversurum, tunc teneretur ingredi.

§. VI.

De transitu Religiosi Regularis de una ad alteram Religionem.

1 IUre omnibus Regularibus concessum est, ut possint ad arctiorem transire Religionem, ut desumitur *ex c. licèt 18. h. t.* quia cuilibet competit jus vitæ perfectioris capessendæ, ut propriæ consulat saluti; quapropter non solùm mares, sed etiam fœminæ, & moniales possunt transire ad strictiorem Religionem, & desumitur *ex c. 1. caus. 20. quæst. 4.* & quamvis *in d. c. licèt* sermo sit de solis viris Religiosis, quia tamen rationes in illo allatæ, ob quas conceditur talis transitus æquè procedunt de monialibus, ac de viris; ideo idem jus competit etiam monialibus; quia quæ de Monachis in jure statuta sunt, etiam monialibus competunt, nisi nominatim, & expressè excipiantur. Imò non solùm unus, vel alter religiosus, sed etiam tota communitas potest se conferre ad ordinem strictiorem, ac assumere ejus regulam, & habitum, ut desumitur *ex c. 3. §. cæterum de statu monach.*

Juvat tamen observare; quòd nomine strictioris religionis non intelligitur religio, quæ in se est perfectior, sumptâ perfectione ex fine perfectiore, ad quem religio aliqua ordinatur, & ex proportione mediorum, quibus utitur ad assecutionem talis finis, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 188. art. 6. in corpore*: sed in foro ecclesiastico, & jure canonico religio arctior intelligitur, quæ est rigidior, quoad habitum, silentium, solitudinem, jejunia, flagellationes, ac alias carnis, & sensuum mortificationes. Rursus neque austeritas hæc attendenda est secundùm primævam Regulæ institutionem; sed etiam secundùm constitutiones postea adjectas, ut habetur *in c. fanè 10. h. t.* adeo ut religio sit de præsenti arctior, durior, strictior, austerior: quia transitus iste permittitur ad ducendam vitam strictiorem; proinde observantia strictior debet attendi de præsenti: hinc permittitur omnibus Religiosis etiam mendicantibus transitus ad Ordinem Carthusianorum, ut habetur *in extravag.* Martini IV. tametsi hic Ordo non sit in omnibus arctior, neque omnium perfectissimus; siquidem religio minimorum S. Francisci de Paula, quoad victum est arctior, cum non utatur ovis, nec lacticiniis; & tamen possunt Religiosi minimi transire ad Carthusianos, cum accenseantur mendicantibus: quoad vestitum Religio Capucinorum est austerior; & tamen possunt Capucini transire ad Carthusianos; quia isti in silentio, solitudine, & officii divini prolixitate cæteris antecellunt ordinibus. 2

Rursus permittitur Canonicis Regularibus, ut possint transire ad religionem Monachorum, ubi regularis, ac Monachalis disciplina bene servatur, ut desumitur *ex c. fanè 10. h. t.* ubi dicitur, quòd si Canonicus Regularis fiat Monachus in Religione strictiore sit relinquendus, eò quia fiat tuta conscientia; secus si monachalis disciplina non fuerit strictior, debeat ad suum monasterium redire: regulariter tamen Monachorum Religio supponitur strictior, ut habetur *in c. quod Dei timorem de statu Monachorum*, neque ullum facessit negotium, quod *in c. mandamus, & c. 1. nullus 19. q. 3.* id videatur prohiberi: siquidem ibi tantùm prohibetur transitus, qui fit in detrimentum Ecclesiæ, & ex ira, odio, vel levitate animi, aut alia perturbatione, ut ibidem notat Glossa. Præterea Religiosi Cluniacenses possunt transire ad Cistercienses, idque desumitur *ex c. licet 18. h. t.* Item sicut mendicantes possunt transire ad Carthusianos, ita vicissim Carthusiani ad mendicantes, ut docent Navarrus *tit. de Regul. consil. 68.* Palludanus *in 4. dist. 38. q. 3. art. 1.* ubi etiam probat, quòd ex omni alia Religione possint Religiosi jure communi transire ad ordinem Prædicatorum; hinc D. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 4. §. 4.* citat Monaldum asserentem se vidisse Parisiis determinationem factam per doctores Sorbonicos, fratres Carthusianos jure communi posse transire ad Ordinem Prædicatorum regulariter viventem. Hoc idem etiam docet D. Bonaventura *in quæstionib. circa regul. S. Francisci c. 12.* ubi asserit, Religiosos cujusvis Ordinis 3

dinis jure communi posse transire ad Ordinem S. Francisci: quæ sententia probabilis est, præsertim in sententia D. Thomæ docentis in transitu Regularis ad aliam Religionem non tam spectandam esse austeritatem, & solitudinem, quàm perfectionem Religionis, & fructum: Religio autem mendicantium cùm sit mista, seu activa simul,& contemplativa est perfectior.

4 Id autem intelligitur, quando in Religione mendicantium disciplina viget, & regulæ fundatorum exactè servantur. Cæterum licèt omnibus Regularibus jure communi concedatur, ut possint ad Religionem arctiorem transire, ut habetur *in d. c. licet 18. h. t.* nihilominus non semper est laudabilis hujusmodi transitus, nisi notabilis urgeat necessitas, & maxima inde utilitas speretur,quia monet Apostolus 1.Corinth. 7. *Ut quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat.* Tum quia ex tali transitu plerumque scandalizantur cæteri Religioli, qui remanent; tum quia faciliùs quisque proficit in illaReligione, in qua à juventute affluevit, quam in alia cujus regulas, & modum vivendi nondum fuit expertus, ut notat D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. hinc Abbas Nestoretes apud Cassianum *collat.* 14. c. 5. aiebat, cuique utile est, ut secundùm propositum, quod elegit summo studio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet,& nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.

5 Quamobrem ut Regularis ritè transeat ad aliam Religionem aliquot requiruntur conditiones; quarum prima est, ut hujusmodi transitus fiat secundùm communiorem opinionem ad Religionem strictiorem, ac austeriorem,ut delumitur ex *dict. cap. sanè* 10.& *c. licet 18. h.t.* quia hujusmodi translitus tantùm permittitur in ordine ad ducendam vitam strictiorem, magisque austeram, proinde debet attendi, an Religio, in quam fit transitus de præsenti sit arctior,& in ipsa regularis disciplina floreat, ac regulæ exactè serventur.

6 Secunda conditio est, ut transitus non fiat ex animi levitate, vel passione inordinata, aut ira, vel odio erga Prælatum suum, sed ex Zelo majoris boni, & perfectionis obtinendæ, ut habetur *in d. c. licet 18. h. t.* ubi etiam additur, quòd in dubio, an quis velit ad Religionem arctiorem, vel laxiorem transire ex charitate, vel temeritate,ad judicem superiorem sit recurrendum, ut ex circumstantiis, & occurrentibus conjecturis id judicet.

7 Tertia conditio est, ut transitus non fiat cum notabili detrimento Religionis, seu monasterii, in quo est professus, ut habetur *in d. c. licet*,quia si per talem transitum Religio grave pateretur detrimentum, vel notabilem incurreret infamiam,posset petita restitutione revocare Religiosum transeuntem, quia bonum commune Religionis relictæ debet præponderare privatæ utilitati Religiosi transeuntis ad aliam Religionem: etenim si Ecclesia in rebus temporalibus notabiliter læsa potest petere restitutionem in integrum, multò magis si lædatur in spiritualibus per transitum sui Religiosi subditi ad aliam Religionem.

8 Quarta, ut Religiosus non possit transire nisi petita priùs à suo Prælato licentia, tametsi non requiratur consensus,ut habetur in *d. c. licet* 10. *h. t.* ubi habetur. quòd Religiosus possit transire ad arctiorem Religionem petitâ, non obtentâ licentiâ. Neque obstat, quòd prima Religio gaudeat privilegio, ut ejus Regularis non possit transire ad alium locum etiam prætextu arctioris religionis ipsâ invitâ: siquidem privilegium intelligitur,ne quis temerè, vel levitate injacturam, ac injuriam suæ religionis ad aliam transeat, non verò procedit privilegium contra eum, qui cum humilitate, & veritate licentiam petit,quamPrælatus non debet protereà negare, alioquin mereretur privilegium perdere, quia abuteretur potestate sibi concessa. Rursus subditus si dubitet de suo spiritu, debet superiorem consulere. Hinc hæc licentia transeundi ad aliam Religionem est sub gravi obligatione petenda, quia illud verbum *debet*, quod ponitur *in d. c. licet* importat necessitatem præcepti: quòd si Religiosus transeat ad alium Ordinem non petita licentia præsumitur obedientiam contemnere, proinde ex inordinata passione, vel levitate ad alium transire Ordinem, ut notat Joannes Andreas *in d. c. licet num. 5.*

9 Imò hæc licentia petenda est priùs, quàm fiat transitus, quoties enim ad exercendum actum requiritur impletio alicujus conditionis, debet hæc necessariò præcedere positionem actûs. Rursus neque licet Religioso statim post petitam licentiam transire ad ordinem strictiorem, sed debet adhuc debito tempore expectare,donec responsum superioris accipiat,perinde, ac debet quis expectare, quando ab alio consilium petit, qui enim dat responsum, vel consilium, debet maturè considerare, & superior debet etiam interrogare Religiosum petentem hunc transitum de causa illum movente, quam subditus tenetur aperire, ut habetur *in d. c. licet* §. *quo circa.* Præterea si superior petitam non concedat licentiam,non propterea statim debet Religiosus transire ad Religionem arctiorem, quia superior nonnunquam ex justa causa potest licentiam denegare, neque obstat, quòd *in d. c. licet.* dicatur, quòd Religiosus possit transire ad arctiorem religionem petitâ, & non obtentâ licentiâ, quia intelligitur de licentiâ non obtenta,quando superior indiscretè,ac protervè eam negat, ut liquet ex verbis illis.*Non obstante proterva indiscreti Prælati contradictione*, quæ inseruntur eidem textui: sin verò superior nullam assignet causam, cur licentiam deneget, potest subditus eam petere & si superior nolit illam exprimere; tunc Religiosus etiam invito Prælato potest ad Ordinem strictiorem transire, ut etiam si superior allegaret causam manifestè injustam, falsam,vel frivolam, quia tunc constaret de indiscreta negatione licentiæ,& Religiosus habet jus transeundi ad strictiorem religionem, eò quia votum professionis religiosæ non violet, sed in melius commutet, proinde tantùm requiritur ut à Prælato Ordinis licentiam petat, ne bonus Regularis obedientiam contemnere videatur.

Præ-

10 Præterea tametsi adsit justa causa, & Religiosus ex zelo, & divina inspiratione moneatur, non tamen potest transire nisi priùs quæratur aliqua strictior Religio, quæ parata, sit illum recipere: alioquin si priùs recederet ab antiqua Religione esset Apostata, quia sub nullius esset obedientia. Hinc habetur decretum sacræ Congregationis editum jussu Urbani VIII. anno 1624. die 21. Septembris, ubi statuitur. *Ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse eum recipere, qui licentiam petit: & tunc Regularis rectà se transferat ad arctiorem, quod ut re ipsa adimpleat idem superior omni studio, & diligentia invigilet.* unde monasterium ad quod Regularis tranſit, non solùm debet esse paratum ad illum recipiendum, sed etiam debet esse arctius, ac strictioris observantiæ, non solùm ex instituto, sed etiam usu, quia eatenus fit transitus, ut Religiosus transiens, in alio monasterio sanctiùs, & tutiùs vivat. Rursus debet in eodem monasterio etiam explere annum probationis, ut notat Navarrus *lib. 3. de Regul. consil. 3.* quia Concilium Tridentinum generatim hunc annum requirit, quo expleto debet profiteri, & juxta Ordinem hujus professionis obtinere locum in Capitulo, si transeat ad monasterium Ordinis distincti, imò etiam ad monasterium sui ordinis, in quo disciplina est arctior. Possunt etiam regulares si justa causa subsit, cum facultate Prælati transire ad ordinem laxiorem, ut docent Panormitanus *in c. non est 7. & c. significatum* 11. *h. t.* Innocentius ibidem, Sylvester *V. Religio* 4. q. 2. Navarrus *in comment. 4. num. 11.* & id etiam confirmat ipse usus.

11 Requiritur tamen justa causa, quia tunc habetur quædam votorum relaxatio, quæ sine causa non potest validè fieri: siquidem cùm transitur ad strictiorem, vel illa est absolutè perfectior, & sic fit commutatio in melius, nec tunc opus est relaxatione: vel non est perfectior, & fit aliqua votorum relaxatio, quia Religiosus liberatur ab obligatione operum perfectiorum. Causæ verò justæ censentur esse, si collapsa sit disciplina in strictiore. Si odia, & simultates in ea vigeant. Si Religiosus sit aliis exosus. Si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem. Requiritur tamen tunc ut Prælatus concedat licentiam transeundi, adeo ut non sufficiat, si Religiosus eam tantùm petat, adeo ut in transitu ad Religionem laxiorem non sufficiat petiisse facultatem, sed oporteat obtinuisse, quia jus non aliter hoc concedit. An verò etiam conversi, & oblati, qui professionem non emittunt, possint ad arctiorem Religionem transire eo modo, quo possunt cæteri Religiosi? Negat Glossa *in c. ut lex V. professi in fin. 27. q. 1.* eò quia illi jam sint effecti servi Ecclesiæ.

12 Sed contraria sententia communior est, & verior, quia simplex oblatio priori monasterio facta non potest majorem vim habere, quàm habeat professio. Ratio itidem id suadet, quia simplex oblatio non debet impedire transitum ad meliorem & perfectiorem statum, alioquin non esset oblatio rationabilis.

Quòd si petatur, quis ex Prælatis possit licentiam dare religiosis transeundi ad aliam religionem? Respondetur, quòd tametsi mendicantes religiosi jure communi non possint transire ad non mendicantes cum facultate sui Generalis, præterquam ad Carthusianos, sed requiratur facultas Pontificis, & si secus fecerint, tam recipientes, quàm recepti incurrant ipso facto excommunicationem, & professio sit irrita, ut liquet ex *extravag. 1. h. t.* quæ incipit: *Viam ambitiosa.* Nihilominus ex privilegio quidam Generales possunt hanc licentiam dare: ut enim notat Navarrus *consil. 56. de regul.* Generalis Ordinis S. Augustini potest ex justa causa concedere facultatem transeundi ad laxiorem religionem. Rursus religiosi societatis JEsu non possunt ad Carthusiam transire, nisi obtentâ à superioribus licentiâ, quam pater eorum Generalis sibi reservavit: quia Patres Societatis gaudent privilegiis Carmelitarum ex privilegio Pij V. & Carmelitis fuit concessum privilegium à Paulo V. die 3. Aprilis 1610. ne possint ad Carthusiam transire sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Quod privilegium fuit etiam concessum ab Urbano VIII. Patribus Capucinis, ut liquet ex ejus Bulla edita 9. Augusti 1628. cui initium est: *Injunctis nobis Apostolici muneris ratio postulat.* ubi prohibet, ne ullus Capucinus sine licentia sedis apostolicæ transeat ad laxiorem, & ad Carthusianos, vel alium Ordinem, nisi de licentia in scriptis obtenta à Ministro Generali Capucinorum pro tempore existente, idque sub pœna apostasiæ, infamiæ perpetuæ, & excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, adeo ut hujusmodi pœnæ ipso facto incurrantur. 13

Neque licitum est Capucinis recipere fratres minores de observantia sine licentia sedis Apostolicæ in scriptis obtinenda, idque etiam sub pœna excommunicationis, ac inhabilitatis ad quæcunque officia, vel legitimos actus; idque ex decreto Pauli III. ut refert Sorbus *in compend. privileg. tit. recipere V. pariter sic advertendum.* Imò Julius III. renovando eandem prohibitionem declaravit, talem receptionem, & professionem sine licentia sedis Apostolicæ esse nullam, & Capucinos recipientes incurrisse præfatas pœnas; hoc idem etiam statuit Sixtus V. anno 1586. in sua Bulla, cui initium est; *Pro ea.* Rursus Pius V. etiam in sua Bulla, quæ incipit: *Sedis Apostolicæ solertia* edita anno 1567. mens. Octob. statuit, ne ullus Capucinus ad Ordinem S. Francisci de Paula, & nullus frater minimus ad Capucinos ullo unquam tempore, & quantumcunque justissima causa, etiam de licentia suorum se possit transferre, & hæc Bulla fuit etiam confirmata à Gregorio XIII. Monachi verò Benedictini S. Justinæ de Padua, & Cistercienses non possunt, sine consensu Capituli generalis, seu præsidentis, aut majoris partis Visitatorum Congregationis, nec etiam authoritate apostolica, nisi in litteris fiat specifica mentio personæ, & Religionis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ contra recipientes, seu retinentes, qui intra triduum à receptione Monachi, receptum non restituerint ex decreto Eugenii IV. 14

Pœnæ

15 Pœnæ contra Religioſos tranſeuntes ad aliam Religionem in caſu etiam permiſſo habentur in Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 11.* Prima eſt, ut fiant incapaces quorumcunque beneficiorum ſæcularium etiam curatorum: idque procedit etiam ſi Religioſus tranſierit ad arctiorem religionem. Secunda, mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes etiam cum facultate Pontificis, privantur voce activa, & paſſiva in Capitulo, immo etiam loco in eodem Capitulo, ſcilicet quoad honores in electionibus, & tractatibus; non verò quoad onera, ut in diſciplinis, & correctionibus. Tertia, fiunt inhabiles ad Prælaturas, adminiſtrationes, & quælibet officia non ſolùm intra religionem, ſed etiam extra; & nomine officiorum intelliguntur etiam illa officia, quæ in religione exercentur cum honore. Non tamen his pœnis afficiuntur mendicantes tranſeuntes ad Carthuſianos, ut probabilior fert ſententia.

16 Dubitari poteſt, an Regularis tranſiens ad aliam religionem poſſit ſecum deferre bona acquiſita primæ religioni. Non conveniunt doctores circa hanc difficultatem. Aliqui cenſent, bona acquiſita priori monaſterio ſequi tranſeuntem, proinde acquiri poſteriori religioni, ad quam Religioſus tranſit, ita docet Hoſtienſis *in c. quòd ad te num. 4. de cler. conjug.* Menoch. *de arbit. lib. 2. centur. 5. cas. 436. num. 13.* quia bona acquiſita à perſona ſunt acceſſoria eidem, & acceſſorium ſequitur ſuum principale. Tum quia *in c. ſtatutum 18. q. 1.* ſpes ſuccedendi parentibus competens Monacho, dum erat in priori monaſterio, tranſit cum eo in poſterius monaſterium. Sed hic textus non facit ad rem, quia hic non agimus de bonis in ſpe, ſed de bonis jam acquiſitis, & incorporatis monaſterio. Alii ut Gloſſa *in c. quod ad te in fin. de cler. conjug.* Abbas ibidem *num. ult.* Natta *conſil. 180. n. 8.* docent bona, quæ cum perſona tacitè tranſeunt per profeſſionem in monaſterium deferri cum religioſo tranſeunte ad aliam religionem; non verò illa bona, quæ tempore ingreſſûs ſunt expreſsè monaſterio donata: ratio diſcriminis etiam ab iisdem aſſignatur, quia priora bona tranſeunt in conſequentiam ad perſonam, & ſub tacita conditione perſeverantiæ in religione, & ſunt veluti acceſſoria, quæ ſequuntur ſuum principale: ſecus poſteriora tranſeunt independenter à perſona. Alii nullam adhibentes diſtinctionem, docent, bona omnia quocunque modo acquiſita religioni intuitu ingreſſûs reſtituenda eſſe poſteriori religioni, Socinus *conſil. 222. n. 3. V. quibus tamen.* Tagia *in authent. ingreſſ. V. ſua c. 6. num. 10. C. de SS. Eccles.* & alii eo nitentes, quia ſunt acquiſita intuitu ingreſſûs, & ſi religioſus tranſeat ad aliam religionem ceſſat finis acquiſitionis, proinde ſequuntur ingreſſum in aliam religionem. Alii volunt, bona acquiſita remanere penes priorem religionem, & ſolum uſumfructum tranſire ad poſteriorem, Rebuffus *de nominat. ſuper. de reg. ad Prælat. nominat. V. conceſſa* Calderin. *conſil. 23. poſt init. de Regul.* D. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 24. §. 3.* & hæc ſententia deſumit ſuum fundamentum *ex c. de lapſis 16. q. 3. & c. ſi quis raptarit. 27. q. 1.* & *authent. de ſanct. Epiſc. §. penult.* ex quibus juribus conſtat, uſumfructum bonorum, quæ acquiſivit prius monaſterium eſſe tribuenda poſteriori ratione alimentorum, ne Religioſus tranſlatus ſit poſteriori religioni oneri, & gravamini.

17 Verior tamen, & communior ſententia eſt, bona acquiſita priori monaſterio non tranſire cum religioſo ad poſterius, ſed remanere ſub dominio prioris; adeo ut Religioſus tranſiens ad aliam religionem non poſſit ſecum deferre bona, quæ prior religio acquiſivit ab ipſo, vel intuitu perſonæ ipſius, & deſumitur hæc ſententia *ex §. ſi quis autem §. ſi verò relinquens auth. de Monach. collat. 1. authent. de ſanct. Epiſc.* & docent illam Aretinus *in l. ſi quis mihi §. ſervum num. 2. ff. de acquir. hæred.* Imola *in clem. fin. num. 8. q. 7.* Covarruvias *in c. 1. num. 20. de teſtam.* Surdus *de aliment. tit. 9. q. 27. n. 8.* Navarrus *comment. 4. num. 24.* Pasqualigus *quæſt. moral. juridic. q. 31. n. 5.* Barboſa *de jure Eccles. lib. 1. c. 42. num. 91.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 3. c. 14. num. 5.* Ratio eſt, quia per religioſam profeſſionem omnia jura religioſi profitentis transferuntur in religionẽ, in qua profitetur, proinde omnia ejus bona non ſolùm, quæ de præſenti poſſidet, ſed etiam, quæ ipſi poſſent obtingere, tranſeunt ſub dominium religionis: quia ſunt ſub dominio Religioſi, cujus omnia jura fiunt Religionis ratione profeſſionis; adeo ut nullum jus remaneat apud ipſum; quo fit, ut bona omnia, quæ poſt emiſſam profeſſionem acquiruntur à Religioſo, fiant immediatè Religionis, ratione juris in ipſam translati: quapropter licèt tranſeat poſtea ad aliam Religionem, non tamen ſecum trahit talia bona: quia eatenus illa traheret, quia neceſſariò aliquod jus ad illa retineret, & ratione cujus bona illa perinde adhærent perſonæ, ſicut acceſſorium adhæret ſuo principali: Religioſus autem nullum jus ſibi retinet, cum omnia ejus jura ex vi profeſſionis translata fuerint in Religionem, in qua fuit profeſſus; proinde non poſſunt talia bona ratione juris adhærere Religioſo, & cum illo tranſire in aliam Religionem.

18 Neque urget ſi dicas, hujusmodi bona non acquiri à religione abſolutè, ſed tantùm conditionatè, ſi Religioſus ſit in ea perſeveraturus. Nam contra eſt, quia talis conditio non poteſt locum habere in bonis, quæ ratione Religioſi acquiruntur à religione poſt ejus profeſſionem: ſiquidem hæc acquiruntur ratione juris per profeſſionem abſolutè translati in religionem, conſequenter nequeunt alicui conditioni tacitè impoſitæ à profitente ſubeſſe. Tum quia bona, & jura omnia Religioſi profeſſi tranſeunt etiam in dominium religionis ratione voti obedientiæ, & paupertatis: per hæc enim duo vota Religioſus abdicat à ſe omne jus, ac dominium, illudque transfert in Religionem, adeo ut translatio fiat juxta menſuram votorum; quæ cùm ſint ex natura ſua abſoluta, & perpetua transferunt dominium, & jura Religioſi abſolutè, & non conditionatè: illa enim conditio tacita tantùm poteſt locum habere in iis, quæ ex natura ſua ſunt indifferentia ad utrumque; non verò in votis Religionis, quæ ſunt ex natura ſua perpetua,

& absoluta: siquidem ratione perpetuitatis excludunt casum non perseverantiæ, & ex eo quòd sint vota absoluta excludunt etiam omnem conditionem tacitam. Tum quia si bona Religiosi transferrentur in religionem sub prædicta tacita conditione, remaneret jus aliquod in Religioso in ordine ad eadem bona; scilicet jus ea recuperandi si non sit perseveraturus in tali religione: sed hoc jus non potest remanere in Religioso professo; quia operaretur, ut jura Religiosi per
19 solemnem professionem non essent totaliter translata in Religionē, in qua professus est: siquidem non essent translata pro aliquo casu illo scilicet, quo non esset perseveraturus: siquidem datum sub conditione contraria habetur, ut non datum *l. si legatum, & l. legata inutiliter ff. de adim. legat. & l. quod purè init. ff. quando dies & l. 2. §. de indiem*, ut notat Glossa *V. conditionali*: quapropter bona, & jura Religiosi essent partim translata, & partim non translata, quod adversatur naturæ religiosæ professionis. Tum quia quando Religiosus transit de una ad aliam religionem non absolvitur à votis essentialibus Religionis, sed tantùm immutatur status secundùm accidentalia, seu secundùm regulares observantias, & dissolvitur obligatio mutua, quæ erat inter Religiosum, & priorem religionem; quia obligatio contrahitur cum secunda: Cæterum status substantialis Religiosi semper perseverat immutatus; consequenter nequit ad posteriorem religionem transferre jura, & bona acquisita priori. Hinc patet solutio ad fundamentum aliarum sententiarum. Falsum est enim, quòd bona acquisita religioni intuitu professionis sequantur tanquam accessoria ipsum Religiosum; quia bona accessoria non possunt aliter personam sequi, nisi ratione alicujus connexionis, seu juris: hoc autem jus cùm fundetur in dominio, & possessione abdicatur à Religioso ratione professionis, & transfertur in religionem; proinde non possunt bona illa tanquam accessoria sequi Religiosum transeuntem ad aliam religionem. Ad rationem, quâ nititur secunda sententia.

20 Respondetur, bona non transire in religionem sub illa tacita conditione perseverantiæ: quia eo modo transeunt, quo Religiosus à se abdicat jus ad ipsa; jus enim abdicatum à Religioso per professionem transfertur in religionem, & quia Religiosus abdicat à se tale jus absolutè, & non sub aliqua tacita conditione, cùm illud à se abdicet ratione voti paupertatis excludentis omnem conditionem etiam tacitam, ideo jus illud est absolutè acquisitum religioni, in qua Religiosus professionem emisit, & quidem in perpetuum, cùm votum paupertatis emissum sit ex natura sua perpetuum. Tum quia si bona illa essent restituenda posteriori religioni deberet Religiosus fieri capax saltem pro aliquo tempore juris ad ipsa, quod est falsum, cùm absque ulla interruptione votorum transeat ad aliam religionem.

21 Ad fundamentum, quo nititur tertia sententia, respondetur, bona illa acquiri quidem intuitu ingressûs, non tamen ut causa finalis, sed ut occasionis, quia finis transferendi illa bona in religionem, non est ingressus, sed est ille ipse finis, quem habet votum paupertatis, seu est ipsa abdicatio rerum temporaliū à se in Dei obsequium, proinde etiam est actus perfectionis, ad quem ordinantur vota religiosa, & quia finis iste semper perseverat, etiam cùm transit ad aliam religionem, eò quia non dissolvatur per talem transitum status religiosus, ideo ex cessatione finis non potest inferri, quòd resolvatur acquisitio. Ad rationem fundamentalem quartæ sententiæ respondetur, Religiosum non habere jus in talem usumfructum, proinde non posse cum ipso transire ad aliam Religionem.

§. VII.

De Religiosis ejectis, & fugitivis.

1 REligiosum ab justas causas posse expelli à religione ob utilitatem monasterii docent ferè communiter Canonistæ cum Navarro *comment. 2. num. 33.* & constat ex praxi omnium Religionum, & pluribus privilegiis summorum Pontificum hanc potestatem concedentium sacris Ordinibus, & desumitur *ex cap. ne Religiosi ult. h. t.* ubi dicitur, quòd superiores præsidentes Capitulis celebrandis, seu Abbates, vel Priores, quærant suos fugitivos, vel ejectos singulis annis; & si possint recipi in suis monasteriis Abbates, seu Priores eorum compellantur per censuram ecclesiasticam monitione prævia ad receptionem ipsorum, salvâ Ordinis disciplinâ; quòd si fieri non potest, provideant eis in locis proximis dicto monasterio, si fieri possit absque aliquo scandalo, vel in aliis religionis domibus ejusdem Ordinis ad pœnitentiam agendam suppeditando eis necessaria ad vitam. Constat etiam *ex cap. cum ad monasterium 6. de statu Monach.* ubi præcipitur ut Regularis proprietarius è monasterio expellatur, ut etiam jubentur ejici rebelles, & contumaces. Ratio est, quam adfert S. Bernardus, quia melius est, ut pereat unus, quàm unitas; & *in c. resecanda 24. q. 3.* ex D. Hieronymo dicitur. *Resecanda sunt putrida carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant*: bonum enim commune præferri debet privato. Est autem hæc potestas expellendi Religiosos contumaces quoad exercitium penes Prælatum monasterii accedente consensu majoris partis Conventus: & in illis Ordinibus, in quibus Generalis præest toti Ordini, debet expulsio fieri ex ejus commissione, vel saltem à Provinciali accedente consensu majoris partis Capituli provincialis.

2 Alioquin sine justa causa non potest Religiosus expelli à religione, quia sicut religio per professionem acquisivit jus in ipsum Religiosum; ita ex vi ejusdem sacri contractus Religiosus professus acquisivit jus, ut à religione alatur, & sustentetur: quapropter superior, qui absque justa causa Religiosum ejicit è religione gravissimè peccat, & contra justitiam, seu contra jus religiosi, & tenetur ad restitutionem damni, quod Religiosus ejectus patitur: hinc injustè ejectus potest monasterium compellere,

ut ipsum alat, ac exhibeat expensas necessarias ad litem, quia Religiosus habet jus, ut alatur à monasterio, idque etiam procedit in dubio, an Religiosus ex justa causa sit è religione expulsus, quia Religiosus ejectus est in possessione recipiendi alimenta, quibus non est privandus ante sententiam Judicis, Menochius *de præsumpt. lib. 1. q. 35. num. 21.* Molina *tom. 1. de justit. disp. 140.*

3 Requiruntur igitur justæ causæ, ut Religiosus expellatur post emissam professionem à religione, & jure communi justa causa talis ejectionis censetur incorrigibilitas: & secundùm plurium doctorum sententiam ille Religiosus censetur incorrigibilis, qui ter admonitus, adhuc persistit in patrandis eisdem, vel gravioribus, vel æqualibus delictis. Alii verò censent, illum dici incorrigibilem, qui in eisdem, aut æqualibus, vel gravioribus ita permanet delictis, ut nulla affulgeat spes, quòd debeat resipiscere, & emendari. Hodie tamen extat decretum sacræ congregationis Cardinalium de mandato speciali Urbani VIII. die 21. Septemb. 1624. ut non sufficiat ad declarandum Religiosum incorrigibilem in ordine ad ejectionem, si in eisdem, vel æqualibus, vel gravioribus delictis perseveret: sed præterea requiritur, ut per annum detineatur in carcere, & probetur jejunio, & pœnitentia, & si post hujusmodi probationem non resipuerit, sed adhuc pertinaciter depravatis moribus in eadem relabatur graviora delicta, incorrigibilis habeatur, & ejiciatur è religione non obstantibus statutis, consuetudinibus, & privilegiis quibuscunque in contrarium, quia hæc per tale decretum penitùs revocantur.

4 Secunda justa causa expellendi Religiosum est si committat crimen infame, ob quod sine gravi Ordinis detrimento non possit in eo tolerari.

5 Tertia, si reticuit defectum valdè gravem, ob quem religio fuerit graviter decepta, adeo ut dolus commissus, seu reticentia causam dederit admissioni, tunc enim non tenetur religio eum retinere. Quamvis ex rigore juris possent etiam ob incorrigibilitatem moniales expelli ex suis monasteriis, non tamen id censetur consultum, nec consuetum, ut monialis professa ob crimen patratum expellatur è religione, quia id scandalo foret sæcularibus: quamobrem si monialis non posset aliter corrigi, deberet potiùs in prepetuo carcere detrudi, ne aliis esset offendiculo, vel posset ob incorrigibilitatem ad aliud monasterium transferri, ut docet Barbosa *in d. c. ne Religiosi ult n. 16. b. e.*

6 Quòd si Religiosus professus ex justa causa ejiciatur è religione, adhuc manet obligatus ad substantialia vota religionis, quia Prælatus regularis, ut etiam alius inferior Papâ non potest ex Monacho facere non Monachum. Quod enim Religiosus ejectus maneat obstrictus voto castitatis est certum, præsertim si fuerit jam sacris Ordinibus initiatus: ex vi enim professionis se obligavit ad perpetuam castitatem, & Prælatus inferior Papâ non potest à tali voto ipsum solvere. Quod verò ad votum paupertatis attinet, non potest professus ejectus rei alicujus dominium sibi acquirere, neque usumfructum situm in jure; sed solum nudum usum, & administrationem rerum sibi ad victum, vestitum, & habitationem necessariarum potest sibi comparare: unde bona, quæ ejectus propria industria, vel aliorum donatione, aut legato acquisivit ad monasterium pertinent, à quo fuit ejectus, si capax sit bonorum: ratio est, quia monasterium per culpam, & dimissionem religiosi non debuit amittere jus suum, quod in bona illius habebat. Neque est par ratio de servo, quia is per ejectionem, vel dimissionem à domino restituitur omnino libertati, & sit dominii capax.

7 Putârim tamen procedendum esse cum distinctione: si enim monasterium semper suppeditavit necessaria quoad victum, & vestitum religioso ejecto, tunc censerem bona ab ejecto acquisita pertinere ad monasterium, quod suppeditavit illi necessaria: quòd si monasterium alimenta ei non dederit, tunc censerem talia bona acquiri Ecclesiæ, Diœcesanæ, si beneficium habuit, vel Romanæ si caruit beneficio, proinde posse post mortem ejecti Papam, vel Episcopum ejus bona tanquam vacantia vindicare: ratio est, quia si monasterium non suppeditet necessaria ad victum, & vestitum; ejectus nullam amplius habet communionem cum tali monasterio: proinde bona ejecti pertinent ad Ecclesiam, vel diœcesanam si habuit beneficium, vel Romanam, si illo caruit, ut docent Azorius *lib. 12. c. 16. quæst. 9.* Navarrus *comment. 2. de Regular. num. 33.*

8 Quod verò ad votum attinet obedientiæ, non censentur religiosi ejecti ab illo omnino soluti, & liberi, etiam quoad Prælatos Regulares, tametsi potiori ex parte cesset ejus executio, eò quia extra religionem careant superiore, à quo dirigantur: tenentur tamen parati esse ad illis obediendum, si in Ordinem iterum recepti fuerint. Cæterum professi Religiosi ejecti ex vi voti obedientiæ loco Prælati Regularis non tenentur eodem modo obedire Episcopo, in cujus diœcesi degunt, quia non tenentur ad aliam obedientiam nisi ad eam, quam voverunt; cùm autem non voverint obedientiam extra religionem ipsi Episcopo, non tenentur ei parêre plus, quàm alii clerici, qui eidem Episcopo subjiciuntur. Præter tria substantialia vota non tenentur professi ejecti ad alias observantias monasterii, à quo fuerunt ejecti, sed ab iisdem liberantur, donec iterum recipiantur, ut notat Navarrus *comment. 2. num. 36.* siquidem hujusmodi observantiæ non sunt essentialiter, & inseparabiliter connexæ cum tribus votis; sed tantùm cum statu talis vitæ regularis, à quo statu cùm ejecti liberentur; ideo manent etiam liberi ab observantia regularum, à jejuniis, abstinentia à carnibus, vigiliis Ordinis, & aliis id genus: sicut nec regularis factus Episcopus tenetur ad ullas observantias regulares ex obligatione legis, sed tantùm ex honestate quadam morali, quæ non obligat sub culpa. Hinc ejecti in perpetuum non tenentur deferre habitum suæ religionis, quia illo spoliati sunt per

ſententiam in pœnam delicti: tum quia id cederet in ignominiam ipſius religionis. Neque obſtat, quòd non debeat quis ex ſuo delicto referre commodum, quia id licèt per ſe verum ſit, per accidens tamen poteſt fieri, ut quis ex ſuo delicto commodum referat, ob defectum ſcilicet alicujus principalis, cui acceſſoriè ſit obligatio adnexa: & quia obligatio ad obſervantiam regulæ eſt annexa ſtatui regulari, & perſeverantiæ in illo: & ejecti in perpetuum priventur ſtatu regulari, à quo ejiciuntur, ideo etiam deficit in ipſis obligatio ad obſervantiam regularum: quia ceſſante principali ceſſat acceſſorium, hæc enim obſervantia ut acceſſoria eſt annexa ſtatui regulari, à quo Religioſus ejicitur; proinde etiam ab obſervantia regulæ.

9 An verò ejectus è religione S. Franciſci de Paula teneantur abſtinere à carnibus, & lacticiniis, videtur eſſe aliqua difficultas ſpecialis, quia in tali religione minimorum profeſſi emittunt votum ſolemne veſcendi per totum annum cibis quadrageſimalibus, unde ſicut ejecti tenentur ad alia vota, videntur etiam teneri ad obſervantiã quarti voti ſolemnis veſcendi toto anno cibis quadrageſimalibus. Alii cenſet quòd cùm tales ejecti liberentur à principali obligatione vitæ monaſticæ, & talia vota emittantur, ut acceſſoriè illi annexa, ideo unà cum tali ſpeciali inſtituto liberantur etiam ab obligatione abſtinendi ab eſu carnium, & lacticiniorum, adeo ut durante ſtatu ejectionis ſuſpenſa maneat talis obligatio, quæ tanquam acceſſoria cùm ſit annexa tali ſtatui religionis, quo ejectus privatur, ſequitur, quòd ceſſet etiam obligatio tanquã acceſſoria eidē ſtatui. Nos de hoc infra.

10 Cæterum regulares profeſſi ejecti tenentur ſemper reverti ad religionem, ſi à ſuis fuerint ſuperioribus requiſiti, quòd ſi redire detrectent, tanquam contumaces poſſunt excommunicari, ut habetur *in c. ne Religioſi ult. h. t.* ubi dicitur, quòd Abbates, & Priores debeant illos compellere per cenſuras eccleſiaſticas monitione prævia ad redeundum ſalvâ Ordinis diſciplinâ, ſeu impoſitâ pœnitentiâ, quam regula Ordinis requirit: loquitur enim textus de omnibus ejectis, & fugitivis. Tum quia facto divortio per ſententiam definitivam nocens tenetur reverti, ſi innocens velit eum in gratiam recipere, ſibique reconciliare: quia innocens per divortium non debet privari jure ſuo; unde ſi religio velit, tenetur ejectus reverti, quia ſicut profeſſio religioſa eſt ſpirituale conjugium, ita ejectio ſpirituale divortium. Tum quia hujusmodi ejectio conceditur in favorem religionis, & quod in favorem alicujus inductum eſt, non debet in ejus damnum retorqueri, ut habetur *in regul. jur. 61. in 6.*

11 Tum quia ex vi votorum, & profeſſionis tenetur Religioſus manere in religione usque ad mortem, cum vota ſint perpetua: unde quantum eſt in ſe, tenetur ſemper id præſtare, & impedimenta removere: unde cùm illi iterum aperiatur janua, ut ingrediatur in ſuam religionem, tenetur ingredi. Antea enim tantùm excuſabatur, eò quia ingredi non erat in ejus poteſtate: & quia iterum fit illi poſſibile, revivicit vis obligationis. Quòd ſi ejectus ingreſſus fuiſſet aliam religionem, tunc non teneretur redire ad illam, à qua fuit ejectus; quia Prælatus, qui illum ejecit, cenſetur facultatem illi conceſſiſſe ingrediendi alium Ordinem, qui propterea eſt in poſſeſſione talis religioſi. Non tamen tenentur ejecti intrare aliam religionem, cùm ad id ſe non obſtrinxerint, tametſi antequam fuiſſent ingreſſi religionem, voviſſent ingredi religionem in genere; quia hoc votum in genere fuit extinctum per profeſſionem factam in religione, à qua fuerunt ejecti: ſiquidem omnia vota ſimplicia mutantur in ſolemnia ratione ſolemnis profeſſionis.

Idque limitatur, niſi expreſsè apud ſe quis 12
ſtatuerit ingredi aliam religionem, ſi expelleretur ab ea, in qua priùs emiſit profeſſionem; quia hoc votum non fuit per profeſſionem mutatum, neque extinctum; non enim ejus executio concurrit cum executione profeſſionis. Tenentur tamen profeſſi ejecti incedere cum habitu clericali. Non tamen poſſunt compelli ab ejiciente, vel à ſummo Pontifice, ut tranſeant ad aliam religionem; quia ſicut nullus poteſt compelli ad matrimonium; ita neque ad capeſſendam aliam religionem; quia eſt ſtatus perpetuus, qui voluntariè, non coactè aſſumi debet.

Demum religioſus à religione ejectus ſu- 13
ſpenſus manet quamdiu iterum non recipitur, vel ad aliam religionem non tranſit: & hæc ſuſpenſio prohibet exercitium ordinum tam majorum, quàm minorum; ac impedit, ne ejectus poſſit aſcendere ad majores ordines; imò neque poteſt ejectus beneficia recipere, quibus annexus ſit aliquis ordo, aut functio ordinis; quia ſuſpenſus ab exercitio ordinum, ſuſpenditur etiam à beneficio, cui eſt ordo adnexus: hinc ſi ejectus celebret, aut functionem aliquam ſacrorum ordinum exerceat, irregularis efficitur ob violationem cenſuræ: & abſolutio, vel moderatio hujus ſuſpenſionis reſervata eſt ſummo Pontifici juxta decretum ſacræ Congregationis ex mandato Urbani VIII. die 21. Septemb. anno 1624. ubi dicitur: *Ejecti extra religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſublatâ ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.*

Religioſi fugitivi dicuntur, qui à monaſte- 14
rio ad tempus diſcedunt, non animo recedendi à religione, ſed intentione poſtea redeundi, ut ſi Religioſus fugiat ob metum, vel rigorem Prælati, vel ob vagandi voluntatem, aut aliam ſimilem cauſam, ſive fugiat cum habitu, ſive illum dimittat; adeo ut fugitivi ſint, qui ſine licentia ſuperiorum ad tempus liberè vagantur, extra monaſterium, cum animo tamen ad religionem redeundi: Apoſtatæ verò ſunt, qui à monaſterio recedunt animo executiendi jugum religionis in perpetuum, ſeu intentione deſerendi ſtatum religioſum. Hinc quamvis omnis Apoſtata ſit etiam fugitivus, non tamen omnis fugitivus eſt Apoſtata, conſequenter non ſubjicitur pœnis impoſitis contra Apoſtatas, tametſi fugitivus habitum religioſum tegat veſtibus laicalibus. Quantum verò temporis requiratur, ut fugitivus non dicatur

atur Apostata, sententia probabilior, quam docet Suarez *tom. 4. de relig. l. 1. num. 21. & seq.* asserit, fugitivum fieri Apostatam si habitum dimittat cum animo vivendi, & permanendi stabiliter extra Religionem longo tempore, scilicet per tres, vel quatuor annos, vel indeterminatè tametsi animum tunc habeat redeundi post tale tempus; quia tunc præsumitur amisisse voluntatem redeundi *argum. §. Pavonum instit. de rer. divis.* & reputatur, perinde ac si nunquam habuisset intentionem redeundi ad religionem.

15 Religiosus si sit in carcere detentus etiam in perpetuum censendus est fugitivus si è carcere fugiat, quia recedit à monasterio absque debita licentia: quia licèt probabile sit, posse licitè sæculares è carcere fugere, non tamen regulariter hoc jus competit Religiosis, eò quia hac potestate exeundi, & vagandi se privaverint ex vi solemnis professionis emissæ.

16 Excipiuntur tamen aliquot casus, in quibus Religiosus fugiendo non censetur fugitivus; ut si damnatus sit carceri, & postea mors, aut mutilatio ei debeat inferri, quia jus naturæ dat illi facultatem vitam, & membra tuendi. Secundò si sententia sit injusta. Tertiò si gravitas pœnæ manifestè excedat meritum delicti. Quartò si sententia licet aliàs justa sit, modus tamen eam exequendi sit injustus; quia reus non tenetur in conscientia obsequi sententiæ injustæ. Sed, quid si Religiosus damnatus ad triremes fugiat, ne cruciatus illius status ferat? tametsi plures censeant esse fugitivum eò quia triremis sit ei tanquam carcer, nihilominus probabile est, non esse fugitivum, quia plures æquiori animo ferrent aliquod sibi membrum una vice amputari, quam in triremibus longo tempore detineri, ac diutius torqueri molestiis illis. Tum quia pœnæ, & cruciatus, quibus damnati ad triremes torquentur, comparantur perpetuæ morti *l. penult. ff. de R. J.* Præterea quia damnati ad triremes non supponuntur ibi, ut sponte maneant, sed ut invicti patiantur: & ex naturæ impulsu omnia animalia à simili coërcitione nituntur liberari: unde cum natura ipsa dictet, ac intendat ad talem fugam, sequitur damnatum ad triremes non esse dicendum fugitivum, si inde exiliat, ac fugiat, ut docet Bannez *quæst. 69. art. 4.*

17 Neque Religiosus fugiens è carcere censendus est fugitivus, si ad eum finem sine licentia immediati superioris fugiat, ut ad superiorem majorem confugiat, ut ab eodem eximatur ab iniqua vexatione, quam injustè ab immediato superiore patitur; dummodo certò constet de iniqua vexatione, nec alia ratione possit se ab illa eximere quàm adeundo superiorem majorem: ratio est quia jure naturæ cuilibet competit sua defensio. Neque obstat, quod Tridentinum *sess. 25. c. 4. de Regul.* prohibeat omnibus religiosis recedere à suis conventibus etiam ob causam adeundi superiorem; quia Concilium tantùm loquitur de religiosis, qui justè puniuntur, non verò de illis, qui injustè gravantur, ac supra meritum culpæ puniuntur: quia adire superiorem ob injustum gravamen apud religiosos habet vim appellationis; & religiosos injustè gravatos posse verbo, vel facto appellare ad superiores majores est sententia communior. Quòd si non constaret de injustitia gravaminis non posset religiosus fugere sine licentia sui immediati superioris.

Cæterum si constet de tali injustitia potest 18
sine petita licentia adire superiorem majorem: & quamvis Ordinarius possit justè capere talem Religiosum transeuntem per suum territorium juxta dispositionem Concilii Tridentini, non tamen posset ipsum justè retinere, & punire, si Religiosus fidem faceret, se injustè gravatum appellare ad superiorem majorem, vel de gravamine protestatum iter arripuisse, proinde licentiam scriptam non secum deferre, ut docet Diana *p. 3. tract. 2. resol. 56. & 115.* cùm enim talis appellatio licita sit, sunt etiam licita media exequendi talem appellationem; & tunc fuga est medium necessarium pro tali appellatione, proinde est actus licitus, qui à Concilio non prohibetur, neque punitur, ut censendum est vero similius. Hoc etiam procedit, de religioso confugiente ad amicum, ut eum deprecatorem habeat apud suum superiorem *l. quid si fugitivus §. sin autem ff. Ædil. edict.* Hæc tamen proceduut, dummodo ex tali fuga non sequatur scandalum, & turbatio in religione, quia hæc tanti sunt momenti, ut superent defensionem illius religiosi: quia bonum privatum debet cedere bono publico.

§. VIII.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an congruum sit dari in Ecclesia diversos Religiosorum Ordines? Respondetur, hanc diversitatem in Ecclesia omnino expedire ob diversas hominum nationes, complexiones, & naturas: siquidem alii facilius perfectionem in hoc, quàm in illo ordine assequuntur, adeo ut laxitas ipsis magis conducat, quàm rigor, ob imbecillem complexionem, quâ non possent austeritates corporis ferre. Præterea hæc varietas ex eo est etiam congrua, ut Ecclesia Christi sponsa circumdata varietate diversarum virtutum, ac perfectionum ad imitationem Christi speciosi præ filiis hominum sua haberet ornamenta, ac diversas in suo corpore operationes suorum membrorum: unde Apostolus 1. *ad Corinth.* 12. In uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Ita in Ecclesia hæc diversa membra requirebantur; adeo ut aliqui religiosi Ordines vitæ contemplativæ divinorum mysteriorum essent addicti, & ad Psallendas jugiter divinas laudes occupati. Alii vitæ activæ incumberent. Alii mixtæ ex contemplativa, & activa, & populos docerent, Evangelium promulgarent, Sacramenta ministrarent, & salutaria fidelibus suppeditarent.

Quæritur secundò, quandónam inceperit 2
institutum vitæ religiosæ? Respondetur à temporibus Apostolorum. Immo plures censent

ſtitui abeuntibus: quamobrem licèt morientes per quandam veluti phraſin dici poſſint abeuntes ex hac vita, non tamen juxta intentionem Concilii ſumitur verbum in hoc ſenſu. Ad aliud, quod addebatur, ante Concilium Tridentinum fuiſſe probabile revocari donationem per mortem ante profeſſionem ex præſumpta voluntate donantis; reſpondetur, plures clarioris notæ Canoniſtas ante Concilium, docuiſſe bona morientis ante profeſſionem acquiri monaſterio, ſi ea expreſsè monaſterio contulit, nec ante mortem mutavit voluntatem, ut docuit Panormit. *in c. in præſentia 8. de probat. num. 66.* & poſt Concilium Tridentinum docent hanc ſententiam Fachinæus *lib. 6. controvers. 19.* Miranda *in manual. Prælat. quæſt. 23. art. 8. conclus. 5.* & alii.

14 Quæritur ſextò, quid juris, ſi Novitius ante profeſſionem emiſſam ſine diſpoſitione decedat, an ejus bona tunc acquirantur monaſterio, vel conſanguineis? Reſpondet Panormit. *in d. c. in præſentia 8. de probat. num. 68.* bona Novitii acquiri conſanguineis, eò quia non ſit ex parte monaſterii jus, nec cauſa ea petendi ante profeſſionem, quia Novitius nondũ incorporatur religioni, nec fit membrum ejusdem: unde cùm monaſterium tantùm ratione profeſſionis acquirat jus in bona religioſi non poteſt prætendere bona Novitii decedentis ante profeſſionem. Adhæret huic ſententiæ etiam Sanchez *in præcept. decalog. lib. 7. num. 62. & c. 5. n. 51.* Alii tamen cum Julio Claro *in §. teſtamentum q. 28.* docent bona Novitii decedentis ante profeſſionem acquiri monaſterio, eò quia præſumitur ita diſpoſuiſſe pro anima ſua. Tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & cum religio poſſideat Novitium, ideo cenſetur etiam poſſidere tanquam acceſſoria ejus jura. Tum quia eo ipſo, quòd Novitius decedit in religione, nec diſponit in contrarium, cenſetur tacitè emittere profeſſionem, cum moriatur Religioſus. Licèt hæc opinio aliquam præferat probabilitatem, prior tamen eſt communior, & probabilior, quia jura Novitii non acquiruntur monaſterio niſi per profeſſionem emiſſam à Religioſo: unde bona Novitii ex ſuppoſitione, quòd nec tacitè emiſerit profeſſionem, cedunt conſanguineis, quibus ſi Novitius careret, tunc potiùs monaſterio, quàm fiſco eſſent bona adſcribenda: etenim ſi quis ex aliquo Collegio honeſto decedat ſine legitimis hæredibus bona illius non ad fiſcum, ſed ad ipſum collegium deferuntur: & Novitius, quamvis nondum profeſſus cenſetur eſſe de collegio monaſterii, quia in ipſo habet forum judiciale, parœciale, & privilegium canonis.

15 Quæritur ſeptimò, an ſi Novitius renuntiaret ſua bona monaſterio, & poſtea emitteret profeſſionem invalidam, tunc talis renuntiatio valida foret? Ratio dubitandi eſt, quia Concilium Tridentinum abſolutè dicit, talem renuntiationem, vel donationem validam eſſe ſecuta profeſſione: & in hoc caſu Novitius emitteret profeſſionem licèt invalidam. Reſpondetur, talem renuntiationem fore nullam, quia quando Concilium exigit ad renuntiationis valorem, ut ſequatur profeſſio, verba Concilii debent intelligi cum effectu, adeo ut ſequatur profeſſio valida non invalida: ſiquidem profeſſio invalida cùm ſit nulla, nullum ponit effectum; & actum fieri invalidum; perinde eſt, ac ſi omnino non fieret. Præterea quia mens Concilii fuit conſulere libertati Novitiorum ad egrediendum, adeo ut bona tamdiu manerent ſub jure Novitii, quamdiu poſſet è religione egredi: ſed quando profeſſio eſt invalida Novitius, qui illam emiſit adhuc licitè poteſt egredi, proinde ex mente Concilii renuntiatio eſt nulla, neque ullum ſortitur effectum; alioquin poſſet impedire liberum egreſſum Novitii contra mentem Concilii. Quòd ſi qui emiſit profeſſionem invalidam, eam poſtea ratificaret; tunc cenſeretur etiam ratificata renuntiatio, quia hæc ſequitur profeſſionis conditionem.

Quæritur octavò, an ſi donatio facta à Novitio monaſterio ſit nulla, adhuc monaſterium poſſit donata retinere? Donatio facta monaſterio à Novitio poteſt eſſe nulla, vel quia Novitius non potuerit de bonis donatis liberè diſponere: vel quia licèt potuerit liberè diſponere, non tamen ſufficienter diſpoſuerit, vel ex defectu alicujus ſolemnitatis, vel ex aliquo alio capite. Si donatio fuit nulla priori modo adhuc inquirendum eſt, an bona donata pertineant ad Novitium, an verò profitendo ab iis cadat: etenim ſi cadat ab illis non poſſunt à monaſterio retineri, quia nec ratione donationis, nec alterius juris acquiſiti ad ipſum perveniunt. Reſpondetur, quòd tametſi donatio Novitii facta monaſterio ſit nulla, adhuc bona donata ſecuta profeſſione pertinent ad monaſterium, quia tametſi ad ipſum non perveniant ratione donationis; perveniunt tamen ex alio titulo, quia licèt donatio ſit nulla, non abdicat dominium à donante; adeo ut maneant ſicut antea bona donata ſub jure, & dominio donantis *l. non putavit §. non quavis ff. de bon. poſſeſſ.* & notant communiter doctores cum Rota Romana coram Ludoviſio *decis. 496. num. 9.* quamobrem cùm dominium, & jus in talia bona remaneat apud eundem Novitium, & hic per profeſſionem validam omnia ſua bona, & jura transferat in monaſterium; transfert etiam jus, quod retinet in talia bona invalidè donata, quæ propterea ex hoc alio titulo acquiruntur monaſterio juxta *authent. ingreſſi C. de SS. Eccles.* Jaſon. *ibidem num. 2.* 16

Hinc ſi donatio illa invalida ante profeſſionem facta fuiſſet in favorem non monaſterii, ſed tertiæ perſonæ, adhuc ſecuta profeſſione talia bona pertinerent ad monaſterium: quia profeſſio utpote valida ſortitur ſuum effectum dedicandi Deo, & religioni non ſolùm perſonam, ſed etiam ejus bona: unde cum bona donata tertiæ perſonæ ob nullitatem donationis remaneant ſub jure donantis, tranſeunt cum perſona ad monaſterium. Quòd ſi dicas, ex illa donatione licèt invalida colligi animum profitentis, non transferendi in monaſterium bona illa donata tertiæ perſonæ *l. legatum § fin. ff. de adim. legis & l. fin. ff. de reb. eor. qui* Decius *conſil. 3. n. 36. vol. 1.* Alexander *conſil. 45. num. 7. lib. 1.* ſi- 17

qui-

quidem non obstante tali intentione, quia bona remanent sub dominio, & jure Novitii ob nullitatem donationis: & jura tanquam accessoria sequuntur personam Novitii, quæ cum per professionem validam incorporetur monasterio; eidem etiam ut accessoria incorporantur jura omnia ejusdem Novitii: cùm enim per professionem Novitius efficaciter se ipsum dedicet Deo, & Religioni, ut etiam omnia sua, ideo ex vi hujus efficacis intentionis transferuntur etiam in monasterium omnia jura, quæ profitenti insunt. Id etiam procedit quamvis tempore professionis non haberet notitiam nullitatis donationis: siquidem translatio horum bonorum in monasterium consequitur ad translationem personæ, quæ secum trahit jura ex natura sua pertinentia ad eandem personam; proinde non est necessaria in professe ulla specialis voluntas transferendi talia bona, sed sufficit, si intendat transferre propriam personam, seu se totum efficaciter.

18 Quæritur nonò, an si professus conversus agat novitiatum, ut ascendat ex indulto Pontificis ad Ordinem clericalem, possit à religione dimitti, si non reperiatur habilis pro Ordine clericali? Respondetur, talem conversum non posse dimitti à religione, in qua jam professionem emiserat in ordine fratris conversi; sed tantùm esse repellendum à statu clericali, & pristino Ordini conversorum, seu inservientium restituendum: siquidem cum sacer professionis contractus jam fuerit initus, non datur amplius locus pœnitentiæ, nec possunt partes, quæ contraxerant ab ipso recedere; perinde ac pœnitentia non habet locum in cæteris contractibus perfectis *l. sicut ab initio C. de oblig. & act.* Tum quia non est licitum cum alterius injuria mutare consilium *l. nemo ff. de regul. jur.* Præterea quia sacer professionis contractus cum sit solemnis non potest dissolvi nisi sola authoritate Pontificis: & subintrat regula quòd semel approbatum non ampliùs reprobari possit, Dinus *in c. quod semel de R. J. in 6.* Tum quia illud novum experimentum sumendum in novitiatu est in ordine ad admittendum Novitium in ordine clericali, non ad illum dimittendum à religione: & facultas approbandi, vel reprobandi non potest latiùs se extendere, quàm extendatur experimentum, cui innititur; proinde non potest se extendere nisi ad approbandum, vel reprobandum in ordine ad statum clericalem, quem solùm respicit experimentum: etenim in correlativis potestas approbandi, vel reprobandi limitatur ad id, quod est in suo correlativo, ut notat Decius *cons. 63. n. 6.*

19 Quæritur decimò, an ut Religiosus reclamans possit audiri, debeat resumere habitum prioris Religionis, si sit Novitius in alia, ad quam transivit? Extat circa præsentem quæstionem decretum Concilii Tridentini *sess. 25. c. 19. de Regular.* ubi habet *quòd si antea* (scilicet antequam reclamet, & causam perficiat) *habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur; sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostatæ puniatur.* Adeo ut debeat reclamare retento habitu Religionis, ut notant Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 1.* Navarr. *in Incerna regul. V. reclamare.* Sed difficultas est, an si aliquis cum prævia licentia transierit ad aliam religionem possit durante novitiatu reclamare contra professionem emissam in priore religione retento habitu potioris religionis, in qua agit novitiatum, & respondetur posse cum tali habitu reclamare juxta Rotam *decis. 523. n. 2.* coram Merlino. Tum quia id fuisse declaratum à sacra Congregatione Regularium, refert Pasqualigus *quæst. moral. jurid. q. 29. num. 2.* ubi addit, præsentem casum non comprehendi sub dispositione Concilii Tridentini, eò quia Concilium loquatur de eo, qui sponte habitum dimisit, proinde temerè, ac propria authoritate: vel quia se judicaverit non esse Religiosum, antequam ejus causa examini subjaceret, tunc enim injustè privat religionem suo membro, & ideo juxta *regulam de restit. spoliat.* debet religio spoliata restitui in priorem possessionem: hoc autem non procedit in casu præsenti, quia reclamans supponitur dimisisse habitum non sponte, sed cum præviis obtentis debitis licentiis, & intervenientè authoritate superiorũ, qua ratione religio non mansit spoliata. Tum quia ut notat idem Pasqualigus *num. 4.* Tridentinum tantùm disponit de iis, in quibus dimissio habitus facit præsumptionem apostasiæ: & quia præsumptio stat pro validitate professionis, donec oppositum evincatur, ideo dimittens habitum præsumitur apostata; proinde Concilium vult esse cogendum ad redeundum in religionem, & in eadem esse puniendum ut apostatam: qui verò cum debitis obtentis licentiis transivit ad aliam religionem, non potest haberi, nec puniri ut apostata, proinde neque cogi redire ad priorem religionem, à qua cum authoritate superiorum discessit.

Quæritur undecimò, an Religiosus transiens ad aliam religionem possit secum deferre scripta concionum, lectionum, & aliorum, quæ proprio studio compositi? Quamvis Navarrus *consil. 55. num. 9. de regular. lib. 3.* Sanchez. *lib. 7. sum. c. 32. num. 13.* & alii doceant posse tantùm secum deferre illa scripta, quæ priori religioni forent inutilia, vel quæ censet posse deferre non invito superiore; non tamen concedunt, posse secum deferre illa scripta, quæ priori religioni utilia essent: & nituntur ea ratione, quia Religiosus non habet ea scripta nomine proprio, sed tantùm nomine religionis, in qua illa composuit. Nihilominus respondendum puto cum Pasqualigo *quæst. moral. jurid. q. 34. num. 2.* posse religiosum transeuntem ad aliam religionem secum deferre omnia scripta à se composita, non verò si ab aliis sint composita, quia tunc connumerarentur inter bona religionis. Ratio id suadens est, quia ex vi religiosæ professionis transeunt ad monasterium illa tantùm bona, & jura Religiosi emittentis professionem, ad quæ se extendit votum paupertatis: siquidem hæc translatio fit ex vi talis professionis, & voti paupertatis, proinde non potest magis se extendere, quàm se extendat votum paupertatis; alioquin effectus excederet suam 20

cauſam: atqui votum paupertatis non ſe extendit ultra bona corporis, adeo ut non comprehendat bona animi, cujusmodi ſunt ſcientiæ, doctrinæ, & eruditio; ſed tantùm fertur ad abdicandum à vovente dominium, & jus circa corporea bona: cum enim profeſſio religioſa inducat paupertatem, ea tantùm excludit bona, quibus efficitur quis dives, & ſine quibus eſt pauper; & hæc ſunt tantùm bona corporis, quæ ordinantur ad ſuſtentationem ejusdem *l. jus alimentorum §. 1. ff. ubi pupill. educ. deb. l. ſi quis ad declinandam C. de Epiſc. & Cler. & c. quod ſuper his de voto*, ut notant Abbas ibidem, Pasqualigus *loc. cit.* Caveta *conſil.* 199. *num.* 8. Socinus *conſil.* 30. *poſt init. vol.* 4. ſcripta autem compoſita à Religioſo non pertinent ad bona corporis, ſed illis acceſſentur animi, & ideo non comprehenduntur ſub voto paupertatis, ratione cujus non abdicatur à vovente dominium in propria ſcripta à ſe compoſita: ſunt enim partus ingenii, & veluti animæ libri, ut loquitur Clemens Alexand. *lib.* 1. *ſtromat.* proinde nunquam deſinunt eſſe Authoris, à quo fuerunt compoſita. Tum quia ſcripta ſunt expreſſiones quædam doctrinæ inhærentes intellectui Authoris, qua ratione Caſſiadorus *in præfat.* vocat ſcripta ſpecula mentis, inquiens: *cælus ſpeculum mentis tuæ, ubi te omnis ætas ventura poſſit inſpicere*: quamobrem cum doctrina principaliter ſit in intellectu, & in ſcriptis non niſi acceſſoriè, & tanquam in quibusdam expreſſionibus internorum conceptuum, ideo quando Religioſus ad aliam tranſit religionem ſecum defert doctrinam propriam, veluti inhærentem animo: & quia acceſſorium ſequitur principale, ideo poteſt etiam deferre ſecum ſcripta acceſſoria ad doctrinam inhærentem intellectui. Tum quia ſi Concionator memoria tenens ſuas conciones poteſt cum iisdem inhærentibus memoriæ tranſire ad aliam Religionem, non video, cur non poſſit etiam tranſire cum iisdem concionibus ſcriptis. Quinimmo quamvis compoſuiſſet opus aliquod excudendum typo, & ex cujus impreſſione notabile eſſet lucrum temporale percepturus, vel ob compenſationem laboris, quam reciperet à Typographo, vel ex alio capite, adhuc poſſet talia manu ſcripta in ordine ad imprimendum ſecum deferre, quia illud emolumentum non eſt acquiſitum, & cùm ex alio capite manu ſcripta ſint in genere bonorum animi, ideo non ſunt ſub jure religionis.

21 Quæritur duodecimò, an profeſſus Religioſus incorrigibilis ejectus è religione teneatur ſervare tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Certum eſt, Regulares profeſſos poſſe ejici à religione ob varia privilegia ad talem effectum conceſſa, ut etiam de jure communi, ut conſtat ex *c. cum ad monaſterium de ſtatu Monach. ex c. fin. eodem tit.* & ex *c. fin. de Regular.* Id enim videbatur exigere bonum commune ſacrorum Ordinum Regularium, ut enim ait D. Hieronymus in *Epiſt. ad Gallat. c.* 5. & refertur in *c. Reſecanda* 24. *q.* 3. reſecandæ ſunt carnes putridæ, ne ſanas corrumpant; & ſcabioſa ovis ab ovili repellenda eſt, ne cæteras inficiat; ut etiam docet D. Thomas *quodlibet.* 12. *art. ult.* cui adhæret D. Bonaventura in regula D. Franciſci in *reg.* 14. Imò jure novo ex decreto ſacræ Congregationis edito ex ſpeciali mandato Urbani VIII. 21. Septembris anno 1624. poſſunt ejici à Patre Generali tantùm de conſilio, & aſſenſu ſex patrum è gravioribus religionis eligendis in ſingulis Capitulis, & comitiis Generalibus, probatis tamen plenè cauſis expulſionis juxta præſcriptum ſacrorum canonum, ut habet Urbanus VIII. in ſuo decreto, Imò notat Peyrinus *tom.* 1. *in conſtit.* 10. *Urbani VIII. num.* 1. quòd ſi penes Generalem non eſſent illi ſex Patres, ſacram Congregationem decreviſſe poſſe patrem Generalem, vel etiam Viſitatorem Generalem in qualibet Provincia, ſi neceſſitas exegerit, aſſumere ſibi ſex Patres ex definitoribus, & gravioribus, & adhibito eorum conſilio, & aſſenſu poſſe procedere ad ejectionem, ad quam tamen non ſufficit ſolum conſilium, ſed requiritur etiam aſſenſus ſaltem majoris partis eorundem ſex Patrum, ut valida ſit ejectio, ut notat Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 8. *ſect.* 2. *numer.* 4.

Cauſa verò hujus ejectionis eſt ſola incor- 22
rigibilitas, ad quam tria de jure communi requiruntur. Primò quòd ſæpe commiſerit delicta. Secundò quòd pluries monitus non deſiterit. Tertiò quòd pœnitentiam pro iisdem non acceptaverit: quia incorrigibilis, dicitur, cujus correctio non ſperatur. Jure tamen novo ex decreto Urbani VIII. requiritur, ut probetur in carceribus unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia, quòd ſi elapſo anno non reſipuerit, ſed pervicaciter perſeveraverit, ejicitur, ne pecus morbida totum corrumpat ovile, idque etiam declaravit ſacra Congregatio juſſu ſummi Pontificis 1. Junii 1653. ut refert Lezana *de reg. c.* 24. *num.* 32. His prænotatis, reſpondetur ad quæſitum, Religioſum ejectum teneri ſervare tria vota ſolemnia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ: quia Prælatus Regularis nequit ſuos ſubditos abſolvere ab obligatione votorum ſolemnium, quæ ſunt de eſſentia ſtatûs religioſi *c. cum ad monaſterium de ſtatu Monach.* ſiquidem obligant hæc vota in quocunque ſtatu, & toto vitæ tempore usque ad mortem: & Religioſus profeſſus tametſi ejectus, ut incorrigibilis è ſua religione, adhuc manet verus Religioſus, conſequenter tenetur ſervare tria ſolemnia vota, quæ emiſit, ut docet Corduba in reg. D. Franciſci *c.* 2. *q.* 21. *p.* 3. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. Navarrus *comment.* 2. *de regul. num.* 34. *& ſequent.* & alii communiter. Verùm ad votum paupertatis non tenetur ita ſtrictè ejectus, quia cum monaſterium ei non ſuppeditet victum, & veſtitum, nec habeat ſuperiorem, à quo poſſit petere ſibi neceſſaria, non tenetur ad ſtrictam paupertatem, ſed ad eam tantùm, quæ cum ſuo proprio ſtatu poteſt, cohærere: Hinc propriè nullius rei habet dominium, ſed tantùm uſum eorum, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad victum, veſtitum, & domicilium, ut docet Molina *de juſtit. diſt.* 140. *col. antepenul.* §. *quando verò*, Azorius *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 4. Peyrinus *tom.* 4. *de offic. ſubditi q.* 1. *c.* 25.

§. 1. *V.*

§. 1. V. dico tertiò, quapropter neque potest ejectus testari, quia potestas testandi repugnat voto paupertatis, ut docent Lesius *lib. 2. c. 41. dub. 15. num. 113.* Sayrus *c. 9. num. 28.*

23 Quamobrem post obitum ejecti, quæcunque ipse, cum viveret, acquisivit, pertinent ad Comeram Apostolicam ex decreto Gregorii XIII. ut refert Sanchez in *decalog. lib. 7. c. 3. n. 31.* Votum castitatis tenetur etiam servare, quamvis nondum sit sacris initiatus ordinibus, eò quia in solemni professione eam voverit, & Prælatus Regularis non potest ejectum à tali voto absolvere. Quoad votum obedientiæ tenetur parere summo Pontifici, non verò suo Prælato Regulari, à quo fuit ejectus. Subjicitur tamen Episcopo loci, cui tenetur parere, perinde ac alii clerici, idque præsertim jure novo ex decreto Urbani VIII. edito 21. *Septembris 1624.* ibi: *Religiosi ejecti quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, & Ordinarij loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint.* Quinimò tenetur etiam obedire Prælatis Regularibus, si ei præcipiant reditum ad religionem, ut notant Azorius *lib. 12. c. 16. q. 11.* Lessius *lib. 2. c. 41. num. 115.* & alii communiter.

24 Quæritur tertiodecimò, an Regularis ejectus teneatur etiam servare quartum speciale votum suæ religionis, adeo ut ejectus è religione minimorum teneatur observare vitam quadragesimalem, & ita de aliis ejectis ab aliis religionibus, in quibus emittitur quartum votum vacandi redemptioni captivorum, ut in ordine Sanctæ Mariæ de Mercede: obediendi summo Pontifici circa missionem ad infideles, ut in societate JESU? Respondetur, plures censere, Religiosos ejectos non teneri servare quartum votum emissum ex speciali religionis instituto, & ita docent Vega *tom. 2. sum. c. 86. cas. 16.* Lezana *tom. 1. c. 23. num. 17.* & alii, qui nituntur primò, quia voti obligatio cessat, quando mutatio materiæ est ita notabilis, ut reddatur notabiliter difficilior ejus observatio: & hæc mutatio habetur in Religioso ejecto. Secundò quia hujusmodi vota emittuntur in ordine ad servandum statum talis religionis: atqui ejectus non est amplius in tali religione, proinde non tenetur ejus statum servare. Communior tamen, & verior sententia est, teneri ejectum ad servandum etiam quartum votum emissum ex speciali instituto religionis. Ratio ex eo desumitur, quia hoc quartum votum perinde est solemne, ac alia tria communia, & sicut Prælatus Regularis non potest suos subditos absolvere ab obligatione votorum solemnium, quæ sunt de essentia status Religiosi *c. cum ad Monasterium de statu Monach.* ita neque à quarto voto.

25 Neque obstat, Religiosum ejectum esse separatum à religione: quia ex tali separatione sicut non est solutus à votis solemnibus, ita neque ab eorundem obligatione: vinculum enim obligationis perinde manet in Religiosis ejectis, ac vinculum matrimonii in conjugibus, quando isti ob adulterium alterius separantur per divortium à thoro, sicut enim semper manet vinculum matrimonii integrum: ita qui ejicitur è religione non solvitur ab obligatione votorum. Quod si dicas, hoc quartum votum esse accessorium. Respondetur, id non evinci, quia perinde est solemne, & de essentia talis specialis religiosi ordinis, in quo emittitur, ac sint alia tria vota solemnia. Præterea licèt esset accessoriũ adhuc ejectus non esset absolutus, ab ejus observantia, quia accessorium sequitur naturam sui principalis, ex *regul. jur. 42. de regul. jur. in 6.* & sicut ejectus remanet obligatus ad principale onus trium votorum, ita remanet etiam obligatus ad accessorium quarti voti. Tum quia ejectus è religione non in præmium excluditur suæ virtutis, sed in pœnam ejicitur sui delicti, & nemo ex sua culpa debet commodum reportare, consequenter neque exemptionem ab observantia quarti voti.

Hinc ad primam rationem oppositæ sen- 26
tentiæ respondetur, mutationem status non reddere irritum hoc quartum votum, cum extra religionem servari etiam possit, quia sicut mutatio statùs non eximit à tribus aliis votis solemnibus; ita neque à quarto, quia omnia sunt æqualiter solemnia, & obligant. Ad secundum respondetur, quartum votum emitti quidem ad conservandum statum religionis: sed quia hujusmodi status principaliter consistit in observantia votorum essentialium, à qua ejectus non eximitur, ita neque à quarto. Tum quia ejectus manet verus religiosus sui Ordinis, proinde tenetur ad omne id, quod vovit in sua solemni professione.

Quæritur quartodecimò, an si ejectus ante 27
solemnem professionem voverat vitam religiosam ducere toto vitæ suæ tempore, teneatur ingredi aliam religionem? Respondetur negativè, quia votum illud emissum ante solemnem professionem fuit votum simplex: atqui per solemnem professionem omne votum simplex antea emissum extinguitur, ut habetur in *c. scriptura de voto, & cap. pennis de regul. in 6.* sit quidem solemnis professio est mors totius anteactæ vitæ, & sicut per mortem naturalem cessant hujusmodi obligationes, ita etiam per solemnem professionem. Tum quia opera particularia Deo antea promissa continentur eminenter in ipsa professione religionis, per quam religiosus se, & omnia sua dat, & dedicat divino obsequio, proinde censetur mortuus priori vitæ, cum nihil, nec propriam voluntatem sibi reservet, quamobrem per solemnem professionem *ipso* jure extinguuntur omnia vota simplicia antea emissa, & ita docet D. Thomas 2. 2. *q. 88. art. 12. ad 1.* Abbas *in c. scriptura n. 2. de voto*, Felinus *in c. Pervenit. num. 2. de jurejur.* & alii communiter: unde licèt Religiosus ante professionem votum simplex emiserit ducendi vitam religiosam toto tempore suæ vitæ, vel perseverandi in religione usque ad mortem; tale votum per sequentem solemnem professionem extinguitur, ut etiam notat Pellizarius *tom. 2. tract. 8. c. 8. sect. 2. num. 14.* ubi notat, id fuisse decisum in *c. qui post votum de regul. in 6.*

Quæritur quintodecimò, an Religiosus e- 28
jectus, & emendatus teneatur redire ad religio-

nem, & possit ad id compelli? Respondetur plures in ea esse sententia, ut censeant, ejectum ex publica sententia Judicum ad id deputatorum non teneri, nec posse compelli ad reditum in religionē, & ita præ cæteris docent Navarrus *consil. 51. de Regul. & consil. 3. de statu Monach.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 16. q. 5.* & alii, qui nituntur primò, quia obligatio, quæ per sententiam Judicum extinguitur, nunquam revivisci *l. qui res §. ult. ff. de solut.* Secundò quia res judicata servanda est *l. rei judicata ff. de regul. jur. ff. de regul. jur.* quod enim semel rectè fuit definitum retractari non debet *c. quod bene 6. q. 4.* Tertiò quia degradatus realiter à suis ordinibus non potest compelli, ut reassumat gradum, quo fuit privatus. Quartò quia religio non tenetur semel ejectum iterum recipere, consequenter neque ejectus tenetur redire, quia est utriusque par conditio, & obligatio ejicientis, & ejecti.

Nihilominus contraria sententia videtur probabilior, & est communior, adeò ut Religiosus ejectus teneatur omni studio procurare vitæ emendationem, ut fiat aptus ad religionem, & dignus, ut in ea recipiatur, quia tametsi è religione sit expulsus: adhuc manet verus religiosus, proinde ex vi suæ professionis tenetur vivere secundùm statum religiosum, & quantum in se est, eum non impedire, sed procurare. Hinc Fagnanus in *c. Ne Religiosi num. 9. & seq.* asserit, Religiosum ejectum teneri mores corrigere, & habilem se reddere, ut iterum in religionem recipiatur, & ita correctus debet se demississimè exhibere religioni, alioquin manet in malo statu, quia per ejectionem non liberatur à votorum obligatione: non enim ejectus ob sua delicta debet commodum libertatis consequi, ac fieri melioris conditionis ac antea: unde donec correctus se habilem reddat ad religionis regressum, eúmque procuret, semper est in statu peccaminoso; & hac ratione notat Fagnanus *loc. cit. num. 10.* Ecclesiam non posse dispensare, ut Sacerdos ejectus manens in sæculo missam celebret, quia adversatur juri divino, ut impœnitens accedat ad sacram Eucharistiam: quapropter tenetur se emendare, & rursus se exhibere, ac humiliter petere, ut iterum recipiatur in religione: quia sicut habens votum simplex religionis tenetur, quantum est in se non ponere obicem ad ingressum religionis, sed potiùs procurare, ut recipiatur; ita à fortiori ejectus, quia ejectio non aufert, nec extinguit hanc obligationem: & nemini sua iniquitas debet patrocinari, & ita docent D. Bonaventura *q. 14. super regul.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. num. 4.* Sotus *lib. 7. de just. q. 2. art. 5. ad 3.* Naldus *in sum. V. Religiosus n. 161.* & alii. Imò D. Bonaventura in *regul. S. Francisci q. 14.* censet, ejectum si in sua religione, à qua fuerat ejectus, non recipiatur, teneri aliam ingredi, adeò ut non possit liberè manere in sæculo, si fuerit ipse in causa, ut ejiceretur è sua religione: hinc Innocentius IV. ut refertur *in monument. Ordinis Minor. concessit.* ut semel ejecti possint ad aliam religionem transire exceptis militaribus, quia sic servatur substantia status religiosi.

Verùm communior sententia docet, ejectum 30
emendatum non teneri in aliam religionem transire, si non recipiatur in ea, à qua fuerat ejectus, ut docent Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. num. 10.* Sotus *lib. 7. de justit. q. 2. art. 1. ad 3.* & alii communiter: ratio est, quia tunc per se ipsum non stetit, ut à sua religione, à qua fuit ejectus, non reciperetur emendatus. Tum quia in sua solemni professione non se obligavit, in eo casu ingredi aliam religionem; & non tenetur nisi ad id, ad quod per vota solemnia se obligavit, neque potuit ejici ea conditione, ut aliam ingrederetur religionem, quinimò id expressè prohibetur in decreto Urbani VIII. prohibet enim Pontifex, ne ejecti jubeantur aliam religionem ingredi. Cæterum propria authoritate potest ejectus ingredi alium sacrum ordinem, quia per ejectionem extincta est omnis obligatio respectu prioris ordinis, qui cessit juri suo respectu ejecti, qui propterea potest transire propria authoritate ad alium ordinem, idque patet ex concessione Innocentii IV. superiùs relata, in qua Pontifex concedit ejectis, ut possint transire ad alios ordines approbatos, præter quam ad militares. Verùm id procedit in casu, quo non recipiatur in religione, à qua fuerat ejectus.

Ad primum fundamentum oppositæ sen- 31
tentiæ positæ initio quæstionis potest responderi, obligationem ejecti redeundi ad religionem non extingui per sententiam definitivam Judicum, quia per illam non solvitur vinculum professionis solemnis, & ejectus manet semper Religiosus. Ad secundum concedimus, rem judicatam esse servandam. Verùm cum quis per sententiam definitivam ejicitur à sua religione, sententia definitiva non est talis, ut liberet ejectum ab onere solemnis professionis, & ab observantia votorum, nec dat eidem potestatem perseverandi extra religionem: sed sententia definitiva tantùm separat ejectum à religione quamdiu ipsi religioni placuerit; idque firmari potest ex sententia definitiva divortii perpetui, quæ non mutatur, quamvis nocens adigatur redire ad petitionem innocentis: hæc enim conditio in similibus sententiis definitivis semper includitur implicitè, vel explicitè. Ad tertium negatur paritas de degradatu; quia hic non obligatur speciali voto ad obediendum, & perseverandum in illo statu, tametsi ut religiosus teneatur ad ea, quæ sunt oneris, ut ad recitationem breviarii, & observantiam castitatis: secus religiosus ejectus, tametsi pro tunc excusetur à multis oneribus religionis, quæ debet sustinere, cum revertitur; tenetur tamen ad obediendum, & perseverandum in statu religioso. Ad quartum negatur paritas, quia ejectus non est omnino liber ab obligatione redeundi ad suam religionem, sed tenetur ad eam redire, si religio velit ipsum recipere: alioquin ex sua culpa reportaret commodum.

Quæritur sextodecimò, an superiores Re- 32
gulares teneantur revocare religiosos ejectos eósque compellere ad redeundum. Videtur respondendum affirmativè, eò quia Pontifex in *c. fin. de Regularibus* præcipiat, perquiri non solùm fugitivos, sed etiam ejectos, & ut superio-

33

res Regulares compellant etiam ſub pœnâ excommunicationis eos redire ad monaſterium. Quinimò hoc decretum fuit etiam jure novo confirmatum à ſacra congregatione authoritate Urbani VIII. his verbis : *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum poſtremò cenſuit eſſe innovandum, & ſuæ ſanctitatis authoritas innovat conſtitutionem felicis recordationis Gregorii IX. relatam in c. fin. extrav. de regul. ac declarat eam conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ac eſſe ſervandam, qui juſtè, & definitè, ac juris ordine ſervato expulſi fuerunt : dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his litteris concedendis ſacra Congregatio ſeriò oneravit.* Praxis non videtur conformis tali decreto, quod cùm ſit juris humani per contrariam conſuetudinem potuit abrogari, ut notant Azorius *p. 1. lib. 12. c. 17. q. 1.* Barboſa *in c. fin. de regul. num. 3.* Bordonus *tom. 5. c. 98. num. 122.* Non enim ſuperiores religionum perquirunt ſingulis annis ſuos Religioſos ejectos, nec eos repetunt : unde quoad hoc ſervantur ſtatuta religionum, & jus naturale dictans ſolos injuſtè ejectos eſſe perquirendos, & priſtino ſtatui reſtituendos. Hinc ad confirmationem ſacræ Congregationis reſpondet Bordonus *loc. cit. num. 127.* innovationem illam *c. final. de regul.* tantùm confirmare textum ejusdem capitis, cui antea fuerat derogatum per contrariam conſuetudinem ; nec modò per tale decretum vires recepit : ſiquidem innovatio non dat jus novum, ſed tantùm corrobarat vetus, ut docent Gloſſa in *c. cum dilecta V. non videremus de confirmatione utili.* Felinus in *c. inter dilectos nu. 14. de fide inſtrum.* etenim ſicut juramentum emiſſum ad ſervandum aliquod ſtatutum non obligat, quando tale ſtatutum abivit in diſſuetudinem, eò quia juramentum intelligatur præſtitum de ſolis ſtatutis, quæ revera obligant: ita etiam innovatio *capitis finalis de regul.* non inducit majorem obligationem, quam antea habuerit.

Tum quia contractus profeſſionis per ſen- 33
tentiam ejectionis fuit revocatus, proinde extincta fuit mutua obligatio inter ſubditum, & ſuperiorem, tametſi ſubditus ob vota ſolemnia quæ emiſit teneatur religiosè vivere. Præterea licèt decretum in *c. fin. de regul.* & ejus innovatio per ſacram congregationem vigeret, adhuc eſſet intelligendum, teneri ſuperiores Regulares revocare ejectos, ſi religio juſtas cauſas non habeat illos non requirendi, nec admittendi : ſiquidem perſæpe melius eſt, eos non requirere, nec ſe præſentantes recipere, eò quia non fuerint meliores in ſæculo degentes, quàm fuerint in religione : & id ſacra Congregatio in præfato decreto videtur innuiſſe verbis illis : *dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris Ordinarii* : atqui hæc emendatio evidens rariſſimè probatur, & præſumptio eſt in contrarium : non enim præſumitur emendatus in ſæculo, qui in religione noluit ſe corrigere tot monitionibus invitatus, tot afflictionibus flactus, tot exemplis allectus: quòd ſi noluit ad hæc reſipiſcere multò minus in ſæculo. Præterea, quia plerumque Præfecti religionum juſtam habent cauſam non recipiendi ſemel ejectos, tametſi obtinuerint litteras teſtimoniales Ordinarii, talis enim receptio ſemper adverſatur fini ejectionis, qui alius non fuit, niſi ne ejectus alios Religioſos inficeret, & toti communitati eſſet detrimento : ad declinandum hoc imminens periculum, non tenentur ſuperiores Regulares ſemel ex juſta cauſa ejectos iterum revocare, & compellere ad monaſterium, ut docent D. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 5. §. 1.* Corduba in *regul. S. Franciſci c. 2. q. 21. punct. 2.* Bordonus *tom. 5. c. 98. num. 130.* Diana *tom. 7. tract. 1. reſol. 193.* Peyrinus *to. 1. de offic. ſubditi q. 1. c. 25. V. limitat tamen.*

Cæterum ſi nulla ſubſit juſta cauſa non re- 34
vocandi, nec iterum recipiendi ejectos : & evidenter conſtet, eos fuiſſe correctos, & ex corde reſipuiſſe, tenentur tunc ſuperiores non ſolùm eos recipere, ſed etiam compellere ad redeundum; & in hoc ſenſu explicatur textus in *c. fin. de regularib.* & decretum ſacræ Congregationis emanatum authoritate Urbani VIII. quia ejecti remanent veri ejusdem ordinis religioſi, & ſubjiciuntur Prælatis ejusdem, & ita docent Molina *tom. 1. de juſtit. diſput. 140.* Reginaldus *in prax. lib. 18. num. 417.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 111.*

Quæritur decimoſeptimò, quænam de jure 35
communi, & bullis Pontificiis neceſſariò requirantur, ut ſuperiores Regulares juſtè, & licitè poſſint ſuos profeſſos Religioſos dimittere, vel ejicere è religione ? Reſpondetur, de jure communi requiri primò, ut Religioſus ejiciendus ſit incorrigibilis, & per trinam monitionem antea corrigatur, ut ſe emendet *c. cum non ab homine 10. de judic.* & docent communiter Canoniſtæ, quorum plures recenſet Barboſa in *d. c. cum non ab homine num. 7.* Ratio eſt, quia non poteſt quis dici incorrigibilis, niſi probetur inobediens ad præmiſſam monitionem, quæ tamen ſi unica tantùm ſit, non ſufficit, quia incorrigibilitas ſupponit pertinaciam in malo, ut notat Riccius *p. 1. decis. 87.* Hæc autem trina monitio debet eſſe, vel verbalis, vel realis per trinam punitionem : ſiquidem ipſa punitio fortiùs, quàm vox admonet delinquentem, ut ſe corrigat, ac emendet. Secundò debet ejiciendus commiſiſſe tria delicta ſive ejusdem, ſive diverſæ ſpeciei, & taliter ut ob unum quodque eorundem fuerit correptus, & monitus verbaliter, vel realiter, & hujuſmodi delicta debent eſſe ex gravioribus, cujuſmodi ſunt furtum, perjurium, vitium proprietatis, lapſus carnis, contumax inobedientia, & alia id genus, quæ ſolent puniri pœnâ triremium, vel diuturni carceris *c. cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monach. c. cum non ab homine 10. de judic.* & docet Donatus *p. 2. tract. 8. q. 6.*

Non tamen eſt neceſſe, ut hujuſmodi de- 36
licta ſint manifeſta ſæcularibus, ſed ſufficit, ſi nota ſint Religioſis *c. fin. de cohabit. cleric. & mulier.* Tertiò debet ejiciendus eſſe per duos, vel plures teſtes legitimè convictus de delicto, & debent teſtes deponere de cauſa ſcientiæ *d. c.*

cum non ab homine 10. *de judic.* Vel debet ejiciendus confiteri sua delicta: siquidem nulla efficacior probatio est proprii oris confessione. Hinc semiplena probatio non sufficit, quia ejectio est pœna gravis, & exigit necessariò, ut ejiciendus confessus sit sua delicta, vel per testes sit de iisdem legitimè convictus, ut communiter docent Canonistæ, & Donatus *p.* 2. *tract.* 8. *q.* 16. *num.* 3. Quartò conficiendus est processus, ut ejiciendus declaretur incorrigibilis, & condemnetur ad pœnam ejectionis, quia absque processu, in quo permanenter constet de delicto legitimè probato, nullus potest juridicè condemnari, ut declaratur in decreto sacræ Congregationis edito authoritate Urbani VIII. die 21. Septembris 1624 ubi *num.* 14. dicitur *Nonnisi instructo secundùm eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad SS. canonum præscriptum.* Quintò ut ejiciendus fuerit priùs ter condemnatus, ac punitus super tribus delictis, & desumitur ex *d. c. cum non ab homine* 10. *de judic.* & docet Donatus *p.* 2. *tract.* 8. *q.* 14. quia non punitus de delicto dicitur absolutus, proinde non potest dici incorrigibilis. Verùm plures asserunt, sufficere, si præcesserit trina monitio juridicè facta. Sextò præter trinam punitionem, requiritur etiam formalis declaratio incorrigibilitatis, quæ debet fieri à Judice Rei: siquidem incorrigibilitas debet juridicè constare per sententiam notoriam, ut notat Bordonus *tom.* 5. *c.* 98. *num.* 48. ubi tamen refert alios docentes oppositum, eò quia ipsum jus post illam trinam punitionem sufficienter declarat, punitum esse incorrigibilem. Verùm putârim adhærendum primæ sententiæ, quia etiam post tertium delictum punitum, adhuc potest Reus, se corrigere, & emendare, & ex corde resipiscere, ut non amplius mereatur expulsionem. Hæc procedunt de jure communi.

37 Ex decretis Pontificiis habetur decretum sacræ Congregationis editum authoritate Urbani VIII. ubi præter recensita requiritur etiam, ut ejiciendus per integrum annum priùs detineatur in carcere ibi. *Ut unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, & membrum putre ejici tandem possit: sed ab ipsomet Generali tantùm de consilio, & assensu sex Patrum ex Gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus.* Hoc autem decretum communiter explicatur, ut annus carcerationis debeat esse continuus, & non interruptus, adeout non sufficiat, si ejiciendus pro diversis delictis fuerit diversis temporibus per annum carceratus, ut notat Petrus de Angelis in *suo ordine judic. in addit.* 7. *§. ad secundum*, imò nec sufficeret, si infra annum evaderet è carcere, quia Pontifex ad probandam incorrigibilitatem exigit incarcerationem unius anni, ut constare possit, an se emendaverit: unde reversus è fuga, debet in carcere compensare totum tempus, quo maluit extra carcerem.

Mihi tamen videtur probabile, stante tali fugâ probari incorrigibilitatem, cujus fuga videtur esse efficax signum, cum enim nolit subire pœnam hanc correctivam, argumento est, quòd nolit se corrigere. Quòd si esset quis per plures annos condemnatus ad carceres, non posset infra tales annos dimitti, & ejici, tametsi ejus incorrigibilitas esset manifesta: quia causa finalis ejectionis est, ne per illius conversationem cæteri inficiantur, & quamdiu detinetur in carcere, nequit ejus conversatio alios inficere, proinde non est ejiciendus donec absolvat totam pœnitentiam carcerationis: alioquin ex sua iniquitate commodum reportaret. Prætereà in carcere debet bis in hebdomade jejunare more ecclesiastico, non regulari, & interdum solo pane, & aqua. Sin verò nec jejunavit, nec alias subivit pœnitentias ex superioris, vel custodis negligentia, adhuc elapso carceris anno potest ejici, quia ipsa carceratio per annum sufficienter complet incorrigibilitatem, præsertim cum ipsemet Reus cooperatus fuerit præfatis omissionibus: potuisset enim, si voluisset jejunare. Quòd si laudabiliter se gerat in carcere, pœnitentias sibi injunctas libenter, & humiliter peragendo, præsumitur correctus, quia ex bonis actibus externis præsumitur bonus animus internus: sicut enim præsumitur delictum futurum ex delicto præsenti *l. ex persona C. de prob.* & *l. si hi qui C. de adulter.* ita ex bono præsenti præsumitur bonum futurum: & tunc sunt mittendi aliquot Patres, ut pluries intra annum invisent carceratum, & diligenter observent, an det signa emendationis, ut notat Donatus *p.* 2. *tract.* 8. *q.* 19. 38

Cæterum elapso anno carcerationis, si Reus adhuc perseveret in malo, declarandus est statim incorrigibilis, & per sententiam expellendus, quia tunc manifestè constat de sua incorrigibilitate. Quòd si in carcere nullum dederit signum incorrigibilitatis, sed ipse se declaravit incorrigibilem, debet hæc declaratio exprimi in actis, & postea ipse expelli. Sin verò ignoretur, an sit correctus, nec ne, debet extrahi è carcere post elapsum annum, quia decretum sacræ Congregationis non injungit nisi unicum carcerationis annum; & tunc probandus est extra carcerem, si enim vivat religiosè habendus est pro emendato: secus si grave aliud committat delictum; potest enim tunc declarari incorrigibilis, & expelli: quia revera correctus non erat, cum iterum deprehendatur in delicto; nec tunc illi prodest, si humiliter petat, ne dimittatur, quia cum rigorosus carcer ei non profuerit; neque censenda est profutura hæc verbalis emendatio: unde cum ex novo delicto probetur incorrigibilis ejiciendus est, ut docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tractat.* 8. *lib.* 3. *c.* 4. *num.* 8. Elapso tamen anno carcerationis formandus est processus continens declarationem incorrigibilitatis, & condemnationem expulsionis citando Reum pro utroque ad respondendum, unde audiendus priùs est, an habeat aliquam legitimam, & justam causam, ob quam non sit condemnandus, nec ejiciendus, idque ex declaratione sacræ Congregationis, ut notat Bordonus *tom.* 5. *c.* 98. 39

num.

num. 74. ubi addit processum ita formatum esse mittendum ad dictos sex Patres, vel ejus exemplar, seu copia, in qua, si per non extensum, saltem compendiosè contineatur substantia illorum trium processuum, qui præsupponuntur formati contra ejiciendum super tribus delictis gravibus cum decreto carcerationis, & declaratione incorrigibilitatis post expletum annum carcerationis. Sententia autem expulsionis à solo Patre Generali est ferenda, adeout non possit ipse alteri hoc munus delegare, idque ex citato decreto sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. edito *num. 13.*

40 Rursus ejici tantùm potest ab ipso Patre Generali ex consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, non tamen est necesse, ut omnes sex patres consentiant, sed sufficit, si quatuor, vel quinque, quia factum à majori parte censetur ab omnibus factum *l. quod 19. ff. de municip. & de Incolis. l. 320. ff. de regul. jur. c. 1. de iis, quæ fiunt à majori parte*, & ita declaravit sacra Congregatio referente Bordono *tom. 5. c. 98. num. 76.* Rursus in præcitato decreto sacræ Congregationis edito jussu Urbani VIII. injungitur Patri Generali, ut statim sententiam expulsionis notificet Ordinario loci, & huic decreto quoad hanc partem satisfit, si copia ipsius sententiæ subscriptæ à Patre Generali, vel ejus Actuario transmittatur ad Episcopum, sub cujus jurisdictione ejectus est mansurus. Demum in præfato decreto *num. 24.* injungitur Prælatis Religiosis hæc omnia diligenter servari: habetur enim *num 24. Si quis verò ipsorum (scilicet superiorum) adversus quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis, ad ea imposterum obtinenda, & pœna hujusmodi sit sanctitati suæ, ac sedi Apostolicæ reservata: iisdem superioribus etiam Generalibus, & protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta. Sitque irritum, & inane, quidquid secus à quoquam actum extiterit, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quorumcumque.*

41 Quæritur decimooctavò, an Religioso dimisso, vel ejecto non habenti unde congruè sustentetur, teneatur Monasterium, vel religio subministrare alimenta? Respondetur negativè, & ita docent communiter Theologi, & Canonistæ, inter quos Pellizzarius *tom. 1. tract. 3. c. 6. num. 20.* Bordonus *tom. 5. c. 98. num. 166.* Pasqualigus in Lauretum de Franchis *num. 991.* Donatus *p. 2. tract. 8. q. 31.* Fagundez *in decalog. lib. 70. c. 6. num. 5. V. dubium tamen est.* Leanza *tom. 1. c. 23. num. 190.* Idque patet ex quotidiana, & inolita consuetudine omnium Religiosorum, qui non præstant alimenta justè, & licitè ejectis è suis Religionibus: eò enim ipso, quòd Religiosus justè, & legitimè est ejectus cessat in religione obligatio eidem suppeditandi necessaria ad victum, & vestitum: quia si hæc obligatio adhuc maneret, utique verge-ret in maximum detrimentum sacrorum ordinum Religiosorum. Etenim si justè, & legitimè ejectis tenerentur alimenta subministrare, sequeretur, quòd amatores libertatis, & minus contenti in suis ordinibus religiosis, plura statim delicta committerent, ut dimitterentur, & extra Religiosos ordines plena gauderent libertate, si scirent, non posse iisdem deesse necessaria ad congruam sustentationem: proinde si aditus iste semel aperiretur; vix posset in sacris ordinibus regularis observantia exigi ab omnibus, ut par est: si enim darentur alimenta ejectis, via procul dubio aperiretur, ut animosiùs ejectionem graviter delinquendo procurarent, proinde sacri religiosi ordines sus, déque verterentur, vixque suos Religiosos minus contentos possent coërcere, & ad observantiam Religiosi instituti adigere; mallent enim per patrata delicta sibi ad libertatem viam aperire, quàm mores in suis religiosis ordinibus corrigere, & emendare. Præterea qui ejiciuntur, nonnisi in pœnam suorum delictorum è religione excluduntur, proinde ex hoc capite non debentur iisdem alimenta, quia ex delictis commodum reportarent; cum pœnis potiùs sint affligendi; hæc enim præstatio alimentorum præmium potiùs videretur remunerationis, quàm ejectio pœna ob patrata delicta. Præterea quia Judex nunquam consuevit alere, quos punit; proinde pluries Romæ declaratum fuit in sacris Congregationibus, hæc alimenta non esse præstanda justè, & legitimè ejectis è sacris religiosis ordinibus. Clemens VIII. die 21. Aprilis 1597. libellum supplicem sibi oblatum pro sacerdotibus è societate JESU dimissis, ne ad egestatem, & mendicitatem cogerentur, examinandum exhibuit aliquibus Cardinalibus sacræ Congregationis Concilii, qui re maturè considerata, & accuratè discussa retulerunt Pontifici, rem hanc pluries fuisse antea per summos Pontifices, & congregationem sancti officii examinatam, & conclusum fuisse, alimenta non esse præstanda dimissis, & ejectis. Hoc idem etiam declarârunt Paulus V. & Urbanus VIII. cui cum quidam Sacerdos ejectus libellũ supplicem exhibuisset pro alimentis sibi præstandis, eò quia non haberet, unde viveret, Pontifex negotium remisit sacræ Congregationi Episcopum, & Regularium, cujus tunc erat à secretis Prosper Fagnanus, & nil fuit innovatum, & Sacerdos ille ejectus exclusus à prætensa præstatione alimentorum. Rursus sub Innocentio XII. die 8. Septembris 1695. referente Raynucio Pallavicino Secretario, sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium rejecit instantiam cujusdam sacerdotis ejecti super præstationem alimentorum, & iterum etiam 14. Aprilis 1696. quia hæc alimentorum præstatio non debetur justè, ac legitimè ejectis jure naturali, quia corpus non influit in membra perpetuò à se abscissa; nec de jure canonico, aut civili, quia nullibi in utroque reperitur, debitam esse hanc alimentorum præstationem justè, ac legitimè ejectis; quin imò decreta summorum Pontificum, & sacrarum Congregationum pluries declarârunt, hanc

alimentorum præstationem non deberi justè, ac legitimè ejectis; quia id vergeret in maximum detrimentum religiosorum Ordinum, damnum Ecclesiæ, & scandalum fidelium sæcularium, qui frequentissimè viderent religiosos revertentes ad sæculum.

42 Sed dices, quid ergò agendum cum religiosis sacerdotibus ejectis omni beneficio, patrimonio, ac pensione destitutis? Si sacerdotes non sunt adigendi ad turpem quæstum; vel debita est ipsis congrua sustentatio; vel non debent in sacerdotio manere. Respondetur cum distinctione: vel enim religiosus professus sive Sacerdos sit, sive non, è monasterio per justam sententiam ejectus habet parentes; & tunc si aliunde non habet, quò possit congruè sustentari, tenentur parentes ei necessaria ad congruam sustentationem subministrare: quia obligatio alimentorum, quæ filio debentur, per religiosam professionem filii non extinguitur in patre; sed ad tempus non transit ad actum secundum, seu ad exercitium, quamdiu filius in monasterio sustentatur, vel aliunde habet congruam sustentationem; sed utroque deficiente tenetur Pater necessaria ad victum suppeditare filio. Vel ejectus orbatus est parentibus, & tunc si non est Sacerdos debet ab aliis necessaria ad victum sibi procurare; vel cibo vivere mendicato: sin verò sit Sacerdos, debet sibi procurare eleemosynas pro missis celebrandis; vel alicui Ecclesiæ parochiali inservire; vel vito ecclesiastico; aut sæculari in iis, quæ pertinent ad divina officia; & statum clericalem non dedecent: quòd si hæc omnia deessent, nec posset ullo ex his modis congruam sustentationem sibi comparare, deberet & ipse cibo vivere mendicato: cum neque Episcopus, à quo fuit ordinatus titulo religionis; neque religio, à qua fuit ejectus, teneantur ad alimentorum præstationem.

43 Quæritur decimosonò, quomodo religiosus ejectus sit tractandus si ut correctus iterum suscipiatur in religione. Respondetur, esse cum gaudio, & charitate suscipiendum: non tamen statim sicut cæteri religiosi, qui sanctè, & laudabiliter semper Deo, & religioni servierunt. Sed superior debet per aliquod temporis spatium eum probare, ac experiri; num revera se emendaverit, proinde consultiùs semper est, ut ei novitiatum imponat; vel saltem seorsim ab aliis retineat; quia cum manserit in sæculo valida est contra ipsum præsumptio, ne deterior factus sit: unde ad tollendam hanc præsumptionem probandus est, an revera sit emendatus juxta illud Apostoli 1. *ad Timoth.* 3. *Hi autem probentur primùm, & sic ministrent, ut nullum crimen habentes,* & ita docent Navarrus *lib. 3. consil. tit. de regul. in c. edit. cons. 64. in fin.* Bordonus *tom. 5. c. 3. q. 8. num. 157.* Donatus *part. 2. tract. 8. quæst. 27.* Rodriquez *compend. resol. 57. num. 3.* & alii censentes, ejectum per justam sententiam definitivam non posse iterum in religione suscipi absque nova probatione novitiatûs, ac nova professione ex consensu superioris. Verùm putârim non esse necessariam hanc novam professionem: quia sicut per ejectionem simpliciter non absolvitur ejectus à votis solemnibus; ita ejus professio solemnis subsistit non obstante ejectione, perinde ac si nunquam fuisset è religione ejectus, ut rectè docet Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8 lib. 3. c. 5. num. 161.* & communiter alii. Quod verò ad pœnas attinet. Certum est, ejectum esse infamem, infamia facti, proinde etiam irregularem, adeout non possit exercere munus prædicandi, nec docendi, nec audiendi sacramentales confessiones; neque gaudeat privilegiis, gratiis, & favoribus suo religioso ordini concessis, quia cum sit membrum abscissum à corpore; ab hoc non suscipit influxum, ut notat Pellizzarius *to. 2. tract. 9. c. 1. sect. 3. num. 161.* Verùm si revertatur ad suam religionem, à qua fuerat ejectus; non est amplius infamis, neque irregularis, neque suspensus ab ordinum exercitio; & ex licentiâ sui superioris potest perinde ac cæteri gaudere omnibus privilegiis suo sacro ordini concessis.

44 An verò sit etiam restituendus pristino gradui, & loco professionis, non concordant doctores, Donatus *part. 2. tract. 8. quæst. 27. art. 3.* Bonacina *tom. 1. tract. de clausula q. 2. punct. 12. §. 2. n. 2.* Bordonus *tom. 5 c. 48. num. 158.* Navarrus *consil. 39. de regul. & alii* censent, non esse restituendum præcedenti loco professionis; neque eidem honoris gradui doctoratûs, Baccalaurei, magistri & imò neque vocibus activis, & passivis; & nituntur; quia cum merverit ejici ob suam incorrigibilitatem è suo sacro ordine; videtur amisisse jus ad gradum suæ professionis, & ad suffragia ferenda; ut etiam ad gradus honoris, quibus antea decorabatur: cum fuerit ob patrata delicta dignus gravissimâ pœnâ ejectionis; multò magis etiam hac pœna privationis. Alii è converso docent, ejectum reversum ad religionem posse restitui pristino gradui, ac loco professionis, ut etiam ad suffragia ferenda admitti; ita censent Pellizzarius *tract. 8. c. 6. sect. 4. num. 221.* Azorius *part. 1. lib. 12. c. 17. quæst. ult.* & alii nitentes eo quia nullum extet jus, à quo talis pœna privationis inducatur: & pœna non est inducenda nisi in jure expressa sit. Ego verò putârim reversum ad religiosum ordinem, à quo fuerat ejectus, non statim esse restituendum pristinis gradibus, & honoribus; sed consultiùs censerem, esse priùs per aliquod temporis spatium detinendum in loco humili, pristinis destitutum gradibus, & honoribus; ut firmiùs resipiscat; & cæteris, quibus ante fuerat scandalo, sit modò ædificationi. Quia verò conditio personæ subinde videtur aliter exigere, tunc id prudenti arbitrio superioris relinquendum est: pensandæ sunt circumstantiæ personæ, temporis, religionis, cujus utilitas plerumque exigit, ut reversus illicò restituatur pristinis gradibus.

45 Quæritur vigesimò, cuinam religiosus ejectus acquirat. Respondetur non acquirere sibi, quia tametsi è religione ejectus, adhuc voto adstringitur paupertatis, ratione cujus contraxit inhabilitatem acquirendi sibi, perinde ac alius religiosus, ut docent Donatus *part. 2. tract. 8. quæst. 46.* Bordonus *tom. 5. c. 98. num. 160.* & alii communiter: hinc Texeda *in controv. Theol. moral.*

moral. t. 1. lib. 1. tract. 1. controv. 10. dub. 1. n. 12. censet, ejectum à religione acquirere eidem religioni; & nititur, eo quia laudabilis consuetudo ejiciendi ex sacris religiosis ordinibus professos incorrigibiles non debet iisdem præjudicare, neque eos privare iure quod habent ad bona sui religiosi professi, quamvis ob incorrigibilitatem iustè ejecti: etenim ex regula iuris; *quæ in favorem alicujus instituta sunt, non debent in ejus detrimentum retorqueri.* Tum quia religiosus ob ejectionem non desinit esse religiosus; ergo acquirit suæ religioni, quia hæc habet ius in bona suorum religiosorum: hæc sententia licèt de iure communi videatur probabilis: hodie tamen non subsistit: quia Gregorius XIII. statuit, & declaravit, bona acquisita à religioso ejecto pertinere ad cameram Apostolicam, ut notant Sanctarellus *tract. de Apostatis c. 6. dub. 2. num. 332.* Lezana *tom. 1. cap. 23. num. 16.* Pasqualigus *in Lauretum de Franchis num. 997.* de Lugo *de justit. tom. 1. disput. 3. sect. 11. num. 104.* Bordonus *tom. 5. o. 98. num. 161.* Quod si ejectus iterum recipiatur in sua religione, tunc bona ab ipso acquisita spectant ad suam religionem, quia fuit tantùm ob incorrigibilitatem ejectus, ne eidem obesset; non verò ut non prodesset. Idque colligitur ex Bulla Gregorii XIII. ibi: *spolia regularium extra claustra degentium pertinent ad cameram Apostolicam*: ergo à sensu contrario, si degant, & decedant intra claustra, pertinent ad monasterium.

46 Quæritur vigesimo primò, an mònialis transiens ad aliud monasterium deferat secum dotem? Respondent plures, talem monialem deferre secum dotem necessariam pro alimentis; eò quia dos recipiatur à monasterio tantùm pro alimentis, ut notant Bald. *in authent. res quæ n. 13. C. communia de legat.* Socinus *consil. 222. n.* Bald. *novel. de dot. p. 1. num.* 10. alimenta autem sequuntur monialem, perinde ac monialis sequitur exigentiam alimentorum. Tum quia cùm secundum monasterium subeat onus alendi monialem, æquum est, ut etiam habeat emolumentum dotis, quia ibi dos esse debet, ubi sunt onera matrimonii *l. si is qui ff. de jure dot.* Hoc autem procedit sive monasterium posterius, ad quod monialis transit, sit ejusdem, sive diversi Ordinis. Nihilominus communior, & probabilior sententia, cui adhærendum puto docet, monialem non deferre secum dotem datam priori monasterio, si sponte ad aliud transeat, ut docent Sanchez. *lib. 7. sum. c. 32. n.* 12. Tamburinus *de jure Abbat. disp. 21. q. 7. n.* 3. Pasqualig. *quæst. moral. jurid. q. 32. num. 2.* ubi asserit, ita sensisse sacram Congregationem in una Neapolitana die 20. Julii 1583. quia per professionem emissam in priori monasterio monialis transtulit in illud totum illud jus, & dominium, quod habet in suam dotem, eo autem ipso, quòd tale jus, quòd habet ad dotem, est translatum in monasterium ratione emissæ professionis, non remanet amplius in moniali jus ullum in talem dotem, proinde dos non sequitur monialem, ut accessoria: alioquin deberet eidem adnecti mediante jure, & quia monialis per solemnem professionem transtulit hoc jus in monasterium, non potest dos adnecti Moniali mediante tali jure, proinde non potest dos adnexa monasterio sequi monialem transeuntem ad aliud. Neque obstat, monasterium acquisivisse talem dotem sub onere alendi monialem, & cùm solvatur onus, solvi etiam debet acquisitio dotis. Nam inde non sequitur, quòd cum onere cesset etiam acquisitio dotis: quia ut rectè notat Pasqualigus *loc. cit. num. 4,* onus alendi se habet tanquam modus: & tunc tantùm non impleto modo resolvitur acquisitio, quando per acquirentem stat, quòd non impleatur *l. quæ sub conditione §. quoties V. idem est §. de condit. instit. & l. pater. §. Tusculanus ff. de leg. 3.* at quando monialis sponte transit ad aliud monasterium, non stat per primum monasterium, quo minus adimpleatur onus alendi monialem.

Præterea obligatio suppeditandi alimenta 47
moniali non oritur ex ipsa dote, sed ex natura emissæ professionis, est enim professio sacer contractus, quo monialis se obligat monasterio; & hoc moniali in ordine ad illam dirigendam, & alendam; adeo ut si monialis nullam secum deferat dotem, adhuc teneatur monasterium ex vi contractus eam dirigere, & alere: siquidem tenetur quisque eos alere, quos in suam recipit potestatem, & quorum opera potest ad libitum uti *l. cum plures §. cum tutor ff. de adminis. tut. l. in reb. §. possunt. ff. commodati l. penult. ff. de oper. liber. l. unic. §. sed simus C. de lat. liber. tol.* Hinc monialis transiens ad aliud monasterium cùm se subtrahat à potestate primi, contrahitur obligatio eam alendi à secundo monasterio, ex eo præcisè, quòd ejus professionem recipiat: neque tenetur primum Monasterium dotem restituere secundo.

Hinc ad primum fundamentum, quo nititur 48
prima sententia, respondetur, à monasterio non recipi dotem pro compensando onere alendi, sed tantùm pro subministratione materiæ, unde possit alere: unde ex eo, quòd in monasterio cesset onus alendi, non tamen tenetur dotem restituere, sicuti si moriatur Monialis in monasterio, non tenetur istud consanguineis sæcularibus dotem receptam restituere: quia dos data solùm fuit in subsidium, & non sub modo aliquo, qui faciat acquisitionem resolvi; sed absolutè.

Ad secundum respondetur, esse discrimen 49
inter dotem datam pro matrimonio, & datam Moniali: siquidem in matrimonio datur pro compensandis oneribus matrimonii, & dos non transit absolutè in potestatem mariti; sed uxor retinet jus ad ipsam, & mortua uxore sine liberis dos restituitur, vel in totum, vel secundùm partem juxta diversa municipalia statuta: secus dos Monialis transit absolutè in potestatem monasterii, & non datur pro onere alimentorum compensando, sed tantùm pro subministranda ope ad alendum, & Monialis nullum retinet jus ad illam. Hinc Monialis

non solùm non habet jus ad secum deferendam dotem ad secundum monasterium, sed nec etiam ad usumfructum, quia cum dos transeat in proprietatem monasterii, & Monialis per solemnem professionem abdicet à se omne jus, transfert etiam in Monasterium jus ad usumfructum.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

QUia Pontifex in præcedente titulo egit de Regularibus, & transcuntibus ad religionem, & cum non solùm cœlibes Monasterium ingredi, vel religionem profiteri possint; sed etiam conjugati: ideo congruè præcedenti titulo adnectit præsentem de conversione conjugatorum. Sumitur hìc conversio conjugatorum pro transitu ad religionem, unde Pontifex quærit hìc, an licitè, & validè fieri possit post matrimonium non solùm ratum, sed etiam consummatum. Jure civili licitum est uni ex conjugibus etiam invito altero religionis gratiâ divertere, & illud divortium bona gratia fieri dicitur, pœnisque omnibus est immune *novel.* 22. *c.* 5. *novel.* 117. *c.* 12. & *novel.* 123. *c.* 10. Verùm id non æquè probavit jus canonicum *can. Agathosa* 27. *q.* 2. quia viro sine consensu uxoris, nec uxori sine consensu viri non licet monasterium ingredi *can. Episcop.* 77. *dist. c. pæn. de rapt.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. PRÆTEREA 1. h. t. Alexander III. rescribit, quòd si maritus de licentia uxoris ingrediatur, & profiteatur religionem coram Monachis, & Sacerdotibus, uxor etiam teneatur religionem ingredi, vel promittere perpetuam castitatem servare, quòd si hæc nolit facere, vir sit ab Episcopo revocandus è Monasterio. Ex quo textu liquet, non posse licitè post consummatum matrimonium ullum religionem ingredi sine licentia alterius conjugis: quòd si senex sit, & extra periculum incontinentiæ, adhuc si alter maneat in sæculo, tenetur votum emittere castitatis: sin verò sit juvenis, & suspicio adsit incontinentiæ non sufficit vovere castitatē, sed tenetur etiam religionem ingredi c. cum sis, c. uxoratus, c. ad Apostolicam *h. t. & cum dicitur virum esse revocandum è monasterio nisi uxor ad religionem transierit, aut continentiam in sæculo voverit, hoc posterius non sufficit, si alter conjux sit juvenis juxta præfatos canones.*

C. VERUM 2. h. t. rescribit idem Pont. quòd si matrimonium initum, sit tantùm ratum de præsenti, & non consummatum, possit, unus transire ad religionem, & alter ad secundas nuptias, quia cùm nondum effecti fuerint una caro, potest unus transire ad Deum, & alter remanere in sæculo. Ex quo textu colligitur, matrimonium ratum, & legitimè contractum dissolvi per professionem religionis, si nondum fuerat per carnalem commixtionem consummatum, idque firmatur etiam jure novo à Concilio Tridentino sess. 24. can. 6. *ubi dicitur*, Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugis non dirimi anathema sit: *ratio itidem optima assignatur, quia traditio animi, & corporis, quæ fit Deo per professionem multò est altioris conditionis, quàm traditio solius corporis, quæ fit conjugi per matrimonium contractum: unde sicut in quovis contractu jus suum salvum manet superiori, ita etiam in præsenti ipsi Deo, qui retinet jus quasi retractus, si alterum conjugem velit ad religionem vocare. Et quamvis potuisset etiam hoc idem extendere ad matrimonium consummatum, nolvit tamen id extendere, quia per matrimonium ratum significatur unio Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ in membris ejus subinde dissolvitur: secus matrimonium consummatum significat unionem ejusdem cum Ecclesia per incarnationem, quæ perpetua est, ac indissolubilis.*

C. QUIDAM 3. h. t. Idem Pont. rescribit, eum qui invita uxore professionem emisit, & deinde cogitur ad uxorem redire; mortua uxore non teneri ingredi monasterium; sed nec posse accipere aliam uxorem, quia tametsi votum non teneat quoad redditionem debiti, tenet tamen quoad petitionem. Ubi notat Glossa, quòd licèt mortua uxore non compellatur redire ad monasterium ipse tamen peccat, si non perficiat, quod vovit, cùm cessaverit impedimentum. Ex quo textu liquet, professionem emissam in religione post matrimonium consummatum invita uxore esse irritam: obligare tamen ob votum castitatis ad non petendum debitum ex parte voventis, & ad aliud matrimonium non ineundum. Non tamen extendi voti obligationem ad non reddendum debitum, quia non est in ejus potestate debitum petenti negare: unde quamvis votum sit irritum in ratione voti solemnis

feminis habet nihilominus adhuc vim voti ſimplicis, quod obligat ad debitum non petendum, nec ad ſecundas contrahendas nuptias mortua uxore.

C. *CUM SIS* 4. *h. t. Idem Pont. declarat, unum conjugem non poſſe religionem ingredi altero remanente in ſaculo: quòd ſi uxor ita ſenex ſit, & ſterilis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ poſſit in ſaculo permanere, poſſit Epiſcopus diſſimulare, ut ea remanente in ſaculo, & caſtitatem vovente, vir ejus tranſeat ad religionem, vel ambo profiteantur. Ubi notat Gloſſa, ſterilitatem in textu ſumi ratione ætatis ſenilis, non naturæ, quia tunc ceſſat periculum incontinentiæ. Verùm quia textus dicit id poſſe diſſimulari, ſatis indicat juxta rigorem canonum, teneri etiam ipſam religionem ingredi, cui tamen indulgetur ob infirmitatem, & imbecillitatem, ut poſſit in ſaculo permanere.*

C. *CONJUGATUS* 5. *h. t. reſcribit idem Pont. nullum conjugatum ad ſacros ordines eſſe promovendum, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus: immo neque eſt promovendus ad minores* c. diverſis falſariis de cler. conjugat. *& privatur beneficiis. Verùm eſt opinio ſentiens, conjugatum poſſe ordinari, ſi fiat Religioſus, quamvis ejus uxor maneat in ſaculo, dummodo ſit ſenex ſine ſuſpicione incontinentiæ, & voveat caſtitatem: & ipſemet novi Religioſum Romæ ſacerdotem, cujus uxor Neapoli cum voto caſtitatis manebat in ſaculo, unde ſaltem ex diſpenſatione Pontificis fuit talis conjugatus Religioſus promotus ad ſacros Ordines.*

C. *SANE* 6. *h. t. Idem Pont. declarat, conjugatum non poſſe promoveri ad Epiſcopatum, niſi ejus uxor priùs fiat profeſſa in religione cum ſacro velamine. Rurſus conjugatum non poſſe ordinari, niſi antea requiratur voluntas uxoris. Ex quo textu manifeſtè infertur, quòd ſi vir promoveatur ad Epiſcopatum debeat neceſſariò ejus uxor religionem ingredi ob ordinis Epiſcopalis excellentiam, ſummámque decentiam.*

C. *EX PUBLICO* 7. *h. t. Idem Pont. reſcribit, quod poſt matrimonium de præſenti, & ante copulam carnalem ſi velit ſponſa ingredi religionem debeat cautionem dare, ut infra duos menſes ingrediatur, vel redeat ad ſuum virum: quòd ſi tranſeat ad religionem, uterque debet alteri reſtituere, quæ ab illo accepit, idque habetur etiam jure novo in Concilio Tridentino* ſeſſ. 24. c. 6. *neque obſtat, quòd* Matth. 5. & 19. *dicatur quòd non liceat viro dimittere uxorem niſi ob fornicationem: quia id intelligitur de matrimonio conſummato cum copula. Notat tamen Gloſſa quòd ſi ſponſa vellet remanere in propria domo, vellétque religionem ſervare, non ſit audienda* c. ex parte h. t. *quam verò cautionem debeat præſtare id arbitrio Judicis remittitur: præterea obſervat Gloſſa tempus duorum menſium non eſſe præfixum, ſed Epiſcopum poſſe dare plus, vel minus ad profitendum, & tempus ſtatim incipit currere, cùm primum Judex illud præfigit: rurſus poſt elapſum tempus ante copulam ſemper poteſt ingredi, ſed Judex debet terminum peremptorium ponere infra quem profiteatur, vel accedat ad virum, idque ſub pœna excommunicationis, immo neque Epiſcopus debet dare tempus probationis, niſi de conſenſu viri. Cæterum quoties ex juſta cauſa diſſolvitur matrimonium ſunt reſtituenda accepta* c. 1. de dot. poſt divort. reſtit.

C. *UXORATUS* 8. *h. t. Idem Pont. decernit, ut non recipiatur ad religionem uxoratus, niſi uxor ita ſit ſenex, ut nulla ſuſpicio ſit de tranſitu ad ſecundas nuptias, & publicè in facie Eccleſiæ profiteatur continentiam, & in domo propria cum ſuis filiis, & familia remaneat, quòd ſi non ſit talis, ingrediatur religionem: ſi minus, ejus vir non recipiatur. Rurſus nullus clericus, vel ſæcularis debet aliquam fœminam tondere, vel cum ea habitare. Conjux autem, quæ alteri licentiam dedit ingrediendi religionem, ſi juvenis ſit, cenſet Innocentius, ſufficere ſi ingrediatur monaſterium cuſtodiæ cauſa; non verò quod teneatur in eodem profeſſionem ſolemnem emittere, ut etiam docent Archidiaconus* in c. qui uxorem 33. q. 5. n. 2. *& Palatius* 4. diſt. 27. d. 2. *ubi addit, recluſionem tamdiu duraturam, donec ceſſet ſuſpicio incontinentiæ: idque mihi videtur verum, quia contra propriam voluntatem nemo cogi debet ad emittendam ſolemnem profeſſionem, quæ debet libera eſſe. Unde canones, qui videntur imperare ipſam profeſſionem intelligendi ſunt de ingreſſu cum voto caſtitatis ſimplici, adeunt non induerant neceſſitatem emittendi ſolemnem profeſſionem.*

C. *EX PARTE* 9. *h. t. idem Pont. reſcribit, uxoratum, qui de conſenſu uxoris habitum religioſum ſumpſit, votúmque ſolemne emiſit, & poſtea manſit cum uxore, quia hæc non vovit, & erat juvenis, & illâ mortuâ accepit aliam, eſſe compellendum per excommunicationem ad ingrediendam religionem: quia profeſſio tenuit, ac fuit valida.*

C. *CONSULVIT* 10. *h. t. reſcribit Clemens III. eum, qui vivente uxore, & non conſentiente ſit religioſus profeſſus ſaltem tacitè, mortua uxore non poſſe aliam ducere, & ſi ducit, teneri eam relinquere, ac ingredi religionem. Ex hoc textu liquet, ſolemnem profeſſionem emiſſam in religione approbata eſſe impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, non contractum.*

C. *CHARISSIMUS* 11. *h. t. Cæleſtinus III. reſcribit, quòd ſi uxor vovit continentiam perpetuam, non ita vir, ſed tantùm præbuit conſenſum ad tempus, debeant ſe invicem maritali affectione tractare. Ubi notat Gloſſa, virum, & uxorem poſſe de communi conſenſu vovere perpetuam continentiam in domo ſua* c. qui Deo Patri 25. q. 5. *non tamen poſſe unum conjugem ſine altero eam vovere. Rurſus conjugem voto ſimplici caſtitatis illigatum non poſſe quidem debitum petere, ſed teneri reddere; quia vovendo non potuit præjudicare juri alterius. Hinc ſi unus conjux det alteri licentiam vovendi caſtitatem, intelligitur velle ex parte ſua etiam ſervare caſtitatem, non petendo debitum. Hinc ſi uterque conjux emittat votum ſimplex caſtitatis perpetuæ uterque poteſt*

debitum conjugale petere, quia uterque ex parte ſua ſe obligavit ad ſervandam caſtitatem.

C. *PLACET* 12. *h. t. reſcribit idem Pont. ut mulier, quæ ſine conſenſu viri, quem putabat mortuum accepit habitum profeſſum religionis, reverſo viro ſit ei reddenda, quia licèt votum quoad ipſam mulierem fuerit validum; & non poſſit ipſa petere debitum; non tamen reſpectu mariti in cujus præjudicium non potuit vovere: proinde tenetur redire ad ſeculum, & reddere debitum marito: quo mortuo, quia votum ex parte mulieris tenet, non poteſt hæc alteri viro nubere, ſed tenetur redire ad religionem, quam fuerat profeſſa; non tamen ſi nolit eſt ad id cogenda. Quia votum ſolemne antea emiſſum habet tantùm vim voti ſimplicis, quo ſe obligavit ad ſervandam caſtitatem, prout ad ipſam ſpectat: hinc mortuo marito non poteſt alteri nubere. Quod verò attinet ad alia duo vota obedientiæ, & paupertatis, cum illa in ſtatu matrimonii non niſi difficulter ſervari poſſint: & Pontifices de iisdem nil dicant, videntur in tali caſu evaneſcere. Ratio autem cur non evaneſcat etiam votum caſtitatis eſt, quia hoc potuit in ſtatu matrimonij ſervari quoad petitionem debiti: non ita illa duo, quia cum marito non potuit ſervare paupertatem, nec obedientiam religioſam, ſicut moniales obediunt Abbatiſſæ, & ſervant paupertatem juxta regulas.*

C. *AD APOSTOLICAM* 13. *h. t. Innocentius III. reſcribit, conjugem non poſſe fieri religioſum ſine alio, qui propterea maneat in ſeculo: niſi ſit ſenex, ſine ſuſpicione incontinentiæ, & voveat perpetuam caſtitatem. Hoc liquet ex prædictis.*

C. *EX PARTE* 14. *h. t. Idem Pont. reſcribit Epiſcopo Lugdunenſi, ſponſalia de præſenti diſſolvi ſolùm per profeſſionem in religione approbata, & non per votum perpetuæ continentiæ in ſæculo: immo neque ſolvuntur, etiam ſi alter conjugum fiat hæreticus. Ubi notandum eſt, votum ſolemne dirimere matrimonium ratum non conſummatum. Item contumeliam creatoris dirimere matrimonium infidelium, & hæreticorum ſi alter conjugum convertatur* c. quanto de divortiis, *cæterum votum ſimplex clericatus, vel vita hæremitica non ſolvit ſponſalia de præſenti. Lepra verò ſi ſupervenias ſolvit ſponſalia de futuro, non de præſenti.*

C. *CONSTITUTUS* 15. *h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi maritus fiat profeſſus uxore adulterante, non poſſit adultera maritum revocare à religione, & teneri relinquere adulterium. Notandum eſt, quòd licèt ſine licentia uxoris non poſſit maritus religionem profiteri, neque ſacros ſuſcipere ordines: utrumque tamen in hoc textu conceditur à Pontifice, ſi uxor ſit adultera, ut etiam conceditur fœminæ religionem ingredi, ſi maritus committat adulterium: idque ſtatuitur in pœnam adulterii. Imò licitum etiam eſt ſine authoritate judicis, & ſententia divortii id facere, ſi adulterium fuerit notorium.*

C. *VENIENS* 16. *h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut uxor, quæ precibus, vel dolo decepta conſenſit maritum profiteri; & ipſa deinde fornicatur: ſi poſt fornicationem petat virum, non ſit audienda, maximè quia illum non repetiit ante fornicationem. Ex quo textu liquet quòd poſtquam alter conjugum eſt fornicatus publicè, adeoque adulterium ſit notorium, alter poteſt religionem profiteri, etiam invito altero conjuge. Quòd ſi vir ingrediatur, conjuge innocente invita, ingreſſus eſt nullus: ſin verò mulier fornicetur, vir poteſt excipere de fornicatione, & manere in religione, quia poſita fornicatione uxoris, monaſterium habet plenum jus in virum, adeoque nec Epiſcopus poſſit illum compellere, ut exeat. Quòd ſi vir exivit ante profeſſionem, & non vult excipere de fornicatione uxoris, poteſt illam recipere, quia poteſt illi remittere injuriam ſibi illatam. Quòd ſi vir in monaſterio fornicetur, nec poteſt uxor adultera illum repetere: quia jus quod monaſterium habet in illum ob ejus delictum, illud non amittit: hinc uxor non poteſt repetere virum quamvis fornicantem in religione, quia non poteſt privare monaſterium jure ſuo ſemel acquiſito. Cæterum ſi mulier ignoret, ſe debere relinquere ſeculum; ſi dat licentiam viro ingrediendi religionem, poteſt repetere virum ſuum. Ille etiam ſi non ſponte ſed dolo inductus conſenſit: quia quando licentia eſt gravi dolo extorta non eſt efficax ad ponendum effectum; & conjux remanens in ſeculo poteſt revocare alterum conjugem licèt profeſſum; quia profeſſio ſine conſenſu alterius conjugis poſt matrimonium conſummatum non valet; nemo enim invitus privatur jure ſuo.*

C. *ACCEDENS* 17. *h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi vir à ſua uxore vi, vel per gravamina, ac etiam verbere extorqueat licentiam ingrediendi religionem, & in ea profitendi; poſſit mulier maritum ſuum è monaſterio repetere etiam ſeclusâ omni appellatione. Ubi notandum eſt, licentiam metu gravi extortam eſſe nullam; & conjugem ob gravem metum conſentientem viro, à quo verberibus excipitur, & aliis gravaminibus affligitur, præſumi non conſentire: proinde votum viri factum invita conjuge non tenere* c. quidam 3. h. t. *Neque mulier dici poteſt tacitè conſenſiſſe cum non reliqueris ſeculum, nec voverit continentiam: unde vir profeſſus poteſt religionem deſerere, quamvis uxor eum non repetat, quia profeſſio non conſentiente uxore non fuit valida: gravis ſiquidem metus injectus ad extorquendum conſenſum irritavit conſenſum: ſicut profeſſio ipſa facta ex gravi metu eſt nulla, & ad nihil obligat. Nihilominus vir reſtitutus mulieri non poteſt petere debitum, quia profitendo quantum fuit ex parte ſua renuntiavit juri ſuo: ſed tenetur illud reddere uxori petenti.*

C. *SIGNIFICAVIT* 18. *h. t. Innocentius III. reſcribit, quòd mulier, quæ dat marito licentiam profitendi, & ipſa eſt ſine ſuſpicione incontinentiæ in ſæculo, imò voverit perpetuam continentiam non ſit cogenda intrare monaſterium, quod illi non fuit expreſſum: eò quia ſi monaſterium eidem fuiſſet expreſſum, præſumitur, quod*

quòd non consensisset: proinde mandat Pontifex ne invita compellatur intrare monasterium dummodo sit ætatis non suspectæ. Ubi notat Glossa, mulierem coram judice Ecclesiastico teneri dare licentiam viro intranti religionem. Quòd si mulier sit juvenis, & det licentiam viro, non sufficit si voveat perpetuam continentiam; sed debet etiam ipsa religionem ingredi: quia ex eo quòd vovit continentiam, & sit juvenis, intelligitur tacitè promisisse intrare religionem: sicque compellitur vel invita intrare, quia posuit id, ob quod compellitur. Alii verò censent, judicem debere illi virum restituere c. uxoratus h. t.

C. *GAUDEMUS* 19. *h. t. Gregorius IX statuit, ut uxores, quæ damnata sunt de adulterio, & conversæ, si mariti commoniti ab Episcopo nolint eas recipere, sint collocandæ in claustris cum aliis religiosis fœminis, ut ibi perpetuam agant pœnitentiam. Ex hoc textu liquet, quòd si conjux innocens nolit sibi reconciliare adulterum, possit adulter religionem profiteri: sed semel professus revocari amplius non potest. Ubi tamen notat Panormitanus* hic num. 7. *per hunc textum non probari, debere conjugem adulteram, quam innocens non vult sibi reconciliare, ordinem religiosum assumere, & in eo solemnem emittere professionem; sed tantùm ut debeat adultera includi monasterio cum religiosis fœminis custodiæ causâ, & ad pœnitentiam agendam. Imò* per authent sed hodie C. ad l. Juliam de adult. *non potest adultera sic inclusa ante lapsum triennii in præjudicium viri professionem emittere, & si emittat potest revocari. Alii tamen id limitant intra biennium, ut Hostiensis* hic num. 3. Joan. Andreas ibid. *& Sanchez* l. 10. num. 8. *ait biennio transacto posse adulteram liberè profiteri in religione approbata, & tunc expirare jus mariti ad illam.*

C. *DUDUM* 20. *h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si conjuges se invicem absolvant, & promittant continentiam; & alter eorum religionem profiteatur, non possit hic ab alio repeti, quamvis falsi pœnitens velit professum revocare; ut in textu: mulier enim nupta impetraverat à viro licentiam monasterium ingrediendi, in quo etiam professionem religiosam emiserat: cum postea maritum data licentia pœnituisset, & eam vellet revocare, fuit ipsi perpetuum silentium indictum; & jussus etiam fuit recedere à consortio sæcularium: quia proponebat se illius ætatis esse, ut sine suspicione incontinentiæ non posset in sæculo manere. In hoc textu notat Glossa, dolum in spiritualibus non rescindere contractum, nisi dolus det causam actui. Rursus licèt quæ fiunt ex iracundia non valeant: nihilominus si postea ratificentur valent* c. si quis iratus de regul.

C. *MULIER* 21. *h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si maritus fidelis fiat infidelis, & per sententiam judicis factum sit divortium ob fornicationem spiritualem quoad torum; possit mulier quæ remansit semper fidelis religionem monialium ingredi, & ibi emittere professionem etiam invito viro iterum reverso ad sæculum. Ubi notat Glossa, quòd si mulier per sententiam judicis, seu Ecclesiæ judicio non fuisset separata; sed propria authoritate, se à viro separâsset, non posset invito viro religionem ingredi* c. de illa de divort. *Cæterum si mulier nolit religionem ingredi, compelli tunc debet, ut ad maritum reverti atur, sive judicio Ecclesiæ sit separata, sive non* c. quanto de divort. *Ex hoc textu colligitur, uxorem per judicium Ecclesiæ posse à viro separari si fiat infidelis, hæreticus, Judæus.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De conditionibus requisitis, ut conjux post initum matrimonium possit licitè Religionem ingredi.

1 DUpliciter potest matrimonium considerari in ordine ad solutionem ejusdem, ex eo quòd conjuges velint religionem ingredi; primò quatenus matrimonium est tantùm ratum, seu in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus initum; & nondum per carnalem copulam consummatum: secundò quatenus matrimonium est simul ratum, & consummatum. Sponsus, vel sponsa de præsenti, seu in statu matrimonii tantùm rati, ante ejus consummationem, si velit, potest religionem ingredi; sed tenetur cautionem præstare, quòd intra duos menses, vel transibit ad religionem; vel redibit ad conjugem, eique adhærebit: siquidem post initum matrimonium per verba de præsenti, si unus conjux nolit alteri cohabitare, potest per censuras ad id compelli ut notat Abbas hic *num. 2. & in c. Litteras* 13. *num. de restit.* ubi ait quòd conjux possit adduci in domum mariti; quòd si iste excipiat, animo deliberâsse, velle religionem ingredi, cùm matrimonium nondum fuerit consummatum, tunc debet judex ei præfigere duos menses intra quos, vel debet religionem ingredi, vel ad conjugem redire, acceptâ super hoc sufficienti cautione per fideiussores, vel per pignora: quòd si non posset similes cautiones præstare, sufficeret cautio iuratoria, idque desumitur *ex c. ex publico 7. h. t.* ubi Alexander III. statuit post matrimonium de præsenti, & ante copulam

Digitized by Google

posse sponsum, si velit religionem ingredi, sed teneri dare cautionem, ut infra duos menses ingrediatur, vel revertatur ad suum virum; & si transeat ad religionem; uterque tenetur restituere alteri, quæ ab eo noscitur recepisse; & cùm Christus Matth. 5. & 19. ait: *Non licet viro dimittere uxorem nisi ob fornicationem.* Id intelligitur de matrimonio consummato cum copula. Quòd si alter ex coniugibus fuerit religionem ingressus, matrimonium ratum etiam quoad vinculum dissolvitur; & alter coniux qui remanet in sæculo potest aliud matrimonium inire, non tamen statim, sed tenetur expectare, donec alter coniux, qui religionem est ingressus, professionem emittat, ut declaratur *ex c. verum 2. h. t.* ubi statuitur, quòd quando matrimonium est ratum de præsenti, & non consummatum potest unus transire ad religionem, & alter coniux transire ad secundas nuptias: quia cùm non fuerint effecti una caro, potest unus transire ad Deum, & alter manere in sæculo.

2 An verò hoc tempus bimestre concedatur coniugi volenti religionem ingredi ad deliberandum; vel ad emittendam professionem, adeo ut post elapsum bimestre teneatur statim professionem religiosam emittere, ut alter coniux possit ad secundas nuptias transire, probabilius est, hos duos menses concedi tantùm ad deliberandum, quinimò hoc tempus duorum mensium non est ita præfixum, ut Episcopus non possit dare plus, vel minus ex occurrentibus circumstantiis. In ordine autem ad emittendam professionem concedi debet integer annus etiam spectato jure antiquo, quo durante non potest alter coniux secundum matrimonium inire, ut notat Barbosa in collect. *in d. c. ex publico 7. num. 8. h. t.* ratio est, quia annus probationis non datur solùm in favorem ingressi, ut ipse religionem experiatur, verùm etiam in favorem ipsius religionis, ut hæc possit commodè Novitium probare: religio autem non debet privari hoc jure probandi Novitium per annum integrum, tametsi posset Novitius ob proprium factum illo privari. Præterea quia ius concedit sponsis in statu matrimonii rati, non consummati facultatem ingrediendi religionem: proinde concedit etiam tempus iure præscriptum, ut religio possit ingressum probare, quia tale tempus nectitur necessariò cum tali probatione ex vi juris, quod propterea semel, quod concedit ingressum, concedit etiam totum annum probationis.

3 Quòd si dicas, hoc accidere alteri coniugi manenti in sæculo perquam grave cùm non possit transire ad alias nuptias, & teneatur toto illo tempore continere. Contra est, quia tametsi fortassis tamdiu spectare sit illi grave, non tamen fit ei injuria ab altero coniuge, qui est religionem ingressus: siquidem hic utitur jure suo. Tum quia si vir haberet puellæ duodenni, & hæc post matrimonium ratum, & nondum consummatum vellet monasterium ingredi, teneretur vir expectare, donec emitteret professionem, scilicet per quatuor integros annos, cùm per Concilium Tridentinum non possit quis emittere professionem religiosam nisi post expletum 16. ætatis annum. Et quamvis nonnulli doctores procedant cum distinctione, si coniux ingrediatur religionem ex consensu alterius, vel sine consensu; & priori modo asserant, esse illi concedendum annum probationis; & sine licentia, vel consensu alterius, non esse concedendos nisi duos menses, quibus elapsis teneatur statim profiteri, ut distinguit Glossa *in d. c. ex publico 7. num. 16. h. t.* Nihilominus hodie post Concilium Tridentinum *sess. 25. de regul. c. 15. & 22.* nullus amplius datur distinctioni locus: quia non potest, qui religionem ingreditur professionem in illa emittere, nisi post expletum totum annum probationis; & Novitius non potest ampliùs huic tempori renuntiare, ut declaravit sacra Congregatio Concilii, apud Fagnanum *in d. c. ex publico num. 25. h. t.*

4 Tum quia decretum irritans, & appositum in aliqua dispositione, id operatur, ut non possit illi renuntiari *c. dilecto 25. circa fin.* & ibi Glossa *V. hujusmodi clausula de prob.* Tridentinum autem absolutè prohibet, Novitios emittere professionem ante expletum integrum annum probationis, & 16. ætatis: lex autem universalis negativa debet universaliter intelligi *c. solite 6. §. fin. de maior. & obed.* Tum quia lex generalis posterior corrigit specialem priorem. Quòd si coniux in statu matrimonii rati, non consummati fuerit unam religionem ingressus, & postea intra annum probationis velit ab illa egredi, quia ipsi non placeat, & alteram ingredi eam experiendi causâ, tunc iudex debet illi terminum unius anni præfigere, quo elapso tenetur, vel in illa religione profiteri, vel ad coniugem redire, ne coniux, qui mansit in sæculo, teneatur expectare plusquàm par sit: posset enim alter, qui est religionem ingressus in finem probationis, & ante professionem emissam transire ad secundam religionem, & a secunda ad tertiam, & ab hac ad aliam & aliam, quòd esset illudere coniugi, qui mansit in sæculo, ne ad secundas nuptias transiret.

5 Hinc si coniux ante matrimonium consummatum cogitet religionem ingredi, potest duobus primis mensibus abstinere à consummatione matrimonii, tametsi alter coniux petat, quia tale bimestre à jure conceditur ad deliberandum de perfectiore statu. Immo etiamsi non cogitet de ingressu religionis, adhuc intra duos primos menses potest nolle matrimonium consummare, & iuxta probabilem aliquorum sententiam etiam negare debitum alteri coniugi petenti, eò quia intra tale bimestre possit propositum in melius commutare, & velle religionem ingredi, licèt ab initio non habeat hanc intentionem, ut docet Sanchez *de matrim. disp. 24. num. 25.* quamvis probabilius sit, præcisa intentione ingrediendi religionem, teneri coniugem debitum reddere altero petenti, ut docet Layman *lib. 5. tract. 10. c. 11. num. 3. not. 1.* ratio est: quia ex vi matrimonii initi uterque coniux statim tradit potestatem sui corporis alteri, nisi ius aliquem casum excipiat, vel aliter fuerit inter contrahentes nuptias expressè conventum: & jus tantùm excipit casum quo alteruter coniux velit religionem ingredi, vel saltem

sltem cogitet de tali ingressu, tunc enim iure conceditur bimestre ad deliberandum, proinde potest stante tali intentione denegare debitum alteri coniugi illud petenti: præcisâ autem tali intentione alter coniux petendo debitum utitur iure suo, quod acquisivit per contractum matrimonii, & quo alter coniux non potest illum privare, proinde tenetur etiam intra primum bimestre debitum reddere alteri petenti, perinde ac tenetur quis dare alteri ius suum.

6 Neque obstat, quòd coniux possit intra tale bimestre mutare propositum in melius, quia tametsi posset id contingere, non tamen in iure casus excipitur, quia ius non considerat, quæ nonnisi rarissimè contingunt *l. nam ea 5. ff. de legib.* Quinimo etiam post elapsum bimestre, vel etiam tempus à iudice præscriptum ad consummandum matrimonium potest adhuc uterque coniux religionem ingredi, si matrimonium fuerit tantùm ratum, & nondum consummatum, quia canones concedunt absolutè hanc facultatem ingrediendi religionem quocunque tempore ante consummatum matrimonium. Id tamen interest discrimen inter tempus bimestre, & reliquum tempus, quia tempore bimestri stante intentione ingrediendi religionem coniux alteri petenti debitum licitè negat; secus post dilapsum bimestre, nisi fortassis statim religionem ingrediatur: quia post bimestre expirat tempus deliberandi; proinde tenetur coniux debitum reddere alteri petenti, adeo ut possit etiam ad id compelli, si religionem non ingrediatur.

7 Quòd si sponsa post initum matrimonium cogitet de ingressu religionis, & hunc animum aperiat marito, à quo nihilominus per vim illatam defloretur, si id contingat ante elapsum tempus bimestre, adhuc potest religionem ingredi invito sponso, & professionem in illa emittere: non ita si vis illata contigerit post elapsum bimestre, vel aliud arbitrarium tempus à iudice præfixum, quia tunc sponsus cogendo sponsam ad consummandum matrimonium utitur iure suo, & exigendo sibi debitum dari, non potest sponsa iustè ad denegare, proinde consummato iam matrimonio non licèt amplius uxori invito marito monasterium ingredi, nec in eo profiteri: secus ante elapsum bimestre præsertim si sponsa aperuerit suum animum sponso ingrediendi religionem, non potest sponsus ante bimestre vim illi inferre, & si illam intulit, deliquit, & iniuriâ affecit sponsam: quia stante tali intentione ingrediendi religionem sponsus non habet ius extorquendi debitum ante bimestre, vel aliud tempus præfixum à iudice, proinde potest sponsa ei licitè debitum negare; neque debet per violentiam iure suo privari, proinde non obstante tali violentia illata à marito potest sponsa religionem ingredi, & in illa profiteri. Non enim qui deliquit vim inferendo, debet esse melioris conditionis, quàm innocens, neque ex suo delicto debet commodum reportare. Præterea quia propter lapsum in hæresin potest uxor virum deserere, & religionem ingredi manente vinculo matrimonii; proinde etiam ob violentiam illatam sponsæ potest hæc non obstante consummatione matrimonii perpetuum divortium à viro facere etiam ipso invito, adeo ut ipse maneat vinculo matrimonii ligatus. Cæterum per accidens potest fœmina violenter à suo marito cognita impediri ab ingressu religionis, nimirum ratione damni, quod inferretur proli genitæ ex tali copula, si sponsa religionem ingrederetur, quæ fortassis sine matre non posset commodè educari, ut notat Sanchez *de matrim. disp. 22. num. 7.*

8 Quod tamen limitat Fagnanus *in d. c. ex publico 7. n. 33. & 34. h. t.* nisi sponsa nondum elapso bimestri, vel alio tempore arbitrario, non excipiat se ad religionem velle tranire: sed simpliciter detrectet matrimonium consummare, vel aliam causam alleget. Immo non solùm si sponsa per vim sibi illatam: verùm etiam si per gravem metum fuerit à viro defloratà intra primum bimestre, adhuc potest religionem ingredi, idque ratione iniuriæ, quam sponsus intulit sponsæ, & ob iniustitiam à sponso commissam; tunc enim ut docet Sanchez *d. disp. 22. n. 6.* conceditur sponsæ ingressus in religionem, sive sponsa per vim sibi illatam, sive per gravem metum fuerit à sponso defloratà. Quinimò censent plures, per copulam vi extortam non consummari matrimonium, eo quia hæc consummatio significet coniunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis, quam repræsentare potest sola carnalis copula voluntaria, non verò violenter extorta; quia unio Christi cùm Ecclesia per carnem assumptam fuit voluntaria: siquidem ad consummationem matrimonii duo videntur requiri; scilicet consensus animorum, & corporum commistio: & sicut vis illata impedit perfectionem matrimonii spiritualis, seu religiosam professionem ob defectum liberi consensus; ita à fortiori impedit consummationem matrimonii carnalis.

9 Nihilominus alii communius asserunt, per copulam violentam consummari matrimonium, & conjuges fieri unam carnem, quia ex tali copula oritur affinitas *c. discretionem 6. de eo, qui cognovit consanguineam uxor.* Neque obstat, quòd copula vi extorta non repræsentet coniunctionem Christi cum Ecclesia, eò quia hæc sit voluntaria: quia exinde tantùm sequitur, quòd non repræsentet coniunctionem Christi cum Ecclesia quoad modum; non verò quòd illam non repræsentet quoad substantiam. Cæterum quamvis sponsa ab illo defloratà si religionem ingrediatur, non possit inter virgines consecrari, cùm revera virgo non sit; potest tamen professionem emittere.

10 Quòd verò ad matrimonium simul ratum, & consummatum attinet, tametsi quoad vinculum dissolvi nequeat: nihilominus si alter coniux ex alterius consensu post consummatum matrimonium ingrediatur religionem, & alter velit etiam sequi, vel voto castitatis perpetuæ se obligare, & non sit periculum ob senium, vel valetudinem incontinentiæ, tunc matrimonium quoad mutuam cohabitationem, perinde ac divortium solvitur *c. 4. & sequent. c. uxoratus 8. c. ad Apostolicam 13. de convers. conjug.*

Quòd

11 Quòd si quæratur, cur vinculum matrimonii rati, & non consummati per ingressum in religionem dissolvatur, non ita vinculum matrimonii consummati, ratio assignatur ab Hostiense *tit. de convers. coniug. num. 7.* quia illa coniunctio animorum, quæ fit per matrimonium ratum tantùm, significat coniunctionem Christi cum anima fideli, per gratiam; quæ coniùnctio cùm non sit immutabilis, & possit in melius mutari, vel etiam per peccatum omnino tolli, ita etiam vinculum matrimonii tantùm rati potest solvi per ingressum in religionem, quamvis matrimonium ratum, sit perfectum matrimonium in ratione contractûs, & verum Sacramentum. Secus matrimonium consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quia ut ait Apostol. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia*: atqui coniunctio Christi cum Ecclesia cùm sit indissolubilis sequitur, quòd etiam vinculum matrimonii consummati sit indissolubile.

12 Potest Pontifex in matrimonio rato, & non consummato licentiam dare ingrediendi religionem etiam invito altero coniuge; adeo ut coniux ingrediens religionem privet alterum iure quæsito ex matrimonio inito: ratio est, quia matrimonium ratum non est ex natura sua vinculum indissolubile; proinde potest Pontifex si justa subsit causa ejus obligationem, & vinculum solvere, vel per dispensationem, vel procurationem maioris boni; præsertim per concessionem, ut alter coniux, si petat, religionem ingrediatur: & quamvis alter coniux privetur iure suo quæsito ex contractu matrimonii, potest licitè illo privari, si justa suppetat causa, siquidem ex iusta causa potest Princeps aliquem iure suo privare, si id faciat per legem publicam, & communem resultantem in bonum communitatis; sicut fit in lege præscriptionis, per quam patienti longo tempore rem suam ab alio possideri aufertur dominium illius rei, & transfertur in possidentem; idque ob bonum commune ne rerum dominia sint incerta, & lites absolvantur.

13 Neque hujusmodi leges gravamen censentur habere, eò quia sint communes omnibus, sicut enim possunt in uno casu obesse, ita possunt in altero prodesse: si enim nunc præscribitur contrà Seium, potest alio tempore præscriptio esse in ejus favorem: ita licèt in matrimonio rato uxor nunc invito marito ingrediatur religionem: in alio matrimonio rato maritus invitâ uxore fit religiosus. Præterea cùm sit iam statutum per legem generalem, ut ante consummationem matrimonii liceat sponsis religionem ingredi; ideo obligatio matrimonii non est ex omni parte absoluta, sed habet tacitam conditionem, nisi intra bimestre placuerit sponsæ, vel sponso religionem ingredi. Neque obstat, quòd ex scripturis non liceat dimittere uxorem nisi exceptâ causâ fornicationis: & illud: *quod Deus coniunxit, homo non separet* quia hæc intelliguntur de matrimonio consummato cum copula, ut habetur *in d. c. ex publico 7. h. t.*

14 Post matrimonium consummatum non potest coniux religionem ingredi, nec in ea profiteri, nisi alter consenserit, & tunc si alter coniux sit jam senio confectus, & extra periculum incontinentiæ permittitur iuxta iudicium Episcopi permanere in sæculo, hac tamen conditione impletâ, ut in facie Ecclesiæ, seu coram Episcopo, & testibus perpetuam voveat castitatem. Quòd si coniux remanens adhuc versetur in florente ætate, tenetur & ipse ob periculum incontinentiæ religionem ingredi, ut desumitur ex pluribus capitulis hujus tit. & præsertim *ex c. præterea 1. h. t.* ubi Alexander III. statuit, quòd si maritus ex consensu uxoris ingrediatur, & profiteatur religionem coram Monachis, & sacerdotibus, eius uxor tenetur etiam religionem ingredi, vel promittere perpetuam servare castitatem; quòd si detrectet continentiam vovere, vir ab Episcopo debet revocari à monasterio, & dari uxori: ex quo constat, non posse alterum coniugem religionem ingredi altero in sæculo remanente, nisi promittat servare perpetuam continentiam manendo propriæ domi, si sit senex: & non sufficere solum consensum uxoris, si hæc non possit manere in sæculo sine suspicione fornicationis; sed si sit senex adhuc requiritur, quòd authoritate Episcopi perpetuam voveat continentiam. Hoc idem etiam statuitur *in c. cùm sis 4. h. t.* ubi Alexander III. decrevit, ut unus coniux non possit religionem ingredi altero remanente in sæculo, bene tamen si uxor ita sit senio confecta, ac sterilis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo manere, possit tunc Episcopus dissimulare, id est approbare, ut vir religionem ingrediatur, dummodo uxor sit sterilis ratione ætatis, non naturæ, & remanendo in sæculo voveat perpetuam castitatem, vel etiam ipsa ingrediatur religionem, in qua professionem emittat.

Præterea hoc idem etiam habetur *in c. uxoratus 8. h. t.* ubi Alexander III. mandat, ut uxoratus non recipiatur ad religionem, nisi uxor sit ita senex, ut nulla suspicio, sit transeundi ad secunda vota, vel ad alias nuptias, & publicè in conspectu Ecclesiæ profiteatur continentiam, & in propria domo cum suis filiis, & familia remaneat: quòd si non sit talis, debet & ipsa religionem ingredi, & si recuset eius vir non debeat in religione recipi, sed uxori restitui. 15

An verò si uxoratus de licentia uxoris fuerit ingressus religionem, & publicè in eadem professus, & uxor postea non servet, quod dicitur *in hoc c. 8. & in c. cùm sis* scilicet uxor non promittat continentiam, non sit senex, non ingrediatur religionem, nec promittat ingredi, adhuc valeat monachatus mariti, & eius emissa professio teneat? Respondetur, monachatum publicè solemnizatum esse validum quoad se, quia non potest exire è religione, in qua emisit professionem; nec uxor potest eum repetere iure servitutis, quia eo ipso quòd consensit in eius ingressum, & professionem, præsumitur renuntiâsse servituti: nihilominus Episcopus ex proprio quo fungitur officio potest virum revocare è religione, & eum uxori restituere, ne hæc adhuc in floreate ætate incidat in fornicationem, 16

nem, ut habetur *in c. ex parte 9. h. t.* ubi Urbanus III. mandat, ut uxoratus, qui de consensu uxoris habitum assumpsit, & solemnem professionem emisit, & postea mansit cum uxore, eò quia hæc non voverit perpetuam continentiam; nec ingressa sit religionem, & sit adhuc juvenis, & illâ mortuâ accepit alteram, compellitur per excommunicationem eam relinquere, & monasterium, in quo emisit professionem solemnem ingredi; quia professio illa fuit valida, & tantùm suspenditur quoad vitam uxoris, in tali casu quoad executionem manendi in monasterio; proinde illâ defunctâ tenetur iterum monasterium ingredi: rursus manendo cum uxore debet quidem ei petenti debitum reddere, non tamen potest ipse debitum petere ob votum castitatis emissum in religiosa professione.

17 An verò ut coniux ex consensu alterius validè ingrediatur religionem, & in ea emittat professionem necessaria sit licentia Episcopi? Respondetur, ex quadam decentia esse quidem licentiam Episcopi necessariam ad maiorem securitatem, quia cum per ingressum religionis, & emissam professionem fiat quoad thorum separatio, non licet, ut id fiat sine licentia, & consensu Episcopi: & in praxi ex honestate observatur, & petitur prius licentia ab Episcopo: non tamen hujusmodi licentia est necessaria ad valorem professionis, quæ emittitur ab uno conjuge ex consensu alterius, & desumitur *ex c. 1. in fin. h. t.* argumento à sensu contrario: siquidem ibi dicitur, quòd si vir inscio Episcopo, sed ex consensu uxoris fuerit religionem ingressus, & in ea professionem emiserit, non possit professio revocari, si uxor ad religionem transit, vel perpetuam vovit castitatem: ex quo clarè infertur, quòd ob defectum licentiæ non petitæ ab Episcopo professio non sit invalida.

18 Rursus ut post consummatum matrimonium unus coniux religionem ingrediatur, & validè in eadem professionem emittat, non sufficit si alter coniux adhuc juvenis religionem ingrediatur, ut ibi degat; sed ulterius requiritur, ut etiam professionem in eadem emittat, adeo ut non possit è monasterio egredi, ut desumitur *ex d. c. uxoratus*, ubi statuitur quòd alter conjux adhuc iuvenis debeat perpetuò commorari in loco religioso, & ibi Deo inservire; quòd si tantùm ingrederetur ad declinandas vagandi occasiones; perinde in monasterio detineretur, ac detrusus in carcerem, proinde non ingrederetur ad eum finem ut Deo inserviret; & sine emissa professione posset semper egredi, consequenter neque perpetuò commoraretur in loco religioso. Neque sufficit, si alter coniux iam senex manens in sæculo voveat continentiam ad tempus, nimirum donec coniux in religione professus vixerit, sed requiritur, ut simpliciter voveat perpetuam continentiam, ut habetur *in c. ad Apostolicam 13. h. t.* ubi dicitur, quòd alter coniux remanens teneatur promittere perpetuam continentiam. Non tamen si ex consensu uxoris vir profiteatur religionem votum simplex continentiæ emissum ab uxore in sæculo fit solemne, ut reddat irritum matrimonium post obitum viri professi ab uxore initum: quia id ex nullo textu iuris canonici constat: & ex alio capite non habetur intentio voventis, quia uxor tantùm intendit simplex votum continentiæ emittere. Tum quia votum solemne non fit nisi per professionem in religione approbata, vel susceptionem ordinis sacri.

19 Quòd si uxor, quæ consensit in ingressum mariti, ac in ejus religiosam professionem sit talis provectæ ætatis, ut de ea non possit suspicio haberi; & etiam ante ingressum mariti in religionem perpetuam voverit castitatem coram Episcopo, si postea incontinenter vivat, & promissam castitatem non servet, compellenda est ad ingrediendum monasterium, non ut in illo professionem emittat, sed ut pœnitentiam agat, & intra claustra monialium à periculis removeatur incontinentiæ. Alii tamen procedunt in hoc casu cum distinctione, & dicunt, quòd si mulier senex fuerit conscia iuris, quòd si vir religionem profiteatur, & ipsa manens in sæculo debeat vel perpetuam vovere, & servare castitatem; vel religionem ingredi, tunc consentiendo in religiosam professionem viri præsumitur se obligare iuxta præscriptum iuris, scilicet ad ingrediendum monasterium, nisi in sæculo perpetuam servet continentiam, quam vovit: proinde si hanc non servet, tenetur monasterium ingredi. Sin verò uxor senex non fuerit conscia iuris, nec sciverit, quòd si promissam continentiam non servaret, teneretur religionem ingredi, in hoc casu censent non esse uxorem compellendam ad religionem ingrediendam, quamvis continentiam promissam non servaverit; & nituntur ea ratione, quia nemo ordinariè compelli possit ad ingressum religionis nisi expressè, vel tacitè ad ipsum se obligaverit *argum. c. integritas 13. caus. 32. q. 1.* Abbas *in d. c praterea 1. num. 8. h. t.* & hæc sententia est hodie conformior praxi: vix enim est in usu ut in tali casu mulier includatur in religione ad pœnitentiam agendam: id enim cederet in grave onus monasterii, nec sine magna difficultate posset executioni mandari: quamobrem in tali casu pertinet ad Episcopum providere, ut mulier constituatur in alio loco, in quo possit honestè vivere, ac promissam servare continentiam, & desumitur *ex c. significavit 18. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd mulier, quæ licentiam dat marito emittendi religiosam professionem, & ipsa non est suspecta in sæculo, & vovit perpetuam continentiam, non sit cogenda intrare monasterium, quod illi non fuit expressum, & si fuisset expressum non consensisset.

20 Cæterum si coniux ex consensu alterius sit religionem ingressus, ex qua postea durante ano probationis exeat, tenetur ad uxorem redire, quæ mansit in sæculo, tamesi hæc votum emiserit perpetuæ continentiæ: ratio est quia tam licentia ingrediendi in religionem, quàm votum continentiæ præsumitur factum conditionatè, & dependenter à professione secutura alterius coniugis, unde si professio non sequatur, non impletur tacita conditio, & voti obligatio corruit, ut notat Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 32.*

diſp. 32. num. 13. Quòd ſi unus coniux ſine licentia alterius profeſſionem emitteret, & manens in ſæculo velit illam ratificare, tunc non tenetur religionem ingredi, quamvis iuvenis ſit, ſed ſufficit ſi in ſæculo voveat caſtitatem, & ſi nollet vovere, non poſſet profeſſionem alterius coniugis ratificare: ſed deberet tunc alium coniugem qui ſine ſuo conſenſu emiſit profeſſionem religioſam repetere; quia ius non permittit, ut unus coniux ſit in religione contra voluntatem alterius exiſtentis in ſæculo absque voto continentiæ. Cæterum ſi coniux manens in ſæculo emiſit votum caſtitatis, quamvis ſit iuvenis, & ſuſpectus de incontinentia; ſi alter coniux ex eius conſenſu fuit religionem ingreſſus, & in ea profeſſionem emiſit, valida eſt talis profeſſio, quia non eſt neceſſe ad valorem profeſſionis, ut alter coniux etiam profeſſionem emittat, quando eſt iuvenis, & ſuſpectus de incontinentia: ſed tantùm id requiritur, ut profeſſio ab altero coniuge licitè fiat.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an poſſit unus coniux altero etiam invito, & repugnante religionem ingredi? Reſpondetur in aliquibus caſibus poſſe alterum coniugum invito, & repugnante alio religionem ingredi. Primò ſi matrimonium tantùm fuerit ratum, & nondum conſummatum, tunc enim poteſt unus coniugum religionem ingredi manente altero in ſæculo, cui etiam licitum eſt ad ſecundas nuptias tranſire, quia matrimonium ratum, & nondum conſummatum per profeſſionem religioſam ſolvitur, ut deſumitur *ex c. verum 2. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd quando matrimonium eſt ratum de præſenti, & non conſummatum poteſt unus coniugum tranſire ad religionem, & alter manens in ſæculo ad ſecundas nuptias, quia cum non fuerint effecti una caro, poteſt unus tranſire ad Deum, & alter remanere in ſæculo.

2 Secundò poſt conſummatum matrimonium iuxta probabiliorem ſententiam poteſt uxor religionem ingredi, ſi maritus ante primum bimeſtre expletum vim ei intulerit, ac renuente uxore matrimonium conſummaverit, quia bimeſtre conceditur utrique coniugi, ut poſſit deliberare, ſi velint ingredi religionem, vel remanere in ſæculo, idque deſumitur *ex c. ex publico 7. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi ſponſa poſt matrimonium ratum, & nondum conſummatum velit religionem ingredi, teneatur cautionem dare, ut infra duos menſes ingrediatur, vel redeat ad ſuum virum. Hoc idem etiam procedit ſi maritus gravem incuſſerit metum, & propterea extorſerit ab uxore ante expletum primum bimeſtre conſummationem matrimonii: tunc enim ob gravem iniuriam illatam uxori privatur iure ſuo.

3 Tertiò ſi alteruter coniugum ſit adulter tunc alteri innocenti licitum eſt religionem ingredi *can. Agathoſa 27. q. 2.* & deſumitur etiam *ex c. conſtitutus 15. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd ſi maritus fiat profeſſus in religione, uxore adulterante non poſſit adultera eum revocare, & habetur etiam *in c. veniens 16. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi uxor precibus, vel dolo decepta conſentit, maritum profiteri, & ipſa deinde fornicatur, ſi poſt fornicationem petat virum, non eſt audienda, eò quia non repetierit ante fornicationem. Verùm ut id ordinatè procedat ſeparatio illa debet fieri authoritate Judicis, & cauſâ cognitâ, idque ad vitandum ſcandalum, & ne coniux è religione poſſit repeti, & cogi ad redeundum, & ut notat Gloſſa, ſi uxor publicè adulteretur, poteſt maritus licitè ordines ſacros ſuſcipere, vel religionem ingredi, dummodo poſt commiſſum adulterium eam ampliùs non cognoverit; quia tunc mulier adultera amittit ius in maritum, ut habetur *in c. ſignificàſti de divortiis.* Sin verò alter coniux adulterium occultè commiſerit, non poteſt tunc uxorem dimittere, ut religionem ingrediatur, quia ut dicitur *in c. fin. in fin. de adult.* paria delicta mutua compenſatione tolluntur.

4 Quartò ſi alteruter coniux incidat in hæreſin, & iudicio Eccleſiæ fiat ſeparatio thori, poteſt alter innocens religionem ingredi, quamvis in hæreſin lapſus velit poſtea converti. Quòd ſi ſeparatio non fuerit facta iudicio Eccleſiæ, non poteſt religionem ingredi, & tenetur coniugem reſipiſcentem ſuſcipere, idque deſumitur *ex c. mulier ult. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd ſi maritus fidelis fiat infidelis, & per ſententiam iudicis factum ſit divortium tori ob fornicationem ſpiritualem; mulier, quæ remanſit fidelis poteſt fieri profeſſa invito viro, qui jam fuit reverſus ad fidem: Ubi Gloſſa notat, quòd ſi non fuit iudicio Eccleſiæ ſeparata, ſed propria authoritate invito viro, non poſſit religionem ingredi: quinimò ſi nolit religionem ingredi cogenda eſt, ut ad maritum redeat ſive iudicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, ſive non, & deſumitur *ex c. quanto de divort.* Cæterum uxor per iudicium Eccleſiæ poteſt à viro ſeparari, ſi vir fiat infidelis, hæreticus, Judæus, vel Saracenus.

5 Quæritur ſecundò, an ſi maritus cognoverit puellam ante matrimonium, & quam poſtea ducit in uxorem poſſit poſt matrimonium ratum intra bimeſtre religionem ingredi dummodo poſt initum matrimonium ampliùs non cognoverit ſponſam? Videtur enim, non poſſe religionem ingredi, eò quia copula ante matrimonium habita fictione iuris cenſeatur contigiſſe in ipſo ſtatu matrimonii: qua ratione liberi concepti ex copula ante matrimonium, per ſubſequens matrimonium legitimantur, ut habetur *in c. 2. & 6. qui filii ſint legitimi.* Verùm communior, & verior ſententia eſt, copulam habitam ante matrimonium non impedire liberum ingreſſum ad religionem, quia cùm talis copula contigerit extra matrimonium fuit merè fornicaria, & non facit matrimonium conſummatum; neque ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ coniunctio ſignificatur per matrimonium ratum, & conſummatum, quia eſt vinculum indiſſolubile. Neque obſtat, quòd fictione iuris cenſeatur copula contigiſſe in ipſo matrimonio, quia talis fictio tantùm procedit

circa

circa legitimationem liberorum: non autem generaliter ad significandam coniunctionem CHRISTI cum Ecclesia, hic autem non inquiritur de fictione juris, sed proceditur veritate.

6 Quæritur tertiò, an si post consummatum matrimonium coniux inscio altero coniuge, eóque invito de facto religionem ingrediatur, ac ibi professionem emittat, adhuc professio valida sit? Respondetur absolutè, talem professionem esse invalidam, & mortuo altero coniuge non teneri, qui professionem emisit, intrare religionem, sed tantùm obligari ad servandam continentiam; eò quia professio taliter emissa obligat instar voti simplicis continentiæ; quapropter restitutus alteri coniugi non potest debitum coniugii petere, sed tenetur reddere, & post mortem alterius coniugis tenetur servare perpetuam continentiam: idque desumitur *ex c. quidam 3. h. t.* ubi statuitur, quòd si maritus invitâ uxore professionem emittat, deinde cogatur ad uxorem redire, mortua uxore non teneatur monasterium ingredi. Ubi Glossa notat, quòd mortua uxore non compellitur ab Ecclesia redire ad monasterium, sed ipse peccat, si non perficiat, quòd vovit, cùm cessaverit impedimentum: ratio etiam id suadet, quia cum coniux ex vi matrimonii iniri translulerit dominium sui corporis in uxorem, non potest illâ invitâ postea illud transferre in religionem, quia id cederet in præiudicium uxoris: hinc professio emissa inscià uxore est invalida.

7 Quòd verò coniux, qui emisit professionem, teneatur, quantum est ex se castitatem servare, adeo ut non possit debitum ab uxore petere, licèt teneatur reddere ipsi petenti, suadetur ex eo, quia præsumptio iuris est, coniugem profitentem inscio, & invito altero coniuge voluisse se obligare quantum ex parte sua potuit; proinde cùm ex parte sua possit non petere debitum, & servare continentiam promissam Deo per votum, tenetur id præstare: unde si non valet in totum, saltem valet quoad partem. Tum quia maritus inscia, vel etiam invita uxore potest se obligare ad duo, nimirum ad non petendum debitum coniugii, & ad servandam continentiam post obitum uxoris, & quia professio religiosa extenditur ad omnem continentiam, ideo complectitur etiam hæc duo, veluti partes totius: proinde jus in favorem divini cultûs in tali casu præsumit, quòd maritus saltem hæc duo voluerit promittere, tametsi ejus professio irrita foret, & ipse uxori restituendus.

8 Quòd si dicas, eum qui voluit vovere castitatem in religione, non eo ipso voviisse etiam in sæculo, proinde restitutum uxori non teneri continentiam servare. Contra est, quia tametsi posset id interdum procedere in foro conscientiæ, si vovens talem limitatam intentionem habuerit, cùm nemo obligetur ultra mensuram intentionis, quam habet se obligandi; nihilominus de iure præsumitur voluisse se obligare quantum potuit, iuxta illud commune effatum: *Si actus non valet in toto, valeat omni meliori modo, quo potest*, hoc est si non valet totaliter, valeat saltem quoad partem. Neque id procedit de aliis duobus votis obedientiæ, & paupertatis, quia hæc maiorem habent dependentiam, & connexionem cum monasterio, quo pacto nemo rationabiliter præsumitur ad ea se voluisse obligare extra monasterium: non enim maritus ex vi voti simplicis vult uxori obedire.

9 Cæterum quia circa votum non exigendi debitum à cohabitante cum sua uxore posset esse frequens periculum transgressionis; ideo tutiùs est, & consultiùs dispensationem petere à summo Pontifice, imò secundùm aliquos etiam probabiliter ab Episcopo; eò quia hoc votum non sit illud simplex castitatis absolutæ reservatum summo Pontifici: quia circa redditionem debiti vovere non fuit in voventis potestate sed tantùm est votum non exigendi debitum, & desumitur *ex c. placet 12.* ubi dicitur, quòd mulier, quæ sine consensu viri, ut quem putabat mortuum, accepit habitum professum religionis, reverso viro sit illi reddenda: quia votum, quantum ad ipsam tenuit, adeo ut non possit debitum coniugii petere; sed non respectu mariti, qui habet jus repetendi è monasterio suam uxorem; & ab ipsa debitum petendi, & licèt uxor solemnem emiserit professionē tenetur redire ad sæculum, & reddere debitum marito petenti; & eo mortuo votum tenet; & consultiùs etiam esset ad salutem ad religionem redire: si tamen ad id non sinit se suaderi, non est compellenda, eò quia professio non fuit emissa de consensu mariti, proinde non fuit sortita suum valorem.

10 Quæritur quartò, an professio emissa ab uno coniuge, invito, vel inscio altero remanente in sæculo ratificetur si ex post facto præstetur consensus ab illo, qui antea non consenserat? Respondetur negativè; quia cum professio fuerit irrita ex defectu alterius coniugis non consentientis; non potest per solum accessum consensûs eius dem coniugis ratificari; quia actus, qui ab initio est irritus non potest tractu temporis convalescere sine nova ratificatione illius, qui talem actum elicuit *l. quod ab initio 29. ff. de reg. iur.* unde cùm professio illa fuerit invalida, non convalescit, ex eo, quòd coniux, qui non consenserat, postea consentiat, sed ulterius requiritur, ut qui professionem emisit, eam per se ratificet per novum consensum expressum, vel tacitum: adeo ut sit necessaria nova professio, ad cujus formam substantialem est necessarius consensus; qui etiam requiritur ad matrimonium carnale, quod priùs irritum fuit, revalidandum.

11 Quæritur quintò, an si ambo coniuges continentiam voverint, possit alter illorum sine consensu, & petita licentia alterius professionem validè emittere? Respondetur negativè, quia tametsi uterque coniux voverit continentiam, non tamen inde sequitur, quòd alteruter sine licentia alterius possit religionem ingredi, & in ea emittere professionem: quinimò cùm talis professio sit invalida; tametsi coniux in sæculo remanens eum non repetat, adhuc propria authoritate potest exire è religione, ut notat Abbas *in c. accedens 17. num. 3. h. t.* & desumitur etiam *ex c. notificâsti 2.* Et ratio est, quia eo ipso quòd professio fuit irrita, & nullius valo-

valoris, qui illam emisit, nullam contraxit obligationem cum religione, nec ista ullum acquisivit jus in illum; proinde potest etiam propria authoritate exire è religione. Id etiam procedit, quamvis bona fide professus esset, ac putâsset, alterum conjugem obiisse, vel existimâsset potuisse sine consensu illius professionem illam emittere, quia error elicientis actum per se nullum non validat ipsum actum: quapropter conjux, qui emisit professionem sine consensu alterius, si commodè possit, tenetur propria authoritate exire, séque alteri conjugi restituere; non enim alter conjux privari debet jure suo. Neque ex eo, quòd uxor non revocet maritum, qui emisit in religione professionem, præsumi debet ejus consensus: siquidem potest conjux non repetere maritum, non quia nolit ipsum repetere, sed quia putet non posse ipsum ampliùs revocare: quapropter silentium conjugis potest oriri ex ignorantia juris sibi competentis, vel causâ vitandæ litis.

12 Quæritur sextò, an si uxor manens in sæculo nunquam expressè, vel tacitè consensit in professionem mariti, eò quia nunquam contradixerit, eò quia ignoraverit; vel si scivit non reclamavit, eò quia non potuit commodè contradicere; mortua postea uxore professio mariti confirmetur? Respondetur negativè, quia sine consensu conjugis non potuit maritus religionem ingredi, neque in illa profiteri, proinde cum professio illa fuerit nulla non ratificatur per solam mortem uxoris: quia, quod uxor moriatur est quid omninò extrinsecum, quod non pertinet ad formam professionis religiosæ, proinde tenetur maritus superstes per se novam professionem emittere, vel ratificare actum præcedentem: non quòd professio, quæ antea fuit nulla, eadem validetur; sed quia per illam confirmationem fit nova professio, quâ nova contrahitur obligatio.

13 Hinc si maritus, qui sine consensu uxoris professionem emisit, & permansit in religione, si ejus uxor mortua sit post professionem, & id non innotuerit marito, qui propterea permansit in religione; si postea certior de morte conjugis fiat, si velit, potest exire è religione: quia cùm professio ab ipso emissa nullum fuerit valorem sortita, requiritur novus consensus, & nova professio, quæ non ponitur ex eo præcisè, quòd maritus ignoret mortem uxoris, ignorantis enim nullus est consensus. Secus si maritus conscius mortis uxoris adhuc mansit in religione, & omnia gessit, quæ solent alii professi, tunc censetur tacitè, & ipso facto ratificare professionem: eo enim ipso, quòd conscius mortis uxoris manet in religione per multum temporis, séque gerit, sicut cæteri professi, videtur tunc ratificare, & approbare suam professionem, cùm faciat ea omnia, quæ ad inducendam tacitam professionem post annum probationis requiruntur: per illam moram post mortem uxoris in religione tollitur impedimentum irritans professionem, quam tacitè ratificat; hoc est, si non verbo, saltem factis: quatenus ea omnia facit, quæ ad inducendam professionem tacitam, post annum probationis desiderantur.

Quæritur septimò, an si conjux, vel maritus absque licentia uxoris ingressus sit religionem, in qua professionem emisit, possit uxor post professionem mariti etiam ingredi religionem non petito consensu mariti, & in ea profiteri? Respondetur negativè, quia professio mariti cùm emissa fuerit sine licentia, & consensu conjugis, fuit irrita, neque validatur per hoc præcisè, quòd uxor etiam ipsa post professionem mariti ingrediatur religionem; quia talis ingressus est omnino extrinsecus, & accidentalis, & non pertinet ad formam, nec essentiam professionis, quæ cùm fuerit irrita, non potest tractu temporis convalescere sine nova ratificatione facta ab ipso marito: unde uxor non potest sine consensu mariti invalidè professi religionem ingredi, nec validè profiteri. Neque obstat, quòd maritus etiam fuerit ingressus sine licentia, & consensu conjugis, quia quòd maritus non petierit licentiam, & consensum, ipsi vertitur culpæ, proinde ejus delictum, quod commisit ingrediendo religionem, & profitendo sine licentia conjugis, non debet dare jus uxori ingrediendi etiam religionem, séque separandi à marito priùs invalidè professo: non enim hoc delictum emittendi professionem invalidam est tale, ut ob ipsum sit licitum divortium, ac permittatur alteri conjugi religionem ingredi. 14

Quæritur octavò, an si maritus sine licentia conjugis ingrediatur religionem, & uxor antequam emittat professionem, etiam ingrediatur monasterium animo in eodem profitendi non petita ulla licentia à marito, utriusque conjugis professio valida sit, adeo ut neuter possit post emissam professionem alterum revocare? Respondetur tunc utrumque conjugem validè profiteri: quia eo ipso, quòd uxor sciens maritum fuisse ingressum religionem animo in ea profitendi, tametsi per hoc præcisè quòd non reclamet, non præsumatur consentire marito volenti profiteri; consentit tamen tacitè, & in factis per hoc, quòd etiam ipsa antequam maritus professionem emittat, ingrediatur monasterium, animo in illo profitendi: tunc enim uterque conjux assentitur tacitè, in professionem alterius, cùm neuter reclamet, & uterque voluntariè, & liberè professionem emittat: quamobrem neuter potest conqueri, se ab altero spoliatum, cùm uterque censeatur sibi mutuò licentiam dedisse, ex eo quòd uterque fuerit conscius ingressûs, & professionis alterius. Id autem non procederet, si uxor tantùm post professionem emissam à marito religionem ingrederetur, quia tunc professio mariti fuisset nulla, & per ingressum uxoris in monasterium non posset convalescere; & sicut maritus invalidè professus posset è religione exire, séque restituere uxori, ita teneretur uxor licentiam, & consensum obtinere à marito, & hic iterum profiteri. 15

Quæritur nonò, an si uterque conjux insciis de ingressu alterius, eò quia loco distent, si ambo emittant professionem religiosam, hæc fortiatur suum valorem? Respondetur negativè, idque defectu licentiæ, & consensûs alterius, proinde potest uterque exire è religione & alterum repetere: si enim professio unius 16

conju-

conjugis est invalida, eò quia alter non consenserit, nec potuit ratificari sine novo consensu; ita est etiam invalida professio emissa ab altero conjuge. proinde cùm uterque fuerit invalidè professus, nullam contraxit obligationem manendi in religione, neque ista ullum acquisivit jus, proinde potest uterque exire.

87 Quòd si dicas, utrumque conjugem se spoliâsse proprio jure, ac sponte fuisse religionem ingressum; proinde non posse restitutionem petere. Contra est, quia tametsi conjux se ipsum suo jure spoliaverit, potest tamen petere restitutionem, si rediens non admittatur, ut docet Sanchez. *disp. 34. de matrim. n. 24.*

88 Quæritur decimò, an professio mariti facta cum licentia uxoris, sed dolo impetrata, sit ipso jure nulla? Respondetur, talem professionem nullum sortiri valorem, & manere jus in uxore repetendi maritum, qui propterea tenetur, se uxori restituere: quia licentia, vel consensus eo ipso quòd dolo extorquetur est ipso jure nullus; quia licèt dolus non vitiet professionem, sicut nec matrimonium carnale, nisi sit circa substantiam professionis, eò quia tunc tollat liberum consensum: non ita si contingat circa accidentalia, eò quia non tollat liberum consensum: nihilominus quando maritus per dolum injustum extorquet ab uxore consensum, ut possit religionem ingredi, tunc conjux si stante tali dolo consentiat, non præsumitur cadere jure suo in ordine ad repetendum maritum: quia talis licentia, seu consensus, quo quis cadit jure suo, debet esse liber, & dolus liberum consensum tollit quoad cessionem, seu remissionem juris conjugalis: etenim si maritus non potuisset dolum alter conjux non consensisset: proinde talis licentia per dolum obtenta cùm fuerit irrita, etiam ipsa professio fuit nulla, quæ propterea neque habet vim simplicis voti religionis, sed tantùm solius continentiæ, & castitatis, adeo ut vir restitutus uxori ex vi talis professionis non possit debitum petere, sed tantum teneatur illud reddere uxori petenti: immò neque post mortem uxoris potest aliud matrimonium licitè inire, quamvis si iniretur validum foret.

89 Quæritur undecimò, an si maritus absque petito consensu uxoris ingrediatur religionem, in qua emittat professionem, & uxor interim nec expressè consenserit, nec positivè dissenserit, sed tacuerit, ac omnia dissimulaverit, professio mariti valida sit? Respondetur negativè, quia tunc censetur maritus professionem illam emisisse absque consensu uxoris remanentis in sæculo: ratio est, quia sola dissimulatio, & solum silentium in rebus magni momenti, ac præjudicii non habetur pro consensu. An verò si post professionem mariti, uxor, quæ semper tacuit, & dissimulavit moriatur, professio mariti superstitis revalidetur, ac efficiatur rata ob sublatum matrimonii impedimentum, plures affirmant, quos citat Sanchez. *lib 7. de matrim. disp. 35. num. 15.* idque probat *ex c. consulvit 10. h. t.* ubi Clemens III. statuit, quòd maritus, qui vivente uxore, & non consentiente fit religiosus professus saltem tacitè, mortua uxore non possit aliam ducere: & si ducat, teneatur eam relinquere, & iterum ingredi suum monasterium, ex quo inferunt, quòd professus religionem sciente, & tacente, seu dissimulante uxore eâ mortuâ non possit ad sæculum redire, eò quia uxor per hoc, quòd semper dum vixerit tacuerit, visa sit consensisse? Respondendum nihilominus est cum aliis, talem professionem fuisse ab initio irritè, ac invalidè emissam; & per solam mortem uxoris, quæ quamdiu vixit semper tacuit, non validari, sed ad id requiri, ut uxore mortua vir iterum profiteatur, ac iterum consentiat in religiosam professionem, ut notat Glossa *in d. c. consulvit. 10. h. t.* etenim cùm prior professio fuerit irrita ex defectu consensûs uxoris; non potest convalescere, per hoc præcisè, quòd uxor, quæ mansit, in sæculo, decedat: quia professio ab initio irrita non potest solo tractu temporis convalescere sine nova ratificatione *l. quod ab initio 39. ff. de reg. jur.* unde quamvis uxor, quamdiu vixerit, semper tacuerit, ac dissimulaverit, non tamen per talem tractum temporis, nec per mortem uxoris professio invalidè emissa convalescit, quia tam tractus ille temporis, quàm mors uxoris, sunt quid extrinsecum, & extra formam, & essentiam professionis, quæ propterea exigit novum consensum, seu novam ratificationem, ut convalescat.

90 Præterea ut maritus invalidè professus ob defectum licentiæ, & consensus uxoris ratificet professionem, duo requiruntur. Primò ut sciat, priorem professionem ob defectum consensûs uxoris fuisse invalidam, ut docet Navarrus *lib. 3. cons. 38. num. ult. de Regul.* Secundò ut sciat, impedimentum matrimonii per necem conjugis sublatum esse: siquidem non potest quis velle ratum habere, quod ignorat esse invalidum: si enim maritus censeret professionem à se emissam validam fuisse, nulla illi suppeteret causa, quâ vellet novo consensu illam ratificare, cùm supponeret eam validam esse, proinde non indigeret nova ratificatione. Rursus si illi constet, quòd professio fuerit invalidè emissa, & nesciat impedimentum matrimonii sublatum per mortem uxoris, nec tunc potest habere animum ratificandi professionem, quia eo ipso, quòd est uxoratus, non potest professionem emittere, nec illam ratificare, & non potest velle, quod censet jure non esse possibile. Quamobrem ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, ex illo textu *in c. consulvit. 10. h. t.* non colligi, professionem illam fieri validam per hoc præcisè quòd uxor quamdiu in sæculo vixerit semper tacuerit, sed in *d. c.* tantùm habetur, quòd maritus ideo non potuerit ad secundas nuptias transire mortua uxore, & fuerit coactus religionem ingredi; eò quia maritus postquàm sciverit mortem uxoris, adhuc manserit in religione, & non reclamaverit, nec signis, nec verbis, sed exercuit omnia, perinde ac alii professi, & id per multum temporis; proinde fuit postea ipsi prohibitum exire è religione, & transire ad secundas nuptias, eò quia per illam diuturnam moram in religione post mortem uxoris illi notam ratificavit, si non verbis, saltem ipso facto, & tacitè professionem: unde dispar est ratio.

21 Quæritur duodecimò, an si ambo conjuges continentiam voveant, & alteruter religionem profiteatur sine consensu alterius, talis professio valida sit, Respondetur negativè *ex c. dudum* 20. *h. t.* Ratio est, quia per hoc quòd conjuges mutuo consensu continentiam voveant, ac renuntient juri petendi debitum conjugale, non solvitur vinculum matrimonii, nec fit separatio quoad habitationem, licèt fiat quoad torum: possunt enim ambo conjuges vovere castitatem, & simul manere uxorati: quamobrem quia stante vinculo matrimonii non potest maritus validè religiosam professionem emittere, licèt ex consensu uxoris voverit continentiam, quia tamen non habuit consensum in ordine ad ingressum religionis, & professionem in illa emittendam, fuit hæc nulla, & uxor potuit repetere maritum non quoad usum tori, cùm huic renuntiaverit per votum continentiæ, sed ut sibi assisteret quoad bona temporalia. Consultiùs tamen foret persuadere uxori, quæ etiam vovit continentiam, religionem ingredi, ac in illa profiteri.

22 Quæritur tertiodecimò, an si uxor lapsa fuit in adulterium possit maritus innocens religionem ingredi, & in illa validè profiteri? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. constitutus* 15. *h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd si maritus fiat professus uxore adulterante hæc non possit virum revocare. Quia tametsi per adulterium non dissolvatur matrimonium quoad vinculum, si fuerit inter conjuges consummatum, nihilominus adulter amittit jus conjugale quoad torum, & hoc jus fuit totum impedimentum, quo conjux innocens non potuit religionem ingredi, nec in ea licitè profiteri: at semel quòd per adulterium uxor amisit jus petendi à marito debitum conjugale, potest etiam maritus, si velit nunquam ab uxore tale debitum petere, imò etiam votum castitatis edere invitâ uxore adulterâ, quæ cùm amiserit jus exigendi debitum, non potest prohibere marito ingredi religionem, & in ea profiteri, cùm nec etiam possit eidem prohibere votum continentiæ. Immo potest etiam, si quid aliud non obstet sacros ordines suscipere, ut desumitur *ex d. c. constitutus*. Juvat tamen observare cum Glossa *in d. c. constitutus* quòd ut maritus possit in religione profiteri, vel sacros Ordines suscipere invitâ uxore adulterâ, à qua non possit revocari, non sufficit adulterium occultum saltem in foro externo; sed requiritur, ut sententia divortii præcesserit, & ut adulterium ita fuerit publicum, & notorium, ut conjux innocens etiam non expectatâ sententiâ divortii possit propriâ authoritate cohabitationem adulteræ deserere citra metum restitutionis: siquidem maritus ob adulterium uxoris habet ab ipso Deo hanc facultatem cùm Christus *Matth. 19.* dixerit; quòd uxor dimitti non possit, nisi ob solam fornicationem, scilicet publicam, & notoriam.

23 Quæritur quartodecimò, an uxor adultera possit sine consensu mariti innocentis ingredi religionem, si institutum sit divortium? Respondetur negativè: quia mutatio statûs permittitur in favorem innocentis, non verò nocentis: tum quia tametsi factum sit divortium, adhuc remanet in marito jus reconciliandi sibi conjugem adulteram, proinde non debet tali jure privari: privaretur autem si licitum esset uxori adulteræ sine consensu mariti innocentis religionem ingredi, & in illa profiteri: unde si huic favori maritus innocens velit renuntiare, ac assentiri expressè, vel tacitè, ut uxor adultera religionem ingrediatur, potest hæc eam ingredi licitè, ac validè in eadem profiteri.

24 Quæritur quintodecimò, an quando professio emissa à marito in religione non valuit, nisi ut simplex votum continentiæ ob defectum consensûs conjugis, possit maritus non petente uxore propria authoritate è monasterio exire? Respondetur utramque partem affirmativam, & negativam videri probabilem: siquidem posse propria authoritate exire è monasterio docent plures cum Sanchez *disp. 34. num. 13.* & hæc sententia nititur hoc fundamento, quia professio eò ipso, quòd est invalida nullam invehit obligationem; & sine obligatione nemo tenetur manere in monasterio, nec potest in ipso retineri *argum. c. accedens 17. h. t.* & *c. 33. q. 5.* ubi invalidè professus proprio motu, si exeat è monasterio, non reprehenditur, eò quia ob nullitatem professionis nullam contraxerit obligationem in illo manendi. E contra partem negativam docent plures Canonistæ cum Glossa, & Panormitano *in c. placet 12. h. t.* ubi statuitur, quòd mulier quæ sine consensu viri, ut quem putabat mortuum, accepit habitum professum religionis reverso viro sit ei reddenda, quia votum, quantum, ad ipsam tenuit; & non potest petere debitum: sed non respectu mariti, ut redire ad sæculum, & reddere debitum; mortuo enim viro votum tenet, & congruentius esset ad salutem ad religionem redire: unde redire ad sæculum non erat in ejus potestate, eò quia talis professio suum fuerit valorem sortita, ut votum simplex castitatis, ob quod tenetur vovens quantum in se est vitare omne carnale commercium, unde eatenus fuit egressa, quia ejus vir fuerat reversus, cui propterea erat uxor restituenda.

25 Nihilominus certum est, monasteriũ posse expellere religiosum nulliter professum, postquam ejus professionis nullitas illi innotuerit: ratio est quia obligatio oritur in monasterio ad retinendum Religiosum tantùm ex professione validè emissa; proinde si professio fuit nulla, non potest ulla obligatio oriri in religione ad retinendum nulliter professum. Immo putârim nulliter professum teneri nullitatem suæ professionis manifestare monasterio ob plura inconvenientia, quæ ex occultatione sequi possent, & præsertim, quia nulliter professus participaret de proventibus monasterii absque ullo justo titulo, & instar malæ fidei possessoris; neque haberet jus ad actus capitulares.

26 Quòd si monasterium paratum esset eum retinere per modum oblati non emittentis professionem, adhuc censerem ipsum obligatum ad alterum conjugem facere certiorem de suo statu, eò quia illum per ingressum in religionem defrau-

defraudaverit jure conjugali; unde ſi monaſterium vellet illum retinere, ut oblatum, id non poſſet fieri ſine conſenſu alterius conjugis, quia ſi iſte vellet uti jure ſuo conjugali, poſſet alterum conjugem revocare, & monaſterium teneretur eum reſtituere; niſi forteſſis uxor religionem ingreſſa ſævitiem rationabiliter timeret mariti *c. litteras de reſtit. ſpoliat.* quinimò tametſi maritus non revocaret uxorem nulliter profeſſam, & eſſet ſuſpectus de incontinentia adhuc uxor eſſet illi reſtituenda, quia debitor poteſt debitum etiam non petente creditore reſtituere; quòd verò teneatur, ex eo videtur ſuaderi, quia ex retentione uxoris in monaſterio maritus remanens in ſæculo ſuſpectus de incontinentia conſtitueretur in continuo periculo peccati. Quòd ſi maritus non eſſet ſuſpectus de incontinentia; tunc ſaltem procurato ejus voto ſervandæ perpetuæ continentiæ, & expreſſa licentia ratificandi profeſſionem invalidam, poſſet tunc uxor validam profeſſionem emittere in tali monaſterio, quia tunc maritus caderet jure ſuo conjugali.

27 Quæritur ſextodecimò, quo jure matrimonium ratum per religoſam profeſſionem ſolvatur? Diximus in præcedentibus, matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum diſſolvi quoad vinculum matrimoniale per ſolemnem profeſſionem emiſſam in religione approbata etiam invito alio conjuge, idque non quia copula carnalis ſit de ſubſtantia matrimonii: ſiquidem non concubitus, ſed conſenſus matrimonium facit: ſed quia per matrimonium ratum, & nondum conſummatum inducitur tantùm quædam conjunctio, cui ſubeſt tacita conditio reſolutiva, niſi ſequatur mors ſpiritualis, ſeu civilis contingens per ſolemnem profeſſionem in religione approbata. Tum quia matrimonium ratum, & nondum conſummatum, tantùm ſignificat conjunctionem Chriſti cum anima per gratiam, & dilectionem charitatis; quæ conjunctio per quodlibet peccatum mortale ſolvitur, proinde ſicut ſignificatum per matrimonium tantùm ratum eſt obnoxium mutationi, ita etiam ſolutioni ipſum matrimonium ratum, & nondum conſummatum: ſecus matrimonium conſummatum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, & quia hæc conjunctio eſt perpetua, & nunquam ſolutioni obnoxia, eò quia Verbum divinum humanitatem, quam ſemel aſſumpſit, nunquam dimittat; ideo matrimonium ratum, & conſummatum nunquam quoad vinculum dirimitur; & hæc eſt ratio potiſſima, cur per ſolemnem profeſſionem emiſſam in religione approbata matrimonium tantùm ratum diſſolvatur, non verò ſi fuerit ſimul ratum, & conſummatum.

28 Sed difficultas adhuc urget, quónam jure matrimonium ratum per profeſſionem diſſolvatur. Reſpondetur, probabiliùs ſolvi tantùm jure eccleſiaſtico antiquiſſimo, ac derivato ab Apoſtolis, ut docent Fagnanus *in c. ex parte 14. num. 8. h. t.* Zœſius *in comment. h. t. num. 18.* & alii Canoniſtæ, & ratio id videtur ſuadere, quia matrimonium ſpectata rei natura eſt indiſſolubile, nec poteſt mutuo conſenſu diſſolvi, neque ex aliis cauſis, ex quibus diſſolvuntur alii contractus. Non enim per profeſſionem emiſſam in religione approbata diſſolvitur jus ſervitutis, cùm profeſſio ſervi, ſi fiat invito Domino, nullum ſortiatur valorem: unde neque matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem jure naturæ ſolvitur.

29 Rurſus neque ſolvitur immediatè jure divino poſitivo: alioquin etiam per votum ſimplex religionis matrimonium ratum ſolveretur, quia jure divino votum ſimplex, & ſolemne ejuſdem ſunt rationis, & inducunt eandem obligationem, ſolemnitas enim votorum tantùm introducta fuit ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, ut deſumitur *ex c. un. de voto in 6.* Tum quia *in c. ex publico 7. h. t.* adducitur illud *Matth. 19.* ubi Chriſtus dixit, quòd uxor non ſit dimittenda niſi ob fornicationem, ſeu ob adulterium publicum, & notorium, quod intelligitur de matrimonio rato, & conſummato. Verùm ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per profeſſionem alterius conjugis in religione approbata, tria requiruntur. Primò ut emittantur tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Secundò ut emittantur in manibus legitimi ſuperioris Regularis, cui inſit facultas incorporandi profeſſos religioni. Tertiò ut fiat in aliqua religione approbata à ſede Apoſtolica, ut notat Fagnanus *in d. c. ex parte num. 15. h. t.* Poteſt etiam Eccleſia ſtatuere, ut matrimonium ratum diſſolvatur, ſi alteruter conjugum labatur in hæreſin; perinde ac conſtituit, ut diſſolvatur matrimonium etiam conſummatum ſi alteruter conjugum convertatur ad fidem, & alter maneat infidelis, ut habetur *in c. gaudemus 8. de divort.*

TITULUS XXXIII.

De converſione Infidelium.

QUum non ſolùm conjugati fideles, verùm etiam infideles, ſeu ethnici ſubinde convertantur ad fidem Chriſtianam, ideo poſtquam ſummus Pontifex egit in præcedenti titulo de converſione conjugatorum, ſubjicit Titulum de converſione infidelium. Generatim is dicitur infidelis, qui à fide Catholica diſcrepat: ſiquidem omnis alienus à fide Catholica, dicitur eidem contrarius, proinde infidelis *l. Cæleſtes, in fin. C. de Judæis*

Judais & Cælicol. Juxta tamen præſens inſtitutum infidelis ſpecialiter ſumitur pro illo, qui nunquam fidem ſuſcepit, qualis eſt Judæus, Paganus, Saracenus: hæreticus enim, qui antea fuit Catholicus non dicitur converti, ſed reverti ad fidem Catholicam.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. LAUDABILEM 1. h.t. Cœleſtinus III. ſtatuit, ut ſi quis etiam infidelis, machinationibus alicujus uxoris interficit maritum ejusdem, & ſi per mulierem infidelis revertatur ad fidem, non poſſit ducere uxorem defuncti: quòd ſi eam ducat matrimonium eſt irritum. Sed ſi ſine machinatione uxoris interficit maritum in bello; poſſit tunc eam ducere, & matrimonium valet. Ex hoc textu liquet, eum qui machinante uxore ejus maritum occidit, non poſſe eamdem ducere. Idque etiam procedere ſi fidem dederunt c. 1. de eo, qui duxit in matrimonium. *Vel etiam ſi de facto contraxit. Sin autem dedit fidem, & cognovit uxorem vivente marito ratione adulterii nequit eam ducere, quia ſola fides data non impedit matrimonium. Quòd ſi mulier ratum habeat, virum fuiſſe interfectum, plures cenſent, non poſſe tunc nubere interfectori; quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato. Alii tamen probabiliùs cenſent, per hanc ratihabitionem non irritari matrimonium; quia hoc edictum eſt prohibitorium.*

C. EX LITERIS 2. h.t. Gregorius IX. declarat, quòd quando Pater convertitur ad fidem; & Mater remanet infidelis, filius ſit dandus Patri converſo: quia quamvis puer ſit infans, & magis indigeat materno auxilio, quàm paterno, & matri ante partum fuerit oneroſus, in partu doloroſus, & poſt partum laborioſus: nihilominus quia filius in patris poteſtate conſiſtit, unde patris familiam ſequitur, & in illa tenella ætate non debet remanere cum perſona, de qua poſſit eſſe ſuſpicio, ut inſidietur ſalutì animæ, quia poſſet illum adducere in errorem infidelitatis; ideo puer poſt triennium debet morari apud patrem non ſuſpectum. Tum quia in favorem fidei puer eſt aſſignandus patri Chriſtiano. Hoc idem procedit ſi mater convertatur ad fidem, non pater. Notat tamen Gloſſa hic, cauſam petitionis eſſe ſemper inſerendam in ipſa petitione, alioquin repellitur c. 2. & 3. de liber. oblat. *Ceterum Pater poteſt petere filium in ſua poteſtate conſtitutum, ſeu poſt triennium. Mater tamen habet exceptionem contra maritum, ut ſi ſit minor triennio: quia antequam puer ſit trimulus debet educari à matre. Quòd ſi filius detineatur ab alio invitus, poteſt peti per officium Judicis: ſin verò detineatur volens, peti poteſt rei vindicatione, adjecta cauſa de jure: ſin verò unus ex parentibus convertatur ad fidem filius nondum doli capax ſequitur parentem fidelem: ſecus ſi ſit capax doli non debet niſi conſentiens Baptizari. Patre mortuo filius infans debet educari apud perſonas non ſuſpectas. Verùm educatio pupilli nulli magis eſt committenda, quàm matri, vel vitrico. Facto autem divortio, filius debet educari ab eo, qui non dedit cauſam divortii.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo infideles, ſi convertantur debeant ſe gerere.

1 CErtum eſt, infideles poſſe inter ſe matrimonium contrahere, & hoc jure naturali in ratione contractûs ſortiri ſuum valorem, quo fit, quòd ſi ambo conjuges infideles convertantur ad fidem non debeant, nec poſſint ab invicem ſeparari, quamvis matrimonium fuerit initum cum aliquo impedimento dirimente introducto tantùm jure humano pontificio, cujusmodi eſt impedimentum in ſecundo, & tertio conſanguinitatis gradu lineæ collateralis: ratio eſt, quia eo tempore, quo conjuges infideles contraxerunt matrimonium non ſubjiciebantur jurisdictioni Pontificis, cùm per Baptismum nondum fuerint Eccleſiam ingreſſi; & ex alio capite contractus ille matrimonialis jure naturæ fuit validus: & quia poſt converſionem ad fidem, & ſuſceptionem Baptismi talia impedimenta cenſentur primùm afficere matrimonium, cui ſuperveniunt, ideo illud non dirimit, perinde ac ſi inter catholicos poſt contractum matrimonium aliqua affinitas induceretur ex parte uxoris, eò quia ejus ſoror carnaliter cognoſceretur à marito, ut deſumitur *ex c. gaudemus 8 de divortiis.* quòd ſi ut moris eſt apud Ethnicos maritus plures duxiſſet uxores, tunc illam tantùm primam, cùm qua contraxit deberet retinere, non verò alias: ratio eſt, quia matrimonium fuit tantùm validum cum illa prima ſola. Quòd ſi eam fortaſſis ante converſionem repudiaverit adhuc teneretur eam repetere, quia repudiatio illa quantum ad diſſolvendum matrimonium non fuit valida, ut deſumitur *ex c. gaudemus 7. quia verò.* Id autem procedit ſi ambo conjuges con-

convertantur, quia ſi alteruter tantùm converteretur, matrimonium non eſſet Sacramentum, quia matrimonium non in uno ſolùm, ſed in utroque conjuge eſt unum numero Sacramentum, ſicut eſt unum numero matrimonium; unde ſi in uno non eſt Sacramentum, nec erit in altero.

2 Cæterum matrimonium infidelium, quamvis conſummatum poteſt diſſolvi ex ſpeciali privilegio Chriſti dato in favorem fidei, & promulgato per Apoſtolum Paulum, nimirum ſi alter conjux convertatur ad fidem; & alter pertinax in ſua infidelitate nolit cohabitare cum conjuge infideli, vel ſi cohabitet, id contingat, cum contumelia, & blasphemia creatoris; tunc enim ne ad peccatum pertrahat alium conjugem, poteſt matrimonium etiam conſummatum diſſolvi, ait enim Apoſtolus 1. *ad Corinth. 7. Quòd ſi infidelis: diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror hujusmodi.* Hoc idem etiam deſumitur *ex c. quantum de divortiis.* Juvat tamen obſervare, quòd non ſtatim & ipſo facto diſſolvitur matrimonium, quando infidelis declarat ſe nolle cohabitare cum conjuge fideli; ſed tunc primùm diſſolvitur, quando fidelis ad alias nuptias tranſit: hinc antequam conjux fidelis contrahat nuptias cum fideli; ſi infidelis interim reſipiſcat, & pœnitentia ductus etiam convertatur; tenetur conjux fidelis illum recipere, ut habetur *in c. gaudemus in fin. de divort.*

3 Hinc eo ipſo, quòd infidelis convertitur ad fidem, poteſt matrimonium contrahere cum fideli, niſi cum adhuc eſſet in infidelitate, dolo, & machinatione occidiſſet ejus maritum ad eum finem, ut illam duceret: alioquin ſi vir fidelis abſque dolo, & machinatione veluti in bello maritum infidelem uxoris fidelis occidiſſet, nil tunc prohiberet quo minus poſſet illam ad fidem converſam ducere in uxorem, & deſumitur *ex c. laudabilem 1. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd qui etiam infidelis, machinationibus alicujus uxoris interficit maritum, & ſi per mulierem infidelis revertatur ad fidem, non poteſt ducere uxorem defuncti in propriam uxorem, & ſi ducat matrimonium eſt nullius valoris. Quòd ſi ſine machinatione uxoris, & ſine dolo interficit maritum in bello, vel ex alia occaſione, poteſt illam ducere, & matrimonium ſuum ſortitur valorem, deſumitur etiam id *ex c. ſi quis vivente 31. q. 1.* Hoc etiam procedit ait Gloſſa *in d. c. laudabilem ſi fidem dederint* ibidem *c. 1. de eo qui duxit in matrimonium*, & ſi de facto contraxit *c. ſuper hoc eod. & c. cùm haberet.* Quòd ſi mulier ratum habuit, virum fuiſſe interfectum, videtur tunc talis ratihabitio impedire matrimonium; quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato. Verùm probabilior ſententia eſt, quòd non impediat matrimonium, eò quia edictum ſit prohibitorium.

4 Quòd ſi alter infidelium, inter quos poteſt iniri matrimonium in ratione contractus civilis non item in ratione ſacramenti, ut habetur *in c. gaudemus inf. de divortiis*, convertatur ad fidem Catholicam, tunc communis proles aſſignari debet converſo, ne ab infideli inducatur in errorem, idque deſumitur *ex c. ex litteris h. t.* ubi habetur, quòd quando pater convertitur ad fidem, & mater remanet infidelis, filius dari debeat patri converſo, quia tametſi puer ſit infans, magisque indigeat materno ſolatio, quàm paterno auxilio; & matri fuerit ante partum oneroſus, in partu doloroſus, poſt partum laborioſus: nihilominus quia filius conſiſtit in patris poteſtate, ideo ſequitur patremfamilias, & in illa quantumvis ætatula non debet remanere cum perſona, de qua poſſit ſuſpicio eſſe, ut infidietur ſaluti, vel vitæ illius: mater enim infidelis poſſet facilè filium adducere in errorem infidelitatis, quapropter puer exacto primo triennio ali debet apud patrem non ſuſpectum; idque in favorem fidei Chriſtianæ, idem etiam procedit, ut notat Gloſſa *in d. c.* ſi mater convertatur ad fidem Chriſtianam, & pater remaneat infidelis, tunc enim puer morari debet apud matrem carentem ſuſpicione: cauſa tamen petendi puerum inferenda ſemper eſt in ipſa petitione: alioquin repellitur *c. 2. & 3. de liberis obla.* Licèt tamen pater poſſit petere filium in ſua poteſtate conſtitutum, ſeu poſt triennium, mater tamen habet exceptionem contra maritum, ſi puer ſit minor triennio; quia tunc apud illam debet educari, tametſi judicatum eſſet in contrarium, vel ob nequitiam patris, ut ſine diminutione paternæ poteſtatis filius apud eum moretur. Rurſus ſi filius detineatur ab alio invitus poteſt pater illum petere per officium judicis. Quòd ſi detineatur volens poteſt peti rei vindicatione adjecta cauſa de jure. Præterea ſi unus parentum convertitur ad fidem, filius trimulus ſequitur fidelem: ſecus ſi eſſet doli capax; quia non deberet baptizari niſi ſponte. Quòd ſi pater deceſſerit, pupillus debet educari apud perſonas non ſuſpectas, imò judex debet id jubere contra matrem ſuſpectam, quòd ſi hæc vacua ſit ſuſpicione, erit illi tradendus filius. Demũ facto divortio filius debet educari apud eum parentem, qui non dedit cauſam divortii.

5 Generatim uxor fidelis, quæ non procuravit cædem mariti, non prohibetur contrahere matrimonium cum eo, qui in bello, vel ex alia cauſa eum occidit: imò id non ſolùm procedit de muliere fideli habente maritum infidelem, ſed etiam de fideli habente maritum fidelem, ſi enim hic in bello fuit occiſus ab alio viro fideli non prohibetur uxor vidua nubere eidem viro, qui primum maritum in bello occidit: ſecus tamen ſi mulier fuiſſet directè, vel indirectè cooperata in cædem mariti fidelis, ut habetur *in c. ſi quis 5. & cauſ. 31. q. 1.* quia hoc impedimentum oritur ex atroci delicto, & gravius delictum eſt, ſi fidelis fidelem occidat, quàm ſi fidelis infidelem. Et quamvis *in d. c. laudabilem 1. h. t.* ſummus Pontifex loquatur de uxore fideli, cujus machinatione per Saracenum ejus maritus occiſus fuerat; non tamen vis in eo eſt ſita, ut occiſus fuerit infidelis, quia perinde fuiſſet, ac ſi Chriſtianus fuiſſet occiſus: unde tantùm fuit dubitatum de infidelibus ob lucrum converſionis ſubſecutum, & cujus gratiâ matrimonium fuit initum, ut notat Abbas *in d. c. laudabilem 1. num. 4. eod. tit.*

6 Cæterum Ecclesia ex justa causa potest statuere impedimentum dirimens matrimonium, ut desumitur *ex d. c. laudabilem 1. h. t.* ubi ob crimen machinationis mortis alterius conjugis inducitur impedimentum, quod dirimit matrimonium. Ubi juvat animadvertere, quòd hoc impedimentum directè, & per se non constituit inhabilem ad matrimonium ipsum infidelem, quia cùm sit impedimentum introductum ab Ecclesia; & infidelis, quamdiu manet in sua infidelitate non subjiciatur jurisdictioni Ecclesiæ, neque potest directè affici tali impedimento in pœnam delicti commissi tempore infidelitatis, unde tantùm indirectè, & per accidens potest infidelem afficere, quia directè, & per se afficit mulierẽ fidelem, quæ cooperata est in necem mariti, ne possit in perpetuum occisorem ducere in matrimonium, quamvis ad fidem postea convertatur: quo fit, ut indirectè, & per accidens impediatur fidelis ducere in uxorem talem mulierem, quæ cooperata fuit in necem mariti. Eadem ratione irritum est matrimonium fidelis cum infideli non ob impedimentum infidelis, sed propter impedimentum Ecclesiasticum afficiens fidelem, ne possit contrahere cum infideli.

7 Quòd si mulier infidelis in statu infidelitatis suasisset viro infideli, ut occideret ejus maritum, ea etiam intentione ut postea simul matrimonium contraherent; si postea ante contractum matrimonium mulier infidelis, & vir pariter infidelis converterentur ad fidem, tunc possent inter se matrimonium contrahere, quia tale impedimentum est canonicum positum ab Ecclesia, & non afficit nisi subditos ejusdem, & quia ante susceptum Baptismum, & tempore infidelitatis, quo conjux suasit viro maritum occidere, neuter erat subditus Ecclesiæ; ideo nec potuit ligari, neque affici hoc impedimento inducto ab Ecclesia: & post Baptismum nec potest illud impedimentum afficere contrahentes, quia beneficio Baptismi fuerunt peccata antea commissa deleta, & pœnæ iisdem annexæ etiam remissæ: quapropter infideles illi post susceptum Baptismum possent invicem matrimonium contrahere. Quòd si mulier esset fidelis, & haberet maritum infidelem, ad cujus necem cooperaretur, ut posset nubere viro fideli, si is ejus maritum infidelem occideret, non posset ei nubere, tametsi mulier ex bono fine sibi visa esset conspirâsse in cædem mariti infidelis, ut etiam si occisor esset alius infidelis, & promisisset uxori, quòd post cædem sui mariti vellet fidem Catholicam amplecti, & eam ducere, quia non sunt committenda delicta ob bonum aliquod etiam spirituale: proinde mulier illa fidelis non posset nubere viro illi, tametsi post cædem mariti converteretur, & fieret fidelis: non enim propter lucrum etiam spirituale debet homicidium patrari, perinde ac non est committendum furtum, ut ex eo possit quis eleemosynam pauperibus erogare.

8 Ad incurrendum tamen hoc impedimentum dirimens matrimonium debuit uxor cum viro aliquo conspirâsse in cædem mariti, vel hic cum aliqua muliere in necem uxoris, adeo ut uxor cum viro aliquo, vel maritus cum muliere activè concurrerit, sive per mandatum, sive per consilium, sive per ipsius facti executionem. Secundò debet id fieri cum spe, & intentione matrimonii contrahendi post necem conjugis, ut desumitur *ex c. si quis 5.* & ratio desumitur ex fine, ob quem hoc impedimentum dirimens matrimonium fuit inductum, scilicet, ut rescindatur omnis occasio conspirandi contra conjugem spe transeundi ad alias nuptias post mortem mariti.

9 Non tamen, ut superiùs dixi, ad incurrendum hoc impedimentum sufficit ratihabitio occisionis, ut si uxor post cædem mariti scivit Cajum occidisse suum maritum ea intentione, ut matrimonium cum ipsa contraheret; & mulier post cædem mariti ratihaberet occisionem, ut nubat Cajo: quia hæc approbatio post factum non sufficit ad inducendũ impedimentum, quia tunc non influit, nec amplius potest cooperari in cædẽ mariti; quòd si talis approbatio præcessisset necem mariti, tunc cooperaretur in necem ejusdem, proinde induceret impedimentum, ne ipsa posset nubere occisori; ex quo liquet discrimen inter ratihabitionem præcedentem, & sequentem cædem mariti. Ratio cur ratihabitio post occisionem non inducat impedimentum est ea, quam superiùs innuimus, quia hoc edictum statuens impedimentum matrimonium contrahendi, cùm sit prohibitorium, est odiosum, & non debet extendi ultra casum expressum.

10 Neque obstat, quòd ratihabitio *reg. 10. in 6.* comparetur mandato, & retrotrahatur: quia id solùm contingit fictione juris: quia spectata rei veritate ratihabitio non est mandatum, nec activus influxus in cædem mariti, cùm habeatur post ejus mortem: in decretis autem prohibitoriis, & præsertim pœnalibus, & quæ ponuntur in pœnam criminis fictio juris non admittitur.

§. II.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an si maritus infidelis nolit converti ad fidem, & velit cum sua uxore fideli pacificè cohabitare, sit id ei permittendum? Respondetur, plures censere valdè probabile, quòd mulier fidelis teneatur admittere virum infidelem, si pacificè velit cohabitare, & hæc sententia fundatur in illo Apost. 1. ad Corinth. 7. ubi ait: *Cæteris autem dico ego, non Dominus, si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Verùm quia Apostolus per hæc verba significat, non esse præceptum Christi, ut fidelis cohabitet infideli: ideo alii censent Apostolum ibi tantùm consilium dedisse, adeo ut absolutè possit matrimonium dissolvi, si alter conjux nolit converti, licèt velit pacificè cohabitare: addúntque, talem cohabitationem in primitiva Ecclesia, ubi dictim plures conver-

te-

vertebantur propter spem conversionis fuisse ab Ecclesia permissam: tametsi hodie quia refrigescente charitate periculum perversionis videtur fortius, quàm occasio conversionis, talis cohabitatio quamvis pacifica non ampliùs conceditur. Utraque sententia probabilis est, suósque habet fautores apud Sanchez, *de matrim. lib. 7. disp. 74. num. 5. & 7.* Unde in hac quæstione videtur potiùs standum praxi, & arbitrio Episcopi; si enim ex cohabitatione fidelis cum infideli speretur conversio infidelis, Episcopus potest sequi priorem sententiam, & concedere cohabitationem pacificam: sin autem ex tali cohabitatione rationabiliter timeatur periculum perversionis, tunc cohabitatio non est concedenda.

a Quæritur secundò, an si maritus infidelis velit permanere cum uxore fideli sine injuria creatoris, & citra scandalum, adhuc possit uxor fidelis novum matrimonium cum viro fideli inire? Respondet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 74. num. 9.* & cum ipso alii plures, uxorem fidelem non obstante, quòd maritus infidelis velit cum ipsa permanere sine injuria creatoris, & scandalo, posse transire ad alias nuptias cum viro fideli, si mulier fuit recèns conversa ex infidelitate ad fidem. E contra Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 7.* Navarrus *in manual. c. 22 num. 49.* Rebellius *p. 2. lib. 3. q. 10. num. 10.* & plures alii cum D. Thoma *in 4. dist. 33. q. un. art. 5.* docent, uxorem recèns ex infidelitate ad fidem conversam teneri manere cum marito infideli, si hic promittat velle cum uxore permanere sine injuria Creatoris, & citra omne scandalum. Fundamentum, quo hæc sententia nititur, est, quia matrimonium initum inter ambos infideles fuit validum naturaliter; quia fuit verus contractus civilis naturaliter obligans utrumque conjugem contrahentem: & per hoc, quòd uxor postea convertatur ad fidem accipit gratiam supernaturalem sanctificantem: & quia gratia non destruit naturam: nec prior contractus dissolvitur in lege gratiæ sine culpa alterius conjugis: & id etiam desumitur *ex c. gaudemus de divort.*

b Verùm textus ille non videtur admodum favere, quia Pontifex *in d. c. gaudemus* pro eodem sumit, conjugem velle cohabitare manendo in sua infidelitate; & hoc idem velle cum contumelia Dei, eò quia maritus infidelis non transit ad religionem, in qua sola verus cultus exhibetur Deo: unde ex eo præcisè, quòd velit manere in sua infidelitate vult Deo denegare verum cultum, qui illi debetur, quod cedit in contumeliam Dei. Tum quia maritus infidelis facilè suo exemplo filios ab uxore fideli susceptos ad suam pertrahere posset infidelitatem: quòd si eos non pertraheret saltem iisdem dominaretur; consequenter hostis Dei servis dominaretur ejusdem Dei. Quamobrem sententia D. Thomæ quamvis videatur probabilior: nihilominus putârim in simili casu tutiùs esse consulere summum Pontificem, & dispensationem petere. Quòd si maritus non assentiretur, se summo Pontifici subjicere, teneretur tunc uxor fidelis illum monere, & invitare ad fidem: & marito petenti certum tempus concedere ad deliberandum de conversione, id rationabile est, & æquitati consonum: neque ante hanc monitionem, & moram ad deliberandum constare potest, eum esse pertinacem.

c Quæritur tertiò, an maritus infidelis, qui uxorem fidelem non vult sequi, possit aliam mulierem ducere? Respondet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 77. num. 6.* licitum esse infideli dissoluto semel vinculo matrimonii cum uxore fideli transire ad secundas nuptias, eò quia nullo jure id ei interdicatur; non jure humano ecclesiastico, quia jurisdictio Ecclesiæ tantùm extenditur ad subditos ejusdem, qui sunt per Baptismum Ecclesiam ingressi: infidelis autem cùm non susceperit Baptismum, non est ingressus Ecclesiam, proinde nec subjicitur jurisdictioni ejusdem; proinde jure humano Ecclesiastico non potest tali infideli prohiberi transitus ad secundas nuptias cum alia muliere infideli: neque jure civili talis transitus illi interdicitur, quia hoc jus sæculare nusquam reperitur. Demum nec jus divinum naturale videtur hunc transitum marito infideli prohibere; quia tametsi peccet, eò quia violet jus divinum naturale legis prioris matrimonii, qua tenebatur sequi priorem uxorem ad fidem conversam, eo tamen ipso, quòd tale matrimonium est dissolutum, nulla lex divina naturalis superest, quâ huic infideli interdicatur transitus ad secundas nuptias; quia semel soluto priori matrimonio est ipsi liberum inire secundum. Nihilominus D. Thomas *in 4. sentent. dist. 37. q. 2. art. 5. ad 3.* docet, quòd tametsi, postquam conjux recèns ad fidem conversa contrahit matrimonium cum viro fideli, solutum sit vinculum matrimonii ex utraque parte, eò quia matrimonium sit tantùm unicum vinculum constringens simul utrumque conjugem, quod si solvatur, liberat utrumque conjugem; attamen in pœnam mariti permanentis in sua infidelitate ei interdicitur transitus ad secundas nuptias, adeo ut hæc pœna non infligatur ab Ecclesia, cujus jurisdictioni infidelis non subjicitur: sed à Deo ob injuriam, quâ infidelis ipsum Deum, veram fidem, & veritatem sacramenti non amplectitur, adeo ut Ecclesia sit tantùm promulgatrix talis pœnæ à Deo inflictæ ob injuriam, quâ infidelis Deum, veram fidem, & veritatem sacramenti afficit. Hinc verum non est, quòd asserit Sanchez, nullo jure interdici marito infideli transitum ad secundas nuptias. Prohibetur enim eidem talis transitus jure divino infligente pœnam promulgatam ab Ecclesia: & licèt sententia Sanchez sit etiam probabilis, eique adhæreant Barb. *in collect. tom. 4. p. 2. decret. cauf. 28. q. 2. c. 2. num. 8.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. p. 2. c. 7. num. 248.* Nihilominus sententia D. Thomæ est tutior.

d Quæritur quartò, an maritus infidelis possit ad secundas nuptias transire, si ejus uxor fidelis in casu sibi permisso matrimonium solverit? Respondent plures posse tunc maritum infidelem perseverantem in sua infidelitate dissoluto matrimonio à sua uxore fideli, aliud matrimonium inire; quia nullo textu, nec firma ra-

tione ostenditur adempta illi hæc potestas: siquidem si mortua uxore fideli potest maritus infidelis superstes novum matrimonium inire; hoc idem poterit etiam eo ipso, quòd prius matrimonium fuit dissolutum; eò quia ejus uxor fidelis transierit ad alias nuptias cum viro fideli. Nihilominus probabilius putârim cum D. Thoma *in 4. dist. 39. q. unic. art. 5. ad 3.* non licere marito infideli etiam post solutum matrimonium ab uxore fideli transire ad secundas nuptias: quia ut docet D. Thomas in pœnam mariti infidelis ei indicitur, quòd non possit cum alia contrahere, magis quàm ex virtute præcedentis matrimonii: quòd si postea convertatur, potest eidem dispensatio concedi, ut alteram ducat, si ejus uxor alium maritum duxit.

6 Quamobrem D. Thomas docet, tali infideli esse interdictum secundum matrimonium in pœnam suæ perfidiæ. Ratio est, quam adfert Sotus *in 4. dist. 39. q. unic. art. 4.* quia infidelis eo ipso, quòd detrectat ad fidem converti eo tempore, quo ejus uxor convertitur, peccat contra fidem non recipiendo illam mediante sacramento Baptismi; & etiam contra matrimonium non sequendo uxorem conversam, ut habetur *in can. si infidelis 28. q. 2.* adeo ut infidelis detrectans converti peccet in Deum, & in matrimonium, quapropter jure divino, & non ecclesiastico arcetur à novo conjugio contrahendo & hæc prohibitio est pœna inflicta jure divino, & promulgata ab Ecclesia.

7 Neque obstat quòd maritus infidelis dissoluto priori matrimonio per mortem suæ uxoris conversæ ad fidem possit inire secundum matrimonium: quia id est falsum; nunquam enim licitum est infideli secundum matrimonium inire etiam mortua ejus uxore conversa, idque in pœnam perfidiæ: ut enim docet D. Thomas ob proterviam est ipsi interdictum, ut non possit cum alia contrahere: neque obstat, quòd uxor conversa sit mortua, quia etiam qui uxorem occidit, ea mortua non potest aliam ducere, nisi adsit dispensatio: & hæc sententia D. Thomæ probabilior est, ac illi adhærendum.

8 Quæritur quintò, an matrimonium conversi cum infideli contractum antequam conversus baptizaretur dissolvatur per solemnem professionem in religione approbata? Certum est, matrimonium conversi cum infideli initum ante conversionem non dissolvi donec conversus transeat ad aliud matrimonium: & sicut solvitur ex eo, quòd conjux conversus transeat ad secundum matrimonium, ita difficultas est, an etiam solvatur, si conjux conversus non secundum matrimonium ineat, sed religionem approbatam ingrediatur, & solemnem in illa professionem emittat, adeo ut ex vi solemnis professionis perinde solvatur, ac per secundum matrimonium? Respondet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 76. num. 9.* per solemnem professionem etiam solvi matrimonium, quod ante conversionem initum fuerat inter infideles, eò quia professio religiosa solvat matrimonium ratum, & non consummatum initum inter fideles; quòd matrimonium est longè fortius vinculum, quia non solùm est contractus civilis, sed etiam Sacramentum; & matrimonium initum inter infideles est tantùm contractus civilis, & non Sacramentum: unde si professio religiosa dissolvit matrimonium ratum initum inter fideles; à fortiori etiam solvet matrimonium initum, & consummatum inter infideles.

Verùm contraria sententia videtur probabilior, quam docent Pontius *lib. 9. c. 4. num. 10.* 9
Diana *de matrim. resolut. 125.* Perez. *disp. 36. sect. 8. num. 2.* quia matrimonium non potest solvi, nisi ex divina concessione: & nullibi reperitur concessum, quòd per professionem religiosam dirimatur matrimonium consummatum infidelium: neque obstat, quòd dirimatur matrimonium ratum, & non consummatum initum inter fideles, quia id oritur, ne conjux fidelis cogatur invitus servare cœlibatum: at quando conjux conversus ingreditur religionem approbatam, & in illa profitetur, liberè assumit vitam cœlibem: unde ex privilegio concesso conjugi converso dirimendi matrimonium per aliud matrimonium initum cum conjuge fideli, non infertur, quòd possit etiam dirimi per professionem solemnem emissam in religione approbata.

Quæritur sextò, an matrimonium initum, 10
& consummatum inter infideles in statu infidelitatis, si postea ambo conjuges convertantur possit Pontifex ex aliqua justa causa matrimonium illud dissolvere? Respondent plures affirmativè, & ea nituntur ratione, quia matrimonium infidelium etiam consummatum cum tantùm sit contractus civilis, & non Sacramentum, non habet illam firmitatem, quam habet matrimonium ratum inter fideles, ut desumitur *ex c. fin. 32. q. 1.* & ex Innocentio III. *c. quanto de divortiis*, ubi adducens rationem, cur matrimonium fidelium sit *insolubile*, ait, quia est Sacramentum: unde inferri potest, quòd cum matrimonium infidelium non sit Sacramentum, nec sit ita insolubile: sed matrimonium ratum inter fideles potest authoritate Pontificis dissolvi saltem in plurium opinione probabili: proinde etiam solvi poterit matrimonium initum, ratum, & consummatum inter infideles, quia cùm non sit Sacramentum, non potest esse tam arctum vinculum, sicut matrimonium ratum, & non consummatum inter fideles.

Nihilominus contraria sententia defenditur à pluribus Canonistis, quia ut notat Panormitanus *in c. ex parte de conversion. conjugat. V. nec autem* matrimonium non potest solvi, nisi in casibus à jure expressis, & nullibi reperitur expressum, quòd matrimonium consummatum fidelium solvi possit: tametsi tale matrimonium fuerit ab initio initum ab utroque conjuge infideli, nihilominus postquam ambo conjuges sunt conversi, est matrimonium fidelium, & quidem consummatum, & cùm à jure non solvatur, non videtur quâ viâ solvi possit. Verùm quia Pontifex est author juris canonici, putârim ex aliqua justa, & urgente causa posse tale matrimonium solvere, eò quia fuerit purus contractus civilis initus inter infideles, qui postea convertuntur.

Quæ-

10 Quæritur ſeptimò, an quando ambo conjuges convertuntur ad fidem, eisque gratia per Baptismum confertur eorum matrimonium fiat tunc Sacramentum, licèt antea fuerit tantùm contractus civilis? Reſpondet Sanchez. *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 9. *num.* 5. ex vi Baptismi ſine alio novo conſenſu matrimonium infidelium fieri verum Sacramentum: ratio, quâ nititur, eſt, quia cùm primùm conjuges baptizantur, matrimonium, quod ante erat tantùm contractus civilis incipit repræſentare unionem Chriſti cum Eccleſia, eò quia perſeveret matrimonium in Chriſti fide, & fiat indiſſolubile, perinde ac matrimonium ratum fidelium.

11 Verùm hæc ſententia non approbatur, quia inde ſequeretur, quòd fideles conſummantes matrimonium conficerent novum Sacramentum, & matrimonium: quia tunc matrimonium repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia: ex eo enim quòd conjuges matrimonium conſumment, per illam copulam repræſentant unionem Chriſti cum Eccleſia, & Verbi divini cum humanitate, ut deſumitur *ex c. debitum* 5. *de bigam.* ergo ſicut ex eo, quòd illa conſummatio repræſentet unionem Chriſti cum Eccleſia, non propterea fit novum Sacramentum: ita neque ex eo, quòd matrimonium infidelium per ſuſceptionem Baptismi repræſentet Chriſti unionem cum Eccleſia, fit absque ullo alio novo conſenſu Sacramentum.

12 Quamobrem putârim cum Bellarmino *lib.* 1. *de matrim. c.* 5. & *c.* 15. matrimonium infidelium recèns ad fidem converſorum, tunc primùm induere rationem ſacramenti, quando poſt Baptismum exprimuntur novi conſenſus mutui, vel ratificantur præcedentes per aliqua ſigna ſenſibilia. An verò requiratur præſentia Parochi, & ut teſtes ſint præſentes? Plures cenſent, id non eſſe neceſſe, ſed ſufficere, ſi per ſigna externa ſenſibilia ratum habeant præcedentem contractum matrimonii juxta intentionem Eccleſiæ.

13 Tum quia cùm innoteſcat Eccleſiæ recèns converſos eſſe conjuges, ſufficit, ut tale matrimonium, dicatur ratificari coram Eccleſia: quia hæc cenſetur approbare, ut converſi ſimul cohabitent, ſicut cæteri fideles conjugati. Quòd ſi conjuges infideles converſi nollent de novo poſt baptismum contrahere, nec ratum habere conjugium initum in ſtatu infidelitatis juxta intentionem Eccleſiæ, tunc uterentur matrimonio, non tanquam Sacramento, ſed tanquam contractu civili.

TITULUS XXXIV.

De voto, & voti redemptione.

QUia Pontifex in præcedentibus titulis egit de Regularibus, déque religionem intrantibus, ac infidelibus, qui ad fidem converſuntur, qui omnes votum quoddam emittunt, illi religionis, quod Monachum conſtituit: ſiquidem non habitus vulgò dicitur Monachum facere, ſed religionis votum. Converſi verò votum emittunt fidei, ideo congruè Pontifex hic agit de voto. Titulus 31. hujus libri fuit de voto monaſticæ, & ſanctimonialis vitæ: hic verò eſt generalis de omni voto, ejúsque redemptione: de qua materia agitur etiam in ſexto, ſeptimo, & Extravagantibus Joannis XXII.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ continentur in hoc titulo.

C. *DE PEREGRINATIONIS* 1. *h. t. Conſul. tus Alexander III. an vota peregrinationis poſſint eleemoſynis redimi, vel in aliud commutari, reſcribit; eſſe diligenter conſiderandam qualitatem perſonæ, & cauſæ, nimirum, an ex infirmitate, vel affluentia, vel alia cauſa probabili peregrinatio, vel recompenſatio Deo fuerit acceptior. Ex quo textu liquet, Epiſcopum poſſe vota commutare peregrinationis conſiderata qualitate voventis, & cauſa commutationis, & ſuo arbitrio judicare, an recompenſatio ſit melior, ac Deo magis grata, quàm peregrinatio poſita in infirmitate, vel divitiis, vel alia cauſa probabili, adeò ut in commutatione voti conſideranda ſit ſemper qualitas voventis, cauſa commutationis, & quid Deo magis placeat arbitrariè. Caterum non eſt opus ſuperioris authoritate ad commutandum votum in rem manifeſtè meliorem, adeò ut poſſit quilibet propria authoritate ejus commutationem facere. Conſultiùs tamen ſemper eſt ex authoritate ſuperioris id agere, præſertim ſi dubitetur, an res revera ſit melior, & Deo gratior: quia nemo poteſt propria authoritate votum commutare in rem æquè bonam.*

C. *VENIENTIS* 2. *h. t. Idem Pont. declarat, Papam diſpenſare in voto Jeroſolymitano emiſſo in puerili ætate, vel ob nimiam facilitatem voventis, tametſi vovens dediſſet alteri fidem eundi ſimul Hieroſolymam: ita tamen ut vovens votum illud eleemoſynis redimat, & tota vita ſua uni pauperi, ſi facultates ſuppetant, provideat. Ratio, cur tale votum facilius commutetur, eſt, quia in votis puerorum omiſſis annis pubertatem ordinariè præſumitur imprudentia, & levitas in vovendo, eò quia careant maturo conſilio: hinc poſſunt vota puerorum ob eandem cauſam à parentibus, & tuto-*

vibus irritari, quia præjudicant juri, potestati, & gubernationi parentum, ut contingit in voto peregrinationis præsertim longioris, & sumptuosæ. Caterum in hoc textu Pontifex non irritat, sed commutat tale votum, quia non vult recedere à stylo ordinario, qui est partim dispensare, & partim commutare, quia hoc modo saltem partialiter satisfit voto per commutationem.

C. *LITTERATURAM* 3. b. t. *Idem Pont. rescribit, eum, qui in animo proponit eligere vitam religiosam, & cum tali proposito dicit, non morabor diu in sæculo, non intelligi votum emisisse: quia ut notat Glossa, non proposuit cum animo firmiter se obligandi. Ex hoc textu colligitur nullum propositum, quamvis firmum inducere obligationem, nisi promissione firmetur, & proponat se obligare, quia nemo se obligat, nisi animum habeat se obligandi. Hinc ad votum præter deliberationem, & propositum requiritur etiam voluntas se obligandi, quia in hoc textu Pontifex expressè dicit, si ultra propositum non proceditur, nullam nasci obligationem; adeò ut in voto tria requirantur, deliberatio, propositum, & promissio Deo facta, seu voluntas se obligandi Deo, quia per hanc voluntatem, & promissionem votum perficitur.*

C. *SCRIPTURÆ* 4. b. t. *rescribit idem Pont. omne votum mutari in votum religionis, quia temporale obsequium mutatur in perpetuum. Ubi notat Glossa per ingressum religionis solvi votum religioni non consonum, etiam sine authoritate superioris, & eum non frangere votum, qui illud mutat in melius, neque intranti religionem esse imponendam pœnitentiam publicam pro peccato sæculi. Ratio, cur omnia alia vota extinguantur per religiosam professionem, est, quia omnia alia opera Deo promissa sunt opera particularia eminenter contenta in professione religionis, per quam professus se, & omnia sua divino dedicat obsequio, tum quia religiosus tunc moritur sæculo, & priori vitæ, proinde non tenetur ad illa, quæ pertinent ad vitam sæculi quoad vota. Alii tamen censent, omnia prædicta vota tunc commutari in religiosam professionem.*

C. *NON EST* 5. b. t. *Innocentius III. declarat, de licentia Papæ posse votum ultramarinum differri ex justa causa. Ubi notat Glossa, Papam in his votis declarare non verò dispensare, quinimò si dispensatio fieret, sine causa non valeret. Caterum Papa potest vota commutare, & in illis etiam dispensare ex justa causa.*

C. *LICET* 6. b. t. *rescribit idem Pont. quòd si hæres promittat explere votum ultramarinum defuncti, possit compelli excommunicatione, & privatione hereditatis, etiam Regni ad explendum votum. Ut in præsenti textu Papa compellit Regem Hungariæ. Plura exempla Pontificum, qui deposuerunt Imperatores, & Reges, quando fuerunt rebelles Deo, & Ecclesiæ, recensent Bellarminus* lib. 5. de Pont. c. 8. & *Suarez adversus Regem Angliæ* lib. 3. c. 23. n. 14. *Caterum ut notat Glossa, qui non implet voluntatem defuncti privari debet hereditate illius. Rursus liquet ex textu votum posse impleri per alium.*

C. *MAGNÆ* 7. b. t. *Idem Pont. declarat, votum Hierosolymitanum mutari hoc pacto, ut expensæ faciendæ mittantur in utilitatem Hierosolymorum, & pro laboribus subeundis in itinere injungantur jejunia, orationes, & vigiliæ, etiam quas debet facere, sed cum majori devotione. Notandum est, olim Pontifices consuevisse votum Hierosolymitanum commutare in eleemosynam pro subsidio expeditionis bellicæ contra hostes terræ sanctæ. Hodie verò, quia tales expeditiones cessârunt, commutantur, perinde ac alia vota. Ex quo textu infertur, quòd tametsi causa voti cesset, non tamen cessat obligatio voti, quamvis tunc facilius dispensetur.*

C. *QUOD SUPER* 8. b. t. *Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, quòd qui vovit votum terræ sanctæ, si sit pauper, infirmus, vel alia justa causa temporanea impeditus possit obtinere dilationem voti: quòd si causa sit perpetua, debeat votum commutari, ut in* c. præced. *adeò ut expensæ mittantur in subsidium terræ sanctæ, & pro labore injungantur aliæ pœnitentiæ. Vult tamen Pontifex in compensatione esse considerandam facultatem voventis, quid possit, & quid expendisset. Quòd si ejus præsentia illi esset utilis mandat Pontifex ut ipse tunc eat.*

C. *EX MULTA* 9. b. t. *declarat idem Pont. commutationem voti terræ sanctæ positæ sufficienti causæ spectare ad solum Papam, vel ad illos, quibus specialiter à Papa id committitur. Quòd si vovens sit habilis ad eundum, & inhabilis ad pugnandum, si suo consilio possit prodesse exercitui, vel secum ducere bellatores, si sit dives, tunc ejus votum non commutatur. Rursus uxores non ventes possunt sequi viros ex voto euntes Hierosolymam ad pugnandum, ita tamen ut ad id non teneantur. Rursus declarat Pontifex, viros sine consensu uxoris posse vovere votum terræ sanctæ ob necessitatem loci illius. Rursus quia clericis est prohibitum pugnare debent redimere votum terræ sanctæ ex declaratione Pontificis in hoc textu nisi sint utiles consilio, prædicatione, vel suis expensis ducant Bellatores. Ubi tamen notandum est, hæc non esse pro his statuta, quibus peregrinatio Hierosolymitana est injuncta propter pœnitentiam. Notandum est, votum peregrinationis Hierosolymitanæ posse dupliciter fieri, primò in subsidium terræ sanctæ contra ejus hostes, vel pro juvandis Christianis pauperibus ibi degentibus. Secundò pietatis causa, vel pro satisfactione suorum peccatorum, & utrumque votum esse reservatum Papæ, adeò ut nemo possit ab hoc voto, quod dicitur etiam ultra marinum absolvere nisi Papa.*

C. *PER TUAS* 10. b. t. *Idem Pont. declarat, eum, qui promittit solemniter ingredi religionem, si eligatur Episcopus debere votum priùs implere, ut sit tutus in conscientia, postea posse eligi, idque etiam jure novo confirmatur in Concilio Tridentino* sess. 24. de refor. c. 1.

Ubi

Ubi notandum eſt, quòd licèt Epiſcopalis ſtatus ſit perfectior religioſo, non tamen cadit ſub præcepto, ſicut voti impletio, proinde vovens religionem tenetur priùs votum implere, quàm eligatur Epiſcopus: quia non valet commutatio rei præceptæ in non præceptam.

C. *POSTULASTIS ult. h. t. Honorius III. declarat, ſuperiores Regulares cruce ſignatos poſſe ex voto adire terram ſanctam, & ſecum ferre vigeſimam debitam. ſi tamen erant utiles, verbo, exemplo, & conſilio, & eorum Eccleſia non enormiter laderentur ex eorum abſentia: poſſe tamen Vicariis. Notandum eſt, olim cùm peregrinationes Hieroſolymitanæ ſuſciperentur in ſubſidium terræ ſanctæ licitum fuiſſe Prælatis emittere, & exequi illud votum inconſulto Pontifice. Hodie tamen requiritur neceſſariò Pontificis licentia.*

IN SEXTO.

C. *QUOD VOTUM unic. h. t. declarat Pontifex votum ſolemne, quod dirimit matrimonium contractum eſſe illud, quod fit per ſuſceptionem Ordinis ſacri, vel per profeſſionem expreſſam, vel tacitam in aliqua religione approbata à ſede Apoſtolica. Rurſus declarat alia vota impedire quidem matrimonium contrahendum, non verò contractum, & talibus tantò graviorem eſſe pœnitentiam injungendam, quanto manifeſtiùs voverint ob ſcandalum. Rurſus declarat, ſolemnitatem voti haberi ex ſola conſtitutione Eccleſiæ. Hoc totum etiam ſtatuitur jure novo in Concilio Tridentino* ſeſſ. 24. init. *Ex hoc textu colligitur, poſſe Eccleſiam inhabilitare habiles ad contrahendum. Rurſus matrimonium fuiſſe inſtitutum à Deo in paradyſo terreſtri ad prolem generandam ante peccatum, ſed poſt peccatum fuiſſe inſtitutum ad evitandam fornicationem. Rurſus vinculum matrimonii conſummati eſſe indiſſolubile; ſed non conſummati, poſſe diſpenſari a Papa. Rurſus vota Ordinis ſacri, & religionis eſſe paria quoad matrimonium futurum, non quoad præteritum, quia votum ordinis non dirimit ſponſalia de præſenti; bene tamen votum religionis, quia Religioſus æquiparatur mortuo naturali, non verò clericus ſæcularis.* Extravag. Joannis XXII. antiquæ concertationi.

IN SEPTIMO.

C. *LUBRICUM unic. h. t. declarat Pius V. eum, qui diſciplinæ regularis inſtitutum ſemel ſuit profeſſus extra ſolemne votum religionis debere obligari tribus ſubſtantialibus votis conſilii evangelici, ut perpetuò liberiùs Deo famuletur, proinde ſtatuit, ut omnes, & ſingulì Priores: ſinguli Præpoſiti, & alii præſidentes Generales, Provinciales, Conventuales, nec non Canonici, & fratres ſancti Georgii in Alga Venetiarum, & Eremitarum S. Hieronymi, aliàs Beati Petri Piſarum, & omnium aliarum Congregationum, Eccleſiarum, domorum, & Conventuum in communi, & ſub obedientia voluntaria, & extra votum ſolemne religionis viventes, quorum habitus à ſæcularibus Presbyteris eſt diſtinctus, debeant etiam profeſſionem regularem ſolemnem emittere.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. *ANTIQUÆ unic. h. t. declarat Pontifex, quòd tametſi votum per ſuſceptionem ordinis ſacri ſolemnizatum impediat, & annullet matrimonium ſequens, non tamen diſſolvat matrimonium ante contractum, etiam ſi ratum fuerit, & non conſummatum. Rurſus prohibet Pontifex, ne ullus in matrimonio rato præſumat accipere aliquem ordinem ſacrum, niſi in caſu, quo canones concedunt, ſeu ſi mulier ingrediatur religionem. Et contrafacientes non poſſunt in ordine ſuſcepto miniſtrare, etiam poſt ſolutum matrimonium, nec poſſunt promoveri ad ſuperiores ordines, nec ad aliquod officium, ſeu beneficium Eccleſiaſticum, niſi fuerint ingreſſi religionem approbatam, in qua expreſsè, vel tacitè emiſerint profeſſionem: quia in tali caſu Diœceſanus poteſt diſpenſare cum his in ſingulis præmiſſis, ſi non obſtet aliud canonicum impedimentum. Rurſus ſi quis poſt contractum matrimonium ante conſummationem accipiat ordinem ſacrum, monendus eſt ab Epiſcopo, ut ingrediatur religionem: quòd ſi noluerit ingredi, & mulier inſtet, eſt etiam per cenſuram Eccleſiaſticam cogendus ad conſummandum matrimonium. Ubi notat Gloſſa, non poſſe petere debitum ob votum caſtitatis annexum ordini ſacro, quem ſuſcepit. Hinc conjugatus etiam in matrimonio rato non poteſt accipere ordinem ſacrum remanente uxore in ſæculo, & votum continentiæ emittente.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quidnam ſit votum, & quænam conditiones requirantur ad ipſum, & quæ ejus ſpecies.

1 VOtum communiter definitur eſſe *voluntaria, ac deliberata promiſſio facta Deo de aliquo meliori bono*, adeo ut ad votũ non ſufficiat ſimplex propoſitum, quia hoc nullam induceit obligationem ad mortale: ſiquidem propoſitum eſt actus voluntatis, quo quis determinat promittere, vel quid aliud facere. Hinc tria requiruntur ad votum, ſcilicet deliberatio, propoſitum, & promiſſio, per quam perficitur ratio voti, cum ex ſola deliberatione, aut propoſito

Digitized by Google

sito non inducatur obligatio, nisi etiam accesserit promissio, quæ tametsi homini non possit fieri, nisi per verba, vel signa sensibilia exteriora; nihilominus Deo potest quis promittere per solam internam promissionem: & ratio discriminis est: quia homines non nisi per signa sensibilia, & externa possunt promissiones sibi factas cognoscere: Deus autem cùm sit scrutator cordium omnes intuetur hominis cogitationes: quapropter in voto facto Deo sufficit promissio interior, & mentalis, qualis reperitur in suscipiente ordines sacros, quibus ex Ecclesiæ intentione, ac instituto annexum est solemne votum castitatis. Quòd ad votum requiratur deliberatio, ac perfecta animadversio ejus quod fit, ex eo liquet, quia talis deliberatio sufficit, ut quis se tradat diabolo: ergo etiam sufficiet ad se obligandum Deo: sin autem dubiterur, an votum fuerit emissum ex sufficienti deliberatione, judicandum est in favorem voti, quod constat fuisse emissum, proinde votum inducit obligationem, quia possessio stat pro voto.

2 Quòd si dubium versetur circa ipsum votum, an fuerit emissum tunc præsumitur non fuisse emissum, quia in dubio melior est conditio possidentis *c. in pari de R. J. in 6.* fuit enim dubitans prius in possessione suæ libertatis, qua non constat, eum privatum esse: hinc valet regula in dubio non esse obligationem inducendam, ut notant Zœsius 1. *ad tit. decret. de voto* num. 50. Suarez. *lib. 4. de vot. c. 5.* neque obstat, quod in dubio *tutior via sit tenenda*, quia regula hæc plerumque est tantùm de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico periculo erraret, neque ad ejus depositionem posset se resolvere; tunc enim non liceret agere cum tali conscientia practicè dubia. Rursus in dubio de irregularitate orta ex homicidio, quando scilicet homicidium est certum, & tantùm culpa incerta, jussit subinde Pontifex tutiorem viam eligi, & abstinendum ab Ordinibus *c. ad audientiam 3. & c. penult. de homicid.*

3 Promissio requisita ad votum, ut valida sit debet esse primò deliberata, secundò libera, tertiò facta cum intentione se obligandi, quartò de re grata promissario, quintò ut promissor sit sui compos, suique juris, possitque se obligare: ad id autem ut sit deliberata non est necessaria longa mentis meditatio, sed sufficit perfecta quædam animadversio illius, quod quis agit: est autem hæc animadversio perfecta, si talis sit, ut in materia peccaminosa sufficiat ad peccandum lethaliter, & in materia moraliter bona ad promendum actum meritorium, ut notat Soto *lib. 7. de justit q. 1. art. 2.* unde hæc animadversio sufficiens ad perfectam deliberationem potest etiam brevissimo tempore fieri. Neque obstat, quòd deliberantem statim pœniteat suæ deliberationis, quia exinde non infertur, quòd defuerit perfecta animadversio: sed quia mutata postea fuit aliqua circumstantia, quâ ratione plures contractus ineunt civiles, quos postea facti pœnitet. Cæterum hæc perfecta animadversio sive fiat brevissimo tempore, sive diuturniori, est semper promissioni validæ necessaria, quia cùm promissio sit veluti lex, quam sibi quis sponte imponit; nemo censetur sibi legem imponere, nec se obligare, nisi plenè advertat quid agat, & qualem in se contrahat obligationem: quapropter si quis ex quadam tantùm consuetudine, vel ex subito aliquo animi motu absque alia mentis consideratione voveret, non obligaretur, ut nec etiam si tantùm semiplena præcederet advertentia. Neque obstat, quòd possit quis cum semiplena advertentia peccare venialiter, proinde etiam contrahere obligationem, quæ saltem sub veniali liget.

4 Nam id non sequitur, est enim discrimen inter peccatum, & vinculum promissionis: siquidem promissio non inducit vinculum, quando vi, vel fraude extorquetur, & tamen vis, & fraus adhibita non excusant peccatum. Præterea promissio debet esse directè volita, & accepta; & ad peccatum sufficit etiam voluntarium indirectum, ac interpretativum. Demum quia peccatum etiam contrahitur per solam negligentiam in debito potentiarum usu, imò nonnunquam per solam omissionem, & tamen hæc non sufficiunt ad inducendum vinculū promissionis: sed requiritur actus positivus, & directus. Tum quia modus operandi ex semiplena advertentia est imperfectus, oritúrque ex peccato, adeo ut per se potiùs sit dignus vituperatione, quàm laude: siquidem homo cùm sit rationis compos, tenetur perfectè attendere, qualis res sit, priusquam illam acceptet, ne postea facti ipsum pœniteat.

5 Quamobrem licèt ad violandam voti obligationem sufficiat imperfecta advertentia; non ita ad voti vinculum invehendum. Illa autem advertentia dicitur imperfecta secundùm præsens institutum, qua nonnisi confusè, perfunctoriè tenuiter, ac obscurè quis considerat quid hic, & nunc agat, eò quia distrahatur ad alia, quæ non sinunt, rem se offerre animo semiplenè advertenti, qualis in se est; proinde si antequam plenius, & clariùs promittens eam introspiciat, voveat, non censetur obligari, eò quia potiùs per ignorantiam videatur promisisse, cùm rem promissam non apprehenderit formaliter, nec quidquam tunc ei occurrerit, à quo ad plenioriem considerationem excitaretur: hinc est quod post factam sponsionem pleniùs advertens miretur se promisisse, & ipsum pœniteat factæ promissionis.

6 Debet itidem promissio esse spontanea, seu non metu, non vi, non dolo injustè extorta. Metus alius est gravis; qui virum constantem percellit: alius levis, qui non cadit in virum constantem, alius qui justè incutitur; & alius qui injustè: rursus alius qui incutitur ad extorquendum votum, & alius, qui ex alia causa provenit. Communiter docent, metum gravem injustè incussum ad votum exterquendum impedire voti obligationem; illúdque irritum facere, quia in iis, quæ ad statum, votorúmque obligationem pertinent, homo debet esse sui juris, ac arbitrii, adeo ut non debeat ab ulla causa extrinseca adigi ad se obligandum. Rursus debet hic metus injustè incuti, quia hic propriè libertati adversatur, ut causa extrinsecùs compellens: quapropter si metus justè incutiatur, votum non irritat, sicut nec alii contractus civiles, nec ma-

tri-

trimonium: hinc si maritus uxorem in adulterio deprehensæ privata authoritate necem minetur, nisi monasterium ingrediatur, si ex tali metu uxor emittat professionem, hæc est invalida, quia extorta metu injustè irrogato. Quòd si maritus tantùm minetur accusationem apud judicem, dignámque punitionem, tunc professio esset valida, quia maritus poterat talem timorem incutere.

Nihilominus plures Canonistæ præsertim
7 Covarruvias *in 4. p. 2. c. 3. §. 5. num. 7.* Felinus, & alii censent, metum gravem etiam justè incussum irritam reddere religiosam professionem, ut etiam invalidum matrimonium, eò quia hæc duo exigant summam libertatem, quæ etiam tollitur per gravem metum justè incussum. Alii etiam in ea sunt opinione, ut censeant metum justè incussum authoritate privata irritare professionem, & matrimonium; non ita si incutiatur à lege, vel judice exequente præscriptum legis.

8 Verum communior, & probabilior sententia est, metum non irritare votum, nec matrimonium, quando malum, quod proponitur, potest justè inferri, quia metus tunc justè incutitur: quando enim metus justè incutitur ob crimen, censetur oriri ab intrinseco, scilicet à propria voluntate, & natura delicti; & qui votum proponit, potiùs censetur metum auferre, quàm inferre; eò quia viam offendat evadendi malum imminens. Hinc hujusmodi metus non rescindit cæteros civiles contractus, proinde nec votum, aut matrimonium; cùm non requiratur major libertas ad naturam voti, & matrimonii, quàm ad alios contractus: quamvis, ut votum, & matrimonium conventiori modo fiant, majorem exigant libertatem ob vinculi insolubilitatem, & grave onus, quod secum trahunt.

Præterea debet promissio fieri cum intentione
9 se obligandi, quia actus agentium ex intentione non operantur nisi juxta mensuram intentionis, adeo ut non ultra se extendant, quàm ipsa intentio, à qua totam vim suam hauriunt: sicut lex non habet vim nisi juxta intentionem legislatoris; ita neque promissio, quæ habetur tanquam lex, vim habet nisi juxta intentionem promittentis; & sicut potestas superioris non inducit obligationem in subdito, nisi applicetur à voluntate ad illam mediante præcepto causandam: ita jus, quod quisque in se habet, non infert obligationem mediante promissione, nisi quis intendat eam inferre. Non tamen est necesse, quòd hæc intentio sit formalis, & explicita; sufficit enim implicita, adeo ut sciens, & volens liberè voveat; & in dubio semper præsumitur intentio, cùm hæc ex communi gentium usu semper conjungatur cum forma promissoria. An verò si quis intendat vovere, & tamen interius nolit se obligare, votum suum tunc sortiatur valorem, Sotus *lib. 7. q. 1. art. 2.* censet, tale votum adhuc fore validum, eò quia obligatio perinde oriatur ex voto, ac effectus necessarius à sua causa naturali; & sicuti posito igne non potest impediri, quin emittat calorem, cùm hic necessariò dimanet ab igne; ita eo ipso, quòd quis vovet, non potest non se obligare, cùm obligatio necessariò oriatur à voto. Nihilominus contraria sententia censetur probabilior, quam docent Navarr. *c. 12. num. 27.* Glossa *in c. litteraturam 3. de voto, & voti redemptione*, & alii, quia quoties actui opponitur aliqua conditio, quæ est contra ejus substantiam, ille actus est irritus, eò quia contradicit ipsi actui, ut si quis diceret, se velle rem aliquam donare alteri, ita tamen, ut pro nullo eventu velit ejus dominio carere: similiter si mulier ita viro nuberet, ut nollet obligari ad reddendum debitum, quia tunc destruitur substantia actus: ita à pari, qui vult vovere sine animo se obligandi saltem tacitè, non ponit votum, de cujus substantia est inducere obligationem.

Hinc vovens cum expressa intentione se 10
non obligandi, revera non intendit vovere, sed tantùm externa verborum specie simulare votum: imò cùm dicit voveo, mentitur, quia vovere, perinde est, ac se obligare, & si non habeat animum se obligandi, loquitur contra mentem, proinde mentitur. Quòd si censeat, se posse vovere absque obligatione, tunc fallitur, quia non intelligit, quænam sit natura voti, proinde talis actu non inducit obligationem, quia procedit ex errore, qui versatur circa substantiam actûs: actus enim agentium per intellectum non operantur ultra eorundem intentionem. Unde obligatio tunc tantùm oritur necessariò à voto, perinde ac calor ab igne, & alius effectus naturalis à causa necessaria, ut argumentabatur Sotus; quando votum est verum votum: quoties autem vovens non intendit se obligare, tunc votum non est verum, sed tantùm quædam simulatio voti, proinde nullam potest obligationem invehere, quia animus interior se non obligandi est contra substantiam voti.

Quòd si quis intenderet vovere juxta natu- 11
ram voti, & nil cogitaret de obligatione, tunc implicitè etiam contraheret obligationem quia hæc includitur implicitè in natura voti: & quia vovens intendit explicitè vovere juxta naturam voti, ideo implicitè intenderet etiam illam obligationem comprehensam in natura voti, cùm non haberet animum explicitum contrarium: secus si vovens consideraret obligationem, quæ inducitur per votum, & non intenderet se obligare, verè non vovere, sed tantùm simulatè, quia animus in hoc secundo casu contradicit interiùs obligationi, & quidem expressè. proinde non potest censeri implicita voluntas se obligandi; quia adest expressa voluntas resistens obligationi: quando verò animus voventis interiùs non contradicit obligationi, & vovens intendit vovere juxta naturam voti, tunc implicitè intendit se obligare, cùm talis obligatio includatur implicitè in ipsa natura voti.

Quòd si vovens ita voveret, ut non haberet animum implendi votum, plures censent, voventem nec tunc obligari voto, eò quia ad validitatem voti præter deliberationem, & promissionem requiritur etiam propositum voluntatis, non solùm vovendi, sed etiam exequendi

votum emissum, idque ex eo etiam evincunt, quia promittere significat promittentem facturum, quod promisit: unde qui vovet cum animo non implendi votum, non verè, sed fictè promittit, proinde nullam contrahit obligationem. Tum quia si Petrus promitteret Paulo suum equum, & illi diceret, se non habere animum implendi promissum, videretur potiùs Paulo illudere, quàm promittere. Nihilominus contraria sententia probabilior est, & communior: quia si quis juret se alteri daturum suum equum, tenetur ei equum dare, quamvis, quando juravit, non habuerit animum dandi illi equum: eò quia in juramento promissorio inducitur obligatio, & tale juramentum significat jurantem habere animum implendi juramentum: atqui hæc obligatio non minus includitur in voto, quàm in juramento promissorio, votum enim ex natura sua obligationem invehit, & significat voventem se obligare: quamobrem si non obstante nolitione implendi juramentum, & mendacio, adhuc juramentum promissorium inducit obligationem; etiam votum non obstante animo illud non adimplendi inducet obligationem.

13 Tum quia potest quis aliquid validè alteri donare, tametsi non habeat animum tradendi, proinde poterit etiam quis validè promittere, licèt interim careat animo standi promisso. Tum quia si quis in aliquo ordine militari voveret castitatem sine proposito eam servandi, adhuc tale votum esset validum, & illo mediante vovens se Deo obligaret, & non servando castitatem committeret sacrilegium. Demum sicut de ratione promissionis non est, ut tradatur res illa, quæ promittitur, sed solùm ut detur jus saltem remotum ad illam: ita neque de ratione ejusdem promissionis est, ut promittens habeat animum præstandi rem promissam, sed sufficit, si habeat animum conferendi jus promissario ad exigendam rem promissam.

14 Quamobrem ut docet D. Thomàs propositum non solùm se obligandi, sed etiam exequendi promissum requiritur, ut promissio ritè, & absque peccato fiat; non verò ita, ut sine tali proposito exequendi promissum promissio sit nulla. Ad aliud, quod addebatur, quòd promittere, perinde sit, ac promittentem significare, se facturum quod promittit, respondetur, hanc significationem non esse de essentia promissionis, proinde quamvis vera non sit, non tamen promissio destituitur propria essentia: est enim de ratione promissionis significare, quòd promittens se obliget, & transferat in promissarium jus aliquod saltem remotum ad rem promissam. Ad aliud, quod addebatur de illo, qui promittens adderet, se non habere animum implendi promissum, respondetur, talem tunc per jocum tantùm, & non seriò promittere, nec intendere se obligare, quòd esset promissario illudere: quòd si constaret, eum seriò promisisse, ac voluisse se obligare, posset tunc compelli ad implendum promissum, non obstante quòd addiderit, se non habere animum implendi promissum, quia hæc verba haberentur tanquam jocosa.

Aliæ conditiones requisitæ ad validitatem promissionis, seu voti sunt, ut res promissa sit promissario grata, quia promittere alicui quod illi displicet, non est promittere, sed minari, ut si herus diceret famulo detrectanti parêre, promitto tibi fustem, & baculum, quo egregiè à me verberaberis, hæc non esset promissio, quia verbera non sunt grata famulo. Ultima conditio etiam est, ut promissor sit sui juris, ac possit se obligare: hinc mente capti, & amentes si voveant, quando sunt destituti usu rationis tale votum est nullum, cùm non sint sui compotes; secus si voveant, tunc quando habent dilucida intervalla, ac sufficientem deliberationem circa votum, validè possunt vovere. 15

Votum multipliciter dividitur, in reale, personale, & mixtum. Votum reale dicitur, quo promittitur pecunia, vel aliquid pecuniâ æstimabile, quod non sit actio hominis voventis. Personale quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personæ voventis, vel aliqua omissio actûs pravi. Mixtum, quod includit, seu participat de voto personali, & reali, estque quod præter hominis actionem includit reales sumptus, cujusmodi esset votum peregrinationis ad limina Apostolorum, vel ad domum Lauretanam cum intentione offerendi ibi aliquid. Secundò bipartitur in temporale, & perpetuum; illud est, quod durat ad tempus, ut si quis voveat continentiam per annum integrum. Perpetuum, quod durat usque ad mortem, cujusmodi sunt vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ in Religiosis. Tertiò dividitur etiam in solemne, & simplex: illud est, quod ab Ecclesia cum quibusdam solemnitatibus, seu cæremoniis publicis acceptatur; & voventem immutabiliter, & in perpetuum obligat (secluså dispensatione Pontificia) & etiam reddit voventem inhabilem ad contrahendum matrimonium, & ad acquirenda, ac retinenda rerum dominia. 16

Votum simplex est omne aliud, quod talem solemnitatem, & vim non habet, imò neque reddit inhabilem voventem ad matrimonium, vel dominium bonorum sive publicè, sive privatim emittatur, ut constat ex *c. quod votum unic. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd votum solemne dirimens matrimonium deinde contractum, sit illud, quod fit per susceptionem Ordinis sacri, vel per professionem expressam, vel tacitam in aliqua religione approbata à sede Apostolica: alia verò vota impediunt quidem matrimonium contrahendum, non verò contractum dirimunt: & talibus tantò gravior pœnitentia est injungenda, quantò manifestius voverint ob scandalum, & exemplum. Ubi notat Glossa, Ecclesiam posse inhabilitare habiles ad contrahendum, ut etiam habilitare inhabiles: & quia solemnitates votorum sunt inventæ ex sola institutione Ecclesiæ: ideo hæc per votum solemne dirimit matrimonium, deinde contractum. Fuit enim matrimonium institutum à Deo in Paradiso terrestri ante peccatum ad prolem generandam, & humani generis propagationem; sed post peccatum fuit institutum ad evitandam fornicationem. Rursus si matrimonium fuerit consummatum ejus vinculum est indissolubile, 17

adoe

adeò ut Papa non poſſit illud diſſolvere. Poteſt tamen contrahentes inhabiles reddere, ne contrahant, & hoc pacto inducere impedimentum dirimens matrimonium, ſi poſtea contrahatur, quo pacto etiam quilibet Ordo ſacer ex inſtitutione Eccleſiæ habet annexum ſolemne votum caſtitatis, ratione cujus matrimonium poſtea contractum irritatur.

18 Juvat tamen hîc animadvertere, quòd quando vota ſimplicia dicuntur non habere vim dirimendi matrimonium poſtea contractum, id verum fuit jure antiquo tempore Bonifacii IIX. qui talem conſtitutionem edidit: ſiquidem Gregorius XIII. anno 1584. aliam edidit Bullam, quâ declaravit, omnes, qui vota ſimplicia religionis in ſocietate JESU ediderunt, inhabiles eſſe ad contrahendum matrimoniũ, quamdiu talia vota durant, ut ſtatuitur in dicta Bulla, cui initium eſt: *Aſcendente Domino*. Unde nunc votum ſolemne, & ſimplex ſunt prorſus ejusdem ſpeciei, & ſola extrinſeca differentia accidentali videntur inter ſe differre: quia ſolemnitates fuerunt voto adjectæ ab Eccleſia, quæ naturam non immutat, ſed potiùs vim eidem addit, quapropter votum ſolemne magis obligat ex inſtitutione Eccleſiæ. Præterea traditio voventis, & acceptatio Prælatorum, quæ ſunt ſolemnitates voti, ſunt differentiæ accidentales in voto, & ſolo jure canonico inductæ, adeo ut non conſtituant ſpecificam, ac ſolemnem voti differentiam. Hinc fit, quòd peccata contra votum ſimplex, & ſolemne ejusdem ſint ſpeciei, quia ſpecifica actuum differentia deſumitur ex objecto; & quia idem eſt utriusque voti objectum, ſcilicet ipſa continentia; erunt etiam actus contra utrumque votum ſimplex, & ſolemne ejusdem ſpeciei, licèt peccatum contra votum ſo-
19 lemne ſit gravius ratione perfectioris ſtatus.

An verò de ratione voti ſolemnis ſint verba? Reſpondetur negativè, quia nullibi in jure reperitur quòd vota ſolemnia ſint emittenda per verba, quapropter ſufficit, ſi emittantur per ſigna, vel nutus indicantes animum voventis: hinc profeſſio religioſa poteſt fieri nutibus, vel ſcripto: & matrimonium poteſt etiam per ſolos nutus contrahi. Imò poteſt votum ſolemne fieri per Procuratorem, quilibet enim actus poteſt per Procuratorem peragi, niſi ſit à jure expreſſè prohibitus *c. poteſt quis de reg. jur. in 6.* & profeſſio votorum ſolemnium nullibi in jure canonico excipitur. Tum quia matrimonium tametſi Sacramentum ſit, ac vinculum indiſſolubile, etiam nunc poſt Concilium Tridentinum poteſt fieri per Procuratorem, proinde etiam profeſſio religioſa ſi concurrant quinque conditiones, quarum prima eſt ut Procurator habeat ſpeciale mandatum ad emittendam profeſſionem. Secunda ut ſit mandatum ad emittendam profeſſionem in tali determinata religione. Tertia ut Procurator per ſe ipſum exequatur mandatum, adeo ut non poſſit alium ſubſtituere. Quarta ut tempore, quo Procurator profitetur, non ſit revocata poteſtas. Quinta ut conſtitutio Procuratoris non ſit metu gravi extorta.

20 Dantur, & aliæ ſpecies votorum: aliud enim eſt expreſſum, & aliud tacitum; illud verbis diſſertis exprimitur; hoc cenſetur tunc fieri, quando quis voluntariè aliquid agit, cui eſt neceſſariò votum annexum; vel ſupponitur, ut contingit in ſuſcipientibus Ordines ſacros, quibus eſt annexum votum caſtitatis, eò enim ipſo quòd clericus ſuſcipit Ordinem ſacrum, tametſi nil cogitet de voto caſtitatis, tacitè caſtitatẽ vovet; eò quia hoc votũ ſit annexũ Ordini ſacro.

Rurſus aliud eſt votum abſolutum, & aliud 21
conditionatum, illud emittitur abſolutè ex affectu rei, quæ vovetur; conditionatum mediante poſitione alicujus conditionis: & hoc eſt diſcrimen inter votum abſolutum, & conditionale, quòd illud ſtatim obligat poſitis circumſtantiis, pro quibus ſit; ſecus conditionatum, tunc tantum incipit obligare, quando ponitur, ſeu impletur conditio: imò probabile eſt non obligare, quamvis conditio ex culpa voventis non ponatur: quia vovens non cenſetur ſe voluiſſe obligare, niſi poſita tali conditione: unde quocunque ex capite non ponatur, votum non inducit obligationem, ut docet Suarez *de relig tom. 2. lib. 4. c. 17. num. 21.* hinc qui vovet religionem ſub hac conditione; ſi per annum abſtineat à fornicatione, ſi ab illa non abſtineat ſive ex malitia, ſive ex prava intentione, non tenetur onus ſuſcipere religionis, quamvis fortaſſis peccet, contra religionem. Pari pacto, qui ſub conditione ſi ſanitatem recuperet infra menſem vovet religionem, ſi poſtea illam non recuperet ex propria culpa, quia intemperanter vixerit, non tenetur ad votum.

Alii tamen, & forſan probabiliùs aſſerunt, 22
voventem tunc teneri ad votum ſi ſtudiò apponat impedimentum, ne conditio purificetur; quia id perinde eſſet ac retrocedere à voto, antea emiſſo; niſi fortaſſis, quando illud emiſit, etiam intendiſſet hanc aliam conditionem: & ſi ego non impediã impletionẽ voti, tunc enim quamvis ex propria malitia impediret poſitionẽ conditionis, non obligaretur ad votum, quia hoc non poteſt obligare ultra menſuram intentionis voventis.

Datur etiam aliud votum, quod dicitur 23
pœnale, quo quis aliquid promittit ſub pœna ſubeunda; ut *ſi luſero, voveo elargiri pauperibus in eleemoſynam unum aureum*: & hoc votum tunc obligat ad pœnam, quando ſcienter, & culpabiliter violatur. Qui enim vovet, non ludere ſub pœna decem florenorum, & poſtea voti immemor, vel etiam memor, ſed immemor pœnæ ludit, non tenetur ad pœnam ſibi impoſitam ſubeundam, quia naturalis oblivio æquiparatur ignorantiæ invincibili, quæ excuſat à pœna, quamvis ſit ignorantia ſolius pœnæ. Quòd ſi votum culpabiliter violaretur, putârim teneri voventem ad pœnam ſubeundam, quia pœna eſt acceſſoria actui, pro quo vovetur: hinc ſicut vovens non ludere, quoties ludit, toties frangit votum, ita vovens ſolvere decem florenos ſi ludat, obligat ſe ad illos ſolvendos quoties ludit.

An verò votum pœnale obliget, pro ſola 24
prima tranſgreſſione ad pœnam? Reſpondetur negativè, qui enim abſolutè vovit ſe non blas-

phematurum ſub pœna dandi decem florenos pauperibus, non pro ſola prima vice obligatur, ſed ſemper quando blasphemat, quia cùm pœna ſit acceſſoria tali actui tanquam principali, debet ejus naturam ſequi: præterea cùm utrumque votum ſit æquè indeterminatum ad primam, vel ſecundam, aut tertiam vicem, aut ſemper deberet obligare, aut nunquam.

25 Quòd ſi pœna eſſet graviſſima, & ex illis, quæ non ſolent iterari, ut pœna ſubeundi onus religionis, peregrinationis Jeroſolymitanæ, tunc pro ſola prima transgreſſione ſe obligaret, ſi non conſtaret de alia expreſſa voventis intentione, ſic enim in mitiorem partem interpretatur votum. Secus eſſet, ſi pœna foret mediocris, ut notat Sanchez *lib. 4. moral. c. 22. num. 25.* Sed ſi penſatis omnibus circumſtantiis vovens hæreat dubius, an promiſerit ſolvere pœnam ſibi injunctam quoties votum violat, probabile eſſe cenſet Layman *lib. 4. tract. 4. c. 5. num. 4.* obligare tantùm pro prima vice, eò quia in dubiis de obligatione voti mitior, ac benignior pars eſt eligenda. Sed putârim, hoc tantùm procedere, ſi vovens tantùm hæreat dubius de vicibus; alioquin ſi ſimpliciter vovit, ſe non blasphematurum ſub pœna ſolvendi decem florenos pauperibus, tunc votum non eſt de vicibus, ſed de ipſa blasphemia, ad quam ex voto ſequitur, ut acceſſoria pœna, quæ proinde toties ſolvenda eſt, quoties ponitur ſuum principale, ſeu ipſa blasphemia.

§. II.

De materia cadente ſub votum, eiúsque obligatione.

1 UT aliquid ſit materia voti, tres requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut ſit in noſtra poteſtate. Secunda, ut ſit bona moraliter. Tertia, ut ſit melior, quàm oppoſitum. Si enim non fuerit in noſtra poteſtate, non poſſumus eam promittere alteri: ſicut quod non eſt in noſtra poteſtate non poſſumus de illo diſponere, ita nec poſſumus de illo quidquam promittere: ſtultè enim quis promitteret alteri, quod ut fieret, vel non fieret, ab ipſo non penderet. Hinc votum de nunquam peccando venialiter nullum ſortitur valorem, eò quia cum auxiliis ordinariis non eſt in noſtra poteſtate vitare ſemper omnia peccata venialia. Quòd ſi vovens intenderet ſe obligare ad vitanda omnia venialia non abſolutè, ſed quantum divina gratiâ conſequi poſſet, & humana pateretur infirmitas: tunc votum validum eſſet, quemadmodum qui vovit jejunare totum annum, tenetur jejunare omnibus diebus, quibus poteſt, tametſi totum annum explere non poſſet. Si quis tamen voveret ſe nunquam peccaturum mortiferè, votum eſſet validum, quia mediante divino auxilio poſſumus omne peccatum mortiferum per totam vitam cavere. An verò quando votum non poteſt integrè impleri, vovens teneatur ad reliquum, quod ſupereſt? Reſpondetur cum diſtinctione; ſi vovens habuit intentionem ſe obligandi etiam ad partem in eventu, quo non poſſet totum præſtare, tunc teneretur ad reliquum, quod poteſt implere: ratio eſt, quia votum obligat juxta intentionem voventis.

Quòd ſi vovens hæreat dubius, an habuerit talem intentionem adimplendi partem, ſi non poſſit totum, tunc conſideranda eſt conditio rei, ad quam ſe obligavit. In dubio obligatio debet interpretari juxta conditionem objecti: quia ubi non conſtat de intentione voventis, non poteſt certa regula tradi. Quamobrem ſi res talis ſit, ut obligatio ad illam ex conſuetudine inolita dividi ſoleat, vovens tenetur ad partem, ſi non poteſt totum præſtare. Quòd ſi res non ſoleat more recepto dividi, tunc vovens ſi non poſſit totum præſtare, nec tenetur ad partem, cùm hæc non dividatur à toto. Hinc quia dies jejunii ſolent per annum dividi, ſi quis voveat jejunium per totum annum, quamvis ex aliquo impedimento, vel infirmitate non poſſit jejunare, niſi per mediam, vel etiam tertiam partem anni, tenetur illam jejunare; quia hæc obligatio ſolet dividi, ut liquet in obligatione jejunii quadrageſimalis impoſita ab Eccleſia.

2 Secus qui vovit jejunare die mercurii, & non poteſt abſtinere à carnibus, vel à jentaculo non tenetur nocte abſtinere à cœna, eò quia hæ obligationes cùm jejunio ſunt connexæ, & non ſolent ſeparari: unde quoties obligatio eſt dividua, ſi vovens non poſſit totum præſtare, tenetur illam partem, quam poteſt. Id etiam procedit de votis, quibus apponitur aliqua circumſtantia mala, vel indifferens, ac impoſſibilis; ſi enim intentio voventis fuit, ita adhærere tali circumſtantiæ, ut illâ ablatâ non voviſſet, tunc votum eſt irritum, quòd ſi non conſtet de animo, nec probabilis ſit de illo conjectura; tunc præſumitur, voventem noluiſſe adhærere tali circumſtantiæ, utpote alienæ à voti objecto; quia juxta *regul. jur. 37.* utile non debet per inutile vitiari.

3 Secunda conditio eſt, ut materia cadens ſub votum ſit res moraliter bona, quia, quòd promittitur debet eſſe gratum promiſſario: alioquin ſi ipſi diſpliceret, non eſſet promiſſio, ſed potiùs minatio, & Deo nil eſt gratum, niſi quod eſt bonum, ſeu honeſtum, non tantùm poſitivè, ſed etiam negativè, cujusmodi eſt operis abſtinentia, jejunium, paupertas, caſtitas, quibus votetur abſtinentia ab aliquibus actibus: & quia res externæ non cadunt ſub votum, niſi quatenus ſubſunt actionibus, vel omiſſionibus noſtris liberis, ſequitur, votum immediatè verſari circa noſtras, actiones, vel omiſſiones. Debet igitur materia voti eſſe honeſta, quæ Deo placeat, quapropter opus ex ſe malum nequit eſſe materia voti, & tale fuit votum Jephte ſaltem implicitè, quando vovit offerre in holocauſtum, quidquid primum ei obviaret revertenti à victoria, ut narratur Judicum 11. cùm enim ei primùm obviâſſet filia ex vi voti emiſſi eam obtulit in ſacrificium, ut communiter docent Patres, quamvis nõ deſint plures doctores, qui aſſerant; Jephte non obtuliſſe filiam occiſione corporali, ſed tantùm civili, eam ab hominum commercio excludendo. Quòd ſi materia voti ſit partim honeſta, partim indifferens, vel etiam turpis, validum

lidam est votum quoad partem honestam, si separari possit ab indifferenti, vel turpi, quia ex *dict. reg. jur.* 37. utile per inutile non vitiatur.

5 Id tamen procedit, si vovens non promiserit rem bonam, vel malam per modum unius, quia tunc ad neutram partem teneretur. Opus merè indifferens dicitur, quod non habet rationem honesti, nec pravi, nec cadit sub votum: quia Deo non magis est acceptum illud fieri, quàm omitti; & votum debet esse de re magis Deo accepta, quàm ejus oppositum.

6 Concurrentibus tamen nonnullis circumstantiis potest etiam res indifferens esse materia voti. Primò si adsit bonus finis. Secundò si res indifferens, quæ non habet rationem honesti, nec pravi, conducat, & inserviat ad talem bonum finem. Tertiò si in voto rei indifferentis finis honestus intendatur ab ipso vovente. Quartò si finis honestus, ob quem res indifferens fuit Deo promissa nondum cessaverit, ut notat Sanchez *lib. 4. c. 7.*

7 Qui verò dubius hæret, an res promissa per votum sit indifferens, vel bona, tenetur votum implere, quia tunc possessio stat pro voto, & in dubiis jus præsumit pro valore actus, quòd si vovens habeat opinionem probabilem de indifferentia rei promissæ, potest eam sequi. Non ita si vovens dubitet, an materia voti licita sit, vel illicita, quia tunc vovens se exponeret periculo peccandi, cùm possit contingere, ut res illa promissa revera sit illicita, ac mala. Tum quia non licet operari cum conscientia practicè dubia de turpitudine actûs.

8 Votum tamen rei bonæ, si fiat ob finem indifferentem, vel etiam ad obtinenda bona temporalia validum est, quia res Deo promissa est bona, eique grata. Si quis verò voveret opus bonum ob finem malum, ut esset votum dandi eleemosynam puellæ pauperi ad extorquendum ejus consensum ad turpia, esset votum irritum, quia dare ob hunc finem est per se malum. Secus si quis voveat aliquid quod non sit peccatum, eo modo, quo intendit illud exequi, votum valet, quamvis ex pravo fine vovens illud voveret, ut si ex ambitione Prælaturæ voveret ingredi monasterium, quia tunc votum est de ingressu in monasterium absolutè, & illa circumstantia ambitionis, se habet per accidens, nec ob illam executio voti est peccatum. Juvat observare, dupliciter posse aliquem vovere opus bonum ob malum finem. Primò ut finis pravus non solùm sit finis voti, sed etiam ipsius operis, quod vovetur; & tunc votum est irritum, ut si quis voveat eleemosynam, ut possit actus turpes exercere, vel vindictam de suo inimico obtinere: tunc enim elargitio hujus eleemosynæ fit ob pravum finem, scilicet ad petendum auxilium à Deo ad exercendum malum, & peccatum, quæ petitio peccaminosa est, & blasphemiam continet.

9 Secundò potest quis ita vovere, ut malus finis tantùm sit finis voti, vel potiùs applicationis voluntaria ad vovendum, ut si Rusticus profiteretur in religione, ut lautiùs ibi viveret: tunc enim lautè vivere non est finis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ tria vota promittuntur absolutè servanda, & lautè vivere, est quid per accidens, quapropter talis professio est valida, & tantùm est peccaminosa ratione circumstantiæ adjectæ, seu ex causa impulsiva prava, quæ fuit lautiùs vivere; per se enim professio religiosa est absolutè bona, & honesta, & ejus executio sancta, si accidentaliter non deturpetur à fine operantis, seu professentis. Quòd si finis operantis, seu voventis non sit pravus, tametsi conjungatur operi pravo, votum est validum, ut si quis voveat Deo dare pauperibus centum aureos, si ex duello salvus evaserit; quamvis duellum inire sit opus pravum, & votum dandi pauperibus centum aureos illi nectatur, tanquam medium ad obtinendum finem evasionis; si evadat tenetur votum adimplere, quia finis talis voti non est pravus; evadere enim periculum vitæ non est quid malum, benè tamen ipsum duellum; & finis dandi talem eleemosynam, non est duellum, sed est evasio ab eodem.

Sin autem opus, quod ante emissum votum 10
erat indifferens, postea fiat bonum, ut si Petrus voverit abstinere perpetuo à fraternis ædibus ob aliquam offensionem in fratrem, & postea contingat ibi habitare aliquos, quorum consuetudo foret voventi noxia, ac propterea abstinentia ab eorundem consuetudine esset illi bona, votum foret, validum? Respondetur negativè, quia ab initio fuit irritum, proinde non validatur, per hoc quòd mutetur aliqua circumstantia. Tum quia vovens non promisit Deo, quod erat ipsi gratum, sed ut se in vindictam fratris confirmaret in proposito non bono, & *ex regul. jur. 18. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, non ita contingeret, si intuitu alicujus boni, ab initio quis voveret, & postea ob aliquam accedentem circumstantiam ratio illa boni mutaretur in aliam, quia tunc manet obligatio voti, quamvis res promissa bonitatem induat alterius speciei; quia res vovetur absolutè, quatenus est Deo grata, non verò præcisè, ut hanc, vel illam habet speciem bonitatis.

Tertia conditio est, ut quod vovetur, sit de 11
meliori bono, quod non ita est intelligendum, ut quod vovetur debeat semper esse optimum, sed ut sit melius, quàm ejus oppositum, idque deducitur ex præcedentibus conditionibus, quia materia voti debet esse aliquid Deo gratum, & illud est Deo gratum, quod melius est, quàm ejus oppositum. Hinc votum nubendi non tenet, quia matrimonium impedit cœlibatum, qui est majus bonum. Posset tamen esse validum, si alicui ob proclivitatem in Venerem cœlibatus esset servatu quasi moraliter impossibilis. Qua ratione censent aliqui, votum castitatis factum à valde proclivi in venerem non esse validum, eò quia huic matrimonium esset salubrius, siquidem esset illi impedimento ne laberetur in peccata. Verùm putârim consultiùs fore petere dispensationem ab Episcopo, vel ut volunt alii à summo Pontifice. Sequitur etiam, omnia illa vota, quæ solent nonnunquam emitti de non mutuando, de non dando eleemosynas, de non subeundo onus religionis, de non suscipiendis Ordinibus sacris, non esse va-

lida, eò quia eorum contraria, sunt meliora,& Deo gratiora; si quis verò voveret ob charitatem ducere aliquam puellam nobilem,sed pauperculam,ac versantẽ in periculo,votum ratione finis esset de re bona, & grata Deo,proinde votum suum sortiretur valorem; sin verò vovens talem voluntatem deponeret, per emissum votum non obligaretur ad ducendam aliam in matrimonium, quia absolutè melius est nullam ducere. Eatenus bonum fuit velle ducere puellam pauperculã, quia finis voventis fuit exercere actum charitatis propter Deum, & liberare puellam à periculis offendendi Deum. Si quis verò voveret se ampliùs non voturum,tale votum foret etiam irritum, eò quia absolutè sit melius vovere, quàm non vovere,& non vovere pugnat cum Dei consilio, est enim votum actus consilii evangelici, & religionis.

12 Si quis tamen voveret, se non ampliùs voturum, nisi in scriptis, vel coram certis personis, vel nonnisi petito consilio Confessarii,tunc votum esset validum, quia non retrahitur vovens per adjectas circumstantias ab opere consilii; sed potiùs illas adjicit, ut imposterum sibi caveat, ne votum temerè emittat, quod non est contra, sed juxta divinum consilium, & est actus virtutis prudentiæ: quòd si memor hujus voti, nihilominus voveat non servatis præfatis circumstantiis, adhuc votum foret validum, quia esset de materia licita capaci obligationis, & quamvis vovens malè voveat; nihilominus votum semel emissum tenet, quia per prius votum non se reddit inhabilem, nec privavit se potestate aliter vovendi rem Deo gratam: sed tantùm se obligavit ad non vovendum nisi servatis prædictis circumstantiis,& eo ipso, quòd memor illarum adhuc vovet, intendit independenter ab iisdem hoc secundum votum velle emittere.

13 Quòd si immemor prioris voti, & circumstantiarum emitteret posterius non servatis conditionibus, quas voverat servare, tunc votum secundum emissum cum oblivione talium circumstantiarum est irritum; quia per prius votum habuit expressam intentionem ad non se obligandum imposterum per ullum aliud votum, nisi servatis illis circumstantiis, ut docet Sanchez. *lib. 4. moral. c. 8. num. 17.* Votum etiam non petendi dispensationem, commutationem circa votum jam emissum juxta probabiliorem sententiam non est validum,& in nullo eventu obligat, quia votum generaliter emissum, & quod in quibusdam casibus aptum est, & utile; & in aliis ineptum, & inutile,non tenet. Valeret tamen votum non petendi dispensationem absque legitima causa, quia melius Dei obsequium est in omni eventu velle quempiam ita se voto obligare, ut ea obligatione liberari absque legitima causa non possit. Hinc si absque ulla causa justa petatur irritatio voti, teneret quidem irritatio, sed petens peccaret,quia vovens nequit potestatem irritandi competentem superiori coarctare. Non verò peccaret superior irritando, quia ipse uteretur jure suo; neque peccaret inferior per usum talis irritationis, quia ejus votum tantùm fuit de non petenda irritatione, quod votum violatur per solam petitionem,ad quam usus postea se habet consecutivè: unde tantùm ipsa petitio esset peccatum, quia foret violatio voti.

Dubitari posset, an opera præceptorum 14
possint esse materia voti. Rationes dubitandi sunt. Primò quia votum est promissio melioris boni ex deliberatione firmata, ut docet D. Thomas *in 4. dist. 39. q. 1. art. 1.* & bona meliora, sunt opera consilii, seu supererogationis, ut docet D. Thomas *art. 2. q. 88.* & opera præceptorum non sunt opera supererogationis. Secundò quia D. Thomas ibidem *loc. cit. art. 2.* docet, hujusmodi vota esse solùm analogicè vota, & vocat illa vota communia,quasi non propriè, sed generali solùm ratione dicantur vota: sicut sunt ea, quæ in baptismo fiunt. Tertiò ad opera præceptorum jam antea obligamur, proinde illa obligatio est sufficiens,ut homo teneatur ea exercere: unde secunda obligatio per votum videtur frustranea. Quartò quia si votum induxit novum vinculum supra vinculum præcepti,etiam addit novum vinculum obligationi prioris voti, quapropter si homo centiès voveret jejunium quadragesimale centuplici obligatione ad illud teneretur,proinde etiam centupliciter peccaret, si illud transgrederetur.

Nihilominus contraria sententia est omni- 15
no certa, adeo ut possit quis licitè,& laudabiliter vovere aliquod opus, ad quod ex præcepto naturali, vel positivo obligetur; adeo ut per tale votum arctiùs, seu per novum vinculũ eidem operi adstringatur; ita enim expressè docet D. Thomas *in 4. dist. 39. q. 84. art. 2.* ubi ait, ea opera sine quibus non possumus salutem consequi cadere sub votum, quatenus voluntariè fiunt. Rationes id suadentes sunt. Primò quia Genes. 28. Jacob votum emisit, se illum solum culturum pro Deo,& nullos Deos alienos, dixit enim *erit mihi Dominus in Deum.* Secundò quia talis semper fuit praxis Ecclesiæ; fideles enim etiam ab initio nascentis Ecclesiæ voverunt abstinentiam ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium,tametsi ex præcepto jam obligarentur ad talem abstinentiam. Tertiò Religiosi vovent castitatem, quamvis extra matrimonium tenerentur eam servare. Conjuges etiam possunt licitè, & laudabiliter vovere abstinentiam ab omni fornicatione, & usu carnali cum alia non conjuge. Quartò quia juramento possumus novum vinculum inducere ad ea servanda, ad quæ jam tenebamur, proinde etiam voto, cùm sit utrinque par ratio, & obligatio utrinque addatur obligationi. Quintò quia si Petrus debeat centum Paulo ex mutuo,vel alio contractu, potest se illi nova promissione,& obligatione obstringere: ita etiam cùm non repugnet, obligationem addere obligationi, potest quis se obligare per votum ad opera præceptorum, ad quæ jam obligabatur. Sextò quia opera præceptorum, ideo præcipiuntur à Deo, quia sunt illi grata: at omne opus Deo gratum est de meliori bono, proinde materia voti.

Neque obstat, quod ad eadem opera jam 16
simus obligati, quia idem opus pluribus titulis potest esse debitum alteri, & creditor pluribus

titulis

titulis potest illud exigere à debitore. Hinc ad primam rationem oppositæ sententiæ respondetur, ex eo, quòd quis teneatur ad opera præceptorum, non sequi, non posse liberè aliquem vovere talia opera: quia votum est novum vinculum, quod ex deliberatione firmata de novo ponitur, cum potuerit non poni. Et Rursus quia opus præceptum est Deo gratum potest esse materia voti. Ad secundam petitam ex D. Thoma respondetur, S Doctorem tantùm asserere, promissionem illam, quæ fit in Baptismo esse analogicè votum, non verò negare, vota quibus promittimus Deo opera præceptorum, esse vera vota. Ad tertiam, obligationem præcepti esse quidem absolutè sufficientem ad nos inducendum ad ejus obsequium: verùm interdum etiam expedit superinduci novum vinculum per votum, ut voluntas arctiùs obligetur, magisque in bono propolito firmetur, ac fortiùs à violatione præcepti avertatur; & ut inde plus meriti hauriat ex duplici illa obligatione. Hinc ad quartam respondetur, posse novam illam induci obligationem, quamvis ejusdem speciei, vel etiam augeri eandem obligationem intra suam speciem, quo pacto multipliciter posset quis peccare transgrediendo plura vota intra eandem speciem: qua ratione valdè probabile est, Religiosum sacerdotem si peccet contra votum castitatis duplicem committere malitiam contra votum. Regulariter tamen quando quis pluries vovet idem jejunium quadragesimale non intendit sibi novas inducere obligationes, sed tantùm renovare priorem ad magis firmandam voluntatem in ejus observantia, quo pacto non inducuntur nova vota, nec novæ obligationes, sed tantùm magis firmatur per novam excitationem primum votum, quo pacto, qui centies voveret jejunium quadragesimale centies non peccaret per transgressionem talis jejunii. Sed tantùm pluries peccaret, si tot emisisset vota, quot sunt dies quadragesimæ, & nullo die servaret jejunium.

17 Præterea est discrimen inter vinculum ortum ex præcepto, & ex voto, sicut aliud est, quòd quis sit debitor ex præcepto Principis, & quòd quis si debitor ex propria promissione, proinde obligationi ortæ ex præcepto potest addi nova obligatio, quæ oriatur ex voto. Cæterum quando quis iterum promittit alicui rem, quam antea eidem promiserat, non ponitur novum vinculum, nec transfertur in promissarium novum jus, quia prima promissio transtulit totum illud jus, quod potuit transferre, & posuit omnem illum effectum, quem potuit ponere: hinc secunda, vel tertia promissio facta de eadem re, cùm non inducat novum jus, neque inducit novam obligationem, sed tantùm renovat priorem; ex quo liquet, eum pluries non peccaturum, si transgrederetur jejunium Sabbathinum, quod voverat, & millies idem promiserat.

18 Qui verò vovit aliquod minutum singulis diebus exercendum, ut dicere orationem Dominicam, vel recitare salutationem Angelicam non peccaret lethaliter, si per plures dies, immo & menses, illam omitteret, si tamen cum ea intentione eam vovit, ut obligatio sit unicuique diei affixa, & expiret cum ipso die, adeo ut tot sint obligationes, quot dies; quia tunc votum versaretur circa parvitatem materiæ, quapropter ejus transgressio esset tantùm peccatum veniale, & quæ multiplicaretur ad numerũ omissionum; quia cùm obligatio non continuetur, sed quotidie evanescat, una obligatio non nectitur alteri, nec accumulantur simul plures obligationes, quæ crescant in unam gravem: unde cùm materia nunquam fiat gravis, nec peccatum ex illis omissionibus fit grave.

19 Neque est par ratio de parvis furtis, quia hæc ratione damni illati simul accumulantur in materiam gravem, & plura furta parva simul accumulata cùm primum constituunt materiam gravem, inducunt etiam peccatum grave, & obligationem ad restitutionem: quo pacto etiam si quis se obligaret recitare singulis diebus salutationem Angelicam, & non intenderet tot obligationes, quot sunt dies, sed unam obligationem, quæ continuaret per reliquum tempus vitæ; tunc plures omissiones ratione continuationis coacervarentur in unam gravem, quæ foret materia peccati lethalis.

20 An verò qui voveret die mercurii jejunium, cui est annexa abstinentia à carnibus pluries peccaret, si pluries eadem die mercurii carnes comederet, vel tantùm prima vice. Azorius *tom. 1. lib.* 11. *c.* 20. *q.* 6. & Suarez. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *c.* 7. *num.* 12. respondent, ventem, toties peccaturum, quoties eadem die carnes comederet, eò quia tale votum obliget ad semper, & pro toto illo tempore, quo durat votum, perinde ac præceptum negativum obligat semper, & pro semper. Verùm contraria sententia est probabilior, quam docen. Diana *1. p. tract.* 9. *resolut.* 37. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 3. & alii plures; eò quia qui vovit jejunare non tenetur per se primò abstinere ab esu carnium, sed tantùm ratione jejunii, quod secum trahit necessariò abstinentiam à carnibus; adeo ut jejunium, se habeat ut principale, & abstinentia à carnibus ut quid accessorium, & secundarium inclusum in jejunio; quapropter cessante principali obligatione jejunii cessat etiam alia obligatio accessoria abstinentiæ à carnibus.

21 Neque urget, quòd abstinentia à carnibus includatur in voto per modum absolutæ negationis: quia non includitur in illo ratione sui, sed tantùm ratione alterius; scilicet ratione jejunii, adeo ut eatenus abstinentia à carnibus sit volita, quatenus est volitum jejunium, proinde cessante jejunii obligatione cessat etiam obligatio talis abstinentiæ. Secus qui per totum diem mercurii voveret abstinentiam ab esu carnium absolutè, prælcindendo à jejunio toties censeretur peccare, quoties illa die carnes comederet: ratio est, quia votum obligat instar legis ecclesiasticæ, quæ si prohibeat esum carnium aliqua die toties violatur, quoties eodem die comeduntur carnes. Tum quia tunc abstinentia à carnibus est per se primò intenta à vovente, proinde se habet, ut aliquid negativum, quod divisibiliter se habet, perinde ac præceptum negativum quod obligat pro toto illo tempore,

quo

quo durat, unde toties transgreditur tale votum, quoties comeduntur carnes, & tot sunt peccata, quot comestiones in notabili quantitate, & interruptæ. Nihilominus D. Antoninus Palludanus, & alii apud Pasqualigum *in prax. jejun. eccles. decis. 66.* censent votum abstinendi ab esu carnium pro aliquo die, si semel frangatur, non ampliùs obligare; eò quia sit de illa privatione pro die illo, quæ si semel destruatur per unicum actum non ampliùs potest observari.

22 Posset dubitari, an qui vovit aliquid determinata die faciendum, adhuc teneatur adimplere votum alio die, si votum non impleverit die illo jam determinato? Respondetur, quòd si vovens præcipuè habuerit rationem ad devotionem temporis, ut jejunare die Sabbathino ob devotionem in Virginem Matrem, tunc si dies Sabbathi non jejunet, vovens peccat quidem mortaliter, sed non tenetur aliis diebus jejunare, quia tale jejunium est affixum diei Sabbathino; adeo ut dies Sabbathi sit circumstantia intrinseca rei promissæ per votum, & per modum unius utrumque comprehendatur sub voto; & quia transacto tali determinato die non est ampliùs possibile, rem promissam cum eadem circumstantia temporis implere, ideo extinguitur obligatio voti, quia ad impossibile nemo tenetur. Sin verò vovens principaliter intendat aliquid exequi, & tantùm adjiciatur dies, ut terminus executionis voti; ut si quis voveret recitare, septies intra octiduum septem Psalmos pœnitentiales, si eos intra id tempus non recitaret, peccaret quidem lethaliter, eò quia votum non impleverit, sed inde non absolveretur à voto, quia illa circumstantia octidui non vovetur per modum unius cum tali recitatione, sed tantùm est tempus, quod vovens sibi præfigit pro tali recitatione, adeo ut sint virtualiter duo vota, & vovens omittens talem recitationem transgreditur tantùm votum octiduii, ac propterea peccat, & illi supereſt adhuc obligatio recitandi septies Psalmos pœnitentiales. Imò etiam si vovens hæreret dubius, an tempus illud assignâsset præcipuè ob ejus devotionem, an potius ut determinativum executionis voti, adhuc vovens teneretur recitare Psalmos eo tempore transacto, quia cum obligatio voti sit certa, est in possessione.

23 Quoties votum est in materia gravi, si fiat simpliciter, & absolutè semper obligat ad mortale, quia tunc obligatio sequitur juxta exigentiam materiæ. Sin verò votum fiat restrictè, & cum intentione expressa se non obligandi sub mortali, sed tantùm sub veniali, tunc probabilius est, votum tametsi circa materiam gravem non obligare, nisi sub veniali, quia votum est lex privata, quæ non obligat ultra intentionem voventis. Tum quia etiam lex humana in materia gravi potest interdum non obligare ad mortale, sed tantùm ad veniale ex intentione legislatoris. Quòd si votum sit de materia levi, non potest obligare ad mortale, quamvis vovens habuerit intentionem obligandi se sub mortali; quia materia levis non est capax tantæ obligationis, & promissio illa sub mortali foret irrationabilis, & impertinens ad divinum cultum, proinde non acceptaretur à Deo. Quòd si materia levis referatur ad finem gravem, tunc posset obligare etiam graviter ex intentione voventis, quia ratione finis materia, quæ ex se præcisè esset levis, fieret gravis. Cæterum ex duplici capite cognosci potest, an materia voti sufficiat ad peccatum mortale, vel veniale. Primò ex magno, vel exiguo honore, qui redundat in Deum, ex eo quòd votum emissum adimpleatur. Secundò ex comparatione ad legem, vel alia præcepta: quia si materia illa, quæ vovetur, à lege præciperetur, & sufficeret ad mortale, censeretur etiam esse materia gravis respectu voti, ut notat Santhez. *lib. 1. moral. c. 4. numer. 12.*

Si quæratur quale sit peccatum vovere opus malum? Respondetur esse lethale, si opus illud sit peccatum mortale, idque ex duplici ratione, scilicet propter affectum illius operis, & propter irreverentiam, & contumeliam Deo irrogatam per tale votum. Hinc qui voveret occidere suum inimicum, non solùm peccaret lethaliter ob illam pravam voluntatem, sed etiam ob votum illud emissum. Sin verò opus quod vovetur sit tantùm peccatum veniale, plures sentiunt, votum non excedere malitiam peccati venialis, quia impletio talis voti est tantùm peccatum veniale, & parvitas materiæ excusat à lethali, ita docent Sotus *lib. 7. de justit. q 1. art. 3.* Navarrus *c. 12. num. 33.* Verùm tale votum fore itidem peccatum lethale videtur probabilius ob gravem irreverentiam si vovens sciat, rem, quam vovet esse malam, & non placere Deo: esset enim aliqua irrisio promittere Deo, quod ipsi non placet, perinde ac si quis promitteret alicui tanquam gratum aliquod, quod sciret esse ipsi ingratum. Hinc *Malach. 1.* graviter reprehenduntur, qui victimam claudam, cæcam, vel alio notabili defectu vitiatam offerebant: unde multò magis reprehensibilis foret, qui opus malum Deo offerret, ac promitteret.

Cæterum vovere opus bonum, & ex voto aliquid exercere animo colendi Deum, semper est opus bonum, & meritorium, idque est certum de fide, & desumitur *ex script. Psalm. 75. vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera: terribili & ei qui aufert spiritum Principum*: ubi etiam adjicitur causa, cur vovere sit opus bonum, nimirum, quia Deus terribilis est, & vitæ, necisque in omnes summum jus habet, hinc Isaias 19. loquens de Ægyptiis conversis ait, *cognoscent Ægyptii Dominum, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vovebant Domino, & solvunt.* ratio etiam id suadet, quia implicat contradictionem, fieri votum sine animo saltem implicitè colendi Deum, quia votum intrinsecè est per se quidam cultus Dei, & omnis cultus Dei est opus bonum, ac meritorium. Tum quia votum sicut potest fieri ob unam, vel aliam causam temporalem, ita etiam ut honoretur Deus, & ad hunc finem, ut vovens per suum votum placeat Deo cùm etiam D. Paulus nos hortetur, ut omnia ad ejus gloriam faciamus: quòd si votum est aliquid

24

25

quid, quod facimus, utique possumus illud facere ad majorem Dei gloriam.

26 Demum quia ipsum naturæ lumen ostendit, bonum esse vovere Deo, & per emissa vota illum honorare: quapropter gentes omnes Diis suis vota faciunt, & adimplent, censentes tali pacto sua Numina colere. Præterea aliquid facere, ut Deo servemus fidem datam, est cultus Dei, consequenter opus bonum: sed aliquid facere ex voto, est illud exequi, ut servetur fides Deo data; proinde exequi aliquid ex voto est cultus Dei, & opus bonum. Demum quia votum quando fit Deo est actus virtutis religionis, quia per votum non promittimus aliquid Deo, ut inde aliqua utilitas ipsi proveniat, sicut promittimus homini; sed ut ipsum honoremus, & ut nos ipsos reverentiâ Dei in bono firmemus, quorum utrumque ad virtutem pertinet religionis. Tum quia omnis laus, quæ est in actu vovendi dependet ex his duabus causis; siquidem ideo laudabile est vovere, quia est laudabile Deum honorare, & ejus reverentiâ se firmare in bono proposito.

27 Quòd si petatur, quomodo Deus voto honoretur, si id quod vovetur, non sit cultus Dei, sed quid aliud pertinens ad alias virtutes, ut sunt vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ nullum cultum præseferunt? Respondetur, Deum honorari per actum vovendi. Primò quia vovens testatur, Deum habere providentiam rerum humanarum, & esse illum, ad quem in angustiis sit confugiendum, & qui solus possit in miseriis, & indigentiis nobis opitulari.

28 Secundò, quia vovens eadem re, quam vovet, intendit Deum honorare, & per suum votum gratum illi exhibere obsequium: quamvis res illa non sit ex natura sua cultus Dei strictè sumptus, eò quia per se non significet divinam excellentiam, & nostram subjectionem: nihilominus adhuc res illa, quam vovemus assumitur à nobis in cultum Dei, eò quia per illam testamur nostram servitutem, & divinum dominium; ex eo enim, quòd sciamus paupertatem, castitatem, & obedientiam placere Deo, possumus ad ejus honorem illas virtutes vovere, & quidem ob eam præcisè rationem: quia tales virtutes sunt Deo gratæ.

29 Præterea possumus etiam illas vovere, ut declaremus nostrum obsequium, & affectum servitutis erga Deum, & tunc sunt cultus Dei. Tertiò quia vovens intendit etiam ob Dei reverentiam, se in bono proposito confirmare, ideo enim vovemus Deo castitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuam, ut memores, cui promiserimus ob ejus reverentiam observemus vota; continere autem se in bono ob reverentiam debitam Deo pertinet ad virtutem religionis.

30 Quod si quæratur, cujus potentiæ actus sit votum? Respondetur esse actum intellectûs practici, eò quia sit quædam practica locutio, quâ quis se ipsum Deo obligat, sicut enim oratio est quædam locutio, quâ alium movemus ad præstandum aliquid: ita votum est locutio interna, vel externa, qua nos ipsos obligamus Deo. Tum quia votum est promissio, quæ fit Deo, & de ratione promissionis est, ut non tantùm sit voluntas se obligandi, aut judicium, verùm etiam locutio practica; quod ex eo liquet, quia quantumvis velit quis se obligare, ac judicet id expedire, non propterea contrahit obligationem, quamdiu in his tantùm actibus sistit; sed ulteriùs requiritur ut locutione quadã interna, vel externa ad alterum directa promittat: & hæc locutio semper supponit voluntatem se obligandi, & est veluti instrumentum voluntatis, sine quo non potest quis sibi obligationem imponere, sicut nec superior potest subditum obligare sine præcepto.

Quòd verò ad tempus attinet voti implendi, certum est, quòd tametsi cuilibet liberum sit ab initio vovere, vel non; emisso tamen voto teneri illud implere, ut habetur *in c. licet 6. h.t.* idque ex virtute religionis juxta illud Deuteronomii 23. *si nolueris polliceri absque peccato evis, quod semel egressum est de labiis tuis, observabis*: hinc David Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Hinc est, quòd transgressio voti sit ex genere suo peccatum lethale ob fidem datam Deo, quæ violatur, licèt ratione parvitatis materiæ possit tantùm esse peccatum veniale, ut si qui vovit orare rosarium, unum, vel alterum omittat Ave Maria: & in foro extrinseco ecclesiastico, qui votum emisit compelli potest ad ejus impletionem, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & ad ipsam pertinet præcavere, ne peccata, quibus Deus offenditur, committantur. *c. novit. de judic. c. quod super in fin. 7. de fide instrum.* idque vel maximè si Ecclesiæ, vel alterius interfit votum impleri, ut quando quis vovit Ecclesiam ædificare, potest tunc ad impletionem voti adigi. Quòd si vovens certum tempus sibi statuerit ad votum implendum, non potest absque peccato nisi justa subsit causa ultra tale tempus differre voti impletionem: quòd si præviderit, impedimentum illo tempore futurum, tenetur tunc priùs votum exsolvere, neque dilapso tempore, si votum non impleat, censetur à voto absolutus; sed adhuc tenetur illud postea implere, nisi votum ob specialem Dei cultum ad unum potiùs, quam ad alium diem fuerit determinatum, ut si quis in pervigilio S. Antonii Patavini promisit se jejunaturum; si illo die non jejunavit absque justa causa peccavit quidem, sed non tenetur alio die jejunare. Quinimò tametsi præviderit impedimentum, non tamen tenetur anticipare: quia anticipatio prævisi impedimento tunc tantum est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus non cadit sub votum, eò quia non sit pars ejusdem, sed tantùm requiritur necessariò propter executionem voti, quod non nisi in tempore impleri potest. Si verò vovens nullum certum tempus sibi præfixit, debet tunc votum exequi quàm primum commodè potest juxta illud *Deuter. 23. Cùm votum voveris Domino non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; sicut in cæteris contractibus, & obligationibus ab eo, qui se sine certo tempore obligavit, res potest statim peti, si debitor possit commodè solvere

31

l. promiſſor. §. 1. ff. de conſtit. pecunia: quod tamen intelligendum eſt humano modo, & juxta prudentis viri arbitrium, qui enim emiſit votum peregrinationis non tenetur ſtatim ſi periculum aliquod immineat, vel tempus non conducat, illud implere, ſed quando omnia pro itinere ritè conducunt *argum. text. notab. in l. continuus 137. §. 2. ff. de V. O.*

32 Quamobrem ex juſta cauſa poteſt executio voti differri, idque deſumitur *ex c. non eſt 5. h. t.* ubi Innocentius III. reſcripſit, eum non eſſe cenſendum voti transgreſſorem, qui ex juſta cauſa diſtulit votum adimplere. In dubio tamen, an juſta cauſa ſuppetat ad ſuperiorem recurri debet, ut notat Gloſſa *in c. magna 7. V. noluiſti tamen h. t.* quia nemo debet interpretari votum ſuum, niſi certo conſtet non contraxiſſe obligationem. Juſta cauſa differendi executionem voti, quod caret certo tempore, eſt, ſi ſperetur fore, ut poſtea commodiùs cum majore animi tranquillitate, devotione, ac recollectione votum impleatur, dummodo excludatur probabile periculum perpetui, vel valdè diuturni impedimenti, illud poſtea exequendi, quia tunc vovens culpabiliter ſe injiceret in tale periculum. Excipitur etiam ſi opus, vel obſequium voto promiſſum ſit ſucceſſivum, vel perpetuum, ut eſt votum ingrediendi religionem, ſuſcipiendi ſacros ordines, inſerviendi alicui Eccleſiæ, vel loco pio per reliquum vitæ tempus, tunc enim ſi vovens voveret implere ſuum votum hoc anno, & tali die, non poſſet impletionem illam differre ad annum venturum, præſertim ob negligentiam, & ſine legitimo impedimento; ratio eſt, quia tunc tantùm obſequii, & cultus Deo promiſſi detrahitur, quanta eſt mora temporis, quo differtur voti executio, cùm enim hujusmodi vota ſint ſucceſſiva dilapſo tanto tempore non poſſunt ampliùs integrè impleri ex ſuppoſitione, quod ſint vota perpetua: quia temporalia poſſunt reſarciri, qui enim vovit inſervire Xenodochio per decenniũ, tametſi non niſi anno venturo incipiat implere votum, imò vel etiam differat ad duos annos, adhuc poteſt integrum votum implere hoc eſt ſuum ſervitium præſtando per integrum decennium.

§. III.

Quot modis voti obligatio tolli poſſit.

1 QUatuor modis poteſt voti obligatio tolli. Primò per deſitionem materiæ, ſi quod ante erat legitima materia voti, deſinat eſſe materia voti, ſive abſolutè, ſive reſpectu voventis, ut ſi fiat ex mutatione alicujus circumſtantiæ, mala, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, vel deſit aliqua conditio. Secundò per irritationem, ſeu annullationem ipſius voti, adeo ut non ſit ampliùs votum; nec conſequenter ulla obligatio: tunc irritatur votum, quando materia, quam vovens vovit, ſubjicitur aliquo modo alienæ poteſtati, & dependet ab ejus conſenſu, tunc enim talia vota ſemper habent hanc tacitam conditionem, niſi ſuperior, ſeu ille, cujus intereſt, contradixerit: quòd ſi contradicat non impletur conditio, & votum annullatur. Tertiò per commutationem, quando obligatio voti ab una materia transfertur in aliam: ut ſi eleemoſyna danda pauperibus, mutetur in conſtruendum ſacellum, vel Eccleſiã, & quando obligatio voti perſonalis transfertur ad opus reale, ut quando quis vovit jejunare in ſolo pane, & frigida diebus Sabbathinis in honorem B. Virginis, & petit commutationẽ talis voti, ſi illi commutetur in opus reale, ut in eleemoſynam dandam pauperibus, vel in ædificationem alicujus ſacelli, dicitur talis voti commutatio, propriè redemptio. Quartò per diſpenſationem, & tunc contingit, quando authoritate Eccleſiaſtica relaxatur voti obligatio, vel in totum, vel in partem.

2 Per deſitionem materiæ intelligitur etiam ceſſare votum, quando ceſſat cauſa finalis, ob quam fuit votum emiſſum, quia votum non obligat ultra menſuram intentionis, quam habuit vovens, qui non cenſetur habuiſſe intentionem ſe obligandi ceſſante cauſa finali voti emiſſi; ut ſi quis vovit non intrare certam domum, eò quia à fœmina ibi habitante immineat ipſi periculum peccandi, eò quia cum ipſa ſæpius fuerit lapſus, ſi deinde fœmina illa moriatur, vel in aliam ſe transferat domum, tunc quia ceſſat periculum in illa peccandi, ceſſat etiam votum non ingrediendi talem domum, quia materia voti, quæ antea erat bona, nimirum abſtinere à periculo peccandi, quod erat annexum tali ingreſſui; nunc fit indifferens: ſiquidem ingreſſus in illam domum, in qua ampliùs non habitat talis fœmina, perinde eſt indifferens, ac ingreſſus in aliam domum, in qua nondum imminet peccandi periculum.

3 Imò ceſſat etiam obligatio voti ſi notabilis ſuperveniat mutatio, vel difficultas circa materiam, quæ ſi prævisa fuiſſet, votum judicio prudentis viri non fuiſſet emiſſum: ratio eſt, quia votum cenſetur factum ſub hac tacita conditione, niſi ſupervenerit notabilis mutatio, ſeu difficultas ex parte materiæ. Tollitur etiam, vel ſuſpenditur voti obligatio, quando tempore adimpletionis voti, materia voti fit illicita, vel impeditiva majoris boni, quod tamen intelligitur de impedimento, quod ſit perpetuum; quia ſi ſit tantùm temporale, ceſſante hoc impedimento vovens tenetur votum implere: hinc ſi quis quando divitiis affluit, vovit dare pauperibus centum aureos, & poſtea in eam lapſus eſt egeſtatem, ut ſuum votum non poſſit ampliùs implere, excuſatur pro toto illo tempore egeſtatis: quòd ſi ad pinguiorem iterum promoveatur fortunam, & diteſcat ſicut antea, tenetur votum implere, quia ejus obligatio tantùm fuit ſuſpenſa tempore egeſtatis, & ita dicendum eſt de aliis mutationibus materiæ, ut docent Suarez *de relig. lib. 4. c. 18. num. 4.* Navarr. *c. 19. num. 7.* Sanchez. *lib. 4. c. 2. n. 20.*

4 Per irritationem generatim vota omnia irritari poſſunt, quæ emiſſa fuerunt ab iis, qui alteri, vel perfectè, & in omnibus, vel ſaltem quoad materiam, quam voverunt, ſubjiciuntur: quia illorum vota dependent à conſenſu alterius; proinde cenſentur habere quandam tacitam

tacitam conditionem, vel ex natura rei, vel ex juris dispositione, scilicet *si superior, vel ille cujus interest, non contradixerit*, adeo ut ad irritationem voti non requiratur causa, sed sufficiat voluntas irritantis: eò quia executio dependeat ab ejus consensu. Potestas autem irritandi vota aliquando est spiritualis, & interdum temporalis, eò quia talia vota dependeant à voluntate superioris, sive is spiritualis sit, sive temporalis: & hæc dependentia à voluntate superioris, alia est per se, & simpliciter dicta, quatenus voluntas voventis simpliciter, & absolutè dependet à directione, & voluntate superioris, cujusmodi est voluntas Religiosi respectis sui Prælati *c. si Religiosus, de elect. in 6.* voluntas filii impuberis respectu patris, vel tutoris *c mulier. c. 2. q. 2.* Alia est dependentia tantùm secundùm quid, & per accidens ratione materiæ, quæ alterius subjicitur dominio, & propterea si vovens ad illam se obliget, alterius juri, vel potestati præjudicet, ut si servus, filiusfamilias, pubes, conjux aliquid voveant, quod sine præjudicio Domini, Patris, mariti impleri non possit; non enim cum læsione juris alterius potest quis se obligare ad opus aliquod exercendum. Hinc ratione dependentiæ per se datur superiori directa potestas irritandi, & annullandi vota subditorum, tametsi sibi, & suæ potestati non inferrent damnum, quia voluntas inferioris non fortitur effectum, nec à Deo acceptatur, nisi confirmetur, vel emittatur authoritate superioris, ut desumitur *ex c. 2. 20. q. 2.* ubi dicitur *Monacho non licet votum vovere, & si voverit frangendum erit*, & irritatio valet, tametsi sine causa fiat. An verò superior peccet, si absque ulla justa causa irritet votum sui subditi.

5 Certum est, non peccare saltem mortiferè, immo & per se non videri ullum peccatum, cùm totum votum collatum sit in arbitrium superioris, qui nulla lege adigitur illud approbare: & ex alio capite irritando votum utitur jure suo, eò quia sit in potestate superioris approbare, vel improbare vota emissa à subdito. Quòd dicatur votum subditum irritare sine causa carere fine honesto, proinde saltem esse actum otiosum, & peccatum veniale, præsertim cùm *Numer. c. 3.* dicatur: *Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus?* Respondet Lessius *lib. 2. c. 40. num. 70.* non esse propriè opus otiosum, consequenter neque peccatum veniale, quia superior irritans votum intendit finem honestum; hoc est ne subditus assuescat propriæ voluntati, sed juxta votum obedientiæ se in omnibus subjiciat suo superiori. Ad id quod addebatur *ex c. 3. Numer.* respondetur ibi agi de marito, qui sciens votum uxoris diu dissimulavit, & postea contradixit, cùm debuisset statim id præstitisse, propterea dicitur, & *hic portabit iniquitatem uxoris*, quia voti violatio materialis non imputabitur uxori, sed marito, qui pro illa punietur. Cæterum, si absque ullo honesto fine, & ex solo arbitrio superior irritaret votum subditi, ex cujus observantia nullum inferretur detrimentum religioni, non excusaretur superior à peccato saltem veniali: etenim sine causa impedire bonum opus alterius non est laudabile, quia tunc videtur potiùs ex displicentia operis votum illud irritare.

6 Neque obstat, quòd subditus Religiosus non possit votum quodcunque emittere, nisi sub tacita conditione, si superiori placuerit. Nam quoad licentiam superioris petendam à subdito procedendum est cum distinctione. Vel enim Religiosus vovit actionem aliquam sibi licitam, & concessam, ut certas orationes recitare privatim, vel exercere hos, vel illos actus mortificationis sine præjudicio communitatis, & tunc Religiosus vovens obligatur voto, donec superior prohibeat executionem voti, & non tenetur ab initio Religiosus licentiam petere, ut possit tale votũ emittere juxta probabilem sententiam: ego tamen consultiùs putârim, Religiosum semper debere licentiam in votis emittendis petere à suo superiore, ad quem pertinet impedire in cœtu Religiosorum, quæ singularia sunt, ut tota communitas pari gressu procedat. Vel votum consistit in actione quidem bona, sed Religioso ex certa causa prohibita, ut esset votum peregrinationis extra monasterium, & tunc certò certiùs est, teneri Religiosum licentiam petere à suo superiore, cùm non possit sine licentia ejus vagari extra monasterium. Hinc juxta communiorem, ac probabiliorem sententiam possunt à Prælato Religioso absolutè omnia vota emissa à suis subditis præter tria vota solemnia, & votum arctioris religionis irritari, & desumitur ex D. Thoma *q. 88. art. 8. ad 3.* ubi asserit, nullum votum esse firmum nisi de consensu Prælati, eò quia voluntas Religiosorum debeat perfectè subjici, ac dependere à voluntate superioris in omnibus, quæ ad vitæ directionem pertinent, quoad actus externos, quia superior non potest præcipere, nec prohibere actus merè internos, nisi isti nectantur cum exterioribus, quos aliquo modo inferant, quia tunc indirectè potest superior etiam actus internos præcipere, vel prohibere ratione externorum.

7 Tum quia ex dispositione juris, sicut in omnibus votis impuberum adest tacita conditio, si parens, vel totor non contradixerit; ita in omnibus votis Religiosorum ex eadem juris dispositione includitur tacita conditio, nisi Prælatus contradixerit: inest enim Ecclesiæ potestas ita statuendi in votis, & juramentis, quando justa causa subest: etenim perinde ac potestas civilis, potest ecclesiastica præscribere formulas in contractibus, & eisdem conditiones apponere, quæ semper inclúsæ censeantur, tametsi à contrahentibus cogitatæ non fuerint.

8 Hinc Pater, & tutor potest irritare vota liberorum in impubertate emissa, etiam postquam ad pubertatem devenerint, nisi post pubertatem eadem vota nova voluntate confirmaverint; quia parentibus, & tutoribus à jure datur simpliciter potestas irritandi vota facta in impubertate; & tunc attenditur primordialis natura obligationis, & qualitas agentis, quando votum emisit: sicut *in c. ult. de sentent. excommun.* percussio clerici facta à puero impubere

bere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus pubertatem, ut docent Navarr. *in manual. c. 12. num. 71.* Sanchez. *lib. 4. moral. c. 33. num. 14.* An verò maritus vota uxoris, quæ emisit tempore prioris matrimonii, vel etiam quando fuit innupta, vel impubes, & Pater, vel tutor potuit irritare, vel etiam prior maritus; hoc idem possit etiam præstare successor? Respondetur affirmativè cum Sanchez. *de matrim. lib. 9. disp. 41.* quia succedens maritus succedit in locum patris, & tutoris, ac prioris mariti, proinde etiam potest similia vota irritare.

Cæterum superior religionis non potest irritare votum arctioris religionis emissum à subdito, quia jura concedunt hunc transitum ad arctiorem, etiam invito superiore, proinde non intendunt tale votum constituere in illius arbitrio; non enim æquum erat, ut votum illud poneretur in arbitrio superioris, per quod Religiosus subditus extra illius potestatem constituitur. Præterea quia tali voto non subjicitur superiori ratione materiæ, cùm hæc sit religio arctior, in quam non habet jurisdictionem: neque ratione personæ, cùm hæc per executionem voti desinat esse subdita tali superiori. An verò si Prælatus semel consensit in votum subditi, possit postea illud irritare? communior sententia, quam docent Panormitanus *in c. carissimus num. 4. de convers. conjugat.* Sotus *lib. 7. q. 3. art. 1.* & alii affirmant: quia D. Augustinus *q. 59. in Numer.* expressè docet, uxorem non teneri ampliùs voto, si vir contradixerit, tametsi antea concesserit ejus executionem; & D. Augustinus loquitur de votis jejuniorum, & similium, quibus vir est caput mulieris. Tum quia superior tametsi consenserit in executionem voti, non propterea desinit esse superior, nec censetur amisisse jus illud, quod habet in subditum, etiam quoad illam executionem; unde si superior illam postea prohibeat, tenetur subditus ei parêre. Tum quia potest illi nova occurrere justa causa irritandi votum subditi, & ad hunc non pertinet discutere, an talis causa subsit. Tum quia potest Prælatus successor irritare votum Religiosi, in quod consenserat Prælatus prædecessor: ergo etiam prædecessor potuit post datum consensum etiam illud irritare, quando adhuc præfuit.

10 Quòd si tantùm per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas subditi dependet à superiore, tunc probabile est, non posse votum subditi irritari à superiore, nisi quatenus sibi, vel rei suæ est damnosum. Hinc si uxor longam voveat peregrinationem, vel jejunium, aut eleemosynam de bonis dotalibus; votum non valet, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit: & eadem est ratio de filia familias si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum, vel incommodum patris cedat, ut si voveat sumptuosam peregrinationem, aut plures eleemosynas ex bonis ipsius patris. Secus esset si uxor voveret, se donaturam Ecclesiæ de bonis suis receptitiis, & filiusfamilias de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, quia tunc per donationem talium bonorum, nullum fit præjudicium marito, vel patri, quia bona illa pleno jure pertinent ad voventes, proinde non possunt vota hæc irritari.

Probabile tamen est, quod docet Sanchez. 11
de matrim. lib. 9. disp. 39. num. 4. & sequent. uxorem subdi marito, non solùm quoad materiam voti, verùm etiam quoad voluntatem, eò quia juxta Apostol. *ad Ephes. 5.* vir est caput mulieris; & *Genes. 3.* mulier est sub viri potestate: cùm enim mulier sit ex natura levis, imprudens, & facilis in votis emittendis, ideo debuit ejus voluntas subdi voluntati viri. Imò non solùm maritus potest uxoris vota irritare, verùm etiam uxor vota mariti, quatenus præjudicant illi in suo jure conjugali, quod habet in corpus mariti, vel etiam bonis suis obsint: ut si maritus voveat diuturnam absentiam à conjuge, vel donationem ex bonis dotalibus, & alia his similia. Jura tamen propter publicam necessitatem Christiani populi in uno casu derogârunt potestati uxoris in ordine ad irritandum votum mariti; nimirum si maritus sine assensu uxoris voveat peregrinationem Hierosolymitanam pro terræ sanctæ redemptione, si maritus in ea qualitate sit, ut possit ipse militare, vel milites secum ducere, vel suo consilio possit militantibus prodesse, & adesse: uxor tunc hoc mariti votum non potest irritare, quamvis præjudicet juri suo conjugali, quod habet in corpus mariti in ordine ad petendum debitum, quoties illi placuerit *c. ex multa 9. §. penult. h. t.* ubi statuuntur plura. Primò quòd commutatio voti terræ sanctæ positâ sufficienti causa, ut si sit pauper, vel infirmus, aut alia justa causâ, temporanea impeditus spectat ad solum Papam, vel ad filios, quibus specialiter Papa committit. Secundò quando voyens est habilis ad eundum, & inhabilis ad pugnandum, si suo consilio potest prodesse exercitui; vel secum ducere bellatores, si sit dives, ejus votum non commutatur. Tertiò, ut uxores non voventes possint sequi viros ex voto euntes Hierosolymam ad pugnandum, sed non teneantur. Quartò viri sine consensu uxoris possunt vovere votum terræ sanctæ necessitate ejus loci, quapropter non potest uxor ex vi juris hoc votum emissum à marito irritare. Pari pacto juri mariti, vel uxoris derogatum est in voto religionis ante consummationem matrimonii, ut habetur *in tit. de convers. conjugat.*

An verò votum semel annullatum a superiore, vel marito reviviscat post ejus obitum: 12
Respondent doctores. Primò votum Religiosi, vel impuberis à Prælato, vel patre irritatum semper manere nullum, eò quia superiores isti habeant simplicem, & directam potestatem irritandi vota inferiorum. Secundò asserunt, votum à muliere emissum ante matrimonium, vel à servo, priusquam in potestatem veniret Domini, posse quidem à marito, vel Domino interim annullari, quatenus sibi præjudicat: verùm cessante conjugio, vel heri potestate votum incipere, ut antea obligare, & dant rationem, quia tale votum non fuit simpliciter irritatum, sed solùm respectu dictæ potestatis, cui votum præjudicabat, cessante autem conjugio, & dominica potestate cessat præjudicium,

con-

consequenter obligatio voti reviviscit. Tertiò an uxor si vovit extante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, si postea tale votum irriteturin uxore à marito, & in filio pubere à patre reviviscat quoad obligationem post matrimonium solutum, vel cessationem patriæ potestatis? non satis conveniunt doctores: opinio tamen affirmativa communior est, & verior ex suppositione, quòd votum fuerit in omne vitæ tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugii, vel ad certos annos, qui jam elapsi sint, restrictum: ut si uxor voverit, se ter in hebdomade per reliquum vitæ tempus jejunaturam: ratio est, quia eatenus hoc votum constante matrimonio potest à marito irritari, quatenus præjudicat juri quod habet maritus in uxorem, quam desiderat vegetam, sanam, & benè se habentem circa corpus, unde talis irritatio non fuit simplex, nec totaliter sustulit obligationem voti, sed tantùm quatenus præjudicavit; unde cessante præjudicio reviviscit obligatio voti.

13 Per commutationem etiam solvitur voti obligatio. Est autem commutatio substitutio operis nonetti loco alterius per votum promissi manente eodem vinculo: & tripliciter potest contingere. Primò si fiat commutatio operis in melius. Secundò si cum æquale diversi generis. Tertiò si in minus. Quoad primum, certum est, posse quemquam etiam propria authoritate privata votum suum commutare in id, quod constat melius esse, nisi talis commutatio sit ab Ecclesia specialiter prohibita, ut est prohibitum commutare votum strictioris religionis, & terræ sanctæ in subsidium, & redemptionem illius. Cæterum alia vota mutari possunt in melius: quia, quod melius est, censetur continere quod est minus, quapropter qui vovit dare pauperi unum florenum, & dat unum aureum excellenter solvit, quod promiserat, quia florenus continetur in aureo: quo pacto etiam inter homines optimè solvit promissum, qui dat, quod novit promissario esse gratius, ut si loco promissi canis det equum, & tunc subintrat commune effatum, *Eum non frangere promissum, qui in melius illud commutat*, dicitur autem in hac materia melius, quod omnibus maturè pensatis videtur Deo gratius: hinc votum orandi septem Psalmos, potest quis commutare in votum dandi eleemosynam sacerdoti pro celebratione unius, vel alterius missæ in suffragium animarum, quæ igne purgantur expiatorio, & Lavarus votum peregrinationis ad S. Mariam Etinganam, in peregrinationem ad S. Mariam Lauretanam: Clericus votū suscipiendi Ordines sacros potest mutare in votum ingrediendi religionem approbatam, ut in illa professionem emittat: & qui vovit ingredi religionem laxiorem, potest illud mutare in strictiorem religionem.

14 Quamvis tamen per se, & ex genere suo melior sit oratio, quàm jejunium; & eleemosyna, quàm cilicium, non tamen qui vovit jejunium, & cilicium potest suo arbitrio illud commutare in orationem, vel eleemosynam, quia non semper est Deo gratius, quòd per se est excellentius, sed quod pro tempore, loco, & dispositione magis congruit à nobis fieri in ordine ad assecutionem salutis. Solet tamen objici, primò quia commutatio votorum pertinet ad authoritatem superioris, perinde ac dispensatio, ut liquet *ex c. de peregrinationis 1. h.t.* ubi Alexander III. statuit, quòd Episcopus possit commutare vota peregrinationis, dummodo in commutando consideret qualitatem personæ, & causam commutationis, & suo arbitrio judicet, an recompensatio sit melior, & Deo magis accepta, quam peregrinatio posita in infirmitate, vel divitiis, vel alia causa probabili. Cùm enim Pontifex velit, quòd tale votum commutetur in melius, sequitur, non posse, qui vovit, propria authoritate commutare in melius suum votum. Secundò quia debitor, qui solvit creditori rem meliorem, non tamen liberatur ab obligatione, sed adhuc tenetur solvere, quod debet. Tertiò quia nemo potest esse judex in propria causa. Verùm ad primum respondetur, tunc commutationem non posse fieri authoritate privata, & exigere illam superioris, quando non constat, id melius esse in quod fit mutatio. D. Thomas *q. 88. art. 12.* docet, authoritatem Prælati in commutatione votorum requiri, ut in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, unde si clarè constet, & certò sciatur, quod per se est Deo acceptum, non requiritur tunc authoritas superioris. Ad secundum respondetur, id intelligi de re meliori, quæ non sit gratior creditori, perfæpe siquidem quod est melius in se, non est alteri gratius, quod locum habet in hominibus, qui non æstimant semper res, ut sunt in se: secus contingit respectu Dei, quia ipsi opera eò semper sunt gratiora, quò meliora. Ad tertium, verum est non posse quemquam esse judicem in propria causa invita parte contraria, secus si pars consentiat, nil prohibet, quin possit esse judex.

An verò etiam in causis piis possit quis sua privata authoritate votum reale factum in favorem in unius Ecclesiæ commutare in votum reale melius, quod cedat in commodum alterius Ecclesiæ, ut si Petrus vovit dare decem aureos Ecclesiæ S. Petri, possit tale votum commutare in aliud reale melius, seu dandi calicem Ecclesiæ S. Mariæ ab ipso 15. aureis emptum? Plures non solùm negant posse hanc commutationem fieri authoritate privata voventis, sed etiam authoritate ipsius Episcopi, eò quia in causis piis per promissionem jus acquiritur absenti, ut possit rem promissam exigere *l. ut inter C. de SS. Eccles.* & ita docent plures Canonistæ apud Sylvestrum *V. Votum 4. p. 7. §. quartum.* Communior tamen sententia, & probabilior asserit, tale votum posse ab ipso vovente authoritate privata in melius commutari, dummodo certò constet, commutationem esse meliorem, ut, quando qui vovit decem aureos dare loco pio dat calicem emptum 15. vel 20. aureis: quòd si votum mutetur in æquale, vel minus ejusdem, vel diversi generis, non potest hæc mutatio fieri authoritate privata voventis, sed ad id requiritur authoritas Episcopi. Ratio cur vovens possit etiam in causis piis mutare suum

15

votum in melius est, quia per votum jus non acquiritur pio loco, sed soli Deo, cui fit ipsum votum: & quia Deo opus, quò est melius, est etiam gratius, ideo talis commutatio potest fieri ab ipso vovente, quia dare, quod Deo est gratius semper est melius, ac perfectius, ut docet Cajetanus *tom. 2. opusc. 11. de voto q. 3.*

16 Quòd si votum ita ederetur, ut res promitteretur tali Ecclesiæ intuitu talis sancti, tunc si verba voventis dirigantur ad solum sanctum, tantùm acquiritur jus ipsi sancto, cui gratum est promissionem illam in melius commutari. Sin autem dirigantur ad ipsam Ecclesiam, tunc hæc nullum jus acquirit nisi promissio acceptetur, adeo ut possit, qui vovit ante acceptionem votum suum commutare in melius, & etiam in commodum alterius Ecclesiæ propria authoritate: non ita post acceptionem factam à superiore talis Ecclesiæ, quia tunc ratione acceptationis Ecclesia acquirit jus, quo non debet postea privari. Cæterum omnia vota emissa possunt propria authoritate commutari in vota religionis approbatæ, quæque fiunt in professione, & desumitur *ex c. scriptura 4. h. t.* ubi Alexander III. asserit, omne votum mutari rectè in votum religionis, quia temporale obsequium tunc mutatur in perpetuam religionis observantiam: ex quo conjicitur, nullam requiri ad id authoritatem superioris, sed commutationem ex natura rei validam esse: hinc eo ipso quòd quis emittit solemnem professionem in religione approbata, censetur commutâsse omnia vota emissa ante ingressum religionis in illa tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ. Neque requiritur, quòd expressè intendat hanc commutationem; quia tametsi nil cogitet de illa, adhuc ipsius juris authoritate fit talis commutatio, & quia emittens professionem intendit eam emittere prout est de jure, ideo implicitè etiam intendit hanc commutationẽ; quæ propterea semper præsumitur, nisi fortassis qui professionem emittit contrarium explicitè intenderet: alioquin cùm totam vitam suam alterius directioni subjiciat, non censetur privatas illas obligationes velle retinere, & desumitur *ex c. qui 5. de Reg. in 6.* ubi dicitur, quòd qui fecit votum simplex ingrediendi aliquam religionem, & postea ingreditur aliam laxiorem, in qua profitetur, possit licitè in illa manere, eò quia votum solemne deroget simplici; & tantùm injungitur illi aliqua pœnitentia pro non observato simplici voto, non ita si votum fuit solemne in strictiore: rursus si intrat strictiorem non est illi injungenda pœnitentia, sive primum votum simplex fuerit, sive solemne. Imò etiam votum subsidii terræ sanctæ commutari posse in votum religionis est communior sententia, quia bonum religionis est semper melius, Deóque gratius. Limitatur tamen, nisi votum illud ab Episcopo, vel Pontifice fuerit acceptum, quia tunc jus acquiritur Ecclesiæ ad tale subsidium.

17 Potestas ordinaria commutandi vota residet penes summum Pontificem, Episcopos, aliósque gaudentes ordinaria potestate dispensandi: ratio est, quia potestas dispensandi, & commutandi est adnexa illi muneri pastorali, & utraque potestas necessaria est ad tale munus ritè obeundum: hinc commutare vota possunt Episcopi respectu suorum subditorum præter illa quinque, quæ sunt reservata Papæ scilicet castitatis perpetuæ, religionis, & tria peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Confessarius itidem si habeat authoritatem sibi concessam ab Episcopo potest etiam vota alia præter quinque prærecensita commutare, ut etiam Prælati Religionum Provinciales, Abbates, Priores, quia eorum jurisdictio censetur quasi Episcopalis. Inferiores tamen sacerdotes non possunt hæc vota commutare, immo nec Parochi ex defectu jurisdictionis quasi episcopalis. Juvat tamen observare, quòd Romanus Pontifex potest universim omnia Christianorum vota commutare in quocunque loco, eò quia ejus jurisdictio se extendat per totum universum, est enim Pontifex Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ. Episcopi autem non nisi in sua diœcesi possunt commutare votas simplicia suorum subditorum, his quinque exceptis, quæ reservantur Papæ. Prælati Regulares hanc potestatem etiam exercent circa proprios subditos. Fœminæ arcentur ab hac potestate, non enim Abbatissæ sunt capaces hujus authoritatis cùm supponat jurisdictionem spiritualem. Quando autem commutatio fit in id, quod evidenter est melius; tunc non est actus jurisdictionis, & potest fieri proprio arbitrio cujusque voventis, proinde etiam fœmina potest hanc commutationem exercere, si enim vovit dare pauperi florenum, potest dare aureum, & mutare prius votum in melius.

18 Quòd hæc facultas commutandi vota sit delegabilis satis constat ex usu, & praxi Ecclesiæ; proinde Religiosi, qui á summo Pontifice, vel ab Episcopo hanc facultatem obtinent, possunt vota omnia commutare, præter illa quinque reservata summo Pontifici: hinc patres societatis JESU si ab Episcopo approbentur ad audiendas confessiones sæcularium, possunt vota omnia præter illa quinque prærecensita commutare, ut ipsis concessit Paulus III. imò hanc eandem facultatem Gregorius XIII. extendit etiam ad vota jurata in alia pietatis opera, quod privilegium antea Eugenius IV. concesserat Congregationi S. Justinæ anno 1437. pridie calendas Julii Ponificatûs sui anno sexto & per communicationem privilegiorum cæteri Mendicantes gaudent eodem privilegio, quod cum habeant à summo Pontifice, se extendit ad omnes fideles ex quocunque loco venientes.

19 Per dispensationem etiam extinguitur votum, vel in totum, vel in partem, adeo ut dispensari in voto perinde sit, ac relaxare voti vinculum, & tollere ejus obligationem condonando nomine Dei illud debitum, quod vovens ratione contractûs contraxerat cum Deo. Differt autem dispensatio ab irritatione, quia dispensatio pertinet ad potestatem spiritualem, & ut valida sit, exigit causam: secus irritatio pertinet ad potestatem dominativam, neque requiritur causa, ut suum sortiatur valorem. Differt etiam à commutatione, quia in hac obligatio non tol-

litur

litur ſimpliciter, ſed ſubſtituitur una loco alterius. In Eccleſia eſſe hanc poteſtatem diſpenſandi in votis, juramentis, & aliis obligationibus erga Deum contractis, eſt certum ex antiquiſſimo uſu, & traditione Eccleſiæ, & ratio etiam id ſuadet, quia omnis humana lex indiget interdum diſpenſatione: ſed votum eſt quædam privata lex, quæ ſancitur in Eccleſia: ergo ne Eccleſia deeſſet in neceſſariis, debuit illi ineſſe hæc poteſtas diſpenſandi in votis, quæ poteſtas jure ordinario competit ſolis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo, quia non eſt poteſtas ordinis, ſed jurisdictionis, proinde non competit cuilibet ſacerdoti, immo neque ad illam requiritur ſacerdotium, vel alius ordo ſacer, ſed ſufficit ſola jurisdictio Eccleſiaſtica in foro externo, quam habet Epiſcopus confirmatus ante ordinatione *n*.

20 Quamobrem poteſtas ordinaria diſpenſandi ſuper omnia vota de jure divino eſt tantum in ſummo Pontifice, quia Chriſtus hanc immediatè dedit ſoli Petro, & ejus ſucceſſoribus, & quidem univerſalem reſpectu omnium votorum, locorum, ac perſonarum. Epiſcopi etiam habent poteſtatem ordinariam reſpectu votorum, quæ non ſunt reſervata, & in ordine ad ſubditos ſuæ diœceſis, dummodo ſubſit juſta diſpenſandi cauſa, & vota non ſint facta in favorem tertii, nec ab eo acceptata. Hoc etiam procedit à fortiori de Archiepiſcopis, Patriarchis, aliisque Prælatis reſpectu ſuarum Diœceſium, non verò reſpectu illarum ſuorũ ſuffraganeorum extra viſitationem Provinciæ. Poteſt tamen Archiepiſcopus diſpenſare in votis ſuorum Epiſcoporum ſuffraganeorum, cùm ſit eorundem immediatus ſuperior, quando Epiſcopi ſe eidem ſubjiciunt. Nomine autem ſubditorum, cum quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare, comprehenduntur. Primò quotquot habent domicilium in ſua Diœceſi. Secundò illi qui tametſi non habeant in Diœceſi domicilium, inceperunt nihilominus ibi habitare cum intentione manendi per majorem anni partem. Tertiò intelliguntur etiam vagi, quia iſti ſortiuntur diœceſim in eo loco, in quo pro tempore reperiuntur. Peregrini autem diſpenſantur à proprio Epiſcopo, non verò ab Epiſcopo loci, in quo peregrinantur, quod etiam procedit de mercatoribus, & ſtudioſis, qui magnam anni partem alicubi habitant, hi enim tantùm ſubjiciuntur Epiſcopo loci quoad Sacramenta, non autem quoad vota, ſicut nec quoad ordines.

21 Ut autem diſpenſatio valida ſit, requiritur, ut ſubſit juſta cauſa, quia inferior non poteſt validè diſpenſare in lege ſuperioris abſque juſta cauſa: & diſpenſatio in voto eſt aliquo modo diſpenſatio in jure divino naturali, ſaltem ratione materiæ, quæ ſubtrahitur, idque procedit etiam reſpectu Papæ, proinde à fortiori etiam reſpectu Epiſcoporum. Juſtæ autem cauſæ plures ſunt, ut utilitas Eccleſiæ, uberior Dei cultus; utilitas voventis, & magna fragilitas ejusdem quâ timetur ne ſit votũ violaturus. Rurſus faciliorem diſpenſationem etiam impetrant levitas voventis, inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia animi perturbatio in vovente, ut etiam puerilis ætas, incommoditas implendi votum, difficultas ex parte operis, & quævis alia cauſa, quæ reddit executionem voti, vel quaſi illicitam, vel inutilem, vel moram er impoſſibilem, vel majoris boni impeditivam.

Nihilominus nonniſi rarò debent Prælati, 22
& confeſſarii uti purâ diſpenſatione, ſeu totali relaxatione voti, quia rarò juſta cauſa adeſt, unde ſatiùs ſemper eſt uti commutatione in rem aliam faciliorem, & quæ diſpenſationem admixtam habeat, extendatúrque juxta tempus voti. Cenſent plures, in votis reſervatis poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando adeſt impedimentum adeundi ſummum Pontificem, & neceſſitas urget accelerandi diſpenſationem, quod plerumque in voto caſtitatis contingit, præſertim poſtquam matrimonium jam contra votum contractum eſt, & adeſt periculum quotidianæ incontinentiæ. Vota verò peregrinationum potiùs dilatione temporis, quàm diſpenſatione indigent, eò quia impedimentum ferè ſemper eſt temporale. An verò ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in votis ſolemnibus, & efficere, ut Religioſus profeſſus iterum poſſit redire ad ſæculum, & matrimonium contrahere, ſi nondum fuerit in ſacris, videtur controverti, quia *in c. cùm ad monaſterium in fin. de ſtatu Monach.* habetur, quòd abdicatio proprietatis, ſicut, & cuſtodia caſtitatis, ita ſint regulæ monachali annexæ, ut contra hæc duo vota nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

Nihilominus communior recentiorum ſen- 23
tentia eſt, poſſe ſummum Pontificem etiam in votis ſolemnibus diſpenſare: ratio eſt, quia votorum ſolemnitas eſt tantùm juris poſitivi: ut habetur *in c. quod votum unic. h. t. in 6.* unde ſi Pontifex tollat ſolemnitatem, quæ eſt juris poſitivi conſentiente religione, & remittente jus ſuum, quod habet in Religioſum; manet tantùm votum ſimplex, in quo poſſe ſummum Pontificem diſpenſare, omnes concedunt. Neque ullum faceſſit negotium textus deſumptus *ex c. cum ad monaſterium*, quia ut communiter reſpondent Doctores. Pontifex ibi loquitur in ſenſu compoſito: nimirum non poſſe diſpenſare in votis ſolemnibus cum religioſo remanente religioſo, quia daretur conſtitutum, ſine ſuo conſtitutivo; conſtituitur enim religioſus per illa tria vota ſolemnia, quæ ſi ceſſent per diſpenſationem Pontificiam, ceſſat conſtitutivum religioſi, qui propterea non poteſt ampliùs eſſe religioſus; ſicut ceſſantibus in homine prædicatis animalitatis, & rationalitatis ceſſat neceſſariò etiam ipſe homo. Pontifex igitur in præfato textu loquitur in ſenſu compoſito; non in ſenſu diviſo, ſcilicet ſtatum religioſum non poſſe ab aliquo totaliter tolli, ut religioſus non poſſit iterum fieri ſæcularis.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

QUæritur primò, an votum, cui error cauſam dedit ſuum ſortiatur valorem? Reſpondent plures cum diſtinctione: ſi 1

error

error, qui causam dedit voto, sit circa aliquid extrinsecum, & accidentarium rei per votum promissæ, ut si res putetur facilior, jucundior, & commodior, tunc respondent, errorem non tollere obligationem voti; tametsi vovens si scivisset, rem esse tali accidente affectã, non vovisset; quia si talis error tolleret obligationem, plura inde sequerentur incomoda in contractibus civilibus ineundis, quorum plura deberent rescindi; & in professionibus religiosis, quarum plures possent facilè in irritum revocari; plura enim latent, quæ si novitio innotuissent, non emisisset in religione vota solemnia; & nihilominus quamvis illi postea occurrant, ac innotescant, non propterea irritatur edita professio; eo quia ad inducendam obligationem voti sufficit notitia eorum, quæ sunt intrinseca rei per votum promissæ, & pertinent ad ejus substantiam. Sin verò error sit circa substantiam voti, vel aliquo modo ad illam pertineat, & dedit causam voto, tunc respondent, talem errorem reddere votum irritum.

2 Verùm licèt hæc sententia perquàm probabilis sit. Putârim tamen, quoad vota procedendum esse cum alia distinctione inter vota simplicia, & solemnia: etenim simplicia eduntur ex sola voluntate voventis absque actuali sui traditione, & acceptatione Prælati ecclesiastici loco Dei, & non solùm expressas, sed etiam tacitas admittunt conditiones, ac proinde error in causa etiam merè impulsiva, & circumstantiis etiam accidentalibus notabiliter tamen mutantibus rei statum, potest obligationem tollere, si vovens ita constitutus sit, ut nonnisi in talibus circumstantiis intenderit se obligare, ut si vovit peregrinationem, eò quia putavit esse vicinam, & facilem, aliàs non voturum, si non esset vicina, & facilis; si postea audit esse remotam, difficilem, periculis obnoxiam, ac sumptuosam; error in hisce circumstantiis probabilius est, quòd tollat obligationem, ut docent Hostiensis, Navarrus, D. Antoninus, & alii plures apud Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 9. n. 15.* quia ut habetur *in c. generali de R. J. in 6.* & *in c. qui ad agendum de Procur. in 6.* & *clement. 2. eod tit. in generali promissione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset*, non enim vovens debet censeri se obligâsse in eo eventu, quem excepisset, si tempore emissi voti de eo cogitâsset.

3 Tum quia tunc deest consensus, sine quo non potest quis obligationem contrahere. Tum quia qui errat, non videtur consentire *l. nihil consensui 116. §. de R. J.* Tum quia votum non obligat ultra intentionem voventis; proinde non obstringit voventem in eventu, quo vovens excepisset, si cùm vovit, illi occurrisset: perinde ac in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus juxta *regul. 81. de R. J. in 6.* ubi dicitur: quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus: & verba accipienda sunt secundùm verisimile, proinde etiam secundùm habitualem intentionem proferentis, ut habetur *in c. 2. de appellat.*

Quòd si dicas: errorem dantem causam contractibus civilibus eos non irritare, si sit error circa aliquod extrinsecum, & accidentale, adeo ut contractus civiles non rescindantur ob difficultates postea emergentes, quæ si fuissent prævisæ contrahens non contraxisset. Contra, quia est discrimen inter contractus civiles, & vota simplicia; illi enim simpliciter acceptantur ab hominibus, proinde ad confirmanda commercia, & minuendas lites, non debuerunt rescindi ob difficultates postea emergentes, quibus prævisis non fuissent initi; & hæc est ratio, cur leges non concedant rescissionem talium contractuum; quia fere omnes contractus ob tales difficultates locum darent litibus, & ferè omnia in Republica turbarentur: aliud verò est de voto simplici, quia hoc principaliter fit Deo, qui cùm perfectissimè cognoscat nostram voluntatem, animique consensum non censetur acceptare in illis circumstantiis, quas vovens non prævidit, & si prævidisset, votum non emisisset, non enim in votis Deus plus obligat voventem, quàm hic intendat se obligare. 4

Tum quia ratio, cur leges non concedant rescissionem contractuum ob difficultates postea emergentes est, nè aperiatur occasio litibus, & ut commercia humana magis firmentur: hæc autem ratio cessat in votis simplicibus, proinde non est par ratio de contractibus, & votis, quin potiùs è contrario per rigorosam, & scrupulosam votorum simplicium obligationem, anxietates, inquietitudines, & molestiæ in conscientiis voventium orirentur, quibus homines à meritorio vovendi actu averterentur, ut notat Layman *de voto c. 3. num. 4.* 5

Quòd verò ad vota solemnia attinet, cùm hæc per actualem sui traditionem, & acceptationem Prælati loco Dei perficiantur, non rescinduntur ob difficultates postea emergentes, & quas si Novitius prævidisset, solemnia illa vota non emisisset, quia egressio ex monasterio post editam professionem scandalo esset aliis.

Tum quia qui religiosam emisit professionem, censetur se absolutè, & simpliciter obligâsse absque reservatione alicujus tacitæ conditionis, si hoc, vel illud fuerit, ut habetur in *c. ex parte 14. de convers. conjugat.* ubi mulier post matrimonium ratum ingressa fuit religionem, eò quia audierit maritum suum esse leprosum: & summus Pontifex respondet, matrimonium esse solutum, & validam professionem, tametsi causa, quæ ad ingressum movit falsa fortassis fuerit. Neque obstat regula illa desumpta *ex l. 7. ff. de dolo*: ubi dicitur, quòd *dolus dans causam contractui bonæ fidei, faciat contractum nullum*: quia hæc regula non procedit in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio carnali, ubi non admittitur rescissio, nisi error sit circa substantialia. 6

Quæritur secundò, an possit quis licitè votum à se emissum implere per aliam personam? Respondetur cum distinctione, si votum sit personale hoc est, quando quod per votum promittitur, est factum proprium, ut jejunium, mortificatio, flagellatio, cilicium: oratio non 7

potest

poteſt per alium impleri; quia obligatio voti perſonalis reſpicit actionem voventis, unde cum obſtringat ipſam perſonam, tenetur hæc per ſe ipſam votum implere, ut propriæ ſatisfaciat obligationi, quam per votum emiſſum contraxit. Quòd ſi votum fuerit reale, adeout vovens intenderit tantùm ſe obligare ad ſolvendam rem promiſſam, poteſt tunc per alium implere ſuum votum reale, ſi per ipſum ventem impleri non poſſit, ut ſi Petrus vovit dare B. Virgini Oetinganæ calicem, & ipſe degens Monachii non poſſit illum per ſe deferre, & dare Eccleſiæ, poteſt per alium mittere calicem, qui ſuo nomine det tali Eccleſiæ. Parùm enim intereſt, an ipſe vovens, vel alius ejus nomine & ex ipſius mandato det eleemoſynam æquivalentem, vel calicem. Quòd ſi votum fuerit mixtum, quo non ſolùm promittitur res, ſed etiam ipſa actio, ſeu functio perſonalis, ut peregrinatio cum obligatione rei promiſſæ, tunc ſi nullum impedimentum ex parte voventis occurrat, tenetur vovens per ſe implere votum, eò quia non ſolùm obligavit rem, ſed etiam perſonam, quæ propterea non ſatisfacit voto, niſi vovens per ſe ipſum rem illam promiſſam offerat, quia illa perſonalis oblatio, actio, ac peregrinatio ſunt materia voti.

2 Neque obſtat regula illa, quâ quis per ſe ipſum cenſetur feciſſe, quod per alium fecit: quia hæc regula tantùm valet in votis realibus, in quibus perſonæ non obligantur, non verò in perſonalibus, & mixtis, in quibus non ſolùm ipſa res, ſed etiam actio, & functio perſonalis promittitur, tunc cùm obligatio afficiat perſonam, tenetur vovens per ſe ipſum implere votum, ut propriæ ſatisfaciat obligationi: & patet diſcrimen inter votum reale, & perſonale, vel mixtum: reale enim poteſt per alium impleri, ut ſi quis ſolvat pro me eleemoſynam, quam promiſi dare pauperibus: quia tunc cenſetur mihi priùs donare pecuniam, quam poſtea meo nomine dat pauperibus in eleemoſynam, ut ego ſatisfaciam meo voto: obligatio enim tantùm afficit rem promiſſam. Secus in votis perſonalibus, & mixtis obligatio non ſolùm afficit rem promiſſam, ſed etiam ipſam perſonam, quæ propterea tenetur per ſe votum implere.

3 Sed oritur difficultas, an qui vovit votum perſonale peregrinationis, flagellationis, jejunii, orationis, ſi non poſſit per ſe votum implere, teneatur tunc per alium illud implere? Reſpondent communiter, non teneri, quia votum non obligat ultra intentionem voventis, ſicut nec actus ultra intentionem agentis; & quia intentio voventis fuit ſuam tantùm, non alterius perſonam obligare; ideo ſi vovens non poſſit per ſe ex legitimo impedimento votum implere, non tenetur per alium. Sanchez tamen *lib. 4. c. 15. num. 9.* excipit caſum, ſi votum perſonale ſimul intendatur, & pro afflictione voventis, & ſimul pro utilitate alterius, ut ſi quis voverit jejunium, orationem, miſſam dicere in ſuffragium animarum, quæ purgatorio igne expiantur; quia tunc ſub votum etiam cadit illa utilitas alterius; propterea implenda eſt, ut votum ſi non in totum, ſaltem quoad aliquam partem ſuum ſortiatur effectum: & hæc ſententia mihi videtur valde conſona æquitati, ac in praxim deducenda: quia votum adimpleri debet eo ſaltem meliori modo, quo poteſt, & ſi non poſſit quoad totum, ſaltem impleri debet quoad illam partem, quæ poteſt impleri.

10 Quæritur tertiò, quomodo vota defuncti obligent hæredem? Reſpondetur, quòd ſi vota defuncti fuerint perſonalia, tunc non tranſeunt ad hæredem, qui propterea non tenetur illa implere: quia obligatio voti perſonalis reſpicit actiones ipſius voventis, & cùm afficiat perſonam, extinguitur ſimul cum perſona; conſequenter non poteſt ad hæredem tranſire, nec eum obligare. Sin autem vota defuncti fuerint realia, tunc tenetur hæres illa adimplere: ratio eſt, quia hæres eo ipſo, quòd adivit hæreditatem, illam ſuſcepit cum omnibus ſuis obligationibus, ac oneribus realibus annexis eidem hæreditati: quapropter ex juſtitia, & quaſi contractu obligatur hæres ſolvere omnia onera realia defuncti, proinde etiam vota realia, ut deſumitur *ex c. ex parte 18. de cenſib.* ubi ſtatuitur, quòd ſucceſſores teneantur ſolvere vota realia ſuorum anteceſſorum. Quòd ſi vota defuncti fuerint mixta, ſeu partim realia, & partim perſonalia, & quod reale eſt in voto, ſit ſeparabile ab eo, quod eſt perſonale, tenetur etiam hæres tunc vota mixta defuncti implere quoad partes reales, quia eſt eadem ratio, ac de voto reali quoad illam partem realem. Juvat tamen animadvertere, quòd hæres non teneatur hujusmodi vota defuncti implere, niſi juxta vires aditæ hæreditatis, ſalva legitima liberis debita, quæ votis, aut legatis gravari non poteſt, ut docent Suarez. *lib. 4. de vote c. 11. num. 2.* Tambur. *p. 1. lib. 3. in decal. c. 12. §. 4.* Quòd ſi hæres juſſa, ſeu vota realia defuncti, & ab ipſo hærede acceptata, à judice monitus intra annum non impleat, privandus tunc eſt commodo hæreditatis, ut habetur in *authent. hoc amplius C. de fideicommiſſ.* & tantùm excipitur debitum naturale, ſeu legitima portio jure naturæ debita liberis: ut enim notat Gloſſa *in c. licet 6. h. t.* qui non implet voluntatem defuncti privari debet hæreditate illius. Rurſus Judex eccleſiaſticus, & multò magis ſummus Pontifex ſub pœna excommunicationis, vel etiam ſub pœna privationis bonorum poteſt adigere ad executionem voti, vel juramenti editi ad piam cauſam, idque deſumitur *ex c. quod ſuper 7. in fin. de fide inſtrum.* & *ex c. ex parte 12. de cenſib.* Videtur tamen contra vota perſonalia urgere difficilis textus deſumptus *ex c. quod ſuper 8. h. t.* ubi Pontifex decidit, quòd qui vovit votum terræ ſanctæ, ſi ſit pauper, infirmus, vel alia juſta cauſa temporanea impeditus, debeat obtinere dilationem voti: quòd ſi cauſa fuerit perpetua debeat vovens expenſas mittere in ſubſidium terræ ſanctæ & illi pro labore injungi alia pœnitentia: & licèt hoc votum terræ ſanctæ ſit perſonale, nihilominus poteſt per alium impleri, qui ſaltem deferat expenſas.

11 Tum quia *in d. c. licet 6. h. t.* cum Rex Hungariæ voviſſet ſuccurrere cum forti manu militum terræ ſanctæ, & eſſet ipſe in extremis vitæ con-

conſtitutus,executionem ejusdem voti fidei filii ſui Andreæ Ducis ſub interminatione paternæ maledictionis commiſit; ſed cum mortuo patre Andreas Dux exercitum, quem contra inimicos fidei ducere debuiſſet,converterit contra ſuum fratrem RegemHungariæ,Innocentius III. Andream Ducem monuit, ac præcepit, ut omnibus aliis poſtpoſitis usque ad feſtum exaltationis S. Crucis propoſitum iter Hieroſolymitanum arriperet, & humiliter proſequeretur: ne alioquin,ſi onus à patre ſibi injunctum, & ſponte acceptatum,quolibet prætextu ſubire detrectaverit,paterna ſe reddat ſucceſſione indignum, & hæreditatis emolumento privetur, ac ſubjaceat anathematis, & excommunicationis vinculo. Ex quibus infertur,vota perſonalia tranſire ad hæredes,&poſſe impleri per alios. Sed contra quia votum Regis Hungariæ non fuit purum perſonale, ſed mixtum;proinde ex qua parte ſe in propria perſona iturum ad terram ſanctam obligavit, non potuit tranſire ad hæredem, niſi hæres etiam ſe ipſum per novum votum,ſeu propriam perſonam obligâſſet: ex qua verò parte fuit votum reale, ſeu quatenus promiſit allaturum ſubſidium terræ ſanctæ per manum militarem, & ſumptus neceſſarios ad illam expeditionem ſuppeditaturũ,potuit tranſire ad hæredem, & impleri per alium: proinde Andreas Dux ejus filius contraxit talem obligationem, non totaliter ex voto perſonali patris, ſed partim ex voto proprio perſonali, quatenus etiam ipſe obligavit ſuam perſonam in ſubſidium terræ ſanctæ, & partim ex voto mixto patris, ſeu ex qua parte votum patris eum obligavit ad mittendas ſuppetias in auxiliũ terræ ſanctæ, unde in Andrea Duce duplex fuit obligatio,una ratione voti proprii perſonalis, & alia ratione voti mixti patris, quod ex parte fuit votum reale, quod potuit ad hæredem tranſire, unde rectè Innocentius III. *in d. c. licet 6. h. t.* potuit ſub pœnis privationis hæreditatis, & anathematis eum adigere, ut collectum exercitum duceret in auxilium terræ ſanctæ.

12 Quæritur quartò, an parentibus exiſtentibus in gravi neceſſitate,filius validè tria vota ſolemnia emittat in religione? Quæſtio procedit, quando neceſſitas eſt ita gravis,ut filius teneatur parentibus ſuccurrere ex vi quarti præcepti decalogi, quo tenemur parentes honorare: honor enim qui exhibetur parentibus etiam in eo conſiſtit, ut filii eorum neceſſitatibus opitulentur, ut docent Menochius *lib. 3. præſumpt. q. 24. num. 16.* Navarrus *c. 14. manual. num. 13.* & alii communiter, quapropter Chriſtus *Matth. 15.* graviter reprehendit Scribas, eò qui ob avaritiam ſuaderent populo, melius eſſe, ſi eam alimoniam, quam daturi erant egenis parentibus Deo, & ejus Miniſtris, vel templis darent, unde dixit illis: *Quare, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Hinc D. Hieronymus in hunc locum pulchrè ait loquens de Scribis: *Volentes providentiſſimam Dei legem ſubvertere docuerunt, filios ea quæ parentibus offerenda erant, Deo ſolvere.* Quamobrem reſpondetur,filium non poſſe validè profiteri in religione, ſi parentes habeat in gravi neceſſitate conſtitutos, quibus teneatur, & poſſit opitulari, ſi profiteatur expreſsè, ut ſe eximat ab onere illis ſuccurrendi. Ratio eſt, quia votum debet eſſe de materia honeſta, quæ ſit Deo grata, & in majus obſequium, adeo ut irritum ſit votum ſi ſit de materia turpi, & illicita, ut docent communiter doctores cum D. Thoma *2. 2. q. 88. art. 1. in corp.* & *art. 2. & 5. in ſolutionib. ad 3.* quia cùm votum ſit promiſſio facta Deo in ejus obſequium,debet eſſe de materia grata: ſiquidem materia, quæ non eſt grata, non poteſt tendere in obſequium, & non poteſt eſſe grata, niſi ſit honeſta: profeſſio autem filii relinquentis parentes in gravi neceſſitate, quibus tenetur, & poteſt opitulari, continet votũ de materia illicita, ſcilicet votum obedientiæ, quo,qui profitetur, ſe religioni tradit; hæc enim traditio adverſatur obligationi naturali quarti præcepti Decalogi, quo filii tenentur parentes honorare,proinde illis aſſiſtere,eisque ſubvenire: cùm igitur materia talis voti illicita ſit,non poteſt profeſſio illa ſuum ſortiri valorem. Quinimò traditio illa quæ fit per votum obedientiæ non ſolùm eſt invalida, ſed etiam peccaminoſa, eò quia ſit contra quartum præceptum decalogi in re gravi, & quod obligat de jure naturæ; & quia nulla virtus alteri contrariatur, non poteſt profeſſio in religione non adverſaripietati in parentes; proinde cùm impediat debitum pietatis contra quartum præceptum, eſt traditio etiam peccaminoſa,ut docent D. Thomas *quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9.* Cajetanus ibidem Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 5. num. 11.* Navarrus *c. 14. manual. num. 14.* & alii communiter. Hinc Concilium Gangrenſe,ut refertur *in c. 1. diſt. 30.* ait: *ſi qui filii maximè fideles parentes deſeruerint occaſione Dei cultûs,hoc juſtum eſſe judicantes, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in eis venerentur, quòd fideles ſunt, anathema ſit.* ait enim Concilium eos decipi, qui putant,juſtum eſſe parentes deſerere ob Dei cultum.

Quòd ſi dicas,traditionem eſſe quidem peccaminoſam,malam,ſed eâ ſemel poſitâ non eſſe malum perſeverare, proinde cum mutetur ſtatus,non videri votum eſſe de materia illicita. Contra eſt, quia eo ipſo,quòd traditio eſt mala, quia diſſona obligationi præcepti naturalis, eſt etiam irrita, quia fit per votum habens illam pro præſenti materia; quia in illa conſiſtit obligatio, quâ per votum perſona remanet ſub poteſtate religionis: quamobrem ſicut traditio activè,ſeu ut eſt actus profitentis,eſt peccaminoſa; ita traditio paſſiva,ſeu ipſa perſona ut tradita religioni, & eſt materia talis actus, eſt objectivè mala, habet enim eandem diſſonantiam ad rectam rationem proportionaliter, quam habet traditio activa, & ad præceptum naturale honorandi parentes. Hinc cum materia voti ſit mala,non poteſt votum eſſe validum, nec fierã mutatio ſtatus, ratione cujus materia voti evadat bona, quia cum votum ſit nullum non habet vim inducendi talem mutationem: tum quia traditio paſſiva ſemper retinet ſuam materiam;proinde ſemper manet in eodem ſtatu, in quo fuit ab initio. 13

Si di-

14 Si dicas, obligationem professionis tunc suspendi, ac differri in tempus habile, in quo cessat necessitas parentum. Contra est, quia eatenus fieret hujusmodi suspensio, quia professio emitteretur conditionatè; sed in nostro casu supponitur emitti absolutè. Tum quia si suspenderetur, utique deberet suspendi ex incapacitate materiæ: atqui hac posita professio non sortitur suum effectum, quia vota nequeunt emitti super materia inhabili: hinc non potest oriri obligatio, & suspendi sola executio obligationis: siquidem eatenus suspenditur executio, quia filius non potest relinquere parentes, séque religioni tradere, & ex hoc sequitur, quòd neque possit obligatio consurgere. Præterea quia hæc traditio est injusta, utpote contra obligationem pietatis in parentes, consequenter non potest esse materia voti. Tum quia si inde oriretur obligatio, religio acquireret jus, quo posset uti, saltem quoad ea, quæ non essent incompossibilia cum subventione parentum.

15 Quòd si dicas, matrimonium ratum, & non consummatum dissolvi per ingressum alterius conjugis in religionem juxta Trid. *sess. 24. can. 6. de matrim.* consequenter etiam vinculum ortum ex obligatione in filio succurrendi parentibus indigentibus. Contra est, ratio discriminis est assignatu facilis, quia vinculum matrimonii rati, & non consummati est de jure naturali variabili, ac mutabili ex natura sua, quapropter Pontifex dispensat in matrimonio rato, quod solùm ex sua institutione est indissolubile; & si dissolvatur per religiosam professionem, inde non emergit ulla turpitudo, quæ sit contra aliquam veritatem practicam immutabilem. Secus vinculum, quo filii obstringuntur parentibus est de jure naturali invariabili, & fundatur in veritate practica, quæ aut est primum principium, aut conclusio evidenter deducta ex primis principiis practicis; proinde necessaria, & immutabilis, quapropter dissolutio talis vinculi etiam per ingressum in religionem continet necessario turpitudinem adversantem tali veritati, proinde non potest honestari, eò quia sit contra veritatem practicam immutabilem. Hactenus dicta, vera sunt, si filius expressè, ne opituletur parentibus graviter indigentibus professionem emittat. Cæterum si adhuc habeat intentionem succurrendi parentibus, contraria sententia asserens, professionem illam esse validam, & tantùm suspendi ejus executionem, donec filius opituletur parentibus indigentibus est valde probabilis, quam docent Suarez *tom. 3. de religion. lib. 6. c. 9. num.* 1. Miranda *tom. 1. manual. q. 17. art. 8. conclus. 4.* Sanchez. *lib. 4. sum. c. 20. num.* 10. Navarr. *consil. 26.* & alii plures, qui in eo fundantur, quia talis professio nullo jure irritatur.

16 Quæritur quintò, an qui emisit votum simplex castitatis, possit legatum consequi sub conditione relictum, si non nupserit? Ratio dubitandi est, quia conditio negativa, sub qua legatum est relictum, nequit dici impleta nisi legatarius ad eum priùs statum devenerit, in quo non possit ampliùs nuptias contrahere, ut tradunt Castrens. *in l. 2. num. 1. C. de institit. & subst.* Franc. *decis. 169. num. 14.* Rota Romana coram Merlino *decis. 392. num. 29.* at qui emisit votum simplex castitatis non intelligitur veniſſe ad illum statum, in quo non possit ampliùs matrimonium contrahere: siquidem ex rationabili causa potest tale votum dispensari, etiam in ordine ad contrahendum matrimonium. Respondetur nihilominus, votum simplex illud castitatis esse sufficiens ad purificandam conditionem appositam, si matrimonium non contraxerit, ut docet Pasqualigus *quæst. moral. jurid. q. 52. num.* 2. quia votum simplex castitatis dummodo sit perpetuum impedit matrimonium, & quidem perpetuò, proinde ponit voventem in statu, in quo non possit nubere, proinde in statu, in quo purificatur conditio: cum enim votum simplex castitatis sit perpetuum, quantum est ex se impedit in perpetuum ipsum matrimonium, & constituit statum continentiæ immobilem, firmum, & perpetuum, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 283. art. 1. ad 3.* Neque obstat, quòd votum simplex possit ex justa, & legitima causa dispensari, quia hæc dispensatio oritur ab extrinseco; votum enim illud simplex castitatis ex sua natura, & intrinseca ratione habet constituere voventem immobilem secundùm conditionem cœlibatûs; & sufficit, si ex se reducat voventem ad illum statum, in quo non possit nuptias contrahere: etenim ut debeatur legatum sub conditione, sufficit si conditio semel pro aliquo tempore existat, quia tunc purificata conditione potest legatum exigi *l. haredibus instit. ff. ad Trebell. l. gallus §. quæramus ff. de liber. & posth.* ut notant Baldus *in l. cum precibus n. 6. C. de impuber. subst.* Cassan. *consil. 53. num.* 1. Paris. *consil. 32. num* 1. Hinc patet solutio ad fundamentum oppositæ sententiæ.

17 Quinimò quamvis votum emitteretur, ut vovens posset legatum consequi, & cum animo postea petendi dispensationem à voto, & non nubendi, adhuc conditio sufficienter purificaretur, quia non obstante tali dispensatione, adhuc qui voverat, abstineret à matrimonio; proinde etiam sine vinculo voti purificaret conditionem. Quòd si vovens simul haberet intentionem petendi dispensationem, & simul nubendi non lucraretur tunc legatum, quia procederet cum dolo, nec voto ponderet illam conditionem, quam legans exigit, immo potiùs necteretur cum contraria, sicut qui vovit religionem non satisfacit voto si ingrediatur animo exeundi, ut docet D. Thomas *2. 2. q. ult. art. 4. ad 3.* D. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 2. §. 4.* Navarrus *c. 12. manual. num 47. in fin.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4. quæstionc. 4.* hinc qui vovet animo petendi postea dispensationem, & nubendi non satisfacit conditioni requisitæ à legante, consequenter non potest legatum assequi, & si illud consequatur tenetur ad restitutionem.

18 Quæritur sextò, an votum clericatûs eximat à foro sæculari cum primum est emissum, & antequam vovens fiat clericus? Respondetur, tale votum non eximere à foro sæculari antequam impleatur, quia quamdiu non impletur, non sortitur suum effectum, proinde non ex-

trahit personam voventem à statu laicali, nec eam transfert ad clericalem, sed illam relinquit in eodem prorsus statu, in quo erat ante emissum votum, proinde antequam assumat clericatum remanet non obstante voto sub jurisdictione Judicis laici: quia aliud est promittere se suscepturum clericatum, & aliud suscipere clericatum, hoc secundum extrahit à statu laicali, non primum: non enim promissio facti est ipsum factum, cum possit quis promittere, & non stare promisso, ut notant Glossa *in l. bona fidei V. conditurum. ff. de eo, quod certo loco*, Pasqualigus *quæst. moral. juridic. q. 169. num. 2.* Covarruvias *lib. 3. variar. c. 4. num. 7.* unde sicut votum clericatus non inducit de facto ipsum clericatum, ita neque extrahit à statu laicali; proinde vovens subjicitur jurisdictioni Judicis laici. Tum quia promissio respicit tempus futurum, proinde distinguitur ab executione illius, quod promittitur, & quia per solam assumptionem ad clericatum extrahitur quis à statu laicali, sequitur, quòd per votum adhuc maneat sicut antea in statu laicali, donec illud impleat. Præterea quod juramentum, & votum non mutent forum, tradunt Baldus *in l. 1. circa fin. C. de reb. cred.* Guttieres *de juramen. confir. c. 12. num. 5. p. 3.* Felin *in c. 2. num. 28. de sponsal.* & desumitur *ex c. licèt mulieres de jurejuran. in 6.* ubi Bonifac. VIII. statuit, Judicem laicum compellendum esse ad manutenendas alienationes mulierum, quando juramento promiserunt non venire contra ipsas: ubi Pontifex non statuit, quòd causa non spectet ad judices laicos, sed tantùm quòd secundùm jus canonicum debeant eam terminare; quia laici subjiciuntur jurisdictioni sæculari juxta mensuram finis politici, qui cùm exigat puniri delicta patrata contra leges, quibus Respublica gubernatur, ideo non extrahuntur à subjectione ex eo, quòd jurent, aut voveant non committere aliquod delictum.

19 Quòd si objicias *c. fin de for. compet.* ubi decernitur, quòd reus ratione juramenti debeat conveniri coram Judice ecclesiastico. Respondetur, id non adversari nostræ assertioni, quia ibi non agitur de judicando in materia, circa quam juramentum versatur, sed tantùm agitur de juramento servando, & cùm observatio juramenti ratione peccati, si non servetur, sit causa ecclesiastica; ideo Judex laicus non est competens. Præterea quamvis pro observantia juramenti clericus sit Judex competens, non tamen privativè quoad sæcularem, si materia pertineat ad judicium sæculare; sed cumulativè, est enim causa mixti fori, & datur locus præventioni, quapropter potest Judex laicus etiam compellere ad observantiam juramenti juxta *d. c. licet mulieres de jurejur. in 6.* & notant Covarruvias *de pact. p. 2. c. 3. num. 2.* Felin. *in c. 1. num. 22.*

20 Quæritur septimò, an qui vovit religionem ingredi, vel etiam in illa profiteri, possit, antequam votum impleat, sibi oblatum Episcopatum suscipere? Respondetur negativè cum Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 1. c. 19. num. 3.* Azorius *1. p. lib. 11. c. 16. q. 2.* Lessius *lib. 2. c. 40. num. 19.* Pirhing. *in h. t. §. 4.* & desumitur *ex c. per tuas 10. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd qui promisit solemniter ingredi religionem, si eligatur Episcopus, debeat votum priùs implere, ut sit tutus in conscientia; deinde potest eligi: ratio est quia cum vovens absolutè teneatur implere votum, & peccet, si illud non impleat, ita etiam peccat, si aliquid ponat, ratione cujus constituat se moraliter impotentem ad impletionem voti; quia perinde est ponere impedimentum ad talem impletionem, ac votum non implere: sed vovens ingredi religionem, si oblatum sibi acceptet Episcopatum, consentit in statum, ratione cujus fit impotens ad executionem voti, seu ad ingressum religionis, siquidem Episcopus absque expressa licentia Papæ, quæ ordinariè, & sine gravi causa non conceditur, non potest Episcopatum dimittere, proinde neque religionem ingredi, ut desumitur *ex c. nisi cum pridem de renuntiat.* hinc vovens religionem si Episcopatum acceptet sine prævia dispensatione peccat contra votum; & relicto episcopatu tenetur religionem ingredi, ut notat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. c. 19. num. 11.*

Neque obstat, quòd Episcopatus dicatur esse status perfectior, quia inde non sequitur, 21
posse qui religionem vovit propria voluntate mutare votum religionis in Episcopatū, ut meliorem: ratio est, quia Episcopatus est status perfectionis potiùs alienæ, quàm propriæ, seu in ordine ad salutem subditorum. Tum quia Episcopatus non ponit hominem perfectum, sed supponit: neque est medium ita aptum ad propriam perfectionem obtinendam, sicut est status religiosus: hinc tutius est, si excipiatur casus necessitatis, & si inveniantur alii æquè idonei ad regendam Ecclesiam, religionem ingredi, quàm munus episcopale suscipere: proinde vovens religionem, tametsi eidem offeratur episcopatus, tenetur eidem renuntiare, & votum implere. Non enim ei licet priùs suscipere Episcopatum, & postea religionem ingredi, quia licèt religiosus fiat Episcopus licitè, & decenter; non tamen decet, ut Episcopus fiat Religiosus: ratio discriminis est, quia quando Religiosus fit Episcopus eximitur ab obedientia suorum Prælatorum, & subjicitur summo Pontifici, & adhuc manet Religiosus: sin autem Episcopus fieret Religiosus deberet prius fieri Novitius, & ex Magistro discipulus, in operibus itidem humilibus versari, quæ dignitatem non decent Episcopalem, & demum deberet renuntiare Episcopatui, ad quod requiritur expressa licentia summi Pontificis.

Quæritur octavò, an si qui vovit religionem 22
postea sit electus Episcopus, & confirmatus, suámque utiliter regat Ecclesiam, cui pertutilis censeatur futurus, adhuc debeat religionem ingredi, vel votum ab ipso emissum suspensum hæreat? Respondetur, stante utilitate Ecclesiæ, votum religionis suspendi, & ejus obligationem interim cessare: quia sicut votum simplex ingrediendi religionem per subsequens vinculum matrimonii carnalis rati, & consummati non omnino tollitur, sed tantùm suspen-

dit-

ditur ejus executio, & obligatio durante matrimonio, & poſt obitum conjugis tenetur alter, qui religionem voverat, eam ingredi: ita mihi videtur dicendum de Epiſcopatu, quia Epiſcopus contrahit matrimonium ſpirituale cum ſua Eccleſia, ſtante enim utilitate Eccleſiæ, & bono ſpirituali fidelium votum religionis, & ejus obligatio ſuſpenditur, & impeditur per confirmationem Epiſcopi *argum. c. 2. de translat. Epiſcop.* ibi enim dicitur fortius eſſe vinculum ſpirituale, quàm carnale, proinde durante ſtatu epiſcopali, qui religionem voverat, impeditur ab executione voti, & tantùm manet obligatus ingredi ſi ab Epiſcopatu deponatur, vel inutilis ad tale munus obeundum conſtitueretur; & habilis adhuc eſſet ad onus religionis ſubeundum, & religio vellet illum acceptare. Quòd ſi Epiſcopus non ſit ſuæ Eccleſiæ utilis, tenetur, ſi religionem antea voverat, petere à Papa licentiam eam ingrediendi, eique proponere, & aperire ſuum votum: quia cùm Epiſcopus in ſuſceptione Epiſcopatûs fuerit votum ante emiſſum transgreſſus, ac impedimentum ſibi injecerit illud exequendi; ideo tenetur impedimentum illud tollere, prout poteſt de jure, ſi ſperet, poſſe licentiam obtinere à Papa ingrediendi religionem, tunc enim Pontifex ſciens votum, quo antea ſe obligaverat faciliùs renuntiationem epiſcopatûs admittit, impertitque licentiam adimplendi votum, & ingrediendi religionem.

23 Quæritur nonò, an Religioſus Regularis, ſi promoveatur ad Epiſcopatum, teneatur voto paupertatis. Communior ſententia eſt, teneri, eò quia nulla adſit neceſſitas diſpenſandi in hoc voto cùm paupertas religioſa non ſit incompoſſibilis cum ſtatu epiſcopali, nec ipſum dedeceat, cùm potiùs juvet ad majorem perfectionem, & ſubditorum ædificationem: Eccleſia autem à votis non diſpenſat ſine juſta aliqua, & urgente cauſa, & cùm hîc nulla ſubſit, ideo Epiſcopus Regularis adhuc tenetur voto paupertatis. Tum quia licèt aſſumptus fuerit ad Epiſcopatum, adhuc eſt verus Religioſus, & tenetur geſtare habitum ſuæ religionis quoad colorem, unde manent, quæ ſunt de ſubſtantia religionis, cujusmodi ſunt vota. Demum quia votum paupertatis fuit emiſſum pro tota vita, proinde in Epiſcopo non eſt, à quo ſolvatur, quia pro adminiſtratione Epiſcopatûs ſufficit ſolus uſus, & adminiſtratio divitiarum ſine dominio. Nihilominus oppoſitam ſententiam docent plures, præſertim Sotus *lib. 7. de juſtit. & jur. q. 4. art. 2. ad ult.* Vasquez 1. 2. *diſp. 165. c. 8. num. 91.* Pasqualigus *decis. moral. decis. 267. num. 4.* Diana *p. 3. tract. 2. de dub. Regul. reſolut. 50. & p. 5. tract. 2. de poteſt. & privileg. Cardinal. reſolut.* & plures alii, quos ipſe refert, & ſequitur. Et hæc ſententia deſumitur ex *c. ſtatutum 18. q. 1.* ubi ſic dicitur: *ſtatutum eſt, & rationabiliter ſecundùm SS. PP. à ſynodo confirmatum, ut Monachus, quem canonica electio à jugo monaſticæ profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit; velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem, poſtea jure vindicandi poteſtatem habeat: ſed quid acquiſierat, vel habere viſus fuerat monaſterio relinquat, & Abbatis ſui, qui fuerat ſecundùm regulam S. Benedicti arbitrio. Poſtquam enim E. piſcopus ordinatur ad altare, ad quod ſanctiſicatur, & titulatur ſecundùm ſacros canones, quidquid acquirere poterit reſtituat.* Propter hunc textum cenſeo hanc ſententiam veram, ſiquidem ſi Monachus factus Epiſcopus abſolvitur à jugo regulæ monaſticæ profeſſionis, ſequitur neceſſariò, quòd etiam abſolvatur à voto paupertatis; ratio eſt, quia jugum monaſticæ profeſſionis non conſiſtit principaliter in regularibus obſervantiis, quia iſtæ non pertinent ad ſubſtantiam monaſticæ profeſſionis, ſed tantùm ſunt quid acceſſorium ad ſubſtantiam, quæ conſiſtit in votis, quibus Regularis conſtituitur Religioſus: quapropter non poſſet dici abſolutus à jugo niſi abſolveretur ab eo, in quo ſubſtantialiter conſiſtit jugum, ſcilicet à votis.

Tum quia in præfato textu dicitur, quòd 24
Monachus Epiſcopus factus *velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem, poſtea jure vendicandi poteſtatem habeat*, ſi enim ſit hæres paternæ hæreditatis eſt capax dominii, quod ſupponit ſolutum votum paupertatis: eo ipſo quòd Monachus factus Epiſcopus eſt legitimus hæres paternæ hæreditatis, habet jus ad hæreditatem; proinde etiam capacitatem acquirendi dominium: & jus ac capacitas dominii non poſſunt cohærere cum voto paupertatis. Unde ſi Monachus non eſt legitimus hæres paternæ hæreditatis, nec habet ullum jus ad illam, & ſi fiat Epiſcopus fiat legitimus hæres, & acquirat jus ad hæreditatem, ſequitur evidenter, quòd per aſſumptionem ad Epiſcopatum extrahatur à ſtatu monachali quoad votum paupertatis. Id ex eo etiam firmari poteſt, quia Pontifex nonnunquam indulget Epiſcopis Regularibus, ut de bonis jure hæreditario acquiſitis poſſint diſponere; unde Pontifex ſupponit, quòd acquiſierint dominium in hæreditatem paternam, & illam acquiſierint nomine proprio ipſius Epiſcopi, non verò nomine Eccleſiæ.

Neque obſtat, quòd in textu non dicatur 25
abſolutè, quòd fiat legitimus hæres; ſed quòd *velut legitimus hæres*, quia illa particula *velut* non diminuit legitimum hæredem, ſed potiùs magis exprimit legitimitatem; adeo ut ſenſus ſit, quòd Monachus factus Epiſcopus poſſit ſibi vendicare paternam hæreditatem tanquam ille, qui eſt legitimus hæres ſicut Joann. 1. etiam dicitur: *vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti*, neque illa particula *quaſi* diminuit, ſed magis exprimit. Præterea quia in textu dicitur, quòd *ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*: quod perinde eſt, ac transferre de monachatu ad Epiſcopum, ſeu de ſtatu ad ſtatum, & quando ſit tranſitus de uno ſtatu ad alium deſinit id, quod pertinebat ad primum ſtatum, à quo ſit tranſitus, ut cùm quis de laico ſit Monachus, deſinunt in illo, quæ pertinebant ad ſtatum laicalem, à quo tranſit ad ſtatum monachalem.

Ratione etiam poteſt id ſuaderi, quia Epi- 26
ſcopus per aſſumptionem ad Epiſcopatum ſit ſponſus Eccleſiæ, proinde tranſit in eandem ſor-

tem cum ipſa, in qua ſimul communicat, quapropter ſi Eccleſia habet dominium bonorum eccleſiaſticorum; etiam Epiſcopus communicat in eodem dominio: proinde eo ipſo, quòd init matrimonium ſpirituale cum tali Eccleſia, abſolvitur à voto paupertatis; alioquin non communicaret in tali dominio cum ſua ſponſa. Tum quia clerici ſæculares aſſumpti ad Epiſcopatum non alia ratione acquirunt dominium horum bonorum, niſi ex eo, quòd fiant Epiſcopi, quia jus dominii ad talia bona eſt intrinſecum titulo Epiſcopatûs, proinde etiam Regulares debent acquirere hoc jus, quod cùm non ſtet cum voto paupertatis, eo ipſo, quòd promoventur ad Epiſcopatum abſolvuntur à tali voto. Tum quia Eccleſia ſecundùm ſe non eſt capax dominii, ſed tantùm ratione eorum, qui illam adminiſtrant: ſiquidem capacitas dominii eſt tantùm propria naturæ rationalis, dicit enim dominium poteſtatem liberè diſponendi de bonis, unde ſupponit libertatem in diſponente, proinde etiam naturam rationalem: ſi igitur dominium eſt apud Eccleſiam, utique debet eſſe ratione illorum, qui ſunt capaces dominii, & iſti ſunt, ad quos ſpectat adminiſtratio Eccleſiæ; cujusmodi ſunt Epiſcopi reſpectu Eccleſiæ ſuæ epiſcopalis: conſequenter debent conſtitui capaces dominii, & ſolvi à voto paupertatis.

27 Tum quia Epiſcopus Regularis habet tam amplam facultatem diſponendi de fructibus ſuæ Eccleſiæ, quàm habeat Epiſcopus ſæcularis, ut conſtat ex praxi, & uſu quoad illos uſus, qui non dedecent ſtatum epiſcopalem, quod procul dubio ſupponit dominium: quia facultas diſponendi de rebus ad libitum citra alterius injuriam eſt verum dominium. Præterea in Regulari aſſumpto ad epiſcopatum ceſſat finis voti paupertatis, eo quia non ſit neceſſarius pro tali ſtatu epiſcopali: ſiquidem Epiſcopi debent etiam rebus temporalibus vacare, cùm ad ipſos pertineat libera diſpoſitio bonorum Eccleſiæ. Hinc ad primam rationem oppoſitæ ſententiæ poſſet reſponderi, adeſſe neceſſitatem diſpenſandi cum Epiſcopis Regularibus in voto paupertatis, ut nimirum poſſint diſponere de bonis temporalibus ſuæ Eccleſiæ, & ut poſſint communicare in dominio bonorum Eccleſiaſticorum cum ſua ſponſa, cum Epiſcopus tranſeat in eandem ſortem cum ipſa. Ad ſecundum Religioſum per aſſumptionem ad Epiſcopatum mutare ſtatum religionis cum ſtatu epiſcopali, proinde non manere verum Religioſum, ſed verum Epiſcopum, & tantùm in honorem ſui ordinis geſtare habitum ejusdem coloris. Ad tertium votum paupertatis fuiſſe emiſſum cum implicita conditione, ſi non commutetur, aut diſpenſetur à Papa, & qui aſſumitur ad Epiſcopatum mutat ſtatum, & cum tali mutatione diſpenſatur à voto, quod propterea extinguitur, vel potiùs commutatur in obligationes proprias Epiſcopi.

28 Quæritur decimò, an Regularis aſſumptus ad epiſcopatum abſolvatur à voto obedientiæ? Certum eſt, Regularem factum Epiſcopum eximi ab obedientia Prælati Regularis, adeo ut non teneatur ei parêre, ſi ei injungeret, quæ pertinent ad obſervantiam regularum; quia Epiſcopus non ſubjicitur ſuperiori monaſterii, à quo fuit aſſumptus ad Epiſcopatum: teneri tamen parére ſummo Pontifici in omnibus, quæ in ordine ad utilitatem Eccleſiæ poteſt illi injungere. Difficultas eſt, an hæc obligatio, quâ ita tenetur obedire ſummo Pontifici, oriatur ex voto obedientiæ, quod emiſerat in profeſſione religioſa, adeo ut idem votum adhuc perſeveret, & Epiſcopus Regularis ab illo non abſolvatur; vel tale votum ceſſet eo ipſo quòd fit Epiſcopus, & obligatio illa parendi ſummo Pontifici oriatur ex eo, quòd ſubjiciatur jurisdictioni Pontificis. Communior ſententia docet, hanc obligationem in Epiſcopo Regulari oriri ex voto obedientiæ emiſſo in profeſſione, adeo ut Epiſcopus Regularis ab illo non abſolvatur. Fundamenta, quibus hæc ſententia nititur, ſunt. Primò textus *ex c. de Monach. 16. q. 1.* ubi ſtatuitur, Monachos aſſumptos ad ordinem clericatûs non debere à priori propoſito recedere. Secundò, quia tametſi Epiſcopus Regularis non teneatur parêre Prælato Regulari, non tamen inde ſequitur, quòd ſit abſolutus à voto obedientiæ; quia etiam Generales Religionum non obediunt niſi ſummo Pontifici, quamvis ſint perpetui, & nihilominus non abſolvuntur à voto obedientiæ, & obligatio obediendi Pontifici oritur ex voto obedientiæ in ſolemni profeſſione emiſſo, proinde Epiſcopus Regularis ex eodem voto tenetur parêre ſummo Pontifici. Tertiò quia Pontifex eſt Generalis omnium Religioſorum, omniúmque Religionum; proinde votum obedientiæ, quod obligat parêre Religioni, & generali Prælato ejusdem, obligat parêre Pontifici, proinde manet idem votum ſaltem quoad illam partem, quâ tenetur parêre Pontifici. Quartò quia votum obedientiæ benè poteſt cohærere cum ſtatu epiſcopali, proinde Pontifex absque juſta, & urgente cauſa non poteſt in hoc voto obedientiæ diſpenſare, quando Regularis aſſumitur ad Epiſcopatum.

29 Hæc ſententia hiſce nixa fundamentis plurimum habet probabilitatis, & eam docent D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 11. ad 4.* D. Bonaventura, *art. 2. q. ult. ad ult.* D. Antoninus *3. p. tit. 20. c. 2. §. 2.* Navarr. *lib. 3. conſil. 15. de regul.* Sotus *lib. 10. de juſtit. & jur. q. ult. art. ult.* Nihilominus ſi hærere velimus textui *ex c. ſtatutum 18. q. 1.* probabile etiam eſt, talem obligationem parendi Pontifici in Epiſcopo Regulari non oriri ex voto, quod emiſerat in ſolemni profeſſione, ſed ex eo, quòd ſubjiciatur jurisdictioni Pontificis: etenim *in d. c.* dicitur de Monacho aſſumpto ad Epiſcopatum *Quem canonica electio à jugo monaſtica profeſſionis abſolvit*, non poſſet autem à tali jugo abſolvere, ſi in ipſo remaneret votum obedientiæ, quia formalis ratio hujus jugi conſiſtit in ipſo voto obedientiæ, quo Religioſus tenetur cætera onera religionis ſubire. Neque per jugum poteſt intelligi obſervantia regularum, à qua abſolvitur, quia talis obſervantia non eſt ipſum jugum, ſed ſe habet conſecutivè, & acceſſoriè ad ipſum; jugum enim propriè eſt obligatio illa, quæ contrahitur ex voto, unde ſi votum maneat, non

non poteſt Regularis per aſſumptionem ad Epiſcopatum dici abſolutus à jugo, cum revera maneat ipſum principale jugum.

30 Neque dici poteſt abſolutus à jugo, eò quia per talem aſſumptionem eximatur ab obedientia Prælatorum Regularium, quia ut rectè notat Pasqualigus *decis. moral. decis.* 268. *n.* 6. abſolvere idem eſt ac tollere, ſeu laxare, quod ligat: & quia votum obedientiæ, eſt quod tantùm ligat, & à quo obligatio oritur ad onera omnia Religionis ſubeunda; ideo non poteſt jugum monaſticæ profeſſionis abſolvi, niſi tollatur ipſum votum obedientiæ.

31 Neque ſufficit, ſi dicatur tolli reſpectu Prælatorum Regularium, non verò reſpectu ſummi Pontificis, ac proinde tale votum manere ſi non adæquatè, ſaltem inadæquatè ratione obligationis ex illo ortæ parendi ſummo Pontifici. Nam contra eſt, quia ſi maneret inadæquatè, ſeu reſpectu ſummi Pontificis tantùm, revera Monachus adhuc maneret ligatus eodem jugo, unde non eſſet verus textus deſumptus *ex d. c. ſtatutum*, quòd canonica electio abſolvat Monachum à jugo monaſticæ profeſſionis: ſicut nec Generales Religionum, tametſi perpetui ſint, dicuntur abſolvi à jugo monaſticæ profeſſionis, quamvis ſoli Pontifici teneantur parère: ſi igitur Monachus per canonicam electionem abſolvitur à jugo monaſticæ profeſſionis, non ita Generalis Regularis perpetuus, dicendum eſt, obligationem parendi Pontifici non oriri ex voto obedientiæ, ſicut in Generalibus perpetuis religionum, ſed ex eo, quòd Epiſcopus Regularis ſubjiciatur jurisdictioni Pontificis.

32 Tum quia votum obedientiæ eſt tantùm unum in ſe, & quidem indiviſibile, quia reſpicit Prælatos Religionis, ut ſubordinatos Pontifici, dicitque unam, ac eandem indiviſibilem obligationem, proinde non poteſt obligatio voti ceſſare inadæquatè, ſed ſi ceſſat debet adæquatè, & totaliter ceſſare. Tum quia Pontifex, & Prælati Religionum, quoad vota emiſſa in profeſſione, ſe habent ut unus ſuperior ratione ſubordinationis; proinde votum vel ceſſat reſpectu omnium, vel reſpectu nullius: proinde non poteſt ceſſare reſpectu Prælati inferioris, niſi etiam ceſſet reſpectu Generalis, conſequenter etiam reſpectu Papæ, ratione ſubordinationis: unde obligatio illa non oritur ex vi voti. Defendunt hanc ſententiam Pasqualigus *diſt. decis.* 268. Medina de ſacra hominis continentia *lib.* 5. *c.* 26. *& ſequent.* Ovandus *diſt.* 38. *propoſ.* 17. Angles *in* 4. *p.* 2. *q. de voto art.* 2. *dub.* 5. Hurtad. 2. 2. *vol.* 2. *de ſpe, & charit. diſp.* 160. *ſect.* 5. & alii quos refert Pasqualigus *loc. cit.*

33 Rationi videtur etiam hæc opinio conſona, quia Epiſcopus Regularis conſtituitur ut ſponſus Eccleſiæ, ad quam aſſumitur per matrimonium ſpirituale; proinde debet eximi à poteſtate cujuscunque à ſummo Pontifice, & cui ratione voti ſubjiciebatur, alioquin non tranſiret in poteſtatem Eccleſiæ, ut ſponſus in poteſtatem ſponſæ, cùm non poſſit quis de poteſtate unius tranſire in poteſtatem alterius, niſi deſinat eſſe ſub poteſtate illius. Tum quia Regularis per votum obedientiæ totaliter ſubjicitur alteri, & ſecundùm omne ſuum jus, proinde manente tali voto non poſſet in poteſtatem Eccleſiæ tranſire, ut ſponſus in poteſtatem ſponſæ. Et quamvis non teneatur parére Prælatis Regularibus, ſed tantùm ſummo Pontifici, ſi tamen maneret obligatio voti, adhuc maneret quantum eſt de ſe, ex vi voti ipſa regula, proinde poſſet ſaltem Pontifex ipſi præcipere totam, & adæquatam obſervantiam regulæ, quæ obligatio eſſet contra ſtatum ſponſæ Eccleſiæ: ſiquidem impediret, ne poſſet ſe tradere Eccleſiæ, ut ſponſæ.

34 Præterea Monachus aſſumptus ad Epiſcopatum ſubjicitur ſummo Pontifici, non ampliùs ut Monachus, ſed ut Paſtor inferior Paſtori ſuperiori, proinde non ſubjicitur Papæ ex voto obedientiæ emiſſo in ſolemni profeſſione, ſed ex eo, quòd tanquam inferior Prælatus Eccleſiæ ſubordinetur ſuperiori. Tum quia Monachus factus Epiſcopus non eſt ampliùs membrum ſuæ Religionis, ſed caput ſpecialis Eccleſiæ, proinde non eſt ampliùs in ſtatu, ut recipere poſſit influxus capitis religionis, qui nonniſi membris poſſunt communicari, quòd ſi ceſſat eſſe membrum, debet etiam ceſſare ipſa unio, quâ membrum unitur corpori: hæc autem unio eſt ipſum votum obedientiæ, quo Monachus per profeſſionem ſe obligat religioni, & hæc ipſi. Tum quia Monachus factus Epiſcopus amittit jus vivendi in communi cum cæteris ſuæ Religionis, proinde ſolvitur contractus initus in ſolemni profeſſione, & ratione cujus acquiſivit tale jus; proinde ſolvitur etiam votum obedientiæ, in quo conſiſtit ſacer ille contractus. Demum quia materia voti obedientiæ, ſunt tantùm ea, quæ pertinent ad regulam religionis, in qua quis profitetur, adeo ut Prælatus Regularis non poſſit ex vi voti præcipere Monacho aliena à regulis, tametſi conformia ſint regulis alterius religionis, quia votum non obligat niſi juxta intentionem voventis, qui non ſe obligavit ad regulas alterius religionis: unde in Epiſcopo Regulari ceſſat materia voti obedientiæ, conſequenter etiam ipſum votum, ut enim dixi, votum hoc ſitum eſt in indiviſibili, adeo ut ſi ceſſet ſecundùm aliquam rationem, debeat totum ceſſare.

35 Hinc ad primum fundamentum primæ ſententiæ poſſet reſponderi, textum illum deſumptum *ex c. de Monach.* 16. *q.* 1. non loqui de Epiſcopis, ſed de Monachis, qui aſſumuntur ad munera Clericorum obeunda, cujusmodi ſunt plures Parochi Benedictini, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes, qui inſerviunt Eccleſiis parochialibus annexis monaſterio ex mandato Prælati, qui etiam poteſt ipſos mutare, & alios Monachos ſubſtituere: tales enim Religioſi exercentes munera clericorum, & Parochorum dicuntur *in d. c. de Monach.* 16. *q.* 1. non debere recedere à priori propoſito, quia ſunt Religioſi, & ſubjiciuntur totaliter Prælato Monaſterii, à quo poſſunt revocari, & de facto pluries revocantur, & alii ſubſtituuntur, ne Monachi in eodem officio perpetuentur, eò quia talia munera non ſint propria vitæ monaſticæ, à qua pro-

propterea, ne recedant, revocantur. Ad ſecundum reſpondetur, eſſe diſcrimen, quia Generales perpetui religionum cùm non mutent ſtatum religioſum, non abſolvuntur à jugo monaſticæ profeſſionis: non enim capita Religionum, deſinunt eſſe membra earundem. Ad tertium, Monachum factum Epiſcopum parêre ſummo Pontifici ratione ſubordinationis, & ex eo, quia ſubjicitur ejus jurisdictioni. Ad ultimum ex dictis liquet, votum obedientiæ pugnare cum ſtatu epiſcopali.

36 Quæritur undecimò, an Monachus aſſumptus ad Epiſcopatum etiam abſolvatur à voto caſtitatis? Certum eſt, Monachum aſſumptum ad Epiſcopatum teneri caſtitatem ſervare, ratione Ordinis ſacri ſuſcepti, & cui eſt implicitè annexum votum caſtitatis: unde difficultas eſt, an obligatio ad ſervandam caſtitatem in Monacho aſſumpto ad Epiſcopatum non ſolùm oriatur ex vi ordinis ſacri, & ratione ſtatus epiſcopalis: ſed etiam ex vi voti caſtitatis emiſſi in ſolemni profeſſione. Circa ſolutionem hujus quæſtionis duæ ſunt ſententiæ: prima aſſerit, Monachum factum Epiſcopum teneri caſtitatem ſervare, non ſolùm ratione ſtatus epiſcopalis, & ſacrorum Ordinum; verùm etiam ratione voti caſtitatis emiſſi in ſolemni profeſſione; adeo ut hoc votum non ſolvatur per aſſumptionem Monachi ad Epiſcopatum: ita docent omnes aſſerentes, Religioſum per aſſumptionem ad Epiſcopatum non eximi à votis emiſſis in ſolemni profeſſione. Nihilominus ſecunda ſententia eſt probabilior ſi inhæreamus textui deſumpto *ex c. ſtatutum* 18. *q.* 1. ubi de Monacho Epiſcopo dicitur, *quem canonica electio à jugo monaſtica profeſſionis abſolvit* jugum autem monaſticæ profeſſionis ſunt ipſa vota emiſſa in ſolemni profeſſione, à quibus propterea ſolvitur cùm primum Monachus fit Epiſcopus, ut in præcedenti quæſtione oſtendimus.

37 Tum quia per aſſumptionem ad Epiſcopatum Monachus tranſit de ſtatu religioſo ad ſtatum epiſcopalem, proinde ſicut ceſſat ſtatus religioſus, ceſſant etiam omnia, quæ ſunt de ſubſtantia talis ſtatus, proinde ceſſant etiam tria vota emiſſa in ſolemni profeſſione, quia hæc conſtituunt ſtatum religioſum, ſúntque de illius ſubſtantia, unde Epiſcopus non ratione voti emiſſi in ſolemni profeſſione, ſed ratione ſtatus epiſcopalis, & ſacrorum Ordinum, quibus eſt annexum votum caſtitatis tenetur illam ſervare. Tum quia per aſſumptionem Monachi ad Epiſcopatum ſolvitur contractus initus in profeſſione inter regularem, & Religionem, adeo ut religio ſit ſoluta ab omni obligatione circa talem Religioſum aſſumptum, & hic etiam eſt ſolutus ab obligatione, quam contraxerat cum religione quapropter *in d. c. ſtatutum* Monachus factus Epiſcopus dicitur ſolutus à jugo monaſticæ profeſſionis: quòd ſi ſolvitur ab omni obligatione, ſequitur, quòd ſolvatur etiam à voto caſtitatis, quam propterea teneatur ſervare, non ex vi voti, ſed ratione ſtatus epiſcopalis, & ſacrorum ordinum, quibus votum caſtitatis eſt annexum.

Quæritur duodecimò, an quando Monachus aſſumitur ad Epiſcopatum vota, quæ emiſerat in ſolemni profeſſione ceſſent ex natura rei, vel tantùm ex diſpenſatione Papæ? Reſpondetur, probabiliùs talia vota ſolvi ex natura rei abſque alia diſpenſatione, ut docet Pasqualigus *decis.* 270. *n.* 2. idque deſumitur *ex c. ſtatutum* 18. *q.* 1. ubi Pontifex loquens de Monacho, qui electus fuerat ad Epiſcopatum ait, *quem canonica electio à jugo monaſtica profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit.* Quòd ſi electio, & ordinatio abſolvunt, faciúntque de monacho epiſcopum, ceſſant vota non vi diſpenſationis, ſed ratione electionis, & ordinationis, quia ex eo, quòd Monachus fiat Epiſcopus, mutat ſtatum, adeo ut relinquat ſtatum religioſum, & aſſequatur ſtatum epiſcopalem, qui ſtatui religioſo ſuccedit. Ut enim docet D. Thomas 2. 2. *q.* 183. *art.* 1. ſtatus eſt quædam hominis diſpoſitio facta ex libertate juxta modum ſuæ naturæ cum quadam immobilitate, & firmitate; conſequenter quæ obligatione aliqua firmetur: ſed in Monacho aſſumpto ad Epiſcopatum ſuccedit nova diſpoſitio, ratione cujus ſe diſponit ad alia obeunda munera; oritúrque in illo nova obligatio: proinde ex vi novi ſtatus epiſcopalis, deſinit ſtatus religioſus ex natura rei: quòd ſi ceſſat ſtatus, ceſſant etiam quæ ſunt de ſubſtantia ſtatûs, cujusmodi ſunt tria vota emiſſa in ſolemni profeſſione, hæc enim ſunt de eſſentia ſtatûs religioſi, quæ ſi manerent, non poſſet ſtatus ceſſare, quia manente eſſentia rei, non poteſt non manere res ipſa: ſi igitur quando Monachus fit Epiſcopus, ceſſat ex natura rei ſtatus religioſus, cui ſuccedit ſtatus epiſcopalis, ſequitur, quòd ex natura rei, & non ex diſpenſatione ſolvantur vota emiſſa in ſolemni profeſſione. 38

Firmatur, quia ex vi novi ſtatus epiſcopalis deſinit ex natura rei ſtatus religioſus, quia deſinit diſpoſitio, & obligatio talis ſtatus: ſicut enim in corporalibus adveniente novo ſtatu deſinit prior ex natura rei, eò quia non poſſit dari tranſitus à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, niſi relinquatur terminus *à quo*: ita etiam non poteſt dari tranſitus de ſtatu religioſo ad ſtatum epiſcopalem, niſi relinquatur terminus *à quo*, ſeu ſtatus religioſus, quia pluralitas ſtatuum non eſt compoſſibilis in eadem perſona; quia ſtatus diſponit de tota perſona ſecundùm quandam menſuram, intra quam debet perſona conſiſtere, & eadem perſona non poteſt tota diſponi ſecundùm diverſas menſuras, & ſimul addici diverſis finibus requirentibus diverſa media: ſiquidem diſpoſitio ſecundùm unam menſuram diſtrahit diſpoſitionem ſecundùm aliam, cùm illi non ſubordinetur, neque eidem nectatur; ſed utraque ſit totalis: quo pacto etiam officia diverſa diſtrahunt hominem in diverſa juxta exigentiam officiorum. Quòd ſi dicas, ſtatum regularem per aſſumptionem ad Epiſcopatum tantùm ceſſare quoad accidentalia. Contra eſt, quia ceſſat ſecundum diſpoſitionem perſonæ, in qua fit alia diſpoſitio, & oritur alia obligatio, ſed diſpoſitio dicit ſubſtantiam ſtatus, quia hic conſiſtit formaliter in ipſa diſpoſitione, quæ ſi variatur, etiá variatur ſtatus ſecundum ſubſtantialia.

TITU-

TITULUS XXXV.

De ſtatu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

QUia plerumque emittentes vota religionis, de quibus Pontifex egit in præcedenti titulo fiunt, & dicuntur Monachi, vel Canonici Regulares, ideo congruè Pontifex poſt Titulum de voto, & voti redemptione agit in præſenti de ſtatu Monachorum, & Canonicorum Regularium; ſeu de officio, & munere Monachorum; quem vitæ modum tenere debeant; quomodo ſe ſolemni voto obligaverint. Monachi ſunt in duplici genere, alii qui ſimul in conventibus degunt, qui etiam Cœnobitæ appellantur *l. addictos C. de epiſcop.* & horum Præpoſiti Abbates dicuntur. Alii, qui ſeorſim ſoli vivunt, & hi propriè eremitæ vocantur, quos ut ait Juſtinianus *novel.* 5. *c.* 3. vitæ commendatio à nutu, & regula Abbatis, veluti manu miſſos ſylveſtribus antris mancipavit, ut in ſolitudine impenſiùs ſanctitati vacent. Monachorum inſtitutio ferè omnis ab Eremitis incæpit, ut tradit D. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: hinc uſus invaluit, ut Monachi etiam dicerentur, qui communionem inter ſe haberent, & à commercio cæterorum hominum prorſus abſtinerent.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. THEODOSIUS 1. h. t. Gregorius III. declarat, Epiſcopum non debere monaſteria moleſtare, niſi cauſâ diſciplinæ, & correctionis, nec debere ſibi uſurpare, quæ à fidelibus ſunt Monachis oblata. Ubi notat Gloſſa, id intelligi de Monachis non habentibus populum; quia ſi habeant, tunc monaſteria ſubſunt Epiſcopo quoad legem diœceſanam c. Dilectus filius de offic. Ordin. 18. q. 2. *Excipitur tamen niſi ex conſtitutione, vel conſuetudine debeatur honeſtum ſervitium. Cæterùm textus intelligitur de relictis in vita, quia mortis cauſâ debetur portio* c. eum ſuper de ſepult. c. requiſiſti de teſtam. *niſi conſuetudo in contrarium obſit.*

C. MONACHI 2. h. t. ſtatuit idem Pont. ut Monachi non ponantur ſinguli per villas, vel oppida, vel quascunque parochiales Eccleſias, ſed maneant ibi cum aliquibus aliis fratribus. Rurſus ut non recipiantur in monaſterium prò pretio: alioquin qui dedit, non promovetur ad ſacros ordines, & qui recepit ſuſpenditur ab officio. Rurſus non permittuntur Monachi habere peculium, niſi pro adminiſtratione ei injuncta, fuerit id ab Abbate permiſſum: & qui ſecus fecerit, mandat Pontifex, eſſe removendum à communione aliorum: quòd ſi moriatur ſine pœnitentia, ſtatuit, ut non fiant pro ipſo oblationes, nec ſepeliendus ſit cum aliis fratribus, & Abbas, qui diligenter hæc non cavet amittit ſuum officium. Rurſus prohibet, ne ullus fiat Prior, vel Cuſtos mediante pretio, & ſi ſecus fiat, æquè dans, & accipiens ſiant alieni ab eccleſiaſtico miniſterio. Rurſus ut Prieres, qui in eccleſiis conventualibus per electionem Capituli ſunt canonicè inſtituti, non mutentur, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa, ut ſi eſſent incontinentes, dilapidatores. Hinc notat Gloſſa, de jure communi poſſe Monachos præſici eccleſiis parochialibus. Rurſus acceptum in monaſterio pro pecunia, reſtitutâ ſibi pecuniâ debere aliud monaſterium ingredi. Colligitur etiam ex hoc

C. RECOLENTES 3. h. t. Alexander III. reſcribit, Ciſtercienſes, qui declinârunt ab inſtituto debere ad priſtinum redire, & eos etiam vivere eorum modo, qui illis adhæſerunt.

C. SUPER 4. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Canonicus Regularis proprietarius moriatur ſine pœnitentia non ſit ſepeliendus in cœmeterio, & ſi fuerit ſepultus debet exhumari, ſi fieri poſſit ſine ſcandalo.

C. QUOD DEI 5. h. t. Innocentius III. declarat, quòd per Concilium Lateranenſe c. Monachi *cavetur, ne ſinguli per parochias ponantur, tametſi per antiquos canones poſſint, & non loquitur de canonicis Regularibus, qui poſſunt fieri plebani parochiæ. Quòd ſi commodè fieri poſſit, debeat habere unum Canonicum Regularem ſecum ad cautelam, conſortium, & ſolatium. Ex quo textu liquet, Monachos de jure communi poſſe aſſumi ad regimen animarum, non tamen debere ſolos manere, ſed cum aliquo alio Monacho ad cautelam, conſortium, & ſolatium.*

C. CUM AD MONASTERIUM 6. h. t. Idem Pont. reſcribit, Monachos non uti induſiis lineis, nec poſſidere proprium ullo modo: quòd ſi Monachi non reſtituant, debeant de monaſterio expelli, nec amplius recipi, niſi eos pœniteat factî: quòd ſi cum proprietate moriantur, proprietas cum ipſis ſepeliendâ ſit in ſterquilinio: quòd ſi aliquid alicui mittatur, non ſibi accipiat, ſed reſignet ſuperiori. Rurſus mandat Pontifex, ut in Oratorio, Refectorio, dormitorio ſemper ſilentium ſervari debeat, & in clauſtro certis horis, & locis, ſecundùm conſuetudinem. Rurſus prohibet, ne in refectorio ullus veſcatur carne, imò neque extra, niſi in infirmaria, & Abbas in ſolemnitatibus non debeat egredi cùm aliis ad edendas carnes, ſed poteſt in camera ſua vocare mo-

dò hos, modò illos ad comedendas carnes: vult enim Pontifex, ut infirmi, & debiles non in cubiculis, sed in infirmaria edant: possit tamen Abbas in refectorio providere alicui delicato, vel infirmo de aliquo cibo particulari. Rursus injungit, ut ad officia deputentur fideles, discreti, & amovibiles: & ut Prior post Abbatem præsit, valeátque verbo, & exemplo: & ut Abbas quanto frequentiùs potest, sit cum fratribus in Conventu. Demum statuit Pontifex, ut Abbas non possit super proprietate, vel castitate dispensare, immo nec summus Pontifex. Verùm Papa, ut notat Glossa hic, in pluribus casibus potest dispensare.

C. *IN SINGULIS 7. h. t. statuit idem Pont. in Concilio Generali, ut Capitulum Provinciale Regularium fiat in singulis triennijs in uno monasterio ad id apto, & veniant Abbates, & Priores, & singuli non ducant secum plus quàm sex equitaturas & octo personas. Qui verò non consueverunt Capitulum habere, debeant vocare duos Abbates Cistercienses pro consilio, & auxilio. Rursus statuit, ut Capitulum duret per aliquos certos dies, ut moris est apud Cistercienses, in quibus agatur de reformatione, & observantia regulari: & quæ stabiliuntur serventur, & simul provideant de loco pro sequenti capitulo. Rursus ut convenientes vivant communiter cum omnibus expensis proportionabiliter, & commorentur simul, vel plures simul in diversis domibus. Rursus ut eligant religiosas personas, quæ visitent singulas Abbatias Regni, & authoritate Apostolica corrigant, & reforment, quòd si Rector esset amovendus, monstrent Episcopum, qui si illum non amovet, debent tunc Papam monere. Rursus mandat, hoc idem servandum à Canonicis Regularibus, & si oriatur difficultas deferenda sit ad sedem Apostolicam. Rursus injungit Diœcesanis, ut reforment monasteria sibi subjecta, & non sinant ea grævari à Visitatoribus. Ubi notat Glossa, exemptos debere itidem interesse.*

C. *EA QUÆ 8. h. t Honorius III. rescribit Abbatibus, & Monachis in Lombardia, & Marchia Tervisiana, ut constituant visitatores, qui inquirant, & Monachos delinquentes faciant per Abbatem corrigi. & contumaces, ac rebelles juxta modum culpæ punire, immo etiam ejicere ab ovili ovem morbidam. Quòd si Visitatores, & Abbates in corrigendo inveniantur negligentes, debeant publicè puniri in Capitulo generali, ita ut pœna sit exemplo aliis. Rursus si Abbas non exemptus deprehendatur nimis negligens, & remissus id deferatur Diœcesano loci, ut det coadjutorem usque ad Capitulum generale. Quòd si fuerat Dilapidator debeat amoveri sine strepitu judicii, & poni administrator idoneus usque ad Capitulum Generale. Quòd si Episcopus in hoc sit negligens visitatores, & præsidentes Capituli Generalis debeant de hac negligentia Episcopi certiorem facere sedem Apostolicam. Rursus mandat Pontifex, ut quæ faciunt Episcopi in non exemptos, id agant visitatores, & præsidentes Capituli generalis in exemptos, adeò ut sola depositio reservetur Papæ; sed interim suspendantur appositis administratoribus. Rursus ut subsequentes visitatores, & Abbates inquirant de præcedentibus, & nuncient Capitulo generali. Item ut in Monasteriis Monachi, vel Abbates non recipiant clericos sæculares ad prebendas, & qui habent, non se immisceant in spiritualibus: quòd si sint criminosi puniantur à visitatoribus, si exempti ab Episcopis, si non exempti priventur beneficijs. Demum mandat Pontifex hæc omnia servari in monasterijs non habentibus Abbates, sed Priores, ut etiam in Monialibus, quæ eis congruunt. Plura etiam ex prærecensitis habentur de jure novo in Tridentino* sess. 25. de refor. c. 24.

IN SEXTO.

C. *PERICULOSO nunc. h. t. Bonifacius VIII. constitutione perpetuò valitura, plura sancit specialim de clausura Monialium. Primò prohibet, ne Moniales cujuscunque sint ordinis, & religionis, & in quocunque loco existant sive implicitè, sive explicitè, seu expressè professæ egrediantur imposterum ex suis Monasterijs ex quacunque ratione, vel causa, nisi constiterit, tali morbo laborare, ob quem non possint absque gravi periculo, aut scandalo aliis cohabitare. Secundò ut hæc clausura melius possit observari, prohibet, ne ulli detur facultas egrediendi prædicta monasteria nisi ex rationabili, & manifesta causa, & de licentia superioris, ad quem pertinet, neque ullus ingressus, vel accessus pateat etiam ad illas, tametsi honestæ sint personæ, nisi ex speciali licentia illius, ad quem spectat. Tertiò prohibet, ne in Monasterijs ordinum non mendicantium plures de cetero recipiantur in sorores, quàm possint de Monasteriorum bonis absque penuria sustentari: & si secus actum fuerit, sit irritum. Quartò ut Abbatissa, vel Prioriss, quæ propter feudum tenetur præstare juramentum fidelitatis alicui Domino sæculari, si non possit per Procuratorem illud præstare, exeat quidem cum honesta societate, sed statim post præstitum juramentum revertatur: quòd si Domini sint spirituales, debeat Abbatissa jurare per Procuratores. Quintò rogat Principes, & Dominos temporales, ut Abbatissas, Prioriss, & quascunque Moniales per Procuratores in suis curijs seu tribunalibus litigare permittant, ne eas oporteat evagari. Et qui contra præsumpserint, per suos Ordinarios censura ecclesiastica compellantur, adeò ut, Episcopi, & alij prælati, cogant per censuras dominos temporales, ut in suis tribunalibus, & curijs causæ Monialium tractentur per Procuratores, ut spirituales. Sextò ut Ordinarij, & alij Prælati in suis Diœcesibus omnino procurent clausuram Monialium, etiam exemptarum authoritate Apostolica, invocato si opus fuerit etiam brachio sæculari. Præsens textus jure novo quoad clausuram Monialium fuit confirmatum in Concilio Tridentino* sess. 25. de regul. c. 5. *ubi Concilium præcipit,* ne Moniali liceat egredi, è monasterio, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda, & nemini cujuscunque generis,

aut conditionis, ſexûs, vel ætatis licere ingredi ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis pro caſibus neceſſariis obtenta ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. *Cauſa verò legitima dandi licentiam Monialibus egrediendi expreſſit Pius V. in* conſtit. *cui initium eſt* decori *edita anno 1565. ubi Pontifex ait,* Ordinarius nulli Abbatiſſarum, Prioriſſarum, aliarúmve Monialium de cætero etiam infirmitatis, aut aliorum Monaſteriorum, etiam eis ſubjectorum, domorum parentum, aliorúmve conſanguineorum viſitandorum, aliáve occaſione, prætextu, niſi ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidimiæ &c. Monaſteriis exire, ſed nec in prædictis caſibus extra illa, niſi ad neceſſarium tempus ſtare concedat. *Plures etiam id extendunt, ut poſſint Moniales exire ob alias cauſas urgentiores, ut tempore belli poſſint ſe recipere ad tutiora. Rurſus ut de licentia ſuperioris poſſint tranſire ab uno monaſterio ad aliud novæ fundationis, vel reformationis cauſâ. Cæterum extra hos caſus incurrunt excommunicationem tam dantes, quàm recipientes hanc licentiam juxta prafatam conſtitutionem Pij V. Ex hoc autem textu colligitur, poſſe Papam imponere Religioſis arctiorem ſtatum, & vitam, quam fuerint profeſſi præſertim ſecundùm regulam. Rurſus Monialem poſſe aſſumi ad regimen alterius monaſterii ejusdem habitus, & religionis* c. nullus de elect. in 6. clement. 1. de elect. *Trident.* ſeſſ. 25. c. 7. de refor.

IN CLEMENTINIS.

C. *NE IN AGRO* 1. *h. t. Clemens V. plura præſcribit circa veſtitum, confeſſionem, & communionem ſacramentalem, Novitios, venationem, & aucupia, euntes ad curias Principum, vel aliàs vagantes, aut ſine ſocio: de Priorum ætate, ſacerdotio, habitatione, itidem ordinatione, doctrina, diſciplina: & euntes ad curias, aut ſuis Prælatis, vel Monaſteriis necesse ſint, excommunicantur ipſo facto: ut etiam arma tenentes intra ſepta monaſterii ſine licentia Abbatum.*

C. *ATTENDENTES* eit. *h. t. ſtatuit idem Pont. approbante Concilio Viennenſi, ut Moniales exempta, vel non exempta viſitentur authoritate apoſtolica, & viſitatores eas reformet. Rurſus ut Abbatiſſæ, quæ ſolent benedici infra annum, benedicantur à tempore ſuæ confirmationis, aliter cadant de jure ſuo, & provideatur de alia. Rurſus ut viſitatores eas viſitent cum octo perſonis honeſtis. Item ut etiam viſitentur illa mulieres, quæ vulgò dicuntur canoniſſæ ſeculares. Quòd ſi quis præſumpſerit impedire viſitatores, ſi monitus non deſtiterit ipſo facto incurrit excommunicationem.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit ſtatus Monachorum, & Canonicorum Regularium, & quæ ad ipſum ſpectent.

1 STatus dupliciter ſumi poteſt. Primò generatim, & ſignificat, quandam vitæ conditionem, in qua homo ad tempus, vel perpetuò permanet, talis fuit ſtatus innocentiæ, ſtatus legis naturæ, legis Moſaicæ, legis Evangelicæ, talis eſt etiam ſtatus hujus vitæ mortalis, ut etiam ſtatus Beatorum, & damnatorum. Secundò juxta præſens inſtitutum ſumitur ſtrictè pro immobili conditione vitæ, quâ alteri obligamur, ut docent D. Thomas 2. 2. *q. 183. art.* 1. ubi aſſerit, ſtatum importare quandam hominis diſpoſitionem ſecundùm modum ſuæ naturæ factam ex libertate cum quadam immobilitate, & firmitate, proinde firmatam aliqua obligatione, qua ratione Religioſi liberè dicuntur ſuſcipere onus Religionis, & firmiter, ac immobiliter ſe obligare obſervantiæ regularum: & in hoc ſenſu D. Thomas tres in Eccleſia conſtituit ſtatus, ſcilicet Epiſcoporum, Religioſorum, & conjugatorum: ſiquidem Epiſcopi perpetuo vinculo obſtringuntur obſequio ſuæ Eccleſiæ, Religioſi obſequio divino, & conjuges obſequio mutuo, & ex his tribus ſtatibus, duo primi ſunt ſpirituales, & dicuntur ſtatus perfectionis, tertius eſt ſtatus ſæcularis.

2 Rurſus ſtatus Religionis eſt dedicatio hominis facta Deo ſub aliqua regula, quæ abducat à cura ſæculi, & conjungat Deo, ut docet D. Thomas *loc. cit. q. 186. art.* 1. & hæc diſpoſitio ſecundùm hanc menſuram præcisè, non ſubordinatur ſtatui epiſcopali: quia dedicatio hæc ordinat Religioſos ad munera incompoſſibilia cum muneribus epiſcopalibus; & diſpoſitiones ſubordinatæ reſpiciunt etiam munera ſubordinata, non verò ſimul incompoſſibilia. Cæterum ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 184. art. 7.* ſtatus epiſcopalis eſt perfectior monachali, quia in genere perfectionis Epiſcopi ſe habent, ut perfectiores, cùm non tantùm perficiant ſe ipſos, quod præſtant Monachi, ſed etiam alios, quod non agunt Monachi, qui tantùm dicuntur perfecti, quia recipiunt perfectionem, ſeque perficiunt ſecundùm regulam, adeo ut ſtatus monachalis ſit ſtatus paſſivus; & ſtatus epiſcopalis ſit etiam ſtatus activus, quia Epiſcopus non ſolùm ſe ipſum; ſed etiam alios perficit.

3 Cæterum ſpectato ſolo jure communi canonico, & ſecluſis privilegiis, Monachi ſubjiciuntur Epiſcopis, ad quos propterea pertinet corrigere Monachos, ſi deliquerint, ut deſumitur ex *c. Theodoſius 1. h. t.* ubi Gregorius III. reſcripſit quòd Epiſcopus non debeat moleſtare monaſteria niſi diſciplinæ causâ, ſeu correctionis, nec debeat ſibi, vel clericis ſuis accipere ea, quæ oblata ſunt Monachis à fidelibus: hinc licèt monaſteria, quæ Epiſcopo ſubjiciuntur, eximantur à lege diœceſana, quoad præſtationes charitativi ſubſidii, idque in favorem religionis, ut habetur *in c. dilectus 18. de offic. Ordinar.* non tamen eximuntur à jurisdictione Epiſcopi, niſi ex ſpeciali privilegio iisdem conceſſo à ſummo Pontifice, ut habetur *in d. c. dilectus*; quapropter Epiſcopo competit jus viſitandi, corrigendi, & etiam puniendi Regulares non exemptos, quod tamen intelligitur poſt primam correctionem factam à Prælato Regulari, quia prima correctio pertinet ad ipſum, ſin autem in corrigendo negligens fuerit, tunc poteſtas devolvitur ad Epiſcopum etiam pro prima vice, & deſumitur *ex d. c. Theodoſius 1. h. t.* Imò monaſteria ſi populum habeant, ſeu Eccleſias parochiales, aut capellas ſibi incorporatas non eximuntur ab Epiſcopis quoad legem diœceſanam: quia tunc ratione parochiarum tenentur dare conſuetas præſtationes, niſi fortâſſis etiam capellæ fuerint exemptæ, quod tamen intelligitur de Eccleſiis habentibus populum, quia in aliis monaſterium manet exemptum à lege diœceſana.

4 Non tamen debet Epiſcopus monaſteria gravare, neque eorum reditus minuere, neque ſibi vendicare oblationes à fidelibus factas monaſteriis. Rurſus ſpectato jure communi poſſunt etiam Monachi exercere munera clericorum in capellis, vel Eccleſiis parochialibus incorporatis monaſterio, & poſſunt etiam manere extra monaſterium in iisdem Eccleſiis parochialibus, ut poſſint fidelibus inſervire, iisque præſtò eſſe, quoties occaſio ſe offert in ordine ad miniſtranda Sacramenta: non tamen debent Monachi ibi ſoli manere, ſed cum aliis ſociis ejusdem inſtituti, idque deſumitur *ex c. Monachi 2. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, ut Monachi non recipiantur in monaſteriis pro pretio, nec permittantur habere peculium, & ut non ponantur ſinguli, per villas, vel oppida, vel quascunque parochiales Eccleſias; ſed maneant cum aliquibus fratribus: & ſi quis monaſterium ingreſſus pretium dederit, prohibet, ne promoveatur ad ſacros ordines is, qui pretium recepit, & ſuſpendatur ab officio. Item non permittuntur monachi habere peculium, niſi pro adminiſtratione ei injuncta ab Abbate permiſſum fuerit. Et qui ſecus fecerit, vult removeri à communione aliorum, & ſi moriatur ſine pœnitentia, ut non fiat oblatio pro illo, nec ſepeliatur inter fratres.

5 Præterea Abbas qui diligenter hæc non cavet privatur ſuo officio. Prohibet etiam, ne ullus Monachus fiat prior, vel cuſtos mediante pretio: ſi ſecus; dans, & accipiens inhabilitantur ad miniſteria eccleſiaſtica: vult itidem quòd priores, qui in eccleſiis conventualibus per electionem Capituli Canonicè ſunt inſtituti, non removeantur, nec mutentur niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa, ut ſi eſſent dilapidatores, incontinentes, vel quid ſimile agerent: vel niſi urgente neceſſitate majoris officii de conſilio fratrum fuerint transferendi. Hæc omnia ſtatuit Alexander III. *in d. c. Monachi 2. h. t.* ex quibus liquet, poſſe de jure communi, Monachum præfici Eccleſiæ parochiali, ac in eadem habitare, non tamen ſolum, ſed cùm aliis fratribus ſui ordinis. Rurſus Priores conventuales, qui per electionem Capituli, & confirmationem Abbatis conſtituuntur, non poſſe amoveri ſine juſta cauſa: ratio eſt, quia ſunt veri Prælati, & dignitate inſigniuntur, perinde ac Abbates *c. niſi 10. de prabend.* Tum quia jus eſt etiam acquiſitum prioratibus, & nemo debet privari ſine juſta cauſa jure ſuo. Id autem non procedit de Prioribus clauſtralibus, qui per electionem canonicam non conſtituuntur, neque in prioritatibus confirmantur *c. perrecta 6. de confir. util.* ratio eſt, quia iſti ſunt obedientiarii, & ad nutum Abbatum ſuorum amoveri poſſunt.

6 Prohibet etiam Alexander III. *in d. c. Monachi 2. h. t.* ne pretium accipiatur pro ſuſceptione alicujus ad ſtatum religioſum, nec ad probationem, aut profeſſionem emittendam: ratio eſt, quia cùm ſtatus religioſus ſit ſpiritualis daretur temporale pro ſpirituali, quod eſſet ſimonia contra jus divinum. Juvat tamen obſervare per ſe, & ex natura rei, non eſſe illicitum aliquid accipere, vel exigere pro ſuſtentatione perſonæ ſuſcipiendæ ad ſtatum religioſum, id enim permittitur, præſertim ſi monaſterium indigeat, vel regula ordinis id permittat, vel ex inolita conſuetudine fuerit ad praxim deductum, ut in monaſteriis monialium: quia tunc non datur aliquid temporale pro ipſo ſtatu ſpirituali, ſed tantùm pro ipſo onere alendi perſonam, quod eſt temporale, & pretio æſtimabile. Quòd ſi monaſterium non indiguerit, tenetur Novitios gratis recipere: aliquin videretur aliquid accipere non pro onere aliendi perſonam, ſed pro ipſa ſuſceptione ad ſtatum religionis, quod ſimoniam redoleret, ut deſumitur *ex c. dilectus 30. c. quoniam 40. de ſimon.* & notat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. c. 17. num. 4.* Quòd verò Monachi, & alii Religioſi prohibeantur habere peculium, illud intelligitur de peculio propriè dicto, ſeu de proprio patrimonio, vel de bonis, de quibus liberè ſive quoad proprietatem, ſive quoad uſumfructum poſſint diſponere abſque ulla dependentia à voluntate ſuperioris. Alioquin poſſunt Religioſi habere peculium laxè ſumptum, quoad ſolam adminiſtrationem, & uſum facti dependenter à voluntate ſuperioris, qui talem uſum, & adminiſtrationem poteſt pro libito eis auferre, eósque privare omni uſu peculii.

7 Triplex eſt peculium. Primum quod comprehendit ea bona, quorum quis dominium; ſive proprietatem habet; ſecundum ut ſignificat bona, quorum quis habet uſum fructum, vel uſum, vel adminiſtrationem abſque ulla alterius voluntate, adeo ut pro ſuo arbitrio poſſit eorum fructibus uti, déque iisdem nutu ſuo diſpo-

diſponere. Tertium quod includit illa bona quorum quis habet uſum, vel adminiſtrationem revocabilem ad nutum alterius : ſive hæc bona ſint immobilia, mobilia, vel pecuniæ, certum eſt apud omnes, cum ſolemni voto paupertatis pugnare peculium primi generis, quia Religioſus per ſolemnem profeſſionem ſe abdicavit omni rerum dominio, ac proprietate.

8 Concedunt etiam omnes peculium ſecundi generis non poſſe poſſideri à Monacho, vel Religioſo, eò quia repugnet etiam ſolemni voto paupertatis; eò enim ipſo quòd Prælatus Regularis non poſſet pro ſuo arbitrio Monachum amovere ab adminiſtratione, vel uſu talium bonorum; Religioſus independenter à ſuperiore poſſet etiam pro ſuo arbitrio diſponere, proinde talis uſus, vel adminiſtratio eſſet propria Religioſi, quod repugnat cum voto paupertatis, vi cujus Religioſus nil proprium habere poteſt. Tum quia Monachus ex jure nihil poteſt velle, vel nolle absque Abbatis nutu, vel arbitrio, proinde nec aliquid proprium poſſidere: hinc hæc duo genera peculii ſpectato jure communi canonico ſunt prohibita Monachis, & Religioſis, quapropter Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 2. de Regul.* ſtatuit, ut adminiſtratio bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ad ſolos officiales eorundem, ad nutum ſuperiorum amovibiles pertineat: poſtea ſubdit, mobilium verò uſum ita ſuperiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit.

9 Peculium autem tertii generis ſitum in uſu, vel adminiſtratione bonorum amovibili ad nutum ſuperioris non adverſatur ſolemni voto paupertatis, quia tunc Monachus, vel Religioſus non cenſetur habere quid proprium, quia id habet ex conſenſu expreſſo, vel tacito ſui ſuperioris, & tale peculium ad arbitrium, & nutum ſuperioris poteſt removeri, & ejus uſus revocari, ut deſumitur *ex c. Monachi 2. h. t. & c. cùm ad monaſterium 6. §. tales de ſtatu Monachor.* Immo ſpectato jure canonico communi poteſt ſuperior Regularis alicui Religioſo concedere etiam bona ſtabilia ad uſum tantùm, vel adminiſtrationem revocabilem ad ejus nutum: imò poteſt etiam concedere, ut Religioſus ex bonis à parentibus aſſignatis certos reditus percipiat, ex quibus ſe veſtiat, & alat, & reliquum quod ſupereſt in alios pios, & honeſtos uſus impendat, ut deſumitur *ex d. c. cùm ad monaſterium 6. h. t.* quia id non repugnat voto paupertatis, quia Religioſus non habet dominium, ſeu proprietatem talium redituum, ſed ſolum uſumfructum, vel uſum revocabilem ad nutum ſuperioris.

10 Præterea *in d. c. cùm ad monaſterium 6. h. t.* Innocentius III. plura alia ſtatuit circa Monachos, & Religioſos, nimirum, quòd Monachi non utantur induſiis lineis; quòd non poſſideant proprium aliquo modo, quòd ſi Religioſus monitus non reſtituit, expellatur de monaſterio, nec iterum ſuſcipiatur, niſi ipſum pœniteat; ſi cum proprietate moritur, proprietas cum ipſo ſepeliatur in ſterquilinio, & ſi aliquid alicui mittitur, non ſibi accipiat, ſed reſignet ſuperiori. Rurſus ut in oratorio, refectorio, dormitorio ſemper ſilentium ſervetur; in clauſtris verò certis horis, & locis ſervetur ſecundum conſuetudinem. Item in refectorio nullus veſcatur carne, ſed nec extra, niſi in infirmaria, & Abbas in ſolemnitatibus non egrediatur cum multis ad edendas carnes, & in camera ſua poteſt Abbas modò hos, modò illos vocare, & dare carnes. Rurſus ut debiles, & infirmi non in cubiculis, ſed infirmaria edant. Præterea ut poſſit Abbas in refectorio providere alicui delicato, vel infirmo de aliquo cibo particulari. Statuit etiam ut ad officia deputentur fideles diſcreti, & amovibiles, & quòd Prior poſt Abbatem valeat verbo, & exemplo. Quòd Abbas quantò frequentiùs poteſt, ſit cum fratribus in Conventu, & ſi non ſervet, vel ſit negligens puniatur. Demum quòd Abbas non poſſit ſupra proprietate, nec in caſtitate diſpenſare. Juvat obſervare, quòd ſi Religioſus cum proprietate moriatur ſit ſepeliendus in ſterquilinio cum ſua proprietate, id non debet intelligi, quod totum peculium debeat ſepeliri, ſed ſufficit ſi pars illius, idque ad terrorem cæterorum, reliquum verò debet impendi in utilitatem Eccleſiæ, vel commodum monaſterii. Rurſus hæc pœna non incurritur ab iis, qui dant pecuniam, vel quid aliud ſine licentia ſuperioris alienant, ſed ab iis qui accipiunt, & retinent, quia textus tantùm loquitur de iſtis. Verùm à Concilio Tridentino *ſeſſ. 15. c. 2. de Regul. in fin.* alia pœna ſtatuitur, nimirum quòd ſi Religioſus deprehenſus, ac convictus fuerit, proprium aliquid habere is biennio activa, aut paſſiva voce privetur, & juxta ſuæ regulæ, & ordinis conſtitutiones puniatur.

11 Plura alia habentur in hoc titulo capitula, in quibus Pontifices utilia ſtatuunt circa Monachos, Canonicos Regulares, & alios Religioſos, etenim *in c. recolentes 3. h. t.* Alexander III. ſtatuit, ut Ciſtercienſes, qui à primævo declinârunt inſtituto redeant ad priſtinum, & qui illis adhæſerunt, vivant modo eorundem. Quamvis ordo Ciſtercienſis regulam ſervet S. Benedicti; olim tamen arctiorem paupertatem profitebantur Ciſtercienſes, quàm Benedictini; adeo ut non potuerint poſſidere villas, Eccleſias, beneficia altarium, nec parochiarum uniones, non tamen erant omnino incapaces bonorum immobilium, ut hortorum, agrorúmque, ex quibus neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem colligerent, ut notat Suarez. *tom. 4. de relig. lib. 2. de variat. relig. c. 3. num. 5.* nihilominus Pontifices poſtea huic ordini Ciſtercienſium plura conceſſerunt privilegia, virtute quorum poſſunt poſſidere villas, vineas, Vaſallos, Eccleſias parochiales, decimas, jurisdictiones, molendina, jura, cenſus, & annuos reditus, ut notat Emanuel. Rodriq. *tom. 3. quæſtionum regularium q. 75. art. 1.* quòd verò *in d. c. recolentes* Alexander VI. ſtatuerit, Ciſtercienſes teneri primævam regulam obſervare, id generaliter ſtatutum eſt de aliis religionibus à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 1. de Regul.* ubi præcipitur, quòd omnes Regulares tam viri, quàm mulieres debeant ad regulæ, quam profeſſi ſunt,

præscriptum vitam instituere, & componere: hinc si regula ordinis ex negligentia superiorum laxetur, possunt alii superiores instituere reformationem, & professos compellere ad primum rigorem observantiæ regularis, & isti tenentur se accommodare regulæ reformatæ licèt arctiori: siquidem per solemnem professionem, & votum obedientiæ renuntiârunt propriæ voluntati.

12 Tum quia Religiosi non profitentur consuetudinem, quæ fortassis in suo ingressu viguit, sed regulam, ad quam observandam se obstrinxerunt: unde si observantia fuerit laxata, tenentur, se accommodare regulæ reformatæ, ut docent Canonistæ Innocentius *in c. super eo 9. V. austeritatem de Regul.* Abbas *in c. ad nostram 3. num. 4. de appellat.* Zœsius *in comment. ad decretal. h. t. num. 9.* Fagnanus *in d. c. recolentes 3. n. 5. h. t.* ubi addit, hanc sententiam ut veram, & communem approbâsse Rotam, & sacram Congregationem Concilii. Tum quia summus Pontifex sicut potest Religiosis strictiorem vitam indicere, quàm eorum regula exigat, ita à fortiori potest primævum ejus rigorem, & asperitatem mitigare, ut notat Fagnanus *in d. c. recolentes num. 8.* Potest etiam integer conventus, seu domus religiosa se ex toto transferre ad arctiorem ordinem ex licentia Episcopi, ut desumitur *ex d. c. recolentes.*

13 Verùm notat Fagnanus, nunc talem translationem non posse fieri sine authoritate sedis Apostolicæ: alioquin sicut posset unus conventus, ita etiam alius, imò & omnes, proinde integer ordo posset transire in alium sine licentia Papæ, quod non potest dici: alioquin sine facultate sedis Apostolicæ ordo religiosus supprimeretur. Quòd si in uno monasterio observantia regulæ esset laxata, posset tunc monasterium incorporari alteri ejusdem ordinis, in quo vigeret observantia regularis.

14 Innocentius III. *in c. quod Dei 5. h. t.* concessit Cononicis Regularibus, ut possint in ecclesiis parochialibus, seu curatis sæcularibus præfici, & etiam quòd possint morari in iisdem Ecclesiis, non tamen soli, sed cum aliis sociis ejusdem ordinis, quod privilegium etiam extenditur ad Monachos, qui spectato jure antiquo præfici Parochiis potuerunt ob prædicationis officium exercendum, curámque animarum, ut dicitur *in d. c. quod Dei.* Hoc tamen privilegium quoad Monachos fuit postea immutatum, non item quoad Canonicos Regulares, qui adhuc poterant præfici ecclesiis curatis, ut constat *ex d. c. quod Dei.* Sed jure novo hodie nec Monachi, nec Canonici Regulares, nec ulli alii Religiosi ad Ecclesias parochiales, vel alias curatas sæculares sine dispensatione Papæ possunt assumi, nec in perpetuum, nec ad tempus, idque ex decreto Gregorii XIII. relato à Congregatione Concilii apud Sanchez *lib. 7. moral. c. 39. num. 71.* Rursus hoc etiam interest discrimen inter Monachos, & Canonicos Regulares, quia illi si præficiantur parochiæ sæculari authoritate Pontificia debent secum habere socium ejusdem ordinis: secus Canonici Regulares etiam sine socio, si non possint commode illum habere præfici possunt parochiis, & in illis morari. Hodie verò Monachi, & Canonici Regulares non præficiuntur Ecclesiis curatis, nisi hæ incorporentur monasterio, quia tunc Parochus est obedientiarius, & ad nutum Abbatis amovibilis.

Porrò *in c. in singulis 6. h. t.* statuitur quòd 15
Capitulum provinciale Regularium debeat fieri in singulis triennis in uno monasterio ad id idoneo, & ut veniant Abbates, & Priores, qui Abbatem non habent, nec consueverunt celebrare tale capitulum, & ut singuli non ducant secum plus quàm sex equitaturas, & octo personas (salvo jure Episcopi in hoc) & qui non consueverunt facere capitulum, vocent duos Abbates Cistercienses pro consilio, & auxilio. Capitulum duret aliquot certis diebus secundùm morem Cisterciensium, in quo agatur de reformatione, & regulari observantia; & quæ in hisce comitiis sanciuntur diligenter serventur, provideántque de loco pro sequenti capitulo. Item ut convenientes ad capitulum vivant communiter cum omnibus expensis proportionaliter, & commorentur simul, vel plures simul in diversis domibus. Item ut eligant religiosas personas, quæ visitent singulas Abbatias Regni, & authoritate Apostolica etiam corrigant, & reforment: & si Rector esset amovendus, moneant Episcopum, qui si non illum amovet, moneant Papam. Statuitur etiam ut hoc idem servent Canonici Regulares, & si oriatur aliqua difficultas, deferatur ad sedem Apostolicam. Statuitur etiam, ut Diœcesani reforment monasteria sibi subjecta, & non sinant ea gravari à visitatoribus. Demum ut Episcopi, & alii qui præsunt Capitulis per censuras compescant magnates sæculares, & quoslibet, ne offendant monasteria in personis, aut rebus.

Præterea *in c. ea quæ 8. h. t.* Honorius III. 16
etiam decrevit pro statu Monachorum, ut Visitatores inquirant, & Monachos delinquentes faciant, ut corrigantur per Abbatem, & contumaces juxta qualitatem culpæ puniantur, ovémque morbidam ejiciant ab ovili. Quòd si Abbates in corrigendo secundùm mandatum visitatorum in se ipsis deprehendantur negligentes, in capitulo generali publicè puniantur. Rursus si Abbas non exemptus inveniatur nimis negligens, & remissus deferatur diœcesano loci, qui det coadjutorem usque ad Capitulum generale, & si fuit dilapidator illum amoveat sine strepitu judicii, ponátque administratorem idoneum usque ad Capitulum generale. Quòd si etiam Episcopus in hoc negligens erit; visitatores, vel præsides capituli generalis de hac negligentia Episcopi sedem Apostolicam moneant. Et quod faciunt Episcopi in non exemptos, agant etiam Visitatores, ac præsidentes Capituli generalis in exemptos, & solùm depositio reservetur Papæ: sed interim suspendantur appositis administratoribus. Rursus statuit, ut subsequentes Visitatores, & Abbates inquirant de præcedentibus, & annuntient Capitulo generali. Rursus ut in monasteriis Monachi, vel Abbates non recipiant clericos Regulares ad præbendas, & qui habent, non se immisceant in spiritua-

ſtualibus, & ſi ſint criminoſi puniantur à Viſitatoribus; & exempti ab Epiſcopis, & non exempti priventur ſuis beneficiis. Demum vult Pontifex, ut hæc omnia ſerventur in monaſteriis non habentibus Abbates, ſed Priores.

17 Quòd verò ad ſtatum Monialium attinet Bonifacius VIII. *in c. periculoſo unic. h. t. in 6.* ſtatuit, ne Moniales ſive implicitè, ſive explicitè profeſſæ egrediantur è monaſteriis, niſi conſtet eas laborare tali morbo evidenti, ut non poſſint cum aliis abſque gravi periculo, ſeu ſcandalo commorari. Rurſus ut nulli detur facultas egrediendi prædicta monaſteria, niſi ex rationabili, & manifeſta cauſa, & obtentâ licentiâ à ſuperiore, ad quem pertinet. Rurſus ut in monaſterio non mendicantium tot ſorores ſumantur, quæ ſine penuria poſſint ſuſtentari: & ſi ſecus fiat irritum habeatur. Item ut Abbatiſſa, vel Prioriſſa, quæ propter feudum tenetur juramentum præſtare fidelitatis alicui Principi, vel Domino ſæculari, ſi non poteſt illud præſtare per Procuratorem exeat cum honeſta ſocietate, & ſtatim poſt præſtitum juramentum revertatur in monaſterium: quòd ſi Domini ſint ſpirituales mandat Pontifex, ut Abbatiſſa juret per Procuratores. Rurſus ut Epiſcopi ſi opus fuerit compellant per cenſuras Dominos temporales, ut in ſuis tribunalibus, & curiis cauſæ Monialium tractentur per Procuratores, ut ſpirituales.

§. II.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an Monachus ſibi tantùm proponens ſervare regulam quoad ea, quæ ſub mortali tenetur, & non quoad alia, ſit in ſtatu peccati lethalis? Reſpondetur affirmativè: quia tale propoſitum continet contemptum ſaltem virtualem, & interpretativum regulæ, eò enim ipſo quòd Religioſus non vult ſe ſubjicere ſuæ regulæ, cenſetur eam contemnere, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. & qui ſibi proponit non ſervare regulam in iis, in quibus non obligat ſub lethali, non vult ſe ſubjicere regulæ quoad ea, in quibus ſub mortali non obligat, conſequenter quoad hanc partem illam contemnit. Firmatur, quia ſubjectio ad regulam conſiſtit in voluntate, qua Religioſus illam acceptat ut normã juxta quam debet dirigere, & conformare ſuas actiones: proinde propoſitum non ſervandi regulam quoad illam partem, qua non obligat ſub lethali, perinde eſt, ac ſecundùm eandem partem nolle ſe ſubjicere regulæ, proinde ſubtrahit voluntatẽ à ſubjectione regulæ, quia rejicit ſuam normam, juxta quam tenetur dirigere ſuas actiones: hæc autem rejectio normæ eſt virtualis, ac interpretativus contemptus, ut docet Abbas in *c. non conſcripſcentiam num.* 4. & 5. *de conſtit.* Felin. ibidem *n.* 11. *in fin.*

2 Præterea lethaliter peccat Religioſus, qui detrectat univerſaliter ſervare regulares obſervantias non obligantes ad lethale, quia hoc pacto infert grave damnum religioni: ita enim perturbat regularem obſervantiam, ut inde religio grave damnum patiatur: ſiquidem ſuo exemplo trahit alios ad relaxandam eandem regularem obſervantiam, adeo ut ſit cauſa, cur regularis diſciplina relaxetur, & ex tali relaxatione religio grave detrimentum patiatur: unde tale propoſitum etiam *virtualiter*, & interpretativè includit voluntatem inferendi grave damnum religioni, proinde non excuſatur à peccato lethali, ut notat Layman *lib.* 4. *Theolog. moral. tract. c.* 8. *num.* 9.

3 Neque obſtat, quòd quælibet tranſgreſſio regulæ non obligantis ſub mortali, non ſit peccatum mortale, ſed tantùm veniale; quia licèt id verũ ſit, nihilominus illa voluntas non ſervandi univerſaliter quascunque regulas non obligantes ad mortale habet pro objecto aliquid gravé determinans voluntatem ad peccatum lethale: ratio eſt, quia tametſi omnes illæ tranſgreſſiones ſingulatim, & ſeorſim ſumptæ ſint leves; conjunguntur tamen in propoſito voluntatis in unam materiam gravem; perinde ac plura furta levia ratione damni illati coaleſcunt in unam materiam gravem, quæ ſit objectum peccati mortalis. Tunc plures materiæ leves coaleſcunt in unam gravem, quando moraliter uniuntur; vel uniuntur earum effectus ab eis relicti, ut ſi quis die jejunii ſumat plures paucas materias, quæ ſimul ſunt materiæ graves, quia tunc uniuntur in ordine ad effectum nutriendi: & quando Religioſus ſibi proponit non ſervare omnes illas regulas, quæ non obligant ſub mortali; tunc materiæ illæ, licèt ſeorſim, & per ſe ſint leves; uniuntur tamen in unam materiam gravem in ordine ad univerſale propoſitum tranſgrediendi, quia non ſolùm tendunt ad eundem finem ex natura ſua relaxationis diſciplinæ regularis; verùm etiam continuantur invicem moraliter, tum in ratione damni, quod inferunt diſciplinæ regulari, tum in læſione regulæ, quæ inde cenſetur graviter læſa, dum læditur in omnibus obſervantiis, quæ non obligant ad mortale: unde tranſgreſſiones illæ, quæ per ſe, & ſeorſim ſunt peccatum tantùm veniale, unitæ tamen ratione propoſiti, & damni illati regulæ coaleſcunt in materiam gravem, quæ eſt objectum peccati lethalis.

4 Quæritur ſecundò, ad quid Monachus teneatur ratione voti caſtitatis emiſſi in ſolemni profeſſione? Reſpondetur, non ſolùm teneri ad abſtinendum à conjugio, ſed etiam ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſive interno, ſive externo, qui caſtitati adverſetur, adeo ut teneatur coërcere turpes cogitationes, delectationes moroſas, turpes tactus, impudicos aſpectus, & alia omnia, quæ caſtitatem labefactant. Rurſus hoc votum obligat ſub peccato lethali; adeo ut quidquid in ſæcularibus extra conjugium eſt peccatum mortiferum contra caſtitatem, in Religioſo ſit etiam ſacrilegium mortale; & quod in ſæcularibus eſt tantùm peccatum veniale, ſit in Religioſo ſacrilegium veniale, ut docet Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *q.* 4. *p.* 3. ratio eſt quia circumſtantia voti non immutat obligationem juris naturalis omnibus communem, ut actus venereus, qui ſeçluſo voto eſſet venialis, acce-

accedente voto fiat mortalis, ſed tantùm addit novam circumſtantiam ſacrilegii, ut docent plures: ſed ego cenſeo, in rebus venereis non dari parvitatem materiæ, ut definivit Clemens VIII. in officio S. Inqu. Imò hæc obligatio afficit etiam Religioſos tacitè profeſſos: ſiquidem votum caſtitatis non ſolùm poteſt emitti explicitè, ut fit in profeſſione expreſſa; ſed etiam implicitè quando Religioſus ea omnia præſtat, ac ſi eſſet profeſſus, quia tunc facit illa, quibus ſunt annexa tria vota, quæ emittuntur in ſolemni profeſſione, & hac ratione dicitur tacitè profiteri: proinde etiam ſpontaneè emittere votum caſtitatis, non quidem explicitè, ſed implicitè: conſequenter tenetur illud ſervare, non ſecus ac cæteri profeſſi, ut docent Canoniſtæ.

5 Quæritur tertiò, an & quomodo obliget votum caſtitatis emiſſum in profeſſione religioſa ſi hæc invalida fuerit? Reſpondetur cum Suarez *de relig. lib. 2. c. 10. num. 8.* cum diſtinctione, ſi profitens nil ſpecialiter tunc cogitet de caſtitate, ſed tantum ſimpliciter intendat emittere profeſſionem, tunc ſi hæc fuit invalida vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ nullam inducunt obligationem, quia ſunt irrita, & ac ſi non fuiſſent emiſſa: Quod enim non eſt, non poteſt obligationem inducere. Sin verò profitens habuit intentionem ſpecialem ſe obligandi ad caſtitatem, tunc licèt profeſſio fuerit nulla, adhuc votum caſtitatis eſt validum, non ut ſolemne, ſed ut privatum, & ſimplex; proinde qui taliter fuit profeſſus ratione voti caſtitatis, non contraxit inhabilitatem ad validè contrahendum matrimonium, quia hæc inhabilitas tantùm provenit ex voto ſolemni caſtitatis valido, cujusmodi eſt votum annexum religioſæ profeſſioni validæ. Ratio eſt, quia votum deſumit ſuam obligationem, ab intentione voventis, proinde non repugnat eum, qui emiſit profeſſionem religioſam invalidè, manere obligatum voto ſimplici caſtitatis, ſi privatim habuerit intentionem ita ſe obligandi etiam independenter à profeſſione religioſa. Hinc ſi hoc pacto voveus eſſet omnino certus de non conſummando matrimonio poſſet non ſolùm validè, ſed etiam licitè illud contrahere; ſed hæc certitudo haberi non poteſt niſi per divinam revelationem, quo pacto B. Virgo poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit: cæterum humanæ conjecturæ, & quæcunque promiſſiones, quæ fiunt ab altero conjuge de non conſummando matrimonio, non ſufficiunt ad licitè illud contrahendum. Tum quia ſi promiſſio ſit talis, ut per illam conjux renuntiet juri ſuo, tunc renuntiatio repugnat ſubſtantiæ matrimonii, ſi fiat ante ejus contractum: ſin autem ſit quæcunque alia aſſertio, non tollit jus petendi debitum conjugale, proinde non tollit obligationem illud reddendi, ut notat Suarez *tom. 3. de religion. lib. 9. c. 3. num. 11. & n. 4.* addit aliquos caſus, in quibus poſt votum ſimplex caſtitatis licitum eſſet matrimonium contrahere animo illud non conſummandi.

6 Quæritur quartò, quibus pœnis jure canonico ſit obnoxius Religioſus violans votum caſtitatis? Reſpondetur, ſubjici pluribus pœnis ex jure canonico juxta diverſitatem exceſſuum, qui committuntur contra votum caſtitatis. Primò ſi Religioſus fiat fornicarius, jure communi deponitur, & multò magis ſi fornicatio commiſſa ſit cum Moniali. Secundò ſi Virginem Deo ſacram carnaliter cognovit, deponitur & in carcerem detruditur. Tertiò ſi per vim eam ſtupraverit jure canonico in perpetuum carcerem detruditur. Quartò ſi committat adulterium perpetuò deponitur, & in monaſterium detruditur. Quintò ſi committat inceſtum etiam jure canonico in perpetuum deponitur. Sextò, ſi pœnitentem ſolicitet contra caſtitatem in confeſſione, vel prætextu illius, vel etiam in loco deputato ad audiendas confeſſiones, traditur Inquiſitoribus ſancti officii, ut ab iisdem puniatur juxta qualitatem exceſſus. Septimò ſi exercet peccatum ſodomiæ ex conſtitutione Pij V. privatur omni privilegio clericali, omni officio, & dignitate, & beneficio eccleſiaſtico, imò & degradatus per judicem eccleſiaſticum traditur poteſtati ſæculari puniendus pœnâ contra laicos taliter delinquentes ſtatuîâ. Octavò ſi poſt emiſſam profeſſionem matrimonium contrahat, excommunicationem ipſo facto incurrit, ut habetur in *clement. unic. de conſanguinit. & affin.* imò & ipſam irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ *ex c. Monach. 27. queſt. 1.*

7 Quæritur quintò, an violatio caſtitatis ſit cæteris paribus gravior in Religioſo profeſſo, quàm in ſacerdote ſæculari? Reſpondetur, eſſe graviorem in Religioſo profeſſo, quia reſpectu ſacerdotis ſæcularis talis violatio ſolum aggravatur ob ſanctitatem, & ſublimitatem perſonæ: reſpectu verò Religioſi profeſſi augetur intrinſecè in ratione prævaricationis voti caſtitatis, quod procul dubio eſt majus in Religioſo, quàm in ſacerdote ſæculari, ut notat Layman *lib. 1. tract. 2. c. 10. num. 4.* Et quamvis hoc augmentum non videatur adeo grave per ſe, nihilominus ſolet etiam habere adjunctum ſcandalum: magis enim ſæculares ſcandalizantur de Religioſo profeſſo, quàm de ſacerdote ſæculari. Tum quia Religioſus damnum infert toti Religioni, quæ non parum patitur damni ex peccato publico Religioſi. Peccata enim contra caſtitatem cedunt in damnum totius Religionis, etiam ſi probabiliter tantùm timeatur, quòd publicentur. Quòd ſi fuerint totaliter occulta, & nullus adſit probabilis timor, quòd publicentur, ac detegantur, tunc non ſunt contra bonum publicum Religionis, quia nulla tunc ſuppetit ratio, quâ poſſit conjici, talia peccata cedere in damnum commune Religionis, hinc de iis, quæ non ſunt, & quæ non apparent, idem eſt judicium: unde ſi talia peccata ſint occulta, & ſine periculo, quòd detegantur, perinde ſe habent quoad alios, ac ſi non eſſent, proinde non poſſunt bonum publicum labefactare, nec illi damnum inferrè.

8 Quæritur ſextò, an Religioſus violet caſtitatem, ſi delectetur de copula cogitata, cum fœmina ſi eſſet uxor, & matrimonium adeſſet? Reſpondetur eſſe peccatum lethale, & contra votum caſtitatis, quia delectari deliberatè in appe-

appetitu ſenſitivo de tali copula cogitata ſub conditione ſi eſſet uxor, eſt grave peccatum contra caſtitatem. Ratio eſt, quia cùm conditio appoſita non ſit in re, ſed tantùm apprehendatur mente, ideo talis delectatio eſt de objecto malo, ac illicito, conſequenter contrahit malitiam peccati lethalis: illa enim conditio, cùm non purificetur, nihil ponit in re: & interim delectatio ponitur abſolutè, & eſt præſens proinde contrahit malitiam peccati lethalis, ut docent Cajetanus *V. delectatio.* Navarrus *c. 16. n. 9.* Valentia 1. 2. *diſp. 6. q. 4. p. 4. §. nunc*, eo enim ipſo quòd delectatio eſt abſoluta, & præſens eſt quædam incohatio copulæ tunc illicitæ. Hinc ſi Religioſus habeat voluntatem efficacem fornicandi conditionatè, ſcilicet ſi fornicatio licita eſſet, violat caſtitatem, quia tametſi ea, quæ prohibentur jure poſitivo poſſint efficaciter deſiderari adjecta conditione ſi licita forent: hoc tamen fallit in iis, quæ ſunt intrinſecè mala, cujusmodi eſt fornicatio, quæ enim ſunt intrinſecè, & ex ſua natura mala, non poſſunt intelligi ſine ſua malitia, & tunc conditio adjecta implicat contradictionem: ſemel quòd voluntas deſiderio efficaci fertur in ſubſtantiam actus mali, malitia in eodem imbibita non poteſt ab illo ſeparari, proinde voluntas fertur in objectum illicitum, & peccat lethaliter. Secus in his, quæ prohibentur tantùm jure poſitivo, & non ſunt intrinſecè mala, per adjectam conditionem poteſt ab iisdem auferri malitia, & tunc conditio non implicat contradictionem, & poteſt quis optare ea non eſſe prohibita, & mala, quia id non eſt optare, quod Eccleſia prohibuit, ſed ſi non prohibuiſſet comedere carnes tempore quadrageſimæ, vellet Religioſus eas comedere.

9 Quæritur ſeptimò, an votum ſolemne caſtitatis poſſit diſpenſari? Reſpondetur tale votum pluribus modis eſſe diſpenſabile, nec obſtare *c. cùm ad monaſterium 6. h. t. in fin.* ubi dicitur, quòd Abbas non poſſit ſuper proprietate, nec in caſtitate diſpenſare, imò nec ſummus Pontifex: quia communiter Canoniſtæ explicant talem textum in ſenſu compoſito, nimirum, ut Religioſus remaneat Religioſus ex vi ſolemnis profeſſionis: cæterum ſi ſolvatur profeſſio illa emiſſa, poteſt Pontifex diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, quia poteſt ipſa ſolemnis profeſſio à Pontifice diſpenſari, conſequenter etiam votum ſolemne caſtitatis eidem annexum, idque per neceſſariam conſecutionem. Tum quia de facto Pontifices diſpenſârunt in voto ſolemni caſtitatis religioſæ cum Ramiro Monacho, & ſacerdote, cum Nicolao Juſtiniano Monacho, cum Conſtantia Wilhelmi Siciliæ Regis, quæ fuit monialis, & etiam aliis, qui virtute talis diſpenſationis inierunt matrimonium, filiósque procreârunt, ut refert Suarez, *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 16., 6.* ex Surio.

Quòd ſi petatur, quo jure poſſit diſpenſari
10 ſuper voto ſolemni caſtitatis religioſæ? Reſpondetur triplici jure, naturali, poſitivo, & Pontificio. Jure naturali ſi omnes ſæculares eſſent mortui, & tantùm ſupereſſent Monachi, & Moniales, tenerentur jure naturæ matrimonium inire, ne genus humanum periret, quia natura per ſe intendit conſervationem ſui in individuis propriæ ſpeciei. Jure poſitivo humano poteſt etiam votum ſolemne caſtitatis religioſæ diſpenſari; nimirum ſi vir conjugatus ex conſenſu uxoris emitteret profeſſionem in religione approbata manente in ſæculo uxore ſine voto caſtitatis, nec religionis; tunc enim ſi virum ſuum licèt profeſſum repeteret, eſſet illi reſtituendus ad uſum matrimonii, ut habetur *in c. Præterea 1. de convers. conjugat.* tunc enim ſaltem partialiter diſpenſatur in voto ſolemni caſtitatis diſpenſatione quaſi interpretativa facta in jure communi. Jure Pontificio, ſeu per poteſtatem Papæ poteſt etiam votum ſolemne caſtitatis religioſæ diſpenſari licitè, & validè ex juſta cauſa, quia hæc poteſtas videbatur expedire, & competere ſummo Pontifici ad Eccleſiæ regimen; nec credendum eſt, Chriſtum, qui ſuaviter omnia diſpoſuit, non plenè ſuæ Eccleſiæ conſuluiſſe, & hanc poteſtatem illi non dediſſe, quia Eccleſia deficeret in neceſſariis: ſiquidem in aliquo eventu expedit, ut talis poteſtas ſit in Eccleſia (ut ſi commune bonum alicujus Imperii, vel Regni exigeret hanc diſpenſationem) & ex alio capite ex conceſſione talis poteſtatis nullum ſequitur inconveniens, ut fusè probat Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 8. num. 6.* ergo hujusmodi poteſtas diſpenſandi ex juſta, & urgente cauſa ſuper voto ſolemni caſtitatis religioſæ convenit ſummo Pontifici. Firmari etiam poteſt ex eo, quia voluntas hominis ut politici, & ordinati ad commune bonum Reipublicæ ſubordinatur capiti in rebus ſpectantibus ad bonum commune politicum: hinc ob hanc ſubordinationem in voluntate Religioſi voventis ſolemnem caſtitatem includitur tacita conditio niſi caput totius Eccleſiæ, ſeu ſummus Pontifex ratione boni communitatis ſit relaxaturus hanc meam obligationem ratione voti, ut docent Azorius *to. 1. lib. 12. c. 7. q. 1.* Sanchez *lib. 8. de matr. diſp. 8. n. 6.* ubi refert pro utraque ſententia plures.

Quæritur octavò, quot modis poſſit ſuper 11
voto caſtitatis religioſæ diſpenſari? Reſpondetur ſex modis. Primò non auferendo omnino ipſum votum, nec ſtatum Religionis, nec vinculum profeſſionis. Secundò quatenus diſpenſatur ſuper ipſa profeſſione ſolemni, ad quam conſecutivè habetur diſpenſatio in voto caſtitatis. Tertiò ſi diſpenſetur in ſolo uſu matrimonii, eò quia vinculum jam ſupponatur contractum (ut ſi ambo conjuges poſt conſummationem matrimonii ex mutuo conſenſu profiteantur religionem.) Quartò ſi diſpenſetur ſimul in vinculo, & uſu matrimonii, nimirum ut matrimonium iterum contrahi, & conſummari poſſit ſub ea conditione, ut eo non obſtante perſona diſpenſata maneat in reliquis obligata ad caſtitatem, & inhabilis ad quodcunque aliud matrimonium contrahendum in quocunque eventu. Quintò ſi diſpenſetur ſolùm quoad contrahendum licitè, & validè matrimonium, ſine licentia, tamen illud conſummandi. Sextò ſi diſpenſetur in voto caſtitatis, non quidem ad matrimonium contrahendum, & conſumman-

dum, sed solùm ut taliter dispensatus si peccet in materia venerea, non sit transgressor voti. Non tamen Episcopus potest dispensare in voto solemni religiosæ castitatis, quia hæc dispensatio est generaliter prohibita Episcopis, & generalis clausula non comprehendit casus speciales, in quibus superior vero similiter non concederet dispensationem: hæc potestas dispensandi in voto solemni castitatis secundùm præsentem statum, & usum Ecclesiæ est perquàm specialis, & non legimus, Papam eam concessisse inferioribus Prælatis: unde non adest sufficiens fundamentum interpretandi per Epikiam, talem potestatem in aliquo casu fuisse Episcopis concessam. Eatenus inferimus, Episcopos ratione urgentis necessitatis posse dispensare in voto simplici castitatis, & aliis similibus reservatis, quia antiqua consuetudo dispensandi in istis circumstantiis indicat, Papam ab initio non intendisse, vota illa simplicia in illis urgentibus circumstantiis reservare, vel saltem tacitè concessisse facultatem dispensandi super iisdem: hoc autem non infertur de dispensatione super voto solemni religiosæ castitatis.

11 Quæritur nonò, quæ justa causa requiratur, ut summus Pontifex validè, & licitè dispenset in solemni voto castitatis religiosæ? Respondetur, causam debere talem esse, ut concernat publicam utilitatem, adeo ut non sufficiat si sit tantùm in bonum privatum ipsius Religiosi, ut docet Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 10.* siquidem in voto solemni religiosæ castitatis, duo concurrunt, quorum primum est obligatio ad Deum, ac virtutem Religionis: secundum inhabilitas ad matrimonium: unde non potest licitè, nec validè dispensari in voto castitatis religiosæ quoad obligationem ad Deum nisi adsit justa causa: quia hæc obligatio ad Deum est de jure naturali, & divino, & ut docet D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.* dispensatio facta ab inferiore in lege superioris est illicita, & invalida, si fiat sine justa, & rationabili causa: est verò illicita, sed valida, si fiat in lege propria, vel alterius inferioris. Quoad inhabilitatem ad matrimonium, quia hæc inhabilitas est inducta jure humano, potest validè dispensari, non tamen licitè, ut docet Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 9. c. 26. num. 5.*

13 Quòd igitur requiratur ad talem dispensationem justa causa, quæ concernat publicam utilitatem, & non sufficiat bonum privatum Religiosi, cui dispensatur, ex eo etiam probatur: quia non potest occurrere bonum privatum tanti momenti, quanti opus est, ut tanto malo, & scandalo publico valeat compensari, & quantũ ex matrimonio Religiosi sequeretur; & quod compenset tantum bonum, quantum est continentia Religiosorum. Præterea quia dedecet præferri bonum viri privati bono communi, & totius statûs religiosi, in cujus detrimentum vergeret hujusmodi dispensatio. Cæterum Religiosus dispensatus sine causa sufficienti ad contrahendum matrimonium, licitè potest illud contrahere, quia impedimentum juris humani per talem dispensationem fuit sublatum. Non tamen posset matrimonium licitè consummare, nec petere debitum, quia cùm votum castitatis jure divino, & naturali impediat usum matrimonii, & illo emisso obliget ad abstinendum à petitione debiti, & dispensatio quoad hoc fuerit invalida, eò quia facta sine justa causa, ideo frustratur suo effectu, ut notat Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 10.* & alii ab ipso relati. Hinc ut dispensatio sit valida, debent in ejus petitione exprimi ea omnia, quæ vel jure jubentur exprimi; vel talia sunt, ut iisdem expressis dispensatio vel simpliciter negaretur, vel concederetur tantùm cum aliqua moderatione: etenim nisi illa omnia exprimerentur, dispensatio esset subreptitia, & censeretur involuntaria, utpote proveniens ex errore versante circa causam finalem; & nihil est, quod magis tollat voluntarium, quàm ipse error.

Quæritur decimò, an votum obedientiæ sit 14
de essentia statûs Monachalis, & religiosi? Respondetur affirmativè cum D. Thoma *2. 2. q. 186. art. 8.* adeo ut non possit esse Religio, nec status monachalis sine voto obedientiæ, quod inter alia vota substantialia religionis Principem occupat locum; quo fit, ut in aliquibus religionibus professio emittatur cum solo voto obedientiæ, ut in Religione Carthusianorum, qui in professione tantùm promittunt stabilitatem, & obedientiam, & conversionem morum nulla facta mentione paupertatis, & castitatis, ut notant Lessius *lib. 2. c. 41. num. 6.* Miranda *tom. 1. manual. q. 26. art. 1.* Hinc probatur, votum obedientiæ esse de essentia status religiosi, & monachalis: quia de essentia talis status sunt tria vota substantialia Religionis, ut communiter docent Doctores cum D. Thoma *2. 2. q. 186. art. 3. & sequent.* & cum inter vota substantialia Religionis recenseatur etiam votum obedientiæ, nulli est dubium, quin sit de essentia statûs monachalis. Præterea status religionis consistit in quadam disciplina, seu exercitio virtutum, quo pervenitur ad perfectionem: sed qui, ut discipuli exercentur in aliqua facultate necesse habent, ut ab alio dirigantur, qui sit Magister in tali facultate: hæc autem directio sine obedientia in discipulo non posset haberi. Demum quia status monachalis est quoddam holocaustum, quo homo omnia sua Deo consecrat, etenim per paupertatem offert Deo bona externa, per castitatem proprium corpus: unde necesse est ut animam offerat per obedientiam, quatenus subjicit proprium judicium, & voluntatem in rebus agendis superiori propter Deum. Quinimò votum obedientiæ includit etiam alia duo vota, adeo ut qui illud solum emittit in religione approbata verè fiat Religiosus.

Quæritur undecimò, in quo consistat solemnitas voti religiosæ obedientiæ? Respondetur, in eo quòd emittatur cum certis cæremoniis, & solemnitatibus jure præscriptis conjunctim cum religosa professione, aliisque duobus votis solemnibus: habétque hunc effectum sibi omnino proprium, nempe subjicere ita voluntatem voventis Prælato (per traditionem absolutè perpetuam, & vinculum irrevocabile ex utraque parte Religiosi emittentis profes- 15

sionem,

ſionem, & religionis illam acceptantis) ut ſine conſenſu dicti Prælati voluntas Religioſi inefficax ſit ad omnem civilem, aut naturalem obligationem quoquo modo contrahendam, ut tradunt communiter doctores de votis Religioſorum; adeo ut poſſit ſuperior irritare obligationem Religioſi, ſi abſque ejus licentia, & conſenſu eam contraxerit.

16 Si dicas, ſolemnitatem voti obedientiæ debere potiùs conſiſtere in ipſa traditione, quâ Religioſus in ſolemni profeſſione ſe ipſum tradit Religioni, & hæc viciſſim traditionem acceptæ: ſiquidem impotentia, quæ reperitur in voluntate Religioſi ad firmiter ſe obligandū dependet à poteſtate dominativa acquiſita à Prælato in voluntatem Religioſi profitentis, non tamen ex vi ſimplicis promiſſionis factæ in voto obedientiæ; ſed ex vi traditionis, qua Religioſus ſe ipſum tradit Prælato, & Religioni. Contra eſt, quia illa traditio religioſa, quamvis firma, & quæ fit per votum obedientiæ, non habet ex ſolo jure naturæ, & abſque adminiculo juris canonici vim taliter ſubjiciendi voluntatem profeſſi voluntati Prælati, ut reddatur prorſus impotens ad validè, & firmiter ſe obligandum ſine conſenſu ſui Prælati: ſiquidem Eccleſia nunquam tribuit hanc vim irritandi obligationes, quas Religioſus contraxit ſoli voto obedientiæ edito ſeparatim à traditione; nec ſoli traditioni per ſe ſumptæ, ſed ut firmatæ per votum obedientiæ, imò & principaliter propter illud, quia efficacia ſubjiciendi voluntatem profeſſi in tali gradu, & ſolemnitas per Eccleſiam inducta in voto obedientiæ principaliter attribuitur ipſi voto, non verò traditioni; quæ tametſi firmata voto obedientiæ non habet ex ſolo jure naturæ vim reddendi inefficacem voluntatem voventis ad validè firmitérque ſe obligandum ſine conſenſu Prælati Regularis; ſed id habet potiùs ex jure eccleſiaſtico poſitivo, & canonico: ſiquidem traditio religioſa etiam cum voto obedientiæ non irritat naturales obligationes ipſo facto, & ex ſua natura, quia quamdiu non irritantur ſemper obligant.

17 Quæritur duodecimò, ad quid teneatur Monachus, vel Religioſus ex vi obedientiæ? Reſpondetur, teneri non agere contra regulam, nec contra mandatum ſuperioris ex contemptu, quia per votū obedientiæ Religioſus ſubjecit ſe regulæ, & potestati ſuperioris, proinde obligavit ſe generatim ad obſervantiam regulæ, & ad parendum ſuperiori præcipienti ea, quæ conſentanea ſunt regulæ; & in hac obligatione præcipuum eſt, ut Religioſus ratione voti obedientiæ non contemnat mandata ſuperioris, ſed ſemper retineat generale propoſitum iisdem ſe conformandi: ſiquidem contemptus evertit objectum formale obedientiæ, conſequenter ejus fundamentum: quapropter D. Thomas 2. 2. *q. 186. art. 9. ad* 1. docet Religioſum peccare lethaliter, ſi ex contemptu regulam, & mandata ſui ſuperioris transgreditur. Ille autem cenſetur ex contemptu transgredi regulam, qui contra illam agit non ex negligentia, vel cupiditate, ſed quia non vult ſe ſubjicere regulæ, nec ſuperiori præcipienti ejus obſervantiam. Directè etiam violat ex contemptu regulam, ſi ejus ordinationem, & mandata ſuperioris flocci facit, oſtenditque ſe nihili æſtimare juſſa ſuperioris, nec quæ à regula præſcribuntur: hic enim contemptus non excuſatur à culpa gravi ob gravem læſionem, quam infert regulæ, & ſuperiori. Cæterum Cajetanus *V. inobedientia* aſſerit, contemptum præcepti in re minima ob parvitatem materiæ non eſſe peccatum lethale.

Quæritur tertiodecimò, an & quomodo ſuperior Regularis poſſit præcipere ſub culpa gravi aliquid ſubdito? Reſpondetur, tunc Prælatum Religioſum præcipere ſub culpa gravi, quando præcipit in re gravi, in virtute ſanctæ obedientiæ, tunc enim tenetur ſubditus parêre Prælato præcipienti ſub culpa lethali: ratio eſt, quia tunc ſuperior ex more uſitato omnibus Religionibus intendit obligare ſubditum quantum poteſt, proinde ſub peccato mortali. Quòd ſi Prælatus non utatur tali forma præcipiendi in virtute ſanctæ obedientiæ, tunc non cenſetur velle obligare ſub peccato lethali, niſi id aliunde conjiciatur: obligat tamen tunc ſub veniali ſi aliquo modo mandet, quia tunc non intendit ſimpliciter conſulere, nec ſuadere, ſed præcipere, & obligare, quamvis non tantum, quantum poteſt. Præterea quia ipſa ratio diſciplinæ religioſæ exigit, ut inferior Religioſus ſuo obſequatur Prælato. 18

Quæritur quartodecimò, an Monachus, vel Religioſus teneatur ſemper parêre ſuo Prælato? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi Prælatus præcipiat, quæ conſentanea ſunt regulæ, teneri tunc Religioſum ei parêre: ſin verò præcipiat, quæ ſunt contra regulam, non tenetur illi obtemperare, niſi fortaſſis Prælatus eſſet talis, qui poſſet in illa parte diſpenſare regulæ, & ſubeſſet legitima cauſa præcipiendi contrarium, ut docet Cajetanus *q.* 104. *art.* 5. Quinimò ſi Prælatus præcipiat aliquid exorbitans à regula, & ſupra illam, non tenetur inferior ei parere, ut etiam ſi præcipiat laxiora, quàm regula præſcribat, niſi ſubſit juſta cauſa: quia Prælatus debet eſſe cuſtos regulæ, non author, nec habet poteſtatem obligandi ſubditos ad majora, quæ non continentur in regula: quævis enim religio ſuam habet menſuram vitæ, juxta quam Prælatus tenetur ſubditos perficere, adeo ut ejus poteſtas non ſe extendat ultra talem menſuram. Hinc D. Bernardus *lib.* 1. *de præcept. & diſpens. cal.* 1. rectè ait, *Prælati juſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra: nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi: vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate.* Tum quia Religioſus per ſolemnem profeſſionem, & ex vi voti non intendit ſe obligare, niſi ad obediendum ſecundùm illud inſtitutum, quod profitetur, ut cum D. Thoma *quodlib.* 10. *art.* 10. docent communiter: & votum non obligat niſi juxta intentionem voventis, adeo ut non ſe extendat latiùs, quàm ipſa intentio. 19

20 Quæritur quintodecimò, an in dubio Monachus teneatur parêre suo Prælato? Respondent aliqui, non teneri, eò quia nemo cum dubia conscientia teneatur operari, alioquin, se exponeret periculo peccandi; secundò quia in dubio semper melior est conditio possidentis, & subditus est in possessione suæ libertatis. Tertiò quia in dubio tenemur favere reo, & illi de cujus præjudicio agitur: Verùm procedendum est cum distinctione: vel dubium est de potestate, an scilicet præcipiens sit legitimus Prælatus, & cum tali dubio non tenetur parêre: quia tunc valet regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis: subditus enim est liber per se ab obedientia præcipientis, proinde non tenetur ei subjici, nisi moraliter constet, esse verum superiorem; alioquin nemo obligatur lege, de qua rationabiliter dubitat, an sit lex: quòd si communis præsumptio illi faveret, tunc habendus esset ut superior; proinde teneretur subditus illi parêre *argum. l. Barbarius ff de offic. Prætoris.* Vel constat de potestate præcipientis, sed dubitatur de materia, an licitum sit in tali materia ei parere; & tunc subditus non tenetur illi obtemperare; alioquin operaretur cum conscientia dubia, seque exponeret periculo peccandi. Vel consideratis omnibus circumstantiis, & principiis practicis potest subditus dubium deponere, & tunc tenetur illud deponere, & parêre superiori, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 6 in corp.*

21 Quòd subditus teneatur tunc dubium deponere ex eo liquet, quia tenetur considerare actum cum omnibus circumstantiis suis occurrentibus, cúmque expendere, non solùm secundùm principia intrinseca, & propria actui, sed etiam secundùm extrinseca, & communia, quòd si secundùm hæc appareat, esse licitum, tenetur dubium deponere, & Prælato præcipienti parêre: quia tunc dubium non perseveraret practicè, sed tantùm speculativè, nimirum consideratum in se, non verò ut circumvestitum circumstantiis hic, & nunc occurrentibus; circumstantiæ enim, quæ tunc occurrunt, constituunt, rem præceptam practicè licitam. Præterea quia superior est in possessione juris præcipiendi, & in dubio nemo debet privari suo jure, proinde tenetur subditus dubium deponere, & suo parêre Prælato præcipienti. Neque potest dici, quòd etiam subditus sit in possessione suæ libertatis, quia per votum obedientiæ se illâ abdicavit, séque totum superiori tradidit, qua propter non est tunc dicendus sui juris.

22 Quæritur sextodecimò, qualis debeat esse executio obedientiæ præscriptæ à Prælato religioso ipsi subdito? Respondetur, debere esse promptam, non moratam, integram, & perseverantem, & sine excusatione, quæ sit contra id, quod promissum est: hinc S. Basilius *in regul.* 110. ex brevioribus ait. *Si causam te habere aliquam putas, quam ob rem opus recusas hanc Magistris indicato, eámque illis disceptandam relinquito.* Præterea debet esse integra, & cum debita perseverantia, adeo ut totum quod præcipitur executioni mandetur nulla parte omissa: quia ut ait S. Bonaventura *de proceff. Relig. c. 28.* Bonus obediens aliud non expectat, ubi de superioris sibi constiterit voluntate: hinc D. Thomas *2. 2. q. 108. art. 5. ad 3.* distinguit in Religiosis duplicem obedientiam unam sufficientem, quæ respicit proprium præceptum, & aliam perfectam, quæ ordinatur etiam ad ea, quæ non præcipiuntur, & hæc pertinet ad cumulum perfectionis. Immo debet etiam obedientia esse voluntaria, ut sit omnino perfecta, eo enim ipso, quòd ex affectu Religiosus obsequitur Prælato præcipienti, promptè, & efficaciter, ac alacriter ei obtemperat, & ejus obedientia tunc est perfectior. Notat tamen Suarez *de relig. lib. 4. c. 14. num. 31.* aliud esse operari cum affectu ad rem, quæ præcipitur; & aliud ex affectu: primum enim dicit solam concomitantiam, proinde ex se non auget, nec minuit perfectionem obedientiæ, quia affectus qui non est causa actûs, per se non dat, nec tollit ab eo bonitatem: id tamen non obstat, quin per accidens talis affectus possit moraliter conferre ad perfectionem obedientiæ in quavis materia: quia quantum est ex se tollit impedimenta, & auget voluntarium in obediendo, saltem ex qua parte removet prohibens. Ex parte intellectûs debet etiam obedientia talis esse, ut Religiosus obtemperans superiori præcipienti consideret in eodem ipsum Deum; adeo ut obediat propter Deum, & quasi esset Deus, qui præciperet: proinde debet excludere omnem prudentiam carnis, nec debet examinare, cur superior hoc potiùs, quàm illud præcipiat, & cur potiùs uni, quàm alteri, quapropter religiosa obedientia à SS. PP. vocatur cæca, quatenus excludit proprium judicium, vitiosum, ac imperfectum, & sinit se duci à judicio superioris præcipientis.

23 Quæritur decimoseptimò, quo ordine teneatur Religiosus suis obedire Prælatis? Respondetur, esse parendum omnibus Prælatis religionis respectivè, & in unaquaque Religione cùm extent plures Prælati inter se subordinati, quilibet Religiosus tenetur omnibus iis parêre, sub quibus constitutus est servato respectu, & ordine inter illos, quia cùm eorum potestas, si propriè loquamur, una tantùm sit, non potest esse in multis, nisi cum ordine, dependentia, & subordinatione, alioquin sequeretur confusio, & perplexitas: quapropter obedientia, & subjectio non respicit æqualiter omnes, sed respectivè; adeo ut, quò unus est major, eò semper plus præferatur minori, ut docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 11. num. 6.* Cæterum quòd votum obedientiæ obliget ad parendum omnibus superioribus, non solùm liquet ex ipsa forma vivendi; sed etiam quia in illis omnibus est una, ac eadem potestas: adeo ut licèt materialiter sint plures superiores, formaliter tamen censentur esse quasi unus, cui Religiosus tenetur parêre: quòd verò hæc obligatio ad parendum sit respectiva, etiam ostenditur ex eo, quia obligatio ad alterum accommodatur potestati alterius.

24 Quæritur decimooctavò, an votum religiosæ obedientiæ obliget Religiosum transgressorem suæ regulæ, aliàs non obligantis in conscien-

tia

catia ad ſuſtinendam pœnam injunctam à ſuperiore pro tali transgreſſione? Reſpondetur cum Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 11. num. 16.* obligari Religioſum transgreſſorem ad ſubeundam pœnam ſibi injunctam à ſuperiore pro tali transgreſſione, adeo ut ſicut rectè notat Suarez, nulla detur propria regula religioſa, quæ non poſſit revocari ad aliquam obligationem in conſcientia; quatenus transgreſſor ſubjicitur pœnæ, ſeu diſciplinæ regulari, ad quam ſuſtinendam poteſt Religioſus obligari, & de facto obligatur: hic enim modus obligationis neceſſarius eſt in omni lege. Quamobrem ſi Religioſus, eò quia fuit transgreſſus regulam, compellatur pœnam ſuſtinere; ſicut tunc non poteſt in conſcientia reſiſtere, eò quia ad id obligetur ex vi regulæ; ita ad id etiam tenetur ratione voti obedientiæ, quia talis obligatio eſt apta materia illius.

25 Quæritur decimononò, ad quid Monachus, vel Religioſus teneatur ex voto paupertatis? Reſpondetur teneri ad plura. Primò ut nihil velit habere, poſſidere, vel uti tanquam proprium, ſcilicet affectu retinendi jure ſuo independenter à voluntate ſuperioris, & deſumitur *ex c. cùm ad monaſterium 6. h. t.* Secundò ut paratus ſit privare ſe poſſeſſione, & uſu omnium, quæ habet ſi ſuperior juſſerit, quia non poteſt hæc retinere, neque illis uti, neque pecunias expendere niſi dependenter à voluntate ſuperioris, alioquin foret proprietarius, ut deſumitur *ex d. c. cùm ad monaſterium.* Tertiò non poteſt quid dare, vel alienare niſi ex conſenſu expreſſo, vel tacito ſuperioris, ſine quo donatio eſt irrita. Quartò ſi Monachus ſit diſpenſator aliquarum rerum, non poteſt eas diſtribuere pro ſuo arbitrio, ſed tantùm ex conſenſu ſuperioris; adeo ut non det plura nec pauciora, nec meliora, aut deteriora, quàm ſciat ſuperiorem velle; quia ex qua parte recedit à conſenſu ſuperioris vitium incurrit proprietatis, quia tunc diſpenſat, tanquam dominus independenter ab alterius arbitrio. Quintò nec poteſt mutuò, vel commodatò quidquam ex iis, quæ ad uſum ipſi permiſſa ſunt dare alteri abſque facultate ſuperioris, quia Monachus habet tantùm nudum uſum facti, ut ait Nicolaus IV. *in extrav.* quæ incipit *exiit*, uſuarius enim non poteſt alteri uſum rei concedere; quia id eſt proprium uſufructuarii, non uſuarii *inſtit. de uſu, & habit. §. 1. & 2.* Verùm in rebus parvi momenti ſupponitur facultas tacita. Sextò non poteſt ab externis, vel domeſticis ſine ſuperioris conſenſu quidquam accipere, & retinere *d. c. cùm ad monaſterium §. ſi quidquam alicui.* Septimò nec poteſt ex rebus domi quidquam ſibi uſurpare ſine conſenſu ſuperioris, quia res domûs ſunt totius communitatis. Octavò nec poteſt quidquam abſcondere, ut illud liberæ diſpoſitioni ſuperioris ſubducat, & deſumitur *ex d. cap. cùm ad monaſterium.* Nonò non poteſt pecunias expendere in res illicitas, aut vanas, tametſi ſuperior id ei permitteret: quia canones non concedunt Regularibus adminiſtrationem niſi ad res neceſſarias, utiles, & honeſtas, & prohibent ad illicitas, & vanas, & ſuperior non poteſt quidquam contedere contra jura, nec habet majorem facultatem, quàm jura illi concedant. Decimò tenetur cavere, ne habeat ſuperflua ſaltem in notabili quantitate. Interdum tamen excuſatur inferior, ſi facultatem non petat à ſuperiore, ut ſi res urgeat, nec ſuperior præſto ſit, & aliàs concederet.

Quæritur vigeſimò, an ſi Monachus, vel 26
Religioſus per aliquot dies retineat apud ſe pecuniam, quam poſtea eſt ſoluturus peccet lethaliter? Reſpondetur negativè, præſertim ſi ſuperior annueret: quia tunc Monachus non ponit actum ullum, qui ſit contra votum paupertatis, ſi in diſpoſitione talis pecuniæ poſtea non violetur paupertas, ſed ſolùm interveniat illa retentio, quæ de ſe præſcindendo ab uſu, dominio, & proprietate non adverſatur voto paupertatis: quia tunc eſt tantùm actus quidam materialis, qui nondum contraxit formam paupertati contrariam. Neque obſtat, quòd ſe exponat periculo, quòd ſi talis pecunia apud ipſum reperiatur cenſeatur proprietarius. Nam non ſe exponeret tali periculo, quia poſſet oſtendere, ſe non habere dominium ſuper tali pecunia, nec propriam diſpoſitionem ſuper ea exercuiſſe.

Quæritur vigeſimoprimò, an Religioſus 27
exponens ludo cum alio Religioſo ejusdem monaſterii notabilem quantitatem pecuniæ peccet lethaliter? Reſpondetur, dupliciter poſſe conſiderari talem luſum. Primò quatenus eſt actio translativa dominii in ludo. Secundò quatenus eſt actio, quæ non eſt ſecundùm regulam, imò contra ipſam. Si conſideretur priori modo poſſet Religioſus à lethali excuſari, eo quia revera talis actio quantum eſt ex ſe, non eſt translativa dominii; proinde Religioſus non ponit actionem contra votum paupertatis, & quidem ratione ſubjectæ materiæ, quatenus exercetur inter perſonas, quæ non ſunt capaces dominii, proinde non poſſunt illud transferre: & rurſus communicant in eodem monaſterio, in quo ſemper pecuniæ manent, ſive ſint apud unum, ſive alterum Religioſum: non enim actio conſideranda eſt in abſtracto, ſed in concreto, quatenus hic, & nunc exercetur ab agente: proinde cenſetur facta eodem modo, quo à tali agente fieri poteſt, & ſecundùm menſuram facultatis ejusdem agentis, ut notant Covarruvias *lib. 3. variar. c. 6. num. 6.* Menochius *conſil. 1. n. 259.* & *lib. 1. præſumpt. 80. n. 11.*

Sin verò conſideretur luſus quatenus in mo- 28
naſterio eſt abuſus contrarius regulæ, tunc Religioſus non excuſatur à peccato mortali, ſi notabilem quantitatem pecuniæ exponat ludo: ratio eſt, quia uſus pecuniæ tantùm conceditur Religioſo, ut illam expendat in uſus condecentes ſtatum religioſum, ut ſunt libri, veſtes, & alia id genus: ludus autem reſpectu Religioſorum non eſt licitus, quando notabilis quantitas pecuniæ exponitur, quia tunc egreditur terminos honeſtatis, & virtutis; & quilibet Religioſus tenetur tendere ad perfectionem, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 186. art. 2. in corp.* & luſus egreditur terminos virtutis, quando non ordinatur ad honeſtam animi recreationem,

nem, cujusmodi est lusus, in quo exponitur notabilis quantitas pecuniæ, quia tunc non sistit intra terminos honestæ recreationis, sed ordinatur ad lucrum: proinde induit indecentiam respectu Religiosi addicti voto paupertatis. Hinc nec superior posset hanc licentiam concedere, ut Religiosus notabilem quantitatem pecuniæ exponat ludo, quia superior non est Dominus, sed administrator; proinde tenetur administrare secundùm mensuram præfixam in regulis, & constitutionibus, consequenter non potest concedere, ut pecunia convertatur in usus contrarios regulæ.

29 Quæritur vigesimosecundò, an Religiosus, vel Monachus post emissam professionem possit, citra læsionem paupertatis, recipere legatum sibi relictum ab amico, vel consanguineo, an verò cedat illi, in cujus favorem facta est renuntiatio. Quæstio procedit de professo in Religione capaci hæreditatis, & bonorum? Respondetur, posse professum tale legatum recipere, & renuntiationem ad illud non se extendere, sed tantùm comprehendere illa jura, & bona sibi obvenientia jure hæreditario, & ratione successionis, tanquam uni de tali familia *l. is qui hæres ff. de acquir. hæredit. & l. si ita scriptum. §. 1. ff. de leg. 2.* ubi dicitur, quòd futurum legatum sub conditione relictum non possit repudiari, antequam conditio extiterit, quia revera non debetur quoad effectum ante purificatam conditionem: ergo à fortiori nec poterit renuntiari legatum, quod nondum fuit relictum: quando enim Religiosus emisit professionem, legatum nondum fuit ipsi relictum, consequenter non potuit per solemnem professionem, nec ante illam eidem renuntiare, quia ipsi non debebatur: quod enim non habetur in re, nec in jure, non potest renuntiari: proinde tale legatum pertinet ad Religiosum, qui ex consensu superioris potest illo uti in usus honestos, & licitos.

30 Tum quia nemo censetur renuntiare juri suo, quod ignorat sibi competere, vel competiturum, *l. legitimam. ff. de petit. hæred. & l. in repudianda ff. de acquir. hæredit.* ut docent Tiraqual. *tract. de leg. connub. Glossa 6. num. 176.* Craveta *consil. 257. num. 2.* ubi etiam addit, quòd si renuntiationi adderetur juramentum, adhuc nihil operaretur: & Religiosus tempore professionis, & ante illam non potuit scire jus, quod sibi postea erat competiturum ad legatum sibi relictum ex benigna voluntate alterius. Tum quia renuntiatio juris futuri intelligitur de illo, quod habet causam de præsenti, non verò, quod non habet talem causam, quamvis verbis generalissimis fiat, ut notat Glossa in *l. quod Servius ff. de condit. ult. caus.* & *in l. qui cùm tutoribus V. ex hoc dicto §. de transact.* Paris. *consilio. 9. num. 1.* & *consil. 95. num. 39. vol. 3.* ubi addit, id valere quamvis renuntiatio esset juramento firmata, ut etiam docet Jason *in l. stipulatio ff. de V. O.* sed jus ad legatum futurum non habet causam de præsenti; quia dependet ab ultima voluntate legantis. Demum quia renuntiatio casuum fortuitorum generalis non est valida *l. sed, & si quis §. quæsitum ff. si quis caut.* talis enim renuntiatio esset contra naturam ipsius contractûs, qui debet esse de re determinata.

Quæritur vigesimotertiò, an Religiosus ex 31
pecunia, quam de consensu superioris potest liberè expendere, possit censum fundare; vel etiam certam summam dare amico, ut pro se post mortem tot missæ celebrentur? Respondetur, Religiosum ex tali pecunia non posse fundare censum, quia quidquid acquirit Monachus monasterio acquirit, ut habetur *in c. in præsentia de probat.* & docent Innocentius *in c. cùm olim. 2. num. 3. de privileg.* Molina *de justit. & jur. tract. 2. disp. 140. V. non solùm bona tom. 1.* sed cum primùm census fundaretur, acquireretur ipsi monasterio; proinde non esset ampliùs sub dispositione Religiosi, qui censum fundavit. Neque obstat, quòd census propriè non sint bona immobilia; quia eo ipso quòd fundantur super mobilibus æquiparantur bonis immobilibus, & censentur ejusdem juris, ut desumitur *ex element. exjui. §. cumque annui redit. de V. S.* ut notant Tiraquel. *de retract. lign. §. 1. Glossa 6. num. 6.* Anchar. *in d. §. cumque annui. num. 21.* proinde continentur sub prohibitione alienationis immobilium; & si alienentur, requiruntur necessariò solemnitates in jure expressæ pro alienatione immobilium, ut docent Tiraquel. *de retract. §. 1. Glossa 6. num. 6.* Roland. *consil. 54 num. 9. lib. 1.* Rodean. *de reb. eccles. non alien. q. 17. num. 30.* Hinc nec Religiosus potest censum fundatum subjicere oneri missarum, quia id continet quandam alienationis speciem. Tum quia Religiosus adhuc vivens disponeret de tali pecunia, licèt causâ mortis, quatenus dispositio non sortiretur effectum nisi post mortem: id autem perinde esset ac disponere per modum ultimæ voluntatis, quod Religiosis non permittitur *authent. ingressi C. de SS. Eccles. & c. 2. de testam.* ut communiter docent Doctores: siquidem disponere per modum ultimæ voluntatis, dicit exercitium dominii, cujus Religiosus non est capax. Dices, Religiosum adhuc viventem potuisse talem pecuniam convertisse in celebrationem missarum. Respondetur, id verum esse, sed non oriri ex qualitate operis, missas illas mortis causâ sibi relinquere, sed ex incapacitate dominii: quando enim quis disponit de aliquo per modum ultimæ voluntatis exercet dominium, quod supponitur habere super re illa, de qua disponit, & Religiosus est incapax talis dominii, proinde non potest de censu illo fundato disponere per modum ultimæ voluntatis in ordine etiam ad opus pium, & spirituale, ut notant Abbas *in Rubric. de testam. in fin.* Peregrinus *consil. 53. num. 10. vol. 2.* Grasius *p. 2. decis. lib. 3. c. 10. num. 85.* Secus vivens potest Religiosus uti tali pecunia in opus pium, quia tunc utitur tantùm pecunia sibi concessa quoad usum; & non exeret actum ullum dominii sicut quando disponit per modum ultimæ voluntatis, unde patet discrimen.

Quæritur vigesimoquartò, an votum pau- 32
pertatis religiosæ possit dispensari? Respondetur affirmativè, quia ipsa professio solemnis emissa

miſſa à Religioſo poteſt diſpenſari á ſummo Pontifice; conſequenter ipſum votum paupertatis religioſæ, quia ſublato principali tollitur acceſſorium; & ablato toto, tollitur etiam pars: votum autem paupertatis, ut pars includitur in ſolemni profeſſione, proinde ſi diſpenſatio poteſt cadere ſupra profeſſionem, utique etiam ſuper votum paupertatis, ut docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. c. 19. num. 1.* Imo Sotus *lib. 10. de juſtit. q. 5. art. 7.* aſſerit, faciliùs poſſe diſpenſari in voto paupertatis, quàm caſtitatis, & obedientiæ. Rurſus duobus modis poteſt in voto paupertatis religioſæ diſpenſari. Primò ſi diſpenſatio cadat ſupra totam profeſſionem, quia tunc unà cum toto, etiam ejus pars diſpenſatur. Secundò ſi diſpenſatio tantùm cadat ſuper votum paupertatis perſeverantibus aliis duobus votis, & hoc pacto diſpenſare ſuper votum paupertatis perinde eſt, ac diſpenſare cum Religioſo manente Religioſo, ut ſit capax dominii. Verùm communior, ac verior Iuriſtarum doctrina aſſerit, non poſſe Papam diſpenſare ſuper votum paupertatis religioſæ cum religioſo manente religioſo, & deſumitur *ex c. cum ad monaſterium 6. h. t.* ubi dicitur quod abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis, adeo ſit annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Et Canoniſtæ communiter aſſerunt, Papam ibi loqui in ſenſu compoſito, ſcilicet non poſſe diſpenſare in voto ſolemni paupertatis cum religioſo manente religioſo, eò quia tale votum ſit de eſſentia ſtatus religioſi; & ſublato conſtitutivo tollitur conſtitutum: ſicut eſſentia hominis eſt animal rationale, & ſi aliquod ex his duobus prædicatis tolleretur, corrueret eſſentia hominis: ita quia eſſentia ſtatûs religioſi ſunt illa tria vota, ſi unum ex ipſis tollatur, corruit eſſentia talis ſtatûs, & Religioſus diſpenſatus à tali voto non poteſt ampliùs dici Religioſus.

33 Nihilominus contraria ſententia quam defendit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. c. 18. n. 1.* videtur etiam probabilis, quia incapacitas dominii, quæ religioſo profeſſo ineſt, non eſt effectus juris divini, aut naturalis ex vi ſolius voti, ſed eſt effectus juris politivi, & Pontifex poteſt diſpenſare in jure poſitivo canonico, proinde etiam in hac dominii incapacitate.

34 Quæritur vigeſimoquintò, an diſpenſari poſſit in voto religioſæ paupertatis, ſi juſta cauſa non adſit? Reſpondetur validè tantùm poſſe à ſummo Pontifice, non verò licitè: quia in tali diſpenſatione tollitur tantùm jus humanum, non verò ulla voti obligatio: ſiquidem non obſtante tali diſpenſatione, adhuc Religioſus non poſſet licitè acceptare dominium alicujus rei, quia poteſt quis eſſe capax dominii, & tamen prohiberi, ne illud habeat, ut liquet in voto paupertatis ſimplici, & omnino abſoluto. Quòd verò talis diſpenſatio tunc valida foret, ſed illicita patet; quia legislator etiam ſine cauſa poteſt validè diſpenſare in ſua lege, non tamen licitè: quia Princeps eximens aliquem ſine cauſa ab obligatione legis communis facit inæqualitatem, & committit vitium acceptionis perſonarum, & aliis dat occaſionem excitandi querelas: validè tamen diſpenſat, quia per voluntatem Principis lex conſtituitur; & ex illa integrè dependet ejus obligatio: proinde ſi Princeps eximat aliquos ab obligatione reliquis manentibus obligatis, illi tantùm erunt exempti, non alii. Quòd ſi juſta cauſa ſubſit, validè, & licitè diſpenſatur Religioſus à voto paupertatis.

35 Quæritur vigeſimoſextò, an votum religioſæ paupertatis laxari poſſit per conſuetudinem legitimè introductam. Nomine conſuetudinis intelligitur frequens uſus, ut ſumitur *ex c. 1. de conſtit. in 6.* & eſt idem ac factum: unde conſuetudo juxta præſens inſtitutum eſt ille uſus, quem unaquæq; religio circa danda, & recipienda habet ſine expreſſa licentia ſuperioris. Inducitur autem hæc conſuetudo excuſans à peccato contra votum paupertatis in communiori ſententia, per hoc quòd accipiatur, & retineatur non petitâ expreſſâ ſuperioris licentiâ ipſo ſciente, & non contradicente: quia tunc præſumitur adeſſe licentia tacitè, & voluntas ſuperioris ſufficienter explicata per conſuetudinem illam receptam in ea Religione, ut notant Sanchez *lib. 7. moral. c. 19. num. 7.* Bonacina *de largit. munerum p. 6. num. 15.* Quamvis in monaſteriis rectè ordinatis, & in quibus viget monachalis obſervantia nondum ſit introducta hæc conſuetudo; in aliis tamen videtur introducta, & in illis Religioſi non cenſentur lethaliter peccare contra votum paupertatis, ſi pecunia in majore quantitate utantur ad uſus licitos, quapropter per conſuetudinem legitimè introductam poteſt votum paupertatis in monaſteriis laxari. Quantum verò temporis requiratur ad inducendam talem conſuetudinem Suarez *lib. 7. de legib. c. 8. num. 9.* cenſet ſufficere, ſi conſuetudo illa, ſeu uſus in monaſterio perſeveret per decennium: ratio eſt, quia jura ad inducendam conſuetudinem tantùm requirunt longum tempus: & decennium in jure reputatur longum tempus *l. ult. C. de præſcript. long. temp. §. 1. inſtitut. de uſucap.*

36 Alii tamen cenſent, nullum tempus eſſe determinatum ad inducendam conſuetudinem, ſed arbitrio prudentis viri id eſſe penſandum, qui pro negotii qualitate, & pluralitate actionum poteſt tempus magis contrahere, vel extendere. Cùm verò communior ſententia aſſerat requiri, quòd conſuetudo per decennium perſeveret, ideo frequentia actuum debet etiam durare per decennium: quia conſuetudo, quæ ratione conſuetudinis habet vim legis, debet eſſe longæva, ac legitimè præſcripta; proinde actus inducentes conſuetudinem debent frequentari per tempus, quod in jure dicitur longævum, quod tempus eſt decennium *d. l. ult. C. de præſcript. long. temp. §. 1. inſtit. de uſucap.* Præterea tales actus debent ex ſe non ſolùm eſſe voluntarii illis, qui inducturi ſunt conſuetudinem, ſed etiam externi, & manifeſti majori parti communitatis introducentis talem conſuetudinem, ut notat Palaus *tract. 3. diſp. 1. p. 2. §. 3. numer. 11.*

37 Quæritur vigeſimoſeptimò, quando præſumi poſſit probabiliter, quòd introducta ſit conſuetudo excuſans à peccato contra votum paupertatis

pertatis? Reſpondetur tunc poſſe præſumi quando conſtat, eam paſſim practicari à Religioſis piis, & timoratis, idque ſcientibus, & non contradicentibus Prælatis, cùm facilè poſſent contradicere, ut docet Baſilius de leone *in l. de quibus ff. de leg.* quia quod ab omnibus fit, rectè fieri præſumitur. Poſſunt enim Prælati non contradicere, ſi inde monaſterium majori malo ſubjiceretur; vel indigerent in communi, nec poſſet providere ſubditis, tunc enim Prælatus poſſet concedere Religioſis, ut ex peculiis, quæ habent in depoſito emant neceſſaria ad uſum communem. Cæterum quando conſuetudo non ſolùm eſt legi contraria, verùm etiam à lege prohibita, tunc in dubio præſumendum eſt pro lege, quia tunc reprobatio conſuetudinis eſt certa, & non poteſt vinci ab honeſtate dubia, ut eſt conſuetudo dubia. Peccant tamen Religioſi inducentes talem conſuetudinem cum primùm eam inducunt, & antea non erat inducta, ut notat Suarez *lib. 7. de leg. c. 18. num. 24.* quia Religioſi non poſſunt excuſari à peccato contra votum paupertatis, niſi ob conſuetudinem legitimè inductam: & quando nondum erat inducta, & primùm cœpit induci, non erat conſuetudo; proinde non potuerunt ab ipſa excuſari, conſequenter peccarunt lethaliter: conſuetudine verò ſemel inductâ alii Religioſi ab illa excuſantur, ne lethaliter peccent contra votum paupertatis.

TITULUS XXXVI.

De Religioſis domibus, ut Epiſcopo ſunt ſubjectæ.

POſtquam Pontifex egiſſet in ſuperioribus titulis de Monachis, & Religioſis, ſeu de illorum ingreſſu, & profeſſione in religione, déque ſtatu, regulis, ac inſtitutis vitæ monaſticæ, ac religioſæ, congruè hìc adjicit titulum de domibus, monaſteriis aliisque piis locis, cujusmodi ſunt Hoſpitalia, Xenodochia, quæ pietatis exercendæ cauſâ conſtructa fuerunt, adeò ut generalis ſit hic titulus de omnibus illis locis, quæ ad cultum religionis devotio Chriſtianorum erexit: ſive ea parata ſint ad uſum orationis, ut Baſilicæ, Oratoria, Monaſteria; ſive hoſpitibus, & infirmis ſuſcipiendis, ſi ſint in ditione, & poteſtate Epiſcopi, in cujus diœceſi conſtiſtunt. Agitur de hac materia etiam in ſexto, ſeptimo, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ continentur in hoc titulo.

C. *NUNC AUTEM 1. h.t. declarat Gregorius Papa, quòd ſi conſecranda ſit aliqua Eccleſia poſita inter duos Epiſcopatus, & dubitetur, quis Epiſcopus debeat conſecrare, ille debeat conſecrare, ad quem incolæ loci concurrebant pro Baptismo, & Confirmatione annuatim, antequam Eccleſia ædificaretur, quia diœceſes non definiuntur terminis, ſed collatione horum duorum Sacramentorum. Ex quo textu liquet, per collationem ſpiritualem probari, cui Eccleſia ſubſit, vel populus, & non per limites locorum: quòd intelligitur, ubi limites certas parochias non diſtingunt: ſecus enim ſi diſtinguant, & non ſit præſcriptio contraria, unde quando nova Eccleſia ædificatur, ejus conſecratio pertinet ad illum Epiſcopum, in cujus diœceſi ſita eſt, & in qua populus accipit duo Sacramenta baptismi, & confirmationis, quæ per conſignationem intelliguntur in hoc textu.*

C. *QUIA 2. h.t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi Papa uniat unam Eccleſiam, quæ eſt in una diœceſi, monaſterio, quod eſt in altera, jurisdictio talis Eccleſiæ maneat penes Epiſcopum primæ diœceſis, quia Pontifex ſemper intendit jura ſua ſingulis Epiſcopis inviolata ſervare ſine præjudicio.*

C. *DE XENODOCHIIS 3. h.t. ex decretis Eugenii Papæ ſtatuitur, ut Xenodochia, & alia pia loca ordinentur ab Epiſcopo loci, in quo ſunt, ad finem, ad quem ſunt inſtituta. Idque jure novo ſtatuitur etiam in Tridentino ſeſſ. 25. de refor. c. 1. Hinc notat Gloſſa, monaſteria, & alia pia loca de jure communi pertinere ad Epiſcopum, niſi oſtendatur exemptio.*

C. *AD HÆC 4. h.t. Urbanus III. reſcribit, locum deſtinatum authoritate Epiſcopi ad uſum hoſpitalitatis, & pauperum non eſſe deſtinandum mundanis uſibus, eò quia ſit locus religioſus, & id procedere etiam de veſtibus ſacris, vaſis, & aliis utenſilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis. Ex quo textu liquet, quòd hoſpitale non erectum, aut approbatum authoritate Epiſcopi, tametſi non ſit hac ratione locus religioſus, eſt tamen locus pius, & ſubeſt authoritati Eccleſiæ, & ſimiliter gaudet privilegiis piæ cauſæ, eò quia pietatis cauſa fuerit inſtitutum: hinc Tridentinum ſeſſ. 25. de refor. jubet, Epiſcopum invigilare hoſpitalibus, ſive aliis piis locis ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, Pauperumque pium uſum præcipuè inſtitutis, & ut expreſſum in fundatione obſerventur.*

C. *INTER QUATUOR 5. h.t. reſcribit Innocentius III. monaſteria eſſe ordinanda per regulares,*

gulares, & non posse transferri ad clericos sæculares, nisi deficientibus Regularibus. Hinc notat Glossa, Episcopum in Ecclesia regulari non posse ponere Canonicos sæculares, nec prebendarios c. ea quæ de statu Monach. *sed saltem esse ponendos homines Regulares strictioris observantiæ.* c. relatum ne clerici, vel Monachi. *Quòd si non possint haberi, tunc ponuntur sæculares, ut in hoc textu.*

℣. *CONSTITUTUS* 6. *h. t. Idem Pont. refert, Episcopum concedentem alicui monasterio jura Episcopalia alicujus Ecclesiæ, & etiam omne temporale, & retinentem sibi aliquam pensionem, seu censum, non esse simoniacum, & Ecclesiam sitam in diœcesi Episcopi debere solvere censum Episcopo: ex quo textu colligitur, Episcopum posse eximere aliquam Ecclesiam in totum, vel in partem à jure Episcopali, dummodo accedat confirmatio Papæ, ut appareat in hoc textu: & hanc confirmationem præsumi transacto triennio censet Tiraquel.* de præscript. §. 1. Glossa 4. *Pensio verò, quam Episcopus sibi reservat, facilè excusatur à simonia: quia non constituitur intuitu juris spiritualis, sed annexi commodi temporalis, quod exemptus inde consequitur.*

℣. *CUM VENERABILIS* 7. *h. t. rescribit idem Pont. Episcopum petentem aliquam Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus ad se pertinere, si probet, eam esse in sua diœcesi eo ipso obtinere spiritualia, si Ecclesia non appareat exempta: sin autem non probet pro temporalibus, vel probet per instrumentum corrosum, & suspectum, tunc succumbere pro temporalibus. Notandum est, hanc rasuram tunc esse suspectam, quando est in annotatione diei, & anni. Quòd si aliqua linea fuerit recèns addita, tunc habetur præsumptio falsitatis.*

℣. *CUM DILECTUS* 8. *h. t. Idem Pont. declarat, monasterium esse subjectum Episcopo Diœcesis, in qua est situm, nisi probetur exemptum, saltem per legitimam præscriptionem. Rursus excommunicationem, suspensionem, & interdictum latum in exemptos, vel post appellationem non ligare. Rursus si Abbas circumventus præstet obedientiam Episcopo sine consensu fratrum declarat Pontifex, factum Abbatis non tenere, si Monachi erant exempti. Ubi notat Glossa, duas exemptiones contrarias non posse aliquem simul proponere excipiendo, ut privilegium, & præscriptionem.*

℣. *NON NIMIA* 9. *h. t. prohibet Pontifex in Concilio Generali Lateranensi, ne quis de cætero novam inveniat religionem, ne inducatur confusio in Ecclesia Dei; & si quis velit esse religiosus, debeat ingredi unam ex approbatis. Rursus probibet, ne unus Abbas præsideat duobus monasteriis, nec unus Monachus locum habeat in diversis. Demum statuit, ut qui vult fundare novam domum religionis, debeat sumere regulam, & institutionem de approbatis. Ex quo textu apparet, nimiam religionum multitudinem facilè confusionem parere in Ecclesia, proinde ad instituendam novam religionem requiri authoritatem Pontificis, eò quia sit res ardua: licèt ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. approbare, & confirmare regulares Monachorum, & Religiosorum pertinuerit ad Episcopos, aliosque Ordinarios Prælatos. Non tamen sub hac prohibitione comprehenditur status honestus vivendi sine votis religionis substantialibus: ut si plures clerici sæculares vellent simul honestè vivere in aliqua domo, & quidem in communi. Cæterum ex hoc textu liquet, de jure nullum posse præfici diversis ecclesiis sæcularibus* c. de multa *nec simul habere prebendam, & dignitatem.*

IN SEXTO.

℣. *RELIGIONUM unic. h. t. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi confirmat statutum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & districtiùs inhibet, ne quis novum ordinem, vel religionem inveniat, vel habitum novum religionis assumat: & revocantur omnes ordines, & religiones mendicantium facta post Concilium Lateranense sub Innocentio III. sine facultate sedis Apostolicæ. Rursus statuit, ut illi ordines mendicantium confirmati post dictum Concilium, qui non possunt per regulam habere reditus, nec possessiones, non recipiant imposterum aliquos ad professionem, nec de novo domum, vel aliquem locum acquirant, nec acquisita, possint alienare, & illis extinctis sedes Apostolica disponat de bonis temporalibus, & quæ ad illos ordines pertinebant, & declarat irritum quicquid in contrarium fiat: & contrafacientes anathemate percutit. Imò statuit, ut personæ talium ordinum non possint predicare, audire confessiones, vel sepelire, & concedit, ut predicti Religiosi possint transire ad alios ordines. Verùm hæc constitutio non comprehendit quatuor ordines mendicantium, ut sunt Prædicatores, Franciscani, Augustiniani, & Carmelitæ, sed tantùm constitutio procedit de ordinibus adinventis post dictum Concilium sine approbatione sedis Apostolicæ.*

IN SEPTIMO.

℣. *CUM SICUT* 1. *h. t. Pius IV. eximit Monasteria, & pia loca ab onere hospitandi milites, & id probibet sub pœna duorum millium Ducatorum auri, camera Apostolicæ ipso facto applicandorũ, & aliis ad arbitrium Pontificis; nisi, si duces, & capitanei, aliique officiales sub quovis quæsito colore, causa, ingenio, seu pretextu distribuerint milites in monasteriis, cœnobiis, domibus, & aliis ecclesiasticis, ac piis locis.*

℣. *DUM AD UBERES* 2. *h. t. Idem Pont. indulget Religiosis mendicantibus, ut eorum cœnobia, monasteria, & prædia sint exempta à collectis, subsidiis, & hospitiis militum, adeo ut illorum monasteria, conventus, Ecclesia, capella, oratoria, & alia loca, etiam munita, ac membra, & dependentia, nec non terræ cultæ, & incultæ, possessiones, prædia agri, & alia omnia, & singula, mobilia, & immobilia, & se moventia, & ubilibet, & in quibuscunque rebus consistentia bona, nec non eorum in dictis bonis laboratores, coloni, arrendatarii, locatarij, officiarii, & negotiorum suorum gestores universi*

quomodolibet nuncupati nunc, & pro tempore existentes in perpetuum eximantur ab omnibus, & singulis exactionibus tam urbanis, quàm rusticis, nec non datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus, & oneribus ordinariis, vel extraordinariis, & tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis, etiam subsidio triennali.

C. *INTER MULTIPLICES* 3. *h. t. Leo X. in Concilio Lateranensi declarat, montes Pietatis Christiana charitate erectos, & authoritate Apostolica approbatos, ac confirmatos, & ab usurario fœnore alienos esse licitos.*

C. *REGULARIUM PERSONARUM* 4. *h. t. Pius V ex Concilio Tridentino revocat omnes licentias antea concessas mulieribus ingrediendi monasteria, & domos Carthusiensium, & aliorum quorumcunque Regularium ordinum, etiam mendicantium, & cujuscunque sint status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, ac praeminentia pradita fuerint, tametsi sint Comitissa, Marchionissa, Ducissa, & sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis efficacioribus, & insolitis clausulis fuerint prefata licentia concessa.*

C. *UBI GRATIÆ* 5. *h. t. Gregorius XIII. ex Concilio Tridentino probibet, ne ulli liceat ingredi monasteria Religiosarum, cujuscunque sexus, conditionis, aut etatis fuerit sine licentia Episcopi, aut superioris in scriptis obtenta, quæ nisi non concederitur nisi urgente gravi necessitate, ut inde consuleret sanctimonialium quieti & tranquillitati, & abolet omnes, & quascunque licentias ac facultates ingrediendi monasteria domus, & loca monialium, ac etiam virorum quorumvis ordinum, quibusvis etiam comitissis, Marchionissis, Ducissis. & aliis cujuscunque status, & conditionis mulieribus concessas.*

IN CLEMENTINIS.

C. *CUM DE* 1. *h. t. Clemens V. districtè probibet, ne mulieres sub pœna excommunicationis lata sententia assumant statum Beguinarum, & anathemate percutit Religiosos ad hoc eas inducentes. Declarat tamen Pontifex, posse devotas mulieres pœnitentiam agere in propriis hospitiis cum spiritu humilitatis, licet moderatè. Unde Pontifex non intendit prohibere, quin fideles aliqua mulieres possint, si velint, in suis propriis hospitiis pœnitentiam agere, & Deo servire.*

C. *QUIA CONTINGIT* 2. *h. t. mandat idem Pont. ut hi, ad quos de jure vel de statuto fundationis locorum, vel de authoritate Papæ pertinet, studeant reformare hospitalia secundùm fundationem eorum: & occupata, deperdita & indebitè alienata faciant, ut reducantur ad statum debitum, & inserviant pro receptione, & sustentatione miserabilium, & ad id etiam compellant Rectores, si ipsi fuerint negligentes, vel deficiant: tunc enim mandat Pontifex, ut Episcopi per se vel per alios exequi faciant predicta etiam in exemptos, tanquam delegati sedis Apostolica, non tamen quoad alia, si fiat prajudicium exemptis. Rursus mandat, ut per censuram ecclesiasticam, & aliis remediis compescant contradictores, & prabentes eis auxilium, & consilium. Rursus prohibet ne hospitale detur in beneficium alicui clerico non obstante quacunque consuetudine, nisi aliter in fundatione fuerit constitutum, & Rector esset eligendus per electionem; sed hospitalis gubernatio debeat tunc dari personis idoneis, quæ curent, ut tutores conficiant inventaria, & singulis annis debeant rationes reddere Ordinariis, vel aliis quibus hac loca subsunt, vel deputandis ab iisdem, & quicquid secus est attentatum careat omni robore, & sit irritum. Hæc tamen non extendantur ad hospitalia Religiosorum, & ordinum militiarum: mandat enim Pontifex, ut eorum Rectores provideant eis secundùm instituta ordinum, & antiquas observationes. Demum mandat, ut in predictis hospitalibus quoad altaria, cœmeterium, administrationem Sacramentorum serventur antiqua consuetudines. Ex hoc textu notat Glossa, solum Papam posse convertere ad alium usum ea, quæ sunt donata, vel relicta à fidelibus ad unum usum.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. *SANCTA unic. h. t. probibet Pontifex sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne quis sequatur statum sive sectam, & ritum assumptum, vel de novo assumere præsumat eorum, qui vulgariter vocantur fraticelli, seu fratres de paupere vita Beguini, qui ad litteram fingebat se observare regulam S. Francisci, tametsi sub obedientia ordinis Minorum non viverent ex pretenso privilegio Cœlestini V. vel renuntiatione Episcoporum, aut aliorum Prælatorum, vel denique sub velamine tertii ordinis S. Francisci. Et statuit Papa, ut Episcopi, vel alii superiores, qui sine licentia Papæ concedunt predictum vivendi ritum, & habitum, incurrant ipso facto excommunicationem.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *RATIO unic. h. t. declarat Pont. ut fœmine Beguine honestæ, quæ in suis, vel parentum vel conductitiis domibus simul habitantes honestè vivunt, obedientes Ordinariis, & Parochis sine scandalo, & errore non comprehendantur in* c. 1. Clement. *& Episcopi non debeant eas molestare, mandat tamen ut invigilent super eas.*

(o)

COM-

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

Cuinam Religiosorum domus iure canonico subiiciantur.

1 DOmus religiosæ non solùm dicuntur monasteria, in quibus Religiosi professi habitant, sed etiam Nosocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, leprosaria, & alia similia; imò in laxa significatione nomine religiosæ domûs comprehenduntur etiam Ecclesiæ, templa, ædes, sacella, quæ ad cultum Dei ritè sunt dedicata: strictiùs tamen & ut ad præsens pertinet institutum, religiosæ domus dicuntur monasteria, & collegia Religiosorum, ut etiam hospitalia authoritate Episcopi erecta; cujusmodi sunt Xenodochia, in quibus peregrini, vel pauperes suscipiuntur, & gratis aluntur; Nosocomia, in quibus ægroti sustentantur, & curantur; Orphanotrophia, in quibus pueri, & puellæ educantur, ut etiam confraternitates, & collegia, ac loca pia ad exercenda opera pietatis authoritate Episcopi instituta. Oratoria verò privata, & quæcunque alia loca ad pios usus instituta, & constructa sine authoritate Episcopi non dicuntur loca religiosa, neque gaudent immunitate ecclesiastica, nec aliis privilegiis locorum piorum, & possunt pro arbitrio constituentium destrui, ut notant Tuschus *V. hospitalia conclus. 158.* Barb. *de offic. Episc. p. 4. allegat. 75. à num. 25. ad 32.* Mihi tamen placet quod docet Pasqualig. in Lauret. de Franc. *de controvers. inter Episc & Regul. in addit. p. 1. num. 461.* scilicet monasterium, tametsi sine licentia Episcopi ædificatum, non posse pro arbitrio destrui, eò quia censeatur jam Deo dicatum, cùm enim fuerit constructum in honorem Dei, ac ipsi dedicatum, est Deo jus acquisitum, propterea non potest à viro laico licèt fundatore ampliùs destrui.

2 Certum est, omnes Ecclesias parochiales, eisque annexas filiales, & capellas, subjectas esse Episcopo, intra cujus diœcesin constructæ sunt; adeo ut Episcopus habeat fundatam intentionem super omnibus episcopalibus juribus quoad spiritualia: nisi fortâssis Ecclesia speciali jure præscriptionis, vel apostolici privilegii ostendatur exempta, seu subtracta à jurisdictione Episcopi, ut desumitur *ex c. omnes basilica 10. caus. 16. q. 7. c. olim 18.* juncta Glossa *V. præscriptione munitam; & c. cum venerabilis 7. h. t.* ubi statuitur, quòd Episcopus petens aliquam Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus ad se pertinere, si probet, illam esse in sua diœcesi, eo ipso obtineat spiritualia, si non appareat exempta: si non probat pro temporalibus, vel probat per instrumentum corrosum, & suspectum succumbit pro temporalibus. Hinc apparet discrimen inter jurisdictionem circa spiritualia, & temporalia, illam enim acquirit Episcopus eo ipso, quòd probat Ecclesiam sitam esse in sua diœcesi, & non esse exemptam: secus jurisdictionem circa bona temporalia non acquirit Episcopus, nisi probet illam ad se pertinere; adeo ut bona temporalia Ecclesiæ cujusmodi sunt fructus, & proventus, non possit sibi arrogare, neque de iisdem disponere, aut in proprios usus convertere, nisi legitimè probaverit, hujusmodi bona temporalia ad se pertinere. Neque ad probandum rei dominium sufficit, si locans rem illam alteri locaverit *l. si quis 25. C. de locat. c. inter 6. §. per instrumenta de fidei instrum.* siquidem etiam conductor potest alteri rem alienam locare; tametsi res locata quoad dominium non pertineat ad ipsum. Rursus si probatio fiat per instrumentum, in quo sit rasura in loco suspecto, fides instrumento non adhibetur, neque tunc habetur pro legitima probatione *c. inter dilectos 6. §. sed contra de fide instrum.*

3 Immò non solùm Ecclesiæ sæculares, verùm etiam Ecclesiæ, & monasteria Regularium, & Religiosorum subjiciuntur Episcopo, in cujus diœcesi constructa sunt, nisi probentur exempta, vel per privilegium pontificium, vel per præscriptionem, & desumitur *ex c. cùm dilectus 8. h. t.* ubi statuitur, quòd monasterium sit subjectum Episcopo in diœcesi, cujus est situm, nisi per legitimam præscriptionem probetur exemptum à jurisdictione Episcopi. Statuitur etiam quòd excommunicatio, suspensio, interdictum lata in exemptos, vel post appellationem non ligant. Item si Abbas circumventus præstet obedientiam Episcopo sine consensu fratrum, non tenet, si Monachi erant exempti. Ubi juvat adnotare, posse jura Episcopalia universaliter peti, nec esse necesse, illa in specie exprimere in libello actionis; est enim actio universalis, perinde ac petitio hæreditatis *l. 1. & sequent. ff. de petit. hared.* ut si quis petat jura Episcopalia in hac Ecclesia sibi debita, vel petat Ecclesiam cum suis spiritualibus juribus, eò quia sit in Diœcesi Episcopi petentis.

4 Rursus potest Episcopus Ecclesiæ sitæ intra suam diœcesin concedere privilegiũ exemptionis ab omnibus juribus episcopalibus, præsertim si summus Pontifex ex certa scientia id confirmet, ut notat Abbas *in c. constitutus 6. h. t. num. 10.* Imò si Episcopus alicui concedat exemptionem à juribus Episcopalibus, vel etiam jurisdictionem Ecclesiasticam, potest aliquem annuum censum sibi reservare absque nota simoniæ, & desumitur *ex d. c. constitutus 6. h. t.* ubi statuitur, quòd Episcopus concedens alicui monasterio jura Episcopalia alicujus Ecclesiæ, imò etiam omne temporale, si retineat sibi aliquam pensionem, seu censum, non est simoniacus; & Ecclesia si sit in Diœcesi Episcopi, tenetur solvere censum eidem Episcopo: ratio est, quia tunc Episcopus non accipit pensionem, vel censum tanquam pretium, nec in compensatio-

nem conceſſæ exemptionis,aut datæ jurisdictionis ſpiritualis,quod foret ſimoniacum: ſed tantùm in ſignum præteritæ ſubjectionis,&in recognitionem ſuſcepti beneficii,ut liquet *ex d. c. conſtitutus 6. h. t.* non tamen penſio debet eſſe magna,& in notabili quantitate, quia tunc Epiſcopus cenſeretur potiùs penſionem illam accipere in recompenſationem jurium ſpiritualium remiſſorum, quod ſine dubio redoleret ſimoniam *argum. c. & ſi 18. de ſimonia.*

5 Sin verò dubium oriatur de ipſa Eccleſia,in quánam ſita ſit Diœceſi, tunc cenſetur ſubjici illi Epiſcopo, qui antequam Eccleſia illa ædificaretur exercuit jurisdictionem ſpiritualem, & jura epiſcopalia in loci illius incolas,ut ſtatuitur *in c. nunc autem 1. h. t.* ubi Gregorius Papa ait, quòd quando eſt conſecranda Eccleſia poſita inter duos Epiſcopatus, & dubitatur quis Epiſcopus debeat illam conſecrare; ille Epiſcopus conſecrabit,ad quem antequam Eccleſia ædificaretur loci incolæ concurrebant pro Baptismo, & Conſignatione annuatim : quia diœceſes non definiuntur terminis, ut proprietate locorum, ſed collatione horum duorum Sacramentorum; ubi Gloſſa notat, per collationem ſpiritualium probari, cui ſubſit Eccleſia, vel populus, & non per limites locorum , ubi limes certas parochias non diſtinguit: ſecus tamen eſſet,ſi diſtingueret, & non eſt præſcriptio contraria. Ratio aſſertionis eſt,quia in dubio præſumptio ſtat pro poſſeſſore, & ipſi jus competit;& onus probandi proprietatem incumbit adverſario *argu. c. ad ſedem 15. & c. ſæpe 18. de reſtit. ſpol.* Abbas in *d. c. nunc autem 1. num. 2. h. t.*

6 Si quis autem poſſeſſionem acquirat unius jurisdictionalis articuli exercendo aliquem actum ratione ordinarii officii , quod gerit, eo ipſo cenſendus eſt acquirere univerſalem poſſeſſionem totius jurisdictionis,ſeu poſſeſſionem aliorum ſimilium pertinentium ad idem officium; niſi fortaſſis alius ſit in poſſeſſione quoad alios articulos *argum. c. auditis 15. de præſcript.* & docet Innocentius *in d. c. nunc autem 1. h. t.* eo enim ipſo quòd conſtat,Epiſcopum in certo loco exercuiſſe jurisdictionem epiſcopalem conferendo illa duo Sacramenta baptismi , & confirmationis, cenſetur acquiſiviſſe poſſeſſionem in eodem loco omnium jurium Epiſcopalium:ſecus ſi Epiſcopus unum tantùm actum jurisdictionis exerceat in hoſpitali, inde non poteſt inferri, quòd abſolutè ille locus ſit religioſus,& Epiſcopo ſubjectus,etiam quoad alia jura epiſcopalia,ſi in illis non ſubjiciebatur epiſcopo; ſed jurisdictioni ſæculari: ſiquidem dantur plura hoſpitalia, quæ propriè non accenſentur locis religioſis; & tunc in illis non plus præſcribitur ab Epiſcopo,quàm probetur,ipſum poſſediſſe:non ita dicendum de Eccleſia,quæ cum ſit locus ſacer non ſubjicitur jurisdictioni ſæculari, ſed Epiſcopo, vel Prælato eccleſiaſtico,quo fit ut præſumptio ſit pro eo, qui in illa Eccleſia unum tantùm,vel alterum jurisdictionis epiſcopalis articulum exercuit, tametſi quo ad alia jura nil probari poſſit: quia locus ſacer debet neceſſariò ſubjici alicui Prælato, & quia jura epiſcopalia ſunt connexa, ubi unum exercetur, præſumuntur cætera poſſe itidem exerceri.

7 Regulariter pertinet ad Epiſcopum providere,ne hoſpitalia, & alia loca pia authoritate Epiſcopi erecta in ſua diœceſi , ad alios uſus convertantur, quàm ad quos fidelium liberalitate, & authoritate Epiſcopi fuerunt deſtinata: tenetur itidem providere,ne res eorundem locorum diſſipentur, & ne in beneficium cuiquam ſæculari Clerico concedantur ; niſi fortaſſis in eorum fundatione fuerit aliter conſtitutum: ſed regimen eorundem committi debet viris providis, piis, ac timoratæ conſcientiæ,qui inſtar tutorum , & curatorum juramentum præſtent,& repertorium,ſeu inventarium bonorum exiſtentium inſtituant; & Ordinariis, vel aliis quibus talia loca ſubſunt quot annis ſuæ adminiſtrationis rationes reddant,ut habetur *in clem. c. quia contingit h. t.* ubi ſtatuitur, ut hi ad quos de jure, vel ſtatuto fundationis, locorum, vel de authoritate Papæ pertinet, cujusmodi ſunt collatores, ſtudeant reformare hoſpitalia ſecundùm eorum fundationem; & occupata,deperdita, alienata indebitè faciant reduci ad ſtatum debitum, & ut inſerviant pro receptione, & ſuſtentatione miſerabilium; & ad hoc compellant Rectores,& ſi ipſi fuerint negligentes, vel deficiant; tunc Epiſcopi per ſe, vel per alios exequi faciant prædicta etiam in exemptos veluti delegati ſedis Apoſtolicæ : non tamen quoad alia facto præjudicio exemptis iisdem. Rurſus contradictores, & præbentes eis auxilium, & conſilium ſunt compeſcendi per cenſuras eccleſiaſticas cum aliis remediis.

8 Rurſus ſtatuitur etiam, ne hoſpitale detur in beneficium alicui clerico, non obſtante quacunque conſuetudine, niſi aliter in fundatione fuerit conſtitutum; & Rector eſſet eligendus per electionem: ſed eorum regimen injungitur dari perſonis idoneis, quæ curent, ut tutores conficiant inventaria, & ſingulis annis reddant rationem Ordinariis, vel aliis,quibus hæc loca ſubſunt, vel deputandis ab eis; & ſi quid ſecus eſt attentatum nullum ſortitur valorem, carétque omni robore. Hæc autem non extenduntur ad hoſpitalia Religioſorum, Ordinúmque militiarum, ſed eorum Rectores tenentur providere illis ſecundùm Ordinum inſtituta,& antiquas obſervantias,& ad id poſſunt adigi ſuperiores non obſtante quacunque conſuetudine. Rurſus in prædictis hoſpitalibus quoad altaria, cœmeterium,adminiſtrationem Sacramentorum ſervandæ ſunt antiquæ conſuetudines.

9 Hinc ſolus ſummus Pontifex,ut notat Gloſſa,poteſt convertere in alium uſum ea,quæ à fidelibus donata ſunt, vel relicta ad unum uſum. Nec Concilium Tridentinum quoad hoc quidquam novi videtur ſtatuiſſe. Hæc tamen procedunt , dummodo talia loca pia non probentur exempta privilegio, vel præſcriptione quadraginta annorum, ut ſtatuitur *in c. dilectus 8. h. t.* Præterea ſi privilegio aliquo ſint exempta, quia tale privilegium derogat juri communi eſt ſtrictè accipiendum *c. ult. in fin. de fil. Presb. in 6.* Hinc ſi Eccleſiæ parochiales, vel capellæ ſubjiciantur alicui monaſterio exempto,non tamen ipſæ parochiæ , & capellæ cenſendæ ſunt exemptæ,ut deſumitur *ex c. nunc autem 1.* & *c.*

ex ore 17. *de privileg.* niſi fortâſſis per legitimam præſcriptionem derogatum fuerit juribus Epiſcopalibus.

10 Quod verò ad viſitationem locorum piorum, quæ à laicis reguntur, attinet; Concilium Tridentinum tribuit Epiſcopis facultatem viſitandi hoſpitalia, & alia pia loca, non tamen prohibet, quin etiam judices ſæculares poſſint illa viſitare, ſi hoc ipſis jam legitimè conceſſum fuerat: quinimò Epiſcopus non habet poteſtatem viſitandi hoſpitalia, & confraternitates, quæ à laicis reguntur, niſi in caſibus à jure communi permiſſis, adeo ut hæc poteſtas non extendatur ad hoſpitalia, nec alia ſimilia loca absque authoritate Epiſcopi erecta, ſi adhuc fundator ſit ſuperſtes: quia propriè non dicuntur loca religioſa, ſed omninò ſubſunt diſpoſitioni ipſius fundatoris, non ita tamen, ut ſi ſemel Deo dedicata fuerint, poſſint pro arbitrio fundatoris deſtrui, quia per dedicationē illam factam Deo jus eſt Deo acquiſitum quoad exiſtentiam locorum: & Epiſcopus poſt mortem fundatoris poteſt illa viſitare, & examinare, quomodo ſatisfiat ordinationi fundatoris defuncti: poteſt etiam inſpicere computus, & adminiſtrationem Rectorum, idque virtute decreti Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *c.* 8. ubi ſtatuitur, ut adminiſtratores tum eccleſiaſtici, tum laici fabricæ cujusvis hoſpitalis, confraternitatis, vel alterius loci pii, quot annis teneantur rationes adminiſtrationis reddere Ordinario, niſi ſecus ſtatuatur in fundatione; ut ſi in ea cautum ſit, ne Epiſcopus ſe viſitationi, vel rationibus immiſceat, debet id ſervari, ut notat Zerola *p.* 1. *V. hoſpitale* §. 3.

11 Neque tunc obſtat, quòd ſint loca pia, & religioſa, quia relinquenda ſunt prout à fundatore fuerunt inſtituta, quoad verò confraternitates laicorum regendas, vel viſitandas extat inſignis conſtitutio Clementis VIII. emanata die 24. Decembris 1604. quam refert Piaſſecius *p.* 2. *c.* 3. *art.* 5. *num.* 12. ubi ſtatuitur, ne ullæ ejusmodi confraternitates erigantur; niſi de conſenſu Ordinarii loci, & ut confratrum conſtituta examinentur, approbentur, & corrigantur: indulgentias concedendas priùs cognoſcat, & promulgandas concernat: eleemoſynas, & collectas non niſi arbitrio, & conſenſu ejusdem Ordinarii in pios uſus confratres erogent: demum ut confeſſarii confraternitatis ab Ordinario approbentur, & hi nec à caſibus reſervatis poſſint abſolvere.

12 Præterea incumbit etiam Epiſcopo invigilare, ac providere, ne hoſpitalium, aliorúmque locorum ſimilium adminiſtratio uni, & eidem ultra triennium committatur, niſi aliter cautum ſit in fundatione, ut decrevit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 8. Demum curare debet Epiſcopus, ut res, & bona hoſpitalis, vel alterius loci pii ad eos uſus pios applicentur, ad quos à fidelibus fuerunt deſtinata, ut habetur *in c. de Xenodochiis* 3. *h. t.* & non poteſt Epiſcopus quidquam ſibi vendicare, & appropriare ex hiſce locis piis ultra id quod jure conceſſum eſt *c. quia cognovimus* 6. *cauſ.* 10. *q.* 3. *c. conquerente* 16. *de offic. jud. ordin.*

13 Hoc tamen intereſt diſcrimen inter hoſpitale pium, quod publica Epiſcopi authoritate fundatum eſt, & inter hoſpitale conſtructum privata tantùm authoritate: ſiquidem prius non poteſt ampliùs in profanos uſus converti; ſecus ſecundum, ſi nondum fuerit Deo dedicatum, ut deſumitur *ex c. ad hoc* 4. ubi Urbanus III. decrevit quòd locus deſtinatus authoritate Epiſcopi ad uſum hoſpitalitatis, & pauperum non debeat deputari mundanis uſibus; quia eſt Religioſus; ſicut nec veſtes, vaſa, & alia utenſilia ad cultum Religionis per Pontificem duputata, ubi Gloſſa notat, quòd privatus non faciat locum ſacrum, ſed ad id requiratur authoritas Pontificis: unde ſi locus fundatus privata authoritate nondum fuerit Deo dicatus, poteſt etiam privata authoritate deſtrui, & in alium uſum converti *c. mancipia de ver. permut. c. ſeq. c. ligna c. veſtimenta de conſec.* ſin autem locus privata authoritate erectus, fuerit à fundatore Deo dedicatus, cenſerem non poſſe ampliùs etiam pro arbitrio fundatoris deſtrui, nec in uſus profanos converti, quia per talem dedicationem fuit ſpeciale jus Deo acquiſitum: & quamvis jure civili eo ipſo, quòd corpus alicujus hominis mortui in aliquem certum locum velatum eſt, & in illo ſepultum manet, locus ille ſacer fiat, ac religioſus *l.* 2. *C. de Relig. & ſumpt. fun.* non ita tamen eſt jure canonico, quia ex ejusdem juris præſcripto nullus locus cenſendus eſt ſacer, aut religioſus, niſi publica Epiſcopi authoritate ad pios uſus fuerit deputatus, ut notat Gloſſa *in c. eccleſiaſtico* 14. *V. ſi terram cauſa* 12. *q.* 2. Azorius *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 3. *q.* 2.

14 Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 8. *de refor.* Epiſcopi habent jus viſitandi omnia hoſpitalia authoritate Epiſcopi erecta, & collegia quæcunque, ut etiam confraternitates laicorum, & ſcholas, aliáque loca pia intra eorum Diœceſin ſita, tametſi exempta ſint, & eorum cura, ſeu adminiſtratio ad laicos pertineat, non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemoriali, privilegio, vel ſtatuto, imò poſſunt etiam ſingulis annis rationes ab illorum adminiſtratoribus exigere ſive eccleſiaſtici fuerint, ſive laici, ſublatis quibuscunque conſuetudinibus, & privilegiis in contrarium. Non tamen per hanc facultatem à Concilio conceſſam Epiſcopis prohibentur Judices, & Domini ſæculares viſitare eadem loca pia, ſi adminiſtratio, & jus viſitandi illis legitimè competat, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii apud Joannem Gallemart *c.* 8. *num.* 2.

15 Excipiuntur tamen illa hoſpitalia, loca pia, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, quia hæc non poſſunt ab Epiſcopo viſitari ſine eorundem licentia, ut ſtatuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 8. Excipitur etiam niſi in fundatione cautum ſit, ut hoſpitale, vel locus pius non ſubſit Epiſcopo, quia ſervandum eſt ſtatutum fundationis, ut etiam declaravit Concil. Trid. *in d. ſeſſ.* 22. *c.* 9. Ut etiam excipiuntur hoſpitalia ordinum militarium, & aliorum Religioſorum: hæc enim non poſſunt ab Epiſcopo viſitari, nec à Regularibus exigi rationes adminiſtrationis, ut habetur *in clement.* 2. §. *præmiſſa. h. t.* Neque ſubſunt viſitationi Epiſcopi hoſpitalia, quæ privata

autheritate ſine conſenſu Epiſcopi fuerunt erecta, quia tunc non habetur locus ſacer, quia perſona privata non poteſt conſtituere locum ſacrum, cùm non ſit perſona ſacra. Mortuo tamen fundatore, quia talia loca ſunt pia, & cauſâ pietatis exercendæ in pauperes conſtructa, pertinet ad Epiſcopum illa viſitare, & curare, ut pia defuncti fundatoris voluntas executioni mandetur, ut habetur *in authent. de eccles. titul. §. ſi quis autem pro redempt. collat. 9.* Abbas *in c. de Xenodochiis 3. n. 3. b. 1.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an Epiſcopi ſuis ſtatutis ſynodalibus, ſi hæc confirmata fuerint à Pontifice, obligent Regulares degentes in ſuis Diœceſibus? Reſpondetur negativè, quia Regulares ſunt exempti ut notant Suarez *lib. 4. de legib. c. 20. num. 8.* Riccius *tom. 4. reſolut. 379.* Zanardus *p. 1. direct. præcept. 4. c. 12. in fin.* ſiquidem lex non extenditur ad exemptos, quia non egreditur terminos jurisdictionis ipſius Legislatoris: proinde Epiſcopi ſuis ſtatutis ſynodalibus non obligant Regulares exemptos; tametſi ſtatuta confirmata ſint à ſummo Pontifice: quia eo ipſo quòd ſtatuta ſynodalia ex natura ſua non ſe extendunt ad Regulares exemptos, ut habetur *in c. nimis prava de exceſſib. Prælator.* ubi prohibentur Epiſcopi adigere Regulares ſubjacere ſuis ſtatutis *ex c. cum Epiſcopus de offic. Ordinar. in 6.* confirmatio Pontificia non tribuit hujusmodi ſtatutis, ut ſe extendant ad Regulares exemptos: quia confirmatio tantùm corroborat conſtitutionem confirmatam, & ſupplet in eadem defectus, ſi qui ſint, non verò ampliat, vel dat aliquid, quod ante confirmationem non erat in eadem expreſſum: confirmatio enim tantum operatur, quantum diſponit confirmatum, quod relinquit in ſuo ſtatu, & intra ſuos limites *l. Aurelius §. teſtamento ff. de liber. legat. c. ſuæ §. cum igitur de confir. util. vel inutil.* & docent Bald. *in l. dominationes in fin C. de appellat.* Menochius *conſil. 704. num. 36.* Decius *in l. More num. 34. ff. de jurisd. om. judic. & in rubric. de confir. util. vel inutil.*

2 Tum quia Canones eximunt Regulares à jurisdictione Epiſcoporum, adeo ut quoad effectus jurisdictionis cenſeantur extra Diœceſin *c. luminoſo 18. q. 2. argum. ex c. unic. §. & quoniam de Regul. in 6. c. 1. de privileg. in 6.* Sunt enim Regulares alterius communitatis, & in alio ordine, ac ſtatu, in quo diriguntur juxta ſuas peculiares conſtitutiones approbatas à ſede Apoſtolica: proinde ſtatuta ſynodalia Epiſcopi nequeunt ad ipſos ſe extendere: ſunt enim ſtatuta ſynodalia actus jurisdictionis, qui non extenduntur extra ſphæram talis jurisdictionis, nec ad aliam communitatem, cujus Epiſcopus non ſit caput: & Epiſcopus non eſt caput Regularium, quia iſti immediatè ſubjiciuntur ſummo Pontifici: unde ſicut Epiſcopus quoad vim directivam non poteſt obligare ſubditos alterius Diœceſis, eò quia ſubjiciantur alteri capiti: ita neque Regulares, qui ſubjiciuntur immediatè ſummo Pontifici, ut capiti: quapropter ſi Epiſcopus vellet ſuis ſtatutis dirigere eos, qui immediatè ſubjiciuntur ſedi Apoſtolicæ utique irrogaret injuriam ſummo Pontifici, quia ſibi uſurparet jurisdictionem Pontificis: exempti enim ſunt de jure, & proprietate ipſius *c. cum tempore de arbit. & c. cum olim. §. nos igitur de privileg.* Hinc intereſt ſummi Pontificis prohibere, ne Epiſcopi ſe immiſceant Regularibus, ut docent Felin. *in c. cum olim de præſcript.* Abbas *in c. 1. num. 19. de re judic.* Caſtrenſis *conſil. 42. num. 3.*

3 Quæritur ſecundò, an ſi Epiſcopi in ſuis ſtatutis ſynodalibus exprimant Regulares, & cum tali expreſſione confirmentur à ſummo Pontifice ex certa ſcientia, obligent Regulares exemptos? Reſpondetur ex eo præcisè, quòd exprimantur Regulares exempti per hoc non obligari talibus ſtatutis, niſi Pontifex in confirmatione adjiciat clauſulam, quâ declaret, ſe velle ut talia ſtatuta ſe extendant etiam ad Regulares, quos obligent: cæterum ſi non addatur hæc clauſula, regulares exempti adhuc non obligantur talibus ſtatutis, quamvis in iisdem exprimantur: quia clauſula ex certa ſcientia appoſita confirmationi quando poteſt referri ad valida, & invalida nonniſi ad valida refertur *c. dudum de decimis. c. 1. V. nec conſtitutione de his, quæ fiunt à majore parte capituli c. 1. in fin. de jurament. in 6.* & notant Tuſchus *litt. C. conclus. 340. n. 4.* Barb. *clauſul. 59. num. 54.* Surdus *conſil. 47. n. 19.* ratio eſt, quia confirmatio ex certa ſcientia ſumitur ſemper in terminis habilibus, ut non ſe extendat ad illicita: alioquin foveret iniquitatem, ut docent Felin. *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ num. 4. de conſtit.* Alexander *conſil. 56. num. 8.* Paris. *conſil. 33. num. 53.* quòd verò legislator ſuis ſtatutis velit obligare non ſubditos eſt illicitum, quia perinde eſt, ac velle uti jurisdictione, qua caret, quod non eſt licitum, proinde licèt hujusmodi ſtatuta confirmentur à ſummo Pontifice etiam ex certa ſcientia, non tamen cenſentur confirmata ſecundùm hanc extenſionem ad non ſubditos, ſeu ad Regulares exemptos, quia hujusmodi extenſio nõ eſt licita, nec valida.

4 Præterea ut notant Tuſchus *litt. C. concluſ. 340. num. 35.* Alexander *conſil. 122. num. 24. V. quia reſpondeo lib. 4.* confirmatio ex certa ſcientia non operatur circa ea, quæ irrita ſunt ex capite inhabilitatis, ſeu ex defectu jurisdictionis, ut contingit quando ſtatuta ſe extendunt ad illos, qui non comprehenduntur ſub jurisdictione ſtatuentis: quia Princeps in confirmatione ex certa ſcientia, licèt faveat jurisdictioni ſtatuentis, & ſuppleat defectus ſtatuti confirmati; non tamen extendit jurisdictionem, quia cùm agens non operetur extra ſuum ſubjectum, cui applicatur, ita confirmans ex certa ſcientia nõ extendit ſuam actionem confirmatoriam ultra ea, quæ exigunt confirmari, & applicantur in ordine ad confirmationem; non verò ampliat ſubjectum confirmandum: & quia ſtatutum quoad non ſubditos non exigit confirmari, eò quia ad ipſos ſe non extendat, ideo confirma-

tio

tio etiam ex certa scientia non extenditur ad regulares exemptos.

5 Quòd si dicas, Ecclesiasticos teneri servare ex vi directiva leges laicorum, si hæ concernant publicum bonum; proinde à fortiori tenentur servare statuta synodalia Episcoporum. Contra est, quia eatenus Ecclesiastici tenentur servare leges laicorum, si concernant publicum bonum, quia tunc subintrat jus naturale eos obligans ad cooperandum in tali speciali materia publico bono: quia tametsi ecclesiastici sint in alio ordine, nihilominus communicant in civilibus cum laicis, & ratione communicationis tenentur cooperari publico bono juxta exigentiam juris naturalis, adeo ut hæc obligatio in ecclesiasticis non oriatur ex legibus civilibus Principis, sed ex ipsa lege naturæ dictante teneri omnes cooperari bono publico: hinc communicatio Ecclesiasticorum cum laicis in legibus civilibus radicatur in ipsa lege naturali, à qua sola Ecclesiastici obligantur. Id autem non procedit de Regularibus exemptis, respectu statutorum synodalium, quia lex naturalis non obligat Regulares ad se subjiciendum talibus statutis, cum habeant propria statuta, quibus regulantur, ac diriguntur: & licèt membra naturaliter subjiciantur capiti, non tamen Episcopus est caput Regularium exemptorum, sed solus summus Pontifex, cui Regulares immediatè subjiciuntur, & à quo accipiunt influxus spirituales, & proprias regulas.

6 Quæritur tertiò, an Episcopus possit facultatem concedere erigendi in civitate monasteria, vel domus Religiosorum. Respondetur ex textu Concilii Tridentini *sess. 24. de Regular. c. 3. in fin.* & *in c. de Monachis 12. 18. q. 2.* videri, licentiam solius Episcopi dioecesani sufficere, ut in civitate possint licitè construi nova Monasteria, & domus Regularium, & ita docent Rodriq. in *quæstionibus Regul. tom. 2. q. 49. art. 3.* Sorbus *ad compend. mendic. V. ædificare vers. circa §. 20.* Verùm communior, & vera sententia docet, requiri quidem licentiam Episcopi ex Tridentino, & aliis textibus, non tamen solam sufficere; sed ulterius ad erectionem novi monasterii, vel domus religiosæ requiri consensum aliorum Religiosorum commorantium in tali loco, ita enim declaravit sacra Congregatio sub die 27. August. 1621. & habito viæ vocis oraculo Gregorii XV. statuit, quòd imposterum non erigantur conventus, monasteria, vel domus Religiosorum nisi petita, & obtenta facultate Episcoporum, qui tenentur vocare Regulares pro præstando consensu, qui si non consenserint, adhuc possunt Episcopi concedere facultatem, si ipsis constet, quòd congruè de novo introduci, & ali, ac sustentari possint sine detrimento, cæterorum: hoc idem etiam fuit innovatum, & confirmatum ab Urbano VIII. in sua constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex* edita die 28. August. 1624. Hæc duo decreta Gregorii XV. & Urbani VIII. ut etiam alia Clementis VIII. refert Lauretus de Franc. in suis controversiis inter Episcopos, & Regulares *p. 1. an. 399. usque ad num. 530.* & apud ipsum Zacharias Pasqualigus *in addit. ad Lauret. de Franc.* & tradunt etiam Barb. *de offic. Episcop. p. 2. allegat. 26.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3. disp. 5. q. 6.* & has Pontificias constitutiones DD. extendunt etiam ad mutationem monasterii de uno loco ad alium, non ita ad ampliationem in eodem loco; neque ad hospitia Religiosorum erecta tantùm ob commodum itinerantium absque præjudicio cæterorum. Quod verò ad erectionem attinet monasterii Monialium, Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regul. c. 5. in fin.* aliqua statuit observanda: ait enim, *Quia monasteria Sanctim monialium extra mœnia urbu, vel oppidi constituta malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus absque ulla sæpe custodia sunt expositæ, curent Episcopi, & alii superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam si opus fuerit auxilio brachii secularis. Impedientes verò, vel non obedientes per censuras ecclesiasticas parere compellant.* Plura de erectione monasterii Monialium habet Barbosa *de offic. Episcop. p. 1. allegat. 26. ante num. 8.* Rursus duplicia monasteria scilicet Monachorum, & Monialium simul ædificare prohibetur *c. definimus 21. & seq. 18. quæst. 2.*

7 Quæritur quartò, an Episcopus possit facultatem concedere, ut in sua civitate erigatur Congregatio Presbyterorum sæcularium absque consensu Regularium, si aliàs ipsi constet, quòd talis congregatio nullum erit iisdem detrimentum alatura? Ratio dubitandi est, quia in constitutione Urbani VIII. cui initium est: *Romanus Pontifex* prohibetur, ne domus Religiosorum sine consensu Regularium imposterum erigantur; & in illa constitutione comprehenduntur etiam Congregationes Clericorum sæcularium ob identitatem rationis; & quia per decreta Pontificia datur facultas Episcopo, ut possit permittere erectionem monasterii Regularium etiam sine consensu aliorum Regularium, si ipsi certò constet, quòd Religioni recèns introducti possint sine detrimento aliorum commodè ali, & ita etiam declaravit sacra Congregatio die 27. Augusti 1621. habito vivæ vocis oraculo Gregorii XV. habetur enim, *Vel aliàs constiterit Ordinarius locorum Religiosos monasterii, conventus, seu domus regularis sic erigendi, vel erigenda absque detrimento Religiosorum in monasteriis, seu domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis viventium, ubi numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse*: ideo videtur dicendum, posse Episcopum etiam, sine consensu Regularium facultatem concedere erigendi in sua civitate Congregationem Presbyterorum sæcularium, etiam contra privilegia Regularium.

8 Nihilominus contrarium concludendum est, quia tametsi Pontificiæ constitutiones comprehendant etiam Congregationes Presbyterorum sæcularium, non tamen simpliciter, & absolutè, sed conditionatè, dummodo id non fuerit contra Regularium privilegia, quia Pontifices per tales constitutiones non derogant privilegiis Regularium, nec juri, quod ex ipsis competit

petit iisdem contra quascunque personas ecclesiasticas in ordine ad illas recipiendas, vel erigendas earundem domus, & Ecclesias, ut tradidit Rota *decis. 103. num. 5. p. 2. recent.* & docent Romanus *consil. 17. num. 1. & 2.* Mantica *decis. 104. num. 5.* hinc quia Regulares habent privilegium, ne alii Religiosi, vel personæ ecclesiasticæ, sive pia loca possint intra spatium centum quadraginta cannarum erigere Ecclesias, aut erectas de novo acquirere (fuit enim hoc privilegium concessum à Sixto IV. & refertur à Sorbo *in compend. privilegior. V. ædificare n. 19.*) ideo non potest quisquam præter summum Pontificem concedere facultatem, quòd à Presbyteris sæcularibus, vel aliis Regularibus, quamvis commodè ali, & manuteneri possint, erigantur Ecclesiæ intra præfatum spatium centum & 40. cannarum.

9 Quòd si dicas, hoc privilegium non esse in usu? Respondetur, esse semper declarativum juris communis; proinde Ecclesia de jure communi non potest fundari in loco, ubi alteri Ecclesiæ priùs constructæ possit præjudicium adferri *c. quacunque c. Ecclesia 17. q. 1.* ut notat Cardinalis *consil. 8. num. 13.* & quia jus commune semper loquitur, ut dicitur *in l. Ariani C. de hæret.* ideo dictum privilegium, ut declarativum juris communis semper loquitur, & obligat ad sui manutentionem, & per non usũ non amittitur. Neque obstat, quòd ab uno, vel altero monasterio non fuerit tale privilegium deductum ad praxin; quia quando privilegium est concessum toti Ordini per non usum, vel etiam contrarium usum unius, vel alterius monasterii illi non præjudicatur *c. si dilecti de foro comper.* & notat Barb. *de potest. Episc. alleg. 26. num. 10.* siquidem non est in potestate unius particularis præjudicare toti communitati. Tum quia cùm jus unius monasterii sit semper implicatum cum jure totius ordinis, non potest unum, vel alterum monasterium renuntiare tali juri.

10 Quæritur quintò, an loca religiosa destinata ad certum usum, & pro certo genere Religiosorum possint ab Episcopo transferri in alium usum? Ratio dubitandi desumitur *ex clem. 8. h. t.* ubi dicitur, quòd ea, quæ largitione fidelium ad certum usum destinata sunt ad eum debeant, & non ad alium applicari salva sedis Apostolicæ authoritate; unde *ex clement.* adimitur omnis authoritas quoad hoc Episcopis. Nihilominus Concilium Tridentinum *sess. 25. de regul.* statuit, ut si hospitalia ad certum numerum peregrinorum, ægrotantium, vel aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in eo loco similes personæ, vel non nisi perpaucæ reperiantur, possit Ordinarius cum duobus de capitulo per ipsum eligendis convertere fructus eorundem hospitalium in alios pios usus, qui eorum institutioni proximiores sint, ac pro loco, & tempore utiliores. At circa monasteria in jure specialiter decisum est, ut si Religiosi alicujus monasterii quacunque de causa deficiant, non debeant reditus ejusdem mensæ episcopali incorporari, nec concedi Clericis sæcularibus, aut laicis, nec monasterium debeat ab aliis usurpari, sed alii Religiosi ex eodem Ordine, vel si ejusdem Ordinis haberi non possint, alterius Ordinis ejusdem Regulæ substituendi sunt.

Quòd si nulli prorsus Religiosi inveniantur, qui velint tale monasterium acceptare; 11
tunc Clerici sæculares possunt advocari, ut quantum possibile est à prima fundatione pro Religiosis facta non sit recedendum, ut desumitur ex *c. in quatuor 5. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, ut monasteria, quæ ordinantur per Regulares, non possint transferri ad clericos sæculares, nisi Regularibus deficientibus: ubi Glossa notat, non posse Episcopum in Ecclesia regulari ponere Canonicos sæculares, nec præbendarios *c. ea quæ de statu Monach.* sed ponendos esse homines alterius Religionis, vel strictioris vitæ *c. Relatum ne Cleric. vel Monach.* quòd si non possint haberi Regulares, tunc poni possunt sæculares. Et quamvis fundationes quæcunque Religiosorum possint liberè mutari, non tamen solet summus Pontifex recedere à jure communi, nec uti plenitudine potestatis; præsertim in præjudicium aliorum auferendo illis jus suum, nisi ex causa gravissima, & cognitione ejusdem, & quæ in specie exprimatur, & adjiciantur clausulæ ex certa scientia, & de plenitudine potestatis *argum. c. licet 12. de offic. Ordinar.* ut notat Innocentius *in c. quæ in Ecclesiarum de constit. regul. cancell. de non tollend. jus quæsitum c. quamvis 8. de rescript. in 6.*

Quæritur sextò, cuinam acquirantur jura 12
monasterii uniti per legitimam authoritatem accessoriè alteri, quod subjiciatur Episcopo? Respondetur, talia jura acquiri monasterio principali, cui facta est unio, ut desumitur *ex c. quia 2. h. t.* ubi Pontifex vult jura sua singulis servari inviolata sine præjudicio. Unde quando fit hujusmodi unio Abbas monasterii principalis debet constituere Priorem, seu Vicarium minoris monasterii uniti, qui actualem curam illius habeat, & Prælato subjiciatur principalis monasterii. Immo pertinet etiam ad eundem Prælatum confirmare Priorem, vel Vicarium monasterii accessoriè uniti, si fortè ex inolita consuetudine ejus electio fieret à Conventu monasterii uniti, ut docet Garcia *tract. de benefic. 9. 12. c. 2. num. 50.* quia cùm Ecclesia sit unita incorporatur principali monasterio; veluti membrum corpori; proinde subjicitur eidem capiti: hinc si Episcopus consentiat in unionem Ecclesiæ sibi subjectæ cedit etiam juri confirmandi: tametsi confirmatio Abbatis principalis monasterii non exempti pertineat ad Episcopum. Sin verò Ecclesia Episcopo subjecta incorporetur alteri monasterio sito extra Diœcesin, & incorporetur Ecclesiæ exemptæ, tunc monasterium, vel Ecclesia, cui incorporatio facta fuit, subjicitur respectivè tantùm jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi reperitur Ecclesia unita, dico respectivè tantùm, scilicet quoad ea, quæ pertinent ad Ecclesiam subjectam tali Episcopo: æquum enim est, ut Episcopus per talem unionem non amittat jura, quæ ipsi competunt, idque statuitur *in c. quia 2. h. t.* ubi habetur, quòd quando Papa unit unam Ecclesiam,

fiam, quæ est in una diœcesi, monasterio, quod est in altera; tunc jurisdictio illius Ecclesiæ remanet penes Episcopum primæ diœcesis, quia Pontifex vult jura sua singulis Episcopis inviolata servari sine præjudicio.

13 Quæritur septimò, an post Concilium Tridentinum possint hospitalia esse immunia à visitatione Episcopi? Certum est, Episcopum ex decreto Concilii Tridentini posse visitare omnia hospitalia quæcunque illa sint, dummodo non sint sub immediata Regum protectione: ait enim Concilium *sess. 22. c. 8. de refor.* loquens de Episcopis: *Habeant jus visitandi hospitalia collegia quæcunque, ac confraternitates laicorum etiam quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant; non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia.* Cùm igitur Tridentinum excipiat illa tantùm hospitalia, quæ sunt sub protectione Regum, videtur dicendum, quòd post Tridentinum non possint alia hospitalia esse immunia à visitatione Episcopi: & ratio videtur etiam id suadere: quia sunt loca pia, ut docent Abbas *in c. Xenodoch. num. 2. & 3.* Sylva *de benefic. p. 1. q. 6. n. 26.* proinde pertinent ad correctionem Episcopi tanquam illius, qui de rebus piis debet recognoscere. Hinc docent plures, post Concilium Tridentinum posse Episcopum visitare hospitalia, quamvis in eorum fundatione cautum sit, ne ab Episcopo visitentur, eò quia hæc conditio non subsistat, cùm illi obstet jus Concilii Tridentini; ita sentiunt Zerola *in prax. episcop. p. 7. V hospitale vers. ad* 3. Ugolin. *c. 24. de potest. Episcopi* §. 1. *num.* 3. Duardus *in Bull. cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *q* 7. *num.* 16. Cochier *p. 4. de potest. Ordinar. in exempt. q.* 53. Riccius *p. 4. decis.* 29. Nihilominus contraria opinio probabilior est, ac verior, eò quia conditioni appositæ à fundatore, ne hospitale subjiciatur visitationi Episcopi non obstat jus; consequenter subsistit, & Episcopus etiam post Concilium Trident. non potest visitare hospitale, si in ejus fundatione cautum sit, ne visitetur ab Episcopo; ita docent Barb. in Trident. *sess. 22. c. 8. de reformat. num.* 3. Pasqualigus *qq. moral. canon. q.* 88. *num.* 3. Diana *p. 1. tract. 2. resolut.* 83. Guttieres *in repet. l. nemo potest. num.* 451. *ff. de legat. junctis consil.* 1. *num.* 1. Gonzales *ad regul. 8. cancellar. Glossa* 5. *num.* 41. Ratio est, quia cùm quisque habeat dominium in res suas, ideo potest disponere prout ipsi magis libuerit, & illas dare, vel cedere aliis sub quacunque conditione, quæ non sit illicita *l. 2. in fin. ff. si quis à paren. fuer. manumiss.* hæc enim arbitraria dispositio de rebus propriis adeo videtur esse naturalis, ut si homo privaretur tali facultate, id esset contra bonos mores, ut habetur in *l. penult. ff. de pact.* & *l. nemo externus C. de Judæis*, & *l. dudum C. de contrab. empt.* Cravetta *consil.* 217. *n.* 7. imò id justitiæ adversaretur, quia inferretur injuria habenti plenum dominium super suas res, si de ipsis pro ut ei magis libuerit, non posset disponere *l. injuriis* §. *si quis me prohibeat V. et si quis ff. de injuriis.*

14 Hæque est potissima ratio, cur Ecclesia admittat eas conditiones, quas fundatores apponunt in suis fundationibus hospitalium, aliorúmque locorum piorum: quapropter etiam Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 9. de refor.* statuit, non posse Episcopum exigere sibi reddi administrationis rationem, & exhiberi computus hospitalis, vel alterius loci pij, si in ejus fundatione cautum sit, quòd non possit in hoc se ingerere: & decretum Tridentini etiam procedit de visitatione, quia militat eadem omnino ratio, ut manuteneatur voluntas testatoris, servetúrque forma apposita in fundatione: lex enim extenditur ex identitate rationis *l. regula* §. *fin. ff. de injuriis, & facti igitur*, & docent Panormit. *in c. sicut in fin. de testibus* Menochius *de recuper. possess. remed. 6. num. 20.* Covarruv. *c. Alma Mater. p. 2.* §. *4. num. 7.* Tiraquel. *tract. cessante causa p. 1. num.* 139. quia tunc lex potiùs manifestat restrictionem, quàm se extendat, est enim ratio anima legis, hæc enim operatur secundùm mensuram rationis, proinde à sacrâ Congregatione apud Armend. *in additionibus ad leges* Navarr. *lib. 1. tit. 6. l. 5.* §. *2. num. 66.* declaravit, *quòd si in fundatione hospitalis fit dictum, quòd Ordinarius non possit se intromittere in ejus visitatione, non poterit illud visitare.* Hoc idem etiam declarâsse Paulum V. in causâ Abulensi pro Comite de Orepesa contra Episcopum in ejus Brevi sub anulo piscatoris 7. Aprilis 1606. refert Garcia *1. p. de benefic. c. 2. num.* 98.

15 Quæritur octavò, an si hospitale excipiat immunitatem possit Episcopus illud visitare, si immunitas fundetur in solo privilegio? Respondent nonnulli cum Maceratensi *in variis resolut. lib. 1. resol. 66. num. 4.* non debere Episcopum supersedere, sed de facto visitare, saltem ut delegatum sedis Apostolicæ salvis juribus partium, ut etiam docet Zerola *in praxi episcopal. V. hospitale V. sextum dubium.* Sed putârim procedendum esse cum distinctione: si clarè constet de privilegio, quod hospitale sit revera exemptum, adeo ut nullam id patiatur difficultatem, tunc tenetur Episcopus supersedere, quia non potest se opponere statutis Papalibus, nec inferior potest in legem superioris. Sin verò dubitetur de tali privilegio, vel exemptio patiatur difficultatem, tunc debet Episcopus etiam supersedere, & interim mittere ad sacram Congregationem allegationes facti, & juris, quia pertinet ad sedem Apostolicam judicare de exemptione: sicut enim ipsa concessit privilegium, ita ad ipsam pertinet judicare de privilegio, & de exemptione, quemadmodum pertinet ad legislatorem interpretare suam legem; illius enim est interpretare, cujus condere *l. non ambigitur ff. de legib. & l. si imperialis Majestas*, & *l. sacratissimæ C. de leg. c. inter alia de sentent. excommun.* Id etiam statutum fuit in Concilio Tridentino *sess. 22. c. 9.* ubi dicitur, *Episcopus secundùm hoc, & præcedens decretum, debet intimare visitationem, & exactionem rationum confraternitatibus, & si excipiant se non esse visitandas ex privilegio, transmittantur ad Congregationem allegationes de facto, & de jure, & interim supersedeat.*

16 Neque obstat, si dicas, pertinere ad Episcopum

pum recognoſcere, an hoſpitalia ſint ſub immediata protectione Regum, ſi ipſi viſitare volenti hæc exceptio opponatur, ut notat Barb. *de poteſt. Epiſcop. p. 3. allegat. 75. n. 20.* proinde etiam pertinere ad Epiſcopum recognoſcere de validitate privilegii. Nam contra eſt, licèt debeat Epiſcopus recognoſcere de immediata protectione Regum, non ita de validitate privilegii: ratio diſcriminis eſt, quia protectio immediata Regum eſt laicalis, & pertinet ad Epiſcopum judicare in ordine ad illa, quæ concernunt loca pia: ſecus validitas privilegii papalis eſt quid Eccleſiaſticum immediatè emanatum à Papa, proinde ejus judicium pertinet ad ſedem Apoſtolicam, & nullo modo ad Epiſcopum præſertim ſi à ſuperioribus illi prohibitum ſit, ne tunc procedat ad viſitationem; inhibitio enim facit, ut deinde geſta ſint attentata, ac nulla, conſequenter revocanda *c. non ſolùm 6. Romana §. quòd ſi objiciatur de appellat. in 6.* Decius *conſil. 103.* Menoch. *conſil. 557. n. 13.*

17 Quæritur nonò, an ſi exemptio à viſitatione ſit tantùm verbis generalibus inſerta Brevi Pontificio, adhuc poſſit Epiſcopus hoſpitale ſic exemptum viſitare? Reſpondetur cum diſtinctione; vel enim exemptio inſerta Brevi Pontificio conceſſa fuit in ſpeciali ad inſtantiam fundatoris, & tunc certum eſt, Epiſcopum non poſſe viſitare, quia talis fuit voluntas fundatoris, qui potuit diſponere de rebus ſuis, prout ipſi magis libuerit: per hanc enim inſtantiam conſtat de voluntate teſtatoris, quòd hoſpitale fundetur cum tali conditione: voluntas ſiquidem melius facto, quàm verbis declaratur *c. dilecti filii. 2. de appellat.* Ancharanus *conſil.* 302. *n. 3.* Abbas *conſil.* 116. *num. 3. lib. 2.* eo ipſo quòd fundator procuraverit à ſummo Pontifice conceſſionem exemptionis à viſitatione, ex facto ipſius ſatis apertè conjicitur, quòd voluerit hoſpitale fundare cum tali conditione: etenim forma actûs eſt, quæ declarat voluntatem operantis *l. ſi tamen §. ſi quis dicit. ff. de ædilit. edict.* Decius *c. dilecti 2. not. 2. de appellat.* & *conſil. 237. num. 3.* Menoch. *conſil. 313. num. 17.* cùm igitur forma actûs fundationis fuerit à Pontifice conſtituta ad inſtantiam fundatoris, & in tali actu inſeratur exemptio à viſitatione, ſatis claret, mentem fundatoris fuiſſe, ut hoſpitale eſſet exemptum à tali viſitatione, quia Concil. Trident. *dict. ſeſſ. 22. c. 9. de refor.* abſolutè decernit, non poſſe Epiſcopum viſitare hoſpitale ſi cautum ſit in inſtitutione, & in ordinatione Eccleſiæ: nec Concilium dicit, quòd debeat eſſe cautum à fundatore, ſed abſolutè ait: *Niſi ſecus fortè in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet* Concilium enim abſolutè ait, non poſſe Epiſcopum ſe immiſcere ſi cautum ſit in inſtitutione, & ordinatione Eccleſiæ. Quòd dicitur generaliter debet generaliter accipi *l. de pretio ff. de public. in rem act. l. ſi* ſervitus *ff. de ſervit. urb. prad. l. regula §. fin. ff. de jur. & fact. ignorant.* Vel exemptio fuit tantùm inſerta Brevi pontificio in generali abſque expreſſa mentione immunitatis à viſitatione, & tunc probabilior ſententia eſt, poſſe Epiſcopum viſitare locum pium, quia in generali conceſſione exemptionis non venit immunitas à viſitatione *c. venerabilis de cenſib.* & docent Riccius *collectan. 1228.* Gratian. *diſcept. forens. c. 870. num. 7.* Pasqualig. *qq. moral. canon. q. 89. num. 5.* Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 8. de refor.* aſſerit, debere Epiſcopum viſitare loca pia etiam exempta, quia non ſunt immunia à viſitatione, & reddendis rationibus, niſi in fundatione aliter cautum ſit expreſsè: ratio eſt, quia viſitatio utpote inducta in favorem animæ, & honorem Dei eſt privilegiata, ut notat Panvinus *de viſitat. q. 1 num. 6. q. 10. n. 1.* nec illi derogatur per generalia verba, niſi fiat expreſſa mentio talis derogationis. Tum quia non veniunt in generali conceſſione, quæ verisimiliter quis in ſpecie non concederet juxta *regulam in generali de reg. jur. in 6.* quo fit, ut in generali conceſſione exemptionis, non veniat exemptionis conceſſio à viſitatione. Id tamen limitatur quando in generali conceſſione exemptionis additur particula illa *omnino*, vel alia æquivalens habens vim ſignificandi abſolutam, & totalem exemptionem; tunc enim indiſtinctè exemptio comprehendit omnes caſus, ut notat Tuſchus *litt. D. conclus. 322. n. 10.* proinde nullam recipit reſtrictionem, ut docent Menoch. *conſil. 2. num. 256.* Tiraquel. *l. ſi unquam V. revertatur numer. 78. C. de revocand. donat.*

Quæritur decimò, quas poſſint Epiſcopi perſonas ſecum introducere quando in caſibus permiſſis ingrediuntur monaſteria Monialium? Cùm enim in conſtitutione Gregorii XIII. edita die 23. Decembris 1581. quæ incipit *dubiis quæ*, ſtatuatur circa clauſuram Monialium, ut Prælati ſive Regulares ſint, ſive ſæculares ingredientes monaſterium Monialium juxta facultatem ex officio attributam, habeant comitatum paucarum perſonarum religioſarum, & ſeniorum, oritur difficultas, quænam ſint hujusmodi perſonæ ſenes, & religioſæ? Reſpondetur nomine Religioſorum comprehendi omnes Regulares, immo etiam Novitios, ſi ex ipſis contingat aliquem eſſe ſeniorem, quia in favorabilibus etiam Novitii veniunt nomine Religioſorum, ut notant Gloſſa *in clement. 1. V. Religioſus de elect.* Riccius *in prax. p. 2. reſol. 158. n. 3.* Quinimò nomine Religioſorum in præfata conſtitutione Gregorii XIII. non ſolùm ſignificantur, qui ſpeciali modo addicti ſunt divino cultui ſub regula clauſtrali, verùm etiam omnes illi laici, qui honeſtate vitæ cæteris præcellunt, bonis moribus ſunt ornati, & virtutum ſtudio clari: ratio eſt, quia quoties agitur de interpretatione legis, verba ſumenda ſunt ſecundùm totam ſuam latitudinem ſignificationis naturalis, quod præſertim locum habet in legibus favorabilibus: imò & in odioſis juxta communem ſententiam, quam docent Navarr. *in c. pœnæ n. 4. de pœnit. diſt. 1.* Mantica *tom. 1. de tacit. tit. 5. num. 13.* Barboſa *in l. quia tale num. 37. §. ſolute.* Paris. *conſil. 22. num. 6. vol. 4.* quia in locutione univerſali attendenda eſt proprietas verborum *l. fin. C. de his qui ven. ætat. c. ſuſceptum de reſcript. in 6.* Tiraquel. *in l. ſi unquam V. ſuſceperit, num. 17. C. de revocand. donat.*

donat. & nomen Religiosi juxta propriam significationem omnes illos significat, qui talem instituunt vitam, ut suis operationibus debitum Deo exhibeant honorem: siquidem Religiosus suam desumit nomenclationem à Religione, quæ est quædam specialis virtus, ut notat Isidorus *lib. 10. etimolog. c. 17.* atqui Religio importat ordinem ad Deum consurgentem ex debito honore, quem ei reddimus, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 81. a. 2. in corp.* in hac etiam significatione sumitur in jure *l. qui religiosa C. de ii, qui in Eccles. manumitt.* ubi dicitur, *Non solùm in conspectu Ecclesiæ, ut religiosi populi,* vocantur populi religiosi ob vitæ honestatem, & debitum honorem, quem Deo exhibent.

19 Quæritur undecimò, an Episcopus extra visitationem possit revocare statuta facta in visitatione à suo prædecessore pro locis piis exemptis? Respondent Novarius *in pract. concl. jur. tit. de visitat. conclus. 4.* Belletus *in disquisit. cler. p. 1. tit. de bonis cleric. §. 12. n. 7.* & alii, posse Episcopum talia statuta revocare. Nihilominus putârim, veriorem contrariam sententiam; maximè quia Episcopus in visitatione locorum piorum exemptorum non procedit authoritate ordinaria, sed tantùm ut delegatus à sede Apostolica ex Concilio Tridentino *sess. 22. c. 8. de reform.* quapropter talia statuta censentur facta authoritate Apostolica, quia delegatus non procedit propria authoritate, sed authoritate ipsius delegantis *c. ut officium init. de hæret. in 6. l. traditio ff. de acquir. rer. domin.* & *l. mandatam ff. de offic.* ubi dicitur, *qui mandatam jurisdictionem suscipit proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit jurisdictione utitur;* unde cùm talia statuta censeantur emanata à sede Apostolica delegante, censentur facta à summo Pontifice: atqui inferior non habet potestatem in legem, & statuta superioris, consequenter Episcopus non potest extra visitationem authoritate propria revocare statuta facta in visitatione à suo prædecessore pro locis piis exemptis.

20 Tum quia Episcopus extra actum visitationis non potest uti authoritate delegata; quia hæc illi tantùm delegatur pro actu visitationis: proinde non potest statuta emanata à Pontifice ut delegante abrogare, cùm inferior non possit legem superioris abolere *clement. ut Romani de elect.* quia nec voluntas, nec jurisdictio inferioris prævalet contra voluntatem, & jurisdictionem superioris: & ad illum tantùm pertinet leges, & statuta revocare, ad quem spectat ea condere *l. 3. ff. de re judic.* Abbas *in c. ut fi clerici §. de admitt. num. 10. de judic.* Neque obstat, quòd prædecessor in visitatione fuerit etiam usus jurisdictione sibi delegata, quia licèt id verum sit, nihilominus statuta habent vim authoritate superioris, & manutenentur à voluntate superioris delegantis, quia delegans assistit propriæ jurisdictioni executioni mandatæ per delegatum: quia res quælibet per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur *r. 1. de regul. jur.* Hinc est, quòd talia statuta non possint ampliùs revocari, nisi accesserit jurisdictio sedis Apostolicæ ad id specialiter delegata. Idque procedit etiam si interveniret consensus illorum, pro quibus talia statuta fuerunt condita; siquidem eorum consensus non auget jurisdictionem in Episcopo; neque operatur, ut possit uti jurisdictione delegata, quæ requiritur necessariò ad talem revocationem: quia cùm condere fuerit delegati, ita ad eumdem pertinet solutio eorum, quæ fuerunt condita.

Quæritur duodecimò, an Episcopus possit 21
approbare Congregationes virorum, & mulierum in communi viventium sub certa regula, ritu, aut habitu absque sedis Apostolicæ licentia, & approbatione, si tantùm devotionis, ac pietatis causâ ita vivant in communi, nec tria vota substantialia Religionis emittant? Respondetur, non posse Episcopum hujusmodi Congregationes approbare, & desumitur *ex c. Religionum unic. h. t. in 6.* ubi prohibentur novi Ordines, & Religiones, novique religiosi habitus, & revocantur omnes Ordines, & Religiones mendicantium facti post Concilium Lateranense sub Innocentio III. sine facultate sedis Apostolicæ; quia approbatio Religionis nil necessaria ad bonos Ecclesiæ mores, ne illicitus, aut scandalosus vivendi modus irrepat, proinde examinare, & approbare hunc modum vivendi religiosè pertinet ad sedem Apostolicam; præsertim post Concilium Lateranense habitum sub Innocentio III. hæc enim prohibitio ad eum finem facta fuit, ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam induceret confusionem: & generatim prohibetur, ne quis novum ordinem, aut Religionem inveniat sine confirmatione sedis Apostolicæ, & quamvis Congregatio virorum, vel mulierum in communi viventium sub certa regula, ritu, aut habitu non sit Religio si viri, vel fœminæ tria vota substantialia non emittant: est nihilominus talis congregatio propriè Ordo, quia hic latiùs patet, quàm Religio: consequenter cadit sub prohibitionem Concilii Lateranensis, in quo prohibetur omnis novus Ordo, vel Religio, seu ne quis non solùm novam religionem, sed etiam ne novum ordinem inveniat, aut habitum novæ Religionis assumat. Idque firmatur etiam *ex Extravag. unic.* Joann. XII. ubi prohibitio Concilii Lateranensis in eadem extensione, & disjunctione novi ordinis, aut Religionis refertur, & Beguinas contra legem illius Concilii deliquisse declaratur.

(o)

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.

CUm Monachi præter monaſteria plerisque in locis etiam Capellas poſſideant, ſeu Parochias plebanas; ideo ſummus Pontifex poſtquam egit de religioſis domibus, ſubjicit titulum de Capellis Monachorum, ſeu Parochiis, Prioratibus, in quibus Monachi degunt dependenter ab ipſo monaſterio, quod eſt domus principalis Religioſorum. Jure Canonico Capellæ nomine aliquando ſignificatur altare in aliqua ſacræ ædi conſtructum *can. quæſitum can. altare* 1. *q.* 3. nonnunquam oratorium, ſeu ædicula ſacra à Templo ſejuncta: Interdum oratorium poſitum extra Eccleſiam, & eidem annexum, ac adhærens: ſubinde etiam locus ſacer in Eccleſia, ferreis, vel ligneis clauſus cancellis, continens unum, vel etiam plura altaria: Rurſus diſtinguitur Capella à Capellania, quia Capella eſt Corpus, & Eccleſia per ſe: Capellania verò dicitur altare exiſtens in aliqua Eccleſia, cui ſunt annexæ miſſæ celebrandæ; & Sacerdos qui eas celebrat in eodem altari dicitur Capellanus; & habere talem Capellaniam, quatenus accipit eleemoſynas relictas à fundatore pro iisdem miſſis celebrandis. Capella igitur juxta præſens inſtitutum ſumitur pro Eccleſia minore exiſtente per ſe, & ſeorſim ab Eccleſia majori, vel monaſterio; eidem tamen unita, vel incorporata; ut notant Rebuffus *in praxi benefic. tit. facul. benef. quotuplex num.* 14. Barboſa *in collect. h. t.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *IN ECCLESIIS* 1. *h. t. Urbanus III. declarat, Monachos habentes populum, ſeu Eccleſiam cum populo, non habere curam populi; adeò ut debeat inſtitui ab Epiſcopo per conſenſum Monachorum Capellanus ſecularis, qui populum regat, cujus tamen ordinatio, depoſitio, & totius vitæ converſatio dependeat à ſolo arbitrio Epiſcopi. Ubi notat Gloſſa, textum loqui de Monachis clauſtralibus, non verò de illis Monachis, qui præficiuntur parochiis per Epiſcopum, vel eliguntur à populo.*

C. *DILECTUS* 2. *h. t. Innocentius III. ſtatuit, quòd ſi una Eccleſia non cathedralis petat, ſibiq; vendicet plura jura in alia Eccleſia, ſolùm obtineat ea, quæ probat ſibi deberi, vel præſcriptione, vel alio legitimo modo: non verò quoad alia. Ubi notat Gloſſa, in eodem libello poſſe aliquem multa intentare, ut poſſeſſorium, & petitorium ſuper diverſis articulis. Rurſus notat obedientiam probari per hoc, quòd quis vocatus veniat ad Capitulum. Rurſus neceſſariam eſſe proteſtationem, ne factum proprium noceat Eccleſiæ.*

C. *EX PARTE* 3. *h. t. Honorius III. reſcribit, Monachos non poſſe ſingulos commorari in Prioratibus etiam de privilegio ſedis Apoſtolicæ, niſi in eo fiat mentio de Concilio Lateranenſi* c. Monachi de ſtatu Monach. *Colligitur ex hoc textu, litteras in patente contra aliquod jus, vel Concilium non valere, ſi non faciant mentionem de ipſo jure, vel Concilio: quia reſcriptum emanans contra jus præſumitur aut falſum, aut per obreptionem vimiam, ſive ſub vel obreptionem emanâſſe, niſi in reſcripto fiat mentio de jure contrario, ut notat Panormitanus hic* num. 2. *idque val maximè verum eſt, de Conciliis Generalibus.*

C. *AD AUDIENTIAM* 4. *h. t. Idem Pont. declarat, Ordinarium debere cenſuris compellere Abbates, & Monachos habitantes ſingulares in Prioratibus, vel revocare; & ibi ponere clericos ſeculares, vel adjungere ſocios Monachos, cùm quibus poſſint regulariter vivere. Ubi notandum eſt, Papam mandare Archiepiſcopo non ut ipſe compellat Monachos, ſed Abbates, ut per ipſos Monachi revocentur, & non permittant, eos ſolos in villis commorari. Cæterum in defectum Abbatum poteſt Epiſcopus eorum negligentiam ſupplere* c. quando de offic. ord. *ſecus eſt in Prælatis ſecularibus, quia cum illis concurrit Epiſcopus in exercenda juriſdictione, & datur locus præventioni, ut notat Panormitanus hic* num. 1.

IN SEXTO.

C. *PRESBITERI unic. h. t. Bonifacius VIII. declarat, Presbyteros, qui à Monachis præſentantur pro cura populorum in eccleſiis ſibi ſubjectis, & ab Epiſcopo inſtituti fuerunt, debere perpetuos eſſe, & non poſſe à Monachis amoveri non obſtante quocunque privilegio, vel conſuetudine, adeò ut ſi ſubſit cauſa rationabilis, ut amoveantur, debeant amoveri ab Ordinario. Notat Gloſſa in hoc textu, conſuetudinem præſcriptam revocare ſtatutum, non privilegium: unde ſi Monachi obtinuerint privilegium, poſſunt removere Curatum ſine Epiſcopo, non ita ex conſuetudine, vel ſtatuto. Cæterum Curatus non eſt removendus à beneficio ab Epiſcopo pro levi cauſa* c. inventum 16. q. 17. *immo neque pro cauſa gravi, ſi hæc ad notitiam populi non pervenerit* c. ult. 30. q. 1.

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quinam præficiendi ſint Capellis, ſeu Parochiis, quæ monaſteriis incorporantur.

1 ECCleſiæ Regulari habenti populum, ſeu annexam curam animarum, non eſſe præficiendum Monachum, qui exerceat talem curam animarum; ſed hanc eſſe exercendam per ſacerdotem, ſeu Capellanum ſæcularem, cui competat adminiſtratio ejusdem Capellæ; quique inſtituatur ab Epiſcopo, ad nominationem, ſeu præſentationem Abbatis, & conventus conſtat *ex c. in Eccleſiis 1. h. t.* ubi Urbanus III. ſtatuit, ut Monachi, qui habent populum, ſeu Eccleſiam cum populo, non habeant curam populi; ſed debeat inſtitui Capellanus ſæcularis ab Epiſcopo ex conſenſu Monachorum, qui populum regat; & cujus tam ordinatio, quàm depoſitio, & totius vitæ converſatio dependeat à ſolo arbitrio Epiſcopi. Procedit hæc diſpoſitio de jure antiquo, & conſiderato ſtatu Monachorum præcisè ſecundùm ſe: quia monachi regulariter non ſunt præficiendi curæ Eccleſiæ ſæcularis, ne diſtrahantur à vita contemplativa propria Monachorum, & ne detur illis occaſio vagandi, ſeque à ſolitudine abſtrahendi; cùm de ratione Monachi ſit ut ſibimet ſoli attendat, ſèque ſolum perficiat: unde ſolùm urgente neceſſitate, ſi non reperiebantur idonei clerici ſæculares, præficiebantur Monachi curæ talis populi.

2 De jure autem novo, & hodierna praxi, ſi Eccleſia habens populum ſit pleno jure, ſeu quoad ſpiritualia, & temporalia monaſterio incorporata; non prohibentur Abbates, ſeu Prælati regulares in eadem conſtituere Vicarium regularem ab Epiſcopo examinandum, & approbandum, qui ex monaſterio curam gerat plebis; niſi tamen in literis fundationis expreſſum fuerit, ut per vicarium ſæcularem Parochialis Eccleſia, licèt monaſterio incorporata, adminiſtretur: quia voluntas fundatoris ſervanda eſt cum illis conditionibus, quas ipſe adjecit, & ab Eccleſia recipiuntur. Rurſus ſi ex inolita conſuetudine recepta talis Eccleſiæ adminiſtratio conceſſa fuit ſacerdoti ſæculari; debet etiam Vicarius ſæcularis in tali Eccleſia inſtitui, per quem Parochia adminiſtretur, ut habetur in Concilio Trident. *ſeſſ. 25. c. 11. de Regular.* ubi etiam ſtatuit, ut hujusmodi Vicarii ſubſint immediatè in iis, quæ ad curam pertinent animarum, jurisdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi eſt Eccleſia, ſita.

3 Tripliciter poſſumus intelligere, Capellam, ſeu Parochiam uniri monaſterio, ſcilicet jure, pleno jure, & pleniſſimo jure. Dicitur Eccleſia jure unita monaſterio, quando decimæ, aliique reditus ſunt aſſignati monaſterio; ſed jus inſtituendi rectorem beneficii pertinet ad Epiſcopum, ſolo jure præſentandi Monaſterio relicto. De hac unione loquitur *c. ſanè 16. q. 2.* ibi enim ſtatuitur ut cura talium Eccleſiarum ab Epiſcopo committatur ſacerdoti ex conſenſu Abbatis: & Sacerdos tenetur Epiſcopo rationem reddere de cura populi; & Abbati tantùm de rebus temporalibus pertinentibus ad monaſterium: quia tunc Sacerdos nonniſi quoad reditus temporales ſubjicitur monaſterio. Sin verò pars tantùm decimarum ex aliqua parochia data fuerit monaſterio ſine jure inſtituendi, vel etiam præſentandi: tunc propriè non habetur unio, ſed potius diſmembratio quoad reditus, quorum pars datur monaſterio, cui Capella nullo jure unitur, ut notat Garcia *de benef. p. 12. c. 2. n. 4.*

4 Pleno jure Capella unitur monaſterio, quando ſubjicitur Abbati non ſolùm cum jure percipiendi temporalia, ſed etiam exponendi Vicarium; adeo ut quoad hæc duo Capella incorporetur monaſterio, non verò quoad populum talì Capellæ addictum, adeo ut hic Epiſcopo ſubſit; & tunc licèt Abbas habeat jus exponendi Vicarium, debet tamen hic quoad ea, quæ pertinent ad curam animarum approbari ab Epiſcopo, cujus propterea jurisdictioni, ac viſitationi ſubeſt, ut deſumitur ex Trident. *ſeſſ. 25. de regul. c. 11.* & ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit: *Inſtrutabili*: Cùm hoc tamen pleno jure Vicarius ſive Regularis ſit, ſive ſæcularis ponitur ad arbitrium Abbatis, non verò Epiſcopi, à quo tantùm accipit curam animarum, ſi ad id munus obeundum idoneus deprehenſus fuerit. Pleniſſimo jure Capella unitur monaſterio, quando hoc non tantùm habet jus percipiendi temporalia, & exponendi Vicarium, ſed etiam populus annexus tali Eccleſiæ ſubjicitur monaſterio, & eſt exemptus ab Epiſcopo, ut notat Barboſa, *in c. quoniam 21. de privil. Abbat. in c. 2. §. in Eccles. eod. tit.* & cum hoc pleniſſimo dominio monaſterium habet jurisdictionem quaſi epiſcopalem: quia præter jus percipiendi temporales reditus etiam adminiſtratio in ſpiritualibus, ſeu cura illius populi, quoad ſpiritualia in monaſterium transfertur; & tunc Rector principalis talis Eccleſiæ, ſeu Capellæ eſt Abbas monaſterii, cui competit jus exponendi Vicarium idoneum, qui curam exercent talium animarum: adeo ut pro collatione talis parochiæ Epiſcopus non poſſit concurſum publicare, ut declaravit Pius V. *in Bulla ad exequendum*, & habet Barb *in collect. h. t.* & deſumitur etiam ex Concilio Trident. *ſeſſ. 24. de refor. c. 18. num. 18.* hinc collatio talis beneficii propter vacantiam ultra ſex menſes non devolvitur ad Epiſcopum, quia principalis cura talis Eccleſiæ pertinet ad ſolum Abbatem, apud quem ſemper manet jus inſtituendi Vicarium idoneum, ut habetur *in clement. unic. de exceſſ. Prælat.* & notat Barb. *de offic. epiſc. p. 3. allegat. 58. num. 16.* Quapropter in parochiis

pleniſſimo jure incorporatis monaſterio poteſt Abbas exponere Vicarium idoneum ſive is Regularis ſit, ſive ſæcularis, niſi in litteris unionis fuerit aliter expreſſum, quia ſtandum eſt pacto tunc inito.

5 Immo poteſt Abbas exponere Vicarium etiam ſine inveſtitura, adeo ut ſit tantùm temporalis, & ad nutum ejusdem Abbatis amovibilis; & tunc non habetur propriè inſtitutio, ſed tantùm proviſoria adminiſtratio, ut notat Barb. *de offic. Epiſc. p. 3. allegat. 72. num. 109.* ubi citat plures alios Canoniſtas. Et quamvis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. de refor. c. 7.* conceſſerit Epiſcopis facultatem ponendi Vicarium perpetuum in parochiis, vel collegiis quibuscunque incorporatis; tametſi antea Vicarii temporales ſemper fuerint: nihilominus Pius V. in ſua Bulla, quæ eſt 47. *Ad exequendum* §. 5. declaravit, hanc conſtitutionem Concilii Tridentini non procedere in parochiis, in quibus ſemper per Vicarios Regulares, vel ſæculares, cura animarum fuit adminiſtrata: & quidem non videtur probabile, fuiſſe intentionem Concilii, omnia monaſteria uno verbo ſuis privare juribus, quæ antea habuerunt exponendi Regulares ad parochias: neque cogere ipſos Prælatos, ut aliquem Regularem tanquam perpetuum Vicarium inſtituant: quia tali pacto abſolverent Monachum ab obligatione vitæ monaſticæ, & obedientiæ in perpetuum.

6 Quamobrem ſi parochia jure pleniſſimo ſit unita monaſterio, adeo ut etiam ejus populus à jurisdictione Epiſcopi ſit exemptus, & Prælato monaſterii ſubjectus; tunc Epiſcopus diœceſanus nil habet juris in tali Eccleſia, & populo, ſed tota jurisdictio ad Abbatem, ſeu Prælatum pertinet, qui propterea exeret ibi jurisdictionem quaſi epiſcopalem, ut docet Innocentius *in c. in Eccleſiis 1. h. t.* & plura alia jura competunt Abbati, ac monaſterio exempto, adeo ut poſſit inſtituere, deſtituere, & reſignationes beneficii recipere, ſi Vicarius fuerit perpetuus; quia ſi eſt temporalis propriè non eſt beneficium, quod reſignetur, ut notat Cochier *de jurisd. ordin. in exempt. p. 4. q. 67. num. 3.* Rurſus competit Abbati authoritatem interponere in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, ut habet Gloſſa *in clement. 1. in V. proprii de reb. eccles. non alien.* Rurſus poteſt beneficia pleniſſimo jure ſibi incorporata inter ſe unire, ſi ita expedire viſum fuerit, ut notat Barb. *de offic. Epiſc. p. 3. allegat. 66. num. 14.* Præterea poteſt Eccleſias ſibi pleniſſimo jure incorporatas viſitare, proinde etiam delinquentes punire, vel privare officio, ut notat Paris. *de reſignat. benefic. p. 1. lib. 7. q. 15.* Hinc poteſt etiam ferre cenſuras Eccleſiaſticas, quia cenſuras ferre non eſt actus ordinis epiſcopalis, ſed tantùm jurisdictionis, quæ competit tunc Abbati in ordine ad Eccleſias pleniſſimo jure ſuo monaſterio incorporatas, ut docet Covarruvias *in relect. c. Alma mater. de ſentent. excommun.*

7 Præterea in illis parochiis, in quibus Vicarius ſæcularis exponitur, non poteſt Epiſcopus ad arbitrium inſtituere Vicarium perpetuum, ſed id debet facere ex juſta cauſa, qua deficiente detur appellatio, ut notat Barb. *de offic. Epiſc. p. 3. allegat. 72. num. 190.* Hinc quia nonnulli Epiſcopi abutebantur poteſtate ſibi conceſſa à Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de Regul. c. 7.* & vicariis perpetuis tantam portionem aſſignabant, ut vix aliquid monaſteriis de fructibus remaneret, ideo Pius V. in ſua Bulla, quæ incipit: *ad exequendum* declaravit, quòd ab Eccleſia parochiali, cujuscunque fuerit valoris, vel oneris non debeat Vicario pro ſua portione major quàm centum, nec minor 50. ſcutorum annuorum ſumma computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi ſolitis, aſſignari; niſi ex conſuetudine portio aſſignata Vicario fuerit major. Quando parochia non eſt pleniſſimo jure unita monaſterio, eò quia ejus populus in ſpiritualibus ſubjiciatur Epiſcopo diœceſis, tunc ſi Vicarius ſæcularis inſtituatur, præſentatio pertinet ad monaſterium, & examinare, & approbare præſentatum, ſpectat ad Epiſcopum, qui etiam debet Vicarium inſtituere, corrigere, viſitare, & ſi opus fuerit etiam deponere, idque deſumitur *ex c. in Eccleſia 1. h. t.* ubi Urbanus III. ſtatuit, quòd Monachi habentes Eccleſiam cum populo non debeant inſtituere ejus Vicarium, qui curam habeat talis populi, ſi hic ſubjiciatur Epiſcopo: ſed Vicarius ſæcularis inſtituendus eſt ab Epiſcopo per conſenſum Monachorum, qui populum regat, cujus tamen ordinatio, depoſitio, & totius vitæ converſatio dependeat à ſolo arbitrio Epiſcopi: ſiquidem talis Eccleſia quoad curam animarum, ſeu populi annexi manet ſæcularis conſequenter ſubjicitur Epiſcopo diœceſano, qui curam animarum, & jurisdictionem ſpiritualem in populum deponere non poteſt, nec abdicare *argum. l. penult. ff. de offic. Præſid. c. cum venerabilis 21. de cenſib.*

8 Rurſus non poteſt per ullam conſuetudinem, aut ſtatutum introduci, ut Prælati Epiſcopis inferiores poſſint deponere miniſtros inſtitutos in Eccleſiis curatis, quia quoad inſtitutionem Eccleſiæ etiam ſubjiciuntur Epiſcopo, cujus jurisdictio læderetur, ſi alius Prælatus inferior deponeret Vicarios inſtitutos ab Epiſcopo: unde ſicut nulla conſuetudine poteſt jurisdictio Epiſcopi amitti, eò quia ſit de officio Epiſcopi, ita nulla conſuetudo, vel ſtatutum poteſt tribuere facultatem revocandi inſtitutionem factam ab Epiſcopo. Quamobrem tantùm per privilegium, vel legitimam præſcriptionem poſſunt Prælati inferiores acquirere jus inſtituendi, vel deſtituendi miniſtros etiam privativè, ſeu excluſo Epiſcopo, ut notat Gloſſa *in c. nuic. V. conſuetudine.*

9 Vicarii igitur, qui præſunt eccleſiis parochialibus alieno nomine, quatenus in iisdem vices gerunt Abbatis, ſi parochia ſit incorporata monaſterio, alii dicuntur perpetui, & alii temporales. Illi ſunt, qui potiſſimum in parochiis unitis, & incorporatis monaſteriis, collegiis, canonicatibus, aliisve piis locis per Epiſcopum inſtituuntur ad præſentationem Prælati, vel Rectoris loci, cui talis parochia incorporatur; & tunc officium illud perpetuum, propriè eſt etiam

etiam beneficium *c. poſtulaſti 26. de reſcript.* adeo ut in jure, quæ de beneficiis, & beneficiatis ſtatuuntur, cæteribus paribus etiam de Vicariis perpetuis intelligenda ſint. Vicarii temporales ſunt qui ad nutum Prælatorum, vel Rectorum exponuntur, & deponuntur, quapropter dicuntur ad nutum amovibiles. Et tunc conceduntur, quando Capellæ pleniſſimo jure incorporantur monaſterio.

10 Ex eo tamen, quòd aliqua Eccleſia præſertim collegiata, ſeu conventualis ſita ſit intra fines alicujus parochiæ, non propterea inde inferri debet eam ſubjectam eſſe parochiæ, quia hæc non habet intentionem, nec præſumptionem fundatam in jure communi ſuper ſubjectione Eccleſiæ ſitæ intra fines illius, ut deſumitur *ex c. dilectus 2. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, quòd quando una Eccleſia non cathedralis petit, & ſibi vendicat plura jura in alia Eccleſia, ſolùm obtinet quoad ea, quæ probat ſibi deberi, vel præſcriptione, vel alio legitimo modo, non verò quoad alia: & *in eod. cap.* ſyndicus parochiæ S. Ciciliæ, qui fuit actor, non plus per ſententiam obtinuit, quàm ab ipſo fuit probatum, maximè per allegationem confeſſionis factæ à Presbytero, ſeu Rectore S. Laurentii, ut notat Abbas *in d. c. num. 3. & 11.* Neque obſtat textus in *c. conſtitutus 6. de Relig. domib.* quia ibi tantùm eſt ſermo de Eccleſia cathedrali non de inferiore, & nullibi reperitur jure expreſſum, quòd in *d. c. dilectus 2. h. t.* à ſyndico S. Ciciliæ allegatum fuerit, de jure communi Eccleſiam ſitam in aliqua Parochia ſubjectam eſſe eidem: imò Innocentius III. *in d. c.* ait, ignorare ubi ſit hoc jus. Et quamvis parochiani Eccleſiarum, quæ non habent fontem baptismalem debeant infantes ſuos mittere ad Eccleſiam parochialem, ſeu matricem pro ſuſcipiendo baptismo; non propterea inde ſequitur neceſſariò, quòd ipſæ Eccleſiæ, ſeu Capellæ ſubjiciantur abſolutè parochiæ: hinc licèt etiam Capellani parochiarum debeant Sacramenta recipere ab Eccleſia parochiali matrice; non tamen Presbyteri, ſeu Rectores earundem tenentur ea recipere ab illa, quia non ſubjiciuntur eidem Eccleſiæ, ſed Epiſcopo loci, ut ſtatuit Innocentius III. in *d. c. dilectus 2. h. t.* Pari pacto monachi, & Religioſi nunc ſecundùm receptam conſuetudinem presbyteros proprios habent, qui Sacramenta miniſtrant; neque decet, eos ſubjectos eſſe Parocho, neque eorum Eccleſias ſubjici Eccleſiæ Parochiali. Immo etiam monaſteriis monialium ab Epiſcopo aſſignantur proprii ſacerdotes, à quibus Sacramenta monialibus miniſtrantur.

11 Erigere Vicarias de jure communi cum dependeat à poteſtate uniendi plures Eccleſias, non ſolùm ſummo Pontifici, ſed etiam Epiſcopo competit, quia hic ex rationabili cauſa regulariter poteſt beneficia ſuæ diœceſis unire ex conſenſu Capituli *cap. ſicut unire de exceſſ. Prælat.* Et quamvis in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de ref. c. 18.* prohibeatur, ne Parochiales Eccleſiæ uniantur dignitatibus, vel præbendis Eccleſiæ cathedralis, aliisque beneficiis, vel piis locis: nihilominus non obſtante tali conſtitutione poteſt Epiſcopus inſtituere uniones Parochiarum pro fundatione, augmento, vel conſervatione collegiorum, monaſteriorum, aliorúmque piorum locorum ad fidei catholicæ defenſionem; & ad profectum ſpiritualem populi promovendum, ut docent Barboſa *in collect. ad dict. loc. Trident.* & *de jure eccleſiaſt. univerſ. l. 3. c. 16. num. 34.* Gonzal. *Gloſ. 5. §. 7. num. 46.* Tum quia conſuetudine, ac præſcriptione poteſt jus antiquum retineri, vel recuperari juxta vulgata jura de conſuetudine; hæc enim vim habet leges humanas abrogandi, vel abrogatas renovandi, vel etiam novas inducendi, ut communiter docent doctores. Verùm de beneficiis ſimplicibus, vel curam tantùm habitualem habentibus nihil legitur innovatum, nec immutatum, ut notat Barboſa *in collect. ad dict. loc. concil.* unde ſicut olim potuit Epiſcopus beneficia ſæcularia unire Eccleſiæ Religioſorum; ita hoc idem poterit etiam hodie præſtare: quia exceptio Tridentini tantùm *de parochialibus eccleſiis* firmat regulam in aliis eccleſiis non exceptis neque plus cenſetur de jure veteri mutatum, quàm reperiatur expreſſum *l. Præcipimus 32. §. 6. C. de Appellat.*

Non tamen monachi poſſunt ſoli commorari in prioratibus, id enim ipſis prohibetur *in c. ex parte 3. h. t.* ubi Honorius III. ſtatuit, ut monachi non poſſint ſinguli commorari in prioratibus etiam de privilegio ſedis Apoſtolicæ, niſi in eo fiat mentio de Concil. Lateran. *c. monachi de ſtatu monach.* Juvat *ex d. c. ex parte 3. h. t.* obſervare, quòd quamvis leges prohibitoriæ, ut etiam pœnales ſint ſtricti juris, ac interpretationis; nihilominus ob identitatem rationis extendi debent etiam ad caſus non expreſſos; ſi inde colligi poſſit; mentem, ac intentionem legislatoris fuiſſe etiam alios caſus ſub prohibitione comprehendere; licèt formalibus verbis tales caſus non exprimantur: idque deducitur *ex d. c. ex parte 3. h. t.* ubi dicitur, repugnare Concilio Lateranenſi ſi monachi ſoli ſine ſociis, ſeu fratribus commorentur inter ſæculares in Prioratibus: cum tamen Concilium Lateranenſe non loquatur in ſpecie de prioratibus, ſed tantùm de eccleſiis parochialibus: nihilominus quia ratio prohibitionis in lege expreſſa per identitatem rationis extenditur ad prioratus, ideo juxta mentem Concilii in tali decreto implicitè comprehenduntur etiam prioratus, cùm ſit æqua ratio de Prioratu, ac de parochia. Quòd ſi quis à ſede Apoſtolica impetraret litteras contra jus commune, vel decretum Concilii Generalis, niſi in litteris fiat expreſſa derogatio illius juris, vel decreti Concilii Generalis, vel ſaltem ſpecialis illius mentio, ceſſendæ ſunt ſubreptitiè impetratæ, ut ſtatuitur *in d. c. ex parte 3.* ubi Honorius III. reſcripſit, Monachos non poſſe ſingulos commorari in prioratibus etiam de privilegio ſedis Apoſtolicæ, niſi in eo fiat mentio de Concilio Lateranenſi: ratio eſt, quia Papa non facilè concedit privilegia, vel gratias contra jus commune, & decreta Concilii generalis; tametſi poſſit iisdem derogare. 12

Imò Ordinarius debet cenſuris compellere Abbates, & Monachos habitantes ſingulares in Priora- 13

Prioratibus, ut quoad hoc ſerventur jura, ut habetur *in c. ad audientiam ult. h. t.* ubi etiam additur, quòd ſi Monachi detrectent parêre, poſſit eos revocare à Prioratibus, & in iisdem ponere clericos ſæculares, vel adjungere alios Monachos ſocios, cum quibus Vicarii poſſint regulariter vivere. Verùm hæc correctio Monachorum pro prima vice pertinet ad Abbatem illius monaſterii, cui Prioratus ſunt uniti, & quidem excluſivè quoad Epiſcopum, adeò ut non detur locus præventioni inter ipſos, idque deſumitur *ex d. c. ad audientiam ult. h. t.* ubi Honorius III. mandat Archiepiſcopo tanquam Ordinario loci, non ut ipſe compellat Monachos redire ad claustra; ſed ut ipſe adigat Abbates, ut ſuos Monachos ad monaſteria revocent: quòd ſi Abbates id non exequantur, Epiſcopus poteſt eorum negligentiam ſupplere, & per ſe immediatè revocare, vel corrigere Monachos, ut deſumitur *ex c. quanto 7. de offic. Jud. ordin.* Quòd ſi Prælati ſint ſæculares, habeántque in eccleſiis unitis ſuis Abbatiis Vicarios itidem ſæculares, tunc datur locus præventioni, & poteſt Epiſcopus immediatè corrigere, vel removere Vicarios ex juſta cauſa: ratio eſt, quia Epiſcopus cum Abbatibus ſæcularibus ſimul concurrit in exercenda jurisdictione, proinde cum ſit par poteſtas utrisque, datur locus præventioni. Cæterum ſi Prioratus non haberet ſufficientes reditus ad ſuſtentandos plures Monachos, poteſt tunc Epiſcopus cogere Abbatem, ut talis Prioratus per clericos ſæculares regatur, tametſi Prælatus Regularis alias non poſſit committere clericis ſæcularibus Prioratus, qui per Regulares conſueverant gubernari.

4 Quòd ſi petatur, quotnam debeant eſſe ſocii, vel fratres, qui unà cum Vicario commorentur in Prioratu; Pius V. die 15. Novemb. 1567. edidit conſtitutionem, in qua declaravit ut cum Vicario Regulari ad nutum amovibili alii ſaltem quatuor Monachi commorentur. Verùm uſus poſtea invaluit, ut ſufficiat, ſi unus ſocius Regularis Vicario adjungatur; & ita fuiſſe declaratum viva voce à Gregorio XIII. refert Quaranta *in ſum. Bullar V. Vicarius perpetuus.* Juvat hîc unum adjicere, quòd ſi in antiquis litteris unionis non ſit expreſſus conſenſus capituli, non tamen invalida cenſenda eſt unio Capellæ ad monaſterium, quia ex diuturnitate temporis omnia præſumuntur legitimè facta fuiſſe, ut notat Decius *in l. 1. C. qui ad. mitti.* Baldus *vol. 2. conſ. 510.* unde quando in litteris incorporationis non reperitur conſenſus capituli, præſumendum eſt, vel illum interveniſſe; vel Epiſcopum ex conſuetudine, vel præſcriptione non requiſiviſſe conſenſum, & contra Capitulum univiſſe Capellam

§. II.

Producuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an Capellaniæ in eccleſiis Regularium fundatæ cenſendæ ſint Regulares; proinde adminiſtrandæ per Religioſos, ſi non appareat de contraria intentione fundatoris? Reſpondetur, tales Capellanias eſſe cenſendas regulares, ut docent Rebuffus *in prax. benefic.* Maſcardus *de probat. concius. 172. num. 17.* ratio eſt, quia non videtur verò ſimile, fundatorem beneficii cum onere legendi miſſas in Eccleſia Regularium voluiſſe ab eodem beneficio Regulares excludere, cùm potiùs præſumendum ſit in favorem eorundem, cum ipſorum preces à ſæcularibus multum deſiderentur, foleántque Regulares ob majorem devotionem præferri Presbyteris ſæcularibus. Neque ullius eſt momenti, quod objicitur à nonnullis omnia beneficia in dubio præſumenda eſſe ſæcularia, eò quia S. Petrus fuerit ſæcularis. Nam contra eſt, quia qualitas beneficiorum deſumitur ex intentione fundatoris: & S. Petrus non fundavit omnia beneficia, immo hæc primùm cœperunt in Eccleſia inſtitui à Dionyſio *c. unic. 13. q. 1. c paſtoralis de his quæ fiunt à Prel.* & conſtat, Dionyſium fuiſſe Monachum græcum, ut habetur *in Bull. pag. 8.* Hinc S. Chryſoſtomus *lib. 3. contra monaſt. vitæ vitup.* ait, Eccleſiam Dei fuiſſe ab initio, veluti monachalem religionem, & Apoſtolos vitam duxiſſe religioſam, nilque habuiſſe proprium, & viviſſe in communi unanimiter in oratione, imò Suarez *de relig.* cenſet, eos emiſiſſe etiam vota religionis, ut refert Tambur. *de jur. Abb. tom. 1. diſt. 2. q. 3. & 4.*

Quæritur ſecundò, an Capellæ præfectus, 2
ſeu Rector propriè dicatur beneficium habere? Reſpondet Gloſſa in *clement. de decim. in V. ſi beneficiorum ad fin.* beneficium habere, ſi Capella authoritate Epiſcopi fundata, & dotata fuerit, quia tunc nonniſi Clerico ex Epiſcopi authoritate confertur: & hæc ſententia eſt communior, & colligitur *ex c. quæſitum, & c. penult. 1. q. 3. & c. ſignificatum de prabend.* Quòd ſi Capellania fundata fuerit, & dotata ſine authoritate Epiſcopi, tunc non accenſetur beneficiis eccleſiaſticis, quia ſine authoritate Eccleſiæ non inſtituuntur beneficia eccleſiaſtica. Hinc ad diſcernendum, an Capellania ſit beneficium eccleſiaſticum, ſpectanda eſt inſtitutio Capellæ: nonnunquam contingit, ut ſæculares, vel donatione inter vivos, vel teſtamento certa quædam bona ſtabilia, ſive proventus annuos deſtinent ad ſacra monaſteria, ut illa bona filio donent, vel aliis ex familia, ut jure poſſint ad eccleſiaſticos ordines promoveri, ſimúlque habeant unde poſſint commodè ſuſtentari: & quandoque ſolent etiam in ipſa inſtitutione adjicere conditionem, ne Epiſcopus hiſce bonis ſe immiſceat, ſed eorundem adminiſtratio ad laicos patronos pertineat: & tunc certum eſt, hujusmodi bona in beneficium Eccleſiaſticum minimè tranſire, ſed in ſolum clerici patrimonium, in cujus bonum cedunt.

Sin verò in ipſa inſtitutione bonorum vo- 3
cetur, & adſit authoritas Epiſcopi, tunc bona illa transferuntur in beneficium eccleſiaſticum, & inſtituere beneficiarium pertinet ad Epiſcopum, & ad laicos fundatores tantùm ſpectat nominare, vel deſignare, aut offerre clericum inſtituendum ab Epiſcopo. Cæterum tale beneficium eſt ſolùm ſimplex, niſi curam habeat adnexam

nexam animarum, vel dignitatem, aut juriſdictionem, ſeu niſi habeat clerum, populum, & rerum eccleſiaſticarum gubernationem.

4 Quæritur tertiò, penes quem ſit cura animarum in eccleſiis unitis, num penes Vicarium, vel Rectorem loci, cui unita eſt Eccleſia, vel an penes utrumque? Reſpondetur, eſſe procedendum cum diſtinctione, vel enim Vicarius eſt perpetuus, & tunc tota cura cenſetur in ipſum translata, adeo ut Rector loci principalis non poſſit in talem curam, ſeu ſpiritualem adminiſtrationem ſe ingerere, audiendo in Eccleſia unita confeſſiones, vel Sacramenta adminiſtrando, niſi ex conſenſu Vicarii perpetui. Sin verò Vicarius ſit temporalis, & ad nutum amovibilis, tunc cura non transfertur à Rectore in Vicarium, ſed cura remanet penes Rectorem loci Principalis; & exercitium curæ transfertur in Vicarium temporalem, & tunc poteſt Rector loci Principalis in dictam curam ſe ingerere, audire confeſſiones, miniſtrare Sacramenta, conciones ex ſuggeſtu habere ad populum, etiam diſſentiente Vicario, quia pro tali tempore ejus facultas revocatur à Rectore principali, ut notat Barboſa *de paroch. p. 1. c. 1. num. 53.*

5 Quæritur quartò, an Capellania poſſit conferri ſimplici clerico, ſi contra ſervitium perſonale ſit legitimè præſcriptum, & ex diſpoſitione Teſtatoris Capellania exigebat tale ſervitium, ut nimirum Capellanus per ſe ipſum miſſas celebraret, & Capellanus tantùm per alios permiſit miſſas ibi celebrari? Reſpondetur ex ſuppoſitione quòd ſervitium perſonale ſit legitimè præſcriptum, poſſe Capellaniam conferri ſimplici clerico, quamvis in fundatione appoſitum ſit, quòd debeat reſidere, & per ſe ipſum celebrare. Ratio eſt, quia conditiones, quæ apponuntur in fundatione Capellaniæ
11 poſſunt præſcribi, ſi concurrant cætera neceſſaria ad legitimè præſcribendum, ut docent Navarrus *conſil. 1. num. 1, & 7 de præſcript. prax. epiſcopal. p. 2. V. beneficium num. 14.* Lara *de univerſal. & capell. lib. 2. c. 1. num. 52.* ſiquidem jura fundationis tranſeunt ad Eccleſiam contra quam habet locum præſcriptio; conſequenter poſſunt etiam præſcribi conditiones appoſitæ fundationi: atqui detractis conditionibus legitimè præſcriptis ſupereſt ſola diſpoſitio, quòd eligatur Capellanus, qui tot miſſas celebret, quot deſiderantur, conſequenter ſufficit ſimplex inſtitutio Capellaniæ.

6 Tum quia quando fundator dicit, quòd præſentetur, ſeu eligatur Capellanus, qui miſſas celebret; nonniſi ſimplex tunc inſtituitur Capellania, ut docet Gonzales *in regul 8. cancel. Gloſſa 5. num. 77.* Felin. *in c. cùm omnes. n. 32. in fin. de conſtit.* Barboſa *de poteſt. epiſc. allegat. 29. num. 43.* ſiquidem per præfatam diſpoſitionem ſolum imponitur Capellano onus celebrandi, & huic oneri poteſt ſatisfacere per alium, quia non eſt onus perſonale, exigens impleri per ipſummet Capellanum: quinimò licèt fundator dixiſſet quòd inſtituatur Sacerdos, qui miſſas celebret, adhuc poſſet eas per alium celebrare, nec Capellania foret perſonalis; & adhuc poſſet conferri ſimplici clerico, ut notat Gonzales *in regul. 8 cancell. Gloſſa 5. num. 85.* & habetur etiam deciſio Rotæ in Firmana altaris 5. Decembris 1594. coram Blanchetto apud Garciam *de benefic. p. 10. c. 2. num. 37.* immò idem Garcia *de benefic. p. 7. c. 1. num. 87.* nonnullas ſuper hoc adfert declarationes ſacræ Congregationis, in quibus habetur, quòd Capellania habens onus celebrandi miſſas poſſit conferri ſimplici clerico, niſi in fundatione cautum ſit, ut per ſe ipſum celebret, unde ex declaratione Congregationis, Capellania non exigit qualitatem ſacerdotii in Capellano, niſi id habeat ex vi inſtitutionis: quando autem dicitur, quòd eligatur Sacerdos, qui miſſas celebret, non deſignatur qualitas pro idoneitate eligendi; ſed qualitas muneris exercendi. Tum quia quòd non exprimitur in fundatione Capellaniæ, non eſt eidem adjiciendum.

7 Quæritur quintò, an fundator poſſit Capellam, quam fundavit in aliqua Eccleſia alteri vendere? Reſpondetur negativè cum Garcia *de beneficiis p. 5. c. 9. num. 139.* Ratio eſt, quia non poteſt tunc venditio inſtitui, ſi venditor non habeat dominium rei vendendæ §. *nullus inſtit. de rerum diviſ.* cùm enim per venditionem transferatur dominium de venditore in emptorem requiritur neceſſariò in contractu venditionis, ut venditor habeat dominium in re, quam intendit vendere: atqui ſæcularis non habet dominium in Capellam ſemel fundatam in Eccleſia, tametſi ſit juris patronatus, ut recè notat Lambertinus *de jure patron. lib. 1. p. 1. q. 1. trinc. art. 3. num. 13.* ſiquidem Capella ſit pars Eccleſiæ, & dedicatur cultui divino: proinde eſt locus religioſus, adeo ut qui eam conſtruxit à ſe abdicaverit dominium, & Deo dedicaverit, proinde non manet amplius ſub dominio hominum. Tum quia etiam ſepulchrum accenſetur locis religioſis, adeo ut non poſſit ab aliquo acquiri, aut poſſideri *l. quamquam ff. de aqua pluvia arcend.* & *l. ſi ſepulchrum ff. de relig. & ſumpt. funer.* & docent communiter Doctores aſſerentes poſſe tantùm acquiri uſum ipſius, ut habetur *in c. Abolendæ de ſepult.* Hoſtiens. *n. 18. in fin.* Rota coram Coccino *decis. 291. n. 1.* ergo multò magis accenſenda erit locis religioſis Capella, cùm ſit dedicata cultui divino.

8 Quæritur ſextò, an Capellanus beneficio præſcriptionis immemorabilis poſſit non implere onera fundationis, de quibus in fundatione conſtat? Reſpondetur negativè cum Maſcardo *de probat. concluſ. 225. num. 5. lib. 1.* Covarruvia *in c. poſſeſſor. p. 2 §. 2. num. 4.* Paſqualigo *quæſt. moral. juridic. q. 144. num. 2.* Navarr. *conſil. 5. num. 1. de præſcript.* & deſumitur *ex cap. poſſeſſor. de regul. jur. in 6.* & *c. fin. de præſcript.* ubi dicitur: *Oportet, ut qui præſcribit in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ*, hoc idem etiam habetur in *c. vigilanti eod. tit.* unde jura clarè aſſerunt, talem præſcriptionem etiam immemorabilem eſſe conjunctam cum mala fide; proinde non prodeſſe Capellano, quin debeat implere onera fundationis: hanc autem præſcriptionem eſſe conjunctam cum mala fide, infertur ex manifeſtis indiciis, quæ ſufficiunt ad probandam ma-

lam fidem, ut notat Maſcardus *de probat. concl.* 225. *num.* 25. *lib.* 2. etenim cùm mala fides conſiſtat in animo; ſolis indiciis,& conjecturis probari poteſt *l. penult. in fin. C. de evict.* ubi Baldus, Bart. *in l. celſus num.* 18. *ff. de uſucapion.* Menoch. *de arbit. caſ.* 225. *num.* 2. *lib.* 2. colligitur autem, hæc mala fides ex eo, quia in ſucceſſiva proviſione Capellaniæ, quilibet Capellanus notum habuit onus injunctum in fundatione: neque eſt probabile, quòd quando acceptavit Capellaniam, neglexerit ſcire, quæ onera eſſent illi ex fundatione annexa.

Tum quia etiam ſi non inquiſiviſſet, adhuc tenebatur inquirere, ut poſſet proprio muneri ſatisfacere. Tum quia in collatione Capellaniæ ſemper notificantur onera eidem annexa: ex hiſce omnibus convincitur in ſucceſſiva illa proviſione Capellaniæ, quemlibet Capellanum proceſſiſſe cum mala fide, proinde præſcriptionem fuiſſe conjunctam cum mala fide. Tum quia lex fundationis eſt clara, & ſemper loquitur *l. Arcan. C. de hæret.* conſequenter ſemper reſiſtit, ne poſſit ſupervenire bona fides, conſequenter impedit, ne poſſit induci immemorabilis præſcriptio. Tum quia non poteſt conſtare de immemorabili præſcriptione, niſi conſtet de conditionibus requiſitis ad illam fundandam, quarum una eſt, ut nunquam viſum ſit, nec auditum contrarium, ut docent Gloſſa *in c. 1. de præſcript. in 6.* Felin. *cons.* 2. *nu.* 8. Paris. *conſ.* 27. *num.* 96. *lib.* 1. Covarruvias *in regul. poſſeſſ. p.* 2. §. 3. *num.* 7. cùm enim debeat præſcriptio probari immemorabilis, debet etiam conſtare apud eum, qui ſe fundat in immemorabili: & non poteſt conſtare cuique Capellano, quòd nunquam oppoſitum ſit auditum, cùm lex fundationis ſemper extet, & loquatur, & quilibet Capellanus teneatur ſcire onera capellaniæ annexa, quam ſuſcipit. Hoc tamen limitatur, quando proventus capellaniæ ſunt improportionati oneri impoſito in fundatione, tunc enim præſumendum eſt onera fuiſſe reducta ad terminos, in quibus reperitur, proinde conſurgit præſumptio reductionis, ut notat Bald. *in l. ea quidem num.* 4. *de accuſ.* & Abbas in *c. quanto circa fin. de præſumpt.*

10 Quæritur ſeptimò, an Capellanus teneatur fructus reſtituere Capellaniæ collativæ, ſi non recitet horas canonicas? Procedit quæſtio de Capellania collativa, quæ ſit beneficium; & quæ trahat obligationes, quas trahit beneficium: quia Capellania non collativa, non eſt beneficium ſive ſit manualis, & Capellanus amovibilis; ſive perpetua; ſive devolvatur ad ſucceſſores jure ſucceſſionis; quia tunc fructus Capellaniæ non ſunt beneficiales, & non dantur propter officium, proinde non ſubſunt obligationi reſtitutionis; quia illi fructus ex fundatione ſunt aſſignati pro ſolo onere celebrationis, & quamvis Capellania erigeretur poſtea in beneficium, adhuc fructus remanerent annexi oneri celebrationis; quia erectio in beneficium non mutat diſpoſitionem fundatoris; propterea cum non percipiantur intuitu oneris recitandi officium, deficit etiam obligatio reſtituendi ex omiſſione breviarii; quia non omittitur onus, ſub quo implendo fructus percipiuntur *l. ſi pupillum* 8. *ff. de acquir. hæred.* ut notat Ancharanus *conſil.* 330. *num.* 11. & fuit pluries deciſum à Rota *in Romana de Zabreriis* 4. *Maij* 1580. *coram Cantuccio*: & *in Romana nullitatis* 23. *Januarii* 1602. *coram Pamphilio*, & *coram Coccino deciſ.* 65. *num.* 2. Reſpondetur ad quæſitum cum diſtinctione: Si fructus Capellaniæ collativæ, quæ datur in titulum, ſint pingues, ac notabiliter excedant conſuetum ſtipendium pro miſſis celebrandis, tunc præſumitur beneficium datum etiam propter officium, & non pro ſola celebratione miſſarum, præſertim ſi in fundatione Capellæ expreſſè non habeatur, quòd omnes illi fructus licèt pingues ſint pro ſolis miſſis celebrandis: quia quando voluntas teſtatoris non exprimitur in contrarium, interpretatur juxta jus commune, & ſecundùm conſuetudinem, quâ fructus notabiliter pingues dantur etiam pro officio; beneficium enim dicitur dari pro officio. Verùm Sacerdos tunc omittens recitationem Breviarii, eam tantùm teneretur fructuum quantitatem reſtituere, quæ excedit conſuetum onus celebrandi miſſas. Quòd ſi fructus non ſint pingues, ſed ſolùm proportionati oneri celebrandi miſſas, adeo ut Capellania habeat tantùm fructus correſpondentes oneribus miſſarum celebrandarum; non tenetur tunc Capellanus ex ſola omiſſione breviarii reſtituere fructus: quia quando beneficiarius ſuſtinet plura onera ultra recitationem divini officii, non tenetur reſtituere niſi fructus correſpondentes oneri recitandi divinum officium, ut docent Molfeſius *p.* 1. *ſum. tract.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Naldus *V. divinum officium num.* 12. Pasqualig. *in qq. moral. juridic. q.* 212. *num.* 2. Cùm enim Capellanus ſatisfaciat oneri celebrandi miſſas, debentur ipſi fructus correſpondentes huic oneri.

Neque fructus pro celebrandis miſſis computari debent inter fructus pro recitandis divinis officiis, ſicut enim ſunt diverſa onera, ita etiam diverſi fructus, & ſicut unum onus poteſt impleri ſine alio; ita fructus correſpondentes uni oneri poſſunt percipi, licèt non percipiantur fructus correſpondentes alteri oneri, quod non impletur, idque etiam deſumitur ex conſtitutione 7. Leonis X. §. 38. *in* 1. *tom. Bullar.* in qua Pontifex diſponit, ut beneficiati teneantur reſtituere fructus de iis beneficiis, quæ dantur propter officium ſi horas canonicas non recitent: & Pontifex addit cauſam finalem in iis verbis: *Cum propter officium detur beneficium*, hinc ſi non obtineatur finis, diſponit, ut beneficiatus non acquirat fructus, qui propter tale onus dantur; imò poſſit etiam privari tali beneficio; quapropter Pontifex tantùm loquitur de iis beneficiis, quæ vel nullum habent onus annexum; vel ſi habent, ſunt illi connexi fructus correſpondentes oneri officii, qui propterea non acquiruntur, eò quia non ſatisfiat oneri recitandi horas canonicas: quòd ſi Capellania tantùm habeat fructus correſpondentes celebrationi; beneficium non erit ex iis, quæ dantur propter officium, ſed propter celebrationem; proinde Capellanus licèt non recitet officium, dummodo ſatisfaciat oneri celebrandi miſſas poteſt percipere fructus 11

annexos

annexos huic oneri, quia tunc ceſſat cauſa finalis, ſiquidem percipit fructus propter onus, quod revera adimpletur, quia pro officio nullum percipit fructum *l. ſed ſi mors §. fin. ff. de donat. inter vir. & uxor.* & docent Tiraquel. *tract. de ceſſante cauſa p. 1.* Anchar. *conſil. 47. num. 4.* ſiquidem cauſa finalis cùm coarctet diſpoſitionem ad ſuos terminos *l. ſi habitatio §. ſed ſi ff. de uſu, & habit.* id operatur, ut non habeat locum ipſa ceſſante: alioquin excederet terminos ſuæ cauſæ finalis.

12 Quæritur octavò, **quomodo conſtruenda** ſit Capella, quam teſtator imponit hæredi conſtruendam in aliqua ſpeciali Eccleſia, ſi nulla fiat expreſſa mentio, ex qua materia, ſit conſtruenda? Reſpondent Riccius *deciſ. 84. p. 2.* Mantica *de conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 3. num. 37.* Baldus *in l. Titia §. ſeia. ff. de aur. & argent.* & alii, Capellam eſſe tunc conſtruendam ex materia pretioſiori, quam ſoleat ordinariè adhiberi: & nituntur ea ratione, quia in legatis ad pias cauſas facienda ſit latiſſima interpretatio. Putârim tamen probabilius, eſſe tunc conſiderandam qualitatem rei legatæ non abſolutè in ſe, ſed reſpectivè ad illam ſpecialem Eccleſiam, in qua debet Capella conſtrui, ſi enim ſit Eccleſia perquam ornata, & aliæ Capellæ etiam ſint eleganter ornatæ; ex pulchro marmore conſtructæ; tenetur hæres conſimilem in eadem Eccleſia conſtruere, adeo ut non habeat inferiora ornamenta, ſed poſſit æquiparari aliis quoad columnas, ſtatuas, picturas, & alia ornamenta: idque deſumitur *ex l. Titia §. ſeia. ff. de aur. & argent.* ratio eſt, quia cùm teſtatori optimè innotuerit, cujusnam ſint qualitatis, & ornamenti reliquæ Capellæ, quæ ſunt in illa ſpeciali Eccleſia, in qua vult ſuam conſtrui; & nihil determinaverit circa ornamenta, & expenſas; præſumitur tacitè voluiſſe, quòd ſimilis cæteris conſtrueretur: præſertim cùm Rector Eccleſiæ ſi deterior eſſet in ornamentis, poſſet non acceptare talem conſtructionem in propria Eccleſia, nec ad id poſſet adigi. Quòd ſi in tali ſpeciali Eccleſia nullæ aliæ eſſent Capellæ conſtructæ, tunc non ex ornamentis aliarum Capellarum, ſed ipſius Eccleſiæ, & qualitate ejusdem deſumenda eſt menſura ornamentorum pro ſtructura novæ Capellæ in eadem Eccleſia: ſi enim hæc ſit eleganter conſtructa, multiplici marmore ſuffulta, picturis variata, auro illita, præſumitur tunc, quòd teſtator voluerit, Capellam ibi conſtrui ad parem elegantiam Eccleſiæ: alioquin eſſet potiùs dedecori, quàm ornamento eidem Eccleſiæ: quinimò qualitas, & ornatus Capellæ moris eſt, ut luperet qualitatem, & ornatum Eccleſiæ.

13 Habenda eſt **etiam ratio ad facultates** teſtatoris, ut notat Mantica *de conjectur. ultim. volunt. lib. 6. tit. 3. num. 36.* ſi enim teſtator fuerit conſtitutus in pinguiſſima fortuna pluribus affluxerit divitiis, ac fuerit inſigni dignitate qualificatus, tunc juxta defuncti facultates, & dignitatem debet Capella conſtrui, ut cedat in honorem teſtatoris. Tum quia regulariter teſtatores ſolent ſimilia legare cum proportione ad proprias facultates: & quando aliunde non conſtat de mente legislatoris attendi debet in interpretatione mentis teſtatoris, quod eſt vero ſimilius, ut notant Tuſchus *litt. I. concluſ. 330. num. 10.* Alexander *conſil. 179. num. 13. V. ex quibus lib. 5.* Demum legata ad pias cauſas interpretari debent in favorem earundem, proinde amplè *l. Titia §. ſeia ff. de aur. & argent. legat. l. ſi quis ad declarandam C. de epiſc. & cler. c. cùm eſſes de teſtam.* & docent Abbas *in c. indicante num. 6.* Covarruvias *in d. c. num. 4. de teſtament.* Cagnol. *in l. ſemper in obſcuris n. 10. §. de regul. jur.*

Quæritur nonò, an Capellanus poſſit à Rectore Eccleſiæ coërceri ad celebrandum in ejus Eccleſia pro ut ei magis libuerit? Reſpondetur, quòd ſi Capellania fundata ſit in commodum Eccleſiæ, adeout fundator ſpecialiter reſpexerit ad officiaturam talis Eccleſiæ, tunc poteſt Rector Capellanum adigere ad celebrandum juxta commodum ejusdem Eccleſiæ; quia ad Rectorem pertinet dirigere officiaturam ſuæ Eccleſiæ, & præſumitur tunc à fundatore habere authoritatem regulandi ſuam Capellaniam determinando tempus, quo debeat miſſa celebrari, hoc enim munus pertinet ad Rectorem Eccleſiæ, ut pluries judicavit Rota coram Ludoviſio *deciſ. 66. num. 13.* & coram Serafin. *deciſ. 139. num. 8. & deciſ. 253. num. 13. p. 6. recent.* Tum quia ſi Rector Eccleſiæ non haberet vim coërcitivam quoad Capellanos, ut celebrent ſtatis, & opportunis horis, non poſſet Eccleſiam regere, nec miſſas ad commodum populi diſtribuere; unde hæc vis coërcitiva nectitur neceſſariò cum facultate regulandi, & regendi Eccleſiam: proinde ſemel conceſſa hac authoritate conceditur etiam vis coercitiva, ſine qua non poſſet authoritas exerceri *l. 3. §. fin. ff. de pen. leg.* & docent communiter Faber *in l. nemo poteſt. ff. de reg. jur.* Cuiacius *in l. 1. ff. de offic. ejus* Menochius *conſil. 189. num. 17.* Borellus *lib. 2. de Magiſt. c. 8. num. 1.* Unde Rectori Eccleſiæ concedi debet ea vis coercitiva, ſine qua authoritas regendi Eccleſiam foret illuſoria, ut deſumitur *ex c. Præterea de offic. deleg.* quapropter poteſt Rector adigere Capellanos, ut unus poſt alium ſucceſſivè, & ſtatis horis pro commodo populi celebrent, & ſi Capellani detrectent parêre, poteſt etiam implorare auxilium ſuperioris, ipſósque adigere per majorem vim.

Quæritur decimò, **quomodo, & de quo** 15 **beneficio** intelligenda ſit Capellania, quando hæc confertur ratione fundationis ſacerdoti non habenti aliud beneficium? Reſpondetur, eſſe tunc intelligendam de quocunque beneficio eccleſiaſtico canonicè inſtituto, quod confertur in titulum, ſive habeat annexam curam animarum, ſive non: ratio eſt, quia nomine beneficii æquè comprehenduntur majora, ac minora, æquè regularia, ac ſæcularia, & dignitates, dummodo non ſint manualia, ad nutum amovibilia, ut docent Rebuffus *in prax. tit. quid ſit beneficium num. 10* Garcia *p. 1. de benefic. c. 6. num. 37.* Sylva *de benefic. p. 1. q. 3.* & deſumitur *ex c. ſi gratiosè V. beneficia de reſcript.* hinc in quovis beneficio diſpoſitio ſemper ha-

bet locum, quia verba ſemper intelligi debent cum propria ſua ſignificatione. Quamvis non deſint, qui cenſeant, debere tantùm intelligi de beneficio incompatibili, eò quia mens teſtatoris præſumatur fuiſſe, quòd ab alio beneficio non impediatur Capellanus in ordine ad ſuum munus obeundum: nihilominus hæc ſententia communiter rejicitur, quia hominis diſpoſitio non debet eſſe fruſtranea, & debet operari, adeo ut nullum ſit verbum in tali diſpoſitione, quod non aliquid operetur, ut tradunt Tuſchus *litt. V. conclus. 25. num. 6.* Alexander *conſil. 9. n. 2. lib. 7.* ſin autem diſpoſitio fundatoris intelligeretu tantùm de beneficio incompatibili, tota diſpoſitio foret ſine effectu: ratio eſt, quia de jure communi, non poteſt Capellania conferri habenti beneficium incompatibile. Tum quia ſi in diſpoſitione expreſsè non dicatur, quòd Capellanus debeat celebrare per ſe ipſum; poteſt per alium ſatisfacere: & tunc non poteſt cogi, ut celebret per ſe ipſum, quia non poteſt plus obligari, quàm obligetur in diſpoſitione teſtatoris, ut docent Garcia *de benefic. p. 7. c. 1. num. 87.* Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Gloſſa *5. num. 84.* Barboſa *de poteſt. epiſc. allegat. 44. num. 29.*

16 Quæritur undecimò, an Monachi, & regulares poſſint erigere altaria in quolibet decenti loco ſui monaſterii? Reſpondent communiter affirmativè ob privilegium conceſſum fratribus S. Hieronymi in Hiſpania, ut habetur *in compend. privileg. diſtorum frat. V. altare* §. 1. ut etiam ex privilegio à Gregorio XIII. conceſſo patribus ſocietatis JESU, ut liquet *ex compend. Privileg. ipſorum V. oratoria* §. *unic.* & quamvis ibi notetur, quod id non permittatur à Provincialibus niſi in locis ſemotis ab oppidis: nihilominus privilegia ſunt abſoluta. Proinde omnes communicantes in dictis privilegiis poſſunt eodem modo celebrare, ut docent Suarez *3. p. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. V. quarta exceptio* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 26. q. 9.* Imò id licitum eſt Regularibus communicantibus in dictis privilegiis etiam non petita licentia ab Epiſcopo, quia quando in privilegio non apponitur clauſula aliqua exprimens, eſſe neceſſariam Epiſcopi licentiam, tunc hæc non requiritur: quia cùm authoritas concedens privilegium ſit ſummi Pontificis ab eodem habent Regulares hanc licentiam; proinde non eſt neceſſe, eam petant à Prælatis inferioribus: hinc in privilegio conceſſo ſocietati JESU apponitur clauſula, quòd non requiratur licentia epiſcopi.

17 Quòd ſi dicas, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. de obſervan. & vitand. in celebrat. miſſ.* prohibere erigere hujusmodi altaria in quovis decenti loco. Reſpondetur, privilegium conceſſum ſocietati JESU fuiſſe emanatum poſt Concilium Tridentinum cum abrogatione cujusvis oppoſiti. Præterea Concilium tantùm prohibet celebrationem extra Eccleſiam, & oratoria publica; & totum monaſterium Regularium intelligitur nomine Eccleſiæ, ut habetur *in rubric. de reb. eccles. non alienand.* & docent Abbas *in c. 2 de conſuet.* Cardinalis *in clem. 11. q. 3. de judic.* adeo ut monaſteria gaudeant eadem immunitate, quâ Eccleſia: unde ſi erigantur altaria in monaſteriis, non eriguntur extra Eccleſiam, conſequenter neque contrà decretum Concilii Tridentini. Hinc poſſunt Regulares erigere altaria in locis, ubi decumbunt infirmi, ut poſſint è lecto, ſi ſurgere nequeunt, miſſam audire. Poſſunt etiam Regulares in ſuis grangiis erigere Capellas pro miſſis celebrandis, ſi communicent cum privilegiis, quia id fuit conceſſum ab Alexandro VI. Ordini Ciſtercienſi, ut habetur *in privileg. Ciſtercienſ. tit. grangiæ.* §. 1. & docent Perinus *tom 1. privil. minim. in conſt. Pyrr. num.* 31. Leſana 1. *p. 9. regul. c. 21. num. 15.* Neque obſtat, quòd Concilium Tridentinum *in d. ſeſſ. 22.* præcipiat, ne Epiſcopi patiantur, ut Regulares intuitu privilegiorum celebrent extra Eccleſiam, aut oratoria ſolùm divino cultui deputata; quia intentum Concilii fuit tollere abuſus celebrandi in domibus privatis, circa quod non vult privilegia ſuffragari Regularibus: proinde prohibitio cùm ſit odioſa non extenditur ad hujusmodi Capellas, & altaria in monaſteriis Religioſorum.

Tum quia grangiæ etiam veniunt nomine Eccleſiæ, & gaudent eadem immunitate ex privilegio conceſſo Ordini Ciſtercienſiũ ab Eugenio IV. Poſſunt etiam Regulares communicantes in privilegiis ex ſpeciali privilegio à Pio IV. conceſſo Canonicis Regularibus ſancti Salvatoris Lateranenſis anno ſui Pontificatũs ſexto in cellis, & cameris ſuorum infirmorum, ut notant Peregrinus *in compend. privileg. Theatinorum tit. infirmi* §. 2. Marchin. *de ſacram. ordin. tract. 3. de ſacrific. miſſ. p. 3. c. 9. num.* 12. & hoc privilegium fuit à Pio IV. conceſſum poſt decretum Concilii Tridentini; & ſufficit, ſi ratione infirmitatis non poſſit, qui ægritudine laborat, exire è cubiculo; ut exprimitur in eodem privilegio: debet tamen tunc cum debita decentia, & ſolitis ornamentis celebrari. 18

Quæritur duodecimò, an Epiſcopus poſſit inquirere, an Regulares ſatisfaciant oneribus miſſarum in aliqua Capella? Reſpondet Manriquez *p. 1. qq. Vicarialium q. 63. num. 6.* viſitationem Epiſcopi in eccleſiis Regularium ſe extendere ad Capellanias, quas defuncti pro ſalute ſuarum animarum legârunt in eccleſiis Regularium, & nititur ea ratione, quia in operibus piis, & executionibus ultimarum voluntatum Regulares non eximuntur à poteſtate Epiſcopi, ſed ſubſunt ejus viſitationi ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. c. 8. & 9. de refor.* quinimò addit, poſſe etiam punire Regulares delinquentes circa executionem ultimarum voluntatum, & refert pro hac ſententia Piaſecium *in prax. de viſit. p. 2. c. 3. num. 47.* Riccium *in prax. tit. prax. regular. reſol. 654. n. 7.* Verùm communior ſententia eſt, Epiſcopum non poſſe talem inquiſitionem exercere in Regularibus: & revera ex Concilio Tridentino non colligitur hæc facultas in Epiſcopis, quia Tridentinum *loc. cit.* non loquitur de Regularibus, ſed tantùm de aliis locis piis exemptis, & nec ullum verbum habet de Regularibus, & aliàs quoties Concilium conſtituit Epiſcopos delegatos ſedis Apoſtolicæ, etiam quoad regulares, id exprimit: quod verò regulares non veniant 19

nomi-

nomine exemptorum, ſed debeant ſpecialiter exprimi, ex eo oritur, quia non ſunt exempti utcunque, ſed ſunt plenè exempti, & habent ſuos immediatos ſuperiores, à quibus viſitantur: unde non omnia, quæ ſtatuuntur circa exemptos, cenſentur ſtatuta circa regulares, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio. Præterea celebratio miſſarum, & anniverſariorum non pertinet ad executionem ultimæ voluntatis, ſed ad executionem obligationis aſſumptæ à Regularibus: ſiquidem executio ultimæ voluntatis, tunc conſummatur, quando executores teſtamentarii adimplent voluntatem teſtatoris, ſeu quod in teſtamento diſpoſitum eſt: hinc quia teſtator inſtituit, ut fundentur Capellaniæ, vel inſtituantur anniverſaria, conſummatur executio voluntatis ultimæ per id, quòd Capellaniæ ſint fundatæ, & anniverſaria inſtituta. Cæterum quod ad celebrationem attinet miſſarum eſt executio obligationis ortæ quaſi ex contractu inito à Regularibus cum executoribus teſtamentariis, adeo ut ſit obligatio alterius generis, ſeu obligatio juſtitiæ, quæ ibi incipit, ubi deſinit executio ultimæ voluntatis, ſeu initur quaſi contractus inter executores teſtamentarios, & regulares acceptantes fundationem Capellaniæ in propria Eccleſia, & ita fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione refert ex Armend, *lib. 7. de Epiſc. num. 76. V. & Abbates*, Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. p. 3. allegat. 82. num. 32. V. monaſterium.*

20 Quæritur tertiodecimò, an ſi Capella fundari non poſſit in loco præfixo à teſtatore, & ſumma relicta pro fundatione non ſufficiat, ut erigatur in alio loco, poſſit tunc ſumma relicta commutari in aliud opus pium? Reſpondetur affirmativè, quia generatim quando legatum ex impedimento facti non poteſt adimpleri, commutandum eſt in aliud opus pium, & deſumitur *ex c. nos quidem de teſtament.* ubi Gregorius IX. injunxit Epiſcopo, ut curaret monaſterium fundari in alio loco, cùm in deſtinato à teſtatore non poſſit fundari: quinimò Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 6. de refor.* expreſsè decrevit, ut ex juſta, & neceſſaria cauſa poſſint Epiſcopi, ut delegati ſedis Apoſtolicæ commutare ultimas voluntates, imò *ſeſſ. 25. c. 4.* ſtatuit, ut Epiſcopus circa miſſas relictas celebrandas à teſtatore poſſit decernere, quod magis ad Dei honorem, & Eccleſiarum utilitatem viſum fuerit expedire, ſi contingat, quòd non poſſint ſuppleri. Ratio etiam id ſuadet, quia in ultimis diſpoſitionibus mens potiùs teſtatoris attendenda eſt, quàm verba diſpoſitionibus inſerta *l. labeo in fin. de ſupell. leg. & l. nominis & rei §. verbum ff. de V. S.* Tuſchus *litt. N. concluſ. 199.* & tradunt Caſtrenſis *conſil. 264. lib. 2.* Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 9.* Quamobrem cùm teſtator non præviderit, legatum non poſſe juxta ſuam diſpoſitionem adimpleri; inſpiciendum eſt, quid ipſe voluiſſet, ſi hoc impedimentum prævidiſſet, & quid interrogatus reſpondiſſet *l. Titius §. Lucius ff. de liber. & poſth.* Gloſſa in *l. tale pactum in fin. ff. de pact.* Mantica *lib. 5. de conject. ult. volunt. tit. 15. numer. 21.*

Quia verò non præſumitur, voluiſſe inutiliter legare *l. ult. ff. ſi cert. pet.* Menochius *lib. 6. præſumpt. 4. num. 25.* eò quia omne agens intendat finem, ob quem operetur, ideo infertur, quòd voluntas teſtatoris, cùm non poſſit impleri in ſua ſpecifica diſpoſitione, commutari debeat in aliud opus pium, quod quantum fieri poteſt proximiùs accedat ad legatum juxta mentem teſtatoris, cujus voluntas, quando non poteſt impleri in totum, debet ſaltem impleri eò meliori modo, quo poteſt *l. in his*, & *l. in teſtamento*, & *l. filia ſua §. 1. ff. de condit.* & docent Mantica *lib. 3. de conject. ult volunt. tit. 3. num. 6.* Romanus *conſil. 409. num. 11.* unde ſi Capella non poteſt fundari in præfixo loco à teſtatore, & ſumma relicta pro fundatione non ſufficiat, ut erigatur in alio loco, poterit tunc ſumma relicta commutari in aliud opus pium, ut docent Riccius *collect. p. 3 collect. 558. V. tertia cauſa* Barb. *de poteſt. epiſc. p. 3. allegat. 83. num. 7.* & deſumitur *ex l. legatum ff. de adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent.* ubi ſtatuitur, quòd ſi pecunia legata pro operibus pertinentibus ad ornatum civitatis ob interventum falcidiæ non ſufficiat, debeat expendi pecunia legata in aliud opus utile civitati. Hoc idem etiam decrevit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25 c. 4. de refor.* ubi ſtatuitur, quòd ſi eleemoſyna relicta pro miſſis celebrandis ſit ita tenuis, ut non facilè inveniatur, qui ſe oneri ſubjiciat, poſſint Epiſcopus in ſynodo diœceſana, & Abbates, & Generales Ordinum in capitulis generalibus ſtatuere circa hoc quidquid ad Dei cultum, & Eccleſiæ utilitatem expedierit. Verùm hæc facultas fuit poſtea revocata in decreto de celebratione miſſarum. 21

Quòd ſi inquiratur à quonam fieri debeat hujusmodi commutatio? Reſpondetur de jure antiquo potuiſſe fieri ab Epiſcopis; ſed hodie ſublata eſt Epiſcopis hæc facultas, quando agitur de commutatione ultimarum voluntatum quoad miſſas celebrandas, ut liquet in decreto ſacræ Congregationis *de celebrat. miſſar.* edito authoritate Urbani VIII. die 21. Junii 1625. addita declaratione ejusdem Congregationis, ubi declaratur, quòd ſi legatum ſit adeo tenue, ut non ſit, qui velit onus ſubire, adeunda ſit ſedes Apoſtolica pro reductione oneris: & ita ſervatur in praxi, & hæc eſt hodierna conſuetudo, quæ optima eſt legis interpres *l. ſi de interpret. ff. de legib. c. dilectus de conſuetud.* 22

Quæritur quartodecimò, quales Capella ſecum extenſiones trahat? Reſpondetur, Capellas conſtructas à fundatore, pro ſua familia varias habere extenſiones: ſiquidem extenditur ad omnes, qui ab ipſo fundatore deſcendunt ſecundùm lineam rectam, quia nomine familiæ veniunt, qui ab ipſo tanquam à ſtipite deſcendunt, ut docent Menochius *conſil. 30. num. 13. & ſequent. & conſil. 106. num. 226.* Surdus *conſil. 246. num. 12.* Gratian. *tom. 4. diſcept. forens. c. 645. num. 2.* Rota *decis. 707. num. 3. p. 1. recent.* Hinc deſcendentes transverſales non comprehenduntur nomine familiæ, eò quia ſint de alio ſtipite, ut notant Menochius *conſil. 1803. num. 22.* Serafinus *decis. 1438. num. 11.* 23

familia enim propriè eſt, quæ continuat in deſcendentibus per lineam rectã, & non per transverſalem; præſertim ſecundùm præſens inſtitutum, quia nomen familiæ ſupponit tantùm pro tali familia in ſpecie, & non in genere, niſi fortaſſis aliunde colligatur ſupponere pro familia in genere, ut notant Menoch. *d. conſil. 30. num. 13.* Paris. *conſil. 51. num. 10.* Id tamen limitatur quando conceſſio facta pro familia non poteſt fortiri ſuum effectum, niſi in transverſalibus, eò quia fundator non poſſit habere deſcendentes, vel quia ratione ætatis ſit inhabilis ad habendum ſucceſſores; quia in tali caſu nomine familiæ veniunt transverſales, ne conceſſio fruſtranea ſit, ut docent Peregrinus *conſil. 42. lib.* 2. Menochius *conſil. 106. num. 229.* Fuſarius *de ſubſtit. q. 351. num. 31.* Quòd ſi conceſſio non fiat in favorem perſonæ, ſed familiæ; tunc etiam extenditur ad transverſales, quia nomen familiæ in tali caſu ſumitur latiùs, prout comprehendit totam collectionem deſcendentium quomodocunque ſe habentium, ut notat Menochius *conſil 424. num. 12.*

Quòd ſi familia reducatur ad ſolas fœminas, adhuc conceſſio ad ipſas extenditur, quia fœminæ adhuc comprehenduntur ſub nomine familiæ *l. fin. C. de V. S. l. voluntas C. de fidei commiſſ.* & notant Menoch. *conſil. 197. n. 27.* Mantica *lib 8. de conject. ult. volunt.* Maſcard. *de probat. conclus. 1236. num. 42.* Ratio eſt, quia fœminæ trahunt etiam originem ab eodem ſtipite, & conſervant inſignia, & cognomen familiæ. Quòd ſi fœminæ nubant extra familiam, tunc conceſſio extinguitur, quia per mutationem nominis, & tranſitum ad aliam gentem, deſinunt eſſe de familia, Menochius *conſil. 197. num. 46.* Guttieres *conſil. 3. num. 8.* eò enim ipſo quòd mulier nubit alteri ex alia familia, imponit finem familiæ, quam extinguit, ut notat Menoch. *conſil. 348. n. 31.* hinc vidua dicitur de familia viri, & gaudet de privilegio dignitatis ipſius, ut notat Tuſchus *litt. V. conclus. 204. n. 8.* 24

TITULUS XXXVIII.

De jure Patronatûs.

CUm in præcedenti titulo Pontifex egerit de Capellis, quæ interdum conſtituuntur à fundatoribus cum beneficio, ſibique reſervant jus præſentandi, vel nominandi clericum ad illud, ideo in præſenti titulo agit de hoc jure patronatus. Ex beneficiis eccleſiaſticis quædam ſunt, in quibus authoritate ſuperioris illi inſtituuntur clerici, quos patroni præſentârunt, ſeu nominârunt, vel obtulerunt Epiſcopo: quapropter in jure canonico extat præſens titulus de jure patronatus, & quamvis patronus in jure ſumatur multipliciter, ut notat Panormitanus, nimirum pro advocato reſpectu cauſæ, quam promovendam aſſumit patrocinio ſuo *l. rem non novam §. patroni C. de judic.* Interdum pro Domino reſpectu ſervi manumiſſi, ſeu liberti, ut liquet *ex tot. tit. ff. de jure patron.* adeo ut jus patronatus accipiatur pro eo jure, quod competit Domino, manumittendi ſervum ſuum, ſeu dimittendi eum liberum, pro quo beneficio manumiſſionis acquirit Dominus, qui & patronus dicitur, jus, ſeu poteſtatem in perſonam ſervi manumiſſi (qui & libertus dicitur) ad obedientiam, & operas ſibi præſtandas. Demum ſecundùm præſens inſtitutum ſumitur patronus pro eo, qui Eccleſiam conſtruxit, dotavit, fundavit & jus patronatus accipitur pro illa poteſtate, quam ſacri canones concedunt fundatori præſentandi aliquem clericum idoneum Eccleſiaſticum ad beneficium ab ipſo fundatum: unde ad Patronum pertinet clericum promovendum nominare, ſeu præſentare Papæ, vel Epiſcopo, aut alteri inferiori Ordinario: ad Papam verò, vel Epiſcopum pertinet Clericum oblatum, & præſentatum à Patrono inſtituere, eique conferre beneficium.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PERLATUM* 1. *h. t. Ex Concilio Mediolanenſi ſtatuitur, quòd ſi inter Patronos ſit tale diſſidium, ut non poſſit Sacerdos ſuo fungi officio, ſi aliter provideri non poſſit, Epiſcopus præcipiat, ut in Eccleſia non celebrentur miſſarum ſolemnia, donec patroni concordent, & Eccleſia ſuum habeat ſacerdotem liberum; quia Eccleſia dividi non debet. Ubi notat Gloſſa, jus patronatus apud unumquemque haredum eſſe in ſolidum, quoad omnem ejus effectum, præter ſacerdotis præſentationem, quæ eſt apud omnes, adeò ut electio ſit indiviſibilis, & tranſeat ad quemlibet haredum in ſolidum, quòd ſi haredes non concordent, poſſunt inter ſe pa-*

ciſti, ut alternis vicibus præſentent. Hinc hodie non relinquuntur miſſarum ſolemnia ſi abſque ſcandalo poſſit Eccleſia ordinari.

✠ *QUÆCUNQUE* 2. *h. t. Ex Concilio Tribuenſi ſtatuitur: ut ultra dicta in* c. præced. *Epiſcopus tollat etiam inde reliquias, claudat tamen oſtium, donec patroni eligant unum idoneum. Ubi notat Gloſſa, textum non loqui de reliquiis in altari ſitis, ſed de iis, quæ ſervantur in capſulis. Quod verò ad remedium attinet interdicendi celebrationem divinorum, tollendi reliquias, & claudendi januas Eccleſiæ, notat Panormitanus hic poſſe Epiſcopum hodie illo uti, ſi ſpes affulgeat hac ratione ſedandi diſſidia inter patronos. Quòd ſi contentio ſit ſuper ipſo jure patronatus conſultius eſt, ſi Epiſcopus expectet tempus præfixum ad præſentandum, quo elapſo ſi patroni non præſentent, ad Epiſcopum pertinet inſtituere, dummodo id poſſit abſque ſcandalo. Quòd ſi contentio orta ſit inter Epiſcopum, & patronum, tunc ne Eccleſia deſtituatur ſuo ſervitio, ponendus eſt Oeconomus, ſeu Vicarius in Eccleſia, donec lis abſolvatur* c. cum vos de offic. ordin.

C. *QUONIAM* 3. *h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, quòd ſi Patroni diſſentiant, & diverſi diverſos præſentent, ſit is præferendus, cui majora merita, & plura vota favent. Quòd ſi id non poſſit ſine ſcandalo fieri, debeat Epiſcopus ordinare, prout conſultius judicaverit expedire. Idque confirmatur etiam jure novo in Concilio Tridentino* ſeſſ. 14. de refor. c. 12. *& ſeſſ. 25. c. 9. Hoc idem debet Epiſcopus exequi quando inter aliquos oritur quæſtio de jure patronatûs, & lis inter quatuor menſes non finitur. Ubi notandum eſt, jus patronatus, ex mera gratia, & benignitate Eccleſiæ conceſſi laicis, ſeu potiùs ipſis permitti per conniventiam, ut excitentur ad conſtruendas, fundandas, & dotandas Eccleſias. Quia ſi ſpectemus naturam beneficii, & collationis, cùm ſit quid ſpirituale, cui ex permiſſione Eccleſiæ annexum eſt jus patronatus, nec fundatio, nec conſtructio, nec dotatio tantam per ſe peſſet poteſtatem conferre laico præſentandi ad beneficium eccleſiaſticum. Rurſus hoc jus patronatus acquiritur ex fundatione Eccleſiæ, non ex reſtauratione, vel refectione ejuſdem, niſi totaliter eſſet Eccleſia deſtructa, quia tunc qui de conſenſu epiſcopi reædificat, acquirit jus patronatus, quia perinde eſt, ac de novo Eccleſiam ædificare. Caterum qui eſt à pluribus patronis præſentatus, non eſt neceſſe, habeat majora merita, ſed ſufficit, ſi ſit idoneus, quamvis alter ſit dignior. Quando verò ſunt plures patroni, neceſſe eſt, ut major pars illorum conſentiat, adeò ut major pars ſumatur reſpectivè ad omnes ſimul, non verò ad minorem, adeò ut ſi eſſent octo patroni, major pars conſtituatur per numerum quinarium. Hoc autem procedit quando præſentatio ſit à patronis collegialiter,* c. Eccleſia de elect. *ſecus enim eſſet, ſi præſentarent ſigillatim. Rurſus ubi ſunt plures patroni, debent omnes vocari, alioquin non vocati poſſent agere de contemptu* c. quod ſicut de elect. *Verùm id non eſt neceſſe, quando ſinguli poſſunt ſeorſim præſentare, & explicare ſuum actum* argum. l. per fundum ff. de ſervit. ruſt. præd. *Verùm Panormitanus contrarium ſentit ex doctrina Bartoli in* l. omnes populi ff. de juſt. & jur. *ubi ait, quòd ſive à Collegio conſenſus ſit explicandus, ſive à pluribus, ſive à ſingulis, ſi in actu major pars poſſit providere minori, ſemper debent iſti eſſe ſimul, & quaſi collegialiter procedere, ne ſe mutuò præjudicent.*

C. *PRÆTEREA* 4. *h. t. Ex eodem Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut patroni laici non poſſint ſine authoritate Epiſcopi inſtituere clericos, vel removere, vel bona eccleſiaſtica pro ſua voluntate diſtribuere, & ſi ſecus fecerint incurrunt excommunicationem ferendam per ſententiam judicis. Rurſus ne clerici recipientes Eccleſias per laicos ſine authoritate Epiſcopi ſint privandi communione, & ſi perſtiterint ſint deponendi à miniſterio eccleſiaſtico, & ab ordine. Notat tamen Gloſſa, laicum ſe immiſcentem ſpiritualibus, & temporalibus juris patronatus non eſſe ipſo jure excommunicatum, ſed excommunicandum, & clericum accipientem à laico ſine authoritate Epiſcopi Eccleſiam, nec eſſe ipſo jure ſuſpenſum, ſed ſuſpendendum. Caterum clericus, qui aſſentitur ſuæ electioni facta per laicos ſit ineligibilis* c. quisquis de elect. *Ex hoc autem textu deſumitur etiam regula, quòd patronus ſive ſit laicus, ſive eccleſiaſticus non conſequitur jus inſtituendi, vel deſtituendi, nec adminiſtrandi bona Eccleſiæ, ſed ſolùm jus præſentandi Epiſcopo, ut habetur in Tridentino* ſeſſ. 14. c. 13. de refor. *ubi mandat Epiſcopis, ut præſentatos à patronis, niſi fuerint idonei, repellant, ut habetur in* ſeſſ. 25. de refor. c. 9.

C. *QUOD AUTEM* 5. *h. t. Alexander III. reſcribit Archiepiſcopo Eboracenſi, quòd ſi Patronus præſentet idoneum pro Eccleſia, & Epiſcopus eum non admittat, ſi deinde præſentet alium idoneum, quem Epiſcopus admittat, primus præſentatus, & non admiſſus, non poſſit agere, nec ſit præferendus: quia ante approbationem Epiſcopi præſentatio non eſt rata, nec dat jus perfectum præſentato: & melior ſemper eſt conditio poſſidentis. Rurſus declarat Pontifex, laicum patronum ſine conſenſu Epiſcopi non poſſe Eccleſiam donare alicui clerico, vel collegio, & ſi donet, donatio eſt nulla. Notat tamen Gloſſa, caſum poſitum in textu, quòd ſecundus præſentatus ſit præferendus primo, & melior ſit conditio poſſidentis, tantùm valere, quando laicus præſentat, non ita quando perſona eccleſiaſtica, quia non poteſt variare* c. cum autem h. t. *laicus verò poteſt variare ante inſtitutionem Epiſcopi.*

C. *QUIA CLERICI* 6. *h. t. Idem Pont. reſcribit, eum qui emit jus patronatus, vel alio modo illud acquirit, ut præſentet ſuos filios, vel nepotes eſſe privandum tali jure. Textus tamen intelligitur de emente injuſtè jus patronatus, vel illud ſolitariè acquirente: quia ſi quis emat jus patronatus cum univerſitate, id poteſt licitè fieri.*

C. *EX LITTERIS* 7. *h. t. Idem Pont. declarat, jus patronatus tranſire cum univerſitate, niſi ſpecia-*

ſpecialiter excipiatur, tametſi univerſitas detur conductori ſolùm ad firmam, ſeu quoad dominium utile: hinc ſi conductor præſentet ante motam litem ſuper jure patronatus, præſentatio valet, & poſt motam litem nihil eſt innovandum. Ex quo textu liquet, jus patronatus conſiſtens in aliqua univerſitate temporalium tranſire cum ipſa univerſitate, tametſi univerſitas tantùm tranſeat, quoad dominium utile: niſi tamen jus patronatus fuerit ſpecificè exceptum. Nomine autem univerſitatis hic intelligitur quando res aliqua non ſolum unum aliquid, ſed plura tum corpora, tum jura continet, ut explicat Panormitanus hic num. 10. *quando igitur hæc univerſitas tum corporum, tum jurium emptione, vel locatione, aut alio modo transfertur in alium, res tota tranſit in illum cum omnibus ſuis oneribus, juribus actionibus, proinde etiam cum jure patronatus: quia inhæret rei habenti univerſitatem bonorum.*

C. *ILLUD PRÆTEREUNDUM* 8. *h. t. Idem Pontifex declarat, laicum non poſſe concedere Eccleſiam non vacantem inconſulto Epiſcopo alicui loco religioſo; adeò ut ſi poſt talem conceſſionem Eccleſia vacet, & laicus nominet clericum, qui inſtituatur ab Epiſcopo; ſecunda electio, & inſtitutio valida ſit, & firma, quia prima nullius fuit valoris: ſiquidem fuit de Eccleſia non vacante. Præterea, quia laicus ſine conſenſu Epiſcopi non poteſt Eccleſiam alicui dare; bene tamen jus patronatus alicui loco pio. Ubi notat Gloſſa, Eccleſiam non vacantem non poſſe concedi privatæ perſonæ, bene tamen de conſenſu Epiſcopi poſſe concedi loco pio, immo de conſenſu Epiſcopi poteſt jus patronatus etiam dari laico, ut cenſent plures ob* c. ex inſinuatione 14. h. t. *verùm in illo textu non eſt firmo de donatione, ſed tantùm de renunciatione. Mihi tamen placet quoad jus patronatus dandum loco religioſo à patrono laico ſine conſenſu Epiſcopi ſententia Panormitani hic* num. 3. *ubi procedit cum diſtinctione: vel enim conſtat, Eccleſiam dari a patrono in proprietatem, vel ſolùm concedi jus patronatus, vel concedi indiſtinctè Eccleſiam, adeò ut dubium ſit, an intendat dare Eccleſiam, vel jus patronatus: & reſpondet, in primo caſu conceſſionem factam ſine authoritate Epiſcopi nullius eſſe valoris, proinde non habere vim transferendi jus patronatus. In ſecundo caſu reſpondet, quòd ſi expreſsè concedat jus patronatus ſimul cum aliqua univerſitate, ut cum caſtro, tunc tranſit cum eadem univerſitate etiam jus patronatus ſine authoritate Epiſcopi* c. ex litteris ſup. h. t. *quia ad conceſſionem caſtri, quod eſt principale, non requiritur authoritas Epiſcopi, ideo nec in conceſſione juris patronatus quod ſe habet ut acceſſorium, quod ſequitur naturam ſui principalis. Quòd ſi concedatur jus patronatus per donationem factam inter vivos loco religioſo; neque tunc requiritur conſenſus Epiſcopi. In tertio caſu quando conſtat de intentione dantis, ſed conceſſio Eccleſiæ facta eſt de conſenſu Epiſcopi, reſpondet Panormitanus, jus patronatus tranſire cum tali conceſſione, & aliis juribus, quæ patronus ibi habet.*

C. *QUERIMONIAM* 9. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi patroni ſuccedant, vel varientur, non poſſint mutare ordinem Eccleſiarum, quia ut notat Gloſſa hic patroni non poſſunt diſponere de Eccleſia, vel de rebus Eccleſiæ, ſed tantùm poſſunt Eccleſiam defendere, & denunciare exceſſus ſacerdotum Epiſcopo* c. præterea eod. *Hinc quamvis patronus habeat jus præſentandi, nihilominus legitimè inſtitutus ad præſentationem unius patroni, ſi eo defuncto, vel ex alia cauſa ſuccedant plures patroni, non poteſt ad inſtantiam ſuccedentium amoveri, quia inſtitutus non habet ſuum jus principaliter, & per ſe à patrono, ſed ſolùm ſecundariò, & per accidens: jus enim habet principaliter, & per ſe ab Epiſcopo, proinde ad inſtantiam patronorum ſuccedentium non poteſt amoveri.*

C. *CUM LAICI* 10. *h. t. Idem Pont. declarat, laicos non poſſe propria authoritate ordinare clericos in Eccleſiis juris patronatus, adeò ut, ſi concedant Eccleſiam alicui ſine licentia Epiſcopi, & deinde præſentent alium Epiſcopo, qui ab Epiſcopo inſtituatur, valeat hæc inſtitutio, quia prima conceſſio fuit nulla. Ubi notandum eſt, ex benignitate Eccleſiæ, patronum laicum ob Eccleſiam illegitimè, & nulliter conceſſam non privari jure patronatus, ſed ab Eccleſia admitti ejus præſentationem, ac ſi non deliquiſſet. Hinc notat Gloſſa, quòd quando aliquid de jure non valet, liceat pœnitere, & contra ſuum factum venire. Cæterum quando prima electio eſt nulla, non impedit ſecundam* l. Congregatio de elect.

C. *CURA PASTORALIS* 11. *h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut nullus Religioſus poſſit acquirere, vel retinere Eccleſias conceſſas laicis ſine conſenſu diœceſani, niſi ob legitimam præſcriptionem, vel ſubſequentem Epiſcopi conſenſum: non enim laici poſſunt transferre niſi jus quod habent, & quia habent jus patronatus dependenter ab Eccleſia, non poſſunt ſine conſenſu illius illud transferre: unde clerici, vel Monachi ſine authoritate Epiſcopi non poſſunt illud acquirere. Notat tamen Panormitanus hic* num. 1. *poſſe Eccleſiam jure proprietatis præſcribi per aliam Eccleſiam, ut illi ſubjiciatur, veluniatur, non verò per clericum, ut eam habeat tanquam Prælatum. Cæterum licèt ſine previo conſenſu Epiſcopi conceſſio Eccleſiæ facta per laicum ſit per ſe nulla, nihilominus ſi poſtea petatur conſenſus, & obtineatur ſuum acquirit valorem, quia ex regula jur. in 6. ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato.*

C. *SI VERO* 12. *h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Patroni diſſentientes de jure patronatus infra quatuor menſes non præſentent, debeat Epiſcopus idoneum aliquem inſtituere, ut poſt litem, qui vicerit, præſentet jam inſtitutum. Ubi notandum eſt, præſentationem patroni tunc eſſe poſteriorem illa Epiſcopi, & inſtitutum ab Epiſcopo non poſſe moleſtari, ſed tantùm per ſubſequentem præſentationem Eccleſia indulget patrono, ut ſui juris poſſeſſionem capiat.*

C. *CUM SÆCULUM* 13. *h. t. declarat idem Pont. quòd ſi exemptis, & Religioſis transferatur*

tur jus patronatus, non propterea minuitur jus Episcopale in illa Ecclesia. Ubi notat Glossa, Religiosos non plus juris habere in Ecclesiis, in quibus habent jus patronatus, quàm habeant alij patroni laici. Caterum jus patronatus existens in aliquo fundo ratione Ecclesiæ ibi sitæ transit in venditionem cum ipso universo fundo, non autem in venditionem rei particularis, & hoc procedit de quacunque legitima translatione fundi in alium.

C. *EX INSINUATIONE* 14. *h. t. declarat idem Pont. neminem sine consensu patroni posse occupare Ecclesiam. Ubi notat Glossa, posse tamen patronum dare jus præsentandi alicui particulari de consensu Episcopi. Hinc si sint duo patroni in solidum, potest unus concedere alteri liberam præsentationem totius beneficii. Excipiuntur tamen tres casus, in quibus Episcopus potest instituere non præsentatum à patrono. Primò si Patronus sit negligens in præsentando, & non præsentet intra sex menses, si sit Ecclesiasticus, & si laicus intra quatuor. Secundò si Patronus præsentet indignum. Tertiò quando Papa, vel Legatus à latere confert beneficium, quòd tamen limitatur à Panormitano, ut Legatus non possit se præferre Patrono nisi hic fuerit ecclesiasticus. Et ita intelligitur* cap. cum dilectus 28. h. t.

C. *CONSULUIT* 15. *h. t. Idem Pont. declarat, patronos non posse sibi retinere, nec aliis concedere Ecclesias sine consensu Episcopi. Ubi notat Glossa, Ecclesiam abominari successionem hæreditariam in beneficiis, & ecclesiis; proinde meritò Pontificem prohibere, ne filii Patronorum, quantumvis clerici, sua vel parentum authoritate sine institutione Episcopi beneficia, aut Ecclesias pratenso titulo fundationis à parentibus facta, vel ipsi occupent, vel parentes ipsis, aut aliis concedant. Ratio hujus prohibitionis est, quia ex jure patronatus non plus ipsis convenit, quàm solum, & simplex jus præsentandi. Non verò jus conferendi beneficium, quia hoc jus pertinet ad solam Ecclesiam. Sin verò essent plures patroni, possent unum ex se ipsis præsentare* c. cum in jure de elect. *Rursus accedente authoritate, & institutione Episcopi, potest pater filium præsentare, sed nemo se ipsum quia inter præsentantem, & præsentatum debet dari distinctio.*

C. *DE JURE* 16. *h. t. declarat idem Pont. jus patronatus per se non posse vendi, cùm sit annexum spirituali: quòd si vendatur, venditio non tenet. Caterum diximus in præcedentibus posse vendi cum universitate, quia ut notat Panormitanus hic* num. 2. *mixtum cum duabus naturis assumit sibi naturam potentioris, & dignioris, & cum jus patronatus sit partim spirituale, ratione juris conferendi, quod respicit, & cui est connexum, & partim temporale, ratione commodorum, ideo prohibetur venditio, ac si ex integro esset spirituale. Et ob hanc rationem putarim, etiam cum universitate non vendi jus patronatus, sed tantùm concedi alteri sine pretio, tanquam ejus accessorium, quod sequitur principale. Unde si jus patronatus sit annexum castro quod venditur, transit quidem ad emptorem propter connexionem cum castro, non verò propter pretium exactum ob tale jus patronatus in se.*

C. *NULLUS* 17 *h. t. declarat idem Pont. Patronum non posse dare canonicis, vel monasteriis decimas, vel Ecclesias, vel aliud pertinens ad jus spirituale sine consensu Episcopi, quòd si Episcopus consentiat causâ avaritiæ, & improbitatis, mandat Pontifex, ut denuncietur Papa, & quod offerendi est cum ejus licentia offeratur. Ex quo textu liquet, non posse laicum dare Ecclesiam sine consensu episcopi, licèt possit dare jus patronatus; quòd si laicus de facto conferat, & Episcopus postea consentiat, collatio tenet, quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato* cap. cura pastoralis 9. h. t. cap. suggestum 20. eod. t.

C. *SIGNIFICASTI* 18. *h. t. declarat idem Pont. quòd si aliquis Episcopus habeat jus præsentandi in aliena Ecclesia, & præsentet idoneum, sit hic admittendus. Ubi notandum est, posse Episcopum à patrono titulo donationis, vel alio acquirere jus patronatus in Ecclesia alterius diœcesis, ut liquet ex* c. 1. 16. q. 7. *in quo casu de jure communi tenetur Episcopus præsentare clericum dictæ diœcesis, non autem peregrinum sine approbatione Episcopi talis diœcesis* c. fin. de cler. pereg. *Hodie tamen consuetudo invaluit, ut quilibet Patronus possit præsentare, quemlibet Clericum, dummodò sit idoneus. Rursus si Episcopus in sua diœcesi acquisivit à Patrono jus patronatus, & instituere ad tale beneficium pertineat ad Prælatum inferiorem, tunc tenetur hic admittere præsentationem factam ab Episcopo, quia Episcopus in sua diœcesi potest quemlibet clericum approbare. Excipitur tamen nisi manifestè constaret, præsentatum ab Episcopo non esse idoneum. Caterum ad beneficia curata debent eligi, & præsentari digniores ex Concilio Tridentino* sess. 24. de refor. c. 18.

C. *CONSULTATIONIBUS* 19 *h. t. refert idem Pont. quòd si quis possideat jus patronatus, & præsentet idoneum, quem Episcopus instituit; si deinde in lite Patronus amittat jus patronatus, & alius vincat, non possit hic jam præsentatum, & institutum ab alio ante litem removere ab Ecclesia, quia ut notat Glossa hic, est quasi in possessione cum bona fide, proinde acquirit titulum, tametsi qui præsentaverit revera non fuerit Patronus* c. cum olim de causa possess. & proprie. *Huc pertinet, quòd vulgò dicitur, nonnunquàm plus valere, quod est in opinione, quàm in veritate: verùm tredecim dies sine possessione non juvat.*

C. *SUGGESTUM* 20. *h. t. Idem Pont. declarat, concessionem Ecclesiæ factam priùs à Patrono sine consensu Episcopi cedere concessioni factæ authoritate Patroni, & assensu diœcesani. Ubi notat Glossa per subsequentem consensum fieri validum, quod ab initio non erat validum. Caterum ex textu liquet, Ecclesiam patronatam non posse mutari alienari, donari, vel concedi alteri, non solùm sine authoritate Episcopi, sed*

vicerit. Ubi notandum est cum Panormitano tempus non currere ignoranti, nec legitimè impedito.

C. *CUM DILECTUS 28. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si Patronus præsentet unum, qui non instituatur ab Episcopo; si postea præsentet alium, qui instituatur, primus non habeat jus ad Ecclesiam, quamvis præsentans fuerit clericus, si tamen præsentaverit, ut laicus, hoc est ratione patrimonii. Rursus si una Ecclesia sit patrona alterius, possit Legatus à latere sibi reservare illam Ecclesiam non vacantem, & cùm vacat eam conferre inconsultò Patrono: secus tamen si Patronus sit laicus, ut etiam si sit clericus, dummodo sit Patronus ratione patrimonii. Demum declarat Pontifex, eum, qui canonicè non possidet Ecclesiam, teneri eam relinquere, & fructus restituere. Ex quo textu liquet, præsentatum, per solam præsentationem, non assequi verum jus in beneficio, sed tantùm quandam juris inchoationem, tametsi possit appellare, si Episcopus illum malitiose excludat ab institutione. Rursus Clericum Patronum ratione proprii patrimonii posse variare in electione, eò quia tunc non præsentat ut clericus: & præsentatum non habere plenum jus nisi postquam fuerit institutus.*

C. *PASTORALIS 29. h. t. declarat idem Pont. quòd si præsentatus à Patrono laico rejiciatur ab Episcopo, & appellet ad Papam, interim Patronus alium præsentet, qui tamen instituitur, hic secundus Ecclesiam obtinet, eò quia inter præsentatos à laico melior sit conditio possidentis: quòd si Episcopus malitiose excluserit præsentatum idoneum, compellitur, ut illi provideat de beneficio competenti. Ut autem Episcopus probet se malitiosè non excluſisse præsentatum tenetur ostendere, ipsum non fuisse idoneum: siquidem quilibet præsumitur bonus, si non probetur malus. Præterea ex eo itidem probatur malitia, si eum repellat nullo facto de eodem examine.*

C. *POSTULASTI 30. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si Rector Ecclesiæ parochialis præsentet aliquos ordinandos ad titulum suæ Ecclesiæ non requisito Patrono, & præsentati ordinentur, non præjudicat Patrono, quia ipse, quando vacat beneficium potest alios præsentare relictis ipsis ordinatis, & titulatis, si non consenserat eorum præsentationi, & institutioni: secus si consensit. Quinimò ut notat Glossa si Patrono præsente, & non contradicente aliquis intituletur censetur consetire, quod tamen à pluribus negatur, quia Patronus debet ipse Rectorem, & clericum præsentare, si Ecclesia non sit collegiata.*

C. *TRANSMISSA 31. h. t. Gregorius IX. rescribit Archiepiscopo Eboracensi, Patronum non posse conferre seu concedere, vel instituere Ecclesiam, sed tantùm præsentare, adeò ut, si ei conferat Ecclesiam, & postea præsentet alium Episcopo, quamvis primus appellaverit ad Papam; nihilominus potest Episcopus instituere hunc præsentatum. Ex quo textu etiam colligitur, Patronum ex vi juris patronatus non habere jus conferendi, seu eligendi, sed tantùm præsentandi clericum instituendum ab Episcopo.*

IN SEXTO.

C. *SI LAICUS unic. h. t. Bonifacius VIII declarat, posse laicum sine consensu Episcopi dare suum jus patronatus eidem Ecclesiæ, cui est connexum, vel etiam alteri Ecclesiæ, aut loco pio, & quamvis hæc donatio teneat, non tamen præjudicat juri Episcopi, qui non consentit, adeo ut Episcopus semper debeat instituere præsentatum ab Ecclesia. Rursus quamvis laicus, quando erat Patronus, habuerit tantùm quatuor menses ad præsentandum vacante Ecclesia; nunc tamen Ecclesia, cui est donatum jus patronatus habet sex menses: quia Ecclesia, quantum ad præsentandum reputatur Ecclesiasticus Patronus, cui de jure competunt sex menses. Ex hoc textu iterum liquet, posse à laico Ecclesiam liberè donari alteri Ecclesiæ seu loco religioso etiam sine consensu Episcopi, licèt non debeat derogari per hanc donationem juri Episcopali. Rursus jus patronatus à laico translatum in Ecclesiam, vel locum religiosum fieri Ecclesiasticum, quia quando res non privilegiata transfertur ad privilegiatum, fit privilegiata, ut notat Tiraquel. de jure primogeniti in* præfat. n. 12.

IN SEPTIMO.

C. *SANCTISSIMUS 1. h. t. Hadrianus VI. revocat omnes concessiones beneficiorum electivorum juris patronatus hactenus factas à primo anno Pontificatus Innocentii VIII, qui Romæ coronatus fuit pridie Idus Septembris anno reparatæ salutis 1484. Et ut liberiùs de personis bene meritis provideatur ecclesiis cathedralibus, & monasteriis, ut etiam aliis dignitatibus, beneficiis, hospitalibus; omnes & singulas reservationes, & concessiones juris patronatus, ac facultates, & indulta præsentandi, seu nominandi personas hujusmodi ad Ecclesias, monasteria, Prioratus præposituras, & alias dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, & alia beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura, sæcularia, & ordinum quorumcunque regularia revocat & declarat esse nullius roboris.*

C. *SI PATRONI 2. h. t. Paulus IV statuit, ut Patroni beneficij ecclesiastici, sive sint laici, sive clerici, si præsentaverint aliquem ex Apostatis, & extra claustra vagantibus ad beneficium de eorum jure patronatus existens, quod tunc vacet, careant Patroni jure præsentandi alios ad eadem beneficia pro illa tantùm vice, & declarat præsentationes hujusmodi eo ipso esse irritas, inanes, & nullas.*

C. *POENITENTIARIUS 3. h. t. Pius IV. ex decretis reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ statuit, ut Pœnitentiarius, seu Apostolica pœnitentiaria regens debeat abstinere à concessione juris patronatus, seu præsentandi ad beneficia ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantùm ex causa fundationis, vel dotationis, aut constructionis. Ex quo textu iterum liquet, jus patronatus non acqui-*

ri niſi ab eo, qui Eccleſiam fundat, vel dotat, vel conſtruit, & donationem fructuum beneficii non ſufficere ad acquirendum jus patronatus.

IN CLEMENTINIS.

C. *UT CONSTITUTIO 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat, Patronos clericos, vel Religioſos, & exemptos, qui præſentant aliquem ad Eccleſiam, debere intra terminum præſcribendum ab Epiſcopo aſſignare congruam portionem de proventibus Eccleſiæ, ut ferat onera ejusdem: quòd ſi intra terminum præſcriptum Patroni negligant hanc portionem congruam aſſignare, ſtatuit Pontifex, ut Epiſcopus præſentatum inſtituat, cui etiam aſſignet moderatam portionem excluſa omni paſſione, & compellat Patronos etiam religioſos cenſurâ eccleſiaſticâ. Quòd ſi Patroni, ſeu clerici non obſtantibus quibuscunque, ſive Religioſi præſentantes in iisdem eccleſiis ipſimet ferunt onera ejusdem Eccleſiæ: tunc declarat, non eſſe aſſignandam aliam portionem, ſed ſufficere, ſi Presbyteros, & Vicarios congruè & decenter tractent. Ex hoc textu infertur, negligentiam Patroni ſuppleri per Epiſcopum, ad quem devolvitur facultas aſſignandi congruam portionem ei, qui Eccleſiæ inſervit. Excipiuntur tamen Eccleſiæ, in quibus Religioſi, & alii percipientes earum reditus, onera juriſdictionum Epiſcopalium, & hanc curam ipſi ferunt; tunc enim ſufficit, ſi Vicarius alatur honeſtè. Quia ibi nequit congrua portio diſtincta aſſignari.*

C. *PLURES 2. & ult. h. t. Declarat idem Pont. quòd ſi unus Patronorum decedat relinquens plures filios, omnes filii relicti habeantur pro una voce in jure patronatus, eò quia jus patronatus competat per ſtirpes, non per capita. Poſſunt tamen Patroni convenire inter ſe liberè de præſentando Rectore ab iisdem alternis vicibus, immo poſſunt etiam præſentare plures clericos ad unam Eccleſiam, ut Epiſcopus eligat, quem maluerit. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, Patronos habentes plures Eccleſias poſſe convenire, ut unus præſentet unam, & alter alteram.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit jus patronatus, & quibus modis acquiratur.

IUs patronatus ab Hoſtienſi *in ſumma tit. de jure patr.* definitur *poteſtas nominandi, ſeu præſentandi, & offerendi clericum promovendum ad beneficium ſimplex, & vacans*: diſplicet tamen pluribus hæc definitio, Primò quia dicitur *poteſtas præſentandi, & offerendi*, cùm jus patronatus non ſolùm in hac facultate, verùm etiam in aliis multis conſiſtat. Secundò quia apponitur beneficium ſimplex, cùm plures patroni habeant jus præſentandi, & nominandi clericos etiam ad beneficia, quibus eſt annexa cura animarum, ut etiam ad dignitates, ad perſonatus, imò ad Eccleſias cathedrales, & Metropolitanas: hoc enim jus habent Reges Galliæ, & Hiſpaniæ. Tertiò nec placet quòd addatur *beneficium vacans*, quia conſenſus patroni non ſolùm eſt neceſſarius, quando beneficia vacantia per obitum clericorum conferuntur: ſed etiam quando alio quovis modo per mutationem, unionem, translationem, renuntiationem dantur: nihilominus definitio tradita ab Hoſtienſi à pluribus propugnatur, ut recta: quia Hoſtienſis per beneficium ſimplex intellexit beneficia non electiva, & quæ non ſunt Prælaturæ, ſive ſimplicia ſint, ut Capellaniæ; ſive curata, ut parochiæ, & aſſerit præſentationes, ad dignitates, & Prælaturas non fieri ex præſcripto juris communis, ſed ex privilegio ſedis Apoſtolicæ, vel conſuetudine legitimè præſcripta. Rurſus per beneficium vacans intellexit beneficium conferendum alteri.

Recentiores tamen Canoniſtæ cum Abbate *in rubric num. 3.* deſcribunt jus patronatus, quòd ſit *jus honorificum, onerosum, & utile competens alicui in Eccleſia, quam ex conſenſu Epiſcopi, vel Diœceſani fundavit, conſtruxit, vel dotavit ipse, vel is, à quo cauſam habuit, cum poteſtate præſentandi clericum inſtituendum ad beneficium vacans.* Dicitur *jus honorificum*, quia cedit in honorem Patroni poſſe præſentare, & nominare Epiſcopo, vel Papæ Rectorem Eccleſiæ à ſe fundatæ: tum quia ei etiam competit præcedentia in proceſſionibus, ut deſumitur *ex c. nobis 25. h. t.* ubi Clemens III. ſtatuit, ut Patrono detur honor proceſſionis. Additur *Onerosum*, quia patronus tenetur Eccleſiam defendere, ne ejus bona indebitè dilapidentur *can. filiis 16. q. 7.* Rurſus dicitur *utile*, quia ex jure patronatus, hæc in patrono oritur utilitas, ut ſi è pingui fortuna in tenuem deveniat, & inopiâ laboret, ex redditibus ultra neceſſaria remanentibus debeat pinguiùs ali ab Eccleſia à ſe fundata, quàm alii pauperes, ut deſumitur *ex d. c. nobis 25. h. t.* ubi Clemens III. etiam ſtatuit, quòd ſi Patronus vergat ad inopiam, Eccleſia debeat modeſtè illi ſuccurrere ſecundùm jura: nimirum habito reſpectu ad facultates Eccleſiæ, & qualitatem perſonæ. Adduntur aliæ particulæ: *Competens alicui in Eccleſia, quam fundavit, conſtruxit, vel dotavit.* quia jus patronatus acquiritur hiſce tribus modis, ſcilicet per fundationem, conſtructionem, & dotem

juxta

juxta communem versum apud Glossam : *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*: ex eo, quòd aliquis Ecclesiam fundaverit dicitur Patronus illius *c. pia mentis* 16. *q.* 7. *c. nobis de jure patronat. c. Abbatem* 18. *q.* 2. Rursus qui Ecclesiam ædificavit etiam dicitur acquirere jus patronatus *c. nobis de jure patron. c. pia mentis c. monasterium c. filius eod. caus.* Demum etiam ille jus patronatus acquirit, qui Ecclesiam dotavit *c. nemo de consecrat. dist.* 1. ille verò dicitur Ecclesiam dotare, qui sufficientes annuos redditus assignat. *c. filius* 31.

§ Hinc si eadem persona Ecclesiam fundat, construit, & sufficienter dotat ex triplici causa acquirit jus patronatus, nimirum ratione fundi, ædificationis, & dotis: quapropter possunt plures esse patroni ejusdem Ecclesiæ ex diversis titulis, si enim Petrus det fundum pro Ecclesia, Paulus eam ædificet, & Joannes illam dotet, omnes acquirunt jus patronatus, Petrus sub titulo fundi, Paulus ædificationis, Joannes dotis, & desumitur *ex c. filius caus.* 16. *q.* 7. ibi enim dicitur disjunctivè, qui construxit, vel dotavit Ecclesiam; proinde alterutrum sufficit ad acquirendum jus patronatus ex vi propositionis disjunctivæ. Quinimmo si plures concurrant ad fundandam, ædificandam, vel dotandam Ecclesiam; adhuc omnes æqualiter, & in solidum enanciscuntur jus patronatus, tametsi unus plus alio contulerit, dummodo omnes sufficientem, & competentem dotem suppeditaverint, quamvis singuli seorsim non tantùm dederint, ut sufficeret ad simul fundandam, ædificandam, & dotandam Ecclesiam: ratio est, quia in jure simpliciter dicitur, quòd jus patronatus acquiratur per dotem, & non distinguit, an unus, vel plures Ecclesiam dotaverint: quòd si unus adeo tenuiter Ecclesiam dotet, ut dos non sufficiat pro alendis ministris, & suppeditandis luminariis, is non acquirit jus patronatus, nec dicitur patronus Ecclesiæ, sed tantùm benefactor, ut notant Garcia *de benefic. p. 5. c. 9. num. 55.* Abbas *ad rubric. h. t. num. 6.* Rursus per solam assignationem fundi, seu soli non acquiritur statim jus patronatus, sed tantùm postquam Ecclesia fuerit constructa, & dos data, vel ab ipso fundatore, vel ab alio: & ratio est, quia non potest quis dici patronus Ecclesiæ antequam hæc existat, quia non entis non sunt qualitates, & non potest quis dici patronus, vel Dominus illius, quod non est, & fortassis non erit *argum. c. penult. de eccles. ædif.*

§ Juvat hîc observare, quòd sub nomine constructionis comprehenditur etiam reparatio, seu reædificatio: si enim Petrus Ecclesiam fermè totam destructam ita instauret, ut nova indigeat consecratione acquirit in illa ex consensu Episcopi jus patronatus: quia si Ecclesia ita collapsa sit, ut nova indigeat consecratione, perinde se habet, ac si ab initio construeretur: & tunc prior patronus, qui collapsam Ecclesiam non restauravit amittit jus patronatus, si illud obtinuit ex eo tantùm, quòd Ecclesiam construxerit *argum. l. quid tamen* 10. §. *penult. ff. quib. mod. ususfructus amittit*: si tamen tantùm per partes Ecclesia instauretur, licèt postea tota fuerit reparata, primus structor non amittit jus patronatus *argum. d. l. quod tamen* §. 1. *V. plenè*. Quidam enim teste Glossa *in c. quoniam de jure patronat.* procedunt cum hac distinctione, vel enim quis per partes Ecclesiam collapsam reparavit, vel ex toto. Si primum non acquirit jus patronatus, quia sicut domus, vel navis si per partes tantùm successivè tota reficiatur, censetur eadem, quæ ante, ac proinde Dominus usumfructum, aut servitutem, quam habebat non amittit: ita neque patronus amittit jus patronatus, quod habet in Ecclesia, quæ tantùm per partes successivè instauratur: secus si ex toto reparetur, ac innovetur est alia domus, & prior Dominus amittit usumfructum *l. quid tamen. ff. quibus modis ususfructus amittatur*, & ita dicendum de Ecclesia. Imò si Ecclesia collapsa ex ejusdem ruderibus, restauraretur ab alio, adhuc prior non maneret patronus, licèt eadem videretur esse Ecclesia, eò quia ex simili materia, & ejusdem ruderibus constructa, quia jus semel extinctum in re pereunte non ampliùs reviviscit, ut habetur in *l. qui res* 98. §. *arcam. ff. de sol.* Verùm æquitas videtur exigere ut Episcopus, antequam alius collapsam restauret Ecclesiam, priorem moneat patronum, si velit ipse eam reædificare, quia cùm habuerit jus patronatus in illa, debet cæteris præferri *argum. c. ult. de locat.* & notat Fagnanus *in c. quoniam 3. V. Fundatores h. t.*

§ Pari pacto si dos assignata alicui Ecclesiæ omnino pereat, antiquus patronus amittit jus patronatus acquisitum titulo dotis, si alius novam dotem sufficientem assignet. Non tamen jus patronatus acquisitum titulo dotis amittitur ex eo, quod Ecclesia fuerit collapsa, quia dos adhuc potest servari indemnis: proinde ratione illius, qui Ecclesiam dotavit, retinet jus patronatus: & quamvis Ecclesia collapsa ab alio restauretur, adhuc remanet cum suo jure patronatus titulo dotis, quamvis superveniat alius, qui alio titulo acquirat etiam jus patronatus. Ratio assignatur ab Abbate *in c. quoniam 3. h. t. num. 11.* quia quando plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, quarum quælibet per se sufficit, non deficit effectus ob defectum alterius causæ tantùm, quia cuilibet causæ respondet effectus proprius. Si quis verò taliter dotaret Ecclesiam, ut nec expressè, nec tacitè haberet animum eam dotandi, sed tantùm eidem donandi talem pecuniam; is non censeretur acquirere jus patronatus, sed tantùm diceretur benefactor talis Ecclesiæ: ratio est, quia jura concedunt jus patronatus tantùm dotanti, non verò benefacienti, ut notat Abbas *in d. c. quoniam 3. num. 3. h. t.* qui verò dotat Ecclesiam, acquirit jus patronatus, quamvis illud sibi non reservaverit, dummodo expressè illud non remiserit. Ut autem quis acquirat jus patronatus per fundationem, constructionem, vel dotationem, requiritur authoritas, & consensus diœcesani, quia cùm jus patronatus sit jus quoddam rei spirituali conjunctum non potest acquiri sine consensu Ecclesiæ: neque potest quis Ecclesiam ædificare sine consensu Episcopi *c. nemo. dist. 1. de consecrat. & c. authoritate 4. de privil. in 6.* unde si sæcularis sine consensu Prælati ecclesiastici Ecclesiam ædificet, non debet

y Google

ex ſuo delicto beneficium conſequi ut notat Abbas *in c. nobis 25. num. 2. h. t.* Verùm ſufficit ſi poſt ædificatam Eccleſiam petatur, & obtineatur conſenſus Epiſcopi, à quo Eccleſia conſecretur, ut docent Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 70. num.* 21. & Garcia *loco cit. c. 9. num. 71.* debet tamen hic conſenſus haberi ab Ordinario loci, in quo ædificatur Eccleſia; & nomine Ordinarii intelligitur quilibet Prælatus, tametſi non ſit Epiſcopus, dummodo epiſcopalem habeat jurisdictionem in loco, ubi Eccleſia ædificatur, ut notat Barb. *de offic. Epiſc. alleg. 70. n. 30.* quinimò ſede vacante Capitulum poteſt etiam hunc conſenſum dare laico cupienti Eccleſiam ædificare: & conſenſum Capituli tunc ſufficere ad acquirendum jus patronatus docet Barb. *loc. cit. num.* 32. Non tamen conſenſus Vicarii generalis, ſi non habeat ſpeciale mandatum Epiſcopi, ſufficit, ut notat Garcia *loc. cit. c. 9 num. 75.* Cæterum non eſt ſemper neceſſe, quòd conſenſus Epiſcopi ſit expreſſus, ſed ſubinde tacitus, & præſumptus ſufficit.

6 Præter tres recenſitos modos acquirendi jus patronatus poteſt etiam hoc acquiri per privilegium conceſſum à ſummo Pontifice: etenim Pontifex ex eo, quòd aliquis ſit de Chriſtiana Republica benemeritus, poteſt illi concedere jus patronatus in aliqua Eccleſia, tametſi illam non fundaverit, nec conſtruxerit, nec dotaverit. Inferiores tamen Antiſtites non poſſunt hoc privilegium ei tribuere, qui Eccleſiam non fundavit, neque exſtruxit, neque dotavit: imò jus patronatus conceſſum ex privilegio ab Epiſcopis fuit omnino ſublatum per Concilium Tridentinum, tametſi in illo dicatur, quòd ſit ejusdem prorſus naturæ, ac roboris, ac ſi ex fundatione, vel dotatione competeret, cùm ſit ad inſtar, & non propriè ex fundatione, & dotatione. Et ita declaráſſe ſacram Congregationem aſſerit Garcia *loc. cit. c. 9. num.* 115. Neque obſtat hactenus dictis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c.* 12. ubi ait, quòd *nemo, niſi Eccleſiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit jus patronatus poteſt obtinere,* ex quo textu videtur inferri, non ſufficere ſolùm fundare, ſed ſimul requiri etiam conſtruere, quia particula & eſt copulativa, ſimúlque jungit fundationem, & conſtructionem. Nam contra eſt, quia illa particula & in præcitato textu non ſumitur copulativè, ſed disjunctivè, idque deſumitur ex aliis textibus juris, ut notat Gloſſa *in c. ex parte 2. de reſcript. V. & perpetuo*, & expreſsè habetur *in l. ſæpe ff. de V. S.* & *in l. conjunctionem §. eod.* ubi habetur, quòd conjunctio nonnunquam pro disjunctione accipiatur, verba textûs ſunt: *Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi Labeo ait,* idque tunc præſertim contingit, quando ex aliis juribus conſtat, particulam & eſſe ſumendam disjunctivè: etenim paulò inferiùs Concilium loquitur disjunctivè ait enim, *in cauſa autem fundationis, aut dotationis hujusmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri reſervetur*, particula enim *aut* eſt disjunctiva, adeo ut ſenſus ſit, quòd ſola fundatio, & ſola dotatio ſufficiat ad acquirendum jus patronatus.

§. II.

Quotuplex ſit jus patronatus, & quæ ejus differentia.

DIviditur jus patronatus tripliciter, ſcilicet in eccleſiaſticum, laicale, & mixtum, per *c. cùm autem 24. h. t.* Eccleſiaſticum eſt, quod competit collegio, vel perſonæ eccleſiaſticæ nomine, & ratione Eccleſiæ, monaſterii, capituli, dignitatis, vel beneficii: quia tametſi originem traxerit ex bonis patrimonialibus laicis, ſi tamen, vel ab initio, vel poſtea translatum fuerit in Eccleſiam per fundationem, dotationem, vel alium titulum, fit eccleſiaſticum: & cenſetur jus patronatus eccleſiaſticum, ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 1. num. 553.* ubi *num. 555.* addit, quòd jus patronatus competens Epiſcopo, vel aliis Prælatis eccleſiaſticis ratione dominii temporalis pertinentis ad ſuam Eccleſiam ſit eccleſiaſticum. Unde quamvis jus patronatus ſuam à bonis patrimonialibus laicorum originem traxerit, ut fiat eccleſiaſticum, ſufficit, ſi titulo aliquo honeſto, ut donatione, legato, teſtamento, fundatione in Eccleſiam, vel Collegium eccleſiaſticum, vel etiam in perſonam eccleſiaſticam intuitu Eccleſiæ, dignitatis, aut beneficii eccleſiaſtici transferatur, & deſumitur ex *c. ſi laicus unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, quòd quamvis laicus, quando erat patronus habuerit quatuor menſes ad præſentandum vacante Eccleſia; attamen nunc Eccleſia, vel monaſterium, cui fuit donatum jus habebit ſex menſes, quia Eccleſia quantum ad præſentandum deputatur patronus non laicus, ſed eccleſiaſticus.

2 Juspatronatus laicale, ſeu ſæculare eſt quod laico competit ſumptâ nomenclatione à perſona; imò etiam quod à clerico ratione dotationis, vel fundationis ex bonis patrimonialibus ſæcularibus obtinetur; vel ex ſucceſſione paterna, aut alio ſæculari titulo ei obtingit, ut notant Gloſſa, & Panormitanus *in cap. cum dilectus 28 h t.* Garcia *de beneficiis p. 5. c. 1. num. 5. q. 2.* Regulariter juspatronatus præſumitur tale, quale eſt ſubjectum, à quo bona fide poſſidetur; adeout ſi poſſideatur à laico præſumatur laicale, tametſi originem trahat ex fundatione, vel dotatione Presbyteri, ut notat Maſcardus *de probationibus conclus. 959. num. 12. argum. Gloſſæ in can. ſint manifeſtæ 12. q. 1. V. probantur*, è converſo ſi poſſideatur à perſona eccleſiaſtica accenſetur eccleſiaſticis, dicitúrque juspatronatus eccleſiaſticum *per cap. conſultationibus 19. h. t.* Quamvis juspatronatus ſit laicale, ac poſſideatur à perſona laica, non tamen vendi poteſt per ſe; quia eſt annexum ſpirituali, & ſi vendatur, contractus eſt irritus, nullúmque ſortitur valorem *c. de jure verò 16. h. t.* ubi Gloſſa notat annexum ſpirituali non poſſe emi, nec vendi *c. quando de judic.* poteſt tamen vendi cum univerſitate *c. cum ſæculum*, & obligari *c. literis*: imò poteſt redimi *c. querelam de ſimonia* quia ſpirituale, vel annexum ſpirituali non recipit æſtimationem. Quòd ſi clericus beneficiatus ex proventibus

sui beneficii, aliisque bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ fundet, vel dotet Ecclesiam, seu Capellam, nominétque patronos suos consanguineos laicos, ad quos devolvatur jus patronatus, sit hoc tunc censendum laicale, vel ecclesiasticum videtur esse aliqua difficultas.

3 Sed spectato jure communi, quo clerici prohibentur testari de acquisitis intuitu Ecclesiæ *arg. c. 1. 8. q. & 11. de Testam.* tale juspatronatus censeri debet ecclesiasticum, & accensseri juribus Ecclesiæ, ut notat Abbas *c. 3. de Ecclesiis ædificandis num. 12.* ubi addit, peccare clericos, qui ex redditibus Ecclesiæ, vel bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ ædificant Ecclesias, si eas attribuant proprio patrimonio, fundéntque juspatronatus, quod Testamento relinquant sæcularibus; quia tunc sibi usurpant bona Ecclesiæ, de quibus perinde disponunt, ac si haberent dispoticum dominium; cum tantùm sint administratores: hæcque de jure communi. Quòd si ex inolita consuetudine, vel privilegio daretur facultas testandi de hujusmodi bonis, censet Garcia *de benef. p. 5. c. 1. num. 594.* posse clericum sibi, vel sæcularibus hæredibus applicare juspatronatus; perinde ac si de bo-
11 nis patrimonialibus instituisset tale juspatronatus; sicque disponere de tali jure patronatus pertinet ad hæredes, & tale juspatronatus censetur laicale; quia ad laicos transfertur tunc dominium; & juspatronatus fit laicale: perinde ac si juspatronatus laicale donatione, vel Testamento, vel alia ratione transferatur in Ecclesiam, Capitulum, vel monasterium, vel adnectatur alicui beneficio, ut decanatui, præposituræ fit ecclesiasticum; & de illo ut de ecclesiastico judicium fertur, ut notavit Covarruvias *in qq. pract. c. 36. num. 1.* & desumitur *ex c. si laicus nunc. h. t. in 6.* ratione translati dominii est utrinque par ratio.

4 Juspatronatus mixtum est, quod participat de jure patronatus ecclesiastico, & laicali; hinc dicitur mixtum, quia ex utroque constat, simúlque Ecclesiæ, vel clerico intuitu Ecclesiæ, & laico competit; ut si clericus ex bonis ecclesiasticis dotavit Ecclesiam, quam laicus fundavit, & construxit, tunc juspatronatus est mixtum, quia ratione dotationis competit clerico; & participat de jure patronatus ecclesiastico; & titulo fundationis, & constructionis convenit laico, & participat de jure patronatus laicali; quòd si laicus cederet juri suo, quod transferret in Ecclesiam, vel clericum, deperderet naturam juris patronatus mixti, & fieret simpliciter ecclesiasticum: sicut vice versa si clericus vel Ecclesia transferret in laicum jus suum authoritate Apostolica, evaderet simpliciter laicale: quia attenditur persona, quæ præsentat, as possidet jus præsentandi, & secundùm conditionem illius juspatronatus dicitur ecclesiasticum, vel laicale, ut notat Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. c. 12. num. 16.* sicut si laicus justo titulo, & adhibitis solemnitatibus à jure requisitis acquirat bona ecclesiastica, hæc desinunt esse ecclesiastica, & fiunt laicalia juxta conditionem personæ, qui adhærent.

5 Casuum juspatronatus, sive sit ecclesiasticum, sive laicale, semper secundùm se, & ex objecto suo, si non est simpliciter, & intrinsecè merè spirituale; est saltem annexum antecedenter spirituali, scilicet ex parte principii, à quo suam ducit originem: cum enim jus patronatus fuerit institutum à potestate ecclesiastica, quæ procul dubio est spiritualis, ideo saltem antecedenter semper est annexum potestati spirituali, à qua sunt omnia beneficia ecclesiastica. Rursus ex parte proprii actus, & objecti, ac finis, ad quem jus patronatus ordinatur, est etiam annexum spirituali: siquidem ordinatur, ut clericus instituatur in beneficio ecclesiastico, in quo si idoneus fuerit deprehensus, debet necessariò institui, ut desumitur *ex c. significâsti 18. h. t.* ubi statuitur: quòd si, qui jus habet præsentandi in aliena Ecclesia præsentet idoneum, sit admittendus. Ipsa actualis præsentatio etiam ordinatur ad spirituale, scilicet ad instituendum clericum in beneficio spirituali. Demum jus ipsum præsentandi est etiam spirituale tum ratione originis, tum finis: neque obstat, quod tale jus possideatur à laico; quia laici per privilegium, & beneficium ab Ecclesia illis concessum sunt capaces juris spiritualis, quòd possint possidere.

6 Cæterum jus patronatus secundùm se, & intrinsecè est potiùs dicendum annexum spirituali, quàm merè spirituale, ut notat Garcia *tract. de benefic. p. 5. c. 9. num. 6.* & desumitur *ex c. de jure verò 16. h. t.* ubi dicitur quòd jus patronatus per se vendi non possit; & additur etiam ratio, quia sit spirituali annexum, eò quia ordinetur ad jus spirituale obtinendum, seu ad institutionem in beneficio spirituali, quam præsentatio debet præcedere. Et quamvis per institutionem tribuatur instituto jus ad beneficium, si tantùm sit electus; vel in beneficio si sit institutus, & confirmatus; & jus instituendi, & confirmandi sint simpliciter spiritualia: non tamen jus præsentandi est spirituale: ratio est, quia per præsentationem nullum jus confertur præsentato ad beneficium, nec in beneficio, sed tantùm, ut possit in illo instituí ab Episcopo; idque etiam ex eo evincitur, quia liberum est patrono laico etiam post factam præsentationem, sed nondum à superiore ecclesiastico acceptatam, resilire, & alium præsentare, ut statuitur in *c. cum autem 24.* ubi dicitur, quòd patronus laicus possit variare in præsentando ante quam præsentatus instituatur, licèt non ita clericus: unde ipsum jus præsentandi, quamvis per præsentationem non conferat præsentato ullum jus ad beneficium, vel in beneficio, ac propterea non sit simpliciter, & intrinsecè merè spirituale, est tamen annexum spirituali, quatenus est ab ecclesiastica potestate spirituali, & ordinatur ad finem spiritualem.

7 An verò jus patronatus mixtum accénsendum sit potius spirituali, quàm laicali? Respondetur, cum distinctione: si patroni inter se paciscantur, vel conveniant, ut præsentent alternis vicibus Clericum ad beneficium, ut rescribitur *in clement. 2. h. t.* tunc pro ea vice, qua laicus præsentat, censetur totum laicale: & è contra pro ea vice, qua præsentat ecclesiasticus

ticus est totum Ecclesiasticum: quia cum præsentationes fiant alternatim sine mixtione jurium, fit separatio jurium, & quodlibet concurrit totaliter in sua specie, pro ea vice, qua fit præsentatio à solo laico, vel solo ecclesiastico: tunc enim mixtorum natura per inductam alternativam reducitur pro illis vicibus ad sua simplicia. Quòd si Patroni non utantur hac alternativa, sed simul, & semel præsentent, tunc in pluribus proximiùs accedit ad naturam juris patronatus laicalis, & recedit à jure patronatus ecclesiastico: adeo ut si simul, & semel patroni ecclesiasticus, & laicus præsentent, non sit necessarium examen per concursum, neque est locus reservationi Pontificiæ, ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 1. num. 582.*

8 Nihilominus in favorabilibus proximiùs accedit ad ecclesiasticum, & recedit à laicali, adeo ut laicus, qui aliàs si esset solus patronus deberet præsentare intra quatuor menses, si simul concurrat cum patrono ecclesiastico gaudeat longiori tempore, seu semestri, cum ipso ecclesiastico: ratio est, quia quando non privilegiatus in materia individua, quæ non patitur separationem, concurrit cum privilegiato gaudet privilegio istius *argum. l. si communem. ff. quemadmodù servitutes amittantur*, ubi hoc privilegium conceditur habenti rem communem cum pupillo: hinc in individuis privilegium uni ex pluribus sociis concessum extenditur ad omnes, ut notat Glossa *l. fin. C. de divers. rescript.* & fusiùs ostendit Fagnanus *in c. cum propter 27. n. 53. h. t.*

9 Præter tripartitam speciem juris patronatus ecclesiastici, laicalis, & mixti, solet etiam subdividi in hæreditarium, & gentilitium; illud dicitur, quod transit, ad quoscunque hæredes etiam extraneos: gentilitium, in quo tantùm succedunt hæredes, qui sunt de sanguine, & de familia fundatoris, ac habent eadem stemmata gentilitia. Cæterum id potissimum dependet ex prima institutione juris patronatus: siquidem est in potestate fundatoris, si velit omnino remittere jus patronatus, vel sibi tantùm, aut familiæ suæ, vel etiam aliis hæredibus illud reservare. Quòd si dubitetur de mente fundatoris, tunc jus patronatus censetur hæreditarium, & non solùm ad filios, vel consanguineos patronos; verùm etiam ad alios extraneos hæredes devolvitur, si in fundatione non sit aliter statutum: vel per consuetudinem, aut legitimam præscriptionem aliud introductum.

10 Nihilominus licèt in dubio jus patronatus præsumendum sit hæreditarium; eliditur tamen hæc præsumptio, quando in institutione juris patronatus semper fuerit facta mentio familiæ, vel descendentium, & nunquam hæreditariæ qualitatis, quamvis hæredes extranei non sint excluſi, tunc enim præsumitur esse jus patronatus gentilitium, hoc est addictum familiæ, cujus frequenter fundator meminit, ex illa enim repetita familiæ mentione infertur, quòd mens fundatoris fuerit, ut jus patronatus esset gentilitium, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccleſiaſt. univers. c. 12. num. 20.* ubi etiam addit, ad probandum jus patronatus gentilitium sufficere leviores probationes: & ratio etiam videtur esse, quia qualitas gentilitia magis favet libertati Ecclesiæ: siquidem faciliùs familia extinguitur, quàm hæreditas; cùm hæc etiam transeat ad alios, qui non sunt de eadem familia. Juvat tamen adnotare, quòd jus patronatus hæreditarium, ita transit ad hæredes, ut tamen eorum successio, non fiat in capita, sed in stirpes, adeo ut si ex pluribus patronis unus decesserit, & tres reliquerit hæredes, isti nonnisi unum suffragium habeant in præsentando; proinde debent inter se convenire, ut conspirent in unum clericum præsentandum, vel ut alternis vicibus singuli eorum præsentent, ut tradit Gonzales *ad regul. 8. cancell. Gloss. 45. num. 61.* Lambertinus *de jure patron. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 25.* & desumitur *ex clement. Plures 2. h. t.* ubi statuitur, quòd quando unus patronorum moritur relinquens plures filios, omnes filii relicti habeantur pro una voce in jure patronatus, eò quia jus patronatus competat per stirpes, & non per capita. Rursus quòd patroni possint convenire inter se liberè de præsentando Rectore ab iisdem alternis vicibus.

Rursus solet etiam dividi jus patronatus in activum, & passivum: illud est, ex quo Patronus potest præsentare ad beneficium: passivum dicitur, per quod certi de aliqua familia si idonei sint exclusis aliis extraneis, debeant ad beneficium ecclesiasticum præsentari, & admitti, seu instituì ab Episcopo, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccles. univers. c. 12. num. 52.* Dividitur etiam in jus patronatus personale, & reale: illud dicitur, quod cohæret personæ fundatoris, vel hæredis ejusdem quocunque in loco is existat: reale, quod cohæret tantùm loco, & transit non solùm ad hæredem fundatoris, verùm etiam ad quemcunque possessorem ejusdem loci. 11

Differentiæ inter jus patronatus ecclesiasticum, & laicale plures recensentur. Primò quia jus patronatus laicorum est semper magis privilegiatum, quàm ecclesiasticum, idque ex indulto Ecclesiæ, ut nimirum laici habeant aliquam remunerationem ex suis fundationibus, & ut iidem faciliùs alliciantur, ac invitentur: secus ecclesiastici cùm non nisi rarò habeant jus patronatûs ex fundatione; sed frequentiùs ex privilegio, & donatione, ideo non videntur mereri illum favorem, quem Ecclesia indulget laicis. Hinc quoad effectum jus patronatus laicale differt ab ecclesiastico, quia patronus laicus non solùm unum clericum, sed etiam plures simul, vel successivè potest ad idem beneficium præsentare, ut statuitur *in clement. 2. h. t.* ubi dicitur, quòd laici patroni possint præsentare plures personas ad unam Ecclesiam; & Episcopus teneatur ex illis unum eligere: quando tamen Patronus laicus dicitur posse plures simul præsentare, id non intelligitur *privativè*, seu revocando illi, quem primò præsentavit, sed *accumulativè*, adeo ut Episcopo relinquatur electio, possitque instituere, quemnam ex illis magis idoneum deprehenderit, ut desumitur ex *c. cum autem 24. h. t.* ubi statuitur, quòd si patronus laicus præsentet successivè plures idoneos non 12

exclu-

excludens primum, Episcopus possit eligere quem vult ex præsentatis. Sin verò præsentans successivè sit persona ecclesiastica, vel Collegium, tunc primus est instituendus: quia in hoc casu, qui est prior tempore, est etiam potior in jure; & ut notat Glossa *in d. clem.* Patronus laicus potest variare in præsentando, antequam instituatur præsentatus; non ita Clericus, vel Collegium, quia ecclesiasticus non potest præsentare nisi unum, ut desumitur *ex c. quod autem 5. h. t.* & ratio secundùm Innocentium est, quia ejus præsentatio utpote facta nomine Ecclesiæ habet potiùs vim electionis, in qua electores non possunt variare electionem factam.

13 An verò Episcopus ex pluribus præsentatis à Patrono laico teneatur dignioremin instituere: procedendum est cum distinctione, cæteris paribus dignior ex Concilio Tridentino semper præferendus est, adeo ut si Episcopus neglecto magis idoneo, minus idoneum institueret, non excusaretur à peccato contra justitiam distributivam, & desumitur *ex c. quoniam 3. h. t.* ubi dicitur, quòd si Patroni dissentiant, & diversos præsentent, qui habet majora merita, & pluta vota, debeat præferri, ut habetur in Trident. *sess. 14. de refor. c. 12. & sess. 25. c. 9.* quia in distributione beneficiorum justitia distributiva exigit, ut digniores præferantur minus dignis.

14 Cæterum institutio digni omisso digniore si semel facta fuerit, sustinetur, ne alioquin cùm damno Ecclesiæ sub hoc prætextu plures contingat institutiones impugnari, ut notat Panormitanus *in c. Pastoralis 29. h. t.* Sin verò dignus à majori; & dignior à minore parte, ac numero Patronorum præsentetur, tunc Episcopus debet dignum instituere: & ratio est quia tunc dignior non censetur præsentatus, cum plura vota collimaverint in minus dignum, qui propterea fuit electus ex pluralitate suffragiorum ad præsentationem, & desumitur *ex c. quoniam 3.* & ibi Glossa *V. qui majoribus h. t.* & *ex clement. 2. h. t.* Hinc si duo sint Patroni Clericus unus, alter laicus, & unum idoneum præsentaverint, & postea Patronus laicus variet, sicut potest, & alterum magis idoneum præsentet accumulativè, Episcopus tenetur primum instituere, eò quia ab utroque sit præsentatus, & laicus non potest variare in præjudicium compatroni, ut notat Panormitanus *in c. cùm autem 25. h. t. n. 4.*

15 Quòd si dignus præsentetur à minore parte Patronorum, & indignus à majori, tunc tenetur Episcopus dignum instituere omisso indigno, licèt in ejus electionem plures collimaverint Patroni: siquidem præsentatio indigni non attenditur: ratio est, quia indignus non censetur capax beneficii, vel saltem non habetur idoneus; proinde electio cadens in illum est irrita ob incapacitatem subjecti: quapropter tunc totum jus electionis consolidatur in illis paucis, qui dignum præsentant *argum. c. dudum 22. & congregato 51. de elect.* & docet Vivianus *de jure patron. p. 2. lib 11 c. 9. num. 12.* Quòd si Episcopus Clericum idoneum à solo Patrono laico præsentatum bona, vel mala fide, adhuc durante quadrimestri rejecit: & interim Patronus alium minus idoneum, sed absolutè dignum præsentavit; & Episcopus illum instituit; tunc posterior dignus priori digniori præferendus est, ac in sua possessione relinquendus non obstante appellatione interposita à primo præsentato ad superiorem infra quadrimestre. Ratio est, quia ultimus institutus ex vi institutionis acquisivit jus in re, & primus tantùm acquisivit jus ad ipsam præsentationem; non verò ad beneficium: neque removendus est à possessione sui juris, cum alteri nondum sit acquisitum, ut desumitur *ex c. si tibi absenti 17. de prabend. in 6.* Tum quia per interpositam appellationem primò præsentatus non potest præjudicare Patrono laico, quin cumulativè possit secundum, & etiam tertium præsentare.

16 Quòd si Episcopus dolosè exclusit ab institutione primum præsentatum, tunc eidem tenetur in pœnam providere de alio competente beneficio, ut desumitur *ex c. Pastoralis 29. h. t.* ubi statuitur, quòd si præsentatus à Patrono laico rejiciatur ab Episcopo; & appellet ad Papam, si interim Patronus alium præsentat, & hic instituitur ab Episcopo; iste secundus obtinebit, quia inter præsentatos à laico est melior conditio possidentis: interim Episcopus, qui malitiosè præsentatum idoneum recusavit, compellitur providere illi de beneficio competenti.

17 Quòd si quæratur quomodo in tali casu probetur malitia Episcopi? Respondet Glossa *in d. c. Pastoralis*, teneri Episcopum ostendere, quòd à se exclusus non sit idoneus; quia quilibet præsumitur bonus, si non probetur malus. Item ex eo evincitur Episcopi malitia, quia eum rejecit nulla facta de ipso examinatione. Verùm quia Patrono laico licitum est plures Clericos accumulativè præsentare, inter quos electio datur Episcopo, adeo ut possit hic ex præsentatis, quem maluerit instituere; videtur inconveniens, quòd Episcopus utendo jure suo pœnam incurrat, ex qua obligetur ad providendum primo rejecto de beneficio competenti: siquidem utens jure suo non censetur alicui esse injurius. Ob hanc difficultatem Panormit. in *d. c. Pastoralis 29 n. 9. h. t.* explicat decisionem Pontificis tantùm procedere, quando Episcopus primum præsentatum malitiosè, & dolosè exclusit, scilicet sine rationabili causa denegavit illi institutionem, qua ratione quasi incitavit Patronum ad præsentandum alium. Secluso autem dolo ait Panormitanus, non teneri Episcopum propera institutione primi intervertere tempus Patrono ad secundum præsentandum, si voluerit. Tum quia ut notat Zæsius *h. t. num. 30.* secundus præsentandus per patronum fortassis erit dignior primo.

18 Differunt etiam ratione temporis jus patronatus ecclesiasticum, & laicale, quia Patrono ecclesiastico conceditur integrum semestre ad præsentandum *c. cum ex 22. h. t.* & laico tantum quadrimestre, adeo ut patronus ecclesiasticus possit intra sex menses præsentare, & laicus non nisi intra quatuor; aliàs jus providendi Ecclesiæ ad Episcopum, seu ad illum superio-

rem, qui habet jus instituendi liberè devolvitur, & habetur etiam in *c. si laicus unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statuit, quòd quamvis laicus, quando erat Patronus, habuerit quatuor menses ad præsentandum vacante Ecclesia; nunc tamen Ecclesia, vel monasterium, cui fuit donatum jus, habebit sex menses: quia Ecclesia quantum ad præsentandum reputatur patronus non laicus, sed ecclesiasticus. Ratio hujus discriminis ex eo petitur, quia cum patronus ecclesiasticus in eo gravetur, quòd unum tantùm possit præsentare ad beneficium, cum laicus possit plures non privativè, sed cumulativè, ideo ut patronus ecclesiasticus relevaretur, plus temporis ei ab Ecclesia indulgetur ad inquirendum de clerico aliquo digno, & idoneo: æquum enim est, ut qui gravatur in uno, relevetur in alio *l. eum qui ff. de injuriis, & famos. libel.* sed ecclesiasticus patronus in eo gravatur, quòd non possit variare, nec plures accumulativè præsentare, sicut patronus laicus; unde æquitas exigebat, ut in altero relevaretur, scilicet per longius tempus ad præsentandum, ut notat Glossa magna *in c. si laicus unic. h. t. in 6.*

19 Quòd si petatur, à quo tempore incipiat currere hoc quadrimestre in patrono laico, & semestre in ecclesiastico. Communis sententia est, incipere à die notæ vacationis, non verò à die ipsius vacationis; adeo ut patrono ignoranti, vel aliàs legitimè impedito, non currat tempus statutum ad præsentandum: quinimò in dubiis potiùs ignorantia Patroni, quàm scientia præsumitur; nisi concurrentes circumstantiæ vicinitatis loci, & præsentiæ Patroni aliter suaserint *argum. c. quia diversitatem 5. de concess. prebend.* & notat Zœsius *h. t. n. 57.* non enim debet quis privari sine culpa jure, quod possidet, & sicut ignorantia excusat à culpa, ita non debet patrono dari culpæ. Hinc ad evitandas lites in plerisque Provinciis usus invaluit, ut Patronus de beneficio vacante certioretur, moneatúrque per Episcopum ad præsentandum.

20 Præterea notat Barbosa *de offic. Epis. p. 5. allegat. 71. num. 177.* posse Episcopum etiam post lapsum tempus ex gratia præsentationem patroni admittere *argum. c. 2. in V. liceat*, & *c. litteras de supplend. neglig. Prælat.* id tamen limitatur, nisi inciderit in pœnam privationis pro ea vice ob præsentationem indigni, quòd tamen tantùm procedit de patrono ecclesiastico, quia laicus potest accumulativè plures præsentare, Barbosa *Jur. Eccles. univers. lib. 3. c. 12. num. 174.* & desumitur etiam *ex c. cum vos. de offic. jud. ordinar.* Excommunicato autem non currit tempus, nisi fuerit in mora petendi absolutionem à censura *argum. c. nu. §. 1. ne sede vacante, in 6.* & notat Zœsius *h. t. num. 58.* imò Episcopus potest instituere præsentatum à patrono laico excommunicato, licèt non teneatur: non item à clerico excommunicato, cui competit ratione beneficii, à quo per excommunicationem suspenditur.

21 Quòd si Patroni inter se non conveniant, sitémque instituant de ipso jure patronatus, curtis nihilominus eis tempus, & nisi aliquis ex illis intra legitimum tempus præsentaverit devolutio fit ad Episcopum salvo jure illius, qui vicerit, ut proxima vacatione possit liberè præsentare. Sin verò unus ex litigantibus jam fuerit in possessione præsentandi, & alter tantùm contendat de proprietate, tunc possessor debet præsentare, nec removebitur præsentatus, quamvis contendens de proprietate vicerit postea in judicio: quod tamen procedit, si possessor fuerit in bona fide: ratio est, quia ad possessorem sicut in aliis, etiam hìc, pertinent fructus rei possessæ, adeo ut habeat jus eos percipiendi: & ipsa præsentatio est proprius fructus juris patronatus *c. consultationibus 19. h. t. c. querelam 24. de elect. c. cum olim 7. de causa possess.* proinde qui est in possessione præsentandi legitimè præsentat. Idque certum est si præsentatio facta sit ante litem in judicio introductam.

Quid verò dicendum sit si lite jam motâ præsentatio facta fuerit? dissentiunt doctores, 22
volunt plures præsentationem tunc debere quidem recipi, sed institutionem differri, donec lis absoluta fuerit, ac decisa, idque desumunt *ex c. ex litteris 7. h. t.* ubi Pontifex rescribit, quòd si conductor præsentaverit ante motam litem super jure patronatus præsentatio teneat; sed si præsentatio facta sit post motam litem nihil debeat innovari. Ratione etiam nituntur hoc evincere, quia lite pendente, non possunt fructus illi percipi, qui re evicta non possunt restitui; talis est fructus juris patronatus, quia Clericus semel præsentatus, & institutus non ampliùs removetur: videntur hanc sententiam docere Panormit. *in d. c. ex litteris 7. num. 8. & 9.* Barb. *in collect. ad d. c. num. 11.* Zœsius *h. t. n. 43.* Contraria tamen sententia communior est, & probabilior, adeo ut non obstante lite inchoata, & pendente Patronus possit cum effectu præsentare, dummodo duo concurrant, quorum primum est, ut possessio non vocetur in dubium: secundum ut possessor bona fide possideat, quia in præsentando solùm attenditur possessio juris patronatus *c. cum Ecclesia de causa possess. & propriet. c. consultationibus 19. h. t.* ubi Pontifex rescripsit, quòd quando qui possidet jus patronatus, & præsentat idoneum, quem Episcopus instituit; si deinde in lite patronus perdit jus patronatus, & alius vincit, præsentatus, & institutus non est removendus ab Ecclesia: & ratio additur à Glossa ibidem, quia qui est in quasi possessione cum bona fide acquirit titulum, licèt qui præsentaverit revera non fuerit patronus *c. querelam de elect.* quia interdum plus valet quod est in opinione, quàm quod in veritate: sed credulitas sine possessione non juvat. Tum quia pendente lite non debet quis privari commodo suæ possessionis *c. ut lite pendente nihil innovetur.*

Neque fundamenta oppositæ sententiæ ur- 23
gent: quia *in d. c. ex litteris 7. h. t.* argumentum inde deductum à contrario congruè explicatur de possessore, cujus possessio sit dubia, propterea non pacifica, ut conjicitur *ex facti specie illius capitis*; miles enim probabiliter tunc prima vice præsentavit, & ejus possessio non erat pacifica,

tifica, sed dubia. Ad aliud, quod addebatur de fructibus non percipiendis, quando re evicta non possunt amplius restitui. Respondetur, id esse verum de illis fructibus, qui salvo usu possessionis possunt restitui: non verò de fructibus, qui ita sunt annexi possessioni, ut si non percipiantur, amittitur possessio: hinc licèt in *l. certum C. de rei vendic.* dicatur, quòd evincenti in petitorio debeant fructus restitui; hæc tamen regula fallit in iis fructibus, qui ex sua natura tales sunt, ut salvo usu possessionis non possint restitui. Neque est novum, quòd pendente lite fructus percipiantur: siquidem pendente lite super matrimonio potest maritus illius fructibus uti *c. 1. & 2. ut lite pendente*, & tamen fructus tunc matrimonii non possunt amplius restitui.

24 Præterea respondent Joannes Honorius *h. t. num. 58.* & Rippa *in c. cum Ecclesia num. 93. in fin. de caus. possess.* quoad fructum juris patronatus non attendi regulam restitutionis, eò quia jus patronatus non producit fructus, quos possessor meretur, ac ditior fiat, non enim possessor ex eo, quòd præsentet Clericum ad beneficium, inde evadit locupletior cum damno proprietarii, ut contingit in aliis fructibus naturalibus: proinde aiunt, fructum juris patronatus non esse restituendum, & interim possessorem bonæ fidei posse illum percipere etiam lite pendente, eò quia non sit privandus pacifica possessione. Quòd si petatur, quomodo acquiratur possessio jurispatronatus, probabilior sententia est, acquiri per unum actum præsentationis cum bona fide, & secuta institutione.

25 Alia differentia inter utrumque jus patronatus ecclesiasticum, & laicale in eo est sita, quòd parochiæ pertinentes ad jus patronatus laicorum non possint conferri per concursum, de quo loquitur Tridentinum *sess. 24. c. 18. de reformat.* adeo ut illi tantùm per examinatores debeant examinari, qui à Patrono laico præsentati fuerint, sive isti fuerint plures, sive unus tantùm, seclusis aliis non præsentatis, qui aliàs ad concursum possent examinari. Immo si jus patronatus sit mixtum adhuc illi tantùm debent examinari, qui à Patronis præsentantur, vel nominantur, quia libertas Patroni laici ob mixturam clerici non debet restringi, ut notat Fagnanus *in c. cum propter 27. h. t.* ubi etiam addit, ita fuisse declaratum à sacra Congregatione.

26 Neque obstat, quòd magis dignum debeat ad se trahere minus dignum *argum. l. qua Religiosis ff. de rei vendic.* & jus patronatus ecclesiasticum esse dignius laicali. Nam id tantùm procedit quoad commoda, & privilegia, non verò quoad damna, & pœnas: cum enim Patrono laico concedatur, ut possit præsentare sine concursu, non debet privari hoc privilegio ex eo, quòd Clericus cum ipso concurrat in eadem præsentatione. Præterea quamvis in mixtis naturalibus non semper attendatur, quod dignius est: in mixtis tamen, quæ sunt talia juris ministerio, illud est potentius, quod magis prodest, & jus alterius non lædit, ut in jure patronatus mixto est jus præsentandi, quod habet laicus: magis enim prodest, & jus alterius non lædit: tunc jurisfictione jus laici habetur potentius, & dignius, eò quia magis profit, & non lædat ius alterius.

Quando verò jus patronatus est ecclesiasticum, tunc admittitur concursus; sed si institutio pertineat ad Episcopum, peracto examine Patronus ecclesiasticus habet electionem, & illum præsentat, quem ex approbatis ab examinatoribus digniorem esse censuerit. Sin verò institutio ad Prælatum Episcopo inferiorem spectet, tunc Episcopus solus ex iis, qui idonei reperti sunt digniorem eligit; quem Patronus inferiori Prælato præsentat, ut desumitur ex Tridentino *sess. 24. c. 18. de refor.* In Bulla tamen Pij V, cui initium est, *Ad exequendum* excipiuntur parochiæ, quæ monasteriis, vel aliis ecclesiis unitæ, & incorporatæ sunt, in his enim sola Prælati nominatio sufficit, & nominatus, si in examine sine concursu approbatus fuerit ab Ordinario ponitur in Ecclesia, non tanquam Parochus, sed ut Vicarius, ut notat Engel. *de præbend. num. 67.* 27

Est etiam alia differentia, quia jus patronatus ecclesiasticum per Papam, & ejus legatum potest impediri, eique derogari: quia Papa, & ejus legatus possunt sibi reservare beneficium primò vacaturum, & cùm primùm vacaverit, etiam conferre irrequisito Patrono ecclesiastico, ut docet Glossa *in clement. 2. de præbend. V. Apostolicis*, & de ipso legato Papæ etiam constat *ex c. cum dilectus 28. h. t.* Sed de jure novo, hujusmodi derogationes prohibentur à Concilio Trident. *sess. 24. c. 19. de refor.* & Pirhing. *h. t. num. 136.* notat, in Germania nullum esse usum talis reservationis ob concordata. Secus jus patronatus laicale, quamvis de plenitudine potestatis possit impediri, eique derogari, nunquam tamen præsumitur eidem derogatum, nisi specificè in litteris Apostolicis id exprimatur; idque ne laici à piis fundationibus retrahantur. Imò hoc etiam procedit, si jus patronatus sit mixtum, idque in favorem laici Patroni, quod tamen intelligendum est de patronatu laicali ex fundatione, vel dotatione; non verò ex privilegio tantùm, vel consuetudine legitimè præscripta, quia tunc cessat finis, ob quem Ecclesia indulget laicis tale privilegium, quia Patronus Laicus non fuit fundator, nec dotavit Ecclesiam. Demum differunt etiam, quia Patronus ecclesiasticus, si inidoneum præsentet privatur jure suo pro illa vice *c. 2. de supplend. neglig. Prælat.* secus laicus si præsentet inidoneum, adhuc potest alium præsentare; ut notat Barbosa *de offic. & potest Episc. allegat. 75. n. 105.* 28

§. III.

Qui sint capaces iurispatronatus, & qua jura iisdem competant.

CErtum est, non solùm Clericos, sed etiam fideles laicos capaces esse juris patronatus ex indulto, & gratia Ecclesiæ, non ex debito *argum. c. quoniam 3. h. t.* Immo non 1

ſolùm mares, verùm etiam fœminas *argum. c. fin. de conceſſ. prabend.* & non ſolùm puberes, ſed etiam impuberes, quia cùm hi omnes ſint capaces hæreditatis, & legati, ſequitur eſſe itidem capaces juris patronatus annexi perſæpe eidem hæreditati, vel legato. Ob eandem rationem ſunt etiam capaces juris patronatus ſpurii, & illegitimi, ut colligitur *ex can. pia mentis, can. Frigentius & ſequent. 16. q. 7.* Imò etiam irregulares, & excommunicati, aut aliâ cenſurâ affecti, quia hi omnes poſſunt poſſidere bona, quibus annexum ſit jus patronatus, & poſſunt itidem fundare Eccleſias, ac beneficia eccleſiaſtica, ut notat Pirhing. *lib. 3. decret. h. t. ſect. 1. §. 3. n. 19.*

2 Neque obſtat, quòd jus patronatus ſit ſpirituale, vel ſaltem annexum ſpirituali, ut habetur *in c. de jure verò 16. h. t.* ubi dicitur, quòd jus patronatus per ſe non poſſit vendi, eò quia ſit ſpirituali annexum, ſcilicet beneficio ad cujus inſtitutionem ordinatur. Nam licèt laici per ſe non ſint capaces jurium ſpiritualium per textum *c. decernimus de judis.* fiunt tamen capaces hujus juris ſpiritualis ex ſpeciali gratia, & indulto Eccleſiæ concedentis ipſis, ut poſſint hoc jus acquirere, & poſſidere, ut habetur *in c. quoniam 3. h. t.* idque ut laici alliciantur, ac invitentur ad Eccleſias conſtruendas, ac dotandas, & ad beneficia fundanda, ut notat Fagnanus *in d. c. 3. n. 3.*

3 Si urgeas ad actum præſentandi eſſe neceſſarium judicium intellectûs de idoneitate perſonæ, ac rationis diſcerniculum, quò impuberes carent, præſertim ſi nondum ſint ſeptennes. Reſpondetur, exinde tantùm ſequi, impuberes ut etiam amentes, & furioſos non eſſe capaces juris patronatus quoad exercitium, non verò quoad habitum. Præterea ſi pupillus nondum ſit ſeptennis, non per ſe ipſum præſentat, ſed per tutorem, ut notat Garcia *tract. de benefic. p. 1. c. 9. num. 193.* Quòd ſi pupillus ſit ſeptennio major, ſed tamen infra annos pubertatis tunc quamvis conveniat præſentationem fieri authoritate tutoris dati ad regendas actiones pupilli, ut notat Garcia *loc. cit. n. 95.* nihilominus ſi ſolus pupillus præſentaret dignum, ejus præſentatio valida foret, & præferenda factæ à tutore, tametſi hic digniorem præſentaverit: quia pupillus eſt propriè Dominus juris patronatus, & ejus tutor non adminiſtrat ſpiritualia. Tum quia nullo jure habetur, quòd ad talem præſentationem requiratur neceſſariò authoritas tutoris, ut notat Zœſius *h. t. n. 40.*

4 Poſſe tamen tutorem probabiliter præſentare, ſi non contradicat pupillus, aſſerit Garcia *de benefic. p. 1. c. 9. num. 193.* eò quia tutor non ſolùm habeat poteſtatem adminiſtrandi bona pupilli, verùm etiam regendi ejus actiones. Quòd ſi Patronus fuerit pubes, ſed adhuc minor 25. annis, tunc poteſt ex ſe præſentare: quia quoad ſpiritualia jam eſt ſui juris, & independens à patria poteſtate, ut notat Garcia *loco cit. num. 198.* quin imò ſi præſentatio fieret ab alio etiam curatore ſine mandato pupilli, præſentatio foret irrita, quia curator non datur ad regendam pupilli perſonam; ſed ad ejus bona temporalia adminiſtranda. Excipitur tamen jus patronatus competens filio ratione bonorum adventitiorum, quorum uſusfructus pertinet ad patrem: ſi enim jus patronatus ſit itidem bonis annexum, ejus fructus, ſeu præſentare clericum ad beneficium pertinebit etiam ad patrem.

5 Non tamen Judæi, & Pagani, & alii infideles ſunt capaces juris patronatus, tametſi eccleſias fundent, conſtruant, ac dotent, vel caſtra emant, quibus ſit annexum jus patronatus, quia Eccleſia hoc privilegium tantùm conceſſit laicis fidelibus, non verò infidelibus, ut patet ex *can. quicunque 16. q. 7.* ubi expreſsè dicitur: *Quicunque fidelium.* Tum quia jus patronatus eſt eccleſiaſticum, & infideles cùm ſint extrà Eccleſiam, non poſſunt eſſe capaces juris eccleſiaſtici: quòd ſi Judæi, vel Pagani fundent Eccleſiam, tenentur illam dotare, & eâ ſit liberæ collationis, ut notat Fagnanus *in c. nobis 25. n. 9.* adeo ut infidelis ob fundationem, & dotationem Eccleſiæ non acquirat jus Patronatus ob incapacitatem, quia per Baptiſmum non eſt ingreſſus Eccleſiam. Hoc idem etiam firmari poteſt ex cognatione ſpirituali, quam infidelis non acquirit, ſi puerum baptizet, aut de ſacro fonte levet, ut tradit Joannes Andreas *in c. ex eo num. 1. & 5. de reg. jur. in 6.* De hæretico an capax ſit juris patronatus videtur eſſe major difficultas, quia hæreticus eſt baptizatus. Nihilominus de jure communi non eſt capax juris patronatus, quia omnia ejus bona, etiam quibus eſt annexum jus patronatus confiſcantur per text. *c. cum ſecundùm leges de hæret. in 6.* & quamvis hæc ratio non videatur militare de hæreticis toleratis in Germania: nihilominus adhuc iſti accenſendi ſunt incapacibus juris patronatus: eò quia hæreticos per hæreſin ſe ſeparavit ab Eccleſia, & eſt extra illam: conſequenter illi non competit hoc jus, quod Eccleſia tantùm ex gratia, non debito, concedit fidelibus, manentibus in Eccleſia.

6 Tum quia hæreticus privatur honore, quem in eccleſiis obtinet Patronus *argum. c. didicimus 31. cauſa 24. q. 1.* quapropter gratia à ſede Apoſtolica conceſſa fidelibus, ut ſint capaces juris patronatus, non extenditur ad hæreticos, ut notant Abbas *in c. nobis 25. num. 3. h. t.* & Fagnanus *ibidem num. 10.* hinc ſi Patronus lapſus in hæreſin præſentet Clericum ad beneficium, præſentatio illa eſt irrita, & in pœnam hæreſis privatur tali jure. Quòd ſi ad fidem catholicam iterum revertatur, recuperat jus patronatus, niſi per ſententiam Judicis fuerit illo privatus, ac damnatus ob hæreſin.

7 Neque obſtat, quòd hæretici ſint Chriſtiani, poſſintque contrahere cognationem ſpiritualem baptizando, vel ſacro fonte levando, proinde etiam eſſe capaces juris patronatus. Nam contra eſt, quia cùm hæretici condemnent Eccleſiam, non merentur favorem ejusdem, præſertim cum ab Eccleſia receſſerint per hæreſin, proinde neque merentur gratiam, quam Eccleſia concedit fidelibus eos inſtituendo capaces juris patronatus. Hæc autem procedunt de jure communi: quia in aliquibus Germaniæ locis di-

cuntur

cuntur fieri præsentationes ab hæreticis toleratis ad beneficia ecclesiastica, & institui clerici ab iisdem præsentati.

8 Ponitur tamen difficultas, an quando castrum datum in dotem habet annexum jus patronatus, pertineat hoc ad uxorem habentem castrum illud in dotem, vel ad maritum. Pro solutione difficultatis juvat observare, dotem bipartiri in æstimatam, & non æstimatam; illam dici, cujus valor certo pretio taxatur; hanc quæ nullo taxatur pretio: potest autem ex duplici fine dos æstimari. Primò æstimatione faciente veram venditionem, nimirum ea intentione, ut maritus soluto matrimonio non teneatur restituere dotem in individuo, sed sufficiat, si pretium æquivalens donet. Secundò potest æstimari æstimatione non faciente venditionem, & tunc contingit, quando dos restituenda est in individuo, licèt pro majori securitate taxetur valor illius, ut nimirum si fortassis culpa mariti periret, possit æstimatum pretium repeti.

9 Præterea maritus matrimonio inito acquirit dominium directum, & utile, tam civile, quàm naturale dotis æstimatæ æstimatione faciente venditionem *argum. l. quoties §. C. de jure dotium*, quia censetur, eam emisse pro pretio credito, adeo ut totum ejus lucrum, & periculum sit penes maritum; & si pereat, tametsi sine culpa mariti, adhuc censeatur marito perire, qui propterea contrahit obligationem refundendi pretium dotis soluto matrimonio: uxor tamen adhuc retinet jus aliquod in re dotali; adeo ut si in cæteris bonis mariti non reperiatur sufficiens pretium dotis, dominium rerum dotalium, quæ adhuc existunt ipso facto redeant ad uxorem, quæ potest illas sibi vendicare exclusis omnibus aliis creditoribus, quamvis privilegiatis: hinc maritus non habet plenum dominium in dotem uxoris *l. in rebus 30. C. de jure dot.*

10 Hæc tamen procedunt ex suppositione, quòd matrimonium sit jam initum, quia dos in ratione dotis, non completur nisi per actualem contractum matrimonii, adeo ut promissio dotis non sit absoluta, sed conditionata, si matrimonium ineatur: hinc si antequam contrahatur, dos fuisset data sponsæ, & periret, damnum non esset mariti, sed uxoris, cui censeretur perire. Ejusdem juris est, sive dos constituatur in rebus consistentibus in numero, pondere, aut mensura, quia dos imitatur naturam mutui, & transfert dominium in maritum, perinde ac dominium mutui transfertur in mutuatarium *l. res in dotem 42. §. de jure dot.* Cæterum dominium naturale dotis inæstimatæ, vel æstimatæ sine venditione manet, vel penes dantem, si fuit dos profectitia, vel penes uxorem, si fuit adventitia, & desumitur *ex d. l. in rebus 30. C. de jur. dot.* maritus tamen in tali dote præter usumfructum habet etiam dominium civile, quia hoc ei competit, qui licèt verò non sit dominus rei, juris tamen fictione censetur Dominus in ordine ad quosdam effectus cujusmodi sunt libera administratio, & vendicatio.

11 Ut autem satisfiat difficultati, certum est, jus patronatus non pertinere ad maritum, si sit annexum bonis paraphernalibus uxoris, vel illi competat ratione majoratus, vel successionis, ut hæredi, vel consanguineæ fundatoris: ratio est, quia sicut alia bona acquiruntur extra suam dotem, ita eidem acquiritur jus patronatus iisdem annexum; accessorium enim sequitur suum principale; & jus patronatus est accessorium iisdem bonis: cum igitur uxor acquirat plenum dominium circa talia bona, ita etiam circa jus patronatus iisdem annexum: proinde ad solam uxorem pertinet tunc præsentare clericum ad beneficium, non ad maritum, qui propterea in tali præsentatione non potest se immiscere, nisi fortassis ex urbanitate uxoris id ei concedatur.

Major difficultas igitur est, quando jus patronatus est annexum bonis dotalibus; an tunc jus præsentandi spectet ad uxorem, vel maritum? Abbas *in c. fin. de conces. prabend. num. 8.* Felin. *in c. cum olim de major. & obedient. n. 4.* asserunt, jus præsentandi pertinere tunc ad solam uxorem, eò quia apud ipsam maneat verum, ac naturale dominium dotis *l. in rebus 30. C. de jur. dot.* consequenter etiam manet jus patronatus, tanquam accessorium ad ipsam dotem. Quòd si objicias textum *in c. per vestras de donat. inter vir. & uxor. & c. salubriter de usur.* ubi fructus, & commodum dotis dicuntur pertinere ad maritum; proinde etiam jus patronatus, & ipsa præsentatio debet ad maritum pertinere; quia præsentatio est quidam fructus, & emolumentum juris patronatus. Respondent, præsentationem esse quidem fructum, & quidem pretio æstimabilem, non tamen qui inserviat ad ferenda matrimonii onera; proinde non transire ad maritum, quia ad ipsum tantùm transeunt illi dotis fructus, qui inserviunt ad onera matrimonii portanda, seu qui adferunt aliquid lucri, & maritus per eorum acquisitionem fit ditior: per præsentationem autem clerici ad beneficium, qui præsentat, non fit ditior, nec talis præsentatio, licèt sit fructus juris patronatus, inservit ad ferenda onera matrimonii: unde licèt fructus dotis transeant ad maritum, non ita jus præsentandi, licèt sit fructus juris patronatus annexi bonis ipsius dotis. Si objicias secundò jus patronatus transire cum universitate rei: & maritum fieri dominum rei dotalis post initum matrimonium *l. doce ancillam C. de rei vindic.* proinde fieri etiam dominum juris patronatus. Respondent, jus patronatus transire cum universitate rei quando plenum atque perfectum universitatis rei dominium acquiritur, non verò quando plenum ac perfectum dominium non acquiritur: maritus autem non acquirit hoc plenum ac perfectum dominium in dotem uxoris, quia dominium naturale semper manet penes uxorem. Quamvis hæc sententia plurimum habeat probabilitatis, nihilominus, probabilius putârim, jus patronatus annexum bonis dotalibus transire ad maritum, ut docent Garcia *de benefic. p. 5. c. 6. num. 149.* Zœsius *h. t. num. 36.* Tiraquel. Guttier. & alii: siquidem marito non solùm acquiruntur fructus bonorum dotalium, ut desumitur *ex d. c. salubriter de usur.* verùm etiam fictione juris domi-

nium civile in ordine ad omnes illos effectus, qui jure non excipiuntur *argum. l. dare C. de rei vindicat*, & ibi Glossa *V. dotalem*, & docent hanc sententiam Bartol. *hic n. 3. &* Bald. *n. 6.* apud Garciam *loc. cit.* quapropter una cum principali, seu bonis dotalibus transit ad maritum etiam accessorium, seu jus patronatus, quia nullibi in jure reperitur exceptum. Sicut igitur jus patronatus transit cum re dotali quoad dominium civile ad maritum: ita etiam ipsa præsentatio, quæ est ejus fructus, se habens accessoriè ad fructus rei dotalis, quamvis non sit pretio æstimabilis.

13 Non tamen Patrono sive laico, sive ecclesiastico præter jus præsentandi competit aliud jus, vel potestas circa bona Ecclesiæ; adeo ut Patronus non possit liberè disponere, nec instituere, aut destituere Clericos in Ecclesia, cujus est Patronus, idque statuitur *in c. Præterea 4. h. t.* ubi dicitur, quòd Patroni laici, qui sine authoritate Episcopi instituunt clericos, vel removent, vel bona ecclesiastica pro sua voluntate distribuunt, sint excommunicati. Ratio etiam hoc idem suadet, quia laici nullam habent potestatem disponendi de rebus ecclesiasticis, cùm sint alterius fori, hoc idem etiam statuitur in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 9. § Patroni autem de refor.* quinimò Clericus, qui permisit se instituì in beneficio absque proprii Episcopi authoritate, privatur communione, & anathemate percutitur, & si persistit in ministerio ecclesiastico etiam deponitur, ut habetur *in d. c. præterea 4. h. t.* ubi dicitur, quòd Clericus, qui recipi: Ecclesiam per Laicos sine authoritate Episcopi sit privandus communione, & si perstiterit, deponatur à ministerio ecclesiastico, & ab ordine. Laicus verò se intromittens in spiritualibus, vel temporalibus juris patronatus, non est ipso jure excommunicatus, sed excommunicandus, & clericus sinens se instituì non est suspensus, sed suspendendus: verùm si canonicam institutionem velit postea impetrare, debet vitium intrusionis in petitione exprimere, quia ratione intrusionis contraxit inhabilitatem, ut promoveatur ad beneficia ecclesiastica, ad quæ fuit intrusus. Imò neque potest promoveri ad aliud beneficium, vel dignitatem ecclesiasticam, ut habetur *in c. quùquis 43. de elect.* ubi expresè dicitur, quòd si clericus per abusum potestatis sæcularis electus præsumpserit consensum dare, ejus electio sit ipso jure irrita, & electus ineligibilis redditur, adeo ut ad nullam dignitatem ecclesiasticam eligi possit.

14 Neque possunt patroni liberè conferre ecclesias, vel beneficia, in quibus habent jus patronatus, sed tantùm possunt præsentare, ut habetur *in c. transmissa 31. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. declarat, quòd patronus non possit conferre, seu concedere, vel instituere Ecclesiam, sed solùm præsentare; hinc si uni conferat Ecclesiam, & mox alium præsentet Episcopo, licèt primus appellaverit ad Papam, nihilominus Episcopus potest instituere hunc præsentatum: & *ex eod. c.* infertur, posse patronum retractare proprium factum si noverit *illud invalidum* esse, vel cedere in præjudicium Ecclesiæ, vel tertiæ personæ, vel in damnum animæ, ac salutis propriæ.

15 Præterea qui Ecclesiam collegiatam fundavit, construxit, vel dotavit, licèt sit Patronus illius, non tamen habet jus eligendi Prælatum, adeo ut non possit suffragium ferre in ejus electione, si laicus sit, imò neque interesse electioni faciendæ, neque requirendus est ante electionem, ut habetur *in c. nobis 25. h. t.* ubi Clemens III. ait, quòd Patronus non possit interesse electioni faciendæ de Prælato Ecclesiæ, sed tantùm quòd post electionem postuletur ejus assensus, nisi fortassis Patronus habeat specialem facultatem interessendi electioni: & ratio id etiam suadet, quia laici non sunt capaces jurium spiritualium, nec ullam habent de rebus, & personis ecclesiasticis disponendi potestatem *c. una 25. de decim.* nisi ipsis à sacri canonibus, vel sede Apostolica fuerit concessum, adeo ut sine hac concessione nullum laicis competat jus in res, aut personas ecclesiasticas; atqui Patronis laicis ab Ecclesia tantùm conceditur jus præsentandi, non autem eligendi, quia jus eligendi est magis spirituale; quàm jus præsentandi, cum præsentatio immediatè dirigatur ad superiorem Ecclesiasticum, ut præsentatum constituat in Ecclesia, vel beneficio, adeo ut clericus præsentatus non acquirat jus ad beneficium, nec in beneficio per præsentationem, sed tantùm per institutionem, ut habetur *in c. quod autem 5. h. t.* ubi Alexander tertius statuit, quòd si Patronus præsentet idoneum pro Ecclesia, & Episcopus illum non admittat, si deinde præsentet alium idoneum, quem Episcopus admittit, primus præsentatus, & non admissus non potest agere, nec est præferendus, quia ante approbationem Episcopi non est rata præsentatio, & melior est conditio possidentis. Electio autem è contra dat electo jus ad beneficium, & proximè dirigitur ad electum *c. quòd sit 6. de elect. in 6.* unde licèt possit laicus ratione juris patronatus præsentare clericum ad beneficium, non tamen eligere, quamvis Ecclesiam collegiatam fundaverit, construxerit, vel dotaverit. Quinimò neque potest Laicus habere jus nominandi, vel præsentandi Prælatum, seu Rectorem in Ecclesia collegiata, sed tantùm in Ecclesia non collegiata, ut habetur *in d. c. nobis 25. h. t.* & ratio etiam desumitur ex eo, quia Prælati Ecclesiarum collegiatarum sunt in dignitate constituti, & in illis obtinent præcipuum locũ, exercéntque jurisdictionem in foro externo, etiam in ipsos clericos; proinde non decet, ut Prælati Ecclesiarum collegiatarum constituantur per Laicos. Hinc nec per ullam consuetudinem etiam immemorialem potest laicus, quamvis sit Ecclesiæ Patronus acquirere jus eligendi Prælatum Ecclesiæ collegiatæ, ut desumitur *ex d. c. nobis 25. h. t.* & *ex c. Massana 56. de elect.* ratio est, quia id cederet in nimium ecclesiasticæ libertatis præjudicium, si electio, vel constitutio Prælatorum collegiatarum concederetur laicis.

16 Moris tamen est præsertim in Germania ut laici nomine Principum intersint tractatui de electione instituenda, ita tamen ut liberam facul-

facultatem eligendi relinquant ecclesiasticis, & tantùm defentionis causâ assistant ad eum duntaxat finem, ut electio ritè, tranquillè, & ordinatè peragatur; tametsi nec id permitti deberet: sed ubi consuetudo invaluit, tolleratur. Non tamen potest Episcopus regulariter Ecclesiam parochialem patronatam invito patrono commutare in aliam Ecclesiam, ut in collegiatam: ratio est, quia id cederet in manifestum præjudicium Patroni, qui non posset ampliùs Parochum præsentare: & sicut invito Patrono non potest auferri jus præsentandi directè *argum. c. monasterium 33.* ita neque indirectè convertendo Ecclesiam parochialem patronatam in collegiatam. Si tamen necessitas urgeret, & cederet in evidens majus bonum Ecclesiæ, & Patronus non posset contradicere; tunc posset converti in collegiatam; & Patronus si absque reservatione juris, & protestatione consenserit; tunc electio Rectoris ad collegium clericorum pertinet: sin autem sibi reservaverit jus præsentandi, illud retinet. Cæterum hoc est discrimen inter electionem, & præsentationem, quia electio fit à collegio, seu Ecclesia habente conventum, & per electionem jus acquiritur Prælato electo: si enim fuerit idoneus, & canonicè electus, debet à superiore confirmari, & ante confirmationem habet tantùm jus ad Prælaturam, non in Prælatura. Secus præsentatio regulariter solùm fit ad beneficia, quæ non cadunt sub electionem, & quæ non sunt Prælaturæ, nec jus tribuunt irrevocabile.

17 Prohibitum est etiam, & quidem sub pœna excommunicationis ferendæ, ne Patroni Ecclesiarum in recognitione juris patronatûs aliquid ab ipsis exigant, neque tributa, nec collectas militum, nec ullum servitium alendi canes venaticos, aut alia jumenta, nec possint gravare aliis oneribus, vel exactionibus, & delumitur *ex c. preterea 23.* ubi Lucius III. statuit, quòd Patroni, Vicedomini, Custodes, Guardiani non possint propria authoritate alienare jus patronatus, nec gravare Ecclesiam, nec aliquid exigere, nisi antiquos réditus moderatos, quos Episcopi in fundatione instituerunt, idque sub pœna excommunicationis, & contractus alienationis declaratur irritus. Ratio etiam id suadet, quia talia gravamina non exiguntur, nisi à subditis, & supponunt jurisdictionem in imponente: atqui Ecclesiæ, & illarum Ministri non subjiciuntur potestati sæculari; proinde non possunt à sæcularibus gravari; & solùm *in d. c. preterea* excipitur, nisi Patronus in fundatione sibi reservet cum authoritate Episcopi, aliquam pensionem annuam, & quidem moderatam spectata quantitate redituum Ecclesiasticorum, adeo ut dos necessaria non minuatur. Potest etiam Patronus, seu fundator Ecclesiæ ex consensu Episcopi in ipsa fundatione honestam conditionem apponere, etiam contra jus commune, & nonnunquam etiam cum derogatione juris episcopalis: debet tamen id fieri tempore fundationis, ut notat Glossa *in c. 2. V. non pertinere vers. 10. q. 1.* ratio est, quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter, proinde in donatione, fundatione, vel traditione potest velle donare, vel fundare cum hac, vel illa licita, & honestâ conditione: secus post factam fundationem, vel donationem non potest ampliùs talis conditio apponi, ut notat Glossa *in l. 4. C. de donat. quæ sub mod.* ubi dicitur: *Perfecta donatio conditiones posticas non patitur.* Rursus hæc conditio adjicienda est ex consensu Episcopi, quia fundator est privata persona, & non potest propria authoritate canones immutare *c. requisisti 15. de testam.* Idque vel maximè procedit, si mutatio fiat in præjudicium Episcopi.

Cæterum Patronus non potest disponere de 18
fructibus, & reditibus Ecclesiæ, nec eos convertere ad certos determinatos usus quantumvis pios. Ratio est, quia Laicus non potest disponere de bonis Ecclesiarum, quia sunt omnino exempta à jurisdictione, & potestate laicâ, etiam ipsorum Principum *c. generaliter 16. q. 1. c. convenior in qualibet. c. sancimus 23. q. fin. c. benè quidem dist. 96. c. adversus. c. non minus de immunit. Eccles.*

§. IV.

De potestate præsentandi, & de ipsa actuali præsentatione clerici ad beneficium vacans.

POssessori juris patronatus quamvis revera 1
dominium juris patronatus non competat, si tamen sit possessor bonæ fidei potest clericum nominare, & hic potest institui: quia nominare, seu præsentare clericũ, habere in processionibus honorificum locũ, accipere subsidium vel alimenta tempore inopiæ ab Ecclesia, sunt fructus juris patronatus: & generatim fructus rei debentur possessori ejusdem, dummodo sit possessor bonæ fidei *c. gravis de restit. spoliat.* Verùm ut quis dicatur possessor bonæ fidei, duo desiderantur, & quidem copulativè, quorum primum est, ut communiter reputetur Patronus. Secundum ut sit in possessione præsentandi, nec solus error communis sine possessione sufficit; & hoc pacto solet limitari *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor.* Imò procedit etiam quando cum communi errore concurrit possessio, vel quasi possessio proprietatis, seu potestatis, ut notat Abbas *in c. consultationibus 19. h. t.* ubi Glossa notat, quòd qui est in quasi possessione cum bona fide, acquirit titulum, tametsi qui præsentaverit non fuerit revera Patronus *c. querelam de electione. c. cum olim. de causa possess. & propriet.* Non tamen sufficit nuda possessio, sed ulterius requiritur, ut is qui præsentat, sit in possessione cum bona fide, & existimet jus præsentandi sibi competere. Acquiritur autem hæc possessio etiam per unicum actum præsentationis, admissæ tamen à Prælato ecclesiastico *c. cum Ecclesia sub trina.*

Hæc tamen procedunt de jure antiquo, quia 2
hodie post Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 9. de refor.* ad valorem præsentationis, non sufficit si præsentans communiter reputetur Patronus, & sit in quasi possessione juris præsentandi, sed ulterius requiritur, ut doceat de titulo, & proprietate juris Patronatus ex fundationis

tione,aut dotatione,& titulus debet constare ex authentico instrumento, vel ex multiplicatis præsentationibus à tempore immemoriali, ut rectè notat Pirhing. *h. t. sect. 4. §. 1. num. 88.* ubi addit,decretum Concilii non habere locum, si controversia non sit de titulo,seu proprietate juris patronatus, sed solùm vertatur inter duos, vel tres præsentatos, ad quem ex præsentantibus jus patronatus pertineat, ut si controvertatur, quisnam eorum in jure patronatus successerit: tunc enim inter præsentatos debet præferri is,quem præsentavit, qui est in pacifica, immediata possessione juris præsentandi, ut notat Fagnanus *in d.c. consultationibus 19.n.16.h.t.*

3 Difficultas tamen oritur, quando sunt duo litigantes super eodem jure patronatus, & unus eorum est Clericus prætendens illud ex litteris fundationis sibi competere post extinctam familiam masculinam fundatoris: & alter est laicus, qui succedit,ut extraneus fundatori, séque defendit per possessionem cum bona fide à tempore immemoriali; cuinam tunc ex hisce duobus litigantibus jus præsentandi competat. Plures in ea sunt sententia, ut clerico illud adjudicent: eò quia publicum instrumentum à fundatore erectum, & approbatum ab Ordinario loci, doceat jus præsentandi ex fundatione acquisitum,tamdiu manere in familia fundatoris, quamdiu linea masculina non extinguitur, & hæc extincta transire ad clericum: hæc autem familia supponitur extincta;proinde jus patronatus acquisitum clerico.

4 Tum quia Tridentinum *sess. 25. c. 9. de ref.* ait: *In iis personis,in quibus id jus plerumque usurpatione potiùs quæsitum præsumi solet; plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragetur*: sed laicus successor,non ampliùs ex linea masculina fundantis familiæ descendens si sibi usurpet illud jus præsentandi, cùm non possit verum titulum probare; non debet probatio petita à tempore immemoriali ei suffragari, hinc Fagnanus *in d. c. consultationibus num. 15. h. t.* ait,post Concilium Tridentinum non esse deferendum illis Authoribus, qui dixerunt,cùm duo sunt præsentati unus ab existente in possessione præsentandi; alter verò ab habente proprietatem juris patronatus,instituendum esse præsentatum à bonæ fidei possessore:ergo cum Clericus supponatur habere proprietatem juris patronatus, & laicus solam possessionem à tempore immemoriali docent, esse jus patronatus adjudicandum Clerico. Hoc idem etiam adstruit Barbosa *in collect. ad* Tridentinum Concil. *sess. 25. c. 9. n. 15. de reformat.* ubi ait, non suffragari immemorialem præsentationem, quando constat de initio invalido à principio, ut si appareat,quòd fuerit usurpatum jus patronatus ex privilegio, & non ex fundatione, & dotatione. Adhærent huic sententiæ Gonzales Glossa *18. num. 43.* Piasecius *in d. c. consultationibus*, Mantica *decis. 318.* Barbosa *allegat. 72. num. 67.* sed constat, laicum ab initio sibi usurpâsse invalidè jus patronatus,cum illud non habuerit ex fundatione, vel dotatione: consequenter possessio immemorialis non videtur ei suffragari.

Nihilominus alii probabiliùs censent, jus præsentandi esse adjudicandum laico possessori, & qui in judicio se defendit beneficio præscriptionis à tempore immemoriali contra patronum Ecclesiasticum proprietatis: quia ut notat Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 72. num. 67.* rigor præscriptus à Concilio Tridentino *loc. cit. sess. 25. c. 9.* non procedit si agatur inter ipsos patronos juxta decisionem Rotæ Romanæ coram Mantica *decis. 18.* cui adhærent Gonzales *Glossa 18. num. 59.* Piasecius *in prax. nova Episc. p. 2. c. 5. num. 7. V. non tamen* adeo ut jus patronatus possit præscribi ab uno contra alium compatronum, ut censuit Rota Romana *decis. 548. num. 2.* apud Farinac. *p. 2. recent.* & quia in præsenti casu controversia est de jure patronatus,non contra Ecclesiam liberam, sed inter ipsosmet Patronos clericum, & laicum;ideo rigor Concilii Tridentini non videtur urgere, unde præcipuum fundamentum, quo nititur contraria sententia desumpta ex authoritate Concilii non videtur subsistere: quia authoritas Concilii tantùm procedit, quando agitur contra Ecclesiam super libertate beneficii. Tum quia ut notat Pirhing. *loc. cit. num. 88.* decretum Concilii non habet locum, quando controversia non est de titulo,seu proprietate juris patronatus,ut etiam notat Fagnanus *in d. c. consultationibus n. 16. h. t.*

6 Quòd si dicas,ex parte possessoris laici obstare malam fidem, & defectum tituli. Contra est, quia supponitur semper titulus aliquis saltem coloratus,proinde possessor saltem supponitur bonæ fidei,præsertim cum possessio à tempore immemoriali habeat vim tituli *argum. l. fin. ff. de aqua pluvia arcenda*, idque ut procedat, sufficit sola capacitas in exercente,ut notat Fagnanus *in c. cum contingat. num. 9. de for. compet.* & cum laicus non sit incapax juris patronatus, quod possidet à tempore immemoriali, non est dicendus carere titulo, nec mala fide possidere jus patronatus. Tum quia Concilium Tridentinum potiùs favet huic secundæ sententiæ, si enim textus integer producatur, dicitur in *sess. 25. c. 9. num. 15. Nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quàm 50. annorum spatio,quæ omnes effectum fortitæ sint authenticis scripturis probentur*: sed laicus à tempore immemoriali semper fuit agnitus pro Patrono, & omnes præsentationes quotquot habuit ultra 50. annos etiam supponuntur fortitæ suum effectum: ergo hujusmodi præscriptio sufficit etiam ex Concil. Tridentino, ad producendum justum titulum suæ possessionis.

Quid verò dicendum sit, si lite pendente super jure patronatus, & nondum finita intra quadrimestre, vel semestre, an tunc currat Patrono tempus ad præsentandum, vel potiùs pro illa vice privetur jure præsentandi, quod devolvatur,ad superiorem Ecclesiasticum? non conveniunt doctores: proinde procedendum est cum distinctione,si lis sit inter Patronos super quasi possessione juris patronatus: vel super proprietate juris patronatus,quod nemo adhuc possidet, 7

tunc

tunc jus devolvitur ad Diœcesanum, & desumitur *ex c. cum propt. 27. h. t.* ubi expressè statuitur, quòd si quæstio vertatur inter Patronos de jure patronatus, & infra quatuor menses non definiatur, ad Episcopum pertineat instituere personam idoneã; ita tamen ut ex hoc non fiat præjudicium præsentationi imposterum: & ratio quæ movit Pontificem ad id statuendum fuit, ne propter litem, & contentionem Patronorum Ecclesia careret Rectore ultra tempus à jure definitum, & ne illi detrimentum inferretur, ut notat Fagnanus *in c. quoniam 3. h. t. num. 16.* ubi etiam statuitur, quòd si Patroni dissentiant, & diversi diversos præsentent, qui habet majora merita, & plura suffragia præferatur, & si hoc non potest fieri sine scandalo, Episcopus ordinet, prout consultiùs judicaverit. Idque faciat, quando inter aliquos nascitur quæstio de jure Patronatus, quæ inter quatuor menses non definitur.

8 Quòd si lis non inter Patronos moveatur, sed inter patronum, & Episcopum, eò quia prætendat Episcopus Ecclesiam liberam esse, & patronus contendat esse sibi subjectam; tunc tempus ad præsentandum non currit Patrono, neque Episcopus potest beneficium conferre, sed tantùm Œconomum Ecclesiæ dare, donec lis absolvatur, ut notat Barbosa *p. 3. de offic Episc. allegat. 75. num. 140.* Fagnanus *in d. c. quoniam num. 18.* Sin verò agitetur inter Patronos, & præsentatum, & dubium sit, an præsentatus sit capax præsentationis, tunc definienda priùs est lis inchoata, quia agitur de jure quæsito præsentati; proinde Patronus non potest pendente lite præsentare alium, quin inferat injuriam præsentato; si præsentet alium privativè ad primum; non ita si accumulativè, si sit Patronus laicus, quia hic potest accumulativè plures præsentare, ut ex illis Episcopus instituat magis idoneum. Neque quando lis est inter præsentatos contendente alterutro se esse alteri præferendum, potest Patronus alium præsentare, donec lis absolvatur: quia constitutio *in c. quoniam 3 h. t.* cum à jure communi exorbitet, sitque odiosa ob solam paritatem rationis non extenditur ad casus similes, ut notat Abbas *in in d. c. quoniam 3. num 7. h. t.*

9 Imò hoc etiam procedit, quando lis movetur super jure eligendi, vel conferendi ob discrimen inter utrumque jus: siquidem in præsentatione non agitur de tam gravi Patronorum præjudicio, si lite adhuc pendente Episcopus alium instituat: secus in jure electionis sit gravissimum præjudicium electoribus, si ipsis exclusis jus instituendi devolveretur ad alium, quia fortâssis institueretur, quem nollent, vel habere non expediret, ut notat Fagnanus *in d. c. quoniam 3. num. 22. h. t.* Verùm Episcopus potest prorogare tempus à jure concessum Patronis litigantibus, quia cum jure sit Episcopo jus devolutum, cedere potest eidem, non tamen ultro semestre, quod illi conceditur ad devolutum beneficium liberè conferendum: alioquin elapso semestri, si Episcopus non conferat beneficium, jus illud conferendi devolvitur ad alium superiorem ecclesiasticum, ut ad Archiepiscopum, ut habetur *in c. nulla de constit. præbend.* & notat Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 72. n. 143.*

Patronus non potest se ipsum ad beneficium præsentare: quia in præsentatione tres necessariò debent personæ intersse, Patronus, qui clericum præsentet, clericus qui præsentetur, & Episcopus qui clericum à Patrono præsentatum instituat: sin autem Patronus se ipsum præsentaret, duæ tantùm, non tres personæ interessent contra essentiam, & naturam præsentationis. Tum quia præsentans dicit relationem ad præsentatum, cui correlativè opponitur; & eadem persona non dicit relationem ad se ipsam, neque opponitur sibi ipsi, quapropter inter præsentantem, & præsentatum necesse est intercedat distinctio *argum. c. per nostras 26. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, ne ullus tametsi clericus doctus, idoneus, & benemeritus habens jus patronatus in aliqua Ecclesia, possit se præsentare: ubi etiam assignatur alia ratio; quia nullus debet se ingerere officiis ecclesiasticæ prælationis; ut enim notat Glossa *in d. c. per nostras* eo ipso quòd se ingerit, repelli debet tanquam ambitiosus. Demum sicut inter dantem, & recipientem necessaria est distinctio, cùm nemo det sibi ipsi *c. cum ad nostram de instit.* ita inter præsentatum & præsentantem necessaria est distinctio. Tum quia persona electa non videtur computanda inter eligentes, ut augeat numerum eligentium, eò quia electio dicat relationem ad alium *c. didicimus 24. q. 3.* Immo neque Patronus potest se præsentare per Procuratorem ad id constitutum, nec per alium à se delegatum, quia adhuc virtualiter Patronus se ipsum præsentaret, quidquid enim Procurator, vel delegatus agit, non suo nomine id præstat, sed sui principalis, cujus vices gerit, quapropter ipse principalis adhuc censeretur se ipsum præsentare, ut notant Paris. *lib. 9. de resciud. benefic. q. 17. num. 113.* Joann. Andre. *in c. ex insinuatione 14. num. 3. h. t.* Hinc nec potest Procurator se ipsum præsentare, quia non debet beneficium à propria persona originem trahere ad excludendam ambitionem. 10

Sin verò Patronus transferret in alium jus præsentandi, à quo se abdicaret, & hic alter nominaret ad beneficium ipsum Patronum, tunc censent plures præsentationem fore validam, & præsentatum Patronum instituendum in beneficio: quia tunc Patronus non præsentaret se ipsum, sed præsentaretur ab alio habente jus pro illa vice præsentandi quemcunque, prout ipsi consultiùs visum fuerit, quapropter si judicaverit Patronum idoneum esse, non videtur, cur debeat excludi, ac esse deterioris conditionis quàm alii, qui possent præsentari. Immo diœcesanus, ad quem pertinet institutio motu proprio posset Patronum Clericum instituere in beneficio, in quo habet jus patronatus: quia tunc Patronus se ipsum non præsentaret, sed tantùm institutio fieret ex ejus consensu, quod in jure non prohibetur. 11

Quinimò posset etiam Patronus clericus humillimè supplicare Diœcesano, ut sibi velit beneficium illud conferre, quia in hoc casu 12

neque se ipsum præsentaret, sed cederet jure suo, & tantùm rogaret Prælatum, ut sibi velit beneficium conferre: sicut enim Ordinarius potest alteri clerico idoneo beneficium conferre, ita etiam clerico Patrono, si idoneus fuerit deprehensus, & id consultius visum fuerit Episcopo, ut notat Barbosa *lib. 3. de jure eccles. univers. c. 12. num. 199.* Quòd si duo sint Patroni, quorum unus sit laicus, alter Clericus, nulli dubium, quin laicus possit clericum præsentare, & hic posset pro illa vice cedere jure suo se abstinendo à præsentatione, quo pacto ipse solus remaneret præsentatus, & si idoneus deprehenderetur esset instituendus *argum. can. Congregatio. 16. q. ult. c. propter de elect.* quia tunc Patronus se ipsum non præsentat, sed tantùm consentit præsentationi de se factæ.

13 Pater habens jus patronatus potest ad beneficium præsentare filium *argum. c. consulvit 15. h. t.* ubi notat, Glossa, quòd tametsi Pater non possit se ipsum præsentare, potest tamen filium nominare ad beneficium, quia tunc non habetur successio hæreditaria cùm Pater antea non possederit tale beneficium. Tum quia ad Patronum pertinet sola præsentatio, non verò institutio, seu collatio beneficii, & ut notat Pirhing. *h. t. sect. 4. §. 2. num. 92.* nullibi reperitur in jure prohibitum Patrono præsentare suum filium. Neque obstat quòd *in d. c. consulvit 15.* Laici prohibeantur, filiis suis propria authoritate concedere Ecclesias: quia præsentare non est concedere, nec instituere; ad Episcopum enim pertinet concedere beneficium, quapropter à contrario sensu habetur argumentum, & infertur, non esse prohibitum Patrono proprium filium præsentare, licèt sit prohibitum eidem concedere beneficium, *in d. c. consulv.* prohibetur sola concessio, & collatio, non verò præsentatio. Tum quia *in l. illud 5. ff. quod cujusque univers.* non habetur, quòd Pater Filio, & Filius Patri suffragium, seu vocem electionis dare non possit. Neque obstat quòd Pater, & Filius in jure censeantur una persona *l. fin. C. de impuberibus, & aliis substitutionibus* quapropter Pater si Filium præsentaret, se ipsum in effectu conferetur præsentare contra *c. per nostras 26. h. t.* Nam contra est, quia Pater, & Filius non nisi fictione juris, & in certis casibus censentur una, ac eadem persona: & quia in his casibus non comprehenduntur electio, & præsentatio ad beneficia, ideo in iis censentur diversæ personæ, adeo ut Pater possit suffragari filio, vel etiam illum præsentare, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccles. univers. alleg. 72. n. 94.*

14 Nec urget, quòd Pater, & Filius quoad bona non distinguantur; proinde neque quoad personas. Nam contra est, quia licèt Filius quidquid acquirit, dicatur illud acquirere patri suo §. 1. *institut. per quas personas.* Id tamen non intelligitur de bonis, quæ Filius acquirit in spiritualibus, imò neque de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, sed tantùm de bonis profectitiis, & adventitiis, quoad usumfructum *l. cum oportet C. de bonis quæ liberis.* Neque inde sequitur, quòd ex communione bonorum inferatur una tantùm persona: quia Pater, & Filius re ipsa, & physicè sunt duæ personæ realiter distinctæ; & tantùm juris fictione habentur pro una persona: hinc ubi jus eos non habet pro una persona, ut in casu nostro, rei veritas potiùs, quàm juris fictio spectari debet. Hinc rationes, ob quas Patronus prohibetur se ipsum præsentare, cessant in filio, quia hic revera, & physicè est diversa persona, & realiter distincta à patre: cessat etiam vitium ambitionis, quia præcisè acceptat, quod ei confertur, perinde ac acceptaret quilibet alius præsentatus. Non enim Filius Patroni debet esse deterioris conditionis, quàm alii extranei, quos Patronus potest præsentare, ut notat Barbosa *in d. c. consulvit. n. 3.* Tum quia Episcopus filio suo legitimè nato si idoneus deprehendatur potest beneficium conferre, ut notat Abbas *in c. quia 6. h. t.* ergo à fortiori poterit Pater præsentare ad beneficium filium; cum præsentatio non sit collatio, nec institutio, nec det jus in beneficio.

An verò Patronus teneatur præsentare digniorem? Certum est, Patronum sive ecclesiasticum, sive laicum teneri præsentare dignum, seu habentem qualitates requisitas ad beneficium: quia beneficia ecclesiastica non possunt conferri indignis, & præsentatio est propter collationem: non tamen tenetur Patronus præsentare digniorem præ digno, nisi id expressè à fundatore cautum sit. Id interest discriminis inter Patronum laicum, & ecclesiasticum, & inter beneficia simplicia, & curata, quia si Patronus sit ecclesiasticus, & beneficium curatum, tunc Patronus tenetur digniorem præferre minus digno, & illum non istum præsentare ex Tridentino *sess. 24. c. 1. de refor.* ubi dicitur, eósque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint: & licèt per præsentationem clericus non præficiatur, sed tantùm per institutionem; nihilominus præsentatio ordinatur ad institutionem. 15

In canonicatibus verò, & Capellis si beneficium sit simplex, potest Patronus etiam ecclesiasticus præsentare dignum, omisso digniore, quia in jure nullibi expressè habetur, quòd sint in hujusmodi beneficiis digniores præsentandi: proinde hoc onus non debet imponi Patronis, cùm à jure ipsis non injungatur. Secus verò Patronus laicus non tenetur præsentare ad beneficium semper digniorem, quia Patrono laico nullibi in jure prohibetur, quin possit præsentare dignum ad beneficium, cujus habet jus patronatus, & Concil. Tridentinum *sess. 24. de refor.* tantùm exigit, ut præsentatus à Patrono laico examinetur, & si idoneus deprehensus fuerit instituatur, unde Concilium tantùm exigit idoneitatem, seu quòd præsentatus sit dignus, ut notat Garcia *de beneficiis p. 7. c. 16. n. 17.* 16

Neque obstat, quod *in c. quoniam 3. h. t.* ille dicatur præficiendus Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, quia Pontifex *in d. c.* non imponit onus Patronis laicis præsentandi semper digniorem, & eum, qui majoribus juvatur meritis, sed tantùm, ait, quòd tutiùs agant Patroni laici, 17

laici, si dignioremm præsentent, quia sic respondent voto Ecclesiæ. Præterea *in d. c.* Pontifex vult, quòd ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis; qui verò præsentatur tantùm, non præficitur, quia præfici est instituj quod pertinet ad Episcopum, non ad Patronum laicum. Tum quia posset *d. c. quoniam* commodè explicari, procedere quando Patronus laicus præsentat plures clericos accumulativè ad idem beneficium, tunc enim pertinet ad Episcopum illos omnes examinare; & tunc Pontifex *in d. c. quoniam* injungit Episcopo, ut ille ex examinatis præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis. Idque desumitur *ex can. monasterii 16. q. 7.* & hoc videtur etiam supponere *c. quoniam* 3. *h. t.* in quo plures dicuntur præsentati à Patronis; & inter illos jubetur ab Episcopo ille præfici, qui majoribus juvatur meritis.

18 Potest Patronus laicus in præsentandis clericis variare, postquam unum idoneum præsentaverit, si res ut adhuc intégra, seu nondum illius institutio facta sit; adeo ut possit non obstante prima præsentatione alios ad id beneficium præsentare, accumulativè tamen, non verò privativè, ut excludatur primus præsentatus idoneus, quia licèt primus præsentatus non acquisiverit jus in re, sed tantùm jus ad rem, potest tamen petere ut instituatur in beneficio, ad quod fuit præsentatus, si idoneus fuerit deprehensus, ut desumitur ex *c. quod autem* 5. *h. t.* Verum si Episcopus plures præsentatos examinaverit, eósque idoneos deprehenderit, non tenetur instituere primum præsentatum ex pluribus præsentatis à Patrono laico, sed potest instituere quem noverit fore Ecclesiæ utiliorem: quia præsentati non habent jus in beneficio, sed tantùm ad beneficium; & institutus ab Episcopo acquirit jus in beneficio: postquam enim præsentatus sive primo, sive secundo loco, institutus est ab Episcopo, acquirit plenum jus in beneficio, tametsi realis institutio, seu traditio possessionis nondum sit facta; quia in juribus spiritualibus per solam verbalem institutionem, seu collationem acquiritur jus in re, quamvis actualis immissio in possessionem nondum sit facta, ut habetur *in c. si tibi 17. de præb. in 6.* hinc si præsentatus à Patrono verbaliter instituatur ab Episcopo; & postea Episcopus alium tealiter, & cum traditione possessionis instituerit; hæc posterior institutio foret invalida; quamvis in rebus profanis hoc non procedat *l. quoties 15. C. de rei vindic.* ubi si res vendatur duobus, habetur potior quoad dominium is, cui priùs tradita est.

19 Cæterum potest Patronus laicus dupliciter plures præsentare, vel omnes simul, ut Episcopus ex illis unum eligat, & instituat, quem deprehenderit magis idoneum: vel successivè, & diversis temporibus, præsentando unum post alterum; & tunc quando Patronus præsentat secundum, non excludit primum, sed tantùm accumulativè addit secundum, tertium, vel quartum: quo pacto variatio fit à Patrono laico non privativè per rejectionem prioris præsentati, sed accumulativè, adeo ut in arbitrio Episcopi sit, unum, quem maluerit, & noverit fore utiliorem Ecclesiæ, ex illis eligere, ac instituere. Quòd si Patronus omnino rejiceret priorem præsentatum, tunc Episcopus non posset illum instituere, ut docent communiter Canonistæ. Quoties autem Patronus laicus possit variare in præsentatione clerici? plures respondent, non posse variare nisi semel *argum. l. boves* 89. §. 1. *ff. de verb. signif.* quia variatio, cùm sit odiosa debet restringi. Tum quia etiam ipsa æquitas hanc suadet institutionem, ut nimirum vitetur confusio, ut notat Garcia *tract. de benefic. p. 5. c. 9. num. 244.*

Quòd si objicias *clement. 2. §. fin. h. t.* ubi 20
plures dicuntur præsentari; respondent, ibi Pontificem loqui de præsentatione plurium simul, non verò successivè, nisi fortàsis prima præsentatio fuerit irrita, eò quia facta sit coram non habente potestatem instituendi *argum. c. cum laici 3. h. t.* tunc enim dicunt, posse præsentare tertium cum accumulando secundo, eò quia primus, utpote invalide præsentatus excluditur. Verùm communior, & probabilior sententia est, posse Patronum laicum absolutè non solum secundum, tertium, & quartum, sed etiam plures alios successivè præsentare: quia id ipsi non prohibetur, & desumitur etiam *ex c. tum autem 24. c. Pastoralis 29. h. t.* & notat Glossa *in clement. 2. h. t. V. plures*: ratio est, quia Patronus laicus cùm tertium, & quartum nominat, non recedit à primis, sed eos aggregat primis. Tum quia quò plures nominat, eò utilius rem Ecclesiæ gerit, nimirum ut ex pluribus unus ab Episcopo eligatur, ac instituatur: quapropter cum hæc variatio sit in favorem, & libertatem Ecclesiæ extendi potiùs, quàm restringi debet. Neque hæc variatio indicat levitatem in præsentante, quia non variat sententiam exclusivam primæ præsentationis, proinde non recedit à primo consilio, & præsentatione, sed manente prima sententia accumulat primo præsentato etiam alios, unde cùm non recedat à prima sententia non potest levitatis redargui.

Si dicas, facultatem simpliciter datam primo 21
actu finiri *l. boves* §. *hoc sermone. ff. de V. S.* præsertim in materia odiosa. Respondetur, hanc variationem paulò superiùs explicatam non esse odiosam, sed favorabilem, & utilem Ecclesiæ: quia in eà potest Episcopus instituere dignioremm, & quem noverit fore utiliorem Ecclesiæ aliis minus dignis omissis: cùm enim sit variatio accumulativa, tantùm abest, quòd sit odiosa Ecclesiæ, ut potiùs consulat libertati ejusdem, cùm Episcopus possit liberè ex pluribus eligere dignioremm; unde non est variatio, de qua fit mentio *in clement. 2.* Neque facultas data Patrono præsentandi finitur primo actu, alioquin non posset Patronus post præsentationem primi secundum præsentare; quod adversatur juri.

Neque urget, quòd *in c. cum autem, & c.* 22
quod autem c. pastoralis h. t. tantùm habeatur quod post præsentationem primi possit secundus præsentari; & *in clement. 2. h. t.* numerum pluralem sufficienter salvari in numero binario *argum. regul. 14 jur. in 6.* pluralis locutio

duorum numero est contenta. Nam contra est, quia in præfatis textibus, licèt tantùm nominentur *alius*, & *secundus*, non tamen excludantur tertius, quartus, quintus, & alii, quapropter in relatis textibus tantùm significatur, quòd Patronus laicus possit plures præsentare; & quamvis numerus pluralis salvetur in binario, non tamen *in d. clemens.* numerus pluralis coarctatur ad solum binarium, sed tantùm ponitur binarius, quia cùm recedat ab unitate, accedit ad pluralitatem, quam incipit constituere, hæc autem pluralitas sicut incipit à binario, ita prosequitur ad ternarium, quaternarium, quinarium, ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 9. n. 216.*

23 Quòd verò ad patronum ecclesiasticum attinet, certum est, quòd si collegium, vel persona Ecclesiastica, cui competit jus præsentandi nomine Ecclesiæ, scienter præsentet indignum, privatur ipso jure, vel saltem debet privari per sententiam Judicis jure præsentandi pro illa vice, & ad proximum superiorem devolvitur libera collatio *argum. c. in cunctis 7. §. clerici de elect. & c. 2. de supplend. neglig. Prælat.* & notat Barbosa *in collect. in c. cum autem 24. n. 5. h. t.* Ratio discriminis est, quia eatenus laico præsentanti indignum conceditur ut præsentet secunda, vel etiam tertia vice alios, qui sint digni, quia Patronus laicus supponitur minus expertus circa ecclesiastica, & minus tempus habet ad præsentandum, quàm clericus. Tum quia Patronus laicus præsentat nomine proprio: ecclesiasticus verò ex officio, nomine, & jure Ecclesiæ, cujus actus debent esse puriores *argum. c. 2. de translat. & clement. unic. de renuntiat.* Rursus Patronus ecclesiasticus majorem habet praxin circa præsentationes ad beneficia ecclesiastica, & etiam longius tempus ad deliberandum; quapropter ignorantia, quæ potest Patronum laicum excusare, non ita excusat ecclesiasticum. Demum quia præsentatio facta à Patrono ecclesiastico habet vim electionis, in qua publicato semel scrutinio, non datur ampliùs locus variationi per textum *in c. publicato 58. de elect.*

24 Hinc si Patronus laicus etiam scienter præsentet indignum, adhuc illi conceditur quadrimestre, ut possit dignum, & idoneum præsentare, quia Patronus laicus habet jus variandi, & mutandi sententiam: quòd si intra quadrimestre potest variare, quando præsentavit dignum antequam Episcopus illum instituat; à fortiori ut corrigat proprium errorem, poterit variare, quando præsentavit indignum, cum talis præsentatio irrita fuerit, ac nulla *argu. c. 2. de transl.* & *c. tua de cleric. non residentibus*: quòd si tempus quadrimestre fuerit elapsum, & patronus laicus solummodo indignum præsentaverit, tunc potest Episcopus liberè alium instituere: quia elapso quadrimestri fas est Episcopo instituere etiam quando Patronus nullum præsentavit, idque jure devolutionis ad ipsum: proinde etiam quando Patronus præsentavit indignum, & intra quadrimestre non mutavit sententiam: quia tunc perinde censetur, ac si nullum præsentâsset *argum. c. 2. de translat.* Sin verò Patronus ecclesiasticus ignorans præsentet indignum variare non potest, donec præsentatio repudietur; & hac repudiata intra semestre potest alium præsentare; alioquin ante factam repudiationem sine sua culpa privaretur jure suo: sin autem sciens præsentavit indignum, tunc ipso facto privatur jure præsentandi, perinde ac privatur jure eligendi qui scienter elegit indignum *c. cum in cunctis §. ult. de elect.*

Notat tamen Barbosa *de offic. & potest.* 25
Episcop. allegat. 72. num. 105. quòd Patronus si præsentet inhabilem sub conditione impetrandi dispensationem, non debeat pro ea vice privari facultate præsentandi, si durante quadrimestri, vel semestri non obtenta dispensatione alium dignum, & idoneum præsentet, & ita fuisse decisum à Rota Romana refert Farinac. *p. 2. recent. decis. 568.*

Quòd si quæratur, cur Patrono laico ad 26
præsentandum, tantùm concedatur quadrimestre, & Patrono ecclesiastico semestre numerandum à die vacationis cognitæ *c. quoniam 3. in fin. c. cum propter 27. h. t.* & expressiùs *c. unic. §. verum h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statuit. Quòd quamvis laicus quando erat Patronus habuerit quatuor menses ad præsentandum vacante Ecclesia: nunc tamen Ecclesia, vel monasterium, cui fuit jus donatum, habet sex menses, eò quia Ecclesia quantum ad præsentandum reputatur Patronus ecclesiasticus, non laicus? Respondetur, rationem discriminis ex eo peti, quia æquum erat, ut qui in uno gravatur, in alio sublevetur: & quia laico Patrono conceditur facultas variandi, seu post unum præsentatum, etiam alium præsentandi; ideo debuit in alio gravari, adeo ut ad præsentandum ei non concederetur nisi quadrimestre: secus Patronus ecclesiasticus, quia non potest variare, debuit sublevari per longius tempus ei concessum ad maturiùs cogitandum, ac deliberandum circa præsentationem, quam non potest iterare, & ideo jura ei concedunt semestre numerandum à die cognitæ vacationis.

Præterea intra id tempus tenetur Patronus 27
actu præsentare, vel per se ipsum immediatè, vel per litteras præsentationis ab ipso datas, & quas præsentatus tenetur offerre superiori, ad quem institutio pertinet: & hoc tempus non currit Patrono ignoranti, vel legitimè impedito, sicut non currit tempus præfixum ad eligendum *c. quia diversitatem 5. de concess. prabend.* ratio est: quia nemo sine sua culpa privandus est jure quod possidet, currit tamen hoc tempus etiam diebus feriatis cum sit continuum, ut notat Barbosa *de offic. Episc. allegat. 32. n. 127. & in collect. c. cum propter 27. num. 3. h. t.* Quòd si propter negligentiam Patroni laici non præsentantis intra quadrimestre collatio beneficii devolvatur ad Ordinarium, vel quia Papa beneficia vacantia in curia non contulit intra mensem juxta *c. 3. de prabend. in 6.* utroque hoc casu Ordinarius habet semestre ad conferendum.

§. V.

§. V.

Quid iuris, & poteſtatis habeant Romanus Pontifex, & Epiſcopi in beneficiis Patronorum laicorum, vel Eccleſiaſticorum.

1 CErtum eſt, ſummum Pontificem ex plenitudine poteſtatis papalis poſſe cuilibet Patronatui eccleſiaſtico, vel laicali derogare, ſi juſta ſubſit cauſa; tametſi non cenſeatur velle derogare patronatui laicali, niſi hæc derogatio ſpecificè in litteris Apoſtolicis exprimatur: & facilius poſſe derogare patronatui eccleſiaſtico, ut notant Abbas *in c. cum dilectus 28. num. 11. in fin. h. t.* Covarruvias *qq. pract. c. 36. num. 1.* quia tametſi jus patronatus etiam laicis fundatoribus non competat, niſi ex indulto, & gratia Eccleſiæ, adeo ut eadem Eccleſia, quæ gratiam conceſſit laico, poſſit eam denegare ex juſta cauſa, non tamen ita facilè ab Eccleſiâ derogatur juri patronatus laicali, idque ne Principes, & Domini ſæculares à piis retrahantur fundationibus, ſi paſſim eorum juribus derogaretur: quæ ratio non militat de jure patronatus eccleſiaſtico, cum hoc non à laicis, ſed ab Eccleſia ut plurimum ſuam ducat originem.

2 Tum quia Prælati Eccleſiarum plus juris habent in bona Eccleſiaſticorum, quàm laicorum; proinde etiam plus juris in jus patronatus Eccleſiaſticum, quàm laicale. Hinc ſi jus patronatus originativè ſit Eccleſiaſticum, & competat laico tantùm ex ſpeciali privilegio, vel etiam conſuetudine legitimè præſcripta; poteſt tunc Papa ei derogare etiam per clauſulam illam generalem: ad cujuscunque Patroni præſentationem beneficia pertineant: ut docet Covarruvias *pract. qq. c. 36. n. 5.* quia tunc ceſſat ratio, ob quam jus canonicum prohibuit derogari eccleſiis, ac beneficiis Patronatis laicorum, quia laici tunc nihil ad illa beneficia contulerunt.

Quòd ſi jus patronatus ſit mixtum, perti-
3 neátque ad Eccleſiaſticum ſimul & laicum, tunc à Papa illi non derogatur per clauſulam generalem, ſi nulla fiat ſpecialis mentio juris patronatus laicalis: quia tametſi in jure patronatus mixto quoad commoda, privilegia, & favores dignius trahat ad ſe minus dignum; non ita quoad damna, odia, & pœnas; proinde quoad derogationes, ac reſervationes, perinde habetur, ac ſi ſolus laicus ſimpliciter Patronus eſſet. Hinc ſi Patronus Eccleſiaſticus, & laicus ſint ſimul compatroni, ſimúlque habeant jus præſentandi, tum etiam laicus habet ſemeſtre ad præſentandum ob communionem cum Eccleſia, ut delumitur *ex cap. ſi laicus unic. h. t. in 6.* & notat Garcia *p. 5. c. 9. num. 210.* quia in favorabilibus, & commodis dignius trahit ad ſe minus dignum.

Præterea quia generatim ſocius, qui per ſe
4 non eſt privilegiatus ob communionem cum ſocio privilegiato in re, aut jure communi indiviſibili, commodum, & privilegium alterius ſocii participat, adeo ut conſequatur per alium, quod per ſe non conſequeretur *l. ſi communem 9. ff. quemadmodum ſervit. amitt.* ubi dicitur, quòd qui communem fundum habet cum pupillo ſervitutem viæ in eo retinet, tametſi neuter illo fuerit uſus propter pupillum: ubi Gloſſa marginalis notat, quòd privilegium unius conſortis, ſeu pupilli, profit alteri conſorti etiam non pupillo in rebus indiviſibilibus. Pari pacto ſi clericus, & laicus ſint compatroni, non poteſt contra laicum præſcribi jus patronatus minore tempore, quàm contra clericum: quia quando res communis eſt individua æquius eſt, ut ſocius ob ſocium privilegiatum commodum conſequatur, quàm ut ſocius privilegiatus damnum patiatur ob ſocium non privilegiatum: æquitas enim exigit, ut in rebus individuis non patiatur quis damnum ratione rei, quæ cum altero eſt illi communis, ut notat Covarr. *pract. qq. c. 36. num. 5.*

Poteſt etiam Papa citra conſenſum Patroni
5 beneficia conferre, quia poteſt derogare cujuis juri, & poteſtati in beneficia eccleſiaſtica: quia jus patronatus cum concedatur authoritate Eccleſiæ, & ex indulto, & gratia ejusdem: ideo poteſt authoritate illius etiam auferri. Non tamen ex ſolo arbitrio, ſed ex juſta, & honeſta cauſa: alioquin laici averterentur à piis fundationibus. Tum quia Principum privilegia ſecum trahunt naturam cujusdam contractus: unde requiritur juſta, & honeſta cauſa. Quòd ſi jus patronatus laicorum originem habeat ex ſola præſcriptione, conſuetudine, vel privilegio; tunc à Papa poteſt ei derogari per ſolam clauſulam appoſitam, quia ut ſuperiùs diximus, ceſſat ratio avertendi ſæculares à piis fundationibus, cum tale beneficium non traxerit originem ex bonis laicorum. Rurſus quando laicus re ipſa non eſt patronus, ſed tantùm bona fide poſſidet jus patronatus, plures cenſent, poſſe tunc Papam tali juri patronatus derogare, etiam per clauſulam generalem contentam in litteris Apoſtolicis; ita enim cenſet Covarruvias *pract. qq. c. 36. num. 8.* quia tunc Papa per derogationem non infert injuriam Patrono, vel poſſeſſori; non Patrono, quia is revera non poſſidet jus patronatus: non poſſeſſori, quia is non eſt verus Patronus. Nihilominus alii cenſent, per ſolam clauſulam generalem non derogatum iri tali juri patronatus: quia tametſi poſſeſſor non ſit verus Poſſeſſor, eſt nihilominus Poſſeſſor bonæ fidei, adeo ut fruatur fructibus, & commodis rei poſſeſſæ: & quia præſentatio eſt fructus juris patronatus non debet poſſeſſor bonæ fidei illo privari per clauſulam generalem.

An verò ſi Romanus Pontifex irrequiſito
6 Patrono conferat beneficia vacantia apud ſedem Apoſtolicam, eò ipſo dicendus ſit derogâſſe juri patronatus laicorum. Plures cenſent requiri conſenſum Patroni. Sed juvat obſervare quòd *in c. licet de prabend. in 6. & clement. 3.* Romanus Pontifex ſibi reſervavit jus conferendi Eccleſias, dignitates, perſonatus, & alia beneficia vacantia apud ſedem Apoſtolicam: an verò ſint etiam reſervata Romano Pontifici beneficia pertinentia ad jus patronatus laicorum, ſi vacaverint apud ſedem Apoſtolicam, ac propterea collatio facta à Papa ſit admittenda Covarruvias *loc. cit.* aſſerit in Hiſpania eſſe uſu receptum

ceptum, ut non admittatur: & hoc idem etiam moris esse in Gallia addit Rebuffus apud eundem Covarruv. adeo ut in neutro Regno recipiantur collationes beneficiorum pertinentium ad jus patronatus Regium absque ipsius Regis consensu. Imò alii hoc idem extendunt ad jus patronatus Ducum, Principum, Marchionum, Comitum: verùm Staphileus refert, Papam consuevisse juri Patronatus horũ laicorum derogare, quotiescunque apud sedem Apostolicam obitu beneficiarii Ecclesia, vel beneficium vacat, & sententia Staphilei probabilior est.

7 Sin verò Episcopus instituat in beneficio sine consensu, & præsentatione Patroni regulariter institutio est ipso jure irrita, & desumitur *ex c. decernimus 32. caus. 16. q 7.* & etiam *ex c. ex insinuatione 14.* ubi Pontifex declarat, sine consensu Patroni nullum posse Ecclesiam occupare, quapropter institutio Episcopi facta sine consensu Patroni nullum fortitur valorem, quia institutio censetur facta in contemptum Patroni. Id tamen limitatur, dummodo Patronus laicus intra quadrimestre reclamet, & contradicat, alioquin elapso quadrimestri institutio convalidatur, & rata habetur per supervenientem ex post facto consensum Patroni: ratio est, quia sciens institutionem esse factam sine sua præsentatione, & consensu, si non contradicat, cum commodè possit censetur, eam approbare, ratámque habere *argum. c. suggestum 20. h. t. c. 2. de iis, qua fiunt à Prælat.* & notat Garcia *p. 5. c. 9. num. 232.* ratio etiam ex eo petitur, quia nullitas collationis ab Ordinario facta sine consensu Patroni est inducta in favorem ejusdem patroni, proinde nulla est, si ipse voluerit, & contradixerit.

8 Quòd si Patronus præsens fuerit, & tacuerit, tunc institutio facta ab Episcopo censenda est valida in sententia saltem probabili, quia cùm Patronus potuerit præsentare, & non præsentaverit, reclamare contra institutionem factam ab Episcopo, & non reclamaverit; tametsi expresse non consentiat, adhuc tacitè censetur consentire: non ita si taceret ob metum ab Episcopo incussum, ut notat Azorius *lib. 6. c. 22 q. 8.*

9 Dantur tamen plures casus, in quibus institutio facta ab Episcopo sine consensu, & præsentatione Patroni est valida, eósque recenset Barbosa *lib. 3. jur. eccles. c. 12. num. 65.* ut si Patronus negligat intra tempus à jure præfixum præsentare clericum ad beneficium, tunc Episcopus jure ad ipsum devoluto potest instituere, sed pro illa vice tantùm, quia pro aliis servatur Patrono jus integrum; & desumitur *ex cap. 2. in fin. de supplen. neglig. Prælat.* Verùm ut id procedat, debet priùs constare, quòd tempus ad præsentandum jure concessum à die notæ vacationis numerandum, jam effluxerit, imò debet hujusmodi scientia esse certa, nec sufficit verisimilis, aut interpretativa, ut notat Garcia *de benefic. c. 2. num. 34.* Rursus quando à Patronis præsentatio fit in discordia, adeo ut non possit ex præsentatis ullus institui sine scandalo, tunc etiam pertinet ad Episcopum consulere utilitati Ecclesiæ, ac illi provideri de Rectore. Legatur Barbosa *d. lib. 3. c. 12. n. 65. & sequent.* ubi plures alios recenset casus.

An verò præsentatio facta à Patrono antequam beneficium vacet illicita sit; plures asserunt, nullum præsentationem fortiri valorem, ut nec etiam promissionem factam à Patrono de præsentatione facienda, si hæc promissio præcesserit beneficium vacans, eò quia daretur ansa optandæ mortis beneficiarii: nihilominus quia hæc ratio cessat postquam vacat Ecclesia, & tempus præscriptum ad præsentandum effluxerit, tunc ut consulatur Ecclesiæ Episcopus potest instituere *argum. c. 2. & 3. de conces. præb.* Cæterum ante vacationem Ecclesiæ, seu beneficii, Patronus non potest concedere potestatem præsentandi, ut desumitur *ex c. 2. de conces. præbend. in 6.* quia votum ingerit, & occasionem præbet captandæ alienæ mortis, ut notat Garcia *de benefic. p. 10. c. 1. n. 4.* & Barbosa *lib. 3. jur. eccles. c. 12. n. 205.* 10

Neque prodest consuetudo in contrarium inolita, & immemorialis; quia hæc si inoleverit, fuit irrationabilis, proinde tanquam iniqua nullam potuit obligationem inducere. Non tamen præsentatio facta à Patrono ante vacationem beneficii impedit, quo minus possit Patronus vacante postea beneficio aliam præsentationem facere: quia prior utpote invalida, perinde reputatur, ac si non fuisset: siquidem ex *regul. jur. 52. in 6. quod de jure non fortitur suum effectum, perinde habetur, ac si non esset.*

Ex eo autem quòd Patronus sit Dominus juris patronatus quoad præsentationem, non potest Episcopus beneficium, quod est juris patronatus alteri donare, nec unire alteri beneficio, vel Ecclesiæ absque consensu Patroni sive is clericus fuerit, sive laicus; & desumitur *ex c. exposuisti 33. de prabend.* & docet Garcia *de benefic. p. 12. c. 2.* quia injuria tunc Patrono inferretur, qui per talem unionem amitteret jus præsentandi; consequenter ne cedat in ejus præjudicium in jure prohibetur, ne talis unio fiat sine consensu Patroni, & habetur *in c. monasterium 33. causa 16. q. 7.* ubi Glossa addit, non posse Episcopum invito Patrono ex Ecclesia parochiali facere monasterium, quia derogaretur juri præsentandi, si Præiatus monasterii imposterum institueretur per electionem. 11

Immo neque potest Episcopus beneficium concedere in proprietatem, licèt per modum incorporationis alteri beneficio: neque ex reditibus Ecclesiæ patronatæ erigere sine consensu Patroni in alia Ecclesia beneficium; tametsi non amitteretur per hanc erectionem novi beneficii jus patronatus: quia Patroni interest, ne reditus Ecclesiæ patronatæ alienentur, vel uniantur alteri Ecclesiæ, quapropter potest se tali novæ erectioni opponere *argum. c. filiis 31. caus. 16. q. 7.* excipitur tamen urgens necessitas, quia tunc potest ex reditibus juris patronatus erigi novum beneficium: ratio est, quia Patronus non nisi ex indulto, & gratia Ecclesiæ possidet jus patronatus; proinde non potest Patronus impedire, quo minus urgente necessitate Ecclesiæ subveniatur indigenti, vel etiam utilitati. Hinc etiam contradicente Patrono potest Episcopus applicare reditus beneficii patronati ad utilitatem Ecclesiæ erigendo in illo novum be- 12

nefi-

neficium: non enim ullum inde fit Patrono præjudicium, quia is manet in poſſeſſione integra ſui juris præſentandi ad beneficium.

14 Præterea quia diſponere de bonis Eccleſiæ patronatæ non pertinet ad Patronum, ſed ad Epiſcopum, quia Patronus tantùm habet jus præſentandi, *c. Noverint 6. cauſ. 10. q. 2.* Sin verò unio beneficii facta ſit, ſed non canonicè eò quia defuerit conſenſus; vel ſi Patronus inſtituerit hanc unionem ſine authoritate Epiſcopi; & poſtea accedente conſenſu Patroni, & authoritate Epiſcopi fiat alia unio; hæc ſecunda valida erit *c. ſuggeſtum 20. h. t.* ubi dicitur, quòd conceſſio Eccleſiæ facta priùs à patrono ſine conſenſu Epiſcopi cedit conceſſioni factæ authoritate patroni, & aſſenſu diœceſani, quia conceſſio, vel unio invalidè facta eſt nulla, ac perinde ſe habet ac ſi non fuiſſet facta; proinde non poteſt impedire, quin ſecunda conceſſio, ſeu unio ſuum ſortiatur effectum.

15 Legatus à latere, conſequenter etiam Nuncius Apoſtolicus cum poteſtate legati à latere poteſt derogare patronatui eccleſiaſticorum; non ita laicorum *c. dilectus 6. de officio delegati* & deſumitur etiam *ex c. cum dilectus 28. de jure patronatus.* Epiſcopus tamen non poteſt derogare juri patroni laici, nec eccleſiaſtici: ſi tamen præveniendo præſentationem patroni conferret beneficium; collatio non eſſet irrita; ſed ſi Patronus interim intra tempus jure præſcriptum præſentat; prima collatio facta ab Epiſcopo evaneſcit *c. 32. Determinus 16. q 7.* Quòd ſi intra id temporis patronus neminem præſentaverit, nec ſe oppoſuerit collationi factæ ab Epiſcopo, tunc prima collatio ſubſiſtit in ſuo valore, ob jus ad Epiſcopum devolutum. Tum quia prima collatio non irritatur, niſi ſecuta præſentatione patroni intra tempus jure præfixum; unde ſi hæc non ſequatur, manet collatio facta ab Epiſcopo in ſuo valore.

§. VI.

Quot modis jus patronatûs transferatur in alios.

1 QUatuor potiſſimùm modis jus patronatus legitimè quæſitum transfertur in alios, *ſucceſſione, permutatione, donatione, & venditione* juxta vulgatos verſus, quos refert Gloſſa *in c. ſæculum h. t.*

Jus patronatus tranſire facit novus hæres,
Res permutata, donatio, venditióque.

2 Quamvis nonnulli in ea fuerint opinione, ut cenſuerint, jus patronatus ſucceſſione non tranſire niſi ad hæredes ſanguinis: communior tamen, & vera ſententia eſt, jus patronatus transferri ad quosvis hæredes etiam extraneos, ut notat Gloſſa *in c. filii 16. q. 7.* quinimo Gloſſa *in c. perlatum 1. h. t.* ex communi conſenſu approbata aſſerit, jus patronatus ex æquo, ſeu in ſolidum ad quemlibet tranſire hæredem, tametſi non ſit hæres ex æqua portione inſtitutus. Ratio eſt, quia jura incorporalia non ſunt diviſioni obnoxia *l. ſi ſepulchrum C. de relig. & ſumpt. funer.* unde jus patronatus cùm non poſſit dividi, ex æquo, & in ſolidum tranſit ad quemlibet hæredem, perinde ac cæteræ ſervitutes indiviſæ tranſeunt ad ſingulos hæredes *l. ſtipulationes ff. de verb. oblig.* Hinc cuilibet hæredi, ut Gloſſa notavit conveniunt omnes effectus patronatûs excepto jure nominandi, quod ita manet apud omnes commune, ut unus ſeorſim ab aliis non poſſit nominare: ſed tantùm omnes ſimul, & communiter: ratio eſt, quia jus nominandi utpote annexum ſpirituali eſt indiviſibile, neque poteſt à pluribus dividi. Unde ſi ſinguli hæredes redacti ſint ad egeſtatem debet quilibet eorum ex reditibus Eccleſiæ patronatæ ſuſtentari, & quilibet eorum in ea Eccleſia præcipuum habere locum: ſed quoad jus nominandi non quilibet ſeorſim ab alio nominat, ſed omnes ſimul, & in communi. Poſſunt tamen hæredes Patroni paciſci inter ſe, ut alternatim nominent, ſi pactum ita ineatur, ut unus eorum ſemel nominet, & alter alia vice, & ſic deinceps, & deſumitur ex *clement. 2 h. t.* ubi ſtatuitur, quòd quando unus Patronorum moritur, & relinquit plures filios, omnes filii relicti habentur pro una voce in jure patronatus; eò quia jus patronatus competat per ſtirpes, non per capita. Rurſus quòd poſſint Patroni inter ſe convenire liberè de præſentando Rectore ab eis alternis vicibus: idque ſi ſint laici, vel Clerici ex patrimonio, ut ibidem notat Gloſſa. Poſſunt etiam patroni habentes plures Eccleſias convenire, ut unus præſentet unam, alter alteram, ita Panormitanus *in d. c. perlatum 1. h. t.*

3 Immo jus patronatus tranſit etiam ad hæredes extraneos ex teſtamento inſtitutos, & deſumitur *ex c. cum ſæculum 13. h. t.* & notat Abbas *in d. c. perlatum 1. num. 2. h. t.* & non ſolùm in hæredes maſculos, ſed etiam in fœminas Gloſſa *in c. quoniam inveſtituram 16. q. 7.* unde ſi filia ſit unà cum fratre hæres æquè ſuccedit ac frater, & quia jus patronatus tanquam acceſſorium ſequitur hæreditatem, ideo perinde ac hæreditas tranſit ad marem, & fœminam: quòd ſi filius non ſit hæres, eò quia hæreditatem repudiaverit, non ſuccedit in jure patronatus, quod ſe habet acceſſorium ad hæreditatem, quia acceſſorium ſequitur principale. Quòd ſi ex pluribus filiis ſolus primogenitus ſuccedat ad hæreditatem, ipſe ſolus etiam ſuccedit ad jus patronatus, à quo cæteri filii excluduntur.

4 Hinc ſi pater filio in certa re inſtituto extraneum hæredem univerſalem faciat, jus patronatus non in filium, ſed in extraneum transfertur, quia tranſit cum hæreditate, ſeu rerum univerſitate. Cæterum poteſt jus patronatus legari ex teſtamento, quia cum poſſit donari inter vivos, poteſt etiam legari ex teſtamento. Si tamen legetur laico probabilior ſententia eſt, quòd requiratur conſenſus Epiſcopi, ſicut requiritur quando jus patronatus donatur laico: ratio eſt quia cùm jus patronatus ſit ſpirituale, vel ſaltem annexum ſpirituali, laicus non poteſt diſponere ſine conſenſu Prælati eccleſiaſtici, ut transferatur in laicum: non ita ſi transferatur in Eccleſiam.

5 An verò jus patronatus sejunctum ab hæreditate, & transiens ad seniorem familiæ acquiratur Religioso, qui ante emissam professionem omnibus suis juribus renuntiavit, videtur adesse aliqua difficultas, quia renuntiatio fuit generalis omnium jurium quoad universitatem, consequenter fuit etiam renuntiatio juris patronatus, quod propterea videtur transire in donatarium, cui Religiosus omnia sua jura donavit: ita docent Abbas *in c. ex litteris num.* 12. *de jure patronat.* Barbosa *de offic. Episcopi allegat.* 71. *num.* 22. Riccius *de probat juris patronat. resol.* 186. *num.* 3. Nihilominus putârim, tale jus patronatus non obstante prævia renuntiatione transire ad Religiosum seniorem familiæ: ratio est, quia talis renuntiatio, quamvis facta in forma amplissima, non se extendit ad jus patronatus ut sejunctum ab hæreditate: siquidem renuntiatio omnium bonorum, ac jurium, quæ à Novitiis bimense ante professionem fieri solet, non aliter fit quàm intuitu regularis professionis, proinde secundùm mensuram, & exigentiam talis professionis: propterea solùm est renuntiatio eorum, quæ particulari Religioso non possunt competere ratione votorum: atqui sola bona temporalia sunt incompatibilia cum votis emissis, non verò jura spiritualia, vel quasi spiritualia, quia hæc optimè possunt cum tribus solemnibus vitis cohærere, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 4. *ad* 4.

6 Hinc Religiosi professi sunt capaces beneficiorum, possúntque nomine proprio agere quoad ea, quæ concernunt beneficium, ut etiam super jure eligendi, ut notat Navarrus *in comment.* 2. *de regul.* cum igitur Religiosus sit capax jurium spiritualium, sequitur esse itidem capacem juris patronatus, quia hoc vel est spirituale: vel saltem annexum spirituali, ut explicuimus in præcedentibus. Hinc in renuntiatione, & donatione omnium jurium facta intuitu religiosæ professionis non comprehenditur jus spirituale; eò quia fit in superiori genere ad ea, quibus renuntiat Novitius, ut docet Bald. *in l. fin. circa fin. C. de edict.* Lambertinus *lib.* 1. *de jure patron. p.* 2. *q.* 4. *art.* 6.

7 Quamobrem quando jus patronatus est gentilitium, seu transit semper per successionem ad seniorem familiæ, tametsi conjungatur cum hæreditate, & Novitius qui supponitur senior familiæ renuntiet hæreditati intuitu religiosæ professionis, non tamen censetur renuntiare juri patronatui, præsertim si hoc sit sejunctum ab hæreditate. Neque obstat, quòd jus patronatus transeat cum universitate bonorum, & jurium; quia id tantùm procedit quando jus patronatus est annexum juribus, ac bonis comprehensis in universitate; non ita quando est sejunctum, ut docent Garcia *de benefic. p.* 5. *c.* 9. *num.* 12. Riccius *in prax. resol.* 162. *num.* 3. Rota Romana *decis.* 1152. *num.* 4. *p.* 3.

8 Dubitari tamen potest, an tale jus patronatus gentilitium sejunctum ab hæreditate, & devolutum ad Religiosum, acquiratur eidem Religioso, vel monasterio? Respondetur, acquiri Religioso seniori de tali familia, adeo ut ad ipsum solùm pertineat jus præsentandi: ratio est quia Religiosi etiam post emissam solemnem professionem sunt capaces jurium spiritualium, vel quasi spiritualium, ut sunt jus eligendi, jus honorificum, & alia id genus jura: atqui jus patronatus; vel est spirituale, vel annexum spirituali, proinde non transit ad monasterium ob incapacitatem Religiosi, sed manet in Religioso, ut in proprio subjecto capaci. Tum quia etiam jus donandi lauream doctoratûs, quod acquirit Religiosus ratione cathedræ, vel alterius tituli non acquiritur monasterio, sed manet apud Religiosum, cui speciatim inhæret, ut liquet ex ipsa praxi, & illis Religiosis, qui in publicis academiis sunt Professores scientiarum, ipsi enim soli, & non Religio, conferunt lauream doctoratûs post prævium examen, & hoc jus ipsis solis competit, & non Religioni: quia hujusmodi jura non sunt realia, sed merè personalia, quæ non separantur à persona, neque acquiruntur monasterio: & quia jus patronatus ut sejunctum à quocunque alio jure temporali est institutum pro solo seniore de familia, est jus personale, & pro ipso exercendo est electa talis persona, & quasi industria ejusdem: id enim pertinet ad provisionem Ecclesiæ, ut desumitur ex *c. quoniam* §. *is autem de offic. & potest. delegat.* & docet Lambertinus *lib.* 2. *de jure patron. p.* 1. *c.* 2. *art.* 11. *n.* 12.

Si petatur, quid juris, quando jus patronatus est gentilitium, & familia, & agnatio extincta, an etiam transeat ad extraneos? Respondetur cum distinctione, vel enim fundator voluit jus patronatus esse illorum de familia *taxativè*, adeo ut ad ipsos tantùm debeat pertinere, non verò ad eorum hæredes extra familiam; & tunc si ultimus de familia instituat hæredem alium de extranea familia, tunc jus patronatus gentilitium unà cum hæreditate non transit ad hæredem extraneum; sed extinctâ familiâ, & agnatione, extinguitur jus patronatus, & Ecclesia fit libera: Patronus enim in fundatione Ecclesiæ potest remittere jus patronatus in totum, vel pro parte, & etiam limitativè illud inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum pro ut ipsi magis libuerit, ut desumitur *ex c. si laicus unic. h. t. in* 6. Sin verò jus patronatus ab institutore fuerit concessum simpliciter illis de familiâ absque ulla taxatione, tunc unà cum hæreditate transit etiam jus patronatus ad extraneos hæredes, non ex provisione hominis, sed legis; cui provisio hominis non adversatur *argu. c. perlatum* 1. *h. t.* ut notat Fagnan. *n.* 25. *ibidem.* 9

Quid verò dicendum sit de jure patronatus hæreditario, an transeat ad fideicommissarium, & usufructuarium universalem, procedendum est cum distinctione: si enim jus patronatus sit personale relictum tali personæ, & ejus successoribus, tunc non transfertur in fidei commissarium, vel usufructuarium, sed remanet penes hæredem, & successorem. Ratio est, quia contra voluntatem instituentis non potest jus patronatus transferri, & cum instituter solùm tali personæ, & ejus hæredibus, ac successoribus applicuerit jus patronatus, non potest hoc transferri ad usufructuarios, & fideicommissa- 10

rios excluso hærede successore. Tum quia hæres gravatus, si restituat hæreditatem fideicommissario, non propriè hæreditatem, sed bona per hæreditatem accepta restituit: non enim instituit fideicommissarium hæredem, quapropter per hanc restitutionem fideicommissarius, & usufructuarius non fiunt hæredes, proinde ad ipsos non transit jus patronatus. Quòd si jus patronatus sit reale, docet Zœsius *h. t. num.* 12. tunc jus patronatus transire ad fideicommissarium; eò quia jus patronatus sit annexum bonis hæreditariis, quæ cùm transeant ad fideicommissarium, ad eundem etiam tanquam accessorium ad eadem bona transit jus patronatus, quia accessorium sequitur suum principale.

11 Objicit tamen Covarruvias *lib. 2. variat. resol. c. 18. num. 8.* quia ad fideicommissarium tantùm transeunt jura respicientia commodum pecuniarium. Tum quia jus sepulchri non transit ad fideicommissarium, sed remanet penes hæredem directum, à quo non auferrur, tametsi hæreditate privetur, ut indignus *l. si quis fuit hæres ff. de Religiosis & sumpt. funer.* Tum quia etiam ius patronatus civile respiciens libertos manet penes hæredem gravatum, nec restituitur fideicommissario *l si Patroni filius §. ad senat. consult. Trebell.* unde si hæc iura non veniunt nomine hæreditatis, sequitur, quòd ius patronatus Ecclesiasticum non transeat ad fideicommissarium. Sed respondetur, hæc non obstare, quia quamvis ius patronatus pecunia æstimabile non sit, nihilominus potest esse utile fideicommissario, si ad inopiam vergat, quia constitutus in paupertate alitur ab Ecclesia patronata. Præterea est discrimen inter alia iura allegata; quia ius sepulchri sequitur solos hæredes: patronatus civilis tantùm ad liberos in potestate patris constitutos transit §. *datur autem instit. de assignat. liber.* Secus ius patronatus ecclesiasticum potest transire etiam ad non hæredem. Si urgeas, hæreditatem transire in fideicommissarium, & usufructuarium universalem; proinde etiam ius patronatus annexum hæreditati. Contra est, quia licèt ad fideicommissarium transferantur bona hæreditatis, eò quia hæres sit gravatus; non tamen transfertur ipsa hæreditas formaliter; consequenter nec jus patronatus, cum hoc supponatur annexum hæreditati, non verò bonis hæreditatis: unde jus patronatus non est accessorium bonorum hæreditatis: consequenter ex eo, quòd hæc bona transferantur in fideicommissarium, & usufructuarium, non tamen transfertur ius patronatus, cùm non sit accessorium ad talia bona: quamobrem ius patronatus antiquum, & hæreditarium, quod hæreditatem formaliter sumptâ sequitur, tanquam eius accessorium non transfertur, quamvis transferantur bona hæreditatis.

12 Si dicas usufructuario universali concedi omnia iura tam realia, quàm personalia utilia *l. 1. & alii ff. ad Senat. consult. Trebell.* consequenter etiam esse concedendum usufructuario universali ipsum ius patronatus. Contra est, quia licèt fideicommissario, & usufructuario universali competant omnia iura realia, & personalia, quæ hæreditati competunt ob bona per hæreditatem acquisita: non ita illi competunt ea iura, quæ habentur iure sanguinis, vel successionis, quia fideicommissarius, & usufructuarius non est ex eodem sanguine, nec successor, proinde non communicato sanguine, vel successione, non transfertur ius patronatus quamvis transferantur omnia iura realia, & personalia utilia.

13 Si quæratur, an in divisione hæreditatis facta à Judice possit ius patronatus uni tantùm ex cohæredibus adiudicari, procedendum itidem est cum distinctione, si enim ius patronatus sit annexum alicui speciali castro, tunc potest illi cohæredi adiudicari, cui pro parte hæreditatis, quæ illi contingit, assignatur idem castrum; eo enim ipso quòd ius patronatus est annexum tali castro se habet accessoriè ad illud, & quia accessorium sequitur suum principale, ideo una cum castro potest adiudicari uni ex cohæredibus: quòd si ius patronatus non sit annexum castro, nec alteri bono ex universitate bonorum, tunc probabilius videtur, non posse uni ex cohæredibus adiudicari, ut notat Zœsius *h. t. n. 13.* quia vel divisio fit in partes æquales, & tunc non est ratio, cur uni potiùs quàm alteri debeat assignari: vel fit in partes inæquales, & tunc in compensationem alicuius adiudicare uni ex coheredibus ius patronatus redoleret simoniã. Quamobrem cùm ius patronatus non possit dividi remanet æqualiter penes omnes cohæredes, adeo ut omnes simul per modum unius debeant præsentare.

14 Si urgeas textum *in c. ex insinuatione 14. h. t.* ubi dicitur posse ius patronatus cedi compatrono: proinde etiam per divisionem posse uni ex cohæredibus adiudicari. Contra est, quia *in d. c. ex insinuatione* tantùm agitur de cessione omnino liberali, non verò de illa, quæ fit in compensationem: quia hæc redolet simoniam. Hinc ob eandem rationem debitor si nihil habeat in bonis, non potest suo creditori cedere ius patronatus, quia videretur illud cessisse in compensationem, quod foret simoniacum.

15 Titulo permutationis transfertur ius patronatus, quando permutatur cum alio spirituali *c. ad quæstiones sup. de rer. permutat.* licèt non possit ius patronatus permutari cum bono aliquo temporali, neque pro bono temporali dari in compensationem; potest nihilominus permutari cum alio iure spirituali. Præterea si ius patronatus est reale scilicet castro, vel prædio annexum, tunc facta permutatione castri, vel prædii accessoriè per eandem permutationem etiam transfertur ius patronatus. Quòd si ius patronatus sit personale, tunc cum re temporali non potest permutari *c. fin. de rer. permut.* benè tamen cum alio iure, vel re spirituali poterit sine vitio permutari, quia tunc fit permutatio spiritualis cum spirituali: sed ut fiat hæc permutatio est necessarius consensus Episcopi, qui perinde in permutando, ac donando debet adhiberi, ut nimirum ea permittat, quæ in utilitatem, & commodum Ecclesiæ cedunt, ut notat Zœsius *h. t. num.* 25. alioquin si permutatio iurium spiritualium cederet in damnum Ecclesiæ non deberet Episcopus eam permittere.

16 Titulo donationis transfertur etiam ius patronatus: siquidem potest donari laico, vel clerico, aut Ecclesiæ, Cœnobio, Collegio, seminario, monasterio nomine, & iure Ecclesiæ, aut dignitatis, cui præst. Si tamen donetur laico, vel clerico causa ipsius, non Ecclesiæ; donatio est irrata, nisi accesserit Episcopi consensus; ne scilicet ius patronatus Ecclesiæ transeat ad hominem suspectum, vel minus gratum Ecclesiæ, ut notat Panormitanus *in c. illud* 8. *h. t.* ubi statuitur, quòd laicus sine consensu Episcopi non possit Ecclesiam alicui dare. Verùm consensus Episcopi sufficit, si sit expressus, vel tacitus, seu ut iura loquuntur, per ratihabitionem. Præterea sufficit, si ad donationem factam statim accedat Episcopi consensus, vel ex intervallo temporis; ut si Episcopus gratam, & acceptam habeat donationem ante factam. Potest tamen Patronus laicus etiam sine consensu Episcopi Diœcesani liberè donare ius patronatus non solùm reale, quod est annexum universitati, vel castro alteri donato, quod transfertur in donatarium unà cum castro *arg. c. cum seculum* 13. *h. t.* sed etiam personale potest donare Ecclesiæ, monasterio, vel alteri loco pio, ut etiam clerico nomine Ecclesiæ, vel dignitatis, quam obtinet *argum. c. illud* 8. *h. t.* ubi statuitur, quòd laicus non possit concedere Ecclesiam non vacantem inconsulto Episcopo alicui loco religioso, ex quo per contrarium infertur, quòd possit Ecclesiam vacantem inconsulto Episcopo concedere Ecclesiæ, vel monasterio, vel alteri loco religioso: ratio est, quia tunc Ecclesia liberatur à manu laicorum, & beneficium Ecclesiasticum restituitur pristinæ suæ naturæ, ut notat Pirhing. *hic num.* 6.

17 Quòd si objicias *c. cura pastoralis* 11. *h. t.* ubi statuitur, quòd nullus Religiosus possit acquirere, vel retinere Ecclesias concessas laicis sine consensu diœcesani, nisi propter legitimam præscriptionem, vel subsequentem consensum Episcopi, eò quia laici non possint transferre, nisi ius quod habent. Respondetur, ibi Pontificem tantùm loqui de transferentibus illa, quæ ad se non pertinent, cuiusmodi sunt ipsæ Ecclesiæ quoad proprietatem, & beneficia quoad titulum: non verò loquitur de iure patronatus, quod pertinet ad patronos, ut notat Zœsius *h. t.* n. 14. Respondetur etiam secundò, Patronũ non posse per se, & singulariter illud donare laico, vel etiam clerico, ut personæ privatæ sine consensu Episcopi, id enim desumitur *ex c. si laicus unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. expressè statuit, quòd laicus sine consensu Episcopi, possit dare suum ius patronatus eidem Ecclesiæ, in qua est ius, vel etiam alteri Ecclesiæ, aut alteri loco pio, & quòd donatio sit efficax, & teneat: unde à contrario sensu infertur, quòd si fiat à laico alicui loco non religioso sine consensu Episcopi, donatio sit inefficax, ac nullius roboris: ratio est, quia quando donatio iuris patronatus fit à laico alicui loco non religioso alienatur ab Ecclesia; proinde debet Episcopus inspicere, an expediat Ecclesiæ mutare Patronum, ne fortè Ecclesia gravetur per hanc mutationem; consequenter non debet hæc mutatio fieri nisi accedente authoritate, & consensu Episcopi. Tum quia pertinet etiam ad Episcopum inspicere, an donatio sit verè liberalis, vel aliquam redoleat simoniam. Excipitur tamen casus, quo unus ex pluribus compatronis remittit alteri suum ius patronatus, hanc enim remissionem potest fieri arrequisito Episcopo docet Glosa *in c. ex insinuatione* 14. *V. liberaliter contulisset h. t.* quia hæc remissio non est alienatio, nec propriè donatio.

18 An verò possit ipsemet Episcopus laico iure donationis concedere ius patronatus in Ecclesia alioquin libera, si hæc pertineat ad mensam episcopalem, & suam collationem. Respondetur, non posse tale ius patronatus laico concedere spectato iure communi *argum. c. hoc consultissimo* 2. *de reb. eccles. non alienand. in* 6. ubi dicitur: *Hoc consultissimo prohibemus edicto universos, & singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum laicis submittere, subjicere, seu supponere absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ sedis speciali licentia.* Concordat etiam Tridentinum *sess.* 14. *c.* 12. *de refor.* ubi statuitur, quòd nemo cuiusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacunque ratione ius patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat, nisi ratione fundationis, constructionis, & dotationis, ut notat Barbosa *in collect. in c. 2. de rebus eccles. non alienand. in 6. num.* 4. & fusè id probat. Garcia *p.* 5. *c.* 9. *n.* 128. Id tamen procedit spectato iure communi, quia si alicubi ex consuetudine contraria, & legitimè præscripta secus à tempore immemoriali servatum fuisset, aliqui putant tunc derogatum iri iuri communi. Verùm putârim, talem consuetudinem cùm sit facti, & consistere in facto indigere legitima probatione; & tunc etiam attendendum esse præiudicium, quod inde ecclesiis infertur.

19 Titulo venditionis etiam transfertur ius patronatus, non tamen venditione per se præcisè spectata, quia ius patronatus cùm sit spirituale, vel annexum spirituali, non potest per se vendi absque simonia *c. quia Clerici 6. c. de iure* 16. *h. t.* ubi expressè statuitur, quòd ius patronatus per se vendi non possit, cùm sit spirituali annexum, & si vendatur, contractus non tenet, & concordat Concilium Tridentinum *sess* 25. *c.* 9. *de reformat.* Verùm licèt ius patronatus utpote annexum spirituali non possit per se, & solitariè vendi absque vitio simoniæ; & si vendatur uterque contrahens in pœnam delicti privetur ipso iure patronatus per textum *c. quia clerici 6. h. t.* & Tridentinum *d. sess.* 25. nihilominus cum universitate bonorum, ut si castrum aliquod vendatur, cui annexum sit ius patronatus, tunc cum castro accessoriè venditur ius patronatus, quod propterea transit ad emptorem unà cum castro, quia accessorium sequitur suum principale, cui est annexum, ut notat Riccius *decis.* 179. nisi nominatim, & expressè in contractu fuerit exceptum ius patronatus, ut desumitur *ex c. ex litteris* 7. *h. t.* ubi statuitur, quòd ius patronatus transeat cum universitate, nisi specialiter excipiatur, etiam si universitas detur conductori solùm ad firmam,

id est quoad utile dominium; adeo ut si conductor præsentet ante motam litem super jure patronatus, præsentatio teneat, & post motam litem nihil sit innovandum. Juvat tamen adnotare, quòd quando cum universitate bonorum jus patronatus venditur, non debet intuitu juris patronatus majus pretium exigi, quia tunc contractus esset simoniacus. Cæterum ut jus patronatus per venditionem sui principalis, cui annectitur accessoriè vendatur, non debet fieri specialiter de eodem patronatu conventio, aut mentio, quia eo ipso, quòd castrum venditur, nisi specialiter excipiatur jus patronatus, hoc etiam transit ad emptorem, ut desumitur *ex d. c. ex litteris 7. h. t.* Transit etiam jus patronatus in emptorem rei particularis ut fundi, palatii, castri, cui accessoriè adhæret, ut notat Garcia *5. p. c. 9. n. 33 & sequent.*

20 Imò transit etiam in Emphyteutam, & Conductorem in longum tempus ratione dominii utilis transeuntis in Emphyteutam, & Conductorem fundi, vel castri, cui accessoriè jus patronatus est adnexum. Cæterum dicitur jus patronatus vendi cum universitate rei, eò quia vendatur cum tota ea re, in qua est universitas. Universitas autem juxta prætens institutum intelligitur, quando res aliqua non solùm est particularis, sed etiam continet in se non solùm corpora rerum, verùm etiam jura universitatis, ut explicat Abbas *in c. ex litteris de jure patronatus n. 10. & sequent.*

21 Hinc quando ea res ex toto in emptorem transit; transferuntur etiam servitutes, onera, jura, & actiones ad eam pertinentes. Jus patronatus non cuicunque rei certæ inest, sed tantùm rei habenti bonorum universitatem, quo pacto dicitur inhærere villæ, castro, monasterio, Ecclesiæ, conventui, seminario, civitati, Provinciæ: hæc enim habent jura universitatis. Immo etiam ipsa hæreditas universitatem continet, eò quia sit quid universim *l. bonorum 2. ff. de V. S. & l. hæreditas ff. de petit. hæredit.*

§. VII.

De modis, quibus jus patronatus amittitur, vel extinguitur.

1 CErtum est, variis modis posse jus patronatus amitti, vel extingui, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccles. universf. c. 12. n. 254.* & hos modos commodè reduci ad tres classes; quarum prima desumitur ex defectu fundamenti; secunda ex delicto, & tertia ex non usu, & ex subsecuta præscriptione: ob defectum fundamenti amittitur jus patronatus si Ecclesia absque ulla spe reædificationis pereat, vel dos ei adimatur *argum. §. fin. institut. de usufruct.* quia tunc cùm pereat Ecclesia, perit etiam jus patronatus: quia hoc fundabatur in Ecclesia, & deficiente fundamento, necesse est, corruat res fundata: hinc extinguitur jus patronatus, si Ecclesia, cui adhærebat penitus destruatur sine spe reædificationis, vel reditus omnino deficiant, quia rei non existentis nullæ sunt qualitates.

2 Secundò amittitur jus patronatus, si Patro-

nus patiatur Capellam converti, seu commutari in Ecclesiam collegiatam, quia tunc Rector non potest amplius præsentari Episcopo, ut instituatur, sed debet eligi, & Patronus laicus non potest tali electioni se immiscere, nec suffragium dare, sed ad summum potest interponere suas partes in tractatu electionis *c. nobis 25. h. t.* ubi Clemens III. statuit, ut Patronus non possit interesse electioni faciendæ de Prælato Ecclesiæ, sed tantùm post electionem postuletur ejus assensus, nisi Patronus habeat specialem facultatem interessendi electioni: secus est in Capella.

Tertiò deperditur etiam jus patronatus, si 3
Ecclesia, cui est adnexum jus patronatus alteri Ecclesiæ, vel monasterio uniatur absque reservatione juris patronatus: ratio est, quia tunc prima Ecclesia unita secundæ, censetur quasi extincta: proinde etiam jus patronatus, cui erat obnoxia, cessante enim principali, cessat accessorium; idque procedit licèt Ecclesia patronatui obnoxia uniatur alteri Ecclesiæ, vel monasterio ex consensu tacito Patroni absque juris reservatione, ut notat Pirhing. *sess. 5. §. 4. h. t.*

Propter delictum amittitur jus patronatus. 4
Primò si Patronus Rectorem, vel aliquem clericum Ecclesiæ patronatui obnoxiæ per se, vel per alium occidere, vel mutilare nefariè præsumpserit, & tunc privatio extenditur usque ad quarrum gradum, quoad ejus posteros *c. in quibusdam de pœnis*: & tunc jus patronatus cedit Ecclesiæ, cui fuit injuria illata, quasi in aliquam compensationem damni illati.

Secundò si Patronus se hæreseos, vel læsæ 5
majestatis reum constituerit, quia tunc bona omnia delinquentis cedunt fisco; proinde sicut privatur omnibus bonis, ita etiam jure patronatus *c. vergentis 10. infra de hæret. c. cum secundum leges eod. tit. in 6.* & hoc etiam procedit de schismaticis, apostatis, fautoribus hæreticorum, ut notat Barbosa *d. lib. 3. c. 12. n. 260.* his enim omnibus bona omnia confiscantur, & cum universitate bonorum, vel alia re particulari, cui adhæret jus patronatus, hoc cedit fisco. Verùm ut privatio ex hisce prætatis capitibus delicti effectum sortiatur, necessaria est sententia declaratoria Judicis, quamvis delictum fuerit notorium, ut notat Gaillus *lib. 2. observat. 51. n. 6.*

Tertiò si scienter, & malitiosè se ingerat quo- 6
ad perceptionem fructuum beneficii, sive eos in proprios usus convertat, sive tantùm impediat, ne ad beneficiatum perveniant, vel quacunque arte, aut quocunque quæsito colore sibi usurpet: quinimò ita delinquens præter privationem juris patronatus, etiam incurrit excommunicationem ipso jure, à qua nonnisi à summo Pontifice absolvi potest ex Concilio Tridentino *sess. 22. c. 1. V. quòd si ejusdem Ecclesia de refor.*

Quartò privatur etiam Patronus jure patro- 7
natus, si titulo venditionis, aut alio quocunque modo prohibito, & contra canonicas sanctiones jus illud in specie transferre præsumpserit in alium *c. quia clerici 6. h. t.* ubi statuitur, quòd emens jus patronatus, vel alio modo acquirens,

ut præsentet suos filios, vel nepotes spoliatur eodem jure. Quòd si quæras, cui tunc applicandum sit jus patronatus, aliqui dicunt illud cedere Ecclesiæ, cui facta est injuria simoniæ: alii censent, remanere apud Patronum, & nituntur ea ratione, quia venditio utpote simoniaca non tenet. Præterea quia in præfato textu *c. quia 6. h. t.* pœna injungitur emptori, non venditori.

8 Verùm ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 9. de refor.* etiam venditor incurrit pœnam, subjicitur enim & ipse pœnis excommunicationis, & interdicti: unde putârim, jus patronatus tunc applicatum iri Ecclesiæ, adeo ut hæc restituatur libertati, ut notat Piasecius *p. 2. c. 5. art. 1. num. 37.*

9 Sed oritur difficultas, ad quemnam perveniat jus patronatus, quando per confiscationem omnium bonorum amittitur. Respondetur cum distinctione, si jus patronatus sit reale, & accessoriè adhæreat bonis confiscatis, tunc etiam extra casum læsæ majestatis, & hæreseos transit unà cum bonis confiscatis in fiscum, etiâ quoad exercitium; & bonis postea per fiscum divenditis transit simul in emptorem, quia accessorium sequitur suum principale, præsertim cum jus patronatus non vendatur per se, neque exigatur intuitu ipsius majus pretium. Sin verò jus patronatus sit personale, & per se principale, adeo ut accessoriè non adhæreat bonis, tunc non includitur in confiscatione bonorum, nec Judex laicus potest illud per se addicere, nec adjudicare fisco, quia laicus non potest disponere directè de jure patronatus, cùm sit spirituale, vel annexum spirituali, & Judex laicus non habet jurisdictionem in res spirituales, quapropter in tali casu remanet penes delinquentem, donec per Judicem ecclesiasticum Patronus tanquam indignus privetur jure patronatus. Secuta verò sententia privatoria Judicis, si jus patronatus sit sanguinis, & spectet ad familiam, vel consanguineos, aut eos, qui sunt de genere, ad illos transit servata dispositione fundatoris: sin verò sit hæreditarium etiam transmittitur unà cum hæreditate, cui adhæret, ad extraneos. Sin autem non adhæreat hæreditati tanquam quid accessorium, tunc extinguitur jus patronatus, & Ecclesia restituitur suæ libertati: sin autem non sequatur sententia Judicis privatoria, tunc jus patronatus hæreditarium transit ad hæredem, vel ex testamento, vel etiam ab intestato, nisi in crimine hæresis ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 9. num. 25. & sequent.*

10 Per non usum amittitur jus patronatus, quando cessante legitimo impedimento Patronus per multum temporis neglexit Rectorem præsentare instituendum ab Episcopo in Ecclesia vacante: verùm quia difficulter potest determinari quantum temporis debuit fluxisse, ut per non usum amittatur jus patronatus; ideo probabilior, & communior sententia est, quòd si in Ecclesia patronatui obnoxia Rector sine præsentatione Patroni fuerit per duas vices à Diœcesano institutus non reclamante Patrono, censetur tunc hic per non usum amittere jus patronatus, cum enim jus patronatus præjudicet liberæ Episcoporum collationi, & libertas Ecclesiæ sit favorabilis; censetur Patronus renuntiâsse juri suo, si per duas vices, quando Ecclesia vacavit, non præsentavit Rectorem, & permisit sciens, & non contradicens eum institui à Diœcesano: tum quia ius patronatus cùm sit spirituale, vel annexum spirituali, per se non debetur laico, sed illi tantùm ex gratia, & indulto Ecclesiæ conceditur; adeo ut sit veluti quoddam privilegium concessum laicis, qui fundant, construunt, dotant Ecclesias; consequenter sicut alia privilegia onerosa per non usum, aut usum contrarium facilè amittuntur, ita & ius patronatus per omissionem duarum præsentationum deperditur, & tunc Ecclesia efficitur liberæ collationis, & liberatur à servitute iuris patronatus.

11 Per præscriptionem deperditur etiam ius patronatus, quando Patronus per totum illud tempus, quod de iure requiritur ad legitimam præscriptionem, omisit præsentare Rectorem instituendum in Ecclesia vacante, si eo tempore nullum adfuit legitimum impedimentum, quo detineretur, ne posset Rectorem præsentare; communiter tamen censent, quòd si per duas vices Rector sine præsentatione facta à Patrono fuerit institutus, censendus sit iure præscriptionis amisisse ius patronatus, & tunc Ecclesiæ restituitur libertas, adeo ut possit Diœcesanus absque præsentatione, & irrequisito Patrono instituere Rectorem.

12 Quòd si dicas, ius patronatus esse spirituale, vel saltem spirituali adnexum, proinde non posse præscribi saltem à laico: siquidem ob eandem rationem iura decimandi non præscribuntur à laicis per textum *c. cum sem 7. de præscript.* Contra est, quia tametsi ius patronatus sit annexum spirituali, conceditur tamen laicis, ob aliquam rem temporalem, nimirum ob fundationem, dotationem, vel constructionem Ecclesiæ, in hisce enim fundatur ius patronatus, & quia temporalia possunt à laicis præscribi, ita etiam saltem indirectè ipsum ius patronatus fundatum in temporalibus. Secus ius decimandi fundatur in aliquo spirituali, nimirum in administratione Sacramentorum, & solvuntur decimæ pro congrua sustentatione clericorum ministrantium laicis Sacramenta: unde id interest discriminis inter ius præsentandi, & ius exigendi decimas, quia illud fundatur in temporali, hoc in spirituali, consequenter potest illud præscribi à laicis, non verò ius decimandi.

13 Quid verò iuris, si alicui legitimè supponatur donatum ius præsentandi, & donatio litteris consignata, si is, cui donatum est tale ius, priùs decesserit, quàm occasio ei daretur præsentandi, & litteras aperiendi; & eius hæredes etiam fermè per sæculum nunquam apertis literis præsentaverint, & Episcopus semper instituerit Rectorem Ecclesiæ patronatui obnoxiæ irrequisitis hæredibus. Certè tunc ius hoc patronatus censeretur extinctum per non usum unius fermè sæculi. Tum quia foret ab Episcopo collatore præscriptum, ut satis liquet ex generalibus principiis traditis *in titulo de præscriptione*

privat. Tum ex eo, quòd præscriptio procedat etiam contra ignorantes: lex enim de præscriptione, & usucapione juxta communiorem, & veram juris peritorum sententiam lancita fuit ob bonum commune Reipublicæ, & pro pace conservanda, litibúsque præcindendis; alioquin ob incertitudinem jurium innumeræ fermè suborirentur lites, si ob prætensam ignorantiam juris proprii posset jus præscriptionis à privatis personis impugnari, ac subverti. Demum quia hæredes tenebantur litteras aperire, ut possent propria dignoscere jura, obligationes, unde si eas non aperverint, iisdem dandum est culpæ.

24 Si objicias commune illud effatum, non valenti agere non currit præscriptio *argum. l. 1. C. de annal. except.* Respondetur cum Abbate *c. ex transmissa num. 13. de præscript.* illud effatum procedere in sensu composito cum impedimento juris, ut est ætas pupillaris, Ecclesia vacans, tempus hostilitatis, in his enim, & similibus casibus censetur præscriptio dormire; proinde non currere: secus est in sensu diviso & sine tali impedimento juris; & cum impedimento facti non generalis, tunc enim currit præscriptio.

§. VIII.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an si quis in fundo alieno inscio, vel etiam invito Domino construat Ecclesiam jus patronatus acquiratur ædificanti, an verò Domino fundi? Respondetur jus patronatus Ecclesiæ constructæ in alieno solo acquiri constructori, non verò Domino fundi, licèt hic possit Ecclesiam in suo fundo ædificatam, si nondum consecrata fuerit inscio, vel invito constructore propria authoritate occupare, vel destruere *argum. l. quemadmodum 29. §. 1. V. at aliud est ff. de leg. Aquil.* Ratio est quia æquitati non videtur consonum, ut per ædificationem Ecclesiæ domino invito, ac inscio auferatur dominium sui fundi: quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest *l. si non debet 74. ff. de R. J.* non enim invito domino possumus citra injuriam ei illatam disponere de illius rebus. Si dicas construere Ecclesias cedere in favorem religionis; id non obstat, quia favor religionis dirigendus est juxta regulas æquitatis, quæ non dictant esse alteri damnum inferendum, neque privandum jure suo ipso invito, ut notat Canisius *in c. quoniam 3. n. 4. h. t.*

2 Quòd si Ecclesia in fundo alieno invito domino constructa, fuerit etiam consecrata, tunc dominus fundi non potest eam occupare, nec demoliri; sed constructor tenetur solvere domino pretium fundi juxta peritorum æstimationem *argumento c. comperimus 2. caus. 14. q. 6.* Si urgeas, dominum fundi non posse propria authoritate effodere ossa defuncti ab extraneo illata in suum fundum absque ecclesiastico decreto *l. ossa §. in princ. ff. de relig. & sumpt. funer.* consequenter non posse dominum fundi destruere Ecclesiam nondùm consecratam, & ipso irrequisito constructam in suo fundo. Contra, est enim discrimen; quia eatenus non potest effodere ossa, quia id publicæ utilitatis causa receptum fuit, ne defunctorum cadavera inhumata iacerent *l. sunt personæ 43. ff. eod.* secus ne inferatur damnum proximo, non permittuntur Ecclesiæ construi in alieno fundo invito domino, præsertim cum Ecclesia multum spatium exigat; & non possit constructor esse dominus Ecclesiæ à se ædificatæ, quin sit etiam dominus illius spatii, quod Ecclesia occupat; & hoc perinde foret ac surripere rem alienam invito domino: secus si ossa defuncti sepeliantur in fundo alieno, remanet fundus semper sub dominio antiqui domini, qui nihil deperdit juris in suo fundo. Cæterum dominus feudi potest etiam invito vassallo in fundo feudali Ecclesiam construere ob dominium sibi reservatum, ratione cujus potest etiam invito vassallo feudum vendere, dummodo à domino detur vassallo æquivalens *c. un. l. 2. feud. tit. 9.*

3 Quæritur secundò, an jus patronatus licitè in eum cadat, qui vinculo majoris excommunicationis detinetur? Respondetur cum Joan. Andre. *in c. nobis 25. num. 3. h. t.* non privari quoad habitum si ante excommunicationem possederit tale jus patronatus; sed tantùm quoad actum, seu usum, & exercitium; adeout si ante petitam absolutionem ab excommunicatione præsentet clericum, talis præsentatio sit nullius valoris. Ratio est, quia excommunicato prohibita est communicatio, & usus, seu exercitium cujusvis juris ecclesiastici; & cum præsentatio sit exercitium talis juris; & post admissam ab Ordinario præsentationem acquiratur jus, & actio ad petendam institutionem in beneficio, ad quod fuerat clericus præsentatus; ideo præsentare est prohibitum habenti jus patronatus, si fuerit majore excommunicatione ligatus, donec absolvatur. Tum quia majore excommunicatione ligatus non potest eligere, ad prælaturas ecclesiasticas, neque ad beneficia, & si eligat electio est irrita *c. unic. ne sede vacante in 6.* sed præsentatio in jure æquivalet electioni, ut notat Glossa *in c. ult. V. electione de elect. in 6.* & ratio est, quia etiam ipsa præsentatio jus aliquod tribuit, præsertim si fuerit acceptata. Potest tamen Episcopus assentiri, ut excommunicatus toleratus, & non vitandus Ecclesiam ædificet, ac jus patronatus acquirat quoad habitum, quodque post absolutionem à vinculo excommunicationis exerceat, acquirátque quoad usum.

4 Id interest discriminis inter excommunicatum vitandum, & non vitandum quoad præsentationem; quia vitandus nunquam licitè, neque validè præsentat sive patronus sit laicus, sive ecclesiasticus; & si fuerit in mora ad legitimè præsentandum Episcopus validè, ac licitè confert beneficium; ne Ecclesia diutius destituatur suo rectore. Sin verò patronus sit excommunicatus toleratus, licèt Episcopus non teneatur acceptare ejus præsentationem, cum nemo teneatur communicare cum excommunicato, quamvis tolerato, attamen potest si velit illam licitè acceptare, ac validè instituere præ-

sentatum; quia non tenetur vitare excommunicatum toleratum; proinde non prohibetur acceptare eius præsentationem.

5 Quæritur tertiò, an si clericus ex reditibus Ecclesiæ ædificet Capellam, eámque dotet, acquirat ius patronatus? Respondetur, illud acquirere, sed limitatè ad dies vitæ; adeout cum obitu fundatoris extinguatur, vel pertineat ad eam Ecclesiam, ex cuius reditibus fuit Capella constructa, & dotata; desumitur *ex cap. ult. de pecul. cleric. & ex cap. Relatum 12. de Testam.* Nomine autem Ecclesiæ, si hæc collegiata non fuerit, ius patronatus acquiritur successori in beneficio, ex cuius reditibus defunctus Capellam, & beneficium construxerat, ac dotaverat. Sin verò Ecclesia fuerit collegiata ius patronatus acquiritur toti Capitulo eiusdem collegiatæ. Ratio est quia Ecclesia succedit in omnibus iuribus acquisitis à clerico ex bonis sui beneficii. Sin verò clericus non ex bonis beneficii; sed ex bonis patrimonialibus Ecclesiam construat, ac dotet; tunc non solùm sibi acquirit ius patronatus, sed etiam suis hæredibus, ad quos post obitum devolvitur. Sin autem in fundo proprii patrimonii ex reditibus sui beneficii ecclesiastici Ecclesiam construat, eo vivente ius patronatus ad ipsum in solidum pertinet; & post eius obitum devolvitur partim ad hæredes, & partim ad Ecclesiam, ex cuius beneficio Ecclesiam construxit.

6 Quæritur quartò, an si multi præsententur, aliquis ex illis institui debeat, ac ceteris præferri? Respondetur, esse procedendum cum distinctione. Si patronus, qui antea præsentaverat Titium, postea præsentet Caium, velitque hunc institui; si patronatus sit laicus, in arbitrio Prælati est instituere quem ex illis duobus maluerit, & desumitur *ex cap. cum autem 24. de jure patronatus* ubi statuitur quòd patronus laicus possit variare re adhuc integra; seu antequam primus præsentatus sit institutus; quia quando patronatus est laicus secunda præsentatio non irritat primam; neque è converso. Sin verò patronatus sit ecclesiasticus, tunc qui prior est tempore, est potior iure; proinde primò præsentatus debet institui. Sin verò unus, ac idem sit præsentatus à patrono laico, & ecclesiastico, tunc non potest laicus variare, nec præsentare secundum; sed instituendus est præsentatus ab utroque, ut notat Panormitanus *in d. c. cum autem 24. b. t.* Ratio est: quia cum Patronus ecclesiasticus non possit variare, frustraretur iure suo, si secundus præsentatus à laico institueretur. Quòd si beneficio esset annexa cura animarum, & secundus præsentatus à laico patrono esset notabiliter magis idoneus, posset tunc secundus institui omisso priore, ut docet Joan. Andreas *in d. c. cum autem 24. b. t.* ob majorem aptitudinem, quæ in beneficiorum collatione attendi debet. Sin autem duo sint patroni non concordes in præsentatione; adeo ut unus præsentet Petrum, & alius Paulum, tunc in arbitrio collatoris est conferre utri maluerit. Imò Panormitanus docet, posse tunc Episcopum instituere certiũ, quia in discordia patronorum ius illum non adigit ad instituendum unum ex præsentatis. Sin autem plures sint patroni dissentientes; is tunc debet institui, in quam plura suffragia collimant.

7 Quòd si plures præsentent per modum collegii, vel Capituli sunt tunc omnes convocandi, qui commodè possunt convocari; alioquin qui non fuit vocatus potest irritare per Judicem factam præsentationem, argumento *cap. cum in Ecclesia 33. de prabend. in 6.* ubi ita disponitur de electione, & collatione à pluribus collegialiter facienda.

8 Quæritur quintò, an qui Ecclesiæ sine ulla dote fundatæ, & priùs iam consecratæ dotem assignaverit ius patronatus acquirat? Respondent aliqui, eum, qui post consecrationem Ecclesiæ, eidem dotem donat non acquirere ius patronatus, ita censet etiam Glossa *in c. pia mentis 17. q. 7.* eò quia Ecclesia per consecrationem fit res sacra, cui servitus iure imponi non potest *l. servitutes 3. §. ult. ff. de servitutibus*; quod enim desiit esse humani iuris servitutem non recipit *l. caveri ff. communia prædiorum*: hinc propugnantes hanc sententiam dicunt, ius patronatûs non posse acquiri nisi Ecclesia priùs dotetur, quàm consecretur. Nihilominus contraria sententia communior est, ac probabilior, quam docent Abbas *in c. quoniam num. 9. h. t.* Innocentius, & alii; eò quia gratiâ Ecclesiæ dotis constitutio retrotrahitur ad tempus constructæ, & nondum consecratæ Ecclesiæ; idque ut fideles alliciantur ad Ecclesias dotandas. Verùm id procedit quando is qui sine dote fundavit, vel construxit Ecclesiam est vita functus, vel ad eum commodè aditus non patet; alioquin si interrogatus, an velit Ecclesiæ dotem dare, ac esse patronus, & ipse nolit; non fit patronus respectu dotis; sed alius qui Ecclesiam longè ante consecratam dotavit; & tunc ambo sunt patroni.

9 Quæritur sextò, an quando duo sunt patroni, requiratur consensus Episcopi, ut unus alteri patrono socio remittat suum ius præsentandi ad eandem Ecclesiam. Respondent plures affirmativè: quia remittere alteri patrono ius præsentandi, perinde est, ac eidem dare ius adæquatum, quod antea non habebat; siquidem quando plures præsentant singuli præsentant inadæquatè, & omnes simul adæquatè; quando autem unus remittit alteri socio suum ius præsentandi; tunc hic acquirit ius magis adæquatum, quod antea non habebat; cumque illud acquirat gratis, utique per modum donationis: sed ad donandum laico ius patronatus requiritur consensus Episcopi, ne ius patronatus transeat ad hominem ignotum, ac inviſum Ecclesiæ cum eius detrimento; ut etiam ad præcidendam omnem fraudis occasionem; quia persæpe est ficta emptio. Nihilominus contraria sententia est etiam probabilis quam docent Lambertinus *lib. 1. de jure patronatus p. 2. q. 2. art. 12.* Abbas, qui eam dicit æquitati maximè consonam; & alii plures, quorum sententia mihi videtur probabilior: ratio est, quia tunc non instituitur novus patronus; sed idem ius quod duobus inerat, penes unum solum remanet; adeout extinguatur in primo, & perseveret

ſeveret in ſecundo. Eſt jus patronatus indiviſibile, ut alia jura ſpiritualia; unde licèt habeat extenſionem, quâ poteſt à pluribus participari; non tamen dividitur per partes; quapropter nulla fit donatio, nec dominii mutatio: & ex alio capite nihil damni Eccleſia patitur, nec jus patronatus transfertur in aliquem Eccleſiæ ignotum, ac invitum, aut ſuſpectum hominem, cum maneat tantùm penes alium jam notum Eccleſiæ, & acceptum.

10 Quæritur ſeptimò, an ſi jus patronatus legetur laico ex teſtamento requiratur conſenſus Epiſcopi. Certum eſt, jus patronatus poſſe ex teſtamento legari ut communiter docent cum Panormitano *in cap. cum ſæculum 13. h. t.* quia jus patronatus ex conſenſu Epiſcopi donari poteſt inter vivos: unde difficultas eſt, an mortis cauſa, ſeu ex teſtamento legari poſſit irrequiſito Epiſcopo? Affirmat Federicus *cons. 3.* Sed communis, ex vera opinio eſt, requiri neceſſariò conſenſum Epiſcopi ſi laico donetur; non ità ſi Eccleſiæ, ne ſcilicet jus patronatus tranſeat ad ignotum, invitúmque Eccleſiæ; & ne hæc ullum patiatur ex tali donatione damnum. Dubitatur tamen, an conſenſus Epiſcopi ſufficiat, ſi ſuccedat teſtamento jam antea facto: Panormitanus *in d. c. cum ſæculum 13. h. t.* reſpondet, ſufficere, ſi Epiſcopus ex intervallo temporis etiam poſt mortem teſtatoris conſentiat; quæ opinio eſt probabilior: ſed antequam conſenſus Epiſcopi acceſſerit jus patronatus manet penes hæredem; quia cum jus patronatus ſit ſpirituale, vel ſpirituali annexum, non poteſt per ſolam voluntatem laici transferri ad alium, & jura tantùm permittunt ut transferatur in filios, & hæredes, non verò in legatarios, ut notat Abbas. Hinc jus patronatus neque locatione poteſt in alium transferri; quia jure & ratione locationis conductor non acquirit dominium directum, neque utile rei conductæ; proinde ratione locationis jus patronatus non tranſit ad conductorem.

11 Quæritur octavò, an patronus Eccleſiæ transferens jus patronatus in confraternitatem, quam inſtituit hæredem univerſalem cum obligatione manutendi ſervitia Eccleſiæ, poſſit eandem obligare, ut diſtribuat oblationes factas Eccleſiæ ad certos pios uſus? Reſpondetur negativè. Ratio eſt, quia laicus non poteſt diſponere de bonis Eccleſiarum, quæque pertinent ad Eccleſiam; & quæ ſunt ſub dominio ejusdem: quia bona Eccleſiæ ſunt omnino exempta à jurisdictione laica *c. generaliter 16. qu. 1. c. conventus c. in qualibet c. ſancimus 23. q. fin. c. quamquam de cenſibus in 6. & clem. unic. de immunit eccleſ.* & ſtatuitur etiam in conſtitutione 8. Leonis X. quæ incipit *Regimini*: atqui oblationes, quæ fiunt Eccleſiæ, acquiruntur eidem, & accenſentur bonis eccleſiaſticis, adeo ut eximantur à jurisdictione laica *c. quia c. ſanctorum c. hanc conſuetudinem 18. q. 10.* & ratio eſt, quia quando offeruntur Deo, tranſeunt de jurisdictione laica ad illam Eccleſiæ, cujus dominio ſubjiciuntur; perinde ac omnia alia bona, quæ Deo dicantur: quapropter non poſſunt laici diſponere de iisdem oblationibus, neque ullum circa illas dominium exercere: adeo ut nec ipſa conſuetùdo in oppoſitum poſſit prævalere, eò quia habeat jus reſiſtens, ac prohibens, ne ſpiritualia laicis applicentur *c. Maſſana c. ſacroſancta de elect.* & ita cenſuit Rota *in Calaritana oblationum 21. Octob. 1588. coram Pamphilio.* Hinc teſtator non poteſt obligare hæredes, ut convertant oblationes in alios determinatos uſus, niſi in quos poſſunt converti. Cum enim Eccleſia capax ſit oblationum, eidem acquiruntur, & eò vel maximè, quia præſumuntur factæ intuitu talis Eccleſiæ, ut notant Rebuffus *de decimis q. 1. n. 29. & 30.* Abbas *in c. 1. n. 4. de ſtatu Monachor.* Socinus *de oblat. lib. 18. n. 5.* Cùm enim ſit in poteſtate cujusvis diſponere ad libitum de rebus propriis, poteſt illas transferre in cujus dominium voluerit; proinde offerentes bona alicui Eccleſiæ intuitu ejusdem, præſumuntur transferre eadem bona in dominium ejusdem Eccleſiæ.

Neque obſtat, quòd teſtator ſit Patronus 12
Eccleſiæ: quia inde tantùm ſequitur, habere quasdam præeminentias, & jus præſentandi, adeo ut ſine ejus præſentatione non poſſit quis inſtitui *c. decernimus 1. monaſterium 16. q. 7. l. fin. de inſtit. c. ex inſinuatione 14. h. t.* Non tamen ullum acquirit dominium, aut jus circa bona Eccleſiæ, immo neque retinet ſuper ea, quibus Eccleſiam dotat *c. noverint 10. q. 1.* ubi habetur: *Noverint conditores baſilicarum in rebus, quæ iisdem eccleſiis offerunt, nullam ſe poteſtatem habere.* Quamobrem diſpoſitio teſtatoris propoſita in facti ſpecie tantùm ſubſiſtit, quatenus inſtituit hæredem ipſam confraternitatem; & dotat Eccleſiam, non verò quatenus injungit obligationem taliter diſponendi de oblationibus; quia teſtator non potuit ità diſponere ob defectum dominii in tales oblationes. Voluntas autem teſtatoris quando non poteſt impleri in totum, debet ſecundùm illam partem impleri, quæ poteſt executioni mandari *l. filiæ ſuæ §. 1. ff. de condit. & demonſtrat.* & notant Bald. *in l. precibus num. 24. C. de impuber.* Mantica *lib. 3. de conjectur. ult. volunt. tit. 3. n. 6.* unde licèt non poſſit in facti ſpecie impleri voluntas teſtatoris quoad diſpoſitionem oblationum, debet nihilominus eadem executioni mandari quoad alia. Accedit etiam, quia voluntas teſtatoris præſumitur conformis diſpoſitioni juris communis *l. hæredes mei § cum ita ff. ad Trebell. ut ſuſè* oſtendit Rippa *num. 74.* diſponere autem circa oblationes factas Eccleſiæ eſt contra jus commune, conſequenter præſumendum eſt, quòd teſtator laicus ſi ſciviſſet eſſe contra jus, non diſpoſuiſſet de illis, ut notant Gloſſa *in l. tale pactum in fin. ff. de pact.* Mantica *lib. 5. de conjectur ultim. volunt. tit. 15. n. 21.* Demum quia voluntas teſtatoris tunc eſt pia; & mens pia regulatur ratione, & non ſibi uſurpat, quæ ſunt ſub jurisdictione alterius, nec intendit aliquid diſponere contra jus commune.

Quæritur nonò, an Eccleſia teneatur Patro- 13
num alere, ſi ejus bona confiſcata ſint? Certum eſt, Eccleſiam teneri alere ſuum patronum, ſi hic ad egeſtatem reducatur, ut communiter docent

docent cum Gloſſa *in c. nobis 25. h. t.* ubi Clemens III. ſtatuit, quòd ſi patronus vergat ad inopiam, Eccleſia debeat illi ſuccurrere modeſtè ſecundùm jura, quamobrem difficultas eſt, an hujusmodi obligatio oriatur etiam, quando patronus ob bonorum confiſcationem redigitur ad egeſtatem. Et reſpondendum eſt, quòd ſi Patronus privetur etiam cum bonis jure patronatus, tunc Eccleſia non tenetur ipſum alere, quia ſicut jus patronatus tranſit in alium, ſeu fiſcum, ita Eccleſia contrahit obligationem cum ſecundo, quam habebat cum priori patrono: cùm enim jus percipiendi alimenta adhæreat juri patronatus, tranſit cum ipſo ad alium *c. ex litteris de pignor.* jus enim percipiendi alimenta eſt ita annexum juri patronatus, ut non poſſit ab ipſo ſeparari, ut notant Abbas *in c. Praterea 23. h. t.* Tiraquel. *de retract. conſanguin. §. 36. Gloſſa 1. num. 32.* Surdus *de aliment. tit. 7. q. 32. num. 13.* & quia per confiſcationem omnium bonorum patronus privatur etiam jure patronatus annexo univerſitati bonorum, ut notant Gloſſa *in c. filiis & Nepotibus 16. q. 7.* Lambertinus *de jure patron. lib. 3. q. 8. art. 8.* Julius Clarus *lib. 5. recept. ſentent. §. fin. q. 78. V. 8.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 9. num. 27.* ideo privatur etiam jure exigendi alimenta ab Eccleſia patronata: tametſi jus patronatus non ſit ſub diſpoſitione Judicis laici tanquam quid annexum ſpirituali, tranſit nihilominus cum univerſitate bonorum, ut deſumitur ex *c. cùm ſeculum 13. h. t.* proinde cum univerſitas bonorum tranſeat in fiſcum ad ipſum etiam tranſit jus patronatus annexum eidem univerſitati bonorum: quinimò tametſi jus patronatus non eſſet annexum univerſitati bonorum, ſed tantùm alicui ſpeciali caſtro, adhuc tranſiret cum caſtro in alium, quia ſi tranſit cum univerſitate bonorum, eò quia ſit eidem annexum; debet etiam tranſire cum bonis particularibus, ſi ſit iisdem annexum, eſt enim utrinque par ratio, & ſalvatur quòd tunc jus patronatus per ſe directè, & immediatè non transferatur in alium, ſed tantùm indirectè, mediatè, ſecundariò, quatenus trahitur à caſtro, cui jus patronatus eſt annexum, & quatenus acceſſorium ſequitur ſuum principale.

14 Quæritur decimò, an ſi jus patronatus non ſit annexum ulli bono in particulari, nec ipſi univerſitati bonorum, etiam tunc comprehendatur in confiſcatione bonorum omnium facta per Judicem laicum? Reſpondetur negativè cum Gloſſa in *element. paſtoralis V. ſententia de re judic.* Rota *in Agathen. jurispatron. 4. Martij 1602.* coram Pamphilio & *decis. 132. num. 1.* coram Coccino: ratio eſt perſpicua, quia tunc ceſſat ratio acceſſorii ſequentis ſuum principale ob defectum connexitatis: ſi enim jus patronatus non ſit annexum univerſitati bonorum, non poteſt ab illa trahi ad fiſcum; & hic cum ſit poteſtas laica, non poteſt ſe extendere directè, & immediatè ad jus patronatus, cùm hoc ſit ſpirituale, vel annexum ſpirituali: quapropter ceſſante connexitate ceſſat acceſſorium, quod trahitur à ſuo principali: cùm jus patronatus non ſupponatur connexum cum univerſitate bonorum, non poteſt ab hac, ut à principali trahi ad fiſcum: quapropter neque indirectè poteſt fiſcus ſe extendere ad jus patronatus, quia extenſio indirecta fundatur in connexitate. Cùm igitur Patronus tunc non amittat jus patronatus, nec amittit jus percipiendi alimenta ab Eccleſia patronata, ſi ob confiſcationem bonorum redigatur ad egeſtatem: ratio eſt, quia jus percipiendi alimenta ab Eccleſia patronata nectitur inſeparabiliter juri patronatus. Verùm Judex eccleſiaſticus poteſt Patronum privare jure patronatus quando ei bona confiſcata ſunt, eò quia ob crimen, quo meruit confiſcationem bonorum, ſe conſtituit indignum jure patronatus, ut communiter docent Gloſſa *in c. filiis, & Nepotibus 16. q. 7.* & *in clement. paſtoralis V. ſubſtantia de re judic.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 9. num. 28.* & tunc ſi privetur jure patronatus, privatur jure percipiendi alimenta: imò ſi bona confiſcarentur à Judice eccleſiaſtico Patronus etiam privaretur jure patronatus, quamvis non eſſet annexum bonorum univerſitati, nec ulli bono in particulari: ratio eſt, quia jurisdictio Judicis eccleſiaſtici extenditur etiam ad ſpiritualia, & annexa ſpiritualibus *c. quanto de jud.* & notat Lambertinus *de jure patronat. lib. 3. q. 8. art. 8. num. 10.* & hoc eſt diſcrimen inter Judicem laicum, & eccleſiaſticum, quia ille ob defectum jurisdictionis non poteſt privare Patronum jure patronatus, ſi hoc non ſit connexum bonorum univerſitati, vel alicui particulari bono, quia poteſtas laicalis non extenditur ad ſpiritualia, nec ad annexa ſpiritualibus: ſecus Judex eccleſiaſticus cum univerſitate bonorum privat patronum etiam jure patronatus, eò quia ejus poteſtas ſe extendat ad ſpiritualia, & annexa ſpiritualibus.

Quæritur undecimò, an Patronus ob confiſcationem bonorum privetur jure patronatus exempto à confiſcatione, eò quia fundator diſpoſuerit, quòd tranſeat ad Agnatos, vel alias perſonas habentes certas qualitates? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi confiſcatio omnium bonorum fiat à Judice eccleſiaſtico, patronum privari jure patronatus, ut notat Garcia *de benef. p. 5. c. 9. num. 29.* ratio eſt, quia quantum eſt ex vi confiſcationis patronus privatur jure patronatus, quia confiſcatio tunc oritur ab habente authoritatem directam in jus patronatus, eò quia ſit authoritas ſpiritualis, ſéque extendat ad ſpiritualia. Quia verò ſupponitur obſtare diſpoſitio fundatoris, ideo non tranſit in fiſcum, ſed transfertur ad eos, qui fuerunt à fundatore vocati. Quòd ſi confiſcatio fiat à Judice laico, tunc etiam ſubdiſtinguitur, vel jus patronatus ſtat per ſe ſine connexione ad univerſitatem bonorum, & tunc per confiſcationem bonorum non privatur patronus jure patronatus, quia ſententia confiſcationis utpote profecta à Judice laico, non ſe extendit ad jus patronatus; conſequenter remanet apud patronum cum jure percipiendi alimenta ab Eccleſia, donec per ſententiam Judicis eccleſiaſtici privetur. 15

Sin verò jus patronatus ſit annexum univerſitati bonorum, tunc per confiſcationem 16

omnium

omnium bonorum indirectè, & secundariò privatur jure patronatus, quia propter connexionem trahitur ab universitate bonorum: accessorium sequitur suum principale. Juvat tamen observare, quòd si Patronus, cui bona confiscata sunt, sit fundator Ecclesiæ, non amittit per confiscationem jus patronatus, quamvis confiscentur bona per sententiam Judicis ecclesiastici, neque Ecclesia liberatur ab onere suppeditandi eidem necessaria alimenta, ut rectè notat Surdus *de aliment. tit. 1. q. 54. num.* 11. quia alimenta non debentur illi, eò quia præcisè sit Patronus, sed quatenus est fundator. Id enim fundatio operatur, ut cùm ipso fundatore contrahatur obligatio antidoralis ratione gratitudinis ex causa fundationis, & quia non obstante privatione juris patronatus, adhuc fundator, semper remanet fundator, nec possit fieri, ut Ecclesiam, quam fundavit, non fundaverit: ideo semper viget in Ecclesia obligatio gratitudinis eidem suppeditandi alimenta in casu egestatis, aut necessitatis. Tum quia ut perseveret obligatio, sufficit, si remaneat aliqua ex finalibus causis, ratione cujus fuit inducta *l. si non lex, ff. de hæred. instit.* & notant Tiraquel. *tract. cessante causa limitat.* 22. Surdus *cons. 361. n.* 20.

17 Quæritur duodecimò, an Patronus possit promittere se aliquem præsentaturum vacante beneficio? Respondetur negativè, quia non valet mandatum de præsentanda certa persona antequam beneficium vacet; ut communiter docent, & præ cæteris Maresc. *lib. 2. variar. resol. c. 33. num.* 1. ubi citat tres decisiones Rotæ: hinc neque potest Patronus promittere, se præsentaturum determinatam personam: siquidem ratio, quæ impedit mandatum, impedit etiam promissionem: etenus impeditur mandatum, quia est dissonum rectæ rationi, eò quia aperiat viam ad votum alienæ mortis captandæ, quod jus vel maximè abhorret *l. fin. C. de pact.* & *c. ex tenore de conces. præbend.* atqui hæc ratio etiam urget in promissione, utrinque enim aperit viam ad votum alienæ mortis captandæ: stante enim promissione non nisi difficulter excluditur tale votum, ut notat Rota coram Puteo *decis. 1238 num.* 3. *V. quia respondetur lib.* 1. immo non solùm de jure, verùm etiam in conscientia talis promissio non esset licita, idque desumitur ex generalibus regulis in materia scandali; daret enim ansam promissario peccandi, dum conciperet votum captandi alienam mortem. Neque obstat, quòd promissio sit potiùs materia indifferens: quia jus ea omnia reprobat, ex quibus oritur occasio alienæ mortis captandæ; proinde talis promissio est prohibita tanquam scandalosa. Quòd si præsentatio facienda sit à collegio per modum collegii, & singuli de collegio promittant se præsentaturos aliquem, si occasio contigerit, tunc censent plures, eos excusatum iri à culpa saltem gravi; eò quia promissio singulorum seorsim ab aliis non inducit obligationem, sed tantùm quandam convenientiam, eò quia sit promissio personæ singularis, quæ cum non sit totum collegium, sed tantùm pars, seu membrum ejusdem, non potest ligari, nec obligari, nisi collegialiter agat; proinde nisi omnes sint collegialiter congregati: quapropter, talis promissio potiùs accipitur ut continens verba urbanitatis, quæ non inducunt obligationem *l. quod creditor. ff. de dolo*, & *l. sciendum ff. de ædilit. edict.* & notat Cardinalis *in clement. exivi* §. *nos igitur de V. S.*

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

CUm jus patronatus sit quoddam onus impositum Ecclesiæ patronatæ, quo sublato Ecclesia beneficium exanciscitur liberæ collationis; ideo Pontifex post titulum de jure patronatus agit de aliis oneribus, quibus interdum Ecclesiæ gravantur, cujusmodi sunt census, exactiones, & procurationes, de quibus agitur etiam in sexto, clementinis, & extravagantibus communibus. Dividitur potestas Episcopi *in c. dilectus* 18. *de offic. Ordinar.* in potestatem jurisdictionis, & diœcesanam: illa, quæ activa etiam dicitur consistit in dando, seu in donatione ordinum, beneficiorum, dispositionum, sententiarum judicialium, & similium: lex diœcesana, quæ & passiva vocatur, consistit in recipiendo, & versatur circa illas exactiones, quas potest Episcopus à suis diœcesanis exigere, ac recipere: unde in præsenti Pontifex agit de hisce exactionibus: quæ in jure sortiuntur diversa nomina, dicuntur enim census, subsidium charitativum, cathedraticum, portio canonica.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SANCITUM 1. h. t. Ex Concilio apud Guarmaciam statuitur, ut unicuique Ecclesiæ u-

nus mansus integer absque ullo servitio tribuatur, & ut Presbyteri in ecclesiis constituti, no-

de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de areis, neque de hortis juxta Eccleſiam poſitis, neque de predicto manſo aliquod ſervitium faciant prater Eccleſiaſticum. Quod ſi aliquid ampliùs habuerint, inde ſenioribus debitum ſervitium impendant, id eſt, ut notat Gloſſa Dominis etiam temporalibus quoad feudalia, & ſervitia rebus annexa c. 1. de major. & obed. *Ubi notandum, eſt nomine ſervitii intelligi cenſum. Quid verò in textu ſignificat illa vox manſus non conveniunt Canoniſta, ſed putârim adhærendum ſententiæ Panormitani hic* num. 4. *manſum ſignificare tantam quantitatem terræ, ex qua poſſit ruſticus vivere cum ſua familia, hinc Cuiacius ait, manſum eſſe fundum, unde quis, ſe & familiam ſuam tueri ſatis commodè poteſt, proinde etiam vectigal, ſeu cenſum Domino referre: & aliqui volunt manſum derivari à manendo, eò quia quisque in ſuo fundo libenter maneat. Cenſus igitur pro ut in hoc titulo ſumitur eſt id quod annuatim præſtatur in ſignum ſubjectionis, vel ratione fundationis, aut dotationis, & hic cenſus à Patrono ſibi reſervatur authoritate Epiſcopi. Exactio autem generatim ſignificat omne ſervitium, ſive in pecunia, ſive in aliis rebus: in hoc tamen titulo ſumitur pro ſubſidio extraordinario, quod ſolvitur Prælatis illud ex juſta cauſa petentibus, ut eſt ſubſidium charitativum. Procurationes hic ſumuntur pro illis expenſis, quas Eccleſiæ, vel monaſteria, vel clerici ex officio debent Epiſcopo, vel alteri, & in propria perſona viſitanti.*

C. *OMNIS ANIMA* 2. *h. t. Ex D. Auguſtino ſuper Epiſtol. ad Romanos:* omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſt, *ſtatuitur, ut populi ſubjiciantur ſuis Epiſcopis, quibus tributa præſtent, quia præſtare tributa eſt probatio ſubjectionis; licèt non ſemper, ut habetur in* c. recepimus de privileg *ubi recepti ſub protectione Papæ ſolvunt cenſum non in ſignum immediatæ ſubjectionis, ſed ſolius protectionis. Verùm mihi placet, quod notat Panormitanus, quòd tametſi non omne tributum ſit probatio plena ſubjectionis, arguit tamen ſemper aliquam ſubjectionem ſecundùm quid, quatenus qui tenetur alteri aliquid dare, per hoc præcisè ei ſubjicitur.*

C. *SCIENTES* 3. *h. t. Gregorius Papa mandat, non debere Epiſcopum imponere novas conſuetudines, vel cenſus monaſterio, niſi id fuerit ab initio impoſitum. Ex quo textu habetur generalis regula, Epiſcopum non poſſe imponere novum cenſum monaſterio, vel eccleſiæ, ſi ab initio non fuerit legitimè conſtitutus, quia monaſteria debent eſſe exempta ab omnibus oneribus, & præſtationibus, quod intelligitur de ſuperuenientibus, non verò de legitimè ab initio conceſſis.*

C. *LICET* 4. *h. t. Idem Pont. declarat, cæcum non teneri ad collectas, eò quia inhumanum ſit affligere gravatum. Hinc notat Gloſſa, ad Eccleſiam potiùs pertinere miſerabiles perſonas, ac pauperes defendere, quàm gravare: & ex hoc textu liquet, miſerabiles perſonas gravari in collectis*

C. *PERVENIT* 5. *h. t. Paſcalis II. reſcripſit Comitiſſæ Mathildæ, cenſum, cujus cauſa ignoratur, non eſſe ſolvendum. quia ſciri debet ad quid, & quando ſolvi debeat cenſus, quia ut notat Gloſſa hic, qui petit aliquid, debet allegare cauſam petendi, tum quia nemo tenetur ad id quod ignorat, niſi oſtendatur præſcriptio immemorialis.*

C. *CUM APOSTOLUS* 6. *h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut viſitantes Parochias non excedant certum numerum equorum, & vectionum pro diverſitate Provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum, ne ſint ſubditis odioſi: & Archiepiſcopi non excedant numerum quadragenarium, vel quinquagenarium, Epiſcopi vigeſimum, vel 30. Cardinales 25. Archidiaconi 5. vel 7. Diaconi 2. & prohibetur, ne ducant canes venaticos, nec quarant ſumptuoſas epulas, ſed accipiant, quæ honeſtè, & competenter miniſtrantur, & in omnibus quarant Chriſtum. Rurſus ut Prælati non præſumant gravare ſubditos taliis, & exactionibus; ſed cùm cauſa manifeſta, & rationabili poſſunt exigere auxilium moderatum. Rurſus prohibetur, ne Archidiaconi, & Decani præſumant exercere exactiones, vel talias. Demum declaratur, quòd ex tolerantia numeri equorum prædictorum, quæ tantùm toleratur, ubi reditus Eccleſiæ ſunt ampliores, non conceditur, ut ubi ſolebant uti pauciοribus, modò utantur pluribus: ſed ſtandum ſit conſuetudini. Ex hoc textu liquet, Prælatos in obeundo munere viſitationis teneri abſtinere ab omni luxu. Verùm jure novo Concilium Tridentinum abſque ulla determinatione quoad equitatum, & equos* ſeſſ. 24. de refor. c. 3. *hortatur omnes & ſingulos Epiſcopos, & Prælatos,* Ut paterna charitate, chriſtianóque Zelo omnes amplectantur, proinde contenti ſint modeſto equitatu, & famulatu, & ſimul ſtudeant quamcelerrimè debita tamen cum diligentia viſitationem ipſam abſolvere, & interim caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, & oneroſi ſint.

C. *PROHIBEMUS* 7. *h. t. Ex eodem Concilio prohibetur, ne Epiſcopi, Abbates, & alii Prælati imponant eccleſiaſticis novos cenſus, nec antiquos augeant, nec præſumant appropriare ſuis uſibus partem redituum: & quod in contrarium ſit declaratur irritum. Ubi notandum eſt, per novos cenſus intelligi eos, qui ab initio non fuerunt poſiti* c. ſcientes, *& qui ab aliis eccleſiis non ſolvuntur* c. eccleſiis h. t. *Cæterum textus intelligitur de cenſibus impoſitis, vel auctis ſine juſta cauſa, & ex ſola prava cupiditate in rem propriam verſis. Cæterum ſi tres concurrant conditiones poteſt aliquod onus imponi clericis, & eccleſiis, ut tradit Barboſa. Primò ſi ſubſit juſta, & legitima cauſa. Secundò ſi interveniat authoritas Epiſcopi poteſt de novo imponi, & augeri, quia non eſt propriè cenſus, ſed penſio. Tertiò ſi accedat conſenſus Capituli.*

C. *PRÆTEREA* 8. *h. t. Alexander III. declarat, penſionem ſine authoritate Epiſcopi non poſſe imponi: & ſi moriatur ille, qui ſolvebat penſionem, non eſſe ampliùs ſolvendam ſine authoritate Epiſcopi. Idque ex eo conſtat.*

quia

quia nemò potest alienare res Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus c. sine exceptione 12. q. 2. *& una ex solemnitatibus est, ut interveniat authoritas Episcopi, vel Pontificis, quæ authoritas est omni exceptione major. Cæterum prohibentur census duraturi ultra vitam constituentis, quia cedunt in præjudicium Ecclesiæ, & sui successoris.*

C. *ECCLESIIS* 9. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd si Episcopus eripiat, seu liberet Ecclesiam de manibus laicorum, præter cathedraticum, & alia jura, quæ habet in antiquis ecclesiis, non debeat imponere majorem exactionem. Procedit textus quocunque modo Episcopus eripiat Ecclesiam de manibus laicorum vindicando injustè detentos reditus, qui laicis solvebantur: sive hoc, sive alio titulo vindicetur Ecclesia, non potest Episcopus veluti in recompensationem imponere censum ejusmodi Ecclesiæ, quia ut rectè notat Panormitanus, Episcopus ad id tenetur ex officio: & facientibus aliquid laudabile, quod alias ad eorum pertinebat officium in rigore juris non est debitum præmium, quia satisfecerunt propriæ obligationi.*

C. *INNOVAMUS* 10. h. t. *Idem Pont. declarat, eum, qui præsumit statuere novas pedagierum exactiones sine consensu Episcopi, si monitus non desistat cavere Christiana communione, donec satisfecerit. Verùm ut notat Glossa id intelligendum est, nisi ex consuetudine immemorabili hujusmodi exactiones petantur. Tum quia potestas imponendi vectigalia, alia, pedagia, gabellas, seu collectas, est reservata Imperatori, Regibus, & Principibus non habentibus alium laicum superiorem: unde isti non incurrunt excommunicationem Bullæ cœnæ, quæ fertur contra imponentes nova vectigalia, seu gabellas: sed excommunicatione Bullæ cœnæ ea tantùm innodari, qui cùm habeant superiorem, adhuc sine illius authoritate vectigalia, & gabellas imponunt.*

C. *CUM CLERICI* 11. h. t. *Idem Pont. declarat, eos, qui per collusionem constituunt Ecclesias censuales religiosis sine licentia Episcopi, ea conditione, ut post mortem Ecclesia ad præsentationem Religiosorum transeat ad filios, vel Nepotes ipsorum, removendos esse ab iisdem ecclesiis postposita appellatione. Ubi notat Glossa, collusionem, de qua loquitur textus, esse occultam, & illicitam pactionem inter reum, & alterum, ratione cujus alter in judicio permittit ab alio superari. Hinc qui per collusionem, seu dolum Ecclesiam constituerunt censualem, privantur eadem Ecclesia: imò Panormitanus de rigore juris censet, tales clericos non solùm posse privari ecclesiis, sed etiam debere deponi, eò quia dederunt commodum temporale pro spirituali consequendo, quod non caret culpa simoniæ.*

C. *EA QUÆ* 12. h. t. *declarat idem Pont. Archidiaconos non debere collectas facere per suos Archidiaconatus, gravando Ecclesias, vel parochias sub pœna privationis eorum, quæ habent, quia ut notat Glossa, qui abutitur potestate sibi permissa, meretur privilegium amittere.*

C. *SIGNIFICAVIT* 13. h. t. *Lucius III. declarat, quòd juranti solvere censum de novo positum etiam cum authoritate Episcopi, segendi sint creditores relaxare juramentum. Quòd si census non fuerit de novo impositus, & cum authoritate Episcopi, tunc qui juravit non debet ab Ordinario molestari. Ex hoc textu liquet, Episcopum ex rationabili, & justa causa posse imponere novum censum* c. prohibemus c. præterea h. t. *Rursus si quis cogatur jurare Abbati in casu, in quo non tenetur jurare, & Episcopus mandet non esse servandum juramentum, adhuc tenetur Episcopo obedire, quia in juramento præstito intelligitur, nisi aliquid rationabile impediat, & præsumptio sit contra Abbatem.*

C. *SOPITÆ* 14. h. t. *Idem Pont. rescribit, Monasteria de jure communi teneri solvere procurationes Episcopo secundùm facultates quas habent, & multò magis si solvissent prædecessoribus. Ex quo textu liquet, Monasteria quamvis exemta adhuc teneri ad procurationem præstandam ratione visitationis: quod tamen intelligitur, ut notat Panormitanus, in illis casibus, in quibus potest Archiepiscopus, vel Episcopus etiam monasteria exempta visitare, idque jure novo etiam statutur in Concilio Tridentino* sess. 21. de refor. c. 8. & sess. 25. c. 20. *imo quando Episcopus accedit ad monasteria causa correctionis, vel visitationis accipit procurationes, non ita quando accedit pro aliis negotiis.*

C. *GRAVIS* 15. h. t. *Clemens III. statuit, ut Patroni ecclesiastici, qui vacantes aliquem ad regimen Ecclesiæ novum censum imponunt, vel antiquum augent, & pro solutione cogunt, vel jurare, vel dare cautionem, debeant cogi, ut dimittant juramentum, & cautionem, & rursus canonicè puniantur. Quia ut notat Glossa, juramenta præstita contra formam juris, sunt perjuria, & fidejussio non tenet, quia est illius accessoria: siquidem cessante principali cessat etiam accessorium* c. inter dilect. de fide instrum. *Pœna autem, qua canonicè inurritur in hoc casu est privatio Ecclesiæ. Hinc quamvis ad petitionem patroni tempore fundationis possit census, vel pensio constitui, non ita post fundationem.*

C. *QUANTO* 16. h. t. *Innocentius III. rescribit, quòd si de consensu Patroni in fundatione imponatur census seu procuratio indeterminata solvenda aliis, hæc non debeat crescere, sed secundùm modum solitum solvi, nisi facultates Ecclesiæ tale subirent notabile incrementum, ut non esset gravamen solvere majorem procurationem ad augendum numerum fratrum.*

C. *CUM INSTANTIA* 17. h. t. *Idem Pont. rescribit, omnes Ecclesias teneri solvere procurationes Legatis & Nunciis sedis Apostolicæ sine exceptione, nisi ex speciali privilegio ejusdem sedis liberentur: nec valere præscriptionem contra procurationem. Rursus in solvendis procurationibus esse quærendum modum, ut nemo gravetur sine tamen præjudicio Legatorum, qui possunt immediatè exigere procurationem à singulis, quòd si quis fuerit*

gravatus, poteſt petere ab aliis; & contradicentes declarat Pontifex eſſe excommunicandos. Exquo textu colligitur, tam Legatos, quàm Nuntios ſedis Apoſtolicæ licitè petere procurationes, non ſolùm in locis, ad quæ deſtinati ſunt, ſed etiam in illis, per quæ tranſeunt. Rurſus contra procurationem debitam non currere præſcriptionem etiam longiſſimi temporis, quia procuratio debetur ex æquitate naturali, ex jure ſubjectionis Epiſcopis officium paſtorale exercentibus in obeundo munere viſitationis.

C. *EX PARTE* 18. *h. t. Idem Pont. reſcribit, eos, qui vota conſueverunt ſolvere ſemper ad unam, & eandem menſuram, non poſſe illam variare: ſecus qui ad varias, & diverſas menſuras poſſunt ſolvere, ſi velint, etiam ad minorem illarum, adeò ut non ſint cogendi ad majorem: quia cùm vota ab initio fuerint gratioſa, debent benignè exigi ab Eccleſia, ne hæc videatur inhiare temporalibus lucris. Ex quo textu infertur, ſucceſſorem teneri ſolvere, quod anteceſſor conſuevit, & minorem partem teneri exequi, quod major* c. ſopitæ h. t. *Rurſus voto facto poſſe aliquem compelli ad executionem* c. ſcimus 12. q. 1. *ut ſi quis voverit Eccleſiæ calicem argenteum; licèt temporis, quo votum emiſit, nullus ex parte Eccleſiæ fuerit præſens, adhuc tenetur votum adimplere, quia hoc fit Deo, qui eſt ubique præſens, & ſemper intelligitur acceptare votum. Cæterum verba dubia, ſi qua fuerint in tali voto prolata, debent interpretationem recipere à communi uſu patriæ: ex benigna tamen diſpoſitione juris canonici in tali quantitatis incertitudine poteſt fieri reductio ad arbitrium boni viri, adeò ut mediocritati potiùs ſtetur, vel conſuetudini Vicinorum* c. cum olim de conſuet. *Hæc autem benigna interpretatio ſemper locum habet in jure canonico* argum. c. Dilecti de jurejur.

C. *CUM OLIM* 19. *h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi Eccleſia ſit in territorio diœceſis Epiſcopi, debeat hic ei reſpondere de procurationibus, & de quarta decimarum, aliisque Epiſcopalibus: & declarat, eò ipſo, quòd quis impugnat compoſitionem, non debere ex illa commodum reportare. Ubi notat Gloſſa, quòd producens ſcripturam de finibus Epiſcopatus, videatur confiteri omnia contenta in illo, & ſit ſtandum ſcripturæ, ſeu inſtrumento, donec contrarium probetur; tametſi ſcriptura principaliter deprehendatur facta ob aliud* c. illud de præſumpt. *Cæterum confines Epiſcopatus probantur per antiquos libros* c. cum cauſam de probat. *& qui concedit alteri jus in re aliqua, præſumitur eſſe Dominus illius rei ſaltem contra illum, cui fit conceſſio: unde in hoc textu rectè Pontifex arguit contra Abbatem, qui fatebatur, & per inſtrumentum probabat ab Epiſcopo eſſe quædam hiſce Eccleſiis conceſſa, ex quo præſumuntur eſſe eidem ſubjecta. Imò ut habetur in textu, jus epiſcopale patebat expreſſè.*

C. *OLIM* 20. *h. t. Idem Pontifex declarat ſolutionem cenſus, ſeu ſynodatici eſſe faciendam in illa moneta, in qua ab initio conventum fuit, vel ſi non ſit amplius in uſu, declarat Pontifex eſſe cenſum ſolvendum ſecundùm æſtimationem illius, niſi facta fuerit legitima præſcriptio 40. annorum non obſtante proteſtatione: quia ut notat Gloſſa hic, proteſtatio non prodeſt, quando quis venit contra ſuam proteſtationem* c. ſolicitudinem de appellat. *Cæterum ſynodaticum, de quo loquitur textus eſt idem: quod cathedraticum, ita dictum eò quia ſolvatur in honorem; & recognitionem Cathedræ Epiſcopalis. Olim dicebatur ſynodaticum, eò quia ſolveretur in ſynodo annuatim ſolita celebrari. Et quamvis de jure communi non debeat excedere duos aureos, valet nihilominus conſuetudo ſuper diminutione & augmentatione illius. Rurſus ex hoc textu colligitur, debitum contractum eſſe ſolvendum in eadem moneta, quæ erat tempore contractus, quæ ſi non ſit amplius in uſu, eſſe ſolvendum ſecundùm ejus æſtimationem.*

C. *CUM VENERABILIS* 21. *Idem Pont. reſcribit, Epiſcopum, qui remiſit ſervitia alicui Eccleſiæ, & ſtatuit eidem Eccleſiæ alia ſervitia non imponere, hoc non obſtante, ſi causâ correctionis eam viſitet bis in anno poſſe ab eadem accipere procurationem moderatam, cui textui concordat Tridentinum* ſeſſ. 24. de refor. c. 3. & 25. c. 20. *ex quo colligitur, poſſe Epiſcopum Eccleſiæ inferiori remittere ſervitia ſibi debita ex juſta tamen cauſa, & ex conſenſu Capituli. Cæterum licèt Epiſcopus generaliter eximat Eccleſiam; retinet tamen ſemper ollo veluti annexa ſuo officio, quæ recenſentur à Panormitano hic* num. 3. *ſuntq; correctio morum, & viſitatio eam ob cauſam ſuſcepta; procuratio eidem debita; Cathedraticum, ſeu ſynodaticum; reverentia ſive obſervantia ſibi debita ab omnibus inferioribus eccleſiis, Prælatis, & clericis; ſubſidium charitativum; inſtitutio beneficiorum curatorum, quibus ex Concilio Tridentino* ſeſſ. 23. c. 15. *additur approbatio Confeſſariorum pro ſæcularibus. Demum ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, & jure divino competere poſſunt inferioribus. Notat tamen Panormitanus in tribus caſibus poſſe Eccleſiam ab Epiſcopo plenè eximi. Primò ſi Epiſcopus conſentiat, & Pontifex confirmet* c. conſtitutus de relig. domib. *Secundò ſi ſententia pro illo, qui exemptionem prætendit, lata fuerit, & Epiſcopus non appellaverit* c. cum inter de re judic. *Tertiò ratione præſcriptionis* c. cum olim. c. auditis de præſcript. *ubi dicitur, poſſe contra Epiſcopum præſcribi jura Epiſcopalia in Eccleſia Epiſcopo ſubjecta.*

C. *SUPER EO* 22. *h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Compoſtellano, quòd ſi aliqua Eccleſia ſit de novo converſa ad juriſdictionem alicujus Epiſcopi, teneatur ſervare quoad procurationes, & alia, ſua ſervant vicina provincia, & Eccleſia. Ex quo liquet, in procurationibus, & aliis obſequiis præſtandis Epiſcopis eſſe ſtandum conſuetudini vicinarum Provinciarum, & Eccleſiarum, quando non conſtat de propria conſuetudine loci: quia ſi conſtet, conſuetudo loci propria ſemper præfertur conſuetudini aliorum locorum* c. illa d. 12.

In textu autem dicitur Provincia Castellana de novo conversa ad jurisdictionem Archiepiscopi, quia eam Saraceni occupaverant, & postea eam recuperavit Rex Castellæ, proinde jure postliminij restituta fuit in spiritualibus jurisdictioni Archiepiscopi l. postliminium ff. de capt. & postlim. jure.

C. *PROCURATIONES* 23. *b.t. Idem Pont. In Concilio Generali declarat, procurationes, quæ ratione visitationis debentur Prælatis, non exigi sine necessaria, & manifesta causa, nisi quando personaliter visitant, & cum moderatione* c. Apostolus. *Item Legatos, & Nuntios Apostolicos, si necessariò debeant demorari in uno eodemq; loco, ne hic nimium gravetur, debere accipere procurationes ab aliis locis moderatè tamen: quòd si una Ecclesia non sufficiat per se ipsam, mandat Pontifex esse tunc plures Ecclesias simul conjungendas ad procurationem: ita tamen ut numerus procurationum non excedat numerum dierum, quibus in tali loco morantur. Demum eos, qui contrà hoc statutum egerint, Pontifex condemnat ad duplum, & ad tantundem reddendum Ecclesiæ, quam gravavit. Ex quo textu etiam liquet, Legatis, & Nuntiis Apostolicis proficiscentibus in remotas regiones deberi sumptus, & viaticum ab iis ecclesiis, ad quas ob munus legationis accesserint, etiam sine ulla visitatione, & per hoc differunt ab Episcopis, quia isti nequeunt Procurationem exigere, nisi quando munus obeunt visitationis: hodie tamen usus, & consuetudo invaluit, ut in Europa Legati, & Nuntii Apostolici sumptus recipiant ab ipsa sede Apostolica, quapropter non exigunt procurationes ab ecclesiis, ad quas ob munus legationis accedunt. Cæterum procuratio est quadruplex alia, quæ datur nomine visitationis ut in præsenti textu, alia ratione consuetudinis: alia ratione appositi pacti in fundatione* c. præterea tit. 28. *alia ratione privilegii* c. accedentibus de excessib. Prælat.

C. *VENERABILI* 24. *b.t. Honorius III. rescribit, Monasterium, seu Ecclesiam sitam in territorio Episcopi teneri solvere procurationem suo Episcopo visitanti, nisi aliter rationabiliter obstet, tametsi nunquam solverit. Ex quo textu etiam colligitur, procurationes debitas Episcopo visitanti non posse præscribi etiam per tempus immemoriale, quia de jure naturæ sunt debitæ: quapropter in hoc textu condemnatur monasterium ad solvendam procurationem, quamvis eam nunquam solverit. Quòd si monasterium allegaret summam paupertatem, tunc Episcopus suis sumptibus teneretur visitare. Cæterum alius Prælatus posset præscribere contra Episcopum* c. cum ex offic. de præscript. *In aliis autem Procurationibus præscriptio currit* c. servitium 18. q. 2.

C. *NUPER* 25. *b. t. Gregorius IX. declarat, Archiepiscopum visitantem suam Provinciam posse exigere debitas procurationes, & posse excommunicare eos, qui eas denegant.*

C. *CUM CANONICIS* 26. *b t. Idem Pont. declarat, pensionem antiquam esse solvendam secundùm antiquam monetam, quæ si non fuerit in usu solvi debeat secundùm illius valorem: quia si minus valeret, vel amplius non esset in usu, non teneretur eam recipere.*

C. *AUTHORITATE* 27. *b.t. Idem Pont. rescribit, Religiosos licèt aliquando celebrent in oratoriis, quæ habent in grangiis suis, non tamen teneri solvere procurationem visitationis. Ubi notandum est, oratoria privata, qualia habent Religiosi in suis grangiis, seu villis, aut prædiis, si authoritate Episcopi non fuerint erecta non esse obnoxia oneri procurationum.*

IN SEXTO.

C. *ROMANA* 1. *b.t. Innocentius IV. plurà statuit in ordine ad Archiepiscopum volentem visitare Provinciam. Primò ut plenè priùs visitet Capitulum suæ Ecclesiæ, civitatem, & propriam Diœcesin, & sit intentus erga Ecclesias tam majores, tum minores, tum ecclesiasticos, tum populum: quòd si commodè ipse non possit ad singulos accedere saltem vocet clericos, & laicos de pluribus locis ad unum, ut eos visitet. Secundò visitatâ suâ Diœcesi visitet totam Provinciam, vel partem ejusdem, visitando Diœceses, civitates, suffraganeos, eorum subditos, Capitula Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, monasteria, Ecclesias, & alia loca pia, religiosa, cleros, & populos, & accipiat procurationes duntaxat à locis visitatis. Tertiò si aliquam Diœcesin inceperit visitare non possit illam dimittere, & mox ad eandem reverti, nisi priùs visitaverit omnes Diœceses Provinciæ, vel in toto, vel in parte, quas sine periculo potest visitare; imò nisi etiam suam visitaverit. Quòd si aliqua plus aliis indignerit visitari, tunc aliarum visitatione intermissa redeat ad eandem, si Diœcesanus id postulaverit, vel omnis aut major pars Episcoporum ita petierit: quòd si id malitiosè impediatur, tunc Archiepiscopus petat licentiam à sede Apostolica. Quartò semel absoluta visitatione totius Provinciæ, si velit iterum visitare, debet priùs requirere consensum suffraganeorum, & coram ipsis dare suam definitionem in scriptis, ut possit etiam aliis innotescere, & mox iterare visitationem Provinciæ modo prædicto, etiam sine consensu suffraganei, & incipit visitare illas Ecclesias, vel populos, qui non fuerunt antea visitati, nisi fortassis opportunius foret alios visitare. Quintò ut in visitatione proponat verbum Dei, inquirat de vita, & conversione clericorum, cæterisque ad officium ipsorum spectantibus sine coactione & exactione juramenti, quòd si de aliquibus orta fuerit infamia, si expedire videatur denunciet Ordinariis: notoria tamen crimina liberè corrigat, & puniat per se ipsum, quia tunc arguit negligentiam Ordinariorum. Sextò ut recipiat procurationes juxta canones non quidem in pecuniis, sed in victualibus, & oblatis muneribus admittendis. Quòd si contrarium egerit maledictionem incurrat, à qua nunquam, nisi duplum restituerint, liberetur. Septimò præcipit Pontifex, ut hæc forma visitandi etiam servetur ab Episcopis, & aliis Prælatis jure Ordinario visitantibus suos subditos. Salvis ta-*

men rationabilibus, & approbatis Religiosorum consuetudinibus. Ex hoc textu notat Glossa, Archiepiscopum si non possit per se, posse per alium visitare suam Provinciam c. inter cætera de offic. Ordin. Rursus allegantem fraudem teneri eam probare.

C. EXIGIT 2. h.t. Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi, quia præfata forma in præced. cap. non servabatur in munere obeundo visitationis, addit pœnas, adeò ut qui ratione visitationis pro procuratione pecunias exigit, etiam à volente eas dare, vel recipit munera, vel à non visitatis exigit procurationem, vel quid aliud cum præsumptione, teneatur infra mensem reddere duplum accepto eidem Ecclesiæ, à qua acceperat, & si non restituat infra mensem, & sit Patriarcha, Episcopus, Archiepiscopus, interdicatur ab ingressu Ecclesiæ: si sit inferior Prælatus, suspendatur à beneficio, donec plenè restituat Ecclesiæ, & non possit juvari ratione remissionis, liberalitatis & gratiæ dantium. Ubi tamen notat Glossa, quòd si pecunia sit necessaria pro victuris, feraturis equorum, & sine qua visitatio impediretur, posse tunc visitatores præfatos exigere pecuniam. Cæterum ad duplum tenetur etiam familia Archiepiscopi, vel Episcopi de eo quod accepit, & Episcopus tenetur de eorundem facto c. generali de elect. in 6. Rursus interdicti ab ingressu Ecclesiæ, si in eo decedant non sepeliuntur in cœmeterio; quòd si celebrent in Ecclesia in suo officio ut priùs, fiunt irregulares c. is cui de sent. excommun. ut etiam suspensi, si celebrent in Ecclesia in suo officio, & non possunt dispensari nisi à solo Papa c. cum cæterum de re judic. Verùm statim post satisfactionem datam debent absolvi absque alia sententia.

C. FELICIS 3. h.t. Bonifacius VIII. declarat, visitantem ex officio posse accipere in pecunia procurationem unam in una die, si sic voluerint visitati, tametsi una die plura loca visitaverit, quorum quilibet esset sufficiens pro integra procuratione, sed tunc non potest accipere nisi unam procurationem; & per hunc textum derogatur in hoc c. exigit reliquis manentibus in suo robore. Rursus jure novo Concilium Tridentinum sess. 24. de refor. c. 3. dat optionem visitatis, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvendum in certa pecunia taxata, an verò velint subministrare victualia: unde Concilium derogat præcedentibus textibus, quibus non erat licitum visitatoribus pecuniam loco procurationum exigere. Verùm Concilium dat tantùm hanc optionem solvendi pecuniam loco victualium ipsis visitatis, non verò visitantibus. Plura alia statuuntur quoad visitationem in Concilio Tridentino loco cit. Sed hodie Prælati habent facultatem à Papa visitandi una die plura loca, & accipere etiam plures procurationes non tamen sine causa; & id etiam procedit in favorem eorum, qui visitant ex delegatione.

C. QUAMQUAM 4. h.t. Idem Pont. declarat, Ecclesias, & personas ecclesiasticas pro se, rebusque suis proprijs, quas non causâ negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, non teneri solvere pedagia, & Guidagia. Et qui pro personis, vel rebus exigit, vel extorquet per se, vel alium, suo vel alieno nomine, vel compellit ad solvendum, si sit persona singularis cujuscunque dignitatis conditionis, vel status, est excommunicatus: si collegium, vel universitas ejus locum ipso facto interdictum & non absolvitur, nec relaxatur ab interdicto, nisi plenè restituerit exacta, & competenter satisfecerit de transgressione non obstante quacunque contraria consuetudine, quæ potius est corruptela. Hinc notat Glossa, clericos se transferentes de loco ad locum etiam causâ negotiationis non debere gabellas solvere pro personis, tametsi transferant res beneficiorum: secus si transferant fructus patrimoniales causâ negotiationis, tenentur pedagia, aliásque exactiones solvere, non ita si pro necessitate sua eas transferant.

C. PERPETUO 5. & ult. h.t. Idem Pont. declarat, Archiepiscopum posse liberè suam Provinciam visitare, tametsi suffraganei non fuerint negligentes, immo reiterare eandem visitationem, & accipere procurationes à locis visitatis non obstante contraria consuetudine. Rursus posse etiam in ipsa visitatione audire confessiones subditorum suffraganeorum, & eos absolvere injuncta iisdem salutari pœnitentia, immo posse etiam per Provinciam dare litteras indulgentiarum. Verùm jure novo Concilium Tridentinum sess. 24. de refor. c. 3. id restringit, ut à Metropolitano, & post plenè visitatam propriam Diœcesin visitentur Cathedrales Ecclesiæ, aut Diœceses suorum suffraganeorum nisi cognita causa, & probata in Concilio Provinciali.

IN CLEMENTINIS.

C. CUM SIT 1. h.t. Clemens V. in Concilio Viennensi declarat, omnes Religiosos teneri solvere onera, ut sunt Procurationes legatorum sedis Apostolicæ; jura Episcopalia, & alia solita dari pro ecclesiis, vel monasteriis, antequam ad eos veniissent quocunque titulo, vel modo, nisi excusentur privilegio Apostolico, exceptione, vel alia justa causa, quæ tamen causa, & privilegia non extenduntur ad Ecclesias acquisitas post Concilium Viennense, quod fuit celebratum anno reparatæ salutis 1311. Ratio hujus dispositionis est, ut notat Glossa, quia res habens onus annexum cum eodem pervenit ad Ecclesiam, vel transit ad ecclesiasticos; accessorium enim sequitur suum principale. Cæterum Vicarij constituti in beneficiis spectantibus ad Monachos non tenentur ad onera, nisi Religiosi dent pensionem Vicario, ut sustineat hæc onera.

C. AD NOSTRAM 2. h.t. Idem Pont. recenset gravamina illata Cisterciensibus, & graves Prælatorum abusus in iis visitandis, quæ omnia prohibet, & statuit ut tantùm accipiant victualia, quæ gratiosè, & ex charitate iis ministrantur.

C. PRÆ-

c. PRÆSENTI 3. h. t. Idem Pontifex mandat, ut Diœcesani locorum omnino publicent, vel publicari faciant excommunicationem, & interdictum à jure latum contra eos, qui suo, vel alieno nomine exigunt, vel extorquent pedagia ab ecclesiis, vel personis ecclesiasticis pro earundem propriis rebus, quas non negotiandi causa deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, donec exacta restituantur, & transgressores satisfecerint. Mandat Pontifex in hoc textu publicari censuras, quia hæ minus terrent, licèt ipso facto incurrantur, nisi publicentur. Verùm ut hujusmodi censuræ incurrantur, requiritur sententia declaratoria pœnæ ipso jure incursæ, ut notat Barbosa hic num. 5. & 6. *ubi plures alios allegat. Rursus postquam transgressores restituerunt, & satisfecerunt, adhuc indigent absolutione, & relaxatione interdicti.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. VAS ELECTIONIS unic. h. t. Benedictus XII. præscribit certam mensuram procurationum pabuli charitatis, & subsidij charitativi servandam à Legatis, & Nuntiis Apostolicis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis habentibus jus visitandi, eámque diversam assignat pro Regnorum, Provinciarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum diversitate. Deinde æstimationem horum omnium desumit ex nummis Turonensibus, quorum duodecim valent unum florenum auri puri, & ponderis florentini. Textus est valde prolixus, & ejus observantia non videtur amplius in usu, quia jure novo quoad servanda in visitatione obeunda standum est Concilio Tridentino sess. 24. de reform. c. 3.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De censibus, quid sint, & quomodo solvendi.

1 CEnsus laxè sumptus id significat, quod annuatim in quantitate, seu summa persolvitur *l. æstatem ff. de censibus*: & in hac generali significatione tributa, & pensiones, quæ solvuntur quot annis, dicuntur etiam census: tributum enim quod singulis annis proportionaliter secundùm cujusque facultates solvitur Principi dicitur census, ducta ethimologia à *censendo*, seu æstimando patrimonio. Juxta verò præsens institutum sumitur census propriè pro annua pensione, quæ ex proventibus certæ Ecclesiæ, aut beneficii persolvitur Episcopo, vel aliis ex authoritate Episcopi: dicitur annuus reditus, qui solvitur ex proventibus Ecclesiæ Episcopo, quia imponi solet census in signum subjectionis *c. constitutus 6. de relig. domib.* hinc nonnunquam etiam solvitur summo Pontifici *c. recepim. 8. infr. de privileg.* Immo etiam inferioribus clericis, & desumitur *ex c. cum canonicis 26. h. t.* Interdum census solvitur etiam Patronis, sive isti clerici fuerint, sive laici *c. præterea 23. de jure patronat.* Quinimò etiam Episcopo à qualibet Ecclesia suæ Diœcesis debentur duo solidi nomine synodatici, seu cathedratici in signum subjectionis *c. conquerente de offic. jud. Ordin.* Rursus Patrono debetur census, quem in fundatione, & dotatione Ecclesiæ ab initio authoritate Episcopi sibi reservavit, ut habetur *in c. præterea 23. de jure patronat.*

2 Debet tamen hoc onus esse impositum ab initio, quia postquam Ecclesia est dotata, & consecrata non possunt imponi novi census, nec veteres augeri *c. scientes 3. c. prohibemus 7. c. significavit 13. h. t.* ubi Lucius III. statuit, quòd jurans solvere censum de novo positum etiam cum authoritate Episcopi, huic creditores cogendi sint relaxare juramentum; idque procedit non solùm circa patronos laicos, sed etiam clericos *c. cum clerici 11. h. t.* ubi statuitur, quòd qui per collusionem clerici constituunt Ecclesias censuales Religiosis sine licentia Episcopi, ut post mortem Ecclesia ad præsentationem Religiosorum transeat ad filios, vel eorum nepotes, removeantur ab iis ecclesiis postposita appellatione: ratio est, quia impositio census est quædam alienatio jurium Ecclesiæ, & impositio servitutis, qua Ecclesia gravatur, ut notat Abbas *in c. præterea 8. h. t.* jura autem Ecclesiæ non possunt nisi ex justa, & rationabili causa, & adhibita solemnitate alienari: & hanc solemnitatem non potest Prælatus adhibere, quando novum censum in suam utilitatem vult imponere Ecclesiæ; quia nemo in proprio facto potest sibi esse author *clement. 1. de reb. eccles. non alienand.* In utilitatem tamen alterius Ecclesiæ potest ex justa causa impositio oneris subsistere, si tamen Episcopus in loco illo habeat jurisdictionem. Cæterum neque fidejussoria, nec juratoria cautio de novo censu imponendo, & solvendo, aut veteri augendo quidquam operatur, & tale juramentum est potiùs relaxandum, ut declaravit Lucius III. *in d. c. significavit 13. h. t.* quia id vergeret in detrimentum Ecclesiæ.

3 Bipartiri solet census in antiquum, & novum: rursus uterque dividitur in perpetuum, & temporalem. Census antiquus dicitur, qui fuit impositus tempore fundationis ante consecrationem, quia tunc non solùm Episcopus sibi ipsi, verùm etiam Patronis, & fundatoribus, aliisque quibuscunque ex justa causa, & consensu fundatorum potest censum moderatè con-

constituere, ut communiter docent Canonistæ *in c. præterea* 23. *de jure patronat. & in c. quanto* 16. *h. t.* ubi statuitur, quòd si de consensu Patroni in fundatione imponitur census, seu procuratio indeterminata solvenda aliis, hæc non debet crescere; sed secundùm modum solitum solvi, nisi facultates Ecclesiæ ita notabiliter creverint, ut non esset gravamen solvere majorem procurationem ad fratrum numerum ampliandum. E converso census novus is dicitur, quem Episcopus post fundationem, & consecrationem Ecclesiæ imponit: & impositio hujus census novi omninò prohibetur in Concilio Lateranensi, & habetur in *c. prohibemus* 1. *h. t.* ubi prohibentur Episcopi Abbates, & alii Prælati imponere ecclesiasticis novos census, aut veteres augere, ut etiam ne præsumant appropriare suis usibus partem redituum; & si quid contra fiat irritum sit, dicuntur igitur novi census, eò quia à principio non fuerint positi.

4 Excipiuntur tamen ab hac Lateranensis Concilii constitutione aliquot casus, quorum primus est, si Episcopus Ecclesiam aliquam à sua jurisdictione eximat (idque ex justa causa, & accedente consensu Capituli facere potest, ut notat Barbosa *de offic. Episc. p. 3. allegat. 89. n. 5.*) in recognitionem beneficii census, & pensionem aliquam sibi potest reservare: siquidem hoc idem præstat Pontifex, quando Ecclesiam à jurisdictione Episcopi excipit, vel in suam protectionem specialiter recipit *c. cum venerabilis* 21. *h. t.* ubi statuitur, quòd Episcopus qui remisit servitia alicui Ecclesiæ, & statuit eidem alia servitia non imponere, hoc non obstante, quando causâ correctionis illam visitat bis in anno, possit accipere procurationem moderatam ab ea. Non tamen potest Episcopus imponere censum Ecclesiæ, quam è manibus laicorum eripuit *c. ecclesiis* 9. *h. t.* ubi etiam statuitur, quòd si Episcopus eriperet, seu liberaret Ecclesiam de manibus laicorum præter cathedraticum, & alia jura, quæ habet in antiquis ecclesiis, non debet imponere majorem exactionem. Secundò quia præfata prohibitio Concilii Lateranensis ex communi doctorum sententia tantùm intelligitur de censibus perpetuis, quibus ipsum beneficium perpetuò gravatur, non ita de censibus temporalibus impositis ad certum tempus, imò etiam ad vitam beneficiati, dummodo justa causa subsit. Hinc quando prohibentur imponi novi census, id intelligitur de censibus realibus, & perpetuis, qui imponuntur sine justa causa, non verò de personalibus, ac temporalibus, qui durant tantùm ad vitam Rectoris Ecclesiæ, vel etiam ad tempus brevius, ut notat Abbas *in c. cum venisset 9. n. 9. de restit. spoliat.* Ratio discriminis ex eo petitur, quia in priori casu Ecclesiæ perpetuum gravamen imponitur, & fit censualis, quod prohibetur in Concilio Lateranensi: secus in posteriori non gravatur Ecclesia, sed tantùm ipsa persona Rectoris, seu ipse beneficiarius, qui tenetur singulis annis censum, seu pensionem solvere, quod non prohibetur in Lateranensi, nec *in c. prohibemus 7.*

Rursus ut novi census temporales, & perso- 5
nales imponantur, non solùm requiritur authoritas Episcopi, sed etiam aliqua justa causa. Quòd requiratur authoritas Episcopi, liquet *ex c. præterea* 8. *h. t.* ubi Alexander III. statuit, non posse pensionem sine authoritate Episcopi imponi, & si moriatur is, qui pensionem solvebat, non esse ampliùs pensionem solvendam sine authoritate Episcopi: ratio desumitur ex eo, quia impositio census est quædam alienatio juris Ecclesiæ, & servitutis cujusdam in ea constitutio: ex quo oritur, quòd sine consensu superioris ecclesiastici, & rationabili causa non possit novus census imponi; & à contrario sensu deducitur argumentum, quòd accedente Episcopi consensu, & ex legitima causa possit census de novo imponi.

Quæ verò sint justæ causæ constituendi no- 6
vum censum, novámque pensionem, recenset Barbosa *de offic. Episcop. p. 3. allegat. 85.* ubi inter justas causas assignat; primò ut duo litigantes cessare possint à lite, si enim ex duobus de beneficio litigantibus, unus velit cedere reservata sibi aliqua pensione beneficii, tunc habetur justa causa imponendi novum censum *c. fi de catero 5. de transact.* Secundò si beneficiarius jam decrepitus, vel ægrotus liberè renuntiet beneficio cum reservatione pensionis sibi solvendæ loco alimentorum, quia cum congrua sustentatio debeatur clerico, subest justa causa imponendi talem pensionem, seu censum. Tertiò si urgeat necessitas sustentandi pauperes scholares, vel alios indigentes, aut reparandi Ecclesiam cathedralem, vel extinguendi debita contracta pro Episcopatu: hæ omnes censentur causæ justæ, ut imponatur novus census, seu pensio. Juvat tamen observare, quòd impositio pensionis non nisi beneficio vacante fieri debeat, quia si semel beneficium impleatur, non potest sine consensu beneficiati ei imponi novus census, seu pensio; & ratio est perspicua, quia clericus per collationem beneficii acquirit jus ad omnes reditus beneficii, consequenter fieret eidem injuria, si eo irrequisito ejus beneficio imponeretur novus census.

Quinimò addit Barbosa *d. p. 3 de offic. Episc.* 7
allegat. 85. ad impositionem pensionis requiri etiam consensum Capituli cum solemnitatibus requisitis ad alienationem rerum ecclesiasticarum, quod tamen debet intelligi de censu non personali, sed reali, & perpetuo. Concilium Tridentinum *sess. 2. de refor. c. 18.* statuit, ut in qualibet Ecclesia cathedrali erigatur aliquod seminarium, in quo juvenes, & adolescentes educentur, instruantúrque in disciplina ecclesiastica: & ad conservandum seminarium posse Episcopum omnibus, & quibuscunque beneficiis suæ diœcesis certam pensionem perpetuò imponere majorem, vel minorem juxta quantitatem redituum. Census antiquus ecclesiis impositus, vel earundem bonis non potest augeri, & desumitur *ex d. c. prohibemus 7. h. t.* ubi prohibentur Episcopi, Abbates, & alii Prælati imponere ecclesiasticis novos census, aut augere antiquos: & ratio est, quia vel census antiquus solvitur superiori in signum subjectionis,

nis, & tunc nulla suppetit ratio, quâ census antiquus debeat incrementum subire, quia sive multum, sive parum solvatur, æquè per talem solutionem recognoscitur subjectio. Vel census solvitur privato, & tunc non procedit quæstio, quia non est census, de quo hìc Pontifex loquitur: neque debet augeri tametsi bona Ecclesiæ, vel beneficii augeantur: siquidem in contractu censuali plenum dominium rei transit in accipientem; proinde augentur facultates debentis censum, non verò illius, cui debetur. Id tamen non procedit in pensione, quam quis solvit ratione fructuum, quos percipit ex fundo alieno; colonus enim, seu conductor ex eo, quòd augeantur fructus debet etiam pensionem augere, sicut eam minuit, quando fructus decrescunt.

8 Quinimò neque Episcopus potest novum censum imponere Ecclesiæ de manu laici per ipsum liberatæ, ut habetur *in c. ecclesiis 9. h. t.* ubi Pontifex statuit, quòd si Episcopus eriperet, seu liberaret Ecclesiam de manibus laicorum præter cathedraticum, & alia jura, quæ habet in antiquis ecclesiis, non debet imponere majorem exactionem. Neque obstat, quòd sicut Episcopus tempore fundationis, vel acceptæ libertatis ab oneribus episcopalibus potest certum censum instituere, & imponere ecclesiis *c. constitutus 6. de relig. domib. c. praterea 23. de jure patronat.* ita si Episcopus liberet Ecclesiam ex potestate laici, possit in compensationem hujus beneficii novum imponere censum; cum Episcopus censeatur de novo reduxisse è servitute laici ad libertatem Ecclesiam. Nam id non sequitur, & ratio discriminis est, quia fundare Ecclesiam ab initio non tenebatur: sed ejus obligatio erat liberare Ecclesiam è servitute laici: & in eo, quod quis necessariò agit, seu ex obligatione, non censetur illud liberaliter exercere *l. rem 18. in fin. ff. de adim. legat.* unde ex eo quòd quis propriæ obligationi satisfaciat, non debetur illi præmium, nec remuneratio.

9 Potest Episcopus tripliciter Ecclesiam vindicare à laicali servitute. Primò quia laicus de facto fructus Ecclesiæ percepit: secundò quia laicus ad petitionem Episcopi cessit juri patronatus, ut Ecclesia fieret liberæ collationis: tertiò quia laicus remisit censum in fundatione reservatum. Quòd si clericus per collusionem constituat Ecclesiam censualem, seu illi imponat novum censum, debet ab illa removeri *c. cum clerici 11 h. t.* ubi statuitur, quòd si clerici per collusionem constituant Ecclesias censuales Religiosis sine licentia Episcopi, ut post mortem Ecclesia ad præsentationem Religiosorum transeat ad filios, & Nepotes ipsorum, removeantur ab iisdem ecclesiis postposita appellatione. Est autem collusio, ut notat Glossa *in d. c. cum clerici* inter reum, & actorem occulta, & illicita pactio, per quam alter in judicio permittit se superari. Quapropter pœna constituentium sine authoritate Episcopi Ecclesiam censualem est, ut illa debeant privari; si id præstiterint per collusionem, seu occultam, & illicitam pactionem inter Reum, & actorem; quæ tamen non præsumitur, quando intervenit authoritas Episcopi, qui si ex justa causa, & ex suo officio id præstet purgatur omni vitio collusionis, quia potest Episcopus ex justa causa Ecclesiam facere censualem.

Quinimò clerici constituentes per collusionem Ecclesiam censualem ex rigore juris, sunt etiam deponendi ab officio, & beneficio, ob pactionem illicitam, & simoniacam: siquidem solvebant censum, ut filii, vel nepotes eorum consequerentur Ecclesias, quòd perinde erat, ac dare temporale pro obtinendo spirituali: quinimò hujusmodi Religiosi privantur jure præsentandi, eò quia fuerint eo abusi. Qui etiam juravit se novum censum Ecclesiæ impositum soluturum, is, qui juramentum recepit cogi debet ad illud remittendum juranti, & desumitur *ex c. significavit 13* ubi Lucius III. statuit, ut qui jurat solvere censum de novo positum etiam cum authoritate Episcopi, huic creditores cogendi sint relaxare juramentum: quòd si census non fuit de novo impositus, & cum authoritate Episcopi, tunc jurans non est molestandus ab Ordinario. Ratio petitur ex eo quia impositio census sit quædam alienatio jurium Ecclesiæ, & quædam servitus, quâ Ecclesia gravatur: res autem, & jura Ecclesiæ sine justa causa, & requisitis solemnitatibus non possunt alienari: propterea neque servandum est juramentum præstitum de solvendo annuo censu, quia fuit de re illicita, quam promissor non potuit promittere, cadit enim in præjudicium Ecclesiæ. 10

Oritur tamen difficultas, quomodo Episcopus *in d. c. significavit 13. h. t.* adhuc lite pendente dicatur privare Monachos possessione census, in qua antea fuerunt; & respondet Innocentius *in d. c. significavit. num. 1.* quia tametsi Monachis acquisita fuerit possessio census, quia tamen talis possessio fuit ignorante Episcopo, & clam acquisita, ideo potuit Episcopus postquam id ad suam devenit notitiam, solutionem census Rectori interdicere. Alia etiam assignatur ratio, quia illi possessioni resistebat jus, proinde monachi spoliati tali possessione non peterant restitutionem petere, nisi probarent, quòd ex probabili titulo possessionem illam acquisiverint, ut habetur in *c. 2. de restit. spoliat. in 6.* 11

Potest tamen jus percipiendi censum etiam acquiri præscriptione, sed quia huic præscriptioni jus resistit, ideo requiritur, ut præscribens, præter possessionem continuam 40. annorum in censu illo ecclesiastico percipiendo, adhuc habeat titulum, sitque possessor bonæ fidei, vel saltem, quòd fuerit in possessione à tempore excedente hominum memoriam, ut notat Abbas *in d. c. significavit 13. num. 5. h. t.* Econtra tametsi census antiquus fuerit ab initio impositus, si postea legitima præscriptione sublatus fuit, non potest Episcopus nisi ex justa causa illum de novo imponere. 12

Non tamen præscribi potest census, qui solvitur Principi in recognitionem supremi dominii *l. comperit. 6. C. de præscript. 30 vel 40. annorum.* Non solùm Episcopi, sed nec Pa- 13

troni, sive laici, sive ecclesiastici possunt novum censum imponere ecclesiis, & beneficiis, nec veterem augere, & desumitur *ex c. gravis 15. h. t.* ubi Clemens III. statuit, quòd si Patroni ecclesiastici, qui dum vocant aliquem ad regimen Ecclesiæ novum censum imponunt, vel antiquum augent, & pro solutione cogunt, vel jurare, vel dare cautionem, compellantur dimittere juramentum, & cautionem, & puniantur canonicè: quia juramenta contra formam canonum, & in præjudicium juris ecclesiastici sunt illicita, & perjuria *c. sicut nostris de jurejurand.* nec tenet fidejussio, quæ est illi accessoria. Hinc juramentum præstitum in præjudicium juris Ecclesiæ, non potest obligare ejus Rectorem, eò quia censendum sit potiùs perjurium, quàm juramentum.

§. II.

De cathedratico, & charitativo subsidio.

1 CAthedraticum de jure computantur duo solidi, qui ex proventibus Ecclesiarum annuatim persolvuntur Episcopo in recognitionem, & honorem cathedræ episcopalis, ut desumitur *ex c. conquerente* 16. & ibi Glossa *de offic. Ordinar.* Verùm non conveniunt Canonistæ, quantæ olim solidus fuerit æstimationis. Plures censent, solidum antiquitùs aureum fuisse; alii verò pro minore valore illum accipiunt, ut fusè ostendit Covarruvias *de vet. collat. numis. c. 3. in princ. num. 3. & §. 2. n. 5. & var. resol. lib. 1. c. 11. num. 3.* Putârim tamen, hac in re attendendam esse locorum consuetudinem: siquidem pro diversitate locorum plus, minúsve solvitur, ut notat Glossa *in d. c. conquerente V. duos solidos.*

2 Hæc exactio alio nomine synodaticum etiam appellatur, eò quia in synodo Episcopali, quæ singulis annis ex juris præscripto celebrari deberet ab omnibus Parochis, & beneficiatis vocatis ad synodum dari debeat. Hodie tamen plerisque in locis est usu receptum, ut in synodo Decanali, seu conventibus, Capitulis, ab Archipresbyteris, & Decanis ruralibus celebratis ipsis Decanis loco Episcopi cathedraticum persolvatur deferendum postea à Decanis ad Episcopum; qui hanc exactionem duorum solidorum potest exigere ab omnibus ecclesiis, & beneficiatis suæ diœcesis, exceptis tamen monasteriis, quæ regulariter eximuntur à lege diœcesana, nisi in uno, vel altero casu expressè reperiantur in jure inclusa *c. inter cætera 10. q. 1. c. cum pro utilitate 16. q. 1.* & notat Barbosa *de offic. Episcopi allegat. 86. in fin.*

3 An verò consuetudine, aut præscriptione possit cathedraticum abrogari? Plures id negant, nisi præscriptione excedente memoriam hominum, & quæ juxta *c. quibusdam de V. S.* vim privilegii obtinet: & nituntur ex eo, quia cùm cathedraticum debeatur in signum obedientiæ, & reverentiæ debitæ Episcopo: sicut contra talem obedientiam, & reverentiã non potest præscribi, ita neque contra cathedraticum; sicut nec contra procurationem, quæ debetur ex visitatione *c. cùm non liceat 12. c. cum ex officio, 16.* verùm quia de præscriptione cathedratici non habetur textus expressus, & aliunde constat, contra jura Episcopalia, ut etiam contra subjectionem dari posse præscriptionem *c. de quarta c. auditis de præscript. c. cùm persona eod. in 6.* & notat Barbosa *de offic. Episc. p. 3. allegat. 128. num. 3.* ideo alii non censent improbabile, posse cathedraticum præscriptione abrogari. Dantque discrimen inter procurationem, & cathedraticum, quia illa stante jure visitandi veniat ex naturali consequentia; ne Episcopus absterreatur à visitatione, si eam debeat suis sumptibus peragere: siquidem operario debentur alimenta. Quinimò Concilium Tridentinum *sess. 24. de refor. c. 3.* etiam contra procurationem admittit consuetudinem.

4 Quod verò ad charitativum subsidium attinet, definitur esse quædam exactio extraordinaria propter manifestam, & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata *c. cum Apostolus 6. h. t.* ubi statuitur, quòd Prælati non præsumant gravare subditos talliis, & exactionibus, sed cum causa manifesta, & rationabili possint petere moderatum auxilium. Id tamen non ita intelligitur, ut arbitrio subditorum relinquatur dare, vel denegare charitativum subsidium: quia tametsi ab initio cum charitate, & demonstrata necessitate peti debeat: nihilominus post petitum charitativum subsidium ob eandem necessitatem ex naturali æquitate, & lege charitatis tenentur subditi auxilium præstare, ac petitum ex charitate subsidium suppeditare, quinimò possunt etiam ad id compelli, ut notat Innocentius *in d. c. cum Apostolus 6. h. t.*

5 Justæ causæ petendi charitativum subsidium plures recensentur, quas tamen singulas repetere in specie nimis prolixum foret, & textus nonnisi generatim meminit manifestæ, & rationabilis causæ; cùm igitur sufficiat, quòd causa petendi charitativum subsidium, justa sit, & hæc sit talis, si sit manifesta, & rationabilis; hinc est, quòd debeat superior circa id regulam desumere ex propria conscientia. Cæterum inter rationabiles causas est, ut novus Episcopus possit propter expensas in sui electione, confirmatione, & consecratione factas exigere à subditis charitativum subsidium. Cùm enim has expensas fecerit, ut subditis inserviret in Episcopatu, æquitati videtur consonum, ut subditi tales expensas solvant, & ita fuisse declaratum à sacra congregatione referunt non pauci. Censetur etiam justa causa petendi charitativum subsidium, quando Episcopus ingentes sumptus fecit pro negotiis totius Diœcesis, & in beneficium ipsius, quia tunc subditi, qui beneficium acceperunt, æquum est, ut expensas solvant. Est etiam justa causa petendi charitativum subsidium, quando Episcopus vult extinguere debita contracta pro bono totius Episcopatus. Ut etiam quando ex causa publica, & necessaria accedere debet Papam, vel Imperatorem, vel interesse Concilio generali, vel Provinciali, ut notat Barbosa *de offic. Episc. allegat. 87. num. 26. & sequent.*

Cæte-

6 Cæterum charitativum subsidium tantùm exigitur à personis ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum; non verò à laicis ut *ex d. c. conquerente de offic. Ordinar.* constat, & quamvis *in d. c. cum Apostolus 6. h. t.* indistinctè dicatur, quòd possit Episcopus charitativum subsidium à subditis exigere: nihilominus in propria significatione diœcesani laici non dicuntur subditi Episcopi quoad talia subsidia solvenda, tametsi quoad alia spiritualia debeant recognoscere forum Ecclesiasticum. Quamobrem charitativum subsidium proprie exigitur à personis ecclesiasticis ratione beneficiorum, quæ ab Ecclesia obtinuerunt, & possident: hinc clerici destituti beneficiis ecclesiasticis, tametsi habeant ampla patrimonia; vel etiam beneficium Ecclesiasticum, sed adeo tenue, ut vix sufficiat pro congrua sustentatione, & nihil ipsis de fructibus beneficii superfit, non tenentur ad charitativum subsidium, ut asserit Barbosa *de offic. Episc. allegat. 87. num. 48.* ubi etiam notat, quòd charitativum subsidium ab antecessore in beneficio petitum, & non solutum, adhuc possit à successore tanquam onus reale, ac tributum beneficio impositum exigi *argum. l. Imperatores 7. ff. de publ. & vectig.*

7 Monasteria tamen secundùm communiorem, & veram sententiam non tenentur ad solutionem charitativi subsidii ex lege diœcesana, quia monasteria sunt exempta à tali lege, nisi fortassis expressè reperiantur comprehensa, & nominatim jubeantur concurrere ad solutionem talis subsidii *c. ne pro cujuslibet 16. q. 1.* Cæterum illa monasteria, quæ habent sibi annexas parochias, & Ecclesias sæculares tenentur pro iisdem ecclesiis sibi annexis subsidium charitativum solvere pro rata portione, ut habetur *in element. 1.* quia hujusmodi Ecclesiæ annexæ monasteriis non sunt exemptæ, ut ipsa monasteria, si antequam unirentur monasteriis consueverint jura Episcopalia solvere, ut habetur *in d. element. de censibus*: ubi dicitur, quòd privilegia concessa monasteriis non extendantur ad Ecclesias acquisitas. Ratio est, quia res cum suo onere transit ad monasterium, proinde ex eo, quòd monasterium exemptum sit, non per hoc sunt etiam exemptæ Ecclesiæ parochiales, quæ iisdem fuerunt unitæ, ut desumitur *ex c. ex ore 17. de privilegiis*, & notat Tamburinus *de jure Abbat. tom. 3. disp. 10. q. 4. num. 3.* & *q. 2.* addit, quòd ex consuetudine, & privilegio possint Episcopi à monasteriis, & ecclesiis sibi subjectis justis de causis charitativum subsidium exigere.

8 Quòd si petatur in quánam moneta solvi debeant debita omnia pecuniaria. Respondetur, esse solvenda in moneta currente, si non fuerit immutata. Dupliciter potest moneta mutari, vel intrinsecè quoad bonitatem, seu valorem intrinsecum, eò quia mutetur materia, vel pondus ipsius pecuniæ; tunc materia dicitur mutari, quando sit deterior, ut si argento admisceatur cuprum: & quoad pondus etiam mutatur intrinsecè quando aliquid de justo pondere ipsi detrahitur. Potest etiam eadem moneta intrinsecè invariata mutari tantùm extrinsecè quoad valorem, & extrinsecam æstimationem impositam à lege publica Principis, vel alterius Magistratus habentis jus cudendi monetam; adeo ut pluris, vel minoris æstimetur manente invariata intrinsecè moneta quoad materiam, & pondus, ut contigit nostris diebus: aurei enim hungarici, qui anno 1670. valorem tantùm habuerunt trium florenorum; anno 90. ejusdem sæculi ex lege publica per totum Imperium eorum valor invariatis prorsus materia, & pondere ad quatuor excrevit florenos. Si igitur mutetur bonitas, & valor monetæ intrinsecè in materia, & pondere, tunc solutio debiti pecuniarii debet fieri in moneta antiqua, quæ tunc currebat, quando fuit census impositus, si adhuc extet: alioquin solutio fieri debet in nova secundùm æstimationem monetæ antiquæ, seu in ea quantitate, quæ illi æquivaleat, ut notant Fachinæus *lib. 2. controvers. c. 10.* Sfortia *de stat. postrema quæstio* Fagnanus *c. olim. num. 4. 20. h. t.* ubi statuitur, quòd solutio census synodatici fiat facienda in illa moneta, in qua fuit census institutus, vel si non esset in usu, solvendus sit secundùm æstimationem illius, nisi facta fuerit legitima præscriptio 40. annorum, non obstante protestatione. Et ratio ex eo etiam petitur, quia justitia commutativa id exigit, ut in quovis debito pecuniario tantundem solvatur in eadem specie, genere, & qualitate, seu bonitate sicut deductum fuerat in obligationem.

9 Hinc si pecunia antiqua, quæ tempore contractus erat in usu fuerit intrinsecè mutata in novam deteriorem; non potest solutio fieri in nova moneta, sed secundùm æstimationem veteris, adeo ut vel solutio debiti pecuniarii fieri debeat in veteri pecunia; vel si in nova, secundùm æstimationem veteris: quia si secus fieret, non tantundem secundùm idem genus, speciem, vel qualitatem, & bonitatem redderetur, si nimirum debitor solveret debitum pecuniarium in nova pecunia deteriori. E contra si nova pecunia melior sit in materia intrinseca, & ponderosior, non adigitur debitor solvere novam, sed sufficit, si veterem solvat qualem promisit, vel etiam novam secundùm æstimationem pecuniæ antiquæ. Et id etiam procedit, tametsi solutio censûs pluribus vicibus jam facta fuerit in moneta nova, etiam sine omni protestatione, quia debitor non sibi præjudicat, quoad antiquam monetam, ut notat Innocentius *in d. c. olim 20. h. t. V. protestatus* Fagnanus *ibid. n. 7. & 8.* & liquet *ex d. c. cum olim.* in quo Episcopus acceperat denarios Lucenses plus quàm 30. annis, & nihilominus sibi non præjudicavit quoad Papienses, eò quia præscriptio non erat completa, ut habetur *in d. c. olim.* Unde assertio limitatur, ut non procedat, si per tempus sufficiens ad legitimam præscriptionem semper solutio facta fuerit in pecunia nova currente, tempore solutionis, & secundùm ejusdem valorem, & æstimationem, ut liquet *ex d. c. olim. 20. h. t.* ubi à contrario sensu deducitur argumentum, quia si Lucenses denarii per 40. annos soluti fuissent pro Papiensibus fuisset legitimè præscriptum pro solutione Papiensium, & protestatio Episcopi non valuisset, ut notant Innocentius *in d. c. olim. 20. h. t. in fin.* Abbas ibid.

ibid. *num.* 6. Notat tamen Hostiensis *in d. c. olim* non currere præscriptionem, si præscribens fuit malæ fidei, hoc est si solverit scienter denarios Lucenses loco Papiensium, quia propter malam fidem non possent præscribi: sin verò præscribens fuit solutor bonæ fidei, & eos tantùm solverit pro Lucensibus; eò quia putaverit se ad alios solvendos non teneri, tunc legitimè præscribit, quia solvit semper bona fide. Spatium autem 40. annorum requiritur contra Ecclesiam; quia contra privatum sufficit præscriptio 30. annorum, ut notat Fagnanus *in d. c. olim. 20. n. 21. h. t.*

10 Sin verò pecunia non fuerit intrinsecè mutata quoad bonitatem materiæ, & pondus, sed tantùm extrinsecè quoad impositivum valorem, seu æstimationem; tunc si aliud non fuerit in contractu expressum, solvi debet debitum pecuniarium secundùm valorem, quem pecunia habuit tempore contractus initi, adeo ut tanta sit quantitas reddenda, quanta fuit data, sive postea pecunia illa ob impositivum valorem extrinsecum incrementum subierit, vel decrementum. Id enim videtur magis æquitati consonum, quia æquè incrementum, ac decrementum cedere potest in damnum, vel commodum, tum debitoris, tum creditoris, uterque enim pari subjicitur periculo; proinde æqualis ex natura rei est utrique conditio. Tum quia in quovis contractu, in quo dominium transfertur, inspici debet valor, quem res habuit tempore traditionis; adeo ut commodum, vel incommodum semper ad Dominium spectet, servetúrque inter contrahentes æqualitas. Tum quia ideo Magistratus auget, vel minuit extrinsecum valorem pecuniarum, ut secundùm illum fiant solutiones debitorum: proinde si lex ista justè imponitur, ut supponitur, servanda est.

11 Quòd si valor extrinsecus notabiliter augeretur ob intrinsecam depravationem materiæ, tunc antiqua debita solvenda essent, non secundùm augmentum valoris extrinseci, quod pecuniæ habent tempore solutionis, sed secundùm bonitatem intrinsecam, ac valorem veteris pecuniæ: alioquin creditor ex solutione quæ ipsi fieret, damnum pateretur. Si verò incrementum valoris non sit notabile, & incrementum illud fuit à Magistratu, & ex justis causis positum, tunc solutio fit in pecuniis secundùm valorem currentem, quia modicum illud incrementum fit ob majorem commoditatem negotiatorum, & Reipublicæ: & ex alia parte pecuniæ non supponuntur intrinsecè variatæ. Quòd si ob intrinsecam monetarum depravationem enorme subirent pecuniæ decrementum, tunc solutio debet fieri secundùm valorem antiquæ, seu bonitatem intrinsecam monetarum, quam habuerunt tempore iniri contractus: quia tunc enormis mutatio, & inæqualitas valoris est contra institutionem, & veritatem pecuniæ, ceditque in grave detrimentum communitatis, impeditque commercia, ad quæ præsertim exercenda fuit pecunia instituta.

§. III.

De exactionibus.

NOmine exactionum intelligit Pontifex 1
tributa, vectigalia, tallias, & alias id genus collectas pecuniarias, seu pensitationes à Principibus sæcularibus impositas, vel ex præcepto SS. canonum Prælatis ecclesiasticis solvendas, quarum aliæ sunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ; illis accenseri etiam solet canonica portio, seu ea pars à sacris canonibus instituta, & approbata, quæ ex relictis, & proventibus ecclesiæ obvenientibus detrahitur, & Prælatis datur: & hæc canonica portio est duplex una Episcopalis Episcopo debita ex omnibus legatis ecclesiasticis, quæque fiunt ecclesiis, locisque piis suæ Diœcesis, tam à laicis, quàm à clericis: alia parochialis, debita Rectori Ecclesiæ parochialis, & hæc detrahitur ex iis omnibus, quæ ratione funeris, vel alia ratione Ecclesiæ parochiali obveniunt. Rursus hæc canonica portio adhuc est duplex, una, quæ debetur ex reditibus Ecclesiæ, altera quæ debetur ex decimationibus: & quia regulariter, & de jure quarta pars relictorum, vel decimarum assignatur Episcopo; nisi ubi consuetudo tertiam partem introduxerit: hinc est, quòd hæc portio canonica dividatur in quartam relictorum ad pias causas, & quartam decimarum.

De jure ex omnibus, quæ Testator indeterminatè Ecclesiæ cathedrali, vel aliis inferioribus quibuscunque, aut monasteriis legavit, Episcopus quartam, vel tertiam partem juxta locorum consuetudinem potest exigere, ut habetur *in c. requisivisti 15. de testament.* hæc tamen portio desumitur tantùm ex relictis *indeterminatè*, quia si testator expressè, & in specie pro fabrica Ecclesiæ, vel ornamentis, aut luminaribus ejusdem, vel pro anniversario, vel pro aliquo alio pertinente ad cultum divinum legaret alicui Ecclesiæ certam summam pecuniæ, vel quid aliud; tunc ex talibus relictis non deberetur canonica portio, ut significatur *in c. fin. de testament.* Præterea portio canonica tantùm exigitur ex relictis Ecclesiæ, vel locis piis, non verò ex iis, quæ relinquuntur personis, quapropter si Testator relinquat mille aureos distribuendos pauperibus in genere, vel specie; canonica portio non debetur Episcopo. Ad quartam decimationum quod attinet, certum est tempore primitivæ Ecclesiæ cùm Episcopi pauperes essent, statutum fuisse, ut de oblationibus factis Ecclesiæ mediam partem detraherent, & propriis usibus applicarent, ut habetur *in c. antiqui 10. q. 1.* Verùm successu temporis, & jure novo concessum duntaxat Episcopis est, ut de decimis ad Ecclesias parochiales pertinentibus, & non de aliis reditibus quartam partem sine onere accipere possint *c. conquerente de offic. Ordinar. c. de quarta de præscript.*

2 De jure ex omnibus, quæ Testator indeterminatè Ecclesiæ cathedrali, vel aliis inferioribus quibuscunque, aut monasteriis legavit, Episcopus quartam, vel tertiam partem juxta locorum consuetudinem potest exigere, ut habetur *in c. requisivisti 15. de testament.* hæc tamen portio desumitur tantùm ex relictis *indeterminatè*, quia si testator expressè, & in specie pro fabrica Ecclesiæ, vel ornamentis, aut luminaribus ejusdem, vel pro anniversario, vel pro aliquo alio pertinente ad cultum divinum legaret alicui Ecclesiæ certam summam pecuniæ, vel quid aliud; tunc ex talibus relictis non deberetur canonica portio, ut significatur *in c. fin. de testament.* Præterea portio canonica tantùm exigitur ex relictis Ecclesiæ, vel locis piis, non verò ex iis, quæ relinquuntur personis, quapropter si Testator relinquat mille aureos distribuendos pauperibus in genere, vel specie; canonica portio non debetur Episcopo. Ad quartam decimationum quod attinet, certum est tempore primitivæ Ecclesiæ cùm Episcopi pauperes essent, statutum fuisse, ut de oblationibus factis Ecclesiæ mediam partem detraherent, & propriis usibus applicarent, ut habetur *in c. antiqui 10. q. 1.* Verùm successu temporis, & jure novo concessum duntaxat Episcopis est, ut de decimis ad Ecclesias parochiales pertinentibus, & non de aliis reditibus quartam partem sine onere accipere possint *c. conquerente de offic. Ordinar. c. de quarta de præscript.*

3 Verùm plerisque in locis hujusmodi quartæ decimationum in desuetudinem abierunt: & contra hanc canonicam portionem præterilli posse

posse spatio 40. annorum desumitur *ex c. de quarta 4. de præscript.* ubi Alexander III. statuit, quòd clericus contra Episcopum per spatium 40. annorum possit præscribere de quarta decimæ, vel oblationis defunctorum, quæ pertinebant ad Episcopum, & hoc debeat fieri spatio 40. annorum, in quibus sedes Episcopalis non debeat vacare Episcopo, qui causam defendat. Hodie de jure communi, ut notat Glossa præscriptio Ecclesiæ contra Ecclesiam debet esse 40. annorum, adeo ut spatium 30. non sufficiat, & sursus requiritur bona fides, & Titulus.

4 Alia exactio dicitur tributum Ecclesiasticum, seu synodaticum, de quo *in c. olim* 20. *h. t.* statuitur, quòd solutio censûs synodatici facienda sit in illa moneta, in qua fuit ejus institutio, quæ si amplius non esset in usu, tunc solvi debeat hoc tributum juxta æstimationem illius, nisi facta fuerit legitima præscriptio 40. annorum non obstante protestatione. Dicitur hæc exactio tributum synodaticum, eò quia in synodo singulis annis celebranda ab omnibus ad eandem vocatis præstari consueverit. Dicitur etiam cathedraticum, eò quia solvatur Episcopo in honorem Ecclesiæ Episcopalis. Et hæc omnia tributa, & alia jura episcopalia præstari debent Episcopo ab omnibus ecclesiis sitis in ejus Diœcesi, ut habetur *in c. cùm olim* 19. *h. t.* ubi dicitur, quòd eo ipso, quòd Ecclesia est in territorio Diœcesis Episcopi, debeat ei respondere de procurationibus, de quarta decimarum, aliisque juribus episcopalibus: & eo ipso quòd quis impugnat compositionem, non debeat ex illa ullum reportare emolumentum; adeo ut si quis nitatur aliquid reprobare in judicio, non debeat ex eo commodum consequi *argum. c. præsentium* 31. *de testib.* & id verum est, si usque ad sententiam definitivam persistat in tali reprobatione *argum. l. Papinianus* 8. §. *remisit. ff. inoffic. testam.* & notat Glossa *in d. c. cum olim* 19. *V. beneficium h. t.*

5 Quando Ecclesiæ in dotem assignatur fundus, debet hic esse immunis ab omni servitio, ac tributo temporali, & desumitur *ex c. sanctum* 1. *h. t.* ubi statuitur, quòd pro dote Ecclesiæ fundandæ, dandus sit mansus, id est quantitas terræ, quæ sufficiat pro duobus bobus in anno ad laborandum, sitque liber ab omni servitio, & onere sæculari, & Presbyteri positi in tali Ecclesia non præstent aliquod servitium pro decimis, oblationibus, domibus, hortis, areis positis prope Ecclesiam; nec pro manso integro propter servitium ecclesiasticum, sed si quid ampliùs habuerint, impendant debitum servitium senioribus, seu ut notat Glossa Dominis etiam temporalibus quoad feudalia, & servitia rebus annexa, seu censum. Quòd si mansus priùs solvebat decimas Ecclesiæ parochiali, tenetur eas solvere, postquam datur in dotem alteri Ecclesiæ, quia licèt debeat esse liber ab omni tributo temporali, seu sæculari, non ita est necesse, ut sit liber à tributo ecclesiastico.

6 Rursus quando mansos dicitur, ut debeat esse liber ab omni censu, & tributo, debet distingui tributum recèns impositum ab antiquo: siquidem novum tributum temporale non possunt sæculares Ecclesiæ imponere, ut statuitur *in c. quamquam* 4. *h. t. in 6.* ubi habetur, quod Ecclesia, & personæ ecclesiasticæ pro se, rebúsque suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, non tenentur solvere pedagia, immo anathemate percutitur, qui pro personis, vel rebus exigit, vel extorquet per se, vel alium suo, vel alieno nomine, vel adigit ad solvenda pedagia, tametsi sit persona singularis cujuscunque dignitatis, conditionis, vel status: & si sit collegium, vel universitas ejus locus est interdictus ipso facto, nec absolvitur, vel relaxatur ab interdicto, nisi plenè restituerit exacta, & competenter satisfecerit pro transgressione non obstante quacunque consuetudine contraria, quæ potiùs habenda est corruptela.

7 Sin verò bona Ecclesiæ data in dotem ab antiquo fuerint tributis obnoxia, tunc etiam proceditur cum distinctione, vel enim erant bona tributalia ipsi Patrono Ecclesiæ, vel aliis non Patronis; si primum censetur Patronus ea onera remisisse ex juris dispositione *in d. c. sanctum* 1. *h. t.* Quinimò si Patronus in fundatione Ecclesiæ hæc tributa, & onera, sibi expressè reservaret, adhuc talis reservatio esset invalida, quia contra sacros canones *in d. c. sanctum* 1. *h. t.* quòd si dotem dedisset Ecclesiæ locupletissimam, & supra ejusdem exigentiam, tunc nonnisi ex consensu Episcopi posset in fundatione servitium aliquod, vel tributum, seu pensionem sibi reservare, ut desumitur *ex c. præterea* 23. *de jure patron.* ubi Lucius III. statuit, ne Patroni possint propria authoritate gravare Ecclesiam, nec aliquid exigere.

Quòd si bona in dotem data Ecclesiæ ab antiquo fuerint tributaria aliis, quàm Patrono, tunc si Patronus contulit illa ex consensu Dominorum, isti censentur talia onera remisisse, quæ antea ex bonis datis Ecclesiæ exigebant *argum. l. Gallus* 39. *ff. de pignor. act.* saltem quoad dotem necessariam. Sin verò bona data sint in dotem Ecclesiæ eorum Dominis contradicentibus, non valet, quod additur *argu. c. ult. de locat.* nec fundus fit liber à tributo si Ecclesia illum recipiat, quia non debet pro dote eum recipere. Quòd si inscitis Dominis concessio facta sit in dotem, tunc fundator, vel est bonæ fidei, quia vel ignoranter, & inculpatè id egit, & tunc dominis solvenda sunt tributa sicut antea: sin autem Fundator sit malæ fidei, eò quia sciverit bona illa esse tributis obnoxia, tunc compellendus est ad solvendam æstimationem, ut notat Abbas *in d. c. sanctum* 1. *n.* 7. *h. t.*

8 Cæterum fundus, in quo ædificatur Ecclesia debet esse liber ab omni servitio, tributo, & onere reali, temporali, & sæculari, sicut cœmeterium. Quæ verò ex bonis dantur ecclesiæ, ultra necessariam dotem debent præstare debita servitia etiam Dominis temporalibus, & sæcularibus, pro ut statuitur *in c. sanctum in fin.* 1. *h. t.* ubi Pontifex addit: *sed si quid ampliùs habuerint, impendant debitum servitium senioribus*, seu ut ait Glossa, Dominis etiam temporalibus quoad feudalia, & servitia rebus

annexâ, idque intelligitur de tributis, & oneribus merè realibus, quæ ipsis rebus sunt imposita, ac perpetuò annexa; non ita de tributis collectis, & aliis oneribus temporalibus, & extraordinariis minimè rebus annexis, ab his enim Ecclesia est exempta etiam jure civili *authent. item nulla C. de SS. eccles.*

10 Principes sæculares, ut Imperatores, Reges, & alii Principes non agnoscentes in temporalibus superiorem possunt, tantùm exigere, & imponere novas collectas, contributiones, & vectigalia, quamvis peccent si id faciant sine justa causa: alii autem Principes inferiores, ut Magistratus id non possunt, nisi ex concessione supremi Principis, & ex antiqua consuetudine excedente memoriam hominum, & desumitur *ex c. innovamus 10. h. t.* ubi Alexander III. anathemate percutit præsumentes statuere novas pedagiorum exactiones absque consensu Episcopi, si moniti non desistant; eósque tamdiu privat Christiana communione, donec satisfecerint: quòd tamen non procedit, si pedagiorum exactiones ex consuetudine immemoriali exigantur *c. super quibusdam de V. S.* Dicuntur pedagia, quæ dantur à transeuntibus in locis à Principe constitutis pro rebus, quæ vehuntur, vel portantur, immo nonnunquam etiam pro personis transeuntibus; & hujusmodi pedagia in jure civili vocantur etiam vectigalia *l. 1. §. de public. & vectig.* Pœna igitur canonica statuta in eos, qui absque justa causa, & legitima authoritate imponunt nova vectigalia, seu gabellas, est privatio à communione Christiana, seu major excommunicatio, à qua non absolvuntur, nisi priùs satisfecerint, seu restituerint, quod ratione gabellarum illicitè impositarum extorserunt. Hinc etiam laici imponentes injustè, & illicitè novas gabellas, si subjiciantur jurisdictioni Ecclesiæ, excommunicantur, non ita Principes infideles, quia excommunicatio non potest fieri nisi in subditos, qui ratione delicti forum sortiuntur. Præter pœnam canonicam incurrunt etiam civilem: siquidem tales puniuntur perpetuo exilio *l. ult. c. vectigalia nova.*

11 Præterea licèt vectigalia justè, & licitè imponantur, non tamen exigi possunt ab ecclesiis, & clericis ac personis ecclesiasticis; eò quia solvere gabellas est onus personale, quod afficit ipsas personas, easque aggravat, & quia personæ ecclesiasticæ non subjiciuntur jurisdictioni laicorum, ideo non possunt laici à personis ecclesiasticis exigere vectigalia, & gabellas, ut statuit Bonifacius VIII. *in c. quamquam 4. h. t. in 6.* ubi expressè ait, quòd Ecclesia, & personæ ecclesiasticæ pro se, rebúsque suis propriis, quas non causâ negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, non teneantur solvere pedagia: imò anathemate etiam percutit ea extorquentes à personis ecclesiasticis; non ita tamen si res suas deferant negotiationis causâ, quia tunc non gaudent hoc privilegio immunitatis; neque liberantur à solutione vectigalium *argum. d. c. quamquam 4. h. t. in 6.* à sensu contrario, quia si Pontifex excipit personas ecclesiasticas deferentes res proprias, non causa negotiandi: ergo si eas deferant causâ negotiandi, non eximuntur, sed statim etiam absque alia prævia monitione privantur immunitate, & puniuntur in eo, in quo deliquerunt, quamvis aliàs clerici negotiatores, ut amittant privilegium clericale, debeant moneri *c. nis. de vita, & honestat. clericor.*

12 Præter clericos eximuntur etiam à solutione gabellarum pauperes, & cæci *in c. licet 4. h. t.* ubi dicitur, quòd cæcus non teneatur ad collectas, eò quia inhumanum sit affligere gravatum: pertinet enim etiam ad Ecclesiam defendere personas miserabiles, & pauperes; proinde potuit Gregorius Papa *in d. c. licet* eximere laicos cæcos, & pauperes: causæ enim miserabilium personarum pertinent ad forum ecclesiasticum, & hujusmodi personæ possunt implorare auxilium Ecclesiæ. Cæci tamen non sunt immunes ab oneribus realibus, si ordinaria sint, quæ lege, vel constitutione perpetua imponantur, habeántque invariabilem, ac perpetuam præstationem; adeo ut si cæci terram acquirant censualem, & tributis obnoxiam, teneantur censum, & tributum eidem annexum solvere: hoc autem non procedit de oneribus realibus, extraordinariis, quæ interdum per accidens, seu extra ordinem imponuntur personis pro rebus, quia ad hæc onera præstanda nec obligantur personæ miserabiles *argum. l. cui 12. ff. de muneribus.* & fusè docet Fagnanus *in d. c. licet 4. n. 16. & sequent. h. t.*

13 Juvat tamen observare, quòd privilegium hoc concessum cæcis, & laborantibus gravi morbo non extenditur ad filios, quia in ipsis cessat ratio privilegii, nimirum illa afflictio cæcitatis, vel morbi, & quæ movit Pontificem ad eximendas tales personas afflictas, eò quia inhumanum sit affligere gravatum.

14 Prohibentur etiam ecclesiastici, & Prælati infra Papam imponere subditis còllectas extraordinarias, nisi ex manifesta, & rationabili causa, & tunc ut non possint exigere à subditis nisi moderatum auxilium cum charitate, quod propterea dicitur subsidium charitativum, quo Prælati ecclesiastici suis succurrunt necessitatibus, idque statuitur *in c. cum Apostolus 6.* ubi habetur, quòd visitantes parochias non debeant excedere certum numerum equorum, & evectionum pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum, ne sint odiosi subditis, & ut Archiepiscopi non excedant numerum 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Cardinales 25. Archidiaconi 5. vel 7. Decani 2. nec ducant canes venaticos, neque sumptuosas epulas quærant, sed accipiant, quæ honestè, & competenter ministrantur, & in omnibus quærant Christum.

15 Prohibentur etiam Prælati gravare subditos talliis, & exactionibus adeo ut solùm ex causa rationabili, & manifesta possint petere moderatum auxilium: quæ autem causa sit rationabilis pro subsidio, standum est arbitrio superioris. Hoc autem subsidium possunt petere non solùm Episcopi electi, & confirmati, quamvis consecrati non sint, sed etiam Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante, sicut etiam

Ad-

Adminiſtrator generalis datus à Papa ſede vacante, non ita Vicarius generalis Epiſcopi abſque ejus ſpeciali mandato. Cardinales etiam in eccleſiis ſuorum titulorum, & legatus Papæ à latere in eccleſiis ſuæ Provinciæ habent jus exigendi hoc ſubſidium; non ita Prælati Epiſcopo inferiores, niſi id eis competat ex privilegio, vel conſuetudine, ut notat Barboſa *de offic. Epiſcop. allegat. 87. num. 7. 10. 13. 14. & ſequent.*

16 Commendatarius etiam perpetuus Eccleſiæ Cathedralis poteſt tale ſubſidium petere, ut etiam Præpoſitus generalis totius Ordinis Regularium; & ſupra cæteros Romanus Pontifex poteſt hoc ſubſidium petere ab omnibus clericis, & Ordinariis, cùm ſit Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis, ut notat Barboſa *loc. cit. num.* 22. ex juſtis cauſis poteſt Epiſcopus non ſolùm ſemel, ſed iterum, & ſæpius tale ſubſidium exigere, dummodo ſubditi non graventur plus æquo. Quantum verò debeat exigi pro charitativo ſubſidio non eſt jure definitum, niſi quod moderatum eſſe debeat, proinde relinquitur arbitrio judicis, vel potiùs conſcientiæ Prælati Eccleſiaſtici.

§. IV.

De Procurationibus.

1 PRocurationes, de quibus Concilium Tridentinum loquitur, & dicitur in hoc titulo, ſunt ipſæ expenſæ, quæ præſtari debent Prælatis illis, quibus ex officio incumbit Eccleſias viſitare ſæculares, vel regulares: unde procuratio ſecundùm præſens inſtitutum eſt exhibitio ſumptuum neceſſariorum pro obeundo munere viſitationis, ſive qui viſitat ſit Epiſcopus, ſive Archidiaconus, ſive Diaconus, ſive Legatus ſummi Pontificis, ut deſumitur *ex c. procurationes 23. h. t.* ubi procurationes, quæ ratione viſitationis debentur Prælatis, prohibentur exigi abſque cauſa neceſſaria, & manifeſta, niſi quando perſonaliter viſitant, & cum mediocritate: & rurſus ſtatuitur, quòd Legati, & Nuntii Apoſtolici ſi neceſſariò diu morentur in uno loco, ne ille unus locus nimium gravetur, accipiant procurationes ab aliis locis moderatas, & ſi Eccleſia non ſufficit per ſe ipſam, conjungantur plures Eccleſiæ ad procurationem, ita tamen, ut numerus procurationum non excedat numerum dierum, quibus ibi morantur.

2 Idque ſtatutum fuit à ſacris canonibus, quia cum viſitatores ſpiritualia ſeminent in utilitatem Eccleſiarum, quas viſitant, æquitas exigit, ut procurationes pro congrua vitæ ſuſtentatione metant; cùm nemo cogatur ſuis ſtipendiis militare, ut ait Apoſtolus 1. *ad Corinth. 9.* & habetur etiam *in c. cum ex officiis 16. de præſcript.*

3 Neque obſtat, quòd plerumque Prælati reditus habeant ampliſſimos, & ſufficientes ad ſumptus viſitationum; quia procurationes non præſtantur præcisè eò quia viſitatores indigeant, ſed in ſignum ſubjectionis, & etiam ut viſitantes magis alliciantur ad viſitationem, quam aliàs difficulter ſuſciperent, ſi propriis impenſis illam deberent obire: ob has rationes præſtari debent procurationes Prælatis viſitantibus, tametſi reditus habeant locupletiſſimos. Neque obſtat, quòd Epiſcopi teneantur ad munus viſitationis obeundum. Nam licèt id verum ſit, adhuc tamen non tenentur propriis impenſis tale munus obire: etenim etiam canonicis dantur quotidianæ diſtributiones, ut divinis interſint officiis, tametſi ratione canonicatus ad id etiam teneantur.

Quamobrem omnino licitè, & abſque vitio 4
ſimoniæ poſſunt Prælati eccleſiaſtici, quando munus obeunt viſitationis procurationes accipere, quia non dantur illis in pretium viſitationis; quia cùm hoc munus ſit ſpirituale; perinde foret ac accipere temporale pro ſpirituali: quod ſimoniam ſaperet: ſed à ſubditis præſtantur procurationes ob laborem impenſum in munere viſitationis obeundo. Rurſus hujusmodi procurationes præſtandæ tempore viſitationis debent eſſe moderatæ, adeo ut Eccleſiæ non graventur, ut habetur *in d. c. procurationes 23. h. t.* & debent præſtari ab iis, qui viſitantur, & conſiſtunt in victuariis, eſculentis, & poculentis pertinentibus ad cibum, & potum honeſtum, ac ſufficientem pro ipſo viſitatore, ejusque moderato comitatu, & ad pabulum pro equis, & jumentis, quibus viſitator utitur; in quibus tamen ſuppeditandis attendendæ ſunt ſubditorum, qui viſitantur, facultates, loci conſuetudo, & viſitatoris conditio, ut notat Zerola *in prax. Epiſcop. p. 1. v. viſitatio ad dubium 6.* Non tamen equorum vecturæ, aut jumentorum deferentium ſarcinas ſolvi debent, niſi viſitator ſit Prælatus à ſummo Pontifice delegatus, tunc enim ſubditi, qui viſitantur, tenentur etiam ſolvere mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno ad alium locum poſſint ſe commodè transferre; ut notat Barb. *de offic. Epiſc. allegat. 73. n. 57.*

Non tamen viſitator poteſt accipere eſcu- 5
lenta, & poculenta ultra neceſſaria victuaria pro quotidiano victu, & quæ in loco viſitationis non abſumuntur, ſed ad alia loca aſportantur, quia id eſſet plus exigere, quàm neceſſitas poſtularet at eſculenta, quæ abſumuntur in loco, poſſunt recipi. Notarius verò Epiſcopi poteſt juſtum ſalarium accipere à viſitatis ratione decretorum & ordinationum, quas expedit in viſitatione, ſi non ſit de familia viſitatoris, nec ſalarium ex publico habeat, nec ſtatutum, aut conſuetudo decernat, ut omnino gratis ſuum præſtet in viſitationibus officium. Alioquin quamvis Epiſcopus debeat gratis conferre Ordines, adhuc Notario ſolvitur ſtipendium pro ſcriptura, quæ fidem facit de collatis Ordinibus tali clerico, ſi ſalarium ex publico non habeat, ut notat Zerola *in prax. V. viſitatio dub.* 4.

Cæterum ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24.* 6
c. 3. §. interimque caveat, Epiſcopi dum viſitant, & qui in eorum ſunt comitatu, non debent inutilibus ſumptibus cuique graves eſſe, nec oneri; proinde non debent ipſi, nec quisquam ſuorum quidquam causâ procurationis pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios uſus, accipere, præter id, quod ex relictis piis jure debe-

debetur, aut alio quovis nomine: unde licèt visitati offerant pecuniam, munera, non debent ea accipere, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili: exceptis tantùm victuariis, quæ sibi, ac suis frugaliter, ac moderatè pro temporis tantùm necessitate, & non ultra, sunt ministranda: sitque in optione eorum, qui visitantur, an malint solvere, in certa pecunia taxata quod antea solvere consueverant: an verò prædicta subministrare victualia; salvo tamen jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve locis piis, aut ecclesiis non cathedralibus & pacto inito, quod servari debet.

7 Debentur procurationes pro munere visitationis obeundo non solùm Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, aut Nuntiis sedis Apostolicæ visitantibus, verùm etiam aliis Prælatis inferioribus, Archidiaconis, & aliis munus visitationis obeuntibus, dummodo habeant Ecclesias sibi subjectas ex speciali jure, privilegio, vel consuetudine; quia de jure communi omnes Ecclesiæ sitæ in Diœcesi Episcopo subjiciuntur, & desumitur *ex c. cum Apostolus 6. h. t.* ubi prohibentur Archidiaconi, & Decani exercere exactiones, & tallias, sed ut sint contenti de iis, quæ honestè, & competenter ministrantur. Tenentur autem hi omnes personaliter visitare; adeo ut non possint alteri hoc munus committere, nisi ex manifesta, & necessaria causa, ut si Episcopus per se ipsum non possit omnia loca visitare ob diœcesis nimiam amplitudinem: & quando Episcopus legitimè impeditus propriam Diœcesim per alium visitat, tunc procuratio non solvitur Episcopo, sed visitanti *c. si Episcopus 37. de offic. Ordin. in 6.* & notat Glossa *in c. procurationes 23. V. personaliter h. t.* quia non præstans visitationis officium non debet recipere procurationis beneficium; & quando Episcopi, & alii Prælati per se ipsos munus obeunt visitationis, debent esse contenti modesto comitatu, ac equitatu; ne sumptibus, qui visitantur, graventur: quapropter visitatores non possunt exigere expensas factas in eundo ad locum, ubi visitant, vel in emendo equos in locum demortuorum, vel ferraturas equorum, aut vestes, vel alia, id genus: ratio est, quia tunc procuratio excederet, quod visitatori debetur ad dies visitationis: numerus enim procurationum debet commensurari numero dierum, quibus durat visitatio, neque procurationes debent excedere numerum dierum, quia tam jus antiquum, quàm novum tantùm prospexit visitantibus de quotidiano necessario victu, ut notat Glossa *in clement. 2. V. una die, h. t.* adeo ut Episcopi non possint habere plures procurationes in una die, nisi ex privilegio sedis Apostolicæ, idque etiam procedit si visitent plura loca, ut si Episcopus una die duas visitet parochias, tametsi earum quælibet integram commodè posset procurationem præstare: Episcopus tamen non potest nisi mediam ab utraque accipere, quia tunc accipit procurationem sufficientem pro tali die.

8 Cæterum procuratio potest esse debita ratione visitationis, ut in præsenti; vel ratione consuetudinis præscriptæ *c. servitium 31. caus. 18. q. 2. c. cùm venerabilis 21. h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopus, qui remisit servitia alicui Ecclesiæ, & statuit eidem Ecclesiæ alia servitia non imponere, hoc non obstante si causa correctionis illam bis visitet in anno, potest accipere ab illa procurationem moderatam: ubi Glossa notat, quòd quamvis semel in anno sit munus visitationis obeundum, nihilominus causa correctionis, si opus fuerit potest bis in anno visitare, Debetur etiam nonnunquam procuratio ratione pacti appositi in ipsa fundatione, ut desumitur *ex c. quanto 16. h. t.* ubi dicitur quòd si de consensu Patroni in fundatione imponitur census, seu procuratio indeterminatè solvenda aliis, hæc non debeat incrementum subire, sed secundùm modum solitum solvi, nisi facultates Ecclesiæ ita notabiliter creverint, ut non esset gravamen solvere majorem procurationem ad ampliandum numerum fratrum. Debetur etiam ratione privilegii procuratio, *argu. c. accedentibus 12. de excess. Prælat.* alii etiam addunt procurationes, quæ debentur Legatis, & Nuntiis sedis Apostolicæ, quando transeunt, tametsi non visitent, ut habetur *in c. cum instantia 17.* ubi dicitur, quòd omnes Ecclesiæ tenentur solvere procurationes Legatis, & Nuntiis sedis Apostolicæ sine exceptione, nisi ex speciali privilegio ejusdem sedis liberentur: nec valet præscriptio contra procurationem, & Glossa ibidem notat, quòd Romana Ecclesia neminem soleat privilegiare, nec currere præscriptionem in tali procuratione *c. cùm ex officiis de præscript.*

9 Præstandæ sunt procurationes ab omnibus ecclesiis sæcularibus, & regularibus, monasteriis, & personis, Capellis erectis in ecclesiis collegiatis, oratoriis publicis institutis authoritate Episcopi, nisi monasteria sint specialibus privilegiis exempta: quia tametsi monasteria Regularium sint exempta à lege diœcesana, & Episcopi *c. dilectus 18. de offic. Ordinar.* Nihilominus si subjiciantur visitationi Episcopi, tenentur & ipsa procurationes solvere: & ratio est, quia procuratio est annexa visitationi *c. cùm venerabilis 21. h. t.* unde eo ipso, quòd subjiciuntur visitationi, obstringuntur ad solvendam procurationem: quod tamen procedit, quando Episcopus causâ visitationis, & correctionis venit ad monasterium, non ita si ex alia causa, ut ob propria negotia. Imò Episcopus non solùm ab ecclesiis, & monasteriis sitis intra limites suæ diœcesis, cum munus obit visitationis potest procurationes exigere, sed etiam ab ecclesiis existentibus in civitate episcopali, si eas visitet, & desumitur *ex c. venerabili 24. h. t.* ubi Honorius III. statuit, ut omnis Ecclesia, quæ est in territorio Episcopi, licèt nunquam solverit, teneatur tamen solvere procurationem suo Episcopo visitanti, nisi aliud rationabiliter obstet, scilicet privilegium, ut notat Glossa, vel probetur præscriptio facta ab alio Episcopo *c. cum ex offic. de præscript.* vel allegetur magna paupertas, quia tunc Episcopus suis sumptibus debet visitare *cap. cum instantia 27. h. t.*

Cæte-

10 Cæterum contra procurationem, quæ debetur ratione visitationis non præscribitur *c. cum ex offic. 16. de præscript.* sicut nec contra ipsam visitationem, licèt alius Prælatus posset utramque præscribere contra Episcopum, ut habetur in *eod. cap. cum ex offic. de præscript.* in aliis tamen procurationibus præscriptio currit *c. servitium 18. q. 2.* Ratio cur præscriptio procurationis debitæ Episcopo ratione visitationis non currat, hæc est, quia talis procuratio est annexa visitationi, & sicut jus visitandi nunquam præscribitur, ita nec jus exigendi procurationem debitam ratione visitationis: quia de necessariò connexis est idem judicium; & in his, quæ suapte natura præscribi non possunt, præscriptio etiam immemorialis temporis nullum obtinet jus; alioquin inde sequeretur, quòd etiam laici possent præscriptione temporis immemorialis acquirere jura spiritualia, quod non potest contingere, cùm laicus non sit capax juris spiritualis: hæc tamen procedunt spectato jure communi, quia hodie ex decreto Concilii Tridentini *sess. 24. c. 3. de reformat.* potest præscribi contra procurationem, ut peti non possit, ubi viget consuetudo eam non solvendi, ait enim Concilium: *In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquã aliud à visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.* Notat tamen Fagnanus *in c. venerabili 24. n. 25. h. t.* quòd si consuetudo non solvendi procurationes non sit generalis in loco, aut Provincia, sed in una tantùm, vel altera Provincia procurationes non consueverant dari Episcopo: nihilominus licitum sit eidem procurationem exigere; eò quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* non loquitur de præscriptione, sed tantùm de consuetudine, ad quam requiritur, quòd sit generalis in loco, cùm sit jus non scriptum universaliter constitutum; & præscriptio ex consensu singulari inducatur: ex quo infert, per Concilium Tridentinum non esse correctum jus antiquum commune prohibens posse præscribi procurationes, quo ad talem præscriptionem particularem.

11 Omnia ea loca, vel personæ ecclesiasticæ, quæ ex speciali privilegio sedis Apostolicæ, & Papæ à solvenda procuratione, vel generaliter ab omnibus ejusmodi oneribus, vel etiam ab omni jurisdictione, ac jure episcopali eximuntur in genere, tametsi nulla expressa mentio fiat in privilegio exemptionis de procuration, adhuc eximuntur ab ejus solutione, adeo ut hujusmodi personæ, vel monasteria exempta non teneantur procurationem solvere Episcopo, vel Archiepiscopo: quia Archiepiscopo in iis, quæ ad visitationem pertinent non plus juris competit, quàm Episcopis.

12 Verùm non obstante tali exemptione generatim sumpta, adhuc tenentur talia monasteria solvere procurationes debitas Legatis, aut Nuntiis Apostolicis visitantibus Provinciam, aut locum, ut habetur *in c. cum instantia 17. h. t.* ubi statuitur, ut omnes Ecclesiæ debeant solvere procurationes Legatis, & Nuntiis sedis Apostolicæ sine exceptione, nisi ex speciali privilegio ejusdem sedis liberentur: privilegium autem generale eximens à juribus episcopalibus non est speciale, proinde non eximit à debito solvendi procurationes Legatis, & Nuntiis sedis Apostolicæ. Hospitalia, & alia id genus pia loca, quamvis authoritate Episcopi fuerint instituta, possintque ab Episcopo visitari, non tamen tenentur procurationes solvere, ut notat Barb. *de offic. Episc. alleg. 73. num. 50.* quia tametsi hujusmodi loca sint ecclesiastica, & subjiciantur Episcopo, quoad jura episcopalia: quia tamen reditus assignati hisce locis piis deputantur ad alios usus pios, ut ad alendos pauperes, curandos infirmos, excipiendos peregrinos: ideo ut executioni mandetur voluntas fundatoris, non tenentur hujusmodi loca pia visitanti Episcopo procurationes solvere. Tum quia omnes reditus, qui assignantur hospitalibus, deputantur in usus pauperum, & in salarium ministrorum, qui locis hisce piis inserviunt; proinde hæc loca pia censentur exempta à solvenda procuratione Episcopo visitanti.

Imò neque ab oratoriis privatis exiguntur hujusmodi procurationes, ut desumitur *ex c. authoritate 27. h. t.* ubi dicitur, quòd Religiosi licèt aliquando celebrent in oratoriis, quæ habent in grangiis suis, non propterea debeant solvere procurationes visitationis: ratio est, quia hæc procuratio non præstatur, nisi ab iis locis, quæ à Prælato visitantur causâ correctionis: & in grangiis, seu Oratoriis privatis, non fit visitatio, quia Prælatus visitationis causâ tantùm adit Ecclesiam principalem, vel monasterium, in quo Religiosi habitant, hinc notat Glossa *in d. c. authoritate 27. h. t.* Oratoria sita in grangiis monasteriorum non teneri procurationem visitationis solvere, eò quia non visitentur. 13

Quòd si quæratur, quale sit discrimen inter Oratorium, & Ecclesiam. Respondetur, Ecclesiam differre ab Oratorio, quia illa principaliter deputatur ad celebrandas missas, & orandum, consecratúrque per Episcopum, cui etiam certa constituta est dos pro clericis in illa deservientibus, & pro aliis Ecclesiæ necessitatibus, ut habetur *in c. nemo 9. dist. 1. de consecrat.* Secus oratorium non consecratur, nec ei constituitur dos, neque erigitur principaliter, ut ibi celebretur, sed tantùm ut oretur, adeo ut sine licentia Episcopi non possit in istis privatis oratoriis missa celebrari *c. unicuique 3. juncta Glossa V. non licet.* Hinc ex eo quòd interdum in aliquo loco missa celebretur, non tamen inde infertur, locum illum esse publicum, & Religiosum, ac Ecclesiasticum, eò quia actus celebrandi non sit publicus, nec omnes indifferenter ad missam admittantur, nec sit publica authoritate Episcopi oratorium erectum. Cæterum licèt hujusmodi privata oratoria erecta fuerint sine authoritate Episcopi; adhuc possunt ab Episcopo visitari, nimirum ad inspiciendum, an decenti modo sint constructa, & ornata. 14

§. V.

Exhibentur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an ſi Oratorium privatæ domus ſit permanenter dicatum cultui divino, & pateat cuilibet volenti ingredi, poſſit Epiſcopus concedere licentiam, ut in ipſo poſſit miſſa dietim celebrari? Reſpondeadum videtur affirmativè, quia tametſi tale oratorium erectum ſit ex intentione privati commodi, ſcilicet Domini domûs, in qua eſt oratorium conſtructum: nihilominus de ſe eſt publicum, quia habet ingreſſum, qui omnibus volentibus ingredi patet, & erectum etiam ſupponitur authoritate Epiſcopi, cujus propterea viſitationi ſubjicitur.

2 Neque obſtat, quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. in decret. de obſervand. & vitand. in celeb. miſſ* prohibeat miſſas celebrari in privatis oratoriis: quia Concilium per privata oratoria tantùm ea intelligit, quæ authoritate epiſcopi non fuerunt erecta, neque ad illa omnibus patet aditus; nos verò ſupponimus Oratorium erectum authoritate Epiſcopi, & cujus aditus omnibus peteat: quod verò Concilium Tridentinum loquatur de oratoriis privatis erectis ſine authoritate Epiſcopi declaratum fuit à ſacra Congregatione juſſu Pauli V. Anno 1615. ubi dicitur, in illo decreto, quòd oratoria privata, in quibus Concilium Tridentinum prohibet miſſas celebrari, ea intelligantur oratoria, quæ in privatis domibus interviunt tantùm uſui privato. Putárim tamen, quòd Domini ad ſatisfaciendum præcepto de audiendo ſacro diebus feſtis teneantur januas aperire, ut omnibus pateat aditus: quia tunc publicè dicitur miſſa in illo celebrari, illud enim oratorium eſt publicum, quod omnibus patet, & ex præcepto habemus teneri fideles diebus feſtis intereſſe ſacro in Eccleſia, vel oratorio publico: quod enim non patet omnibus, non poteſt dici publicum.

3 Quæritur ſecundò, an cenſus eccleſiaſticus vendi, vel redimi poſſit citra labem ſimoniæ? Hæc quæſtio dependet ab illa, an cenſus ſit jus aliquod rei ſpirituali annexum, an verò quid purè temporale, & profanum: eſt cenſus portio quædam ex aliquo beneficio eccleſiaſtico juſta de cauſa ad tempus detracta, & ſeparata. Communior ſententia juris canonici interpretum docet, cenſum non eſſe jus aliquod ſpirituale, nec rei ſpirituali annexum: ſed commodum quoddam temporale, ſeu jus quoddam profanum diſtinctum per ſe à beneficio, & ſejunctum ab illo: eò quia non ſit beneficium eccleſiaſticum, nec conferatur jure, & ratione miniſterii ſpiritualis, ſed tantùm in vitæ ſubſidium. Quinimo non deſunt, qui dicant, cenſum non eſſe rem juris, ſed facti, eò, quia nihil aliud ſit, quàm certa portio ex fructibus beneficii quot annis percipi conſueta: adhærent præſertim huic ſententiæ Panormitanus *in c. de reſcript. num. 2.* ubi aſſerit, cenſum eſſe quid temporale, Imola *clement. 1. de ſuppleud. neglig. Prælat.* Gigas *de penſion. q. 7. num. 2.* & alii qui nituntur. Primò quia cenſus nihil habeat ſpiritualitatis, & ſit tantùm quædam obligatio ad beneficiarium, ut ſolvat tale onus. Secundò quia cenſus poteſt etiam laicis concedi, ſicut conceduntur decimæ, quia ut docet D. Thomas 2. 2. q. 100. *art. 4. ad 3.* tunc non conceditur ullum jus ſpirituale, ſed tantùm res aliqua temporalis, ſeu actio temporalis circa fructus cenſûs, & decimarum. Quòd ſi dicas, cenſum habere annexum onus recitandi officium B. Virginis, ac geſtandi habitum clericalem. Reſpondent id per accidens ſe habere. Verum relicta hac opinione in ſua probabilitate: probabilius putárim cenſum non poſſe vendi, neque redimi, quia labes contrahatur ſimoniæ, ut docent Rebuffus *de pacifica poſſeſſ. num. 134.* Covarruvias *2. p. c. 3. §. 3. num. 3.* Navarr. *in ſumm. c. 23. num. 111.* Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. num. 20.* Pasqualigus *de penſ. decis. 208. num. 4.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 26. num. 8.* Naldus *in ſumm. V. penſio. num. 10.* Ratio eſt, quia cenſus datur propter officium Eccleſiaſticum, in quo fundatur, ſicut in beneficiis: eſt enim cenſus, ſi excipiamus perpetuitatem beneficium, proinde ſicut beneficium non poteſt vendi, nec redimi, ita neque cenſus, ſi ſit clericalis, & qui detur titulo eccleſiaſtico, ex eo, quòd perſona ſit intra ordinem Eccleſiaſticum conſtituta per clericalem tonſuram, & ratione cenſus obligetur ad recitandum officium B. Virginis: quia tametſi cenſus non det jus ad beneficium; adhuc tamen hoc jus ad fructus cenſus eſt ſpirituale: ſiquidem eſt jus receptum ſpirituali modo à clerico, ſeu à perſona eccleſiaſtica habente jus ad participandum in bonis Eccleſiæ, quapropter ſi non adſit dignitas clericalis, vel clericus ſit excommunicatus, vel interdictus, aut ſuſpenſus, collatio cenſus eſt nulla: unde hoc jus percipiendi fructus cenſûs non ſolùm eſt annexum rei ſpirituali, ſeu clericali dignitati, ſed etiam ſuo modo ſpiritualizatum, eò quia approprietur perſonæ ſpirituali intra ordinem ſpiritualem: ſicuti enim recipiens jus per modum perſonæ ſpiritualis recipit: ita etiam ipſum jus per modum ſpiritualis recipitur.

4 Tum quia ideo ſine ſimonia jus ad decimas non poteſt vendi, licèt reſpiciat ſolos fructus terræ, qui ſunt aliquid merè temporale, quia tale jus eſt perſonarum inſervientium Eccleſiæ, proinde manet in ordine ſpirituali: atqui etiam jus cenſûs eſt jus perſonæ inſervientis Eccleſiæ, cùm ſit jus clerici, prout eſt clericus, & addictus ſervitio Eccleſiæ; quapropter fundatur in dignitate clericali, ſine qua non ſubſiſtit poſt conſtitutionem Pij V. Hinc corruit primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quia jus cenſus revera eſt annexum rei ſpirituali, ſeu dignitati clericali, & ipſum etiam ſuo modo eſt ſpirituale, cùm ſit jus, quod in ordine ſpirituali habet perſona ſpiritualis. Ad ſecundum eſt diſcrimen de decimis, & cenſu; decimæ enim poſſunt extrahi à titulo, & officio ſpirituali, proinde totum, quod conceditur laico, evadit temporale, & non ſubjicitur alteri titulo ſpirituali: cenſus verò clericalis licèt extrahatur ab officio ſpirituali,

tuali, & titulo particulari, cui ſubditur beneficium: non tamen extrahitur à titulo univerſali dignitatis clericalis, qui titulus eſt ſpiritualis: unde non per accidens, ſed per ſe nectitur titulo clericali.

7 Quæritur tertiò, ſub qua ratione cenſus ſit ſpiritualis? Procedit quæſtio de cenſu clericali, pro quo requiritur clericatus, ut quis ſit capax juxta præſens inſtitutum; non verò de cenſu laicali, certum eſt enim, hunc non eſſe ſpiritualem. Plures cenſent, cenſum clericalem eſſe quid merè temporale Rebuffus *tract. de pacif. poſſeſſ. 132. concluſ. 18.* Burſat. *conſil. 178. num. 28.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jur. c. 35. n. 125.* Lotterius *de re benefic. lib. 3. q. 29. num. 86.* quinimo *n. 92.* miratur, quomodo Rota oppoſitum tenuerit *in Pritinorenſi commende 12. Decemb. 1588. coram Gyptio.* Nititur hæc ſententia, quia ſubjectum cenſus ſunt ipſi fructus beneficii, ut ſeparati, & diſtincti ab ipſo beneficio: atqui fructus ſunt quid merè temporale, proinde etiã cenſus, quamvis ſi clericalis. Alii verò aſſerunt, cenſum clericalem eſſe ſpiritualem, Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. num. 19.* Gambar. *de offic. legat. lib. 6. n. 361.* Navarr. *conſil. 11. de rebus eccles. non alienand. & conſil. 62. & 66. de ſimonia* Zechius *de benefic. c. 11. num. 8. & 9.* Sayrus *lib. 2. de cenſur. c. 5. n. 15.* Pasqualig. *qq. moral. canon. cent. 4. q. 385. num. 4.* Rodriquez *p. 2. ſum. c. 81. num. 7. & 8.* Rota Romana *decis. 454. n. 7. p. 2. divers. & decis. 585. num. 3. p. 4. recent.*

Verùm ut hæc quæſtio dilucidiùs ſolvatur, procedendum eſt cum diſtinctione: vel enim cenſus ſumitur, quatenus præcisè dicit ipſos fructus, qui percipiuntur, & in hoc ſenſu vera eſt prior ſententia, cenſum clericalem non eſſe quid ſpirituale, quia fructus qui percipiuntur ex ſe præcisè ſunt quid temporale. Secundò ſumitur cenſus quatenus dicit jus, quod clericus habet ad percipiendos fructus beneficii; & in hoc ſenſu eſt vera ſecunda ſententia, quia tale jus revera eſt ſpirituale, eò quia procedat ex gratia ſpirituali, & eccleſiaſtica. Illud enim eſt ſpirituale, quod procedit ex gratia ſpirituali, vel diſponit ad ipſam, ut docet D. Thoma 2. a. *q. 100. art. 3. in corp.* atqui jus ad percipiendos fructus beneficii eſt quid ſpiritualizatum ſaltem ratione perſonæ, & ſubjecti, cui inhæret, & in quo radicatur. Non enim poteſt quis eſſe capax cenſûs clericalis niſi conſtitutus ſit in ſtatu clericali, ut è preſsè declarat Pius V. in ſua conſtitutione 71. & Sixtus V. in ſua conſtitutione 31. & docent fere communiter Canoniſtæ Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 10.* cùm ſtatus clericalis ſeparet à laicali, & incorporet ordini eccleſiaſtico, ideo clericus remanet Deo dicatus in ordine ad ejus cultum, quo fit, ut acquirat quendam ſtatum ſpiritualem, & quia jus ad percipiendos fructus cenſûs fundatur neceſſariò in ſtatu clericali, nulli dubium, quin ſit jus ſpiritualizatum, cum ſit jus competens perſonæ ſpiritualizatæ per conſecrationem, quâ ſe Deo ratione clericatus conſecravit.

8 Firmari id ex eo poteſt, quia eatenus beneficium eccleſiaſticum communiter dicitur ſpirituale, quia includit jus ſpirituale percipiendi fructus temporales: dicitur enim jus illud eſſe ſpirituale, eò quia oriatur ex legitima conſecratione facta Deo bonorum temporalium, ut notat Lotterius *de re benefic. lib. 1. q. 5. num. 43.* bona enim, quæ eriguntur in beneficium, Deo conſecrantur, proinde & ſuo modo ſpiritualizantur; & ideo jus ad fructus percipiendos talium bonorum eſt ſpirituale. Dicitur etiam jus ſpiritualizatum, quia habet annexum officium ſpirituale, ut fusè oſtendit Garcia *p. 1. de benef. c. 2. n. 7.* vel quia oritur ex officio eccleſiaſtico, ut ex radice: atqui jus in cenſu percipendi fructus beneficii oritur ex conſecratione bonorum temporalium facta Deo: ſiquidem poſitâ tali conſecratione bona conſecrata, quoad fructus remanent deſtinata pro ſuſtentatione Miniſtrorum inſervientium divino cultui; conſequenter jus quod datur talibus Miniſtris ad percipiendos fructus talium bonorum radicatur in conſecratione talium bonorum facta Deo, & ex ipſa oritur: datur enim tale jus, eò quia ex vi conſecrationis talia bona ſint deſtinata pro Miniſtris inſervientibus divino cultui, qui proinde habent etiam annexum officium Eccleſiaſticum, quale eſt inſervire divino cultui in ſtatu clericali. Tum quia hoc jus oritur etiam ex officio eccleſiaſtico tanquam ex radice. Demum quia ratione clericatûs perſona militat Deo, cui inſervit in illo ſpeciali munere orandi mediante recitatione officii B. Virginis: unde hi fructus dantur juxta regulam juſtitiæ commutativæ, & pro onere inſerviendi Deo, adeo ut ſi Clericus negligat recitare officium B. Virginis, teneatur ad reſtitutionem pro rata recitationis omiſſæ, ut ſtatuit Pius V. in præfata ſua conſtitutione *71. in fin.*

9 Quæritur quartò, an qui commutat beneficium pinguius cum tenuiori, & reſervat ſibi cenſum, ſeu penſionem ſupra pinguius: vel quando reſignans alteri beneficium recipit ab eodem cenſum ſupra aliud beneficium, poſſit hujusmodi cenſus vendi ſine labe ſimoniæ? Reſpondetur negativè, & ratio eſt, quia talis cenſus adhuc fundatur in titulo clericatus, ac datus intuitu ſpiritualis dignitatis: etenim conceditur cenſus pro compenſatione rei ſpiritualis, ſeu beneficii eccleſiaſtici: atqui quod eſt ſpirituale, vel etiam annexum ſpirituali non poteſt pretio temporali vendi, quia jure divino prohibetur, ne ſpirituale detur pro temporali. Tum quia eo ipſo, quòd cenſus datur in compenſationem rei ſpiritualis debet neceſſariò eſſe quid ſpirituale: ſiquidem recipitur in compenſationem beneficii reſignati, quod eſt ſpirituale: & non poſſet ita recipi ſi cenſus eſſet quid temporale, quia id perinde eſſet ac recipere temporale pro ſpirituali, quod redolet ſimoniam: non enim poteſt temporale commutari cum ſpirituali.

10 Quòd ſi dicas, commutari tantùm perſonas, adeo ut quæ habebat beneficium, habeat cenſum. Contra eſt, quia hujusmodi mutatio fit in ordine ad habendum beneficium, & penſionem, proinde cum tranſlatione juris, quod eſt in beneficio, & cenſu. Si dicas, non fieri talem commutationem, eò quia reſignare beneficium cum reſervatione cenſûs, ſeu partis fructuum,

perinde sit, ac renuntiare beneficio, non tamen omnibus fructibus ejusdem, eò quia resignans
10 partem eorum sibi retineat. Contra est, quia id non procedit quando pro censu datur beneficium cum omnibus suis fructibus. Præterea quia census reservatus ex pinguiori beneficio concurrit ad compensandos fructus tenuioris beneficii, qui cum sint annexi rei spirituali, seu beneficio, census ex vi talis commutationis annectitur rei spirituali, & concurrit ad ponendam æqualitatem inter res inæquales: unde liquet, censum quem clericus recipit ex resignatione pinguioris beneficii esse quid spirituale, vel annexum spirituali, proinde non posse vendi pro temporali.

11 Quæritur quintò, quo jure prohibeantur vendi census beneficiorum ecclesiasticorum? Respondetur jure divino id esse prohibitum stante constitutione Pij V. ut docent Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. num. 17.* Pasqualigus *decis. 209. n. 1.* Lessius *lib. 2. de justit. & jur. c. 35. dub. 22.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 26. nu. 8.* Navarrus *consil. 60. & sequent.* etenim tunc simonia est contra jus divinum, si versetur circa aliquid per se spirituale, vel aliquid, quod participet de spirituali, cujusmodi sunt beneficia ecclesiastica: atqui census clericalis est aliquid participans de spirituali, quia præter fructus temporales, dicit etiam jus eos percipiendi; quod jus fundatur in ministerio spirituali, seu recitatione officii B. Virginis, quo pacto census clericales annectuntur rei spirituali, & clerici, qui iisdem gaudent addicuntur ministerio spirituali; & oritur in ipsis jus spirituale percipiendi fructus census. Præterea quia obligatio recitandi officium B. Virginis est procul dubio spiritualis, & quando venderetur census extingueretur, vel transiret ad emptorem, qui propterea pro spirituali daret temporale, quod est simoniacum. Tametsi census spectatus ex se præcisè non sit materia simoniæ contra jus divinum: cum super beneficiis ecclesiasticis fundari possint census laicales: nihilominus ob constitutionem Pij V. ratione cujus, hujusmodi census eriguntur in titulum clericalem cum obligatione spirituali in ordine ad officium spirituale, seu ad recitationem officii B. Mariæ Virginis evadunt materia simoniæ contra jus divinum.

12 Neque obstat, quòd Pontifex possit facultatem concedere vendendi, & redimendi hujusmodi pensiones, seu census: quia tunc Pontifex non concedit facultatem vendendi, vel redimendi ipsum jus ad percipiendos fructus beneficii: sed facultas tantùm versatur circa fructus, quos extrahit à titulo spirituali, cui erant annexi; proinde per mutationem materiæ facit, ut quod erat materia simoniæ, non sit amplius materia simoniæ: quatenus fructus erant materia simoniæ, quatenus erant connexi cum illo jure spirituali eos percipiendi, & cum titulo spirituali: sed Pontifex potest talem connexionem tollere, quia sicut Ecclesia eam ponit, ita potest eandem tollere: & sublata connexione cum tali jure; fructus, utpote quid merè temporale, possunt vendi.

Quæritur sextò, an fructus seorsim à jure 13
censûs possint alteri cedi pro certa pecuniæ summa? communior sententia, quam docent Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 22. num. 122.* Navarrus *consil. 11. de reb. eccles. non alien.* & alii plures docet, non posse fructus seorsim à jure censûs alteri cedi pro certa summa pecuniæ, eò quia per talem cessionem transferretur jus, consequenter pro aliquo temporali daretur jus spirituale: est enim tale jus connexum cum fructibus, & transit cum ipsis ad emptorem. Tum quia hujusmodi cessio pro certa summa pecuniæ esset propriè venditio, quia esset translatio dominii, & rei mediante pretio *l. cum hic ff. de fideiuss.* & notat Rota *decis. 492. num. 3. p. 2.* Tum quia si cessio fiat ultra triennium requiritur necessariò consensus sedis Apostolicæ, alioquin contractus est nullus: ergo quia non versatur circa aliquod merè temporale: quòd ultra triennium requiratur consensus Apostolicus liquet *ex extravag. ambitiosa de reb. eccles. non alienan. & in 6. c. 2. eod. tit.*

Nihilominus contraria sententia plurimum etiam habet probabilitatis, quia si jus census remaneat apud cedentem fructus census, & tantùm ipsi fructus, ut separati à jure transferantur in eum, qui dat certam summam pecuniæ, tunc cessio illa non videtur redolere simoniam, ut docent Garcia *p. 1. de benefic. c. 5. num. 29. & p. 2. c. 1. num. 38.* Pasqual. *decis. 210. num. 7.* Naldus *in sum. V. pensio. n. 10.* Zerolla *in prax. V. alienatio §. 3. conclus. 10.* Suarez. *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 26. num. 9.* Eo enim ipso, quòd fructus separantur à jure eos percipiendi, non habent ampliùs connexionem spiritualem, & remanent quid merè temporale, quod pro summa pecuniaria potest alteri cedi. 14

Præterea quia in tali cessione non ceditur ipsum jus census, sed tantùm fructus, ut separati à tali jure. Tum quia fructus percipiuntur nomine habentis jus ad ipsos, & postea per Procuratores dantur alteri, qui pro iisdem fructibus dedit summam pecuniæ, ex quo liquet jus non transire ad eum, qui dedit talem summam; proinde qui summam illam accepit, non dedit quidquam spirituale pro temporali, cùm retineat totum jus ad percipiendos fructus, & isti nomine ipsius percipiantur, & postea per Procuratores dentur alteri, qui summam dedit pecuniæ.

Quòd si objicias textum *in c. si quis 1. q. 3.* 15
ubi dicitur, quod qui unum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Contra est, quia quamvis fructus non proveniant Censuario sine titulo censûs; proveniunt tamen sine titulo censûs illi, cui ceditur commodum pensionis: siquidem exigit fructus ut Procurator Pensionarii; proinde non jure proprio, sed jure alterius; & solùm postquam sunt exacti, & sub dominio censuarii transeunt ad Procuratorem in virtute præcedentis contractûs, adeo ut non illos priùs cedat, quàm possideat, censetur enim eos tunc cedere, quando jam sunt exacti à Procuratore: adeo ut in tali contractu, duo veluti interveniant contractus.

tractus, quorum uno constituitur Procurator in ordine ad exigendos fructus, & altero cedunturfructus postquam sunt exacti.

16 Hæc opinio est valdè probabilis: & ad primum fundamentum oppositæ sententiæ responderi potest, in tali cessione non transferri jus censûs, sed tantùm ipsos fructus postquam nomine Censuarii sunt exacti: unde falsum est, quòd transferatur totum jus, cùm jus spirituale supponatur, manere apud Centuarium, cujus nomine exiguntur fructus. Ad secundum respondetur, per talem cessionem non vendi ipsum jus spirituale, quia illud venditur, quod de venditore transfertur in emptorem, & jus spirituale semper manet in eo, qui cedit alteri fructus censûs; quapropter in tali cessione venduntur soli fructus separati à jure; consequenter ut sunt quid merè temporale. Ad tertium respondetur, in præcitatis textibus tantùm esse sermonem de locatione beneficiorum, & alienatione rerum Ecclesiasticarum, & cùm sint dispositiones odiosæ non debent ampliari ad cessionem fructuum census: præsertim cùm fructus sint tantùm quid merè temporale, ut constat ex hactenus dictis.

17 Quæritur septimò, an qui pro certa summa pecuniæ alteri cessit fructus censûs ecclesiastici possit in aliqua Religione approbata profiteri? Procedit quæstio ex suppositione, quòd talis cessio sit valida; & ex eo quòd qui cessit censum, si emittat solemnem professionẽ, census extinguatur; perinde ac extingueretur si morte naturali decederet. Videtur ex eo non posse profiteri; eò quia talis professio cederet in præjudicium alterius, qui dedit summam illam pecuniæ pro percipiendis fructibus censûs per totum vitæ tempus illius, qui fructus illos cessit, & summam pecuniæ accepit: quia si emitteret professionem non posset ampliùs ille alius percipere fructus, proinde licèt emissio professionis sit opus bonum, non tamen debet fieri cum damno tertii. Secundò quia mediante summa illa pecuniæ acceptæ obligavit se ad dandos fructus censûs donec viveret, proinde tenetur ex justitia illæsam servare pensionem, quamdiu vixerit.

18 Nihilominus respondendum est, posse solemnem professionem emittere non obstante tali cessione, ut rectè docet Pasqualigus *decis. 206. num. 2.* quia per initum contractum tantùm cessit jus ad exigendum fructus censûs, non verò cessit jus liberè disponendi de se ipso, proinde adhuc potest uti jure suo, & de se ipso disponere, nec ad id potest impediri ab alio, præsertim si ingrediatur religionem, & in ea profiteatur: quia quisque habet jus procurandi propriam salutem per illa media, quæ Deus mediante interiori lumine, & inspiratione suggerit. Neque obstat, quòd exinde sequatur damnum tertii, quia id omnino per accidens contingit: siquidem potest quisque procurare proprium commodum, & avertere à se malum, tametsi inde sequatur damnum alterius, quia hoc est præter intentionem procurantis propriam salutem, proinde merè per accidens se habet. Deinde Censuarius per summam pecuniæ non cessit jus fructus census, quia cum sit spirituale non potuit cedere pro temporali; sed tantùm cessit ipsos fructus: unde hisce non se obligavit ad non extinguendum jus, quod propterea pro meliori bono potest extinguere citra injuriam alterius, quia in contractu non promisit, se nolle extinguere tale jus: unde qui pecuniam illam solvit, sibi debet imputare, quòd in contractu non præviderit, posse tale jus extingui, & ipsum privari fructibus censûs: neque obstat, quòd in contractu fuerit appositum; tales fructus durante vita esse percipiendos, quia id debet intelligi de duratione vitæ non solùm naturalis, sed etiam civilis: sunt enim verba accipienda juxta causam, ob quam apponuntur *l. actione §. morte unius. ff. pro socio*, in jure autem professio in Religione approbata æquivalet morti naturali, unde sicut, si contigisset mors naturalis, non potuisset, qui pecuniam dedit ulterius fructus percipere, ita eosdem amittit, eò quia contigerit mors civilis.

Hinc ad primum fundamentum oppositæ 19
sententiæ. Respondetur, emissionem religiosæ professionis non cedere in præjudicium alterius: siquidem præjudicium est quid injustum, & per solemnem professionem, quâ quis se totum Deo devovet, non ponitur quid injustum; proinde non fit alteri præjudicium. Tum quia jus censûs juxta formam contractus extinguitur, cum emissio professionis sit mors civilis, quæ æquivalet naturali in ordine ad talia jura, consequenter verificatur, quòd alius percepterit fructus census durante vita reservatarii: quia per solemnem professionem non ampliùs durat. Neque inde fit malum, ut eveniat aliquod bonum, quia tantùm fit aliquod bonum, ex quo alter privatur aliquo commodo temporali, quæ privatio nullum est peccatum, cum justè consequatur ex tali bono juxta præscriptionem contractus initi de percipiendis fructibus vita durante, quia per solemnem professionem non ampliùs civiliter durat. Ad secundum fundamentum respondetur, hujusmodi obligationem esse intelligendam juxta subjectam materiam, scilicet de duratione vitæ in ordine ad jus pensionis, quæ duratio extinguitur tam per mortem naturalem, quàm civilem, seu emissionem solemnis professionis in Religione approbata.

Quæritur octavò, an pecunia Ecclesiæ per- 20
tinens ad bona ejusdem, & destinata pro immobilibus, converti possit in censum vitalitium? Respondetur negativè, quia cum supponatur destinata pro rebus immobilibus, non potest impendi in alios usus: computatur enim talis pecunia inter bona Ecclesiæ, & cum sit in proprietate ipsius, & non de fructibus; ideo non est sub dispositione illius, ad quem pertinet disponere de fructibus Ecclesiæ, sed debet necessariò impendi, pro ut destinatur, seu in bona immobilia: census autem vitalitius non accensetur bonis immobilibus, sed computatur inter bona mobilia, eò quia subjicitur periculo, & quidem continuo, ut amittatur, sicut potest amitti vita illius, cui solvitur census: omnia illa bona, quæ sunt in continuo periculo amissionis, censeri bona mobilia tradunt communiter juris

periti Baldus *in c. contingit de dolo, & contum.* Corneus *consil.* 173. *vol.* 3. Tum quia census vitalitius etiam ob brevitatem durationis accenſetur bonis mobilibus, ut notant Menochius *de arbit. lib. 2. cent. 3. caſ. 233.* Duardus *de cenſib. in proœm. conſtit. Pij V. q. 10. num. 40.* unde cùm census vitalitius ſit brevi duraturus non poteſt computari inter res immobiles, quia ſequitur vitam, quæ ſemper deficit, & nunquam eſt ſtabilis. Præterea quia eatenus res Eccleſiæ prohibentur alienari, ut conſerventur in commodum Eccleſiarum: atqui per fundationem cenſus vitalitii pecuniæ, quæ tranſierunt ſub dominium Eccleſiæ ſub conditione, ut impendantur in rebus immobilibus pro commodo Eccleſiæ, non conſervantur, ſi ex iisdem fundetur cenſus vitalitius, ſed potiùs conſtituuntur in ſtatu certo, ut brevi debeat Eccleſia illis privari: unde fundatio cenſus vitalitii ex tali pecunia eſt omnino prohibita. Demum quia res quælibet penſari debet cum ſua qualitate, quâ taliter qualificatur *c. cum morte §. quæſiviſti de celeb. miſſ. c. ſtatutum de elect. in 6.* & notant Menochius *de recup. poſſeſſ. remed. 6. num. 8.* Surdus *conſil. 321. num. 12.* unde fundatio cenſus conſideranda eſt non præcisè ut eſt quædam emptio, nec ut eſt emptio cujuscunque cenſus, ſed ut eſt emptio talis cenſus, ſeu vitalitii, nimirum ut eſt emptio juris extinguibilis ad tempus in favorem venditoris, & pro ut continet reverſionem juris quæſiti per emptionem ad ipſum venditorem: hoc autem non eſt emere rem immobilem, ſed potiùs alienare talem pecuniam, quia dicit translationem juris ipſius Eccleſiæ finitâ vitâ, ſuper qua fundatur cenſus: ſiquidem de hac translatione initur de præſenti pactum.

21 Quæritur nonò, an Epiſcopi poſſint ſubditos compellere ad dandum ſubſidium charitativum, quando ex juſta cauſa petitur? Etenim eo ipſo, quòd eſt ſubſidium charitatis non debetur ex juſtitia, ſed tantùm ex pura charitate, proinde non videntur ſubditi ab Epiſcopis poſſe compelli ad illud præſtandum. Reſpondetur, quòd ſi ſubſit manifeſta, & rationabilis cauſa, poſſit Epiſcopus clericos ſubditos compellere ad præſtandum tale charitativum ſubſidium, ut notat Abbas *in c. cum Apoſtolus 6. h. t.* & cum ipſo communiter Canoniſtæ: quia æquum eſt, ut ſubditi neceſſaria ſuppeditent ſuperiori, ut propriis conſulat neceſſitatibus; quando ſubſidium quod petitur eſt moderatum, & cauſa ob quam petitur, eſt manifeſta, & rationabilis. Neque obſtat, quòd tale ſubſidium ſit charitatis: ſiquidem etiam officio judicis poſſunt divites compelli ad dandam eleemoſynam indigentibus tempore urgentis neceſſitatis, & magnæ famis.

22 Nec obſtat ſi dicas, Epiſcopum non poſſe eſſe Judicem in cauſa propria, cùm id prohibeatur *l. 1. C. ne quis in ſua cauſa.* Nam ſi ſubſit manifeſta, & rationabilis cauſa, quæ pertineat ad dignitatem, & honorem Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus eſſe Judex in ſua cauſa, ut colligitur *ex c. Romana de pœnis* & docet Innocentius *in c. ex parte in Chriſto de V. S.* & Butrius *in c. cùm veniſſet de judic.*

Quæritur decimò, quænam ſint juſtæ cauſæ exigendi hujusmodi charitativum ſubſidium? Reſpondetur rationabiles cauſas cenſeri, Primò ſolutionem debitorum, quæ contraxit Epiſcopus pro tuendo jure ſuæ Eccleſiæ, ut quando plura, & magna ſunt debita, & aliunde ex bonis Eccleſiæ non poſſunt commodè ſolvi, ut notat Hoſtiens. *in ſum. tit. ut eccleſiaſtica beneficia §. 1. & in tit. de cenſib. §. ex quibus cauſis.* Secundò cenſetur etiam juſta cauſa, ſi Epiſcopus magnas impenſas fecerit in pertractandis negotiis communibus toti Diœceſi, Innocentius *c. 1. de ſtatu monachor.* Tertiò ſi urgeat neceſſitas emendi rem aliquam magni momenti neceſſariam pro conſervatione Eccleſiæ Oldrad. *conſ. 140.* Quartò ſi Epiſcopus ſit, Papam, vel Imperatorem, vel Regem acceſſurus ob commune bonum ſuæ Eccleſiæ, & Diœceſis, vel etiam totius Eccleſiæ generalis, Ancharanus *in clem. 1. de exceſſ. Prælat.* Quintò ſi viſitaturus ſit limina Apoſtolorum, ut jusjurandum impleat, ut habetur *in c. ego enim de jurejur.* Sextò ſi debeat intereſſe generali Concilio, & longum iter ſuſcipere, ut deſumitur *ex c. placuit diſt. 18.* & notat Joan. Andreas *in c. grave de prabend.* Septimò ſi impenſas neceſſarias, & alicujus momenti fecerit in adventu Imperatoris, Regis, vel Principis. 23

Quæritur undecimò, an poſſit jus procurationis ratione viſitationis debitæ expreſsè, aut per pactum remitti ex toto, & in perpetuum ab Epiſcopo? Reſpondetur negativè, quia ſicut viſitatio non poteſt in totum remitti, ita nec procuratio eidem annexa, quia eſt jus publicum, quod pactis privatorum tolli non poteſt *l. jus publicum 38. ff. de pact.* & notat Gloſſa *in element. 2. V. compoſitiones h. t.* Nihilominus poteſt Epiſcopus ut etiam alius viſitator ipſam procurationem quando actu viſitat, non exigere, & ſuis expenſis munus obire viſitationis: ratio eſt, quia Epiſcopis tantùm eſt prohibitum remittere jus procurationis pro tempore futuro, ut notat Abbas *in c. cum ex offic. 16. n. 14. de præſcript.* ne ſcilicet ſucceſſoribus inferatur damnum. Poſſunt etiam conventiones fieri ſuper modo procurandi, & numero procurationum, quæ futuris temporibus ſervantur, ut notat Gloſſa *in d. element. 2. V. compoſitiones*, quinimò poteſt etiam per pactum remitti illa procuratio, quæ non jure communi debetur, ſed ſpeciali, & ſive ex conſuetudine, aut præſcriptione; ſive ex privilegio, ſive ex pacto ſolvebatur ei, qui non erat proprius Prælatus, quia tunc procuratio cum non ſit jus publicum, poteſt remitti. 24

Neque obſtat, quòd Epiſcopus poſſit Eccleſiæ inferiori remittere ſervitia, quæ ipſi ab illa debentur, dummodo ſubſit juſta cauſa, & acceſſerit conſenſus Capituli *c. paſtoralis 11. de donat.* proinde poteſt etiam remittere procurationes debitas ratione viſitationis. Nam id non ſequitur, quia in illa generali remiſſione ſervitiorum non cenſentur comprehenſæ procurationes debitæ ratione viſitationis, ut deſumitur *ex c. cum venerabilis 21. h. t.* ubi dicitur, quod Epiſcopus, qui remiſit ſervitia alicui Eccleſiæ, 25

Eccleſiæ,

eleſiæ, & ſtatuit eidem Eccleſiæ alia ſervitia non imponere; hoc non obſtante quando causâ correctionis illam viſitat bis in anno, poteſt accipere procurationem moderatam ab illa, ut etiam ſtatuit Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. c. 3. & ſeſſ. 21. c. 8. & ſeſſ. 25. c. 20.* ratio eſt, quia in generali conceſſione non comprehenduntur ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, ut deſumitur *ex regula 81. in 6.* unde quantumcunque Epiſcopus nitatur generaliter Eccleſiam eximere; nunquam tamen cenſetur remiſiſſe jurisdictionem, ſeu coërcitionem, & correctionem morum, conſequenter nec munus viſitationis, nec procurationes debitas ratione ejusdem viſitationis; ſiquidem remiſſio ſervitiorum facta alicui Eccleſiæ non debet extendi ad jura, & ſervitia, quæ communia ſunt omnibus eccleſiis, ſed tantùm comprehendit ea ſervitia, quæ ex jure ſpeciali præſtanda erant ab aliqua ſpeciali Eccleſia.

26 Quæritur duodecimò, an Epiſcopus poſſit viſitare Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas etiam exemptas, & etiam Eccleſias, quæ nullius ſunt Diœceſis? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim Eccleſiæ exemptæ à jurisdictione Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum ſunt ſæculares, vel Regulares: ſi ſunt ſæculares, tunc poteſt Epiſcopus, ut Delegatus ſedis Apoſtolicæ eas viſitare, ut ſtatuitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. c. 8. de refor.* Idque procedit, quamvis ſint Eccleſiæ commendatæ, habeántque curam animarum, vel non. Sin autem Eccleſiæ exemptæ ſunt regulares, & in quibus floret regularis obſervantia, tunc ſubdiſtinguendum eſt, vel enim habent adnexam curam animarum, & tunc poſſunt viſitari ab Epiſcopo diœceſano, eò quia ſubſint ejus jurisdictioni in iis, quæ curam concernunt animarum, ut decrevit Concilium Tridentinum *ſeſſ 25. c. 11. de Regul.* Quòd ſi nulla ſit iisdem annexa cura animarum, & ibi regularum obſervantia in ipſis vigeat, non poſſunt tunc ab Epiſcopis viſitari, quamvis ſint commendatæ: quia facultas viſitandi monaſteria Regularium tantùm reſtringitur ad illa, in quibus non viget obſervantia regularis, ut declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 8.* Sin autem regularis obſervantia non vigeat, & Eccleſiæ ſint commendatæ, tunc poſſunt ab Epiſcopis viſitari, imò etiam debent ſive curam annexam animarum habeant, ſive non: & tunc Epiſcopi tanquam delegati ſedis Apoſtolicæ viſitant monaſteria, & Eccleſias Regularium. Quòd ſi Eccleſiæ non ſint curatæ, nec commendatæ, Epiſcopi nullam tunc habent poteſtatem eas viſitandi, ut declaratur in Tridentino *ſeſſ. 25. c. 20. de Regular.* Rurſus Epiſcopi non poſſunt viſitare monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, quæ ſuorum Ordinum capitibus, ſeu Prælatis ſubſunt, ut declaravit idem Concilium Tridentinum *in d. c. 20.*

Quòd verò ad perſonas attinet, vel iſtæ ſunt 27
ſæculares, vel Regulares: ſi ſæculares, vel curam habent animarum, vel non: ſi primum ſubjiciuntur jurisdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi diœceſani in iis, quæ ad curam pertinent animarum, ut declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 11. de Regular.* Sin verò non habeant curam animarum, tunc tantùm ab Epiſcopo, ſeu Ordinario loci authoritate ſibi delegata à Papa viſitari poſſunt clerici ſæculares, ſi fuerint exempti non obſtante quocunque perſonali privilegio, Concil. Trident. *ſeſſ. 6 c. 3. de refor.* Si perſonæ exemptæ ſint regulares, & degant extra monaſterium viſitari, corrigi, ac puniri poſſunt ab Epiſcopo, tanquam à delegato ſedis Apoſtolicæ; ſin autem degant in monaſteriis, tunc generatim non ſubſunt jurisdictioni, & viſitationi Epiſcopi. Quod verò ad Eccleſias pertinet, quæ dicuntur nullius eſſe diœceſis, eò quia ſint exemptæ à jurisdictione Epiſcopi loci, & non ſint in diœceſi. eò quia habeant territorium ſeparatum cum jurisdictione quaſi Epiſcopali, tunc ſi tales Eccleſiæ ſint ſæculares, & ex prima origine, ſive privilegio, ſive præſcriptione ſunt extra fines cujusque Diœceſis, poteſt Epiſcopus proximior, immo debet eas viſitare tanquam delegatus ſedis Apoſtolicæ ex decreto Concilii Trident. *ſeſſ. 24. c. 9. de refor.* Sin verò ſint intra fines alicuius Diœceſis eas tenetur viſitare Epiſcopus, intra cujus diœceſis fines exiſtunt, & poteſt etiam eorum ſubditos ordinare, iisque concedere dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos. Quòd ſi Eccleſiæ nullius diœceſis ſint Regulares, Epiſcopus non poteſt illas viſitare, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 9.* tantùm loquitur de Eccleſiis ſæcularibus.

TITULUS XXXX.

De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

QUia ad plenum jus patronatus non fuit ſatis, Patronum Eccleſiam fundáſſe, conſtruxiſſe, & dotáſſe, ſed rurſus adhuc deſiderabatur, ut conſecraretur, ideo Pontifex hunc ſubjicit titulum de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris, quia immunitates ſequuntur ad ipſam conſecrationem; adeo ut cenſus, & onera, ac ſervitutes non poſſint Eccleſiæ imponi poſt conſecrationem, ſed tantùm antequam conſecretur. Hinc Eccleſia ſi ſemel legitimè fuerit exſtructa, priusquam ſacris deputetur miniſteriis, ne divino cultui mora injiciatur quantocius conſecrari debet ab Epiſcopo diœceſano *c. nemo de conſecrat. d.* 1.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *AD HÆC* 1. *h.t. Alexander III. declarat, quòd si altare moveatur, vel lapis continens sigillum frangatur, vel diminuatur, debeat de novo consecrari altare, non tamen ipsa Ecclesia licèt id quidam canones videantur innuere. Notandum est, altare unum esse mobile, seu portatile, quod & viaticum dicitur* c. ult. de privil. in 6. *alterum fixum, & stabile, quod alicui loco, seu basi est affixum; mobile per se consecratur proinde non amittit consecrationem, si à ligno, cui est inclusum separetur. Fixum verò amittit consecrationem, si lapis, seu mensa removeatur ab inferiori structura, quia consecratio hujus altaris fixi præcipuè consistit in conjunctione mensæ, seu lapidis superioris, & structuræ inferioris, unde si mensa removeatur, vel aliquis lapis mensam tangens, est iterum consecrandum altare: non ita si aliquid addatur altari: quia sacrum trahit ad se non sacrum* c. si motum de consecrat. dist. 1. *ubi altare vocatur mensa, & Ecclesia vocatur altare. Rursus sigillum altaris dici loculum illum, in quo reliquiæ sanctorum includuntur ex antiquissima Ecclesiæ traditione, & consuetudine. Hinc probabile est, quod docent plures cum Layman* lib. 5. tract. 5. c. 6. *per solam fractionem sigilli non profanari altare, sive fixum, sive portatile. Verùm contraria sententia est communior, & servanda in praxi, adeò ut si frangatur sigillum, debeat altare iterum consecrari.*

C. *TUA* 2. *h.t. Innocentius III. rescribit Episcopo Tornacensi, Ecclesiam posse consecrari diebus festis, & non festis; proinde, ut notat Glossa etiam altare; immò etiam virgines urgente necessitate.*

C. *QUOD IN DUBIIS* 3. *h.t. declarat idem Pont. Quòd si tabula consecrata moveatur, vel enormiter frangatur, debeat altare iterum consecrari. Rursus oleum non consecratum posse misceri consecrato, quia non sacrum accessione ad sacrum, fit sacrum; idq; potissimum locum habet in liquoribus: si tamen non sacrum non excedat sacrum; sed sit in minori quantitate, tunc enim dicitur totum consecratum, sic in reficiendis sacris vestibus potest apponi filum non consecratum, vel etiam pannus non consecratus sine nova consecratione. Ceterum illud est commune altari tum mobili, tum fixo, ut consecrationem amittat ex notabili fractione, seu qua tanta sit, ut in nulla integra parte calix cum patena in morali æstimatione possit consistere, ut notat Panormitanus in* c. ligneis 6. h. t. *hinc forma sufficiens ad retinendam consecrationem erit, si altare capere possit calicem cum patena, & corporali.*

C. *PROPOSUISTI* 4. *h.t. Idem Pont. declarat, quòd si Ecclesia polluatur propter homicidium, vel vulnera inflicta hominibus, debeat reconciliari per aquam benedictam cum vino, & cinere. Ubi notat Glossa, quòd si dubitetur, an sit consecrata, debeat consecrari. Rursus si est exusta tota, vel major pars, est iterum consecranda: secus si tectum corruit, & parietes manserunt. Rursus si tota, vel major pars fuerit destructa, est etiam consecranda, non ita si successivè, sed sufficit tunc aspersio aquæ benedictæ.*

C. *CUM SIS* 5. *h.t. declarat idem Pont. posse Episcopos plures simul consecrari, ut etiam plura altaria in una Ecclesia, hoc est in una missa posse plura altaria, & plures Episcopos consecrari.*

C. *LIGNEIS* 6. *h.t. rescribit idem Pont. quòd si corruat totum tectum, & parietes sint illæsi, & tabula, vel mensa altaris non sit mota, nec enormiter læsa, licèt in sua extremitate sit parum fracta, non debeat de novo consecrari Ecclesia, nec altare. Ubi notat Glossa, Ecclesiam consecrari in parietibus in quibus sunt cruces, & inunctiones, non verò in tecto, proinde si stant, non consecratur iterum* can. de fabrica. de consec. dist. 1. *Sin verò Ecclesia non sit consecrata, sed tantùm benedicta, tunc combusta, aut dejectis parietibus non amittitur benedictio, quia hæc non inhæret parietibus, ut consecratio, sed solo quod semper manet idem.*

C. *CONSULUISTI* 7. *h.t. Idem Pont. rescribit, quòd si corpora excommunicatorum sepeliantur in cœmeterio, hoc polluitur, & est reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ, ut fit in dedicatione Ecclesiæ. Ubi notat Glossa, hoc idem procedere de Ecclesia, quòd si corpora discerni possint, debent priùs exhumari, & ejici extra cœmeterium* c. si civitas de sent. excommun. in 6. c. sacris de sepult.

C. *CUM SICUT* 8. *h.t. Honorius III. rescribit Reginæ Hungariæ, Ecclesiam non esse consecrandam nisi priùs ei fuerit provisum de dote, & illum teneri eam dotare, qui facit ut consecretur. Ubi notat Glossa, quòd si Episcopus consecret, vel fundet Ecclesiam non assignata dote, tenetur ipsam dotare; perinde ac teneretur ordinatum sine titulo alere, dummodo posset id facere sine læsione Ecclesiæ, vel habeat ex proprio. Cæterum fundator, vel ejus hæres cogi potest ad dotandam Ecclesiam fundatam.*

C. *AQUÆ* 9. *h.t. rescribit Gregorius IX. simplicem sacerdotem cum aqua per Episcopum benedicta etiam de mandato Episcopi non posse reconciliare Ecclesiam pollutam, sed id pertinere ad ipsum Episcopum, qui licèt possit committere, quæ sunt jurisdictionis, non ita quæ sunt ordinis.*

C. *SI ECCLESIA* 10. *h.t. Idem Pont. rescribit, quòd si Ecclesia non consecrata polluatur effusione sanguinis, vel seminis sit statim lavanda aqua exorcizata, ne suspendantur cantus divina laudis, & quàm citiùs fieri poterit, sit consecranda. Hinc notat Glossa, Ecclesiam non consecratam gaudere eodem privilegio, quo consecrata.*

IN SEXTO.

C. *SI ECCLESIAM unic. h.t. statuitur, quòd si Eccle-*

Eccleſia polluatur effuſione ſanguinis, vel ſeminis, cenſeatur etiam polluta cœmeterium, ſi ſit illi contiguum; & in eo non poſſit quis ſepeliri antequam reconcilietur; ſin verò ſit remotum ab Eccleſia non cenſetur polutum. Rurſus ſi polluatur cœmeterium contiguum, non cenſetur poluta Eccleſia, quia minus dignum non trahit majus. Rurſus ſi ſint plura cœmeteria contigua diviſa uno pariete, quamvis ex uno in aliud per portam pateat aditus, nihilominus ſi unum polluatur, non cenſetur poltutum aliud. Notandum tamen eſt cum Gloſſa, quòd ut polluatur Eccleſia, effuſio ſanguinis humani debet eſſe injurioſa: unde ſi occiſus in Eccleſia ob neceſſariam ſui defenſionem occidat injuſtum aggreſſorem, & effundat ſanguinem non polluitur Eccleſia, nec homicida ſit irregularis. Rurſus effuſio ſanguinis debet eſſe in magna quantitate, quia ſi effundantur pauca guttula non dicitur polluta Eccleſia. Sin verò in Eccleſia occidatur homo ſine ſanguinis effuſione, adhuc Eccleſia eſt polluta, & reconcilianda. Sin verò quis extra Eccleſiam vulneretur, & fugiat ad Eccleſiam, in qua ſanguinem fundat, non polluitur: bene tamen ſi intus vulneretur, & foras ſanguinem fundat.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quando, quomodo, & à quo ſint Eccleſia conſecrandæ.

1 Onſtructa, & perfecta Eccleſia priusquam in ea divina obeantur officia conſecrari debet, vel ſaltem benedici ab ipſo Epiſcopo, ſi ſermo ſit de conſecratione: quia conſecrare Eccleſiam eſt actus proprius ordinis Epiſcopalis, proinde non poteſt alteri, quàm Epiſcopo committi; neque poteſt Epiſcopus delegare poteſtatem conſecrandi Eccleſiam ſimplici ſacerdoti: ratio eſt, quia hæc poteſtas non eſt jurisdictionis, ſed ordinis epiſcopalis, proinde non poteſt delegari niſi alteri Epiſcopo: hinc ſi Epiſcopus, in cujus diœceſi eſt Eccleſia conſecranda aliquo detineretur impedimento, ad id munus obeundũ nequit alium delegare, quàm Epiſcopum: neque Epiſcopus exterus poteſt ſine conſenſu Epiſcopi loci, in cujus diœceſi eſt Eccleſia, eam conſecrare. Poteſt tamen Epiſcopus ſimplici ſacerdoti committere, ut Eccleſiam conſtructam, & perfectam, ac abſolutam benedicat, ut in ipſa divina poſſint obiri. Rurſus poteſt Eccleſia ab Epiſcopo conſecrari quocunque die ſive feſto, ſive feriato; quia licèt conſecrationes Epiſcoporum, clericorum, & virginum non niſi certis diebus fieri poſſint; non tamen pro conſecrandis eccleſiis ſunt certi dies deputati.

2 Rurſus conſecratio Eccleſiæ fieri debet inter miſſarum ſolemnia adhibito ſolemni ritu ab Eccleſia præſcripto: quòd ſi conſecratio fieret non ſervatis hiſce ſolemnitatibus, adhuc rata haberetur, & firma, quia tales ſolemnitates non videntur eſſe de ſubſtantia hujus conſecrationis. Tum, quia hæc conſecratio fit in re inanimata, proinde non eſt neceſſe ſervare tantam ſolemnitatem, ſicut in conſecratione ſacrarum perſonarum. Cæterum Epiſcopus non debet Eccleſiam conſecrare, niſi ſacrificium miſſæ celebret, idque ex præcepto, & conſuetudine Eccleſiæ Romanæ *c. omnes 3. c. de fabrica 24. d. t. de conſecrat.* Non tamen eſt de ſubſtantia conſecrationis, ut Epiſcopus celebret, quia conſecratio adhuc rata haberetur, quamvis Epiſcopus conſecrator miſſam non celebraret.

3 Eccleſia ſemel conſecrata non eſt iterum conſecranda *c. eccleſiis 20. diſt.* 1. quòd ſi neſciatur, vel ambigatur, an Eccleſia revera fuerit conſecrata: tunc inquirendum eſt de rei veritate, vel ex unius teſtis aſſertione, vel ex libris Eccleſiæ, vel aliis monumentis, vel inſtrumento dotationis, vel ſcriptura aliqua in Eccleſiâ, columnis, muro, tabulis, aut alio ſigno, an id conſtare poſſit, quia his omnibus creditur: quòd ſi Eccleſia admodum antiqua ſit, tunc præſumitur conſecrata. Cæterum ſi nihil horum reperiatur, conſecranda erit. Tres recenſentur caſus, in quibus debet Eccleſia conſecrari. *Primus* eſt, ſi neſciatur, vel dubitetur de illius conſecratione, nullúmque appareat indicium, ſeu argumentum, ex quo conjici poſſit, quòd fuerit conſecrata: indicia autem deſumuntur ex inſtrumento dotationis confecto, ex crucibus depictis in parietibus, & aliis ſignis paulò antè recenſitis, quòd ſi unus adſit teſtis, qui teſtetur, ſe vidiſſe conſecrationem Eccleſiæ, præſtanda eſt illi fides, imò ſecundùm aliquos ſi tantùm teſtetur ſe audiviſſe, Eccleſiam conſecratam fuiſſe *c. ſolemnitas* juncta *Gloſſa V. nec certi teſtes.*

4 Cæterum in dubiis debet Epiſcopus ſub conditione non verbis expreſſa, ſed mente retenta Eccleſiam conſecrare, ſi non eſt conſecrata, ut notat Gloſſa *in d. c. ſolemnitates V. facit.* ubi autem non agitur de præjudicio alterius, atteſtatio unius teſtis, & aliæ ſemiplenæ probationes ſufficiunt ad plenam fidem. Verùm in dubio Eccleſiam non præſumi conſecratam ob ſolam diuturnitatem temporis, notat Barb. *in c. propoſuiſti 4. num. 6. h. t.* Secundò ob exacrationem conſecratur Eccleſia, ut ſi fuerit igne exuſta, & parietes inferiores combuſti, devaſtati, vel abraſi ex toto, vel majori parte, tunc de novo conſecrari debet *c. eccleſiis 20. diſt. de conſec.* ratio eſt quia conſecratio fit in exteriori parte, ſeu ſuperficie parietum, qui chrismate illinuntur, & quibus crucis ſignum apponitur,

quapropter excombuſtione, & notabili abtaſione parietum quoad externam ſuperficiem, in locis ubi parietes fuerunt chriſmate deliniti violatur conſecratio, tametſi parietes non corruerint, ut notat Abbas *in d.c. propoſuiſti 4. num. 7. h. t.* hinc ſi tecti contignationes ligneæ ex vetuſtate, vel alia ex cauſa corruerint, vel deſtructæ fuerint, ſi parietes illæſi ſerventur, non eſt iterum Eccleſia conſecranda: quia tunc non violatur conſecratio, ut deſumitur *ex c. ligneis 6. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi corruat totum tectum, & parietes ſint illæſi, & tabula, vel menſa altaris non ſit mota, nec enormiter læſa, quamvis in ſua extremitate ſit modicum fracta, tunc nec Eccleſia, nec altare denuò debet conſecrari, quia cum conſecratio fiat in parietibus, in quibus exprimuntur cruces, & inunctiones, & non in tecto, ideo ſi ſerventur parietes illæſi, tametſi tectum corruat non eſt neceſſe, ut iterum Eccleſia conſecretur. Tertiò, ſi tota Eccleſia, vel ex majori parte corruerit, & reædificata ſit, debet iterum conſecrari, tametſi ex eadem materia Eccleſia reædificetur: ratio eſt quia tunc cum prior forma interierit cenſetur eſſe nova Eccleſia, ut notat Gloſſa *in c. de fabrica de conſec. q. 1.* tunc enim priſtina conſecratio fuit violata, & Eccleſia amiſit conſecrationem: Eccleſia enim quæ majori ex parte corruit, & poſtea fuit reſtaurata, nec phyſicè, nec moraliter cenſetur eſſe eadem, quæ antea erat.

5 Objici tamen poſſet difficilis textus in *l. inter ſtipulantem 83 §. 5. ff. de V.O.* & *in l. qui res 98. §. 8. ff. de ſolut.* ubi dicitur, quòd navis ea mente diſſoluta, ut ex iisdem tabulis reficiatur, dicatur manere eadem navis: hinc à pari ſi ex eadem materia reſtauretur Eccleſia, dicenda erit eadem Eccleſia, quæ propterea non videtur indigere nova conſecratione. Verùm in præcitatis textibus navis dicitur eadem manere, quantum ad retentionem dominii, & poſſeſſionis civilis illius, qui per diſſolutionem navis noluit navem interire; non verò quoad eandem numero. Hinc ſi Eccleſia ex majori parte collapſa reſtauretur ex eadem materia, non tamen manet eadem numero forma: alioquin malè dixiſſet jurisconſultus in dictis textibus, quòd navis ſine intentione refectionis diſſoluta, & poſtea mutato conſilio ex iisdem tabulis refecta alia ſit navis; quia ſola intentio diſſolventis, cum ſit extrinſeca, non poteſt immutare ſubſtantialia compoſiti.

6 Quòd ſi parietes Eccleſiæ non ſimul, & ſtatim, ſed paulatim per partes minores, & ſucceſſivè corruerint, ita tamen ut nunquã major pars fuerit ſimul deſtructa, tunc non deſunt, qui putent cum Innocentio *in rubric. h. t. num. 1.* & Abbate *in c. propoſuiſti 4. num. 8. h. t.* eſſe iterum Eccleſiam conſecrandam, eò quia tunc non maneat eadem Eccleſia, quæ antea, ſecundùm rei veritatem, ſed tantùm ſecundùm fictionem, ratione cujus navis ex toto reparata cenſetur eadem, quæ fuit antea cum tamen in rei veritate non ſit eadem: in ſpiritualibus verò non juris fictio, ſed veritas debet attendi: & quia Eccleſia, quæ ex toto, vel ex majori parte eſt refecta, licèt ſucceſſivè, & per partes in rei veritate non eſt amplius eadem, ac antea; ideo debet iterum conſecrari: quia conſecratio, quæ antiquis inerat parietibus violata fuit, & ſublata.

Alii nihilominus, & forſan probabiliùs cenſent tunc Eccleſiam non eſſe iterum conſecrandam, ut docent Barb. *in c. ligneis 6. n. 3. h. t.* Azorius *p. 2. lib. 9. c. 4. q. 6.* Hoſtienſis *in c. propoſuiſti 4. h. t.* & alii, qui nituntur ea ratione, quia quamvis Eccleſia ex nova materia paulatim, & ſucceſſivè à primis fundamentis inſtauretur, cenſetur tamen ſemper perſeverare eadem Eccleſia etiam in rei veritate; perinde ac navis, quæ paulatim per partes ſucceſſivè reparatur, dicitur eadem navis, quemadmodum eſt eadem civitas licèt paulatim, & ſucceſſivè omnes cives moriantur, & alii ſuccedant, & omnes domus paulatim, & ſucceſſivè corruant, & iterum ædificentur, ſemper enim dicimus eſſe eandem Romam, quæ fuit ante plura ſæcula. Hæc ſententia videtur valde probabilis, quia etiam homo non ſolùm quoad animam, verùm etiam quoad corpus ſemper dicitur idem, licèt ejus partes quotidie per calorem naturalem abſumantur, & novæ generentur: ratio enim quæ à Philoſophis adducitur, eſt, quia partes de novo accedentes, quæ accreſcunt, fiunt una, & eadem res cum partibus, quibus adjunguntur in ordine ad conſtituendum unum totum. 7

Hinc quando pars aliqua Eccleſiæ conſecratæ corruit, & inſtauratur de novo, antiqua conſecrata non omnino tollitur, ſed pars inſtaurata accreſcit antiquis, cum quibus conſtituit unum totum, & conſecratio antiquis partibus inhærens quantum ad virtutem ſupernaturalem, & ſpiritualem extenditur ad novam partem reſtauratam, & adjectam; adeo ut per unionem ad partes antiquas conſecratas, etiam ipſa fiat ſacra: ratio eſt quia in iis, quæ fiunt per additionem, vel acceſſionem partium dignius trahit ad ſe minus dignum: quo pacto modica quantitas olei non conſecrati poteſt commiſceri oleo conſecrato *c. quod in dubiis 3. in fin. h. t.* & tunc totum oleum, ut notat Gloſſa ibidem dicitur conſecratum: hoc pacto in reficiendis, ac inſtaurandis veſtibus ſacris poteſt apponi filum non conſecratũ, & pannus non conſecratus, nec tunc neceſſe eſt, ut veſtis iterum conſecretur: ita à pari de parte Eccleſiæ, quæ corruerat, & iterum inſtauratur. Id tamen putârim procedere quando oleum non conſecratum eſt modicum, & admiſcetur oleo ſacro, quod eſt in majori quantitate; quia tunc virtus ſpiritualis, ac ſupernaturalis rei dignioris attingit minus dignum, & non ſacrum, quatenus eidem communicat ſuum effectum, quia pars major prævalet reſpectu minoris. 8

Quòd ſi oleum non ſacrum ſit in majori, vel etiam æquali quantitate, & admiſceatur oleo conſecrato in minori quantitate, tunc non cenſerem, partem illam majorem adjectam minori in ſe recipere virtutem minoris, & ratione unionis etiam conſecrari: alioquin ſi pars minor poſſet ſuam virtutem communicare majori, ſequeretur, quòd per guttam olei conſecrati conſecraretur dolium plenum oleo non conſecrato & per modicam aquam luſtralem, ſeu benedi- 9

ctam

stam projectam in lacum, totus lacus contineret aquam lustralem, quod videtur absurdum: cùm enim dicitur quòd pars adjecta recipiat virtutem totius; debet totum quoad partes antiquas excedere partem adjectam

10 Quod verò ad altaria pertinet, debent hæc sive portatilia fuerint, sive fixa in superiori parte lapidea esse ad designandum, quòd sacerdotes celebrantes mortem domini annuntient, qui in sepulchro lapideo sepultus fuit, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth. 11*, quapropter omnia altaria debent sepulchrum, ac sigillum habere, seu cavitatem aliquam, in qua reliquiæ sanctorum recludantur, ut desumitur *ex c. placuit. 26. de consecrat. q. 1.* & constat etiam ex continua praxi, & usu, qui est optimus interpres legum *l. cum de interpretatione ff. de LL.* Tum quia Sacerdos ascendens ad altare hoc idem significat per illa verba *quorum reliquiæ hic sunt.* Altare verò portatile est tabula lapidea, quæ potest de loco ad locum asportari ad differentiam altaris fixi, quod tam ex parte superiori, quàm inferiori constituitur essentialiter ex pede firmo, & superiori mensa lapidea, adeo ut si altari fixo superior tabula à suo pede amota fuerit, censeatur totum altare non amplius consecratum.

11 Quòd si in utroque altari portatili, & fixo fiat notabilis fractura, & reliquiæ sanctorum fuerint extractæ: quinimò si solum sepulchrum, vel sigillum apertum fuerit, & lapis claudens sepulchrum fractus, exacratum censetur altare, & est de novo consecrandum, ut notat Innocentius *in c. ad hæc 1. h. t.*, ubi Alexander III. statuit quòd si altare moveatur, vel lapis continens sigillum frangatur, vel deminuatur, debeat altare de novo consecrari; non tamen Ecclesia, quia id non est consultum, quamvis hoc canones videantur innuere. Circa verò fracturas notat Glossa *in d. c. ad hæc* quòd si mensa altaris enormiter fracta sit, consecrandum sit altare, eò quia consecratio altaris præcipuè intelligatur esse in conjunctione mensæ. Et si mensa removeatur, vel aliquis lapis mensam tangens, est iterum consecrandum altare: secus si aliquid addatur altari, quia sacrum trahit ad se non sacrum *c. si motum de consecrat. dist. 1.*

12 Verùm quoad fracturas plurimum tribuendum est arbitrio Episcopi, ut ipse judicet, an, & quando exacratio facta dici debeat, ut monet Barb. *de offic. Episc. allegat. 27. num. 2.* & ait tantam esse debere fracturam, ut in nulla parte altaris calix cum patena moraliter rem æstimando consistere possit: unde si fractura præsertim sit in medio altaris, ubi calix ponitur, ut hic non possit consistere, censetur facta exacratio: non ita si frangantur cornua altaris, tametsi unctio in iisdem facta fuerit; siquidem consecratio intelligitur inesse toti altari, quod proinde non exacratur, ex eo quòd ejus cornua frangantur.

13 Quamobrem casus, in quibus altaria exacrantur tres solent à Canonistis recenseri. Primus si altare, sive fixum, sive mobile lædatur enormiter in mensa superiore, seu lapide superposito, qui continet sigillum, vel lapis altaris portatilis fuerit notabiliter fractus, aut etiam diminutus, tunc enim debet iterum consecrari. Censetur autem altare notabiliter fractum, quando ad usus, ad quos est consecratum fit ineptum, & inutile, adeo ut fractura tanta sit, ut in nulla integra parte superstitis altaris calix cùm patena secundùm majorem suam partẽ consistere possit: vel etiam si ob fracturam lapidis, vel mensæ superioris altare nimis deforme sit, id autem judicare pertinet ad Episcopum: secus si fractura sit modica: quando enim est notabilis, tunc altare non censetur amplius manere idem, sed fuisse mutatum quoad formam; proinde etiam quoad consecrationem.

Cæterum in dubio casu exacratio altaris 14
non est præsumenda, nec consecratio iteranda, si constet, consecrationẽ fuisse semel ritè factam; quòd si dubium caderet super consecrationem, an fuerit facta, nec ne, debet fieri sub conditione, ut superiùs dictum est de Ecclesia. Rursus si ad mensam consecratam altaris fixi addatur novus lapis, vel plures, tunc ita debent aptari, ut calix, & patena non in lapide de novo addito, sed in veteri consistat, ut notat Glossa *in c. si motum 19. V. altare d. 1. de consecrat.* Secundus casus, in quo altare fixum consecratur, est si mensa superior consecrata à basi, seu inferiori structura, cui est affixa, vel columnis, quibus nititur, amoveatur, ut habetur *in c. si motum 19. d. 1. de consecrat*, quia consecratio altaris fixi præcipuè consistit in consecratione mensæ, seu lapidis superioris, & inferioris structura, unde si illa conjunctio tollatur, altare exacratur, & debet iterum consecrari.

Si tamen tota mensa superior lapidea simul 15
cum lapidibus principalibus, seu columnis, quibus immediatè innititur, moveatur de loco ad locum non exacratur, quia tunc non separatur à basi, seu structura inferiori. Hinc patet discrimen inter altare fixum, & portatile, quia hoc non exacratur, quamvis separetur à ligno, cui est inclusum, eò quia lignum non apponitur lapidi, nisi ad ornamentum, vel custodiam ejusdem; neque est capax consecrationis, cùm non sit lapis, ut notat Abbas *in c. ad hæc 1. num. 3. h. t.* Excipitur tamen nisi in ligno sit sigillum, seu loculus reliquiarũ includatur, quia tunc per separationem ligni à lapide probabiliter exacraretur altare portatile. Tertius casus solet etiam poni: nimirum si altare, sive fixum, sive portatile notabiliter frangatur, vel privetur sigillo, seu sepulchro altaris, in quo continentur reliquiæ sanctorum. Verùm putant plures, reliquias non necessariò requiri, eò quia non exter clarus textus, ex quo illa necessitas, aut præceptum convincatur.

§. II.

De Consecratione Sacrorum vasorum, vestium, & cœmeterii.

PRæter Ecclesias, & altaria, etiam calix, & 1
patena consecrari debent, & quidem ab Episcopo, quia fit mediante unctione juxta *c. nunc. §. fin. de sacram.* & talis consecratio est etiam actus ordinis Episcopalis, adeo ut non possit consecratio calicis committi ab Episcopo

alicui inferiori sacerdoti, sed solus summus Pontifex, potest id muneris simplici sacerdoti committere, ut docet D. Thomas *in 4. dist. 7. q. 3. art. 1.* quia consecratio tam Ecclesiæ, quàm calicis est actus ordinis Episcopalis, non ex institutione divina, sed ecclesiastica, quatenus Ecclesia voluit, ut nonnisi per potestatem episcopalem actus ille exerceretur: & quia summus Pontifex habet potestatẽ super omnia, quæ sunt de institutione ecclesiastica, potest facere, ut quę ex eadem institutione ecclesiastica fieri possunt à solo Episcopo, exerceantur à simplici sacerdote: qua ratione potest summus Pontifex committere inferiori Episcopo, seu simplici sacerdoti quæ sunt de jure positivo ecclesiastico ordinis Episcopalis, non verò quæ de jure divino, ut docent Glossa *in c. pervenit. dist. 95.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. forma vic.* Abbas *in c. aqua in fin. de consecrat. eccles.* & communiter Canonistæ. Tum quia quilibet Sacerdos habet tantam potestatem, supra corpus Christi verum, quantam Episcopus; proinde adest in simplici sacerdote fundamentum, ut possint eidem committi omnes illi actus, qui de jure Ecclesiastico adscribuntur solis Episcopis: quia omnes hi actus pertinent ad corpus mysticum Christi, proinde exigunt potentiam supra ipsum in exercente: hæc autem potestas supra corpus Christi mysticum fundatur in ordine sacerdotali, qui æquè est in simplici sacerdote, ac est in Episcopo.

2 Debent hæc sacra vasa esse ex auro, vel argento conflata, adeo ut ex materia lignea, vitrea omnino prohibeantur, eò quia in ligno sanguis per poros imbibatur, & vitrum ob fragilitatem facilè frangatur, idque desumitur *ex c. ut calix de consecrat. d. 1.* ibi enim conjunctim Pontifex statuit, ex qua materia constare debeant calix, & patena: hinc offerens sacrificium in vasis conflatis ex materia prohibita lethaliter peccat, ut desumitur *ex c. fin. de celeb. miss.* ubi Sacerdos, qui in scypho ligneo consecraverat, privatur in perpetuum officio, & beneficio, & quia hæc pœna est gravis, supponit etiam culpam gravem. Ratio cur calix, & patena debeant constare ex auro, vel argento, vel saltem stante paupertate ex stamno, ut statuitur *in d. c. ut calix. de consecrat. dist. 1.* est, quia ex natura sacrificii, quod exigit tractari cùm magna reverentia, requiruntur vasa conflata ex materia proportionata, quia hæc sunt apta ad servandam reverentiam debitam naturæ sacrificii: unde quoties ratio naturalis, vel etiam experientia ostendit, esse inconveniens, quòd sacrificium offeratur in vasis constantibus ex hac, vel illa materia, locum habet prohibitio, ut de eo, quod non concernit reverentiam debitam sacrificio. Aurum autem, & argentum, ut etiam stamnum stante paupertate sunt materiæ excludentes inconvenientiam, quæ provenit ex aliis materiis: proinde valde aptæ determinatæ sunt ad conficiendum calicem, & patenam. Secluſa paupertate posse calicem constare ex stamno videtur desumi *ex rubric. missal. tit. 10. num. 1. & de defect. occurrent. in minist. miss.* ubi inter alios defectus ponitur; si non adsit calix cum patena conveniente, cujus cuppa debet esse aurea vel argentea, vel stamnea; unde secundum Rubricas calix stamneus etiam admittitur. Tum quia cùm admittatur ratione paupertatis absolutè censetur materia habilis, ob majorem tamen decentiam cuppa calicis ex auro, vel argento deaurato conflari debet, ut etiam patena.

Hinc non potest conflari calix ex plumbo 3
ob inhabilitatem materiæ, non ob illam rationem, quia sit materia porosa, quia non videtur magis porosa, quàm stamnum: sed quia facilius sordes contrahit, quæ non facilè absterguntur, & quia per contactum diffundit plumbeam quandam substantiam, quæ se vino communicaret, ipsúmque inficeret cum periculo vomitûs, quando sumerentur species consecratæ. An verò possit cuppa calicis conflari ex plumbo multo illito auro, aliqui affirmant, eò quia tunc ratione auri impositi corrigitur vitium plumbi, ratione cujus est materia inhabilis. Tum quia superficies illa aurea, præsertim si aliquam habuerit crassitiem in functione sacra continentiæ vini consecrandi, aut consecrati æquipollet materiæ aureæ. Verùm non obstante quòd plumbum sit auro illitum, & corrigatur vitium plumbi, adhuc probabiliùs censerem, non posse cuppam calicis conflari ex plumbo, quia Canones simpliciter excludunt talem materiam.

Neque constare potest ex auricalco, ære, & 4
cupro: quia hæc metalla facilè contrahunt æruginem, & vomitum provocant. Sin verò cuppa calicis ex auricalco, ære, vel cupro conflata deauretur, tunc censent plures hujusmodi metalla non esse materiam prohibitam, eò quia *in c. ut calix de consecrat. d. 1.* non prohibeantur fieri absolutè calices ex ære, & auricalco, sicut prohibentur fieri ex ligno, aut vitro, sed tantùm ex speciali causa: quia nimirum rubiginem contrahant, vomitúmque provocent; adeo ut materia hæc tantùm sit prohibita, prout stat sub hac ratione finali, expressa in lege: quòd si materia ita qualificetur, ut non stet amplius sub tali causa finali, non erit materia prohibita: quia quando affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis. Tum quia cum lex non excedat terminos suæ rationis restringitur intra limites ejusdem rationis *l. cum pater §. dulcissimis ff. de legat.* & tradunt Abbas *in c. quia in Insulis not. de appell.* Tiraquel. *tract. de cessante caus. p. 1. num. 144.* at quando prædata metalla sunt plurimo illita auro cessat causa finalis, quia nec rubiginem contrahunt, nec ad vomitum provocant. Tum quia tunc ipsum aurum vices gerit substentaculi, & est materia, quæ proximè continet vinum consecrandum: & hæc sententia non caret sua probabilitate. Ex ebure non potest calix confici quia recipiendo vinum maculas contrahit, quæ non possunt abstergi, debent enim vasa huic sacrificio destinata munda omnino servari.

An verò ex lapide possit calix fieri? communior, & verior sententia est, non esse materiam aptam, tametsi sit lapis pretiosus, eò quia ut notat Paulus Maria Quartus *in rubric. miss. p. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 1.* Lapis est porosus, & imbiberet Christi sanguinem. Nihilominus alii censent, 5

pro-

probabile posse confici ex lapide pretioso, docent hanc sententiam Henriquez. *lib. 9. c. 28. num. 2. litt. M.* Fagundez. *in 1. præcept. Eccles. lib. 3. c. 21. num. 13.* ubi referunt Valentiæ in Aragonia conservari calicem conflatum ex lapide Agatha, in quo dicitur Christus consecrâsse. Quòd si id verum esset, non censerem improbabile, posse calicem confici ex lapide pretioso ex illo genere, quod non est porosum, dummodo polliri, ac levigari ita posset, ut omnino cessaret periculum imbibendi species consecratas, & contrahendi maculas: talis enim materia cum non censeretur minus pretiosa, quàm aurea, vel argentea, immo in pretio excederet aurum; non video cur non posset deservire sacrificio: præsertim cùm circa materiam lapidis non reperiatur prohibitum, nec concessum: nec in Rubricis, recenseantur lapides inter materias, ex quibus non possit calix confici.

6 Cùm dicitur, quòd calix debeat conflari ex auro, vel argento sufficit, si sola cuppa calicis constet ex tali materia, ut notant Garcia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 2. n. 27.* Paulus Maria Quartus *in rubric. miss. p. 2. tit. 1. sect. 2. dub. 1.* & desumitur *ex rubric. tit. 10. n. 1. de defect. in minist. occurr.* & ita etiam declarat praxis, cum adhibeantur calices cum pede, ut plurimum ex ære, unde quamvis non adesset Rubrica, adhuc sufficeret consuetudo ad inducendum jus *l. de quibus ff. de LL. & l. nulli ff. quod cujusque universi.* Verùm in materia pedis requiritur illa habilitas, quæ apta sit uniri cuppæ, & ipsam sustentare, quapropter pes vitreus non esset habilis, tum ob fragilitatem, tum quia non posset firmiter uniri cuppæ. Debet tamen cuppa si argentea sit intus auro illini, ut etiam patena, ut habetur *in Rubricis p. 2. tit. 1. de prepar. Sacerdot. num. 1.* an verò hæc inauratio necessaria sit, sub gravi obligatione, si cuppa sit ex argento, aliqui negant, eò quia argentum sit materia per se pretiosa, & valde habilis pro tali ministerio: proinde inauratio non potest esse necessaria ad habilitandam materiam, sicut est in ære, & auricalco, & dicunt hanc inaurationem solùm præscribi in Rubrica, non ut necessariam, sed tantùm ex quadam decentia, & ad tractandum nobiliori modo sacrificium; adeo ut Rubrica sit directiva tantùm in ordine ad decentiam, non verò quòd ponat obligationem. Nihilominus censerem, hanc inaurationem esse necessariam ex gravi obligatione, eò quia Rubrica illam injungat, perinde ac jubet cuppam calicis debere confici ex auro, vel argento. Tum quia usus, & consuetudo est, ut cuppa calicis inauretur, & usus est optimus interpres legis, & sufficit ad inducendum jus cùm gravi obligatione *l. observare ff. de offic. Procons. l. de quibus ff. de LL.*

7 Amittunt vasa consecrationem quando ita franguntur, seu amittunt suam formam artificialem, ut non sint ampliùs vasa apta pro ministerio oblationis sacrificii, & id procedit non solùm de physica aptitudine, sed etiam de morali, & decenti; quia consecratio se habet per modum qualitatis moralis inhærentis subjecto; proinde indiget ipso, ut possit manuteneri, & perit pereunte subjecto, perinde ac destructo fundamento corruit res fundata: & quia forma est, quæ dat esse rei, si hæc perit, etiam res ipsa perit: consequenter amissa forma artificiali in calice perit ipsa consecratio. Hinc si calix, & patena ita frangantur, ut possint quidem inservire ministerio, sed remaneant deformes, adeo ut præseferant aliquam indecentiam, amittunt consecrationem, quia considerata decentia non sunt ampliùs instrumenta habilia, debet enim hæc habilitas materiæ conjuncta esse cum decentia: siquidem reverentia debita huic sacrificio exigit instrumenta habilia in sua forma, & decentia.

8 Non tamen si calix malleo ab artifice percutiatur, inde deperdit suam consecrationem, quia nulla actio materialis, seu corporalis directè potest in rem spiritualem, sed tantùm indirectè; unde cùm tales ictus non immutent formam calicis, nec auferunt ejus consecrationem; ut notat Barb. *de offic. Episc. allegat. 27. num. 39.* Neque obstat, quòd de consuetudine calix per aliquos ictus à fabro inflictos habeatur exacratus, quia talis consuetudo nititur errore simplicium, proinde nullam inducit legem. Quòd si in calice contingeret aliquod foramen quamvis modicum, ex quo species consecratæ possent effluere, tunc calix esset exacratus, ut notat Tambur. *opusc. de sacrific. miss. lib. 1. v. 1. §. 5. num. 1.* ratio est, quia stante tali foramine non remanet aptus pro sacrificio, proinde licèt non destruat totam formam, illam tamen destruit in ordine ad consecrandum, ne sanguis diffluat. Nihilominus contraria sententia est etiam probabilis, eò quia possit tale foramen, si fuerit modicissimum ita concinnari, ut non remaneat vestigium, & calix perinde remaneat habilis, sicut antea absque ulla indecentia.

9 An autem calix exacretur si cuppa separetur à pede? respondendum est cum distinctione; si cuppa sit pedi annexa immovibiliter, adeo ut non possit separari sine aliqua fractione, tunc amittit consecrationem; quia etsi fractio quoad materiam sit exigua, est nihilominus notabilis in forma artificiali, & reddit calicem inhabilem propriæ functioni: imò id etiam procedit quamvis cuppa permanere possit in altari firma absque periculo effusionis, quia adhuc non posset tractari commodè juxta exigentiam ministerii: tum quia non esset idem calix, qui priùs. Sin verò cuppa conjungatur pedi tornatili, & amovibiliter, adeo ut absque ulla fractione separari possit; communior, & verior sententia est per separationem cuppæ à pede tornatili non exacrari calicem: ratio est, quia tunc forma artificialis calicis includit in se amovibilitatem cuppæ à pede, adeo ut, quòd sit amovibilis sit aliquid pertinens ad formam artificialem ejusdem: proinde ex eo, quòd à pede tornatili separetur per modicum tempus cuppa, hæc non exacratur, quia non est quid contrarium formæ artificiali calicis, nec facit ut forma calicis pereat, immo potiùs ut exerceatur, quòd si non pereunte forma non perit subjectum consecrationis, neque perire debet ipsa consecratio. Hinc nec calix amittit consecrationem, si ita fabrefactus sit

ut aliquo modo possit complicari ad minorem locum occupandum: ratio est, quia per talem complicationem non perit forma artificialis ipsius: quinimò si pes ita esset fabrefactus, ut in plures partes divideretur, quarum una reponeretur intra aliam, & separarentur, neque adhuc per separationem amitteret consecrationem: est enim eadem ratio de una conjunctione amovibili, ac de pluribus, quia omnes pertinent ad formam artificialem calicis.

10 Quòd si cuppa longo usu detrita interiorem amittat inaurationem; & aliàs conflata fuerit ex metallo habili, seu ex argento censent plures, calicem non exacrari; neque ex eo quòd amittat interiorem inaurationem deperdere consecrationem; & hæc opinio mihi semper visa fuit valde probabilis: quia quando consecratur calix, non consecratur sola interior inauratio, quæ usu consumitur; sed consecratur totus calix, & cum maneat calix, debet cum ipso, & in ipso manere ipsa consecratio. Tum quia ex eo quòd illa interior inauratio pereat, non propterea perit forma calicis; neque pars aliqua notabilis; neque ulla intervenit fractura; proinde neque ulla ponitur causa, ratione cujus debeat calix exacrari. Idque ex eo potest itidem evinci; quia si calix ex puro fuisset auro conflatus; tametsi ex diuturno detritu, ac usu consummaretur ejus interior superficies auri; non propterea calix suam deperderet consecrationem; cum maneat eadem prorsus forma calicis, & eadem materia consecrata, licèt imminuta quoad illam superficiem consumptam: ergo licèt in calice argenteo absumatur interior auri superficies, quia adhuc manet tota materia habilis, & consecrata, & eadem forma, non debet consecratio deperdi, licèt interna inauratio sit consumpta. Hæc sententia est communis, quam docent Barbosa *de potest. Episc. alleg. 27. n. 38.* Pasqualigus *de sacrificio novæ leg. to. 2. q. 787.* Paulus Maria Quartus *in Rubric. miss. pag. 2. tit. 1. dubio 5. difficult. 1.*

Quòd si calix fuerit conflatus ex materia
11 inhabili, & tantùm fuit hæc facta habilis ratione inaurationis perit tunc consecratio, si pereat inauratio, quia tunc materia inhabilis est tantum accessoria ratione consecrationis ad ipsam inaurationem, & sublato principali tollitur accessorium. Quinimmo non est necesse ut pereat tota inauratio, sed satis est, si incipiant aliquæ partes cupri, vel alterius materiæ inhabilis apparere: quia cum hæc materia reddatur habilis ratione inaurationis, hâc absumptâ materia remanet cum sua pristina inhabilitate, & calix qui ante erat habilis, fit inhabilis.

12 Major difficultas est, an calix consecratus, si absumpta continuo usu, & detritu interiori inauratione, iterum inauretur ab artifice, amittat suam consecrationem, & repetenda sit consecratio. Pasqualigus de sacrificio novæ legis *q. 787. num. 4.* & alii plures, quos ipse citat, censent calicem ex eo, quòd iterum inauretur, non exacrari, neque indigere nova consecratione. Ratio potissima, qua præsertim Pasqualigus movetur, est, quia inauratio non est pars calicis, nec pars cuppæ calicis, sed tantùm ornamentum accessorium, & ita illi adhærens, ut eidem incorporetur, fiatque quid unum cum ipso, ex quo infert; inaurationem non ponere indigentiam novæ consecrationis. Tum quia manet idem calix, qui est subjectum consecrationis; & consecratio tamdiu durat, quamdiu perseverat in sua forma res consecrata.

13 Præterea quia pars major consecrata trahit ad se minorem in his, quæ inter se copulantur, & quorum partes seorsim rationem, & appellationem non habent. Tum quia à simili id etiam evincitur, quia non ideo exacrata dicitur Ecclesia, eò quia ejus muri iterum dealbentur, vel etiam pingantur; eò quia major pars consecrata, ut est tota Ecclesia, trahit ad se minorem recèns adjectam, seu illas superficies albedinis, & picturæ: ita quia totus calix conflatur ex materia habili remanet consecratus, nec debet consecrationem amittere ex eo, quòd eidem addatur interior auri superficies, quia pars major, seu tota materia calicis perseverans cum sua forma, trahit ad se minorem, seu illam superadditam superficiem auri. Hinc propugnantes hanc sententiam asserunt sufficere, si causâ majoris reverentiæ ob contactum manuum profanarum aquâ lustrali, seu benedicta calix à sacerdote abluatur. Tum quia ex rationabili causa potest aurifabro laico dari licentia tangendi vasa sacra.

14 Licèt hæc opinio probabilis sit tum ob Doctores eam propugnantes, tum ob rationes quibus nititur. Nihilominus contraria mihi videtur probabilior, & moveor ex eo, quia in calice pars principalis non consideratur in quantitate materiæ, sed ex immediato contactu corporis, & sanguinis Domini; proinde cum in calice interior inauratio sit, quæ immediatè tangit Christi sanguinem; illa sola dicenda est pars principalis; adeo ut si nova inauratio adjiciatur, eò quia antiqua ex diuturno usu, & detritu fuerit absumpta, tutiùs sit, si calix iterum consecretur.

15 Hinc ad primum fundamentum appositæ sententiæ posset negari assumptum; quia cum illa superficies recèns adjecta sit pars principalis in calice ob immediatum contactum sanguinis Christi, non potest dici ornamentum accessorium. Ad secundum manere quidem eundem calicem cum sua materia, & forma, non tamen cum eadem parte principali, quæ antea inerat: unde cum calix mutetur in parte sua principali, videtur indigere nova consecratione. Ad tertium respondetur, tunc majorem partem consecratam trahere ad se minorem, quando minor non est pars principalior: hinc patet discrimen inter inaurationem calicis & dealbationem Ecclesiæ, quia dealbatio, vel pictura ita est minor pars, ut non sit principalior, proinde benè stat quòd Ecclesia jam consecrata trahat ad eandem rationem consecrationis illam dealbationem, quia tunc valet, quòd major pars consecrata trahat ad se minorem in iis, quæ inter se uniuntur, & quorum partes seorsim rationem, & appellationem non habent: inauratio verò cum in calice sit pars principalior licèt minor non trahitur à parte majori.

Quòd

16 Quòd si dicas, inde secuturum, quòd per consummationem interioris inaurationis calix deberet exacrari, eò quia deperderit partem suam principalem licèt minorem. Contra est, quia consecratio non perit, nisi pars principalior sit etiam major: & illa deauratio quamvis sit pars principalior, non tamen est major proinde partes, quæ perseverant cum eadem materia, & forma, remanent consecratæ: quia per deperditionem partis principalis, quæ non est major; & est ejusdem metalli cum remanente non immutatur forma totius: proinde consecratio perseverat: secus quando adjicitur nova inauratio, licèt hæc non sit pars major in ratione quantitatis, quia tamen est pars principalior, & diversæ speciei ab argento non mutato, non trahitur à majori parte, sicut trahitur ab Ecclesia dealbatio, quæ non est pars principalior.

17 Rursus campanæ Ecclesiæ etiam benedicuntur, & chrysmate inunguntur, ut sono quasi sacrato ad divinas laudes persolvendas concors populus convocetur, hostésque invisibiles, & Dæmones repellantur, noxiæque aëris procellæ coërceantur: siquidem adhibentur, ut ait Apostolus ad Ephes. 6. *adversus insidias diaboli, adversus principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum.* Vestes itidem sacræ, paramenta deservientia ad sacrificium missæ benedicuntur, ut cum majori reverentia divinum peragatur sacrificium: amittunt autem hujusmodi vestes benedictæ suam benedictionem, si eorum forma mutetur, ut si ex stola fiat manipulus, ex alba amictus: ratio est, quia singulis vestibus speciales adaptantur benedictiones.

18 Rursus si adeo lacerentur, ut non possint ampliùs ad sacrum usum deservire, & tunc fragmenta, & reliquiæ potiùs comburi debent, quàm ad usum profanum applicari, ut rectè notat Ugolinus *de potest. Epist. c.* 32. §. 1. *num.* 6. Sin verò vestes sint laceræ, & ex materia non consecrata instaurentur, & reficiantur, dummodo materia superaddita sit minor in quantitate, participat de consecratione majoris partis *argum. c.* 3. *de consec. eccles.* major enim pars consecrata trahit ad se minorem, in his, quæ inter se uniuntur. Tametsi jure ordinario consecrationes, & benedictiones altarium, calicum, campanarum, ac vestium competant solis Episcopis: ex privilegiis tamen, & communicatione privilegiorum possunt etiam competere inferioribus Prælatis: imò Glossa *in clement. attendentes de statu. Monach.* asserit generaliter Prælatos habentes usum infulæ, & baculi posse præfatas exercere consecrationes: quia si possunt conferre minores Ordines; tametsi collatio ordinis competat Episcopo, possunt etiam consecrare calicem: hinc consuetudo saltem in pluribus Provinciis invaluit, ut Abbates calices consecrent tam pro suis, quàm pro aliis ecclesiis. Et licèt in contrarium dicantur emanâsse aliquot declarationes sacræ Congregationis, respondet Pasqualigus ad Lauret. de Franc. *p.* 2. *quæst.* 28. *num.* 3. hujusmodi declarationes in illis Provinciis non fuisse usu receptas: vel eas tantùm loqui de jure utendi Pontificalibus, & benedicendi vestes ex privilegio speciali, non ex consuetudine generali.

Cœmeterium itidem consecratur, vel benedicitur eodem modo, quo Ecclesia, verùm Ecclesiâ consecratâ etiam cœmeterium eidem annexum præsumitur consecratum, quia simul cum Ecclesia eodem ritu consecratur, ut liquet ex Pontificali Romano. Usus tamen inolevit, ut etiam seorsim consecretur, & benedicatur: sin autem consecretur debet consecratio fieri ab Episcopo proprio, vel alieno ex consensu proprii, ut notant Azorius *p.* 2. *lib.* 9. *c.* 6. *q.* 1. Sylvester *V. cœmeterium num.* 1. 19

§. III.

De reconciliatione Ecclesiæ pollutæ, & cœmeterii.

TUnc pollui dicitur Ecclesia, quando quædam in ipsa exercentur actiones turpes, indecentes, & loco sacro injuriosæ, tunc Ecclesia antea consecrata, & benedicta, & postea pollota per tales indecentes actiones; ut sacra ohiri in ea possint, debet iterum reconciliari, adeo ut non possint divina officia in eadem obiri antequam reconcilietur. Potest tamen Episcopus dare licentiam, ut etiam ante reconciliationem in Ecclesia violata missa celebretur, quia cùm possit licentiam dare, ut in loco non consecrato sacrum fiat, ita etiam in Ecclesia violata, dummodo subsit justa causa, sine qua non potest Episcopus in lege Ecclesiastica dispensare. Immo necessitas interdum potest ita urgere, ut etiam absque facultate Episcopi possit Sacerdos sacrum facere in Ecclesia violata, præsertim si Episcopus non possit adiri, & necessitas urgeat, vel Episcopus sciat, & non prohibeat, quia sic assentiri videtur *argum. c. hic ergo de consec. d.* 1. *c. missarum eod. dist.* Qui verò præsumeret extra facultatem ab Episcopo obtentam, & non urgente gravi necessitate in Ecclesia polluta celebrare, temerariè quidem ageret, nullam tamen irregularitatem, vel censuram incurreret *c. si quis* 18. *de sentent. excommun. in* 6. non tamen excusaretur à peccato gravi, quia domum Dei decet sanctitudo, & in morali hominum existimatione valdè indecens reputatur, ut hostia immaculata offeratur in loco sceleribus contaminato, priusquam aliqua ejusdem loci fiat expurgatio. Quòd si contingeret, Ecclesiam pollui cùm Sacerdos actualiter sacrum facit, tunc si celebrans canonem jam inchoavit potest pergere: sin verò eum nondum inceperit, debet cessare, donec reconciliata sit. 1

Quòd si Ecclesia polluta non fuerit antea consecrata, sed tantùm benedicta, potest ipsemet Sacerdos per se ipsum, per aquam à se benedictam eam reconciliare, & deinde sacrum prosequi. Sin verò consecrata fuerit, tunc reliquum missæ debet omittere, quia non potest reconciliari nisi per aquam ab Episcopo benedictam cum sale, vino, & cinere; nec potest reconciliari nisi per ipsum Episcopum, vel Presbyterum ex summi Pontificis commissione, quamvis non desint, qui putent, etiam ex commissione Epi- 2

scopi

ſcopi poſſe ſimplicem Sacerdotem Eccleſiam reconcilare.

3 Immo ſunt etiam qui putant, Eccleſiam reconciliari ex eo, quòd ſimplex Sacerdos bona fide in illa celebraverit. Cæterum ſi Eccleſia tantùm fuerit benedicta, & poſtea humano ſanguine, vel ſemine violata, reconciliari poteſt per ſimplicem ſacerdotem Regularem, vel etiam ſæcularem cum aqua benedicta ordinaria, non ita ſi antea fuerat conſecrata, immo Henriquez *lib. 9. c. 27. n. 6.* ex *c. Aqua 9. de conſec. eccles.* aſſerit, conſuetudinem committendi hoc munus ſimplici ſacerdoti eſſe corruptelam. Navarrus tamen *tit. de poll. eccles. num. 7.* cenſet, Eccleſias Regularium conſecratas reconciliari poſſe per proprios Prælatos Regulares, quæ tamen ſententia communiter rejicitur.

4 Cenſetur Eccleſia pollui, ſeu violari pluribus modis: Primò per homicidium in eadem Eccleſia patratum. Secundò per humani ſanguinis effuſionem in Eccleſia, ſcilicet per effuſionem injurioſam, & graviter culpabilem. Tertiò per effuſionem humani ſeminis voluntariam, & in ſufficiente quantitate factam intra Eccleſiam, non in adjunctis. Quartò ſi in Eccleſia fidelis excommunicatus ſepeliatur, ſcilicet denuntiatus, aut notorius percuſſor clerici: quia alii poſt Concilium Conſtantienſe non ſunt vitandi. Quintò ſi paganus, ſeu infidelis in ea ſepultus jaceat, quo nomine etiam comprehenduntur pueri decedentes ante Baptiſmum, quia iſti ſunt infideles ſaltem negativè: ſin autem infans in utero matris mortuus cum eadem ſepeliatur, tunc non violatur Eccleſia, quia infans non reputatur in utero matris perſona diſtincta. Quòd ſi mortua matre infans viveret, & per ſepulturam occideretur, tunc ratione homicidii pollueretur Eccleſia; non item ſi extra Eccleſiã priùs occiſus fuiſſet, & poſtea in eadem una cum matre ſepeliretur. Sunt etiam qui addunt ſextum caſum, quo Eccleſia polluitur, nimirum ſi per Epiſcopum denuntiatum excommunicatum conſecrata, & benedicta fuerit. Verùm dicendum eſt, eam non violari: ratio eſt, quia pollutio ſupponit conſecrationem, ſi enim locus non ſit ſacer, non dicitur pollui, & nullo jure conſtituitur, quòd Eccleſia conſecrata per Epiſcopum denuntiatum excommunicatum violetur.

5 Cùm dicitur, quòd Eccleſia per homicidium in ea patratum polluatur, nomine Eccleſiæ intelligitur, quæ antea benedicta fuit, vel conſecrata, quia cùm pollutio ſit inducta à jure & importet maculam legalem, non poteſt talis eſſe niſi reſpectu alicujus ſanctitatis legalis: ſiquidem macula opponitur tantùm ſanctitati, quæ ſit in ſuo genere: & Eccleſia nondum benedicta, & conſecrata nullam habet ſanctitatem legalem, conſequenter non polluitur. Hinc Eccleſiæ nondum conſecratæ, & benedictæ, quia nondum habent, unde pollui poſſunt, non dicuntur violari per homicidium in iisdem patratum: ut nec etiam Eccleſiæ diratæ; dummodo non ſint ampliùs reparandæ, quia tunc non ſunt ampliùs Eccleſiæ, & amittunt privilegia *c. 2. de nov. oper. nunciat.* ubi Gloſſa, Felin. *in c. cum dilecta num. 21. de reſcript.* Angel. *V. ecclesiae n. 1.* Debet tamen Eccleſia diruta absque authoritate ſuperioris eſſe tali modo diruta, ut ampliùs non conſervet formam Eccleſiæ, alioquin non haberetur diruta, ſed cenſeretur pollui. Neque violantur oratoria ſive in eremitoriis, ſive in hoſpitalibus, ſive in hoſpitiis, ſive in grangiis, ſive in domibus privatis, ſive in quocunque alio loco, ſi non ſint erecta authoritate Epiſcopi, quia tunc non ſunt loca religioſa, neque divino cultui irrevocabiliter deſtinata, & converti poſſunt ad uſus profanos *c. ad hæc de relig. domib.* & notat Gloſſa *in clement. contingit de relig. domib.* immo Paſſerinus *de pollution. eccles. diſp. 2. c. 3. num. 4.* cenſet id etiam procedere quamvis talia oratoria authoritate Epiſcopi erecta fuerint: quæ ſententia mihi videtur valde probabilis, quia ſola authoritas Epiſcopi non communicat ullam ſanctitatem loco, ratione cujus dicatur violari.

6 Neque polluuntur Eccleſiæ, exacratæ, quæ jam ex quacunque cauſa amiſerunt conſecrationem, quia per exacrationem amiſerunt ſanctitatem, ratione cujus tantùm dicuntur pollui, non enim ſine ſanctitate haberur hæc pollutio ſecundùm præſens inſtitutum. Tum quia Eccleſia exacrata ſe perinde habet, ac alius locus profanus. Eccleſiæ verò ſemel pollutæ adhuc capaces ſunt pollutionis, ut tradit Paſſerin. *de pollut. eccles. diſp. 2. c. 12. num. 4.* ratio eſt, quia hujusmodi pollutio ſe habet proportionaliter ad ſanctitatem Eccleſiæ, ſicut ſe habet macula peccati ad animam: & licèt unicum lethale peccatum ſufficiat ad polluendam ſanctitatem animæ, & ad ipſam lethali macula inficiendam, adhuc tamen poſſunt in eadem maculæ habituales formaliter multiplicari ad multiplicationem peccatorum; proinde etiam violationes, ſeu maculæ Eccleſiæ multiplicantur ad multiplicationem cauſarum, quibus violantur. Id enim eſt commune rebus omnibus moralibus, ut poſſit idem ſubjectum plures habere maculas.

7 Neque urget, quòd per unicam reconciliationem omnes illæ pollutiones tollantur, quia inde non ſequitur, quod non fuerint plures: ſiquidem etiam per unicam infuſionem gratiæ ſanctificantis tollitur omnis macula habitualis, & tamen id non obſtat, quin maculæ multiplicentur: ratio cur per unicam reconciliationem omnes illæ pollutiones, & maculæ deleantur, eſt, quia reconciliatio perinde habet oppoſitionem cum omnibus illis pollutionibus, ſicut gratia ſanctificans cum omnibus peccatis lethalibus inhærentibus animæ, cui infunditur. Præterea ut notat Piaſecius *in praxi Epiſc. p. 1. c. 5. num. 5. V. ſacrilegium* Eccleſia non polluitur per quascunque actiones enormiſſimas, & ſacrilegas, ſed ſolùm per eas, quæ tanquam pollutivæ exprimuntur in jure, ut etiam notat Paſſerin. *de pollut. eccles. diſp. 3. c. 1. num. 4.* Ratio eſt quia cum pollutio inducta fuerit de jure eccleſiaſtico non poteſt oriri ex aliis cauſis, quàm ab eodem jure aſſignatis: quia pollutio non provenit præcisè à malitia actionum, ſed ab ipſa inſtitutione juris: hinc non valet argumentum

in hac materia deductum à pari, neque à majoritate rationis: ſicut nec valet in irregularitate, ſed præcisè ſtandum eſt diſpoſitioni juris. Cæterum aliæ actiones enormes, & ſactilegæ tametſi non ſint pollutivæ Eccleſiæ, ſunt tamen ſactilegæ, & injurioſæ eidem.

8 Quòd Eccleſia polluatur per homicidium in ea commiſſum habetur *in c. ſi motum de conſecrat. diſt.* 1. *& in c. propoſuiſti* 4. *h. t.* ubi ſtatuitur, quòd quando Eccleſia eſt polluta per homicidia, vel vulnera hominum, debeat reconciliari per aquam benedictam cum vino, & cinere. Hinc cur homicidium ſit Eccleſiæ pollutivum non poteſt alia ratio afferri, niſi ipſa determinatio juris, quod ſicut induxit pollutionem, ita etiam debuit determinare cauſas pollutivas; inter quas jus canonicum ponit homicidium ex ea congruentia, quia ſignificat exceſſum irreverentiæ erga Eccleſiam, cùm violetur debita ei reverentia unà cum præcepto charitatis de diligendo proximo: hinc quia Eccleſia neque per præceptum charitatis, neque per reverentiam debitam Eccleſiæ poſſit coërcere homicidium, arguit maximam irreverentiam, & ideo ponitur in jure ut præcipua cauſa pollutiva Eccleſiæ. Quod autem dicitur de homicidio procedit quocunque modo illud contingat, ſive cum effuſione ſanguinis, ſive ſine tali effuſione, ut notat Paſſerinus *de pollut. eccles. diſp.* 5. *c.* 7. *n.* 4. Quapropter homicidium ponitur ut cauſa pollutiva diſtincta ab effuſione ſanguinis; quia homicidium eſt cauſa pollutiva, quatenus eſt actio auferens vitam, quod poteſt contingere abſque ſanguinis effuſione, ut in ſuffocatione; ſi quis in Eccleſia ſuffocaretur ab alio, utique polluereturr. Effuſio verò ſanguinis eſt tantùm cauſa pollutiva ſecundùm ſuam ſpeciem, prout præcisè effundit humanum ſanguinem.

9 Hinc ſi in Eccleſia inferretur graviſſimum corporale nocumentum homini, dummodo non inferret mortem, nec ſanguinis effuſionem, non polluereturr Eccleſia, quamvis aliàs ſufficiens eſſet ad inferendam mortem, ut notant Navarr. *c.* 27. *manual. num.* 256. *V. ſanguinis.* Naldus *in ſum. V. eccles. num.* 28. Barb. *de poteſt. epiſc. alleg.* 28. *n.* 23. Paſſerinus *de pollut. eccles. diſp.* 5. *c.* 2. *num.* 4. quia cum cauſæ pollutivæ Eccleſiæ ſint determinatæ à jure, debent accipi ſecundùm ejus determinationem, & non debent extendi ultra talem determinationem, & quia jus canonicum determinat homicidium eſſe cauſam pollutivam Eccleſiæ, non debet extendi ad aliud nocumentum, quamvis graviſſimum, ſi non ſit homicidium; quod tamen non ſolùm facto, ſed etiam ſuaſione, impulſu, & mandato committi poteſt; & requiritur, ut ſit pollutivum Eccleſiæ, quòd opere ſit commiſſum, ut notat Paſſerin. *loc. cit. c.* 3. *num.* 4. ſiquidem pollutio conſurgit ex homicidio, prout eſt homicidium: proinde quamdiu non ponitur cauſa phyſica inducens homicidium, non ponitur cauſa pollutiva Eccleſiæ: quo pacto nec cauſa moralis eſt ex ſe ſufficiens ad inducendum homicidium, niſi acceſſerit cauſa phyſica: hinc ſi aliquis ſuaderet, vel mandaret homicidium committi in Eccleſia, & ex aliquo caſu extra Eccleſiam patraretur, Eccleſia non polluereturr.

Rurſus ut hoc homicidium phyſicè commiſſum in Eccleſia ſit pollutivum ejuſdem, debet eſſe voluntarium ſive directè, ſive indirectè, ut notant Barb. *de poteſt. epiſc. alleg.* 28. *n.* 15. Geminian. *in c. omic. num.* 21. *h. t. in 6.* Paſſerin. *de pollut. eccles. diſp.* 5. *c.* 12. *num.* 4. ſiquidem pollutio fuit à jure inducta propter injuriam, quæ infertur Eccleſiæ, proinde debet oriri ab actione injurioſa, & non poteſt eſſe injurioſa niſi humano modo exerceatur: ſiquidem injuria eſt quid morale fundatum in actione humana, conſequenter non poteſt humano modo exerceri niſi voluntariè, & liberè exerceatur, quod procedit etiam de aliis actionibus pollutivis Eccleſiæ. Hinc non polluitur Eccleſia per homicidium commiſſum à puero nondum ſeptenne, nec ab amente, quia ob privationem uſus rationis non ſunt capaces actionis injurioſæ. Hoc etiam procedit de ebrio ſi homicidium neque in cauſa fuerit illi voluntarium: ſecus tamen ſi ab ipſo ante ebrietatem fuerit homicidium prævisum; quia tunc cenſetur ipſi voluntarium in cauſa ad inducendam Eccleſiæ pollutionem. 10

Præterea ebrietas debet talis eſſe, ut totaliter auferat uſum rationis, & non relinquat actionem in eſſe humano: & in dubio id conjicitur ex conjecturis, & ſi non poſſit clarè conjici, præſumendum eſt de ebrietate, cum de ipſa conſtet; & quòd non fuerit perfecta ad id evincendum conjecturæ non ſufficiunt. Hinc homicidium ſecutum per jocum non polluit Eccleſiam, ſi non fuerit aliquo modo voluntarium: quia hoc ſublato tollitur fundamentum humani actus; proinde etiam ratio injuriæ, & irreverentiæ. Immo hoc procedit, quamvis homicidium involuntariè ſequeretur ex actione illicita, quia tametſi actio ſit illicita, non inde ſit, quòd in ipſa prævideatur, ſecuturum homicidium: unde cùm non prævideatur, non poteſt eſſe voluntarium, ſive actio licita ſit, ſive illicita, quia illicitum per ſe præcisè non facit homicidium prævideri. Neque obſtat textus *in c. continebatur de homicidio.* Nam ibi Pontifex declarat irregularem clericum, quia exercuiſſet actionem illicitam; ſeu ludum, qui continebat periculum homicidii, ſiquidem ludebat clericus ille cultro ſuccinctus, & falce, proinde potuit, & debuit periculum prævidere, & quia illud non cavit, indirectè illud voluit: quamobrem ex illo textu tantùm ſequitur, quòd tunc jocus ſecuto homicidio ſit cauſa pollutionis, quando in ſe continet periculum homicidii, & non caveturr. 11

Secunda cauſa pollutiva Eccleſiæ eſt effuſio ſanguinis in eadem, poteſt enim eſſe ſanguinis effuſio, ad quam non ſequatur mors, conſequenter, quæ non ſit homicidium, unde eſt cauſa diſtincta à prima. Quòd verò per ſanguinis effuſionem polluatur Eccleſia ſtatuitur *in c. eccleſiis de conſecrat. diſt.* 1. & ex Concilio Niceno, ut etiam *ex c. ſi Eccleſiam unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, quòd ſi Eccleſia polluatur 12

effusione sanguinis, censetur etiam pollutum cœmeterium, si est illi adnexum: & in eo non potest quis sepeliri antequam sit reconciliatum, ubi notat Glossa, quòd ut polluatur Ecclesia effusio sanguinis debet esse injuriosa, & debet esse effusio humani sanguinis, quia hæc continet specialem irreverentiam contra sanctitatem Ecclesiæ, ob hanc enim rationem jus canonicum statuit hanc causam pollutivam Ecclesiæ: quod sanguis debeat esse humanus ex eo evincitur, quia omnis causa pollutiva Ecclesiæ debet esse eidem injuriosa, ac læsiva reverentiæ eidem debitæ, consequenter debet esse in genere mortis: & non est in hoc genere nisi libero modo exerceatur, ac sit culpabilis.

13 Cæterum quæ dicta sunt de homicidio procedunt etiam de effusione sanguinis in ordine ad effectum polluendi Ecclesiam: siquidem ambæ causæ conveniunt in eo, quòd sint pollutivæ Ecclesiæ, & solùm differunt materialiter, quia una est homicidium, & altera effusio sanguinis: unde quoad ea, quæ concernunt rationem polluendi Ecclesiam, debent convenire: tam enim homicidium debet esse injuriosum, & graviter culpabile, quàm ipsa effusio sanguinis. Quòd si vulnus grave inflictum sit in Ecclesia, & effusio sanguinis contingat extra illam, eò quia vulneratus exeat ab Ecclesia, censetur Ecclesia tunc polluta, quia sufficit infligi vulnus in Ecclesia, licèt sanguis extra illam profluat, ut etiam sufficit, si in Ecclesia fiat percussio ad mortem sufficiens, quamvis mors deinde sequatur extra Ecclesiam, ut si quis saeulis arena plenis in Ecclesia acriter contusus moriatur extra Ecclesiam. Plures tamen censent ad id requiri, ut mors sequatur in Ecclesia, alioquin homicidium non contingeret in Ecclesia. Rursus polluitur Ecclesia, si in ea vulneretur homo lapide, vel sagitta ab existente extra Ecclesiam. Cæterum si in Ecclesia fiat actio injuriosa, quæ per se non sit inflictiva vulneris: neque ex ea sequatur sanguinis effusio, non polluitur; ut nec etiam eam polluit, qui existens in Ecclesia vulnerat sagitta, vel lapide existentem extra Ecclesiam: immo neque si vulneratus extra Ecclesiam, eandem postea ingrediatur, ibique copiosum sanguinem fundat, nisi fortassis percussio tam gravis foret, ut ad mortale sufficeret. Quòd verò sanguis vase aliquo excipiatur, ne pavimentum Ecclesiæ contingat id non impedit pollutionem. Generatim tamen non sufficit, ut homicidium, vel sanguinis effusio fiat in locis Ecclesiæ adhærentibus, ut in cubiculis Ecclesiæ conjunctis, in turri, supra tectum, vel in spelunca sub pavimento, sed debent fieri in ipsa Ecclesia, ut hæc per talem effusionem sanguinis polluatur. Sumes enim in materia odiosa, in qua verba dispositionis non sunt extendenda ultra dispositionem juris.

14 Quanta autem debeat esse quantitas effusi sanguinis in ordine ad polluendam Ecclesiam, videtur standum judicio Episcopi, quia cùm non sit aliquid in hac parte determinatum in jure, nec in opinione doctorum, standum est judicio prudentis viri, quod judicium non potest magis congruè ab alio ferri, quàm ab Episcopo, ad quem pertinet reconciliare Ecclesiam: quapropter ut possit rectè arbitrari, necesse est, ut vel se transferat ad locum effusionis ad judicandum de quantitate effusi sanguinis, vel quòd sumat informationem extrajudicialem de eadem quantitate.

Quòd si ex inflicto vulnere in Ecclesia non sequatur effusio sanguinis, nec mors, tunc Ecclesia non polluitur, tametsi inflictum vulnus grave fuerit, quia jus canonicum in statuenda causa hujus pollutionis respexit tantùm ad effusionem sanguinis, non verò ad vulnus inflictum. Hinc percussio licèt enormis sine sanguinis effusione non polluit Ecclesiam; non enim lex quoad hanc secundam causam considerat vulnus secundùm se, sed in ordine ad effusionem sanguinis. Hinc ut polluatur Ecclesia per effusionem sanguinis non est necesse, quòd vulnus sit lethale, sed sufficit, si sit grave: siquidem vulnus licèt non sit lethale; potest nihilominus esse grave cum emissione copiosa sanguinis: unde erit sufficiens ad polluendam Ecclesiam, quia tunc intervenit, quod jus statuit pro pollutione Ecclesiæ. Tum quia vulnus grave tametsi lethale non fuerit, adhuc ex se est objectum lethalis culpæ; consequenter infert injuriam gravem, estque graviter injuriosum Ecclesiæ, quam propterea polluit. Secus si vulnus sit leve, & ex illo copia sanguinis effluat, non polluitur Ecclesia, ut notat Passerinus *disp. 6. de pollut. eccles. c. 2. num. 14.* quia verba disponentia de aliquo debeat sumi de illo, quod est absolutè, & simpliciter tale, ut notat Tolchus *lit. V. conclus. 101. num. 19.* quod enim non est absolutè, & simpliciter tale, non dicitur tale absolutè, sed solùm cum addito: quapropter quando jura loquuntur de pollutione Ecclesiæ per effusionem sanguinis ex inflicto vulnere, debent sumi de vulnere, quod simpliciter, & absolutè sit vulnus, & habeatur pro tali in jure: atqui vulnus leve in jure non habetur pro vulnere, ut desumitur ex *l. 1. §. sed scindere ff. de ædilit. edict.* & notant Baldus *in l. penult. C. de ædilit. edic.* Socin. *regul. 264. V. ictus fallit.*

15

16 Si dicas, Ecclesiam pollui ratione effusionis sanguinis, proinde si effluat in magna copia, tametsi è vulnere levi, adhuc polluitur Ecclesia. Contra est, quia tunc potest Ecclesia pollui ratione effusionis sanguinis, si hæc per vim extrinsecam fiat: & hæc quando vulnus est leve non contingit, quia vulnus leve, non est ex se habile ad tantam effusionem; proinde si sanguis in magna copia effundatur, debet aliqua alia causa ab extrinseco concurrere. Quando verò vulnus dicendum sit grave, vel leve non est explicatu facile; potest tamen vulnus tunc dici grave, quando per ipsum corpus scinditur secundum notabilem partem in profunditate: quia cum vulnus debeat esse grave in ratione vulneris, debet hæc gravitas considerari secundùm id, in quo vulnus consistit, & cum hoc consistat in scissione, quæ fit in corpore, debet hæc esse gravis, ut vulnus dicatur grave, & non est scis-

sio

sio gravis nisi sit secundùm partem notabilem in profunditate, alioquin diceretur potiùs vulnus superficiale, quod pro levi haberetur, quapropter vulnus grave est etiam ex se aptum ad effundendum copiosiorem sanguinem, quia cùm penetret profundiùs, scindit plures venas obvias, ex quibus diffluit uberior sanguinis copia. Hinc quamvis vulnus ex se non sit lethale, adhuc potest esse grave cum emissione copiosi sanguinis, proinde sufficiens ad polluendam Ecclesiam. Quòd si vulnus ex se esset grave, & ex illo modica sanguinis quantitas efflueret, Ecclesia non censeretur polluta, quia vulnus sine sanguine Ecclesiam non polluit, nec etiam exiguus sanguis, proinde ex neutro capite tunc polluitur Ecclesia.

17 Neque polluitur Ecclesia ex sanguine, qui effluit è naribus: ratio est, quia è naribus facilè sanguis effluit, etiam in magna quantitate naturaliter, adeo ut videantur nares esse instrumenta ordinata à natura ad transmittendum sanguinem superfluum, quo caput gravabatur: unde diversimodè discurrendum est de quantitate sanguinis quoad nares, & quoad alias partes; quia eadem quantitas, quæ copiosa esset respectu alterius partis, non censetur talis quoad nares. Immo si quis leviter percutiatur in naribus, adeo ut læsio non perveniat ad peccatum grave, quamvis inde magna sanguinis copia effluat, non tamen polluitur Ecclesia; quia hæc non violatur nisi ratione sanguinis peccaminosè effusi, & cum injuria loci sacri. Siquidem pollutio utpote effectus sacrilegus exigit causam gravem, cum sit inducta à jure in detestationem sacrilegii commissi contra reverentiam Ecclesiæ debitam: unde pollutio supponit peccatum grave: quinimò si percussio in se levis, gravis fieret & peccaminosa lethaliter ratione personæ percussæ, adhuc non pollueretur Ecclesia, licèt sanguis in magna copia efflueret: quia injuria, quæ oritur ratione qualitatis personæ non consideratur, quia est extrinseca, & accidentalis causæ pollutivæ, quæ à jure tantùm consideratur, ut consistit in læsione corporali; quapropter qualitas personæ non influit in causam pollutivam.

18 Tertia causa pollutiva Ecclesiæ est effusio humani seminis in eadem, ut statuitur *in c. ecclesiis de consecrat. dist. 1.* ubi Concilium Nicænum statuit, Ecclesias esse reconciliandas; si cujuscunque semine fuerint pollutæ, & habetur etiam *in c. si Ecclesia 10. h. t.* ubi Gregorius IX. statuit, quòd si Ecclesia cujuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aquâ protinus exorcizatâ debeat lavari, ne suspendantur organa divinæ laudis, & quàm citiùs fieri poterit est consecranda: habetur etiam *in c. significasti de homicid.* ubi Alexand. III. præcipit, reconciliari Ecclesiam, in qua commissum fuerat adulterium. Hæc autem causa pollutiva Ecclesiæ ex eo constituta fuit, quia talis effusio est actio, quæ summum effundenti affert pudorem; consequenter quando effunditur etiam licitè quæruntur loca secreta: unde si effundatur in Ecclesia indicat maximam audaciam, & temeritatem contra reverentiam eidem debitam, ut etiam maximam impudentiam contra sanctitatem loci. Debet autem hæc effusio esse humani seminis, ut notant Passerin. *de pollut. eccles. disp. 7. c. 1. num. 2.* Barbosa *de potestat. Episc. allegat. 28. num. 43.* quia jus secrevit tantùm aliquas actiones, ut pollutivas Ecclesiæ, & quidem humanas; proinde ponit etiam istam in eodem genere. Tum quia hujusmodi effusio maximam habet deformitatem, quâ læditur Ecclesiæ sanctitas: unde sive effundatur à catholico, sive hæretico, schismatico, vel Judæo, aut infideli semper polluitur Ecclesia, quia *in c. ecclesiis de consecrat. dist. 1.* dicitur *cujuscunque semine* quod etiam repetitur *in c. si Ecclesia ult. h. t.* illa autem dictio *cujuscunque* cùm sit universalissima comprehendit omnes homines cujuscunque conditionis, & sectæ: quia à quocunque illorum fiat, semper eandem habet deformitatem, quâ læditur sanctitas Ecclesiæ: hinc etiam effusio muliebris seminis Ecclesiam polluit, ut notat Passerin. *disp. 7. de pollut. eccles. c. 1. num. 4.* quia dictio *cujuscunque* comprehendit omne genus personarum cujuscunque conditionis, & sexûs; proinde se extendit etiam ad fœminas, ut notat Rebuffus in tractat. *de pacif. possess. num. 3.*

19 Debet tamen hæc effusio esse voluntaria, quia non consentiens in talem effusionem non peccat; proinde per illam non polluitur Ecclesia: imò neque polluitur quando quis dans peccaminosè causam futuræ pollutioni, antequam eam exequatur, revocat consensum in ipsam, & ipsum pœnitet sui propositi, quia tunc nec pollutio est peccaminosa; quamvis enim præcesserit consensus in causa, quia tamen fuit retractatus, cessat causa voluntarii, & peccati: sicut enim sublatâ causâ physicâ non sequitur physicè effectus: ita nèc sequitur moraliter sublatâ moraliter. Cæterum Ecclesia polluitur per quamcunque humani seminis illicitam effusionem, si hæc fuerit directè voluntaria, quæque extrinsecè appareat culpabilis: quia canones inducentes effusionem seminis, ut causam inductivam pollutionis Ecclesiæ, loquuntur generaliter: siquidem dicunt Ecclesiam pollui cujuscunque semine: ergo quoties effusio est illicita, & concurrunt conditiones prædictæ, polluitur Ecclesia: quia semper talis effusio est contra reverentiam debitam Ecclesiæ, sive uno, sive altero modo contingat. Imò non est necesse, ut talis effusio cadat in terram, sed sufficit, si quocunque modo fiat intra Ecclesiam, ut desumitur *ex c. si mens de consecrat. dist. 1. & c. significâsti de adult.* ubi declaratur Ecclesia polluta, proinde reconcilianda ratione adulterii, ac simplicis fornicationis, licèt in hisce actibus semen non effundatur in terram: sufficit igitur si effundatur intra Ecclesiam, quia tunc in ipsa committitur illud sacrilegium, quod à jure determinatur esse pollutivum Ecclesiæ ob irreverentiam consideratam à jure statuente causam pollutivam Ecclesiæ. Immo sufficit effusio in quacunque quantitate, dummodo actus libidinosus sit completus, ut notat Passerinus *disp. 7. de pollut. eccles. c. 12. num. 4.* quia alioquin non nisi difficulter

posset cognosci, quando Ecclesia esset ex hoc capite violata, cùm non possit cognosci præsertim in copula quantitas seminis.

Nihilominus alii, & forsan probabiliùs censent, Ecclesiam non polluì; nisi per abundantem seminis effusionem, ut notant Barbosa *de potestat. Episc. allegat.* 28. *num.* 49. Suarez. *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *cap.* 3. quæ tamen abundantia intelligitur juxta subjectam materiam, adeo ut sit abundans in ea quantitate, in qua solet effundi: est enim eadem ratio ac de sanguine effuso in Ecclesia ex inflicto vulnere. Hinc potest etiam constare de hac quantitate, quia si effundatur extra copulam jam ex se constat, si in copula consummata præsumitur quantitas copiosa in suo genere effusa, quia id regulariter contingit. Quinimmo copula conjugalis in Ecclesia habita eam polluit, quia jura statuunt Ecclesiam pollui cujuscunque seminis effusione, ut habetur *in c. nnic. h. t. in 6.* cùm enim illa dictio *cujuscunque* sit generalissima comprehendit etiam ipsos conjugatos, ut communiter notant Canonistæ. Tum quia textus loquitur eodem modo, & cum eadem universalitate de effusione sanguinis, & comprehendit etiam effusionem justam, & quæ aliàs licita foret, ut si judex alicui in pœnam patrati delicti juberet manum præcidi in Ecclesia, eò quia in eadem fuerit vasa sacra furatus: unde licèt copula conjugalis extra Ecclesiam sit licita, in Ecclesia tamen est illicita, & eam polluit, quia in loco sacro est sacrilega ob irreverentiam erga sanctitatem loci: si enim pudet homines illius coram aliis, à fortiori in Ecclesia Deo dicata, & in qua speciali modo Deus colitur, & Deus est præsens, hinc Tiraquel. *lib.* 15. *connub. num.* 107. refert plura supplicia constituta à Principibus gentilibus contra coeuntes in templis, adeo ut ipsum lumen naturale sufficienter ostendat hujus effusionis turpitudinem. 20

Tum quia eo ipso quòd Ecclesia est Deo dicata decet ipsam sanctitudo, & veneratio apud omnes, eò quia sit locus destinatus divinis obsequiis, & in ipso speciali modo Deus inhabitet, hinc Christus Marc. 2. dicit *Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus*: quapropter etiam exarsit in vendentes, & ementes in templo, quos flagellis excepit, & ejecit, evertitque eorum mensas: quo facto abundè declaravit irreverentiam, & injuriam, quæ irrogatur Ecclesiæ per actiones, quæ aliàs extra Ecclesiam licitæ forent: unde quamvis copula conjugalis ex se licita sit extra Ecclesiam; si tamen exerceatur in Ecclesia ratione indecentiæ ad locum irrogat illi injuriam, & lædit ejus sanctitatem: quamobrem copula conjugalis, quamvis aliàs ex se licita, ratione tamen indecentiæ in loco sacro fit illicita, proinde ut continens irreverentiam contra sanctitatem loci prohibetur jure naturæ: quia sicut jus naturæ præcipit servari virtutem Religionis, & reverentiam debitam erga Deum, ita etiam prohibet, quæ sunt contraria Religioni, & reverentiæ Deo debitæ; quæ prohibitio procul dubio reducitur ad præceptum naturale colendi Deum: 21 siquidem cultus Deo debitus id exigit, ut loca dedicata ejus obsequiis habeantur in veneratione, proinde prohibet omnem irreverentiam: quamobrem stante hac juris naturalis prohibitione, jus canonicum statuit, ut talis actio jure naturæ turpis, esset pollutiva Ecclesiæ.

Quarta causa pollutiva Ecclesiæ est sepultura excommunicatorum, & infidelium in illa; quatenus irrogatur Ecclesiæ injuria, si in ipsa sepeliantur, qui non sunt de gremio ipsius: tunè enim læditur reverentia eidem debita, & ejus sanctitas profanator, eò quia deputetur ad usum eorum, quos à se rejicit. Quòd verò Ecclesia polluatur, si in ea sepeliantur excommunicati declaravit Innocentius III. *in c. consuluisti 7. h. t.* ubi dicitur, quòd si corpora excommunicatorum sepeliantur in cœmeterio, polluitur cœmeterium, & est reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ, ut fit in dedicatione Ecclesiæ: & ratio est etiam major de Ecclesia, quia cœmeterium est illi accessorium, & sequitur Ecclesiam tanquam suum principale, ut communiter docent Canonistæ: eatenus hæc sepultura excommunicati instituitur, ut pollutiva Ecclesiæ, quia eidem infertur gravissima injuria; cum enim Ecclesia rejecerit excommunicatum à suo gremio tanquam contumacem; quando ejus cadaver in illa humatur, ponitur in ejus sinu, quem ex suo gremio ejecerat, proindè contemnitur ipsa Ecclesia, & ejus sententia de excommunicatione lata. 22

Ut autem Ecclesia polluatur debet sepultura excommunicati esse completa. Constat sepultura completa duobus actibus, quorum primus est immissio cadaveris in locum destinatum pro sepultura, quicunque ille sit. Secundus est reconditio ejusdem cadaveris in eodem loco, vel quia terra super ponatur, vel quia claudatur lapide: ratio est, quia pollutio Ecclesiæ cum sit materia odiosa debet strictè interpretari: unde quando jus seligit sepulturam excommunicati pro causa pollutiva Ecclesiæ, debet strictè sumi, & prout dicit sepulturam completam per duos prærecensitos actus. Hinc si excommunicatus deferatur ad Ecclesiam, ibique exequiæ celebrentur, non tamen ibi sepeliatur; Ecclesia non polluitur, quia exequiæ, & delatio cadaveris sunt tantùm præambula ad sepulturam. 23

Quinimò licèt cadaver immitteretur sepulturæ, & ibi non reconderetur, adhuc Ecclesia non pollueretur, quia talis sepultura esset tantùm inchoata per primum actum, non completa per secundum: quapropter si tali pacto maneret cadaver, non impedirentur divina officia, licèt vel deberet absolvi ab excommunicatione, vel extrahi propter indecentiam. Cæterum polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati etiamsi perpetua non fuerit: quia licèt non sit futura perpetua, adhuc est vera sepultura, si sit completa, & solùm differt à perpetua ratione temporis, quod est quid extrinsecum. 24

Neque obstat, quòd in materia odiosa non debeat fieri extensio. Nam nulla hìc fit extensio, quia sepultura excommunicati sumitur pro ut est causa pollutiva Ecclesiæ, & sive sepultura tem- 25

temporanea sit, vel perpetua, semper est vera, ac propriè sepultura assumpta ut pollutiva Ecclesiæ: jus enim etiam in materia stricta extenditur, quantum se extendit propria, & rigorosa significatio naturalis verborum: quapropter *in l. non aliter. ff. de leg.* 3. dicitur: *non aliter à significatione verborum receditur, quàm cùm manifestum est aliud ipsum sensisse*: unde leges odiosæ extenduntur quantum admittit propria naturalis significatio verborum, ut notat Glossa *in l. non possunt. in fin. ff. de LL.* Barbosa *in l. quia tale n. 37. §. soluto matrim.*

26 Non tamen polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati si absolutus fuerit in articulo mortis à quocunque sacerdote, ut notat Passerin. *de pollut. eccles. disp. 8. c. 16. num. 4.* quia Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 7.* declarat, in Ecclesia nunquam fuisse aliquid reservatum in articulo mortis, sed quemcunque sacerdotem posse absolvere: unde talis absolutio est vera, quamvis sit reservata, consequenter tollit impedimentum Ecclesiasticæ sepulturæ. Immo potest excommunicatus etiam post mortem absolvi, ne per ejus sepulturam Ecclesia polluatur, sed tunc ut legitimè absolvatur, debet absolvi necessariò ab habente de jure hanc potestatem: quia post obitum non sumus ampliùs in articulo mortis, & cessat facultas absolvendi quoad eos, qui illam habent in mortis articulo. Absolvuntur verò excommunicati post mortem juxta ritum, qui habetur *in c. à nobis de sent. excommun.* cùm tunc defunctus sit absolutus ab excommunicatione, per ejus sepulturam non polluitur Ecclesia. Cæterum sine prævia absolutione ab excommunicatione, si sepeliatur in Ecclesia, hæc polluitur, sive excommunicatus in mortis articulo signa dederit pœnitentiæ, & enixim petierit absolutionem, quam tamen non impetravit: quia signa pœnitentiæ, & petitio absolutionis, cùm non restituant communioni fidelium, non tollunt excommunicationem, & cùm sepultura sit participatio communionis Ecclesiæ, non potest obtineri, nisi per prævium absolutionem ab excommunicatione.

27 Ut autem polluatur Ecclesia per sepulturam excommunicati debet hic esse notorius, & vitandus, quia eatenus sepultura excommunicati Ecclesiam polluit, quatenus est separatus à communione Ecclesiæ: proinde non participat ejus communionem per sepulturam: sed excommunicatus non vitandus in foro externo non est separatus à communione Ecclesiæ, ut fuit declaratum in Concilio Constantiensi *in extravag. ad evitanda*: proinde si sepeliatur in Ecclesia, hæc non polluitur. Inter excommunicatos vitandos includuntur publici percussores clericorum, quia quando factum nulla potest tergiversatione celari, nec ullo excusari suffragio per se est notorium: & publici percussores clericorum absque alia denuntiatione sunt vitandi, ut statuitur in *ead. extravag.* Quia verò difficulter occurrit casus, in quo publicus clerici percussor aliquo non excusetur suffragio, ideo pro praxi seclusa sententia Judicis proderit observare, an vitetur communiter, & tunc erit habendus pro excommunicato vitando, & si tunc sepeliatur in Ecclesia, hæc polluitur. Sin verò non vitetur, nisi fortassis ab aliquibus paucis, tunc quia factum non sit commune, non sufficit ad declarandum ipso facto esse vitandum, sed ulteriùs requiritur sententia Judicis.

28 Ut autem aliquis excommunicatus sit vitandus ex Concilio Constantiensi in *extravag. ad evitanda* requiritur, quòd sententia excommunicationis sit expressè, & specialiter contra ipsum personaliter pronuntiata, adeo ut si non sit nominatim denuntiatus, non censeatur notoriè excommunicatus, ut vitandus: unde potest esse quis notoriè excommunicatus, & non tamen vitandus; eò quia non adsit contra ipsum sententia declaratoria.

29 Quinta causa pollutiva Ecclesiæ est, si in illa sepeliatur Paganus, seu infidelis, ut communiter docent Canonistæ cum Glossa *in c. si Ecclesiam unic. h. t. in 6.* Barbosa *de potestat Episc. alleg. 28. num. 53.* Et hæc juris dispositio fundatur in eo, quia infideles, cùm non sint de gremio Ecclesiæ, neque ullo modo ad ipsam pertineant, nisi quatenus ad fidem possunt reduci, non debent communicare cum Ecclesia, & si eorum corpora sepelirentur in Ecclesia, utique reconderentur in ejus gremio, & commiscerentur cum membris ipsius, & eodem prosequerentur honore, quo Ecclesia suos solet filios afficere: quapropter magna inferretur Ecclesiæ injuria, si in illa Paganus, vel infidelis sepeliretur. Tum quia infideles eo ipso, quòd in sua decesserunt infidelitate remanent abominabiles eidem Ecclesiæ, ideóque per eorum sepulturam sanctitas Ecclesiæ fœdaretur. Hinc polluitur Ecclesia etiam ex nudo facto quòd in ipsa sepeliatur infidelis, quamvis sepeliens fortassis non peccaret mortaliter ob ignorantiam: quia cadaver infidelis per se importat indecentiam in ordine ad requiescendum in loco sacro, & una cum filiis Ecclesiæ, unde cùm fundamentum pollutionis sit in ipso cadavere, sequitur pollutio ex nudo facto sepulturæ.

30 Effectus pollutionis est, quòd in Ecclesia polluta priusquam reconcilietur ab Episcopo per aquam cum vino, sale, & cinere benedictam, non debeant sacra fieri, nec divina exerceri officia, neque mortui in ipsa sepeliri. Verùm qui de facto hæc præstaret temerariè quidem ageret, neque excusaretur à culpa lethali, sed nullam incurreret irregularitatem, vel censuram *c. is qui 18. de sentent. excommun. in 6.* Quòd si de facto post pollutionem missa in Ecclesia polluta celebraretur, tunc propter infinitam virtutem tanti sacrificii haberetur pro reconciliata ut docent plures, & nituntur textu *in c. de fabrica de consecrat. q. 1.* ubi dicitur, quòd aliquando totius consecrationis sanctificatio per missarum solemnitatem impleatur: tutius tamen est, uti vera reconciliatione, quam sacri canones præscribunt. Tum quia textus *in d. c. de fabrica* non continet hunc casum, sed alium, quando scilicet parietes reficiuntur, & innovantur. Quòd si reconciliatio Ecclesiæ non possit tam cito commodè fieri, tunc censent plures, posse Episcopum dispensativè concedere, ut

in ea fiant divina officia, ſicut poteſt diſpenſare in caſu urgentis neceſſitatis ad evitandum damnum ſpirituale, vel temporale in alio jure poſitivo, ut docent Sâ *V. Eccleſia num.* 14. Fagundez. *in 5. eccles. præcept. p. 1. cap. 14. num. 2.* Alii tamen volunt non eſſe facilè deveniendum ad hanc diſpenſationem, ſi interea in aliquo oratorio cum altari portatili poſſint divina fieri.

31 Cæterum ſecuta pollutione Eccleſiæ, quàm citò fieri poteſt, debet reconciliari, ut habetur *in c. ſi Eccleſia* 10. *h. t.* ubi dicitur, quòd ſi Eccleſia polluatur effuſione ſanguinis, vel ſeminis ſtatim ſit lavanda aqua exorcizata, ne ſuſpendantur organa divinæ laudis; & quàm citiùs fieri poteſt, eſt conſecranda: quia cum neque ex parte Eccleſiæ adſit culpa, neque ex parte Miniſtrorum, non videtur æquum, ut ob alienam culpam diu Eccleſia ſuo privetur honore. Cùm tamen dicitur quòd ſit ſtatim reconcilianda, id intelligitur de tempore opportuno: quia cum reconciliatio exigat celebrationem miſſæ, debet neceſſariò fieri matutino tempore. Sin verò in Eccleſia polluta miſſa celebretur, remanet reconciliata ſubſtantialiter, ſed non ritualiter: & id non procedit, quando celebratur in Eccleſia antequam detegatur cauſa pollutiva: ſiquidem pollutio non ſequitur ex cauſa pollutiva, niſi ſub conditione publicitatis, Eccleſia enim non judicat niſi de manifeſtis: unde celebratio miſſæ, quæ ſubſequitur cauſam pollutivam, & antecedit ejus publicationem, antecedit etiam ipſam pollutionem, proinde non poteſt eam detergere.

32 Quòd ſi Epiſcopus ex rationabili cauſa licentiam concederet celebrandi in Eccleſia polluta, non tamen per hoc fieret, ut non eſſet reconcilianda, quia per talem celebrationem nonniſi ſubſtantialiter Eccleſia remaneret reconciliata, non verò ritualiter. Quòd ſi poſt longum tempus tantùm publicetur cauſa pollutiva ſecuta in Eccleſia, ſi in eadem celebrata ſint divina officia, non eſt neceſſariò reconcilianda, quia pollutio non inducitur tunc quando ponitur cauſa pollutiva, ſed quando ponitur conditio publicitatis: & quando eſt tranſactum longum tempus, licèt ponatur conditio, non ampliùs hæc inducit pollutionem: quia tametſi ut cauſa moralis poſſit extendere ſuum effectum in tempus futurum, non tamen in quodcunque tempus, ſed ſolùm quamdiu moraliter cenſetur cauſa manere: & cauſa pollutiva Eccleſiæ non cenſetur moraliter durare poſt longum tempus futurum, quia eatenus eſt cauſa moralis, quatenus indignè tractat ſanctitatem Eccleſiæ: ex hac enim indigna tractatione oritur hominum opinio de Eccleſia fædata; adeo ut homines illam habeant de præſenti pro fædata, & polluta, id autem non contingit, quando poſt longum tempus publicatur cauſa pollutiva; quia tunc apprehenditur, ut quid præteritum, quod non ampliùs habet vim fædandi.

33 Tum quia injuria per ſpatium unius anni aboletur, adeo ut injuria affectus non poſſit poſt elapſum annum implorare officium judicis contra injuriantem *l. ſi enim § ſi ante Judicem ff. de injur.* unde etiam per diuturnum temporis fluxum aboletur injuria Eccleſiæ irrogata per actionem pollutivam: adeo ut ſi poſtea ſubſequatur publicitas non poſſit hæc ampliùs pollutionem inducere defectu fundamenti: ſiquidem inducit pollutionem ratione injuriæ illatæ ſanctitati Eccleſiæ: hæc autem injuria ex temporis diuturnitate cenſetur ſublata, conſequenter non poteſt ampliùs inducere effectum pollutionis *l. in omni ff. de adopt.* & *l. ex facto init, ff. de vulgat.* & docent communiter Doctores. Tum quia eo ipſo, quòd celebratio divinorum fuit in Eccleſia continuata ad longum tempus inducitur præſcriptio contra injuriam illatam ſanctitati Eccleſiæ, qua ratione etiam in civilibus poſt annum cenſetur injuria præſcripta *l. ſi non convicii C. de injur.* ſi igitur celebratio divinorum continuata in Eccleſia polluta præſcribit contra injuriam illatam ſanctitati Eccleſiæ, non poteſt ampliùs tanquam præſcripta inducere pollutionem.

Quòd ſi petatur, quódnam ſit hoc longum 34
tempus, quo elapſo cenſeatur præſcripta injuria, & extincta cauſa pollutiva. Reſpondent communiter, ad id ſufficere ſpatium unius anni, eò quia etiam in civilibus tale tempus ſufficiat ad abolendam injuriam, ne injuria affectus poſſit implorare officium Judicis contra injuriantem. Imò probabile eſt, ſufficere etiam minus tempus, eò quia Eccleſia utpote pia mater, faciliùs condonet ſuis filiis injurias: tum quia jus ipſum non patitur, quòd hujusmodi injuriæ, & pollutio inde ſecuta diu ſubſiſtant cum *in c. fin. h. t.* injungat, ut ſtatim tam injuria, quàm pollutio per reconciliationem aboleantur. Hinc non videtur improbabile, quòd cauſa pollutiva ultra quatuor, vel quinque menſes non ſit ampliùs efficax ad inducendam pollutionem.

Hæc autem procedunt de cauſa pollutiva 35
non habente eſſe permanens, quia ſi infidelis vel excommunicatus ſepultus jaceret in Eccleſia, tamdiu hæc cenſeretur polluta, quamdiu in illa jaceret cadaver infidelis: quia tamdiu durat injuria, & irreverentia, quamdiu durat permanentia cadaveris; proinde etiamſi poſt plures annos tantùm publicaretur cauſa pollutiva Eccleſiæ, adhuc hæc de præſenti ſuum produceret effectum, & Eccleſiam polluet.

Si polluatur Eccleſia, cenſetur etiam pollu- 36
tum cœmeterium illi annexum, tanquam acceſſorium, non verò è converſo, ſi polluatur cœmeterium, cenſetur Eccleſia polluta, quia acceſſorium non trahit ad ſe principale, ſed potiùs ab ipſo trahitur, ut habetur in *c. ſi Eccleſiam unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declaravit, quòd ſi Eccleſia polluatur effuſione ſanguinis, vel ſeminis, cenſetur etiam pollutum cœmeterium, ſi illi ſit contiguum, & in eo non poſſit quis ſepeliri antequam ſit reconciliatum, & ſi ſit remotum ab ea non cenſetur pollutum. Item ſi polluatur cœmeterium contiguum non tamen Eccleſia cenſetur polluta, quia minus dignum non trahit majus. Rurſus, quando ſunt plura cœmeteria contigua diviſa uno pariete, licèt ex uno in aliud per portam ingrediatur, non tamen ſi unum polluatur, cenſetur aliud pollutum.

Quòd

37 Quòd si cœmeterium fuerit pollutum, necesse est, ut reconcilietur. Polluitur autem cœmeterium iisdem modis, quibus Ecclesia, scilicet per sanguinis, vel seminis humani effusionem *c. si Ecclesiam unic. in princ. h.t. in* 6. quando in ipso sepelitur corpus excommunicati *c. consuluisti 7. h.t.* Si in illo sepeliatur infidelis, aut non baptizatus. Eodem itidem modo reconciliatur sicut Ecclesia, unde si cœmeterium benedictum solemniter sit per Episcopum, debet reconciliari *d. c. consuluisti*, ubi statuitur, quòd pollutum cœmeterium debeat reconciliari aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit: & aqua solemniter benedicta, est illa, de qua dicitur *in c. proposuisti 4. h.t.* debet enim benedici cum vino, & cinere, quapropter reconciliatio cœmeterii fieri debet ab Episcopo, quia aqua benedicta cum vino, & cinere non adhibetur nisi in functionibus Episcopalibus.

38 Tum quia *in d. c. proposuisti* dicitur, quòd cœmeterium sit reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum, sed in hisce dedicationibus cœmeteria benedicuntur per benedictionem ordinis episcopalis; proinde debet ab episcopo reconciliari. Quòd si cœmeterium non fuerit solemniter benedictum, potest tunc per quemlibet sacerdotem reconciliari: siquidem est minus dignum Ecclesiâ, & hæc si non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta, potest reconciliari per quemlibet sacerdotem, proinde à fortiori etiam cœmeterium. Tum quia causa, quæ potest aliquid dare, potest etiam illud auferre: & quia simplex Sacerdos potest cœmeterium benedicere, potest etiam ejus sanctitatem pollutam restituere: hinc Regulares, qui habent privilegium reconciliandi suas Ecclesias, si polluantur, possunt etiam reconciliare sua cœmeteria solemniter benedicta, quia cœmeterium est accessorium Ecclesiæ, quam sequitur *c. unic. h.t. in* 6.

§. IV.

Producuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an Ecclesia consecrata, si polluta fuerit reconciliari possit à simplici sacerdote ex mandato episcopi cum simplici aqua benedicta? Certum est, duplicem esse reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, solamnem unam, quæ fit per Episcopum cum aqua mixta cinere, & vino ab ipso benedicta; & aliam simplicem, quæ potest fieri per simplicem sacerdotem cum aqua simpliciter benedicta more consueto; & quæstio procedit de hac secunda reconciliatione, an committi possit ab episcopo simplici sacerdoti. Plures affirmant eo innixi fundamento, quia talis reconciliatio non sit actus Ordinis episcopalis; & non excedat facultatem sacerdotalem, & aliàs producat eundem effectum, quem produceret alia reconciliatio: etenim violatio semper est eadem sive Ecclesia fuerit consecrata, sive tantùm benedicta. Putârim tamen probabiliùs, talem reconciliationem non posse ab episcopo committi simplici sacerdoti si Ecclesia polluta, fuerit ante consecrata, quia sicut pollutio est de jure positivo, & non inducitur, nisi per causas, quæ à jure statuuntur pollutivæ; ita reconciliatio est etiam de jure positivo, consequenter non potest exerceri nisi per causam ab ipso jure assignatam: siquidem tam ipsa pollutio, quàm reconciliatio dependent à jure, à quo oriuntur: sed jus assignat reconciliationem activam cum sua propria forma: ergo nisi hæc adhibeatur, non inducitur reconciliatio passiva. Tum quia simplex reconciliatio habet tantùm vim reconciliandi Ecclesiam non consecratam, non verò consecratam: siquidem nullam aliam habet vim, nisi quæ illi convenit ex vi suæ institutionis; & quia hæc tota habetur ab Ecclesia, quæ illam non instituit pro reconciliandâ ecclesia consecrata, non potest vim habere eam reconciliandi, quia ex se illam non habet, & ecclesia eam illi non tribuit.

Tum quia reconciliatio ecclesiæ consecratæ est actus ordinis episcopalis ex institutione ecclesiæ, & exercetur cum certa, & determinata forma præscripta ab Ecclesia, proinde si alio modo reconcilietur, non fortitur suum effectum: siquidem non servatâ formâ actus est nullus, & deficit effectus *l. 4. C. de sent. & interlocut.* & tradunt communiter cum Glossa *in c. cum dilecta V. irritum de rescript.* Tum quia jus statuit, ut Ecclesia consecrata reconcilietur ab episcopo, à quo per actum Ordinis episcopalis fuit consecrata: & Ecclesia tantùm benedicta potest reconciliari à simplici sacerdote cum simplici benedictione, & aspersione aquæ lustralis, eò quia ejus primæva benedictio est actus Ordinis sacerdotalis, tametsi etiam exerceatur ab episcopo: hinc ecclesia ut consecrata est in altiori ordine sanctificationis, quàm sit ecclesia tantùm benedicta; proinde ex eo quòd possit simplex Sacerdos ecclesiam benedictam reconciliare, non sequitur, quòd etiam Ecclesiam consecratam: quia non potest causa inferior influxu inferiori non solùm in physicis, sed nec in moralibus compensare effectum causæ superioris, cùm non attingat ejus excellentiam, & virtutem requisitam ad talem affectum.

Hinc ad fundamentum oppositæ sententiæ, verum est, hanc reconciliationem simplicem, & cum simplici benedictione non excedere facultatem sacerdotalem: non tamen inde sequitur, quòd producat eundem effectum: ratio est, quia illa simplex benedictio non potest agere ultra suam institutionem, & virtutem ipsi inditam ab Ecclesia: atqui ab hac fuit tantùm instituta ad reconciliandam Ecclesiam benedictam, non verò consecratam, proinde defectu virtutis non extenditur ad consecratam, sed tantùm coarctatur ad benedictam. Præterea falsum est, quòd pollutio sit eadem, sive Ecclesia fuerit consecrata, sive solùm benedicta, quia sanctitas Ecclesiæ consecratæ est major, perinde ac ipsa consecratio est major simplici benedictione; consequenter pollutio Ecclesiæ consecratæ debet esse major, & gravius peccatum: variata enim sanctitate, variatur etiam pollutio.

3 Quæ-

Quæritur ſecundò, an ſimplex Sacerdos ex 4
commiſſione ſummi Pontificis poſſit Eccleſiam conſecratam reconciliare? Reſpondetur affirmativè cum Gloſſa *in c. aqua 9. h. t.* & Canoniſtis communiter, quia tametſi ſummus Pontifex non poſſit committere inferiori, quæ de jure divino ſunt ordinis ſuperioris, poteſt tamen ea committere, quæ ſunt tantùm de jure poſitivo talis Ordinis, ut notant Rebuffus *in prax. benefic. tit. forma Vic.* Abbas *in d. c. aqua 9. in fin. h. t.* atqui reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ eſt tantùm de jure eccleſiaſtico actus Ordinis epiſcopalis: ſiquidem tam reconciliatio, quàm ipſa conſecratio, & pollutio originem habent à ſola inſtitutione Eccleſiæ, adeo ut hoc jus ſit tantùm eccleſiaſticum, & non divinum: atqui Pontifex eſt ſupra jus eccleſiaſticum, proinde poteſt in ipſo diſpenſare, & committere inferiori, quæ ſunt Ordinis ſuperioris.

Hinc poteſt ſummus Pontifex committere 5
ſimplici ſacerdoti non ſolùm reconciliationem, ſed etiam ipſam conſecrationem Eccleſiæ, & quidem pro ſemper, & per modum facultatis privilegiariæ: ratio eſt, quia tametſi actus conſecrandi Eccleſiam ſpectet ad ordinem epiſcopalem, non tamen ad illum pertinet ex jure divino, ſed tantùm ex diſpoſitione juris eccleſiaſtici, & quia Pontifex poteſt concedere privilegium derogans huic juri poſitivo eccleſiaſtico, ita ſimplici ſacerdoti poteſt committere per modum facultatis privilegiariæ, ut poſſit Eccleſias conſecrare: immo poteſt ſummus Pontifex hoc jus annexum Ordini epiſcopali abſolutè tollere, & facere ut conſecratio non ſit actus ordinis epiſcopalis, quapropter poteſt eidem juri ex parte derogari.

Hinc poteſt etiam ſummus Pontifex conce- 6
dere facultatem Epiſcopis, ut poſſint ſimplici ſacerdoti concedere poteſtatem reconciliandi Eccleſias conſecratas, ut docent Innocentius *in c. aqua 9. h. t.* ubi etiam addit, Pontificem id indulſiſſe pluribus epiſcopis, & ita etiam cenſent cæteri Canoniſtæ, quia cùm ſummus Pontifex poſſit ex ſe talem facultatem concedere ſimplici ſacerdoti, poteſt etiam epiſcopis concedere facultatem delegandi propriam poteſtatem, quæ tantùm eſt de jure eccleſiaſtico.

Quæritur tertiò, quid ſpecialiter ſervan- 7
dum ſit in Eccleſia polluta ex ſepultura infidelis, vel excommunicati, quando reconciliatur? Reſpondetur, eſſe priùs eorum cadavera extrahenda ab Eccleſia, ſeu cœmeterio; de cadaveribus infidelium ſtatuitur *in c. Eccleſiam 1. & 2. de conſecrat. diſt. 1.* & de corporibus excommunicatorum *in c. ſacris de ſepultur.* ubi etiam additur illa ratio, quia quibus vivis non communicamus, nec debemus etiam mortuis communicare. Id tamen procedit quando eorum cadavera à cæteris poſſunt diſcerni, quia cæterorum oſſa non debent præjudicium pati, ut paterentur, ſi loco cadaveris infidelis extraherentur: & ob eandem rationem in dubio, an ſit cadaver infidelis, non debet extrahi, quia in dubio non diſcernitur, an ſit cadaver infidelis, vel fidelis. Secundò putant aliqui etiam requiri, ut ante reconciliationem parietes, & tigna radantur ob textum *c. Eccleſiam 2. de conſecrat. diſt. 1.*

Verùm hic textus ſi attentè conſideretur 8
loquitur tantùm de conſecratione non de reconciliatione, unde putârim, hanc raſuram parietum non eſſe neceſſariam in reconciliatione: ratio etiam videtur id ſuadere, quia ſi eſſent radendi parietes jus obligaret ad aliquod, quod multoties non poſſet exequi, ut ſi parietes eſſent marmorei, vel cum ornatu marmoreo, vel opere muſiuo ornati, vel excellentioribus picturis delineati, tunc enim parietes nec radi poſſunt, nec dealbari, quin totum deſtruatur ornamentum cum notabili Eccleſiæ detrimento. Tum quia *in c. fin. h. t.* ubi diſponitur de reconciliatione Eccleſiæ non conſecratæ, nec verbum ullum fit de raſura parietum, & tignorum, ſed tantùm dicitur, quòd ſtatim lavetur aqua exorcizata; non poſſet autem ſtatim reconciliari, ſi parietes præſertim marmorei eſſent radendi.

Quæritur quartò, an aqua adhibenda pro 9
reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ poſſit benedici benedictione ordinaria, quando commodè non poteſt haberi Pontificale, adeo ut tunc ſufficiat, ſi adhibeatur benedictio aſſignata pro aqua luſtrali per ſolam immixtionem ſalis additis addendis? Reſpondetur negativè, quia tunc agitur de Sacramentali, quod non poteſt privata authoritate inſtitui, ſed tantùm publica Eccleſiæ: quapropter ut habeatur Sacramentale inſtitutum ab Eccleſia, debet neceſſariò ſervari forma inſtituta ab eadem Eccleſia: quando enim aliquid eſt inſtitutum cum certa forma, ſi hæc deficiat; nihil efficitur *l. qui hæred. ff. de condit. & demonſtrat.* quia Sacramenta fuerunt inſtituta à Chriſto cum certa forma; ſi hæc non ſervetur, Sacramenta non conficiuntur: atqui hoc Sacramentale adhibendum pro reconcilianda Eccleſia, eſt inſtitutum ab Eccleſia, non ad arbitrium Sacerdotis, cum certa forma, ergo ſi hæc deficiat, nihil conficitur: quapropter non ſufficit ſervare communem formam, quæ ſolet adhiberi in benedicenda aqua commixtione ſalis; cùm hæc ab Eccleſia non fuerit inſtituta ad reconciliandam Eccleſiam, ſed tantùm ad fugandos dæmones, & alios effectus præſtandos: unde ſervanda eſt illa forma, quam Eccleſia inſtituit in benedictione aquæ inſervientis reconciliationi Eccleſiæ. Tum quia hæc benedictio conſtituit Sacramentale ex vi ſignificationis verborum operantis in virtute Eccleſiæ, adeo ut ſignificatio habeat vim ex inſtitutione Eccleſiæ pro conficiendo Sacramentali: unde ſi mutetur ſignificatio non conficitur tale Sacramentale, quia mutata ſignificatione mutatur cauſa, ex qua propterea non poteſt ſequi conſuetus effectus, ſi mutatio ſignificationis ſit ſubſtantialis: quamobrem, ſi alia adhibeatur benedictio diverſa ab illa, quam Eccleſia inſtituit, non conficitur illa aqua benedicta, quæ fuit inſtituta pro reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ.

Quæritur quintò, an aqua, cum qua recon- 10
ciliatur Eccleſia non conſecrata, debeat neceſſariò benedici ab Epiſcopo? Reſpondetur id non eſſe neceſſe, & deſumitur ex *c. ſi Eccleſia 10.*

b. t. ubi dicitur quòd ecclesia non consecrata, si polluatur, lavetur aqua exorcizata: hæc autem est communis benedicta: sed hæc exorcizatio est actus facultatis sacerdotalis: neque *in d. c.* dicitur, quòd debeat benedici ab episcopo. Tum quia si Episcopus eam benediceret, utique non aliam adhiberet benedictionem, quam communem assignatam pro aqua exorcizanda: atqui hæc eadem benedictio, est actus facultatis sacerdotalis, & potest fieri à quovis sacerdote simplici, consequenter non est necesse, quòd benedicatur ab Episcopo, cum hic eam benediceret, non ut Episcopus, sed ut Sacerdos.

11 Quæritur sextò, an si Ecclesia reconcilianda, fuerit tantùm benedicta, & nondum consecrata, possit à simplici sacerdote reconciliari? Respondent communiter affirmativè cum Glossa *in d. c. si Ecclesia 10. b. t.* & desumitur etiam *ex d. c.* quia ibi Pontifex agens de Ecclesia non consecrata, & polluta, dicit, quòd aqua exorcizata protinus lavetur, & nullum addit verbum de Episcopo. Tum quia praxis, & usus communis hoc idem etiam declarat; & ita etiam respondit sacra rituum congregatio in Hydruntina 15. *Decemb. 1632.* ut refert Pax Jordan. *to. 1. lugubrat. lib. 5. tit. 12. num. 160.* Ratio etiam id suadet, quia non plus requiritur ad reconciliandam, quàm ad benedicendam Ecclesiam, sed simplex Sacerdos potest benedicere: ergo etiam poterit Ecclesiã reconciliare, si nondum fuerat consecrata. An verò requiratur licentia Episcopi? Respondetur, quòd quamvis de jure non requiratur, conveniens tamen est, quòd reconciliatio Ecclesiæ antea solùm benedictæ fiat ex consensu Episcopi: siquidem causa pollutionis Ecclesiæ, ut ecclesiastica, & spiritualis pertinet ad Episcopum; proinde si contingat, est illi notificanda, ut possit decernere quid agendum sit, proinde non debet reconciliari nisi de ipsius consensu; quia reconciliatio tanquam quid se habens consecutivè ad pollutionem pertinet ad eandem causam, proinde de ipsa cognoscere spectat ad Episcopum. Quòd verò de jure non sit simpliciter necessaria hæc licentia desumitur *ex d. c. si Ecclesia 10. b. t.* ubi tantùm dicitur, quòd Ecclesia polluta aquâ exorcizatâ protinus lavetur, & communiter Canonistæ intelligunt, quòd possit lavari à quocunque sacerdote, & nihilominus Pontifex nullam mentionem ibi facit de licentia Episcopi, & non potest aliud jus assignari, vi cujus talis licentia sit necessaria: neque actus excedit munus sacerdotale.

12 Quæritur septimò, an causa pollutiva Ecclesiæ debeat esse publica, ut sequatur pollutio? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. significásti de adult.* ubi declaratur, Ecclesiam remansisse pollutam ratione adulterii in ea patrati, & affertur ratio, quia adultera suum delictum confessa fuerat: unde ex publicatione delicti pollutio Ecclesiæ tantùm sequitur: siquidem cùm sit fœdatio sanctitatis, quam habet Ecclesia ex consecratione, vel benedictione ex hominum opinione, debet causa pollutiva hanc opinionem maculationis generare. Quòd si dicas, actiones pollutivas ratione irreverentiæ, quam continent Ecclesiam polluere? Respondetur, id esse verum, sed in Ordine ad hominum apprehensionem, quatenus apud ipsos quædam generatur aversio ratione indignitatis, & irreverentiæ, quam apprehendunt in ordine ad sanctitatem Ecclesiæ: ad id autem requiritur ut causa pollutiva Ecclesiæ sit publica, alioquin non generaret in hominum opinione maculationem sanctitatis.

Immo non tantùm sufficit notoreitas facti, 13
sed etiam ipsa publicatio, sive oriatur ex confessione delinquentis, sive ex fama: quia eatenus publicitas est necessaria ad cautandam opinionem de fædatione Ecclesiæ, ut homines concipiant talem fæditatem in sanctitate Ecclesiæ, ad id autem sufficit quæcunque publicitas: imò ut actiones pollutivæ fiant publicæ ex confessione delinquentium non requiritur, quòd confessio sit judicialis, sed sufficit etiam extrajudicialis, ut desumitur etiam *ex d. c. significásti de adulter.* nam Mulier adultera confessa fuerat suum adulterium extrajudicialiter, & nihilominus Pontifex jussit, Ecclesiam illam reconciliari. Non enim ut causæ pollutivæ dicantur publicæ, est necesse, ut in judicio probari possint, quia ad eas probandas sufficit notitia certa duorum, ut notat Barbosa *de potest. Episc. alleg. 28. num. 39.* & Pallerin. *de potest. eccles. disp. 4. c. 9. n. 4.*

Quòd si sacerdoti in confessione notificaretur causa pollutiva Ecclesiæ, deberet ita se 14
gerere, ac si nihil omnino sciret, quia Sacerdos, dum audit confessionem repræsentat Christi personam, & ejus tribunal, habétque se tanquam judex, & procedit nomine Christi, ut definitur in Tridentino *sess. 14. c. 5. de pœnit.* proinde notitia quam Confessarius acquirit in confessionibus audiendis est omnino segregata ab humano commercio, & omnino secreta; adeo ut sine injuria gravissima Christi non possit trahi ad ea, quæ sunt humani commercii: consequenter non potest Sacerdos ea uti, nec in genere in ordine ad manifestandam causam pollutivam in genere communi, nec in specie, quia traheretur ad humanum commercium. Tum quia quamdiu causa pollutiva Ecclesiæ remanet occulta, Ecclesia non est polluta, seu non est habenda pro polluta, proinde non est opus, ut reconcilietur; tunc enim tantùm est necessaria reconciliatio, quando in hominum opinione est polluta.

Quæritur octavò, an Ecclesia cæpta ædifi- 15
cari possit esse capax pollutionis priusquam in ipsa celebrentur divina officia? Respondetur cum distinctione, si antequam incipiant celebrari divina officia sit benedicta, tunc est capax pollutionis, quia non divina officia, quæ in Ecclesia celebrantur eam sanctificant, sed benedictio, vel consecratio: & eo ipso quòd Ecclesia est sanctificata, est capax pollutionis, quia tunc fædatur ratione sanctitatis. Non tamen sufficit illa benedictio, quæ adhibetur, quando collocatur primus lapis pro structura totius Ecclesiæ, quia hæc benedictio tantùm ordinatur ad sanctificanda prima Ecclesiæ rudimenta, non verò ipsam Ecclesiam, quæ cùm nondum exi-

ſtat, non poteſt ſanctificari. Sin verò Eccleſia antequam divina celebrentur officia non fuerit benedicta, tunc non eſt capax pollutionis, quia nondum eſt ſanctificata: ſanctificatur enim per benedictionem, vel conſecrationem, & pollutio eſt fædatio hujus ſanctitatis: in hoc ſenſu docent plures, Eccleſiam, antequam in ea incipiant celebrari divina officia, non eſſe capacem pollutionis, intelligunt enim de officiis, quæ in benedictione, vel conſecratione celebrantur, ut docent Gloſſa in *c. Eccleſia V. celebrantur de immunit. eccles.* Panormit. Hoſtiens. & alii.

16 Quæritur nonò, an polluatur Eccleſia, ſi in ejus veſtibulo, vel porta contingat cauſa pollutiva? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi cauſa pollutiva contingat in illa parte veſtibuli, vel portæ, quæ poſt valvas reſpicit ſpatium exterius, non polluitur Eccleſia: ratio eſt, quia clauſis januis quod eſt in parte exteriori dicitur eſſe extra Eccleſiam, proinde ſi cauſa pollutiva contingat in illa parte, quæ ſi claudantur fores ſit extra Eccleſiam, non cenſetur Eccleſia polluta, quia tunc cauſa illa non contingit in Eccleſia, ſed extra Eccleſiam, unde ſi quis ad parietem exteriorem Eccleſiæ hominem occideret prope januam ejusdem, non polluereturEccleſia, ut docent Dominicus *in c. unic. n. 6. de conſecrat. eccles. in 6.* Barbola *de poteſtat. epiſc. allegat. 28. num.* 20. Sin verò cauſa pollutiva contingeret in ea Eccleſiæ parte, quæ clauſis januis remanet in parte interiori, dicitur eſſe intra Eccleſiam, eò quia ſit quid clauſum intus, proinde tunc cauſa pollutiva contingeret intra Eccleſiam, quòd enim janua ſit aperta, vel clauſa non variat ambitum Eccleſiæ.

17 Quòd ſi cauſa pollutiva contingeret in ipſomet limine, ſeu in eo loco, qui januis clauſis partim eſſet intra Eccleſiam, & partim extra, tunc reſpondet Paſſerinus, Eccleſiam non polluturam, & dat rationem, quia in odioſis ſub ſimplicibus non continetur caſus mixtus; & quia talis locus ſupponitur eſſe partim intra Eccleſiam, & partim extra, tanquam mixtus non continetur ſub ſpecie, ſeu ambitu Eccleſiæ. Cæterum atrium Eccleſiæ non infert eidem pollutionem, ſi in illo contingat cauſa pollutiva, ut docet Paſſerinus *de pollut. eccles. diſp. 2. c. 31. num. 4.* quia tametſi atrium ſit pars ædificii Eccleſiæ, non tamen eſt pars Eccleſiæ; quia per murum ſeparatur ab Eccleſia, nec communicat cum ipſa in deputatione ad divina officia. Neque obſtat, quòd quæ prohibentur fieri in Eccleſia, prohibeantur etiam fieri in ejus atrio *c. ſi quis in atrio c. quisquis 17. q. 4. c. nulla 12. q. 1.* quia inde non ſequitur, quòd ſi cauſa pollutiva contingat in atrio, polluatur Eccleſia: ratio eſt, quia ad inferendam pollutionem non ſufficit prohibitio, ſed requiritur ſanctitas loci: atqui atrium Eccleſiæ non ſanctificatur cum Eccleſia, quia non conſecratur, neque benedicitur, niſi fortaſſis ſit etiam cœmeterium, & tunc non ratione atrii, ſed ratione cœmeterii ſanctificatur per benedictionem.

18 Quæritur decimò, an ſi ædificetur Eccleſia in Hungaria, ubi Turca in bello occiſus fuit, & ſepultus, Eccleſia illa ibi conſtructa cenſenda ſit polluta? Reſpondetur negativè, quia niſi Eccleſia fuerit priùs ſanctificata per benedictionem, vel conſecrationem non eſt capax pollutionis: atqui per id, quòd Eccleſia ædificetur, ubi Turca, qui in bello occubuit, eſt ſepultus, non intelligitur ſanctificata, quia ex vi ſolius ædificationis non eſt conſecrata, nec benedicta: ergo non poteſt dici polluta. Tum quia pollutio eſt fædatio ſanctitatis, unde ubi non eſt ſanctitas, ibi nec eſſe poteſt ejus fædatio: atqui ſanctitas derivatur in Eccleſiam per benedictionem, vel conſecrationem: ergo antequam Eccleſia benedicatur, vel conſecretur, non eſt ſancta, conſequenter non poteſt fœdari ejus ſanctitas. Imò neque polluereturetur, ſi poſtquam Eccleſia eſt ædificata, in ea ſepeliretur infidelis, quia nondum eſſet ſancta. Deberent tamen in hiſce caſibus cadavera infidelium extrahi à tali loco, antequam Eccleſia benediceretur, vel conſecraretur: alioquin cum tali impedimento non poſſet decenter benedici, nec conſecrari. Quia plures cenſent, oſſa infidelium non eſſe neceſſariò extrahenda ex vi canonum, ſed tantùm id eſſe valdè decens, eò quia canones tantùm velint, quòd extrahatur cadaver infidelis, quando in ea fuit ſepultum: & aliud eſt cadaver infidelis ſepeliri in Eccleſia, & aliud Eccleſiam ædificare, ubi tale cadaver eſt ſepultum: quando enim jura diſponunt ex præſuppoſitione unius, non debet cenſeri diſpoſitum ex ſuppoſitione alterius, & hæc ſententia eſt valde probabilis, quia quando ceſſat præſuppoſitum à jure, ceſſat etiam juris diſpoſitio *c. ſi Papa de privileg. in 6. & clement. ſi ſummus de ſentent. excommun.*

19 Quæritur undecimò, an in caſu neceſſitatis copula conjugalis in Eccleſia eam polluat? Ut conſtituatur caſus neceſſitatis plura requiruntur. Primò ut conjuges adigantur permanere in Eccleſia, quia ſi exire poſſent, non adeſſet neceſſitas utendi copula in Eccleſia. Secundò ut non ſit alius locus adnexus Eccleſiæ, ad quem conjuges in hunc effectum poſſint divertere, cujusmodi ſunt ſacriſtiæ, turris, & aliquod cubiculum, vel quicunque alius locus, qui non ſit obnoxius pollutioni. Tertiò ut conjuges non poſſint ſe abſtinere à copula ſine periculo incontinentiæ, quia ſi poſſent, tenerentur abſtinere. Reſpondetur valdè probabile eſſe, ſtante vera neceſſitate per copulam conjugalem ſecutam in Eccleſia, hanc non pollui ex eo quòd contingat manifeſtari, ut docet Paſſerinus *diſp. 7. de pollut. eccles. c. 18. num. 4.* quia tunc ceſſat irreverentia erga ſanctitatem loci, proinde ratio ſacrilegii: eatenus copula illa conjugalis in Eccleſia eſt ſacrilega, quatenus dedecet ſanctitatem loci: quando autem adhibetur ad vitandum periculum incontinentiæ, tunc non dedecet ſanctitatem loci, immo potiùs illam tuetur, eò quia inducat rationem medii ordinati ad vitandam Dei offenſam, quæ ſequeretur, niſi tale medium adhiberetur. Tum quia effuſio ſanguinis in Eccleſia eſt contra reverentiam ei debitam, & lædit ejus ſanctitatem: & nihilominus ſi ſit neceſſaria pro conſervanda propria vita, ceſſat irreverentia contra ſanctitatem Eccleſiæ, & deſinit eſſe ſacrilega: ergo hoc idem dicendum de copula

con-

conjugali, si necessaria sit pro defendenda vita spirituali animæ. Tum quia quando concurrunt duo mala, si non possint ambo vitari, debet quod est majus vitari: atqui offensa Dei est majus malum, quàm non servare reverentiam debitam Ecclesiæ, si possit contingere sine offensa gravi Dei, proinde tunc tenentur evitare offensam Dei, tametsi non possint aliter illam evitare, quàm per conjugalem copulam in Ecclesia, quia copula tunc tantùm est mala ratione circumstantiæ loci, & incontinentia est absolutè mala. Sin autem stante illa necessitate haberetur publicè conjugalis copula in Ecclesia, hæc pollueretur: quia hæc necessitas habendi publicè talem copulam non potest adesse, cum conjuges possint simul noctu convenire, vel quando Ecclesiæ januæ sunt clausæ.

20 Tum quia copula conjugalis publicè habita est semper contra honestatem naturalem, causátque abominationem, tanquam quid turpe ex circumstantia: unde si habeatur publicè, induit specialem malitiam ratione talis circumstantiæ, & cùm sit malitia gravis, graviter laeditur sanctitas Ecclesiæ, quæ propterea polluitur. Si igitur longo tempore ambo conjuges includerentur in Ecclesia, nec ad alia loca pateret exitus; tunc canones ad vitandum incontinentiæ periculum, non censentur obligare conjuges ad continentiam, dummodo periculum revera subsit, & conjuges longo tempore, & supra mensem, includantur in Ecclesia. Non tamen stante hac diuturna mora in Ecclesia copula conjugalis, censenda est licita toties, quoties licita foret extra Ecclesiam, sed tantùm quando vehementiùs urget periculum incontinentiæ: siquidem copula conjugalis de se est illicita in Ecclesia, eò quia sit contra reverentiam eidem debitam, idque non per aliquam legem extrinsecam prohibentem, sed ex natura rei, proinde non potest fieri licita, nisi aliqua superveniat causa excludens talem irreverentiam, & hæc causa non potest esse alia, nisi ut vitetur periculum incontinentiæ, quæ causa non semper supervenit in diuturna mora. Hinc conjugi petenti debitum in Ecclesia secluso periculo incontinentiæ non licet reddere, alioquin committeretur grave sacrilegium, quia tunc conjux petens debitum, petit actum illicitum, secundùm se ratione circumstantiæ loci, & qui non potest exerceri ab altero conjuge sine sacrilegio: conjux autem non tenetur sacrilegium committere ad petitionem alterius.

21 Quæritur duodecimò, an qui Ecclesiam consecrat, possit aliquid exigere pro consecratione ejusdem? Respondetur negativè; & ita statuit Innocentius II. in synodo Romana relatus *in c. fin.* 1. *q.* 3. & Alexander III. relatus *in c. cum sit de simonia*: siquidem consecratio cùm sit quid spirituale, utique daretur, & acciperetur aliquid temporale pro spirituali, quod est simoniacum. An verò si interveniat pactum simoniacum consecratio irritetur. Respondendum est negativè cum Glossa *in d. c. Ecclesia* 1. *q.* 4. *V. pactione in fin.* & *ex c. non noceat* 1. *q.* 1. ubi dicitur, quòd malitia consecrantis non noceat consecrationi Ecclesiæ. Tum quia in hoc textu æquiparantur Baptismus, & cætera Sacramenta cum Ecclesiæ consecratione: & sicut Sacramenta licèt simoniacè collata, adhuc sunt valida, ita etiam dicendum de consecratione Ecclesiæ, cùm sit utrinque par ratio: quia sicut Minister Sacramenti operatur nomine Christi, qui est principalis causa, ita in consecratione Ecclesiæ consecrator operatur nomine Ecclesiæ, proinde ejus malitia non vitiat consecrationem. An verò Ecclesia à Ministro simoniaco consecrata reconcilianda sit per alium Episcopum, affirmant aliqui. Verùm alii probabiliùs docent, non esse iterum reconciliandam, eò quia fuerit validè consecrata, & nullus adest textus injungens, quod debeat reconciliari. Imò *in c. non noceat* 1. *q.* 1. habetur, quòd non nocet malitia Episcopi, neque ad baptismum infantis, neque ad Ecclesiæ consecrationem: atqui noceret, si esset reconcilianda, quia eam constitueret indigentem reconciliatione, proinde in statu pollutionis.

Quæritur tertiodecimò, an qui Ecclesiam 22
consecrat teneatur missam celebrare? Respondetur, Ecclesiam esse consecrandam cum celebratione missæ, ut docent communiter cum Glossa *in c. omnes Basilicæ de consecrat. dist.* 1. & desumitur etiam *ex cap. de fabrica de consec. dist.* 1. ubi statuitur, Ecclesiam esse consecrandam cum celebratione missæ: ratio est, quia preces, & omnia ea, quæ interveniunt in hac consecratione sunt suo modo causæ effectivæ sanctitatis inducendæ per consecrationem; & celebratio missæ est veluti forma applicata in genere causæ formalis ad sacrificandum, quia continet sacrificium, ejúsque oblationem, quæ est munda, & sancta; habétque proinde vim sanctificandi, tum ipsum offerentem si dignè offerat, tum ipsum locum, in quo offertur instar formæ sanctificativæ illius. Quamvis de jure antiquo missa celebranda sit ab ipsomet consecrante: nihilominus hodie de jure novo Pontificale Romanum indulget; quòd si consecrator ob susceptos labores nimis defatigatus fuerit, possit per alium missa celebrari, ut notat Pax Jordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 5. *n.* 27. cum enim functio hæc sit laboriosa, & longa; indulsit Pontifex, ne consecrator ob nimiam lassitudinem cogeretur missam, vel omittere, vel jam inchoatam non complere; ut vel per se, vel per alium sineret missam celebrari; ita tamen ut nunquam sit omittenda, alioquin lethaliter consecrator peccaret; perinde ac si ordinans sine celebratione missæ ordinaret.

Tum quia probabilius est, celebrationem 23
missæ esse de substantia consecrationis Ecclesiæ; quamvis non sit de substantia ordinationis: ratio discriminis petitur ex eo, quia missa sit actio sanctificativa Ecclesiæ non minus ac tota series consecrationis; & ab Ecclesia præscribitur, ut actio sanctificativa; quia est aliquid sacrum quod sanctificat, perinde ac aliæ preces, unctiones, & alia quæ adhibentur in hac consecratione, sanctificant, quia sunt res sacræ: oblatio enim sacrificii est actio sacra, quæ fit in Ecclesia, quam propterea sanctificat trahens Deum speciali modo ad ibi inhabitandum; ut

in loco, in quo ſpeciali modo colitur: quinimo preces, quæ recitantur in hac conſecratione, aſpertiones, & unctiones, quæ fiunt, videntur potiùs eſſe quædam præambula, & præparatoria ad formam conſecrationis, quæ ponitur per oblationem ſacrificii. Secus miſſa non eſt de ſubſtantia ordinationis; quia ipſa ordinatio per ſe eſt Sacramentum; proinde ad ſui ſanctificationem non indiget celebratione miſſæ, quæ propterea intervenit ex ſola inſtitutione Eccleſiæ. Præterea celebratio miſſæ non tendit ad conferendam illam poteſtatem, quam confert ordinatio: ſecus oblatio ſacrificii tendit ad conferendam illam ſanctitatem, quam confert conſecratio; proinde cenſetur inſtituta, ut de ſubſtantia conſecrationis.

24 Quæritur quartodecimò, in quo conſiſtat ſanctificatio, quam per conſecrationem acquirit Eccleſia? Reſpondetur, conſiſtere, in quadam dignitate morali dignificante ipſam Eccleſiam ex connotatione Dei ibi ſpeciali modo inhabitantis; & hanc moralem dignitatem ſitam eſſe in morali repræſentatione præſentiæ Dei: idque liquet ex analogia hujus ſanctitatis ad ſanctitatem phyſicam, ſimul & moralem, quâ ſanctificatur anima: ſicut gratia habitualis ita ſanctificat animam, ut eam conſtituat templum Dei, quatenus ſecundùm ſpecialem effectum declarat præſentiam Dei: ita conſecratio declarat præſentiam Dei ſpeciali modo in Eccleſia conſecrata; quæ ratione talis præſentiæ ſanctificatur, ſitque domus Dei, domus orationis, quam decet ſanctitudo. Cum Deus per immenſitatem ſit ubique præſens; hæc ſpecialis præſentia in Eccleſia conſecrata haberi debet in ordine ad aliquam ſpecialem operationem; & effectum: ſiquidem ex operatione arguimus Dei præſentiam; & ex ſpeciali operatione ſpecialem Dei præſentiam: neque anima juſti alia ratione dicitur Templum Dei, niſi quia ſpeciali modo per effectum ſuæ gratiæ ibi habitat. Ratione igitur hujus ſanctitatis Eccleſia conſecrata ſit ſpeciale Dei inſtrumentum in ordine ad excitandam fidelium devotionem, ac reverentiam erga Deum; quatenus Eccleſia ratione conſecrationis objectivo modo, ut Dei habitatio excitat devotionem, & reverentiam erga Deum, qui utitur hac objectiva motione, ut interiùs per ſuam gratiam operetur, ac promoveat eandem devotionem, ut fiat ſicut oportet: eſt enim de ratione cujuſvis objecti juxta propriam naturam movere intellectum, & excitare ad eas cogitationes, cum quibus aliquam habet connexionem: hinc Eccleſia objectivo modo ſi Deus per ſuam gratiam interiùs operetur, excitat pias cogitationes virtutũ ſupernaturaliũ, actus devotionis, & reverẽtiæ. Præterea Eccleſia ratione ſanctitatis acceptæ in conſecratione dignificat orationes, ut quæ in ea fiunt, ſint Deo gratiores: ſiquidem eſt Eccleſia ex ſui inſtitutione locus orationis cum Chriſtus Matth. 11. loquens de Eccleſia dicat: domus mea, domus orationis eſt: hinc Deus ſpeciali auxilio aſſiſtit orantibus in Eccleſia, ut preces, quæ ad ipſum in eadem funduntur uberiùs dignificentur. Demum ſicut ſanctitas perſonæ dignificat operationes ab ea provenientes; ita etiam ſanctitas loci concurrit ad dignificandas preces, quæ in eo ad Deum funduntur.

Quæritur quintodecimò, an quando Eccleſia per ſolam oblationem ſacrificii conſecratur, ſit iterum conſecranda? Eccleſiam conſecrari ſubſtantialiter ex eo, quòd in illa offeratur ſacrificium miſſæ eſt ſententia communior deſumpta *ex cap. de fabrica de conſecrat. diſt.* 1. ubi dicitur, quòd Eccleſia à fundamentis innovata; remaneat conſecrata ſi in ea miſſa celebretur: ſiquidem propter infinitam virtutem tanti ſacrificii habetur pro reconciliata ſubſtantialiter; quamvis non ritualiter, eò quia non adhibeantur tunc ritus ab Eccleſia præſcripti ad conſecrationem Eccleſiæ. Tum quia conſecratio ordinatur ad ſanctificandam Eccleſiam; & hujuſmodi ſanctificatio non conſiſtit in aliqua ſanctitate, quæ propriè ſit talis; ſed in eo præciſè eſt ſita, quòd locus ſpeciali modo dedicetur Deo in ordine ad ejus cultum, & præcipuè oblationem ſacrificii: unde ſi de facto in Eccleſia recèns extructa offeratur ſacrificium, remanet Deo dicata in ordine ad oblationem ſacrificii: plus enim eſt, conſecrare facto, quàm verbis *l. non dubium 6. c. de legib.* 25

Difficultas eſt, an licèt ſubſtantialiter ſit conſecrata per ſolam oblationẽ ſacrificii, poſſit iterum conſecrari ritualiter: dico *an poſſit*; quia hæc ritualis conſecratio non eſt abſolutè neceſſaria, quia ſufficit ſola benedictio; adeo ut Eccleſia non ſit de neceſſitate conſecranda. Reſpondetur, Eccleſiam ſubſtantialiter conſecratam per oblationem ſacrificii in eadem, poſſe iterum conſecrari ritualiter: idque deſumitur ex praxi, & conſuetudine, quæ eſt optima legis interpres; paſſim conſtruuntur novæ Eccleſiæ, quæ benedicuntur tantùm, & in quibus miſſæ celebrantur per plures annos; & poſtea data occaſione conſecrantur. Idque ſolet confirmari ex facto ſancti Athanaſii, & habetur *in Apolo. ad Conſtantinum Imperatorem in 3. accus. to. 2. oper. ipſius:* cum enim accuſaretur apud Imperatorem quòd Eccleſiam conſecrâſſet, quam ipſe Imperator ædificaverat absque licentia, & interventu Imperatoris; reſpondit Athanaſius, ſe Eccleſiam non conſecrâſſe; ſed tantùm in eadem ſacram celebráſſe Synaxim; & revera fuit poſtea Eccleſia interventu Imperatoris ritualiter conſecrata. 26

Præterea quando parvulus urgente neceſſitate baptizatur privatim, ſuppletur poſtea ſolemnitas baptismi cum omnibus ſuis ritibus, quamvis jam ſubſtantialiter fuerit baptizatus, & ſolùm non repetitur, ſeu omittitur ſubſtantia ſacramenti, ſeu materia, & forma; eò quia Sacramentum baptismi non ſit iterabile: quòd ſi dicas inde ſequuturum, eſſe itidem in conſecratione rituali omittendam miſſam. Contra eſt, quia miſſa non eſt Sacramentum initerabile; proinde ſi conjungatur cum cæteris ritibus trahitur ab iisdem tanquam forma iterabilis, quæ propterea debet unà cum ritibus iterari. Cæterum ſi Eccleſia ſemel fuerit ritualiter conſecrata, non eſt iterum conſecranda, quia conſe- 27

cratio

cratio imitatur aliquo modo Sacramenta, quæ imprimunt characterem, & non possunt iterari; hæc enim consecratio relinquit in Ecclesia consecrata quendam veluti characterem sanctitatis: ut etiam contingit in Abbatibus, aliisque personis, quæ consecrantur, quæ non possunt iterum eadem consecratione consecrari.

28 Quæritur sextodecimò, an Ecclesia sit simul consecranda cum altare? Respondetur in Pontificali Romano præscribi, Ecclesiam esse simul consecrandam cum altare majore. Difficultas est an id sit necessarium. Respondetur id non esse simpliciter necessarium; adeo ut si altare majus sit jam consecratum, possit sola Ecclesia consecrari, ut notant Glossa *in cap. si motum ver. Altare de consecrat. distinct.* 1. Hostiensis *in sum. tit. de consecrat. Ecclesiæ §. & an sit iteran, num.* 6. Barbosa *de potestat. Episc. alleg.* 27. *num.* 23. Quia eatenus Pontificale præscribit esse una cum Ecclesia consecrandum altare majus, quia supponit, quòd non fuerit ante consecratum; & conveniens est, ut unà cum Ecclesia consecretur: unde si altare jam antea fuerit consecratum, potest sola Ecclesia consecrari.

29 Imò quamvis altare majus non esset consecratum, adhuc posset consecrari sola Ecclesia sine altari, & desumitur *ex cap. si metum. cap. de fabrica de consecrat. dist.* 1, ubi consecratio Ecclesiæ dicitur distincta, ac independens ab illa altaris. Tum quia potest amitti consecratio Ecclesiæ, non amissa consecratione altaris, ut si destruatur Ecclesia; & non altare; vel etiam è contra si destruatur altare non destructa Ecclesia: ex quo evincitur, has consecrationes esse distinctas, ac independentes, proinde posse unam exerceri seorsim ab alia, & sine illa: hoc autem intelligitur de rigore, quia convenientia semper exigit, ut juxta præscriptum in Pontificali cum Ecclesia, consecretur etiam altare.

30 Quæritur decimoseptimò quomodo, & à quo sit altare consecrandum? Certum est, usum consecrandi altaria viguisse ab initio in lege naturæ cum *Genes. 28.* habeatur, quòd Jacob erexerit lapidem pro altari; & fuderit super illud oleum per modum cujusdam consecrationis: & in lege scripta legamus *Numer.* 7. & *Exod.* 40. Moysem per effusionem olei consecrâsse altare. Apud Christianos hic usus etiam viguit à primo Ecclesiæ exordio, & hujus meminit S. Dionys. Areopagita *de Eccles. Hierarchia c.* 5. *part.* 1. ubi ait, altaria esse ungenda, & consecranda ab Episcopo; adeout ritus consecrandi altaria censeatur emanâsse ab apostolis. Sunt autem altaria consecranda unctione chrismatis, & benedictione juxta formam ab Ecclesia præscriptam, ut habetur *in c. altare* 1. *de consecrat. dist.* 1. sunt autem altaria consecranda ab Episcopo loci *c. nullus Presbyter de consecrat. dist.* 1. quia cum habeat authoritatem Episcopalem in tota sua Diœcesi, pertinet ad ipsum exercere actus Ordinis Episcopalis; cujusmodi est consecratio altaris. Imò non potest Episcopus hanc altaris consecrationem committere simplici sacerdoti; quia est actus ordinis Episcopalis de jure ecclesiastico; & simplici sacerdoti nequit ab Episcopo committi actus pertinens ad ordinem episcopalem. Sede vacante debet altare consecrari ab episcopo viciniore; quia ad ipsum diriguntur exequutiones Apostolicæ. Requiritur tamen ad id licentia Vicarii Capituli; quia nemo debet introduci in domum alienam sine licentia Domini; imò Vicarius Capituli potest ad id vocare quemcunque aliun Episcopum. Potest etiam consecrari altare, priusquam Ecclesia, in qua reperitur, consecretur; id enim liquet ex praxi etiam non petitâ licentiâ à summo Pontifice: quamvis plures censeant necessariam licentiam Papæ. Ratio peti potest ex eo, quòd consecratio altaris sit distincta à consecratione ecclesiæ, & ab illa non dependeat, ut evicimus in præcedente quæstione. Possunt etiam eodem die plura altaria consecrari, ut definitur *in cap. cum sis §. h. t.* ubi dicitur, quod in una Ecclesia, & una missa possunt plura altaria, complurésque episcopi consecrari: non tamen per modum unius; sed singulis adhibenda erit propria consecratio; quia singulis communicari debet propria sanctitas, si tamen altaria non multum distarent; adeout posset consecrator moraliter esse omnibus præsens, probabile ab aliquibus censetur, quòd tunc posset consecrator preces recitare in communi pro omnibus; & splùm replicare ea, quæ fiunt circa corpus altaris: id enim fit etiam in ordinationibus, quoties plures simul ordinantur: ut etiam in consecratione Episcoporum.

Neque obstat, quòd *in d. c. cum sis. §. h. t.* dicatur, quòd non possit altare consecrari sine 31
celebratione missæ: & Episcopum non posse nisi unam singulis diebus missam celebrare; proinde non posse nisi unum consecrare altare. Nam contra est, quia quòd consecrator celebret, est de congruentia, non de necessitate. Tum quia in Pontificali *tit. de consecratione altaris*, dicitur, quòd consecrator celebret peracta consecratione, vel faciat coram se celebrare: unde sufficeret, si plures sacerdotes in illis pluribus altaribus consecratis coram episcopo celebrarent. Imò in diversis ecclesiis possunt eodem die plura altaria consecrari, etiam ab eodem episcopo, si tempus suppetat, quia nulla extat prohibitio, neque ex natura rei est illicitum; & quia consecrator non potest eodē die nisi semel celebrare: ideo sufficit si ipse celebret in uno ex altaribus consecratis, & in aliis faciat coram se celebrare: quia Pontificale relinquit sub electione alternativa celebrandi, per se, vel alios.

Quæritur decimooctavò, an consecrari pos- 32
sit altare erectum supra aliquam sepulturam? Respondetur negativè, & desumitur *ex c. non oportet de consecrat. dist.* 1. & docent communiter Piasecius *p.* 1. *prax. Episc. c.* 5. *num.* 7. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 27. *num.* 27. Naldus *in sum. V. sepultura num.* 12. Ratio est, quia moris fuit ab exordio Ecclesiæ, ut altaria non nisi super sepulchris Martyrum in eorundem honorem construerentur, nimirum ut sacrificium quod Deo offertur in ipsorum etiam redundaret gloriam, cùm locus ubi sepulti jacent, eligeretur pro loco sacrificii: hinc tumulari sub altari est quædam declaratio sanctitatis cum sit honor, qui ab Ecclesia nonnisi sanctis tribuitur. Hinc supra sepulchrum, ubi non jacent ossa sanctorum non potest erectum altare

conſecrari ſive in illo aliquis ſepultus ſit, ſive nō: quòd ſi aliquis ibi ſepultus jaceat, debent ejus oſſa extrahi, & repleri locus, ut non appareat veſtigium ſepulchri: immo quamvis nemo ibi ſepultus jaceat, adhuc repleri debet: alioquin ſi aliquis ſepeliretur ſub altari, tribueretur illi honor, qui eidem tribui non poſſet. Hinc nec corpora eorum, qui cum fama ſanctitatis deceſſerunt, poſſunt ſub altari ſepeliri, quia hic honor illis tantùm tribuitur, quibus Eccleſia concedit venerationem: & decedentibus cum fama ſanctitatis non concedit venerationem, imò prohibet omnia illa, quæ ſunt ſigna venerationis, ut habetur in Decretis Urbani VIII. in ordine ad beatificationem, & canonizationem ſervorum Dei: Hinc graviter peccaret, qui decedentem cum fama ſanctitatis ſepeliret ſub altari, quia in re gravi ageret contra prohibitionem eccleſiæ: etenim dare alicui cultum eſt una ex cauſis gravibus, & arduis, cujus judicium ſemper fuit reſervatum ſedi Apoſtolicæ *c. audivimus de reliquiis, & venerat. ſanctor.* ita etiam tribuere alicui aliquem honorem, quem eccleſia non niſi ſanctis conſuevit tribuere.

33 Quæritur decimononò, an ſi Sacerdos defacto celebret in altari non conſecrato, remaneat conſecratum? Reſpondetur, tunc altare remanere Deo dicatum in uſum ſacrificii, eò quia jam inſervierit cultui ſacro, per hunc enim uſum ſegregatur ex natura rei ab uſibus profanis. Tum quia ex oblatione ſacrificii remanet ſanctificatum, recipiendo eam ſanctitatem, quæ recipit ex conſecratione, & poſſet alius Sacerdos ſine peccato in eodem celebrare. Non tamen remanet conſecratum conſecratione rituali, quam recipit ex ipſa conſecratione communi ritu eccleſiæ peracta: ſiquidem hæc ritualis conſecratio eſt quoddam ſanctificativum conſtitutum in tali ſpecie; proinde ordinatum ad cauſandam ſpecialem ſanctitatem juxta inſtitutionem eccleſiæ; quæ propterea dicitur ſanctitas ritualis diſtincta à ſanctitate, quam acquirit altare ex eo, quòd ſimplex Sacerdos celebret abſque alio ritu. Tum quia conſecratio ritualis non ſolùm deputatur ad uſum ſacrificandi, ſed etiam ſolemnizandi, adeo ut præter hanc deputationem recipiat etiam in ſe quandam paſſivam ſanctitatem, ratione cujus acquirit ſpecialem decorem in hominum æſtimatione.

34 Quæritur vigeſimò, an altare ſit neceſſarium pro oblatione ſacrificii? Reſpondent communiter affirmativè, & deſumitur *ex c. concedimus de conſecrat. diſt.* 1. ubi urgente neceſſitate conceditur facultas extra eccleſias ſub dio, vel in tentoriis celebrandi, dummodo adſit tabula conſecrata, unde licèt diſpenſetur, ut miſſa poſſit celebrari extra loca deputata; non tamen diſpenſatur, ut celebretur ſine altari. Ratio etiam deſumi poteſt ex dictamine naturæ: ſiquidem ad decentiam illius cultûs, qui Deo defertur per ſacrificium, requiritur ipſum altare, ut hoſtia ſuper eodem poſſit ſacrificari. Id etiam eſt de inſtitutione eccleſiæ *c. altaria* 1. & 2. *diſt.* 1. *de conſecrat.* & hæc inſtitutio habet etiam fundamentum in ipſo dictamine naturæ; quapropter etiam in lege naturæ ubi nulla fuit inſtitutio præter illas, quas lumen naturale dictabat, inſtitutum fuit altare in ordine ad offerendum Deo ſacrificia, quæ debent offerri eo honorificentiori modo, quo poſſunt, & hic modus exigit altare. Hinc cenſerem, eum lethaliter peccaturum, ſi abſque altare conſecrato ſacrificium offerret, quia in re gravi ageret contra inſtitutionem Eccleſiæ. Tum quia omnes apprehendunt tanquam graviſſimum crimen celebrare ſine altari.

Quæritur vigeſimoprimò, an altare portatile conſtare poſſit duobus lapidibus invicem conjunctis inſtar libri, adeo ut commodè aperiri poſſit, & claudi? Reſpondetur cum Garcia *in ſumma tract. 3. difficult. 8. dub. 3. p. 1. num. 3.* & aliis pluribus affirmativè, quia ex inſtitutione Eccleſiæ nil aliud habemus, niſi quòd altare ſit lapideum, non verò quòd fiat ex pluribus, vel uno tantùm lapide: etenim S. Sylveſter tantùm ſancivit, ut deinceps altaria non niſi lapidea eſſent, & *in c.* 1. *de conſecrat. diſt.* 1. ſolùm dicitur, *Altaria ſi non fuerint lapidea chrysmatis unctione non conſecrentur*; proinde ex eo, quòd altare portatile conſtet duobus lapidibus invicem conjunctis inſtar libri, non eſt contra inſtitutionem Eccleſiæ. Tum quia fundamentum ſignificationis altaris non debet ſe tenere ex parte materiæ proinde non obſtat, ſi altare conſtet duobus lapidibus ſimul nexis inſtar libri. 35

Si dicas, id eſſe contra myſterium, quia altare ſignificat Chriſtum, qui eſt tantùm una perſona, & ideo debet eſſe unius lapidis: alioquin ſignificaret in Chriſto plures perſonas. Contra eſt, quia ſignificatio altaris eſt æquivoca, ut docet D. Thomas *3. p. q. 83. art. 3. ad 5.* ſignificat enim Chriſtum, vel ejus ſepulchrum, quod fuit lapideum, & ex ſignificatione, & myſterio æquivoco non poteſt ſumi argumentum efficax. Quinimò videtur commodiùs ſignificare Chriſti ſepulchrum, cum in altari reponatur Chriſtus immolatus, qui non debet reponi in ſe ipſo. Hinc etiam corporale, quòd immediatiùs ſe habet, ſignificat ſyndonem, qua Chriſti corpus fuit involutum, & poſitum in ſepulchro. Immo fortaſſis congruentiùs altare ſignificaret crucem, quia ſicut crux fuit altare, in quo Chriſtus ſe ipſum obtulit in ſacrificium, ità nunc offertur in altari in commemorationem ſacrificii. Verùm dato etiam, quòd altare ſignificet Chriſtum; adhuc congruentiùs illum ſignificaret per duos lapides ſimul nexos inſtar libri; quia ſicut Chriſtus eſt una perſona in duabus naturis, ita altare eſſet liber ex duobus lapidibus ſimul nexis. 36

Quæritur vigeſimoſecundò, an epiſcopi extra propriam Diœceſim poſſint uti altare portatili, vel etiam facere, ut in ipſo coram ſe celebretur abſque licentia Ordinarii illius Diœceſis? Reſpondetur, Navarrum *lib. 5. conſil. 16. de priv. num.* 1. Sâ *V. Epiſcopus num. 24.* Beam. *p. 4. cas. 33.* & alios, cenſere ita non poſſe Epiſcopum extra propriam diœceſim uti altare portatili, idque probant ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. in decret. de obſerv. & vitan. in celebr. miſſ.* 37

ubi

ubi dicitur, quòd quilibet Episcopus in propria diœcesi constituatur delegatus sedis Apostolicæ, quoad ea corrigenda, quæ sunt contra decentiam celebrationis, quorum unum ab eodem Concilio censetur esse celebrare extra loca deputata. Alii tamen probabiliùs censent, posse Episcopum in tali altari portatili celebrare extra propriam diœcesim, ut Barbosa *de potest. Epis. p. 2. alleg. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 26. q. 4.* Pasqualigus *decis. moral. decis. 56. num. 3.* & hæc sententia videtur præferenda, quia Concilium Tridentinum non prohibet episcopis, ne celebrent in altari portatili, sed tantùm ne permittant celebrari sive à sæcularibus, sive à Regularibus.

38 Tum quia privilegium Episcoporum celebrandi in altare portatili est insertum in corpore juris, seu *in c. fin. de privileg. in 6.* proinde habet vim legis statuentis, quòd conveniat episcopis ratione statûs, & dignitatis, ut possit celebrare absolutè in altare portatili, tam in propria, quàm in aliena diœcesi: & quia in Concilio Tridentino non fit specialis mentio de hoc privilegio; ideo non censetur ipsi derogatum: ratio est, quia privilegiis insertis in corpore juris non derogatur, nisi de ipsis fiat expressa mentio, ut docent communiter, Felin. *in c. 1. n. 12. c. nonnulli num. 9. & 16. de rescript. in 6.* & desumitur *ex authent. Quo. ver. omni privilegio C. ubi de crimine agi oportet.* Tum quia Concilium in citato textu tantùm voluit tollere abusum celebrandi in privatis domibus, & ex eo quòd episcopi in aliena diœcesi celebrent, vel etiam faciant coram se celebrare in altare portatili, nullus sequitur abusus: hinc Azorius *loc. cit.* asserit, sacram congregationem anno 1586. declarâsse, non esse per Tridentinum sublatum privilegium Episcoporum celebrandi in altare portatili: unde usus hujus altaris etiam extra propriam diœcesim est licitus episcopis *c. quoniam episcopi de privil. in 6.* Verùm debet hic usus fundari in aliqua rationabili causa, quia Pontifex supponit, quòd episcopi non possint commodè Ecclesiam adire. Idque procedit non solùm quando ipse Episcopus celebrat, sed etiam quando facit, ut coram se alius simplex Sacerdos celebret. Hinc potest Episcopus deputare capellam in proprio palatio, ubi celebrat, vel celebrare faciat ad libitum; quia à Tridentino prohibentur tantùm oratoria domorum privatarum; & palatium episcopi non est privata domus. Præterea quia Tridentinum *sess. 22. decret. de observand. & vitand. celebrat. miss.* solùm intendit tollere abusum, qui respectu Episcoporum locum non habet. Tum quia Tridentinum non prohibet episcopis, ne celebrent in propriis palatiis, & ne faciant celebrare juxta privilegium, quod habent; sed quòd non patiantur missas celebrari in privatis domibus.

39 Quæritur vigesimotertiò, an in quolibet die etiam non festo possit altare consecrari? Respondetur affirmativè *argum. c. tua 2. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd Ecclesia possit consecrari diebus festis, & non festis. Ratio hoc idem etiam suadet, quia opus bonum, & ordinatum in cultum Dei est licitum quocunque tempore, nisi fortassis à jure positivo ex rationabili causa determinetur ad certum tempus: atqui consecratio altaris est opus bonum, quod ex sua natura ordinatur ad cultum Dei, & nullum adest jus positivum limitans hoc opus ad certos dies: proinde exerceri poterit etiam diebus non festis. Non tamen putârim, posse altare consecrari tribus ultimis feriis hebdomadæ majoris, quia saltem implicitè prohibentur illis diebus consecrari altaria; quia Ecclesia taxativè se habet in præscribendis functionibus, & officia horum trium dierum: proinde ex vi taxationis excluduntur omnia alia, quæ non sunt necessaria: qua ratione etiam transferuntur omnes solemnitates, quæ illis diebus occurrunt. Hinc qui consecraret altare in illis diebus, non excusaretur à culpa gravi; eò quia in re gravi ageret contra prohibitionem Ecclesiæ. Imo neque licitum est consecrare altaria in maximis solemnitatibus paschatis, pentecostes, primo die natalis Domini, & Epiphaniæ, quia tametsi non adsit expressa prohibitio: nihilominus tanta solemnitas exigit, ut soli officio illius diei Sacerdos incumbat, & consuetudo hanc exigentiam interpretatur.

Quæritur vigesimoquartò, an possit altare 40
consecrari sine reliquiis sanctorum? Respondent Barbosa *de univers. jur. eccles. lib. 2. c. 7. n. 7.* Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 27. q. 8.* Hostiens. *in sum. de consecrat. eccles. vel altar. §. & qualiter. 1. V. dicunt etiam*, & alii *in c. placuit. de consecrat.* negativè, quia *in d. c. placuit*, præcipiuntur destrui illa altaria, in quibus non sunt reliquiæ martyrum. Tum quia *in c. non oportet eod. dist.* expresè prohibetur, ne oblationes pro defunctis fiant, & ne Sacramenta distribuantur, nisi in Ecclesia, vel in basilica, ubi Martyrum reliquiæ sunt. Tum quia in Rubrica missalis præcipitur, ut Sacerdos in ingressu altaris recitet orationem illam *Oramus te Domine per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt &c.* ex quibus concludunt, non posse altare consecrari sine reliquiis sanctorum. Nihilominus opposita sententia non caret probabilitate, & eam docent Scotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. §. Rursus* Pasqualigus *decis. moral. decis. 46. num. 4.* Suarez. *3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 5. V. tertiò additur*: & hæc sententia mihi etiam videtur probabilis, quia quæ sunt de substantia consecrationis præcipiuntur ut talia ab Ecclesia; atqui nullum adest præceptum de ponendis reliquiis in consecratione altaris, ut sine ipsis non possit consecratio fieri.

Neque obstat *c. placuit.* ex quo videtur de- 41
sumi tale præceptum, quia in illo textu tantùm occurritur abusui, quod tunc vigebat: siquidem moris tunc erat, ut in agris erigerentur altaria in memoriam Martyrum, ob quasdam inanes revelationes: & hujusmodi altaria *in d. c. placuit.* prohibentur, & rursus statuitur, ut nulla imposterum memoria Martyrum acceptetur, ubi non sit corpus, aut certæ reliquiæ, aut origo alicujus habitationis, possessionis, vel passionis, quod longè diversum est à præcepto non consecrandi altaria sine reliquiis. Rursus in *c. non oportet* tantùm prohibetur clericis, ne ad

monumenta mortuorum in campis erecta portent, aut distribuant sacra mysteria : & solùm præcipitur, quòd non celebrent ibi pro defunctis, sed in Ecclesia, aut in basilica, ubi Martyrum reliquiæ jacent, ut notat ibidem Glossa.

42 Cæterum de consecrando altari cum reliquiis nullum ibi habetur verbum: & basilica, ubi jacent reliquiæ Martyrum non est altare, & etiã ponitur disjunctivè, adeo ut reliquiæ Martyrum non debeant necessariò esse in altare. Quòd si objicias consuetudinem non consecrandi altaria sine reliquiis, Suarez talem consuetudinem negat in *3. p. tom. 3. disp. 81. sect.* 5. eò quia plura de facto consecrentur altaria sine reliquiis. Tum quia cùm altaria ubique locorum multiplicentur, non semper possunt reliquiæ Martyrum haberi. Tum quia hæc consuetudo inducta fuit in honorem Martyrum, non verò ex necessitate consecrationis. Hinc antiqua missalia admonebant sacerdotes, ut ubi reliquiæ sanctorum non erant omitterent illam orationem *Orauus te Domine per merita sanctorum tuorum, quorum hic reliquiæ sunt.* Hinc ut docet Suarez *loc. cit.* non peccaret lethaliter qui sine reliquiis altare consecraret, eò quia solùm ex laudabili consuetudine ponantur reliquiæ, & si non ponantur non fit contra aliquam obligationem.

TITULUS XXXXI.

De celebratione missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

QUia consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, de qua Pontifex egit in præcedente titulo ordinatur ad celebrationem missarum, & alia divina officia obeunda, & principaliter ad confectionem Eucharistiæ, quæ nonnisi in Ecclesia, vel Altari consecrato fieri debet, ideo congruè Pontifex in hoc titulo agit de celebratione missarum, Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis: ostendit enim titulus, quomodo Clerici statis horis debeant pensum solvere orationis, & missarum solemnia celebrare. Extat etiam hic titulus in septimo, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PRESBYTER 1. h. t. Ex Concilio Agathensi statuitur, ut Presbyter absoluto matutino officii recitet horas, & vesperas horis competentibus, & manè recitatis horis visitet infirmos, mox si velit, exeat ad opus rurale jejunus, ut deinde possit succurrere hospitibus, infirmis, & defunctis usque ad statutam horam pro qualitate temporis, nam matutinum media nocte recitatur. Ubi notat Glossa, Clericum pauperem, qui ex beneficio vivere nequit, posse omnes horas, & vesperas mane recitare, ut possit reliquum tempus impendere ad opus rurale, vel aliud exercitium, quo possit se alere absque detrimento sui officii* c. clericus dist. 9. & 21. quæst. 1. c. 1.

C. *QUIDAM 2. h. t. Ex Concilio Triburiensi non permittitur laicis, ut ex consuetudine audiant eandem missam votivam de Trinitate, vel de S. Michaele, nisi suo tempore, vel aliquando, adeò ut debeant laici audire missam currentem in illo die. Ubi notat Glossa, textum esse intelligendum, quando in Ecclesia est unus tantùm Presbyter, qui tenetur de die celebrare. Præterea notandum est, aliqua interdum prohiberi non quia mala, sed propter id, quod sequi potest* c. & si Christus de jure jur. c. denique dist. 21.

C. *CONSULUISTI 3. h. t. Innocentius III. rescribit, quòd excepto die Nativitatis dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam tantùm missam celebrare. Ubi notat Glossa, necessitatem pluries celebrandi esse, si postquam celebravit, quis moriatur; vel si superveniat princeps.*

C. *CONSILIUM 4. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Bracharensi, in diebus feriatis, seu profestis, seu procul à festis, quando dicitur missa votiva de Spiritu sancto, vel Beata Virgine, quamvis dicatur præfatio propria, non tamen esse dicendum* Symbolum, *neque* Gloria in excelsis, *ut ostendatur differentia inter commemorationem, & solemnitatem.*

C. *EX PARTE 5. h. t. rescribit idem Pont. sacerdotem postquam totum Sacramentum Eucharistiæ sumpsit, debere semper vinum infundere, & accipere, postquam communicavit, nisi quando eodem die debet aliam missam celebrare: quia tunc si infusum vinum acciperet, non esset amplius jejunus, nec posset iterum celebrare. Hinc notat Glossa in* c. consuluisti, *sacerdotem debere jejunum esse etiam à purificatione, & multo magis à medicina.*

C. *CUM MARTHÆ 6. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Lugdunensi quod verba, quæ non sunt in evangeliis, & sunt posita in canone missæ; ut* mysterium fidei, elevatis oculis in Cœlum æterni testamenti *Apostoli acceperunt à Christo, & successores ab Apostolis sicut multa alia, ut* beatius est dare, quàm accipere: visus est plusquam 500. fratribus simul, deinde visus est Jacobo *& declarantur verba canonis. Rursus in Sacramento Eucha-*

ristiæ

ristia tria subtiliter distinguuntur: primò forma visibilis, seu panis, & est Sacramentũ geminarum, sed non est res: secundò veritas corporis, & est Sacramentũ & res; Sacramentũ unius, & res alterius: tertiò virtus spiritualis, seu unitatis, & charitatis, & est res geminiSacramenti, sed non Sacramentum. Rursus quamvis varia sint opiniones, an aqua cum vino in sanguinem convertatur: aliqui dicunt, quòd aqua mutetur in aquam laseris, & vinum in sanguinem, aliqui quòd aqua remaneat circumfusa speciebus vini, sicut circumfundaretur vinum infusum in sanguinem Christi: sed probabilius est, quòd aqua cum vino in sanguinem transmutetur. Rursus statuit Pontifex, ut non fit erandum pro sanctis, quia injuria fit sancto, & Martyri: siquidem sancti, & Martyres cum cœlesti donentur beatitate, non ampliùs indigent nostris precibus, sed nos indigemus eorum auxilio, & intercessione. Denum declarat, quòd cùm dicitur hæc oblatio prosit, vel proficiat tali sancto, *id sit intelligendum, ut magis ac magis à fidelibus honorificetur in terris, adeò ut prosit sancto quoad augmentum gloriæ extrinsecæ, & accidentalis.*

C. *DE HOMINE* 7. *h. t. rescribit idem Pont. graviùs peccare sacerdotem, qui in peccato mortali in missa fingit se consecrare, & non consecrat, quàm qui consecrat in peccato mortali. Ubi notat Glossa, existentem in peccato mortali non debere celebrare, eò quia sit suspensus quoad se, non quoad alios* c. ult. de cohab. cleric. & mulier. *Sin verò sit Simoniacus, vel notorius fornicator, est suspensus quoad se, & quoad alios* c. tanta de simonia, *quòd si Sacerdos priùs eliciat actum contritionis in necessitate potest celebrare* c. de cætero, & c. à nobis de sent. excommun.

C. *IN QUADAM* 8. *h. t. declarat idem Pont. Christum fuisse verum Deum contra Arianos, & verum hominem non ex corpore phantastico contra Manichæum. Rursus declarat, à latere Christi fluxisse veram aquam, & non phlegma, vel mistum, adeo ut sicut in sanguine relucet Sacramentum redemptionis, ita in aqua Sacramentum regenerationis.*

C. *DOLENTES* 9. *h. t. Idem Pont. in Concilio Generali Lateranensi prohibet sub pœna suspensionis, ne clerici, vel Prælati vacent usque ad mediam noctem comessationibus superfluis, vel fabulationibus illicitis, ne matutinum continuata syncopa transcurrant: ut missis aliquando interfint, vel celebrent, & alia id genus. Rursus præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter, & devotè. Ubi notat Glossa mitiùs agi cum incurrente inobedientiam canonis, quàm cum eo, qui incurrit inobedientiam Judicis* c. si celebret de cler. excommun.

C. *SANE* 10. *h. t. Honorius III. præcipit, ne propter injuriam Sacerdotum divina indignatio graviùs exardescat, ut à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari mundo, & signato semper honorificè, devotè, ac fideliter conservetur. Rursus ut quilibet Sacerdos frequenter suam doceat plebem, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, & ut idem faciat, cum à Presbytero defertur ad infirmum; quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, & referat, manifestè, & honorificè ante pectus cum omni reverentia, & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. Rursus declarat, Prælatos transgressores hujus decreti debere graviter puniri, ut & ipsi divinam effugiant ultionem. Ubi notat Glossa, transgressores hujus decretalis esse puniendos ad arbitrium Judicis, ubi non statuitur certa pœna. Cæterum Eucharistia servanda est sub clavibus* c. 1. de Eucharist.

C. *CUM CREATURA* 11. *h. t. Idem Pont. declarat in collegiatis ecclesiis esse celebrandas, duas missas solemnes, conventuales, unam pro anniversariis defunctorum, alteram pro feria, vel festo occurrente juxta temporum congruentiam; quod etiam jure novo statuitur in Concilio Tridentino* sess. 22. c. 2. *ubi notat Glossa, quòd tametsi anniversarium dicatur, quod est revoluto anno à die mortis: in hoc tamen textu dici officium anniversarium, quod fit quotidie pro defunctis à sacerdotibus conventualiter, & singulariter cum paucis: hinc si celebretur una missa feria solemniter, non est relinquenda illa defunctorum.*

C. *TE REFERENTE* 12. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd cum valdè felix sit, qui dignè celebrat unam missam in die, ideò Episcopus solus in die cœnæ domini debeat missam celebrare in sua Ecclesia, & ibi chrisma conficere. Ex quo colligitur cum Glossa, missam esse de substantia confectionis chrismatis, sicut dicitur de collatione ordinum. Cæterum nisi necessitas urgeat, melius semper est celebrare missam de officio currente, quàm aliam.*

C. *PERNICIOSUS* 13. *h. t. declarat idem Pont. in sacrificio missæ plus vini, quàm aquæ esse ponendum, & contrarium non esse permittendum ut perniciosum, eò quia sit contra generalem consuetudinem Ecclesiæ, quæ ab omnibus servanda est* c. contra morem dist. 100.

C. *LITTERAS* 14. *h. t. rescribit idem Pont. Presbyterum, qui ex mera malitia, vel nimia insipientia celebrare præsumpserit in pane fermentato, vel scypho ligneo, vel sine igne, & aqua, esse perpetuò deponendum ab officio, & beneficio: quia ut notat Glossa tametsi calix antiquitùs fuerit ligneus, nunc debet esse argenteus, vel aureus* c. vasa de consec. dist. 1. *& non de ære, nec de auricalco, nec ex vitro, aut ligno* c. ut calix de consec. dist. 1.

IN SEPTIMO.

C. *SANCTISSIMUS* 1. *h. t. Pius V. prohibet ne clerici sæculares, vel regulares subditi, vel Prælati celebrent vespertino tempore sacrificium missæ sub pœna suspensionis à divinis, & abrogat omnes consuetudines, & privilegia in contrarium, eò quia sit contra institutum antiquum Ecclesiæ & sanctorum Patrum; proinde*

omnes & ſingulas licentias & facultates hujuſmodi hactenus etiam motu proprio, & conſtantiæ Imperatorum, & Regum conceſſas abolet, & annullat, & vult hanc conſtitutionem perpetuò valituram.

C. *UT DEO* 2. *h. t. Idem Pont. prohibet in eccleſiis cum mulieribus tam impudicis, quàm honeſtis omne colloquium ſcurrile, & omnem alium actum inhoneſtum ſub pœna* 25. *Ducatorum, & carceris per menſem. Rurſus qui in eccleſiis obſcœnis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis uſus fuerit, aut alia ſœda colloquia cum perſonis quibuscunque habuerit multandus eſt pœna decem aureorum: eò quia divini cultus, & templorum Dei religio omnem decorem expoſtulat, ut hinc coerceantur colloquia, confabulationes, deambulationes, joci, & ea omnia, quæ vel ſcandalo ſunt, vel devotioni impedimento: ſiquidem domum Dei decet ſanctitudo.*

C. *PROVIDENTIA* 3. *h. t. Idem Pont. revocat facultatem conceſſam Græcis celebrandi latino more; ut etiam conceſſam latinis celebrandi miſſas ritu græco, & contradictores vult auctoritate Apoſtolica eſſe compeſcendos.*

IN CLEMENTINIS.

C. *GRAVI* 1. *h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi præcipit, ut ſi ſuperiores locorum ſint negligentes, curent eorum ſuperiores, ut in eccleſiis cathedralibus, regularibus, & collegiatis horis debitis devotè Pſallatur: & in aliis conveniunter, ac devotè celebretur divinum officium nocturnum, & diurnum; & id curent per cenſuras, vel alias remedia prout conſultius fieri poterit; & compeſcant contradictores, faciantque, ut ſerventur canones in his, & in aliis quæ pertinent ad divinum cultum, reformationem, & honeſtatem Eccleſiarum, ac cœmeteriorum. Ut clerici recitent diſtinctè, & graviter non transcurrendo, nec imminuendo, nec immiſcendo extranea, vana, & profana colloquia. Ut non ducant canes venaticos ad chorum, nec veniant ſine habitu, & tonſura, & & transgreſſores mandat puniri.*

C. *DIGNUM* 2. *h. t. Idem Pont. declarat, clericos etiam Religioſos, qui ſunt commenſales, & domeſtici Cardinalium, vel aliorum Pontificum Catholicorum poſſe ſe accommodare in divinis officiis ſuis Prælatis, ſeu recitare idem officium cum ipſis, nec teneri ad aliud recitandum. Ubi notat Gloſſa, nomine Pontificum non intelligi electos in Epiſcopos, nec confirmatos, niſi ſint conſecrati, etiam in conceſſione privilegiorum. Rurſus Monachus Prælatus Eccleſiæ ſecularis debet recitare officium clericale, non monachale* dist. 25. quæſt. 185. articul. 4.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *DISCIPULORUM unic. h. t. Joannes XXII. indicit preces dicendas in miſſa pro Eccleſia neceſſitate cum indulgentia viginti dierum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit miſſa, & quomodo celebranda.

1 PLures in ea ſunt opinione, ut nomen miſſæ à voce hebræa miſſah ſuam deducat etymologiam, eò quia Deuter. 16. miſſah ſignificet oblationem, ut habetur in Concilio Sennonenſe *in decret. fidei. c.* 11. Verùm contra hanc ſententiam ſolet objici, quia ſi ſuam ſortiretur nomenclationem à verbo hebraico miſſah, fuiſſet communis omnibus nationibus perinde ac vox alleluia. Unde probabilior, & verior ſententia aſſerit, miſſam eſſe vocem latinam deductam à dimittendo populo, adeo ut miſſa perinde ſit, ac dimiſſio, ſicut etiam dimiſſa pro dimiſſione uſurpabatur, ut notat Lindan. *lib.* 4. *panoplia evangel. c.* 37. Putant alii miſſam etiam dici, eò quia explicato Evangelio per Epiſcopum juxta Concilium Laodicenum, Catechumeni, & Energumeni dimitterentur à Diacono, ut notat S. Dionyſius *c.* 3. *de eccles. hierarch.* Alii etiam cenſent, miſſam dici à dimiſſione populi facta per Diaconum abſoluta miſſa quando converſus ad populum dicit *ite, miſſa eſt*; hoc eſt abite, quia miſſa jam eſt abſoluta, ut refert Pamelius in Tertullianum *lib. de orat. num.* 1.

Alii etiam cenſent, dici miſſam à miſſione nulla facta diſtinctione inter dimiſſionem Catechumenorum, & eam quæ fit in fine, ut notat Bellarminus *lib.* 1. *de miſſa c.* 1. Ea tamen opinio, quæ cenſet, miſſam dici à dimiſſione Catechumenorum videtur cæteris præferenda, & deſumitur ex D. Iſidoro *lib. 6. etymolog. c. de divin. offic.* §. *miſſa*: ubi ait, miſſa tempore ſacrificii eſt quando Catechumeni in foro admittuntur; adhæret huic opinioni Rabanus *lib.* 1. *de inſtitut. cleric. c.* 22. & juxta hanc interpretationem nomen miſſæ ſpeciali ratione convenit ſacrificio: eſt enim actio, quæ ex natura ſua miſſos faciebat Catechumenos præſentes, veluti eos, qui nondum comparticipes erant ſacrificii: & juxta hanc ſententiam miſſa dicitur ab effectu, eò quia miſſos faceret, qui non poterant participes fieri ſacrificii. 2

Certum eſt, in tota communitate Chriſtianorum adeſſe obligationem de jure naturali, & divino offerendi miſſæ ſacrificium: ſiquidem de jure naturali tenemur Deum colere; adeoque 3

primum præceptum decalogi *unum Deum coles* explicet hoc præceptum naturale de colendo Deo; natura enim dictat, Deum eſſe colendum; qui propterea colendus eſt per oblationem ſacrificii: etenim de jure naturæ eſt Deo exhibendus ille cultus, qui ipſi convenit, quatenus eſt Deus; & hic cultus habetur per oblationem ſacrificii, per quod Deus recognoſcitur ut Deus, ſeu ut dominus vitæ, & mortis; & per ſacrificium nos totos Deo devovemus, protestamúrque nos illi omnino ſubeſſe. Quia verò hoc miſſæ ſacrificium fuit à Chriſto inſtitutum, ideo obligationi naturali acceſſit etiam obligatio divina determinans ſacrificium offerendum. Hæc duplex obligatio de jure naturæ, & divino offerendi ſacrificium eſt penes omnes, qui ſunt intra gremium Eccleſiæ; non quidem ut ſinguli teneantur per ſe ipſos hoc ſacrificium offerre; cum munus hoc ſit proprium ſacerdotis: ſed ut fideles teneantur offerre per ſacerdotes, adeout hæc obligatio non ſit immediata, ſed mediata, quatenus fideles mediante ſacerdote offerente hoc ſacrificium dicuntur & ipſi offerre ſuomodo aſſiſtendo tali ſacrificio: hæc enim obligatio radicatur in naturali præcepto colendi Deum per cultum ei proprium; proinde per oblationem ſacrificii juxta determinationem factam à Chriſto: & cum omnes teneantur Deum colere; ſequitur, omnes Chriſti fideles teneri ſaltem mediatè hoc ſacrificium offerre, aſſiſtendo in miſſa ejus oblationi, cum per hanc aſſiſtentiam dicantur & ipſi ſuo modo ſacrificium offerre.

4 Sacerdotes verò, etiam ſimplices, ex vi ordinis ſacerdotalis tenentur ſaltem aliquando per annum immediatè per ſe ipſos hoc ſacrificium offerre: quia Chriſtus in ultima cœna inſtituit hoc ſacrificium, & dixit diſcipulis ſuis: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis injunxit præceptum Apoſtolis, eorúmque in ſacerdotio ſucceſſoribus offerendi hoc ſacrificium, juxta Concil. Trident. *ſeſſ. 22. c. 1. de ſacrif. miſſæ.* Etenim cum adſit obligatio offerendi hoc ſacrificium de jure divino naturali; & non poſſit immediatè offerri niſi per ſacerdotes; ideo contrahunt ipſi hanc obligationem immediatè offerendi hoc ſacrificium; & cæteri fideles mediatè, quatenus aſſiſtendo ſacrificio miſſæ ſuo modo illud etiam offerunt mediante ſacerdote. Hinc hujusmodi obligatio afficit ſacerdotes ex vi ordinis ſacerdotalis. Ratio eſt perſpicua; quia de jure naturali divino tenentur omnes fideles Deum colere per oblationem ſacrificii, cum per ſolum ſacrificium illi exhibeatur ſupremus cultus eidem debitus, & quia non fuerat expediens, unumquemque per ſe ipſum offerre hoc ſacrificium; ideo inſtituti ſunt ſacerdotes, qui offerunt nomine aliorum: unde D. Paulus *ad Hebræ. 5.* ait: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut dona offerat, & ſacrificia pro peccatis*: cum igitur quis aſſumit munus ſacerdotale, aſſumit obligationem offerendi ſacrificium, quia ratione muneris ſacerdotalis trahit ad ſe communem obligationem populorum colendi Deum per ſacrificium; cum ſacerdotium inſtitutum fuerit pro ſacrificio offerendo. Hinc communior doctorum ſententia aſſerit, ſacerdotes teneri hoc ſacrificium offerre in præcipuis anni feſtivitatibus, ſcilicet Nativitatis Chriſti domini, Paſchæ, & Penteceſtes; & rurſus teneri etiam celebrare in iis occaſionibus, in quibus populus tenetur publicè recurrere ad Deum cum oblatione ſacrificii, ac in publicis gravibus neceſſitatibus pro gratiarum actione alicujus publici beneficii; quia ſuſcipiens munus ſacerdotale, ſuſcipit etiam in ſe obligationem naturalem, quæ populo ineſt colendi Deum per oblatum ſacrificium: unde quoties populus tenetur Deo offerre ſacrificium de jure naturæ; tenetur etiam Sacerdos ratione muneris ſacerdotalis offerre tanquam executor obligationis, quæ populo ineſt ſacrificium miſſæ offerendi.

5 Hinc in locis ubi pauci ſunt ſacerdotes, ut etiam tempore, quo major urget neceſſitas recurrendi ad Deum per oblationem ſacrificii, tenentur etiam ſimplices ſacerdotes ratione muneris frequentiùs celebrare: quia Sacerdos ratione muneris ſacerdotalis contrahit obligationem annexam eidem muneri; quæ eſt obligatio offerendi ſacrificium; & menſuranda eſt ex fine inſtitutionis ſacrificii; & ex fine Eccleſiæ conſtituentis ſacerdotem publicum miniſtrum in ordine ad offerendum ſacrificium miſſæ; proinde tenetur Sacerdos offerre cum illa frequentia, quæ ſufficiat ad ſupplendam exigentiam populi. Immo ſimplex Sacerdos tenetur celebrare quovis die feſto de præcepto, ſi non ſit alius, qui celebret: quia ratione ordinis ſacerdotalis eſt conſtitutus publicus miniſter populi in ordine ad offerendum ſacrificium: proinde ratione ordinis ſuſcepti tenetur offerre ſacrificium, quoties tenetur populus; ſed populus tenetur offerre mediatè per ſacerdotem ſingulis diebus feſtis de præcepto; ex eo enim quòd aſſiſtat ſacrificio miſſæ aliquo modo offert etiam populus ſacrificium; proinde deficientibus ſacerdotibus deputatis hæc obligatio devolvitur ad ſimplicem ſacerdotem: quia quando non adſunt ſacerdotes deputati remanet communis obligatio, quæ oritur ex munere ſacerdotali; proinde ſimplex Sacerdos tenetur offerre ſacrificium juxta exigentiam populi.

6 Idque extenditur etiam ad ſacerdotem, qui non eſt de loco, in quo deficiunt deputati; quia ratione muneris ſacerdotalis conſtituitur publicus miniſter totius populi Chriſtiani; eſt enim publicus miniſter Eccleſiæ, quæ complectitur univerſum fidelium cœtum; proinde Sacerdos habet munus ſuum obligatum ad omnes ubique locorum fideles; adeout ubicunque contingat caſus, quo populus indigeat hac ſacrificii oblatione, teneatur ſimplex Sacerdos offerre. Quòd ſi in eodem loco plures eſſent ſacerdotes ſimplices, obligatio ad eum devolveretur ſacerdotem, qui magis ad illam pertineret communitatem. Quamvis deficiente miſſa deficiat etiam obligatio; non tamen quando adeſt ſimplex Sacerdos ceſſat abſolutè miſſa,

missa, aeque obligatio in populo; proinde tenetur tunc simplex Sacerdos sacrificium offerre juxta populi exigentiam.

7 Quamobrem Parochi, & alii sacerdotes habentes beneficia, vel officia, quibus annexa est cura animarum, tenentur pro populo sacrificium offerre his saltem diebus, quibus populus tenetur sacro interesse, ut communiter docent doctores cum Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 2. dub. 2. num. 2.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 24. num. 22.* Tenentur siquidem Pastores ut propriæ satisfaciant obligationi, propriúmque obeant munus spiritualia necessaria exhibere populo: & quia populus tenetur diebus festis de præcepto interesse sacro; ideo tenetur Parochus, vel alius, qui curam habet animarum missam legere diebus festis, ac sacrificium offerre; ut populus possit missam audire. Eo ipso quòd populo injunctum est præceptum audiendi missam; est simul imposita Parochis obligatio celebrandi missam, cum ipsis incumbat cura immediatè exhibendi populo munus suum, offerendo sacrificium, ut possit populus satisfacere præcepto de audienda missa.

8 Quinimo si Episcopus, vel Synodus Diœcesana determinet certos in hebdomade dies, in quibus debeant sacerdotes celebrare; tenentur isti diebus illis missæ sacrificium offerre: quia cum Episcopus, & Synodus Diœcesana facultatem habeant condendi leges, possunt obligare sacerdotes habentes curam animarum ad offerendum missæ sacrificium, prout consultiùs visum fuerit expedire. Imò etiam secluſa omni lege municipali tenentur sacerdotes curati celebrare aliis diebus præter festivos, & desumitur ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 14.* ubi ait, *curent simplices sacerdotes celebrare singulis diebus dominicis, festis solemnibus: qui autem curam habent animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant.* Loquitur Concilium discretivè de sacerdotibus, quibus est annexa cura animarum; de quibus censet non satisfacere proprio muneri, si solis diebus festis celebrent: hinc illis injungit, ut frequentiùs celebrent: hæc autem frequentia in curatis non potest salvari, nisi ultra dies festos pluribus aliis diebus non festivis celebrent: quia curam habentes animarum non solùm tenentur suum præstare officium, munúsque obire, quando præcepti obligatio urget, sed etiam quando Parochiani rationabiliter instant, ut missa celebretur; vel si non instant; id saltem videatur esse rationabile, ut devotioni populi satisfiat.

9 Idque vel maximè procedit si in loco aliquo consuetudo inoleverit, ut curati ultra dies festos aliis etiam diebus non festis missam legerint cum populi frequentia; quia tunc consuetudo obligat curatos; & declarat, quòd teneantur celebrare; observantia enim subsecuta, declarat quæcunque dubia sunt *cap. cum venissent de inst. cap. cum dilectus de consuetudine l. si de interpret. ff. de leg.* Quòd si plures alii adessent sacerdotes simplices, qui in tali loco, singulis diebus etiam non festivis celebrarent, ac plenè satisfacerent devotioni populi, ut si ibi adessent Religiosi regulares, quorum Ecclesiæ à sæcularibus libentiùs frequentantur; tunc Parochi possent à tali frequentia aliquando excusari; quia frequentia celebrationis est tantùm necessaria ut satisfiat devotioni populi, & pro indigentia spirituali subditorum: & hæc necessitas cessat quando adsunt plures alii sacerdotes singulis diebus celebrantes; suppletur tunc aliunde officium Parochi; qui non semper tenetur per se ipsum immediatè celebrare; sed nonnunquam sufficit, si id præstet per alios. Tum quia quò major est frequentia sacrificiorum; eò minus à populo frequentatur missa Parochi; idque argumento, esse tunc minus necessarium.

10 Cæterum obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ tenentur missam audire per se ipsum, vel saltem per alium celebret in sua Ecclesia parochiali, idque fundatur in naturali æquitate: quia eatenus solvuntur Parocho decimæ, & alii proventus, ut populo administret, quæ necessaria sunt ad salutem. Quòd si in aliqua parochia populus esset adeo frequens, ac multiplex, ut ad unam non posset missam convenire, vel unicus Parochus non sufficeret pro Sacramentis administrandis, tunc tenetur Parochus vocare alios sacerdotes, eósque sibi adjungere ad suum munus rectè, & sufficienter explendum: quinimò Episcopus posset etiam Parochum ad id adigere, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 21. de refor. c. 4.*

11 Quòd si Ecclesia parochialis ob injurias belli, vel ex alio fortuito casu ad eam deveniret paupertatem, ut pluribus sacerdotibus alendis minimè sufficeret, tunc Parochus ex consensu Pontificis, vel secundùm alios etiam proprii Episcopi, posset duas missas eadem die legere, non assumpta ablutione in prima: Hoc idem etiam procedit, si unus tantùm esset Sacerdos curatus, qui duas Ecclesias parochiales teneretur administrare, & desumitur *ex c. consuluisti 3. h. t.* ubi Innocentius III. interrogatus, an Sacerdos posset uno eodémque die plures missas celebrare, respondit Pontifex, sufficere sacerdoti semel in die unam missam celebrare excepto die Nativitatis domini, & ex causa necessitatis, dummodo Sacerdos adhuc sit jejunus, nec ablutionem assumpserit. Solent Canonistæ præ cæteris duas causas recensere magis necessarias, quarum prima est necessitas præbendi viaticum moribundo, si hostia consecrata non adsit. Secunda, si Sacerdos præficiatur pluribus ecclesiis parochialibus: Glossa addit etiam tertiam; estque causa honestatis, vel utilitatis, ut si superveniat aliquis Princeps cum sua cohorte, qui velit missam audire. Norant tamen communiter Doctores, quòd Sacerdos, si prævideat, sibi necessitatem imminere duas legendi missas, non debet in prima sumere ablutionem, ut jejunus possit secundam legere.

12 Quòd si in prima missa Parochus ablutionem sumpsisset, nec esset amplius jejunus, adhuc probabile est, & quidem probabilitate intrinseca, quòd urgente necessitate ministrandi viaticum

ticum moribundo, si non adesset hostia consecrata, possit non jejunus secundam missam legere in ordine ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ: ratio est, quia tunc concurrunt duo præcepta, unum divinum; estque, ut moribundo ministretur viaticum; aliud Ecclesiasticum, quòd Sacerdos non celebret nisi jejunus: atqui præceptum divinum est fortius, & prævalet, proinde servari debet divinum, quamvis non possit Ecclesiasticum. Tum quia præceptum Ecclesiæ, ne Sacerdos non jejunus celebret, non videtur obligare in casibus tam extraordinariis cum detrimento, aut scandalo fidelium, ut enim habetur *in l. 4. & 5. ff. de LL.* ex his, quæ fortè unico aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur: nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ frequenter, & facilè, quàm quæ non nisi rarò eveniunt. Hinc si Sacerdos jam accessisset ad altare coram populi frequentia, & in introitu missæ recordaretur, se jejunum non esse, posset missam continuare.

13 Rursus si Sacerdos voviſſet abstinere perpetuo à vino, tametsi in missa sumeret ablutionem, non propterea votum violaret, ut notat Barb. *in c. ex parte b. t.* quia ex præcepto Ecclesiæ tenetur talem ablutionem sumere: unde votum non potuit ad illam se extendere, alioquin non fuisset de meliori bono, quia fuisset votum transgrediendi ritum Ecclesiæ, habetur enim *in d. c. ex parte*: Sacerdos postquam totum Sacramentum Eucharistiæ accepit, debet semper infundere vinum, & accipere, nisi quando eodem die deberet aliam missam celebrare. Immo si Sacerdos post sumptam ablutionem reperiat in patena, vel corporali particulas hostiæ, quas sciat esse consecratas, adhuc ex communi sententia accepta potest eas sumere: eò quia hæc sumptio reliquiarum censetur pertinere ad idem sacrificium, quod propterea perficiendum est, etiam si Sacerdos in sacristia, quando exuit sacras vestes, animadverteret adesse illas particulas consecratas.

14 Consultiùs tamen putârim in tali casu, si Sacerdos talia fragmenta, seu superstites particulas consecratas reponeret in ciborio, præsertim si id facilè præstare posset, & nulla urgeret gravis causa eas sumendi: quia ex eo, quòd Sacerdos in altari sumpserit hostiam consecratam, & sanguinem, perfectè absolvit sacrificium; unde illæ particulæ, quamvis sint reliquiæ superstites post ablutionem, cum Sacerdos non sit ampliùs jejunus ob reverentiam debitam sacramento, consultiùs est, ut eas reponat in ciborio absumendas à sacerdote jejuno in purificatione ciborii. Cæterum si licitum est sacerdoti in communiori sententia corpus Domini sumere post ablutionem in fragmentis consecratis, quæ remanserunt, & quidem sine irreverentia, vix afferri potest ratio, cur etiam Sacerdos ex gravi aliqua causa justa non possit iterum celebrare, & communicare, tametsi non sit jejunus: quia suppositâ justâ causâ, secunda missa de se non ponit novam irreverentiam.

15 Neque obstat, quòd viaticum ministrandum non sit simpliciter necessarium ad salutem. Nam quidquid sit de hac necessitate: an tunc urgeat præceptum divinum communicandi: nihilominus inficiari nequit, quin maximum fructum conferat animæ, & illo privare moribundum nimis durum foret; & Parochiani meritò scandalizarentur, & odio in Parochum exardescerent, si pateretur aliquem sine viatico decedere: ad hæc igitur evitanda, Ecclesia non videtur intendere prohibere Parocho, ne celebret, eò quia non sit jejunus.

16 Quòd si dicas, inde secuturum licitum etiam fore sacerdoti sine sacris vestibus, & paramentis celebrare, eò quia hæc perinde sint de jure ecclesiastico, ac ut Sacerdos non nisi jejunus celebret. Contra est, negatur paritas, & ratio discriminis est, quia defectus vestium, & paramentorum non est quid privatum concernens solum sacerdotem, sed est aliquid publicum, ex quo totus populus scandalizaretur, si sine paramentis, & sacris vastibus missam celebraret: plus enim desumeret scandali ex tali celebratione sine sacris vestibus, & paramentis, quàm ex omissione ipsius missæ: secus sumptio ablutionis, videtur potiùs esse quid privatum, eò quia plerumque contingat, vel ignorante, vel non advertente populo. Præterea posset etiam responderi, præceptum de vestibus sacris in sacrificio adhibendis, saltem originativè fuisse juris divini in veteri testamento; proinde longè graviùs obligare. Præterea urgente gravi causa docent plures, licitum esse Sacerdoti missam celebrare sine stola, vel sine manipulo, ut etiam sine ministro, sine crucifixo, & cum uno tantùm lumine, dummodo id fieret in casu gravissimæ necessitatis, & sine contemptu fidei, immo Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 17.* censet, licitum esse urgente gravi necessitate etiam in communi, & profano vestitu celebrare.

17 Ex eo, quòd Parochus teneatur suis ovibus ministrare spiritualia, valde probabile est, quòd ex vi sui muneris aliquoties in anno teneatur sacrificium offerre pro suis ovibus, & videtur desumi ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1. de refor.* ubi Concilium innuit præceptum divinum offerendi sacrificium pro ovibus propriis: & quamvis id non sit determinatum, obligatur tamen Parochus aliquando in anno sacrificium offerre pro suis ovibus juxta exigentiam populi, sicut contingit in aliis divinis præceptis, ut docent Barbosa *de potest. Episc. alleg. 24. num. 23.* Pasqualigus *de sacrific. nova leg. tom. 2. q. 852. num. 5.* Gavantus *in rubric. miss. p. 3. tit. 12. num. 27.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 26. V. sed licet.* Suarez. *de sacrament. disp. 86. sect. 1. V. de benef.* Ratio etiam id suadet, quia Parochus utpote pastor tenetur suas oves pascere, proinde iisdem impendere omnia, quæ sunt muneris pastoralis: & quia hoc munus est de jure divino cum pastores spirituales sint ministri Christi, qui est supremus, & universalissimus pastor juxta illud Joan. 11. *Ego sum Pastor bonus.* ideo de jure divino tenentur Parochi exhibere propriis ovibus ea, quæ sunt muneris pastoris: & quia in pastorali munere includuntur ea omnia, quæ à Christo sunt instituta in ordine ad promovendam salutem ovium, non

tantùm ut neceſſaria, cujusmodi ſunt Sacramenta, ſed etiam valde utilia, ut eſt oblatio ſacrificii pro ovibus, ideo tenentur Parochi non ſolùm ſuis ovibus miniſtrare Sacramenta: ſed etiam pro iisdem ſacrificium offerre: cum inter media à Chriſto inſtituta pro æterna ſalute acquirenda, præcipuum ſit ſacrificium oblatum pro fidelibus, ut ſignificatur in Concilio Trid. *ſeſſ. 22. c. 2. de ſacrific. miſſ.*

Quia verò non poteſt certò determinari
18 quoties teneatur Parochus pro ſuis ovibus ſacrificium offerre in anno; id determinandum relinquitur judicio prudentis viri, habita ratione circumſtantiarum, & indigentiæ ſubditorum: quia juxta indigentiam poteſt populus frequentiùs uno anno exigere, ut ſacrificium pro ipſo offeratur, quàm alio; conſequenter in ordine ad determinandas vices, conſideranda eſt populi indigentia: aliquando enim poteſt ſufficere ſi ſacrificium offeratur pro populo in feſtis ſolemnioribus, aliquando etiam aliis diebus: cùm enim hoc præceptum ſit affirmativum obligat ſecundùm opportunitatem, quæ eſt indigentia populi. Nihilominus ſacra Congregatio Concilii decrevit, teneri Parochum ſingulis diebus dominicis, & aliis feſtis de præcepto applicare ſacrificium pro ſuis ovibus, immo poſſe ad id etiam compelli per cenſuras, adeo ut pro miſſis celebrandis illis diebus feſtis non poſſit eleemoſynam recipere: citat has declarationes Pasqualigus *loc. cit.*

Quòd ſi adſit conſuetudo offerendi ſacrifi-
19 cium pro ovibus, quoties Paſtor celebrat, eſt ſervanda; tametſi non obliget ſub mortali, eò quia non teneantur Parochi quoties celebrant ſemper applicare ſacrificium pro ovibus ſuis: & licèt Parochus habeat facultatem applicandi omnia ſua ſacrificia pro ſuis ovibus, quia tamen hi actus ſunt tantùm facultativi, quamvis multiplicentur, non inducunt conſuetudinem, ut docent Decius *conſ. 175. num. 6. V. Praterea.*. Calderin. *cons. 1. & 3. de conſuetud.* Surdus *cons 147. num. 81.* Tum quia conſuetudo non poteſt induci niſi ab habente poteſtatem condendi leges, ut notant Butrius *in c. fin. n. 39. de conſuet.* Alexander *cons. 173. num. 12. lib. 6.* Bart. *cons. 136. num. 2. & 3. lib. 1.* Rota in Toletana 21. *Maji 1589.* coram Pamphilio: hinc eatenus poteſt populus conſuetudinem inducere, quatenus poteſt ſibi legem imponere: at Parochus non poteſt in beneficio curato ſucceſſorem aggravare, & injungere eidem beneficio onus, cum non ſit Dominus, ſed tantùm adminiſtrator illius: ex quo liquet, non poſſe Parochum hanc conſuetudinem inducere in gravamen ſui ſucceſſoris: qui tamen conſuetudinem jam introductam, & vergentem in utilitatem ovium deberet & ipſe ſervare, quamvis ſub culpa ſaltem gravi non teneatur.

Cæterum Parochus non ſemper tenetur per
20 ſe ipſum immediatè celebrare quoties populus tenetur miſſam audire, ſed ſufficit, ſi per alium ſacerdotem ſuppleat; quia ratione muneris paſtoralis non tenetur miſſam legere, niſi ut exhibeat populo commodum præcepti implendi de audienda miſſa: in hoc enim munere propriè recognoſcit ſuas oves, unde cùm finis curæ paſtoralis poſſit obtineri, quamvis Parochus per ſe ipſum immediatè non celebret, ſed per alium ſubſtitutum, ideo non contrahit neceſſitatem per ſe ipſum immediatè ſemper celebrandi. Ad id tamen tenetur quando debet ſacrificium offerre pro ſuis ovibus: ratio eſt, quia officium mediatoris eſt perſonale exigens ut ab ipſa perſona mediatrice exerceatur, & munus ſacerdotis eſt officium mediatoris inter Deum, & populum, ut ſcripſit Apoſtolus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad DEUM, ut dona offerat, & ſacrificia pro peccatis.*

Hinc Parochus non ſatisfaceret propriæ ob- 21
ligationi, ſi iis vicibus, quibus ſingulis annis tenetur ſacrificium offerre pro ovibus ſuis, non per ſe ipſum immediatè, ſed per alium ſacerdotem celebraret, quia munus mediatoris eſt perſonale, & debet neceſſariò exerceri ab ipſa perſona. Juvat obſervare, quòd paſcere non ſit perſonaliter exequi munera perſonalia, ſed dirigere, & diſponere eorundem executionem, adeo ut Curatus diſponat quando ſit miniſtrandum populo, & aſſiſtat ſuis ovibus, quando requiritur ejus præſentia corporalis, ſine qua non poſſet invigilare, nec aſſiſtere, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de refor.* Et licèt poſſit Parochus ſemper per alios ſupplere munus prædicationis; non tamen poteſt ſupplere munus offerendi ſacrificium pro ſuis ovibus: ratio diſcriminis eſt, quia in prædicatione attenditur effectus ejusdem prædicationis, qui plerumque habetur uberior, ſi Parochus per alios ſuppleat: at in oblatione ſacrificii non ſolum attenditur effectus ſacrificii, ſed etiam quòd impleatur munus mediatoris: & quia officium mediatoris eſt perſonale, quod debet exerceri ab ipſa perſona, ſequitur teneri Parochum per ſe ipſum offerre ſacrificium pro ſuis ovibus.

Sunt pleraque alia, quæ in ordine ad cele- 22
brandas miſſas ſtatuuntur in hoc titulo. Etenim *in c. quidam 2. h. t.* non permittitur laicis, ut ex conſuetudine audiant eandem miſſam votivam de Trinitate, vel ſancto Michaele, niſi ſuo tempore, vel aliquando: ſed injungitur laicis ut audiant miſſam eo currente die. Hoc autem intelligitur ut ait Gloſſa, quando in Eccleſia eſt unus tantùm Presbyter, qui debet celebrare de die, unde fideles non obligantur ex præcepto in diebus feſtis ad audiendam miſſam propriam illius diei; non enim *in d. c.* improbantur miſſæ votivæ: ſed ut notat Fagnanus *hic num.* 3. ne dicantur propter ſuperſtitioſam devotionem. In *c. conſilium 4. h. t.* ſtatuitur, ut in diebus profeſtis quando dicitur miſſa votiva de Spiritu Sancto, vel B. MARIA, quamvis dicatur præfatio propria, non tamen dicitur Symbolum, neque Gloria, ut oſtendatur diſcrimen inter commemorationem, & ſolemnitatem. In *c. cum Martha. 6. h. t.* habetur, quòd verba, quæ non ſunt in Evangeliſtis, & ſunt poſita in canone miſſæ, ut *myſterium fidei, elevatis oculis in cælum, æterni teſtamenti*, Apoſtoli acceperunt à Chriſto, & ſucceſſores ab Apoſtolis,

lis, ut etiam plura alia cujusmodi sunt, *beatius esse dare, quàm accipere; Visus est plus quàm 500. fratribus simul, deinde visus est Jacobo*, & declarantur verba canonis.

23 Rursus in Sacramento Eucharistiæ distinguuntur tria. Primò forma visibilis, seu Sacramentum geminæ rei, sed non est res: Secundò veritas corporis, & est Sacramentum, & res; Sacramentum unius, & res alterius: tertiò virtus spiritualis scilicet unitatis, & charitatis, & est res gemini Sacramenti, sed non Sacramentum, & plura alia in *eod. cap.* declarantur. Præterea *in c. de homine 7. h. t.* declaratur graviùs peccare sacerdotem, qui in peccato mortali in missa fingit se consecrare, & non consecrat, quàm qui consecrat in peccato mortali. In *c. in quadam* 8. declarat Pontifex, Christum fuisse verum Deum contra Arianos, & verum hominem non ex corpore phantastico contra Manicheum. Et etiam significatur quòd à latere Christi fluxerit vera aqua, & non flegma, vel mistum: & sicut in sanguine relucet Sacramentum redemptionis, ita in aqua Sacramentum regenerationis. In *c. dolentes 9. h. t.* Pontifex prohibet sub pœna suspensionis, ne clerici, vel Prælati vacent usque ad mediam noctem comessationibus superfluis, & fabulationibus illicitis, ne matutinum continuata syncopa transcurrant, missis aliquando interfint, vel celebrent.

24 Rursus præcipit virtute obedientiæ, ut divinum officium tam diurnum, quàm nocturnum, quantum eis Deus dederit studiosè celebrent, pariter & devotè. In *c. sane 10. h. t.* Honorius III præcipit, ut sacerdotes conservent Eucharistiam in loco singulari, mundo, & honorificè signato, devotè, & fideliter. Rursus ut quilibet Sacerdos frequenter doceat suam plebem, ut cum elevatur hostia in missa reverenter se inclinet. Præterea ut quando defertur ad infirmum, decenti habitu superposito mundo velamine manifestè, & honorificè ante pectus cum omni reverentia, & timore præcedentibus luminibus id fiat. In *c. cum creatura 11. h. t.* statuitur, ut in collegiatis ecclesiis celebrentur duæ missæ solemnes conventuales, una pro anniversariis defunctorum, altera pro feria, vel festo currente secundùm temporum congruentiam. In *c. te referente* 12. *h. t.* dicitur, quod cùm valde felix sit, qui dignè celebrat unam missam in die, ideo Episcopus solus in die cœnæ domini debet missam celebrare in sua Ecclesia, & ibi chrysma conficere, ex quo colligit Glossa, missam esse de substantia confectionis chrysmatis, sicut dicitur de collatione ordinum. In *c. perniciosum 13. h. t.* habetur in sacrificium missæ plus vini, quàm aquæ esse ponendum, & contrarium non esse permittendum tanquam perniciosum, eò quia sit contra generalem consuetudinem Ecclesiæ. In *c. litteras ult. h. t.* dicitur, quòd Presbyter, qui ex mera malitia, vel nimia insipientia celebrare præsumpserit in pane fermentato, vel scypho ligneo, vel sine igne, & aqua est perpetuò deponendus ab officio, & beneficio.

§. II.

De Horis Canonicis.

1 QUia in pluribus hujus tituli capitibus fit mentio de horis canonicis, ideo operæ pretium est, nonnulla de iisdem adjicere, omissis quæstionibus, quas tractant Summulistæ, & Caluistæ. Siquidem in *c. Presbyter 1. h. t.* ex Concilio Agathensi *in c. Presbyter 2. dist. 91.* statuitur, quòd Presbyter horas canonicas recitet horis competentibus sive congruis, si non adsit legitimum impedimentum, adeo ut priùs recitet matutinum, deinde horas diurnas; postea vesperas, & completorium. Rursus injungitur sacerdotibus, ut manè dictis horis visitent infirmos, postea si velint exeant jejuni ad opus rurale, ut deinde possint succurrere hospitibus infirmis, & defunctis usque ad statutam horam pro qualitate temporis: injungitur etiam ut matutinum recitetur media nocte. In *c. dolentes 9.* desumpto ex Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III, statuitur modus recitandi divina officia, ne scilicet matutinum continua syncopa, seu syllabarum concisione, vel abreviatione transcurratur. In *clement. c. gravd t. h. t.* dicitur, quòd si superiores locorum sint negligentes, eorum superiores curent, ut in cathedralibus Regularibus, & collegiatis ecclesiis, horis debitis devotè Psallatur, & in aliis convenienter, & devotè celebretur divinum officium nocturnum, & diurnum, & id curent per censuras, vel alia remedia prout poterunt: compescant contradictores, faciántque, ut serventur canones in his, & aliis, quæ pertinent ad divinum cultum, reformationem, & honestatem Ecclesiarum, & cœmeteriorum, ut non recitent transcurrendo, imminuendo immiscendo extranea, vana, profana, inhonesta colloquia tardè veniendo ad chorum, ante finem officii exeundo sine causa, oves portando, vel faciendo portari, canes venaticos secum ducendo sine habitu, vel tonsura, vel nimis indevotè, in cœmeteriis choreas dissolutas faciendo, diebus festis canendo cantilenas insolitas. In *clement. c. dignum 2. h. t.* dicitur, quòd clerici etiam Religiosi, qui sunt commensales, & domestici Cardinalium, vel aliorum Pontificum Catholicorum, possunt se accommodare in divinis officiis suis Prælatis, adeo ut dicant idem officium, quod ipsi dicunt, nec teneantur ad aliud recitandum. Nomine tamen Pontificum, ut notat Glossa, non veniunt electi in Episcopos, vel confirmati, sed tantùm Episcopi consecrati.

2 Horæ canonicæ vocantur illæ in Ecclesia preces, quæ ad Deum laudandum, opémque ejus divinam implorandam certis, statisque horis nocturnis, diurnisque funduntur, ac juxta canones Ecclesiæ recitantur: unde dicuntur horæ canonicæ non ab orando ut plures perperam autumant, sed quia sunt preces, quæ statis, definitisque horis ab Ecclesia præscriptis recitari debent; quapropter dicuntur horæ ab horis, seu tempore, quo debent recitari; vocantur itidem canonicæ, quasi regulares, eò quia juxta

juxta Ecclesiasticorum canonum traditionem recitentur; & earum pensum sit singulis diebus à clericis persolvendum juxta regulam canonum. Hinc officium divinum definitur à Toleto *Laus Dei voce expressa per Ecclesiæ institutionem determinata*. Suntque horæ canonicæ septem ad significanda septem principaliora mysteria dominicæ passionis, & explicantur his versibus

Hæc sunt, septenas propter quæ Psallimus horas,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet spatio: causam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nexit: Latus ejus Nona reperit:
Vespera deponit: tumulo completa reponit.

3 Sunt igitur horæ canonicæ juxta communiorem, ac veriorem sententiam tantùm septem; quia horæ canonicæ non sunt plures, quàm ab Ecclesia fuerint institutæ, & Ecclesia septem tantùm prærecensitas instituit, ut liquet *ex c. Presbyter 1. h. t.* idque ad exemplum Davidis fatentis se in die septies laudâsse Deum. Quo verò tempore Ecclesia has horas instituerit plures à tempore Apostolorum hanc deducunt institutionem: siquidem etiam tempore Apostolorum usu, & more receptum fuit, ut Christiani in Templum, seu sacram ædem, vel oratorium convenirent, & Psalmos ac hymnos cantarent, ut colligitur ex Adone in *martyrolog. c. Idus January* in vita Juliani Martyris, Basilissæ 10. calendas Augusti; de S. Apollinare Sozomenus *lib. 6. historiar. eccles. c. 33. & 34.* Cassiodorus explicans illum Psalmi Versiculum *septies in die laudem dixi tibi*, ait, Psalmistam significâsse septem illas vices, quibus se Monachorum pia devotio consolatur, matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorios, & nocturnos: quatenus primi fideles lucernarias preces, seu ad lucernas nocte Deo fundebant, ne à persecutoribus à divinis impedirentur officiis.

4 An verò hæ septem horariæ preces sint juris divini, vel tantùm canonici plures: censent esse de jure divino, eò quia David, in Psalm. 118. dicat, *septies in die laudem dixi tibi*; & solùm modum, seu formulam precandi fuisse ab Ecclesia constitutam, ut censet Abbas *in d. c. Presbyter 1. h. t.* ex quo infert authoritate Romani Pontificis non posse clericum eximi à lege, & præcepto septies in die Deum precandi, quamvis solvi possit à modo, & formula precandi. Verùm hæc sententia non satisfacit, quia nititur tantùm ex eo, quòd David in Psalm. 118. fateatur se septies in die preces ad Deum fudisse, quia si ob hoc præcisè esset de jure divino sequeretur, quòd omnes Reges eodem jure divino cogerentur, perinde ac David septies in die laudem dicere Deo: siquidem jus divinum omnes obligat.

5 Quamobrem putârim, Abbatem, & alios Canonistas sumpsisse jus divinum laxiùs pro eo, quod in sacris litteris habetur, & ex illis derivatur: hinc quia Ecclesia ad imitationem Davidis instituit hunc septenarium horarum canonicarum numerum, dicitur laxè de jure divino, quatenus ex facto Davidis originem trahit: non verò, hic numerus dicitur propriè de jure divino, quia factum Davidis non constituit jus.

6 Quamobrem horæ canonicæ magis propriè dicuntur esse de jure ecclesiastico, quatenus Ecclesia exemplo, & imitatione Davidis divinitùs edocta legem sancivit, quâ clerici septies in die Deo preces funderent: unde dicuntur etiam horæ canonicæ, eò quia juxta sacros canones, à quibus fuerunt institutæ, persolvi debeant, & quidem statis horis, adeo ut matutinum cum nocturnis, & laudibus recitentur nocturno tempore ad imitationem Davidis, qui in Psalmo 118. fatetur, surrexisse media nocte ad confitendum Deo inquiens, *media nocte surgebam ad confitendum tibi* postea subdit, *septies in die laudem dixi tibi*, ubi Propheta diem à nocte in divinis laudibus videtur distinxisse, & desumitur etiam ex *c. Presbyter 1. h. t.* ubi dicitur, Presbyter matutinali officio expleto pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam, nonam, vesperámque persolvat.

7 Tria hominum genera tenentur ad septenas canonicas horas singulis diebus persolvendas, nimirum clerici sacris ordinibus initiati, beneficiarii, & Religiosi. De clericis habetur *in c. dolentes 9. h. t.* ubi Pontifex in virtute obedientiæ illis injungit, ut divinum officium tam nocturnum, quàm diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter, & devotè. Clerici tamen minoribus tantùm initiati ordinibus non tenentur ad horas canonicas ex præcepto, sed tantùm ad recitationem certorum Psalmorum bis, terve iterandam pro ut Episcopus post ordinationem eis injunxerit. Secus clerici sacro ordine initiati tenentur ad horas canonicas privatim recitandas etiam post degradationem realem, vel postquam inciderint in aliquam censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ut docet Suarez. *de censur. disp. 12. sect. 2. num. 16.* quia par est, ut ex proprio delicto commodum non referant, nec solvantur à vinculo præcedentis obligationis: & generatim quoties non suppetit justa causa tenentur semper clerici sacris initiati ordinibus horas canonicas recitare, etiam clerici ex dispensatione Pontificis conjugati.

8 Religiosi choro deputati ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis, & constitutionibus Religionum tenentur post emissam solemnem professionem persolvere horas canonicas, tametsi nondum sint sacris ordinibus initiati, quòd etiam procedit de Monialibus choro mancipatis. An verò hæc consuetudo obliget sub mortali plures affirmant, verùm putârim id desumendum esse ex peculiaribus Religionum constitutionibus cùm enim diversæ sint Religiosorum constitutiones juxta earum obligationem obligantur etiam Religiosi. Regulariter tamen Religiosi, & Moniales tametsi ex vi regulæ, vel voti nullum habeant speciale pre-

præceptum adhuc tamen tenentur privatim horas canonicas orare, ſi conſuetudo ſit, ut ab aliis ejusdem Religionis recitentur, quia conſuetudo communiter recepta habet vim legis obligantis ſub mortali. Novitius tamen ante profeſſionem,& Converſi ante, & poſt profeſſionem, non tenentur horas canonicas perſolvere, eò quia id non ſit uſu receptum, ut fratres converſi, & Novitii nondum emiſſa profeſſione obligentur orare horas canonicas.

9 Iure communi clerici beneficiarii, ſeu habentes beneficium Eccleſiaſticum,quamvis manuale, tametſi non ſint ſacris ordinibus initiati adhuc regulariter obligantur ad preces DEO fundendas, quia jure naturali quisque tenetur ad officium,ob quod datur beneficium, & hoc officium ſemper includit aliquas preces: hinc dantur officia, quibus eſt annexa obligatio recitandi ſingulis diebus ſeptem prærecenſitas horas canonicas: & alia etiam ſunt beneficia, quæ ex ſua inſtitutione ad preces illas perſolvendas non obligant, ſed tantùm ad horas B. Virginis, vel etiam alias preces Deo fundendas,cujusmodi ſunt quædam ſimplices Præpoſituræ, Perſonatus, vel Prioratus, ut notat Leſſius *lib.*2.*c.*34. *num.*166. Immo clericus ſi habeat beneficium integrè in commendam; quamvis non habeat titulum beneficii;adhuc tenetur ad horas canonicas perſolvendas; quia habet adminiſtrationem illius beneficii,& ſubſtituitur in locum habentis tale beneficium cum tota ſua obligatione. Clericus itidem ſi habeat Capellaniam tenetur ratione capellaniæ horas canonicas recitare, dummodo Capellania ſit Eccleſiaſtica,ſeu collativa, quia hæc venit nomine beneficii: ut autem Capellania ſit Eccleſiaſtica, debet erigi authoritate Epiſcopi, & ab eodem conferri, tunc enim habetur inter bona Eccleſiaſtica, quamvis ex patrimonio laicorum,vel aliorum erecta ſit. Immo non deſunt, qui cenſeant id etiam extendi ad Capellaniam temporalem, & ad nutum amovibilem. Navarr. *de orat. c. 7. num.* 17. Suarez. *loc. cit. c.* 22. *n.* 12.

10 Immo probabilior ſententia eſt, clericum beneficiarium teneri etiam ad horas canonicas perſolvendas, tametſi beneficium habeat ita tenue, ut non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem: ratio eſt, quia beneficiarius ſponte ſua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi annexum. Alii tamen cenſent etiam probabilem contrariam ſententiam eo innixi fundamento, quia inſervientes altari, debent de altari vivere,unde ſi non vivant de altari, dicunt non teneri ad horas perſolvendas: verùm putârim,hanc ſententiam procedere de clericis beneficiariis, qui tenentur in choro cum aliis horas canonicas perſolvere, quia beneficium datur propter officium, unde debet ſufficere pro congrua ſuſtentatione. Qui verò plura beneficia cum legitima ſuperioris authoritate retinet non tenetur toties totum officium ſingulis diebus recitare, quot ſunt beneficia, ſed ſatisfacit omnibus illis beneficiis per hoc, quòd totum divinum officium ſingulis diebus perſolvat: id enim deſumitur ex praxi, & conſuetudine,quæ eſt optima legis interpres.

Quòd ſi quis injuſtè, & absque legitima ſuperioris authoritate plura retineret beneficia, quamvis directè ex præcepto Eccleſiæ non teneretur ad ullum officium recitandum, eò quia nullum cenſeatur tunc beneficium habere: ex jure tamen naturæ tenetur; quia contra voluntatem Eccleſiæ defraudat Deum debito obſequio,& ſervitio, privátque Eccleſiam officio,& miniſterio, ut docet Azorius *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 4. *q.* 10. Penſionarius tamen non tenetur totum officium, ſeu ſeptem horas canonicas recitare, eò quia penſio non ſit beneficium propriè ſumptum, ſed tantùm tenetur ad officium parvum B. Virginis ſub ea pœna, ſub qua tenentur beneficiarii ad recitationem divini officii. Idque procedit ſi clericus penſionarius percipiat penſionem: & tunc dicitur penſionem percipere, quando ejus fructus percipit, & debet eſſe in ſtatu clericali ſaltem initiatus prima tonſura. 11

Quando verò incipiat in ipſis hæc obligatio, Navarr. *de orat. c.* 7. *num.* 29. cenſet Beneficiarios obligari ad penſum horarum canonicarum perſolvendum ab eo tempore, quo per collationem, vel acceptionem, vel per inſtitutionem,aut confirmationem incipiunt habere jus in re, ac beneficium incipit ab iisdem poſſideri;quia ex illo tempore debentur illis fructus, tametſi nondum poſſeſſionem acceperit: & revera hæc ſententia eſt valde rationi conſona, & juri conformis: quamvis communior ſententia doceat, hanc obligationem non oriri niſi poſt captam pacificam beneficii poſſeſſionem, eò quia perſæpe, ante initam poſſeſſionem jus ſit incertum, & pluribus modis impediri poſſit: & non videtur æquum, ut quis ad onus certum obligetur propter beneficium incertum: verùm hæc ſententia debet de iis intelligi, per quos non ſtat, quò minus poſſeſſionem beneficii capiant, non verò de iis, qui per induſtriam differunt poſſeſſionem, ut ſe ipſos eximant ab onere recitandi horas canonicas; tunc enim prima ſententia locum habet. 12

Beneficiarii omittentes horas canonicas non ſolùm graviter peccant,verùm etiam tenentur fructus pro rata omiſſi breviarii reſtituere, & dare pauperibus, vel fabricæ beneficiorum, quomodo autem debeat hæc reſtitutio fieri,declarat Pius V. in ſua Bulla,cui initium eſt *ex proximo*: ubi ait,ſi quis totum breviarium, omiſerit, teneatur ad reſtitutionem omnium fructuum, qui ſi ſingulis diebus dividerentur, proportionaliter pro una die cederent: ſin verò omiſerit matutinũ, teneatur ad dimidiam partem unius diei,ſi alias omnes horas præter matutinũ ad alteram dimidiam, ſi unam tantùm horam ad ſextam partem: an verò ſub hac diſpoſitione, & diſtributione Pij V. etiam comprehendantur Parochi, plures affirmant cum Azorio *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 14. *q.* 5. Barboſa *de offic. Paroch. p.* 1. *c.* 10. *num.* 32. eò quia jura non videantur diſtinguere inter Parochos, & alios beneficiarios. 13

Alii nihilominus cenſent illa verba in Bulla Pij V. *omnes fructus* in Parochis eſſe limitanda tantùm ad omnes fructus correſpondentes breviario, non verò aliis oneribus à Parocho ſubeundis. Fructus enim non debent æſtimari ob

horas tantùm canonicas, sed etiam ob alia onera parochialia, quæ consistunt in administrandis Sacramentis, promulgando Evangelio: unde restitutio ob omissum breviarium, si Parochus alia munia obivit, fieri debet tantùm de fructibus, qui correspondent breviario, & hæc sententia mihi videtur valde probabilis. Tum quia Pius V. tantùm obligat ad restitutionem omittentes horas canonicas, & cum constitutio sit pœnalis non debet ampliari ad restitutionem fructuum, qui non percipiuntur propter breviarium; sed ob alia onera subeunda à Parocho: in pœnalibus enim, & odiosis semper benignior interpretatio debet prævalere, ut pœnæ potiùs molliantur, quàm exasperentur *l. penult. ff. de pœn. c. odio.* & *c. in pœnis de R. J. in 6.*

15 Rursus hæc obligatio restituendi fructus ob omissas horas canonicas incipit tantùm post sex menses computandos à die beneficii adepti, ut declaravit Leo X. in Concilio Lateranensi in sua Bulla, quæ incipit, *superna dispositionis §. §. 38.* & Pius V. in sua posteriori Bulla nil circa hoc immutavit, sed tantùm declaravit, omittentem per primos sex menses absque justo impedimento recitationem breviarii graviter peccare. Et quamvis Navarr. *de orat. c. 21. num. 60.* videatur cum aliis dubitare, an potuerit Pontifex tanto tempore non orantibus breviarium restitutionem relaxare. Communior tamen, & vera sententia docet, hanc restitutionem fructuum tantùm fuisse introductam jure humano, & ecclesiastico, proinde posse summum Pontificem eam remittere. Quamobrem contrariam sententiam putârim procedere de illis beneficiis, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad quotidie recitandas horas canonicas: quia cùm sit servanda voluntas testatoris, & fundatoris; obligatio etiam oritur pro primis illis sex mensibus: ratio est, quia in hisce beneficiis ita fundatis obligatio orandi horas canonicas oritur ex jure naturali, proinde tenetur etiam pro primis illis sex mensibus, quibus omisit recitationem brevlarii fructus beneficii restituere. Tum quia clericus omittendo tunc recitationem breviarii, peccat contra justitiam commutativam, perinde ac stipendiarius, qui id non præstat, pro quo stipendium accipit.

An verò teneatur ad restitutionem qui absque ulla interna attentione, & cum voluntaria 16 distractione horas canonicas recitat Suarez. *de horis canon. c. 26. num. 25.* censet tutiùs esse, si restituat, quod verum est, quia ex eo, quòd ita luridè, ac negligenter oravit breviarium, si restituat fructus nulli se periculo exponit, proinde hæc restitutio semper est tutior. Verùm si clericus difficulter posset induci ad restituendos hujusmodi fructus, non esset urgendus, quia quòd non teneatur tunc fructus restituere, est sententia perquàm probabilis, quia obligatio directè tantùm est de recitando breviario, & præfatæ Bullæ Leonis X. & Pij V. tantùm injungunt restitutionem non recitantibus horas canonicas: qui autem sine interna attentione, & cum voluntaria distractione luridè, oscitanter, & incisè eas recitat, non potest omnino dici, quòd illas non recitaverit: quia de facto eas recitavit, & nihil omisit, licèt indevotè & quia odia sunt restringenda, ideo non debet pœna extendi ad clericos luridè, & indevotè recitantes horas canonicas. Tum quia peccato merè interno jus canonicum regulariter non imponit pœnam *l. cogitationis de pœn.* Layman *de orat. & hor. canon. c. 5. n. 10.*

17 Quotquot verò obligantur ad horas canonicas tenentur eas recitare juxta præscriptum Breviarii Romani editi jussu Pij V. exceptis Capitulis, & Conventibus, qui jam à ducentis annis ante editionem illius, fuerunt alio usi: secus qui minori tempore non fuerunt usi alio modo, tenentur recitare breviarium juxta præscriptum Pij V. Qui verò habent privilegium non utendi breviario Romano, sed alio non possunt juxta probabiliorem sententiâ propriâ suæ religionis, vel Ecclesiæ omittere, etiam quando privatim recitant breviariû extra chorum, quia quisque tenetur se conformare propriæ Ecclesiæ, ut notat Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. c. 23. num. 2.* Verùm secluso præcepto in contrarium, putârim posse uti breviario Romano, eò quia nullum sit jus expressum, quo teneatur se magis conformare Ecclesiæ particulari, quàm Ecclesiæ Romanæ, præsertim cùm hæc sit mater omnium Ecclesiarum, cui cæteræ omnes Ecclesiæ subordinantur. Non tamen excusarentur à peccato, qui horas canonicas lingua hebraica, vel alia vulgari absque ulla justa, & rationabili causa recitaret, eò quia in re gravi faceret contra usitatum Ecclesiæ morem: alioquin si præscindamus ab hoc usu recitandi horas canonicas in lingua latina, qui eas alia lingua recitaret quoad substantiam satisfaceret præcepto. Sin verò mutaret officium pro alio æquivalente, ut officium de Confessore, pro officio de Martyre posset excusari à peccato gravi, sive mutaret in totum, sive in partem, quia adhuc adimpleret præceptum quoad substantiam, licèt non quoad modum, proinde peccaret venialiter.

Tutior tamen sententia est, eum qui sponte, & cum advertentia mutavit officium teneri ex præcepto repetere: non ita si inadvertenter: ratio est, quia tenetur se conformare cæteris orantibus illa die breviarium in honorem talis specialis sancti, quem Ecclesia tali die colit. Rursus in die commemorationis omnium defunctorum recitandum est ex præcepto etiam privatim officium defunctorum, quia habetur ut pars officii illius diei. Tum quia quotquot obligantur ad recitandas horas canonicas, illa die recitant etiam officium defunctorum: quapropter ob consuetudinem videtur esse obligatio illud recitandi. Quòd verò sit pars officii illius diei probari solet ex calendario, & Martyrologio, quia nomen, quod Ecclesia tribuit festivitati illius diei, est commemoratio defunctorum, adeo ut officium magis proprium illius diei sit officium defunctorum, quod per nomen festivitatis explicatur. Immo communior sententia etiam docet sacerdotes, & Beneficiatos qui tempore litaniarum, & rogationum non interfunt processionibus, quæ publicè instituuntur teneri privatim litanias in breviario designatas recitare. Episcopus tamen non potest per se loquen-

loquendo concedere, ut officium unius diei alio die recitetur, eò quia ritus, & forma breviarii Romani servari debet.

19 Quomodo verò horæ canonicæ recitandæ sint, declarat Innocentius III. in Concilio Lateranensi *in c. dolentes 9. h. t.* ubi injungit in virtute obedientiæ, ut divinum officium tam nocturnum, quàm diurnum studiosè, ac devotè recitari debeat: siquidem de ratione orationis vocalis est, ut studiosè, ac devotè recitetur. Ut autem horæ canonicæ recitentur studiosè, tria requiruntur. Primò ut dicantur sine syncopa, seu verborũ mutilatione, ut fit, cùm non pronuntiantur omnes syllabæ, & si omitterentur etiam verba integra, ut si prima verba versiculi jungerentur ultimis absorptis mediis; & excessus esset enormis, non excusaretur recitans tali pacto breviarum à culpa gravi, si voluntariè omitteret passim hujusmodi verba: secus si involuntariè, vel ex lingua, aut inolita consuetudine, quæ vix corrigi possit.

20 Secundò, ut recitentur studiosè, non debent verba truncatim proferri, quia abscindere syllabas, est deturpare, & mutilare verba, quia tamen hic defectus non est enormis, non censetur peccatum grave. Tertiò ut recitentur studiosè non debent fieri interruptiones; nihilominus probabilior sententia censet, recitantem cum interruptione non peccare; dummodo totum breviarium absolvat, quia tunc satisfacit præcepto Ecclesiæ quoad substantiam. Imò quamvis quis interrumperet officium animo repetendi jam recitata, adhuc satisfaceret præcepto, si postea jam recitata non repeteret, sed pergeret recitare, quæ supersunt: ratio est quia etiam per liberam operis prohibiti omissionem potest quis satisfacere præcepto negativo, quamvis habeat intentionem non satisfaciendi; proinde potest etiam satisfacere præcepto affirmativo. Præterea quia Ecclesia non præcipit recitari officium animo repetendi, vel adimplendi præceptum; sed simpliciter præcipit recitare quotidie officium. Hinc qui totum officium recitavit, etiam animo non implendi præceptum de recitando officio, non tenetur illud repetere, nec alium voluntatis actũ elicere, quo velit satisfacere, vel quo dicat se satisfeciſſe præcepto per opus antea præstitum; quia cùm jam revera totum officium recitaverit, satisfecit præcepto, neque ab Ecclesia adigitur ad iterum recitandum totum breviarium: unde sufficit si desistat ab animo non adimplendi præceptum, quia tunc tollit actualem affectum ad peccatum. Consultiùs tamen foret, mutare propositum intra tempus obligationis.

21 Præterea in recitatione breviarii servanda est consuetudo, quæ est optima legis interpres, & qui privatim horas canonicas recitat, sufficit, ut omnia verba distincta proferat, nec est necesse, ut ipsemet recitans se ipsum audiat, quia nullo jure probatur recitantem ad id teneri: siquidem præceptum solùm obligat ad recitandum officium, non ad audiendum, unde sufficit si vox sit ex se audibilis, & non est necesse, quòd de facto audiatur, sive ex aliquo accidenti, sive ex impedimento medii, vel læsione sensûs.

Tutior tamen sententia est, ut vox fit audibilis saltem pro ipsis recitantibus, physicè loquendo, licèt ex defectu aliquo impediatur, ne audiatur: quamobrem consultiùs semper est, ita distinctè, & clarè verba proferre, ut recitans possit ea audire: verba enim quæ secluso omni impedimento non possunt auditu percipi, non merentur dici verba, sed tantùm sunt quidam motus in gutture, & inter dentes facti: & potiùs sunt inchoationes verborum, quàm verba, ut rectè notat Diana *tractat. de horis canon. resolut. 11. p. 6.* 22

An verò Surdus assistens choro, & cum aliis cantans, satisfaciat obligationi, probabilior sententia, quàm docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 28. num. 18.* est affirmativa, quia surdus tunc implet obligationem quantum potest, & ut in se est, & nemo ad impossibile tenetur. Tum quia quando surdus assistit, & cantat ex una parte implet ex illa chorum, sicut alii, proinde concurrit ad recitationem sicut alii, qui cùm satisfaciant obligationi, non est cur surdus non debeat eidem satisfacere cum communicet cum aliis in choro, & absolutè sit de choro. Tum quia moraliter dici potest percipere, quod cantatur ab altera parte chori: siquidem ambæ chori partes ita sibi invicem communicant, quæ cantant, ut communicatio non fiat singulis seorsim alterius partis, sed conjunctim toti parti, hinc eo ipso quòd altera pars physicè percipit, quæ ab alia cantantur, cententur singuli illius partis percipere, ut rectè notat Pasqualigus in *decis. moral. decis 407.* Tum quia præceptum non est de auscultatione, sed de recitatione, & ubi non est lex, non est obligatio legis. 23

Altera conditio requisita ad horas canonicas ritè persolvendas ab Innocentio III. *in d. c. dolentes 9. h. t.* est, ut devotè persolvantur, ad quod requiruntur duo, attentio, & reverentia, adeo ut sola attentio non sufficiat, quia oratio est actus religionis, & exigit reverentiam: aliud enim est orare, & aliud attentè aliquid legere, non enim quoties attentè aliquid legimus, tametsi spirituale sit, dicimur orare; siquidem possumus attentè legere ad percipiendum verum sensum scripturæ, tametsi non intendamus tunc orare. Attentio in oratione alia est interna, alia externa, illa est, quâ quis attendit animum ad Deum, vel res divinas, excitátque in se erga Deum reverentiam. Rursus attentio interna alia est circa verba ut rectè pronuntientur; alia circa sensum verborũ, ut mente percipiatur; alia circa Deum, ut verba orationis ad ipsum dirigantur, & ad obtinendum à Deo, vel per intercessionem sanctorum, quod petimus. Attentio externa est circa externam pronuntiationem verborum, totiúsque corporis compositionem, quâ quis exteriùs se gerit in speciem orantis, séque abstinet ab operibus externis, cum quibus interna attentio nequit consistere. Rursus utraque attentio potest esse actualis, vel virtualis, confusa, vel distincta. In qualibet oratione jure divino naturali requiritur attentio, & reverentia interna: siquidem alloquens Deum, & petens aliquid à Deo, vel ipsum laudans debet id convenienti modo præstare: si 24

enim cùm omni submissione, & reverentia Regem, vel Principem alloquimur; multò magis tenemur cum Deo submissè, & reverenter loqui: quo fit, ut omnis voluntaria distractio inter fundendas Deo preces, sit aliquod peccatum, & viri pii in sacramentali confessione accusant distractiones, etiam involuntarias.

25 Quòd si dicas *in d. c. dolentes 9. h. t.* tantùm præcipi externam devotionem in eo sitam, ut quis se gerat in speciem orantis. Contra est, quia devotio externa sine interna non est vera devotio, sed simulatio devotionis, proinde qui ita orat, non potest dici orare devotè. Tum quia Ecclesia præcipit clericis verum actum orationis, & laudis divinæ: atqui ad talem actum requiritur interna attentio, & reverentia, cùm oratio potissimum consistat in actu interno, sitque colloquium cum Deo. Tum quia si quis exteriùs proferat verba orationis absque animo orandi, verè non orat, & sicut requiritur animus orandi; ita etiam interna mentis attentio. Tum quia potest Ecclesia saltem indirectè præcipere actus internos, præsertim si necessarii sint, ut actus externi sint actus virtutis; alioquin omnibus Ecclesiæ præceptis posset quis satisfacere per meram simulationem, & hypochrisim: quo pacto satisfaceret præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui accederet animo carpendi, vel irridendi divina mysteria; satisfaceret etiam præcepto de annua confessione, qui confiteretur animo, ut non absolvatur, & sine ullo dolore, quæ omnia absurda sunt.

26 Demum, quia potestas gubernandi si sit perfecta debet posse præcipere utilia ad suum finem: & hæc potestas cum sua perfectione inest Ecclesiæ, cujus finis est salus animarum; perinde ac finis, quem intendit potestas politica est tranquillitas externa: proinde potest præcipere ea, quæ ad hunc finem conducunt, cujusmodi sunt actus interni: quia sicut homo constat animo, & corpore; & Christianus, quà talis fide interna, & professione externa: ita opus utriusque ut perfectum sit, debet constare actu interno, veluti forma, seu anima; & externo, veluti corpore: siquidem opus externum sine bona voluntate interna est veluti cadaver, seu corpus privatum vitâ, proinde nullius momenti ad finem Christianum. Hinc liquet, Ecclesiam habere potestatem præcipiendi actus internos, si non directè per se, & solitariè sumptos, ut censent plures; saltem indirectè, & quatenus sunt necessarii ad actus externos debito modo præstandos, ut sint actus virtutum, & idonei ad finem supernaturalem: hinc cùm possit Ecclesia præcipere orationem, & auditionem sacri, potest etiam præcipere eam attentionem, & reverentiam, sine qua oratio, & auditio sacri non sunt actus Religionis. Rursus cùm possit præcipere annuam confessionem, potest etiam indirectè præcipere actus internos eidem connexos, ut internum examen conscientiæ, & internum actum doloris, sine quo confessio nulla foret.

27 Quòd verò ad tempus attinet recitandi horas canonicas, servanda est recepta consuetudo: & licèt laudabile sit, ut singulæ horæ statis suis temporibus, & intervallis recitentur: nihilominus ad vitandum peccatum lethale sufficit, ut recitentur eo intervallo, quod est inter medium noctis præcedentis, & sequentis, qui enim intra id tempus horas recitaverit sive initio, sive in fine satisfacit substantiæ præcepti. Quin imò ex consuetudine licitum etiam est recitare preces nocturnas, & laudes pridie, etiam ante solis occasum, & post tempus vesperarum, & completorii, ut docet D. Thomas *quodlibet. 5. art. 28.* adeo ut absoluto in Ecclesiis completorio, seu hora quarta pomeridiana licitum sit privatim nocturnum officium sequentis diei inchoare, & pergere, etiam usque ad finem laudum: secus parvæ horæ non possunt pridie recitari, sed solùm post mediam noctem: & si justa causa subsit possunt omnes usque ad vesperas exclusivè recitari summo mane: immo Cajetanus censet si justa causa adsit, posse etiam recitari vesperas, ut si aliqua gravis instaret occupatio, vel profectio. Non tamen est peccatum lethale missam celebrare ante nocturnas preces, seu matutinum; quia nihil in jure de hoc præcipitur, nec consuetudo contraria est recepta sub peccato mortifero.

28 Tum quia non adest ulla necessaria connexio, aut dependentia sacrificii ab illis precibus, quâ debeant præcedere missam: unde ex rationabili causa possunt interdum preces matutinæ postponi sacrificio absque peccato. Quia tamen in missali inter defectus missæ recensetur hic, si celebrans non recitavit matutinum cum laudibus: ideo si nulla subsit causa differre recitationem matutini post celebrationem missæ non excusatur à culpa veniali, quoties enim Sacerdos potest commodè matutinum recitare ante missam, ad id tenetur. Causa verò sufficiens excusans ab hoc veniali peccato est, si instet tempus consuetum, quo solet quis missam celebrare, si populus, vel aliqua gravis persona expectet, ut missam audiat.

§. III.

Producuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an relinquens missam imperfectam incurrat aliquam censuram? Prima sententia, quam docent Archidia. *in c. nihil. 7. q. 1.* Diaz. *in pract. crimin. can. cap. 46. V. Clericus* asserit, sacerdotem, qui relinquit missam inchoatam incurrere excommunicationem, & videtur hæc sententia fundari *in d. c. nihil 7. q. 1.* ubi relinquenti missam imperfectam imponitur pœna excommunicationis. Verùm ex contextu liquet, talem pœnam non esse latæ sententiæ, sed ferendæ: siquidem dicitur *in d. c. excommunicationis sententiam sustinebit*: verbum illud *sustinebit* cum sit futuri temporis importat sententiam ferendam, proinde non incurritur, nisi stante contumacia, & sententia feratur per Judicem.

2 Hinc secunda sententia, quæ est communior, asserit, talem excommunicationem non incurri ipso facto, sed esse incurrendam à relinquente missam imperfectam, ut docent Barbosa

in

in collect. in c. nihil. 7. q. 1. Garcia *in ſumm. tract. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. ult. num. 29.* Paulus Maria Quartus *in rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſect. 2. dub. 2. V. tertia ſententia*: ſiquidem nullibi in jure reperitur hæc excommunicatio latæ ſententiæ, ſed tantùm ferendæ *in d. c. nihil 7. q. 1.* pœna autem, quæ in jure non imponitur, non eſt à nobis aſſerenda. In *c. tamen nullus Epiſcopus de conſecrat. diſt. 1.* imponitur ſuſpenſio, dicitur enim *A ſacro corpore, & ſanguine Domini noſtri JESU Chriſti ſit ſuſpenſus* & probabilior ſententia eſt, hanc ſuſpenſionem eſſe latæ ſententiæ, & incurri ipſo facto, quia verba canonis ſignificant latam ſententiam per verbum temporis præſentis: dicitur enim *ſit ſuſpenſus*, hoc eſt de præſenti; adeo ut differat à verbo ſuſpendatur, quia cùm dicitur *ſuſpendatur*, ſenſus eſt, ut debeat ſuſpendi per ſententiam judicis, quando verò dicitur *ſit ſuſpenſus*, ſenſus eſt, ut maneat ſuſpenſus, ut communiter explicant doctores, & colligitur ex *clement. 1. de decim. clement. 1. & 2. de pœn. c. fin. de reb. eccles. non alienand. in 6.* & tradunt Gloſſa *in c. quicunque 5. inhibemus V. innodetur in fin. de hæret. in 6.* Panormit. *in c. 2. num. 13.* & *in c. ſi diligenti num. 18. de for. compet.* Felin. *in c. Rodulphus num. 58. de reſcript.* Ratio itidem eſt, quia illud verbum *ſit* indicat tempus præſens imperativum, vel ſubjunctivum, & nullo modo tempus futurum, & diſponit circa ipſum delinquentem, quem declarat excommunicatum, vel ſuſpenſum.

3 Tum quia ſi illud verbum *ſit* non importaret excommunicationem, vel ſuſpenſionem latæ ſententiæ, ſequeretur, quòd omnes excommunicationes, quas ſacri canones, & Concilium Tridentinum imponunt per illa verba: *Anathema ſit*, eſſent ferendæ ſententiæ, non autem latæ. Cæterum cùm hæc ſuſpenſio ſit à corpore, & ſanguine Chriſti, adhuc poteſt Sacerdos ita ſuſpenſus communicare more laicorum: quia ſuſpenſio illa tantùm ſuſpendit à functionibus ſacerdotalibus, qualis non eſt ſumptio Euchariſtiæ more laicorum, ut probabiliter cenſent aliqui cum Bonacina *diſp. 3. de cenſur. q. 3. punct. 3. num. 4.*

4 Quæritur ſecundò, an ſi periculum mortis immineat, poſſit miſſa relinqui imperfecta? Certum eſt, imminente mortis periculo, ut ſi hoſtis irruat, aluvio inſtet, incendium creſcat, ruina minetur, debere ſacerdotem ante conſecrationem deſiſtere, & non ulteriùs pergere in miſſa, ut notat Paulus Maria Quartus *in rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſect. 2. dub. 6.* ratio eſt, quia ſi pergeret in miſſa non ſolùm ſe ipſum Sacerdos tali periculo injiceret, ſed etiam ipſam Euchariſtiam: neque contemptus ille periculi imminentis eſſet actus fortitudinis, ſed temeritatis, ac irreverentiæ erga Euchariſtiam. Quamobrem difficultas eſt, ſi tale periculum incipiat imminere quando una ſpecies eſt jam conſecrata, vel etiam utraque, & ſacrificium eſt conſummatum: & in hoc caſu docent omnes, teneri ſacerdotem, ſi unam tantùm conſecravit ſpeciem, ſtatim aliam conſecrare, ut ſacrificium perficiatur, & utramque ſpeciem ſumere, ſicque complere ſacrificium, tametſi conſuetos ritus non ſervet: & ſumptâ utrâque ſpecie ſtatim abire, ita enim præſcribitur *in rubric. de defect. occurrent. in miniſt. tit. 10. num. 2.* & ratio eſt, quia ritus, quibus miſſa celebratur; & qui in tali caſu omittuntur, non pertinent ad ſubſtantiam ſacrificii, ſed ſunt ſolùm de jure eccleſiaſtico, quod in tali caſu non obligat ob maximam difficultatem eos ſervandi: ſiquidem imminens hoc periculum non reddit poſſibilem obſervantiam rituum.

Quòd ſi periculum ita eſſet imminens, & 5
urgeret, ut Sacerdos non poſſet ſecundam ſpeciem conſecrare, nec ſacrificium conſumere, quamvis Suarez *diſp. 85. de Euchariſt. ſect. 1. V. quarto accidere* doceat, adhuc ſacerdotem teneri perficere ſacrificium, & non poſſe ob mortis periculum fugere, eò quia relinquere Sacramentum mutilum, & ſacrificium imperfectum ſit intrinſecè malum, proinde in nullo caſu licitum; nihilominus communior ſententia, quam docent Garcia in *ſum. tract. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. ult. num. 28.* Pasqualigus *de ſacrific. nov. leg. tom. 1. q. 190. punct. 5.* Paulus Maria Quartus *in rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſect. 2. dub. 6. difficult. 1.* Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. c. 7. num. 1.* aſſerit, celebrantem imminente, & urgente mortis periculo poſſe relinquere ſacrificium imperfectum abſque conſumptione, aut conſecratione alterius ſpeciei: quia tametſi præceptum de perficiendo ſacrificio ſit divinum, non tamen obligat, niſi quatenus ejus obſervantia cenſetur poſſibilis: lex enim divina debet habere eſſentiales conditiones legis in communi, quarum præcipua eſt, ut ſit obſervatu poſſibilis, ac de re hic, & nunc poſſibili: atqui lex divina de complendo ſacrificio, quando imminet, & urget mortis periculum non eſt ſervatu poſſibilis ob ſuperveniens impedimentum, quod non poteſt ſuperari à celebrante, niſi ſit mox ſubiturus mortem: hoc autem ſufficit, ut obſervantia legis cum talibus circumſtantiis reddatur impoſſibilis; etenim non habetur pro poſſibili, quod non niſi cum maxima difficultate impleri poteſt; quòd magna difficultas æquiparetur impoſſibilitati deſumitur *ex l. 2. §. ex quo l. continuis §. cùm quis ff. de verb. oblig.* & docent. Felin. *in c. Eccleſia num. 81. de conſtit.* Beroius *conſil. 38. num. 35. lib. 1.*

Si dicas, legem de confeſſione fidei, & de 6
non faciendo aliquid in contemptum Religionis obligare, etiam quando imminet, & urget vitæ periculum. Reſpondetur, hanc legis poſſibilitatem debere menſurari ſecundùm menſuram rectæ rationis; adeo ut recta ratio judicet ejus obſervantiam eſſe poſſibilem, & exercendam eſſe: & recta ratio tunc judicat, hanc poſſibilitatem, quando judicat obſervantiam legis præponderare iis bonis, quæ pro ipſa exponuntur in ſuperandis contrariis: quando enim recta ratio judicat eſſe intrinſecè malum non obſervare legem, & talem non obſervantiam nullo modo poſſe honeſtari, ut negare fidem, & aliquid facere in contemptum Religionis, judicat tunc recta ratio, obſervantiam legis præponderare etiam propriæ vitæ, quia bonum, quod

præcipitur per legem, eſt tale, ut ſecundùm ordinem charitatis debeat plus diligi, quàm vita propria: hinc eſt, quòd Chriſtianus adhuc imminente, & urgente mortis periculo teneatur fidem confiteri, & abſtinere ab iis, quæ fiunt in contemptum Religionis; eò quia fides, & religio ſecundùm ordinem charitatis debent plus diligi, quàm vita propria. Secus integritas ſacrificii non judicatur eſſe talis, ut ſecundùm ordinem charitatis, debeat præferri propriæ vitæ: ex quo inferunt Doctores, legem de ſacrificio complendo poſtquam eſt incœptum non obligare in concurſu imminentis, & urgentis vitæ periculi, quia tunc habetur pro impoſſibili.

7 Quòd verò complere ſacrificium in concurſu imminentis, & urgentis periculi vitæ non ſit bonum præferendum propriæ vitæ, ex eo ſolet evinci: quia ex ſui natura imperfectio ſacrificii non obſtat ordini debito reſpectu ultimi finis: ſiquidem de ſui natura non eſt aliquid illicitum & inhoneſtum, ſed tantùm quia Chriſtus inſtituit ut ſacrificium perficiatur: & potuiſſet, ſi voluiſſet, etiam in unica ſpecie hoc ſacrificium inſtituere.

8 Neque complementum ſacrificii eſt bonum, ad quod referatur homo, & propter quod factus ſit, non enim homo in ipſum tanquam finem debet ſe referre; quinimò potiùs ſacrificium ut ſupremus Dei cultus, eſt propter hominem, cùm ſit quoddam medium ipſi inſerviens in ordine ad tendentiam ad ultimum finem: & hæc eſt ratio, cur non ſit bonum præferendũ propriæ vitæ ſecundùm ordinem charitatis ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 26. art. 3. Secus confeſſio fidei, & abſtinere ab iis, quæ fiunt in contemptum Religionis, cùm ſint media eſſentialiter ordinata ad executionem finis ſupernaturalis, debent in quocunque eventu præferri propriæ vitæ: quia vita æterna eſt ſemper præferenda temporali.

9 Hinc ad rationem, quâ nititur Suarez pro oppoſita ſententia reſpondetur; relinquere ſacrificium quoad ſubſtantiam imperfectum, non eſſe intrinſecè malum, quia non eſt ex natura ſua tale, cùm non habeat intrinſecam diſſonantiam ad regulas rectæ rationis, conſequenter, neque diſſonantiam ad æternas rationes, quæ ſunt in mente divina: hæc enim diſſonantia eſt, quæ conſtituit rem intrinſecè malam, & pro nullo eventu honeſtabilem: ſed ſacrificium conſtare ex duplici ſpecie, & ejus conſumptio, non habent neceſſitatem intrinſecam talis perfectionis, ſed tantùm ex inſtitutione Chriſti, qui potuit etiam aliter hoc ſacrificium inſtituere: hinc ſi ſacrificium careat hac perfectione; non oritur in ipſo ulla diſſonantia cum regulis æternæ rationis, cum ipſæ oſtendant potuiſſe hoc ſacrificium aliter inſtitui.

10 Quæritur tertiò, ex quibus cauſis poſſit miſſa inchoata relinqui? Reſpondetur, plures aſſignari à Doctoribus cauſas, quarum prima eſt, ſi celebrans in altari moneretur, quòd non eſſet verus Sacerdos ob aliquem defectum eſſentialem in ſuſcipiendo ordines ſacerdotii: vel quia ipſemet Sacerdos incipiat graviter dubitare de ſua ordinatione, nec poſſit dubium deponere; tunc dicunt, debere miſſam relinquere, & prætexere aliquam cauſam, ſi dubium contingat ante conſecrationem: ſecus facta conſecratione unius ſpeciei debere quantum poteſt, dubium deponere, immo & ſi non poſſet illud deponere, adhuc debere in miſſa pergere, quia in dubiis conditio poſſidentis eſt melior: & ſacrificium cùm jam ſit inchoatum eſt in poſſeſſione ipſius, ut etiam offerens, qui jam cœpit offerre; conſequenter etiam ſtante dubio tenetur in miſſa pergere. Quòd ſi Sacerdos eſſet certus de invaliditate ſuæ ordinationis, tunc non poſſet in miſſa pergere, quia non faceret verum ſacrificium, qua propter in tali caſu teneretur prætexere aliquam juſtam cauſam, & recedere ab altari. Quamvis dubius in altari de ſua conſecratione poſſit in miſſa pergere non tamen abſolutâ miſſâ poteſt cum tali dubio altera die celebrare, quia cùm non ſit certus de ſua poteſtate, ſe exponeret periculo non conficiendi ſacrificium, & Sacramentum; proinde etiam adorandi, quod non eſſet corpus, & ſanguis Chriſti. Id autem procedit de vero dubio, & non de ſcrupulo.

11 Secunda cauſa relinquendi miſſam inchoatam eſt, ſi ſuperveniat interdictum ſpeciale, aut ceſſatio à divinis, ita ut nec clauſis januis poſſit celebrari: aut etiam interdictum generale: in hoc enim caſu eſſe miſſam relinquendam ſi nondum cœpta ſit conſecratio; & continuandam usque ad conſumptionem, ſi cœpta ſit conſecratio, docent communiter Navarrus *c. 16. de orat. num. 60.* Pasqualigus *de ſacrific. nov. leg. tom. 1. q. 192. num. 3.* Quartus *in rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſeſſ. 2. dub. 5. ver. dico ſecundo.* Ratio diſcriminis, cur Sacerdos nondum incœptâ conſecratione non debeat ulteriùs procedere, & illâ incœptâ teneatur ſacrificium perficere, & conſumere, eſt, quia miſſa ante conſecrationem conſideratur, ut officium divinum; & poſt conſecrationem, ut ſacrificium: & ut officium divinum cedit juri eccleſiaſtico prohibenti divina officia peragi tempore interdicti: ut ſacrificium autem prævalet: ſiquidem eſt de jure divino, ut ſacrificium inchoatum compleatur, & conſumetur: & quia interdictum quodcunquè illud ſit, eſt tantùm de jure eccleſiaſtico, non habet vim contra jus divinum, quod cùm prævaleat, ſervari debet, non obſtante jure Eccleſiaſtico.

12 Tertia cauſa eſt ſi ſuperveniat excommunicatus vitandus; monendus tamen priùs eſt, ut diſcedat, quòd ſi nolit; tunc ſi nondum inchoata eſt conſecratio, debet miſſa omitti; ſin autem cœpta ſit, debet Sacerdos pergere usque ad conſumptionem incluſivè, quia de jure divino ſacrificium inchoatum debet perfici, & conſumi, nec hoc jus poteſt impediri à jure eccleſiaſtico, ut eſt illud, quòd ſuperveniente excommunicato vitando ceſſetur à divinis, ut notant Covarruvias in *c. Alma Mater. p. 1. §. 6. num. 8.* Quartus *in rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſeſſ. 2. dub. 4.* Felin. *in c. à nobis num. 3. de except.* & communiter Canoniſtæ cum Gloſſa *in c. ſicut Apoſtoli. V. oraveris. 11. q. 3.* & *in clement. gravis V. in expletum. de ſent. excommun.* Ratio cur

ſuper-

superveniente excommunicato vitando, si nolit discedere ante consecrationem sit missa interrumpenda, est, quia cùm excommunicato vitando non possumus communicare, præsertim in divinis officiis, & quia ante consecrationem, & præsertim ante canonem preces, quæ recitantur, sunt tantùm de præcepto ecclesiastico; ideo prohibitio Ecclesiæ prævalet contra continuationem sacrificii. Quòd si excommunicatus monitus recusaverit exire ab Ecclesia, novam tunc incurrit excommunicationem reservatam Papæ, ut habetur in *clement. gravis de sent. excommun.*

13 Quarta causa est superveniens infirmitas, ut statuitur in *c. nullus Episcopus de consecrat. dist. 1.* ubi dicitur, quòd missa inchoata non debeat relinqui nisi passio aliqua intervenerit: & nomine passionis intelligitur quidquid malè affligiens corpus, est sacerdoti impedimento, quo minus possit in missa pergere. Major tamè infirmitas requiritur post cœptam consecrationem, quàm ante, quia consecratio semel cœpta non debet incompleta relinqui, nisi superveniat aliquid, ratione cujus sit impossibile illam continuare. Verùm si infirmitas urgeat consultiùs est, ritus, & preces omittere, & statim post consecrationem consumere sacrificium: ratio est, quia quæ tunc omittuntur, sunt solùm de jure ecclesiastico, quod urgente illa infirmitate non obligat. Quòd si infirmitas contingat ante consecrationem tenetur Sacerdos missam relinquere, ne se exponat periculo inchoandi sacrificium, & illud non perficiendi.

14 Quinta causa est pollutio Ecclesiæ, vel altaris, de qua superiùs diximus. Juvat tamen observare, quòd non omnes causæ, quæ sufficiunt, ut missa relinquatur ante cœptum canonem, valent post cœptum canonem, ratio discriminis est, quia quæ recitantur ante canonem sunt tantùm preces præparatoriæ pro sacrificio: quando verò Sacerdos incipit canonem se convertit ad Deum per preces, quibus incipit oblationem sacrificii; quatenus oratio comitatur substantiam oblationis: quo fit, ut celebrans incipiat exercere actum latriæ, ac supremi cultus erga Deum: & non videtur verò simile Ecclesiam velle interrumpere tam sublimem actum cultûs divini, ut servetur aliqua institutio ecclesiastica citra interdictum, vel excommunicationem, quia quod est excellentius debet prævalere minus excellenti.

15 Quæritur quartò, an Sacerdos si inchoatâ missâ recordetur, se à jure impeditum esse, teneatur missam relinquere? Impedimenta juris sunt excommunicatio, interdictum, suspensio, irregularitas, violatio jejunii naturalis, status peccati mortalis, & alia id genus? Respondetur, quòd si Sacerdos ad altare post inchoatam missam recordetur alicujus peccati mortalis tenetur se disponere quantum potest per contritionem, adeo ut omni conatu niti debeat, ut eliciat actum contritionis, & pergere in missa, quia integritas sacrificii prævalet hisce omnibus impedimentis, si consecratio cœpta sit: siquidem prærecensita impedimenta cum sint de jure ecclesiastico tanquam inferioris ordinis debent cedere præcepto divino, de integritate sacrificii. Tum quia quando concurrunt duæ institutiones una Christi, & altera Ecclesiæ, prævalet institutio Christi, quæ propterea servanda est. Et quamvis status sanctitatis, & expiatio per confessionem sint de jure divino, potest tamen tali expiationi occurri per medium saltem æquipollens, seu per contritionem. Rursus etiam ante consecrationem, si Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, & timeat propriam infamiam, & ne sit scandalo populis, si discederet ab altari, potest præmisso actu contritionis etiam continuare missam, quia tunc cessat obligatio præcepti, in quo fundatur impedimentum, quia prævalet jus vitandi propriam infamiam, & obligatio removendi scandala. Quòd si non timeatur scandalum, censent plures cum Suarez *disp. 86. de Sacrament. sect. 4.* missam esse relinquendam: quia *Rubrica missal. tit. de defect. occurrent. §. num. 3.* præscribit missam relinquendam, si non timeatur scandalum.

16 Alii nihilominus censent, posse sacerdotem inceptam missam continuare, dummodo nitatur elicere quantum potest, actum contritionis, si impedimentum illum exigat: quia quamvis sacrificium non sit substantialiter inchoatum; est nihilominus dispositivè, & secundùm preces, quibus Deo offertur inceptum: consequenter secundùm illas partes, quæ ex institutione Ecclesiæ integrant sacrificium; proinde tanquam constitutum in possessione debet manuteneri in ordine ad suum complementum, licèt occurrant impedimenta, quæ aliàs possint impedire ejus expletionem.

17 Neque obstat, quòd confessio peccati lethalis sit de jure divino, nam licèt præceptum de præmittenda confessione peccati mortalis, sit de jure divino, non tamen est de jure divino, quòd si inceptâ missâ Sacerdos recordetur peccati mortalis, debeat discedere ab altare, & confiteri: sed tunc relinquitur in potestate sacerdotis adhibere aliud medium pro necessaria dispositione, qualis est contritio. Etenim præceptum divinum de præmittenda confessione non adeo strictè obligat, ut excludat remedium contritionis, quando confessio non potest sine notabili difficultate adhiberi, ut quando non est copia confessarii.

18 Quæritur quintò, an missa possit à sacerdote interrumpi. Juvat observare, aliud esse missam relinquere, & aliud eam interrumpere. Primum dicit, quòd missa non perficiatur, sed privetur aliqua sui parte sive essentiali, sive integrali, aut accidentali. Missam verò interrumpi est habere quidem omnes suas partes, sed cum interpollatione, adeo ut hujusmodi partes non continuentur secundùm tempus, hæc enim discontinuatio propriè est interruptio? Respondetur, missam absque causa non esse interrumpendam; ut notant communiter cum Paulo Maria Quarto in *rubric. missal. p. 2. tit. 3. sect. 3. dub. 1.* & desumitur *ex c. nihil. 7. q. 1.* Ratio est, quia si sermo sit de interruptione substantiali excluditur ex natura sacrificii: siquidem est unum sacrificium in consecratione utriusque speciei, ac institutum ad repræsentandum

dum ſacrificium incruentum, proinde cum duplici conſecratione juxta duplicem ſpeciem exigit continuationem, ut conſurgat unitas ſacrificii, & una repræſentatio ſacrificii cruenti: quapropter gravis foret contra Deum irreverentia, ſi quis inchoato ſacrificio in una ſpecie, differret illud complere ſubſtantialiter per conſecrationem alterius ſpeciei, quia hujusmodi dilatio detraheret unitati ſacrificii, & quod ex inſtitutione ſua eſt unum, in partes divideretur.

19 Sin verò ſermo ſit de interruptione, quoad conſumptionem, hæc itidem videtur repugnare unitati ſacrificii, quia hoc ex ſua inſtitutione exigit offerri, & conſummari, adeo ut conſumptio pertineat ad complementum ſubſtantiale, integrale: & ſicut ſi omitteretur conſumptio ſacrificii, remaneret imperfectum, ita ſi differatur in aliud tempus ſeparantur ejus partes, & tollitur unitas. Sin verò ſermo ſit de partibus integrantibus, ſeu de precibus, ritibus inſtitutis ab Eccleſia ad augendam majeſtatem ſacrificii, etiam iſtæ trahuntur ad eandem unitatem ſacrificii, cum quo communicant: hinc ex eo, quòd ſacrificium exigat etiam has partes integrales, ut quoddam complementum ſuæ perfectionis, fit etiam cum ipſis quid unum; proinde interruptio, qua tollitur hæc unio eſt contra exigentiam ſacrificii ex inſtitutione Eccleſiæ.

20 Si tamen juſta ſuppetat cauſa, poteſt ſacrificium interrumpi, quoad partes accidentales, ſeu preces, vel ritus inſtitutos ab Eccleſia: idque deſumitur ex praxi Eccleſiæ, ſolent enim Parochi poſt offertorium interrumpere continuationem miſſæ, vel ut habeatur concio ad populum, vel ut fiant denuntiationes feſtorum, jejuniorum. Communio tamen quæ poſt conſumptum à ſacerdote ſacrificium fit populo, non interrumpit ſacrificium, quia eſt potiùs participatio quædam ejusdem ſacrificii, quod eſt à laicis participabile. Tum quia hæc interruptio, quæ fit per communionem, eſt ſecundùm eam unitatem, quæ eſt ex inſtitutione Eccleſiæ; proinde potuit ab eadem introduci. Eſt autem interruptio notabilis, vel ex quantitate temporis, quod interponitur, vel ex qualitate interruptionis; ratione temporis Quartus in *rubric. miſſ. p. 2. tit. 3. ſect. 3. dub. 1. V. colligitur ſecundò*, cenſet, eam eſſe notabilem interruptionem, quæ excedit quadrantem horæ. Ratione qualitatis eſt, ſi Sacerdos omnino diſcedat ab altari & exuat ſacras veſtes, ac non appareat ſpes, quòd ſit rediturus. Neceſſitas ſufficiens ad interrumpendam miſſam cenſent plures eſſe urgentem neceſſitatem exonerandi ventrem Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. c. 5. num. 2.* Navarrus *de orat. not. 16. n. 69.* Quartus in *rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſect. 3. dub. 2.* & deſumitur *ex c. nihil. q. 1.* ubi dicitur, quòd nemo audeat miſſam imperfectam relinquere abſque *proventu patentis moleſtiæ*; moleſtia autem comprehendit quamcunque infirmitatem, & corporalem neceſſitatem. Hoc idem etiam colligitur *ex c nullus Epiſcopus de conſecrat. diſt. 1.* ubi etiam dicitur, quòd miſſa non ſit interrumpenda, *niſi paſſio aliqua intervenerit*; & nomine paſſionis intelligitur etiam urgens corporis neceſſitas: ſiquidem talia impedimenta corporalia reddunt moraliter impoſſibile continuationem abſque interruptione, proinde id operantur ut interruptio ſit moraliter neceſſaria, proinde ſufficientia ſunt ad ponendam interruptionem ſine indecentia: quia non eſt indecens, quod non ſit ex voluntate, ſed ex urgente neceſſitate.

Quanta verò debeat hæc neceſſitas eſſe, certum eſt non ſufficere quamcunque neceſſitatem, ſed graviſſimam, & quæ reddat continuationem moraliter impoſſibilem, præſertim poſt inceptum canonem: rurſus quoad moram interponendam conſiderandæ ſunt circumſtantiæ Quartus in *rubric. miſſal. p. 2. tit. 3. ſect. 3. dub. 2.* cenſet, duas horas eſſe notabile ſpatium, adeo ut illis elapſis non debeat miſſa ante canonem interrupta reaſſumi, quia ſi per duas horas habeatur interruptio videtur proſecutio deſperata. Sin verò cœpta ſit conſecratio debet neceſſariò reaſſumi etiam poſt longū tempus, ut perficiatur ſacrificium: cum enim non ſit completum ſacrificium ſecundùm ſubſtantiam, remanet ſecundū aliquod eſſe permanens, vel in una ſpecie tantùm, ſi una ſit conſecrata in ordine ad alterius conſecrationem & conſumptionem; vel in utraque in ordine ad conſumptionem; proinde ratione talis eſſe permanentis eſt ſemper capax ſui complementi. 21

Quæritur ſextò, an urgente ſpirituali aliqua neceſſitate proximi poſſit miſſa interrumpi. Certum eſt, hanc neceſſitatem non poſſe locum habere niſi in articulo mortis reſpectu miniſtrationis alicujus ſacramenti, ut ſi moribundus indigeat aliquo Sacramento neceſſario ad ſalutem, ut eſt Baptismus, vel pœnitentia? Reſpondetur poſſe ob ſpiritualem proximi neceſſitatem miſſam interrumpi; ſi moribundus indigeat baptismo, vel Sacramento pœnitentiæ, adeo ut poſſit tunc Sacerdos miſſam relinquere etiam poſt conſecrationem, & interim miniſtrare moribundo Sacramentum, ſi alius non adſit, qui poſſit miniſtrare: quia cùm agatur de ſalute ſpirituali proximi, & de vitanda æterna damnatione, præferenda eſt hæc neceſſitas continuationis ſacrificii: ratio eſt, quia quamvis ſacrificium poſt inceptam conſecrationem exigat continuationem, non tamen illam exigit in concurſu talis neceſſitatis: cùm enim tam ſacrificia, quàm Sacramenta fuerint à Chriſto inſtituta propter hominum ſalutem, non poſſunt id exigere, quod eorundem ſaluti contrarium eſt. Cenſent, tamen aliqui, non poſſe miſſam interrumpi pro miniſtrando Viatico, aut extrema unctione eò, quia hæc Sacramenta non ſint ſimpliciter neceſſaria. Probabile tamen, eſt poſſe ſacerdotem ante conſecrationem interrumpere miſſam, ut miniſtret Viaticum moribundo, ſi urgeat neceſſitas, & periculum ſit in mora, ut docent Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. c. 5. num. 2.* Pasqualigus *de ſacrific. nov. legis. tom. 1. q. 197. num. 5.* & alii: quia ſi viaticum ſit miniſtrandum ex officio, tunc urget obligatio juris naturalis impendendi proprium munus indigenti, immo urget etiam obligatio juris divini, 22

quæ

quia Parochi de jure divino tenentur proprias oves paſcere: hinc ſi Parochus miſſam legat ad altare, & antequam inceperit conſecrationem moneatur, quòd adſit infirmus indigens viatico, & extrema unctione, & quòd periculum ſit in mora, debet Parochus tunc miſſam interrumpere, & miniſtrare Sacramentum moribundo.

23 Quinimmo etiam ſi Sacerdos ad id non teneatur ex officio, eò quia non ſit curatus, adhuc urget obligatio charitatis, quâ tenetur diligere ſuum proximum ſicut ſe ipſum in ordine ad finem ſupernaturalem: & quia hæc obligatio eſt altioris ordinis, quàm ſit obligatio interrumpendi miſſam, ideo hæc ſecunda obligatio cedit primæ: quoties enim concurrunt ſimul duo præcepta, quæ non poſſunt ſimul obſervari, debet præceptum majus præferri minori. Tum quia ob interruptionem miſſæ, ſacrificium nil patitur detrimenti, quia ceſſat tunc irreverentia ratione urgentis neceſſitatis, & interruptio non facit, quòd ſacrificium remaneat imperfectum, cum poſtea compleatur: ſecus ſi non miniſtretur viaticum moribundo, proximus caret maximo præſidio in illo extremo vitæ, & ejus carentia poteſt eſſe occaſio æternæ damnationis.

Hinc probabile eſt etiam, poſſe ante conſe-
24 crationem interrumpi miſſam pro miniſtranda moribundo, qui jam recepit alia Sacramenta, extrema unctione: quia neceſſitas etiam tunc videtur prævalere contra continuationem miſſæ, quandiu non eſt incœpta conſecratio: tunc enim juvetur proximus, vel ex officio ſi Sacerdos ſit curatus, vel ex præcepto charitatis, ſi non ſit curatus, & ſacrificium nil patitur detrimenti. Tum quia ſi poteſt miſſa interrumpi, ut habeatur concio ad populum, quamvis concio haberi poſſit poſt miſſam: à fortiori poterit etiam interrumpi pro miniſtranda extrema unctione ſtante neceſſitate urgente, quæ non permittat differre miniſtrationem Sacramenti: & quamvis utilitas oriens ex concione ſit in ordine ad plures, eſt nihilominus incerta: è contra utilitas oriens ex miniſtratione extremæ unctionis, quamvis ſit unius particularis, eſt tamen valde neceſſaria, & moraliter certa, quia moribundus cenſetur rectè diſpoſitus, & aliàs ſine tali Sacramento poſſet perielitari.

Quæritur ſeptimò, an Sacerdos poſſit miſ-
25 ſam interrumpere, ut ſuccurrat moribundo, adeo ut ſi aliquis ex iis, qui interſunt ſacro, ex aliquo accidente ageret animam, deberet Sacerdos etiam poſt conſecrationem diſcedere ab altari, & moribundo impertiri Sacramentum pœnitentiæ, vel abſolutionem? Reſpondetur affirmativè; immo teneretur Sacerdos ex præcepto charitatis ſuccurrere moribundo: ſiquidem cauſa, quæ conſtituit licitam interruptionem, obligat etiam ſacerdotem ad miniſtrandum Sacramentum: quia quando redditur licita interruptio, oritur obligatio in celebrante ſuccurrendi moribundo; eatenus enim hæc obligatio poſſet impediri, quatenus eſſet impedimentum continuandi miſſam inchoatam: ergo ceſſante hoc impedimento oritur obligatio in celebrante ſuccurrendi moribundo. Regulariter ſi caſus ſit talis, ut ſi celebrans actu non celebraret, teneretur ex charitate miniſtrare illud Sacramentum, tenetur miſſam interrumpere, & illud miniſtrare: quia eſt in ejus poteſtate ſatisfacere obligationi, quam charitas inducit, & ſatisfaciens obligationi poteſt licitè miſſam interrumpere; quia concurrente tali obligatione interruptio miſſæ eſt licita.

Quæritur octavò, an ſi Sacerdos jam in 26
miſſa legerit totum Evangelium, vel etiam ſymbolum Apoſtolorum, poſſit iterum ab initio inchoare miſſam, eò quia adveniat aliquis Princeps vel epiſcopus auditurus miſſam. Quæſtio procedit ſi non adeſſet alius Sacerdos, qui poſſet celebrare; quia ſi adeſſet, poſſet per ipſum ſupplieri. Rurſus certum eſt, poſt offertorium, & inchoatum canonem non poſſe ſacerdotem iterum ab initio miſſam repetere, quia ratione offertorii ſacrificium eſt inchoatum quoad preces, & ritum, veluti intrinſecum ſacrificio. Quamobrem quæſtio procedit poſt Evangelium, vel ſymbolum ante offertorium. Cenſent plures præſertim Navarrus *de orat. c. 16. num.* 15. Azorius *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 22. *q.* 3. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *c.* 7. poſſe ante offertorium iterum inchoari miſſam, ſi accedat aliquis Princeps, Cardinalis, Epiſcopus, Dux: eò quia per talem repetitionem non patiatur detrimentum ſacrificium, & ex alio capite ſatisfiat pluribus id exigentibus. Verùm contraria ſententia eſt probabilior, quam docent Pasqualigus *de ſacrific. nova leg. tom.* 1. *q.* 199. *num.* 3. Granad[illegible] *p. controvers. 6. tract. 14. diſp.* 10. *n.* 4. Gava[illegible] *in manual. V. miſſa ritus numer.* 15. Tamburin. *opuſc. de ſacrific. miſſa. lib.* 2. *c.* 7. § 8. ſiquidem hæc repetitio non videtur neceſſaria, quia ſupervenientes ſive ſint Principes, ſive Cardinales, poſſunt audire reliquum miſſæ, & cùm ſine propria culpa, non poſſint miſſam integram audire, non peccant, ſi tantùm reliquum miſſæ audiant: præſertim cùm poſt offertorium non poſſit ampliùs miſſa repeti: imò ſi non poſſent, nec hanc partem audire, adhuc excuſarentur, quia non voluntariè illam omitterent. Ex alio autem capite videtur indecens, quòd Sacerdos actu fungens vicibus Eccleſiæ, & ſacrificium offerens in perſona Chriſti, ſe tam humiliter demittat ad obſequia erga homines, quia hoc perinde foret, ac demittere Eccleſiam, & Chriſtum ad illa obſequia. Tum quia Sacerdos ſemel inchoata miſſa nulli debet in Eccleſia attendere, tametſi in alio altari elevetur Euchariſtia, vel tranſeat venerabile de loco ad locum, licèt cæteri omnes genu flectant; debet enim ita ſe gerere, ac ſi nihil perciperet, ut habetur *in rubric. miſſal. p.* 2. *tit.* 3 *de princ. miſſ. n.* 4. unde multò minus debet hominum obſequiis, cujuscunque hi fuerint conditionis, vacare.

Quæritur nonò, an Sacerdos poſſit omit-
27 tere proprios ritus in celebratione miſſæ? duplicis ſunt ritus generis, alii ſpeciales concernentes aliquam partem miſſæ, alii univerſales pertinentes ad totam miſſam. Præterea ritus univerſales alii ſunt Romani, qui præſcribuntur in miſſali Romano; alii particulares, qui conceduntur alicui ſpeciali Eccleſiæ, vel Religioni?

gioni? Respondetur, celebrantem teneri ritum sequi illius Ecclesiæ, cujus de præsenti est membrum: unde si Sacerdos sit membrum Ecclesiæ Ambrosianæ, tenetur sequi ritum illius Ecclesiæ, ut etiam si fiat Dominicanus, vel Carmelita. Quia talis ritus in propria Ecclesia obligat tanquam legitimè introductus, vel ex præcepto superioris, vel ex consuetudine: cùm enim sit necessarius aliquis ritus, cum quo missa celebretur, & talis ritus debeat esse uniformis quoad omnes, & cùm agatur de actione publica, qualis est oblatio sacrificii, ac vitanda sit confusio, ideo necessũ erat, ut certa regula statueretur, quâ omnes obligarentur celebrare cum tali speciali ritu proprio Ecclesiæ, vel Religionis, cujus est membrum. Religiosi tamen advenæ, qui juxta proprium ordinem celebrant ritu Romano in Ecclesia S. Ambrosii, possunt etiam Romano ritu celebrare, quia per hoc præcisè, quòd Sacerdos advena celebret in Ecclesia sancti Ambrosii, vel Dominici, non fit membrum talis Ecclesiæ, cui non incorporatur, proinde cessat ratio, quâ debeat tali ritu proprio illius Ecclesiæ celebrare. Putant tamen aliqui posse se accommodare tali Ecclesiæ, & celebrare ritu proprio illius, ut docent Tamburinus *opusc. de sacrific. miss. lib 2. c. 5. §. 2. num. 19.* Pasqualigus *de sacrific. nova legis. tom. 1. q.* 207. *num. 4.* Coninck *de Sacrament. q. 83. art. 5. dub. 1. num. 268.* quia potest Sacerdos se conformare consuetudini loci, in quo reperitur, & id colligunt *ex c. non consuetudinem. c. illa dist. 2.* Immo potest etiam Sacerdos advena [illegible]lo sequi ritum proprium suæ Ecclesiæ, [illegible]um etiam celebrare missas de illis sanctis, & [illegible]eriis, de quibus celebraret in propria Ecclesia, si adesset, quia hoc etiam pertinet tanquam pars ad ritum, qui servatur in sua Ecclesia, quapropter si potest proprium ritum servare in aliena Ecclesia, poterit etiam missas celebrare, quas in propria Ecclesia esset celebraturus: tenentur tamen Religiosi celebrantes in propria Ecclesia sequi ritum suæ Religionis, quamvis in Diœcesi servetur alius ritus, quia in propria Ecclesia non habet locum ritus diœcesis, qualiscunque ille sit: & Religiosus tenetur sequi ritum proprium suæ communitatis, cujus est membrum, nec ratione loci potest alium sequi. Imò putârim ego Sacerdotes, qui celebrant Romano ritu, in Ecclesiis Dominicanorum utentium ritu diverso à Romano non posse celebrare secundùm ritum Dominicanorum, sed teneri servare ritum Romanum, quia talis ritus utpote specialis, est specialiter concessus Dominicanis, & non est ritus localis, sed personalis, qui non egreditur personas, quibus conceditur *l. cum precario §. 1. & l. interdictum §. de precario.*

Quæritur decimò, an stante impotentia exerendi aliquem ritum ex gravioribus possit Pontifex dispensare. Dupliciter potest hæc dispensatio contingere. Primò si Pontifex absolute concedat, ut omittatur ritus, respectu cujus habetur in sacerdote impotentia, ut elevare hostiam, eandem frangere ob tremorem manûs, vel attractionem nervorum. Secundò, si Pontifex concedat, ut tales ritus per alium assistentem suppleantur, ut si concederet, ut ab alio sacerdote hostia elevaretur, & frangeretur? Respondetur præter consecrationem, & consumptionem sacrificii, cæterea omnia posse à Pontifice ex justa, & urgente causa dispensari: ratio est quia in missa sola consecratio, & consumptio sacrificii sunt de jure divino: & alia omnia de jure tantùm ecclesiastico: atqui Pontifex cum sit supra legem Ecclesiasticam, cujus est Author potest in eadem dispensare: omnis enim lex humana est dispensabilis à suo Authore, qui enim leges condit, potest leges tollere, ut docet D. Thomas 1. 2. *q. 97. art. 4.* si enim lex est humana nititur potestate, quæ homini inest, per quam sicut potest tolli obligatio, ita potest etiam relaxari: juxta enim regulam juris, per quas causas res nascitur, per easdem potest dissolvi: & quia plenitudo ecclesiasticæ potestatis est in summo Pontifice, sequitur quod omnes leges ecclesiasticæ subjiciantur ejus potestati, sintque propterea ab ipso dispensabiles.

Verum nihilominus est, quòd regulariter 29
non adest causa justa dispensandi cum privatis sacerdotibus, quamvis alioquin ratione officii teneantur, celebrare; ut celebrent, si non possint servare omnes ritus graviores: siquidem omnes causæ, in quibus potest dispensatio rationabiliter concedi sunt in duplici classe; scilicet necessitatis, & utilitatis, causæ necessitatis habentur *in c. fraternitatis, & c. letter dist. 34.* Causa utilitatis habetur *in c. tali q. 7.* Rursus necessitas potest esse publica, vel privata, ut si dispensatio sit necessaria pro bono spirituali dispensati. Utilitas semper debet esse publica, cùm lex de offerendo sacrificio sit publica: sicut enim lex ita est ob bonum publicum, ut non sit in grave dispendium privatorum; ita etiam est dispensabilis stante privata necessitate, ne vergat in dispendium publicum: atqui quoad dispensationem in ritibus missæ, non potest esse necessitas ulla publica, cùm non desint plures alii sacerdotes, qui possint abundè supplere. Neque adest necessitas privata, quia quòd unus, vel alter Sacerdos abstineat à celebratione missæ, non infertur ipsi aliquod damnum: quia potest communicare more laicorum. Neque adest publica utilitas, quia quòd Sacerdos impotens dispensetur, nil inde accrescit publicæ utilitati, cùm plures alii sacerdotes possint celebrare, quinimò publica utilitas potiùs exigit, quòd lex non relaxetur.

Cæterum sufficiens causa ut Pontifex possit 30
dispensare super ritus missæ est eminentia, & meritum personæ: considerari enim solet dignitas, & eminentia ex quacunque causa oriatur, sive ex nobilitate, sive ex litteris, sive ex meritis, erga Ecclesiam: eminentia enim personæ exhibet justum titulum dispensandi, ut desumitur *ex c. tali 7. q. 1.* ubi pro dispensatione considerantur merita: & etiam *extravag. nuper ex certis rationibus de prabend. & dignit.* ubi considerantur scientia, morum honestas, discretio, consilii maturitas in ordine ad hanc dispensationem concedendam à summo Pontifice: immo Concilium Trident. *sess. 24. c. 5. de reform. matrim.* pro sufficienti causâ dispensandi in secundo gradu consanguinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium inter magnos Principes

ripes assignat dignitatem laicalem, & D. Thomas 2. 2. *q. 63. art. 2. in corp.* etiam docet, in dispensationibus attendendam esse dignitatem personæ in ordine ad bonum commune; in responsione ad secundum ait, cum personis excellentioribus facilius dispensari: & quia quæ concurrunt ut causa dispensationis ratione excellentiæ personarum reducuntur ad causam utilitatis; dispensatio tunc fit ob utilitatem, quæ inde oritur communitati: siquidem utile est bono communi, quòd hujusmodi personæ favoribus, & gratiis cumulentur, cùm communitas ex ipsis majorem percipiat utilitatem, perinde ac corpus à principalioribus, ac nobilioribus membris: quamobrem causa excellentiæ, & eminentiæ personæ sufficiens est, ut Pontifex possit dispensare. Verùm consultiùs semper foret, si Pontifex ita dispensaret, ut etiam concederet celebranti posse uti auxilio alterius sacerdotis assistentis quoad illos ritus, respectu quorum dispensatus habet impotentiam: quia tali pacto salvatur missæ integritas, & cum celebrans sit principalis concurrens ad integritatem missæ, & assistens sit tantùm coadjutor quoad ea, respectu quorum celebrans est impotens, dicitur non obstante hac impotentia perficere totam sacrificii integritatem, quia ritus illi tribuuntur principali, qui tantùm utitur assistentia alterius sacerdotis, ut instrumento.

11 Quæritur undecimò, an Sacerdos possit sedendo celebrare? Certum est, sacerdotem non nisi stantem debere celebrare, ut præscribitur *in rubric. missal. p. 2. tit. 17. n. 6.* Tum quia id exigit natura ministerii, cujus functio sicut excludit sessionem, ita etiam continuam genuflexionem, cùm celebrans debeat ab una ad aliam partem altaris transire, se vertere ad populum, genuflectere, séque inclinare. Unde quòd Sacerdos debeat stans celebrare est unum ex præcipuis requisitis ex natura rei, pro exercendo munere sacerdotali: hinc qui stare nequit, impeditur à jure naturali, ne valeat hoc sacrificium offerre, ut docet D. Thomas *in 4. dist. 9. art. 4. q. 3.* Hinc quamdiu Sacerdos non potest stando celebrare tenetur abstinere à tali celebratione, quapropter *in c. multi Episcopi de consecrat. dist. 1.* prohibetur, ne quis audeat cum baculo accedere ad altare, & celebrare innixus eidem baculo. Quinimò quamvis Sacerdos posset per aliquam partem missæ stare, adhuc si deberet sedere ad absolvendam aliam, etiam teneretur abstinere à celebratione, ut notat Quartus *in rubric. missal. p. 1. tit. 6. dub. 3.* quia sessio non solùm excluditur ratione reverentiæ debitæ tanto ministerio; verùm etiam ex natura ejusdem functionis: siquidem sessio graviter opponitur ritui, cum quo missa est celebranda, variaretur enim ritus in circumstantia notabili. Tum quia eo ipso quòd Sacerdos non potest stare, habet impedimentum naturale, cum quo non potest accedere ad altare in ordine ad celebrandum. Et licèt Pontifex possit in hoc dispensare, eò quia sint ritus tantùm ecclesiastici, non tamen conveniens esset, ut dispensaret sine gravissima, & urgentissima causa.

12 Quæritur duodecimò, an missa sicca licita sit? Illa missa dicitur sicca, in qua non offertur sacrificium, sed tantùm consuetæ recitantur preces, & hæc fuit introducta ex devotione fidelium præsertim in navibus, in quibus ob continuos maris fluctus, ventósque impellentes non potest sacrificium offerri. Et tunc omittuntur ea omnia, in quibus fit mentio de sacrificio offerendo, vel oblato, adeo ut debeant omitti oblationes panis, & vini, orationes secretæ, si in ipsis fiat mentio de sacrificio, & totus canon, qui incipit ab illis verbis *Te igitur* usque ad dominicam orationem exclusivè. Rursus etiam debent omitti orationes in postcommunione si in iis fiat mentio sacrificii, ut etiam orationes ante consumptionem. Rursus omittitur oratio illa *suscipe sancta Trinitas, & orate fratres.* Sunt etiam qui asserunt, sacerdotem in missa sicca non debere se ad populum vertere, cùm dicit *Dominus Vobiscum.* Immo sunt etiam qui putant, non debere uti casula: hæc omnia habet Durandus *lib. 4. de divin. offic. c. 13. num. 23.* & desumitur etiam ex *sacerdotali Romano tract. 4. c. 33.* Respondetur ad quæsitum, hujusmodi missam siccam ab aliquibus approbari, ut licitam præsertim si celebretur in mari, ita docent Azorius *p. 1. lib. 7. c. 7. q. 6.* Durandus *lib. 4. de divin. offic. c. 1. num. 23.* Quartus *in rubric. missal. p. 1. tit. 4. dub. 4. difficult. 19.* nititur hæc sententia, eò quia in sacerdotali Romano tradatur modus celebrandi missam siccam, & Navarr. *miscel. 55. de orat. num. 127.* asserit sacerdotale Romanum fuisse approbatum à Leone X. Tum quia missa sicca nullo jure prohibetur, & ex eo, quòd celebretur satisfit devotioni fidelium, unde plurimum secum affert utilitatis, & nihil detrimenti. Alii tamen probabiliter putant, missam siccam non esse licitam, & huic sententiæ adhæret Pasqualigus *de sacrif. nov. leg. tom. 1. q. 234.* Sylvius *3. p. q. 83. art. 2. q. 2.* Eckius *art. 21. ad not. ad lib. oblat. Carolo V.* & revera missæ siccæ videtur obstare usus sacrarum vestium sacerdotalium, cùm istæ ab Ecclesia non adhibeantur nisi pro functionibus sacerdotalibus; quæ fiunt à sacerdote nomine Ecclesiæ, quatenus Sacerdos fungitur munere Ministri publici: & recitatio missæ siccæ non est functio, quæ fiat nomine Ecclesiæ, quia tametsi preces illæ fuerint institutæ ab Ecclesia, fuerunt tamen ita institutæ, ut non nisi propter oblationem sacrificii recitarentur: habentur enim ut partes disponentes, & præparentes ad ipsam oblationem sacrificii: sicut enim dispositiones sunt propter formam inducendam; ita & preces propter oblationem sacrificii: unde extra oblationem sacrificii non videtur licitum eas adhibere, quia destituuntur suo fine.

13 Tum quia Sacerdos extra oblationem sacrificii non potest illis uti, ut publicus Ecclesiæ minister, neque in virtute potestatis sacerdotalis, sed duntaxat ut persona privata potest illas recitare; perinde ac si laicus vestibus sacerdotalibus indutus missam siccam recitaret. Hinc intervenit quædam simulatio, & illusio Dei in ipso facto, cùm præmittantur, quæ ab Ecclesia fuerunt instituta ut præparatoria ad oblationem sacrificii, quod tamen non offertur.

Tum quia missa ficca, ut notat D. Thomas 2. 2. q. 93. *art.* 1. *in corp.* videtur potiùs redundare in superstitionem, quatenus importat cultum falsum. Tum quia cultus missæ siccæ est superfluus præter DEI, & Ecclesiæ institutionem, proinde sapit superstitionem: cùm enim orationes, & preces, quæ recitentur in missa ficca, fuerint ab Ecclesia institutæ, ut præparatoriæ, & dispositiones ad oblationem sacrificii; & extra oblationem non recitentur, ut taliter disponentes, & præparantes, utique recitantur contra institutionem Ecclesiæ: ex quibus putârim, hanc missam siccam non esse licitam. Hinc plures negant sacerdotale Romanum quoad missam siccam fuisse approbatum à Leone X. Tum quia nunc Ecclesia missam siccam non approbat in missali, nec in ejus rubricis, nec in alio ecclesiastico libro, nec in uſu Ecclesiæ. Neque obstat, quòd missa ficca non reperiatur prohibita ullo speciali jure, quia videtur prohibita ipso naturali jure ut contraria veritati Religionis. Hinc falsum est, adferre utilitatem; quia quod est contrarium veritati Religionis, nullam potest fidelibus utilitatem afferre.

34 Quæritur tertiodecimò, quænam missæ possint legi? Respondetur non posse legi, aut dici nisi illas missas, quæ sunt approbatæ à sede Apostolica mediante sacra rituum congregatione, adeo ut non possint in missa adhiberi, nisi illæ liturgiæ, quæ approbantur à sede Apostolica: siquidem tota operatio liturgica exhibetur Deo à celebrante nomine Ecclesiæ, perinde ac nomine ipsius offertur sacrificium: quo fit ut Sacerdos debeat ab eadem Ecclesia habere preces, & ritus, quibus nomine ipsius offerre valeat sacrificium, quòd si secus faceret, non nomine Ecclesiæ, sed proprio, & privato id ageret; & illæ preces non essent Ecclesiæ, sed personæ privatæ. Tum quia omnes hos speciales ritus expressè prohibuit de consensu sedis Apostolicæ sacra rituum congregatio: adeo ut Ecclesia removeat suam intentionem ab omni liturgia, quæ ab ipsa non fuit approbata: unde licèt Sacerdos legendo missam non approbatam offerret sacrificium nomine Ecclesiæ; non tamen preces recitaret nomine ipsius. Hinc Sacerdos in re gravi ageret contra prohibitionem: siquidem immutaret publicum cultum Dei, & sanctorum, & sibi usurparet jurisdictionem Ecclesiæ in ordine ad determinandum cultum publicum. Demum quia tales preces nullam haberent efficaciam, ratione Ecclesiæ offerentis, quia cùm Ecclesia illas prohibeat non censetur in ipsas consentire.

35 Quòd si dicas, antiquitus liturgias non fuisse approbatas à sede Apostolica. Respondetur tunc fuisse institutas, & approbatas ab ipsis Episcopis, quibus à sede Apostolica concessa fuit hujusmodi facultas: etenim liturgiæ primò cœperunt institui ab Apostolis, ut liquet ex liturgia S. Jacobi: postea ab Apostolis hæc eadem authoritas ad Episcopos dimanavit: deinde Ecclesia determinavit, quæ deberent in missis liturgiæ adhiberi, & omnes alias prohibuit, adeo ut nunc non sit amplius licitum uti liturgiis antiquis, quia cùm agatur de publico ritu tenentur omnes sacerdotes conformare se præsenti Ecclesiæ ritui; neque excusaretur à lethali, qui liturgiis non concessis uteretur, ut desumitur ex Bulla Pij V. præfixa missali, ubi Pontifex id prohibet *sub indignationis nostræ pœna*, cùm pœna sit gravis, supponit culpam etiam gravem.

Quæritur quartodecimò, an Episcopus possit in sua Diœcesi instituere officium, & missam de sancto canonizato sine licentia Pontificis. 36
Plures affirmant, eò quia possit Episcopus in sua diœcesi instituere etiam absque licentia Pontificis festum de quocunque sancto canonizato, ut desumitur ex Concilio Ticcinensi *c.* 1. ubi injungitur, quòd per singulas parochias eas festivitates debeat populus observare, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint, & ex Concilio Lugdunensi ut refertur in *c. Provinciarum de consec. dist.* 2. & docent Glossa *V. festivitates*, ubi id explicat de sanctis canonizatis, Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 11. *num.* 4. ex quo inferunt, posse itidem Episcopos absque nova licentia Apostolicæ sedis instituere in propriis Diœcesibus officium, & missam de sancto canonizato. Verùm contraria sententia vera est, & illi adhærendum: quia sacra rituum congregatio sub *die* 8. *April.* 1628. authoritate Urbani VIII. declaravit non posse Episcopos in suis diœcesibus nova officia, & novas missas instituere nisi de speciali licentia sedis Apostolicæ id ipsis concedatur. Tum quia obligatio recitandi horas canonicas emanat ab Ecclesia Romana, & reducitur ad legem universalem, quapropter pensum hujus quotidianæ obligationis tam quoad divinum officium persolvendum, quàm missam legendam solvi debet Ecclesiæ Romanæ, & juxta ritum ipsius, vel concessum ab ipsa: siquidem ad illam pertinet præscribere modum, & qualitatem solutionis sibi debitæ ratione obligationis, quas sacerdotes contraxerunt, eò ipso quòd fuerunt promoti ad ordinem sacerdotalem. Nec Episcopi possunt se immiscere rebus pertinentibus ad sedem Apostolicam substituendo unum officium recitandum pro alio. Hinc quamvis Episcopi de jure veteri potuerint in suis diœcesibus festa instituere, id tamen de jure novo est ipsis prohibitum, ut desumitur ex constitutione 164. Urbani VIII. §. 3. Præterea quamvis possent festa instituere ex consensu populi, non tamen officium, & missam: priùs enim fuit ipsis sublata facultas instituendi officium per Bullam Pij V. quàm iisdem tolleretur facultas instituendi festa: siquidem hæc facultas tantùm fuit ipsis sublata ab Urbano VIII. anno 1632. adeo ut plures effluxerint anni, in quibus poterant festa instituere, & non officium, scilicet à tempore Pij V. ad Urbanum VIII. & quia inconveniens est, quod celebretur festum alicujus sancti, & non officium, ideo non poterant nisi de consensu sedis Apostolicæ post Pium V. missas celebrare de sanctis.

Quia verò plures à sacra rituum congrega- 37
tione authoritate Pontificis emanârunt declarationes circa celebrationem missarum, & quæ inserviunt ad plura solvenda dubia, ideo operæ pretium duxi aliquot ejusdem congregationis

decreta

decreta hic adjicere. Miſſa pro defunctis ritu de requiem præſente corpore defuncti poteſt celebrari in dominicis, & feſtis, ita enim decrevit ſacra rituum congregatio *die* 22. *Maji* 1603. & in eodem decreto injungit, ut ſi quis in die paſchæ moriatur ejus corpus reſervetur in ſequentem diem ob reverentiam paſchæ ex rituali Romano Pauli V. Secundò decrevit, ut miſſa de annuntiatione B. Virginis non celebretur à feria 5. majoris hebdomadæ usque ad feriam 3. paſchæ incluſivè *die* 9. *Maji* 1606. Tertiò ut poſſint tolerari miſſæ de requiem in feſto duplici, quod non eſt de præcepto pro voluntate teſtatorum implenda *die* 1. *Septemb.* 1607. ubi obſervandum eſt, quòd non ad arbitrium vivorum, ſed ad adimplendam voluntatem teſtatorum poſſint miſſæ in feſto duplici de requiem tolerari. Quartò ut in altare privati oratorii, cui conceditur ex privilegio Apoſtolico celebratio miſſæ (exceptis ſolemnioribus feſtis) non poſſit celebrari in natali Chriſti Domini, Epiphania, paſchate, pentecoſte, annuntiatione, aſſumptione B. Virginis, in feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in feſto omnium Sanctorum *die* 17. *Novemb.* 1607. Quintò ut miſſæ defunctorum dicendæ certo die eo impedito transferantur in ſequentem *die* 27. *Septemb.* 1608. Sextò ut in paraſceve ſi incidat feſtum annuntiationis B. Virginis non teneantur fideles ad miſſam audiendam *die* 19. *Februar.* 1622. quia feſtum cum toto officio transfertur poſt paſcha. Septimò ut miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſint ab aliis legi etiam in ipſorum Regularium eccleſiis *die* 19. *Novemb.* 1622. Octavò ut qui habent onus celebrandi miſſam de roſario (exceptis Religioſis Dominicanis) poſſint aliam dicere de B. Virgine *die* 6. *Maji* 1623. Nonò ut in altari certis diebus privilegiato non poſſit in iisdem dici miſſa de requiem in feſto duplici de præcepto *die* 24. *April.* 1628. Decimò ut in diebus, quibus prohibetur fieri de feſto duplici, non poſſint dici miſſæ votivæ, neque de requiem *die* 28. *Auguſti* 1627. ſcilicet infra Octavas Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, in hebdomade majori, feria quarta cinerum, & in vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes. Undecimò ut miſſæ, quæ circumferuntur à ſacra rituum Congregatione non approbatæ S. Gregorii pro vivis, & defunctis. XV. Auxiliatorum de Patre æterno, & quæcunque aliæ iis exceptis, quæ permittuntur certis Regularibus tantùm, veluti Roſarii, S. Mariæ de Carmelo, & aliis non recitentur; & eas prohibuit, rejecit, & damnavit; & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit *die* 8. *April.* 1628. Verùm eadem ſacra congregatio poſtea declaravit per hoc decretum, non prohiberi miſſas XXX. pro defunctis à D. Gregorio inſtitutas *in dialog. c.* 55. Duodecimò, ut infra octavam corporis Chriſti non celebrentur miſſæ privatæ pro defunctis, ſeu de requiem *die* 5. *Auguſti* 1662.

TITULUS XXXXII.

De Baptiſmo, ejúsque effectu.

EGit Pontifex in titulo præcedente de Sacramento Euchariſtiæ, quo in ratione ſacrificii nihil poteſt eſſe majus *can. nihil.* 8 *de conſec. diſt.* 2. nunc congruè ſubjicit titulum de baptismo, ejúsque effectu, eò quia ſit cæterorum Sacramentorum fundamentum, & janua, per quam ſolam patet aditus in Eccleſiam *c. veniens inf. de Presbyt. non baptiz.* ſiquidem beneficio baptismi incorporamur Chriſto, cujus efficimur membra *can. quia paſſus* 36. *de conſec. diſt.* 2. Hinc Marcus Eremita vocat baptismum lavacrum regenerationis, quia per ipſum regeneramur ſpiritualiter, & ſicut nemo poteſt ſe ipſum generare, ita nec ſe baptizare, adeò ut debeat dari diſtinctio inter eum qui baptizat. & eum qui baptizatur.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SI QUIS* 1. *h. t. Alexander III. declarat quòd ſi omittantur illa verba* ego te baptizo *licet ter immergatur baptizandus, & dicatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non ſit baptismus.*

C. *DE QUIBUS* 2. *h. t. declarat idem Pont. quòd ſi dubitetur, an quis ſit baptizatus, debeat baptizari ſub conditione, hoc eſt, ſi non es baptizatus, ego te baptizo: ſi es baptizatus non te baptizo.*

C. *MAJORES* 3. *h. t. Innocentius III. declarat baptismum utiliter conferri parvulis; etſi actu non credant, nec intelligant, nec amment, quia remittit culpam originalem, & aperit Cælum. Rurſus declarat, baptismum ſucceſſiſſe circumciſioni, quæ non aperiebat Cælum, proinde dandum eſſe parvulis, ſicut olim circumciſo iisdem dabatur. Rurſus declarat, eſſe hereticum dicere eſſe ſervandam legem Moſaicam, & Evangelicam. Rurſus beneficio baptismi infundi parvulis virtutes: & peccatum originale, quia contrahitur ſine conſenſu, remitti etiam ſine conſenſu ex vi baptismi. Non ita peccatum actuale, quia hoc committitur cum conſenſu, & non relaxatur ſine conſenſu, ut in adultis qui ſi dormientes bapti-*

zentur, non juſtificantur. Rurſus ſi dormientes, & amentes baptizentur, & antequam dormirent, vel inſanirent, contradicebant; non recipiunt characterem baptismi, quia intelligitur propoſitum contradictionis in iisdem durare: ſin verò antea non contradixerint, ſed fuerint Catechumeni cum propoſito baptismi, tales ſi baptizentur, recipiunt characterem, quia non poſuerunt obicem.

C. *DEBITUM* 4. *b. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi quis ſe ipſum baptizaret infundendo aquam ſupra ſe, & diceret,* ego me baptizo *non eſſet baptismus, & eſſet iterum baptizandus, quia inter baptizatum, & baptizantem debet eſſe differentia: quia Chriſtus* Matth. 10. *dixit Apoſtolis:* Ite baptizate omnes gentes *& Chriſtum voluit baptizari: & ſicut in carnali generatione alius eſt, qui gignit, & alius qui gignitur; ita in ſpirituali, alius eſt, qui baptizat, & alius, qui baptizatur. Caterum qui ſe ipſum baptizaret, eò quia non haberet copiam alterius, & moreretur, ſalvus fieret propter fidem Sacramenti, non propter Sacramentum fidei, ſcilicet ſalvaretur ob Sacramentum in voto.*

C. *NON UT 5. b. t. Idem Pont. declarat, quod in quocunque caſu deſit in baptismo materia, vel forma non ſit baptismus.*

C. *LICET GRÆCOS 6. b. t. præcipitur Græcis ne baptizent, eos, qui ſuerunt baptizati à latinis ſub pœna excommunicationis, & depoſitionis ab officio, & beneficio: rurſus ut Græci non reputent coinquinata altaria ſuper quibus latini celebrârunt. Ubi notat Gloſſa, hoc facientes eſſe ipſo jure excommunicatos.*

IN CLEMENTINIS.

C. *PRÆSENTI unic. b. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi præcipit, ut Baptiſmus conferatur in eccleſiis, in quibus ſunt fontes ad id ſpecialiter deputati: & prohibetur, ne fiat in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, & tantùm excipiuntur duo caſus: niſi ſint filii Regum, vel Principum: ſecundò quando eſſet talis neceſſitas, ut ſine periculo non poſſet ad Eccleſiam duci.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Baptiſmus, & quotuplex.

BAptiſmus vox eſt græca ſignificans ablutionem, ſeu immerſionem in aquam, & tripartitur in Baptismum fluminis, flaminis, & ſanguinis: Baptismus fluminis definitur in Catechismo Romano eſſe *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*; & deſumitur ex Joan. 3. & ex D. Paulo ad Epheſ. 5. per particulam *regenerationis* diſtinguitur à reliquis Sacramentis præſertim veteris legis, quæ habebant vim juſtificandi animas. Additur alia particula *per aquam*, per quam diſtinguitur à reliquis Sacramentis novæ legis, ſimúlque exprimitur materia hujus Sacramenti, quæ eſt aqua non quælibet, ſed vera, & naturalis, ut deſumitur ex *c. non ut 5. b. t.* ſive aqua calida ſit, ſive frigida, hinc per aquam roſaceam, vel aliam ſtillatam validè non conferetur Baptismus, ut nec etiam per ſalivam, lachrymas, ſudorem, lac, vinum, aliúmque ſimilem liquorem deflectentem à natura aquæ naturalis juxta communem doctorum ſententiam.

2 Cur verò potiùs per aquam naturalem, quàm per aliam materiam conferatur Baptismus, plures pro aqua ſolent adferri rationes, quibus tres habentur in Catechismo Romano, quarum prima eſt: quia cum Baptismus ſit omnibus omnino ad ſalutem neceſſarius conveniens fuit, ut conferretur per aquam, quæ ubique locorum ſit obvia, eſtque omnibus communis, ac facilè ſine expenſa, ſine incommodo haberi poteſt. Secunda quia aqua naturalis aptiſſima eſt ad ſignificandum effectum baptismi: ſiquidem ut aqua ſordes abluit corporis, ita Baptiſmus maculas abſtergit animæ, delétque peccata. Tertia quia ſicut aqua corporibus refrigerandis idonea eſt: ita per Baptismum ardor cupiditatum maxima ex parte extinguitur. Addunt poſtremæ particulæ *in verbo vitæ*; quibus ſignificatur forma baptismi, eſtque verbum ſpirituale vivificans: quia aqua non ſanat niſi in illam deſcenderit Spiritus Sanctus, eámque ſuo delapſu conſecraverit, ut dicitur *in can. per aquam 9. de conſecrat. diſt. 4.* & hic Spiritus Sancti illapſus fit, quando accedente verbo ad elementum aquæ fit Sacramentum, ut deſumitur *ex c. ſi quis 1. b. t.* ubi Alexander III. aſſignat formam baptismi, & ait eſſe hanc: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* ubi notat Gloſſa, primum verbum *ego* non eſſe de ſubſtantia formæ, eò quia verbum illud baptizo faciat plenum ſenſum ſine illud *ego*; & etiam deſumitur ex *c. retulerunt. de conſecrat. diſt. 4.* Quòd ſi omitterentur illa priora verba *ego te baptizo*, licèt ter immergeretur baptizandus, & diceretur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* non conferretur Baptismus, ut expreſsè declaravit Alexander III. *in d. c. ſi quis 1. b. t.* Sin verò dubitaretur, an aqua eſſet vera aqua naturalis, non liceret extra caſum extremæ neceſſitatis, ea uti in baptismo, & deſumitur *ex c. de quibus 2. b. t.*

Quòd

3 Quòd ſi mors ita immineret, ut non poſſet expectari, donec deferretur vera aqua non dubia, poſſet baptizari moribundus in aqua illa dubia adhibendo tamen conditionem, qua Miniſter intendat baptizare, ſi aqua illa eſt materia ſufficiens, quia conditio non ponit quidquam ineſſe niſi purificetur, adeo ut quòd fit ſub conditione non fiat non purificata conditione *l. ſi quis ſub conditione ff. ſi quis omiſſ. l. cedere diem. ff. de V. S. l. ſi quis fundum ff. de contrab. empt.* & notant Romanus *conſil. 58. lib. 3.* ubi ait: Paria eſſe nihil fieri, & fieri ſub conditione, quæ non purificetur Bald. *conſil. 478. lib. 1.* ubi etiam aſſerit, quòd deficiente conditione, deficiat conditionatum, Flaminius *de reſignat. lib. 1. q. 14. num. 9.* ubi etiam docet, quòd non purificata conditione actus habetur pro non facto, unde quando intentio operantis alligatur alicui conditioni, hac non exiſtente habetur virtualis intentio non ponendi actum, qui propterea non ponitur niſi conditio purificetur.

4 Quamobrem quando Miniſter urgente mortis periculo baptizat in aqua dubia, eò quia non ſit alia certior, nec poſſit expectari, quia periculum ſit in mora, & adhibet illam conditionem ſi materia eſt ſufficiens volo baptizare, non ita ſi non eſt ſufficiens, non fit injuria Sacramento, quia nulla ei tunc irrogatur irreverentia: quia Miniſter non intendit baptizare ſi materia non ſit apta, proinde cum non intendat conficere Sacramentum ſine materia apta, non ponit Sacramentum; conſequenter nec ullam ei injuriam affert; quod non eſt, non poteſt eſſe capax injuriæ: eatenus irrogaretur injuria, quatenus adhiberetur materia dubia ad ipſum abſolutè conficiendum, ſed hæc non adhibetur, quia poſita conditione intentio reſtringitur ad materiam aptam, & ſufficientem, quæ ſi non adſit defectus ipſius reſolvit actum, & facit, ut non fiat *l. neceſſario §. 1. ff. de peric. & com. rei vend.* & *l. pecuniam ff. ſi. cert. pet.* & docent Tiraquel. *in l. ſi unquam verbo* Menoch. *conſil. 134. n. 30.*

5 Rurſus Baptismus fluminis poteſt bipartiri in eum, qui à Joanne fuit inſtitutus, & alium qui à Chriſto, & antonomaſticè intelligitur prolato nomine baptiſmi. Id intereſt diſcrimen inter Baptismum Joannis, & Chriſti, quia Baptismus Joannis non erat per ſe Sacramentum: ſed quaſi quoddam ſacramentale diſponens ad Baptismum Chriſti: qua ratione aliquo pacto ſeu diſpoſitivè, & præparativè pertinebat ad legem Chriſti, non verò ad legem Moyſis, ſecus Baptismus Chriſti fuit verum Sacramentum ab ipſo inſtitutum ad regenerandas animas in verbo vitæ. Secundò Baptismus Joannis cùm non fuerit Sacramentum novæ legis, non fuit inſtitutus, ut cœremonia permanens in ordine ad ſanctificandum per collationem gratiæ, ſed tantùm ad præparandos homines ad Baptismum CHRISTI. Secus Baptismus à CHRISTO inſtitutus ſanctificat, & confert gratiam, quâ delentur omnia peccata. Tertiò quia Baptismus Joannis non habuit vim conferendi gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis, quia ex humilitatis ſigno cùm quadam peccatorum confeſſione in generali, poterant baptizati à Joanne mediante auxilio actuali divinæ gratiæ elicere actum contritionis, & juſtificari: & baptismus Chriſti ex opere operato habet efficaciam ſanctificandi. Quartò quia Baptismus Joannis nullum imprimebat characterem, ac poterat iterari, perinde ac alii actus pœnitentiæ, fuit enim Baptismus pœnitentiæ: ſecus Baptismus Chriſti imprimit characterem, & non poteſt iterari. Quintò quia poſt Baptismum Joannis homines debuerunt neceſſariò ſciſcipere Baptismum Chriſti, quia per ſolùm Baptismum Joannis nondum erant regenerati, ſed tantùm diſpoſiti, & præparati, ut regenerarentur: ſecus per Baptismum Chriſti, homines regenerabantur. Sextò quia Baptismus Joannis, non fuit ſub præcepto, ſed tantùm in conſilio pro adultis, & durante tantùm tempore prædicationis ejusdem Joannis.

6 Cæterum conveniens fuit, ut Joannes baptizaret, ut docet D. Thomas *3. p. q. 38. art. 1. ad 1.* Primò quia oportebat, Chriſtum à Joanne baptizari, ut ipſum baptiſmum conſecraret, ut ait Auguſtinus *ſerm. 1. de Epiphan. tom. 10.* Secundò ut Chriſtus manifeſtaretur, hinc ipſe Joannes Baptiſta ait, *ut manifeſtetur* in Iſrael, ſcilicet Chriſtus, propterea veni ego in aqua baptizans: concurrentibus enim turbis ad Baptiſmum Joannes Baptiſta Chriſtum annuntiabat: quod faciliùs factum fuit, quàm ſi per ſingulos diſcurriſſet. Tertiò ut ſuo baptismo aſſuefaceret homines ad Baptismum Chriſti, hinc Gregorius *homil. 7. in evangel. ante med.* ait, quòd ideo Joannes baptizavit, ut præcurſionis ſuæ ordinem ſervans, qui naſciturum Dominum naſcendo prævenerat, baptizando quoque baptizaturum Dominum præveniret. Quartò ut ad pœnitentiam homines inducens, eos præpararet ad dignè ſuſcipiendum Baptiſmum Chriſti: hinc Beda ait quòd quantum catechumenis nondum baptizatis prodeſt doctrina fidei, tantùm profuit baptismus Joannis ante Baptiſmum Chriſti: quia ſicut ille prædicabat pœnitentiam, & Baptiſmum Chriſti prænuntiabat, & in cognitionem veritatis, quæ mundo apparuit, attrahebat: ſic Miniſtri Eccleſiæ primò erudiunt, poſtea eorum peccata redarguunt, & demum in baptismo Chriſti remiſſionem peccatorum promittunt.

7 Baptismus flaminis dicitur Baptismus pœnitentiæ, & contritionis, & ſortitur ſuam nomenclationem, eò quia fiat impulſu Spiritus S. qui dicitur flamen. Fit autem hic Baptismus in ſolis adultis habentibus uſum rationis, quia iſti tantùm ſunt capaces eliciendi actum contritionis. Tertius dicitur Baptismus ſanguinis, eſtque ipſum martyrium ſibi vendicans hoc nomen, eò quia efficiat effectum baptiſmi, cujus propterea vices ſupplet: unde ab effectu dicitur baptismus. Differunt autem hi tres baptiſmi primò ex parte ſuſcipientis, quia baptismus flaminis eſt tantùm adultorum, & alii duo baptiſmi etiam puerorum. Secundò ex parte effectus, quia Baptismus fluminis ſolus imprimit characterem, quem nullus alius Baptismus imprimit, quamvis martyrium det aureolam: Tertiò

tiò quia solus Baptismus fluminis est Sacramentum, non verò flaminis, & sanguinis. Demum quia Baptismus aquæ, & sanguinis remittit totum peccatum cum sua pœna, secus Baptismus flaminis non nisi juxta mensuram doloris, & contritionis pœnam remittit, licèt culpam auferat.

8 Quia verò in baptismo flaminis semper continetur votum suscipiendi Sacramentum, dubitari potest quale debeat esse hoc votum, & respondet D. Thomas *3. p. q. 68. art. 2. & q. 69. art. 4. ad 2.* sufficere votum implicitum ad justitiam, & gloriam; seu sufficere charitatem Dei super omnia, cum generali proposito servandi mandata, inter quæ unum est de suscipiendo Sacramento baptismi: hæc siquidem est sufficiens conversio hominis ad Deum; adeo ut non sit necesse speciatim descendere ad præcepta, quia cùm hæc sint valde multa, utique hominis justificatio retardaretur etiam post perfectum Dei amorem. Quòd si justificatus per solum actum contritionis decederet sine baptismo, & postea ad vitam revocaretur, utique teneretur Sacramentum baptismi suscipere: quia in ipsa contritione habuit votum saltem implicitum, & virtuale suscipiendi Sacramentum baptismi, quoties ei daretur occasio: neque hæc obligatio extinguitur per mortem in eo, qui ex morte ad vitam revocatur.

9 Hoc idem etiam procedit de Catechumeno, qui per martyrium fuit justificatus: si enim revocaretur post mortem ad vitam, teneretur Sacramentum baptismi suscipere; perinde ac teneretur ad peccata aperienda in confessione Sacramentali ille baptizatus, qui martyrium subiret in aliquo peccato mortali, quod ex inopia confessarii ante martyrium non potuit confiteri.

10 Cæterum baptismus est medium simpliciter necessarium ad salutem, ac remissionem peccatorum, & assecutionem æternæ gloriæ, ut fuit definitum in Conciliis Florentino, & Tridentino *sess. 7. can. 5. & sess. 5. can. 4.* quia cum omnes nascantur in peccato originali, ac filii iræ, indigent aliquo medio, quo liberentur à tali peccato, & jungantur Christo: & hoc medium est ipse Baptismus Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non introibit in Regnum Dei.* Immo est æquè necessarius Baptismus filiis infidelium, ac fidelium, ut definit Tridentinum *sess. 5. can. 4.*

11 Neque obstat, quòd parentibus fidelium sit jam originale remissum: quia per carnalem generationem transfunditur idem peccatum in filios, qui propterea eodem remedio indigent. Immo est etiam Baptismus necessarius necessitate præcepti, eò quia obliget adultos, ut quàm primum commodè, & dignè possunt Baptismum suscipiant, quia adulti differentes Baptismum, exponunt se periculo æternæ damnationis. Tum quia Baptismus non solùm in voto, sed etiam in re est necessarius: hinc tenetur Pater curare, ut filii, & domestici quàm primum baptizentur. Immo catechumenus tenetur sub mortali suscipere Baptismum oblata sibi opportunitate, quamvis per actum contritionis sit in statu gratiæ, eò quia Baptismus sit necessarius in re data opportunitate eum suscipiendi. Quinimò si ex speciali privilegio aliquis in utero matris sanctificaretur, adhuc teneretur sic sanctificatus recipere Baptismum exemplo Apostolorum, & Beatissimæ Virginis: quamvis Apostoli ante institutionem baptismi receperint gratiam, adhuc post promulgationem Evangelii tenebantur Baptismum suscipere, ut nimirum fierent capaces aliorum Sacramentorum, quorum janua est Baptismus, & ut signo characteris distingnerentur ab infidelibus, ut docet D. Thomas *q. 68. art. 2. & q. 73. art. 3.* unde quamvis Beata virgo fuerit plena gratia, adhuc tamen baptizata fuit, ut characterem susciperet baptismi, quo distingueretur ab aliis non baptizatis.

Quòd si probabile dubium occurrat, an 12
quis sit baptizatus, nec ne, is debet baptizari sub conditione, seu forma tali pacto expressa: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum es baptizatus: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut desumitur *exc. de quibus 2. h. t.* & hoc procedit sive dubium sit facti, seu reperiatur infans expositus sine ullo testimonio, vel indicio illum fuisse baptizatum: sive fuerit dubium juris, ut si quis fuisset baptizatus in nomine Christi tantùm, vel Trinitatis, non expressis tribus divinis personis. Idque etiam procedit, de aliis Sacramentis, quæ non possunt iterari.

§. II.

De subiecto, & Ministro Baptismi.

QUemadmodum olim in lege veteri circumcisio tam parvulis, quàm adultis necessaria erat ad salutem; ita etiam in lege Evangelica Baptismus, ut habetur *in c. majores 3. h. t.* ubi dicitur Baptismus utiliter confertur parvulis, licèt actu non credant, nec intelligant, nec ament, quia remittit culpam originalem, Cœlum aperit. Baptismus enim successit circumcisioni, quæ non aperiebat Cœlum, sicque dandus est parvulis. Rursus *in d. c. majores* dicitur hæreticum esse dicere, quòd sit servanda lex Mosaica, & Evangelica: & declaratur, quomodo parvulis unà cum gratia ipsis collata beneficio baptismi infundantur virtutes. Item per Baptismum remitti peccatum originale sine consensu parvuli, qui baptizatur, eò quia contrahitur etiam sine ejus consensu. Secus peccatum actuale, quia committitur cum consensu, non relaxatur sine consensu, ut in adultis, qui si dormientes baptizentur, non justificantur, & cum actuale peccatum eis non remittatur, ita nec ejus pœna, quæ est gehenna. Nec remittitur originale, cujus pœna est carentia visionis; alioquin qui torqueretur in gehenna Deum videret, & esset Beatus. Item qui terroribus, & suppliciis inductus, ne aliud detrimentum incurrat, suscipit Sacramentum baptismi verè baptizatur, recipitque characterem, & est compellendus ad observantiam Christianæ fidei, quia conditionaliter vult, licèt absolutè nolit, sicuti de eo, qui fictè accedit, & in

hoc

hoc ſenſu intelligitur Concilium Toletan. *c. de Judæis diſt. 45.* Secus qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit, & ſi baptizetur renuens, non erit baptizatus: ſicut qui contradicens, & reclamans compellitur violenter idolis thurificare, non eſt reus alicujus culpæ. Item ſi dormientes, & amentes baptizentur, & antequam dormirent, & inſanirent, contradicebant, non recipiunt characterem, nec baptizantur, quia propoſitum contradictionis intelligitur in iis perſeverare: ſin autem non contradicebant, ſed erant catechumeni cum propoſito baptismi, tales ſi baptizentur, ut Eccleſia conſuevit baptizare, recipiunt characterem, quia non poſuerunt obicem, & hæc omnia habentur in *d. c. majores 3. h. t.*

2 Quamobrem omnis, & ſolus homo viator nondum baptizatus tam parvulus, quàm adultus, eſt ſubjectum capax baptismi legis Evangelicæ; & deſumitur *ex c. ult.* Matthæi *euntes docete omnes baptizantes eos*: ſiquidem omnes homines ita à Deo creantur, ut capaces eſſe poſſint ſpiritualis ſalutis, & vitæ æternæ, & poſt promulgationem Evangelii ſalus æterna ordinariè non contingit hominibus ſine baptismo. Satyrus autem, vel genitus ex fœmina, & bruto; ſi prævaleat natura bruti non eſt capax baptiſmi, quia nec eſt homo, nec contrahit peccatum originale, quia hoc traducitur ex Adamo per virilem virtutem.

3 Sin autem dubitetur, an monſtrum homo ſit, eò quia habeat plura humana membra, & alia ferina, nec poſſit apparere, an in illo ſit anima rationalis, non debet baptizari niſi ſub conditione; ſi poſt adhibitam diligentiam adhuc remaneat dubium. Sin autem monſtrum generetur ex viro, & fœmina baptizari debet, quia tametſi membra ſint monſtroſa, adhuc ſunt humana, & corpus illud informatur anima rationali. Sin verò eſſent duo corpora unita in pectore, & ventre, & haberent duo capita, quatuor brachia, totidem pedes; deberet tunc baptismus conferri ſemel abſolutè, & iterum conditionatè, ſi dubitetur, an in tali corpore eſſent duæ animæ rationales, quòd ſi corpora eſſent diviſa deberet bis baptizari, ſeu utrique corpori deberet Baptismus conferri.

4 Cenſent plures, parvulos adhuc exiſtentes in utero matris non eſſe baptizandos, eò quia ſubjectum baptismi ſit homo natus, non enim poteſt quis per Baptismum renaſci, qui nondum corporaliter eſt natus. Tum quia parvulus exiſtens in utero matris non poteſt ablui, & non ſufficit ſi abluatur mater cum ſit perſona diſtincta à filio exiſtente in ejus utero; unde quamvis abluatur mater, non inde parvulus in ejus utero exiſtens dici poteſt ablutus.

5 Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis, præſertim ſi infans in utero periclitetur, & poſſit aqua ad ipſum aliquo modo pertingere, & hanc ſententiam docent Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 2. c. 3* D. Thom. *3. part. quæſt. 68. a. 11. in corp.* Ratio eſt quia ſi aqua pertingat ad infantem adhuc in matris utero exiſtentem, verè abluitur ejus corpus, unde ſi tunc profuratur fortima verè baptizatur, quia concurrunt omnia requiſita ad verum baptismum; etiam ex parte ſubjecti, quia infans ille verè eſt homo vivus conſtans corpore, & anima rationali. Neque obſtat quòd nondum ſit natus; duplex enim datur nativitas, una ex utero, quando infans ab illo egreditur; alia in utero, quando in illo concipitur: hæc enim propriè eſt etiam nativitas, quia tunc homo incipit vivere, contrahit peccatum originale, eſt filius iræ, unde *Matth. 1.* de Chriſto dicitur: *quod enim in ea natum eſt de Spiritu S. eſt.* Quando igitur dicitur, quòd qui non eſt natus non renaſcitur; intelligitur de eo qui nullo modo eſt natus: Cæterum ad Baptismum ſi infans periclitetur, & poſſit ablui aqua, ſufficit nativitas in utero.

Hinc ſi obſtetrix adeo perita foret, ut manu in uterum inſerta prolem poſſet aqua perfundere, & proferret veram formam baptismi, tunc talis parvulus validè baptizaretur, quia haberentur tunc omnia eſſentialia requiſita ad Baptiſmum, ſcilicet ablutio cum debita forma verborum, ut docent Suarez, Valentia, Coninck & plures alii, quos citat, & ſequitur Diana *tract. 1. miſcel. reſolut. 43. p. 2. & p. 5. tract. 3. reſol. 12.* Non verò quamdiu mater vivit, eſt ſcindenda, ut infans extrahatur, & baptizetur, tametſi mater ſit ob partum moritura. Matre verò jam mortua ſi proles in ejus utero exiſtens credatur vivere poteſt ſcindi, ut infans extrahatur, & baptizetur, ut docet D. Thomas *3. p. q. 68. art. 11. ad 3.* Sin autem mater geſtans in utero filium per ſententiam judicis damnetur ad mortem, differri tunc debet executio ſententiæ donec mater pepererit, dummodo ex mortis dilatione non immineat grave reipublicæ damnum, tunc enim cenſent nonnulli cum Filuccio *tract. 2. num. 139.* poſſe uterum matris ſcindi ut infans extrahatur, & baptizetur, eò quia id fiat ex juſta cauſa, & publica authoritate. Suarez tamen limitat hanc opinionem, & aſſerit tunc tantùm poſſe ad praxim reduci, quando affulget ſpes, ut infans non ſit moriturus. 6

Nemo tamen poteſt ſe ipſum baptizare, & deſumitur *ex c. debitum 4. h. t.* ubi dicitur, ſi quis ſe ipſum baptizaret infundendo aquam ſuper ſe, dicendo *ego me baptizo* non eſſet Baptiſmus, & deberet iterum baptizari: ratio eſt, quæ adducitur *in d. c. debitum*: quia inter baptizatum, & baptizantem debet eſſe differentia Matth. 28. *ite baptizate omnes gentes* &c. & Chriſtus voluit etiam baptizari. Tum quia ſicut in carnali generatione alius eſt qui gignit, & alius qui gignitur: ita in ſpirituali regeneratione oportet denuo nos naſci. Cæterum ſi aliquis ſe ipſum baptizaret, eò quia non haberet copiam alterius, ſi ſtatim moreretur propter fidem ſacramenti ſalvaretur, non propter Sacramentum fidei, ſeu ob ſolum Sacramentum in voto. Hinc non poteſt quis alium baptizare, nec de ſacro fonte levare; nec eſſe Pater ſpiritualis ipſius, niſi poſſit etiam eſſe Pater carnalis ejusdem, adeóque ſit major illo 18. annis, excedátque illum plena pubertate: ſicut enim adoptans debet eſſe major adoptato annis 18. §. *minorem inſtit. de adopt.* ita qui alium de ſacro fonte levat. 7

8 Non tamen patrinus levans alium è ſacro fonte requiritur ad ſubſtantia n baptismi, ſed tantùm ad ſolemnitatem, quia *in d. c. debitum 4. h. t.* ad ſpiritualem regenerationem requiritur tantùm alius baptizans. Præterea ſi quis ſe ipſum immergeret in aquam, & alius præſens diceret *ego te baptizo* non valeret Baptismus, quia eſt de eſſentia baptismi, ut ipſe miniſter, ſeu baptizans immergat, vel abluat baptizandum: alioquin non verificarentur verba illa, *ego te baptizo:* quia ipſe non immergeret, nec abluer et. Præterea *in c. non ut apponeres 5. h. t.* interrogatus Innocentius III. an parvuli ſint baptizati, quos in mortis articulo conſtitutos ex defectu aquæ, & ex abſentia ſacerdotis aliqui ſimplices adſtantes in capite, & pectore, & inter ſcapulas loco baptismi aſperſione ſalivæ liniverunt. Reſpondit Pontifex in quocunque caſu deeſt in baptismo materia, vel forma id eſt verbum, vel elementum non eſt Baptismus, quia ut ait Auguſtinus *accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: hinc infertur ſalivam, ſeu ſputum non eſſe materiam aptam baptismi.

9 Validè poteſt Baptismus conferri infanti ſine conſenſu parentum, ſi adſint omnia requiſita materia, & forma, & intentio Miniſtri. An verò etiam licitè conferatur talis Baptismus filiis infidelium invitis parentibus, Doctores procedunt cum diſtinctione, ſi filius utatur ratione, & petat Baptismum, licitè baptizatur etiam invitis parentibus: quia cùm ſit ſui juris in iis, quæ pertinent ad bonum animæ, habet jus petendi media neceſſaria ad aſſecutionem ſalutis: immo in dubio, an ſint ſeptennes, habeántque uſum rationis, debent etiam baptizari. Cæterum regulariter non eſt licitum, infantes infidelium invitis parentibus baptizare, niſi eſſent conſtituti in articulo mortis, vel fierent mancipia Chriſtianorum, quia tunc abſtrahuntur à cura, & poteſtate parentum. Ratio verò, cur non poſſint infantes infidelium licitè baptizari invitis parentibus, eſt, quia non poteſt id fieri abſque violatione juſtitiæ, quia parentibus etiam infidelibus ineſt jus, ſeu poteſtas in ſuos liberos, quo jure non poſſunt inviti ſpoliari. Tum quia id etiam cederet in ignominiam Religionis Chriſtianæ: ſiquidem infantes jam Deo per Baptismum conſecrati manentes apud parentes infideles exponerentur manifeſto periculo Apoſtaſiæ.

10 Verùm ſunt aliqui caſus, in quibus poſſunt licitè baptizari; primò ſi immineat periculum mortis, quia tunc ceſſat periculum perverſionis, & parentes cenſentur irrationabiliter inviti. Secundò, ſi alter parens annuat, ut filius baptizetur, & alius reluctetur, quia voluntas juſta præferenda eſt injuſtæ, præſertim in favorem prolis innocentis, fideique Chriſtianæ. Tertiò ſi infans natus ſit ex altero parente Chriſtiano, quia tunc parvulus natus ex uno parente Chriſtiano ex vi ſuæ originis ſubjicitur Eccleſiæ. Quartò etiam puer natus ex utroque parente infideli, ſi unus eorum poſtea convertatur ad fidem, quia filius ſequitur conditionem parentis converſi. Quintò ſi Filii infidelium perpetua laborent amentia, tunc enim eorum infantes etiam invitis parentibus ſunt baptizandi, alioquin carerent omni ſpirituali remedio, ſi nulla affulgeret ſpes, ut deberent pervenire ad proprium uſum rationis. Sextò ſi infans ab infidelibus parentibus juſtè, vel injuſtè abſtractus ſit, & ipſis non ſit ampliùs reſtituendus, quia tunc perinde cenſetur ſe habere, ac ſi patre, vel tutore careret, proinde ſuccedit Mater Eccleſia, ut prolem recipiat, baptizet, & inſtruat. Septimò Filii hæreticorum, Apoſtatarum à fide, & aliorum, qui Baptismum ſuſceperunt poſſunt abſtrahi à parentibus, & baptizari, ut docet D. Thomas *loc. cit. art.* 10. quia ſunt ſubditi Eccleſiæ. Filii tamen infidelium qui non ſunt ſervi, ſed tantùm tributarii, vel etiam vaſalli Principum Chriſtianorum, cujusmodi ſunt Judæi commorantes ex conceſſione Principum in pluribus civitatibus non poſſunt invitis parentibus baptizari, quia parentes Judæi in ſuos filios habent jus patriæ poteſtatis, quo abſque violatione juſtitiæ non debent privari; quòd ſi infideles juſto bello, vel alio titulo in ſervitutem reducerentur Chriſtianorum, tunc ſicut una cum libertate amittunt jura, & dominia, ita etiam jus patriæ poteſtatis; & hæc omnia jura acquiruntur illi Domino, à quo detinentur capti; idque jure gentium, quapropter deberet tunc Dominus Chriſtianus eorum filios baptizandos tradere, quia ſuccedit in locum perentum.

11 Quod verò ad Baptismum attinet adultorum, certum eſt, in hiſce triplicem eſſe neceſſariam diſpoſitionem, quarum prima eſt intentio actualis, vel virtualis recipiendi Baptismum: æquitas ſiquidem exigit, ut homo nõ niſi volens, & conſentiens, ſe pluribus ſubjiciat obligationibus: hinc ſi adultus non conſentiret baptizari, & invitus baptizaretur, non reciperet characterem *c. majores 3. §. item h. t.* Validus tamen eſſet Baptismus collatus dormienti, ſi antequam iret dormitum illum petierit. Idem etiam dicendum de furioſo, & amente, ſi habuit lucida rationis intervalla, & petiit Baptismum, tametſi poſtea in ipſa amentia reluctetur, conſultiùs tamen eſt differre collationem baptismi, donec amens uſui rationis reſtituatur, quòd ſi nulla affulgeret ſpes, & periculum mortis immineret, eſſet baptizandus ratione conſenſus præſtiti ante amentiam. An verò ad Baptismum ſufficiat conſenſus extortus metu etiam injuſtæ mortis incuſſo, probabilior ſententia docet, ſufficere, quia à quacunque cauſa extrinſeca hujusmodi conſenſus extorqueatur eſt ſemper à principio intrinſeco libero: quia nulla extrinſeca cauſa potis eſt tollere intrinſecam libertatem, niſi quæ in agendo eam prævenit, qualis non eſt vis, aut metus extrinſecè incuſſus.

12 Verùm quamvis talis conſenſus ex metu extrinſecùs illato extortus ſufficiens cenſeatur diſpoſitio ad ſuſcipiendum Baptismum, non propterea cenſeretur ſufficere ad ejus effectum, idque deſumitur *ex d. c. majores §. 3. h. t.* ubi Innocentius III. declaravit, quòd tunc Sacramentalis operatio characterem imprimit, quando obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem. Secunda diſpoſitio eſt fides ſupernaturalis; fieri tamen poteſt, ut baptizandus

non

non habeat fidem infuſam, & nihilominus recipiat Baptismum, & characterem, licèt non recipiat fidem, & gratiam, ut quando inſtructus ab hæretico habet intentionem recipiendi, quod fuit inſtitutum à Chriſto, quidquid illud ſit. Tertia diſpoſitio in adulto eſt dolor, qui procedat ex auxilio ſupernaturali de peccatis anteactæ vitæ, ſive talis dolor ſit contritio, ſive ſola attritio, eliciatúrque ex metu gehennæ: confeſſio ſacramentalis non requiritur, quia Baptismus eſt janua omnium aliorum Sacramentorum, adeo ut non ſit quis capax ſacramenti pœnitentiæ, niſi priùs fuerit baptizatus.

13 Ordinarius Miniſter baptismi eſt ſolus Parochus, & Sacerdos, quia cùm ſolus Sacerdos habeat poteſtatem in verum corpus Chriſti; etiam ipſe ſolus habet poteſtatem in ejus corpus myſticum. Hinc ſi aliquis non Sacerdos ſolemniter baptizaret, illicitè id ageret, quia ſibi uſurparet alienum officium. Ex commiſſione tamen Epiſcopi, vel proprii ſacerdotis accedente juſta, & rationabili cauſa poſſunt etiam Diaconi ſolemniter baptizare, & deſumitur *ex c. Diaconus. diſt. 93.* nunc verò id non eſt in uſu extra caſum urgentis neceſſitatis: tunc enim non ſolùm Diaconus, verùm etiam quilibet homo ſive vir, ſive fœmina, ſive fidelis, vel infidelis poteſt eſſe Miniſter hujus ſacramenti: quia cum Baptismus ſit Sacramentum ſummæ neceſſitatis, Chriſtus voluit pro Miniſtro hujus ſacramenti conſtituere quemlibet hominem habentem uſum rationis, ſive ſit paganus, ſive Judæus, ſchiſmaticus, hæreticus, facinoroſus, ut liquet ex variis canonibus *de conſecrat. diſt. 4.* dummodo iſti ſervent formam Eccleſiæ, & intendant facere, quod facit Eccleſia & ſpeciatim de hæretico definitum fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. c. 4.* Idque receptum eſt, ne quis ſine baptismo decedat, ut habetur *in can. conſtat. 19. de conſecrat. diſt. 4.* hinc etiam Pater in extrema neceſſitate, ſi mortis periculum immineat, poteſt proprium filium baptizare, nec ideo à matrimonio, vel copula uxoris arcetur *can. ad limina 30. q. 1.* Nemo tamen poteſt ſe ipſum baptizare ob diſtinctionem neceſſariò requiſitam inter baptizantem, & baptizatũ, ut colligitur ex pronomine *Te* in forma baptismi, & habetur *in c. debitum 4. h. t.* ubi Pontifex ait, quòd ſi quis ſe ipſum baptizaret, infundendo aquam ſupra ſe, dicendo, ego me baptizo non, eſſet Baptismus, ſed eſſet denuò baptizandus: & aſſignat etiam rationem, quia inter baptizantem, & baptizatum debet eſſe differentia.

14 Quinimò urgente neceſſitate etiam obſtetrices poſſunt baptizare, & ob hanc rationem tenentur addiſcere formam baptiſmi ſaltem vernacula lingua. Quicunque verò extra caſum neceſſitatis baptizat, ſi id ei non competat ex officio, peccat lethaliter: ut etiam Sacerdos ſi extra caſum neceſſitatis non ſolemniter baptizet. Ordo ſervandus in miniſtrando baptismo urgente neceſſitate eſt iſte, ut præſente viro fœmina non baptizet, nec vir laicus præſente clerico, nec clericus licèt Diaconus præſente Sacerdote, tametſi Sacerdos urbanitatis cauſa velit cedere. In Miniſtro baptismi quicunque ille ſit requiritur primò intentio baptizandi, nec ille validè baptizaret, qui ſolùm haberet intentionem jocandi: quòd ſi ſimul haberet intentionem jocandi, & faciendi id, quòd in miniſtratione baptiſmi facit Eccleſia, tunc validè baptizaret, quia finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam, ſi hæc habeatur. Secundò teneturMiniſter adhibere debitam materiam, & formam, eamque debitè applicare. Tertiò ut Sacerdos ſolemniter baptizans ſit in ſtatu gratiæ.

An verò perverſa Miniſtri intentio in conferendo baptiſmo ſuppleatur a Deo? Sententia 15
communis eſt negativa, eò quia ex nullo jure, vel promiſſione, aut neceſſaria ratione colligi poteſt, quòd perverſa intentio Miniſtri in collatione baptiſmi à Deo ſuppleatur. Unde tantùm piè poſſumus credere, Deum ob infinitam ſuam bonitatem ſupplere aliquo modo, ſcilicet quoad gratiam, eò quia facienti quod in ſe eſt ſoleat neceſſaria ſuppeditare pro aſſecutione æternæ ſalutis, non verò quoad impreſſionem characteris, id enim videtur docere D. Thomas *in 4. diſp. 24. q. 1. art. 2. q. 3.*

Præter Miniſtrum baptiſmi ſolent, & alii ad- 16
hiberi, ſcilicet ſponſores, qui patres luſtrici, & vulgò patrini, & matrinæ vocantur, vel ſuſceptores, aut levatores à fonte, quorum fide, & profeſſione parvuli, qui neſciunt loqui baptismum ſuſcipiunt *can. parvuli 64. diſt. 4.* De jure communi non niſi unus, ſive ſit vir, ſive Mulier poteſt de ſacro fonte ſuſcipere baptizatum *can. non plures 101. diſt. 4. c. fin. de cognat. ſpirit. in 6.* Vel ad ſummum unus, & una, ut ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.* Rurſus hi patres luſtrici, veluti proprii parentes tenentur baptizatum inſtruere in neceſſariis ad ſalutem, in ſymbolo, oratione dominica ſi proprii parentes id negligant, vel mortui ſint. Ab hac tamen ſuſceptione infantis in baptiſmo arcentur in primis hæretici, Judæi, infideles *can. in baptiſmate 102. diſt. 57.* Rurſus Abbas, Monachus, Monialis, & religioſa perſona *can. non licèt 103. can. Monachi 104. diſt. 51.* Immo regulariter prohibentur Pater, & Mater naturalis ſuſcipere proprios filios in baptiſmate, adeo ut non poſſint iſti eſſe patres luſtrici *can. penult. & ult. 30. q. 4.* Per hanc autem ſuſceptionem contrahitur cognatio ſpiritualis.

Rurſus Concilium Tridentinum *dict. ſeſſ.* 17
24. c. 2. ſtatuit, ut Parochus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter de electis patrinis interroget; & ne plures, quàm à Concilio determinatum ſit, admittat, poſtea in libro eorundem nomina deſcribat, eósque doceat, quam cognationem ſpiritualem contraxerint. Non tamen in hiſce patrinis requiritur certa aliqua ætas, ſed ſufficit, ſi ſint rationis capaces, fideles, catholici, & viri bonæ famæ, ut communiter docent apud Barboſam *de offic. Parochi p. 2. c. 17. num. 27. & ſequent.* Et quámvis in adoptione legali ubi agitur de hæreditaria ſucceſſione, requiratur, ut adoptans adoptatum plena pubertate, ſeu annis 18. præcedat §. *minorem. inſtit. de adopt.* in baptiſmo tamen id non procedit, quia eſt quædam regeneratio in Chriſto, in quo non differt maſculus à fœmina,

juvenis à sene, & ideo potest quilibet fieri Pater spiritualis alterius, si concurrat ad spiritualem ejus regenerationem juxta ritum Ecclesiæ. Quod verò ad nomen imponendum baptizando attinet, convenientius semper est, quod ex aliquo sancto mutuetur, hinc monet Barbosa *de offic. Paroch. p. 2. c. 17. n. 20.* ut Parochus hortetur patrinos, & deferentes infantem, ut illi nomen alicujus sancti imponant, cujus patrocinio vita baptizati tot inter mundi discrimina, humanósque casus sit commendata.

§. III.

De Effectibus, & ritibus Baptismi.

1 PRimarii effectus baptismi quinque recensentur, nimirum delere omnem culpam: remittere omnem pœnam peccato debitam: conferre gratiam justificantem: impertiri gratiam sacramentalem: & imprimere characterem. Certum est, ex Concilio Tridentino *sess. 5. can. 5.* Baptismum delere omnem culpam tam originalem, quàm actualem. Non tamen Baptismus fuit institutus ad remittenda peccata, quæ post susceptum Baptismum committuntur: alioquin præter Baptismum non esset necessarium aliud remedium, neque Sacramentum pœnitentiæ diceretur secunda post naufragium tabula: unde peccata, quæ post susceptum Baptismum committuntur, non remittuntur nisi per Sacramentum pœnitentiæ.

2 Secundus effectus est delere omnem reatum pœnæ, quapropter Concilium Florentinum statuit, ut recèns baptizatis non injungantur opera satisfactoria pro peccatis ante Baptismum commissa: quapropter si quis statim post susceptum Baptismum decederet absque impedimento, & obice, æterna statim donaretur gloria, quia plenissimè tunc applicatur Christi passio ad plenam remissionem totius pœnæ, ut notat D. Thomas 3. *p. q. 69. art.* 2. & hac ratione Apostolus *ad Roman. 6. & ad Ephes. 4.* ait, hominem per baptismum mori cum Christo. Non tamen per Baptismum tolluntur pœnalitates in hac vita, quæ sunt effectus peccati originalis, ut concupiscentia inordinata, ægritudines torquentes, dolores affligentes, & mors, idque, ut homo se exerceat ad luctam, pugnámque spiritualem cum merito fidei, ut victor splendidiorem accipiat coronam. Tollit tamen Baptismus pœnas quasdam jure humano constitutas cujusmodi sunt irregularitates ob delictum, & homicidium voluntarium, non autem quæ oriuntur ob bigamiam, vel defectum natalium, ut desumitur ex *c. una, & ex c. deinde dist. 26.* Ratio cur tollatur omnis macula peccati, & reatus pœnæ ex ipso profectus, est, quia homo per Baptismum regeneratur, totúsque innovatur, adeo ut fiat novus homo.

3 Tertius effectus est conferre gratiam justificantem, & alias virtutes supernaturales, & dona, quæ gratiam consequuntur, dummodo non adsit obex ex parte suscipientis, ut declaratur in Concilio Tridentino *sess. 7. c. 6. & sequent.* & docet D. Thomas 3. *p. 69. art.* 8. Hæc autem gratia sanctificans omnibus pueris de lege ordinaria confertur in gradu æquali: secus adultis confertur inæqualiter juxta mensuram majoris, vel minoris dispositionis.

4 Quartus effectus est character, ratione cujus non potest Baptismus iterari, si semel ritè collatus fuerit, quia est indelebilis, ut declarat Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 9.* imprimitur autem hic in substantia animæ, & per ipsum distinguitur fidelis ab infideli, & baptizatus fit aptus ad recipienda alia Sacramenta.

5 Quintus effectus est, conferre gratiam sacramentalem: est autem hæc gratia specialis habitus distinctus ab ipsa gratia sanctificante, eò quia non conferatur nisi in susceptione baptismi, & est, vel ipsa justitia baptismi, quatenus secum adfert remissionem culpæ, & pœnæ: vel aliquod majus auxilium, quo homo frequentiùs, & vehementiùs excitatur ad superandum fomitem concupiscentiæ, & ad exercenda ea munera, ad quæ Baptismus obligat.

6 Effectus secundarii baptismi à D. Thomâ *3. p. q. 69. art. 7.* tres præcipui recensentur, quorum primus est apertio januæ cœlestis, & hic effectus sequitur ex eo, quòd Baptismus deleat omnem culpam, & ejus reatum, sic enim tollitur impedimentum, & cœli janua patet. Secundus est conjunctio hominis cum Christo, quatenus per Baptismum homo incorporatur Christo, fitque ejus membrum, & per hanc conjunctionem homo baptizatus illuminatur, ac repletur spiritualibus donis. Tertius est subjicere hominem juristdictioni Ecclesiæ, adeo ut baptizatus quicunque ille sit teneatur Ecclesiæ præcepta servare, quia in ipsa susceptione baptismi implicitè promittit obedientiam Ecclesiæ.

7 Non tamen Baptismus semper hos omnes producit effectus, quando actualiter confertur, etenim ut docet Sanctus Augustinus *lib. de baptis. c. 14.* & cum ipso D. Thomas *3. p. q. 69. art. 10.* per fictionem impertitur effectus gratiæ & tunc Baptismus cum actu confertur imprimit tantùm characterem, non verò confert gratiam sanctificantem, eò quia adsit obex in suscipiente, quo impeditur infusio gratiæ, quam baptismus tunc tantùm confert, quando postea recedit fictio, ut si adultus baptizetur cum actuali complacentia peccati mortalis, tunc simul suscipit Baptismum, & lethaliter peccat: hæc complacentia dicitur fictio impediens infusionem gratiæ, quia non possunt simul cohærere peccatum lethale, & gratia sanctificans; unde Baptismus tunc imprimit tantùm characterem, qui potest cohærere cum peccato; non verò ipsam gratiam sanctificantem, quæ tunc tantùm accedit ex vi baptismi suscepti, quando recedit fictio, quia proprius effectus baptismi est regenerare, remittere originale, & mortalia commissa ante baptismum: hæc enim ita conveniunt baptismo, ut à nullo alio Sacramento præstari possint, & hac ratione Baptismus dicitur medium necessarium ad regenerationem, & remissionem originalis: quapropter recedente fictione debent hæc præstari à baptismo jam suscepto, & cujus propterea effectus tunc tantùm accedit, quando recedit fictio, quæ tripliciter potest contingere. Primò cùm accedit absque intentione suscipiendi

endi Sacramentum & tunc Baptismus eſt nullus, & non imprimit characterem, quia perinde ſe habet, ac ſi non eſſet; & quod non eſt, nullum poteſt ponere effectum. Secundò cùm quis baptismum ſuſcipit cum complacentia peccati venialis, & hæc propriè non eſt fictio, proinde non impedit effectum characteris gratiæ ſanctificantis, & aliorum donorum: quia hæc omnia poſſunt ſimul cohærere cum ipſa complacentia peccati venialis. Tertiò cùm quis ſuſcipit baptismum cum complacentia peccati mortalis, vel cum actuali voluntate committendi poſt baptiſmum ſuſceptum homicidium, & hæc propriè dicitur fictio, quæ tametſi non impediat impreſſionem characteris, impedit tamen infuſionem gratiæ ſanctificantis, & aliorum donorum ſupernaturalium.

8 Qui Baptiſmum ſuſcipit ſine prævia intentione, ſeu voluntate non ſuſcipiendi, debet iterum baptizari, quia prior baptismus defectu intentionis fuit irritus. Qui verò baptiſmum ſuſcepit cum prævia intentione, ſed ſine attritione, & fide, ſatisfacit ſi auferat obicem, & defectum attritionis, & fidei, qui commiſſus fuit in ſuſceptione baptiſmi, dummodo baptismum bona fide ſuſceperit: qui verò baptiſmum ſuſcepit mala fide, & cum fictione vera, quæ dicitur cum peccato lethali; ut tollatur fictio neceſſaria eſt poſt baptiſmum ſuſceptum contritio, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ, tunc recedente fictione Baptiſmus producit omnes illos effectus, quos in actuali ſuſceptione non produxit ob obicem in ſuſcipiente: quia ipſa fictio commiſſa eſt poſt Baptiſmum, ut etiam alia peccata: conſequenter non poſſunt per Baptiſmum deleri, ſed tantùm per Sacramentum pœnitentiæ, & quia unum peccatum non deletur ſine aliis, ſequitur non poſſe baptiſmum delere peccata commiſſa ante ejus ſuſceptionem, niſi etiam deleantur peccata commiſſa in ſuſceptione baptiſmi, & poſt ejusdem ſuſceptionem: quando enim per Sacramentum pœnitentiæ delentur peccata commiſſa in baptiſmo, & poſt illum, baptismus ſimul delet omnia peccata in adulto commiſſa ante baptiſmum, & producit omnes ſuos effectus ſupernaturales, eò quia recedet fictio.

9 Quando baptiſmus publicè, ac ſolemniter confertur; aliquot in illo ſervantur cæremoniæ. Primò baptizandus dat nomen, poſtea examinatur, deinde abrenuntiat operibus Sathanæ, fidem profitetur, & à ſacerdote ſigno crucis, exorciſmo, exſufflatione, manuum impoſitione, & ſacra unctione linitur. Poſtea lingua ſale, & nares, & aures ſaliva tanguntur, & toti corpori indicitur abſtinentia. Quando verò ſacro myſterio imbuitur, nomen imponitur, tum aquæ perfunditur: & poſt Baptiſmum datur oſculum pacis, & inungitur chryſmate, & baptizatus geſtat cereum accenſum, induitque candidam veſtem, & lac unà cum melle delibat: ſervantur hæ cæremoniæ in publico, & ſolemni baptiſmo adultorum, quia infantibus ea tantùm adhibentur, quæ per ætatem licent. Omittere præcenſitas cæremonias, quæ ab Eccleſia in adminiſtratione ſolemnis baptiſmi ſolemn adhiberi peccatum eſt grave, cum agatur de re gravi pertinente ad Religionem, & quæ cum ſummo zelo cuſtoditur ab univerſali Eccleſia, unde Auguſtinus *lib.* 19. contra Fauſtum *c.* 11. ait: *Impiè contemnitur, ſine quo non poteſt pietas perfici*: & quia per prætatas cæremonias perficitur cultus divinus, & myſterium Sacramentorum, ideo impium eſt, eas contemnere.

Quinimò ſi quis pluries eas omitteret abſque legitima cauſa, ſuſpectus foret de hæreſi, quia indicaret ſe conſentire in hæreſim rejicientem has cæremonias, & quam damnat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *can.* 13. *de ſacram. in genere.* Non tamen hujusmodi cæremoniæ ſunt de neceſſitate Sacramenti: unde D. Clemens *lib.* 7. *conſtit. Apoſtol. c.* 23. ait: *ſi non fuerit oleum, neque unguentum chryſmatis, ſatis eſt aqua*, ſunt tamen neceſſariæ de neceſſitate præcepti, unde ſolùm urgente neceſſitate poſſunt omitti, ut liquet ex praxi in baptiſmo privato: & tunc ſunt poſtea ſupplendæ ſolemnitates prætermiſſæ, & deſumitur *ex c. hanc regulam. c. Spiritus 8. §. Ecce* 1. *q.* 1. *c. cum veniſſent. init. de ſacra unctione c. Presbyter de ſacramen. non iter.* in hiſce textibus habetur, quòd cæremoniæ, quæ in adminiſtratione Sacramentorum omiſſæ ſunt, debeant ſupplieri: & quidem ſub culpa gravi; quia cum præfati textus præcipiant, ut ſupleantur cæremoniæ, & ſolemnitates, quæ in adminiſtratione Sacramentorum imprimentium characterem fuerunt omiſſæ, & Sacramenta fuerint valida, ſignum eſt, hanc obligationem ſupplendi omiſſas cæremonias eſſe ſub culpa gravi, quia cum hujusmodi cæremoniæ non ſint neceſſariæ ad valorem Sacramenti, non eſſent repetendæ, quando ex neceſſitate, vel etiam negligentia omiſſæ eſſent, niſi aliquid grave eſſent. Idque etiam infertur ex praxi, quæ eſt optima legis interpretatrix, ut notant Baldus *in c.* 1. *de feud. ſine culp. non amitten.* Natta *conſil.* 167. *num.* 7. Quinimò ea eſt vis praxis, & conſuetudinis, ut etiam jus conſtituat *l. de quibus ff. de leg. l. nulli ff. quod cujus univer.* & omnes fideles cenſent adeſſe obligationem gravem ſupplendi præfatas cæremonias, quæ propterea ab omnibus ſupplentur. 10

Idque ex eò etiam evinci poteſt, quia in baptiſmo ſuſcipitur fides Chriſti, & baptizatus fit membrum vivum Chriſti, incorporatúrque Eccleſiæ: quæ omnia licèt quoad ſubſtantiam habeantur per baptismum validè collatum, non tamen habetur publica incorporatio in Eccleſiam, neque acceptio in corpus myſticum Chriſti, nec publica fidei profeſſio facta coram Eccleſia, ut in baptiſmo requiritur, & deſumitur ex D. Dionyſio *c.* 2. *de eccleſiaſt. hierarch. clement. Roman. lib.* 7. *conſtit. c.* 41. Cypriano *lib.* 1. *epiſt.* 6. Ambroſio *lib.* 1. *de ſacrament. c. ult.* quia igitur omittere has cæremonias perinde foret, ac omittere publicam incorporationem in Eccleſiam, & publicam fidei profeſſionem, quæ in præfatis cæremoniis continetur, ideo eſſet omittere aliquod grave, ſeu publicam illam profeſſionem Religionis. 11

Quinimò non ſolùm ſolemnitates, ſed etiam exorciſmi ſuppleri debent, quia exorciſmus 12

ex natura ſua ordinatus eſt ad expellendum dæmonem, unde tot titulis expelli poteſt, quot poteſt homines invadere: ſed poteſt invadere non ſolum obſidendo, ut in arreptitijs, & inhabitando per peccatum; verùm etiam aggrediendo per tentationes, & inſidias mediis concupiſcentiis inſurgentibus contra rationem: at quando quis juſtificatur per Baptismum, quia non extinguitur fomes, & adhuc remanent concupiſcentiæ inordinatæ: licèt per baptismum quoad ſubſtantiam expellatur dæmon quoad inhabitationem per peccatum; non tamen expellitur quoad dominium tentandi, & nectendi inſidias mediantibus cupiditatibus, unde cum exorciſmi poſt baptiſmum adhibiti ordinentur ad expellendum dæmonem, ut inſidiatorem. Sunt exorciſmi etiam poſt privatum baptismum adhibendi.

13 Quamobrem ritus, licèt accidentales, non ſunt omittendi ſub culpa gravi ex genere ſuo, quamvis aliquando parvitas materiæ poſſit à mortali excuſare. Hinc graviter etiam peccat, qui ſolemniter baptizat in aqua non benedicta, ut etiam extra Eccleſiam ſine neceſſitate, quia in *clement. 2. præſenti unic. h. t.* præcipitur, ut baptiſmus conferatur in eccleſiis, in quibus ſunt fontes ad id ſpecialiter deputati, & prohibetur, ne fiat in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, & excipiuntur tantùm duo caſus; primò niſi ſint filii Regum, vel Principum: ſecundò quando eſſet talis neceſſitas ut ſine periculo non poſſet ad Eccleſiam duci; & qui ſecus facere præſumpſerit, vel ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, injungitur; ut ab Epiſcopo ita caſtigetur, ut alii id attentare non ampliùs præſumant. Ubi notat Gloſſa, nomine Principis intelligi Magnatem comparandum regiæ dignitati, & vult hoc decretum non extendi ad Marchionem, Comitem, Ducem, Baronem, nec ad Tyrannos licèt ſint in regia poteſtate. Ratio itidem eſt, quia invertere ordinem cæremoniarum, ut hæ poſtponantur baptismo, cùm deberent ex inſtituto Eccleſiæ præcedere, cenſetur gravis materia.

14 Rurſus neque licitum eſt extra neceſſitatem adhibere in baptismo chryſma præcedentis anni. Nihilominus apud Indos poſſunt Religioſi miſſionarii uti oleo ſancto, & chryſmate antiquo usque ad quatuor annos, cum in partibus illis infidelium non poſſit facilè novum oleum, & balſamum haberi: idque ex indulto Gregorii XIII. referente Rodriquez. *tom. 1. quæſt. regul. q. 31. art. 5.* Quòd ſi baptismus fuerit cum debitis ſolemnitatibus invalidè adminiſtratus, conſultiùs, & probabiliùs eſt, eſſe tunc unà cum baptiſmo etiam repetendas ſolemnitates: ſiquidem deſtructo ſubjecto, deſtruitur etiam accidens, & ſublato fundamento corruit res fundata, & cæremoniæ illæ omnes fundentur in ipſo baptiſmo, intuitu cujus fuerunt inſtitutæ.

§. IV.

Exhibentur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an ſi neceſſitas urgeat poſſit baptiſmus conferri per aſperſionem? Reſpondetur affirmativè cum D. Thoma 3. *p. q. 66. art. 7.* quia aſperſio ſi fiat cum liquore ordinato ad abluendum eſt vera ablutio, habétque effectum ablutionis, ſeu mundandi; qua ratione in ſcripturis mundatio tanquam effectus tribuitur aſperſioni. Levit. 14. *v. 51. aſperget domum ſepties, purificabitque eam* Numer. c. 19. *aſpergetur ex hac aqua die tertio & 7. & ſic mundabitur*, Pſalm. 50. *aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor*: quamobrem cum aſperſio ſit vera ablutio, ſi fiat cum liquore ordinato ad abluendum poterit urgente neceſſitate adhiberi in baptiſmo, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, quia neceſſitas quando urget, facit ut licitum ſit, quod aliàs non eſt in uſu. Præterea plures cenſent, hunc modum baptizandi per aſperſionem fuiſſe adhibitum ab Apoſtolis *Act. 4.* quando una die dicuntur baptizâſſe 5000. tametſi non deſint, qui cenſeant fuiſſe omnes illos baptizatos per effuſionem aquæ, vel immerſionem.

2 Verùm modus iſte baptizandi per aſperſionem cum non ſit uſitatus in Eccleſia, non eſt adhibendus niſi urgente extrema neceſſitate, & tunc aqua verè debet abluere baptizandum. Aliqui cenſent poſſe hunc modum uſurpari ad evitandam contagionem, quia tametſi Miniſter tunc parum diſtet, adhuc cenſetur præſens, & ejus actio phyſica applicativa lotionis ſupponitur pertingere ad baptizandum, & illum abluere.

3 Quæritur ſecundò, an ad validitatem baptiſmi requiratur, ut ablutio fiat in capite? Reſpondetur, quòd tametſi conſultiùs ſit, ut fiat in capite utpote in parte principaliori, ratione cujus totus homo cenſetur ablutus: nihilominus ſi non poſſit commodè fieri in capite, ſufficit, ſi fiat in quacunque parte corporis, ut docet Gloſſa *in c. propriè ver. trium millium de conſecrat. diſt. 4.* Panormitanus *in c. debitum 4. h. t.* Innocentius ibidem. Ratio etiam id ſuadet, quia quoties intervenit materia ſufficiens ad verificandam formam Sacramenti, tunc poſita materia, & forma ponitur Sacramentum: atqui facta ablutione in quacunque corporis parte, ponitur materia ſufficiens ad verificandam hanc formam *ego te baptizo*, quia tunc verum eſt, quòd Miniſter abluat baptizandum, proinde ſi nil aliud deſit baptismus eſt validus, quantum eſt ex parte materiæ.

4 Tum quia quando ſubjectum eſt aptum ſecundum quamlibet ſui partem ad recipiendum integrum effectum formæ, & ſecundùm alias partes non dicit aliquid, quod opponatur tali effectui, tunc in quacunque parte applicetur materia ſufficiens recipit denominationem à forma, quæ profertur, quia tunc non requiritur niſi quòd actio agentis introducat formam: & quælibet pars corporis humani eſt ſuffi-

ſufficiens ad recipiendam formam ablutionis, nec quoad ſe habet aliquid quod reſiſtat effectui formali, ac denominationi ablutionis: quapropter ſi hæc fiat in quacunque minima parte, ſemper verificabitur forma, & homo dicetur ablutus.

5 Tum quia materia in Sacramentis, ita correſpondet formæ, ut ſimul cum ipſa ordinetur mediante ſignificatione ad cauſandum effectum Sacramenti; conſequenter ſufficit ſi materia talis ſit, ut poſſit conjungi cum forma ad ſignificandum effectum Sacramenti: & eo ipſo quòd materia conjungitur cum forma, conſurgit hoc integrum Sacramentum: & quia in Baptiſmo quælibet ablutio in quacunque minima parte corporis poteſt conjungi cum forma ad ſignificandam ablutionem; ideo habetur totum quod eſt neceſſarium, ut fiat conjunctio cum forma in ordine ad ſignificandam internam ablutionem, proinde ponitur Baptiſmus.

6 Quæritur tertiò, an poſſit infans baptizari adhuc involutus in pelle ſecundina. Quamvis plures cenſeant poſſe in ſecundina urgente neceſſitate baptizari, eò quia talis pellis pertineat ad parvulum ut pars ejusdem. Nihilominus communior, & verior ſententia eſt, talem Baptiſmum non ſortiri ſuam validitatem, quia pellis ſecundina, ut notat Riolanus *lib. 1. anthropographiæ c. 2.* & alij Anatomici eſt involucrum ordinatum à natura ad conſervationem fœtus exiſtentis in utero matris, ne lædatur præſertim ab urina emiſſa à fœtu, quapropter ex vi nativitatis hæc ſecundina pellis debet à fœtu abjici, tanquam aliquid extraneum, quod non pertinet ad ejus integritatem. Hinc quamdiu hæc ſecundina non abjicitur à fœtu, hic non dicitur perfectè natus, cum adhuc ſit in aliqua parte involucri uteri, & cùm aqua non poſſit tunc corpus tangere, neque poteſt infans ablui, nec Baptizari: alioquin ſi infundatur aqua ſupra infantem incluſum in ſecundina non abluitur infans, ſed ſecundina tantùm poſtea abjicienda: quamobrem nec Baptiſmus eſt validus: neque ſecundina eſt pars ipſius parvuli cum ex vi nativitatis ſit ab eodem abjicienda; unde eſt potius pars uteri materni, & involucrum, in quo continetur fœtus. Quòd ſi periculum eſſet in mora, & aliqua pars ſecundinæ eſſet tenuior, ut aqua poſſet penetrare ad abluendum infantem, tunc eſſet hic Baptizandus in illa parte, quia ſi aqua penetret, & abluat corpuſculum parvuli, verè tunc baptizatur: quapropter Sacerdos poſſet tunc baptizare ſub conditione ſi aqua abluat infantem, tunc enim ceſſat periculum irreverentiæ. Immo cum opinio contraria quòd poſſit baptizari etiam in ſecundina propugnetur à pluribus Doctoribus, ſitque opinio probabilis, poſſet Sacerdos urgente neceſſitate etiam baptizare ſub conditione ſi abluere ſecundinam ſufficiat, quia tunc etiam ceſſat periculum irreverentiæ.

7 Quæritur quartò, an obſtetrices teneantur ſcire formam baptiſmi? Reſpondetur affirmativè, & quidem ſub culpa gravi, quia obſtetrices ex præcepto charitatis tenentur baptizare infantem ſi mortis periculum immineat: ſiquidem hæc obligatio afficit quemcunque reſpectu uniuscujusque: & quia obſtetrices aſſiſtunt infanti, quando editur in lucem, & tunc poſſit infans periclitari, ideo tenentur obſtetrices ſcire miniſtrare Baptiſmum pro quovis neceſſitatis caſu, ne infans defectu Baptiſmi privetur æterna gloria: quinimò hæc obligatio videtur annexa officio obſtetricis, ut accellaria principali obligationi, quam ſubit: aſſiſtere enim infanti exeunti è matris utero eſt officium proprium obſtetricis: & quia tunc poteſt infans periclitari, ideo neceſſariò ad officium obſtetricis ſe habet, ut ſciat Baptiſmum miniſtrare, ſi infans tunc periclitetur, & non adſit alius, à quo baptizetur: hinc eo ipſo quòd fœmina munus aſſumit obſtetricis, ſecum etiam trahit tanquam accelſoriam obligationem miniſtrandi Sacramentum Baptiſmi, ſi neceſſitas urſerit.

8 Neque obſtat, ſi dicas, infantem eſſe tunc ſub cura obſtetricis tantùm quoad corpus, non verò quoad ſalutem animæ. Contra eſt, quia quisque ex præcepto charitatis tenetur ſuccurrere ſuo proximo non ſolum in temporalibus; ſed multo magis in ſpiritualibus: & quia obſtetrices munus aſſumunt aſſiſtendi parvulis exeuntibus ex utero matris, aſſumunt etiam obligationem ijſdem ſuccurrendi in ſpiritualibus; ſi tunc periclitentur, & neceſſitas urgeat; quia parvulus cum non poſſit ab alio baptizari, cum non adſit, & periculum ſit in mora, ſi ab obſtetrice non baptizaretur, decederet ſine baptiſmo, & excluderetur à cœleſti gloria: quamobrem hæc obligatio baptizandi parvulum urgente neceſſitate, licèt unicuique conveniat ex charitate, obſtetrici tamen competit ratione officij. Hinc Parochi tenentur monere obſtetrices obligationis, quâ obſtringuntur ſciendi formam Baptiſmi, & modum baptizandi pueros, cum ratione officij teneantur procurare ſalutem animarum ſpectantium ad propriam curam.

9 Quæritur quintò, an ſi parvulus eſſet in tali periculo conſtitutus, ut Baptiſmus eſſet illi acceleraturus mortem, adhuc eſſet Baptizandus? Tametſi difficulter poſſit contingere quòd baptiſmus ſit infanti mortem acceleraturus cum poſſit miniſtrari ſine effuſione aquæ, vel in merſione, ſed cum levi aſperſione, & aqua itidem tepefacta, nihilominus quia nonnunquam poſſunt tales occurrere circumſtantiæ, ut baptiſmus dicatur parvulo accelerare mortem. Quæritur an non obſtante hac acceleratione adhuc poſſit parvulus baptizari, ne decedat ſine baptiſmo? Reſpondetur affirmativè; quia quando concurrunt duo bona, ſi ambo non poſſint haberi, ſaltem illud eligi debet, quod eſt majus: & hic concurrunt duo bona perquàm inæqualia, ſcilicet ſalus ſpiritualis, & corporalis parvuli; & illa non poteſt obtineri ſine collatione baptiſmi; & dubium eſt, an poſſit haberi, ſi tunc non conferatur baptiſmus, & ex alio capite periculum imminet, ne decedat ſine baptiſmo; proinde ſalus ſpiritualis, cum ſit majus bonum, debet neceſſariò præferri etiam cum totali jactura ſalutis corporalis: ſiquidem ſubeunda potiùs eſt mors, quàm ſalutem æternam perdere

ſicut

ſicut generatim tenemur parati eſſe potiùs mori, quàm Deum graviter offendere. Tum quia poteſt quis velle baptizari, quamvis inde ſibi mortem accelleraret; quia poteſt quis procurare proprium commodum; quamvis inde ſequatur per accidens damnum alterius, quia tunc tale damnum eſt præter intentionem *l. 1. §. denique Marcellus, & l. in ſumm. idem habeo. & l. ſi in meo, & l. vicinus ff. de aqua pluv. arc.* ſed tenetur quisque diligere proximum ſicut ſe ipſum *Matth.22. Diliges proximum tuũ ſicut te ipſum:* Ergo poteſt perinde procurare bonum proximi, ſicut proprium: & ſicut poteſt ſibi procurare baptiſmum etiam cum accelleratione mortis, ita urgente neceſſitate poteſt proximum baptizare, quamvis inde accelleraretur eidem mors: quia ſalus ſpiritualis proximi eſt præferenda ſaluti corporali ejusdem, ut docet D.Thomas *2. 2. q. 26. art. 5.*

10 Quæritur ſextò, an miniſter incurreret irregularitatem ſi baptizans parvulum ex ablutione ei mors accelleraretur. Reſpondetur negativè; quia irregularitas non incurritur niſi delicto, vel defectu lenitatis, quando contrahitur ex eo quòd mors ſequatur: ſed tunc non incurritur irregularitas ex delicto, quia nullum adeſt peccatum, cum poſſit miniſter licitè baptizare parvulum, tametſi ex baptiſmo ei mors accelleretur, dummodo non intendat illi damnum ullum adferre, nec talem mortis accelleracionem; ſed tantùm conferre baptiſmum ob illius æternam ſalutem, quia tunc mortis accelleratio ſequitur præter intentionem, & tantùm per accidens; & quamvis miniſter ob aliquam negligentiam fortaſſis peccaret venialiter, ad huc non incurreret irregularitatem ex delicto; quia negligentia venialiter culpabilis non ſufficit ad contrahendam irregularitatem, ut habetur *in cap. Quæſitum de pœnit.* ubi declaratur taxativè, clericos eſſe irregulares ſi ipſis procurantibus, aut ſtudiosè negligentibus filij fuerint oppreſſi: atqui ſtudiosè negligere importat negligentiam craſſam, & voluntariam, proinde mortaliter culpabilem. Tum quia irregularitas quando contrahitur in pœnam delicti eſt pœna graviſſima, cum inhabilitet ad ordines, & beneficia; & ordinatos privet executione ordinis: pœna graviſſima in jure canonico non imponitur niſi ob peccatum mortale; unde cum negligentia miniſtri non ſupponatur niſi venialiter culpabilis, non poteſt per ipſam miniſter incurrere irregularitatem. Ut neque ex defectu lenitatis; quia non incurritur hæc irregularitas in homicidio privato, quòd ſit à perſona privata; ſed tantùm in homicidio ex authoritate publica, & à miniſtris concurrentibus ad illud, ut docet Covarr. in Clement. *Si furioſus part. 2. §. 4. n. 9. ver. ex his de homicidio* ubi diſtinguit homicidium privatum à publico, & ait in homicidio, quod ſit à privata perſona nunquam habere locum irregularitatem niſi adſit etiam culpa homicidij: quia irregularitas à jure imponitur tantùm perſonis publicis, quæ ut concernentes judicium concurrunt ad homicidium.

11 Quæritur ſeptimò, an validus ſit Baptiſmus ſi urgente neceſſitate baptizandus projiciatur in fluvium, vel puteum? Certum eſt, omnem priùs adhibendam eſſe induſtriam, ut è flumine vel puteo hauriatur aqua, demittendo per funem veſtem; vel per filum Strophiolum, ex quo aqua exprimatur, qua perfundatur baptizandus. Quòd ſi nullo modo poſſit aqua hauriri; & neceſſitas urgeat ob periculum in mora, eò qui baptizandus ſit jam jam acturus animam; quæritur an validè baptizetur ſi projiciatur in flumen, vel puteum & cum primũ incipit mergi proferatur forma baptiſmi. Duę ſunt ſententię, quarũ prima docet, talem baptiſmum fore validum; eò quia tunc interveniant omnia eſſentialiter requiſita ad verum baptiſmum, ſcilicet materia, & forma; habetur enim vera, ac Phyſica ablutio per aquam, eò quia corpus immergitur realiter in aquam: validè ſiquidem confertur baptiſmus etiam per immerſionem, quâ dum aqua fluit per corpus, hoc verè abluitur; unde ſi tunc pronuncietur forma; habentur omnia requiſita ad validitatem baptiſmi: neque neceſſe eſt, ut ad immerſionem ſequatur emerſio; quia ad baptiſmũ ſufficit ſola ablutio, quæ habetur per ſolam immerſionem; tunc habetur ablutio, quando aqua attingit corpus. Docent hanc ſententiam Panormitanus *in cap. non ut apponeres 5. n. 4. l. 1.* Suarez *3. p. diſp. 20. de Sacram. ſect. 3.*

12 Nihilominus contraria ſententia aſſerens, talem baptiſmum non fore validum mihi videtur probabilior, & eam docent Scotus *in 4. diſt. 5. quæſt. 3.* Pasqualigus *in Theoria & Praxi q. 34.* & plures alij relati ab eodem. Ratio eſt quia materia proxima baptiſmi eſt applicatio aquæ ad abluendum, adeo ut ita aqua à baptizante applicetur corpori baptizandi, ut ipſum abluat; & hæc applicatio aquæ debet talis eſſe, ut moraliter, ſeu in communi hominum æſtimatione cenſeatur eſſe vera ablutio. Sed cum quis projicitur in fluvium, vel puteum non intervenit hæc ablutio; quia ex eo quòd quis projiciat lapidem in fluvium, non dicitur velle illum abluere ſaltem in hominum æſtimatione. Tum quia illa projectio in fluvium, vel puteum non eſt per ſe ablutio cum poſſit haberi projectio ſine ablutione, ut ſi in puteo non eſſet aqua; vel ſi projectus in fluvium impediretur ab aliquo ligno, vel ſaxo, quo minus attingeret aquam; haberetur tunc projectio in puteum, vel fluvium ex intentione projicientis ſine ablutione; ex quo liquet, illam projectionem non eſſe ex natura ſua ablutionem; alioquin ſemper eſſet ablutio. Tum quia projectio illa in fluvium, vel puteum ex natura ſua potius ordinatur ad occidendum: unde ſi cum tali projectione conjungatur forma baptiſmi non poteſt confici Sacramentum; quia forma non verificatur, cum non ſignificet ablutionem; ſiquidem actio, quam tunc miniſter exercet non eſt ablutio, ſed homicidium ex natura ſua, & forma baptiſmi ſignificat actionem, quam miniſter exerceti qua propter forma non poſſet verificari, eſſetque falſa. Hinc ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ patet ſolutio: ſcilicet non haberi omnia requiſita, eò quia deſit materia proxima baptiſmi, ſcilicet ablutio, ut oſtenſum eſt, quia

illa

illa projectio ex natura ſua non eſt ablutio, ſed homicidium.

13 Neque obſtat, quòd cùm corpus attingens aquam fluvij, vel putei dicatur ablui, eò quia tunc aqua fluat per partes corporis: nam hujusmodi ablutio tantùm per accidens ſequitur ad illam projectionem, quæ ex natura ſua non eſt ablutio. Tum quia ablutio ut ſit materia proxima baptiſmi, debet immediatè provenire ab ipſo miniſtro, qui per ſe infundat aquam in corpus baptizandi, vel illud immediatè aſpergat aqua, vel propriis manibus immediatè immergat in aquam, tunc enim verificatur forma illa *Ego te baptizo*: hinc actio miniſtri debet talis eſſe, ut per ſe, & ex natura ſua inferat ablutionem paſſivam; adeo ut debeat eſſentialiter eſſe actio ex natura ſua ablutiva; & projectio baptizandi in puteum, vel flumen non eſt ex natura ſua ablutiva, ſed interfectiva.

14 Quæritur octavò, an ſi mulier prægnans ſit brevi moritura poſſit licitè ejus uterus ſecari, ut infans periclitans baptizetur. Cenſent plures, poſſe tunc uterum mulieris prægnantis brevi murituræ ſecari, eò quia agatur de ſalute ſpirituali fœtus periclitantis in materno utero: hæc enim ſalus æterna utpote ſpiritualis præferri debet brevi ſpatio vitæ matris; cujus mors cum ſupponatur brevi, & certò ſecutura, non eſt habenda in conſideratione exigua ejus acceleratio, quando agitur de ſalute ſpirituali infantis, ita docent Rodericus à Caſtro *lib. 4. de morb. mulier. q. 3. in ſchol.* Duvallius *lib. de Hermaphrod. & partub. c. 24.* Varandæus *lib. 2. de morb. mulier. c. 7.* & alij quos citat Raynaudus *de ortu infant. contra natur. c. 7. n. 2.* Ratio itidem pro hac ſententia eſt, quia in tali caſu ſectio uteri non eſt abſolutè occiſio, ſed tantùm abbreviatio vitæ matris: atqui licitum eſt, abbreviare propriam vitam ob aliquod bonum proprium ſpirituale: ergo erit etiam licitum propter bonum ſpirituale infantis ſecare uterum matris morituræ: ſiquidem tenemur proximum diligere ſicut nos ipſos. Tum quia ex duobus malis debet minus eligi; & minus malum eſt brevis acceleratio mortis matris, quàm æterna infantis damnatio: conſequenter in hoc caſu eligenda eſt abbreviatio illa vitæ, ne æternùm infans damnetur.

15 Nihilominus contraria ſententia ut probabilior, & verior tenenda eſt, nimirum non eſſe licitum ſecare uterum matris; quamvis aliàs ſit brevi moritura ad extrahendum, & baptizandum infantem, ut docent Pasqualigus *in Theoria, & praxi. q. 37. n. 3.* Coninck *3. p. q. 68. art. 7. dub. 1. n. 75.* Raynaudus *de Ort. infant. contra natur. c. 7. n. 3.* ubi aſſerit, eſſe ſententiam communem. Ratio: quia ſectio uteri mulieris prægnantis adhuc viventis ex ſua natura eſt vera occiſio, cum fiat per media violenta ordinata per ſe ad tollendam vitam: etenim ſive mulier prægnans ſit brevi moritura, ſive adhuc longo tempore duratura, ſemper per talem ſectionem privatur propria vita: proinde illa ſectio ex natura ſua cùm adhibeatur violenter eſt ordinata ad inferendam mortem: atqui actio, quæ violentam adfert mortem eſt ex ſe illicita, ſi exerceatur in perſonam innocentem, conſequenter nunquam poteſt licitè exerceri. Neque obſtat, quòd ex tali ſectione ſequatur bonum ſpirituale infantis; quia ut ſcribit Apoſtolus *ad Roman. 3.* non ſunt facienda mala, ut inde bona eveniant: hinc etiam propter ſalutem ſpiritualem infantis nunquam eſt licitè eligenda violenta ſectio materni uteri, quia perinde eſſet ac malum facere, ſeu matrem occidere, ut eveniret bonum, ſeu ſalus infantis, quod ex Apoſtolo nunquam eſt licitum.

16 Quòd ſi dicas, talem ſectionem non eſſe occiſionem directè, ſed tantùm indirectè, ex eo quia adhibeatur in remedium pro ſalute infantis. Contra eſt, quia ſi propriè velimus loqui talis ſectio non poteſt dici remedium: quia hoc deberet ex natura ſua ordinari ad ſalutem infantis; & ſectio uteri ex natura ſua ordinatur ad interfectionem matris, proinde ſi adhibeatur, nequit aliter adhiberi, quàm ut actio interfectiva matris. Quinimò etiam ſi mater conſentiret in ſectionem proprij uteri, ut extraheretur infans, & baptizaretur, adhuc talis ſectio non foret licita, quia mulier prægnans non eſt Domina propriæ vitæ *l. liber homo. ff. ad legem Aquil.* neque poteſt aſſentiri in ſectionem illam proprij uteri: alioquin aſſentiretur propriæ neci.

17 Neque obſtat, quòd poſſit quis alienam ſalutem ſpiritualem præferre propriæ vitæ. Quia id tantùm procedit, quando ſit aliquid directè in ſe licitum, cui tantùm indirectè eſt annexa amiſſio vitæ: non ita quando directè aſſumitur amiſſio propriæ vitæ ob ſalutem ſpiritualem, quæ inde ſequitur: quia hoc perinde eſſet, ac fieri mala, ut inde oriantur bona, quod ex Apoſtolo non eſt licitum. Hinc ad rationem, qua nititur prior ſententia, reſpondetur, tunc tantùm abbreviationem vitæ eſſe licitam ob bonum proprium ſpirituale, quando indirectè ſequitur ex aliquo bono concernente ſpiritualem utilitatem, quia tunc abbreviatio vitæ propriè non eſt volita, ſed tantùm permiſſa. Ad id quòd addebatur quod ex duobus malis minus ſit eligendum reſpondetur id procedere, quando concurrunt duo mala culpæ, quorum alterum ſit neceſſariò incurrendum, non verò in caſu noſtro, ubi cum malo culpæ, ſeu occiſione innocentis concurrit malum pœnæ, ſeu damnatio infantis: & malum pœnæ eſt ſemper minus malo culpæ; proinde retorquendum eſt potiùs argumentum. quia eſſet potiùs eligenda æterna infantis damnatio, quæ eſt malum pœnæ, quàm occiſio matris, quæ eſt malum culpæ.

18 Neque obſtat, quòd ſi mulier prægnans damnata ſit ad mortem poſſit ejus uterus ſecari, ſi fœtus periclitetur. Nam eſt diſpar ratio, quia fœmina prægnans debet ex vi juris mortẽ ſubire, proinde quòd ei ſecetur uterus non ſit contra jus, ſed potiùs juxta jus, nec matri eripitur vita injuſtè, ſi in ea ſectione moriatur, quia jam damnata eſt ob delicta ad mortem ſubeundam. Tum quia illa ſectio non eſt occiſio innocentis, ſed tantùm nocentis, & mulieris, quæ meretur mortem; adeo ut illa ſectio ſit potiùs executio juſtitiæ. Verùm in hoc caſu ſectio illa uteri computanda eſſet matri pro pœna mortis, adeo ut

si è tali sectione evadat, non teneatur ampliùs mortem subire, ne ultra condignam pœnam subjiceretur etiam sectioni uteri, quod est contra justitiam, nisi delicta essent adeo enormia, & flagitia ita plura, ut præter illam sectionem mereretur alias pœnas. Rursus talis sectio fieri debet authoritate publica, quia ab eadem commutatur tunc pœna mortis in illam uteri sectionem.

20 Quæritur nonò, an matris mortuæ uterus secari possit, ut fœtus periclitans possit baptizari? Certum est, ut docet Cornelius Gemma *lib.2.* Cydogn. *c.6.* posse infantem mortuâ matre supervivere aliquo tempore in ejus utero, quia cùm fœtus in utero matris habeat propriam vitam, licèt dependentem à vita matris, non tamen hæc dependentia est tanta, ut non possit fœtus supervivere aliquo tempore mortua matre. Tum quia ut notat Laurentius *lib.8.Anatom. c. 7. q. 26.* fœtus in matris utero non habet respirationem, sed tantùm transpirationem, & inde probat posse superstitem vivere mortua matre saltem per aliquod tempus. Tum quia plura ab ijsdem congeruntur exempla, in quibus mortua matre, & secto ejus utero infans inde vivus extractus est. His præsuppositis respondetur, uterum mortuæ matris prægnantis esse necessariò secandum, ut fœtus extrahi possit, ac baptizari, ita enim communiter docent cum D. Thoma *3.p.q.60. art. 11. ad 3.* & desumitur etiam ex jure *l.posthumus. ff. de inoffic. testam. & l. si ergo V. idem est. ff. de publ. in rem act. & l. quod dicitur. ff. de liber. & posth.* Ratio etiam hoc idem suadet; quia tunc ex tali sectione nullum infertur damnum matri cum jam mortua sit, quapopter illa sectio non est homicidium, nec per illam ulla infertur matri injuria: & ex alio capite urget præceptum charitatis, ut baptizetur infans; & quia præceptum hoc non potest tunc servari, nisi per sectionem matris mortuæ, debet hæc sectio necessariò assumi tanquam medium ad observantiam præcepti charitatis.

21 Quæritur decimo, an possint amentes, furiosi, & sensibus destituti baptizari, si unicus tantùm testis asserat, eos petiisse baptismum, cùm essent sui compotes? Respondetur probabiliùs affirmativè cum Glossa *in c. is qui. 26. q. 6.* Felin. *in c. veniens 1. n. 8. de test.* Pasqualigo *in Theoria, & prax. q. 60.* quia tunc præsumitur testis verum dicere, eò quia non agitur de ejus interesse, sed potiùs de illius gravissimo damno si mentiretur ob gravamen quod inferret propriæ conscientiæ: esset enim impium, & sacrilegum tunc mentiri, quia mentiens causa esset, ut baptismus invalidè conferretur: & quia voluntas non potest malum velle, nisi alliciatur ab aliquo bono, quod prævaleat: & in tali casu testi non possit occurrere bonum prævalens tali mendacio; non potest rationabiliter præsumi quòd mentiatur. Tum quia quisque præsumitur bonus etiam in dubio, donec probetur malus *c. dudum & c. fin. de præsumpt.* ut notat Menoch. *lib.5 præsumpt. 3. n. 15.* Cùm igitur agatur de favore animæ minister baptismi potest initi dicto unius tantùm testis.

Quinimò si testis Christianus assereret, amentem ante amentiam petiisse Baptismum, & Judæus id negaret; si periculum esset in mora, esset amens baptizandus, ut notat Glossa *in c. cum itaque de consecrat. dist.4.* quia Judæus tunc præsumitur ita testificari in odium Religionis Christianæ, & ut ille sine baptismo decedat, quinimò licèt testis dubitaret, an moribundus antequam destitueretur sensibus, petierit baptismum, adhuc juxta probabiliorem sententiam esset baptizandus; quia tunc dubium inducit saltem aliquam probabilitatem, moribundum petiisse baptismum: Testis enim sive dubius, sive certus facit semper aliquam assertionem, quæ in ijs, quæ concernunt pietatem, & charitatem proximi, & non pertinent ad interesse ullius, fundat aliquam probabilitatem: quâ stante potest minister baptismum sub conditione conferre, nimirum si sensibus destitutus illum petierit, vel etiam de præsenti illum fortassis desideret: tunc enim apposita conditio præservat Sacramentum à quacunque irreverentia, & ex alio capite consulitur saluti proximi.

Quæritur undecimò, an si publicus usurarius petat baptismum, & antequam usuras relinquat sensibus destituatur, possit licitè baptizari? Communior responsio est, posse validè baptizari, dummodo non retractaverit priorem voluntatem, eò quia pœnitentia requisita in suscipiente Sacramentum Baptismi juxta illud *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, non est dispositio necessaria, ut validè suscipiatur baptismus, sed tantùm ut dignè ille recipiatur, & cum fructu, seu purgatione à peccato; ut docet D. Thomas *3.p.q.68. art. 4.* eò quia pœnitentia anteactæ vitæ necessaria sit ad inchoationem novæ, ut docet D. Augustinus *lib. de pœnit. c.2. tom.9.* Hinc si constaret, infidelem adultum non pœnitere anteactæ vitæ, non posset Minister Christianus licitè illi baptismum ministrare, quia indignè illum susciperet, scilicet in statu peccati, & cum fictione, quæ poneret obicem gratiæ sanctificanti. Tum quia per baptismum unusquisque Christum induit, seu gratiam sanctificantem suscipit, fitque membrum Christi, ut ait Apostolus *ad Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & non potest quis Christum induere, si retineat affectum peccandi, ait enim idem Apostolus 2. *ad Corinth. 6. Quæ participatio cum iniquitate.*

Hinc si qui baptismum petijt, perseveret in peccato publico, quod non retractaverit, nec reliquerit occasionem talis peccati antequam inciderit in amentiam, non potest licitè baptizari: quia ut docet D. Thomas *3.p.q.68. art.12.* incidentes in amentiam judicandi sunt secundùm ultimum terminum usus rationis: unde si secundùm ultimum terminum, qui incidit in amentiam, non fuit dispositus ad suscipiendum baptismum, neque censendus est dispositus in amentia. Cæterum qui postquam petijt baptismum, adhuc perseverat scandalosè vivere, & in illo scandalo destituitur sensibus, valde probabile est, quòd possit baptizari, immò ex doctrina

ſtrina D. Auguſtini *de adulterin. conjugib. lib. 1. c. 28.* ubi expreſsè ait, quòd ſi catechumeni, qui perſeverant in adulterinis conjugiis ita corripiantur morbo, ut ſenſibus deſtituantur, debeant baptizari, eò quia obtingere potuit, ut tantùm intenderint perſeverare in tali ſcandalo uſque ad tempus baptismi, & proinde quòd tunc eos pœniteat peccatorum, quamvis extrinſecùs non poſſint ſigna prodere pœnitentiæ: ait Auguſtinus *lib. 1. cap. 28. Ego non ſolùm alios catechumenos, verùm etiam ipſos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvos eorum in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec per ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut hoc etiam peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortaſſis adulterinæ conſuetudinis illecebra uſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri?* Docet Auguſtinus, ſtante probabiliter debitæ diſpoſitionis, & præcedente voluntate de baptiſmo non retractata poſſe ſenſibus deſtitutum baptizari, quod veriſſimum puto, ſaltem ſub conditione, ſi ex parte baptizandi adſint omnia requiſita.

24 Quæritur duodecimò, an infidelis etiam cùm imminet mortis periculum debeat priùs inſtrui in fide, quàm eidem conferri baptismus? Certum eſt, infideles eſſe priùs inſtruendos in fide, quàm baptizandos cùm Chriſtus Matth. ult. dicat, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, adeo ut hæc inſtructio præmittenda ſit de jure divino, & ex vi inſtitutionis Chriſti, & deſumitur etiam *ex c. ante baptiſmum, & ſequent. de conſecrat. diſt. 4.* & ratio etiam eſt, quia talis inſtructio eſt neceſſaria ex natura rei: ſiquidem cum in baptismo fiat profeſſio fidei, tenetur baptizandus quando eſt capax, ea ſcire, quæ profitetur. Quòd ſi periculum immineat mortis, ut in naufragio, tunc procedendum eſt cum diſtinctione: ſi ſuperſit tempus explicandi quocunque modo fidei articulos, adhuc debet inſtructio hæc præmitti, cùm ſit de jure divino, & Chriſti inſtitutione. Sin verò non ſuperſit tempus, & mortem ſubiturus petat baptismum, debet illi conferri, quia tunc præſumitur ſcire, quod petit, & quod jam ſufficienter inſtructus ſit in fide: vel ſaltem quòd velit ſuſcipere baptismum eo modo, quo Chriſtus ipſum inſtituit, & Eccleſia miniſtrat; & ea omnia credere, ac profiteri, quæ Eccleſia docet. Id ſufficere docet D. Thomas *3. p. q. 68. art. 8. ad 3.* & ratio eſt, quia tunc baptizandus ſaltem implicitè cognoſcit fidem, quam profiteri debet: & accedente baptismo, in quem liberè conſentit profitetur extrinſecè fidem Trinitatis: ſiquidem in forma baptismi invocantur explicitè tres perſonæ divinæ, proinde ſemper aliqua inſtructio ſita ſaltem in cognitione confuſa fidei, & propoſita ab Eccleſia præcedit baptismum. Cæterum ſi ſuperſit tempus debet baptizandus explicitè inſtrui, tametſi periculo ſe exponat mortis, ut ſi peſtis graſſaretur: quia tunc poteſt baptismus miniſtrari eo modo, quo fuit à Chriſto inſtitutus, mediante

prævia inſtructione noſtræ fidei, quæ inſtructio eſt de jure divino præmittenda.

TITULUS XXXXIII.

De Presbytero non Baptizato.

QUia Pontifex in præcedenti titulo egit de baptiſmo, ejúsque effectu, & explicuit, eſſe Baptismum januam, per quam infideles ingrediuntur Eccleſiam, fiúntque capaces aliorum Sacramentorum, quorum non baptizati non ſunt capaces; ideò in præſenti titulo ponitur caſus de Presbytero non baptizato, an licitè & validè ſuſceperit Sacramentum Ordinis, & Innocentius III. *in c. ſiquis* 1. *h. t.* declaravit, Presbyterum non baptizatum eſſe baptizandum, & debere iterum Sacramentum ordinis ſuſcipere. Ratio eſt, quia cum baptismus ſit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, & ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipiatur ullum aliud Sacramentum, ut deſumitur *ex c. veniens* 3. *h. t.* ideo apertè colligitur, quid ſtatuendum ſit de Presbyteris non baptizatis; ſcilicet illos non ſuſcipere characterem ordinis, proinde eſſe baptizandos, & iterum ordinandos.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SI QUIS 1. h. t. Innocentius III. declarat, quòd ſi Presbyter cognoſcatur non fuiſſe baptizatus, debeat baptizari, & iterum promoveri ad ordines. Quia baptismus eſt janua, per quam ſolã patet aditus ad eccleſiam; & eſt fundamentum, quo innituntur cætera omnia Sacramenta eccleſiæ, quæ ſine baptismo non poſſunt ſubſiſtere.

C. APOSTOLICAM 2. h. t. Idem Pont. reſcribit Epiſcopo Cremonenſi, Presbyterum non baptizatum, ſi moriatur, ſalvari; quia perſeverantia in fide, & confeſſione Chriſti, ut etiam baptismus in voto, quando non poteſt ſuſcipi re ipſa ſolvit peccatum originale ex SS. Auguſtino, & Ambroſio: ſic poſſumus offerre ſacrificia, & preces

preces in ecclesia pro illo. Hinc ob baptismum in voto salvatur quis ob fidem Sacramenti, non ob Sacramentum fidei.

C. *VENIENS 3. b. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Ferrariensi, quòd licèt aliqui putaverint, non baptizatum, si ordinetur, accipere characterem; quia si non per Sacramentum fidei, saltem per fidem Sacramenti fiat membrum Christi, habens in se fundamentum, seu Christum; præsertim quia sine sacramento baptismi possit sumi sacramentũ conjugij; proinde etiam ordinis. Attamen quia Concilium determinat oppositum* in c. si quis Presbyter eod. *tanquam tutius; ideo presbyter non baptizatus est iterum baptizandus, ac ordinandus; nec dicetur reiteratum, quod ambigitur esse factum: nec malè de sacramento sentitur, cum ex necessitate, non ex contemptu relinquitur. Rursus qui est natus ex parentibus Christianis, & inter Christianos est fideliter conversatus, ita præsumitur esse baptizatus, ut hæc præsumptio habenda sit pro certitudine, donec evidentissimis argumentis contrarium probaretur. Ex hoc textu colligitur, eum de quo certò constat, non esse baptizatum, esse simpliciter baptizandum. In dubio esse baptizandum sub conditione. Ubi notat Glossa, violentam præsumptionem admittere probationem in contrarium.*

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

De Præcedentia Baptismi supra cætera Sacramenta.

1 TRia tantùm in hoc titulo continentur capitula, in quorum primo Innocentius III. statuit quòd si Presbyter cognoscatur non fuisse baptizatus, debeat baptizari, & iterum ordinari. Ratio est, quam ibi affert Glossa, nimirum quia baptismus est janua ad alia Sacramenta, proinde ordo susceptus ante baptismum non tenuit, unde de jure non est ordinatus, nec censendus est Presbyter, ut habetur *in c. si quis* 60. *caus.* 1. *q.* 1. Quòd si Presbyter non baptizatus post susceptum baptismum nolit iterum ordinari, eò quia jam fuerit ordinatus, tunc non est habendus ut Presbyter, sed manet laicus, & si matrimonium contrahat, validum est, tametsi licitè non contraheret, eò quia tacitè censeatur vovisse votum continentiæ *arg. c. cum quidam* 12. *de convers. conjug.* ut notat Abbas *in c. si quis.* 1. *b. t.* Secus si quis priùs baptizatus ordinaretur antequam confirmaretur, validè esset ordinatus, eò quia Ordo non supponit necessariò characterem Sacramenti Confirmationis, & quamvis Concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* prohibeat, eos initiari primâ tonsurâ, qui nondum Sacramentum susceperunt confirmationis, non tamen qui primâ tonsura initiaretur ante confirmationem ullam incurreret censuram.

2 *In c. Apostolicam* 2. *b. t.* dicitur, quòd Presbyter non baptizatus si moriatur, nihilominus æternam consequitur salutem, eò quia perseverantia in fide, & Christi confessione, & etiam baptismus in voto, quando in re non potest suscipi, delet peccatum originale ex SS. Augustino, & Ambrosio: siquidem peccatum originale remittitur non solùm in baptismo fluminis, seu aquæ, sed etiam in baptismo sanguinis, cum quis pro fide catholica martyrium subit *c. baptismi vicem* 34. *dist.* 4. *de consec.* immo deletur peccatum originale etiam in baptismo flaminis, seu Spiritus sancti, cùm quis invisibiliter baptizatur interiùs per fidem Christi, ut habetur *in d. c. baptismi vicem* 34. & per actum contritionis, in quo includitur votum saltem, implicitum baptismi fluminis, quem non potest suscipere, vel ob impedimentum necessarium, aut ob probabilem ignorantiam; quia putat se baptizatum esse, cùm cognoscat se natum ex Christianis parentibus, & inter Christianos in fide Christi fuisse educatum, ut notat Glossa *in d. c. Apostolicam* 2. *V. ab originali. b. t.* Neque obstat, si dicas *in c. firmissimè* 3. *dist.* 4. *de consecrat.* haberi, neminem posse sine Sacramento baptismi, quod confertur in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti salutem consequi: quia id tantùm verum est de eo, qui potest baptizari, & nihilominus negligit baptizari ob incuriam, non verò procedit de eo, qui si posset, baptizaretur baptismo fluminis. Differt verò baptismus flaminis à baptismo fluminis, & sanguinis, quia baptismus flaminis non nisi adultis, qui actum eliciunt contritionis prodest: secus baptismus fluminis, & sanguinis prodest etiam parvulis nondum utentibus ratione: ratio cur parvulis non prosit baptismus flaminis est, quia nondum intelligunt, nec eliciunt actum contritionis, cùm nondum utantur usu rationis *c. majores* 3. *de baptis.* & notat Abbas hìc in *Glossa* 1.

3 Cæterum sacerdos, qui non est baptizatus, tametsi probabiliter credat, se baptizatum esse, non potest conficere Sacramentum altaris; seu consecrare, nec absolvere à peccatis, nec ordinem recipere: sed tunc piè credendum est, Christum summum sacerdotem supplere quoad effectum Sacramentorum, nec permissurum, hoc ita diu occultari ob maximum Ecclesiæ periculum, quod inde oriretur, ut notat Barbosa *in d. c. Apostolicam* 2. *b. t.* Neque valet, si dicas, communem errorem, seu opinionem id operari, ut

gesta

gesta valeant juxta *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prat.* quia id tantùm procedit in ijs, quæ pendent à jurisdictione, non verò quæ à potestate Ordinis, ut in Sacramentis, in quibus attenditur veritas non opinio.

In c. veniens 3. h. t. dicitur, quòd licèt aliqui putârint non baptizatum si ordinetur accipere characterem, eò quia si non per Sacramentum baptismi, saltem per fidem factum sit membrum Christi, habens in ie fundamentum, seu Christum: præsertim quia sine hoc Sacramento possit sumi Sacramentum conjugij, consequenter etiam Sacramentum ordinis: nihilominus quia Conc. *in c. si quis Presbyter* determinat oppositum tanquam utius; ideo Presbyter non baptizatus est iterùm baptizandus, & ordinandus: neque dicetur reiteratum, quod ambigitur esse factum: neque malè de Sacramento sentitur, cum ex necessitate, non ex contemptu relinquitur. Rursus qui est natus ex parentibus Christianis, & inter Christianos est fideliter conversatus, ita præsumitur baptizatus, ut hæc præsumptio habenda sit pro certitudine, donec evidentissimis argumentis forsan contrarium probetur. Verùm si dubium sit, an aliquis sit baptizatus, debet sub conditione baptizari: sicut quando certum est, aliquem non esse baptizatum debet, absolutè, & simpliciter baptizari. Cæterum violenta præsumptio, ut notat Glossa *in d. c. veniens. 3. h. t.* admittit probationem in contrarium.

§. II.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an nondum baptizatis ut Catechumenis sacrificium missæ prosit, & pro illis offerri licitè possit? Ratio dubitandi desumitur *ex c. Apostolicam 2. h. t.* ubi dicitur, quòd Presbyter non baptizatus, si moriatur, salvetur, & etiam additur ratio: quia perseverantia in fide, & confessione Christi, & etiam baptismus in voto, quando non potest suscipi in re, delet peccatum originale ex SS. Augustino, & Ambrosio. Rursus *in d. c. Apostolicam*, additur etiam quòd possimus offerre sacrificia, & preces in Ecclesia pro eo: ex quo oritur quæstio, an missæ sacrificium offerri etiam possit pro Catechumenis, adeo ut revera isti nondum baptizati in re, incruento missæ sacrificio juvari possint. Sanctus Joannes Chrysostomus *homil. 3. ad Philipp. prope fin.* docet, incruentum missæ sacrificium minimè Catechumenis prodesse: ait enim post præmissam summam hujus sacrificij utilitatem, si offeratur pro defunctis, *Noverant* (scilicet Apostoli) *hinc multum ad vita functos lucri accedere, multum utilitatis: eo enim tempore quo universus populus stat manibus passis, ac cætus sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de ijs, qui in fide decesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti unoquodam accepto. Quale verò hoc? licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis, unde enim Deus, nos nobis mutuum auxilium afferamus. Ecquid enim aliud causa sit, quam ob rem pro pace, & bono mundi statu precari jusserit? Quam ob rem pro omnibus? nam hic quidem inter omnes sunt etiam latrones, sacrilegi, fures, atq; alij sexcentis scatentes malis, & tamen pro omnibus precamur: erit enim forte esse quadam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus justis precamur, qui nihil à cadaveribus differunt, ita pro illis etiam precari licet.* Huic sententiæ videtur adhæsisse S. Augustinus *lib. 1. de anima, & ejus origin. c. 11.* ubi asserit, sacrificium Christianum pro nullis offerri, nisi pro baptizatis; nec agit duntaxat de parvulis morte præventis, priusquam sacro baptismi lavacro lustrarentur. Quia tametsi revera is sit primarius in eo loco D. Augustini scopus contra hæreticos, quos *in citato c. 11.* refellit; nihilominus initio ejusdem capitis tradit universalem doctrinam, & latis apertè innuit procedere de omnibus non baptizatis: ait Augustinus: *Salva fide Catholica, & Ecclesiastica regula nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi, tanquam per hujusmodi pietatem suorum ad Regnum cæterum, quò pervenient, adjuventur.*

Nihilominus contrariam sententiam docet 2
S. Ambrosius *in monodia. Valentin.* ubi differens de duobus Imperatoribus Gratiano, & Valentino, quos charissimos, ac amicos habebat, & uterque catechumenus excesserat, ait: *Beati ambo si quid mea orationes valebunt. Nulla dies vos silentium præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla non non donatos aliqua precum mearum contentione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti? Si obstet fuero te sancta Hierusalem hoc est sancta anima, & pacifica germanitas, obliviscatur me dextera mea.* Huic sententiæ S. Ambrosij adhæret Innocentius III. *in d. c. Apostolicam 2. h. t.* ubi ait ex Augustino, & Ambrosio posse offerri sacrificia, & preces in Ecclesia pro Presbytero non baptizato, proinde etiam pro Catechumeno: unde cum sententia Innocentij sit juri inserta, non est, cur debeamus hoc præsidium negare Catechumenis, tametsi nondum baptizati decesserint.

Quæritur secundò, an qui nondum est bap- 3
tizatus, & se credens baptizatum sacros ordines recipit, revera in altari corpus Christi conficiat. Hanc quæstionem pertractat Barbosa in *collect. ad. d. c. Apostolicam 2. h. t.* & respondet apud eumdem Barbosam D. Thomas *in 4. dist. 24.* Quòd non baptizatus non potest ordinem recipere, nec consecrare, nec absolvere, piè tamen credi potest, quòd summus sacerdos suppleat, quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, & quod non permitteret, id ita latere, cùm inde Ecclesiæ posset imminere periculum: neque communis error operatur, ut valeant gesta, quando est defectus in Sacramento dependens ex jure divino. Hinc baptismus à cali ste-

cerdote non baptizato ſuſceptus eſſet repetendus, quia Miniſter baptismi poteſt eſſe quilibet homo viator etiam non baptizatus, dummodo habeat intentionem faciendi, quod in collatione baptismi facit Eccleſia, ut deſumitur *ex c. in neceſſitate. c. Romanus. diſt. 4. de conſecrat.*

4 Quæritur tertiò, an ſi Presbyter non baptizatus aſſiſtat matrimonio ſit hoc repetendum, perinde ac eſſet repetenda confeſſio Sacramentalis, ſi ſacerdos non baptizatus abſolveret à peccatis? Reſpondetur cum Joanne Honor. *in c. Apoſtolicam 2. n. 2. h. t.* non eſſe tale matrimonium repetendum: & ratio diſcriminis eſt, quia eatenus Sacramentum pœnitentiæ debet reiterari, eò quia Presbyter non baptizatus non habuit poteſtatem abſolvendi à peccatis, cum ſine baptismo non ſuſceperit Sacramentum Ordinis, nec poteſtatem abſolvendi à peccatis, quæ poteſtas eſt annexa ſacro ordini ſacerdotij: unde defectu abſolutionis Sacramentum fuit nullum, & pœnitens tenetur repetere confeſſionem: ſecus in matrimonio Parochus, vel ſacerdos non requiritur ut miniſter Sacramenti matrimonij; quia ipſi contrahentes ſunt miniſtri, & ſibi intelliguntur miniſtrare: unde Parochus, vel ſacerdos tantùm requiritur per modum excellentis teſtis, adeo ut Parochus etiam invitus, vel excommunicatus validè aſſiſtat, ut notat Barboſa *in collectan. ad c. 1. Trident. ſeſſ. 24. de refor. matrim. num. 70.* Quinimò notat Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 22. n. 31.* matrimonium adhuc ſortiri ſuum valorem, tametſi is, cui Parochus concedit licentiam aſſiſtendi matrimonio ſit merus laicus; ſi tamen communi æſtimatione, & errore credebatur ſacerdos: quæ ſententia eſt valde probabilis: quia præſentia ſacerdotis tantùm requiritur per modum excellentis teſtis eccleſiæ: unde cùm non ſit miniſter matrimonij, poteſt hoc adhuc eſſe validum.

5 Quæritur quartò, quomodo baptismus dicatur eſſe janua ad alia Sacramenta, & non niſi per baptismi januam homines poſſe Eccleſiam ingredi, ut habetur *in c. prater. § penult. 32. diſt. c. ſi quis confugerit. 52. c. ſi quis per ignorantiam. 59. q. 1.* Certum eſt, non poſſe hominem ullum aliud Sacramentum ſuſcipere, ſi prius non fuerit baptizatus, ut declaravit Concilium Florent. *in decret. union.* ubi ait: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, & de corpore Eccleſiæ efficimur.* Ratio eſt, quam adfert D. Thomas *3. p. q. 35. art. 3. in corp.* ubi ait, non poſſe aliquem quidquam recipere, cujus receptivam potentiam non habeat; & ſubdit per characterem baptismalem hominem recipere hanc potentiam receptivam aliorum Sacramentorum, ex quo infert deſtitutum Charactere baptismi, nullum aliud poſſe Sacramentum recipere: hinc character ordinis præſupponit eſſentialiter characterem baptismi: quia cum baptiſmus ſit generatio ſpiritualis, qui non eſt genitus in Eccleſia, non poteſt cum alijs fidelibus ad ſpiritualia concurrere.

Neque obſtat, quòd nondum baptizatus per fidem Chriſti *in c. Apoſtolicam 2. h. t.* dicatur fieri membrum Chriſti; quia id tantùm eſt verum quoad adhæſionem interiorem, quâ quis per fidem adhæret Chriſto, quæ adhæſio ſufficit ad meritum, & privatum cujuslibet Chriſtiani ſtatum: non ita procedit quoad exteriorem adhæſionem cum Chriſto, & in ordine ad totum corpus Eccleſiæ, cujus omnia membra exteriori ſacro ſigno in unum coaleſcunt corpus, ac chriſtiana teſſera conſolidantur, & ſpirituali ſignaculo diſtinguuntur à non fidelibus, & per ſignum illud ſenſibile jus ad reliqua Sacramenta, ac communia Eccleſiæ bona ſortiuntur. Cæterum quoad remiſſionem peccati originalis, & ut homo æternam valeat ſalutem conſequi ſufficit baptiſmus etiam flaminis, & ſanguinis.

TITULUS XLIV.

De cuſtodia Euchariſtiæ, chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.

QUia baptiſmus, in quo chriſmate utimur, eſt omnibus ad ſalutem neceſſarius: & Euchariſtia fuerit inſtituta, ut nobis eſſet cibus cæleſtis, & viaticum, ne in ipſa via deficiamus, nec in agone ſuccumbamus; utque urgente quavis neceſſitate preſto eſſet; congruè Pontifex poſt titulum de baptiſmo ſubijcit hunc de cuſtodia Euchariſtiæ, & Chriſmatis; etenim Euchariſtia cibus eſt vitæ ſpititualis, quæ per baptismum ſuſcipitur, & chriſma addit eidem vires. Hinc pertinet ad dignitatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ut in Eccleſia ad momentum honeſtatis, & decoris omnia componantur, & accuratâ cuſtodiâ conſerventur Eccleſiaſtica Sacramenta, ne manu cujusquam temerentur: diligens inſuper cautio adhibeatur, ut quæ ſacro miniſterio inſerviunt debitam præſeferant munditiem.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. STATUIMUS 1 h. t Innocentius III ſtatuit, ut Chriſma, & Euchariſtia fideliter ſub clavibus cuſtodiantur: & ſi is ad quem ſpectat cuſtodia, incautè illa relinquit, ſuſpendatur ab officio tribus menſibus 1

ſibus: & ſi pro ejus incuria nefandum quid acciderit, ſit graviori pœna puniendus. Ubi notat Gloſſa, Euchariſtiam non debere ferri ad infirmos per laicos, ſed per Presbyteros c. pervenit de conſecrat. d. 2. *Rurſus cum, qui commiſſit culpam teneri ad omnia, quæ ſequuntur ex tali culpa.* c. de neptis 32. q. 2. *eſſe tamen hanc pœnam ad arbitrium Judicis; quia in hoc textu non determinatur.*

C. RELINQUI 2. h. t. *Idem Pont. prohibet, ut ſupellectilia Clericorum, vel Laicorum admittantur in Eccleſiis, niſi propter hoſtiles incurſus, vel repentina incendia, aut alias urgentes neceſſitates, in quibus vix poſſent aliter ſalvari; ita tamen, ut ceſſante neceſſitate omnia reportentur ad priſtina loca. Rurſus præcipit, ut oratoria, vaſa, corporalia, veſtimenta, palla altaris, munda, & nitida ſerventur, ſine maculis quia nimis abſurdum videretur in ſacris, altaribus ſordes negligere.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Euchariſtia, & quæ eius materia, & forma.

1 EUchariſtia ſi nominis Etymologia ſpectetur ſignificat gratiarum actionem, quatenus in illa habetur ſacrificium, quo Deum recognoſcimus, ipſique gratias rependimus pro ſuſceptis beneficijs. Significat etiam bonam gratiam, eò quia præ cæteris Sacramentis uberiorem conferat communicanti gratiam: ſiquidem confert ipſum Chriſtum, qui eſt indeficiens fons gratiarum. Vocatur etiam viaticum, quia in vitæ extremo reficimur hoc cibo ſpirituali, quo præparamur ad gloriam. Demum dicitur etiam Synaxis, ſeu communio quatenus fideles per Euchariſtiam uniuntur, ſimúlque confœderantur, ut docet D. Thomas 3. p. q. 73. art. 4. Definitur Sacramentum novæ legis ſub ſpeciebus panis, & vini continens corpus, & ſanguinem Chriſti ad conſervandam ſpiritualem vitam beneficio baptismi ſuſceptam. Differt à cæteris Sacramentis. Primò quia alia Sacramenta conſiſtunt in uſu, & applicatione materiæ eorundem ad ſuſcipientẽ, adeo ut deficiente applicatione abſoluta deſinãt ipſa Sacramenta: ſecus Euchariſtia non dependet ab uſu, & applicatione cum ante uſum habeat per conſecrationẽ eſſe permanens, quandiu conſervantur ſpecies Sacramentales. Secundò quia in aliis Sacramentis materia, & forma ſunt res ſucceſſivæ, proinde moraliter ſunt ſimul, ac pereunt: in Euchariſtia verò forma tantùm eſt ſucceſſiva, & tranſit, materia verò permanet, durátque poſt applicationem formæ ad materiam. Tertiò in reliquis Sacramentis gratia, & Sacramentum non ſunt aliter, quàm in ſuſcipiente: in Euchariſtia autem Sacramentum eſt extra ſuſcipientem, & quidem antequam in illo gratiam producat, quam ſignificat. Quartò in alijs Sacramentis nil aliud habetur niſi materia, & forma: in Euchariſtia verò præter materiam, & formam habetur etiam corpus Chriſti. Hinc Euchariſtia ratione corporis Chriſti eſt cæteris excellentior, & alia omnia Sacramenta referuntur ad Euchariſtiam, quæ proinde dicitur conſummatio cæterorum, ut docet D. Thomas. 3. p. q. 73. art. 1. ad 3.

2 Eſt autem Sacramentum Euchariſtiæ unum formaliter, & numero: ſiquidem habet unam tantùm definitionem, & eſſentiam, & quamvis ad illam concurrant res variæ materialiter diſtinctæ; omnes tamen ſimul conveniunt in ordine ad conficiendum unum Sacramentum formaliter. Quòd etiam hoc Sacramentum ſit unum numero, ex eo itidem oſtenditur, quia ſpecies panis, & vini ſimul uniuntur ad conficiendam unam refectionem per modum convivij conſtantis ex cibo, & potu; eſt etiam hoc Sacramentum unum numerò ratione unius Chriſti, qui idem numero continetur ſub utraque ſpecie, ut docet D. Thomas 3. p. q. 73. art. 2.

3 Quòd verò ad hujus Sacramenti materiam attinet, certum eſt, hanc eſſe panem triticeum, & vinum de vite modicæ aquæ mixtum *can. 1. can. non oport. 4. can. cùm omnes. 7. de conſecrat diſt. 2.* quia Chriſtus in ultima cœna, cùm inſtituit hoc Sacramentum, hanc materiam adhibuit *can in Sacramento diſt. 2.* & habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. can. 9.* ubi anathemate percutit dicentes non eſſe in calice miſcendam modicam aquam vino, eò quia ſit contra Chriſti inſtitutionem. Hinc panis confectus ex farre, oriza, fabis, caſtaneis, & alijs id genus fructibus, vel leguminibus non eſt materia hujus Sacramenti, ut nec etiam puls, nec farina elixata, aut ſpiſſata in pane: immo nec panis triticeus confectus ex aqua roſacea, aut alia diſtincta à naturali, niſi fortaſſis tam modica fuerit admixta, ut in naturalẽ cenſeatur tranſiiſſe.

4 An verò panis ſiligineus ſit materia Euchariſtiæ videtur in dubium verti. Affirmat D. Thomas, eò quia non niſi accidentaliter ſiligo differat à tritico, & ſoleat ex tritico naſci in macra tellure. Aliud tamen dicendum eſt de lolio tametſi ex tritico naſcatur, eo quia naturam fortiatur diſtinctam à tritico. Greci utuntur pane fermentato, Latini azimo, eò quia Chriſtus conſecraverit in azimo luna 14. Martij, quo tempore non niſi azimi panes comedebantur *Exod.* 12. Tum etiam quia per azimum melius ſignificatur ſinceritas vitæ requiſita in accedentibus ad hoc epulum. Præterea quia melius

lius designatur, quòd Verbum divinum sibi univerit naturam humanam absque ulla virilis seminis permixtione. Vinum itidem debet esse de vite, ab uvis expressum, ut declaravit Concil. Florent. *in instruct. Armen.* quia Christus in illo consecraverit *Luc. 22.*

6 Tum quia vinum de vite propriè est vinum; hinc acetum ex vino confectum cùm non sit vinum, sed vini corruptela, non est materia hujus Sacramenti, nec etiam Omphacium, quod ex uvis acerbis, & immaturis exprimitur, quia non est vinum, sed potiùs vini embrio. Quid verò dicendum sit de musto: Julius Pontifex *in c. cum omnes 7. de consec.* permittit in necessitate uvas posse in calice premi: non tamen sunt integræ Sacramento miscendæ, quia ibi est aliquid præter vinum; nec uva est vinum potabile. An verò vinum congelatum sit sufficiens materia, plures affirmant, eò quia sit substantialiter vinum, & per se potabile, non tamen extra necessitatem conveniens est in illo consecrare, imò si tanta esset congelatio, ut natura vini censeretur omnino recessisse, non esset tale vinum consecrandum, nec foret materia apta calicis, eò quia non esset amplius vinum potabile.

7 Materia consecranda in corpus, & sanguinem Christi debet esse sacerdoti moraliter, seu sensibiliter præsens, quia talis est Christi institutio, & Ecclesiæ traditio fundata in utroque pronomine *Hoc*, & *Hic*. Sunt enim pronomina designantia rem sensibus præsentem: quamobrem materia consecranda debet esse præsens coram sacerdote, ut ab eodem digito, vel alio simili signo possit indicari. Non tamen est necesse ut in manibus habeatur, vel à Ministro tangi ab altari possit, nec ut sonus consecrationis perveniat ad materiam: immo nec est necesse, quod cadat sub oculis: siquidem validè consecratur vinum in calice coòperto contentum, ut docent Suarez *3. p. disp. 43. sect. 5.* Valentia, & plures alij. Periculosum tamen esset sacerdoti non discoopertis vasis, ubi sunt hostiæ, eas consecrare, & si ex negligentia id efficeret, non excusaretur à culpa gravi, non solùm ob transgressionem rubricæ, sed præsertim, quia negligit habere certitudinem omnimodam moralis præsentiæ hostiarum, ac intentionis certè terminatæ ad illas, esset enim negligentia valde gravis. Tum quia posset vas esse vacuum, & sine hostiis, proinde sacerdos se exponeret periculo non conficiendi Sacramentum. Hinc si sacerdos existens in altare majore consecraret hostias, quas sciret contineri in tabernaculo clauso, probabilius est, quòd non consecraret: quia verò sunt qui contrarium docent, ideo si casus accideret, posset sacerdos particulas illas assumere post sumptum sanguinem, & ante sumptionem ablutionis. Quantitas autem materiæ consecrandæ non est determinata quoad magnitudinem, vel parvitatem: hinc quævis particula, quamvis minima, dummodo sensibilis sit, & in illa conservetur substantia panis, vel vini potest consecrari. Quòd si quantitas esset ita exigua, ut sensum fugeret visûs, nec foret sensibilis non esset materia apta consecrationi.

Rursus quælibet magna quantitas dummodo præsens sit, potest validè consecrari: si quis tamen in tanta consecraret quantitate, ut non posset opportuno tempore sumi nõ excusaretur à gravi peccato propter injuriam, quam Sacramento inferret, & quia consecraret præter finem secundarium hujus Sacramenti, ut docet D. Thomas *3. p. q. 73. art. 1. & q. 74. art. 2. ad 3.* Debet etiam utraque materia consecranda definiri in particulari, ac determinari ex intentione sacerdotis consecrantis, quia actiones sunt particularium, seu suppositorum, & nisi definiretur materia in particulari, nil fieret; non tamen est necessaria intentio actualis consecrandi has, vel illas hostias, sed sufficit virtualis; quapropter sacerdos si habeat coram se hostias, quas ex sacristia ad altare consecrandas detulit; si tempore consecrationis earum non meminit adhuc per virtualem intentionem erunt consecratæ, dummodo eas posuerit in altari ea intentione, ut eas consecraret. Intentio tamen in confuso non sufficit, quapropter qui ex quatuor hostiis præsentibus duas tantùm intenderet consecrare eas non determinando, nullam ex his quatuor consecraret, quia materia non esset determinata, & non esset major ratio, cur potiùs una, & non altera deberet esse consecrata.

8 Neque valida esset consecratio, si ex pluribus hostijs positis super altare haberet intentionem consecrandi illas tantùm quatuor, quas Deus intenderet: quia sacerdos non dicitur habere intentionem, & materiam tunc humano modo determinatam. Rursus nec sacerdos consecrat illas vini guttas, quæ sunt extra calicem, vel circa labrum calicis intus, quia sacerdos intendit tantùm consecrare vinum, quod in fundo calicis continetur, & totum id quod cum illo unitur: quamobrem ex probabiliore, ac veriore sententia non remanent consecratæ illæ guttæ, quæ in partibus superioribus calicis adhærentes sejunguntur à vino contento in fundo calicis: ratio est, quia sacerdos consecrat juxta communem intentionem Ecclesiæ, quæ tantùm habet intentionem consecrandi omnem illum liquorem consecrabilem, qui per modum unius continetur in fundo calicis, ut notant Diana *p. 2. tract. 17. resolut. 16.* Layman *lib. 5. tract. 4. c. 2. n. 14.*

9 Forma Sacramenti corporis Christi sunt illa verba *Hoc est corpus meum*: quia ut declaravit Concilium Florentinum Christus instituit hæc verba pro forma, & ijsdem verbis etiam ipse consecravit, unde hæc quatuor verba *Hoc est corpus meum* sunt omnino necessaria, & sufficiunt ad consecrationem corporis si à sacerdote proferantur cum debita intentione supra materiam aptam, reliqua autem verba canonis, quæ præcedunt, *ut qui pridie quàm pateretur &c.* non sunt necessaria necessitate Sacramenti ad consecrationem, sed tantùm ratione præcepti, quia pertinent ad solemnem ritum præscriptum ab Ecclesia. Forma consecrationis calicis continetur in illis verbis: *Hic est sanguis meus*: vel *Hic est calix sanguinis mei.* An verò reliqua verba *novi, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,*

rum ſint etiam de eſſentia conſecrationis vini, D. Thomas *3. p. q. 78. art. 3.* & cum ipſo plures alij dicunt, eſſe de eſſentia, eò quia omnia illa verba conficiant unam integram propoſitionem, & ſint determinationes quædam prædicati, & Sacramentalis ſignificationis.

10 Communior tamen ſententia negat, verba illa eſſe de eſſentia conſecrationis, eò quia Græci omittunt illa verba *æterni*, & *myſterium fidei*, & nihilominus validè conſecrant, ex quo inferunt, illa verba nõ eſſe de eſſentia conſecrationis ſanguinis. Qui tamen inter Latinos ſacerdotes uteretur conſecratione calicis omiſſis illis verbis, peccaret graviter contra præceptum, & ritum conſecrationis in re gravi, ſeque exponeret periculo non conſecrandi. Hinc in hoc Sacramento tria reperiuntur diſtinguenda: ſcilicet forma viſibilis panis, & vini, veritas corporis, & ſanguinis Chriſti, & virtus ſpiritualis; ut habetur *in c. Martha. 5. diſtinguendum.*

§. II.

De Miniſtro, & effectu Euchariſtiæ.

1 MIniſter conficiens hoc Sacramentum eſt ſolus ſacerdos ritè ordinatus *c. 1. de Trinit. can. perfectis. §. ad Presbyterum diſt. 25.* Neque obſtat ſive malus ſit, ſive bonus, ſive irregularis, interdictus, ſuſpenſus ab Ordine, depoſitus, degradatus, ſimoniacus, publicus, & notorius peccator: quia tametſi ſacerdotes, ita malè affecti à jure prohibeantur conſecrare; ſi tamen conſecrent, adhibeántque debitam formam, materiam, ac intentionem validè conſecrant, non licitè; proinde peccant contemnentes prohibitionem Eccleſiæ. Ratio cur validè conſecrent eſt; quia corpus Chriſti, ſeu hoc Sacramentum non efficitur in merito conſecrantis; ſed in verbo Creatoris *can. & dixit 26. in fin. can. quia corpus 35. verſ. Recedat. can. Panis eſt 55. can. corpus 60. de conſecrat. diſt. 2.* Efficitur igitur non merito conſecrantis, ſed virtute Spiritûs S. *can. Verum 72. eod. diſt.* unde ſicut virtute bonorum virtus Sacramentorum non amplificatur; ita nec per vitia malorum minuitur *can. multi ſæculorum 1. q. 1.* Rurſus tenetur ſacerdos, hoc Sacramentum conficere in ſacrificio miſſæ; & toties illud ſumere, quoties celebrat, & ſub utraque ſpecie, ut habetur *in can. Relatum 11. diſt. 2.* Qui verò ſimulans ſe in altari hoc Sacramentum conficere, illud non conficit, graviùs peccat; quàm qui ſciens ſe peccato lethali infectum illud verè efficeret; quia ſimulans Deo illudit, & proximum decipit, eique occaſionem præbet adorandi panem loco corporis Chriſti *c. de homine 7. de celebr. miſſar.*

2 Sin autem conſecrans non communicet arcetur ab Eccleſiæ limitibus *can. peracta 10. diſt. 2.* & per annum etiam ſuſpenditur à celebratione, ut habetur *in d. can. Relatum 11. diſt. 2.* Tenetur etiam ſacerdos quantùm poteſt frequentiùs miſſam celebrare *c. ſignificatum 11. de prabend.* & ſtatuitur etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 14.* Non tamen poteſt niſi ſemel in die celebrare miſſam, ut habetur in *c. conſuluiſti 3. de celebr. miſſ.* ratio eſt: quia ſacrificium miſſæ conficitur in memoriam paſſionis Chriſti, *hoc quotieſcunque feceritis, in meam commemorationem facietis*, & Chriſtus ſemel tantùm eſt paſſus, totúmque redemit mundum. Quia verò quotidie peccamus, ideò iteratur quotidie hæc oblatio, ut quia quotidie labimur, Chriſtus quotidie myſticè pro nobis immoletur, ut habetur in *can. iteratur 71. de conſecrat. diſt. 2.* Excipitur dies Nativitatis dominicæ, quo tres celebrantur miſſæ, & etiam caſus neceſſitatis, in quo ſacerdos poteſt bis in eadem die celebrare, non tamen pluries *c. conſuluiſti 3. t. ex parte 5. de celebr. miſſar.* & tunc quando ſacerdos bis in die celebrat, poſt communionem in prima miſſa non debet ablutionem ſumere, ut habetur in *d. c. ex parte 5. de celeb. miſſ.* quia hoc Sacramentum à jejuno ſumi debet.

3 Effectus Euchariſtiæ plures ſunt: ſiquidem per ſacrificium miſſæ recolitur memoria paſſionis Chriſti *can. iteratur. de conſecrat. diſt. 2.* Rurſus ritè ſumentibus confert augmentum gratiæ ſanctificantis, eò quia ſit cibus, & potus ſpiritualis animæ, quam reficit *can. non iſte panis 56. diſt. 2.* Per hunc enim ſpiritualem cibum inſtauratur, quod ex calore concupiſcentiæ per venialia peccata deperditur. Tum quia ſicut alimentum corporeum convertitur in ſubſtantiam aliti, ſic anima communicantis ex vi hujus nutrimenti ſpiritualis incorporatur Chriſto, qui caro noſtra factus eſt, ut habetur *in can. in quibus 38. diſt. 2.* qua ratione, qui ritè communicat de Chriſti ſpiritu vivit, ut habetur in *can. Chriſtus 57. cum duob. ſeq. diſt. 2.* & fit particeps æternæ vitæ *can. Chriſtus diſt. 2.* Rurſus eſt tantæ hoc Sacramentum efficaciæ, ut peccata venialia etiam deleat, ut habetur in *can. ſi quotieſcunque eod. diſt. 2.*

4 Exercet etiam Euchariſtia rationem viatici in vitæ extremo, ac imminente mortis periculo; unde quatenus miniſtratur morituris dicitur viaticum; ut habetur *in can. 13. Concilij Niceni* relato *in c. de ijs 26. q. 6.* Quapropter dicitur viaticum, quia ut cibus ſpiritualis tribuitur homini ad reficiendam vitam ſpiritualem in via, quia migrat de hac temporali ad æternam vitam. Hinc ut miniſtretur morituris *in c. ſtatuimus 1. h. t.* decernitur ab Innocentio III. ut in omnibus Eccleſijs Chryſma (ſcilicet oleum miſtum balſamo benedictum ab Epiſcopo pro Sacramento confirmationis, & oleum ſimplex benedictum pro Sacramento extremæ Unctionis, quo inunguntur infirmi) & Euchariſtia fideliter ſub clavibus cuſtodiantur: & ſi is, ad quem pertinet cuſtodia, incautè, & negligenter ea cuſtodierit, ſuſpenditur ab officio tribus menſibus: & ſi pro ejus incuria nefandum quid acciderit, punitur graviori pœna ad arbitrium judicis: & totum hoc deſumitur etiam ex Concilio Generali Lateranenſi *c. 29.*

5 Hinc ſi ob negligentiam Cuſtodis committeretur furtum, vel ſacrilegium eſſet Cuſtos puniendus ob ſuam incuriam juxta Judicis arbitrium, ut notat Gloſſa in *d. c. ſtatuimus 1.* quinimò ob commiſſam negligentiam in ſuo officio obeun-

obeundo tenetur ad omnia damna reſarcienda; quæ ex tali incuria ſecuta fuerunt, adeo ut perinde puniri poſſit, ac ſi ipſe ea intuliſſet: ſiquidem qui dat occaſionem damni, cenſetur damnum ipſum dediſſe *c. 5. diſt. 50. l. qui occidit. 30. §. in hoc quoque ff. de leg. Aquil.* ut notat Gloſſa *in d. c. ſtatuimus 1. h. t.* ubi etiam addit, non debere Euchariſtiam ferri ad infirmos per Laicos, ſed per Presbyteros *c. pervenit de conſecrat. 2.* vel per Diaconum, ſi neceſſe ſit *c. præſente. c. Diaconus. diſt. 93.* Non tamen Euchariſtia, quæ defertur ad moribundum habet rationem viatici ab intentione ſumentis, vel miniſtrantis. Sed denominatur viaticum ratione temporis, in quo miniſtratur, nimirum ex eo, quòd immineat periculum mortis, & ſumens Euchariſtiam ſit ex hac vita ad æternam migraturus: ſiquidem dicitur viaticum ex analogia ad viaticum corporale, quod ſicuti inſervit pro aliquo tantùm itinere: ita etiam Euchariſtia denominatur viaticum quando ſumitur pro itinere præſenti ad futuram vitam: imò hanc rationem viatici habet Euchariſtia ex divina inſtitutione, ſiquidem inſtituta eſt tanquam cibus ſpiritualis Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*, & pro conſervanda vita ſpirituali, qua propter ait Chriſtus Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* unde ex ſua inſtitutione tunc vel maximè urget neceſſitas ſumendi viaticum cùm imminet mortis periculum ob migrationem ad aliam vitam, quia tunc vel maximè indiget anima ſpirituali refectione: hinc Concilium Nicænum primum *can. 13.* ſupponens neceſſitatem Euchariſtiæ per modum viatici ſtatuit, ut migraturi ex hac vita non priventur Euchariſtiâ. Eſt enim finis viatici corroboratio vitæ ſpiritualis, quia effectus proprius Euchariſtiæ eſt refectio vitæ ſpiritualis: unde quando exhibetur pro viatico emigraturis ex hac vita, ejus finis eſt conſervatio vitæ ſpiritualis, cum dicat Chriſtus Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

6 Non tamen viaticum eſt abſolutè neceſſarium ad ſalutem ex natura rei: ſiquidem gratia ſanctificans, in qua ſita eſt vita ſpiritualis, poteſt etiam ſine viatico conſervari, & per hoc differt à viatico corporali, quod eſt abſolutè neceſſarium ad conſervandam vitam. Exercet Euchariſtia rationem viatici, eò quia præſervet à lethalibus culpis: ſiquidem Euchariſtia eſt antidotum, quo præſervamur à culpis mortalibus, ut declarat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 2.* hæc autem conſervatio vitæ ſpiritualis, & præſervatio à peccatis mortalibus habetur beneficio auxiliorum, quæ Deus exhibet tempore congruo in ordine ad coërcendos concupiſcentiæ motus, ac vincendas tentationes: & hæc auxilia ſunt adnexa ipſi gratiæ ſanctificanti, quæ ab Euchariſtia confertur ex opere operato: ſiquidem auxilia actualia gratiæ, ratione gratiæ ſanctificantis ſunt debita juſtis in ordine ad vincendas tentationes, & ad benè operandum, adeo ut Concilium Trident. *ſeſſ. 6. c. 16.* aſſerat, Chriſtum tanquam vitem in palmites, ſeu in juſtificatos jugiter virtutem influere: hinc cùm Euchariſtia conferat augmentum gratiæ ſanctificantis adfert nova auxilia gratiæ in ordine ad vincendas tentationes, & rectè operandum. Confertur autem hic effectus Euchariſtiæ ex opere operato radicaliter; cùm auxilia, quibus vita ſpiritualis præſervatur, ſint debita ratione gratiæ ſanctificantis, quam confert Euchariſtia? cùm enim cauſet Euchariſtia ex opere operato gratiam ſanctificantem; neceſſe eſt, ut tanquam acceſſorium, cauſet etiam ex opere operato ipſa auxilia: etenim quod eſt cauſa unius, eſt etiam cauſa illius, quod ſe habet ad illud conſecutivè, & acceſſoriè *l. manumiſſione. ff. de juſtit. & jure.* Bart. *in l. 4. §. actor. num. 2. de re judic.*

7 Quamvis Euchariſtia ob reverentiam ei debitam ſumenda ſit à jejunis, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, nihilominus ſi miniſtretur per modum viatici, poteſt etiam non jejunis miniſtrari, ut habetur in *c. de bis nemo* & in *c. ſi quis de corp. 26. q. 6. cap. Sacramenta de conſecrat. diſt. 2.* & deſumitur etiam ex Concilio Conſtantienſe *ſeſſ. 13.* & *Rituali Roman.* Pauli V. *tit. de commun. infirmor.* Quia ſumere Euchariſtiam ante omnem alium cibum non eſt reverentia, quæ ex natura Sacramenti, neque ex inſtitutione Chriſti debeatur Euchariſtiæ, cum Chriſtus non præceperit hoc jejunium, nec ſuo facto illud docuerit; cùm conſtet poſt legalem cœnam miniſtrâſſe Diſcipulis ſuum corpus, & ſanguinem, adeo ut Diſcipuli non jejuni in ultima cœna communicaverint: unde quòd Euchariſtia ſumenda ſit à jejunis eſt tantùm præceptum Eccleſiaſticum, & ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo ſi neceſſitas urgeat, & vitæ periculum immineat, quia tunc urget præceptum divinum fortius, prævalet: cum enim Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum, inſtituit etiam ut ſumatur, cùm ipſe dixerit Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: Et cùm Chriſtus nullum determinaverit tempus communicandi: urget hoc divinum præceptum quoties imminet mortis periculum; adeo ut moribundus teneatur communicare, tametſi non ſit jejunus. Tum quia eſt tunc communio magis neceſſaria, quàm in quocunque alio tempore. Tum quia utrumque præceptum de ſervando jejunio, & de ſumendo viatico concurrit in eadem perſona; proinde debet illud prævalere, quod in ſui obſervantia eſt magis proficuum eidem perſonæ, ſeu magis ei prodeſt: & tunc magis moribundo prodeſt Euchariſtiam ſumere, quàm ſervare jejunium; vel non communicare, eò quia moribundus non ſit jejunus: quia per communionem percipit fructum Euchariſtiæ.

8 In *c. relinqui 2. & ult. h. t.* Innocentius III. prohibet, ne ſupellectilia Clericorum, vel Laicorum admittantur in Eccleſijs, niſi propter hoſtiles incurſus, vel repentina incendia, aut alias urgentes neceſſitates: & injungit, ut ceſſante neceſſitate res ad priſtina ſua loca reportentur. Rurſus præcipit ut oratoria, vaſa, corporalia, veſtimenta, pallæ altaris mundæ, & nitida conſerventur, eò quia nimis videatur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Ex hoc autem textu infert Abbas

in

in *d. c. relinqui. not. 2. h. t.* quòd urgente necessitate possint etiam templa muniri contra hostes, & defendi per milites : siquidem juxta *regul. 4. jur.* quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

§. III.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, quàm gravis debeat esse infirmitas, ut Eucharistia possit ministrari per modum viatici ægroto non jejuno? Certum est, ut docent Garcia in *sum. tract. 3. difficult. 5. dub. 2. punct. ult.* Navarrus *c. 25. manual. num. 83.* non esse in ministrando viatico scrupulosè procedendum, sed potius in favorem infirmi, & satiùs esse prævenire quàm ut infirmus præveniatur, ut non possit amplius communicare. Cùm agitur de ijs, quæ salutem concernunt animæ melius est abundare, quàm deficere. Regulariter viaticum dicitur esse ministrandum in articulo mortis: non tamen ut per mortis articulum intelligatur illud ultimum vitæ extremum, in quo moribundus est mox ex hac vita migraturus, animámque acturus : sed sumitur articulus mortis secundùm totam suam latitudinem pro toto illo tempore, in quo imminet mortis periculum, & potest contingere, ut infirmus moriatur, unde eo ipso, quòd incipit tale periculum, incipit etiam mortis articulus, ut possit viaticum infirmo ministrari, ut rectè notat Pasqualig. in *Theoria. & prax. q. 248. n. 4.* ubi etiam addit rationem, quia viaticum ordinatur ex natura sua ad viam, à qua desumit suam nomenclationem, datur enim pro spirituali sustentatione in hac vita: quando autem incipit mortis periculum infirmus se præparat pro migratione ex hac ad aliam vitam; proinde tenetur se munire viatico, ne deficiat in via. Neque obstat, quòd in Rituali Romano Pauli V. *tit. de comman. infir.* habeatur, non esse viaticum ministrandum nisi infirmus sit in tali statu, ut illa Eucharistiæ ministratio credatur futura ultima, sed quando incipit periculum mortis ministratio non creditur futura ultima, eò quia possit ad longum tempus adhuc vivere. Nam contra est, quia cum primùm incipit mortis periculum habetur sufficiens fundamentum, quòd talis ministratio Eucharistiæ sit futura ultima, quia ubi est periculum mortis, potest in quovis momento infirmus agere animam : & hæc probabilitas, quòd ministratio Eucharistiæ sit futura ultima sufficit, ut infirmus communicet per modum viatici.

2 Cæterum Rituale Romanum tantùm loquitur secundùm id, quod regulariter contingit, eò quia viaticum regulariter soleat tantùm semel ministrari. Tum quia in eodem Rituali habetur, quòd si infirmus supervixerit, possit post aliquot dies iterum communicare per modum viatici, unde cùm dicit, quòd viaticum ministretur; quando communio creditur futura ultima, id intelligitur, non quòd absolutè, & simpliciter debeat esse ultima; sed quòd probabiliter possit esse ultima ob periculum, quod imminet.

3 An verò satisfieret præcepto sumendi viaticum si infirmus constitutus in periculo mortis non intenderet communicare per modũ viatici, sed ex devotione? Respondetur affirmativè, quia præceptum non obligat ad intentionem, sed ad substantiam actûs : quapropter si mortis periculum immineat, & infirmus constitutus in tali periculo communicet, Eucharistia per se exercet rationem viatici, eò quia communicans ratione periculi imminentis sit constitutus jam in via ad alteram vitam. Imò si imminens mortis periculum non appareret, & infirmus pro viatico instaret, adhuc si esset vir prudens, qui non leviter moveretur, esset illi ministrandum, quamvis medici eum non cognoscerent constitutum in tali periculo : siquidem potest contingere, quòd morbi malignitas sit intrinseca, & non cognoscatur à Medicis, & infirmus sentiat periculum interius. Tum quia si infirmus est vir prudens, qui non soleat moveri nisi ob urgentes rationes, ejus judicium facit tunc opinionem valde probabilem, cum fundetur in vi morbi; quam ipsemet in se experitur, tametsi à Medicis non cognoscatur : credendum enim tunc potius est infirmo, qui experitur vim morbi, quàm Medicis, qui ex signis externis morbum non cognoscunt.

4 Quæritur secundò, an si moribundus sit in tali constitutus statu, ut non possit sub specie panis communicare, debeat ei ministrari viaticum sub specie vini? Certum est sub Ecclesiæ initijs, consuevisse moribundos communicare sub utraque specie, ut desumitur ex D. Clemente Papa *Epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini*; ubi de viatico ministrando moribundo ait, calicem ad perferendum sanguinem Domini præparatum cum tota munditia ministerij minister præparet, & S. Hieronymus *Epist. 4. ad Rusticum* ait: *nihil eo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro* meminit etiam hujus moris S. Gregorius *lib. 3. dialog. c. 36.* quia verò ob justas causas fuit in Ecclesia hæc consuetudo sublata; dubitatur, an si moribundus non possit communicare sub specie panis debeat ipsi ministrari viaticum sub specie vini. Respondetur negativè, quia eò ipso, quòd moribundus potest communicare sub specie vini, potest etiam communicare sub specie panis, proinde tenetur non sub specie vini, sed sub sola specie panis communicare. Tunc enim in chocleari argenteo posset infundi vinum non consecratum, vel etiam alius liquor, & misceri simul aliqua particula minima, sed sensibilis hostiæ consecratæ, quæ simul cum liquore deflueret in stomachum, tunc moribundus communicaret sub sola specie panis juxta præceptum Ecclesiæ, quæ habet à Christo, ut circa ministrationem Sacramentorum possit disponere, prout consultiùs visum fuerit in ordine ad suscipientium utilitatem, & Sacramentorum venerationem, ut habetur in Concilio Tridentino *sess. 21. c. 2.* & notat Barb. *de Paroch. c. 20. num. 45.* Unde cùm moribundus possit

tunc præceptum Eccleſiæ ſervare, & ſimul communicare per modum viatici, tenetur utrumque ſervare : cùm enim lex Eccleſiaſtica ſumendi Euchariſtiam ſub unica tantùm ſpecie panis ſit univerſalis, pro nullo caſu licitum eſt tunc miniſtrare niſi ſub ſpecie panis : quia fideles non obligantur ad ſuſcipienda Sacramenta, niſi ſecundùm illum modum, quo Eccleſia decernit eſſe miniſtranda.

5 Quòd ſi dicas, conſuetudinem non poſſe contra jus divinum prævalere, nec authoritatem humanam poſſe jus divinum minuere, proinde non poſſe introduci, ut non miniſtretur viaticum ſub ſpecie vini, quando non poteſt miniſtrari ſub ſpecie panis, cum ſit de jure divino, ut ſumatur viaticum à moribundo. Contra eſt, quia licèt conſuetudo humana non poſſit abrogare jus divinum : poteſt nihilominus declarare, quando hoc jus divinum obliget, quia Eccleſia cum ſit interpretatrix legum divinarum, quando occurrunt dubia *c. cum dilectus de conſuetud.* ideò ſtandum eſt declarationi Eccleſiæ, præſertim cum habeat poteſtatem ſtatuendi, & immutandi circa Sacramentorum adminiſtrationem ſalva eorundem ſubſtantia, ut habetur in Tridentino *ſeſſ. 21. c. 2.* ſtante autem hac poteſtate tradita Eccleſiæ poteſt hæc inducere conſuetudinem, ac ſtatuere, ut in nullo unquam caſu miniſtretur Euchariſtia, niſi ſub ſpecie panis : & hæc conſuetudo, ut legitima vim habet legis, & ſervanda eſt, ut habetur in *c. perniciosus de celebrat. miſſ.* ubi Gloſſa *V. conſuetudinem* adfert plures textus.

6 Præterea, quia eo ipſo quòd moribundus poteſt comunicare ſub ſpecie vini poteſt etiam ſub ſpecie panis, ut paulò ante explicuimus. Si enim infirmus poteſt ſumere viaticum ſub ſpecie vini, poteſt exigua particula hoſtiæ conſecratæ immiſceri vino non conſecrato, & tunc poteſt moribundus per modum unius totum demittere in ſtomachum. Quinimo hic modus miniſtrandi Euchariſtiam, ut notat Pasqualigus *in Theor. & prax. q. 251.* fundatur in hiſtoria relata à Dionyſio Alexandrino apud Euſebium *lib. 6. c. 36.* cùm enim Serapion ſenex ad necem ægrotaret, nec poſſet ſacerdos per ſe ipſum Euchariſtiam deferre, miſit illam per puerum, qui madefactam in os ſenis infudit, & ille ſimul ac paulatim per fauces immiſerit, illicò egit animam. Tum quia in die paraſceves etiam ſacerdos ſumit particulam hoſtiæ conſecratæ immixtam vino non conſecrato contento in calice : & quod eſt licitum ob Myſterium aliquod conficiendum, eſt etiam licitum ob neceſſitatem.

7 Quæritur tertiò, an imminente mortis periculo ſit viaticum ſumendum de præcepto divino? Duæ ſunt ſententiæ, quarum prima docet, nullum urgere præceptum divinum ſumendi viaticum imminente mortis periculo, eò quia Chriſtus tantùm præceperit ſumptionem Euchariſtiæ abſque ulla temporis determinatione, unde ſi ſemel, & iterum ſumatur in vita ſufficit ad implendum divinum præceptum. Tum quia Eccleſia interdum privavit viatico publicos pœnitentes ob certa delicta, ut deſumitur ex Concilio Eliberitano *can. 1. & ſequent.* & ex Concilio Sardicenſi *c. 2.* Si autem urgeret præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis, Eccleſia non potuiſſet privare viatico publicos illos pœnitentes, quia non poteſt derogare juri divino : inferior enim non habet poteſtatem in legem ſuperioris ; docent hanc ſententiam Cajetanus *in ſum. V. communio.* Victoria *in ſum. tit de Euchariſtia. n. 86.* Paludanus *in 4. diſt. 9. q. 1.* Communior tamen, & verior ſententia aſſerit, præceptũ divinum de ſumenda Euchariſtia obligare quoties imminet periculũ mortis, ut docent Sotus *diſt. 12. q. 1. art. 11.* Suarez *diſp. 69. de Euchariſt. ſect. 3.* Pasqualigus in *Theor. & prax. q. 267. num. 3.* Valentia *tom. 4. diſp. 6. q. 8. punct. 4.*

8 Hæc ſententia cui adhærendum eſt, deſumitur ex Concilio Carthaginenſi IV. *can. 77.* approbato à Leone IV. & ex Concilio Nicæno 1. *can. 12.* relato in *c. quod de hic. 26. q. 6.* ubi præcipitur, miniſtrari Euchariſtiam publicis pœnitentibus, ne ſcilicet priventur neceſſario viatico : vocat Concilium viaticum neceſſarium ; proinde implicitè declarat, eſſe de jure divino, cum Eccleſia tantùm obliget tempore paſchali, unde cùm non ſit neceſſarium ex præcepto Eccleſiæ, ſequitur eſſe neceſſarium ex præcepto divino. Neque obſtat, quod reſpondent aliqui, viaticum eſſe tantùm neceſſarium neceſſitate morali ; & de hac neceſſitate fuiſſe locutum Concilium. Nam contra eſt, quia etiam ſi Concilium fuiſſet locutum de neceſſitate morali, adhuc eſt de præcepto divino : ratio videtur perſpicua, quia cùm poſſit fidelis ſimpliciter, & abſolutè conſequi ſalutem æternam per ſolum actum veræ contritionis, vel etiam per actum attritionis junctum cum Sacramento pœnitentiæ, ſequitur Euchariſtiam non eſſe Phyſicè, neque abſolutè neceſſariam ad ſalutem, ſed tantùm moraliter : unde ſi ejus ſumptio eſt moraliter neceſſaria, quoties imminet mortis periculum, hæc neceſſitas oritur ex præcepto divino, adeo ut hoc obliget ad ſumendam Euchariſtiam quoties moraliter eſt neceſſaria : ſiquidem cum Chriſtus ita inſtituerit Euchariſtiam, ut non obligaverit fideles ad eam ſumendam pro aliquo determinato tempore, ſequitur quòd ex natura Sacramenti hæc obligatio trahatur ad illud tempus, in quo eſt neceſſaria, & cum tale tempus ſit quoties imminet mortis periculum ſequitur, quòd tunc ſumenda ſit Euchariſtia ex præcepto divino.

9 Tum quia Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ad corroborandam vitam ſpiritualem contra tentationes, & dœmonis aſſultus ; & reliquit præceptum in genere de illa ſumenda, proinde tunc determinatur ad certum tempus, quando urget neceſſitas ſuperandi tentationes, & dœmonis inſultus ; & hæc neceſſitas, vel maximè habetur, quando imminet mortis periculum : ergo tunc de præcepto divino conſtitutus in tali periculo tenetur Euchariſtiam ſumere. Eatenus Chriſtus non determinavit tempus, in quo obligaret, quia impoſuit præceptum proportionato modo ad neceſſitatem, quæ cum ſit indeterminata quoad tempus, reliquit etiam præ-

ceptum indeterminatum : quoties autem imminet mortis periculum necessitas est maxima; proinde tunc præceptum divinum,vel maximè obligat, quia tunc habet locum causa finalis, ob quam Deus Eucharistiam instituit : & quia causa finalis trahit secum dispositionem legis,tunc etiam obligat *l. illud. ff. ad leg. Aquil. l. si postulaverit. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.*

10 Hinc patet solutio ad fundamentum oppositæ sententiæ, quia eatenus Christus non definivit tempus, quo tenerentur fideles Eucharistiam sumere, quia imposuit hoc præceptum juxta exigentiam finis, ad quem ordinabatur quapropter implicitè obligavit pluries, & pluries ad eam sumendam, quoties scilicet urgeret necessitas, seu immineret mortis periculum. Ad confirmationem respondetur, Ecclesiam accepisse à Deo potestatem circa administrationem Sacramentorum, ut si consultius visum fuisset salva eorundem substantia disponeret circa modum, & tempus sumendi Eucharistiam, ut docet Tridentinum *sess. 21. c. 2. de commun.* Hinc præfata Concilia putârunt tunc fuisse expediens ob patrata crimina denegare Eucharistiam in articulo mortis. Neque in hoc derogârunt juri divino ; quia tunc Ecclesia usa fuit ea potestate, quam accepit à Christo disponendi circa tempus, & modum sumendi Eucharistiam, adeo ut præceptum divinum habeat tacitam conditionem si Ecclesia judicaverit esse Eucharistiam tunc ministrandam : voluit enim Christus ut Ecclesia procederet humano modo, proinde ei concessit hanc potestatem.

11 Quæritur quartò, an qui manè extra mortis periculum communicavit ex devotione;si nocte immineat mortis periculum,teneatur sumere viaticum ? Respondetur probabiliorem, & veriorem sententiam esse affirmativam. Ratio est, quia præceptum sumendi viaticum est affixum tali tempori, quando imminet mortis periculum: adeo ut tunc tantùm incipiat obligare : qui autem manè communicavit ex devotione extra mortis periculum communicavit tempore, quo hoc præceptum nondum obligabat ; proinde non potuit illi satisfeciſſe ; tunc enim satisfit præcepto, quando servatur tempore quo obligat : & præceptum sumendi viaticum cùm obliget in ordine ad transitum ex hac ad alteram vitam, seu quando imminet mortis periculum ; non potest extra tale periculum obligare. Non enim obligatio legis impleri potest antequam superveniat; consequenter nec potest quis satisfacere præcepto de sumendo viatico antequam tale præceptum obliget. Tum quia lex non obligat nisi innotescat : & præceptum de sumendo viatico non innotescit, nisi simul innotescat mortis periculum: siquidem obligat in ordine ad tale periculum.

12 Neque urget si quis dicas, solutionem anticipatè factam extinguere obligationem solvendi debitum, quod certo tempore erat postea solvendum. Nam contra est, quia id tantùm procedit, quando tempus non designatur, ut solutio in ipso fiat, seu ut ultra tale tempus non differatur : hinc si Petrus debeat intra annum solvere centum Paulo, si post unum, vel alterum mensem statim solvat extinguit debitum, quia obligatio est, ut solutio non differatur ultra annum, non verò quòd non possit quovis anni tempore extinguere debitum : at præceptum de sumendo viatico obligat tali determinato tempore, quo imminet mortis periculum, consequenter non potest quis eidem præcepto satisfacere, nisi pro tali tempore sumat viaticum:quando enim præceptum est affixum tempori, non solùm præscribit actum faciendum, sed etiam faciendum tali tempore. Hinc qui manè extra periculum mortis communicavit ex devotione, si vespere incidat in mortis periculum, tenetur communicare per modum viatici, quia præceptum de sumendo viatico incipit tantùm urgere vespere, cum primùm incipit mortis periculum, unde per communionem matutinam non potest extingui nisi de præsenti adsit : quando enim non est, nec potest extingui,quia non entis non sunt passiones : unde cum quis vespere incidit in mortis periculum; tametsi manè communicàverit, adhuc tenetur vespere iterum communicare per modum viatici, ut satisfaciat præcepto divino.

Quæritur quintò, an si quis post sumptum 13
viaticum incidat in peccatum mortale teneatur iterum communicare ? Communior & probabilior sententia est negativa,quam docent Suarez *disp. 69. de Eucharist.* Pasqualigus *de Theoria. & prax. q. 273.* Aversa *q. 8. de Eucharist. sect. 3.* Conink *de Sacrament. q. 80. art. 11. dub. 3. num. 100.* eò quia præceptum de sumendo viatico non obligat ratione peccati mortalis, in quod moribundus incidit, sed ratione periculi mortis : adeo ut si incidens in mortis periculum nullius peccati mortalis haberet conscientiam, adhuc teneretur sumere viaticum ad reficendam animam, séque corroborandum contra tentationes,& dæmonis insultus : atqui sive moribundus post sumptum viaticum peccaverit lethaliter,sive non,semper habetur idem periculum ; proinde cùm non iteretur periculum, neque iterandum est viaticum, cum hoc sumendum sit ob tale periculum.

Tum quia si adesset obligatio sumendi de 14
novo viaticum post commissum peccatum lethale infirmus teneretur manifestare se peccâsse lethaliter, si non post multum tempus deberet iterum viaticum sumere, quia tunc omnes adstantes judicarent, non posse ob aliam causam iterum sumere viaticum,nisi,quia urgeat nova obligatio post peccatum lethale : atqui nullum præceptum potest obligare ad manifestanda propria peccata, quando hæc sunt occulta, quia id est contra jus tuendi propriam opinionem bonam : id enim esset se infamare, præsertim si eodem die contingeret manè,& vespere communicare per modum viatici, eò quia moribundus post matutinum viaticum lethaliter peccaverit. Quamobrem tunc sufficit, si peccatum illud lethale aperiat in confessione Sacramentali, & illius moribundum pœniteat.

Quæritur sextò, an si moribundus die pa- 15
schatis communicaret per modum viatici,simul satisfaceret utrique præcepto divino de sumen-

do viatico in mortis articulo, & Ecclesiastico de sumenda Eucharistia tempore paschali, adeo ut si periculo defunctus superviveret, non teneatur iterum communicare? Respondetur, probabile esse, quòd tunc satisfaceret utrique præcepto: siquidem extra materiam justitiæ per unicum actū posse adimpleri plura præcepta docent fere communiter Sanchez *lib. 1. in decal. c. 14. num. 5.* Sotus *lib. 1. de justit. & jur. q. 6. art. 8.* Cum igitur præceptum sumendi Eucharistiam non sit in materia justitiæ, nec in materia onerosa, sed tantùm in materia virtutis, non exigit per se primò substantiam operis, sed tantùm exercitium virtutis. Quia quoties plura præcepta uniuntur in effectu, propter quem ponuntur, se habent per modum unius respectu talis effectus; adeo ut per positionem effectus simul satisfiat ómnibus illis præceptis; sic licèt filius teneatur succurrere patri indigenti, ratione pietatis, & ratione charitatis urgentis, ò quia sit ejus pater in gravi necessitate constitutus; non obligatur filius ad dupliciter subveniendum patri, semel ut satisfaciat pietati, & iterum ut adimpleat præceptum charitatis, sed si semel succurrat ad sufficientiam patri satisfacit utrique virtuti: atqui præceptum Ecclesiasticum communicandi tempore paschali, & præceptum dominum communicandi, quando imminet mortis periculum ordinantur ad eundem effectum; scilicet ad corroborandam animam contra tentationes, & insultus dœmonis: & hic effectus habetur sive communio fiat per modum viatici, sive ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ; & quia eo tempore urget obligatio utriusque præcepti ratione scilicet periculi mortis, & temporis paschalis, ideo satisfit utrique præcepto per hoc præcisè, quòd moribundus communicet per modum viatici, quia tunc ambo præcepta uniuntur in effectu, ob quem obligant.

16 Quæritur septimò, an possit interdum extra mortis periculum ministrari viaticum? Respondetur, quòd si timeatur superventurum aliquod impedimentum, & morbus sit talis, ut postea non permittat ægrotanti sumere viaticum, tunc potest ministrari; tametsi nondum adsit mortis periculum, quia tunc urget ratio, ob quam in mortis periculo ministranda sit Eucharistia per modum viatici non jejuno, scilicet necessitas spiritualis refectionis, & corroborationis, ob quam obligatio præcepti tunc urget, quia licèt necessitas non sit præsens, censetur nihilominus probabiliter superventura, & rursus timetur impedimentum, quo infirmus non possit postea viaticum sumere, ut asserit Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 4. c. 5. num. 3. ver. si nullum.* Quia præceptum de sumendo viatico imminente mortis periculo obligat pro ultimo tempore vitæ, quatenus cognoscitur hoc periculum; atqui in nostro casu obligat pro ultimo tempore vitæ, quia illud tempus, tametsi nondum immineat mortis periculum, habetur probabiliter pro ultimo tempore vitæ, cùm timeatur non solùm superventurum mortis periculum, sed etiam impedimentum, quo non possit moribundus postea amplius communicare per modum viatici. Hinc putârim, infirmum non solùm posse, verùm etiam teneri tunc sumere viaticum.

17 Si dicas, eum qui prævidet se non esse adimpleturum ob legitimum impedimentum præceptum communionis paschalis non teneri eam anticipare. Respondetur esse discrimen; quia communio paschalis, ideo non est anticipanda, quia ante tempus paschale non obligat. At præceptum sumendi viaticum obligat pro ultimo tempore vitæ, quatenus probabiliter cognoscitur esse tale; & in casu nostro tempus illud in quo nondum imminet mortis periculum censetur ultimum vitæ in ordine ad sumptionem viatici ob impedimentum, quod timetur subsecuturum, ne moribundus possit amplius viaticum sumere.

18 Hinc si Deus manè revelaret alicui se moriturum vespere; tametsi quantum est ex causis secundis nullum immineret mortis periculum, adhuc teneretur se munire viatico, si ipsi revelaretur, quòd vespere non posset ampliùs illud sumere; quia illud tempus, in quo nondum immineret mortis periculum quoad causas secundas, quæ innotescerent hominibus, adhuc haberetur tunc pro ultimo vitæ; proinde adesset obligatio sumendi viaticum, quia jam instaret ultimum vitæ, in quo obligat hoc præceptum.

19 Quæritur octavò, an possit quis in eadem infirmitate pluries viaticum sumere? Respondetur, ex devotione posse pluries infirmum communicare, perinde ac sanus potest si velit singulis diebus communicare: sed tunc debet infirmus jejunus communicare. Unde quæstio procedit, an infirmus etiam non jejunus possit pluries in eadem infirmitate sumere viaticum? Respondetur cum communiori, & veriori sententia affirmativè, & desumitur ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito *tit. de communione infirmor.* ubi de viatico dicitur. *Pro viatico autem ministrabit cum probabile erit, quòd Eucharistiam amplius sumere non poterit. Quòd si aeger sumpto viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.* Ratio etiam id suadet, quia Sacramentum Eucharistiæ ex natura sua iterabile est etiam singulis diebus, & nulla in jure habetur prohibitio ministrandi pluries viaticum infirmis constitutis in mortis articulo; proinde potest pluries ministrari præsertim cùm hoc Sacramentum fuerit institutum per modum cibi spiritualis reficientis, ac corroborantis vitam spiritualem. Idque si necessitas urgeat hujus corroborationis, & refectionis, ut revera urget, quando imminet mortis periculum, proinde potest tunc pluries iterari.

20 Neque obstat, quòd infirmus non jejunus communicet, quia præmittere jejunium est tantùm de præcepto Ecclesiæ, quæ sicut præceptum hoc imposuit, ita in eodem dispensat cum moribundo: unde supposita hac dispensatione non video, cur constitutus in mortis periculo non possit, etiam non jejunus pluries communicare. Tum quia Ecclesia ideo dispensat cum moribundis, ne decedant sine hoc Sacramento

adeo ut hæc sit causa impulsiva, non verò causa finalis : siquidem finis est ut roboretur, & reficiatur moribundus contra tentationes urgentes tunc, & dæmonis insultus : & quia hæc causa finalis semper sortitur suum effectum, quoties moribundus communicat, ideo cum causa finali censetur etiam adesse consensus Ecclesiæ : & quamvis cesset causa impulsiva, adhuc tamen dispositio legis perseverat, ut notant Bald. *consil.* 337. *num.* 2. *lib.* 3. Tiraquel *tract. cessante causa. limit.* 1. *num.* 2. Ut autem in eadem infirmitate, ac perseverante eodem mortis periculo possit viaticum iterari, sufficit in sententia perquam probabili, si ab una ad alteram communionem fluxerint sex, vel septem dies, hoc enim desumitur ex Rituali Romano superiùs citato, ubi dicitur, quòd si æger dies aliquot vixerit, poterit iterum communicare: atqui ut verificentur aliquòt dies sufficiunt sex, vel septem, quia si dixisset, si superviveret aliquem diem id intelligeretur quod post biduum posset iterum communicare, unde cùm dicat in plurali post aliquot dies, sufficienter intelliguntur verificari per sex, vel septem dies: imò etiam per quinque, & quatuor: si enim ab una ad alteram communionem fluxerint quatuor dies verificatur, quòd interceserint aliquot dies cum quatuor dies revera sint aliquot dies.

21 Quæritur nonò, an infirmus extra periculum mortis, si non possit servare jejunium adhuc possit illi Eucharistia ministrari? Respondetur, quòd si infirmitas duraret toto tempore paschali, & ægrotus etiam extra periculum mortis non posset per aliquot horas servare jejunium, adhuc esset illi ministranda Eucharistia, ut satisfaceret præcepto paschalis communionis. Quia communicare cum prævio jejunio est tantùm præceptum Ecclesiasticum : & præceptum communionis paschalis non solùm est Ecclesiasticum, sed etiam divinum, quatenus, Ecclesia præcepit, ut præceptum divinum sumendi Eucharistiam obligaret tempore paschali: Christus enim ex Concilio Tridentino concessit potestatem Ecclesiæ disponendi de modo, & tempore sumendi Sacramenta, unde Ecclesia potuit declarare, & præcipere, quod præceptum divinum de sumenda Eucharistia extra mortis periculum obligaret etiam tempore paschali : proinde infirmus etiam non jejunus teneretur tunc communicare, ut satisfaceret simul præcepto divino, & Ecclesiastico, quia hæc duo præcepta simul sumpta prævalent præcepto de servando jejunio ante communionem: & cùm non possint simul omnia servari, servanda sunt principaliora, & cùm præceptum communionis paschalis contineat executionem præcepti divini de sumenda Eucharistia, est magis principale, proinde servandum, quamvis simul non possit servari præceptum jejunij. Tum quia Ecclesia pro transgressione præcepti injungentis jejunium ante communionem non imponit aliquam pœnam : secus pro transgressione præcepti communicandi in paschate injungit pœnam excommunicationis, ut desumitur *ex c. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* argumento sanè id est, Ecclesiam habere pro principali præceptum communicandi tempore paschali.

An verò extra tempus paschale ex sola devotione possit infirmus communicare non jejunus, eò quia infirmitas sit diuturna, & non possit sine gravi incommodo servare jejunium. Respondeo, Eucharistiam non esse ministrandam tali infirmo non jejuno cupienti communicare tantùm ex devotione: ratio est, quia si non communicet nullum transgreditur præceptum; proinde nil mali agit, & si velit, potest spiritualiter communicare, seu omnes illas preces fundere Deo, ac si realiter communicaret, inde enim posset satisfacere suæ devotioni, & aliquod etiam percipere augmentum meriti ob actus illos virtutis, & orationis. Secus si communicet non jejunus transgreditur absque ulla necessitate præceptum Ecclesiæ de præmittendo jejunio ante communionem; & infirmus communicans non jejunus non servat illam reverentiam, quam deberet erga Eucharistiam: unde licet nonnulli censeant, posse ex sola devotione infirmum communicare etiam non præmisso jejunio extra mortis periculum; non auderem ego huic sententiæ adhærere, nec in praxim deducere, sed tunc consultiùs foret, si summo manè, quando infirmus est adhuc jejunus, si possit post mediam noctem servare jejunium per quatuor, vel quinque horas, communicaret, quod commodè posset contingere, si ab Episcopo facultatem obtineret, ut in ejus cubiculo posset decens altare erigi, ut missa celebraretur, & ab infirmo Eucharistia sumeretur. 22

Quæritur decimò, an viaticum possit ministrari à quocunque sacerdote? Respondetur regulariter non posse quemlibet sacerdotem ministrare viaticum, sed illum tantùm, cui cura incumbit animarum, & exercet officium pastoris, ut Parochus, Episcopus, & desumitur ex Concilio Carthaginensi 1. *c.* 7. Millevitano *can.* 18. & docet Tertullianus *de corona. milit. c.* 3. *num.* 3. quia tametsi qui conficit Eucharistiam possit illam administrare quantum est ex vi Ordinis, nihilominus quia ministratio Eucharistiæ propriè est actus pascendi oves, debet exerceri ab ipsis pastoribus, quapropter tantùm Parochi, & Episcopi ex officio viaticum ministrant. Possunt tamen pastores nonnunquam hoc ministerium alteri sacerdòti committere in ordine ad ministrandum viaticum propriis ovibus; adeo ut hoc munus possit alteri non pastori delegari, ut desumitur *ex c. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. & ex Clement. 1. de privileg.* An verò requiratur expressus consensus pastoris, vel tantùm sufficiat præsumpta voluntas; plures censent, hanc præsumptam voluntatem proprij pastoris sufficere, Quia eo ipso quòd habetur voluntas præsumpta, seu spes futuræ ratihabitionis non læditur jus pastoris, nec usurpatur ejus officium contra ejus voluntatem : siquidem præsumpta voluntas, & spes ratihabitionis inducunt interpretativum consensum. Cæterum ministrare viaticum absque præsumpta proprij pastoris voluntate, si pastor esset paratus per se viaticum 23

miniſtrare ; non excuſaretur à peccato lethali, quia in re gravi læditur jus alienum, & ſimplex ſacerdos ſibi uſurpat jus, & officium quòd illi non competit.

24 Quæritur undecimò, an omnis Chriſtianus ſit capax Sacramenti extremæ unctionis ? Reſpondetur, ſolum hominem baptizatum eſſe capacem hujus Sacramenti, eò quia per baptismum tantùm fiunt homines capaces Sacramentorum ; proinde omnes baptizati ſi habeant cætera requiſita poſſunt hoc Sacramentum ſuſcipere, & deſumitur ex *Epiſt.* D. Jacobi *c. 5.* ubi ait, *Infirmatur quis in vobis* ſcilicet ex vobis : ubi juvat obſervare, Apoſtolum non dicere abſolutè *Infirmatur quis*: ſed ulterius addit *ex vobis*, & cùm tunc ſcribetet ad baptizatos, intellexit de iis baptizatis, qui infirmantur, ut etiam ſupponit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. init. de extrema unctione.* Nihilominus non omnes baptizati ſunt capaces hujus Sacramenti, ſed ij tantùm, qui habent, vel aliquando habuerunt uſum rationis ſufficientem ad peccandum, & deſumitur etiam ex *d. Epiſt.* ubi ait, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſia*, illud verbum *inducat* dirigitur ab Apoſtolo ad ipſum infirmum, de quo nõ poſſet verificari niſi uteretur ratione, cognoſceret Sacramentum, & illud peteret. Ratio itidem eſt, quia qui nondum fuit ſui compos, non eſt capax effectus Sacramenti : quia Sacramenta fuerunt à Chriſto inſtituta pro ijs, qui ratione ſui ſtatus ſunt capaces effectus eorundem. Effectus autem extremæ unctionis eſt alleviare infirmum, & remittere peccata juxta illud Jacobi *c. 5. Alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*: at qui nunquam habuit uſum rationis, non eſt capax remiſſionis peccatorum, quia ſinè uſu rationis non poteſt quis peccare. Unde cum non ſit capax effectus hujus Sacramenti, non eſt capax ipſo Sacramento.

25 Neque poteſt eſſe capax alleviationis cùm hæc conſiſtat in quodam ſpirituali robore, quo animus infirmi erigitur ad ſpem, & ad concipiendam magnam fiduciam divinæ miſericordiæ, ut habetur in Tridentino *ſeſſ. 14. c. 2. de extrem. Unction.* atqui hic effectus involvit uſum rationis ; proinde qui ratione non utitur, non eſt capax alleviationis. Et quamvis qui nunquam habuerunt uſum rationis ſint baptizati, & capaces augmenti gratiæ : non tamen gratiæ hujus Sacramenti : ſiquidem quodlibet Sacramentum cauſat gratiam, ut effectum Sacramentalem ſibi proprium, & tali gratiæ ſunt annexa auxilia in ordine ad finem Sacramenti : & qui non utuntur ratione, non ſunt capaces effectu hujus Sacramenti ; tametſi poſſint augmentum gratiæ ut ſic ſuſcipere : non enim qui rationis uſu deſtituuntur poſſunt animum erigere ad concipiendam magnam fiduciam divinæ miſericordiæ, hic enim effectus, ut ait Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 2. de Extrem. unct.* involvit uſum rationis; proinde deſtitutus hoc uſu non eſt capax alleviationis conſiſtentis in robore ſpirituali, quo erigitur animus infirmi ad dictam fiduciam divinæ miſericordiæ : & cùm non ſit capax effectûs proprij hujus Sacramenti, nec eſt capax Sacramenti.

Neque obſtat, Sacramentum confirmationis 26
dare jus ad recipienda auxilia contra tentationes circa fidem, & ad illam profitendam, & nihilominus poſſe impertiri infantibus nondum utentibus ratione, & in quibus propterea non habet locum effectus confirmationis. Etenim eſt diſcrimen : quia gratia Sacramentalis confirmationis eſt jus ad habenda auxilia divina in ordine ad proteſtandam fidem, & tale jus perſeverat non ſolùm pro illo tempore, quo ſuſcipitur Sacramentum confirmationis, ſed etiam pro tota vita, quia cùm Sacramentum confirmationis non ſit iterabile producit effectum duraturum pro tota vita ; cùm ſemper poſſint occurrere tales tentationes, & occaſiones profitendi fidem : hinc homo cùm ſit capax horum auxiliorum per totam vitam, quamvis ante uſum rationis ſuſcipiat Sacramentum confirmationis recipit ejus effectum, ſeu jus ad talia auxilia recipienda per totum vitæ curſum. Secus Sacramentum extremæ unctionis dat tantùm jus ad illa auxilia, quæ requiruntur in ordine ad alleviationem pro eo tempore, quo imminet periculum mortis; proinde ſi tunc infirmus non ſit capax alleviationis, ſeu effectus extremæ unctionis, nec erit capax talis Sacramenti.

Quæritur duodecimò, an Sacramentum 27
Extremæ unctionis poſſit miniſtrari actualiter furioſis, & phreneticis? Reſpondetur affirmativè, dummodo duæ concurrant conditiones, quarum prima eſt, ut aliquando habuerint uſum rationis, quamvis actu illo careant ratione freneſis. Secunda dummodo conſtet, quòd Chriſtianè vixerint, & non conſtet fuiſſe in peccato mortali, quando uſum amiſerunt rationis; ita docent communiter Doctores cum Barb. *de offic. Paroch. c. 22. n. 31.* Navarro *c. 22. manual. num. 13.* Diana *p. 5. tract. 3. reſolut. 84.* Pasqualigo *in Theor. & prax. q. 371.* ubi plena manu refert Doctores docentes hanc ſententiam. Ratio eſt, quia ſi antea fuerunt uſi ratione, & chriſtianè vixerint, & non conſtat, cecidiſſe in amentiam in ſtatu peccati lethalis, habent capacitatem accedente periculo mortis in infirmitate tanquam conditione, recipiendi hoc Sacramentum, quia poteſt fortiri aliquem effectum in ipſis, quatenus extrema unctio poteſt illis conferre gratiam alleviatricem in actu primo, & quæ ſit annexa cum jure ad actum ſecundum, qui poneretur niſi adeſſet impedimentum : & rurſus poteſt hoc Sacramentum in ipſis remittere reliquias peccatorum, ſi quæ ſint : unde cùm ſint capaces effectus hujus Sacramenti, ſunt etiam capaces Sacramenti. Neque obſtat, quòd non ſint capaces alleviationis conſiſtentis in robore ſpirituali, quo erigitur animus infirmi ad concipiendam magnam fiduciam divinæ miſericordiæ. Quia licet non ſint capaces talis alleviationis in actu ſecundo, & per accidens ob impedimentũ phreneſis, ſunt tamen capaces illius per ſe, & in actu primo : ubi tantùm per accidens non eſt capacitas operationis, ibi manet capacitas Sacramenti, quia tunc operatio impeditur ſolùm per accidens: & quod eſt per accidens, non tollit id, quod eſt per ſe.

Tum

28 Tum quia licèt ob phreneſim, vel vim morbi non ſint capaces actualis alleviationis, ſi tamen ſupponantur in gratia, ſunt capaces augmenti gratiæ, & effectus hujus Sacramenti; eſtque gratia habitualis perfectiva chriſtianæ vitæ, & cum jure ad illa auxilia, quibus perficitur homo in ſuis operationibus in ordine ad ſalutem. Tum quia in Concilio Arauſicano 11. *can.* 11. habetur, eſſe conferenda Sacramenta ſubito obmutescenti, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium habeat, vel in aliorum verbis, aut in ſuo nutu: & eſt eadem ratio de obmutescente, ſeu amittente uſum ſenſuum, ac de amittentibus uſum rationis in ordine ad percipienda Sacramenta non exigentia operationes in ſuſcipiente, ut eſt extrema unctio. Tum quia utplurimùm amiſſio ſenſuum trahit ſecum carentiam uſus rationis: unde qui chriſtianè vixit, habétque teſtimonium ſuæ probitatis; tametſi in mortis articulo ſit deſtitutus ſenſibus, & uſu rationis, adhuc erit capax extremæ unctionis ex dicto Concilio Arauſicano. Tum quia ex eodem Concilio relato *in c. qui recedunt*, 26. *q.* 6. amentibus quæcunque pietatis ſunt, poſſunt conferri; proinde etiam extrema unctio, cùm ſit quid pietatis, & poſſit eſſe cauſa, ut conſequantur æternam ſalutem, ſi nimirum quando inciderunt in amentiam fuerunt in ſtatu peccati, & elicuerunt actum attritionis, quo fuerunt ſufficienter diſpoſiti pro hoc Sacramento, quòd ſi ipſis miniſtretur cum prævia hac diſpoſitione attritionis conſtituuntur in gratia, & æternam enanciſcuntur ſalutem.

29 Quæritur terciodecimò, an pueris ſtatim poſt uſum rationis imminente mortis periculo, poſſit miniſtrari Extrema unctio? Reſpondent communiter affirmativè, eò quia cum primùm utuntur ratione, ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ; proinde etiam extremæ unctionis, quæ debet ipſis miniſtrari, ſi infirmentur ad mortem: quia eo ipſo, quòd ſunt capaces Sacramenti pœnitentiæ, ſunt etiam capaces effectus hujus Sacramenti, ſeu remiſſionis reliquiarum peccatorum. Tum quia poſt uſum rationis ſunt obnoxij tentationibus, unde poſſunt virtute hujus Sacramenti alleviari, & corroborari contra tentationes. Tum quia major uſus rationis requiritur pro Sacramento pœnitentiæ, quàm pro extrema unctione: ſiquidem pro Sacramento pœnitentiæ neceſsè eſt, ut pœnitens diſcernat inter peccata, eliciátque actum doloris, ac concipiat firmum propoſitum emendationis, hæc enim omnia exigunt non modicum uſum rationis: at pro ſuſcipienda extrema unctione non requiritur tanta diſcretio, ſed ſufficit expiatio conſcientiæ per pœnitentiam, ut ſit diſpoſitus. Immo etiam in dubio, an puer ſeptennis habeat uſum rationis miniſtranda eſt illi extrema unctio ſub conditione ſi eſt capax, quia eſt eadem capacitas Sacramenti pœnitentiæ, & extremæ unctionis, adeo ut ſi ſit capax pœnitentiæ, ſit etiam capax extremæ unctionis, utrumque enim Sacramentum ordinatur ad delenda peccata, & extrema unctio conſumit reliquias peccatorum, quæ ſuperfuerunt ex Sacramento pœnitentiæ: ſed ſi dubitetur de uſu rationis, poteſt ſub conditione abſolvi puer à peccatis; proinde poterit etiam eidem ſub conditione conferri Sacramentum extremæ unctionis.

30 Immo videtur etiam dicendum, teneri Parochum miniſtrare extremam unctionem, tametſi dubitet, an puer habeat uſum rationis: quia ratione officij tenetur Parochus paſcere oves, eo modo, quo poteſt eas paſcere, & quia poteſt tunc ſub conditione miniſtrare extremam unctionem, tenetur illam miniſtrare tali pacto. Neque ſecundùm probabiliorem ſententiam Sacramentum Extremæ unctionis exigit in ſubjecto, quòd aliquando peccaverit: quia aliquando peccâſſe non eſt aliquod requiſitum ſubſtantiale pro hoc Sacramento, quia omnia ſubſtantialia recenſentur à D. Jacobo Apoſtolo *in c. 5. ſuæ Epiſtolæ* juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 3. de Extrem. unct.* & Apoſtolus non meminit huius conditionis, ut ſuſcipiens aliquando peccaverit: proinde qui nunquam peccavit adhuc eſt capax hujus Sacramenti, quia non deeſt ipſi quidquam ſubſtantiale requiſitum. Tum quia Extrema unctio eſt Sacramentum vivorum, & ſupponit gratiam in ſuſcipiente, & tantùm per accidens illam cauſat: ergo non ſupponit per ſe, ut quid neceſſarium ad ejus validitatem, quòd in ſuſcipiente præceſſerit peccatum: id enim adeſt diſcriminis inter Sacramenta vivorum, & mortuorum, quia illa non ſupponunt per ſe peccatum, ſed tantùm per accidens: ſecus iſta ſupponunt peccatum, quod delent.

31 Hinc extrema unctio ſi adſint reliquiæ peccatorum eas conſumit; ſi non adſint, adhuc producit ſuum augmentum gratiæ: etenim etiam baptiſmus per ſe habet delere peccatum originale, & nihilominus in beatiſſima virgine illud non delevit, & nihilominus ſuſcepit B. Virgo effectum baptiſmi; ſcilicet gratiam, & characterem, quo Chriſtiani diſtinguuntur ab infidelibus: ergo licèt extrema unctio ordinaretur ad tollendas per ſe reliquias peccatorum, adhuc non eſt neceſſe, quòd iſtæ præceſſerint, & adſint; quia ſi adſunt, eas delet, & ſi non adſunt, producit, augmentum gratiæ. Hinc Apoſtolus Jacobus recenſens effectus hujus Sacramenti ait: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit dimittentur ei*, unde ut explicat Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de Extrem. unct.* effectus Sacramenti conſiſtit in gratia Spiritus ſancti, quæ alleviat animam, & confirmat, excitátque magnam divinæ miſericordiæ fiduciam, quâ infirmus ſublevatus morbi incommoda ſuperat, & labores faciliùs tolerat, ac reſiſtit dæmonis aſſultibus: qui verò nunquam peccavit, adhuc poteſt recipere gratiam Spiritus ſancti, quia hic effectus abſolutè convenit Sacramento, poteſt enim ſuſcipere gratiam alleviantem, & confortantem pro illo ultimo tempore, tametſi non deleantur reliquiæ peccatorum, eò quia non ſint.

32 Hinc etiam ipſa B. Virgo, tametſi immunis fuerit à peccato originali, fuit capax Extremæ unctionis, & in ſententia probabiliori eam ſuſce-

ſuſcepit, ut dotent Suarez *3. tom. p. 2. diſp. 18. ſect. 3.* Iſambert. *diſp. 6. de Extrema unct. art. 3. in fin.* quia Beata virgo fuit capax effectus extremæ unctionis, ſeu gratiæ habitualis cum auxiliis annexis ad alleviandam animam, & corroborandam, ut fortiori modo ſe promoveret in finem ſupernaturalem per actus ſupernaturales meritorios, & ad reſiſtendum valentiùs tentationibus, ſi urgerent: & quamvis in Beatiſſima virgine non fuerint impedimenta, quæ retardarēt erectionem animæ in Deum, adhuc tamen potuit animam erigere, & gratia Extremæ unctionis potuit id operari, ut fortiori modo niteretur in finem ſupernaturalem: non enim cauſa ceſſat à productione ſui effectus, eò quia in ſubjecto non reperiat diſpoſitiones contrarias expellendas: imò faciliùs tunc cauſa in illo ſuum producit effectū: unde quamvis in B. Virgine nullum fuerit peccatum, adhuc potuit recipere gratiam, quæ eſt proprius effectus hujus Sacramenti, & auxilia eidem annexa ad magis corroborandas vires ſpirituales animæ, ut per actus ſupernaturales fortiùs niteretur in Deum ut ſuum finem: adeo ut auxilia, quæ cæteris inſerviunt ratione indigentiæ ad excutiendum animæ torporem, B. Virgini inſervierint ad corroborandum ſpiritualem vigorem, & ad excitandas uberiores vires ſpirituales, quibus valentiùs niteretur in finem ſupernaturalem.

33 Hinc adulto, ſi poſt ſuſceptum baptismum conſtitueretur in mortis articulo, eſſet ipſi miniſtranda Extrema unctio, quamvis ex ſuppoſitione quòd poſt baptismum nullum commiſerit peccatum, nec veniale, nec propterea præmiſerit Sacramentum pœnitentiæ. Quia quamvis nullum adeſſet peccatum, nullæ peccatorum reliquiæ; adhuc hoc Sacramentum operaretur ſuum effectum, ſcilicet alleviationem ſpiritualem, proindè cùm recèns baptizatus foret capax effectus principalis hujus Sacramenti, eſſet eidem hoc Sacramentum miniſtrandum.

34 Quæritur quartodecimo, an extra corporis infirmitatem, ſi pericula immineant mortis, ut in bello, naufragiis, & iis, qui ſunt damnati ad mortem, poſſit Sacramentum Extremæ unctionis miniſtrari? Reſpodetur negativè, eò quia ad validitatem hujus Sacramenti requiritur infirmitas corporalis in ſuſcipiente, ut communiter docent Doctores, & deſumitur ex epiſtola S. Jacobi c. 5 ubi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ*, & omnes SS. Patres & Concilia præſertim Florentinum *in decreto Eugenij IV. pro Armenis §. quintum Sacramentum.* Tridentinum *ſeſſ. 14. de Extrema unct.* intelligunt verba Apoſtoli de vera infirmitate corporali: hinc Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 3. de Extrema unctione* declarat, ſubjectum, cui miniſtrandum ſit hoc Sacramentum, eſſe infirmum vera, & reali infirmitate corporali, & ait ex traditione Apoſtoli, & inſtitutione Chriſti, ac praxi Eccleſiæ hoc Sacramentum non eſſe miniſtrandum niſi infirmis vera infirmitate corporali. Hinc quia milites in conflictu, nautæ in navi imminente naufragio, damnati ad mortem licèt ad patibulum ducantur, non ſunt infirmi infirmitate corporali, ſed ſani corpore, non debent hoc Sacramentum ſuſcipere: quia Sacramenta non ſunt valida, niſi miniſtrentur iis, pro quibus fuerunt à Chriſto inſtituta, quâ ratione non ſunt valida niſi miniſtrentur baptizatis; & Sacramentum Ordinis non eſt validum ſi fœminæ conferatur: ſiquidem Sacramenta debent commenſurari juxta Chriſti inſtitutionem; adeo ut tantùm valeant, quantum poſſunt ex vi talis inſtitutionis: atqui extrema unctio non fuit à Chriſto inſtituta pro quocunque genere perſonarum, licèt ſint conſtitutæ in mortis periculo; ſed pro ſolis infirmis, in ordine ad quos tantùm ei alligavit productionem gratiæ, adeo ut reſpectu aliorum non ſit ſignum ſenſibile productivum gratiæ, proinde cum non producat ſuum effectum, Sacramentum eſt nullum.

35 Tum quia ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de Extrema unct. in prooem.* Chriſtus inſtituit reliqua Sacramenta pro tuendis, & ſervandis hominibus contra hoſtes: & Sacramentum Extremæ unctionis, ut finem vitæ tenquam firmiſſimo quodam præſidio muniret. Neque obſtat, quòd ſani ſint capaces augmenti gratiæ: quia non ſunt capaces illius gratiæ alleviativæ, quæ eſt proprius effectus hujus Sacramenti: quia Chriſtus hanc tantùm promiſit infirmis ſuſcipientibus extremam unctionem, non verò ſanis; & cum Sacramenta dependeant ex Chriſti inſtitutione, non producunt gratiam niſi prout fuerunt à Chriſto inſtituta, qua ratione fœminæ non ſuſcipiunt Sacramentum Ordinis, quamvis capaces ſint augmenti gratiæ, eò quia Chriſtus non inſtituerit pro fœminis Sacramentum Ordinis: ita ex eo, quòd Chriſtus non inſtituerit pro ſanis, ſed tantùm pro infirmis extremam unctionem, hæc non ſuſcipitur validè, niſi ab ipſis infirmis. Non enim poteſt alia ratio aſſignari, quàm Chriſti inſtitutio, quia quantum eſt ex natura Sacramenti non repugnaret, quòd omnibus morti proximis etiam extra infirmitatem corporalem miniſtraretur, ſi Chriſtus ita inſtituiſſet: ſed quia Sacramenta non habent vim, niſi ex inſtitutione Chriſti, & ſecundùm menſuram talis inſtitutionis, ideo ſi miniſtrarentur præter Chriſti inſtitutionem nulla forent, nec producerent ſuum effectum. Hinc damnati ad mortem tametſi trahantur ad patibulum, non debent hoc Sacramentum ſuſcipere, eò quia non ſint infirmi infirmitate corporali.

36 Quòd ſi infirmatentur corporaliter, & infirmitas talis eſſet, ut ſeorſim à morte ſubeunda ex vi latæ ſententiæ, periculum traheret imminentis mortis, adhuc aliqui putant præſertim Paludanus *in 4. diſt. 23. q. 3.* quòd non eſſent ſubjecta capacia hujus Sacramenti, eò quia damnati ad mortem ſint publici peccatores, ac infames in facie Eccleſiæ, proinde privantur hoc Sacramento. Verùm probabiliùs centerem cum Pasqualigo in *Theor & prax. q. 317.* Iſambert. *3. p. diſp. 6. de Extrem unct. art. 2.* & aliis pluribus, talem infirmum damnatum ad mortem eſſe capacem extremæ unctionis ſiquidem habet omnia requiſita, eſt enim viator Chriſtianus, fuit Sacramentaliter confeſſus, eſt actualiter infirmus, & quidem infirmitate periculoſa

culosa trahente secum imminens mortis periculum etiam secluſa ſententia mortis juridicè lata, proinde cùm nihil ipſi deſit, ut ſit capax hujus Sacramenti, eſſet eidem conferendum: neque obſtat, quòd per ſententiam judicis debeat morte affici: quia cùm ſententia mortis à judice lata ſit quid extrinſecum, non tollit capacitatem intrinſecam; conſequenter nec tollit jus quod habet infirmus ad recipiendum ex vi infirmitatis periculoſæ Sacramentum Extremæ unctionis. Quinimò etiam ſi infirmitas contracta eſſet ex horrore imminentis mortis ſubeundæ per latam ſententiam, adhuc ſi infirmitas eſſet periculoſa per ſe, poſſet miniſtrari extrema unctio, quia tametſi cauſa ſit extrinſeca, ſeu ſententia judicis de morte ſubeunda, adhuc infirmitas afficit infirmum intrinſecè, quem per ſe conſtituit in mortis articulo.

37 Quæritur quintodecimò, qualisnam infirmitas ſit neceſſaria, ut ſit quis capax Extremæ unctionis? Reſpondetur cum communiori ſententia, requiri infirmitatem, quæ conſtituat infirmum in mortis periculo. Neque ratio poteſt alia aſſignari, niſi ipſa inſtitutio Chriſti, qui voluit hoc Sacramentum inſtituere pro ijs tantùm, qui ſunt conſtituti in articulo mortis: unde infirmitas debet talis eſſe, ut ſecum trahat hoc imminens periculum, quo ſublato infirmitas non ſufficit ad conſtituendum infirmum capacem hujus Sacramenti, nec eſſet validum ſi ei conferretur, quia miniſtraretur ei, pro quo non fuit inſtitutum. Poteſt etiam ex fine Sacramenti deſumi aliqua ratio: quia Chriſtus per hoc Sacramentum voluit opitulari infirmis, & conſulere depreſſioni ſpirituali animæ in ordine ad demigrationem ex hac mortali vita ad aliam: proinde voluit, ut hoc Sacramentum eſſet alleviativum animæ, & ſublevaretur infirmus ejus beneficio ab illa ineptitudine, quam habet in ordine ad actus ſupernaturales: & quia hic finis non habet locum in ſanis, licèt ſint morti proximi, eò quia in ipſis non infirmentur vires corporis; neque vires animæ remaneant debilitatæ ex conſenſu cum debilitatione corporis; ideo ſani quamvis morti proximi, etiam ex fine hujus Sacramenti non ſunt proprium ſubjectum ejusdem.

38 Quæritur decimoſexto, an vulneratis, & venenò infectis, ſi lethaliter decumbant, ſit Sacramentum Extremæ unctionis miniſtrandum? Reſpondetur affirmativè, ſi ratione vulneris ſibi inflicti, aut veneni conſtitutus quis ſit in mortis articulo, ut docent Suarez *3. p. tom. 4. diſp. 42. ſect. 2. n. 6.* Pasqualigus *in Theor. & prax. q. 388.* Naldus *V. extrema unctio n. 4.* & plures alij, quos plena manu citat Pasqualigus. Ratio eſt, quia quoties quis revera eſt infirmus infirmitate corporali, & conſtitutus ex vi talis infirmitatis in articulo mortis eſt ſubjectum capax Sacramenti Extremæ unctionis, quod ex inſtitutione Chriſti miniſtrari debet infirmis conſtitutis in mortis articulo: ſed lethaliter vulnerati, & qui hauſerunt venenum, ſi decumbant cum periculo mortis, revera ſunt infirmi, ac conſtituti ratione periculi imminentis in articulo mortis: conſequenter ſunt capaces hujus Sacramenti, quod propterea eſt ipſis miniſtrandũ,

Quòd ſi dicas, hanc infirmitatem non eſſe naturalem, ſed violentam ab extrinſeco ortam, ratione vulneris inflicti. Contra eſt, quia tametſi vulnus à cauſa extrinſeca infligatur; læſio tamen eſt intrinſeca, ut etiam infirmitas, qua vulneratus periclitatur de vita. Quoties lethaliter quis vulneratur, per tale vulnus inducitur infirmitas: ſiquidem vulnus alterat conſtitutionem naturalem humani corporis, & cùm infirmitas nil aliud ſit, quàm alteratio hujus naturalis conſtitutionis: eo ipſo quòd lethale vulnus inducit hanc alterationem naturalis conſtitutionis in corpore humano, inducit etiam infirmitatem, quæ ſi ſit cum periculo mortis lethaliter vulneratus conſtituitur ſubjectum capax Sacramenti extremæ unctionis. Hoc idem etiam procedit de illo, qui venenum hauſit, quia venenum hauſtum non ducit ad periculum mortis niſi per alterationem naturalis conſtitutionis humani corporis, quæ alteratio eſt formaliter infirmitas, cui ſi adnexum ſit imminens mortis periculum conſtituit patientem capacem hujus Sacramenti, cui propterea eſt miniſtrandum. Quinimo etiam ſtatim poſt inflictum vulnus, ſi mortis periculum immineat poteſt extrema unctio miniſtrari vulnerato, quia tunc eſt infirmus cum mortis periculo. Imò poteſt etiam miniſtrari vulneratis in conflictu, ſi hoc Sacramento juvari poſſunt. 39

Immo etiam ruentibus ex locis editis, ut non ratò contingit in cœmentariis domos conſtruentibus, ſi enim ex lapſu conſtituantur in periculo mortis, poteſt ipſis etiam hoc Sacramentum miniſtrari: quia hi omnes revera ſunt infirmi, & conſtituti ratione contractæ infirmitatis in mortis articulo. Immo poteſt etiam miniſtrari mulieribus parturientibus, ſi contingat, eas periclitari, & mortis periculum immineat, quia tunc intervenit intrinſecè gravis alteratio conſtitutionis naturalis in corpore mulieris parturientis, & ratione ejusdem alterationis mulier conſtituitur in illo imminente periculo ſubeundæ mortis, quapropter eſt capax Sacramentorum tam viatici, quàm extremæ unctionis. Quòd ſi mulier eam in partu experiretur difficultatem, ut non poſſet fœtum edere in lucem, & neceſſe eſſet devenire ad inciſionem uteri, poſſet ſe præparare etiam cum extrema unctione ob imminens periculum, quia tunc excitatur graviſſima alteratio naturalis conſtitutionis, cui adnectitur mortis periculum. 40

Quæritur decimoſeptimò, an Sacramentum Extremæ unctionis poſſit licitè iterari in eadem infirmitate? Certum eſt, Sacramentum Extremæ unctionis non imprimere characterem, ut declaratur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 9. de Sacrament. in genere* unde abſolutè poteſt iterari, quia ea Sacramenta ſolùm non poſſunt iterari, quæ imprimunt characterem, qui cùm ſit indelebilis ſemper perſeverat, proinde Sacramentum non poteſt iterari. Sacramentum tamen Extremæ unctionis, quamvis ex natura ſua poſſit iterari in eodem ſtatu infirmitatis, ex præcepto tamen Eccleſiæ non poteſt in eodem ſtatu infirmitatis iterari. Quòd verò 41

ex natura sua sit iterabile ex eo liquet, quia non imprimit characterem, proinde ex natura sua non solùm in diverso, sed etiam in eodem statu infirmitatis potest iterari. Tum quia cum fuerit institutum per modum curationis spiritualis quantum est ex vi suæ institutionis est iterabile etiam in eodem statu infirmitatis, quia ex natura sua curatio est iterabilis in eodem morbo.

42 Hinc probabilior, & communior sententia docet, extremam unctionem posse de novo ministrari in eadem infirmitate, si cessaverit prius periculum mortis; & aliud post aliquot dies supervenerit, ut docent D. Thomas *in 4. dist. 23. q. 2. art. 4.* S. Bonaventura *in 4. art. 2. q. 4.* S. Antoninus *3. p. tit. 14. c. 15. §. ult.* & desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 3. de Extrema unctione* ubi dicitur *quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint*: atqui infirmi dicuntur convalescere, si extrahantur à mortis periculo, in quo ratione infirmitatis erant constituti: unde si post aliquot dies, tametsi infirmi semper decumbant ex eadem infirmitate, superveniat novum periculum mortis, possint iterum Extremam unctionem suscipere, quia tunc quamvis perseveret idem status, sicut iterantur mortis pericula; ita etiam potest extrema unctio iterari cum non ministretur intuitu infirmitatis simpliciter, sed ratione periculi imminentis mortis. Tum quia si infirmus omnino convalesceret, adeo ut etiam surgeret è lecto, & post aliquot dies iterum infirmaretur ad mortem, posset ratione novi periculi iterum suscipere extremam unctionem: ergo etiam in eadem infirmitate, si recedat prius periculum, & novum superveniat, quia in nova infirmitate non ministratur intuitu ipsius, sed intuitu periculi ipsius mortis eidem adnexi, unde si iteretur periculum, sive in eadem, sive in diversa infirmitate poterit etiam iterari Extrema unctio.

43 Quantum verò temporis debeat fluere ab una ad aliam Extremam unctionem, videtur id relinquendum judicio prudentum, & peritorum, ut notat Pasqualigus in *Theor. & prax q. 434. num. 8.* cum Hurtado *de Sacrament. difficult. 10. de Extrem. unct. in fin. supplem.* Dicastil. *de Sacrament. tract. 7. disp. 1. dub. 10. num. 167.* quia ratio, cur Extrema unctio sit repetenda non est ipsum tempus, sed imminens mortis periculum, unde si hoc in eadem infirmitate cesset, & post sex, vel septem dies iterum superveniat, putârim posse iterum ministrari Extremam unctionem unà cum viatico ob factam mutationem in statu infirmitatis, etenim quando infirmus liberatus fuit à primo mortis periculo recessit à statu illo periculoso articuli mortis, & accessit ad alium statum extra talem articulum, quapropter tunc revera variatur status. Tum quia quando liberatur ab illo periculo mortis dicitur convalescere, seu meliùs se habere, & non esse ampliùs in periculo mortis, sed *in statu extra periculum*: proinde si superveniat post octiduum aliud mortis periculum putârim posse iterum ministri Sacramentis pœnitentiæ, viatici, & Extremæ unctionis, quia Ecclesia tantùm prohibet, ne Extrema unctio iteretur in eadem infirmitate cum eodem periculo mortis, non verò si infirmitas sit diuturna, & cessante primo periculo supervenial aliud.

Quæritur decimooctavò, an Extrema unctio sit necessaria necessitate præcepti? Duæ sunt sententiæ: prima asserit, Extremam unctionem esse necessariam necessitate præcepti obligantis sub mortali; ita docent Magister *in 4. dist. 23. litt. B* Sotus *lect. 2. d. Extrem. unct. circa fin.* S. Bonaventura *in 4. dist. 23.* Turrianus *in summa p. 2. c. 136. dub. 1.* Ex iis tamen, qui docent hanc sententiam, plures putant hoc præceptum non obligare sub mortali, sed tantùm sub veniali, ut Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 8. c. 7.* Conink *disp. 10. de Sacram. dub. 10.* Secunda sententia quæ probabilior est, ac verior docet, nullum adesse præceptum, adeo ut Extrema unctio non sit necessaria necessitate medij, quia est Sacramentum vivorum, quod ex natura sua supponit statum gratiæ: neque necessitate præcepti, ita D. Thomas *in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1.* Suarez *3. p. tom. 4. disp. 43. sect. 1. n. 2* Pasqualigus *in Theor. & prax q. 437. num. 5.* Covarruvias *in c. Alma Mater p. 2. §. 2. num. 6.* Et hæc sententia desumitur ex Concilio Tridentino *seq. 14. c. 3. de Extrema unct.* ubi agens de susceptione hujus Sacramenti tantùm asserit, quòd non possit contemni sine peccato, non verò declarat, quòd non possit omitti sine peccato. Hoc idem etiam videtur declarâsse Innocentius I. epistola ad Decentium, ubi solùm dicit, quòd omnibus Christianis uti liceat hoc Sacramento, non verò asserit, quòd quisque debebat uti: aliud est, quòd liceat fidelibus uti, & aliud quòd teneantur. 44

Quamobrem ubi non constat de præcepto non debet hoc induci, quia cùm homo sit in possessione suæ libertatis, quam jure possidet, non debet ipsa privari, nisi constet, tale præceptum positum fuisse ab habente potestatem; quia quæ certa sunt debent prævalere, ac præferri incertis, & quia non constat de hoc præcepto ex scriptura, neque ex traditione, neque ex Conciliis, aut Patribus: & constet, quòd homo sit in possessione suæ libertatis, debet hæc possessio prævalere. 45

Neque obstat consuetudo sumendi Extremam unctionem: quia hæc consuetudo cùm non fiat ex obligatione, sed tantùm eo, quia sit valdè proficua ob effectus, quos producit Extrema unctio: ideo ex consuetudine inolitâ non potest inferri, quòd adsit præceptum sumendi Extremam unctionem: sicuti ex eo quòd sit consuetudo, ut viri pij, qui mechanicis artibus non occupantur singulis diebus intersint sacro, non tamen hæc consuetudo declarat adesse præceptum, quo hujusmodi viri pij teneantur, singulis diebus etiam non festivis interesse sacro. Tunc consuetudo declarat adesse præceptum, si ita procedat, ut aliquid fiat ex obligatione: non verò quando aliquid assumitur, ut fiat solùm quia est valde proficuum, ut est interesse sacro singulis diebus non festivis, & 46

Susci-

fuscipere Extremam unctionem. Tum quia habetur etiam consuetudo commendandi animam moribundi Deo certis quibusdam precibus ab Ecclesia, & nihilominus hæc consuetudo non declarat, præceptum adesse commendandi animam talibus precibus. Demum quia ut consuetudo inducat obligationem debet induci cum animo se obligandi, & debet provenire ex judicio practico dictante id esse juxta exigentiam boni communis, quod non habet locum, quando constat de alio motivo, ratione cujus fuit inducta hæc consuetudo, ut in casu nostro est utilitas animæ.

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

CUm Pontifex in præcedente titulo egisset de custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum, congruè pergit hîc agere de Reliquiis, & veneratione Sanctorum; pertinent enim reliquiæ ad altaria ecclesiæ cum nullum possit altare construi, in quo non sit aliquid reliquiarum alicujus sancti conditum *c. placuit de consecr. dist. 1.* sunt autem reliquiæ partes quædam corporum Sanctorum, ut ossa, carnes, dentes, cineres, pulveres, capilli, vestes, ac alia quibus usi sunt dum in terris viverent. Extat hic titulus etiam in sexto, septimo, Clementinis, ex Extravagantibus communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *AUDIVIMUS* 1. *h. t. Alexander III. rescribit, non licere alicui venerari aliquem pro sancto, etiam si fierent miracula super eum, absque authoritate Papæ: & multo minus si in ebrietate fuerit peremptus cum Apostolus dicat* Ebriosi regnum Dei non possidebunt: *quia assidua ebrietas est peccatum mortale* c. nullus de consecrat. d. 5. c. Episcopus d. 35.

C. *CUM EX EO* 2. *h. t. Innocentius III. in Concilio generali prohibet, ne reliquiæ Sanctorum extra capsam ostendantur, neq; exponantur venales: & ne inventas de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pontificis approbata fuerint. Item ne Prælati permittant, eos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis, vel falsis dogmatibus decipi, ut quæstûs causa fieri solet plerisque in locis. Ubi notat Glossa, nec spiritualia, nec spiritualibus annexa vendi posse* v. querelam de Simon.

IN SEXTO.

C. *GLORIOSUS UNIC. h. t. Præcipitur, festa duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, quatuor doctorum SS. Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi annis singulis in perpetuum per universas mundi ecclesias sub duplici officio solemniter celebrari. Cæterum ut notat Glossa licitum est cuique privatim, & secretò orare aliquem defunctum, quem Sanctum credit, ut pro se intercedat apud Deum.*

IN SEPTIMO.

C. *GLORIOSUS* 1. *h. t Paulus IV. Præcipit, ut festa Sanctorum, & solemnes memoriæ celebrentur sub die, quo mortalitatem exuerunt, & ab hac vita migrârunt ad æternam; seu quo eos ad cœlestia regna migrare contigit; ut fideles eorum venerationi vacantes per exercitia bonorum operum, pijs ante thronum divinæ Majestatis eorum suffragiis adjuventur.*

C. *CUM DIERUM* 2. *h. t. Pius V. Mandat, festa Sanctorum cum omni veneratione observari, ut omnes Christi fideles in hisce diebus festis ecclesias frequentent, divinis officiis devotè intersint, ab omni illicito, & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in præfatis diebus opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter divinam ultionem, & amissionem animalium, quibus adveturam utetur, graves aliæ pœnas incurret arbitrio ordinariorum, vel aliorũ Magistratuum, datúrque locus prævention.*

C. *MONET.* 3. *h. t. Gregorius III. instituit festum Rosarij B. Virginis celebrandum singulis recurrentibus annis prima die Dominica mensis Octobris ob devictam classem Selimi Turcarum Imperatoris in sinu Corinthiaco apud Naupactum ubi ope divina, & intercessione B. Virginis promovente Pio V. Duce Joanne Austrio Maritima Turcarum classis penitus quassata fuit, ac devicta adeo ut cæsa fuerint Barbarorum triginta millia, liberati Christiani 3486, naves captæ centum non aginta, flammis combustæ, & aquis haustæ octoginta. Tormenta bellica hostî erepta majora centum, & sexdecim: minòra ducenta quinquaginta sex: habuerit propterea Virgo Ottomanicam Lunam sub pedibus, in solatium Christianorum, quos eripuit è faucibus impiissimi Tyranni.*

IN CLEMENTINIS.

C. *SI DOMINUS UNIC. h. t. Bonifacius VIII. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, ut festum Corporis Christi in feria quinta post octavam Pentecostes singulis annis solemniter, & devotè*

celebretur, & ut Ordinarii faciant celebrari per universas ecclesias, & Diœceses, & Dominica præcedente horteutur populos, ut per Sacramentalem confessionem, eleemosynas, orationes, & alia pia opera mereantur communicare, ac participes esse divinæ gratiæ: & Pontifex frequentantibus illa die ecclesias munifica largitate plures concedit indulgentias.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. CUM PRÆEXCELSA 1. *b. t. Sixtus IV. Concedit celebrantibus missam, & officia Immaculatæ conceptionis B. Virginis, ut etiam intervenientibus horis canonicis, & officiis ejusdem Immaculatæ Virginis, & per octavas omnes illas indulgentias, & eodem modo, ut in die Corporis Christi.*

C. GRAVEM 1. *b. t. Idem Pont. declarat, eum errare, qui affirmare præsumit peccare mortaliter, vel hæreticum esse eum, qui credit, aut tenet, conceptionem B. Mariæ fuisse sine peccato, & celebrat officium conceptionis, vel audientes de hac materia peccare mortaliter; & libros de hac materia scriptos esse reprobatos à sede Apostolica: & qui in concionibus ad populum, vel sermonibus, aut quomodolibet audet affirmare prædictas propositiones reprobatas à Papa esse veras, ac posse teneri libros ipso facto est excommunicatus, nec potest absolvi nisi à Papa. Rursus declarat Pontifex eadem pœnas, ac censuras incurrere eum, qui audet dicere, esse hæresim, vel peccare mortaliter eum, qui credit, & tenet contrariam sententiam: Rursus pro incurrenda hac excommunicatione revocat Pontifex privilegia etiam de verbo ad verbum. Demum declarat, esse standum transumpto confecto manu publici Notarij, & authenticato sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici, sicut literis originalibus, si exhiberentur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

1 AGitur de Reliquiis, & veneratione Sanctorum in hoc titulo, qui continet duo tantùm capitula, & in sexto, septimo, ac Clementinis, & Extravagantibus communibus. In *c. audivimus* 1. *b. t.* refertur, quòd cum aliqui hominem quendam in ebrietate occisum, ut sanctum venerarentur Alexander III. rescripsit, non esse licitum alicui, venerari aliquem pro sancto, etiam si fierent miracula ad ejus intercessionem sine authoritate Papæ, & multò minus si fuerit in ebrietate occisus; quia ut notat Glossa in *d. c. audivimus* ebrietas, quæ privat usu rationis, est peccatum mortale. Hinc infertur, neminem posse publicè pro sancto coli; nisi à sede Apostolica fuerit canonizatus præmissa diligenti inquisitione super vitæ, morúmque probitate, ac miraculorum veritate, ut habetur *in c. venerabile* 52. *de testib* quod procedit de publica veneratione, & cultu: quia privatim, & in occulto potest quis invocare eum, quem putat esse Sanctum.

2 Rursus colligitur, solum Romanum Pontificem posse in numerum Sanctorum referre eos, qui creduntur decessisse cum fama sanctitatis, ut notat Hostiensis *in d. c. audivimus* 1. *b. t. colum.* 3. & plures etiam afferuntur rationes ad id evincendum; quarum prima est, quia canonizatio Sanctorum est una ex majoribus causis, quæ referendæ sunt ad sedem Apostolicam *c. majores.* 3. *in princ. de baptismo.* Secunda quia miracula attribuuntur fidei, & quia opera, quæ testantur alicujus sanctitatem innituntur fidei Ecclesiæ, ideo hoc examinare, & approbare ad solam pertinet Apostolicam sedem cum solus Papa definiat quæstiones fidei *c. quoties* 12. *caus.* 24. *q.* 1. Tertia quia ad Papam pertinet declarare dubia, si quæ contingant in sacris scripturis explicandis *c. per venerabilem* 13 §. *rationibus, qui filij sint legitimi:* ergo à fortiori pertinebit ad summum Pontificem declarare dubia sanctitatis. Quarta ne populus inde decipiatur ob simplicitatem plurium Episcoporum si ipsi declararent, qui homines pij sint colendi sancti. Quinta ne sancti in Ecclesia quoad cultum, & gloriam extrinsecum nimium multiplicentur, & sanctitas vilescat *argu. c. Episcopi.* 3. *dist. 8.* Fagnanus itidem *in d. c. audivimus* 1. *num.* 27. *b. t.* adfert aliam rationem ex D. Augustino, quia sicut solius Christi est homines sanctificare, quatenus sua passione nobis meruit gratiam: ita solius summi Pontificis est hanc hominum sanctitatem approbare, & manifestare cùm solus Papa sit Christi Vicarius, & caput totius Ecclesiæ: hinc Episcopi nequeunt etiam pro suis particularibus diœcesibus ullum canonizare, immo nec Legatus à latere etiam ex speciali commissione summi Pontificis, quia non potest Papa delegare alteri res fidei, cùm Christus soli Petro, & ejus successoribus hanc facultatem dederit, est enim potestas tradita personæ, seu Christi Vicario.

3 Ut vir, qui decessit cum fama sanctitatis canonizetur, requiritur prævium examen circa merita fidei, & aliarum virtutum, seu circa morum sanctitatem, & totius vitæ probitatem. Postea debent probari miracula excedentia vires, & potentias totius naturæ, ita ut non potuerint contigisse nisi supernaturaliter: immo nec sola miracula sufficiunt sine vitæ probitate, morúmque sanctitate, quia nonnunquam etiam

per

per malos homines miracula fiunt saltem apparentia *v. innotuit 58. cap. Prophet. David. 57. tanf. 1. q. 1.* ut liquet in Magis Pharaonis, & ex *Matth. 7.* ubi dicitur: *Nonne in nomine tuo daemonia ejecimus, & tamen audient à Christo, nunquam novi vos*? Tum quia nonnunquam fiunt miracula non ex merito facientis, sed ex dono Dei, quapropter virtus faciendi miracula accenſetur gratiis gratis datis, quæ non ſupponunt in operante neceſſariò gratiam ſanctificantem.

4 Præterea quia in miraculis fides operatur præ cæteris virtutibus, adeo ut non defuerint, qui ob ſolam fidem operati fuerint miracula, tametſi charitate deſtituti, hinc Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 13. ait: *Et ſi habeam omnem fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, & ratio eſt, quia fides ſine charitate eſt informis, & mortua. Rurſus non ſufficit ſola morum ſanctitas, & vitæ probitas, ſed cum hac ſanctitate requiruntur etiam miracula in teſtimonium ejusdem ſanctitatis, ut habetur in conſtitutione Gregorij IX. cui initium eſt. *Cùm dicat Dominus.* Ut autem quis in martyrum catalogum referatur, inquirendum eſt de miraculis ab eo patratis, & de cauſa paſſionis ipſius, an fuerit paſſus in teſtimonium fidei catholicæ, & mortem ſubierit ob legem Dei: & hoc examen fit accuratiſſimè à Congregatione Cardinalium inſtituta circa ritus, ut fusè oſtendit Hoſtienſis *in d. c. audivimus 1. h. t.*

5 In *c. cum ex eo s. & nè h. t.* ſtatuitur, quòd antiquæ Reliquiæ extra capſam nullatenus debeant oſtendi, neque exponi venales. Rurſus ut nemo præſumat Reliquias de novo inventas venerari, niſi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Præterea ne Prælati permittant, eos qui ad eorum Eccleſias cauſâ venerationis accedunt, variis figmentis, vel falſis documentis decipi, ut fieri ſolet in pluribus locis occaſione quæſtûs. Nomine Reliquiarum intelliguntur corpora Sanctorum, vel eorundem corporum partes, ſive grandiores, ſive parvæ, immo etiam capilli, oſſa, carnes, dentes, cineres, pulveres, veſtes, & alia id genus, quibus ſancti uſi fuerunt, dum in terris viverent. Immo etiam panni, vela, linteamina, quæ eorum oſſibus, vel corporibus admota fuerunt, vel quæ ipſorum oſſa tetigerunt. Hujusmodi Reliquiæ prohibentur exponi venales, quia cùm ſint res ſacræ, non ſunt in dominio alicujus, nec pretij recipiunt æſtimationem *l. ſacra p. in fin. ff. de rer. diviſ.* quo fit, ut non poſſint venum dari, quia quod caret pretio, non eſt obnoxium venditioni §. *item pretium inſtit. de empt. & vendit.* Demum quia quæ nectuntur ſpiritualibus, vendi non poſſunt ſine labe ſimoniæ *c. querelam 15. de ſimonia.*

6 Unde etiam veteres reliquiæ prohibentur, ne venales proſtent, ut etiam ne nimis crebrò præſertim extra thecas populo exhibeantur, ne potiùs earundem vilipendium apud detractores habeatur, quàm debitus honor. Diſtinctio tamen inter Reliquias novas, & antiquas non fuit ſublata per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. in decret. de invocat. & reliquiis ſanctor.* ubi ſtatuitur prope finem, ut non admittantur nova miracula, neque novæ reliquiæ recipiantur, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit adhibitis in conſilium Theologis, aliiſque piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit. Neque Concilium Lateranenſe relatum *in d. c. cum ex eo 2. h. t.* prohibet colere etiam publicè reliquias Sanctorum de novo inventas, ſi ſint reliquiæ Sanctorum ab antiquo canonizatorum, & beatificatorum, ſine authoritate Papæ. Hinc Concilium Tridentinum cum dicit, novas reliquias non eſſe recipiendas niſi approbante Epiſcopo intelligi debet de Reliquiis de novo inventis Sanctorum, non autem de reliquiis omnino novis, quia vitanda eſt jurium antiquorum correctio, niſi contrarium ſit jure novo expreſſum.

7 Unde cùm decreverit Concilium Tridentinum *in ſeſſ. 25. in decret. de invocat. & venerat. ſanctor.* ut non admittantur nova miracula, neque recipiantur novæ reliquiæ, niſi eadem recognoſcente, & approbante Epiſcopo; id intelligi non ita debet, quaſi Epiſcopo detur poteſtas declarandi aliquem pro ſancto, vel reliquias hominis à ſummo Pontifice non canonizati, aut beatificati authenticè approbandi: ſed id tantùm conceditur Epiſcopo, ut ſi circa aliquem ſanctum à ſummo Pontifice canonizatum, vel beatificatum, aut ſaltem à communi Eccleſiæ uſu, & conſenſu à longiſſimis temporibus pro tali habitum nova miracula, & reliquiæ proferantur, tunc non priùs ut talia recipienda ſint, quàm Epiſcopus ea recognoverit, & approbaverit. Sin autem vir pientiſſimus hinc deceſſerit cum indiciis, & fama ſanctitatis, non poteſt Epiſcopus indulgere, ut talis vir pius ante approbationem ſummi Pontificis publica colatur veneratione, neque ut pingatur cum radijs, aut diademate, aliisque ſignis ſanctitatis, neque debet permittere, ut eiusdé imagini appendantur tabellæ referentes miracula patrata, nec alia anathemata. Privata tamen devotione non prohibetur invocari vir pius, qui deceſſit cum fama ſanctitatis. Quòd ſi privatæ perſonæ affirment, miracula ſibi obveniſſe ad ejus invocationem, & propterea offerant tabellas; tunc licitum erit Epiſcopo ſuper aſſertis diligentiùs examinare, veritatem indagare, teſtes, & documenta recipere, & omnia in privato loco aſſervare, ut ſuo tempore poſſit ſedes Apoſtolica informari. Rurſus geſta, miracula, revelationes, & alia ſimilia pertinentia ad homines, qui deceſſerunt cum fama ſanctitatis, non priùs debeat imprimi, quàm Ordinarius adhibito conſilio Theologorum, & aliorum piorum hominum recognoverit, & ea ſuper inſtructionem miſerit ad ſedem Apoſtolicam, ejúsque reſponſum acceperit, ut decrevit Urbanus VIII. apud Barboſam *in collect. ad d. c cum ex eo s. h. t.* & habentur hæc duo decreta in Bullario Cherubini *tom. 4 pag. 45.*

8 In *c. glorioſus unic. h. t. in 6.* Bonifacius VIII. præcipit, ut feſta duodecim Apoſtolorum quatuor Evangeliſtarum, quatuor Doctorum SS. Gregorij, Auguſtini, Ambroſij, & Hieronymi

annis singulis in perpetuum per universas mundi Ecclesias sub duplici officio solemniter celebrentur. In *clementina autem si Dominum unic. h. t.* Pontifex in virtute sanctæ Obedientiæ præcipit, ut Festum Corporis Christi in feria V. post octavam Pentecostes singulis annis solemniter, & devotè celebretur, & Ordinarij faciant celebrari per universas Ecclesias, & diœceses, & dominica præcedente hortentur populos, ut per confessionē, Eleemosynas, orationes, & alia pia opera id ita exequantur, ut mereantur eo die illius esse participes, & reverenter communicare. Rursus omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in Ecclesia intersunt officio matutinali ejusdem festi centum dies, qui missæ centum, qui primis vesperis centum; qui in secundis centum; qui una ex illis horis, vel completorio quadraginta; qui verò per octavam illius festi intersunt prædictis horis singulis diebus de injunctis eis pœnitentijs relaxantur centum. Et plura alia ibi adduntur piè, devotè, & doctè de Eucharistia, déque festo omnium Sanctorum. Glossa tamen ibidem putat, in diebus octavæ non fieri distributionem indulgentiarum, ut partem habeat, qui parti interest, sed dicitur pro toto officio.

9 Juvat observare quod notat Barbosa *in d. clement. n. 5.* quòd dies Ecclesiasticus quantum ad indulgentias computatur à primis vesperis usque ad secundas vesperas diei sequentis inclusivè. In *c. cum præexcelsa in extravag. 1. h. t.* Sixtus IV. statuit, ut qui Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis ipso die missam, & officia Sixti IV. celebraverit, vel dixerit, vel illis horis canonicis interfuerit, & per octavas, lucretur omnes indulgentias, & eodem modo, ut in die Corporis Christi. Demum in *c. grave nimis 2. in ead. extravag.* idem Sixtus IV. statuit, ut prædicatores verbi Dei, vel quicunque alij, qui præsumunt asserere mortaliter peccare, vel hæreticos esse illos, qui defendunt, B. Virginem Dei Matrem conceptam esse sine peccato Originali: & vice versa hæreticos esse, & mortaliter peccare eos, qui asserunt, esse conceptam in peccato originali. Rursus qui affirmant, eos peccare graviter, qui festum Immaculatæ Conceptionis celebrant, aut concionibus hujusmodi intersunt, ut sententiam excomunicationis ipso facto incurrant soli Papæ reservatam, cùm id nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum. Hanc constitutionem etiam innovavit Concilium Tridentinum *sess. 5. in decret. de peccato originali in fin.* & Paulus V. etiam ampliavit in sua constitutione edita die 31. Augusti anno 1617. in qua prohibet, ne imposterum ullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 Quæritur primò, an Reliquiæ Sanctorum sint cultûs gratiâ servandæ, & adorandæ? Rationes dubitandi sunt. Primò quia Christus Lucæ 11. reprehendens Judæos dixit, *væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum*, & Matth. 23. æquiparat *Pharisæos sepulchris dealbatis*, eò quia in extima facie aliquid pulchri præseferãt hæc sepulchra, & intus plena sint fœtidis mortuorum ossibus, indicans hujusmodi ossa immunda esse, ac propterea nulla veneratione digna. Secundò quia Concilium Elibertinum *can. 34.* expressè prohibet accendi cereos ad Martyrum sepulchra, ergo quia censuit, eorum ossa non esse ulla veneratione digna utpote inanimata, & honoris incapacia. Tertiò quia in Reliquiis Sanctorum quod supereſt est sola materia prima, præsertim in eorum cadaveribus: vel ad summum juxta probabilem opinionem remanet eadem quantitas cum aliquibus accidentibus, quæ non sufficiunt, ut ossa Sanctorum adorentur: alioquin essent etiam digna cultu, si converterentur in vermes, quia adhuc maneret eadem quantitas. Respondetur, Reliquias Sanctorum dignas esse, ut à fidelibus adorentur, custodiantur, & religioso cultu colantur, idque esse de fide, & colligi ex scripturis *Genes. 50. & Exod. 30.* ubi ossa Patriarcharum Jacob, & Joseph leguntur fuisse solemni cultu tradita sepulturæ, & speciali veneratione servata.

2 Tum quia moris semper fuit in Ecclesia, ut ossa eorum virorum, qui vel sanctitate fuerunt insignes, vel martyrij palmâ celebres in honore, ac veneratione haberentur à cæteris fidelibus. Ratio itidem hoc suadet: quia corpora Sanctorum, in Martyribus, tormenta, vulnera, ignes, & alia id genus fuerunt pro Christo passa: in sanctis confessoribus dolores, mortificationes, macerationes, vitium destitutiones, defectiones, cilicia, lacerationes, & alia similia subierunt. Tum quia fuerunt templa animarum sanctarum, & futura sunt consortia æternæ beatitatis, in qua in honore semper erunt habitura: unde ob habitudinem, quam sanctorum reliquiæ dicunt ad sanctas animas sunt dignæ cultu, & veneratione: majorem siquidem cum sanctis animabus habent reliquiæ conjunctionem, quàm imagines, quæ tantùm repræsentant sua prototypa, unde à fortiori ob excellentiam Sanctorum, & habitudinem ad illam sunt reliquiæ habendæ in honore, & veneratione, præsertim cum eas honorificè conservare, & sub missa colere signa sint amoris erga sanctos, exciténtque devotionem erga illos.

3 Ad primam rationem dubitandi respondetur, Christum reprehendisse Judæos eò quia ædificaverint monumenta Prophetarum in approbationem scelerum, quæ à suis majoribus fuerunt perpetrata: & quia hoc pacto Judæi visi sunt sepulchra ædificâsse Prophetarum, ideo à Christo reprehenduntur, unde hæc repre-

hensio

henſio nullo pacto referibilis eſt ad eos, qui reliquias Sanctorum adorant.

4 Ad ſecundum deſumptum ex Concilio Elibertino, reſpondetur, Concilium illud prohibuiſſe accendi cereos, non ut cultum abrogaret Sanctarum reliquiarum; ſed ne tali cæremoniâ fideles convenirent cum ritu Ethnicorum, quod ægrè ferebant plures viri timorati ob periculum ſcandali apud rudiores, & ſimpliciores. Cæterum ritum cereos, & lampades accendendi ad monumenta Martyrum antiquiſſimum eſſe in Eccleſia conſtat ex D. Auguſtino *lib. 8. de civit. c. ult.* & *in lib. 6. confeſſion. c. 2.* ex D. Hieronymo *in epiſt. ad Ripadium*, & ex D. Gregorio *lib. 3. dialog. c. 24.* Accenduntur autem huſmodi lumina ad ſignificandũ, viros ſanctos, & Martyres deceſſiſſe illuſtratos lumine fidei, & ſplendoribus virtutum, quas dum viverent excoluerunt: & quòd nunc in cœleſti patria lumine gloriæ ſuffuſi ſplendeant, & ut nos etiam perfuſi lumine divino delectemur, noſtrique animi lætitiam oſtendamus.

5 Ad tertium reſpondetur, in ſententia Scoti, & communiori præter materiam primam manere etiam formam ſubſtantialem oſſium, adeo ut in cadavere ſint eadem numero oſſa, quoad materiam, & formam corpoream, quæ erant antea cum corpus informaretur anima, licèt tunc forma oſſium reſpectu animæ fuerit partialis, & ſubordinata, & in hac ſententia facilè explicatur, quomodo reliquiæ Sanctorum ſint veræ, & reales partes corporum eorundem; ac proinde veneratione dignæ. Quòd ſi velimus adhærere ſententiæ D. Thomæ, & aſſerere in cadavere non remanere niſi materiam primam, reſpondetur cum eodem D. Thoma, reliquias eſſe cultu dignas; quia non conſiderantur Metaphyſicè quoad prædicata conſtitutiva talis compoſiti; nec Phyſicè ratione talis formæ; ſed moraliter, quatenus in reliquiis Sanctorum manet habitudo ad ſanctos, ratione cujus ſunt dignæ veneratione, quamvis oſſa, & corpora Martyrum in cineres, & pulveres tranſierint.

6 Præterea ideo cineres, & pulveres Martyrum veneramur, & colimus, quia honos, & cultus ad ipſos Martyres refertur, & quia Deus eos pulveres, & cineres voluit honorari, cùm per ipſos plura effecerit miracula, ſicut per Sanctorum veſtes, & alia, quæ eorum tactis corporibus paſſim miraculis coruſtant, veneramur, non tam propter ipſa, quàm propter ſanctos, quorum oſſa, membra, vel corpora aliquando tetigerunt, & quorum precibus, aut meritis Deus plura beneficia, ac miracula præſtat, ac efficit.

7 Quæritur ſecundò, an requiratur licentia Ordinarij, ut celebretur officium, & miſſa ratione reliquiæ inſignis? Reſpondetur negativè quia licentia eſt jam conceſſa à ſacra rituum congregatione, ut conſtat ex ipſius decreti verbis, ubi dicitur, quòd poſſit officium, & miſſa ratione reliquiæ inſignis celebrari, ſed tantùm in ipſius ſancti Eccleſia titulari, ſeu ubi aſſervatur corpus, aut inſignis reliquia, & non alibi: unde cùm ſacra congregatio in illo decreto præmiſerit prohibitionem celebrandi in tota dioceſi, aut civitate, & poſtea ſubjungat, *ſed tantùm*, per hanc particulam limitat celebrationem ad Eccleſiam, in qua ſervatur reliquia, dictio enim illa *ſed* cùm ſequatur in decreto orationem prohibitivam, eſt excluſiva in ordine ad alias Eccleſias, & incluſiva, ac conceſſiva reſpectu illius tantùm Eccleſiæ, in qua reliquia inſignis aſſervatur, ut notat Rebuffus *in l. hac verba. n. 193. ff. de V. S.* Tum quia cum præcedat prohibitio, & per orationem ſubſequentem includatur Eccleſia, in qua conſervatur, fit expreſſa conceſſio pro tali Eccleſia.

8 Quando autem lex aliquid concedit, non requiritur ulterior conceſſio, quia legis conceſſio jam operatur, ut legitimè fiat, quod fit *l. quid ſit fugitivus §. apud Labeonem. de ædilit. edict. & c. quid dicam. 14. q. 4.* unde non requiritur licentia Ordinarij, ut in aliqua Eccleſia, in qua aſſervatur inſignis reliquia celebretur officium, & miſſa ratione illius, quia lex ipſa, ſeu facultas conceſſa à ſacra Congregatione authorizat ipſum factum. Tum quia leges ideo ponuntur, ut juxta ipſas homines dirigant ſuas actiones, continent enim vim directivam, cui dum conformant proprias actiones, honeſtè operantur. Debet tamen talis Reliquia eſſe approbata ab Ordinario, ut intuitu ipſius poſſit officium celebrari: quia tametſi officium, & celebratio miſſæ non ſit cultus delatus reliquiæ, ſed ſancto; nihilominus quia defertur ex præſuppoſita exiſtentia Reliquiæ, ideo debet præſuppoſitum certificari per approbationem Reliquiæ factam ab Ordinario.

9 Quæritur tertiò, an ſi in eadem Eccleſia ſint plures Reliquiæ inſignes, & quidem eorum ſanctorum, qui eodem die paſſi ſunt, poſſit officium multiplicari? Poſſunt in eadem Eccleſia aſſervari corpora plurium Martyrum, qui eodem die paſſi ſunt, ut corpora ſociarum S. Urſulæ: vel ſociorum S. Mauritij, vel ſanctorum Innocentium, unde dubitatur, an juxta numerum Reliquiarum inſignium poſſit multiplicari celebratio officij, & miſſæ? Reſpondetur, probabiliùs non poſſe hujusmodi officia multiplicari, eò quia Eccleſia eos ſanctos colit ſub una celebratione ejusdem officij plurimorum Martyrum; imò nec Eccleſia multiplicat officia eorum Apoſtolorum, qui ſimul eodem die fuerunt paſſi, ut SS. Petri, & Pauli; Philippi, & Jacobi; Simonis, & Judæ: atqui inferiores, & particulares Eccleſiæ debent ſervare eundem ritum, quem ſervat Eccleſia Romana in cultu Sanctorum, proinde quando in aliqua particulari Eccleſia aſſervantur plures Reliquiæ inſignes plurium Martyrum, qui eodem die fuerunt paſſi, debent ſub celebratione unius officij tantùm omnes illæ Reliquiæ ſimul coli.

10 Verùm contraria ſententia videtur etiam probabilis, quia ſtante diverſitate Sanctorum debetur unicuique eorum proprius honor juxta conceſſionem Eccleſiæ; proinde poſſunt coli ſeorſim juxta numerum reliquiarum inſignium, adeo ut cuilibet earum aſſignetur diſtinctus dies, in quo ratione ejusdem Reliquiæ celebretur officium proprium illius ſancti. Tum quia

hæc multiplicatio est favorabilis ipsis sanctis, cum per ipsam colantur speciatim: & quando agitur de cultu Sanctorum favorabilior pars est eligenda *l. cum quid m ff. de liber. c. cum dilecti de donat.* Quòd si in Ecclesia Cathedrali esset insignis Reliquia alicujus sancti, & in alia Ecclesia minori ejusdem civitatis alia insignis Reliquia ejusdem sancti, ut si in una servaretur caput, & in alia brachium, & ex indulto Pontificis Ecclesiæ totius civitatis celebrarent officium de sanctis, quorum Reliquiæ insignes servantur in cathedrali; tunc non possent multiplicari officia, nec minor Ecclesia posset bis officium celebrare de eodem sancto, scilicet semel ratione reliquiæ, quæ asservatur in cathedrali, & iterum intuitu reliquiæ, quæ asservatur in Ecclesia illa particularis: ratio est, quia utraque reliquia pertinet ad eundem sanctum, de quo semel tantùm debet in anno officium celebrari, sicut si in eadem Ecclesia minori essent plures Reliquiæ insignes ejusdem sancti, ut duo brachia, caput, & crus, non possent in eadem Ecclesia multiplicari officia ad multiplicationem Reliquiarum.

11 Præterea quia concessio celebrandi officium in honorem alicujus sancti intuitu insignis Reliquiæ respicit cultum immediatè, qui est ipsi deferendus, adeo ut Reliquia insignis sit tantùm motivum concessionis: unde duplex Reliquia esset tantùm duplex motivum ejusdem concessionis, & non faceret, ut concessio multiplicaretur; sicut ex multiplicatione præceptorum ejusdem rationis non multiplicatur obligatio, uti liquet in præceptis jejunij, vel audiendi missam si festum alicujus Apostoli incidat in diem dominicum. Demum quia cultus defertur sancto, ut solemnizetur dies mortis ipsius, eò quia tunc ex hac mortali vita in cœlestem patriam migraverit; & quia hæc dies semel tantùm in anno contingit; factum est ex universali Ecclesiæ lege, quòd semel tantùm per singulos annos honore hoc colantur sancti.

12 Quæritur quartò, quænam sint Reliquiæ insignes, ratione quarum possit de sanctis illis missa celebrari? Respondetur, sacram rituum Congregationem decretū edidisse die 8. April. 1628. quod fuit etiam approbatum ab Urbano VIII. in quo declarantur quænam partes corporis alicujus sancti, vel Martyris sint Reliquiæ insignes, & declaravit has esse, caput, brachium; crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr modò sit integra, & non parva, & legitimè ab Ordinarijs approbata. Observandum est, quòd sicut ad verificandum, quòd conservetur corpus, sufficit, si conserventur ossa quamvis carne omnino denudata: ita etiam ad verificandum quòd conservetur caput, vel alia pars ex recensitis, sufficit si conserventur ossa ejusdem partis, quamvis denudata carne. Quòd si plures partes insignes aliquo glutine uniantur, & componant Reliquiam insignem, etiam tunc ut docet Quintanadvenas *tom. 1. in singul. tract. 7. singul. 28. n. 6.* habenda est pro Reliquia insigni. An verò possit missa celebrari de tali sancto intuitu illius Reliquiæ, videtur esse aliquod dubium, Quintanadvenas *loc. cit.* affirmat, eò quia tunc ex pluribus partibus coalescat pars una notabilis, seu Reliquia insignis, intuitu cujus ex decreto sacræ Congregationis potest missa, & officium celebrari de tali sancto. Verùm contraria sententia est probabilior, quam docet Paulus Maria Quartus in *Rubric. missal. p. 2. tit. 1. dub. 4. difficult. 1.* eò quia insignitas Reliquiæ non tam æstimetur ob quantitatem, quàm ob qualitatem membri, adeo ut debeat esse insigne membrum corporis, vel saltem pars, in qua Martyr passus sit pro Christo Martyrium: unde ad constituendam Reliquiam insignem non sufficit, si plures partes ejusdem corporis simul agglutinentur, ut coalescant in notabilem quantitatem, sed debet Reliquia insignis esse notabile membrum per se, ut caput, brachium, crus. Quòd si idem brachium in plura frusta divideretur, neutrum eorum esset Reliquia insignis, quia debet esse totum brachium integrum.

13 Sin verò omnes illæ partes simul glutino aliquo unirentur, tunc essent Reliquia insignis, quæ sufficeret pro recitatione officij, & celebratione missæ: quia de facto habentur omnes partes necessariæ ad constituendum illud membrum, in quo consistit Reliquia insignis: neque obstat, quòd partes ejusdem membri tunc uniantur artificiosè, quia illa artificialis unio tantùm supplet naturalem continuationem inter partes ejusdem membri, & nihil addit, vel minuit de eodem membro; proinde si totum membrum est Reliquia insignis, potest intuitu ipsius recitari officium, & celebrari missa de tali sancto, ut etiam notat Quartus in *Rubric. missal. p. 1. tit. 1. dub. 4.* Neque est par ratio, quando glutino uniuntur plures partes diversorum membrorum ejusdem corporis, quia tunc totum coalescens ex partibus illis unitis non est ullum integrum membrum ex illis, quæ sacra rituum Congregatio declaravit esse Reliquias insignes. Quod si ex brachio, vel capite aliqua deficeret exigua pars, & defectus etiam appareret adhuc Reliquia esset insignis, quia parum pro nihilo reputatur.

14 Quæritur quintò, an præter expressas in decreto sacræ Congregationis dentur aliæ Reliquiæ insignes? Respondetur cum Quintanadvenas *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 28. n. 7.* affirmativè; adeo ut unica spina decerpta ex corona spinea Christi Domini, fructum crucis licèt exiguum, aliquot capilli B. Virginis, vel alicujus eminentissimi sancti habeantur Reliquiæ insignes relativè ad eos tamen, quorum sunt Reliquiæ; non tamen secundùm se: hinc putârim similibus Reliquiis non posse recitari officium, nec missam celebrari, quia ad hunc effectum debent Reliquiæ esse insignes secundùm se, non verò respectu illorum, quorum sunt Reliquiæ. Tum quia non comprehenduntur sub qualitate Reliquiarum expressarum in decreto sacræ Congregationis.

15 Quæritur sextò, an si Reliquia insignis conservetur in aliqua Ecclesia cathedrali possint omnes degentes in eadem civitate recitare officium, & celebrare missam? Respondetur negativè, quia decretum sacræ Congregationis taxa-

taxativè disponit, & concedit tantùm ut officium recitari possit, & missa celebrari in illa Ecclesia, in quà asservatur Reliquia insignis, unde illi tantùm sacerdotes, qui addicti sunt tali Ecclesiæ, vel sunt ejus ministri, possunt intuitu talis Reliquiæ officium recitare, & missam celebrare de tali sancto: quòd si unus tantùm Capellanus esset addictus tali Ecclesiæ ipse solus posset officium recitare, & missam celebrare in eadem Ecclesia de tali sancto, quia sacra Congregatio in suo decreto utitur illa dictione *tantùm*, quæ est exclusiva aliarum Ecclesiarum.

17 Quæritur septimò, an quando in eadem Ecclesia servantur duæ Reliquiæ insignes, & festum utriusque sancti occurrit eodem die, sit omittendum officium unius? Respondetur, tunc non esse omittendum officium, sed esse celebrandum de unoquoque diversis diebus, adeò ut illa die celebretur officium, & missa de digniori, & in aliam diem transferatur officium de minus digno: quia juxta decretum sacræ Congregationis intuitu Reliquiæ insignis potest recitari officium, & missa celebrari de quocunque sancto, ad quem pertinet talis Reliquia; proinde si in eadem Ecclesia sint plures Reliquiæ insignes, & festum eorum Sanctorum occurrat eodem die, debent officia eorundē Sanctorum intuitu Reliquiarum celebrari diversis diebus, ita ut officium prius fiat de digniori, translato officio de minus digno, quòd si sint æquales datur libera electio, ut de uno priori loco celebretur officium, & missa.

18 Quod etiam procedit, quamvis sancti sint in eodem Ordine Martyrum, vel Confessorum, quia non est necesse celebrare de utroque simul missam, & recitare officium, quia quilibet sanctus seorsim ab alio intuitu propriæ Reliquiæ habet jus distinctum, ut de ipso celebretur officium, & missa: siquidem unaquæque Reliquia insignis tribuit jus proprium in ordine ad sanctum, cujus est Reliquia, consequenter non habetur obligatio uniendi officia, & poterunt seorsim celebrari, perinde ac quando eodem die occurrunt plures sancti, de quibus celebratur officium, fit enim tunc officium prius de digniore, & transfertur officium de minus digno. Quòd si plures sancti reperiantur in catalogo breviarij sub ritu duplici, & de quibus unicum tantùm officium celebretur, ut de sanctis Fabiano, & Sebastiano, & de uno tantùm habeatur in aliqua Ecclesia insignis Reliquia, tunc de hoc tantùm celebratur officium duplex, & officium alterius transfertur in alium diem sub ritu semiduplici, ut notat Quintanadvenas *loc. cit. num.* 4, & habetur etiam in *rubric. breviarij post Tabel. de occurr. fest. §. penult.* Et hoc etiam procedit, quamvis utrumque officium fiat in calendario sub ritu semiduplici, quia non potest demitti ad ritum inferiorem semiduplici, alioquin demitteretur ad ritum simplicis, & non posset transferri, unde debet retinere suum ritum.

19 Quæritur octavò, an depositio Reliquiarum sit de substantia consecrationis altaris? Plures affirmant cum Glossa *in c. de fabrica init. de consecrat. dist.* 1. & videtur deiumi ex *c. placuit eod. tit. dist.* 1. ubi jubentur everti altaria, in quibus non probatur, esse reconditas reliquias Sanctorum Martyrum. Secundò quia *in c. de fabrica eod. dist.* Vigilius Papa decernit, ut si ab Ecclesia, vel altari ablata sint sanctuaria, seù reliquiæ; iterum reponantur, & Ecclesia, vel altare consecretur. Tertiò quia S. Gregorius Papa ut habetur *lib. 3. dialog. c.* 30. consecravit Arianorum Ecclesiam introductis Reliquiis sancti Sebastiani, & S. Agatæ. Quartò quia ut notat Piasecius *p. 1. prax. Episc. c.* 5. *n.* 7. Sacra Congregatio Concilij die 10. Junij 1585. declaravit, in consecratione altaris reponendas esse Reliquias Sanctorum approbatorum. Verum contraria sententia est probabilior, & communior, quam docent Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. Zerolà *p.* 1. *prax. Episc. V. altare.* Et videtur hæc sententia fundari in rubrica missalis antiqui, in quà monebatur, quòd si non essent Reliquiæ reconditæ in altari omitteretur illa particula orationis, quæ recitatur quando post introitū sacerdos ascendit ad altare *quorum hic Reliquiæ sunt.* Tum quia in jure ubi fit mentio de consecratione altarium nihil prorsus dicitur de repositione Reliquiarum, & in *c. altaria* 2. *de consecrat. dist.* 1. ubi dicitur modus, quo altaria debent consecrari fit tantùm mentio functionis Chrysmatis, & Episcopalis benedictionis.

20 Tum quia Reliquiæ ex natura sua non habent vim sanctificandi, nec sunt quid Sacramentale ab Ecclesia institutum ad sanctificandum, sicut est Chrysma, & aquà benedicta. Immo nec ullum adest præceptum recondendi Reliquias in altari in ejus consecratione, quia cum tale præceptum non derivet ex lege naturali, aut divina, sed ex sola institutione Ecclesiæ non debet asseri nisi constet, fuisse ab Ecclesia impositum: atqui non constat, Ecclesiam imposuisse tale præceptum; quia Canones, qui afferuntur nullum indicant præceptum.

21 Hinc ad primum fundamentum oppositæ sententiæ respondetur *in illo cap. placuit.* tantùm reprobari abusum erigendi altaria in viis, & agris in memoriam Martyrum, ubi nulla revera erat talis memoria, sed tantùm fingebatur per inanes revelationes: proinde Pontifex jussit everti talia altaria, ut superstitiosa, non verò jussit ea everti, eò quia nulliter fuerint consecrata ex defectu Reliquiarum Martyrum.

22 Ad secundum desumptum *ex c. de fabricâ.* respondetur, nec ibi præcipi repositionem Reliquiarum in consecratione altaris, quia tantùm agitur de consecratione Ecclesiæ, & nomine sanctuarij intelligitur altare, ut constat ex textu.

23 Ad tertium esse discrimen inter consecrationem Ecclesiæ, & altaris, neque ex uno ritè potest aliud inferri. Rursus licèt D. Gregorius Papa consecraverit Ecclesiam per introductionem Reliquiarum SS Martyrum, non inde sequitur; quòd Reliquiæ sint in consecratione altaris essentialiter inducendæ; quia Pontifex non statuit quòd debeant introduci, unde quod fit ex decore, convenientia, & devotione non debet transire in præceptum. Hinc licèt in con-

fecratione altaris valde conveniens sit, ac decens ut reponantur Reliquiæ, si commodè haberi possint, non tamen id est necesse, adeo ut deficientibus reliquiis non possint altaria consecrari. Idque etiam desumitur ex eo, quòd Pontifices concesserint facultatem simplicibus sacerdotibus consecrandi altaria apud Indos, ubi moraliter non semper habentur Reliquiæ Sanctorũ pro quacunque consecratione. Ad id quod addebatur ex sacra Congregatione, respondetur, eam non declarâsse, Reliquias esse de necessitate recondendas in consecratione altaris, sed tantùm declarâsse, quòd non possint reponi nisi Reliquiæ sanctorum approbatorum, unde declaratio tantùm procedit ex suppositione, quòd si adhibeantur Reliquiæ, non debeant aliæ reponi nisi Sanctorum approbatorum.

24 Quæritur nonò, an si in consecratione altaris non possint haberi Reliquiæ, recondi debeat Eucharistia loco ipsarum? Respondetur negativè cum Hostiensi in *summa tit. de consecrat. Eccles. §. 3. num. 3.* ubi refert, ita respondisse Innocentium IV. Lugduni. Ratio videtur id etiam suadere, quia Sacramenta non sunt adhibenda ad alium usum nisi ad illum, pro quo fuerunt à Christo instituta: & Sacramentum Eucharistiæ non habet hunc usum, ut inserviat pro consecratione altaris, quia fuit à Christo institutum per modum cibi spiritualis ad reficiendam animam. Et licèt conservari possit, & debeat pro veneratione, & infirmis, non tamen in reconditorio, seu sepulchro altaris, sed in tabernaculo, & in decenti vase argenteo, vel aureo. Tum quia vis sanctificativa, quæ inest Sacramentis est in ordine ad animas, non ad res inanimatas, proinde non potest Eucharistia adhiberi ad sanctificandum altare, eò quia non habet vim illud sanctificandi; tota enim vis sanctificandi desumitur in Sacramentis à mensura institutionis, adeo ut non aliter sanctificent, quàm fuerint instituta: quapropter ad sanctificandum lapidem non potest adhiberi baptismus, quia tantùm fuit institutus ad sanctificandos homines, & ita dicendum de reliquis Sacramentis.

25 Quæritur decimò, an si in altari consecrando reponantur Reliquiæ, debeant istæ esse plures, & plurium Sanctorum? Respondetur cum Joanne Andrea in *c. 1. n. 9. de consecrat. Eccles.* sufficere, si Reliquiæ sint ejusdem sancti, quia eidem fini, cui inserviunt Reliquiæ plurium Sanctorum, inserviunt etiam Reliquiæ unius tantùm sancti: quia quamvis Reliquiæ nominentur semper in plurali, adhuc si habeantur plura ossa alicujus sancti dicuntur in plurali Reliquiæ talis sancti, eò quia revera sint plura ossa, quamvis ejusdem corporis; sicut sunt plures partes, quamvis pertineant ad idem totum. Tum quia talis est praxis Ecclesiæ, ut si in aliquo altari reponatur alicujus sancti Martyris corpus, non sint necessariæ aliæ Reliquiæ pertinentes ad alios Martyres.

26 Quæritur undecimò, an liceat venerari Reliquias alicujus sancti sine authoritate Romani Pontificis? Respondetur negativè, & desumitur *ex c. audivimus 1. h. t.* & ex *c. cum ex eo 2. eod. tit.* ratio est, quia nullus tanquam sanctus potest publicè coli nisi in sanctorum catalogo sit adscriptus: atqui ad solum Romanum Pontificem pertinet referre viros, qui hinc decesserunt cum fama sanctitatis in Sanctorum numerum: ergo sine approbatione Pontificis non possunt Reliquiæ publicè coli, neque exponi, ut colantur. Quòd si Reliquiæ de novo inventæ pertineant ad aliquem, qui jam pridem fuerat Sanctorum catalogo adscriptus, tunc coli possunt etiam publicè recognoscente tamen illas, & approbante Episcopo loci. Quòd si vir pius, & Religiosus fide dignus mihi daret aliquas Reliquias, quas assereret pertinere ad aliquem sanctum, possem ego privatim adhibere viro illi Religioso fidem, & Reliquias illas colere, ut proprias talis sancti; non verò publicè, nisi priùs Episcopus eas recognosceret, & approbaret.

27 Quæritur duodecimò, an incurrat excommunicationem, qui Reliquias sanctorum ex loco sacro, in quo repositæ, aut reconditæ sunt, furatur? Respondetur *in c. quisquis si quis domum 17. q. 4.* Statui, ut si quis domum Dei violaverit, & aliqua, sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, donec in conventu admonitus legitimè satisfaciat, sciat se communione privatum. Si verò post secundam, & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere recusaverit, nemini fidelium misceatur. Hinc infert Sylvester, eum ante quamlibet admonitionem excommunicationem minorem contrahere, donec satisfaciat, nec posse Sacramentum altaris suscipere. Ter verò admonitum, nisi satisfecerit, esse excommunicatione majore mulctandũ. Hinc non est licitũ, surripere sacras Reliquias ex cœmeterijs, aliisque locis sacris ubi Martyrum ossa, membra, & corpora requiescunt occultè, absque facultate generali, vel speciali expressa, vel tacita Romani Pontificis, vel ejus Vicarij, aut ejus, cui est sacer locus commissus, & data facultas, ut possit alijs sacras Reliquias dare.

28 Quæritur tertiodecimò, ad quid teneatur qui in aliqua Ecclesia furatus est Reliquiam alicujus sancti, & non potest ampliùs restituere, eò quia non sit ampliùs in potestate furis? Respondetur, teneri furem compensare furtum re aliqua spirituali æquivalente, & quæ sit tantæ æstimationis, quantæ erat Reliquia furto ablata, scilicet tradere Ecclesiæ aliquam aliam æquivalentem, vel quid simile, quia ut docet D. Agustinus *epistola 54.* & refertur *in c. res alienas 14. q. 6.* restitutio necessaria est ad salutem, adeo ut non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, quia necessarium est ad salutem conservare justitiam, proinde æqualitatem, quæ est objectum justitiæ: & quia per furtum consurgit inæqualitas, debet induci æqualitas, ut serveturijustitia, per restitutionem: & quando non potest fieri restitutio ejusdem rei, debet fieri in æquivalente, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 63. art. 2. ad 1.* Quòd si fur non possit hoc modo compensare, adhuc tenetur resarcire injuriam factã Ecclesiæ possidenti Reliquiam: siquidem in furto consideratur res, quæ aufertur,

&

& injuria quæ infertur poſſeſſori rei, & conſiſtit hæc injuria in eo, quòd Dominus inſcius, & invitus privetur ſua poſſeſſione. Hinc licet Reliquia non ſit pretio æſtimabilis, & compenſabilis, poteſt tamen pretio æſtimabili compenſari injuria illata: hinc fur tenetur reſtituere non ſolùm ratione rei furto ſublatæ, ſed etiam ratione injuſtæ acceptionis, ut docet D. Thomas 2.2. *q. 62. art. 6. in corp.* Hinc quamvis non amplius habeat Reliquiam, adhuc tenetur compeſſare ratione injuriæ illatæ, & quidem eo meliori modo, quo poteſt ſecundùm regulas rectæ rationis, & taliter ut Rectores Eccleſiæ per æquivalentiam proportionalem, putent ſibi ſatisfactum eſſe in ordine ad extinguendam injuriam Eccleſiæ factam: & niſi id præſtetur, nunquam inducitur debita æqualitas.

29 Quæritur quartodecimò, an ſine facultate Pontificia poſſint Reliquiæ ſanctorum alienari, quæſtio procedit de Reliquiis, quæ de jure pertinent ad aliquam Eccleſiam, iúnctque in notabili quantitate? Et reſpondetur negativè: quia etiam Reliquiæ continentur ſub rebus prohibitis alienari, ut docent Riccius *deciſ 63 num. 6.* Peregrinus *in compend. privil. Cler. Regul. V. alienatio bonorum in ſchol. dub. 4. in ult. edit.* Basqualigus *qq. moral. canon. centur. 2. q. 181.* & alij, quos ipſe citat: ſiquidem *in Paulina ambitioſa de rebus Eccleſ. non alienan.* prohibetur alienatio non ſolùm bonorum Eccleſiæ, ſed etiam rerum omnium pertinentium ad Eccleſiam: atqui Reliquiæ ſunt res, quæ pertinent ad Eccleſiam, proinde non poſſunt alienari ſine facultate Pontificia. Neque obſtat, ſi dicas, Reliquias eſſe quidem res non tamen pretio æſtimabiles. Nam contra eſt, quia conſtitutio Paulina *Ambitioſa* nullâ adhibita diſtinctione prohibet alienationem rerum omnium, & bonorum, unde cùm nullam adhibeat diſtinctionem inter res pretio æſtimabiles, & non æſtimabiles, nec nos debemus eam ponere. *l. diſtinguemus. §. de recept. arbit. & l. præſes. §. de offic. Præſid.* & *l. 1. §. generaliter. ff. de legat præſt.* & *c. ſolita de major. & obed.* Tum quia nomine rei intelligitur, quidquid quocunque modo eſt aliquid *l. ſi quis cum totum init. de except. rei judic. l. ſi defenſor §. qui interrogatus. ff. de interrogat. act. l. pupillo §. qui nuntiat. ff. de nov. oper. nuntiat.*, & cum Reliquiæ Sanctorum, quæ in Eccleſiis cuſtodiuntur, ſint aliquid, & conſtitutio Paulina *ambitioſa* ſit Eccleſiæ favorabilis, extendanda eſt ad res omnes, quæ ſub aliqua ſignificatione verborum ſive naturali, ſive civili comprehenduntur, ut docet Caſtrenſis in *l. qui ſe patrè C unde liberi.* Quòd verò Paulina conſtitutio ſit Eccleſiæ favorabilis ex eo liquet, quia in illa agitur de manutenentia rerum eccleſiaſticarum, & de publica utilitate Eccleſiæ cùm reſpiciat conſecrationem rerum ipſius: & quando agitur de favore publicæ utilitatis lex extenditur etiam ad caſum non comprehenſum ſub verbis *l. cætero § penult. ff. de legat & l. hoc modo. ff. de condit. & demonſtrat.* ut notat Bart. *in l. quemadmodum C. de agricolis.*

Tum quia Reliquiæ habentur inter ornamenta Eccleſiæ, cùm plurimum ſplendoris ei accedat ex Reliquiis, quibus conſtituitur illuſtrior; proinde ex alienatione reliquiarum ſuis Eccleſia privatur ornamentis, quod cedit in non modicum ejus damnum: ergo præfata Paulina conſtitutio extenditur etiam ad Reliquias: ratio eſt anima legis, quam trahit ad omnia, in quibus ipſi locum non habet *l. illud. ff. ad legem Aquil. l ſi poſtulaverit. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.* Tum quia mens legislatoris ſupponitur rationabilis, proinde informata ipſa ratione legis, adeo ut extenſio comprehenſiva legis, ſeu ejus latitudo non ſit attendenda ſecundùm ipſa verba, ſed ſecundùm ipſam rationem, quia attendenda eſt ſecundùm legem animatam, ſeu mentem legislatoris. 30

TITULUS XLVI.

De Obſervatione jejuniorum.

VIa in præcedente titulo Pontifex egit de Reliquiis, & veneratione Sanctorum; & ad promovendam devotionem, ac venerationem eorundem plurimum conducunt jejunia, quæ inſtituuntur, ut præambula ad feſta Sanctorum ferventiori ſpiritu celebranda: ideo in præſenti titulo agit de obſervatione jejuniorum; unde in textu hujus tituli enumerantur in primis vigiliæ, quibus indicitur jejunium: quibus verò diebus ſint jejunia ſervanda ex calendario ſatis apparet.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. EX PARTE 1. h. t. reſcribit Innocentius III. quòd ſi contingat celebrari Nativitatem Domini, aſſumptionem B. Mariæ, vel feſtivitatem Apoſtolorum in ſecunda feria; jejunandum ſit die Sabbati præcedentis. Rurſus ſtatuitur, ut in vigilia S. Mathiæ jejunetur; idque hodie ſervatur, tametſi hæc vigilia contingat penultimo, vel etiam ultimo die Bacchanaliorum, ut contigit ſub Pontificatu Innocentij XII. Ex hoc textu colligitur, quòd quoties

aliquod festum venerit die Lunæ, ejus vigilia jejunanda sit in Sabbatho præcedente.

C. *CONSILIUM 2. h. t. Idem Pont. rescribit, omnes Apostolorum vigilias (præterquam SS. Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ, quia celebrantur in solemnitate Paschalis, & Natalis Domini) jejunandas esse. Rursus tempus Adventus esse Roma jejunandum. Item festum S. Bartholomæi esse celebrandum secundùm consuetudinem loci. Item ob necessitatem scilicet ne fame pereant, carnes in quadragesima comedentes non peccare, nec esse puniendos; bene tamen esse preces fundendas pro ipsis, ne Deus eis imputet hoc; quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi minimè reperitur. Demum declarat, esse servandam loci consuetudinem, dummodo sit extra periculum infirmorum, circa comestionem carnium: mandat enim infirmis esse concedendum esum carnium, si urgens necessitas id exigat, ut evitetur in eis majus periculum.*

C. *EXPLICARI 3. h. t. rescribit Honorius III. quòd si Nativitas Christi contigerit feria VI. licitum sit omnibus vesci carnibus secundùm consuetudinem ecclesiæ generalis. Excipiuntur tamen habentes votum, vel regularem observantiam in contrarium. Cæterum si quis devotionis causa adhuc vellet die illa abstinere à carnibus, non esset reprehendendus: si secluso contemptu ob simplicem mortificationem intenderet talem abstinentiam. Cæterum consuetudo generalis ecclesiæ servanda est tanquam lex* cap. pernicioſus de celebrat. miſſar. *Qui verò vovit non comedere carnem, & nihil excepit, tenetur etiam in die Nativitatis abstinere à carnibus* c. quia circa de privileg.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De qualitate, & quidditate ieiunii.

1 JEjunium ex vi suæ significationis abstinentia à cibo corporali, prout ad præsens pertinet institutum, unde jejunium corporis habetur, quando ipsi subtrahitur cibus, quod potest dupliciter contingere. Primò si subtrahatur totaliter, adeo ut quis abstineat ab omni cibo, & potu. Secundò per reductionem ad aliquam determinatam mensuram; priori modo constituitur jejunium naturale, quod ex se præcisè non est aliqua virtus, quia consistit in mera negatione ab omni cibo, & potu, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 146. art. 1.* & tantum imperativè potest esse actus virtutis, quatenus potest imperari ex aliquo virtuoso motivo, quo fit, ut possit esse actus diversarum virtutum juxta diversitatem motivi, quo quis se abstinet ab omni cibo, & potu: & hoc jejunium naturale est necessarium pro sumptione Eucharistiæ à media nocte antecedente. Secundo modo per reductionem ad aliquam determinatam mensuram, adhuc potest contingere dupliciter. Primò ut talis mensura sit secundùm regulam rectæ rationis, prout constituitur quædam mediocritas proportionata exigentiæ naturæ, & hoc jejunium dicitur morale pertinens ad virtutem temperantiæ, cujus est proprius actus: siquidem temperantia utitur moderatione in esculentis, & poculentis, & hoc jejunium non servat eandem mensuram respectu omnium, quia complexiones sunt diversæ exigentes majorem, vel minorem quantitatem cibi, & potûs: Secundò potest mensura fieri juxta regulam rationis illuminatæ per fidem, & respicientis finem supernaturalem, adeoque secundùm præscriptionem Ecclesiæ, cujus est, modum præscribere in ordine ad tendentiam in finem supernaturalem: & hoc pacto habetur jejunium ecclesiasticum accipiens formam à dispositione Ecclesiæ, & hoc jejunium est etiam positivum, eò quia oriatur ex posita moderatione alimenti.

2 Est igitur jejunium ecclesiasticum juxta præsens institutum: *Abstinentia voluntaria à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem*, cùm enim sit actus virtutis non solùm temperantiæ, sed etiam obedientiæ, qua fideles jejunantes obediunt Ecclesiæ præcipienti tali die jejunium, debet esse abstinentia voluntaria, ad temperantiam enim pertinet moderari delectationes circa esculenta, & poculenta, & constituere in ijsdem debitam mediocritatem in eo sitam, ut hujusmodi delectationes dirigantur juxta regulas rectæ rationis. Dicitur *à cibo* non verò à potu, eò quia cibus ordinatur ad nutrimentum corporis, & potus ad distributionem cibi per corpus. Tum quia nomine cibi non intelliguntur medicinæ, potiones, & electuaria, quæ tametsi nutriant, sumuntur tamen ob infirmitatem, proinde non solvunt jejunium: additur *juxta præscriptum ecclesiæ*, quia Ecclesia est, quæ præscribit modum, quo servandum sit jejunium.

4 Ex præscripto autem Ecclesiæ tria concurrunt ad constituendũ jejunium ecclesiasticum, quorum primum est delectus ciborum, nimirum ut jejunans se abstineat ab esu carnium, immo de jure canonico debet etiam se abstinere à lacticiniis, caseo, lacte, ovis *c. denique 6. V. par est. dist. 4.* eò quia lacticinia suam à carnibus trahant originem, in pluribus tamen Provinciis præsertim Germaniæ usus invaluit, ut per solam abstinentiam à carnibus, & non à lacticinijs servetur jejunium ecclesiasticum, immo cum concessione lactis, & ovorum, conce-

ditur

ditur etiam uſus ſagiminis, cum formaliter non ſit caro, nec eſt major ratio, de caſeo ac de ſagimine. Verùm in Germania nondum eſt introductus uſus ſagiminis, eò quia proximiùs videatur accedere ad naturam carnis. Notat tamen Layman *lib. 4. tract. 8. c. 1. num. 5.* ob authoritatem Doctorum, ob inopiam, vel aliam juſtam cauſam poſſe Parochum concedere, ut loco butyri, ſagimine quis utatur. Secundum quod concurrit ad jejunium eccleſiaſticum eſt, ut una die una tantùm habeatur refectio: uſus tamen invaluit, ut permittatur ſerotina refectiuncula, licèt in meridie quis prandium habuerit: & quia hujus refectiunculæ quantitas, & qualitas non eſt in jure determinata, ideo ex rationabili conſuetudine conſideratis locorum, & personarum plus, minúsve cibi indigentium circumſtantijs deſumenda eſt, licèt enim uni ſufficiant quatuor unciæ pro veſpertina refectiuncula; alteri ob robuſtiorem complexionem vix ſex ſufficiunt. Tertium quod concurrit eſt tempus ſervandum in refectione: olim enim erat tempus veſpertinum tantùm, prandio in cœnam mutato *c. ſolent. de conſecrat diſt. 1. c. poſt paſcha diſt. 76.* ſed nunc conſuetudo ſubſtituit tempus meridianum, immo ſi quis ex juſta cauſa prandium anticiparet etiam per horam ante meridiem non peccaret, dummodo non ampliùs comederet usque ad refectiunculam veſpertinam.

4 Continet igitur præſens titulus tria capitula, in quorum primo, cui initium eſt, *ex parte* Innocentius III. ſtatuit, quòd ſi feſtum nativitatis Domini, vel aſſumptionis B. Mariæ Virginis, vel alicujus Apoſtolorum incideret in feriam 2. ſeu in diem Lunæ, jejunium debeat anticipari in die Sabbatho præcedente, & hoc etiam procedit de aliis feſtis, in quorum pervigilio injungitur jejunium: ratio eſt, quia Eccleſia in die Dominica propter reverentiam diei nunquam conſuevit jejunare *c. quæſivit 14. §. feſtum verò juncta Gloſſa V. Dominica de V. S.* Rurſus in *eod. c. ex parte 1. h. t.* declaratur, quòd in vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli debeant fideles jejunare. Id enim tunc erat dubium, eò quia ab initio S. Matthæus non fuerit ex numero duodecim Apoſtolorum, ſed tantùm poſt Chriſti necem fuerit ſuffectus in locum Judæ, qui prævaricavit, ut habetur *Act. 1.* ratio autem, quæ movit Pontificem ad ſtatuendum hoc jejunium fuit, quia quod ſuccedit in locum alterius eodem jure cenſetur, & ſubrogatum induit vices, & naturam illius, in cujus locum ſubrogatur *c. Eccleſia juncta Gloſſa V. ſucceſſerit.*

5 In *c. Conſilium 2. h. t.* etiam ſtatuitur, ut fideles jejunent in vigiliis omnium Apoſtolorum præter vigilias SS. Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangeliſtæ, eò quia celebrentur in ſolemnitate paſchali, & natalis Domini. Rurſus jejunium adventus agebatur Romæ. Præterea feſtum S. Bartholomæi, ut celebretur ſecundùm conſuetudinem loci. Item qui propter neceſſitatem, ſeu ne pereant, in quadrageſima carnes comedunt, non peccant, nec ſunt puniendi: benè tamen eſt orandum pro ipſis, ne Deus hoc ipſis imputet, eò quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi nulla reperitur. Item ut ſervetur conſuetudo loci, dummodo non emergat periculum infirmis, & debilibus circa comeſtionem carnium. Demum ſtatuitur, ut quando infirmi tempore jejunij petunt veſci carnibus, cum urgens neceſſitas exigit, debeat ipſis concedi, ut in ijs vitetur majus periculum. Hinc de jure communi eſus carnium in die Sabbathi non eſt prohibitus, & colligitur ex *c. jejunia 16. diſt. 3. de conſecrat.* ubi dicitur *Jejunia quarta, & ſexta feria non ſunt ſolvenda* ex neceſſitate tamen, & conſilio die ſabbathi eſt abſtinendum à carnibus *c. ſabbatho 13. diſt. 3. de cauſa.* nunc autem eſt de præcepto, ubi viget talis conſuetudo *c. quia dies 21. & ibi,* Gloſſa *V. admonemus diſt. 5. de conſecrat.*

6 In *c. explicari 3. & ult. h. t.* Honorius III. declarat, quòd ſi nativitas Chriſti domini inciderit in feriam ſextam, licitum ſit omnibus fidelibus veſci carnibus ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Excipiuntur tamen iſ, qui habent votum, vel regularem obſervantiam in contrarium, adeo ut qui ex vi ſolemnis profeſſionis emiſſæ ſe obligaverint, ac voverint Deo abſtinentiam continuam per totum vitæ tempus ab eſu carnium, teneantur adimplere votum, ac obſervare regulam. Declaratur itidem in *d. c. explicari* non eſſe eos reprehendendos, qui devotionis cauſa ſe abſtinent ab eſu carnium die veneris, quamvis tunc incidat feſtum Nativitatis Domini: alioquin conſuetudo Eccleſiæ univerſalis ubique ſervanda eſt, tanquam lex, *c. pernicioſus 13. de celebrat. miſſ. c. in his rebus 7. diſt. 11.* eò quia conſuetudo Eccleſiæ univerſalis cenſeatur originem trahere ex Apoſtolica traditione, vel ex decretis Conciliorum generalium, ut habetur *in c. illa. 1. diſt. 12.* juxta Gloſſam hic *V. conſuetudinem:* unde etiam conſuetudo relaxandi jejunium, ſi ſit univerſalis Eccleſiæ ſervari debet ab omnibus fidelibus, tametſi adſit in contrarium conſuetudo particularis in uno, vel alio loco, quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ prævalet, ſecus ſi in peculiari aliquo loco ex voto fideles ſe obligarent ad jejunium, tenerentur illud obſervare ratione voti: jejunia enim quæ à ſinguis diœcesanis indicuntur ab omnibus ſubditis ſervanda ſunt *c. jejunia 17. diſt 5. de conſec.*

7 Qui verò privatim, & ex ſe vovit jejunare quacunque feria ſexta nil cogitando de feſto Nativitatis Chriſti, & ex circumſtantijs, ac conjecturis non poſſit colligi, quòd extenderit ſuum votum etiam ad feſtum Nativitatis Chriſti ſi occurrat feria ſexta: tunc valde probabile eſt non teneri in die Nativitatis Chriſti jejunare, ſi occurrat feria ſexta: ratio eſt, quia diſpoſitio *d. cap. explicari. 3. h. t.* tantùm habet locum in eo, qui generaliter vovit nunquam carnes comedere per totum vitæ tempus; quia tunc implicitè includit, etiam feſtum Nativitatis Domini, & paſchatis: non verò quando tantùm vovit eas non comedere diebus veneris, ut notat Sanchez *lib. 4. moral. c. 11. n. 61.* Poteſt etiam diſcrimen aſſignari: ſiquidem, qui vovit abſti-

nen-

nentiam à carnibus per totum vitæ tempus se privavit libertate comedendi carnes omnibus diebus, etiam aliàs permissis; quapropter ex vi sui voti etiam in die paschatis tenetur abstinere, proinde etiam in die Nativitatis Domini: secus qui specialim tantùm vovit abstinere à carnibus singulis diebus veneris, vovit illam abstinentiam in illis diebus, quibus aliàs est prohibitus esus carnium ab Ecclesia; consequenter non censetur vovisse abstinentiam in die Nativitatis Christi, quia illa die ob solemnitatem Nativitatis non est prohibitus esus carnium, unde non debet fieri extensio à die prohibita ad diem non prohibitam: non enim in voto fit extensio à casu expresso ad casum non expressum *c. litterarum 3. de voto.* Præterea quia in promissione generali non continentur illa, quæ si specialiter fuissent alicui proposita verosimiliùs non fuissent promissa, sed excepta: unde ex benigna interpretatione debet ita intelligi mens voventis. Tum quia leges feruntur de ijs, quæ frequenter contingunt, non verò de illis, quæ non nisi de raro, eò quia non supponuntur tunc occurrere menti *l. nam adeo. 5. ff. de legib. l. ex his 4. ff. eod.*

8 Neque urget, si dicas, votum abstinendi ab esu carnium die veneris esse inutile, eò quia jam ex præcepto Ecclesiæ teneatur vovens abstinere tali die à carnibus. Nam licèt adsit præceptum, adhuc votum est utile, siquidem potest quis se obligare ad id, quod jam tenetur ex præcepto divino, vel ecclesiastico: etenim ex præcepto divino vir solutus tenetur se abstinere à fornicatione, & nihilominus potest utiliter vovere talem abstinentiam, ut etiam declinare occasiones omnes fornicandi, tametsi ex præcepto divino teneatur eas vitare; imò confessarij solent etiam tale votum persuadere ad tempus, ne qui consuetudinem contraxerunt fornicandi tali tempore committant peccatum. Unde tametsi adsit præceptum abstinendi à carnibus die veneris, adhuc potest quis utiliter talem abstinentiam vovere, præsertim si consueverit tali die vesci carnibus.

9 An verò jejunium in Ecclesia introductum fuerit per verum præceptum Ecclesiasticum, vel tantùm ex inolita consuetudine? Respondetur, jejunium esse introductum per verum præceptum Ecclesiæ, ut communiter docent, quia ab Ecclesia institutum fuit jejunium pro diversis temporibus, & diebus, adeo ut ex jure non colligatur ullum commune præceptum jejunandi, sed inferantur diversa pro diversis temporibus, ut habetur *in c. non liceat 6. non oportet, 5. placuit, de consecrat. dist. 3. c. 40. de consecrat. dist. 5. c. ex parte 1. h. 1. c. consilium 2. eod. tit.* Neque hi textus condunt novum jus circa jejunium, sed tantùm declarant obligationem jam ab Ecclesia impositam, proinde non utuntur verbis præceptivis; sed tantùm declarativis obligationis. Causæ excusantes à jejunio plures sunt. Prima est ætas juvenilis, nam ante 21. ætatis annum completum non adest obligatio jejunandi, eò quia adolescentes tunc majori indigent nutrimento, cum corpus crescat. Secundò ætas senilis; siquidem docent omnes senes excusari à jejunio, quia cum in senectute natura debilitetur, senectus æquiparatur infirmitati.

10 Non tamen conveniunt Doctores in designando ætatis anno, quo cesset jejunij obligatio: cùm Ecclesia nihil circa hoc determinaverit, neque stante varietate complexionum senectus semper eodem tempore incipiat in omnibus, cum aliqui citius, & alij tardiùs senescant, ac incipiant pati diminutionem virtutis, & caloris naturalis, ideo doctores in diversas dividuntur sententias. Sunt qui docent, ætatem septuagenariam esse terminum, in quo cessat obligatio jejunij, quia sicut excusantur in jure civili ab oneribus personalibus *l. unica C. qui ætate lib. 10.* ita etiam excusantur à jejunio, eò quia leges canonicæ sunt mitiores civilibus. Alij asserunt, annum sexagesimum ætatis, ut plurimum eximere ab obligatione jejunij, eò quia ut plurimum tunc incipiant notabiliter vires minuij adeo ut plures sexagesimo tertio anno claudant vitam. Alij absolutè docent, annum sexagenarium eximere omnes cujuscunque sint complexionis ab obligatione jejunandi. Ita docent Molfesius *tom. 1. sum. tract. 10. c. 4. num. 37.* Naldus *V. tempus. n. 10.* Diana *p. 1. tract. 9. de jejun. resol. 20. V. attamen.* Granados *t. 2. controvers. 7. tract. 3. p. 1. disp. 6. sect. 5. num. 59.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 32. n. 17.* & alij plures quos plena manu citat, & sequitur Pasqualigus *in sua prax. jejunij. decis. 256.* ubi ait huic sententiæ adhærendum esse, ut probabiliori, eò quia ætas sexaginta annorum, revera sit ætas senilis, in qua calor naturalis notabiliter minuitur. Tum quia ætas senilis à Galeno *lib. 5. de sanit. tuend.* est debilis, & facilè corruit, vel morbum contrahit.

11 Mihi tamen videtur dicendum, non posse determinatum annum designari, qui eximat ab obligatione jejunij, sicut nec Ecclesia illum designavit; sed senilem ætatem esse censendam juxta dispositionem corporis, & virium arbitrio prudentis viri, adeo ut habenda sit ratio corporis, valetudinis, roboris, complexionis, non enim datur certus terminus ætatis, in quo homines sint ita debiles, ac viribus destituti, ut eximantur à lege jejunij. Plures sunt, qui ante annum sexagesimum sunt longè debiliores alijs, qui septuagesimum jam attigerunt. Dantur etiam qui post 50. annum incipiunt ita destitui viribus ob exantlatos prævios labores, ut non possint ampliùs resistere jejunio: quamobrem satiùs putârim attendendam esse complexionem, defectionem virium, & diminutionem spirituum, ac roboris naturalis. Tertia causa excusans à jejunio est infirmitas corporis. Nomine autem infirmorum comprehenduntur etiam convalescentes, qui nondum recuperârunt pristinas vires deperditas ex præcedenti morbo, ut docent D. Thomas *in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 4.* D. Antoninus *3. p. tit 6. c. 11. §. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 5.* Cajetanus *2. 2. q. 147. art. 4.* & alij plures quos refert, & sequitur Pasqualigus *in sua praxi jejunij decis. 261.* quia non est verisimile, Ecclesiam voluisse ad jejunium obligare infirmos, & convalescentes,

te, enim ſint viribus deſtituti, hæc enim obli- [illegible] moraliter intolerabile. Tum quia lex ita utilitati conſulit animarum, ut [illegible] exclusit corporum, ſed tantum defatigationem. Tum quia jejunium ipſum per ſe tunc morbi induceret incrementum, ac defectionem virium, & alia incommoda ægrotantia corpus convaleſcentis. Quanta verò debeat eſſe infirmitas, ut eximat non benè valentem à lege jejunij, id remittitur judicio prudentis viri.

21 Cæterum ſi morbus, vel convaleſcentia talis ſit, ut impediat conſuetas functiones, cenſetur ſufficiens ad eximendum à lege jejunij, eò quia tunc argumento eſt, vires eſſe notabiliter diminutas. Hinc nomine infirmorum comprehenduntur etiam valetudinarij, qui tametſi nullo actuali morbo laborent, ſunt nihilominus complexionis tam malè affectæ, ut vix poſſint jejunium ſuſtinere, quin cadant in defectiones, ac deſtitutiones virium. Immo comprehenduntur etiam, ut notant Navarrus *c.* 21. *moral. num.* 15. Sylveſter, Sanchez, Angies, & alij apud Pasqualigum *loc. cit.* qui adeo imbecilles ſunt ſtomacho, ut non poſſint una comeſtione tantum ſumere, quantum ſufficiat ad commodè nutriendum corpus, eo quia ob caloris naturalis imbecillitatem difficulter poſſint concoquere: novi quandam puellam nobilem, quæ vix potuit ad prandium aliquid cibi ſolidi comedere, ſed tertia quoque hora ſumebat juſculum, quo ſuſtentabatur, tametſi nullo alio morbo laboraret, niſi quia calor naturalis in ſtomacho ex medicorum opinione erat perquàm imbecillis, & inſufficiens ad concoquendos cibos ſolidos. Quarta cauſa eſt occupatio, & defatigatio corporalis, ut eſt in mechanicis, qui enim exercent artes laborioſas, quas difficulter poſſent exercere ſtomacho vacuo, non tenentur jejunare juxta communem ſententiam, tametſi divites ſint, & aliunde victum habeant, ac conſueta familiæ commoda. Et fundatur hæc communis ſententia, quam fusè docet Pasqualigus *in ſua praxi jejunij* per plures deciſiones, quibus deſcendit ad ſingulas mechanicas artes, in declaratione Eugenij IV. emanata anno 1440. ubi ait. *Opifices ſuas artes exercentes, aut colani colendis, ſerendunque agris, aut aliis ejuſmodi rebus operam dantes ſive ſint divites ſive pauperes ad jejunia ſub peccato mortali non tenentur, & à Confeſſariis abſolvi poſſunt conſulendo illis, ut in eleemoſynis, aliiſque piis operibus occupentur*, referunt hanc declarationem Navarrus *c.* 21. *num.* 16. Sylveſter *V. jejunium q.* 9. Fagundez *precepto* 4 *lib.* 1. *c.* 8 *n.* 15. Verùm non omnes qui exercent artes mechanicas eximuntur à lege jejunij, ſed illi tantùm, qui plurimum impendunt laboris in ſuis artibus exercendis, & pro bono Reipublicæ neceſſe eſt, ut hujuſmodi artes exerceantur, tunc ſive artifices divites ſint, eximuntur à lege jujunij, ut piſtores, eò quia ars furnaria ſit valde laborioſa, & exigat vires robuſtas, niſi enim cœnarent, non poſſent labores ſuſtinere.

22 Sutores conficientes calceos ſecundùm probabilem ſententiam etiam exculantur, eò quia quamvis ſedeant, debent nihilominus plurimum laborare, ac magnum adhibere conatum manibus, brachiis, cruribus, & pedibus, ut contineant calceos, dum utroque brachio luunt, ex hoc enim continuo labore vires deficiunt, & totum corpus laxatur, & ita dicendum de Cœmentarijs, Fulonibus, Textoribus, Lanariis, Coriariis, Mollitoribus, per totum diem mollientes, & deferentes triticum, colligentes farinam, eámque aſportantes, & alia id genus opera neceſſaria pro mollitione exercentes. Quòd ſi ſemel tantùm, vel iterum imponerent triticum mollendino, quia labor eſſet exiguus, non eximerentur à jejunio. Sartores verò, barbitonſores non eximuntur à præcepto jejunij, quia eorũ exercitia fiunt cum moderato labore, & non exhauriunt vires, proinde poteſt corpus reſiſtere jejunio. Regula generalis eſt, ut quoties ex arte mechanica exhauriuntur vires ob impenſum laborem toties artifices eximuntur à lege jejunij. Conſule Dianam *p.* 1. *tract.* 9. *de jejun. reſolut.* 7. 9. *& ſequent.* & præſertim, Pasqualigum *in ſua praxi jejunij deciſ.* 290. *& aliis pluribus ſequentibus.*

Dies, in quibus ex præcepto jejunium indi- 24
ctum eſt ab Eccleſia ſunt. Primò dies ſingùli quadrageſimæ exceptis dominicis. Quadrageſima antiquitùs in Eccleſia Romana incipiebat initio ſextæ hebdomadæ ante Paſcha, ſeu hebdomada poſt quinquageſimam, ut refertur *in c. quadrageſima. diſt.* 4. idque ex eo etiam colligitur, quia officia quadrageſimalia, etiam nunc ſolùm incipiunt prima dominica quadrageſimæ, & non in feria quarta cinerum, & tunc ſolùm veſperæ recitantur ante refectionem, ſicut debent recitari in quadrageſimali jejunio, qui mos etiam nunc viget in Eccleſia Mediolanenſi. Teleſphorus Papa poſtea ſancivit, ut Clerici quadrageſimale jejunium inciperent à quinquageſima, adeo ut tenerentur jejunare per ſeptem completas ſeptimanas, ut habetur *in d. c. quadrageſima. diſt.* 4. quem morem adhuc ſervant Clerici Regulares Theatini, & etiam quidam alij Religioſi, licèt abrogatus poſtea fuerit, & inductum ut jejunium quadrageſimale tantùm inciperet feria quarta cinerum. Antiquo mori inchoandi jejunium in dominica prima quadrageſimæ fuerunt additi quatuor dies præcedentes talem dominicam, ut nimirum jejunium eſſet 40. dierum ad imitationem jejunij Chriſti, cum antea non fuerit niſi 36. dierum. Terminatur jejunium quadrageſimale de jure in ſabbatho ſancto incluſivè ante patcha, ut liquet ex praxi. Eſt etiam ex præcepto jejunium in quatuor anni temporibus, ut refertur *in c ſtatuimus diſt.* 76. ubi habetur, *Statuimus ut jejunium quatuor temporum hoc ordine celebretur. Primum in initio quadrageſimæ: Secundum in hebdomada Pentecoſtes. Tertium in Septembri. Quartum Decembri.* In hiſce ſingulis temporibus præcipitur jejunium trium dierum, ut ſingulis menſibus una reſpondeat jejunij dies, & in toto anno tot ſint jejunij dies, quot numerantur menſes. Ex jure communi etiam jejunandum eſt in pervigilijs Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. Virginis in cœlum, ut habetur in *c.*

ex parte 1. h. t. ut etiam in pervigilio S. Matthæi Apoſtoli, ut paulò ſuperiùs diximus.

15 Rurſus in pervigilijs omnium Apoſtolorum ut habetur *in c. conſilium 2. h. t.* excluſa tamen vigilia SS. Philippi, & Jacobi, in qua non jejunatur ob paſchalem lætitiam, ut nec etiam in vigilia S. Joannis Evangeliſtæ, eò quia incidat inter feſta Natilis Domini. In vigilia Pentecoſtes jejunium obligat tantùm ex conſuetudine, non verò ex jure communi, quia nullibi reperitur præceptum de tali jejunio: & ex eadem conſuetudine tenemur etiam jejunare in vigiliis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & omnium Sanctorum. An verò hæc conſuetudo inducta ſit cum animo ſe obligandi conſule Pasqualigum *in ſua praxi jejunij deciſ. 171. & ſequent.* Cæterum quando vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidit in feſtum corporis Chriſti, anticipatur jejunium die immediata antecedente, ſeu feria quarta ex conſtitutione Urbani VIII. edita die 13. Octobris anno 1631. cui initium eſt *cum evenire*: & in illa præcipitur jejunium, adeo ut abſque difficultate obliget ſub peccato mortali.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an jejunium eccleſiaſticum ſit ſatisfactorium pro pœna temporali? Reſpondetur affirmativè, contra Calvinum, Khenniſium, & alios ſectarios, & fuit definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. can. 13.* ubi dicitur: *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter tolleratis, vel à ſacerdote injunctis, ſed neq; ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, anathema ſit.* Et deſumitur etiam ex ſcripturis *lib. 3. Reg. c. 21.* ubi de Achab dicitur, quòd mediante jejunio, & pœnitentia obtinuerit remiſſionem pœnæ, & *Joan. c. 3.* Deus pepercit Ninivitis, eò quia egerunt pœnitentiam in jejunio. Et id docent etiam communiter ſancti Patres Auguſtinus *de utilit. jejunij.* Cyprianus *lib. 4. epiſt. 4. ad Clerum.* Chryſoſtomus *lib. 1. de jejunio.* ſiquidem ut rectè notat Pasqualigus *in ſua praxi jejunij deciſ. 7.* omne obſequium quod Deo exhibetur eſt ſatisfactorium pro pœna peccatis debita, licèt non per ſe ſeorſim, ſed in virtute meritorum Chriſti: ſiquidem obſequium opponitur offenſæ, & per illud honor læſus compenſatur, ac reſtituitur perſonæ offenſæ: atqui jejunium quod ſervatur in ſtatu gratiæ eſt obſequium à pœnitente jejunante Deo præſtitum: proinde eſt compenſatio pœnæ ſubeundæ pro offenſa Deo illata; conſequenter eſt ſatisfactorium tuo modo.

2 Tum quia jejunium eſt actus virtutis temperantiæ, proinde contrahit honeſtatem, & meritum, quo poteſt quis ex vi meritorum Chriſti ſatisfacere pro pœna debita peccatis, perinde ac per actus cæterarum virtutum; eſt enim jejunium moderatio delectationum verſantium circa eſculenta, & poculenta, ſecundum præſcriptionem, ac menſuram rectæ rationis illuminatæ per fidem, ſic enim talis abſtinentia dirigitur ad finem ſupernaturalem. Imò imperativè poteſt etiam procedere ab aliis virtutibus, adeo ut quamvis elicitivè ſit à virtute temperantiæ, poſſit imperativè eſſe ab aliis virtutibus, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 147. art. 2. ad 2.* quia cùm voluntas poſſit ſupra ſuos actus reflectare, poteſt etiam ipſos imperare ex quocunque motivo illi placuerit: ſi enim voluntas imperet jejunium, ut Deo ſatisfaciat pro peccatis, tunc eſt actus juſtitiæ: hinc Joelis 3. hortamur converti ad Deum in jejunio: ſi ordinetur ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiæ auxilia eſt actus ſpei. Si ad caſtigandum corpus pro commiſſis peccatis concupiſcentiæ eſt actus juſtitiæ punitivæ: atqui omnes actus virtutum, cùm placeant Deo poſſunt dirigi in ejus obſequium; proinde poteſt eſſe actus ſatisfactorius pro pœnis peccato debitis. Hinc Auguſtinus *lib. de utilitate jejun.* ait: *Excrucio me, ut Deus parcat, do de me pœnas, ut placeam oculis ejus, ut delectem ſuavitatem ejus, nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur.*

3 Quæritur ſecundò, an qui vovit perpetuam abſtinentiam ab eſu carnium teneatur etiam urgente extrema neceſſitate, & in infirmitate, quæ ſecum trahit imminens mortis periculum abſtinere à carnibus? Reſpondetur cum probabiliore, ac veriore ſententia, negativè; ut præ cæteris docent ex Canoniſtis Abbas *in c. ſi verò. n. 2. de jurejur.* Felin. ibidem *n. 3.* Covarruvias *lib. 1. variar. c. 2. num. 10.* Quia ut vota obligent, debent eſſe conformia regulis rectæ rationis, quia per hanc conformitatem induunt honeſtatem, & ſunt valida, ac inducunt obligationem: atqui ſtante extrema neceſſitate, & ex ſuppoſitione, quod nullus alius ſuppetat cibus, niſi caro, recta ratio dictat, quòd votum pro illo tempore non ſit ſervandum, quia recta ratio dictat, neminem teneri ad ſibi mortem inferendam: & qui in tali extrema neceſſitate conſtitutus abſtineret ab eſu carnium, mortem ſibi inferret, quia periret fame: ergo tunc votum cùm non ſit conforme regulis rectæ rationis, non eſt honeſtum, nec conſequenter poteſt inducere obligationem: quod enim non eſt honeſtum, non poteſt licitè fieri, & ad quod non eſt licitum, non datur obligatio, conſequenter votum in noſtra hypotheſi non obligat. Hinc abſtinentia à carnibus, quando in periculoſa infirmitate eſſet cauſa mortis, non eſſet licita, quamvis alij ſuppeterent cibi, eò quia talis abſtinentia directè influeret in accelerationem mortis, & adverſaretur charitati, proinde non poteſt eſſe licita, ut habetur *in c. non mediocriter de conſecrat. diſt. 5.* quòd ſi abſtinentia à carnibus tunc non eſt licita, neque erit licitum votum abſtinendi tunc à carnibus, quia vovens talem abſtinentiam voveret implicitè homicidium, quod non eſt licitum. Tum quia obligatio voti debet eſſe ſubordinata charitati, ut virtuti generali, à qua cæteræ omnes diriguntur; adeo ut Apoſtolus *ad Roman. 13.* vocet dilectionem

am plenitudinem legis, & finem præcepti: hinc quando obligatio voti incipit adverſari charitati exuit ſuam honeſtatem; proinde etiam vim obligandi, quia contra charitatem non habetur obligatio: & in noſtra ſuppoſitione illa abſtinentia ab eſu carnium foret charitati contraria, eò quia induceret mortem, conſequenter non obligat.

4 Cæterum votum de perpetua abſtinentia ab aliquo ciborum genere, dummodo non inducat accelerationem mortis bona eſt, & licita: ſiquidem eſt opus virtutis, & conducit ad ultimum finem ſupernaturalem, continet enim opus pœnitentiæ, & ſatisfactionem, & ſubijcit ſpeciali modo hominem Deo, ſi talis abſtinentia ad ipſum dirigatur, & aſſumatur ob majorem Dei gloriam, & ad melius Deo inſerviendum: hinc licèt talis abſtinentia ſecundùm regulas humanæ prudentiæ videatur indiſcreta. Secundùm tamen regulas prudentiæ ſupernaturalis eſt honeſtiſſima, & omnem excludit indiſcretionem: quia quod aſſumitur in obſequium, & honorem Dei, tametſi ſit paſſio, vel maceratio corporis, omnem fugit indiſcretionis notam. Neque eſt contra charitatem ſupernaturalem, cum hæc inclinet ad nos ipſos amandos propter finem ſupernaturalem ultimum, conſequenter ad illa eligenda media, quæ proportionata ſunt ad ejus aſſecutionem.

5 Quæritur tertiò, an abſtinentia notabiliter nocens ſanitati corporis ſit licita? Reſpondetur primò, neminem teneri uti cibis delicatioribus, magiſque conducentibus ad tuendam valetudinem, ſed poſſe omnes contentos eſſe cibis communibus, qui proprio ſtatui congruunt, qua ratione Religioſi Ordinis minimorum abſtinent ab eſu carnium, & etiam lacticiniorum, & tantùm utuntur cibis quadrageſimalibus: Carthuſiani, & plures alij Religioſi abſtinent ab eſu carnium, quæ regulæ ſunt à Sede Apoſtolica approbatæ, ac perfectæ, quapropter teneatur Religioſi illi uti cibis juxta regulam: quia tametſi teneatur quisque conſervare propriam vitam, non tamen tenetur prolongare, ut docent plures Cononiſtæ Covarruvias *lib. 1. variar. c. 2. n. 10.* Panormit. *c. ſi vero de jurejuran.* Non tamen licitum eſt jejuniis, & abſtinentiis ad hunc finem corpus caſtigare, ut mortem quisſibi acceleret, quia tunc peccaret, eſſétq; ſui interfector, quia intenderet ſibi vitam adimere, ac citiùs mori, quàm naturaliter deberet, ut notat Covarruvias *lib. 1, variar. 2. num. 10.* Hinc D. Hieronymus ut refertur *in c. non mediocriter de conſecrat.* ait: *nihil intereſt parvo, an magno tempore te occidas.* Quapropter neque causâ pietatis poteſt quis mortem ſibi accelerare per media violenta, cujusmodi ſunt abſtinentiæ notabiliter nocentes ſanitati corporis, & rationem adfert Nazianzenus *epiſt. ad* Hallenium, quia non ſunt facienda mala, ut indè oriantur bona.

6 Cæterum ſi corpori ſubminiſtretur debitum, & ſufficiens alimentum pro ſui conſervatione licitum erit jejuniis vacare ob bonum ſpirituale animæ, tametſi inde prævideatur vitæ diminutio, vel ſupervenitura aliqua infirmitas; quod tamen rarò ex moderata abſtinentia ſuccedit; cum potiùs ex nimia repletione cruditates in Stomacho congerantur, è quibus infirmitates generantur, adeo ut verum ſit commune illud effatum: plures à gula, quàm gladio occiſos fuiſſe. Cæterum ſi ſufficiens alimentum ſuppeditetur corpori, quod poſtea inde ſequatur aliqua infirmitas, id per accidens ſe habet, quia illa abſtinentia per ſe non eſt cenſenda cauſa ſubſecutæ infirmitatis, nec etiam mortis acceleratæ.

7 Tum quia ſicut pro ſalute ſpirituali proximi licitum eſt exponere vitam, ita etiam jejuniis affligere corpus pro ſalute propria ſpirituali; idque liquet ex continua Sanctorum praxi. Hinc abſtinentiæ, & jejunia, quæ præſcribuntur in regulis Religioſorum non ſunt cenſenda indiſcreta, ſed licitè aſſumuntur, ut media conducentia ad aſſecutionem ſalutis æternæ, tametſi Religioſi prævideant vitam breviorem futuram, quia in quavis regula ſemper conceditur ſufficiens alimentum pro congrua ſuſtentatione corporis ſive ex hoc, vel illo cibo, cui ex diuturna conſuetudine natura aſſueſcit, ut notat Covarruvias *lib. 1. variar. c. 2. n. 10.*

8 Quæritur quartò, an præceptum jejunij poſſit impleri per alium? Reſpondetur cum diſtinctione; ſi jejunium ſit caſtigativum, adeo ut à Confeſſario injungatur pœnitenti ob peccata anteactæ vitæ, tunc non poteſt per alium impleri, quia jejunium caſtigativum eſt perſonale, & afficit ipſam perſonam, cui injungitur, & ſi tranſeat in aliam, non eſt ampliùs tale jejunium injunctum à Confeſſario. Tum quia finis talis jejunij injuncti à Confeſſario eſt, ut pœnitens carnem maceret, & caſtiget, eò quia ejus concupiſcentiis indulſerit, adeo ut ea caro, quæ inſurrexit contra rectam rationem per illicitas concupiſcentias coërceatur, ac affligatur per injuncta jejunia. Sin verò jejunium ſit ſatisfactivum, tunc putârim poſſe per alterum impleri, ut docent Gloſſa *in c. Presbyter diſt. 82.* Pasqualigus *in praxi jejunij deciſ. 38.* Azorius *p. 1. lib. 7. c. 21.* quia tum jejunium ad eum duntaxat finem injungitur, ut detur debita ſatisfactio, quæ poteſt pro alio applicari, perinde ac unus poteſt pro altero debitum ſolvere.

9 Verùm jejunia, quæ pœnitentibus à Confeſſario injunguntur non poſſunt impleri per alios, quia hæc jeiunia imponuntur ſimul, ut caſtigativa corporis in pœnam peccatorum, & ut ſatisfactiva: & non eſſent caſtigativa corporis pœnitentis, ſi poſſent per alios impleri, unde eſt diſcrimen inter jeiunia merè ſatisfactiva, & jeiunia mixta, ſeu quæ ſimul ſunt ſatisfactiva. Merè ſatisfactiva poſſunt per alios impleri, ſi conſenſus acceſſerit punientis: hæcque eſt ratio, cur noſtra jeiunia poſſimus applicare animabus, quæ purgatorio igne expiantur, ut illis proſint: cæterum pœna corporalis inflicta à judice non poteſt per alium ſolvi, niſi conſentiat judex: alioquin eius intentio puniendi delinquentes fruſtraretur ſuo fine.

10 Quæritur quintò, an qui ex diſpenſatione in quadrageſima carnes comedit, poſſit tunc ſimul pisces edere? Reſpondetur, duas adeſſe

ſententias, quarum prima, quam docent Navarrus *tom. 1. conſil. 5. de obſer. jejun. num. 2.* Grafius *p. 1. lib. 2. c. 37. n. 59.* Laborius *p. 1. de jubileo. c. 20. n. 28.* aſſerit, non poſſe ſimul carnes, & piſces comedere: quia vel diſpenſato piſces nocent, & tunc peccat ob damnum, quod ſibi infert comedendo aliquid ſibi nocivum: vel ei non obſunt, ſed potiùs proſunt, & tunc etiam peccat comedendo carnes, quia absque juſta cauſa petiit diſpenſationem. Secunda verò ſententia, quæ communior eſt, & verior, aſſerit, taliter diſpenſatum poſſe ſimul comedere carnes, & piſces, ut docent Pasqualigus *in prax. jejun. deciſ. 47.* Diana *p. 1. tract. 9. reſol. 26.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 10. q. 5.* Reginald. *tom. 1. prax. for. penit. lib. 4. c. 14.* & plures alij, quos citat Diana *loc. cit.* Ratio eſt, quia in quadrageſima comedere piſces eſt per ſe licitum; & diſpenſatio non operatur ut piſces comedere ſit illicitum, ſed tantùm, ut licitum ſit diſpenſato carnes comedere: eſt enim pura diſpenſatio, quæ ex genere ſuo nihil prohibet, ſed tantùm aliquod prohibitum concedit: unde relinquit licitum totum id, quod per ſe eſt licitum; proinde diſpenſatus, ut carnes comedat in quadrageſima, retinet priorem poteſtatem licitè comedendi piſces; proinde ſi illos edat, non peccat, ſicut non peccaret, ſi ab eſu carnium abſtineret.

11 Neque urget fundamentum oppoſitæ ſententiæ: quia cum piſces tunc comedantur in modica quantitate, & ſimul cum carnibus, non poſſunt ita nocere ut grave damnum inferant, ſicut inferrent, ſi ſoli comederentur, & in majori quantitate, quia tunc non præberent debitum nutrimentum corpori, quod eſt juſta cauſa petendi diſpenſationem. Præterea ſi comederentur in notabili quantitate, ut nocerent corpori, tunc diſpenſatus non peccaret ex eo præcisè, quia unà cum carnibus etiam piſces comederet, ſed quia hos comederet in nimia quantitate, & nocerent tametſi comedens non eſſet diſpenſatus, nec carnes comederet.

12 Quæritur ſextò, an pueris, qui nondum ſunt ſeptennes, poſſint parentes miniſtrare carnes in quadrageſima, aliisque diebus vetitis? Reſpondetur ex communi ſententia, pueros nondum ſeptennes non peccare antequam pervenerint ad uſum rationis, ſi comedant carnes tempore quadrageſimæ, & aliis diebus, quibus prohibetur eſus carnis: ratio eſt perſpicua; quia leges poſitivæ, & humanæ non obligant niſi utentes ratione, ac liberè agentes cum debita advertentia; & pueri nondum ſeptennes carent uſu rationis, proinde non tenentur ad obſervantiam legum poſitivarum, & præſertim jeiunii, ut docent Diana *p. 4. tract. 3. reſolut. 52.* Pasqualigus *in praxi jejunij deciſ. 50.* Sanchez *in ſelect. de Sacrament. diſp. 51. n. 31.* Eſcobar *de utroque foro art. 6. n. 34.* ſiquidem lex humana ut obliget, debet humano modo procedere: & quia non intendit obligare niſi habentes uſum rationis, ideo non obligat niſi poſtquam quis acquiſierit uſum rationis, qui non præſumitur niſi expleto ſeptennio: tunc enim pueri incipiunt operari humano modo, ſeu liberè, & cum prævia advertentia: proinde ante completum ſeptennium non obligantur ad legem jeiunii. Neque obſtat, quòd uſus rationis in pluribus anticipet ſeptennium: quia id per accidens ſe habet; & quæ per accidens fiunt non computantur. Unde parentes puero nondum ſeptenni poſſunt ſubminiſtrare carnes, ut docent Pasqualigus *loc. cit. num. 5.* Naldus *V. jejunium num. 5.* Diana *p. 3. tract. 9. de jejun. reſol. 42.* Cajetanus *2. 2. q. 147. art. 8. ad 1.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 3.* Tannerus *diſp. 3. q. 3. dub. 5. num. 99.* ratio eſt, quia parvuli nondum ſeptennes non obligantur lege humana, quæ non ſervatur niſi humano modo, ſeu cum uſu rationis, & plena advertentia: ergo parentes miniſtrantes carnes puero nondum ſeptenni non peccant; tametſi conſuetudo ſit, ut parentes non ſubminiſtrent parvulis illis tunc carnes: quia cùm parvuli nondum ſeptennes ſine culpa carnes comedant, eò quia non teneantur præcepto, ideo miniſtratio carnium non eſt prohibita: proinde parentes miniſtrantes puero nondum ſeptenni carnes comedendas diebus vetitis non peccant, eò quia non fiat miniſtratio alicuius rei illicitæ. Hinc etiam infidelibus licitum eſt miniſtrare carnes cùm ipſi non obligentur præceptis Eccleſiæ, immo etiam Catechumenis, & qui nondum ſunt baptizati, ut docent Sanchez *in ſelect. diſp. 31. n. 39.* Diana *p. 1. tract. 9. reſolut. 43.* qui enim ſunt extra Eccleſiam non ſubiiciuntur legibus ejusdem.

13 Quæritur ſeptimo, an Catholicus degens in terris hæreticorum, vel infidelium poſſit carnes comedere diebus ab Eccleſiis prohibitis? Reſpondetur cum diſtinctione ſi ex eo, quòd non comederet illi immineret mortis periculum, tunc reſpondent Azorius *p. 1. lib. 7. c. 18. q. 7.* Boſſius *tom. 3. moral. tit. 21. §. 1. num. 97.* & alii plures, poſſe Catholicum tunc carnes comedere, eò quia abſtinentia à carnibus ſit de præcepto Eccleſiaſtico, quod non obligat cum gravi periculo. Verùm putârim procedendum cum diſtinctione, vel enim hoc mortis periculum illi imminet in odium Catholicæ Religionis, eò quia hæretici opponant, Papam non poſſe obligare, nec imponere talia præcepta, & tunc non poſſe Catholicos licitè carnes comedere, quia id perinde eſſet, ac approbare ſententiam hæreticorum, & cum ipſis concedere, Papam non habere talem facultatem condendi ſimiles leges, quod eſt hæreticum, & negare ſcripturas Joan. 21. *Paſce oves meas*, cum talia præcepta conducant ad finem ſupernaturalem, ſintque eorum obſervantiæ media ad aſſecutionem talis finis ſupernaturalis: ideo potiùs deberet Catholicus mortem ſubire, quàm negare in Pontifice poteſtatem ligandi, & ſolvendi, & paſcendi dominicum gregem. Sin autem periculum mortis immineret Catholico ex alio motivo, tunc cum tanto diſcrimine non teneretur abſtinere ab eſu carnium.

14 Hinc ſi Catholico commoranti in terris hæreticorum apponerentur carnes comedendæ publica authoritate in proteſtationem falſæ ſectæ, & in odium Catholicæ Religionis, teneretur potiùs mortem ſubire, quàm illas comedere;

dere ; quia tunc comeſtio aſſumeretur contra exteriorem confeſſionem fidei, quod pro nullo eventu eſt licitum. Hinc bonus ille ſenex Eleazarus *Machab. 2. c. 6.* potiùs elegit mortem ſubire, quàm porcinas carnes publica authoritate ipſi propoſitas comedere in contemptum Religionis. Ceterum ex eo præcisè quòd Catholicus moretur in terris hæreticorum, & apud infideles, ratione loci non eximitur ab obligatione abſtinendi ab eſu carnium: quia jus commune Eccleſiaſticum non eſt affixum loco, nec eſt poſitum pro certa tantùm communitate affixa determinato loco, ſed pro tota communitate fidelium degentium ubique locorum per totum mundum. Tum quia hoc præceptum afficit ipſas perſonas, quas ſequitur ubicunque commorentur; unde Catholicus pertranſiens terras hæreticorum ſecum adfert hanc obligationem juris communis. Tum quia cùm remaneat in eadem communitate fidelium, debet ritui ſe accommodare fidelium, non verò infidelium.

15 Quæritur octavò, an qui ex voto tenetur à carnibus abſtinere diebus mercurij, teneatur etiam abſtinere à jure carnium? Certum eſt, Eccleſiam una cum carnibus prohibere etiam earum jus, ut ex ipſa praxi, & conſuetudine ſatis liquet: ſiquidem quando carnes elixantur, reſolvuntur partes ſubtiliores, quæ miſcentur juri, quapropter ſumentes jus, ſumunt etiam ſubſtantiam tenuiorem, ac meliorem carnium juri permixtam, & hæc eſt ratio, cur in quadrageſima, & per annum diebus prohibitis non utantur fideles jure carnium. Hinc ſi qui vovit, meminit juris tempore emiſſi voti; illud etiam ſub voto comprehendit, proinde tenetur etiam ex vi voti abſtinere etiam à jure. Quinimmo alij cenſent, quòd etiam ſi non fuerit tunc recordatus juris, adhuc teneatur abſtinere, eò quia votum intelligatur eſſe ſicut præceptum, quando verſatur circa eandem materiam: præceptum autem de abſtinentia à carnibus eſt de abſtinendo etiam à jure carnis. Nihilominus contraria ſententia, quam docent Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de voto. cap. 7. num. 16.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 4. c. 3. n. 4.* Azorius *1. p. lib. 11. c. 20. q. 1.* non caret ſua probabilitate, quia votum debet ſtrictè explicari quantum poteſt, quia cùm ſit oneroſum, debet minui: ut quantum fieri poſſit, vitetur periculum peccandi: & hoc periculum tunc declinatur, quando votum ſtrictè explicatur: quamobrem cum jus non ſit propriè caro, ideo votum non videtur extendendum ad jus. Verùm prior ſententia mihi videtur probabilior, & deducenda ad praxim, quia votum abſtinendi ab eſu carnium non reſpicit carnes materiales, ſed nutrimentum optimum, quod habetur etiam per ipſum jus continens partes carnis ſubtiliores.

16 Quæritur nonò, an viris nobilioribus licitum ſit in refectiuncula veſpertina paulò ampliorem cibum ſumere? Reſpondetur, communiorem ſententiam eſſe affirmativam, quam docent Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 3. c. 1. num. 3.* Diana *p. 2. tract. 9. de jejun. reſolut. 1.* Pasqualigus *in praxi jejunij deciſ. 98.* Molfeſius *tract. 10. ſumm. c. 3. n. 44.* Azorius *tom. 1. lib. c. 8. q. 8.* quia conſuetudo jam invaluit, ut non ſolùm viri nobiles, verùm etiam laborantes, & exiſtentes in Romana curia utantur diebus jejunij ampliori veſpertina refectiuncula, & cùm hæc conſuetudo invaluerit, facit talem refectiunculam licitam, quæ aliàs eſſet illicita. Tum quia nobiliores cùm ſint aſſueti delicatioribus cibis, ac pluribus ferculis, plus macerantur per jejunium, quàm cæteri quamvis ampliorem ſumant veſpertinam refectiunculam, quia adhuc reſpectu illorum abſtinentia eſt major. Immo qui ſtudiis vacant poſſunt etiam, & ipſi uti ampliori refectiuncula veſpertina, quia ob nimiam attentionem plus cæteris debilitantur; & plures etiam abſumunt ſpiritus, proinde habenda eſt ratio talis debilitatis, quæ eſt ſufficiens ratio ſumendi paulò ampliorem veſpertinam refectiunculam.

Quæritur decimò, an Epiſcopus poſſit, 17
transferre jejunium de uno die in alium, ut ſi feſtum S. Matthiæ Apoſtoli contingat die ultimo bacchanaliorum, jejunium, quod eſſet ſervandum feria ſecunda poſſit transferri in diem præcedentis ſabbathi? Cenſent plures, Epiſcopum ex rationabili cauſa poſſe tale jejunium ita transferre: ita docent Panormit. *in Rubric. de obſervat. jejun.* Navarrus *c. 21. manual. num. 11.* Cajetanus *in ſumma V. jejunium c. 3.* Naldus *V. jejunium num. 7.* Pasqualigus *in praxi jejun. deciſ. 179.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 18. q. 5.* & alij plures, quos citat Pasqualigus. Nititur hæc ſententia, quia licèt quæ ſtatuuntur in jure canonico non relinquantur diſpoſitioni Epiſcopi, committitur tamen ipſi eorundem executio, adeo ut in exequendo debeat prudenter procedere, ut ejus executio ſit prudens: unde quamvis non poſſet Epiſcopus immutare, quæ ſtatuuntur in jure canonico, poteſt nihilominus mutare aliquam circumſtantiam concernentem executionem, ſi id prudentia exigat, proinde exequi in uno tempore, quod deberent fideles in alio exequi. Tum quia jus canonicum *in c. conſilium 2. h. t.* jejunium incidens in dominica, jubet anticipari in præcedente ſabbatho.

Nihilominus mihi videtur probabilius, non 18
poſſe Epiſcopum ex propria tantùm authoritate transferre tale jejunium indictum à jure communi pro tota communitate: ratio eſt, quia jus commune eſt lex ſuperioris, & ſicut inferior non habet authoritatem in ſuperiorem, ita neque poteſt mutare ejus legem. Neque quæ ſunt determinata de jure communi relinquuntur diſpoſitioni inferioris pro tota communitate, ſed tantùm pro una, vel altera perſona in particulari ex rationabili cauſa. Tum quia ſi Epiſcopus propria authoritate poſſet mutare jejunium à jure communi indictum, poſſent omnes Epiſcopi ſimul concordes ſi aliqua ſuppeteret juſta cauſa immutare omnia jejunia Eccleſiæ, pro omnibus fidelibus exiſtentibus in ſuis diœceſibus, quod eſſet inducere confuſionem, & diſonantiam circa obſervantiam præceptorũ Eccleſiæ. Neque obeſt quod addebatur ex *c. conſilium 2. h. t.* quia ibi tantùm indicantur vigiliæ Apoſtolo-

ſtolorum, inquibus fideles tenentur ſervare jejunium, non verò quod Epiſcopi poſſint propria authoritate transferre pro tota communitate jejunium ex jure communi affixum uni diei in alium, id enim perinde eſſet ac concedere facultatem inferiori immutandi leges ſuperioris. Hinc putârim, non poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi ſine conſenſu ſedis Apoſtolicæ jejunium vigiliæ S. Matthiæ incidens ultimo, vel penultimo die bacchanaliorum transferre in alium diem: quia ſi quæ juſta ſuppeteret cauſa transferendi tale jeiunium ea eſſet, quia illis diebus ſolet à pluribus violari, quia cum debeant per totam quadrageſimam abſtinere ab eſu carnium, & jeiunare, accidit ipſis duriſſimum, & perdifficile abſtinere à carnibus, & ſimul jejunare in ultimo, vel penultimo die bacchanaliorum: atqui hæc cauſa prævisa fuit à ſummo Pontifice, & nihilominus non declaravit, quòd ſi tale jeiunium occurrat die ultimo bacchanaliorum debeat, ne fideles illo graventur, transferri in alium diem: ſicut declaravit, quòd ſi vigilia Apoſtoli contingat in dominica jeiunium anticipetur die ſabbathi: unde cum Pontifex prævideriț hoc jeiunium in pervigilio ſancti Matthiæ nonnunquam poſſe occurrere die ultimo, vel penultimo bacchanaliorum, & non declaraverit, eſſe tunc transferendum in alium diem, id ſanè argumento eſt, noluiſſe Pontificem ultimos illos bacchanaliorum dies eximere à jeiunio ſi in ipſis contingat pervigiliũ S. Matthiæ, tacitè enim Pontifex videtur nolle talem translationem, quia cum cauſa fuerit prævisa à ſummis Pontificibus, & nihil decreverint, non putârunt, eam ſufficientem, ut tale jeiunium transferretur in alium diem.

Tum quia poſſet quodlibet aliud jeiunium ob eandem cauſam vitandi peccatum transferri in diem veneris, vel ſabbathi, eò quia plures ſint qui ægrè abſtineant à carnibus aliis diebus, & jeiunent. Tum quia jeiunia eccleſiaſtica cum ſint de jure communi, non debent transferri, nec immutari niſi prout immutantur, vel transferũtur à jure communi pro tota communitate: tum quia legislatores juris communis pluries viderunt, pervigilium ſancti Matthiæ contigiſſe in ultimo, vel penultimo die bacchanaliorum: & facilè etiam id prævideruntalii ſummi Pontifices, & nihilominus nunquam ab ullo ſummo Pontifice ſtatutum fuit, ut intuitu bacchanaliorum tale jeiunium transferretur in alium diem. Quinimò conſtat, Pontifices negâſſe Epiſcopis rogantibus ad inſtantiam ſubditorum talem translationem: unde volunt Pontifices, ut hoc jeiunium ſervetur etiam in ultimo, vel penultimo die bacchanaliorum, & tacitè ſignificant bacchanalia nõ eſſe rationabilem cauſam transferendi jeiunium in alium diem: neque occaſionem peccandi eſſe cauſam ſufficientem, & rationabilem, quia ſi ſunt aliqui, qui tunc jeiunium violant, plures tamen de communitate, imò ferè tota communitas ſervat tale jeiunium. 19

TITULUS XLVII.

De Purificatione poſt partum.

PErinde Purificatio poſt partum inducta fuit ob reverentiam eccleſiarum: ſicut jejunia ob venerationem ſanctorum. Quapropter cum Pontifex in ſuperiori titulo egiſſet de obſervatione jejuniorum, opportunè hîc agit de Purificatione poſt partum: & abrogatur lex vetus, in qua mulier poſt partum habebatur immunda, ideóque ſi maſculum enixa eſſet, arcebatur, à templo triginta diebus: ſi fœminam ſexaginta lex *Levit.* 12. *can.* 1. *diſt.* 1. verùm lex hæc Moſayca, quia fuit cœremonialis extincta fuit, & ceſſavit in nece Chriſti Domini.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici capitis, quod in hoc titulo continetur.

C. VOLENS UNIC. h. t. Gregorius III. reſcribit, quòd ſi mulieres poſt partum velint ſtatim eccleſiam ingredi actura Deo gratias ob feliciter emiſſam prolem; non ſit id ipſis verendum culpæ: nec eccleſiæ aditus ſit eis denegandus: quia evanuit umbra hæc Moſayca legis, poſtquam veritas illuxit Evangelij. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abſtinere, declarat Pontifex, non eſſe improbandam earum devotionem. Unde Pontifex non vult puerperas obligari præcepto veteris legis, quæ habetur Levit. 12. *Colligitur ex hoc textu, non eſſe præcepti, ſed ſolùm conſilij, vel conſuetudinis, ut puerpera apud Chriſtianos tamdiu poſt partum abſtineant ab ingreſſu eccleſiæ. Benedictio tamen, per quam introducuntur in eccleſiam, & quæ habetur in Ritualibus non eſt omittenda.*

COM-

COMMENTARIUS PARA-TITLARIS.

§. I.

Quid servandum sit in Purificatione post partum.

1 COnstat præsens titulus unico tantùm capitulo : cùm enim quæsitum fuisset ab Innocentio III. per quantum tempus mulieres post partum debeant arceri ab ingressu templi cum secundùm legem Mosaicam certi dies deputati fuerint, quibus mulieres post partum utpote immundæ prohibebantur ab ingressu Ecclesiæ ? Rescripsit Pontifex, quòd cùm lex Mosaica veluti umbra legis iam evanuerit, & veritas Evangelii eluxerit, non sint amplius ritus Mosaicæ legis sub præcepto, quapropter si mulieres post partum voluerint Ecclesiam ingredi, actura Deo gratias, nullum committunt peccatum, nec est illis ingressus in Ecclesiam denegandus : & assignat etiam rationem, ne pœna doloris, quam patiuntur in partu videatur iisdem verti culpæ. Quòd si ex reverentia, & veneratione voluerint aliquandiu abstinere, non debeat earum reverentia improbari. Ita rescripsit ex Laterano Innocentius III. ad Armachanum Archiepiscopum. Ex quo infertur, in lege Evangelica posse mulierem statim post partum Ecclesiam ingredi, neque teneri abstinere per aliquot dies, ut moris fuit in lege Mosaica : & licèt soleant etiam nunc mulieres puerperæ certam accipere benedictionem antequam Ecclesiam ingrediantur ; non tamen ullum extat præceptum, quod legerim, eas obligans ad hanc benedictionem suscipiendam post puerperium, antequam ecclesiam ingrediantur : unde tantum ex devotione ea muniuntur benedictione.

2 Ratio igitur cur in lege Evangelica fœminæ puerperæ non teneantur abstinere ab ingressu ecclesiæ sicut in lege Mosaica tenebãtur, hæc est: quia præcepta Cæremonialia veteris legis per institutionem legis Evangelicæ abolita fuerunt; umbræ cessarunt ad accessum lucis. Imo dantur plura præcepta, quæ non solùm mortua, verùm etiã mortifera sunt, nec possunt in lege Evangelica observari sine peccato lethali, imò ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. non possunt præcipi, eò quia cùm fuerint instituta ad præfigurandа tunc futura Christi Mysteria, si iterum præciperentur, & eorum observatio induceretur, perinde foret, ac protestari, Christum nondum venisse, sed tantùm venturum, quod præjudicat veritati fidei, secundùm quam confitemur Mysteria præfigurativa in lege veteri Christi futuri jam contigisse, & completa fuisse : sic præceptum circumcisionis in lege veteri præfigurabat Sacramentum baptismi à Christo institutum in lege Evangelica : immolatio agni paschalis sacrificium cruentum crucis, & passionem Christi Domini : & quia cùm Christus jam venerit, ac passus fuerit pro redemptione humani generis, & instituerit Sacramenta, & legem Evangelicam, ideo observare nunc præcepta circumcisionis, & immolationis Agni paschalis, perinde foret, ac protestari Christum nondum fuisse passum, nec instituisse legem Evangelicam, quod est contra veritatem fidei.

3 Sunt tamen alia præcepta cœremonialis veteris legis, quæ cùm tantùm pertinerent ad quandam devotionem, ritúmque sacrificiorum, ac eorum ornatum, ideo eorum observatio in lege Evangelica licita est, quia cùm non sint præcepta figurativa Christi venturi, nec futuræ legis, eorum observatio nil continet mali, talia præcepta sunt, quibus præcipiebantur vestes sacerdotum, & altaria ut desumitur *ex c.* 1. *dist.* 1. *de consecrat.* Decimæ, oblationes, tempus purificationis post partum, ut habetur *in c. volens hnic. h. t.* hæc enim præcepta servari possunt, quia cùm non præfigurent Christum venturum nil continent ; quod veritati fidei adversetur. Præter præcepta cœremonialia erant etiam judicialia, quæ licèt mortua etiam sint, quatenus in lege Evangelica non amplius obligant, non tamen sunt mortifera ; proinde possunt observari citra culpam : immo possunt etiam vim obligandi obtinere, si præcipiantur authoritate eorum, quorum interest leges condere : Sic *Exod. c.* 22. habetur hoc præceptum judiciale : ut qui furatus est unam, in pœnam delicti reddat quatuor oves : hoc idem præceptum posset etiam à legislatore institui in lege Evangelica, quia præcepta hæc judicialia, cùm imponantur in ordine ad punienda delicta, & non sint præfigurativa Christi venturi, neque futuræ legis Evangelicæ nil continent contra fidei veritatem.

4 Quamvis præceptum purificationis post partum fuerit in veteri lege unum ex cœremonialibus, quia tamen non præfigurabat Christum venturum, sed potiùs pertinebat ad quandam reverentiam exhibendam Ecclesiæ, ideo licèt in lege Evangelica non obliget, nihilominus, si mulieres puerperæ velint ob devotionem, & venerationis causâ aliquandiu abstinere, id illis non prohibetur, ut desumitur *ex c. cum enixa. c. ad ejus. c. si mulier.* 5. *dist.* Carolus, & Ludovicus *lib.* 6. *tit.* 204. ibi : *cùm enixa fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare, testamenti veteris præceptione didicimus, ut pro masculo diebus* 33. *pro femina autem* 66. *debeat abstinere : quod tamen ut ait S. Gregorius sciendum est, quia in Mysterio accipitur, nam si hora eadem, qua genuerit, alterа gratias intrat Ecclesiam nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est, in prolis*

verò

verò prolatione gemitus : unde & ipſi in primo Matrimonio dicitur in doloribus paries : Si itaque enixam mulierem prohibemus Eccleſiam intrare, ipſam ſi pœnam ſuam culpam deputamus. Heraldus Epiſcopus Turon. *can. 600. Mulier poſt partum ſtatim ut voluerit, niſi fortè ſit adultera intret Eccleſiam, ac Deo referat gratias.* Eatenus in veteri lege adest præceptum purificationis poſt partum antequam fœminæ puerperæ templũ ingrederentur, quia contrahebant in puerperio immunditiam legalem, ex qua tenebantur purgari antequam templum ingrederentur.

5 Immunditia legalis in lege veteri multipliciter contrahebatur, nimirum ex contactu rei immundæ, vel quia aliquis in ſe immundus eſſet. Ex contactu rei immundæ immunditiam contrahebant. Primò qui tangebant Leproſos, ſeminifluas, pollutos ex coitu, menſtruatas, Hæmorroiſſas aut illorum, vel illarum veſtes *Levit. c. 13. & ſeq.* Secundò qui tangebant reptilia, aut alia immunda animalia, quibus non liceret veſci *Levit. c. 11. v. 43.* Tertiò qui tangebant cadavera animalium immundorum *Levit. c. 11. v. 24.* Quartò qui tangebant cadavera animalium mundorum, quæ ſponte mortua erant *Levit. c. 11. v. 39.* Quintò qui tangebant cadavera, aut oſſa, vel ſepulchra hominum mortuorum *Numer. c. 19. v. 11.* Sextò qui ingrediebantur domum, vel tentorium, in quo jaceret mortuus *Numer. c. 19. v. 14.* Septimò qui tangebant aquas expiationis, quibus expiabantur *Numer. c. 19. v. 21.* Immundi autem erant ex ſe tametſi quid aliud non tangerent. Primò mulieres puerperæ *Levit. c. 12. v. 2.* Secundò Leproſi *Levit. c. 13. & 14.* Tertiò ſeminiflui *Levit. c. 15. v. 2.* Quartò polluti ex coitu ſive legitimo, ſive illegitimo *Levit. c. 15. verſ. 16.* Quintò menſtruatæ *Levit. c. 15 v. 19.* Sextò Hæmorroiſſæ, ſeu quæ multis diebus patiuntur fluxum ſanguinis extra tempus menſtruale *Levit. c. 15. v. 25.* Præterea hujusmodi immunditiæ non erant æquales: ſiquidem earum quædam graviores habebantur, & qui illis inficiebantur non ſolùm arcebantur ab ingreſſu in templum, & participatione rerum ſacrarum, verùm etiam ab hominum conſuetudine, eo quia homines quoslibet polluebant ex eorum conſortio, & cætera omnia, quæ contingebant, & ex hujusmodi immunditiis graviores erant, quibus immundi conſtituebantur leproſi, ſeminiflui, & polluti à mortuis, immo etiam menſtruatæ, quæ tametſi civitate non excluderentur, domi tamen ita intrudebantur, ut cum nemine commericum, vel ſocietatem inirent, niſi cum eo, qui ad vitam neceſſaria illis deferret: Leproſi verò, ſeminiflui, & polluti à mortuis jubebantur excludi ob immunditiam legalem, non ſolùm à commercio hominum, ſed etiam à caſtris, & civitatibus : & hæ graviores immunditiæ erant diuturniores, ac difficiliùs purgabantur. Secus immunditiæ leviores quamvis arcerent ab ingreſſu in templum, & à rebus ſacris, non ita ab hominum conſortio, eò quia per contactum non communicarentur aliis, & facilioni ritu tollerentur, & non erant per ſe diuturnæ, ut notat Joſephus *lib. 2. contra Appionem.*

Quamvis omnes immundi immunditia legali indigerent purgatione, non tamen eodem modo purificabantur, quia immundi ex ſolo contactu purificabantur aqua luſtrali. Refert, ac deſcribit hanc cæremoniam purificandi per aquam luſtralem immundos immunditia legali contracta per contactum Menochius *de Republic. Heb. lib. 3. c. 18.* ſi quis plura deſiderat, ipſum conſulat, ut etiam Becan. *in analog. c. 15. q. 5.* Cæremonia verò purificandi fœminam puerperam habetur *in Levit. c. 12. v. 2.* ubi dicitur *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ ; ipſa verò 33 diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: ſin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxûs menſtrui, & 66. diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Generaliter tamen mulier, quæ maſculum pepererat immunda fuit 40. diebus, & quæ fœminam 80. ſed non omnium dierum æqualis fuit immunditia : ſiquidem quæ maſculum pepererat primis ſeptem diebus immunda erat juxta dies ſeparationis menſtruæ, & arcebatur à domeſticorum conſuetudine, & ſeparata manebat clauſa in proprio cubiculo : quæ verò fœminam pepererat, primis 14. diebus immunda erat, & etiam arcebatur ab hominum quovis conſortio : cæteris verò 66. diebus non erat immunditia tam gravis, nec ſeparatio ita rigida, licèt maneret in purificatione ſanguinis ſui, & contineret ſe domi, donec eſſet perfectè liberata à ſanguine, & ſordibus partûs. 6

Hinc illis 33. diebus erat pro partu maris immunda, & 66. pro partu fœminæ. Ratio diſcriminis, cur plus temporis requireretur pro partu fœminæ, quàm maris, deſumitur ex diverſitate evacuationis, & purgationis mulieris, ſiquidem in maſculorum partu ad ſummum durat ſeptem dies, immo etiam breviori ſubinde tempore : altera purgatio eſt aliorum excrementorum cum modico ſanguine paulatim defluentium : & hæc in partu maris durat per 30. dies plus minúsve, in partu verò fœminæ utraque purgatio eſt diuturnior, ut docent Hipocrates *de natura pueri*, & Valeſius *de ſacra Philoſophia c. 18.* Elapſis igitur diebus purificationis mulier puerpera ad atrium accedebat immundorum, adeo ut non poſſet atrium mundorum ingredi niſi purificata : poſtea offerebat turturem, vel pullum columbæ *Levit. c. 12. v. 6.* quæ immunditia contracta ex menſtruis vocabatur etiam peccatum *Levit. c. 14. v. 2.* Demum offerebat Deo infantem, eumque redimebat : & tandem omnibus peractis in gratiarum actionem offerebant Deo agnum, vel turturem, aut pullum columbæ in holocauſtum. 7

Hæ autem cœremoniæ in lege Evangelica omnino abrogatæ ſunt, quia poſt lucis acceſſum umbræ Moſaicæ legis fugatæ ſunt: & quia immunditia, quæ ex partu contrahebatur erat legalis, & expiabatur juxta cœremonias prærecenſitas: hinc eſt, quòd cùm præcepta cœremonialia, & judi- 8

judicialia veteris legis non obligent in lege Evangelica, immo cùm ea præcepta cœremonialia, quæ erant præfigurativa Chriſti adventus non ſolùm mortua ſint, ſed etiam mortifera, eò quia adverſentur nunc veritati fidei, non poſſunt abſque culpa lethali obſervari. Secus quia abſtinentia ab ingreſſu in Eccleſiam tempore puerperij erat præceptum cœremoniale, non præfiguratívum Chriſti venturi, ideo quamvis mortuum ſit in lege Evangelica, adeo ut non obliget fœminas puerperas, non tamen eſt præceptum mortiferum, quapropter hodie ſtatim à partu poteſt mulier actura Deo gratias Eccleſiam ingredi, ſi voluerit; ne pœna, quam in pariendo patitur, vertatur eidem culpæ, quaſi in pariendo peccaret, ut reſcripſit ad Armacanum Innocentius III. *in c. volens. unic. h. t.* quia verò tale præceptum licèt mortuum in lege Evangelica, non tamen eſt mortiferum, ideo non ſolùm poteſt ingredi Eccleſiam ſtatim poſt partum, ſed etiam ob venerationem, & devotionem abſtinere per aliquot dies, ſi velit: imò olim ad fores Eccleſiarum fuiſſe fontes, quibus ingreſſuræ eccleſiam lavarentur, refert Euſebius *lib. 10. c. 4.* non quia fideles crederent aquâ vitia purgari, aut fœminas indigere lotione poſt puerperium, cùm optimè ſcirent apud Catholicos immunditias, & expiationes veteris legis non poſſe ſuſcitari; ſed ut materiali lotione ad mentem purgandam excitarentur, ut notavit Tertullianus *lib. de orat. c. 11.* inquiens: Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitioſè curant ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis. Verùm antiquis hiſce fontibus ſucceſſit poſtea uſus aquæ benedictæ, quâ fideles digitos abluentes ſolent in ingreſſu Eccleſiæ ſe ſigno crucis munire.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, cur Beata Virgo Mater voluerit præceptum cœremoniale purificationis ſervare juxta ritum Moſaicæ legis, præſertim cùm purgatione non indiguerit: ſiquidem certum eſt de fide, beatiſſimam Virginem ſemper fuiſſe puriſſimam ante, & poſt partum, conſequenter non indiguiſſe tali purificatione. Reſpondetur, quòd tametſi Beatiſſima Virgo lege purificationis non teneretur, cùm partus puriſſimus, omnique ſorde immunis, & à fluxu ſanguinis liber eſſet: nihilominus ejus legis præceptum adimplere voluit, non ex neceſſitate, ſed ex humili deſtinatione, ut eleganter expreſſit S. Methodius Martyr ſub Decio Epiſcopus Pariſienſis *in homil.* cui titulus eſt *de concurſu Domini*: ubi ait: & quidem propterea mater ipſius ſuper legem exiſtens, ſe legi ſubmittit; quæque pura cum ſit, tempus tamen 40. dierum impolluta conſtitutum, præfinitúmque obſervat: fit legi obediens is quoque, qui à lege liber erat; oblatio pro eo offertur, qui nos ſanctificavit. Ut diximus in præcedenti §. jubebantur Judæi omnia primogenita tum in hominibus, tum in brutis animantibus Deo offerre. Rurſus primogenita oblata Domino mactabantur in holocauſtum, ſi erant animalia munda, ſin autem immunda pretio redimebantur: primogenitus quoque hominis pretio redimebatur exceptis primogenitis ex tribu levitica, quia filij Levi perpetuò manebant Deo dicati: fiebat autem redemptio primogeniti quinque ſiclis: valebat autem ſiclus medio floreno additis tribus, vel quatuor crucigeris. Et quamvis B. Virgo non fuerit in hac lege comprehenſa, adhuc ex humilitate voluit eam ſervare.

Quæritur ſecundò, quomodò ex verbis legis evincatur, quòd Beata Virgo fuerit excluſa ab obligatione ſervandi præceptum cœremoniale purificationis? Reſpondetur id evinci ex illis verbis legis: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine maſculum peperit, immunda erit*: ſed B. Virginem peperiſſe filium ſuum primogenitum abſque ullo virili ſemine, & ſola virtute Spiritus ſancti eſt certum de fide; proinde ex prærecenſitis verbis legis ſatis apertè infertur non fuiſſe beatam Virginem obnoxiam tali obligationi: ſiquidem illud verbum *Mulier ſi ſuſcepto ſemine* poſitum eſt à Spiritu ſancto, ut Beata Virgo intelligeretur excluſa ab illa lege, cùm filium paritura Virgo ante, & poſt partum permanſerit. Neque propter ſolum, ac præciſum partum dici poterat mulier immunda; proinde beata Virgo, quamvis ſuum primogenitum peperit, nullam inde potuit immunditiam contrahere, cum Virgo permanſerit etiam poſt partum. Immunditia tantùm contrahebatur ex ſuſcepto ſemine, & ex fluxu ſanguinis, & certum eſt, beatiſſimam Virginem abſque ullo ſemine, ſine fluxu ſanguinis, & abſque ſecundinis peperiſſe, ut definitum fuit in ſexta Synodo Trul. *c. 80.* his verbis *Abſque ullo ſecundinis ex Virgine partum eſſe confitentes, ut qui ſine ſemine conſtitutus ſit; idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni ſubijcimus. Quare quoniam aliqui poſt ſanctæ Chriſti Dei noſtri Nativitatis diem ſimilem requere offenduntur, & eam ſibi invicem imparitiri honoris videlicet prætextu ſecundinarum impolluta Virginis Matris, ſtatuimus ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus.* Quamobrem beata Virgo licèt fuiſſet à lege excluſa, nihilominus legem voluit implere, non ex ulla neceſſitate, ſed ex ſpontanea humiliatione, idque ex pluribus rationibus. Primò ut exemplum daret obedientiæ voluntariæ. Secundò ut omnem mali ſpeciem devitaret. Tertiò ut omnem alienæ offenſionis occaſionem fugeret. Quartò ut exemplum filij ſui imitaretur, qui voluntate ſua, non neceſſitate legis præceptum voluit circumciſionis implere.

Quæritur tertiò cur Deus *Exod. 3. & num. 18.* juſſerit ſibi offerri omnia hominum primogenita, & etiam jumentorum? Reſpondetur, id Deum præcepiſſe in memoriam illius occiſionis, qua olim in Ægypto omnia primogenita hominum, & jumentorum Ægyptiorum interemit ea nocte, quâ populum Hebræorum à ſervitute Ægyptiorum liberavit, ſer-

Matth. 21. Cæterum moris erat, ut disjunctivè offerretur agniculus, eò quia hic typicè adumbraret Chriſtum; vel columba, quia ob blandimentum candoris ſymbolum erat innocentiæ, & figura manſuetudinis, vel duo turtures, quia erant Symbolum ſolitudinis, & typicè ſignificabant Synagogam proficiſcentem per deſertum.

8 Quæritur octavò, an Simeon, qui in ulnas ſuas ſuſcepit in templo puerum Jeſum oblatum à Virgine Matre fuerit ſacerdos: Ratio dubitandi eſt, quia Evangeliſta nec ullum verbum habet de illius ſacerdotio, ſed tantùm eum vocat hominem: hinc quidam in ea fuerunt ſententia, ut putaverint eum non fuiſſe ſacerdotem, quia Evangeliſta hanc dignitatem non reticuiſſet. Communior tamen, & verior ſententia eſt, hunc venerabilem ſenem Simeonem fuiſſe ſacerdotem, & ad id in ſpiritu veniſſe in templum, ut puerum Jeſum à parentibus Deo oblatum exciperet in ulnas ſuas. Ratio etiam id ſuadet, quia cum primogeniti Deo offerrentur; debuit aliquis ſacerdos adeſſe, qui Dei nomine puerum Jeſum exciperet, & tamdiù retineret, quamdiu à parentibus quinque ſiclis redimeretur, ſeu viginti juliis argenteis Romanis: valori enim unius ſicli reſpondet valor quatuor juliorum Romanorum, ut ſacri interpretes teſtantur. Tum quia ſenex ille venerabilis Simeon benedixit parentibus; & impertiri benedictionem offerentibus primogenitos in templum pertinebat ad ſacerdotem; proinde longè vero ſimilius eſt, Simeonem fuiſſe ſacerdotem, imò expreſsè eum ſacerdotem vocat S. Athanaſius in *lib. de commun. eſſent. Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: ubi ait: *videamus, num Spiritus ſanctus habeat edendi oraculi poteſtatem: Simeoni certè, & ſacerdoti, & ſeni oraculum redditum eſt à Spiritu S. nequaquam morieris, quin prius videris Chriſtum.* Epiphanius ipſum etiam vocat ſacerdotem *in lib. de vitis Prophetar.* ubi ait: *Simeon ſacerdos, è tribu Aaron emicuit: hic quippe eſt, qui oraculum accepit à Spiritu S. non viſurum eſſe mortem, quousque Chriſtum dominum incarnatum videret*, & plures alij SS. Patres, ut Cyrillius *in homil. de occurſu Domini* vocant eum ſacerdotem.

Neque obſtat, quòd Evangeliſta expreſsè 9
eum non dixerit ſacerdotem: quia fuiſſe ſacerdotem colligitur ex ijs, quæ narravit, eò enim ipſo, quòd adivit templum ſuſcepturus puerum Jeſum in ulnas ſuas oblatum à parentibus, benedictionem etiam fuerit impertitus parentibus, colligitur, venerabilem Senem Simeonem fuiſſe ſacerdotem, non enim temerè munus ſibi uſurpâſſet ſacerdotis.

Quæritur nonò, quando in Eccleſia incepe- 10
rit feſtum purificationis beatæ Mariæ Virginis? Reſpondetur, feſtum purificationis ab initio Eccleſiæ ſuum habuiſſe exordium, ut notant Salazar *in Martyrolog die 2. Februar.* Ramirez *in Pentecoſt. c. 49.* Solorzanus *de jure Indiar. lib. 2. c. 24. & de juribus honorariis. num. 462.* Certum eſt, Sergium hoc nomine primum Pontificem Romanum hunc diem celebri, & ſolemni ſupplicatione, quam proceſſionem appellant, coli, & honorari ſua authoritate inſtituiſſe, & hoc idem etiam præcepiſſe fieri in tribus aliis diebus Deiparæ ſacris, ſcilicet Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, ut refertur *in Martyrolog. Bedæ. 5. idus Septemb.* Neque obſtat, quòd narrat Nicephorus *lib. 7. c. 28.* ex ſpeciali conſtitutione Juſtiniani ſenioris ſanctum fuiſſe, ut hic dies feſtus ab omnibus anniverſaria celebritate coleretur. Quia inde non ſequitur, quòd tunc primum inceperit in Eccleſia feſtum purificationis: ſed Juſtinianus hac conſtitutione tantùm injunxit omnibus populis græcis cultum hujus diei, ac juſſit, ut omnes græci feſtum agerent hac die, eò quia nonnulli negligentiores eum non colerent.

TITULUS XLVIII.

De Eccleſiis, ædificandis, vel reparandis.

QUia Pontifex in ſuperioribus titulis egit de veneratione ſanctorum, eorúmque reliquiis, quæ in eccleſiis ſervari ſolent, ut etiam de ipſa eccleſiarum, vel altarium conſecratione, congruum erat, ut in hoc titulo aliquid adderet de ipſis eccleſiis, vel ædificandis, vel inſtaurandis: hæc enim cura ad Clericorum officium refertur. Et quia Eccleſiæ paſſim, & ſine delectu ædificandæ non ſunt; ſed potiùs veteres reſtaurandæ ſi vitium fecerint; quemadmodum de operibus publicis cavetur *l. ult. ff. de oper. publ.* ideo hæ cauſæ potiſſimùm diſpiciuntur, ut eccleſia excitetur: ſi periculum incumbat, quo convenire omnibus in unum locum non liceat: vel ſi locorum diſtantia, vel difficultas remoretur fidelium obſequia, & congreſſus frequentiores.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. QUICUNQUE 1. *h. t. Ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut qui habet beneficium eccleſiaſticum teneatur omnino contribuere ad reparandam eccleſiam, vel reſtauranda tecta, vel ad ipſas eccleſias emendandas. Quod etiam jure novo præcipitur in Concilio Trident. ſeſſ. 1. de Reform. c. 8. Id autem ut notat Gloſſa intelligitur, quando quarta ad fabricam eccleſiæ deputata non ſuffecit* c. unic. 10. q. 3. *tunc enim tenentur beneficiati contribuere, quia ut rectè ait Gloſſa, ubi eſt emolumentum, ibi debet eſſe etiam onus: non enim ferendus eſt beneficiatus, qui lucrum amplectitur beneficij, & recuſat ejus onus ſubire. Ubi autem conſuetudo inolevit, ut populus reparet, vel adificet eccleſias illa ſervanda eſt, ut notat Barboſa hic* num. 3. *Ad reparandam autem eccleſiam cathedralem, niſi aliter ſit conſuetudo, vel fabrica habeat ſufficientes reditus, de jure communi tenetur Epiſcopus de quarta ſuorum reddituum contribuere ſumptus* c. decernimus q. 1. *Sin verò Epiſcopis, & fabricæ reditus non ſufficiant, tunc compelli poſſunt Canonici ad contribuendum de ſuperfluis ſuarum prebendarum, immo etiam Clerici inferiores de ſuperfluis beneficiorum ſuorum, ut notat Panormitanus hic n. 6.*

C. CUM DICAT 2. *h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut ubi aliqui Leproſi congregantur ſub communi vita, permittatur iisdem, ut poſſint propriam ſibi eccleſiam conſtruere unà cum cœmeterio, & habere proprium Presbyterum, ſine tamen injuria veterum eccleſiarum: quia quòd illis ex pietate conceditur, non debet redundare in alienum damnum, & injuriam. Rurſus etiam ſtatuitur, ut leproſi de hortis, & nutrimentis animalium ſuorum non cogantur decimas ſolvere. Ubi tamen notat Gloſſa de aliis teneri, niſi ſint Religioſi. Quot verò debeant eſſe leproſi congregati ſub communi vita, ut gaudeant hoc privilegio; cenſet Gloſſa, ſex vel etiam pauciores ſufficere: dummodo velint eccleſiam dotare. Non tamen Capellanus eorum habet jus parochiale, ſed leproſi relinquuntur ſub jure veteris parochiæ. Tum quia veteres eccleſiæ non debent per novas damnum pati, nec lædi.* c. quicunque 16. q. 1. *Tum quia nullius inopia eſt relevanda cum jactura tertij, hinc ſi Princeps indulgeat alicui, ut poſſit adificare in loco publico, intelligitur ſine damno alterius.*

C. AD AUDIENTIAM 3. *h. t. Alexander III. reſcribit, quòd ſi aliqua villa valdè diſtet ab eccleſia parochiæ, ſitque acceſſu difficilis, poſſit adificari eccleſia in illa, & dotari, ita tamen ut proventus illius villæ, & dos detur ſacerdoti eligendo à perſona majoris eccleſiæ, dummodo major habeat ſufficientes reditus præter eas villa. Quòd ſi Rector illius parochiæ, vel majoris eccleſiæ negligens ſit in eligendo, debeat tunc Epiſcopus eligere, ut ſervetur debitus honor villæ erga matricem, vel ut notat Gloſſa, ut detur aliquid annuatim parochiæ arbitrio Epiſcopi, vel ut veniant ad ſcrutinium, & baptiſmum. Huic textui reſpondet Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. de reform. c. 7. ubi ſtatuitur: quòd ſi populus ſit ita numeroſus, ut unus parochus non ſufficiat, debeat cogi parochus, ut ſibi tot ſacerdotes adjungat, quot ſufficiant ad Sacramenta miniſtranda, & cultum divinum celebrandum, & ut in locis, in quibus parochi ob locorum diſtantiam non poſſunt accedere ſine magno incommodo ad miniſtranda Sacramenta, debeant nova parochiæ conſtrui, etiam invitis Rectoribus juxta formam præſentis conſtitutionis Alexandri III.*

C. DE HIS 4. *h. t. Idem Pontifex declarat, Rectores eccleſiarum parochialium poſſe compelli, ut de bonis eccleſiæ, quæ eis ſuperſunt, conferant ad reparationem, & inſtitutionem eccleſiarum, ut eorum exemplo alij invitentur ad id præſtandum. Ubi notandum eſt, Pontificem aſſerere eſſe compellendos ad conferendum de bonis eccleſiæ, quæ illi ſuperſunt; quia Rectores eccleſiarum non tenentur ſe privare neceſſariis, ſed tantùm ſuperfluis. Hinc* in c. fin. 16. q. 1. *ubi dicitur, eſſe pauperum quicquid habent Clerici, id intelligitur de iis, quæ ipſis ſuperſunt: ſiquidem ordinata charitas incipit à ſe* c. non ſatis diſt. 86. ſi non 23. q. 5. *Cæterùm licèt textus loquatur de habentibus eccleſias parochiales, extenditur etiam ad alias eccleſias, & inferiora beneficia: tenentur enim omnes beneficiati contribuere ex ſuperfluis ad reparationem eccleſiæ, qui enim habet emolumentum debet, & onus ſubire. Superflua autem reddituum hic juxta nonnullorum ſententiam dicuntur, quæ ſuperſunt neceſſaria ſuſtentationi, adeò ut Clerici teneantur ad reparandas eccleſias contribuere etiam de illis, quæ alioquin ad decentiam ſtatûs pertinerent. Immo id etiam extenditur ad eccleſias juris patronatus, adeò ut Clerici non patroni teneantur eas reſarcire, quia patronus ſuam abundè exercuit in prima fundatione, conſtructione, vel dotatione liberalitatem, per quam jus patronatus acquiſivit: neque gratitudo patitur eum ulterius gravari. Neque obſtat, quòd Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. c. 7. jubeat inter alios etiam patronos ad id cogi, quia loquitur de illis patronis, qui aliquos fructus aut penſiones ſibi reſervârunt, ait enim Concilium eſſe compellendos, & alios,* qui fructus aliquos ex iſtis eccleſiis provenientes percipiunt. *Unde à contrario ſenſu, qui nullos percipiunt fructus ex eodem Concilio non ſunt hoc onere gravandi, quod maximè procedit de patronis, & ita declarâſſe ſacram Congregationem Concilij Tridentini refert Barboſa hic n. 5. adeò ut patroni nullos percipientes fructus ex patronatis eccleſiis non teneantur contribuere ad earundem reſtaurationem.*

C. AD

C. *AD AUDIENTIAM* 5. *h. t. Urbanus III. declarat, quòd si in ecclesia cathedrali cum consensu Ordinarij instituantur Canonici Regulares, nullum debeat fieri præjudicium Clericis sæcularibus, qui superfunt in eadem ecclesia; adeò ut donec vixerint, sint providendi de necessariis. Rursus de jure privilegium non conceditur, si nondum existant Canonici Regulares. Ex quo textu colligitur posse licitè ecclesiam sæcularem reduci ad regularem, nō è contra quia ratione religiosæ vitæ sine urgentissima, & necessaria causa non debet id fieri: siquidem necessitas semper excipitur in illis, quæ sunt juris positivi humani. Rursus gratia non conceditur cum præjudicio tertij* c. cum dicat 2. h. t. *nec datur privilegium rei, quæ nondum est, quia habere privilegium supponit esse. Id tamen Panormitanus intelligit de privilegio, quod in præsenti statim valeat, non verò de privilegio in futurum; quia ecclesia fundanda potest concedi privilegium, quo utatur post fundationem completam.*

C. *TUA* 6. *h. t. Cœlestinus III. declarat, quòd licèt Episcopus juraverit, non alienare res ecclesiæ si tamen populi indigeant novâ ecclesiâ, possit eam Episcopus construere tametsi ejus propria ecclesia aliquid videatur detrimenti subire. Quia ut notat Glossa juramentum non extendebatur ad hunc casum, ex quo populus indigebat* c. ad audientiam 3. h. t. *non enim juramentum extenditur ad casum inopinatum. Hinc juramentum simpliciter præstitum de rebus ecclesiæ non alienandis restringitur ad alienationem illicitam, non ad necessariam, ut notat Panormitanus* num. 3.

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

Quid sit Ecclesia, & à quibus ædificanda sit, & ex quibus causis.

1 Ecclesia nomen est græcū, ac generale significans quamcunque congregationem, & conventum, & præsertim collectionem Christi fidelium sub uno capite, seu Christi Vicario, & hoc pacto nomine Ecclesiæ intelligitur tota illa fidelium collectio, qui ubivis terrarum veram Christi fidem profitentur, quatenus habent eandem fidem, eadem Sacramenta, idem caput, eundem scopum, & finem, ac eundem Authorem: nonnunquam Concilia Oecumenica dicuntur etiam Ecclesia, eò quia cum suo capite, seu Romano Pontifice eam repræsentant. Extra hanc Ecclesiam certum est, neminem posse salutem consequi, tametsi Mahometani contrarium sentiant, putantes quemlibet posse in sua fide salvari: siquidem *Isaiæ c. 60. v.* 12. dicitur: *Gens, & Regnum quod non servierit tibi, peribit.* Apostolus *ad Ephes. c.* 4. ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, & ad *Hebr.* 13. ait: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci* quòd si in Christi Ecclesia est unus tantùm Dominus, unica fides, à qua prohibemur abduci, certè qui sinunt se abduci, non possunt salutem consequi, ut sunt hæretici, diversarum enim sectarum unica non est fides, cum Calvinus non habeat eandem fidem cum Luthero cōmunem, nec Calviniſtæ cum Lutheranis, proinde sectæ illæ non sunt in Christi Ecclesia; consequenter non possunt in ipsis Sectarij salutem consequi.

2 Ecclesia verò juxta præsens institutum sumitur materialiter pro æde publica deputata authoritate Episcopi divino cultui exercendo, & præsertim missæ sacrificio celebrando. Hocque ædificium sacrum plures fortitur nomenclationes, eò quia plures sint Ecclesiarum differentiæ. Aliæ enim sunt Ecclesiæ parochiales, aliæ baptismales, aliæ cathedrales, conventuales aliæ; aliæ curatæ, & matrices, aliæ regulares, basilicæ aliæ. Ecclesia quæ basilica dicitur est cæteris amplior, plena majestate, & veluti ædificium regium; & hodie non dicuntur Basilicæ nisi majores, principes, & digniores Ecclesiæ, ut sunt Romæ Basilica Salvatoris, Apostolorum Petri, & Pauli, Basilica Liberiana. Parochialis Ecclesia denominatur à Parochia, seu parœcia, éstque Ecclesia, cui vicinus locus, intra certos limites concluſus authoritate Episcopi ita adscriptus est, ut in illo domicilium habentes, in eadem Sacramenta, & reliquam curam pastoralem teneantur suscipere. Seu est Ecclesia, cui authoritate ecclesiastica adscriptus est certus populus, in ea spiritualiter curandus. Juxta tamen præsens institutum sumitur pro ipsamet Ecclesia materialiter constructa. Cathedralis vocatur, quæ est sedes Episcopi, & principalis parochia totius civitatis, & Diœcesis, & in ea est concurrens jurisdictio cum omnibus inferioribus parochijs, & omnes Diœcesani possunt in eadem Sacramenta suscipere, ut notat Barbosa *de jur. Eccles. univers. lib. 1. c. 25. num. 19.*

3 Collegiata vocatur, in qua præest caput, & sub ipso Clerici, & Canonici in ordine ad constituendum unum collegium, ac propterea congregantur collegialiter, habéntque sigillum, & arcam communem Barbosa *loc. cit. lib. 2. c. 6. num. 6.* Matrix Ecclesia licèt propriè vocetur cathedralis *c. venerabilis de V. S.* usu tamen receptum est, ut intelligatur Ecclesia etiam inferior, dummodo alias Ecclesias habeat sibi subjectas, sítque veluti earum mater, & propterea vocentur Ecclesiæ filiales, eò quia subijciantur

alteri principali, quæ habetur, ut earum mater, & vocatur Ecclesia matrix, ut desumitur ex Tridentino *sess.* 21. *de refor. c.* 7. Ecclesia regularis est, quæ erigitur pro Religiosorum cohabitatione viventium in communi sub certa approbata regula à sede Apostolica, & fusè de Ecclesiis Regularium agit Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 26. Pasqualigus in Lauret. de Franc. *de controvers. inter Episc. & Regul. p.* 1. *num.* 399. *& sequent.* Ecclesia baptismalis dicitur, in qua sunt fontes baptismales pro baptizandis parochianis: & licèt ab Ecclesia baptismali non necessariò inferatur parochialis, plerúmque tamen Ecclesia parochialis est etiam baptismalis. Tum quia fons baptismalis non leve censetur argumentum, quòd Ecclesia sit parochialis.

4 Quod verò ad ædificium attinet Ecclesiæ, nemini liberum est, Ecclesiam de novo ædificare in locis exemptis sine authoritate Pontificis, ut *in can. authoritate de privileg. in 6.* In locis verò, qui Episcopi jurisdictioni subijciuntur, requiritur etiam consensus, & authoritas ejusdem Episcopi, adeo ut non debeat ædificium Ecclesiæ inchoari, nisi priùs Episcopus ad locum accedat, atrium, & cœmeterium publicè designet, ibique crucem cum precibus figat, ac in jaciendis fundamentis primum lapidem ponat, ut notat Glossa *in c. nemo de consecrat. dist.* 1. non tamen est necesse, ut hæc omnia Episcopus per se ipsum agat, sed potest id etiam per alium præstare. Rursus ab eo, qui vult Ecclesiam ædificare debet sufficiens dos constitui pro luminaribus, & Ministris Ecclesiæ, ac oneribus Episcopalibus persolvendis *can. nemo Ecclesiam de consec. dist.* 1. *novel.* 67. *ut nullus ædificet.* Non tamen est necesse, quòd consensus Episcopi sit expressus, quia tacitus etiam sufficit, ut si Episcopus sciens Ecclesiam construi non contradicat, cùm facilè possit. Idque ob favorem piæ intentionis, cùm enim construere Ecclesiam sit in favorem religionis, & fidei, cultúsque sanctorũ, est amplioris interpretationis, proinde sufficit, si interfit consensus Episcopi expressus, vel tacitus: si enim semper requireretur expressus favor non ampliaretur: & quòd hujusmodi constructio Ecclesiæ sit in favorem sanctorum, liquet, quia inde eorum cultus in terris ampliatur, augetúrque Dei extrinseca gloria apud creaturas; & cedit etiam in bonum Ecclesiæ, ut inde Laici excitentur ad ædificandas, & fundandas Ecclesias. Quinimò videtur etiam sufficere, si post exstructam Ecclesiam etiam tacitè Episcopus consentiat. Quinimò si Episcopus sine justa causa nolit consentire, nec primarium fabricæ lapidem ponere adigi ad id potest authoritate superioris *c. nullus* 17. *de jure patron.* ut notat Piasecius 1. *p. c.* 2. *art.* 4. *in princ.* Sin autem vir privatus sine consensu ullo Episcopi Ecclesiam construxerit, quæ de facto nulli nocet, non debet tunc hæc destrui, sed qui eam construxit, amittit jus patronatus, quod aliàs illi deberetur ob constructam suis sumptibus Ecclesiam.

5 Debet autem Ecclesia ex antiqua traditione ita construi, ut sit oblunga, ut indicet pavicu-lam Petri inter fluctus hujus mundi ad portum æternæ salutis ducentem fideles. Moris tamen nunc est, ut Ecclesiæ, quæ recèns ædificantur figuram præseferant crucis, ut repræsentent eam crucem, quâ Christus dignatus est mundum redimere. Præterea Apostoli instituerunt, ut si commodè fieri possit altare majus erigatur versus orientem, eò quia Christiani ex antiqua pariter traditione cõsueverint versus orientem orare, ut notat Barbosa *jur. Eccles. univers. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 19. Alij tamen censent, debere caput Ecclesiæ septentrionem respicere, quæ tamen sententia communiter improbatur; adeo ut sententia asserens, esse Ecclesias erigendas versus orientem sit communior ob plures rationes, siquidem Christus dicitur ad orientem ascendisse oraturus, & *Psal.* 67. David invitat fideles, ut ascendant in orientem Deum oraturi, eò quia ascenderit ad orientem, *Psallite Deo, qui ascendit super cælum ad orientem.* Tum quia in die novissimo judicij creditur venturus ex oriente juxta illud *Matth.* 24. *Sicut exit fulgur ab oriente, ita erit adventus filij hominis.* Verùm cùm id non videatur esse necessarium, cùm nullum extet præceptum, & locorum constitutiones non semper permittant hanc situum observationem, ideo consuetudo inolevit, ut Ecclesiæ construantur accommodatæ locorum opportunitati, eò quia Deus sit ubique præsens, & in quovis loco, ac situ potest decenter adorari, quinimmo non careret superstitione, qui crederet Deum tantùm versus orientem posse adorari.

6 Ex pluribus causis potest nova Ecclesia ædificari etiam intra limites alterius, ut si distantia sit nimia, & valdè incommodum sit adire Ecclesiam parochialem ad percipienda Sacramenta, & audienda divina officia, tunc enim intra fines illius potest in commodum, & utilitatem fidelium nova Ecclesia construi, idque statuit Alexander III. *in c. ad audientiam* 3. *h. t.* ubi decrevit, quod quando aliqua villa valde distat ab Ecclesia parochiali, & est valde incommodum fidelibus eam adire, possit intra fines illius ædificari Ecclesia, ac dotari; adeo ut proventus illius sint illius sacerdotis, qui Ecclesiæ recèns ædificatæ inservit: & electio illius pertineat ad Ecclesiam parochialem. Unde quamvis sine justa causa non possit regulariter nova Ecclesia intra limites alterius parochiæ ædificari cum præjudicio ejusdem, ut habetur in *c. Ecclesia* 43. nihilominus si justa suppetat causa id potest fieri. Est enim erectio novæ Ecclesiæ dismembratio ab Ecclesia parochiali jam existente, & dismembratio non potest fieri sine justa, & necessaria causa, ut habetur *in c.* 1. *de rebus Eccles. non alienand.* unde justa causa debet esse magna difficultas, & notabile incommodum, quod fideles teneantur subire ex eo, quòd adeant Ecclesiam parochialem nimium distantem pro Sacramentis percipiendis, divinisque officijs audiendis, ut declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *c.* 4. *de refor.* siquidem illud solùm possumus, quod commodè possumus, ut habetur *in l. nepos.* 105. *in fin. ff. de V. S. c. ult.* Non tamen hoc incommodum debet esse tantum,

tum, ut propter nimiam diſtantiam aliquando parochiani deceſſerint ſine Sacramentis, ſufficit enim ſi immineat aliquod periculum, quòd debeant ſubinde ſine illis decedere: ſatiùs enim eſt prævenire, ne contingat, quod nollemus contigiſſe.

7 Quanta autem debeat eſſe hæc diſtantia, ut cenſeatur afferre notabile incommodum, relinquitur id determinandũ arbitrio prudentis judicis, quia in jure non reperitur quidquam definitum. Sola tamen frequentia, & multiplicitas populi non ſufficit ad inducendam diſmembrationem per conſtructionem altetius Eccleſiæ, ſed tunc juxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* pertinet ad Epiſcopum compellare Rectorem Eccleſiæ, ut plures alios habeat ſacerdotes, ſibi ad munus paſtorale obeundum adjunctos, & qui ſufficiant ad miniſtrãda Sacramenta omnibus indigentibus, ut declaravit ſacra Congregatio apud Fagnanum *in c. ad audientiam* 3. *n.* 24. *h. t.*

8 Alia legitima cauſa conſtruendi novam Eccleſiam eſt neceſſitas Leproſorum, debet tamen conſtructio fieri ſine gravi præjudicio Eccleſiæ ptrochialis, intra cujus fines ædificatur, idque deſumitur *ex c. cum dicat.* 2. *h. t.* ubi habetur, quòd quando aliqui Leproſi congregantur ſub communi vita, permittitur ipſis, conſtruere ſibi Eccleſiam cum cœmeterio, & habere proprium Presbyterum ſine injuria tamen veterum Eccleſiarum: quia quòd eis ex pietate conceditur, non debet redundare in aliorum injuriam. Ratio cur Leproſis permittatur hæc conſtructio novæ Eccleſiæ eſt, quia leproſi cum non debeant cum ſanis habitare, ne una ovis infecta alias ſanas inficiat, ideo conceſſum eſt illis habere propriam Eccleſiam ſeparatam ab alijs. Rurſus *in d. c. cùm dicat* 2. *h. t.* ſtatuitur, ne leproſi cogantur de hortis, & autrimentis ſuorum animalium decimas ſolvere: quod privilegium intelligitur de hortis deputatis ad eorundem uſum, non verò ſi fructus eorum vellent vendere, & inde ditiores fieri, ut notat Abbas *in d. c. n.* 5. De alijs verò teneantur decimas ſolvere niſi ſint Religioſi. Rurſus ad conſtruendam novam Eccleſiam ſufficiunt ſex leproſi, vel etiam pauciores, ut notat Gloſſa *in d. c. cum dicat* 2. *h. t.* dummodo velint Eccleſiam dotare.

9 Præterea ad conſtructionem novæ parochiæ requiritur, ut in illo diſtrictu, in quo nova eſt ædificanda Eccleſia ad minimum ſint decem Parochiani *argu. c. nuic. canſ.* 10. *q.* 3. Quia decem ex populo conſtituunt plebem, ut notat Gloſſa ibidem *V. mancipia*, & conſentit Tridentinum *ſeſſ.* 21. *c.* 4. Rurſus debet nova erectio parochiæ fieri ab Epiſcopo de conſilio, immo etiam de conſenſu Capituli: quia fit diſmembratio redituum pertinentium ad Matricem Eccleſiam, & hæc diviſio eſt quædam alienatio rerum eccleſiaſticarum, quæ ſine juſta cauſa, & ſine conſenſu capituli fieri non poteſt *c. cum nos* 3. *c. tua* 8. *de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu.* Præterea debet citari Rector Eccleſiæ Matricis, quia tametſi hæc erectio ex juſta cauſa poſſit fieri etiam contradicente Rectore, ut habetur *in c. ad audientiam* 3. *h. t.* & in Concilio Tridentino *loc. cit.* non tamen fieri debet niſi priùs Rector citetur *argu. c. felix.* 50. *c. multis* 5 *t.* juxta Gloſſam *V. Reſtores canſ* 16. *q.* 1. & ita cenſuit ſacra Congregatio apud Fagnanum *d. c. ad audientiam.* 3. *n.* 30. *h. t.*

10 Rurſus eccleſiæ recèns conſtruendæ aſſignari debet dos congrua, ut deſumitur *ex c. Nemo* 9. *diſt. 1. de conſecrat.* & quidem ex reditibus eccleſiæ matricis, ſi pinguiores fuerint; ita ut pro ejus Rectore ſufficientes ſuperſint reditus ad congruam ejus ſuſtentationem, ut habetur *in cap. Ad audientiam* 3. *h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, ut quando aliqua villa valdè diſtat ab eccleſia Parochiæ, ut ſit incommoda, poſſit ædificari eccleſia in illa, & dotari, & ut proventus illius villæ, ac dos dentur ſacerdoti eligendo à perſona majoris eccleſiæ, dummodo hæc habeat ſufficientes reditus præter eos villæ. Quòd ſi reditus eccleſiæ matricis non ſufficiant ad congruam ſuſtentationem novi Rectoris, tunc populus adigendus eſt ab Epiſcopo, ad ſuppeditanda neceſſaria ſacerdoti inſervienti eccleſiæ recèns conſtructæ *juxta Concilium Trident. ſeſſ.* 21. *c.* 4. Quòd ſi populus ob inopiam neceſſaria ſubminiſtrare nequeat; hoc onus tunc incumbit Abbati, vel Præpoſito, cui eccleſia illa Parochialis ſubjicitur in temporalibus, ut deſumitur *ex c. Extirpanda* 30. *in princ. V. cum igitur de Præben.* In defectum Præpoſiti, vel Abbatis, hoc onus incumbit Epiſcopo, ſi commodè poſſit ſacerdoti illi providere *c.* 2. *can.* 16. *q.* 3. *c. Præcipimus* 24. *canſ.* 12. *q.* 1. In defectum horum omnium tenetur ſacerdos propriis manibus ex artificio honeſto victum ſibi comparare *argumento c. Clericus* 3. *c. ſeq. diſt.* 92. *Hoſtienſis in d. c. Ad audientiam* 3. *col.* 2. *h. t.*

§. II.

De Eccleſiis reparandis.

NOn animantia ſolùm ſuas habent ætates, per quarum defluxum ad interitum delabuntur, verùm etiam res inanimæ, cum & ipſæ ſint interitui obnoxiæ: unde etiam ipſa ædificia ſua laborant vetuſtate, & perinde ac animantia conſeneſcunt, & deficiunt *l. ſi quando C. de operibus publicis*; & Mamertinus in Panegyrico Juliani dixit, urbis mœnia juventutem induiſſe, eò quia ab Imperatore reſtaurata fuerint: cui adhæſit Caſſiodorus *lib. 1 Variar. c.* 25. ubi ait: *Quarum fabricis dedimus longiſſimam juventutem, ut priſtina novitate reluceant, quæ jam fuerant ſeneſcente fuſcata.* Pari ratione ædificiorum molitiones, eccleſiarum ſtructuras, marmorum decora, ornamentorum elegantias ſenium ex diuturnitate temporis ſentire dicimus *l.* 16. *C. Theod. de oper. publis.*

2 Cum igitur eccleſiæ vetuſtate conſumptæ, vel caſu collapſæ, vel ex contracto vitio ruinoſæ inſtauratione, ac renovatione indigeant, dubitatur, ad quem pertineat præſtare ſarta tecta, & ex quibus reditibus ſit eccleſia reſtauranda. In Concilio Turonen. III. *can.* 46. Patres conqueruntur, Eccleſias ruere, ac funditùs labi ob negle-

neglectam tectorum instaurationem ab his, qui beneficia ecclesiastica possident. Respondetur, ad Ecclesiarum reparationem teneri in primis eos, qui suâ culpâ damnum intulerunt, vel fuerunt in causa, ut Ecclesia rueret, vel notabile detrimentum pateretur, quò instauratione indigeat: idque tam jure divino, & naturali, quam positivo sive civili, sive canonico: & tunc Ecclesia, quæ fuit notabile detrimentum passa ex æquitate juris canonici habet tacitam Hypothecam in bonis eorum, qui damnum intulerunt, & quidem potiorem Hypothecâ tacitâ mulieris, quam hæc habet pro dote in bonis mariti; hinc etiam Prælatus, ex cujus negligentia Ecclesiæ damnũ accessit, tenetur propriis impensis illata resarcire damna. Secundò tenentur collapsas Ecclesias reficere, vel ruinosas instaurare ij, qui ex inolita consuetudine eas reficiunt; quia tunc hoc onus supponitur ipsis incumbere ex consuetudine legitimè introducta: nisi fuerint Laici: quia tunc probatio, cùm consistat in facto, incumbit alleganti, quia præsumptio non est pro Laicis, ut notat Zypæus *in c. quicunque 1. num. 12. h.t.* Tertiò tenentur ad expensas pro restauratione Ecclesiæ illi, quibus ex specialibus locorum statutis, & conventionibus incumbit hæc restauratio: hujusmodi enim statuta plurima sunt in diversis Regionibus, quæ propterea servari debent, cùm vim habeant legis.

2 Verùm cessantibus statutis, & consuetudinibus, Ecclesiæ reparatio fieri debet à Beneficiario ejusdem, & desumitur *ex c. quicunque 1. h.t.* ubi statuitur, quòd habens beneficium ecclesiasticum debeat omnino contribuere, vel adjuvare ad reparationem, ut ad tecta restauranda, vel Ecclesias emendandas, & hoc idem probant etiam textus *in c. omnes de consecrat. dist. 1. c. final. de his, quæ fiunt à majori part.* Concil. Toletan. 16. *in epist. Regi Flavij Egicæ col* 1. Concilio Romano sub Eugenio II *can.* 25. Tridentino *sess. 7. de refor. c. 8.* & docent communiter Canonistæ Riccius *in praxi aurea resol. 476. n. 4.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. c. 4. n. 9. & de potest. Episc. allegat. 64. n. 4.* Tondutus *resol. canonic. c. 38.* Martha *de jurid. p. 2. c. 48.* Idque oritur ex mera æquitate: æquum enim est, ut qui beneficium ecclesiasticum possident in aliqua Ecclesia, teneantur præstare ejusdem facta tecta, reparare ruinas, ac si opus fuerit, eam reficere, vel instaurare: cùm enim habeant emolumentum ex decimis, & oblationibus Ecclesiæ, æquum est, ut etiam onus subeant reparationis: neque audiendi sunt, si lucrum tantùm velint amplecti, & onus ei annexum respuere. *l. unic. §. pro secundo. C. cadue. tollen.* juxta *regulam secundùm naturam. ff. de R. J.* siquidem decimæ transeunt cum hoc onere reparationis *arg. l. fine, & Titium. ff. si cert. pet.* qui enim percipit emolumentum debet, & onus ferre, sicut è converso, ad quem spectat onus, debet, & emolumentum pertinere juxta *regul. jur. 55. in 6.* Tum quia usufructuarius tenetur facta tecta præstare *l. cum 7. C. de usufruct.* tum quia Concilium Tridentinum asserit, Ecclesias reparandas esse per Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ut notat Peckius *de reparat. Eccles. c. 14.*

3 Videtur tamen in contrarium obstare, quia in divisione omnium bonorum Ecclesiasticorum facta à sancto Simplicio Ecclesiæ, quarta pars fuit assignata pro fabrica, scilicet ejus reparatione *c. quatuor c. redditib. c. videntes. 12. q. 2.* Immo in Hispania moris fuit, ut tertia pars prædiorum pro reparatione Ecclesiarum ab Episcopo detineretur, & ita fuisse statutum in Concilio Toletano 16. *can. 5.* relato in *c. unic 15. q. 3.* & in Bracharensi II. *can. 2. relato in c. 10. q. 3.* refert Gratianus ibidem: hinc in Ecclesiis plerúmque sunt ædituí, seu Operarij, qui quartam proventuum portionem assignatam pro fabrica fideliter asservant, & pro occurrentibus necessitatibus in restaurationem, vel refectionem Ecclesiæ expendunt. Immo moris fuit etiam apud gentiles, ut hujusmodi ædituí instituerentur, dicerenturque quasi ædium tutores, qui templa curabant, ac reparabant, ut notat Aristoteles *lib. 6. polit. c. fin.* ubi ait: *Alia species curationis est circa res divinam, seu sacerdotis, & aditui circa templa, ut conserventur, qua sunt, & dirigantur ruinosa edificia, & catera omnia, qua pertinent ad divinum cultum.* Plato etiam *lib. 6. de legib.* Eos vocat custodes, & asservatores sacræ pecuniæ, ut refert Gregorius Tolosanus *2. p. Syntag. lib. 15. c. 31. n. 2.* Ex quibus videtur inferendum, non teneri Clericos beneficiatos ex proprijs reditibus ruinosas restaurare, vel collapsas reficere Ecclesias. Reparari autem, seu refici Ecclesia, vel ædificium dicitur, cùm in pristinum statum restauratur *l. 1. §. deinde. ff. rivis. l. 1. §. refecit. ff. ad leg. Jul. de via publ. l. 2. si quis ædificium. ff. de nov. oper. nun.*

4 Sed contra est, quia si portio reditnum fabricæ Ecclesiæ deputatâ sufficiat, ex ea debet Ecclesia instaurari, & refici, ut habetur *in c. unic. c. decernimus 10. q. 3.* & tunc Ecclesia reficitur ex reditibus eidem assignatis, qui propterea retrahuntur à reditibus Beneficiarij. Quòd si hæc portio non sufficiat, & Ecclesia sit Cathedralis, tunc Episcopus, & Canonici ex propriis fructibus tenentur eam reparare, & reficere, ut desumitur *ex c. final. de his, quæ fiunt à majori parte,* & notat Barbosa *de potest. Episc. allegat. 64. n. 4.* & *lib. 2. jur. eccles. 4. n. 9.* imò moris fuit, ut Ecclesia Cathedralis ab Episcopo ex tertiis Ecclesiarum parochialium instauraretur, ac reficeretur, ut habetur *in d. c. unic. capite decernimus 10. q. 1.* Sin verò Ecclesia parochialis, tenetur ejus Rector unà cum Clericis beneficia habentibus in eadem, seu decimas possidentibus eam instaurare, & reficere pro rata proventuum, quos percipiunt, ut notat Barbosa *de jur. eccles. lib. 2. c. 4. num. 1.* Immo tenentur etiam concurrere, qui ex beneficijs annexis eidem Ecclesiæ, pensiones, & alia emolumenta percipiunt, hi enim compelli possunt ad reparationem Ecclesiæ sub pœna privationis, ut habetur in Concilio Meldensi *can. 62.* ibi: *Qui facta tecta Ecclesia restaurare debent, & hoc negligunt ab ecclesiastica communione separentur,* unde etiam anathemate feriuntur. Quòd si horum

ſunt omnium portiones non ſufficiant ad reparationem neceſſariam, cogendi ſunt Parochiani, ut reliquos ſuppeditent neceſſarios ſumptus, ut habetur in Concilio Mediolanenſi 5. *ſub ſancto Carolo tit. 4. de Eccleſiis, & earum ſupellect. p. 2.* Immo etiam forenſes, ut notat Cenedus *ad decret. collect. 153. num. 1.* tenentur pro rata contribuere, niſi aliter pacto, ſeu tranſactione conventum ſit, ut notat Tondutus *reſol. canonic. c. 38.* vel niſi contraria conſuetudine alius modus reparationi præſcribatur, cui in primis ſtandum eſt: & tunc inter Parochianos Laicos judex Eccleſiaſticus eſt competens, eò quia cauſa ſit Eccleſiaſtica, quæ ad forum devolvitur Eccleſiaſticum, ut probat Pereyra *de manu regia c. 18. per tot.* & hæc procedunt, quando reparatio Eccleſiæ eſt omnino neceſſaria ob vetuſtatem, vel fortuitam ruinam: alioquin ſi voluntariâ quorundam vaſtatione templum deſtrueretur, reparatio facienda tunc eſſet ſumptibus illius, qui Eccleſiam deſtruxit *c. quisquis 21. §. alt. 17. q. 4. c. conqueſtus de foro compet.*

6 Sin verò Eccleſia non ſit parochialis, & tamen habeat beneficium, tenetur beneficiarius ejusdem Eccleſiæ eam reparare, niſi conſuetudo, vel conventio aliud introduxerit, & deſumitur ex Concilio Maguntinenſi ſub Carolo Magno habito: ſiquidem percipiens à tali Eccleſia emolumentum, debet etiam onus ferre; quòd ſi plures ſint beneficiati tenentur pro rata ſui beneficij ſumptus exhibere. Notat tamen Barboſa *loc. cit.* quòd quando reditus clericorum non ſuperfluunt ad reſtaurationem Eccleſiæ, poſſit expendi pecunia ex publico ærario univerſitatis, & ea deficiente debeat deveniri ad collectã à vicinis petendã. Quod verò dicitur de reſtauratione Eccleſiæ, hoc idem etiam procedit in reædificatione, ſeu refectione domûs Rectoris, ſeu Parochi: adeo ut qui tenentur ad reparationem Eccleſiæ, obligentur etiam ad reſtaurationem domûs Rectoris, vel Parochi, quia cenſetur pertinere ad Eccleſiam, cùm Rector debeat proprias habitare ædes Eccleſiæ contiguas, ut commodiùs illi inſerviat, ut etiam declaravit ſacra Congregatio Concilij apud Barboſam *in c. de his 4. n. 5. h. t.* Immo addit, id etiam extendi ad calices, & veſtimenta ſacra reparanda; adeo ut Parochus, & Clerici beneficiati teneantur neceſſarios ad id ſumptus præſtare, cùm ad ipſos pertineat gubernare Eccleſiam, cujus recipiunt proventus: ad eum enim finem percipiunt reditus, ut Eccleſiæ inſerviant, eique provideant de neceſſariis. Ad Eccleſias parochiales juris patronatus, quæ indigent reſtauratione, & refectione patronus non tenetur contribuere, eò quia ex prima fundatione, conſtructione, aut dotatione acquiſivit jus patronatus, proinde non tenetur ad aliud, ut docet Barboſa *in d. c. de his 4. h. t.*

7 Quòd ſi dicas, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 7. de refor.* præcipere, ut etiam Patroni compellantur ad parochiales Eccleſias reſtaurandas. Reſpondetur, concilium ibi loqui de illis Patronis, qui aliquos proventus in prima fundatione ſibi reſervârunt: ait enim: *compellendos eſſe, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis proventientes percipiunt*: unde à contrario ſenſu valet illatio: ergo qui nullos ex talibus eccleſiis fructus percipiunt, ſive ſint Patroni, ſive non, non tenentur proprio ſumptu ad reſtaurandam Eccleſiam; & ſi reditus Clericorum non ſufficiunt, tenetur populus ſupplere, qui in tali Eccleſia reparanda percipit Sacramenta, nulla habita differentia inter nobiles, & ignobiles, quamvis commodo Eccleſiæ renunciare vellent: quia id non eſt in poteſtate Parochianorum *c. 2. de parochiis.* In defectu autem Parochianorum poteſt Epiſcopus fructus, & proventus capellarum exiſtentium ſub ipſa Eccleſia, ad refectionem ejus deputare ſervatâ capellanis congruâ, & competente portione, ut ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 7.* & declaravit ſacra Congregatio Concilij Trid. ut refert Zerola *p. 1. V. viſitatio dub. 9.* Immo poteſt etiam Epiſcopus in tali caſu applicare malè parta in reparationem Eccleſiæ, & etiam concubinarios condemnare ad aliquam ſummam pro reparatione ejusdem, ut fusè probat Petrus Peckius *tract. de reparand. Eccleſ.* ſi quis plura deſiderat ipſum conſulat.

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an qui decimas percipiunt ex prædijs in aliena parochia ſitis teneantur ad contribuendum pro reparatione illius Eccleſiæ? Reſpondent plures affirmativè, & videtur id deſumi *ex c. de his 4. h. t.* ubi dicitur, quòd de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ conferri debeat ad reparationem illius: & de jure communi decimæ, quæ percipiuntur ex prædiis ſitis intra limites parochiæ ad eandem pertinent: proinde qui percipiunt has decimas, tenentur concurrere ad reſtaurationem Eccleſiæ, niſi fortaſſis conſuetudo fuerit in contrarium. Verùm id procedit tantùm in caſu, quo portio deputata pro fabrica Eccleſiæ non ſufficiat, neque ex fructibus parochialis Eccleſiæ poſſit reſtauratio fieri. Nihilominus ſpectato jure communi contraria ſententia videtur probabilior, quia in nullo jure reperitur, quòd decimis, & earum poſſeſſoribus, hoc onus reparationis reperiatur injunctum: rurſus decimæ ſi ſemel legitimè ſeparatæ fuerint ab Eccleſia parochiali, & conceſſæ alteri Eccleſiæ, non computantur ampliùs inter fructus prioris Eccleſiæ parochialis, ut notat Zœſius *in comment. h. t. n. 5.* niſi tamen conſuetudo ſit in contrarium.

2 Quæritur ſecundò, an Epiſcopus poſſit ampliare Eccleſiam ſumptibus eorum, qui tenentur ad reparationem? Ratio dubitandi eſt, quia in Eccleſia reparanda non eſt neceſſe, ut ſervetur antiqua forma; ſiquidem modus renovationis dependet ex arbitrio Epiſcopi *c. omnes* ibi *Epiſcopi providentiâ modus inveniatur de conſec. diſt. 1.* ibi enim non præcipitur abſolutè, ut Eccleſiæ reparentur juxta antiquam formam, ſed quòd Epiſcopi providentiâ fiat reparatio, ut attenda-

tendatur, quorum expensis reparatio facienda sit, & juxta majorem, vel minorem formam. Respondetur, aliquot esse in hac quæstione casus distinguendos. Primò si cum stipulatione aliquis reperiatur obstrictus ad restaurationem Ecclesiæ, tunc non potest compelli, ut eam reficiat in ampliori forma: ratio est, quia verba stipulationis accipiuntur strictè *l. quidquid. ff. de V. O.* quapropter sufficit si obstrictus ex vi stipulations ad reficiendã Ecclesiam, eam reficiat in ea forma, & amplitudine, quæ erat antea; proinde non tenetur ad majorem ampliationem: aliud enim est reficere, & aliud ampliare; primum importat, quòd illud idem, quod antea erat, iterum fiat, si desierit: secundum quod ponatur quid aliud, quod antea non erat *l. usufructuarius 44. ff. de usufructu.*

2 Secundò si fiat ampliatio Ecclesiæ, non quia sit necessaria, sed quia utilis: & in hoc casu neque obstrictus ad reparationem compelli potest ad præstandos sumptus ampliationis, ut docet Gratianus *tom. 1. discept. 1. c. 84. num. 21.* quia tametsi res communis refici possit sumptibus sociorum, non tamen ipsis invitis potest ampliari *l. parietem 8. ff. de servit. urban.* Quinimmo qui tenetur ad reparationem Ecclesiæ, habet etiam jus impediendi talem ampliationem, nisi caveatur pro futura reparatione loci ampliandi, quia irrogatur illi præjudicium propter futuras expensas reparationis: cùm enim Ecclesia sit amplior, & ipse teneatur totam restaurare, si iterum reparatione indigeat, utique teneretur ad majores sumptus ob adjectam amplitudinem.

4 Tertiò si ampliatio necessaria sit propter populi multitudinem, quam antiqua Ecclesia non potuit capere, tunc onus restaurandi non pertinet totum ad eum, qui antea erat obstrictus ad reparationem talis Ecclesiæ: sed ad illam tenentur etiam concurrere alij percipientes fructus ex tali Ecclesia, vel recipientes Sacramenta in eadem: ratio est, quia quando Ecclesia in majori amplitudine reficitur, non est reparatio antiquæ Ecclesiæ, sed nova constructio exigens majores sumptus, quibus non est gravandus obstrictus ad solam reparationem, qui tantùm potest compelli ad præstandos sumptus proportionatos pro sola reparatione, si Ecclesia non ampliaretur. Cæterum ad ampliationem, ejúsque reparationem tenentur sumptus subministrare, qui ex tali Ecclesia fructus percipiunt, vel Sacramenta recipiunt.

5 Quæritur tertiò, an Ecclesia recèns erecta intra limites alterius Ecclesiæ Matricis teneatur eidem servare competentem honorem, ut habetur in *c. ad audientiam 3. h. t. in fin.* ubi Alexander III. statuit, ut si Rector illius majoris Ecclesiæ sit negligens in eligendo, Episcopus debeat eligere, ita tamen ut servetur debitus honor villæ erga matricem: consistit hic honor, ut notat Glossa ibidem *V. honor* in eo, ut Ecclesia recèns constructa pendat censum aliquem Ecclesiæ matrici in signum subjectionis *arg. c. 2. de censibus* moderandum tamen ad arbitrium Episcopi: verùm in jure non probatur, quia *in d. c. ad audientiam 3.* Alexander III. tantùm statuit, ut reservetur matrici Ecclesiæ jus patronatus, seu jus eligendi sacerdotem, qui debeat inservire Ecclesiæ inferiori: & etiam ut reservetur competens honor pro qualitate loci. Cæterũ in reliquis videtur Ecclesia recèns constructa eximi re à potestate Rectoris antiquæ Ecclesiæ. Tum quia nulla Ecclesia excepta cathedrali jure communi habet fundatam intentionem super subjectione alterius Ecclesiæ, quamvis sitæ intra limites suæ parochiæ: adeo ut si aliqua Ecclesia non cathedralis prætendat jus in aliam Ecclesiam, non plus possit obtinere, quàm probare illud sibi competere in illa ex jure speciali. Quamobrem meliùs dicũt alij honorem illum præstandum Ecclesiæ matrici ab inferiore recèns constructa in eo consistere, quòd Clerici Ecclesiæ inferioris teneantur adire majorem Ecclesiam pro baptismo, & scrutinio, & venire ad Capitulum, ac solvere jura parochialia, quæ capellæ de jure, vel consuetudine debent Ecclesiæ matrici, ut notat Hostiensis *in d. c. ad audientiam. col. 2. h. t.*

6 Quæritur quartò, ad quem pertineat jus præsentandi sacerdotem, quando erigitur nova Ecclesia parochialis? Respondetur, hoc jus ad eos in primis pertinere, qui talem Ecclesiam ex propriis bonis fundârunt, & sufficienter dotârunt. Quòd si nova Ecclesia fundata sit ex reditibus Ecclesiæ antiquæ, tunc jus præsentandi petinet ad Rectorem antiquæ Ecclesiæ, idque desumitur *ex c. 3. ad audientiam h. t.* ubi Alexander III. ait, quòd possit ædificari Ecclesia intra limites alterius, & dotari, & proventus illius villæ dentur sacerdoti eligendo à persona majoris Ecclesiæ, dummodo major Ecclesia habeat sufficientes reditus præter eos villæ, quòd si Rector illius parochiæ, vel majoris Ecclesiæ sit negligens in eligendo, Episcopus eligat. Quamvis tamen jus præsentandi pertineat ad Rectorem illius antiquæ Ecclesiæ, ex cujus reditibus fuit recèns ædificata, nihilominus etiam Fundator, qui fundum dedit est simul Patronus ejusdem ex causa fundationis, vel dotationis, si residuum dotis dedit, ut notat Hostiensis *in d. c. ad audientiam V. Fundatoris.* Sin verò Ecclesia antiqua nil contulit ex propriis reditibus, nullum acquirit in Ecclesia nova jus patronatus, quia *in d. c. ad audientiam* Pontifex tantùm loquitur in eo casu, quo Ecclesia matrix aliquid contribuit ad electionem Ecclesiæ novæ. Cæterum jus patronatus non acquiritur nisi ex fundatione, constructione, vel dotatione: unde si Ecclesia matrix ex eo, quòd nova Ecclesia construatur intra limites suæ parochiæ non dat fundum, eò quia non habeat proprietatem fundi, neque sumptus ad ædificationem, neque dotem; ex nullo titulo potest sibi acquirere jus patronatus.

7 Quæritur quintò, an si Leprosi congregentur sub communi vita permittendum sit illis, ut sibi Ecclesiam cum cœmeterio construant? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. cum dicat 2. h. t.* ubi Pontifex statuit, quòd ubi aliqui Leprosi congregantur sub communi vita, permittatur eis, ut possint sibi Ecclesiam cum cœmeterio construere, & habere proprium pres-

presbyterium sine injuria tamen veterum Ecclesiarum : quia quod eis ex pietate conceditur, non debet in aliorum injuriam redundare. Moris fuit etiam apud gentiles, ut leprosi extra civitatem degerent, eò quia hujusmodi morbum coelitus immitti crederent, ut notat Herodotus *lib.* 1. quin imò etiam apud Judæos Dei jussu extra castra ejiciebantur, quapropter hujus morbi turpitudinem pluribus amplificat Nazianzenus *orat. 20. in laudem Basilij*; adeo ut non solùm hominibus exosi essent Leprosi, sed etiam Deo invisi putarentur : unde in lege veteri expiabantur tali pacto, ut habetur *Lev. c. 14* postquam curata erat Lepra ; qui purificabatur, primò offerebat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum erat, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum : & unum ex passeribus immolabat, seu occidebat in vase fictili super aquas viventes, seu fontanas, aut fluviales: alium autem passerem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tingebat in sanguine passeris immolati, quo aspergebatur septies, qui mundandus erat à lepra, ut jure purgaretur, & postea alium passerem vivum dimittebat, ut in agrum avolaret.

8 Rursus Leprosi lavabant vestes suas, radebant pilos corporis, & postea se ipsos per totum corpus lavabant, & die 8 si erant divites offerebant duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similes in sacrificium, quæ conspersa esset oleo; & seorsum olei sextarium: sin verò pauperes essent offerebant agnum pro delicto ; & duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocaustum cum tribus decimis similæ, & olei sextarium: tum sacerdos sanguine agni tingebat aurem illorum dexteram, policem dextræ manus, & pedis, & ex oleo aspergebat septies coram tabernaculo, fundens reliquiam olei super extremum auriculæ dextræ, & super pollices manûs, & pedis dextri, & super caput. In lege autem gratiæ, quia Apostolus dicit, abundantiorem honorem deferendum esse membris infirmioribus, noluit Ecclesia, Leprosos tam miserabilem vitam agere absque privilegiis, & gratiis: unde conceduntur ipsis Ecclesiæ cum cœmeteriis, & exemptio à decimis fructuum, quos percipiunt ex hortis, & nutrimentis animalium; non quia Religiosi sint, sed tantùm pietatis causâ ; & quia aliis fidelibus propter contagium non possunt se immiscere, hinc Concilium Vormaciense *can. 31.* interdicit Leprosis se immiscere populo Christiano, & illis conceditur, ut habeant Ecclesiam propriam cum Clerico, qui illis Sacramenta ministret.

Quæritur sextò, an materialia Ecclesiæ de- 9
structæ possint in profanos usus converti ? Respondetur, olim non licuisse, lapides, & ligna destructæ Ecclesiæ applicare ad alium usum, quàm Ecclesiasticum, scilicet ad ædificationem alterius Ecclesiæ *c. ligna 38. de consecrat.* Nunc tamen Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de refor. c. 7.* concessit facultatem, ut materia Ecclesiæ diruæ, imò & etiam ipse locus possit in profanos usus, non tamen sordidos adhiberi, erectâ tamen prius in loco illo cruce. Non tamen potest ab Episcopo profanari cœmeterium, ut habet Rota apud Farinacium *p. 1. in post. decis. 107. n. 2.* Præterea juxta communiorem sententiam, ligna picta, vel alia materialia signo aliquo notata, ex quo conjiciatur, quòd fuerint Ecclesiæ, ad vitandum scandalum non possunt applicari ad fabricam laicalem, ut notat Barbola *in d. c. 7. Trident. n. 24.*

Quæritur septimò, ad quem pertineat 10
primum lapidem ponere in fundatione novæ Ecclesiæ, quæ in Diœcesi aliqua recens erigitur? Respondetur ad Episcopum pertinere, ut docet Glossa ex communi consensu approbata *in c. nemo de consecrat. dist.* 1. ubi habetur : *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet.* In Authentica verò de Ecclesiasticis titulis *§. si quis autem. collat. 9. col. 9.* habetur. *Si quis autem voluerit fabricare venerabile oratorium, aut monasterium, præcipimus non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem.* Potest tamen Episcopus hunc primum lapidem, vel per se immediatè, vel per alium ponere. Cæterum si construatur Ecclesia, tametsi Episcopus non posuerit primum lapidem, sufficit si consentiat, etiam postquam constructa fuit, ut probat Zelba authoritate Zabarellæ, Cardinalis Rochi, & aliorũ hinc Archidiaconus *in c. nemo de consecrat dist.* 1. ait, si quis ædificet domum, vel aliam structuram non eo animo, & voluntate, ut sit Ecclesia, potest Episcopus structuram illam postea in Ecclesiam convertere, & consecrare; sicut Bonifacius IV. Romæ Pantheon, seu templum Diis gentium dicatum, consecravit in ecclesiam omnium Sanctorũ: & alij Romani Pontifices fana gentilium converterunt in Ecclesias, consecrârunt, & dedicârunt Deo, B. Virgini, vel sanctis.

Cæterum ut nova construatur Ecclesia, sen- 11
tentiâ probabiliori asserit, sufficere consensum tacitum Episcopi, scilicet si Episcopus sciat, Ecclesiam construi, & non impediat, nec contradicat, cum facilè possit. Non tamen fundari construi, & dotari potest sine dote, ut habetur *in authent. de Eccles. tit. §. si quis autem collat. 9.* & si quis ita fundat, vel construit, jure cogitur ad dotem assignandam *c. placuit. 1. q. 2.* & tanta debet dos esse, quæ sufficiat, ut ex illa commodè possit vivere unus Presbyter cum Clerico Ministro, habita ratione obventionum spiritualium, scilicet debet dos tanta esse, quæ sufficiat ad luminaria, ad domûs custodum alimenta, & ad sacrum Ministerium, & habetur etiam *in c. nemo de consecrat. dist.* 1.

Quæritur octavò, an Ecclesia sæcularis pos- 12
sit mutari in regularem ? Respondetur affirmativè, si accedat consensus Ordinarij: ita tamen ut Clericis sæcularibus in illa Ecclesia dum superstites sunt, nullum præjudicium fiat, ut statuitur *in c. ad audientiam. 5. h. t.* ubi ab Urbano III. conceditur cuidam petenti, ut in Ecclesia cathedrali cum consensu Ordinarij possint institui Canonici Regulares, dummodo Clericis sæcularibus, qui supersunt in Ecclesia, nullum fiat præjudicium : sed dum vixerint,

provideantur de neceſſariis, quòd enim Eccleſia ſæcularis poſſit reduci ad ſtatum regularem, deſumitur etiam *ex c. ſi Epiſcopus 7. cauſa 12. q. 2.* idque in favorem religionis, & quia Regulares ſunt ſtrictioris obſervantiæ, quàm clerici ſæculares. Non tamen è converſo Eccleſia regularis poteſt in ſæcularem mutari, niſi in defectu Regularium *c. inter quatuor 5. de Religios. dom.* Nec etiam clerici inferiores poſſunt mutare ſtatum ſuæ eccleſiæ ſine conſenſu Epiſcopi: ratio eſt quia ſi mutetur ſtatus eccleſiæ in regularem, non tenentur clerici ſæculares ibi manere. Neque debent alimentis neceſſarijs privari, dum vivunt: & ſubditi ſine conſenſu ſuperioris non poſſunt ſe ab ejus jurisdictione ſubtrahere.

13 Quæritur nonò, an regularitati eccleſiæ obſit, ſi in illa remaneat beneficium ſæculare? Reſpondetur, beneficium ſæculare non obſtare, quo minus eccleſia dici poſſit regularis, ſi concedatur Regularibus; non in ſolum uſum, ſed in proprietatem, adeo ut uniatur monaſterio: quia eo ipſo, quòd eccleſia, licèt ſæcularis, ab habente authoritatem unitur monaſterio regulari, fit regularis, quia non dantur monaſteria ſine propriis eccleſiis cum Monachi fuerint inſtituti, ut Deo in eccleſia inſerviant, quapropter eo ipſo, quòd eccleſia unitur monaſterio fit Regularis, quia ex monaſterio, & eccleſia fit quid unum integrale, proinde cum monaſterium ſit regulare, etiam in ſe eccleſia dicenda eſt regularis *c. 1. de capel. Monach.* ubi Gloſſa *V. monaſterium in fine*, & fuit etiam deciſio Rotæ coram Durano *deciſ. 74. n. 4.* & ratio eſt, quia eccleſia eſt pars monaſterij, venitque ſub appellatione monaſterij, ut notat Gloſſa *in c. 1. V. exempto de privileg. in 6.* & cum monaſterium ſit regulare, eccleſia tanquam acceſſoris erit itidem regularis, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, & debet eſſe ejusdem qualitatis cum illo, ut fiat quid unum totum ejusdem qualitatis. Tum quia eccleſia tunc manet ſub regimine, & cura regularium, adminiſtratur per Prælatum regularem cum ſuo capitulo, quod ſufficit ad inducendam regularitatem, ut docet Innocentius *in c. poſtulaſti n. 1. de jure patron.*

Hinc eccleſia illa tanquam regularis, & unita monaſterio exempto, eſt omnino exempta, ut deſumitur *ex c. 1. §. in eos. de privileg. in 6.* & deſumitur etiam ex diverſis privilegijs ſummorum Pontificum conceſſis Regularibus. Neque obſtat, beneficium ſæculare annexum tali eccleſiæ, quia à ſtatu beneficij, ad ſtatum eccleſiæ non fit recta illatio, cùm poſſit in eccleſia regulari exiſtere beneficium ſæculare juxta *c. fin. §. præcipimus de ſtatu Monachor.* & ſufficit, quòd non permiſceantur, & eo ipſo quòd eccleſia unitur monaſterio ſeparatur à beneficio ſæculari, quatenus quoad regimen non eſt ampliùs unita tali beneficio: & ſolùm remanet unio localis, quatenus erectio beneficij perſeverat in eodem loco, ſtante autem hac ſeparatione impermixtè ſe habent, ita ut nec ad eccleſiam pertineat jus beneficij, nec ad beneficium jus eccleſiæ. 14

TITULUS XLIX.

De immunitate eccleſiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

POſt eccleſias conſtructas, dotatas, conſecratas, & divinis miniſterijs dicatas; de quibus omnibus egit Pontifex in præcedentibus titulis; rectè hîc ſequitur earundem eccleſiarum immunitas. Quinimmo præſens titulus refertur ad omnes in hoc libro contentos, quia cum ab initio ejusdem Pontifex egerit de ijs, quæ ad ſtatum clericorum, tum ſæcularium, tum regularium, & illorum jura pertinent; congruum omninò erat, ut hîc Pontifex explicaret, quomodo eccleſiæ & eccleſiaſtici immunes ſint à poteſtate ſæculari. Immunitas autem eſt privilegium, quo res aliqua à communi aliqua obligatione, ſeu onere eximitur: quo pacto clerici eximuntur à poteſtate ſæculari; adeò ut non teneantur ad ullas indictiones, nec functiones ullas munerum civilium. Extat hic titulus etiam in ſexto, in Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. III IN DOMIBUS 1. h. t. Ex Synodo Joannis Papæ ſtatuitur, ut Judex, Officialis, Comes, vel Miniſter quaſi pro conſuetudine non faciant, vel vindicent placitum, aut hoſpitium in domibus eccleſiarum; ſed conſtituant domos in locis publicis, in quibus placitum teneant, & hoſpitentur. Ex hoc textu colligitur, pertinere ad immunitatem locorum ſacrorum exemptio-

emptionem ab illis actionibus, quæ cum eorundem veneratione, & sanctitate videntur pugnare, tàjusmodi sunt actiones profanæ, & lites seculares, præsertim causa sanguinis, quia ecclesia est domus orationis, quam decet sanctitudo, non judicium sanguinis humani. Hinc Judex secularis non potest in ecclesia, nec in ejus domibus jus reddere, aut hospitari. Quòd si id fiat, processus, & prolata sententia nullum obtinent valorem.

C. *PERVENIT. 2. h. t.* rescribit *Gregorius IX. Archiepiscopo Tricensi tempore urgentis necessitatis nullum ecclesiasticum excusari à vigiliis, & custodia murorum civitatis, quia stante necessitate defendendi patriam cessat privilegium, quia defensio propria, & patriæ est de jure naturæ, ut asserit Glossa hic. Verùm textus expresè non loquitur de Clericis, sed tantùm generatim de hominibus ecclesiæ, seu mancipiis, rusticis, & aliis ecclesiæ addictis, qui ordinariè non gravantur, eò quia ad servitia pertineant ecclesiæ* c. ecclesiarum servos 12. q. 2. *unde textus posset intelligi de hisce ecclesiæ hominibus, qui instante necessitate, non sunt immunes à custodia civitatis. Cæterùm Clerici non debent in his gravari, nisi in extrema necessitate, & tunc non per judicem secularem, sed per Episcopum essent ad excubias agendas compellendi* c. Sanctæ Maria de constit. *si ita dicamus rectè eximuntur Clerici ab oneribus personalibus laicorum.*

C. *INDICATUM 3. h. t.* rescribit *idem Pont. rusticos ecclesiæ non posse deserere rura ecclesiæ, & colere agros privatorum, quod tamen intelligit Glossa de rusticis adscriptitiis, qui glebæ sunt adstricti. Ex quo textu colligitur, ecclesias olim suos habuisse rusticos sibi adstrictos* c. cum redemptor 12. q. 2. *proindè si absque legitima causa ecclesiæ agros deseruissent, ad eadem rura coercebantur.*

C. *NON MINUS 4. h. t. Ex Concilio Lateranensi statuitur, ut imponentes collectas, & alia onera ecclesiis, vel ecclesiasticis, nisi moniti destiterint, sint excommunicati, non solùm ipsi, sed etiam eorum Fautores. Rursus si Episcopi, & Clerici cognoscant urgentem necessitatem, vel utilitatem, ubi laicorum non suppetunt facultates, possunt absque ulla exactione dare subsidia per ecclesias. Ex hoc textu liquet, ecclesias, & ecclesiasticos esse immunes ab oneribus exigendis à principibus laicis: ad quod evincendum adfert Concilium exemplum Pharaonis & argumentatur à minori ad majus, si enim Princeps infidelis concessit immunitatem suis sacerdotibus idololatris, multò magis eam concedere tenentur Principes Christiani ecclesiis, & ecclesiasticis. Tum quia etiam sacerdotes legis Mosaicæ immunes fuerunt à potestate Principum temporalium: unde multò magis debetur hæc immunitas sacerdotibus legis Evangelicæ. Hinc personæ ecclesiasticæ duplici gaudent privilegio immunitatis, scilicet privilegio Canonis, quod est privilegium securitatis, indemnitatis ecclesiasticorum, ne injuriosè tractentur in corpore* c. si quis suadente 17. q. 4. *ubi excommunicantur percutientes Clericos: & gaudent etiam privilegio fori quatenus Clerici eximuntur à foro, & jurisdictione laicorum, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus: exemptio enim in spiritualibus sancta est juris divini, quia potestas gubernativa spiritualis distinguitur à civili, & à Christo singulariter instituta fuit in novo testamento, & hinc potestati spirituali subordinatur potestas temporalis. Causæ verò spirituales dicuntur, quæ ad fidem, Sacramenta, sacrificium, & generatim ad divinum cultum, & salutem animæ pertinent.*

C. *CUM ECCLESIA 5. h. t. Lucius III.* rescribit, *quòd cum ecclesia Dei secundùm Evangelicam veritatem sit domus orationis, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: seculares judices causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in ecclesiis, vel cœmeteriis probibentur agitare sub interminatione anathematis: absurdum siquidem est, & crudele, ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugij constituta. Ubi in textu maximè prohibetur causa sanguinis: quia nec alia causa secularium possunt tractari. Et textus procedit etiam de cœmeteriis, quia hæc gaudent eodem foro* c. consuluisti de consec. eccles. *Notandum tamen est cum Glossa, tales non esse ipso facto excommunicatos, sed ipso jure excommunicandos.*

C. *INTER ALIA 6. h. t. Innocentius III* rescribit *Illustri Scotiæ Regi juxta statuta Canonum, legumque civilium, hominem liberum confugientem ad ecclesiam ob gravia delicta non esse violenter ab eadem extrahendum, nec extractum damnandum ad mortem, vel penam: sed Rectores ecclesiæ debent eidem obtinere vitam, & membra. Rescribit tamen posse aliter legitimè puniri, ut in pecuniis exceptis duobus casibus. Primò si fuerit publicus latro, secundò si nocturnus depopulator agrorum, hic enim ab ecclesia extrahi potest impunitate non præstita. Quòd si servus fugiat ad ecclesiam, & Dominus juret Clericis de impunitate servi, declarat Pontifex, esse tunc servum reddendum Domino. Hinc liquet, jus asylli concessum reis ad ecclesiam confugientibus constitutum fuisse non solùm per SS. Canones* c. id constituimus 17. q. 4. c. si antiquitus. c. reum. *Verùm etiam per leges Civiles* c. de his qui ad ecclesias confugiunt, & authent. de mand. Princ. *adeò ut jus canonicum in hoc confirmet jus civile. Immo etiam in lege veteri præter civitates refugij* Josuë 20. *notat Covarruvias* 2. variar. c. 20. n. 2. *etiam templum Hierosolymitanum habuisse jus asylli juxta illud* Exodi 2. constituam tibi locum, in quem fugere debes. *scilicet altare templi. Verùm quia lex Mosaica expiravit in nece Christi quoad cæremonialia, & judiciaria: ideo lex Evangelica non ex illius obligatione, sed tantùm ad illius imitationem ex congruitate juris naturalis hanc introduxit immunitatem, non ex præcepto aliquo naturali, vel evangelicò. sed ex sola auctoritate ecclesiæ, & Principum, quorum leges hac super re ecclesia acceptavit, & confirmavit, ut notat Covarruvias* 2. variar. c. 20.

C. ADVERSUS 7. h. t. renovat Innocentius III. statutum Concilij Lateranensis contentum in c. non minus 4. h. t. contra Consules, & Rectores civitatum, & alios, qui ecclesias, & ecclesiasticos gravant tallijs, collectis, aliisque exactionibus: & declarat in necessitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum, quando non suppetunt facultates laicorum non posse Clericos conveniri, nisi prius consulatur Papa. Rursus declarat irritas, & nullius prorsus valoris constitutiones, & sententias quibus laici imponunt collectas, vel onera Clericis: quinimò excommunicatus ob predicta, nisi satisfecerit, quamvis relinquat officium, adhuc remanet excommunicatus, ut etiam successor in officio, si intra mensem non satisfaciat. Notandum est, in hoc textu per ecclesiasticos viros intelligi omnes Clericos etiam prima tonsura tantùm insignitos, quamdiu in statu perseverabunt clericatûs: quia omnes Clerici pertinent ad familiam Christi, & sunt addicti ministerio ecclesiæ, cui ex congruitate debetur immunitas. Quinimmo hoc privilegium extenditur etiam ad oblatos religionum habentes obligationem serviendi in perpetuum alicui Ordini, quamvis non sint Religiosi.

C. QUIA PLERIQUE 8. h. t. Idem Pont. in eodem Concilio Generali statuit, ut Prælati qui pro procuratione, vel servitio impendendo legato, vel alteri, plus exterserint à subditis, quàm impenderint, teneantur restituere exterta, immo & compellantur tantundem dare pauperibus. Quòd si superior, ad quem defertur querela, negligens sit pro executione hujus statuti debeat canonicè puniri. Ubi notat Glossa, exigentes collectas, & procurationes posse Legato Papæ eas impendere, vel pro aliis publicis oneribus, non tamen debere eas in proprium lucrum convertere, neq; plus exigere, quam impendant in tales causas: alioquin detur pauperibus tantundè, quantum ultra quàm debuerunt, exterserunt, c. procurationes de censur: detur etiam eidem ecclesiæ simile c. ad liberandam de Judæis.

C. ECCLESIÆ 9. h. t. Gregorius IX. rescribit Episcopo Astoricensi, ecclesiam quamvis nondum consecratam gaudere immunitate, dummodo in ea divina officia celebrentur, quia tunc dedicata est divinis obsequiis, proinde non debet temerariis usibus profanari. Caterum ut notat Glossa, si in ea nondum celebrentur divina officia, non gaudet immunitate, nec in ea committitur sacrilegium, neque est aspergenda, si quid turpe in ipsa commissum sit, nisi velint in ea celebrare: præterea ecclesia non consecrata, si in ea celebrentur divina officia, gaudet immunitate, & si polluatur, antequam in ea celebretur, debet aqua exorcizata lavari c. ult. de consec. eccles.

C. IMMUNITATEM 10. & ult. h. t. rescribit idem Pont. eos qui sub spe immunitatis in ecclesia, vel cœmeteriis delinquunt, non gaudere immunitate, quia frustra legis auxilium invocat, qui contra legem delinquit c. 4. quia frustra de usur.

IN SEXTO.

C. QUIA NONNULLI 1. h. t. Alexander IV. rescribit non licere laicis habentibus jurisdictionem temporalè, vel exercentibus justitiam temporalem imponere collectas, tallias, vel alias exactiones ecclesiis, & personis ecclesiasticis, neque exigere ab iisdem pro bonis legitimè acquisitis, vel imposterum acquirendis etiam, si hujusmodi bona sint in eorum districtu. Rursus declarat, nec licitum eis esse coarctare ecclesias, vel ecclesiasticas personas ad distrahendum, vel alienandum. Notat tamen Glossa, quòd si ecclesia debetur prædium tributarium ecclesia debeat solvere tributum, quia prædium datum transit cum suo onere c. cum tria de decimis.

C. DECET 2. h. t. præcipit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi, ut ad ecclesiam sit devotus, & humilis ingressus, & specialis reverentia exhibitio, præsertim quando aguntur missarum solemnia. Ut cessent omnia vana, & multò magis fœda, & profana colloquia, & alia quæ divinum possint turbare officium. Rursus prohibet in ecclesiis, & earum cœmeteriis negotiationes, nundinas, judicia sæcularia, & maximè criminalia, & injungit Ordinariis locorum, ut faciant hæc observari, & irritas sententias ibi prolatas, & transgressores subjecit divinæ, & sedis apostolicæ ultioni. Hinc colligitur, in ecclesiis non posse iniri contractus, & contrahentes peccare. Verùm contractus initus teneret, quia in textu tantùm irritantur processus, & sententia Judicum, & cùm hæc constitutio sit penalis, non debet extendi.

C. CLERICIS 3. h. t. Bonifacius VIII. statuit, ut ecclesiastici nunquam acquiescant laicis imponentibus tallias, & alia onera, & punit ecclesiasticos, qui tallias solvunt, vel promittunt, vel consentiunt se solutores sub quovis titulo, prætextu, vel colore: immo etiam laicos, qui hæc imponunt, exigunt, vel recipiunt, quos percutit anathemate, nec possunt ab hac excommunicatione absolvi nisi à Papa. Ob id etiam interdicit Universitates, non obstantibus quibuscunque privilegiis.

C. QUONIAM 4. h. t. Idem Pont. declarat excommunicatos impedientes eos, qui causis ecclesiasticis, vel ad forum ecclesiasticum ratione personæ, negotij, vel rei pertinentibus de jure, aut antiqua consuetudine se opponunt: vel etiam impediunt, ne quis impetret litteras apostolicas, vel litiget coram Judice ecclesiastico, vel delegato, tam directè, quàm indirectè per se, vel per alium: immò etiam dantes auxilium, consilium vel favorem, donec Judici ecclesiastico, & parti, quæ fuit impedita, satisfecerint: hinc inferentes injuriam laico in hoc casu incurrunt excommunicationem ipso jure. Ubi notat Glossa, eum, qui turbat jurisdictionem ecclesiasticam, tametsi promittat se satisfacturum, tam Judici, tum parti turbatæ in prosecutione sui juris non esse absolvendum, nisi priùs cum effectu satisfecerit.

C. EOS QUI 5. & ult. h. t. declarat idem Pont. excommunicatos ipso facto Dominos sæculares pro-

prohibentes suis subditis, ne contractus ineant cum ecclesiasticis, vel communia exhibeant obsequia.

IN CLEMENTINIS.

C. *QUONIAM UNIC. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi unà cum Concilio revocat constitutionem, & declarationem Bonifacij VIII. quæ refertur in* c. clericis h. t. in 6. *ob gravia incommoda, pericula, & scandala, quæ inde sequebantur: & pro infecto vult haberi quicquid ex eo sit factum, & vult servanda esse omnia jura antiqua, & quidem inviolabiliter. Ex quo liquet, quòd tametsi utrumque Concilium fuerit Lateranense, posterius tantùm fuit generale: alioquin non fuisset opus ea distinctione expressione Concilij, & Concilij generalis prout repetitur in* extravag. quod olim sequent.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *QUOD OLIM UNIC. h. t. Benedictus XI. restringit constitutionem Bonifacij VIII. in* c. clericis in 6. h. t. *ad exigentes tantùm tributa, & collectas ab ecclesiis, & Ecclesiasticis, & ad hoc idem dantes auxilium, consilium, vel favorem: non verò ut quoad easdem pœnas præcedat constitutio in solventibus etiam sponte. Præterea ut clerici non dent nisi in casu necessitatis, vel utilitatis, & de licentia Papæ, quamdo facultates laicorum non sufficiunt.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De immunitate locali ecclesiastica.

1 IMmunitas generatim sumpta nil aliud est, quàm vacatio, seu libertas, vel exemptio à muneribus publicis, quæ alioquin sunt communia, ut desumitur ex *c. quia nonnulli 1. in 6. h. t.* ubi dicitur; non licere laicis habentibus jurisdictionem temporalem, vel temporalem justitiam exercentibus imponere collectas, tallias, vel quascunque exactiones ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel exigere ab ijsdem pro bonis legitimè acquisitis, vel imposterum acquirendis, licèt hujusmodi bona sint in ipsorum districtu. Nam munus in sensu juris, imò & latini sermonis, non solùm donum, sed etiam onus, ac obligationem, seu functionem alicui impositam significat *l. munus 18. ff. de V. S. & tit. ff. de munerib. & honor.* adeo ut *municeps* communium onerum, & munerum particeps dicatur *l. 1. §. 1. ad municipal.* & immunitas est vacatio, & liberatio ab onere *l. ff. de vacat. muner. & ff. de jure immunit.* Quamobrem in præsenti titulo rectè describitur immunitas esse jus, quo loca, res, vel personæ ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ sunt, & exemptæ.

Dividitur immunitas ecclesiastica ex parte subjectorum, quibus competit tripliciter, scilicet in immunitatem personarum ecclesiasticarum; locorum sacrorum: & bonorum pertinentium ad ecclesias, quamvis hæc ultima divisio possit ad duas priores facilè revocari. Ex parte munerum, seu onerum est exemptio, & dividitur juxta partitionem munerum, quorum aliqua cùm sint personalia, alia patrimonialia, & alia mixta; ita juxta hæc munera civilia immunitas alia est à personalibus muneribus, alia à patrimonialibus, alia à mixtis. In præsenti expendenda est immunitas loci ecclesiastici, & definitur esse privilegium ecclesijs, & locis sactis concessum, ut Rei ad eas confugientes non possint extrahi per vim, & hoc privilegio immunitatis gaudent in primis ecclesiæ *c. mirer. c. definivit. c. nullus. 17. q. 4. c. ecclesia. cum inter alia de immunit. eccles.* etiam si ecclesiæ nondum fuerint consecratæ, dummodo authoritate Episcopi sint benedictæ, vel alia ratione erectæ ad publicum sacrificij, ac sacramentorum usum, vel ad divina officia celebranda sint deputata ab Ordinario, quia hæc deputatio censetur esse instar benedictionis, ut sumitur *in c. ecclesia 9. h. t.* ubi Gregorius IX. ita rescribit: ecclesia licèt nondum consecrata, si in ea divina officia celebrentur, gaudeat immunitate: & etiam additur ratio, quia semel quòd ecclesia divinis dedicata est obsequijs, non est profananda usibus temerarijs: ubi Glossa notat, quòd si ecclesia non sit consecrata, & in illa celebrentur officia, gaudet immunitate, et si sit polluta sanguine, vel semine, antequam in illa celebretur, debet aqua exorcizata lavari *c. ult. de consec. eccles. & c. ecclesia de consec. dist. 1.* & fugientes in illam gaudent immunitate *c. inter alia.* Præterea eo ipso, quòd Episcopus in fundatione novæ ecclesiæ posuit primum lapidem, eam deputavit ad sacros usus, & locus ille est sacer, ac religiosus *c. præcepta 3.* juxta Glossam *V. devotus*, & quidquid est semel Deo consecratum non debet redire ad usus profanos, & humanos *c. mancipia de rerum permut. c. ad hæc de relig. dom.* & hoc etiam procedit, quamvis nondũ divina officia cœperint in illa celebrari; quia ratio, cur ecclesia illa sit immunis, non est, quia de facto divina officia in ea celebrentur, sed ratio est, quam affert Pontifex *in d. c. ecclesia 9. h. t.* eò quia dedicata sit divinis obsequijs; ex quo Pontifex infert, non esse profanandam usibus temerarijs: hæc autem ratio urget, quamvis nondum divina officia fuerint in ipsa celebrata.

Neque obstat, quòd *in d. c. Ecclesia 9. h. t.* 3
ponantur illa verba, *in qua divina mysteria celebran-*

lebrantur quia hæc verba non intelliguntur de actuali celebratione, ſed de poteſtativa, quatenus ex eo, quòd divinis ſit dedicata obſequiis, poſſint in ipſa divina celebrari officia. Hinc Eccleſiis, & cœmeteriis omnes negotiationes, nundinæ, profanæ ſocietatum conventiones, conſilia ſub pœna arbitrio Ordinarij infligenda prohibentur juxta *textum c. decet domum 2. h. t. in 6.* ubi Gregor. X. reſcribit: ad Eccleſias ſit humilis, & devotus ingreſſus, in eis quieta converſatio, Deo grata, hominibus placita; reverentur nomen Jeſu, quando nominatur in miſſa, ſaltem capitis inclinatione, orent, & in illis nemo excitet ſeditionem, conclamationem, impetum, ceſſent ibi univerſitatum conſilia, & parlamenta, vana colloquia, contabulationes, & omnia quæ poſſunt turbare divina officia vel Deum offendere.

4 Rurſus injungit Pontifex, ut in cœmeteriis, & eccleſiis ceſſent negotiationes, nundinæ, & tumultus fori, ſtrepitus judicij ſæcularis, & omnis cauſa maximè criminalis. Siquidem vel maximè repugnat immunitati eccleſiæ ſi forum fiat ſanguinis: abſurdum enim eſt, ac crudele, ait Pontifex in *c. cum eccleſia 5. h. t.* ibi judicium ſanguinis exercere, ubi eſt tutela refugij conſtituta, quapropter in *d. c. decet domum. 2. h. t. in 6.* Pontifex anathemate percutit eos, qui auſu temerario talia exercent in Eccleſiis, & ſtatuit proceſſus judicum ſæcularium, & ſententias nullas eſſe, & Judices lethaliter peccâre. Rurſus prohibentur etiam comediæ profanæ, ludi theatrales, coreæ, convivia, & aliæ ſimiles actiones excludendæ à locis ſacris. Ratio aſſignatur *in d. c. decet 2. h. t. in 6.* quia decet domũ Dei ſanctitudo: decet, ut cujus in pace factus eſt locus ejus, cultus ſit cum debita veneratione pacificus: quapropter præcipitur etiam, ut ingreſſus in eccleſias ſit humilis, devotus, ſit in eis quieta converſatio, & devotis orationibus inſiſtatur, & præcipitur Ordinarijs locorum, ut faciant hæc omnia obſervari: hinc Epiſcopi non poſſunt facultatem concedere exercendi aliquid in eccleſia contra prohibitionem hujus conſtitutionis, eò quia deputati ſint ad omnia illa diligenter exequenda, non verò relaxanda, niſi fortaſſis urgens, & evidens cauſa ſuppeteret, ut notat Joannes Andreas *in d. c. decet 2. h. t. in 6.*

5 Extenduntur hæc omnia etiam ad eccleſias Interdictas, quia ſicut clericus interdictus, ſuſpenſus, & excommunicatus retinet privilegium immunitatis, ſcilicet canonis, & fori, ita etiam eccleſia, præſertim cùm hæc non peccaverit, nec fuerit in cauſa, cur interdiceretur. Hinc nullo jure reperitur ſtatutum, quòd interdictum privet eccleſiam ſua immunitate tempore, quo durat. Eadem ratione ſua gaudet immunitate eccleſia polluta, licèt nondum ſit reconciliata; quia cùm hæc impedimenta juris ſint odioſa, & quaſi pœnalia non ſunt extendenda ultra caſus jure expreſſos. Rurſus privilegium immunitatis extenditur ad loca omnia quomodolibet adhærentia Eccleſiæ, cujusmodi ſunt ſacriſtia, porticus, atrium, ut habetur *in c. ſi quis 20. cauſ. 17. q. 4.* quia ut notat Gloſſa ibidem *V. adhærentibus*, quæ locis adhærent religioſis, ſunt, & ipſa religioſa, & gaudent privilegio immunitatis: quia cum hoc privilegium immunitatis ſit in favorem eccleſiæ, extenditur ad totam fabricam, & loca ad eccleſiam pertinentia: favores enim maximè in cauſa Religionis ampliandi ſunt: unde etiam exiſtentes in turri, vel in tecto eccleſiæ gaudent immunitate, quia quamvis in illis locis eccleſia non polluatur, immunitas tamen ad illa extenditur, & ratio diſcriminis eſt, quia cum violatio eccleſiæ ſit odioſa debet reſtringi, & immunitas utpote favorabilis ampliari.

6 Immo extenditur hæc eadem immunitas ad domus, atria, & quæcunque loca exiſtentia in circuitu 40. paſſuum in eccleſiis majoribus, & 30. in minoribus, ut conſtat *ex c. ſient. 6. & c. definivit 35. cauſ. 17. q. 4.* quamvis hodie hæc immunitas 40. vel 30. paſſuum non ampliùs obſervetur, ut notat Julius Clarus *in pract. crimin. q. 30.* Immo extenditur etiam ad eccleſias nondum perfectè conſtructas, eò quia jam deputatæ ſint ad divinum cultum, idque quamvis conſtructio intermittatur, ut etiam ad eccleſias dirutas non authoritate ſuperioris, ſi ſpes affulgeat, ut reædificentur, ut notat Gambacurta *lib. 4. c. 2. num. 11.* quia eccleſia dituta ratione loci, in quo ædificata erat non deſinit eſſe ſacra *l. ade ſacra. ff. de contract. empt. & l. in tantùm §. ſacra in fin. de reb. divin.* Secus ſi eccleſia deſtructa fuit authoritate ſuperioris, & non ſit ampliùs ſpes reſtaurationis.

7 Extenditur etiam hæc immunitas ad cœmeteria, ut deſumitur ex *c. immunitatem ult. h. t.* ubi Pontifex reſcripſit; eos non gaudere immunitate, qui ſub ſpe immunitatis in eccleſiis, vel cœmeteriis delinquunt, & addit rationem, quia reddiderunt ſe ea indignos, unde valet argumentari à ſenſu contrario; quòd gaudeant in eccleſiis, ſi in ipſis non delinquant, ſed in alijs locis. Idque etiam procedit, quamvis cœmeteria ſeparata ſint ab eccleſia, quia ex quo cœmeterium deſtinatum eſt ſepulturæ fidelium, præſumitur ſacratum authoritate Epiſcopi: immo etiam gaudet eadem immunitate, ſi non ſit conſecratum ab Epiſcopo, ſed à ſimplici ſacerdote tantùm benedictum, immo addit Peregrinus *c. 4. num. 57.* quamvis à nullo ſacerdote fuerit cœmeterium benedictum, dummodo Chriſtianus aliquis cum officijs conſuetis de Epiſcopi licentia fuerit in eo ſepultus, & etiam ſi cœmeterium pollutum ſit, vel interdictum, quia eſt eadem ratio, ac de eccleſia: ſiquidem ex eadem cauſa cœmeterium, & eccleſia æquiparantur. Gaudent etiam hoc privilegio immunitatis Oratoria confraternitatum, eccleſiæ, aut monaſteria affixa, ſi fuerint authoritate Epiſcopi erecta, quod præſumitur ſi habeant campanam ſuper tectum, & publicè pulſetur, imò Novarius *ſect. 2. q. 56. num. 8.* id extendit ad quascunque confraternitates, in quibus pia opera exercentur, quamvis erecta ſint ſine Epiſcopi facultate. Sed hæc ſententia falſa eſt, & contrarium declaravit ſacra Congregatio Epiſcoporum 17. Septemb. 1617. & etiam ſacra Congregatio ſuper immunitate 9. Decembr. 1631.

ut refert Diana *p. 4. tract. 1. resolut. 37.* Extenditur etiam privilegium immunitatis ad hospitalia publica, dummodo fuerint authoritate Epiſcopi erecta, ut notat Felinus *in c. 17. n. 26.* & desumitur *ex c. ad hæc de relig. domib. c. desiderii 17. q. 4.* & aliis textibus, in quibus omnia privilegia ecclesiarum extenduntur ad hospitalia: & ratio est, quia & ipsa sunt loca religiosa, quæ in profanos usus non possunt converti. Immo id procedit, quamvis in hospitali sacra non celebrentur, & propterea non sit in eo altare, campanile, vel Ecclesia, ut fusè probat Cerlinius *contro. for. c. 116.*

8 Item gaudent hoc privilegio immunitatis monasteria Religiosorum quoad totam clausuram, scilicet claustrum, dormitorium, hortum, domos familiarium, animalium, eò quia hæc omnia adhærent Ecclesiæ, ut desumitur ex *c. si quis contumax. c. frater. c. si quis in atrio c. minor. 17. q. 4. c. 2. de consuetud.* & habetur expresè *in l. patent. C. de his, qui ad Ecclesiam confug.* Immo procedit etiam de grancijs Religiosorum, quæ sunt veluti hospitia ipsorum, & membra monasterij sub authoritate Prælati monasterij, cujus sunt grancia. Gaudent etiam eodem privilegio immunitatis domus Clericorum in communi viventium, ut domus Patrum Congregationis oratorij, immo etiam domus seminarij, domus puellarum, & orphanorum si fuerint authoritate Episcopi fundatæ.

9 Palatia Episcoporum privilegio etiam gaudent immunitatis, ut fuit declaratum in Concilio Aurelian. *in c. id constituimus 17. q. 4.* ubi non distinguuntur palatia sita intra, vel extra 40. passus ab Ecclesia, vel habentia, aut non habentia oratorium: & ratio est, quia immunitas non conceditur palatijs Episcoporum intuitu ecclesiæ, cui solent annexa esse, neque ratione Oratorij: sed ob reverentiam Episcopalis dignitatis, quæ cum sit ubique eadem, ideo palatia Episcopalia in quacunque distantia sita sint ab ecclesia, semper gaudent immunitate, cùm semper condecorentur ab habitatione Episcopi, ut notat Carrêa *p. 2. q. 8. num. 19.* Neque obstat, quòd sacri canones statuant debere domum Episcopi non multum distare ab Ecclesia: quia exinde tantùm sequitur, quòd si multùm distent, controveniant quidem juri; non tamen quòd amittant immunitatem, nõ enim quidquid sit contra jus tollit immunitatem. Tum quia antiqui canones statuerunt, domum Episcopi debere proximam ecclesiæ esse, eò quia tunc temporis cùm clerici unà cum Episcopo habitarent, ut parationes essent clerici ad servitia ecclesiæ recte statutum fuit, ut eorum domus non multum distaret ab ecclesia, proinde nec domus Episcopi, cum esset eadem cum illa clericorum.

10 Verùm de jure novo cùm ampliùs non sit in usu, ut Episcopi simul cum clericis in eadem domo commorentur, ideo talis obligatio cessat, ut supponitur in cœremoniali Romano edito à Clemente VIII. *c. 2.* Quinimmo palatia Episcoporum gaudent immunitate etiam absentibus, vel mortuis Episcopis, immo etiam si Episcopi per suam diœcesim in visitatione transcurrant; eò quia semper sunt habitationes Episcoporum. Hoc idem etiam procedit de palatijs Episcoporum titularium, quia ipsi sunt etiam dignitate Episcopali insigniti *c. legimus V. ubicunque. dist. 93.* ratio est, quia jura indistinctè loquuntur, & lex generaliter lata debet generaliter intelligi *l. in fraudem. §. ult. de test. mil.* Tum quia cum ratio concessionis hujus privilegij desumatur à dignitate Episcopali, quâ insigniuntur etiam Episcopi titulares; ideo eorum palatia gaudent etiam privilegio immunitatis. Quia verò titulares non habent subditos, nec consequenter jurisdictionem, judicare de delictis suorum familiarium ad Episcopum diœcesanum pertinet. Præterea gaudent etiam immunitate palatia Cardinalium extra urbem, non verò Romæ, quia Gregorius XIII. & Sixtus V. hoc privilegium abstulerunt ab eorum palatijs tantùm pro urbe Roma: cæterum extra urbem eorum palatia ob tam eminentem dignitatem gaudent immunitate; non secus ac palatia Episcopalia ratione dignitatis Episcopalis.

11 Quinimò gaudent eodem immunitatis privilegio etiam domus ecclesiæ Parochorum, Canonicorum, aliorúmque ecclesiasticorum in ambitu ecclesiæ, etiam si laicis sint locatæ, ut notat Chartarius *decis. crimin. 46. num. 20.* ubi refert id fuisse ad praxim deductum Mediolani in causa cujusdam Rei confugientis in ædem ecclesiæ, quæ tunc locata erat Laicis: ratio est, quia cum jura non requirant, quòd hujusmodi domus non debeant à Laicis inhabitari, nec nos debemus hoc idem requirere. Tum quia cum hoc privilegium immunitatis sit in favorem ecclesiæ ampliari potiùs debet, quàm restringi.

12 Tum quia dominium utile, & directum illius domus semper pertinet ad ecclesiam, ratione cujus domus illa dicitur ecclesiastica, seu pertinens ad ecclesiam, ut decisum fuit in Rota in una Veneta cens. anno 1607. & quia hæ rationes etiam militant, quamvis domus concessæ sint Laicis in emphyteusin, ideo hæ domus utpote ecclesiasticæ etiam gaudent privilegio immunitatis; tametsi non desint, qui contrarium sentiant non sine probabilitate. Verùm quod de domo ecclesiæ dictum est, procedit etiam de ejus turri, in qua pulsatur æs campanum ad vocandum populum ad divina officia: idque sive turris sit contigua ecclesiæ, sive distet per aliquot passus; dummodo sit intra ambitum 30. passuum, ut declaravit sacra congregatio Cardinalium 7. Decembris 1632. Neque audiendus est Novarius *in summa tit. de immunit. n. 26.* ubi ait hoc privilegio gaudere campanile ecclesiæ in quacunque distantia sit, & probat ex paritate palatij Episcopalis; quod gaudet tali privilegio, quantumcunque distet ab ecclesia: & propter spiritualitatem, quæ in eo est ratione campanarum oleo sacro benedictarum, & earum usum in Dei cultum. Nam hæ rationes non videntur urgere, quia palatio Episcopi conceditur hoc privilegium ratione personæ insignitæ Episcopali dignitate. Ad id, quod addebat de campanis, respondetur, quòd tametsi sint sacro oleo benedictæ, non tamen turris debet hoc privilegio gaudere, alioquin Resi-

neglectam tectorum instaurationem ab his, qui beneficia ecclesiastica possident. Respondetur, ad Ecclesiarum reparationem teneri in primis eos, qui suâ culpâ damnum intulerunt, vel fuerunt in causa, ut Ecclesia rueret, vel notabile detrimentum pateretur, quò instauratione indigeat: idque tam jure divino, & naturali, quam positivo sive civili, sive canonico: & tunc Ecclesia, quæ fuit notabile detrimentum passa ex æquitate juris canonici habet tacitam Hypothecam in bonis eorum, qui damnum intulerunt, & quidem potiorem Hypothecâ tacitâ mulieris, quam hæc habet pro dote in bonis mariti; hinc etiam Prælatus, ex cujus negligentia Ecclesiæ damnũ accessit, tenetur propriis impensis illata resarcire damna. Secundò tenentur collapsas Ecclesias reficere, vel ruinosas instaurare ij, qui ex inolita consuetudine eas reficiunt; quia tunc hoc onus supponitur ipsis incumbere ex consuetudine legitimè introducta: nisi fuerint Laici: quia tunc probatio, cùm consistat in facto, incumbit alleganti, quia præsumptio non est pro Laicis, ut notat Zypæus *in c. quicunque 1. num. 12. h. t.* Tertiò tenentur ad expensas pro restauratione Ecclesiæ illi, quibus ex specialibus locorum statutis, & conventionibus incumbit hæc restauratio: hujusmodi enim statuta plurima sunt in diversis Regionibus, quæ propterea servari debent, cùm vim habeant legis.

Verùm cessantibus statutis, & consuetudinibus, Ecclesiæ reparatio fieri debet à Beneficiario ejusdem, & desumitur *ex c. quicunque 1. h. t.* ubi statuitur, quòd habens beneficium ecclesiasticum debeat omnino contribuere, vel adjuvare ad reparationem, ut ad tecta restauranda, vel Ecclesias emendandas, & hoc idem probant etiam textus *in c. omnes de consecrat. dist. 1. c. final. de his, quæ fiunt à majori part.* Concil. Toletan. 16. *in epist. Regi Flavij Egicæ tol* 1. Concilio Romano sub Eugenio II *can.* 25. Tridentino *sess. 7. de refor. c. 8.* & docent communiter Canonistæ Riccius *in praxi aurea resol. 476. n. 4.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. c. 4. n. 5. & de potest. Episc. allegat. 64. n. 4.* Tondutus *resol. canonic. c. 38.* Martha *de jurisd. p. 2. c. 48.* Idque oritur ex mera æquitate: æquum enim est, ut qui beneficium ecclesiasticum possident in aliqua Ecclesia, teneantur præstare ejusdem sartæ tecta, reparare ruinas, ac si opus fuerit, eam reficere, vel instaurare: cùm enim habeant emolumentum ex decimis, & oblationibus Ecclesiæ æquum est, ut etiam onus subeant reparationis: neque audiendi sunt, si lucrum tantùm velint amplecti, & onus ei annexum respuere. *l. nuic. §. pro secundo. C. cadue. tollen.* juxta *regulam secundùm naturam. ff. de R. J.* siquidem decimæ transeunt cum hoc onere reparationis *argu. l. si me, & Titium. ff. si cert. pet.* qui enim percipit emolumentum debet, & onus ferre, sicut à converso, ad quem spectat onus, debet, & emolumentum pertinere juxta *regul. jur. 55. in 6.* Tum quia usufructuarius tenetur sarta tecta præstare *l. cum 7. C. de usufruct.* tum quia Concilium Tridentinum asserit, Ecclesias reparandas esse per Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ut notat Peckius *de reparat. Eccles. c. 14.*

Videtur tamen in contrarium obstare, quia 4
in divisione omnium bonorum Ecclesiasticorum facta à sancto Simplicio Ecclesiæ, quarta pars fuit assignata pro fabrica, scilicet ejus reparatione *c. quatuor 8. reditib. 8. videntes. 12. q. 2.* Immo in Hispania moris fuit, ut tertia pars prædiorum pro reparatione Ecclesiarum ab Episcopo detineretur, & ita fuisse statutum in Concilio Toletano 16. *can. 5.* relato in *c. unic. 15. q. 3.* & in Bracharensi II. *can. 2. relato in c. 1. 10. q. 3.* refert Gratianus ibidem: hinc in Ecclesiis plerúmque sunt æditui, seu Operarij, qui quartam proventuum portionem assignatam pro fabrica fideliter asservant, & pro occurrentibus necessitatibus in restaurationem, vel refectionem Ecclesiæ expendunt. Immo moris fuit etiam apud gentiles, ut hujusmodi æditui instituerentur, dicerenturque quasi ædium tutores, qui templa curabant, ac reparabant, ut notat Aristoteles *lib. 6. polit. c. fin.* ubi ait: *Alia species curationis est circa rem divinam, seu sacerdotis, & aditui circa templa, ut conserventur, qua sunt, & dirigantur ruinosa ædificia, & cætera omnia, quæ pertinent ad divinum cultum.* Plato etiam *lib. 6. de legib.* Eos vocat custodes, & asservatores sacræ pecuniæ, ut refert Gregorius Tolosanus *2. p. Syntag. lib. 15. c. 31. n. 2.* Ex quibus videtur inferendum, non teneri Clericos beneficiatos ex proprijs reditibus ruinosas restaurare, vel collapsas reficere Ecclesias. Reparari autem, seu refici Ecclesia, vel ædificium dicitur, cùm in pristinum statum restauratur *l. 1. §. deinde. ff. rivis. l. 1. §. refecit. ff. ad leg. Jul. de via publ. l. 2. si quis ædificium. ff. de nov. oper. nunt.*

Sed contra est, quia si portio reddituum fabricæ Ecclesiæ deputata sufficiat, ex ea debet Ecclesia instaurari, & refici, ut habetur *in c. nuic. c. decernimus 10. q. 3.* & tunc Ecclesia reficitur ex reditibus eidem assignatis, qui propterea retrahuntur à reditibus Beneficiarij. Quòd si hæc portio non sufficiat, & Ecclesia sit Cathedralis, tunc Episcopus, & Canonici ex propriis fructibus tenentur eam reparare, & reficere, ut desumitur *ex c. final. de his, quæ fiunt à majori parte*, & notat Barbosa *de potest. Episc. allegat. 64. n. 4. & lib. 2. jur. eccles. 4. n. 9.* imò moris fuit, ut Ecclesia Cathedralis ab Episcopo ex tertiis Ecclesiarum parochialium instauraretur, aut reficeretur, ut habetur *in d. c. nuic. capite decernimus 10. q. 1.* Sin verò Ecclesia parochialis, tenetur ejus Rector unà cum Clericis beneficia habentibus in eadem, seu decimas possidentibus eam instaurare, & reficere pro rata proventuum, quos percipiunt, ut notat Barbosa *de jur. eccles. lib. 2. c. 4. num. 1.* Immo tenentur etiam concurrere, qui ex beneficijs annexis eidem Ecclesiæ, pensiones, & alia emolumenta percipiunt, hi enim compelli possunt ad reparationem Ecclesiæ sub pœna privationis, ut habetur in Concilio Meldensi *can. 62.* ibi: *Qui sarta tecta Ecclesiæ restaurare debent, & hoc negligunt ab ecclesiastica communione separentur*, unde etiam anathemate feriuntur. Quòd si ho- 5

rum

rum omnium portiones non sufficiant ad reparationem necessariam, cogendi sunt Parochiani, ut reliquos suppeditent necessarios sumptus, ut habetur in Concilio Mediolanensi 5. *sub sancto Carolo tit. 4. de Ecclesiis, & earum supellect. p. 2.* Immo etiam forenses, ut notat Cenedus *ad decret. collect. 153. num. 1.* tenentur pro rata contribuere, nisi aliter pacto, seu transactione conventum sit, ut notat Tondutus *resol. canonic. c. 38.* vel nisi contraria consuetudine alius modus reparationi præscribatur, cui in primis standum est: & tunc inter Parochianos Laicos judex Ecclesiasticus est competens, eò quia causa sit Ecclesiastica, quæ ad forum devolvitur Ecclesiasticum, ut probat Pereyra *de manu regia c. 18. per tot.* & hæc procedunt, quando reparatio Ecclesiæ est omnino necessaria ob vetustatem, vel fortuitam ruinam: alioquin si voluntariâ quorundam vastatione templum destrueretur, reparatio facienda tunc esset sumptibus illius, qui Ecclesiam destruxit *c. quisquis 21. §. ult. 17. q. 4. c. conquestus de foro compet.*

Sin verò Ecclesia non sit parochialis, & tamen habeat beneficium, tenetur beneficiarius ejusdem Ecclesiæ eam reparare, nisi consuetudo, vel conventio aliud introduxerit, & desumitur ex Concilio Maguntinensi sub Carolo Magno habito: siquidem percipiens à tali Ecclesia emolumentum, debet etiam onus ferre; quòd si plures sint beneficiati tenentur pro rata sui beneficij sumptus exhibere. Notat tamen Barbosa *loc. cit.* quòd quando reditus clericorum non superfluunt ad restaurationem Ecclesiæ, possit expendi pecunia ex publico ærario universitatis, & ea deficiente debeat deveniri ad collectã à vicinis petendã. Quod verò dicitur de restauratione Ecclesiæ, hoc idem etiam procedit in reædificatione, seu refectione domûs Rectoris, seu Parochi: adeo ut qui tenentur ad reparationem Ecclesiæ, obligentur etiam ad restaurationem domûs Rectoris, vel Parochi, quia censetur pertinere ad Ecclesiam, cùm Rector debeat proprias habitare ædes Ecclesiæ contiguas, ut commodiùs illi inserviat, ut etiam declaravit sacra Congregatio Concilij apud Barbosam *in c. de his 4. n. 5. h. t.* Immo addit, id etiam extendi ad calices, & vestimenta sacra reparanda; adeo ut Parochus, & Clerici beneficiati teneantur necessarios ad id sumptus præstare, cùm ad ipsos pertineat gubernare Ecclesiam, cujus recipiunt proventus: ad eum enim finem percipiunt reditus, ut Ecclesiæ inserviant, eique provideant de necessariis. Ad Ecclesias parochiales juris patronatus, quæ indigent restauratione, & refectione patronus non tenetur contribuere, eò quia ex prima fundatione, constructione, aut dotatione acquisivit jus patronatus, proinde non tenetur ad aliud, ut docet Barbosa *in d. c. de his 4. h. t.*

7 Quòd si dicas, Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 7. de refor.* præcipere, ut etiam Patroni compellantur ad parochiales Ecclesias restaurandas. Respondetur, concilium ibi loqui de illis Patronis, qui aliquos proventus in prima fundatione sibi reservârunt: ait enim: *compellendos esse, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt*: unde à contrario sensu valet illatio: ergo qui nullos ex talibus ecclesiis fructus percipiunt, sive sint Patroni, sive non, non tenentur proprio sumptu ad restaurandam Ecclesiam; & si reditus Clericorum non sufficiunt, tenetur populus supplere, qui in tali Ecclesia reparanda percipit Sacramenta, nulla habita differentia inter nobiles, & ignobiles, quamvis commodo Ecclesiæ renunciare vellent: quia id non est in potestate Parochianorum *c. 2. de parochiis.* In defectu autem Parochianorum potest Episcopus fructus, & proventus capellarum existentium sub ipsa Ecclesia, ad refectionem ejus deputare servatâ capellanis congrua, & competente portione, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 7.* & declaravit sacra Congregatio Concilij Trid. ut refert Zerola *p. 1. V. visitatio dub. 9.* Immo potest etiam Episcopus in tali casu applicare malè parta in reparationem Ecclesiæ, & etiam concubinarios condemnare ad aliquam summam pro repatatione ejusdem, ut fusè probat Petrus Peckius *tract. de reparand. Eccles.* si quis plura desiderat ipsum consulat.

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an qui decimas percipiunt ex prædijs in aliena parochia sitis teneantur ad contribuendum pro reparatione illius Ecclesiæ? Respondent plures affirmativè, & videtur id desumi *ex c. de his 4. h. t.* ubi dicitur, quòd de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ conferri debeat ad reparationem illius: & de jure communi decimæ, quæ percipiuntur ex prædiis sitis intra limites parochiæ ad eandem pertinent: proinde qui percipiunt has decimas, tenentur concurrere ad restaurationem Ecclesiæ, nisi fortassis consuetudo fuerit in contrarium. Verùm id procedit tantùm in casu, quo portio deputata pro fabrica Ecclesiæ non sufficiat, neque ex fructibus parochialis Ecclesiæ possit restauratio fieri. Nihilominus spectato jure communi contraria sententia videtur probabilior, quia in nullo jure reperitur, quòd decimis, & earum possessoribus, hoc onus reparationis reperiatur injunctum: rursus decimæ si semel legitimè separatæ fuerint ab Ecclesia parochiali, & concessæ alteri Ecclesiæ, non computantur ampliùs inter fructus prioris Ecclesiæ parochialis, ut notat Zœsius *in comment. h. t. n. 5.* nisi tamen consuetudo sit in contrarium.

2 Quæritur secundò, an Episcopus possit ampliare Ecclesiam sumptibus eorum, qui tenentur ad reparationem? ratio dubitandi est, quia in Ecclesia reparanda non est necesse, ut servetur antiqua forma; siquidem modus renovationis dependet ex arbitrio Episcopi *c. omnes* ibi *Episcopi providentiâ modus inveniatur de consec. dist. 1.* ibi enim non præcipitur absolutè, ut Ecclesiæ reparentur juxtà antiquam formam, sed quòd Episcopi providentiâ fiat reparatio, ut ar-

tendatur, quorum expensis reparatio facienda sit, & juxta majorem, vel minorem formam. Respondetur, aliquot esse in hac quæstione casus distinguendos. Primò si cum stipulatione aliquis reperiatur obstrictus ad restaurationem Ecclesiæ, tunc non potest compelli, ut eam reficiat in ampliori forma: ratio est, quia verba stipulationis accipiuntur strictè *l. quidquid. ff. de V. O.* quapropter sufficit si obstrictus ex vi stipulations ad reficiendã Ecclesiam, eam reficiat in ea forma, & amplitudine, quæ erat antea; proinde non tenetur ad majorem ampliationem: aliud enim est reficere, & aliud ampliare; primum importat, quòd illud idem, quod antea erat, iterum fiat, si desierit: secundum quod ponatur quid aliud, quod antea non erat *l. usufructuarius 44. ff. de usufructu.*

3 Secundò si fiat ampliatio Ecclesiæ, non quia sit necessaria, sed quia utilis: & in hoc casu neque obstrictus ad reparationem compelli potest ad præstandos sumptus ampliationis, ut docet Gratianus *tom. 1. discept. 1. c. 84. num. 21.* quia tametsi res communis refici possit sumptibus sociorum, non tamen ipsis invitis potest ampliari *l. paristem 8. ff. de servit. urban.* Quinimmo qui tenetur ad reparationem Ecclesiæ, habet etiam jus impediendi talem ampliationem, nisi caveatur pro futura reparatione loci ampliandi, quia irrogatur illi præjudicium propter futuras expensas reparationis: cùm enim Ecclesia sit amplior, & ipse teneatur totam restaurare, si iterum reparatione indigeat, utique teneretur ad majores sumptus ob adjectam amplitudinem.

4 Tertiò si ampliatio necessaria sit propter populi multitudinem, quam antiqua Ecclesia non potuit capere, tunc onus restaurandi non pertinet totum ad eum, qui antea erat obstrictus ad reparationem talis Ecclesiæ: sed ad illam teneantur etiam concurrere alij percipientes fructus ex tali Ecclesia, vel recipientes Sacramenta in eadem: ratio est, quia quando Ecclesia in majori amplitudine reficitur, non est reparatio antiquæ Ecclesiæ, sed nova constructio exigens majores sumptus, quibus non est gravandus obstrictus ad solam reparationem, qui tantùm potest compelli ad præstandos sumptus proportionatos pro sola reparatione, si Ecclesia non ampliaretur. Cæterum ad ampliationem, ejúsque reparationem tenentur sumptus subministrare, qui ex tali Ecclesia fructus percipiunt, vel Sacramenta recipiunt.

5 Quæritur tertiò, an Ecclesia recèns erecta intra limites alterius Ecclesiæ Matricis teneatur eidem servare competentem honorem, ut habetur in *c. ad audientiam 3. h. t. in fin.* ubi Alexander III. statuit, ut si Rector illius majoris Ecclesiæ sit negligens in eligendo, Episcopus debeat eligere, ita tamen ut servetur debitus honor villæ erga matricem: consistit hic honor, ut notat Glossa ibidem *V. honor* in eo, ut Ecclesia recèns constructa pendat censum aliquem Ecclesiæ matrici in signum subjectionis *arg. c. 2. de censibus* moderandum tamen ad arbitrium Episcopi: verùm in jure non probatur, quia *in d. c. ad audientiam 3.* Alexander III. tantùm statuit, ut reservetur matrici Ecclesiæ jus patronatus, seu jus eligendi sacerdotem, qui debeat inservire Ecclesiæ inferiori: & etiam ut reservetur competens honor pro qualitate loci. Cæterũ in reliquis videtur Ecclesia recèns constructa eximi re à potestate Rectoris antiquæ Ecclesiæ. Tum quia nulla Ecclesia excepta cathedrali jure communi habet fundatam intentionem super subjectione alterius Ecclesiæ, quamvis sitæ intra limites suæ parochiæ: adeo ut si aliqua Ecclesia non cathedralis prætendat jus in aliam Ecclesiam, non plus possit obtinere, quàm probare illud sibi competere in illa ex jure speciali. Quamobrem meliùs dicũt alij honorem illum præstandum Ecclesiæ matrici ab inferiore recèns constructa in eo consistere, quòd Clerici Ecclesiæ inferioris teneantur adire majorem Ecclesiam pro baptismo, & scrutinio, & venire ad Capitulum, ac solvere jura parochialia, quæ capellæ de jure, vel consuetudine debent Ecclesiæ matrici, ut notat Hostiensis *in d. c. ad audientiam. col. 2. h. t.*

6 Quæritur quartò, ad quem pertineat jus præsentandi sacerdotem, quando erigitur nova Ecclesia parochialis? Respondetur, hoc jus ad eos in primis pertinere, qui talem Ecclesiam ex propriis bonis fundârunt, & sufficienter dotârunt. Quòd si nova Ecclesia fundata sit ex reditibus Ecclesiæ antiquæ, tunc jus præsentandi petinet ad Rectorem antiquæ Ecclesiæ, idque desumitur *ex c. 3. ad audientiam h. t.* ubi Alexander III. ait, quòd possit ædificari Ecclesia intra limites alterius, & dotari, & proventus illius villæ dentur sacerdoti eligendo à persona majoris Ecclesiæ, dummodo major Ecclesia habeat sufficientes reditus præter eos villæ, quòd si Rector illius parochiæ, vel majoris Ecclesiæ sit negligens in eligendo, Episcopus eligat. Quamvis tamen jus præsentandi pertineat ad Rectorem illius antiquæ Ecclesiæ, ex cujus reditibus fuit recèns ædificata, nihilominus etiam Fundator, qui fundum dedit est simul Patronus ejusdem ex causa fundationis, vel dotationis, si residuum dotis dedit, ut notat Hostiensis *in d. c. ad audientiam V. Fundaveris.* Sin verò Ecclesia antiqua nil contulit ex propriis reditibus, nullum acquirit in Ecclesia nova jus patronatus, quia *in d. c. ad audientiam* Pontifex tantùm loquitur in eo casu, quo Ecclesia matrix aliquid contribuit ad electionem Ecclesiæ novæ. Cæterum jus patronatus non acquiritur nisi ex fundatione, constructione, vel dotatione: unde si Ecclesia matrix ex eo, quòd nova Ecclesia construatur intra limites suæ parochiæ non dat fundum, eò quia non habeat proprietatem fundi, neque sumptus ad ædificationem, neque dotem; ex nullo titulo potest sibi acquirere jus patronatus.

7 Quæritur quintò, an si Leprosi congregentur sub communi vita permittendum sit illis, ut sibi Ecclesiam cum cœmeterio construant? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. cum dicat 2. h. t.* ubi Pontifex statuit, quòd ubi aliqui Leprosi congregantur sub communi vita, permittatur eis, ut possint sibi Ecclesiam cum cœmeterio construere, & habere proprium pres-

preſbyterium ſine injuria tamen veterum Eccleſiarum : quia quod eis ex pietate conceditur, non debet in aliorum injuriam redundare. Moris fuit etiam apud gentiles, ut leproſi extra civitatem degerent, eò quia hujusmodi morbum cœlitus immiſi crederent, ut notat Herodotus *lib.* 1. quin imò etiam apud Judæos Dei juſſu extra caſtra ejiciebantur, quapropter hujus morbi turpitudinem pluribus amplificat Nazianzenus *orat. 20. in laudem Baſilij*; adeo ut non ſolùm hominibus exoſi eſſent Leproſi, ſed etiam Deo inviſi putarentur : unde in lege veteri expiabantur tali pacto, ut habetur *Lev. c. 14* poſtquam curata erat Lepra ; qui purificabatur, primò offerebat duos paſſeres vivos pro ſe, quibus veſci licitum erat, & lignum cedrinum, vermiculúmque, & hyſſopum : & unum ex paſſeribus imolabat, ſeu occidebat in vaſe fictili ſuper aquas viventes, ſeu fontanas, aut fluviales: alium autem paſſerem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tingebat in ſanguine paſſeris immolati, quo aſpergebatur ſepties, qui mundandus erat à lepra, ut jure purgaretur, & poſtea alium paſſerem vivum dimittebat, ut in agrum avolaret.

8 Rurſus Leproſi lavabant veſtes ſuas, radébant pilos corporis, & poſtea ſe ipſos per totum corpus lavabant, & die 8. ſi erant divites offerebant duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa eſſet oleo ; & ſeorſum olei ſextarium: ſin verò pauperes eſſent offerebant agnum pro delicto ; & duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocauſtum cum tribus decimis ſimilæ, & olei ſextarium: tum ſacerdos ſanguine agni tingebat aurem illorum dexteram, policem dextræ manus, & pedis, & ex oleo aſpergebat ſepties coram tabernaculo, fundens reliquiam olei ſuper extremum auriculæ dextræ, & ſuper polices manús, & pedis dextri, & ſuper caput. In lege autem gratiæ, quia Apoſtolus dicit, abundantiorem honorem deferendum eſſe membris infirmioribus, noluit Eccleſia, Leproſos tam miſerabilem vitam agere abſque privilegiis, & gratiis : unde conceduntur ipſis Eccleſiæ cum cœmeteriis, & exemptio à decimis fructuum, quos percipiunt ex hortis, & nutrimentis animalium; non quia Religioſi ſint, ſed tantùm pietatis causâ, & quia aliis fidelibus propter contagium non poſſunt ſe immiſcere, hinc Concilium Vormacienſe *can. 31.* interdicit Leproſis ſe immiſcere populo Chriſtiano, & illis conceditur, ut habeant Eccleſiam propriam cum Clerico, qui illis Sacramenta miniſtret.

Quæritur ſextò, an materialia Eccleſiæ deſtructæ poſſint in profanos uſus converti ? Reſpondetur, olim non licuiſſe, lapides, & ligna deſtructæ Eccleſiæ applicare ad alium uſum, quàm Eccleſiaſticum, ſcilicet ad ædificationem alterius Eccleſiæ *c. ligna 38. de conſecrat.* Nunc tamen Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. de refor. c. 7.* conceſſit facultatem, ut materia Eccleſiæ diruæ, imò & etiam ipſe locus poſſit in profanos uſus, non tamen ſordidos adhiberi, erectâ tamen prius in loco illo cruce. Non tamen poteſt ab Epiſcopo profanari cœmeterium, ut habet Rota apud Farinacium *p. 1. in poſt. deciſ. 107. n. 2.* Præterea juxta communiorem ſententiam, ligna picta, vel alia materialia ſigno aliquo notata, ex quo conjiciatur, quòd fuerint Eccleſiæ, ad vitandum ſcandalum non poſſunt applicari ad fabricam laicalem, ut notat Barboſa *in d. c. 7. Trident. n. 24.*

Quæritur ſeptimò, ad quem pertineat primum lapidem ponere in fundatione novæ Eccleſiæ, quæ in Diœceſi aliqua recens erigitur? Reſpondetur ad Epiſcopum pertinere, ut docet Gloſſa ex communi conſenſu approbata *in c. nemo de conſecrat. diſt. 1.* ubi habetur : *Nemo Eccleſiam ædificet, antequam Epiſcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium deſignet.* In Authentica verò de Eccleſiaſticis titulis *§. ſi quis autem collat. 9. col. 9.* habetur. *Si quis autem voluerit fabricare venerabile oratorium, aut monaſterium, præcipimus non aliter inchoandam fabricam, niſi locorum ſanctiſſimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem.* Poteſt tamen Epiſcopus hunc primum lapidem, vel per ſe immediatè, vel per alium ponere. Cæterum ſi conſtruatur Eccleſia, tametſi Epiſcopus non poſuerit primum lapidem, ſufficit ſi conſentiat, etiam poſtquam conſtructa fuit, ut probat Zelba authoritate Zabarellæ, Cardinalis Rochi, & aliorũ hinc Archidiaconus *in c. nemo de conſecrat diſt. 1.* ait, ſi quis ædificet domum, vel aliam ſtructuram non eo animo, & voluntate, ut ſit Eccleſia, poteſt Epiſcopus ſtructuram illam poſtea in Eccleſiam convertere, & conſecrare; ſicut Bonifacius IV. Romæ Pantheon, ſeu templum Diis gentium dicatum, conſecravit in eccleſiam omniũ Sanctorũ: & alij Romani Pontifices fana gentilium converterunt in Eccleſias, conſecrárunt, & dedicárunt Deo, B. Virgini, vel ſanctis. 10

Cæterum ut nova conſtruatur Eccleſia, ſententiis probabilior aſſerit, ſufficere conſenſum tacitum Epiſcopi, ſcilicet ſi Epiſcopus ſciat, Eccleſiam conſtrui, & non impediat, nec contradicat, cum facilè poſſit. Non tamen fundari conſtrui, & dotari poteſt ſine dote, ut habetur *in authent. de Eccleſ. tit. §. ſi quis autem collat. 9.* & ſi quis ita fundat, vel conſtruit, jure cogitur ad dotem aſſignandam *c. placuit. 1. q. 2.* & tanta debet dos eſſe, quæ ſufficiat, ut ex illa commodè poſſit vivere unus Presbyter cum Clerico Miniſtro, habita ratione obventionum ſpiritualium, ſcilicet debet dos tanta eſſe, quæ ſufficiat ad luminária, ad domûs cuſtodum alimenta, & ad ſacrum Miniſterium, & habetur etiam *in c. nemo de conſecrat. diſt. 1.* 11

Quæritur octavò, an Eccleſia ſæcularis poſſit mutari in regularem ? Reſpondetur affirmativè, ſi accedat conſenſus Ordinarij : ita tamen ut Clericis ſæcularibus in illa Eccleſia dum ſuperſtites ſunt, nullum præjuditium fiat, ut ſtatuitur *in c. ad audientiam. 5. b. t.* ubi ab Urbano III. conceditur cuidam petenti, ut in Eccleſia cathedrali cum conſenſu Ordinarij poſſint inſtitui Canonici Regulares, dummodo Clericis ſæcularibus, qui ſuperſunt in Eccleſia, nullum fiat præjudicium : ſed dum vixerint, 12

provideantur de neceſſariis, quòd enim Eccleſia ſæcularis poſſit reduci ad ſtatum regularem, deſumitur etiam *ex c. ſi Epiſcopus 7. cauſa* 12. *q.* 2. idque in favorem religionis, & quia Regulares ſunt ſtrictioris obſervantiæ, quàm clerici ſæculares. Non tamen è converſo Eccleſia regularis poteſt in ſæcularem mutari, niſi in defectu Regularium *c. inter quatuor 5. de Religios. dom.* Nec etiam clerici inferiores poſſunt mutare ſtatum ſuæ eccleſiæ ſine conſenſu Epiſcopi: ratio eſt quia ſi mutetur ſtatus eccleſiæ in regularem, non tenentur clerici ſæculares ibi manere. Neque debent alimentis neceſſarijs privari, dum vivunt: & ſubditi ſine conſenſu ſuperioris non poſſunt ſe ab ejus jurisdictione ſubtrahere.

13 Quæritur nonò, an regularitati eccleſiæ obſit, ſi in illa remaneat beneficium ſæculare? Reſpondetur, beneficium ſæculare non obſtare, quo minus eccleſia dici poſſit regularis, ſi concedatur Regularibus; non in ſolum uſum, ſed in proprietatem, adeo ut uniatur monaſterio: quia eo ipſo, quòd eccleſia, licèt ſæcularis, ab habente authoritatem unitur monaſterio regulari, fit regularis, quia non dantur monaſteria ſine propriis eccleſiis cum Monachi fuerint inſtituti, ut Deo in eccleſia inſerviant, quapropter eo ipſo, quòd eccleſia unitur monaſterio fit Regularis, quia ex monaſterio, & eccleſia fit quid unum integrale, proinde cum monaſterium ſit regulare, etiam in ſe eccleſia dicenda eſt regularis *c. 1. de capel. Monach.* ubi Gloſſa *V. monaſterium in fine*, & fuit etiam deciſio Rotæ coram Durano *deciſ. 74. n. 4.* & ratio eſt, quia eccleſia eſt pars monaſterij, venitque ſub appellatione monaſterij, ut notat Gloſſa *in c. 1. V. exempto de privileg. in 6.* & cum monaſterium ſit regulare, eccleſia tanquam acceſſoris erit itidem regularis, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, & debet eſſe ejusdem qualitatis cum illo, ut fiat quid unum totum ejusdem qualitatis. Tum quia eccleſia tunc manet ſub regimine, & cura regularium, adminiſtratur per Prælatum regularem cum ſuo capitulo, quod ſufficit ad inducendam regularitatem, ut docet Innocentius *in c. poſtulaſti. n. 1. de jure patron.*

Hinc eccleſia illa tanquam regularis, & u- 14
nita monaſterio exempto, eſt omnino exempta, ut deſumitur *ex c. 1. §. in eos. de privileg. in 6.* & deſumitur etiam ex diverſis privilegiis ſummorum Pontificum conceſſis Regularibus. Neque obſtat, beneficium ſæculare annexum tali eccleſiæ, quia à ſtatu beneficij, ad ſtatum eccleſiæ non fit recta illatio, cùm poſſit in eccleſia regulari exiſtere beneficium ſæculare juxta *c. fin. §. præcipimus de ſtatu Monachor.* & ſufficit, quòd non permiſceantur, & eo ipſo quòd eccleſia unitur monaſterio ſeparatur à beneficio ſæculari, quatenus quoad regimen non eſt ampliùs unita tali beneficio: & ſolùm remanet unio localis, quatenus erectio beneficij perſeverat in eodem loco, ſtante autem hac ſeparatione impermixtè ſe habent, ita ut nec ad eccleſiam pertineat jus beneficij, nec ad beneficium jus eccleſiæ.

TITULUS XLIX.

De immunitate eccleſiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

POſt eccleſias conſtructas, dotatas, conſecratas, & divinis miniſterijs dicatas; de quibus omnibus egit Pontifex in præcedentibus titulis; rectè hìc ſequitur earundem eccleſiarum immunitas. Quinimmo præſens titulus refertur ad omnes in hoc libro contentos, quia cum ab initio ejusdem Pontifex egerit de ijs, quæ ad ſtatum clericorum, tum ſæcularium, tum regularium, & illorum jura pertinent; congruum omninò erat, ut hic Pontifex explicaret, quomodo eccleſiæ & eccleſiaſtici immunes ſint à poteſtate ſæculari. Immunitas autem eſt privilegium, quo res aliqua à communi aliqua obligatione, ſeu onere eximitur: quo pacto clerici eximuntur à poteſtate ſæculari; adeò ut non teneantur ad ullas indictiones, nec functiones ullas munerum civilium. Extat hic titulus etiam in ſexto, in Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. UT IN DOMIBUS 1. h. t. Ex Synodo Joannis Papæ ſtatuitur, ut Judex, Officialis, Comes, vel Miniſter quaſi pro conſuetudine non faciant, vel vindicent placitum, aut hoſpitium in domibus eccleſiarum; ſed conſtituant domos in locis publicis, in quibus placitum teneant, & hoſpitentur. Ex hoc textu colligitur, pertinere ad immunitatem locorum ſacrorum exemptio-

emptionem ab illis actionibus, quæ cum eorundem veneratione, & sanctitate videntur pugnare, ejusmodi sunt actiones profanæ, & lites seculares, præsertim causa sanguinis, quia ecclesia est domus orationis, quam decet sanctitudo, non judicium sanguinis humani. Hinc Judex secularis non potest in ecclesia, nec in ejus domibus jus reddere, aut hospitari. Quòd si id fiat, processus, & prolata sententia nullum obtinent valorem.

C. *PERVENIT. a. b. t.* restribit Gregorius IX. Archiepiscopo Tricensi tempore urgentis necessitatis nullum ecclesiasticum excusari à vigiliis, & custodia murorum civitatis, quia stante necessitate defendendi patriam cessat privilegium, quia defensio propria, & patriæ est de jure naturæ, ut asserit Glossa hic. *Verùm textus expresiè non loquitur de Clericis, sed tantùm generatim de hominibus ecclesiæ, seu mancipiis, rusticis, & aliis ecclesiæ addictis, qui ordinariè non gravantur, eò quia ad servitia pertinent ecclesiæ* c. ecclesiarum servos 12. q. 2. *Unde textus posset intelligi de hisce ecclesiæ hominibus, qui instante necessitate, non sunt immunes à custodia civitatis. Cæterum Clerici non debent in his gravari, nisi in extrema necessitate, & tunc non per judicem secularem, sed per Episcopum essent ad excubias agendas compellendi* c. Sancta Maria de constit. *si ita dicamus rectè eximuntur Clerici ab oneribus personalibus laicorum.*

C. *INDICAVIMUS 3. b. t.* rescribit idem Pont. *rusticos ecclesiæ non posse deserere rura ecclesiæ, & colere agros privatorum, quod tamen intelligit Glossa de rusticis adscriptitiis, qui gleba sunt adstricti. Ex quo textu colligitur, ecclesiæ olim fuisse habuisse rusticos sibi adstrictos* c. cum redemptor 12. q. 2. *proinde si absque legitima causa ecclesiæ agros deseruissent, ad eadem rura coercebantur.*

C. *NON MINUS 4. b. t. Ex Concilio Lateranensi statuitur, ut imponentes collectas, & alia onera ecclesiis, vel ecclesiasticis, nisi moniti destiterint, sint excommunicati, non solùm ipsi, sed etiam eorum Fautores. Rursus si Episcopi, & Clerici cognoscant urgentem necessitatem, vel utilitatem, ubi laicorum non suppetunt facultates, possunt absque ulla exactione dare subsidia per ecclesias. Ex hoc textu liquet, ecclesias, & ecclesiasticos esse immunes ab oneribus exigendis à principibus laicis: ad quod evincendum adfert Concilium exemplum Pharaonis & argumentatur à minori ad majus, si enim Princeps infidelis concessit immunitatem suis sacerdotibus idololatris, multò magis eam concedere tenentur Principes Christiani ecclesiis, & ecclesiasticis. Tum quia etiam sacerdotes legis Mosaicæ immunes fuerunt à potestate Principum temporalium: unde multò magis debetur hæc immunitas sacerdotibus legis Evangelicæ. Hinc personæ ecclesiasticæ duplici gaudent privilegio immunitatis, scilicet privilegio Canonis, quod est privilegium securitatis, indemnitatis ecclesiasticorum, ne injuriosè tractentur in corpore* c. si quis suadente 17. q. 4. *ubi excommunicantur percutientes Clericos: & gaudent etiam privilegio fori quatenus Clerici eximuntur à foro, & jurisdictione laicorum, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus: exemptio enim in spiritualibus causis est juris divini, quia potestas gubernativa spiritualis distinguitur à civili, & à Christo singulariter instituta fuit in novo testamento, & huic potestati spirituali subordinatur potestas temporalis. Causæ verò spirituales dicuntur, quæ ad fidem, Sacramenta, sacrificium, & generatim ad divinum cultum, & salutem animæ pertinent.*

C. *CUM ECCLESIA 5. b. t. Lucius III.* rescribit, *quòd cum ecclesia Dei secundùm Evangelicam veritatem sit domus orationis, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: seculares judices causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in ecclesiis, vel cœmeteriis prohibentur agitare sub interminatione anathematis: absurdum siquidem est, & crudele, ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugij constituta. Ubi in textu maximè prohibetur causa sanguinis: quia nec alia causa secularium possunt tractari. Et textus procedit etiam de cœmeteriis, quia hæc gaudent eodem foro* c. consuluisti de consec. eccles. *Notandum tamen est cum Glossa, tales non esse ipso facto excommunicatos, sed ipso jure excommunicandos.*

C. *INTER ALIA 6. b. t. Innocentius III* rescribit *Illustri Scotiæ Regi juxta statuta Canonum, legumque civilium, hominem liberum confugientem ad ecclesiam ob gravia delicta non esse violenter ab eadem extrahendum, nec extractum damnandum ad mortem, vel penam: sed Rectores ecclesiæ debent eidem obtinere vitam, & membra. Rescribit tamen posse aliter legitimè puniri, ut in pecuniis exceptis duobus casibus. Primò si fuerit publicus latro, secundò si nocturnus depopulator agrorum, hic enim ab ecclesia extrahi potest impunitate non præstita. Quòd si servus fugiat ad ecclesiam, & Dominus juret Clericis de impunitate servi, declarat Pontifex, esse tunc servum reddendum Domino. Hinc liquet, jus asylli concessum reis ad ecclesiam confugientibus constitutum fuisse non solùm per SS. Canones* c. id constituimus 17. q. 4. c. si antiquitus. e. reum. *Verùm etiam per leges Civiles* c. de his qui ad ecclesias confugiunt, & authent. de mand. Princ. *adeò ut jus canonicum in hoc confirmet jus civile. Immo etiam in lege veteri præter civitates refugij* Josuë 20. *notat Covarruvias* 2. variar. c. 20. n. 2. *etiam templum Hierosolymitanum habuisse jus asylli juxta illud* Exodi 2. constituam tibi locum, in quem fugere debes. *scilicet altare templi. Verùm quia lex Mosaica expiravit in nece Christi quoad cæremonialia, & judiciaria: ideo lex Evangelica non ex illius obligatione, sed tantùm ad illius imitationem ex congruitate juris naturalis hanc introduxit immunitatem, non ex præcepto aliquo naturali, vel evangelicò, sed ex sola auctoritate ecclesiæ, & Principum, quorum leges hac super re ecclesia acceptavit, & confirmavit, ut notat Covarruvias* 2. variar. c. 20.

C. ADVERSUS 7. h. t. renovat Innocentius III. ſtatutum Concilij Lateranenſis contentum in c. non minus 4. h. t. contra Conſules, & Rectores civitatum, & alios, qui eccleſias, & eccleſiaſticos gravant talliis, collectis, aliisque exactionibus: & declarat in neceſſitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum, quando non ſuppetunt facultates laicorum non poſſe Clericos conveniri, niſi prius conſulatur Papa. Rurſus declarat irritas, & nullius prorſus valoris conſtitutiones, & ſententias quibus laici imponunt collectas, vel onera Clericis: quinimò excommunicatos ob predicta, niſi ſatisfeceris, quamvis relinquat officium, adhuc remanet excommunicatus, ut etiam ſucceſſor in officio, ſi intra menſem non ſatisfaciat. Notandum eſt, in hoc textu per eccleſiaſticos viros intelligi omnes Clericos etiam prima tonſura tantùm inſignitos, quamdiu in ſtatu perſeverabunt clericatûs: quia omnes Clerici pertinent ad familiam Chriſti, & ſunt addicti miniſterio eccleſiæ, cui ex congruitate debetur immunitas. Quinimmo hoc privilegium extenditur etiam ad oblatos religionum habentes obligationem ſerviendi in perpetuum alicui Ordini, quamvis non ſint Religioſi.

C. QUIA PLERIQUE 8. h. t. Idem Pont. in eodem Concilio Generali ſtatuit, ut Prælati qui pro procuratione, vel ſervitio impendendo legato, vel alteri, plus exterſerint à ſubditis, quàm impenderint, teneantur reſtituere exterta, immo & compellantur tantundem dare pauperibus. Quòd ſi ſuperior, ad quem defertur querela, negligens ſit pro executione hujus ſtatuti debeat canonicè puniri. Ubi notat Gloſſa, exigentes collectas, & procurationes poſſe Legato Papæ eas impendere, vel pro aliis publicis oneribus, non tamen debere eas in proprium lucrum convertere, neq; plus exigere, quam impendant in tales cauſas: alioquin datur pauperibus tantundè, quantum ultra quàm debuerunt, exterſerunt, c. procurationes de cenſur: datur etiam eidem eccleſiæ ſimile c. ad liberandam de Judæis.

C. ECCLESIÆ 9. h. t. Gregorius IX. reſcribit Epiſcopo Aſtoricenſi, eccleſiam quamvis nondum conſecratam gaudere immunitate, dummodo in ea divina officia celebrentur, quia tunc dedicata eſt divinis obſequiis, proinde non debet temerariis uſibus profanari. Caterum ut notat Gloſſa, ſi in ea nondum celebrentur divina officia, non gaudet immunitate, nec in ea committitur ſacrilegium, neque eſt aſpergenda, ſi quid turpe in ipſa commiſſum ſit, niſi velint in ea celebrare: præterea eccleſia non conſecrata, ſi in ea celebrentur divina officia, gaudet immunitate, & ſi polluatur, antequam in ea celebretur, debet aqua exorcizata lavari c. ult. de conſec. eccleſ.

C. IMMUNITATEM 10. & ult. h. t. reſcribit idem Pont. eos qui ſub ſpe immunitatis in eccleſiis, vel cœmeteriis delinquunt, non gaudere immunitate, quia fruſtra legis auxilium invocat, qui contra legem delinquit c. 4. quia fruſtra de uſur.

IN SEXTO.

C. QUIA NONNULLI 1. h. t. Alexander IV. reſcribit non licere laicis habentibus jurisdictionem temporalẽ, vel exercentibus juſtitiam temporalem imponere collectas, talliας, vel alias exactiones eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis, neque exigere ab iisdem pro bonis legitimè acquiſitis, vel imposterum acquirendis etiam, ſi hujusmodi bona ſint in eorum diſtrictu. Rurſus declarat, nec licitum eis eſſe coarctare eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum. Notat tamen Gloſſa, quòd ſi eccleſia donetur prædium tributarium eccleſiæ debeat ſolvere tributum, quia prædium datum tranſit cum ſuo onere c. cum tria de decimis.

C. DECET 2. h. t. præcipit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi, ut ad eccleſiam ſit devotus, & humilis ingreſſus, & ſpecialis reverentia exhibitio, præſertim quando aguntur miſſarum ſolemnia. Ut ceſſent omnia vana, & multò magis fœda, & profana colloquia, & alia quæ divinum poſſunt turbare officium. Rurſus prohibet in eccleſiis, & earum cœmeteriis negotiationes, nundinas, judicia ſæcularia, & maximè criminalia, & injungit Ordinariis locorum, ut faciant hæc obſervari, & irritas ſententias ibi prolatas, & tranſgreſſores ſubjicit divinæ, & ſedis apoſtolicæ ultioni. Hinc colligitur, in eccleſiis non poſſe iniri contractus, & contrahentes peccare. Verùm contractus initus teneret, quia in textu tantùm irritantur proceſſus, & ſententia Judicum, & cùm hæc conſtitutio ſit penalis, non debet extendi.

C. CLERICIS 3. h. t. Bonifacius VIII. ſtatuit, ut eccleſiaſtici nunquam acquieſcant laicis imponentibus talliας, & alia onera, & panis eccleſiaſticos, qui talliας ſolvunt, vel promittunt, vel conſentiunt ſe ſolturos ſub quovis titulo, prætextu, vel colore: immo etiam laicos, qui hæc imponunt, exigunt, vel recipiunt, quos percutit anathemate, nec poſſunt ab hac excommunicatione abſolvi niſi à Papa. Ob id etiam interdicit Univerſitates, non obſtantibus quibuscunque privilegiis.

C. QUONIAM 4. h. t. Idem Pont. declarat excommunicatos impedientes eos, qui cauſis eccleſiaſticis, vel ad forum eccleſiaſticum ratione perſonæ, negotij, vel rei pertinentibus de jure, aut antiqua conſuetudine ſe opponunt: vel etiam impediunt, ne quis impetret litteras apoſtolicas, vel litiget coram Judice eccleſiaſtico, vel delegato, tam directè, quàm indirectè per ſe, vel per alium: immò etiam dantes auxilium, conſilium vel favorem, donec Judici eccleſiaſtico, & parti, qua fuit impedita, ſatisfecerint: hinc inferentes injuriam laico in hoc caſu incurrunt excommunicationem ipſo jure. Ubi notat Gloſſa, eum, qui turbat jurisdictionem eccleſiaſticam, tametſi promittat ſe ſatisfacturum, tum Judici, tum parti turbatæ in proſecutione ſui juris non eſſe abſolvendum, niſi priùs cum effectu ſatisfecerit.

C. EOS QUI 5. & ult. h. t. declarat idem Pont. excommunicatos ipſo facto Dominos ſæculares.

pro-

prohibentes suis subditis, ne contractus ineant cum ecclesiasticis, vel communia exhibeant obsequia.

IN CLEMENTINIS.

C. *QUONIAM UNIC. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi una cum Concilio revocat constitutionem, & declarationem Bonifacij VIII. quæ refertur in* c. clericis h. t. in 6. *ob gravia incommoda, pericula, & scandala, quæ inde sequebantur: & pro infecto vult haberi quicquid ex eo sit factum, & vult servanda esse omnia jura antiqua, & quidem inviolabiliter. Ex quo liquet, quòd tametsi utrumque Concilium fuerit Lateranense, posterius tantùm fuit generale: alioquin non fuisset opus ea distinctione expressione Concilij, & Concilij generalis prout repetitur in* extravag. quod olim sequent.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *QUOD OLIM UNIC. h. t. Benedictus XI. restringit constitutionem Bonifacij VIII. in* c. clericis in 6. h. t. *ad exigentes tantùm tributa, & collectas ab ecclesiis, & Ecclesiasticis, & ad hoc idem dantes auxilium, consilium, vel favorem: non verò ut quoad eosdem pœnas procedat constitutio in fovoentibus etiam sponte. Præterea ut clerici non dent nisi in casu necessitatis, vel utilitatis, & de licentia Papæ, quando facultates laicorum non sufficiunt.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De immunitate locali ecclesiastica.

1 IMmunitas generatim sumpta nil aliud est, quàm vacatio, seu libertas, vel exemptio à muneribus publicis, quæ alioquin sunt communia, ut desumitur ex c. *quia nonnulli* 1. *in 6. h. t.* ubi dicitur; non licere laicis habentibus jurisdictionem temporalem, vel temporalem justitiam exercentibus imponere collectas, tallias, vel quascunque exactiones ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel exigere ab ijsdem pro bonis legitimè acquisitis, vel imposterum acquirendis, licèt hujusmodi bona sint in ipsorum districtu. Nam munus in sensu juris, imò & latini sermonis, non solùm donum, sed etiam onus, ac obligationem, seu functionem alicui impositam significat *l. munus* 18. *ff. de V. S. & tit. ff. de muner. & honor.* adeo ut *municeps* communium onerum, & munerum particeps dicatur *l.* 1. §. 1 *ad municipal.* & immunitas est vacatio, & liberatio ab onere *l. ff. de vacat. muner. & ff. de jure immunit.* Quamobrem in præsenti titulo rectè describitur immunitas esse jus, quo loca, res, vel personæ ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ sunt, & exemptæ.

Dividitur immunitas ecclesiastica ex parte subjectorum, quibus competit tripliciter, scilicet in immunitatem personarum ecclesiasticarum; locorum sacrorum: & bonorum pertinentium ad ecclesias, quamvis hæc ultima divisio possit ad duas priores facilè revocari. Ex parte munerum, seu onerum est exemptio, & dividitur juxta partitionem munerum, quorum aliqua cùm sint personalia, alia patrimonialia, & alia mixta; ita juxta hæc munera civilia immunitas alia est à personalibus muneribus, alia à patrimonialibus, alia à mixtis. In præsenti expendenda est immunitas loci ecclesiastici, & definitur esse privilegium ecclesijs, & locis sactis concessum, ut Rei ad eas confugientes non possint extrahi per vim, & hoc privilegio immunitatis gaudent in primis ecclesiæ *c. miror. c. definivit. c. nullus. 17. q. 4. c. ecclesia. cum inter alia de immunit. eccles.* etiam si ecclesiæ nondum fuerint consecratæ, dummodo authoritate Episcopi sint benedictæ, vel alia ratione erectæ ad publicum sacrificij, ac sacramentorum usum, vel ad divina officia celebranda sint deputata ab Ordinario, quia hæc deputatio censetur esse instar benedictionis, ut sumitur *in c. ecclesia 9. h. t.* ubi Gregorius IX ita rescribit: ecclesia licèt nondum consecrata, si in ea divina officia celebrentur, gaudeat immunitate: & etiam additur ratio, quia semel quòd ecclesia divinis dedicata est obsequijs, non est profananda usibus temerarijs: ubi Glossa notat, quòd si ecclesia non sit consecrata, & in illa celebrentur officia, gaudet immunitate, et si sit polluta sanguine, vel semine, antequàm in illa celebretur, debet aqua exorcizata lavari *c. ult. de consec. eccles. & c. ecclesia de consec. dist. 1.* & fugientes in illam gaudent immunitate *c. inter alia*, Præterea eo ipso, quòd Episcopus in fundatione novæ ecclesiæ posuit primum lapidem, eam deputavit ad sacros usus, & locus ille est sacer, ac religiosus *c. præcepta 3.* juxta Glossam *V. devotus*, & quidquid est semel Deo consecratum non debet redire ad usus profanos, & humanos *c. mancipia de rerum permut. c. ad hæc de relig. dom.* & hoc etiam procedit, quamvis nondũ divina officia cœperint in illa celebrari; quia ratio, cur ecclesia illa sit immunis, non est, quia de facto divina officia in ea celebrentur, sed ratio est, quam affert Pontifex *in d. c. ecclesia 9. h. t.* eò quia dedicata sit divinis obsequijs; ex quo Pontifex infert, non esse profanandam usibus temerarijs: hæc autem ratio urget, quamvis nondum divina officia fuerint in ipsa celebrata.

Neque obstat, quòd *in d. c. Ecclesia 9. h. t.* 3
ponantur illa verba, *in qua divina mysteria celebran-*

lebrantur quia hæc verba non intelliguntur de actuali celebratione, ſed de poteſtativa, quatenus ex eo, quòd divinis ſit dedicata obſequiis, poſſiat in ipſa divina celebrari officia. Hinc Eccleſiis, & cœmeteriis omnes negotiationes, nundinæ, profanæ ſocietatum conventiones, conſilia ſub pœna arbitrio Ordinarij infligenda prohibentur juxta *textum c. decet domum 2. h. t.* in 6. ubi Gregor. X. reſcribit: ad Eccleſias ſit humilis, & devotus ingreſſus, in eis quieta converſatio, Deo grata, hominibus placita; reverentur nomen Jeſu, quando nominatur in miſſa, ſaltem capitis inclinatione, orent, & in illis nemo excitet ſeditionem, conclamationem, impetum, ceſſent ibi univerſitatum conſilia, & parlamenta, vana colloquia, confabulationes, & omnia quæ poſſunt turbare divina officia vel Deum offendere.

4 Rurſus injungit Pontifex, ut in cœmeteriis, & eccleſiis ceſſent negotiationes, nundinæ, & tumultus fori, ſtrepitus judicij ſæcularis, & omnis cauſa maximè criminalis. Siquidem vel maximè repugnat immunitati eccleſiæ ſi forum fiat ſanguinis: abſurdum enim eſt, ac crudele, ait Pontifex in *c. cum eccleſia 5. h. t.* ibi judicium ſanguinis exercere, ubi eſt tutela refugij conſtituta, quapropter in *d. c. decet domum. 2. h. t. in 6.* Pontifex anathemate percutit eos, qui auſu temerario talia exercent in Eccleſiis, & ſtatuit proceſſus judicum ſæcularium, & ſententias nullas eſſe, & Judices lethaliter peccâre. Rurſus prohibentur etiam comediæ profanæ, ludi theatrales, coreæ, convivia, & aliæ ſimiles actiones excludendæ à locis ſacris. Ratio aſſignatur *in d. c. decet 2. h. t. in 6.* quia decet domũ Dei ſanctitudo: decet, ut cujus in pace factus eſt locus ejus, cultus ſit cum debita veneratione pacificus: quapropter præcipitur etiam, ut ingreſſus in eccleſias ſit humilis, devotus, ſit in eis quieta converſatio, & devotis orationibus inſiſtatur, & præcipitur Ordinarijs locorum, ut faciant hæc omnia obſervari: hinc Epiſcopi non poſſunt facultatem concedere exercendi aliquid in eccleſia contra prohibitionem hujus conſtitutionis, eò quia deputati ſint ad omnia illa diligenter exequenda, non verò relaxanda, niſi fortaſſis urgens, & evidens cauſa ſuppeteret, ut notat Joannes Andreas *in d. c. decet 2. h. t. in 6.*

5 Extenduntur hæc omnia etiam ad eccleſias interdictas, quia ſicut clericus interdictus, ſuſpenſus, & excommunicatus retinet privilegium immunitatis, ſcilicet canonis, & fori, ita etiam eccleſia, præſertim cùm hæc non peccaverit, nec fuerit in cauſa, cur interdiceretur. Hinc nullo jure reperitur ſtatutum, quòd interdictum privet eccleſiam ſua immunitate tempore, quo durat. Eadem ratione ſua gaudet immunitate eccleſia polluta, licèt nondum ſit reconciliata; quia cùm hæc impedimenta juris ſint odioſa, & quaſi pœnalia non ſunt extendenda ultra caſus jure expreſſos. Rurſus privilegium Immunitatis extenditur ad loca omnia quomodolibet adhærentia Eccleſiæ, cujusmodi ſunt ſacriſtia, porticus, atrium, ut habetur *in c. ſi quis 20. cauſ. 17. q. 4.* quia ut notat Gloſſa ibidem *V. adhærentibus*, quæ locis adhærent religioſis, ſunt, & ipſa religioſa, & gaudent privilegio immunitatis: quia cum hoc privilegium immunitatis ſit in favorem eccleſiæ, extenditur ad totam fabricam, & loca ad eccleſiam pertinentia: favores enim maximè in cauſa Religionis ampliandi ſunt: unde etiam exiſtentes in turri, vel in tecto eccleſiæ gaudent immunitate, quia quamvis in illis locis eccleſia non polluatur, immunitas tamen ad illa extenditur, & ratio diſcriminis eſt, quia cum violatio eccleſiæ ſit odioſa debet reſtringi, & immunitas utpote favorabilis ampliari.

6 Immo extenditur hæc eadem immunitas ad domus, atria, & quæcunque loca exiſtentia in circuitu 40. paſſuum in eccleſiis majoribus, & 30. in minoribus, ut conſtat *ex c. ſicut. 6. & c. definivit 35. cauſ. 17. q. 4.* quamvis hodie hæc immunitas 40. vel 30. paſſuum non ampliùs obſervetur, ut notat Julius Clarus *in pract. crimin. q. 30.* Immo extenditur etiam ad eccleſias nondum perfectè conſtructas, eò quia jam deputatæ ſint ad divinum cultum, idque quamvis conſtructio intermittatur, ut etiam ad eccleſias dirutas non authoritate ſuperioris, ſi ſpes affulgeat, ut reædificentur, ut notat Gambacurta *lib. 4. c. 2. num. 11.* quia eccleſia diruta ratione loci, in quo ædificata erat non definit eſſe ſacra *l. ade ſacra. ff. de contract. empt. & l. in tantùm §. ſacra in fin. de reb. divin.* Secus ſi eccleſia deſtructa fuit authoritate ſuperioris, & non ſit ampliùs ſpes reſtaurationis.

7 Extenditur etiam hæc immunitas ad cœmeteria, ut deſumitur ex *c. immunitatem ult. h. t.* ubi Pontifex reſcripſit, eos non gaudere immunitate, qui ſub ſpe immunitatis in eccleſiis, vel cœmeteriis delinquunt, & addit rationem, quia reddiderunt ſe ea indignos, unde valet argumentari à ſenſu contrario, quòd gaudeant in eccleſiis, ſi in ipſis non delinquant, ſed in alijs locis. Idque etiam procedit, quamvis cœmeteria ſeparata ſint ab eccleſia, quia ex quo cœmeterium deſtinatum eſt ſepulturæ fidelium, præſumitur ſacratum authoritate Epiſcopi: immo etiam gaudet eadem immunitate, ſi non ſit conſecratum ab Epiſcopo, ſed à ſimplici ſacerdote tantùm benedictum, immo addit Peregrinus *c. 4. num. 57.* quamvis à nullo ſacerdote fuerit cœmeterium benedictum, dummodo Chriſtianus aliquis cum officijs conſuetis de Epiſcopi licentia fuerit in eo ſepultus, & etiam ſi cœmeterium pollutum ſit, vel interdictum, quia eſt eadem ratio, ac de eccleſia: ſiquidem ex eadem cauſa cœmeterium, & eccleſia æquiparantur. Gaudent etiam hoc privilegio immunitatis Oratoria confraternitatum, eccleſiæ, aut monaſteria affixa, ſi fuerint authoritate Epiſcopi erecta, quod præſumitur ſi habeant campanam ſuper tectum, & publicè pulſetur, imò Novarius *ſect. 2. q. 56. num. 8.* id extendit ad quascunque confraternitates, in quibus pia opera exercentur, quamvis erecta ſint ſine Epiſcopi facultate. Sed hæc ſententia falſa eſt, & contrarium declaravit ſacra Congregatio Epiſcoporum 17. Septemb. 1617. & etiam ſacra Congregatio ſuper immunitate 5. Decembr. 1631.

ut refert Diana *p. 4. tract. 1. resolut. 57.* Extenditur etiam privilegium immunitatis ad hospitalia publica, dummodo fuerint authoritate Episcopi erecta, ut notat Felinus *in c. 17. n. 265.* & desumitur *ex c. ad hæc de relig. domib. c. desiderii 17. q. 4.* & aliis textibus, in quibus omnia privilegia ecclesiarum extenduntur ad hospitalia: & ratio est, quia & ipsa sunt loca religiosa, quæ in profanos usus non possunt converti. Immo id procedit, quamvis in hospitali sacra non celebrentur, & propterea non sit in eo altare, campanile, vel Ecclesia, ut fusè probat Cerlinius *contro. for. c. 116.*

8 Item gaudent hoc privilegio immunitatis monasteria Religiosorum quoad totam clausuram, scilicet claustrum, dormitorium, hortum, domos familiarium, animalium, eò quia hæc omnia adhærent Ecclesiæ, ut desumitur ex *c. si quis contumax. c. frater. c. si quis in atrio c. minor. 17. q. 4. c. 2. de consuetud.* & habetur expressè *in l. patent. C. de his, qui ad Ecclesiam confug.* Immo procedit etiam de grancijs Religiosorum, quæ sunt veluti hospitia ipsorum, & membra monasterij sub authoritate Prælati monasterij, cujus sunt grancie. Gaudent etiam eodem privilegio immunitatis domus Clericorum in communi viventium, ut domus Patrum Congregationis oratorij, immo etiam domus seminarij, domus puellarum, & orphanorum si fuerint authoritate Episcopi fundatæ.

9 Palatia Episcoporum privilegio etiam gaudent immunitatis, ut fuit declaratum in Concilio Aurelian. *in c. id constituimus 17. q. 4.* ubi non distinguuntur palatia sita intra, vel extra 40. passus ab Ecclesia, vel habentia, aut non habentia oratorium: & ratio est, quia immunitas non conceditur palatijs Episcoporum intuitu ecclesiæ, cui solent annexa esse, neque ratione Oratorij: sed ob reverentiam Episcopalis dignitatis, quæ cum sit ubique eadem, ideo palatia Episcopalia in quacunque distantia sita sint ab ecclesia, semper gaudent immunitate, cùm semper condecorentur ab habitatione Episcopi, ut notat Carrèa *p. 2. q. 8. num. 19.* Neque obstat, quòd sacri canones statuant debere domum Episcopi non multum distare ab Ecclesia: quia exinde tantùm sequitur, quòd si multùm distent, contrveniant quidem juri; non tamen quòd amittant immunitatem, nó enim quidquid fit contra jus tollit immunitatem. Tum quia antiqui canones statuerunt, domum Episcopi debere proximam ecclesiæ esse, eò quia tunc temporis cùm clerici unà cum Episcopo habitarent, ut paratiores essent clerici ad servitia ecclesiæ recte statutum fuit, ut eorum domus non multum distaret ab ecclesia, proinde nec domus Episcopi, cum esset eadem cum illa clericorum.

10 Verùm de jure novo cùm amplius non sit in usu, ut Episcopi simul cum clericis in eadem domo commorentur, ideo talis obligatio cessat, ut supponitur in cæremoniali Romano edito à Clemente VIII. *c. 2.* Quinimmo palatia Episcoporum gaudent immunitate etiam absentibus, vel mortuis Episcopis, immo etiam si Episcopi per suam diœcesim in visitatione transcurrant; eò quia semper sunt habitationes Episcoporum. Hoc idem etiam procedit de palatijs Episcoporum titularium, quia ipsi sunt etiam dignitate Episcopali insigniti *c. legimus V. ubicunque. dist. 93.* ratio est, quia jura indistinctè loquuntur, & lex generaliter lata debet generaliter intelligi *l. in fraudem. §. ult. de test. mil.* Tum quia cum ratio concessionis hujus privilegij desumatur à dignitate Episcopali, quâ insigniuntur etiam Episcopi titulares; ideo eorum palatia gaudent etiam privilegio immunitatis. Quia verò titulares non habent subditos, nec consequenter jurisdictionem, judicare de delictis suorum familiarium ad Episcopum diœcesanum pertinet. Præterea gaudent etiam immunitate palatia Cardinalium extra urbem, non verò Romæ, quia Gregorius XIII. & Sixtus V. hoc privilegium abstulerunt ab eorum palatijs tantùm pro urbe Romæ cæterorum extra urbem eorum palatia ob tam eminentem dignitatem gaudent immunitate; non secus ac palatia Episcopalia ratione dignitatis Episcopalis.

Quinimò gaudent eodem immunitatis privilegio etiam domus ecclesiæ Parochorum, Canonicorum, aliorúmque ecclesiasticorum in ambitu ecclesiæ, etiam si laicis sint locatæ, ut notat Chartarius *decis. crimin. 46. num. 20.* ubi refert id fuisse ad praxim deductum Mediolani in causa cujusdam Rei confugientis in ædem ecclesiæ, quæ tunc locata erat Laicis: ratio est, quia cum jura non requirant, quòd hujusmodi domus non debeant à Laicis inhabitari, nec nos debemus hoc idem requirere. Tum quia cum hoc privilegium immunitatis sit in favorem ecclesiæ ampliari potiùs debet, quàm restringi. 11

Tum quia dominium utile, & directum illius domus semper pertinet ad ecclesiam, ratione cujus domus illa dicitur ecclesiastica, seu pertinens ad ecclesiam, ut decisum fuit in Rota in una Venetacens. anno 1607. & quia hæ rationes etiam militant, quamvis domus concessæ sint Laicis in emphyteusin, ideo hæ domus utpote ecclesiasticæ etiam gaudent privilegio immunitatis; tametsi non desint, qui contrarium sentiant non sine probabilitate. Verùm quod de domo ecclesiæ dictum est, procedit etiam de ejus turri, in qua pulsatur æs campanum ad vocandum populum ad divina officia: idque sive turris sit contigua ecclesiæ, sive distet per aliquot passus; dummodo sit intra ambitum 30. passuum, ut declaravit sacra congregatio Cardinalium 7. Decembris 1632. Neque audiendus est Novarius *in summa tit. de immunit. n. 26.* ubi ait hoc privilegio gaudere campanile ecclesiæ in quacunque distantia sit, & probat ex paritate palatij Episcopalis; quod gaudet tali privilegio, quantumcunque distet ab ecclesia: & propter spiritualitatem, quæ in eo est ratione campanarum oleo sacro benedictarum, & earum usum in Dei cultum. Nam hæ rationes non videntur urgere, quia palatio Episcopi conceditur hoc privilegium ratione personæ insignitæ Episcopali dignitate. Ad id, quod addebat de campanis, respondetur, quòd tametsi sint sacro oleo benedictæ, non tamen turris debet hoc privilegio gaudere, alioquin Reli- 12

quiæ ſanctorum, & agni paſchales, qui vulgò dicuntur agni Dei, cùm ſint à ſummo Pontifice benedicti, ſecum traherent hoc privilegium immunitatis in domos ſæcularium: illa enim domus gauderet hoc privilegio, in qua adeſſet aliquis agnus Dei, cum ſolemni benedictione fuerit hic à ſummo Pontifice benedictus: unde ex eo, quòd campanæ fuerint ab Epiſcopo benedictæ, non ſequitur, quòd turris, in qua ſunt collocatæ, gaudeat hoc privilegio. Tum quia pia opera etiam exercentur in oratorijs privatarum domorum, & tamen non gaudent privilegio immunitatis.

13 Cæterum non ſolùm corpus eccleſiæ quoad ſuperficiem concavam, & totum ſpatium intus incluſum à choro ad januam gaudet hoc privilegio immunitatis, verùm etiam ejus muri extrinſeci; adeo ut ſi Reus confugiens ad eccleſiam eos tangat, non poſſit violenter capi, ut notat Riccius *tom. 3. reſolut. 560. num. 8.* immo ſi janua ſit clauſa, & Reus eidem adhæreat, gaudet immunitate, ut non poſſit à poteſtate laicali capi. ratio eſt, quia nomine eccleſiæ comprehenditur etiam oſtium, perinde ac appellatione domûs venit etiam ejus janua *l. ſi aqua ductum C. de contrab. empt.* & notat Gambacurta *lib. 4. c. 1. num. 9.* & expreſsè habetur *in c. ſi quis contumax 17. q. 4.* Idque procedit potiori jure ſi Reus aſcendat, ne capiatur, ſuper tectum eccleſiæ, ut notat Sperellus *deciſ. 67. n. 9.* & quamvis para aliqua veſtis è tecto penderet, non poſſet extrahi, nec capi, eo quia revera Reus ſit in loco immuni. Et hoc etiam procedit de porticu eccleſiæ, ut habetur *in d. c. ſi quis contumax 17. q. 4.* immo Sperellus *deciſ. 60. num. 14.* & communiter alij hoc privilegium etiam extendunt ad ſcalas, & ad totam eccleſiæ fabricam, etiam quoad habitationem conjunctam, clauſtra, hortos, & ſimilia: & fundamentum, quo Doctores nituntur, eſt illud commune, quia hoc privilegium eſt in favorem eccleſiæ, & in favorabilibus debet fieri lata interpretatio: ſicut per contrariam rationem, quia pollutio eccleſiæ eſt odioſa, ejus interpretatio reſtringitur, & eccleſia non polluitur per effuſionem ſeminis, vel ſanguinis in atrio, cœmeterio, clauſtro, horto.

14 Immo non deſunt, qui hoc privilegium etiam extendant ad externum ambitum quoad matricem per 40. & quoad alias eccleſias per 30. paſſus *c. ſicut antiquitus c. definivit c. quisquis. 17. q. 4.* & nomine paſſus intelligitur menſura quinque pedum, & nomine pedis menſura quindecim digitorum: & licèt Julius Clarus, ut ſuperius retuli, afferat hoc privilegium 40. vel 30. paſſuum eſſe antiquatum per contrarium uſum, nihilominus ait Tuſchus *V. immunitas concluſ. 59. n. 18.* contrariam conſuetudinem non eſſe ſervandam, ſed manutenendam immunitatem quoad præfatos paſſus per ambitum eccleſiæ, & addit tria notatu digna. Primò quòd ambitus debeat intelligi ſolùm de ſpatiis liberis, ut ſunt plateolæ, & viæ, de domibus contiguis ipſi eccleſiæ etiam laicorum; non verò de domibus laicorum non contiguis, quæ tamen non tollunt privilegium quoad reliquas partes ambitûs. Secundò non oportere hujuſmodi loca eſſe ſacra. Tertiò id procedere, quamvis Reus confugiat primò ad ipſum ambitum, adeo ut ſi Reus primò ad eccleſiam confugiat, & poſtea per ambitum ſe detineat non poſſit capi.

De Oratoriis autem privatis communior 15
Doctorum ſententia eſt, quòd non gaudeant privilegio immunitatis, quamvis ibi miſſæ legantur, eò quia non ſint propriè loca religioſa Deo dicata, ſed pro arbitrio Domini illius domûs poſſint ad alios uſus profanos applicari, ut notat Clarus *lib. 5. §. fin. num. 7.* Eccleſia verò vetuſtate, vel incendio, aut bello diruta non amittit hoc immunitatis privilegium, dummodo authoritate Superioris eccleſiaſtici non fuerit deſtructa, & ſperetur ejus reparatio, ut fusè oſtendit Barboſa de *jure eccleſ. univerſ. lib. 2. c. 3. num. 59. & ſequent.* Quid verò dicendum ſit de Reo confugiente ad ſacerdotem portantem Euchariſtiam extra eccleſiam, & per plateas ad infirmum. Reſpondetur hujuſmodi Reum invenire apud talem ſacerdotem aſylum, & gaudere privilegio immunitatis, dummodo tangat ſacerdotem, ut communiter docent cum Bobadilla *tom. 1. lib. 2. c. 14. num. 86.* etenim ſi de jure civili immunitas conceditur illis, qui ad ſtatuas Principis confugiunt *l. unic. C. de his qui ad ſtatuas;* à fortiori debent hoc privilegio gaudere, qui ad corpus Chriſti Domini confugiunt, ſi enim jura civilia hoc privilegium conceſſerunt ſtatuis Principũ, æquum eſt, ut jus canonicum Chriſti corpori ob reverentiam eidem debitam hoc idem privilegium adſcribat, tum quia hoc privilegium immunitatis potiſſimum propter SS. Euchariſtiam, & celebrationem divinorum conceſſum fuit eccleſijs, adeo ut accommodarã hîc poſſit illud Ariſtotelicum effatum, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, & certè nõ cum minori irreverentia lictores à venerabili abſtraherent Reum, quàm ab ipſa eccleſia, ut notat Panormit. *in c. ſanè de celebrat. miſſar.* Clarus *lib. 5. ſent. §. q. 20. n. 24.*

Quinimò videtur id etiam extendendum 16
non ſolùm ſi Reus ſacerdoti deferenti venerabile adhæreat, & tangat ejus veſtes, verùm etiam ſi haſtam apprehendat baldachini, vel etiam ſe immiſceat cum perſonis aſſociantibus venerabile, quia omnes cum ſacerdote deferente SS. Euchariſtiam conſtituunt unam eccleſiam, ut notat Diana *moral. reſol. p. 1. tract. 1. reſol. 28.* cum Barboſa *de jur. univerſ. eccleſ. lib. 2. c. 3. num. 69.* quia militat eadem ratio, ac de eccleſiis, quibus propter SS. Sacramentum conceſſum fuit hoc privilegium immunitatis: & ne irreverentia inferretur Venerabili, jura hoc privilegio donârunt eccleſias. Immo alij hoc privilegium extendunt etiam ad Reliquias ſanctorum, eò quia Deus colatur, & honoretur in ſanctis tanquam in ſuis amicis: imò etiam ad ſanctas imagines, & ſacerdotes ipſos, eò quia non ſolùm Dei obſequiis dicati ſint, ut eccleſia, ſed etiam ipſum corpus Chriſti Domini ſuis manibus tractent. Immo alij à fortiori id extendunt ad ſacerdotem deferentem oleum ſanc-

strum. Sed opponit Riccius *p. 3. decis. 88. n. 5.* quia jura solùm loquuntur de ecclesiis: & Doctores tantùm extendunt hoc privilegium ad sacerdotem deferentem per plateas Eucharistiam. An verò hoc privilegium extendatur ad Cardinales, adeo ut si Reus ad patibulum ductus, & obvium haberet Cardinalem, si ad illum confugeret apprehendendo ejus vestes gauderet hac immunitate, Plures affirmant, cum Albano referente id in praxim deduxisse Cardinalem Ximenium Archiepiscopum Toletanum, ut etiam refert Gomezius de *ejus gestis lib. 3.* immo Baldus *in l. addictos C. de appell.* docet ex consuetudine hoc privilegium illis competere: & hæc sententia mihi videtur valdè probabilis ob reverentiam debitam tantæ dignitati. Tum quia si olim apud Romanos tali privilegio gaudebant Flamines, Diales, & Vestales referente Gellio *lib. 10. noctium atticarum. c. 15.* à fortiori debent hoc privilegio gaudere Cardinales, Episcopi præsertim, vel Archiepiscopi.

§. II.

An immunitas competens ecclesiis sit de jure divino, vel humano.

1 IMmunitas ecclesiastica est illa facultas ecclesiæ, & ecclesiasticorum faciendi quidquid sibi libuerit, nisi jure prohibeantur, seu est exemptio ecclesiæ, & ecclesiasticorum bonorum, causarum, & personarum à jurisdictione Principis Laici, adeo ut hoc privilegium sit quadruplex unum locale, de quo jam dictum est in præcedente §. aliud reale, personale aliud, & aliud spirituale, ad quod pertinent causæ spirituales respicientes fidem, Sacramenta, sacrificia, & divinum cultum, vel animarum salutem, & hæc immunitas quoad causas spirituales est de jure divino, ut disertè habetur *in c. 11. si Imperator, & in c. duo sunt. dist. 96.* & ratio hoc idem etiam suadet, quia harum causarum spiritualium judicium illis tantùm potest competere, quibus Christus concessit: siquidem à Christo earundem causarum constitutio emanavit: sed Christus soli Petro, & ejus successoribus concessit hanc facultatem, cum dixit: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* postea subdidit *pasce oves meas*, & pastus spiritualis comprehendit judicium circa causas spirituales, ut fideles sciant, quomodo debeant se gerere: unde hoc privilegium immunitatis quoad judicium causarum spiritualium competit soli Petro, ejúsque successoribus, vel quibus ipse commiserit, & non aliis, adeo ut quoad causas spirituales Principes potiùs subdantur Ecclesiasticis, quia causa spiritualis non potest agitari nisi in foro spirituali, & forum spirituale non reperitur nisi in ecclesia, ut notant Covarruvias *pract. qq. c. 31, n. 2. vers. prima conclusio.* Suarez *defens. fidei lib. 4. de immunit. eccles. c. 2. per totum.*

2 Difficultas est, quoad causas temporales solutionum tributorum, punitionum criminum, obligationum legum civilium, circa quod non conveniunt Doctores. Plures censent hanc immunitatem non esse de jure divino, adeo ut, quòd Clerici sint exempti à potestate laicali, sit tantùm de jure humano, & volunt hanc immunitatem ortum suum traxisse à jure civili, ut censet Cutellius *in c. leg. fis. fol. 301.* Immo Palatius *in 4. dist. 25. disp. 5.* putat, primò concessam fuisse hanc exemptionem Clericis à Constantino Imperatore, & Salcudus *tom. 1. p. 1. c. 8. num. 21.* vult fuisse clericis concessam hanc immunitatem à Justiniano Imperatore. Communior tamen sententia id rejicit, quia quamvis Constantinus I. ex Imperatoribus videatur acceptâsse hanc immunitatem; attamen in Concilijs Aquil. & Matisc. II. dicitur, quòd hæc immunitas suam habuerit originem à tempore nascentis ecclesiæ, ut probat Bellarminus *de immunit. fol. 7. ex 1. ad Timoth. 5.*

3 Dicendum est, hanc exemptionem, seu immunitatem clericorum à potestate laicali quoad causas temporales esse de jure divino dictante, & canonico statuente, ut docet Thomas Delbene *de immunit. eccles. tom. 1. c. 2. sect. 1. dub. 2.* Idque probari potest ex veteri testamento *Genes. 47.* Joseph totam terram Ægypti cum subiecisset Regi, & tributarium ei reddidisset, excepit terram sacerdotum, quibus etiam ex publico suppeditabantur, quæ ad victum, & vestitum eis necessaria erant: ex quo infert Urbanus Papa *cap. 22. tributum 23. q. 8.* agros ecclesiæ non esse Imperatorum exactionibus subijciendos. Secundò deducitur *ex 1. Esdræ 71.* ubi Artaxerces sacerdotes, & Levitas, aliósque templi ministros immunes voluit esse à solutione vectigalium: quòd si naturali dictante lumine sacerdotes, & Ministri templi eximebantur à solutione tributorum, & à jurisdictione Principum sæcularium, etiam quoad causas temporales: à fortiori sacerdotes in lege Evangelica debent hac immunitate gaudere, cum eorum dignitas, & functio sit longè nobilior, ac Reipublicæ utilior, cùm Deus per Psalmistam loquens de sacerdotibus novi testamenti *Psal. 104.* dicat: *Nolite tangere Christos meos, & Zachar. 2.* alloquens sacerdotes dicat: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, quasi dicat o vos, qui Reges estis, & potestatem habetis judicandi, nolite tangere, seu nolite judicare, nolite gravare, & punire Christos meos, seu eos, qui oleo sancto uncti sunt, ac sacerdotio initiati, quia qui eos tangit, tangit pupillam oculi mei; hoc est, mihi gravissimam infert injuriam, eò quia sacerdotes sint mihi speciali jure dicati, & ad me solùm pertineant. Ex testamento novo potest etiam hæc eadem veritas evinci *Matth. 17.* ubi cùm à Christo censum quidam exigerent, Christus Petrum interrogavit *à quibusnam Reges exigunt tributa à filiis suis, an ab alienis?* & cùm Petrus respondisset ab alienis, intulit Christus: *ergo liberi sunt filij*: ac si diceret: ergo cum sim ego filius Dei, liber sum à tributo: *sed ne illos scandalizemus da pro me, & te*, ex quibus verbis infertur, Petrum ex tunc, & ejus successores fuisse in filios admissos, & constitutos liberos, ac propterea factos immunes à

tributis solvendis Principibus sæcularibus: cum primùm quis deligitur à Principe, & ob propria merita, & obsequia præstita Principi sit immunis à tributis, eadem immunitate gaudet tota ejus familia; proinde unà cum Petro omnes ecclesiastici immunes sunt.

4 Neque obstat, quòd D. Paulus *Actor. 25.* appellaverit ad tribunal Cæsaris. Quia id præstitit ex eo, quòd licèt Ecclesiasticorum immunitas sit de jure divino, ex justa tamen, & rationabili causa potest, qui toti Ecclesiæ præest, ut supremus ecclesiæ administrator aliquid de immunitate remittere, ac Principibus sæcularibus permittere, ut contra Ecclesiasticos aliquam exerceant jurisdictionem: ut etiam inferiores ecclesiæ Prælati, si id sine scandalo, & sine majoris mali periculo non possint impedire, in praxim valeant deducere: qua ratione etiam Christus tributū pro se, & Petro dari jussit, & etiam eadem ratione Paulus Cæsarem appellavit, ut nimirum declinaret impiam, & sacrilegam sententiam judicis inferioris sub Cæsare, ut notant Turrecremata in *c. si adjutorium num. 3. & sequent. dist. 10.* Augustinus Triumphus *de potest. eccles. q. 6. art. 8. V. ad. 1.* & Diana *p. 7. resol. 2.* ait, D. Paulum voluisse propterea à judice sæculari judicari de facto, non verò de jure, eò quia censuerit, id minus malum, quàm subijci impiæ, ac sacrilegæ sententiæ judicis inferioris in perniciem totius Catholicæ ecclesiæ: hæc eadem veritas etiam desumitur ex varijs textibus in jure canonico; præsertim ex *c. continua 11. q. 1.* & *c. futurum 13. q. 1.* ubi Constantinus Imperator respondens queri nonijs quorundam Clericorum ait. *Vos à nemine judicari potestis, sed judicio Dei reservamini*, & in *c. quamquam de censib. in 6.* dicitur *Ecclesia, ecclesiasticique, & res ipsorum non solùm jure humano, quin imò & divino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes.* Ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 6.* in Bulla reformationis Curiæ, ibi: Cùm à jure tam divino, quàm humano Laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit. Et tandem ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 20. de refor.* ibi: ecclesiæ, & personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constituta est. Ratio etiam hoc idem suadet, quia cum ecclesiastici sint patres, & Magistri sæcularium, quibus præsunt, perinde ac spiritualia temporalibus *c. quis dubitat. c. duo sunt 96. dist.* & repugnet, Patrem subesse filio, & discipulum præesse Magistro, ac superiorem ab inferiori judicari *c. cum inferior c. solita de majorit. & obed.* sequitur evidenter, immunitatem Ecclesiasticorum esse de jure divino, & naturali saltem directivè; & solùm de jure positivo statuente, & divino dictante.

5 Tum quia si hæc immunitas non esset à Christo Domino, non potuisset Pontifex tot hominum millia tam quoad se, quàm quoad eorundem bona à potestate sæcularium eximere, unde dicendum est, immunitatem Ecclesiasticorum à jurisdictione, & potestate Principum sæcularium esse de jure divino saltem dictante, & de jure positivo statuente; adeo ut saltem jus divinum dictet esse à Principibus hanc immunitatem introducendam; ideóque sit de jure divino radicaliter, & inchoativè, ut docent Innocentius *in c. 2. de major. & obed.* Abbas in *c. ecclesia. num. 6. de constit.* Glossa in *c. si Imperator dist. 99.* & plures alij Canonistæ, quos refert, & sequitur Martha *de jurisd. p. 2. c. 6.* Clarus §. *practica criminalis q. 36.* Riccius *p. 2. decis. 299. num. 3.* Delbene *de immunit. eccles. tom. 1. c. 1. dub. 8.* Duardus *in Bullam cœna. lib. 2. can. 15. q. 18. conclus. 216.* Hinc quovis tempore Ecclesia suam contra potestatem Principum sæcularium immunitatem defendit, ut fusè probat Suarez *lib. 4. in defens. eccles. c. 3. & 12.* hinc etiam Apostolus ad *Corinth. 6.* præcipit, ut aliqui de ecclesia statuantur, ad quos Christiani suas causas, & controversias deferant, ad quod desiderabatur ecclesiasticum tribunal, cum tunc temporis nulla inter Christianos adhuc extaret sæcularis potestas: & rationem etiam addit D. Thomas ibidem, quia si Christiani, sæcularium hominum, qui tunc infideles erant, judicio se sponte subjecissent, ecclesiæ dignitati non parum fuisset derogatum: & Judicibus infidelibus data fuisset occasio calumniandi, & opprimendi fideles.

6 Procedunt hæc omnia de immunitate Clericorum etiam in civilibus, ut habetur expressè *in c. nullus clericus 11. q. 1.* & in Tridentino *sess. 24. c. 20.* immo etiam quoad omnia bona ecclesiasticorum quomodocunque ad ipsos pertineant, quia eo ipso quòd bona transeunt ad ecclesiam, & ecclesiasticos, eximuntur à laicali jurisdictione, & speciali jure constituuntur sub Christi dominio, qui sicut à tributis omnino immunis fuit. *Matth. 17.* ita etiam ecclesia ejus sponsa, & ecclesiastici ejus familiares, debent ab ijsdem tributis solvendis Principi sæculari immunes esse. Tum quia non posset persona ecclesiastica dici plenè exempta, nisi etiam ejus bona forent exempta, ut communiter docent Canonistæ *in c. ecclesia sancta Maria*, & in *c. quæ ecclesiarum de Constit.*

7 Hinc principes sæculares non possunt huic immunitati derogare, eò quia inchoativè, & radicaliter sit de jure divino dictante; & formaliter non solùm de jure canonico; sed etiam civili statuente: quia tametsi concederemus immunitatem ecclesiasticam immediatè, & formaliter profectam esse ex Christianorum Imperatorum, Regúmque privilegijs concessis cum consensu totius Christiani populi, adhuc non possent Reges, & Principes huic immunitati derogare, quia quòd semel concessum, & acceptatum est, non potest amplius repeti, ut notat Felinus in *c. ecclesia sancta Maria. n. 124.* Secundò quia in hoc privilegium consenserunt populi, à quibus Principes ipsi suam sunt potestatem enacti. Tertiò quia Pontifices, & Concilia Generalia, quæ procul dubio sunt supra Principes sæculares, hoc idem privilegium immunitatis pluries confirmârunt, proinde non possunt Principes sæculares huic privilegio derogare, etiam quoad unam, vel alteram ecclesiam in particulari. ut notat Genuensis *in pract. trib. 17. q. 480. num. 2.* & ratio est, quia per

statutum contra immunitatem particularis ecclesiæ læditur totus status ecclesiasticus, cui indirectè præjudicatur : quâ ratione non potest Clericus aliquis particularis cedere juri suo particulari ob præjudicium quod inde infertur toti statui clericali. Hinc si Princeps semel alicui ecclesiæ concedat aliquod privilegium, & ecclesia illud acceptaverit, non potest ampliùs illud revocare; sicut si det ecclesiæ aliquod bonum, quod acceptetur ab ecclesia non potest ampliùs repeti, quia dominium illius boni translatum est in ecclesiam, & est sub jurisdictione Christi, qui est caput ecclesiæ : quo pacto multò minus potest Princeps revocare Privilegium à Constantino Imperatore concessum, ut ecclesiæ possint liberæ per totum orbem ædificari *c. furentium 12. q. 1.* quia tale privilegium concessum fuit toti ecclesiæ: immo contra hoc privilegium immunitatis, nec ipsa immemorialis consuetudo potest prævalere, quamvis sit mixta laicorum, & clericorum, nec possunt clerici huic privilegio renunciare : quia id est ipsis interdictum, tam in civilibus, quàm in criminalibus *q. 1. can. insolita. can. placuit extra de for. compet.* quia hoc privilegium non est concessum uni, vel alteri Clerico in particulari, sed generaliter toti statui Clericorum : & privilegio concesso communitati nemo potest cedere *c. si diligenti de for. compet.* immo nec summus Pontifex immunitati ecclesiasticæ in universum renunciare potest, tametsi diceretur esse de jure positivo humano, & civili : quia summus Pontifex non est absolutus Dominus bonorum, & jurium suæ sedis, nec eorum, quæ sibi à Principibus collata sunt, quia principaliter censentur donata Christo, & sedi Apostolicæ, non verò ipsi personæ in particulari : quapropter summus Pontifex est tantùm dispensator fidelis, & prudens; consequenter non nisi ex justa, & urgente causa potest renunciare in aliquo casu, delegando sibi Principes sæculares in jurisdictione ecclesiastica contra Clericos.

8 Non tamen desunt, qui negent, immunitatem ecclesiasticam esse juris divini, asserentes hoc privilegium profectum immediatè fuisse à Christianis Imperatoribus, & Regibus, & à sanctis Pontificibus, alijsque ecclesiæ Prælatis non solùm acceptatum fuisse, sed etiam propriis sanctionibus confirmatum, & totis viribus defensum. Nituntur ea ratione, quia hæc immunitas nullibi in novo testamento à Christo domino legatur statuta : quin potiùs Christus *Matth. 17.* jussit pro se, & Petro tributum solvi, & Paulus Apostolus *Actor. 25.* appellavit ad Cæsarem, & ad *Roman. 13.* velit : *Omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse*, scilicet potestatibus sæcularibus, de quibus loquebatur Apostolus, & quibus tributa præstantur, & D. Paulo videtur etiam assentiri D. Petrus *in epist. 1. c. 2.* inquiens, *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum sive Regi, quasi præcellenti.*

9 Verùm hæc non sunt tanti facienda, ut adhærendum sit eorum sententiæ. Ad primum respondetur, ex eo, quòd in sacris litteris non habeatur expressus textus de immunitate, inde non sequi, quòd non sit de jure divino : siquidem non omnia ad salutem, & ecclesiæ statum necessaria habentur in scripturis, ut liquet in materia, & forma aliquorum Sacramentorum, quæ non nisi per traditionem ab Apostolis ad nos pervenerunt : plura enim dicitur Christus dixisse, & fecisse, quæ tamen non habentur in scripturis, sed tantùm per Apostolicam traditionem, unde non valet illatio, non reperitur scriptum : ergo nunquam fuit à Deo statutum : hæc enim illatio tanquam hæresis fuit semper ab ecclesia rejecta, quia sufficit ad jus divinum fundandum consensus ecclesiæ asserentis aliquid esse juris divini, sive id habeat ex revelatione, sive ex traditione juxta illud Apostoli ad Thessalonicens. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermones, sive per epistolam nostram* : atqui Concilia Generalia, quæ totam repræsentant ecclesiam, affirmant, talem immunitatem esse de jure divino, ut respondet Rota apud Thomam Delbene *de immunit. eccles. tom. 1. c. 5. dub. 8.* ubi addit plura, quæ sunt in Concilio definita, seu explicata, & quæ spectant ad materiam, & formam Sacramentorum esse de jure divino, quamvis non omnia in scriptura habeantur : & cum ex authoritatibus tum summorum Pontificum, tum etiam Conciliorum, habeatur, immunitatem ecclesiasticam quoad personas, & earum bona esse de jure divino, & ex alio capite in nullo scripturæ loco contrarium legatur : firmiter, & absque ulla hæsitatione credendum est, hanc veritatem per traditionem Apostolorum ad nos pervenisse, & immunitatem ecclesiasticam esse de jure divino, si non scripto, saltem tradito, eò quia traditio hujus assertionis ab ipsis Apostolis ad nos derivetur.

Ad secundum respondetur ex illo textu 10
Matth. 17. potiùs inferri contrarium; quia ibi Christus apertè pronunciat, se, & Petrum, ac proinde omnes alios ecclesiasticos exemplo Levitarum veteris testamenti liberos esse, & à solvendis tributis immunes, ait enim Christus : *ergo liberi sunt filij* : hinc in psalmo alloquens Ecclesiasticos ait, *ego dixi, Dii estis, & filij excelsi omnes.* Unde SS. Patres respondent, Christum jussisse solvi tributum ad evitandum scandalum, ait enim: *ut autem non scandalizemus eos da pro me, & te.* Ad aliud de D. Paulo appellante ad Cæsarem jam respondimus superiùs, & adhuc respondemus nil inde inferri contra nos : siquidem etiam hodie possunt clerici adversus suos malefactores laicos coram judice sæculari actionem instituere *c. cum sit generale 8. de for. compet.*

Neque aliud adductum ex D. Petro ullum 11
facessit negotium, ut nec etiam illud D. Pauli *ad Roman. 13.* in quibus textibus jubentur omnes animæ subijci potestatibus sublimioribus, quia id tantùm est verum in competenti genere jurisdictionis, adeo ut omnes animæ ecclesiasticæ debeant subditæ esse sublimioribus potestatibus ecclesiasticis, & sæculares sæcularibus, & omnes intra proprium suum statum. Neque obstat, quòd Apostoli meminerint Regum, & Ducum sæcularium, & non distinxerint, ut nos

distinguimus: quia ideo non distinxerunt, quia suam exhortationem potissimum ad populum direxerunt ad emoliendam calumniam Judæorum accusantium Apostolos, qui prætextu prædicationis Evangelicæ libertatis populum subducerent, & averterent ab obedientia Principum, & Magistratuum.

12 Præterea ex ijs, quæ primis illis nascentis ecclesiæ temporibus contigerunt, non rectè infertur, quid sit de jure, quia plura contigerunt de facto, quæ de jure si ecclesia in alijs fuisset circumstantijs constituta, non contigissent: siquidem in primitiva ecclesia propter sævientes persecutiones non potuit ecclesiastica authoritas plenè uti jure suo, nec tunc conveniens erat, ad declinanda majora mala: unde ea contigerunt non via juris, sed facti, & per usurpationem, ut notant Martha *de jurisdic. p. 2. c. 6.* Layman, Barbosa, & ferè omnes Canonistæ.

13 An verò Papa in aliquibus Regnis, & Provincijs præjudicaverit immunitati delegando suam jurisdictionem Principibus laicis, plures affirmant, inter quos Pessantius *de immunit. disp. 3.* Guevara *de orig. & usu mon.* circa Monarchiam Siciliæ. Graisalius *Reg. Franc. lib. 2. jur. 12.* circa privilegia Regis Francorum pro conferendis beneficijs Regni sui, Zanardus *tom. 3. c. 50.* circa privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus casibus contra Clericos, an verò hujusmodi privilegia, si revera adsint, revocentur quot annis in Bulla cœnæ, dubitari solet: certum est enim, ut ostendit Sousa *c. 26. disp. 112. num. 2.* posse Papam abrogare quæcunque privilegia etiam in remunerationem, aut ex contractu, & pacto oneroso, qualia sunt concordata cum Regibus, & Imperatoribus, concessa: etiam si per consuetudinem immemorialem observata fuerint: quia privilegium concessum subdito ex communi Doctorum sententia est revocabile, & præsertim potest ad libitum revocari jurisdictio delegata, ut fusè docet Suarez *de immunit. lib. 4. c. 34. n. 27.* neque obstat, Papam promisisse se ea non revocaturum, quia semper sibi reservat potestatem illa revocandi, tametsi non deducat illam ad praxim, & actum, quia non potest potestatem hanc à se abdicare, quia est annexa dignitati pontificiæ, & sequitur ad munus pastoris dominici gregis.

14 Hinc Sixtus V. *in Bulla cœnæ* anno 1586. revocavit privilegia à suis prædecessoribus concessa Imperatoribus, & Regibus etiam per viam contractûs. Neque est par ratio de Principe sæculari, qui non potest revocare privilegia concessa clericis, neque repetere bona ecclesijs data: ratio est, quia privilegia concessa Clericis à Principe laico, ut etiam bona data ecclesijs eximuntur de potestate laicali, & transeunt ad jurisdictionem ecclesiasticam, in quam Principes sæculares non possunt quidquam. Cæterum privilegia à summis Pontificibus concessa laicis nunquam eximuntur à jurisdictione ecclesiæ; consequenter possunt semper à summo Pontifice revocari. An verò de facto hujusmodi privilegia in Bulla cœnæ revocentur negat Pereyra *p. 1. c. 6. num. 13.* & nititur eò quia non sint privilegia, sed contractus ultro citroque obligatorij: contraria tamen sententia probabilior, & verior est, quia Papa id clarè explicat per clausulam generalem revocatoriam: & procedere etiam in concordatis docet Azorius *tom. 1. lib. 5. c. 12.* eò quia conceduntur per modum privilegij.

§. III.

De immunitate ecclesiastica quoad personas.

CErtum est, non solùm omnes ecclesias, & loca pia, verùm etiam omnes Clericos sæculares sive in sacris, sive in minoribus tantùm ordinibus constitutos, imò etiam tantùm primâ tonsurâ initiatos immunes esse ab oneribus, & tributis laicalibus, tametsi non habeant omnes conditiones requisitas à Concilio Tridentino *sess. 23. c. 6. de refor.* quia tales conditiones tantùm requiruntur à Concilio in ordine ad privilegium fori retinendum; consequenter non debent se extendere ad alia privilegia clericalia, ut docet Barbosa *tom. 3. jur. eccles. c. 39. n. 15.* quia odiosa restringi, non ampliari debent. Sunt tamen qui censeant, tales clericos in minoribus constitutos, & carentes beneficio, nec incedentes in habitu, & tonsura, nec de mandato Episcopi inservientes alicui ecclesiæ, vel loco pio, non esse immunes à tributis, aliisque oneribus, ut docet Suarez *lib. 4. de immunit. c. 27. n. 24.* Verùm eo ipso quòd revera sunt clerici comprehenduntur in statu ecclesiastico, proinde ratione clericatus gaudent tali immunitate. Unde omnes clerici gaudent immunitate ecclesiastica tam in civilibus, quàm criminalibus, tam in personis, quàm bonis. I

Hinc sequitur primò, Principem sæcularem 2
non posse punire clericum delinquentem ratione officij sibi ab eodem Principe concessi, ut docet Duardus *in Bulla cœnæ lib. 2. can. 15. q. 21.* quia cùm clericus sit exemptus à jurisdictione laicali, non potest trahi ad forum sæculare, etiam ratione officij sibi concessi à Principe sæculari, si in eo delinquat. Neque obstat quòd Princeps non puniat clericum in persona, sed tantùm in ejus bonis. Quia non solùm persona, sed etiam ejus bona exempta sunt à jurisdictione laicali; adeo ut non possit Judex sæcularis punire Clericos pœna pecuniaria, & pro pœna corporali eos ad Episcopum remittere: ratio est, quia bona temporalia Clericorum sunt accessoria, & sequuntur privilegium personæ, ut rectè notavit Genuensis *in praxi c. 8. num. 5.* & Abbas *in c. qualiter de judic. num. 8.* ubi ex eo, quòd persona sit exempta infert, rem ad ipsam spectantem gaudere etiam exemptione; ut etiam notârunt Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 50. c. 2. n. 4.* Riccius *in praxi tom. 2. resol. n. 413. num. 2.*

Secundò sequitur, nec posse Judicem laicum 3
punire clericum delinquentem in officio sæculari, adeo ut judex laicus vinculo irretiatur excommunicationis, si trahat clericum ad suum tribunal etiam prætextu officiorum sæcularium, quæ clericus exercet: quia Bulla cœnæ loquitur universaliter, & solùm excipit casus

in

in jure expressos, & exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Neque obstat, quòd clericus exercuerit officia sæcularia sine superioris dispensatione: quia licèt non potuerit sine dispensatione ea suscipere *c. fuerdes ne clerici, vel Monachi.* nihilominus cum semper retineat privilegium clericale, sitque clericus, semper remanet exemptus à laica potestate *c. final. de vita, & honestate clericor.* unde clericus, qui exercuit officium tutoris, vel curatoris, vel administratoris bonorum, si deprehendatur in tali officio deliquisse, non potest in judicium vocari à laico ad reddendam rationem, quia licèt delinquat assumendo talia officia, non tamen desinit esse clericus, nec amittit privilegium fori. Cæterum licèt liberè possit clericus in civilibus se subijcere Judici sæculari, ut arbitro, non tamen si nolit, tenetur stare ejus sententiæ; neque potest Judex laicus illum adigere.

4 Tertiò neque posse clericum conveniri in curia sæculari pro debitis contractis cum persona sæculari, quia per sacros canones clerici simpliciter, & absolutè eximuntur à Judice sæculari in quocunque negotio *c. nullus clericus* 11. *q.* 1. ubi dicitur, quòd omne negotium clericorum deferendum sit ad Episcopum, & agendum coram ipso, & quia Pontifex id statuit de omnibus negotijs universim sumptis; agendum itidem erit coram Episcopo negotium clerici debitoris. Idque firmatur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat.* 20. ibi: *causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoscantur*: atqui causa clerici, qui contraxit debita cum laico est causa ipsius clerici; proinde pertinet ad forum ecclesiasticum, quia clericus etiam in civilibus gaudet privilegio fori *c. nullus Episcopus*, unde dicta causa juxta decretum Tridentini cognoscenda erit coram Episcopo. Tum quia jura declarant causas, in quibus possunt clerici pro civilibus negotijs conveniri coram judice sæculari, ut habetur *in c. transmissa c. utrum de for. compet.* & inter tales causas non comprehenditur causa clerici debitoris.

5 Quartò neque ratione defendendæ causæ potest clericus trahi ad judicium sæculare, quia clericus ex *c. si diligenti de for. compet.* non potest consentire in laicum judicem: & in tali casu consentiret, quia citaretur à judice laico ad defendendam causam, & vocaretur, ut illam defenderet sub prætextu, quòd teneatur ad evictionē, quapropter ut necessitate coactus accedat ad judicium, quæ omnia adversantur immunitati ecclesiasticæ.

6 Quintò neque posse clericos ex vi statuti laicalis conveniri pro jure congrui, quia jus congrui passivè non afficit clericos, sed tantùm activè; adeo ut possint quidem clerici agere jure congrui contra laicos, non è contra illi contra clericos, quia statuta laicorum prosunt, non obsunt clericis: unde quamvis possint clerici uti hujusmodi statutis, & consuetudinibus laicorum, quatenus sunt in eorum favorem, non tamen è contra, ut notat Abbas in *c. constitutus, num. 4. de in integ. restit.* Molfesius *in consuet. Neapol. tom.* 1. *p.* 2. *q.* 7.

7 Sextò neque clericum hæredem laici defuncti posse conveniri coram judice sæculari, quia clericus non posset coram judice laico conveniri si lis nondum fuisset inchoata. Ergo neque potest conveniri etiam post litem inchoatam, quia præventio judicis laici non dat ei potestatem trahendi ad proprium forum clericum; neque talis præventio potest derogare privilegio clericorum. Hinc si clericus succedens laico possideat rem specialiter hypothecatam, nec ratione hypothecæ potest conveniri coram judice laico.

8 Septimò, neque posse judicem laicum exequi sententiam à se latam contra clericum, etiam in casibus, in quibus sibi à jure cognitio permissa est: quia per executionem sententiæ ageret contra clericum, quem propterea sibi subijceret contra immunitatem ecclesiasticam, & privilegium clericorum, quo eximuntur à jurisdictione, proinde à subjectione laicorum: quòd si clericus in causa reconventionis condemnaretur à Judice sæculari, tunc executio sententiæ fieri deberet per judicem ecclesiasticum non per laicum, cùm hic nullam possit jurisdictionem exercere in clericos. Hinc nec judex laicus potest exequi suam sententiam contra bona clericorum etiam in casibus, de quibus in judicio sæculari actum est, ut docet Bonacina in *Bulla cœnæ disput.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *punct.* 4. §. 6. & licèt in locis ubi consuetudo viget possit reconveniri clericus apud judicem laicum: si tamen clericus reconventus condemnetur ab ipso laico, non potest hic sententiam exequi, sed executio pertinet ad judicem ecclesiasticum ad instantiam judicis laici, ut notat Paulus Squillante *de privileg. clericor. c.* 7. *dub.* 3. *num.* 74.

9 Octavò neque posse Judicem laicum citare clericum debitorem in confectione alicujus inventarij, ut rectè docet Duardus *in Bulla cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *n.* 50. quia clerici pro confectione inventarij non possunt trahi ad curias sæculares: quapropter si velit hæres hæreditatem adire cum beneficio legis, & inventarij, quamvis super ejus confectione citari debeant omnes Creditores, & legatarij; si tamen ipsi clerici sint, non possunt citari per judicem sæcularem illius loci, ubi existunt bona hæreditaria, vel hæres habet domicilium: sed clerici legatarij, vel creditores monendi sunt per judicem ecclesiasticum: quia clerici non possunt adigi ad comparendum coram judice laico vigore generalis edicti, *si sua putaverint interesse*, quia hujusmodi citationes edictionales exorbitant à jure communi, ut etiam notat Martha *de jurisdict. p.* 4. *centur.* 1. *cas.* 38. *num.* 8.

10 Nonò nec posse judicem sæcularem compellere clericum, qui laicum spoliavit sua possessione, ad eam restituendam, ut docet Paulus Squillante *de privileg. cleric. c.* 7. *dub.* 1. *n.* 73. quia clericus, qui alium spoliavit, si sit à possessione ejiciendus debet hujusmodi expulsio fieri authoritate judicis, cui clericus se subijciat non potest autem clericus adigi ad se subijciendum Judici laico, eò quia sit exemptus ab ejus jurisdictione: quamobrem si est reus debet judi-

judicari à Judice ecclesiastico, qui solus est competens Judex clerici.

11 Decimò neque posse Clericos compelli à Magistratu sæculari ad vendendum triticum, si necessitas urgeat, & desumitur *ex c. adversus. 7. h. t.* ubi expressè habetur quòd in necessitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum, quando non suppetunt facultates laicorum, clerici non possunt conveniri, nisi priùs consulatur Papa: proinde in tali casu si clerici detrectent urgente necessitate triticum vendere, recurrendum est ad superiorem ecclesiasticum; nisi fames, aut necessitas urgeat, & periculum sit in mora, quia tunc oritur jus naturæ, & judex laicus potest ab horreis clericorum extrahere frumentum, & vendere non vi alicujus jurisdictionis, sed ob imminens periculum.

12 Neque obstat, quòd clerici detrectantes triticum vendere urgente necessitate peccent contra præceptum charitatis: quia ex inde tantùm sequitur, quòd teneantur vi directiva, non coactiva, & ideo per Ministros ecclesiasticos, non per laicos compellendi sunt ad vendendum triticum: quia cum sæculares nullam habeant in clericos potestatem; publica necessitas non dat illis jurisdictionem, sed tantùm potestatem recurrendi ad superiorem ecclesiasticum, à quo compellantur triticum vendere.

13 A tributorum tamen immunitate non excipiuntur clerici conjugati etiam cum unica, eáque virgine, quia conjugati non eximuntur à tributis solvendis Principi. Aliud tamen est dicendum de clericis græcis utentibus matrimonio, cum unica, & virgine, quia isti quoad omnia sunt clerici, & gaudent omnibus privilegiis clericalibus; imò non solùm ipsi, sed etiam eorum uxores, quia uxor sequitur forum mariti *l. fin. C. de incol.* & notat Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 3. n. 2.* Immo etiam post mortem clericorum si perseverent in viduitate, quia quamdiu non transeunt ad secundas nuptias, censentur perseverare in primo matrimonio. Imò Barbosa *de jure Pontific. lib. 1. c. 39. §. 2. num. 62.* hoc idem privilegium extendit ad filios legitimos clericorum, etiam ante clericatum susceptos durante vita patris, & citat declarationem sacræ Congregationis emanatam die 18. Martij 1631. Riccius *p. 3. resol. 28. n. 1. & sequent.* extendit etiam hoc privilegium ad Patres, & fratres clericorum, dummodo cohabitent in eadem domo, quia tunc habentur per modum unius cum ipsis clericis, & eximuntur ab onere hospitandi milites, & etiam à solvenda in hunc finem pecunia; etiam si clerici sint minores, quia privilegium personæ participant socij Glossa *in l. fin. C. de num.* Laici etiam habitantes in domibus conductitijs clericorum gaudent eodem privilegio; quia hospitium militum redundat indirectè in damnum dominorum, & ita declarâsse sacram Congregationem die 9. Junij 1617. refert Diana *c. 4. tract. 1. resolut. 32.* Mancipia itidem, & servi clericorum gaudent etiam privilegio fori: siquidem comprehenduntur in censu dominorũ, ut notat Bullettus *tit. de fuer. cler. regal. §. 1. num. 12.* & id etiam procedit, quamvis sint infideles, quia immunitas non suffragatur ipsis servis, sed Dominis eorundem, & servi ratione servitutis sunt quid accessorium ad suos Dominos, & accessorium sequitur suum principale. Tum quia si servi etiam infideles tali non gauderent privilegio grave aliquod incommodum redundaret in Dominos, ut benè notat Menochius *de arbit. cas. 265. num. 7.*

14 Gaudent etiam privilegio fori familiares Episcoporum, quibus multa conceduntur, quæ alijs clericis non permittuntur, ut notat Zambellus *V. ecclesia quoad ejus libert. num. 50.* immo etiam in delictis communibus, & extra officium commissis, ut declaravit sacra Congregatio ex consensu Sanctissimi die 2. Martij 1611. apud Raum *de immunit. imm.* ò id etiam procedit quamvis Episcopi sint tantùm titulares, quia adhuc insigniuntur charactere Episcopali, intuitu cujus hæc immunitas conceditur famulis Episcopi, qui propterea ab Ordinario loci, in quo degunt, si delinquant, puniendi sunt, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium die 14. Maij 1639 ex mandato Urbani VIII. in causa familiarium, colonorum, partialium, & bonorum Archiepiscopi Rodiensis. Idque probari solet *ex c. fin. de offic. Archidiac.* ubi omnes familiares Episcopi absque personarum, & causarum distinctione declarantur immunes à sæculari jurisdictione, & ex *c. ecclesiarum servos*, ubi licèt sermo sit de servis perpetuis; Canonistæ tamen ex connexione materiæ eo utuntur ad favorem familiæ Episcopalis. Ratio itidem est, quia privilegium capitis, debet extendi ad accessaria, & appendices. *c. quamvis de privileg. c. liceat eod. tit. & authent. habita C. ne filius pro patre*, hinc si eximatur à foro aliqua persona, censetur etiam exempta ejus familia *c. 1. de privileg. in 6. l. non aliter. ff. de judic. & l. 2. C. de Episc. & Cleric.* & id vel maximè procedit, si ex contraria consuetudine usus familiarium redderetur Dominis incommodior, ut docet Oldradus *consil. 293. n. 5.*

15 Plura tamen in contrarium objicit Moscosus *in allegat.* apud Dianam *p. 1. tract. 2. resol. 98.* & *p. 3. tract. 1. resolut. 12. p. 4. tom. 1. resolut. 30.* Primò quia Episcopus non potest habere familiam armatam, ut notat Glossa in *c. delicto de sent. excomm.* Secundò quia nullus potest canon assignari, qui eximat familiam Episcopi in causis communibus. Tertiò quia Papa non potest laicos de potestate judicis laici eximere invitis Principibus. Quartò quia post Tridentinum soli clerici cum suis requisitis possunt immunitate gaudere. Quintò quia absurdum est, ut Episcopus in delictis suorum familiarium sit judex competens, id enim adversatur *C. qui jurisdic. ff. de jurisdic.* Sextò quia Ferdinandus Rex, & Isabella statuerunt, ut Prælatorum familiares potestati subijcerentur laicorum. Septimò quia aliàs potestas Principum laicorum notabiliter minueretur, & Respublica ob delicta horum familiarium perturberetur cum gravi damno boni communis. Octavò quia Episcoporum familiares Romæ non gaudent foro.

16 Verùm ad has objectiones satisfacit Diana loco

locis suprà citatis. Ad primam respondet negando assumptum; eò quia Episcopi ex vi solius jurisdictionis ecclesiasticæ possunt habere familiam armatam ad capiendos, & detrudendos delinquentes in carcerem, & imponendas pœnas corpori inflictivas citra sanguinem, & absolvere judicium sine recursu ad brachium sæculare: habent enim Imperium in sua Diœcesi *c. contra idolorum. c. prope vias 26. q. 5.* qui autem concedit finem, supponitur concedere etiam media ad assecutionem ejusdem finis *c. cum infirmitas de pan. & c. quoniam de sentent. excommun.* unde concessa jurisdictione censentur itidem concessa omnia necessaria, ut possit exerceri *l. 8. ff. de jurisdic. om. Judic.* sed Episcopis datur facultas compiendi judicium per illa verba inquirendi, ulciscendi, judicandi, ut habetur *in c. perniciosam de offic. jud. ordin* & hoc completum judicium non potest exequi, nisi reus inquirendus, judicandus, & puniendus capiatur, ad quod necessaria est familia armata. Tum quia sacra congregatio ad instantiam S. Caroli Borromæi coram Pio V. die 5. Junij 1567. declaravit, Episcopum posse habere familiam armatam, ut etiam docet Barbosa *de potest. Episcop. p. 3. allegat.* 107. Tum quia Episcopus habet territorium in ordine ad exercendam jurisdictionem contentiosam *c. omnes basilica* 16. *q. 7. c. ut animarum de constit. in 6.* Diœcesis autem, & territorium idem sunt, Panormit. *cons. 82. num. 7.* Rursus potest habere carcerem *c. Episcopus de offic. Ordin. in 6.* proinde etiam carceris Custodes *clement. 1. §. sane de hæret.* proinde etiam Ministros, qui reos capiant, & ad carceres ducant, & sine armis non possunt id exequi. Tum quia dantur plura crimina, quæ sunt mixti fori in *c. cum sit generale de for. compet.* & in quibus datur locus præventioni *l. si quis postea ff. de jud.* proinde si judex sæcularis potest familiam armatam habere ad exercendum suum officium, etiam Episcopus.

17 Ad secundam respondetur, canones loqui etiam pro delictis communibus, & Diana *p. 6. tract. 2. resolut. 6.* ait id fuisse declaratum à sacra Congregatione.

18 Ad tertiam negatur, non posse Papam eximere laicos de jurisdictione laicali, quia licèt non habeat dominium directum in Principes quoad res temporales, habet tamen indirectum; hoc est ob defensionem fidei potest Pontifex eximere subditos ab obedientia sui Principis, si is fiat hæreticus, & velit in suum errorem subditos trahere, tunc enim tenetur Pontifex ut pastor dominicum gregem tueri, & pascere, & quia non posset id præstare nisi subditos eximeret ab obedientia Principis, ideo Pontifex potest laicos eximere indirectè à jurisdictione laicali.

19 Ad quartam respondetur, Tridentinum ibi tantùm disponere de clericis, ut patet ex illo exordio *nullus prima tonsura initietur*, non verò de alijs personis, quæ non titulo clericatûs, sed alio, gaudebant de jure communi immunitate, ut notat Megala *tom. 2. resol. 122. num. 7.* unde Concilium Tridentinum nil statuit contra familiam Episcopi, cum hæc non intuitu clericatûs, sed honoris Episcopalis gaudeat immunitate de jure communi: tollere enim privilegium est odiosum, proinde non debet ampliari ad personas non expressas, sed restringi ad solas expressas, seu ad solos clericos, de quibus Concilium expresè in præcitato textu loquitur.

Ad quintam, non esse absurdum, Episcopum 20
judicem esse in delictis suorum familiarium; cum etiam Inquisitores Hispani hoc idem judicium ferant in suos familiares. Martianus itidem hoc idem judicium exercuit in suos cubicularios *l. 3. C. de Præpos. sac. cubic. lib. 12.* & Zeno in silentiarios *l. 4. Cod. de silent. eod.*

Ad sextam litteris datis à Ferdinando Rege, 21
& Isabella opponitur oraculum summi Pontificis, qui est caput Ecclesiæ Catholicæ, & ad quem solùm pertinet declarare canones, & Concilia, & præsertim dubia occurrentia inter laicum, & ecclesiasticum circa jurisdictionem.

Ad septimam falsum est, Rempublicam inde 22
turbari, eò quia delicta impunita manerent, non enim Episcopi solent in delicta suorum familiarium connivere cum detrimento boni communis: siquidem gravius ecclesiastici proprios familiares puniunt, & à servitio excludunt.

Ad ultimum petitum ex eo, quòd Romæ 23
Episcoporum familiares non gaudeant foro, respondetur id provenire ex aliqua justa, & speciali causa bene visa summo Pontifici, & ex reverentia eidem debita, quo pacto etiam familia Cardinalium non gaudet Romæ privilegio fori, quamvis ubique locorum extra urbem illo gaudeat.

Præterea gaudent etiam privilegio fori fa- 24
miliares Inquisitorum, & omnium habentium jurisdictionem ecclesiasticam, quia ratione illius hoc privilegium concessum fuit: immo etiam illi, qui sunt de familia Vicarij Episcopi, ut notat Navarrus *de elect. for. q. 36. sect. 3.* hinc à fortioti omnes qui sunt de familia Legati, seu Nuntij Apostolici: quia ut docet Calder. *consil. 11.* quidquid potest Episcopus in sua diœcesi respectu jurisdictionis; hoc idem potest Legatus in sua Provincia. Tum quia Legatus cùm vices gerat summi Pontificis est supra omnes Ordinarios *c. 2. de legat. in 6.* Quòd si quæratur an si vulnus infligatur laico de familia Episcopi, causam cognoscere pertineat ad judicem laicum, vel ecclesiasticum, proceditur cum distinctione, si enim offendatur præcisè, quia sit familiaris Episcopi, seu intuitu officij, quòd exercet in servitio Episcopi, tunc cognoscere de tali causa pertinet ad Judicem ecclesiasticum; quia tunc læditur jurisdictio Episcopi, & offenditur dignitas ecclesiastica; & subintrat regula, quod turbans jurisdictionem Judicis punitur ab illo Judice, cujus jurisdictio turbata est, ut probat Menochius *consil. 230. n. 82. lib. 2.* Sin verò offendatur, non quia sit de familia Episcopi, sed quatenus est privata quædam persona sæcularis, quæ cum alia inimicitiam contraxit: tunc causa est mixti fori, & pertinet ad illum judicem, sive ecclesiasticum, sive laicum, qui alium prævenit, quia tunc læditur tantùm persona ipsius passi.

85 Idque solet pluribus confirmari exemplis: qui enim offendit Consiliarium Principis intuitu officij, Reus est Læsæ Majestatis; non ita si ex inimicitia, & præscindendo ab eo, quòd sit Consiliarius, ut notat Oddus *consil. 88.* Præterea offendens Ministros sancti officij ex odio particulari extra officium, non incurrit pœnas bullæ *si de protegendis.* Offendentes itidem Romipetas, non præcisè sub illa ratione, quia eunt ad Romanam curiam, sed ob aliam causam neque incurrunt excommunicationem Bullæ cœnæ, ut notat Duardus *lib. 2. can. 9. q. 32.*

86 Novitij Regulares, tametsi nondum emiserint solemnem professionem, etiam gaudent immunitate fori, eò quia cum inchoativè sint Religiosi, favor immunitatis ad ipsos extenditur. Tum quia statim ac in Religionem suscipiuntur more consueto habitum suscipiunt, & aliorum observantias profitentur, & controvenientes puniuntur ab eorum Magistro: immo non solùm privilegio fori, verùm etiam canonis gaudent, eò quia habeantur ut Religiosi saltem inchoativè, & subeant illa omnia onera, quæ feruntur ab alijs Religiosis, & fortassis exactiùs observantias profitentur Religionis, & regularum. Quinimmo etiam milites Religiosi dummodo profiteantur religiones erectas authoritate Papæ gaudent hac immunitate fori; quia tales religiones eo ipso, quòd sunt approbatæ à sede Apostolica, sunt veræ religiones, adeo ut hoc privilegio fori gaudeant equites Hierosolymitani S. Joannis Baptistæ, seu nunc Melitenses, ut notat Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat. 12. num. 45.* Ut etiam equites Alcantaræ Calatravæ, S. Stephani, S. Lazari, ut notat Sancius *in select. disp. 49. num. 13.* Idque etiam extra loca commendarum, eò quia eorum privilegium non sit locale, sed personale, ut est privilegium aliorum Religiosorum. Secus equites Aurei Velleris in Hispania, S. Michaëlis in Gallijs, Annuntiationis in Sabaudia cùm non dicantur religiones approbatæ à summo Pontifice, neque habeantur ut Religiosi, sed ut equites insigniti tali honore, non dicuntur gaudere privilegio fori.

87 Generatim omnes illi equites gaudent hoc privilegio fori, qui militant in aliqua religione approbata à summo Pontifice, & non solùm ipsi, sed etiam eorum uxores gaudent eodem privilegio, quia est eadem ratio ac de uxoribus clericorũ: & hoc etiam procedit mortuo marito in statu viduitatis, dummodo honestè vivant. Oblati etiam, & Tertiarij Religionum, si in monasterio vivant, & sine fraude se, & sua illi obtulerint, gaudent hoc eodem fori privilegio, etiam quoad delicta ante oblationem commissa ex declaratione sacræ Congregationis apud Aldam *in comp. tit. 10. num. 15.* & statuit etiam quòd in causa fraudis possint hujusmodi oblati à judice laico puniri non pœna corporea, sed pecuniaria.

88 Verùm ut oblati gaudeant hoc privilegio debent perpetuò esse mancipati monasterio, & gestare habitum religiosum, ratione cujus distinguantur à laicis, immo etiam sorores, quas vocant Tertiarias S. Francisci, licèt viventes in domibus sæcularium, si vitam cœlibem ex voto ducant, gaudent hoc privilegio ex declaratione sacræ Congregationis, & tenet Pontius *de imped. con. 27. c. 19. §. 5.* Immo hoc privilegium solet etiam extendi ad illos homines, qui gestantes habitum religiosum inserviunt Monialibus petendo pro illis eleemosynas: rursus ad Eremitas ordini, vel ecclesiæ speciatim addictos, si emiserint votum paupertatis, vel alterius obligationis apud Episcopum, vel alium Prælatum.

§. IV.

De immunitate asyli competentis locis ecclesiasticis.

1 IMmunitas locorum ecclesiasticorum in duobus præsertim consistit, nimirum ne actus profani sæculares in ecclesia exerceantur: & ut malefactores confugientes ad ecclesias, & loca sacra non possint vi à laicis extrahi, sed gaudeant immunitate asyli. Controvertitur inter Doctores, an jus asyli sit de jure naturali, ac divino positivo; vel tantùm canonico, vel civili. Plures censent esse de jure divino, & alij qui putant esse tantùm de jure humano docent, non fuisse hoc jus asyli introductum à Principibus sæcularibus; sed suam à summis Pontificibus traxisse originem, & ita declaravit Concilium Trid. *sess. 25. c. 20.* & quamvis Gelasius Papa hujus nominis primus leges immunitatis primus statuerit; est nihilominus certum, Pontificem eam concessisse cum primum ecclesiæ cœperunt ædificari, quia Gelasius I. ante quem nullus de hac re habebatur canon. *in c. pater 17. q. 4.* fatetur nunquam licuisse Principibus laicis Reos ad ecclesiam confugientes invitos extrahere; & extrahentes fuisse sacrilegos. Immo hoc jus asyli fuisse religiosè servatum tam apud Judæos, quàm gentiles, & catholicos, liquet: etenim apud Judæos fuit asylum ad quod confugere rei possent, scilicet ad altare, & tabernaculum: & eo confugit Joab, quĩ occiderat Abner, & Amasan, ut refertur *lib. 3. Regum. c. 2.* ibi: *fugit Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornua altaris*, sed Salomon jussit illum de medio tolli, eò quia præmeditatæ cædis Reus Religionis causâ tutus nõ esset juxta *leg. Exodi c. 21. Si quis per industriam occiderit proximum suum ab altari meo evelles, ut morte moriatur*: hinc à sensu contrario, qui non per industriam proximum occidit non est evellendus ab altari, sed debet gaudere immunitate asyli.

2 Rursus Demetrius Rex cum sibi voluntates Judæorum conciliare studeret, illud inter cætera in gentis illius Judææ gratiam concessit, ut quicunque confugerit in templum, quod est Hierosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxij Regi in omni negotio dimitterentur *1. Machab. c. 10. v. 43.* & id propterea indulsit judæis, ut ostenderet se illorũ favere religioni, eámque sartam tectam conservare. Rursus templum apud Judæos pro asylo fuisse docuerunt Abulensis *in c. 20. Josue q. 3.* Menochius *de Re-*

Republic. Hebr. lib. 5. c. 6. Coqueus *in not. ad D. Augustinum de civit. Dei c.* 14. Pineda de rebus Salomonis *lib. 6. c.* 14. Rursus apud Hebræos cum ob eorum duritiam permissum esset cuique, ut cæderet percussorem propinqui sui, cujus successor ipse erat, præcepit Deus Moysi ut certas civitates pro refugio, & asylo statueret, ut illic servaretur occisor, donec judicium ageretur, ut habetur in *lib. numer. c. 35.* & urbes istæ Levitarum sex post Moysis decessum fuerunt à Josue assignatæ, nimirum tres ultra Iordanem contra orientalem plagam Jericho, ut habetur Josue *c.* 20. scilicet Bosor in deserto de tribu Ruben, Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. Cis Jordanem assignatæ fuerunt Cedes in Gallilea in monte Nephtali; Sichem in monte Ephraim, & Cariath-Arbe in valle Hebron.

Cæterum jus asyli omnes mundi nationes acceperunt à gentibus, Cadmus enim fertur asylum collocâsse, ut etiam Hercules aliud statuit asylum, quod vocavit templum misericordiæ, ut notat Selbius *in lib. 8. Æneid. Virgil.* & Statius *lib.* 12. *Thebaidum.* templum describit, & historiam narrat à Græcis postea ad Romanos defluxisse hoc jus asyli tradunt Serarius *in c. 9. Josue.* Covarruvias *lib. 2. variar. c. 20. n. 2.* Joseph de Aguire *lib.* 10. *per tot.* Romulus enim ut quamplures haberet Romani Imperij incolas asylum constituit, seu sacrum quendam locum inter collem, & capitolium aperuit ad quē confugientes ab omni noxa liberi essent, ut narrat Ovidius *lib. 3. Fastor.* & Virgil. *lib. 8. Æneid.* Juvenalis *satyra 8.* Hinc Lactantius *lib. de divinis institutionibus c. 7.* ait, *Romulus urbem conditurus Pastores, inter quos adoleverat, convocavit. Cumque is numerus condendæ civitati parum idoneus videretur, constituit asylum, & passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique sine ullo conditionis discrimine.* Postea hoc idem jus asyli concessum fuit aliis templis, ut refert Cicero *in orat. pro domo sua* inquiens. Hic aræ sunt, hic foci, hic Dij Penates, hic sacræ religionis cœremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde reum abripere nemini fas sit.

Immo Romanos postea asylum erexisse in templo pacis tradit D. Thomas *lib. 2. de regim. Princip. c.* 15. Immo sanctiùs confugium præbuerunt etiam Romani Cæsaris statuis, ut habetur in *l. apud* 17. *ff. de ædilit edit.* hinc Tacitus *lib. 3. annal.* ait, *incedebant teterrimi quique cum licentia impunè probra, & invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæsaris.* In lege gratiæ sunt, & fuerunt etiam ab initio Ecclesiæ asyla, scilicet altaria Deo consecrata, à quibus abducere confugientes non liceret, ut fuit statutum in Concilio Arausic. celebrato anno 341. *n.* 4. relato à Gratiano *in c. eos qui* 17. & Gelasius Papa, qui floruit circa annum 492. *in c. fratres* 17. *q.* 4. refert, nunquam ante ipsum, Principibus sæcularibus licuisse reos ad ecclesiam confugientes invitos extrahere: & in Concilio Aurelian. 1. *can.* 3. anno 514. dicitur hoc jus asyli fuisse ab antiquis ecclesiæ canonibus statutum. ibi. De hominibus adulteris, & furibus, si ad ecclesiam confugerint id constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atrio reos extrahere omnino non liceat: ex quibus constat, hoc jus asyli in ecclesia ortum habuisse à canonicis constitutionibus, quibus etiam leges civiles fuerunt approbatæ.

Quamobrem immunitas ecclesiarum fundatur in jure divino, & canonico, cui accesserunt etiam decreta Imperatorum, & Regum, non tanquam institutoria, ut putavit Sarpus in libro, quem inscripsit de jure asylorum, sed ut subsidiaria, quæ nonnunquam sacra Concilia ex suavi ecclesiæ providentia ad majorem sacræ immunitatis observantiam petierunt. Cæterum inter plures de ecclesiarum immunitate canonicas sanctiones, quæ emanârunt, adest Bulla Gregorij XIV. *data Romæ in Quirinali calend. Jul.* 1591. cui initium est, *cum aliàs nonnullis:* ubi Pontifex confirmat, & extendit hoc jus asyli, & revocat omnia privilegia quibuscunque personis concessa extrahendi Reos ab ecclesiis in casibus permissis, & reducit omnia cum antiquis juribus in hanc formam, ut imposterum nemo ex Magistratibus laicis Reum de ecclesia, aut loco sacro absque Episcopi licentia extrahere præsumat sub pœna excommunicationis latæ in Bulla cœnæ contra violatores ecclesiasticæ immunitatis: & rursus declarat, omnes Reos gaudere hac asyli immunitate præter Latrones publicos, viarum Grassatores, agrorum depopulatores, proditorios homicidas, & eos qui homicidia, aut membrorum mutilationes in ecclesijs, vel cœmeteriis commiserint: excipiuntur etiam assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsius Principis crimen perpetrantes.

Hæc autem constitutio cum lata sit per modū legis universalis, & reducat omnia ad unam formam adjecta particula taxativa *tantùm*, & sublata etiam facultate aliter interpretandi verba constitutionis; revocat non solùm omnes consuetudines, & juris ampliationes, sed etiam ipsum contrarium jus commune, ut docet Filiucius *tom.* 1. *tract. 15. c. 6. num.* 153. Neque obstat quòd derogatio contrariæ consuetudinis in ea Bulla non exprimatur: quia id non est necesse, eò quòd omnes consuetudines contra ecclesiarum immunitatem sint invalidæ, & corruptelæ, quæ per se ipsas corruunt. Præterea constitutio Gregorij XIV. etiam expressè revocat contrariam consuetudinem ex eo, quòd prohibeat Judicibus sæcularibus extrahere Reum ab ecclesia etiam in delictis exceptis. Hinc generalis, & communiter approbata regula est, ut nullus reus propter ullum crimen ad ecclesiam confugiens possit inde violenter extrahi, nisi in casibus in constitutione Gregorij XIV. exceptis.

Quinimmo ex tenore prædictæ constitutionis non solùm per consummatam, verùm etiam per attentatam Rei ab ecclesia extractionem violatur immunitas, idque desumitur ex verbis illis Bullæ, *quidquam præter, aut contra tenorem hujus constitutionis attentare præsumpserit:* quæ verba interpretantur à Farinacio *c.* 20. *n.* 322. *de attentatione in externum opus delapsa.*

Immo violatur etiam constitutio Gregoriana pœne Reicidium de mandato Judicis laici in ipsa ecclesia commissum, ut cum Naldo docet Squillante *de oblig. cleric. c. 5. dub. 14. num. 90.* eò quia legis mens magis sit attendenda, quàm verba *l. scire. ff. de ll. l. non aliter. ff. de legat. 3. l. nominis, & Rei. §. verbum ex legibus. ff. de V. S.* mens autem Pontificis fuit in hac constitutione comprehendere etiam attentationem in externum opus delapsam, & Reicidium de mandato Judicis laici, quia magis violatur per occisionem ipsa ecclesia, quàm per extractionem Rei ab illa : tum quia si non comprehenderet Reicidium facilè posset Gregoriana constitutio eludi, siquidem Judices ad vitandam excommunicationem mandarent non extrahi Reos ab ecclesia, sed eos occidi in ipsa ecclesia, quòd esset legi fraudem facere contra regulam *l. contra legem 28. de ll.*

8 Neque obstat, quòd lex pœnalis non sit extendenda ad casus non expressos : quia id non procedit quando lex pœnalis favet ecclesiæ, ut notat Glossa *in c. sciant cuncti. V. alios* : & præfata constitutio licèt pœnas infligat, favet tamen ecclesiæ, cujus immunitatem tuetur; adeo ut ex primaria sua intentione intendat favorem ecclesiæ, & personarum ad eam confugientium, & tantùm per accidens intendit pœnas, quatenus Judices sæculares nolunt debitam reverentiam deferre ecclesijs, proinde Gregoriana constitutio favorabilis censenda est, & in dubiis circa loca sacra, & delicta amplianda. Præterea excommunicatio in constitutione Gregoriana non est ferendæ, sed latæ sententiæ, ut declarârunt Clemens VIII. & Paulus V. immo est etiam reservata summo Pontifici, adeo ut ab Episcopo non possit absolvi, ut notat Maranta *p. 2. vers. 36. n. 14.*

9 Inter Reos non gaudentes immunitate asyli omnium primi in constitutione Gregoriana recensentur publici latrones, qui ex magis communi interpretatione illi dicuntur, qui publicas vias obsident paratis insidiis ad viatores transeuntes interficiendos, & spoliandos, ut notant Abbas *in c. inter alia 6. h. t.* ubi Bonifacius VIII. statuit, quòd Reus cujuscunque maleficij, si confugerit ad ecclesiam, non sit inde violenter extrahendus, nec inde damnandus ad mortem, vel pœnam corporalem, sed Rectores ecclesiæ obtineant vitam, & membra : & postea subdit, quòd possit aliter legitimè puniri, ut in pecuniis duobus casibus exceptis. Primò si fuerit publicus latro, secundò nocturnus depopulator agrorum. Quamobrem publici latrones dicuntur qui interdum palam homines aggrediuntur, armati publicas vias obsident, transeuntes spoliant, resistentibus vulnera infligunt, & cædes inferunt : & hisce accensentur piratæ, qui mare excurrunt prædandi causâ, ut etiam qui castra incolunt, ut inde erumpentes vicinis, & peregrinantibus damna inferant. Nocturni depopulatores dicuntur, qui alienos agros accendunt, & nocte intempesta segetes destruunt, vel comburunt, séque absondunt, & latent, ut communiter docent *in d. c. inter alia 6. h. t.* Unde id interest discriminis inter publicum latronem, & nocturnum depopulatorem, quia ille palam, & publicè deprædatur; iste verò tantùm nocturno tempore, & latenter segetes in agris devastat, Barbosa *in collect. in d. c. inter alia. num. 73. §. 42. h. t.* Furtum autem simplex sive patretur die, sive nocte non excluditur ab immunitate : quia latrocinium, & depopulatio dicunt assiduitatem, & frequentiam, & quandam violentiam facinoris, vel saltem intentionem, & propositum talis facinorosæ vitæ. Hi duo casus non gaudent immunitate asyli, quia magis interest Reipublicæ, eos punire, ne alij similia damna moliantur, ut notat Abbas *in d. c. inter alia 6. n. 21. h. t.*

Neque inde inferri potest, quòd propter 10
aliud crimen æquè grave, vel publicum latrocinium, confugientem ad ecclesiam non debeat gaudere immunitate asyli : quia non licet pœnam ad alia crimina non expressa in lege extendere propter solam similitudinem : unde casus excepti in Bulla Gregorij, in quibus Reus immunitate non gaudet, debent sumi propriè, & non ampliari ex paritate, aut majoritate rationis, quia cum talis exceptio sit odiosa, ideo debet strictè interpretari.

Neque obstat, quòd Devanus *lib. 2. c. 28.* 11
n. 20. & alij asserant, legem pœnalem ex identitate rationis extendi posse, quia licèt id in aliquibus casibus verum sit, non tamen procedit, quando agitur de præiudicio causæ favorabilis, cujusmodi est immunitas ecclesiastica, ut notat Farinacius *c. ult. n. 355.* Cæterum non est publicus latro, qui semel, aut iterum depræ-datus est, sicut nec publicus usurarius, qui semel tantùm commisit usuram *l. quia sit fugitivus. §. errorem. l. sciendum. §. illud. ff. de edilit.* & docent communiter Canonistæ cum Panormitano *in c. 1. de jur. n. 4.* hinc inferunt, non esse immunitate privandos, ut publicos latrones, decoctores, tametsi ob aliquam similitudinem publicis latronibus à Pio V. æquiparentur, Farinacius *tom. 1. consil. 76. n. 13.* nec fraudantes Regi tributa, neque obligatos ad quæcunque debita etiam publica, neque Exactores tributorum, nec Administratores in aliqua tutela, neque obligatos ad publica ratiocinia, nec capientes personas ob pretium redemptionis, nisi id sæpius fecerint in viis publicis, campis, aut urbium viis. Alioquin qui secretò per nuntios, aut litteras personas aliquas sub comminatione composuerint, non sunt dicendi publici latrones, nec grassatores. Neque incendiarij accensentur nocturnis depopulatoribus agrorum, quia agrorum depopulatio non est incendio domum absumere, & licèt Incendiarij sint depopulatoribus similes, non excluduntur tamẽ ab immunitate; quia odia restringuntur : hinc si quis ecclesiam deprædaturus eius fores comboreret, adhuc gauderet immunitate.

Aliud delictum exceptum in constitutione 12
Gregoriana est homicidium, & mutilatio in ecclesia, vel cœmeterio, quod procedit de homicidio, & mutilatione strictè sumptis; adeo ut non sint excludendi ab immunitate alii aliter delinquentes in ecclesia, quia in odiosis, ac pœnalibus lex debet strictè interpretari, ut non inclu-

includat casus non expressos : hinc furantes in ecclesia etiam res sacras, vel in eam cum furto, aut armati se recipientes, monetam in ea cudentes, & quodvis aliud enorme crimen in ea committentes præter homicidium, & mutilationem gaudent immunitate. Neque urget, si dicas, eandem rationem valere de delictis attrocibus, ac de homicidio, & mutilatione : quia exinde tantùm sequitur, potuisse rationabiliter etiam alia plura enormia crimina excipi, non verò quòd de facto excepta sint. Quòd si dicas *in c. immunitatem ult. h. t.* Gregorium IX. rescripsisse, eos qui spe immunitatis in ecclesiis, vel cœmeteriis delinquunt, non gaudere immunitate, quia reddiderunt se eâ indignos. Tum quia nemo spe veniæ peccare debet *c. quando quis* 128. *dist. 4. de consecrat.* quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi *c. est injusta* 33. *in fin. caus. 23. q. 4. c. ut clericorum* 13. *de vita & honestat. clericor. & c. ii quoque ult. V. qui verò, collat. 8. in authent. ut liceat matri*, ubi dicitur: non debere hujusmodi personas in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt.

13 Tum quia communiter docent, præfatum textum *c. immunitatem ult. h. t.* habere locum in adulterio, raptu virginum, & aliis quibuscunque gravibus delictis commissis in locis sacris, ut notant Abbas *in d. c. immunitatem ult. n. 9. h. t.* Covarruvias *coroll.* 21. Barbosa *lib. 2. jur. eccles. c. 3. n.* 105. quia intentio Gregorij IX. *in d. c. immunitatem* fuit excipere omnia gravia delicta in ecclesia patrata, quia generaliter loquitur de excessibus, quorum impunitatem delinquentes per defensionem ecclesiæ se obtinere sperant. Tum quia affertur etiam ratio generalis se extendens ad omnia delicta saltem gravia, & est; quia in eo, quo quis deliquit puniri debet : & quòd frustra legis auxilium invocet, qui peccat contra legem : unde subintrat regula, quòd ubicunque ratio legis generalior est, & latior, quàm id quod dicitur, & disponitur in lege, tunc ipsa dispositio legis secundùm latitudinem rationis est extendenda *l. regula 9. ff. de jur. & fact. ignor.*

14 Contra est, quia licèt hæc omnia de jure antiquo vera sint, & rectè inferantur *ex d. c. immunitatem ult. h. t.* non ita de jure novo, & ex vi constitutionis Gregorij XIV. in qua omnia privilegia quibusvis personis concessa extrahendi Reos ab ecclesijs in casibus permissis revocantur, & omnia in hanc formam cum antiquis juribus reducuntur, quatenus imposterum nemo ex Magistratibus laicis Reum de ecclesia, aut loco sacro sine consensu, & licentia expressa Episcopi præsumat extrahere sub pœna excommunicationis latæ in Bulla cœnæ : & expressè Pontifex declarat, omnes hac immunitate gaudere præter Latrones publicos, Grassatores Viarum, aut Depopulatores agrorum, proditorios item homicidas, qui homicidia, aut membrorum mutilationem in ipsis ecclesiis, aut cœmeteriis commiserint, ut etiam crimen assassinij, & Læsæ Majestatis in persona ipsius Principis : & quia hæc constitutio lata fuit per modum legis universalis, & reducit omnia ad unam formam cum particula taxativa *tantùm*, sequitur quòd rescriptum Gregorij IX. *in c. immunitatem ult. h. t.* debeat interpretari juxta constitutionem posteriorem Gregorij XIV. cui initium est : *Cùm aliàs nonnulli* : quia reduxit omnia jura in unam formam.

Hinc cùm dicitur, quòd eadem ratio urgeat 15
de omnibus delictis attrocibus, id tantùm probat, quòd alia delicta attrocia potuerint rationabiliter etiam excipi, non verò quòd de facto fuerint excepta : unde in casibus occurrentibus potest facultas impetrari à summo Pontifice, ut propter delicti enormitatem Reus tradatur curiæ sæculari. Hoc idem etiam declaratum fuit à sacra Congregatione in una Squillac 18. Martij 1632. apud Dianam *p. 6. tract. 1. resolut. 9.* siquidem sacra Congregatio declaravit, quòd furantes in ecclesia gaudeant immunitate, eò quia furtum non sit delictum exceptum in Bulla Gregoriana. Hinc fugientes ad ecclesiam cum furto in specie, vel cum armis, & committentes alia delicta præter expressè excepta in Bulla Gregoriana, gaudent hac immunitate : rursus nomine homicidij in dicta acceptione intelligitur homicidium in ipsa ecclesia physicè commissum; adeo ut si existens in ecclesia mandet occidi aliquem extra ecclesiam, non privetur immunitate, eò quia homicidium non committatur physicè in ecclesia. Immò Diana id extendit etiam ad eum, qui existens extra ecclesiam mandat homicidium fieri in ecclesia, eò quia mandans fieri homicidium non sit physicè homicida *p. 1. T. 1. resolut. 10. & p. 6. T. 1. resolut. 7. §. unum etiam.*

Rursus intelligitur de homicidio consum- 16
mato, & non de inchoato in ecclesia, adeo ut qui ab ecclesia tormentarium globulum explo-deret, & hominem extra ecclesiam interimeret, adhuc gauderet immunitate, eò quia homicidium non consummaretur in ecclesia : immo qui alium violenter extraheret ab ecclesia, ut extra ecclesiam illum percuteret, & de facto illum occideret, adhuc non esset privandus immunitate ex vi Gregorianæ constitutionis, quia homicidium debet physicè fieri, & consummari in ecclesia ab illo, qui vi constitutionis privandus est immunitate : quia cùm constitutio sit odiosa, & pœnalis debet strictè interpretari. Immo debet intelligi etiam de homicidio plenè voluntariè deliberato, adeo ut qui in ecclesia in subita rixa, & primo impetu ex calore iracundiæ alium occideret, non esset privandus immunitate, quia talis non videtur habere animum violandi ecclesiam, & Diana *p. 6. T. 1 resolut. 7.* ait, fuisse id etiam decisum Romæ anno 1639. occasione cujusdam homicidij perpetrati in Basilica sancti Joannis Laterani. Idque vel maximè procedit, si homicidium fiat in defensionem, quia qui se defendit, non præsumitur habere animum violandi ecclesiam, sed tantùm tuendi propriam vitam.

Præterea nomine mutilationis, quæ excipi- 17
tur in constitutione Gregoriana, intelligitur abscissio veri membri, adeo ut non sufficiat quæcunque vulneratio in ecclesia commissa citra mortem, vel membri abscissionem, ut notat Bar-

bosa *de jur. eccles. lib. 1. c. 3. num. 13. resol. 10.* ubi etiam refert declarationem sacræ Congregationis Epitc. Regul. die 16. Novemb. 1618. emanata m. Demum nomine ecclesiæ non veniunt scalæ, atrium, porticus, tectum, licèt hæc omnia comprehendantur nomine loci sacri in ordine ad suffragandum Reo confugienti in talia loca: & ratio discriminis est, quia suffragari Reo confugienti est favor, qui debet ampliari, ut etiam ipsa immunitas ecclesiæ, quæ propterea debet se extendere ad omnia loca contigua per modum unius: privare autem delinquentem immunitate est odium, quod debet restringi: quapropter qui homicidium committeret in atrio, portico, scalis, tecto ecclesiæ non esset privandus immunitate, & hoc etiam procedit, si homicidium committeretur in palatio Episcopi, domibus Canonicorum, monasteriis Religiosorum, ut notat Megala *in 3. p. c. 2. q. 1.* Immo etiam si in locis illis delinqueret sub spe confugiendi in vicinam ecclesiã. Quinimò si quis citra mutilationem, & mortem vulnus infligeret actu confitenti sua peccata in ecclesia, dummodo id non faceret in odium sacramenti, & sine hæresi, adhuc gauderet immunitate, eò quia hic casus non sit exceptus in Gregoriana constitutione. Quando igitur delictum in ecclesia patratum est ex attrocissimis, & non excipitur in Gregoriana constitutione, tunc consuli potest summus Pontifex, an velit delinquentem gaudere immunitate.

18 Delictum in Gregoriana constitutione exceptum est etiam homicidium proditorium, ut si quis non tantùm de industria, sive ex proposito, sed etiam per insidias à tergo aggrediendo hominem occiderit, ut etiam habetur *in c. 1. de homicidio*: unde ut homicidium sit proditorium duo copulativè requiruntur, quorum primum est, ut quis per industriam suum proximum occidat: secundum per insidias, vel dolum; adeo ut per posteriorem vocem determinetur prior, ut sensus sit, si quis occiderit per industriam insidiosam, ut notat Covarruvias *loc. cit. c 20. num. 7.* & hoc procedit, sive quis in ecclesia, vel extra ecclesiam clericum, vel laicum proditoriè occiderit, immo extenditur ad eum, qui hominem veneno clam propinato interimit: siquidem tale homicidium est etiam qualificatum, & proditorium *argu. l. 1. §. quòd si quis ff. de S. C. Syllaniano, l. 1. C. de malefic.* ubi dicitur, plus esse hominem extinguere veneno, quàm gladio occidere. Verùm homicidium proditorium intelligendum est etiam de consummato per mortis effectum secutum: alioquin si quis tantùm insidiosè vulnus inflixit alteri, vel homicidium attentavit, non privatur immunitate, quia talis propriè non occidit: & leges humanæ præsertim odiosæ debent restringi ad verborum proprietatem. An verò qui mandat per insidias alium occidi, comprehendatur in hac exceptione, si mors sequatur, affirmant plures cum Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 3. de locis sacris. c. 11. num. 16.* eò quia qui facit per alium, perinde sit, ac si faceret per se ipsum *ex regul. jur. 72. in 6.*

Alij nihilominus censent, talem exceptionem utpote odiosam, & pœnalem esse restringendam ad homicidium proditorium physicè consummatum per ipsum proditorem; sicut etiam si testis per falsam depositionem esset in causa, ut aliquis suspendio occideretur, quia physicè non consummaret homicidium, sed tantùm per depositionem falsi testimonij, gauderet immunitate, ut notat Diana *p. 6. T. 1. resolut. 26. §. quaro undecimo.* Non tamen censetur homicidium proditorium, si quis inimicum occidat, ex animo præmeditato, ut si expectet pertranseuntem, & ipsum aggrediatur, & occidat: talis enim adhuc gaudet immunitate etiam in terminis juris communis, ut notat Suarex *de relig. tom. 1. lib. 3. c. 11. num. 13.* immo neque homicidium dicitur propriè proditorium si committatur per explosionem sclopeti à tergo, ut notat Barbosa *lib. 2. de jur. eccles. c. 3. num. 62.* ex declaratione sacræ Congregationis emanata die 2. Augusti 1619. immò neque homicidium secundùm præsens institutum est propriè proditorium, si per solas insidias fiat, ut per Venenum, ut putant plures cum Diana *p. 1. T. 1. resol. 33.* qui volunt ad homicidium proditorium copulativè requiri tria. Primum ut committatur per industriam, & studiosè. Secundum per insidias. Tertium sub specie amicitiæ, adeo ut simulata amicitia sit cum eo, cum quo nullus præcesserat rancor, & qui proinde non debuit præcavere; tunc enim simulata amicitia constituit homicidium ex industria perpetratum propriè proditorium, pro ut homicidium proditorium excipitur in constitutione Gregoriana, & privat homicidam immunitate ecclesiastica, & addunt ita esse intelligendam sacram Congregationem, cum die 2. Decembris anno 1632. declaravit occidentem veneno gaudere immunitate, quia si occidatur inimicus veneno, aut dum dormit, non proditoriè occiditur, quia debuit præcavere. Verùm prior sententia est communior. Sunt etiam, qui censent occidere amicum reconciliatum, cum quo non sit reassumpta stricta amicitia per cohabitationem, aut comessationes, non esse homicidium proditorium, eò quia inimicus reconciliatus habendus nõ sit pro amico, ut notat Riccius *p. 1. decis. 168. num. 2.* immo addunt id etiam procedere, quamvis occisor dedisset fidejussionem de non offendendo: quia adhuc debuisset se tueri, & præsumpsisse perseverationem odij. 19

An verò sit homicidium proditorium veneno occidere infantem in utero matris negat Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 8. n. 8.* eò quia in infantem doli incapacem non cadit proditio, immo alij id extendunt ad Christianum, qui proditoriè occidat infidelem, eò quia infidelis non videatur noster proximus, eò quia infidelis non communicet nobiscum in fide, ecclesia, & Sacramentis. Verùm proditoriè occidere infidelem putârim esse delictum exceptum, quia tametsi infidelis non sit noster proximus in fide, est tamen in natura. & est verus homo, nomine enim proximi comprehendun- 20

ter omnes homines, & cùm Deus jussit, ut diligeremus proximum sicut nos ipsos, non intellexit de solo proximo fideli, sed de omnibus hominibus.

21 Aliud delictum exceptum in constitutione Gregoriana est assassinium, quod dicitur cum quis aliquem conducit ad occidendum; vel mercede conductus aliquem occidit, quia hoc homicidium est etiam proditorium, vel ei proximè accedit. Verùm hoc crimen debet etiam intelligi præsertim de eo, qui per assassinium occidit physicè, ut qui acceptâ pecuniâ occidit alium, cum quo nullam habuit inimicitiam, & tantùm ex eo præcisè quia ad illum occidendum accepit à mandante pecuniam: unde non sufficit si tantùm moraliter concurrat secundùm aliquos: verùm quia cum quis per alium facit, id per se censetur facere, videtur hic non solùm qui physicè crimen committit, eò quia fuerit pecuniâ conductus, sed etiam mandans jure immunitatis privari, quia censetur uti mandatario ut instrumento ad occidendum incautum, ut notant Covarruvias *lib. 2. resol. c. 20. n. 10.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. de loc. sacr. c. 11. num. 15.*

22 Quia verò de mandante utrinque controvertitur, ideo consulendus esset summus Pontifex ad tutiùs procedendum. Cæterum assassinium debet esse consummatum, & secuta morte, aliàs assassinus, seu mandatarius gaudet immunitate, quamvis ad actum proximum, seu ad vulnerationem devenerit, quæ opinio est mitior, & in favorem ecclesiæ. Non tamen ille dicitur Assassinus qui pecunia conductus occidit communem inimicum, vel mandat, ut occidatur, ut notat Farinacius *c. 8. n. 132. & sequent.* Aliud crimen exceptum est hæresis, & intelligitur de hæresi formali, ut notat Covarruvias *lib. 2. resolut. c. 20. num. 11. corolar. 14.* quia cum hæretici delinquant contra ecclesiam non merentur ab ea defendi. Aliud crimen est Læsæ Majestatis hoc est contra personam ipsius Principis, quod intelligitur de Principe supremo, ut sunt Reges, & alij superiorem in temporalibus non recognoscentes, quod etiam procedit de Cardinalibus, qui cum summo Pontifice constituunt unum corpus, sunt que Principes ecclesiæ, habéntque simul cum Regibus Majestatem. Hinc in sententia plurium, qui retam habet Cardinalis occisionem suo nomine factam non gaudet immunitate, quod etiam extendunt ad non revelantes conjurationem, & machinationem contra Cardinales, & Reges, ut docet Diana *p. 5. T. 2. resolut. 90.*

23 Immo non desunt qui id extendant ad defensores, & Receptores eorum, qui interfecerunt Cardinales, & eos non revelantes. Verùm tutiùs est de istis consulere Pontificem. Hoc tamen non procedit de Comitibus, Marchionibus, Ducibus, & Principibus Vasallis Regis, ut notat Farinacius *c. 13. num. 187.* apud Dianam *p. 1. T. 1. resolut. 6.* nec de fisco regio, aut de justitiæ Præside, nec de Consiliariis, Oratoribus, Proregibus, fratribus, vel uxore ipsius Regis, quia constitutio Gregoriana tantùm excipit conjurationem in ipsam personam Principis; hinc qui Regem offenderet citra personam gauderet immunitate: unde non essent privandi immunitate cudentes falsam monetam, & veram tondentes, ut notat Diana *p. 1. T. 1. resolut. 7. & p. 6. T. 1. resolut. 19.* multò minus fraudantes vectigalia non obstantibus legibus contrariis Imperatorum, quia istæ corriguntur per prætatam Gregorianam constitutionem: hinc nec privandus est immunitate offendens statuam, vel imaginem Principis, vel faciens se Regem, cum non sit; neque offendens eum, qui habet à Rege salvum conductum, quia in his, & aliis similibus non offenditur immediatè persona Regis, cujus offendens debet esse Vasallus ratione originis, vel domicilij.

24 Hinc quæcunque delicta enormia præter ea, quæ excipiuntur in Gregoriana constitutione, & hactenus recensuimus, gaudent immunitate ecclesiastica non obstante quocunque alio jure; licèt enim jure civili *in authent. de mandat. Principit. §. sed neque* excipiantur etiam homicidæ, Raptores Virginum, & adulteri, qui olim non gaudebant immunitate asyli, lex tamen illa correcta est per jus canonicum, & hoc reductum ad unam formam per constitutionem Gregorij XIV. cui propterea standum est, quia constitutio Gregoriana corrigit jus commune, & excipit aliquos casus cum particula taxativa *tantùm*, quæ firmat regulam in non exceptis *l. nam quod liquidè. §. fin.* & etiam impedit extensionem ad non expressa *l. properandum §. 1. C. de jud. l. si cum exceptis §. quod si homo ff. quod metus causa*: siquidem particula taxativa *tantùm* si adjectatur orationi affirmativæ excludit, & negat omne id, quod est extra modum, & formam ejus quod ponitur *l. non tantùm ff. de petit. hared.* immo quando ponitur per modũ formæ excludit omnem additionem, & diminutionem *l. 1. §. opus novum. ff. de nov. oper. nunt. Baldus in l. quoties. C. de fuis & legit.*

25 Hinc gaudent immunitate ecclesiastica fures, sacrilegi, perjuri præterquam si occiderint, vel mutilaverint in ecclesia; item suspensi, & interdicti ab ingressu ecclesiæ, quamvis priventur ecclesiastica sepultura, quia hæc illis prohibetur, non ita immunitas: interdictum enim non refertur ad ingressum materialem ecclesiæ, sed ad formalem in ordine ad audienda divina officia. Excommunicati etiam declarati gaudent immunitate, quia excommunicatus non amittit forum, neque ecclesia interdicta privilegium protegendi Reos, ut notat Covarruvias *lib. 2. c. 20. num. 11.* hinc Percussores, & Occisores clericorum gaudent hac immunitate, quamvis lædant ecclesiam, quia hæc diligit inimicos, & benefacit suis persecutoribus, ut notat Sperellus *decis. 22. num. 10. in fin. §. quare sextò.* Immo etiam occidentes adversarios in duello, quia tametsi incurrant excommunicationem, non tamen privantur immunitate, ut docet Ambrosinus *de immunit. c. 8. num. 12.* sed contraria sententia est communior apud Barbosam *de jure ecclesiastico, lib. 2. c. 3. n. 101.* Religiosus Apostata si confugiat ad ecclesiã alterius reli-

religionis etiam gaudet immunitate, adeo ut non possit invitus extrahi à Judice ecclesiastico, quia hoc privilegium immunitatis concessum est loco ipsius ecclesiæ, seu personis propter honorem, & reverentiam, quæ debetur locis sacratis Deo, & privilegium concessum loco extenditur ad omnes personas ibi existentes. Sive mares sint, sive fœminæ, sive Laici, sive clerici, ut notat Tuschus *V. ecclesia conclus. 9. n. 17. & conclus. 11. n. 27.*

26 Tum quia Canones prohibentes extrahi Reos ex ecclesiis generaliter loquuntur, non distinguendo inter clericos, & laicos *c. Reum. 9. c. definivit. 35. c. seq. caus. 17. q. 4. c. inter alia 6. h. t.* ubi Bonifacius VIII. generatim, & indistinctè statuit, quod Reus cujuscunque maleficij, si confugiat ad ecclesiam non sit inde violenter extrahendus, & cùm Pontifex non excludat clericos, nec ullam adhibeat distinctionem, nec nos debemus distinguere, nec clericos privare immunitate loci. Tum quia *in c. nullus 19. caus. 17. q. 4.* dicitur, quòd *nullus clericorum servum, aut discipulum suum fugientem ad ecclesiam extrahere audeat*, quòd si non licet ecclesiastico servum proprium, imò nec discipulum timentem flagellationes disciplinæ causâ ex ecclesia trahere, à fortiori nec ipse clericus, aut Religiosus poterit à judice, sive laico, sive ecclesiastico extrahi ab ecclesia quamvis Apostata sit, vel graviter deliquerit, quia ecclesia est quodammodo propria domus clerici, & nemo potest in propria domo licitè capi. *l. nemo. 103. ff. de R. J.* quod verum est in civilibus, non in criminalibus. Tum quia ecclesiæ Prælati ecclesiastici debent multò magis suis favere subditis; & clericis, eósque defendere, unde privilegium immunitatis indistinctè ab ecclesia concessum confugientibus ad ecclesiam multò magis competit clericis, quàm laicis; adeo ut judices ecclesiastici non possint inde per vim clericos extrahere.

27 Tum quia clerici si ante clericatum gaudebant jure immunitatis debent eodem gaudere in statu clericali, quia nullibi in jure reperitur, quòd is, qui fit clericus amittat per clericatum, quæ sibi ut laico competebant, alioquin clerici essent deterioris conditionis ratione clericatus, quàm laici.

28 Quòd verò ad Judæos, & Paganos attinet, an isti confugientes ad ecclesiam gaudeant immunitate diversæ sunt Doctorum opiniones, Covarruvias *lib. 2. resol. c. 20. num. 11. corol. 13.* Clarus *lib. 5. sent. §. fin. q. 30. num. 17.* & alii censent, Judæos, & paganos confugientes ad ecclesiam non gaudere immunitate asyli, eò quia par non sit, eos ab ecclesia defendi, qui ejus gremio, fidei, & tutelæ se committere detrectant. Tum quia canones, qui hanc Reis indulgent immunitatem, loquuntur secundùm subjectam materiam de personis constitutis sub jurisdictione ecclesiæ, ait enim Apostolus *de his, qui foris sunt nihil ad nos*, unde verba legis secundùm subjectam materiam limitanda sunt ad solos fideles.

29 Alij media incedentes via asserunt, Judæos, & Paganos confugientes ad ecclesiam gaudere immunitate asyli dummodo sincerè, & apertè absque ulla simulatione parati sint fidem amplecti, quia tunc inchoativè incipiunt esse fideles, & non amplius dici debent de his, qui foris sunt, & colligitur ex *l. 10. C. de his qui ad ecclesiam confugiunt*, ubi de Judæis simulantibus velle se christianæ legi conjungere dicitur, ut ad ecclesiam confugientes non suscipiantur: unde à contrario sensu valet argumentum: ergo si non simulatè, sed sincerè, & apertè velint baptizari, sunt ab ecclesia defendendi, eò quia inchoativè jam incipiunt esse de ejus gremio, quatenus ponunt dispositionem ad baptismum.

30 Quòd si Judæus, vel gentilis antequam confugerit ad ecclesiam baptismum petierit, tunc nulla oritur ratio præsumendi simulationem; sin verò tantùm post delictum commissum, & ad ecclesiam confugerit petat baptismum; tunc non modica est contra ipsum præsumptio (non tamen juris, & de jure contra quam non admittitur probatio in contrarium) quòd simulatè, & tantùm ad declinandam pœnam baptismum petat, proinde nisi constet, quòd vero, & sincero corde velit baptismum suscipere, potest ab ecclesia extrahi, proinde tunc ad Prælatum ecclesiæ pertinet examinare, & explorare intentionem Rei: & hæc sententia cum hac limitatione mihi videtur valdè probabilis, & deducenda ad praxim. Nihilominus tertia sententia, quam docent Sylvester *V. immunitas 3. num. 2. v. 1.* Barb. *de jur. eccles. univers. lib. 2. c. 3. num. 44.* & alij apud Fagnanum *in c. inter alia. 6. num. 60. h. t.* quos sequitur, asserit simpliciter, etiam Judæos, & Paganos confugientes ob delictum ad ecclesiam gaudere immunitate asyli, & hæc sententia fundatur in eo, quia canones generatim loquuntur, quòd nullus confugiens ad ecclesiam debeat inde extrahi, nisi ob delicta jure excepta. Præterea quia hoc privilegium non est concessum ipsis personis, sed locis Deo sacris, & ecclesia est semper eadem, sive Judæus fugiat ad eam, sive Christianus. Tum quia ecclesia, eò quia Reis indulgeat hanc immunitatem asyli, non defendit iniquitatem delinquentis, sed vitam hominis. Demum quia Judæi etiam sub protectione Romanæ ecclesiæ sunt recepti *c. sicut. 9. de Judæis*, & hæc sententia est etiam perquam probabilis, & præferenda primæ, estq; in favorem ecclesiæ.

31 Hæretici tamen si propter crimen hæresis confugiant ad ecclesiam, non gaudent immunitate asyli ob atrocitatem delicti, & est crimen exceptum in constitutione Gregoriana. Tum quia causa immunitatis est ecclesiastica: & hæc immunitas contra ecclesiam non valet, ut notat Covarruvias *loc. cit. c. 20. num 11. corol. 14.* Quòd si hæreticus propter alia delicta, quàm hæresim ad ecclesiam confugerit, adhuc non conveniunt Doctores, aliqui censent, non gaudere immunitate asyli, eò quia per hæresim ecclesiam universalem offendat. Alij tamen benignius docent, hæreticos propter alia delicta, quàm hæresis, si confugiant ad ecclesiam gaudere immunitate asyli, quæ sententia vera est, quia in Bulla Gregorij tantùm est sermo de Reis in crimine hæresis, & hæc sententia in

Ger-

Germania, ubi hæretici cum Catholicis impunè vivunt, ac liberum habent commercium, admittitur, & in praxim deducitur, Tum quia nullus extat canon, qui excludat ab hac immunitate hæreticos, si propter furtum, vel aliud delictum distinctum ab hæresi confugiant ad ecclesiam.

§. V.

De immunitate bonorum ad ecclesias, & ecclesiasticos pertinentium.

1 TRia distinguntur bonorũ ecclesiasticorum genera, in quorũ primo comprehenduntur ipsæ ecclesiæ materiales, seu templa, lisque adiuncta cœmeteria, & tota illa supellex necessaria ut sacerdotes ecclesijs inserviant, & in ipsis suo fungantur officio; cujusmodi sunt vestes, & vata sacra, & alia consecrata, vel benedicta, & ad divinum cultum, tanquam ejus instrumenta deputata: & hæc bona immunia esse à tributis, vectigalibus, alijsque exactionibus, quæ solent à potestate laicali imponi, est certò certius: quia sunt res sacræ, quæ non subijciuntur jurisdictioni laicali, nec sunt res fructiferæ aliquorum proventuum temporalium, nec ullum habent temporalem usum, vel commodum pretio æstimabile; sed solùm usum sacrum, ad quem specialiter sunt destinatæ, & quidem taliter, ut non possint amplius ad profanos usus applicari *c. quæ semel. 4. caus. 19. q. 3.* Bona secundi generis sunt, quæ consecrata, aut benedicta non sunt, sivè sint bona immobilia, ut fundi; domus, prædia pertinentia ad ecclesiam: sive mobilia, ut vasa aurea, argentea; gemmæ, & alia id genus, quorum administratio pertinet ad Prælatos ecclesiasticos, & dominium proprietatis immediatè ad Christum: quia à fidelibus, non ipsis Prælatis, sed Deo oblata, & donata fuerunt in sustentationem Ministrorum ecclesiæ, & alimenta pauperum, aliásque expensas, pro restaurandis, ædificandis, ampliandis ecclesijs: omnia enim hæc bona computantur inter res sacras, ut docet D. Thomas 2.2 *q.99. art.3. in corp.* proinde eximuntur à jurisdictione, & potestate laicali, seu à tributis sæcularibus. Bona ecclesiastica tertij generis sunt, quæ pertinent ad clericos sivè mobilia sint, sivè immobilia; denominantur ecclesiastica à possessore, cui sunt accessoria; propterea sequuntur conditionem sui principalis: & hæc bona adhuc sunt duplicis generis; aliqua quæ acquiruntur à clericis ex titulo spirituali, ut ex reditibus decimarum, vel beneficiorum suorum, quæ propter officium dantur: vel etiam licèt non ex jure, seu titulo beneficij, sed spiritualis operis acquiruntur, ut ex funeralibus, & missarum stipendijs: & hæc propriè vocantur bona clericalia: alia demum quæ acquiruntur ex titulo temporali, ut ex hæreditate, arte, vel labore, & accenseri etiam solent bonis patrimonialibus.

2 Onera, quæ imponi solent in triplici sunt itidem genere, alia enim sunt purè personalia, alia merè realia, & alia mista, seu partim personalia, & partim realia *l. munus. 18. ff de V.S.* Abbas *in c. Non minus. 4. num. 12. & 15. h.t.* Onera primi generis sunt, quæ personis tantùm, ijsque subditis à principe imponuntur, sinè respectu ad bona patrimonialia: tale onus merè personale est capitatio civium, seu certa exactio ab omnibus, & singulis hominibus, seu personis exigenda sine respectu ad bona patrimonij; quia capitatio etiam imponitur illis subditis, qui nulla bona immobilia possident in ditione Principis eam imponentis *l. unic. C. de capit. civium.* Secus omnia onera realia vocantur, quæ sine habitudine, vel respectu ad personæ qualitatem sunt imposita rebus ipsis, seu agris, prædijs, alijsque bonis tantùm, & quidem ut jure perpetuo ijsdem inhæreant, & inseparabiliter eà comitentur: & hoc onus merè reale imponi potest à quolibet etiam privato domino rei suæ, ut domui, vel agro per contractum censualem, vel feudalem, vel emphyteuticum: siquidem quilibet potest disponere de rebus suis, prout ipsi magis libuerit, est enim quilibet rei suæ moderator, & Arbiter *l. in re. 21. ff. mandat.* Tertij generis onera dicuntur mixta, suntque; quæ imponuntur personis subditis non simpliciter, sed cum ordine ad bona, quæ possident, seu sunt, quæ imponuntur personis juxta mensuram facultatum, quas habent: adeo ut hujusmodi onera immediatè imponantur subditis, & mediatè, seu mediantibus subditis eorum bonis, quia juxta majorem, vel minorem quantitatem bonorum, quæ possidentur à subditis injunguntur ijsdem hæc onera.

3 Cùm loquimur de immunitate bonorum ad ecclesias, & ecclesiasticas personas pertinentium; sermo est de immunitate ab illis oneribus, quæ imponuntur à Principibus sæcularibus, non verò de illis, quæ à Pontifice, vel ex ejus licentia: quia immunitas clericorum in ordine ad bona non est exemptio à potestate ecclesiastica, sed à civili, & sæculari. Certum est, bona pertinentia ad fundationem, vel dotationem ecclesiæ, sive sint domus, sive prædia posita juxta ecclesiam esse exempta ab omnibus realibus tributis *argu. c. 1. de censib.* & ibi Glossa *in cas. in fin.* idque non solum est verum respectu onerum publicorum, sed etiam privatorum, & quæ ab antiquo fuerunt imposita, ut desumitur *ex c. secundùm. 14. c. sequent. caus. 23. q. 8.* & ita resolvit Rota apud Fagnanum *in c. non minus. 4. num. 8. h. t.* Bona verò quæ aliis titulis ecclesiæ acquiruntur si ante acquisitionem fuerunt gravata aliquo onere reali, perpetuo, & invariabili ex vi contractus censualis, emphyteutici, vel feudalis cum suis oneribus, transit ad ecclesiam, quia hæc non habet privilegium exemptionis à similibus oneribus, quapropter dicuntur res, cum suis oneribus transire ad alios, ut desumitur *ex c. tributum 22.* & ibi Glossa *V. de exterioribus*, & docet Abbas *in d. c. non minus 4. num. 15. in fin. h. t.* quia ob favorem ecclesiæ non est invertendus ordo justitiæ, nec alter debet privari jure suo acquisito in talibus bonis ex vi pacti, conventionis, vel contractus, sunt enim hujus-

modi onera acceſſoria, quæ ſequuntur forum ſui principalis.

4 Quòd ſi bona ſemel tranſierint ſub dominium eccleſiaſticum, non poſſunt poſtea ampliùs gravari ſimilibus oneribus à poteſtate ſæculari, quæcunque illa ſit. Idque deſumitur *ex d. c. non minus. 4. h. t.* ubi Pontifex ſtatuit etiam ſub pœna excommunicationis, ne ſæculares imponant collectas, vel alia onera eccleſiis, vel eccleſiaſticis, & ſi moniti non deſiſtant, anathemate ipſos, & eorum fautores percutit. Hinc bona pertinentia ad eccleſias, & eccleſiaſticas perſonas, ſunt immunia, & exempta ab omnibus illis oneribus, & tributis realibus, quæ Principes ſolent prædijs, & fundis in ſua ditione ſitis imponere etiam de lege ordinaria, & ex poteſtate ſupremæ jurisdictionis, quam habent in ſuo territorio.

5 Quamobrem licèt prædia, quæ antea erant affecta onere tributorum expreſsè, & ſpecialiter ex conventione partium, ratione contractûs cenſualis, emphyteutici, vel feudalis tranſeant cum tali onere ad clericos, & eccleſias: non ita ſi ſint affecta, & obnoxia tributis ex generali lege, & hypotheca, quâ tacitè ſunt Regi, vel Principi obligata: quia tunc bona non tranſeunt ad eccleſiam cum tali onere, quia obligatio ſolvendi tributa, quæ ex poteſtate jurisdictionis à Principe exiguntur, non eſt onus merè reale, quia non inhæret rei ratione rei; ſed ratione perſonæ, & talia onera imponuntur bonis propter perſonas: atqui eccleſiaſtici non ſubijciuntur jurisdictioni Principum ſæcularium; proinde non poſſunt ab ijsdem ſimilibus oneribus gravari: quia Principes non poſſunt tributa exigere niſi à ſuis proprijs ſubditis ratione jurisdictionis, quam in illos exercent: unde licèt talia bona antequam poſſiderentur ab eccleſiaſticis fuerint obnoxia tributis imponendis à Principe ſæculari; ſi ſemel tranſeant ad eccleſiaſticos, ſunt immunia à talibus tributis, & non ſunt ampliùs obnoxia ſimilibus oneribus, quia mutata perſona mutatur ſtatus rei, ut docent communiter jurisperiti cum Martha *conſ.* 11. *n.* 29. & 30. *tract. de jurisdic. p.* 4. unde non valet tunc illa regula, quâ res dicitur cum ſuo onere tranſire ad alium, quia id tantum eſt verum, quando res tranſit ad alium ejusdem ſtatus; quia tunc res, quæ transfertur non mutat ſtatum; proinde conſervat onera, quibus afficitur: non ita quando tranſit de ſtatu ſæculari ad ſtatum eccleſiaſticum ratione poſſeſſoris, quia cùm eccleſiaſticus poſſeſſor non ſubijciatur poteſtati laicali, neque res, quæ ad illum tranſijt, laico ſubijcitur, ſed ab ejus poteſtate, & jurisdictione eximitur: perinde ac ſervus, ſi ſacris ordinibus initietur ab onere eximitur ſervitutis.

6 Non tamen bona, quæ tranſeunt ad eccleſiaſticos eximuntur ab illis oneribus, quæ ſunt merè realia; quæque ex privatis contractibus feudalibus, emphyteuticis, vel cenſualibus, aut aliis privatis pactis, vel conventionibus oriuntur, quia laicus privatus non exercet jurisdictionem in eccleſiaſticum, qui poſſidet rem illam affectam tali onere, eò quia ſubijciatur laico, & ejus poteſtati; ſed quia res illa quoad aliquam partem, adhuc pertinet ad laicum privatum, & ob favorem Religionis non debet lædi juſtitia: habet enim laicus jus aliquod in rem illam, nec illo ſe privavit, quando res tranſijt ad eccleſiaſticum: unde cum jus illud affixum rei nunquam tranſierit ad eccleſiam, laicus privatus non dicitur, ſi illud exigat, aliquid exigere quod ad eccleſiam pertineat. Cæterum alia onera realia, quæ bonis patrimonialibus, vel immobilibus clericorum inhærent, ijsque fuerunt impoſita ex vi alicujus pacti, ſeu contractûs, priusquam tranſirent ad eccleſiaſticos; cum ſuis oneribus, quibus gravantur, bona illa tranſeunt: aliud enim eſt, quod onera imponantur bonis poſtquam facta ſunt propria clericorum, & aliud, quòd imponantur, quando adhuc ſunt ſub jure laicorum.

7 Hinc bona patrimonialia clericorum immunia ſunt ab illis oneribus, ac tributis realibus, quæ ex vi ſolius jurisdictionis lege publica, & ordinaria à Principibus ſæcularibus imponuntur, quia per mutationem perſonæ, mutatur conditio rei, quæ poſſidetur à tali perſona *argu. l. locatio. 9. §. fiſcus. ff. de public. & vectig.* non verò fiunt immunia ab oneribus, quæ illis inhærent ex vi pacti, contractûs, vel ex conventione partium, quia tunc jus partis, ut diximus non tranſit ad perſonam eccleſiaſticam, ſed inhæret ſæculari. Generatim bona eccleſiaſticorum propriè patrimonialia tam mobilia, quàm immobilia ſunt exempta ab omnibus tributis, talliis, & à fortiori etiam novis, & extraordinarijs, & à quibuscunque aliis collectis, exactionibus, gabellis, & vectigalibus, quæ ſolent Principes ſæculares à ſuis ſubditis exigere ratione bonorum, quæ poſſident. Idque ex jure canonico *c. quamquam 4. de cenſib. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait, *cùm igitur eccleſiæ, eccleſiaſticaque perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm jure humano, quinimò, & divino à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes &c.* & infra anathemate etiam percutit vectigalia exigentes ab eccleſiaſticis, & contraria conſuetudo dicitur eſſe corruptela: quo fit, ut jus hoc non poſſit contra eccleſiaſticos uſucapi: hoc idem etiam Sanxit Clemens V. in Concilio Viennenſi *clement. preſenti de cenſibus*, ubi præcipitur Epiſcopis, ut publicent cenſuras excommunicationis, & interdicti, quas incurrunt ij, qui portoria, vel vectigalia ab eccleſiaſticis exigunt.

8 Statutum etiam fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap. adverſus. 7. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, quòd in neceſſitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum, etiam cum non ſuppetunt facultates laicorum, clerici non poſſint conveniri, niſi priùs conſulatur Papa. Rurſus ſtatuit, ut conſtitutiones, & ſententiæ, quibus laici imponunt collectas, & onera clericis, ſint nullæ, & nullo unquam tempore valituræ. Et demum ut excommunicatus ob prædicta, niſi ſatisfecerit, tametſi relinquat officium, adhuc remaneat ex-

com-

communicatus, & qui succedit officio nisi intra mensem satisfecerit, requiritur tamen prævia monitio, ut notat Glosla in *c. non minus 4. h.t.* Demum hæc eadem immunitas probari etiam solet ex jure civili Novel. Friderici Imperatoris, quæ incipit. *Item nulla. De Episcopis, & clericis*, ubi sic habetur. *Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere præsumat.* Rursus detumitur *ex l. sancimus 22. C. de SS. Eccles.* ubi omnibus piis locis hæc immunitas conceditur.

9 Verùm in oppositum videtur posse objici, quia Princeps habuit jus imponendi vectigal huic prædio antequam fieret juris ecclesiastici: atqui Princeps non debet spoliari iure suo ex eo, quòd prædium ematur, vel transeat ad ecclesiam, proinde tale prædium tametsi transeat ad ecclesiam, non est immune, cum Princeps inde non fuerit spoliatus suo jure. Secundò quia si prædium ad ecclesiam non perveniret sæpe posset vendi, & commutari cum alijs rebus, & tunc Principi deberetur certum vectigal, seu decima pars pretij; cùm autem transit ad ecclesiam, vel pium locum non ampliùs venditur, nec commutatur, nec Princeps potest ampliùs aliquid commodi ex illo percipere, proinde non debent bona sæcularium cum tanto damno Principis transire ad ecclesiasticos. Sed contra ad primum respondetur, Principem sæcularem non habere jus imponendi prædio vectigal, nisi quamdiu pertinet ad personam carentem privilegio immunitatis: & quia monasterium, & ecclesiastici gaudent immunitate, ideo semel, quòd bona transeunt ad ecclesiasticos, Princeps amittit hoc jus, eò quia ecclesiastici non subijciantur jurisdictioni Principum sæcularium. Tum quia ecclesiastici jure divino, & canonico gaudent tali immunitate, & dato etiam, quòd illis concessa fuisset à Principibus Christianis, non tamen possent illi nunc talia onera imponere bonis ecclesiasticorum, quia cum hoc privilegium semel ecclesiæ donaverint, & consenserint jam à mille, & ampliùs annis, ut bona ecclesiasticorum gauderent hac immunitate, ut liquet ex *l. sancimus*, quæ est Justiniani: non possent moderni Principes ecclesiasticos privare tali privilegio, quia perinde foret, ac si quis agrum, vel domum, aut reditum semel donatum ecclesiæ eidem postea auferret, quod esset manifestum sacrilegium: unde quamvis Principes Christiani dedissent hoc privilegium ecclesiasticis, non propterea possent moderni Principes illud ab ecclesiasticis auferre. Ad secundum respondetur ex hac immunitate nullum Principibus damnum oriri, Deus enim cujus providentia in sui dispositione non fallitur, & cujus directione nititur Regnorum administratio infinitis alijs modis detrimentum illud vectigalium, quæ non exiguntur ab ecclesiasticis, compensat, & plerúmque avertendo seditiones, non permittendo calamitates, largiendo ubertatem terræ.

10 Non solùm ecclesiæ, & earum bona, verùm etiam personæ ecclesiasticæ sunt immunes à collectis, & tributis, quæ solent à Principibus laicis exigi, idque detumitur ex *c. quia nonnulli. 1. h.t.* ubi Pontifex statuit, quòd non liceat laicis habentibus jurisdictionem temporalem, vel temporalem justitiam exercentibus imponere collectas, tallias, vel quascunque exactiones ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel exigere ab ijsdem pro bonis legitimè acquisitis, vel imposterum acquirendis, etiam si hujusmodi bona sint in ipsorum districtu. Ubi de omnibus rebus, seu bonis ecclesiasticorum jam acquisitis, vel acquirendis generaliter, & indistinctè dicitur, quòd sint exempta absque distinctione inter bona clericorum ecclesiastica, vel patrimonialia, ut nec inter collectas, & exactiones, & ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere.

Ratio etiam ex eo petitur, quia exigere 11
hujusmodi tributa, & imponere talia onera ordinaria, antiqua, vel nova est verus actus jurisdictionis pertinens ad merum imperium, & competit solis summis Pontificibus, & aliis Principibus superiorem non agnoscentibus: aliis enim Principibus inferioribus non nisi ex concessione, vel privilegio supremi Principis competit tale jus: unde talia tributa non imponuntur nisi authoritate publica, & potestate jurisdictionis, sive jure subjectionis, proinde non imponuntur nisi subditis: sed ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ, sive sæculares, sive Regulares non subijciuntur jurisdictioni Principum sæcularium, nec quoad personas proprias, nec quoad bona ab ecclesiasticis possessa, quamvis sita sint in territorio Principis laici: siquidem quando personæ sunt exemptæ etiam res, & bona illarum sunt exempta: quia bona possessa sunt accessoria personis, & accessorium sequitur suum principale ex *regul. jur. 42. in 6.* & hæc est ratio, cur Principes laici non possint ab ecclesiis, & personis ecclesiasticis, aut eorum bonis exigere tributa, exactiones, vectigalia, collectas eò quia careant jurisdictione in personas ecclesiasticas, & illarum bona: etenim sine potestate jurisdictionis, & sine subditis non possunt tributa exigi: quia tota, & adæquata ratio exigendi tributa est jurisdictio in Principe, & subjectio in illis, à quibus Princeps tributa exigit: hæc autem adæquata causa cessat in Principe laico respectu ecclesiasticorum; quia Princeps non habet jurisdictionem in ecclesias, nec personas ecclesiasticas, neque istæ subijciuntur Principi laico.

Hinc Urbanus VIII. die 23. Septembris an- 12
no 1641. constitutionem edidit, cui initium est. *Romanus Pontifex*, in qua declarat. Primò quòd impositiones, & exactiones, quarumcunque contributionum, & collectarum super bonis, vel fructibus ecclesiarum, monasteriorum, vel locorum piorum sint prorsus invalidæ, ac illicitæ, tametsi à sponte consentientibus datæ, & solutæ fuerint. Secundò esse irritas, & illicitas, quamvis à tempore immemoriali fuerint exactæ, & solutæ. Tertiò tametsi fuerint solutæ, & exactæ prætextu privilegij

legij Apoſtolici conceſſi Principi. Quartò quamvis petitæ, exactæ, & ſolutæ fuerint cum tolerantia, facultate, ac permiſſione Prælatorum eccleſiaſticorum inferiorum, Epiſcoporum, Abbatum, ac Præpoſitorum Generalium, Provincialium, Priorum, Rectorum, imò & Legatorum, ac Nuntiorum ſedis Apoſtolicæ. Quintò ut reſtituantur in integrum omnia præjudicialia in contrarium facta, & præcipitur ut non ampliùs talia impoſterum attententur. Sextò quamvis ea fuerint attentata per Imperatores, & Reges, & quoscunque alios ſufficienti, & legitima facultate Apoſtolica non munitos. Septimò quamvis præjudicialia immunitati eccleſiaſticæ attentata fuerint ſub prætextu, quòd Bullæ, ſeu conſtitutiones Apoſtolicæ non fuerint publicatæ, vel uſu receptæ, vel quia fuerint per alias conſtitutiones Apoſtolicas revocatæ, adhuc nullius ſint valoris, & reſarciendum ſit eccleſiæ damnum illatum per tales exactiones. Rurſus in fine conſtitutionis addunturclauſulæ derogatoriæ, & omnibus judicibus ordinarijs, & delegatis quacunque authoritate præditis adimitur facultas aliter judicandi declarandi, aut interpretandi præfatam conſtitutionem.

13 Neque obſtat *c. ſi tributum 27. cauſ.* 11. *q.* 1. ubi refertur illud S. Ambroſij: ſi tributum petat Imperator, non negamus, agri eccleſiæ ſolvunt tributum: ſiquidem reſpondet Suarez *lib. 4. de religione. c. 21. num. 12.* S. Ambroſium non fuiſſe locutum de jure, adeo ut Imperator potuerit tributum illud exigere, ſed tantùm fuiſſe locutum defacto, illud potius permittendo ad præcavenda majora mala, quàm approbando. Neque urget, quod reſpondent nonnulli, onera impoſita prædijs eſſe purè realia, & non perſonalia, nec mixta, proinde poſſe Principes à prædijs etiam pertinentibus ad eccleſiaſticos exigere tributa, & exactiones absque læſione immunitatis eccleſiaſticæ; quia non gravantur perſonæ eccleſiaſticæ, ſed tantùm ipſa prædia, quatenus ſunt res temporales.

14 Nam contra eſt. Primò falſum eſt, onera impoſita prædijs pertinentibus ad eccleſias, vel eccleſiaſticos eſſe merè realia, ſunt enim mixta, quæ principaliter, & immediatè aggravant perſonam eccleſiaſticam, & mediatè ipſa prædia: ratio eſt, quia Princeps laicus non poteſt hæc onera imponere prædijs ſubditorum, niſi ratione jurisdictionis, ſi enim deſit jurisdictio, ceſſat facultas exigendi tributa, & exactiones: atqui jurisdictio ex ſuo conceptu formali, & eſſentiali, reſpicit, primò per ſe, & immediatè ipſas perſonas ſubditas, idque evidenter oſtenditur ex actibus ejusdem jurisdictionis, ſunt enim tales actus præcipere, prohibere, punire, abſolvere, qui omnes immediatè, & per ſe exigunt, exerceri circa perſonas ſubditas, & ratione præditas, adeo ut in earundem bona non exerceatur jurisdictio niſi indirectè, & per accidens, quatenus ſunt acceſſoria perſonis: hinc ſi imponere onera, & exigere tributa ſunt actus jurisdictionis in Principe ea exigente, ſequitur evidenter hæc onera impoſita non eſſe merè realia, ſed mixta, quatenus imponuntur tributa immediatè perſonis, in quas feruntur per ſe primò actus jurisdictionales, & mediantibus perſonis ad earum bona, quatenus hæc ſunt acceſſoria, & ſequuntur ſuum principale: & quia Princeps laicus non habet jurisdictionem in perſonas eccleſiaſticas, non poteſt in illas exercere actus jurisdictionales, conſequenter nec imponere onera, tributa, & exactiones, cùm hæc omnia ſint actus jurisdictionis.

15 Secundò quia onera merè realia imponi poſſunt etiam à perſonis privatis, quæ nulla ſunt jurisdictione præditæ, poteſt enim quilibet ſuo prædio per pactum cenſuale, feudale, vel emphyteuticum imponere onus reale perpetuum, quódque tranſeat ad quemlibet poſſeſſorem. Secus collectæ, tributa, vectigalia non poſſunt imponi à perſona privata, ſed tantùm à publica habente jurisdictionem, neque poſſunt imponi omnibus, ſed tantùm ſubditis, in quos Princeps habet jurisdictionem.

16 Tertiò onera merè realia non imponuntur perſonis, ſed tantùm rebus propter res, quapropter dicuntur tranſire unà cum re ad quemlibet poſſeſſorem etiam non ſubditum: ſecus tributa, & exactiones cùm ſint actus jurisdictionales immediatè imponuntur perſonis, & tantùm mediatè earum bonis; adeo ut impoſitio collectarum, vel tributorum per ſe primò, & principaliter tendat in ipſas perſonas, quibus indicuntur collectæ, & mediatè ad earum bona, quæ poſſident, quamvis imponantur perſonis ratione bonorum, quæ poſſident: ex quo liquet, hujusmodi onera non eſſe merè realia, ſed mixta, quatenus partim ſunt perſonalia, & partim realia, quatenus imponuntur ſubditis cum ordine ad bona, quæ poſſident, ſeu imponuntur perſonis propter bona, quæ ut acceſſoria ſequuntur perſonas.

17 Quartò quia onera merè realia ſunt inſeparabiliter annexa ipſis bonis, quæ aggravant, proinde ſunt perpetua, & invariabilia: ſecus tributa, & exactiones ſunt extraordinariæ, temporales, variabiles, & incertæ, quatenus urgente neceſſitate ex fortuito caſu imponuntur. Non enim Princeps poteſt pro ſuo libito exigere hujusmodi exactiones, & tributa, ac vectigalia, ſed ex juſtis cauſis, quas Cajetanus *in ſumma V. vectigalia iniqua* recenſet, & ait, revera vectigal eſſe juſtum ex quinque cauſis. Primò *ex agente*, adeo ut imponatur ab eo, qui habet legitimam authoritatem; proinde tantùm *illis*, qui non ſunt exempti. Secundò *ex fine*, adeo ut ſubſit juſta cauſa imponendi tale vectigal: & hæc juſta cauſa poteſt eſſe duplex, primò ſuſtentatio dignitatis Principis, eò quia cũ Princeps pro republica laboret eam tuendo, conſervando, æquitas exigit, ut viciſſim Reſpublica Principem ſuſtentet juxta exigentiam ſuæ dignitatis. Secunda eſt, neceſſitas urgens, vel ingens utilitas boni publici, cui alia ratione ſubveniri non poſſit, ut ſi exercitus ſit neceſſarius pro publica patriæ defenſione, ſi inſtauranda ſint opera publica. Tertiò *ex forma* quando ſcilicet tributum imponitur pro debita proportione,

tione, seu pro ratione facultatum cujusque, ne pauperes graventur præ divitibus: iniquum enim foret, si pauperes plus ad Principis statum sustentandum deberent conferre, quàm divites, sic enim pauperes multò plus gravarentur, quàm divites, & non servaretur debita proportio. Quartò *ex materia* cum scilicet vectigalia imponuntur illis rebus, quæ negotiationis causâ deferuntur, & non illis, quæ ad usus necessarios, & inopiæ solatium emuntur, & venduntur, ut sunt panis, potus communis civium, caro, & alia id genus, quæ necessaria sunt pro simplici sustentatione vitæ humanæ. Quintò *ex usu*, nimirum ut contributiones, & exactiones insumantur in causam publicam, ob quam fuerunt impositæ, & non prorogentur ultra necessitatem.

18 Cæterum ut Principes laici ob urgentem aliquam necessitatem exigant contributiones à clericis, & ut isti licitè eas solvant, plures requiruntur conditiones. Prima est, ut priùs consuletur summus Pontifex, cum ipse solus sit supremus administrator, idque desumitur ex *c. adversus 7. h. t.* ubi Pontifex ait: in necessitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum etiam cùm non suppetunt facultates laicorum, clerici non possunt conveniri, nisi priùs consulatur Papa; ex quo liquet, non posse Principes laicos propria authoritate collectas exigere à clericis, nec eos adigere ad contribuendum, neque posse ipsos clericos propria authoritate ex bonis ecclesiasticis contribuere, nisi priùs Papam consuluerint, ac debitam ab eo obtinuerint licentiam: nisi Pontifex nimium distet, & necessitas urgeat, ac periculum imminеat, ex quo timeatur etiam exitium ipsarum ecclesiarum, & bonorum ecclesiasticorum, ut si timeantur hostiles incursus, & periculum sit in mora; nec possit tam cito recursus ad Papam haberi: tunc enim etiam ipso inconsulto possunt clerici pro comuni defensione laicis contribuere; quia urgente extrema necessitate leges locum non habent, & tunc supponitur tacita licentia, quia ex tam rationabili causa concederetur.

19 Secundò hujusmodi contributiones ab ecclesiasticis debent fieri sponte absque ulla coactione, aut imperio, & desumitur ex *c. non minus 4. h. t.* ubi dicitur, quòd si Episcopus, & clerus videant tantam necessitatem, vel utilitatem, ubi laicorum non suppetunt facultates, possint absque ulla exactione dare subsidia per ecclesias, quia clerici non sunt compellendi à laicis, ut contribuant, sed tantùm per judicem, & Prælatum ecclesiasticum: proinde *in d. c. adversus 7. h. t.* additur, quòd laici debent humiliter, & cum gratiarum actione recipere, quod illis datur à clericis, quia ex pura gratia clerici contribuunt, non ex ulla necessitate, nec debito.

20 Tertiò tunc tantùm contributiones fieri à clericis, quando facultates laicorum non sufficiunt ad relevandas communes necessitates, ut habetur *in d. c. adversus 7. h. t.* ubi Pontifex expresè ait, non posse clericos conveniri, nisi quando laicorum facultates non suppetunt.

Quartò, ut necessitas valdè urgeat, vel 21
utilitas evidenter appareat: & debet hujusmodi necessitas, vel utilitas esse communis, tam laicorum, quàm clericorum, ut dicitur in *d. c. non minus 4. h. t.*

Quintò, ut Episcopus, & clerus tunc de- 22
liberent, an & quantum sit laicis contribuendum juxta urgentem necessitatem, & desumitur *ex d. c. non minus 4. h. t.* ubi dicitur, quòd collectivè Episcopus, & clerus debeant necessitatem, vel utilitatem perpendere, unde nec clerus sinè Episcopo, nec iste sinè clero potest hac in re quidquam statuere, quia in his, quæ concernunt totum clerum, non sufficit, si Episcopus consensum habeat sui capituli, sed necesse est, ut totus clerus, vel saltem potior pars illius consentiat *argu. clement. 1. de censib.* Abbas in *d. c. non minus 4. n. 5. h. t.* & desumitur *ex regula juris 29. in 6* quia, quòd omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Verùm hac in re spectanda potissimum est loci consuetudo.

Tametsi spectato jure communi tam cano- 23
nico, quam civili, non possint Principes laici ordinariè, & regulariter exigere ab ecclesijs, & personis ecclesiasticis contributiones, vel exactiones etiam ratione bonorum, quæ ab ijsdem possidentur: in aliquibus tamen casibus possunt has contributiones exigere. Primò, si bona immobilia, etiam non feudalia fuerint non liberè, sed cum reservatione, & conditione à prima fundatione donata ecclesiæ, scilicet sub ea conditione, & pacto, ut semper maneant sub ejus jurisdictione, & sub eodem foro: siquidem potest Princeps bona sua ex integro donare, vel tantùm ex parte, vel sibi reservare illud jus, quòd ipsi magis placuerit, tunc enim non donat totum illud bonum ecclesiæ, sed tantùm partem illius; consequenter, quod sibi retinuit, potest semper exigere, quia nunquam fuit translatum in dominium ecclesiæ, proinde ex eo, quòd exigat jus suum, non aggravat ecclesiasticos, nec lædit immunitatem ecclesiæ, quæ ab initio potuisset bonum illud non acceptare, si prævidisset sibi futurum grave. Cæterum donare aliquid sub aliqua conditione, pactione, vel reservatione alicujus juris ex suo objecto secundum se non est quid illicitum.

Secundò, si Princeps sæcularis, sive is fue- 24
rit Rex, sive Imperator dederit clericis, vel ecclesijs bona feudalia, quia tunc ratione feudorum clerici immediatè subiiciuntur Imperatori, vel alteri Domino feudi, quia dominium directum bonorum feudalium manet semper penes Imperatorem, vel Dominum feudi, & ratio est, quam assignat Abbas *in c. dilectus 44. n. 4. de prabend.* quia eo ipso, quòd ecclesia accipit feudum à laico, censetur, ut laicus, non ut ecclesiasticus: hinc, quia clerici quoad bona feudalia non gaudent privilegio fori, conveniri debent coram Domino feudi, ut desumitur *ex c. ex transmissa 6. & sequent. de for. compet.* Tertiò, si ex speciali privilegio, & licentia expressa summi Pontificis Principes sæculares à

clericis contributiones petant, quia ex justa causa potest summus Pontifex, ut supremus Administrator bonorum ecclesiæ hoc privilegium nonnunquam Principibus laicis concedere.

§. VI.

De Effectibus immunitatis asyli.

1 PRimus, & præcipuus effectus immunitatis asyli est illud commodum, quod Rei confugientes ad Ecclesias, vel alia loca sacra habent, ut existentes in locis sacris non possint inviti à laicis ministris abstrahi, & desumitur *ex c. inter alia 6. h. t.* ubi Bonifacius VIII. ait quòd si Reus cuiuscunque maleficij confugerit ad ecclesiam, non sit inde violenter extrahendus, nec inde damnandus ad mortem, vel pœnam corporalem, unde si defacto extractus fuerit, ecclesia potest de jure petere, ut ipsi restituatur: siquidem non de jure, sed tantùm de facto fuit extractus: immo etiam ipsa ecclesia potest agere ad ejus restitutionem, eò quia fuerit sua libertate spoliata, ut desumitur ex *c. minor 8. caus. 17. q. 4.* immò id etiàm procedit, quamvis Reus non gauderet immunitate, quia tunc requiritur licentia Episcopi: imò nec tunc potest apprehensus brachio sæculari interim detineri, ne fugiat, nec potest ad Episcopum duci, si ecclesiastici quærant illum dimittere, quia in his omnibus semper sit irreverentia loco sacro.

2 Verùm si judex nullam inferendo vim tantùm alliceret Reum, qui propterea sponte, & voluntariè exiret ab ecclesia, tunc posset capi absque violatione immunitatis ecclesiæ, quia tunc nulla infertur ecclesiæ violentia, quæ sola ex vi immunitatis prohibetur, ut constat *ex c. inter alia 6. h. t.* ubi dicitur, quòd Rei non sint violenter ab ecclesia extrahendi: & ratio est, quia beneficium non datur invito *l. invito. 69. §. de R. I.* unde tunc nec ipsi Reo fit injuria, cum volens, & consentiens exeat ab ecclesia, nec etiam ipsi ecclesiæ: quia Reus revera per vim non extrahitur, sed ipse sponte egreditur. Aliter autem dicendum esset, si Judex verbis subdolis, ac dolosè Reum traheret extra ecclesiam, ut eum caperet, tunc enim violaretur immunitas ecclesiæ, quia dolus tunc habetur pro vi, & induit naturam violentiæ, ut notat Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 13. in fin.*

3 Major difficultas est, an si Reus, jam captus, eripiatur de satellitum manibus, & ad ecclesiam confugiat, an tunc debeat restitui Judici, seu curiæ sæculari, à qua fuit violenter ereptus. Pasqualigus *in suis decis. moral. decis. 486.* mordicùs sustinet, Reum per vim ereptum è manibus satellitum esse restituendum curiæ sæculari, & probat ex eo, quia injusta spoliatio non privat Dominum jure, nec dominio rei, quâ spoliatur: alioquin non esset injusta spoliatio, quo fit, quòd per furtum nunquam Dominus amittat dominium rei furto sublatæ. Tum quia nemo potest sibi retinere rem alieni juris, sed tenetur eam restituere Domino, præsertim si hic contradicat tali retentioni: quapropter cum injustè spoliatus habeat jus ad repetendum, quod suum est, nec possit ab aliquo impediri, & qui habet rem alienam, teneatur eam restituere injustè spoliato re sua, sequitur, quòd teneatur ecclesia restituere Reum curiæ sæculari, à qua fuit per vim ereptus: siquidem curia sæcularis fuit injustè spoliata tali Reo, quia fuit spoliata per vim à non habentibus potestatem: quapropter non obstante tali injusta spoliatione curia sæcularis adhuc retinet jus, & dominium supra Reum, quem propterea potest repetere apud quemcunque reperiatur, nec potest ab alio impediri, ne illum repetat, quapropter ecclesia secundùm leges justitiæ tenetur Reum illum restituere curiæ sæculari, ut eidem resarciatur damnum illatum.

4 Quòd si dicas, ecclesiam gaudere privilegio immunitatis, respondet Pasqualigus *loco cit. n. 7.* hoc privilegium tantùm se extendere ad illos, quos potest justè protegere, non verò se extendere ad protegendam injustitiam, & agendum contra principia legis naturalis nolendo alteri reddere, quod suum est; quod sanè contingeret, si nollet Reum restituere curiæ, quo injustè, & per vim fuit spoliata. Tum quia privilegia quæcunque illa sint, non possunt habere pro objecto rem injustam, & tale esset privilegium impediens, nè alius recuperet jus suum. Hinc concludit Pasqualigus, posse ecclesiam tunc tantùm protegere Reum, quando non est sub jure, & dominio curiæ, & reus confugit ad ipsius protectionem.

5 Diana è contra *p. 6. resol. moral. tract. de immun. eccles. resol. 25.* nervosè defendit non posse ab ecclesia repeti Reum, qui ereptus de satellitum manibus ad ipsam confugit: & probat primò, quia Reus confugiens ad ecclesiam, gaudet sua libertate, proinde debet gaudere immunitate ejusdem *c. inter alia 6. h. t. c. definivit. 17. q. 4. & l. 2. C. de his, qui ad ecclesiam confugiunt*, ubi omnibus absolutè, & sine ulla distinctione, ac limitatione conceditur immunitas: eo autem ipso, quòd reus per vim ereptus est è manibus satellitum, acquirit suam libertatem, proindè si liberè confugiat ad ecclesiam, gaudet ejus immunitate, quando enim lex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Secundò, quia si Reus seipsum eximat è manibus satellitum, sibi vindicat propriam libertatem, & ex capto fit liber, proinde si confugiat ad ecclesiam, gaudet immunitate, & non est restituendus, ergo debet etiam gaudere, quamvis ab alijs fuerit violenter ereptus è manibus satellitum; quia sive uno, vel altero modo eripiatur, semper enanciscitur propriam libertatem, & ut liber confugit ad ecclesiam. Tertiò quia in constitutione Gregoriana excluduntur Rei, qui non possunt immunitate ecclesiastica gaudere, & in illa constitutione non excluditur Reus per vim ereptus è manibus satellitum, & cum verba constitutionis non sint amplianda, nec extendenda, nec amplianda, aut declaranda; sed intelligenda prout sonant; non est, cur Reus etiam per vim ereptus

reptus è manibus satellitum, debet gaudere immunitate, si ad ecclesiam confugiat.

6 Huic secundæ sententiæ adhærendum puto. Primò quia revera in constitutione Gregoriana non habetur, quòd talis Reus per vim ereptus è manibus satellitum, non debeat gaudere immunitate ecclesiastica, unde cùm jura ipsi non denegent privilegium immunitatis, nec debemus nos illud ipsi denegare. Secundò quia ecclesia nullam vim intulit curiæ sæculari, & ex alio capite habet jus suum à Deo, & à Papa, proinde cùm nulli alij subjiciatur, non potest tali jure, & privilegio ullo modo spoliari sinè consensu Papæ. Tertiò quia eo ipso, quòd Reus eripitur è manibus satellitum, quocunque modo id contingat, habet jus ad propriam libertatem, & vitam tuendam: ex jure enim naturæ tenetur quisque propriam vitam tueri: quin immò hoc jus etiam habet Reus, quamvis detineatur in carcere, adeò ut possit ad tuendam vitam, & vindicandam libertatem inde evadere: cum igitur Reus semel ereptus è manibus satellitum, habeat jus ad tuendam propriam vitam; habet etiam jus confugiendi ad ecclesiam, cùm sit medium necessarium ad tuendam vitam, qui enim habet jus ad finem, habet etiam jus ad media necessariò connexa cum tali fine: quamobrem Reus semel ereptus è manibus Satellitum, si confugiat ad ecclesiam utitur jure suo; & ecclesia eum protegit, ut utentem jure suo, & cum licitum sit uti proprio jure, non protegit Reum in re illicitâ: nec fovet aliquid injustum.

7 Quòd si dicas, Reum manere saltem moraliter sub dominio Curiæ sæcularis, proinde esse restituendum: quia etiam si servus fugiat à Domino suo, quia remanet sub ejus dominio est illi restituendus. Respondetur, Reum non manere totaliter sub dominio curiæ, sicut servus remanet sub dominio sui Heri, proinde licèt servus sit restituendus hero, non ita Reus curiæ: quia si Reus sit addictus dominio curiæ certè tantùm ratione pœnæ, quam ob delictum teneretur subire: hoc autem dominium, & jus impeditur à protectione ecclesiæ, perinde ac impeditur jus capiendi, quod convenit curiæ, si Reus antequam capiatur confugiat ad ecclesiam: unde per accidens est, quòd non possit exercere suum jus, & dominium.

8 Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, verum esse, posse quemque repetere quod suum est, & eum, qui rem alienam retinet invito domino teneri restituere: sed hoc tantùm procedit, quando res est sub pleno dominio illius, qui eam repetit, quo pacto servus fugitivus est restituendus Domino, ut etiam equus furto ablatus: non ita quando res non est sub pleno repetentis dominio, & ex alio capite concurrit impedimentum majus: ut quando Reus per vim ereptus è manibus satellitum confugit ad ecclesiam; non enim tunc est totaliter sub dominio curiæ, sed tantùm ratione pœnæ subeundæ: & quia ex alio capite hoc jus puniendi Reum impeditur à protectione ecclesiæ; non potest curia illum repetere, quia ecclesia impedians jus curiæ in ordine ad puniendum Reum utitur privilegio, & jure proprio, & utens jure suo non facit alteri injustitiam: & rursus reus semel ereptus è manibus satellitum habet jus ad tuendam propriam libertatem, & vitam, proinde ad licitè confugiendum ad ecclesiam, cum tunc sit medium necessarium ad vitam, vel libertatem tuendam; proinde ecclesia debet illum protegere, & denegare curiæ sæculari eum petenti. Tum quia non magis pertinet tunc reus ad curiam sæcularem ratione pœnæ eidem infligendæ, quàm ad ecclesiam ad illum protegendum: atqui ecclesia de facto est in possessione suæ protectionis cum ad ipsam reus confugerit, & conditio possidentis semper est melior.

9 Neque obstat, quòd objicit Novarius apud Dianam *loc. cit.* quòd Judex laicus si Reum violenter capiat extractum ab ecclesia teneatur eidem restituere, proinde etiam vice versa teneri ecclesiam restituere Reum curiæ sæculari violenter illo spoliatæ. Nam respondet Diana *loc. cit.* non procedere argumentum à casu privilegiato ad non privilegiatum, nec à favorabilibus ad odia. Tum quia non ecclesia, sed alij spoliant curiam sæcularem suo reo, scilicet illi, qui violenter è manibus satellitum illum eripiunt. Cæterum semel ereptus, & propriam enactus libertatem liberè confugit ad ecclesiam, quæ propterea tenetur illum protegere, cùm fuerit usus jure suo, quod habet ad tuendam propriam vitam per illud medium tunc necessarium fugiendi ad ecclesiam: secus quando Reus per vim eripitur ab ecclesia, ipse Judex sæcularis per vim Reum extrahit, & cum jus, quod habet ecclesia ad protegendum Reum sit à Deo, aut à Papa, non potest à Judice sæculari spoliari absque consensu Papæ, sive Reus subdolis verbis, & fallacijs extrahatur ab ecclesia, sive vi, & dolo. Quamobrem Judex laicus tenetur restituere Reum ecclesiæ spoliatæ; quia per talem spoliationem ecclesia non amittit jus acquisitum protectionis; proinde si curia sæcularis capiat in ecclesia Reum, lædit tale jus, & ex injusta læsione oritur in curia obligatio restituendi eundem Reum ecclesiæ; secus quando ecclesia protegit Reum ab aliis violenter ereptum è manibus satellitum, non est ecclesia, quæ lædit jus curiæ, quia hæc tantùm protegit Reum utentem jure suo, & protegit in eo, in quo potest; quia citra injuriam alterius potest unicuique jus proprium protegi: & Reus semel ereptus è manibus satellitum cùm habeat jus ad tuendam propriam vitam, habet etiam jus ad confugiendum in ecclesiam, cùm sit medium tunc necessarium ad tuendam vitam.

10 Hinc si ex eo, quòd ecclesia protegat Reum impediatur jus alterius, seu curiæ habentis jus puniendi Reum, id per accidens se habet, quia potest quisque uti jure suo, tametsi inde sequatur damnum alterius, quia tantùm per accidens sequitur tale damnum, & utens jure suo nemini facit injuriam *l. si eni §. denique Marcellus ff. de aqua pluv. arcend.* Hinc si curia sæcularis violenter extrahat ab ecclesia talem Reum, non solùm tenetur illum restituere, sed etiam resarcire

eire omnia damna, quæ passus est Reus, quia curia deliquit contra justitiam, privavit Reum jure suo. Et quamvis D. Thomas 2.2. *q. 99. art. 2.* dicat, extrahentem Reum ab ecclesia committere tantùm sacrilegium, id sanctus Doctor intelligit de peccato primario, non verò de peccato quod se habet consecutivè, quatenus suppositâ immunitate competit Reo jus tuitionis.

11 Accedit etiam alia ratio, quia jurisdictio judicis laici est à populo, & subjicitur potestati ecclesiæ, quâ propterea potest summus Pontifex ob finem supernaturalem judicem laicum privare; ut in nostro casu ob reverentiam debitam ecclesijs ac locis sacris ad majorem Dei gloriam censetur summus Pontifex hac jurisdictione spoliâsse Judicem laicum in omnibus illis casibus, qui non excipiuntur in præcitata constitutione Gregoriana, quia Pontifex mandat, reum gaudere immunitate exceptis casibus ibi expressis; proinde privat judicem laicum jurisdictione capiendi reum in ecclesia; & cum Pontifex non distinguat de reo ante, vel post capturam, aut sententiam; neque nos debemus distinguere, sed intelligere verba Bullæ, ut jacent: unde dicendum est, Reum gaudere immunitate si ad ecclesiam confugiat, sive per se ipsum è manibus satellitum evaserit, sive per aliorum vim fuerit violenter ereptus: sive etiam per vim ipsos satellites traxerit ad ecclesiam, eósque vulneraverit.

12 Gaudet etiam privilegio immunitatis Reus damnatus ad triremes, vel etiam ultimum supplicium, si ad ecclesiam confugiat; quia Pontifex in sua constitutione non excludit reos post sententiam; sed nulla adhibita distinctione ait, generatim Reos gaudere privilegio immunitatis si ad ecclesiam confugiant exceptis aliquibus tantùm casibus in Bulla Gregoriana expressis. Neque obstat, si dicas, damnatum ad triremes fieri servum pœnæ, proinde non esse ab Ecclesia protegendum: quia ecclesia non protegit servos fugientes à suis Dominis *c. inter alia §. si verò servus. de immunit.* Nam contra est, quia hodie per condemnationem ad publicum aliquod opus nemo fit servus pœnæ, ut habetur in *authent. sed hodie. C. de donat.* ut notat Correa *p. 2. num. 9.* & hoc procedit sive pœna temporalis sit, sive perpetua, quia per condemnationem ad illam reus non contrahit servitutem. Neque obstat, quòd Reus damnatus ad talem pœnam æquiparetur servo. Nam hæc æquiparantia non tollit, quin Reus sit Reus, neque tollit discrimen inter reum, & servum: servi enim à Dominis fugientes propriè non dicuntur Rei; quia habent jus ad propriam libertatem, secus Reus revera semper est Reus, proinde gaudet immunitate.

13 An verò si Reus ob delictum, quo non gaudet privilegio immunitatis confugiat ad ecclesiam possit violenter etiam sine consensu, & licentia Episcopi, vel Rectoris ecclesiæ extrahi à curia sæculari; affirmat Covarruvias *lib. 2. resolut. c. 20. num. 18. Corol. 34.* eò quia tunc jus ipsum dat curiæ sæculari hanc facultatem, proinde non est necesse, eam ab homine petere, & obtinere, quia ecclesia non tutatur, nec protegit fugientes ad ipsam ob delicta, quæ excipiuntur in jure: unde per violentam extractionem non fit injuria ecclesiæ, quia non extrahitur ea renitente: adhæret etiam huic sententiæ Julius Clarus *q. 50. num. 20.* ubi ait, esse sententiam communem, quæ Covarruvias *loc. cit.* addit deduci ad praxim, ac satis receptam esse moribus Christiani orbis. Verùm Covarruvias *in tract. de immunit. eccles.* est cautè legendus; quia nec pie loquitur, nec ecclesiæ favet; unde respondendum est, non posse Reum etiam ob delicta in jure excepta violenter extrahi ab ecclesia sine consensu Episcopi, vel Rectoris ecclesiastici: ratio est, quia sine cognitione causæ Reus supponitur gaudere immunitate, donec probetur quòd commiserit tale delictum, ob quod non gaudet privilegio immunitatis, & cognoscere de causa pertinente ad immunitatem spectat ad judicem ecclesiasticum; proindè debet judex ecclesiasticus ferre sententiam, an gaudeat, vel non, proinde sine illius consensu non potest extrahi violenter ab ecclesia. Tum quia judex sæcularis non habet jurisdictionem in ecclesia, cum hæc non sit de territorio jurisdictionis pertinentis ad judicem sæcularem, ut rectè notat Fagnanus *in c. inter alia 6. num. 79. & 98. h. t.* capere autem Reum in aliquo loco est jurisdictionem exercere in tali loco, & nemo potest jurisdictionem exercere in territorio non suo, quia violaretur aliena jurisdictio: ita neque potest violenter extrahere curia sæcularis, nec capere reum in ecclesia violenter sine consensu Prælati ecclesiastici, quia hoc perinde foret, ac violare jurisdictionem alienam, seu ecclesiasticam. Demum quia in allegata constitutione Gregorij XIV. §. *volumus* expressè statuitur, ut curia sæcularis, ejúsque judices, & Officiales ab ecclesijs, monasterijs, locisque sacris laicum aliquem delinquentem in aliquo ex casibus ibi exceptis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & interventu personæ ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, capere, extrahere, aut incarcerare non possint. Unde etiam ob delicta excepta non possunt Rei sine licentia superioris ecclesiastici violenter extrahi ab ecclesia.

Secundus effectus hujus immunitatis est, 14
ut Reus dum exiliit in ecclesia, vel loco sacro, non dicatur esse in territorio Principis, quia ecclesia secundùm Aymon. *cons. 308. num. 6. lib. 5.* & alios non est propriè de territorio Principis, & licèt ratione situs possit dici de territorio Principis, eò quia comprehendatur intra districtum suæ ditionis, non tamen est de territorio Principis quoad effectus juris, & præcipuè in ordine ad violentam extractionem Rei ab ecclesia: quapropter Legistæ *in l. fin. ff. de jurisdic. om. judic.* asserunt æquiparari inter se, esse in loco territorij exempto, & non esse in territorio. Hinc Exul à patria, si maneat in ecclesia patriæ, non dicitur frangere exilium, neque potest ab illa extrahi, si non sit exul ob delictum exceptum, ut notat Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 8. num. 24.* Tum quia

Exu-

exules in alieno territorio non possunt capi, ut notat Diana *p. 6. tract. 1. resol. 21.* & multò minùs occidi possunt in ecclesia, nec capi, nec incarcerari, nam occidens incurreret excommunicationem Papalem, ut violator immunitatis. Hinc non potest Reus in ecclesia, vel alio loco sacro capi, nec incarcerari, nec vinculis constringi, nec potest eidem ulla alia violentia inferri, ut habetur in *c. definivit 35. caus. 17. q. 4.* ubi etiam permittitur Reis posse extra ecclesiam per 30. passus securè exire, ut etiam habetur *in l. presenti 6 C. de his qui ad ecclesiam confug.* alioquin si Reus posset in ecclesia capi, & incarcerari, etiam posset in ipsa ecclesia ut in carcere detineri, quod magis repugnat immunitati.

14 Tertius effectus, ut Reus quamdiu existit in ecclesia non possit à judice laico ad aliquam pœnam damnari, ut habetur in *c. Reum 9. & c. id constituimus 36. caus 17. q. 4. & c. inter alia 6. h. t.* ubi Bonifacius VIII. statuit, ut Reus cujuscunque maleficij, si confugerit ad ecclesiam, non sit inde violenter extrahendus, nec inde damnandus ad mortem, vel pœnam corporalem, qui textus non potest intelligi de executione ipsius sententiæ cum certum sit, non posse humanum sanguinem in ipsa ecclesia effundi, *c. Reus 7. caus. 23. q. 5. c. cum ecclesia 5. h. t.* sed intelligitur textus de ipsa prolatione sententiæ, seu condemnatione ad mortem vel pœnam corporalem: statuit tamen *in d. c. inter alia*, Bonifacius VIII. ut Reus possit puniri mulcta pecuniaria, ait enim Pontifex: super hoc tamen, quod iniquè fecit, sit aliàs legitimè puniendus, ut in pecuniis, & aliter quàm in persona, ut notat Glossa ibidem *V. puniendus*, & ratio est, quia Reus tenetur satisfacere pro injuria, & damno alteri illato.

15 Quòd si semel à judice ecclesiastico Reus mulctabitur, non poterit postea pro eodem delicto criminaliter accusari, nec inquiri, neque ulteriùs judicari, ut notat Glossa *in c. Reum 17. q. 4. V. vel ad mortem*, ut etiam Archidiaconus *num. 3.* alioquin privilegium immunitatis non faveret Reo; immo plus ipsi inferret detrimenti, & damni, si bis puniri posset pro eodem delicto. Immò plures cum Azorio *p. 2. lib. 9. c. 9. q. 12.* docent, Reum ad ecclesiam pro delictis non exceptis confugientem posse ab ea liberè egredi, & non posse à judice laico pœna corporali puniri, & hanc opinionē Persicus *lib. 1. c. 9. dub. 12. num. 121.* censet veriorem, eò quia statim ac Reus ecclesiam ingreditur, debet immunitate gaudere: & hæc opinio potest ad praxim deduci in quatuor saltem casibus. Primò quando Reus à judice ecclesiastico fuit jam condemnatus. Secundò quando extrahitur in casibus non exceptis. Tertiò aut in exceptis absque licentia Episcopi. Quartò quando in casibus non exceptis ab Episcopo curiæ laicæ remittitur præmissa cautione de impunitate delinquentis quoad omnem pœnam corporalem juxta *c. id constituimus, & c. Reum 17. q. 4.* Verùm ultimus iste casus post constitutionem Gregorianā non videtur ampliùs locū habere, cùm in illa permittatur, ut Reus concedatur solùm in casibus exceptis, pro quibus etiam corporaliter puniri potest.

Quòd si quæratur, cuinam sit restituendus Reus ab ecclesia extractus in casu, quo gaudere debeat immunitate? comunior sententia docet, sufficere si restituatur alicui ecclesiæ æquè tutæ, ac commodæ, ut erat illa, à qua fuit extractus, adeo ut possit restitui vel primæ, à qua fuit extractus, vel alteri æquè tutæ, & commodæ: ratio est, quia privilegium pro omnibus ecclesijs unicum est; & sicut per extractionem ab una omnes violantur; ita per restitutionem factam uni, satisfit cæteris. Immo sufficit, si Reus restituatur Episcopo, vel ejus Vicario. Quia Episcopus repræsentat ecclesiam: Farinacius tamen *tom. 2. consil 168. num. 49.* procedit cum distinctione, vel enim Reus petit restitui eidem ecclesiæ, à qua fuerat extractus, & tunc debet eidem restitui, quia Reus habet jus ad illam primam ecclesiam, ad quam confugerat: sin verò non petat restitui eidem ecclesiæ potest alteri restitui æquè tutæ, & commodæ. Verùm Diana *p. 6. tract. 1. resolut. 27.* affert declarationem sacræ Congregationis emanatam anno 1632. in qua declarat, Reum absolutè esse restituendum eidem ecclesiæ, à qua fuit extractus. Episcopus autem, vel judex ecclesiasticus non potest permittere, ut Reus extrahatur ab ecclesia, & concedatur curiæ laicali, nisi per probationes in sua curia priùs evidenter constiterit, Reum non gaudere immunitate. 17

Quartus effectus est, ut Magistratus sæcularis non possit prohibere, nec impedire, quo minus victus, & vestitus, & alia necessaria ad victum deferantur ad Reum *l. presente. C. de his qui ad ecclesiam confugiunt* id enim foret aperta coactio, qua adigeretur Reus, vel exire, & se tradere curiæ sæculari, vel in ecclesia mori. Cæterum potest Magistratus sæcularis milites custodes ad fores, & januas ecclesiæ, vel monasterij distribuere ne Reus inde liberè aufugiat, vel si extra fines immunitatis exierit, capi possit, quia tunc nulla violentia infertur loco sacro, & Magistratus utitur jure suo capiendo Reum extra locum sacrum; quòd si Reus esset in tali loco constitutus, ut vestis extremitas, vel lacinia extra locum immunitatis penderet, & miles custos illâ apprehensâ reum extraheret è loco sacro violaret immunitatem, quia illa vis non fieret vesti, sed personæ gaudenti in tali loco immunitate. Præterea quia vestis ut accessoria adhæret personæ, ut principali, & ipsa persona, gaudeat immunitate, etiam vestis debet eadem gaudere, quia accessorium sequitur suum principale. Hoc idem etiam procedit si Reus poneret pedem, vel brachium extra locum immunitatis, dummodo reliquum corpus maneret in loco sacro, quia membra habentur, ut accessoria ad corpus. 18

Ultimus effectus quem operatur immunitas asyli, est, ut non solùm ipse Reus non possit ab ecclesia extrahi, sed nec etiam eius res, aut bona, quæ fugiens detulit ad ecclesiam, ut desumitur *ex c. sicut. 6. c. definivit. 35.* ratio est, quia in loco immunitatis debet Reus immunis esse ab omni damno, & si privaretur suis 19

rebus, & bonis, quæ secum detulit, damnum illi inferretur. Id autem procedit de illis rebus, & bonis, quæ sine alterius injuria Reus secum detu'it; alioquin si res alienas, vel furto sublatas secum detulisset ad ecclesiam, possent res illæ eidem auferri, quia ad ipsum non pertinent, nec quoad eas gaudet immunitate, quia cùm sint res pertinentes ad alios, non habet in illas jus, proinde non sunt accessoriæ ad ejus personam, & desumitur *ex c. de Raptoribus 3. cauſ. 36. q. 1.* ubi dicitur, quòd si quis fœminam secum ad ecclesiam duxit, debeat ea ipsi auferri, quamvis ipse per vim non sit extrahendus. Quòd si judex sæcularis absque licentia Prælati ecclesiastici violenter extraheret Reum è loco sacro, sacrilegium committeret, ut desumitur *ex c. sacrilegium 4. cauſ. 17. q. 4.* Immo in tali casu possunt Prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ resistere brachio sæculari cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ; eò quia licitum sit vim vi repellere, & ecclesiasticam immunitatem tueri: modus autem resistendi cum moderamine inculpatæ tutelæ in eo consistit, ut fores ecclesiæ claudantur, & alia externa remedia adhibeantur ad arcendam violentiam sine armis, cùm ecclesia non sit more castrorum custodienda: Suarez tamen *de Religion. tom. 1. lib. 3. c. 12. num. 5.* id extendit, quòd Prælati, & Rectores ecclesiæ etiam possint uti auxilio laicorum ad defendendam ecclesiam, si grave damnum inde eidem ecclesiæ immineat.

10 Quinimmo qui violenter extrahit Reum ab ecclesia, vel loco sacro ob delictum in constitutione Gregoriana non exceptum, violat immunitatem ecclesiasticam secundùm jus canonicum; & secundum jus civile incurrit crimen læsæ Majestatis, estque ultimo supplicio afficiendus *l. præsentib. C. de hæ, qui ad ecclesiam confugiunt*, tametsi nunc hæc pœna vix reperiatur in usu: verùm secundùm jus canonicum extrahentes violenter Reum ab ecclesia excommunicantur, nec ad communionem admittuntur, donec admoniti legitimè satisfaciant *c. quisquis 21. §. si quis domum cauſ. 17. q. 4.* Non tamen excommunicantur absolutè, sed conditionatè si nolint ecclesiæ satisfacere, nec Reum restituere, quia ob delictum commissum non fertur excommunicatio nisi sub conditione de futuro, si non paruerit, vel satisfecerit.

§ VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an statutum laicorum præcipiens, ne bona immobilia sæcularium alienentur ecclesijs, vel clericis, seu ijsdem vendantur, sit contra immunitatem ecclesiasticam. Hujusmodi statuta vocari solent leges amortizationis, eò quia bona, si vendantur ecclesijs, vel ecclesiasticis transeant ad manus mortuas, quantus non ampliùs revivicunt Principi, qui non potest onera ijsdem imponere. Tractat præ cæteris de hac materia doctè & fusè Diana Coordinatus *tom. 9. tract. 3.* ubi agit de statuto prohibente alienationem bonorum stabilium in ecclesias, & ecclesiasticas personas. Rationes dubitandi sunt. Primò quia leges amortizationis sunt propter bonum commune, & subditorum, ut nimirùm ijsdem salva conservarentur bona immobilia: & leges, quæ promovent bonum commune, justæ sunt, & vim habent obligandi.

Secundò possunt privati ex pacto, conventione, testamento pro ipsorum interesse convenire, ne bona alienentur in ecclesias *l. fin. C. de pact. inter emptor. & venditor.* ergò à fortiori potest Princeps pro bono publico, & interesse Reipublicæ has leges amortizationis condere: siquidem valet argumentum de pacto ad statutum, seu legem. *l. fin. C. de fide juſſ.* 2

Tertiò, quia valet statutum, quòd monasterium non succedat Novitio emittenti solemnem professionem, ut docet Bartolus *in l. fin. C. de pact. n. 6.* ergò debet etiam valida esse lex amortizationis, qua impediuntur bona sæcularium alienari, aut vendi ecclesijs. 3

Quartò, quia est tantùm contra libertatem ecclesiasticam lex, quæ prohibet alienationem omnium bonorum in ecclesiam, & clericos, non verò lex, quæ tantùm prohibet alienationem bonorum immobilium: atqui lex amortizationis, non prohibet alienationem omnium bonorum, sed tantùm bonorum immobilium; consequenter non videtur esse contra libertatem ecclesiasticam. 4

Quintò, quia aliud est statuere super bona jam ab ecclesijs, & ecclesiasticis acquisita, & aliud super bona nondum acquisita, sed tantùm acquirenda; lex autem amortizationis non statuit quidquam contra bona acquisita ab ecclesiasticis, sed tantùm circa bona sæcularia, & vult, quòd bona immobilia sæcularium non alienentur, nec vendantur nisi personis laicis; idque ob bonum commune, ut Princeps possit illis onera imponere, ut cæteri minus graventur: unde lex amortizationis primariò per se, & directè tantùm statuit de bonis immobilibus sæcularium, proinde non lædit libertatem ecclesiasticam. 5

Sextò, quia ex frequenti venditione, & alienatione bonorum immobilium ecclesijs, & personis ecclesiasticis minuuntur Principum reditus, qui propterea supplendi sunt ab alijs sæcularibus, qui duplò gravantur: si enim bona immobilia ecclesiarum, & Religiosorum pertinerent ad sæculares, isti solverent, & proventus Principis augerentur, & subditi sæculares minus gravarentur: unde cum lex amortizationis sit ad promovendum bonum commune, ut Princeps aucto ærario possit validiùs suos subditos defendere, dicenda est lex justa. 6

Septimò, quia Sacerdotes & Levitæ in lege Mosaica non possidebant bona stabilia, ut in lege Evangelica clerici, & Religiosi: unde possidere talia bona immobilia non est quid necessarium cum sacerdotio, præsertim cùm plures sint Religiosi in lege Evangelica, qui 7

non

non possident hujusmodi bona immobilia, & nihilominùs nihil ipsis deest quoad victum, & vestitum.

8 Octavò, quia Religiosi non contenti aliquorum bonorum sufficientium pro congrua sustentatione acquirunt semper plura cum ingenti detrimento Principis, & sæcularium: unde saltem compescenda est cupiditas hæc in acquirendis superfluis, & impediendum, ne omnia bona immobilia ad manus deveniant Religiosorum.

9 Respondetur, leges amortizationis esse contra immunitatem ecclesiasticam, eò quia prohibeant ecclesiasticis, quòd nec jure naturali, nec jure divino est ipsis prohibitum, quinimò humano jure ipsis concessum est, ut liquet ex *l. 1. l. generali. l. jubemus de SS. eccles.* ubi conceditur, ut Laici possint liberè ecclesiasticis sua bona tam mortis causâ, quàm inter vivos alienare, ut etiam statuitur in *l. 3. l. Visigotorum. tit. 1. l. 1.* ibi: *quæcunque res sanctis Dei Basilicis, aut per Principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collata reperiuntur votivè, ac potentialiter pro certo censemus, ut in earum jure irrevocabili modo legum æternitate firmentur.* Hoc idem etiam habetur *in c. futurum eccles-fiam, & c. videntes 12. q. 1.* ubi Pontifex assignat rationem, cur oportuerit ecclesijs prædia donari, & semel donata invariabiliter retineri: quia plus utilitatis conferri poterat fidelibus, si hæreditates, & agros, quos priùs vendebant, traderent ipsis ecclesijs habendos, ut de fructibus eorum fidelibus provideretur; quàm si solùm pretium consignarent. Rursus *in c. fin. de immunit. eccles. in 6.* expresè habetur, quòd statutum disponens non posse quidquam vendi, donari, vel relinqui clericis, aut ecclesijs sit contra libertatem ecclesiasticam, & sic disponentes ipso jure esse excommunicatos, ut liquet ex textu, & docent Ancharanus *n. 1.* Geminianus *n. 4.* Abbas *in c. ecclesia sancta Maria de constit. n. 22.* & communiter Theologi, & Canonistæ.

10 Ratio itidem est, quia Principes sæculares non possunt leges condere, quibus comprehendantur ecclesiæ, & clerici, quia leges sanciuntur propter subditos; siquidem sancire leges est actus jurisdictionis, qui non potest exerceri, nisi in subditos: atqui ecclesiæ, & ecclesiastici non subjiciuntur legibus laicorum, cùm non sint de illorum foro, proinde non possunt Principes leges sancire, quibus comprehendantur ecclesiæ, & ecclesiastici, idque defectu jurisdictionis, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 69. art. 4.* & cum ipso communiter Theologi, & Canonistæ, idque non solùm de jure canonico, & civili, sed etiam de jure divino. Quamobrem ecclesiastici directè non possunt ligari legibus Principum laicorum; consequenter, neque obligari directè ex vi talium legum, sed tantùm indirectè ex vi cujusdam rationis naturalis dictantis esse tales leges, si non obsint libertati ecclesiæ, servandas etiam à clericis, quatenus illi sunt etiam partes totius communitatis, & tunc non ligantur clerici, ut clerici, sed tantùm ut cives, & ut sunt partes totius communitatis exigentis uniformitatem in observatione suarum legum. Verùm hæc obligatio est solùm quoad vim directivam, non quòd directè ex vi ipsarum legum obligentur clerici: quia Princeps laicus tantùm potest obligare eos, qui directè sunt ejus subditi, quia in ipsos potest exercere jurisdictionem; & clerici directè non sunt subditi, cùm Princeps non habeat jurisdictionem in illos: unde illa obligatio est solùm quoad vim directivam indirectè, ex vi naturalis convenientiæ: perinde ac Princeps obligatur, & ipse suis legibus; non quidem directe ex vi earundem, cùm Princeps non sit subditus sui ipsius, sed tantùm indirectè ex vi naturalis convenientiæ dictantis; debere & ipsum Principem se submittere oneribus, quæ subditis imponit.

Rursus hæc obligatio in clericis non est 11
quoad vim coactivam, adeò ut clerici inobedientes non possint cogi à Judice laico, ut abstineant ab inobedientia, quia talis coactio, quæ fit per pœnæ impositionem non pertinet ad servandam uniformitatem Reipublicæ, cum pro diversitate delinquentium, & varietate delictorum possint, immò, & debeant pœnæ variari, ut illæ correspondeant delictis: unde clerici inobedientes debent tunc cogi à Judice ecclesiastico, ad quem solùm pertinet querela ad ipsum delata contra clericos. Cùm igitur Princeps nullam habeat jurisdictionem in ecclesiasticos, non potest leges, & statuta condere, quibus ipsi graventur: & quia per leges amortizationis, vel maximè gravantur, eò quia impediantur emere, vel dono accipere bona immobilia, quibus congruè sustententur, sequitur evidenter, has leges amortizationis esse contra libertatem, & immunitatem ecclesiasticam; cum prohibeant ecclesiasticis, quod nec jure naturali, nec divino est ipsis prohibitum, immò & jure humano est concessum, ut liquet ex præcitatis textibus. Idque vel maximè procederet, si statutum expresè prohiberet, ne alienatio fieret in ecclesias, & in ecclesiasticos, quia tunc lex amortizationis magis expresè infringeret immunitatem ecclesiasticam.

Quòd si lex tantum prohiberet, nè bona 12
immobilia alienarentur ad extraneos non subditos, non comprehenderet ecclesiasticos, quia dispositio generalis non comprehendit casus, vel personas in specie privilegiatas: nec sub generali dispositione comprehenditur, quod in specie disponi non potest *l. Lucius §. penult. ad municip.* Hinc si lex generatim prohibeat alienationem bonorum immobilium in non subditos, ecclesiastici non comprehenduntur in tali lege, quia personæ ecclesiasticæ sunt magis exemptæ à potestate Principis sæcularis, quàm alienigenæ sæculares, quia isti consentiendo possunt prorogare jurisdictioni Judicis laici *l. 1. C. de jurisdict. om. judic.* non ita personæ ecclesiasticæ *c. si diligenti de for. competent.* unde ecclesiastici, si lege laica obligarentur, magis læderentur, quàm alienigenæ.

Præterea ut docet Felinus *in c. grave n. 2.* 13

de offic. ordin. & communiter Canonistæ personæ exemptæ in odiosis non comprehenduntur appellatione universitatis, nec populi, nec territorij, sed tantùm in favorabilibus, & id procedit etiam quoad clericos, qui sunt pars Reipublicæ *ex l. 1. §. hujus studij ff. de justit. & jur.* undè ecclesiastici tantùm in favorabilibus comprehenduntur nomine populi, non verò in odiosis, ut notat Abbas in *c. ecclesia sancta Maria* Felinus ibidem *n. 74.* Paulus de Castro in *c. Rodulphus n. 34. de rescript.* unde si Princeps legem sanciat, quâ prohibeat alienari bona mobilia exteris, & non subditis, non comprehenduntur ecclesiastici, quia argumentum ab exteris ad clericos non valet.

14 Verùm ut notat Coriolanus in expositione Bullæ cœnæ *excommun. 15.* quamvis statutum prohibens alienari bona immobilia ad extraneos, non sit contra libertatem ecclesiasticam, eò quia sub tali prohibitione non comprehendantur ecclesiastici; nihilominus Episcopus potest legislatores cogere, ut expressè declarent, quòd tale statutum non extendatur ad clericos.

15 Neque sufficit, si Princeps dicat, se prohibere alienationem bonorum suis subditis, quia licèt tunc statutum explicitè non infringat ecclesiasticam libertatem, eam tamen infringit quoad mentem, ut notat Geminianus *in c. fin. de immunit. eccles. in 6.* Abbas *in repet. c. ecclesia sancta Maria de constit. n. 27.* fit enim fraus de persona ad personam: eò enim ipso, quòd subditi prohibeantur à Principe alienare sua bona immobilia cuicunque non subdito, indirectè prohibentur ea alienare clericis, cum isti non sint subditi: & Princeps defectu jurisdictionis non potest, nec directè, nec indirectè impedire, nec prohibere ecclesiasticis emere, & acquirere bona immobilia, tale enim statutum licèt directè, & explicitè tantùm respiceret subditos, indirectè tamen implicitè, & secundariò præjudicaret ecclesiasticis; quia non attenditur, cum quo quis loquatur, sed in quem effectus sermonis ejus dirigatur: quapropter condens tale statutum esset cogendus à Judice ecclesiastico, ad declarandum se tali statuto non comprehendere clericos, & ecclesiasticos, ut docent S. Antoninus *p. 3. tit. 24. c. 18.* Joannes Andreas in *c. eos, qui de immunit. eccles. in 6. n. 4.* Anchar. ibidem *num. 1. consil. 135. n. 8.* Franc. *in c. ecclesia S. Maria de constit.* Felinus ibidem *n. 75.*

16 Ad rationes oppositæ sententiæ respondetur ad primam, bonum commune, & subditorum non tribuere jurisdictionem Principi laico, ut statuere possit circa ecclesias, & ecclesiasticos, ut desumitur ex pluribus textibus *c. ecclesia sancta Maria de constitut. c. qualiter de judic. c. 2. de for. compet. c. non minùs c. adversus 7. h. t.* ubi expressè Pontifex statuit, ut in necessitatibus, & utilitatibus civitatum, vel aliorum locorum, etiam cum non suppetunt facultates laicorum, clerici non possint conveniri, nisi priùs consulatur Papa. Tum quia cum semper in lege condenda necessaria sit causa publica, sequeretur, quòd lex Principis laicâ semper clericos ligaret ratione boni communis, & subditorum.

Ad secundam negatur consequentia, & ad 17
textum ibi adductum ex *l. fin. C. de pact.* respondetur, tunc tantùm valere argumentum de pacto ad statutum, quando militat eadem ratio; non ita quando diversa: in præsenti autem ratio est longè diversa, quia cum privatus sit rei suæ moderator, & arbiter *l. in re mandata. C. mandati.* & nullibi in jure prohibeatur, quò minus possit disponere, prout ipsi magis visum fuerit, ideò potest privatus quamcunque conditionem apponere rebus suis *c. verùm de condit. appos.* Secus Princeps laicus prohibens, ne subditi bona sua immobilia vendant, vel donent ecclesiasticis, expressè agit contra jura, cùm tale statutum sit in jure prohibitum, & ecclesia sit privilegiata, adeò ut possit quilibet illi donare bona immobilia *l. illud. C. de SS. eccles.* Tum quia defectu jurisdictionis non potest judex laicus directè, nec indirectè impedire, ne ecclesiæ, vel ecclesiastici acquirant bona immobilia.

Ad tertiam negatur antecedens, quia non 18
valet statutum disponens, quòd bona ingredientis S. Ordinem non transeant ad monasterium, & est sententia communis Juristarum apud Paulum de Castro in *l. si quis ad quod. ff. de jurisdic. omn. judic.* & ita tenuit Rota Romana in una Assisiensi bonorum die 31. Maij 1606.

Ad quartam etiam negatur antecedens, 19
quia eò ipso quòd laici prohibentur alienare, vendere, vel donare bona tantùm immobilia clericis, læditur libertas, & immunitas ecclesiastica, quia tunc impediuntur ecclesiastici acquirere bona immobilia, quod cedit in maximum eorundem præjudicium. Tum quia plus, & minus non variant speciem *l. fin. ff. de fundo instructo.* Tum quia sicut læditur libertas ecclesiastica, quando læditur in toto, ita etiam quando in parte, quia jura illam exigunt omninò intactam, & indemnem, ut desumitur ex pluribus textibus, præsertim *ex c. qui in eccles.* ubi statutum laicorum non est generale, sed tantùm quoad dominium utile rerum emphyteuticarum ecclesiæ, & in certo casu, quando Dominus utilis laboraret paupertate: *in c. ecclesia sancta Maria* statutum sæculare etiam prohibet in particulari, quando res est litigiosa: in *c. quanto de privileg.* etiam statutum prohibet in particulari ecclesiæ acquisitionem fieri ex furnis, & molendinis, & nihilominùs hæc, & alia particularia statuta à laicis condita, quæ lædunt libertatem ecclesiasticam, reprobantur à summis Pontificibus, quia plus, & minus non variant speciem, & semper læditur immunitas ecclesiastica.

Ad quintam, in qua dicebatur, quòd Prin- 20
ceps non disponat de bonis acquisitis, sed tantùm de acquirendis, quæ hic, & nunc pertinent ad sæculares, respondetur etiam ex tali prohibitione lædi libertatem ecclesiasticam, quia ponitur impedimentum, nè ecclesiæ, & ecclesiastici possint imposterum bona immobi-

lia

lia ampliùs acquirere, quod est lædere ecclesiasticam libertatem, & graviter ecclesiasticis præjudicare: si enim Princeps prohiberet alicui ex suis subditis acquirere, vel emere bonum quodlibet immobile, utique læderet ejus libertatem, & gravaretur plus cæteris, quibus non esset prohibitum bona immobilia acquirere.

21 Neque obstat, quòd Princeps tantùm prohibeat suis subditis alienationem bonorum in non subditos, quia licèt statutum, tunc expressè, directè, & primariò tantùm feratur in subditos: indirectè tamen, implicitè, & secundariò fertur etiam in ecclesiasticos, quia si subditi laici non possunt ecclesiasticis ex statuto Principis alienare bona immobilia, sequitur, quòd ecclesiastici ex vi ejusdem statuti non possint acquirere nova bona immobilia; proindè indirectè, & secundariò etiam ecclesiastici comprehenduntur in tali statuto, & Princeps defectu jurisdictionis non potest directè, nec indirectè eos comprehendere. Tum quia Canones, & jura etiam civilia indistinctè declarant ecclesiasticos esse capaces bonorum immobilium tam acquisitorum, quàm acquirendorum, ut liquet ex *c. benè quidem 96. dist. ex l. jubemus §. 1. C. de SS. eccles.* tum quia cùm jura faveant ecclesiasticis, sunt favores potiùs ampliandi, quàm restringendi. Neque obstat, si dicas, Principem per tale statutum non habere malum animum contra ecclesiasticos, nec intendere præjudicare ecclesiæ, sed tantùm consulere bono communi. Nam contra est, quia in læsione immunitatis ecclesiasticæ non tam attendendus est animus, quàm effectus.

22 Ad sextam respondetur ex eo, quòd ecclesiastici acquirant bona immobilia, Principes non fieri deteriores, neque eorum vires pro defendendis subditis minui: quia si necessitas urgeat, & Princeps indigeat exercitu ad defendendos subditos, potest Pontificem rogare, ut concedat, ecclesiasticos suppeditare necessaria unà cum laicis pro bellico apparatu, ut pluries contigit, quando bellum fuit contra infideles, & Pontifex libentissimè annuit, & ecclesiastici pro rata portione bonorum, quæ possidebant, solverunt expensas.

23 Ad septimam negatur assumptum, quia Levitæ, & Sacerdotes veteris legis revera possederunt bona immobilia, ut liquet *ex c. 25. Levit. & c. 32.* & notat Sancius in Ezechiel. *c. 44. v. 28.* & si in scriptura subinde dicantur, nil stabile possedisse in eo sensu verificatur, quatenus quidquid tale possidebant, non per sortem ut cæteri, sed titulo eleemosynæ possidebant.

24 Ad octavam respondetur, quòd si ecclesiastici bona superflua acquirant, eorum cupiditas non à laicis, sed à superioribus ecclesiasticis habentibus in illos jurisdictionem est coërcenda. Tum quia clerici plerisque in locis, & præsertim urgente aliqua necessitate non minus gravantur, quàm laici.

25 Quæritur secundò, an statutum prohibens ecclesiasticis acquirere bona immobilia sine facultate Principis sit læsivum immunitatis ecclesiasticæ? Respondetur affirmativè, eò quia Princeps sicut non habet ullam jurisdictionem in ecclesiasticos, ideo non potest eos adigere ad petendum consensum, & facultatem ejusdem, ut possint bona immobilia acquirere: hoc enim perinde esset, ac sibi subjicere ecclesiasticos, eósque sibi dependentes constituere quoad bona immobilia acquirenda. Hinc Principes, & Reges, qui talia statuta condiderunt, ut læsiva immunitatis ecclesiasticæ ea postea abrogârunt, ut notat Fagnanus *fol. 81.* & qui detrectârunt similia statuta abrogare ab ipsis Pontificibus postea fuerunt anathemate percussi: quia Rex Alphonsus legem condiderat, quâ ecclesiastici prohibebantur sine ejus licentia bona immobilia acquirere, & noluit statutum abrogare; ab Honorio III. fuit anathemate percussus, & Regnum interdictum, & non priùs absolutus, quàm inierit conventiones cum clero salva immunitate ecclesiæ, ut notat Fagnanus *loc. cit.* Quoties enim statuta Principum laicorum disponunt super pertinentibus ad jurisdictionem ecclesiasticam, sunt læsiva libertatis, & immunitatis ecclesiæ: & quamvis exigant tantùm Principes, ut ecclesiastici licentiam petant, adhuc læditur immunitas, quia id perinde est, ac eos cogere ad petendum consensum, & Princeps laicus defectu jurisdictionis non potest cogere ecclesiasticos. Tum quia eo ipso, quòd requiritur consensus Principis, tota contractatio ab eodem dependet, proinde nullo modo est libera, & tale statutum lædit libertatem ecclesiasticorum.

26 Quæritur tertiò, an ecclesiastici possint expellere confugientes ad ecclesiam ratione alicujus delicti? Respondetur negativè, immo tenentur defendere confugam nè capiatur à curia sæculari: desumitur *ex c. miror. c. Reum. c. id constituimus. c. definivit. c. sicut antiquitus 17. q. 4. c. inter alia 6. h. t.* Ratio est, quia qui dat immunitatem alicui loco, dat etiam jus omnibus indigentibus asylo confugiendi ad ipsum, ut ad asylum: unde si ecclesiastici nollent confugam suscipere, vel si susceptum illum expellerent, eum privarent jure suo, & læderent justitiam: hoc idem etiam procedit de illis, qui quocunque modo impediunt, nè confuga recipiatur in loco immuni, quia impediunt jus confugientis, & quidem in re gravissima, proinde peccant graviter contra justitiam, cùm non sit quis spoliandus cum gravi damno jure, quod ipsi competit. Neque excusantur ecclesiastici, si dicant, posse Reum confugere ad alias proximas ecclesias, quia Reus habet jus ad omnia loca immunia, proindè à nullo potest expelli, nec impediri, nè in illo gaudeat immunitate sine læsione justitiæ, quia cùm habeat jus ad omnia loca immunia, potest eligere, quem magis ipsi libuerit. Hinc nec Religiosi possunt ex propriis monasteriis expellere Reos confugas, quia perinde monasteria, ac ecclesiæ sunt loca immunia, & Reus potest eligere quodcunque monasterium, quod ipsi magis libuerit, quia habet jus ad omnia loca

immunia. Immo plus commodi habet Reus in monaſterio, quàm in eccleſia, quia plura neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, ut comedere, dormire, ambulare poteſt exercere in monaſterio, quæ in eccleſia non licerent fieri: & hac ratione etiam Principes ſæculares, & Imperatores conceſſerunt Reis certum ſpatium etiam extra eccleſiam, ut poſſint tales actiones exercere, ut habetur in *l. pateant. C. de his. qui ad eccleſiam confugiunt.*

27 Quæritur quartò, an ſi Reus in loco immuni debitam non ſervaret reverentiam, & damnum inferret, tunc poſſet expelli? Reſpondetur, Reos non ſervantes debitam reverentiam eccleſiæ, ut ſi in illa impediant Sacerdotes celebrantes, clament, obambulent, debere priùs moneri à clericis, quòd debeant ſe emendare, vel extra eccleſiam ſe conferre, & ſi detrectent parere, poſſe etiam violenter cogi, dummodo id fiat ut non ſtatim incidat in manus curiæ ſæcularis, & tali tempore, ut poſſit ad alium locum immunem tutò ſe conferre, id deſumitur ex *l. pateant. §. proinde. C. de his qui ad eccleſiam confugiunt*, quia ut ibi habetur *religio eſt præferenda humanitati*: & quia pertinet ad clericos impedire, ne laici irreverenter ſe gerant, nec ſint ſacerdotibus impedimento in celebratione miſſarum; ideo poſt præviam monitionem poſſunt, ſi nolint corrigi à clericis violenter etiã expelli, ut notat Farinac. *c. 2. de immunit. n. 40.* Immo etiam Monachi poſſunt Reos è monaſteriis eijcere, ſi immodeſtè ſe gerant, quietem turbent, regularem obſervantiam non permittant Monachis fiat ſcandalo, & monaſterio damno, quia immunitas eſt privilegium loci, & non debet eſſe cum gravi damno ejusdem: ſiquidem ut habetur *in c. quòd ob gratiam de R. J. in 6.* quod conceditur in favorem, non debet retorqueri in damnum. Verùm tunc priùs confuga ad monaſterium eſſet monendus, ut ſe corrigeret, & ſi nollet obedire eſſet etiam tali modo eijciendus, ut non incideret in curiam ſæcularem, & aperienda eſſet illi aliqua occaſio liberè fugiendi extra civitatem, & ditionem Principis: neque tunc læditur jus confugæ, quia ex eo, quòd ſit Monachis ſcandalo, & diſciplinæ regulari gravi damno, amittit jus, quod habebat gaudendi ibi immunitate: quia tunc prævalet jus Monachorum conſervandi regularem diſciplinam; jus etiam conſervandi propriam quietem absque ulla turbatione eſt jus naturale, & lex naturalis dat jus ad talem conſervationem: proinde prævalet juri, quod habet confuga gaudendi in tali loco immunitate. Tum quia cum eccleſia protegat confugientes ad ipſam, debent confugæ humiliter ſe gerere, & tanquam ſuppliciter implorantes protectionem. Quòd ſi arroganter, & immodeſtè ſe gerant, omnia turbent, non ſunt digni tali protectione; quia non ſe gerunt ut confugæ.

28 Quæritur quintò, an confuga debeat ab eccleſia ſuſtentari, in qua gaudet immunitate? Reſpondetur teneri confugam ex propriis bonis ſe ſuſtentare, ſi habeat, quo poſſit ſuſtentari, quia jura, & canones dant confugis ſolum jus immunitatis, non verò jus ut ſuſtententur ab eccleſia, in qua recipiuntur. Quòd ſi confuga non habeat, quo poſſit ſe ſuſtentare, tunc tenetur eccleſia ſuppiere, & ipſe confuga manet cum obligatione ad compenſandas expenſas, quia tunc præſumitur eccleſia velle ſubvenire præſenti indigentiæ, non autem velle abſolutè ſuſtentare confugam. Sin verò confuga ita ſit pauper, ut nulla affulgeat ſpes, ut poſſit ad pinguiorem fortunam aſcendere, nec habeat unde ullo modo poſſit ſuſtentari, tunc ſuppeditanda ſunt illi neceſſaria ad victum ab illa eccleſia, ad quam confugit, ut docet Panormitanus in *c. inter alia n. 28. h. t.* quia tunc confuga ſe habet, ut pauper cui eccleſia tenetur ſubvenire, quapropter ſi adſit aliquid deputatum pro pauperibus, poteſt ab eccleſia eidem ſubminiſtrari, quòd ſi nihil adſit, tenentur clerici de proprio eum ſuſtentare. Interim tamen poſſent confugam adhibere ad communes labores, præſertim in monaſterijs, ut ſaltem aliquo modo ſibi victum comparet. Tum quia privilegium immunitatis non debet eidem eſſe occaſio otiandi. Id tamen procedit, ſi confuga conſueverat manibus laborare, & victum ex proprio labore ſibi comparere: tunc Rectores eccleſiæ poſſunt etiam ipſum compellere ad tales labores, ut aliquod ſaltem ſervitium præſtet monaſterio, à quo alitur: æquum enim eſt, ut ſaltem labore compenſentur alimenta, quæ illi ſubminiſtrantur à monaſterio. Cæterum ſi confuga habeat bona; poſſunt Rectores eccleſiæ inſtare, ut reſarciat expenſas pro ipſo factas, vel det cautionem, antequam exeat de loco immuni, quia locus ſacer non debet detrimentum pati ob beneficium præſtitum.

29 Quæritur ſextò, an Princeps poſſit armatos milites mittere ad locum ſacrum, ubi Reus confugit ea intentione, ut ob metum confuga inde diſcedat? Reſpondetur negativè, præſertim ſi militès veluti obſidione cingant locum ſacrum: ſiquidem obſidio eſt quædam ſpecies violentiæ, & intercerationis, ut deſumitur ex *l. præſenti. C. de his, qui ad eccleſ. confug.* & docent communiter Canoniſtæ cum Panormit. *in c. inter alia 6. n. 13. h. t.* atqui mittere armatos milites, ut locum illum ſacrum cingant, eſt quædam obſidio, præſertim ſi terrorem incutiant, & cauſa ſint, ut Reus inde aufugiat. Tum quia confugientibus ad loca ſacra, ut ibi gaudeant immunitate, non debet ullum inferri nocumentum, ut definivit Concilium Toletanum XIII. *c.* 10. & refertur in *c. diffinivit 17. q. 4.* at cingere armatis militibus locum ſacrum ad terrorem incutiendum confugæ, ut inde exeat, eſt ipſi velle graviter nocere, cum indirectè adigatur ad exeundum è loco tuto. Tum quia id eſſet eludere totam immunitatem eccleſiarum, quia hæc ea ratione conceſſa fuit, ut Reus in loco ſacro eſſet tutus.

30 Quæritur ſeptimò, an omnes eccleſiæ etiam pollutæ, interdictæ, vel nondum conſecratæ habeant jus immunitatis? Reſpondetur, eccleſias non-

nondum consecratas si benedictæ fuerint, vel missæ in ipsis celebrentur habere jus immunitatis, & habetur textus expressus *in c. ecclesia 9. h. t.* ubi etiam assignatur ratio; eò quia ecclesia licèt non consecrata, si in ea celebrentur divina officia, jam divinis est dedicata obsequiis, & non est usibus temerariis profananda. De aliis verò ecclesiis non consecratis, & in quibus divina non celebrantur officia, nec leguntur missæ, nullus habetur textus; Glossa tamen *in d. c. ecclesia 9. h. t.* censet, ecclesias, in quibus divina non celebrantur officia non gaudere jure immunitatis, neque dici in illis committi sacrilegium, neque aspergendas esse, si quid in illis turpe commissum sit. Comunior tamen sententia est, tales ecclesias esse loca pia, & destinata ad divinum cultum, proinde jus immunitatis etiam ipsis competere, perinde ac convenit hospitalibus, & aliis locis piis erectis cum authoritate Episcopi, quia regulariter omnia privilegia concessa ecclesiis, etiam extenduntur ad talia loca *l. omnia C. de Episcopis, & clericis.* Tum quia cum Episcopus primum lapidem posuerit, cum talis ecclesia cœpit ædificari, fuit ab eodem locus ille destinatus ad cultum Dei, & authoritate ipsius ecclesia erecta, ut inserviret divinis officiis peragendis. Hinc neque ecclesia polluta, aut interdicta, vel vetustate, aut incendio, vel bello diruta amittit hoc jus immunitatis, ut nec alia privilegia, dummodo authoritate superioris ecclesiastici non fuerit destructa, & affulgeat spes, quòd debeat reparari, ut notat Barbosa *de jure eccles. lib. 2. c. 3. n. 59.* Idque etiam procedit de cœmeterio sive conjuncto, sive sejuncto ab ecclesia, dummodo authoritate Episcopi designatum, & consecratum, vel benedictum fuerit.

31 Quæritur octavò, an qui ex rixa, vel alio repentino casu aliũ in ecclesia occidit sub spe immunitatis: vel etiam qui studiò alium expectat pertranseuntem non procul ab ecclesia, ut eum occidat sub spe faciliùs confugiendi ad ecclesiam, & gaudendi immunitate, illa gaudeat. Respondetur, duas esse sententias; prima negat, & nititur tam verbis, quàm mente constitutionis *l. scire leges ff. de ll. c. secundò 41. de appellat.* quia non videtur verosimile, quòd ecclesia eos in suam velit protectionem recipere, qui illam homicidio polluunt: perinde ac frustra dicitur quis legis auxilium invocare, qui contra legem delinquit. Tum quia confugientes hi tantùm dicuntur, qui ad ecclesiam recurrunt auxilium implorantes, ac protectionem; confugere siquidem est auxilii, & præsidii causâ ad aliquem recurrere juxta illud Livii *Histor. Lib. 1. Inde Turnum, Rutilique divisis rebus suis ad florentes Etruscorum opes, Mezentiumque Regem eorum confugiunt:* cui assentitur Virgilius 1. Æneid.

Ad Te confugio, & supplex tua Numina posco.

Qui autem in ecclesia alium occidit, non accedit ad ipsam ad implorandum auxilium; sed illi injuriam infert; unde non dicitur ad illam confugere, sed illi injuriam irrogare: unde de ipso non verificantur verba dispositionis; neque locum habet dispositio *l. 4. §. Toties de Dam. infect. l. Quod constitutum ff. de milit. testam. l. Hos accusare §. omnibus ff. de Accusat. Cap. de Indemnitatibus §. sed cum de Elect. in 6. cap. ex parte de concess. præben.* & docent Felin. *in cap. Nonnulli n. 34. §. Ubi verba de Rescript.* Tiraquel *in l. si unquam ver. libertis num. 2. C. de revoca. donat.* Menochius *cons. 556. n. 10.* Rota Romana *decis. 434 num. 5. part. 3 Recent.*

Hanc sententiam præ cæteris docet Barbo- 32
sa *in Collect. ad d. cap. fin. h. t. num. 5. de Jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 3. num. 109.* Secunda sententia, quæ nunc videtur esse communior asserit, ad privandum reum privilegio immunitatis requiri copulativè utrumque: scilicet ut homicidium, vel mutilatio fiat in ecclesia, & simul committatur delictum cum spe immunitatis: & tunc hæc spes præsumitur, quando homicidium non ex subita rixa, sed ex præcedente inimicitia, cui causam dedit aliquid, quod contigit extra ecclesiam, inimicum postea quis occidit in ecclesia, cum posset delictum patrare extra ecclesiam; hæc sententia est valde probabilis: Ratio est quia textus *in cap. immunitatem 10. h. t.* hæc duo simul copulat scilicet delictum quod committatur in ecclesia, & sub spe immunitatis: unde cum in jure hæc duo requirantur copulativè; non debent sumi disjunctivè, quia in pœnalibus non debet fieri extensio, sed odia potiùs sunt restringenda *cap. odia de R. Juris in 6.* Hinc qui ex simplici ac subita rixa aliquem occidit in ecclesia nil cogitando de immunitate, videtur gaudere privilegio immunitatis, salvo meliori judicio, ut etiam qui sub spe immunitatis alium occidit in loco non multum dissito ab ecclesia ad eum finem, ut tutius, ac faciliùs possit ad ecclesiam confugere; quia neuter copulativè ponit illa duo, quæ in jure requiruntur, ut Reus privetur privilegio immunitatis. An verò qui cum animo furandi in ecclesia eam ingreditur spe immunitatis gaudeat hoc privilegio, non est concors Doctorum sententia, plures negant non solùm de furtis, sed etiam adulteriis, aliisque delictis gravioribus, ex quibus loco sacro infertur specialis irreverentia, & nituntur illa generali ratione, quæ assignatur *in cap. fin. h. t.* quòd frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem: ita frustra ab ecclesia sperare debet defensionem, qui eandem offendit, & per sacrilegium violat.

Ex quo deducunt, delinquentem in una ec- 33
clesia non gaudere privilegio immunitatis, si confugiat ad aliam, eò quòd contemnens unam ecclesiam censeatur omnes contempsisse, & offendisse. Secundò, eum qui unum tantùm delictum in ecclesia, & plura extra illam commisit, posse absolutè extrahi, & pro omnibus puniri, quia ex quo semel in ecclesia deliquit, indignum se constituit ecclesiæ defensione.

Nihilominus contraria sententia utpote mitior, & favens immunitati ecclesiasticæ est probabilior, eò quia in constitutione Gregorij XIV. omnes casus immunitatis reducuntur ad certam

certam formam, adeò ut hæc constitutio determinet jus commune: & quia in illa non excipiuntur, nisi homicidium, & mutilatio membrorum in ecclesia, ideò non debet fieri extensio ad alia delicta in ecclesia commissa, si non excipiantur in præfata constitutione, quia privare aliquem privilegio immunitatis est pœnale, & odiosum; & in materia odiosa, & pœnali non debet fieri extensio ad casus non expressos. Tum quia, si fur post ablatum furtum exiret de ecclesia, & postea ad ipsam reverteretur, & restitueret ablatum, frueretur immunitate, & esset protegendus; proinde etiam, si post furtum non exeat, dummodo ipsum pœniteat, restituat ablatum, quia tunc semper habet locum ratio finalis privilegij immunitatis; est enim hæc ratio protegere Reum pœnitentem, & tunc ostendit pœnitentiam, quando furtum restituit, proindè habet etiam locum dispositio *l. hac solia §. satis etiam cautè. C. de revocand. donat.* & *l. illud C. de SS. eccles.* & docent Glossa *in c. ut in domibus 1. h. t.* Tiraquel. in *l. si unquam V. libertis n. 45. C. de revocand. donat.* Abbas *in c. nihil n. 5. de elect.* Et hoc etiam procedit, si fur in ecclesia furetur pecunias non ecclesiæ, sed alicujus sæcularis existentis in ecclesia, quia semper militat eadem ratio, quia hic casus non excipitur in constitutione Gregoriana, & pœnalia non debent extendi, nec ampliari.

34 Quæritur nonò, an qui in duello alterum occidit, gaudeat immunitate, si ad ecclesiã confugiat? Respondet Barbosa *in collect. in c. inter alia 6. h. t. & de jur. eccles. univers. lib. 2. c. 3. n. 101.* non gaudere privilegio immunitatis, & nititur, eò quia ecclesia ex Tridentino *sess. 25. de refor. c. 19* non recipit cadaver occisi: ergò multò minus recipit ipsum occisorem confugientem ad ecclesiam. Verùm non videtur hæc ratio satisfacere, quia generatim probaret de quolibet delinquente manifesto, qui si in peccato illo decederet, sine prævio pœnitentiæ signo esset privandus sepultura ecclesiastica. Rursus eatenùs, qui adversarium in duello occidit, non deberet immunitate gaudere, quia incurreret excommunicationem: atqui ex vi excommunicationis simpliciter non privatur quis immunitatis privilegio: excommunicatum enim gaudere immunitate asyli, si ob aliquod delictum non exceptum in constitutione Gregoriana, confugiat ad ecclesiam, docent idem Barbosa *in d. c. 3. n. 131.* Covarruvias *variar. resol. 2. c. 20 n. 18.* Quamobrem occisorem sui adversarij in duello gaudere immunitate asyli, si ad ecclesiam confugiat, est sententia probabilior, præsertim post constitutionem Gregorij XIV. nullus enim casus est ab immunitate exceptus, nisi in illo nominatim exprimatur, sicut etiam docet idem Barbosa *in c. 3. n. 3. & 120. V. quæ quidem constitutio.*

35 Quæritur decimò, an possint concedi in feudũ castra adjecta conditione, quòd in quascunque manus devenerint, sint obnoxia gravaminibus imponendis à supremo Principe? Ratio dubitandi est, quia cum hujusmodi castra non possint eximi à dictis oneribus, nisi perveniant in manus Ecclesiasticorum, quia quamdiu manent apud sæculares, certum est esse semper obnoxia talibus gravaminibus, videtur conditio adjecta in odium immunitatis ecclesiasticæ, & ad eum finem ut Ecclesiastici, si talia castra in feudum accipiant, subjiciantur oneribus imponendis à Principe sæculari. quod est contra plures textus juris, *c. quamquam de censib. in 6. c. 1. de immunit. eccles.* & contra Bullam cœnæ *can. 18.*

Nihilominus respondetur, talem, conditionem posse apponi castris, quæ conceduntur in feudum, adeò ut adjecta conditio non sit contra immunitatem ecclesiasticam, & ita docent communiter Canonistæ. Felin. *in c. ecclesia S. Mariæ. n. 77. de constit.* Hostiens. *c. verum de for. compet.* Panormit. *in c. verum de condit. appos.* Ancharanus *consil* 223. Castrensis *l. si negotium §. fin. ff. de negot. gest.* Ratio id etiam suadet, quia cùm sit quilibet rerum, & bonorum suorum Dominus, & arbiter *l. in re mandata C. mandati, & instit his qui jure sui, & alieni juris §. 1.* Sequitur, posse quemlibet suis rebus imponere onus, vel conditionẽ prout ipsi magis libuerit, adeò ut res, si postea transferatur ad alium, sive laicum, sive Ecclesiasticum per infeudationem, vel alio modo tranleat cum tali onere, quod enim est accessorium, sequitur suum principale, quâ ratione res dicitur transire cum suo onere *c. ea litteris de pignor. & l. si convenit. 2. §. si fundus. ff. de pignor. act. & l. Bovem 3. pignori ff de Aedilit. edict.* unde si castrum feudale tranleat ad ecclesiasticos, secum trahit hoc onus, nec Ecclesiastici dicuntur gravari, quia tunc non acquirunt plenum, & totale jus castri, eò quia jus imponendi onera, adhuc remanet apud laicos, qui noluerunt se tali jure abdicare, proinde si Princeps imponat onus, utitur jure suo, & non violat immunitationem: onus enim annexum rei fundat jus tertij, cui ex vi talis oneris res obligatur: & ex eo, quòd res transeat ad ecclesiam, non privatur quis jure suo, quo noluit se abdicare, tametsi res ad ecclesiam transiret. 36

Tum quia in *cap. verum de condit. appos. & c. præterea de jure patron. & c. dilecti de donat.* habetur, quòd servanda sit conditio, cum qua donatio facta est ecclesiæ: & quia conditio apposita infeudationi est, ut res infeudata sit perpetuò obnoxia oneribus à Principe imponendis, in quascunque manus devenerit, erit procul dubio servanda; etiam si infeudatio perveniat ad manus ecclesiasticas, quia hoc jus imponendi onera nunquam fuit derelictũ à sæcularibus, sed semper ab ijsdem possessum; proinde possunt uti jure suo. 37

Quæritur undecimò, an clericus, si conveniatur pro evictione, conveniendus sit coram judice ecclesiastico? Evictio est rei emptæ, vel aliâ causâ acceptæ per judicis decretum ablatio, seu est ejus rei, quam adversarius legitimo jure acquisiverat, per judicem recuperatio *l. non* 38

non tamen 24. ff. de evict. Respondetur ad quæsitum cum distinctione, si clericus, qui agrum vendidit, conveniatur pro evictione, conveniendus est coram judice ecclesiastico, quia tunc est clericus, qui convenitur, & contra quem movetur lis, proinde hæc debet instituì in foro ejusdem cleri: sin autem lis mota fuerit contra laicum, qui emerat agrum à clerico, & clericus resistat defensioni Emptoris, tunc quia clericus est actor, & laicus est Reus, causa debet agitari in foro laici, quia hic habet jus recurrendi ad suum tribunal, quapropter non potest per clericum causa trahi ad tribunal ecclesiasticū, cùm agatur contra laicū. Fusiùs hanc quæstionem tractant Molina *de justitia tom. 2. tract. 3. disp. 330. n. 50.* Mendoza à Castro *in praxi Lusitana lib. 3. c. 5. §. 1.* Davalos *de cognit. per viam violentiæ p. 2. q. 45.*

Quæritur duodecimò, an Clericus pro debitis, quæ contraxit cum Principe conveniendus sit in curia sæculari? Respondetur negativè, quia clerici etiam in causis civilibus eximuntur à judicio sæculari in quocunque negotio. & desumitur *ex c. nullus clericus n. 11. q. 1.* ubi dicitur, omne negotium clericorum in foro sui Episcopi esse tractandum, & quia Pontifex vult omne negotium clericorum esse agendum coram Episcopo, erit etiam agendum negotium concernens debitum contractum cum Principe, ut habetur in Tridentino *sess. 24. de refor. c. 20* ubi dicitur, quòd causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoscantur, & cum causa clerici debitoris sit causa, & negotium pertinens ad ipsum clericum, agendum erit in foro ecclesiastico. Tum quia clericus in civilibus gaudet privilegio fori *c. nullus Episcopus*: ergò per Tridentinum hæc causa cognoscenda erit coram Episcopo. Tum quia jura declarant causas, in quibus clerici pro civilibus possint conveniri coram judice sæculari, ut colligitur *ex c. transmissa, & c. verum de for. compet.* & inter has causas non reperitur illa clerici debitoris.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

QUemadmodum Clerici, & Monachi gaudent immunitate ecclesiastica, & eximuntur à foro laicorum, & gaudent privilegio Canonis, ita æquitas exigebat, ut Clerici, & Monachi non se immiscerent negotiis sæcularibus, de quo agit Pontifex in hoc ultimo titulo. idque vel maximè, quia etiam in constitutionibus Apostolorum *can. 6.* prohiberentur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi mundanas cogitationes animo repetere: & *can. 83.* prohibentur militiæ vacare, aut officium Romanum, seu Magistratum retinere, ut nimirum Clerici ministerio suo impensiùs vacent extra confusionem, & tumultum populorum. Tum quia sicut sæculi militibus non conceditur procurationes suscipere alienorum negotiorum, nec possessiones conducere, ne à suis signis avocentur *l. milites C. de locato*: ita Clericis prohibetur, & pœna etiam in eos constituitur, qui rationes suas ab istis tractari permiserint. Hinc prohibentur Clerici etiam nomine sæcularium potestatum, ac Principum jus dicere. & causis interesse capitalibus, unde Justinus *l. 23. consul. C. de testim.* ait, verti Clericis opprobrio, si velint se peritos ostendere dissertationum forensium.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. MULTA SUNT 1. h. t. Ex Concilio Moguntino prohibetur, ne Clerici, vel Monachi se immiscent negotiis sæcularibus, & recensentur plura negotia, quæ clericis, & Religiosis sunt prohibita, ut plus justo accipere, munera injusta percipere, vel dare, conducere aliquem pretio pro aliquo sæculari quæstu clericis prohibito, amare lites, rixas, contentiones, inplacitis sæcularium disputare, nisi ob defensionem Orphanorum, & viduarum, esse Procuratores aut conductores rerum sæcularium, jocum sæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens quærere, in deliciis velle vivere, gulam, vel ebrietatem sequi, negotium injustum exercere, canes venatiscos alere, & plura alia id genus, quæ clericis prohibentur, eò quia illorum statui minimè congruunt. Caterum notat Glossa, quòd si Clericus succedat conductori possit in conductione remanere argum. l. Decurio ff. de Decur.

C. *SACERDOTIBUS 2. h. t. reſcribit Eugenius, Clericos non debere Miniſtros eſſe negotiorum, nec procuratores laicorum, quòd ſi Monachi non ſe abſtinuerint, & fuerint deprehenſi in fraude in re pecuniaria occaſione negotiorum, eccleſiam illis non ſubvenire. Ubi notat Gloſſa, id eſſe intelligendum poſtquam legitimè fuerit Clericus admonitus, tunc enim eccleſia non adjuvat Clericum in fraude commiſſa cum pecunia, vel alio auxilio, quia poſt trinam monitionem habetur ut alienus ab eccleſia; non tamen taliter, ut laicus poſſit illum ſimpliciter capere, quia Clericus puniendus eſt in ſuo foro eccleſiaſtico, & tantùm eccleſia ei non ſubvenit, quando fraudem commiſit in adminiſtratione ſeculari, quatenus illi non ſuppeditat pecuniam, nec aliud ſubſidium.*

C. *NON MAGNOPERE 3. h. t. Alexander III. in Concilio Turonenſi ſtatuit, ut Religioſi profeſſi non permittantur exire ad legendam phyſicam, vel ad audiendum mundanas leges: quòd ſi exierint, & intra bimeſtre non reverſantur ad clauſtrum, declarat eſſe vitandos, ut excommunicatos, quòd ſi velint patrocinari, in nulla cauſa ſint audiendi, & reverſi habeant ultimum locum in choro, capitulo, menſa, & aliis, & inſuper amittant ſpem promotionis. Ex quo textu liquet, prohibitum eſſe Clericis, & Monachis legere, vel docere leges civiles: quod tamen non intelligitur de illarum Profeſſoribus, quia Profeſſores eas legunt, & prælegunt in Scholis, & Pontifex non loquitur de Profeſſoribus, ſed de Monachis exeuntibus de clauſtris ad audiendũ leges, vel phyſicam: ubi per phyſicã non intelligitur ea quæ eſt pars Philoſophiæ, ſed medicina, à qua Medici dicũtur etiam Phyſici.*

C. *SED NEC 4. h. t. Idem Pont. in Concilio Lateranenſi declarat, Clericum præſumentem accipere Procurationes, aut juriſdictionem ſecularium, ut ſint illorum Juſtitiarius, eſſe deponendum ab eccleſiaſtico miniſterio, & ſi fuerit Religioſus, eſſe ſtrictiùs puniendum. Ubi notandum eſt, per juſtitiarium, cujus fit mentio in textu, intelligi Judicem, vel eum, qui jus dicit in cauſis ſæcularibus, ſeu profanis nomine Principis, ſeu Domini ſæcularis: ſi enim Clericus tale exerceat officium, à ſuo ſuſpenditur eccleſiaſtico miniſterio.*

C. *CLERICIS 5. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Cantuarienſi, Clericos in ſacris conſtitutos nõ debere in cauſa ſanguinis judicare, nec mutilare per ſe, nec per alios: & contra facientes præcipit eſſe privandos ab officio, & beneficio. Rurſus ſacerdotem non debere officium habere vice Comitis, aut Præpoſiti ſæcularis, & declarat, quòd ſi quis præſumpſerit contra facere, & admonitus non ſe emendaverit ſit excommunicatus. Ubi notat Gloſſa, Clericum habentem juriſdictionem temporalem non debere judicare, nec conſulere, nec conſentire, nec diſſare, nec intereſſe, alioquin ſit irregularis: ſed debet committere generaliter laico, ut judicet de malefactoribus: quòd ſi Reus appellet ad Clericũ, debet hic id alteri delegare.*

C. *SECUNDUM 6. h. t. Idem Pont. ſub interminatione anathematis prohibet, ne Monachi, vel Clerici cauſâ lucri negotientur, ut etiam ne Monachi nomine proprio conducant poſſeſſiones à Clericis, vel à laicis; nec laici teneant eccleſias ſub titulo conductionis. Ubi notandum eſt, in hoc textu tantùm prohiberi negotiationes lucri cauſa ex avaritia: quia causâ neceſſitatis non eſt prohibita negotiatio, quia neceſſitas non alligatur legi, & liquet ex c. 1. h. t. Prohibentur itidem Monachi dare bona aliqua ad firmam, ut vulgo dicitur, ſeu elocare ad certam penſionem; quod tamen intelligitur nomine proprio: & ratio eſt, quia id pugnat cum voto paupertatis: nomine autem monaſterij, & cauſa neceſſitatis id licitum eſt: hinc in regula S. Benedicti allegata in c. 1. h. t. præcipitur provideri, per quorum manus negotia monaſterij procurentur.*

C. *RELATUM 7. h. t. Idem Pont. præcipit expellendos è monaſterio Monachos, qui ſunt incorrigibiles, & ſæculariter vivunt, & mandat eſſe introducendos in monaſterium reformatos, vel ejusdem ordinis, ſi habeantur; vel alterius appellatione remota* c. reprehenſibilis de appellat. *Ubi notat Gloſſa, poſſe id exequi Epiſcopum propriâ ſua authoritate* argum. Abbates 18. q. 2.

C. *SICUT 8. h. t. Innocentius III. jubet, Clericis ſacris ordinibus initiatis tabellionatûs officium per beneficiorum ſubtractionem appellatione poſtpoſita interdici, & mandat etiam ad id eſſe compellendos. Verùm hanc prohibitionem, quæ procul dubio etiam extenditur ad Monachos, & Religioſos in ſacris conſtitutos, Barboſa limitat. Primò in cauſa hæreſis, in quo etiam Clericus ſacerdos poteſt officium exercere tabellionatus. Secundò in Clericis in minoribus conſtitutis, quia hæc decretalis utpote prohibitoria non extenditur niſi ad eos, qui in ipſa exprimuntur, & in textu tantùm exprimuntur conſtituti in majoribus. Tertiò in Notario Papæ. Quartò in Notariis Romanæ Curiæ, ubi Clerici etiam beneficiati officium exercent tabellionatus. Quintò ubi conſuetudo inolevit, ut Clerici etiam in ſacris conſtituti, & habentes beneficium ſint tabelliones, ſeu Notarij. Sextò quia hæc decretalis procedit præſertim de cauſis prophanis, & coram Judice laico, non verò de cauſis eccleſiaſticis coram Judice eccleſiaſtico. Septimò conſtitutio nec procedit de Notariis apoſtolicâ authoritate creatis, niſi in cauſis prophanis coram judice ſæculari ſuum exerceant officium.*

C. *SENTENTIAM 9. h. t. Innocentius III. prohibet, ne Clerici dicant, vel proferant ſententiam ſanguinis, nec exerceant vindictam ſanguinis, nec interſint, ubi exercetur, nec litteras dictent, nec ulli ſcribant pro vindicta ſanguinis, neque viris ſanguinum præponantur, nec præficiantur Baliſtariis, & aliis id genus hominibus. Rurſus prohibet Pontifex, ne Clerici in majoribus Ordinibus conſtituti artem exerceant chirurgiæ, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducat, neque purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, vel ferri candentis benedictionem, aut conſecrationem impendant ſalvis prohibitionibus de duello, ſeu monomachia*

chiis. Ex quo textu probibetur generatim Clericus, ne causam sanguinis exerceant, vel quoquo modo directè cooperentur, eò quia id repugnet statui clericali, qui institutus est in cultûs divini exercitium, Dei servitium, & pietatis ministerium: quapropter debet omnino Clericus alienus esse ab effusione humani sanguinis, cum Deus velit misericordiam, & pietatem exerceri ab ecclesiasticis. Caterum Clericus si interfit, ubi fit vindicta sanguinis, quamvis non fiat irregularis, nec deponendus sit, est tamen puniendus, eò quia transgrediatur præsentem decretalem.

C. *SUPER SPECULA* 10. *h. t. Honorius III. extendit pœnas impositas in* c. non magnopere 3. h. t. *ad excommunicationem ipso facto; adeò ut Pontifex non solùm renovet statutum Alexandri III. relatum in dict. cap. contra Religiosos de claustro exeuntes ad audiendum leges, & physicam, sed etiam declarat, transgressores ipso facto incurrere sententiam excommunicationis, & ut excommunicatos esse ab Episcopis publicè denuntiandos: idque nisi ab his intra spatium duorum mensium desiterint, & apellatione postposita mandat firmiter observari hanc decretalem Ubi notat Glossa, hoc spatium duorum mensium esse numerandum à tempore publicationis hujus decretalis. Quamobrem hodie cùm hæc jam sit publicata nullus se potest excusare. Verùm Episcopus potest hos Clericos absolvere, & cum ipsis dispensare, ut promoveantur, quia Papa non reservavit sibi absolutionem, proinde videtur aliis relicta, quia quoties Pontifex non sibi reservat absolutionem præsumitur hanc relinquere Ordinariis locorum. Non tamen pœnis hujus decretalis subjacent, qui privatim dant operam medicinæ, vel juri Cæsareo ad canones exactiùs intelligendos, ait enim Barbosa hic* num. 3. *Clericis, & Monachis profitentibus jus Canonicum, & Theologiam licitum esse ad majorem intelligentiam Canonum jus civile publicè audire.*

IN SEXTO.

C. *STATUTUM* 1. *h. t. Bonifacius VIII. declarat, constitutionem Honorij* in c. super speculа 10. h.t. *non extendi ad Clericos qui habent parochiales ecclesias nisi eadem ecclesiæ fuerint plebaniæ habentes sub se capellas, quæ reguntur à Clericis, qui sine causa rationabili amoveri nequeant, eò quia sint perpetuò instituti. Ubi notandum est, quòd Rectores ecclesiarum, qui sub se non habent Capellam, in qua instituatur Vicarius perpetuus, ut est Archipresbyter, possunt leges audire, vel physicam etiam intra tempus, quo non fiunt sacerdotes, tametsi postea teneantur ordinari. Ubi notat Glossa, non posse audire physicam sub specie curandorum languentium, seu medicinam. Caterum Papa persæpe dispensat cum Clericis, ut possint leges audire* c. cum ex eo de elect. in 6.

C. *UT PERICULOSA* 2. *h.t. Idem Pont. districtiùs probibet, ne ullius Ordinis Religiosus tacitè, vel expresè professus in scholis, vel alibi temerè habitum dimittat religiosum, & ne audeat adire studia litterarum, nisi ex expressa licentia sibi à Prælato concessa cum consilio Conventus: & declarat, Transgressores incurrere ipso facto excommunicationem, & eidem etiam subjacere Magistros, qui Religiosos cum dimissione habitus scholam frequentantes leges docent, vel physicam. Ubi notat Glossa, quòd si excommunicatus non vult exire è scholis; teneatur Doctor, seu Magister ipsemet exire.*

C. *EPISCOPUS ULT. h. t. declarat idem Pont. quòd si Clericus habeat jurisdictionem temporalem, in qua committatur delictum dignum morte, debeat delegare, seu injungere alicui, ut veritatem inquirat, & justitiam exequatur, & tunc si delegatus reum mutilet, Clericus non fit irregularis, quia, quamvis Clericus non possit agitare causam sanguinis in sua temporali jurisdictione, potest tamen causam cognitionis delegare alteri sine irregularitate. Ex quo textu colligitur, Clericum habentem jurisdictionem temporalem posse dare officialem, non solùm Generalem, sed etiam specialem ad talem causam sanguinis, dummodo non dicat, ut talem interficiat: sed ut justitiam exequatur: unde si officialis Reum interficiat, Clericus non fit irregularis. In Germania ubi Episcopi, & Prælati ecclesiastici ut plurimum sunt Principes S. R. I. & habent bannum sanguinis, postquam cum aliis regalibus illum ab Imperatore recipiunt, solent illius exercitium, & usum statim committere suis Consiliariis, & Officialibus: & licèt Episcopi in causa sanguinis se amplius non immiscеant, adhuc tamen sibi reservant, ut ex justis causis possint pœnam mitigare, immo & interdum remittere, quia clementia potiùs decet statum ecclesiasticum, quàm illi adversetur.*

COMMENTARIUS PARA. TITLARIS.

§. I.

Quænam ſint negotia Clericis ſæcularibus prohibita.

1 PLura ſunt negotia *in cap. multa ſunt 1. h. t.* quæ clericis, vel Monachis prohibentur: ibi enim Pontifex ſtatuit providendum neceſſariò eſſe unicuique Epiſcopo, qualiter Canonici, Clerici, & Monachi, ſeu Religioſi ſe gerere debeant, ut ſecundùm ordinem regularem vivere ſtudeant, quia ut ait Apoſtolus, *unusquisque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*, unde Pontifex injungit, ut clerici, & Religioſi à negotijs ſæcularibus ſe omninò abſtineant, & enumerat quædam ſpeciatim; súntque plus juſto accipere, munera injuſta percipere, vel dare, conducere aliquem pretio pro aliquo ſæculari quæſtu clericis prohibito, amare lites, rixas, contentiones, in placitis ſæcularium diſputare (excipitur tamen defenſio Orphanorum, aut viduarum) & eſſe Procuratores, aut conductores rerum ſæcularium, eſſe joculatorem, adeo ut non debeat clericus eſſe joculator turpis verbi, vel facti; nec jocũ ſæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens quærere, in deliciis velle vivere, gulam vel ebrietatem ſequi, pondera injuſta, vel menſuras habere, negotium injuſtum exercere (juſtum enim negotium ob neceſſitatem poteſt clericus exercere) nec habere canes, & aves ad venandũ, intereſſe cauſis ſuperfluis, comeſſationibus, & vino lautè nimis incumbere: hæc omnia expreſsè interdicuntur *in d. c. multa ſunt. 1. h. t.* deſumpto ex Concilio Moguntino celebrato, Moguntiæ anno 850. Præſide Rabano Archiepiſcopo Moguntino, de quo in annalibus Francorum à Perro Pitheo editis ita habetur. *Habita eſt autem Synodus ex voluntate, & præcepto ejusdem Sereniſſimi Principis in civitate Moguntina Metropoli Germaniæ, Præſide Rabano venerabili ejusdem urbis Archiepiſcopo, cum omnibus Epiſcopis, atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Boiariæ, & Saxoniæ.* Hanc verò Synodum fuiſſe celebratam ex licentia Romani Pontificis, teſtatur Baronius anno 852. n. 25.

2 Juvat tamen obſervare, duo eſſe genera negotiationum, ut deſumitur *ex c. ejicientes 11. diſt. 88.* una enim dicitur negotiatio impropria cùm res empta per induſtriam, vel artem mutatur, & melior reddita venditur cauſâ lucri, ut ſi ex lana empta conficiantur panni, & vendantur, vel ex emptis juncis fiat fiſcella, vel vas aliud vimineum, ut vendatur, & aliquod lucrum inde hauriatur. Alia eſt negotiatio propria, quâ merces emuntur, & alio titulo oneroſo acquiruntur, ut cariùs eædem res omnino immutatæ vendantur, quàm fuerint emptæ, adeo ut tota negotiatio ordinetur ad lucrum comparandum: & hæc ſecunda negotiatio propriè dicitur mercatura, quæ ſi licitè fiat, & ordinetur ad bonum finem, eſt licita, & moraliter bona, quia utilis Reipublicæ, immo & neceſſaria *c. fornicari 10. c. quoniam. 12. diſp. 88.* ſiquidem juſtum pretium non conſiſtit in indivisibili, ſed quandam habet latitudinem, intra quam res minori pretio empta, juſtè pluris vendi poteſt: quia rerum pretia ex locorum, temporúmque diverſitate, rerum copia, & inopia, emptorúmque frequentia, vel penuria mutantur, & incrementum ſubeunt, ac decrementum intra tamen ſemper limites æquitatis, & juſti pretij, pro ut hoc habet ſuam extenſionem licitam, & taxatam à Magiſtratu. Nihilominus hujusmodi negotiatio occaſiones aperit mendacijs, & fraudibus, ac injuſtitijs ob inordinatam cupiditatem quæſtûs, adeo ut plerúmque vitio ipſorum negotiantium mala ſit, & illicita.

3 Certum eſt, negotiationem merè lucrativam, quâ ſcilicet aliquid emitur, principaliter ad eum finem, ut prorsùs immutatum cariùs vendatur, quàm fuerat emptum, non eſſe clericis, & Religioſis licitam, quamvis contractus ſi fiat, teneat, ut docent communiter Canoniſtæ, & deſumitur *ex c. conſequens 2. diſt. 88.* ubi Gelaſius Papa præcipit clericis, ut omninò ſe abſtineant ab indignis quæſtibus: & habetur etiam in *c. negotiatores 9. & c. fornicari 10 eadem diſt.* ibi, antequam eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari, ſemel tamen facto clerico jam non ampliùs ei licet: & demum deſumitur *ex cap. ſecundùm 6. h. t.* ubi ſub excommunicatione prohibetur, nè Monachi, Clericíve cauſâ lucri negotientur: ubi Gloſſa tantùm notat, quòd non cauſa lucri, ſed cauſa neceſſitatis poſſint tantùm negotiari, quin incurrant excommunicationem, ſicut etiam poſſunt nomine monaſterij neceſſitatis cauſâ conducere poſſeſſiones. Excipitur tamen niſi clericus una tantùm, vel altera vice negotiaretur, quia tunc non conferetur graviter peccare, cùm mercator non dicatur quis ab uno tantùm, vel altero actu, ſed ab actibus frequentatis, ſicut piſcator non dicitur, qui ſemel tantùm, vel iterum piſcatur, ſed qui ſæpe ſæpius talem exercet actum, ut notat Barbola *in collect. in d. c. ſecundùm 6. n. 2. h. t.*

4 Excipiuntur etiam clerici, & Religioſi, qui propter neceſſitatem negotiantur, eò quia alio medio non poſſint honeſtè vivere, tunc enim non incurrunt excommunicationem, eò quia neceſſi-

necessitas sit exempta à lege, Glossa *in c. negotiatorem. dist. 88.* Ratio est, quia quando ob necessitatem, & ad victum merè necessarium comparandum, quis aliquid agit, vel conficit, ut vendat, propriè non negotiatur: qua ratione possunt clerici indigentes sibi comparare materiam, ex qua aliquid aliud efficiant, quod vendant, & ex pretio sibi necessaria ad victum, & vestitum comparent: quinimò Apostolus Paulus artem Scenofactoriam exercebat, & victum labore propriarum manuum sibi comparabat: antiqui itidem Monachi storeas, sportas, & similia à se confecta divendebant, séque eorum pretio sustentabant, non quidem animo lucrandi, quod intenditur in negotiatione, sed animo victum merè necessarium comparandi: hinc non possunt accenseri negotiatoribus, quia negotiatio est, cùm quis rem aliquam comparat ex animo, ut integram, & non mutatam vendendo aliquid lucretur, seu pluris vendat, quàm emerit, ut ait Chrysostomus *homil. 38. in Matth.* & habetur *in c. 11. eijciens dist. 88.* ubi illud vendendo accipitur generatim, ut etiam permutationem contineat: siquidem apud Barbaros negotiatio sit permutatione, & campiores permutatione pecuniæ negotiantur. Quòd si objicias, Chrysostomum *loc. cit.* asserere. Dominum ejicientem vendentes, & ementes è templo significâsse, quòd mercatores, & omnes vendentes nunquam possint Deo placere. Respondet D. Thomas, Chrysostomum fuisse locutum de eo, qui finem ultimum in lucro constituit, quod plerique faciunt. Alij etiam respondent, D. Chrysost. fuisse locutum de illis vendentibus, & ementibus, qui fraudibus, & perjurijs negotiationem exercent.

1 Cùm igitur negotiatio dicatur fieri, quando merces eo animo emuntur, ut cariùs postea distrahantur lucri causâ: & ut innotescat duplex sit negotiatio, una propriè dicta, quâ res empta non mutata cariùs postea venditur quæstûs causâ: & altera impropriè dicta, quâ res empta mutata, & melior effecta venditur, ut si ex lana empta conficiatur panus, & vendatur, utraq; hæc negotiatio prohibetur clericis, & Monachis, seu Religiosis omnibus *in c. negotiatorem 1.* ex Hieronymo *c. fornicari 9.* & Augustino *c. final. de vita, & honest. clericor. c. secundum 6. h. t.* ubi Pontifex sub interminatione anathematis prohibet, ne Monachi, vel clerici lucri causâ negotientur, quod est intelligendum de clericis, qui sacris sunt initiati; de Monachis intelligitur generatim, prout nomine Monachi comprehenduntur omnes Religiosi. Ratio autem cur ecclesia sub tam gravi pœna anathematis hanc negotiationem clericis, & Religiosis prohibeat, est, quia valdè indecorum est, clericos incumbere lucris captandis. Tum quia hujusmodi negotiatio redolet avaritiam, & merè occupat animum, quem à spiritualibus avocat, & demum quia negotiatio hæc non vacat periculis, & plena est perjurijs, fraudibus, & injustitijs, adeo ut Ecclesiasticus 26. dicat: *duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt, difficilè exuitur negotians à neglientia* (scilicet rerum pertinentium ad salutem) *& non justificabitur caupo à peccatis labiorum*: quapropter Apostolus *1. ad Timoth. 6.* scripsit, *habentes alimenta, & quibus tegamus is contenti simus*, & addit etiam rationem subdens: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, qua mergunt homines in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas.* & quamvis negotiatio impropriè dicta, non videatur esse negotiatio, nihilominus adhuc prohibetur clericis, & Religiosis: quia quamvis propriè non dicatur negotiari, qui aliquid emit, ut commutatum vendat.

Quia tamen hoc genus negotiandi, si non 6
fiat ex necessitate ad sibi comparandum victum, ut Apostolus artem scenofactoriam exercuit, & antiqui Monachi ex juncis fiscellas, sportas, storeas, & similia faciebant, ut venderent, & ex pretio se sustentarent, talis negotiatio accedit interdum ad negotiationem propriè dictam, quæ non decet personas religiosas: quapropter per Epikiam censetur negotiatio impropriè dicta, quando non exercetur necessitatis causâ, sed lucri gratiâ, comprehendi sub præsenti prohibitione saltem in aliquibus casibus qualificatis, ut notat Molina *tract. 2. disp. 342. n. 1. & 6.* ut si Ecclesiastici uvas emant, ut per famulos, aut ministros ad id conductos vinum ex ijs conficiant, quod postea vendant: si lanam emant, ut per operarios, & artifices conductos pannos ex illa conficiant, quos vendant, si agros alienos conducant, quos per Operarios colant ad effectum vendendi fructus inde perceptos: si salinas alienas, aut alienos greges conducant, ut inde sal confectum, & fructus gregis vendant.

Cæterùm si ex proprijs fundis per famu- 7
los conductos excultis fructus perceptos vendant, si ex proprijs salinis sal conficiant, si ex proprijs gregibus agniculos, lac, caseum, & lanam divendant, non est id clericis prohibitum, quia hoc non est negotiari propriè, nec impropriè, sed tantùm res suas simpliciter vendere. Rursus si venam ferri habeant, vel alterius metalli, & per ministros conductos sinant mineram excavari, & ferrum confici, quod vendant: immo quamvis emant agrum, in quo est vena ferri, & inde ferrum per artifices conductos confectum distrahant, non censentur negotiari, sed tantùm vendere fructus rerum suarum. Præterea si clerici emant res necessarias ad se, suámque familiam alendam per totum annum, possunt, quæ supersunt ex emptis licitè vendere, etiam cariùs quàm emerant, pretio scilicet tunc currente, quia id non pertinet ad negotiationem, sed ad œconomicam gubernationem, ut notat Molina *tract. 2. disp. 342. n. 14.*

Cæterum negotiatio prohibetur clericis 8
constitutis non solùm in sacris ordinibus, sed etiam in minoribus, si competens beneficium habeant: alijs verò non beneficiatis, & in minoribus tantùm constitutis non prohibetur,

ut notat Abbas *in c. multa sunt. 1. n. 12. in fin. h. t. argu. c. 1. de postulando*: clerici in minoribus ordinibus constituti prohibentur esse advocati coram judice sæculari, si stipendijs ecclesiasticis sustententur, unde valet illatio à contrario sensu, si beneficium non habeant ecclesiasticum, neque sustententur stipendijs ecclesiæ, possunt esse advocati. Contraria tamen sententia, quam docet Fagnanus, & apud ipsum plures Canonistæ *in c. multa sunt 1. n. 83. h. t.* est probabilior, quia sacri canones indistinctè, & generatim prohibent negotiationem clericis omnibus, sive beneficiati sint, sive non, idque etiam suadet ratio desumpta à causa finali: quia finis, qui movit Pontifices, ad prohibendam hanc negotiationem est, quia nemo militans Deo debet se negotijs sæcularibus implicare, eò quia hujusmodi negotiamentem distrahant à divinis, & animum avocent à sacris peragendis, & cùm clerici etiam non beneficiati, & solùm clericali tonsura initiati fiant milites cœlestis militiæ *c. Christianis 12. caus. 11. q. 1.* & ibi Glossa *V. cœlestem militem*; sequitur, hanc prohibitionem comprehendere omnes clericos, etiam non beneficiatos, & in minoribus constitutos; dummodo aliunde etiam ex bonis patrimonialibus habeant, unde congruè vivant. Pœnæ, quibus clerici arcentur à negotiatione variæ sunt in jure.

Primò anathemate percutiuntur *in c. secundum 6. h. t.* ubi prohibetur clericis, & Monachis negotiatio lucri causâ sub pœna excommunicationis non latæ, sed ferendæ sententiæ: quia cum ibi excommunicatio feratur sub comminatione, intelligitur de excommunicatione ferenda per sententiam Judicis. Pontificem autem *in d. c. secundum* loqui de negotiatione propriè dicta, docet Fagnanus.

10 Secundò puniuntur clerici negotiantes sub pœna suspensionis, & depositionis ab officio: imò etiam à gradu, & ordine clericali, quæ tamen pœnæ non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ, nec ulli reservantur, ut desumitur *ex c. consequens 88. d. c. penult. 99.*

11 Tertiò sub pœna amittendi immunitatem à vectigalibus, ut notat Molina *tract. 2. disp. 342. n. 1.* ubi advertit, Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 1. de refor.* innovâsse supradictas pœnas, & jura antiqua in re præsenti edita, præcipiendo etiam Episcopis, ut alias insuper pœnas addant.

12 An verò recensitæ pœnæ afficiant etiam Regulares. Respondetur affirmativè, quamvis in præfatis juribus ferantur expressè contra clericos, quia ex stylo, & usu curiæ in præsenti materia Regulares comprehenduntur nomine clericorum, quamvis hoc nomen clericus propriè non significet Religiosum Regularem: quia stylus curiæ inducit jus, & est optimus legis interpres, quatenus explicat mentem legislatoris.

13 An verò hæc prohibitio non negotiandi afficiat etiam illos Regulares, qui promoventur ad Episcopatum, & etiam laicos, quos vocant conversos. Communior sententia est affirmativa, eò quia prohibitio non solùm extenditur ad Religiosos, verùm etiam ad Clericos, & personas quascunque ecclesiasticas: unde, quamvis Religiosi promoti ad Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem in sententia plurium non sint ampliùs Religiosi, eò quia non subjaceant oneribus Regularium, nihilominus adhuc perseverant in statu clericali. Immo non solùm promoti ad Episcopatum, sed etiam ejecti è Religione, ratione emissæ professionis; quapropter coguntur deferre habitum clericalem, & subesse jurisdictioni Ordinarij loci, ubi degunt; quapropter non sunt excludendi à communi prohibitione facta ecclesiasticis.

14 Ad Religiosos laicos conversos quòd attinet, certum est etiam, ipsos affici hac prohibitione, quia & ipsi veniunt nomine Religiosorum, præsertim si emittant solemnem professionem. Tum quia hæc prohibitio est in favorem statûs ecclesiastici, proinde non est restringenda, sed amplianda, & quia in favorabilibus Religiosi laici veniunt nomine Monachorum, & clericorum; ideo prohibitio etiam ipsos afficit: inducta enim fuit hæc prohibitio in bonum spirituale Religionum, & ad vitanda peccata, & ut Religiosi omnes absque distinctione divino incumbant servitio. Quapropter etiam Moniales comprehenduntur sub hac prohibitione, quamvis non sint capaces omnium pœnarum, quæ latæ sunt contra Religiosos negotiantes, non enim Moniales possunt suspendi, nec deponi.

15 An verò etiam Novitij afficiantur hac prohibitione, non videtur ita certum: quia Novitij in odiosis non veniunt nomine Religiosorum, sed in favorabilibus, ut notant Glossa *in clement. I. V. Religiosus de elect.* Coriolan. *p. 1. de casib. reservatis sect. 3. art. 18. n. 3.* Vechius *in praxi Novitior. disp. 9. dub. 26. n. 1.* Riccius *in praxi. p. 2. resol. 138. n. 3.* quia cùm Novitij non sint adstricti Religioni, à qua possunt exire, ita neque strictè tenentur cooperari bono illius subjacendo oneribus inductis in favorem Religionis: neque est par ratio de conversis professis, quia isti ratione emissæ professionis sunt incorporati Religioni, cujus sunt membra.

16 Nihilominus contraria sententia est perquàm probabilis, quia cum Novitij participent de bonis spiritualibus, & temporalibus Religionis æquum est, ut etiam sentiant illius onera, proinde ut se abstineant ab ijs, quæ prohibentur Religiosis, non quidē de rigore juris cum nullus reperiatur textus in jure, quo expressè obligentur, sed ex decentia, & æquitate: hinc putârim, Novitios quidem teneri abstinere à negotiatione perinde ac cæteri Religiosi, non tamen incurrere pœnas latas contra Religiosos negotiantes.

§. II.

§. II.

De Ministeriis sæcularibus, quæ prohibentur clericis.

1 Dicendum primò, Clericos non posse licitè cognoscere judicialiter in causa sanguinis, si sacris fuerint ordinibus initiati, idque desumitur *ex c. clericis 5. h. t.* Concilio Toletano VI. *canone 6.* ubi dicitur, quòd clerici in sacris constituti non possint judicare in causa sanguinis, neque mutilare per se, nec per alios : & contra facientes priventur officio, & beneficio : unde Glossa ibidem ait, Clericum habentem jurisdictionem temporalem non debere judicare per seipsum, nec consulere, nec consentire, aut dictare, vel interesse, alioquin sit irregularis : sed generaliter tenetur committere laicis, ut ipsi judicent de malefactoribus, quòd si Reus appellet ad ipsum, debet iterum alteri judici laico delegare, quia ipsi per se non licet cognoscere causam sanguinis. Hinc Episcopi, & alij Prælati ecclesiastici etiam si habeant jurisdictionem temporalem non possunt cognoscere causam sanguinis, nec sententiam ferre condemnandi aliquem ad mortem, vel mutilationem membrorum : immo neque possunt præcipere aliis, ut mortem inferant, vel mutilent, quia quòd quis non potest per se, nec per alium regulariter potest facere *c. ult.* & ibi Glossa *V. non suo dist. 46.* Glossa *in c. bis, & quibus 30. V. aut inferendas caus. 23. q. 8.* immo neque possunt ecclesiastici dictare, aut scribere sententiam mortis, vel mutilationis, nec dare consilium, vel præstare auxilium ad mortem, vel sanguinis effusionem, immo nec interesse talibus actibus, quia incurrerent irregularitatem, si ex tali facto sequeretur mors; vel mutilatio, & ecclesiasticus deponendus esset ab officio, & beneficio, ut desumitur *ex d. c. clericis 5. h. t.* & docent communiter Canonistæ juxta *text. in c. 1. 15. q. 4.* ibi *criminalia negotia Presbyter clericus &c.* & in Concilio Altisiodor. *can 34.* prohibetur *Presbytero in judicio ille sedere, unde homo ad mortem tradatur.*

2 Ratio est, quia ecclesia valde abhorret à qualibet sanguinis effusione, ne videatur ipsius particeps; quapropter suis Ministris inhibet, ne sententias, per quas sanguis effunditur, aut membrorum truncatio sequitur, proferant, dicant, recitent, vel scribant, aut ubi exequuntur, interfint; adeo ut de Magistratibus ecclesiasticis dici non impropriè possit, quod Ausonius de Magistratibus municipalibus.

Quisque suas rexere urbes, purúmque tribunal,
Sanguine, & innocuas illustravere secures.

Vocat Ausonius tribunal purum sanguine, & innocuas secures, quia tametsi Magistratus municipales jus haberent deferendarum fascium; illis nihilominus fasces, & secures magis erant insignia Magistratûs, quàm imperij, & magis honestamenta muneris, quàm insignia potestatis. Cæterum Clericos, & sacerdotes, qui extraordinariis criminum cognitionibus interfunt, latinus Pacatus vocat Antistites nomine, re autem satellites, & carnifices : *Qui cum judiciis capitalibus adstitissent, cum gemitus, & tormenta miserorum, auribus, ac luminibus hausissent, cum lictorum arma, cum damnatorum frena tractâssent pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant, & cæremonias, quas incestaverant mentibus, etiam corporibus inquinabant.* Quinimò Tertullianus *lib. de Idololatria c. 7.* monet Christianum quemlibet, ne judicet in caput alicujus, vel supplicium neque damnet, neminem vinciat, aut torqueat.

3 Hinc consuevit ecclesia cum aliquis clericus ob enormia delicta per proprium Episcopum degradatur, & traditur brachio sæculari intercedere pro eo, ne ad mortem damnetur, ne ecclesia particeps fiat effusionis talis sanguinis, unde D. Augustinus *epist. 158.* ait : *Pœna illorum quamvis de tantis sceleribus confessorum rogo, ut supplicium mortis non sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam consuetudinem commendandam*, & facit textus *in c. novimus de verb. signif.* quod etiam servatur in hæreticis relaxandis judici sæculari. Et hodie etiam est in usu, quia juxta jus commune, & fori ecclesiastici stylum, fit relaxatio, licèt necessaria non sit sententia relaxationis, ad declinandam pœnam irregularitatis, cum Bullis Pauli IV. & Pij V. cautum sit, ut Inquisitores, Consultores, & cæteri, qui in similibus causis judicandis assistunt, non solùm in causis hæresis, verùm etiam in qualibet alia criminali, quæ coram ipsis examinatur, possint sententiam dicere; quâ Rei damnentur ad quæstionem, seu torturam, aut alias condignas pœnas etiam usque ad mutilationem membri, aut mortem naturalem, ut notat Aravio *in decis. moral. tract 5. q. 5. per tot.* Idque procedit non solùm de clericis in sacris, sed etiam minoribus ordinibus initiatis, si sint beneficiati, ut patet *ex c. sententiam 9. h. t.* ubi Innocentius III. generatim dicit : ut Clericus non dictet, nec proferat sententiam sanguinis, nec vindictam sanguinis exerceat, nec ubi exercetur, interfit, nec litteras dictet, vel ulli scribat pro vindicta sanguinis, nec viris sanguinum præponatur; nec clericus in sacris exerceat artem Chyrurgiæ, quæ adustionem, & incisionem inducit.

4 Videtur tamen obstare, quia promeritis pœnis nocentes punire, adeo est Deo gratum, ut tali vindicta Dominus placare dicatur *in c 16. & 21. c. quali 6. in fin. 23. q. 5. c. si quos 23. q. 4.* neque crudelitatis nota est redarguendus, qui nocentem condemnat *c. non est crudelis 23. q. 5.* immo pietatem exercet *c. Reos in fin. 23. q. 5. c. legi 23. q. 8. c. fin. de pœnit. dist final.* Hinc rectè D. Hieronymus super Ezechiel. *lib. 2. & 4.* ait qui malos percutit in eo, quòd mali sunt, & habet causam interfectionis, ut occidat, optimus minister Dei est. Tum quia ecclesia habet potestatem utriusque gladij, spiritualis, & temporalis ut ex sanctis Augustino, Leone, & Bernardo fusè probat Germanius *lib. 3. sacror. immunit. c. 13.*

5 Sed contra, quia quamvis bonum opus sit justitiam ultionis in nocentes exequi, & impro-

probos, ac malos juxta mensuram delictorum punire: nihilominùs hoc, quod est bonum, nisi benè fiat ab ijs, qui potestatem habent illud faciendi, malè fieri dicitur: & quia Clericos decet mansuetudo, ac pietas; debeántque Magistrum Christum imitari, qui mitis fuit, & humilis corde, ideo prohibentur proferre sententiam Sanguinis in nocentes, eò quia non sit quid consonum regulis mansuetudinis, & pietatis; proinde si Clerici id improbè faciant, ab officio deponuntur, & beneficio, & si judices laici sint, qui sententiam sanguinis proferunt, irregularitatem contrahunt: in qua tamen potest Episcopus ex justa causa dispensare juxta Aravium *tract. 2. qq. moral. q. 11.*

6 Ad id, quod addebatur ecclesiam potiri, utrôque gladio temporali, & spirituali, respondetur, ita habere gladium temporalem, ut tamen non per se immediatè, sed per judices sæculares sententias sanguinis juxta exigentiam justitiæ exerceat, adeo ut judices ecclesiastici pœnas illas, ex quibus sequitur sanguinis effusio, non possint per se infligere, nec exequi, sed per judicem sæcularem. Quòd si in aliqua causa appelletur ad ipsum Episcopum, vel Prælatum delegantem, debet hic iterum alteri judici laico causam delegare: siquidem per se ipsum non potest illam cognoscere, ut notat Glossa *in d. c. clericis 5. in fin. h. t.* Immo consultiùs est, si Episcopus, vel alius Prælatus ecclesiasticus habens jurisdictionem temporalem, non specialiter, sed generaliter committat alicui laico facultatem cognoscendi causas sanguinis, ut notat Abbas *in d. c. clericis n. 12. h. t.* quia per hanc generalem dispositionem Prælatus ecclesiasticus tantùm concurrit ad ipsam administrationem justitiæ in generali, non verò ad ullam sententiam specialem sanguinis: quia Prælatus non injungit judici laico, ut ferat sententiam sanguinis, sed ut administret justitiam, & hac ratione potest per alium facere, quod per se ipsum non posset, quia ut notat Glossa *in c. Episcopus ult. h. t.* licita sunt quædam in genere, quæ in specie minimè licerent, si nimirum descensus ad specialia occasionem mali induceret *argu. c. si sacerdos. 2.* juxta Glossam *V. nominatim de offic. judic. Ordinarij.*

7 Hinc si judex delegatus laicus etiam contra justitiam procederet ad causam sanguinis, id non imputaretur Episcopo, vel Prælato deleganti ad culpam, quia ipse non mandavit, ut judex talem sententiam ferret, immò potiùs contrarium, quia cùm illi injunxerit, ut justitiam exerceret, & hæc exigeret aliam sententiam, ideò Prælatus ecclesiasticus potiùs mandavit, ut sententiam ferret potiùs juxta justitiam. Cæterum potest clericus vice Episcopi cognoscere causam criminalem, in qua non imponitur pœna sanguinis, sed detrusionis in arctum monasterium, ut notat Abbas *in d. c. clericis 5. n. 11. h. t.*

8 Dicendum secundò, nec posse clericos esse Ministros laicorum, neque gestores negotiorum ad laicos pertinentium, neque eorum procuratores, & desumitur *ex c. Sacerdotibus 2. h. t.* ubi Eugenius statuit, ne clerici sint Ministri negotiorum, nec Procuratores laicorum, quòd si contra fecerint, & deprehendantur in fraude, non subvenitur illis ab ecclesia: ratio desumitur, quia clericos sacris ordinibus initiatos, & Monachos, & conversos divino officio, & contemplationi, ac orationi mancipatos, decet ab omni strepitu temporalium cessare *can. duo sunt 12 q. 1.* quapropter non debent clerici, & ecclesiastici sæcularibus negotijs se immiscere: sed per administrationem rerũ sæcularium clerici implicantur negotijs sæcularibus, proinde prohibetur illis se in talibus negotijs immiscere, nam qui mittit manum ad aratrum, & respicit retro, non est aptus Regno Dei, neque fieri potest, ut profectus spiritualis non impediatur, & fervor devotionis non tepescat, per sæculares occupationes. Hinc Sinesius *epist. 57.* ait. civilem virtutem jungere cum Sacerdotio velle, est miscere omnino non miscenda. Tum quia milites armatæ militiæ, nequeunt Procuratores esse in judicio *l. militem 7. l. stipendia 9. c. de procurat.* ne scilicet ob privata negotia ab armorum exercitio discedant, & castra deserant, *l. milites 31. l. locati. l. milites 2. de re militari lib. 12. l. 5. c. de condict. ob caus. l. 54 ff. de procurat. §. 10. inst. de except.* Hinc D. Ambrosius *lib. 1. offic. c. 36.* ait, *Is qui Imperatori militat à susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus.*

Unde meritò ecclesia, nè Sacerdotes ab altari discedant, ac cœlestem deserant militiam, prohibet; ne se immiscerent negotijs sæcularibus, neque sint eorum Procuratores, gestorésque negotiorum: & si secus fecerint, ac deprehensi fuerint in fraude illis non subvenitur ab ecclesia, quia licèt hæc teneatur clericum defendere contra oppressiones laicorum, non tamen debet ecclesia ei subvenire pecunia, vel alio auxilio in fraude commissa ab eis in administratione laicorum, quia se immiscentes contra canones negotijs sæcularium indignos se constituunt auxilio ecclesiæ. Non tamen hujusmodi clerici amittunt privilegium clericale fori, unde ratione fraudis in administratione laicorum commissa non possunt à judice sæculari capi, neque ad forum sæculare trahi.

Neque debent Clerici etiam non sacerdotes esse Ministri laicorum, neque famuli domestici eorundem, ut desumitur *ex d. c. sacerdotibus 2. h. t.* quod tamen intelligitur de clericis beneficiatis, vel in sacris constitutis. Possunt tamen clerici coram judice ecclesiastico, & in causis ecclesiasticis esse Procuratores laicorum, quia id nullo jure ipsis prohibetur. Neque possunt esse Procuratores illorum, neque possunt exercere jurisdictiones sæculares sub quibusdam Principibus, & si secus fecerint ab officio deponuntur, & ecclesiastico ministerio, & si fuerint Religiosi strictiùs sunt puniendi, quia dignitas personæ peccatum aggravat. *c. cum quidam 12. de jure jur.* consequentes etiam pœnam.

10

nam. Neque possunt exercere officium Vice-Comitis, dicitur Vice-Comes ille, cui Dominus sæcularis committit executionem jurisdictionis suæ in aliquibus castris, vel terris. Neq; possunt clerici exercere officium Præpositi; dicitur Præpositus in præsenti officialis laicus *c. ex p. 23. in princ.* juncta Glossa *V. Præpositus de V.S.* Idque sub interminatione anathematis est ipsis prohibitum ab Alexandro III. *in c. clericis 5. §. jubemus h. t.*

11 Quamobrem sacerdotes, qui in curiis Principum sæcularium sunt Gubernatores temporales, vel præsident Cancellarijs, incurrunt excommunicationem hujus canonis, si exerceant tale officium sine dispensatione Papæ. Juvat tamen observare, quòd licet in canone dicatur, subjaceat excommunicationi, id intelligitur post præcedentem monitionem, ut constat *ex c. si quis suadente 29. caus. 27.* ubi dicitur *anathematis vinculo subjaceat*, & nihilominus communiter intelligitur, quòd sit excommunicatio latæ sententiæ post præcedentem trinam monitionem: tunc enim excommunicatio sententiæ ferendæ incurritur, quando additur verbum futuri temporis, quod non executionem, sed ministerium hominis, seu exercitium actûs denotat, ut est illud verbum *excommunicetur*, tunc enim excommunicatio non incurritur nisi per sententiam judicis. Rursus neque potest clericus sacris initiatus ordinibus constitui Dux belli, sive hoc sit justum, sive injustum, quamvis possit Clericus interesse bello justo, & milites etiam hortari ad pugnam *c. suscitaris 47. caus. 7. q. 1. c. igitur, & c. pridem 17. caus. 23. q. 8.*

12 Cæterum non potest Clericus ordinare acies, dirigere tormenta bellica, & alia in castris exercere pro pugna, quia hæc non conveniunt mansuetudini, & lenitati Clericorum, non enim debent Clerici arma tractare corporalia, sed orationes fundere, & lachrymas. Prohibentur etiam Clerici exercere officium tabellionis, seu Notarij circa forum sæculare, quia tale officium est sæculare, & in foro sæculari non potest Clericus illud exercere, sed tantùm in foro ecclesiastico, & circa causas, & negotia spiritualia, ut desumitur *ex c. sicut tex 8. h. t.* ubi Innocentius III. statuit, quòd clericus in Sacris compellendus sit per beneficiorum subtractionem, ut ab officio tabellionis desistat: ubi tamen notat Glossa, quòd in causa spirituali, & coram judice ecclesiastico possit hoc officium exercere ad modicum tempus, prohibetur tamen exercitium hujus officij clericis constitutis in sacris, & habentibus competens beneficium ecclesiasticum: immo etiam clerici in minoribus constituti, si competens habeant beneficium, non possunt officium Notarij exercere, eò quia hoc officium sit publicum, sæculare, & vile, ac redoleat negotiationem, proinde omnibus clericis indistinctè censetur interdictum, dummodo necessitas eos ad tale exercitium non adigat.

13 Dicendum tertiò, generatim prohiberi clericos sacris initiatos, vel beneficiatos, ut etiam Monachos immiscere se negotijs sæcularibus, ut lites prosequi *c. 1. h. t.* ubi plura recensentur negotia, quæ clericis prohibentur. Secundò prohibentur ministrare laicis, & ipsorum negotia gerere *c. Sacerdotibus 2. h. t.* ubi Eugenius ait: Clerici non sunt Ministri negotiorum, nec Procuratores laicorum. Tertiò prohibentur procurationes villarum, aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus exercere, ut etiam judicijs præesse sub pœna depositionis, vel etiam gravioris, si sit Religiosus *c. sed nec 4. h. t.* ubi habetur, quòd si Clericus præsumat accipere procurationes, aut jurisdictiones sæcularium, ut justitiarius fiat illorum, sit deponendus ab ecclesiastico ministerio, & si fuerit Religiosus etiam strictiùs sit puniendus. Quartò prohibentur etiam agitare judicium sanguinis sub pœna similiter depositionis ab officio, & beneficio *c. clericus 5. c. sententiam 9. h. t.* Quintò prohibentur etiam lucri causa negotiari, idque sub interminatione anathematis *c. secundùm institutа 6. h. t.* Pro quo tamen juvat advertere, quòd non statim ac clericus negotiatur, incurrit pœnam, sed debet trina præcedere Episcopi admonitio. Sextò prohibentur officium exercere tabellionatûs *c. sicut 8. h. t.* & generatim quæcunque avocant à contemplatione, & instituto vitæ spiritualis, cui Clerici sunt mancipati *can. duo sunt. 12 q. 1.* quia juxta Apostolum *nemo militans Deo se sæcularibus implicat negotijs.*

14 Hinc prohibentur septimò etiam navare operam studijs legum civilium, & medicinæ, quamvis per se sint studia honestissima *c. non magnopere 3. h. t.* ubi Pontifex statuit, ut Religiosi professi non permittantur exire ad legendam physicam, seu medicinam, vel mundanas leges audiendum, & si exierint, & intra duos menses non revertantur ad claustrum, sint evitandi tanquam excommunicati: & si velint patrocinari, in nulla causa audiantur, & reverſ. habeant ultimum locum in choro, capitulo, mensa, & cæteris, & amittant spem promotionis.

15 Juvat observare, tres requiri conditiones ad has pœnas incurrendas, quarum prima est, ut Religiosi professi leges civiles, & physicam, seu medicinam legant, vel audiant, vel saltem animo audiendi exeant è monasterio. Secunda ut ad hunc finem audiendi leges civiles exeant è suis claustris: unde si in proprio monasterio medicinam audiant, & legibus civilibus studeant, non incurrunt has pœnas, quia cùm constitutio sit pœnalis non debet extendi ultra propriam significationem verborum, sed potiùs restringi, & quia constitutio expresè loquitur de Religiosis exeuntibus monasterio, non debet intelligi de non exeuntibus, ut notat Innocentius *in c. super specula 10. in princ.* & Abbas ibidem *num. 13. h. t.* Tertia ut intra duos menses ad claustrum non redeant, quia si ante elapsum hoc tempus redierint, non incurrunt excommunicationem; quamobrem hæc constitutio cùm sit pœnalis, & strictæ interpretationis non comprehendit eos, qui privatim, & in pro-

prio monaſterio ſtudiis incumbunt medicinæ, & legum civilium; præſertim cum notitia legum civilium plurimum ſuppeditet auxilij, ut clericus faciliùs enanciſcatur jus canonicum. Hinc in pluribus univerſitatibus, ut etiam in illa Salisburgenſi, ut refert Engel *h. t. in fin.* hæc prohibitio relaxata eſt per Pontificia privilegia, ut Clerici, & Religioſi poſſint etiam publicè lectiones juris civilis audire præſertim in materia de contractibus, hæreditatibus, legibus.

16 Quinimmo etiam ſi præſcindamus ab hiſce privilegiis, ſi Religioſi exeant è monaſterio ad audiendas has ſcientias, ſed non morentur extra clauſtrum, eò quia ſolùm exeant ad audiendas lectiones in publica academia, & ut moris eſt ad prandium, & cœnam quotidiè redeant ad clauſtrũ, probabile eſt, eos tunc non incurrere illas pœnas: quia in conſtitutione pœnali dicitur, ſi ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non redierint; unde cùm revertantur ſingulis diebus, & ſemper pernoctent in monaſterio, non poſſunt dici abeſſe per duos menſes, cùm nonniſi per paucas horas abſint: in pœnalibus conſtitutionibus non eſt recedendum à proprietate litteræ, ſeu textûs: & pœnæ potiùs reſtringi debent, quàm ampliari.

17 Cæterum Clerici, & Monachi, qui negotijs præfatis ſe ſe immiſcent, non ſolùm privantur privilegio immunitatis à vectigalibus, & tributis, & cæteris privilegiis clericalibus, ſed etiam aliis pœnis afficiuntur, ut deſumitur *ex c. ſed nec procurationes 4. h. t.* & aliis pluribus juribus: non tamen ſtatim ac clericus negotiatur amittit exemptionem, ſed requiritur ut ter priùs admoneatur ab Epiſcopo, & hæc monitio debet eſſe omnino triplex; adeo ut non ſufficiat una pro tribus, ut notat Acugna *in decret. p. 1. diſt. 88. c. 2. num. 6.* Rurſus quando Clericus negotiator ter admonitus amittit exemptionem gabellarum, non illam amittit quoad bona eccleſiaſtica, ſed tantùm quoad patrimonialia, ut cenſet Comittolus *lib. 1. q. 53. num. 4.* contrà Layman *lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9.* Præterea Clericus negotiator quando teneturſolvere gabellam non poteſt pro ejus ſolutione conveniri coram judice laico, quia pertinet ad forum eccleſiaſticum.

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an ex eo, quòd Regularibus interdicatur negotiari, ſit etiam ipſis prohibitum negotiari per alios? Reſpondetur conſultiùs ſemper eſſe, ut à tali negotiatione abſtineant, quia ut ait Apoſtolus *1. ad Corinth. 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Tum quia negotiari per alios indicat cupiditatem lucri, & redolet aliquid fœditatis, ac indecentiæ contra ſtatum religioſum. Tum quia videtur hîc locum habere regula: quòd qui facit per alium perinde ſit, ac ſi faceret per ſe ipſum: unde Gloſſa *in clement. 1. de vita, & honeſt. clericor.* de clerico negotiante ait: ſi ergo occultè, & per alium exercetur negotiatio, ceſſat pœna, licèt non culpa. Cæterum docent plures, eſſe probabile, quòd non interdicatur clericis negotiari per alios, eò quia tunc ceſſat ratio prohibitionis, quia clericus non diſtrahitur à divinis officijs: & peccata, quæ in tali negotiatione fiunt, non imputantur clerico, aut Religioſo. Tum quia jura quæ prohibent negotiationem, loquuntur de negotiatione, quæ immediatè exerceatur ab ipſo clerico, idque deſumitur *ex clement. 1. de vita, & honeſt. clericor.* ubi imponitur pœna clerico exercenti per ſe ipſum officium lanionis, aut caponarij.

2 Hinc Diana putat ex vi ſolius prohibitionis eccleſiaſticæ poſſe clericos, & Religioſos negotiari per alios, ut habet *1. p. tract. 8. reſol. 72.* Hoc idem docet Leſſius *lib. 2. t. 21. num. 6.* ubi aſſerit, non eſſe peccatum ſi clerici, vel Religioſi per alios negotientur, qui totam induſtriam præſtent, ut ſi pecuniam in ſocietate Mercatorum depoſitam habeant, eò quia tunc ceſſat ratio prohibitionis, & quia ſolum prohibitum eſt, ne per ſe immediatè negotientur: addit tamen id parum decorum videri ſtatui eccleſiaſtico, proinde non eſſe faciendum niſi juſta aliqua cauſa ſuppetat.

3 Quæritur ſecundò, an Clerici, vel Religioſi ſtante prohibitione poſſint negotiari ſaltem pro aliis tanquam Miniſtris abſque ulla ſpe lucri temporalis? Reſpondetur, quòd tametſi unusquisque circa res alienas ſoleat eſſe minùs anxius, nihilominus adhuc putârim probabiliùs non poſſe Clericum, vel Regularem negotiari pro alio, ut Miniſtrum illius, quia licèt in jure non diſtinguatur negotiari pro ſe, vel pro alio, nihilominus à cauſa finali ſemper deſumitur eadem ratio, quia talia negotia per ſe diſtrahunt à divinis, & quamvis negotiatio ſit pro alio, non tamen decet ſtatum clericalem: cauſa finalis ob quam Pontifices prohibent, ne clerici negotientur includit hæc duo, ne ſcilicet diſtrahantur à divinis, & quia negotiatio non decet ſtatum clericalem: quæ duo locum habent ſive Clericus negotietur pro ſe, ſive pro alio, ſive ſpe lucri, ſive abſque tali ſpe: quia negotiatio non poteſt exerceri ſine applicatione, & attentione, proinde nec poteſt exerceri ſine diſtractione à divinis.

4 Rurſus non decet ſtatum clericalem, nec religioſum negotiatio, quia per ſe, & ex intrinſeca ſua ratione trahit quandam turpitudinem, quæ non decet ſtatum clericalem. Tum quia negotiatio accenſetur negotiis ſæcularibus, & ut ait Apoſtolus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus*: unde ſive negotiatio exerceatur pro ſe, ſive pro alijs cum ſpe, vel absque ſpe lucri temporalis; ſemper eſt quid dedecens ſtatum eccleſiaſticum, proinde prohibitum clericis, & Religioſis. Neque obſtat, quòd unusquisque circa res alienas ſit minus anxius: quia ex inde tantùm ſequitur, quòd minus diſtrahatur clericus, vel Religioſus à divinis, non verò quòd non diſtrahatur; ſed magis, & minus non variant ſpeciem, proinde non impediunt, quin ex ratione deducta à cauſa finali talis

talis negotiatio ſit prohibita Clericis, & Religioſis.

5 Quæritur tertiò, an Regulares ſtante hac prohibitione poſſint propria animalia vendere, & aliquid lucrari: imò emere vili pretio animalia, ut ea aliquo tempore nutriant ad eum finem, ut cariùs vendant, & inde habeant lucrum? Reſpondetur quoad animalia propria ea ſcilicet quæ naſcuntur ex propriis, & nutriuntur in propriis prædiis, certum eſt, poſſe Regulares vendere etiam lucri causâ, quia tunc non exercent negotiationem, ſed tantùm vendunt fructus propriorum animalium. Quoad ea animalia, quæ emuntur, procedendum eſt cum diſtinctione: vel enim regulares emunt talia animalia ea intentione, & animo, ut poſſint ea cariùs revendere, & tunc putârim non poſſe id fieri ſtante canonica prohibitione, quia intervenit negotiatio propriè ſumpta: ſiquidem ad negotiationem ſufficit ſi prior emptio fiat animo revendendi, & licèt animalia aliquo modo meliorentur, eò quia optimis paſcuis nutriantur, hæc tamen mutatio eſt accidentalis, & quoad ſpeciem, ac formam animalia ſunt ſemper eadem.

6 Sin verò emantur animalia ad effectum ea paſcendi in propriis prædijs; ut inſerviant iisdem prædiis, & Regularibus, ſi poſtea mutent intentionem, & ea vendant etiam cariori pretio, quàm emerint; tunc lucrum non cenſetur fructus emptionis; ſed naturæ ſuorum prædiorum; & hac ratione Regulares non poſſunt dici negotiatores, quia ipſis non prohibetur vendere res ſuas.

7 Quæritur quartò, an poſſint eccleſiaſtici equos emere, & alia jumenta ad ea locanda, ut inde aliquid lucrentur? Reſpondetur negativè, quia tunc lucrum eſſet fructus emptionis, non naturæ. Tum quia per locationem veluti partialiter venditur res priùs empta, & quidem eadem immutata, quod propriè eſt negotiari. Nihilominùs Cardinalis de Lugo *diſp. 26. de juſtit. n. 34.* ait, ſibi non apparere, cur emptio animalium animo ea locandi magis ſit negotiatio, quàm emptio prædiorum, vel aliarum rerum animo eas locandi: ſed emere prædia animo ea locandi colonis non eſt illicitum, nec redolet negotiationem; proinde non videri Regulares negotiari, ſi animalia emant animo ea locandi. Sed poſſet diſcrimen aſſignari, quia prædia nõ niſi ſemel afferunt per annum fructus, ſecus ſi Religioſi emant mulas, & equos animo eos locandi, & ad eum finem nutriunt hæc animalia in proprijs ſtabulis, ferè ſingulis diebus poſſet dari occaſio ea locandi, qua ratione lucrum eſſet frequentiſſimum, & eſſet continuata veluti locatio, & quidem publica contra decentiam ſtatûs clericalis: paritas de prædijs valeret, ſi Regulares emerent animalia non animo ea nutriendi in proprijs ſtabulis, ſed locandi alijs, ut ab ipſis quot annis aliquid acciperent, quamdiu animalia vivunt: quo pacto etiam lucrum accipiunt ex locatis domibus.

8 Quæritur quintò, an Regulares poſſint alienos agros conducere animo vendendi fructus inde percipiendos? Reſpondetur negativè, quia tametſi fructus percepti ex agris conductis pertineant ad Regulares, nihilominus conductio agrorum animo vendendi eorum fructus ſapit negotiationem, & redolet avaritiam, quia tunc prior emptio ſit animo revendendi, hoc eſt, emunt agros pro tali tempore, ut eorum fructus divendant, & aliquid lucri inde percipiant. Neque eſt par ratio de fructibus collectis ex proprijs prædijs: ſiquidem poſſunt Regulares eos liberè divendere etiam cariùs, eos aliò transferendo, quia tunc non intervenit emptio cum intentione revendendi lucri cauſâ: ſed tantùm Regulares fructus, qui ſuperſunt ad ſuſtentationem monaſterij, vendunt, quod non eſt negotiari, ut docent Barboſa, & Guttieres apud Molinam *tract. 2. diſp. 342. n. 11.*

9 Quæritur ſextò, an Religioſi Regulares poſſint aperire officinam aromatariam, & inde aromata, & medicinas vendere extraneis? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi Regulares aperiant hujusmodi officinas non animo vendendi aromata, & pharmaca fæcularibus, ſed tantùm animo providendi monaſterio, & ad uſum Religioſorum, tunc nulli eſt dubium, quin hujusmodi officinas poſſint in proprijs monaſterijs conſtruere, quia id non eſt negotiari, ſed tantùm ſibi conſulere: quòd ſi aromata ex diuturnitate deberent vitia contrahere, poſſent etiam illa vendere, quia tunc non emunt intentione cariùs vendendi, ſed ne res vitia contrahentes non poſſint ampliùs inſervire: quòd ſi ex illa pecunia emant alia aromata ducentia ad uſum monaſterij, & non animo revendendi; tunc eſt etiam licitum, quia hoc non eſt negotiari, ſed conſulere neceſſitati Religioſorum monaſterij ægrotantium: idque ad praxim deducunt plures ſacri ordines Religioſorum in illis præſertim monaſterijs, quæ conſtituuntur pro infirmis, & ad quæ deferuntur infirmi Provinciæ. An verò poſſint Regulares ipſa pharmaca vendere fæcularibus videtur dubiũ, quia cum hujusmodi pharmaca componantur ex rebus plurimis medicinalibus, non videntur Regulares per talem venditionem exercere negotiationem, quia non vendunt res emptas omninò immutatas, quod requiritur ad negotiationem propriè dictam. Verùm Urbanus VIII. in ſua conſtitutione 49. prohibuit fratribus minoribus de obſervantia, ne res ex ſuis officinis aromatarijs venderent externis etiam pharmaca, quinimò die 29. Auguſti 1637. editum fuit etiam decretum Sacræ Congregationis viſitationis Apoſtolicæ ab eodem Urbano conſtitutæ contra Religioſos, & eccleſiaſticos quoscunque quæſtuoſas artes, quibus accenſetur pharmacopæa pro fæcularibus exercentes. Sunt tamen, qui cenſeant, Urbanum VIII. ad preces Religioſorum hoc idem decretum poſtea laxâſſe. Suppoſito, quòd revera tale decretum fuerit abrogatum, de quo tamen non conſtat.

Quæritur ſeptimò, an Regulares minuta-

tim possi:· adere aromata, & alia, quæ habent in sua officina? Respondetur cum distinctione, si res illæ non possint amplius ex diuturnitate inservire, & superfluant ad necessarium usum Religiosorum, tunc sicut ne vitia contrahant, simúlque pereant, possunt res omnes, quæ supersunt, simul vendi, etiam animo ex tali pecunia emendi aromata recentiora ad usum ejusdem monasterij: ita etiam minutatim possunt res illas vendere ad eundem finem: quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita etiam secundum quid, ad secundum quid; & sicut Regulares possunt absque nota negotiationis vendere res illas, quæ superfluunt in magna quantitate simul, ita etiam in modica, immo etiam minutatim, dummodo venditio fiat intra monasterium, & non publicè, quia publica illa venditio per viros Religiosos dedecet statum religiosum: & Religiosi publicè vendentes viderentur, perindè ac alij Apothecarij seculares aromata, & res medicinales vendere lucri causâ.

41 Quæritur octavò, ad quem pertineant bona, quæ Regulares Apostatæ acquirunt ex illicita negotiatione? Respondetur cum distinctione, vel enim bona illa acquisita existunt, post obitum Regularis Apostatæ, vel adhuc vivente Apostata servantur in loco tertio: si existant post obitum, pertinent ad cameram Apostolicam, tametsi testati fuerint de ijsdem, ex constitutione Pij IV. edita anno 1560. 9. Novemb. quæ incipit, *decens*, & habetur apud Redoanum *de spoliis clericor. q. 2. n. 11.* verùm probabilior sententia censet, quòd bona ex illicita negotiatione acquisita, priusquam personæ ecclesiasticæ, vel eorum successores ijs per sententiam judicis condemnatoriam priventur, in foro conscientiæ possint retineri: quia hæc privatio est pœna delicti, seu ipsius negotiationis illicitæ, quæ in conscientia non debetur, nisi post condemnationem judicis.

42 Tum quia, quæ hac ratione acquiruntur, non sunt acquisita contra leges justitiæ specialis, scilicet commutativæ, ex qua oritur obligatio restituendi, sed contra alias virtutes morales. Sin verò talia bona acquisita ex illicita negotiatione existant adhuc vivente Religioso Apostata, tunc secluso jure positivo pertinent ad monasterium, quod succedit in locum Religiosi, nisi impediatur, idque conformiter juri communi *c. non dicatis 12. q. 2.* juxta Glossam *c. cum olim 2. de privileg.* imò habetur expressa declaratio Pauli IV. hac super re edita: de jure tamen positivo talia bona pertinent ad cameram Apostolicam ea tamen conditione, ut Religiosus Apostata possit in vita ea dare suo ordini, & possit ordo, si eum ad se revocet, unà cum persona etiam recuperare dicta bona, nec ordo potest illis postea privari, eò quia adit eorum possessionem, priusquàm adjudicentur Cameræ Apostolicæ, adeò ut non possint dici fuisse confiscata.

43 Quæritur nonò, an Episcopus possit punire Religiosum illicitè negotiantem? Respondetur, quòd nõ; nisi negotiatio exerceatur frequenter cum scandalo populi, eò quia *in clement. 1. de vita, & honest. clericor.* nulla fit mentio de Regularibus: & ex alia parte Regulares sunt exempti ab ordinario: unde cum Superior non possit punire nisi subditum, in quem exercet jurisdictionem; & Regulares non subjiciantur Episcopo, sequitur non posse hos ab Episcopo puniri, nisi negotiatio exerceatur frequenter, & cum scandalo populi. Neque obstat, Glossam ibi asserere, Pontificem etiam includere exemptos, quia nomina exemptorum, qui ibi exprimuntur, non comprehenduntur Regulares, quia illi sunt exempti non solùm ratione loci, sed etiam ratione personæ, contractûs, & delicti. Cæterum si negotiatio esset cum scandalo populi, & frequens, tunc Episcopus posset Regulares negotiatores non simpliciter, ut negotiatores, sed ut notoriè delinquentes, & ut sunt populo scandalo punire, juxta Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regular. c. 14.*

Quæritur decimò, in quibus casibus possint clerici exercere officium Tabellionis, seu Notarij? Respondetur. Primò in favorem fidei, tunc enim Religiosi, & clerici sæculares possunt hoc officium exercere, ut in causa hæresis *c. ut officium 11. §. ad conscribendas de hæret. in 6.* Secundò, ut inserviant Papæ: potest enim clericus esse Notarius Pontificis, & in curia Romana hoc officium exercere propter tacitum Papæ consensum, quia tunc censetur illum habilem reddere, ut docet Abbas *in c. sicut n. 6.* Covarruvias *pract. qq. c. 9. n. 8. conclus. 1.* Tertiò putant aliqui, clericum etiam sacris ordinibus initiatum, si non habeat competens beneficium ecclesiasticum posse officium Notarij extra curiam Romanam coram tamen judice ecclesiastico in causis spiritualibus exercere, ut notat Abbas in *d. c. sicut n. 6.* Fagnanus tamen *in d. c. sicut. n. 58. 61.* & alij cum ipso censent, clericum in sacris constitutum, tametsi non habeat beneficium ecclesiasticum, non posse officium Tabellionis exercere in consistorio Episcopi, nisi urgente necessitate: quia *in d. c. sicut*, simpliciter, & indistinctè præcipitur interdici hoc officium clericis, & tantùm fuit clericis concessum per modum specialis privilegij, & limitatè in causa fidei, an verò valeant instrumenta à clericis Notarijs confecta? Respondetur valere antequam clericis interdicatur officium Tabellionatûs, non solùm in causis ecclesiasticis, sed etiam in sæcularibus: nam quamvis talia instrumenta illicitè fiant, semel tamen facta tenent, quia fidem adhuc facerent, ut notat Hostiensis *in d. c. sicut. col. 2. §. è converso h. t.* Sin verò clerici conficiant instrumenta, postquam ipsis hoc est interdictum, tunc procedendum est cum distinctione: vel enim publicè, & per edictum solemniter promulgatum est hoc ipsis interdictum, & tunc non valent instrumenta, quæ ab ipsis postea conficiuntur, quia gesta ratione publici officij post interdictum superioris non tenent *c. veritatis 8. c. fin. de dolo, & contumac.*

quem-

quemadmodum nec contractus, qui celebrantur cum prodigo, postquam ei per judicem est interdictum, non valent, *l. is cui 6. ff. de V. O.* Vel interdictum non fuit à superiore palam, & publicè factum, & tunc tenet quidem interdictum intra judicium clerici, cui est factum, ita ut possit beneficio privari, ut habetur *in d. c. sicut, 8. h. t.* gesta tamen valent ratione publici officij saltem quoad partes ignorantes, & notat Abbas *in d. c. sicut. n. 10. & 11.*

15 Quæritur undecimò, quam pœnam incurrant Religiosi, qui habitum dimittunt regularem? Respondetur, pœnam statui *in c. ut periculosa 2. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd Religiosus professus, qui temerè habitum relinquit, vel sine licentia sui Prælati, atque consensu sui Conventus, vel majoris partis ejusdem ad quæcunque studia accedat, est ipso facto excommunicatus. Ad hanc tamen censuram incurrendam requiritur primò, ut non solùm habitus regularis deponatur, sed etiam ut dimittatur: scilicet non sufficit, ut quis exuat habitum dormiendi causa, vel ob alium finem, sed necessè est etiam, ut mutatio habitûs fiat in alium ad se occultandum, nè agnoscatur, possitque liberiùs incedere. Secundò debet dimissio habitus esse temeraria, seu facta sine justa causa, quia si fiat ex justa causa, ut ad defensionem propriæ vitæ, vel famæ, aut proximi, vel ad vitandum grave scandalum non potest dici temeraria dimissio, quia tunc fit prudenter, & rationabiliter. Tertiò censent aliqui, requiri etiam, ut non solùm proprius habitus regularis dimissus sit, sed etiam, ut alius assumatur, ad id tamen censent sufficere, si proprium dimittat, ex cujus depositione, non cognoscatur, cujus religionis sit, quia tunc datur sufficiens causa vagandi, quæ est causa prohibitionis ibi assignata. Cæterum Religiosus, qui retento habitu regulari fugit è proprio monasterio sine superioris licentia, quamvis sit Apostata, vel fugitivus, non tamen incurrit hanc excommunicationem, quia non est lata in Apostatas, & fugitivos, sed in eos, qui habitum temerè dimittunt, etiam sine animo apostatandi, ut notat Barbosa *in d. c. V. periculosa 2. n. 6. h. t. in 6.*

FINIS.

Tertij Tomi.

Digitized by Google

INDEX
Rerum Notabilium.

Quæ in hoc tertio Tomo Decretalium continentur.

Prior numerus paginam indicat, ſecundus eſt marginalis.

A.

ABbati, vel Epiſcopo, qui bona Eccleſiæ inconſulto Papa alienat, interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, & ſi in tali interdicto pertinaciter inſorduerit per ſex menſes, ſuſpenditur ab omni adminiſtratione Eccleſiæ, vel monaſterij in temporalibus, & ſpiritualibus. 334.4

Abbas poteſt inſtituere Eccleſiæ unitæ proprio monaſterio Vicarium, etiam ſine inveſtitura, adeo ut ſit tantùm temporalis, & ad nutum ejusdem Abbatis amovibilis, & tunc habetur tantùm proviſoria adminiſtratio. 798.5

Abbates, Archidiaconi, & alij in paribus, vel majoribus dignitatibus conſtituti in odioſis non comprehenduntur nomine Clericorum. 8.11

Abbates, & Prælati exempti utentes Epiſcopali jurisdictione poſſunt per tres menſes abſque licentia ſui ſuperioris abeſſe ex rationabili cauſa à ſuis Eccleſijs. 57.22

Abbatiſſa monaſterij poſtquam officium regendi ſuſcepit, ſi per multum temporis monaſterium gubernavit, non poteſt teſtamentum condere, nec relinquere bona perſonis exteris. 564.15

Abſtinentia notabiliter nocens ſanitati corporis an ſit licita? 955.5

Abſtinere qui tenetur ex voto ab eſu carnium diebus mercurij, an teneatur etiam abſtinere à jure carnium. 957.15

Acolytatûs materia eſt candelabrum cum cereo extincto, forma: *Accipite ceroferarium &c.* 9.5 ut etiam urceolus vacuus, ſeu ampula: & forma, *accipite urceolos &c.* & probabilius eſt, in traditione urceoli imprimi characterem. 9.5

Actio indebiti ſoluti ceſſat ſex modis, qui recenſentur. 369.18

Actio pignoratitia contraria convenit creditori ad exigendas impenſas neceſſarias, quas fecit in pignore cuſtodiendo, & per hanc actionem habet jus contra debitorem, ſi rem alienam invito Domino ſibi pignori dedit. 493.18

Actio hypotheearia convenit creditori ad pignus poſſidendum. ibid. 19

Actio, quam inopia debitoris excludit, eſt inanis. 510.5

Actiones, quæ ex empto, & vendito, oriuntur, recenſentur, & explicantur. 416.6

Actiones, quæ oriuntur ex locatione, quænam ſint? 416.31

Actiones duæ oriuntur ex contractu permutationis, & explicantur. 453.16

Actiones plures competunt Domino directo feudi contra Vaſallum, ut etiam Vaſallo contra Dominum. 479.10

Actiones, quæ ex pignore oriuntur duæ ſunt, una pignoratitia, & alia hypothecaria; illa eſt actio perſonalis, hæc realis. 493.17

Actor ſi de delictis velit tranſigere incurrit ſuſpicionem falſi. 370.4

Actore non probante reus abſolvendus eſt, quamvis nihil præſtiterit, nec innocentiam ſuam probaverit. 303.2

Actus ſi careat ſua forma, non poteſt ſubſiſtere. 346.16

Adjutor datus in cura, & adminiſtratione rerum ſpiritualium poteſt eſſe cum jure ſuccedendi in beneficio poſt obitum beneficiati, cui eſt adjutor datus, & ſine tali jure. 92.9

Advenæ decedentes ſine electione propriæ ſepulturæ, ſepeliendi ſunt in Eccleſia parochiali. 619.9. Idque procedit, quamvis Advena defungatur non ſuſceptis Sacramentis in parochiali, nec ab ejus Miniſtris. ibid 10

Ætas requiſita ad dignitates eccleſiaſticas recenſetur. 96.6

Agnati collaterales in infinitum ſuccedunt in feudo. 472.20

Alienans res Eccleſiæ conditionatè ſi acceſſerit conſenſus Romani Pontificis non incurrit pœnas Paulinæ conſtitutionis, quia alienatio non ſortitur ſuum effectum, niſi dependenter à beneplacito ſedis apoſtolicæ. 161.34. imò bona fides etiam excuſat Prælatum, ne incurrat pœnas impoſitas in Paulina Extravag. ibid. 35

Alienantes res eccleſiaſticas inconſulto Romano Pontifice plures incurrunt pœnas expreſſas in Paulina conſtitutione. 351.9

Alienari non poſſunt ex rebus mobilibus, vel immobilibus, quæ ſervando ſervari poſſunt, illæ, quæ fructus ferunt, & triennio durant. Ut etiam alienari prohibentur res immobiles Eccleſiæ magni pretij, quæ utilitatem adferunt, ut etiam mobiles, ex quibus utilitas, & fructus diuturnus percipi poteſt, ut eſt grex ovium, & caprarum; quamvis ſeorſim divendi poſſit ſingulæ oves, vel capræ. 339.12

Alienatio rei eccleſiaſticæ ob omiſſam ſolemnita-

tem

tem ſpectato jure communi poſitivo non ſubſiſtit. 284. 13
Alienatio ſi fiat ad breve tempus infra decennium ſufficit tacitus conſenſus capituli ſitus in eo, quòd ſciens non contradicat, nec impediat, cùm commodè poſſet. ibid. 15
Alienatio rei eccleſiaſticæ facta ſine approbatione capituli, nullius eſt valoris. 288. 1
Alienatio propriè ſumpta eſt omnis actus, per quem dominium transfertur de poſſeſſore in alium: & laxè ſumpta eſt etiam datio in emphyteuſin, & locatio ultra triennium, ſi fiat de bonis, quæ ſingulis annis fructus reddunt. 333. 1
Alienatio rerum Eccleſiaſticarum eſt prohibita tum jure canonico, tum jure civili. 334. 3
Alienatio, quâ dominium rei alienatæ transfertur in perſonam Eccleſiaſticam, vel aliam Eccleſiam etiam eſt prohibita, quia bona Eccleſiæ non ſunt ſub dominio Clericorum, ſed ipſius Eccleſiæ. 334. 5
Alienatio rei Eccleſiaſticæ ſicut eſt in materia favorabili Eccleſijs, & laxiſſimè ſumitur, ita nomen Eccleſiæ extenditur ad omnem locum pium authoritate Epiſcopi conſtitutum, vel fundatum. 334. 6
Alienatio in materia favorabili Eccleſijs comprehendit etiam translationem bonorum, vel reditnum unius Eccleſiæ particularis ad aliam. 335. 8
Alienatio in materia favorabili Eccleſiæ ſumitur latiſſimè etiam per transactionem, quæ propterea nequit fieri ſine requiſitis juris ſolemnitatibus. Imò alienatio comprehendit etiam conſtitutionem ſervitutis ſive realis ſit, ſive perſonalis. 336. 16
Alienatio in materia Eccleſiæ favorali comprehendit etiam ipſam locationem ultra triennium. ibid. 18
Alienatio rei eccleſiaſticæ etiam ex juſta cauſa non poteſt fieri niſi adhibeatur ſolemnitas quatuor ſecum trahens conditiones. 340. 5
Alienatio quocunq; modo fiat etiam in caſu licito, hodie regulariter prohibetur inconſulto Romano Pontifice exceptis rebus exigui valoris. 343. 3
Alienatio rei eccleſiaſticæ ſine legitimo conſenſu Eccleſiaſticorum nullum ſortitur valorem, licèt fiat juxta conſtitutionem laicorum. 343. Imò præter conſenſum requiritur, ut Capitulum conſentiens ſubſcribat alienationē, adeo ut hæc ſubſcriptio ſpectato jure communi requiratur ſaltem in caſibus jure expreſſis, ut in donationibus, venditionibus, & permutationibus rerum eccleſiaſticarum, Conſuetudine tamen receptum eſt, ut ſufficiat ſubſcriptio publici Notarij. 344. 6. Requiritur etiam authoritas Superioris, qui in non exemptis eſt Epiſcopus, à quo datur facultas alienandi res ſpectantes ad Eccleſias ſibi ſubjectas; & in exemptis eſt Prælatus, cui Eccleſia ſubeſt. ibid. 7
Alienatio, cui deeſt cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, tametſi facta ſit cum ſolemnitate jure præſcripta, eſt irrita. 345. 12. in foro tamen interno valida eſt. ibid. 14. dummodo nulla fraus, vel injuria, aut læſio intercedat Eccleſiæ. ibid. Verùm probabilius eſt, hanc alienationem, neque in conſcientia ſubſiſtere. 346. 15
Alienatio rei eccleſiaſticæ jure novo exigit authoritatem Romani Pontificis, licèt per talem alienationem non transferatur dominium directum, ſed tantum utile, & ſerventur juris ſolemnitates. 350. 2
Alienatio rei eccleſiaſticæ facta inconſulto Romano Pontifice eſt nullius valoris; ut etiam facta contra tenorem Paulinæ Extravagantis. 350. 3. & ex vi Paulinæ conſtitutionis ad alienandas res eccleſiaſticas ſolus conſenſus expreſſus ſummi Pontificis ſufficit ad operandam validitatem alienationis, dummodo conſenſus Papæ non fuerit ſubreptitiè impetratus; & Pontifex abſolutè, & legitimè ſuam authoritatem interpoſuerit, & alienatio ex certa ſcientia facta ſit, & confirmata. ibid. 7
Alienatio rei eccleſiaſticæ in aliquibus caſibus etiam inconſulto Romano Pontifice ſortitur ſuum valorem. 351. 11
Alienatio rei eccleſiaſticæ jure novo exigit neceſſariò conſenſum Romani Pontificis, & ex quadam honeſtate etiam conſensum Patroni Eccleſiæ; quamvis hic non poſſit tales alienationes impedire, ſi cum legitima authoritate ſummi Pontificis fiant. 353. 18
Alienatio rei immobilis, & prohibitæ alienari in conſtitutione Paulina poteſt ab una Eccleſia alienari in aliam. 355. 9
Alienatio ſervorum fugitivorum inhibetur, ut à fuga deterreantur; ſi nec recipi ſe poſſe à quopiam impunè intellexerint, nec ullo juſto titulo emptionis, aut donationis acquiri. 453. 5
Alienatio in feudo antiquo facta ex conſenſu Domini directi non præjudicat agnatis, quò minùs mortuo Vaſallo feudum tanquam ad ſe devolutum à quocunque poſſeſſore poſſint repetere, etiam non reſtituto pretio. 474. 5
Alienationes ſine authoritate Papæ à Capitulo factæ reſcindi poſſunt ab Epiſcopo electo cum fuerit confirmatus. 251. 7
Alienationes rerum eccleſiaſticarum, quæ fuerunt illegitimè factæ revocari poſſunt à quocunque Prælato, & Rectore Eccleſiæ. 360. 27
Altare ſive fixum, ſive mobile exacratur, ſi notabiliter in menſa ſuperiori, ſeu lapide continente ſigillum lædatur, vel ob fracturam lapidis ſit nimis deforme: in dubio tamen exacratio altaris non eſt præſumenda, nec conſecratio iteranda. 867. 23
Altare erectum ſupra aliquam ſepulturam non poteſt conſecrari. 885. 32
Altare, in quo ſacerdos defacto celebrat, remanet Deo dicatum in uſum ſacrificij, licèt non ſit conſecratum conſecratione rituali. 886. 33
Altare portatile poteſt conſtare duobus lapidibus invicem conjunctis inſtar libri. ibid. 35
Altare in quovis die etiam non feſto poteſt conſecrari. 887. 39. Imò etiam ſine reliquiis Sanctorum, ubi non facilè habentur. ibid. 40
Altaria ſive portatilia fuerint, ſive fixa debent in ſuperiori parte eſſe lapidea. 867. 10. Quoad fracturas verò lapidis, & altaris plurimum tribuitur arbitrio Epiſcopi, ut judicet, an exacratio contigerit, nec ne. ibid. 12
Alternativa ſi nequeat locum habere defectu conditionis Reſidentiæ, menſis ſit Apoſtolicus, & per-

pertinet ad Pontificem providere de tali beneficio : quòd si post initium mensis Episcopus incipiat residere, non potest suos facere dies, qui supersunt. 56. 20

Amentes, furiosi, & sensibus destituti possunt baptizari, si unicus tantùm testis asserat, eos petiisse Baptismum, dum essent sui compotes. 922. 21

Amortizationis leges, quibus Principes sæculares præcipiunt, ne bona laicorum alienentur, vel vendantur ecclesiis, vel clericis sunt contra immunitatem ecclesiasticam. 1002. 1. & seq.

Annus Novitiatûs, ut sit legitimus debet esse integer, & continuus, adeo ut non sufficiat, si sit interpollatus. 690. 3

Antidorum in jure est redditio doni, seu obligatio remunerandi, ratione cujus Dominus directus absque usura sibi retinet fructus oppignorati feudi. 481. 22

Appellatio facta à Clerico, cui beneficium fuerat promissum, antequam vacaret, non impedit collationem beneficij. 245. 4. Quia ex tali promissione nullum jus fuit acquisitum Promissario cum promissio fuerit irrita. 246. 5

Archidiaconus non tenetur continuò residere, sed sufficit si tunc resideat, quando munus suum debet obire. 58. 4

Artifices, & Operari, qui excusantur à jejunio, quales sint? 953. 13

Assassinium, cum quis mercede conductus aliquem occidit, cum quo non præcessit inimicitia, non gaudet immunitate. 991. 21

Authoritate publica potest quis adigi ad vendendam rem suam in pluribus casibus, qui recensentur. 415. 5

B.

Baptismi effectus quinque recensentur. 916. 1. & seq.

Baptismus est vox græca significans ablutionem, seu immersionem in aquam, & tripartitur in baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. 910 1

Baptismus cur potiùs conferatur per aquam naturalem, quàm per aliam materiam. ibid.

Baptismus fluminis bipartitur in eum, qui fuit institutus à Joanne, & alium, qui à Christo, & quomodo ambo baptismi differant. 911. 5

Baptismus flaminis est baptismus pœnitentiæ, & contritionis : & baptismus sanguinis est martyrium. ibid. 7

Baptismus est medium simpliciter necessarium ad salutem. 912. 10

Baptismus an licitè conferri possit infanti sine consensu parentum. 914. 9

Baptismus non potest conferri adultis, nisi volentibus, & consentientibus. ibid. 11

Baptismus si publicè, & solemniter conferatur, aliquot exigit cæremonias. 917. 9. & hæ sine legitima causa non possunt omitti absque suspicione hæresis. ibid. 10
Imò nec ritus accidentales sunt omittendi sub culpa gravi ex genere suo. 918. 13

Baptismus si necessitas urgeat, potest conferri per aspersionem, quamvis modus iste non sit ampliùs usitatus in ecclesia. 918. 2

Baptismus non exigit necessariò, ut ablutio fiat in capite, licèt consultiùs sit, ut fiat in parte principaliori. ibid. 3

Baptismus non esset validus, si urgente necessitate baptizandus projiceretur in fluvium, vel puteum. 920. 18

Baptismus quomodo dicatur esse janua ad alia Sacramenta. 926. 5.

Beneficia etiam simplicia spectato jure communi obligant ad personalem residentiam. 50. 7

Beneficia omnia Ecclesiastica spectato jure communi obligant ad residentiam, quamvis consuetudo obtinuerit, ut in simplicibus quibusdam beneficijs non resideatur. 53. 1

Beneficia dividuntur ratione subjecti, qualitatis, & officij. 91. 5

Beneficia tam sæcularia, quàm regularia dividuntur in simplicia, & duplicia. 91. 6
Illa dicuntur, quæ nullam habent administrationem, neque sunt ulla juris qualitate affecta. Duplicia habent administrationem, quâ qualificantur. ibid.

Beneficia ratione officij dividuntur in curata, & non curata, illa sunt, quibus est annexa cura animarum, non istis. 92. 8

Beneficia à modo conferendi dividuntur in manualia, & non manualia. 92. 10
Beneficia manualia sunt, quæ ad nutum Prælati conferentis, vel ad arbitrium Patroni auferri possunt, cujusmodi sunt beneficia regularia, quæ non sunt curata, neque electiva, ut prioratus claustralis. Non manualia verò, quæ in perpetuum titulum conferuntur irrevocabiliter. ibid.

Beneficia regularia, quæ conferuntur à Capitulo per secreta suffragia, non possunt auferri ad nutum superionis. 93. 11

Beneficia ecclesiastica, si conferrentur indignis, plura inde sequerentur incommoda, & conferens beneficium indigno lethaliter peccat, & tenetur ad restitutionem omnium damnorum obvenientium Ecclesiæ ex mala administratione indigni. 98. 2

Beneficia quomodo debeantur clericis pro congrua eorum sustentatione. 102. 1

Beneficia tunc acquiruntur injustè, quando sine canonica institutione obtinentur, vel cum non servatur debita forma institutionis. 106. 3

Beneficia ecclesiastica debent conferri gratis nullo interveniente pretio prævio, aut mercede, & non debent conferri clandestinè, sed palam coram alijs, neque collatio debet fieri, antequam beneficium vacet, nec cum aliqua diminutione. 108 15. & seq.

Beneficia ecclesiastica, à quibus conferri debeant? 109. 1

Beneficia parochialia non conferuntur, nisi per concursum. 116. 19

Beneficia incompatibilia alia sunt simpliciter talia, quorum unum excludit alterum ipso jure, & alia tantùm secundùm quid. 116. 2

Beneficia uniformia sunt, quæ in eadem Ecclesia habentur ad eundem finem. ibid. 3.

Beneficia plura uniformia quamvis simplicia in eadem Ecclesia non possunt ab eodem clerico obtineri, & retineri. 117. 10. potest tamen, quis

Digitized by Google

quis simul retinere duo beneficia curata, unum per se, & alterum accessoriè, ut si obtineat Archidiaconatum habentem curam animarum, cui accessoriè annexa sit Ecclesia parochialis. idid. 12

Beneficia plura simplicia possunt simul cohærere in uno, eodémque Ecclesiastico. 124. 1. & seq.

Beneficia plura, quorum quodlibet sufficiat ad congruam sustentationem clerici non possunt ab eodem clerico obtineri, etiamsi sint jurispatronatus. 125. 4

Beneficia plura non prohibentur absolutè conferri eidem clerico, sed tantùm ad effectum ea retinendi, unde habenti sufficiens beneficium potest aliud sufficiens conferri; ita tamen, ut habita pacifica possessione secundi, dimittatur primum. 125. 7

Beneficia plura incompatibilia obtineri non possunt, quamvis unum sit titulare, & alterum commendatum. 131. 33

Beneficia tunc dicuntur vacare, quando nullum habent possessorem, & id contingit tripliciter, vel facto tantùm, vel jure tantùm, vel facto & jure simul. 133. 14

Beneficia ipso jure intelliguntur vacare ex delicto, vel ex quasi delicto, vel sine delicto. 133. 15

Recensentur plura delicta, quibus beneficia vacant. ibid. & seq.

Beneficia majora non possunt erigi absque summi Pontificis authoritate, quia ad ipsum solum pertinet diœceses, & provincias assignare. 136. 2

Beneficia minora, quæ Episcopo subijciuntur, nonnisi de ejusdem authoritate erigi possunt. ibid. 3

Beneficia plura, quando ita coalescunt in unum, ut eorum unum maneat superius, & aliud inferius, tunc in inferiore constitui potest Vicarius, qui munus consuetum obeat, quia tunc unum beneficium tanquam accessorium unitur alteri, ut principali. 130. 14

Beneficia ecclesiastica ob varias rerum humanarum vicissitudines, mutationes subeunt, ut sunt diminutiones, transformationes, dismembrationes, restitutiones. 141. 1

Beneficia ecclesiastica non solùm alterantur, mutantur, dividuntur, sed etiam aonnunquam supprimuntur, & omninò extinguuntur, quando inter cæteras præbendas non ampliùs recensentur 145. 31

Beneficia dicuntur reservata, quando summus Pontifex ea sibi soli addicit, & tunc à solo summo Pontifice conferri possunt, cùm primùm vacaverint. 166. 1

Beneficia, quæ dicuntur affecta, propriè non sunt reservata, & est discrimen inter beneficium affectum, & reservatum. 166. 4

Beneficia decedentium in curia Romana, vel etiam recedentium à curia, si moriantur in loco aliquo vicino intra duas dietas reservantur Papæ. 168. 11. & id etiam procedit de Episcopatibus, & Abbatijs, quia jure novo etiam reservantur Papæ, & etiam excipiuntur beneficia vacantia in curia, quæ pertinent ad jus patronatus laicorum. ibid. & seq. non ita excipiuntur beneficia jurispatronatus ecclesiastici, tametsi ab initio originem traxerint ex patrimonio laici 168. 15. Neque reservantur Papæ beneficia jurispatronatus mixti, quando jus præsentandi simul spectat ad clericum, & laicum, si enim vacent in curia, non reservantur Papæ. ibid. 15

Beneficia, quæ reservantur Papæ, debent esse perpetua, & non manualia 169. 16 neque reservantur Papæ beneficia resignata ex causa permutationis, quia hujusmodi beneficia non censentur propriè vacare. ibid. 18

Beneficia eorum, qui promoventur ad Episcopatum, vacant post adeptam possessionem Episcopatus, sed stylus curiæ subinde variat, adeò ut statim post promotionem, & confirmationem intelligantur vacare, & alijs conferuntur. 172. 10

Beneficia reservata Papæ per regulas cancellariæ Apostolicæ recensentur. 174. 1

Beneficia omnia ecclesiastica curata, & non curata sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, & qualitercunque qualificata, ubicunque existentia in singulis mensibus Januarij, Februarij, Aprilis, Maij, Julij, Augusti, Octobris, & Novembris reservantur dispositioni Papæ per regulam octavam Cancellariæ, in qua expendenda integrum Tomum scripsit Gonzales. 176 13. & in hac regula solùm comprehenduntur beneficia propriè, & strictè dicta, non verò manualia ad nutum revocabilia, sive sæcularia sint, sive regularia. ibid. 14. hæc tamen regula non fortitur suum effectum sede Papali vacante ibid. 17. Imò excipiuntur ab hac regula Cardinales, respectu quorum nulli menses sunt reservati, quod tamen intelligitur de Cardinalibus Ordinarijs collatoribus tantùm, ut sunt Cardinales Episcopi residentes in suis diœcesibus. 177. 20

Beneficia existentia in curia Romana, & ibi vacantia non reservantur Papæ virtute octavæ regulæ Cancellariæ, quia jure communi eorum collatio pertinet ad Papam, in quocunque anni mense vacent in curia Romana, adeò ut per octavam regulam tantùm reserventur beneficia vacantia extra curiam. 179 14

Beneficia reservata per alias regulas Cancellariæ Apostolicæ recensentur, & explicantur. 180. 1. & seq.

Beneficia ecclesiastica, si in Germania vacent mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembre, & Novembre conferuntur à Papa: Sin verò in alijs mensibus ab Ordinarijs. 184. 1

Beneficia reservata Imperatori Romanorum recèns electo ex indulto Pontificio per primas preces recensentur. 188. 2

Beneficia omnia ecclesiastica respectu Pontificis dicuntur esse manualia, seu ad nutum amovibilia, adeò ut possint à Pontifice pro libitu transferri, dividi, & extingui. 214. 6

Beneficia nondum vacantia non debent concedi, nec promitti alteri, nè mors proximi desideretur: expectatio enim futuræ successionis etiam apud gentiles prohibita fuit. 227. 2

Beneficia nondum vacantia quamvis conferri, aut promitti non possint: Episcopi tamen possunt beneficia viventibus eorum possessoribus unire alteri Ecclesiæ, vel collegio, quia tunc occasio

optandæ mortis alienæ cessat, negligitur enim, quòd communiter possidetur. 229. 10
Beneficia vacantia, quo tempore sint conferenda, & fiat juris devolutio. 230. 1. & seq.
Beneficia tunc tantum conferri debent, cum vacant ab eo, ad quem spectat provisio, & quidem intra sex menses ex Concilio Lateranensi, quia diuturna vacatio beneficiorum, ac officiorum plurimum adfert ecclesijs damni, non absque animarum detrimento. 231. 3. non tamen hoc semestre à jure concessum, ac præfixum ad conferendum beneficium currit impedito, vel ignoranti vacationem: unde tempus semestris debet computari non à puncto, quo vacavit beneficium, sed à tempore, quo Collator habuit notitiam vacationis, unde tempus hoc semestre non currit justè impedito, sive sit impedimentum juris, sive facti 231. 6. & seq. Rursus hoc semestre non currit impedito, quamvis ob culpam propriam in censuram suspensionis incidisset, dummodo culpa non fuerit causa proxima, & immediata impedimenti, sed tantùm remota, & mediata. 232. 6° neque tempus hoc semestre à jure præfixum est continuum, sed utile, cùm non currat impedito, & ignoranti, licèt possit dici continuum, eò quia currat etiam diebus feriatis: ibid. 10
Beneficia tunc dicuntur vacare, quando omni destituuntur possessore. Modi autem, quibus beneficia dicuntur vacare in jure, tres assignantur, scilicet facto solùm, vel jure solùm, vel facto, & jure simul. 235. 1
Beneficia, quæ vacant de facto tantùm, non possunt impetrari, nec conferri alijs. ibid. 3
Beneficia vacantia non tantùm de jure, sed etiam de facto simul, quoad possessionem possunt impetrari, & conferri, eò quia nullus sit in eorum possessione. ibid. 4
Beneficia omnia vacant per mortem naturalē beneficiati, adeo ut si quis à morte miraculosè resurgeret, nullum haberet jus in beneficium, ab ipso, cùm antea viveret, possessum. 239. 1
Beneficia vacant, si Clericus beneficiarius professionem expresè, vel tacitè emiserit in religione approbata à sede Apostolica. Per matrimonium validè contractum. Si aliud beneficium incompatibile accipiat. Si promotus ad parochiam non initietur sacerdos infra annum à die possessionis obtentæ. Si Episcopus à Capitulo ritè electus sine justo impedimento neglexerit intra tres menses à præstito consensu suæ electionis confirmationem petere. Si post adeptam pacificam possessionem non petiit consecrationem intra tempus à jure definitum. Si electus, vel præsentatus ad beneficium ante institutionem se immiscuerit administrationi ejusdem: & recensentur alij modi, quibus beneficia vacant. 239. 5
Beneficia vacant per depositionem, seu privationem factam per sententiam Judicis ob crimen, cui talis pœna inferenda à jure statuitur. 241. 18
Beneficia nondum vacantia non possunt promitti, nè votum causetur optandi mortem proximi. 245. 3
Beneficia ecclesiastica quomodo conferri debeant sine diminutione 393. 1. quatuor modis potest beneficium diminui per impositionem oneris, divisionem ejusdem, dismembrationem beneficij, & suppressionnm. ibid.
Beneficia per divisionem diminuuntur, est enim divisio, qua ex uno beneficio duo constituuntur, tunc beneficium deperdit partem redituum, ac proinde minuitur. 304. 6
Beneficia per unionem dicuntur quodammodo supprimi, eò quia tunc coalescunt in unum, & unio beneficij facta alteri accessoriè operatur extinctionem, & beneficium unitum induit naturam illius, cui unitur. 305. 11.
Beneficia ordinis, seu excussionis, divisionis, & actionum cedendarum, ut etiam liberationis conceduntur fidejussori solvēti pro principali. 503. 4
Beneficiarij omittentes horas canonicas non solùm graviter peccant, sed etiam tenentur fructus pro rata omissi breviarij restituere, & dare pauperibus, vel fabricæ beneficiorum 897. 13. hæc tamen obligatio restituendi fructus incipit tantùm post sex menses computandos à die beneficij adepti. 898. 15
Beneficiarius absque licentia ab Ordinario impetrata nequit abesse à sua ecclesia ob aliquam justam causam, nisi jus eam omnino dederit. 50. 5
Beneficiarius quamvis absit à suo beneficio exigente residentiam dummodo non receperit aliud beneficium incompatibile, non censetur ei renuntiâsse. 73. 16
Beneficiarius tametsi justa causa subsit sine sui Prælati licentia, nequit à suo beneficio abesse. 74. 21
Beneficiarius quot, & quas pœnas ipso facto incurrat ob pensionem impositam beneficio, si eam non solvat. 317. 1. ad has tamen pœnas subeundas requiritur sententia, quâ declaretur tempus præscriptum fluxisse. ibid. 2
Beneficiarius non potest assentiri, ut imponatur pensio super proprio beneficio, dummodo serveur indemnis, & relevetur ab omni incommodo. 320. 19
Beneficiarius an possit pensionem denegare pensionario non incedenti cum habitu clericali. 324. 42. & seq.
Beneficiarius est veluti Procurator Ecclesiæ, & ex principijs juris Procurator contrahens nomine procuratorio obligat illum, cujus est procurator. 517. 24
Beneficiatus, si sit in ecclesia cæteris dignior, & majora habeat merita, potest plus habere proventuum ecclesiasticorum, quàm alius minoris meriti. 123. 16
Beneficij ecclesiastici, qui sint incapaces? 93. 1
Beneficij ecclesiastici non est capax, qui non est initiatus prima tonsura, adeò ut non sufficiat, si sit quis destinatus ad clericatum, & deferat habitum clericalem, imò neque est capax beneficij, qui primam tonsuram accepit ab alio Episcopo sine consensu proprij. 85. 3
Beneficij collatio facta sine scriptura est valida, quamvis scriptura sit necessaria ad probationem, ut si de collatione dubitetur, possit in judicio constare. 108. 10
Beneficij collatio facta à Papa motu proprio quæ? 111. 12 & seq.

Bene-

Rerum Notabilium.

Beneficij vacantis ſcientia in dubio eſt præſumenda, & Epiſcopus ſemper præſumitur habere certam notitiam beneficiorum vacantium in ſua diœceſi, cùm teneatur eam viſitare quot annis. 232. 11

Beneficiorum collatio, quæ fit per legatos Sedis Apoſtolicæ, & inferiores Ordinarios quomodo exerceatur. 113. 1. & ſeq.

Beneficiorum ſimplicium origo qualis in Eccleſia fuerit? 120. 5

Beneficiorum ſimplicium pluralitas reſpectu ejusdem Eccleſiaſtici tantùm jure canonico eſt prohibita. 121. 12

Beneficiorum pluralitatem, ex quibus cauſis jura prohibeant in eodem Clerico. 131. 36

Beneficiorum inæqualitas non impedit abſolutè eorundem permutationem. 133. 10

Beneficiorum generales conditiones non ſunt in mandatis Apoſtolis exprimendæ, quia tacitè ſubintelliguntur, perinde ac illa clauſula, *ſi preces veritate nitantur.* 147. 13

Beneficium eccleſiaſticum datur propter officium, ſeu ſervitium ſpirituale præſtandum Eccleſiæ. 50. 7

Beneficium eccleſiaſticum eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale authoritate Eccleſiæ conſtitutum. 90. 1

Beneficium parochiale recenſetur inter minora duplicia, eò quia curam habeat animarum in foro interno. 92. 8

Beneficium eccleſiaſticum nemo validè acquirit, ſi ſit conjugatus, excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, intruſus, ſimoniacus, vel filius hæretici. 95. 8

Beneficium ſupponit prævium clericatum, ſeu primam tonſuram ſine qua nulli confertur. 95. 4

Beneficium ſimplex requirens minores ordines exigit ſcientiam linguæ latinæ, & commendabile teſtimonium parochi, & Magiſtri ſcholæ. 96. 7

Beneficium, ut conferatur, non eſt neceſſaria præſentia illius, cui confertur, adeo ut poſſit conferri clerico abſenti per intermediam perſonã. 98. 16.

Beneficium eccleſiaſticum nunquam eſt conferendum indigno. 98. 1. Neque ſufficit, ſi collator neſciat eſſe indignum, quia tenetur conferre poſitivè dignis, qui omnibus penſatis cenſetur optimè ſuo ſatisfacturus officio, ac futurus Eccleſiæ utilis. ibid.

Beneficium eccleſiaſticum licèt conferri debeat digniori, nonnunquam tamen ſufficit ſi conferatur digno. 99. 3. & ſeq.

Beneficium jure prævention is confertur, quando Papa prævenit eum, qui habet ordinariam poteſtatem illud conferendi. 109. 2. Jure concurſus, quando Pontifex in conferendis beneficijs concurrit cum alijs inferioribus collatoribus, ut qui prior contulerit, ejus collatio præferatur. Jure devolutionis, quando ratione criminis, vel negligentiæ collatoris jus conferendi devolvitur ad ſummum Pontificem ex diſpoſitione Canonum. 110. 6

Beneficium tametſi habeat aliquam jurisdictionem, dummodo non habeat annexam obligationem reſidendi, eſt beneficium ſimplex. 114. 8

Beneficium ſimplex inferius, ſi non ſufficiat ad honeſtam, & congruam Clerici ſuſtentationem, poteſt hic aliud obtinere, & retinere abſque ulla Romani Pontificis, vel Epiſcopi indulgentia. 126. 9

Beneficium quandónam cenſeatur ſufficiens ad honeſtam clerici ſuſtentationem. 129. 24

Beneficium eccleſiaſticum non eſt permutandum cum alio jure ſpirituali, quod non ſit beneficium, imò nec cum jure, quod quis habet ad beneficium, non in beneficio. 132. 4. Accedente tamen conſenſu Ordinarij probabile eſt beneficium eccleſiaſticum, poſſe permutari cum jure nominationis, & collationis. ibid. 5

Beneficium primum incompatibile, ut ipſo jure vacet per aſſecutionem ſecundi ſimilis, requiritur pacifica poſſeſſio non ſolùm quoad titulum, & exercitium curæ, vel officij annexi beneficio, ſed etiam pacifica poſſeſſio bonorum, ac fructuum beneficij, vel ſaltem majoris partis eorundem. 135. 24. id autem multipliciter limitatur. ibid 25

Beneficium clericale abſque authoritate Eccleſiæ non poteſt erigi, neque aliqua ratione immutari. 136. 1

Beneficium eccleſiaſticum ut validè, & licitè dividatur, plura requiruntur, quæ explicantur. 144. 27

Beneficium extinguitur authoritate eccleſiaſtica, quando vel improbatur ejus fundatio, vel ſubruitur ejus ædificium in alterius præjudicium ædificatum, vel quando ob delicta, & abuſus beneficiatorum præbendæ, & proventus in alium uſum converuntur. 145. 33

Beneficium collatum *motu proprio* Papæ eſt validè collatum, tametſi in reſcripto nulla fiat mentio prioris beneficij, quia Papa cenſetur tunc diſpenſare ſuper pluralitate beneficiorum. 177. 5. Sin verò Papa non *motu proprio*, ſed ad petitionem alterius conferat reſcriptum, in quo non fit mentio prioris beneficij obtenti, gratia eſt ſubreptitia, & nulla. ibid. 16

Beneficium Principis ita debet interpretari, ut non extendatur ad id, quod adverſatur diſpoſitioni juris communis, quia cùm hoc ſit favorabile, quæ illi adverſantur, cenſenda ſunt odioſa, quæ nonniſi ſtrictam ſecum trahunt interpretationem. 150. 3

Beneficium vacare in curia Romana, & vacare apud ſedem Apoſtolicam, videtur idem eſſe. 170 22

Beneficium, quod vacavit inter diverſorum horologiorũ varios pulſus, ex quibus non poſſit certò cognoſci punctum mediæ noctis, an ſit reſervatum Papæ. 177. 14

Beneficium unitum ſubijcitur ijsdem oneribus, quibus ante afficiebatur, quia res ſemper tranſit cum ſuo onere. 197. 25. id tamen non procedit, ſi onus non abſolutè afficiat beneficium, ſed tantùm tempore vacationis. ibid. 25

Beneficium, quando unitur alteri, extinguitur, & ſecum non trahit onus, quod fundatur in vacabilitate, quia hæc unà cum ipſa unione beneficij etiam extinguitur. 197. 26

Beneficium vacans eſt conferendum non obſtante appellatione facta ab eo, cui beneficium fuerat pro-

premiſſum, antequam vacaret, quia ubi promiſſio non tenet, appellatio non eſt valida. 229. 12
Beneficium uni collatum, ſi poſtea alteri conferatur, hæc ſecunda collatio eſt irrita, imò ſi quis tale beneficium ſcienter recipiat, ſeu permittat ſe in eo inſtitui, inhabilis fit ad illud poſtea ſine diſpenſatione obtinendum. 230. 15
Beneficium nondum vacans non poteſt conferri, neque alicui dari facultas illud conferendi, imò nec habens jus patronatus poteſt promittere ſe præſentaturum aliquem ad beneficium vacaturum. 230. 16
Beneficium de jure tantùm dicitur vacare, quando ejus poſſeſſor amittit jus, ac titulum beneficij, vel ex diſpoſitione juris eo privatur, absque ulla prævia monitione, vel citatione privati, & absque prævia ſententia privationis lata per hominem. 235 2
Beneficium ipſo jure poteſt octo modis vacare. ibid. 5
Beneficium vacat ipſo jure per matrimonium initum à clerico, & Ordinarius poteſt illud conferre alteri absque ulla monitione, citatione, aut ſententia privationis, & id procedit etiam de matrimonio per verbum præſentis temporis contractum, licèt non fuerit conſummatum 236 6. Sin verò matrimonium à clerico initum ſit irritũ, tunc probabile eſt non privari ipſo jure clericum tali beneficio, ſed eſſe privandum, ibid. 7. authoritate tamen Epiſcopi poteſt Sacerdos ad beneficium redire, poſtquam ipſum pœnituit matrimonij invalidè contracti. ibid. 9.
Beneficium vacat ipſo jure, eò quòd beneficiarius fuerit conſecutus ſecundum beneficium. 236. 10
Beneficium priùs à clerico ſuſceptum non vacat, ſi ipſum pœniteat ſecundi ſuſcepti, cui renuntiet. 237. 13
Beneficium per translationem clerici ad aliam Eccleſiam vacat ipſo jure, ſi enim Epiſcopus authoritate legitima ex una ad alteram eccleſiam transferatur, prior dicitur vacare, cùm primùm acquirit poſſeſſionem ſecundæ. Ut etiam vacant ipſo jure omnia beneficia etiam ſimplicia, quæ priùs poſſidebat qui promovetur ad Epiſcopatum, ad quod tamen quatuor requiruntur, Electio, Confirmatio, conſecratio, & poſſeſſio Epiſcopatus. 238. 19. Imò in curia Romana eſt uſu receptum, ut cùm primùm Epiſcopus electus in ipſa curia conſecratur, quamvis Eccleſiæ poſſeſſionem nondum fuerit enactus omnia beneficia, quæ poſſidebat, ſtatim vacent. ibid. 20
Beneficium vacans ipſo jure ob patratum crimen non poteſt permutari, neque reſignari in favorem tertij ab eo, qui ante ſententiam Judicis, tenetur illud dimittere. 241. 19
Beneficium nondum vacans licèt non poſſit conferri, nec promitti, Papa tamen ob plenitudinem poteſtatis poteſt beneficia vacatura per gratias expectativas conferre, antequam vacent, adeò ut per tales gratias det jus ad talia beneficia, quàm primùm erunt vacatura. 241. 1
Beneficium in genere primò vacaturum, vel etiam ex juſta cauſa ſecundò, & tertiò poteſt quis acceptare; non ita tale beneficium in ſpecie, quod poſſidetur à tali peculiari clerico. 243. 6. & ſeq.
Beneficium poſſeſſum ab uno clerico adhuc vivente, ſi nondum vacet, nequit alteri conferri, & qui patitur ſe inſtitui in tali beneficio, privatur eccleſiaſtica communione, ſi ſcienter id præſtiterit. 245. 1. & 2
Beneficium laxè ſumptum ſe extendit etiam ad penſionem, & filij hæreticorum ex eadem cauſa finaliquâ privantur beneficijs eccleſiaſticis, debent etiam privari penſionibus. 320. 16
Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur minoribus, qui nondum 25. ætatis annum expleverunt, ſi in aliquo contractu damnum aliquod notabile fuerint paſſi. 376. 13
Beneficium eccleſiaſticum ſecundùm ſe præcisè licèt ſit quid ſpirituale, habet tamen annexum aliquod temporale, ratione cujus contrahi poteſt Simonia. 460. 4
Beneficium diviſionis competit pluribus fidejuſſoribus, qui pro eodem debitore, & pro eadem ſumma fidejuſſerunt. 504. 6. poteſt tamen hoc beneficium diviſionis multipliciter ceſſare. ibid. 8
Beneficium actionum cedendarum habetur, quando fidejuſſor nec beneficio excuſſionis contra principalem debitorem, neque diviſionis contra fidejuſſores ex aliqua cauſa poteſt uti. 504. 9
Beneficium ſæculare non obſtat regularitati Eccleſiæ. 972. 13
Bona Clericorum gaudent eodem privilegio cum Eccleſia. 25. 20
Bona eccleſiaſtica fuerunt Deo oblata à fidelibus pro victu, & ſuſtentatione Miniſtrorum Eccleſiæ ſecundùm diſpoſitionem, & ordinationem ſuperiorum Eccleſiaſticorum, adeo ut clerici non accipiant jus præbendæ à defuncto per ſucceſſionem, ſed à Prælato eccleſiæ per canonicam collationem, & inſtitutionem. 191. 3
Bona mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, non ſunt alienanda à Capitulo ſede vacante, ſed tantùm ea, quæ ſervando ſervari non poſſunt. 251. 6
Bona quæ confiſcantur non tranſeunt abſolutè ad dominium alterius, ſed tantùm conditionatè, ſi ſpoliatus bonis, non ſit integrè reſtituendus priſtino ſtatui. 319. 12
Bona menſæ Eccleſiæ dicuntur, quæ perpetuò fuerunt eidem Eccleſiæ unita, & quæ nunquam alteri poſt acquiſitum ſemel dominium conceſſa fuerunt. 337. 19
Bona Eccleſiæ alia ſunt mobilia, alia immobilia, illa quæ loco moveri poſſunt, ut equus, veſtis; immobilia, quæ non poſſunt moveri, ut domus, ager, & alia id genus, imò & etiam actiones, & jura, ac reditus à longo tempore. 337. 1
Bona Eccleſiæ mobilia, imò & pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, alienari non poſſunt ab habente illorum adminiſtrationem. ibid. 3
Bona induſtrialia, de quibus Clerici poſſunt liberè diſponere ſpectant ad peculium eorundem, & dicuntur bona induſtrialia non ſolùm quæ acquiruntur ex profana induſtria vel officio, ſed etiam ex induſtria ſpirituali, & extraordinarijs functionibus. 544. 9
Bona eccleſiaſtica ſuperflua debent à Clericis diſtribui

bui ad pias cauſas, & canones non diſtinguunt, an hujusmodi bona ſuperſint ex parſimonia, vel ex indigentia. ibid. 11
Bona acquiſita à clerico beneficiatio, qui tempore aſſumpti beneficij caruit patrimonio, quomodo fiant juris eccleſiaſtici. 549. 12
Bona acquiſita ab Epiſcopo poſt ſuam conſecrationem ex bonis, & reditibus eccleſiaſticis, vel intuitu Eccleſiæ pertinent ad Eccleſiam. ibid. 13
Bona Eccleſiaſticorum patrimonialia, induſtrialia, & eccleſiaſtica quomodo differant, & qui ad ipſa ſuccedant. 599. 1
Bona Religioſi, ſi monaſterium, in quo emittit profeſſionem careat jure ſuccedendi, devolvuntur ad hæredes ab inteſtato. 601. 12
Bona Novitij decedentis ante emiſſam profeſſionem non acquiruntur monaſterio, ſed conſanguineis. 712. 14
Bona religioſorum ejectorum poſt eorundem obitum pertinent ad Cameram Apoſtolicam. 715. 23
Bona eccleſiaſtica gaudent immunitate, ſúntque in triplici genere. 993. 1
Bona ad eccleſias, vel Eccleſiaſticos pertinentia ſunt tantùm immunia ab illis oneribus, quæ imponuntur à principibus ſæcularibus, non verò ab ijs, quæ à Pontifice, vel ex ejus licentia. ibid. 3
Bona laicalia ſi tranſeant ſub dominium eccleſiaſticum non poſſunt poſtea gravari à poteſtate ſæculari quæcunque illa ſit. 994. 4. Niſi antea affecta fuerint onere tributorum expreſsè, & ſpecialiter ex conventione partium ratione contractûs cenſualis, emphyteutici, vel feudalis tranſeant cum tali onere ad Clericos, & eccleſias. ibid. 5
Bona patrimonialia clericorum immunia ſunt ab illis oneribus, ac tributis realibus, quæ ex vi ſolius jurisdictionis lege publica, & ordinaria à principibus ſæcularibus imponuntur. 994. 7
Bona immobilia poſſunt concedi in feudum adjecta conditione, quòd in quascunque manus devenerint ſint obnoxia gravaminibus imponendis à ſupremo Principe. 1008. 35
Bonæfidei nil magis congruit, quàm id præſtare, quod inter contrahentes actum eſt. 409. 3
Bulla Pij V. plures apponit conditiones, quibus non ſervatis cambia non ſunt licita. 459. 32

C.

CAlix, & patena debent conſecrari ab Epiſcopo. 867. 1. & debet eſſe calix ex auro, vel argento intus deauratus. ibid. 2. ſtante paupertate poteſt etiam calix conflari ex ſtanno. ibid. non tamen ex plumbo. ibid. 3. neque ex auricalco, ære, & cupro. ibid. 4
Calix dum dicitur, quòd debeat conflari ex auro, vel argento, ſufficit, ſi ſola cupa calicis conſtet ex tali materia: debet tamen cupa ſi argentea ſit intus auro illini, ut etiam patena. 869. 6
Calix eo eo, quòd malleolo ab artifice contundatur, inde non deperdit ſuam conſecrationem, bene tamen ſi cupa ſeparetur à pede, cui erat immobiliter annexa. ibid. 8. & ſeq.
Calix ſi fuerit conflatus ex materia inhabili, quæ facta fuerit habilis ratione inaurationis, tunc conſecratio ceſſat, ſi pereat inauratio. 870. 11
Calix conſecratus ſi ita ex continuo detritu perdiderit interiorem inaurationem, ut iterum inauretur ab artifice, an repetenda ſit conſecratio. ibid. 12
Cambia ficca, quibus nullus ineſt titulus, nec cauſa auctarij petendi, ſed tantùm fingitur ineſſe, improbantur. 456. 4
Cambium generatim eſt permutatio pecuniæ pro pecunia, & refertur ad permutationem, eò quia ſit permutatio unius pecuniæ cum alia. 454. 1
Cambium non exigit, ut aliquod intercedat tem poris intervallum inter dationem, & redditionem niſi per accidens ratione rerum, quæ permutantur, quatenus loco diſtant. 455. 3
Cambium bipartitur in reale, & ficcum, hoc dicitur, eò quia non ſit verum cambium, ſed tantùm fingatur eſſe cambium ob quandam ſpeciem cambij, quam præſefert. Cambium reale eſt legitima, ac vera permutatio pecuniarum ratione cujus ex legitimo titulo poteſt accipi aliquid lucri. 455. 5. & bipartitur in minutum, & locale. ibid.
Cambium minutum, ut ſit juſtum, & ritè procedat, tria requiruntur, quæ explicantur. 456. 11
Cambium, quo pecunia præſens datur pro abſente, & diſſita, includit contractum locationis, quo Campſor locat Campſori operam ſuam ad deportandam pecuniam, quam recipit in uno loco, ad alium diſitum. 457. 18
Cambium trajectitium, ſeu translatitium eſt licitum, & ejus forma explicatur. 458. 21
Cambium ſolet etiam fieri litteris, & dicitur cambium ad nundinas, in quo nunc quaſi verſatur tota mercatorum ars, & negotiatio, quæ non gratiâ mercium ſit, ſed quæſtûs, & lucri cauſâ. ibid. 26
Cambium ad nundinas accidentaliter differt à cambio locali, & exigit, ut fiat realis permutatio ex uno loco in alium habita ratione diverſitatis, pecuniæ, & valoris monetarum. 459. 28
Campſor pro cambio minuto poteſt ex pluribus titulis aliquid lucri exigere. 455. 6. verùm ut campſor poſſit tale lucrum exigere, debet eidem officium cambiendi eſſe injunctum à Principe. ibid. 9
Campſor quoties præſtat aliquid pretio æſtimabile poteſt pro eodem auctarium exigere. 456. 3
Campſor quando in cambio locali reali accipit pecunias, ut eas alibi reſtituat, poteſt aliquid lucrari multiplici titulo. ibid. 15
Campanæ Eccleſiæ benedicuntur, & chrysmate inunguntur. 871. 17
Canonia, & præbenda quomodo diſtinguantur? 91. 3
Canonica inſtitutio requiritur, ut quis ritè promoveatur ad beneficium eccleſiaſticum. 97. 4
Canonica portio parochialis, & Epiſcopalis, quænam ſit? 620. 1. & ſeq.
Canonica portio parochialis non ſolvitur in aliquibus caſibus. 621. 8
Canonicatuum collatio de jure pertinet ſimul ad Capitulum, & Epiſcopum. 115. 18
Canonici ex juſta cauſa poſſunt abeſſe à ſuis eccleſijs, & tunc fictione juris cenſentur præſentes. 59. 9
Canonici cathedralium Eccleſiarum, quamvis cu-

ram non habeant animarum, adhuc tenentur ex ſui beneficij natura ad reſidentiam in loco ſui canonicatûs, à quo ultrà trimeſtre ex toto anno non licet ijsdem abeſſe: & ſecus facientes præter fructus, quos pro rata temporis abſentiæ amittunt, deperdunt etiam primo anno mediam partem, & ſecundo privantur omnibus fructibus. 59. 8

Canonici licèt ſubinde habeantur pro reſidentibus, non tamen ſemper pro præſentibus in choró. 60. 12

Canonici accedentes ad generale Concilium, quamdiu in ipſo morantur fictione juris, habentur pro præſentibus. ibid. 13

Canonici occupati in ſervitio Papæ fictione juris cenſentur reſidere in proprijs eccleſijs. 62. 13

Canonici, qui ſunt in ſervitio Epiſcopi, poſſunt accipere fructus præbendæ, non obſtante conſtitutione, & juramento, quia qui ſunt in ſervitio Epiſcopi, vel Eccleſiæ, fictione juris dicuntur præſentes. 63. 16

Canonici abſentes ex juſta cauſa, quamvis recipiant diſtributiones proprias, ac ſi perſonaliter intereſſent, non ita diſtributiones, quas amittunt illegitimè abſentes, quia illæ ſolis præſentibus accreſcunt. 69. 16

Canonici nequeunt per conſuetudinem inducere non reſidentiam, ſi cultus divinus minuatur, quia cùm accipiant annuos proventus, tenentur eccleſijs inſervire: hinc conſuetudo inſerviendi per ſubſtitutum, & percipiendi fructus in abſentia in Eccleſijs Cathedralibus, & collegiatis ſublata eſt per Concilium Trident. *Seſſ. 24. de refor. cap. 12.* ſed plerisque in locis conſuetudo invaluit, ut beneficiati nec per Vicarios ſubſtitutos teneantur reſidere in quibusdam beneficijs ſimplicibus, dummodo non deſint alij, qui eidem eccleſiæ ritè inſerviant. 70. 4. & ſeq.

Canonici abſentes, & diſtantes per plures dietas non debent neceſſariò vocari ad omnes actus capitulariter tractandos, niſi agatur de electione novi Prælati, de receptione alicujus in novum canonicum, & de ceſſationibus à divinis: illi enim, qui de jure, & conſuetudine vocandi ſunt, debent omnes, & ſinguli vocari, ne quis conqueratur de contemptu. 294. 6

Canonici tenentur ex propriis reditibus contribuere ad reparationem Eccleſiæ. 297. 13

Canonici non poſſunt interdictum apponere, ſed id pertinet tantùm ad Epiſcopum ex conſilio capituli. 290. 1

Canonici ſine licentia Epiſcopi non poſſunt commutare domus ſibi aſſignatas. 335. 10

Canonici ſine ſolemnitatibus jure præſcriptis non poſſunt in perpetuum locare ſuas præbendas, nec prædia Eccleſiæ aſſignata ſingulis canonicis in præbendas. 359. 25

Canonico electo, ſi promittatur à Canonicis præbenda primò vacatura, rata non eſt promiſſio, quamvis firma ſit electio, quia vitioſa promiſſio electionem non irritat. 159. 22

Canonicus ægrotus, vel ſenio confectus, ſi nequeat præſens divinis intereſſe officiis, adhuc percipit diſtributiones, quia ſenectus habetur inſtar infirmitatis. Id etiam procedit, ſi canonicus ſit valetudinarius, ſumpſerit medicinam, vel ſanitatis cauſâ ad thermas fuerit profectus. 68. 15

Canonicus, vel alius beneficiatus, ſi ab Epiſcopo mittatur ad viſitanda limina Apoſtolorum, etiam abſens lucratur diſtributiones, quia tunc agit negotium ſuæ eccleſiæ, ut etiam ſi mittatur ad Concilium generale, vel provinciale tanquam Theologus, vel Canoniſta, imò etiam quando à Capitulo deputatur ad recipiendas rationes redituum, ut etiam quando pœnitentiarius eccleſiæ cathedralis confeſſiones audit in eccleſia, dum divina peraguntur officia. ibid.

Canonicus excuſatur à reſidentia, ſi publicè doceat Theologiam, & poteſt fructus percipere, quia tunc abeſt ex juſta cauſa. 71. 10 & ſeq.

Canonicus inſtitutus ſine præbenda canonicali, cùm primum hæc vacaverit, poteſt implorato Judicis officio eam petere, ut ſibi conferatur. 104. 17

Canonicus non tenetur per ſe ipſum reſidere in parochia annexa ſuæ præbendæ. 117. 13

Canonicus poteſt quis fieri, tametſi non ſit ſtatim præbendatus, ſeu non percipiat fructus beneficij. 193. 11

Canonicus receptus ultra numerum cum ſpe futuræ præbendæ, ſi jus habeat percipiendi quotidianas diſtributiones, dicitur poſſidere beneficium eccleſiaſticum. 159. 26. & talis receptus in Canonicum ex conſenſu capituli ultra numerum cum ſpe præbendæ vacaturæ, licèt non habeat jus in præbenda, habet tamen jus ad illam. 160. 28

Canonicus intitulatus in una eccleſia, ſi electus ſit ad ſecundam, & nolit primam dimittere poſſunt eligentes reſilire, & electum non acceptare. 198. 30

Canonicus habens perpetuum coadjutorem cum futura ſucceſſione, an poſſit pinguiorem præbendam optare, & *in illa inſtitui.* 208. 9

Canonicus non poteſt eccleſiam interdicere ſine conſenſu Epiſcopi, & fratrum. 301. 10

Capella, ſeu Parochia poteſt uniri monaſterio tripliciter. 797. 3

Capella, quam teſtator imponit hæredi conſtruendâ in aliqua ſpeciali Eccleſia, quomodo debeat conſtrui, ſi nulla facta ſit expreſſa mentio materiæ, & ornatûs. 803. 18

Capella ſi non poſſit fundari in loco præfixo à teſtatore, poteſt tunc ſumma relicta commutari in aliud opus pium. 805. 20. ſed ad id requiritur facultas ſummi Pontificis. ibid. 22

Capella conſtructa à fundatore pro ſua familia quales habeat extenſiones? 805. 23

Capellæ præfectus, ſeu Rector dicitur beneficium habere dummodo Capella fuerit authoritate Epiſcopi fundata, & dotata. 800. 2

Capellania ex ſuppoſitione, quod ſervitium perſonale ſit legitimè præſcriptum, poteſt conferri ſimplici Clerico, quamvis in fundatione appoſitum ſit, quòd debeat reſidere, & per ſe ipſum celebrare. 801. 5

Capellania fundata in una Eccleſia non poteſt etiam à fundatore vendi alteri Eccleſiæ. ibid. 7

Capellaniæ etiam perpetuæ, ſed non collativæ, exclu-

excluduntur à ratione beneficij. 91.2
Capellaniæ fundatæ in Ecclesijs Regularium censendæ sunt Regulares. 800. 1
Capellanus beneficio præscriptionis etiam immemorialis non potest non implere onera fundationis; de quibus in fundatione constat. 801.8
Capellanus omittens recitare horas canonicas tenetur fructus capellaniæ collativæ restituere, si hæc sit beneficium trahens obligationes, quas secum trahit beneficium. 802. 10
Capellanus potest à Rectore Ecclesiæ cogi ad celebrandum in ejus ecclesia, prout ipsi magis libuerit, si capellania fundata sit in commodum Ecclesiæ. 803. 14
Capitulum potest suum Prælatum ab Ecclesia illegitimè absentem monere, ut revertatur, ac resideat, non tamen potest eum authoritativè citare in ordine ad privationem, quia inferior non habet jurisdictionem in superiorem: sola enim monitio non est actus judicialis, sed expositio extrajudicialis proprij interesse. 72. 17
Capitulum quandò unà cum Episcopo concurrit, nonnisi unicum habet suffragium, & Episcopus aliud. 214.8
Capitulum sede vacante potest instituere præsentatos à patronis, si idonei sint, quamvis talis institutio alias ad Episcopum pertineret. 215.15
Capitulum sede vacante nil potest innovare in præjudicium sedis Episcopalis, nisi id in jure expressè cautum sit, neque potest Capitulum sede vacante immutare statum Ecclesiæ. 251.5
Capitulum sede vacante non potest alienare bona mobilia, quæ servando servari possunt, nec immobilia absque authoritate sedis Apostolicæ. ibid. 6
Capitulum sede inferiore vacante unà cum Episcopo, qui vices gerit immediati Prælati præcedente tractatu, & cognitione causæ potest bona alienare dummodo causa gravis urgeat. ibid. 9
Capitulum sede vacante non solum exercet jurisdictionem in personas ecclesiasticas; sed etiam in sæculares, si illæ subijciebantur Episcopo talis Ecclesiæ: adeo ut Episcopus defunctus habuerit jurisdictionem temporalem in easdem personas. 252. 15
Capitulum sede vacante non potest judicare de causis pertinentibus ad Episcopum, si quæstio vertatur super proprietate alicujus juris, seu jurisdictionis, an pertineat ad Episcopum vel non? an talis locus sit de diœcesi, an non? an aliquod beneficium sit de jure patronatus, vel pertineat ad meram Episcopi collationem. 253. 17
Capitulum sede vacante potest intra annum ab obitu Episcopi concedere facultatem alteri Episcopo, ut conferat ordines Regularibus. 253. 1
Imò potest etiam concedere facultatem extero Episcopo exercendi pontificalia in ejus Ecclesia; conferendi ordines Religiosis, & Clericis exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum. ibid. 3
Capitulum sede vacante potest revocare licentiam conferendi ordines, & exercendi pontificalia, si hujusmodi licentia concessa fuerit alicui extero Episcopo à defuncto Episcopo. 254. 5
Capitulum prohibetur sede vacante concedere dimissorias Clericis subditis ad ordines suscipiendos intra annum à morte Episcopi. 254 6. elapso tamen anno potest Capitulum has litteras dimissorias concedere, perinde ac Episcopus, & expirant per novum Episcopum. ibid. 7
Capitulum sede vacante intra annum ab obitu Episcopi non potest litteras dimissorias concedere pro prima tonsura. 254. 9
Capitulum sede vacante potest dispensare, ut quis ordinetur non servatis temporum interstitijs. 255. 3
Capitulum sede vacante non potest dispensare cum illegitimis quoad beneficium simplex, quia tantùm potest dispensare, quando dispensatio est debita, non verò mera gratia. ibid. 14
Capitulum sede vacante succedit Episcopo quoad jurisdictionem ordinariam, proindè potest sede vacante dispensare super irregularitatibus, quibus potest Episcopus. 256. 2
Capitulum sede vacante succedit Episcopo etiam in his, quæ jure speciali eidem conveniunt tanquam Ordinario, & Episcopo ex jurisdictione ordinaria. 257. 5
Capitulum sede vacante potest absolvere ab hæresi, quia succedit Episcopo in ijs, quæ jure speciali ei conveniunt. ibid. 6
Capitulum sede vacante potest etiam procedere contra hæreticos, quia succedit in jurisdictione Episcopo defuncto, cui jure ordinario competebat potestas absolvendi ab hæresi occulta. 258. 11
Capitulum sede vacante potest etiam dispensare in petitione debiti, & concedere facultatem absolvendi à reservatis. 258. 12. Imò potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis. ibid. 13. Potest etiam cognoscere de causis matrimonialibus. 259. 14. ut etiam condere statuta, quæ totam obligent diœcesin. ibid.
Capitulum sede vacante potest pravas consuetudines erradicare, corruptos mores corrigere, & statuere pœnas, quibus homines à tali consuetudine avertantur. 259. 17. Potest etiam censuras ferre, ponere interdictum tam personale, quàm locale, seu imponere cessationem à divinis, ut etiam absolvere ab excommunicatione lata tam à jure, quàm ab homine, si Episcopus possit ab eadem absolvere. ibid. 1. & seq.
Capitulum propriè non dicitur vicarius Episcopi, sed ejus Successor, quia tota jurisdictio ordinaria Episcopi, quæ in jure ei non denegatur, transit in capitulum sede vacante. 260. 3. Hinc capitulum sede vacante potest deputare Pœnitentiarios cum potestate absolvendi ab ijsdem excommunicationibus, aliisque casibus Episcopo reservatis. ibid. 4
Capitulum potest remittere pœnam impositam ab Episcopo defuncto, quia id pertinet ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. 260. 5. potest etiam capitulum sede vacante dare licentiam clerico diœcesano transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliena diœcesi. ibid. 6. non tamen potest providere pœnitentiariam, nec supprimere canonicatum, quia hæc facultas competit privativè: ibid. 8

Capi-

Index

Capitulum ſede vacante non poteſt revocare licentias Regularium obtentas ab Epiſcopo defuncto ad confeſſiones audiendas. 261. 9

Capitulum ſede vacante poteſt concedere indulgentias unius anni in dedicationibus Eccleſiarum, & 40. dierum in anniverſario dedicationis Eccleſiæ, quia talis conceſſio eſt actus ſolius jurisdictionis. 262. 13. poteſt etiam commutare ultimas voluntates in ijs caſibus, in quibus poterat Epiſcopus. ibid. 15

Capitulum ſede metropolitana vacante poteſt viſitare univerſam provinciam, ac totam diœceſin, præſertim ſi vacatio fuerit diuturna. 263. 1. non tamen videtur poſſe viſitare monaſteria exempta monialium niſi nomine, & authoritate Papæ. ibid. 6

Capitulum ex urgente graviſſima neceſſitate poteſt viſitare monaſteria Monialium exemptorum, quia tenetur conſulere utilitati diœceſis, & impedire mala imminentia. 246. 13

Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in privilegijs eidem conceſſis, quia cum ſint perſonalia, & odioſa, quatenus adverſantur juri communi, debent ſtrictè interpretari. 265. 15

Capitulum ſede vacante non poteſt concedere licentiam erigendi nova monaſteria in ſua diœceſi. 265. 17. poteſt tamen dare licentiam volenti ædificare eccleſiam, ut acquirat in eadem jus patronatus. ibid. 18

Capitulum cathedrale ſede vacante nõn ſuccedit Epiſcopo in collatione beneficiorum, proinde non poteſt conferre præbendas, nec beneficia, quæ tempore vacationis contigerit, vacare, ſi eorum libera collatio ad Epiſcopum pertineat. 266. 1. imò neque poteſt ea conferre beneficia, quorum collatio jure devoluto ob negligentiam, vel delictum inferioris collatoris pertinet ad Epiſcopum. ibid. 2. Sin verò collatio beneficij pertineret ad Epiſcopum, & capitulum ſimul, poſſet ab hoc ſede vacante conferri. ibid. 4. non ita ſi Epiſcopus tantùm ex conſilio, & conſenſu capituli beneficium conferret. 267. 5

Capitulum ſede vacante ea tantùm poteſt beneficia conferre, in quibus nulla exercetur libertas, quando ex eorum inſtitutione debentur certæ tantùm, ac determinatæ perſonæ, ut ſeniori familiæ fundatoris, vel quando rationis optionis debetur beneficium antiquiori optanti. 268. 11

Capitulum ſede vacante licèt non poſſit conferre beneficia, quorum collationes ad ſolum pontificem pertinent, poteſt tamen eorum reſignationes recipere. 263. 13

Capitulum ſuccedit Epiſcopo tantùm in iis, quæ ſunt gratiæ, non verò juſtitiæ. 2E8. 14

Capitulum nequit admittere beneficiorum reſignationes, quæ fiunt ex cauſa permutationis. 269. 15

Capitulum ſede vacante poteſt eas beneficiorum uniones facere, quas poteſt Epiſcopus. ibid. 19

Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit Epiſcopo, in tota ſua jurisdictione ordinaria, poteſt punire clericos, & eos in pœnam commiſſi delicti privare ſuis beneficiis. 270. 21

Capitulum ſede vacante poteſt clericis, & laicis in delictis mixti fori, & pro diſpenſationibus, ac commutationibus imponere mulctas pecuniarias applicandas locis piis per Vicarium Capituli. ibid. 1

Capitulum ſede vacante tenetur ſolvere debita Epiſcopi defuncti ex fructibus, ſeu reditibus Epiſcopatus, quia tunc eſt adminiſtrator Epiſcopatus. 270. 2

Capitulum ſede vacante poteſt cognoſcere cauſas matrimoniales. ibid. 3

Capitulum intra octiduum, quo ſede vacante, cogitat de Vicario eligendo, habet jurisdictionem adminiſtrandi Epiſcopatum. 271. 5. neque poteſt reſtringere illud octiduum ſtatutum à Concilio. ibid. Imò poſt illud octiduum poteſt purgare moram, quia Vicariatus non eſt beneficium ſed officium temporale. 271. 6. Octiduum iſtud incipit currere capitulo à die mortis Epiſcopi, vel etiam à die ſcientiæ translationis Epiſcopi ad aliam Eccleſiam. 272. 9

Capitulum ſede vacante tametſi regulariter unum tantùm debeat Vicarium eligere, adhuc poteſt, ſi neceſſitas urgeat duos eligere. 273. 16. & ſeq.

Capitulum ſine juſta cauſa non poteſt removere Vicarium à ſe electum, quia id fieret contra Concilium Tridentinũ. 274. 23. Tum quia Vicarius ſeguiter ſe haberet in adminiſtranda juſtitia contra Canonicos particulares, & à quibus ipſe dependet, ex timore ne privaretur ſua jurisdictione. 275. 25

Capitulum ſede vacante non poteſt de jure ullum emolumentum, vel qualemcunque portionem redituum epiſcopalium in proprios uſus convertere, ſed omnia ſervanda ſunt futuro Prælato etiam cum obligatione inventarij conficiendi, & reddendarum rationum. 276. 32

Capitulum ſede vacante nequit litem inſtituere, neque proſequi ſuper juribus Epiſcopi, ſed tantùm ſuper juribus concernentibus ipſum capitulum. 277. 34

Capitulum licèt admitti debeat ad tractandum, & conſulendum, non ita tamen ad decidendum, quia ſpectato jure communi ſoli Epiſcopi in Conciliis provincialibus habent ſuffragium deciſivum, & non capitulum, niſi ex aliquo ſpeciali privilegio. 288. 19

Capitulum habet jus condendi ſtatuta circa negotia concernentia ipſum Capitulum, non tamen valet ſtatutum, vel conſuetudo etiam juramento firmata, vi cuius omnes de capitulo teneantur conſentire, & ſi non conſenſerint, actus capituli non ſit validus. 297. 9

Capitulum, ſi habeant jurisdictionem contentioſam, & velit interdictum ponere, debet id præſtare cum aſſenſu Epiſcopi. 298. 2

Capitulum ſede vacante non poteſt ſibi unire beneficia. 305. 9

Caſtrum poteſt in feudum dari ea contractui adiecta conditione, ut ad quascunque manus feudum devenerit, ſubſit gravaminibus imponendis à ſupremo Principe ſæculari. 280. 17

Catechumeni, quia nondum abluti ſacro baptiſmo, non ſepeliuntur in loco ſacro. 623. 4

Catechumenis nondum baptizatis, an miſſæ ſacrificium proſit, & poſſit pro illis offerri? 925. 8

Cathedraticum quid ſit, & quomodo annuatim

perſolvatur Epiſcopo in recognitionem cathedræ. 850. 1. Et conſuetudine, vel præſcriptione poteſt cathedraticum abrogari. ibid. 3
Catholicus degens in terris hæreticorum, vel infidelium, an poſſit carnes comedere diebus ab Eccleſia prohibitis. 956. 13
Cauſa juſta expellendi Religioſum è religione eſt incorrigibilitas, & ejectus adhuc manet obligatus ad ſubſtantialia vota religionis. 707. 6
Cauſa pollutiva Eccleſiæ debet eſſe publica, ut ſequatur pollutio. 188. 6
Cauſa pollutiva Eccleſiæ, ſi notificetur ſacerdoti in Sacramento confeſſionis, debet is ita ſe gerere, ac ſi nihil omninò ſciret. ibid. 14
Cauſæ juſtæ excuſantes à continua reſidentia ſunt Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas. Ad cauſam urgentis neceſſitatis pertinent bellum, imminens excidij periculum, hoſtium incurſiones, aëris intemperies, lues epidemica, corporis infirmitas, ſi in loco parochiæ curari non poſſit. 62. 10
Cauſæ excuſantes à reſidentia quænam ſint? 72. 19
Cauſæ, ob quas ſolent beneficia reſervari plures ſunt, & recenſentur. 167. 6
Cauſæ, ob quas ſolent Coadjutores concedi ſunt ætas profecta Paſtoris, infirmitas corporis, animi ægritudo, defectus idoneæ litteraturæ, negligentia, & ſuſpicio de diſſipatione bonorum eccleſiæ. 204. 8
Cauſæ conferendi penſiones plures ſunt, & recenſentur. 308. 11
Cauſæ juſtæ alienandi res eccleſiaſticas recenſentur, 340. 1. & ſeq.
Cauſæ, ex quibus reſcindi poteſt contractus venditionis, & emptionis ex læſione ultra dimidium plures recenſentur. 413. 18
Cauſæ, ob quas interdū licitum eſt rem pluris vendere, quàm per ſe alioquin valeret, recenſentur. 417. 17. & ſeq.
Cauſæ, ob quas Creditor non tenetur fructus computare pro ſolutione tres potiſſimum aſſignantur. 489. 15. & ſeq.
Cauſæ juſtæ conſtituendi novum cenſum, quænam ſint? 862. 23
Cauſæ juſtæ exigendi charitativum ſubſidium ab Epiſcopo, plures ſunt. 862. 23
Cenſus, an poſſit conſtitui cum debitore vendente jus, quando creditum eſt liquidum. 421. 35
Cenſus irredimibilis, an ſtante Bulla Pij V. ſit licitus? ibid. 37
Cenſus laxè ſumptus id ſignificat, quod annuatim in quantitate, ſeu ſumma perſolvitur. 847. 1. Et bipartitur in novum, perpetuum, & temporalem. ibid. 3
Cenſus eccleſiaſticus non eſt Jus aliquod ſpirituale, nec annexum rei ſpirituali, ſed jus quoddam per ſe diſtinctum à beneficio. 858. 3. Non tamen cenſus eccleſiaſticus poteſt vendi, quin labes contrahatur Simoniæ. ibid.
Cenſus eccleſiaſticus ſi ſumatur, quatenus dicit jus, quod clericus habet ad percipiendos fructus beneficij, eſt quid ſpirituale. 859. 6
Cenſus ſibi reſervatus ab eo, qui mutavit beneficium pinguius cum tenuiori non poteſt vendi. ibid. 8
Cenſus eccleſiaſtici jure divino prohibentur vendi. 860. 11
Charitativum ſubſidium eſt exactio extraordinaria propter manifeſtam, & rationabilem cauſam cum charitate à ſubditis poſtulata, & quænam ſint juſtæ cauſæ petendi charitativum ſubſidium? 850. 4
Chriſtianus quilibet, & ſolus eſt capax Sacramenti Euchariſtiæ per modum viatici. 936. 24
Circumciſio in lege veteri erat neceſſaria ad ſalutem tam parvulis, quàm adultis. 912. 1
Civitas in materia odioſa non comprehenditur nomine diœceſis. 8. 9
Clauſula, quæ ſolet in reſcripto apponi *motu proprio* quomodo intelligatur, & quinam ſint ejus effectus? 111. 13 & ſeq.
Clauſula motus proprij non ampliat gratiam, nec vim verborum, ſed tantùm excludit ſubreptionem, ac ſuſpicionem fraudis in eo, ad quem litteræ beneficiales diriguntur. 155 35
Clerici à negotijs, curisq; ſæcularibus remoti Deo ſpeciali cultu ſunt addicti, ac dicuntur eſſe de ſorte domini. 6. 1. Eorum præſtantia, & dignitas eſt talis, ut nulla ſæcularis ei poſſit æquari. ibid.
Clerici in odioſis non comprehenduntur nomine populi, ac civium, ſed tantùm in materia privilegiata, & favorabili: ſunt enim Clerici pars Reipublicæ. 7 4
Clerici non habent vocem, ſeu ſuffragium in Conciliis populi. 7. 5
Clerici tenentur deferre tonſuram in capite, & veſtem clericalem coloris nigri. 10. 10. Idque præſertim ſi clerici beneficium eccleſiaſticum obtinuerint, alioquin ſi à ſuo Epiſcopo moniti honeſtũ habitum clericalem non detulerint, ſuſpenduntur non ſolùm ab ordinibus, ſed etiam ab officio, & beneficio. Imò ſi iterum moniti parère detrectaverint coerceri debent per privationem officiorum, & beneficiorum. Imò ex Bulla Sixti V. tenentur hanc veſtem deferre omnes clerici beneficiati, & penſionarij, quamvis nondum jus in beneficio, ſed tantùm ad illud obtinuerint. 10. 12
Clerici minores ſi beneficium eccleſiaſticum non conſequantur, non tenentur habitum clericalem, & tonſuram deferre, ſed tunc non gaudent privilegio fori. 11. 14. Imò clericus in minoribus, & beneficio conſtitutus, ſi tonſuram, & habitum clericalem non deferat, vel diſcolores veſtes deferat, non excuſatur à culpa. ibid. 15
Clerici præſertim in ſacris conſtituti tenentur caſtè vivere. Orientales tamen ſacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi permittuntur poſſe uxoribus uti, quas ante ſuſceptum ſacerdotium, vel ſacrum ordinem duxerunt. 11. 16. & ſeq.
Clerici minores eo ipſo, quod matrimonium ineunt, beneficia eccleſiaſtica amittunt, quamvis matrimonium nondum fuerit conſummatum, nec iterum recipiunt beneficia, quamvis ſponſa Religionem poſtea profiteatur. ibid. 18

Index

Clerici sacris ordinibus initiati cujusmodi sunt Episcopi, sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi jure ecclesiastico omnino prohibentur uxorem ducere, & Apostoli postquam fuerunt assumpti ad Apostolatum, & sacros ordines perpetuam continentiam servaverunt : & hæc continentia in clericis est consilium Christi, eámque constituerunt Apostoli, ut imposterum Ministri Ecclesiæ tenerentur eam servare. 11. 19

Clerici si ante susceptos ordines duxerunt uxores, debent post illos susceptos perpetuam servare continentiam. ibid. 20

Clerici non debent tabernas publicas nisi ex causa necessaria itineris adire, & illis prohibentur convivia, lusus alearum, & taxillorum. 13. 2. & 3

Clerici debent omnino esse à quavis suspicione avaritiæ alieni. ibid. 4

Clerici non debent annulos aureos gestare, nec gemmulas ijsdem insertas, nisi Episcopi sint, vel alia dignitate insigniti, non tamen ratione doctoratûs debent illos deferre. 16. 19

Clerici prohibentur etiam arma deferre, quia ipsis non est permissum pugnare. ibid. 21

Clerici prohibentur exercere commercia, & negotia sæcularia, quibus si se immisceant, & post trinam admonitionem non resipiscant, ipso facto amittunt privilegium clericale. 16. 22

Clerici tenentur obedire Episcopo in ijs, quæ pertinent ad statum clericalem. ibid. 23

Clerici prohibentur exercere artem medicam, ubi ustio, & sectio est necessaria, imò etiam Judicium sanguinis, venatio clamorosa, & negotiatio. 16. 24. Imò est hæc ita Clericis in sacris constitutis prohibita, ut à noxa lethali non excusentur, si toto animo sint eidem addicti, & à divinis avocentur obsequijs. 17. 25

Clerici si negotiationem, & mercaturam exerceant, tenentur vectigalia solvere, perinde ac alij negotiantes. ibid. 26

Clerici quoad vim directivam obligantur legibus communibus Magistratuum sæcularium, si non repugnent statui ecclesiastico, & pertineant ad bonum Reipublicæ regimen. 17. 27

Clerici tenentur eas servare leges, quæ formam præscribunt in contractibus, vel testamentis conficiendis. ibid. 28

Clerici plurimis perfruuntur privilegijs. 17. 1. & seq.

Clerici quoad causas merè ecclesiasticas liberi omnino sunt à potestate laicorum, nec possunt conveniri coram Judice sæculari. 18. 4. Idque jure divino. 18. 7. Non tamen sunt exempti ab illis civilibus legibus, quæ non sunt contra libertatem ecclesiasticam, nec sacris adversantur canonibus. 18. 8

Clerici delinquentes contra legem civilem non incurrunt pœnam eadem lege statutam. 19. 11

Clerici non possunt renuntiare privilegijs canonis, & fori, séque subijcere laicali jurisdictioni. ibid. 13

Clerici incedentes armati, quibus subijciantur pœnis? 22. 3. & seq.

Clerici in sacris constituti comam relaxantes, & non deferentes tonsuram convenientem suo statui anathemate percutiuntur, 22. 5

Clerici hodie non coguntur vivere in communi. 23. 8

Clerici majores fornicarij quas pœnas incurrant. 24. 14

Clerici crapulosi, & ebriosi, quibus sint pœnis obnoxij. ibid. 16

Clerici tenentur se abstinere à negotijs, personis, locis, ludis, vestibus inhonestis, & ornatu minus honesto. 24. 17

Clerici gaudere possunt statutis, & consuetudinibus regionis, in qua vivunt, quatenus ea sunt ipsis commodo. 25. 19

Clerici non debent secum in domo retinere mulierem suspectam de incontinentia, tametsi soror sit, aut mater, 27. 3

Clerici non dimittentes concubinas suspenduntur à beneficijs. 34. 11

Clerici conjugati, si castitatem voverint, debent seperatim habitare, quamvis sint jam senio confecti, & citra copulæ suspicionem : sin verò sint juvenes, non possunt promoveri nisi transeant ad religionem. 37. 2

Clerici conjugati in ordine ad res ecclesiasticas, & beneficia, perinde se habent ac laici; licèt illi gaudeant privilegio canonis, & fori, si contraxerint cum una tantùm, eaque virgine, habitúmque clericalem, & tonsuram continuò deferant. 39. 17

Clerici sacris initiati ordinibus nullo pacto possunt matrimoniũ validè contrahere ob votum solemne castitatis adnexum sacris ordinibus. 40. 19. Quamobrem soli clerici minoribus ordinibus initiati possunt validè matrimonium contrahere, quia votum castitatis non est minoribus ordinibus adnexum, sed tantùm majoribus. ibid. 20

Clerici sacro ordine initiati, si matrimonium contrahant, nullius est valoris. 42. 1. Non tamen ipso jure privantur beneficijs antea obtentis, sed in pœnam sui delicti possunt privari ab homine, seu Judice per sententiam. Secus clerici in minoribus constituti, si uxores ducant, quia matrimonium est validum, privantur ipso jure beneficiis ecclesiasticis. 43. 5

Clerici quomodo privandi sint beneficijs, quæ habebant tempore matrimonij initi? 45. 13

Clerici græci, si antequam initientur ordinibus, matrimonium primùm cum Virgine contraxerint, ad ordines sacros non exacto continentiæ voto admittuntur, non verò semel constitutis in sacris permittitur ipsis uxores ducere. 45. 16

Clerici, qui ex licentia Papæ in suis residente ecclesiis, quamvis possint sibi fructus beneficij lucrari, non tamen ullum acquirunt jus in distributiones quotidianas: quia qui de facto non residet etiam ex licentia Ordinarij, quamvis fructus accipiat beneficij, non ita percipit distributiones quotidianas. Neque obstat, quòd ratione privilegij non residentes fictione juris habeantur, ut residentes : quia distributiones non conceduntur clericis ex eo præcisè, quòd resideant, sed quia præsentes interfint divinis officijs statis horis diurnis, & nocturnis. 66. 3. & seq.

Clerici non residentes si citati non revertantur ad residendum privandi sunt suo beneficio in termino sibi præfixo. 72. 15

Cle-

Clerici fatris initiati, ſi adigerentur oſtiatim mendicare, vel ex turpi quæſtu vivere, cederet in opprobrium, & dedecus ordinis clericalis. 195. 19
Clerici tantùm inſtitui poſſunt in beneficiis eccleſiaſticis, non tamen quicunque, ſed idonei, qui Deo, & Eccleſiis velint, & poſſint gratum præſtare famulatum. 216. 1
Clerici inſtituendi in Eccleſia non debent eſſe unius tantùm nationis, ſeu originis, ſed aſſumendi ſunt viri morum probitate, vitæ honeſtate, & doctrinarum eruditione cæteris commendatiores, quamvis natione diverſi, nobilitate non pares. 217. 7
Clerici promovendi ad beneficia eccleſiaſtica debent illo eſſe initiati ordine, quem ipſa dignitas, vel beneficium ex ſui natura, vel conſuetudine, aut ſtatuto exigit: non tamen eſt neceſſe, ut ſit initiatus illo ordine, quem fortaſſis aliud beneficium eidem unitum exigeret. 218. 13
Clerici beneficiati permutantes ſua beneficia non poſſunt pro exceſſu reditnum aliquid temporale accipere, quia permutatio fit principaliter quoad titulum. 460 1
Clerici, & Religioſi poſſidentes bona in communi non ſunt abſolutè incapaces feudorum, præſertim, ſi ſint feuda franca, vel in quibus ſervitiorum loco pecunia, vel cenſus annuus præſtetur Domino. 471. 14
Clerici non prohibentur abſolutè fidejubere pro egenis, & oppreſſis, aliisque miſerabilibus perſonis, ſi charitas urgeat. 500. 6
Clerici prohibentur fidejubere indiſcretis fidejuſſionibus ſuſceptis ſine cauſa, & neceſſitate. 501. 10
Clerici non poſſunt conveniri, ultra quod facere poſſunt. 502. 14
Clerici ob contracta debita non poſſunt detrudi in carcerem, neque anathemate percuti, ſi bonis careant, quibus ſatisfaciant. 510. 2
Clerici beneficiarii non poſſunt ad ſuum libitum impendere fructus beneficii, qui ſuperſunt congruæ ſuæ ſuſtentationi in uſus profanos, ſed tantùm in pias cauſas, ſi ſumma ſit notabilis: & licèt donatio eſſet valida, non tamen donator excuſaretur à gravi culpa. 532. 16
Clerici ſæculares ſunt veri domini bonorum ſuorum patrimonialium, de quibus poſſunt liberè diſponere tam inter vivos, quàm mortis cauſa, & per ultimam voluntatem. 545. 13
Clerici beneficiarii tenentur ex juſtitia ad reditus ex bonis eccleſiaſticis, ſi ſuperfluant, impendendos in uſus pios. 545. 14. An verò, ſi eos expendant in uſus profanos, teneantur ad reſtitutionem, diſſentiunt Doctores. 546. 17
Clerici habentes proprium patrimonium, poſſunt ſibi reſervare, & pro ſua propria congrua ſuſtentatione expendere ſolos reditus ſui beneficij. 547. 1. Imò poſſunt clerici ſæculares liberè diſponere in uſus profanos de bonis patrimonialibus. ibid. 2
Clerici beneficiati poſſunt elargiri reditus eccleſiaſticos ſuperfluos proprijs conſanguineis, quantum requiritur ad eorum decentiam ſpectatis ſtatu, qualitate, aliisque circumſtantiis. 547. 3
Clerici beneficiarii de bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus poſſunt teſtari, ut etiam de ijs bonis, quæ proprio labore, & induſtria ſibi comparârunt, non verò de illis bonis, quæ intuitu Eccleſiæ acquiſiverunt. 565. 22. & ſeq.
Clerici conſtituti in ægritudine dé fructibus ſuorum beneficiorum, quamvis non poſſint teſtari, poſſunt tamen diſponere per modum eleemoſynæ, imò etiam aliquid erogare amicis, & familiaribus ſuis ratione obſequij, ſibi vel eccleſiæ præſtiti; moderatè tamen. 566. 26
Clerici, quibus cura ſepeliendi ratione beneficii incumbit; pro officio ſepulturæ, exequiis, ac deductione funeris non poſſunt quidquam exigere, ſed tantùm liberaliter accipere oblata. 620. 15
Clerici beneficiarii obligantur ad preces Deo fundendas, quamvis beneficium ſit tantùm manuale. 897. 9. Imò tenentur etiam ad has horas canonicas perſolvendas, tametſi beneficium ſit ita tenue, ut non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem. ibid. 10
Clerici, qui obligantur ad horas canonicas, tenentur eas recitare juxta præſcriptum breviarij Romani. 898. 17. Et tenentur ſe conformare cæteris orantibus ea die breviarium. ibid. 18
Clerici an poſſint à Magiſtratu ſæculari compelli ad vendendum triticum, ſi neceſſitas urgeat. 984. 18
Clerici non poſſunt obligari à Judice laico, ut abſtineant ab inobedientia. 1003. 18
Clericis injungitur munus prædicandi verbum Dei. 6. 2
Clericis græcis, poſtquam Sacerdotes facti ſunt, vel Diaconi, non licet ampliùs uxores ducere, neque matrimonio illicitè contracto uti. 11. 17
Clericis licèt interdicatur, ne utantur certis quibusdam veſtibus tanquam indecentibus, non tamen ſpeciatim præſcribitur, quibus uti debeant, ſed hæc honeſtas veſtium cenſenda eſt ex uſu, & conſuetudine. 15. 15.
Clerico ordinato debetur pro congrua ſuſtentatione beneficium, ſi aliunde non habeat patrimonium, nec unde decenter, ac congruè vivat. 94. 5
Clerico habenti unum beneficium ſufficiens, ſi Pontifex motu proprio concedat aliud ſufficiens poteſt utrúmque retinere. 125. 8
Clerico habenti inſufficiens beneficium, ſi conferatur aliud beneficium per ſe ſufficiens, primùm non videtur vacare. 128. 20
Clerico abſenti poteſt beneficium conferri alio mediante, qui loco abſentis beneficium acceptet. 119. 31
Clericorum gradus, ac nomina ſunt Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter, ut etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & omnes cujuscunque ordinis, ſeu dignitatis eccleſiaſticæ. 6. 3
Clericorum nomine in materia favorabili comprehenduntur etiam Cardinales, ut etiam Monachi, licèt clerici ſæculares in materia, ſive favorabili, ſive odioſa non comprehendantur nomine Monachorum. 7. 4
Clericos non decet cum mulieribus in eadem domo morari ijs exceptis, quæ ob ætatem, ſeniúmque,

vel ob primi, aut secundi gradus consanguinitatem tolerantur. 27. 8
Clericum non decet viles, & sordidas artes exercere, nec agere lanionem, nec ludionem, aut histrionem. 16. 24
Clericus constituitur in statu clericali per primam tonsuram, quam tenetur semper deferre in capillis: & à prima tonsura, quasi à prævia dispositione fit transitus ad ordines minores, quibus initiati vocantur Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, & Acolyti. 9. 1. & seq.
Clericus transgrediens votum castitatis quocunqi actu luxuriæ, duplex committit peccatum contra temperantiam, & virtutem Religionis. 12. 13
Clericus in sacris constitutus, si de crimine fornicationis cum fœmina suspectus fuerit, & post trinam admonitionom adhuc deprehendatur, cum ipsa fabulari anathemate percutitur, & fœmina canonicè punitur. 28. 6
Clericus concubinarius dicitur, qui non solùm domi instar uxoris concubinam alit, sed etiam extra domum. 29. 9. Et si ipsam non dimittat post trinam monitionem, privatur distributionibus quotidianis, & beneficiis post sententiam declaratoriam judicis. ibid. 11
Clericus, si monitus non desistat à consortio mulierum suspectarum, pluribus sit pœnis obnoxius. 32. 5
Clericus, si monitus ad concubinam dimittendam noluit parêre, non potest se exculare, nec tergiversari, quod in peccato fornicationis non existat. 33. 9
Clericus per matrimonium validè contractum amittit accessus, & regressus, & omnia alia jura ad beneficium ecclesiasticum. 39. 12. Imò etiam pensiones titulo clericali alicui collatas. ibid. Non tamen, si clericus in minoribus constitutus, sponsalia de futuro contrahat, amittit ipso jure beneficia, quæ obtinuerat. ibid. 13
Clericus contrahens matrimonium validum, nequit retinere priora beneficia, sed tenetur statim ea dimittere, & si non dimittit, est injustus detentor rei non suæ, & tenetur restituere fructus à se perceptos post initum matrimonium. 39. 14
Clericus beneficiatus contrahens invalidè matrimonium non privatur ipso jure suo beneficio, sed tantùm ab homine est privandus, seu per sententiam Judicis. 44. 9
Clericus in minoribus constitutus, si matrimonium contrahat, non gaudet privilegio clericali, proinde non tenetur ferre tonsuram, si non percipiat beneficium. 45. 16
Clericus conjugatus, si ferat tonsuram, & habitum gaudet privilegio clericali. 46. 18
Clericus, si fraudulenter se absentavit, ut non citetur, potest per publica edicta citari in sua Ecclesia, & si intra semestre non revertatur, privari potest sua Ecclesia. 74. 23. verùm id limitatur, quando præsentia clerici est valde utilis ecclesiæ. 75. 25
Clericus, qui juravit in ecclesia sua residere, licitè pro servitijs ejusdem potest se absentare. ibid. 26
Clericus, ut promoveatur ad beneficium ecclesiasticum, nulla debet esse censura irretitus. 96. 10
Clericus promotus ad beneficium, si revera se putet idoneum, non tenetur eidem renuntiare, tametsi judicet alterum magis idoneum. 101. 22
Clericus nequit licitè plura obtinere, ac retinere beneficia, licèt hæc continuam residentiam personalem non exigant, dummodo unum illorum ad honestam, & congruam clerici sustentationem sufficiat. 116. 5.
Clericus non potest simul habere duas dignitates, vel personatus etiam in diversis Ecclesijs, nisi ex dispensatione speciali summi Pontificis, sed singula officia singulis clericis conferri debent. 117. 7 & seq.
Clericus non potest simul obtinere duos canonicatus in eadam ecclesia, tametsi unum per se, & alterum accessoriè. 117. 14. Imò nec per consuetudinem immemorialem induci potest, ut habeat quis in eadem Ecclesia duos simplices canonicatus. 118. 16
Clericus habens beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, si aliud obtineat, vacat primum. 126. 6
Clericus habens duo beneficia singula insufficientia, si postea alterum fiat sufficiens, debet hoc sufficiente esse contentus, & dimittere aliud insufficiens. 127. 14. Non ita si beneficium insufficiens ex industria, & melioratiouibus beneficiarij factum sit sufficiens. ibid.
Clericus, qui priùs impetravit mandatum pontificium de providendo in eadem Ecclesia, debet alteri præferri, qui priùs habuit datam: quia in beneficijs obtinendis consideratur data, non præsentatio. 157. 9
Clericus provisus à Legato post confirmationem factam à Papa in assecutione præbendæ præterendus est alijs, quibus postea à Papa jus expectativæ datur. 160. 34
Clericus impetrans litteras in forma pauperum, ut ei provideatur de beneficio, si postea aliunde acquirat vicariam aliquam temporalem, adhuc litteræ beneficiales validæ sunt, & mandatarius tenetur eas exequi: non ita, si clericus post impetratas litteras acquireret vicariam perpetuam, quia tunc mandatum expiraret. 165. 32
Clericus beneficiarius, qui ex bonis patrimonialibus potest se alere, potest ijs servatis honestam vitæ sustentationem jure accipere ab illa ecclesia, cui infervit. 192. 5
Clericus beneficiatus ægrotus integrè percipit fructus sui beneficij. 201. 1. & seq. Et tunc Coadjutori debetur congrua sustentatio, siquidem qui altari infervit, de altare vivit. ibid. 3
Clericus ob mutilationem supervenientem non deperdit beneficium, quod habet, cujus propterea fructus percipit. 201. 5
Clericus habens titulum, & possessionem beneficij unà cum servitio, præferri debet coadjutori se habenti accessoriè, & carenti jure, ac titulo in beneficium. 203. 15
Clericus, qui scienter se permisit institui in beneficio nondum vacante, si postea illud vacans impetraverit à Papa, & non fecerit mentionem suæ intrusionis, ac illegitimæ institutionis, non obtinet beneficium, quia collatio etiam facta à Papa est irrita, quia subreptitia. 229. 15
Clericus, si sit in colorata possessione alicujus beneficij,

neficij, non potest hoc alteri conferri, nisi priùs præcedat summaria cognitio causæ, sitque color possessionis deletus. 237. 16. Sin verò possessio non sit colorata, sed evidenter injusta potest tunc beneficium alteri conferri, etiam non citato possessore. ibid. 17
Clericus sciens alteri collatum esse beneficium, si permittat illud sibi conferri, non est eidem conferendum, cùm primùm vacat. 247. 12
Clericus, cui beneficium à legitimo collatore collatum est, potest agere in judicio possessorio adipiscendæ possessionis. ibid.
Clericus receptus in canonicum potest agere contra Capitulum, ut sibi provideatur de præbenda, cùm primùm se occasio obtulerit. 247. 13
Clericus habens præbendam in una Ecclesia, potest in eadem recipere dignitatem cum præbenda, si primæ præbendæ renuntiet. ibid. 14
Clericus, si charitas non urgeat, & fidejubeat, fidejussio est nulla. 501. 9
Clericus, si fidejubeat, tenetur suum fidejussorem indemnem reddere à fidejussione, etiam per assignationem fructuum proprij beneficij. ibid. 13.
Clericus habens beneficium, unde sustentari congruè possit, & simul satisfacere creditoribus, cogendus est per subtractionem fructuum suis satisfacere creditoribus relictâ eidem congruâ sustentatione. 511. 14
Clericus debitor, ut gaudeat privilegio competentiæ, aliquot requruntur conditiones. 512. 17
Clericus, si in debito civili dolosè se gessit, & creditorem decepit, eò quia se laicum finxerit, vel sua bona absconderit, vel coram Judice falsò negaverit debitum, potest in carcerem detrudi, non præcisè ob civile debitum, sed propter crimen. 12. 16
Clericus filiæ spuriæ, vel sorori ex reditibus beneficij ecclesiastici jure communi dotem dare potest, si aliundè non habeat. 547. 4
Clericus potest sibi sepulturam eligere in quacunque Ecclesia. 613. 2
Clericus sæcularis non potest inducere infirmum cum obligatione irrevocabili orta ex juramento, vel voto ad eligendam propriam sepulturam in sua ecclesia parochiali. 620. 6. Ignorantia tamen, quæ excusat à peccato lethali, excusat etiam clericum, ne incurrat excommunicationem. ibid. 8
Clericus, si ex reditibus Ecclesiæ ædificet capellam, eámque dotet, acquirit jus patronatus tantùm ad dies vitæ. 838. 5
Clericus non potest conveniri in curia sæculari pro debitis contractis cum persona sæculari. 983. 4. Neque ratione causæ defendendæ potest clericus trahi ad judicium sæculare. ibid. 5. Neque ex vi statuti laicalis potest conveniri pro jure congrui; neque Judex potest exequi sententiam à se latam contra clericum. Neque citare clericum debitorem in confectione alicujus inventarij. Neque adigere clericum, qui spoliavit laicum sua possessione ad eam restituendam. ibid. 6. & seq.
Clericus, an si conveniatur pro evictione, sit conveniendus coram Judice ecclesiastico. 1008. 38
Clerus græcè sors, & latinè hæreditas dicitur. 6. 3. Et clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus est sors, seu pars clericorum. ibid.
Coadjuto excommunicato tenetur coadjutor divinis interesse officijs, quia non residet nomine alieno, sed proprio. 211. 26
Coadjutor, à quo dandus sit Prælato Ecclesiæ, quando hic non potest plenè satisfacere suo officio. 203. 1. & seq.
Coadjutor est duplex temporalis, & perpetuus cum spe futuræ successionis. 203. 1. Non tamen coadjutor perpetuus cum futura successione est juri conformis, sed potiùs à stylo curiæ inventus in gratiam, & favorem specialem. ibid. Imò hujusmodi coadjutoriæ perpetuæ cum futura successione dantur, tametsi adjutus possit in ecclesia suum exercere officium, illúdque exerceat. ibid. 2
Coadjutor datur Episcopis, aliisque ecclesiarum Rectoribus, ac Prælatis ægrotis, ut in ecclesia ministret. 203. 3
Coadjutor cum jure succedendi non potest dari nisi à Romano Pontifice. 205. 10
Coadjutor deligendus est, qui attigerit eam ætatem, quam beneficium exigit, adeo ut coadjutor datus Episcopo debeat compleviſſe annum trigesimum. ibid. 12
Coadjutor datus parocho, vel alteri beneficiario debet esse clericus, quia laicus non potest esse administrator in rebus spiritualibus: imò neque temporalibus, licèt à Papa possit dari laicus coadjutor etiam quoad spiritualia quædam gerenda. 205. 13
Coadjutor nisi ejus potestas specialiter per superiorem limitetur, potest ea omnia, quæ posset adjutus, debet tamen abstinere ab omni alienatione bonorum spectantium ad Ecclesiam, vel ad ipsum principale. 206. 17
Coadjutor si coadjutus sit demens, vel ita affectus, ut non sit capax ritè conferendi beneficia, potest hæc conferre. ibid. 1
Coadjutor non potest liberè alienare bona Ecclesiæ, bene tamen, si necessitas id exigat. 206. 1
Coadjutor non datur post mortem Episcopi, nec etiam gratiâ successionis, quæ datur dependenter à coadjutoria, cui committitur. 207. 4
Coadjutor de consensu Papæ etiam invito coadjuto potest cedere coadjutoriæ. ibid. 6
Coadjutor ratione coadjutoriæ tenetur deferre clericalem vestem, & tonsuram. 208. 12. Imò sub pœna amittendi jus succedendi in beneficio tenetur habitum deferre clericalem, & tonsuram, quamvis non sit in sacris constitutus. ibid.
Coadjutor delinquens, an sit puniendus, perinde, ac puniretur adjutus. 209. 13. & seq.
Coadjutor habendus est ut præsens, & lucratur suos fructus, perinde ac lucraretur principalis, si ægrotet, vel esset legitimè impeditus. 209. 16
Coadjutor absente, seu ægrotante Principali non potest sine ejus consensu præstare assistentiam in choro, & servitio. 210. 19
Coadjutor non agit nomine coadjuti, sed proprio, proinde non est procurator coadjuti. ibid. 20
Coadjutor non lucratur distributiones quamvis coadjutus sit excommunicatus, quia coadjutor non habet

habet poſſeſſionem,nec titulum beneficij,ſed tantùm exercitium officij. 211. 23
Coadjutor poteſt partem aliquam diſtributionum ſibi lucrari,ſi hæc fuerit illi aſſignata non obſtante excommunicatione coadjuti. ibid. 24
Coadjutores cum futura ſucceſſione ex duplici cauſa potiſſimum conceduntur à Romano Pontifice. 204. 4
Coadjutores Epiſcopis dantur à Papa,Prælatis verò Epiſcopo inferioribus non exemptis Epiſcopus aſſignat ad tempus tantùm. 205. 9
Coadjutores tenentur plenam rationem ſuæ adminiſtrationis reddere, tum ipſis Prælatis ſi ſanæ ſint mentis, tum capitulis eccleſiarum ,vel etiam Prælatis ſucceſſoribus niſi antea rationem reddiderint. Imò poſſunt rationes cæteris computatæ iteratò peti, ut reddantur. 206. 19
Coadjutori quomodo aſſignanda ſit eadem ſedes quoad ordinem, & antiquitatem , quæ debetur Principali adjuto. 210. 17.
Coadjutoria, & futura ſucceſſio ex ſtylo curiæ, & inolita conſuetudine cenſentur duæ gratiæ, quarum una deficiente, altera ſubſiſtit. 207. 2
Coadjutoria perpetua cum futura ſucceſſione non induit incompatibilitatem cum alio beneficio. 208. 7. Tenetur tamen coadjutor reſidere in eccleſia ſuæ coadjutoriæ. ibid. 8
Coadjutus, & Coadjutor non poſſunt ambo eſſe in eodem ſervitio , ſi agant eundem Canonicum bene tamen ſi diverſos. 208. 12
Coadjutus ſi ſit excommunicatus an privetur fructibus ſui beneficij. 210. 21
Codicillaris clauſulæ effectus eſt,ut eius virtute inſtitutio directa hæredis extranei obliquetur in fideicommiſſariam. 574. 7
Codicilli adduntur teſtamento, & dici ſolent etiam teſtamentum imperfectum ſumpto teſtamento pro quacunque ſpecie ultimæ voluntatis, ac definitur codicillus ſententia voluntatis ultimæ , quam ſine juſta teſtamenti ſolemnitate permiſſum eſt ob impedimenti neceſſitatem ſcribere. 574. 4
Cœlibatus,cur clericis conveniat,adferuntur plures rationes. 40. 21
Cœlibatus clericorum an jure divino ſacris ſit annexus ordinibus, ſitque jure divino injunctus clericis, an tantùm de jure eccleſiaſtico. 41. 26. & ſeq.
Cœmeterium, ſi fuerit pollutum, neceſſe eſt reconcilietur. 879. 37. Et ejus reconciliatio fit per aſperſionem aquæ ſolemniter benedictæ. ibid. 38
Collatio beneficij ſemel facta abſenti , non poteſt ampliùs à collatore revocari. 98. 17
Collatio beneficij eſt conceſſio ejusdem vacantis, ſive per obitum , ſive per reſignationem , aut devolutionem liberaliter facta ab habente poteſtatem. 107. 10
Collatio , præſentatio, & inſtitutio maximè differunt. 112. 19
Collatio beneficiorum tripliciter poteſt ad Canonicos pertinere , primò conjunctim, & capitulariter. Secundò ut unus ex canonicis conferat authoritate capituli. Tertiò ſi jus conferendi beneficium ſit annexum certo officio,dignitati , vel præbendæ canonicali , tunc ſinguli canonici ſingulariter conferunt. 153. 25
Collator non poteſt beneficiatum gravare ullo onere reali , vel perſonali , nec partem reditnum beneficij collati ſibi reſervare ſine juſta , ac neceſſaria cauſa. 304. 5.
Colonus tenetur modicum damnum æquo animo ferre , quia tunc non privatur immodico lucro. 429. 2
Commendatarius perpetuus tenetur reſidere in beneficio ſibi commendato, ſi beneficium ſit curatum , vel præſentiam exigat ſui Paſtoris. 131. 35
Commodare is poteſt , qui eſt ſui juris , imò etiam Oeconomus , cui res Eccleſiæ committuntur adminiſtrandæ, ut etiam ſervus, filiusfamilias , ſive bonæ , ſive malæ fidei ſit poſſeſſor. 380. 3. Non tamen poteſt religioſus commodare , quia ratione voti ſe rebus omnibus abdicavit , & voluntatem ſuam in voluntatem tranſtulit ſui ſuperioris. ibid. 4
Commodatarius obligatur ad plura , ut non excedat uſum , & tempus præſcriptum , & ut poſt præſcripti temporis lapſum reſtituat eandem numero rem ſibi commodatam , non deteriorem factam fraude aliqua , vel dolo. 382. 4
Commodatarius non tenetur de caſu fortuito ſuccedente circa rem ſibi commodatam. 382. 5
Commodatarius, ſi exceſſit in uſu rei ſibi commodatæ, tenetur reſtituere ſolam æſtimationem exceſſûs. 383. 8. Verùm id procedit , quando non præſumitur voluntas interpretativa commodantis de tali uſu. ibid. 9. Tenetur tamen reſtituere id , in quo factus eſt ditior. ibid. 10
Commodatarius non poteſt licitè adhibere rem ſibi commodatam in alium uſum præter conceſſum à commodante. 384. 12
Commodatarius , ſi differat ultra præſcriptum tempus reſtituere rem ſibi commodatam , tenetur reſarcire damnum inde illatum. ibid. 1
Commodatarius non tenetur eam ſibi commodatam reſarcire , ſi caſu fortuito , ut incendio , flumine , naufragio perierit , niſi id acciderit ſuæ culpa , vel intercellerit , vel fuerit in mora , idque procedit etiam in precario , aliiſque ſimilibus contractibus , in quibus non transfertur dominium rei. 384. 2. Excipitur tamen,ſi culpa in commodatario præceſſerit,ex qua ſecutus fuerit eventus ille fortuitus, vel ſi ab initio ita conventum fuit, vel ſi commodatarius fuerit in mora culpabili reſtituendi rem commodatam , quatenus eam tempore conſtituto neglexerit reſtituere,& poſtea caſu fortuito perierit. ibid. 5. Non ita tamen , ſi commodatarius habuiſſet juſtam cauſam differendi reſtitutionem rei commodatæ, quia tunc mora non fuiſſet eidem danda culpæ, proinde non teneretur damnum reſarcire ex caſu fortuito. 385. 6
Commodatarius in periculo incendij , naufragij , hoſtilis incurſionis poteſt res ſuas pretioſiores rebus commodatis , vel oppignoratis præferre , ut eas ſalvare poſſit , ſi utrasque nequeat. 385. 7. Non ita ſi res commodata ſit pretioſior rebus propriis vilioribus. ibid. Quòd ſi res ſint æquales quoad pretium poteſt commodatarius res ſuas præferre rebus alterius , ſi res commodata ſit

fit in commodum commune, non ita si sit in commodum solius commodatarii. 385. 8

Commodatarius in compensationem sui crediti potest retinere rem sibi commodatam, dummodo non excedat valorem crediti. 385. 10. Non ita qui depositum accipit, quia is videretur facere contra fidem. ibid.

Commodatarius si sit dubius, an res fuerit sua culpa amissa, an teneatur eam restituere. 387. 17

Commodatum dicitur quasi commodo gratis datum, vel quasi commodo accipientis sive utentis datum, & definitur id, quod alteri datur ad certum aliquem usum gratis. 388. 1

Commodatum dividitur in illud, quod tantùm datur gratia illius, qui accipit, & in illud quod datur tantùm gratia illius, qui dat. 380. 2

Commodatum, & mutuum quomodo inter se differant. 381. 7

Commodatum importat, ut is, cui conceditur, possit eo uti in proprium commodum. ibid. 9

Commodatum exigit esse ad certum quendam usum, adeo ut ad eius substantiam pertineat certum tempus expresse, vel tacitè. 385. 9

Commodatum duas parit actiones, directam unam, alteram contrariam. 387. 20

Commodatum ante præscriptum tempus, & antequam is, qui accepit, sit eo usus, non debet à commodante repeti. 387. 21

Commodum, & damnum pecuniæ mutuatæ quoad valorem extrinsecum probabiliùs pertinet ad debitorem ex consuetudine Imperij, ut solutio fiat secundùm novam æstimationem pecuniæ. 520. 10

Communitas exigit ut servetur justitia distributiva in electione, quoties hæc servari debet, proinde exigit digniorem eligi ad beneficium. 99. 10

Compensatio ut justa sit plures exigit conditiones. 386. 11

Compensatio, non potest fieri nisi debitum sit liquidum, & certum. ibid. 12

Compensatio ut ritè procedat, non sufficit, si commodatarius probabiliter judicet se habere hic, & nunc jus ad tantam pecuniæ summam, ut possit rem sibi commodatam accipere, & retinere. 386. 12. & seq.

Concessio facta à superiore inferiori, ut suum sortiatur effectum debet impleri in forma specifica, & non per æquipollens. 54. 9

Concordata Germaniæ à Nicolao V. Pontifice per Joannem S. Archangeli Diaconum Cardinalem in partibus Germaniæ tunc sedis Apostolicæ Legatum de latere ex una parte, & Fridericum Imperatorum, aliósque Germaniæ Principes, & S. R. I. Proceres ex altera anno 1447. explicantur. 184. 1. & seq.

Concubinatus est prohibitus omni jure etiam naturali, eò quia impedit propagationem speciei. 30. 21. Et ex eo, quòd sit contra legem naturæ, adversatur etiam iuri divino. 31. 24

Conditiones requisitæ, ut possit quis promoveri ad beneficia ecclesiastica explicantur. 95. 1 & seq.

Conditiones necessariò exprimendæ in supplicatione in ordine ad litteras beneficiales obtinendas recensentur, & explicantur. 148. 18

Conditiones de jure, vel consuetudine requisitæ ad contractum feudalem septem recensentur principaliores. 467. 3

Conductor potest inquilinum expellere, si tempore constituto detrectet contumaciter pensionem solvere. 429. 13

Conductor tempore præfinito tenetur solvere mercedem locatori pro re sibi locata. 249. 14

Conductor potest non solvere pensionem singulari successori, nisi antecessor locator cesserit illi jus suum. 432. 2

Conductor tenetur resarcire damnum rei conductæ, si hæc pereat, vel deterior fiat dolo, vel culpa lata, vel etiam levi ipsius conductoris, non ita si pereat casu fortuito. ibid. 12

Conductor generatim tenetur de dolo, & de culpa lata, & levi, non verò de levissima, nec de casu fortuito, cum contractus sit in commodum utriusque. 435. 15

Conductor quomodo possit impensas deducere, quas fecit in re conducta, ut si domum malè materiatam restauravit, vel in eadem aliquid addidit. 446. 30

Confessarius Papæ non est merus Commissarius, seu delegatus Papæ, sed potiùs Vicarius Dei, cui voluntariè se Papa subjicit, & actuat ejus potestatem, adeò ut Confessarius non absolvat Papam potestate sibi delegata ab eodem, sed jure, & potestate immediatè accepta à Deo. 223. 19. & seq.

Confessarius, si affirmet hæredi, fuisse intentionem testatoris, relinquere alicui legatum, an teneatur hæres illud solvere. 591. 9

Confirmatio facta à Papa suum producit effectum, & operatur, ut gratia sit perpetua. 161. 35

Conjugati non sunt capaces beneficii ecclesiastici, nisi duxerint virginem, & consentiente uxore perpetuam castitatem voverint. 96. 9

Conjugatus non est promovendus ad administrationem, vel ordinem ecclesiasticum. 437

Conjuges, post consummatum matrimonium, non possunt religionem ingredi, nisi mutuus accesserit consensus, & tunc uxor consentiens ingressui mariti, tenetur etiam ipsa religionem ingredi, si juvenis sit; vel promteri perpetuam castitatem, si senex velit manere in sæculo. 686. 10

Conjuges licèt voverint continentiam, adhuc non potest alter sine consensu alterius religionem ingredi, & in ea validè professionem emittere. 731. 11

Conjux, ut post initum matrimonium licitè possit ingredi religionem, quæ requirantur conditiones? 725. 1. & seq.

Conjux ante matrimonium consummatum, si intendat religionem ingredi, potest duobus primis mensibus abstinere à consummatione matrimonij, quamvis alter conjux petat, imò etiam, si non cogitet de ingressu religionis. 726. 5. Etiam post elapsum bimestre, vel etiam tempus à Judice præscriptum ad consummandum matrimonium, potest uterque conjux religionem ingredi, si matrimonium fuerit tantum ratum. 727. 6

Conjux, si ex consensu alterius conjugis validè ingrediatur religionem, non nisi ex quadam de-

centia

centia requiritur licentia Episcopi. 729. 17
Conjux ut religionem ingrediatur, & validè in eadem emittat professionem non sufficit, si alter conjux adhuc juvenis Religionem ingrediatur, sed debet etiam professionem in eadem emittere. 729. 18. Sin verò alter conjux sit provectæ ætatis sufficit, si voveat perpetuam castitatem coram Episcopo,& si incontinenter vivat adigitur ad ingrediendum monasterium, ut pœnitentiam agat, & removeatur à periculis incontinentiæ. ibid. 19
Conjux,in quibus casibus possit religionem ingredi altero conjuge invito,& repugnante. 730.1
Consecrans Ecclesiam non potest quidquam exigere pro consecratione ejusdem. 883. 21
Consecrans Ecclesiam tenetur missam celebrare,vel saltem debet præstare,ut per alium missa celebretur. ibid. 22
Consecratio Ecclesiæ debet fieri inter missarum solemnia adhibito solemni ritu ab Ecclesia præscripto. 865. 2. Si tamen fuerit semel consecrata non est iterum consecranda,&in dubijs an fuerit consecrata debet Episcopus sub conditione mente retenta eam consecrare, si non sit consecrata. ibid. 4
Consensus requisitus ad alienandas res ecclesiasticas dari debet à Capitulo legitimè congregato. 278. 3. Non tamen est necesse, ut omnes de capitulo consentiant,sed sufficit si major pars suffragetur. ibid. Si tamen Episcopus dissentiret,quamvis totum Capitulum dissentiret, non posset alienatio fieri, ibid. Imò spectato jure communi non sufficit solus consensus expressus capituli,sed requiritur etiam subscriptio,alioquin alienatio rei ecclesiasticæ est irrita. 279. 5. Rursus ad hanc alienationem requiritur tractatus, quo cognoscatur causa necessitatis,aut utilitatis, nisi fortassis alienatio fiat de rebus vilioris pretij. ibid. 6
Consensus tacitus Domini directi sufficit,ne Vasallus incurrat pœnam caducitatis. 473. 3
Consuetudine immemoriali obtineri potest,ut plura beneficia jure communi incompatibilia fiant compatibilia,& eidem conferantur. 120. 2
Consuetudo, qua personalis residentia in simplicibus beneficiis,non requiratur,est valida. 51.14
Consuetudo,vel statutum sancitum à capitulo circa quotidianas distributiones certo, & speciali modo dividendas inter canonicos,suum sortitur valorem, si non sint contra dispositionem canonis. 67. 13
Consuetudo immemorialis æquivalet privilegio. 118. 17. Et facit præsumptionem tituli à summo Pontifice olim impetrati. ibid. 18
Consuetudo in aliqua ecclesia,ut major sit numerus præbendarum canonicalium, quàm sit numerus Canonicorum valet. 155. 31
Consuetudo uniendi Ecclesias, & beneficia mensæ Capitulari etiam consentiente capitulo nullius est valoris, & reprobatur quamvis sit immemorialis. 336.15
Consuetudo in illis partibus, in quibus filiæ minorem suâ legitimâ dotem accipiunt valet, dummodo filia ex dote,vel bonis adventitiis,vel à marito habeat congrua alimenta. 602. 3
Consuetudo legitimè præscripta servanda est in solvendis decimis prædialibus. 660. 13
Consuetudo quæ abrogat unam legem, non statum aliam abrogat. 663. 12
Consuetudo solvendi decimas ex quibusdam fructibus minutis, oleribus, rapis, fabis, ac similibus,an vim obtineat? 669. 4
Contractus ab Ecclesia sine solemnitatibus jure præscriptis factus est tantùm invalidus in favorem Ecclesiæ, seu in casu, in quo Ecclesia vellet illum impugnare. 356. 8
Contractus laxè sumptus, non distinguitur à pacto, & est duorum, vel plurium in idem placitum consensus, seu conventio, sive pariat, utrinque obligationem, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, sive ex altera tantùm parte, ut in donationibus, promissionibus acceptis,depositis, & precarijs. 363. 2
Contractus innominatus tametsi gaudeat nomine generico, caret tamen specifico, & per circumscriptionem verborum designatur, & quatuor recensentur genera. ibid.
Contractus alius est bonæ fidei, & alius stricti juris,ille est, in quo exuberat bona fides,& in quo potest Judex plura ex æquo, bonóque arbitrari. Contractus verò stricti juris est, in quo Judex tenetur judicare juxta tenorem verborum. 363. 3
Contractus perficitur re, quando obligatio non oritur ex sola conventione, seu consensu, sed ex ipsa rei traditione, ut in commodato, deposito, mutuo, permutatione, perficitur etiam scriptura, quando non habetur ratus ante ipsam, ut in emphyteusi, & in quovis alio contractu, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario, qui de eo instrumentum conficiat. Perficitur etiam contractus verbis, quando præter consensum exigit etiam certam verborum formulam, cujusmodi sunt stipulationes constantes ex prævia unius interrogatione, & alterius subsecuta responsione. ibid. 4
Contractus ut validus sit, exigit consensum liberum contrahentium externo signo declaratum, quia homo non obligatur homini per solum actum internum, qui ex natura sua latet. 363. 6
Contractus bonæ fidei celebrati per dolum dantem ijsdem causam, sunt in utróque foro irriti. 364. 8
Contractus, in quem dolus incidit, sed non dedit ei causam, validus est in utróque foro, & damnum compensandum est ab eo, qui dolum adhibuit. ibid.
Contractus metu gravi initus, nec jure naturæ, nec jure positivo est omninò irritus, quia metus simpliciter non tollit voluntarium, sed facit involuntarium mixtum. Plures tamen sunt casus, in quibus contractus initi per metum gravem injustè incussum ad extorquendum consensum sunt invalidi. 365. 10. & seq.
Contractus initus per metum justè incussum ad extorquendum consensum non potest, nec debet rescindi, quia est validus, nec ulla fuit injuria illata, cui fuit metus incussus. 365. 12
Contractus ex prohibitione juris naturalis, vel etiam positivi omninò irritus non potest juramento firmari. ibid. 14

Contractus jure civili tantùm prohibiti, & qui juramento firmantur, plures sunt, & recensentur. iqid. 17
Contractus initus inter maiorem, & minorennem dicitur claudicare, quia solùm obligat maiorem, qui tamen non tenetur restituere ante sententiam Judicis, nisi minor restituat pretium, quod accepit. 374. 3
Contractus initus ab homine excommunicato, an suum sortiatur valorem. 378. 21. Executio talis contractus hæret suspensa, quatenus excommunicatus non potest agere in judicio contra partem adversam. ibid. 21. & seq.
Contractus emptionis, & venditionis perficitur per solum consensum. 400. 2. Et hoc præstito non licet amplius resilire. ibid. 3
Contractus emptionis, & venditionis exigit, ut constituatur certum, ac determinatum pretium. 400. 6. Imò pretium debet constitui in numerata pecunia, alioquin esset potiùs permutatio, quàm venditio. ibid. 6
Contractus emptionis, & venditionis est juris gentium, & licèt ab initio usitatæ fuerint rerum permutationes: ad majus tamen commodum cœpit postea cudi pecunia, quæ esset mercium pretium. 401. 8
Contractus emptionis, & venditionis ob læsionem rescinditur. Debet tamen læsio contingere circà pretium. 411. 1
Contractus emptionis, & venditionis est ipso jure nullus, si deceptio dedit eidem causam. 414. 17
Contractus emptionis, & venditionis per vim initus ipso jure est rescissus, & irritus. 414. 15
Contractus venditionis si fuerit initus sub conditione, & ante ejus puritìcationem res pereat, damnum est venditoris. 415. 3
Contractus locationis accensentur onerosis, in quibus transfertur ususfructus rei. 425. 1
Contractus locationis, & conductionis exigit essentialiter consensum utriusque cotrahentis, quo seclusò contractus corruit. 426. 7. Quinimò hic contractus solo nudo consensu convalescit, licèt nulla adsit scriptura, nec verba præcesserint, quia solus consensus tacitus Domini sufficit. ibid. 8
Contractus locationis, & conductionis exigit, ut pretium solvatur in numerata pecunia, si locatio sit propriè talis. 427. 9. & seq.
Contractus emphyteuticus plures exigit conditiones, quæ explicantur. 437. 11. & seq.
Contractus fidejussionis ordinariè quatuor exigit conditiones, quibus ejus natura explicatur. 498. 3. & seq.
Contractui emptionis, & venditionis potest licitè addi pactum retrovendendi, vel redimendi, dummodo aliquot serventur conditiones. 419. 27
Contrahentes ita tenentur contrahere, ut nulla fraus, aut dolus interveniat, & tam locator, quàm conductor plures contrahunt obligationes, quæ recensentur. 427. 1. & seq.
Contrahere validè generatim hi omnes possunt, qui habent administrationem bonorum, quatenus illa administratio se extendit. 374. 1
Copula habita ante matrimonium non impedit liberum ingressum ad religionem. 730. 5
Corpore notabiliter vitiati arcentur ab ingressu religionis, nisi morum integritas, insignis doctrina, vel magna sanguinis nobilitas suppleant corporis defectum. 689. 28
Creditor tenetur curare, ne pignus pereat, vel deterius fiat, nec potest pignore uti, & tenetur resarcire damna pignoris, quo usus est. Imò tenetur fructus rei oppignoratæ, qui solius industriæ non sunt, in sortem principalem, seu pro parte solutionis factæ computare. 488. 6. & seq.
Creditor tenetur in sortem computare fructus, quos dolo, vel lata culpa sua neglexit colligere, non ita quos ex levi culpa. 489. 14
Creditor potest pignus distrahere, si debitor statuto tempore non solvit, & de pretio sibi satisfacere, & præsertim si per pactum expressum potestas distrahendi data sit creditori. 492. 9
Creditor ex eo, quòd pignus vendat, non debet sibi totum pretium pignoris retinere, sed eam tantùm quantitatem, quæ sufficit, ut sibi satisfiat, seu recuperet totam illam pecuniam, quàm alteri mutuaverat. ibid. 10
Creditor est cæteris præferendus, si ei plus juris competat in re oppignorata, nec interest, si pignus sit conventionale, prætorium, aut judiciale. 423. 1
Creditor non tenetur particularem solutionem acceptare, sed potest repetere totum debitum simul. 518. 1
Creditores Hypothecarij præferendi sunt chyrographariis, si debitor ære alieno nimis gravatus bonis cedat, vel obæratus moriatur: & inter ipsos Hypothecarios præfertur, qui prior tempore censetur potior jure. 494. 5
Creditores chyrographarii dicuntur, qui sibi chyrographo caverunt: & Hypothecarij, qui sub hypotheca pecuniam crediderunt. ibid. 6
Creditori tunc dicitur satisfieri, quando is ultrò ac sua sponte consentit, ut debitor liberetur ab omni obligatione 496. 14
Crimina, ob quæ beneficiati ipso jure suis privantur beneficiis, plura sunt, quæ recensentur. 240. 9
Crimina alia sunt, ob quæ beneficiarius licèt ipsò jure non privetur beneficio, est tamen privandus per sententiam Judicis. ibid. 16
Culpa lata, levis, & levissima quænam sit? 382. 4
Culpa civilis consistit in omissione alicujus diligentiæ, quæ præstari solet, & præstanda erat, & ex tali omissione damnum, vel incommodum aliquod oritur. ibid.
Cupiditas quomodò dicatur radix omnium malorum. 456. 13
Curatus beneficiatus per consuetudinem immemorialem potest per se ipsum, vel per Vicarium inservire suo beneficio, si justa, & legitima causa subsit. 69. 2. Cæterum curatus beneficiatus tenetur ad residendum personaliter. 70. 3
Curia Romana ibi est, ubi Papa cum suis Officialibus reperitur. 170. 21

D.

DAmnatus ad mortem ob aliquod crimen in foro externo non potest testari, idque in pœnam patrati sceleris, benè tamen in foro conscientiæ,

tiæ, ſi teſtetur coram duobus teſtibus. 592. 14
Damnum illatum in foro interno debet ſemper reſarciri, niſi ratione amicitiæ contrahens diſſimulet damnum paſſum. 416. 6
Damnum emergens, & lucrum ceſſans, quid ſit, & an debitor moroſus ad utrumque teneatur. 523
Debita teſtatoris unà cùm hæreditate tranſeunt ad hæredem. 349. 23
Debitor, qui contraxit cum pacto, quòd creditor poſſit ſibi ſatisfacere expenſis debitoris, ſi non ſolvat die præfixo, non cenſetur in mora, nec tenetur reſtituere lucrum ceſſans, vel damnum emergens creditori ex tali mora. 521. 13
Debitor ſi poſt incurſam moram ſatisfaciat creditori de ſorte principali, & hic illam acceptet, cenſetur tacitè liberare debitorem à mora, & ei remittere pœnam, quam ratione moræ teneretur ſubire. ibid. 15
Debitor ſi ritè interpellatus in mora fuerit ſolvendi, damnum quod inde creditori reſultat, tenetur reſarcire. 522. 18
Debitor moroſus eſt monendus à creditore, priusquam hic accipiat pecuniam cum intereſſe propter eius moram. 523. 23
Debitum in diem contractum poteſt etiam ante talem diem ſolvi, quia dies cenſetur adjectus in favorem debitoris. 518. 4
Deceptis in contractu emptionis, & venditionis infra dimidium juſti pretij non datur actio judicialis, ſed tantùm læſis ultra dimidium. 414. 14
Decima generatim nil aliud eſt, quàm cujusvis rei pars decima, quæ Principibus, vel ſacerdotibus, ac Miniſtris Eccleſiæ perſolvitur. 651. 1
Decima poteſt dupliciter conſiderari, ut eſt pars fructuum, & certa, & taxata pars fructuum. 652. 6. Et ſumpta pro certa, & determinata parte fructuum tempore legis Moſaicæ debebatur Levitis jure poſitivo divino. 653. 8
Decimæ Deo perſolvendæ, fuerunt in uſu etiam tempore legis naturæ. 652. 2
Decimæ aliæ dicuntur prædiales, perſonales aliæ, & aliæ mixtæ. ibid. 3
Decimæ ſi dubium ſit, an profanæ ſint, vel eccleſiaſticæ præſumendum eſt, eſſe potiùs eccleſiaſticas. ibid. 5
Decimæ formaliter ſumptæ, ut dicunt determinatam certam partem fructuum quot annis ſolvendam Miniſtris Eccleſiæ, an ſint de jure divino. 653. 9. & ſeq.
Decimæ prædiales ut etiam perſonales non debentur miniſtris Eccleſiæ jure divino poſitivo, ſi ſumantur formaliter: ſed tantùm debentur perſonales ex præcepto juris eccleſiaſtici. 645. 17
Decimæ ſolvuntur propter divina, & Sacramentorum adminiſtrationem. 658. In exordio Eccleſiæ debebantur decimæ cœtui clericorum in genere, earum tamen diſtributio pertinebat ad Prælatum: ſed poſtquam Diœceſes fuerunt partitæ in plures parochias, tunc ſingulis Eccleſiis fuerunt decimæ aſſignatæ, ex quibus quarta pars ſolvitur Epiſcopo Paſtori Diœceſis. 658. 2
Decimæ non poſſunt à laico transferri in alium laicum, quamvis cum titulo eas poſſideat. ibid. 4
Decimæ Eccleſiaſticæ iis tantùm debentur Eccleſiaſticis, qui habent curam animarum, idque ex juſtitia. 658. 5
Decimæ triplici titulo debentur Epiſcopo. 659. 8
Dicimæ perſonales ſpectato jure communi debentur illi parochiæ, in qua quis Sacramenta percipit: prædiales verò ei, intra cujus limites ipſæ ſitę ſunt, niſi ex inolita conſuetudine contrarium ſervetur alicubi. 659. 11
Decimæ mixtæ dividuntur inter Eccleſias prædialem, & parochialem, prout participant de reali, & perſonali. 660. 15
Decimæ jure communi ſolvuntur de omnibus fructibus, ut de frumento, oleo, vino, fœno, & omnibus leguminibus. 662. 1
Decimæ non debentur de illis, quæ acquiruntur per liberam donationem ſive inter vivos, ſive mortis cauſa. ibid. 3
Decimæ an ſolvendæ ſint ex bonis modo illicito acquiſitis. ibid. 4
Decimæ in lege Evangelica debentur de omnibus fructibus; quamvis in lege ſcripta non ſolverentur niſi de fructibus, & pomis arborum, ac de animalibus, quæ tranſeunt ſub virga paſtoris. 664. 12
Decimæ ſolvendæ ſunt poſtquam fructus à ſolo ſeparati, & collecti ſunt, niſi conſuetudine ſit aliter introductum. ibid. 13
Decimæ perſonales, ubi vigent, & ſunt in uſu commodiſſimè ſolvuntur ſub finem cujusvis decurrentis anni. 664. 15
Decimæ novalium ſpectato jure communi, & ſecluſis privilegiis debentur Eccleſiæ parochiali, in cujus finibus exiſtunt, & quidem pro modo limitum, ſicut aliæ decimæ. 665. 2
Decimæ, & tributa per quæ dicantur differre? ibid. 3
Decimæ duplici actione poſſunt ab Eccleſia exigi.
Decimæ ſolvuntur pro ſpirituali cura, & miniſterio, quod fidelibus præſtatur à Miniſtris Eccleſiæ. ibid. 1
Decimæ ex privilegio non ſolvuntur à locis piis, quos canones eximunt. 668. 4
Decimæ perſonales ex lucro induſtriæ adhibitæ à perſona hodie ferè *nullibi* ſolvuntur. 669. 5
Decimæ præteritæ privata conventione tranſigi poſſunt. 670. 13
Decimæ prædiales ex quocunque lucro ſit prædium acquiſitum ſolvi debent. 673. 3. Et quid dicendum de decimis perſonalibus circa res illicitè acquiſitas. ibid. 3
Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt integrè non deductis priùs ex fructibus indecimatis expenſis, tributis, & penſionibus. 674. 4
Decimarum percipiendarum jus præ cæteris competit ſummo Pontifici. 661. 18. Et poteſt eas exigere à fidelibus ex triplici capite. ibid. 19
Decimarum fructus non poſſunt alienari, niſi cum onere decimarum. Neque de proventibus decimandis ſunt deducendæ expenſæ factæ pro reſtaurando detrimento rerum, è quibus fructibus deducuntur. 662. 2
Decimarum jus ſecundarium diſtinctum à primario poteſt etiam à laico præſcribi cum titulo ſpatio 40. annorum, & ſine titulo tempore immemoriali. 667. 11

Deci-

Decimarum cognitio in poſſeſſorio an pertineat ad Principem, & in petitorio ad Eccleſiam. 668. 14

Decimas tenentur ſolvere non ſolùm laici, ſed etiam clerici ſimplices. 655. 5. Non tamen ex titulis, ſeu beneficiis eccleſiaſticis. ibid. 7

Decimas ſpectato jure communi canonico tenentur ſolvere etiam Monachi, Religioſi, & loca pia niſi aliquo privilegio, præſcriptione, compoſitione, vel transactione, aut alio titulo eximantur. 656. 8

Decimas regulariter tenetur quilibet ſolvere niſi ſpecialiter ſit exemptus. 657. 12

Decimas tenentur etiam hæretici ſolvere non ſolùm ratione prædiorum, quæ ſita ſunt intra fines, & limites parochiæ, ſed etiam ratione perſonæ quamvis infectæ hæreſis labe. 673. 1

Decimas percipientes ex prædiis in aliena Parochia ſitis, an teneantur ad contribuendum pro reparatione illius Eccleſiæ. 969. 1

Defectus corporis proveniens abſque culpa, & per quem impeditur congruum exercitium ordinis, ob impotentiam, ſeu debilitatem, vel notabilem deformitatem, licèt antequam ſuſcipiantur ordines inducat abſolutè irregularitatem; non ita poſt ſuſceptos ordines conſtituit clericum ſimpliciter irregularem, ſed tantùm inhabilem, ac impotentem in ordine ad exercendos actus aliquos ordinis ſuſcepti. 201. 6

Defunctorum corpora apud Chriſtianos in terra defoſſa moris eſt, ut ſepeliantur. 610. 1

Defunctus, qui non elegit ſepulturam, ſepeliendus eſt in ſepulchro ſuorum Majorum, ſi adſit, & in eius defectu in Eccleſia parochiali. 611. 8

Degradatio tres continet actus, ſcilicet cognoſcere, ferre ſententiam, & exequi degradationem actualem. & quoad hunc tertium actum nequit degradatio fieri à Vicario capituli. 256. 15

Degradationis actualis pœna imponi poteſt à proprio Epiſcopo, ut etiam ab eius Vicario Generali, cum tamen hac declaratione, ut id intelligatur de ſola prolatione ſententiæ, quâ fit condemnatio, non verò de ipſo facto actualis degradationis. 256. 16

Delicta, quæ tantùm merentur privationem beneficij faciendam poſt ſententiam Judicis, octo recenſentur. 134. 22

Deponentes pecunias apud montem pietatis non poſſunt quidquam ultra ſortem recipere ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente. Ex indulto tamen ſummorum Pontificum uſus plerisque in locis invaluit, ut deponentes pecuniam apud montem pietatis aliquid ultra ſortem recipiant. 396. 22

Deponere poſſunt quotquot rei alicuius dominiũ, adminiſtrationem, aut bonæ fidei poſſeſſionem habent, quo pacto etiam filij familias, & ſervi deponere poſſunt res pertinentes ad Patrem, vel domum. 390. 8

Depoſitans ſuas pecunias apud montem pietatis privatur certo aliquo commodo, pretio æſtimabili. 397. 29

Depoſitarij eſſe poſſunt quotquot uſu utuntur rationis, ſive mares, ſive fœminæ; quapropter clerici, & religioſi poſſunt eſſe depoſitarij, ſeu alienum depoſitum ſuſcipere cuſtodiendum. 390. 6

Depoſitarius ex contractu depoſiti ad plura obligatur, ut quod teneatur rem apud ſe depoſitam cuſtodire ea fide, ac cura, quâ ſolet res ſuas proprias. Et teneatur regulariter rem depoſitam reſtituere abſque mora, quandocunque Dominus illam petierit, imò etiam in eo ſtatu, in quo illam accepit. ibid. 9

Depoſitarius non tenetur depoſitum reſtituere, niſi expenſæ factæ in re depoſita cuſtodienda ſolvantur, nec quando bona deponentis confiſcata ſunt, poſtquam depoſuit. 391. 0

Depoſitarius in duobus caſibus poteſt uti rebus apud ſe depoſitis. ibid. 11

Depoſitarius, an teneatur de lata culpa ſine dolo commiſſa. 392. 1

Depoſitarius ex culpa levi, vel leviſſima non tenetur reſarcire damnum, ſi res apud ipſum depoſita deſtruatur, & pereat, ſolvent, tamen excipi aliquot caſus. ibid. 3

Depoſitarius in dubio, an res penes ipſum depoſita amiſſa ſit, non tenetur damnum reſarcire; quia donec culpa probetur, depoſitarius eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. 393. 7

Depoſitarius in tribus caſibus tenetur ad caſum fortuitum. ibid 8

Depoſitarius in quatuor caſibus poteſt reſtitutionem depoſiti differre in aliud tempus. ibid. 11

Depoſitarius non poteſt rem apud ſe depoſitam compenſare cum alio debito deponentis, donec à deponente ſibi ſolvatur debitum. 394. 15

Depoſitum datur ad cuſtodiendum ſimpliciter, ut ſeparetur ab aliis, in quibus alius finis intenditur: & eſt depoſitum tantùm in gratia illius, qui rem deponit, non verò alterius, qui depoſitum recipit, ſecus commodatum, & precarium ſunt in utilitatem illius, qui accipit, quod non intelligitur regulariter. 389. 2

Depoſitum differt à pignore, quòd licèt non detur ad utendum, datur tamen creditori in cautionem, ut ſecurus ſit de alteri dato, quod ſit illi reſtituendum: depoſitum verò non datur in cautionem, ſed in ſimplicem cuſtodiam. ibid. 3

Depoſitum recipiens functionem, ut vinum, oleum, & res aliæ, quarum una permutari poteſt cum alia, naturam mutat depoſiti, & fit mutuum. 389. 4

Depoſitum bipartitur in judiciale, & privatum. ibid. 5

Depoſitum dupliciter ſumitur pro re, quæ alicui datur conſervanda, & pro ipſo contractu inter duos, quo unus dat alteri aliquid cuſtodiendum nulla mercede data, vel promiſſa. 389. 1

Depoſitum duas parit actiones in jure civili ambas perſonales deſcendentes ex contractu, unam directam, & alteram contrariam. 391. 14

Depoſitum eſt ſemper reſtituendum Domino quoties illud petierit. 394. 13. Quòd ſi Dominus repoſceret pecuniam, ut eam malè perderet, vel ut luxuriosè viveret, vel ut ſibi, vel alteri damnum inferret, non teneretur depoſitarius ad illam reſtituendam. ibid. 14

Devolutio à Capitulo Eccleſiæ Cathedralis negligente in conferendis beneficiis fit ad Epiſcopum, ut immediatè ſuperiorem. 120. 7

Devolutio deducta ad prælatum ſuperiorem ob negligentiam inferioris non deducitur immediatè ex natura rei, ſed ex diſpoſitione juris, proinde non eſt inducenda extra caſus in jure expreſſos. 267. 8

Devotio externa ſine interna non eſt vera devotio, ſed ſimulatio. 900. 25

Deus cur juſſerit ſibi offerri omnia hominum primogenita, & etiam jumentorum. 961. 3

Diaconatûs materia eſt duplex, impoſitio manûs Epiſcopi, cum forma: *Accipite ſpiritum ſanctum ad robur, &c.* & traditio libri Evangeliorum cum forma: *Accipite poteſtatem legendi Evangelia, &c.* 9. 6

Digniores in beneficijs, quæ conferuntur per concurſum, non poſſunt absque gravi culpa omitti. 101. 21

Dignitàs eccleſiaſtica eſt præeminentia ferè cùm jurisdictione fori externi conjuncta. 92. 7

Dignitas tunc dicitur extincta, & ſuppreſſa, ut ampliùs non ſit, quando ejus reditus ad uſus aliorum canonicorum, vel clericorum deſtinantur. 145. 33

Dignitates in odioſis, niſi exprimantur, non veniunt nomine beneficiorum. 8. 12

Dignitates infra Epiſcopatum, & Abbatiam, regulariter conferri debent intra ſex menſes, alioquin jus devolvitur ad proximum immediatum ſuperiorem. 111. 9

Dignitates majores etiam ſine adeptione poſſeſſionis ſecundæ dignitatis, ſeu Epiſcopatus per ſimplicem translationem dicuntur vacare. 252. 13

Dignus an poſſit eligi ad beneficium eccleſiaſticum relicto digniore ad evitandam electionem indigni. 100. 13. & ſeq.

Dignus an absque lethali noxa poſſit præferri digniori in beneficijs ſimplicibus obtinendis. 101. 20

Diminutio, ſeu diſmembratio beneficij exigit rationabilem cauſam. 143. 17

Diſmembratio beneficij tunc fit, quando relicta ejus unitate pars fructuum eidem aufertur, & per hoc differt à divilione, per quam ex uno duo beneficia conſtituuntur. 143. 15

Diſmembratio beneficij tunc contingit, quando aliqua bona, ſeu reditus ſeparantur à beneficio, & alteri applicantur remanente beneficio apud ſuum ordinarium Rectorem. 304. 4

Diſpenſare ſuper pluralitate beneficiorum regulariter pertinet ad ſolum ſummum Pontificem, qui cum ſit ſupra canones, poteſt eorum rigorem relaxare. 171. 5

Diſpenſatio, quia vulnerativa legis, & læſiva juris communis debet ſtrictè interpretari. 94. 4

Diſpenſatio in pluralitate beneficiorum, ex quibus cauſis fieri poſſit. 118. 20

Diſpenſationes Pontificiæ nulli ſuffragantur, antequam ſuper ijs litteræ Apoſtolicæ ſint confectæ, quod tamen procedit quoad forum externum. 156. 2

Diſpenſatus in quadrageſima à lege Jejunii, an poſſit ſimul carnes, & piſces comedere. 955. 10

Diſpenſatus in quadrageſima à Jejunio, an ſimul cum carnibus poſſit piſces comedere? 955. 10

Diſpoſitiones, quæ procedunt de beneficijs, comprehenſivè procedunt etiam de penſionibus. 320 17

Diſſimulatio ſola in rebus magni momenti, & præjudicii non habetur pro conſenſu. 733. 19

Diſtributiones quotidianæ dicuntur illæ in eccleſiis portiones, quæ debentur ſingulis diebus clericis beneficiariis, ex eo, quòd ſtatis temporibus divinis interſint officiis. 66. 1. hæ diſtributiones in aliquibus locis pertinent ad ſolum cibum, & potum, & conſiſtunt in pane, vino, oleo, vel etiam in certis menſuris frumenti. In aliis verò accipiuntur in parata pecunia. Non tamen per has diſtributiones intelliguntur fructus, qui ex beneficio percipiuntur. ibid. 2

Diſtributiones quotidianæ à canonicis abſentibus amiſſæ aliis accreſcunt. 69. 19

Diſtributionum quotidianarum tria recenſentur genera, quæ explicantur. 67. 6

Dolus eſt machinatio, ſeu deceptio, qua quis alium decipit dicto, vel facto, vel omiſſione illius, quod tenebatur dicere, aut facere, & nonnunquam dat cauſam contractui, quando quis ratione doli inducitur ad contrahendum, & aliàs, ſi dolus non adeſſet, non contraheret. 364. 7

Dolus tunc dicitur incidere in contractu, quando contrahentes adhuc contraherent ſecluſo dolo, licèt non ita libenter. 364. 7

Dolus, quando provenit à tertia perſona, vel à propria opinione, quâ contrahens ſeipſum decipit, contractus eſt quidem validus, ſed deceptus habet actionem contra tertium, à quo fuit deceptus. ibid. 8

Dolus generatim nemini debet patrocinari, aut prodeſſe. 364. 8

Dolus quomodo differat à culpa? 382. 4

Dominii translatio, & carentia pecuniæ, ac potentiæ eâ utendi in obvios quosque uſus lucrativos eſt aliquid pretio æſtimabile, & mutat rationem contractus, facitque, ut quod alioquin eſſet mutuum, fiat venditio ad certum tempus; quo dilapſo res vendita ad priſtinum redit Dominum. 398. 34

Dominium rei depoſitæ non tranſit ad depoſitarium, ſed remanet apud deponentem. 393 10

Dominus, & ſervus, an poſſint ſimul contrahere, & obligari? 378. 25

Dominus proprietarius, ſi eodem pretio velit rem emphyteuticam emere præferendus eſt alijs emptoribus. 437. 2

Dominus directus ſine conſenſu Vaſali non poteſt transferre feudum in alium. 475. 10

Dominus directus feudi ob delictum commiſſum in Vaſallum poteſt privari dominio directo, quod habet in feudum. 459 19

Dominus poteſt ſepulturam eligere ſervo, cui comparatur veluti pater ad filium. 617. 15

Domus conducta, ſi incendio conflagraverit, an damnum ſit domini, ad quem domus pertinet, vel conductoris? 431. 5

Domus an licitè locari poſſit meretrici absque juſta, & urgente cauſa. 444. 20

Domus religioſæ non ſolùm comprehendunt monaſteria, in quibus religioſi profeſſi degunt, ſed etiã Noſocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, Leproſaria, & alia ſimilia, imò etiam templa, ædes

ædes, facella; quæ ad cultum Dei ritè sunt destinata. 787. 1
Donare liberè possunt, qui dominium habent, & administrationem, & simul facultatem alienandi. 529. 1
Donatio præsumitur, quando ignorantia justi pretij, vel necessitas emendi; & vendendi intervenit. 413. 9
Donatio spectatâ nominis ethymologiâ est quasi *doni datio*. Donum verò est datum gratuitum; quod nec ex justitia debitum est, neque donatario obligationem imponit. 525. 1
Donatio est contractus, quo gratis, & liberaliter aliquid in alterum transfertur, nullo ad id cogente jure. ibid. 1
Donatio differt à promissione, quia hæc ex natura sua secluso jure positivo non habet vim transferendi dominium. 526. 2
Donatio ante acceptionem donatarij non transfert dominium, nec obligat, & potest revocari. ibid. 3.
Donatio ex jure naturali, & gentium non habet vim obligandi ante acceptionem. ibid. 4
Donatio bipartitur in donationem inter vivos, & mortis causâ; illa fit, absque ulla mortis suspicione ex mera libertate, & ea mente, ac proposito, ut res donata statim fiat accipientis, adeò ut pro nullo eventu revertatur ad donatorem; 527. 6
Donatio mortis causa fit propter mortis suspicionem, & tunc donator debet exprimere se mortis causâ donare. ibid. 7
Donatio mortis causa est veluti conditionata, ut si quid humanitus contigerit donatori, habeat is, qui accepit: sin autem supervixerit is, qui donavit, recipiat, & hujus donationis tres recensentur species. 527. 7. & seq.
Donatio mortis causa potest fieri nudo pacto, perinde ac hodierno jure fieri possunt aliæ donationes. 528. 9
Donatio excedens 500. solidos debet insinuari apud Judicem, alioquin est invalida, non tamen in totum, ne utile per inutile vitietur, sed tantùm quoad excessum. 528. 10
Donatio ad pias causas, quamvis excedat summam 500. aureorum, & fiat sine insinuatione, valida est. 529. 14
Donatio rei alienæ valet quoad usucapionem, adeò ut non statim dominium, sed jus usucapiendi, & titulus transferatur. 533. 21
Donatio inter vivos tametsi accepta, & res tradita sit, ex triplici tamen causa potest revocari. 533. 22
Donatio ratione prolis susceptæ, quâ per plures annos, quis caruit, potest revocari. 534. 8
Donatio ad piam causam est propter salutem animæ, cujus causa est favorabilis. 535. 9
Donatio inofficiosa, quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios revocari potest, ut si pater totum extraneis daret, & filij inde privarentur sua portione legitima. ibid. 12
Donatio, cui adjicitur conditio, si hæc adhuc pendeat, dissolvi non potest, quia expectat tempus futurum, ut conditio impleatur. ibid. 14
Donatio conditionata, si tempore præfixo à donatore non fuerit conditio purificata, non obligat. 536. 16
Donatio, si dubia sit, debet laxè interpretari in favorem donatarij, si sit inter vivos. 536. 3
Donatio facta à Novitio Monasterio, quamvis irrita sit, adhuc post emissam professionem bona donata fiunt monasterij 537. 7
Donatio carens solemnitatibus juris civilis, si fiat ante susceptionem habitus religionis est invalida, quamvis facta fuerit intuitu ingressûs in religionem. 538. 11
Donatio facta à Novitio intuitu professionis emittendæ valida est, quamvis careat solemnitatibus juris civilis; & fiat in favorem tertiæ personæ. ibid. 12
Donatio mortis causâ, an sit accensenda contractibus, vel ultimis voluntatibus, & quomodo ab istis differat? 540. 18. & 19
Donatio facta à Novitio Monasterio, vel alteri an valida sit, si Novitius ante emissam professionem decedat. 711. 9
Donatio facta monasterio à Novitio potest dupliciter esse nulla, sed emissa postea professione validâ, bona donata pertinent ad monasterium; 712. 16
Donationes, quæ fiunt in redemptionem captivorum, reparationem ædium suarum, quæ corruerunt, vel incendio fuerunt destructæ, ut etiam donationes factæ à Magistris militum ipsis militibus, vel à Principe non recognoscente superiorem alicui privato validæ sunt, quamvis excedant summam. 500. solidorum. 528. 12
Donationi factæ ultra summam 500. aureorum si adijciatur juramentum de non revocanda donatione, tunc hæc confirmatur etiam quoad excessum; & donatio subsistit in utroque foro. 529. 13
Donator si non revocet suam donationem ante acceptionem, donatio transfert dominium; non ita si eam revocet, & id innotescat nuntio, quia tunc mandatum extinguitur. 527. 5
Donator potest irrevocabiliter instituere donationem mortis causâ si non ex toto saltem ex parte. 540. 20
Dos assignata filiæ à Patre post initum matrimonium non potest amplius revocari etiam ob ingratitudinem ipsius filiæ, vel ejus mariti. 536. 8
Duellantes si decedant in duello privantur ecclesiastica sepultura. 626. 19. & id procedit quamvis ex permissu Ducum privata de causa milites singulare ineant certamen. 627. 21

E.

Ecclesia cathedralis in odiosis non comprehenditur nomine Ecclesiarum civitatis. 7. 8. Bene tamen in favorabilibus. ibid. 9
Ecclesia parochialis si pleno jure sit unita monasterio tam quoad temporalia, quàm quoad spiritualia, tenetur Abbas, vel Capitulum idoneum Vicariũ Episcopo præsentare, à quo sit examinandus, ac instituendus in Ecclesia unita. 142. 6. Abbas tamen potest Vicarium regularem ad nutum ejusdem revocabilem instituere, si in litteris fundationis nil in contrarium expressum sit. ibid. 8.

Hujusmodi tamen Vicarius quamvis religiosus, & ex ordine exempto subijcitur jurisdictioni Episcopi. ibid. 11

Ecclesia si læsa sit in aliquo contractu, vel alienatione potest petere restitutionem in integrum. 289. 13

Ecclesia collegiata, si habeat jus præsentandi debet ejus Prælatus de consensu capituli præsentare. 290 19

Ecclesia si sit ære alieno gravata, vel alia urgeat necessitas, possunt beneficia vacantia ad tempus antequam conferantur ad id applicari. 304. 4

Ecclesia læsa ob alienationem rerum suarum est in integrum restituenda, tametsi alienatio facta fuerit cum solemnitatibus jure præscriptis, si tamen læsio sit enormis. 360. 31

Ecclesia quando permutat Oratorium, vel quid aliud cum alia Ecclesia, an requirantur tunc solemnitates, quæ habentur in Paulina extravag. *Ambitiosa.* 463. 16

Ecclesia non est spolianda omnibus suis bonis, si Ministros habeat, quos alere teneatur. 512. 15

Ecclesia ut etiam ejus Prælatus, si habeat reditus ecclesiasticos abundantes non prohibetur dare pecuniam mutuam indigentibus, dummodo fors, vel summa capitalis assecuretur per pignora, vel fidejussores. 515. 13

Ecclesia parochialis detrahit suam canonicam portionem de ijs, quæ relicta sunt Episcopo, nisi testator expresserit, quod velit ea esse Episcopi tantùm. 622. 12.

Ecclesia quamvis habeat fontem baptismalem, & jus sepulturæ ex consuetudine, vel etiam authoritate Episcopi, non propterea dicenda est parochialis, nisi habeat populum certis distinctum limitibus. 633. 3

Ecclesia parochialis fundari debet authoritate Episcopi designantis fines, constituentis plebem, & nominantis parochum. ibid. 4

Ecclesia non habet dominium decimarum antequam fructus separentur à prædio. 676. 16

Ecclesia ex justa causa potest statuere impedimentum dirimens matrimonium. 338. 0

Ecclesia tenetur Patronum suum alere, si hic ad egestatem reducatur. 839. 13. Non ita, si patronus cum bonis privetur etiam jure patronatus. ibid.

Ecclesia constructa, & perfecta debet consecrari, vel saltem benedici ab Episcopo antequam in ea divina obeantur officia. 865. 1

Ecclesia quamvis in parte restauretur, non est iterum consecranda, si antea fuerat consecrata. 866. 7

Ecclesia tunc dicitur pollui, quando in ipsa quædam exercentur actiones turpes, indecentes, & loco sacro injuriosæ, & tunc debet iterum reconciliari, ut possint divina officia in ea obiri. 871. Sin verò Ecclesia polluta non fuerit antea consecrata, sed tantùm benedicta, potest tunc à Sacerdote per aquam à se benedictam reconciliari. ibid. 2

Ecclesia polluta an reconcilietur ex eo, quòd simplex Sacerdos in illa celebret. 872. 3

Ecclesia pluribus modis polluitur, & violatur. ibid. 4

Ecclesia, ut polluatur per effusionem sanguinis, debet effusio fieri per vim extrinsecam, & vulnus grave 874. 17. Hinc non polluitur ex sanguine, qui effluit è naribus. ibid. 18

Ecclesia, ut per sepulturam excommunicati polluatur, debet sepultura esse completa per immissionem cadaveris in locum destinatum, & per reconditionem ejusdem. 876. 23. Non tamen polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati, si fuerit absolutus in articulo mortis à quocunque Sacerdote. 877. 26. Rursus debet excommunicatus esse notorius, & vitandus, ut per ejus sepulturam Ecclesia polluatur. ibid. 27

Ecclesia polluta debet reconciliari ab Episcopo per aquam cum vino, sale, & cinere benedictam. 877. 30. Et hæc reconciliatio debet fieri, quàm primùm potest. 878. 31

Ecclesia, si nondum fuerit consecrata, sed tantùm benedicta potest à simplici Sacerdote reconciliari. 881. 11

Ecclesia recèns constructa, antequam in ipsa celebrentur divina officia, non est capax pollutionis, si nondum fuerit benedicta, nec consecrata. 881. 5

Ecclesia, quamvis per solam oblationem sacrificij consecretur substantialiter adhuc potest, ritualiter consecrari. 884. 26

Ecclesia est nomen græcum, & significat quamcunque Congregationem, conventum, & collectionem fidelium sub uno capite, seu Christi Vicario. 965. 1

Ecclesia materialiter sumpta est structura publica deputata authoritate Episcopi divino cultui exercendo, & præsertim missæ sacrificio celebrando: & ex Ecclesiis aliæ sunt parochiales, aliæ cathedrales conventuales, curatæ, matrices, regulares, & aliæ Basilicæ ob laxitatem, & Majestatem ædificij. 965. 2

Ecclesia ex antiqua traditione debet ita construi, ut sit oblonga, & præsentet naviculam Petri, verùm id non est ex præcepto, & nunc construuntur Ecclesiæ prout locus, & situs permittit, nec est necesse, ut caput Ecclesiæ respiciat septentrionem, vel Orientem. 966. 5

Ecclesia ex pluribus causis potest ædificari intra limites alterius ibid. 6

Ecclesia quid propriè sit, & quomodo reparanda. 965. 1. Et quomodo alia dicatur parochialis, alia Collegiata, Cathedralis Conventualis, Curata, & Basilica. ibid. 2. & seq.

Ecclesia de novo ædificari in locis exemptis sine authoritate Pontificis non potest. 966. 4. Et quomodo sit ecclesia construenda quoad situm, & formam. ibid. 5

Ecclesia nova ex pluribus causis potest ædificari etiam intra limites alterius. 966. 6

Ecclesia quomodo ab Episcopo possit ampliari sumptibus eorum, qui tenentur ad reparationem. ibid. 2

Ecclesia recèns erecta intra limites alterius Ecclesiæ matricis tenetur eidem servare competentem honorem. 970. 5

Ecclesia si ædificanda sit, ad quem pertineat primum lapidem ponere. 971. 10

Ecclesia sæcularis potest mutari in Regularem. ibid. 12
Ecclesia non potest fieri forum sanguinis, nec in ipso possunt fieri comœdiæ profanæ, ludi theatrales, chorææ, convivia, quia decet domum Dei sanctitudo. 676. 4. Idque etiam extenditur ad ecclesias interdictas, imò etiam ad domus, atria, & quæcunque loca existentia in circuitu 40. passuum in ecclesiis majoribus, & 30. in minoribus. 976. & seq.
Ecclesiæ parochiales collegiatæ in odiosis non comprehenduntur nomine Ecclesiarum parochialium, bene tamen in favorabilibus. 8, 10
Ecclesiæ, & beneficia sicut possunt de novo exigi ita etiam mutari, adeò ut Ecclesia regularis in sæcularem, & sæcularis in regularem mutari possit authoritate Papæ. 137. 9. Imò Papa jus habet mutandi Ecclesiam cathedralem in collegiatam, & supprimendi episcopatus. ibid. 10
Ecclesiæ, & monasteria præferuntur Creditoribus Chyrographariis. 494. 6
Ecclesiæ Lutheranorum per Germaniam, si à Catholicis recuperentur non reconciliantur solemniter per Episcopum, sed simplici aqua benedicta per sacerdotem Catholicum asperguntur. 625. 12
Ecclesiæ parochialis jura plura sunt, & recensentur. 633. 6
Ecclesiæ parochiales, & eis annexæ filiales subijciuntur Episcopo. 787. 2. Imò etiam monasteria regularium nisi probentur exempta per privilegium Pontificium, vel per præscriptionem, ibid. 3 Potest tamen Episcopus Ecclesiæ sitæ intra suam diœcesin concedere privilegium exemptionis ab omnibus juribus Episcopalibus. ibid. 4
Ecclesiæ omnes absque ulla exceptione tenentur solvere procurationes Legatis, & Nuntijs sedis Apostolicæ, nisi ex speciali privilegio sint exemptæ. 817. 12
Ecclesiæ exacratæ, quæ ex quacunque causa amiserunt consecrationem non polluuntur. 872. 6
Ecclesiæ vetustate consumptæ, vel casu collapsæ, vel ex contracto vitio ruinosæ indigent instauratione; & ad quem pertineat præstare sarta tecta, & sumptus pro restauratione? 967. 2. & seq.
Ecclesiæ etiam pollutæ, interdictæ, vel nondum consecratæ, dummodo benedictæ fuerint, vel missæ in ipsis celebratæ gaudent immunitate. 1006. 30
Ecclasias cathredrales, & Metropolitanas solus Papa potest erigere, alias tamen inferiores scilicet parochiales, & simplices possunt etiam Episcopi erigere. 137. 11
Ecclesiastici non subijciuntur jurisdictioni Principis laici. 994. 5
Ecclesiastici non possunt expellere confugientes ad ecclesiam ratione alicujus delicti, sed tenentur confugas defendere, ne capiantur à curia sæculari. 1005. 26
Ecclesiis, locisque piis conceditur restitutio in integrum, & instar minorum habent integrum quadriennium à celebrato contractu, vel quasi contractu. 376. 15
Effectus litterarum beneficialium, quinam sint? 455. 1. & seq.
Egressus à religione tempore Novitiatûs cum dimissione habitûs, & intentione non redeundi est actus consummatus, qui interrumpit novitiatum. 690. 5
Ejecti è religione S. Francisci de Paula, an teneantur abstinere à carnibus, & lacticiniis. 708. 9
Electio est alicujus personæ canonicè facta vocatio ad aliquam ecclesiam suo viduatam Pastore. 106. 8
Electores, Præsentatores, collatores tenentur quantum in ipsis est procurare ut beneficia semper conferantur dignissimis. 99. 7
Emere per anticipatam pecuniam viliùs intra tamen latitudinem justi pretij usque ad infimum, est licitum. 417. 16
Emphyteusis quid sit, & quotuplex, & quæ ad ipsam requirantur. 435. 1. & seq.
Emphyteusis plurimum habet affinitatis cum locatione, conductione, & est veluti contractus medius inter emptionem, & locationem. ibid.
Emphyteusis est contractus nominatus juris gentium bonæ fidei constans solo consensu, quo res immobilis cum translatione dominij utilis, retento directo, alicui datur colenda, & ad usum, idque vel in perpetuum, vel ad vitam illius, cui conceditur, vel etiam ad unam, vel plures generationes sub onere certæ pensionis realis solvendæ Domino directo. 435. 2
Emphyteusis differt à locatione, quia illa est de rebus immobilibus, quæ cultura possunt meliorari, ut ager, fundus: locatio verò est etiam de rebus mobilibus, de servo, & equo. In emphyteusi transfertur dominium utile rei, secuta ejus traditione, in locatione verò non transfertur dominium utile, sed solus usus. 435. 2
Emphyteusis in foro externo exigit scripturam non quo ad substantiam contractûs, sed ad probationem judicialem. 436. 6
Emphyteusis quomodo differat à contractu censuali reservativo, & à feudo, & à contractu libellarij, & ab usufructu. 435. 2. & seq.
Emphyteusis non exigit essentialiter, ut annuus canon solvatur in numerata pecunia, sed sufficit, si in fructibus, oleo, aut vino. ibid. 7
Emphyteusis, in dubio non præsumitur, data in perpetuum, & mentio hæredum restringenda est ad proximos hæredes, seu ad filios, & Nepotes. 440. 3
Emphyteuta non potest vendere alteri jus, seu dominium utile, quod obtinet in re emphyteutica, nisi servato modo præscripto in jure. 437. 1
Emphyteuta licèt post venditionem factam rem emphyteuticam recuperet, adhuc intelligitur cecidisse jure suo, & non evasisse pœnam privationis. 438. 3. Alienatio tamen rei emphyteuticæ debet esse pura, & non conditionata, ut emphyteuta intelligatur cecidisse jure suo. ibid. 5
Emphyteuta potest rem emphyteuticam alteri donare etiam non interrogato domino directo, non tamen potest donatarium investire, seu in possessionem mittere. 438. 6
Emphyteuta, si in religione approbata solemnem emittat professionem Emphyteusis revertitur ad dominum directum, si religio incapax sit bonorum stabilium. 441. 4
Emphyteuta potest rem emphyteuticam alteri concedere

cedere titulo hypothecæ constituendo jus census, vel aliam servitutem ad dies vitæ concedentis. 445. 26
Emphyteuta, qui per triginta, vel 40. annos, non solvit canonem, non præscribit immunitatem in futurum. 446. 32
Emphyteuta, si juret se singulis annis soluturum canonem sub pœna incidendi in commissum, non incurrit pœnam, si non solvat ratione perjurii simpliciter. ibid. 33
Emphyteuta, si per triennium solverit canonem, & dominus directus per sexennium non egerit contra ipsum ad privandum eum dominio utili rei emphyteuticæ, an possit fructus perceptos post primum triennium sibi retinere. 447. 37
Emphyteutica res, si venditione, donatione, permutatione, aut alio quovis modo alienetur is, qui eam accipit, tenetur domino proprietario solvere laudemium pro investitura. 438. 7
Emphyteuticus fundus, si ad ecclesiam reversus, fuit eidem incorporatus, nequit absque consensu Capituli, aliisque solemnitatibus jure præscriptis concedi alteri in emphyteusim. 439. 14
Emptio est correlativa venditioni, adeò ut emptio, & venditio constituant unum contractum bonæ fidei, ultro, citróque obligatorium. 400. 1
Emptio ut sejuncta à venditione est contractus, qui consensu perficitur, pretii pro merce. 401. 7
Emptio quadrupliciter dividitur; alia enim est absoluta, vel conditionata; alia ex modo, quo fit, vel subhasta, vel voce Præconis, vel privata; alia quæ fit quæstûs gratia, vel causâ lucri; alia quæ est ex pretio, quo emitur statim res soluto pretio venditori. ibid. 11. & seq.
Emptor malæ fidei non potest præscribere res ecclesiasticas. 359. 26
Emptor quamvis ante traditionem rei sibi venditæ non sit dominus ejusdem; authoritate tamen juris incrementum, vel decrementum rei emptæ ad ipsum pertinet. 415. 2.
Emptor soluto pretio potest rem sibi venditam acquirere, & possidere, & si id negligat, & res à se empta pereat, censetur ipse in mora, & culpa. ibid.
Emptor prædii, cujus possessor non solverat per decennium decimas, an teneatur eas solvere. 647. 9
Episcopatus per adeptionem alterius dignitatis, vel personatus non vacat ipso facto, quia non potest deseri absque expressa licentia Papæ. 237. 16
Episcopatus non potest suscipi ab eo, qui vovit religionem ingredi, nisi priùs votum impleat. 764. 20. Stante tamen utilitate Ecclesiæ votum religionis potest suspendi, & ejus obligatio cessare. ibid. 22
Episcopi, & curati omnes, quibus cura incumbit animarum, tenentur ex præcepto divino ad exercenda munera pastoralia, proinde etiam ad residendum. 50. 9. Id autem procedit regulariter, & per se loquendo, quia si spirituali saluti ovium sufficienter possit in absentia Pastoris per alium æquè idoneum Vicarium provideri, potest tunc Pastor ob commodum ejusdem Ecclesiæ corporaliter abesse à suo grege. 51. 10
Episcopi possunt Parochis, & aliis beneficiarijs habentibus curam animarum concedere facultatem, ut ratione studij literatij possint ad septennium abesse. 61. 4
Episcopi non possunt à propria diœcesi abesse ultra tres menses quot annis sive interruptè, sive continuatè. 70. 6. Si tamen justa causa adsit sine gravi detrimento sui gregis possunt adhuc per modicum tantùm temporis abesse, in sententia aliquorum. ibid.
Episcopi post Papam, & ejus legatos de latere sunt ordinarij collatores beneficiorum. 115. 12
Episcopi nomine, sede vacante comprehenditur etiam Capitulum. 257. 7
Episcopi hodie prohibentur absolvere ab hæresi manifesta, & in foro externo: & licèt per Trident. hæc facultas concedatur Episcopis in foro conscientiæ si hæresis sit occulta, non tamen eius Vicario etiam ad id specialiter deputato. 258. 9
Episcopi non possunt permutare jura, & bona Ecclesiarum, quæ illis subijciuntur inter se absque consensu Clericorum utriusque ecclesiæ. 335. 10
Episcopi à Papa confirmati non possunt alienare bona ecclesiastica in casu aliàs etiam licito, & servatis solemnitatibus inconsulto romano Pontifice ob juramentum præstitum in propria consecratione, se non alienaturos quovis modo etiam ex consensu Capituli sui bona ecclesiæ inconsulto romano Pontifice: & tantùm excipitur casus necessitatis non permittentis moram, ut Pontifex consulatur. 352. 2
Episcopi, & alij beneficiarij inferiores habentes superfluos reditus non possunt per ullam consuetudinem de illis pro libito testari. 566. 28. Et mortiferè peccant si de ipsis bonis disponant per testamentum ad causas profanas. 567. 32
Episcopi habent jus visitandi omnia hospitalia, & collegia erecta authoritate Episcopi, imò etiam confraternitates laicorum, scholas, & alia loca pia, tametsi eorum administratio ad laicos pertineat, & tantùm excipiuntur ea loca pia, quæ sunt sub immediata Regum protectione. 789. 14. & seq.
Episcopi si in suis statutis synodalibus exprimant regulares, & cum tali expressione confirmentur à summo Pontifice ex certa scientia, an obligent tunc regulares exemptos. 790. 3
Episcopi extra propriam Diœcesim possunt celebrare in altare portatili. 886. 37
Episcopis competit potestas dispensandi super irregularitatibus juxta decretum Concilij Tridentini. 256. 1.
Episcopo non licet aliquem promovere ad sacros ordines absque titulo. 191. 1
Episcopus consecratus servata legitima materia, & forma potest validè ordinare quemcunque capacem, est enim potestas ex vi ordinis Episcopalis absolutè illimitata. 10. 8
Episcopus, vel ejus Vicarius, aut alius clericus exercens ecclesiasticam jurisdictionem nequit licitè accipere sportulas, seu munera, sive victualia, sive pecuniæ sint 13.4. & seq. Excipitur tamen, nisi Judex delegatus teneretur ex necessitate proficisci, & iter aliquorũ dierũ arripere, quia tunc litigantes æqualiter ad expensas itineris tenentur. 14. &

Episcopus potest in sua ecclesia certum numerum Clericorum statuere juxta ejus facultates, qui simul vivant in communi. 23. 7
Episcopus quomodo debeat se gerere cum sacerdote, qui de facto matrimonium contraxit. 44. 12
Episcopus qui ex causa urgentis necessitatis, vel utilitatis longiori tempore cupit abesse à sua ecclesia necesse est causam suæ absentiæ significet summo Pontifici, vel Archiepiscopo, vel in ejus absentia seniori suffraganeo, & obtineat approbationem in scriptis, nisi periculum sit in mora, vel absentia exigatur ob officium Reipublicæ, vel Episcopatui adjunctum, & utile, cuius causæ sint notoriæ. Hinc in Germania cùm Episcopi sint simul Principes Imperij si vocati ad comitia compareant non tenentur licentiam impetrare, dummodo causa notoria subsit, & aliàs consueverint personaliter comparere, ut comparent Archiepiscopi, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, qui cùm sint Electores solent per se ipsos comparere. 53. 2
Episcopus si absque licentia non resideat ultra sex menses, eo ipso amittit quartam partem redituum unius anni, quæ fabricæ applicatur, vel pauperibus erogatur. ibid. 13
Episcopus tametsi velit ingredi suam residentiam, & non possit id impediente Principe, vel ex aliqua alia causa, non gaudet beneficio alternativæ. 55. 13. Si tamen existat intra suam diœcesim quamvis in loco exempto gaudet tali beneficio alternativæ, quia locus exemptus est locus diœcesis, si existat intra terminos ejusdem, & Episcopus in tali loco moretur. ibid. 16
Episcopus si resideat in aliena diœcesi, quamvis in loco sibi plenè subjecto non gaudet beneficio alternativæ. 56. 18
Episcopus ex licentia summi Pontificis potest abesse à sua ecclesia ut apud Imperatorem, vel Regem fungatur munere Præsidis, Consiliarij, vel Nuntij Apostolici, quia tunc inservit Ecclesiæ universali, quæ præferenda est particulari. 63. 19
Episcopus antequam privet beneficiarium absentem suo beneficio, debet priùs pro prima vice eum privare dimidia parte fructuum, & pro secunda vice omnibus fructibus unius anni, deinde si contumax abfuerit potest eum privare suo beneficio. 65. 10. Nonnunquam tamen si visum fuerit Episcopo potest immediatè eum privare suo beneficio. ibid. 11
Episcopus non est necesse, ut præmittat mitiores pœnas, sed potest ob non residentiam privare clericum beneficio. 72. 12
Episcopus tenetur alere clericum, quem ordinavit, si patrimonium, & unde possit se sustentare non habeat. 103. 10. Limitatur tamen, nisi ordinatus ordinantem deceperit. 104. 12
Episcopus ex consensu sui Capituli, & rationabili causa potest beneficio onus aliquod spirituale licitum, & honestum imponere, adeò ut beneficium cum tali onere transeat ad eum, cui confertur. 109. 20
Episcopus eo ipso, quòd promovetur ad episcopatum amittit omnia beneficia, quæ antea possidebat. 135. 29
Episcopus titularis non amittit pensionem, eò quia non acquirit possessionem Ecclesiæ, ad quam promovetur, nec per ipsum stat, quo minus eam alequatur. 136. 30
Episcopus non potest novam omnino dignitatem in Ecclesia non priùs consuetam erigere, quia id ad solum Papam pertinet. ibid. 3
Episcopus si justa causa subsit, an possit numerum Canonicorum minuere? 137. 12
Episcopus nonnunquam habet Præbendam canonicalem, imò & suffragium in Capitulo, quamvis canonicus non sit, sed solùm habeatur ut canonicus. 155. 32
Episcopus si promoveat ad sacros ordines aliquem non habentem de proptio unde vivat, tenetur de suo eidem providere. 19. 4
Episcopus an possit ordinare filium alicujus ad titulum paternæ hæreditatis, ejus patre adhuc vivente. 193. 9
Episcopus tenetur in conscientia providere de beneficio competente ei, quem ordinavit sine titulo, si noverit idoneum esse ad beneficium. 194. 15
Episcopus tenetur in conscientia statim subministrare alimenta ei, quem sine titulo ordinavit, absque eo, quòd intentetur aliqua actio contra ipsum. 195. 17. Quinimò si ordinatus ab Episcopo sine titulo deprehendatur inhabilis ad beneficium, adhuc tenetur Episcopus ei suppeditare congrua alimenta, si clericus aliùnde non habeat, unde possit honestè vivere. ibid. 18
Episcopus, qui scienter confert beneficium, quod non potest conferre ignoranti, tenetur primam præbendam vacaturam ei conferre. 198. 28
Episcopus ob infirmitatem etiam incurabilem, vel decrepitam senectutem nunquam est amovendus ab officio Episcopali. 203. 12
Episcopus de jure communi in sua diœcesi est Ordinarius collator beneficiorum. Excipiuntur tamen aliquot casus, in quibus Episcopus suæ diœcesis non confert beneficia, ut si hæc fuerint affecta. 214. 7
Episcopus quamvis moretur in aliena diœcesi, potest conferre ea beneficia, quæ in propria sua diœcesi ad suam spectant collationem. 215. 9
Episcopus non potest examinare promotum ad ordinem, vel beneficium à suo prædecessore, nisi post promotionem recens aliqua supervenerit causa. 218. 10.
Episcopus, an si instituat sine Patrono, irrita sit ipso jure institutio, vel tantùm irritanda. 219. 14
Episcopus absque consensu Patroni non potest Ecclesiam collegiatam instituere. 219. 19
Episcopus ex pluribus ab Examinatoribus approbatis, & aliquè dignis deprehensis, non potest præferre alijs, quem maluerit ad beneficium juris patronatus, quia hæc libera facultas pertinet ad patronum habentem jus nominandi, & præsentandi ad beneficium. 221. 10
Episcopus tenetur explorare circa morum probitatem, vitæ honestatem, & examinare doctrinam eorum, qui à patronis nominantur ad beneficia ecclesiastica. 221. 11
Episcopus potest numerum canonicorum minuere, si annui reditus eorundem facti sint notabiliter tenuiores. 223. 16

Episcopus, si intra tempus semestre à jure præfixum neglexit vacantia beneficia conferre, collatio pro illa vice devolvitur ad capitulum. 232. 12
Episcopus, si sit exemptus, & negligat beneficia conferre, potestas illa conferendi ad solum romanum Pontificem immediatè devolvitur. 233. 14
Episcopus non potest alteri concedere facultatem conferendi primum beneficium vacaturum. 247. 15
Episcopus licèt possit suo Vicario generali committere facultatem conferendi beneficia indeterminatè, & in genere; non tamen determinatè, & in specie, si fermo sit de determinatione beneficij, & personæ. 248. 16
Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitat monasteria Sanctimonialium, quæ immediatè Sedi Apostolicæ subjiciuntur. 264. 8
Episcopus sine consensu Capituli nequit ea Ecclesiæ bona, sive mobilia, sive immobilia pretiosa alienare, quæ servando servari possunt. 278. 1
Episcopus ob bellum ingruens, vel pestem grassantem, si careat capitulo, tenetur loco canonicorum reliquos convocare clericos, & re cum illis tractata accedente eorum consensu alienare res Ecclesiæ. ibid. 2
Episcopus potest consuetudine, aut privilegio acquirere jus præsentandi ad beneficia seorsim à consensu capituli, dummodo probet consuetudinem, aut privilegium. 282. 2. Quando tamen requiritur consensus Capituli, sufficit tacitus situs in eo, quòd sciat præsentationem, & collationem à Prælato fieri, & non contradicat, cum posset commodè reclamare. ibid.
Episcopus sine consensu Capituli non potest in perpetuum unire Ecclasias, tametsi accipiens habeat jus patronatus. 283. 8
Episcopus nequit res immobiles Ecclesiæ alienare, seu concedere in perpetuum, imò neque ad longum tempus ultra decem annos absque expresso consensu Capituli. 284. 14
Episcopus in exercitio jurisdictionalium, & in administratione rerum temporalium extra causam alienationis plerumque non exigit consensum capituli, sed tantùm consilium. 285. 11
Episcopus sine consensu capituli non potest instituere, vel destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare. 290. 18
Episcopus cum canonicis constituit unum corpus, cujus caput est Episcopus, & canonici membra, proinde non debet Episcopus omissis canonicis uti negotijs suæ Ecclesiæ. ibid.
Episcopus sine consensu Capituli non potest concedere ecclesias alijs Ecclesijs, quia hujusmodi concessiones pertinent ad perpetuas alienationes 291. 22. Imò neque potest parochiales ecclesias, vel ipsarum obventiones, & oblationes de consensu patroni sine consensu sui Capituli conferre monasterio, quia id etiam pertinet ad perpetuam alienationem. ibid. 23
Episcopus cum majore parte capituli potest statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ Cathedralis, tametsi aliqui dissentiant. 297. 19. Imò si canonicis non suppetant sufficientes reditus, potest Episcopus cum Capitulo alios inferiores beneficiatos vocare ad contribuendum de superfluis reditibus. ibid. 21
Episcopus quamvis ordinariè nequeat pensionem imponere beneficiis, eò quia hæc de jure communi conferri debeant sine diminutione, & ex stylo curiæ reservare pensiones super beneficiis pertineat ad solum Romanum pontificem: adhuc tamen in aliquibus specialibus causis urgente necessitate, vel evidente ecclesiæ utilitate, etiam nunc hæc potestas Episcopo competit. 312. 5
Episcopus si justa suppetat causa potest pensionem beneficio conferendo imponere, vel etiam ad sopiendam litem, quando beneficium est litigiosum, idque ad redimendam vexam. ibid. 6
Episcopus non potest sibi pensionem reservare etiam sine pacto, quia beneficia debent conferri sine diminutione de jure communi: quòd si ex pacto sibi pensionem reservaret, id redoleret simoniam. 313. 9
Episcopus qui juravit se non alienaturum bona ecclesiastica sine consensu Papæ, licèt justa subsit causa à jure concessa, si alienet, alienatio nullius est valoris. 352. 13
Episcopus vel alius Prælatus non potest donare beneficium, quod nondum vacat, alicui Clerico. 537. 6
Episcopus potest exequi legata pia etiam contra laicum tertium possessorem. 584. 4
Episcopus data negligentia executoris non solùm potest, sed etiam tenetur testamentum exequi, quia tunc executio devolvitur ad Episcopum, ut suppleat defectum executoris, & exequatur ultimam voluntatem testatoris. ibid. 5
Episcopus vovens religionem ingredi tenetur suum votum aperire summo Pontifici, & petere facultatem illud exequendi. 685. 9
Episcopus non debet monasteria Monachorum gravare, nec eorum reditus minuere, neque sibi vendicare oblationes à fidelibus factas monasteriis. 772. 4
Episcopus tenetur providere, ne hospitalia, & alia loca pia convertantur ad alios usus, quàm ad quos ex fidelium liberalitate, & authoritate Episcopi fuerunt destinata. 788. 7. Ut etiam ne hospitale detur in beneficium alicui Clerico non obstante quacunque consuetudine, nisi aliter in fundatione fuerit constitutum. ibid. 8. Solus summus Pontifex potest ea convertere, quæ à fidelibus donata sunt, in alios usus. ibid. 9
Episcopus potest facultatem concedere erigendi in civitate monasteria, & domus Religiosorum, præsertim si consensus accesserit aliorum Religiosorum. 791. 6
Episcopus, an possit visitare hospitale, si hoc excipiat immunitatem, quæ fundetur in solo privilegio. 703. 15
Episcopus visitans monasteria Monialium, quot, & quas personas possit secum introducere. 794. 18
Episcopus extra visitationem non potest revocare statuta facta in visitatione à suis prædecessoribus pro locis pijs exemptis. 795. 19
Episcopus extra actum visitationis non potest uti authoritate delegata. ibid. 20

Episcopus non potest approbare Congregationes virorum, & mulierum in communi viventium sub certa regula, ritu, & habitu absque Sedis Apostolicæ licentia, & approbatione. 795. 21
Episcopus diœcesanus non habet jus in Ecclesia unita monasterio plenissimo jure, sed tota jurisdictio pertinet ad Prælatum ejusdem. 798. 6
Episcopus ex pluribus præsentatis à patrono laico, an teneatur digniorem instituere? 715. 13
Episcopus non potest donare laico Juspatronatus in Ecclesia libera, si hæc pertineat ad mensam Episcopalem, ejúsque collationem. 834. 18
Episcopus potest tripliciter Ecclesiam vindicare à laicali servitute. 849. 9
Episcopus, & Synodus diœcesana, si determinet certos in hebdomade dies, in quibus debeant Sacerdotes celebrare, tenentur isti diebus illis missæ sacrificium offerre. 892. 8
Eremitæ conversi, Deo devoti, Monachi simplices, & fratres tertij Ordinis, si se totos Deo devoverint, ejusque cultui sint ex toto addicti comprehenduntur nomine Clericorum, secus si non sint ex toto Deo dediti, nec vivant sub regula. 7. 6
Eremitæ Acephali, hoc est sine capite, seu superiore, eò quia nulli obediant, nec profiteantur aliquem ordinem regularem, non comprehenduntur nomine Clericorum, nec sunt tolerandi. ibid.
Eremitæ si nullo sint ordine ecclesiastico initiati non gaudent privilegio fori, præsertim si nullam profiteantur religionem, nec proprio subijciantur superiori. 7. 7
Error circa qualitatem rei, non irritat contractum, dummodo dolus non dederit eidem causam. 364. 6
Eucharistia exercet rationem viatici in vitæ extremo, ac imminente mortis periculo. 919. 4
Eucharistia, ut ministretur per modum viatici ægroto non jejuno, quàm gravis debeat esse infirmitas. 931. 1
Eucharistia ob reverentiam sumenda est à jejunis nisi ministretur per modum viatici. 930. 7
Eucharistia an possit ministrari moribundo sub sola specie vini, si non possit communicare sub specie panis. 931. 4
Eucharistia per modum viatici imminente mortis periculo, an sumenda sit ex præcepto divino. 932. 7
Eucharistia in consecratione altaris non debet recondi loco reliquiarum, si desint. 948. 24
Eucharistiæ Sacramentum est unum tantùm formaliter, & numero, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite expressum mixtum modicæ aquæ. 927. 3. Græci utuntur pane fermentato, & Latini azimo. ibid. 4
Eucharistiæ forma quænam sit? 928. 9
Eucharistiæ Sacramenti minister est quilibet sacerdos ritè ordinatus. 929. 1
Eucharistiæ effectus plures sunt. ibid. 3
Evictio est rei emptæ, vel alia de causa acceptæ, per Judicis decretum ablatio. 409. 1
Exactiones dicuntur tributa, vectigalia, Talliæ, & aliæ id genus collectæ pecuniariæ. 852. 1. In jure tamen Canonico exactio dicitur tributum ecclesiasticum, seu synodaticum, & debet fieri in illa moneta, in qua fuit ejus institutio. 853. 4
Exceptio allegantis suam turpitudinem, seu delictum, quando notoriè elidit jus agentis, debet admitti. 360. 28
Exceptio non est necesse opponatur contra Prælatum illegitimè alienantem res Ecclesiæ; sed sufficit, si probetur, quòd res illa, quæ reperitur, pertinuerit ad Ecclesiam, & fuerit illegitimè alienata per Prælatum antecessorem. 360. 28
Excessus in pretio, vel ultra summum, vel infra infimum debet restitui. 412. 4
Excommunicati notoriè arcentur ab ecclesiastica sepultura: imò eorum ossa, si ab aliis secerni possint sunt exhumanda, & procul à loco sacro ejicienda. 624. 6
Excommunicati, & interdicti possunt sepeliri in loco contiguo cœmeterio, dummodo non sit deputatus ad usum ecclesiasticæ sepulturæ, sitque locus profanus. 6. 7. 24
Executor merus est, qui deputatur ad exequendum mandatum, & non potest assumere partes Judicis. 162. 10
Executor tunc censetur mixtus, quando assumens, & agens personam Judicis judicialiter procedit cum causæ cognitione, & tunc est executor mixtus, quando in litteris commissionis additur clausula *Vocatis vocandis*, vi cujus tenetur executor judicialiter procedere. 163. 12
Executor si detur cum clausula, in qua agitur de præjudicio alterius, potest causam cognoscere, & est executor mixtus, procedítque judicialiter. ibid. 14
Executor mixtus dicitur, si detur ad compellendum ordinarium collatorem, ut conferat beneficium ut etiam si detur, ut conferat beneficium vacans tali Clerico cum clausula *si dignus est*, quia tunc potest assumere partes Judicis. 163. 15. & seq.
Executor datus ad providendum alteri de beneficio cùm primùm vacabit nequit conferre beneficium nondum vacans, sed tenetur expectare, donec vacet, licèt possit statim conferre canoniam. 242. 3
Executor super provisione alicujus de vacatura non potest per generales litteras inhibere Ordinariis generaliter, ne procedant ad collationem beneficiorum, donec ei, pro quo scribitur, provideatur. 243. 8
Executor testamentarius tenetur per se ipsum munus sibi injunctum exercere, nec potest illud alteri delegare, quia censetur electa industria personæ. 586. 15. Non tamen executor testamenti si fuerit tantùm à testatore nominatus, potest compelli ad acceptandum tale officium. 587. 17
Executor quando ob negligentiam privatur emolumentis, quæ perciperet ex hæreditate, tunc hæc applicantur ad causam piam, & Episcopus succedit in executione, habétque facultatem vindicandi omne lucrum. 588. 26
Executores gratiarum non possunt alteri committere vices suas saltem quoad examen, si litteræ sint in forma *dignum*. 162. 5. Probabilius tamen est, tales executores posse alteri committere vices suas, etiam quoad examen non obstante clausula, *super qua tuam conscientiam oneramus*. 162. 7

Executores deputati ad beneficia conferenda non habent jurisdictionem, proinde non possunt assumere partes Judicis. 163. 11

Executores testamentarij sunt, qui deputantur ad exquendam ultimam testatoris voluntatem, & hujusmodi executores varij sunt. 583. 1

Executores testamentarij dilapso anno jure concesso, cessant, & Episcopus fit executor, ut voluntas defuncti impleatur, non solùm quoad legata pia, verùm etiam profana. 584. 4

Executores testamentarij non solùm clerici, sed etiam religiosi claustrales esse possunt sive ad pias, sive ad profanas causas, petitâ tamen, & obtentâ licentiâ à suo superiore 585. 8. Alioquin executio esset nulla in sententia aliquorum; licèt opposita sit probabilior. ibid. 10. Fratribus tamen minoribus de observantia omninò prohibitum est esse executores testamentorum, ut etiam Capucinis. 586. 12

Executores tenentur diligenter, & exactè voluntatem exequi Testatoris, & instrui debent medijs ad suum officium necessarijs contra resistentes. 587. 19

Exorcistatûs materia est liber exorcismorum, vel missale, aut Pontificale. Forma, verba, quæ ab Episcopo proferuntur: Accipite, & commendate memoriæ, &c. 9. 5

Exteris, & peregrinis non licet cariùs vendere merces, quàm indigenis. 416. 9

Extrema unctio potest ministrari pueris statim post usum rationis imminente mortis periculo. 927. 29. Ejus effectus est consumere reliquias peccatorum, si inveniat. ibid. 31

Extrema unctio non ministratur damnatis ad mortem, nec constitutis in periculo mortis extra infirmitatem, ut in bello, & naufragijs. 938. 34

Extrema unctio, an necessaria sit necessitate præcepti? 940. 44

Exul à patria, si maneat in ecclesia patriæ, non dicitur frangere exilium, neque ab illa potest extrahi, nisi fuerit ob delictum exceptum in Bulla Gregorij XIV. 1000. 14

F.

FAcultas non residendi interdum conceditur Prælatis à jure, subinde à Papa, & nonnunquam ab Episcopo. 49 3

Facultas conferendi beneficia concessa Prælato inferiori à summo Pontifice, est laxæ interpretationis, quia decet Principem liberalitas. 151. 6. Id tamen procedit, quando agitur de solo præjudicio ipsius concedentis, ut si Papa deleget alicui potestatem conferendi beneficia vacantia in mensibus Papalibus. ibid.

Facultas alienandi res ecclesiasticas sublata est Prælatis inferioribus, & ad id requiritur necessariò authoritas Sedis Apostolicæ. 346. 18

Falcidia non solùm detrahitur à Legatis, sed etiam à donationibus causâ mortis. 581. 10

Falcidia, & Trebellianica detrahitur unà cum legitima, quæ propterea non computatur in falcidia, & potest filius ex paterna hæreditate utrámque detrahere falcidiam, & legitimam. 582. 12

Falcidiæ detractio cessat in pluribus casibus, qui recensentur. 582. 15

Familia Clerici gaudet privilegio fori. 21. 22

Familiares Episcopi gaudent privilegio fori, tametsi Episcopi sint titulares. 984. 14.

Familiares Inquisitorum, & omnium habentium jurisdictionem ecclesiasticam gaudent privilegio fori. 985. 24

Festum Purificationis B. M. Virginis quando in ecclesia inceperit? 963. 10

Feuda, ut in jure sumuntur, suum habuerunt initium tempore, quo Longobardi in Italia regnum obtinuerunt. 465. 2

Feuda, quæ dantur ab Imperatore, vel Rege cujusmodi sunt ducatus, Marchionatus, Comitatus non possunt à Vasallo dividi inter cohæredes. 483. 14

Feuda sæcularia, si transeant ad Ecclesiam, retinent eadem onera ipsis irrevocabiter imposita. 481. 18

Feudorum gradus sunt tres, summus, medius, & infimus, & explicantur. 465. 3

Feudum Ecclesiæ per obitum Vasalli decedentis sine hæredibus, vel etiam ob delictum ejusdem, vel quia tempus decisionis expiravit, quoad dominium utile revertitur ad Ecclesiam, neque unitur mensæ episcopali, nisi accesserit consensus Capituli. 339 14

Feudum suam trahit nomenclationem à fide, adeò ut qui pagum, vel urbem in feudum accipit, se domino directo ejusdem feudi obstringat, ac fidelitatem ei promittat. 465. 1

Feudum est genus quoddam clientelæ, quo dignitas, vel prædium aliquod ea lege alicui datur, ut ipse, & ejus posteri, seu hæredes beneficij authorem perpetuò agnoscant, ac pro patrono habeant. 466. 5

Feudum dividitur in ecclesiasticum; & sæculare, & utrúmque bipartitur in reale, & personale, & in masculinum, ac fœmininum. ibid. 7

Feudum definitur benevola, ac libera concessio rei immobilis, vel æquivalentis cum translatione utilis dominij in perpetuum proprietate retenta, seu dominio directo sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi. 466. 9

Feudum tribus potissimum modis acquiri potest, scilicet pacto cum investitura, præscriptione, & successione. 468 1

Feudum, si profanum sit, & sæculare longâ ejus possessione acquiritur. ibid. 3

Feudum successione acquiritur, & transit ad hæredes. 469. 4

Feudum novum differt ab antiquo, quia in illo regulariter soli descendentes succedunt non collaterales. 471. 16

Feudum ex quatuor præsertim causis amittitur, nimirùm ex alienatione, omissione investituræ, refutatione, & delicto, seu felonia. 473. 1

Feudum non potest alienari absque consensu Domini directi, imò nec dari in dotem, genero tamen durante matrimonio permitti potest, ut habeat fructus ex re feudali, reservato sibi jure utilis dominij. ibid. 2

Feudum novum propter delictum deperditum revertitur ad dominum directum, non ita si feudum sit antiquum. 476. 17

Feudum ob malam alienationem amissum à Vasallo alie-

alienante revertitur ad Dominum, non in perpetuum, sed quamdiu Vasallus, qui feudum alienavit, vixerit; siquidem post ejus obitum tenetur Dominus directus proximioribus agnatis defuncti Vasalli feudum restituere. 477. 3 & seq.

Feudum sine consensu domini directi alienatum, an possit à tertio bonæ fidei possessore præscribi saltem spatio 30. vel 40. annorum. 479. 11

Feudum Ecclesiæ, si acceptâ pecuniâ oppignoretur Episcopo ejusdem Ecclesiæ, non debet Episcopus computare in sortem principalem fructus illius pignoris, sed pignorans est liber à servitio, quod Ecclesiæ debebat. 481. 10

Feudum religiosi ex vi professionis transit ad monasterium, si sit liberum ab obsequio, ut etiam, si eidem sit annexum opus obsequij, quòd possit à monasterio præstari. 601. 9

Fideicommissum in genere dicitur, quod alicui per intermediam personam, & quasi per manum alterius relinquitur, & est duplex, universale, & particulare. 572. 9

Fidejubere possunt ij omnes, qui possunt validè obligari, nec repelluntur à jure. 499. 1

Fidejubere pro proximo, an teneamur ex virtute charitatis. 507. 9

Fidejussio est alienæ obligationis in se susceptio, seu contractus, in quo quis promittit, & obligat se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non solverit. 498. 1. Hinc fidejussor se obligat accessoriè pro alio, per quod differt à constitutore, & mandatore, ut etiam ab Expromissore. ibid. 2

Fidejussio respuitur ex aliquibus causis, præsertim criminalibus, ob quas imponitur pœna corporalis. 503. 1

Fidejussio tribus præsertim modis extinguitur. 508 18

Fidejussionis effectus præcipuus est petere solutionem à fidejussore, si principalis non solvit, sed tunc fidejussori jura concedunt tria beneficia. 503. 4

Fidejussor, an possit conveniri ante excussionem, si juramento confirmaverit suam fidejussionem. 499. 7

Fidejussor non solùm principali obligationi accedit, sed etiam accessoriè. 503. 1

Fidejussor non admittitur pro dote conservanda, ne conjuges se invicem perfidiæ arguant. ibid. 2

Fidejussor non potest intervenire in contractu, cui lex expressè resistit. 503. 3

Fidejussor in aliquibus casibus destituitur beneficio excussionis. ibid. 5

Fidejussor in pluribus casibus potest agere contra principalem debitorem, ut se à fidejussione liberet. 505. 11

Fidejussor potest agere contra principalem debitorem actione liberationis, si is incipiat bona sua prodigere, & ad inopiam vergere. ibid. 12

Fidejussor an possit licitè aliquid accipere pro fidejussione. ibid. 13

Fidejussor debet esse paris, vel saltem non deterioris conditionis cum principali debitore. 505. 1

Fidejussor tenetur supplere defectum principalis debitoris, si non possit totaliter satisfacere creditori. ibid. 2

Fidejussor, qui se obligavit pro principali debitore, an teneatur etiam ad accessiones. 506. 6

Fidejussor potest dupliciter se obligare ex æquo, & non ex æquo. ibid. 7

Fidejussor ratione periculi, ut sit securus de sua indemnitate, potest aliquid accipere pro actu fidejubendi. 507. 18

Fidejussor si cum juramento promisit pro alio fidejubere, si principalis debitor decidat à pingui sua fortuna, fiátque impotens ad satisfaciendum suo creditori non tenetur promissarius stare suæ promissioni quamvis juratæ. 507. 14

Fideles non tenentur se in divinis abstinere à sacerdote concubinario antequam ut vitandus sit denuntiatus. 34. 13. Non tamen debent fideles Sacramenta sumere à sacerdote concubinario notorio. 35. 14

Fideles regulariter sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, vel cœmeterio eidem adnexo. 610. 2

Fideles dupliciter possunt obligari ad solutionem decimarum ratione personæ, & rei. 654. 1

Fideles baptizati, qui in spiritualibus subijciuntur alicui Parocho, seu sacerdoti proprio, tenentur eidem decimas solvere, nisi aliquo jure eximantur. 654. 2. Ut etiam tenentur eas solvere possidentes rem, quæ antequam ad ipsos perveniret obnoxia erat decimis. 655. 3

Fideles omnes sive Clerici, sive laici sunt capaces Juris Patronatus ex indulto, & gratia Ecclesiæ. 819. 1. Non tamen Judæi, Pagani, & alij infideles sunt capaces Juris Patronatus, quamvis Ecclesias fundent, construant, & dotent, vel castra emant, quibus sit annexum Jus patronatus. 820. 5

Filij hæreticorum, vel credentium hæreticis, fautorum, receptatorum, ac defensorum, ut etiam Nepotes jure ecclesiastico arcentur à beneficiis, ut etiam qui matrimonium contraxêre, tametsi illud nondum consummaverint. 94. 7

Filij succedentes in feudo debent esse naturales, & legitimi simul, seu ex justis nuptiis geniti. 470. 8

Filii tamen legitimati per rescriptum Principis possunt succedere in feudo si accesserit consensus Domini. ibid.

Filii, & nepotes succedunt in bonis allodialibus in stirpes, non in capita. 470. 10

Filii ex usu, & consuetudine plerisque in locis non succedunt æqualiter in feudo, sed tantùm primogeniti. 471. 12

Filii habent tacitam hypothecam in bonis Patris pro administratione adventionum. 485. 5

Filii legitimi Executoris testamentarii, si revera laborent paupertate possunt participare de legato distribuendo pauperibus. 569. 16

Filii legitimi tantùm, seu adoptivi non succedunt sibi invicem, nisi ab aliquo ascendentium adoptati sint, secus fratres naturales, ut etiam Spurii, si sint uterini. 597. 5

Filii vocantur in primis ad successionem, idque ex voto parentum, qui malunt sua bona devolvi in filios, quàm extraneos, & etiam ex æquitate, & jure naturali. ibid. 6

Filii legitimati per consequens matrimonium æquiparantur legitimè natis quoad dignitates, & successio.

cessiones. 598. 11. Legitimari tamen non solent nisi illi filii, quorum parentes potuissent tunc cùm eos generârunt, matrimonium inire. ibid. 12

Filiifamilias de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus dummodo puberes sint, vel proximi pubertati possunt contrahere, non ita prodigus, cùm ipsi sit prohibita administratio suorum bonorum, nec amentes, nec furiosi, nec infantes nondum septennes. 375. 4

Filiifamilias absque consensu Patris non possunt contrahere de bonis adventitiis, imò nec de bonis provectitiis. Si tamen contrahant, & puberes sint, obligantur ex contractibus, quia datur actio contra illos jure communi. ibid. 5

Filius sacerdotis græci potest inter Latinos promoveri ad ordines ecclesiasticos, dummodo natus sit ex legitimo matrimonio. 45. 14

Filius conjugati conceptus ex soluta potest hæres institui à matre, & testamentum non est irritum, donec tale declaretur à Judice. 568. 7

Filius spurius secundùm jus civile non solùm non potest quidquam consequi de bonis paternis, verùm etiam privatur alimentis; sed quoad hoc fuit jus civile correctum à jure canonico, quia alimenta sunt cuique debita, & obligatio alendi Spurios transit etiam ad hæredes. 568. 9. Adeò ut spurius habeat jus ad bona patris, ut ex ijsdem alatur, si aliunde non possit se sustentare. 569. 10

Filius si nullum post se relinquat descendentem, succedunt ab intestato æqualiter parentes ascendentes servatâ graduum prærogativâ. 598. 13

Filius adoptivus si vivente adhuc patre adoptante decedat sepeliendus est in sepulchro Patris adoptantis. 612. 14

Filius si parente constituto in gravi necessitate professionem emiserit in religione, tenetur egredi, si aliter non possit eidem subvenire. 688. 24. Tenetur tamen filius egressus è religione gestare habitum religiosum, nisi fortassis esset impedimento ad lucrandum pro sustentatione parentis. ibid. 25

Filiusfamilias non potest pignori dare rem patris, sed tantùm bona castrensia, vel quasi castrensia. 486. 2

Filiusfamilias tenetur ad restitutionem mutui accepti, si habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, vel administrationem peculii adventitii, & usumfructum ex consensu patris. 514. 9

Filiusfamilias, quamvis habeat liberam peculij adventitij administrationem, non propterea donare potest, nisi fortassis sit in dignitate constitutus, vel sit filius Ducis, vel Principis. 530. 5. Potest tamen permittente, & consentiente patre mortis causâ donare ea bona, quorum usustructus ad patrem pertinet. ibid. 7

Filiusfamilias impubes testari non potest, benè tamen pubes de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. 563. 5

Fines, & termini Parochiarum probantur per testes deponentes, quòd à tempore immemoriali fuerint observati. 633. 4

Finis concessionis alternativæ est, ut Episcopi tali beneficio alliciantur ad residentiam, ut curæ possint sui gregis incumbere. 55. 17

Finis Pontificis in permutandis bonis Ecclesiarum est consulere indemnitati Ecclesiæ generatim, adeò ut per alienationes, & translationes dominiorum in laicos, hæc non patiatur detrimentum. 463. 17

Fiscus succedens bonis ob delictum alicujus publicatis, an compellatur stare locationi factæ per illum? 433. 6

Fiscus non dicitur jure hæreditario succedere, sed tantùm bona vacantia occupare. 473. 24

Fiscus nonnunquam succedit hæreditati: & jure regalium, ac originaliter olim tantùm ad summum Principem pertinuit, sed hodiè etiam ad Principes inferiores. 599. 15

Fiscus Episcopalis succedit in bonis Clericorum, si hi non habuerint consanguineos. ibid. 3

Fœmina ex communiori sententia potest esse testis in Codicillo. 574. 5

Fœmina puerpera, pro quo offerebat in cœremonia purificationis post puerperium agniculum, aut duos pullos columbarum, vel par turturum? 962. 5. Et B. Virgo an obtulerit duos pullos columbarum, vel potiùs par turturum, & cur non potiùs agniculum? ibid. 6. & seq.

Fœmina, Hermaphroditi, illegitimi, & qui nondum sunt septennes, nec Sacramentum confirmationis susceperunt, à clericatu excluduntur, ut etiam, qui fidei rudimenta nondum sunt edocti, nec sciunt legere, aut scribere, ut etiam servi, mancipia, infames infamiâ juris, vel facti, criminosi perseverantes in peccato lethali, solemniter pœnitentes, bigami, & alij. 8. 14

Fœminæ, homines nondum baptizati, infantes nondum septennes, amentes, qui non sunt sui compotes, surdi, muti, ac destituti aliquo principali membro arcentur à beneficijs ecclesiasticis. 93. 8

Fœminæ regulariter de jure feudali excluduntur à successione feudi, nisi hoc fuerit fœmineum. 469. 6

Fœminæ puerperæ, cur in lege evangelica non teneantur abstinere ab ingressu Ecclesiæ, sicut tenebantur in lege Mosaica. 959. 2

Forma velut substantialis electionis beneficij, ecclesiastici consistit in assignatione certorum, ac sufficientium reddituum ex bonis alicui Ecclesiæ adscriptis, ut certum officium spirituale, quod per se primatiò intenditur, præstetur. 136. 4

Forma servanda in alienationibus ecclesiasticis explicatur. 343. 1

Forma permutandi beneficia in eo est sita, ut clerici priùs ea resignent in manus Episcopi, & exprimant se beneficijs renuntiare causa permutationis. 454. 28

Frater germanus, licèt in bonis allodialibus excludat fratrem consanguineum, non ita in feudis, in quibus attenditur vinculum patris 472. 19

Fratres Minores S. Francisci, quamvis absolutè non possint instituti hæredes, ut ipsi acquirant jus ad bona immobilia, & teneantur ut hæredes ad onera defuncti: potest tamen in eorum favorem tota hæreditas relinqui, ut per executores statim divendatur, & detur ijsdem pretium, quod impendant pro ecclesia, vel Monasterio construendo, aut emendo: & hujus hæreditatis sunt etiam

etiam hoc pacto capaces Clerici Regulares Theatini, & domus Professæ Societatis JESU, quamvis non possideant bona immobilia: possunt enim hæreditatem acceptare, & vendere, & expressè sibi providere. 570. 17
Fructus omnium monasteriorum consistorialium, ac beneficiorum, quorumcúnque Regularium Sedi Apostolicæ reservatorum pertinent ad Cameram Apostolicam. 173. 24
Fructus beneficij, in quo clerico reservatur pensio locò alimenti, eo ipso intelliguntur tacita hypotheca obligari pensionario pro pensione sibi solvenda, imò id procedit, sive pensio reservetur locò alimenti, sive alia de causa. 329. 64
Fructus decimarum non prohibentur vendi, & locari alteri, dummodo ille percipiat tales fructus non suo, sed nomine beneficiarij. 336. 17
Fructus percepti, an comprehendantur in restitutione in integrum. 377. 16. & seq.
Fructus pignoris debitum minuunt, & computandi sunt in sortem principalem, & solutionem debiti. 488. 10
Fructus pro celebrandis missis non computantur inter fructus pro recitandis divinis officijs. 802. 11
Fructus seorsim à jure census, an possint alteri cedi pro certa summa pecuniæ. 869. 12
Fundus potest licitè vendi, si non sit sacer, nec religiosus, tametsi debeat postea inservire pro cœmeterio, sepulchro, vel sacello. 619. 11
Fundus si sit in Ecclesia, vel cœmeterio, & inserviat usui sepulturæ, non potest ad hunc finem vendi, nec emi ob spirituale, quod inseparabiliter habet adnexum. 620. 14
Fundus decimalis an possit mutari de pascuo in culturam, vel è contra. 662. 7
Fundus si assignetur in dotem Ecclesiæ debet esse immunis ab omni servitio, ac tributo temporali. 853. 5
Fundus in quo ædificatur Ecclesia debet esse liber ab omni servitio, tributo, & onere reali, temporali, & sæculari, ut etiam cœmeterium. ibid. 9

G.

GEmmæ, & lapilli qui reperiuntur, vel in litore maris, vel in rupibus montium, aut in campis jure gentium dicuntur esse communes. 408. 11. Non verò communes sunt gemmæ, quæ inveniuntur in fundo, vel prædio, aut domo alicujus. ibid.
Gener potest cum socero pacisci, ut certam pecuniariam pensionem in singulos menses, vel annos reddat, donec sibi promissa dos solvatur. 490. 21
Gesta à majore parte Capituli valent, quando cedunt in utilitatem Ecclesiæ, quamvis alij Capitulares contradicant: non ita si quæ à majori parte aguntur sint Ecclesiæ damno, tunc enim etiam unius capitularis contradictio potest impedire quo minùs gesta à majore parte suum sortiantur effectum. 296. 2
Gradus consanguinitatis computantur in jure canonico in ordine ad Sacramentum matrimonij, quod cum non possit consistere nisi inter duas personas, hæ constituunt unum solum gradum. 596. 3
Grangiæ in monasteriis veniunt nomine Ecclesiæ, & gaudent eadem immunitate, & privilegio. 804. 18
Gratia alternativa conferendi alternis mensibus beneficia Episcopis tantùm conceditur, non verò aliis inferioribus Collatoribus. 179. 36. Unde in gratia alternativa comprehenduntur tantùm illa beneficia, quæ pertinent ad liberam Episcopi collationem. ibid. 36. Cessat hæc gratia alternativa, si Episcopus translatus sit ad alium episcopatum, ut etiam si renuntiet episcopatui, per mortem Pontificis. 180. 37
Gratia non est perfecta nec fortitur suum effectum, antequam is, cui conceditur de eadem certior fiat, ac illam acceptet. 242. 4
Gratiæ expectativæ hodie per Concilium Tridentinum sunt sublatæ, adeò ut præter Romanum Pontificem nullus inferior Prælatus possit mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, alijs dare. 244. 15
Gratiæ expectativæ non se extendunt ad beneficia resignata ex causa permutationis. 460. 2
Gravatus ære alieno, si creditoribus non sit solvendo, & intra paucos años manens in sæculo possit sua debita extingere, non potest religionem ingredi. 687. 21. Nec etiam, qui obnoxij sunt rationibus reddendis, nisi priùs satisfecerint suo muneri. 688. 22

H.

HAbentes exceptionem perpetuam possunt repetere solutum errorem facti, vel juris. 523. 22
Hæres Vasali, ad quem devolvitur tota hæreditas, quamvis nollet hæreditatem acceptare, eò quia sit ære alieno gravata, adhuc posset solùm feudum petere, dummodo non sit filius, quia hic non potest recusare hæreditatem patris, & agnoscere feudum. 469. 5
Hæres post aditam hæreditatem quàm primum potest, & cessante legitimo impedimento sine mora tenetur legata solvere, & alia Testatoris jussa exequi. 588. 24.
Hæres constitutus cum conditione tacita, vel expressa restituendi hæreditatem filio Spurio, an possit eam sibi retinere. 501. 8
Hæres, si non confecit inventarium, an possit uti compensatione, si coactus sit aliquid solvere ultra vires hæreditatis. 591. 24
Hæredes possunt in testamento instituí omnes homines tam exteri, quàm consanguinei, liberi, & servi, Communitates, & collegia, nisi jure speciali prohibeantur. 567. 5
Hæreticus, quia per hæresim se separavit ab Ecclesia, non est capax juris patronatus, quod Ecclesia tantùm ex gratia, non debito concedit fidelibus manentibus in Ecclesia. 820. 5
Homicidium physicè commissum in Ecclesia, ut sit pollutivum ejusdem, debet esse voluntarium, sive directè, sive indirectè. 873. 3
Homicidium, & mutilatio in ecclesia, vel cœmeterio non gaudet immunitate. 988. 12 Debet tamen homicidium esse consummatum, & non tantùm inchoatum in ecclesia. 989. 16. Mutilatio

silatio etiam debet esse abscissio veri membri, adeò ut non sufficiat quæcunque vulneratio. ibid. 17

Homo liber non debet æquiparari fugitivo, qui ferè est servus. 452. 14

Homo liber oppignorari non potest, bene tamen captus potest se ipsum tradere in pignus pro pretio, quod alius nomine ipsius persolvit, 487. 8

Homo privatus non habet à natura potestatem disponendi de re ulla pro illo tempore, quo ipse omnis juris est incapax, & quo desinit esse membrum Reipublicæ. 558. 16

Homo non potest compelli ad ingressum religionis, nisi fortassis expresè, vel tacitè se ipsum sponte obligaverit. 710. 6

Homo quilibet viator est capax baptismi legis evangelicæ. 913. 2

Homo non potest se ipsum baptizare infundendo aquam super se. ibid. 7

Horæ canonicæ sunt recitandæ horis congruis, si non adsit legitimum impedimentum. 895. 1

Horæ canonicæ vocantur illæ in ecclesia preces, quæ ad Deum laudandum, opémque divinam implorandam, certis statisque horis nocturnis, ac diurnis funduntur, & juxta canones recitantur. 895. 2. Sunt autem juxta veriorem sententiam septem, quæ magis propriè dicuntur esse de jure ecclesiastico. 806. 3

Horæ canonicæ, quomodo sint recitandæ, & tria requiruntur. 899. 19.

Horæ canonicæ debent recitari studiosè, absque syncopa, sine interruptione, & devotè, ac attentè. ibid. 20. & seq

Horas canonicas diebus singulis persolvere tenentur clerici sacris initiati ordinibus, ut etiam religiosi choro deputati ex consuetudine, vel peculiaribus decretis, & constitutionibus religiosum. 896 8

Hospitale pium publica Episcopi authoritate fundatum non potest in profanos usus converti, benè tamen fundatum privata authoritate, si nondum fuerit Deo dedicatum. 789 13

Hypotheca generalis quamvis non sit expresè prohibita, non propterea censetur simpliciter permissa, quia adhuc requiritur justa causa. 334. 7

Hypotheca specialis differt à generali, quia per illam acquiritur jus in re, & magis præjudicatur rebus ecclesiasticis, per hanc verò tantùm acquiritur jus ad rem, & minùs præjudicatur. ibid.

Hypotheca est vox græca, quæ apud Latinos sumitur pro re pignori data, vel posita, aut suppositione. 335. 7

Hypotheca dotalis est præferenda omnibus anterioribus hypothecis tacitis, non verò expressis. 494. 3

I.

IDoneitas clericorum ad beneficia ecclesiastica consistit in carentia canonici impedimenti: hinc incapaces beneficiorum ecclesiasticorum sunt non baptizati, non insigniti tonsurâ, illegitimi, & alij inhabiles. 218. 11. Potest tamen Episcopus cum istis dispensare ad minores ordines, & ad simplex beneficium. ibid.

Jejunii præceptum, an possit impleri per alium. 955. 8

Jejunium in ecclesia quomodo servetur, & quando incepit, & quo tempore obliget? 953. 14

Jejunium ecclesiasticum est satisfactorium pro pœna temporali, estque actus virtutis temperantiæ. 954. 1

Jejunium, & abstinentia si notabiliter noceat sanitati, an sit licita. 955. 5

Jejunium non potest ab Episcopo transferri de uno in alium diem. 957. 17

Jejunium est abstinentia à cibo corporali, vel totaliter, vel per reductionem ad aliquam determinatam mensuram. Et ecclesiasticum est abstinentia voluntaria à cibo juxta præceptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. 950. 2. Et tria concurrunt, delectus ciborum, ut jejunans se abstineat ab esu carnium, & lacticiniorum, ubi consuetudo contraria non inolevit, ut unâ die unica habeatur refectio, & ut hæc fiat tempore vespertino, seu post vesperas. 951. 4

Jejunium quomodo obliget urgente necessitate. 954. 3

Illegitimè natus, tametsi dispensatus in ordine ad sacros ordines suscipiendos non propterea censetur, eò ipso dispensatus ad ullum beneficium. 93. 3

Illegitimi non possunt religionem ingredi, in qua eorum pater sive ante, sive post nativitatem filiorum professus fuit. 689. 27

Immundi immunditiâ legali quamvis indigerent in lege Mosaica purgatione, non tamen eodem modo purificabantur. 960. 3

Immunditia legalis in lege veteri multipliciter contrahebatur. 960. 5

Immunitas generatim quid sit, & quomodo immunitas ecclesiastica dividatur in immunitatem Ecclesiarum, personarum, & rerum. 675. 2

Immunitas Ecclesiæ extenditur ad cæmeterium. 976. 7. Imò etiam ad Oratoria Confraternitatum, & monasteria affixa, si fuerint authoritate Episcopi erecta. ibid.

Immunitas ecclesiastica quænam sit, & an de jure divino, vel humano? 979. 1. & seq.

Immunitas ecclesiastica est de jure divino dictante, & canonico statuente. iqid. 3

Immunitas ecclesiastica quoad personas an se extendat ad Clericos in minoribus constitutos, & carentes beneficio, nec incedentes in habitu, & tonsura, nec de mandato Episcopi inservientes alicui ecclesiæ. 982. 1

Immunitas ecclesiastica, an extendatur ad Clericos conjugatos cum unica tantùm, eáque virgine. 984. 13

Immunitas locorum ecclesiasticorum excludit actus profanos sæculares ab ecclesia, & protegit malefactores confugientes, ne possint à laicis extrahi. 986. 1

Immunitas ecclesiarum firmata fuit per decreta Imperatorum, & Regum non tanquam institutoria, sed ut subsidiaria. 987. 7

Immunitas ecclesiastica violatur etiam per solam attentatam extractionem Rei ab ecclesia. ibid. 7

Immunitate gaudent monasteria religiosorum quoad totam clausuram, claustrum, dormitorium, hor-

hortum, domos familiarium, animalium, imò id etiam procedit de granciis, quæ ſunt veluti membra monaſterii. 977. 8
Immunitate gaudent non ſolùm palatia Epiſcoporum, ſed etiam domus Eccleſiæ, parochorum, canonicorum, & aliorum eccleſiaſticorum in ambitu eccleſiæ, quamvis laicis ſint locatæ. 977. 11
Immunitate aſyli non gaudent publici latrones, neque pyratæ, neque nocturni depopulatores, qui alienos agros accendunt. 988. 9
Immunitati eccleſiaſticæ non poſſunt principes ſæculares derogare, eò quia radicaliter ſit de jure divino dictante. 980. 7
Immunitatis aſyli effectus plures ſunt, & recenſentur. 998. 1. & ſeq.
Imperator Neo-Electus in omnibus eccleſiis per totum R. I. poteſt concedere ſuas primas preces, ita tamen ut collator nonniſi ſemel gravetur. 188. 3. Excipiuntur tamen à primis precibus dignitates pontificales Archiepiſcopatus, epiſcopatus, & primæ dignitates poſt illas, cujusmodi ſunt Præpoſituræ, ac Decanatus, ut etiam primæ dignitates, & prælaturæ in monaſteriis, & eccleſiis collegiatis. ibid. 4
Imperatori recèns electo conceditur facultas offerendi primarias preces, ſeu nominandi perſonas idoneas Ordinariis collatoribus, & collatricibus ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica per ſacrum R. I. ubilibet conſtituta in cathedralibus etiam metropolitanis, collegiatis, vel quibusvis aliis eccleſiis ſive cum cura, ſive ſine cura animarum, ſive regularia, ſive ſæcularia, etiamſi hujusmodi beneficia ſint canonicatus, Præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia etiam in menſibus Ordinariorum non obſtantibus Concordatis Germaniæ. 188. 2
Impetratio poſterioris penſionis nulla facta mentione prioris eſt ſubreptitia, & nullum ſortitur valorem, quia non præſumitur Pontifex velle idem beneficium duplici gravare onere. 310. 22
Impuberes, quamvis tutores habeant, veniam merentur, ſi petere neglexerint intra annum, & diem renovationem inveſtituræ. 475. 11
Impuberes non poſſunt quidquam donare, quod ſit magni valoris. 530. 3
Incendentes juſto bello hoſtium ſegetes, an teneantur decimas eccleſiæ reſtituere. 676. 18
Incorporatio Eccleſiæ parochialis cum monaſterio non poteſt fieri ab Epiſcopo, ſed à ſolo Papa. 141. 5
Indebitum tunc dicitur quando quis per errorem, vel ignorantiam alteri ſolvit, quod ei non debebat, & tunc habetur quaſi contractus indebiti ſoluti. 269. 16
Indebitum eſt quaſi contractus re initus, & qui rem indebitam per errorem ſolutam accepit, tenetur reſtituere. 522. 19
Indebitum poteſt aliquid eſſe naturaliter, & civiliter. ibid. 20
Infideles ſi convertantur, quomodo teneantur ſe gerere. 736. 1
Infidelis ſi convertatur ad fidem poteſt contrahere matrimonium cum fideli, niſi cum adhuc eſſet in infidelitate dolo, & machinatione occidiſſet ejus maritum ad eum finem, ut illam duceret. 737. 3
Infidelis etiam cùm imminet mortis periculum debet inſtrui in fide, & poſtea ei conferri baptiſmus. 923. 24
Infirmi, qui ratione ægritudinis non poſſunt Eccleſiæ, nec divinis officiis perſonaliter intereſſe, percipiunt quotidianas diſtributiones, tametſi ipſi cauſam dederint infirmitati. 68. 24. Id tamen limitatur ad eum infirmum canonicum, qui ſanus conſueverat ſemper perſonaliter præſens intereſſe divinis officiis. ibid. 15
Infirmitas qualis eſſe debeat, ut ſit quis capax extremæ unctionis. 939. 37
Infirmus poteſt pluries in eadem infirmitate ſumere viaticum. 934. 19. Non tamen extra novum periculum mortis. ibid.
Injuria per ſpatium unius anni aboletur. 878. 33
Inſtituendi non ſunt plures etiam in Eccleſiis Regularibus Canonicorum, & Monachorum, quàm commodè ex proventibus, ac fructibus poſſint ali. 217. 3. Numerus Monachorum & Clericorum debet eſſe determinatus juxta Eccleſiæ annuos proventus. ibid. 4
Inſtituere clericos præſentatos à Patronis, ſeu habentibus jus patronatus ad ſolum pertinet Epiſcopum. 215. 18
Inſtitutio beneficij à collatione, & præſentatione ejusdem diſtinguitur. 97. 15
Inſtitutio eſt conceſſio beneficij facta authoritate legitima Epiſcopi, vel alterius clerico à Patrono præſentato. 106. 7
Inſtitutio beneficiorum eccleſiaſticorum perinde eſt de jure Eccleſiaſtico, ac eorundem diviſio. 121. 10
Inſtitutio laxè ſumpta eſt libera collatio beneficij eccleſiaſtici. 213. 1. Et nomine inſtitutionis generatim comprehenditur quælibet promotio, ſeu modus quo acquiritur beneficium eccleſiaſticum, ſive ſit electio, ſive poſtulatio, ſive nominatio, ac præſentatio. ibid 2. Et dicitur inſtitutio canonica, quia debet fieri juxta canones. ibid. Non tamen poteſt quis ſe ipſum inſtituere, quia inter inſtituentem, & inſtitutum debet dari diſtinctio ob relativam oppoſitionem. ibid.
Inſtitutio propriè ſumpta eſt juris beneficij eccleſiaſtici ad præcedentem præſentationem, vel nominationem legitima authoritate facta translatio. 214. 4. Hinc patet diſcrimen inter inſtitutionem, confirmationem, & collationem. ibid. 5
Inſtitutio authorizabilis eſt authoritas, vel jurisdictio conceſſa ad curam animarum exercendam, quæ inſtitutio in parochialibus beneficiis præcedit quamlibet aliam inſtitutionem. 210. 3
Inſtitutio facta ſine forma, & non propoſito edicto nullius eſt valoris, & id procedit etiam in canonicatibus, & Præbendis, aliisque ſimplicibus beneficiis. ibid. 5
Inſtitutio præſentati facta pendente appellatione per alterum interpoſitâ ſententiâ Ordinarij, & poſſeſſio ſubſecuta; ut etiam poſſeſſio à præſentato inſtituto capta pendente appellatione judiciali interpoſita ab inſtitutione facta in ſententia eſt attentata. 221. 7

Index

Inſtitutio in beneficio facta ab Epiſcopo ſine conſenſu,& præſentatione patroni regulariter eſt irrita. 830.7

Inſtitutum vitæ religioſæ incepit tempore Apoſtolorum, vel à Prophetis, ſolitariis, & præſertim Joanne Baptiſta. 709.2

Intentio ſe obligandi in emiſſione voti non eſt neceſſe ut ſit formalis, & explicita, ſed ſufficit,ſi ſit implicita,& in dubio hæc intentio ſemper præſumitur. 745.9

Interdictum eſt cenſura eccleſiaſtica, quâ prohibentur divina officia,certa Sacramenta,& eccleſiaſtica ſepultura. 298.1. Et aliud eſt interdictum ab homine, quod à ſuperiore eccleſiaſtico promanat,& tripartitur in locale, perſonale, & mixtum. ibid.

Interdictum quando eſt generale comprehendit æquè nocentes, ac innocentes, quia poteſt quis ob juſtam cauſam, & bonum publicum etiam ſine culpa ſua privari jure ſuo. 399.4

Interdictum locale non poteſt à Capitulo ſine conſenſu Epiſcopi viventis ferri. 301.13

Interpretatio debet laxiſſimè fieri in beneficiis,donationibus,& privilegiis præſertim circa beneficia Principum ,quia ſunt gratiæ procedentes ex mera liberalitate. 537.5

Inveſtitura in beneficio varios exigit ritus pro locorum diverſitate. 219.1

Inveſtitura realis nullam habet aliam cœremoniam eccleſiaſticam, quàm actualem introductionem in locum beneficij cum traditione clavium,& jurium, & cùm ſit meri facti poteſt etiam laico committi. 220.2

Inveſtitura alia eſt propria, quâ Vaſallus actualiter in poſſeſſionem rei feudalis introducitur; & alia abuſiva,quâ in Domini curia corporeum inſtrumentum traditur Vaſallo cum intentione eum inveſtiendi. 468.2

Inveſtituræ renovatio petenda eſt intra annum, & diem poſt mortem Domini,vel Vaſalli. 475.11

Judæi per ſe,& directè non tenentur decimas ſolvevere,nec poſſunt præciſè ad id adigi, ſed tantùm alternativè. 655.4

Judex ſæcularis ex permiſſu ſumi Pontificis poteſt judicare, & punire Clericos,quia tunc eſt tantùm Miniſter. 21.23

Judex in caſibus à jure permiſſis poteſt ſuas partes interponere ad tranſigendum, & tunc debet inclinare in meliorem partem. 371.15

Judex eccleſiaſticus cùm poſſit judicare de quovis lethali peccato, quamvis cauſa ad ſuum forum non pertineat,adhuc graviter læſus ex contractu, ſi non audiatur in foro civili poteſt convenire lædentem in foro eccleſiaſtico. 412.6

Judex competens cauſarum feudalium eſt Dominus directus feudi, ut etiam pares curiæ. 478.7

Judex Ordinarius, ad quem in cauſa feudali appellatur eſt Dominus ſuperior, à quo res conceſſa eſt inferiori Domino,licèt Clericus ſit,vel laicus. ibid.8

Judex eccleſiaſticus poteſt privare Patronum Jure patronatûs, quando ei bona ſunt confiſcata ob crimen, quo meruit talem confiſcationem. 840.14

Judices Ordinarij eccleſiaſtici non poſſunt ejculenta,& poculenta accipere à litigantibus,neque exigere expenſas pro itinere,quia ſupponuntur habere beneficia, & ſtipendia ſufficientia,ratione quorum tenentur ad judiciarias lites per ſe, vel per delegatos definiendas. 14.9

Judicium ferendum quoad ſucceſſionem extraneorum deſumitur ex formula inveſtituræ. 473.25

Jura eccleſiaſtica ſine conſenſu romani Pontificis non poſſunt à Prælatis inferioribus ſubmitti ſæcularibus. 352.15. Quia talis ſubmiſſio eſt quædam ſpecies alienationis. ibid.16

Jura monaſterij uniti per legitimã authoritatem acceſſoriè alteri, acquiruntur monaſterio principali,cui facta eſt unio. 792.12

Juramentum de ſervandis ſtatutis Eccleſiæ perniciosis non eſt validum. 301.9

Juramentum ſequitur naturam actûs,cui apponitur, & quem non immutat, nec alterat. 506.4

Juramentum, quo quis jurat nolle fidejubere ſub certa pœna pecuniaria ſolvenda alteri eſt irritum, quia oppoſitum præcepto charitatis. 508.16

Jure conſanguinitatis non datur ſucceſſio in bonis, ſeu Præbendis eccleſiaſticis. 191.2

Jurisdictio Vicarij electi à Capitulo ſede vacante eſt cumulativè cum Capitulo, quod poſt Vicarij electionem poteſt ſe immiſcere adminiſtrationi jurisdictionis, perinde ac poterat antea. 273.19. Hinc poſt electionem Vicarij poteſt aliquas cauſas alteri delegare, quia non deſtituitur exercitio jurisdictionis. 274.21

Jurisdictio Vicarij Capitularis ceſſat, cùm primùm expirat jurisdictio Capituli, ſeu cùm primùm ſedes Epiſcopalis ceſſat vacare. 275.29

Jus eccleſiaſticum prohibet pluralitatem beneficiorum ſimplicium in uno, eodémque Clerico. 122.14

Jus naturæ tantùm prohibet plura beneficia eidem conferri, quando unum ex iisdem ſufficit ad congruam,& honeſtam clerici ſuſtentationem, non ita ſi non ſufficiat, quia modicum pro nihilo reputatur. 126.12

Jus quando concedit, ut unum beneficium habeatur jure tituli, & alterum jure commendæ, an poſſit tunc quis ſimul habere beneficium,& commendam? 130.32

Jus præſentandi ad beneficium idoneum Clericum conſtituitur ab initio, fundatione, vel conſtructione, aut dotatione. 136.5

Jus conferendi beneficia,& ea uniendi non eſt unum ac idem, quia conferre eſt liberalitatis, & unire neceſſitatis. 139.22

Jus inſtituendi poteſt pertinere ad Prælatos etiam Regulares in eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, non ita in eccleſiis, quæ iisdem pleno jure non ſubijciuntur. 216.17

Jus canoniæ non cadit in laicum etiam intitulatum, ſed in ſolum clericum, perinde ac jus eligendi in collegiata non niſi clerico competit. ibid.2

Jus præſentandi ad beneficia, quando eſt commune Prælato, & Capitulo non poteſt tunc prælatus absque conſenſu Capituli præſentare. 281.8

Jus aliquid agendi, vel determinandi, quando ineſt Capitulo non eſt neceſſe ut omnes, & ſingulî Capi-

Capitulares assentiantur actui, sed sufficit, si major pars capituli consentiat, nec est necesse, quòd sit major pars respectivè ad omnes Capitulares præsentes, & absentes, sed sufficit, si sit major pars præsentium congregatorum. 293. 1. Ut autem major pars dicatur prævalere, non est sumenda major pars respectu aliarum partium minorum; sed respectu omnium Capitularium præsentium. ibid. 3. Rursus hæc major pars debet esse Sanior. 294. 4

Jus percipiendi reditus ecclesiasticos ex beneficiis annexis ecclesiæ principaliter pertinet ad Capitulum, seu ecclesiam. 302. 14

Jus ad rem non potest permutari cum simili jure, nec cum beneficio, si sermo sit de gratiis Expectativis, quia hæ sunt personales, & non extenduntur ultra casum expressum. 461. 6

Jus decimarum est spirituale, & ecclesiasticum. 658. 1

Jus abdicatum à religioso per solemnem professionem transfertur in religionem absolutè. 706. 20

Jus Patronatus est honorificum, onerosum, & utile competens alicui ecclesiæ, quam ex consensu Episcopi, vel diœcesani fundavit, construxit, vel dotavit aliquis, vel is, à quo causam habuit cum potestate præsentandi clericum instituendum ad beneficium vacans. 812. 2

Jus Patronatus non acquiritur nisi authoritate, & consensu diœcesani. 813. 5

Jus patronatus aliud est ecclesiasticum, aliud laicale, & aliud mixtum. 814. 1. & seq.

Jus Patronatus sive sit ecclesiasticum, sive laicale, vel mixtum est semper annexum saltem antecedenter spirituali, eo quia fuerit institutum à potestate ecclesiastica spirituali. 815. 5

Jus patronatus secundùm se, & intrinsecè est potiùs dicendum annexum spirituali, quàm merè spirituale. 815. 6. Quo pacto etiam Jus patronatus mixtum accensetur potiùs spirituali, quàm laicali. ibid. 7

Jus patronatus aliud est hæreditarium, aliud gentilitium, illud transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, hoc autem tantùm ad hæredes successores, qui sunt de familia fundatoris. 816. 9

Jus patronatus quamvis in dubio præsumatur hæreditarium, eliditur tamen hæc præsumptio, quando in institutione juris patronatus fuit semper facta mentio familiæ. ibid. 10

Jus patronatus aliud est activum, & aliud passivum. 816. 11

Jus patronatus ecclesiasticum multipliciter differt à laicali. ibid. 12

Jus patronatus ecclesiasticum potest per Papam, & ejus legatum impediri, eique derogari. 819. 28

Jus patronatus annexum bonis dotalibus, an transeat ad maritum, cui acquiruntur fructus bonorum dotalium. 821. 12

Jus patronatus quatuor modis transfertur in alios successione, permutatione, donatione, & venditione. 831. 1

Jus patronatus transit etiam ad hæredes extraneos ex testamento institutos. 831. 1

Jus patronatus si sit gentilitium transit semper per successionem ad seniorem familiæ, quamvis conjungatur cum hæreditate, & novitius, qui supponitur senior familiæ, si renuntiet hæreditati, non censetur renuntiare Juri patronatus. 832. 7. Et tunc Jus patronat⁹ acquiritur Religioso, non Monasterio, etiam post emissam professionem. 832.

Jus patronatus in divisione hæreditatis facta à Judice, an possit uni tantùm ex cohæredibus adjudicari. 833. 13

Jus patronatus titulo permutationis transfertur quando permutatur cum alio spirituali. ibid. 15

Jus patronatus potest donari laico, vel clerico Ecclesiæ, Cœnobio, Collegio, Seminario, & tunc titulo donationis transfertur. 834. 16

Jus patronatus cum universitate bonorum nonnisi improprie dicitur vendi, ut si castrum vendatur, cui sit annexum Jus patronatus. ibid. 19

Jus patronatus extinguitur ex defectu fundamenti ex delicto, & ex non usu subsecuta præscriptione. 835. 1. & seq.

Jus patronatus Ecclesiæ constructæ in fundo alieno invito Domino acquiritur constructori non Domino fundi; licèt hic possit exigere pretium fundi. 837. 1

Jus patronatus potest possideri ab excommunicato, si ante excommunicationem illud possidebat. ibid. 3

Jus patronatus potest ex testamento legari laico accedente consensu Episcopi. 839. 10

Jus percipiendi censum potest acquiri præscriptione, & præter possessionem continuam quadraginta annorum, adhuc requiritur titulus bonæ fidei, vel quòd fuerit in possessione à tempore excedente memoriam hominum. 849. 12

Jus præsentandi Sacerdotem ad quem pertineat, quando erigitur nova Ecclesia parochialis. 970. 6

Jus asyli, an sit de jure naturali, ac divino positivo, vel tantùm canonico, vel civili. 986. 1

Jus asyli est antiquissimum, & etiam præceptum à Deo Moysi. 986. 2. Et hoc jus asyli omnes Nationes acceperunt à Gentibus. 987. 6.

Justitia distributiva non obligat, nisi secundùm subjectam materiam, seu ad servandum jus ijs, quibus debetur, & potest hic, & nunc servari. 100. 17

L.

LAici non habent potestatem in temporalibus, quæ commodum Ecclesiæ respiciunt, nisi de licentia Ecclesiæ in aliquibus casibus. 657. 13

Laici licèt non sint capaces juris primarij decimarum, sunt tamen capaces cujusdam juris secundarij. 658. 3

Laici possunt decimas illas retinere, quæ ijsdem ante Concilium fuerunt concessæ in feudum perpetuum. 667. 12

Laici conducentes prædia Religiosorum tenentur decimas solvere, si privilegium immunitatis à solvendis decimis concessum fuerit Religiosis intuitu personarum, adeò ut privilegium sit personale. 675. 12

Laicus est incapax beneficij ecclesiastici, tametsi reputaretur clericus. 95. 5

Laicus non potest disponere de bonis Ecclesiarum, quæ pertinent ad Ecclesiam. 829. 11

Laudemium jure communi est quinquagesima pars, sed consuetudine trigesima pretij, seu æstimationis rei venditæ, & datur laudemium pro approbatione novi Emphyte tæ. 438. 7
Lectoratûs materia est liber lectionum, forma verba illa prolata ab Ordinante: *Accipite, & estote verbi Dei Relatores, &c.* 9. 5
Legata pia adhuc valerent, quamvis testamentum quoad institutionem hæredis esset invalidum: & sunt solvenda, quamvis hæreditas non fuerit adita, eò quia hæres decesserit, vel hæreditatem repudiaverit. 562. 17. & seq.
Legata non solùm in testamento, verùm etiam in Codicillis instar fidecommissorum relinqui possunt. 574. 4
Legata, quæ in testamentis, vel codicillis relinqui solent, possunt fieri nudis verbis ad causam tum piam, tum profanam. 575. 8
Legata ad pias causas relicta in testamento non dependent ab ejus valore, & solvi debent, sive testamentum ab initio fuerit irritum ob defectum solemnitatum, sive postea irritetur. ibid. 9
Legata ad causas profanas, si integrè solvi non possunt, non licet Executori integrum legatum pium solvere, sed debet etiam de ipso detrahere debitam portionem pro rata, sicut detrahitur à cæteris. 581. 8
Legata pia ita distribuenda sunt, ut portio canonica debeatur Episcopo. 583. 17
Legati de Latere in Provincia suæ legationis habent de jure communi potestatem conferendi beneficia, & cum quolibet Ordinario concurrunt, imò datur inter ipsos etiam locus prærentioni. 115. 11
Legati à Latere in sua Provincia possunt unire ea beneficia, quæ possunt conferre. 139. 22
Legati, qui non sunt de Latere, nequeunt beneficia unire, quia non possunt ea conferre. ibid. 13
Legati commutatio in alium usum ad solum Papam spectat. 589. 30
Legatum pium, si ex impedimento facti non possit executioni mandari, potest permutari in aliud opus pium. 461. 9
Legatum pium, si non possit adimpleri, & permutandum sit cum alio opere pio, tunc requiritur consensus eorum, in quorum favorem factum est. 462. 12
Legatum quando non debetur Petro, hic non acquirit jus in illud, quia jus, & debitum referuntur essentialiter. 463. 14
Legatum prout est actus legandi, est donatio quædam testamento, vel codicillo à defuncto relicta, ab hærede præstanda. 573. 1
Legatum incertum quoad quantitatem validum est, si sit ad piam causam, & tunc arbitrio boni viri determinanda est quantitas perpensis circumstantijs. 575. 11
Legatum distribuendum pauperibus potest ab executore testamentario distribui religiosis mendicantibus, & non habentibus annuos proventus. 576. 16
Legatum distribuendum pauperibus debet ita distribui, ut plures pauperes participent de tali legato, quamvis infra congruam sublevationem. 577. 21. Sin verò essent nobiles, qui summa laborarent paupertate, posset executor testamentarius ijsdem majorem portionem dare. ibid. 22. Neque paupertas, quando consideratur in ordine ad eligendos pauperes, quibus sit legatum distribuendum, debet considerari secundùm se præcisè, sed habita ratione conditionis, ac statûs personarum. 578. 23
Legatum ad piam causam non extinguitur, si cesset paupertas, cujus intuitu relinquitur. 579. 28
Legatum relictum pro aliquo determinato usu non potest converti in alium usum, etiam utiliorem intra genus piæ causæ. ibid. 29
Legatus à Latere spectato jure communi non potest dare certæ personæ expectativam, seu jus propriè dictum ad beneficium proximè vacaturum. 160. 32. Potest tamen certum beneficium reservare suæ collationi in favorem certæ personæ. ibid.
Legatus Pontificis potest etiam ex justa causa pensionem imponere. 311. 2
Lege Falcidia cavetur, nè liceat plus legare, quam dodrantem omnium bonorum. 580. 1
Lege divina, & naturali quisque habet jus offerendi Deo non solùm se ipsum, verùm etiam omnia sua bona, & jura. 606. 18
Leges punientes filios hæreticorum licèt sint odiosæ in ordine ad ipsos, sunt tamen favorabiles respectu Ecclesiæ, & fidei catholicæ. 320. 18
Legitima portio successionis in bonis parentum est debita liberis jure naturæ, quod intelligitur quoad originem, quatenus legitima succedit in locum alimentorùm. 372. 13
Leprosis, si congregentur sub communi vita, permittitur, ut sibi ecclesiam cum cœmeterio construant. 270. 7
Lex civilis non potest quidquam disponère, nec statuere speciatim de bonis patrimonialibus Clericorum, quia bona adhærent personæ. 19. 9
Lex vetus rudis fuit, ac veluti carnalis: lex verò Evangelica est spiritualis. 41. 25
Lex pœnalis quamvis ordinariè etiam ipso jure lata non obliget delinquentem ad executionem sine sententia Judicis saltem declaratoria: excipitur tamen nisi lex consistat in privatione, reddátque aliquem inhabilem ad inquirendum. 64. 5
Lex pœnalis si faveat Ecclesiæ extenditur etiam ad casus non expressos. 988. 8
Lex universalis negativa debet universaliter intelligi. 726. 4
Litteræ beneficiales sunt rescripta, quibus summus Pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia, & vocantur etiam mandata, eò quia solent Papa tunc mandare alicui conferri beneficium in aliqua ecclesia. 145. 1
Litteræ in forma *dignum*, & quæ inscribuntur: *rationi congruit: vel si alteri*, quænam sint, & quomodo differant. 146. 8
Litteræ beneficiales, & mandata Apostolica quomodo debeant interpretari. 150. 1
Litteræ super beneficiis obtinendis debent strictè interpretari, quia redolent ambitionem, & sunt odiosæ. 151. 9
Litteræ, quæ dantur *motu proprio* expressè sunt laxè interpretandæ, quia sunt favorabiles, & exclu-

excludunt omnem ſuſpicionem obreptionis. 152. 18
Litteræ beneficiales datæ à Papa in favorem excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti ſuum fortiuntur valorem, quia moris eſt, ut Pontifex à tali vinculo ſolvat eos, ad quos ſua reſcripta, & mandata dirigit. 157. 8
Litteræ ſedis Apoſtolicæ ſuper collationibus beneficiorum aliæ dicuntur de providendo, & aliæ vocantur executoriales. 161. 1. & ſeq.
Litteræ beneficiales quæ dantur à ſede Apoſtolica de beneficiis vacantibus ſolent in duplici forma concedi; ſcilicet in forma *gratioſa*, & in forma *dignum*. ibid. 3
Litteræ beneficiales de providendo non extinguuntur per mortem concedentis, quia decet beneficium conceſſum à Principe eſſe manſurum. 164. 25
Litteræ beneficiales, quæ dantur in forma pauperum, dicuntur litteræ juſtitiæ, vel quaſi juſtitiæ. 165. 30
Litteræ impetratæ ad beneficium non ſunt validæ, ſi de alterius colorata facti poſſeſſione mentionem non faciant. 246. 9
Litteræ beneficiales ſapiunt ambitionem, & in ipſis verba narrativa debent verificari omni eo modo, quo poſſunt, tam in jure, quàm in facto. 247. 11
Litteræ in forma *dignum* diriguntur ad Epiſcopum diœceſanum, vel ad Vicarium generalem, aut Officialem ejusdem Epiſcopi disjunctivè ad electionem impetrantis, adeò ut Vicarius Capitularis non poſſit exequi commiſſiones Apoſtolicas in forma *dignum*, nec alias directas Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali intuitu officij. 275. 28
Litteræ reſervationis penſionis poſſunt concedi vel abſolutè, vel conditionatè, & conditio poteſt in ijsdem diverſimodè apponi. 319. 15
Locatio temporalis facta abſque conſenſu Capituli, ſi poſtea eius conſenſus acceſſerit, rata habetur. 289. 15
Locatio rei eccleſiaſticæ facta ad decennium, ſi ſit indiviſibilis pro toto decennio corruit, ſecus toleratur ad primos annos, quia locatio triennalis permittitur à jure, nec irritatur per ſubſequentem locationem invalidam. 344. 10
Locatio eſt dantis, & conductio accipientis, & ſi ſeorſim ſumantur, locatio eſt contractus, quo res, vel perſona aliqua ad uſum, vel fructum pretio conceditur: & conductio eſt contractus, quo perſona vel res ad uſum, vel fructum comparatur pretio. 425. 1
Locatio, & conductio ſimul eſt contractus bonæ fidei ſolo conſenſu initus, quo de uſu rei alicujus, vel perſonæ pro certa mercede, ac pretio convenitur. ibid.
Locatio dividitur ratione rei locatæ, & res omnes, quæ vendi poſſunt, etiam locari poſſunt, niſi extet ſpecialis prohibitio. 425. 3
Locatio, ad quos tranſeat, & quibus pereat, & ex qua culpa locator, & conductor teneantur. 432. 1
Locatio fructuum fundi eccleſiaſtici facta cum debitis conditionibus, & requiſitis non extinguitur per mortem Prælati, ſi facta ſit nomine Eccleſiæ, & non ipſius Prælati. 434. 10
Locatio ad beneplacitum expirat per obitum ipſius locantis. 443. 16
Locatio triennalis per adjectam conditionem, quòd ſi ultimis ſex menſibus partes quieſcant, & nihil innovent, cenſeatur facta ad aliud triennium, eſt nullius valoris pro ſecundo triennio. 441. 6 & ſeq.
Locationes, quæ fiunt ad plures annos per anticipationem penſionis jure novo prohibitæ ſunt per Concilium Tridentinum; ob damnum ſucceſſoris, ſi anteceſſor decederet ante tempus locationis initæ. 289. 14
Locationi factæ à prædeceſſore ob plures cauſas tenetur ſucceſſor ſtare. 434. 18
Locator in quibus caſibus poſſit Inquilinum etiam invitum è domo locata, etiam ante tempus locationis finitum expellere. 428. 8
Lucrum perceptum ex depoſito apud Montem pietatis poteſt cohoneſtari ratione commodati. 397. 30
Lucrum ex pecunia depoſita apud montem pietatis, poteſt licitè percipi ratione translationis dominij, & privationis ejusdem. 398. 33
Lucrum perceptum ex depoſita pecunia apud montem pietatis poteſt cohoneſtari ex taxatione Principis, qui ſicut habet poteſtatem taxandi valorem monetarum, ita ineſt eidem poteſtas taxandi fructum, qui percipi poteſt ex depoſitatione pecuniæ apud montem pietatis. 398. 35
Lucrum in communi æſtimatione non cenſetur, niſi quod ſupereſt, deductis expenſis. 674. 5
Ludi theatrales prohibentur fieri in eccleſijs, imò etiam à Clericis in ſacris conſtitutis. 23. 12

M.

Magiſtratus ſæcularis non poteſt prohibere, nec impedire, quo minùs victus, & veſtitus, & alia neceſſaria ad victum deferantur ad Reum. 1001. 18
Mandata Apoſtolica, quæ nunc expediuntur Romæ pro beneficijs vacantibus, ſunt in pluribus differentijs, alia enim ſunt in forma pauperum, alia dicuntur reſcripta juſtitiæ, alia reſcripta gratiæ. 146. 6
Mandata Apoſtolica de beneficijs conferendis debent ſtrictè interpretari, adeò ut ſi dicant, ut quis provideat de beneficio habenti plura, non extendantur niſi ad duo ſine cura. 150. 2
Mandatarius non eſt neceſſe, ut tunc ſit capax beneficij, quando mandatum Apoſtolicum datur, ſi hoc detur de beneficio vacaturo, ſed ſufficit, ſi ſit capax beneficij, quando illud obtinet, ac ei confertur. 149. 30
Mandatarius parum differt à Procuratore ad negotia. 366. 3
Mandatarius generatim non tenetur niſi de dolo, & culpa lata, ſin verò mandatum fuerit in commodum utriusq; tenetur etiam de levi. 367. 4
Mandatum Papæ, ut provideatur Petro de beneficio pertinente ad collationem Capituli, non extenditur ad beneficia, quæ Canonicus aliquis ut ſingularis ſolet conferre. 153. 23

Mandatum generale providendi alicui de beneficio ecclesiastico non intelligitur de canonicatu, nec de præbenda episcopali. 154. 30
Mandatum Apostolicum ut ratum sit, debet clericus, cujus gratia Papa rescribit, capax esse beneficij, non tempore, quo litteræ datæ impetrantur à Papa, sed eo tempore, quo illud vacat, ac ei confertur. 156. 5. & seq.
Mandatum de providendo cessat per revocationem 164. 22. Non tamen gratia concessa à Papa extinguitur per mortem concedentis, quamvis res sit integra, adeò ut non cesset gratia, nisi revocetur à successore. ibid. 24
Mandatum de providendo factum alicui ratione paupertatis, hac cessante expirat mandatum, quod cessat unà cum causa. 165. 29
Mandatum conditionale Papæ non afficit potestatem Ordinarij, vel alterjus collatoris ante purificatam conditionem etiam adjecta conditione irritante. 244. 13
Mandatum est gratuita susceptio aliquid exequendi, quod ab alio formaliter, vel virtualiter injungitur. 366. 2
Mandatum Procuratori ad lites datum post inchoatam litem, vel inceptum judicium, non licet ampliùs mandanti revocare, benè tamen ante inchoatam litem. 367. 4.
Mandatum in pluribus casibus potest durare etiam post obitum mandantis. ibid. 5
Mandatum expirat per revocationem mandantis re integra, & pluribus alijs modis. 367. 6
Mares in successione descendentium semper succedunt in infinitum in feudo. 470. 9
Maritus si invita uxore initietur sacris Ordinibus, tenetur reddere debitum uxori petenti, non verò potest ipse debitum petere ab uxore. 12. 21
Maritus consentiente uxore potest in quinque casibus rem dotalem vendere. 403. 9
Maritus, quia tenetur sustentare uxorem, & sustinere onera matrimonialia, acquirit sibi fructus pignoris, donec promissa dos ipsi solvatur. 489. 19
Maritus gaudet privilegio competentiæ, & in restitutione dotis tantùm condemnatur in id, quod facere potest. Ob eandem societatem vitæ competit etiam hoc privilegium uxori, si à marito conveniatur ex promissione dotis. 511. 11
Maritus sepeliendus est in sepulchro uxoris, si specialiter non elegerit aliam sepulturam. 631. 17
Maritus sine consensu uxoris non potest religionem ingredi, neque in illa profiteri, & si profiteatur, professio est nulla, nec ratificatur per solam mortem uxoris. 732. 12
Maritus, si absque licentia uxoris fuerit ingressus religionem, in qua professionem invalidam emisit, non potest uxor post professionem mariti ingredi religionem non petito consensu mariti, cujus professio est nulla. 732. 14
Maritus infidelis, si nolit converti ad fidem, & velit cum sua uxore fideli pacificè cohabitare, an sit ei permittendum. 738. 1. Et an uxor fidelis possit tunc nubere viro fideli. 239. 2
Maritus infidelis an possit transire ad secundas nuptias, si eius uxor fidelis in casu sibi permisso matrimonium solverit. 739. 5
Masculus jure antiquo anno quarto decimo completo ætatis, & mulier anno duodecimo admittebantur ad religiosam professionem, sed de jure novo nonnisi post annum ætatis 16. completum, aliàs invalida est professio neque quoad hoc malitia supplet ætatem. 689. 1
Materia remota cujusvis Ordinis generatim est res, quæ traditur, proxima ejus traditio, vel acceptio, & in hac traditione requiritur contactus physicus, & realis saltem alicujus ex instrumentis, quando plura per modum unius porriguntur. Forma sunt verba, quæ proferuntur à conferente ordinem. 9. 4. & seq.
Materia voti debet esse in potestate voventis moraliter bona, & melior, quàm oppositum. 748. 1
Materia consecranda in corpus, & sanguinem Christi debet esse sacerdoti moraliter, seu sensibiliter præsens. 928. 7
Matrimonium Clericis inhibetur, eò quia indecens est, sacerdotes uxoriæ simul, & rei divinæ vacare. 12. 15
Matrimonium spirituale initum cum Deo mediante professione religiosa est fortius, & prævalet matrimonio carnali. 699. 1
Matrimonium ratum per religiosam professionem probabiliùs solvitur tantùm jure ecclesiastico. 735. 27
Matrimonium infidelium licèt consummatum potest dissolvi, si alter conjux convertatur ad fidem, & alter pertinax in sua infidelitate nolit cohabitare cum conjuge fideli. 737. 2
Matrimonium conversi initum cum infideli ante conversionem non dissolvitur, donec conversus transeat ad aliud matrimonium. 740. 7
Matrimonium initum, & consummatum inter infideles in statu infidelitatis an ex justa causa possit postea à Pontifice dissolvi, si ambo conjuges convertantur ad fidem. ibid. 10
Matrimonium infidelium recèns ad fidem conversorum, tunc primum induit rationem Sacramenti, quando post baptismum ratificatur per novum mutuum consensum præcedens matrimonium. 741. 14
Matrimonium, cui assistit nomine Parochi Presbyter non baptizatus, non est iterandum. 926. 4
Meliorationes factæ à Rectore Ecclesiæ, vel beneficiario in terris, agris, vel vineis pertinentibus ad beneficium ecclesiasticum pertinent ad beneficiarium quamdiu vivit, & post ejus obitum ad Ecclesiam. 550. 16
Mensa Ecclesiæ, & Episcopalis, quæ bona dicatur comprehendere. 337. 19
Merces sub finem nundinarum minoris æstimantur, ac viliori pretio divenduntur, quàm in principio. 406. 26
Merces quæ frequentiùs venduntur pecuniâ creditâ, quàm numeratâ, an possint cariùs vendi? 422. 40
Merces pecuniaria in locationibus debet esse juxta regulam æquitatis, & justitiæ. 427. 12
Nec videtur posse committi arbitrio incertæ personæ. ibid. 13
Merces locationis ex conducto solvenda est, eo tempore prout contrahentes paciscuntur. 427. 14

Digitized by Google

Metus alius est gravis, alius levis, ille vel absolutè, qui cadit in constantem virum; vel respectivè, quia tametsi uni non videatur malum formidabile, alteri tamen esse tale videtur. 364. 10

Metus cadens in virum constantem comprehendit etiam metum reverentialem, si conjunctus sit cum minis, vel verberibus. Imò accensentur etiam preces importunæ superiorum. 364. 10

Metus reverentialis in foro conscientiæ exhibet sufficientem causam, ut implorato Judicis officio rescindatur contractus initus ex tali metu, præsertim, si hic efficiat consensum secundùm quid involuntarium. 365. 13

Metus gravis etiam justè incussus, an irritet religiosam professionem, & matrimonium. 1457 & seq.

Milites prohibentur fideiubere, ne à militia abstrahantur. 500. 2

Minister Sacramenti Ordinis, ut validè, & licitè Clericos promoveat ad Ordines ecclesiasticos debet ex sua parte ab omni irregularitate, censura, aliisque impedimentis, ut etiam à peccato mortali esse liber, nec debet ordines conferre nisi suis subditis, vel alienis de proprij Prælati licentia. 10. 9

Minister an urgente mortis periculo possit baptizare in aqua dubia sub conditione? 911. 4

Minister Ordinarius baptismi est solus Parochus, & sacerdos. 915. 13. Urgente tamen necessitate potest quilibet baptizare præsertim Obstetrices, quæ tenentur addiscere formam baptismi, saltem vernacula lingua. ibid. 13. & seq.

Minister non incurrit irregularitatem si baptizans parvulum, mors eidem ex ablutione accelereretur. 920. 10

Minor si in contractu à se inito damnum fuit passus, restituitur in integrum. 376. 13. & seq. Imò etiam læsus ex quasi contractu, ut quia damnosam hæreditatem sibi testamento delatam acceptavit, quamvis authoritate Tutoris, & Curatoris, restituitur in integrum, & non obligatur creditoribus defuncti, & legatariis. ibid. 14

Minorennes sine authoritate curatoris, & pupilli sine facultate tutoris non possunt esse fidejussores. 499. 1. Excipitur tamen si minor fidejubeat pro patre incarcerato. ibid.

Minorennes donare non possunt nisi ratam habeant donationem post expletum annum 25. 530. 4

Minorennibus, si in emptione rei fuerunt graviter læsi, quamvis non ultra dimidium, adhuc subvenitur per remedium extraordinarium restitutionis in integrum. 412. 5

Minor potest esse executor testamenti, dummodo compleverit annum ætatis 17. 584. 2

Minores, & Pupilli finita tutela, & cura tenentur stare locationi factæ à Tutore, vel curatore. 433. 4. Conceditur tamen minorenni restitutio in integrum, si notabiliter se læsum compererit. ibid.

Missa inchoata, ex quibus causis relinqui possit? 902. 10. & seq.

Missa, si relinquatur imperfecta, incurritur excommunicatio, non latæ, sed ferendæ sententiæ. 900. 2. Imminente tamen mortis periculo potest relinqui imperfecta: non tamen postquam una species est consecrata, quia tunc tenetur Sacerdos, & aliam consecrare, sacrificium perficere, & utramq; speciem statim sumere. 901. 4

Missa an possit à Sacerdote interrumpi, & quando? 903. 18

Missa urgente spirituali aliqua necessitate proximi, quomodo possit interrumpi, & in quo casu? 904. 22

Missa ante consecrationem potest interrumpi pro ministranda extrema Unctione moribundo. 905. 24

Missa, quam vocant siccam, an licita sit? 907. 32

Missa, & officium ratione reliquiæ insignis, qua authoritate possit celebrari. 955. 7

Missæ sacrificium fuit à Christo institutum, adeò ut obligationi naturali accesserit etiam obligatio divina determinans sacrificium offerendum. 891. 3

Missæ non possunt nisi illæ legi, quæ sunt approbatæ à sede Apostolica. 908. 34

Missæ certis Regularibus concessæ, an possint legi ab aliis in ipsorum regularium Ecclesijs? 909. 37

Modi quibus beneficia ecclesiastica acquiruntur, sunt sex, & explicantur. 105. 1

Modica spectant ad administrationem Ecclesiæ, & administratio pertinet principaliter ad suum Prælatum. 286. 8

Modus conferendi beneficium absenti per intermediam personam est duplex. 98. 18

Monachi ij propriè dicuntur, qui vitæ contemplativæ sunt addicti, adeò ut mendicantes assiduè versantes inter homines propriè non sint Monachi, ut nec etiam Clerici Regulares, adeò ut alia sit Religio Clericorum, & alia Monachorum. 681. 2

Monachi spectato solo jure communi canonico, & seclusis privilegijs subjiciuntur Episcopis. 772. 3

Monachi non possunt soli commorari in parochiis incorporatis proprio monasterio. 799. 12

Monachi, & Regulares possunt erigere altaria in quolibet decenti loco sui monasterij. 804. 16

Monachis licitum est aliena prædia conducere, quando ad honestam sustentationem non sufficiunt. 17. 26

Monachus sibi proponens tantùm servare regulam quoad ea, quæ sunt sub mortali, non quoad alia, an sit in statu peccati lethalis? 775. 1

Monachus ratione voti castitatis tenetur abstinere non solùm à conjugio, verùm etiam ab omni actu venereo, sive interno, sive externo, adeò ut teneatur coërcere turpes cogitationes, & delectationes morosas. ibid. 4

Monachus non est præficiendus Ecclesiæ regulari habenti populum, & annexam curam animarum. Sed jure novo, & ex hodierna praxi Monachi præficiuntur. ibid. 2

Monasteria non tenentur ad solutionem charitativi subsidij ex lege diœcesana, à qua sunt exempta. 851. 7

Monasterium quod non potest retinere bona immobilia, sed tantùm adire eorundem possessionem ad effectum ea vendendi, potest succedere in bona immobilia fideicommissa ad effectum ea alienandi. 342. 15

Mona-

Monaſterium ſuccedit per profeſſionem in bona Religioſi, de quibus ante ſolemnem profeſſionem non diſpoſuit. 600. 6
Monaſterium incapax poſſidendi bona immobilia, & quod excludit ſubſtitutum, adhuc poteſt ſuccedere in fideicommiſſum ad effectum illud alienandi. 604. 13
Monaſterium incapax poſſidendi bona immobilia, quando ſuccedit in bona Religioſi, non accipit eorum dominium ſecum trahens diuturnam poſſeſſionem, ſed tantùm accipit dominium ad effectum illa vendendi. 605. 13
Monaſterium poteſt alienare fideicommiſſum ad ſe devolutum per profeſſionem Religioſi, tametſi Teſtator expreſsè prohibuerit talem alienationem. ibid. 14
Monaſterium licèt excludatur à ſubſtituto, adhuc poteſt percipere hæreditatem ad effectum eam vendendi pro tempore vitæ naturalis religioſi, ratione cujus monaſterium ſuccedit. 605. 15
Monaſterium an teneatur Religioſo dimiſſo, vel ejecto non habenti unde congruè ſuſtentetur, ſubminiſtrare alimenta? 719. 41
Monaſterium poteſt expellere Religioſum nulliter profeſſum, poſtquam ejus profeſſionis nullitas ei innotuerit. 734. 25
Monialis S. Dominici, ſi ex judicio Medici ſit mox moritura, poteſt ante annum completum probationis profeſſionem emittere, dummodo habeat ſufficientem ætatem. 690. 2
Monialis tranſiens ad aliud monaſterium, non defert ſecum dotem datam priori Monaſterio, ſi ſponte ad aliud tranſeat. 721. 46
Monopolium eſt multiplex, & præſertim, quando penes unum aliquem tantùm exiſtit poteſtas vendendi, qui ſi augeat pretium rerum propriæ deſervit avaritiæ, & alijs eſt damno. 411. 10. Eſt etiam monopolium, quando inter ſe mercatores conveniunt, ne quis eorum vendat merces, niſi certo quodam pretio, quod ipſi ſtatuerint, ut etiam quando inter emptores habetur conventio, ne quis eorum pluris emat merces, quàm ipſi decreverint. ibid.
Mons Pietatis eſt quædam ſumma pecuniæ, vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubveniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum. 394. 16
Mons pietatis non conſtituitur, niſi quinque concurrant conditiones. ibid.
Mons pietatis quamvis non reſtituat eandem numero pecuniam, reſtituit tamen eandem ſpecificè, quod ſufficit, ut contractus depoſiti poſſit eſſe contractus locationis. 397. 32
Monſtrum genitum ex viro, & fœmina debet baptizari, quòd ſi eſſent duo corpora unita in pectore, & ventre, & haberent duo capita, quatuor brachia, totidem pedes, deberet tunc baptiſmus conferri ſemel abſolutè, & iterum conditionatè, ſi dubitaretur, an in tali corpore eſſent duæ animæ reales. 913. 3
Montes pietatis ſunt honeſti, & liciti, & anathemate percutiuntur docentes oppoſitum. 395. 18
Montis pietatis Miniſtri poſſunt aliquid exigere à mutuatariis pro conſervatione montis, & pro expenſis neceſſarijs, ibid. 20
Morbus, vel convaleſcentia, ſi talis ſit, ut impediat conſuetas functiones, ſufficit ad eximendum à lege jejunii. 953. 21
Moribundus ſi die Paſchatis communicaret per modum Viatici ſatisfaceret utrique præcepto divino, & eccleſiaſtico. 933. 15
Moriones, Hiſtriones, Claudi, Sudaſtri, cùm nequeant ad Clericatum promoveri, non debent religionem ingredi: ſi tamen ingrediantur, & profeſſionem emittant, hæc erit valida. 689. 29
Moriens non electâ ſepulturâ ſepeliendus eſt in parochia, ſi commodè poſſit, & careat ſepulchro Majorum, vel ad ipſum non poſſit commodè deferri. 610. 1
Morum probitas neceſſaria eſt ad beneficia eccleſiaſtica obtinenda. 96. 8
Mulier ſicut in matrimonio prohibetur plures habere viros, ita in matrimonio ſpirituali prohibetur Eccleſia plures habere Prælatos. 228. 3
Mulier ſi in rem ſuam, vel proprium utilitatem fidejuſſerit, vel ſi accepto pretio pro fidejuſſione, vel addito juramento ad confirmandam fidejuſſionem pro alio fidejuſſerit, tenetur ſtare fidejuſſioni, ſi conſcia erat privilegij 502. 18
Mulier habens virum inutilem in favorabilibus venit nomine viduæ, & poteſt participare de legato relicto pro viduis. 578. 24. Cauſa enim finalis Teſtatoris eſt ſublevare fœminas, quæ deſtituuntur ope mariti. ibid. 27
Mulier infidelis recèns converſa ad fidem, ſi nubat viro fideli, an ſolvatur primum matrimonium initum cum infideli. 739. 5
Mulier, quæ in lege veteri maſculum pepeperat, erat immunda 40. diebus, & quæ fœminam octoginta. 960. 6
Mulieres viventes collegiatim inſtar religioſarum, & quæ vulgo dicuntur Tertiariæ quamvis non ſint regulares, nec profeſſionem emittant, ſi tamen ſubijciantur Epiſcopo, à quo normam vivendi, ac veſtium formam accipiant, cenſentur gaudere privilegio religioſarum. 7. 6
Mulieres conjunctæ in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, ſi ſuſpectæ non ſint, permittuntur cum ſacerdote habitare. 32. 1. & ſeq. Id tamen procedit dummodo ſacerdos ſit ſolus, quia ſi plures alij cum ipſo in eadem domo morarentur, non poſſent tales mulieres, etiam ſibi ſanguine junctas habere domi. ibid. 3
Mutuum quomodo differat à commodato. 381. 7. & ſeq.
Mutuum dicitur quaſi de meo tuum, quia per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur de mutuante ad mutuatarium. Eſtque mutuum contractus nominatus. 513. 1
Mutuum differt à commodato, & permutatione, & poteſt tantùm celebrari de ijs rebus, quæ recipiunt functionem, ſeu quarum una dari, & ſubſtitui poteſt locò alterius. ibid. 2
Mutuum quinque modis dividi ſolet in naturale, & civile: in numero, vel in pondere: ad certum, vel incertum tempus; ad utilitatem, & commodum illius, qui accipit: in expreſſum, & tacitum. 514. 3. & ſeq.

N.

NEgotia, quibus clerici prohibentur se immiscere, quænam sint. 1012. 1

Negotiatio merè lucrativa, quâ aliquid emitur, ad eum finem, ut prorsus immutatum cariùs vendatur Clericis, & Religiosis non est licita. 1012. 3

Negotiatio fit quando merces eo animo emuntur, ut cariùs distrahantur lucri causâ. 1013. 5

Negotiatio prohibetur Clericis constitutis non solùm in sacris ordinibus, sed etiam in minoribus, si competens habeant beneficium. 1013. 8

Negotiorum gestorum quasi contractus habetur sine expresso mandato: sufficit enim negotiorum gestori, si negotia utiliter gesserit, quod quadrupliciter fieri potest. 367. 7

Nepotes succedunt avo tantùm in stirpes, & non in capita. 601. 1

Nepotes succedunt avo in locum patris jure repræsentationis, quatenus repræsentant Patrem. 602. 2

Nomine rei propriæ intelligitur omne id, quod quomodocunque habet suum verum, & reale esse, seu est aliquid. 361. 33

Notabilis summa pecuniæ destinata pro emendis bonis immobilibus, aut mobilibus pretiosis non potest impendi pro emendis bonis mobilibus, usualibus, quæque usu consumuntur. 355. 7

Notorium est jus, vel factum transiens in notitiam omnium, vel majoris partis eorum, & est triplex. 29. 15

Notorium facti est, quod ita populo innotescit, vel ejus majori parti, ut nullâ tergiversatione, aut negatione celari possit, ad quod tamen requiritur, ut facti circumstantiæ, & qualitates sint notoriæ. 30. 16

Notorium facti aliud est permanentis, aliud transeuntis, & aliud interpolati. ibid. 17

Novalia si non sint intra fines alicujus certæ parochiæ eorum decimæ pertinent ad Episcopum, qui potest eas suis necessitatibus, aut usibus applicare, vel alicui ecclesiæ, aut loco pio deputare. 666. 4

Novitiatus debet essentialiter peragi in habitu illius religionis, quam quis fuit ingressus. 691. 7

Novitij in religionibus approbatis gaudent privilegio fori, & si delinquant puniuntur à suo Prælato regulari. 20. 16

Novitij qui nondum solemnem professionem emiserunt in religione, possunt prout ipsis magis libuerit testamentum condere, ac de suis bonis disponere absque superioris licentia, sed ad id requiruntur solemnitates juris communis. 565. 21

Novitij ex honestate, & decentia obligantur ad servanda statuta, & præcepta superiorum Regularium, non tamen per se primò, & directè, & sub culpa. 692. 14

Novitii obligatio facta ante professionem ut irrevocabiliter valeat, tria debent concurrere 693. 15

Novitius decedens sine electione propriæ sepulturæ est sepeliendus in Ecclesia monasterij, in quo decedit. 614. 6

Novitius qui professionem emittit in locis non deputatis potest intra quinquennium reclamare. 691. 8

Novitius ante annum probationis potest liberè exire, & ad sæculum redire, si nondum tacitè, vel expresse professionem emiserit, nec tenetur ab ullo facultatem petere. 692. 11. Excipiuntur tamen tres casus, in quibus Novitius in probatione existens, non potest etiam ante annum probationis expletum à religione egredi ex jure antiquo, non ita ex jure novo. ibid. 13

Novitius nonnisi à Prælato simul cum Conventu admittitur ad professionem, adeò ut requiratur consensus saltem majoris partis ejusdem Capituli. 694. 2

Novitius, si emitteret professionem religionis, non suscepto habitu religioso proprio, adhuc esset professus, quia habitus Monachum non facit. 695. 6

Novitius, ut validè emittat professionem, debet esse sui juris. 698. 23

Numerus Canonicorum, & Regularium non est augendus ob modicum augmentum redituum. 222. 14

Numerus Canonicorum, vel Regularium potest imminui, si reditus Ecclesiæ, vel Monasterij notabiliter decrescant, adeò ut non sufficiant pro sustentando numero confirmato à Papa, id autem procedit, si decrementum redituum existimetur futurum stabile. ibid. 15

Nuntij possunt conferre beneficia simplicia non excedentia valorem 24 Ducatorum de Camera, quamvis vacent in mensibus Ordinarij. 114. 6

Nuntij possunt conferre etiam beneficia, quæ gaudent nomine eorum, quæ non sunt simplicia, dummodo verò sint beneficia simplicia, quæ non obligent ad residentiam, nec sint beneficia collegialia, nec ullam habeant administrationem. ibid. 7

Nuntius Apostolicus habet facultatem ordinariam circa ea omnia, quæ ipsi ut Nuntio Sedis Apostolicæ conceduntur, adeò ut ejus facultas non censeatur expirare per mortem Pontificis. 113. 2

O.

OBlatio generatim sumpta est rei alicujus non petitæ spontanea largitio, quæ si fiat homini, dicitur donatio: si Deo, oblatio. 672. 5

Oblationes, quæ fiunt in Ecclesia, pertinent ad Pastorem, & Prælatum ejusdem. 672. 8

Oblationes, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, in quibus non habent regulares jura Parochialia, pertinent ad ipsos regulares. 672. 10

Obligans operam suam singulis in solidum, an teneatur eam præstare pro singulis seorsim. 443. 18

Obligatio residendi est duplex, una tantùm ad fructus lucrandos; & alia, quæ est magis propria residendi, in ordine ad præstandum servitium Ecclesiæ. 49. 2

Obligatio beneficiarij in ordine ad solvendam pensionem transit ad ejus successores in beneficio. 310. 26

Obligatio contractûs dependet à consensu, & vo-

luntate contrahentium. 364. 6
Obligatio in quasi contractu oritur ex pluribus causis. 367. 6
Obligatio non oritur ex culpa juridica, nisi verè, & in effectu fuerit causa damni illati. 382. 4
Obligatio in commodatario restituendi rem sibi commodatam oritur ex duplici capite, ratione usus, si commodatum pereat, vel deterius fiat. ibid. 5
Obligatio solvendi pensionem emphyteuticam est individua, & pœna ab omnibus hæridibus contrahitur, quamvis unus tantùm ex illis delinquat. 436. 9
Obligatio pignoris oritur ex triplici causa. 484. 2
Obligatio, quâ creditor tenetur fructus in sortem computare, descendit ex ipsa re, eò quia sint fructus rei oppignoratæ restituendi debitori. 488. 12
Obligatio principalis debitoris si sit nulla, est etiam invalida illa fidejussoris, quando hic rogatus fidem suam obstrinxit. 506. 8
Obligatio non oritur nisi ex mutuo duorum consensu. 526. 3
Obligatio suppeditandi alimenta moniali non oritur ex ipsa dote, sed ex natura emissæ professionis. 721. 47
Obligatio orta ex voto distinguitur ab obligatione orta ex præcepto. 751. 17
Obligatio cessat, si notabilis superveniat mutatio, vel difficultas circa materiam, quæ si prævisa fuisset, votum non fuisset emissum. 754. 3
Obligationes pensionarij sunt, ut si sine causa pensionem exigat, tutus sit in conscientia, si imposita fuerit pensio à Papa: Secus si ab inferiore Prælato tenetur Pensionarius recitare officium parvum B. Virginis. 308. 12
Obligationes, quæ oriuntur inter commodantem, & commodatarium explicantur. 382. 1. & seq.
Obligationes venditoris, & emptoris sunt quinque, quæ recensentur. 406. 1
Obligationes, quas ex contractu emptionis, & venditionis emptor contrahit, sunt quatuor, quæ explicantur. 408. 8
Obligationes, quæ ex pignore oriuntur, aliæ pertinent ad debitorem, & aliæ ad creditorem. 488. 1
Obligationes ortæ ex mutuo plures sunt. 518. 2
Officia publica, si sint merè profana, vendi possunt, nec Princeps ullo jure obligatur ad danda hujusmodi officia omninò gratis. 405. 18. In tali tamen venditione servandæ sunt tres conditiones. ibid. Quæ si negligantur, innumera inde damna Reipublicæ, & civibus, ac subditis oriuntur. ibid. 19
Officia publica ex eo, quòd vendantur, plura oriuntur incommoda, quia qui plus alijs abundant pecuniâ, solent hujusmodi officia emere, quamvis in ijsdem obeundis deprehendantur minùs idonei. 405. 20
Officia publica soli Principes, qui in civilibus, & profanis nullum agnoscunt superiorem vendere possunt. ibid. 21
Officia non multiplicantur in eadem Ecclesia, eò quia plures in eadem serventur reliquiæ ejusdem Sancti, vel eorum Sanctorum, qui eadem die passi sunt. 945. 9
Officium habet administrationem sine jurisdictione fori externi, & competit Custodi, Sacristæ, Thesaurario, Primicerio, in quibus tamen attendenda est Ecclesiarum consuetudo. 92. 2
Officium Coadjutoris est Episcopi, vel Rectoris curam gerere, ut etiam Ecclesiæ, ac populi. 206. 17
Omittenti petere renovationem investituræ conceditur purgatio moræ. 475. 12
Onera imposita prædijs pertinentibus ad Ecclesias, vel Ecclesiasticos sunt mixta, & immunia à tributis, & exactionibus impositis à Principe laico. 226. 14. Possunt tamen Principes sæculares exigere ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis contributiones in aliquibus casibus, si consensus Pontificis accesserit. 297. 23. & seq.
Onus probandi incendium domûs contigisse ex culpa conductoris est injungendum locatori. 431. 10
Opera, quæ fiunt ex justitia, vel obligatione officij, vendi nequeunt, adeò ut Judex pro sententia, testis pro testimonio ferendo, nil paciscì, & accipere possit. 420. 30
Opera multis præstita non est tam utilis, ac commoda singulis, quàm uni soli exhibita, neque operans potest tantum exigere à singulis, quantum ab uno solo, si ei totam operam impenderet. 443. 10
Oppignorans merces alienas id præstat, ut creditor servetur indemnis, proinde illas oppignorat ut proprias. 499. 10
Opus ad quod ex præcepto naturali, vel positivo, quis obligatur, potest esse materia voti. 750. 10
Oratoria privata non gaudent privilegio immunitatis, quamvis ibi missæ legantur. 978. 15
Oratorium per quid dicatur differre ab Ecclesia. 857. 14
Oratorium privatæ domus si sit permanenter dicatum cultui divino, & pateat cuilibet volenti ingredi, potest Episcopus concedere, ut in ipso missa celebretur. 858. 1
Ordinarius potest tantùm concurrere simul cum Nuntio ad conferendum beneficium, non verò potest illud ita conferre, ut excludat Nuntium. 114. 13
Ordinarius quoad dispensationes matrimoniales possunt alijs informationem committere, non verò ipsam dispensationem. 162. 8
Ordinarius habet suam intentionem fundatam in jure communi, juxta quod provisio omnium beneficiorum suæ diœcesis ad ipsum pertinet, dummodo non constet esse reservata. 178. 30
Ordinatio communis Ecclesiæ per contradictionem, & appellationem illius, cujus non interest, non impeditur. 301. 12
Ordinatus intra annum ab obitu Episcopi contra formam Tridentini, adhuc videtur esse capax beneficij ecclesiastici, quia non amittit privilegium ipso jure, sed tantùm est privandus per sententiam ferendam à Judice. 255. 13
Ordines non solùm majores, sed etiam minores participant rationem Sacramenti, quamvis non dicantur sacri, eò quia personam non addicant immu-

immutabiliter divino cultui, ut majores, qui propterea dicuntur sacri. 9 4
Ordinum religiosorum varietas expedit, ut sit in Ecclesia ob diversas hominum Nationes, complexiones, & naturas. 709. 1
Ordo est Sacramentum, quo spiritualis potestas, & officium traditur, institutum à Christo, qui ejus materiam, & formam determinavit, & licèt plures sint ordines quoad varias functiones, ac plura munia, omnes tamen sunt unum Sacramentum ratione finis, & tendentiæ ad Sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium ritè, ac reverenter celebrandum. 9. 3
Ordo prælationis attenditur in ordine scripturæ, adeò ut is dignior censeatur, qui priùs nominatus fuit, sicut ubi agitur de vitio primò nominatus censetur magis vitiosus. 161. 38
Ordo succedendi in bonis allodialibus, si deficiant consanguinei, licèt tribuatur marito, & uxori, non tamen id procedit in feudalibus, nisi aliter expressum fuerit in pacto feudali. 472. 23

P.

PActum permutandi rem existentem cum altera nondum existente est permutatio inchoata non perfecta. 455. 4
Pactum legis commissariæ licèt admittatur in emptione, utroque tamen jure canonico, & civili prohibetur in pignoribus. 490. 1. Imò etiam prohibitum est jure naturali, & divino, eò quia sit per se iniquum. 491. 3
Palatia Episcoporum gaudent privilegio immunitatis. 977. 9
Papa ex justa causa potest concedere, ut beneficiarius perpetuò absit ab Ecclesia. 50 4
Papa dispensare potest in pluralitate beneficiorum liberè, ubi pluralitas tantùm adversatur juri communi. 119 22
Papa si motu proprio provideat de beneficio habenti alia beneficia, vel cum cura animarum, vel sine cura, quamvis non faciat mentionem de aliis beneficiis, provisio valet, dummodo litteræ Pontificiæ expresè contineant verba significantia motum proprium. 128. 18
Papa si rescribat ad inferiorem Prælatum, ut alicui provideat de beneficio in aliqua Ecclesia, intelligitur tantùm de beneficio simplici, non verò de dignitate, & Rectoria. 153. 19
Papa si mandet provideri aliquibus in Ecclesia de dignitatibus, personatibus, aliisq; beneficijs, quibuscúnque nulla facta mentione de cura animarum ex vi talis mandati, non possunt ijsdem provideri beneficia, & dignitates, quibus annexa est cura animarum. ibid 20
Papa si mandet provideri successivè primo de Præbenda, secundo de Præbenda, & dignitate simul in eadem Ecclesia, & Præbenda vacans sit annexa dignitati, præfertur secundus, cui est danda. 160. 29
Papa tanquam Christi Vicarius ob plenam, quam habet potestatem in ordine ad ea, quæ in beneficiis sunt juris positivi, potest instituere Clericos in omnibus beneficiis ecclesiasticis, sive hæc sint electiva, sive collativa, perpetua, & temporalia. 214. 6
Papa ex plenitudine potestatis potest beneficia conferre, cui magis libuerit. 223. 18
Papa quando dat executorem ad providendum censetur ad se, vel ad suum executorem revocare potestatem providendi, & ordinarium collatorem eadem privare. 243. 9
Papa, si det Expectativam primò vacaturam alicui, & ejus successor det similem secundo, deinde tertio, & in suis Apostolicis litteris apponat, ut præferatur provisus à suo prædecessore, tunc prima præbenda est danda secundo, & secunda, vel tertia primo. 244. 12
Papa quando revocat gratias, & expectativas includit canonicos receptos expectantes distinctam præbendam, tametsi percipiant distributiones quotidianas. ibid.
Papa solus potest pensionem imponere beneficijs ecclesiasticis de jure communi ob plenissimam, quam habet potestatem disponendi de beneficijs. 311. 1
Papa potest declarare tam legem divinam, quàm naturalem, quòd in aliquo peculiari casu non obliget, idque ex mutatione facta in materia, dummodo declaratio rationabilis sit. 396. 24
Papa citra consensum Patroni potest beneficia conferre. 829. 5
Parentes licèt in testamento non debeant plus uni filio relinquere, quàm alijs, moris tamen est plerisque in Provincijs, ut solus natu major succedat in bonis omnibus paternis, & maternis, nec id est contra justitiam. 590. 6
Parochi potestas ordinaria non se extendit ad ferendam excommunicationem, nec alias censuras ecclesiasticas. Licèt hanc potestatem possint habere ex consuetudine præscripta. 638. 20
Parochi, quando plures concurrunt simul, regulares, & sæculares, attendenda est quoad præcedentiam majoritas, & prærogativa Ecclesiæ. In funeralibus tamen præcedit Parochus, in cujus templo defunctus est sepeliendus. 642. 9
Parochi, & Curati ex privilegio possunt sibi confessarium eligere. 645. 22.
Parochi, & alij Curati per se, & ratione propriæ Personæ non obligantur spectato jure communi canonico ad decimas solvendas debito personali, licèt obligari possint debito reali. 657. 15
Parochi quomodo debeant se gerere cum populo, & qualis modestia in victu, & vestibus ipsum deceat. 635. 3. & seq.
Parochia est totus ille urbis, vel Pagi tractus, in quo habitat populus Ecclesiæ alicui deputatus in ordine ad suscipienda Sacramenta, & audiendum verbum Dei. 638. 1. Sumitur etiam parochia pro ipsa Ecclesia habente populum certis limitibus distinctum cum potestate fori pœnitentialis, seu ligandi, & solvendi, & ministrandi Sacramenta subditis. 633. 2
Parochia non dividitur ob auctam populi multitudinem, sed illi adduntur Ministri Coadiutores. 635. 6
Parochiæ pertinentes ad jus patronatus laicorum non conferuntur per concursum. 819. 25
Parochiani vocantur, qui intra limites assignatos Ecclesiæ parochialis domicilium posuerunt, in

quo habitant, sive sint clerici, sive laici, & subjiciuntur Parocho, in cujus parochia commorantur. 639. 1
Parochiani non possunt Parochum sibi eligere, nec nominare, sed tantùm possunt Episcopo humiliter supplicare pro certa, & speciali persona idonea. 640 6
Parochiani nonnisi solemni ritu, & coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij consensu, & licentia in facie Ecclesiæ possunt nuptias contrahere. ibid. 7
Parochiani deficiente Parocho tenentur contribuere ad restaurationem Ecclesiæ. 640 8
Parochianus, si habeat domicilium in duabus parochiis, licèt sex menses moretur in uno, & alios sex in alio dicitur Parochianus proprius utriusque Parochi. 639. 2
Parochianus si ex una Parochia transferat suum domicilium in aliam, primus Parochus non habet jurisdictionem in ipsum, nec potest temporalia ab eo exigere. ibid. 4
Parochus in favorabilibus reputatur de Universitate, ut etiam Episcopus, & ejus Vicarius, quia veniunt appellatione Officialium civitatis: quapropter potest familia Episcopi deferre arma perinde ac alij Officiales civitatis. 7. 5
Parochus tametsi commoretur intra limites suæ parochiæ, si animarum curam per alium exerceat, regulariter non satisfacit suæ obligationi. 57. 23
Parochus si tantùm materialiter resideat, non acquirit sibi fructus beneficij, quia perinde est quoad effectum inutiliter adesse, ac abesse. ibid. 24
Parochus, cui concreditur cura animarum, non eligitur ob præsentiam corporalem, sed ob industriam personæ. 57. 25
Parochus ideo eligitur, ut per se ipsum gregem suum pascat, eique præeat bono exemplo. 58. 27
Parochus compellitur habitare in domo suæ Ecclesiæ, quam si non habeat, saltem in proximiori loco intra tamen limites propriæ parochiæ, sub pœna amittendi fructus. 61. 3
Parochus tempore grassantis pestis non potest suam plebem deserere ad declinandum periculum, quia tunc oves magis indigent ope sui Pastoris. 62. 12
Parochus non satisfacit obligationi residendi, si parum distet ab ambitu suæ parochiæ, licèt vocatus possit statim adesse, & spiritualia ministrare suo gregi. 71. 8. Quia Parochus tenetur habitare in domo suæ Ecclesiæ. ibid. Et distantia unius miliarij quamvis videatur esse parvitas materiæ, non tamen locum habet in præsenti quoad obligationem residendi. 71. 9
Parochus tenetur personaliter residere, quia ad tale munus obeundum eligitur industria talis personæ 105. 19. Non ita si Ecclesia parochialis accessoriè esset unita alicui dignitati, vel præbendæ canonicali in Ecclesia cathedrali, quia tunc obtinens talem dignitatem debet residere in sua dignitate, cui per se debet inservire, & substituere Vicarium perpetuum, qui inserviat Ecclesiæ parochiali. ibid. 20
Parochus, vel alius beneficiarius ob infirmitatem perpetuam non privatur jure, & titulo beneficij, nisi sponte eidem renuntiet, sed tantùm potest removeri ab officio, & beneficio quoad actuale exercitium, & administrationem, si neque in spiritualibus, neque in temporalibus ei præesse possit. 292. 9
Parochus, cui incumbit cura animarum, nequit sede vacante eligi Vicarius Capituli, nisi fortassis curam illam gereret in eadem civitate, & Ecclesia. 273. 13
Parochus vocari solet proprius Sacerdos, & interdum plebani, nonnunquam Rectoris titulo insignitur. 634. 8
Parochus tenetur residere in sua Parochia, in qua si domum propriam non habeat, debet aliquam conducere. 636. 7
Parochus etiam causâ studiorum non debet abesse à sua parochia. 636. 8. Potest tamen animi relaxandi causâ per duos menses singulis annis abesse substituto priùs Vicario idoneo. 637. 14
Parochus pluribus modis potest suum beneficium amittere, sed ut jure eo privetur, tria requiruntur, quæ recensentur. 637. 24
Parochus an in funeralibus debeat præcedere Ecclesiam collegiatam. 640. 1
Parochus tantùm præcedit ratione muneris, & jurisdictionis non ratione loci. 641. 4
Parochus habens duas parochias unitas tenetur residere in digniore. 642. 10
Parochus non potest impedire, ne regulares ministrent Sacramentum Pœnitentiæ in aliis Ecclesiis. 643. 11
Parochus an contra prohibitionem Episcopi, vel statuti synodalis possit concedere facultatem assistendi matrimonio. 643. 15. Et an parochus excommunicatus vitandus possit alteri sacerdoti concedere licentiam assistendi matrimonio, quando jure non potest talem licentiam dare. ibid. 18
Parochus habet intentionem fundatam de jure communi ad percipiendas decimas, nec tenetur probare decimas ad se spectare. 659. 7
Parochus vel Ecclesia ob decimas non solutas potest convenire venditorem prædij, si emptor ob potentiam sit difficilis conventionis. 674. 8
Parochus tenetur per se sacrificium offerre pro ovibus suis certis saltem anni diebus. 894. 24
Pars minor Capituli potest contradicere majori, quoties hæc aliquid decernit, ac disponit irrationabiliter, ac in præjudicium Ecclesiæ, sed tunc probandum est, quod opponitur coram Superiore Capituli, vel coram electis arbitris. 295. 2
Pars major Capituli tametsi minor contradicat, & extrajudicialiter appellet, adhuc potest procedere ad executionem sui decreti. ibid. 4
Pars major cur in Capitulis, & Congregationibus regulariter prævaleat? 299. 1
Pars major semper intelligitur respectu Congregatorum, & præsentium tunc in Capitulo, dummodo duæ partes eorum, qui adesse volunt, & possunt, congregatæ sint. 300. 2
Pars minor Capitularium potest contradicere majori, si hæc irrationabiliter, & in damnum Ecclesiæ aliquid statuat. 300. 4. Non tamen minor pars quamvis rationabiliter contradicat majori, potest aliquid decernere nomine totius Capituli,

Digitized by Google

pituli. ibid. 6. Cæterum quando minor pars contradicit, non tenetur probare coram majori parte rationem suæ contradictionis, quia major pars non est Judex, imò suspecta minori, quapropter tunc adeundus est Superior ipsius Universitatis. 301. 7

Parvuli adhuc existentes in utero matris, an possint baptizari? 913. 5

Parvulus adhuc involutus in pelle secundina non potest validè baptizari, 919. 6

Parvulus, si esset ita constitutus, ut baptismus posset illi accelerare mortem, adhuc esset baptizandus. ibid. 9

Pater ob inopiam, & extremam egestatem habet jus dandi proprium filium locò pignoris, quinimò propter famem, licitum est etiam se ipsum vendere, quia vita semper est pretiosior libertate. 404. 15

Pater ex feudo antiquo non potest uni ex filijs plus testamento dare, quàm alijs: quòd si feudum sit novum, standum est consuetudini loci. 480. 15

Pater potest sepulturam eligere filio impuberi mortuo. 615. 10. Imò etiam mater. 616. 11

Pater, & tutor possunt irritare vota liberorum in impubertate emissa, etiam postquam ad pubertatem devenerint. 755. 8

Pater habens jus patronatus potest ad beneficium præsentare filium. 826. 13

Patres Lustrici tenentur baptizatum instruere in necessarijs ad salutem, symbolo, & oratione dominica, si proprij parentes id negligant. 915. 16

Patroni non possunt liberè conferre Ecclesias, & beneficia, in quibus habent Jus patronatus, sed tantùm possunt præsentare. 822. 14

Patroni Ecclesiarum in recognitione Jurispatronatus non possunt ab ijsdem exigere tributa, nec collectas militum, nec ullum servitium alendi canes venaticos, aut alia jumenta. 823. 17

Patrono ecclesiastico habenti Jus patronatus conceditur integrum semestre ad præsentandum, & patrono laico tantùm quadrimestre. 817. 18

Patronus laicus si scienter nominavit indignum ante quatuor menses, adhuc potest alium dignum, ac idoneum nominare, quia habet jus mutandi sententiam. 219. 16

Patronus si nominet, vel præsentet plures ad aliquod beneficium ecclesiasticum potest Episcopus, quem maluerit ex illis pluribus instituere. 221. 9

Patronus laicus potest alicui, ut suo Procuratori committere facultatem præsentandi ad beneficia, si vacaverint, maximè si Patronus debeat peregrè proficisci, & sit diu abfuturus. 230. 16

Patronus si dos assignata alicui ecclesiæ omninò pereat, amittit jus patronatûs acquisitum titulo dotis, si alius novam dotem sufficientem assignet. 813. 5

Patronus non obstante lite inchoata, & pendente potest cum effectu præsentare, si possessio non revocetur in dubium, & possessor bona fide possideat. 818. 22

Patronus non potest se ipsum ad beneficium præsentare. 825. 10. Bene tamen, si transferat in alium Jus præsentandi, & hic alter nominet patronum, cui amplius non competit tale jus. ibid. 11. Imò potest Patronus clericus supplicare diœcesano, ut velit sibi beneficium illud conferre. ibid. 12

Patronus, sive ecclesiasticus, sive laicus tenetur præsentare dignum, seu habentem qualitates requisitas ad beneficium. 826. 15. Imò in canonicatibus, & capellis, si beneficium sit simplex, potest patronus etiam ecclesiasticus præsentare dignum omisso digniore. ibid. 16

Patronus laicus in præsentandis clericis potest variare, adeò ut postquam unum Idoneum præsentaverit, re adhuc integra, possit alios ad idem beneficium præsentare accumulativè, non privativè. 817. 18

Patronus laicus, si scienter præsentet indignum, adhuc illi conceditur quadrimestre, ut possit dignum, & idoneum præsentare. 828. 24

Patronus non potest promittere se aliquem præsentaturum vacante beneficio. 841. 17

Peculium dicitur, eò quia sit pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium, est autem jure civili peculium filiorum quadruplex, castrense, quasi castrense, adventitiũ, & profectitium. 542. 1. & 2

Peculium adventium dicitur, quod advenit filio aliunde, quàm ex rebus patris, vel intuitu patris. 543. 5

Peculium Monachorum potest tripliciter considerari. 772. 7. & seq.

Pecunia suscepta ex redemptione censûs non potest sine solemnitatibus jure præscriptis impendi in extinctionem debitorum Ecclesiæ, quia talis pecunia succedit locò censûs, qui sine præscriptis à jure solemnitatibus non potest alienari. 348. 28

Pecunia numerata, an possit à Prælato Ecclesiæ expendi sine solemnitate, si sit in notabili quantitate. 353. 1

Pecunia suscepta ex redemptione censûs ecclesiæ accensetur rebus immobilibus ejusdem, & non potest alienari sine requisitis in jure solemnitatibus. 354. 3

Pecunia pluris æstimatur in loco, ubi datur, quàm ubi redditur, & ratione hujus æstimationis potest Campsor aliquid lucrari, dummodo lucrum non excedat pretium fructuum cambij. 458. 24

Pecunia mutari potest intrinsecè quoad propriam substantiam, ut si erat ex puro argento cudatur semicuprea: & extrinsecè, quando manente eadem substantia intrinseca ejus valor, seu æstimatio extrinseca augetur, vel minuitur. 519. 7

Pecunia antiqua, quæ tempore contractûs erat in usu, si fuerit intrinsecè mutata in novam deteriorem non potest solutio fieri in nova moneta, sed secundùm æstimationem veteris. 851. 9

Pecunia Ecclesiæ pertinens ad bona ejusdem, & destinata pro immobilibus, nequit converti in censum vitalitium. 861. 20

Pensio non reddit incapacem Pensionarium beneficiorum, tametsi pinguis sit, & excedat expensas sustentationis. 129. 27. Imò id procedit, quamvis obtinens beneficium plures jam habeat pensiones. 130. 28

Pensio subrogatâ beneficio, si sit incompatibilis cum beneficio est etiam incompatibile ipsum beneficium, cui pensio subrogatur. 130. 30

Pensio non subrogatur beneficio secundùm totum suum

ſuum eſſe, ſed tantùm prout dat ſuſtentationem beneficiario, proinde non intelligitur aſſumere omnes qualitates beneficij. 130. 31

Penſio eccleſiaſtica an intelligatur nomine beneficij, ſi perpetua ſit, & veluti titularis, adeò ut poſſit Clericus titulo illius promoveri ad ſacros ordines. 193. 7

Penſio eſt veluti quædam ſervitus impoſita beneficio, & quâ gravatur beneficiarius, nec poteſt imponi ad tempus absque juſta cauſa, cùm jure communi cautum ſit, ut beneficia ſine diminutione conferantur. 306. 2

Penſio differt à beneficio, quia illa eſt pars quædam juris redituum beneficiariorum alteri deſignata: & beneficium comprehendit totum jus, & eſt per ſe, non pars alterius juris. Tum quia beneficium ſuapte natura conſtituitur in uſum perpetuum miniſtrorum Eccleſiæ, ſecus penſio ad tempus ſtatuitur, & finitur morte, vel renuntiatione Penſionarij. 307. 4

Penſio bipartitur in laicalem, & claricalem, illa conſtituitur ob temporalem aliquam cauſam, & poteſt laico competere, quia datur ob miniſterium temporale. Clericalis in ſolos Clericos cadit, & datur ob ſolum miniſterium ſpirituale. ibid. 5

Penſio quæ reſervatur alicui Clerico pauperi in congruam ejus ſuſtentationem conferri ſolet ex quatuor potiſſimum cauſis, litteraturæ, hoſpitalitatis, præmij, & amoris ſuperioris in inferiorem. Poteſt etiam imponi penſio in fundatione eccleſiæ, quando patronus petit, ut eccleſia à ſe fundata, & dotata ſolvat certam penſionem alteri eccleſiæ, vel etiam ſibi. ibid. 7

Penſio non eſt jus ullum ſpirituale, nec rei ſpirituali annexum, ſed tantùm commodum quoddam temporale, ſeu jus profanum per ſe à beneficio diſtinctum, & ſejunctum. 307. 8

Penſio non eſt ſimpliciter jus ſacrum, quia non convenit Clerico, cui datur ob officium, & miniſterium ſacrum, cùm detur ſimpliciter in ſubſidium vitæ, non ratione alicujus miniſterij ſpiritualis. 308. 10

Penſio, quæ datur ad officium aliquod ſpirituale non poteſt pretio vendi ſine ſimonia, imò nec redimi. Non ita ſi penſio fundata ſit in titulo merè temporali. ibid. 15

Penſio non validè imponitur beneficio ſine conſenſu Beneficiarij, quia eſt quædam ſpecies alienationis, cujus naturam imitatur. 309. 20

Penſio ex vi decreti Pauli IV. non poteſt poni ſuper beneficio, de quo vacante per obitum alicui providetur ſine expreſſa licentia Papæ. 312. 7. Hinc ex conſuetudine Romanæ Curiæ ſolus Papa penſiones concedit. ibid. 8

Penſio eccleſiaſtica non aſſignatur puero nondum ſeptenni, quia requiritur titulus Clericalis, ſeu ſaltem prima tonſura, quæ non confertur ante ſeptennium. 313. 10

Penſio collata excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto non fortitur ſuum valorem, niſi ante collationem abſolvatur à tali vinculo. ibid.

Penſio reſervata alicui tanquam clerico, qui non eſt laicus non fortitur ſuum valorem niſi is, cui collata eſt tempore datæ penſionis jam fuerit factus Clericus. 313. 11

Penſio, ſi reſervetur ſpurio, debet in litteris pontificijs fieri mentio vitij natalium, alioquin reſervatio eſt ſubreptitia. ibid. 14

Penſio poni poteſt in omnibus beneficijs, ſive curatis, ſive non curatis ob plenitudinem poteſtatis in Papa. 315. 21

Penſio licèt poſſit imponi beneficio parochiali, ex Trid. tamen non imponitur illis Parochijs, quarum reditus ſummam centum ducatorum ſecundùm verum annuum valorem non excedunt. 315. 23

Penſio imponitur beneficio cum clauſula, ut ſolvatur habita, vel non habita beneficij poſſeſſione. 316. 25. Et an hæc clauſula ſit æquitati conſona. ibid. 26. & ſeq.

Penſio quando imponitur, ſolet cauſa exprimi, cur reſervetur, ut etiam exprimuntur fructus, ſuper quibus penſio imponitur, & tempus, quo debeat penſio ſolvi. 317. 29

Penſio nova, ſi impetretur, debet fieri mentio prioris penſionis in beneficio, alioquin impetratio poſterioris, ſi in litteris impetrationis nulla facta fuit mentio de prima, quâ jam gravabatur beneficium, nullius eſt valoris. ibid. 5

Penſio, ſi exigatur ante expeditionem litterarum, non irritatur, ſi pars tantùm ejusdem ſolvatur. 318. 6

Penſio comprehenditur etiam ſub confiſcatione bonorum, quia ſicut confiſcantur fructus excepti, ita etiam ipſa penſio. 318. 8

Penſio quomodo dicatur eſſe aliquid ſpirituale non ratione fructuum ſimpliciter, ſed ratione juris, quod Penſionarius habet ad percipiendos tales fructus. 321. 22

Penſio impoſita beneficio eccleſiaſtico non poteſt ſine Simonia vendi, & redimi, ſi detur titulo eccleſiaſtico. 322. 27

Penſio eccleſiaſtica de jure communi non poteſt dari laicis, quia eſt aliquid annexum rei ſpirituali. ibid. 28

Penſio, quæ datur ut alimentum, pro congrua ſuſtentatione illius, qui renuntiavit beneficio, adhuc datur titulo ſpirituali, & non poteſt vendi, nec redimi pretio temporali, ut nec etiam quæ datur clerico pauperi pro congrua ſuſtentatione, imò nec penſio reſervata ex permutatione beneficij pinguioris in aliud minus pingue, nec quæ transfertur intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium ſolvitur pro translatione, aut conſtitutione penſionis. 322. 30. & ſeq.

Penſio non poteſt transferri irrequiſito ſummo Pontifice, quia onerare beneficia pertinet ad ſolum Papam ob plenitudinem poteſtatis. 326. 50

Penſio ſemper eſt ſolvenda, tametſi fructus, vel ex toto, vel ex parte perjerint. Imò, & ſucceſſor in beneficio onerato penſione tenetur ſolvere præteritas penſiones, quas beneficiarius anteceſſor non ſolverat. 328. 61

Penſio extinguitur per mortem penſionarij per matrimonium initum per verba de præſenti, per promotionem ad Epiſcopatum. Per emiſſam profeſſionem tacitè, vel expreſsè in aliqua religione approbata. 329. 65

Penſio tunc à locatore debet Colono remitti, quando

do ob ſoli ſterilitatem, vel alium fortuitum caſum provenientem ſine culpa Coloni, hic patitur plurimum detrimenti. 430.2. Et qualis eſſe debeat hæc ſterilitas, ob quam teneatur locator penſionem remittere. ibid. 3. Et quid dicendum ſi præcedentium annorum fertilitas præſentem compenſaverit ſterilitatem? ibid. 4

Penſionarius ſpectato jure cõmuni pro rata ſuæ obligationis tenetur ſolvere onera añexa beneficio, & contribuere Epiſcopo ad ſubſidium charitativum, ut etiam ad ſolvendas collectas ordinarias, & extraordinarias. 310. 24

Penſionarius tenetur recitare preces divini officij ex conſtitutione Pij V. 324 41

Penſionarius an teneatur, quæ illi ex penſione ſuperſunt in pios uſus ex lege juſtitiæ impendere. 325. 46

Penſionarius quamvis poſſit dare alteri fructus ſuæ penſionis, non tamen poteſt dare ipſam penſionem, quia jus exigendi fructus ex beneficio alterius ad ſolum pertinet ſummum Pontificem. 326. 51

Penſionarius, cui denegantur à Beneficiario fructus penſionis poteſt agere in judicio de ſpolio, ac procedere judicio poſſeſſorio ad recuperandam ſuam penſionem, ſeu fructus penſionis. 327. 53. Tenetur tamen penſionarius oſtendere titulum, ſeu jus penſionis, quod habet. ibid. 54

Penſionarius Clericus, cui indulgetur incedere abſque habitu Clericali, non poteſt obire munia ſæcularia, neque exercere officia civilia. 3 7. 56

Penſionarius eſt capax beneficij eccleſiaſtici etiam cum retentione penſionis. 328. 58

Penſionarius ex ſuperfluis reditibus ſuæ penſionis non poteſt diſponere in uſus profanos, quia penſio eſt ex reditibus Eccleſiæ Deo dicatis, & qui propterea debent impendi in pios uſus. 548. 8

Penſiones, quæ ex reditibus beneficiorum in favorem alicujus ſeparantur, propriè non dicuntur beneficia. 91. 4

Penſiones, & beneficia ſub eodem tecto, an ſint incompatibilia, quando penſio ſubrogatur loco beneficij? 130. 28. & ſeq.

Penſiones ſolent conferri liberè, & immunes ab omni onere. 307. 6

Penſiones quia ſolent Clericis aſſignari in ſubſidium vitæ, habentur in jure pro cauſis pijs, & Pontifices ſolent Penſionariis favere, ut penſionibus gaudeant ab omni onere decimarum collectarum, & ſubſidiorum liberis. 310. 26

Penſiones, quamvis reſerventur perſonis eccleſiaſticis indigentibus; non tamen Abbates poſſunt penſionibus gravari à Principibus ſæcularibus ad eum finem, ut ſuccurratur eccleſiaſticis pauperibus. 3 8. 18

Penſiones ſicut imponuntur, ita poſſunt transferri, adeò ut Penſionarius poſſit à Pontifice facultatem impetrare transferendi ſuam penſionem, ad quemcunque voluerit. 315. 19

Penſiones eccleſiaſticæ, quo jure prohibeantur vendi, & redimi, & an jure divino? 323. 34

Penſiones plures an poſſit quis habere, & an id repugnet cum jure naturali, & recta ratione. 325. 47

Penſiones, quæ ſubrogantur locò beneficij, non ſunt incompatibiles cum beneficijs. 328. 60

Penſionis translatio in Clericum ſpurium diſpenſatum, ut poſſit promoveri ad clericatum, ſuum ſortitur valorem. 326. 48

Peregrini, & advenæ, ſi decedant in locis, per quæ tranſeunt, & non poſſint commodè ſepeliri in ſepulchris ſuorum Majorum, datur locus præventioni inter chatedralem Eccleſiam, & parœcialem, ſi ſacramenta perceperint in parœciali, quia tunc ſunt in hac ſepeliendi. 610. 4

Periculum rei venditæ, ut & commodum pertinet ad Emptorem, adeò ut ſi res vendita pereat, damnum ſit Emptoris, quamvis pretium nondum ſit ſolutum. 415. 1

Permùtari poſſunt res omnes, quæ vendi poſſunt, & quæ vendi prohibentur, permutari nequeunt. 453. 17.

Permutatio beneficiorum eſt reciproca quædam reſignatio facta inter permutantes, ex legitima Superioris authoritate, & ſeptem ad ipſam requiruntur conditiones. 107 11

Permutatio beneficiorum eſt dimiſſio eorundem facta à duobus, quorum alter beneficium alterius ſuſcipit. 131. 1. Et operatur, ut res permutatæ ſubrogentur invicem. 132. 2

Permutatio beneficiorum facta propria authoritate prohibita eſt ob quatuor præſertim cauſas, quæ recenſentur. 132. 2

Permutatio beneficiorum facienda eſt cum authoritate Superiorum. ibid. 3

Permutatio beneficiorum, ut valida ſit, exigit, ut uterque permutans habeat jus proprium, & reale, ac pacificum in beneficio permutando. 132. 6. Si tamen permutatio dolo fiat, nullius eſt valoris. ibid.

Permutatio beneficiorum debet ita fieri, ut uterque permutans in manus Ordinarij reſignet ſuum beneficium conditionatè, ut conferatur alteri permutanti. 133. 8

Permutatio beneficiorum facta inter eos, qui jus non habebant in beneficijs permutatis, non valet, neque confert ullum jus. ibid. 12

Permutatio eſt unius rei cum alia vicaria præſtatio, quâ permutantes rem ſuam viciſſim tradunt, & eſt contractus innominatus juris gentium ſimilis emptioni. 450. 1

Permutatio in pluribus convenit cum ipſo contractu venditionis, & emptionis. 450. 4

Permutatio ſervorum abſolutè prohibetur etiam adhibitis juris ſolemnitatibus. 451. 13

Permutatio, ut ritè fiat, plures exigit conditiones. 453. 18

Permutatio beneficiorum eccleſiaſticorum ſine authoritate legitimi Superioris prohibita eſt, ac nullius valoris, & permutantes beneficia perdunt. ibid. 22

Permutatio beneficiorum debet fieri ex juſta cauſa, quam Epiſcopus debet cognoſcere, ac de illa judicare, eſtque hujusmodi cauſa duplex, neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ. 452. 23

Permutatio mutua non poteſt fieri ſine reciproca renuntiatione, quæ ſine conſenſu proprij Prælati non poteſt fieri. 461. 5

Permutatio ficta beneficiorum non eſt licita, alioquin ſterneretur via pluribus fraudibus. ibid. 8

Permutationem factam esse in fraudem colligitur ex qualitate, & circumstantijs ipsius facti, non verò ex eo præcisè, quòd habens beneficium tenue illud permutet cum habente beneficium pingue; neque ex eo, quòd clericus juvenis permutet suum beneficium cum sene. 460. 2

Permutationes rerum ecclesiasticarum exosæ semper visæ fuerunt etiam ex justa causa. 451. 8

Permutationes beneficiorum ecclesiasticorum ex causa utilitatis potest Episcopus loci instituere, ad quem solùm spectato jure communi pertinet approbare permutationes beneficiorum. 454. 26. & seq.

Permutationis contractus plura exigit ad suam validitatem. 450 2

Persona, quæ Ecclesiam fundat, construit, & sufficienter dotat, ex triplici causa acquirit jus Patronatus, ratione fundi, ædificationis, & dotis. 813. 3. Et nomine constructionis intelligitur etiam reparatio, seu reædificatio. ibid. 4

Personæ gaudentes privilegio competentiæ ad sex classes reducuntur. 510. 4.

Personæ ecclesiasticæ sunt immunes à collectis, & tributis, quæ solent à Principibus laicis exigi. 995. 10

Pignus suam à pugno sortitur nomenclationem, eò quia res pignori data, quasi pugno rapiatur, ac teneatur. 484. 1

Pignus quomodo differat ab Hypotheca? ibid.

Pignus sumptum pro contractu, seu conventione est obligatio rei licitæ pro debito facta ad securitatem creditoris, estque contractus juris gentium nominatus bonæ fidei, quo aliquid creditori in solutionem debiti obligatur, ut in defectu solutionis per id satisfiat creditori. 484. 2

Pignus prætorium aliud est propriè tale, & aliud judiciale. ibid.

Pignus conventionale est, quod partes contrahentes expressè constituunt sive rei interventu, sive solo consensu, & est duplex unum generale, & aliud particulare. 484. 3

Pignus conventionale bipartitur in tacitum, & expressum. 485. 5

Pignus non repetitur antequam satisfactum sit creditori. 488. 4

Pignus dummodo non excedat pretium debiti potest accipi in solutum, quia tunc creditor non plus accipit, quàm dederit. 491. 7

Pignus quando est pluribus creditoribus obligatum, & nondum omnibus plenè satisfactum, potest vendi. 492. 9

Pignus conventionale, ut distrahatur, plura servari debent. 492. 11. & seq.

Pignus dotale est potioris juris, quàm hypotheca, quam habet, qui mutuas dat pecunias ad restaurandam domum corruentem. 494. 3

Pignus, & hypotheca duobus potissimùm modis solvuntur, & liberantur. 496. 14

Pœna non datur ante sententiam Judicis. 370. 6

Pœnæ jure canonico injunctæ frequentantibus monasterium Monialium, si admoniti non desistant, quæ sint? 21. 1

Pœnæ quibus Clerici arcentur à negotiatione variæ sunt in jure, & recensentur. 1014. 9. & seq.

Pœnæ, quæ incurruntur à beneficiariis in suis ecclesiis non residentibus, quænam sint? 64. 1. & seq.

Pontifex ob justam causam per speciale privilegiũ datum alicui Principi, vel Magistratui sæculari potest ex parte derogare ecclesiasticę emptioni. 20. 15

Pontifex licèt possit assumere Judicem sæcularem in ordine ad judicandum, & puniendum Clericos, non tamen potest eidem jurisdictionem ordinariam concedere contra clericos. 21. 23

Pontifex est generalis collator omnium beneficiorum ecclesiasticorum. 109. 1. Et tribus modis solet beneficium conferre jure præventionis, concursûs, & devolutionis. 109. 2

Pontifex quamvis de plenitudine potestatis possit conferre beneficia nondum vacantia, nunquam tamen deprehenditur id præstitisse, absque justa, & gravi causa. 229. 11

Pontifex si justa suppetat causa potest absolutè pensiones imponere super beneficiis ecclesiasticis, non ita absque ulla justa causa, quia est tantùm administrator, & dispensator bonorum ecclesiasticorum. 306. 1

Pontifex si sciens concedat Spurio, ut possit beneficium habere tacitè etiam concedit ut possit obtinere pensionem. 314. 16. Quia capax beneficij ecclesiastici, est etiam capax pensionis. ibid. Qui verò non est capax beneficij, nec est capax pensionis ecclesiasticæ secundùm Stylum Curiæ Romanæ. ibid. 17

Pontifex quando concedit facultatem vendendi, aut redimendi pensiones, concessa facultas versatur tantùm circa fructus, quos tunc extrahit à titulo spirituali, & per mutationem materiæ facit, ut non sit amplius materia simoniæ. 323. 35

Pontifex ratione suæ personæ non potest obligari per se ad solvendas decimas, cùm nulli subijciatur Pastori. 657. 14

Pontifex in matrimonio rato, nõ consummato potest licentiã dare ingrediendi religionem etiam invito altero conjuge, adeò ut conjux religionem ingrediens privet alterum jure acquisito ex matrimonio inito. 728. 12. Post matrimonium verò consummatum non potest conjux religionem ingredi, nisi alter consenserit, & si sit juvenis etiam religionem ingrediatur. ibid. 14

Pontifex ex plenitudine potestatis Papalis potest cuilibet Patronatui ecclesiastico, vel laicali derogare, si justa causa subsit. 829. 1. Si tamen jus patronatus sit mixtum ei non derogatur per Papam per clausulam generalem, si nulla fiat specialis mentio juris patronatus laicalis. ibid. 2

Pontifex sibi reservat jus conferendi Ecclesias, dignitates, personatus, & alia beneficia vacantia apud sedem Apostolicam. 829. 6

Pontifex quomodo possit dispensare super ritus missæ. 906. 30

Portio canonica parochialis non detrahitur ex ijs bonis, quæ relicta sunt aliis Ecclesiis, seu piis locis, sed tantùm illi ecclesiæ, in qua quis sepelitur. 621. 5

Portio canonica est tantùm tertia pars eorundem bonorum, quæ defunctus reliquit Ecclesiæ, in qua voluit sepeliri. 620. 2

Portio debita parochiali Ecclesiæ non abrogatur, nisi per consuetudinem præscriptam quadra-

ginta

ginta annis cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo. 621. 9
Portio episcopalis debetur Episcopo pro cura, quam gerit, & laborem, quem impendit in promovenda salute fidelium suæ diœcesis. 622. 10. Hæcque portio est quarta, vel tertia pars, quamvis testator expresserit, quòd nolit quidquam Episcopo relinquere, sed velit totum dare Ecclesiæ, vel loco pio. ibid. 11
Possessio non transfert onus probandi in adversarium, quando adest aliqua præsumptio contra possidentem. 179 33
Possessor bonæ fidei, si sine dolo emerit rem malè alienatam, potest agere contra Prælatum illegitimè alienantem in ordine ad recuperandum pretiũ rei venditæ, non verò potest agere contra ecclesiam, nili Prælatus non possit ex proprio solvere. 359. 24
Possessor emphyteuticus si ob culpam cadat ab emphyteusi amittit ea omnia, quibus rem meliorem fecit. 444. 23
Possessor Juris patronatus quamvis revera ei non competat tale Jus, si tamen sit possessor bonæ fidei potest Clericum nominare, & hic institui. 823. 1. Sed jure novo ad valorem præsentationis non sufficit, si præsentans reputetur patronus, sed debet dotere de titulo, & proprietate Juris patronatus. ibid. 2
Postulatio, quâ beneficia ecclesiastica acquiruntur est supplex quædam petitio facta apud superiorem à Collegio Canonicorum enixim petentium ut aliquis certæ ecclesiæ vacanti præficiatur, non obstante aliquo defectu, quem patitur. 107. 9
Potestas conferendi ordines est duplex, ordinaria una, quæ provenit ex sola consecratione, & charactere episcopali, adeóque solis competit Episcopis consecratis; alia extraordinaria, quæ oritur ex simplici charactere sacerdotali. 10. 7
Potestas judicandi Clericos est juris divini, & tantùm competit Clericis, adeo ut nulla consuetudo possit prævalere contra ecclesiasticam libertatem. 21. 24
Potestas uniendi beneficia, & Ecclesias quascunque competit in primis summo pontifici, & etiam Episcopis respectu eorum beneficiorum, in quæ habent jurisdictionem episcopalem. 138. 17. & seq.
Potestas supprimendi beneficia ecclesiastica inferiora competit Episcopo accedente consensu capituli, imò si suppressio caderet in commodum Episcopi, & Capituli, requireretur authoritas Metropolitani, vel etiam summi Pontificis. 145. 38
Potestas, quæ alicui conceditur, conferendi beneficia non se extendit ad dispensandum super pluralitate beneficiorum. 150. 4
Potestas data Executori, cui mandatur, ut provisum in possessionem beneficij inducat, & inductum defendat, durat quamdiu non est facta executio, imò etiam post annum à sententia lata contra intrusum. 163. 19
Potestas conferendi beneficia licèt devolvatur gradatim ab inferiore ad proximum superiorem, donec perveniatur ad Papam. Excipitur tamen Episcopus, quia ab Episcopo negligente in conferendis beneficijs spectantibus ad suam collationem intra debitum tempus, non fit devolutio ad Archiepiscopum, sed ad Capitulum, jure ita disponente ob communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum. 233. 13
Potestas conferendi beneficia intra sex menses devoluta ad superiorem ob negligentiam inferioris non extenditur ad Episcopatum, sed tantùm intelligitur de dignitatibus, Personatibus, aliisque beneficijs minoribus. 234. 20
Potestas testandi potest dici juris naturalis, & gentium, quatenus rationes, ob quas hæc potestas conceditur, sunt consentaneæ rationi naturali. 558. 15
Potestas ordinaria commutandi vota est in summo Pontifice, & aliis inferioribus Prælatis gaudentibus potestate dispensandi. 758. 17
Potestas ordinaria commutandi super omnia vota de jure divino est tantùm in summo Pontifice. 759. 20
Præbenda est jus percipiendi proventus ecclesiasticos, prout isti competunt uni de Collegio, & sunt annexi tali canoniæ, à qua procedunt, ut filij à matre, adeò ut habenti canoniam debeatur præbenda. 91. 3
Præbenda tametsi vacet, non est dividenda ad aliam integrandam, sed debet integra conferri. 144. 22
Præbendæ vacanti potest onus honestum imponi à Prælato, & Capitulo, adeò ut Præbendarius ad illud teneatur. 198. 27
præbendæ collatio est irrita, si fiat alteri, cui Pontifex non contulit canonicatum. 246. 6. Hinc si quispiam authoritate apostolica creatus sit Canonicus cum expectatione præbendæ proximè vacaturæ, si hæc cùm primùm vacat, alteri conferatur, collatio est irrita. ibid
Præbendæ duæ uniformes in eadem Ecclesia in persona unjus sunt incompatibiles. 248. 14
Præceptum sumendi viaticum est affixum tempori, quo imminet mortis periculum. 933. 13. Non tamen post sumptum viaticum tenetur quis iterum communicare, si incidat in peccatum lethale. ibid.
Prælati, & Capitula possunt compelli à suo superiore ad tot suscipiendos, quot decenter, & commodè sustentari possunt ex reditibus Ecclesiæ. 222. 12. Imò si Clerici ultrò consenserint, velintque parciùs vivere ad augendum divinum cultum, possunt etiam alios suscipere, & instituere. ibid. 13
Prælati inferiores Episcopo, ut Abbates, Præpositi, & Decani, an possint permutationes admittere? 450. 3
Prælati ecclesiastici, & clerici beneficiarij non possunt alienare feuda annexa beneficio ecclesiastico, vel mensæ solius Prælati, quia ipsi non habent dominium directum, sed tantùm Ecclesiæ. 474. 8. Id tamen limitatur multipliciter. 457. 9
Prælati ecclesiastici nequeunt constituere in perpetuum neque ad longum tempus laicos patronos suarum Ecclesiarum. 353. 17
Prælati Ecclesiarum regulariter sepeliendi sunt in Ecclesijs propriæ Prælaturæ. 611. 4

Prælati Religionum, ut sunt Generales non dependentes ab alio superiore intra eundem ordinem, tametsi possint sibi eligere sepulturam extra suum Ordinem ; id tamen non videtur consentaneum, & adversatur consuetudini : imò nec esset rationabile, quia laederetur bona opinio Religionis. 615. 8

Prælati infra Papam prohibentur imponere subditis collectas extraordinarias nisi ex manifesta, & rationabili causa. Nec possunt gravare subditos Tallijs, exactionibus, & alijs oneribus, nisi ex justa, & rationabili causa manifesta. 854. 14. & seq.

Prælatis Episcopo inferioribus jure communi non convenit instituere, benè tamen jure speciali, & ex privilegio, indulto, præscriptione, & consuetudine. 216. 16

Prælatus non debet Clericum compellere ad abjurandam concubinam. 33. 7

Prælatus, ad quem spectat jus & potestas instituendi in beneficio, non potest se ipsum instituere, nec potest aliquam dignitatem vacantem sibi conferre. 223. 17. Hinc neque potest quis se ipsum eligere, nec se ipsum præsentare, quamvis aliàs sit clericus idoneus. ibid.

Prælatus si promittat providere Clerico de beneficio, cùm primùm poterit, tenetur postea conferre eidem beneficium, quod primò vacat. 248. 17

Prælatus in negotijs minoris momenti, rebúsque levioribus non est necesse, habeat consensum Capituli, sed sufficit ejus consilium, quod non tenetur sequi. 285. 1

Prælatus non tenetur consilium Capituli sequi nisi in casibus à jure expressis. ibid. 2

Prælatus nequit, quæ sunt ardua agere sine consilio Capituli, cujusmodi sunt, Abbates, Abbatissas, & alias personas ecclesiasticas in beneficiis instituere, vel destituere. 287. 9. Sed sufficit, si adhibeat consilium sanioris partis Capituli, seu eorum Capitularium, qui magis idonei sunt ad consilium dandum. ibid. 10

Prælatus quando in expeditione negotiorum tenetur adhibere, & requirere consilium capituli, non tenetur illud sequi, si consensus non requiratur. 287. 10

Prælatus si non obstante prohibitione alienandi res ecclesiasticas illas alienet, ipso jure alienatio est nulla, & qui res alienatas accepit, nisi eas statim restituat, excommunicatur unà cum suis fructibus. 337. 20

Prælatus ecclesiasticus rem, quam suâ industriâ acquisivit, potest alienare, imò, & servum ecclesiæ manumittere. 338. 10

Prælatus absque solemnitate non potest repudiare hæreditatem relictam suæ Ecclesiæ. 347. 21

Prælatus repudians hæreditatem relictam Ecclesiæ, vel Monasterio, si eidem infert damnum, tenetur ex propriis ad illud resarciendum, quia Monasterium licèt ob nondum aditam hæreditatem non habeat jus in illa, habet tamen jus ad illam, quod jus nequit alienari à solo Prælato cum pertineat ad totum monasterium. 348. 25. Quinimò Ecclesiæ, vel monasterio in tali casu competit beneficium restitutionis in integrum ob negligentiam Prælati in acquirendo lucro ecclesiæ. ibid. 17

Prælatus Ecclesiæ licèt possit disponere de fructibus ejusdem, non ita potest disponere de proprietatibus. 354. 6

Prælatus an per viam transactionis possit sine solemnitatibus jure præscriptis desistere à lite instituta super re immobili inter ecclesiam, & extraneum. 355. 8

Prælatus pro donatione remuneratoria non potest alienare bona ecclesiæ ob Paulinam constitutionem, quâ non solùm prohibetur alienatio liberalis, verùm etiam quæ fit titulo venditionis, & quæcunque alia species alienationis, imò & donatio remuneratoria. 356. 15

Prælatus Ecclesiæ, si sciente Capitulo, & non contradicente rationabiliter fundum Ecclesiæ, cujus fructus ad ipsam Ecclesiam pertinent, locavit nomine Ecclesiæ non ultra triennium, tunc successor in dignitate tenetur stare eidem locationi. 433. 3

Prælatus ecclesiasticus sine justa causa necessitatis, aut utilitatis non potest dare bona ecclesiæ in perpetuam Emphyteusim, nec in generationes aliquas. 439. 9

Prælatus ecclesiasticus an possit concedere suis consanguineis emphyteusim reversam ad Ecclesiam? 445. 25

Prælatus per generalem hypothecam potest obligare res Ecclesiæ prohibitas alienari, non tamen per specialem. 486. 6

Prælatus malè administrans res temporales Ecclesiæ privatur administratione tam in spiritualibus, quàm temporalibus. 515. 16

Prælatus sive sæcularis, sive Regularis de rebus, & proventibus Ecclesiæ, Universitatis, vel collegij non potest facere donationes merè gratuitas, & liberales saltem immodicas, & in notabili quantitate. 531. 13

Prælatus sine consensu Capituli, & requisitis à jure solemnitatibus ex reditibus ecclesiasticis potest donationes facere titulo eleemosynæ, dummodo istæ moderatæ sint consideratis Ecclesiæ facultatibus, causâ necessitatis, & aliis circumstantiis. ibid. 14

Prælatus ecclesiasticus, in remunerationem meritorum alicujus personæ laicalis, non potest ei donare bonum aliquod immobile, vel mobile pretiosum, si fuerit magni valoris. 539. 14

Prælatus visitans suam diœcesin non potest accipere esculenta, & poculenta ultra necessaria victuaria pro quotidiano victu. 855. 5

Prælatus potest admittere Novitium ad professionem cum protestatione non esse sibi animũ eum admittendi, si Novitius habeat talia impedimẽta, quæ si revera adsint, professio est nulla, quia tunc deest voluntas in Prælato admittendi Novitium ad talem professionem. 698. 22

Præscriptio rerum ecclesiasticarum cum bona fide non habetur nisi post lapsum 40. annorum. 359. 26

Præscriptio non præjudicat agnatis, qui vivente Vasallo agere non potuerunt in ordine ad recuperandum feudum. 474. 6

Præscriptio contra fiscum valida est, si fiscus intra quadriennium rem non agnoverit. 599. 16

Præscriptio legitimè introducta habet vim eximendi

mendi à decimis ſolvendis. 669. 6
Præſentatio eſt, quâ Patronus exhibet Epiſcopo Clericum idoneum, ut promoveatur ad beneficium juris Patronatus. 106. 6
Præſentatio, collatio, & inſtitutio differunt præſertim in materia ſtricta, & odioſa; adeo ut nomine præſentationis non poſſit intelligi inſtitutio. 153. 21. & ſeq.
Præſtimonia, quæ Clerico, ut tali, dantur in titulum Capellæ authoritate Epiſcopi conſtitutæ, vel dotatæ, accenſentur veris beneficiis. 93. 14
Precariæ plerúmque conceduntur causâ remunerationis ei, qui rem ſuam Eccleſiæ donavit. 373. 6. Non enim eſt de ratione precariæ, ut ſemper gratis concedantur. ibid. 7
Precariæ, ut ritè concedantur, neceſſariæ ſunt quædam ſolemnitates jure præſcriptæ, eſt enim precaria quædam ſpeciem alienationis. 373. 8
Precariæ ſi ritè concedantur ad determinatum tempus non poſſunt revocari pro voluntate concedentium ante elapſum tempus, bene tamen, ſi fuerint irrationabiliter conceſſæ, vel in damnum eccleſiæ. ibid. 9
Precariam, & precarias non diſtingui, & ſumi pro eodem, qui doceant? 372. 4. Precariæ renovandæ ſunt de quinquennio in quinquennium. ibid.
Precarij ſpecies tres aſſignantur. ibid. 5
Precarium eſt contractus, quo res aliqua petenti tamdiu conceditur ad uſum, quamdiu non revocaverit is, qui eam conceſſit. 372. 1
Precarium non tantùm ſumitur pro ipſo contractu, ſed etiam pro re ipſa, quæ precariò datur, & à rogante accipitur. ibid. 3
Precarium finitur per obitum illius, cui eſt conceſſum, non ita per mortem concedentis. 373. 10. Et tranſit ad ſucceſſorem. ibid. 11
Precarium quatuor modis finiri poteſt. 374. 14. Non tamen ex precario jure civili ulla oritur actio directa, vel contraria; ſed propter æquitatem naturalem competit interdictum de precario. 374. 16
Presbyter ſi non fuit baptizatus debet baptizari, & iterum initiari ſacris ordinibus. 924. 1
Presbyter non baptizatus ſi aſſiſtat matrimonio hoc non eſt repetendum. 926. 4
Pretia victualium taxanda ſunt à Magiſtratu, & id videtur exigere bonum commune, cùm victualia ſint ſingulis neceſſaria. 424. 47
Pretium rerum venalium eſt duplex, unum quod à Principe taxatur perpenſis circumſtantiis; aliud, quod imponitur communi hominum peritorum æſtimatione. 405. 22
Pretium non conſtituitur pro varietate rerum naturalium, ſed prout res humanis uſibus, & commodis inſerviunt. 406. 23
Pretium rei venalis, ſi excedat pretium ſummum in foro conſcientiæ, debet exceſſus reſtitui, ut etiam ſuppleri, quod habetur infra infimum. In foro autem externo ad evitandam multitudinem litium non ſuccurritur alicui, niſi ſupra dimidium juſti pretij deceptus fuerit. 412. 2
Pretium rerum, quæ dantur venum, ex quibus circumſtantijs incrementum, vel decrementum ſubeat. 417. 10. & ſeq.
Pretium taxatum à Principe, præferri debet taxato à communi hominum æſtimatione. 417. 14
Pretium legitimum, & vulgare, quid ſint, & quomodo ad invicem ſe habeant. ibid.
Pretium rei venalis duobus modis poteſt incrementum ſubire ratione multiplicationis emptorum, & in compenſationem dilatæ ſolutionis. 422. 40
Pretium non poteſt accipi, ut quis admittatur ad ſtatum religioſum, & ad profeſſionem emittendam, licèt non ſit illicitum accipere aliquid pro ſuſtentatione perſonæ ſuſcipiendæ liberè, & ſine prævio pacto. 772. 5
Primitiæ dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, ac arborum, & differunt à decimis, quia primitiæ ſunt primi fructus è terra eo anno collecti, & decimæ certa pars eorundem fructuum. 671. 1
Primitiæ non debentur jure naturæ, conſentaneum tamen eſt rationi naturali, & conveniens, ut Deus per has primitias etiam colatur. ibid. 2
Primitiæ omnium fructuum in lege ſcripta injunctæ fuerunt præcepto divino, & oblatæ ex præcepto illius legis. 671. 3. In lege evangelica ſunt etiam debitæ in duobus caſibus, ſi miniſtri Eccleſiæ indigeant, & vigeat conſuetudo eas præſtandi: & præter hos duos caſus hæc ſolutio eſt tantùm de conſilio, non de præcepto. ibid. 4
Princeps ex contractu cum ſuis ſubditis inito poteſt obligari, ſi ſpecialiter contrahat, nec poteſt ſalvâ juſtitiâ, & conſcientiâ reniti. 375. 6. & ſeq.
Princeps, cùm ſuccedat univerſaliter in omnia bona, & jura ſui prædeceſſoris, tenetur ejus pacta ſervare. 375. 19
Princeps ſi nulla ſuppetat juſta cauſa, nec damnum publicum, non poteſt contractus ſuorum ſubditorum diſſolvere: benè tamen ſi juſta ſubſit. 377. 19
Princeps, ſi opus fuerit, poteſt leges, & juramenta tollere, & relaxare. ibid. 20
Princeps poteſt quibusdam certis mercatoribus privilegium concedere, ut ipſi ſoli quædam poſſint genera mercium vendere. 411. 11
Princeps, ſi rationabilis cauſa ſubſit, poteſt commutare rem ſuam immobilem cum re immobili eccleſiaſtica, ſi res, quam dat, ſit majoris valoris, vel ſaltem æqualis pretij. 45. 10
Princeps ſæcularis non poteſt punire Clericum delinquentem ratione officij ſibi ab eodem Principe conceſſi. 982. 2. Nec poteſt Judex laicus punire Clericum delinquentem in officio ſæculari. ibid. 3
Princeps laicus non poteſt armatos milites mittere ad locum ſacrum, ubi reus confugit ea intentione, ut ob metum confuga inde diſcedat. 1006. 29
Principali extincto etiam acceſſorium extinguitur, dummodo ſit hoc inſeparabile à principali, non ita, quando eſt quid diſtinctum, & ſeparabile. 521. 16
Principes ſæculares nonniſi ſub beneplacito Papæ poſſunt Abbates penſionibus gravare. 314. 18
Principes ſæculares non poſſunt leges condere, quibus comprehendantur Eccleſiæ, & Clerici. 1003. 10
Principes nec directè, nec indirectè poſſunt impedire, ne eccleſiæ, & Eccleſiaſtici acquirant bona immobilia. 1004. 19. & ſeq.

Privilegia canonis, & fori nulla consuetudine etiam immemorabili, vel præscriptione longissimi temporis, imò nec ulla lege tolli possunt absque summi Pontificis authoritate. 19. 14

Privilegium canonis est, quo injiciens violentas manus in Clericum suadente diabolo excommunicationem incurrit soli summo Pontifici reservatam: & hoc canonis privilegio gaudent tum Monachi, tum Sacerdotes, tum Conversi, tum Moniales, & Novitij. 18. 2. & seq.

Privilegium concessum subdito omninò gratis, & liberaliter potest revocari, nisi transierit in pactum. 164. 25

Privilegium à Principe concessum absenti ignoranti, vim suam statim obtinet, & tunc absens acquirit jus ad rem. 242. 5

Privilegium competentiæ in eo consistit, ne quis conveniatur ultraquàm facere potest. 510. 6

Privilegium concessum alicui Clerico, vel monasterio de decimis in aliena Parochia percipiendis, non comprehendit novalia, nisi rationabilis causa ostendatur. 666. 5

Privilegium percipiendi decimas ex prædijs spectantibus ad aliam Ecclesiam non extenditur ad decimas novalium, quæ post concessionem privilegij fiunt intra fines talis ecclesiæ, sive privilegium concessum sit laicis, sive Religiosis. ibid. 8

Privilegium concessum Regularibus de non solvendis decimis ex prædijs, quæ eorundem manu, vel sumptu coluntur, non comprehendit prædia conductitia. 675. 11

Privilegium exemptionis à decimis prædialibus non solvendis concessum Regularibus, vel alijs, qui jure communi tenerentur eas solvere, est favorabile. 676. 15

Procuratio debita ratione visitationis non præscribitur, licèt unus Prælatus possit contra alium eam præscribere. 857. 10

Procurationes sunt expensæ præstandæ Prælatis, quibus ex officio incumbit Ecclesias sæculares, vel regulares visitare, sive qui visitat, sit Episcopus, sive Archidiaconus, vel Diaconus. 855. 1

Procurationes pro munere visitationis obeundo non solùm Archiepiscopis, Episcopis, & Legatis sedis Apostolicæ, sed etiam aliis Prælatis inferioribus obeuntibus tale munus debentur. 856. 7. Et præstari debent ab omnibus Ecclesiis sæcularibus, & Regularibus, monasteriis, & personis, Capellis erectis in ecclesiis Collegiatis, Oratoriis publicis institutis authoritate Episcopi, nisi monasteria sint exempta speciali privilegio. 856. 9

Procurator, qui negotia alterius gerit, si habeat speciale mandatum potest aliquid pignori dare, ut etiam si habeat universam bonorum administrationem cum libera potestate. 486. 3

Prodigus, qui à Magistratu positus est sub curatore, non potest quidquam donare, quia adempta est ei administratio rerum suarum. 529. 2

Professio religiosa propriè est contractus sacer, quo homo voluntariè se tradit Deo in Religione approbata quoad certum modum, seu institutum vivendi proprium illius religionis, in qua emittit professionem, quæ tamen ut valida sit, debet acceptari à Prælato regulari nomine ipsius Dei. 694. 1

Professio religiosa ut valida sit requiritur traditio ex parte profitentis, & receptio ex parte religionis, in qua profitetur. 694. 3

Professio religiosa alia est expressa, & alia tacita. 694. 4. Professio tacita dicitur ex susceptione sacrorum Ordinum. ibid. 5. Professio expressa emittitur non solùm verbis, sed etiam scripto, nutibus, vel signis. ibid. 6

Professio religiosa potest fieri sub conditione de præsenti, vel præterito non suspendente actum, ut etiam sub conditione propriè dicta pendente ex eventu contingente. ibid. 8

Professio religiosa tacita, vel expressa, ut valida sit, quales exigat conditiones? 695. 10. & seq.

Professio irrita ut ratificetur, tria requiruntur, quæ explicantur. 698. 25. & seq.

Professio religiosa consecrat totum hominem Deo, eúmque abstrahit à mundi curis, & dirimit matrimonium postea contrahendum, imò etiam contractum, si nondum fuerat consummatum. 699. 1

Professio religiosa transfert Religiosum in jus, ac potestatem illius religionis, in qua profitetur. 699. 2

Professio religiosa tollit votum emissum ingrediendi religionem. ibid. 3

Professio emissa in religione laxiori non repugnat voluntati transeundi postea ad religionem arctiorem, & in ea profitendi. 700. 5

Professio religiosa privat religiosum omni dominio bonorum mobilium, & immobilium, eúmque constituit inhabilem ad tale dominium. 700. 6. Adeo ut si quis ita profiteretur, ut intenderet dominium retinere rerum temporalium invalida esset professio spectato jure communi, nisi paratus sit illud abdicare quoties superior jusserit. ibid.

Professio religiosa liberat filium familias à patria potestate. 700. 9

Professio religiosa semel validè emissa non potest amplius dissolvi. 701. 10

Professio religiosa emissa post consummatum matrimonium altero conjuge invito est invalida. 731. 6

Professio religiosa emissa à marito cum licentia uxoris, sed dolo impetrata, est nulla, & potest uxor maritum repetere. 733. 18

Professus invalidè ut reclamans possit audiri, tres requiruntur conditiones. 697. 18

Prohibitio sepeliendi excommunicatos in loco sacro est limitata, & restricta ad solos excommunicatos denuntiatos, & vitandos. 625. 12

Proles in matris alvo mortua unà cum matre defuncta, in cujus utero fuit extincta sepelitur in loco sacro, quia est pars ventris. 623. 3

Promissio quæcunq; de beneficio conferendo cum clausula: *Cùm potero, vel cùm se facultas, seu occasio obtulerit*, vel per aliam similem, per quam directè, vel indirectè via aperitur ad beneficia vacatura est prohibita, & invalida, & derogatur juri antiquo. 230. 14

Promissio requisita ad votum, ut valida sit debet esse deliberata, libera, cum intentione se obligandi, & de

de re grata promiſſario. 744.3. Imò debet etiam eſſe ſpontanea,ſeu non metu,non vi,nec dolo injuſtè extorta. ibid. 6
Proviſio beneficij facta ab Ordinario in dubio, an vacaverit intra ſuum menſem, vel intra alium pertinentem ad Papam, eò quia beneficiarius deceſſerit media nocte ultimi diei menſis, & horologia ante,& poſt mortem pulsârunt ſignum mediæ noctis,eſt valida. 196.21.& ſeq.
Pueris,qui nondum ſunt ſeptennes,poteſt à parentibus in quadrageſima, aliiſque diebus jejunij miniſtrari juſculum, offa, & carnes. 956. 12
Pueris minoribus ſeptendecim annis, quia nondum cenſentur idonei ad gratum famulatum Eccleſiæ impendendum,non poſſunt beneficia eccleſiaſtica conferri. 216. 2
Purificatio poſt partum in lege evangelica non ampliùs ſervatur. 959. 2. Quia præceptum hujus purificationis erat unum ex cœremonialibus, & non præfigurabatur Chriſtū venturum. Sed ſi mulieres puerperæ velint in lege Evangelica ob devotionē,vel causâ venerationis aliquamdiu abſtinere ab ingreſſu Eccleſiæ,non eis prohibetur, ut nec etiam ſi velint ſtatim poſt partū Eccleſiam ingredi acturæ Deo gratias. 959.3. & ſeq.
Purificationis poſt partum præceptum, an fuerit in lege veteri unum ex cœremonialibus? 959.4
Purificationis præceptum cur Beata Virgo Mater voluerit ſervare juxta ritum Moſaicæ legis. 691. 1. Et quomodo ex verbis legis evincatur, fuiſſe excluſam ab obligatione ſervandi præceptum cœremoniale purificationis. ibid.2

Q.

QUæ non competunt Epiſcopis jure communi, vel ex jurisdictione Ordinaria, ac in eorum officio radicata, ſed accidentaliter,vel ex ſpeciali mandato,conditione,aut privilegioRomani Pontificis non tranſeunt in Capitulum, quod licèt ſuccedat in jurisdictione,non tamen in dignitate Epiſcopali,cui delegatio videtur facta eſſe.250.3
Quæ contractui dicuntur accidere ſunt conditio, modus,demonſtratio,& cauſa. 366.18
Quæ accedunt ad rem commodatam, ſeu illam comitantur, vel ſequuntur cenſentur pariter commodata. 387.19
Quæ pecuniâ æſtimantur vendi poſſunt, niſi adſit ſpecialis prohibitio, ſeu circumſtantia irritans venditionem, vel eam reddens illicitam. 403. 10
Quæ exempta, & ſoluta ſunt à commercio hominum,vel jure gentium non poſſunt oppignorari. 487. 10
Qualitates quas inducit reſidentia intra propriam diœceſin in ordine ad beneficium alternativæ,easdem ſecum trahit reſidentia in loco proprio jurisdictionis intra alienam diœceſin, quando reſidentia eſt ibi translata. 56. 19
Quaſicontractus perficitur per ſolum quaſi conſenſum, à quo ſuam deſumit nomenclationem, ut contingit in tutela,& aliis negotiis geſtis,in quibus licèt à nobis nihil actum ſit, vel pactum, nihilominus præſumimur iisdem aſſentiri. 366.1
Quaſicontractus prima ſpecies eſt mandatum, ſeu gratuita ſuſceptio aliquid exequendi, quod ab alio formaliter,vel virtualiter injungitur. 368.2. Secunda ſpecies eſt negotiorum geſtorum,éſtque contractus ſine expreſſo mandato. Tertia eſt tutela,ſeu poteſtas in capite libero ad tuendū eum, qui ob defectum ætatis nequit ſe ſponte tueri. Cura prout eſt quarta ſpecies quaſicontractus coincidit cum tutela. Acceptilatio,quæ eſt quinta ſpecies quaſicontractus propriè non eſt quaſicontractus,ſed ob ejus imperfectionem eidem accenſetur, tollit enim potiùs obligationem,quàm inducat. Communio rerum prout eſt ſextus quaſicontractus eſt quædam ſocietas. Quaſicontractus adeundi hæreditatem pertinet ad hæredem: & quaſicontractus indebiti ſoluti habetur, cùm quis per errorem ſolvit,quod non tenebatur ſolvere. 367. 7. & ſeq.
Quaſicontractuum ſpecies principaliores ſunt octo, Mandatum, negotia, tutela, cura, acceptilatio, communio rerum, hæreditatis aditæ, & indebiti ſoluti, 366. 2
Qui beneficium alteri confert, nequit ſibi licitè retinere reditus, vel aliquam partem eorundē, imò ſi in collatione de illo paciſcatur cum eo,cui confertur beneficium,committitur Simonia. 304. 3
Qui non poſſunt contrahere,generatim nec poſſunt commodare, ut pupilli,& minorennes. Puberes tamen non tenentur actione commodati. Verùm ſi pupillus factus ſit locupletior, datur actio utilis commodati. 380.4
Qui juravit ſolvere, an poſſit hoc non obſtante compenſare ſibi ſine metu perjurii? 387.16
Qui ſciens dat pignori rem alienam inſcio creditore tenetur crimine ſtellionatûs. 487.10
Qui ſolvit alteri, quod illi non eſt debitum naturaliter,nec civiliter,poteſt illud condicere. 522.20
Qui audierunt Teſtatorem verbaliter injungentem hæredi, ut poſt ſuum obitum ſolvat legatum pium, poſſunt in judicio eſſe teſtes ad ipſum vindicandum. 593. 19
Qui ob aliquod impedimentum non poteſt ſepeliri in ſepultura electa,ſepeliendus eſt, ubi Epiſcopo, & ejus Vicario viſum fuerit conſulsius. 618.5
Qui bona fide per decem,vel viginti annos decimas Eccleſiæ non ſolvit, adhuc tenetur eas ſolvere, niſi reſpectu ſingulorum annorum quadragenaria præſcriptio intervenerit. 675.10
Qui dubitat, an res promiſſa per votum, ſit indifferens, vel bona,tenetur votum implere. 749. 7
Quicunque liberam habet rerum ſuarum, vel alienorum bonorū adminiſtrationem poteſt pignori dare,non ita,qui res proprias non habet. 485.1
Quisque eſt rerum ſuarum Dominus, & arbiter, ac poteſt de ijsdem diſponere, prout ipſi magis libuerit. 480. 17
Quisquis ad eligendum vitæ ſtatum eſt ſui juris. 710. 6
Quotquot poſſunt contrahere jure naturæ ex mutuo poſſunt obligari, niſi privilegio juris poſitivi juventur. 514. 8

R.

REceptio in Canonicum, ſeu collatio canonicatûs facta alicui à Papa cùm mandato, ut ei provideatur de Præbenda primò vacatura, differt à mandato Papæ facto alicui collatori Ordinario, ut Clericum recipiat in Canonicum. 158. 20
Reconciliatio ſolemnis Eccleſiæ conſecratæ eſt actus ordinis epiſcopalis ex inſtitutione Eccleſiæ. 879.2

Rectoribus Ecclesiarum debetur ex earundem reditibus congrua, ac sufficiens sustentatio. 104. 18
Reditus parochiales insufficientes ad congruam Parochi sustentationem juxta arbitriũ viri boni, vel Episcopi augendi sunt, donec sufficiant. 198. 29
Reditus beneficij si non sufficiant ad sustentationem Rectoris, & Coadjutoris ex iisdem providendum est priùs infirmo Rectori, deinde si pro congrua sustentatione coadjutoris non superfint sufficientes reditus, tenetur Episcopus providere coadjutori, vel cogendo Parochianos ad suppeditanda eidem necessaria, vel aliunde assignando eidem sufficientes proventus. 202. 10
Reditus annui ecclesiæ, si adhæreant rei immobili, seu extrahantur ex re immobili, prædio, fundo, sylva, lacu, piscina, accensentur bonis immobilibus, & non possunt alienari. 339. 13
Refectiuncula vespertina diebus jejunij, qualis esse debeat, & an viri nobiles possint paulò ampliorem cibum sumere? 957. 16
Regulæ Cancellariæ Apostolicæ sunt quædam constitutiones, quas singuli Pontifices statim ab initio sui Pontificatùs solent circa beneficiales, & judiciales causas, vel de novo instituere, vel jam institutas à suis prædecessoribus renovare, augere, & minuere, & non durant nisi ad dies vitæ sumi Pontificis: adeò ut sede vacante vacent etiam ipsæ regulæ Cancellariæ, donec Successor easdem instituat. 174. 1. Et obligant statim, ac à novo Pontifice reassumuntur, tametsi nondum publicatæ fuerint. ibid. 2
Regulæ Cancellariæ reservant summo Pontifici pluta beneficia, quorum singula recensentur. 174. 3.
Regulares simpliciter approbati, an possint ab Episcopo Successore in dignitate, & jurisdictione ad novum examen vocari. 261. 11
Regulares ex pecunia ijsdem relicta pro missa perpetua, non possunt fundare censum super monasterio, aut horto inserviente eidem ex decreto Urbani VIII. 358. 20. Sed pecuniæ illæ debent converti in bona immobilia fructifera, ex quibus quot annis percipiantur tot fructus, qui sufficiant pro congruo emolumento ad compensandum onus annuum missarũ celebrandarũ. ibid.
Regulares non possunt inducere infirmum ad eligendam propriam sepulturam in propria eorundem Ecclesia cum obligatione irrevocabili orta ex voto, vel juramento, vel alia causa, quâ infirmus ita maneret obligatus, ut salva fide non posset mutare electionem. 628. 1
Regulares absque speciali licentia Parochorum non possunt administrare alienis viaticum, nec extremam Unctionem. 639. 4
Regulares dicuntur à regula speciali, quam profitentur, & Religiosi nuncupantur, qui certæ religioni sunt adstricti, ex quibus alij sunt simplices religiosi, Monachi, Moniales, Abbates, Priores, Abbatissæ. 681. 1
Regulares professi ejecti tenentur semper reverti ad religionem, si à suis fuerint Superioribus requisiti, idque ex vi votorum. 708. 10. Limitatur tamen nisi expressè, quis apud se statueret ingredi aliam religionem, si ab ea expelleretur, in qua professionem emisit. ibid. 12
Regulares à jure canonico eximuntur à jurisdictione Episcoporum, adeò ut quoad effectus jurisdictionis censeantur extra diœcesim. 790. 2
Regularibus ex eo, quòd in suis Ecclesijs sacramenta ministrent, & verbum divinum è suggestu dicant, non debentur decimæ. 662. 14
Rei in emphyteusim, vel feudum concessio debet ita fieri, ut inde major utilitas ecclesiæ adferatur, quàm ex possessione ipsius rei emphyteuticæ posset derivari. 439. 12
Rei confugientes ad Ecclesiam, an debeant sustentari ab Ecclesia, in qua gaudent immunitate, vel teneantur ex proprijs bonis se alere, si habeant, quo possint sustentari. 1006. 28
Religio ex primæva sua significatione denotat virtutem, quæ inter morales est præcipua, & quâ debitum cultum, & honorem Deo exhibemus propter ipsius excellentiam. 681. 3. Et ad substantiam veræ religionis quatuor sunt necessaria, & præsertim ut serventur tria consilia evangelica Paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ. 682. 4. Et hæc tria consilia debent voto firmari continente perpetuam obligationem, imo debent hæc vota emitti in religione approbata per sedem Apostolicam. ibid. 7. & seq. Rursus emittens vota religionis debet constitui sub jurisdictione, & potestate alicujus superioris, seu Prælati Ecclesiastici, qui possit religiosos subditos adigere, non solùm per pœnas temporales, sed etiam spirituales ad servandam regulam. 683. 11
Religionem ingredi possunt, ejúsque onus subire quotquot sunt sui juris, quique alteri non sunt obstricti, licèt sint impuberes, non tamen solemnem professionem emittere, nisi post annum ætatis 16. 684. 1. & seq.
Religionem ingredi potest conjux, si maritus incidat in hæresim, & judicio Ecclesiæ fiat separatio. 686. 14. Non tamen possunt religionem ingredi, qui sub futuri matrimonij promissione puellã defloràrunt, quamvis fictè promiserint. ibid. 15
Religiosi Regulares sive mares, sive fœminæ in materia odiosa non comprehenduntur nomine cleri; adeo ut hoc interdicto, non censeantur interdicti regulares. 7. 7
Religiosi, si intra septa monasterij arma retineant, sine sui Prælati licentia incurrunt ipso facto excommunicationem. 16. 21
Religiosi non possunt reditus suarum Ecclesiarum diminuere respectu portionis debitæ Rectoribus, seu Vicariis. 124. 13
Religiosi ex licentia suorum superiorum possunt habere aliquid peculij ex rebus consumptibilibus, sive sint pecuniæ, sive quid aliud, ut illud convertant in proprios usus religiosos. 550. 17
Religiosi, & eorum Prælati non possunt testamentum condere, & si illud condant ipso jure est irritum. 564. 14
Religiosi professi neque ad pias causas possunt testari, defectu dominij, cujus sunt incapaces. 564. 17. Id tamen possunt obtenta licentia à summo Pontifice, qui ex justa causa potest religioso concedere facultatem testandi de aliquibus rebus, quarum habuit usum, & administrationem. 564. 18. Et tunc religiosi non possunt testari nisi ad pias causas. ibid. 19
Religiosi incapaces possessionis bonorum immobilium possunt ab intestato succedere in hæreditatẽ non ut possidendam, sed ut direndendam. 603. 8

Religioſi inſcapaces poſſidendi bona immobilia poſſunt ſuccedere in fideicommiſſum, ad effectum illud alienandi in aliquē ex eadem familia. 604.11
Religioſi profeſſi decedentes extra Monaſterium ſepeliendi ſunt in Eccleſia ſui Ordinis, & ſi non adſit, poſſunt ſibi ſepulturam eligere. 613. 3. Sin verò nullam ſibi eligant ſepulturam, & non poſſint deferri ad proprium Monaſterium, ſepeliendi ſunt in Eccleſia parochiali, in qua decedunt. ibid. 4
Religioſi Minores S. Franciſci, & Ordinis Prædicatorum, ut etiam reliqui mendicantes exempti ſunt à quarta funeralium, quam antea de jure tenebantur ſolvere. 620. 4
Religioſi inducentes infirmos ad eligendam ſepulturam in proprijs Eccleſijs cum obligatione, cui annexum ſit juramentum, incurrunt excommunicationem, & electio facta ab infirmo eſt nullius valoris. 618. 2
Religioſi, quibus ob ſepulchrū Majorum in propria Eccleſia competit funerare cadaver; ſi abſtrahamus à pactis, privilegijs, & conſuetudinibus, non poſſunt abſque licentia Parochi proceſſionaliter ingredi ſuam parochiam ad tollendum cadaver. 631. 14
Religioſi mendicantes licèt jure communi non poſſint tranſire ad non mendicantes cum facultate ſui Generalis, præterquam ad Carthuſianos, ſed requiratur facultas Pontificis: ex privilegio tamē poſſunt Generales hanc licentiam dare. 704.13
Religioſi Capucini non poſſunt recipere fratres Minores de Obſervantia ſine licentia ſedis Apoſtolicæ in ſcriptis obtinenda. 704. 14
Religioſi ejecti, an maneant omnino ſoluti, & liberi à voto Obedientiæ, & an teneantur iterum ingredi, ſi Prælatus velit eos iterum recipere. 707. 8
Religioſi fugitivi dicuntur, qui à monaſterio ad tempus diſcedunt non animo recedendi à religione, ſed intentione poſtea redeundi. Apoſtatæ verò ſunt, qui à monaſterio recedunt animo excutiendi jugum religionis in perpetuum. 708.14
Religioſi profeſſi ſunt capaces jurium ſpiritualium, proinde etiam juris patronatus. 832. 6
Religioſorum ordinum varietas an congrua ſit Eccleſiæ. 709. 1
Religioſus ſi abſque Superioris ſui licentia contrahat, ipſo facto contractus eſt irritus, & non tenetur monaſterium eidem ſtare niſi fortaſſis locupletius factum fuiſſet. Oritur tamen ex tali contractu obligatio naturalis in Religioſo, ſi ſuperior illum non irritet, ac proinde tenetur dare operam, quantum in ſe eſt, ut Prælatus contractum à ſe initum approbet. 376. 12
Religioſus malè ſe gerit, ſi abſque conſenſu ſuperioris munus ſuſcipiat Depoſitarij. 390. 6
Religioſus ſine licentia ſui Prælati, & conſenſu majoris partis Capituli, non poteſt pro alio fidejubere. 501. 12
Religioſus ſi cum eſſet in ſæculo habuit filios, eò quia fuerit conjugatus, ei permittitur, ut poſt emiſſam profeſſionem illi diſtribuat bona ſua, ſi antea id non præſtiterit, non tamen ut Dominus, ſed ut adminiſtrator conſtitutus à jure ad hunc effectum. 601. 8
Religioſus ſi habeat patrem, vel matrem, Avum, vel Aviam jure communi debet illis dare legitimam portionem, ſi in tali loco ſit uſu receptum. ibid. 9
Religioſus per ſolemnem profeſſionem non amittit jura ſuitatis, & agnationis, quæ propterea transfert in monaſterium. 604. 12
Religioſus tametſi ſolus ſit, qui infirmum inducat ad eligendam ſepulturam cum obligatione, cui annexū ſit juramentum, vel votum, adhuc electio eſt nulla. 630. 11
Religioſus regularis ex jure poteſt tranſire ad religionem arctiorem, & quid intelligatur nomine ſtrictioris. 702. 1
Religioſus ut ritè tranſeat ad aliam religionem aliquot requiruntur conditiones. 703. 5
Religioſus regularis tranſiens ad aliam religionem non poteſt ſecum deferre bona acquiſita priori monaſterio. 705.16
Religioſus regularis ob juſtas cauſas poteſt expelli à religione ob utilitatem Monaſterij: quia melius eſt, ut pereat unus, quàm unitas, ut loquitur D. Bernardus. 706. 1
Religioſus ſine juſta cauſa non poteſt expelli à religione. 707. 2
Religioſus à religione ejectus ſuſpenſus manet, quamdiu iterum non recipitur, vel in aliam religionem non tranſit, & hæc ſuſpenſio prohibet exercitium Ordinis. 788. 13
Religioſus ſi ſit in carcere detentus etiam in perpetuum cenſendus eſt fugitivus, ſi è carcere fugiat, quia recedit à Monaſterio abſque debita licentia. Excipiuntur tamen aliquot caſus. 709.15
Religioſus converſus ſeu laicus non dimittitur à religione, in qua jam emiſerat profeſſionē, ſi ex indulto Pontificis aſcendat ad ordinem clericalem, pro quo non ſit habilis: ſed tantùm poteſt repelli à ſtatu clericali. 713 8
Religioſus reclamans, ut audiatur, debet priùs reſumere habitum religionis, non ita ſi jam tranſierit cum prævia licentia ad aliam religionem, & reclamet in Novitiatu. 713. 19
Religioſus tranſiens ad aliam religionem poteſt ſecum deferre ſcripta concionum, lectionum, & aliorum, quæ proprio ſtudio compoſuit, non verò ſi ab aliis ſint compoſita. ibid. 20
Religioſus ejectus tenetur etiam obſervare quartum votum emiſſum ex ſpeciali inſtituto ſuæ religionis. 715. 24. Quia Religioſus ejectus licèt ſeparatus ſit à religione, non tamen eſt abſolutus à votis ſolemnibus. ibid. 25
Religioſus ejectus, & emendatus, an teneatur iterum ingredi religionem, à qua fuit ejectus, & ſi non recipiatur, an teneatur tranſire ad aliam religionem. 716.29. & ſeq.
Religioſus ejectus, quomodo ſit tractandus, ſi ut correctus iterum ſuſcipiatur in religione. 720. 43. Et an reſtituendus ſit priſtino gradui, & loco profeſſionis. ibid. 44
Religioſus ejectus non acquirit ſibi ob votum paupertatis, à quo non eſt ſolutus, ſed vel religioni, à qua fuit ejectus, vel ſedi Apoſtolicæ. 721. 45
Religioſus regularis ſi promoveatur ad Epiſcopatum, an teneatur voto paupertatis, & obedientiæ. 765. 23
Religioſus aſſumptus ad Epiſcopatum ſit ſponſus Eccleſiæ, & tranſit in eandem ſortem cum ipſa, in qua ſimul communicat. 765. 26

Religioſus aſſumptus ad Epiſcopatum ſubeſt ſummo Pontifici, ut Paſtor inferior Paſtori ſuperiori. 777. 34

Religioſus detrectans univerſaliter ſervare Regulares obſervantias non obligantes ad lethale peccat lethaliter. 775.2

Religioſus violans votum caſtitatis, quibus ſit jure canonico pœnis obnoxius. 776. 6

Religioſus an ex vi voti obedientiæ teneatur ſemper parêre ſuo ſuperiori. 779. 19. Et in dubio quomodo teneatur procedere. 789. 20

Religioſus quo ordine teneatur ſuis obedire Prælatis. 760. 23

Religioſus regularis ex voto paupertatis tenetur ad plura. 781. 27

Religioſus regularis, an poſt emiſſam profeſſionem poſſit citra læſionem paupertatis recipere legatũ ſibi relictum ab amico, vel conſanguineo. 782.29

Religioſus ex pecunia, quam ex conſenſu ſuorum ſuperiorum poteſt licerè expendere, nequit cenſum fundare, nec certam ſummam dare amico, ut pro ſe tot miſſæ celebrentur poſt mortẽ. 782. 31

Reliquiæ inſignes, ſi ſervetur in Eccleſia Cathedrali, non poſſunt reliquæ Eccleſiæ exiſtentes in eadem civitate recitare officium, & miſſã de illa. 946 15

Reliquiæ Sanctorum, quæ aſſervantur in Eccleſia, ſi ſint de jure Eccleſiæ, non poſſunt alienari inconſulto Papa. 361. 32

Reliquiæ de novo inventæ non coluntur, niſi prius authoritate Papæ fuerint approbatæ. 943.5

Reliquiæ etiam veteres prohibentur vendi. 943.6

Reliquiæ Sanctorum cultus gratiâ ſervandæ ſunt, & colendæ, ut moris ſemper fuit in Eccleſia. 944.2

Reliquiæ inſignes, ratione quarum poſſit de ſanctis illis miſſa celebrari, quænam ſint? 946. 12

Reliquiæ ſanctorum ſine authoritate Papæ non poſſunt alienari. 949.29

Reliquiæ habentur inter ornamenta eccleſiæ. ibid. 30

Reliquiarum depoſitio non eſt de ſubſtantia conſecrationis altaris. 947. 1.

Reliquias ſine authoritate Romani Pontificis non debemus venerari. 948. 26

Reliquias qui furatur, ad quid teneatur. ibid. 28

Remedium reſcindendæ venditionis ob læſionem ultra, vel infra dimidium ceſſat in nonnullis caſibus. 414. 22

Renuntians beneficio, ſi conveniat cum reſignatario de penſione extinguenda mediantibus aliquibus ſolutionibus anticipatis, & quòd pecunia depoſitetur apud probum virum ſub ea conditione, quòd renuntians beneficio ſtatim totam illam pecuniam recipiat, quando ſummus Pontifex conceſſerit facultatem extinguendi penſionem, an tunc committatur Simonia? 323.39. & ſeq.

Renuntiatio bonorum facta à Novitio monaſterio ante profeſſionem invalidam, eſt nulla, & tantùm validatur, ſi profeſſionem antea invalidè emiſſam ratificet. 712.15

Repudiatio hæreditatis, non eſt alienatio, ſed tantum non acquiſitio, quia ante aditam hæreditatem non acquiritur dominium ejusdem, nec alienatur, quod non poſſidetur. 347. 22

Rerum genera, quæ vendi non poſſunt, ſunt res ſpirituales, ſacræ, eccleſiæ, vaſa, veſtes, altaria, templa, & alia id genus, quæ non niſi per accidens ratione materiæ, & laboris adhibiti in ijsdem fabricandis divendi poſſunt. 404. 11

Res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, dicuntur, quæ abſque notabili detrimento non durarent, quæque per uſum abſumuntur, cujusmodi ſunt arborum fructus. 337. 2

Res, ut dicatur pretioſa ad effectum ut Prælatus non poſſit illam alienare, ad quam ſummam debeat aſcendere. 338. 4

Res mobiles, imò & immobiles ſi exigui ſint valoris, & Eccleſiæ minus utiles, poſſunt ab Epiſcopo conſentiente capitulo alienari, vel permutari pro alijs utilioribus. 338. 5

Res Eccleſiæ damnoſæ, in quibus ſervandis plus impenditur pecuniæ, quàm hauriatur utilitatis, alienari poſſunt à Prælato, etiam abſque juris ſolemnitatibus. 338. 7

Res, quæ ante infeudari, vel in emphyteuſim dari conſueverat, feudo, vel emphyteuſi expirante iterum dari poteſt in feudum, ſeu emphyteuſim abſque ſolemnitate jure præſcripta in alienandis rebus eccleſiaſticis, dummodo fiat in evidentem utilitatem eccleſiæ; & antequam fructus illius rei, quæ datur in feudum, vel emphyteuſim incorporentur. ibid. 9

Res eccleſiaſticę in pluribus caſibus non poſſunt ullo modo alienari, etiam cum ſolemnitatibus jure præſcriptis. 339. 15

Res publicis uſibus deſtinatæ nequeunt à privata perſona divendi, ut forum publicum, via publica, & id procedit, tametſi venditio referatur in tempus, quo hæc bona erant privatæ perſonæ. 404.13

Res litigioſa non poteſt vendi, nec emi. 404.15. Neque vendi poſſunt res, quas natura, vel jus gentium, aut divinum, vel canonicum, imò etiam civile, aut ſtatuta civitatum, vel populorum, vel mores patriæ prohibent vendere. ibid. 16

Res furtiva divendi non poteſt, & ſi vendatur, emptio eſt irrita quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem. 404. 17

Res non poſſunt majori pretio divendi diviti, quàm pauperi, quia divendi debent juxta proprium valorem intrinſecum, quem non habent ab emptoribus. 406. 25

Res in fine nundinarum ſolent minoris æſtimari, ac viliori pretio divendi, quàm ſub initium. ibid. 26

Res vendita poſt perfectam venditionem perit emptori, ad quem ut ad dominum rei pertinet damnum. 410. 8

Res, quæ ſub haſta vendantur, exigunt juſtum pretium, quod non excedit ſupra dimidium, nec deficit infra dimidium illius juſti pretij, quo res aliàs emerentur. 418.25

Res aliena inſcio, & invito rationabiliter domino licitè non venditur, præſertim in ejus præjudicium: ſin autẽ venditio fieret emptori ignoranti in præjudicium venditoris valida eſſet venditio. 418.25

Res aliena cùm ſit reſtitutioni obnoxia, ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus non compareat, non acquiritur emptori, ſed pauperibus eſt diſtribuenda. 419.26

Res temporales annexæ ſpiritualibus non poſſunt vendi, nec emi, ſi res temporalis annexa ſit ſpirituali ut ſuæ cauſæ, ut eſt in beneficio eccleſiaſtico jus percipiendi proventus beneficiales. 420. 31. Sin verò temporale ſit annexum ſpirituali antecedenter,

denter, & ſeparabiliter, tunc poteſt temporale vendi ut caſtrum, cui ſit jus patronatus annexum, ibid. 32
Res in pluribus caſibus poſſunt cariùs vendi, quàm alioquin venderentur. 423. 42
Res carentes legitimè taxato pretio, cujusmodi ſunt gemmæ, picturæ, ſtatuæ, & alia id genus poſſunt vendi ad arbitrium Domini. 423. 44
Res aliquæ locari prohibentur, ut ſervitutes prædiales, ſubjectiones prædiorum: aliæ verò locari poſſunt, quæ vendi prohibentur, ut res pupilli, & Minorennis. 425. 3
Res eccleſiæ ad breve tempus locari poſſunt ab ijs, qui præſunt eccleſię, non tamen ad decenniũ. 425. 3
Res locata generatim perit Domino, ſi caſu fortuito pereat. 435. 15
Res eccleſiaſticę ſi proximè datæ fuerant in feudum, vel emphyteuſim, poſſunt iterum ſic dari absque ſolemnitate præſcripta jure canonico, ſi id fiat ad evidentem utilitatem eccleſiæ, & antequam fructus incorporentur eidem. 439. 10
Res emphyteutica ſi fuerit notabiliter meliorata, ac plurimum utilitatis ſit eccleſiæ allatura, nequit Prælatus eandem ad Eccleſiam reverſam de novo in emphyteuſim concedere. 439. 11
Res æſtimata quando datur, pro re alia itidem æſtimata non habetur vera permutatio, ſed potiùs venditio. 464. 18
Res ſacræ religioſæ, & ſpirituales alienationi non obnoxiæ non poſſunt in feudum dari, súntque ab hominum commercio exemptæ. 467. 14
Res oppignorata ſi reddatur alicui tertio, tunc dominium transfertur quidem in emptorem, ſed taliter ut ſimul onus annexum pignori tranſeat ad poſſeſſorem. 485. 6
Res quæ vendi, & alienari nequeunt, non poſſunt oppignorari. 486. 7
Res mobiles, vel immobiles poſſunt oppignorari ab ijs, qui earundem liberam habent adminiſtrationem. 487. 9
Res in pignus, vel hypothecã tradita, ſi non maneat integra, ſed deterior fiat, non amittit ſuam obligationẽ, ſed in eo, quod ſupereſt, eam retinet. ibid. 11
Res uni oppignorata non debet alteri dari in pignus. 488. 3
Res frugifera ſi ſimpliciter ſit creditori oppignorata is fructus pignoris non lucratur, ſed debet eos in diminutionẽ ſortis principalis computare 489. 18
Res legata ſi perierit citra culpam, & dolum hæredis ejus interitus, & damnum ſpectat ad legatarium, ſecus ſi culpa hæredis. 521. 10
Reſcriptum impetratum à Papa ſuper beneficio obtinendo eſt ſubreptitium, ſi in ipſo non fiat mentio beneficij jam obtenti, licèt modici. 152. 15
Reſervari beneficia ſolent ex pluribus cauſis, quæ recenſentur. 167. 6
Reſervatio beneficiorum alia eſt generalis, & ſpecialis alia: & illa beneficia, quæ ſunt reſervata, Pontifex ſibi ſoli addicit. 166. 1. & ſeq.
Reſervatio beneficiorum vacantium apud ſedem Apoſtolicam non comprehendit ea beneficia, quæ vacant in urbe, & ad eos pertinent, qui Romæ morantur, & non ſunt curiales: quia talia beneficia pertinent ad ſolum Pontificem per ſe, & jure proprio. 169. 19
Reſervationes beneficiorum aliæ continentur in corpore juris, & aliæ habentur per Extravagantes, & Bullas. 170. 1. & ſeq.
Reſervationes beneficiorum ex Extravagantibus plurium Pontificum recenſentur. 172. 11. & ſeq.
Reſervationi factæ à Papa, quia ſolet apponi decretum irritans, ejus præcipuus effectus eſt ligare manus inferioris Ordinarij collatoris. 167. 8
Reſidentia requiritur in ordine ad fructus lucrandos, & ad ſervitium Eccleſiæ præſtandum. 49. 2
Reſidentia perſonalis in Epiſcopis, aliisque Curatis inferioribus eſt de jure divino. 50. 9
Reſidentia Epiſcoporum, & aliorũ, quibus incumbit cura animarum non poteſt aboleri per conſuetudinem immemorialem, quæ foret irrationabilis, ac cederet in detrimentum animarũ. 51. 11
Reſidentia continua quamvis importet habitationem in loco beneficij, adhuc tamen Prælati dicuntur liberè reſidere in loco beneficij. 52. 17
Reſidentia Paſtorum, quibus incumbit cura animarum eſt propriè de jure divino, ſi non expreſsè, ſaltem reductivè. ibid. 19
Reſidentia non eſt vera, ſi abſit animus ibi permanendi. 53. 5. Hinc reſidentia ex duplici videtur præſentia conſtare ſcilicet corporali, & operatione in regenda eccleſia. 53. 6
Reſidentia ad effectum gaudendi alternativa exigit præſentiã corporalẽ, & non ſufficit mentalis. 55. 8
Reſidentia materialis non requiritur, niſi ſecundùm menſuram formalis, ſeu muneris exigentiã. 59. 5
Reſidentia perſonalis etiam per conſuetudinem immemorialem non poteſt aboleri, quia talis conſuetudo eſſet in damnum eccleſiarum, & periculum animarum. 69. 1
Reſidere tenentur in ſuis eccleſiis Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Abbates, Priores, Præpoſiti, & alij, quibus incumbit cura animarum 56. 21
Reſignans beneficiũ ſub onere penſionis non poteſt paciſci, ut conſtituta penſio redimatur. 109. 18
Reſignans beneficium non poteſt paciſci cum reſignatario, ut faciat omnes expenſas etiam pro penſione reſervata. 319. 13
Reſignatio beneficij eſt juris proprij ſpontanea, ac libera dimiſſio, ſeu ceſſio facta cum legitima cauſa coram legitimo ſuperiore. 107. 12
Reſignatio facta in curia tunc inducit vacationem in eadem curia, quando reſignatio fortitur ſuum plenum effectum. 181. 6
Reſtitutio decimarum ex pia diſpenſatione Eccleſiæ ſufficit, ſi fiat alicui Eccleſiæ, quando non poteſt fieri proprietariæ. 285. 19
Retractus eſt redemptio prædiorum lege, & pacto contrahentiũ introducta: & alius eſt retractus legitimus, ſeu gentilitius, alius conventionalis. 419 29
Reus cujuscunq; maleficij, ſi confugiat ad eccleſiam non eſt inde extrahendus. 992. 26. Idq; procedit ſive reus laicus ſit, ſive clericus, imò tametſi Judæus, Gentilis, & Paganus, vel hæreticus. ibid. 28
Reus ſi eripiatur de manibus ſatellitum, & ad eccleſiam confugiat, gaudet immunitate. 998. 3. & ſeq.
Reus damnatus ad triremes, vel etiam ad ultimum ſupplicium, ſi ad eccleſiam confugiat, gaudet immunitate. 1000. 2
Reus exiſtens in Eccleſia, vel loco ſacro non dicitur eſſe in territorio Principis. 1000. 14
Reus quamdiu exiſtit in eccleſia non poteſt à Judice laico ad aliquam pœnam damnari, 1001. 15

Index

Reus ſi ſemel à Judice eccleſiaſtico mulctetur, non poteſt poſtea pro eodem delicto criminaliter accuſari, neque inquiri, neq; ulterius judicari. 1001. 16

Reus ab eccleſia extractus in caſu, quo gaudebat immunitate eſt reſtituendus eidem eccleſiæ, à qua fuit extractus. ibid. 17

Reus non ſolùm quoad perſonam gaudet immunitate aſyli, ſed etiam quoad ejus res, & bona, quæ fugiens detulit ad eccleſiam. 1001. 19

Reus ſi in loco immuni non ſervat debitam reverentiam, & damnũ infert poteſt expelli. 1006, 27

Reus qui ex rixa, vel alio repentino caſu alium in eccleſia occidit ſub ſpe immunitatis, an hac gaudeat? 1007. 31. & ſeq.

Reus qui in duello alterum occidit gaudet immunitate, ſi ad eccleſiam confugiat. 1003. 34

Ritus adhibendi in inveſtitura beneficiorũ quinam ſint, & quomodo ſint varij pro locorũ varietate.

S. 219. 1

SAcerdos exiſtens in peccato lethali, quo ſenſu dicatur ſuſpenſus. 35. 17

Sacerdos ſimplex ex commiſſione ſummi Pontificis poteſt eccleſiam conſecratam reconciliare. 880. 4 Non tamen aqua adhibenda pro reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ debet benedici benedictione ordinaria, quando commodè poteſt haberi Pontificale. ibid. 9. Neque eſt neceſſe hujusmodi aquam benedici ab Epiſcopo. ibid. 10

Sacerdos relinquens miſſam imperfectam non incurrit excommunicationem ipſo facto, ſed per ſententiam ferendam. 900. 1

Sacerdos ad altare poſt inchoatam miſſam, ſi recordetur alicujus peccati lethalis debet omni conatu niti, ut eliciat actum contritionis, & pergere in miſſa. 903. 15

Sacerdos poteſt miſſam interrumpere, ut ſuccurrat moribundo, imò ad id tenetur ex præcepto charitatis. 905. 25. Non tamen ſi jam legerit totum evangelium, vel etiam Symbolum Apoſtolorum poteſt iterum inchoare miſſam, ex eo quia adveniat Princeps, vel Epiſcopus. 905. 26

Sacerdos non poteſt ſedendo miſſã celebrare. 907. 31

Sacerdos non baptizatus tametſi probabiliter ſe credat baptizatum, nequit conficere Sacramentum altaris, nec abſolvere à peccatis, nec ordines recipere. 924. 3

Sacerdotes legis veteris, & legis gratiæ, quomodo differant. 41. 24

Sacerdotes ſimplices ex vi ordinationis ſacerdotalis tenentur ſaltem aliquando per annum immediatè per ſe ipſos miſſam celebrare, & ſacrificium offerre. 491. 4

Sacerdotes ubi major urget neceſſitas recurrendi ad Deum per oblationem ſacrificij, tenentur frequentiùs celebrare. 891. 5

Sacerdotij materia eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia; forma, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* Rurſus materia eſt etiam impoſitio manuum Epiſcopi cum forma: *Accipe Spiritum ſanctum.* 10. 6

Sacramentum Extremæ unctionis, an poſſit miniſtrari actualiter furioſis, & freneticis. 936. 27

Sacramentum Extremæ unctionis poteſt miniſtrari pueris poſt uſum rationis imminente mortis periculo. 937. 29

Sacrificium miſſæ ob interruptionem urgente charitate proximi, nil patitur detrimenti. 905. 23

Sanctificatio, quam per conſecrationem eccleſia acquirit, conſiſtit in quadam dignitate morali dignificante ipſam eccleſiam ex connotatione Dei ibi ſpeciali modo inhabitantis. 884. 24

Scholares Bononienſes conducentes ante elapſum tempus hoſpitia aliorum Magiſtrorum, vel ſcholarium ſine conſenſu Inquilinorum anathemate feriuntur. 428. 6

Scientia, quæ ſufficiat ad munus beneficio annexum ritè obeundum neceſſaria eſt, ut ſit quis talis beneficij capax. 96. 7

Scriptura, & ſubſcriptio Capitularium licèt ſpecialo jure communi requiratur ad valorem contractus, uſu tamen receptum eſt, ut ſufficiat, ſi in inſtrumento ſcripto de manu notarij fiat mentio de conſenſu capituli. 288. 2

Sede vacante nil eſſe innovandum, quomodo intelligatur. 250. 1

Sententia lata contra unum coadjutorem cum futura ſucceſſione, an eo defuncto noceat ſucceſſori adjutori. 207. 5

Sepeliendi jus tantùm competit de jure communi, & regulariter illis eccleſiis, quæ populum habent, & curam gerunt animarum. 617. 1. Ex privilegio tamen ſedis Apoſtolicæ jus ſepeliendi fideles conceſſum eſt etiam Religioſis Regularibus. ibid. 2

Sepeliri in loco ſacro prohibentur quotquot in notorio peccato mortali decedunt, ut deprehenſi in crimine furti, adulterij, ſi in actu adulterij interimantur. 626. 17

Sepulchrum dicitur à ſepeliendo, eſtque locus ſubterraneus, concavus, in quo cadaver demortui hominis condi ſolet. ibid. 610. 1

Sepulchrum clericorum eſt in eccleſia, in qua fuerunt beneficiati, & Prælatorum in illa, in qua fuerunt Prælati. 611. 5

Sepulchrum viduæ, vel uxoris, ſi decedat nullâ aliâ electâ ſepulturâ, eſt ſepulchrum mariti. 611. 5. Quòd ſi mulier pluribus nupſerit viris ſucceſſivè, & ſepulturam non elegerit, ſi moriatur ſepelienda eſt cum ultimo marito. ibid. 6

Sepulchrum Majorum, in quo quilibet eſt ſepeliendus, illud intelligitur, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt. 612. 9

Sepulchrum patris videtur eſſe ſepulchrum Majorum, ac familiæ, & deſcendentes acquirunt jus ad ipſum. 612. 11

Sepultura poteſt à quolibet eligi etiam in loco alieno. 611. 7

Sepultura non poteſt in eccleſia, vel cœmeterio dari pro pretio, nec Clerici debent id præſumere, quia redolet ſimoniam 619. 12. Imò eſt etiam ſimoniacum dare, vel accipere pretium pro honoratiore loco ſepulturæ. ibid. 13

Sepultura eccleſiaſtica concedenda eſt omnibus fidelibus baptizatis, & quidem in loco ſacro, dummodo non prohibeantur ob aliquod crimẽ, cujus pœna ſit privatio talis ſepulturæ. 623. Et in dubio ſepeliendi ſunt fideles in loco ſacro, & damnati ad mortem ob patrata crimina non privantur eccleſiaſtica ſepulturâ, niſi fortaſſis ob delicti enormitatem, ad terrorem cæterorum, ibid. 2

Sepulturæ electio libera eſt cuilibet, dummodo ſit pubes, & utatur ratione. 613. 1

Sepulturæ electio liberè facta à defuncto, quando non poteſt habere effectum, tunc ſubintrat diſpo-

dispositio juris, & vim habet, ut suum sortiatur effectum. 618. 5. & seq.

Sepulturæ privatio non infligitur per modum censuræ, sed per modum justitiæ vindicativæ distinctæ à censura. 6 9.19

Sepulturæ electio probari debet per testes singulares. 631. 14. Et duo testes sufficiunt. ibid. 16

Servi, si contrahant, obligantur quidem naturaliter, & in conscientia ad servandum contractum, non non ita civiliter. 375. 5

Servi manumissi ob sacerdotium, ad quod sunt promoti, consequuntur plenam libertatem intuitu ecclesiastici ministerij. 600. 4

Servitus mancipiorum Ecclesiarum mitissima erat, quia operas domesticas impendebant juxta ministerium ijsdem ab Episcopo præscripitũ. 452. 11

Servus non potest quidquã locò pignoris obligare, nisi habeat liberã peculij administrationẽ. 486. 2

Servus quamdiu detinetur in servitute, non potest testari, quia non habet quidquam proprij. 563. 5

Simeon, qui in templo suscepit in ulnas suas puerum Jesum oblatum à Virgine Matre fuit Sacerdos. 963. 8

Solemnitas observanda in alienatione rerum Ecclesiarum est triplex, civilis, canonica, & consuetudinaria. 281. 14

Solemnitas requisita in alienatione rei ecclesiasticæ explicatur. 343. 5

Solemnitates in jure præscriptæ, & servandæ in alienatione rei ecclesiasticæ pertinent ad substantiam actûs, & ipsis deficientibus alienatio est invalida. 347. 19

Solemnitates requisitæ ad valorem testamenti, quæ sint? 557 8. & seq.

Solvens quod tantùm jure naturali est indebitum, & civiliter debitum potest solutũ repetere, sive per errorem facti, vel juris illud solverit. 522. 21

Solutio sumpta laxè comprehendit quamcunque liberationem à debito: strictè verò sumpta est naturalis præstatio, seu redditio ejus, quod debetur. 509. 1

Solutio debiti debet fieri in illa specie monetæ, in qua debitor accepit, nisi intentio contrahentium alia fuerit. 519. 5

Solutio quomodo fieri debeat, si pecunia mutetur ex dispositione Principis in suo valore, vel etiam augeatur, vel minuatur quoad materiam. 519. 7

Spiritualia cum spiritualibus, proinde beneficia cum beneficijs inter personas idoneas possunt permutari. 460. 3

Sponsa, si post initum matrimonium velit ingredi Religionem, & id marito aperiat, à quo nihilominus per vim illatam defloretur, si id contingat ante elapsum tempus bimestre, adhuc potest religionem ingredi invito sponso, & professionem in illa emittere. 727. 7

Sponsus, vel Sponsa de præsenti, seu in statu matrimonij tantùm rati, ante ejus consummationem, si velit, potest Religionem ingredi, sed tenetur cautionẽ præstare, quòd intra duos menses, vel transibit ad Religionem, vel redibit ad conjugẽ. 725. 1

Spurius excluditur à pensione ecclesiastica, nisi Pontifex cum ipso dispenset, & permittat, quod fiat Clericus. 313. 14

Spurius non potest participare de legato, quòd pater pauperibus distribuendũ reliquit. 569. 12. Neq; pars legati potest computari in alimenta ejusdem. ibid. 13

Stabularij, & Caupones comparatione eorum, quæ in stabulum, vel hospitiũ conferuntur, ut etiam, qui curã molendini habent respectu tritici, quod ut molatur, asportatur; ut etiam nautæ comparatione eorũ, quæ ponuntur in navi: item sartores, fulones, & alij id genus homines tenentur de levi culpa, si rem sibi depositam deperdant, quia res depositæ etiam cedunt in ipsorum commodum. 393. 9

Stabularius si in culina aliquid coxerit, & ex incuria incendium excitaverit, non tenetur Dominus damnum resarcire, quia famulus deliquit extra suum officium. 432. 11

Statui religioso non potest quispiam satisfacere nisi sponte sua, & ex interno affectu regulas ordinis suscepti servet. 710. 6

Status est immobilis conditio vitæ, quâ quis alteri se obligat. 771. 1

Status religionis, est dedicatio hominis facta Deo sub aliqua regula, quæ abducat à cura sæculari, & conjungat Deo. ibid. 2

Statuta Provinciarum, quibus privati homines prohibentur res suas immobiles, præsertim domum, vel fundum vendere extraneis valida sunt, dummodo non comprehendant Monachos, vel Religiosos, qui non sunt sub jurisdictione Principum sæcularium. 402. 4

Statuta synodalia Episcopi, quamvis confirmata fuerint à Pontifice non obligant regulares in suis diœcesibus. 790. 1

Statutum quo monasteria prohibeantur succedere in bona immobilia Religiosorum non potest condi à Principe laico. 605. 17

Statutum prohibens ecclesiasticis acquirere bona immobilia sine facultate Principis est læsivum immunitatis ecclesiasticæ. 1005. 25

Stipendium necessarium ad congruam clerici sustentationem comprehendit cibum, potum, vestitũ, habitationem, pharmaca, & libros necessarios pro officio. 102. 6. Imò comprehendit etiam, quæ necessaria sunt ad hospitalitatẽ exercendam erga consanguineos, & amicos præsertim pauperes, & peregrinos: imò etiam, quæ requiruntur ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorũ: imò etiam quæ requiruntur ad honestas animi relaxationes habita ratione ad personam, & dignitatem. 103. 7

Stylus Datariæ habet fundamentum in jure communi. 94. 4

Subdiaconatûs materia est traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, forma sunt verba prolata ab Episcopo: *Accipe librum epistolarum*, vel verba illa: *videte cujusmodi Mysteriũ, &c.* 9.6

Subditi Episcopi ex justa causa possunt adigi ad dandum subsidium charitativum. 862. 21. Debet tamen causa esse manifesta, & pertinere ad dignitatem, & honorem Ecclesiæ. ibid. 22

Subditus religiosus nequit votum quodcunq; emittere, nisi sub tacita conditione, si superiori placuerit. 755. 6

Substitutio est secunda institutio distincta à prima, sive sit secundo, tertio, vel quarto loco posita, & bipartitur in immediatam, & mediatam. 570. 1. & seq.

Index

Subſtitutio directa ſubdividitur in quinque ſpecies. 571. 4. & ſeq.

Subſtitutio exemplaris inducta fuit ad exemplũ pupillaris, & dicitur etiam quaſi pupillaris. ibid. 8

Subſtitutio fideicommiſſoria eſt indirecta, ſeu obliqua, quâ hæres gravatur, ut hæreditatem totam, vel partem reſtituat alteri, qui dicitur fideicommiſſarius. 572. 9

Subſtitutio reciproca, quæ & breviloqua dicitur, eſt cujus beneficio inſtituti ſibi viciſſim ſubſtituuntur. 573. 14

Succeſſio in bonis eccleſiaſticis, ſive ab inteſtato jure conſanguinitatis, ſive ex teſtamento prohibita eſt jure canonico. 106. 4

Succeſſio in beneficiis eccleſiaſticis communi jure damnatur, quia inde datur occaſio optandæ mortis beneficiatij, cui datur coadjutor. 206. 16

Succeſſio in feudum ab inteſtato, & jure ſanguinis triplicem habet ordinem deſcendentium, aſcendentium, & collateralium. 469. 6

Succeſſio ab inteſtato tunc locum habet, quando defunctus nullũ condidit teſtamentũ, vel quia noluit, vel ob juris impedimentum non potuit, vel ſi illud condidit ob defectum ſolemnitatis, vel injuſtam exhæredationem, vel omiſſionem filij reſcinditur. 596. 1

Succeſſor tenetur debita ſui anteceſſoris ſolvere, ſi pro neceſſitate Eccleſiæ fuerint debita contracta. 516. 19. & ſeq.

Succeſſor non tenetur ſolvere debita, quæ Prælatus anteceſſor contraxit intuitu propriæ perſonæ, & ex cauſa ſua ſpeciali. ibid. 20

Succeſſor tenetur ſolvere debita contracta à Prælato ſuo anteceſſore ob neceſſariam, ac decentem ſuſtentationem ſuæ perſonæ. 517. 25

Succeſſor vivente adhuc Teſtatore non poteſt ſuper hæreditate paciſci, & pactum ſuper illa initum eſt irritum. 602. 5

Superior, cui ob negligentiam inferioris devolutum eſt jus conferendi beneficium, non tenetur illud ſtatim conferre, ſed conceditur illi aliud ſemeſtre computandum non à die juris ad ipſum devoluti, ſed à die, quo ſcivit illud eſſe ad ſe devolutum. 233. 15

Superior, ad quem fit devolutio collationis non ſolùm poteſt beneficium vacans conferre, ſed etiam inducere in poſſeſſionem beneficij, vel præcipere, ut proviſus in poſſeſſionem inducatur. 234. 22

Superior regularis habet magis liberũ jurisdictionis exercitium, magisq; independentem bonorum adminiſtrationem, quàm Prælati ſæculares. 291. 20

Superior religionis non poteſt irritare votum arctioris religionis emiſſum à ſuo ſubdito. 756. 9

Superiores regulares tenentur revocare Religioſos ejectos, & eos compellere ad redeundũ. 716. 32

Superiores regulares ut juſtè, & licitè poſſint ſuos profeſſos religioſos dimittere, vel ejicere è religione, quæ requirantur de jure communi, & ex Bullis Pontificiis. 717. 35

Suppreſſio beneficij eſt totalis ejusdem extinctio, quæ propterea ſine juſta, & urgente cauſa fieri non debet. 305. 8

Surdus aſſiſtens choro, ſi cum aliis cantet ſatisfacit ſuæ obligationi. 899. 23

Suſpenſi ſunt incapaces beneficiorum. 218. 12

Sutores, Commentarij, Fulones, Textores, Lanarij, Coriarij, & Molitores, an eximantur à lege jejun.? 9. 3. 13

T.

Taciturnitas Capituli quomodo habeatur pro conſenſu in temporali alienatione rei eccleſiaſticæ. 289. 12

Taciturnitas circa exceſſum, vel defectum juſti pretij in contractibus quomodo, & quando præſumat donationem. 536. 2

Taciturnitas creditoris acceptantis mediam tantum partem ex ſibi debitis, & non interpellantis pro alia, prodit ejus conſenſum. 522. 17

Tempus ſemeſtre in jure præfixum ad eligendum, vel conferendum non currit impedito impedimento facti, vel juris. 246. 7

Tempus ſemeſtre intra quod beneficia conferri debent non currit ignoranti vacationem, quia ignorans non dicitur negligens, nec culpabilis. ibid. 8

Teſtamenta facta ſine ſolemnitatibus jure civili requiſitis ad cauſam profanam, an ſuum ſortiantur valorem. 559. 2

Teſtamenta carentia ſolemnitatibus jure requiſitis non ſunt irrita ipſo jure in foro conſcientiæ, ſed poſſunt reſcindi per ſententiam Judicis, adeò ut poſſit hæres ab inteſtato petere in judicio hæreditatem. ibid. 6

Teſtamentum, ſi nominis Etymon ſpectetur, eſt teſtatio mentis, quia declarat, quæ ſit mens, & voluntas ultima hominis. 555. 1

Teſtamentum differt à Codicillo, quia illud, non iſte ſit ad inſtituendum hæredem. 556. 2. Dividitur teſtamentum in ſolemne, & minùs ſolemne, quod etiam privilegiatum dicitur, quatenus ex privilegio ſuum ſortitur valorem, cujusmodi ſunt teſtamenta, quæ fiunt ad pias cauſas, vel inter liberos, ut etiam teſtamenta militum, vel condita tempore peſtis, vel facta coram Principe. ibid. 3

Teſtamentum ſolemne bipartitur in ſcriptum, & nuncupativum. Hodie tamen moris eſt, ut nuncupatio, ſeu declaratio ultimæ voluntatis à publico Notario in ſcripturam redigatur, idque ut faciliùs probari poſſit voluntas teſtatoris. 556. 3

Teſtamentum hodiè fit coram Notario, & duobus, vel pluribus teſtibus. 557. 7

Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus jure civili præſcriptis, ſi ſit ad piam cauſam, eſt validum, & tunc ſufficiunt illæ ſolemnitates, quæ ſunt juris gentium. 561. 13. De jure canonico ad validitatem teſtamenti, vel legati ad pias cauſas ſufficit cauſa probationis, ſi alia non adſit probatio. ibid. 14. Neque in teſtamento ad pias cauſas eſt neceſſaria inſtitutio hæredis, & legata ad pias cauſas debent ſolvi, quamvis hæreditas non fuerit adita, eò quia hæres vel deceſſerit, vel eam repudiaverit. 562. 17

Teſtamentum hi omnes condere poſſunt, qui non prohibentur, & inhabiles ad teſtandum ad tres reducuntur claſſes, & ſunt, qui ob defectum integri ſtatûs prohibentur teſtari: vel propter animi defectum, ſeu judicij, & conſilij imbecillitatem: vel qui ex corporis, aut ſenſuum vitio impediuntur. 563. 2

Teſtamentum tempore peſtis conditũ eſt validum, ſi tantùm præſente Parocho, & unico teſte conditũ ſit, & uterq; ut teſtis apud Judicem deponat, hanc fuiſſe ægrotantis ultimã voluntatẽ. 593. 16

Teſtamentum militis valet ex ſola ejus ſuprema voluntate, quoquo modo ea reperiatur. 593. 18 Nec milites in condendis teſtamentis tenentur, ſi fuerint in caſtris ſolemnitates juris ſervare, ſed ſufficit ſi duos rogatos teſtes adhibeant. ibid.
Teſtamentum ad pias cauſas excludit ſucceſſionem ab inteſtato. 600. 5
Teſtator poteſt unum, vel plures, prout ipſi magis libuerit executores ſuæ ultimæ voluntatis in teſtamento nominare, ac conſtituere ſive hæredes ſint, ſive extranei, ſive mares, aut fœminæ. 584. 2
Teſtator poteſt impedire, ne executio ſui teſtamenti devolvatur ad Epiſcopum, ſi in caſu negligentiæ executoris ſubſtituat alium executorem. 585. 6
Teſtator, ſi coram ſufficientibus teſtibus revocet teſtamentum à ſe jam pridem ſolemniter confectũ, revocatio valet, ut pura, & nuda, quamvis non inſtituat alium hæredem. 589. 2. Et ſi revocato primo incipiat ſecundũ condere, quod non poſſit perficere, adhuc cenſetur receſſiſſe à priori. ibid. 3
Teſtator licèt debeat inſtituere hæredes deſcendentes, ut ſunt filij, & nepotes, vel aſcendentes ut pater, & avus, ſublato tamen ſcandalo, & neceſſitate conſanguineorum poteſt extraneum præſertim monaſterium, vel Noſocomium inſtituere hæredem. 590. 5
Teſtator, ſi juravit, ſe non revocaturum teſtamentum tenetur illud non revocare, & ſervare juramentum, ſi tamen illud revocet, revocatio eſt valida, quamvis illicita. 592. 13
Teſtes, ubi non eſt exceptio, adhibendi in teſtamento, debent eſſe ſeptem idonei, & excluduntur furioſi, muti, ſurdi, prodigi, & damnati ob crimen famoſum, & debent eſſe maſculi, puberes, libertate præditi, rogati, ſeu invocati ad teſtificandum, & qui teſtatori ſint præſentes, eum videant, & audiant, ac proprium nomen ſubſcribant, firmentque ſigillo. 556. 6
Theſaurus ubicunque reperiatur in campis, vel ſylvis eſt primò acquirentis, & qui emit fundum, & in eo theſaurum invenit, facit ſui juris. Jus tamen civile ſtatuit, ut qui invenit theſaurum in fundo alieno, reddat totum, vel partem domino fundi. 408. 9
Tituli neceſſariæ ſuſtentationis non erant in primitiva Eccleſia, quia tunc fideles habebant omnia communia. 102. 2
Tituli, ob quos lucrum perceptum ex pecunijs depoſitis ſupra montem pietatis honeſtatem induit, & licitum fit, explicantur. 396. 26
Titulus pro neceſſaria, & congrua ſuſtentatione debetur Clericis, qui ſacris initiãtur ordinibus. 102. 4
Titulus, ſuper quo Clericus ſæcularis poteſt ſacris ordinibus initiari, eſt duplex, beneficij, & patrimonij. 192. 6
Tractatus de ſucceſſore eligendo non poteſt inſtitui vivente Prælato, vel beneficiario. 106. 5
Transactio prout accenſetur contractibus innominatis dupliciter ſumitur. 369. 1. Eſt autem transactio contractus innominatus, facio, ut facias, vel do, ut facias: & habet ſimilitudinem cum locatione juxta quam regulatur, & tranſit in contractum nominatum, ſi veſtiatur ſtipulatione. ibid. 2
Transactio eſt de re dubia, & litigioſa, de qua actualiter eſt lis, vel eſſe poteſt. 369. 3
Transactio non fit de re judicata, nec de controverſiis ex teſtamento ortis. 370. 3
Transactio permittitur inter maritum, & uxorem adulteram, ne uxor à marito accuſetur ad ſubeundam pœnam capitalem. ibid. 5
Transactio, qua pro re aliqua temporali remittitur, vel retinetur jus aliquod ſpirituale, eſt omnino irrita. 370. 8
Transactio in materia beneficiorum eſt illicita non ſolùm ſi pro beneficio eccleſiaſtico ſolvatur pretium temporale, verùm etiam ſi detur aliquod ſpirituale, ſi fiat propria authoritate agentium. 371. 12
Transactio non permittitur de quovis annexo rei ſpirituali. 371. 13. De rebus tamen nondum unitis, & incorporatis eccleſiæ poteſt tranſigi interveniente authoritate Superioris. ibid. 14
Transactio licèt ſit abſoluta, & conſenſu partium firmata, non tamen tollitur facultas Magiſtratui cognoſcendi, inquirendi, & puniendi crimen, de quo transactum eſt. 371. 15
Tranſformatio beneficij fit, quando beneficium unius formæ legitima authoritate tranſit in aliam, ut cum Eccleſia ſimplex fit parochialis. 141. 1. Ut etiam quando beneficiũ ſæculare unitur alicui monaſterio, quia tunc fit, & ipſũ regulare. ibid. 2
Trebellianica in jure comprehenditur ſub nomine falcidiæ. 583. 16
Tutela tertia ſpecies quaſicontractus eſt jus, ſeu poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui ratione non provectæ ætatis nequit ſe ſponte tueri. De jure enim civili datur illi Tutor. 367. 10
Tutor ſi nomine pupilli mutuum accepit, ut etiam Curator nomine Minorennis, non debet pupillus, vel Minorennis major factus ſolvere, niſi creditor probaverit tale mutuum fuiſſe converſum in ejus utilitatem. 515. 12
Tutores poſſunt eligere ſepulturam pupillorum impuberum cum vices gerant patris, quamvis per mortem pupilli impuberis expiret tutela. 616. 13
Tutoris officium eſt multiplex. 368. 18

V.

VAlor pecuniæ quando mutatur tantùm extrinſecè, an tunc damnum pertineat ad creditorem, vel debitorem? 519. 8
Vaſa ſacra quoad ſolam materiam vendi poſſunt ad captivos redimendos, vel pauperes alendos. 404. 13
Vaſa ſacra tunc amittunt conſecrationem, quando ita franguntur, ut deperdant ſuam formam artificialem, & non ſint ampliùs apta pro miniſterio oblationis ſacrificii. 569. 7
Vaſallus poteſt feudum alteri locare, imò etiam per modum feudi concedere, & alium infeudare. 467. 10
Vaſallus abſq; conſenſu Domini ſui non poteſt feudum alienare, oppignorare, nec de illo teſtari. 473. 1
Vaſallus ſine conſenſu Domini directi non poteſt feudum alicui relinquere in teſtamento, neque inſtituere in illo hæredem, nec legare, nec donare inter vivos, vel mortis cauſa, neque dare in emphyteuſim. 474. 7
Vaſallus ſi lis mota fuerit inter Dominum, & ipſum ſuper feudo, non tenetur ea durante inveſtituram petere. 475. 13
Vaſallus tripliciter poteſt delinquere in ordine ad amittendum feudum. 476. 15

Vaſallus quamvis conſentiente Domino feudum alienet, non propterea poteſt agnatis præjudicare. 477.2

Vaſallus ſi litem habeat de feudo, poteſt cum adverſario transigere, dummodo transactio fiat bona fide absque ulla colluſione. 478.6

Vectigalia, quamvis juſtè, & licitè imponantur à Principibus ſæcularibus non agnoſcentibus in temporalibus ſuperiorem, non poſſunt exigi ab Eccleſiis, nec à perſonis eccleſiaſticis. 854.11

Vendere purpuram, vel ſericum, vel lanam purpuream, & carbaſinam Imperatoriis legibus prohibebantur privati homines. 402.1. Imò prohibebantur etiam vendere, aut emere in litoribus frumentum publici canonis, ut etiam arma, & quæ ad exercitum pertinebant. Imò prohibebantur etiam Domini vendere ſuos ſervos criminoſos, eo pacto, ut cum beſtiis pugnarent. 402.1. & ſeq.

Vendere poſſunt hi omnes, qui ſunt ſui juris, habéntque verum, ac proprium dominium in res illas, quæ dantur venum. Non tamen res pupilli, & Minoris poſſunt vendi tutóri, vel curatori. 402.3

Venditio quomodo differat à permutatione, & locatione. 400.3

Venditio, ut contractus perfectus, exigit præter mutuum conſenſum ſolutionem pretij ex parte emptoris, & traditionẽ rei ex parte venditoris. ibid.

Venditio ut ſit talis, non eſt neceſſe ut actu transferatur dominiũ, ſed ſufficit, ſi ſit translativa dominii, adeo ut venditor ſe obligaverit ad dominium transferendum. 400.4

Venditio ſeorſim ab emptione per ſe eſt contractus obligans venditorem ad tradendam mercem pro pretio. 401.7

Venditio hominis liberi irrita eſt jure Cæſareo, tametſi referatur in tempus, quo ſervus erat: excipiuntur tamen tres caſus. 404.14

Venditio facta per metum illatum, & cadentem in conſtantem virum poteſt reſcindi, & datur actio contra eum, qui metum incuſſit. 414.17

Venditio ſub haſta, an poſſit exceſſum pretij licitè habere, & quale ſit juſtum pretium in hiſce ſubhaſtationibus. 422.41

Venditio differt à locatione, quia in illa pretium debet conſiſtere in pecunia numerata, in locatione verò etiam in aliis rebus. 425.2

Venditor ſi non ſit Dominus rei, tunc propriè non dicitur tradere dominium, vel quaſi dominium, ſed tantùm cauſam, & jus uſucapionis. 407.3

Venditor tenetur emptorem monere de vitio occulto rei venditæ. ibid.4

Venditor tenetur actione de evictione, poſtquam emptor ipſi denuntiavit, ut rei venditæ jus contra litem motã tueatur, & cogitur ſolvere omnes ſumptus, quos emptor fecerat litigando. 409.2

Venditor ſi alteri vendat rem non ſuam, & de qua propterea non poteſt diſponere, nec eam vendere, tenetur tunc de evictione, ſive tota res evincatur ſive pars. ibid 3

Venditor in tribus caſibus non obligatur emptori de evictione. 409.4

Venditor, & emptor ſi ita contraxerunt, ut quomodocunque res vendita evinci poſſit, teneatur ſemper venditor de evictione, non tenetur tunc emptor venditori denuntiare motam litem, ſi id ſcivit. 410.6

Venditor non tenetur ad præſtandam evictionem emptori, ſi is ſua culpa poſſeſſionem rei emptæ amiſit, ut nec ſi emptor à ſententia lata abſente venditore à Judice non appellaverit. Vel ſi cùm potuerit uſucapere rem emptã id neglexit. 410.9

Venditor non præſumitur donâſſe rem ſuam infra infimum pretium, niſi id ex circumſtantiis conjiciatur. 413.8

Venditor, ſi ſoluto jam pretio rem emptori tradere diſtulerit, mora, & caſus ipſi nocet. Ut etiam ſi res culpa ſua pereat. 415.3

Venditor, an poſſit cariùs eodem tempore rem vendere credito, quàm numeratâ pecuniâ. 416.10

Venditor, ſi ſtato tempore non tradat rem venditam emptori, tenetur huic ad intereſſe intrinſecum, & extrinſecum, idque in foro conſcientiæ, ſi venditor fuerit in mora culpabili rei tradendæ. In foro tamen externo venditor tenetur tantùm ad intereſſe intrinſecum. 418.24

Venditor tenetur emptorem monere de vitijs rei, quæ ab ipſo datur venum, alioquin emptorem deciperet occultando vitium. 420.33

Venditor poteſt annuatim aliquid percipere, donec emptor pretium ſolvat. 423.34. Et tunc annuus proventus percipitur in compenſationem uſusfructus, qui conceditur emptori. ibid.

Venena, & alia id genus, quæ nullo modo per adjectionem, vel mixtionem alterius materiæ humanis uſibus prodeſſe poſſunt, vendi prohibentur. 404.13

Verba nuda conventionis non ſunt attendenda ad cognoſcendam ſpeciem alicujus contractus, ſed pacta adjecta contractui. 495.11

Verbum imperativum *privetur* Clericus beneficio non inducit obligationem, quia tantùm dirigitur ad beneficiatos, quos obligat ad ſubeundam pœnam, ſi ab Epiſcopo condemnentur. 66.12

Viaticum, an poſſit interdum extra mortis periculum miniſtrari. 934.16

Viaticum regulariter ab eo tantùm poteſt Sacerdote miniſtrari; cui incumbit cura animarum. 935.23

Vicarij, qui præſunt Eccleſijs Parochialibus, alij ſunt perpetui, & alij temporales. 783.35

Vicarius Epiſcopi, niſi ſpeciatim ei committatur facultas, non poteſt plura beneficia unire, etiam ſi poteſtatem conferendi beneficia acceperit cum generali clauſula. 139.21

Vicarius Generalis Epiſcopi nequit beneficia conferre, niſi ex ſpeciali mandato Epiſcopi. 111.21

Vicarius, ſi ſit perpetuus, jus obtinet, & titulum in parochia, quia cura ipſius eidem eſt concredita. 142.14

Vicarius Generalis in ſpiritualibus poteſt ex ſuo officio Clericos præſentatos inſtituere, licèt ei ſpeciatim id non demandetur. 215.13. Non tamen poteſt Vicarius conferre beneficia, niſi id fuerit eidem ſpeciatim commiſſum. ibid.14

Vicarius Capituli, ut ritè eligatur, quænam ex Concilio Tridentino requirantur. 272.10

Vicarius Capituli debet eſſe Doctor in jure Canonico, quando haberi poteſt, alioquin ſufficit, ſi idoneus, ac eminentis ſcientiæ ſit. 272.12. Imò eligendus eſt ex gremio Capituli, ſi quispiam ſit idoneus. ibid. 13. Quòd ſi quis de gremio Capituli eſſet æquè idoneus, ac extraneus, eſſet præferendus extraneo. ibid. 14

Vicarius Capitularis ſede vacante, ſi ſit canonicus, & chorum frequentet, ut lucretur diſtributiones quotidianas, debet ſedere in loco proprio ſui canonicatus, nec debet antiquiores canonicos præcedere. 275. 26

Vicarius Capitularis ſede vacante nequit cognoſcere de cauſis delegatis Vicario Generali Epiſcopi, neque exequi diſpenſationes ſuper impedimentis matrimonij, & litteris in forma *dignum*. 275. 27

Viduæ non poſſunt participare de legato relicto puellis, quæ debent nubere. 579. 31

Violatio caſtitatis cæteris paribus eſt gravior in Religioſo profeſſo, quàm in ſacerdote ſæculari. 776. 7

Viri, qui cum fama ſanctitatis deceſſerunt, nonniſi à ſummo Pontifice referri poſſunt in numerum Sanctorum. 942. 1 Et ut canonizentur, plura requiruntur. ibid. 3. & ſeq.

Vitia rei venditæ alia proveniunt ab intrinſeco, & alia ab extrinſeco. 407. 7

Vitium rei venalis duplex eſt unum manifeſtum, & aliud per ſe occultum. ibid. 4

Vivens poteſt ſemper diſponere de ſuis bonis, prout ipſi magis libuerit, & teſtamentum ſemel conditum poteſt ſemper revocari. 603. 6

Unio plurium beneficiorum non fit niſi ob neceſſitatem, & utilitatem eccleſiæ, & authoritate ejusdem; eſtque, vel expreſſa, vel tacita. 137. 13

Unio perpetua plurium beneficiorum tripliciter poteſt contingere. 138. 14

Unio plurium beneficiorum ut legitimè fiat ab habente poteſtatẽ, plura requiruntur. 139. 24. & ſeq.

Unio beneficiorũ non fit, niſi ſubſit juſta cauſa, & ſolemnitas, & illa petitur à neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, ut ſi una Eccleſia ob inopiam reditũm, aut populi nequeat cõmodè proprium Rectorem alere. Solemnitas verò in eo conſiſtit, ut Epiſcopus beneficia uniat cum conſenſu ſui capituli ſaltem ex poſtfacto accedente. 305. 12. Et quando fiunt hujusmodi uniones debent citari quotquot eorum intereſt, ut Patroni, & inferiores Prælati, ad quos Eccleſiæ uniendæ quoquo modo ſpectant, & eorum conſenſus requiritur. 306. 13. Non tamen beneficia diverſarum diœceſium ſive curata ſint, ſive ſimplicia quacunq; de cauſa poſſunt perpetuò uniri, ne limites diœceſium per talem unionem confundantur. ibid. 14

Unio beneficiorum licèt poſſit fieri ab Epiſcopo irrequiſito Rectore, non tamen ſine conſenſu illius Prælati, ſeu Superioris, cui Eccleſia unienda ſubjicitur. 335. 11

Uniones temporales beneficiorum ſunt odioſæ, vel ſaltem præter formam juris, cùm per ipſas non Eccleſijs provideatur, ſed perſonæ, cui in effectu conceduntur duo beneficia. 138. 19

Vocabula, ſi verſentur circa materiam odioſam, debent ſtrictè interpretari, quia derogant jure communi, quod tamen limitatur, niſi gratia *motu proprio* Papæ concedatur. 152. 14

Vocales, & Canonici tenentur præſentes eſſe, ſi detur ſignum, & poſſint Capitulo intereſſe. 300. 3

Voluntas teſtatoris, ſi non poſſit in totum impleri, debet ſaltem eo meliori modo, quo poteſt adimpleri. 462. 2

Voluntas ſola donandi in donatore non ſufficit, ut donatarius poſſit rem ſibi retinere, quia promiſſio donandi propriè non continet donationem, nec dat jus ad rem. 539. 15

Voluntates ultimæ coñiſſæ in arbitriũ tertij, quamvis ex jure civili ſint invalidæ, ne tamen diſpoſitio pereat, explicantur, ut defunctus voluerit ad pias cauſas ſua bona relinquere. 562. 20

Vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, an ſufficiant ad conſtituendum ſtatum religioſum. 710. 3

Vota omnia ſimplicia per ſolemnem profeſſionem extinguuntur. 715. 27

Vota ſolemnia, cùm ſint tantùm de jure poſitivo, poſſunt à ſummo Pontifice diſpenſari. 759. 23

Vota defuncti, ſi fuerint perſonalia, non obligant hæredes; bene tamen, ſi fuerint realia. 761. 10

Vota emiſſa a Monacho in ſolemni profeſſione, an ceſſent ex natura rei, vel ex diſpoſitione Papæ, ſi Monachus promoveatur ad Epiſco. atũ. 768. 38

Voti obligatio tolli poteſt per deſitionem materiæ, per irritationem, per commutationem, & per diſpenſationem. 754. 1

Voti materia tunc intelligitur ceſſare, quando ceſſat cauſa finalis, ob quam fuit votũ emiſſum. 754. 2

Voti coñutatio eſt ſubſtitutio operis honeſti loco alterius per votum promiſſi, manente eodem vinculo, & mutatio poteſt fieri in opus melius, vel æquale diverſi generis, vel in minus. 757. 13. Non tamen hæc mutatio debet fieri propria authoritate. ibid. 14

Voti diſpenſatio, ut valida ſit, requiritur juſta cauſa. 759. 21

Votum eſt voluntaria, ac deliberata promiſſio facta Deo de aliquo meliori bono. 743. 1

Votum in dubio, an fuerit emiſſum, non præſumitur emiſſum, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. 744. 2

Votum aliud eſt reale, aliud perſonale, & mixtum aliud. 746. 16

Votum ſimplex eſt, quod caret ſolemnitate, & non reddit vovẽtem inhabilem ad matrimonium, nec ad dominium bonorum, ſive publicè, ſive privatim emittatur. ibid. 17

Votum ſolemne eſt, quod ſit per ſuſceptionem alicujus ordinis ſacri, vel per profeſſionem expreſſam, vel tacitam in aliqua Religione approbata à ſede Apoſtolica. 746. 17

Vŏtũ aliud eſt expreſſum, & aliud tacitũ, ut etiam aliud abſolutũ & aliud conditionatũ. 747. 29 & ſeq.

Votum pœnale eſt, quo quis aliquid promittit ſub pœna ſubeunda. 747. 23. Et obligat quoties violatur ad ſubeundam eandem pœnam, & non tantùm pro prima vice. ibid. 24

Votum de re moraliter bona, tametſi fiat ob finem indifferentem, ut ad obtinenda bona temporalia, eſt validum: non ita, ſi quis voveret opus bonum ob finem malum. 749. 8

Votum cùm dicitur eſſe de meliori bono, non ita intelligitur, ut quod vovetur, debeat ſemper eſſe optimum, ſed ſufficit, ſi ſit melius, quàm ejus oppoſitum. ibid. 11

Votum in materia gravi, ſi fiat ſimpliciter, & abſolutè ſemper obligat ad mortale, quia tunc obligatio ſequitur exigentiam materiæ. 752. 23.

Votũ quando fit Deo, eſt actus virtutis Religionis, & per ipſum Deus honoratur. 753. 26. & ſeq.

Votũ eſt actus intellectus practici, eſt enim quædam practica locutio, quâ quis ſe ipſum obligat. ibid. 30

Index Rerum Notabilium.

Votum ſemper eſt impleudum eodem tempore, & eo modo, quo quis ſe obligavit. 753. 31.
Votum ſemel annullatum à Superiore, vel marito, an reviviſcat poſt obitum annullantis. 756. 12
Votum per diſpenſationem extinguitur, vel in totum, vel in partem, & quomodo diſpenſatio differat ab irritatione, & commutatione. 758. 18
Votum, cui error cauſam dedit, an validum ſit. 750 1. & ſeq.
Votum à ſe emiſſum, an poſſit impleri per aliũ. 760. 7
Votum clericatus, an eximat à foro ſæculari, cùm primùm eſt emiſſum, & antequam vovens fiat clericus. 763. 18
Votum caſtitatis emiſſum in profeſſione religioſa, ſi hæc invalida fuerit, an tunc obliget. 776. 5
Votum ſolemne caſtitatis poteſt à ſummo Pontifice multipliciter diſpenſari. 777. 9. Et quidem triplici jure naturali, poſitivo, & Pontificio. ibid. 10
Votum caſtitatis religioſæ ſex modis poteſt diſpenſari. 777. 11. Et quæ juſta cauſa requiratur, ut ſumus Pontifex validè, & licitè diſpenſet. 778. 12
Votum obedientiæ eſt de eſſentia ſtatus monachalis, & religioſi. 778. 14. Et in quo conſiſtat ſolemnitas voti religioſæ obedientiæ. ibid. 5. Et ad quid teneatur Monachus, vel Religioſus ex vi obedientiæ, & quomodo ſuperior regularis poſſit præcipere ſub culpa gravi aliquid ſubdito. ib. 14. & ſeq
Votum paupertatis religioſæ poteſt diſpenſari 782. 31. Et quænam juſta cauſa ad id requiratur. 783. 32
Votum religioſæ paupertatis, an poſſit laxari per conſuetudinem legitimè introductam. ibid. 35
Vovens cum expreſſa intentione ſe non obligandi revera non vovet, ſed tantũ ſimulat vovere. 745. 10
Vovens juxta naturam voti nil cogitans de obligatione tunc explicitè, etiam contrahit obligationem, quia intendit explicitè vovere juxta naturam voti. 745. 11
Vovens aliquid agere determinato die, an teneatur illud idem agere alio die, ſi die determinato illud non egit. 752. 22
Vovens perpetuam abſtinentiam ab eſu carnium, an teneatur etiam urgente extrema neceſſitate, & in infirmitate abſtinere à carnibus. 954. 3
Vovens abſtinere à carnibus diebus mercurij, an teneatur etiam abſtinere à jure carnium. 752. 25
Vovere opus bonũ, & ex voto aliquid exercere animo colendi Deum, ſemper eſt opus bonum, & meritorium. 752. 25
Uſufructuarius non poteſt rem vendere, ex qua uſumfructum percipit. 403. 6
Uſufructuarius, feudatarius, Emphyteuta, & alij non habentes dominium abſolutum in re non poſſunt abſq; conſenſu Domini directi eam vendere, ſed tantùm ejusdem rei fructus. 403. 8
Uſufructuarius pignoris tenetur exhibere cautionem pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, ſeu idoneam, adeò ut teneatur ſervare res immobiles, in quibus habet uſumfructum, vel etiam mobiles, ac ſe moventes in ſua integritate quoad ſubſtantiam. 496. 12
Uſurarij manifeſti privantur eccleſiaſticâ ſepulturâ niſi priùs reſtituerint, vel de reſtituendo caverint. 626. 17
Uſurarius manifeſtus non poteſt teſtari, niſi priùs reſtituerit, vel idoneam cautionem præſtiterit de uſuris reſtituendis. 563. 11
Uſusfructus in jure ſumitur pro ipſo jure, quod habet uſufructuarius percipiendi fructus ex re aliena, & faciendi eos ſuos. Secundò ſumitur etiam pro ipſis fructibus jam perceptis, vel quos percipit. 403. 7
Uſusfructus eſt quid acceſſorium rei, cujus eſt uſusfructus. 409. 3
Uterus mulieris prægnantis, & brevi morituræ non poteſt licitè ſecari, ut infans periclitans baptizetur 921. 15. Secùs verò, ſi mulier prægnans, ob delictum jam eſſet damnata admortem. ibid. 18
Uterus matris mortuæ poteſt ſecari, ut fœtus periclitans baptizetur. 922. 20
Uxor clerici ſi ante conſummationem matrimonij decedat, vel religionem ingrediatur, adeò ut matrimonium ratũ diſſolvatur, adhuc privatur clericus ipſo jure beneficijs eccleſiaſticis, quæ ante matrimonium obtinuerat. 38. 9
Uxor defuncto marito, vel quomodocunq; ſoluto matrimonio tenetur ſtare locationi factæ à marito durante matrimonio quoad locationem bonorum paraphernalium. 432. 3
Uxor pro ſecuritate ſuæ dotis, ejúſque reſtitutione habet tacitam, ſeu ab ipſa lege conſtitutam hypothecam in omnibus bonis mariti. 485. 6
Uxor quantum ad dotem præfertur omnibus creditoribus habentibus actiones perſonales, vel tacitas hypothecas, non ita præfertur quantum ad donationes propter nuptias, neque habentibus expreſſas hypothecas anteriores. ibid.
Uxor regulariter non poteſt fidejubere pro marito, & ſi fidejubeat, irrita eſt fidejuſſio. 502. 16. Imò neque ſuſtinetur fidejuſſio uxoris ſimul cum marito. ibid. 17
Uxor donare non poteſt de bonis illis, quorum adminiſtratio pertinet ad maritum, ſi hic ſupponatur rationabiliter invitus. 531. 11
Uxor poteſt elargiri eleemoſynas juxta conſuetudinem aliarum fœminarũ ſuæ conditionis, ut etiam in gravi neceſſitate proximi, vel ad impediendum damnum mariti ſive temporale, ſive ſpirituale, ut etiam ſi parentes uxoris ſint pauperes, vel uxor habeat prolem indigentem ex alio marito. 531. 12
Uxor, ſi capta ſit in adulterium, poteſt maritus innocens Religionem ingredi, & in illa validè profiteri. 734. 18
Uxor fidelis, quæ non procuravit cædem mariti, non prohibetur contrahere matrimonium cum eo, qui etiam in bello, vel ex alia cauſa eum occidit. 737. 5
Uxorati non admittuntur ad dignitates eccleſiaſticas, & ſi quas obtinent, cogendi ſunt ad illas deſerendas. 461. 7

X.

XEnia ſunt munera hoſpitalia, quibus hoſpites viciſſim ſe munerantur, quod olim maximè fieri conſueverat diebus Saturnaliorum: & Xenia eduliorum, quæ intra paucos dies abſumi poſſunt, permittuntur Judicibus delegatis. 15. 14

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

005672112

Digitized by Google

Digitized by Google